Ex Libris Bibliotica Joannis Orset chirurg. 1664 13

Joannes Venere emit hunc librum Tagouni 12 s. anno 1669 die decima nona ybris


ORIGO MEDICINÆ.
יהוה
GUILHELMUS FABRICIUS HILDANUS, CHIRURGIC: MEDICAQ ARTE NOBILISS: Æ 1613. ætatis 53.
Clavis & Clavus Medicinæ.
Materia Medicinæ.
DN. GVILHELMI FABRICII HILDANI.
OPERA
Observationum et Curationum
Medico-Chirurgicarum
QVÆ EXTANT OMNIA
FRANCOFVRTI
Sumptibus
JOANNIS BEYERT
M.DC.XLVI.
Cum Priuileg: S.C.M. et Reg. Christianiss:
HIPPOCRATES.
DIOSCORIDES.
SVBIECTVM MEDICINÆ.
INSTRVMENTA MEDICINÆ.
FINIS MEDICINÆ.

GVILHELMI FABRICII HILDANI,

Illustrissimi Marchionis Badensis & Hochbergensis, &c. nec non Inclytæ Reipublicæ Bernensis Medico-Chirurgi Ordinarij.

OPERA QUÆ EXTANT OMNIA,

PARTIM ANTE HAC EXCUSA, PARTIM NUNC RECENS IN LUCEM EDITA.

OMNIA AB AUTHORE RECOGNITA, MULTISQVE IN LOCIS, TUM EPISTOLIS CLARISSIMORUM VIRORUM, tum obseruationibus & exemplis novis, aucta.

IN VLTIMA HACCE EDITIONE INSTRVMENTA quamplurima, in præcedentibus Editionibus ineptè depicta, & sculpta, nunc singulari artificio ad vivum adumbrantur, multaq; alia ab authore inventa adjiciuntur.

Cum Indice rerum & Verborum Locupletissimo.

Cum Gratia & Privilegÿs S. C. M. Ferdinandi III. & Regis Christianissimi.

FRANCOFVRTI AD MOENVM,
Sumptibus JOHANNIS BEYERI,
M. DC. XLVI.

Extraict du Privilege du Roy de France & de Navarre.

Par grace & privilege du Roy; Donné à Paris le trentiesme de Decembr. l'an de grace mil six cens quarante quatre: Signé par le Roy en son Conseil, Demonceaux, *& scellé du grand sceau de cire jaune. Il est permis à Iean Beyer, Marchand Libraire à Francfort, d'imprimer ou faire imprimer en la ditte ville, vendre & distribuer en nostre Royaume un Livre intitulé:* GVILHELMI FABRICII HILDANI Opera Observationum & Curationum Medico-Chirurgicarum, quæ extant omnia, *en telle forme, marge & charactere, qu'il advisera bon estre, & ce durant le temps de dix ans, à commencer du jour, que ledit Livre sera achevé d'imprimer: Et defenses sont faites à tous autres Libraires & Imprimeurs, demeurans en France ou estans Estrangers, de contrefaire ledit Livre, ny en vendre ou distribuer d'autres, que de ceux dudit Iean Beyer, ou de ceux, qui auront droict de luy, durant ledit temps, à peine de cinq cens livres d'amende, de confiscation des exemplaires & de tous despens, dommages & interests, comme plus au long & contenu audit privilege.*

Achevé d' imprimer le 16.me Mars, mille six cens quarante six.

Præpotentibus, Generosissimis, Illustribus, Magnificis, Nobilissimis,
Strenuis, Amplissimis, Prudentissimisq; Viris

DOMINO

FRANCISCO LUDOVICO ab ERLACH, Baroni in Spiez,
Domino in OBERNHOFFEN & Schadau, &c. Illustris BERNATUM Reip.
GENERALI & PRÆTORI,
ut &
DOMINO NICOLAO TAXELHOFERO, itidem prætori,
Nec non

DANIELI LöRBERO
&
BURCHARDO FISCHERO
} Quæstoribus;

Totique Senatui BERNATUM inclyto, Dominis suis gratiosis & colendissimis.

PRodeunt tandem, ad multesimæ partis Philiatrorum vota ac desideria, imò ad ingentem proximi salutem prodeunt Opera, quæ extant, Medica Dn. GVILIELMI FABRICII Hildani: & quidem, non, ut antea, laciniatim sparsa, sed ipso ab Autore (nunc ἐνὰ γλοις) enavatâ operâ recognita, elimata, aucta.

Hæc ipsa eò lubentius sumptibus meis, (haut certè exiguis) sub prœla recipi curavi, quo Doctrina in ijs solidior, materia practicis ac Medicina, cumprimis tamen illius partis quam Chirurgiam nuncupamus, Studiosis gratior ac Reipublicæ utilior.

Restitit ut typorum & operæ meæ Patronum eligerem; at, quem æquius, nisi Generositatem, Nobilitatem & Amplitudinem vestram? utpote quam Author primitus, ante Diem suum emortualem, sibi suisque scriptis his palmariis in sui suæque operæ singularem commendationem devotè quæsierat.

Ad ipsius autem nutum me convertere eo mage duxi necessarium justumq;, cùm, ne hos Liberalitatis vestræ in agellum Fabricij Medico-Chirurgicum sparsæ fructus ego præcerpsisse viderer, tum, ne Scripta hæc & lucubrationes, non à proletario, sed primæ Classis Medico, tot annorum spacio totque laboribus, vigiliis & curis apud celeberrimos Bernates exaratas patrio solo orbarem indeque nimis parum subacti judicij vir haberer. Taceo, quòd Generos.tas & Ampl.do V. tanquam amicum Musarum Gratiarumque sydus Jatrophilis benignissimè coruscans, eoq; nomine devotè adorandum, sat virium habeat adversus (insperatos quidem) malevolos horumque acerbitatis virus, si quod evomerent, hoc, quicquid est, tutandi.

Suscipite ergo illustres Domini, à me, jam antea consecratum vobis partum posthumum, gratiosâ manu; & tanquam venerationis meæ testimonium, vestræ verò Virtutis monumentum perpetuum clementer fovete, simulque Deo sospitante perpetim vivite. Datæ Francofurti ad Mœnum, postridie iduum Martij, Æræ Christianæ M. DC. XLVI.

Generos.m Nob.m & Ampl.m V.m

humiliter colens

JOH. BEJERUS.

Generosissimis, Nobilissimis, Strenuis, Amplissimis, Prudentissimisque VIRIS;

DOMINO FRANCISCO LUDOVICO AB ERLACH, BARONI IN SPIEZ:

DOMINO CLAUDIO WEIERMAN: COS. ALTERNIS.

DOMINO ALBERTO MANUELI, DOMINO IN KRONAY; EXCOS. MERITISSIMO,

Totique Senatui, nec non Ducentum-Viris Inclytæ Reipubl. BERN. Helvetior. Consultiss.

Dominis suis clementiss. & benigniss. universis ac singulis;

Adeo

VT DONORVM OMNIVM DATORE, SIC MEDICINAE AVTHORE, ET VITAE nostræ Conservatore unico,

Optima quæque corporis animæque commoda ex animo exoptat: Et

OPVS HOCCE

Observationum & Curationum Medicarum & Chirurgicarum rararum, in æternum gratitudinis monimentum

GVILIELMUS FABRITIUS, HILDANUS, Author dedicat consecratque.

SApienter *admodum* HIPPOCRATES, *Medicorum omniũ, qui exstiterũt, facilè Princeps, Viri Generosissimi, Nobilissimi, Prudentissimiq; scriptum nobis reliquit, videlicet, vitam hominis brevem, artem verò longã esse. Hunc etiamsi ab Ethnico, non tamen sine numine Divino prolatum esse Aphorismum, omnibus sanæ mentis hominibus in confesso est. Quid n. Vita nostra, quæso, aliud est, quàm fumus, & veluti umbra, quæ citò evanescit & perit? Dum enim, dicit Theologus quidã magni nominis, crescit, simul quoq; decrescit; dum augetur, simul quoque diminuitur. Et, ut* Seneca *testatur, punctum est temporis, quod vivimus.* Vita *itaque* brevis est, *& ut Psalmista Psal. 90 septuaginta, vel ad summum octoginta annorum: quod & Divus Apostolus Iacobus cap. 4. vers. 14. testatur. Quæ enim, inquit, est vita vestra? Vapor est, qui ad exiguum tempus apparet, & deinde evanescit. Ars verò cum cuiuscunque rei sit scientia usu vel traditione, vel ratione percepta, tendens ad usum aliquem vitæ necessarium, comprehendens universalia huius vel illius scientiæ, tam pauco profectò annorum spacio addisci non potest:* Vita *enim, (iterum cum Hippocrate dico,)* brevis, ars verò longa est. *Vt enim de Studio Theologico, quod omnium est sanctissimum (& ut multis videtur facillimum, quandoquidem principia sua in parvo codice, Veteri videlicet ac Novo Testamento comprehendit) taceam, nonne totum hominem, antequam in perfectum (de Mercenariys non loquor) Theologum evadere possit, requirit? quod etiam Divus Augustinus, Chrysostomus, & multi aliy ex Neotericis, si viverent, testarentur.*

De Iurisprudentiæ Studio (quod omnium est splendidissimum) & Statu Politico, quid dicam? Præter hæc pauca, à Magno quodam Iurisconsulto Anno 1618. Spiræ in Conventu virorum doctorum, me præsente, prolata verba. Videlicet, propter malitiam hominis tantos in regimine politico occurrere casus difficiles, antea neque visos, neque auditos, ut non immeritò Bartolus & Baldus *si reviviscerent, dicere possent, se tyrocinium nondum absolvisse.*

Etsi autem Aureum hocce dictum Hippocratis, Vita brevis, ars verò longa, *in omnibus scientiys, ac fa-*

ac facultatibus locum habeat, ad Medicinæ tamen studium (quod omnium est laboriosissimum, & molestissimum) præcipuè ab Hippocrate refertur. Est autem laboriosum, propter rerum discendarum copiam, quæ in Medico rationali desiderantur, de quibus Hippocrates, Galenus, Avicenna, & ex Neotericis Fernelius, Fuchsius, Sennertus, & alij fusius docent. Inprimis verò qui in rationalem Medicum vel Chirurgum evadere cupit, is ut notitiam Anatomiæ habeat, necesse est: Anatomiam enim clavem & clavum esse Medicinæ, omnibus rationalibus Medicis in confesso est. Cognitio præterea simplicium, earumq́ facultatum & operationum, in Medico magnopere desideratur: Ex eis enim Medicamenta varia cùm interna, tùm externa, sine quibus Medicus apud ægros inutilis est, parantur. Morbos præterea, eorumq́ causas, differentias, signa prognostica & symptomata, antequam ad curationem perveniat, ut cognoscat perquam necesse est. At in Curatione, quantas, bone Deus, Medicus circa ægros habet molestias? Idque propter diversitatem ægrorum, propter constitutionem corporum, sexus, & ætatum, propter morositatem, item & ingratitudinem, ne dicam eorum nequitiam, plerumque etiam propter negligentiam, aut potius imprudentiam assidentium, & ministrorum; quando videlicet præscriptis Medicorum non obtemperant, & proinde ægrum in mortis discrimen præcipitant. Nihilominus tamen si quid sinistri supervenerit, culpam in Medicum vafrè conjicere sciunt. Quis igitur quæso Medicinæ studium molestum ac laboriosum, tantaq́ diversa in eo addiscenda esse, ut Nestoris ætas vix sufficere posset, non vidit? Infinita enim propemodum quotidiè in eo, præsertim in praxi videmus, quæ antiquos Medicos latuerunt.

Quoniam itaque, inquit Galenus, artis Magnitudo vitam hominis excedit, adeò ut ab homine quantumvis diligenti, & laborioso non possit & inchoari, & ad finem usque perduci, propterea operæ pretium est, quæ quisque cognovit, ea mandare literis, & tradere posteritati commentationes, quæ rerum docendarum naturam omnem diligenter ac citò, & sermone dilucido interpretentur. Hinc videmus Hippocratem in libris de morbis popularibus, omnia quæ medendo circa ægros observârat, quàm accuratè & diligenter annotasse, & veluti ideam quandam posteris ad Medicinam rectè & cum fructu ægrorum faciendam, & amplificandam, reliquisse, Hippocratem sequutus est Galenus, qui non solùm libros prædictos Hippocratis commentarijs doctissimis illustravit, & auxit, verùm etiam multas observationes proprias, & raras hinc inde libris suis inseruit. Inter Neotericos præsertim qui superiori seculo floruerunt Medicos, haud pauci quoque extiterunt, qui artem Medicam observationibus & curationibus suis varijs, atque admirandis illustrârunt, ex quorum numero sunt Antonius Benivenius, Johannes wierus, Franciscus Valleriola, Rembertus Dodonæus, Johann. Crato, Gregorius Horstius, Marcellus Donatus, Joh. Langius, Renerus Solinander, Amatus Lusitanus, Petrus Forestus, Jacob. Hollerius, Ambrosius Paræus & alij, *Ex quibus omnibus* Johannes Schenckius, *vir uti doctus ita etiam quum diligentissimus, & de arte Medica benè meritus, immenso cum labore medullam suxit, in unum volumen congessit, & cum proprijs suis Observationibus posteris reliquit.*

Scio quidem contemptores esse, & Momos, qui Studium hocce contemnere & floccifacere, sua verò extollere, quasi ea quæ rarò occurrunt, non essent artis, & proinde minus necessaria, mihi objicere, non erubescunt, sed quia Hippocrati, Galeno tantisque viris præclarissimis, sine fundamento contradicunt, ipsis ut respondeatur, minus necesse esse arbitror, Diligentiam quidem, & laborem requirit Studium hoc, eis tamen qui eo oblectantur, non laboriosum, sed perquam gratum, jucundum, simul & utilissimum est. Ex Observationibus enim Medicis, admiranda Dei opera, ipsiusque potentia ac misericordia immensa erga genus humanum omnibus elucescit, quando videlicet Cerebri, Pulmonis, Ventriculi, Hepatis, Intestinorum, Vesicæ aliorumq́ internorum viscerum vulnera ab antiquis Medicis pro insanabilibus prolata, curari videmus: de quibus omnibus Generositas, Nobilit. &c. vestra hoc in libro Exempla videbit. Præterea ex lectione observationum, eorum omnium, quæ à doctis ingeniosissimisq́ tum antiquis, tum modernis, & per totum Orbem Christianum Medicis inventa explorataq́ fuerunt, frustra participes fiemus. Hinc multa præclara ac præstantissima remedia ab alijs viris doctis magno cum sumptu inventa, nobis innotescunt. Quid plura? Observationes Medicæ, sunt veluti speculum splendidissimum, in quo tota ars Medica nobis ob oculos repræsentatur. Suntque fax, sive Lumen, quæ ad abstrusissimas corporis nostri partes videndas, & perlustrandas, Medicum quasi manu ducunt. Sunt insuper Medico pio, & rationali, veluti frenum, ad refrenandum animum, ac coërcendam in ipso Empiricorum, Pseudochymicorumq́ (qui experimenta, ut Plinius loquitur, per mortuos faciunt) audaciam atque temeritatem, plusquam inhumanam; quando videlicet ex Observationibus, & historijs Medicis videt ac legit, quàm miserè quotidie infiniti homines ab Empiricis istis nebulonibus, & carnificibus diris tormentis lacerantur, & plerumque trucidantur, uti exemplis nonnullis hocce in libro meo ostendo.

Ante annos itaque quadraginta ad praxin Medicam, & Chirurgicam me accingens, cùm maximum

ximum

ximum illum fructum atque usum ex lectione Observationum circa ægros apud me perciperem, magis magisq; non tantum ad legendas Observationes, verùm etiam, ut quæ mihi in praxi rara occurrerent, vel à viris doctis communicarentur, ipsemet consignarem, posterisq; relinquerem, incitatus fui, sex itaque centurias compilavi, quarum quinque ante hac excusæ fuere, ultima verò, uti & nonnulla alia, partim ante hac excusa, partim quoque nondum visa, & in unum volumen conjuncta, nunc primùm prodeunt.

Vobis autem, Viri Generosissimi, Nobilissimi, Prudentissimi, hasce qualescunque vigilias, atque labores meos inscribere volui, ut perpetuum essent monumentum, me (absque jactantia sit dictum) non fuisse inutile instrumentum vestræ Reipublicæ. In his enim Centurijs alijsq; annexis opusculis meis, plurimas curationes admirandas, quas per singularem Dei gratiam, à quadraginta abhinc circiter annis, inter vestros subditos, etiam in ipsa urbe Bernensi feci, videbitis. Interim enim dum Lausannæ primo, deinde Paterniaci praxin exercui, non rarò in gravissimis, & ab alijs derelictis affectibus, ab ægrotis & Medicis vestris ordinarijs, in Concilium accersitus, adhibitusq; fui, donec tandem Anno 1614. à vobis in Medico-chirurgum ordinarium vocatus, & jure civitatis muneratus essem. Quid plura? tantis honoribus hactenus, etiam in hanc decrepitam usque ætatem meam, me affecistis ut nisi Lucubrationes hasce meas vobis inscriberem, & in testimonium grati animi mei vobis posterisq; vestris relinquerem, graviter in Deum peccarem. Nihil enim, ut Divus Bernhardus serm. 1. de septem Misericordijs, docet, ita displicet Deo, quemadmodum ingratitudo. Ideoque ut sapientissimus Rex cap. 16. vers. 29. scriptum reliquit, Ingrati spes, tanquam pruina hyberna colliquescit, & sicut aqua inutilis, defluit. Inter Ethnicos quoque, tanto in odio habebantur ingrati, ut Socratis sententiâ tanquam impij à Magistratu reprobarentur, & ad munia publica, ut indigni, non admitterentur.

Non sine causa autem, Viri Generosiss. Nobiliss. &c. opuscula hæcce mea, Lucubrationes paulò ante inscripsi: Deus enim testis est, plerumq; me interdiu circa ægrotos ita occupatum fuisse, ut vix respirare potuerim, de quibus Lausannenses & Paterniacenses vestri, imò & multi ex nobilitate hujus urbis, testes sunt oculares; quando videlicet non tantum circa subditos vestros, continuò occupatus eram, verùm etiam ad Principes, Generosos, Nobiles & Magnates extra Helvetiam vocabar; Mirum autem in modum occupationes meæ adauctæ fuerunt, cùm post discessum Nobilissimi ac longè doctissimi Viri, Dom. Doct. Pauli Lentuli, piæ memoriæ, amici mei æternùm honorandi, nomine Regis Galliarum (ut Legatis suis apud Helvetios, operã meã medica etiam & Chirurgica navarem) & paulò post ab Illustrissimo ac Celsissimo Principe, ac Domino Dom. Georgio Friderico, Marchione Badensi & Hochbergensi, &c. in Medico-Chirurgum vocatus, & constitutus essem. Noctu itaque lucubrare, & quæ interdiu circa ægros observâram, annotare cogebar.

Hæc, Viri Generosiss. & Nobiliss. &c. non ostentationis causa adscribo, de vana enim huius seculi gloria, nunquam me sollicitum aut cupidum fuisse, omnes qui à teneris annis me noverunt, testes esse poterunt: sed præcipuus scopus meus semper fuit, quo Deo & proximo, imò etiam posteris inservire possem. Deinde quoque an juventutem forsan, ad Chirurgiam consecratam, provocare possem, ut meo exemplo, maiori cum aviditate studium Chirurgicum arriperet sedulòq; prosequeretur. Vtinam voti mei me compotem faceret Deus clementissimus: id enim splendorem Reipublicæ vestræ magnopere adaugeret, sed in primis commodum ægrorum promoveret. Requisita, & quicquid in hoc negotio desiderari posset, Laus sit Deo, vobis non desunt: Amplissimis enim stipendijs Medicos vestros ordinarios pendetis Xenodochium præterea ditissimum, in quo indigenæ omnes, & peregrini quamplurimi, recipiuntur, habetis: quod veluti Schola Chirurgiæ totius Helvetiæ esse posset, si videlicet juventus in eo in Anatomicis, veluti fundamentis Chirurgiæ, deinde quoque in praxi, ex arte erudiretur.

Accipite itaque, Viri Generosissimi, Nobilissimi, Prudentissimi, &c. benevolis animis, quod vobis do, dedico, & consecro munusculum hocce Chartaceum. Id si pro innata humanitate vestra, ut spero, feceritis, immortali beneficio vos me affecisse censebo. Quod superest Deum Ter Opt. Max. sublatis ad Cælum manibus supplicibus votis precor, ut gratiâ suâ Divinâ vobis adesse, spiritualibus quinetiam & temporalibus donis abundè exornare velit, quo Reipublicæ vestræ, in multos adhuc annos præesse, eamq; tranquillè & pacificè administrare possitis: inprimis verò ut Ecclesia Christi sub vestro præsidio magis magisque floreat. Dabam Bernæ in urbe vestra 1. die Mensis Aprilis: Anno post Christum natum M. DC. XXXIII.

Can-

Candido Lectori.

Hominem ex duabus cõstare substantijs, & duobꝰ morborum generibus obnoxium esse ostenditur.

QUemadmodum candide Lector, homo ex duabus substantijs, videlicet Divinâ sive Cœlesti, & terrestri hoc est humanâ constat: ita etiam in hac vita duobus morborum generibus nimirum animæ & corporis, obnoxius est. Ambo propter inobedientiam atque transgressionem primorum parentum nostrorum in Paradiso proveniunt. Utrumque morbi genus, etiam minimum hominem ad interitum præcipitare potest: Ut enim de morbis animæ sive peccatis taceam. Nonne interdum acarum, verrucam, aut febriculam hominem necare videmus? quod & mihi in praxi mea, observare contigit.

Deum homines à morbis tam animæ quã corporis sanare demõstratur.

Verùm enimverò tanta ab omni ævo Dei fuit clementia, & in nos miseros homines misericordia, ut ante mundum conditum, uno atque altero morbo prævideret, hominemque ad imaginem suam creatum conservaret. Ideoque statim post lapsum parentum nostrorum, semen mulieris, hoc est filium suum unigenitum Christum Jesum, caput serpentis videlicet Diaboli contriturum, genusque humanum à peccatis & morbis animæ liberaturum promisit, neque tantum promisit, verùm etiam per immolationes, & sacrificia Veteris Testamenti (quæ veluti typi unici sacrificij Christi in cruce erant) promissionem suam quotidiè stabilivit atque confirmavit; donec tandem promissum Messiam, & summum Sacrificatorem, ac Medicum animæ, simul & corporis miserit: qui sacrificio ac morte suâ morbos animarum nostrarum sanavit, nosq; à morte & damnatione æterna liberavit. Ideoq; etiam hodie per ministros Ecclesiæ suæ alta voce exclamat, & ad consumptionem mundi (est enim Sacerdos, Mediator, ac Salvator noster in æternum) clamabit. Venite ad me omnes qui fatigati estis, & onerati, & ego faciam ut requiescatis. Est itaque Deus ab æterno Medicus animarum nostrarum, idq; per filium suum unigenitum, Christum Jesum, solum Mediatorem ac Intercessorem. Hæc de morborum animæ curatione, ac Medico Christo, qui etiamnunc hodie per Spiritum suum Sanctum & prædicationem Evangelij sui, per Episcopos atque Ministros Ecclesiæ suæ, languores animæ nostræ à peccato sauciatæ sanat, vivificat, & in æternum conservat.

Heb. 5. v. 6. Matth. 11. v. 28.

Maximo itaque in honore sunt habendi hi, quos Deus sibi elegit, atque constituit, ut salutaria illa remedia ad hominem conferrent: quod & Sacra Scriptura præcipit, cùm dicit: Toto animo Dominum reverere, ac suspice Sacerdotes. Et ipse Salvator Christus vult, ut Discipuli ejus eodem in honore ac ille ipsemet habeantur: Dicit enim qui vos audit, hoc est doctrinam quam à me accepistis, me audit, & qui vos rejicit me rejicit. Sed relinquamus hæc Theologis discutienda, & ad institutum nostrum redeamus.

Eccl. 7. v. 31 Luc. 10. v. 16.

Genes. 1.

Porrò cùm ab initio Deus hominem ad imaginem suam crearet (ut haberet dominium super pisces maris, volatilia cœli, & jumenta terræ) corpusq; veluti domicilium & tabernaculum animæ constitueret, illud de omnibus rebus necessarijs ante ejus creationem videlicet non tantùm victu & amictu sed etiam medicamentis prævidit; Altissimus enim inquit Sacra Scriptura medicamenta procreavit de terra, & vir prudens ea non abhorrebit. Quotiescunque igitur Deus corpus nostrum propter peccata sinistrâ, ut ita dicam, percutit, mox dextrâ iterum illud refocillat, ac ut Scriptum est sanat. Videte nunc dicit scriptura quod Ego, Ego sum, & non sunt Dij mecum; Ego mori faciam, & vivere faciam: Percutiam & ego sanabo. Et alibi; Jehova mortificat, & vivificat. Deus igitur sanat, & quidem miraculosè, at non per verba, uti Christus suiq; Discipuli, sed per media, hoc est, per Medicos & medicamenta, in quibus magnalia Dei, potentia atq; misericordia ipsius elucescere, omnibus pijs Medicis, simul & ægrotis, notum est, quando videlicet id plerumq; medicamentum, quod nobis per quam vile esse videtur, tot præclaras & salutares operationes ex se edere deprehendimus. Dein cùm vulnerata, ex mortali vulnere sanari videmus. Ego per singularem Dei gratiam vulnera Cerebri, Pulmonis, Vesicæ, & Intestinorum, feliciter sanavi. Verùm hic Hippocrates, qui vulnera prædictarum partium insanabilia esse pronunciavit, obmutescit, suntq; hujusmodi curationes planè miraculosæ. Interim tamen vult Deus ut media & medicamenta ab ipso creata adhibeantur qui secus facit, Deum tentat & ægrum in periculum deducit. De quo Lector Exemplum singulare videre poterit in prima Centuria, Observat. 13, exemplo 3.

Eccl. 38. 4.

Deut. 32. v. 39. 1. Sam. 2. v. 6.

Deus per media & medicamẽta etiam hodie miraculosè sanat

Observatio de impressione cranij & contemptu remediorum.

Circa annum 1605. cum Paterniaci Medicinam facerem, quadam die in proximum pagum vocatus fui, ubi in turba Hismaëlitarum, quos Saracenos vocant, Sexagenarius quidam ex eis lapide ad sinistrum bregma cum cranij impressione percussus fuerat. Quem cum sine loquela & intellectu invenirem, suasi, ut cutis (quæ integra erat) in formam crucis incideretur, & cranium depressum in locum reponeretur, & quicquid fractum extraheretur. Id verò quum adstantes (qui ægrum senem & ad peregrinandum ineptum esse viderent) concedere nollent, post dies aliquot naturæ debitum solvit, is qui servari potuisset, si remedia adhibita fuissent. Impiè itaq; faciunt & gravissimè in Deum peccant, qui in morbis suis Medicos non adhibent, sed sanationem miraculosiorem à Deo expectant, abutentes Sacrâ Scripturâ: Dicunt enim cum Job Deus dedit, Deus abstulit. At Deus Job sua etiam per media nimirum per Sebæos, & Chaldæos abstulisse, Sacræ testantur Litteræ.

Qui rationales medicos & medicamenta cõtemnunt impiè faciunt.

Iob. 1. v. 21. Lev. 19. 31. Ier. 27. v. 9. Eph. 2. 1. 2.

Alij in morbis suis Deum deserunt, & remedia sua spernunt, contra expressum mandatum Dei, atque ad Incantatores, Exorcistas, & Necromanticos confugiunt à quibus & nonnunquam, Deo sic permittente, curantur, (potens enim est Spiritus aëris in hominibus contumacibus.) Ut plurimùm tamen justo Dei judicio, ex le-

vissimo *A Necro-*

vissimo aliquo affectu gravissimus morbus vel etiam mors ipsa sequitur: uti exemplum memorabile de Rege Ahaziach habemus. Ego multoties ægrotos ab Incantatoribus & Necromanticis derelictos curandos habui, sed vix credibile est, quanta cum difficultate, ac labore optatum scopum attingere potuerim, plerumque etiam oleum & operam perdidi. Qui enim summum atque immensum illud Dei donum, quale est ars Medica, floccifacere, (atque eò usque, ut ministros Diaboli in auxilium adhibeat) non erubescit, gratiâ Dei indignum se reddit, donec resipiscat pœnitentiamq; faciat.

Necromanticis & Exorcistis derelicti ægri, cur à Medicis nō facilè curari possint. 2. Reg. c. 1.

Ex his omnibus satis superque manifestum fit, Deum unicum esse authorem Medicinæ, idque non solùm Sacra Scriptura testatur, verùm etiam Ethnici agnoverunt. Græci enim apud quos Medicina primùm exculta fuit, ac floruit, Apollinem Deum inventorem Medicinæ esse, statuerunt. Post Apollinem verò ejus filium Æsculapium: quia Medicinam, quæ ad sua usque tempora adhuc rudis fuerat, excoluit, uti & post ipsum, alios in Deorum numerum collocarunt, divinisque honoribus affecerunt, maximis muneribus, nec non stipendijs, coronis aureis, & gemmis dum viverent adornârunt, imò & statuas ac monumenta ipsis erexerunt: Tanto in pretio & honore apud Ethnicos Medicina habebatur: etiamsi Sacra Scriptura quæ Medicum suis honoribus nos afficere jubet, ipsis incognita fuerit. Utinam hæc ubique locorum à Regibus ac Principibus Christianis diligentius perpenderentur: Tunc enim omni proculdubio summum illud & incomparabile Dei donum, majori in pretio haberetur, neq; uti hodie fit, multis in locis, à sordidis atque impijs hominibus pedibus conculcaretur, nimirum à pseudochymistis, carnificibus, circumforaneis, necromanticis, incantatoribus, & hujus farinæ nefarijs ac sceleratis hominibus, quorum major pars neque conscientiam, neque scientiam habet: qui & à Deo Medicinæ authore, ex familia Medica excluduntur. De Medicis enim Sacra Scriptura sic loquitur: Medicum suis affice honoribus, propter necessitatem, etenim Dominus illum creavit.

Eccl. 38. v. 1.

Eccl. 38. v. 1. Locus Ecclesiast. explicatur.

Loquitur autem Sacra Scriptura non de omnibus, qui se Medicos, vel Chirurgos esse gloriantur, sed de his saltem, qui artem ex professo didicerunt, & ad eandem exercendam legitimè à Deo vocati fuerunt. Vox enim *creavit* hoc loco, non de prima creatione Medici intelligitur: quandoquidem Deus omnia quæcunque in universo mundo continentur, imò etiam bruta, agyrtas, circumforaneos, necromanticos, exorcistas, carnifices, & hujusmodi homines Medicinam exercentes, creavit quidem, ad nobilissimam tamen artem exercendam, nec vocavit, nec per ministros suos atque Professores Academicos approbavit. Quapropter in Republica bene constituta nequaquam essent tollerandi, sed veluti impostores & nefarij homines puniendi, & proscribendi. Non enim gloriam Dei & utilitatem proximi quærunt, sed loculos civium emungunt: Non artem illustrant, sed omnibus modis conspurcant: Non sanitatem hominum promovent, sed potiùs optimam temperiem partium corporis amovent, ac destruunt, ita quidem ut plerumque propter inscitiam: sæpè quoque malitiam horum hominum, ex parvo aliquo affectu, si non Mors ipsa, gravissimus tamen & insanabilis sequatur, ut superius dixi, morbus, dum pseudochymici, circumforanei & alij, medicamenta sua ut plurimùm negligenter præparata, ægris propinare non erubescunt.

Empirici & circumforanei cur non tollerandi.

Antiqui Medici prudentiâ & benignitate Magistratus medicamenta quæ ipsis adhuc incognita erant, in maleficis & ad mortem condemnatis hominibus, probabant. Quibus Clemens VII. Papa, & Imperator Maximilianus secundus gloriosæ memoriæ, ut testatur And. Matthiolus, scribens de Napello, sequuti: Medicamenta quoque nonnulla, hominibus ad mortem condemnatis, propinanda, eorundemq; Medicamentorum facultates, & operationes explorare jusserunt.

Antiqui Medici Medicamenta in hominibus ad mortem condemnatis explorabant.

Si hoc tempore Amplissimus Magistratus ubique subditorum salutem, æquè ac illi, curaret, reverà tot imperitos homines, pseudochymicastros, circumforaneos, impios carnifices, & hujus farinæ nefarios homines, neque arte neque experientia valentes, eò etiam adigeret, ut Artis suæ periculum in maleficis nebulonibus, non autem honestis hominibus facerent, imò efficeret, ut chymici Mercurium suum vitæ, Aquilam albam, Mannam mineralem Paracelsi, & id genus alia, quæ super astra propemodum extollunt, medicamenta in ijs, qui morti adjudicati sunt, experirentur, & si tunc successus voto non responderet, ejusmodi homicidas supplicio meritò afficeret. Sed, proh dolor! quam procul abest à scopo, cùm etiam ejusmodi impij & imperiti nebulones sæpenumerò multis in locis à primarijs Reip. Proceribus non solùm alijs peritis, doctisq; Medicis anteponantur, sed eò quidem etiam interdum res devenit, ut ij, qui Paracelsi aliorumq; Chymicorum libros vix extremis, quod ajunt, labijs degustârunt, multò minus legerunt, garrulitate atque mendacijs suis viros primarios eò usque deducant, ut non modò acria, malè præparata & venenosa medicamenta mineralia approbent, sed etiam eorum in semetipsis periculum & experimentum faciant.

De his homicidis & nefarijs hominibus vide librum meum de præstantia Anatomiæ, Germanicè editum.

Anno 1610. illustri cuidam Principi, tunc temporis Basileæ degenti, unà cum Doctissimo Viro, D. Felice Platero, & D. Martino Chmielecio Medicinæ Doctoribus, in gravissimo ac difficillimo Morbo operam Medicam præstiti: Huic Principi Chymicus quidam celebris Gallus Aquilam albam ea ratione ad naturam ac constitutionem corporis ipsius accommodavit, ut persvasus esset, se eâ tanquam preciosissima Panacea, in omnibus morbis uti posse. Bonâ verò fide testari possum quotiescunq; ex jussu atque mandato suo, de medicamento hoc ei exhibendum fuit, quòd singulis vicibus animam editurus videretur: Ubi quidem lapis Bezoar, Margaritæ, Confectio Alkermes, theriaca & similia adhibenda fuerunt, & nihilominus tamen ab eo abstinere noluit. An verò S. Celsitudo post curationem domum reversa, multiplici nostræ medicamenti istius dissuasioni locum dederit, an verò illius usum continuârit, mihi non constat: Scio saltem ipsum admodum Juvenem occubuisse, & vix ætatem virilem prætergressum esse, nec mirum. Quamvis enim non omnes, qui hoc, & alia similia venenosa medicamenta Mineralia assumunt, repentinâ morte, ut quidam, cujus mox mentionem faciam pereant: Talem tamen venenosam qualitatem post se relinquunt, ut spiritus vitales, paulatim corrumpantur & pereant.

Princeps quidam illustris Aquilâ albâ utitur summo vitæ suæ periculo.

Anno 1620. huc Bernam venit Empiricus, spectabili, pio, atq; honesto cuidam Viro, D. Johanni Francisco Regi nomine, se podagram ipsius curaturum persvadens. Cùm igitur die quadam manè de Panacéa sua ei exhibuisset, intra horæ spatium visu, mox auditu, ac tandem loquelâ, & intellectu privatus fuit: Ita ut hora trigesima

Circumforaneo quēdam curat ex podagra.

[illegible] post assumptum medicamentum, pie in Domino obdormiverit. Hoc unico exemplo, unicui[illegible]nescam. Plura alia si inquirere vellemus, recenseri possent. Valeat autem insignis ista curandæ po-

Hæc de [illegible] videat Lector librum meũ de præstãtia anatomie Germanicè editum.

Quòd si igitur interdum passim Primates, quibus jure Medicina, tanquam unum ex summis beneficijs ac [illegible]nis, Mortalibus à Deo O. M. in hac miseriarum valle concessis, magis colenda ac suspicienda esset, eam etiam cum alijs pedibus conculcent, & vilipendant, dum patiuntur tot honestos homines ab agyrtis; impostoribus, seplasiarijs, Judæis, carnificibus & similibus artis imperitis hominibus, sanitate vitaq; privari, & nihilominus insuper permittunt, ut fæx ista hominum ægris, vel ipsorum hæredibus, pecuniam extorqueat, atq; adeò eos simul corpore ac bonis spoliet. Quando, inquam, hæc ab Imperatoribus, Regibus, Principibus, Superioribus, & similibus, qui Magistratum & gladium gerunt, impunè feruntur, & conceduntur, nemini mirum videatur, si tandem aliquando summus Oeconomus veniens digerit. Reddite rationem de Oeconomia vestra, hanc enim in posterum administrare non poteritis: Atq; ita vinetum suum multis in locis deinceps alijs vinitoribus, quod tamen Deus clementer avertat, locârit, colendumq; tradiderit.

Luc. 16. v. 2. Mat. 21. 41.

Ita autem est, & prudens quivis mihi concedet, eodem modo sese habere Magistratum erga subditos, ut se habet Paterfamilias erga liberos & domesticos: Quemadmodum itaque Paterfamilias coram Deo liberorum suorum: ita etiam Amplissimus Magistratus subditorum curam gerere tenetur. Præterea, sicuti Princeps nunquam probaturus & concessurus est, ut Paterfamilias aliquem ex domesticis in præsens vitæ periculum ruere patiatur, sed potiùs impium, imprudentem ac temerarium, illum parentem (ut æquum & justum est) puniet: ita etiam supremus Princeps ab hominibus Principibus, Superioribus, & generatim ab ijs, quibus gladium in manus tradidit, suo tempore rationem exiget; qui tunc veri atq; fideles Patriæ patres fuerint, eo in æternùm gaudebunt. Tunc verò non valebit, quod trito apud Germanos fertur Adagio; an non unusquisq; corium suum cuicunq; lubuerit, possit committere? Minimè. Longè aliter sese res habet, quemadmodum infans ignorat, quid sibi sit utile, quid verò perniciosum & inutile, imò album à nigro discernere nequit; ita etiam de homine indocto atq; plebejo sentiendum, qui inter doctos & indoctos, expertos & inexpertos Medicos nullam veram statuere novit differentiam, sed ei qui plurimùm garrit, ac blaterat, serico, auro, argentoq; circumvolutus incedit, primas tribuit.

Amplissimus Magistratus subditorum curam gerere debet, ut pater liberorum.

Magistratus verò omnia cum ratione atq; judicio distinguere, non secundùm externam rerum formam ac faciem judicare, sed etiam ipsos, ut ita loquar animos scrutari debet. Ideoq; Principibus, Superioribus, & ijs qui Reip. clavum tenent, in S. Scriptura, illud præ cæteris tribuitur, ut parva Numina appellentur. Magna quidem hæc gloria, & præeminentia, paulò tamen pòst, eos etiam ut reliquos mortales omnes morituros subjungitur. Ut igitur in hoc mundo multis alijs præeminent: ita quoq; ipsis coram Deo ratio longè gravior, quàm alijs, reddenda, imò etiam judicium ac pœna multò gravior (si in officio sibi commisso aliquid omiserint) expectanda erit.

Psal. 82. v. 6. Ioh. 10. 34.

Quod autem hæc, benevole Lector in limine huius libri proponam, ad id me Charitas Christiana impellit, quæ requirit, ut quilibet Christianus salutem potiùs & incolumitatem Proximi, quàm proprium suum commodum sectetur.

Quare auctor errores & abusus arguat.

Altera causa impulsiva est, quia cuivis fideli ac pio Medico incumbit, ut honorem, dignitatem, ac famam artis suæ tueatur, atq; promoveat. Quare igitur illi, quos Deus ad munus hoc vocavit, in summa hac rerum confusione, perturbatione, & inversione tacerent, & obmutescerent? quomodo in die judicij coram Divina facie subsisterent? Nunquid Judices ipsi vindictam de ipsis petituri, ignorantiamq; prætensuri essent?

Abusus autem & errores in arte contingentes, nemo faciliùs arguere novit, quàm illi, qui quotidie circa eam versantur. Quandoquidem igitur à 50. jam annis Arti huic, quanta quidem potui diligentia, & pro talento mihi à Deo concesso, incubui, & apud omnis generis homines, imò apud Principes ac Nobiles Medicinam exercui: Hinc sæpè præsentem rerum statum, & quàm vili salus & vita Proximi à multis pendatur, cum summa animi perturbatione vidi, ejusq; rei multa si opus esset, in medium afferre possem exempla.

Quæ cùm ita sint, neminem hæc, cujuscunq; sortis ille demùm fuerit, in malam partem interpretaturum spero, sed potiùs confido, si non multos, saltem hinc inde aliquos, eorum qui clavum Reip. tenent, ea animo versaturos, & tam subditorum, quàm animarum suarum salutis rationem habituros, nec unquam permissuros, ut quicunq; huc accedit, experientissimum Artis Magistrum se dicit ac prædicat, omnium affectuum curationem promittit, ostentatione ac garrulitate suâ ignarum vulgus decipit, simulq; corpore ac vitâ privat, ad arbitrium Medicinam exerceat. Hi verò errores & abusus non solùm in Medicina interna deprehenduntur, sed reperiuntur etiam passim imperiti & barbari homines qui castrationem & Lithotomiam administrare, cataractas sive suffusiones oculorum deponere, aliasq; similes difficiles operationes, in quibus de vita & anima agitur administrare satagunt, & tamen in fundamentis vacillant, neque etiam artem à peritis didicerunt.

Novi ego seniorem quendam Lithotomum & Castratorem, qui omnium primus ac peritissimus in hisce regionibus habebatur, qui mihi, alijsq; honestis Viris præsentibus, è quorum numero etiam fuit, doctissimus ac celeberrimus Medicus D. Jacobus Aubertus Vindo, jactabundus prolixè recensuit, quâ ratione Herniotomiam primò in Burgundia, ubi apud rusticum quendam subulcum egit, in porcis ac vitulis didicerit. Cùm igitur aliquando unus ex socijs Herniâ laborâsset, cumq; industriam ac promptitudinem huius in castrandis porcis ac vitulis observasset, statim ab eo, ad faciendum dexteritatis suæ periculum persvasus fuit. Cumq; etiam res cum subulco illo feliciter successisset, illicò se ex Burgundia, ad alias regiones, ad conquirendas splendidiores vestes, ac famulum profectum esse, postmodum periti Artis huius Magistri nomen sibi vendicasse, eaq; ratione in Herniotomum primò, deinde quoque in Lithotomum se evasisse dixit, uti scio, mihiq; ex Diplomatis suis passim affixis constat, quod non solùm Hernias, & calculum, membra itidem, & omnis generis alia, p. n. in corpore genita secare, sed etiam fœtus mortuos è gravidarum utero extrahere tentârit, idque citra Censuram & inquisitionem Magistratus, utrum rei peritus esset, nec ne. Jam autem prudentioribus judicandum relinquo, quot ægri huic,

Castrator quidam primò sese exercet in porcis & vitulis.

huic, & alijs ipsius Discipulis, qui itidem postea peritorum Lithotomorum nomen sibi vendicarunt, antequa m particularem experientiam adepti sint, interierint, symbolumque, proprio suo corio solverint? Quare, inquies, nonne manum habuit intrepidam? an non in secando promptus, & expeditus fuit, ægrosque suos plerumque etiam sexto aut nono die è lecto erexit, & per cubiculum deambulare fecit? Quòd si fortè eorum aliquis occubuit, causa fuit, quòd jussis parere, & obtemperare noluit. Minimè sanè: Non enim sufficit Cheirurgum, manum, ad hanc vel illam operationem administrandam, expeditam habere, sed hoc inprimis etiam in eo requiritur, ut gravia symptomata, sectionem interdum consequentia, ut sunt dolores, tumores, inflammatio, gangræna, spasmus, febres ardentes, delirium, immoderatæ vigiliæ, & similia præcavere sciat. Hoc verò non inter subulcos, & similes homines, quibus nulla est cum arte communio, addiscitur, sed longè plura, ut prudens quilibet facilè judicare potest ad illud requiruntur.

Lithotomũ non solum manum expeditã habere, sed etjam fundamenta artis venere operet.

Necesse autem omninò est, ut Magistratus Amplissimus observet, seduloq; inquirat, utrum illi, qui Artem hanc, sive Castrationem, sive Lithotomiam, sive Cheirurgiam in genere profitentur, eam etiam ex fundamentis intelligant, nec ne: Multò verò magis coràm Deo impedire tenentur, & obstricti sunt, ne imperiti rustici, incantatores, Judæi, Carnifices, & alij hujus farinæ homines adeò nobilia, & humano generi, à Deo O. M. concessa utilia ac necessaria dona, tam turpiter pedibus conculcent, & imperitiâ suâ tot honestos ægros interimant. Quamobrem non sine gravi causa multis in locis moris est, ut nullus, nisi prius examinatus fuerit, ad Cheirurgiam admittatur. Ad hujus imitationem meo tempore Coloniæ consvetudo ac ordo hic laudabilis ac utilis celebratus fuit, ut omnes, qui Medicinam in ea Civitate exercere cuperent, examinandi fuerint. Barbitonsores, qui artem suam ibidem didicerunt, aut saltem annos constitutos compleverunt, & ministrârunt, privatim in suis Tribubus examinabantur. Peregrini verò, quibus cum familia sua ibidem commorandi animus non erat, puta Castratores, Lithotomi, agyrtæ, circumforanei, per Professores Medicinæ examinabantur, quod quidem examen postquàm sustinere potuissent, illudq; Amplissimo Magistratui à Professoribus relatum fuisset, per aliquot dies ibi cõmorandi licentiam ipsis concessit: Imperitis verò, ut discederent, mandavit. Et si fortè inquilinus, aut peregrinus aliquis Barbitonsor aliquid apud ægros omisisset, aut sinistrè administrasset, pœnas meritas dedit.

Officium Magistratus.

Consvetudo & ordo laudabilis Civitatis Coloniensis.

Cùm Potentissimus Rex Galliæ, Henricus Magnus, gloriosissimæ memoriæ, finitis multis gravibus ac difficilibus bellis, singulari Dei beneficio, atq; auxilio, totum suum Regnum ad quietum pacificumq; statum reduxisset, inter plura alia pia atq; utilia mandata ac leges, primo statim regni sui anno mandavit, ut celebris atq; doctissimus Medicus, experientissimus Cheirurgus, sicuti etiam probatus Pharmacopæus, unà cum Notario Regio emitterentur, ut omnes totius Regni Barbitonsores; Pharmacopœos, à nulla antea Academia probatos, examinarent. Qui autem examen sustinere poterant, illis eruditionis testimonium Majestatis S. Sigillo obsignatum, datum fuit. Indoctos verò & imperitos (ad Regiæ Majestatis mandatum ac legem) eò adegit unicuiusq; Magistratus, ut officinas, & Pharmacopolia sua eò usque claudere coacti fuerint, donec studia sua instituissent, ut in hac vel illa Regni Academia examen subire, illudq; sustinere possent. Hac quidem ratione multi, de quibus, ut aliquando ad exercendam hanc Artem idonei forent, spes nulla fuit, obligati fuerunt: alijs annum, aut majus minusvè temporis spatium præfixerunt, quo interea in fundamentis Artis sese exercere, ac postea rursus, ut dictum, examini se subjicere possent.

Notabilis ac pius ordo Henrici Magni Regis Galliæ.

Hoc modo ubique ignari & imperiti Balneatores, Barbitonsores, Crumenarum emunctores, imò homicidæ & impostores, qui nullo præcedente examine ad praxin accesserunt, relegati: Digni verò & experti ad honores meritos evecti fuerunt.

Examinati præterea eo gaudebant privilegio, ut nullus, nisi priùs examinatus, Artem apud ipsos exercere potuerit, atque ausus fuerit, & hac quidem in parte Magistratus manum ipsis porrigere tenebatur. Quid autem prudentissimum & sapientissimum hunc Heroem, ad opus hoc summè necessarium & utile suscipiendum, impulerit, facilè colligere est: quòd nimirum in bello observârit, quod milites imperitorum Barbitonsorum incuriâ interierint, & malè curati occubuerint. Pia & utilis est hæc Lex, quâ sæpè multi salvi & incolumes conservantur. Utinam Resp. & Civitates omnes Excellentissimum hunc Heroem imitarentur, & idem præstarent, atque adeò distinctionem accuratiorem inter doctos & indoctos, peritos & imperitos ac barbaros homines adhiberent, præsertim sub gravibus atque cruentis hoc tempore grassantibus in Germania, & per totam ferè Europam bellis; fortassis hac ratione gloria Dei, utilitas proximi, salus, sanitasq; infinitorum vulneratorum singulis annis foveretur, & conservaretur. Sed tantùm abest, ut hoc fiat, ut jam demùm etiam illi, qui optimè blaterant, ac garriunt; dies noctesq; cum Epicureis vino ac cerevisiâ se obruunt, & instar porcorum inebriant, alijs anteponantur; & quamvis peccent, passimq; hic vel ille ex negligentia, inscitia & ignavia ipsorum sustinere curetur & moriatur, vinum in culpa esse oportet, & quilibet ebrietatem prætendit, ac si ille, qui per ebriositatem suam vitium committit, non duplam pœnam mereatur. Sed de his satis superq; tum hic tum alibi in Scriptis meis, me dixisse, Reges quinetiam, Principes, & Magistratum admonuisse arbitror; Qualis autem debeat esse Medicus atque Cheirurgus Lector videat lib. de Lithotomia vesicæ cap. 7. Nunc iterum ad institutum nostrum.

Etsi, Candide Lector, in hoc volumine passim multa, variaque de morbis & affectibus internis contineantur, attamen ut Cheirurgiæ studium pro tenuitate ingenij mei, inprimis aliquo modo excolere, tyrones artis erudire, ægris quinetiam inservire possem, præcipuus fuit scopus meus. Quum enim artem illam nostram ab experientia, usu, atque exercitatione procreatam, nullamq; esse aliam, in qua experientia adeò sit necessaria, probè animadverterem, cœpi ante annos quadraginta consignare ea, quæ in tractandis ægrotis, & faciendis operationibus rara, & notatu digna mihi occurrebant: quorum profectò non pauca: Ab eo enim tempore quo artem exerceo, (sine jactantia sit dictum) non solùm à plebe, verùm etiam à Principibus, Comitibus, ac Nobilibus etiam ad decrepitam hancce ætatem meam usque, præ multis alijs, præsertim in gravissimis affectibus in Consilium adhibitus fui: Ideoq; multa videre, multaq; rara observare, occasio mihi nunquam, otium verò omnia ordine consignare persæpè defuit.

Ad-

Adversaria porrò atq; Observationes illas, quum apud me vidisset, & perlegisset, Reverendus & Doctissimus Vir, D. Iohannes Rheterius, p. m. olim apud Lausanenses Philosophiæ, & trium linguarum peritissimus, Theologusque eximius, Compater meus plurimùm honorandus, & pro ingenii sui acumine, ea publici juris non indigna fore judicâsset, suasit ut eligerem viginti quinque exempla non vulgaria; quæ ipse postmodum propter singulare suum juvandæ Reip. studium; & summam in me benevolentiam unà cum Tractatu meo de Gangræna & Sphacelo (jam antea bis, videlicet Coloniæ Agrippinæ Germanicè, & Coloniæ Allobrogum Gallicè impressus) latinis typis mandavit: quæ & postmodum Francofurti ad Mœnum à D. Nicolao Bassæo, Typographo, libro Dionysii Fontanoni, de morborum internorum curatione appendicis instar adjunctæ; simulque excusæ fuerunt, Anno 1600.

Hæc quum læta fronte à Chirurgiæ Studiosis excipi viderem, & amici nonnulli me hortarentur, ut cæteras quas haberem observationes raras adderem, in hoc studii genere mihi pergendum esse duxi. Succisivum itaq; tempus huic studio libenter impendi, & ex viginti quinque prædictis observationibus, Centuriam integram conscripsi, & in publicum dedi Anno 1606. In hoc studii genere progrediens Anno 1611. secundam: 1614. tertiam: 1619. quartam: Anno verò 1627. quintam publici juris feci. Interim tamen & nonnulla alia typis quoque mandavi. Tractatum enim de Gangræna (qui jam decies impressus est) aliquoties revidi, & auxi, etiam undecimam ac postremam hancce editionem. Accesserunt & alia quæ ex Catalago librorum statim ab initio videre poteris, uti quoque Centuria una, quæ ordine erit sexta, & Tractatus novus de Ichore & Meliceria acri, item miscellaneorum lib. 2. quæ non solùm adeò sunt aucta, ut planè novum opus esse videatur, verùm etiam instrumenta quam plurima in prioribus editionibus crassâ Minervâ depicta, & sculpta, à pictore quem habemus egregio, Domino Iosepho Plep, depingenda curavimus, quòd & tam feliciter & artificiosè præstitit, ut quivis ex delineatione facilè fomam atque artificium instrumenti percipere possit.

De Instrumentis Cheirurgicis. Instrumenta autem ferè omnia, aut à me sunt inventa, aut aliquo modo emendata, uti Rector in Centuriæ quintæ Observatione 86. de instrumento trochleato Paræi, si suum cum meo conferre voluerit, videre poterit. Suadeo autem omnibus Medicinam & Cheirurgiam facientibus, ut in inveniendis instrumentis, præsertim in gravissimis affectibus omnem adhibeant diligentiam. *Instrumentis aptis atque commodis plerumq; perfici, quæ alioquin impossibilia esse censentur, ostenditur.* Ego beneficio instrumentorum, multa quæ aliis impossibilia erant, per Dei gratiam præstiti: Vis exempla? Vnum Cent. 5. Observ. 86. de fractura sine claudicatione curari non potuisse Avicenna & alii, imo & ipsa experientia testantur. At jam quivis Cheirurgus fracturas hasce beneficio instrumentorum à me inventorum facilè curare poterit. Non enim ex speculatione ea depinxi, sed & feliciter adhibui; Primò quidem in puella, de qua fit mentio loco prædicto: Deinde etiam Anno 1631. in filio Reverendi, & Doctissimi Viri, Dn. Samuelis Hortini, hujus Ecclesiæ verbi divini Ministri.

De Instrumentis ad colligendã urinam. Paralyticos plerumque propter stillicidium urinæ, Gangræna lumbrorum, & circa nates, & os sacrum corripi, sciunt Practici, quòd & mihi aliquoties etiam ante annos aliquot, hic in Nobilissimo Viro, D. Petro à Watenweil Domino in Weil &c. singulari amico meo, videre contigit. At beneficio instrumenti mei ad colligendam urinam, in Miscellaneis meis depicti, Octogenarium quendam Bernensem, M. Georgium Kopfeiser (qui Anno 1628. 13. Iunii, paralysi dextri lateris correptus fuit, & usque ad 3. Septembris anni 1632. continuò decubuit.) ab excoriatione prædictarum partium feliciter conservavi.

Beneficio instrumentorum membra in ipso utero matris distorta, & ab aliis derelicta, feliciter in formam naturalem reduxi, cujus rei exemplum singulare videre poteris Centuriæ sextæ Observatione 90. Quàm dolorifica, difficilis, ac longa sit repositio ossium fractorum, præsertim magnorum ossium, & in robustissimis hominibus, si solâ manu instituatur, Practicis notum est, trochleato verò instrumento Paræi, si remoram & cingulum meum, ex Observatione 86. Cent. 5. adjunxeris, os fractum facilè, ac parvo cum dolore in locum suum repones, de quibus plura videre poteris loco jamjam allegato. Itaque non immeritò turpitudine notantur Cheirurgi, qui usum instrumentorum vel improbant, vel ea non usque adeò necessaria esse, & manu solâ se omnia perficere posse impudenter gloriantur. Sed quàm infeliciter plerumque dislocationes & fracturæ ab hujusmodi hominibus reponantur, & curentur experientia docet.

Anatomiæ studiũ cur Medico & Cheirurgo necessariũ. Ut autem Medicus & inprimis Chirurgus in suis curationibus tam internis quàm externis rectè & suo cum honore, atque ægrorum commodo, & solatio, procedere possit necesse est, ut subjecti sui, videlicet corporis humani, & ipsius naturæ, nec non constitutionis atque compositionis cognitionem habeat. Id autem Anatomiæ studium docet. Quæ scientia non solùm *Clavis & Clavus*, verùm etiam fundamentum est totius Medicinæ. *Clavis & Clavus Medicinæ.* Clavis est, quia Medico ostium aperit, ut ad abstrusissima conclavia corporis humani penetrare, & admirandam structuram, tum internarum, tum externarum partium hujus Microcosmi perlustrare, & proinde æternam sapientiam, potentiam, aliaque invisibilia Creatoris, ex rebus visibilibus & creatis, ut divus Paulus docet, perspicere & perlustrare poterit. *Rom. 1. v. 20. & 21.*

Clavus Medicinæ. Clavus verò est, quia Medicum in morborum curatione veluti manu ducit; quid faciendum, aut quid omittendum, & quomodo in gravissimis affectibus se gerere debeat, instruit. Quemadmodum nauta si clavo destitutus fuerit, magno suo cum periculo inter undas navigat; ita etiam Medicus, si Anatomiæ notitiam non habuerit, præsertim autem Cheirurgus, in magnis operationibus, de quibus plura exempla in Centuriis meis exstant. *Anatomiã Cheirurgo esse necessariam exemplis ostenditur.* Empiricus quidam, cùm strumam ex dextra parte colli excideret, & jugularium venarum notitiam non haberet, figuram in ipsa operatione animam edidisse Lector Centur. 3. Observ. 35. videre poterit. Principem, cui excidendus erat tumor scirrhosus ex interna parte femoris, & Empiricus Anatomiæ ignarus, ramum venæ cavæ ad poplitem descendentem abscidisset, ægrum in ipsa operatione periisse Observ. 82. Centur. 3. fusiùs diximus. In capitis concussionibus, ubi cranium perforare convenit, ut Cheirurgus suturarum, & musculorum temporalium notitiam habeat, & in vulneribus frontis, cùm impressione Cranii, cavitatem ossis juxta superciliorum sedem observet necesse est. At quomodo Cheirurgus juncturas dislocatas, & ossa confracta, rectè reponet, nisi Anatomiæ notitiam habuerit? *Anatomia Pharmacopœis necessaria.* Nec solùm in Medico atque Cheirurgo, verùm etiam in

in Pharmacopœo scientia illa requiritur: alioquin quomodo medicamenta à Medico præscripta, regioni hujus vel illius membri, secundùm sententiam Medici applicabit, si situs partium ipsi ignotus fuerit? In exhibitione Clysterum, scientia hæc quoque illi prodest, vide Centur. 1. Observ. 77. & 78.

Vteri Anatomia obstetricibus necessaria.

Vtinam obstetrices jussu Magistratus, in Anatomia genitalium, matricis, aliarumque partium, quæ in partu distenduntur, & patiuntur, ab expertis Medicis erudirentur: Profectò non tam multæ gravidæ in partu, unà cum fœtu, aut brevi post partum exstinguerentur, vel gravissimis & insanabilibus affectibus, prolapsu videlicet uteri, stillicidio urinæ, & similibus afficerentur, de quibus plura in Centurijs meis. In extractione secundinæ, non exigua quoque occurrit difficultas, si obstetrix uteri Anatomiam non intellexerit: Obstetricem in Belgio loco secundinæ uterum extraxisse, Lector in epistolica mea responsione, ad D.D. Michaëlem Doringium videre poterit. Idem ferè aliquoties hic Bernæ, præsertim in nobili matrona advenisse observavi.

De secundina extractione. Vid. Obs. 66. Cent. 4.

Theologo Anatomia studium est necessariũ.

Theologo Anatomiæ cognitionem esse necessariam, inde manifestum fit, quòd loca nonnulla Sacræ Scripturæ, sine cognitione Anatomiæ, non satis rectè intelligi, atque explicari posse, artis hujus peritis notum sit. De quibus, si Deus vitam extenderit, ut Tractatum meum Germanicum de Anatomiæ præstantia auctum, edere possim, plura videbis.

Politicis Anatomia studiũ necesse est.

Sed quid dicam de Politicis, indigentne & illi Anatomiæ studio? quàm maximè: Vt enim de Vniversali commodo atque utilitate, quam ex ipso, ad optimam corporis valetudinem conservandam, colligunt, taceam, etiam quando captivos, Magistratus Amplissimi jussu, examinant, eis quàm necessaria est. Nisi enim partium, quæ in tortura patiuntur, & extenduntur notitiam habuerint, aliquando in ipsa tortura miser ille captivus exstinguitur, vel falsa pro veris confitetur. Captivos duos hic in vicinia, propter intempestivam, atque inhumanam torturam, homicidia confessos, & supplicio affectos fuisse, Excellentissimus Dom. Michaël Stetler Vir fide dignus, & amicus meus singularis, in Chronicis suis Helvetiæ disertè scribit, quum tamen hi quos se occidisse confessi fuerant, paulò post incolumes reperti fuerint. Idem & aliis in locis advenisse, mihi observare contigit. Politicos quosdam cognovi, qui captivos in tortura clausis oculis ac si dormirent, obmutescentes, omnium sceleratissimos esse, etiam coram me, asseverabant, cùm tamen id naturaliter fieri, Anatomia nos edoceat. Musculi enim brachia pectori adducentes, apud Vesalium tabula prima musculorum L. notati, & ossi pectoris in eadem tabula M. notati adhærentes, quia brachiis inter scapulam & cubitum tenaciter inseruntur, ut ex tabula quarta musculorum (in qua insertio illa in dextro brachio Q. & T. in sinistro verò h. notata est) videre licet, si brachio retrorsum, & in altum, crura verò deorsum trahuntur, pectus adeò constringitur, & coarctatur, ut respiratio impediatur, Musculi item laryngis, & nervi recurrentes per consensum ita afficiuntur, ut mirum non sit, hominem in maximis ac crudelissimis istis tormentis obmutescere, ac vix spirare posse. Et quia ex violenta illa corporis extensione, secundum par nervorum colli, quoque afficitur, ideò palpebræ quoque concidunt, clauduntur que. Somnus itaque ille, miserum captivum, neque reum esse significat: habet enim causas suas naturales, jam jam commemoratas; Interim tamen in hac somnolentia torturæ, nonnullos de toto obdormivisse exemplis si opus esset, demonstrare possem. Anno 1624. Amplissimo Magistratui meo Bernensi, pro Bibliotheca sua, sceleton virile obtuli, in quo homoplatæ in tortura adeò confractæ fuerunt, ut eas filo æneo connectere necesse mihi fuerit. Habeo & aliud in Musæo meo, in quo simili modo disruptas, & à me connexas homoplatas fuisse, ocularis inspectio fidem facit. At quis quæso hominum tam cordatus esse posset, qui in extremis istis angustiis, atq; tormentis, non potius mori vellet, falsum fatendo, quàm diutiùs vivere, cruciatus hosce ferendo? Hæc in gratiam eorum, quibus captivos examinare à Magistratu demandatum est, adscribere volui, eoq; admonitos cupio, primò, ut dum in juventute tempus ac nummos parentum in Scholis & Academiis consumunt, studio hocce incumbere quoque velint. Deinde etiam ne in examinandis captivis, nimis sint severi, vel ut ita dicam, crudeles; Quandoquidem præstat decem sontes, quorum scelera, non satis manifesta, absolvere, quàm unicum innocentem supplicio afficere, multò minus in ipsa tortura necare; Etiamsi supplicio dignus esset captivus; violentâ tamen torturâ aliquem interficere, Christiano nequaquam licitum est. Præsertim cum in sacris litteris fundamentum nullum habeat, & ab Ethnicis Tyrannis, contrà Christianos excogitata sit.

Parte 1. lib. XI. mihi p. 597. & parte 2. lib. 1.

Anatomia studium ad conservandam valetudinem necessariũ.

Prodest quoque scientia Anatomiæ, imò necessaria est, ad conservandam optimam valetudinem corporis. Docent enim dissectiones Anatomicæ, quàm accuratissimè, ut testatur Galenus, proprietatem essentiæ, uniuscujusque partis corporis. At qui partium internarum naturam & constitutionem, earundemque officiũ & actiones norit, facilè quid sibi in victus ratione faciendum, aut omittendum, scire poterit. Hanc ob causam, ut idem Galenus alibi testatur, veteribus tam frequens tamq; in communi usu ipsa erat Anatome, ut domi apud parentes, etiam ab ipsa pueritia in illa omnes exercerentur, tam gratũ, tamque acceptum ac dulce ipsis hoc studium erat: Ideoque non immeritò melliferas apes Anatomiæ studio pro symbolo mihi appinxisse videtur. Qui enim hoc studio oblectantur, hi dissectionibus pro delicijs utuntur: Quod & in memetipso sæpissimè expertus sum, etiam Anno 1631. Cùm enim de venis lacteis, industriâ præclarissimi, & æternâ laude dignissimi Viri, Dn. D. Caspari Asellij, ante paucos annos inventis, à D. Christiano Stugardio, Nobili Dano, & Medicinæ Candidato, mihi relatum esset, vix credibile est, quanto cum desiderio ocularem inspectionem desideraverim, & quanta cum voluptate dissectioni capræ vivæ, à Domino Stugardio in mei gratiam administratæ, adstiterim, & admirandum hocce arcanum Creatoris, à tot seculis ad Asellium usq;, hominibus absconditum, intuitus fuerim.

De locis affectis l. 1.

De Anatomicis administrationibus lib. 2.

De venis lacteis.

Anatomia studiũ longævitatis vitæ Antiquorũ fuisse causam ostenditur.

Anatomiæ studium, & crebras Exercitationes Antiquorum in dissectionibus, non postremam fuisse causam longævitatis vitæ eorum, apud me in dubio non est. Qui enim cognitionem partium corporis sui, earumq; compositionis & officij habet, quid sibi in victus ratione, reliquisque rebus necessarijs ad optimam valetudinem conservandam faciendum, aut omittendum sit, facilè dijudicabit. At hodie quia studium hoc in contemptum venit, mirum non est, si multi, etiam ex eis qui clavum Reip. tenent, non aliter ac si eorum viscera ex ferro calybeq; fabricata essent, vitam degunt; & tam pauci, præsertim ex Magnatibus, & in delitijs viventibus, ad decrepitam ætatem perveniunt, sed in flore ætatis maximo Reip. cum dispendio vitam finiunt.

Quemad-

Quemadmodum autem studium hocce jucundum & gratiosum, ita etiam quodammodo laboriosum est, ideoque alveo mellifero turma formicarum è regione opposita est. Sed fructus atque utilitas hujus studii, ut ex præcedentibus manifestum fit, laborem, atque impensum tempus resarcire, & à labore defatigata membra facilè refocillare potest. Docet enim Anatomiæ studium, ut antea quoq; dixi, quid in morbis tam internis, quàm externis sit agendum, aut omittendum, plerumque etiam absconditorum morborum causam ac sedem detegit, quæ omnia Cheirurgo scitu necessaria. Non enim semper Medicum ad manus habere potest: Ideoq; ut non saltem Anatomiæ studio pro posse incumbat, verùm etiam reliquas partes Medicinæ minimè negligat, & probatos authores legat, suadeo: Quo morbos, eorumque causas cognoscere, inter se distinguere, symptomata quinetiam arcere, veramq; Methodum medendi instituere possit. Hæc omnia ex lectione optimorum authorum, non autem oculari inspectione Magistrorum discuntur. Quapropter tyrones, atque Iuniores Cheirurgos adhortor, ut tempus, quod in officinis in rebus futilibus, & nullius momenti consumere solent, studijs impendeant.

Admonitio ad juniores Cheirurgos.

Utinam igitur Magistratus ubique locorum, studio Anatomico, tam necessario, quod &, ut antea dixi, Clavis & Clavus est Medicinæ, favere, illudq; promovere vellet, & ut juventus, præsertim ad studium Medicum & Chirurgicum consecratus, in Xenodochijs in demortuorum Cadaveribus per Medicos ordinarios erudiretur, operam daret, faceret profectò rem Deo gratam, & proximo utilem, præsertim patriæ nostræ. Multi enim propter solum studium Anatomices Italiam, Galliam, aliasque regiones, maximis cum sumptibus & laboribus peragrare coguntur. At Germania nostra destituta ne fuit hactenus Anatomicis? Minimè, testes sunt Felix Platerus, Casparus Bauhinus, Petrus Pavius, Gregorius Horstius, Casparus Bartholinus & alij, qui post Vesalium superiori seculo hucusque artem Anatomicam excoluerunt, & scriptis illustrarunt. Sed inquies, defuerunt subjecta. At bone Deus, non quotidie in Xenodochijs homines turmatim moriuntur? nonne multi scelerati suspenduntur? ita sane. Quid igitur in causa est, cur studium hocce inter Germanos vilescit? profectò nihil aliud obstat, quam stolida Germanorum opinio, qui cadaverum dissectionem veluti Christiano illicitam, improbare, & sine ratione rejicere non vereantur. Sed videant Marcelli Donati medici longè celeberrimi de Historia Medica mirabili, lib. 4. cap. 3. Verbis utor, qui cadaverum dissectionem non admittunt, quanto in errore versentur. Cùm enim de morbi causa minimè constat, sectiones Medicis interdicentes, cadaveri proxime vermium esca futuro, nihil proficiunt, ac mortalium generi plurimum obsunt, cum Medicis obstent, (qui alioquin prudenti coniectura, quæ interius latitant, nonnunquam assequi possunt) quo minus in eam rerum scientiam deveniant, quæ in posterum consimili morbo laboranti, maxime ex usu sit futura. Nec minus Medici reprehensione vacant, qui labores impatientes, fœtoremque dissecti cadaveris (ut ajunt) adversantes delicatuli sanè cœcis ignorantiæ latebris, quotidie versari malunt, quam veritatis curioso studio teneri. Deum interim, seipsos, humanumque genus universum non contemnenda injuria damnoque afficientes. Hactenus Donatus, quibus verbis quivis rationalis Medicus facilè subscribet.

Botanicum quoque studium Chirurgo perquam necessarium est, idcircò Studiosos Medicinæ atque Cheirurgiæ monitos volo, ut statim ab initio sese in cognitione Simplicium exerceant. Ex herbis enim, radicibus, floribus ac seminibus, Materia Medicinæ petenda est; Non neglectis tamen metallis, & subterraneis, quæ non exiguum quoque usum in Medicina habent, & egregias operationes ex se edere, in dies experimur: Quapropter in Praxi Medica Chymiam minimè rejiciendam esse censeo, dummodo medicamenta rectè præparata, & à rationali, & exercitato Medico exhibita fuerint. Pseudochymicorum verò, agyrtarum, circumforaneorum, & hujus farinæ hominum medicamenta chymica, quàm sint periculosa, ex præcedentibus non tantùm, verùm etjam ex quam plurimis alijs exemplis, passim in scriptis meis commemoratis, videre est. Non sufficit autem Medicamenta, præsertim Chymica, rectè, & secundùm artem præparare, verùm etiam cum Iudicio exhibere. Plerumque enim medicamentum etsi summa cum diligentia præparatum fuerit, attamen si in exhibitione peccetur, in venenum transiisse observatum est. Exemplum singulare Lector in epistolica mea responsione ad D.D. Michaëlem Doringium de D. Eleasaro Perialdo Philosophiæ Professore in Schola Lausanensi videre poterit: Ille enim cùm Crocum Metallorum à D. Quercetano summa cum diligentia præparatum, præter rationem sumpsisset, extinctus fuit. Episcopum Vratislaviensem ex usu Magisterii perlarum, nonnullos quoq; ex Magisterio Corallorum extinctos fuisse, Libavius, Laurentius, Hofmannus & alij testantur. Et medicamenta metallica ab Idiotis exhibita, veluti gladium acutissimum, in manu stulti, vel facem accensam in manu pueri esse, asserunt.

De studio Botanico.
Materia Medicinæ.
De Medicamentis ex Metallis & subterraneis.
Medicamenta Chymica ab Idiotis exhibita periculosa esse exemplis ostenditur.

In præparatione & exhibitione vegetabilium etsi difficultas talis uti in subterraneis non sit, circumspectè tamen cum eis quoque procedendum esse indies experientia docet; quando nimirum ignarum vulgus, circumforanei, Empirici, Mulierculæ, & hujusmodi homines, nulla habitâ ratione morbi, quicquid in formularum libris vel herbarijs fortè fortuna inveniunt, applicant. Hinc sæpissimè ubi refrigerandum esset, ipsos excalefacere, ubi humectandum exsiccare, & gravissima symptomata, ne dicam mortem, inducere videmus. Post exhibitionem Ellebori, Cataputiæ, asari, & similium, ægrum occubuisse, sæpissimè observatum est. In externis affectibus, propter imperitiam, post applicationem medicamentorum inflammationem simplicem in Gangrænam, scirrhum in cancrum transiisse, aliaque insanabilia sequuta fuisse, aliquoties vidi. Hæc perpendens provida & sagax antiquitas, non immeritò Esculapio nodosum baculum & serpentem appinxit, in sacrificijsque Gallum obtulit; quibus Medicinæ studium laboriosum, praxin quinetiam difficilem, multisque nodis intricatam & proinde prudentiâ atque vigilantiâ opus esse hieroglyphicè indigitare voluit.

De exhibitione vegetabilium.

Quia verò circa vegetabilia (si forsan erratum fuerit) periculum minus est, quàm circa subterranea, ideò Medicinæ atque Cheirurgiæ studiosos rursus adhortor, ut sese in studio botanico exerceant; Successu verò temporis si à viris doctis, & in praxi diu versatis Medicis, in Chymicis aliquid certi, & ab alijs approbati, nancisci poterint, id ut in usum quoque suum convertant non dissuadeo: A Medicis inquam doctis & peritis petenda sunt experimenta præsertim Chymica, Garrulorum verò, Pseudo-Chymicorum, circumforaneorum, & hujus

farinæ

farinæ hominum præclara experimenta Chymica, flacci facienda, & ut suspecta, pro nihilo habenda esse, semper fuit mens mea.

Botanicum studium, à quibus, & in qua ætate incipiendum.

Ab ipsa autem cognitione herbarum, inchoandum est studium Botanicum, idque in juventute. Juventa enim quia corpus vegetum habet, montes & valles, nescio qua cum voluptate ascendit & descendit, per campos item & prata hinc & inde perambulat, ad hoc studij genus aptissima est. Inprimis autem ut se in cognitione earum, quæ quotidie in usu sunt, & in pharmacopolijs præscribuntur, oblectet, suadeo. Postea quoque si in cognitione exoticarum minus usitatorum simplicium aliquid proficere poterit, id non desuadeo. Est enim ornamentum maximum in juvene viro, cognitio illa. Ut autem eò faciliùs & minori cum difficultate ad perfectionem pervenire possit, herbas adhuc virescentes in Chartam bibulam diligenter extendere, & in prælo comprimere, siccatas verò chartæ scriptoriæ annectere, ijsque nomina adscribere, & herbarium, ut vocant, vivum concinnare debet. Quod si locum in quo hæc vel illa reperta fuit herba, addere voluerit, non abs re esse arbitror. Hoc modo ego in juventute circa cognitionem herbarum processi, ac ante annos aliquot filium meum minorem natu, Petrum p. m. procedere jussi, qui & in paucis herbationibus (duce D. Doct. Jacobo Hagenbachio, Botanico Excellentissimo, tunc temporis quidem candidato, & convictore meo suavissimo, nunc verò Medicinæ & Cheirurgiæ Doctore celeberrimo) per Montes Helvetiæ, maximum progressum in cognitione herbarum fecit, ut etiamnum ex herbario suo vivo (qui plus quàm septingentas plantas continet) monstrare possum.

Cognitis plantis earum temperamentum ac virtutes investigare convenit, de quibus vide Dioscoridem, Galenum, aliosque probatos authores, tum antiquos, tum neotericos, qui hac de re prolixè scripserunt, omnia tamen cum judicio sunt legenda, medicamenta componenda, & cum ratione adhibenda, idcircò ut morbi notitiam habeat Medicus, inprimis necesse est. Medicus enim, inquit Hippocrates, si sufficit ad cognoscendum, sufficiet quoque ad sanandum.

Plantæ autem quando in summo earum vigore sunt, colligantur, diligenter ab omnibus sordibus mundentur, & in umbra siccentur: Postea sigillatim saccis ex tela canabina, vel pixidibus ligneis includantur, & ad usum reserventur. Hic quorundam Pharmacopœorum, & Cheirurgorum, qui plantas siccas, in fasciculos ligatas, ad aërem suspendunt, mos meritò taxandus atque reprehendendus est. Herbæ enim pulvere adimplentur, vel muscarum & aranearum excrementis conspurcantur.

Observatio de Esu Napelli.

Familiariter cognovi Cheirurgum qui herbas suas, quas in usu habebat confusè ac simul in arcam, aut cistam includebat, & ad usum reservabat, sed & id quoque tutum non est. Fit enim earum virtutum confusio. Exempli gratia, si multis manipulis herbarum insipidarum, manipulum unum absinthij, vel pomum unum aut alterum colocynthidis adjeceris, omnia evadent amara. Civis quidam Hildesheimensis, cùm tempore veris in prandio torminibus maximis, aliisque symptomatibus correptus fuisset, paulò post exstinctus est. In summis autem ægri angustijs ac cruciatibus, advocatus Medicus cùm audivisset, ipsum in prandio de acetario comedisse, jussit ut si quid superesset afferrent; In quo folia aliquot Napelli invenit. Hæc mihi Anno 1582. in arce Bodenberg propè Hildesheimium, à Viris fide dignis, relatum fuit. Hoc exemplo matronas nostras absterrere soleo, ne tantoperè de pancarpijs ac sertis sint sollicitæ, ut napello propter florem in hortis suis locum dare velint.

Admonitio.

Dum hæc scribo in mentem venit, quadam die cùm radices aliquas à quodam, qui eas in alpibus collegit, & singulis ferè septimanis vendibiles hic in loco publico exposuit, emere vellem, me radices napelli, Ellebori nigri & albi cum reliquis radicibus, vix rectè chartâ involutas, invenisse. Ab eo tempore nunquam radices, aut herbas, ab hujusmodi hominibus mihi comparare volui. Videant itaque Pharmacopœi, ne in componendis Medicamentis loco Ellobori nigri radices napelli substituant.

Observatio de Extracto Ellebori nigri.

Matronam quandam cùm pillulas capitales, quibus scrupulum semis extracti Ellebori nigri Medicus admisceri jusserat, sumpsisset, post paucas horas obiisse memini, At memetipsum Anno 1610. cùm quartanâ laboraverim ad grana decem vel duodecim ext. Ellebori nig. aliquoties maximo cum fructu sumpsisse, & puellæ decem circiter annorum, in Epilepsia cum successu exhibuisse asserere possum. Verisimile itaque est, Pharmacopœum cùm extractum prædictum præpararet, errorem commisisse radices napelli Elleboro addidisse; Utramq; enim radicem exsiccatam, formâ atq; colore multum inter se convenire, ocularis inspectio fidem facit. Prudentia itaque & vigilantia in Pharmacopœo, imò & experientia, sed inprimis pietas requiritur.

Princeps hausto Pharmacô extinguitur.

Æger cùm Medicum vocat, vult ut sit doctus, expertus, vigilans, prudens, nec usque adeò juvenis, & rectè quidem: sed quid fit? Præscribit ex arte medicamentum conficiendi, formula ad Pharmacopolam mittitur, ubi plerumque ignaro, atque inexperto tyroni, ipsius præparatio, in perniciem ægri committitur: cujus rei exempla nobis non desunt. Non ita diu (inquit Paulus Renealmus, in præfatione libri observationum suarum) vidimus Principem ab hausto Pharmaco interfectum: fuerat à peritissimo Medico appositissimè præscripta formula, & ad Pharmacopolam delata, qui intentus ludo, curam dat illius conficiendi servo, hic & ad alia transferens animum, de componendo ne cogitavit quidem. Ecce postridie manè exigitur potio: Servus ne officij sui partes ullæ desiderarentur, alteram exhibet & Elleboro nigro, & alijs pro quartanario confectam, & ab eodem pridie recusatam, quæ eo ipso die quo assumpta est, Principem de medio sustulit: Primus omnium Pharmacopœus in Medicum linguæ suæ virus evomuit: Hactenus Renealmus.

Quidam post sumptam cassiam extinguitur.

Celeberrimus quidam Medicus cùm ægroto quodam suo cassiam recenter extractam, præscripsisset, & per Pharmacopœum exhibuisset, eadem die maximo cum cruciatu extinctus fuit. Medicus cum hac de re perturbatus esset, & sollicitè apud Myropolam de causa mortis inquireret, compertum est tyronem cassiam per cribrum, pro arsenici cribratione destinatum, traduxisse. Hæc ex proprio ore D.D Rener Solinandri, p.m. intellexi, qui & lamentabilem huncce casum suo tempore Lugduni (cùm ibidem Medicinam faceret,) se vidisse coràm me, multisq; aliis asseverabat, Anno 1582.

PRÆFATIO.

Ophthalmia propter collyrium nimis negligenter præparatum ingravescit.

Ante annos aliquot, cùm Matronam Ophthalmiâ periculosè laborantem curandam haberem & propriis meis, & à me præparatis, medicamentis, tam internis quàm externis, veluti collyriis, cucurbitulis, setaceo, &c. affectum ad declinationem perduxissem, ac tandem ægram propter alia negotia per dies aliquot deserere coactus fuissem; apud Pharmacopœum medicamenta, quibus ad reditum usque meum uti debeat, præscribo. Quid fit? Ingravescunt de novo symptomata, præsertim dolor tum capitis tum oculorum, simul & ipsa inflammatio. Cùm itaque de visu se periclitantem videret, per certum nuncium me rogare jussit, ut regressum ad ipsam accellerare vellem. Hac de re cum supra modum admiratus essem, & causam hujus recidivæ sollicitè inquirerem, Pharmacopœum adeo, & ut Tutiam suam præparatam, cornu cervi, & corralla, ex quibus cum aqua Rosacea, plantaginis, & Euphrasiæ collyria conflata fuerant, mihi monstraret, jubeo. Id quum fecisset, statim causam inveni; Prædicti enim pulveres tam crassi & asperi erant, ut nihil suprà. Negligentiam porrò illam in præparatione prædictorum Medicamentorum, causam recidivæ fuisse, eventus monstravit. Ab eo tempore quotiescunque collyria præscribo, prius exploro, an ingredientes pulveres diligenter sint præparati nec ne.

Admonitio.

Hæc in eum finem scribo, ut videant Medici, atque Cheirurgi, quàm sit necesse, ut ipsimet in præparatione Medicamentorum manum quoque adhibeant, idque summa cum diligentia: Dum enim aliis præparationem Medicamentorum committimus plerumque vitam ac valetudinem ægrorum, nostrumq; honorem periculo exponimus: nihil præterea aut pauca saltem, in arte observare possumus. Hanc ob causam in praxi mea hactenus ut plurimùm, præsertim in magnis atque gravissimis affectibus, medicamenta egomet præparavi. Hinc factum est, quòd Lectorem in scriptis meis nunquam multis medicamentis onerare voluerim, sed saltem ea proposuerim, tum quæ in juventute mea à Præceptoribus meis, Viris doctis & expertis approbata esse vidi, tum etjam in praxi mea ratione, authoritate simul ac experientiâ præstantissima esse comperi. A quinquaginta enim circiter abhinc annis, à quibus praxin per Dei gratiam (absit inanis jactantia) tanto cum fructu ac emolumento ægrorum, ut antea quoque dixi, exerceo, ut etiam non rarò ad exteros Principes, Comites, Barones, & Nobiles vocatus fuerim, & cum præclarissimis eorum Medicis, liberè ac familiariter communicare potuerim, nunquam mihi defuit occasio multa explorare, multaq; observare, adque addiscere. Paucis itaque medicamentis nostris, mi Candide Lector, ut contentus sis, eaque tibi reservare, neque Idiotis indicare velis, rogo. Æquum enim est (ut post Galenum paulò fusiùs scribit Leonhardus Botallus) & Medicum & Pharmacopœum medicamenta ægris non aperire neque assistentibus declarare, sed tantùm significare purgandum esse, vel vomitum irritandum, vel Clysterium indendum: reticere verò ex quibus hæc parentur, tum quod patientes aliàs possunt, citra Medici consensum eisdem abuti præsidiis, tum etiam quòd sæpè videamus, ubi Medicamenta sunt à vulgaribus cognita, eadem brevi, in contemptum venire, vel quia trita & vulgaria sint facta, vel quia ineptus artis aliquando hæc damnaverit, vel quia exigui sunt pretii, ut quidam dives, de quo Galenus narrat loco prælegato, qui ea contemnebat præsidia, qui parvi vendebantur, Mendicorum esse præsidia, dicens: Hactenus Botallus.

Gal. de comp. medicamentorum per genera libr. 3. c. 10. Leonhardus Botall. lib. de Medici & ægrorum munere.

Bonum est Medicinas non esse cognitas vulgaribus.

Antequam autem Epistolæ huic finem imponam, paucis adscribendum est, quidnam de formularum & vernaculâ linguâ in vulgus divulgatis libris, hoc est, qui nihil præter solas formulas conficiendi medicamenta continent, censendum sit, & an vulgus sine periculo eis uti potest. Qui rectè, vel, ut Galenus docet, citò, tutò ac jucundè ægros suos vult curare, ille ut non solùm morbum, verùm etiam ipsius causam, (si ullo modo fieri potest,) exactè cognoscat necesse est. Deinde etiam an recens sive novus, an verò inveteratus sit affectus. Plerumque enim medicamentum, quod ab initio morbi aptissimum est, in statu & fine nocuum esse, videmus. Ætas præterea ægri, constitutio corporis, sexus, consuetudo, tempus anni, & multa alia consideranda sunt. Deinde etiam ut vires naturam ac facultatem remedii, quod adhibendum cognoscat necesse est: At quia horum omnium plerique, qui artem Medicam præsertim in Germania suis libris formularum, vernaculâ linguâ scriptis conspurcârunt, ne minimam quidem mentionem fecêre, idcirco non video quomodo eorum scripta sint approbanda: Plerumque enim non in commodum vel utilitatem, sed detrimentum ægrorum cedunt; uti ego aliquoties observavi: Dum enim non saltem ignarum vulgus, verùm etiam ipsi Cheirurgi, ac Barbitonsores, experimenta sua faciunt, occasio verò, quæ teste Hippocrate præceps est, amittitur, & morbus qui ab initio curabilis erat insanabilis efficitur; Cujus rei exempla quam plurima adscribere possem, sed duo hæcce sufficient. Ante annos aliquot ad Generosum quendam Bernensem Murati decumbentem, atque ex retentione urinæ biduo periculosè laborantem, vocatus, cùm hipocaustum, ubi adstantes congregati erant, ingressus essem, eorum tres tam diligenter & sollicitè, ut nihil suprà, libros secretorum ut vocant, tum impressos, tum manuscriptos evolventes, & remedia ad urinam solvendam quærentes, inveni, qui & protinus cum suis libris obviam mihi veniunt, & ut ipsis significem quodnam remedium ex multis, quæ contulerant, sit præstantius rogant; quos cùm ægrum in periculo versari viderem, indignabundus istas nugas mittere jussi. Cùm in tantis ægri angustijs libri non vovendi, sed remedia protinus sint applicanda, symptomataque profliganda. Evasit quidem generosus ille, sed non sine magna difficultate, cùm tamen ab initio morbi ac interim dum adstantes experimenta sua faciebant, sine magno negotio restitui potuisset, quemadmodum ab eo tempore ipsum aliquoties non tantùm ex retentione urinæ, verùm etiam ex calculo in ductu urinario retento laborantem, citò, tutò, ac jucundæ sanitati restitui. Barbitonsor quidam cùm medicamentum ad somnum inducendum, (quod recipiebat drachmas tres opij,) ex libro suo arcanorum, descripsisset, formulamque per tyronem suum ad Pharmacopolam mihi quàm optimè cognitum misisset, ille, ut vir pius, prudens, & in arte sua versatissimus, illud præparare recusat, & ægrum, si medicamentum hocce sumeret moriturum, tyroni disertè indicat. Hæc cùm ad aures Barbitonsoris venissent, irâ exacerbatus, myropolam, ut cum ipso deceptaret, & secreti sui propugnatorem sese præberet, accedit, ubi cùm ejus loci Medicum ordinarium, mihi quoque cognitum, Virum Doctissimum, & in praxi Medica versatissimum

Quæ ante morbi curationem perpendenda.

Experimentum periculosum esse ostenditur.

Aliud exemplum.

tissimum ostendisset, ignorantia sua convicto Barbitonsore æger conservatus fuit. Ex quibus manifestum fit, Cheirurgum istum virium atque naturæ opii cognitionem non habuisse, & in scriptione formulæ erratum fuisse: Facilè enim ex g. hoc est granis fient ʒ sive drachmæ, si inter scribendum superior pars g aperta remanserit. Hæc autem, mi Candide Lector, non in eum finem scribo, ac si ego virorum doctorum secreta, & ab ipsis toties comprobata, rejicere atque contemnere vellem, absit hoc à me. Medicus enim rationalis, cui morbus vires, & temperamentum ægri, medicamenti natura reliquaque omnia, quæ ad curationem morbi requiruntur, cognita sunt, non facilè errabit, dummodo æger & adstantes, suum quoque, ut vult Hippocrates, fecerint officium. In his enim, ut antea quoque dixi, curatio morborum, non autem in remedijs solis consistit: Formularum enim (inquit Magnus Solinander, olim Præceptor meus plurimùm honorandus, in præfatione consiliorum suorum,) multitudine, & varietate, si res ageretur, Pharmacopola quemvis Medicum facilè vinceret: Is enim magna ex parte non minus, atque artis studiosus novit, quod cuique morbo medicamentum adscribit Medicus. Quid plura? si formulæ medicamentorum, ad sanandos ægros, sufficerent, quid quæso Medico opus esset tot impendere labores in studiis, totque addiscendi causa peragrare regiones, & plærumque substantiam suam consumere? Nonne quivis idiota, imò etiam subulcus facilè in Medicum evaderet? Verùm in hoc tota difficultas sita est, nimirum ut doctrina, atque medicamenta, quæ universaliter à viris doctis proponuntur, particulari unicuique rectè applicentur, ut Idem Solinander docet. Hinc palàm fit, ut supra quoque dictum, illum veluti venenum in manus puerorum dare, qui librum medicamentorum, omissâ Methodo, atque theoriâ, in publicum mittit. Hæc mi Candide Lector, non in ullius hominis contemptum scribo, sed cùm rem ita se habere, multoties in praxi mea expertus sim ut illud tibi significem, Christiana Charitas, & amor erga proximum me commovit, tuum erit omnia quæ sincerè ac candide à me prolata sunt, benigne interpretari.

Habes Benevole Lector nucleum eorum, quæ ego tot annorum spatio, totque laboribus, vigilijs & curis in arte Cheirurgica observavi, & collegi, quorum quidem nonnulla ante hac seorsim quoque edita fuêre, nunc verò omnia revisa, auctaque pro majori sua commoditate, in unum volumen conjunxi. Tu omnia, quæso, æqui bonique consule, & impolito stylo pro tua humanitate, qua hactenus me, meaque scripta, amplexus es, ignosce: Magis enim ad res quam ad verba animus meus intentus fuit, & meritò quidem: Morbi enim, ut prudenter monet Celsus, non eloquentiâ, sed remedijs curantur, Vale.

ELEN-

ELENCHVS

Librorum in hoc opere contentorum.

INDEX

VIRORUM DOCTORUM, QUORUM IN HOC OPERE fit mentio, qui vel scriptis claruerunt, vel Authori singulari amicitiâ juncti fuerunt.

L.

M.

N.

Nicolaus

GUIL-

GUILHELMI FABRICII HILDANI,

Jllustriss. Marchionis Badensis & Hachbergensis &c. Inclytæ item Reipublicæ Bernensis Medico-Chirurgi ordinarii,

OBSERVATIONUM CENTURIA PRIMA.

OBSERVATIO I.

Ficus cancrosus in Oculi dextri orbita, cum gravissimis capitis symptomatis, feliciter extirpatus.

Lustria oppidulū procul Lausanna civitate duo circiter milliaria, ad marginē lacus Lemani.

ANNO Domini 1596. Calendis Augusti, accivit me Lausannā Lustriam Generosus CLAUDIUS LUSTRIACUS, ejus loci & totius Vallis propriè sic dictæ Major: quoniam diro & funesto morbo conflictabatur. Is fuit tumor prominens, scirrhosus, in cancrum degenerans, cum symptomatis internis & externis longè gravissimis.

Hic cùm à natura, tum à varijs morbis, febribus, casibus, luxationibus, fracturis, &c. haud parùm fuit catarrhis obnoxius: maximè quum accederet, more patriæ victus largior cum amicis & hospitibus, in quos fuit perpetuò liberalissimus. Itaque anno 1580. quum fuisset hyems humida & clemens, haud dubiè corporis universi partes oppletæ sunt humoribus excrementitiis, qui à jecinoris calore sursum ac inprimis ad caput sublati, cœperunt divexare hominem. Ineunte enim anno 1581. circa Februarij finem, æger correptus est hemicraniā ad dextrum latus, & frustrà adhibitus multùm diuque medicus: siquidem humor capite conclusus, evacuationis quæsitā viā, impetum fecit in oculum dextrum. Hinc vehementissimus dolor & inflammatio. Et sic superiora symptomata, dolor capitis, febris, inquietudo, vomitus, lipothymia, aucta sunt potiùs quàm imminuta. Nec, ut ajebat æger, præsidiis, revulsione, derivationeve ulla potuit sisti humoris affluxus: quin imò congestio tanta facta est, ut tandem erosa sit, vel potiùs putrefacta oculi membrana prima, Conjunctiva dicta.

Morbi initium.

Observatio singularis de hemicrania.

Hîc verò brevi eaque necessariâ digressione annotandum, suprà decem hebdomadas non solùm dolorem adfuisse gravissimum, sed & cerebri motum attrectanti perceptum fuisse, quà sagittalis & coronalis suturæ concurrunt: auditos etiam sonitus & cranij crepitationem quandam, perinde ac si lignum finderetur. Id ego tùm accidisse autumo, quum cranii suturæ ob dolorem, inflammationem & copiosum in cerebro humorem, disjunctæ sunt: & verum fuisse mihi persuadeo; cùm ex amplissimi viri ægroti relatu, & generosi Gabrielis à Blonay, Baronis à Chattelart, &c. ejus generi, assiduò præsentis, tum quòd ipse tale quid observarim in viro honestissimo apud nostrates Germanos inferiores.

niā; & disjunctione suturarum.

Hic ex gravissimo morbo & febri ardente, cum dolore capitis acutissimo, habuit suturas adeò disjunctas, ut per interstitium illud cerebri, systole & diastole facilè deprehenderetur. Ubi via facta est ad conjunctivam, longo tempore exstillavit copiosus humor: tumque primùm & dolores & reliqua symptomata mitigari cœperunt. Vrgentibus doloribus adhibitus erat cervici setaceus funiculus, sed eum ut nimis dolorificum & incommodum (ut qui circa sextam vertebram, ubi nervi eminentiores sunt, adhibitus esset) post 15 dies detrahi jussit. Clauso vulnere impressum est ibidem potentiale cauterium: sed & hoc ulcus; ceu nimis dolorificum claudendum fuit. His frustrà tentatis optavit æger, humori morbifico dari exitum; excitato ulcere in dextro brachio, beneficio potentialis cauterij. Tum demum partim ob febrim antè dictam, quæ plerosque humores superfluos absumpserat, ipsumque adeò corpus exsiccarat atque extinuarat, partim propter evacuationes subinde iteratas, partim denique quòd cauterium ita ad brachium fluxionem averteret, oculus cœpit arescere. Et quoniam tres oculi humores, ruptis conjunctâ &

Ejusdem rei altera observatio.

De infelici applicatione setacei.

Observ. I. & corneâ membranis, effluxerant, sensim etiam concidere & contractæ sunt ipsæ membranæ: atque ita oculus, deperditâ naturali magnitudine & rotunditate, simul quoque in imam orbitam contractus est, & coeuntibus palbebris clausus ab anno 81. ad 95. citra symptoma ullum, nisi quòd singulis annis subinde recurrebant & defluxus & capitis dolor.

Hipp. Apho. lib. 2. Aph. 51. Anno demum 95. quum in diæta modum non servasset, rediit capitis & oculi dolor, priore tamen levior; ideo fortè, quia membranæ & reliquæ oculi partes etiamnum dilatatæ erant, unde poterat humor sine vi influere. Etenim quæ sensim fiunt mutationes, parùm dolorificæ sunt. Sic igitur affluente magis magisque humore, in capacitatem conjunctivæ, propriis humoribus destitutæ & contractæ, ipsa paulatim intumuit. *Observ. I.* Tum verò palpebræ quindecim annis clausæ, denuo apertæ sunt, & oculus adeò intumuit, ut post semestre palbebras superaret, sparsis per totum oculum venarum ramis lividis, crasso, adusto, & melancholico sanguine turgentibus. Tum æger ingravescentibus indies & morbo & symptomatis, undelibet præsidia conquirere cœpit: Inter quæ adhibitum fuit medicamentum, quòd adeò irritavit morbum, ut subitò accreverit oculus plurimùm. Exin, ut initiò dictum est, vocatus sum ab ægro Lustriam in ejus ædes. Laboravit ille hemicraniâ ad dextrum latus: oculus ovo anserino major extra palpebras prominebat, partemque faciei cooperiebat, ut sequens figura demonstrat.



Causa doloris acutissimi in hoc ægro. Durus autem, scirrhosus, lividus, & cancrosus erat, aderatque magna oculi & vicinarum partium inflammatio: præter capitis dolorem, oculi quoque dolor acutissimè pungens, in parte exteriore potissimùm hominem malè habebat. Quòd si quis miretur, quomodo ex tumore duro & scirrhoso tantus dolor excitatus fuerit, in promptu sunt causæ. Primùm enim tunc formatur cancer, fiebatque humor corrosivus & acris, ac proinde vellicans & calefaciens vicinas partes. Deinde invalescente morbo violentiùs humor irruebat in conjunctivam, quæ est exquisito sensu prædita. *De ossiculo in tumore invento, vide infra.* Doloris verò in extima parte ut plurimùm gravioris quàm in intima causa fuit ossiculum quadratum & undique scabrosum, quod interius ad conjunctivam latens (uti ab operatione compertum) eam perpetuò premebat ac pungebat. Accessit & febris, itemque sitis, lipothymia & vomitus. His ego symptomatis cœpi statim occurrere. Itaque post præscriptam legitimam victus rationem, sub vesperam jussi lenientem clysterem injici. Postridie

Observ. 1. diæ purgatum fuit corpus sumptis duabus unciis syrupi rosacei laxativi cum rhabarbaro, agarico & senâ, infusis & decoctis in aqua betonicæ, agrimoniæ, & euphrasiæ. Sequentibus diebus propinatum fuit Iulapium sequens:

Iulapium

R. Aquarum borraginis,
Acetosæ &
Betonicæ, ana ℥. ij.
Syrupi de succo citriorum &
Granatorum, ana ℥. ij.
Misce pro tribus dosibus.

Vena sectio. A purgatione secta fuit vena cephalica, respondens parti affectæ, & missus sanguis ad uncias circiter sex. Paucis post diebus, admovi hirudines venis jugularibus sub aurem ad idem latus, nec non & scapulis cucurbitulas modò siccas, modò cum scarificatione. Pedes lavi decocto herbarum calidarum, torismarini, salviæ, majoranæ, origani, menthæ, cum sale, &c. Suadebantur & frictiones, sed quum his incalescat sanguis, subtilisque, calidus & erodens evadat, censui abstinendum, contentus memoratis revulsionibus: maximè quum æger lubens iteraturus esset sæpius superiorem purgationem, per syrupum rosaceum compositum, & similia, quibus peccantem humorem subduxi. Ita mitigata imminutaq; sunt paulatim symptomata. Statim etiam partem affectam ablui gossypio, imbuto stillatitiâ quadam aquâ, quæ multum potest adversus cujuscunque partis cancrum. Ejus hæc est descriptio.

Eximia destillatio contra cancrum.

R. Radicum scrophulariæ majoris,
Herbarum geranij primi Dioscoridis, hoc est, herbæ Roberti, ana M. ij.
Arnoglossæ majoris,
Solani,
Buglossæ sylvestris,
Boraginis
Portulacæ
Euphrasiæ
Betonicæ, ana M. j.
Ranarum aquatilium, &
Album ovorum diu agitatorum, ana num. 12.
Seminis cydoniorum, & fœni græci aliquantùm conquassatorum, ana ℥. j.
His seminibus affunde aquarum rosatum & euphrasiæ, ana ℔. j.

Incidantur omnia & conquassentur, destillenturque in alembico plumbeo.

Et quoniam ingens fuit affluxus, præter revulsiones admovi fronti sequens unguentum, ad fluxionem intercipiendam.

Defensivum.

R. Farinæ hordei ℥. ij.
Pulveris rosarum rubearum,
Myrtillorum,
Balaustiorum,
Nucum cupressi, &
Florum betonicæ, ana ʒ. ij.
Acaciæ ʒ. j.
Cum oleo rosato, paucâ cerâ & aceto, fiat unguentum.

Hoc defensivum adhibui tribus vel quatuor diebus, ad sistendum fluxionis impetum: dein supersedi, ne plus satis refrigeraretur caput.

Observ. 1. Hac methodo sedavi ad tempus tum capitis, tum ulceris dolores acutissimos, cæteraque symptomata; crescente nihilominus indies tumore.

Aliquantò post rogatus sum ab ægro, ut sibi fusissimè morbi naturam declararem; libereque aperirem, quæ prævidere pericula omnia, ac simul quæcunque ad sanitatem optima viderentur præsidia, proponere. Tum ego coram clarissimo Alberto Roscio D. Medico celeberrimo, in ædibus Claudij Marionis, fidelissimi ac diligentissimi pharmacopœi & civis Lausannensis, ita disserui: Generose Domine, siquidem adeo exoptas & jubes coràm declarari, quæ ad morbum tuum attinent, etsi præter medicorum institutum in consultationibus id sum facturus, dicam tamen liberè & coràm quæ sentio.

Definitio morbi in hoc ægro. Ad quemvis morbum tollendum, caput est; nosse ipsum morbum. Tuus iste ab essentia definitus, nihil aliud est, quàm scirrhus illegitimus, seu potiùs cancrosus: quippe qui desinit in cancrum occultum & latentem, hoc est, non exulceratum. At ex figura Celsus προόπλωσιν, vel cum Latinis, exitum oculi nominat. *Celsus l. 6.* Actuarius μῆλον, id est, malum vocat. Ego à figura ficum, ab essentia scirrhosum & cancrosum, cognomino. Scirrhus propriè medicis dictus, est tumor durus & indolens, qualis hic ante annos aliquot. Verùm postea humor conjunctivâ membranâ conclusus, & ita quasi conculcatus, ut nulla potuerit fieri transpiratio, tandem accensus est; & acrior atque malignior redditus: sicque formatus est scirrhus illegitimus, seu potiùs cancrosus. Hoc judicant non modò durities, inæqualitas, dolor, color lividus, seu potiùs plumbeus, sed maximè venæ crassiores toto tumore sparsæ, atro sanguine, adusto & melancholico turgentes. Et quamvis nondum exulceratus sit tumor, periculum est tamen, ne temporis progressu sanguis & humores melancholici accensi, tantum malitiæ attrahant in locum affectum, ut tandem (proh dolor) exesis tunicis, fiat cancer ulceratus, adversus quem medicamentis frustra pugnetur.

Causa morbi primitiva. Hujus & similium morborum causa triplex: primitiva, antecedens, conjuncta. Primitiva medicis est exterior, posita in victus ratione, aliisque non naturalibus, aëre, motu, & quiete, somno & vigilia, animi pathemathis, excretis & retentis. Plerunque enim si supprimantur solitæ evacuationes, ut mensium & hæmorrhoidum, fit magna congestio humoris melancholici: unde hic morbus. Nascitur etiam ex vulneribus, contusionibus, fracturis: in primis verò erysipelate & inflammationibus perperam curatis: quum scilicet ipsarum materia frigidiorum applicatione in duritem concrescit: aut quum solis calidis, non etiam emollientibus, tenuior portio dissolvitur, crassiore subsistente.

Antecedens. Antecedens causa est humor melancholicus, item splenis imbecillitas, qua fit ut ex officio suo sanguinis portionem fæculentam ex jecore non alliciat. Huc quoque plurimùm facit ipsa jecoris constitutio, sive id naturâ procliva est ad generandam atræ bilis copiam, sive nimis cali-

Observ. 1. dum & biliosum, unde coquatur nimis, & aduratur sanguis, nec non & alii humores.

Conjuncta. Conjuncta causa est, humor in locum affectum congestus. Tres istæ causæ hîc concurrunt. Nam quum generosus Dominus habitu sit non mediocriter bilioso, bilis assiduò præbuit materiam humori melancholico: siquidem cholericus humor summa adustione tandem etiam vertitur in atram bilem. Adde victus rationem, in qua haud parum peccavit Dominus, largiùs potans, utensque cibariis crudis & concoctu difficilibus, itemque aromatis, cœpis, alliis, porris, raphanis, &c. Hujusmodi primitivarum causarum concursu, excitata & corroborata est antecedens: inde humor ille qui ab anno 81. supererat ex inflammatione indurata in oculi membranis, data occasione accrevit. Cumque superflui humores ferè influant in locum affectum, natura sese, quantum potuit, exoneravit in eum locum. Hinc conjuncta causa in istam, quam videmus magnitudinem, aucta est: & perget, inquam, nisi occurratur iis, quæ infrà proponem[9], auxiliis.

Signa cãcri. Galen. met. med. lib. 14. Quoad signa: tametsi initiò cancri sicut herbæ germinantes, difficilè cognoscantur, authore Galeno, nihilominus tumor iste sat liquidò intelligitur cancrosus, contra eos qui merum esse scirrhum, apud generosum Dominum contenderunt. Cancri cognoscuntur eo, quòd sint præduri, inæquales, lividi, sparsis circa tumorem crassioribus venis, atro sanguine turgentibus.

Sæpe etiam adest intemperies calida, sive calor & inflamatio cum dolore pungente & pruriente. Si fuerit exulceratus cancer, exit subtilis & fœtida sanies. Ista autem hîc visuntur pleraque omnia. Non quidem pervenit cancer ad summam malitiam, sed ad eam properat, brevi perventurus. Adustus enim est sanguis loco affecto, inclusus tandem contrahet (& jam cœpit) malignitatem tantam, ut quæ hactenus mirè operata sunt præsidia, sedandis doloribus, reprimendo morbo, & minuendis symptomatis omnibus, demum infirma futura sint ad reprimendum morbum, & prohibendum ne exulceretur, & occupet reliquas faciei partes, sicque fiat (Noli me tangere) hoc est, ulcus cancrosum, in facie perquam malignum & immedicabile, assiduò erodens imas partes affectas, nec sisti pote, ut monet Aetius.

Aetius l. 6

6. Curatio Nunc de curatione. Hæc perfici solet tribus potissimùm: victus ratione, evacuatione humoris antecedentis, & Chirurgicis auxiliis.

Victus ratio. Victus & cæterorum non naturalium, quæ sit ratio, jam sæpè ex me audivit Dominus: vitanda nimirum esculenta dura, vaporosa, & quæ facilè corrumpuntur: cujusmodi sunt carnes sale aut fumo inveteratæ, bubula, suilla, ferina & similes: item aves aquaticæ. Vtendum bonâ vervecinâ, vitulinâ, hœdinâ, pullis, capis, perdicibus, turdis &c. Piscibus abstinendum, nisi fortè, ut nonnihil appetitui indulgeatur, iis uti liceat sub initium prandii, non in cœna, idque adjectis paucis aliis cibis. Sint autem pisces carne firma præditi, veluti percæ, trutæ, &c. In aquatilibus optimi sunt gammari sine aromatis. Aromata enim omnia vitanda, piper, zinziber, garyophylli &c. Item cæpæ, porrum, allia, raphani, synapi, & quæcunque vim habent calefaciendi nimis sanguinem: legumina, fabæ, lenticulæ, pisa, phaseoli, &c. plurimùm nocent: item caseus, & quævis lactaria opera. Vespertina juscula potissimùm noxia: vinum item vaporosum. Bibendum autem album, maturum, & modicè potens. Diuturnus somnus, potissimùm statim à cœna, noxius: aër item nimis calidus, aut summè frigidus vitandus.

Evacuatio. Secundam sanationis partem diximus, positam in evacuando humore antecedente: quod ubi fiet, spectanda erit Domini habitudo biliosa, & intemperies calida, cum obstructione jecoris: ideoque purgandum cholagogis, habitâ tamen partis affectæ ratione. Quem in usum mirè placet syrupus rosaceus compositus cum rhabarbaro, agarico & sena, quo sæpè usus est æger, cum decocto betonicæ, euphrasiæ, agrimoniæ, &c. Salubriter etiam usus est præscripto à me diaphœnico in tabellis, & electuario de succo rosarum.

Hippoc. Aph. lib. 1. Aph. 22. At ex Hippocrate ante purgationem præparãdus est & coquend[9] humor apozematis aperientibus, qualia poterit præscribere D. D. Roscius, Phlebotomia, cucurbitulæ, & hirudines sæpe utiles, imò necessariæ ad hunc morbum, tum ut evacues minuasque causam antecedentem, humorem videlicet melancholicum, tum ut derives loco affecto. Opportunum his vernum tempus, authore Hippocrate. Quibuscunq; inquit, venæ sectio, vel medicatio convenit, hos vere purgare, vel venâ sectâ vacuare oportet.

Hippoc. Aph. l. 6. Aph. 4. De Venæ sectione & hirudinibus. Aperienda vena brachii ad latus partis affectæ: cucurbitæ scapulis & clunibus applicandæ. Hirudines applicentur, quo modo jam applicuimus magno Domini bono, modò sub aures ad jugulares venas, modò ad hæmorrhoidas ano, prout medico videbitur, idque urgente demum necessitate. Tum verò sensim emittendus sanguis propter malè cõstitutum jecur, quod cum sit jamdudum debile, scirrhosum, & obstructum, dubium non est, quin nimia aut importuna phlebotomia plurimùm sit nocitura.

Operatio Chirurgica. Tertia & postrema tollendi morbi ratio, posita in operatione chirurgica, in curando videlicet loco affecto. Porrò hujus morbi sanatio chirurgica duplex est: Vna palliativa seu fucata: Altera vera.

Curatio palliativa. Palliativa est, quam hactenus adhibuimus, & commodo victu, & purgato sæpe corpore ad deducẽdum humorem, sive causam morbi antecedentem, atque etiam inhibendo ejus impetum exterioribus applicationibus, qualib[9] huc usque sumus usi. Sed quum hæc curatio tandem futura sit invalida, ad reprimendam morbi vehementiam, & perfectè sanandum ægrum, operæ pretium fuerit, proponere veram & legitimam sanationem.

Meth. med. l. 13. & 14. Quum igitur legitima sanatio tumoris præter naturam, authore Galeno, fiat extrahẽdo tollendoque quicquid adest in parte affecta: videndum, quot modis tolli possit tumor sive excrescẽtia ista, & quæ tollendi tutissima ratio? Iam ante ex me audiit Dominus, id faciendum vel resolventibus, vel erodentibus pharmacis, aut ipsa manu. Quoad resolventia, quum tumor sit durissimus, credibile est, nullo resolutum iri medicamẽto, nisi

Observ. I. tò, nisi prius emolliatur. At verò præterquàm quòd hujusmodi prædura materia, tamdiu (quindecim videlicet annis) congesta, emolliri nequit, periculum est, ne ex isto emollientium usu tumor subitò contrahat summam malitiam, uti testatur Galenus, & nos in tractatu de Gangræna confirmavimus, exemplo scirrhi in jecinore inveterati. Hic enim adhibitis emollientibus, statim versus est in cancrum exulceratum, ex quo mors. Ex hac ergo methodo nihil sperandum. Erodentia verò mihi perquam periculosa censentur. Nam cum prominens hic tumor sit durissimus, credibile est, benigna medicamenta irrita futura: quin potiùs, ut summa durities adest, sic vehemens requiritur medicatio, cujusmodi est quæ vi septicorum & escharoticorum fieri solet. At verò ut lenibus non afficitur cancer, sævissimum malum, sic irritatur & ingravescit vel tantillum acribus & vellicantibus, ut ante expertus est æger. Porrò quum pars affecta sit cerebro proxima, oculus videlicet, in quem, ut radicitùs tollatur morbus, penetrandum est, altiùs ad nervum opticum erodentibus pharmacis, haud dubiè illorum vis cōmunicabitur membranis cerebri, unde maxima & periculosissima exorietur inflammatio, siquidem magna intercedit sympathia & necessitudo inter oculi tunicas & capitis, ut infrà liquebit ex oculi anatome. Ergò ne sic quidem sanari potest æger.

Author tract. de Gangr. c. 3. & infrà Obs. 89.

Erodētia & acria medicamenta in Cancrosis affectibus periculosa.

Curatio legitima.

Superest, quam diximus, chirurgica operatio, ut simul & semel extirpetur quicquid vitiosum est. Hæc autem omnium minimè periculosa, meo quidem judicio. Primùm, quia solidè conjicio, me facilè posse radicitùs malum extrahere, quantumvis altè latens in oculi orbita, nempe ad ipsum usque opticum nervum, cujus & pars amputanda. Deinde, quia venarum & arteriarum vasa ibi tenuia sunt, & quasi capillaria: ideoq; nullum hæmorrhagiæ periculum. Denique, licet altiùs incidendi sint nervi, opticus, & qui secundæ conjugationis est, nullum tamen periculum: siquidem nervis perfectè incisis in transversum, eorum extremitas contrahitur, ipsiq; integuntur carne, sicque desinit illorum functio, nec ab aëre aut medicamentis lædi possunt. Vnum hoc timendum, ne quum ægri corpus jamdudum cacochymum sit, ac ætate jam provectiore, ad annum videlicet accedēs quinquagesimum sextum, facilè accēdatur intemperies in partibus intimis, simulq; excitentur febris, capitis dolor, aliaque id genus symptomata. His ut occurras, laudabili victu utendum, purgationes usurpandæ, secanda vena, applicandæ cucurbitulæ, & cæteræ revulsionum ac derivationum species: sicque tuta erūt omnia, si modò benedixerit Deus Opt. Max. cui pro generoso Domino vota nuncupamus.

His auditis, partim quòd exhorresceret æger, partim quod dissuaderent nonnulli, absurdè & imperitè spem facientes, fore, ut quicquid ex oculo prominebat sponte excideret, visum est pergere in curatione palliativa. Hac verò etsi sedabantur dolores, nihilominus tamen excrescebat fungus indies. Nascebantur quoque tubercula & varices lividæ, ad pisi magnitudinem, metum quandoq; sanguinem emittentes. Ejusmodi hæmorthagiam etsi probabant nonnulli, ut quæ ægrum, & partem affectam levatura videretur, ego contrà constanter affirmavi, ita indies magis magisque debilitatum & refrigeratum iri iecur, jampridem obstructum, durum & scirrhosum, ac tādem illectum iri sanguinem, aliosq; humores ad caput & faciem: uti sanè accidit 13. Julii: Reverso enim generoso Domino à brevi peregrinatione, ex qua incaluerat ei caput, itemque corpus universum, tubercula illa & varices oculi cœperunt sanguinem profundere, tanto impetu, ut 13. & 14. diebus ejus mensis, impletæ sint sanguine scutellæ septem, præter eum qui periit in linteis, spongiis, vestibus &c. singularum scutellarum sanguis à me appensus, præsentibus G. Dn. ægroto, Nicolao Gantino. Francisco Croserano, & Iohanne Glaronio, fuit unciarum decem & semis: quod quidem tam verum est, quàm dictu mirabile. Paulò post æger impensè debilis, imminente altero profluvio me accersivit ejusdem mensis die 15. Quum primùm advenio, fasciam qua malum contegebatur, resolvo: tum cœpit sanguis lōgè majore, quàm unquam antea, impetu promanare: id quod, nisi fuissem testis oculatus, ægrè credidissem, quum sint oculi venæ ferè omnes capillorum instar exiles: sed hæ contrà in hoc bono viro varicum instar dilatatæ conspiciebantur. Attamen insperso pulvere nostro, sanguinis sistēdi vi prædito, cujus descriptio habetur in libello nostro de Gangræna c.19. illico suppressus ita est sanguis, ut deinceps non nisi parcissimus fluxerit. Ab hoc profluvio declinantibus sensim viribus, & excrescente indies oculo, non nisi miserrima eaque propinqua mors expectabatur, quum tandem generosi viri, Gabriel in Blonay, Baro à Chatelart, & Dominus Philippus Ceriatius, Dom. à Denezi, ejus generi, cum aliis nobilibus & honestissimis amicis statuerunt advocandos eruditissimos & peritissimos quosque medicos & chirurgos, quorum deliberationi & sententiæ sese æger subjiceret. Annuente ægro, acciturGenevâ clarissimus & doctissimus JANUS ANTONIUS SARACENUS, Philosophus eximius & medicus Regius, Lausannâ item doctissimus D.D. ALBERTUS ROSCIUS, senex experientissimus. His me tertium adjunxit æger benevolus, ut si opus esset chirurgicâ operatione, hanc ego perficerem. Die Julii 28. initâ consultatione, proposui quæ infrà suo loco. Verùm hîc mihi digrediendum in eos, qui spem adeoq; fiduciam ægro faciebant fore, ut totus oculus ex orbita sponte decideret, allatis imperitè & stolidè exemplis; quibus persuasus æger operationem tamdiu differri voluit: unde morbus deterior evasit, indies nova subinde creans symptomata, inprimis autem profusum illud & mirabile sanguinis profluvium, extenuationem maximam, jecinoris refrigerationem. Ac ut autem demonstremus, nō posse oculum suo impetu decidere: item, ut confirmentur quæ paulò post sumus allaturi, consideranda est oculi compositio & connexio, quam brevis & synoptica ejus expediet anatome: tùm deinde quàm falsò vulgus oculum ex sua orbita excidere posse sibi persuadeat, docebimus.

Sanguinis fluor supervenit.

Observ. I.

De Stupēda hæmorrhagia.

Observatio insignis.

Venæ capillares in varices degeneratæ.

Oculus constat musculis, tunicis, humoribus,

Oculi anatome.

Observ. 1.

Musculi. bus, nervis, venis, arteriis, pinguedine & glandulis. Musculi sunt sex: quorum quatuor perficiunt motus rectos, ab ima orbita oriundi & cincto nervo optico in medium oculum desinentes. Hi dum functiones simul omnes exercent, introrsum trahunt oculum: si superior solus agit, sursum; si inferior, deorsum; si dexter, dextrorsum; si sinister, sinistrorsum trahit oculum. Reliqui duo ipsum circumagunt: vnde præstantissimo BAVHINO circumactores dicti. Horum unus longior & gracilior, oritur ferè ex eodem loco, ex quo ille qui dextrorsum flectit oculum, ad majorem videlicet canthum, & postquam pervenit ad anteriorem anguli intimi partem, quâ lachrymalis eminet glandula, tum desinit in tenuissimum tendonem, qui per mediam quæ illic est membranam, velut per annulum, penetrat: hinc in superiorem oculi partem absumitur. Quintus hic musculus, dum contrahitur ad principium suum tendone circulari, eo motu torquet oculum ad canthum majorem. Sextus illi contrarius oritur ab inferiore orbitæ parte: & quum sit tenuissimus, transuersim ascendit ad angulum exteriorẽ oculumq; ita transuersim involuit, ut exiguo tendine ipsi inseratur juxta quinti insertionẽ. Hinc fit, ut duo tendones sæpe videantur unus. Hic solet oculum extrorsum flectere ad minorem cãthum. Est & nonnullis septimus musculus in ima orbita infra sex illos, opticum nervum ambiens: sed hic in solis brutis reperitur.

Cas. Bauh. Anat. hist. c. de musc. oculorũ.

Tunicæ seu membranæ.

Tunicas numerant alii sex, septem alii, PARÆVS quinq;.

1. Conjunctiva.

Prima est conjunctiva siue adnata, epipephycos hymen Græcis, à pericranio orta: hæc astringit & stabilit oculum in orbita, ideoq; eum totum integit usque ad circulum Iridem, & totũ oculi album constituit.

2. Cornea.

Secunda cornea dicitur, cujus origo proximè à dura matre, laternæ corneæ instar pellucida: differt hæc & variat à se ipsâ: siquidem anterius est perspicua, ut præbeat rebus objectis trãsitum: posteriore parte opaca est. Qui septem putant, duplicem hanc faciunt: partem quidem diaphanam corneã; reliquam partẽ σκληρωτὴν siue durã nũcupãtes, mihi una & simplex esse videtur.

3. Vuea.

Tertia est Vuea siue choroides, intertexta venis & arteriis instar secundarum muliebrium. Oritur à pia matre: totum oculum ambit, exceptâ pupillâ, in qua est perforata, & corneæ adhæret per venas & arterias, quas nutritionis & vitæ causâ illi communicat. Vbi ad Iridem pervenit, relictâ corneâ descendit intrinsecus, & nonnihil reflectitur ad ampliorem ambitum humoris crystallini. Porrò in parte posteriore multicolor est, fusca, nigra, cærulea &c. instar iridis cœlestis, multos in usus.

Primùm si vnicolor esset, omnia visui objecta, eum colorem repræsentarent. Deinde colore nigro tincta est, ut cogantur spiritus à luce dissipati. Tertiò, fusca & cærulea, ad conservandum & recreandum visum: mollis est, ne lædat humorẽ crystallinum, in cujus circumferentiam desinit. Perforata est ante humorem illum, ne obscuritate sua rebus objectis aditum ad crystallinum humorem intercluderet: sed potiùs ut tot colorum species illo nigrore tanquam contrario suo colligi & corroborati possint. Qui septem tunicas fingunt, hanc quoque diuidunt in duas: à nervo optico ad iridem, secundinam: reliquum quod est infra partẽ pellucidam corneæ, Vueam dicunt.

4. Amphiblestroides.

Quarta Amphiblestroides seu retiformis, oritur à nervo optico in tunicam verso, & in reticuli formâ texto, ex venis arteriis & nervis, quos accipit ab Vuea, cùm ad sui nutricationem & vitam, tum propter humorem vitreum, quem postica parte cingit.

5. Arachnoides.

Quinta Arachnoides, figurâ & consistentiâ telam araneæ referens, cingit humorem crystallinum anteriore parte, ut conservet eum, utpote primarium visus instrumentum, si contigerit lædi reliquos humores. Credibile est, ut & AMBROSIUS PARÆUS testatur lib. 6. cap. 6. oriri ab excrementis humoris illius crystallini.

6. Vitrea.

Sexta Vitrea tenuissima, vitreum humorem undiquaque cingens, eumque à crystallino separans.

Cæterùm reperitur & alia membrana proximè infra conjunctivam, aliquibus innominata dicta: Verùm hos ego putarim potiùs extremos tendones sex illorum musculorum, in membranam extentos.

Humores. 1. Aqueus.

Tunicis continentur humores tres. Primus aqueus, instar aquæ limpidus. Situs est inter corneæ pellucidam partem, humoris crystallini in pupillâ patentem portionem, atque eam reflexionem Vueæ, quæ ab Iride est ad humoris crystallini circunferentiam, ut vacuum illud implens, corneam distendat, ejusdemq; prolapsum in humorem crystallinum prohibeat. Item ut humiditate sua humorem crystallinum vindicet à nimia exsiccatione.

2. Crystallinus.

Secundus humor crystallinus est, à colore lucido & splendente crystalli instar, situ medius in oculi centro, vitreo innatans, à quo nutritur: pro speculo est videndi facultati eo deductæ per spiritum visualem.

3. Albugineus seu vitreus.

Tertius humor albugineus, figurâ & consistentiâ albumini ovi similis: situs est in postica parte crystallini, ut aliquantum retardetur spiritus visibilis impetus, per nervum opticum ad humorem crystallinum descendentis: haud aliter quàm aqueus crystallino parte antica objectus est, ad reprimendos objectorum colorum impetus. Hic humor alitur à tunica retiformi.

Nervi.

Nervi duo. Vnus primæ conjugationis opticus, à quo spiritus visilis defertur ad oculum. Postquam pervenit ad vitreum humorem, absumitur in structuram tunicæ retiformis. Alter secundæ conjugationis, sub egressum è cranio in orbitæ radice distribuitur, & dissipatur in oculi musculos, quibus motum affert.

Venæ & arteriæ.

Venæ & arteriæ aliæ sunt internæ, illuc productæ cum tunicis vasorum cerebri: aliæ externæ constitutæ in conjunctiva & musculis ijs, qui à venis jugularibus & carotidibus extimis oriuntur. Ministrant oculis alimentum venæ, vitam arteriæ. Interjecta est oculorum musculis pinguedo multa, ne oculi continuo motu desiccentur. Glãdulæ quoq; binæ: una ad majorem canthum prope na-

Observ. I. pe nasum, altera ad minorem canthum. Vtiles primò lubrificando & humectando oculo, ne cõtinuo motu exsiccetur, ut de pinguedine dictum: deinde continendo firmiter oculo in orbita media, ne in alterutram vergat partem. Siquidem enim teres est oculus, ovalis autem orbita, necessariæ fuerunt glandulæ ad implendos hinc inde oculos. Facit quoque quæ est in majore cantho glãdula, ad obturandum meatum, qui evidenter penetrat ex oculi orbita in narem, nempe ut ne cerebri excremẽta, per nares influentia, redundẽt ad oculos, ut fit in ijs quibus fistulæ lachrymales, ab exesa hac glandulâ: unde stillant illis oculi assiduò. Adest & spiritus visilis & lucidus, continenter accurrens è cerebro per nervos opticos ad visum formandum.

Ex his intelligimus, quàm firmiter hæreat capiti oculus, & quàm non pote sit ut sponte decidat, quacunq; tandem putrefactione. Etenim antequam putruerint & nervi & tunicæ, parùm alioque proclives, fœtor procul dubio invaserit, & lethaliter infecerit spiritus animales.

Nunc videamus quid vulgus deliret, dum credit oculum ex capite excidere posse. Nunquã accidit illa vulgo credita procidentia, quin præcesserint ictus, vulnus, aut affluxus magnus, ex quibus orta inflãmatione gignitur pus intra conjunctivam & corneam, quod membranas eas abrumpit & putrefacit, ita ut dehiscentes, ulcus patefaciant: quod in oculi capacitatem penetrasse comperitur. Sex autem musculi, quum sint carnosæ partes, facilè afficiuntur illa inflammatione ex qua intumescentes circa nervum opticum & pone oculum, coarctant adeò & comprimunt oculum, ut propulsentur humores tres, & cogantur simul & semel, & cum impetu perrumpere. Hi autem humores quum sint consistentiâ suâ satis solidi, (crystallinus præsertim & albugineus, oculi figuram repræsentantes) vulg' putat, totum procidisse oculum. Humoribus sic effusis, membranæ tanquam displosâ vesicâ, aquâ, flatuvè distentæ deprimuntur & contrahuntur in imam orbitam: hinc cessante inflammatione & dolore (verè enim desinunt paulò post) adducuntur palpebræ ad se invicem, vix ullâ remanente oculi figura. Hinc vulgus falsò sibi persuadet, oculum è capite excidisse.

Initâ consultatione, commemoravi apud clarissimos Doctores medicos duos, quæ antè apud ægrum & D.D. Roscium in ædibus & præsentia Marionis Lausannæ proposueram: iterum cõcludens, solâ manus operâ plenissimè sanari posse ægrotum. Cumq; ex nova quorundam sententia sperasset æger, commodè incisum iri cancrum religatum serico, necesse habui meas contra sæpius allatas rationes, subjicere hunc in modum.

Filo serico non potuisse tolli cancrum.

1. Ratio

Primùm: quod mali radix à ligatura relinqueretur: siquidem quæ facta est morbi renovatio, liquidò constat factam esse in orbita, adeoq; altiùs ad opticum usque nervum. Ligatura autẽ quum id solum apprehendat, quod prominet à palpebris, relictura est quicquid orbitâ continetur, sicque irrita futura esset operatio. Etenim id quod relinquetur, illico proferet novum fungum priore maligniorem.

Observ. I. *2.* Secundò: quòd fieri possit, ut rumpatur vena aut arteria quæpiam importuno tẽpore, putà nocte: & sic æger vel exiguâ sanguinis jacturâ è vestigio moriatur, quum tanta jam sit facta profusio.

3. Tertiò: quòd ex ligatura futurus esset gravissimus dolor, totis quindecim diebus & ultrà: propterea quòd conjunctiva, in qua fieret ligatio, utpote à pericranio deducta, miro sensu sit prædita. Quo ex dolore, ut nihil dicam de cerebri læsione, sequeretur humorum affluxus ingens in partem affectam. Adde, quòd æger jamdudum debilis & extenuatus, hos dolores & inquietudines tolerare non posset.

4. Quartò: quòd pars oculi supra ligaturam, dum corrumperetur, fœtore suo gravissimo læsura foret partes principes, & ipsis adstantibus intolerabilis futura. Relinquitur incisio, quam spero à nobis tam dextrè factum iri, propitio Numine, ut leviores sint cruciatus & nulla aut minima hæmorrhagia. Quod ambigitur, queatne morbus radicitùs erui? spero id quidem factum iri. Quippe jam pridem excogitavi instrumenta quædam, quibus oculum tutò & agiliter ab ima orbitâ recisum extraham. Præterea, quantuluscunq; ille qui percipitur motus, apprehenso tumore ficoso nonnihil mobili, spem facit hunc non hærere pericranio: cui si adhæreret, certè esset immobilis. Imò & ex eo intelligimus, reliquam esse aliquam pinguedinis & musculorum ambientium portionem inter oculum & os: ex quibus operatio tantò facilior, tutior & felicior expectatur. Quoad hæmorrhagiam, ego certè nonnihil moveor, cum subit animo nupera illa sanguinis profusio, vobis notissima. Attamen venæ in oculo tenuissimæ non videntur largum emissuræ sanguinem, si incidantur ad basim: & potest diligente manu inhiberi erumpens sanguis, quem post tantum profluvium non est verisimile multum futurum. Denique haud dubiè ex ægri metu & horrore major pars sanguinis recurret ad cor. Consultissimum tamẽ fuerit, extrema ligare arctissimè, brachia supra cubitum, tibias supra genua, idq; horæ dimidio ante operationem, ut nimirum molestâ & constringente hac ligaturâ, sanguis avertatur ad illas partes, & procul ab ijs, in quibus futura est operatio. Atque hoc meum est de hoc morbo, ejusq; chirurgica extirpatione judicium. Vos medici videte, & de nostris judicate, Doctores clarissimi.

Signa ficũ non adhærere pericranio.

Hæmorrhagiam nõ esse timendam ostẽditur.

N.B.

Hic medici, postquam disseruissent de morbo & medicamentis vniversalibus, nostra omnia comprobarunt: & decreta est mali extirpatio per incisionem. D. Saracenus rem detulit ad Ægri necessarios & amicos, quotquot aderant. Illi audito tum præsentaneæ & quidem funestissimæ mortis periculo, tum sanationis spe per oculi extirpationem, facilè assenserunt, multoque libentiùs Æger ipse magnanimus.

Tum postquam prædixi metuenda symptomata, decreta est in proximè sequentem diem Lunæ, qui in Augusti Calendas incidebat, operatio. Interea præscripta est Ægro victus ratio congrua, ad reparandas vires, deperditas superiore sanguinis profluvio. Præscriptus & illi ad diem Sabbathi

Observ. I.

Potus laxativus.

bathi decimum nonum Calendas Augusti, laxativus potus.

R. Tamarind. electorum.
Foliorum senæ oriental. mundat. ana ʒ ij.
Vuarum passarum mundat. ʒ j.
Epithymi. sem. anisi, fœniculi, ana ʒ ſ.
Cichorij, agrim. ceterach. polytrichi, ana p. j.
Fiat decoctio ad ℥ iij. in quâ colaturâ macera.
Rhabarb. elect. ʒ j. ſ.
Cinnamomi electi gra. 7.
In expressione dissolve Syrupi violati ex 9. infusionibus, &
Mannæ granatæ ana ℥. j.
Misce: fiat potio.

Potio cordialis.

Sequente die Dominico, & die Lunæ, manè ante operationem, exhibitus est potus cordialis sequens.

R. Aquarum buglossæ,
Violarum,
Rosarum,
Melissæ, ana ℥ j.
Syrupi corticum citri & de succo acetosæ, ana ℥. j.
Confect. Alkermes ʒ j.
Pulv. diambræ ʒ ſ.
Misce: fiat potio pro duabus dosibus.

Scutum pro corde.

Exteriùs super corde, ante & post operationem applicitum est scutum sequens:

R. Florum trium cordialium, ana p. ij.
Melissæ,
Majoranæ, ana M. ſ.
Seminis & cortic. citri,
Seminis ocymi, ana ʒ ij.
Pulv. elect. Diamargar. frigidi,
Pulv. elect. è gemmis. ana ℈ iiij.
Pulv. diamoschi dulcis &
Diambræ, ana ʒ ſ.
Croci ℈ j.
Excipiantur gossypio, & cum sindone rubra fiat scutum interpunctum, pro regione cordis.

Vnguent. pro stomacho.

Ante & diu post operationem, unctus est stomachus hoc unguento:

R. Cerati stomach. Galeni ʒ iij.
Pulv. aromat. rosati ʒ j.
Garyophyll. & nucis mosc. ana ʒ ſ.
Olei Nardini & mastichini, ana ʒ ſ.
Fiat linimentum pro regione stomachi, ante cibum.

Aliud Vng. pro stomach.


Aliud unguentum pro stomacho, aliquandiu applicitum post operationem factam.

R. Olei mastichini & de menta, ana ℥ ſ.
Olei Nardini & de
Absinthio pontico, ana ʒ iij.
Cerati stom. Gal. ʒ ij.
Ladani &
Olei de nuce mosch. ana ʒ j.
Pulv. arom. ros. &
Ligni Aloes, ana ℈ j.
Pulv. garyophyll. &
Ambræ griseæ, ana ℈ ſ.
Cum cera nova. q. ſ.
Fiat unguentum, quo calidè illinatur regio ventriculi ante cibos, bis die.

Observ. II.

His ita præscriptis, amici qui aderant studuerunt Ægrum recreare, quantum fieri potuit. At ille magnanimus, & sanitatis avidissimus, constâtia se sua magis, quàm alienis verbis solabatur: nisi quod stato die nonnihil territus est D. Roscii excusatione per literas factâ, veritus nimirum, ne quid ille mali præsagiret: quod tamen ita dissimulavit, ut non nisi ab operatione resciri potuerit: adeò urgebat ipse operationem.

Itaque præmissis solennibus precibus pro felici successu, & tribuenda Ægro patientiâ ac viribus, ipsemet sumpto recente ovo & cyatho vini, cathedram accommodatam sibi delegit & ultrò sedit: ita ut quum mollis quispiam cathedræ alligãdus foret, necesse duntaxat habuerim, adstantium duobus brachia, tertio caput commitere. Dum crumenâ ex utraque parte apertâ, ad hanc operationem à me inventâ, & hic depictâ, totam excrescentiam, sive ficum tam altè quantum fieri potuit, versus nervum opticum appræhendi & inclusi, crumenulamq; constrinxi, & sinistrâ meâ nonnihil attraxi. Crumena hæc fit ex Corio tenerrimo. Ex supernâ parte annexi sint orbiculi, ex filo æneo facti, ad excipiendos funiculos, uti ex sequenti figura videre licet.



Error Chirurgorum in excisione tumorum præter naturam.


Vulgus Chirurgorum loco crumenæ, ad has aliasq; excrescentias, scirrhos, Atheromata, steathomata & similia excidenda, excrescentiæ, sive tumori, filum duplicatum acu incurvatâ trajiciunt, sed perperam, aqua enim sive humor in oculo, aut quovis alio tumore contentus, protinus effluit, & membranæ concidunt, flaccescitq; tumor, difficillimamq; efficit operationem, sed de his forsan aliàs plura.

Sic appræhenso, & crumenâ incluso fungo, cœpi sub palpebra superiore, ad majorem oculi canthum, instrumento hic figurato, (quod ipse inveneram, & nominatim præpararam ad eã operationem) separare conjunctivam: adactoque ferro ad opticum usque nervum, percurri oculi ambitum, quæ erant separanda disjungens; Eodemq; instrumento opticum secui: tum & eum qui secundæ conjugationis est; & tam dextrè (sine jactãtia sit dictum) me gessi, ut vix decem passus fierent, dum ficus ille cancrosus, totam oculi orbitam implens, & in faciem latè prominens, intactis palpebris radicitùs erutus sit.

Cultelli

Observ. I.

CULTELLI ADUMBRATIO.



Cultelli descriptio

Est autem cultellus veluti lenticulare obtusus, ne in operatione cranium lædatur. Cuspis enim ipsius A. notata, ut ex delineatione apparet, nonnihil extuberat, sed ex illa solummodò parte quæ in operatione cranium respicit. Altera verò pars, quæ in delineatione in conspectum venit, plana & æqualis est. Ab A. præterea usque ad B. nonnihil incurvatus est cultellus, sed eodem planè modo, quemadmodum cultri quibus excavātur Cochlearia lignea, incurvari solent.

Sed quia cuspis cultelli in forma lenticulare uti dixi, obtusa, necesse est, ut phlebotomo, aut novaculâ, per ipsam adnatam parva fiat incisio, quo cuspis cultelli saltem per ipsam adnatam intrudi possit: reliqua omnia facilè à cranio separentur.


Admonitio ad Chirurgos.

Vt autem cultellarius instrumentum hoc aptè atque concinnè fabricare possit, necesse est, ut chirurgus ipsemet prius exemplar sive specimen ex plumbo, ea quâ fieri potest diligentiâ adornet. Id verò facilè efficiet, si longitudinem ac latitudinem delineationis exactè observaverit. Quantū autem ab A. usque ad B. incurvandus sit cultellus, facilè cognosces, si interimdū, specimē ex plumbo paras, cranium hominis sua carne denudatum ad manus habueris. Hoc modo ego, cum operatio hæc mihi facienda erat, processi. Summa autem adhibenda est diligentia, ut quàm aptissimè fabricatum sit instrumentum, in hoc enim totum ferè negotium operationis situm est. Si enim aptum, & benè scindens fuerit instrumentum, feliciter succedet operatio: infeliciter verò, si min' aptum fuerit; ut fusiùs dicturus sum, quando de instrumento, quo Dom. Georgius Bartisch in hac operatione utitur, agam.

Observ. I.

Porrò etsi adnata tunica, quæ præcipuè incidenda erat, exquisitissimo sensu sit prædita, non usque adeò tamen dolorifica fuit operatio. Agitatio ægri nulla, nisi linguâ, quum ter quaterque Deum inclamavit.


Injeci illicò copiosè pulverem nostrum ad sanguinem sistendum, lib. de Gangræna, & sphacelo cap. 19. descriptum; stupas quin etiam albumine ovi madefactas & prædicto pulvere conspersas, oculi capsulam implevi, ita ut vix unciæ duæ sanguinis extillarent. Ideoq; nihil opus fuit actuali cauterio argenteo, hic adpicto quod propriè præpararam, propter loci affecti nobilitatem & præstantiam.



Deinde involuta fasciis orbita, & defensivis ad frontem & collum circumcirca adhibitis, æger ipse se abluit, & voluit ire pedibus in lectum, triginta circiter passus ab operationis loco. Nos prohibuimus, & sellâ detulimus. Mirum tam diuturno morbo, tanto sanguinis profluvio, ævo tam provecto, ægrum sic substitisse, nisi Deus, cui Laus & Gloria, eum corroborasset.

Tumoris magnitudinem ad nervum opticū usque, sequens tibi exhibet figura.

Observ. I.



Operationis testes fuerunt:

Generosus Gabriel à Blonay, Baro à Chattelart.

Gen. Philippus Ceriatius, Dominus à Denizy, &c.

Prudentiss. & Consultiss. Georgius Ansellus, Illustr. Dominorum Bernensium procurator patrimonialis.

Gen. Hildebrandus Crosanus, Dominus à Prilly, &c.

Gen. Philibertus à Saconay.

Venerandus Claudius Merlinus, Villetanæ & Culliacensis Eccles. pastor.

Vener. Iacobus Richardus, Saviniacensis Ecclesiæ pastor.

Clariss. & præstantiss. Ianus Antonius Saracenus, M.D. & Philosophus eximius, Regis Galliæ & Navarræ Consiliarius prudentiss.

Consultiss. Nicolaus Ganthinus, Lustriacẽsis Tribunus.

Consultiss. Iacobus Gerbesius, Villetanus Senator.

Consultiss. Franciscus Croseranus, Lustriacensis Senator, & Castellanus Corsiacensis.

Iohannes Glaronius, Ægri, Chirurgus ordinarius.

Fideliss. & diligentiss. Ioachimus Rohaut, Pharmacopœus Lausannensis.

Hon. Moses Bettetus, Ægri negotiorum gestor: & alii plurimi.

Ossiculũ intra oculi substantiam repertum.

In tumore post operationem dissecto, invenimus ossiculum, & mole & figura dimidiatam fabam repræsentans, ubique tuberosum, prope minorem oculi canthum. Hîc varia judicia. Alii in tumore natum dixére, quòd densa & dura integeretur tunica, quæ mihi sclerotica esse videbatur. Alii diutino defluxu carie affectum cranium censebant, indeq; cariosum ossiculum sponte naturæ separatum, sensim membranam in illam penetrasse, atque illud callo deinde obductum fuisse. Vero mihi similius videtur, id ossiculum è cranio illuc penetrasse, quàm in ipso tumore natum. Primùm enim ex figura evincitur, ad orbitam oculi pertinuisse. Deinde materia, intra quam repertum illud est, instar atramenti nigra erat, nihilq; aliud quàm sanguinis fæx. At necesse est, quod ex materia aliqua gignitur, ejus colorem referre: ossiculum autem album fuit, ac proinde non ibidem genitum. Tertiò, ex curationis progressu facile fuit animadvertere, è cranio illud delapsum siquidem percipiebatur cicatrix nõnihil cava, ad minorem canthum: qualis esse solet, ubicunque est ossis deperditio, teste Hippocrate. Residuum tumoris duabus diversis substantiis constabat. Nam pars ea quæ extra orbitam prominebat, instar fæcis atramenti fuit, satis densa, forti membrana involuta, quam autumo ex conjunctiva & cornea membranis ita coaluisse. Pars verò orbitâ contenta, dura fuit & scirrhosa, colore livido. Hos ego puto fuisse oculi musculos, qui quidem nequaquam conspici poterant agnoscivè, uti neque membranæ, quia planè occaluerant cum aliqua alia materia residua, ex priore illa inflammatione Anni 1581.

Hipocr. sect. 6. Aph. 45.

Ipso operationis die non est retectum vuln^e^ metu hæmorrhagiæ: at postridie tantùm applicatum ex conceptis linamentis digestivum sequens:

Digestivũ

℞. Terebinth. lotæ in aqua betonicæ ℥ ij.
Gummi elemi ℥ ß.
Dissolve in olei rosacei ℥ j.

Adde

Observ. I.

Adde vitell. ovorum n. 2.
Croci ℈ ß.
Misce: fiat digestivum.

Insuper admovi emplastrum basilicum. Inunxi totum caput & collum oleo myrtil. & rosato: fronti & collo defensivum applicui: nec aliter processi, quoad facta esset vulneris digestio. Sequenti die, Saracenus relicto longiore scripto, in quo victus ratio tum in rem præsentem tum etiam in futurum conveniens, tradebatur, domum repetens mihi rem omnem commendavit. Ego sex diebus continuavi digestivum & basilicum: Ex in digesto vulnere, pro digestivo adhibui mũdificativum sequens:

Mundificativum.

R. Terebinth. lotæ in Aqua betonicæ ℥ ij.
Gummi elemi dissol. in oleo Rosaceo ℥ ß.
Radic. Aristol. rotundæ.
Iridis flor. ana ℈ ij.
Cum melle rosaceo, fiat mundificativum.

Tum applicui emplastrum de betonica, eoque ipso incarnavi vulnus: cicatricem induxi pulvere sicco, ex cerussa, lithargyro, cornu cervi usto, alumine & radicib⁹ iridis, & super inducto empl. diapalma. Victus rationem æger adeò accuratè & lubens observavit, ut supra decimum quartum diem vino sibi temperarit, contentus ptissanâ, cui adjectum erat paucum coriandrum præparatum, aut etiam oxysaccharum, cui inter parandum indebatur tantillum cinnamomi. Atque sic adductis tandem concinnè palpebris, à fico cancroso ejusque omnibus symptomatis, vir genere & virtute, inprimis verò pietate nobilissimus, persanatus est.

Porrò quum locus multum diuque affectus ac proin debilis, ut plurimum obnoxius sit defluxionibus à valentioribus partibus transmissis, ideò, ut ne deinceps novi exorirentur in facie affectus, aut in parte nuperrimè sanata, author ægro fui ut clauderetur ulcus, cauterio excitato in brachio dextro, quod progressu temporis inferi⁹ descenderat, & circum circa callosum evaserat, & novum applicui superius ac proprius venam cephalicam, 22. Augusti. Porrò in eundem usum & ad majorem præcautionem suasi, setaceum ad cervicem trajici legitimo loco, qui est à prima vertebra ad tertiam, nec inferius. Adhibitum quidem fuerat Anno 81. ineunte morbo, sed malè ad sextam cervicis vertebram, ubi eminetiores sunt nervi, quàm superius ad caput: hinc acutissimus dolor, ob quem ab eo excitatum ulcus post mensem claudendum fuerat. Jlle consilium nostrum admisit, & consultus Saracenus literis, eandem sententiam scriptis confirmavit.

Setaceo locus opportunus.

ANNOTATIO
Ad observationem primam.

Exophthalmia ex defluxione.

Exophthalmia, sive prominentia oculi extra orbitam suam; venit vel à causa interna, vel externa. Ab interna, quando humor aliquis præter naturam, ex capite in oculos defluit, & membranas musculosq; ita extendit, ut orbita oculum amplius retinere nequeat: uti in generoso nostro Claudio Lustriaco, cuj⁹ in præcedenti observatione mentio facta fuit, accidit.

Post variolos hoc malum provenisse in filiolo D. Imberti Pagesij, Civis Lausannensis p. m. ante annos aliquot vidi, eumq́; feliciter, per Dei gratiam, sanitati restitui.

Exophthalmia ex furunculis nimis maturè clausis.

Ex furunculis, in pueris copiosè erumpentibus, sed nimis maturè clausis, materiam quãdã malignam ad oculum sinistrum decubuisse, oculumq; extra orbitam suam extrusisse, hîc Bernæ, in filiolâ Dom. Reberi (de qua in sextâ Centuriâ) observavi.

Exophthalmia ex causâ externâ.

A causa externa hoc malum procedit, veluti in eis, qui vomitu vehementissimo, & tenasmo gravissimo, & diuturno, laborant.

Parturientibus propter conatum, uti & tibicinibus, hoc malum accidisse à viris doctis quidem scribitur. Ego tamen exemplum nullum oculare habeo, etiamsi sæpissimè in gravissimis parturientium doloribus matronis adstiterim, uti lector diversis in locis ex scriptis meis videre poterit: Id tamen fieri posse, rationi consentaneum est.

Exophthalmia periculosissima quæ.

Post ineptam depositionem Cataractæ, plerumque sequitur Exophthalmia: videlicet, quando Empirici & circumforanei impurgato, nec probè præparato corpore, oculis acum infigunt, præsertim quando vel humorem Crystallinum, vel internas membranas acu dilacerant, & symptomatibus non præveniunt: tunc enim sequitur dolor, affluxus humorum, & collectio puris circa Crystallinum, qui est in centro ferè oculi. Porrò inclusa illa materia in ipso oculo, propter dolorem, & affluxum humorũ augescens, membranas oculi, veluti, uveam, corneam, & adnatam, non sine maximo dolore extendit, tandemque oculum extra orbitam suam extrudit: Atq; Exophthalmia hæc est ex periculosissimis. Cum enim materia peccans sit in centro oculi, & validissimis membranis inclusa, plerumque propter doloris vehementiã æger extinguitur, antequàm materia erumpit. Casum non multùm absimilem superiori anno 1628. hîc Bernæ vidimus. Civis quidam, Jacobus Hebner nomine, cum peste periculosè laborasset, per Dei tamen misericordiam 14. diem morbi prætergressus, & ut videbatur, extra periculum esset, suasu Empirici cujusdam, Medicum suum rationalem reliquit, & ab Empirico Medicamentum sumpsit: Illud tantâ cum vehementiâ vomitum movit, materiamque peccantem sursum duxit, ut eâdem die oculi & fauces intumuerint, & anginam non procul abesse fuerit visum. Consilium & auxilium cùm à me petiisset, gargarisma ex betonicâ, scabiosâ, plantagine, rosis, & melle præparatum præscripsi, quo aliquoties abluto ore, inflammatio faucium remisit, oculi verò adeò intumuerunt, ut extra orbitas suas propenderent. Cum verò vino non abstineret, adeò auctus fuit dolor, & membranarum cerebri inflammatio, ut intra paucos dies, videlicet vigesimâ morbi, extinctus fuerit.

Observatio.

Exophthalmia ex Contusione Capitis.

Ex magnis contusionibus capitis sine vulnere, Exophthalmia nonnunquam consequitur. Vidi id Anno 1586. Metis, in Matrona quadam honesta, quæ baculo ad suturam Coronalem sinistri lateris, à viro suo moroso graviter percussa fuit,

Observ. 1. fuit, sine vulnere tamen: quapropter sanguis extravenatus exitum non habens, & ad oculum sinistrum defluens, sequutus est dolor maximus, & inflammatio præsertim adnatæ tunicæ, propter consensum quem habet cum pericranio. Ab initio neglecto affectu, oculus adeò intumuit, ut ferè extra palpebras propenderet: tandem verò restituta fuit, ut Observ. 17. Centur. 5. fusiùs dicetur.

Exophthalmia ex vulnere frontis. Ex vulnere frontis Exophthalmiam secutam esse, lector Cent. 5. loco jam allegato videre poterit.

Quid ante Operationē perpendendum. Cæterùm antequàm Chirurgus operationem instituat, necesse est, ut perpendat, an recens, an verò inveteratus sit morbus: deinde etiam, an malignitas aliqua cancrosa subsit, scire expedit. Hæc enim ad curationem rectè instituendam haud parum faciunt. Si enim recens fuerit morbus, revulsionibus, per purgationes, cucurbitulas, venæ sectionem, & hujusmodi factas, sine excisione oculi, facilè curatur: uti mihi tum in alijs, tum in juvene quodam Hildenæ, de quo vide Observ. 17. Cent. 5. feliciter successit.

Setacei usus in defluxionibus ad oculos necessarius. Si defluxio ex capite ad oculos, magna & vehemens fuerit, uti vidi in filiolo Dom. Imberti Pagesij, cujus antea memini, setaceum ut nuchæ applicetur, perquàm necesse est. Hoc enim remedio filiolus ille ita restitutus fuit, ut vix vestigium mali appareret: visus tamen abolitus fuit. In maximis enim istis inflamationibus, & membranarum dilatationibus, organa visus destruuntur, atque corrumpuntur.

Sin autem inveteratum fuerit malum, & in scirrhum induruerit, multò magis si malignitatem aliquam contraxerit, quemadmodum in generoso Domino Claudio Lustriaco, de quo in præcedenti observatione, tunc unicum superest præsidium, videlicet Operatio. Jlla autem rara est, præsertim inter rationales Medicos, & Chirurgos. Jlli enim, ut pium & fidelem Medicum decet, nisi omnibus prius tentatis, ad extremum hocce remedium non transeunt, & proinde sæpissimè suavissimis remedijs protuberantes oculos in orbitam feliciter reducunt, uti ego aliquoties, per Dei gratiam feci.

Empiricis verò & circumforaneis, per terras & Maria, lucri causâ, currentibus, ægrosque quærentibus, non usq; adeò rara est operatio hæc. Jlli enim, sive recens, sive inveteratus fuerit affectus, statim cultrum adhibent, & plerumq; maximo cum damno ægri, uti lector ex Epistolâ quâdam meâ ad Clarissimum & Doctissimum Virum Dom. Burgavver, fusiùs videre poterit.

Oculi prolapsi extirpandi modus duplex. Modus porrò, exstirpandi hujusmodi excrescentias, duplex est. Antiqui, quicquid extra orbitam propendebat filo ligabant, quos major pars neotericorum sequitur, sed perperam: præsertim si malignitas aliqua, aut dispositio ad cancrum adfuerit. Radix enim mali, quæ in profundo orbitæ oculi latet, relinquitur, celeriterq; in horrendum fungum excrescit, ut lector ex epistola quadam mea ad Clarissimum & Doctissimum Virum Dom. D. Burgavverum videre poterit.

Alij negotium instrumentis perficere tentant: Ideoque Georgius Bartisch/ Chirurgus Germanus, non obscuri nominis, ad operationem hancce exequendam, instrumentum excogitavit, & in libro suo de Oculorum affectibus, parte 11. cap. 11. adumbravit: Sed, pace ipsius dixisse volo, profectò ineptum est, & incommodum, nec sine periculo eo quenquam uti posse, planè sentio, quemadmodum suo loco fusiùs dicam: quapropter alium modum, aliaque instrumenta excogitavi, quibus institutâ ac factâ operatione, neque difficilem, neq; usq; adeò periculosam esse, tum in generoso Lustriaco, tum in juvene quodam observavi: historiam, in gratiam tyronum, adscribere non gravabor.

Observ. Instrumentum. Georgij Bartisch improbatur.

Oculus extra orbitam suam protuberans feliciter excisus. Anno 1625. Mense Septembr. juvenis quidam 14. circiter annorum, Abraham Gabrielis nomine, exophthalmiâ sinistri oculi laborans, ex pago Oberwangen/ à parente suo Bernam adductus fuit, & ut jussu & sumptibus Magistratus Amplissimi, sanitati restitueretur, Senatū supplex accedit. Negotium Herniothomo Ordinario, à Magistratu Amplissimo impositum, commissumque fuit. Cum verò Medici Ordinarij Xenodochij intelligerent, ipsum methodum Dom. Bartischij sequi, suisque instrumentis in hac operatione uti velle, ac lamentabilis, nec non exitiosus ille exitus hujus methodi & instrumenti, paulò ante hîc visus, ipsis in mentem venisset, rogarunt me, ut Herniothomum erudire, & quomodo se in hac operatione gerere debeat, instruere vellem, quod & propter Charitatem Christianam, in commodum ægri, & tyronum, qui aderant, Medicis denegare nec potui, nec volui.

Ad Xenodochium itaq; me confero 20. Septembris 1625. Instumentum quin etiam meum, antea depictum, simul & cranium hominis, à carne denudatum, mecum porto, & coram Medicis Ordinarijs, alijsq; multis, qui operationi interfuerunt, Herniothotomum, eâ, quâ potui, diligentiâ, fideliter instruo & edoceo, videlicet, quânam in parte oculi incisio sit inchoanda, quantùm cultellus sit infigendus, quo ordine ducendus, & quomodo operatio perficienda. Quod quia beneficio humani cranij facilè fieri potest, Chirurgos, qui operationem hanc cum laude, & utilitate ægri, administrare cupiunt, admoneo, ut structuram Orbitæ sive capsulæ oculi, ante operationem diligenter perspiciant, & examinent, ut sciant, quomodo in operatione, secundum angulos orbitæ, circumducendus sit cultellus.

Sic edocto atq; informato Herniothotomo, & invocato prius Numine Divino, operationem, me, multisq; alijs præsentibus, tam feliciter administravit, ut æger, spatio duorum mensium, convaluerit. Corpus autem (quod in hujusmodi operationibus nunquam negligendum est) ante operationem ex arte præparatum fuerat, totoq; tempore curationis nihil eorum, quæ ad sanitatem ægri promovendam, tum in victûs ratione, tum in reliquis necessarijs, requirebantur, omissum fuit.

Hæc de methodo nostra, ejusdemque felicissimo successu: Nunc quid de Methodo ac instrumentis à Dom. Bartisch excogitatis, & passim

Obs. 2. passim inter Chirurgos Germanos usitatis, censendum sit, Lector in sextâ Centuriâ suo loco videre poterit.

OBSERVATIO II.

Ficus Scirrhosus, ad majorem oculi canthum, feliciter extirpatus.

ANNO 1598. 20. Februarii, ad ædes Reverẽdi Dom. Petri Durantii, verbi Divini Ministri, ad quadragenarium, habentem tumorem scirrhosum, ad magnum oculi sinistri canthum, castaneæ magnitudine, colore livido, & multis venis capillaribus intertextum, vocatus fui. Ille autem tumor ab una parte adhærebat conjunctive membranæ, usque ad iridem, ab altera verò hærebat palpebræ superiori, & lachrymali glandulæ: ita ut ad oculi motum, totam cooperiret pupillam scirrhus ille. Nos ægro purgato (prout in præcedente observatione fusiùs declaravimus) incisa item cephalica in sinistro brachio: institutaq; optima victus ratione, præsente M. Nicolao Fevotto & Davide de Clerc, Lausannensibus, forcipe nostrâ oculari, infra delineatâ, tumorem apprehendimus. Tum attracta paulùm forcipe, & inversa superiori palpebrâ, tumorem cultello separatario, ad id aptato, commodè separavimus. Postea albumen ovi, aquâ rosaceâ mistum imposuimus. Inde Collyriis anodinis, & abstersivis, & tandem exsiccantibus, oculum intra septimanas tres, visu planè illæso, persanavimus. Interim tamen purgationes aliquoties iteravimus, & cucurbitulas cum largiori flamma scapulis & nuchæ admovimus. Defensivum item fronti & temporibus applicuimus. Obs. 2.

Collyrium anodinum. *Collyrium anodinũ.*


R. Muscil. Sem. Cidoniorum
& Plantag. cum aqua
Rosacea extractę.
Lactis muliebr. ana ℥ ij.
Camphuræ &
Croci ana ℈ ſ.
Misce & applica tepidè.

Collyrium exsiccans. *Collyrium exsiccans*

R. Aquarum Plantag. &
Rosar. ana ℥ iij.
Tutiæ præparat.
Cornu Cervi usti & præpar.
Cerussæ lotæ ana ʒ j.
Misce fiat collyrium.

Admonitio. Hîc monitos velim chirurgos, collyria in quæ ingreditur lac, æstate singulis, hyeme verò alternis diebus iteranda esse. Acescit enim lac & acre efficitur: hinc dolores & inflammationes excitat.

Delineatio forcipis ocularis, & cultelli separatorii.



Obs. 3.

OBSERVATIO III.

De Gangræna ex interceptione Spirituum animalium.

Ad Virum

Amplissimum ac clarissimum, Dn. D. FELICEM PLATTERUM, Basiliensium Archiatrum felicissimum, & Professorem primarium.

Singularem tuam humanitatem, Vir undiquaque clarissime & amplissime, qua me (quoties Basileam vestram invisi) amplexus es, mecum animo sæpe meditor, nec absq; dolore. Quid enim, aut quomodo isti respondeam, non equidē video. Gratum sanè me esse animo, Deum testor: factis verò quum nequeam, votis eundem compello, ut pro me benefacta rependat. Si quâ tamen ratione Exc. T. gratificari possim, me quamdiu vixero, promptissimum habebit. Cæterum quum Exc. T. circa res Chirurgicas, æquè ac circa alias medicas, non solùm studiosè versantem, verùm etiam cùm doctrina tùm longo rerum usu percelebrem esse norim: placuit cum eadē, quamvis in gravioribus haud dubiè occupatâ, de peculiari quodam Gangrænæ genere, familiariter cōmunicare, ut sententiam suam mihi super hac re vicissim impertiri non gravetur.

GANGRÆNAS ut plurimùm ex intemperie, & interceptione spirituum vitalium & naturalium oriri, in Tractatu de Gangræna ostendimus. Aliquando tamen ex interceptione spirit° animalis fieri posse, VESALIVS, & post eum FALLOPIVS, voluerunt. Id verò an primariò, an per accidens fiat, sequenti observatione manifestum erit.

IVRGEN von Bonsvelt, Langenbergensis, in Ducatu Montensium, quadragenarius, vir robustus 11. Decembris ann. 1581. altitudine 16. pedū in terram cadens, paralysi ab umbilico ad pedes ipso momento correptus fuit. Ego tertio die advocatus, inveni ipsum maximis doloribus circa imum ventris affectum: quòd à principio morbi neque urinam neque alvum exonerasset. Exhibitis suppositoriis & clysteribus nonnullis, vrinam reddidit, & alvum exoneravit. Dolor mox cessavit, postea tamen vrina guttatim extillavit, neq; excrementa alvi retinere potuit. A duodecimo die usque ad decimum quintum diem morbi, ultra libras sex humoris viscosi, nullis admistis excrementis, nulloque tetro odore, ejecit. Ego itaque ex consilio D. COSMI SLOTANI, Chirurgi præstantissimi, quam potui, diligentiam adhibui. Nihilominus tandem Gangræna nates invasit, & paucis post diebus in sphacelum degenerata, nates usque ad os erosit: ita ut 25. die, à morbo cōtracto, è vita decesserit.

Interceptionem autem spiritus animalis, non simpliciter fuisse causam hujus Gangrænæ, ex hoc apparet, quòd indies videmus, senes paralysi corripi, nec propterea Gangrænam subsequi: licet in eis non levis adsit causa Gangrænæ, nimirum penuria alimenti, & defectus caloris nativi: quæ duo per se possint esse causæ Gangrænæ: quemadmodum in tract. de Gangræna ostendimus.

Obs. 3.

Scimus, Gangrænam fieri ex alimenti & spirituum vitalium & naturalium penuriâ, aut ex eorundem suffocatione. At alimentum hoc & spiritus, per arterias & venas in partes corporis infunduntur, per nervos autem sentiendi & movendi facultas fertur. Potest itaque pars aliqua vivere, donec arteriæ & venæ munus suum faciūt, interim tamen sensu & motu carere: ut in paralyticis apparet. Quòd si acciderit Gangræna, eam per accidens fieri certum est, ut ex superiori observatione apparet. Vrina enim, quæ guttatim effluebat, & quæ propter decubitum in dorsum, excalefacta & acris reddita fuit, cutem exulceravit. Hinc sequuta est inflammatio, & affluxus humorum. At quia corpus à lumbis usq; ad pedes suo spiritu animali, ac proinde facultate sentiendi destitutum erat, redditum fuit grave & immobile. Hinc propter decubitum in dorsum, & molem corporis, (erat enim homo corpulentus & gravis) nates continuò compressæ, excalefactæ, & ab urina & excrementis humectatæ fuerunt; unde mirum non est, Gangrænâ correptas fuisse. Vidimus enim sæpissimè coccygem in diuturnis morbis non tantum exulcerari, verum etiā Gangrænâ corripi.

Observatio.

Memini me aliquoties invisisse Novisiæ, in inferiori Germania, cum Dom. Iohanne Dumgens, ibidem chirurgo exercitato, hominem quēdam, qui ex morbo diuturno propter decubitum in dorsum, primò circa coccygem ulcus contraxerat; Ex quo exorta est Gangræna & sphacelus, qui nates ad ossa usque corrosit, hominemq; tandem extinxit. Hinc perspicuum fit, Gangrænam ex interceptione spiritus animalis simpliciter nō fieri, sed per accidens. Vt ex superioribus observationibus apparet. Sed Exc. T. ut uno atq; altero verbo, hic se judicem haud difficilem interponat, obsecro; plurimùm & reverenter eandem cum tota familia avere, ac boni publici causa diu feliciter valere jubens. Ex Museolo nostro Machaonico 6. septembris Anno 1604.

Tuæ Excellentiæ addictissimus & obsequentissimus.

Guilh. Fabricius Hildanus.

Felix Platterus Medic. D.

Archiatros Basiliensis, Clarissimo atque Experientissimo Domino, Guilhelmo Fabricio, Hildano, Medico & Chirurgo peritissimo, Amico suo S.P.D.

Clarissime atque Amicissime Dn. Fabrici, denuò admonitus per Vrsisium nostrum, ut ad certas quæstiones, quarum unam Anno 1604. alteram præcedenti anno mihi scriptis proposuisti, meumq; judicium experi-

Observ. 3.

expetivisti, tibi responderem, quod hactenus à me minimè factum fuisse, negotiis meis, & ætati jam declinanti attribues: Quâ tamen adeò adhuc in tertia parte praxeos meæ absolvenda, dies, noctesq; laboro, ut pleraque alia seponam. Quod casum attinet cujusdam Jurgen von Bonsfelt, cujus nates ex decubitu longo, easq; ob molem corporis premente, atque excoriante, accedente urinæ, quæ ei continuò fluebat, acrimoniâ, locum affectum accensum ulterius irritante, atque putredinem in eo excitante, quemadmodũ ob hanc causam sæpe Gangrænam supervenire, te sæpe observasse ipse fateris, sic & ego fateor, hoc quam frequentissimè contingere, ex solo etiam decubitu diuturno, circa ossa dorsi ad coccygem, usque primam cutem excoriari, & nisi sedulò unctione linteaminum, vel loci affecti, huic obuiam eatur, mox carnem ipsam subjectam inflammari, & non solum suppurari, sed & putrescere, nigerrimamq; quàm citissimè fieri, atque in Gangrænam converti, nisi putredo illa subitò auferatur. Quod cum citra aliam irritationem, quàm eam, quæ ex compressione partis læsæ accidit, fieri possit, quantò citius hoc fiet, si vrina defluens amplius hanc partem irritet, quam non tantùm, quod salsâ & biliosâ, quam in se habet materiâ, partem vellicando inflammet, hoc molliri, sed maximè quod mox corrumpatur, & putrescens malitiam, quæ putredinem similem in partibus inducat, acquirat, id efficere, hoc inprimis comprobare videtur, quod è pedibus hydropicorum extillans serum, nisi omni studio aliò divertatur, in fasciis hærens & pedes madefaciens, ocyus inflammationem, quæ subitò in Gangrænam abit, progignat, quod centies accidisse, nullamque Gangrænã frequentiorem esse, quam hanc in pedibus hydropicorũ Asciticorum accidentem, mortemque ipsis accelerantem, meis oculis vidi, & proinde in opere meo practico, adeo exactè illius mentionem feci.

Gangræna ex longo decubitu.

Gangræna in pedibus hydropicorum.

Causam autem omnis Gangrænæ, non simplicem putredinem, sed corruptionem omnimodam ex mortificatione partis, ob calorem illius nativum in spiritu vitali, singulis partibus insito, consistentem, extinctum, natam statuimus. Extingui autem calorem nativum pabulo illius substantifico, in ea parte insidente radicitus assumpto, idq; plerumq; ab inflammatione præcedente, tantopere aucta, vel in putredinem degenerante, vel summa extrinsecus illata refrigeratione, quod tamen rarius accidit. Ab interceptione nutrimenti hoc vix dum evenire potest, cum etiam extrema Atrophia laborantia membra, nondum tamen Gangrænam patiantur: & cum plures venæ partem implicent, etsi aliqua interceptæ sint, à quibusdam tamen si vel minimum alimenti accedat, pars nihilominus ali possit atque consistere, multò minus ob spiritus animalis privationem, hoc poterit accidere, cùm is non omnibus partibus conferatur, & præcipua viscera, hoc destituta, sensu motuq; prorsus carentia, tamen vivant. Verùm intercepto penitùs spiritu vitali influente, qui per arterias partibus indesinenter communicatur, spiritumq; vitalem insitum fovet, illique materiam præbet, caloremque nativum excitat, cum ille tunc quoq; extinguatur, nisi novo affluente continuò suscitetur, eas tunc mortificari, uti dictum, necesse est. Eòque citius, si ob ligaturas aut præscissiones, aut abscectas arterias, unde hæc potissimum subsequuntur, venæ simul, quæ arterias undique comitantur, & cum illis copulantur eodem modo affectæ, nutrimentum quoque partibus illis distribuere nequeant. Quæ tamen caussa Gangrænæ, cum arteriæ in profundo corporis lateant, rara est, vixque nisi à vulnere profundo, magnas arterias abscecante, proficiscitur.

Gangræna Caussa.

Gangræna ab interceptione Alimẽti oriri nõ potest.

Gangræna ob spiritus animalis privationem accidere nõ potest.

Hæc subitò, præterquam constitueram, exarare volui, ut animũ meum deditissimum tibi cognosceres: quæ ut boni consulas, rogo, & si quid numismatum antiquorum occurrit, quæso, ut mei sis memor, persolvã ea, vel permutabo ad placitum. Vale Vir Experientissime cum tuis, quos Deus incolumes servet, Basileæ 26. Februar. 1607. Vrstisium nostrum tibi commendatum habeas deinceps quoque, uti hactenus te fecisse, ipsemet narrat, obtestor.

OBSERVATIO IV.

Obs. 4.

Ex globulo vitreo, in auris meatum immisso, gravissima symptomata, tandem curata. Vbi de distributione nervorum quintæ conjugationis cerebri agitur.

D

CLARISSIMUM ac celeberrimum Virum, D.D. CASPARUM BAUHINUM, Anatomicæ juxta ac Botanicæ Professorem ordinarium, in Academia Basiliensi: Cui

S. P. D.

FAteor accepisse jampridem, Vir Clarissime, tuas literas, quæ insignem tuam erga me benevolentiam testantur: sed quod hactenus silui, id ne oblivioni, sed plurimis subinde incurrentibus negotiis tribuas, velim. De observatione autem Anatomica, quam à me expectasti, sic habeto. Omninò nervorum quintæ conjugationis cerebri distributio multò amplior est, quàm hactenus apud Anatomicos legere meminerim. Etenim quam primum nervus ille à laterali parte cerebri exoritur, ingrediturque foramen cœcum, sive labyrinthum, distentusq; membranam tympanum format. E foramine cœco mox egreditur ramulus, minor eo qui ingressus est, versus spinalem medullam tendens, perinde ac si cum nervo sextæ conjugationis tenderet ad partes infimas. Sed mox emittit rursus ramulos, per primam & secundam vertebram colli, qui inseruntur laringis musculis. Argumento est ex immodicè & nimis altè aut profundè titillatis auribus, sicca subitò exoriens tussicula. Mittit tertiò suos ramulos cum quarto, quinto, & sexto brachium moventibus nervis ad brachia & digitos: nec deserit unquam nervus ille spinalem medullam, sed continenter emittit ramulos, cum nervis spinalis medullæ ad ipsa usque crurum & pedum extrema. Hæc super distributione nervorum quintæ conjugationis cerebri, Vir clarissime, in diversis dissectionibus superiore hyeme observavi: quæ ipsa quum sint paulò obscuriora, sequentis historiæ narratione illustrabo.

ROSÆ, filiæ quondam Roberti Chaperonis, annos 10. natæ, verno tempore sui similibus

Obs. 4. colludenti, insinuatus fuerat in concavum auris sinistræ, globulus vitreus instar pisi, cujusmodi puerorum carpis pro brachialibus accomodatur. Admonita mater Chirurgum advocat, qui globulum extraheret: frustra. Venit & alter, tertius item, & quartus, diversis tamen temporibus: ex his nemo juvit, quin imo altiùs insinuatus est ab illis globulus. Exin desperavit mater de extractione: & quamvis casum filiæ, doloribus assiduis conflictatæ, ægrè ferebat, Dei tamen & naturæ arbitrio permittendum statuit. Postmodũ sedatus quidem est auris dolor: sed tota pars illa capitis, usque ad suturam rectam, nocte dieq; doluit, plus tamen minusvè pro aëris constitutione: cœlo maximè humido ac pluvioso, quale est hyeme & autumno, cruciatus urgebant. Accidebant præterea levo brachio quasi stupores, usque ad digitos pollicem & indicem, progredientes ad lumbos usque, tibiam & pedem: & ut paucis dicam, totum latus sinistrum continuis ijs ceu stuporibus languebat. Transmutati sunt postea torpores in dolores gravissimos brachii, humeri, & cruris: idque, ut dictum est, noctu & aëre frigido & humido. Tussicula sicca assiduò aderat. Menstrua ex parte supprimebantur, & nonnisi semel singulis trimestribus, aut parum fluebant. Qnum annis quatuor aut quinque sic doleret, acciderunt interdum epilepticæ convulsiones: ipsum quoq; brachium in atrophiam incidit. Videns mater tam dira symptomata, varios adhibuit medicos, chirurgos, & empiricos: & quum nullus auris dolor adesset (quippe maximi dolores obscurabant minimum) de symptomatis tantùm querebatur, omisâ primariâ morbi causâ. Nequicquam autem hæc omnia juvêre, neque enim intermittebant dolores, aut symptoma ullum, imò augescebant. Tandem adiit me anno 1595. mense Novembri. Purgavi ipsam aliquoties: inunxi præterea humerum, brachium, & reliquas partes dolentes, oleis anodynis & calidis: breviter, quæcunq; necessaria ad hunc morbum videbantur, adhibui: frustra tamen, ut priores. Quum viderem morbum repugnare omnibus idoneis remediis, desperabam de salute. Latebat enim me istius morbi causa, nisi forteàn ex catarrho foret.

Interim cogitanti mihi quid melius adhibere possem, ipsa nec opina cœpit recitare casum: nempe quòd sibi ante octo annos globulus in aurem demissus esset. Hæc ego audiens, cœpi cogitare, eam esse morbi causam. Et quamvis illa valde repugnaret operationi, propter superiorum chirurgorum irritos conatus in recenti morbo, tandem tamen paruit. Tum ego feliciter extraxi globulum sine vi ulla, quamvis profundiùs, prope tympanum videlicet, excrementis & sordibus auris firmissimè hærentem. Cessarunt illico dolores capitis, reliquarumque partium corporis, & subsequente nocte meliusculè habuit: sicque paulatim leni inunctione olei lumbricorum restituta fuit. Cessarunt, inquam, dolores, stupores, convulsiones epilepticæ, reliquaque omnia symptomata. Restitutum est quoque brachium: ita ut hactenus, Dei beneficio, benè se habeat.

Obs. 4.

Hujus operationis testes sunt Clarissimi ac Doctissimi Viri,

JANUS ANTONIUS SARACENUS, Medicus Regius:

ANDREAS BONETUS, Medicinæ & Philosophiæ Doctor:

ANTONIUS MACA, Pharmacopæus: quorum penes me sunt chirographa. Vale Vir Clarissime & Doctissime, Lausannæ 27. Decembris Anno 1596.

Tuæ Excellentiæ addictissim. & obsequentissimus

G. Fabricius Hildanus.

Hæc autem fœmina, ad hunc usque annum 1605. quo hæc scripsi, vivit, ac prospera fruitur valetudine, & quidem in conjugio minimè infelici.


ANNOTATIO.

CÆterùm in hac operatione perficienda hoc modo processi. Primò locum splendidum elegi, ita quidem ut radij solares in auris meatum penetrarent. Mox meatum auris undique inunxi oleo amygdalarum dulcium. Deinde dilatato nonnihil speculo (infrà figurato) auris medio (quò faciliùs eò possem introspicere) tum oculis contemplari, tum specillo explorare cœpi, quanam ex parte tutiùs posset inter globulum & auris ambitum seu circuitum, immitti cochleare: qua quidem explorata, specillum extrahebam, & cochlear immittebam usque ad globulum: demum violentia quadam (aliter enim fieri non potuit) impulso cochleari inter globulum & ambitum auris, globulum, ut dictum est, eduxi. Habebam quoque in promptu tenaculam, qua, si forsan opus foret, uterer.

Duclina-


DELINEATIO INSTRUMENTORUM.

Speculum auris. Specillum. Cochlear. Tenacula.



Hoc quoque modo aliquoties extraxi pisa. Nunc tamen breviorem & faciliorem viam indagavi, nimirum infrà figuratorum instrumentorum medio: quorum usus talis est. Inuncto meatu auris oleo amygdalarum dulcium, immittenda est fistula (litera A notata) usque dum ipsius extremitas, B. notata, pisum, quantum fieri potest, amplectatur. Mox altera fistula C. notata, per priorem immittenda est quoque usque ad pisum. Sit autem illa in sua extremitate, D. notata, denticulata, ita tamen ut apices dentium ex sinistra parte in dextram vergant. Tandem terebellum E. signatum, per secundam fistulam immittendum ad pisum usque, clementerque circumvolvendum, & piso infigendum: quemadmodum fusiùs declarabimus, quum de sclopetorum vulneribus agemus. Quum primum verò terebellum piso satis affigi & inhærere Chirurgus cognoverit, clementer & terebellum & ambas fistulas simul, & pisum unà extrahat.

Vide infrà Observ. 88.



Minus habet doloris operatio hæc, quàm superior, quæ fit cochlearis medio. Sed advertat Chirurgus, ut circumspectè operetur. Si enim meatus auris aliqua in parte, aut terebello, aut fistulâ dentatâ fortè compungeretur, haud parvum periculum ægroto adferret. Itaque suadeo, nisi satis sit exercitatus in hac operatione chirurgus, ut potiùs utatur cochleari, quàm hisce modò dictis instrumentis.

OBSERVATIO V.

Pisum auri profundiùs insinuatum feliciter eductum.

ANno 1596. Puellæ Genevæ insinuatum fuit pisum in auris meatum: quod quum mox excitasset dolorem, suadet vetula, fovendam esse partem affectam spongia madefacta lacte calido. Ex hac humiditate accrescit pisum: inde fit dolor vehementissimus. Vocatus in consilium Clarissimus D.D. ANDREAS BONETUS, ejus Vrbis Medicus celeberrimus, me advocandum jubet. Præparatis igitur omnibus necessarijs, caput firmiter tenendum jubeo. Deinde suprà scriptis instrumentis pisum sine violentia extraho.

Extracto piso, spongiâ in decocto radicum altheæ, seminis fœnigræci, florum chamomili, Meliloti, & betonicæ madefactâ, & quotidie ter aut quater applicatâ, sedatus est dolor, & brevi convaluit ægra.

ANNO 1604. 30. Iunij.

Lausannam ad puellam CLAUDII MARIONIS, Pharmacopæi peritissimi, sanandam vocatus fui. Illa ante annum in utriusque auris meatum pisum immiserat. Hinc semisurda facta, circa plenilunium maximis doloribus, tum capitis, tum brachiorum & crurum, vexabatur, ita ut noctu vix somnum capere posset. Meatibus aurium inunctis oleo amygdalarum dulcium, superiorum instrumentorum, præcipuè cochlearis medio, pisa feliciter & sine magno dolore extraxi: postea brevi tempore pristinæ sanitati restituta fuit.

OBSERVATIO VI.

Acicula auri insinuata, feliciter extracta.

ANTE annos aliquot, filiola ANDREÆ MITS Coloniensis, aciculam minutissimam, expurgandis aurium sordibus, sibi insinuavit profundiùs in auris meatum. Advocatus invenio meatum plenum sanguine, doloresque vehementissimos. Quapropter spongiam in prædicto decocto madefactam applico calidè. Ea non tantùm dolorem quodammodò lenivit, verùm etiam sanguinem ex auris meatu exsorpsit; ita ut caput aciculæ nobis appareret, meatu tamen priùs nonnihil aperto, speculi suprà figurati beneficio. Deinde aciculam parva tenaculâ apprehensam, feliciter & sine dolore extraxi. Postea per aliquot dies spongiam in suprà dicta decoctione madefactam, quotidie bis aut ter applicandam jussi. Atque sic brevi convaluit Puella.

OBSERVATIO VII.

Inciso & perforato cranio, dura mater ubique cranio firmissimè adhærere inventa.

DVRA mater calvariæ conectitur suturarum ope, tum ut pensile & erectum teneat cerebrum, tum etiam ut per suturas egressa pericranium procreet. Spacium verò inter suturas rectè natura liberum reliquit, ut vacuum quoddam esset inter duram matrem & calvariam: has nimirum ob causas. Primò, ne quicquam ipsius cerebri systolæ & diastolæ obstaret. Secundò, ne venæ & arteriæ per extremam duræ matris partem sparsæ, levi aliquo ictu in cranio facto rumperentur. Postremò, ut ruptis in dura matre venis, sanguis non inter duram & piam matrem, sed inter duram matrem & cranium effunderetur, & perforato cranio facilius extraheretur. Hic est ordinarius naturæ ordo: nos contrarium & in uno atque altero observavimus, ut ex sequentibus liquet.

PVERVM quadrimum ex phthisi mortuũ, privatim cum quibusdam Medicinæ studiosis anno 1596. dissecui. Huic dura mater ubiq; instar periostii vitreę tabulę adhærens neutiquam avelli potuit, nisi priùs incocto in aqua cranio. Itaq; venæ, quæ alioqui per externam partem duræ matris, quæ cranium respicit (duplicem enim durã matrem cum REALDO COLVMBO assero) expanduntur, illæ in parte interna versùs cerebrum conspiciebantur. Erat nihilominus vacuum aliquod inter duram & piam matrem: hæc enim cerebro adhærebat, illa cranio. Plagas & contusiones in hujusmodi calvariis maximè periculosas esse, nemo dubitat, tum quòd membranæ cerebri facillimè læduntur, tum etiam quod earũ ruptis venis, sanguis inter cerebrum & durã meningẽ effunditur. Venæ enim, ut dictum est, in interna parte duræ matris sitæ sunt, ita ut nullo modo sanguis extravenatus evacuari possit, quamvis cranium terebello perforetur, ut ex sequente historia liquet.

RVSTICVS, in pago Genevæ proximo, Chesne dicto, vulnus circa dextrum os bregmatis baculo accepit: mox in terram cecidit, vomuit, & loquelam amisit. Neglecto primùm morbo, tandem octavo post die vocatus sum, unà cum clarissimo IANO ANTONIO SARACENO. Invenimus ipsum febricitantem & delirantem, linguâ aridâ, oculis rubicundis. Quum autem nec rima, nec fractura appareret, cranium perforavi. Nihil inveni vacuum: sed dura mater ita adhærebat cranio, ut styli acies inter cranium & duram matrem minimè posset immitti. Vnde quum nihil puris extillaret, perforatio inutilis fuit: ipse decimo quarto post die è vivis excessit. Quandiu dura mater retecta fuit, nempe ab octavo die usque ad supremum, motus cerebri quantumvis continuus minimè percipiebatur. Verùm ea fuit distantia inter cerebrum & duram matrem, ut pulsus cerebri membranam non attingeret. Hinc perspicuum fit, cerebrum moveri, non autẽ ipsius membranas tantùm, uti volunt nonnulli.

OBSER-

Obſ. 8. 9.

OBSERVATIO VIII.


Puer diuturno capitis dolore laborans, tandem vermem per nares ejecit, deinde convaluit.

FILIUS Theodori auff der Koulen in Hilden / avunculi mei, diuturno vexabatur dolore capitis, qui primum è regione musculi crotaphiti sinistri, cum parvo tumore ædematoſo incœperat. Dolor per menses aliquot totum ferè caput, præcipuè autem partem ſiniſtram pererrabat. Tandem verò ab impreſſione naſi & oſſis cribroſi uſque ad ſuturam coronalem, fixus permanſit i tumore inſenſibiliter reſoluto. Dolor nihilominus ſemeſtri ſpacio dies noctesque continuabat. Deinde dolore & febricula auctis, & ſternutatione exorta, ruptus eſt abſceſſus circa os cribroſum, inde nonihil puris fœditiſſimi effluxit: cùm quo ſimul vermis proſerpſit: qua magnitudine & figura hic depictus eſt. Poſtea dolor capitis, reliquaque ſymptomata ceſſarunt. Vlcus quoq; paulatim ſequenti medicamento curatum: ita ut pleniſſimè convaluerit, & per annos aliquot vixerit. Tandem verò iliaca paſſione correptus obiit, ut poſtea dicetur.

Sequens medicamentum naſo inſtillavimus, quo curatum fuit ulcus.

R. Aquarum plantaginis ℥ j.
Aquæ aluminoſæ &
Mellis roſacei ana ℥ ſ.
Viſci Arnogloſſæ ʒ j.
Tutiæ præparatæ,
Cornu cervi uſti & præparati
Aluminis uſti,
Lapidis Calaminaris ana ʒ j.
Miſce diligenter in mortario.

Magnitudo & figura vermis.



OBSERVATIO IX.

Mirabilis diſtributio venarum & arteriarum jugularium internarum.

ANNO 1596. rogatus à quibuſdam Medicinæ ſtudioſis, privatim illis diſſecui caput detruncatum. Inveni diſtributionem venarum jugularium & arteriarum carotidum internarum, obſervatu digniſſimam. Quoniam major pars earum venarum & arteriarum, quæ per duram & piam matrem ſparguntur ab utraq; capitis parte, immiſſis ramulis quibuſdam ad venam torcular dictam conſtituendam, in vertice ſibi invicem conjungebantur; & conſtituebant prope ſuturã rectam, vas capacitate exæquans pennam cygni, quod tùm durâ tùm piâ matre obvolutum erat. Hujus extremitas una, cerebri ſubſtantiam reſpiciebat, nullis interjectis membranis: altera cranio tam firmiter adhærebat, ut non niſi vi avelli potuerit. Præterea cranium in ea parte vix papyrum craſſitie æquabat, ubiq; inſtar oſſis cribroſi perforatum. Cutis quæ extra cranium ſpiraculũ, ſeu caminum illum cooperiebat, flavens fuit. Hominis robuſtiſſimi caput vix unquam dolore affectum crediderim: ita ut procul dubio ad decrepitum ſenium perventurus fuiſſet, niſi præveniſſet eum mors violenta.

Obſ. 10.

OBSERVATIO X.

Monſtroſus hydrocephalos.

IN rarò contingentibus rectè hydrocephalos cenſetur: ut nobis in uno & altero videre contigit. Coloniæ in vico Ehrenſtraß multoties inviſi puerum, robuſtiſſimis parentibus natum, cui caput in incredibilem molem excreverat: ita ut ipſius rotunditas ulnam & quartam partem ulnæ Colonienſis, ejuſdemq; altitudo ab una aure ad alteram, ulnam cum quarta parte excederet. Non autem ſic natus erat: ſed quum ſeptimum menſem ætatis vix attigiſſet, cœperat ei caput monſtroſè excreſcere. Nullus præceſſerat morbus: reliquum tamen corpus parum nutriebatur. Verùm caput intra menſes 30. paulatim in illam magnitudinem accrevit: ac tandem puer in ſoporem lethargicum incidit, nec ita multò poſt obiit, anno 1594. 19. Februarii. Cranio diſſecto coram clariſſimis doctiſſimisq; IOHANNE SLOTANO, ET HENRICO PALLANTIO, Medicinæ Doctoribus, invenimus in duobus anterioribus cerebri ventriculis aquam cryſtallo clariorem, ad libras Colonienſes 18. Illa autem non ſolùm ventriculos ſed & ſubſtantiam cerebri diſtendebat: ita ut totum cerebrum (cerebellum excipio) in ſacculum extenderetur. Hinc fiebat, ut circumvolutiones & gyri cerebri non conſpicerentur, ſed turgerent omnia. Dura & pia matres integræ erant, atq; ita dilatatæ, ut totum cerebrum cooperirent. Cranium ſimiliter dilatatum erat, ſed paſſim membranoſum potius, quàm oſſeum. Id adhuc in muſæo meo viſitur. Tertius ventriculus cum duobus anterioribus confuſus, non apparebat. In quarto viſcidam quandam materiam parva tamen quantitate, invenimus: reliqua in cerebri baſi ſecundùm naturam erant: nec reperiebantur meatus per quos ſeroſus ille humor ad caput delatus fuerat, quantumvis accuratè diſpiceremus omnia. Denique cor, pulmo, diaphragma, hepar, ſtomachus, meſenterium, lien, renes, perquàm ſana erant: Quapropter functiones vitales & naturales, eo ægrotante, parùm lædebantur: ita ut vix febre unquam laboraverit: quin imò edebat, bibebat, excernebat, & dormiebat tanquam ſanus: ipſa tantùm deerat nutricatio. Totum enim corpus (excepto capite) perexiguũ & extenuatum remanſit: ut patet ex effigie, quam ad vivum domi habeo. Actionibus autem animalibus & facultatibus, quæ ex cerebro prodeunt puta

Obs. 11. putà ingenio, loquela, visu, auditu, & cæteris planè destitutus fuit. Brachia autem & tibias, labia, palpebras, oculos, voluntariè vix movebat, at involuntariè sæpius: hoc est, contrahebantur & convellebantur continuò: attamen absq; dolore. Circumferentia autem istius partis cranii, quam ego exsiccatam, & rugosam etiam, nunc in Musæo meo habeo, continet hanc lineam octuplo longiorem.

Cognovi & puellam Coloniæ Dom. Doctoris Ioh. Slotani Medici celeberrimi, cōpatris mei plurimum honorandi, filiam hydrocephalo laborantem: quæ ex omni parte sana permansit usq; ad tertium annum ætatis: tum demum cœpit ipsi caput accrescere, verùm non in tantam molem. Obiit tandem ex variolis, coram patre aliisque medicis. Aperto cranio inventa est aqua multa in duobus anterioribus cerebri ventriculis.

Observatio XI.

Commotio cerebri in principio neglecta, postmodum gravissimorum symptomatum causa fuit.

FILIVS Domini Bernardi ab Hatzvelt, Domini in Wildenberg / decennis ex alto cecidit: mox vomuit, sanguinemq; per nares & aures egessit: Verum neque loquelam, neque sensum, aut motum amisit. Quum autem nec vulnus, nec contusio aliqua extima appareret, nec febricitaret ipse, morbus planè neglectus est, nec ullum initiò adhibitum remedium, capite alioqui perpetuò dolente. Post menses quinque aut sex collū relaxatum est, adeò ut nullo modo caput erigere, aut erectum, nisi beneficio numellæ ex pelle & xylo contextæ, continere posset. Postmodum asthmaticus factus est, & relaxatis ligamentis 10. 11. 12. vertebrarum metaphreni, gibbosus factus est. Coxam quoque dextram imbecilliùs movebat: sub claviculis ex utraque sterni parte atheromata conspiciebantur. Quum circiter bienniū ita cruciatus fuisset, & symptomata in pejus evaderent, parentes ipsum Coloniam ad clarissimum Dn. HENRICVM BOTTERVM, Jllustr. Hessiæ Lantgravii archiatrum adduxerunt, qui variis adhibitis remediis collum in integrum, vocemque & loquelam ex parte restituit. Deinde exortus est ipsi tumor ad sinistram aurem, inter jugulares venas & arteriam asperam, qui sensim in maximum abscessum auctus, quum esset incidendus, aliaq; chirurgica peragenda, accersitus fui. Primo, 2. & 3. diebus ultra libras sex materiæ ejecit, extillavitq; ea quotidie copia satis magna. Hujus evacuationis beneficio dolor capitis, omniaq; ferè symptomata ex parte lenita sunt: at vires indies imminutæ. Circa 28. mensis Martii novus incidit catharrus, qui in pulmonem & stomachū influens, tussim, nauseam, & vomitum provocavit, sinistrum latus resolutum fuit. Nonnulli quoque paroxysmi epileptici acciderunt, & ulcus in collo penitus exiccatum est: ita ut 6. Aprilis 1593. decesserit.

Præsentibus clarissimis viris IOHANNE SLOTANO, ET HENRICO PALLANTIO, Medicinæ Doctoribus. Obs. 12.

Cadavere inciso, viscera sic affecta comperimus:

1. Incisa cute in tumoribus sub claviculis reperta est copia satis magna puris, instar pultis, quę costis & sterno cariem contraxerat.
2. Cystis fellis prægrandis, & intestinum duodenum ubiq; humore bilioso refertum.
3. Hepar scirrhosum & obstructum.
4. Pulmo ubique pituitosis & viscidis humoribus oppletus.
5. Lapides quam plurimi ex gypsea materia concreti, & cysti inclusi proximè cor, nimirum in ea parte, qua arteria aorta ex corde prodit, & ramos suos versùs jugulum mittit: quorum unus magnitudinem nucis superabat: reliqui parvi. Adhærebant autem non tantùm arteriæ aortæ & ipsius ramis, qui jugulum petunt, verumetiam asperæ arteriæ, & sinistro recurrenti nervo. Ex quibus facilè colligitur, quibus causis vocem & loquelam ex parte amisisset.
6. Capite aperto, lapidem ex simili materia concretum & membrana inclusum, in posteriore parte capitis sub sutura lambdoide, inter duram & piam matrem invenimus, adeò adhærentē duræ matri, ut non nisi violenter avelli posset.
7. In tribus cerebri ventriculis, hoc est, in duobus anticis & medio, ultra libras duas aquæ limpidæ reperimus.
8. Vlcus in collo tum ad asperam arteriam, tum etiam ad os basilare, & foramen quo spinalis medulla vertebras ingreditur, penetrabat: ita ut materia ex ulcere manans, tum ex pectore, tum ex capite confluxisse intelligeretur. Verùm propter angustias viarum subtilior pars effluxerat: crassa autem in lapides concreta erat, quales prope cor visebantur.

Observatio XII.

Cerebri concussiones, & quidem gravissimæ, curatæ.

COmmotio cerebri rectè in morbis acutis numeratur. Verùm initiò adhibitis idoneis remedijs multoties curata, tum ex doctorum virorum scriptis, tum ex sequentibus intelligitur exemplis.

Exemplum I.

EQuiso, Generosi Viri Domini Herst, Satrapæ in Lunsdorf Dusseldorpiæ, ad dextram partem capitis percussus in terram concidit, evomuit: mox loquelam amisit, & cruorem per nares & aures ejecit. Eum in diversorium delatum COSMUS SLOTANUS, Illustrissimi Iuliacensium, Clivensium, &c. Principis Archichirurgus adhibitus, varijs remedijs sanavit eum: loquela quoq; & mens amissa, paucis pòst diebus illi redijt.

Exem-

Obs. 13.

EXEMPLUM II.

HErman Kikup, venator Generosi Domini à Velbruch in Harrad, ex arbore in congelatam terram lapsus mox evomuit, & sanguinem per nares, aures, & palatum ejecit; loquelam amisit: fuitque ad undecimum ferè diem sine sensu & motu, quasi apoplecticus, febricitans vehementer. Vocatus crines abrasi, & caput oleo rosaceo & myrtillorum inunxi, venam brachij secui: clysteres acres injeci, aliaque quam plurima remedia adhibui, quæ hîc brevitati studens omitto. Tandem divino favore, & mea diligentia, stupentibus spectatoribus, convaluit.

EXEMPLUM III.

PUerum gravissima cerebri concussione laborantem cum peritissimo Chirurgo JOHANNE GRIFFONIO curavi. Varijs remedijs capiti additis, exortus est tandem tumor insignis sub aure, quo inciso maxima puris & sanguinis coagulati copia effluxit: atque sic puer convaluit.

OBSERVATIO XIII.

Læso cerebro, aut etiam portiunculâ ejus amissâ, non ex necessitate mortem consequi.

Hip. aph. 18. sect. 6.

PUtant nonnulli, cerebro læso, aut etiam ipsius tunicis, mortem necessariò consequi, ex Hippocratis authoritate, qui sic scriptum reliquit. Vesica discissa, aut cerebro, aut corde, aut septo transverso, aut aliquo ex tenuioribus intestinis, aut ventriculo, aut jecore, lethale est. Sed hoc (lethale) teste Galeno Hippocrates, aliàs usurpavit, ceu mortem necessariam inferens, aliàs ceu periculosum. Cerebri certè quidem vulnus, nisi profundum & ad ventriculos usque penetrans, non ex necessitate mortem inferre testatur Galenus, commentario ad superiorem illum Aphor. Id quod & nobis sæpius observare contigit, idque sequentibus confirmo exemplis.

EXEMPLUM I.

ANte annos decem & amplius, quum darem operam prædicto præstantissimo Archichirurgo COSMO SLOTANO, missus ab eo in oppidum Langenberg 8. Septembris 1581. Ut ibi curarem varios ægrotos: vocatus fui à quodam rustico, Johanne Horstman, prope Hattingen, ut ipsius inviserem sororem; quæ vulnus contusum in dextro osse bregmatis, cum fractura & impressione cranij acceperat. Evomuit mox ab initio biliosum humorem, & cibum indigestum, sinistrum latus resolutum est: in dextro autem convulsiones patiebatur. Abrasis crinibus fragmenta aliqua cranij & portiunculam ad instar fabæ ex cerebri substantia digitis extraxi. Altero die advenit Slotanus, qui dilatato vulnere denuò extrahit fragmenta quædam ossis, & portiunculam ipsius cerebri, ad nucis avellanæ magnitudinem. Postea aliquoties ipsemet Slotanus me præsente de cerebri substantia detraxit: & tamen convaluit plenissimè.

Obs. 13.

EXEMPLUM II.

ANNO 1596. accessit ad me puella, cùm insigni tumore ad dextram sincipitis partem, in concursu suturæ rectæ & coronalis. Causam exquirenti respondit, se ante sex hebdomadas in lapidem impegisse. At quum nec vomitus, nec dolor febrisve adfuisset, non suspicabar cranium, multò minùs cerebrum læsum fuisse. Tumore tamen inciso, maxima effluxit puris quantitas: postea stylo deprehendi insignem cranij fracturam: unde subesse periculum animadvertens, medicum accersendum suasi. Perendie quum advocatus esset clarissimus D. JANUS ANTONIUS SARACENUS, medicus Regius, cutem decussavi, extraxique fragmenta quam plurima cranij: ita ut cerebrum ad taleri latitudinem denudatum conspiceretur. Tunicæ enim planè corruptæ erant, quarum particulas quasdam præsente medico SARACENO extraxi. Tribus hebdomadibus fermè quotidie portiones aliquas ex cerebri substantia abstuli, natura ipsa expellente: ita ut pars illa valde concava conspiceretur. Nihilominus tamen cerebri motus egregiè apparebat: ut de cerebri motu nihil quicquam dubitandum sit. Movetur enim cerebrum, non membranæ tantùm. Tandem verò exorta sunt ex ipso cerebro denudato & carente membranis, tubercula carnosa lentium instar, quæ sensim aucta se invicem conjungebant, & tegumentum carnosum & satis solidum procreabant, cujus beneficio concavitas impleta & cerebrum tectum fuit: sicque pristinam sanitatem puella brevi recuperatura videbatur. Nihilominus quum alio me negotia vocarent, neglectâ, ut verisimile est, curatione, ipsam post semestre obijsse intellexi. Sed illud notandum, quandiu illam curavi, nullum supervenisse dolorem, febrem, aliudve symptoma: ita ut domestica sua curaret, quasi planè valens, stupentibus omnibus iis qui curationi interdum interfuerant. In quibus præcipuè fuerunt clarissimi ac reverendi viri D. AMANDUS POLANUS S.S. Theologiæ Doctor & in inclyta Basiliensium Academia Professor celeberrimus. HERMANNUS LIGNARIDUS S.S. Theologiæ Doctor, & in Schola Bernensi Professor præstantissimus; JANUS ANTONIUS SARACENUS, philosophus eximius & medicus Regius. Dominus GEORGIUS JENISCHIUS, illustrissimi WENCESLAI à ZEROTIN Medicus: præterea ANTONIUS MACÆUS Pharmacopœus; & multi alij, qui non immeritò illius casus admiratione tenebantur.

Obs. 13.

EXEMPLUM III.

DUm hæc curabatur, vocatus fui unà cum clarissimo D. JANO ANTONIO SARACENO, in Sabaudiæ vicum quendam ad rusticum, qui exigui vulneris contusi occasione, supra dextrum os bregmatis maxima fractura cranij laborabat: unde febricitabat vehementer, & delirabat, sinistro simul latere resoluto. Cute ad Y figuram juxta cranij fracturam incisâ, statim tria fragmenta ossis satis magna digitis extraxi. Inveni quoque in vulnere portionem cerebri ad nucis magnitudinem. Chirurgus ejus prior (agebatur enim quintus dies) quum id vidisset, ajebat se desperare de salute. Verùm admonitus cerebri vulnera interdum curari, nobis promisit summam se adhibiturum diligentiam. Nos omnia ad morbum & symptomata ejus præcepimus. Cessavit febris & delirium; latus paralysi laborans restitutum fuit.

Verùm quum reliqua fragmenta cranij essent extrahenda, & Chirurgus ipsius propter imperitiam id negligeret, pòst hebdomadas aliquot in febrim aliaque smptomata recidit, & paucis pòst diebus è vita decessit, adeoque meræ Chirurgi negligentiæ pœnas tulit. Si enim fragmenta ossis, uti decuit, extracta fuissent, proculdubio plenissimè sanus evasisset.

EXEMPLUM IV.

SVPERIORI anno 1604. mense Octobri, hìc Paterniaci Lausannensem 30. annos natum curandum habui, cui acie gladij Helvetici dextrum bregma recisum, & in ipsam substantiam cerebri usque, impressum fuit, cum sinistri brachij resolutione, aliisq; gravioribus symptomatibus. Fragmenta quàm plurima cranij extraxi. Tandem Dei beneficio pristinæ sanitati restitutus fuit, non sine admiratione multorum, qui huic curationi interfuere. Inter quos fuit Reverendus ac doctissimus Dn. NATHANAEL CHAMBVTVS verbi divini minister.

Vulnerati nunquã sunt relinquẽdi sine auxilio.

Exempla hæc in gratiam tyronum Chirurgorum recensere placuit, quos adhortor, ne unquam de sanitate ægri, quantumvis morbus magnus fuerit, ac prima fronte incurabilis videatur, desperent, quemadmodum chirurgus ille, cujus in proximo præcedente exemplo, mentio facta fuit, de salute ægri sui desperabat. Posita itaque fiducia in Dei omnipotentia (facta tamen priùs prognosticatione & protestatione coram consanguineis & adstantibus, de manifesto periculo) curationem aggredi, omnemq; diligentiam adhibere debet chirurgus, nec impio illo dicto; DESPERATOS NON OPORTET ATTINGERE, ab officio suo avocari. Sæpissimè enim in morbis contingunt multa, quæ antiquos latuerunt; Et quorum ratio nulla reddi potest: ut Reverendus Clarissimus Dn. D. ANTONIVS FAYVS, Philosophicarum & Medicarum rerum doctissimus, & apud Genevenses SS. Theologiæ Professor celeberrimus, in quodam epigrammate, mihi non ita pridem communicato eleganter cecinit, quod exemplum, quia ad nostrum propositum facit, hìc subjicere visum est.

Ad illud Averrois, MONSTRA IN MORBIS FIVNT.

ANTONIVS FAYVS.

Non audita loquor, narranti credite, vidi
His oculis, tetigi non dubitante manu.
Acer erat juvenis, medio cui vulnus adactum
Est capiti; Cerebri pars quoq; cæsa fuit,
Ille tamen vivit. Si credas arte Melampi
Id factum, peccas; hìc medicina silet.
Monstra sed in morbis Arabum flos ille sophorũ
Quod fieri dixit, re patet ipse palàm.

Obs. 14. & 15.

OBSERVATIO XIV.

Ex fungo malè curato mors.

COSMAS SLOTANVS, Chirurgus præstantissimus, Iuvenem nobili familiâ natum, cui cranium fractum, portioq; ejus quædam exempta fuit, unde fungus exortus, curandum habuit. Ille, ab omni propemodum periculo levato ægro, & sedatis symptomatibus, à curatione continuãda desistere coactus fuit, quòd aulam principis sui sequeretur. Barbitonsor, cui cura erat demandata, contempto consilio & medicamentis SLOTANI, nullaque habita ratione loci affecti, pulverem aluminis & vitrioli usti inspersit fungo. Inde exortis statim dolore vehementissimo, febre acutissima, delirio, & inflammatione, paucis pòst diebus mors subsequuta est.

OBSERVATIO XV.

Legitima fungi curatio.

ANno 1601. 9. Februarij D. FRANCISCI CROSERANI Lustriacensis patricii ac tribuni filius, Petrus nomine, 14. annos natus, vulnus ex casu lapidis, ex alto diruti (cujus pondus librarum duodecim cum unciis decem) in dextro bregmate cum insigni cranij fractione accepit. Ego ad curationem vocatus, puerum invenio sine loquela, visu, auditu, & ut breviter dicam, semianimem. Vomitus aderat vehemens & continuꝰ, & sanguinem eijciebat, tum per os, & nares, tum etiã per aures. Abrasis crinibus dilatatoq; vulnere, impressum cranium altiùs in substantiam cerebri, & duram matrem disruptam, conspiciebatur. Exemptis eadem nocte cranij fragmentis, curationem aggredior, prout necessitas urgebat. Et quamvis gravissima adessent symptomata, ita ut de recuperãda sanitate parùm superesset spei, tandem nihilominus paulatim & ante vigesimũ diem, morbi ex toto ferè remiserunt. Pars quoq; duræ matris ab impresso cranio disrupta, sensim naturæ & medicamentorum beneficio frustratim excidit, ita ut sperabamus, jam procul abesse à periculo

Libra autẽ illo in loco continet uncias sedecim.

Obs. 15.

riculo. Sed elapso vigesimo die morbi, ecce novum malum, exortus enim est è vulnere fungus insignis qui intra viginti quatuor horas ita excrevit, ut magnitudine ovi gallinacei extra cranium emineret, quem divino fauore infra scriptis medicamentis feliciter persanavi.

In principio singulis, deinde alternis, ac tādem tertio quoq; die, sequens enema injeci.

R. Radicum & foliorum altheæ,
Malvarum,
Parietariæ,
Mercurialis,
Florum Chamomill.
Meliloti,
Florum & foliorum betonicæ ana M. ſ.
Semin. fœnigræci,
Lini,
Anisi ana ℥ ſ.
Coquantur in aqua ad consumptionem tertiæ partis, in ℔. j. colaturæ dissolve benedictæ Laxat. Et hieræ picræ compositæ ana ʒ iij. vitellum ovi, salis p. j. Ol. Chamomillæ ℥ ij. Misce fiat enema. Bis verò in die fomentationem sequentem vulneri applicui.

R. Foliorum & florum betonicæ,
Salviæ,
Chamomill.
Meliloti,
Rosarum
Summitatum majoranæ
Rosmarini ana M. j.
Sem. anisi &
Fœnigræci ana ℥ j.


Incidantur & contundantur pro fotu. Harum herbarum q. s. indatur sacculo ejus magnitudinis ut mediam ferè partem capitis cooperiat, qui filo intertextus, coquatur in vini & aquæ communis ana partibus æqualibus, & applicetur calidè. Post fotum diligenter abstergendum est caput linteis calidis, deinde sequentem pulverem inspersi fungo atque toti vulneri.

R. Radicum gariophillat.
Angelicæ,
Calami aromatici an ʒ ſ.
Rad. arist. rotund.
Iridis Florent.
Ligni guajaci ana ʒ ij.
Florum salviæ
Summitatum majoranæ.
Rosmarini ana p. j. fiat omnium pulvis tenuissimus, Deinde sequens emplastrum applicui.

R. Emplast. de betonica ℥ iiij.
Gummi elemi dissoluti in oleo rosaceo ℥ j.
Pulver. rosarum
Myrtillorum ana ʒ j.
Masticis,
Calami aromatici ana ʒ j. ſ.
Cum ſ. q. ol. rosacei fiat emplastrum.

His fungus paulatim & intra quatuordecim dies subsidit. Ossicula quoq; quæ cum aliis primâ nocte extrahi non potuerant exierūt; ita ut intra hebdomadas decem plenissimè convalesceret;

Fragmentorum cranij, primâ nocte extractorum delineatio.



His conjūctis fragmentis, latitudo exempti cranij facilè apparet. At quamvis fractio & exemptio cranii magna esset. Nihilominus tandē cicatrice obductum fuit vulnus: sed motus cerebri diu nobis perspicuus fuit: cute enim & portione aliquâ carnis tantummodò obtegebatur. Ne autem aliquâ occasione externâ facilè læderetur cerebrum, laminam cupream adaptari curavi, quæ annexa pileo, partem illam capitis obtegebat. Nunc verò quia natura paulatim foramen cranij callo quodam obduxit; motus ille cerebri non ampliùs persentitur. Vivit, & optime valet corpore adolescens ille, ad hanc usque diem 19. Martii Anno 1605. quo hæc scripsi. Ingenio quoque ad studia aliaq; aptissimus est.

Vixit adolescens ille, ad vigesimum quartū ferè annum, sine ulla læsione, aut deminutione memoriæ vel judicii. Tandem quadam die Genevâ pedes Lustriacum rediens, cùm suprà modū incaluisset, frigidam affatim bibisset; ac pleuritide correptus fuisset, medicos quinetiam rationales in consilium non adhibuisset, piè obdormivit.

Fragmenta cranii, superius delineata, ad hunc usque diem. 15. Aprilis 1630. (qua hæc pro secunda editione hujus Centuriæ, ad prælum adorno) inter rariora mea reservo.

ANNOTATIO.

De fungis.

Vnde fungi nascatur & quid sit.

QUemadmodum in stirpibus arborum humores semiputridi per corticem extuberātes, in fungos coalescunt: sic fractâ exemptaque portione aliquâ cranij, ac durâ matre læsâ, statim humores cerebri circa plagam affluunt; qui sive ossis, (ut Alexander Aphrodisæus voluit) sive aëris frigiditate condēsati, instar fungi concrescūt; atque

Obs. 16. 17 *l. 1. de locis Aff. & 3. Epidem.*

atque interdum adeò intumescunt, ut extra cranium eminentant. Affectus autem ille Galeno fungus à similitudine appellatur: est enim caro mollis, levis, pallida, & spongiosa: quæ quidem citò excrescit, lento verò pede retrocedit. Potest & ex flatu procreari. Si enim calor cerebri imbecillus factus, in materiam, quæ circa vulnus collecta est, alquid agere intendit, flatum procreat: qui, quum per tenuem menyngem expirare nequeat, eam in altum elevat. Observavi enim hactenus in his, qui fungis affecti mihi occurrerunt, tenuẽ menyngem ut plurimum integram, crassam autẽ disruptam fuisse. Crassâ enim ruptâ factâq; digestione vulneris, natura statim incipit carnem supra tenuem menyngem generare, quæ loco tegumenti incumbit, ne ex aëris injuria nocumentum contrahat. Si namque humores copiosè, aut flatus circa plagam colliguntur, tenuem mẽbranam simul cum adnata carne facilè ad instar fungi in altum elevant. In nostro verò jam commemorato ægro, & crassa & tenuis menynx vulneratæ fuerunt.

De fungis læsarum partium corporis humani, plura vide Centuriâ secundâ observationum nostrarum, observat. 35.

OBSERVATIO XVI.

Pus fœtidissimum, & vermes ad duram matrem reperti.

CÆSO sub Canicula anni 1587, Helveticorum exercitu apud Delphinates, venit nobis ad manus ex numero vulneratorum juvenis robustus, & bono habitu, at capite sauciatus, hunc in modum. Secta illi fuerat pars ossis parietalis circiter palmam lata: hæc autem cuti musculosæ adhæserat, suoq; loco erat reddita: quin & sanguinis & pilorum interventu concreverat, veluti crusta, quæ totam illam partem contegens, impedierat quò minùs ulla materia sex diebus totis ab accepto vulnere promanaret. Porrò abrasis crinibus, apertoq; vulnere, inventa est inter partem ossis separati & duram matrem, plurima materies graveolens, simul & ossium tenuia aliquot fragmenta. Præterea, quod majus est, vermes grãdiusculi quatuor aut quinque. Insuper & dura mater denigrata & infecta erat putredine tamdiu insidente. Æger nihilominus convaluit, clarissimi IANI ANTONII SARACENI Medici Regii consilio, & JOHANNIS GRIFFONII Chirurgi longè peritissimi operâ atque industriâ: quibus & ego interfui. Quibus autẽ putredo hæc cohibita fuerit, petat lector ex Tractatu meo de Gangræna.

OBSERVATIO XVII.

Iuvenis, cui caput vulneratum & cranium fractum, ex sola ira in febrim recidit & moritur.

IUVENIS quindecim annos natus, vulnus contusum cum cranij fractione circa bregma accepit. Primo apparatu vulnere dilatato, & deinde officulis extractis, ad suppurationẽ feliciter perduximus vulnus, omniaque symptomata remissa sunt. Elapso verò decimo quarto die, quum adolescens alius (qui circa lectum ludebat) ipsum ad iram provocasset, recidit in febrem & phrenesin, ita ut quarto post die è vita decesserit. Cranio aperto coram clarissimo viro D. D. MARCO OFFREDO, philosopho & medico celeberrimo, invenimus cerebri membranas undiqueinflammatas, ac tum venas tum arterias omnes sanguine turgescentes.

Obs. 18.

OBSERVATIO XVIII.

Ex animi quadam commotione vehementi, arteria nuper vulnerata, postmodum autem penè sanata, denuò magno cum periculo rupta est.

INcidit in manus meas homo quadragenarius robustissimus, naturâ biliosus & iracundus, cui vulnerato capite ramus sinister soporalis arteriæ, desuper musculo crotaphito incisus fuerat. Sanguine primo apparatu pulvere meo restricto, vulnus ad digestionem perduxi. Quinto verò die morbi, quum ex propinquis quidam, qui vulnus inflixerat, ex improviso in cubiculum ingrederetur, vulneratus inscius adventûs, ex ipsius aspectu adeò perturbatus est, ut denuò rupta sit arteria, adeoq; sequuta hæmorrhagia, quæ vix restingui potuerit: convaluit tamen penitus.

Tract. de Gãg. c. 15.

ANNOTATIO.

Quum ex cunctis animi perturbationibus, nulla tùm sanis, tùm inprimis ægris sit periculosior irâ, moneat Chirurgus ægrotos suos, ut summo studio sibi ab ea caveant. Est enim ira, omnium perturbationum atrocissima, & fœcundissima infinitorum malorum mater: quæ naturam hominis in truculentam commutat feram. In pectoribus humanis graves excitat fluctus, caloris juxta cor est uti quidam fervor: ubi is per totum corpus dispergitur, solet febris succendi, eaque acuta, ut alibi Galenus testatur; sanguinem item concitat in venis. Cerebrum concutit, nervos convellit, humores exagitat, calorem labefactat innatum, cujus veluti fervor esse videtur, teste Galeno.

Ira quàm sit ægris periculosa.

Gal. lib. de caus. mor. De placit. Hipp. & Plat. l. 3. De sanit. tuen. l. 6. Observatio.

Hominem doctum & eruditum cognovi, qui facilè (ut sæpius ipse vidi) ex ira in febrim, ut plurimum ephemeram, nonnunquam & in tertianam incidebat, non sine magno periculo.

Matronam item honestissimam & piam cognovi Dusseldorpiæ, quæ adeò à pharmacis abhorrebat, ut mannam aut syrupum rosaceum vix potuerit sumere. Contrà, tali naturæ beneficio erat prædita, ut ex minima etiam animi perturbatione, præcipuè ex ira, alvus adeò subduceretur, ac si pharmacum quantumvis efficax sumpsisset.

OBSER-

Obs 19. 20. & 21.

OBSERVATIO XIX.

Iuvenis vulnere capitis cum fractura cranij laborans, & penè sanatus, ex usu venereo incidit in febrem, inde moritur.

Ægrotis fugienda venus.

IUvenis robustus & biliosus, baculo vulnus ad sinistrum bregma cum ossis fractione recepit: Ego advocatus dilatavi vulnus, & ad digestionem perduxi, dolorem sedavi, fragmenta item cranij ex percussione facta extraxi. Vulnus deinde mundificatum carne opplevi. Quum autem jam spacio quinque hebdomadarum tractassem vulnus, ac omnia symptomata planè essent remissa, & vulnus penè citatrice obductum, cum scorto rem habuit. Itaque paucas post horas recidit in febrim, ac dolorem capitis vehementiorem quàm ante. Latus item oppositum resolutum est, brachium verò lateris ægrotantis spasmo correptum, symptomata ingravescentia singulis momentis ac nullis cedentia remedijs, quarto tandem die miserum hunc libidinosum extinxerunt.

OBSERVATIO XX.

Puer vulnere capitis, & cranij fractione laborans, ex tumultu & strepitu nimio gravissimis symptomatis conflictatus, tandem moritur.

Tumultus noxius ægrotis.

QUantum ira, timor, apprehensio, concubitusque capite vulneratis noceat, ex superioribus constat. Quàm verò itidem periculosum sit, tumultuosè quippiam circa vulneratos agere, jam tyronibus Chirurgis exemplo demonstrabo. Tractavi cum COSMO SLOTANO, Chirurgo præstantissimo, puerum 14. annorum, cui bregma ex vulnere contuso fractum fuit. Extraximus ossicula quamplurima, febrem extinximus, dolorem reliquaque symptomata compescuimus. Patri autem istius pueri, quòd oenopola esset, prohibuimus, ne permitteret pulsare tympanum, tubas, aliave ejusmodi instrumenta in domo sua. At pater neglectis admonitionibus nostris, permisit pulsari tympanum & fistulam prope cubiculum decumbentis, & saltare rusticos usque ad mediam noctem. Postridie invenimus ægrum acutissima febre, delirio, spasmo, nausea, alijsque pessimis symptomatibus laborantem: propter quæ quarto die è vita decessit. Pater hujus rei causa ad magistratum delatus, graviter, nec injuriâ, mulctatus fuit.

OBSERVATIO XXI.

Virgo nobilis, neglecto parvo vulnere in capite, moritur.

VIrgo nobilis, quum in choreis incaluisset, & capite in postem cecidisset, vulnusculum in vertice contraxit, ubi cutis vix læsa fuit. Illa, quia neque dolorem neque inflammationem sentiebat, primo & secundo die vulnus (aut potiùs contusionem) planè neglexit. Tertio die incœpit parùm dolere; quapropter barbitonsorem accersivit: qui rasis crinibus cutem vix læsam animadvertens, virginem irridebat. Quarto verò, capitis gravitate & febriculâ correpta est. Ego sexto die morbi ad ipsam vocatus, comperi ipsam delirantem, faciem & oculos inflammatos, & linguam aridam: ita ut sequenti die è vita decesserit. Aperto capite, sanguinem sub cranio collectum, & cerebri membranas inflamatione correptas invenimus: cranium tamen nequaquam læsum fuit. Hinc perspicuum fit, vulnera capitis, quantumvis minima, præcipuè quæ circa suturas occurrunt, non esse negligenda. Infiniti enim ramuli venarum & arteriarum, ex una & altera parte membranarum cerebri, circa suturas concurrunt, & suturis inseruntur, quorum beneficio cerebrum cranio alligatur, & suspenditur. Quapropter contusiones ea in parte facilè ad cerebri membranas, magno cum ægrotantium periculo, extenduntur.

Obs 22. & 23.

OBSERVATIO XXII.

Actus venereus in nervorum vulneribus periculosus.

MUltoties contingit, vulneratos spasmo & morte corripi: cujus occasio vel causa Medico incognita est. Quomodo autem id fieri possit, sequenti historia nobilis cujusdam (cui COSMUS SLOTANUS, peritissimus Chirurgus, Valentiæ lævam amputarat, ex ictu sclopeti inflicto contusam) apparebit. Ægrotanti juveni voluptatibus dedito, disertè interdictum erat ab uxoris congressu: At is vulnere propemodum persanato & sedatis symptomatis omnibus, eam interpellavit, qua renuente propter seria SLOTANI monita, ipse emisit sperma citra coitum: atque hinc recidit protinus in febrim, deliria, spasmos, aliaque graviora symptomata, tandemque obiit quarto pòst die. Ex his intelligimus, quàm infesta sit venus nervis & nervorum vulneribus, æquè ac capitis & articulorum affectibus. Ac quidni actus venereus nervos exagitaret, atque periculosa accidentia excitaret? Vidi enim, ex risu vehementi in nervis sauciatis symptomata periculosissima nasci, ut ex sequenti observatione videre est.

OBSERVATIO XXIII.

Risus in vulneribus nervorum periculosus.

ANno 1601, 14. Aprilis, nobilissimo Viro IMBERTO à DIESBACH, Domino S. Christophori, sinististra manus ictu sclopeteo adeò fracta & contusa fuit, ut pollex usque ad carpum planè separatus, metacarpus quoque adeò fractus

 & con-

Obs. 23. & contusus fuit, ut ossa quàmplurima metacarpi eximere cogerer: & ut verbo dicam, tota manus, nervi & ossa adeò lacerata & quassata fuerunt, ut ad eam conservandam parùm superesset spei: fuit nihilominus Dei beneficio ita restituta, ut ne digitum quidem amiserit. Quum verò statim ab initio summo studio in hoc incumberem, ut dolores repellerem, & partem læsam ab inflammatione & à fluxu humorum vindicarem, curatio tam feliciter successit, ut minimum doloris senserit, febris & inquietudines ferè nullæ supervenerint. Porrò quarto die morbi, quum quidam ex adstantibus jocaretur, & ridiculosam historiam quandam narraret, Nob. vulneratus nobiscum quoque ad risum excitatus fuit. Hinc statim exortus est dolor adeò gravis, per totum brachium usque ad nucham, ut spacio 24. horarum de convulsione periclitaretur. Sequentibus verò adhibitis remedijs paulatim sedatus est dolor, & in pristinum statum restitutum est brachium.

℞. Radicum & foliorum Altheæ,
Malvarum,
Violarum,
Brancæ vrsinæ,
Florum meliloti,
Betonicæ,
Primulæ Veris,
Salviæ ana M. j.
Sem. fœnigræci,
Lini ana ℥ j.

Incidantur, contundantur, & coquantur in aqua ad consumptionem tertiæ partis. In ea decoctione madefacta linteamina calidè applicui toti brachio: postea totum brachium & nucham sequenti linimento inungebam,

℞. Ol. Lumbricorum
Vulpini
Axungiæ humanæ ana ℥ j.
Succi lumbricorum ℥ ſ.

Misce, fiat linimentum. His remediis sedatus est dolor: postea curatio feliciter progressa est.

Anno 1603. mense Aprili similis ferè casus accidit Claudio Dodino, civi Paterniacensi. Is vulneratus in brachio & carpo dextro, ubi nervi nõnulli quartæ & quintæ partis colli læsi fuerant, ex risu in maximos incidit dolores & convulsionis periculum, ita quidem ut ea nocte nulla quiete frui potuerit. Inuncto brachio superiori unguento, sedatus est dolor.

ANNOTATIO.

Risus immoderatus vulneratis noxius.

Risum esse affectionem cordis, ac ridendo cor ipsum, & per cõsequens, pericardium magno cum impetu moveri, atque ex una in alteram partem ferri contrahique, eximius & summus ille Philosophus ac Medicus, LAVRENTIVS IOVBERTVS testatur, & experientia docet. Ac quia pericardium mediastino & diaphragmati alligatur, ut in risu violento ipsum quoq; diaphragma violenter moveatur, necesse est. Porrò quia diaphragma lumborum vertebris, ac notarum costarum extremitatibus, atque inferiori sterno & xiphoidis cartilagini alligatur, præterea inferiore sua parte peritonæo, superiori verò pleura investita est membranis, fit ut in risu violẽto, tum abdominis, tum præcipuè pectorales musculi simul moveantur atque contrahantur. In eo autem motu violento diaphragmatis & musculorum pectoralium, concutiuntur & agitantur quoque musculi, brachia moventes. Inprimis autem musculus brachium pectori adducens, & brachium attollens, tum etiam nervi omnes, qui ijs intertexti sunt, & tendones ex ijs prodeuntes, simul contrahuntur atque agitantur. Hinc fit, ut violenter ridentes brachia pectori imponant

Ac quia musculi collum & caput moventes, partim ab osse pectoris oriuntur, necesse est, ut in violento risu & agitatione diaphragmatis & musculorum pectoralium, caput simul moveatur. Hinc fit, ut violenter ridentes caput inclinẽt, jam retro, & mox in dextrum aut sinistrum humerum projiciant.

Inter crurum & abdominis musculos magnus quoq; est consensus, ideoque violenter ridentes se incurvare coguntur: quum enim abdominis musculi ex elevatione violenta diaphragmatis in altum trahuntur, musculi crurum, venæ, arteriæ & nervi, qui illis intertexti sunt, sequantur necesse est. Hinc perspicuum fit, risum in omnibus vulneribus (magnis scilicet) periculosum esse, ac in nervis vulneratis dolores acerrimos & convulsiones in venis, & arterijs hæmorrhagiam excitare. Monitos igitur velim Chirurgos & adstantes, ne vulneratos facetijs & jocis ad risum provocent immoderatum.

OBSERVATIO XXIV.

Ex sternutatione nervorum opticorum obstructio, & ex hac cæcitas consequuta.

Sternutatio visui noxia.

ADolescens 14. annos natus, & phlegmatici habitus, cum æquali spõsionem fecit, posse se sternutare ad libitum, imò etiam centies. Deposito pignore cœpit ex immodica titillatione irritatis naribus sternutare, circiter centies & ampliùs. Exin protinus correptus est dolore capitis & hebetatione visus, qui etiam sequenti die deperditus fuit, citra tamen inflammationem oculorum aut febrim. Convocatis mecum clarissimis doctissimisq; viris, IANO ANTONIO SARACENO. ET ANDREA BONETO, decretum est, ut purgato corpore setaceum adhiberetur collo, uti & scapulis cucurbitulæ: atque his usus revulsionibus, visum paucos post dies recepit. Hinc apparet, quãtum hallucinentur, qui in nervorum opticorum obstructione, alijsque morbis oculorum, errhina & sternutatoria præcipiunt & adhibent. Materia enim quæ à vehementi motu ex cerebri ventriculis ad nares trahitur, & circa os cribrosum accumulatur, transiens prope nervos opticos, ratione propinquitatis eos magis magisq; obstruit. Objicitur, purgationem universalem præmittendam errhinis: sed nunquam ita potest exonerari

Obs. 25. & 26.

cerebrum, quin tantum materiæ supersit, quantum ad hanc exiguam nervorum opticorum capacitatem obstruendam satis sit.

OBSERVATIO XXV.

Ex cicatricis ad pupillam extirpatione, gravissima symptomata.

Nobilis puella ita laborabat variolis, ut & cornea unius oculi afficeretur pustulis: ex his relicta est cicatrix ad canthum majorem, instar ungulæ, quæ Græcis pterygion dicitur. Consuluerunt me parentes: sed quum responderem, nihil hîc me posse præstare, adhibuerunt empiricū, qui negavit cicatricem esse, sed concretam materiam dixit in superficie corneæ, quam se facillimè & sine periculo abstrahere posse, audacter affirmavit. Parentes confisi filiam ipsi commiserūt; at ipse admotâ manu dilaceravit corneam. Inde dolores vehementissimi, inflammatio, febris, aliaque graviora symptomata. Tandemq; humores omnes exciderunt: unde tunicæ contractæ sunt, & oculus planè clausus. Honestissimam matronam Coloniæ in vico novo, Im Korb, novi, quæ in pueritia, ut ipsa retulit sæpe, laboraverat variolis: unde etiam cicatricem pupillæ contraxerat. Eam empiricus sibi commissam, non manu, sed medicamentis erodentibus se curaturum promittebat: sed incidit & illa in graviora symptomata: quippe effluxerunt humores, contractæ sunt tunicæ: inde oculus tota vita clausus.

OBSERVATIO XXVI.

Adolescens oculo perforato visum recipit.

Quindecim annorum adolescentem, sutoris cujusdam filium Geneve, in vico divæ Mariæ, cum Domino IOHANNE GRIFFONIO, Chirurgo præstantissimo curavi, circa annum 1587. cui acus sutoria perforavera: adnatam membranam prope Iridem; hinc factum, ut humor aqueus statim effluxerit, & adolescens illico visum planè amiserit. Oculo imposuimus in primo apparatu albumen ovi cum aqua rosacea, & nonnihil croci: fronti autem defensivum ex bolo Armeno, terra sigillata cum oleo rosaceo, paucaque cera & aceto in formam unguenti redactum, atque injecimus statim enema. Sequenti die catharticum exhibuimus, & anodynis ad septimum usque & amplius vulnus tractavimus. Deinde collyrio ex aqua euphrasiæ, sacchato, & tuthia præparata, cicatricem induximus. His curatus fuit nullo superveniente symptomate: haud multò post curationem visum quoque recepit. DODONÆUS in suis observationibus simile aliquid refert.

Anno 1597. curavi filium MATTHÆI BARBOTTI, civis & mercatoris Lausannensis; cui, infixâ sagittâ, perforata fuit cornea, qua parte conspicitur Iris. Effluxit nonnihil humoris aquei, unde contracta est cornea, & puer protinus visum amisit. Vulnus curavi ad modum suprà dictum: puer hic quoque non multò post visum recepit.

ANNOTATIO.

Omninò hîc ægrotis crystallinus humor cōpunctus non fuit: est enim ille humor præcipuū instrumentum visus, ac suâ propriâ continetur membranâ Arachnoide; qua dilaceratâ, ampliùs humor crystallinus officium facere nequit. Effluxit autem in his aqueus tantùm humor, quem natura in anteriorem partem inter uveam tunicā (quo loco duplicatur & invertitur) & corneam locavit. Atque hîc quum sit excrementum, quod exudavit ex venulis illis, quæ in uvea tunica conspiciuntur, & circa locum humoris aquei terminantur, aliquando renascitur, præcipuè in pueris, ut etiam eximius Anatomicus REALDVS COLVMBVS, in suis Anatomicis scriptum reliquit. Id autem hîc notandum, vulneratâ pupillâ visum recipi non posse, quamvis humor crystallinus sit illæsus, & aqueus renascatur: ut in multis, ac potissimùm in assecla generosi viri OTTHONIS SCHENCHI, Domini ab Horst, ante annos aliquot observavi. Is cultello perforata pupilla visum amisit. Curavi vulnus ut suprà: visum tamen non recepit. Inevitabilis enim cicatrix impedit, quo minùs radij eorum, quæ visui objiciuntur, ad humorem crystallinum perveniant. Ex quibus perspicuum fit, in extirpāda ad pupillam cicatrice nihil temere tentandum, ne malum incrudescat, quod ex observatione proximè præcedente patet.

Observatio.

Obs. 27.

OBSERVATIO XXVII.

Ex frequenti oculorum ablutione aquæ frigidâ obfuscatio, & hebetatio visus.

Nobilis quidam à multis annis assuefactus, singulis matutinis diebus abluere faciem, & oculos aqua frigidissima. Hinc paulatim debilitatus & obfuscatus est visus. Tandem anno 1602 ophthalmia utriusque oculi correptus, me advocandum jussit. Cessit ei hoc malum in maximum commodum. Curatus enim ab ophthalmia, & aqua nostra, visum corroborate ad tempus usus, lotioneq; aquæ frigidæ rejecta, visus acutior quā antè factus est.

ANNOTATIO.

Aquæ frigidæ lotio oculis noxia.

Quum frigus, teste Hippocrate, condenset & induret, mirum non est, si frequenti ablutione oculorum in aqua frigida visus debilitetur. Incrassat enim & condensat aqua frigida spiritum visivum, & humores oculorum, sed inprimis mēbranam ipsam corneam densam & crassam efficit, ita ut per eam res objectæ ad humorem crystallinum

Obs. 28. & 29. stallinum (qui præcipuum est instrumentum visus) penetrare difficulter possint. Visum quoq; aquæ frigidæ, ex parte fuisse causam huj[9] ophthalmiæ, rationi consentaneum est, retinuit enim & inclusit humores & sanguinem in venis palpebrarum & adnatæ membranæ, qui postea putredinẽ & inflammationem contraxerunt. At quia hi humores ab inflammatione partim resoluti & extenuati fuerũt, partim in pus conversi effluxerũt, mirum non est, visum post curationem ophthalmiæ acutiorem fuisse.

OBSERVATIO XXVIII.

Vulneratæ linguæ curatio.

VIx membrum in humano corpore reperitur quod magis moveatur, quodq; adeò sit humidum laxumq; atque lingua: Hinc fit, quod ipsius vulnera transversum facta, ut plurimùm incurabilia censentur. Suadeo tamen, ut (nisi planè abscissa fuerit) curatio tentetur, non enim hujusmodi vulnera ex toto sunt incurabilia, ut sequens observatio testatur.

Anno 1587 Puellam trimam Lausannæ curandam habui, quæ extensâ linguâ in terram cadens, partem illam quæ inter dentes erat, ferè ex toto abscidit, & quidem planè abscidisset, nisi duorum dentium defectus obstitisset. Vocatus, putabam, discissas partes suturâ conjungere: Id verò quum propter puellę impatientiam minimè fieri posset, sequentibus remediis curationem tẽtavi, atq; feliciter absolvi.

℞. Foliorum & florum Ligustri,
Plantaginis,
Rosarum rubearum ana M. j.
Corticum granatorum,
Balaustiarum ana ℥ ß.

Coquantur in ℔ ij. aquæ chalybiatæ, ad consumptionem tertiæ partis. In colatura dissolve Acatiæ ʒ ij. Syrupi de rosis siccis ℥ ij. Misce: fiat gargarisma, quo sæpius interdiu abluatur lingua. In ore continenter tenebat syrupum de rosis siccis, de cydonijs, syrupum conservationis cerasorum de Ribes, & coagulum cydoniorum.

Vescebatur jusculis carnium recentium & hordaceis, lacte amygdalarum dulcium, & similibus. His Dei beneficio plenissimè curata fuit, neque ullo modo depravata fuit loquela, ut postea apparuit per duodecim integros annos, quibus vixit.

OBSERVATIO XXIX.

Ex calefacta facie, ablutâ aquâ frigidissimâ, gravia symptomata.

ADolescens in Solingen 24. annos natus, robustissimus & sanguinei temperamenti, quũ hyemali tempore in duello vehementer incaluisset, & vulnusculum in faciem accepisset, ad flumen accedit, ubi quum frigidissimâ aquâ primò, insuper nive abluisset faciem, exortus est statim vehemens dolor, cum totius faciei tumore, & nodulis duris, lividis & asperis. Dolor sedatus est paulatim, sed nodulæ & livor cutis manserunt, ita ut à leprosorum vultu parùm differret ipsius facies: reliquæ verò corporis partes, tum internæ tum externæ, sanæ erant omninò. Adijt me tandem anno 1599. quum per biennium hoc morbi genere laborasset. Purgato priùs corpore, secta in cubito cephalica, & applicatis cucurbitulis nuchæ & scapulis, primò hoc fotu nodulas emollire studui.

℞. Radicum & foliorum Altheæ
Radicum brioniæ ana ʒ j.
Florum Chamomillæ, Rosarum rubearum, Meliloti,
Betonicæ ana M. j.
Sem. fœnigræci ʒ ß.

Coquantur in aqua, in qua intincta spongia calidè applicetur nodulis. Hoc fomento per aliquot dies usus, denuò corpus purgavi pilulis aureis & cochiis, & cucurbitulas scapulis & nuchæ applicui: Deinde hirudines nodulis grandiorib[9] admovi. Postea faciem aqua rosacea, & liliorum alborum, item florum fabarum quotidie abluendam curavi. His usus, per paucos dies durities & nodulæ subsiderunt, & livedo ex parte remisit.

Similis ferè casus accidit nobili cuidã, mihi notissimo. Is quum Iuvenis esset, & Bacchanalia cum socijs celebraret, larvæ loco, faciem peculiari atramento commaculavit: finitis Bacchanalibus, quum incaluisset, faciem aqua frigida abluere tentat: Sed quia atramentum exsiccatum tenaciter adhærebat cuti, non nisi cum difficultate abstergi potuit. Ex violentis hisce lotionibus primò aquæ frigidæ, postea calidæ, exortus est dolor in facie, & undiq; nodulæ lividæ: ubi medicorum, quãtumvis doctorum, consilia frustra adhibita fuerunt.

OBSERVATIO XXX.

Obs. 30.

De catarrho ad gingivas, gangræna & mors.

GAngrænam gingivarum & oris, præcipuè in pueris, raro sanabilem, in sphacelum autem degenerantem, insanabilem esse, in Tractatu nostro de Gangræna & sphacelo ostendimus. Id verò jam quibusdam observationibus confirmare, operæ precium esse existimavi.

EXEMPLUM I.

PUella 4. annos nata, eaque filia nobilissimi viri N. Von Högstein zu der Volckerdeven / ex morbo acuto sanata, catarrho vehementi ad gingivas, cum nausea & capitis dolore correpta fuit. Adduxerunt eam parentes Dusseldorpium, ubi ad consilium vocati fuerunt clarissimi D. D. GALENUS WIERUS Illustriss. principis Cliviacensis, Iuliacens. & Montens. Archiepiscopi Treveriensis, Archiater dignissimus; & COSMUS SLOTA-

NUS

Obs. 31. nus (apud quem ego tunc temporis praxim exercebam) ejusdem principis chirurgus præstantissimus. Tota facies in tumorem ædematosum elevata fuit. In sinistra mala tumor rotundus, durus & lividus, non adeò tamen magnus apparebat. Gingivæ verò, & sinistra pars oris gangrænâ correpta fuit. Multa sed frustrà ipsi adhibuimus remedia: tantus enim fuit defluxus humorum pituitosorum & frigidorum, ut calidum innatum, ex præcedēti morbo labefactatum, refocillari nō potuerit. Itaq; tandem exesis gingivis labiisque ad nasum usque, è vita decessit.

Exemplum II.

Genevæ cum clariss. D. Jano Antonio Saraceno, philosopho summo & medico Regio, Compatre meo omni studio reverendo, & Johanne Griffonio, Chirurgo præstantissimo in duabus puellis similem penè casum observavi. In curatione nihil quod necessarium videbatur, prætermissum fuit: nihilominus eæ laborantes febre, deliriis, syncope, vomitu, & spirandi difficultate, tandem è vita decesserunt.

Exemplum III.

Filius avunculi mei, Theodori auff der Koulen/ erosione gingivarum propter scorbutum, vehementer laborabat, tandem in gangrænam degeneravit erosio illa, & ut priores, è vita decessit, cum doloribus maximis, aliisq; pessimis symptomatibus. Summa igitur adhibenda est diligentia in hujusmodi morbis oris: præsertim in junioribus, qui putredini obnoxij sunt: tum quia pars oris per se calida est & humida, tum etiam quòd constitutio puerorum talis sit. Ideoque prospiciant tyrones Chirurgi, ne temerè polliceantur ægris, quæ præstare nequeant, & quæ queant, fideliter præstent.

Observatio XXXI.

Quidam per imprudentiam devorans frustum corij, propemodum suffocatus, tandem convaluit.

Anno 1594. mense Majo, civis & sutor quidam Coloniensis, è regione divi Laurentij, inter confabulandum ore continebat corij frustum, quod illo præ risu hiante gutturi se insinuavit & infixit. Provocavit statim vomitum: sed neque regerere, neque deglutire potuit: quapropter homo ille propemodum suffocatus est. Vocatus, unà cum clarissimo Viro, Domino Johanne Kuenio Bridembachio Med. D. protinus injeci gutturi decoctum emolliens ex radicibus Altheæ, seminis lini, fœnigræci, cum oleo amygdalarum dulcium: deinde stylo argenteo incurvo corium ad capacitatem stomachi depuli: quod post semestre spacium per alvum egessit. Operationi præter alios quāplurimos interfuit Rev: D. D. Sebastianus Seydelius, verbi Divini minister fidelissimus, qui & sanationis testis est.

Observatio XXXII.

Obs. 32. & 33.

Mulier ossiculum devoratum, quo penè suffocabatur, septimo tandem die egessit.

Anno 1592. Metzgen auff den Walber Hildenæ, ossiculum undique peracutum deglutivit. Primo, secundo & tertio diebus provocato vomitu, neque egerere, neque transglutire potuit. Vocatus tandem quarto die, inveni collum intus & extra inflammatum, ita ut vix inspirare aut exspirare, vel etiam juscula sorbere posset. Vrgebant dolor vehemens, febris, delirium, & convulsiones. Quum ossiculum neque vomitu, neque instrumentis ullis depelli, nedum extrahi posset, sed jam in ipso gutture abscessum procreasset, anodynis, quantum potui, dolores sedavi: & suppurationem provocavi. Intus decoctum ex radicibus altheæ, semine Lini, fœnigræci & cydoniorum, cum oleo amygdalarum dulcium, per siphonem injeci. Exteriùs autem collum inunxi oleo anethino, liliorum alborum, & amygdalarum dulcium: & cataplasma ex farina fabarum, floribus camomeli, meliloti, semine Lini, fœnigræci, coctum in hydreæo adhibui. Interim etiam aliquoties enemata injeci, & vires jusculis conservavi usque ad diem septimum. Tum per os rejecit plurimum puris, simulque ossiculum, cujus magnitudinem hic subjeci: sicque liberata, & brevi curata fuit, & per multos annos à curatione feliciter vivit.



Observatio XXXIII.

Spina piscis gutturi, biennio post excitato abscessu, in externa colli parte extracta.

Anno 1594. Coloniæ accessit me mulier, laborans tumore insigni ad maxillæ inferioris partem dextram, qui tumor sese ad asperam usque arteriam, aurem, & furculam extendebat, repræsentabatque steatoma: mollis erat sine inflammatione. In primis emollientia & discutientia per aliquot dies applicui: sed quum viderem his nihil profici, causam penitiùs inquisivi. Illa respondit, se ante biennium inter edendum spinam piscis devorasse, quæ œsophago adhæsisset, indeque statim exortum dolorem maximum, ita ut difficilè cibum & potum deglutire posset: tandem dolore sedato, collum paulatim intumuisse. Ex hac declaratione cognovi, spi-

Obs. 34. & 35.

nam aut ipsius portionem adhuc remanere, hinc ad suppurantia confugi. Suppuratus tumor, à Ludovico Gandorpio, tum temporis Chirurgiæ studioso, cui aliò proficiscens curationes commiseram, incisus est. Manavit materies plurima: spina post apparuit, quam ipse integram & incorruptam extraxit. Vlcus post paucos dies coaluit.

OBSERVATIO XXXIV.

Ex deglutita acicula horrenda symptomata.

ANno 1592. Hildenæ in arce Horst, ancilla Nobililissimi Viri, OTTON. SCHENCK von NIDECK. 18. annos nata, aciculam grandiusculam fortè deglutivit. Hinc tamen, quia triduo nullum sensit dolorem, aciculam jam dudum per secessum dejectam fuisse, sperabat: sed decepta fuit misera illa. Quarto enim die, primò in fundo ventriculi, mox quoque circa pylorum exortus dolor & cruciatus, adeò vehemens & acerbus, ut dies noctesq; exclamare & ululare coacta fuerit. Ego sexto die à morbo incepto vocatus, inveni ipsam phreneticam, cum ardentissima febre, lingua arida, vultu inflamato, mente adeò captam adeoq; furiosam, ut neminem agnosceret, nec cibum & potum exposceret. Convulsiones colli, brachiorum & crurum, maximæ & horrendæ aderant. Aliquando sese ex una in alteram partem lecti, tali impetu projiciebat, ut tres Viri, quantumvis robusti, vix illam tenere possent. Exclamabat, ululabat, & manibus ventrem, non aliter quàm si ipsum dilacerare voluisset, tractabat: & (ut verbo dicam) videbatur potius à dæmone obsessa, quàm morbo laborare. Quum verò aliquando per horam integram, aut circiter, ita vexata, & convulsionibus horribilibus, cum incredibili cruciatu, ex una in alteram partem agitata & fatigata esset, conquiescebat paulisper, & tanquam semimortua jacebat: rursus & repentè priora symptomata invadebant eam. Ego interim jusculis pinguibus castratorum, item crematurâ hordei mundati, quibus admiscebam butyrum recens, & oleum amygdalarum dulcium, ptisanâ quoq; & lacte amygdalato, corpus continuò nutriri curavi. Præterea ne excrementa, in parte aliqua intestinorum indurata, aciculæ impedimento essent, leniter illam purgavi. Sic divino favore aciculam in illo cruciatu tandem decimo quarto die egessit. Postea sedati sunt dolores, reliquaque symptomata, ita ut brevi pristinæ sanitati restituta fuerit.

OBSERVATIO XXXV.

Ex rebus extraneis, gutturi infixis, mors.

INter comedendum sæpius accidit, ut ossiculū, spinæ piscis, aut simile quid gutturi inhæreat: inde compressa tracheia arteria, quæ gutturi incumbit, protinus suffocatur animal: quod sequentibus confirmo exemplis.

Obs. 36.

EXEMPLUM I.

ANno 1595. Coloniæ Agrippinæ, mercatori cuidam jentando frustum cutis pernæ assatæ, ac mica panis sale & pipere aspersæ, infixum est gutturi: unde protinus dolor vehemens, convulsiones, rigor, ac tandem suffocatio, orta sunt.

EXEMPLUM II.

EOdem anno Coloniæ mulier, pertransiens pistoris officinam, ac manu ducens puellum, laganum emit, quod puellus in manum sibi datū eundo comedebat: hujus frustum quum adhæsisset gutturi, statim suffocatus est puer, antequam mater ad ædes suas perveniret.

EXEMPLUM III.

HOc quoque anno puer erat Coloniæ, auff dem Bull bey der Schildergassen / cui globulus plumbeus deglutitus, tracheiæ arteriæ se insinuavit. Vocatus quidem fui, sed puer ante meum adventum suffocatus decessit.

OBSERVATIO XXXVI.

Modus eximendi ossicula, & alias res gutturi infixas.

QUàm periculosa sit mora hac in re, ex superioribus satis constat. Subitò igitur diligentia adhibenda, ut quicquid gutturi infixum est, quamprimum extrahatur. Ideoque statim oleum amygdalarum dulcium, aut olivarum (cave tamē ne substituas butyrum) in œsophagum infundendum. Deinde digito, pennâ, aut simili aliquo instrumento in os immisso, vomitus provocandus: his enim sæpius secum expellit, quicquid gutturi inhæret. Postea speculo oris linguâ depressâ (si ossiculum sese visui præbeat) rostro corvino incurvato apprehendendum, atque extrahendum est. Si verò profundiùs fuerit, nec rostro apprehendi possit: nonnulli spongiam novam, avellanæ magnitudine, eamque compactam, filo longo & forti alligatam, & oleo amygdalarum dulcium inunctam, ægro deglutiendam suadent, filum digitis tenente Chirurgo: fieri enim sic potest, ut deglutita ægro spongia, secum simul in ventriculum depellat id, quod gutturi inhærebat, aut retracta filo eadem, simul nonnunquam extrahatur, vomituve rejiciatur. Aut potest globulus plumbeus filo alligari & deglutiri, atque denuò extrahi: ut de spongia jam dictum est.


Nihil verò præstantiùs, aut aptiùs ad extrahenda ossicula, & spinas piscium è gutture, hoc sequenti instrumento, quo ego feliciter usus sum, tum aliàs, tum præcipuè anno 1603. 16. Augusti in Ludovico Tissot Lustriacensi, qui inter cœnādum ossiculum, triangularis figuræ, sed crassum, quale hîc depictum est, deglutivit.

Obs. 36.



Hoc profundiùs œsophago, è regione scilicet inter ultimam vertebram colli, & primam metaphreni, se adeò insinuarat, ut id neq; deglutire, neque rejicere posset. Adstantes statim porrū profundiùs in ipsius gulam intromiserunt, & vomitū provocarunt, sed frustra; ita quidem, ut noctē magno dolore & suffocationis metu trāsigeret. Sequenti die, penè suffocatus ad me ducitur. Ego oleum amygdalarum dulciū, œsophago satis copiosè infudi, & undiq; exteriùs collum eodē oleo inunxi. Postea jussi, ut ei tenerentur manus & caput, interim ego, depressa priùs lingua speculo oris, instrumentū inferiùs depictum, in gulam intromisi, usq; ad osficulū, sensimq; & modicè circumducto ex una in alterā partē instrumento, donec id paulatim ad latus ossiculi, profundiùs depulerim. Deinde retrahendo, ossiculū simul suo loco amotum & extractum fuit: Atq, brevi convaluit. Huj⁹ operationis & curationis testes sunt, Daniel Tavellus, & Samuel Galliardus, ambo Ludimagistri in Schola Paterniacensi.

Figura & descriptio prædicti instrumenti.



Obs. 36.

Est autem fistula argentea aut ænea incurvata, crassitie pennæ oloris; longitudine verò unius pedis cum dimidio, aut circiter. Est & undique perforata. In sua extremitate verò habet spongiolam novā, avellanæ magnitudine, firmiter alligatam. Hac fistula in œsophagum immissā & circumductā, quemadmodum antea diximus, postea extractā; ossiculum aut quicquid simile fuerit, extrahimus. Si enim accidit, ut foramen aliquod fistulæ, ossiculum aut spinam excipiat; tum simul cum fistula extrahitur: sin minus; asperitas ossis spongiæ adhærebit; & suo loco amovebitur: quod & ego experiētiā comprobavi, antequam haberem fistulam perforatam.

Nota.

Non tamen ossiculum aut spina prima vice, dum intromittimus fistulam, extrahitur; nec propterea ab incepto opere desistendum: Aliquoties enim quinquies aut sexies fistulam intromittere coactus fui, donec tandem ossiculum suo loco amotum & extractum, vel (si aliter fieri non potuit) in ventriculum depulsum fuerit: quod & periculo vacat: præstat tamen per os extrahere, si fieri possit.

Cautio in operando.

In hac operatione autem circumspectè agendum, ne instrumentum in asperam arteriam, loco œsophagi, immittatur, quod valdè periculosum esset. Itaq; ut Chirurgus harum partium anatomiam sciat, necesse est. Incumbit autem œsophagus vertebris colli: Aspera verò arteria anteriorem partem occupat. Itaque quamprimum Chirurgus linguam speculo depresserit: extremitatem instrumenti sui, ubi spongia (quæ oleo amygdalarum dulcium aut olivarum priùs inungenda) alligata est, vertebris imponat; ac leviter leniterq; deorsum immittat. Sic enim ratione spongiæ instrumento alligatæ, epiglottis (hoc est, operculum laryngis) deprimitur, & aspera arteria clauditur, usque dum instrumentum immissum sit profundiùs.

Quantum ad spongiam filo alligatam, de qua mentionem fecimus, non usque adeò illi est fidendum. Contrarium enim in enarrata operatione expertus sum. Et quomodo fieri possit, ut spongia levissima, vel simile quid transeat in os infixum in æsophago? Hujus monitum volui lectorem, ne rei inutili confidat: at interim æger pericliteturr. Habeat igitur Chirurgus semper in promptu instrumenta, ad hanc operationem necessaria: cunctari enim hac in re non licet. Si in asperam arteriam quidpiam illapsum fuerit, sternutatorium admovendum est naribus: veluti aliquid piperis, aut euphorbij, vel ellebori albi. Ab acidis & tussim provocantibus, contra opinionem quorundam, omninò abstinendum. Tussis n. sua sponte satis accidit: acida verò & æsophagum & asperam arteriam, & quicquid attingunt, coarctant, constringunt & angustiora efficiunt. Quapropter continuò ore teneat Syrupum de liquiritia, de polytricho, & violatium, aut (quod ego expertus sum) oleum amygdalarum dulciū, sacchato ad partes æquales commistum.

Guttur quibus abluendum.

Post extractionem ossis, guttur sæpe abluendum est decocto hordeaceo, aut aquā plantaginis, cum melle rosaceo & diamorone. Si dolor adest, sumat ter aut quater interdiū cochleare ol.

amygdal.

Obs. 36.

amygdal. dulcium, vel rosacei, aut utatur sequenti Electuario lambendo.

Electuarium.

R. Specierum diatragacant. frigidi,
Diairidis ana ℨ ij.
Summitat betonicæ &
Veronicæ subtiliss. pulveris. ana ℨ j.
Ol. amygdalarum dulcium ℥ ß.

Syrupi violarum sine spiritu vitrioli q. s. Misceantur, fiatq; Electuarium mediocris consistentiæ.

Victus ratio.

A vino, & ab eis omnibus quæ calefaciunt, abstineat, ne inflammatio & dolor excitentur. Vtatur jusculis, panatellis, crematura hordei, lacte amygdalarum dulcium, emulsione seminum frigidorum majorum, iisque omnibus, quæ deglutiri, & concoqui facilè possunt. Si æger juvenis fuerit, & sit inflammationis suspicio, electuario lenitivo, aut diacatholicone, aut syrupo rosato solutivo, & electuario de succo rosarum, evacuandus est. Et vena basilica brachij dextri incidenda. Exterius inungendum est collum oleo rosaceo, & myrtino, & unguentum de bolo applicandum.

De inventore præfigurati instrumenti

Præfigurati autem instrumenti inventorem Dom. D. Gualterum Ryffium, apud Argentoratenses Medico-chirurgum longè celeberrimum, fuisse arbitror: qui & delineationem in magna sua Chirurgia, mihi pagina 38. habet. Antequam verò ego prædictum instrumentum ex Dom. Ryffio mutuatus essem, cathetere, quo utimur in affectibus vesicæ (cui spongiam annexi) cum successu usus sum; præsertim in sutore quodam Coloniensi, Mag. Casparo, de quo vide supra obs. 31. Si catheter ad manus quoque non fuerit, filo ferreo nonnihil incurvato, spongiolam firmiter annecte, & utere. Hæc in eum finem scribo, ne chirurgus propter penuriam instrumenti, operationem (quæ moram non admittit) procrastinet.

Instrumẽtum Ryffii imperfectum esse, ostẽditur.

Etsi autem prædictum instrumentum, à D. Gualtero Ryffio acceperim, nonnulla tamen, perquam necessaria, in ipso correxi atque emendavi, mancum enim atque imperfectum esse Ryffii instrumentum, lector haud difficulter cognoscet, si Dn. Ryffii instrumentum cum meo conferre voluerit. Primò enim, quia aliquomodo in acutum desinit, facilè in operatione, ac incredibili corporis ægri agitatione, in asperam anteriã intrudi, ægrumq; suffocare poterit, obtusum enim ut sit, necesse est. Deinde spongia tam utilis tamq; necessaria, in ipso desideratur, triplicem enim usum habet in hoc instrumento. Primò impedit, ne in operatione, & maxima corporis agitatione, instrumentum in asperam arteriã intrudatur, idq; facilè fieret, si instrumentum nudum esset. Spongia enim Epiglotidem deprimit, asperamq; arteriam claudit. Hic tamen monendus est Chirurgus, circa epiglotidem moram adhibendam, officulumq; diu quærendum non esse, ne spongia asperam arteriam obturet, respirationemq; impediat. Secundò impedit spongia, ne œsophagus ab asperitate instrumenti lædatur, excorieturq;, quæ excoriatio periculo non vacat: plerumq; enim dolores, inflammationes, & gangræna sequuntur, uti lector exemplum annotatione dignissimum, observatione 35. Cent. 5. videre poterit. Tertiò nudum & aliquo modo in acutum desinens instrumentum, facile juxta os gulæ infixum, descendere, & nihilominus illud relinquere poterit. Si verò annexa est spongia, os vel ad ventriculum detrudit, vel sursum secum extrahit; uti ego cùm aliàs, tum 18. Aprilis 1633. in Iuvene Bernensi, Ioh. Bietermanni filio, expertus sum. Hæc, mi Candide Lector, non contradicendi studio, quin potiùs, ut te in hac operatione, tam magni momenti, erudire possem, tuum erit, omnia benignè interpraetari.

De spongiolæ utilitate.

Obs. 36.

Viro Clarissimo atq; Doctissimo Dn. D. Petro Vffenbachio Jllustrissimi Landgraffii Hassiæ &c. nec non Inclytæ Reip. Franckofurtensis Medico ordinario ac celeberrimo, Amico meo singularis Studio observando.

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

FAbricando nos fabros fieri, Vir Clarissime, juxtà ac doctissime, ante Menses aliquot, in iuvene isto viro, cujus mentionẽ feci circa finem Observationis 36. Cent. 1. reipsa expertus sum. Tam vehementes enim in ipso erant convulsiones, & corporis concussiones jam antrorsum, jam retrorsum, dextrorsum ac sinistrorsum, ut tres viri, quantumvis robusti, ipsum, ne membra disrumperet, vix continere possent, donec tandem officulum, œsophago infixũ, ad ventriculum detruderem, per os enim educi non potuit. Quid fit? In maximis istis convulsionibus, & dentium constrictionibus, instrumẽtum meum sat forte, & ex aurichalco fabricatũ, sub dentibus adeò confregit, ut planè inutilè factum sit. Sed in quem finem, inquies, proverbium? Dicam sincerè, in hac operatione me edoctum esse, instrumentum, ut à Domino Ryffio inventum, & mihi aliquoties usui fuit, non semper tutum esse. Si enim in ipsa operatione, inter dentes ægri frangeretur, & fragmentum ad ventriculum descenderet, quotnam bone Deus mala? quotnam symptomata periculosa atque mortalia sequerentur? In prædicta itaq; operatione edoctus fui, prædictũ instrumentum (quod omnium quæcũq; in hoc effectu excogitari poterunt, aptissimum est) quia propter multitudinẽ foraminum per se nimis imbecille est, corroborativo aliquo indigere. Idque facilè fieri potest, si stylus ex cupro vel aurichalco, prædicto instrumento ab artifice infixus, & ex utraq; parte, videlicet manubrium & spongiam versùs, firmiter annexus plumbatusq; fuerit? Crassus ut sit stylus ille, necesse quidem est, ita tamen adaptari debet, ut in medio fistulæ collocatus, foramina, ne obturentur, & usus instrumenti imminuatur, non attingat.

Vt autem spissitudinem fistulæ simul & styli, in ipsa veluti medulla in ligno absconditi, rectè cognoscas, & distantiam, quæ inter fistulam & stylum

Obs. 37.

& stylum esse convenit, videas, en frustum fistulæ meæ apertæ cum suo stylo A. notato.

Porrò quia gravissimus & periculosus, imò mortalis est affectus, uti ex observatione 35. Cent. 1. apparet, suadeo, ut fidelis ac diligens chirurgus, prædicto instrumento semper instructus sit, moram enim nequaquam admittit affectus iste, uti in prædicto juvene & aliis observavi. Nisi enim ego instrumentum, quod nullibi in hac urbe, nisi apud me, reperitur, in promptu habuissem, de ipso actum fuisset, propter doloris enim vehementiam, statim affluunt humores, intumescit collum, sequiturq; suffocatio, plerumque etiam inflammatio & Gangræna, uti ex observ. 35. Cent 5. videre poteris. De his, clarissime mi Dn. Doctor, quia lectorem admonitum esse cupio, Tuam Excellentiam etiam atque etiam rogo, ut Epistolium hocce observ. 36. Cent. 1. antequam apud vos excudatur, ad calcem annectere velit. Vale Vir Clarissime, & Fabricium tuum amare perge, Raptim Bernæ 17. Novembris 1633.

OBSERVATIO XXXVII.

Ex ulcere circa fauces appetitus vitiosus, citra quem cibus deglutiri non poterat.


MUlierem quadragenariam sæpius invisi Coloniæ, quæ ulcere maligno circa fauces, ex pituita salia è capite distillante, per annos aliquot laboraverat: adeò ut partes quædam palati, (uti sunt amygdalæ, uvula, epiglottis, & portio gulæ) exesæ essent. Vix loquebatur: cibum & potum non nisi maximo cum dolore poterat deglutire. Hæc autem inprimis notatu digna: quòd quamvis minimè gravida esset, interdum hæc vel illa, prægnantis instar, appeteret, nempe haleces, carnes & pisces salitos & infumatos, aliosque concoctu difficiles cibos, uti & fructus immaturos. Deinde (mirum magis) quòd talia quantumvis dura, sine dolore ullo deglutiret, si modò appeteret. Verùm appetitum & deglutionem illam planè supernaturalem illi, summo Dei beneficio accidisse, non dubito: alioqui vita in tot annos protrahi & foveri non potuisset, quum nullo modo hordeatum aut amygdalatum, vel carnium jus, aut tale quippiam sorbere posset, abhorrente stomacho, adeoque sæpissimè totum triduum à cibo & potu abstineret, donec appetitus ille vitiosus denuò recurreret. Præterea quamvis quod appetebat, morbo contrarium esset, eo tamen sine noxa vescebatur: quicquid autem respuebat, licet idoneum, nauseam, & nonnunquam paroxysmos febriles inducebat. Ex quibus intelligimus, non semper ægrotis severiùs deneganda, quæ natura summè appetit. Siquidem videmus, & nonnullos haud prius ex quartana aliisque morbis chronicis convaluisse, quàm illorum quantumvis vitioso appetitui satisfieret. Sed ea curatio non usquequaque tuta est, imò neque ista mulier illo modo sanitatem recuperavit.

Obs. 38. & 39.

OBSERVATIO XXXVIII.

Insignis curatio ad maxillarum juncturam.

ANno 1590. adijt me mulier quædam, cum tumore duro circa dextram maxillarum juncturam, auxiliares manus implorans. Purgato itaque primùm corpore, & in brachio ejusdem lateris incisâ cephalicâ, optimoque præscripto vitæ regimine,, perrupi & exedi escharoticis septicisque tumorem: ulcus verò propter continuum maxillæ motum, non antè ad cicatricem perduci potuit, quàm maxillam immobilem constituerim, quod effeci duobus ligneis instrumentis; pares furculas duas A. & B. insignitas; habentibus, quas circa superiores & inferiores



dentes collocatas, dentibus beneficio ænei fili, quod per foramina, literis O. O. notata, traducebatur, alligabam: Sicque procurabam, ut os neque claudere, neque aperire posset, supra magnitudinem illorum instrumentorum. Corpus interim jusculis, alijsque liquidis, cochleari cibari jussi: atque adeò intra paucos dies ulcus plenè curatum fuit.

OBSERVATIO XXXIX.

Abscessus post aures serius apertus, febrim & mortem induxit.

ANno 1593. ineunte Aprili, quadragenariam & innuptam puellam Coloniæ Agryppinæ, abscessu post aurem sinistram (quem Medici parotidem nuncupant) laborantem vidi. Nulla adfuit in principio febris, neque lecto decumbebat, imò domestica administrabat. Demum circa decimum quartum morbi diem, quum abscessus ad pugni magnitudinem excrevisset, & materia planè esset præparata, sed propter duritiem cutis diutius retenta, viam deorsum sibi petebat. Tum advocatus, inveni abscessum ex semetipso ante aliquot horas ruptum: puellam verò febre, lipothymia, nausea, & cibi fastidio, vigilijs item, dolore dorsi & renum, laborantem: nihil tamen aut parùm ex abscessu effluebat, neque pus sursum revocari potuit. Itaque paucos post dies è vita decessit: Ex quibus perspicuum est, in hujusmodi abscessibus, sive sint in emunctorijs, sive in vicinia, non esse expectandum, donec sponte erumpant: ut etiam liquet ex observatione 81.

OBSER-

Obs. 40.


OBSERVATIO XL.

Setacei absq; igne adhibendi ratio.

QUum nulla sit operatio in tota Chirurgia, qua magis deterreatur æger, quæque majorem horrorem ipsi incutiat, quàm cauterium actuale, quo hactenus usi sunt Chirurgi in conficiendis setaceis: adductus sum ante annos aliquot, cogitare de comodiore & jucundiore modo applicandi illud, qui in multis tum præclaris, tum plebeis, & Coloniæ & Lausannæ ex voto successit, quique etiam hîc Paterniaci Aventicorum nuper, præsente ALBETTO HAUWENZWEIGIO, Berlinensi, Medicinæ Candidato, & Chirurgicarum operationum inprimis studioso, convictore meo suavissimo, aliquoties feliciter adhibitus fuit. Eum autem modum sic administro:

Præparato satis ægro, cum victus ratione tum purgationibus, & venæ sectione, si morbus requirat & ætas permittat, tenaculam hîc delineatam in promptu habeo.

Magnitudo & figura foraminum forcipis.




Obs. 40.

Hac cutem (in humili priùs scamno ægro colloaato, lineaque per longitudinem colli, in medio ipsius exactè atramento ductâ, nec non utraque parte perforandâ punctis atramento itidem notatâ) quam inter secundam & tertiam, aut tertiam & quartam cervicis vertebram, à musculis separatam, digitis elevo, ministro apprehendendam, firmiterque tenendam permitto: ita quidem, ut puncta atramento facta, ad forcipis foramina sint, quemadmodum monstrat figura.



Deinde ab antica parte stans, pedibus meis circa patientis pedes collocatis, capiteque ejus abdomini meo, quò id (quantum fieri potest) tenere queam, imposito, forcipem sinistrâ prehendo, & dextrâ pro ferrea acu candente, adhibeo argenteum cultellum frigidum, figuræ hîc depictæ, eumq; ancipitem & acutum, instar scalpelli quo venæ inciduntur. Hoc perforo, quod tenetur tenaculis. Mox aliâ acu, hîc quoque depictâ, traduco funiculum rotundum, contextum ex serico albo aut purpureo, crassitie æquante & implente ferè ipsum foramen: longitudine quatuor spithamarum, ut circuncirca collum, & ad pectus usque propendere queat, figura autem cultelli & acus talis esto.



His tandem benè feliciterque peractis, primo apparatu linteum reduplicatum, ovi candido probè conquassato intinctū applico: sedat enim dolorem, sanguinemque, si profluit, sistit. Secundò sequens digestivum impono:

R. Terebinthinæ lotæ in aqua
Betonicæ ℥ ij.
Ceræ novæ ℥ ſ.
Gummi elemi ʒ j.
Olei rosacei & amygdalarum dulcium
ana ℥ ſ.

Dissolvitur gummi cum oleis; additis terebinthinâ & cerâ F. unguentum, addendo vitellum ovi, Croci ℈ ſ.

Facta ita digestione ad sextum usque diem, funiculum paulatim à sinistra in dextram, vel à dextra in sinistram duco, donec pars sanie humectata, sit amota, & extra vulnus propendeat, quò possit abstergi. Deinde folium hederæ, linteolo molli involutum, indies bis impono, idoneisque fascijs contineo, & hoc pacto eousque cum setaceo procedo, donec is cum commodo & ægri salute, extracto funiculo, phœnicino aut diapalmatis ceroto, cicatrice claudi possit.

At hîc rei novitas de more suspecta; suis confirmanda est argumentis. Hoc ut fiat; ante omnia expendendæ duæ primariæ actiones & qualitates, quas inurit candens ferrum: dein videndum, ane sint proposito nostro accommodæ.

Ferri candentis actio & qualitas prima est desiccatio; quæ quidem fit ratione qualitatis calidæ & siccæ, quam ignis elementum ferro imprimit. Hinc altera, merum tamen prioris accidens: corroboratio videlicet partis, quam afficit, eò quòd humiditas excrementitia candente ferro desiccata sit. Vt enim humiditas nimia immollit, laxat, stupefacit, & ineptas reddit partes ad suas functiones; sic temperata siccitas contrarium potis est efficere. Iam disquiramus, num actiones & qualitates istæ sint ad institutum nostrum. Siquidem adhibetur setaceus funiculus loco sano, ad derivandum ac revellendum humorem quemlibet, nihil opus locum sanum desiccari aut roborari. Nam si velim setaceum ad se allicere humorem ex parte affecta, non modò exsiccandus est locus, cui applicatur; sed contra humectandus, quippe constat, sicca non attrahere, nisi prius aliquantum mollita. Præterea, quoniam corporum nostrorum siccitas accidentalis, constringit & comprimit partes, hæc eadem humiditas partes debiles, illis excipiendis opportunas. Alter ferri candentis usus, quem diximus, est corroboratio partis, cui applicatur. Hæc rursus malè convenit loco, in quem deducendi sunt humores. Postquam enim corroborata est actuali cauterio, tantum abest ut attrahat, ut contrà propulsatura sit quod influebat. Ex his colligimus, in defluxionibus, catarrhis, & imbecillitate

tate visus & faciei partium, nec desiccanda, nec roboranda esse setacei vel cauterij loca, cervicem & brachia: imò contrà roborandum locum dolentem, & debilitandum eum, in quem derivandus est affluxus. Setaceus verò funiculus, nostro modo adhibitus, his actionibus vacat. Neque enim desiccat, quum absit calor: nec roborat, imò debilitat potiùs, quum solvatur continuitas. Tertiò denique, in ejus applicatione, cum præstantissimo & Excellentissimo illo Medico, Renero Solinandro, olim Amico, ac Fautori meo plurimum honorando, sectione 2. cons. 13. mihi non probatur usus ferri candentis, ob phantasiam, & horrorem, quem plerique omnes ex eo concipiunt. Age enim, quot homines ex sola phantasia in gravissimos morbos incidunt, febrim, syncopas, epilepsiam, apoplexiam. &c? Adeò ut sint nonnulli, quos citiùs ad prælium adigas, quàm ut ferro candenti sese permittant. Dolor non major, quam in phlebotomia: nisi quum fit digestio. Sed quid hoc respectu doloris ex cauterio? Atque hæc de nostro setacei adhibendi modo, fusè satis, dicta sunto, in rudiorum præsertim, eorumque (qui illum tanquam crudele aliquod remedij genus hactenus aversati sunt) gratiam & informationem.

OBSERVATIO XLI.

De præstantia setacei, exempla quatuor.

QUia in præcedenti observatione setaceum faciendi modum descripsimus, non erit abs re, aliquid de ipsius excellentia subjungere. Setaceum autem, quàm magni faciant præstantissimi Medici, satis perspectum habeo, ne ullâ itaq; usus ejus luculentissimus, apud eos indiget demonstratione: sed quia multi empirici, quos hujus remedij præstantia latet, id tanquam crudele rejiciunt: placuit hic, in gratiam juniorum Chirurgorum, exempla nonnulla in medium adferre, quibus ipsius præstantiam & summam utilitatem, in quàmplurimis cerebri morbis comprobabo.

EXEMPLUM I.

ANno 1598. Iuvenem Lausannæ 15. annos natum, curandum habui, qui singulis ferè diebus, semel ad minimum, accessionem epilepticã patiebatur, cuique ob id multa, sed frustra, præscripta adhibebantur remedia. Ego purgato corpore pilulis aureis & cochijs, institutoq; regimine optimo. Setaceum ipsi adhibui. Hinc accessiones remiserunt, & paulatim ab epilepsia liberatus fuit, corpore ejus post leniter aliquoties purgato.

EXEMPLUM II.

FIlia SIMONIS ENGELGRAFF, habitantis Coloniæ, post variolas ophthalmia ex utroque oculo adeò laborabat, ut de visu periclitaretur. Multa ipsi quoque, sed frustra, præscripta fuerunt remedia. Ego tandem cum clarissimo D. D. ARNOLDO MANLIO, medicæ facultatis in illustri Academia Coloniensi Professore primario, ad consilium vocati, setaceum ipsi consuluimus, & applicavimus, cujus beneficio, & divino favore, brevì quoque curata fuit.

EXEMPLUM III.

SIBILLA filia mea, ætatis suæ quinto quum Anno 1596. gravissimè ex variolis laborasset, & hinc inde defluxione ad oculos, duorum annorum spatio, miserè vexata fuisset: nec ullis remedijs curari posset, setacei tandem, 1589. anno, adhibitione, quo defluxus ad nucham revocatus & evacuatus fuit, paulatim & ipsa, &, oculi ejus, defluxionum immunes, gratia Deo, convaluerunt.

EXEMPLUM IV.

ANno 1603. curandam habui puellam ex agro Muratensi, & filiam honesti viri Hans Mann/ duodecim annos natam, quæ præ defluxione & inflammatione ad oculos, visum planè amiserat; Purgato corpore, institutaque victus ratione, & setaceo adhibito, visum unius oculi recuperavit: Alterius enim oculi tunicæ, ante annos quatuor, ex simili defluxione & inflammatione exesæ, & planè corruptæ fuerant.

In Catharris & destillationibus ad pectus, nihil præstantius esse setaceo, quàmplurimis exemplis, si opus esset, probare possem, quæ tamen brevitatis gratiâ omitto. Hoc tamen Coronidis vice addo, me nonnullos semiphtysicos, qui & sanguinem & pus expuerunt, hoc remedio præcipuè curasse, ut in tertia Cent. Observatione 38. exemplo non vulgari demonstrabitur.

EPISTOLA,

In quâ de instrumento, ad setaceum clausum iterum aperiendum, agitur.

Clarissimo & Doctissimo Viro, Dn. Iacobo Hagenbachio,

Medicinæ & Chirurgiæ Doctori celeberrimo, Amico singulari,
Cui
Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

REctè facis, clarissime amantissimeque mi Dn. Doctor Hagenbach, quod ea, quæ de instrumento, ad setacea consolidata iterum aperienda & renovanda, promisi, in mentem mihi revocas. Inter tot enim molestias, curas, atque labores, quibus dies noctesq; circa ægtos (ut de mœrore ac molestia mea, propter obitum amicorum, taceam) occupatus sum, id ferè oblitus eram. Vnum tamen ante omnia Te scire cupio, videlicet, impossibile esse, vulnuscula setacei clausa, & propter erosionẽ cutis contracta, iterum à se invicem distendere, nisi


Obs. 41. nisi de novo forcipe apprehensâ; & acu perfosâ cute.

Cæterùm quotiescunq; setaceum undiquè cicatrice ita obducitur, & callosum fit, ut non fluat amplius, tunc vulgaris methodus practicorum est, ut laqueo, unguento aliquo corrosivo inuncto, callositatem absumant. Verùm enim verò cum viderem, hoc modo non tam cutem, quàm fundum foraminis erodi, & proinde setacei usum penitùs perire, instrumentum, cujus descriptionem annectam, excogitavi: ejus adumbrationem ad calcem huj⁹ epistolæ adjũgam. Cupio enim ut (quando iterum prodibit) centuriæ primæ observ. 41. in gratiam chirurgorum, simul & ægrorum, annectatur epistola hæc: hujus enim instrumenti beneficio, plerumq; ad annos aliquot, consolidationẽ setaceorum retardavi.

Est autem fistula ex argento fabricata, pollices circiter tres longa, & nonnihil incurvata, ut eò melius collo adaptari possit, crassa verò magnitudine setacei: est & ex interna parte aperta, desinitq; aliquomodo in acutum. Habet præterea ex utraque parte fundum, exiguo foraminẽ pervium. Fistulæ adaptandum est filum duplicatũ, vel triplicatum, quod fistulæ ad instar medullæ inhæreat. Filum hoc in medio, & quicquid fistulæ ad instar medullæ, ut dixi, inditum, crassum, ex utraque verò parte exile est, quo foraminibus traduci queat: uti posteà ex delineationibus videbis. Obs. 41.

Cum itaque setaceum cicatrice obductum renovare volueris, nonnihil caustici nostri, guttulâ unâ aut alterâ aquæ plantaginis aut rosarum, dissolues in formam linimenti; atque hac mixtione filum, sive medullam fistulæ insuccabis; postea fistulam setaceo infiges, eâ tamen lege, ut pars aperta fistulæ introrsum, hoc est, versus spinam vergat, dorsum verò, sive pars clausa cutem respiciat: hoc modo posito caustico, infima pars setacei corrodetur, cutis verò illæsa conservabitur. Instrumentum autem cum suo caustico ad horas sex vel octo, donec facta sit Eschara, relinquendum est. Postea extrahendo instrumentum funiculus ex serico contortus, & digestivo inunctus, ad casum usque Escharæ immittendus; & quotidie donec Eschara excidat, renovandus est. Ne autem instrumentum loco suo excidat, sub mento filum connectere convenit. Quod si Eschara (ut aliquoties mihi accidisse memini) primâ vice non satis profunda facta fuerit, iterandum est causticum. Præter delineationem, instrumentum quoque ipsum ad Te mitto, si forsan aurifaber illud ex delineatione parare non posset. Tu quæso, accipe illud serenâ fronte, & cum tuis omnibus æternùm feliciter Vive. Raptim Bernæ. 15. Septemb. 1628.

FISTULA CUM SUA MEDULLA.



Idem

Ad eundem Virum Clarissimum

Dn. Iacobum Hagenbachium, Medicinæ & Chirurgiæ Doctorem Excellentissimum.

Quo artificio setaceum clausum, Doctissime mi Dn. D. Hagenbach, rursus sit aperiendũ, superiori Autumno ad Te scripsi, & instrumentũ ipsum ad id à me inventum, simul & delineationem misi. Ab eo tempore molestiæ & angustiæ illæ maximæ, in quibus matronam quandam, ex nobilitate nostra, cum suo setaceo cicatrice obducto, constitutam esse videbam, ansam mihi præbuerunt, intendere animum in id, videlicet ut modum aliquem, quomodo setaceum apertum,

Obs. 41.

tum in statu suo conservari posset, invenirem: Idq; non sine fructu mihi successit, ut mox intelliges. Est autem Matrona illa Nobilis, Domina Maria à Diesbach, nobilissimi ac strenui Viri, Domini Samuelis Wunderlich, Domini in Worb, conjux, quæ à juventute ferè doloribus capitis, propter maximam intemperiem calidam hepatis, obnoxia fuit, præsertim ab eo tempore, à quo in matrimonio vixit.

Quum enim sterilis esset, nec menses semper rectè fluerent, aucta fuit intemperies hepatis, simul & dolor capitis. Multos quidem adhibuit Medicos, sed pauco cum successu. Tandem anno 1618. cum in consilium adhibitus fuissem, suasi, ut adhibitis universalibus, cervici setaceum, popliti verò dextro fonticulus adhiberetur. Setaceum quidem admisit (fructum enim ejus atque præstantiam in dolore capitis, ex aliis perceperat) fonticulum verò plane respuit. Originem enim mali ex hepate esse, persuaderi non potuit.

Setaceum hoc maximo cum fructu per annos aliquot gestavit: cum verò planè sanatam se existimaret, & suasu quorundam imperitissimorum, setaceum clausisset, non diu post, dolor capitis iterum ipsam exercere cœpit: qui & paulatim ita auctus est, ut lecticâ in urbem se vehendã curare, coacta fuerit Anno 1625. Mense Febr. ubi non solùm setaceum de novo, verùm etiam popliti dextro fonticulum applicui.

Vix credibile est, quanto cum fructu ab eo tempore aperturis istis usa fuerit. Ad illas enim natura veluti ad cloacam, excrementa principalium membrorum propellit, & intemperiem calidam hepatis corrigit. Superiori autem autumno, quum setaceum cicatrice obduceretur, nec pro more flueret, haud parum anxia fuit: etiamsi enim unguento nonnihil acri cicatrizationem retardare vellet, parum tamen efficere potuit: nec propter pestem, quæ apud nos grassabatur, in urbem venire voluit. Mense verò Martio, cum pestis remisisset, ad me venit, tum prius purgato corpore, & apertâ venâ in dextro cubito, mediante caustico & instrumento, in præcedentibus literis adumbrato & descripto, setaceum renovavi, & aperui.

Cum verò solicitus essem, quomodo consolidationẽ in posterum impedire possem, sequens inveni, & ipsemet concinnavi instrumentum, quo tanto cum fructu utitur, ut nihil supra. Consolidationem enim setacei ex unâ saltem parte, videlicet spinam versùs, impedit, humores attrahit, & cutem magis magisq; corroborat.

Descriptio Instrumẽti.

Est autem stylus ex ligno hederæ arboreæ fabricatus, non rotundus, sed latus, & nonnihil incurvatus, ut collo adaptari possit: Ejus longitudinis, ut infra depictus est. Superna autem pars quæ cutem respicit A. A. notata, quam dorsum appello, lata, & nonnihil rotunda esse debet: opposita verò B.B. ad instar cultri in acutum desinit. Superna itaq; pars, sive dorsum, quia lata & semi-rotunda est, cutem illæsam conservat, interna verò cum sit acuta, carnem paulatim scindit, & ulcus profundiùs efficit.

Adaptato itaque instrumento cum suo filo, ex utraq; parte, ut patet ex delineatione, ulceri loco funis serici infigendum, filumq; sub mento arctè, ne instrumẽtum suo loco amoveatur, stringendum est: Poterit semel in mense novum instrumentum infigi: Ex ligno autem hederæ potiùs, quàm ex aliquo alio ligno, fabricandum esse instrumentum hoc, arbitror. Habet enim lignũ hoc specialem aliquam facultatem attrahendi humores; Experior id quoque in meis fonticulis; quibus loco pisorum globulos, ex hoc ligno à tornãrio concinnatos, impono. Commodissimi sunt. Egregiè enim attrahunt, & non nisi semel in mense eos mutare, & novos imponere, est necesse. Hæc Doctissime mi Domine Hagenbach, quia in praxi tua aliquando tibi prodesse poterunt, celare nolui. Vale; Dabam Bernæ 8. Junij. Anno 1629.

De facultate ligni hederæ.



OBSER-

Obs. 42. & 43.

OBSERVATIO XLII.

De fontanellis in cervice infantulorum, nostra opinio.

QUia pro setaceo pueris nonnunquam adhibetur fontanella in cervice, maximè circa primam & secundam vertebram, idque non sine ipsorum damno & detrimento magno, placuit, peculiarem nostram hac de re opinionem in medium adducere. Præscribunt autem practici infantulis fontanellam hanc pro setaceo, quòd tolerabilem credant, & minùs dolorificam. Ego contrà plurimùm commendo setaceum. Primùm quòd quum sint pueri agiles & turbulenti, subinde excidit à vulnere pisum, sive aliud quippiam vulneri inditum: quo sublato statim coalescit ulcus, ita ut difficilè possit apertum teneri uti decet: ideoq; nullus est cauterij effectus. Quæ duo incommoda ut tollantur, necesse est arctissimo ligare vinculo caput, in coronæ figuram: necesse item ad continendum in ulcere globulum, duplicatum linteum imponere, ut formetur ulcus altiùs: Nam in summa cute parùm purgabit. At ex hac ligatura ecce majus incomodum. Quum puerulis ossa, inprimis verò cranium sit tenerum & cartilaginosum, id ligaturâ sic comprimitur, ut nihilo magis possit in latitudinem crescere, quàm cucurbitæ, quas solent mulieres ad lagenanum usum in medio ligare, dum crescunt: in altitudinem verò totum excrescit. Inde perit capiti (ut vidi in pluribus) sua portio & rotunditas in longitudinem educta. Deniq; quod gravissimum est, cranio ita monstrosè educto in transversum, cerebrum ejusq; ventriculi simul etiam arctantur & comprimuntur: unde, spiritibus non satis elaboratis & præparatis, debilitatur caput, & fit catarrhis obnoxius, & si adolescant, (quod rarum) ingenio sunt tardiore, nisi maturè omissâ ligaturâ, dilatatum sit cranium & nativæ formæ redditum. His ego rationibus statuo, nihil juvari cauterio isto pueros, imò contra morosos effici. Compresso sic cerebro, quæ pars corporis humidissima, coguntur excrementitij humores, qui inibi assiduò oriuntur, vi quadam erūpere: unde quum non detur tempus quærendo naturali meatui, modò in dētes, modò in stomachum modò in pulmones, aliave loca incidunt. Quod quum citra dolorem nequeat fieri, eò redduntur pueri morosiores, quòd defluxus in partes nervosas incurrat.

I. Ratio cur pueris setaceum potius sit applicandū ad cervicē, quā fontanella.

II. Ratio.

III. Ratio.

Setacei nostri dolor, cùm ex ijs quæ suprà diximus, levis est, tum tolerabilior in loco extimo: nec non utilis ille ad attrahendos magis magisque humores superfluos à cerebro, ad colli emunctoria.

OBSERVATIO XLIII.

Hydrocardia.

GEORGIUS BENEDICTUS pharmacopola, quinquagenarius, scirrho hepatis, obstructione splenis, & venarum mesaraicarum, item dolore continuo tum capitis, tum circa omoplatam dextram, nec nō destillatione ad pulmones, tussi, & nonnunqum palpitatione cordis, aliquot mensibus vexatus est. Mortui cadaver incidi, & inveni pectus plenum serosi humoris: pulmonis dextram partem propemodùm absumptam: sinistram non mediocriter inflammatam, & pleuræ costisq; mediante callo quodam, firmissimè adhærentem. Sed quod mirabiliùs, in pericardio ultra libras quatuor saniosi sanguinis, & materiæ purulentæ inveni. Nullum tamen indicium solutionis continui, neque in ipso corde, alioqui externa sui parte leviter inflammato, neque in pericardio: nec patebat via ulla, per quam materia & aqua illa serosa, ad pericardium percolata fuisse videretur. Id tamen ex ipso nonnunquam audivi, quum æger esset, percipere se interdum ad partem colli utramque, qua carotides arteriæ ascendunt, frigidissimum quendam humorem, ex capite delabentem ad pectoris regionem. Dissectioni interfuerunt, clarissimi & doctissimi Viri, IANUS ANTONIUS SARACENUS, Medicus regius, MARCUS OFFREDUS, ANDREAS BONETUS, SALVATOR VERDETUS, GEORGIUS IENISCHIUS, Medicinæ Doctores: & quamplurimi alii.

Obs. 44.

OBSERVATIO XLIV.

Abscessus in pulmone, ex inflammatione ortus, feliciter curatus.

ANno 1595. Mense Decembri, Pitter von Weveldick/ civis Coloniensis, & mihi affinis, per aliquod tempus fœtore anhelitùs, necnon difficultate respirandi laborans, quum agitato aliquando corpore incaluisset, postmodum repentè in scamno decumbens, noctis frigori sese exposuisset, correptus fuit febre & dolore pleuritico lateris dextri. Neglecto in principio morbo, nullis adhibitis idoneis remedijs, in peripneumoniam incidit. Tandem advocatus unà cum clarissimo doctissimoq; D.D. HENRICO PALANTIO, medico celeberrimo, hominem penè suffocatum invenimus. Aderant enim præter alia symptomata graviora, præcordiorum angustia, febris ardens, syncopæ frequentes, nausea, vomitus, &c. Adhibitis fomentationibus, & embrochationibus anodynis & emollientibus: intus verò, quæ ad facilitatem expuendi faciunt, medicamentis, veluti syrup. de liquiritia, de polytricho, &c. ruptus est tandem circa decimum diem, ingens abscessus im pulmone. Inde tussi ejecit, primis quinque diebus, quotidie circiter duas libras puris, cadaveris fœtorem referentis. Deinde diminuta paulatim puris quantitate, ac fœtoris vehementia, persanatus fuit: ut ad hunc annum 1604. usque, quo hæc scripsi, salutariter Dei beneficio vivat.

Placuit hanc historiam meis observationibus Chirurgicis subjicere, propterea quòd rarissimè ulcere in pulmone laborantes, valetudini restituantur; imò extabescant, & sensim moriantur. Motus enim continuus pulmonis, consolidationem ulceris impedit. Adde, quod diffi-

Obs. 44.

culter medicamenta ad locum affectum pervenire possint. Hæc omnia perpendentes Antiqui, (nec immeritò quidem) phthisin ut plurimum incurabilem existimarunt. Phthisis namque vocabulo mors ipsa denotatur, ut in sequenti Epistola clarissimi Viri, D. JOHANNIS RHETHERII G. Philosophiæ atque linguarum peritissimi, & in Academia Lausannensi linguæ Hebraicæ Professoris dignissimi, ad me data, fusiùs declaratur: quam hîc subjicere visum est.

JOHANNES RHETHERIUS.

G. D.

GUILELMO FABRICIO HILDANO, CHIRURGO PRÆSTANTISSIMO

S. P. D.

PRæsto fidem, quam toties appellasti, præstantissime Fabrici. Crebra enim percontatio tua exsculpserat promissum scribendi, de Phthisews etymo, & germano significatu, quem in Hebraica professionis meæ lingua, ἐμφατικώτατον esse autumas, ex ore augusti illius Musarum mystæ, genere, virtute, ac eruditione nobilissimi, CAROLI UTENHOVII NEOCHTHONIS, *placidè Coloniæ Ubiorum, Augusto mense, 1600. anno sibi verè Iubilæo, ad Christum commigrantis, apud quem sanctissima indulgentia ac libertas, & seculorum stabilis æternum Sabbathismus. Sic igitur ajebas; doctissimum juxta ac humanissimum virum, à te περὶ φθίσεως, sive Atheniensi vocabulo, φθόης olim interrogatum; respondisse, sibi post Galenum, aliosq; ferè omnes medicos scriptores, φθίσιν videri, non tantùm ulcus in pulmone, cum corporis attenuatione & tabe; sed amplius quiddam significare, quod insinuat Psal. 16. vox quædam Hebræa. Suboscurè enim tu mihi ista, & tanquam per nubem. Utinam ne vir ille tot negotijs id temporis distineretur eò, ut plenam planamq; rem diceret tibi, aut tu postmodum interrogares, ante tuum ad nos regressum, & illius obitum. Non dubium, quin nobilis homo spiritus altaq; mentis, magnũ quid eximiumq; animo volueret seu ex adversariorum ejus editione expectandum, seu nostro & publico malo ignorandum. Quid verò tu me à Theologia mea seducis ad medicos satis valentem? Honora medicum (audio) propter necessitatem, imò propter honestatem, & acutissimæ scientiæ artisq; eximiæ dignitatem, ne dicam Naturæ miraculum ingens & solatium. Primùm igitur de Hebræa, quam requiris, voce, tum Græca φθίσεως appellatione, cum bono & favente Aesculapio. In Hebræo Psalmi citati contextu una occurrit vox Schachat, quæ ad φθίσιν Græcum possit accedere: & haud dubiè hæc intellecta* UTENHOVIO *est, nempe versiculo decimo, ubi de persona sua David, typicè de Christo verò prophetat, futurum in sepulchro incorruptum Christi corpus, & subsecuturam postmodo intaminati ejusdem corporis resurrectionem: Non derelinques, inquit, animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Interpretes Græci verterunt διαφθορὰν, uti citat Petrus Apostolus, Actor. 2. item 13. Rectè sanè: Nam Hebræis planè idem est scakhat, quod Græcis διαφθορὰ, vel etiam quiddam intentius. Interim Hebraica vox significat quandoque locum ipsum τῆς διαφθορᾶς, corruptionis & absumptionis nempe sepulchrum: imò & quandoq; fossam in genere: uti norunt exercitati in veteri Testamento, Hebraicè scientes. Sed primaria & maximè propria significatio vocis Scakhat est διαφθορά: quæ non satis rotundè & efficaciter redditur corruptio. Non enim exprimitur præpositio διὰ, quæ totius cadaveris absumptionem notat, qualem mihi expressit Syrus interpres, voce Calah, quæ finem, sive consumptionem, sive consummationem, pro rei ratione significat: ut sit hîc totius absumptio sive consumptio. Radix enim Hebræa, à qua hoc nomen, significat funditùs perdi, corrumpi, vitiari, quocunq; id fiat modo aut instrumento. Iam quum nobis Hebræa vox idem sit quod Græca διαφθορὰ, oppidò disquirendum, sintne idem, an aliud, διαφθορὰ & φθίσις sive φθόη. Aristoteles extremo Categoriarum libro, sex facit motuum species. Prima est γένεσις generatio sive ortus: Secunda, ejus contraria φθορὰ, corruptio sive interitus: Tertia, αὔξησις, accretio: Quarta ejus contraria, μείωσις, diminutio: Quinta ἀλλοίωσις, Sexta ἡ κατὰ τόπον μεταβολὴ, mutatio secundùm locum. At verò quam ibi vocavit μείωσιν Aristoteles, alibi nominat φθίσιν, ὁμοίως ᾗ καὶ περὶ αὐξήσεως καὶ φθίσεως ἔχει, οὐδὲν γὰρ φθίνει, οὐδὲ αὐξάνει φυσικῶς μὴ τρεφόμενον. Id est, similiter etiam de Accretione & de φθίσει sive diminutione: Nihil enim decrescit vel augetur naturaliter, quod non nutriatur. Sic in Physicis αὔξησιν καὶ φθίσιν opponit. Item in metaphys. ubi docet Philosophus, Accretionem & Diminutionem versari circa quantitatem, sicut ortum & interitum circa hoc quiddam, &c. Deniq; in universa Philosophia, quam in Categorijs μείωσιν, passim appellat φθίσιν. At quum μείωσιν diminutionem dixit, designavit tantùm motum illum, qui tendit ad corruptionem & interitum; φθίσις verò non illum motum duntaxat, sed continuitatem ejus ad interitum ipsum, in quem motus ille desinit, & res penitus corrumpitur ac dissolvitur. Sic dies, mensis, &c. dicuntur φθίνειν, quum decrescunt, & vergendo perveniunt ad eum statum, ut non sint ampliùs. Ergò φθίσεως vocabulum aliàs commune, sicut διαφθορὰ, medici suæ arti, & certo cuidam morbo addixerunt. Hoc sensu φθίσις medicis erit διαφθορὰ, sive corruptio hectica, quâ corpus tabescit, & minuitur continuò usque ad interitum. Hæc à forma & fine. Sed quum Medici Physici maximè consectentur materiam, illa Galeni accommodatior est definitio, quæ efficientem habet cum materia, quum dicit: Phthisim esse pulmonis exulcerationem cum febri & macie, perpetuaq; vomica. Iam congestis omnibus dicamus: Phrisis est corruptio hectica febriculosa corporis, propter exulcerationem pulmonis, quâ corpus tabescit & minuitur, cum perpetua vomica, usque ad interitum. Tabem nimis latè & jejunè, sed inopia vocabulorum, reddunt Latini: quomodo Hippocratis interpres Aphorism. Sectione 5. Aphor. 9. 11. 12. 14.*

Obs. 44. — Arist. lib. Categ. c. — Arist. de Animali 2. cap. 4. — Arist. Ph. 2. cap. 1. Metaph. l. 2. cap. 2.

Hæc in tui gratiam, suavissime Fabrici, præter votum & institutum, tibi nempe obsecutus. Obsequio quoniam dulces retinentur amici. Tu sanior momum hîc formida, & telum pro utroq; nostrum indue. Vale, Vir ornatissime, meiq; amantissime, cum lectissima conjuge, nostra commatre & liberis, quos omnes; ego & uxor, demissè salutamus.

Lausannæ 14. Septembris, 1602.

OBSER-

Obs. 45.

OBSERVATIO XLV.

Inciso cadavere, gibbositatis causa abdita inventa est in cranio, quippe vertebrarum cariosæ partes in media ferè pulmonis substantia deprehensæ.

ADolescens à pueritia gibbo & asthmate vexatus, tandem ex pthisi obijt, circa annum ætatis decimum sextum. Hujus cranium aperui præsente clarissimo doctissimoq; Viro, Dn. ESAIA COLLADONE, Medico Doctore, & Philosophiæ in Genevensi Schola Professore ordinario, atque celeberrimo. PHILIBERTO SARACENO, Medicinæ Doctore longè Excellentissimo. Inveni processum sive interstitium, aut septum illud, quod eminet in medio ossis ethmoidis, seu cribrosi (qui processus crassitiem papyri excedere vix solet) in latitudinem & altitudinem ita auctum, ut ferè totum os cribrosum obtegeret; adeò ut foramina hujus ossis, per quæ pituita ex cerebro ad nares solebat effluere, planè oppleta viderentur; Et quamvis percocto cranio, vix eorum ullum pateret. Denique ossicula superioris maxillæ, quæ in magno oculi cantho conspiciuntur, adeò excreverant, ut septum nasi hinc inde propemodum attingerent. Hanc præcipuam fuisse gibbositatis causam, verisimile est. Quum itaq; pituita per nares minimè posset expurgari, versùs spinalem medullam tendebat; sicque vertebræ earumq; cartilagines, assiduò irroratæ pituitâ viscidâ, & relaxatæ, tandem excreverunt in gibbum maximum. Nec solùm pars illa dorsi, ex hac defluxione & irroratione pituitæ relexata fuit, verùm etiam omnia ossa à collo usque ad pedes, præcipuè vertebræ, os sacrum, os pubis, ossa pedis, denique omnes epiphyses sive appendices, præter consuetudinem molles ac tenellæ erant, ita ut ferè instar ceræ tractari possent. Illud præterea in hoc cadavere notandum visebatur, quod sexta, septima, octava, nona, & decima vertebræ metaphreni, quæ gibbum efficiebant, exesæ erant carie, præcipuè autem septima, octava, & nona, quarum nihil præter exteriores semicirculos, & eorum processus, quos ego adhuc in musæolo meo conservo, conspiciebantur. Interiores autẽ partes harum vertebrarum, in quatuor aut quinque partes fractas, non sine admiratione in ipsa media pulmonis substantia invenimus. Pulmo enim in parte, quæ dorsum respiciebat, ulcere magno & calloso laborabat, per quod ea fragmẽta ex cõtinuo pulmonis motu attracta fuisse, dubium non est. Tanta enim est pulmonis ad se attrahendi facultas, ut nonnunquam turundas sive claviculos, ex vulneribus pectoris penetrantibus, magno cum periculo ægrotantium ad se attrahat, ut ex sequenti observatione apparet. Quam D. IACOBVS GVY, vir probus, & fide dignus, ac apud Neocomenses pharmacopæus exercitatissimus, amicus meus plurimùm honorandus, ad me non ita pridem scripsit. Illam in gratiam ac utilitatem tyronum hic subjicere, visum est, ut ex ea edi scant, turundæ aut claviculo, in vulneribus thoracis semper filum satis longum annecti debere, ne ob perpetuum motum thoracis atque pulmonum, & propter attractionem, quæ fit vacui vi in diastole, in thoracis cavitatem attrahatur.

Vertebræ exesæ reperiuntur.

De pulmonis mira attrahendi facultate, Exemplũ.

Obs. 46.

OBSERVATIO XLVI.

Turunda ex vulnere thoracis in cavitatem delapsa, tussi ejiciuntur.

Ad

Solertissimum nec non experientissimum virum, Dominum GUILHELMUM FABRICIUM HILDANUM, Medicum & Chirurgum Paterniacensem ordinarium.

ANte omnia me excusatum velim, vir Clarißime, quod tam diu nihil literarum ad te scripserim. Obstiterunt negotia domestica: in arte præterea mea multa occurrunt, & interveniunt, quæ non ferunt me esse arbitrii mei. Cæterùm quia te circa res medicas & chirurgicas curiosum esse, & propediem centuriam observationum, & curationum Chirurgicarum, in lucem missurum sciam, placuit nunc scriptis communicare casum illum, quem aliàs tibi coràm narravi, qui forsan eis adscribi non erit indignus.

Vir probus, nec ex obscura familia oriundus, & mihi sanguine junctus, Anno 1597. in duello à quodam, mihi quoque amico, nec non confratre, vulnus cuspide gladii, sinistrâ manu illatum, inter secundam & tertiam costam veram, haud procul ab axilla dextra, recepit; ex quo sanguis per quindecim dies continuò effluxit, nec à Chirurgis sisti potuit. Ac quamvis symptomata diversa & gravia adessent, (ardens enim erat febris, difficultas anhelitus maxima, & sanguinem cum tussi expuebat, vigilia item & appetitus dejectio aderant) nihilominus tandem cicatrice obductum fuit vulnus. Maxima tamen difficultas anhelitus, & tussis continua, ipsum molestabant, & pus fœtidum & viride expuebat. Sed quod notatu dignißimum, refert duas turundas, diverso tamen tempore, sub emplastro deperditas fuisse, quod quidem evenisse existumat, quòd Chirurgus eis filum non annexerat, ut efficeretur nodulus. Post menses tres à curato vulnere, cùm difficultas anhelitus & tußis, uti dixi, ipsum continuò infestarent, quodam die, matutinâ horâ tußiendo, turundas cum multo pure expuisse, & ab eo tempore nullum, aut exiguum saltem prioris morbi vestigium sensisse, asserit. Anno verò sequenti à curatione, ex bello huc in patriam reversus, cùm denuò dolor è regione vulneris ortus fuisset, me advocandum curavit. Tum reperi partem dextram pectoris inflammatam: locum verò prioris vulneris tumidum ac durum. Ex his aliisq; signis & circumstantiis conjiciebam, non solùm vulnus in ipsam substantiam pulmonis penetrasse, verùm etiam in prima curatione pectus non satis expurgatum fuisse: hinc iterum pus collectum esse circa prioris vulneris cicatricem. Quapropter leviter purgato corpore, maturantia & pus moventia applicui, postea à Chirurgo aperta vomicâ, pus fœtidum effluxit. Vlcus diu apertum tenendum curavi, quo posit retenta in pectore materia paulatim effluere. Tandem curato ulcere, valetudo ipsius adeò confirmata fuit; ut ad hunc usque diem nullum incommodum prioris morbi,

Obs. 46.

quantumvis magni & acerbi, sentiat. Hæc vera affirmare ne dubites: est enim vir probus & fide dignus, mihiq; familiarissimus. Plura non licet propter occupationes. Vale vir clarissime, & me, ut facis, amare perge, Datum Neocomi 6. Ian. 1605.

T. E. addictissimus

JACOBUS GUY
Pharmacopœus.

Ad præcedentem observationem responsio

Ornatissimo Viro, Dn. IACOBO GUY, Pharmacopœo apud Neocomenses experientissimo, Amico meo singulari

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

Literæ tuæ, præstantissime Dn. Guy, amicorum optime, gratissimæ mihi fuere. Casus quem communicasti, revera admiratione non vacat, cùm maximè pulmonis istius facultatis attractricis indicium existat. Incidi nuperrimè in Chirurgiam cujusdam Parisiensis, Chirurgi celeberrimi, Pierre Pigray nomine, qui non absimilem recitat casum, quem, quia forsan non vidisti, brevibus recensebo. Miles quidam, inquit, ictu sclopeti in thoracem vulneratus, post tres aut quatuor menses à curatione, fragmentum costæ, crassum satis & tres digitos longum, per asperam arteriam rejecit. Convaluit, neque ullo deinde symptomate conflictatus fuit. Hactenus Pigray.

Historia admiranda.

Ego superiori anno Genevensem Estiene Iacuenon nomine, ulcere sinuoso & putrido, circa scapulam humerumq; dextrum laborantem, curandum habui, cui in sinu quodam ulceris, turundas duas ex spongiis præparatis factas (proculdubio propter motum musculorum pectoris eo attractas) inveni, & præsente Reverendo Viro, Dn. Iohanni Merula, communi Amico nostro, extraxi. Anhelitus præterea fœtori ulceris planè respondebat. Sed quod magis mirandum, antequã me in consilium adhiberet, Chirurgus quidam Genevensis, nõ vulgaris eruditionis, aquam causticam, quam ex vitriolo, viridi æris, & similibus simplicibus, quæ ferrum, argentumque inficere possunt, confectam fuisse, verisimile est, ulceribus syphone injecerat. Aquæ hujus vis adeò ad os usque penetrarat, ut quotiescunque dentes scalpro argenteo & optimè polito, expurgaret, acumen isti⁹ scalpri nigro colore inficeretur. Sed de casu isto aliàs fusiùs: nunc non vacat. Vale itaque vir amicissime, & me tuum cense. Paterniaci Aventicorum 10. Februarij 1605.

De Stephano Inveneno.

NOTA.

Scias, candide lector, virum istum, cujus in præcedenti observatione meminit Dn. Jac. Guy, in hunc usque diem 18. Aprilis 1630. quo hæc scribo, & ad prælum adorno, superstitem adhuc esse, & pro ætate sua, satis commodè vivere, præterquam quod à multis annis fistulâ in fœmore laboraverit: Ex qua multum puris continuò, nõ sine doloris sensu effluit. Interna verò viscera omnia benè habent; neque tussis ulla, aut respirandi difficultas adest. Vti non ita pridem ad me scripsit Dom. D. Joh. Jac. Crafftius, Medicus Neocomensis.

Obs. 47.

OBSERVATIO XLVII.

Hydrops per umbilicum evacuatus.

Ad

Clarissimum ac Doctissimum Virum, Dn. D. Abelum Roscium, Reip. Lausannensis Medicum ordinarium atque celeberrimum.

Cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. D.

De hydropico nostro Iverdunensi, vir doctrinâ & virtute clarissime, rectè prognosticati sumus. Audivi enim, ipsum post discessum nostrum, non diu superstitem fuisse. Quamobrem Deo Opt. Max. gratias ago, quod paracentesis ipsi à nobis facta non fuerit. Quandoquidem cuncti causam mortis ipsi adscripsissent: sed injuriâ. Morbus enim jam per se propter viscerum, hepatis, scilicet & splenis intemperaturam maximam, atque labefactationem, ne dicam corruptionem, planè incurabilis erat. Nisi enim viscera interna sana & illæsa fuerint, parùm aut nihil utplurimum, incisionem hanc ægrotis profuisse, usus atque experientia edocuit. Testantur id quoque viri docti. Evacuatur enim tantummodò aqua, quæ in vacuo ventri continetur: radix verò & origo mali in visceribus remanet. Contrà si umbilicus in hydropicis paulatim naturæ beneficio in tumorem elevatur, & tandem erumpit, aut inciditur, commodissimam esse viam expurgandi humorem serosum hydropicorum, ac sæpissimè ægrotos ipsos hoc beneficio à morbo liberatos fuisse, viri docti observarunt. Mihi quoque hujus rei exempla occurrerunt: quorum, quia Excell. Tuam rerum istarũ studiosissimam esse scio, præcipuum commemorare non pigebit.

Paracentesis quãdo inutilis.

Ante annos aliquot Hildenæ in patria mea, PETRUS KICKUP quadragenarius, ex febri tertiana, eaque diuturna curatus, in ascitem incidit. Ego advocatus, ventrem in monstrosum ferè magnitudinem elevatum invenio. Umbilicus ad ovi anserini magnitudinem aqua plenus propendebat, quem ut phlebotomo aperirem, obnixè rogabat. Quum verò in tam gravi morbo, temerè & absque consilio nihil tentare vellem, atque de medico accersendo, ut de umbilici incisione consultaremus, cogitarem, umbilicus sua sponte ruptus est: inde per trimestre maxima copia serosi humoris effluxit. Is autem humor ut paulatim flueret, operam dedi, imposito ipsi umbilico linteamine reduplicato & fasciâ involuto, ne ex intempestiva evacuatione aquæ, vires ægri, jam ob morbi vehementiam invalidæ, labefactarentur & planè prosternerentur. Sic divino favore venter paulatim subsidit, ut tandem plenissimè convaluerit, & per annos aliquot sanus vixerit. Demum verò pleuresi correptus, ac nullis adhibitis remediis, obijt.

Obs. 48. 49. & 50.

Post mortem, quum cadaver ipsius aperirem, inveni venam umbilicalem, quæ in adultis in ligamentum solebat coalescere, adeò dilatatã, ut facillimè pennam anseris per eam immisissem. Ex his perspicuum fit, non solum aquam ex vacuo ventris, verùmetiam viscosos humores; qui antea in ipso hepate inclusi fuerant, per ruptionem hanc umbilici evacuatos fuisse. Utinam igitur in hydropicis, arte & industriâ aliquâ, apertio hæc umbilici fieri posset. Verùm de his coràm inter nos aliàs. Interim vale, vir clarissime, & me, ut facis, amare perge. Paterniaci Aventicorum 9. Septemb. Anno 1603.

OBSERVATIO XLVIII.

Hydrops per pudenda evacuatus.

COSMUS SLOTANUS, Chirurgus præstantissimus, quadragenarium ascite laborãtem, curandum habuit. Medicamenta permulta cùm interna, tum etiam externa, ei absque fructu adhibita fuerunt. Tandẽ verò adeo copiosè in scrotum delapsus est humor serosus, ut extincto calore nativo, sequuta sit gangræna. Adhibitis, quę ad gangrænæ curationem spectant, decidit scrotum: ita ut testiculi nudi conspicerentur. Hinc tantùm effluxit humoris serosi, ut à morbo liberatus sit æger, & diu supervixerit sanus: atque (si benè memini) liberos aliquot procrearit. Testes autem natura obduxerat callosa quadam substantiâ, quæ eos vice scroti obtegebat, & ab externis injuriis vindicabat. De hoc casu, & ejus curatione, plura vide in quinta Centuria Obs. 77.

OBSERVATIO XLIX.

Ex vesicatoriis, hydropici tibiis adhibitis, Gangræna, tum mors.

USitatum est practicis, quandoq; vesicatoria ex cantharidibus, hydropicorum tibiis applicare, atque ita pustulas excitare, quibus corpus à serosis humoribus ex parte evacuatur. Verùm id parùm tutò fieri, sequens historia convincit. Genevæ ad Rhodani pontem, novi sexagenariam viduam, ascite laborantem, quæ, quum adhibuisset imperitum medicum, cùm alia, tum & vesicatoria tibiis imponentem, tantùm iisdem aquæ attraxit, ut inde nativus calor extinctus sit, & paucis post diebus mulier decesserit. Unde liquet, hoc remedii genus cautè esse adhibendum. In Iunioribus enim & valentioribus quandoq; efficax est: senibus verò, & quibuscunq; hebescit innatum calidum, exitiosum planè.

OBSERVATIO L.

Ex hydrope nervorum opticorum obstructio: idemq; hydrops maximâ hæmorrhagia narium curatus.

LEUTGEN à Thenhausen, prope Hilden, homo robustissimus & sanguineus, annum agens tricesimum, incidit in leucophlegmatiam maximam, ita ut à vertice usque ad pedes intumuerit. Inde obstructi sunt nervi optici, & sensim cæcus factus est, Ad eum curandum quum essem vocatus, unà cùm clarissimo doctissimoque Domino IOHANNE SLOTANO, Medico Doctore, utrique nostrûm visum est, inprimis curandum esse hydropem, ceu morbum primarium & causam cæcitatis. Curatio apozematis aperientibus, & præparantibus, nec non catharticis lenitivis inchoata fuit. Sed antequam valentiora exhiberemus, accrevit hæmorrhagia ex nare dextra atque adeò magna, ut subitò ultra libras 4. ejecerit: unde in syncopen æger incidit. Vocatus inveni ipsum semianimem: sanguine tamen suppresso, non tantùm vires restauratæ sunt, verùmetiam ab hydrope, citra ullorum aliorum remediorum usum, brevi curatus est æger. Sed propterea, quòd dehinc remedia omnia respuit, à cæcitate non penitus liberatus, biennio post ex febri continua decessit.

Obs. 51.

OBSERVATIO LI.

Adolescens per umbilicum excrementa excernens: in cujus dissectione sedecim sunt observationes lutulentæ.

ADolescens duodecim annos natus, cacochymicus, tumore insigni duro & dolorifico musculorum rectorum abdominis ad umbilicum laborabat. Rupto tumore, excremẽta hanc viam iniêre, ut per hebdomadas quatuor aut quinque, nihil per alvum egestum sit. Ego ventrem dissecui, coram clarissimo & doctissimo PETRO CANALI, GEORGIO IENISCHIO, PHILIBERTO SARACENO, Medicinæ Doctoribus, & M. SIMONE, Chirurgo.

1. Inventa sunt excrementa in vacuo ventris, intestinis suffusa.
2. Intestina, præter naturalem situm, miro quodam modo intertexta.
3. In colo versus hypochondria sinistra, ulcus oblongum & callosum.
4. Colon in maximam capacitatem distentum, ut vẽtriculum potiùs esse, quàm intestinum judicaturus esses.
5. In fine mesenterii tumor insignis & prædurus, intestinum rectum adeò comprimens, ut exinde nihil excerni posset.
6. Quod reliquum fuit excrementorum in intestinis, adeò induratum, ut lapides potiùs quã excrementa viderentur.
7. Totum mesenterium, pancreas, item intestina, vena portæ, tumoribus scirrhosis scatentia.
8. In imo ventriculo ulcus.
9. Tubercula glãdulosa pylori, in scirrhum maximum aucta.
10. Lien firmissimè costis adhærens.
11. Circa vasa splenis, venam portam & cavam, steatomata, & scirrhi non pauci.
12. Hepar exangue & scirrhosum.
13. Diaphragma undiq; tumoribus scirrhosis & steatomatis scatens.
14. In pectore & pulmonis substantia, item circa cordis vasa, œsophagum, & asperam arteriam, scirrhi quamplurimi, & steatomata penè innumerabilia.

Obs. 52. & 53.

15. In pericardio ichoris magna copia.
16. In cordis acumine tuberculum album, ad nucis avellanæ magnitudinem.

Observatio LII.

Post sanguinis ex umbilico infantuli profluvium, totius corporis imbecillitas, ac tandem mors.

OBstetrices parùm exercitatæ solent nonnunquam infantulorum vasa umbilicalia, aut nimis strictè ligare, ut citiùs abscindantur: aut nimis laxè, ut ligatura non satis retinere possit sanguinem. Id quod Coloniæ in duobus infantulis Nobiliss. matronæ accidisse memini, quorũ vires naturales, vitalesvè, ex hujusmodi hæmorrhagia adeò fuerunt exhaustæ, ut nullo modo refici potuerint, donec tandem languidi è vita decesserint. Erunt itaq; filo sæpius duplicato diligenter liganda vasa illa. Ad majorem quoque securitatem videant Obstetrices, ut instructæ sint sequenti pulvere, qui postquam abscissa fuerint vasa, illicò inspergendus est.

Instructio Obstetricum.

R. Aloes,
Thuris,
Sanguinis draconis ana ℥ j.
Cornu cervi usti,
Terræ sigillatæ,
Farinæ volatil. ana ℥ ij.
Pil. leporum minutiss. incisorum ℥ ß. Misce.

Observatio LIII.

Ex vmbilici abscissione subita mors.

ADolescens quidam, post vulnus exiguum inter vmbilicum, & costas mendosas, acie gladii ipsi inflictum, mox humi procumbens, quàm primùm expiravit. Vocatus, miratus sum, eum tam levi vulnere accepto, & circa locum (mea quidem sententia) haud ita periculosum, tam subitò decessisse. Sequenti die, cadavere desecto, causam pervestigans, inveni interiora omnia illæsa, præter vmbilicalem venam, in adultis ligamẽtum potiùs; quæ quidem vena planè abscissa fuit.

Annotatio.

Vasorum umbilicalium usus

Infans quandiu gestatur in utero, per venã vmbilicalem ad se trahit alimentum. Nato puero vena illa (ne penitus sit inutilis) sensim indurescit in ligamentum, cujus beneficio hepar vmbilico alligatur. Ligamento autem abscisso, hepar sursum retrahitur, & diaphragma adeò comprimit, ut homo neq; inspirare, neque expirare possit; imò suffocetur illico. De vasis umbilicalibus, plura, si Deus vitam concesserit, in secunda editione tractatus nostri Germanici, de præstantia Anatomiæ videbis.

Observatio LIV.

Ex vehementissimo dolore colico, abscessus in sinistro hypochondrio, cum intestini erosione, & excrementorum per vlcus ejectione, feliciter curatus.

Obs. 5[4].

Ad
Clarißimum ac celeberrimum virum D. D. GALENVM WIERVM, Reverendiß. Electoris Treverensis &c. nec non illustrißimi Clivensium, Iuliacensium, & Montensium, &c. Principis, Archiatrum dignißimum.

QUoties subit animo tua illa in me, vir clarissime & præstantissime, propensa voluntas, & amor à teneris meis annis, (fraterno ornatissimi HENRICI WIERI, Treverensis Episcopi Archiatri simillimus,) gestit animus, gratitudinis meæ symbola quædã, cujusmodi saltem sunt literæ, apud Exc. T. relinquere. Remorantur tamen me & obsistunt tua illa amplissima munia, negotia, ac studia indefessa, quibus vereor ne tædium potiùs importuno meo alloquio pariam, quàm solatium aut delectationem aliquam adferam. Verumetiam, quum T. Excel. norim circa res medicas & chirurgicas libenter versari, quæ modò rarò contingant, & tua contemplatione ac ratiocinatione indignæ non sint: (Nam ex illa, quam in Gallia, ac Italia, Florentiæ inprimis, comparasti tibi, rerum cognitione, & in ijs tractandis dexteritate, T. Excel. ac humanitas mihi sæpius impertivit, quum D. COSMO SLOTANO, Chirurgo experientissimo, operam darem:) Ideo hoc nómine ausus sum, tecum familiariter communicare haud vulgare quiddam, quod non ita pridem in manus meas incidit, quodque Dei beneficio feliciter curatum est.

Anno 1601. mense Octobri, Nicod. Estopey, paganus de Trey, quinquagenarius & homo robustissimus, acutissimo dolore colico, maximè sub costis mendosis lateris sinistri, & ventris constipatione correptus est. Quum autem nulla adhibuisset idonea remedia, & excrementa supra modum indurata, per angustiam (quam CASPARVS BAVHINVS, Anatomicus & Botanicus insignis, in colo intestino primus observavit) permeare non possent, intestinum verò in ea parte excrementorum & flatuum copiâ turgeret, exacerbatus est dolor & cruciatus. Inde febris vehemens & continua, item vomitus, syncopæ frequentes, deliria, aliaq; graviora symptomata, sequuta sunt, ita ut præsens vitæ periculum immineret. Accensa in colo inflammatio degeneravit in abscessum, simul & excrementa, & lumbrici aliquot manarunt. Ego itaque literis clarissimi ac reverendi D. IOHANNIS MERVLÆ, apud Paterniacenses Pastoris vigilantissimi, & ABRAHAMI ESTOPEI, ibidem Ludimoderatoris, advocatus, ægtum in extremis invenio languoribus. Nam præter symptomata superiora, ipsa quoque excrementa toto bimestri per ulcus emanarant. Remedijs tamen tum interiùs tum exteriùs adhibitis, dolor, febris, aliaq; symptomata sensim remiserunt: ita ut trimestri spatio, Deo gratia, pristinæ sanitati, nullâ rejectâ fistulâ, restitutus fuerit. Qua de re hactenus.

Verùmtamen aliquid prĕterea de extractione fœtus mortui, familiariter & amicè dicam. Quam quum, nec immeritò, Celsus difficillimis opera-

Obs. 54. operationib. annumeraret, me tamen ad maximam facilitatem hanc revocaturum; juvante Deo, ausim profiteri. Quum enim frequenter in his locis ad ejusmodi curationes accersar, indies adminicula & artificia ad ejus facilitatem maximè accommoda, cum felici curationum exitu, commiscor.

Hæc placuit ad te, vir undiquaq; doctissime ac experientissime, de hisce duobus Chirurgicis capitibus scribere, non modò ut te aliqua occasione, post tantum silentium affarer, & de tua valetudine, & rebus, solicitum me testarer; sed etiam ut tuum de ijsdem capitibus aucuparer judicium. Cæterùm Observationum & curationum Chirurgicarum Centuriam, prælo subjiciendam paro: Meditor etiam de illa fœtus extrahendi methodo Tractatum. De Gangræna quoque, & sphacelo paratum habeo tractatum, Germanicâ Linguâ, multò auctiorem prioribus: quē, si Deus cœptis faverit, latinū dabo. Ubi suppetent ab impressione exemplaria, eorum dono mihi honorem abs te comparabo. Vale Æsculapia soboles, meque ama, ut facis. Paterniaci Aventicotum. 6. Martij Anno 1602.

T. Exc. addictißimus & obsequentißimus.

G. Fabricius Hildanus.

ANNOTATIO.

Superioris curationis & sanationis, qua prædictus Nicod Estopey Dei beneficio ad hunc usque annum 1605. fruitur, præter cæteros commemoratos, testis est D. NATHANAEL Chambutus, verbi divini minister, & Pastor ipsius.

GALENUS WIERUS

Reverendiss. Electoris Treverensis, &c. nec non Illustriss. Principis Cliviacensium, Juliacens. & Montens. &c. Archiater, Guilelmo Fabricio Hildano, Chirurgo præstantissimo.

S. P. D.

TUAS, ornatißime Vir, non minùs doctas, quàm experientiâ plenas accepi literas, quæ mihi duplici nomine fuerunt gratißimæ, tum quòd locupletes amoris ergâ me tui indices sint, tum verò quòd singulare tuum juvandæ Reip. artisq; medicæ studium testentur, quorum utrumq; eximiam animi bonitatem arguit. Legi observationem 54. de dolore colico, in abscessum intestini desinente, quo exteriùs rupto, fœtidißimum pus, excrementa, & lumbrici aliquot exierunt; unde æger postea commodis medicamentis, à te præscriptis, convaluit. Placet multùm observatio hæc, & curatio: quæ si remedijs illustrata esset, magis magisq; posthac alijs usui foret. De varijs & admirandis abscessibus, plurima leguntur in Tractatu de partu Cæsareo D. FRANCISCI ROUSSETI, medici Galli, qui liber multa habet lectu utilißima. Memini ego, Monspelij à Præceptore meo D. LAURENTIO IOUBERTO, Medico, & Professore Regio celeberrimo, nobis ostensum fuisse cultellum obtusum, qui panno obductus, ab opilione alteri cuidam vi in os ingestus, & per gulam demissus, longo tempore, & (si rectè recordor) toto biennio in corpore delituit, donec abscessu in inguine facto excretus, & æger ope Chirurgi curatus fuit, qui postea septennium adhuc supervixit. Scribit etiam ANTONIUS BENEVENIUS, de abditis nonnullis ac mirandis morborum & sanationum causis. Hæc & similia quando occurrunt, notatu ac observatu sunt dignißima. Macte igitur ingenio, Vir amicißime, qua cœpisti via, perge, & quam extrahendi fœtus mortui invenisti rationem facilem, communica: Tum & alia, quæ præ manibus habes, aliquando perfice, & in publicam utilitatem profer. Interim unicum illud, dum hæc scribo, in mentem venit, quod in observationibus tuis legi, ex meo relatu additum, de Verme in Cysti fellis reperto, verißimum quidem illud esse; non unum sed duos fuisse vermes, qui in puella quadam hydrope mortua Monspelij, cujus cadaver in hospitio meo secui, sunt inventi: quorum unus adhuc inhærebat poro cholagogo declivi, at alter penetrarat in hepar: quos ego non in vesiculâ fellis genitos, sed ex intestinis per meatum illum expurgandæ bili destinatum ascendisse, existimo, Cysti fellis aquea bile vel aquoso potiùs humore, quàm felle refertâ in corpore hydropico: Hinc etiam alterum vermem penuria alimenti ad hepar penetrasse, verisimile est. Calculis vesicam fellis confertam se deprehendisse inquit FERNELIUS lib. 1. suæ med. cap. 7. ANTONIUS BENIVENIUS idem affirmat: quod & ego in dissectione observavi; minusq; rarum est. Plura adderem, nisi Nesselrodium vocatus, mihi cum pharmacopœo istuc properandum esset. Ignoscas itaq; festinationi & tumultuanti calamo. Bene vale cum suavißima conjuge, quam unà tecum ego meaq; salutamus peramanter. Raptim Dusseldorpij 16. Iunij, Anno 1602.

OBSERVATIO LV. *Obs. 55.*

Gangræna ex hernia intestinali, cum intestini erosione, curatio.

NObilis matrona MARGARITA à GLERESSE, septendecim annis insigni hernia laboravit, quæ circa annum ætatis sexagesimum tertium, mense Decembri Anno 1597. torminibus maximis vexata est. Intestinum in abdominis rupturam impulsum, ac inibi retentum, dolores non leves, simul & inflammationem, aliaq; graviora symptomata concivit. Vocatus demum K. Ianuarii 1598. inveni dextrum inguē gangræna affectum. Scarificato itaque tumore & cæteris, quæ ad gangrænæ curationem attinent, adhibitis caro putrida & callositas rupturæ exciderunt: unde symptomata, dolores, inflammatio, febris, tormina, lipothymia, nausea & vomitus sedata sunt: sed intestinorum materia, nondum penitus excrementosa, velut ilei & coeci, per abdominis rupturam excernebatur, circiter menses duos. Ægra tamen, multùm mirantibus adstantibus, favente Numine, sanata & à ruptura perfectè curata fuit, nulla relicta fistula, aut herniæ indicium.

Obs. 56. Curationi sæpius interfuere, qui & sanationis testes sunt, Nob. GABRIEL à BLONEY, Baro en Chastelart, & Nob. PHILIPPUS CERIATIUS, Dominus de Denesi, & Reverendus Claudius Merlinus, Villetanæ & Culicens. Eccles. pastor, Moyses Bettetus, & plurimi alii, quorum etiam mentio facta fuit in prima Observatione, vixit autem matrona illa usque ad finem ferè anni 1613 obiitq; peste. Ex his duabus jam recitatis Observationibus, palàm fit, intestinorum vulnera non esse prorsus deplorata.

OBSERVATIO LVI.

De vermiculis, abscessu in vesica putrido rupto, cum vrina excretis.

VIRO

Clarißimo ac excellentißimo D. D. IACOBO ZVINGERO, Basileæ patriæ Medico, ejusdemq; Academiæ celeberrimæ Professori celeberrimo.

VNdenam ista immensa tua in me benevolentia, vir clarissime & excellentissime, quâ me, dum jam sæpius antè, ac non ita pridem denuò paucis antè diebus, Lucullico & Platonico exceptus sum convivio, complecteris? Respondere quidem par & æquum foret, sed quid, aut quomodo? Ad silentium redigor. Tantis enim beneficijs obruor, ut quamtumvis pro virili Excel. T. sim promptissimus, ac talis, quandiu divina nobis gratia vitam benignè concesserit, futurus sim, ijs tamen minimè respondeam. Porrò, ut tandem amicorum quorũdam obtemperarem petitionibus, post meum à vobis discessum, manum Observationibus meis Chirurgicis admovi: In quibus quum casum quendam (mea quidem opinione) non ita frequenter obvium, annotatum expenderem, eundem T. Excel. in similibus haud dubiè in consilium adhibitæ, inscriptum, ut, si hujus forsan argumenti haberet exempla, ea huic in gratiam studiosorum subjicere, & pro summo innatoq; ingenij sui acumine atq; doctrinâ, luculentiùs explicare, minimè gravaretur, meis hisce Observationibus inserere volui. Iste autem ejusmodi est.

Anno 1591. mense Iulio, vocatus in Garrad, ad uxorem Hermanni Kickup (cujus antea quoq; mentio facta fuit) quinquagenariam quidem, sed tamen robustissimam, quam inveni laborantem vehementissimis circa imum ventrem doloribus, cum manifesta duritie. Hæc vrinam & excrementa non nisi cum gravissimis doloribus, parturientis similibus, excernebat, febrim, quandoq; etiam lipothymiam patiebatur. Purgato autem leniter corpore enematibus emollientibus, anodyna injeci: exterius fomentationes ejusdem intentionis applicui: His per aliquot dies adhibitis, ruptus est tandem in vesica abscessus, isque octo aut novem diebus excretus fuit. Quoties verò ægra lotium reddebat (reddebat autem sæpius) simul etiam multum puris fœtidi, innumeris scatentis vermibus (quales in caseo nascuntur) eminxit. Inde sedati sunt dolores aliaq; symptomata. Postea injecto per syphonem in vesicam diebus aliquot decocto ex centaurio, absynthio, hypericone, herniaria, cum vino albo, cui nonnihil mellis rosacei admiscebam, persanata fuit ægra, multisq; post annis incolumis vixit.

Alia observatio ferè similis. Retulit mihi aliquoties COSMUS SLOTANUS, Chirurgus præstantissimus, se dissecuisse cadaver hominis, non obscuri nominis, cujus vesica ad magnitudinem capitis infantis, scirrho extensa fuit. Laboraverat ille antea per annos aliquot, difficultate mingendi, cum maximis doloribus. Adhæsit autem undiq; firmissimè scirrhus corpori vesicæ, præterquam ea in parte, qua ureteres in vesicam ingrediuntur, ubi natura sibi ductus ad penem usque pro excretione vrinæ reservaverat.

Tertia [...] absimili[s] obser[vatio]. Ante annos sex, Lausannæ honestam matronã aliquoties cum clarissimo D. D. ROSCIO, Medico celeberrimo, & CLAUDIO MARIONE, pharmacopœo peritissimo, invisi, cui scirrhus magnitudinem pugni excedens, in ipso vesicæ corpore concretus fuit. Magnitudo scirrhi tum immisso in collum matricis digito, tum stylo exploratorio, & cathetere, notari comprehendique facilè potuit.

Quarta observatio. Anno 1599. Coloniæ Agrippinæ cum D. D. IOHANNE SLOTANO, Medico celeberrimo, juvenem virum curandum habui, cui ex casu in dorsum, vrina retenta fuit. Multa ei remedia adhibuimus, vrinam tamen nisi immisso cathetere usque ad 17. diem reddere non potuit; demum rupto in vesica abscessu, pus fœtidissimum, simul & vrinam liberè excrevit, ac brevi convaluit: ut alibi fusiùs declarabim⁹, quum jam propter temporis angustiam plura non liceat inserere.

Atque hæc sunt, quæ ad T. Exc. Chirurgicarum operationum dexterrimè adhibitarum amãtissimam, hac vice scribenda potissimùm duxi: super qua re judicium tuum exactum videre percuperem. Deum Opt. Max. oro, ut T. Excel. cum tota familia quàm diutissimè incolumen conservare clementer velit. Datum Paterniaci Aventicorum 6. Septemb. Anno 1604.

T. Exc. addictissimus & obsequentissimus.

G. Fabricius Hildanus.

IACOBUS ZVINGERUS

Guilielmo Fabricio Hildano, Chirurgo Præstantissimo.

S. P. D.

QVando ergo tu, peritißime Fabrici, plus mihi tribuendum existimas, quàm ego agnoscam, haud obscurè subinnuis, reipsa præstare me debuisse, quod, ceu acceptum à me, plenis verbis extollis & prædicas. Quicquid sit, ingenuitatem tuam amplector; inprimis laudo consilium tuum, quod cepisti, designandi ijs operationibus, quas solers Χειρουργὸς præclaro successu toties obivisti. Probè monet Hippocrates, decere nos *De elegantia. n. 66.*

τὴν σοφίην

[Obs.] 56. τὴν σοφίην εἰς τέχνην μετάγειν, quod commodùm de otiosis plurium commentationibus dici potest; quos præstaret, ingeniorum suorum acumen in utilem medicæ artis, hoc est, operationis seu πράξεως scopum actutum traducere, quandoquidem intra scholarum umbracula magni Medici plerumq; vocamur, vix tyrones futuri, si jam manus cum exitiali morboso hoste conferenda esset. Rectè ergo tu, & præcepta tenes Coi nostri senis, & exemplum imitaris: quo præiens nobis, eventus medicos, à se visos, tum ab alijs fanorum sacrarijs appensos, sollicitus observat, posterisq; τοῖς τῶν ἰητρῶν παισί, quasi per manus tradit. Et quamvis universalis quorumlibet morborum theoria, inprimis si methodica fuerit, sua utilitate non careat, ut quæ bona ingenia, in viam medicæ εὐπραξίας, jactis verè principijs, constituat; cum tamen sit ἀδύνατον, singularium momenta omnia, sic uti contingunt, infallibili decursu præsignare, rectius ij, meo saltem iudicio, Medicæ œconomiæ, sed & humano generi consultum volunt, qui experimentorum suorum historias, optatis eventibus nobiles, bona fide litteris descriptas, publicitus communicarint. In his cùm ipse sis, ut erectior cœptum opus, elegantis ingenij probatiq; judicij tui condignum fœtum, eniteteris, hac mea ἀφιμία hortandus & solicitandus videbaris.

Et quando tu mihi arduum affectæ urinariæ vesicæ casum expendendum porrexisti, quantumvis Chymicorum principiorum paulò altior consideratio, hoc ipso momento me diversum abripiat, dicam tamen nonnulla, quæ jam venerunt in mentem, fortè non ineleganter ad rem præsentis negotij facientia.

Abscessus vesicæ est, quem describis, eventu rarus, scitu dignißimus. Cùm enim tumor omnis in abscessum demum abscedens, sit extra vasorum ductum, effusi cujuslibet humoris proles, dum congestus partes sibi mutuo incumbentes sublevat & attollit; initiò quidem non satis mente concipimus, quo pacto concavam vesicæ superficiem is liquidò obsideat, si una duntaxat, simplici tenuiq; dura quantumvis tunica, sit contexta. Id enim statuit Galenus, cum excrementi serosi duntaxat receptaculum esset, simplicis duraq; membrana amictum illum suffecisse. E contra, cum non obscurè alibi duas eidem validißimas attribuat, quas nequeat transsudando permeare urina, quod Asclepiadis erat somnium, evitata priore dubitandi ansa, non diffitemur, id, quod cum Hippocrate idem testatur Gal. affectionis jam dictæ capacem esse vesicam. Et quamvis Galeni hæc duo loca nonnihil adversa conciliaturi, haud gravatim largiamur, cum pleriq; Anatomici præter unam vesicæ propriam, etiam alteram observent, quæ forinsecus à peritonæo adveniat: harum quidem primo naturalium facult. meminisse Galenum; solius autem propriæ, quinto de usu partium: hac vice tamen, non possum non præstantissimo Archangelo Picolhomineo, Anatomico Romano subscribere, qui præter eam, quam sufficit peritonæum, binas alias observat proprias, quibus interiùs crustosa quædam pellis integatur. Hinc enim contingit, quod tu quoq; expertus dicis, ut dum proprias jam dictas infestet abscessus, rupta interiore, quæ tenuis est, in cavum vesicæ se exoneret: cum si illi spatio, quæ inter peritonæi tunicam & vesicæ propriam intercedit, se insinuaret, facilius peritonæi rupta propagine, aliorsum evaderet. Narrat Piccolomineus, ejusdem læsionis non admodum dißimile exemplum, puellæ undecim annorum, cui interiorem hanc tunicam humorũ acrimonia degluberit, ut fibræ exterioris, inflammatione conspicuæ, eam penitus carneam arguerent. Hic est locus ὁ πεπονθώς. Affectus tandem ipse mihi in memoriam revocavit Hippocratis Prognosticum. Κύστιες δὲ σκληραί τε καὶ ἐπώδυνοι, πάντων μὲν κακόν. Κάκιστον δὲ πυρετῷ συνέχει. Καὶ γὰρ, οἱ ἀπ' αὐτέων πόνοι ἱκανοὶ ἀνελεῖν. Καὶ κοιλίαι τοῖσι τοιούτοισι οὐ πάνυ διαχωρέουσι. Hoc tam aptè & ad unguem congruit affectui tuo, ut mirum sit, nihil dici ab Hippocr. quod se tibi impræsentiarum non objiciat. Ergò, quod deterius malum est, majoreq; cum ambiguitate junctum: dolores sat grandes & internecini, ut ægra tua animi quoq; deliquium arceßiverint, eò tu felicior medicus es, qui veræ medicæq; rationis suasu ductuq;, eidem expugnando strenuam operam navasti: eo ipso eventu, quem idẽ noster senex felici pariter στοχασμῷ prædivinat: dum subjungit λύει δὲ τούτους οὖρον πυῶδες ἐλθὸν, λευκὴν καὶ λείην ἔχον ὑπόστασιν. Dissentit tamen à te, qui fœtidum pus describis, & vermibus innatis fœdum. Iacotius in coacis; Si pus, inquit, corruptum apparet, cum fœdo odore & dolore, significatur ulcus in sphinctere cavum mansisse & sordidum, aut in corpore vesicæ: è quo cum urina crassa, modo sanies, modo pus graveolens excidit, tandemq; subsidet in imo. At melius nos ominari jubet curationis tuæ κατόρθωμα; quod nullius gravioris ulceris periculum secutum est. Ergò si uniusmodi fuerit is humor, qui facto abscessu maturuit, albam & lævam hypostasin cum Hippocrate tum præstolabimur; sin secus, & diversorum humorum putrida colluvies vitium faciat, qui poterit natura eodem caloris gradu, è diversis humoribus, ejusdem lævitatis & caloris pus elicere? quando ne in sanguinis quidem generatione id potest, ut omnes illius portiones, ejusdem sint substantiæ & accidentium. Ergò si materiæ labes intervenerit, non ea debilitati agentis naturæ, non alteri alicui graviori damno ascribenda est. Sic tu Fabrici, Vir ἀντάξιε ἄλλων, Hippocraticæ προγνώσει felici experimento auctoritatem dedisti; ut ipse Hipocrates vicißim, tuum hocce experimentum, θεσπέσιος vates, aptißimè collineans prædixisse videtur. Quantò ergo major est, & inconstans conjectura Medicæ artis, tantò præstantiores Medici ij demum futuri sunt, qui certas universales ex incertis singularibus, mira judicij felicitate condere possunt.

Coronidis loco, non pigebit cujusdam affectus brevem delineationem tibi ob oculos collocare, qui exterioribus signis illo tuo nonnihil aßimilis, commodum hunc disquisitionis locum non respuere videtur. Virgo 40. circiter annorum, equo exterrito dejecta, λειποθυμίαν incurrit. Subsequentibus diebus, sub umbilici regione, tumoris subnascentis indicia animadvertit, quæ incrementis provecta, ad pilæ sat grandis magnitudinem hoc ipso tempore excrevit. Ad tactum durus est tumor, à carne incumbente, ut præ se fert, liber, gravioris doloris expers; quanquam, dum fluunt menses, (fluunt autem præter ordinem frequenter, ut ægrius non semel adsiciatur) exacti sensus, tangentis vel incumbentis molestiam, quantumvis levem, non inferat. Vrinam inoffensè vesica excernit, in meatu tamen, nesciens quibus obstaculis intercepta, exiguam moram trahit, dum liberè, haud ullo doloris sensu prosiliat. Considerandum hic est, ubi stabuletur malum, uterone, an vesica, vel saltem mesenterio, aut omento adhæreat? Momus ille Homericus, in homine quem fabrica-

Margin notes: Obs. 56. — 71. libr. 2. — Comm. l. in libr. 6. sect. 2. aph. 48. — [l.] De Usu [p]art. 11. [c]ap. [1]4. — [l.] Natural [f]ac. 13. — [l.] Progn. [7]1. — Libr. 3. Anatomi Lect. 24.

Obs. 47. & 48.

fabricarat Vulcanus, fenestratum pectus requirebat, quo reclusis penetralibus visui offeret se, quicquid illic fraudium lateret absconditum. Quod si nobis Medicis votis agendum esset, tales sensibus nostris aditus, vel saltem lynceos oculos exoptaremus, quibus nequicquã externi corporis integumentis obsistentibus, in abdita pervaderemus, adfecti loci cum morboso hoste conflictum liberè perspecturi, ὦτα γὰρ ὀφθαλμῶν ἀπιςότερα. At cùm paciscendum sit nobis cum diversorum signorum assiduo concursu, quanto cum periculo sæpius quam par sit, id fiat, tam mihi probè cognitum est, ut quid de præsenti casu ego constituam, tantisper ἐπέχω, dum tuam sententiam inaudivero. Opt. Vale Vir Clariss. Basileæ 7. Novemb. 1604.

OBSERVATIO LVII.

Colica ex vermibus, quomodo curata.

Puella 12. annos nata, eaque mihi sanguine juncta, gravissimis doloribus colicis vexabatur, febris continua, & syncopæ frequentes aderant. Ego vocatus enemata aliquot anodyna, & flatus discutientia exhibui. Exteriùs fomentationem ex floribus chamæmeli, meliloti, semina carui, anisi, fœniculi, fœnigræci, foliis & radicibus malvæ, altheæ & similibus, applicui. Sequenti die infusionem rhabarbari ex aqua absinthij parumq; benedictæ laxativæ propinavi: quibus tamen dolor non cessavit. Tandem adhibito clystere ex lacte recens mulcto, globulum vermium pugni magnitudine, ultra septuaginta lumbricos adeò intricatos& conglomeratos complectenté, ut separari vix potuerint, alvum exonerando, excrevit. Quo facto, dolor reliquaq; symptomata, quibus antea vexabatur, illicò sedata sunt, & brevi post tempore pristinæ sanitati restituta fuit.

OBSERVATIO LVIII.

De dolore colico.

Quadragenarius quidam, in sinistro latere maximis doloribus cruciabatur: quos Medicorum nonnulli ex calculo renis sinistri, alii ex splene originem ducere rebantur: Ego advocatus, ex flatibus & excrementorum retentione in colo; id quod etiam eventus demonstrabat. Exhibitis namque enematibus & fomentationibus, inunctionibusq; emollientibus& anodynis, excrementa prædura & sanguine circumcirca cooperta ejecit. Purgato deinde corpore electuario benedictæ laxativæ ℥ ß. cum decocto agrimoniæ, cuscutæ, capilli veneris, seminis anisi, fœniculi dissoluto, & aqua cinamomi aromatizato, plenissimè convaluit.

ANNOTATIO.

Cur dolores colici in sinistro latere exacerbentur.

Dolores Colicos ut plurimum in sinistro latere sub costis mendosis exoriri& exacerbari, jam pluries observavi. Id autem accidit propter coli in ea parte angustiam, quam doctissimus Dn. D. CASPARUS BAUHINUS, Anatomicus & Botanicus insignis, & Ducis Wirtembergens. atque Comitis Montpelgardensis Medicus ordinarius, primus animadvertit. Quum enim excrementa in superiori & capacissima coli intestini parte in globos magnos, prout capacitas intestini ferebat, indurata, à flatu versus hanc angustiam magna cum violentia pellantur, accidit, ut non nisi summo cum dolore permeare possint. Id quod diligenter animadvertendum, ne in hujusmodi dolores colici cum dolore splenico, nephriticovè, ægrotantium damno confundantur.

OBSERVATIO LIX.

Obs. 59. & 60.

Ex vermium abundantia erosio gingivarum, ex qua tandem mors sequuta est.

Cujusdam honesti civis Dusseldorpensis puer, erosione gingivarum à longo tempore gravissimè vexabatur. Multa variaque remedia tam interna quàm topica à D. COSMO SLOTANO, Chirurgo præstantissimo, ipsi præscripta & adhibita fuere, frustra tamen omnia. Tandem vitam cum morte commutavit. Aperto corpore, tanta inventa est abundantia vermium, ut aliquibus in locis intestina eroserint, multique in vacuo ventris reperti fuerint.

OBSERVATIO LX.

Lapis in vesica fellis; item Vermes.

GENEROSUS CONRADUS à Steinberg / pituitosus & cacochymicus, obstructionibus viscerum ulcere maligno ad genu sinistrum, interdum etiam icteritiâ annis aliquot laboravit, ac tandem obijt ex febri Dusseldorpiæ Sept. 26. 1582. incidi & condivi cadaver cum præstantiss. COSMO SLOTANO, coram clariss. ac doctiss. D.D. REINERO SOLINANDRO, & GALENO WIERO. In vesica fellis invenimus lapidem durissimum, ad nucis juglandis magnitudinem, anteriùs atrum, posteriùs croceum.

ANNOTATIO.

Concrescunt lapides in corpore humano, ex viscidis & pituitosis humoribus calefactis. Et quamvis id in vesica fellis propter viscidi humoris absentiam perrarum sit, aliquoties tamen inventum DODONÆUS etiam annotavit.

Vermis in vesica fellis.

Sed quid rariùs, quid admirabilius, quàm gigni vermes in vesica fellis? Attamen doctiss. & præstantiss. D. GALENUS WIERUS, Illustriss. Principis Iuliac. Clevens. & Mont. Archiater, vir probus & fide dignissimus, in illa dissectione, ac deinde sæpius domi suæ Dusseldorpiæ, mihi privatim retulit, se invenisse vermes in vesica fellis. Quod sanè mirabile, quum nihil sit in corpore humano felle amarius: quumque & hominibus & brutis, ipsisque adeò plantis (ut testatur Galenus) amara omnia adversissima sint, & ad nutricationem inepta. Qualis autem de his vermibus fuerit opinio clariss. ac doctiss. D.D. WIERI, paulò antè ex ipsius epistola, ad me scripta, videre licet.

Obs. 61. & 62.

OBSERVATIO LXI.

Ex scirrho & ulcere cancroso in intestino cœco, exorta iliaca paßio.

THEODORI auff der Koulen in Hilden/ puerum aliquoties invisi, qui dolore fixo & cõtinuo, sub regione hepatis, per annos aliquot laboraverat. Eo tandem ex gravissima iliaca passione mortuo, vocatus sum, ut causam præcedentis doloris inquirerem. Aperto corpore, inveni intestinum cœcum contractum, in intestinum ileũ sese insinuasse, idque opplevisse, adeò ut nihil ex superioribus intestinis ad colon permeare posset: inde iliaca. Denique fisso ileo, & exempto cœco, id ubique inflammatum & prætumens inveni. Præterea scirrhus exulceratus, aut potiùs cancer exulceratus in ipsius cœci intestini fundo conspiciebatur.

ANNOTATIO.

Diversæ constituuntur causæ iliacæ passionis, quam nonnulli Miserere mei appellant. Præcipua autem est ilei constrictio & coarctatio. Itaq; hujus rei indagandæ causà, diversa cadavera inspexi: & quamvis ut plurimum fœtor adeò teter erat, ut vix possent exquisitè omnia considerari, id tamen in omnibus hactenus observavi, principium & originem hujus morbi fuisse circa intestinum cœcum: hoc est, sacculum qui in fine ilei & coli principio conspicitur.


Quamobrem existimo valvulam (quam præstantiss. D. CASPARUS BAUHINUS, Anatomicus & Botanicus insignis, in principio intestini coli invenit,) primùm ex intestini cœci inflammatione adeò contrahi & constringi, ut planè nihil excrementorum permeare possit: sicque accrescere inflammationem, ut tandem totum intestinum ileum, imò & circumiacentes partes, gangrænâ & sphacelo corripiantur: ut observavi in omnibus, quos præter prædictum puerum hactenus dissecui.

OBSERVATIO LXII.

Cultri oblongi dimidium lumbis infixum, biennio pòst extractum est, relictaque inde fistula sanata.

ANno 1591. adijt me juvenis robustissimus optimique habitus, laborans perangustâ quidem, sed profundâ & perpetuò dolorifica fistulâ, ad dextram spinæ dorsi partem, circa quartam vertebram lumborum. Is narrabat, sibi ante biennium cultro illatum vulnus, in quodã tumultu: quod à nemine hactenus curari potuisset. Dilatatâ fistulâ trochiscis de minio & spongijs præparatis, item radicibus gentianæ, inveni in ima parte oblongi cultri dimidium, cujus mucro defixus fuit inter tertiam & quartam vertebram, reliquum callo obductum. Inciso callo extraxi cultrum: cujus longitudo cum latitudine hîc spectatur. Exin mundificato ulcere, cum pulvere præcipitato, & unguento quod Apostolorum vocant, juvenis brevi tempore convaluit.

Id autem hîc insigne est, quòd à vulnere accepto, ad extremam curationem, vix unquam febricitarit: nedum passus sit inflammationem, spasmum, dolorem acutissimum, & reliqua symptomata, quæ solent saucio dorso accidere gravissima.



ANno 1612. quum Hildenam profectus essem, prædictum Virum in arce Nesselrod propè Dusseldorpium, apud Generosum, Virum Dominum Wilhelmum Ketlerum &c. cujus tum temporis, quamvis senex, erat domesticus, vidi: qui & coram Generoso suo, omnia quæ acciderant exposuit; seque ab eo tempore, quo à me curatus fuit, quàm optimè se habuisse, constanter affirmavit.

Obs. 63.

OBSERVATIO LXIII.

Abscessus sub psoa musculo incisus & curatus.

COSMUS SLOTANUS, Chirurgus præstantissimus, in Gersheim/ ad honestam matronam accersitus, eam invenit decumbentem cum acutissimis doloribus circa lumbos, febre, leipothymiâ, & urinæ difficultate. Is quum ex doloris specie, alijsque indicijs cognovisset, apostema esse internum (exteriùs enim nihil apparebat, nec tactu quicquam apprehendi poterat) nimirum sub psoa musculo, qui Vesalio femur moventium sextus, & septimâ musculorum tabulâ t. octavâ verò Θ notatus est, vitæ periculum prædixit: nisi fortè aperto latere illo, contentus humor efflueret. Annuentibus amicis, ipse ad spinæ dorsi latus, cutim & musculos exteriores ad psoam usq; incidit novaculâ. Effluxit copiosus humor purulentus & fœtidus. Ab eo tempore mitigata sunt symptomata omnia, & ipsa brevì restituta, vixit & valuit multos annos.

Ulcus ad menses aliquot turundis, cùm ex radicibus gentianæ, tum & spongijs præparatis factis, & medicamentis mundificantibus & abstergentibus illinitis, apertum retinuit. Postea sarcoticis carne implevit. Ab injectionibus tamen, quæ syphone fiunt, planè abstinuit. Quod etiam in omnibus aliis vulneribus & ulceribus, sive ea in pectore, sive in inferiori ventre fuerint, observandum: facillimè enim pars aliqua injectionis in vacuum pectoris aut ventris delaberetur, ibiq; non leviora symptomata, magno cum periculo ægrotantis, excitari possent.

Similem planè curationem feliciter absolvit JOHANNES GRIFFONIUS, Chirurgus præstantissimus; ut ex literis humanissimi atque doctissimi viri D.D. CLAUDII BOUCARDI, in Academia Lausannensi Philosophiæ Professoris celeberrimi, ad me missis, apparet; quas hîc subjicere visum est.

Obs. 63.

G. FABRITIO HILDANO

Viro clarißimo, Chirurgo Doctißsimo.

CLAUDIUS BOUCARDUS

S. P. D.

QUOD à me postulasti, Vir ornatißime, ut quam medendi rationem ante aliquot annos iniverit D. IOHANNES GRIFFONIUS, Chirurgus apprimè expertus, quamq; methodum sequutus fuerit, in aperienda interiore vomica: tum ab eo qui persanatus est, & etiam nunc apud nos superstes & sanus vivit, diligenter inquirerem: tum quæ satis explorata forent, ad te fideliter perscriberem, omninò mihi perficiendum esse, facilè in animum induxi. Etsi enim mihi in mentem venit, te qui rerũ medicarum, & chirurgicarum longè es peritißimus, ab homine ipso coràm percontando, multò melius omnia & singula morbi accidentia, comprehendere animo potuisse. Quia tamen sensi, de hac re meum à te requiri judicium, non committendum putavi, ut officium meum, quod cæteris omnibus in rebus tibi debetur, quas tu pro tua dignitate & amicitiæ jure desiderare ex me potes, in hac una defuisse videatur. Quomodo in hac curatione sese gesserit, D. GRIFFONIUS, paucis nunc aperiam, prout mihi narravit is, qui ab illo secundum Deum, in bonam valetudinem est restitutus: quique non ita pridem ludimagister in pago Verbigenensi, nunc Lausannæ apud nos habitat: vir probus & mihi familiariter conjunctus. Hic anno 1585. juvenis, adhuc annum agens prope vigesimum septimum, dum ex Cinecij montis fastigio ad radices descendit, in semita admodum proclivi, sibi minùs prospiciens, repentino impetu cecidit supinus. Et quod ad mali cumulum accessit, ensis ejus capulus sub costis nothis, & rene sinistro interceptus, lũbos non leviter contudit atq; obtrivit. Neq; tamen nunc temporis, aut se magnoperè læsum sensit, aut ab incœpto itinere destitit. Post aliquot deinceps dies, remissus primùm dolor, in parte lumborum sinistra ab eo perceptus est: qui sensim tamen crevit, ut ad cruciatum, tormentiq; vim accederet. Hinc vigiliæ assiduæ, appetentia dejecta, quum interim nec sitis magna, nec febris admodum sensibilis, hominem affligerent: nec verò etiam in affecta parte livor, aut tumor, aut macula extrinsecus omninò appareret: sed plana omnia, & à naturali situ, colorevè nullatenus discrepantia. Quod rei ipsius eventus postea perspicuè docuit, ingens humorum vis ex universo corpore ad eum musculum secesserat, qui sinister est duorum dorsi internorum, quos ψόας Græci dicunt, quique ad penitiores lumborum partes dispositi, renibus substernuntur. Quippe lapsus ille supra commemoratus, & vehementior contusio, in eam partem fluxioni occasionem dederat. Ibi in angustiis humores conclusi, prohibita transpiratione, facilè computruerunt, & mole sua verum abscessum effecerunt. Nam ut docet Galenus, primo lib. de different. febrium cap. 3. promptißimè putrescunt omnia calida & humida, in calidis locis contenta: nisi difflari ipsa & refrigerari contigerit. Idem lib. 11. & 12. meth. paßim. Porrò quis humor in hoc abscessu dominaretur, si quod sentiam, quæras. Existimo quamvis cæteri non defuerint, pituitam tamen quantitate plurimum superasse. Huiusce rei argumentum mihi suppeditant symptomata ipsa. Nam

Hi sunt Musculi qui trifidi id est soli ex omnib. corporis musculis in tres tẽdines desinunt, ad varios dorsi & fæmoris motus à natura comparati: ut autor est Ga-

bilis, præsertim flava, ubi computruerit, & præter naturam incaluerit, si in alios humores dominium obtinet, inflammationem vehementem & febrim citißimi motus, sensusq; ipsos acutißimè ferientem, excitare solet: hic autem febris adeò, ut ita dicam, obtusa fuit, ut vix sensibus perciperetur. Præterea quum siti non premeretur æger, quid inde aliud conjectare licet, quàm in cacochymo corpore pituitam tantopere redundasse, ut ea ventriculi tunicæ penitus imbutæ, cibum quidem omnem fastidirent; verumtamen nullo potus desiderio nimis humida ipsæ tenerentur. Accedit, quod juvenis ad multos annos in locis maritimis commoratus fuerat, ubi sicut retulit, piscibus, & id genus escis pituitosis victitare consueverat. Dolores intensi partìm ex nonnulla inflammatione nascebantur, partìm ex membranarum, nervorum, aliarumq; sentientium partium distentione, quæ nimiâ humorum copiâ supra modum turgescentes, instantem solutionem præsentiebant. Denique ex acutis doloribus somni capessendi facultas adempta. In hoc valetudinis statu constitutus homo, Genevam (à qua civitate tum fortè proximè aberat) à suis perducitur. Ibi à quodam Medico (cujus nomini de industria parco) tanquam nephriticus, habitus & exceptus est, qui renis ejus substantiam vel phlegmone laborare, vel quoquo modo obstructus, ipsum jus omnibus potionibus intus proluebat, quæ & inflammationem sedare, & calculum ex renibus disturbare potenter valent. Sed perperam, nam nec mictio ardens & laboriosa, nec urina mucosa, nec alvus impedita, quæ sunt ἀδιώριστα τῆς νεφρίτιδος signa, sese ostentabant, sed contraria & naturalia omnia. Quapropter ubi post multos dies non succedit medendi methodus: Tandem à pharmacopœo ad D. IOHANNEM GRIFFONIUN adductus est. Qui confestim, quòd alium quendã similiter affectum non ita pridem curaverat, totum quod erat morbi & mali, cognovit, & infirmo juvem disertè explicavit, ac simul ni ars naturæ hac in parte deficienti & impotenti opem ferret, puriq; intus concluso exitum quoquo modo pararet, ingentem illi imminentemquè perniciem prædixit. Nimirum fore, ut disrupto tandem ad partes interiores abscessu, humores noxij in κενεῶνας diffusi, & in abdominis capacitatem dilatati, renum substantiam, peritonæum, & sensim viscera corrumperent: præterquam quod tetri vapores dubio procul ex tã luculenta sentina in cordis sinus essent ascensuri, qui tum febrilem & accidentarium in eo calorem accenderent, tum nativum suffocarent & extinguerent, tum spiritus per universum corpus spargendos labefactarent. Ex his non posse vitam in certum discrimen non adduci. Quibus acceptis, æger totum se benevoli Chirugi commisit arbitrio. Hic verò quamprimum istud curavit (qua in re singularis eius eluxit industria,) ut materia quæ universam lumborum regionem occupabat, in unum ejus locum, adhibitis medicamentis, potenter ex alto trahentibus, convocaretur: ubi scilicet & præcipua vasa pauca essent, & motus instrumenta minùs inter operandum lædi possent. Quod postquam stylo argenteo partem identidem pertentans, ex doloris sensu assecutum se esse vidit, illico (neglectâ purgatione præviâ, quam æger paulò antè cum magna virium iactura multoties susceperat) ad latus sinistrum, quartæ lumborum vertebræ, novaculâ ignitâ vulnus inflixit: profundum certè quantum digiti indicis longitudo ex vola prominet, sicut ex penicillo

Obs. 64. *niciллo postmodùm injecto licuit conjicere. Tum nihilominus duobus digitis in illud idem vulnus intromissis, quò patentior fieret exitus, pus ex eo copiosum effluxit. Posito verò vacuationi juxta artis præcepta modo, Chirurgus ægroto peniculum, seu (ut vocant) turundam argenteam imperavit, qua unguentis purgantibus & detergentibus illita, ad aliquot menses uteretur. Quæ ubi ad amussim observasset, & decentem vivendi rationem tenuisset, vulneris labra sponte coaluerunt, sic obducta cicatrice, ut fistulosum nihil aut dehiscens relictum fuerit, ac demum ita de integro convaluerit, atq; in sanitatem restitutus sit, ut postmodum nec in femoris erectione, nec in dorsi inflexione, nec in ulla actione naturali, difficultatem ex prædicto vulnere vel abscessu, ullam unquam senserit. Hæc sunt, Doctissime Vir, quæ de hoc argumento mihi pro Epistolæ brevitate ad te scribere licuit: multò plura congesturus, si & me scribendi modus invitasset, & graviores occupationes concessissent; verùm de his, quæ desunt, coràm inter nos alias. Tu interim opera nostra utere, & me, ut facis, amicus amicum ama. Vale ex Musæo meo 4. Idus Novembr. 1604.*

OBSERVATIO LXIV.

Infans eruptione facta matricem lacerat, totoq; capite in ventris capacitatem delapsus, & contracta matrice, strangulatus deprehenditur.

ANno 1593. 21. Aprilis, Coloniæ præsentibus Clarissimis & Doctiss. JOHANNE SLOTANO, & HENRICO PALANTIO M. D. D. dissecui aurificis uxorem, habitantem in platea quæ appellatur larda, ex partu mortuam. Comperta est matrix, erumpente infante lacerata, ejusque caput in lævam ventris capacitatem dimissum; eademque matrix pars nervosa, circa infantis collum contracta, quæ ipsum proculdubio suffocarat. Mater totos undecim dies parturiens fuerat; obstetricibus, meque tandem ipso pridie ante obitum, frustrà adhibitis: quum multò antè mortuus esset infans, in utero solo extante lævo brachio quod propendebat.

ANNOTATIO.

Absoluta superiori editione, relata mihi nonnulla sunt ab obstetrice quadam, alijsque matronis, quæ in parturientis agone adfuerant, quæ hìc adscribere libuit. Ajunt verò angustissimi oris matricem fœminæ istius fuisse, unde magnus extans fœtus, per viam angustam erumpere nequierit, robustus quantumvis fuerit. Angustiam autem illam partim naturalem, partim quoque ab ætate (agebat enim tum trigesimum septimum, aut circiter annum, neque unquam antea uterum gestaverat) fuisse arbitror. Exhibita præterea ipsi fuit à matrona quadam potio validissima, ad fœtum expellendum, ex qua parturientis dolores & conatus adeò exacerbati sunt, adeoque fœtus commotus est, ut petens cum impetu exitum, sed viam nimis strictam inveniens, uterum dilacerarit. Ex quibus perspicuum sit, hoc genus remedij non nisi prudentiâ & consilio magno adhibendum. *Cautio.* Ante omnia autem inspiciendum, an membrum genitale satis aptum sit, an etiam fœtus ejus situs talis sit, ut naturæ & medicamenti beneficio expelli possit: alioqui si arcta nimis invenitur via, antequam exhibeatur potio, erit relaxanda, emollienda, & lubrica facienda. Si verò fœtus situs est vel transversim, vel obliquè, vel quovis alio modo præternaturali, tunc reducendus est manu inuncta oleo liliorum alborum, vel amygdalarum dulcium, ad naturalem situm, antequam exhibeantur potiones illæ violentæ. Hæc in juniorum Doctorum & Chirurgorum, communisvè utilitatis gratiam in medium adducere placuit. Donec tractatum nostrum de extractatione fœtus mortui, in lucem edamus, & particularia multa, eaque utilia ad hanc operationem, declaremus.

Obs. 65. 66. & 67.

OBSERVATIO LXV.

Inciso corpore, abdita sterilitatis causa inventa.

SExagenariam matronam, quæ binis nuptiis sterilis fuerat, cum D. IOHANNE GRIFFONIO, Chirurgo Præstantissim. coram clarissim. D. D. IANO ANTONIO SARACENO, Medico regio dissecui. Perquisita diligenter sterilitatis causa, invenimus scirrhum circa orificium fundi uteri, qui instar annuli collum matricis circumdabat, adeoque vterum claudebat, ut styli acies vix immitti posset: unde nihil mirum, quòd in coitu sperma à matricis ingressu perpetuò arceretur.

OBSERVATIO LXVI.

Alia abdita sterilitatis causa, quæ per dissectionem innotuit.

NOn multum à superiori sterilitatis causa discrepabat hęc sequens. Honesta quædam matrona, in primo puerperio inflammatione uteri laboraverat, curata tandem, sterilis mansit. Quum autem postea morbo acuto extincta esset, corpus eius præsente Clarissim. D. D. IANO ANTONIO SARACENO, Medico regio, dissecui, atque in cervice ante orificium fundi uteri, scirrhum magnitudine ovi anserini inveni, ipsi adeò adhærentem, ut unum videretur corpus, nec ullo modo ab ea divelli potuerit. Propter hunc scirrhum semen virile ad uterum penetrare non potuit. Nemini igitur mirum videri debet, quod medici aliquando in sterilibus frustrà sibi multa negotia facessant. Huiusmodi enim causæ medicos latent, aut si non lateant, eæ tamen non nisi ab ipso Deo (qui vulvam claudere 1. Sam. 1. 5. & aperire, Genes. 26. 31. dicitur) auferri possunt.

OBSERVATIO LXVII.

Ex scirrho matricis, difficultas parturiendi.

HOnesta quædam matrona, Lustriæ ad marginem Lemani lacus, totos sex dies parturiens fuerat. Ego tandem advocatus, ipsam in agone mortis comperio. Nam ea ipsa nocte è vita de-

Obs. 68. ta decessit: sequenti verò die corpus aperui. Vterum laceratum, & caput infantuli in ventris capacitatem dimissum inveni. Huius autem difficultatis parturiendi causa fuerat scirrus, qui magnitudinem capitis infantuli propemodum adæquabat; matrici tamen non usque adeò, ut ille de quo in præcedente Observatione mentionem feci, adhærebat. Hic igitur scirrus obstitit, quominus uterus tempore prægnationis sese satis extendere, & parturientis violentum motum fœtus sustinere potuerit.

OBSERVATIO LXVIII.

Ingens calculus ex inciso vesicæ fundo, in nobili muliere extractus.


VEsicæ vulnera, quia sunt utplurimùm exitiosa, non immeritò inter lethalia censet Hippocrates. Attamen læsâ vesicâ convalescere aliquos, cùm aliis, tum etiam mihi ex sequenti historia, compertum est.

Nobilis matrona, URBANA PROUX, vidua DANIELIS HUGONINI, Viviacensis patritij, biennio miserrimè cruciata est calculo in vesica. Ego tandem adhibitus, partim cathetere in vesicam immisso, partim imposito in matricis collum digito, calculum ovi gallinacei magnitudine sensi, à quo continuis iisque acutissimis doloribus afficiebatur, vires planè prostratæ erant, unde ægra pariter cum adstantibus de vita desperabat. Pluries rogatus, ac tandem victus ipsius decumbentis & affinium precibus, ut calculum extraherem, ante omnia cùm totum corpus, tùm inprimis partem affectam præparavi hûc in modum: Primò levi quodam medicamento ægram purgavi: vires, quantum potui, cibis euchymis, itemque potionibus cordialibus, & epithematibus restauravi. Deinde dolores, quoad fieri potuit, emollientibus, fomentationibus, & anodynis, vesicæ regioni appositis, & syphone in ipsam injectis, sedavi. Tum leviculum ulcus; ex ipso vesicæ fundo in collum matricis ad uteri orificiũ intrans, deprehendi, quod calculus sua cùm asperitate, tum pondere eroserat, quodque unà cum calculo, quoties rectа staret ægra, acie digiti indicis in collum matricis immissi, facilè deprehendere poteram.

Die igitur 28. Julii 1598. apparatis omnibus ad operationé necessariis, ipsaque ægrota in sede parturientis collocatâ, vesicam oleo amygdalarum dulcium, syphone immisso implevi: (Sic namque reddebatur lubrica, & ab lapidis asperitate vindicabatur.) Deinde ipso ulcere nonnihil partim digiti opera lacerato, partim cultelli acie ad vesicæ collum inciso, ac per ipsum immissis tenaculâ & idoneo unco, calculum (uti dixi) ad ovi gallinacei magnitudinem, citra vim, hæmorrhagiam, doloremq; magnum, eduxi. Ab operatione, ventrem & totum inguen, defensionis gratiâ, oleo rosaceo & myrtino inunxi. Pessarium ex stupis, albumine ovorum imbutum, matricis collo indidi, triduo aquam plantaginis cum oleo amygdalarum dulcium (ad dolores sedandos) tepidè injeci. Postmodum decocto petroselini, asparagi, brusci, Herbar. herniariæ, saxifragiæ, & seminum petroselini, genistæ, & anisi, cum melle rosaceo misto, vesicam quotidie ablui. Sic divino auxilio, nullis supervenientibus symptomatibus, restituta & persanata fuit, & ad annum 1611. incolumis supervixit.

Obs. 69. Testes sunt reverendi, IOHANNES ROLANDUS, ET IOHANNES SAMPAULINUS, Ecclesiæ Viviacensis Pastores, Nobilis MICHAEL PROUX, ET IACOBUS PROBUS, ejusdem loci Pharmacopœus exercitatissimus, qui operationi huic interfuerunt: uti etiam matronæ quamplurimæ, inter quas fuere genere, virtute, & pietate nobilissimæ, Domina Iaquelina Mestral, Domina in Vaudans: Domina Anna Salva Domina de Tavel; Et Domina Claudina de Goumajns, prædicti Dom. Proux uxor, quas omnes honoris causa hic nomino.

DELINEATIO LAPIDIS PRÆDICTI.



OBSERVATIO LXIX.

Trecenti majores calculi, biennio excreti.

ANno 1599. 14. Aprilis, GODDART VAN BIESTE, civis Coloniensis, homo fide dignissimus, Nobiliss. Doctissimoq; Viro Dn. CAROLO UTENHOVIO, me præsente narravit, se cognovisse adolescentem quendam, tredecim annos natum, eumq; filium HENRICI VAN GUSTEN, civis Coloniensis, qui excernebat per membrum virile lapides diversi colores, quorum nonnulli castaneæ magnitudinem superabant, idque suis se oculis vidisse affirmabat. Nos hujus rei admiratione moti, matrem ejus, Steingen van Gusten nomine, pariter adivimus, ad rei hujus veritatem diligentiùs inquirendam. Illa, quæ Bieste nobis paulò antè declararat, planè affirmavit, scilicet filium suum Petrum nomine, ab anno 13. usque 15. ætatis calculo laborasse, quo tempore circiter trecentos lapides per membrum virile (quorum nonnulli aut nucis aut castaneę magnitudinem adæquassent) magno cum dolore & sanguinis profluvio excrevisse, donec tandem anno 1597. peste correptus obiisset. Nobisq; hujus rei majore quàm antea admiratione ductis, monstrabat pixidem, in qua plures quàm septuaginta, diversi coloris eorum lapidum asservabat: nonnulli autem erant pellucidi, flavi, fusci & rubri, non aliter quàm si in ripa Rheni fuissent collecti: Ex quibus aliquot mihi ipsa dedit, quorum aliqui ad semiunciam ferè pendunt, quos ego penes me conservo. An autem hic fuerit naturalis morbus necne, aliorum judicio relinquo.

OBSER-

Obs. 70. & 71.

OBSERVATIO LXX.

Puellæ tabescens, appetitu minimè privata.

SOlent nausea & cibi fastidium comitari tabem. Vidimus tamen Coloniæ Agrippinæ puellam 14. annos natam, quæ circiter 10. annum ætatis suæ, paulatim in tabem incidens, quatuor sequentium annorum spatio ita laboravit, ut penitus extabefacta fuerit; appetitu tamen ejus vix unquam imminuto. Nam comedebat & bibebat non parcius, quàm si sana fuisset, & exercitia sua puerilia ut plurimùm peragebat, neque lecto decumbebat: nisi per sex aut septem hebdomadas ante obitum. Febricula tamen & tussiculâ vexabatur continuò. Tandem penitus extenuata obijt 1600. mense Ianuario. Vocatus ad cadaver desecandū. causamq; mali investigandā; reperi mensenterium undique refertum tumoribus duris, scirrhosis atque steatomatibus, præcipue autem circa vasa & venas, quæ ad venam portam protendunt.

Circumcirca venam portam tumores scirrhosi inveniebantur multi, quorum nonnulli ovi gallinacei, alij nucis & castaneæ magnitudinem excedebant. Hinc chylum per mesenterium, & venam portam, ad hepar pervenire, & per reliquum corpus distribui non potuisse, indeque tabem exortam fuisse, quis est qui ambigat? Hanc quoque ob causam, excrementa quotidie bis terve liquida & chylo permista excernebat.

In rene dextro lapis erat eius magnitudinis & figuræ, qualis hîc depictus est: eumque inter rariora mea reseruo.



Hepar undique sanum erat, stomachus & splen secūdùm naturam planè se habebant, inde appetitum non fuisse degravatum, rationi consentaneum est.

In dextro lobo pulmonis abscessus erat putridus & fœtidus, in quo continebatur pus in mēbrana inclusum, ad libram unam & semi: ut erant steatomata & scirrhi multi undique per substantiam pulmonis. Cor flaccidum & planè extenuatum erat.

OBSERVATIO LXXI.

In inciso cadavere rara plurima, observatu digna,

AMEDEUS quidam faber lignarius, quadraginta annos natus, biennio varijs per intervalla morbis, dolore capitis, ictero, viscerum obstructionibus, imò etiam cachexia, postremum etiam dolore ischiadico, laboravit: tandemque, aucta febri cum paraphrenetide, 19. Aprilis 1596. extinctus est.

Incidi cadaver coram D.D. GEORGIO JENISCHIO, ET PHILIBERTO, JANI ANTONII SARACENI filio, Medic. Doct. In dissectione visa sunt observatu digna, quæ sequuntur:

Obs. 71.

1. Omentum inflatum & corruptum.

2. Intestinum Colon, præter consuetudinem arctum circa ilia sinistra.

3. Inter collum vesicæ & intestinum rectum, tuberculum scirrhosum, ex quo sæpe urinæ difficultas, ac interdum etiam ischuria.

4. Ad rotatorem femoris dextri ingens abscessus, humorem purulentum copiosissimum, supra libræ pondus continens: hinc erosis articuli ligamentis, inhibitis etiam musculis luxatio, quam passus erat æger.

4. Sub musculo psoa sinistro, cui Ren incumbit, quique in cruris interiorem partem infertur, ingens atheroma, ultra libras duas puris crassioris continens: ibidemque tres aut quatuor lumborum vertebræ, ita cariæ affectæ, ut earum frustula coram adstantibus extraxerim digitis, & attriverim.

6. Intestina vermibus scatentia.

7. Tumor scirrhosus, suppuratus, & instar steatomatis, magnitudine duorum pugnorum, ortus ab inferiore parte pancreatis, intestinum duodenum circundederat, sic ut peritonæo tectus, alterum quasi ventriculum mentiretur. Materia per ramos venæ portæ in ipsum pancreas desinentes, affluebat.

8. In hepate scirrhoso apostemata exigua multa.

9. Lien totus corruptus multos continebat calculos.

10. Pulmo inflammatus, multis refertus glandulis.

11. In superficie sterni, ad clavicularum conjunctionem, atheroma ovi magnitudine.

12. Apostema sub ala dextra, inter pleuram & costas, maximi pugni magnitudine, & graveolens, cujus purulenta materia, quartam, quintam & sextam costam exederat. Atque adeò non modò divulsæ erant costæ à vertebris, sed & summa parte qua vertebris junguntur, usque adeò carie corruptæ, ut facilè eximi, digitisque friari possent.

13. In cranio dura mater inflammata.

14. Dura matre detracta, tumor scirrhosus & latus, in pia matre ad sinistram falcis partem. Hæc nimirum fuit causa doloris capitis, qui totum biennium perseverârat.

15. Inter meningas & cerebrum ichor multus.

16. Plexus Choroides inflammatus.

17. Circa cerebri basin & cerebellum, semilibra sanguinis, & amplius è jugularibus internis affluxerat.

ANNOTATIO.

Intestini coli angustiam naturalem, in sinistra parte D. CASPAR BAUHINUS, Anatomicus insignis, annotavit. Hujus causa, dolores colici in ea parte plurimum & oriuntur, & exacerbantur: quippe angustia illa facilè obstruitur ab excrementis, quæ in colo propter copiam filamentis obliquis (ut D. RONDELETIUS diligenter annotavit) diu retinentur, ideoque indurescunt.

Obs. 72. & 73.

Psoæ musculi Galeno lib. 6. de dissectionibus musculorum sic dicti, renibus subjacent, & Vesalio sunt femur moventium sexti. In his nonnunquam oriuntur apostemata gravissima & periculosa, ut suo loco declaravimus,

OBSERVATIO LXXII.

Ex epiplocele & enterocele, gangræna & mors sequuta.

EXEMPLUM I.

ANno 1585. mense Augusto, robustissimus quidam faber lignarius, quum Genevæ elevasset pondus ingens, omentum ei prolapsum est in scrotum; & quia reductum non fuit, intumuit, inde dolor acutissimus, inflammatio, febris, vomitus, aliaque graviora symptomata exorta, denique mors sequuta est septimo die. Ego unà cum IOANNE GRIFFONIO, Chirurgo præstantissimo vocatus, scrotum præsente IANO ANTONIO SARACENO, Medico regio, incidimus, & invenimus omentum, imò etiam testes & vicinas partes planè corruptas & gangrænâ infectas.

EXEMPLUM II.

ANno 1596. cujdam intestina in scrotum ceciderunt. Vnde, quia reducta non fuerunt, exortus est dolor aliaque symptomata graviora. Barbitonsorem in consilium advocat æger. Is fomentum ex absinthio & rosis, vino rubeo coctis applicari jussit: sed ut erant aliena à morbo, sic quoque ingravescebat morbus. Ego vocatus, cum clarissimis doctissimisque D. IANO ANTONIO SARACENO, & ANDREA BONETO, apud Genevenses Medic. Doctoribus, scrotum magnitudinem capitis excedens invenimus; febris erat vehemens, syncopæ, & vomitus frequentes.

Quomodo intestina in scrotū delapsa, reducenda.

Statim fomentum ex radicibus altheæ, semine lini, fœnigræci, seseleos, floribus chamomillæ, meliloti, folijs malvarum & violarum applicuimus. Deinde capite inclinato, & pedibus in altum elevatis, reductum est intestinum. Sed quia propter inflammationem & compressionem, in ruptura abdominis jam cœperat corrumpi intestinum, paucis post horis è vita decessit.

OBSERVATIO LXXIII.

Ani clausi apertio, & curatio in infante.

ANno 1593. vocatus fui in Medman prope Dusseldorpium, in ducatu Montensium, ut inviserem infantulum, qui clauso ano natus, jam usque ad sextum ætatis diem, cum maximo angoreorminib' cruciabatur, &(ut verbo dicam) in vitæ periculo versabatur. Venter enim inflatus extentusque erat, leipothymiæ & sudores frigidi aderant, anus obducta erat membranâ prædurâ, in qua nullum ferè indicium aut vestigium ani, præterquam macula nonnihil livida apparebat. Illic factâ parvâ incisione (ne sphyncter læderetur) novaculâ linteis juxta aciem involuta; deinde immisso speculo ani, & quod reliquum dilatato, statim ejecta est excrementorum colluvies. Hinc venter confestim subsedit, reliquaque symptomata remissa sunt. In anum demum immisi, per aliquot dies, fistulam plumbeam, inunctam unguento quodam desiccante: veluti de cerussa, de minio, diapompholygos, & similibus. His facta cicatrice, plenissimè convaluit. Anno 1612. cum paternos Lares, simul & amicos in oppido Medman inviserem, à Domino Geiß Buß/ ibidem consule relatum mihi fuit, prædictum puerum ad annum 18 ætatis, sanum & incolumen vixisse, nisi quod aluum ut plurimum siccam habuerit.

Obs. 74.

OBSERVATIO LXXIV.

Excrementa per inguen egeri solita.

ANno 1604. 15. Novembris die, vidi hîc Paterniaci adolescentem, cui pars intestini ex inguine propendebat. Ego hanc rem admiratus, adduxi ipsum in ædes meas, cum quibusdam civibus, inter quos erat D. NICODUS PROBI, hujus Reip. Senator dignissimus, N. JACOBUS DE BRUEL, & nonnulli alij. Singula, quantum fieri potuit, & ipse lubens nobis diligenter ea explorantibus aperuit, eodem momento annotavimus.

Erat autem is natione Delphinas, ex pago Emuns, ad flumen Liserre oriundus, natus 20. annos aut circiter, Cæsar Luirre nomine, juvenis robustus, & bono corporis habitu præditus: habebatque sibi adjunctum fratrem, Petrum Lurre 24. circiter annos natum. Affectus autem talis est. Paulò supra inguen dextrum, ad latus Ilij ossis, aperto aut rupto abdomine, intestinum emergit: quod longitudine Spithamæ cum dimidia propendet, & ad crassitiem brachij juxta carpum ferè adæquatur. Rupturæ aut aperturæ, nihilominus undique firmiter adnatum est hoc intestinum, carnosum, item rubicundum, ac undique humore viscoso & albo aspersum. Habet quoque tubercula multa rubra, nec tamen usque adeò dura. Hujus autem intestini quarta circiter portio, quamvis supra abdominis aperturam sursum erecta sit, uti postea ex figura apparebit, nihilominus tamen cum inferiore parte continua, ac nullis interstitijs distincta est, multò tamen durior tactu percipitur: quapropter excrementa non recipit, atque (uti Juvenis nobis retulit) semper extra abdomen propendet: quum tamen quod reliquum est intestini, facilè manu intromittitur; uti egomet periculum feci: quandoquidem indice dextro posito in extremo partis, quæ de intestino egreditur, facilimè eam intrò reduxi, atque (quod amplius est) digitum in ventre circumcirca rupturam circunduxi. Erat enim ruptio abdominis ampla trium digitorum, in latitudinem positorum, sed & aliquando totam ferè portionem, quæ deorsum pendet, sponte sursum retrahi vidimus, statim tamen denuò redit, atque simul excrementa multa liquida viscosa,

spumo-


Obs. 74

spumosa & flava secum adducit & expuit: asseruitque Juvenis ille, se nihil per secessum, sed excrementa & flatus hac via exonerare. Dolorem nullum adesse ait; nisi quum frigus ipsum molestat, & excrementa (quæ involuntariè semper effluunt) indurata sunt. Urinam quoque sine difficultate reddit, testiculus ex hac parte paulò crassior est sinistro, reliqua secundùm naturam conspiciuntur omnia: nisi quòd cutis circumcirca rupturam abdominis aliquantum rubescat; sine tumore tamen.

Quantum ad causam hujus mali, affirmabant Juvenis & frater ipsius, Anno 1602. Mense Septembri, ex alto in terram ipsum cecidisse, atque in eo casu cuspide pali, abdominis musculos, peritoneumque in vacuum ventris usque confossum fuisse. Intestina quoque per vulnus ad magnitudinem capitis excidisse: neq; ante tertium diem Chirurgum habere potuisse, tum intestina reduci non potuisse, nisi novaculâ dilatato priùs vulnere; nec tamen reducta, intus retineri potuisse: quantumvis summa adhibita fuisset diligentia. Excrementa quoque ab eo tempore, nunquam per aluum, sed per hoc intestinum exonerasse, atque variorum medicorum Chirurgorumque consilia & medicamenta frustra adhibuisse. Sed quia in hac relatione quædam obscura & præter naturam occurrunt, optarem accersitos ad hoc opus Medicos & Chirurgos, rei veritatē declarare. Interim quæ ego de hoc affectu annotavi, in gratiam studiosorum rerum rararum communicare placuit; simul cum intestini prolapsi adumbratione. Die 10. Septembris Anno 1606. Juvenis ille robustus, & optima corporis constitutione præditus, denuò Paterniacum pertransiens, me invisit. Hujus affectum in eodem statu, quemadmodum ipsum descripsimus, inveni, nihilque amplius observare mihi licuit, nisi quod cibum præcedenti die assumptum; & quidem pisa & integra & indigesta, omnis fœtoris expertia, in mei præsentia per intestinum egesserit; retulitque, excrementis suis rarissimè fœtorem adesse, involuntariè tamen, & ipso inscio eadem excerni, nec ullum se pati dolorem, nisi cum intestinum hoc à frigore molestatur.

Excrementa sine fœtore.

Obs. 75. & 76.



OBSERVATIO LXXV.

Excrementa per ductum urinarium ejecta.

HOnesta quædam matrona Genevensis filium peperit, qui clauso ano, excrementa per ductum urinarium simul & urinam excernebat. Accersito itaque Medicorum & Chirurgorum Collegio, nullus in ea fuit opinione, ut de ani incisione quicquam tentaretur. Tandem quum excrementa indurescerent, nec per ductum illum angustum amplius permeare possent, inflatus est venter, exorta est febris; aliaq; symptomata: ita ut decimo septimo ætatis die è vita decesserit. Aperto cadavere, inventum est intestinum rectū adnatum fundo vesicę.

OBSERVATIO LXXVI.

De duplici ductu urinario.

PUerum 12. annos natum, aliquoties invisimus Coloniæ Agrippinæ, anno 1600. cui natura duplicem urinarium ductum dederat, quiq; per utrumque urinam sine ulla difficultate emittebat. Erant autem in loco solito alter super altero siti, tenuissimaque membranâ & interstitio distincti: sed inferior aliquantulùm incurvabatur;

Obs. 77. tur, ita ut ex eo lotium non rectà, quemadmodum ex superiori, sed nonnihil deorsum fluitaret.

OBSERVATIO LXXVII.

Quomodo ægri situandi in exhibendis clysteribus.

VSus Clysterum in plerisque morbis, intestinorum inprimis, maximus est, nec exigua utilitas inde ad ægrotos redit, dummodo rectè adhibeantur; quod præter cætera, fieri debet habita legitimæ collocationis ægrotantis ratione. Vt autem demonstremus, in quodnam latus æger decumbere debeat, considerandus est situs Coli intestini, quod oritur à cœco ad dextrum renem: & ad jecoris cavum vergens reflectitur, & convolutum sub ventriculi fundo progrediens ad sinistra, lieni accumbit, moxq; in posteriora vergens, ad sinistrum renem descendit, cui alligatum est, ibiq; multò angustius quàm in reliquis partibus efficitur, cellulisque caret, postea descendit, & quum duos gyros fecerit, in rectum desinit intestinum.


Ex his perspicuum est, ægrum in dextrum latus esse collocandum: quum alioquin si in sinistrum latus depositus sit æger, tota moles viscerum, tùm rectum intestinum, tùm maximè postremam partem coli (quæ sub splene descendit & ad renem sinistrum annectitur) comprimat, adeò ut clyster ulteriùs ad capacitatem coli progredi nequeat: sed in duobus inferioribus gyris coli remaneat, nec diutiùs retineri possit. In dextrum verò latus decumbente ægro, Clyster syphone aut alio quovis instrumento, facilè usq; ad reflexionem sub liene, deinde sine obstaculo usque ad valvulam (quam clarissimus D.D. CASPARVS BAVHINVS, in fine cœci, & principio Coli primùm invenit) ducitur. Atque sic æger, quum diutius clysterē retinuerit, majorem quoq; inde fructum percipiet.

OBSERVATIO LXXVIII.

Obs. 78.

Delineatio & descriptio instrumenti, quo æger sibiipsemet clysterem minimo negotio infundere potest.

QUàm necessarij & utiles clysteres, cùm ad conservandam valetudinem, tum ad amissam recuperandam, omnes Medici norunt. Verumtamen quia pleriq; præsertim mulieres, propter verecundiam, summopere ab eis abhorrent; ideò sequens instrumentum, quo quisque sibi ipsemet, parvo cum negotio, clysterem infundere poterit, excogitavi.



A. Fistula

Obs. 78.

A. Fistula est ex ligno fabricata, pollicis crassitie, longitudine spithaminis cum dimidio, cujus foramen crassitiem pennæ oloris non excedit. Quantò enim angustius fuerit foramen fistulæ, tantò violentiùs & altiùs ascendet clyster ad intestina.

B. Cannula est vulgaris clysterum, quæ in anum immittitur.

C. Vesica est bovina, in quam infundendus est clyster. Illa autem ex una parte fistulæ literâ A. notatæ, ex altera verò parte orificio vesicæ literâ D. notato, ex ligno quoque fabricato, firmiter est alliganda.

E. Superioris orificij clavis est.

F. Clavis est fistulæ A. notatæ, cujus beneficio clyster in vesica C. notata, ad libitum ægrotantis retinetur.

Præpatato igitur clystere, & in vesicam infuso, atque clavibus E. & F. notatis bene clausa vesicâ, æger in dextrum latus decumbet: & cannulam B. notatam sibi in anum immittet. Id autem ut sine difficultate fiat, crura ut aliquantùm incurvet, necesse est. Deinde linteamina reduplicata, aut stupas ex adverso fistulæ firmiter ponet, ne excidat cannula ex ano. Ideoque sinistrum crus paululùm extendatur, quo genu sinistrum in dextrum poplitem sese insinuare possit; hoc modo enim facilè retinetur cannula in ano. Hisce omnibus, uti dixi, expeditis, vertet æger clavem F. notatam, ut aperiatur fistula. Mox vesicam manibus comprimat & detorqueat: sic clyster sine ulla difficultate ad intestina perveniet.

Obs. 79.

Aptissimum est hoc instrumentum: nam siquis superiorem instructionem sequatur, parvo cum negotio sibi ipsemet exhibebit clysterem, ut in me ipso sæpissimè expertus sum. Quòd si fuerit æger debilis, ita ut ex lecto egredi non possit, habeat in promptu pelvim, quam sub finem huj⁹ observationis delineatam habes.

Tandem reclusa clavi F. & aperta E. inflanda est vesica, & reponenda ut exsiccetur & conservetur.

Qui ad sanitatem conservandam, propter siccitatem & constipationem ventris, aliquando clysteribus uti coguntur, non opus habent, ut in lecto decumbant, sed sedendo possunt sibi ipsimet, sine ullo negotio, superiori instrumento, clysterem infundere, hoc modo. Incurvato aliquantùm corpore, immittant sibi cannulam in anum: postea sedeant in scamno, ne excidat cannula. Mox aperta clave, & compressâ vesicâ, quemadmodum antea diximus, Clyster facilè altiùs in corpus infunditur.



OBSERVATIO LXXIX.

Arthritis inveterata, torturâ sanata.

AD

Reverendum ac Clarissimum virum D. D. ANTONIUM FAYUM, S. S. Theologiæ apud Genevenses Professorem dignissimum; nec non Philosophicarum ac Medicarum rerum scrutatorem diligentissimum.

RAriùs ad te quàm vellem scribo, vir undiquaque doctissime, atque reverenter mihi observande, quòd Tuæ Excell. in seriis studijs, alijsq; negotijs gravissimis occupatam interpellare verear. Hac tamen oblata occasione, hæc medica ad te bis Medicum, & abditarum rerum scrutatorem diligentissimum, quin scriberem, abstinere minimè potui. Præteritis hisce diebus obortus est mihi in sinistro brachio catarrhus, qui me per aliquot dies vehementer excruciavit; cuius nihilominus nullum sive ruboris sive tumoris apparuit vestigium. Ego in summis constitutus doloribus, non alio remediorum genere, quàm vehementi brachij extensione, haud levem doloris mitigationem sensi. Quòd autem necessitas tale dolorum anodynum excogitarit, maximè admiratus sum. Recordari tamen cœpi, Vir doctissime, & abs te olim in familiari colloquio mihi dictorum, & à me non absimilis unius aut alterius exempli haud ita pridem observati.

Nam

Obs. 79.

NAM ante annos tres Castellanũ en la Chaux, prope Lausannā, MARRIA nomine, octogenarium, cum doloribus ex retentione urinæ, propter abscessum in ductu urinario, afflictatum, curandum habui: qui spatio quatuor aut quinque dierum urinam reddere non potuit, nisi porrectis in altum brachijs, & proiectis in funem ad id aptatum manibus, atque ita reliquâ corporis mole extensa, non secus ac si torturâ afficeretur. Tandem rupto abscessu, pus fœtidissimũ emanavit, dolores ac reliqua symptomata remissa sunt atque sic pristinam sanitatem, qua adhuc Dei beneficio fruitur, recuperavit.

Porrò inter morbos planè incurabiles, aut difficulter curabiles, ipsa Arthritis inveterata non tantùm doctorum consensu iudicatur, sed etiam ipsa experientia comprobatur. Peccans enim ille viscosus & lentus humor, articulis, ligamentis, nervis, & iuncturis tenaciter inhærens & insidens, medicamentis haud tollitur, nec radicitùs evacuatur. Violenta tamen illa distorsione & expansione membrorum, quæ fit in tortura criminali, penitus illam sublatam fuisse, tum ex quorundam virorum fide dignorum relatione habeo, tum etiam egomet in viro quodam observavi.

Anno 1596. Nobilis & Magnificus ABRAHAMUS Graffenried/ Reip. Bernens. Consul vigilantissimus, præsente Nob. ANTONIO à Graffenried/ ejusdem Reip. nunc Tribuno vigilantissimo, & nonnullis aliis, Bernæ domi suæ narravit mihi, Commissarium quendam (cujus nomen nobis quoque aperuit) arthriticum, gravium facinorum suspectum, ante annos viginti Bernam adductum, ibiq; multoties torturæ subjectum: Inque ea, quum intrepidè innocentiam suam tueri pergeret, non modo criminis, verùm & arthriticorum dolorum, quibus ante torturam duriter affligebatur, absolutum fuisse.

Sic ego non infimæ sortis quendam 18. ab hinc annis familiariter novi, qui ante annos 16. graviter accusatus, Bernam adductus fuit; ubi quum tortura multis vicibus ipsi rigidissimè adhiberetur, ille verò innocentiam suam constanter affirmaret, tandem absolutus, & pristinæ dignitati restitutus est. Hic antea per multos annos podagrâ miserrimè cruciabatur: à tortura autem postquam thermis Valesianis usus esset, valetudo ipsius adeò confirmata est, ut usque ad hunc diem superstes, nulla doloris arthritici vestigia à torturæ tempore senserit, sed erectus in pedes, quantumvis senex, insistere atque incedere potis sit.

Ejusdem rei historiam memini T. Exc. aliquando me præsente narrasse, quendam nempe podagricum in carcerem conjectum, & quæstione examinatum, postea tamen pristinæ dignitati restitutum, ab arthritide simul liberatum fuisse. Exempla hæc Observationibus meis Chirurgicis, amicorum admonitionibus, in lucem propediem edendis, inserere decrevi, si forsan podagrico cuipiam utilitatis hinc aliquid conferri possit. Proinde si historiam tuam pleniùs communicare, atque simul exiguo aliquo carmine hasce observationes illustrare Exc. T. dignetur, id mihi gratissimum fuerit, eoque me tibi magis ac magis totum devinxeris. Mitto exemplar tractatus mei de Dysenteria, quod ut sereno vultu accipiat Exc. T. vehementer rogo. Vale, vir clarissime ac perpetuò mihi honorande, cum honestissima tua conjuge, quam tecum ego & Colinetæa mea charissima, demissè salutamus 10. Febr. 1604.

Exc. T, addictissimus & obsequentissimus,

G. Fabricius Hildanus.

ANTONIUS FAYUS
GUIL. FABRICIO HILDANO, Chirurgo Præstantissimo.
S. P. D.

Arthritis torturâ sanata.

ITA est ut scribis, Vir clarissime & amicissime, narravi tibi ante annos aliquot, quod non oculis videram, sed quod ab oculatis auribus acceperam. Vir clarus in carcerem conjectus, propter occulta cum principis sui hostibus colloquia, quæstione adhibitâ, tortus est. Laborabat ille totius corporis arthritide. Quod verò ei videbatur summum incommodum adferre debere, in maximum commodum cessit. Nam postea non tantùm ab arthritide ille est liberatus, sed bonæ valetudini restitutus est, qua & usus multos annos vixit. Memini Averrhoici dicti, in morbis monstra fieri, id est, ut ego quidem existimo, contingere multa, quorum ratio nulla reddi potest. Sed nemo te meliùs aut certiùs id docere potest, qui deploratis, & ab aliis Chirurgis derelictis, ita soles manum opiferam adferre, ut admirabilium tuarum curationum tam sit celebris fama, quàm incredibilis & frequens successus. Cognovi id novissimè, quum IUVENONI tui (quid enim tuum non appellem, cui vitam secundum Deum restituisti) manum, quam ferè cum humero & brachio semimortuam videram, priusquam ad te, tanquam ad alterum Aesculapium se contulisset, à te revertentem, literasq; tuas tradentem gratulabundus intuerer. Non dubito quin majora & mirabiliora lecturi simus in tuis observationibus, quæ non voluptatē tantùm, sed utilitatem Medicæ familiæ sint allaturæ. Legi quod misisti de Dysenteria scriptum, placuit. De Epigrammate quod petis, petam ab Apolline, ut ministret aliquid te non indignum. Quanquam vereor, ne parùm mihi faveat in versibus pangendis hoc tempore, quum jam diu ab illius castris discesserim, abjecta medicinæ faciendæ cura, ut Christo & ejus Ecclesiæ vocanti parērem, medicinamq; corporis cum medicina animæ commutarem. Dominum MERULAM, popularem meum, Paterniacensis Ecclesiæ pastorem fidelissimum, quæso officiosè meis verbis saluta. Ego & uxor mea tibi & uxori tuæ salutem dicimus, & à Domino salutis Authore precamur. Vale Genevæ 16. Februarij, Anno 1604.

ANTONIUS FAYUS
GUIL. FABRICIO HILDANO, Chirurgo Præstantissimo.
S. P. D.

Arthritis gaudio

MItto tibi, vir clarissime, Epigramma, quod lusi non invito Apolline, quia de te Apollineo alumno co-

Obs. 79. maximo inspe- cto cura-


no cogitabam & scribebam. Erit mutui amoris nostri τεκμήριον. Accipe etiam, quæ inter Observationes tuas reponatur, non indignam historiolam, superiori illi, quam ad te nuper misi, affinem. Ducebatur ad supplicium, caput amissurus, quadragenarius podagricus: in medio itinere allatus est de venia, principis benignitate misero illi concessa, nuntius planè insperatus. Illo sic affectus est miser ille, ut qui exanimis propè membrorum omnium usu carebat, statim alacri & expedito motu se in pedes dederit: annosq; multos postea liber ab omni arthritidis molestia vixerit. Narrationem hanc pro vera affirmare ne dubites, illam enim excepi ex Actis publicis Senatus Reipublicæ tibi satis notæ. Quum autem anteà privato nomine gratias egerint ex fratribus nostris nonnulli, pro ea fide & diligentia, quam in curando IVVENONIO adhibuisti, nunc totius Collegij nostri consensu aguntur, ut ex literis D. GAVLARTII intelliges, addito munusculo, exiguo quidem illo, sed non exiguæ observantiæ erga te arrhabone. Boni omnia consule, & nos ama. Vale Geneva 12. Martij Anno 1604.

Arthriticos timore & inopinatâ mentis cõsternatione sanatos fuisse, lector exempla videre poterit Centuria prima Epistolarum, Epistola 47. & 48.

OBSERVATIO LXXX.

De brachij, tumore pituitoso circa cubitum resoluto atrophiâ correpti, curatione.

ANno 1594. mense Januario puer 13. annos natus, filius PETRI von Werd/ civis Coloniensis, ex variolis tumores aliquot ex lenta & viscida materia circa humeros, cubitum dextrũ & genu contraxerat. Horum nonnullos, qui humeros occupabant, incidi, & processus superiores scapulæ (quos rostra porcina vocant) extraxi: quo facto humeri nullo motu deperdito restituti fuerunt. Cubiti verò tumorem, quum ad id me parentum cogerent preces, discutientibus medicamentis resolvi: Sed non multò pòst, brachium usque ad humerum in atrophiam incidit, & ita desiccatum est, ut periret motus omnis. Verùm appetente Vere, puerum denuo purgavi leni quodam medicamento phlegmagogo; qualia sunt Diacarthamum & Diaphœnicum cum rhabarbaro. Deinde singulis diebus bis terve brachium decocto capitum, pedum, & intestinorum vervecis vel vituli, cum lumbricis incoctis, insuccare iussi, quoad pars inciperet rubescere. Tum præstò fuit famulus, qui parvo quodam instrumento ex cavato corneo, præcipua brachij vasa sugeret. Hinc totum brachium, humerum, collum, & pectus cum succo lumbricorum & oleo amygdalarum dulcium simul mistis, inunxi. His Deo benedicente, brachium pristino restitutum fuit vigori.



ANNOTATIO.

Athrophiæ hujus causam autumo materiam lentam & viscidam resoluti humoris, tum intra, tum circa vasa, venas nimirum, arterias, & nervos sparsam, & induratam, ac proinde prohibentem, quò minùs sanguis & spiritus ad brachium pervenire, idque nutrire possent. Vnde intelligimus, meliùs incidi abscessum, & pus extrahi, quàm si humor extra vasa discutiatur: quod ipsum ex sequenti observatione quoque manifestum erit.

OBSERVATIO LXXXI.

Abscessus circa humerum serò aliquantùm apertus, quæsitâ deorsum viâ, genitalibus gangrænam succendit.

TRimestris pueri Reverendi DAVIDIS CLAUDII M. Genevensis, abscessu circa humerum dextrum laborabat. Vocatus unà cum clarissimo D. D. IANO ANTONIO SARACENO, Medico regio, materiam plus quàm digestam adstantibus significavi, qui tamen incisionẽ respuerunt. Postridie tumorem multùm imminutum invenimus, sed humorem descendentem apprimè cognovimus. Tum inciso tumore aliquantum effluxit puris, paulatimque subsedit tumor, defluente sensim in imum ventrem & genitalia humore, qui extincto calore nativo gangrænam procreavit, & paucos post dies sphacelum, indeque mortem. Est enim sphacelos hac in parte ut plurimum lethalis: ut in tractatu nostro de Gangræna annotavimus.

Similem propemodum casum vidi in puerulo, duorum mensium ætatis, Nobilissimi viri IOHANNIS à WILICH Bernsau, qui per eundẽ obijt Coloniæ, Anno 1599. 10. Iulii.

OBSERVATIO LXXXII.

Erysipelas oleo inunctum, in gangrænam terminatum.

RUsticus quidam, Erysipelate phlegmonoide in sinistra manu laborante, ex tonsoris consilio sibi inunxit per aliquot dies manum & brachium oleo rosaceo: unde dolores, inflammatio,

Obs. 83. matio, aliaque symptomata magis magisque ingravescebant, ita ut tandem gangrænâ correpta sit tota manus. Is quum ad me accessisset, scarificatione, alijsque remedijs, quæ ad gangrænæ curationem spectant, curatus fuit. Ex quibus perspicuum est, oleum maximè inflammationibus adversari: ut etiam Galenus lib. 5. de simplic. medicamentorum facultat. monuit.

OBSERVATIO LXXXIII.

Digiti omnes dextræ manus, pollice excepto, ex combustione in externam manus partem retracti, ibiq; conglutinati, restituti.

ANno 1596. Isaacus Gotteran de Perroy, adduxit ad me Lausannam filium suum Michaelem, 14. menses natum. Is autem sexto mense ætatis, manu dextra in prunas ceciderat: Hinc index, medius, annularis, & auricularis, unà cum externa metacarpi parte, adeò combusti fuerunt, ut apices horum digitorum usque ad primam articulationem deciderint. At quia pater curationem imperitis commiserat, digiti omnes (excepto pollice) cum cute metacarpi quasi in globũ, (ut sequens figura ostendit) conglutinati fuerant.



Septimo mense post absolutam curationem, adducunt ad me puerum parentes Lausannam, auxiliumque meum implorant. Purgato itaque corpore, mannâ ex jusculo exhibitâ, topica & Chirurgica sic institui. Primò sequenti decocto emolliẽti, & unguẽto, per dies aliquot usus sum.

℞. Radicum althææ cum toto, Rad. Bryoniæ,
Liliorum alborum ana ℥ j.
Florum Chamomillæ,
Meliloti,
Hyperici,
Chamœpitios
Chamedrios ana M. j.
Sem. Fœni græci
Lini ana ℥ j.

Coquantur in jusculo pedum & capitis vervecis aut vituli pro fotu. Postea inunxi totam manum & brachium sequenti unguento.


℞. Unguenti Dialthææ ℥ j.
Axungiæ humanæ,
Gallinarum,
Anseris,
Ursi ana ʒ ij.
Succi lumbricorum ʒ ß.

Misce, fiat unguentum. Tandem manum involvi emplastro de mucilaginibus. His nervi & callositas ex corrugata cute metacarpi & digitorum, in externa parte manus concretâ, satis emollita: Inde callum inter digitos & metacarpum novacula excidi, digitos item separavi. Deinde inspersi pulverem nostrum ad sanguinem sistendum, & albumina ovorum mista cum aqua rosacea, & plantaginea, oleoque rosaceo, applicui. Defensivum quoq; ad carpum adhibui, & totum brachium oleo rosaceo, myrtillorum, & lumbricorum inunxi. Postero die sequens digestivum filamentis suavibus supra incisiones posui, & brachium, ut antea, suprà dictis oleis inunxi.

Vide Tr. de Gan.

℞. Terebinthinæ, lotæ in aqua rosacea & plantagin. ℥ j.
Olei rosacei & de vitellis ovorum ana ʒ ij.
Croci ℈ ß.
Vitellum unius ovi. misce.

Quinto die apposui sequens instrumentum, ex ligno fabricatum, & incœpi paulatim attrahere digitos ad naturalem situm.



A. Ferula

Obs. 84.

A. Ferula est, lata tribus digitis in latitudine positis, ejus longitudinis, ut à carpo ad cubitum ferè usque pertingat.

B. Baculus est rotundus, pollicis crassitie, qui ferulæ firmiter affixus est: è medio autem hujus baculi exsurgunt clavi quatuor rotundi, & ex ligno fabricati, C.C.C.C. notati. Habet item ferula fibulas duas D.D. notatas, & lora duo E.E. notata, quorum beneficio instrumentum brachio alligatur: ut ex figura satis apparet.

Alligato itaque instrumento, & undique linteis stupis, aut gossipio bene munito; habui in promptu digitalia ex pelle fabricata, quæ extremitatibus digitorum apposui. Deinde filo, quod eis appendet, digitos deorsum attraxi, & clavis C.C.C.C. notatis alligavi, atque singulis diebus magis magisq; incurvavi. Id autem ut eò meliùs fieret, brachium & manum superiori unguento, quotiescunq; vulnera tractabam, inunxi. Ne autem digiti denuò conglutinarentur, laminas plumbeas digitis interponebam. His paulatim digiti ad naturalem situm reducti fuerunt. Interim vulnera quoque consolidavi & cicatrizavi, non quidem ijs quæ valde exsiccant, sed ijs, quæ simul emolliendi vim habent, medicamentis: quemadmodum in tractatu nostro de Combustionibus ostendemus. Atque sic, divino favore, manus in integrum restituta fuit.

OBSERVATIO LXXXIV.

De morsu humano, ejusdemque curatione.

DUplex homini ab homine morsus infertur, nam aliàs fit ab homine rabioso, isq; summè malignus atque venenosus est: ideoq; non secus quàm si à cane rabioso factus esset, curari debet. Aliàs fit itidem ab homine, aut phrenetico, aut furiosâ irâ percito. Quem morsum postremum periculo non vacare, exempla quæ sequuntur, fidem faciunt.

Anno 1581. GIRHARDUS MUCHS, mercator in Langenberg / in Ducatu Montensi, quum inter pocula cum alio quodam litem haberet, eique colaphum impingere tentaret, dentibus haud leviter infixis apicem dextri ejus indicis apprehendit. Vnde, quia non rectè curatus, nec ulla vitę regiminis ratio habita est, exortus est dolor magnus, aliaque graviora symptomata. Quum verò de abscisione manus barbitonsores duo, quibus curandum se commiserat, inter se conferrent; is vocari jussit præstantissimũ COSMUM SLOTANUM, apud quem tunc temporis praxim exercebam. Quum itaque pervenissemus ad ægrum 26. Iulii, invenimus totam manũ inflammatam, & jam incipiente gangrænâ correptam: dolores quoq; extremi, convulsiones, febris ardentissima, syncope, & inquietudines maximæ aderant; ita ut non solùm de manu, verùm etiam de vita periclitaretur.

Scarificavimus itaq; statim totam manum, & applicuimus quæ gangrænæ adversantur. Mox universalibus, veluti clysmatis, purgationibus, venæ sectione, epithematibus, cordi & hepati applicatis, & vitæ regimine frigido & humido, humores & sanguinem ad manus cum impetu fluentes, repulimus, detraximus, diminuimus, & partes principes ad temperiem vocavimus. Sic tandem æger, divino favore convaluit, ità ut non manum, imò ne digitum quidem morsum amiserit.

Anno 1603. mense Aprili, quum phreniticam quandam mulierem tractandam haberem, & linguam an arida esset, explorare vellem, illa digitum incauti, & nimis curiosi Medici dentibus arripuit, atque adeò dentes digito impressit, ut sine violentia eum inde extrahere non potuerim. Hinc statim dolor vehemens non solùm in ipso digito, sed per totum brachium exortus est. Applicatis tamen ijs, quæ sequuntur, paulatim dolor sedatus est: & quinque vel sex dierum spatio digitus convaluit. Primò diligenter sanguinem ex morsibus (diversis enim in locis dentes infixerat) expressi, mox aceto acerrimo ablui tum morsus, tum etiam totum digitum. Postea theriacam dissolutam in aqua vitæ, cum gossipio morsibus imposui, ac emplastro basilico apicem digiti, totam verò manum linteo reduplicato, ac in oxycrato madefacto involvi. Atq; his remedijs quotidie bis vel ter iteratis, Dei beneficio convalui.

Obs. 85.

OBSERVATIO LXXXV.

Alia morsus humani Curatio.

ANno 1604. sub Canicula, ESAIAS RAPIN, Corsellis prope Paterniacum, à quodam viro, furiosa irâ percito, ad primam articulationem pollicis graviter morsus fuit. Hinc statim exortus est dolor vehemens per totum brachium. Neglecto ab initio morsu, dolores, reliquaque symptomata singulis momentis ingravescebant. Ego quarto die morbi accersitus, febricitantẽ ipsum comperi; syncopæ item aderant, & dolor acutissimus. Pollex item usque ad carpum correptus erat phlegmone, quæ postea in putridum & sinuosum ulcus degeneravit. Morsus lividi erant, ex quibus subtilis, acris, & fœtidissima materia effluebat. Doloris leniendi gratiâ, brachium oleo rosaceo & lumbricorum inunxi. Ad carpum, defensivum morsibus, toti verò digito sequens unguentum applicui.

℞. Unguenti basilici
Butyri recentis ana ℥ ß.
Ol. amygdalarum dulcium ℥ j.
Theriacæ opt. ℥ j. cum vitello ovi, fiat unguentum s. a.

Postero die electuario de succo rosarum ipsum purgavi. Postea basilicam brachij sani incidi: & vitæ regimen præscripsi. His sedato dolore, & probè digestis morsibus, ulceribus mundificativum sequens imposui.

℞. Pulveris Myrthæ, Aloes, radicum aristolochiæ rotundæ;
Iridis florentinæ, Angelicæ ana ʒ j.
Theriacæ dissolutæ in aqua vitæ ʒ ij.
cum melle rosaceo, fiat unguentum.

Tandem ulcera aliorũ ulcerũ more cõsolidavi, curáq; Dei beneficio, maximo cũ labore absolvi.

Obs. 86.

OBSERVATIO LXXXVI.

De morsu canis rabiosi.

AD

Clarissimum ac Doctissimum Virum, D.D. ABELEM ROSCIUM, *Reipubl. Lausannensis Doctorem Medicum ordinarium, atq; celeberrimum.*

QVIA multi historiam de quadam matrona, quam aliquando tibi coràm narravi, vir undiquaque doctissime, atque amice plurimùm observande, pro fabula habuerunt; ideo statueram, illam, quantumvis memorabilem, oblivione sepelire. Hoc tamen anno quia duo sese obtulerunt exempla, quibus illa confirmari potest, audentior factus sum, ut historiam ipsam letheis aquis penè immersam, literis tanquam remis ad ripam appellerem, tibique rerum naturalium atque medicarum scrutatori diligentissimo, emersam communicarem. Historia autem illa erat de matrona quadam, quæ ex levissima (ut videbatur) occasione in hydrophobiam inciderat, ac tandem morte sublata fuerat. Porrò res ita se habet. In via obviam venit ei canis rabiosus, qui vestem eius dentibus arripiens, huc & illuc trahebat, donec tandem veste lacerata, cute tamen mulieris illæsa & intacta, canis aufugit. Illa verò nescia canem rabiosum fuisse, laceratam vestem filo (prout sarcinatrices factitare solent) dentibus abscisso, resarcire cœpit. Vnde nullum quidem per tres menses sensit incommodum. Postea verò sensim melancholica facta, imaginationibus, visionibus horribilibus & pavoribus agitari cœpit, & paulò pòst, aquam & vinum odisse, & quod peius est instar canum latrare, domesticos non agnoscere, dentibus arripere, atque modò hunc, modò illum mordere tentans: Donec tandem in ea miseria animam efflaret. Hæc est Historia, vir clarissime, quam nonnulli, hujus veneni sævitiam ignorantes, in dubium vocarunt.

Quomodo autem venenum partes nobiles infecerit, iam operæ precium est perquirere. Venenum hoc universam complexionem ac molem humorum in corruptionem trahere, ac omnes partes principes invadere, symptomata, quæ inde sequuntur, satis superque testantur. Cerebrum enim inprimis à veneno occupari, furor & insania denotant: quandoquidem spiritus animales, alijs subtiliores, primò offenduntur. Postea quoque in corde, & hepate summam intemperiem calidam & siccam exoriri, leipotymia, incendium, febris, ardor linguæ, sitis vehemens, anxietas, inquietudines, & huiusmodi symptomata, denotant. Hinc certum est, excrementa & salivam præcipuè (quæ in canibus rabiosis partim cerebri, partim pulmonis excrementum est) venenosam esse. Vestis igitur matronæ virulentâ saliva canis madefacta, filum infecerat, atque inde mulier dentibus filum abscindens, venenum partim ex filo, partim ex ipsa veste, labijs ad se attraxerat, quod deinde paulatim ad partes nobiles serpsit. Tanta enim est huius veneni sævitia ac malignitas, ut hominis iudicio comprehendi non possit. Neglecti enim morsus canis rabiosi, quantumvis minimi, cute vix læsa, sine dolore aut inflammatione, nihilominus post longum tempus omnibus partibus principibus, labem atque perniciem communicant, ita ut tandem homo in furore moriatur. Nonne Baldus, eximius ille Iurisconsultus, à caniculo suo in labijs morsus, neglecto morsu, post quatuor menses rabidus perijt? Sed non tantùm morsum perniciosum & mortiferum esse, sed & ipsam salivam, testantur Galenus, & post eum multi viri docti.

Exempl. Baldi. V. de Forestum l. [...] Obser. [...] Amb. [...] rarum l. [...] cap. 20[...]

Quanta autem huius veneni sit sævitia atque malignitas, licuit hoc anno binis exemplis mihi observare. Primum fuit SEBASTIANI CVISINERI, Paterniacensis filia, quatuordecim annos nata. Illa à rabioso cane vulnuscula quinque in tibia acceperat. Parentes illam vetulæ empiricæ curandam commiserant. Illa vulnera ferro candenti inussit, postea nescio quo unguento 15. dierum spatio, curationem absolvit. Sed quia (ut ex parentum relatu colligo) non satis profundè immissum fuit cauterium, & maturè nimis obductæ fuerunt cicatrices, accidit ut post menses tres subitò melancholiâ, tristitiâ, mœrore, & timore, ac paulò pòst hydrophobiâ correpta sit. Ego tandem accersitus, inveni ipsam in mortis agone. Maximus ardor, sudores, anxietates, & sitis aderant: aquam tamen, neque vinum videre potuit, neque etiam sibi nominari passa est. Lingua arida erat. Domesticos non agnoscebat, quos quandoque dentibus apprehendere tentabat. Atque in eo angore paulò pòst è vita decessit.

1. Exem[...]

Alterum exemplum fuit de Iuvene quodam viginti annos nato, Daniel Perrin nomine. Is superiori æstate, tempore messis, à fele rabioso scalpturam in dextro pollice accepit: ubi epidermis vix offensa fuit, At quia ipse inscius felem rabiosum fuisse, hanc scalpturam (quæ non diu post sponte coaluit) planè neglexit. Nullus enim sequebatur dolor, nullaque infflammatio, aut aliud symptoma. Proxima verò die 1. mensis Martij, paulatim incœpit melancholicus fieri, & pavoribus, atq; falsis imaginationibus commmoveri: ita quidem ut postero die domo egredi, atq; in publicum prodire non auderet. Ego tertio die eiusdem mensis vocatus, inveni ipsum hydrophobiâ correptum, Aquam enim, vinum, omniaque splendida adeò abhorrebat, ut ne videre quidem posset, nec vellet: imò interrogatus an vellet bibere, statim alta voce exclamabat, seque abscondebat. Vultus, collum, & pectus infflammata erant: colore cæruleo misto, sudores & anxietates aderant: maximo cum impetu ex una in alteram lecti partem sese ita proijciebat, ut tres viri quantumvis validi, vix eum continere possent. Nonnunquam exclamabat, & sese in adstantes proijcere tentabat: quos dentibus arripuisset, nisi custodes eum retinuissent. Cibum & potum non solùm respuebat, sed ex sola nominatione aut inspectione calicis, expavescebat & tremebat, atque in ea miseria eâdem nocte è vita decessit.

2. Exem[...]

Hydropho[...] bia sign[...]

Vides itaque, vir doctissime, primam, quam recen-

Obs. 86.

recensui historiam de matrona, non esse incredibilem. Si enim huius veneni vis tanta est, ut etiam unguibus tantùm felis communicatum, hinc inde per venas & arterias capillares in vasa, & per consequens ad partes principes delatū fuerit; nonne multò faciliùs potuit matrona illa, ex veste, virulentâ salivâ canis recens madefacta & infecta, hoc exitiosum venenum ad se adtrahere? quandoquidem (ut antea dixi) solo canis rabiosi sputo, si humanum corpus contigerit, nisi statim abluatur, rabiem excitari posse, testentur viri docti. Corpus enim nostrum, quum sit undique perspirabile, mediante arteriarum diastole, facilè ad se venenum attrahit. Hæc, quia te, Vir doctissime, rerum medicarum studiosum esse, earum præcipuè quæ rarò contingunt, & hujusmodi historijs oblectari scio, ad te scribere placuit. Tuam quam habes huius argumenti observationem non vulgarem, si communicare libuerit, gratissimum feceris. Vale Vir clarissime, & amicissime, & me, ut facis, amare perge. Ex musæolo nostro Machaonico 13. Augusti, Anno 1603.

Exc. T. addictissimus
G. Fabricius Hildanus.

ABEL ROSCIUS

Medicus Doct. GUILEL. FABRICIO HILDANO, Chirurgo Præstantissimo.

S. P. D.

QUAS de hydrophobia observationes ad me misisti (vir clarißime, artisq; Chironicæ expertißime, ac amice charißime) gratißimas accepi, his tribus potißimùm nominibus, primò, quòd quanti me facias, luculenter ostēdant; tum quòd historiam, quam aliàs à te audiveram, & penè jam oblivioni tradideram, in memoriam revocarint; tum denique quòd ansam mihi dederis ex tuo scripto, de hoc sævo morbi genere, quæ observare mihi licuit, ad te scribendi: Quapropter quod hujus argumenti præ manibus, vel potiùs præ mente habeo, libentißimè exponam. Inprimis à tua opinione & sententia non deflecto, aioque tecum, mulierem illam dentibus rumpendo filum, spumâ venenatâ inquinatum, & gingivis, linguâ etiam forsitan, oreq; pannum lingendo, seu tangendo, lethifera rabidi canis salivâ infectum, venenum subtilißimum & contagiosißimū repentè & facillimè attrahere potuisse. Quum dubium non sit, facultatem tandem æquè exitialem inesse salivæ seu spumæ canis, alteriusvè animalis in rabiem acti, si eā partem nudam, vel cute nudatam contigerit, ad animal interimendum, & in eandem rabiem, qua vexabatur, convertendum; non aliter quàm si ab ipso rabido demorsum fuisset. Mirabilis quidem est illa tua prima observata historia, sed non incredibilis, Idem aliàs evenisse, testantur graves viri; huic simillimam refert Andreas Baccius. Altera inter quotidianos, frequentes, ac communes eventus est reponenda. Tertiam verò ægrè crediderim, nisi te (cui fidem adhibeo) testem oculatum fuisse assereres. Etenim, in ungue excrementi genere siccißimo, nulla inest humiditas, quæ tam celeriter vulnus, seu scalpturam veneno inficere queat: Et quæ corporis humores adeò citißimè vitiet. Sed quum ita se res habeat, tuq; id affirmes, verum esse non dubito. Causam scrutari decet. Necesse est spiritualis quædam substantia adsit, veluti in venenatorum animalium ictibus, quæ aculeis noxiam vim habet, quæ ut mole minima, ita facultate quàm maxima evadat. De maligna & venenata hujus veneni vi, etiamsi quæpiam producantur, quorū nulla extet, vel reddi poßit ratio, pro ingenioli tamen mei viribus, & temporis penuria aliqua disseram, ut dilucidior reddatur res. Eorum quæ deleteria à Galeno vocantur, hoc est, venena quæ totius substantiæ proprietate nobis adversantur, quædam actu statim corrumpunt, quædam potestate agere existimantur. Quæ actu statim corrumpunt, ea sunt, quæ ex animalium ictibus, & venenatorum morsibus, intuitu, halitu, aut contactu, salivatione, vel urina corpus contingunt, vel in corporibus relinquuntur. Quæ potestate agunt, hæc vel intrò suscepta, vel extra adhibita, aut utraq; ratione nocent. Quæ igitur tota substantia nobis sunt adversa, varia & ferè infinita existunt, eaque vel lædunt, vel determinatis partibus quibusdam, cerebro nimirum, cordi, pulmoni, ventriculo, vesicæ, nocumentum inferunt; suntq; omnia vel liquores, vel plantæ, & earum partes, radices, folia, flores, fructus, semina, medullæ etiam, &c. vel sunt animalia, & horum partes, cerebrum, fel, sanguis, lac, saliva, urina & similia: Vel demum mineralia ipsa, quorum ingens est numerus. Rursus horum vires in occidendo variæ, ut varia est natura & complexio: ex his aliqua convulsiones, torporem, risus, deliria; alia corporis motus, saltationes: nonnulla dolores ingentes, ardores, inflammationes, febres, & pleraq; id genus inducunt. Quosdam attonitos, furentes, alios rabiosos videas, lætos alios, tristes permultos & timidos, prout varia assumpti vel excepti veneni vis & proprietas: nonnulli celerem, tardiorem alii mortem obeunt, sunt qui facilem, difficilem alii: sunt etiam nonnulli, qui venena præparant (ex Theophrasto) quæ statis & certis temporibus, quomodocunq; demum libet, interimant: Quædam etiam quæ coitum inhibent, & generationi adversantur. Sed quia venena, quæ intrò sumpta, lethum adferunt, non sunt hujus propositi, de ijs quæ extra adhibita nocere solent, quæ ab animalibus scilicet venenatis infliguntur, breviter dicam.

Horum certè quædam observantur esse in totum adeò exitialia, tamq; sæva & horrenda invehere symptomata, ut dæmoniorum potiùs quàm morborum genera dicantur. Quæ igitur actu, hoc est, animalium ictu, morsuve, tactu, aut halitu perniciem adferunt, accidentium varietate & sævitia, cunctis præferenda videntur. Morsibus & salivâ seu sputo lædunt canis rabidus, bufones, & aspidis tertium quoddam genus. Morsu tantùm vipera, scolopendra, mus araneus, phlalangium, dryinis, dipsas, aspis, hæmorrhois, natrix, cenchris, cerastes, Cæcilia, amphisbæna, seps, Acontiæ, quæ se ejaculando mordet, Ammodites ex Aetio, & reliqua serpentum genera, ac pleraque alia animalia, Basiliscus & Catoblepas, quæ duo serpentum genera, etiam halitu & intuitu, & solo tactu interficiunt. Solo tactu etiam nocent Salamandra. Eruca pini, & rabidi canis spuma, quæ rabidos homines quoque reddit. Id ex variis testatum est historiis, præcipueq; ex tua satis liquet, in illa nempe muliere, quæ dentibus

Marginal notes: bs. 16. — l. de lo. aff. l. 6. ... tius ... rr. 4. ... m. 4. c. ... Ambr. ... raus li. ... cap. 19.

Obs. 16.

dentibus filum infectum abscidit. Sed & bufonum, irritatorum præsertim, saliva lethalis evadit. Nec mirum, quum hominis quoque jejuni animalibus cæteris, imò etiam homini quandoque, eadem veneno sit. Quinetiam animalium quorundam à venenatis interfectorum sanies ipsa, interitum affert. In summa, cujusvis feræ morsus, imò etiam hominis, veneno aliquo non carere arbitror, de irritatis potissimùm intelligo, bile scilicet magis exacutâ, & per totum diffusâ, hoc præsertim accidit, si excandescant, tumq; morsum inferant. Quod in homine sæpius est compertum. Quid de ijs, quæ non solùm irâ percita, sed tota rabida evaserunt, existimandum putas? Quanto graviores morsus esse, quantum malitiæ, malignitatis & veneni mortiferi in ijs inesse autumas? Vtinam nobis deessent exempla, eorum præcipuè, quorum ob necessitudinem, familiaritatem, & affinitatem, lugemus & dolemus vitam calamitosam, & cruciatibus variis, nimisque frequentibus plenam. Venenorum hæc omnia genera, non qualitatibus ullis, sed totius substantiæ proprietate (ut suprà diximus) operantur, quamvis calida aut frigida existimentur. Ignotam igitur horum rationem, experirique effectus in re parva, sæpe contingit admiratione omni longè majores. Admirabilissimos tamen omnium canis rabidi, vel hominis, alteriusvè animalis rabie perciti, effectus censeo, transeunte contagio ab altero in alterum, neque statim se prodeunte malo, ut sæpe damnum cum morte sentiatur. Humor ille salivosus, qui ab ore rabientis animalis eructatur, vim veneni in se habens, sensim spiritus, sanguinem, humores, ac partium substantiam contagione labefactat, ut inquit FERNELIUS, longiùs serpendo in partes principes, sed adeò segniter, & per moras, ut nullum ferè per principia sentiat malum æger, ac propterea nesciant, quanta pernicies lateat, quàm mox tum ferè, quum ad cor, & cerebrum jam pertingit, quo ubi pervenit, incredibili cruciatu, mirabilibus & horrendis symptomatis hominem affligit, febrem tamen plerunque non excitat hæc contagio, nisi ad postremum quum jam propagatum fuit malum, per partem post partem ad interna, ac demum ad præcordia; tum & febrem suscitat, & septum transversum, & cor ipsum convellit, ac postremo cerebrum feriens, furorem & lethum adfert.

Definitio rabiei caninæ.

Ex prædictis patet ferè integra hydrophobiæ, seu rabiei caninæ definitio. Est enim Rabies canina, nihil aliud quàm inquinamentum cinerulentũ (ut inquit CAPIVACCIUS) vel intemperies contagiosa, & exusta cerebri & cordis, à succo atrabilario veneni participe, omnium principum facultatum cerebri functiones, phantasiã præsertim depravans. Contagiosa dicitur, quia ab uno in alium mali labes transfertur, & fomite & contactu. Eos idcirco admonet Avicenna, qui rabidorum curam agunt, ne eorum reliquias ciborum comedant. Vetant & alii, ne olfaciant excrementa, vel halitum eorum recipiant, vel salivam tangant. Calidam & siccam, & veluti incendiariã esse intemperiem symptomata luculenter ostendunt, ardentes oculi, hians os, vigiliæ assiduæ, igneam intemperiem apertè testantur: hinc etiam fit, ut maximis cœli caloribus, ut sub canicula, ardente syrio, hoc affectu percellantur canes: Vnde sequitur, quod quodcunq; humidius existit, eò rariùs, & infrequentiùs atque mitiùs, hoc morbo prehendatur. Dixi esse cerebri præsertim, & cordis intemperiem, quia etsi plurimæ aliæ partes hîc in vitio sint, potissimùm tamen cerebrum & cor afficiuntur, abalienata mens est, & phantasia labefactata, dum liquida omnia perhorrescunt ægri. Cor esse maximè affectum, hinc manifestum sit, quòd pulsus illis siccus, languidus, minutulus, & frequens pectoris & vitalium partium ardor adest, & anhelitus æstuans, febris valida circa finem. Videntur etiam rabie affecti continuò exsiccari, & tandem quandoq; convulsiones à siccitate incidere, sitim etiam patiuntur inexhaustam. Ideò hoc venenum hoc ordine quarto calidum, testari experientiam, inquit CAPIVACCIUS. Quum enim dissectum esset Monachi cujusdam cadaver, tria notanda scribit apparuisse: primò nullam adfuisse humiditatem aquosam in pericardio, totamq; fuisse consumptam, ab igneo hoc veneno: Secundò sinus cordis conspectos fuisse aridos, & sanguine prorsus destitutos: Tertiò in pericardio portionem quandam observatam, fermè combustam, & in pulverem redactam. Obierat autem Monachus ille ex canina rabie. Præter vitalia & animalia, naturalia etiam lædi, patet hinc, quia nausea fatigat ægrotantes, ore ventriculi hujus veneni occursu fœdato, atque polluto. Ex prædictis liquet, quàm perniciosus, quàm malignus & exitialis sit hic affectus. Nam ubi invaluerit, curabilis non est; & quamvis diu latitet, quum tamen se aperit, celeriter enecat. AETIUS fatetur, se neminem vidisse curatum. Hoc intellige de ijs, qui jam in liquidorum metum, & abominationem inciderant. Latens est certè, & insidiosum hoc morbi genus, quod interdum ad multos dies, menses & annos silet fermentum, tandẽ furtim obrepit. Refert GUEINERIUS in tractatu suo de venenis, quod cuidam post 18. annum à cane rabido morso, metus aquæ accesserit. Narrant alij ad septimum annum, alij ad duodecimum latuisse venenum. Mirum equidem est, quòd tam cunctanter & paulatim agat tam infestum, tam periculosum, & tam contagiosum veneni genus, ut in tantùm tempus differatur & occultetur. Mirum sanè videri debet, quòd quosdam celeriùs, alios tardiùs enecet. Quæ ratio hujus effectus tam stupendi reddi potest? Si quæ sit, hæc erit, ni fallor. Venena deleteria, quæ toto genere humanæ naturæ adversantur à calore nostro nũquam evinci, neque superari possunt, sed vel hausta, vel ejaculata in corpore humano existentia, semper agunt, vitam oppugnantia, in pernicem tandem homines ducunt. Actio illa aliàs citò, aliàs tardè perficitur. Hujus diversitatis ratio à duobus pendet, videlicet, vel ex violentia seu imbecillitate agentis, vel à fortitudine seu debilitate patientis. Ratione agentis quandoque idem venenum cernitur, modò suam actionem citissimè, modò longo tempore edere, ex ejusdem violentia, vel majore vel minore. Id cernitur in serpentibus, pro temporis anni diversitate & mutatione. Nam hyeme non æquè viget eorum venenum, ac æstate, nec tam citò penetrat, & interiora subit eorum morsus. Nec tam repentinam mortem adfert, ut æstivo tempore: & sic de plerisque aliis. Ratione patientis, multos novimus, qui eodem assumpto veneno, diversis tamen temporibus extincti fuerunt, quia ad omnem actionem, patientis dispositio requiritur, cujus meritò imbecilla corpora citiùs, fortia tardiùs veneno necantur. His stantibus dicendum, quum ex sui natura virus rabidum segne sit in agendo, tardiùs multò ex morsu agere. Cur autem in aliquibus citiùs, in alijs tardiùs rabiem producat, hoc ex patientis ratione fieri assero, pro ratione fortitudinis

Obs. 86.

titudinis & imbecillitatis patientis. Cui hoc fortè addatur, quòd victu aliqui utantur, qui venenum acuere, vel hebetare, eiq; resistere apti sunt. Hæc de rabiei seu hydrophobiæ (ut vocant) essentia, satis dixisse videor, si de Etymo hoc addidero. Nomen hoc Hydrophobia, ad hunc morbum exprimendum non competit. Quum enim rabidi homines non solùm aquam, sed etiam vinum & omne liquidum timeant, & quicquid humidum est, perhorrescant & abominentur, non rectè quidem meo iudicio Hydrophobia verus erit rabiei caracter. Abhorrent etiam ab esculentis, cur igitur ab eo verbo, quod nihil aliud quàm aquæ metum sonat hunc affectum denominemus? Sed hîc disputandi locus non est. Sunt etiam nonnulli rabie perciti, qui mente semper constant: non potest ergò delirium hujus morbi pathognomonicon signum constituere. Verùm hæc omittamus. Eorum, qui à cane rabido demorsi fuerunt & ex eo veneno perierunt, quamplurimæ extant historiæ apud Authores, Rhasim, Avicennam, Galenum, Aetium, Matthiolum, Paræum, Gesnerum, Nicol. Florentinum, Francastorium, Forestum, Georgium Palmam, P. Salium, Vidinum, Andr. Baccium. Am. Lusitanum, Palmarium, Ioh. Bauhinum, & alios permultos. Eorum verò, qui à rabie curati & servati fuêre. leguntur apud Valeriolam, Paræum, Forestum, Palmarium, Plinium, Gemmam, Galenum, Scribonium Largum, aliosque. His jam meam Observationem subdere datur locus, sed priùs aliquot alias, ex varijs authoribus excerptas & auditas, easque scitu & notatu dignas, præmittam.

Scribit ARETEVS, à rabido cane, qui in faciem dum spiritus adducitur, tantummodò inspiraverit, & nullo modo momorderit, in rabiem hominem agi posse. libr. 1. de sign. & caus. acut. morb.

Asserit quoq; CAELIVS AVRELIANVS, quosdã se vidisse, qui in paßionem hydrophobicam devenerunt solius aspirationis odore ex rabido cane adducto. Alios rabidi animalis unguibus læsos, in rabiem incidisse. Acut. morb. lib. 3. cap. 9.

Memorat idem author, quendam à gallo gallinaceo pugnante leviter læsum, rabie correptũ. Ibidem.

Similis casus adducitur ab ANDR. BACCIO in suis prolegomenis & antidot. qui sic inquit. Novum casum & admirandum subjungam. His annis olitorem in hortulis Nariis correptum, improviso insultu à veteri gallo gallinaceo, rostro atroci ac rubris pennis, in sinistra manu læsum, sanguinis guttis etiam ductis à me visum. Ac prima ipsa die ringentem ore hominem inventum, nec ferro, nec igne, nullis præsidiis iuvantibus, cum adstantium ac totius viciniæ horrore pugnacis galli instar oculis decumbentem, tertio die interemptum vidimus. Vnde quum fabulosa multa veris involverit antiquitas, non alium crediderim Basiliscum.

Narrat supradictus Author Aurelianus, sartricem quandam, quum chlamydem scissam rabidis morsibus, farciendam sumeret, atque ore stamina componeret, & lingua putà suturas contingeret, seu forsan lamberet assuendo, quo transitum acus faceret faciliorem, tertia die venisse in rabiem. lib. 3. cap. 9. Acut. morb. Hac tua primæ respondet.

In consiliis IOH. MATTHEI de gradi, legitur, Magnificum Dom. Iohannem Cuqueranum infectum fuisse rabie post multos dies, ex sola impositione manus in os canis rabidi, etsi eum canis non momorderit.

Sic etiam MATHIOLVS dicit, se duos vidisse homines, qui spuma tantùm perfusi, nullo quidem ex morsu accepto vulnere, rabiem contraxissent.

IOHANNES PIERIVS VALENIANVS refert, eos, qui canem rabie laborantem dissecuerant, eâ affectos exhalatione, contagionis vim efficacißimam expertos fuisse.

Ait etiam urinam rabiosi canis, quomodocunq; calcatam, valde nocere, maximè ulcus aliquod habentibus.

Halitu & contactu solo rabientes, alios contagione inficere, probat PALMARIVS lib. de morbis cõtag. hac experientia. Quum Rusticus quidam, rabie perculsus, furijs agitatus, sibi è vivis brevi migrandum esse intelligeret, aßidentes, qui eum vinculis constrictum tenebant, in furoris intermißione obnixè rogavit, ut quos deserturus esset liberos, sibi deosculari liceret. Quod quum ei concessum esset, liberisq; oscula libasset, præfocatus est. Sed ecce septimo post die, liberi eodem morbo correpti, eisdemq; cruciatibus torti, brevi miserrimam vitam cum morte commutarunt.

Præterea se vidisse scribit, ex straminis in quo sues rabie pereiti decubuerant, esu, equos, boves, & oves, quæ stramentum degustassent, rabiem contraxisse.

SVRIVS in suis commentariis, rerum in orbe gestarum, in Ducatu Wirtenbergensi evenisse narrat, cauponem quendam hospitibus carnes porci, rabidi canis morsu infestati, edendas proposuisse (parùm certè hospitaliter) ubi homines ejus rei ignari comederunt, mox versi in rabiem, mutuis se morsibus lacerarunt.

Inter observationes D. ESAIAE MEISCHNERI hæc continetur, his verbis. Puer adolescens, apud equitem nobilem, forte fortuna invenit delitescentem sub sponda gladium, quo exactis pluribus annis, canis rabidus confossus fuerat. Is sibi ut concederetur petiit; quo facto quum ensem rubigine obductum extergeret, & perpolire vellet, puer improvidus sibi digito inflixit vulnusculum, vnde rabie percitus, nemine advertente periit. Tanta vis veneni, cujus venenum per dies & annos exolescere, multi autumant.

Testatur P. SALIVS, se vidisse aliquos à cane rabido demorsos, in quibus nulla unquam fuit delirii suspicio. Imò, inquit, persuasi ad bibendum dicebant, claudite oculos ne videamus, & omni conatu conjicite intra os aquam, & alia quæ in potu prodesse possunt: quumq; dentibus fremerent, moreq; canum alios morsu petere ob virus rabidum cogerentur, precabantur adstantes, ut eos validè continerent, ne è manibus eorum ad aliquem mordendum exilirent, eosque admonebant, ut ad os eorum manum, vel aliam partem corporis non admoverent, ne ex ea propinquante cogerentur eos dentibus petere. Hos eosdem propter miseriam & calamitatem lamentari novi, conquerentes morbi principiũ non validè oppugnatum fuisse, se in omnibus Deo, maxima cum commiseratione commendantes, ab eo peccatorum veniam & vitam æternam implorantes audivi. Hæc & similia se vidisse dicit.

Alias permultas notarem historias, quas scribere prolixius foret. Nunc ergo ad meam observationem accedo.

Anno à Deiparæ virginis partu 1581. mense Sextili, matrona quædam, honestaq; mulier, doctoris celeberrimi, filia, quam nobilis vir ante duos annos in uxorem duxerat, hæc mihi familiariter nota, proxi-

meq;

Obs. 86.

meq; affinis: quum quodam die per urbem negotia haberet & ageret, à cane rabido ex improviso impetitur, in sinistro brachio mordetur. Vicini, & concomitantes rei magnitudine, & tristissimo casu vehemẽter perculsi, illico canem interficiunt: Dein præsto advocati adfuerunt seduli doctissimi Medici, qui exquisitè remedia præscripserunt, partiq; affectæ apponenda jusserunt. Per os item Alexipharmaca propinari curarunt. Brachium supra vulnus, ligatura valida, vinculo arctissimo exceptum fuit. Topica attrahentia, forasq; venenum evocantia, ejusq; vim retundentia, adhibita. Deniq; ferrum & ignem loco læso applicuit Chirurgus. Tandem elapsis paucis diebus, Deo volente, salva & incolumis evasit, vel evasisse videtur, nulla in brachio noxa, nec tantùm cicatrice ferè relicta, nulloq; in corpore, ut apparebat, restante veneno. Verùm quid evenerit, audi quæso. Septimo ab hinc anno recurrunt symptomata sæviora multò: persentit in brachio aliàs læso dolorem acerbissimum, veluti à caninis dentibus discerpi, & dilaniari. Inde pauco interjecto tempore furor & mentis alienatio subsequuntur, mœror, tristitia, vigiliæ summæ, sitis inexplebilis, febris tandem; & maxima virium prostratio: ciborum denique omnium odium, nunquam tamen à potu abhorruit. Nec liquida, quæ sitim extinguere valebant rejecit. Morti proxima judicata est, imò nulla nobis relicta erat vitæ vel salutis spes. Sed in tot tantisq; malis, ita diligentissimè ei manus auxiliares adhibitæ fuere, tum à præstantissimis Medicis, tum à domesticis, ut intra paucos dies perfectè sanata visa sit.

Sæva etenim illa accidentia, paulatim mitescendo, absolutè cessarunt. Post annos septem ab hac invasione, & decimo quarto à canis morsu, & tertio ab obitu mariti sui, mirabilibus, iisq; gravissimis morbis, iterum tentari cœpit, principio ducto à sinistro illo brachio. Tormina lethalia sensit, vomitiones & ructus incredibiles, omniaq; symptomata atrabiliaria sustinuit, vigilias & sitim maximam passa est. Vellicationem, & dolorem ingentem in loco priùs morso habuit. Curatur iterum diligentissimè, & me præsente sanitati, ut videbatur, restituitur perfectè, aptis ad id adhibitis remediis. Sopitum tantùm judicavi malum, non deletum. Sic mansit per annos sex. Anno vigesimo à vulnere accepto, denuò recurrit affectus, excitantur accidentia ut prioribus annis, redeuntque eadem symptomata. Sedatis anno sequenti iisdem, rursus tentatur honesta fœmina. Subsequenti anno repetiit malum bis. Anno proximo illapso ter ita correpta fuit. Hoc anno jam bis. A tribus annis frequentiores, sed breviores fuerunt paroxysmi. Tres aguntur hebdomades, quod ab ultimo prehensa fuit, & evasit paroxysmo. In omnibus ferè temporum mutationibus sibi brachium vellicari persentit. Vereor, ne brevi vitam anxiam & calamitosam, cum morte sæpius optata commutet. Hujus rei testis sum: hac egomet vidi. Tuis scriptis respondissem citiùs, si per negotia licuisset. Nunc quum aliquantulum otij sim nactus, his respondere volui. Tuarum est partium, ea boni consulere, gratoque animo accipere. Interim benè vale. Datum Lausannæ, decimo quarto
Calend. Octobris, Anno
1604.

Obs. 8

OBSERVATIO LXXXVII.

Morsus canis rabidi curatio.

Periculosissimum esse morsum canis rabidi, cùm experientia, tum omnes qui de hac materia scripta prodiderunt, fidem faciunt. Quapropter statim ab initio administranda est curatio. Quandoquidem (ut Dioscorides & omnes monent Medici) si legitima auxilia primis diebus fuerint prætermissa, alienum deinceps erit, & carnem scalpro circinare, & ustionem experiri. Qua autem methodo iam aliquoties huiusmodi morsus curaverim, hoc exemplo breviter proponam.

Anno 1602. 30. Iulii adolescens quidam Paterniacensis, David Willometus nomine, prope cubitum dextrum à cane rabido vulnus accepit. Venit ad me primo Augusti. Tum præparatis omnibus, sic processi. Primò morsum scalpello scarificavi, cucurbitulamque cum largiori flama apposui, & quantum fieri potuit, sanguinem extraxi. Deinde totum brachium posca, in qua dissoluta erat theriaca, parumque salis marini, ablui. Saliva enim canis rabidi in parte aliqua cutis exsiccata, nisi maturè & diligenter abluta & abstersa fuerit, rabiem excitare potens est. Postea cauterio actuali morsum undique ac profundè inussi. Hìc monitos velim tyrones Chirurgos, ut diligenter prospiciant, ne nimis leviter & superficialiter inurant huiusmodi morsus, sed ut potiùs in excessu, quàm in defectu peccent. Quum enim morbus sit extremus, extremum quoque requirit remedium. Expertus loquor. Filia enim Sebastiani Cuisineri (cuius antea memini) frustra passa est cauterium, ab empirica vetula adhibitum, quòd non satis profundè impressum fuisset. Audacter itaque atque satis altè, si pars affecta consentit, imprimendum est cauterium, admodum ardens, ut Galeni verbis utar, Quandoquidem ex levi applicatione cauterij, duo sequuntur incommoda. Non enim satis consumitur virus illud, atque malignitas à cane relicta, & maturè nimis coalescit ulcus. Hinc remanens portio aliqua veneni in parte affecta, tandem serpẽdo ad partes principes pervenit, easque in perniciem trahit.

Admon tio.

lib. de T riac. a Pisonem

Nunc ad propositum nostrum redeamus. Post inustionem non usque adeò sollicitus fui de leniendo dolore. Vnctuosa enim & escharam relaxantia, veluti butyrum, oleum, & similia, multò minùs refrigerantia & repellentia medicamenta, mihi in hujusmodi ulceribus non usque adeò probantur. Illa enim exhalationem, evaporationemq; veneni impediunt, hæc verò sanguinem, atque cum eo venenum ad partes nobiles repellunt. At quia omnis dolor, ad se attrahit sanguinem & humores ex corpore (ut Galenus testatur) verisimile est, dolorem prodesse hujusmodi ulceribus, dummodo levis fuerit. Itaque post ustionem, vulneri imposui gossipium madefactum aquâ vitæ, in qua dissoluta erat theriaca. Postea sequens emplastrum supra linteum extensum applicui:

R. Cepæ

Obs. 87.

R. Cepæ aliquantum sub prunis coctæ,
Fermenti
Farinæ sinapi ana ℥ j.
Theriac. ℥ ſ.
Foliorum rutæ &
Scordij ana M. ſ.

Misceantur in mortario, addendo parum mellis.

Sequenti die scalpello escharam undique, quantum fieri potuit, incidi, deinde jam memorata medicamenta applicui: atque sic usque ad casum escharæ processi. Postea ne labia ulceris coalescerent, bis in die pisum imposui, quemadmodum fit in fonticulis: & præscriptum emplastrum applicui. Atque hoc modo ulcus ad menses tres apertum retinui. Interim tamen per intervalla, singulis scilicet hebdomadibus, bis terve ulceri sequentem inspersi pulverem.

R. Pulver. præcipitat.
Lapidis bezoardici,
Pulv. radicum angelicæ ana ℈ j.

Misce.

Mirificè enim malignitatem ad se ex profundo attrahit, & veneno adversatur pulvis ille. Per os alexipharmaca, veluti theriacam, mithridacium, cornu cervi usti & præparati, & lapidem bezoardicum propinavi. Sequens quoque pulvis, cum aqua buglossæ aut boraginis exhibit⁹, summoperè laudatur à veteribus & modernis Medicis.

R. Cineris cancrorum fluviatilium ℥ x.
Radicis gentianæ ℥ v.
Olibani ℥ j.

Misce, fiat pulvis tenuissimus.

Venam non incidi, neque pharmacum solutivum exhibui, ne venenum ab externis ad interiora traherem membra. Sic divino Numine curatus fuit. Atque ad hunc usque diem, quo hæc scripsi, prospera valetudine fruitur.

16. Martij An. 1605.

Eodem tempore hujus Iuvenis fratrem, ab eodem cane, septem in locis morsum, superiori methodo curavi, qui à curatione per annum integrum sanus vixit, tum pleuresi correptus obijt.

Nunc matronam quandam Paterniacensem quinquagenariam, à cane rabido quatuor in locis morsam, cum gravissimis symptomatis, curandam habeo. Qualis verò hujus curationis futurus sit exitus, exspecto, & suo quoq; tempore, auxiliante Deo, qualis fuerit, declarabo.

OBSERVATIO LXXXVIII.

De extrahendi globuli sclopetarij modo perquàm facili, cum instrumentorum ad hanc operationem necessariorum delineatione.

AD

IOHANNEM GRIFFONIUM, Genevensium Chirurgum præstantißimum & expertißimum.

Obs. 88.

QUia, Vir præstantissime, de statu rerum domesticarum meatum & aliarum, quæ hîc hactenus contigerunt, prolixè satis ad Clariss. D.D. IANUM ANTONIUM SARACENUM, communem nostrum utriusque amicum scripsi, nihil hîc de his repetere statui; quum is, ut spero, literas tibi sit communicaturus. Aliquid tamen de re alia, haud dubiè tibi non ingrata, scribam. Quum in hoc patriæ nostræ perturbato statu, sæpissimè mihi sclopetorum sananda occurrant vulnera: unde sæpe quoque non parvâ in extrahendis globulis difficultas extitit, quamvis instrumenta illa vulgaria, ad hanc rem necessaria, in promptu fuerint: Non tamen ea mihi adeò commoda visa sunt, ut satisfacerent. Nisi enim (quod probè nosti) globulus fuerit in superficie corporis, aut aliquo in loco, ubi inter ossa hæreat, non nisi maxima cum difficultate ac dolore apprehendi atq; extrahi potest. Tenaculis enim, aut alphonsino si uti volueris instrumento, ut extendatur & dilatetur vulnus, opus est. Si verò Terebellum globulo infigi volueris (ut hactenus consueverunt Chirurgi) nonne cum terebello globulus circumvolvitur? Coactus itaque fui, aliam extrahendi globuli viam ac rationem, quæ quidem Dei beneficio ex voto successit, meditari. Inveni enim nō ita pridem aptissimum quoddam instrumentum, quo globulus magna cum facilitate & ferè sine dolore extrahi potest. Ideoque, quia te mei amantissimum, & propter bellum vestrum adversus Sabaudiæ Ducem, in hujusmodi vulneribus sanandis occupatissimum esse novi, mutuæ inter nos amicitiæ fovendæ gratiâ, non potui, quin te hujus instrumenti participem facerem; quod ab amico tibi ad gratificandum promptissimo, haud invitus accipies. Instructionem ejus nullam subjicio; quòd facilè tibi homini ingeniosissimo, ex primo quoque intuitu, usus ejus & applicationis modus innotescere possit. Nolim tamen inventionem hanc nostram, aliaque pleraque particularia, aliis quàm intimis nostris amicis communicari: donec in comunem Reip. utilitatem abs te, quod facilè præstiteris, edatur. Scio etenim, à te quotidie in Chirurgicis rara quamplurima, Marte potissimum apud vos hoc tempore furente, observari: quæ quidem si annotare, ac tandem typis mandare libuerit, multum sanè obstringes tibi posteritatem, laudemq; apud omnes Medicos & Chirurgos tibi parabis non exiguam. Id si quando feceris, hujus quoq; instrumenti delineationem typis tuis addere liberum erit. Interim vale cum honestissima tua conjuge, quam tecum salutat Colinæa mea charissima. Dabam Hildenæ ex Musæolo nostro Machaonico, Anno 1590. 10. mensis Augusti.


Tui studiosissimus
G. Fabricius Hildanus.

Delineatio & explicatio prædicti instrumenti.

QUamquam non rarò globuli plumbei, sclopeto projecti, per multos annos in parte aliqua corporis, sine dolore, aut aliquo alio incommodo delitescere possint: est tamen officii rationalis Chirurgi, extrahere quicquid extraneum est in vulneribus, nec idcirco ullo modo (siquidem fieri possit) in eis relinquendus est globulus.


Obs. 88. Donec enim (quod omnibus Chirurgis notum est) vel minima etiam festuca, aut ossis fracti squama, vel simile quid extraneum parti læsæ inhæserit, vulnus incurabile existit. Globulus verò, si nonnunquam propter particularem plumbi facultatem in corpore remaneat, longam & difficilem reddit curationem, propterea quod ægrè carne obduci possit globulus. Præterea si globulus in partem aliquam nervosam projectus fuerit & nervum aliquem, tendinem, vel membranam compresserit, dolores maximos excitabit. Hinc inquietudines, deliria, febres, inflammationes, aliaq; graviora accidentia. Si circa ventris alicujus regionem lateat sphærula bombardaria, verendum ne successu temporis in ventrem ipsum penetret, & de novo morbum excitet. Mutat enim situm & locum propter pondus. Si circa vasa arteriarum, aut venarum fuerit, hæmorrhagia timenda est. Aut si tandem remanserit globulus subter vase aliquo, & callosa quadam substantia obductus fuerit, periculum est, ne comprimat adjacentia vasa, & impediat, ne sanguis & spiritus liberè permeare possint, sequaturq; extenuatio, ac aliquando interitus membri propter penuriam alimenti. Det igitur Chirurgus omnem operam, ut quamprimum extrahatur globulus.

In prima itaque curatione vulneris, nisi hæmorrhagia impedierit, Chirurgus diligenter vulnus exploret digito, aut specillo, & quicquid extraneum comodè apprehendi poterit, extrahat. Præstat id digitis fieri; sin verò nequeat, fiat hamulo aliquo apto, aut rostro corvino, ciconeo, aut anatino, prout requiret necessitas. Quorum instrumentorum delineationes, apud Bartholomæum Maggium, Alphonsum Ferreum, & Ambrosium Paræum licet videre. Quòd si autem globulus profundè corpori inhæserit, non ita commodè tenaculis apprehendi potest: quandoquidem meatum non modò obstruant vulneris, sed etiam dilatatæ, nervos, tendines, membranas, & carnem premant, dilacerent, unde dolor sequitur magnus, aliaque accidentia. Nostrum verò instrumentum, nullum ferè infert dolorem: quantumvis enim angustum sit vulnus, ingredi tamen sine violentia potest usque ad globulum, dummodo Chirurgus habeat penes se tria diversa hujus inventionis instrumenta, cum suis cannulis denticulatis & terebellis (majus scilicet, mediocre, & minus) quorum primum ad angusta vulnera, & parvos globulos confectum sit, idque crassitiem pennæ Oloris non excedat: secundum paulò crassius primo sit. Tertium ad crassitiem digiti indicis accedat. Hujus autem instrumenti, cum sua cannula & terebello, hæc est delineatio.



A. Fistula est argentea aut ænea, undique optimè polita, longitudine unius pedis aut circiter. Illa inuncta oleo rosaceo, immittenda est vulneri clementer, usque dum ipsius extremitas B. notata globulum, quantum fieri potest, amplectatur. Idque ut eò meliùs fiat, proportionem ut habeat fistula aliquam cum vulnere & globulo, necesse est. Si enim vulnus globulo parvo inflictum, ac proinde angustum fuerit, instrumentum quoq; parvum esse debet. Cum primum itaque prima fistula, ad globulum usque immissa fuerit, protinus altera fistula seu cannula C notata, per priorem insinuanda est quoque ad globulum usque: sitque hæc aliquantulum longior priore, quò ipsius extremitas præeminere possit: ut infrà ex figura apparebit. Hæc autem secunda fistula in sua extremitate D. notata, denticulata vel serrata sit; & quidem ita, ut cuspides dentium ex sinistra in dextram vergant: quemadmodum ex delineatione fistulæ hujus liquet: sintque apices détium acutissimi, quò faciliùs globulo infigi possint. Sic enim impediunt, ne cum terebello globulus simul circumvolvatur: quandoquidem fistula hæc & terebellum, duplicem, ac inter se contrarium motum constituunt. Apices enim dentium fistulæ ex sinistra, ut dixim' parte, in dextram vergunt, terebelli verò cuspis, ex dextra in sinistram.


Obs. 88. stram. Tandem terebellum E signatum, per secundam fistulam immittendum usque ad globulum, sitque duabus ipsis fistulis paulò longius: ut sequens indicat figura, qua ambæ fistulæ, prima nempe in secundam immissa, simul & terebellum adumbrantur.



Ubi ergo vulneri intromissæ fuerint fistulæ cum terebello, tunc pollice atque indice sinistro, firmiter teneat Chirurgus ambas fistulas; & quantum æger pati poterit, ad globulum pellat, quò is firmiter teneatur, postea indice atque pollice dextro, terebellum circumvolvat, atque globulo paulatim infigat. Quamprimum verò terebellum globulo sufficienter inhærere Chirurgus cognoverit, clementer, & terebellum, & ambas fistulas simul, & globulum unà extrahat, ut ultima figura demonstrat, in qua globulus fistulæ denticulatæ adhærens conspicitur.

Facillima est, & doloris expers hæc operatio, dummodo Chirurgus dexteritate, atque experientiâ polleat, & dentes atque cuspides fistulæ ac terebelli, acutissimi sint, & ex optimo chalybe fabricati.

Obs. 89.



A. Prima & exterior fistula, undique unita ac polita.

B. Altera in extremitate denticulata globulum tenens.

C. Terebellum globulo infixum.

OBSERVATIO LXXXIX.

Emollientibus medicamentis tumores cancrosos exacerbari.

Quamvis ut plurimum sit verissimum axioma; *Contraria contrariorum sunt remedia*; videant tamen Chirurgi, ne temerè cancrosos tumores, qui durissimi sunt, emollire studeant. Verissimum enim est, quod Galenus scriptum reliquit, de simplic. medicam. facultatibus lib. 5. *At*, inquit, *quæ ab atrabilario succo duruerunt, cancrosa sunt omnia, & ab emollientibus medicinis exaspe-rantur.* Huius rei exempla nonnulla in gratiam Iuniorum Chirurgorum, in medium adducere placuit.

1. Exemp. Vxor Iudicis Obertadensis ad Coloniam, 24 annis & amplius, scirrho hepatis laborans, tandem anno 1594. quum ex consilio Empirici multa adhibuisset emollientia, fomentationes scilicet, inunctiones, & emplastra; sequuti sunt dolor

Obs. 90. dolor acutissimus, febris, inflammatio, deinde etiam abscessus maximus in hepate, ita quidem ut abdominis musculi & cutis labem ex communicatione, ac demum etiam exulcerationem senserint. Adhibitus in consilium cum Clariss. D. D. ARNOLDO MANLIO, Medicæ facultatis in Coloniensi Academia Professore primario, deprehendi maximum tumorẽ in hepatis regione, paulò antè ruptum quàm advenissemus, cum tanto fœtore ut nihil suprà. Inibi excitatum est ulcus ingens, ex quo plurima materies sanguinolenta, subtilis, & graveolentissima, simulq; plures omenti particulæ, ut & hepatis loborum planè syderatæ emanarunt. Vnde paucis post diebus obijt.

2. Exemp. Iohannes auff der Lufft Hildenæ in Patria, quum per multos annos tumore scirroso in sinistro clune laborasset, ad consilium vocavit Barbitonsorem Dusseldorpensem, qui nulla habita morbi ratione, multis unctionibus, & cataplasmatis tumorem ad suppurationem provocare studuit. Hinc exorta inflammatione, & dolore acutissimo, novaculam tumori infixit; sed nihil præterquam aliquid sanguinis adusti effluxit. Dolor indies factus est vehementior, ita quidem, ut nullo modo sedari potuerit, ulcusque intra paucos dies totum clunem invaserit, labijs eiusdem in altum elevatis, inversis & callosis. Incredibile est, quo dolore ipse excruciatus fuerit. Ego illum aliquoties cum Claris. D. D. RENERO SOLINANDRO, Illust. Princip. Cliviæ &c. Medico, & COSMO SLOTANO, ejusdem Principis Chirurgo præstantissimo, invisimus. Quamvis autem nos summo studio in hoc incumberemus, ut dolores aliquo modo lenirentur, frustra tamen omnia tentavimus. Tandem enim ipse in ea miseria & cruciatu decessit, 17 Maii. 1581.

3. Exemp. Dominus Polerius, civis Lausannensis, Vir ingenio & virtute præstans, mihique amicus, tumore cancroso ad magnitudinem ovi Gallinacei, circumcirca papillam sinistram, per multos annos vexatus est. Suaserunt ipsi aliquando Medici, ut tentaret tumorem paulatim emollire, & discutere emplastris de mucilaginibus, de meliloto, & similibus: Sed quamprimum ejuscemodi medicamenta tumori admovit, statim exortus est dolor & inflammatio, ita ut illa abstrahere, & frigidum aliquod medicamentum applicare, coactus fuerit. Sedato dolore ac inflammatione, denuò applicuit emollientia; sed ut ante sequutus est dolor. Tandem, quum ipsemet experientia explorasset, hunc dolorem atque inflammationem ex horum emollientium usu manare, ab eis planè abstinuit, diuq; postea superstes fuit.

OBSERVATIO XC.

De præstantia lapidis Osteocollæ, in fracturis ossium.

Quum nonnulli lapidem Osteocollam, qui & lapis Sabulosus, & German. Beinbruch dicitur, ad cœlum usque extollant, quid de eo observarim, paucis indicabo. Graviter tamen errant impostores nonnulli, qui hoc lapide se fracturas, paucorum dierum spatio posse curare, gloriantur. Attamen illum singulari quadam virtute, & proprietate occulta generandi callum, præditum esse, certum est. Idque ego cùm in alijs, tum præcipuè in quadragenario Rutgero in Broch Langenbergensi, observavi. Is quum, utraque fossilia ad malleolum transversum sibi confregisset, me advocandum jussit. Ossa in situm naturalem reposita, singulis matutinis horis jejuno stomacho, drachmam unam hujus lapidis, in marmore cum aqua radicum symphiti præparati, exhibui: primis quidem diebus cum ptisana, aut jusculo carnis recentis; postmodum verò cum vino. Iis, quæ fracturæ applicui, medicamentis, eundem lapidem pulverisatum & præparatum admiscui. Inde factum est, ut spatio triginta dierum plenissimè restituta sit tibia; ita ut sine admiculo incedere potuerit. Notandum quoque, hanc fracturam, non tantùm completam, hoc est, amborum fossilium, verumetiam compositam fuisse. Quandoquidem propter maximam cacochymiam corporis, & contusionem partis malè affectæ, statim ab initio dolor magnus, febris item, & herpes miliaris supervenerunt: ita ut coactus fuerim, aliquoties purgare corpus, & singulis diebus semel ad minimum solvere ligaturam, & mutare medicamenta. Motus autem ille & agitatio tum corporis, tum tibiæ, quantum in curatione adferat detrimenti, nullum practicorum latet. Ex quibus perspicuum fit, hunc lapidem multùm ei profuisse. Solebat enim simplex fractura in tibia, ubi nec vulnus, nec inflammatio aut dolor magnus adsit, in senibus præcipuè, non nisi duorum mensium spatio, aut circiter, consolidari.

2. Exemp. Anno 1600. Lausannæ famulam Jochami Rohaud, pharmacopœi peritissimi, sexagenariam, quadraginta dierum spatio, hoc lapide, ex fractura tibiæ completa, & cum vulnere complicata, sanitati Dei beneficio restitui.

OBSERVATIO XCI.

Quænam incommoda ex usu Osteocollæ, imprudenter exhibitæ, accidere possint.

Ex optimo illo & maximo successu Osteocollæ, quem in superioribus duabus observationibus recitavimus, ausus sum illam omnibus fracturis affectis, cujuscunque sexus aut ætatis fuerint ægri, exhibere & applicare. Mira enim me eo lapide præstare posse, sperabam. Verumtamen incidit in manus meas nobilis quidam Belga, juvenis 14. annos natus, Nobilissimi Viri Dom. Othonis Schenck, Dom. zur Horst filius, robustus, sanguineæ complexionis, & bono corporis habitu, cui ambo fossilia ad malleolum fracta fuerant. Accersitus, fracturam feliciter reposui. Postea lapidem (ut in superiore Observatione dictum est) exhibui, & exteriùs applicui. Tertio die, septimo, item undecimo, & decimo quarto fascias solvi, quo tempore nulla excrescentia aut deformitas calli apparebat. Vigesimo vero die morbi, quum fascias solvissem, invenio callum, præcipuè circa spinam tibiæ adeò magnum & elevatum,

Obs. 92.

levatum, ut perpetua inde deformitas tibiæ sequuta fuisset, nisi protinus ab usu hujus lapidis abstinuissem, callumque, ut sequitur, repressissem. Primò itaque callum sequenti decocto emollienti, quotidie bis fomentavi.

R. Radicum & foliorum Althææ, Bryoniæ, Liliorum Alborum, Brancæ Vrsinæ, Florum Meliloti & Chamomeli ana M. j. absinthij vulgar. Rosarum rubearum ana M. ſ. Seminis lini, Fœnigræci ana ℥ j.

Coquantur in una parte aceti (extenuat enim & exiccat) & quatuor partibus aquæ, ad consumtionem tertiæ partis. In hoc decocto madefactam spongiam, aut linteum reduplicatum, calidè loco affecto applicui. Postea sequenti unguento callum inunxi.

R. Axungiæ humanæ, Vrsi, Anseris ana ℥ ij. Succi lumbricorum, & Aceti Scyllitici ana ℥ j.

Misceantur, fiatque unguentum; quo callus & tota tibia post fotum inungantur.

Post inunctionem, sequens emplastrum supra alutam extensum applicui.

R. Emplast. de Ranis cum Mercurio.
Emplast. de Mucilaginibus ana ℥ j.
Misce.

His per dies sex processi, callumve non solum emollivi, verùm etiam manifestè diminui. Postea loco emplastri laminam plumbeam adaptavi & applcicui, firmiterque fasciâ superligavi. His remedijs divino favore callus emollitus, resolutus, extenuatus & depressus, tibiaque in pristinum statum ac robur restituta fuit. Hinc perspicuum fit, hoc genus remedij cautè, & in senibus tantùm, aut extenuatis, & quibus languet calidum innatum, adhibendum esse.

OBSERVATIO XCII.

An usus alimentorum viscosorum, in fracturis ossium prosit, tutusvè sit, necne?

Quia de fracturis, & generatione calli in superioribus observationibus tractavimus, nõ erit abs re, si quid de alimentis viscosis observaverim, paucis hîc aperiam.

Quadragenarium, & bonæ complexionis hominem cognovi, cui in fractura tibiæ, victus ratio ab empirico præscripta fuit ex viscosis, veluti pedibus, capitibus, & intestinis vaccarum, bovis, caprarum, ovium &c. Curata quidem fuit ei fractura, spatio quadraginta dierum, sed paulatim in cachexiam incidit. Itaque jam Ictetitiâ, jam dolore renum, aliorumq; viscerum laboravit, donec tandem hydropicus obijt.

ANNOTATIO.

Quum cuncta sui similia procreent, ut rectè Galenus scriptis mandavit, & experientia docet, necesse est, ut ex alimentis viscosis chylus generetur viscosus: ex quo venæ mesaraicæ facilè obstruuntur. Et si quid hujus chyli ad hepar pervenit, efficit, ut tota massa sanguinea reddatur viscosa & glutinosa. Ex hujusmodi sanguine viscoso fiunt deinceps obstructiones viscerum, scirrhi, hepatis & lienis, lapides renum & vesicæ, hydrops, atq; totius corporis imbecillitas.

Obs. 92.

Exemplũ.

Quemadmodum autem exigua flamma in lampade, oleaginosa & pinguia, si nimis viscida & glutinosa fuerint, ut sunt pix, cera terebinthina, sevum & id genus alia, ex longinquo difficulter attrahere potest, ita proculdubio calor nativus partium, imbecillus redditus, hujusmodi sanguinem viscosum difficulter attrahere potest. Hæc ego animadvertens, nunquam ægrotis & vulneratis, hujusmodi alimenta præscripsi aut concessi, licet multas & insignes fracturas curaverim. Ossa enim (ut Galenus testatur, & experientia docet) habent suas cavernulas, in quibus naturaliter multum continent humoris crassi & albi; ad id comparati, ut ossa nutriat. Ex illo ipso autem ossis nutrimento, in fracturis generatur callus, authore Galeno. Itaque concludo, supervacaneum esse, hujusmodi nutrimentis naturam gravari. Sufficit enim primò, ut Chirurgus sua industria & arte partem affectam à symptomatibus, dolore scilicet, inflammatione (quorũ symptomatum interventu natura à suis actionibus deturbari solet) vindices. Deinde ut medicamentis leviter exsiccantibus, exteriùs applicatis, proprium ossis nutrimẽtum in callum exsiccet, & quod reliquum est, beneficio naturæ relinquat.

Method. med. l. 6. Ars med. cap. 86.

OBSERVATIO XCIII.

De situ tibiarum fractarum.

IN fracturis tibiarum curandis, nonnulli Chirurgi non levem committunt errorem, quum volunt tibiâ erectam insistere talo, ex qua situatione hæc sequuntur incommoda. Primo quidem fit, ut æger temporis progressu maiorem dolorem patiatur in talo, quàm in ipsa fractura; idque propter tendines magnos & nervosos, qui talo inseruntur. Dolor autem ille multos ad se trahit humores, qui in ipsa junctura, & spatiis inter ossa pedis fracta, atque ligamenta retinentur. Et quia ex hac situatione, venæ & arteriæ comprimuntur, & proinde pars affecta suo calore quodammodo destituitur; necessariò condensantur & refrigescuut hi humores in ipsa junctura, & spatiis inter ossa pedis. Inde curatâ fracturâ, pes novam adfert molestiam. Ægrè enim & difficulter movetur junctura, sequuntur & nonnunquam alia quàm pessima symptomata.

Ante annos aliquot, cum D. D. JANO ANTONIO SARACENO, MARCO OFFREDO, ET ANDREA BONETO, Medicinæ Doctoribus, curandum habui Nob. Henricum Balbanum. Is ulceribus nonnullis in tibia laborans, ex erecta illa situatione pedis, gãgræna ad talum correptus fuit, qui ipsi, & nobis, non parvas attulit molestias, ita ut tibiam abscindere coacti fuerimus. Erecta autem situatio pedis, primaria causa huius mali fuit. Primo enim dolorem tali excitavit, qui ad se humorem & sanguinem attraxit, unde consequuta est inflammatio. Secundò contusus & quassatus fuit talᵉ ex erecta illa pedis situatione. Tertiò, arctatæ & compressæ fuerunt ex eadem

Obs. 94

situatione venæ, & arteriæ, quæ per ipsum crus, & tibiæ pulpam descendunt; ita ut sanguis & spiritus, ad talum liberè descendere non potuerint. Assidua quoq; tibiæ extensio, non parum huc fecit: distentis enim vasis, innatum calidum & sanguis nequeunt descendere in partem affectam, unde tandem ea frigescit & interit. Eâ porrò extensione vasorum, posse frigescere partem affectam, ex eo intelligitur, quod equitando per frigidam tempestatem, pedes si diutius intra fulcra equestria contineantur, frigeant impensissimè; si extra fulcra propendeant, per se ocyus incalescant. Sanguis enim & calor, patientibus ipsis vasis, illico ad pedes recurrunt.

Prospiciant igitur Chirurgi, ne nimis curiosè (ut hujus artis imperiti solent) situationē hāc in fracturis tibiarum observent. Involuta autem tibia fascijs, splenijs & stupis, & in capsula ad id apta collocatâ: ea (ut Galenus docet Meth. Med lib. 6.) eligenda est situatio, quæ minimè sit dolorosa. Itaque modò in hanc, modò in alteram partem collocanda est tibia, ut æger aliàs in hoc, aliàs in alterum decumbere possit. Sic enim multa accidentia evitabuntur.

OBSERVATIO XCIV.

Ex applicatione caustici sub genu, dolor vehementissimus, inflammatio & febris.

CAuteriorum potentialium applicatio, tum ad cervicem, tum ad brachium, & sub genu, si rectè administrata fuerit, omni periculo vacat, imò & sine dolore est: si verò imprudenter applicata fuerint, dolorem adferunt & periculosa sunt. Quod tum in aliis, tum præcipuè in Claudio Marione Pharmacopola, in sua arte expertissimo, vidimus. Is enim, quum sibimet ipse sub genu dextro causticum applicaret, nec locum cui applicandum erat, satis observaret, suæ in hac operatione ignorantiæ, ingratam mercedem accepit. Sequutus enim est paulò post applicationem, dolor acerbissimus, inflammatio, febris, inquietudines, & convulsionis metus. Accersit⁹ itaque, coxam & os sacrum, oleo vulpino, lumbricorum, & anethino calidè inunxi: deinde defensivum supra genu applicui, & tibiam fasciâ madefactâ in oxycrato involvi. Basilicam dextram incidi. Item escharæ superficiem, quę præmagna erat (nimis enim latè applicaverat causticum) resecui, quo vapores exhalare, & medicamenta penetrare possent. Postea unguentum sequens ad casum escharæ applicui.

R. Vnguenti basilici, butyri recentis & loti aquâ rosaceâ
Olei liliorum alborum ana ℥ ß.
Olei de vitellis ovorum ℥ ij. Croci ℈ j.
Muscilaginis sem. Cydoniorū extract. cum aqua rosacea ℥ j.
Misceantur, fiat unguentum.

Sic paulatim dolor, reliquaq; symptomata remissa sunt. Sed quia causticum ad coarticulationem fibulæ cum tibia, ubi validissimum ligamentum exit, applicuerat, & ligamentum hoc attigerat caustico, fontanellam propter continuos, qui inde sequebantur dolores, apertam retinere non potuit. Consolidato igitur ulcere, & denuò applicato loco apto caustico, aliam fecimus fontanellam, quam ad hoc usque tempus magno cū fructu apertam habet.

Obs.

OBSERVATIO XCV.

Ex calefacto corpore, & in aquam frigidam immerso, gravissima symptomata orta.

VErissimum est quod olim Galenus scriptum reliquit, de temperamentis lib. 3. inquiens, Quæ verò refrigerant, à nostro corpore ne vel paululum quidem demutantur, sed ipsum statim vincunt ac mutant. Frigiditas enim, ut Galenus alibi docuit, omnibus animæ actionibus officit. Quemadmodum enim aqua copiosè injecta inignem extinguit: sic calor nativus frigidis afficitur Id mihi multoties, præcipuè autem in ijs, quæ sequuntur, videre contigit.

De anima, m... & corp... temper... mēti m... tua con... quuti...

EXEMPLUM I.

Anno 1591. sub Canicula, Hildenæ puella quædam laborans febri continuâ, eaque ardentissimâ, dum die critico sudore & calore sumo æstuat, deducitur ab imperita quadam fœmina è lecto ad puteum: hinc hausta situla frigidissimæ, (qualis est ferè puteorum tunc temporis) immersisq; manibus ad refrigerationem corporis, statim exortus est dolor in facie, & ubicunque aqua attigerat, cum tumore & livore. Propinqui neglectis remedijs initio salutaribus, post octavum diem me consuluere, tum deprehendi dextram puellæ ad carpum usque vesicis lividis extuberantem: extrema digitorum arida, & verè siderata: ut in tractatu nostro de Gangræna fusiùs declaratur.

EXEMPLUM II.

Anno 1597. ineunte Iunio, nobilis quidam in Rol, ad lacum Lemannum, Samuel Arpeau nomine, quum vehementer incaluisset, & in lacum sese refrigerandi gratia immisisset, mox febre continua, & pleuresi periculosissima correptus est. Quem accersitus, divino favore restitui.

EXEMPLUM III.

Miserabile etiam spectaculum, anno 1601. Studiosi aliquot Lausannæ præbuerunt: qui dum in diebus canicularibus, calefacto corpore in frigidam aquam insilirent, post lotionem in pleuresin lethalem inciderunt.

EXEMPLUM IV.

Ego etiam puer duodecim annorum, dum æstivo tempore, plus quàm par esset, fluminibus frigidis innatassem, paralysim linguæ inde contraxi: cujus incomodum per multos annos sensi.

Diligenter igitur sibi caveant omnes, qui de optima valetudine conservanda soliciti sunt, ut corpus nimis calidum, nec aqua frigida conspergant, nec aquis innatent, nisi calore priùs temperato.

96.
97.

OBSERVATIO XCVI.

Ex acaro gravissima symptomata.

ANno 1599. diebus Canicularibus, honestus ac pius quidam civis Coloniensis, STEPHANVS FAVCONNIER, compater meus plurimùm honorandus, quadragenarius, robustus, & sanguineæ complexionis, acarum habebat in metacarpo, circa digitum auricularem. Quum autem manum fricuisset, subitò exorta est inflammatio, dolor acerbissimus, phlegmone, febris, lipothymia, aliaque graviora symptomata, quæ mihi accersito gangrenam significabant non procul abesse. Maximo enim impetu affluebant humores. Regimine tamen instituto frigido & humido, purgato item corpore, electuario de succo rosarum, & syrupo rosato solutivo, composito cum rhabarbaro & senna, venaque brachij sani aperta, & topicis primò astringentibus, refrigerantibus, repercutientibusq; deinde ijs quæ resolvunt & discutiunt, adhibitis, in integrum Deo favente manus restituta fuit.

Memini quoque, me audivisse ex proprio ore plurimùm Reverendi D. BEZÆ, se cognovisse hominem magni nominis, qui hoc modo ex acaro interijt. Ex quibus palam fit, primò summa hominis miseria, qui post lapsum, infinitis, hoc est, ultra trecenta, morborum generib., obnoxius fuit, quorum vel etiam minimus hominem occidere possit. Deinde quòd morbi magni non tantùm censendi sunt hi, qui principes & præstantiores corporis partes (ut cerebrum, cor, hepar) occupant: aut qui ex seipsis magni sunt (veluti angina, pleuritis, peripneumonia &c.) verùm etiam qui ex cacochymia & malignitate humorum proveniunt: ut Galenus lib. 4. & 7. Method. medendi admonuit.

OBSERVATIO XCVII.

Panaricij sive paronychiæ incidendæ modus tutissimus, & compendiosa curatio.

QUàm dolorifica, & longæ curationis sit paronychia, neminem practicorum latet. Si tamen statim ab initio pars affecta eo modo, quē mox expediam, incidatur, cedit dolor, citoq; curantur ægri: prout hactenus in plerisque expertus sum. Quod sequentibus exemplis illustrare visum est.

Ante annos aliquot Coloniæ Agrippinæ ad piam & honestam matronam, uxorem D. D. IOAN. BURGOIS, divini verbi ministri fidelis. & amici mihi multùm observandi, laborantem dolore acerbissimo in extremitate digiti, cum febre, lipothymia, nausea, alijsque gravioribus symptomatis, vocatus fui. Digitus tamen nondum inflammatus aut tumefactus erat; siquidem morbus tantùm incipiebat. Ideoque curationem sic institui. Primò quidem digitum lacte vaccino, in quo flores chamomeli, meliloti, semen fœnigræci & cydoniorum incocti erant, aliquantulū fomentavi. Deinde superficiem cutis paulatim dissecui. Abrasa cutæ maculæ quædam rubicundæ apparebant: Quibus acie cultelli incisis, guttulam unam aut alteram aquæ rufæ sub cute inveni. Illâ vacuatâ, linteum madefactum aquâ vitæ, ubi nonnihil theriacæ dissolutæ erat, applicui. His statim sedatus est dolor: atque hoc unico remedio altero die sanatus fuit digitus. Reliqua quoque symptomata, purgato leviter corpore, sopita fuerunt.

Hoc anno 1604. vocatus fui ad nobilissimā Dominam de Monte, Bernensem, matronam honestissimam, quæ triduo propter paronychiæ doloris vehementiam dormire non potuit. Abrasâ cute maculam hujus magnitudinis O in apice digiti sub cute invenimus, in qua vix guttula una ichoris continebatur. Incisa macula, applicatoque ipsi digito gossipio, intincto aquâ vitæ, in qua dissoluta erat theriaca, manui verò & carpo linteo reduplicato, ac imbuto posca; statim cessavit dolor: ita ut postero die plenissimè sanatus sit digitus.

ANNOTATIO.

Hujus curationis cùm anno 1593. primum periculum in uxore mea fecissem, & ex voto successisset, postea in supradictis matronis, ac multis alijs, maxima cum utilitate ægrorum, administravi. Et semper ad ungulam sub cute nonnihil ichoris inveni. Sed necesse est, statim ut ab initio fiat incisio hæc: alioquin ex doloris vehementia citò concurrunt humores, qui inflammationem ac tumorem excitant, atque subjectam carnem, imò etiam ossa erodunt. Est enim cutis ea in parte admodum densa, ita ut materia paronychiæ (quæ per se maligna est) quum nullo modo exhalari possit, majorem acrimoniam & venenositatem acquirat: digitus quoque, imò tota manus, propter doloris vehementiam inflatur, parumque prodest incisio hæc, nisi priùs materia cocta, & in pus conversa fuerit.

Vacat autem eo modo facta incisio omni periculo, nec est dolorifica, neque nervos aut tendones offendit, quum sit superficialis. Alius verò modus apud practicos passim usurpatus, incisio nimirum quæ fit à superficie ad centrum, & versus os, valde periculosa est. Lædit enim nervos & tendones: unde dolor acerbissimus, inflammatio, febris, aliaque graviora symptomata oboriuntur.

Obs 98.

OBSERVATIO XCVIII.

Emplastrum stipticum Paracelsi, sive fodicationum, indoctè applicatum periculosum.

EMplastrum Stipticū sive fodicationum, quod Paracelsus vernacula sua lingua Stichpflaster appellat, si à Chirurgo rationali, & ijs tantùm vulneribus, quibus convenit, applicetur, præstātissimum esse medicamentum, experientia satis superque docuit. Contrà verò periculosum est, si ab empirico empiricè, hoc est, nullâ habitâ ratione vulneris aut partis læsæ applicetur. Quod multis exemplis monstrare possem: sed hoc unicum sufficiet.

Cap. 7. l. 2. Tractatu 2. sua Chirurgia.

Aulicus quidam illustrissimi Cliviac. Iuliacensium, Montensium &c. Principis, vulnus circa cu-

Obs. 99. ca cubitum accepit, ubi axillaris vena & nervi nonnulli abscissi fuerunt. Incidit in manus Empirici, qui hoc solo emplastro se posse ipsum curare, gloriabatur, Brevi quidem cicatrix obducta est vulneri, sed brachium mox intumuit ac doluit, tandemque exorta est febris, hinc affluxus & inflammatio nova, & collectum fuit pus in imo vulneris. Ex illa demum putrefactione, exesâ, & denuò apertâ venâ, tanta sequuta est hæmorrhagia, ut vulneratus interierit.

OBSERVATIO XCIX.

Combustio levis, ex usu medicamentorum frigidorum in herpetem exedentem degenerans, ejusq; herpetis curatio.

IUveni cuidam Gallo, cui pulvis tormentarius ad pedes incensus fuit, tibia à pede usq; ad genu comburitur, leviter tamen, quandoquidem cutis vix læsa fuit. Accedit is ad Empiricum, qui statim ab initio & per dies aliquot emplastrũ ex argilla fornacum & bolo armeno, cum albuminibus ovorum, & succis sempervivi & solatri, applicuit. Postea linteis, in hujusmodi succis & eorum aquis distillatis intinctis, tibiam involvit. Dolor qui ab initio gravis fuerat, ex usu horum medicamentorum auctus est: inde febris, inquietudines, affluxus humorum ad locum affectum, inflammatio totius cruris usque ad coxam, aliaq; graviora symptomata sequuta sunt: tandem verò herpes exedens totum crus invasit, idq; adeò vehementer, ut Chirurgi de abscissione tibiæ cogitarent, siquidem ea in genu fieri potuisset. Post menses sex venit ad me Coloniam, ubi divino favore sequenti methodo, & remediis infrà scriptis curatus fuit.

Primò hac potione corpus leviter purgavi.

R. Radicum Scrophulariæ majoris,
Corticum interior. rad. frangulæ,
Radicum polypodij ana ℥ ſ.
Herbar. fumariæ,
Cuscutæ & scabiosæ ana M. ſ.
Foliorum sennæ mundatæ ʒ iij.
Fiat decoctio in aqua ad ℥ iiij.
In colatura dissolve conf. Hamech. ʒ ij.
Syrupi Rosati solutivi ex multis infusionibus ℥ j.
Misce, fiat potio.

Sequenti die basilicam ejusdem lateris, ubi tibia laborabat, incîdi, & ad uncias septem sanguinis extraxi. Postea ad majorem humorum præparationem & evacuationem, sequens apozema exhibui.

R. Radicum lapathi acuti, Scrophulariæ majoris,
Corticum interiorum rad. frangulæ,
Polypodij, Petroselini, Corticum Tamarisci ana ℥ j.
Herbarum agrimoniæ
Veronicæ,
Scabiosæ,
Fumariæ,
Cuscutæ,
Ceterach. ana M. j.
Trium Florum Cordialium & Genistæ ana P. ij.
Liquiritiæ
Uvarum passularum ana ℥ j.
Seminis Anisi &
Fœniculi ana ʒ ij.
Fiat decoctio in ſ. q. aquæ purissimæ ad cõsumptionem tertiæ partis. In ℔ j. ſ.
Colaturæ infundátur & macerétur ſ. a.
Rhabarbari electi
Agarici recenter trochiscati ana ʒ iiij.
Foliorum sennæ ℥ ij.
Fiat ſ. a. Apozema pro 4. matutinis horis.

His corpore purgato, & regimine ipsi præscripto, ad topica pervenimus. Itaq; quia cutis ab usu frigidorum medicamentorum indurata fuerat, statim ab initio hac fomentatione emolliente, totam tibiam singulis diebus bis terve fomentandam curavi.

R. Radicum bismaluæ cũ toto. lapat. acuti,
Scrophulariæ ana ℥ ij.
Foliorum Malvar.
Violarum
Florum meliloti
Sambuci ana M. j.
Semin. Fœnigræci ℥ ſ.

Coquantur in aqua ad consumptionem tertiæ partis. Lintea reduplicata, aut spongiæ magnæ intinctę in hac decoctione, applicentur toti tibiæ; fomentatæ per dimidiam horam sequens emplastrum applicui.

R. Farinæ fabarum
Lupinorum ana ℔ ſ.
Fœnigræci & lini ana ℥ ij.
Radicum altheæ recent. coctæ & cribratæ ℥ iiij.
Pulver. Florum Chamomil.
Meliloti,
Rosarum rubearum
Et absinth. vulgar. ana ℥ j.
Fiat ſ. a. Cataplasma.

Hac methodo processi per dies quatuordecim. Interim cutis emollita, & dolor sedatus fuerunt. Ichor item seu virulenta & acris materia, quæ ex ulceribus effluebat, inspissata & ad digestionem præparata fuit.

Postea ulceribus pulverem præcipitatum, aquâ plantaginis & rosaceâ lotum inspersi; & sequens emplastrum applicui.

R. Emplastri de mucilaginibus
Emplastri palmei ana ℔ ſ.
Emplastri de ranis cum Mercurio ℥ ij.
Aluminis usti
Chalcanthi ana ℥ j.
Olei rosacei quantum opus est. Terantur lentissimo igne, fiatq; ceratum.

Sequenti quoque unguento usus sum sub finem morbi.

R. Radicum Scrophulariæ majoris,
Lapat. acuti,
Corticum frangulæ ana ℥ iiij.
Succi Scabiosæ
Fumariæ
Aceti ana ℔ j.
Pinguedinis porcinæ recent. ℔ ij.

Coqua-

Obs.110.

Cooquassentur radices, deinde in lebete cum pinguedine & succis coquantur, ad succorum consumptionem, colentur, & reservetur pinguedo. Hujus pinguedinis R. ℔ j.

Pulveris Aluminis &
Vitrioli usti
Farinæ lupinorum
Baccarum lauri
Cinerum fuliginis ana ℥ j. ſ.
Argenti vivi extincti ℥ ij.
Theriacæ ℥ j. Fiat ſ. a. unguentum in mortario, quo inungatur tota tibia horâ matutinâ.

Singulis septimanis semel ad minimum leviter purgavi eum: idq; suprà scriptâ potione, aut aliquo alio pharmaco convenienti: veluti pilulis de fumo terræ, confectione hamech, electuario, inde majori, & similibus. cum decocto fumariæ, scabiosæ, cuscutæ, & radicum lapat. acuti exhibitis. His remedijs divino favore duorũ mensium spatio curatus fuit.

ANNOTATIO.

Causam hujus herpetis fuisse usum medicamentorum frigidorum & emplastrorum nullum est dubium. Frigidum enim (ut Hippocrates rectè docuit) ulceribus mordax, cutem obdurat, dolorem insuppurabilem facit, denigrat: rigores febriles, convulsiones & distensiones creat. Hinc humores, ratione solutionis continui, & doloris vehementiâ confluxi, ab usu medicamentorum frigidorum sub cute retenti fuerunt, ibique postea putrefacti, & acres redditi cutem eroserunt, quemadmodum in tractatu nostro de cõbustionibus, favente Deo, fusiùs declarabimus.

5. Aph

OBSERVATIO C.

Lues venerea, ex veste eodem morbo infecta, contracta.

LUem veneream ex vestimentis, sudore, aut lichore ulcerum infectis, posse contrahi, minimè rarum est: quod equidem aliquoties observavi. Unicum tamen hujus mali exemplum non vulgare hîc subijcere sufficiet.

Obs.100.

Puella quædam 15 annos nata, ex nobili familia orta, quum Dusseldorpij in caterva atque conventu nobilium Bacchanalia celebraret, factum est, ut adolescentes virginum vestes, & vicissim virgines adolescentũm calligas & vestes induerent, unde non multò pòst puella, ejusmodi vestimentis usa, circa pudenda dolorem contraxit, & pruritum percepit, moxque exortæ sunt pustulæ & ulcera maligna, quæ tamen matri ob verecundiam indicare ausa non fuit, usque dum propter ingravescentia ulcera & doloris vehementiam incedere vix posset ampliùs. Tandem autem accersitus, inveni pudenda, partem colli uteri & vesicæ ad intestinum rectum usque, fœtidissimo ulcere exesa: sphincteres quoque tum vesicæ tum intestini recti erosi erant: quapropter urina simul & excrementa alui involuntariè effluebant. Res erat horrenda: præter ulcus enim dolores acutissimi, febris continua & ardens, vigiliæ, nausea, & cibi fastidium aderant. Atque in ea miseria intra paucos dies puella decessit.

Quum autem ante obitum, de hujus morbi causa investigãda mecum soliciti essent parentes, atque ex ipsa puella olfacere vellent, num ex copulatione cujusquam morbum contraxisset: illa se nunquam virum cognovisse multis iuramentis affirmabat. Inquisitione itaque facta, adolescens (cujus calligas puella in suam perniciem præter fas & decorum induerat) lue venerea gravissimè infectus inventus est.

Deut. 22. 5.

B. LECTORI.

Vive diu, sed vive Deo, nam vivere Mundo,
Mortis opus; viva est vivere vita Deo.

CENTURIÆ PRIMÆ
FINIS.

GUILHELMI FABRICII HILDANI,

Illustriss. Marchionis Badensis & Hachbergensis &c. Inclytæ item Reipublicæ Bernensis Medico-Chirurgi ordinarij,

Observationum & curationum Chirurgicarum

CENTURIA SECUNDA.

Epistolis nonnullis Virorum Præstantissimorum, nec non instrumentis, ab Authore inventis, illustrata.

OBSERVATIO I.

De effigie oculi humani, artificiosè omnes ejus partes exprimente.

Magnifici, strenui, antiquiss. Equest. prosapiæ Herois, DOMINI HENRICI A LYCKE, Toparchæ in Overgaardt, Sereniss. Regi Daniæ à Consil. Castri Orneburgici &c. Præsidis filijs,

Dn. Dn. GEORGIO, & FRANCISCO à LYCKE, fratribus Danis,

Guilielmus Fabricius Hildanus S. P. D.

VErissima est divina illa sententia Apostoli ad Romanos Cap. primo, Viri Generosi, nimirum invisibilia Dei opera ex rebus creatis perspici posse, omnibusque innotescere. Quãquam autem vix plantula reperiatur, in qua summa illa Divina majestas ac sapientia non appareat, in homine tamen omnia ita excellunt, ut non immeritò Regius Psalmista ipsum Deo propè æqualem, gloria & decore ornatum esse, exclamet. *Psalm. 8.* Hinc factum est, ut inter antiquos alij hominem Naturæ, aut potius Creatoris miraculũ, alij Epitomen mundi, naturæq; delicium appellarint. Summa autem illa majestas & sapientia creatoris, in dissectionibus Anatomicis apparet: ex illa enim artificiosam, ne dicam miraculosam organorum connexionem, fabricam, nec non functiones, atque officia partium corporis ediscimus. Hanc ob causam multi magnates apud antiquos, non solùm ad oblectationem, verùm etiam ad sanitatem conservandam, amissamq; recuperandam, huic scientiæ addictos fuisse, & privatim sese in dissectionibus corporum exercuisse, Galenus de administrationibus Anatomicis refert. Non possum itaque vos, Viri Generosi, laudibus satis extollere, qui, uti generis & familiæ antiquitate magni, ac nobilissimi estis, hoc quoque studio antiquo, magno, & nobilissimo oblectamini: & superiori hyeme, non solùm celeberrimum illud theatrum Anatomicum Basiliense, vestrâ præsentiâ illustrare dignati estis, verùmetiã à Clarissimo Viro, & hujus seculi lumine longè celeberrimo, Dn. D. CASPARO BAUHINO, priva-

Observ. I.

privatim edoceri voluistis, ita etiam ut meritò V. G. Institutiones suas Anatomicas, non ita pridem editas, inscripserit.

Cæterùm in dissectionibus Anatomicis vix aliquid admirabilius aut artificiosius, structurâ oculi humani, meo quidem judicio, occurrit: ut meritò per excellentiam, creatoris appelletur miraculum. Hinc factum est, ut anatomici per omne ævum, in demonstranda ad oculum, oculi anatome, occupati fuerint. Obstacula experti sunt atque etiamnum experiuntur varia: quo fit, ut quod solicitè & sedulò persequuntur, difficilè assequantur. Membranæ enim tres posteriores vix cernuntur: adde quod in dissectionibus paucis spectatoribus ea loci opportunitas prope cadaver contingit, qua mirabiles oculi partes pervidere, easque distinctè notare queant. Sepe igitur apud me cogitavi, quomodo tandem oculi fabrica in musæo, mensa, colloquijs familiaribus, vel æstivo etiam tempore, citra cadaveris usum monstrari possit. Et quia prædicto studio non mediocriter oblector, meo equidem Marte talem aggressus sum concinnare effigiem, quæ pridem Clarissimo, & longè excellentissimo viro D. D. CASPARO BAUHINO, Anatomico & Botanico insigni, Domino & amico meo in perpetuum observando, alijsque viris doctis perplacuit. Et quia G. V. huic studio, ut antea dixi, oblectari sciam, nec fabricam hanc ingratam sibi fore confidam, jure amicitiæ, quam dum mecum vixistis & præsentia vestræ generositatis familiam meam illustravistis, amplissimisque honoribus decorastis, contraximus, exiguum hocce munusculum ad V. G. mittere non sum veritus, quod ut hilari fronte excipere dignemini, obnixè rogo.

In hujus autem structuræ ordine, quantum fieri potuit, naturam imitatus sum, quoad situm, formam ac magnitudinem. Primum quod occurrit obtegumentum crassum, albumque, pinguedinem, quæ musculos obtegit, repræsentat. Deinde musculos sex expressi, eosque ut ad naturalem formam magis accederent, ex corio rubro fabricavi: ex quibus quatuor recti, duo obliqui. Nervum præterea motorium per omnes musculos dispersum, eumque unà cum extremitatibus musculorum, in membranam (COLUMBO innominatam dictam) desinentem videbitis. Humorem aqueum omisi; ille enim quomodo vere effingi possit, nondum video. Membranas omnes inter se ita complico, ut rotundum corpus oculi, cum suo nervo optico, exhibeant, & quidem ut singulæ divelli, divulsæ monstrari, tum denuò complicari possint. Crystallinus autem humor residet in crassa illa portiuncula, per quam repræsento vitreum. Breviter quantum mentis oculus & corporis videre potuerunt, studui verum effingere ac fabricari oculum, ut me & amicos aliquando recrearem, creatorisque mei sapientiam, apud hujus artis ignaros illustrarem, atque mirabilem redderem. Vobis vero V. G. structura hæc non solum jucunda, verùm etiam utilis, & ad studium vestrum Anatomicum & Chirurgicum, veràmque affectuum oculorum cognitionem, nō parum faciet. Macte itaque V. G. ingenio, & in studijs pergitote. Habetis Musarum vestrarum auspicem providum Dom. D. TOXOTIUM, virum pietate & doctrinâ ornatissimum, inprimis Philosophiæ, Medicinæ, variarumque rerum scientissimum, qui ut V. G. non minus quam Aristoteles suum Alexandrum, ad summum scientiarum gradum perducere possit, omnes intendit nervos. Ego DEUM ter Opt. Max. suppliciter oro, ut V. G. spiritu suo sancto magis magisque illustrare, studijs vestris benedicere, corpore quin etiam incolumes conservare velit, quo incœptam vestram peregrinationem per Galliam, Angliam, aliasq; regiones, feliciter absolvere, patriæ ornamento, parentibus verò solatio tandem esse possitis. Ex Museolo meo Machaonico 29. August. Anno Christi 1609.

GEORGIUS ET FRANCISCUS A LYCKE F.

Clarissimo viro Dom. GUIL. FABRICIO HILDANO, *Medico & Chirurgo celeberrimo, Amico colendo.*

S. P. D.

Exhibita sunt nobis, Fabrici clarissime, amice multùm colende, literæ tuæ, cum oculi structura, affabrè admodum ejusdem organa exprimente. Grata equidem illæ, gratior hæc, cum adjunctis numismatis antiquis, animus denique in nos propensus gratissimus, quem sartum tectum erga nos in posterum ut foveas, rogamus, sedulam daturi operam, at eundem per non interrupta temporum intervalla, memoria recolamus sempiterna. Remittimus autem T. H. per nostrum, seu mavis tuum Eberhardum, Xeniola pro modulo nostro, sperantes, quo animo à nobis proficiscuntur, eadē à T H. pro re nata exceptum iri. Quod reliquum est, T. Hum. cum COLINAETIA *tua pia ac honestissima, totaque familia, præpotentis Dei tutelæ committimus. Vale Clarissime Fabrici, Chirurgicæ disciplinæ columen, nostrumque decus haud postremum. Dabantur Genevæ ipsis Calend. Septemb. Anno 1609.*

OBSERVATIO II.

De globulo plumbeo, menses sex nullo symptomate superveniente, in cerebro contento.

AD

Reverendum ac Clarissimum virum, D. DOCT. ANTONIUM FAYUM, *SS. Theologiæ apud Genevenses Professorem celeberr. nec non Philosophicarum ac Medicarum rerum scrutatorem diligentissimum.*

cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

Globulum plumbeum, Vir Reverendissime, atque æternùm mihi observandissime, in vacuo ventris, aut inter musculos, ad multos annos interdùm delitescere posse, experientia ipsa testatur. In Cerebro verò id fieri, nusquàm visū esse arbitror. Attamen retulit mihi IOANNES GRIFFONIUS, apud vos olim Chirurgus celebertimus, casum tàm admiratione, quàm annotatione dignissimum. Nimirùm tempore belli inter

Obs. 2. inter Ducem Sabaudiæ & Genevenses, in expugnatione castri, la Cluse dicti, quendam ex Genevensibus CLERGET nomine, ictum sclopeti in fronte cum insigni fractura cranij accepisse. Ægro semimortuo Genevam adducto, se methodicam instituisse curandi rationem, & symptomatis gravissimis, quantum quidem fieri potuit, prospexisse: ossa quin etiam non pauca extraxisse, globulum tamen nullum se offendisse, affirmavit. Nihilominus verò miserum huncce favore divino, summâq; adhibitâ curâ atque diligentiâ, pristinæ sanitati restitutum fuisse, & semestre post curationem, incolumen vixisse. Cùm verò morbo acuto tandem obijsset, cranium ejus aperuit, & globulum è regione verticis, inter cranium & duram matrem, ad latus suturæ rectę invenit, membranâ tamen planè à globulo illæsâ. Natura enim, ut ille diligenter annotavit, ea in parte materiam quãdam callosam procreaverat, quæ duræ matri ad instar culcitræ subjacebat. Hujus admirandæ curationis, quum tuam Reverentiam ocularem testem esse sciam, obnixè rogatam velim, ut si quid omiserim, illud adjicere non gravetur. Sic enim me, & artis hujus studiosos sibi obstringet. Vale vir Reverende, & me meosq; pro innata tua humanitate, amare perge. 24. Februarij anno 1606.

ANTONIUS FAYUS

GUIL. FABRICIO HILDANO, Chirurgo Præstantissimo, S. P. D.

Miraris, & simul increpas, quòd ad tuas non responderim, meritò sanè. Debui enim id fecisse. Sed si intellexeris, me à scribendo fuisse revocatum, non oblivione tui, sed negotiorum turbâ, silentium meum in bonam partem interpretabere. De Clergeto quod scripsi, sæpè me cum ipso locutum affirmo, ex quo sanatus est ex vulnere illi inflicto in capite, glande plumbea in ipso cerebro ad multos menses retenta. Postquam autem in excursione alia sauciatus, vitam cum morte commutasset, & à Chirurgo extraordinarij casus illius investigaretur causa, audivi, glandem illã in ipso cerebro repertam fuisse. sed hoc ego non vidi. Quod autem alteri militi contigit, quodque ego non oculis tantùm, sed manu approbatum, non dubito asserere, tale est. In bregmate vulnus inflictum erat altissimum: adeò ut non tantùm cranium, sed utraque menynx fuerit incisa, cum ipsa cerebri substantia. Curavit illum Guilhelmus Constantinus noster. Tùm autem carmine rem illam signare libuit, quod hîc apponere visum est:

Non audita loquor tantùm, mi credite, vidi
His oculis, tetigi non dubitante manu.
Acer erat Iuvenis, medio cui vulnus adactũ
Est capiti, cerebri pars quoq; cæsa fuit.
Ille tamen vivit. Si credas arte Melampi
Hoc factum, peccas, hîc medicina silet.
Monstra sed in morbis Arabum flos ille Sophorũ
Quod fieri dixit, re patet ipse palàm.

Scis me in alia nunc versari Palæstra, quàm sit Pergamæa. Itaque ne mirere, me hæc paucis ad te. Persuade tamen, te à me non leviter amari. Id enim pietas insignis, eximia Chirurgiæ Theoreticæ & Practicæ cognitio, quæ in te est, meretur. Tu vicissim me amare perge. Vale Vir præstantissime. Dominum Merulam mihi saluta. Genevæ. Postridie Non. Mart. Anno 1607.

OBSERVATIO III.

De cranij introcessione aut depressione: quam gravissima symptomata sequuta, Exempla aliquot.

EXEMPLUM I.

ANno 1577. Quadragenarius quidam Novisiæ in Episcopatu Coloniensi, globo ferreo, qui ultra libram unam cum semisse pendebat, in sinistrum bregma percussus, cum insigni cranij depressione & fractura, in terram quasi mortuus procidit, & loquelam, visum, auditumque planè amisit, quin etiam ex opposita parte paralysi correptus fuit. Post dies aliquot cranio elevato, & in naturalem situm reducto, loquelam recuperavit, symptomata quoque reliqua paulatim remiserunt, tandemque pristinæ sanitati restitutus fuit.

EXEMPLUM II.

EOdem ferè tempore in agro Novisiensi, in arce Seillikum dicta, Iuvenis quidam quatuordecim annorum ætatis, ab equo in verticem cum exigua cranij impressione percussus fuit: sed cum ab initio vix ullum symptoma apparuerit, vulnusque exiguum fuerit, morbum neglexerunt. Post dies alquot ægro gravissimis symptomatis correpto, Mag. IOAN. DUMGENS. (apud quem tùm temporis Chirurgiam exercebam) in consilium vocaverunt, Tùm ipsum febricitantem deprehendimus, cum dolore capitis, vigilijs & inquietudinibus, vulnere inflammato, sinuoso, & puris pleno, cranio verò depresso. Auctâ paulatim febri, delirio, & paralysi unius lateris obortâ, tandem extinctus est.

EXEMPLUM III.

ANno 1601. Lustriaci in agro Lausannensi, puerum curandum habui, cui ex depresso cranio gravissima symptomata supervenerant. Elevato cranio, aut potiùs exemptis fragmentis cranij fracti, symptomata remiserunt, ægrèque convaluit, ut fusiùs declaravimus Observat. 15. Centur. 1.

EXEMPLUM IV.

ANno 1606. Mense Septembri, ad sexagenarium quendam haùd procul Paterniaco, vocatus fui, cui os frontis sinistri lateris ea in parte, ubi capilli prodire incipiunt, latus sinistrum versùs, ex ictu lapidis, profundiùs impressum erat. In ipso momento ictus, in terram prociderat, evomuerat, simul & loquelam, intellectum, visum ac auditum amiserat, totoque latere opposito paralysi correptus furat. Ego octiduo post casum vocatus, & vulnere, quod parvum satis erat, inspecto, adstantes admonui, operæ pretium esse, ut vulnus dilatetur, & cranium elevetur: sperabam enim, ægrum hoc modo cõvalescere posse. Quandoquidem pro morbi magnitudine robustus adhuc satis erat, iuscula item, & quæcunque offere-

Obs. 4. offerebantur, assumebat. Verùm cùm parentes & adstatium turba consilium meum recusassent, discessi, nec manū ampliùs adhibere volui. Ita paucos post dies naturæ satisfecit, qui tamen divino auxilio servari potuerat, dumodò remedia idonea adhibita fuissent.

ADMONITIO.

Ex ijs, quas hactenus recensuimus, historijs, satis apparet, primò, quàm necessarium sit, cranium impressum in naturalem situm reponere. Secundò, quàm periculosa sit opinio Felicis Wirzij, qui in libro suo Chirurgico, Germanico idiomate conscripto, docet, circa impressum cranij non multum laborandum, sed totum opus naturæ committendum, parùmque referre, an impressio remaneat. Id enim motum cerebri propter vacuum ac distantiam, quæ est inter menyngem & cranium, minimè impedire. Sed bonum huncce Chirurgum, tùm in hoc, tùm in multis alijs locis longè sua fallit opinio. Sciunt enim mediocriter in Anatomicis versati, vacuum illud, aut medium, inter menynges & cranium, adeò exiguum esse, ut à minima quaque depressione cranij, motus cerebri impediatur, & præcipuè si impressio versùs suturas, quibus dura menynx annectitur, occurrat. Aliquando quoque duram menyngem cranio undique adhærere vidimus, uti Observat. 7. Cent. 1. annotavimus. Hæc in gratiam tyronum monere visum fuit.

Felicis Wirtzij falsa opinio de impressione cranij.

OBSERVATIO IV.

De Elevatione cranij, præcipuè in adultioribus, aucta & emendata.

Admonitio ad Lectorem & Typographum.

Doleo, imò vehementer doleo, candide Lector, quod instrumenta hujus observationis præsertim Elevatorium, in primâ editione tàm rudè atq; negligenter depicta & sculpta fuerint. Inprimis eam ob causam, quòd Clarissimus ac longè celeberrimus Vir, Dn. PETRUS PAVIUS, p. m. Anatomicus & Medicus insignis, amicus meus singularis, easdem delineationes impolitas, nec satis diligenter pictas, & sculptas, doctissimis suis commentariis in librum Hippocratis de vulneribus capitis, quoq; inseruit. Adhortor itaque lectorem, simul & Typographum, qui fortassis prædictum Commentarium secundo prælo subjiciet, ut delineationem Elevatorii ex secundâ hacce editione meâ corrigere velit. Nunc ad institutum: Cum itaque decessio sive introcessio cranij, quæ Hippocrati lib. de vulneribus capitis, tertia est species fracturarum calvariæ, adeò gravis & periculosus sit affectus, uti ex præcedenti observatione videre licet, non immeritò diligens ac fidelis Chirurgus, perniciosam illam doctrinam Felicis Wirzij (cujus in præcedenti observatione memini) flocci faciet, omnemq; lapidem movere tētabit, ut sine morâ in locum suū reponatur cranium. Primò enim cerebrum ab impresso cranio impeditur, quò minus spiritus animalis rectè elaborari, atque distribui possint. Deinde pericranio ab impressâ Calvariâ vellicato gravissimi excitantur dolores, quos sequitur affluxus humorum & sanguinis ad caput & cerebrum, inflammationes membranarum cerebri, febris, & delirium. Nisi enim protinus malo occurratur, & depressum cranium relevetur; & in sedem naturalem reponatur, de ægro actum est.

Error gravissimus Felicis Wirtzij.

Obs. 4. Porrò ad cranium elevandū, Chirurgi Elevatorio in formam tripedis aut bipedis fabricato utuntur. Quis ejus fuerit inventor, mihi non constat, Delineationes Lector videre poterit apud Guidonem de Cauliaco, à Dom. Laurentio Imberto edito, Petrum Pavium comment. in Hippoc. de vulneribus capitis, Ambrosium Paræum lib. 10. cap. 5. Ioh. And. à cruce, & Gualterum Reiffium. Verùm enim verò, quum incommoda nonnulla circa Elevatorium hocce Antiquorum observaverim, aliud longè commodius excogitavi, cujus delineationem ac usum posteà; in gratiam Chirurgorum, adscribam, dum prius incommoda nonnulla Elevatorij Antiquorum significavero.

Primò suffulcra Elevatorij Antiquorum in formam tripedis aut bipedis fabricata, ut in ambitu vulneris & prope ipsum collocemus, necesse est. At ambitum & circumferentiam vulneris semper inflammatione, tumore, & dolore affectum esse, omnibus tam notum, quàm quod notissimum est. Hæc cum ita se habeant, non video, quomodò aliquis Elevatorio cum fructu uti possit.


Secundò, applicatio Elevatorij valdè est difficilis: Tria enim suffulcra illa, in formam posita, impediunt, quò torcular in medio haud commodè infigi possit.

Demum, fabricatio atque structura Elevatorij Antiquorum, valdè laboriosa & difficilis est, excellentemq; & expertum artificem requirit: Sed & vix artifex aliquis, nisi instrumentum ipsum ante oculos habuerit, illud ex delineatione fabricabit: nostrum verò Elevatorium quisque ferrarius, etiamsi fuerit rudis in arte suâ, ex delineatione, quam postea addam, facilè fabricabit adaptabitq; Applicatio præterea nostri instrumenti minimè est laboriosa. Elevatorium enim A. notatum, à reliquis omnibus partibus, ad Elevatorium pertinentibus, tam diu, usque dum cranio satis firmiter sit infixum, liberum esse convenit. Omnibus præterea introcessionibus cranij in quacunq; parte capitis fuerint, facilè adaptari potest, & quidem sine dolore. Quandoquidem pars illa Elevatorij, quod suffulcrum appellamus, & D. notavimus, beneficio flexuræ G. insignitæ, longè à vulnere collocari imponivè potest. Deni si dolor vulnus ex una parte infestaverit, suffulcrum in oppositam partem apponere convenit. Exempli gratiâ posito casu, præ manibus habeo vulnus cum impressione ex tumore bregmatis dextri, nec non dolore adeò intenso, ut elevatorium tripes non admittat, tunc suffulcrum elevatorij nostri D. notatum, vel in oppositum bregma, vel suturam versùs lamboidæam, sive in frōtem, ubi crines desinunt, aut in aliam partem capitis, à dolore liberâ, collocandum est, uti postea ex delineatione apparebit.

Obs. 4.

Obs.

Delineatio instrumenti.



Explicatio Characterum

A. Ipsum Elevatorium denotat, bifurcum est, ut eò melius manu circumduci, craniovè infigi queat.

B. Foramen ejus magnitudinis, ut vectem facilè excipere possit.

C. Acies Elevatorij, torcularis instar fabricata, quæ cranio infigitur, terebello tamen prius facto foramine parvo in cranio, ut postea dicam. Acies autem illa torcularis ut ex puro ferro sit, necesse est, ne circumducendo instrumento frangatur.

D. Suffulcrum est latum, & nonnihil excavatum, propter rotunditatem capitis.

E. Torcular est, cujus beneficio suffulcrum ad libitum Chirurgi aut sursum elevatur, aut deorsum deprimitur, prout negotium postulat.


F. Vectem sive trabem Elevatorij significat, longa est pollices duodecim.

G. Flexuram indicat, mediante hac flexurâ suffulcrum D. notatum, omnibus partibus capitis adaptari potest instrumentum: distatq; à matrice vectis H. notata circiter pollices 2. Flexura autem ita fabricata est, ut vectis deorsum solummodò flecti possit, sursum verò minimè: Sic enim inutile esset instrumentum: Reperiuntur apud mercatores trutinæ, quæ mediantibus his flexuris complicantur, sed contrario modo, videlicet sursum. Hæc pro explicatione instrumenti sufficiant, nunc usum paucis adscribam.

Primò cutis, si integra fuerit, uti sæpissimè vidi, etiam in puero, cujus fit mentio Centur. 1. Observ. 15. abrasis crinibus, unà cum pericranio in formam crucis incidenda, & dilatanda est, uti subsequens figura indicat: Deinde diligenter explorandum est, quânam in parte cranium præcipuè sit depressum: Eâ enim in parte torcular C. notatum, à reliquis suis ad se pertinentibus liberum, infigendum est.

Porrò nõ in medio ossis impressi, uti nonulli Chirurgorum facere consueverunt, (nisi forsan undiq; æquabiliter impressum fuerit os, quod tamen in adultis rarissimè accidit) sed ad latus, & in eâ parte, ubi præcipuè, ut diximus, impressum, infigendum est torcular Elevatorij, sed quia torcular elevatorij, quantumvis acutissimum, difficulter, & non nisi adhibitâ vi cranio infigi potest, ac interim summoperè timendum, ne cranium jam depressum, profundius deprimatur, prius ad secundam tabulam perforandum erit terebello acutissimo, cujus aciem triangularem aut quadrangularem esse convenit, ut sequens figura indicat.

Terebelli Delineatio.



Leviter autem leniterq; terebellum circumducendum, & cranium versùs in operatione deprimendum est, ne videlicet pars cranij fracti profundius deprimatur. Foramen autem hoc terebello factum, si ejus tantummodò fuerit magnitudinis, ut apicem torcularis C. notatum, excipere possit, sufficit; Torcular enim dummodò sit acutum, facilè sibi postea viam faciet. Torcular autem, ut antea quoque monui, ab omnibus

ad ipsum


Obs. 4.

ad ipsum pertinentibus partibus liberum, clemẽter tam diu circumducendum est, usq; dum cranio satis infixum fuerit: secundam tamen tabulam, quam vitream appellant Anatomici, perforare non licet, ne inde, ut fieri solet, fragmenta acutissima cranij, ad menynges perveniant, easq; graviter lædant. Inter circumducendum autem & infigendum torcular, Chirurgus manum potiꝰ elevet, quàm deprimat: omnibus enim modis, ne cranium cerebrum versùs deprimatur, danda est opera. Infixo satis torculari, vectis Elevatorij F. notatus, traducendus est per foramen B. notatum, suffulcrum verò D. capiti imponere convenit, & quidem aptiori, minimeq; dolore affecto loco. Ne autem caput à compressione suffulcri lædatur, latum, parumq; excavatum esse debet. Linteum præterea aliquoties reduplicatum ut suffulcro substratum sit, necesse est. Suffulcri autem atque torcularis E. beneficio, tantùm elevatur aut deprimitur vectis elevatorij, quantùm Chirurgo necesse esse videbitur.

Omnibus sic ordine peractis, manu paulatim in altum elevandus est vectis F. notatus, donec pars cranij depressa sit elevata, & in situm naturalem reposita: in ipsâ verò operatione, ut unus ex adstantibus caput firmiter teneat, necesse est. Negotium autem atque operationem, ut plenissimè intelligant Tyrones, sequentem figuram adjungere visum fuit.




Accidit interdum quoque, ut pars aliqua cranij adeò sit fracta, ut ossa nonnulla absq; labore digitis aut forcipe eximi possint, uti sæpissimè in vulneratis observavi. Si itaque rima satis hians in cranio reperitur, tunc perforatione cranij, pro infigendo Elevatorio opus non est, sed sequenti imposito hamulo, & per ipsum trajecto vecte F. notato, cranium depressum facilè in situm naturalem elevabis.




Sin rima non sufficiens fuerit, ut cerebrum per illam evacuari possit, instrumento serrato, portio aliqua ossis excidenda est: Diligenter tamen (quod & in omnibus operationibus, quę circa cranium fiunt, observandum) prospiciendum est, ne inter operandum meninx lædatur. Prætere a danda est opera, ut ossicula, si qua fuerint volsellis, rasura verò ossis spongiolis, aquæ betonicæ insuccatis, ac denuò expressis clementer eximantur.

Instrumentum Serratum.



Volsella.



Spongia.




Quod si rima commodè eò usque dilatari non potuerit, ut per eandem cerebrum à sanguine coagulato, ichore, & pure expurgari possit, perforetur cranium in medio ossis, quod antea depressum fuerat, nimirum eâ in parte, ubi in præcedentibus figuris C. notatum est. Ex hac autem perforatione tria habebis commoda. Primum si os jam antea impressum & denudatum, trepano perforaveris, novâ incisione, & abrasione cutis &

Obs. 4.

tis & pericranij à cranio, opus non erit: Craniū enim jam antea denudatum fuit, & proinde novum dolorem atque hæmorrhagiam evitabis. Secundò, quia trepanatio & perforatio fit Cranij in ipso loco affecto, longè faciliùs per eandem evacuabitur sanguis contusus, & quicunq; affluunt humores noxij, quàm si ad latus facta fuisset. Tertiò, minori cum labore vulnus in ipso loco affecto usquedum cerebrum satis sit expurgatum apertum conservabis, quàm si aliquo in loco minus malè affecto cranium perforaveris.


In hac autem operatione & perforatione cranij hæc præcipuè occurrit difficultas, videlicet quod pars illa Cranij fracta, & ut dixi, in situm naturalem reposita, facilè iterum cerebrum versus retrudi poterit. Sed ut & hoc ipsum incommodum evitemus, clavum sequentem foramini in Cranio in quo antea torcular in delineatione Elevatorij C. notatum infixum fuerat, infiges, tamque diu circumvolves, donec satis infixum fuerit.



Est autem apex hujus clavi torcularis, nec non multis in locis perforatus, quò stylum ferreum ossi sano incumbentem excipere possit, uti ex sequenti figurâ videre licet, in quâ A. A. A. A. labia vulneris inversa C. Cranium fractū B. B. B. B. verò Cranium integrum, & illæsum denotant.



Stylus autem ejus tantummodò sit longitudinis, ut ipsius extremitates ossi sano, ut antea monui, incumbere possint: Itaque sit tibi ad manus lima, ut stylum, quantùm necessitas postulat, abscindere possis. Quod si extremitates hujus styli cranio non satis firmiter incubuerint, linteamina reduplicata aut simile quid eis substernatur. Postea Cranium ad latus hujus Clavi, & quidem si fieri potest, in medio ossis depressi, ubi C. notatum, ad duram matrem audacter perfora. Si verò rima in Cranio talis fuerit, ut per eam Cerebrum evacuari possit, non opus est perforatione, aut trepanatione, forsan ne Elevatorio nostro, vexare ægrum, sed sufficiet communi hoc & simplicissimo Elevatorio Cranium in sedem suam reponere.




Circa annum 1581. rusticus quidam in Ducatu Montensi, propè Mednam in bregma hastâ, tam graviter percussus fuit, ut protinus in terram caderet, & semimortuus in lectum deportaretur. Advocato Magistro Jodoco N. Chirurgo haud inerudito, quique tunc temporis Hildenæ artem suam maximâ cum laude exercebat, hominem sine intellectu, absque loquela, & veluti apoplecticum, & semimortuum invenit. Abrasis crinibus, & dilatato vulnere cùm Elevatorijs alijsque instrumentis necessarijs destitutus esset, terebellum, quo doliarij utuntur, sibi adferendum jubet, cujus aciem cum in rimâ ipsam Cranij infixisset, maximâ cum dexteritate, non solùm impressum Cranium in pristinum locum reposuit, verùm & fragmenta nonnulla extraxit: operatio adeò feliciter successit, ut symptomata protinus remiserint, & æger tandem convaluerit: imò & per multos annos supervixerit, non sine admiratione omnium. Hujus curationis & sanationis ego quoque testis sum ocularis.

Hæc

Obs. 5.

TEREBELLUM.



Officiũ fidelis Chirurgi.

Hæc propterea adscribo, ne fidelis ac diligẽs Chirurgus ægrum periclitantem, propter penuriam instrumentorum derelinquat, aut operationem usquè dum instrumenta fabricata fuerint, maximo cum damno ægri protrahat, quin poti⁹, quod commodè substitui possit, id minimè negligat.

Admonitio ad Chirurgos.

Cæterùm monitos velim esse Chirurgos, ut prospiciant, ne operationes & curationes, quæ in capite occurrunt, inprimis ubi meninges, & cerebrum detectum est, in loco frigido fiant: frigidum enim cum sit inimicum cerebro, nervis &c. ut Hippocrates lib. 5. Aph. 18. atque experientia ipsa docet, non potest non gravissima & persæpe mortalia symptomata excitare. Quapropter in vulneribus capitis præsertim magnis & periculosis, sartaginem prunis impletam vulneri, interim dum id curo, per ministrum aut aliquem ex adstantibus admovere jubeo.

OBSERVATIO V.

Puerorum depressum cranium, quomodo elevandum.


PUerorum Calvarias ex casu deprimi posse, nullis supervenientib' symptomatis, (nisi forsan in ipso casu vomitus cibi indigesti) aliquoties observavi. Cùm enim eorum cranium adhuc molle ac tenerum sit, facilè absque fractura deprimitur atque introcedit, quemadmodum argenteis & stanneis vasis ex solidorum corporum collisione accidere videmus. Hinc fit, quum dura mater, membrana alioquin exquisitissimo sensu prædita, à fragmentis non pungatur, ne sæviora symptomata sequantur. Interim tamen hujusmodi impressiones Cranij, etsi in principio non adeò magni momenti esse videantur, gravioraquè symptomata non inferant, spernendas tamen minimè esse, omnes in arte versati intelligunt: Hujusmodi enim impressiones cerebri motum impediunt, & quo minùs spiritus in cerebro elaborari possint, obstant. Hinc ingenium stupidum oboritur, caputque catarrhis obnoxium redditur.

Obs. 5. Primus modus elevationis Cranij.

Porrò in pueris sæpissimè hujusmodi depressiones Cranij, abrasis crinibus, & appositâ cucurbitâ, naribusque & ore clausis, quemadmodùm AMBROSIUS PARAEUS Chirurgus æternâ laude dignissimus lib. 10. cap. 5. rectè docuit, in naturalem situm reposui.

Secundus modus.

Vel instrumetum sequens corneum & cavum loco impresso admoveatur, quod ex superiori sua parte à viro quodam robusto, interim dũos, & nares infantis clauduntur, sugatur.



Tertius modus.


Aut Emplastrum aliquod tenaciter adhærescens, veluti ex pice, resina, colophonia, & gummi Elemi, in medio ossis depressi applicetur, Vel quod tenacius adhæret.

Emplastrum.

R. Farinæ tritici ℥j.
Ichthyocollæ dissolutæ in aqua
Betonicæ & salviæ ʒ. ß.
Pulv. masticis,
Thuris
Farinæ volatilis
Sanguinis drac. gypsi an. j. ß.
Misce, coquantur in aqua betonicæ & salviæ, ad justam consistentiam, applicetur calidè.

QUamprimùm undique agglutinatum & exsiccatũ fuerit emplastrum hoc, vi auferatur, sic enim attractâ cute & pericranio, cranium depressum simul elevabitur. Id si primâ vice minùs successerit ab opere tamen minimè desistendum, sed denuò novum Emplastrum applicandum, & ut antea, vi auferendum. Vt autem eò tenaciùs adhærere possit, capilli non omninò sunt abradendi. Hinc si dolor aliquis oritur, locus inungendus est oleo rosaceo, aut myrthino, & de vitellis ovorum. Emplastrum autem hoc rotundum, aut ejus figuræ, cujus est depressio cranij, esse convenit: Neque ejus sit magnitudinis, ut totam impressionem cranij, sed tantumodò tertiam circiter partem, cooperiat. Sic enim in ablatione minor erit dolor, & faciliùs impressum cranium elevabitur. Habeat præterea Emplastrum hoc in medio funiculum, quo à Chirurgo apprehendi possit, ut sequens denotat figura.

Obs. 5.



A.A.A. Circumferentiam depressionis sive introcessionis cranij, exhibet.

B. Emplastrum in medio hujus depressionis appositum, demonstrat.

C. Funiculus est.

Interim autem, dùm Chirurgus Emplastrũ aufert, os & nares infantis, ut anteà quoque monuimus, claudendæ sunt. Sic inflato cerebro propter retentionem in ipso spirituum, cranium impressum faciliùs in situm naturalem relevabitur.

Verùm si his remediis, & manuali operatione cranium non relevetur, decussatim cutis incidenda, & denudato cranio, à pericranio, sequenti elevatorio, aut meo, quod anteà depinxi, cranium relevandum est. Vulnus deinde relictũ, aliorum capitis vulnerum more, curari debet.



Admonitio. Hìc monitos velim Chirurgos, ne in perforatione cranij, diploidem, si fieri potest, transgrediantur: secundi enim tabulati, quod non adeò crassum, sed valdè friabile, perforatio, asperitatem in cranio relinquit, quæ posteà cerebrum pungendo, dolorem, aliaq; symptomata, excitat.

OBSERVATIO VI.

Ex perforatione Cranij neglecta, mors sequuta.

Nobilis quidam ex familia EWIGIORUM Waldene propè Hildenam, in conflictu quodam in bregma percussus, in terram prostratus fuit, & cibum indigestum evomuit. Curatio statim duobus Barbitonsoribus commissa. Ego quartâ die post, unà cum clariss. viro D. IOANN SLOTANO, apud Colonienses doctore Medico celeberrimo vocatus, ægrum febricitantem cum cranij fractura, offendimus. Vulnus verò contusum & parvum erat: aderant quoque vigiliæ, inquietudines, dolores, & capitis gravitas. Ex quibus nobis facilè colligere licuit, pus cranio subesse. Quapropter suasimus, ut dilatato vulnere, terebello, sive ut vocant trepano, cranium perforetur, idque nisi maturè fieret, ægrum in maximo vitæ discrimine versari, prædiximus. Barbitonsores contrà mira se præstituros, gloriabantur, & perforationem cranij, tanquam remedium eis incognitum & crudele, arroganter respuerunt, & apud adstantem turbam suspectum & odiosum reddiderunt. Nos itaque cum ejusmodi collegas nobis adjunctos habere, nec honestum, nec ægro utile esse videremus, febrim item de hora in horam ingravescere, cumq; barbitonsores, universalis ut adhiberentur, concedere nollent, altera die discessimus, & manum deinceps admovere recusavimus, ne propter ignorantiam barbitonsorum nostra simul fama atque æstimatio periclitaretur. Post nostri abitum, & quidẽ ante undecimam diem morbi, auctâ febri & deliriis, tandem loquelam quoque æger amisit, & ex opposita vulneris parte paralysi correptus, ante decimam quartam diem, finem vitæ suæ imposuit.

OBSERVATIO VII.

Suturæ cranij ex vehementissimo dolore capitis disjunctæ.

Obs. 6. & 7.

THEODORUS *auff den Houlen* Hildenæ, añum ætatis quadragesimum circiter agens, robustissimo corporis habitu, & qui vix unquam morbo detentus, incidit in febrim continuam circà dies caniculares, anno 1592. In principio morbo neglecto, symptomata adeò ingravescebant, præcipuè verò dolor, vigilia & phrenesis, ut à tertio die, ad octavum & nonum usque, nullum somnum capessere potuerit. Id autem nobis notatu dignũ in ipso observare licuit, nimirùm quòd circà sextum & septimum diem sutura sagittalis & coronalis, adeò à se invicem disjuncta depræhendebatur, ut adstantes non modò tactu, verùm etiam systole & diastole cerebri, suturis digito imposito, eodem prorsùs modo, ut in pueris, antequàm eorum cranium penitùs obduruerit, facilè percipere possent. Septimo verò die supervenit sudor criticus, adeò copiosus, ut contoriâ subuculâ aqua, ac si croco tincta fuisset ubertim extillaret. Hujus sudoris beneficio restitutus & liberatus fuit, suturæ quoque paulò post sensim coaluerunt, adeò ut ad 1610. supervixerit. Ejusdem rei

dem rei quoque Lector in prima Centuria obs. 1. exemplum habet.

OBSERVATIO VIII.

Quidam inveteratâ Cephalæâ laborans, accepto vulnere lethali ad conjunctionem suturarum Coronalis & Sagittalis, à morbo inveterato liberatus fuit, ubi simul de perforatione suturarum, & vulnerib. temporum, agitur.

AD

Clarißimum & Doctißimum Virum, Dn. FRIDERICUM WERDENBERGIUM *Basileensem, Doctorem Medicum celeberrimum.*

cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus S.P.D.

CLarum tuæ in me benevolentiæ signum edidisti, Vir clarissime, & amice plurimùm honorande, qui non solùm tàm amice ad me scripsisti, verùm etiam Enchiridion Medicum TRINCAVELLII dono misisti: quod utique eo majori cum voluptate perlegam, quia laboribus lucubrationibusq; tuis illustratum atque ornatum sciam. Pro munere hoc, & propensâ in me tua voluntate, nunc quidem animo, & verbis gratias ago, & habeo maximas, oblatâ occasione, reipsa illud promereri studebo.

Cæterum Quæstionem illam, quam proponis nimirùm, An in temporibus & suturis tentanda sit terebratio? quod attinet, rectè equidem sentis. Verissima enim est Hippocratis doctrina, quæ & quotidianâ experientiâ comprobatur, in fracturis cranij suturas minimè esse secandas. Cùm enim dura menynx membrana exquisitissimo sensu prædita, venæ item & arteriæ quamplurimæ suturis insinuentur, & ob perforationem & terebrationem irritentur, & dilacerentur, protinùs dolor ingens, inflammatio membranarum cerebri, hæmorrhagia, aliaq; graviora symptomata, & vitæ discrimen, ut sequatur, necesse est. Deinde non facilè coalescit vulnus, si sutura perforata sit, præcipuè si vitium aliquod cerebri præcesserit: poterit tamen ad sanitatem ægri conducere, ut ex sequenti historia videre licet.

[Hippocr. l]ibr. de [v]ulneri[bus].

[H]istoria.

Magister PETRUS faber ferrarius, vicinus meus Hildenæ in patria, anno 1593. ad conjunctionem suturæ sagittalis cum coronali, securi percussus, cum insigni cranij fractione, mox in terram semianimis decidit, & cibum indigestum evomuit. Ego vocatus, vulnus satis hians cum maximâ, & ad duram menyngem usque, cranij fractione, offendi. Multa gravissimaq; symptomata supervenerunt, inprimis verò dolor, & inflammatio, quæ multum negotii mihi facessêre. Tandem summâ adhibitâ diligentiâ, multisque extractis ossium fragmentis, cerebro item satis expurgato. Divino favore, symptomata paulatim remiserunt, ita ut convaluerit, ulcus verò in fistulam degeneratum, nullâ diligentiâ, nullaq; arte adhibitâ, cicatrice obducere potui. Sed quod exitiosum atque mortale sibi fore videbatur, in maximum commodum cessit. Cùm enim antea continuò cephalæâ vexaretur, posteà sanus, & ab omni dolore capitis liber, ad annum usque 1602. vixit. Historiam verò hanc non ideò recensui, ut terebrationem suturarum probem, quin potiùs tyrones, ut ab ea abstineant, adhorter, & quidem propter gravissima, quæ inde sequuntur symptomata. Sin autem contusiones maximæ ad suturas occurrant, præstat ex una atque altera parte suturæ potiùs, quàm in ipsa sutura, os secare.

De periculosa incisione musculorum temporal.

Temporales musculi absque maximo vitæ periculo incidi non posse, Hippocrates, omnium quotquot unquàm in arte Chirurgicâ, extiterunt virorum eruditorum facilè princeps, & post eum omnes, qui cum ratione artem exercuerunt, testantur. Si enim (ut Hippocratis verbis utar) tempus sinistrum inciditur, dextrum nervorum distentione occupatur, si dextrum, nervi distenduntur in sinistro. Oppositus enim musculus, id est, partis sanæ, dùm fungitur officio suo, maxillam ad se trahit: læsis verò, quia interim quiescit, fit, ut maxilla versùs partem sanam, non sine maximo dolore, & vitæ discrimine, trahatur. Ascendunt preterea per tempora venæ, & arteriæ; ex quibus hæmorrhagia magna & periculosa est expectanda: uti ego ante annos duos in puella quadam Bernensi, quatuordecim annorum ætatis, Ex familia Weissiorum oriunda, expertus sum.

Observatio de gravissimo vulnere capitis.

Ea ex prima contignatione in solum decidens, dextrum tempus adeò sibi concussit, ut venæ & arteriæ, quæ illàc ascendunt, simul disruptæ fuerint, illæso tamen cranio. Ego quartâ die post casum vocatus, ipsam febri ardentissima, cum doloribus maximis, vigilijs, faciei quinetiam inflatione, atque inflammatione laborantem offendi. Abrasis itaque crinibus totum tempus dextrum ad frontem & suturam sagittalem, & lambdoideam usque in maximum tumorem, sed flaccidum, & ad instar vesicæ aqua impletæ, (absque tamen cutis læsione) elevatum reperi. Hinc sanguinem sub cute collectum conijcere cœpi, nec pus esse potuisse, partim quia in cute nullum apparuit indicium, partim etiam, quia tàm parvo temporis spatio, tanta copia generari non potuit. Factâ itaque prius prognosticatione coram parentibus, timorem ex una atque altera parte, & quidem ad latera musculi crotaphitę secundùm longitudinem incidi, sic enim sinum illum me posse mundificare, & sanare sperabam. Factâ incisione, maxima sanguinis, partim puri, partim coagulati copia effluxit. Primo apparatu pulverem nostrum ad sanguinem sistendum, stupis albumine ovi madefactis, incisionibus imposui. Indè febris, dolores, & inquietudines aliquo modo imminutæ fuerunt: tumor nihilominùs parùm aut nihil subsidit: sanguis enim continuò, & de novo in sinum istum influebat. Alterâ die cùm nihil minùs, quàm de hæmorrhagia cogitarem, ac vulnus curare vellem, extractis turundis, eccè denuò hæmorrhagia magna subsequuta, ita ut rursus pulverem ad sistendum sanguinem imponere coactus fuerim. Ipse tamen locus, in quo vasa in tàm magno & ingenti sinu disrupta erant quia in conspectum non veniebat, quò pulverem aliàque medicamenta eò usque inderem, rem in angusto positam esse, parentibus significare cœpi.

H Tantæ

Observ. 8. Tanta enim erat in sanguine ebullitionis vehementia, ut tertia die post factas incisiones, me absente, sanguis turundas & medicamenta protuderet, indéque tanta hæmorrhagia sequeretur, ut antequàm accurrerem, parùm abfuerit, quin animam simul cum sanguine redderet ægra. Hinc vires multùm, ebullitio verò sanguinis parùm imminuta fuit, id quod ex febri, rubore faciei, & incendio, quod ægra se in capite, & circà vulnus persentire affirmabat, satis supérque apparuit. Deliberatum itaque fuit, ut tandem cutis ab uno ad alterum vulnus transversim incideretur, quò vasa disrupta, in conspectum prodirent, ea tamen dexteritate & arte id faciendum, ut musculus temporalis minimè læderetur, quod facillimè me præstiturũ sperabã. Antequàm tamẽ extremũ hocce remedium experirer, denuò leviora tẽtare volui. Turundis itaq; albumine ovi imbutis, pulveréque nostro ad sanguinem sistendum asperso, vulnera ita obturavi, ut indè nihil ex sinu effluere posset. Pulvillos quoque ex stupis factos, & albumine ovi cum mucilagine gummi tragacanthi intinctos, nec non pulvere prædicto aspersos, applicui, fasciaque diligenter colligavi. Vulneribus autem singulis suum aptavi pulvillum, & quidem parvum, ut vulnus tantummodò cooperiret, sic enim multò meliùs adhærere potuerunt, quàm si totam partem coopertissent. Reliquæ verò parti sinus, & circumcircà collum, sequens defensivum applicui.

Defensivum.

℞. Farinæ hordei ℥ iiij.
Pulver. rosar.
Myrtillor.
Nuc. cupressi
Ranar. præparat. Gallarum. an. ʒ ß.
Succi prunor. sylvest. inspissati ℥ j.

Dissolvatur succus prunor. aceto, deindè reliqua admisceantur, fiatque cum albumine ovi, aceto, & decocto betonicæ defensivum in mortario, addendo parùm olei rosar. Defensivum hoc singulis diebus ter aut quater, ne exiccaretur, iteraui. Interim optimâ victus ratione utebatur. Julapia quoque ex syrupo de succo acetosæ, citri atque de berberibus cum decocto hordei, pro ebullitione sanguinis exhibui, crura item ad genu arctiùs ligavi, & coxis cucurbitulas magnas, cum flamma adhibui. Hinc symptomata indies imminuta, & vires paulatim refocillatæ sunt: turundas verò & parvos pulvillos extrahere & amovere, priùs ausus non fui, quàm pus circà vulnus appareret: idque circà tertium fuit diem, quo pus paulatim eos extrusit, nec ulla in posterum sequuta est hæmorrhagia, curationemque sic more aliorum vulnerum capitis, absolvi. Ad latera itaque, aut ex superiori parte musculi facienda est incisio, non autem in ipso musculo. Hæc prolixiùs, Vir Clarissime, communicare placuit, non ideò quòd tibi in Chirurgicis jam non mediocriter versato, usui esse posse existimem, sed si forsàn suasu tuo inter observationes meas posthàc, & quidem in gratiam Tyronum, Epistolam hanc reponere visum fuerit. Vale Vir Clariss. & me meosque amare perge. 5. Maij. 1607. Vivit ægra illa ad hunc usque annum 1630. quo hæc ad prælum pro secunda editione adorno.

JOH. FRIDERICUS WERDENbergius Basiliensis Medic. Doctor.

Guil. Fabricio Hildano S. P. D.

Non est, Vir Clarissime atq; Experientissime, ut mihi gratias agas pro Enchiridio Medico transmisso Trincavellij, fateor illud munusculum nimis tenue esse: est ut potiùs tibi gratias referam pro dono dato Tractatu de Combustionibus, quem exquisitissimè esse elaboratum, video: deindè quòd ita humaniter tuis literis me compellas, neq; dignaris respondere ad meas quæstiones propositas. Ad primam quidem mihi respondes, ut videre est, ex Historia ad me scripta, te non approbare terebrationem suturarum, vel in suturis, rationem addis, quia repugnet sententiæ Hipoc. in lib. de vulneribus. Adjicis quoq; secundam rationem, cur terebratio non sit tentanda, propter duram scilicet matrem seu menyngem, cum membrana illa sit exquisitissimo sensu prædita: nam illud, quod alijs partibus sensum largitur, necessariò exquisitissmo sensu debet esse præditum. Sed menynges, alijs omnibus partibus sensum largiuntur, teste Fernelio lib. 5. c. 10. de Animæ facult. ubi sic inquit. Omnem sensum totius corporis oriri à menyngibus cerebri, motum ab ipsis nervis. Hinc sequitur, illas exquisitissimo sensu præditas esse. Cùm ergò tam exquisitissimo sensu præditæ sint, & principium sint, & principium sint sensus, tunc multò graviora & vehementiora symptomata erunt, si lædantur. Tertia ratio in hisce verbis latet, cùm dicitur, venæ & arteriæ, quamplurimæ insinuentur, & ob perforationem & terebrationem irritentur, & dilacerentur, protinùs dolor ingens, inflammatio membranarum cerebri sequitur, ex qua inflammatione fiunt convulsiones, si nostri senis sententia vera sit, quemadmodum sine dubio est verissima libr. 6. aphoris. 39. Convulsio fit ex repletione vel inanitione, ita verò singultus. Ex inflammatione membranæ replentur, repletis contrahuntur, contractis fit convulsio: deindè innumera symptomata comitantur, febris nimirum, sitis & vigiliæ. Quarta ratio est ipsa hæmorrhagia, quia fluxus sanguinis delibitat vires, & spiritus animales à sanguine extravasato læduntur, cùm statim corrumpatur, ab ipsa autem corruptione inficiuntur, hinc dira symptomata multa. Quinta ratio, dùm dicitur (eò quòd vulnus non facilè coalescat, si sutura perforata sit) cùm sit pars spermatica, partes autem spermaticæ non possunt coalescere secundùm Hippoc. aphor. lib. 6. aphor. 19. Quùm discissum fuerit os, aut cartilago, vel nervus, aut genæ portiuncula tenuis, vel præputium, neq; augetur, neq; coalescit. Hisce & similibus rationibus probatur nunquam adhibendam esse terebrationem cerebri in suturis, licet videantur rationes adesse, quæ contrarium affirmant. Prima est ipsissima auctoritas Hipp. in libr. de vulneribus: verba ipsius sic sonant. Similiter & de cerebri membranâ tunicâve dicimus, quamprimùm os terebrato, demito membranam, denudato, purgato, desiccato, ne si diutiùs madescat, & mollescat, tollatur & tumescat, quæ si fiant, periculum est, ne putrescat. Secunda sumitur ab ipsa experientia, & exemplis: nam dantur exempla adhibitæ terebrationis in suturis. Cùm enim studiorum causa versarer in Italia, vidi à Chirurgo quodam operationem

Respon. ad primam quæstionem. Ratio prima. Ratio secunda.

Fernel. 5. de anima facult. cap. 10.

Tertia ratio.

Hipp. l. 6. aph. 39.

Quarta ratio.

Quinta ratio.

Hipp. 6. aph. 19.

Rationes in contrarium. Ratio prima.

Ratio secunda.

Obser. 9. nem perfectam fuisse in suturis. In tua Historia, quoque illud asseritur, dum scilicet ais ad conjunctionem suturæ sagittalis cùm coronali securi percussum. Ex hisce, & similibus videtur colligi, tutò posse adhiberi terebrationem in sutura. Sed si rem exactiùs & diligentiùs perpenderimus, longè aliter res se habebit. Nam quoad auctoritatem Hippocratis, dico Hippocratem non dicere, membranam sanam esse secandam, sed illam, quæ jam lacerata, aut læsionem passa sit, tunc cranium esse perforandum, & illam membranam laceratam demendam, ne putrescat. Quoad exempla, dico, licet in uno aut altero hæc operatio facta fuerit, tamen ex uno non licet concludere, quòd hæc operatio semper sit administranda: nam quæ rara sunt, illa non sunt artis.

Responsio ad secundam quæstionem. Ad secundam mihi etiam respondes negando, musculos temporales nunquam per medium esse secandos, propter gravissima symptomata, quæ hinc sequuntur: nam omnes musculi intertexti sunt fibris, quæ fibræ in fine musculi coëunt, & constituunt tendines musculorum, quod hoc ita sit, docet id Gal. libr. 12. de usu partium corporis humani. cap. 3. dum inquit. Mistum ergo ex ambobus motus instrumentum quoddam efficere oportebat, quod omninò nervo quidem duriùs, ligamento autem mollius erat futurum. Proinde ut sensus minùs quidem, quàm nervus, sed magis, quàm ligamentum particeps erat futurum, atque etiam roboris ac imbecillitatis, aliorumq; contrariorum, quæ nervis insunt, ac ligamentis, medium locum erat habiturum, præterea quòd substantiæ utriusq; se constituentis est particeps, neutrum tamen, neq; syncerum, neq; solum, neq; secretum habet, sed ex ambobus est conflatum. Atq; nihil per totum cum alio potest commisceri, nisi prius in partes exiguas fuerit comminutum. Vtrumq; igitur in fibras tenues dividere, fuit necesse, tùm autem eas inter se ad motorij instrumenti constitutionem connectere, quod substantia intra utrumq; medium est. Ex hoc Galeni loco, luce meridiana clariùs apparet, musculos per medium nunquam esse secandos. Ratio: quia secarentur, fibræ quoq; dissecarentur, quibus sectis excitaretur ingens dolor (quia habent exquisitum sensum, cùm oriantur à nervis) ex dolore convulsiones. Si autem dividatur per longitudinem, urgente necessitate, tunc illæ fibræ manent integræ, & nullus est metus convulsionis, aut aliorum symptomatum. Hæc quæ dicta sunt de musculis in genere, illa maximè applicari possunt musculo temporali, nam ille constat plurimis fibris, & est quoq; valde mēbranosus. Hinc necessario magna symptomata sequentur, si per mediū secetur.

Gal. l. 12. cap. 3. de usu part.

Ista sunt Vir Clarissime atq; doctissime, quæ ad tuas respondere volebam; si minus eleganter aut doctè à me præstitum sit, non velis meæ negligentiæ adscribere, sed potius difficultati rei.

OBSERVATIO IX.

Inveterata Hemicrania, copiosissima sanguinis per alvum profusione curata.

ANNO 1599. Coloniæ ad Portam Martis aurifabrum quendam Magist. Girardum nomine gravissimâ & inveteratâ hemicraniâ laborantem, unà cum clarissimo D. IOANNE SLOTANO, medico celeberrimo, curandum habui, Huic multa ac varia tam interna quàm externa, præscripta fuere remedia. Arterias temporales ei incidi, setaceum item ad nucham adhibui, quibus tamen dolor parùm mitigatus fuit. Tandem, cùm de sanitate ejus ferè nobis nihil amplius spei superesset, ecce natura, quæ insurgit; & sanguinis adusti, nigri atque coagulati ingentem copiā per secessum excernit. Vidi namq; ego præsente Medico, una nocte ultrà quatuor libras sanguinis per inferiora dejici. Et quamvis inde vires aliquo modo prostratæ fuerint, eædem tamen facilè aquâ cinamomi, confectione alkermes, aliorumq; cordialium usu, restauratæ fuerunt. Vnde dolor capitis quoque non parùm levatus fuit. Deinde post tres hebdomadas denuò circiter libras quinque sanguinis, itidem noctis tempore per alvum excrevit. Demùm post duos circiter dies, libram unam & semissem. Interim durante sic profluvio sanguinis, in hoc præcipuè incubuimus, ut vires, tùm optimâ victus ratione, tùm corroborantibus, exhibitis, Epithematibusq; admotis, conservaremus & instauraremus. Tandem dolor capitis cessavit, & paulatim cōvaluit.

Sanguinem autem huncce ex Liene promanasse existimabamus, cùm anteà per multos annos duritie & scirrho Lienis, laboraverit. Id quod & color quoque sanguinis ater, satis superq; denotavit. Ex liene autem primùm in ventriculum influxisse, inde apparet, quòd semper ante excretionem sanguinis hujus adusti & coagulati, per diem integrum, aut etiam diutius de nausea cōquereretur, & gravitatis pondus in fundo ventriculi, non sine molestia persentiret.

OBSERVATIO X.

Obser. 10.

Hemicrania inveterata, extractione dentium curata.

NObilis matrona in agro Lausannensi; diuturno & acerbissimo dolore, in sinistra parte capitis, cœlo præsertim frigido & humido existente, vexabatur. Multa variaq; medicamenta cùm interna, tùm externa, ex Medicorum præscripto adhibuit, sed frustrà. Tandem ad eam accersitus, cùm causas omnes mali hujus diligenter inquisivissem, referebat se ante annos quatuor, spacio sex mensium, vehementissimo dentiū dolore sinistræ maxillæ laborasse, posteà verò sensim dolorem dentium cessasse, verùm dolorem capitis, & quidem ejusdem lateris remansisse. Ex his cognovi, hemicraniam ex corruptorum dentium radicibus, ortum traxisse. Inspecto itaque ore, quatuor dentes superioris maxillæ erosos, eorumq, radices profundiùs inhærentes, inveni. Vnde ægræ persuasi, ut has dentium radices sibi extrahendas permitteret, id quod lubens annuit. Institutâ itaque optimâ victus ratione, corpus sequenti pharmaco purgavi.

℞. Radic. petrosel.
Fœniculi &
Polypodij querc. ana ℥ ß.
Flor. & folior. betonicæ
Herbar. agrimoniæ
Veronicæ
Cuscutæ ana M. ß.

Obs. 10.

Flor. buglossi &
Rosmarini
Summitat. majoranæ ana p. j.
Sem. anisi
Fœniculi ana ℨ ij.
Fol. senæ mundator. ℥ ſ.

Coquatur in aqua ad consumptionem tertiæ partis. In colaturæ ℥ iiij. infundantur, & secundùm artem macerentur,

Rhabarbari electi ℨ ij.
Agarici recent. trochiscati ℨ j.
Cinamomi &
Zinziberis ana ℨ j. In colatura cum forti expressione, dissolve benedictæ laxat. ℨ ij. Fiat potio.

Postridiè cucurbitulas scapulis, & nuchæ applicandas curavi. Postmodùm sequens Apozema præscripsi.

Apozema.

R. Radic. cichorij
Fœniculi
Petroselini
Graminis
Polypod. querc. ana ℥ j.
Flor. & folior. betonicæ
Herbar. agrimoniæ
Veronicæ
Cuscutæ
Scabiosæ ana M. j.
Flor. buglossi.
Rosmarini
Summitat. majoranę & thymi ana p. ij.
Sem. anisi, &
Fœniculi ana ℨ ſ.
Liquiritiæ rasæ &
Uvarum passular. exacinatar. ana ℥ j.

Coquantur in aqua purissima ad ℔. j. ſ. Colaturæ infundantur, & macerentur secundum artem.

Folior. senæ mundator. ℥ ij.
Rhabar. electi ℨ iiij.
Agarici recent. trochisc. ℨ ij.
Cinamomi electi &
Zingiberis ana ℨ j.

Maneant per noctem in infusione, postero die colentur & fortiter exprimantur. Colaturæ admisce,

Syr. rosat. solut. compositi cum
Rhabarbaro, agarico & senna ℥ iij.
Syrupi de betonica ℥ ij. Misce, &

Fiat Apozema pro 4. dosibus matutinis. Absoluto Apozemate, manè jejuno stomacho dentes extraxi. Postridiè verò sequentes exhibui pilulas.

Pilulæ.

R. Massæ pilular. aureat.
Cochiar.
Aggregativar. ana ℈ j.
Diagridij. &
Trochiscor. alhandal. ana gr. iiij.

Cum syrupo de betonica, formentur pilulæ 5. inspergantur pulvere Cinamomi.

Tandem diebus aliquot bis in die, sequentem adhibui Fotum.

Fotus.

R. Flor. & folior. betonicæ
Florum rosmarini
Chamomil.
Meliloti
Rosar. rubrar.
Stœchados
Summitat. majoranæ
Absynthij ana m. ſ.
Sem. anisi, &
Ligni guajaci ana ℥ j.

Incidantur ac contundantur, indanturque sacculo, ejus magnitudinis, ut totam partem dolentem cooperire possit. Deinde coquatur vino rubro, calidèque applicetur, His divino favore plenissimè convaluit.

Observatio XI.

Ex suppressis hæmorrhoidibus mictio sanguinis, & paralysis sequuta, ejusdemque paralysis curatio.

Obs.

NObilis Dominus de GLANE, dominus in CUGY, Vir pius & probus, per annos multos hæmorrhoidibus singulis mensibus absque ullo incommodo, imò maximo cum fructu, laboraverat. Ineunte verò anno 1605. & ætatis suæ septuagesimo circiter, hæmorrhoides substiterunt. Hinc lassitudo & gravitas totius corporis orta, & post menses duos nimirum principio mensis Martii, sanguinem purissimum per triduũ absq; dolore eminxit. Corpore leviter purgato, mictio sanguinis sponte cessavit, uti & lassitudo corporis, hæmorrhoidibus tamen nihilominùs adhuc suppressis. Sequenti deinde mense Iunio Paterniacum venit, meque cum in consilium ejus rei gratia adhibuisset, suasi, ut sibi hæmorrhoides aperire curaret. Id cùm neglexisset, denuò se malè habere cœpit. Trigesima itaque die Iulij, cùm à prandio ex fenestra cursum Broiæ fluminis, & circumvolutionem rotæ molaris inspiceret, dolore capitis & vertigine, priùs, mox in terram procidens, paralysi sinistri lateris correptus est. Ego eadem die sub vesperam unà cum D. EMANUELE URSTISIO liberal. artium Magistro, convictore meo suavissimo accersitus, curationem sic institui.

Illicò sequentem potiunculam ei exhibuimus.

Potiuncula.

R. Theriacæ optimæ ℨ j.
Aq. cinamo. destillatæ sine vino ℥ ij.
Misce, & fiat potio.

Deinde totum latus affect. & spinam dorsi sequenti linimento inunximus.

Linimen.

R. Ol. chamomel.
Lumbricor.
Rosar. ana ℥ j. Misce.

Non cœnavit ea vespera: & nocte subsequenti, quæ ei aliquo modo gravis erat, benè sudavit. Altera die, priùs exhibito clystere aliquo liniente, sanguisugas venis hæmorrhoidibus applicuimus, sanguinisque ad ℥ vj. vel vij. extraximus. Postridiè, prima scilicet Augusti, sequentem potionem sumpsit.

R. Flor. & folior. betonicæ
Salviæ
Rosmarini ana M. ſ.

Sem.

Sem. anisi &
Folior. senæ mundat. ana ℥ ij.
Coquantur in sufficienti quantitate aquæ, ut colatura redeat ad ℥ iiij. In quibus dissolve
Electuar. diaphœnici cum rhabarb. &
Diacatholici ana ℥ j.
Syr. rosat. solutivi ℥ j. Misce.
Fiat potio. Ex qua clementer purgatus fuit, sexies aut septies.

Latus affect. totum præcedenti linimento quotidiè bis inunximus.

Purgato corpore, sequenti usus est Apozemate.

R. Radicum fœniculi
Petroselini
Polypodij ana ℥ j.
Flor. & folior. betonicæ
Primulæ veris
Summitat. majoranæ ana m. j.
Sem. anisi &
Fœniculi ana ℥ ij.
Liquiritiæ rasæ ℥ j.
Coquantur in aqua, ut colatura redeat ad ℔ j. in qua dissolve,
Syrupi de betonica ℥ ij.
Sacchari & mellis despumati, quantum satis, ad saporis suavitatem. Exhibeatur quatuor matutinis cum tabellis Diarrhodon Abbatis.

Absoluto præscripto Apozemate, sequētes sumpsit pilulas.

R. massæ pilular. cochiar. &
aggregativar. ana ʒ ſ. Cum syrupo, de betonica, formentur pilulæ septem, involvantur pulvere cinamomi.

Interim præcedenti linimento totum latus quotidiè bis calidè inunctum fuerat.

Sumptis pilulis, aliud linimentū, quo quotidie bis inungebatur, præscripsimus.

R. Ol. lumbricor.
Vulpini
Costini ana ℥ j.
Ol. granor. Iuniperi ʒ ij.
Aquæ vitæ ʒ j. Misce, fiat linimentum.

Hisce sic usus medicamentis, cum spatio decem dierum nullum sumpsisset postea medicamentum, sequentes pilulas ipsi ordinavimus.

R. Pilular. cochiar. &
De hermodactyl. ana ℈ j.
Pilular. de agarico ℈ j. ſ. Cùm syrupo rosar. solut. formentur pilulæ 7. & involvantur pulvere cinamomi.

Pro corrobatione membrorum nobilium sequenti utebatur electuario.

R. Conservæ flor. betonicæ
Salviæ
Primulæ veris
Rosmarini
Majoranæ ana ℥ ſ.
Specier. aromat. rosati ʒ j. ſ.
Cinamomi opt. ʒ j. Cum syrupo conservationis corticum citri fiat Electuarium, de quo singulis diebus, tribus horis ante prandium sumebat ad magnitudinem castaneæ.

Ab initio morbi statim optimam victus rationem observabat. A vino, spatio viginti dierum omninò abstinuit, sed ejus loco hydromelite, in quo flores betonicæ, salviæ, primulæ veris, agrimonia, & veronica coxerant, utebatur.

His Divino favore à paralysi liberatus, atq; feliciter sanitati restitutus fuit, & deinceps adhuc annos aliquot sanus & incolumis vixit, anno verò 1608. planè decrepitus, piè in Christo obdormivit.

OBSERVATIO XII.

Ex diuturna defluxione ad dentes, Ophthalmia, & visus alterius oculi abolitio.

HOnesta quædam ac pia matrona, Coloniensis, diuturnâ defluxione ad posteriorem dētem molarem sinistræ maxillæ, cum ejusdem erosione, & carie, vexabatur. Medicorum consilio pilulis aureis, Lucis, & Cochiis frequenter purgata fuit, cucurbitularum quin etiam applicatione in scapulis, aliquoties usa. Sed cum dentis extractionem recusaret, cùmque caries, tùm dolor continuus defluxionem mag s magisque ad gingivas irritaret, & attraheret, tandem ejusdem lateris ophthalmia exorta est. Hinc cataracta & cæcitas insequutæ: forsan, quia ratione inflammationis spiritus partim dissipati, partim usu medicamentorum refrigerantium, unà cum humoribus condensati fuerunt.

OBSERVATIO XIII.

Quâ ratione, arena, festucæ, segmenta, aliaque similia, ex oculis extrahenda.

ADnatam membranam à Pericranio, corneā verò à dura matre, membranis exquisitissimo sensu præditis, procreari, omnes norunt Anatomici. Hinc fit, ut oculi adeò exquisitè sentiant; & ab arenis festucisque facilè lædantur. Vidi nonnullos, qui ex hujusmodi causa levissima visum amiserunt: Dolor enim, qui ex inflato oculis pulvere excitatur, statim humores ex capite ad oculos attrahit, inde symptomata non levia excitantur. Promptè igitur, & summo studio, quicquid eis inhæret, extrahendum.

Suadent nonnulli, ut violenta narium emunctio, aut etiam sternutatio excitetur: putant enim hujus beneficio naturam simul, quicquid extraneum oculis inhæret, expellere. Id verò vix absque periculo fieri posse, colligitur ex primæ Centuriæ Observ. 24. Violentus enim ille motus, & concussio cerebri, quæ fit sternutando, materiam excrementitiam, tàm ad oculos, quàm nares protrudit, & excutit. Sine periculo autem & parvo negotio, arenam & pulverem ex oculis (uti ego non rarò expertus sum) expurgant oculi cancrorum fluviatilium, sive lapilli, qui in capitibus cancrorum inveniuntur. Sinistrâ itaq; manu elevanda est palpebra, dextrâ verò circumspectè & blandè unus ex lapillis imponendus est; mox oculus claudendus, & quocunque modo fieri poterit, excitandus est somnus. Si verò æger in peregrinatione fuerit, oculum strophiolo obvelando colliget, sic enim lapillus non excidet oculo, nisi prius ipso expurgato. Idque absque dolore & incommodo fieri, affirmare ausus sum.

Margin notes: Obs. 11. Potio. — Apozema. — Pilulæ. — Aliud linimentū. — Pilulæ aliæ. — Electuarium. — Obs. 12. & 13. — Sternutatio visui adversissima.


Obs. 13.

De Chelidonio.

Impostores nonnulli idem de lapillis in ventre hirundinum repertis, prædicant, eosque ad cœlum usque extollunt, & auro cariùs vendunt. Hujusmodi lapillos in aliquib' non solùm absq; fructu, imò cum detrimento applicatos fuisse, observavi. Est præterea maximus dolus ac fucus in hisce lapillis, raroque veri & legitimi inveniuntur. Non ita pridem venit ad me impostor quidam, qui se ad aliquot millia invenire posse, gloriabatur, mihiq; plus, quàm centum, monstraverat, quos veros etiam & legitimos esse asseveraverat, an verò ex hirundinibus exempti fuerint, affirmare noluerat. Vide qualis contradictio. Diversi erant coloris, nonnulli rotundi, alij oblongi, sed politi omnes.

Alij granum unum seminis Ormini sativi oculis non sine fructu imponunt. Qãdoquidem semen hoc oculis & visui maximè prodesse, oculosq; à segmentis & pulvere expurgare, experientiâ comprobatum est.


Si verò segmẽtum ligneum aut simile quid membranis infixum est, ut mihi aliquoties videre contigit, tum aliter est procedendum. Inprimis igitur diligenter prospiciendum, ubinam inhæreat, deinde jubeat Chirurgus, ut caput ægroti firmiter teneatur. Ponamus igitur casum, quòd segmentum in inferiori parte Iridis inhæreat, tunc Chirurgus sequens instrumentum, auriscalpri instar factum, suprà segmentum satis firmiter, secundùm longitudinem adnatæ membranæ apponat, ita tamen, ut acies concavæ partis instrumenti hoc signo * notatæ, membranam versùs respiciat.



Deinde jubeat, ut æger sursùm respiciat, sic oculum fricando, segmentum sub instrumẽto extrahitur. Quòd si id prima vel secunda vice nõ successerit, non tamen ab opere desistendum est, imò tandiu reiterandum, donec extractum sit. Sin profundiùs membranis infixum fuerit, volsellis blandè extrahendum, posteà residentia albuminis ovi diù agitati, cum aqua rosac. & plantag. parùmque aluminis crudi, oculo instillanda, pulvillus quoque eadem aqua madefactus, applicandus, & cum fascia firmiter colligandus est oculus, tùm ut medicamenta contineantur, tùm etiam, ut oculus minùs moveatur. Dùm enim oculus apertus est, semper movetur, at motus maximè contrarius est laborantibus partibus, imprimis oculis.

Obs.

VOLSELLA.



Si verò superiori aut inferiori palpebræ inhæserit segmentum, stylo argenteo elevatâ palpebrâ, penicillus ex spongia nova, hujus magnitudinis fabricatus, & aqua rosac. madefactus, apponendus est segmento, & blandè circumducendus, donec spongia apprehendat segmentum, aut festucam, vel quicquid ejusmodi palpebris inhæserit. Id enim facilè fieri posse, non rarò expertus sum. Verùm enimverò nõnunquàm arena, pulveres & hujusmodi, tàm altè sub palpebris latitant, ut in conspectum non veniant, multò min' man' aut instrumẽtis extrahi queant. Hinc dolores magni, inflammatio, aliáq; symptomata non levia, quibus protinùs occurrendũ purgationibus, venæ sectione, cucurbitulis, & optimâ victus ratione, fronti verò dùm affluxus erit vehemens, applicandum est defensivum aliquod, oculoque sequens Collyrium instillandum.

Collyriũ.

R. Mucilag. sem. cydonior. cum aq. rosac. & plantag. extractæ Lactis muliebr. an. ℥ ij. Caphuræ & Croci an. ℈ ſ.

Misce, fiat collyrium, quòd tepidè applicandum, singulisque diebus iterandum, aliàs enim acescit lac, acriùsque efficitur collyrium, undè deindè quoque dolorem & inflammationem adauget. Vehementiâ affluxus sedatâ, magno cum fructu frequẽter sequenti fomento sum usus.


Cautio in collyriis ex lacte.

R. Sem. fœnograeci ℥ ſ.
Flor. chamomil.
Meliloti

Betonicæ

Betonicæ
Euphrasiæ
Rosar. rubr. ana M. ſ.

Incidantur & contundantur, indanturque ſacculo, ejus magnitudinis, ut hîc adumbratus,



qui filo interſutus, & aquâ coctus, oculo ter aut quater interdiu applicetur. Hoc modo quicquid præternaturale oculo inhæret, absq; periculo effluet. Tandem ſi opus eſt, applica ſequens collyrium exiccans viſumq; corroborans.

R. Aquar. plantag. Euphraſiæ &
Fœniculi ana ℥ j.
Tutiæ præparatæ &
Cornu cervi uſti, & præpar.
Ceruſæ lotæ ana ʒ Miſce.
Fiat collyrium.

(Collyrium exiccans, corroborans.)

OBSERVATIO XIV.

Ex abſciſione venæ ad majorem oculi canthum mors ſubitò ſequuta.

QUàm periculoſus ſit fervor atque ebullitio ſanguinis, tùm aliàs, tùm anno 1585. mēſe Martio, Metis in juvene robuſtiſſimo, & in arte gladiatoria benè verſato, obſervare licuit. Is cùm in ludo gladiatorio diu dimicãdo ſuprà modum incaluiſſet, vulnus ad majorem oculi dextri canthum accepit, ubi ramus venæ jugularis externæ ad frontem aſcendens, ſimul abſciſſus fuit. Qui licet exiguus ſit, tanta nihilominùs ſequuta eſt hæmorrhagia, ut vulneratus, paulò poſt noſtrum adventum expirarit.

OBSERVATIO XV.

Sanguinis per nares profluvium, quomodo ſiſtendum.

HÆmorrhagia narium ſi moderata, & per intervalla advenerit, ad tuendam ſanitatem conducit, & à dolore capitis, aliiſque morbis graviſſimis liberat, ideoq; non illicò ſiſtenda eſt. Sin verò immoderata fuerit, protinùs cohibenda, ne vires ſimul cum ſanguine diſſolvantur, parteſq; nobiles refrigerentur ac debilitentur. Inde enim ſequitur cachexia, Icteritia, hydrops, & hujuſmodi morbi curatu difficiles. Statim igitur turundæ ex carbaſo paratæ, albumine ovi imbutæ, ac pulvere noſtro ad ſanguinem ſiſtendum, conſperſæ, naribus immittantur. Lapis quoq; qui in capite carpionum reperitur, in pulverem redactus, & turundis inſperſus, à nonnullis commendatur. Muſcum tamen, qui craniis hominum, aëri expoſitis, adnaſcitur, in ſubtiliſſimum pollinem redactum, multò præſtantiorem eſſe, non rarò expertus ſum. Poſteà linteum replicatum, & poſcâ imbutum, aut defenſivum aliquod, fronti & naſo applicandum eſt. Si verò hiſce fluoris impetus non ſiſtatur, cucurbitulæ cum magna flamma, ſcapulis, cervici, natibus & coxis primo abſque, deindè verò cum ſcarificatione erunt applicandæ. Maximo quoque cum fructu muſculo anteriori cubitum flectenti, qui à nonnullis biceps appellatur, cucurbitulas cum flamma admovi. Brachia & crura fortiter liganda, ut ſanguis ad longinqua trahatur. Linteo quoque aceto, aquâ, & albuminibus ovorum madefacto, genitalia involvenda ſunt. (Obſ. 16.)

Iuveni cuidam Lauſannenſi, propter maximam hæmorrhagiam de vita periclitanti, non ſolùm genitalia linteis, aquâ, & aceto, madefactis, verùm etiam totum ferè corpus involvi. Brachia & crura arctè ligavi, pulveremq; noſtrum ad ſanguinem ſiſtendum naribus impoſui. Hinc ſanguinis fluor remiſit, & brevi convaluit. (Obſervatio.)

Eſt & vena poplitis aut malleoli dextri, ſi ex dextra nare ſanguis fluat, vel ſiniſtri, ſi ex ſiniſtra, revulſionis cauſa, incidenda, dummodo id abſq; uſu aquæ calidæ fieri poſſit: manus enim & crura, ſi in his partibus vena incidenda, neque aquâ calidâ ſunt fovenda, neque linteis calidis fricanda: horum enim uſu ſanguis incaleſcit, ſubtilior, acrior & fluidior efficitur. Nonnulli compreſſionem, quæ fit incurvatione vehementi digiti minimi, aut filo ſerico, eoque rubro, arctâ ligaturâ ſanguinem reprimi cenſent: Sed hoc remedij genus, niſi calida intemperies ſanguinis priùs tollatur, nullius momenti eſſe, ſæpius expertus ſum. Sequenti quoque potione feliciter utor: temperat enim fervorem ſanguinis, fluoremque ſiſtit. (Nota.)

(Potio ad ſanguinē ſiſtendum)

R. Aquar. fragorum &
Centumnodiæ ana ℥. j
Syrupi granator. aut
De acetoſitate citri ℥ j.
Succi berberis ℥ ſ.
Terræ ſigill.
Boli armeni veri & præpar. ana ʒ j
Miſce, fiat potio, quæ frigidè exhibeatur.

Vel

(Alia potio.)

R. Aq. plantag. &
Roſar. ana ℥ j. ſ.
Trochiſcor. de terra ſigill. ʒ j.
Syr. de roſis ſiccis &
De ſucco acetoſæ ana ℥ ſ. Miſce.
Fiat potio.

A vino, & ab eo, quod actu aut potentiâ calidum eſt, item à tuſſi, vociferatione, colloquiis, ambulationibus, & quavis motione corporis, æger abſtineat, & ut paucis abſolvam, totum corpus juxtà doctrinam Hippocratis, ut ſanguis inſpiſſetur, refrigerare convenit. Hac methodo multos feliciter ſanitati reſtitui. (Lib. 5. Aphor. 23.)

OBSERVATIO XVI.

De periculoſa hæmorrhagia narium in ſene, quomodo cohibita fuerit.

REverendus Dominus JOHANNES de L'OSEA, apud Muratenſes Gallicanæ Eccleſiæ, verbi

Obs. 16, & 17.

verbi divini minister fidelissimus, homo ad sexagesimum ætatis annum appropinquans, varicibus in cruribus laborabat, qui certis anni temporibus spontè erumpere, sanguinemq; profundere solebant. Quum verò anno 1605. diutius solito retenti fuissent, hæmorrhagiâ narium, eâque periculosâ, correptus est: viginti enim quatuor circiter horarum spacio, sanguis continuò ferè effluebat. Ego quartâ Aprilis advocatus, hominem penè mortuum inveni, sanguis per nares & os copiosè promanabat, & (quod mirandum) lachrymæ sanguinolentæ, simul exstillabant: pulsus ferè nullus, & syncope frequens. Protinus itaque crura sub genu, & brachia ad cubitum arctè ligavi: naribus turundas, albumine ovi madefactas, & pulvere nostro ad sanguinem sistendum aspersas, imposui. Fronti verò sequens defensivum applicui.

Defensivum.

R. Farinæ hordei ℥ iij.
Sanguinis draconis
Boli armeni
Terræ sigillatæ
Croci Martis
Corticum granator. ana ʒ j.
Succi prunor. sylvestr. inspissati &
Aceto dissoluti ℥ ſ.

Et cum albumine ovi, aceto, parumq; aquę aut omphacio, in mortario fiat defensivum, quod suprà linteum extensum, fronti & naso, frigidè applicetur, sæpiusque poscâ irroretur, ne exiccetur, & incalescat. Renes & hypochondria, oleo & unguento rosaceo, parùmque aceti rosacei simul mixtis, inunxi, scapulisque cucurbitulas siccas admovi. Sequentem quoque potiunculam exhibui.

Potio sanguinem sistens.

R. Aquæ plantag. &
Rosar. ana ℥ j. ſ.
Terræ sigillatæ ʒ j.
Succi granot. berber. ʒ ij.
Sacchari q. s. ad saporis suavitatem:
Confect. alkermes (propter virium lapsum) ʒ j. Misce, fiat potio, quam per intervalla iteravi.

His remediis adhibitis, fluor paulatim cessavit, per menses tamen aliquot valdè imbecillis fuit, quo tempore eum cibis euchymis, veluti jusculis carnium recentium, caponum, hordei decorticati, & similibus, nutriri jussi. Vinum decocto agrimoniæ, veronicæ, parùmq; cinamomi diluebat. Hepar linimentis corroborantibus, obstructionesq; impedientibus inunximus. Per intervalla quoque confectione Alkermes, dissoluta aquâ cinamomi absque vino destillatâ, utebatur. Sic Divino favore, ad hunc usque annum 1608. laus Deo, bona valetudine fruitur, nec ab eo tempore unquàm ampliùs ejusmodi fluxum passus est. Tandem 26. Februar. prædicti anni pleuresi correptus, piè, placideque in Christo obdormivit.

OBSERVATIO XVII.

Alia hæmorrhagiæ periculosæ, curatio.

ANno 1596. Juvenis quidam Lausannensis robustus ac plethoricus, cùm sub sole tempore dierum canicularium suprà modum incaluisset, posteaque sponsam suam, quam noviter duxerat, ardentiùs, quàm verò sibi pro conservanda bona valetudine conveniebat, amplexus fuisset, hæmorrhagiâ maximâ narium correptus est. Huic à Pharmacopolâ varia, cùm interna, tùm externa, sed sine successu, adhibita fuêre remedia. Ego vocatus, omnia, quæ profutura existimabam præsidia, præscripsi, & admovi, sed frustrà quoque. Quamobrem, cùm hominem propter ingentem ebullitionem ac fervorem sanguinis, in maximo versari periculo, probè cognovissem, extremo huicce affectui, extremum potiùs remedium (in quo tamen spes aliqua) adhibendum esse, quàm immaturam mortem expectare, adstantibus & amicis suasi. Labrum itaque frigidâ impleri jussi, in quod totum corpus imersi. Sic frigefacto ac inspissato sanguine, fluxus paulatim restrictus fuit. Posteà per dies aliquot sequens Julapium bis in die exhibui.

Iulapium.

R. Aquar. buglos.
& acetosæ an. ℥ ij.
Syr. de succo limon. ℥ j.
Misce, fiat Julapium.

Victus regimen tenue ac refrigerans observavit. Et sic brevi convaluit, adeò ut ad hunc usque annum 1609. bona valetudine fruatur.

OBSERVATIO XVIII.

Ex maxima hæmorrhagia, cachexia, tandemque mors sequuta.

ANno 1607. die 22. Novembr. Reverendus D. ISAIAS MONNINUS, verbi Divini minister in Mery ad Muratum, Vir pius, & sexagesimum circiter ætatis annum agens, maxima hæmorrhagiâ correptus fuit. Quum verò de pulvere meo ad sanguinē sistendum à D. de L'OSEA (qui illum, ut rem pretiosam penes se semper conservabat) petiisset, & sibi à barbitonsore cum nonnullis aliis medicamentis, veluti defensivo, & refrigerantibus, (uti paulò antè in curatione D. de L'OSEA à me viderant) applicandum curavisset, hæmorrhagia cohibita ac restricta fuit. Ego eadem die opportunè Soloduro, ex aula Illustris D. EVSTATII REFFUGII, Legati Regis Galliarum, Moratum veniens, accersitus fui, ipsumque propter sanguinis effluxi copiam, penè exanimatum offendi. Suasi, ut jusculis carnium recentium, caponum, gallinarum, lacte item amygdalarum dulcium, Ovis sorbilibus, & ejusmodi cibis multùm nutrientibus vesceretur, quin etiam ut medicamentis nonnullis viscera corroborantibus, uteretur. Consilio meo ad dies aliquot paruerunt, posteà verò cum in victus ratione æger deliquisset, neque medicamenta idonea adhibuisset, paulatim in cachexiam incidit. Tandem ascite correptus, sequenti año 1608. mense Februario, animam Deo placidè pieque reddidit.


Obs. 19.

OBSERVATIO XIX.

De Uvula in fungum Scirrhosum degenerata.

IUveni cuidam, Culiaci ad marginem lacus Lemanni, diuturnâ destillatione à capite ad gurgulionem laboranti, multa à variis tùm Medicis, tùm empiricis, adhibita fuêre medicamenta, sed frustrà. Tandem enim in eam magnitudinem excrevit, ut vix inspirare aut expirare posset. Anno 1598. Lausannam venit, tum unà cum Clarissimo viro Domino ALBERTO ROSCIO, apud Lausañenses Doctore Medico longè celeberrimo, in consilium adhibitus, gurgulionem tantæ magnitudinis deprehendimus, ut totum palatum adimpleret, anterioresque dentes fermè attingeret. Et quia tumor iste inveteratus, prædurus, lividus, inæqualis, & utcunq; dolorificus palato item adhærescens, venis quin etiam lividis & sanguine melancholico plenis, undiquaq; cinctus erat, curationem veram aggredi neutiquam ausi fuimus, quin potiùs Deo & naturæ, totum negotium relinquendum esse, quàm in morbo desperato, nobis nomen imperitorum medicorum cõparare, arbitrati sumus. Vt tamen precibus cùm ipsius, tùm aliorum suorum amicorum aliquo modo satisfaceremus, optimam victus rationem ei præscripsimus. Deinde corpus per dies aliquot à pravis & adustis humoribus evacuavimus. Quo facto, domum eum remisimus. Paulò post, cum empirico sese commisisset, è vita decessit.

Anno 1608. mense Februar. unà cum Doctissimis viris D. Mich. Doringio Medicinæ Doctore, & D. Emanuele Vrstisio, Artium liberal. Magistro, convictoribus meis longè suavissimis, Paterniaci virum pium ac doctum vidimus, cui ante aliquot annos uvula à catharro ex una parte exesa, ex altera verò in maximam longitudinem, sicuti sequens figura denotat, relaxata fuerat.



A. Pars illa est, quæ palato adhærescit.

B. Ex hac parte sinistrum latus versus à catharro exesa fuit, quæ tamen nunc undique cicatrice obducta est.

C. Inferior pars Uvulæ, in duplicem extuberantiam desinẽs, linguæ incumbit, præcipuè quando expirat. Quotiescunq; verò spiritum violenter attrahit, retrò gulam & asperam arteriam versus cedit, quapropter vocem aliquo modo obtusam, & minus claram reddit: ex deglutione item cibi & potus, incomodum ferè nullum, ipso referente, persentit.

Viro huic, quoniam amicitiâ mihi junctus, aliquoties consului, ut quicquid hujus Uvulæ superfluum, sibi amputandum permitteret, id tamen, quod hactenus recusavit. Qualis igitur tandem hujus exitus erit, tempus patefaciet. Videtur Aretæus lib. 1. de caus. & signis acutorum morbor. cap. 8. κρασπιδον. Ætius verò tetrab. 2. serm. 4. cap. 40. Lorum, affectum hunc appellare voluisse. Estque rarus, eodem Aetio teste.

Obs. 20. & 21.

OBSERVATIO XX.

De tumore Scirrhoso ad radicem Gurgulionis.

ANno 1608. die 14. Decemb. Nobilissimâ ac pia Matrona, Domina in Gumain, ex agro Lausannensi juvenem quendam ex subditis suis, nomine Claude Narbe, literis commendatitiis instructum ad me misit. Laborabat hic ad Uvulæ radicem ingenti tumore, foramina nariũ è palato in nares desinentia, adeò opplente, ut difficulter spirare, & verba distinctè proferre posset. Cibum, sed inprimis potum (id quod mirũ) non nisi cum difficultate deglutire potuit. Tumor ovi gallinacei magnitudinem adæquans durus erat, inæqualis, lividus, ac tenaciter cum uvulæ, tum palato adhærens. Quantum ad principium hujus mali, retulit, se ante annos tres, cum suprà modum incaluisset, hæmorrhagiâ narium correptum fuisse, multumq; sanguinis partim per os, partim etiam per nares rejecisse. Dehinc denuò per intervalla eâdem hæmorrhagiâ laborasse, ab anno tamen integro nihil amplius sanguinis, neque per os, neque nares excrevisse.

Rogavit itaque vehementer, ut manum huic affectui adhiberem. Sed mente mihi obversabatur casus ille, cujus in præcedenti observat. memini. Et quamvis hic affectus ad illam malignitatem nondum pervenerat, manum tamen admovere, recusavi, ipsumq; domum remisi. Ab eo tempore (uti Nobilissimus D. de Gumains mihi retulit) vixit adhuc ad annum usque 1609. quo in diebus canicularibus rursus maximâ hæmorrhagiâ correptus, obijt.

OBSERVATIO XXI.

DE *Uvulæ relaxatæ curatione.* AD

Clarissimum atque Doctissimum virum, D. DOCTOREM MICHAELEM DORINGIUM, *in illustri Academia Giessena Hassor. Medicinæ Professorem longè celeberrimum, Amicum singularem.*

Cui

Guil. Fabricius Hildanus, S. P. D.

SAlvum & incolumem te Francofurtum pervenisse, Clarissime atque amantissime Dominè D. DORINGI, maximo gaudio intelleximus. Faxit DEUS OPT. MAX. ut finem peregrinationis tuæ, feliciter te absolvisse, intelligere possimus. Post tuum à nobis abitum, iterùm ad Illustrem ac Generosum Dominum Legatum Regium, unà cum Clarissimo D. Doct. LENTULO vocatus, curationem feliciter, & quidem ante duos menses, absolvimus. Antè octiduum ad Acidulas Griesbachenses profectus est: Propter urinas enim turbulentas & purulentas suas, quas jam à decem aut duodecim annis excernit, quasq; tu ipsemet sæpissimè, dum mecum ipsi adesses, vidisti (quæ procul dubio affectum aliquem in renibus subesse, significant) ipsi usum Acidularum consuluimus. Processus curationis & operationis ingeniosus fuit, quem libenter tibi communicassem;

Obs. 21. cassem; sed expecto, donec videro, an Dominus Doctor LENTULUS aliquid hac de re scripturus sit: nisi id fecerit, tentabo casum illum pro ingenij mei tenuitate scriptis mandare, & tertiæ centuriæ inserere: secunda enim, jam dudum, uti vidisti, completa est. Ozænicus noster, laus DEO, optimè convaluit. Post tui discessum officula quamplurima è palato eximere coacti fuimus. De Sanicula fœmina, & Spiritu Cornu cervi ad Clarissimum D. Doctorem PENOTUM (qui ante mensem sedes suas Genevæ fixit) scripsi, quem D. Magister EMAN. URSTISIUS quidem ipsemet adivit, sed quid responderit, ex incluso Apographo suarum literarum, videre poteris.

Cæterùm, quia te Chirurgicarum operationum & curationum avidissimum esse sciam, non invitè tibi modum meum procedendi in relaxatione Uvulæ communicare, & instrumenta, ad hanc operationem & curationem necessaria, simul mittere placuit.

Ex duabus autem proximè præcedentibus Observationibus, relaxatas columellas incurabiles, & minimè attingendas, satis superque cognoscere potes. Nunc quomodo ego non rarò maximas quidem & ingentes relaxatas columellas sanaverim, paucis addam. Relaxatur autem, ut HIPPOCRAT. docet lib. 2. de morbis, quotiescunque pituita à capite ad fauces defluens, à columella excipitur. Id quod facilè fieri potest, cùm sit pars admodùm rara, mollis, & spongiosa. Estque affectus hic periculosus: aliquando enim columella cum tonsillis adeò inflammatur, ut æger neque cibum, neque potum deglutire, imò vix spirare possit. Horum ego nonnullos vidi, ac etiam feliciter curavi. Transit & interdùm in Gangrænam, ut ex præallegato loco Hippocratis elicere licet. Quod & FORESTUS libr. 15. Observat. 5. annotavit, mihi tamen videre, nondùm contigit. Potest & in Anginam terminari, ut tu ipsemet mecum hîc in D. JOHANNE MERULA, sene omnimodò reverendo vidisti, & procul dubio annotasti. Is enim cùm inflammatione columellæ laboraret, me absente, Empirico & homini planè ignaro se curandum commisit. Hic per dies aliquot pulverem calidissimum atque adurentem faucibus inflavit, unde mox inflammatione, & anginâ sequutâ, de vita periclitabatur. Curationem non addo, cùm tu ipsemet interfueris. Itaque, ut Chirurgus in hoc affectu, cautè ac præmeditatè procedat, est necesse. Inprimis autem explorandum, an affectus sanabilis sit, nec ne, ægro temerè quicquam polliceatur. Deinde etiam, an sit cum, vel citra inflammationem: si enim scirrhosa fuerit columella, & cancro proxima, quemadmodum ille, quarum in præcedentibus Observ. meminimus, prudentis erit Chirurgi, manum non admovere; aut si ægri, amicorum aut adstantium precibus obtemperare cogatur, nihil quicquam tamen, nisi de eventu morbi priùs factâ prognosticatione, tentet, ne nomen imperiti Chirurgi sibi acquirat, suadeo. Porrò ex quacunque ortum duxerit causa, statim ab initio victus ratio tenuis instituenda est, corpus clysterib. acrioribus, sæpiusque iteratis, Aretæo præcipiente, evacuandum, & materia, quæ ad fauces defluit, deorsum trahenda, Ligaturis item extremitatum, sectione venæ in brachio, cucurbitulisque scapulis adhibitis, defluxus aliorsùm revellendus est. Gargarisma ab initio sit repellens, quale hoc, quo ego uti soleo.

Causa relaxationis Uvulæ

Curatio.

De curatione acu-

Obs. ... tor. ... bor. ... cap. 8

Gargarisma.

R. Folior. plantag.
Mespilorum
Caudæ equinæ
Rosar. rubr. an. M. j.
Folior. scabiosæ M. ʃ.

Gallarum ℥. ʃ. Coquantur in aqua ad consumptionem tertiæ partis. In ℔ ij. colaturæ dissolve mellis rosati, aut diamori ℥ ij. aceti rosac. parum. Misce, & fiat gargarisma. Loco decocti possunt sumi aquæ destillatæ cum melle ros. & diamoron. Aliquando & solâ poscâ feliciter usus sum. Nonnulli statim ab initio pulvere piperis longi gulæ inflato, Uvulæ relaxatæ auxiliari conantur, quod quidem periculo non vacare, tu ipsemet in Reverendo Dom. Merula observare potuisti. Collum quoque oleo rosac. inungere solitus sum. Et si affluxus vehemens, sequens applico Cataplasma.

Cataplasma.

R. Farinæ hordei ℥ ij.
Pulv. rosar.
Myrtillor.
Nucum cupressi ana ʒ ij.

Coquantur poscâ, fiatque Cataplasma, addendo sub finem olei rosac. parum, & vitellum cum albumine ovi.

Os singulis fermè momentis, superiori gargarismate abluendum. Si dolor ingens adsit, gargarismati addo parum seminis fœnograeci, cydoniorum, & florum chamomillæ. Nunnunquam quoque, ut loco Gargarismatis lac recens sumat æger, jubeo, videndum tamen, ut quum semel os lacte, deinceps quinquies, aut sexies gargarismate abluat: Lac enim, magis lenit dolores, quàm verò affluxum repellat, quod tamen in hoc affectu circà initia præcipuum. Cæterum quotiescunq; æger aliquâ de causa per se fauces non satis rectè abluere & gargarizare potest, soleo gargarisma, ut lac ægro, syphone clementer In gulam injicere. Corpus prætereà à pravis humoribus expurgandum: Si bilis abundat, conveniunt electuarium Diacatholic. de succo rosar. Lenitivum, Syrup. rosac. solut. compos. cum Rhabarbaro, Agarico & Senn, Diaphœnicum. Si v. Pituita, Pilulæ cochiæ, Aureæ, & de Hiera cum Agarico, ex usu esse possunt. Si æger pilulas deglutire non possit, potio ex electuario Indo majori aut minori, vel ex diacarthamo cum decocto betonicæ, scabiosæ, semine anisi & fœniculi dissoluto, ei exhibenda est. Phlebotomiam (si nihil adsit, quod impediat) in brachio, tum revulsionis gratiâ, tum quod humores omnes simul evacuet, tàm in defluxione frigidâ, (si vehemens & suffocationis periculum fuerit) quàm calidâ, administrare soleo. Cucurbitulas item scapulis, & musculis bicipitibus, cum fructu applico. Hippocrates lib. de affectionibus vult, ut capiti raso in postica parte applicentur, indeque plurimum detrahatur sanguinis. Id tamen extrà Laconicum, ut fiat, suadeo. Fabianus Scheurerus lib. de Catharris, capite de Catharro oculorum, cucur-

De Venæ sectione.

De Cucurbitulis.

Obs. 21. cucurbitulas in Podagricis improba, ne materia ad spinam, indeque ad articulos trahatur. Rectè quidem, sed quia Podagrici sæpissimè hoc affectu corripiantur, morbus item sit gravissimus, suffocationis quinetiam periculum nonnunquam adsit, ad id, quod magis urget, Chirurgo præcipuè respiciẽdum est. Interim etsi aliquid ad articulos defluxerit, minus tamen periculosum erit, quàm si ad gulam, & facilè postea corrigi poterit. Affluxus autem impetu sedato, ad ea, quæ magis discutiunt, transeundum. Vndè sequenti gargarismate magno cum successu utor.

Gargarisma.

R. Folior. & flor. betonicæ
Salviæ
Scabiosæ ana M. ſ.
Rosarum M. j.
Summitat. rosmarini
& Florum chamomel.
ana p. j.

Coquantur in ℔. iij. aquæ ad consumptionem tertiæ partis. Colaturæ adde mellis rosac. ℥iij. aluminis ʒij. Misce, fiat Gargarisma. Nonnunquàm etiam prædicta simplicia vino rubro incoquo. Exterius collum oleo chamomillæ aut oleo ex floribus Slotani inungo, & lanam succidam applico.

Aliquando quoque Columella propter continuum affluxum materiæ, intumescit adeò, atque relaxatur, ut non minimùm negotij, tàm ægro, quàm Chirurgo, facessat, sicuti mihi tum in multis aliis, tùm præcipuè, in viro quodam honesto, ac cive Paterniacensi videre contigit.

Observatio.

Huic Uvula ad magnitudinem ferè nucis juglandis excreverat. Quare impetu affluxus sedato, corporèque semel atque iterum purgato, applicatis item cucurbitulis, sequentem pulverem, bis aut ter in die inflavi.

Pulvis.

R. pulver. rosar. rubr.
balaustiorum,
cortic. granator. an. ʒ. ſ.
fol. & flor. scabiosæ &
ligustri an. ʒij.
alumnis usti ʒ j. ſ.
Misce, & fiat pulvis.


Aut

Alius.

R. radicum bistortæ
Iridis Florent.
tormentillæ
gallar. eminatur. an. ʒij.
rosar. rubr. &
flor. scabiosæ an. ʒj.
lapidis calam. præparati ʒ j. ſ.
aluminis usti ʒij. Misce, &
fiat pulvis subtilissimus.


Modus autem ejusmodi pulveres inflandi, talis est. Linguâ speculo oris depressâ, mox spatulâ aut cochleari parvo, & ad id apto, pulvis uvulæ admoveatur. Ut autem pulvis undique uvulæ aspergi atque inflari possit, sequens excogitavi instrumentũ, quo multoties usus sum.

Obs. 21.




Est autem cochleare ex cupro, ejus magnitudinis, ut hìc depictum, conspicitur, cujus manubrium fistulosum, octo pollices longum, & inferiori cochlearis parti annexum, ut ex figura apparet. Ex altera parte folliculum (ex corio, eo modo, quo auceps fistulis suis ad fallendas coturnices, alligare solet, factum) annexum habet, Cochleari itaque pulvere impleto, uvulæque admoto follis corrugandus est, quò aër pulverem in altum pellat, sicque uvula ac palatum eo undique aspergantur. Sed quia necesse est, ut minister speculo linguam deprimat, interim dùm Chirurgus hoc instrumento pulverem admovet, ac proindè sic unus alterum impedit, hanc ob causam, aliud instrumentum longè ad hanc rem commodius effinxi, quo Chirurgus interim, dùm sinistrâ speculo oris linguam deprimit, dextrâ pulverem admoveat.

Obs. 21.



Superior pars follis cui annexum est plectrum sive Elevatorium A notatum.



Follis hic similiter alligatum habet cochleare cupreum cum sua fistula, longitudine pollices octo continens. Follis verò longitudo quinque, uti latitudo trium pollicum existit. Ut autem follis depressus per se in altum relevaretur, atque unica manu inflatio fieri posset, in interiori parte sua instrumentum veluti plectrum sive elevatorium ex chalybe fabricatum, continet, beneficio cujus, superior pars follis in altum relevatur, idque in altera figura A notavimus. Nonnunquàm adeò contumacem uvulæ inflammationem, aut relaxationem vidi, ut ultrà mensem ejusmodi pulverem quotidie inflare, necessum fuerit. Hæc ideò moneo, ut de salute ægri semper benè speres, etiamsi ab initio res per se difficilis appareat.


Quòd si levioribus hisce remediis morbus non cedit, ad fortiora progrediendum est. Nonnulli aquam fortem per se, aut aquâ Plantaginis vel rosarum, dilutam, aliàque medicamenta caustica admovent: prudenter tamen & cautè hac in re agendum est, ne malum ingravescat. Quotiescunque enim malignitas aliqua adest, facilimè malum ab hujusmodi medicamentis acriorib. irritatur: si quis tamen ijs uti voluerit, ea, quæ à Paulo Æginetha lib. 6. cap. 31. hac de re traduntur, observet.

Sæpenumero quoquè uvulam forficib. abscindere, aut filo ligare, vel cauterio inurere, coacti sumus. Videat tamen Chirurgus ante omnia, ne aliqua subsit malignitas, vel dispositio ad Cancrum, quod facilè cùm ex duobus proximè præcedentidus Observationibus, tùm ex Paulo Æginetha loco præallegato, elicere licet, ubi monet, contractas, rotundas, sanguinolentas & subnigras, Chirurgiâ aggrediendas minimè esse. Quæ verò contrario modo se habent, nimirum quæ, ut idem Paulus docet, tenues sunt, oblongæ, & in suprema parte imminutæ, neque nigræ aut sanguinoleneæ sed subalbicantes, Chirurgiam admittere. Tantum autem de uvula, quantum naturalem excedit modum, auferendum convenit; est enim veluti plectrum vocis, & qui eâ carent, rarò distinctè ac clarè, vocem, loquelamque proferre possunt. Rarò inquam, quandoquidem mihi unum aut alterum videre contigit, quibus licet uvula erosa fuerit, adeò tamen distinctè & articulatè proferebant sermonem, ac si instrumenta omnia integra ac illæsa adfuissent. Alter eorum Ozænicus fuerat noster, cui per annum integrum, antequam ozænâ laboraret, uvula planè erosa conspiciebatur, ut suo loco dicemus. Sed hæc rara sunt atque infrequentia.

Porrò abscissio hoc modo perficitur. Cuspidem uvulę rostro ciconiæ Chirurgus apprehendat, deindè quod superfluum forficibus abscindat, parumque sanguinis effluere permittat. Si autem plus æquo effluxerit, pulvis noster ad sanguinem sistendum cochleari parvo, applicandus est. Posteà gargarismis ejusmodi, quales anteà præscripsimus, utendum. Quòd si æger incisionem abhorreat, aut sanguinis profluvium vereatur, tùm sequenti instrumento, à nobis primò invento, uvulam absque omni difficultate atque periculo ligare, & abscindere soleo.


Est autem stylus, fistularis, longus pollices octo, mihi ex ære fabricatus, cui ex una parte annulus, ejus magnitudinis, ut ex figura apparet, adaptatus est. Is verò ex inferiore sui parte tantùm excavatus, quantum ad recipiendum filum opus. Posteà seminodus, ut sequens ostendit figura, faciendus.

Obs. 21.



Fili deinde una pars G. notata, per fistulam, ubi litera B. signata, traducenda. Altera verò pars H. insignita per foramen, C. notatum, quod in superiore parte annuli est, similiter traducenda. Tum deorsum per angustissimum foramen quod in externa parte annuli existit, D. notatum, traducto filo, parti inferiori E. notatæ, alligare oportet. Sit autem externa pars annuli, à C. usque ad D. similiter nonnihil excavata, quò filum, ne hinc inde vacillet, continere possit. Quo facto, minister speculo oris, linguam deprimat, Chirurgus verò partem Uvulæ abscindendam, annulo apprehendat, dextraq; filum, F. notatum, vehementer attrahat, ac Uvulam stringat. Sic enim nodus efficietur, ut sequens figura, in qua A. Uvulam denotat, ostendit. Facto nodo ad Uvulam, filum, ubi E. notatum, abscindatur: & extracto instrumento, ut extrà dentes propendeat, relinquatur, si enim in ipsa constrictione uvulam non absciderit, eàdem tamen, aut sequenti nocte id præstabit.


Obs. 21.



Sin verò immodicus sanguinis fluxus supervenerit, Cauterium actuale admovendum est, hunc in modum. Habeat Chirurgus duos ministros, quorum unus caput firmiter teneat, & ægroto oculos velet: alter linguam oris speculo deprimat.

Chirurgus verò fistulam æneam, octo pollices longam, linteoq; madido, undique excepto foramine A. notato involutam, sinistrâ suâ teneat, eamq; ori intromittat, ac uvulam fistulæ foramine A. notato, excipiat. Posteà stylo ferreo ignito fistulæ intromisso, uvulam cauterizet, vicinis tamen partibus illæsis. Tandem gargarismis idoneis, melleque rosaceo curatio absolvenda est.

Obs.21.




Putrefactio aliqua si adfuerit, efficacissimũ quoquè erit cauterium. Sed quia ægri vehementer ab eo abhorrent, & totam culpam, si res ad votum non succedat, Chirurgo adscribant, ideò priùs medicamenta hæc, quæ sequuntur, experiri soleo, quibus magno cum successu utor. Institutâ igitur optimâ victus ratione, purgato corpore reliquisq; adhibitis universalib⁹, ut anteà monui, sequẽti gargarismate os continuò abluere jubeo.

Gargarisma.

R. Hordei integri M. j.
Radicum plantag. ℥ j.
Folior. scabiosæ geranij, scordij, an. M. ſ.
Rosarum, & foliorum plantag. an. M. j.

Coquantur in ℔ iiij. aquæ ad hordei crepaturam, tum admisce mellis rosacei, & diamori ana. ℥ ij. Misce, fiat gargarisma. Ter quoque aut quater in die unguento nostro Ægyptiaco, (cujus descriptionem pete ex tractatu de gangræna) affectam partem penicillo inungo, idque eò usque continuo, donec putredo, ac morbi sævitia remiserit, tú ea, quæ superiùs in relaxatione ùvulæ tradidi, adhibeo, iisque curationem absolvo.

Obs.21.



Hæc sunt, Clarissime atque amantissime D. Doctor DORINGI, quæ hâc vice communicare libuit: aliàs DEO dante, plura, tu omnia boni ut consulas, rogo. Vale, & me tuum cense. Domestici mei, simul & Clarissimus Dom. Doctor LENTULUS, te plurimum salutant. Ex Musæolo meo 6. Augusti 1608.

OBSERVATIO XXII.

De Ozæna gravissima cum ossis palati erosione.

Ad

Ornatissimum atque Doctissimum Virum D. EMMANUELEM URSTISIUM, *Artium liberalium Magistrum,*

cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus. S. P. D.

CUm historiam hanc de Ozænâ gravissimâ, Doctissime atque amantissime D. URSTISI, scriptis

Obs. 22.

scriptis mandare constituissem, tibi illam inscribere visum fuit, & quidem geminam ob causam. Primò, etsi successum curationis affectus hujus ex parte vidisti, sanationis quin etiam nunc testis ocularis es: quia tamen aliquoties abfuisti, integrum processum tibi (harum curationum avidissimo) communicare volui; deinde ut mutuæ amicitiæ ac familiaritatis quoque testimonium aliquod in hac Centuria extaret. Rem itaque ordine declarabo.

Historia.

LAURENTIUS TOVPPINUS, civis Staffiacésis, Vir. 30. circiter annorū ætatis, Catharris aliàs à teneris (prout parentes ejus sæpius mihi retulerunt) satis obnoxius, cùm anno 1605. defluxione acri ad fauces correptus fuisset, inflammatio indè circà radicem uvulæ cum maximis doloribus, ac tandem etiam exulceratione, exorta fuit.

Profectus Fryburgum, à Chirurgo quodam non imperito curatus est. Sequenti verò anno qui fuit septimus supra millesimum sexcentesimum, quum in vitæ regimine deliquisset, & internorum medicamentorum usum neglexisset, Catharrus denuò ad fauces, sed inprimis ad nares, decumbere cœpit. Quia tamen dolores nulli adessent, affectum floccipendit, nec priùs in consilium me adhibuit, quàm frustula nonnulla cartilaginum ex naribus ejus jam excidissent. Tandem circà principium mensis Maij, Anno 1607. me conveniens, cum affectum ejus inspicerem, animadverti, ipsum uvulâ destitutum fuisse, (sicuti quoque tibi ipsimet tùm observare licuit) fuerat enim illa jam anteà erosa, postmodùm tamen iterùm cicatrice obducta: sermoné nihilominùs (quod mirùm) adeò articulatè proferebat, ac si nullus defectus adfuisset. Continuò autem à capite ad nares humor quidam acris & mordax, qui os palati, interstitiumque nasi erosit, destillabat.

Nasus undique tumefactus erat, absque tamen doloribus, usque adeò vehementibus.

Curatio.

Vt igitur affluxum humorum ad alias partes diverterem, optimâ victus ratione institutâ, sequentem ipsi potiunculam exhibui.

Potio.

R. Herbar. betonicæ
agrimoniæ, veronicæ
cuscutæ an, M. ß.
sem. anisi & foliorum
senæ an. ʒ ij.

Coquātur in aqua, ut colatura redeat ad ℥ iiij. in quibus dissolve pulveris laxativi nostri ʒ j.
syr. rosar. solut. compos. cum
agaric. rhabarb. & sena ℥ j. Misce, & fiat potiuncula.

Venæ sectio & cucurbitularum applicatio.

Postridiè venam in dextro brachio incidi: deindè per intervalla scapulis cucurbitulas, nunc ut vocant, siccas, nunc verò cum scarificatione, applicui, naribusque sequens medicamentum tùm siphone injeci, tùm filamentis in eodem imbutis imposui.

Injectio in nares.

R. Sem. cydonior. contus. ʒ j.
aqu. plantag. rosar. &
ranar. aquatil. an. ℥ ij.

Maneant in infusione per horas aliquot, & quidem in loco calido. Expressioni mucilaginosæ adde mellis rosac. ℥ j.

pulver. corallor.
cornu cervi usti
lapid. calaminar.
tutiæ omnium præparatorum
nihili an. ʒ j. Misce,

Setaceum

Die septima ejusdem mensis Maij, pro majori diversione catarrhi, Setaceum ad tertiam colli vertebram adhibui. Naso extrinsecus ad humores repellendos, partemque affectam corroborandam, de sequenti applicui decocto.

Decoctum repellens & corroborans.

R. Folior. & florum betonicæ
Rosmarini
Rosarum rubr.
Equiseti,
Plantag.
Summitat rubi
Folior. salicis an. M. j.

Coquantur in vino rubro ad consumptionem tertiæ partis, Colaturæ addatur modicum aceti. In hoc decocto linteamina aliquoties reduplicata, & madefacta, applicentur, eaque sæpius reiterentur.

Ab usu decocti hujus, tumor nasi extrinsecùs paulatim subsidit.

Ulceri verò palati sequens linimentum imposui.


Linimentū pro ulcere palati.

R. Radicum angelicæ
Aristoloch. rotund.
Iridis Florent.
cariophyllatæ
Ligni guajaci an. ℥ ß.
Cinamomi ʒ ij. Misce, fiat pulvis subtilissimus, cujus parùm in vase vitreo misceatur cum melle rosaceo, & ulceri palati cum penicillo indatur.

Postera die à setacei applicatione, ei dosin pilularum mearum capitalium exhibui. Ea die ossiculum per os excrevit.

Die verò decima prædicti Mensis, aliud ossiculum magnum corrosum & fœtidum, per nares emunxit. Dehinc ulcus in palato indies auctum, interstitium quin etiam nasi penitus erosum, ex quo in naso tanta cavitas relicta fuit, ut aliquando tredecim, imò usque ad quindecim turundas, hujus figuræ ac magnitudinis hîc adumbratas, unam post alteram, sequenti unguento illitas, indere opus esset.

Figura & magnitudo turundarum.



Vnguentum.

R. Succi geranij
Succi solatri
Sempervivi, ana partes æquales.
Lithargyrij auri
Plumbi usti
Lapidis calaminaris
Cerussæ an. ʒ ij.

Indantur in mortarium, quibus primò cochleare plenum olei rosac. affunde, & postquàm aliquantum pistillo agitaveris, omniaque probè commiscueris, cochleare plenum ex suprascriptis succis admisce, quibus itidem probè agitatis &

Obs. 22.

commixtis, mox iterùm affunde olei parùm & agita. Idque tàm diu alternatim & continuò agitando facito, donec ad ℥ iiij. olei rosac. & tantundem præscriptorum succorum impenderis. Sic habebis unguentum pretiosum in ejusmodi ulceribus, quæ aliquid malignitatis sapiunt. Interstitium nasi ab apice ejus, usque ad superius labium, propter maximam, quæ hinc inde serpebat, putredinem, paulatim corrodebatur, & quidem non absque maximo dolore, adeò, ut labium superius exulceratum, cotone, aut filamentis suavibus vix abstergere liceret.

Postquàm verò per dies aliquot parvis istis & dolorosis ulcusculis pulverem præcipitatum rectificatum inspersissem, dolor cessavit, malignitasque aliquantum remisit. Sed & loco mellis rosac. præscriptos pulveres radicum angelicæ, aristoloch. rotundæ, &c. syrupo sequenti permiscui.

Syrupus.

R. Succi geranij ℔ j.
Radic. scrophular. majoris ℥ ij.
Folior. & flor. betonicæ
Agrimoniæ
Veronicæ
Scabiosæ
Fumariæ
Pyrolæ
Saniculæ
Alchimillæ ana M. ij.

Coquantur herbæ & radices in aqua ad consumptionem tertiæ partis, colaturæ per prælum expressæ, adde succum supra scriptum mellis optimi,
Sacchari ana ℔ j.
Fiat secundùm artem syrupus.

Vsus seri lactis ad acrimoniam humor temperādam.

Ad temperandam quoque malignitatem atque acrimoniam humoris affluentis, usum seri lactis præscripsi, quo uti cœpit ultima Maij, cōtinuando usque ad 16. Iulii, singulis matutinis tribus horis ante prandium bibendo haustum unum, saccharo dulcoratum.

Cæterùm etsi ab usu horum remediorum malignitas aliquo modo cohibita esse videbatur, quia tamen res adhuc in ancipiti erat, ne si curatio minùs ex voto succederet, sicque culpa in me transferretur, suasi, ut Medicum aliquem peritum atque doctum accerserent. Vnde die 11. Iulij, vocatus Clarissimus atque Doctissimus D. SEBASTIANVS MEYERVS, Reipub. Fryburgens. Doctor Medicus ordinarius, cum Paterniacum venisset, & circumstantias omnes, morbique essentiam mecum, ea qua potuit diligentiâ inquisivisset, causam mali in catharrum acrem ac erodentem, ex intemperie quâdam cerebri procreatum, referebat. Deliberatum itaque inter nos fuit, ut æger (quamvis summoperè à pharmacis abhorreret) denuò probè expurgaretur, & postmodùm decocto ligni Guaiaci per mensem, vel septimanas sex, uteretur. Rursus itaque ʒj. pulveris nostri laxativi cum ℥j. syr. rosati solut. compos. ei exhibui. Deinde quoque per dies quatuor de sequenti Apozemate, ut uteretur, jussi.

Potio purgans.

Apozema

R. radic. cichorij
fœniculi
petroselini
graminis an. ℥j.
polypod. querc. ℥ij.
herbar. & flor. betonicæ,
primulæ veris
scabiosæ
ceterach
polytrici
cuscutæ
veronicæ
agrimoniæ an. M j.
sem. fœniculi
anisi an. ʒij.
liquiritiæ rasæ &
uvarum passular. an. ℥j.

Coquantur in aqua ad consumptionem tertiæ partis, utque colatura redeat ad ℔ ij. De qua melle despumato aliquantùm dulcorata, & aqua cinamomi aromatizata, tempore matutino exhibeatur ad ℥vj. In postrema dosi infunde

Alia potio purgā.

folior. senæ ʒiij.
rhabarbari ʒj.
agarici ʒj ſ. Expressioni deinde addidi syrupi rosar. solut. compos. cum rhabarb. agar. & sena ℥j.

Hoc modo corpore expurgato, sequenti decocto sudorifero uti cœpit,

Decoctum primum Guajaci.

R. ligni guajaci ℥vj.
corticum ejusdem ℥ij.
aquæ claræ ℔. viij. Macerentur in loco calido per horas 24. Posteà lento igne coquantur ad consumptionem medietatis, colentur, & in ampulla vitrea usui reserventur.

Decoctum secūdum.

Residentiæ ejusdem ligni denuò affunde aquæ ℔. viij. Bulliant, ut suprà, ad consumptionem tertiæ partis. Quo decocto secundo utatur pro potu ordinario.

Decoctum primum semel tantummodò in die, tempore videlicet matutino ei exhibui, & ut sudaret, imperavi. Interim rationem victus convenientem præscripsi. Vsus est dectocto isto septem aut octo saltem diebus, adeò enim sibi adversabatur, viresque ejus prostrabat, ut diutiùs uti non ausus esset. Decocto tamen secundo per septimanas aliquot inter pastum utebatur.

Et quia interstitium nasi omninò, os verò palati ex parte tantùm erosum erat, totam nasi cavitatem turundis, præscripto unguento è succis illitis, ut suprà monui, implevi, quò sic unguentum non solùm undique adhæreret, verùm etiam nasus, quantum fieri posset, erectus reservaretur. Vlceri verò palati turundas, syrupo præscripto ex radicib. scrophulariæ, betonicæ &c. cum pulvere radicum angelicæ, aristoloch. rotund. &c. illitas, imposui. Hæcque omnia bis in die reiteravi. Extractis turundis, antequàm recentes imponerem, totam cavitatem nasi sequenti medicamento, siphone injecto, penicillis item in eo inebriatis, adhibui.

Injectio in nares.

R. succi plantag.
geranij
aquæ ranar. an ℥j. ſ.
syrupi præscripti ℥ i, Misce.

His adhibitis remediis, malignitas cessavit, ulcera item in cavitate nasi indies cicatrice obducebantur. Verùm vigesimâ primâ Iulii, patre

ipsius

ipsius morbo gravissimo correpto, à me sumptis secum medicamentis, ad suos discedere, & post mortem parentis res domesticas curare, coactus fuit. Interim superveniente æstu dierum canicularium, quia sanguis ita incaluit, ut acrior malígniorque factus sit, deinde etiam quia medicamenta, quæ secum sumpserat, minùs decenter applicata fuerant, malum recrudescere cœpit. Quapropter denuò consilio meo opus ipsi fuit. Tum de novo putredinem ac malignitatem exortam esse, animadverti: fætor enim magnus aderat, apexque nasi ad pinnas usque lividus conspiciebatur. Vndè curationem rursus sic institui.

Corpore prius probè expurgato, venam incidi, cucurbitulas item (etiamsi setacei beneficio continuò multi supervacui humores effluerent) ad maiorem diversionem applicui. Vlcera, in die bis undique in cavitate nasi, & circa palatum diligenter medicamento præscripto, ex succo plantag. geranij, & aqua ranar. &c. ablui, turundas, unguento de succis illitas, quemadmodum superiùs monui, imposui. Et quia putredo illa, quæ apicem nasi occupabat, vicinas partes quoque invadebat, non tantùm apici nasi, verùm & ulceri circa palatum nonnihil unguenti nostri Ægyptiaci, imponere coactus fui. Sic favore divino, putredo & malignitas paulatim remisit, curatio tamen ad mensem usque Decembr. protracta fuit, propter copiam ossiculorum cariosorum, quæ hinc indè tàm ex cavitate nasi, quàm palato, excidebant. Quorum ossiculorum ego usque ad triginta quatuor reservo. Exciderunt & nonnulli ex dentibus anterioribus cum suis alveolis, adeò ut maximum foramen ex ore in ipsam cavitatem nasi penetrans, relictum sit, per quod ne aër dispergeretur, sicq; vox & loquela impediretur, instrumentum quoddam ex argento, cui spongiola adnexa, fabricandum curavi. Quod instrumentum adeò commodè foramini prædicto palati indi potest, ut sermonem ità articulatè proferat, ac si nullus omninò defectus subesset: cùm è contrà instrumento cum sua spongiola extracto, vix verbum unum aut alterum distinctè ac articulatè proferre posset.

Figura prædicti Instrumenti.



Inciderunt & nonnullæ aliæ circà hunc affectum difficultates, quæ curationem hanc & longam, & laboriosam effecêre, quas, quia tibi non ignotas esse sciam, brevitatis causa hîc omitto.

Nunc tamen, laus DEO, æger ita convaluit, ut ad hunc usque annum 1609. optimè valeat, & rem familiarem probè ipsemet administrare possit. Apex tamen nasi, quia corrosus fuerat, simus factus est.

Testes Curationis affectus hujus.

Curationi hujus affectus unà tecum interfuere Clarissimi atq; Doctissimi viri, D. MICHAEL DORINGIUS, Philosophiæ ac medicinæ Doctor, convictor meus suavissimus, Dominus item MELCHIOR SCHONVVALDERVS Medicinæ Candidatus, qui Paterniacum transiens, affectum hunc in suo vigore vidit.

Hisce vale, amantissime Domine Vrstisi, & Amplissimam Facultatem Medicam Basiliensem meo nomine plurimùm salutare non gravaberis. Ex Musæo meo 13. Januarij 1609.

OBSERVATIO XXIII.

Ex suffitu Ozena gravissima, aliaque symptomata.

Idem ad eundem

Virum præstantissimum Dominum EMANUELEM URSTISIUM.

QUàm periculosa sint suffumigia ex cinabrio Doctissime atq; amantissime D. Urstisi, aliàs coram ex me intellexisti. Etiamsi enim in lue venerea inveterata à viris doctis adhibeantur, neque ea omninò improbem, ita tamen semper mihi suspecta fuere, ut ea hactenus non adhibuerim. Nihilominùs tamen multos, quantumvis inveteratâ lue venereâ laborantes, Dei singulari beneficio sanitati restitui. Sunt autem in desperata tantummodò lue Venerea, & robustissimis, ac antea diligenter præparatis, nec non ab omnibus excrementis aliquoties expurgatis corporibus adhibenda. Qui secus, & Empiricorum atq; barbitonsorum nostrorum more, faciunt, non curant, sed destruunt corpora, & ad summam miseriam perducunt ægros. Hujus rei exemplum non vulgare post tuum à nobis abitum, mihi videre contigit, quod tibi communicare non gravabor.

Juvenis robustus, & optimo corporis habitu præditus, ante annos quatuor coryza, cum maxima natium obstructione laborans, Empiricum in consilium adhibuit. Is catharrum huncce per nares palatumvè facilimè se evacuare posse, audacter affirmare, aureosque montes promittere, ausus fuit. Quibus æger commotus, sese ipsi curandum commisit. Impuro itaque nec ullo modo præparato corpore, nudum ipsum sub conopæo in labrum collocavit, ac totum corpus cinabrio in prunas projecto, suffumigavit, & quidem per dies aliquot. Hinc maxima virium prostratio sequuta est, adeoque pituita ad os & nares confluxit, ut circà ossa cribrosa sordidum ac fœtidum ulcus sit generatum. Ego superiori mense Majo ad ipsum in consilium vocatus, interstitium

tium nasi omninò, reliquas verò cartilagines ex parte erosas reperi, ita ut maxima cavitas ac nasi depressio adsit: continuò quoque pus fœtidum è naribus extillat, olfactus planè abolitus est. Tanto præterea impetu humores ad faciem defluunt, ut indies nova tubercula hinc inde oriantur. Circà sinistrum canthum minorem ante menses duos rupta est vomica, ex qua relictum est ulcus sordidum: supercilium quinetiam, & palpebræ dextræ in tumorem elevatæ sunt, nova item in partibus istis apostemata oriuntur. Multa ac varia ipsi præscripsi medicaméta, tàm interna, quàm externa, quæ si à præsenti Chirurgo rectè & cum diligentia adhibita fuerint, de recuperanda valetudine spes est, sin minus, verendum, ne malum indies accrescat, & in peius ruat,

Memini me superioribus annis unà cum Clarissimo viro D. SEBASTIANO MEYERO, Reipubl. Freiburgensis Doctore Medico celeberrimo, à duobus nobilibus in consilium adhibitum fuisse, quib⁹ similiter post suffumigia ulcera sordida fœtidaq; circa ossa cribrosa remanserant.

Nudius tertius cuidam nobili Ozænâ ex suffumigiis contractâ, setaceum ex consilio prædicti D. D. MEYERI, adhibui. Vides itaque quàm periculosi sint suffitus in lue Venerea, & narium affectibus. Oculis præterea adversissimi sunt, ut hîc Claris. D. D. DORINGIO, teque præsente in cæmentario quodam, qui ab Empirico suffumigatus, ophthalmiâ gravissimâ correptus fuit, observavi. Meritò itaq; ab eis abstineat fidelis Medicus atq; Chirurgus.

Cæterùm Ozænicus noster, quem probè nosti, tàm benè nunc se habet, ut nil suprà, adeò ut ante menses aliquot, formosam & sanam puellã ex uxore sua progenuerit. His vale amantissime D. URSTISI, cum tuis omnibus, quos tecum ego & uxor mea salutamus. Raptim. 8. Iulij. 1609.

OBSERVATIO XXIV.

Ex suffitu Ophthalmia.

CÆmentarius quidam Paterniaci, cum aëre frigidiusculo in rivulo quodam frigido fundamenta jaciendi gratia operatus esset, dolore obtuso tibiarum cum stupore aliquo correptus fuit.

Neglexit morbum, admonitiones consiliaque mea sprevit, & Empiricos, nec non artis planè imperitos tantùm homines adhibuit. Res tandem eò devenit, ut nunc non nisi suffulcris, & quidem maxima cum difficultate incedere possit, tanta in nervis & nervosis partibus labefactatio, summaque imcecillitas exorta est. Cæterùm unus ex istis nebulonibus, quùm mira in affectu isto prestare vellet, suffitum ex cinabrio, antimonio, & similibus, nullo modo præparato corpore adhibuit. Hinc imbecillitas crurum mirum in modum aucta fuit. Et quia in ipsa administratione suffitus oculorum ratio habita non fuerat, periculosâ ophthalmiâ correptus fuit, ex qua visum perdidisset, nisi ego manum adhibuissem.

Obs.

Itaque pilulis purgato corpore, & sectis in brachiis venis, adpositis item cucurbitulis, oculisque collyriis aptis instillatis, sanitati restituti fuerunt oculi, crura verò usque nunc eodem in statu permanent. Curationi interfuerunt Clarissimi ac doctissimi viri D. D. MICHAEL DORINGIUS in Academia Hassorum pro tempore Medicinæ professor celeberrimus; EMANUEL URSTISIUS, artium liberalium Magister, Convictores mei suavissimi.

OBSERVATIO XXV.

DE

Gravissimis quibusdam capitis aliarumq; partium vulneribus, & fœtore cadaveris post mortem maximo ac teterrimo. Item

DE

Cornuto quodam homine, historia admiranda.

EMANUEL URSTISIUS. Guilhelmo Fabricio Hildano, Medico atque Chirurgo Præstantissimo atque celeberrimo.

S. P. D.

PRO *variis ac innumeris tuis beneficiis, Vir celeberrime, mihique multis modis observande, quibus me non duntaxat toto illo triennio, quo convictu tuo, atque conversatione jucundißimâ, Paterniaci fretus, cumulatim afficere placuit, verùm quod insuper adhuc geminas illas Observationes de Ozæna gravißima, mihi, quantumvis nil tale de te merito inscribere dignatus fueris, multis nominibus est ut tibi agam gratias maximas. Utinam vicißim & mihi aliquo officij ac humanitatis genere, beneficiis tuis respondendi facultas aliqua concederetur, animi certè mei gratitudo nunquam defutura esset. Omnem tamen (quantum quidem in me erit) lapidem movebo, quò mei erga te studij & observantiæ debitæ declarandæ aliquam captem occasionem. Intereà verò temporis omnia à te mihi beneficia præstita, memoriâ gratâ ac firmâ æternùm hærebunt, obversabunturq;.*

Cæterùm, quia à me cupis, ut casum illum funestum, qui ante annum in tui absentia Paterniaci Aventicor. acciderat, tibi communicem. Quocircà eum, prout tum temporis mihi annotare licuit, brevibus perstringam atque enarrabo.

Erant cives quidam duo, ex urbe Staffiacensi, ditionis Fryburgensium Aventicorum, nimirùm ANTONIUS GIOVA, ET IACOBUS PELIZIER, qui ob commune negotiationis genus æmuli, (ambo enim Staffiaci œnopolæ, & proximi vicini erant,) cum jam à longo tempore, mutuo odio sese invicem prosequerentur, accidit, ut quadam die, sexta videlicet Octobr. 1608. in Emporio Paterniacensi, ambo satis poti, fortè fortuna mutuò sese offenderent, ensibusque strictis congrederentur, adeò ut in congressu illo ANTONIUS GIOVA ad sinistri oculi regionem vulnus receperit. Postmodùm verò ab adstantibus à se invicem separati, cùm sauciatus ab illo vulnere accepto, magis magisque erga suum antagonistam exacerbatus esset, denuò ansam invadendi ipsum quæsivit. Quocircà cùm eum

domum

Obs. 25.

domum reversurum, extra oppidum in suburbio rursus offendisset, secunda vice ense stricto ipsum impetiit. Tum temporis IACOBUS PELIZIER, graviter adeò inimicum suum in capite sauciavit, ut in terram mortuus quasi cadere, coactus fuerit, ubi insuper adhuc alia vulnera recepit. Interim prædicto IACOBO PELIZIER fugam sibi arripiente, succumbens tantam hæmorrhagiam passus erat, ut majori sanguinis sui penore orbatus fuerit, (quandoquidem eo loci, ubi humi prostratus erat, tanta sanguinis effusi copia conspiciebatur, sicut ego ipse testis ocularis esse possum, ut vitulum ibi mactatum dixisses,) adeò ut adstantes omnes vulneratum jam omninò mortem oppetiisse, vel saltem morti proximum, sibi persuasissent. Ab adstantibus verò in ædes tuas asportatus, nulla fermè ampliùs signa vitæ in ipso elucebant: jacebat enim fixis oculis, omni sensu, motu atque intellectu privatus, solâ respiratione cordis, & arteriarum motu adhuc superstite. Protinus itaque unà cum honestissima tua conjuge in Chirurgicis ac Clinicis exercitatissima atque industria, manum adhibere, vulneraque omnia inflicta, specillo curiosè & anxiè cum scrutari cœpissemus, primùm quatuor diversa in capite vulnera profunda, & sibi invicem fermè partim continua, partim etiam contigua in ipsam usque substantiam cerebri penetrantia, invenimus, quæ dum specillo accuratiùs exploraremus, in majori vulnere ossicula nonnulla offendimus. Horum quatuor capitis vulnerum, quod erat maximum omnium, oriebatur ab osse temporis dextri, à quo suprà os syncipitis obliquè versùs latus sinistrum, suturam sagittalem perreptãdo ad alterum os syncipitis lateris sinistri tendebat. Ab hujus vulneris extremitate altera, aliud exoriebatur vulnus, continuum adeò priori, ut vulnera illa duo propter continuitatem, unum idemque viderentur, (cùm tamen reverà diversa essent) Vergebat vulnus hocce à modo dicti vulneris extremitate altera ad os fermè temporis sinistri. Prodebant sese & alia bina in capite vulnera, sibi invicem proximè conjuncta, quorum alterum originem suam ab altera prædicti maximi vulneris extremitate suprà suturam lambdoideam ad os occipitis usque tendebat, alterum quod inflictum erat vulnus, juxtà modò dictum, itidem à supradicto maximo vulnere oriebatur, & instar jam dicti vulneris quoquo suprà suturam lambdoideam, versùs os occipitis progrediebatur. Insuper & alia nonnulla vulnera in aliis corporis partibus inflicta sese in conspectum dabant, utpotè sub cubito brachij sinistri, in quo vulnus obliquũ latum ac profundum conspiciebatur, adeò ut magnus nervus per medium dissectus appareret: minimus quoq; manus sinistræ digitus fere omninò amputatus, ut saltem cuti appenderet: minimus quin etiam manus dextræ digitus, ab apice ad secundam iuncturam usque omninò discissus erat. Et notandum, vulnera prædicta brachij & digitorum exanguia adeò & exiccata fuisse, ut inde nil omninò cruoris exudaret: propter sanguinis forsan, ad partem magis offensam, caput videlicet, affluxum: vel etiam propter maximam jam ante factam hæmorrhagiam. Postquam itaque vulnera prædicta sedulò explorassemus, ægrumq; extremâ virium imbecillitate laborantem, animadvertissemus, oppido omnia ea, quæ ad curationem vulnerum suorum necessaria videbantur, præparavimus. Et interim dum à ministro in capite circa vulnera, capilli tonderentur, & novacula abraderentur, ei per os potiunculam confortantem exhibuimus, deinde protinus sanguinem hinc inde adhuc promanantem, medicamentis ad sanguinem sistendum appropriatis, restrinximus. Post vulneribus omnibus probè deligatis, cùm sauciatus ab adstantibus in diversorium publicum, in quo ei decumbendum erat, deportatus fuisset, fasciæ quadantenùs inter deportandum ipsum relaxatæ fuere, adeò ut de novo vulnera deligare opus fuerit. Tùm temporis aliud denuò confortans medicamẽtum, quod simul grumosum ac coagulatum sanguinem hinc inde in corpore collectum, dissolveret, per os ei exhibuimus. Ex quo mox, dum vires aliquantulùm recollegisset, sanguinem grumosum excreare cœpit. Post horæ deinde quadrantem, convulsiones, in sinistro latere, in labiis, palpebris oculi, musculis item pectoralibus, & brachio, violentæ adeò supervenêre, ut ægri brachium à viro, quantumvis robusto, non nisi maximâ vi, contineri potuerit. Quæ quidem convulsiones secundum Hippocr. lib. 5. Aphoris. 3. vulneribus post copiosum sanguinis profluvium supervenientes lethales existunt.

Hippoc. 5. Aphor. 3.

Postridie, septima videlicet Octobr. intellectus aliquantum redire cœpit, (omni tamen loquelâ adhuc abolitâ, nisi quod ad interrogata unico verbo difficulter Imò vel Non respondere posset.) Convulsiones verò partium dictarum assiduè in eodem statu permanebãt aderat insuper maxima virium imbecillitas, cum maximis totius corporis doloribus.

Die octavâ Octobr. convulsiones in brachio sinistro cessare cœperunt, quæ tamen in sinistra faciei parte, in eodem statu subinde persistebant. Insequentem deinde noctem satis tranquillam cùm egisset, postridie 9. Octobr. manè convulsionibus in facie quoque quadantenùs sedatis, versùs vesperam deinde horam circiter tertiam pomeridianam, viribus adeò erat prostratus, ut superindormiret, graviq; somno sopiretur, quo tempore ei Epithemata Cordialia applicuimus. Cùm autem ab hora tertia ad sextam circiter horam ejusmodi profundo somno cum stertore sopitus esset, tandem ab eodem expergefactus, singultu illicò superveniente, animam magno cum clamore efflavit. Post mortem deinde ejus, cum fascias vulnerum cerebri solvissemus, tam fœtidus ac teter odor inde exhalavit, quem adstãtium nullus ferè suffere posset, vel saltem demortui cadaver appropinquare ausus fuisset. Posterâ die manè, cùm denuò prædicta vulnera inspiceremus, maximam effervescentiam & agitationem sanguinis serosi, putridi, ac fœtidi animadvertimus, ut mirum dictu sit, quanta humorum in cerebro fuerit ebullitio. Totum deinde caput, facies, brachia & venter in tantum intumuerãt (inprimis scrotum in magnitudinem capitis infantis alicujus elevabatur) ut cadaver aspectu horridum omninò appareret. Quin etiam prædictæ partes omnes adeò flavescebant, ac si croco omnimodè infectæ fuissent.

Et hæc sunt vir Clarissime, quæ circa huncce casum funestum observare & annotare potui.

Porrò, quia te quoque rerum admirandarum ac rararum curiosissimum esse, mihi satis superq; constet, simul eadem operâ hic coronidis loco, historiam quandam prodigiosam, atq; annotatione non indignam, de quodam homine cornuto, quem anno 1598. Lutetiis Parisior. unà cum Clarissimo Dn. Doctore IACOBO FAESCHIO pro tempore in alma Academia Basiliensi Professore publico, ac celeberrimo, Domino item IOHANNE ECKHENSTENIO, tùm temporis discipulo

Obs. 25.

meo, ipsemet vidi, ejusque cornu manibus palpavi contrectaviq; subnectere lubuit.

Historia prodigiosa de quodam Cornuto.

Erat autem Cornutus ille FRANCISCUS TROVILLOU nomine, homo staturæ mediocris, corpore satis obesus ac repletus, calvus, (occipitio excepto, quod capillis aliquantum investiebatur) aliàs morosus admodum, moribus ac gestibus rusticis planè præditus, ac pelle vulpinâ vestitus, adeò ut aspectu horridus omninò esset: natus in viculo quodam, Gallicè les Mezieres indigitato, qui ad D. LAVERDINUM, Regis Galliarum Polemarchum spectat. Huic à teneris in locis sylvestribus à carbonariis educato, ad annum septimum usque ætatis suæ nullum adhuc alicujus cornu indiciũ apparebat, quo tamen tempore è fronte primùm extuberare cœpit, adeò ut circà annum 17. ætatis suæ ad instar apicis alicujus digiti magnitudinem promineret Quod postmodum progressu temporis paulatim ejusmodi incrementum accepit, donec tandem circà annum ætatis suæ 35. tam magnitudine, quam formâ, cornu arietis prorsus referret atque adæquaret.

Cornu hocce è medio frontis enatum, supernè ad verticem, suturam coronalem usque retortum, progrediebatur, ut cutim eo loci omninò fermè attingeret, quod etiam (ipsomet id referente) jam semel ante hac firmiter adeò cuti inhæserat, ut doloris evitandi gratia, id ipsum necesse fuerit aliquantum resecare atque rescindere. Quoties cornu illud palpabatur, vacillabat, cornutus verò inde dolorem maximum persentiebat, ita ut tandem ab adstantibus vix amplius sibi istud palpari passus fuerit. Hoc autem an in ipso frontis osse, vel cute solummodò radices suas fixas habuerit, usque adeò mihi non constat: credibile tamen, quia cornu tam amplum atque ponderosum, radices omninò in cranio ipso egisse. An item cornutus ille dentibus molaribus præditus fuerit, non observavi. Qua autem ratione & ex qua materia cornu istud in hoc homine generari potuerit, id omne tibi perpendendum relinquo.

Tandem cum cornutus ille per duos menses Parisiis conspiciendus, expositus fuisset, Aureliam versùs conductus fuit. Quo loci quum pervenisset, paulò post diem suum obiisse, intellexi.

Atque hæc sunt, Vir omnibus modis colende, quæ tibi de casu illo funesto, deque cornuto prodigioso, communicare in præsens lubuit. Quæ omnia, ut hilari fronte, & eo, quo à me proficiscuntur animo, suscipias, & porrò favore atque amore tuo solito me prosequi pergas, etiam atque etiam rogo, obtestorq;. Basileæ Rauracor. 12. Decemb. 1609.

Nominis tui Clarissimi studiosissimus,

M. EMANUEL URSTISIUS, φιλιατρος.

Effigies hominis Cornuti & Monstrosi.



ANNOTATIO.

Hujus viri cornuti, & monstrosi meminit quoque JACOB. AUGUSTUS THUANUS, Tomo quinto. lib. 123. pag. mihi 874. qui & ipsum Lutetiæ vidit Anno 1599. Effigiem ad imitationem jconis Lutetiæ impressam, & à prædicto viro, Dom. Urstisio mihi communicatam, hic annectere volui.

Delineatio cornu non omninò cum descriptione Thuani convenit: scribit enim, cornu non spiralibus lineis, sed porrectis striatum fuisse, sed hæc non usq; adeò magni sunt momenti.

Porrò

Obs.25.

Porrò de cornibus natis cum pueris, aut ex adultis excrescentibus, plura vide apud Dom. D. Schenckium, observat. Medicinalium lib. 1. de cute capitis, mihi pag. 732. Singulare quoque exemplum lector apud Barthol. Cabrollium, Chirurgum longè celeberrimum Observ. 11. videre poterit: qui & methodum, quomodo abscindenda sint, proponit: dummodò universalia neglecta non fuerint.

[De] puella [cor]nuta, [hi]storia [ad]miran[da].

Anno 1612. puellam octodecim circiter annorum, ex pago quodam Bernam adductam, ibidemque Nobili ac doctissimo viro Dom. Paulo Lentulo, pro tempore D. Medico ordinario, à Magistratu amplissimo, curandam commissam fuisse memini. Huius puellæ dorsum, brachia & crura, cornibus scatebant: eorum nonnulla duos transversos digitos erant longa, nonnulla incurvata, sed major pars recta, & fusci coloris erant. Ego cùm 28. Novembr. ex Belgio reversus essem Bernam, Puellam hancce in Nosocomio sanam vidi, circatrices quinetiam, & vestigia cornuum palpavi, omniaque quæ acciderant à D. Lentulo mihi relata fuerunt. Effigiem ad vivum depictum mihi communicavit nobilis atque excellentissimus vir D. Daniel Hintzius, huius Reip. Architectus, pictor & sculptor insignis, quam hîc annectere volui.

[C]uratio.

Methodus autem, quâ Dom. Lentulus ipsam curavit, hæc est. Præscriptâ optimâ victus ratione, apozematibus, & julapiis humorem atrabilarium præparavit, & Melanagogis aliquoties expurgavit, mensesque provocavit. Postea apozemata, julapia, Melanagoga iteravit. Sic satis expurgato corpore, tandem ipsam ad Thermas, hic in vicinia, Zum Newen Hauß sitas, misit: quibus cum per dies aliquot usa fuisset, cornua per se deciderunt, & sana ad Nosocomium rediit, ubi mihi à Dom. Lentulo, ut dixi, monstrata, omniaque quæ acciderant, relata fuerunt. Post usum Thermarum, refocillatis viribus ac iterum expurgato corpore, ad suos ipsam remisit Dom. Lentulus.

Cornua autem non ossibus, sed cute, & carne saltem adhæserant, ideòque à Thermis emollita, facilè deciderunt. Sanam & incolumem ipsam per annum circiter vixisse, Clarissimus & doctissimus Dom. D. Barthol. Dunus, qui mortuo Dom. Lentulo in Medicum ordinarium receptus fuit, aliquoties mihi asseruit. Quum verò propter egestatem, præscriptam victûs rationem observare non posset: purgantia quinetiam (quia à Medicis remota erat) intermisisset, cornua recrevisse, retulit Dom. D. Dunus. sed non tantâ in copiâ, ut antea. Interim tamen cum sine dolore vix stare, multò minus ambulare, sedere, aut supina cubare non posset, & à Medicis remota esset, tandem exhaustis viribus, piè obdormivit.

De thermis Neuhausianis

Aqua autem prædictarum Thermarum in loco paludoso erumpit; Et per tubulos ad proximum diversorium publicum ducitur, ubi in aheno magno calefacta in diversa lavacra distribuitur. Constat ex sulphure, & alumine. Thermæ hæ nervos partesque nervosas emolliunt, dolorem leniunt, ulcera inveterata, scabiem, aliaque vitia cutis sanant: mirum in modum enim mundificant, & exsiccant, præsertim si limus qui tubulis, & canaliculis adhæret, exsiccatus, & in pollinem redactus, ulceribus inspersus fuerit. Articulorum doloribus & eorum tumoribus, ex causa frigidâ ortis, conveniunt, & lassitudines membrorum tollunt.

Effigies Puellæ cornutæ



Obs.26.

OBSERVATIO XXVI.

De percussione quadam gravissima in occipite, ex qua mors, & fœtor horrendus sequutus.

Ornatissimo atque doctissimo Viro,

Dn. EMANUELI URSTISIO, artium liberalium Magistro.

Guilhelmus Fabricius Hildanus, S. P. D.

QVem misisti Catalogum librorum, præstantissime atque doctissime mi Domine URSTISI, Illustri ac Generoso Dno. EUSTATIO de REFUGE, Legato Regio ostendi, nihil in ipso quod ad ipsius intentionem faciat, reperit: pro susce-

Obs. 26. suscepto tamen labore gratias tibi agit maximas. Casus, quem mihi communicasti, gratissimus fuit, estque lectione dignus, in quo fœtor ille, qui ex vulneribus exhaluit, notandus. ANNO 1594. simile quid Coloniæ Agrippinæ mihi observare licuit. Vir quidam natione Italus, & mihi familiaris, robustus, quinquaginta circiter annorum ætatis, sed optimo corporis habitu præditus, qui & à juventute morbis parùm obnoxius fuerat, quum eum juvenis quidam Italus, qui vix vigesimum annum ætatis attigerat, odio prosequeretur, illum tamen viriliter magnanimiterque aggredi ausus non esset, clam vulpinaq; indutâ togâ, ipsum percutere, & membrum aliquod baculo perfringere, tentare voluit. Res ipsi successit: quadam enim die circa tertiam pomeridianam, cum negotiorum suorum causa ex foro domum redire vellet, clam atque à tergo, in platea tamen publica, venit juvenis iste, ac tali ictu circa cervicem ipsum baculo percussit, ut protinus in terram veluti mortuus ceciderit, loquelam, nec non intellectum amiserit. Ad ædes suas deportatus, eadem nocte, inter tertiam & quartam naturæ satisfecit, etiamsi nullum contusionis, minus vulneris (forsan propter vestes) appareret vestigium. Id autem in hoc viro annotatione dignum occurrebat, nimirum gravissimus quidam ac deterrimus fœtor, qui statim post acceptum ictum, ex ipsius corpore exhalare cœpit. Fætor ille ita auctus fuit, ut separatâ à corpore animâ, nullus eorum qui ad mortuos tractandos ibi constituti, cadaver appropinquare posset, sed necessum fuit, opus hoc committere illis, qui sordes urbis & latrinas expurgare consuevêre. Unde verò fœtor ille gravissimus provenerit, nondum video, cum homo iste, uti dixi, sanus, robustus, & morbis parùm obnoxius, semper fuerit: tibique hac de re ulteriùs cogitandi, ansam dare volui.

Alia historia de homine quodam Cornuto. Porro historia de homine cornuto, quam communicasti, multum placet, in primis quia effigiem simul addis. Habet Dn. BARTHOLOMÆVS CABROLLIVS, olim apud Monspelienses Chirurgus longè celeberrimus, simile exemplum. Refert enim, Monspeliensem JEAN GVY nomine, ipsius consilium ac opem implorasse, ac cornu, quod sibi ex fronte, ad latus sinistrum exsurgebat, monstrasse, simulque, ut id amputare vellet, petiisse. Firmiter autem cranio adhæsisse, & semipedem longum, crassum verò pollicem fuisse, scribit. Ad radicem abscisso cornu, sanguinem tam copiosè effluxisse, ut cauterium actuale applicare necesse fuerit, addit; nihilominus tamen mundificato ulcere, & inducta cicatrice, virum huncce convaluisse, asserit. Vale præstantissime Dom. Vrstisi, & me tuum cense. 29. Octobris 1609.

OBSERVATIO XXVII.

De corde, adhuc vivente non exigua sui parte, putredinem passo.

A *Viro Nobili Dn. Marco Offredo, Philosopho summo, & Doctore Medico longè celeberrimo, observata, mihiq; communicata. 17. Martij Anno 1606.*

MEnse Augusto anni 1600. JACOBUS RUANUS agricola, annos natus 45. plaustri fœno onusti eversionem ruinamque in se passus, de punctorio, simulque gravativo doloris sensu in pectore, nec non de quadam cordis compressione, & spirandi difficultate, conquestus est. Thoracis vertebræ, quæ citrà ullam costarum fracturam contortæ & subluxatæ conspiciebantur, levi negotio operâ Chirurgi fuerunt restitutæ, ipseq; ægrotus post quadriduum adeò levatus, ut ad consuetos labores redierit. Verùm aliquot elapsis diebus ardente febri conflictari cœpit, cum asthmate, deliratione, vigiliis perennibus, siti maximâ, genarumque rubore, & leipothymiâ sibi mutuò succedentibus: ita demùm undecimâ morbi die (cùm præsertim à vini usu, conjugis indulgentiâ non abstinuisset) vitam finivit. Adaperto cadavere, id inprimis rarum innotuit. Pericardium scatens pure sanioso, cui velut immersum cor, magna sui parte ad utramque potissimum auriculam, partim exesum, partim etiam marcidum visebatur, quinimò contagium supernam sinistri ventriculi regionem jam invaserat: insuper & ab ipso corde, dùm Chirurgi manibus comprimeretur, saniosa quædam materia exiliit: pulmo ejusdem labis particeps, aliis interim visceribus à naturali statu parùm immutatis. Dissectioni interfuerunt, PAULUS OFFREDUS, Doctor Medicinæ, & MAGIST. SIMON, Chirurgus.

OBSERVATIO XXVIII.

Ingens abscessus inter pleuram & costas repertus.

REverendi ac doctissimi Viri Dn. STEPHANI A CASTROBELLO, verbi Divini ministri filiola, tussiculâ continuâ, & difficultate anhelitus vexabatur. Circa undecimum mensem ætatis sub axilla dextra exortus est abscessus: quo à me aperto, pus copiosè per mensem integrum effluxit: exiguum tamen levamen inde habuit. Tandem clauso ulcere, symptomata, veluti tussis, difficultas anhelitus, virium prostratio, & nutrimenti fastidium, aucta sunt: ita ut decimo octavo circiter mense ætatis è vita discederet.

Post mortem præsente Reverendo ac doctissimo Viro, Dn. JOH. RITTHERIO, ET JACOBO MARIONE, multisque aliis, inciso cadavere, ingentem abscessum sub axilla sinistra, & quidem inter pleuram & costas inveni, in quo pus copiosè repertum fuit. Mirum profectò, quomodo in tenello infantulo, talis abscessus, in parte tam exquisito sensu prædita, absque mortis discrimine generari potuerit. Similem ferè casum lector Observ. 71. Centur. 1. videre poterit.

OBSER-

29. 31.

OBSERVATIO XXIX.

De lapidibus in Pulmone repertis, exēpla tria.

EXEMPLUM I.

LUDOVICUS ROCHALFINGER Pannonius, per multos annos asthmate & tussi laborans, tandem extenuatus, anno 1593. die 13. Martij Coloniæ Agrippinæ obiit. Post mortem ejus præsentibus nobilissimo doctissimoq; CAROLO UTENHOVIO, ac JOANNE SLOTANO, Medico celeberrimo, cadaver dissecui, in eoque (præter hepatis, lienis, aliorumque viscerum obstructionem ac scirrhositatem) in Pulmonis substantia lapidem prædurum, & undique asperum, nucis juglandis magnitudine, validissimâ quâdam tunicâ carneâ inclusum, inveni. Præterea hinc inde per pulmonis substantiam, præcipuè autem circa ramos asperæ arteriæ, tubercula plurima, ex viscidâ materiâ in scirrhos concreta, absque ullo tamen ulcere reperiebantur. In pericardio item ad libras duas usque aquæ continebatur, uti & in pectore multum ejusdem aquæ innatabat.

EXEMPLUM II.

Biennio pòst denuò mulieris cadaver ex Phthisi mortuæ, præsente Dn. D. JOHANNE SLOTANO, Medico celeberrimo, incidi, in cujus pulmone copiosas arenulas cum aliquot lapillis invenimus.

EXEMPLUM III.

Anno 1604. Paterniaci Aventicor. in Xenodochio denuò cadaver mulieris diuturno morbo laborantis, in præsentia Dn. Doctoris ALBERTI HAUWENZWIGII Berlinensis, convictorisque mei incidi, in cujus pulmone lapides quam plurimos tam albi, quàm atri coloris reperimus.

OBSERVATIO XXX.

Frustula Pulmonis per urinam excreta.

ANno 1600. 14. Augusti, cum essem Viviaci in officina D. Jacobi Probi Pharmacopœi, convenit me rusticus, qui mihi urinam fratris sui ante menses jam septem Phthisi correpti, conspiciendam præbebat. Erat illa rubicunda, & scatens materiâ simili filamentis, qualia post factam in manu pedevè phlebotomiam, visuntur in aqua calida. Eam materiam conjectabam è pulmonibus promanasse, nec diù vitalem fore ægrotum. Id quod & eventus postmodùm quoque edocuit; siquidem is decimoquinto die post discessum meum obiit.

OBSERVATIO XXXI.

De Materia Pleuritidis per urinas expurgata.

Ad

Clarissimum atq; doctissimum Virum

Dn. D. JANUM ANTONIUM SARAZENUM

Philosophum acutissimum, & Medicum Regium longè celeberrimum.

Cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

IN iis quæ nuper ad te scripsi, vir præstantissime & compater perpetuò honorande, præcipuum fuit morbus Pleuritis, reverà acutissimus, quo Domini JOH. RHETHERII, Professoris nostri Hebraicæ linguæ uxor laboravit, nunc verò singulari DEI beneficio, convaluit. In curatione autem hujus matronæ, materiæ Pleuritidis per urinas evacuationem; quum meliùs atque manifestiùs, mihi, quàm unquam antehàc observare licuit, T. Exc. (nisi molestum videbitur) rem paucis communicare placuit.

Obs. 31. & 32.

Historia.

Quartâ hujus mensis die, cùm matrona hæc circà res domesticas occupata fuisset, ac interim ad sudoris eruptionem incaluisset, dolore pleuritico eâdem nocte, in latere dextro correpta fuit. Ego sequenti die unà cum Clarissimo Viro, Dn. D. Roscio vocatus, ipsam febricitantem, & dolore acutissimo sub Omoplata, & axilla antrorsùm ad sternum usque laborantem, invenimus: syncopæ quoque frequentes, nausea, & capitis dolor aderant.

Porrò propter dictas syncopas, & quòd utero gestaret; purgantia medicamenta & venæ sectionem improbavit D. ROSCIUS, quamobrem clysteres eò frequentiùs injecimus. Initiò pectus oleo lilior. chamomil. & rosaceo inunximus, & syrupum de polytricho, & liquiritia exhibuimus. Secunda die urinæ cœperunt esse turbulentæ, & rubicundæ; veluti admixto sanguine. A tertia verò die ad quintam planè sanguineæ, quæ tamen paulatim in materiam purulentam transierunt; adeò ut à septima ad decimam & undecimam pus urinæ admixtum, clarè perspicere possemus; nec deinde aliam crisim in ipsa observavimus.

Ab initio autem usque ad finem secundæ diei, (quo tempore urinæ veluti naturales conspiciebantur,) acutissimus ille dolor fixus fuit, qui elapsâ secundâ die sensim, & per gradus quasi ad lumbos, & ipsam regionem renum versus, descēdit. Septimâ tandem dolor iste paulò suprà renes consedit, nec ulteriùs descendit, sed paulatim remisit, ita ut ante undecimam, & dolor omnis, & febris disparuerint, & jam optimè convaluerit. Vale Vir amplissime cum nobilissima conjuge tua, quàm tecum ego, & uxor mea peramanter salutamus. Raptim Lausannæ 30. Martij 1598.

OBSERVATIO XXXII.

De vulnere quodam pectoris, cum abscissione portionis cujusdam ipsius Pulmonis.

A

Clarissimo atque Excellentissimo viro, D. ALBERTO ROSCIO, olim apud Lausannenses Doctore Medico longè celeberrimo, curato, mihiq; à

DOMINO

ABELO ROSCIO F. nunc quoque apud Lausannenses Doctore Medico celeberrimo, communicata.

INsanabilia Pulmonum vulnera, asserunt Medici ac Chirurgi ferè omnes, (Vir Clarissime) cùm tamen ipsa perquam benè consolidari ac curari sæpius contingat;

Obs. 32. & 33.

gat, ut ex variis neotericorum historiis colligere est: idque maximè clarum fit ex observatione genitoris mei, piæ memoriæ, ALB. ROSCII, Doctoris Medici tibi amicissimi. Quæ sanè historia jam ante annos multos ab ipso accepta, ferè è memoria exciderat, hanc tibi communicare volui, priùs quàm tota penitus è mente effluxisset, quod ea inter curationes miras reponenda, seu inter vulnera admirabilia curata recensenda mihi digna visa sit.

Erat apud Delphinates in urbe Calmuntij, ubi medicinam per aliquot annos felicissimè faciebat pater, ex nostris vicinis quidam secundùm pectus graviter sauciatus, vulnere punctim facto, is etenim inter pectoris costas, ni fallor quintam ac sextam, non procul ab osse sterno vulnus acceperat, cui cum gladius lato mucrone pulmonem ipsum lævissimè perfodisset, in sui extractione & exitu, nescio quomodo in gyrum facto, secum pulmonis portiunculam per vulnus foras eduxit: quare statim à cunctis adstantibus morti proximus adjudicatus fuit æger. Attamen vulnerati precib. condescentes amici & affines, Patrem Medicum cum Chirurgo advocandum curârunt, qui etiam vulnus lethale pronunciavit adstantibus, ægrum tamen semper bono animo esse jussit, & ne de salute desperaret, manus auxiliares illi à dicto Chirurgo adhibendas & curationem tentandam voluit pater. Iussitq; quamprimùm eam lobi pulmonis partem, quæ foras prominebat, priùs benè vino lotam in pectus retrudendam. Sed eam, dùm tractaretur leviter, livescere animadvertens amputare fecit ferreo candente instrumento. Reliquum verò in pectus benignè retrusit Chirurgus, dilatatis priùs cuneo, ad id ex tempore parato ligneo, costis: Deinde vulnus ex arte, posteà & Medici præscripto curatum fuit, intrà propinatis quibusdam pectoralibus, ex vulnerariis decoctis per aliquot dies, tandem convaluit æger, qui deinde in multos annos vitam protraxit: pulmonibus ac thorace semper sanis, & ab omni noxa prorsus immunibus. Pulmonum itaq; vulnera per se incurabilia, semper aut lethalia existere negamus. Nisi inflammatione vulnus profundum sit affectum: vel ubi magna vasa, aut bronchia læsit, aut propè cor attigit. Hæc horis subcisivis scribenda duxi, ut tibi viro doctissimo, & mei amantissimo satisfacerem ac morem gererem. Intereà te unà cum tuis benè feliciterque valere exopto. Lausannæ, Idibus Decembris Anno 1606.

Tuus ut suus

ABELUS ROSCIUS D.

OBSERVATIO XXXIII.

De vulnere quodam admirando Pectoris, cum diaphragmatis dilaceratione, & vētriculi suo loco amotione.

A

Clarissimo Viro D. DANIELE SENNERTO Doctore Medico longè præstantissimo, & in Academia Wittebergensi, Professore publico & celeberrimo, mihi communicata.

SQuod literas meas non ingratas tibi fuisse scribis, vir Excellentissime, amice honorande, gratum mihi accidit: gratissimum verò illud, quòd D. Doctori DORINGIO, vel ob meam commendationem, officia tua & benevolentiam promittis, & procul dubio jam cumulatè exhibuisti. Pro quo officio si aliquid à me proficisci posset officij: in exolvendo & præstando me invenires promptissimum. Interim magnas pro hac tua benevolentia tibi ago gratias: gratum quoque animum quocunque potuit modo, declarasse ipsum D. D. DORINGIUM spero. Easdem gratias ago pro Tractatu de Combustionibus, & cum nihil, quo mutuum hoc compensem, jam habeam aliud, mitto ad te Disputationem de Pestilentia, in qua si quid monendum vides, amici officium feceris, si illud me non celaveris. Porrò cùm non dubitem, tibi in curationibus Chirurgicis multa rara & miranda obvenire, atque ea te studiosè annotare: rem non ingratam tibi me facturum putavi, si sequentem casum ex annotatione D. ANDREAE SCHATONIS piæ memoriæ, soceri mei quondam in hac Academia Professoris Medicinæ, tecum communicavero. Est autem talis. HEIMRICVS BVSCHERHOVIVS, Revaliensis Livonus, cùm melancholiâ, tentationibusque varijs vexaretur; res tandem eò redijt, ut ex Saxonia Wittebergam rediens, ante portam urbis proprio gladio se confoderet, Anno 1582. 20. Septemb. infra quartam costam in thoracem adacto, & sub nona costa in tergo exeunte. Quod vulnus tamen intrà menses duos sanatum est. Verùm accidit, ut post menses aliquot, iterum de absurdis cogitationibus conquereretur, & posteà die 28. April. Anno 1583. malè haberet, & sequentibus diebus primò aquam, & quicquid cibi assumpsisset, post viridia, tandem die 2. Maij nigra quater, eaque magna coqia reijceret vomitu, cum sudoribus frigidis & leepothymia, ac deinde post ultimum vomitum expiraret. Corpus apertum est, deprehensumque vulnus per pulmones & diaphragma penetrasse, & quidem diaphragma transfossum fuisse in nerveo circulo. Pulmonis ferè nihil repertum est in sinistro latere confosso, cum procul dubio cum pure exierit, exigua portiuncula aderat costis adnata. Ventriculus totus ascenderat in sinistrum thoracis latus, & cor cum capsula de sede sua depulerat in dextrum latus, ubi & vivus ille jubebat observari cordis pulsum. Cor arefactum erat, copiosa citrina aqua in capsula. Omentum & Pancreas totum etiam ferè circà ventriculum computruerat.

In qua historia tùm alia certè admiranda, tùm illud videtur, quòd ventriculus sedem suam ita mutavit. Sed jam plura scribendi ocium non est. Benè valeat Excellentia tua. Dabam Witteberga 5. Maij. 1608.

T. Excell.

Studiosissimus

Daniel Sennertus D.

OBSERVATIO XXXIV.

De vulnere abdominis, cum abscissione cujusdam portionis Hepatis.

Ad Am-

Obs. 34.

Ad
Amplißimum ac Clarißimum
Virum D.D. DANIELEM SENNERTUM, *in celeberrima Wittenbergensi Academia, Medicinæ Professorem longè excellentißimum atq; celeberrimum,*

Cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus

S. P. D.

DOctissimum tuum atque eruditionis plenum, Vir Amplissime, Domine & amice omnimodè mihi honorandissime, scriptum de PESTILENTIA, quod ad me misisti, tàm gratum fuit, quàm quod gratissimum. Datâ ocasione, ne erga Excell. T. ingratus videar, operam dabo. Cæterùm legenti mihi disputationes hasce tuas de PESTILENTIA, nonnulla ad hanc materiam spectantia in mentem venerunt, quæ hic adscribere non gravabor. Pestilens seminarium per aliquot dies in corpore, antequàm vim suam exerat, circumferri posse, inter cæteros anno 1596. Lausannæ in Dn. JOHAN. MERULA, tum temporis S.S. Theologiæ Studioso, Viro robusto, observavi. Is cùm peste se infectum esse cognovisset, CLAUD. MARIONEM, Pharmacopœum longè exercitatissimum, mecum in consilium advocavit, ut quæ ad curationem pestis necessaria nobis viderentur, ipsi præscriberemus atque præpararemus. A duobus enim, ajebat, jam ab hinc diebus seminarium Pestis in me delitescere, certò scio. Et quia ad paternas ædes libenter me conferrem, omnibus quæcunque vobis hac in re necessaria videbuntur, instructus esse percuperem. Præparatis itaque medicamentis, viæ se committit, & pedes Paterniacum inclytæ Reipublicæ Bernensis municipium, quod iter unius diei Lausannâ distat, absque insigni difficultate ad Parentes se contulit. Sequenti tamen nocte, postquam ad parentes venisset, febre, cum rigoribus maximis correptus fuit: bubo quinetiam in inguine, cujus jam initium Lausannæ ante suum discessum persenserat, protinùs auctus est. Adhibitis ergò alexipharmacis, reliquisque remediis, quæ secum attulerat, convaluit, & etiamnum vivit, fungiturq; ministerio Ecclesiastico. Sed erat iste, ut dixi, robustus & optimo corporis habitu præditus.

[margin: Exemplum seminarij Pestis quod aliquot dies in corpore circumferatur.]

Amuleta ex Arsenico, pulvere bufonum, aliisque confecta, & tempore Pestis collo appensa, maximam ad præservationem vim habere, non est quòd dubites. COSMAS SLOTANUS, Illustriss. Cliviacensium &c. Principis Chirurgus longè celeberrimus, Præceptor meus fidelissimus, magni semper ea solebat facere, maximamque ac longam eorum se habere experientiam, non raro mihi affirmavit, eaque cujusvis ætatis hominibus appendebat. Ego quoque posteà non raro cum fructu iis usus sum. Sed quid sentis de usu muriæ in Peste? Novisiæ ad Rhenum civem quendam Tascheumacherum nomine, Jurisconsultum cognovi, qui me præsente retulit, se maximo cum fructu domesticis suis, & amicis, muriam in peste sæpissimè exhibuisse. Accipiebat autem muriam carnis porcinæ, eamque ad ignem in lebete coquebat, & probè despumabat, donec ab omni immunditie & sordibus expurgata esset, posteà eam in vas fictile infundebat, in eoque relinquebat, usque dum refrixisset, tùm in ampullis benè clausis eam conservabat, & non nisi post annum exhibebat. Quamprimùm autem aliquis peste correptus esset, haustum hujus muriæ ei propinabat, & ut in lecto sudaret, ab omnique alio potu, per horas aliquot abstineret, injunxit. Retulit, hoc genus remedij in nonnullis per sudores, in aliis per vomitum, in reliquis per alvum, aut per vomitum & alvum simul, tàm affatim evacuare, ut major pars eorum, qui illud sumpserint, sanitati restituta fuerit. Ego etsi nunquàm periculum fecerim, neque facere auderem, nisi tuam sententiam hac de re priùs intellexero, attamen in robustioribus corporibus remedium hocce forsan non omninò rejiciendum esse arbitror. Quandoquidem ratione salis putredini humorum summoperè adversari, nullum est dubium. Reserat præterea obstructiones viscerũ, noxiosque humores, nunc per sudorem, nunc verò per urinas aut alvum educit.

[margin: Amuleta in Peste.]

[margin: De muria in Peste.]

Simile quid Christophorus Andreas, olim Ducis Aureliæ Medicus celeberrimus, in sua Oecoiatria Capite de cineribus, scriptum reliquit. Refert enim, se multis peste correptis aquam in qua cineres ardẽtes extinxerat, cum fructu exhibuisse, multosque hoc remedio sanitati restituisse, copiosè autem se lixivium hoc propinasse, ac postea sudorem provocasse addit. Putasnè quæso, Medicamentum hocce vires suas à sale, quod lixivium in se copiosè continebat, accepisse? Porrò casus, quem communicasti, mirum in modum arridet, eumque si Exc. T. ita libet, secundæ Centuriæ Observationum mearum Chirurgicarum inseram. Rarissimus enim est, & cùm divini Hippocratis, tùm Neotericorum omnium sententia, mortem subitaneam intulisse debebat. Refert quidem PARÆUS, se in quodam, cui septum transversum perfossum fuerat, ventriculum in thorace reperisse: sed addit, ipsum triduò post obiisse. Ille contrà, cujus Exc. T. mentionem facit, per menses multos supervixit. Militem quendam ictu sclopeti in thoracem vulneratum, post menses tres aut quatuor à curatione, fragmentum costæ per asperam arteriam rejecisse, PETRUS PIGRAY, Chirurgus celeberrimus annotavit. Tam maxima & vehemens pulmonis attrahendi facultas existit. Ex hujusmodi historiis primò summa DEI potestas ac misericordia apparet: deindè nunquàm in morbis, quantumvis gravissimis, desperandum, sed invocando DEI misericordiam, summaq; adhibita diligentia, de salute ægri semper benè sperandum esse. Quamvis enim vulnera partium principium, ab Hippoc. non immeritò lethalia censeantur, sæpissimè tamen sic vulneratos evasisse, observavi, uti quoque in Observationibus meis de vulneribus cerebri, vesicæ, & intestinorum exemplis annotavi. Vulnera quoque Hepatis, quæ omnium ferè difficillima, propter sanguinis, quæ indè sequi solet, profusionem, videntur non omninò insanabilia esse, experientia docuit, & Viri docti testantur. Mihi quoque exemplum

[margin: De Hepatis vulneribus.]

Obs. 34. & 35.

unum non vulgare observare contigit, quod Exc. T. communicare visum est. Helvetius quidam triginta annor. in conflictu quodam gladio Helvetico è regione hepatis percussus fuit, maximumque vulnus recepit. Sanguis copiosè effluxit, ita ut in deliquium animi incideret. Advocato Chirurgo, cum vulnus explorare, & medicamenta ad sanguinem sistendum imponere vellet, frustum Hepatis, ad ostium vulneris sese offerebat, quòd cum forcipibus apprehendisset, integrè extraxit. Ac quamvis sævissima supervenirent symptomata, nihilominus tandem DEI beneficio, optimè convaluit. Post annos tres febre continuâ correptus, Genevam appulit, ibique à in nosodochio receptus, Clarissimo ac Doctissimo Viro D. JANO ANTONIO SARAZENO, Medico Regio piæ memoriæ, compatri meo plurimùm honorando, ac D. JOHANNI GRIFFONIO, Chirurgo longè celeberrimo, curandus commissus fuit. Ego, quum quadam die ipsum cum prædictis Viris inviserem, & graviter laborantem offendissem, altâ voce sic exclamare cœpit. Nonne miserandum, me nunc febre absumi, neque à duobus curari posse, cum tamen ante años tres graviter in latus sauciatus, ut frustum Hepatis gladio mihi abscissum atque extractum esset, ab unico tantummodo Chirurgo DEI beneficio, sanitati restitutus fuerim! Nos cum hac de re attoniti, latus in conspectum exhibuit, & cicatricem longitudinis spithamæ è regione Hepatis monstravit. Post paucos dies, cum occubuisset, cadaver ejus incidimus, & portiunculam quandam infimi lobi Hepatis abscissam fuisse, vulnusque cicatrice eleganter obductum, reipsa comperimus. Reliquæ verò partes corporis, imò & ipsum hepar, nihilominus secundùm naturam se habebant.

Denique de causa inopinati à nobis discessus clariss. Viri D. DOCTORIS DORINGII, & quòd inceptam peregrinationem suam absolvere ipsi non licuerit, omnes dolemus: fuit enim nobis charus, meritoque ipsum propter probitatem, & singularem sui doctrinam, eruditionem, & in artem Chirurgicam animi propensionem, amamus ac veneramur. Dolium quod apud nos reliquit, Francofurtum ad Bibliopolam vestrum ZACHARIAM SCHEVRER misi, qui id tibi, ut spero, traditurus est: fac quæso, ut ad D. DORINGIUM pervenire possit. Vale Vir Amplissime cum tuis omnibus, quos tecum ego omnesque domestici mei peramanter salutamus, 20. Julij. 1608.

OBSERVATIO XXXV.

De Fungis læsarum partium corporis humani.

Ad

Virum Clarissimum & Excellentissimum, D. GUILHELMUM FABRICIUM HILDANUM, *Chirurgum & Medicum experientissimum, Dominum & amicum plurimum honorandum.*

Cui

Daniel Sennertus, Doctor & Medicinæ Professor

S. P. D.

S*Literis tuis, Vir Clarissime, amice honorande, quibus ad meas respondes, & utiles quasdam de Pestilentia observationes, ut & historiam militis, qui parte Epatis per vulnus abscissa convaluit, communicas, mihi gratissimæ acciderunt, dudùmque ijs respondissem, si incertis nuntiis, in hac locorum distantia, meas committere voluissem. Nunc, ne diutius taceam, hanc occasionem arripio. Rem autem non ingratam me tibi facturum existimo, si par pari referã, atq; iterum de quibusdam rebus Medicis, & Chirurgiam præcipuè, in qua inprimis excellis, spectantibus, ad te scribam.*

Facis in Observationibus tuis Chirurgicis mentionem fungorum, & læsis membranis cerebri, ex humoribus ad locũ affectum affluentibus eos nasci doces. Quæ & aliorum Chirurgorum est sententia, ubi in mentem mihi hoc incidit dubium: An solùm membranis cerebri affectis generentur fungi? Faciunt quidem, ut video, Medici solùm fungorum in vulneribus capitis mentionem: Sed in aliis quoque partibus fungos nasci posse, hæ duæ persuadere videntur historiæ, quæ superioribus annis, dùm hic Wittebergæ Medicinæ operam darem, acciderunt. Prior hæc est. Puer quidam annos natus circiter decem, ex saltu pedem sinistrum ad terram vehementiùs allisit, atque in planta è regione minimi digiti, læsit. Hinc tumor primò suprà malleolum externũ conspectus fuit, qui à rustico quodam imperito (forsan luxationis alicujus reponendæ gratia, adhibito) posteà deorsum pulsus fuit. Hinc tumor paulatim incrementum sumpsit, ita ut totum pedium prehenderet, cutimque insigniter distenderet, & pedes digitorum magno intervallo ob tumorem interjectum distarent. Cutis tamen colore sanæ parti planè fuit similis. Tentata, ut fieri solet, à variis varia, sed omnia frustrà. Tandem ad Chirurgum perventum: qui cùm suppurationem, ob insignem loci mollitiem factam esse crederet, & dolores increscerẽt, aperuit locum. Parùm sanguinis, puris verò nihil effluxit: mox verò prosiliit quasi pinguedo quædam, quæ vulnus claudebat. Sequentibus diebus spongiæ, nigro seroso sanguine plenæ, copiosius erumpere cœperunt: & in planta pedis versùs digitum minorem unâ nocte quasi νέκρωσις incidit tanta, quæ dimidium thalerum æquaret. Aperta illa, nihil tamen putridi decidit, & nihil mortuæ carnis separari potuit, sed fuit caro quasi spongia adusta, cruenta, sanguine turgens & stillans. Cœperunt & aliis in locis, ad latera, & suprà talos fungi se efferre, fœdo & horrendo aspectu, ut pars illa pedis magnitudinem capitis pueri superaret. Tandem ad sectionem ventum, & præcisum est pedium usque ad os naviculare & calcis. Quod abscissum est, caro fuit tota fungosa, partim putrida & corrupta, partim coagulata, densa & viscidæ pinguedini porosæ similis, pondere ferè ℔ iiij. Verùm sequentibus diebus spongiosa caro, iterùm magna vi prorupit, & quãtum interdiu auferebatur, tantum noctu iterum succrevit. Denique tumor magnus ad sinistrum inguen loco, quo glandulæ sunt, in femore exortus est, specie planè similis ei, qui in pedio ab initio conspiciebatur, qui & ipse posteà, sua sponte ruptus est, ex quo magna spongiosæ carnis copia excrevit. Non ita multò post puer in vivis esse desiit.

Dubium.

Prior historia.

Altera

Obs. 35. & 36. altera historia.

Altera historia hæc est: Puer duodecim annorum, dentium dolore graviter vexatus est. Deventũ tandem ad extractionem: extractus est unus ex dentibus superioribus. Oritur posteà tuberculum in palato propè illum dentem, magnitudine nuclei pruni. Isthinc cùm esset molle, nec sponte aperiretur, pus subesse creditur: aperitur, sed nihil effluit, nisi aliquot guttæ sanguinis. Posteà verò caro spongiosa, nigricãs, prorumpit: quæ usque adeò increvit, ut non solùm per os promineret, sed & per nares excresceret, pueroque tandem mortem afferret. Parentes primam mali causam suspicantur hanc fuisse. Puer jactus fuit pila nivea, cui lapillus inclusus fuerat, ad interiorem oculi angulum. Eò loci post menses tres ortum fuit tuberculum, quod posteà præsente spongiosa illa carne in fistulam quasi degeneraret. Hæc eo fine ad te, Vir Clarissime, scribo, ut ex te audiam, quid tibi de generatione fungorum videatur. Faciunt quidem antiqui Cheirurgi, Guido, Theodoricus, & alij, mentionem excrescentiarum, nactarum seu naptarum, ut appellant, quæ apostemata magna, carnosa & mollia sunt, fungus est, esse dicunt: fungorum tamen, quantum quidem memini, mentionem faciunt tantùm in vulnerib. capitis. Itaque ad me perscribas velim, an hi, quos in his duabus historiis descripsi, veri fungi fuerint, si non pro fungis habes, ad quod genus tumoris pertineãt Si verò pro fungis agnoscis: qui fit, quod authores saltem in capitis vulneribus de iis mentionem faciant? verum itaque fungorum subjectum scire velim. Quid si illud sit membrana in genere, aut quodcunq; corpus membranosum? sed nihil definire volo: verùm tuum ea de re judicium, & aliquid etiam de vera fungorum curatione (si quid præter illa, quæ in Observationibus sunt, habes) expecto. B. V. Dab. Wittebergæ Calend. Septemb. 1609.

T. Excellentiæ
Studiosissimus.

OBSERVATIO XXXVI.

De Fungis tàm carnosis, quàm osseis, in diversis corporis partibus nascentibus.

Amplissimo atque Clarissimo Viro, Dn. DANIELI SENNERTO, Medicinæ Doctori, & in Illustri Academia Wittebergensi Professori longè celeberrimo, amico singulari.

Guilhelmus Fabricius Hildanus,
S. P. D.

QUas Calend. Septemb. 1609. ad me literas dedisti, vir Amplissime, tandem 9. Martij proximè elapso, accepi. Et quia nundinæ Francofurtenses instabant, quinetiam Basileam & Augustam Vindel. mihi proficiscendum erat, ad eas maturiùs respondere non licuit, quapropter ne Exc. T. moram ægrè ferat, obnixè rogo.

Affectus quos communicasti, tecum fungos appello, & fungos appellari posse, non est ut quispiam in dubium revocet. Etiamsi enim Authores tantummodò de fungis in capite denudatis membranis nascẽtibus, mentionem faciant, attamen diligenter exploratis causis fungorum, cur & in aliis corporis partibus nasci nequeant, nondum video. Sed quia id rarissimè accidit, & sæpissimè ad aliquod aliud genus tumoris hujusmodi excrescentiæ carnosæ referri possint, ut posteà dicam, visum est Authoribus, illas solummodò excrescentias carnosas, quæ exempto cranio, ex membranis, aut cerebro ipso propullulãt, fungos vocitare, quum tamen si, (ut dixi) causas & generationem fungorum spectare velimus, in alijs quoque corporis partibus, non minùs quàm ex ipso cerebro, aut ejus membranis, nasci possint. Hujus sententiæ quoque ex antiquis nonnulli sunt, & quidem præstantissimi Cheirurgi, Bruno in primis, Theodoricus & Bertapalia. Quandoquidem Bruno sub nomine NACTA, nihil aliud intelligit, quàm fungosas hasce excrescentias. Sic enim verba ejus sonant. *Plerunq; accidit in quibusdam hominibus superfluitas quædam, quæ vulgari nomine dicitur NACTA: & est apostema carnosum, magnum, molle ut plurimùm sicut fungus, & non est cum eo dolor; aut si est dolor in eo, est parvus; neque calor, neque pulsatio &c.* Theodoricus eadem habet verba, non tamen NACTAM, sed NAPTAM, ejusmodi excrescentias: Bertapalia verò NATTAM illas appellat. Et disertè dicit, esse apostema glandulosum sive carnosum, & rectè quidem. Aliquando enim hujusmodi excrescentiæ (de fungis in capite non loquor) malignam aliquam in se continent qualitatem, duræ inæqualésque sunt. A glandulis tamen differunt, ut idem Bertapalia testatur. Ex supradictis itaque descriptionibus, hæc definitio rectè elici posse, mihi videtur, nimirùm, Fungum corpus quoddam esse carnosum, ut plurimùm laxum, molle, ferè indolens, ex humoribus superabundantibus & flatulentis, subitò & parvo temporis spatio, progenitum. Ut plurimùm, inquam, sæpissimè enim non laxa aut mollis est excrescentia hæc, sed dura, & glandulosa, inæqualisve, nõ indolens, sed cum dolore, præcipuè si malignitas aliqua adfuerit, quemadmodum in fungis, qui in infimis corporis partibus nascuntur, sæpissimè adest. In membranis verò cerebri non ita fit, & rarissimè fungi maligni, nisi insignis aliqua contusio adfuerit, & proinde putrefactio, inveniuntur: crassus enim humor, ex quo fungus malignus generatur, non facilè sursum ascendere potest. Materia enim fungi circà menynges, aut cerebrum ipsum, ut plurimùm benigna est, & ut Ioh. And. à Cruce refert, aërea, nec non vaporosa, ideóque excrescentiam minimè malignam procreat. Excrescentia autem illa, quia sæpissimè parvo temporis spatio prorumpit, mollis est, Galeno à similitudine fungus appellatur. Quemadmodùm enim fungi qui cœlo existente calido & humido, ut plurimùm una nocte è terra provenientes, spongiosi ac molles sunt, ità etiam fungi circà menynges aut cerebrum ipsum, si humor aliquis benignus copiosè affluxerit, citissimè exoriuntur, & quidem propter sumam naturæ providentiam. Cùm enim vix aliquid reperiri possit, quod adeò sit inimicum cerebro ejusque membranis, atque aër externus, illa est providentia naturę, ut quàmprimùm

Obs. 36.

Bruno l. 2. cap. 8.

Theodoricus libr. 3. cap. 31.
Bertapalia de apostematib. cap. 20.

Definitio.

Lib. 1. c. 15.

De loc. affect. lib. 3. Epidemior. lib. 3.

Obs. 36. mùm ipsas tegumento aliquo munit obtegitque, ideóque copiosè affluente humore aliquo (non tamen putrido, à quo fungi terrestres & arborum enasci solent, sed benigno & laudabili) protinùs & caro copiosè enascitur. Quòd si igitur aliquis generationem prædictorum fungorum ad humores secundarios, rorem, gluten, & cambium referre velit, meo quidem judicio non multùm à via recta aberrabit. Eandem naturæ industriam in ossibus quoque denudatis conspicimus, quibus, cùm aër similiter sit infensissimus, natura ea quamprimùm fungosâ quadam carne tegit. Hinc fit, ut fungus nonnunquàm, durâ membranâ existente integrâ, enascatur, pro ejus scilicet preservatione, ne uti dixi, ab aëre externo ledatur. Si enim natura eâdem providentia in ossibus denudatis, quæ corpora solida, siccissima, paucis venis, arterijsque predita, minúsque partes nobiles sunt, utitur, nonne multò magis in dura menynge, membrana nobilissima, innumerisque venis & arterijs predita, prestabit?

In dura tamen menynge, quandiu integra fuerit, rariùs & vix (excepto, ubi contusio & affluxus humorum suprà modum fuerit magnus, & revulsiones ab initio non adhibitæ) fit fungus ingens, & qui extrà vulnus extuberare potest, quum propter spissitudinem suam difficulter in altum elevetur dura menynx. Rupta verò dura menynge, pia mater, unà cum adnata carne fungosa facillimè, si flatus aliquis subter membrana collectus fuerit, in altum elevatur, ut etiam extra vulnus protuberet. Clarissimus atque doctissimus vir D. D. IACOBUS AUBERTUS Vindo, piæ memoriæ, Medicus apud Lausannenses lõgè celeberrimus, fautor meus charissimus, fungum fieri vult ruptâ dura menynge, & tenui in altum elevatâ, substantiáque cerebri repleta. Sed hæc cum distinctione intelligenda esse, nec simpliciter de omnibus fungis intelligi posse, planè mihi persuasum habeo. Sciunt enim Practici, & in primis ij, qui aliquam in Anatomicis cognitionẽ habent, cerebri substantiam, etiamsi mollis & laxa sit, non facilè tamen ita dissolvi aut relaxari posse, ut fungum huncce implere possit. Vellem itaque fungum cerebri ità distinguere, nimirùm in simplicem & compositum. Simplicem voco, qui (uti dixi) pro conservatione membranarum aut ipsius cerebri, summo naturæ beneficio atq; providentia procreatur. Compositum vero, qui aut maximam contusionem, inflammationem, & intempestivum humorum affluxum, aut simile aliquod symptoma adjunctum habet. In simplici fungo præterea cerebrum suo loco non movetur, fitque fungus ex adnata carne spirituque aëreo, qui membranas ipsamque adnatam carnem in altum elevat. In composito autem, ubi propter inflammationem, & colluviem adfluentium humorum, cerebrum circà vulnus veluti corruptum, & in pus conversum est, membranæ ipsæ in altum elevatæ, etiam substantiâ cerebri liquefactâ & dissolutâ, impleri possunt: suntq; eiusmodi fungi periculosissimi, & ut plurimùm lethales. Ideòque horum solummodò mentionem fecit author modò citatus. Reliquos verò, quia non usque adeò periculosi, faciliusque

Lib. de signis morbor. c. 17.

curantur, propter brevitatem (quam in isto libello studiosè observavit) omisit. Hoc quoque modo, (meo quidem judicio) locus in Paræo de fœtore fungi intelligendus est. Simplex enim fungus in capite, (ut ego sæpiùs expertus sum) minimè fœtet, nec usque adeò (ut Bruno & Theodoricus testantur) dolet. Quòd si acciderit putrefactio aut corruptio aliqua, tunc ut fœtor quoque superveniat, necesse est. Prætereà fungi eiusmodi ex humoribus semiputridis ad instar fungorum arborum, originem atque ortum habere, rectè docent Paræus & alij. Ioh. And. à Cruce in fungis duræ menyngis motum naturalem deperdi, scriptum reliquit, quam opinionem esse absurdam, aliquis existimare posset. Non enim deperditur motus, sed tegitur atque absconditur propter adnatam carnem: sed author hic excellens de eo loquitur fungo, ubi mors est in propinquo, ut ex textu illius libri facilè colligere est. Hæc ego propterea scribo, ne aliquis opinionem horum doctorum virorum, & de Cheirurgia benè meritorum, ridiculosam esse existimet.

Obs. [illegible] Libr. 1 cap. 19

Cheirurgia lib. cap. 15.

Cæterùm de curatione fungorum, circà membranas cerebri nascentium, superfluum est hîc disserere, cùm de ea in prima Centuria Obs. 15. egerim, ex qua reliqua facilè dijudicari ac percipi possunt. Hoc tantùm addo, fungos ruptâ durâ menynge difficiliùs curari, quàm illâ illæsâ: causa est in promptu. Cùm enim dura menynx exquisitissimo sensu prædita sit, ac continuò moveatur, si disrupta aut sauciata fuerit, continuò quoque affluunt humores, ex quibus incrementum fungi, nec non symptomata varia oriuntur. Quapropter & majorem requirit diligentiam.

Ante omnia autem prospicere convenit, ut summo studio humores illi qui sursùm ascendũt, deorsùm trahantur: Deinde quoque, licet Galenus in carnis excrescentia acria præscribat medicamenta, hîc tamen minimè esse applicanda, multò minùs excisionem, quæ novacula fit, tentandam, imò neque ligatura, quæ filo serico fieri solet, tuta est, propter gravia, quæ inde sequi solent, symptomata. Vbi tamen putredo aliqua circa membranam adfuerit, tutò Ægyptiacum applicant Practici, in exigua tamen quantitate, & quidem cum cautione, de qua re consule tractatum meum de Gangræna, Germanicè editum, cap. 28.

Metho. med. li[illegible]

Ioh. An[illegible] à Cruc[illegible] lib. 1. [illegible]

Hactenus ostendimus, fungos circà cerebri membranas rarò malignos esse: fungorum verò in infimis corporis partibus nascentium alia est ratio: humor enim, qui adfluit, non semper benignus est, sed ut plurimùm crassus, fæculentus & malignus, ex quo corpus non molle, sed plùs aut minùs durum, prout humor, qui adfluit, plùs aut minùs crassus fuerit, procreatur. Nihilominùs tamen, possumus ejusmodi excrescentias, cùm propter formam, tùm etiam, quòd in momento, ut ita dicam, excrescant, fungos appellare, cum illa tamen distinctione, ut alios simpliciter fungos, alios verò, qui duritiem aut malignitatem aliquam adjunctam habent, fungos malignos, aut etiam cancrosos appellemus. Exempli gratiâ:

Obs. 36. Observa.

gratia: Ante annos aliquot, quinquagenarius quidam mihi adductus fuit, cui membrum virile in tantam molem excreverat, ut magnitudinem capitis infantuli, recens nati, ferè adæquaret. Hęc excrescentia dura erat, & hinc inde ulceribus putridis scatens. Et hanc excrescentiam fungum cancrosum appello: fungum à forma: cancrosum verò ab essentia, durus enim, lividus, putridus, malignusque erat. In articulorum quoque vulneribus, nonnunquam substantia quædam modò ex albedine rubescens, modò livescens, subitò excrescit, & fluxum illum serosi humoris, quem Germanici nostri Cheirurgi, ineptissimo vocabulo, *Das Glidwasser* appellant, ut plurimùm præcedere, vel etiam comitari solet. Nec solummodò in vulneribus articulorum, verùm & in aliis circa nervos, hujusmodi fungos excrevisse, cum aliàs, tum etiam ante menses quatuor Paterniaci in quadam puella cacochymica observavi. Propter doloris enim vehementiam, sanguis & humores adfluunt, qui diversa progignunt symptomata, veluti inflammationes, phlegmones, herpetes, fluxum serosi humoris, & ejusmodi quamplurima. Quod si sanguis benignus, laudabilis & flatulentus admixto humore pituitoso affluxerit, ac natura, quæ nunquam ociosa est, ex eo aliquid procreare tentaverit, sequitur extuberantia excrescentiaq; carnis fungosæ. Ante dies quatuordecim Augustâ Vindelicor. rediens. Lavingæ à variis Clarissimis & Doctissimis, Dn. D. Bartholomeo Mercklino, atque Valentino Rulando, Medicinæ Doctoribus, Iuvenis quidam mihi visendus exhibitus fuit, cujus lingua in fungum cancrosum, qui totum ferè os implebat, excreta fuit. Cujus historiam integram, qualisnam tandem exitus erit, à Clarissimo Domino D. Rulando exspecto, eamque in tertia Cẽturia, Deo volente, videbis.

De fungo articulorũ vulneribus.

Fungus linguæ.

De Uvula scirrhosa, & veluti in fungum excreta, exemplum in Observatione 19. hujus Centuriæ vidisti. Ficus ille cancrosus, cujus in prima Centur. Observ. 1. fit mentio, nonne poterit quoque fungus cancrosus appellari? Itaq; subjectum fungi non solum cerebrum, ejusque membranas, sed & omnes corporis partes statuendas esse, existimo: imò & circa anum aliquãdo fungos nasci, testatur Paræus lib. 12. cap. 24. Differunt tamen primò, quoad causas: circa mẽbranas enim cerebri ut plurimùm ex sanguine benigno, aëreo, & minimè maligno generantur, in reliquis verò corporis partibus, unà cum sanguine fæculento quædam, imò & aliquando maligna, corruptaque materia adfluit. Differunt deinde in curatione: circa membranas enim cerebri præter universalia, blandè, uti anteà quoq; monui, fungus tractandus est, nec ullo modo medicamentum acre est applicandum, quemadmodum ex Observ. 14. & 15. Centur. 1. colligere licet. In reliquis verò corporis partibus, præter medicamenta acria & insigniter exiccantia, imò & erodentia, aliquando quoque & ferrum & ignem applicari posse, sæpissimè cum fructu expertus sum. In vulnerum articulorum fungis, quia simul dolor ingens & adfluxus humorum adest, victus tenuis instituendus est, corpus à pravis humoribus expurgandum, vena quin etiam incidẽda. Ab initio Topica, quæ dolorem leniũt, sunt applicanda, veluti sequens linimẽtum.

Obs. 36.

Linimentum.

R. Ceræ novæ &
Gummi elemi ana ℥ iiij.
Therebinth. lotæ ℥ ij.
Ol. rosac.
Butyri recent. non saliti
Ol. de vitel. ovor. &
Amygdalar. dulc. ana ℥vj. Liquefiat omnia lento igne, & colentur. Deinde admisce
Croci ʒj.
Vitellum unius ovi. Misceatur & cum filamentis imponatur. Posteà applicetur sequens Cataplasma.

Cataplasma.

R. Micæ panis albi ℔. ß.
Farinæ sem. cydonior. &
Fœnogræci ana ℥iiij. Coquantur cum lacte vaccino usque ad cõsistentiam cataplasmatis, tùm admisce, butyri recent.
& olei rosac.
De vitell. ovor. ana ℥j.
Axung. hum. ℥ ß.
Croci ʒ ß.
Vitellos ovor. N. 2. Misce, fiat Cataplasma, quod calidè unà cum præscripto unguẽto tantisper applicetur, donec dolor omninò fuerit sedatus, neque interim circa fungum multum laborandum est: quod enim magis urget, ei inprimis & ante omnia incumbere convenit. Sedato dolore, & humorum affluxu, sequens pulvis fungo inspergendus est.

Pulvis.

R. Pulv. præcipitati,
Alum. usti ana ʒ ß.
Vitrioli usti ʒ j.
Pulv. radic. angelicæ
Aristoloch. rotund.
Cariophyllatæ &
Iridis Florentinæ ana ʒ j. Misce.
Posteà applicetur sequens cataplasma.

Cataplasma.

R. Farinæ fabar. &
Lupinot. ana ℥iiij.
Fimi columbini ℥ ij.
Pulv. rosar. rubear.
Myrtillor.
Balaustior.
Absynth. ana ʒij.
Salis marini ʒij. cum lixivio fiat Cataplasma.

Si autem durities aliqua aut malignitas, quæ naturam cancri sapiat, adfuerit, tunc reverà levioribus hisce medicamentis non cedet fungus, acrioribus verò, veluti arsenico, oleo vitrioli, & hujusmodi septicis, escharoticis adhibitis, magis irritatur malum, nec non malignius efficitur: quemadmodum Observ. 1. Centur. 1. monui. Quid igitur inquies, faciendum? Profectò quomodo hujusmodi excrescentiæ, nisi radicitùs exscindantur, tutò, citò, & absque magno dolore, & periculo curari possint, nondum video, quum, quemadmodum dixi, ab acrioribus medicamentis irritentur, & majorem malignitatem acquirant. Hoc modo ante annos decem fungum illũ malignum ac deploratum, in membro virili existentem, cujus anteà memini, feliciter extirpavi,

Obs. 37. miserumq; sanitati restitui, qui & ad hunc usque diem in agro Lausannensi vivit, uti fusius in 3. Centuria declarabo. Sed prospicere convenit, ut hujusmodi fungi radicitùs extirpentur, alioquin mox repullulant & recrescunt, quemadmodum & in puella ista, cujus Exc. T. in prima sua historia mentionem fecit, fungum repullulasse, intelligo, quod & mihi aliquando observare contigit. Clarissimus ac doctissimus Dn. D. MARTINUS CHMIELECIUS, Medicus Basiliensis celeberrimus, amicus meus plurimùm honorandus, cum hisce diebus Exc. T. literas vidisset, casum sequentem, annotatione dignum, mihi communicavit. *Observatio singularis.* Virgo quædam ex honesta familia Basiliensi oriunda, ulcere in tibiâ dextrâ, longo temporis spatio laborabat. Ex hoc autem ulcere caro fungosa adeò copiosè erumpebat, ut Cheirurgi aliquando illam pondere duarum librarum abscinderent. Quamvis autem funditùs abscissâ esse videbatur, mox tamen cum impetu denuò proveniebat. Tandem tibia ex consilio Medicorum ad poplitem abscissa fuit. Post operationem abrasa carne, & osse denudato, foramen rotundum, ad medullam usque penetrans, in ipso repertum fuit. Operatio ad votum successit: sed quum cuncti ipsam evasisse sibi persuaderent, ecce fungosa caro, quæ denuò ex trũco ipso propullulat, easdemq; ferè, ut anteà, molestias parit: ad annos tamen circiter duos post operationem factam supervixit, & quidem utcũque commodè, adeò ut in publicum prodire, atque exercitiis sacris interesse posset. Ex his, quę dixi, apparet, mirum non esse, si fungi oris, inprimis magni, incurabiles sint, quum neque radicitùs exscindi, neq; causticis exedi possint.

Atque hæc sunt, Vir Amplissime, quæ in præsens de fungis carnosis ad te scribere potui. Addam & aliquid de fungis osseis, quæ etiamsi omnium partium corporis sint durissima, & paucas venas, ac arterias, easque exiguas habeant, nihilominus tamen interdum ad instar fungorum excrescere, sequentibus exemplis confirmare tentabo. *De fungis osseis observ. I.*

Anno 1600. propè Lausannam ad Nobilem virum, D. in Goumains vocatus, & per dies aliquot, propter adversam valetudinem filiæ suæ ibi commoratus, intereà temporis ad puellam quandam subditorum suorum 20. circiter annorum ætatis suæ, accersitus fui, eumque unà cum genere & virtute nobilissima Domina in Goumains invisi. Laborabat autem puella ista, gravissimo in tibia sinistra affectu: pars enim illa subter genu adæquabat ferè crassitiem illam, quam crus in coxa habere debebat, quum tamen à genu usque ad coxam potius extenuatum esset crus, infinitis prætereà ulceribus putridis, malignis & dolorosis tibia hæc scatebat. Sed quod admiratione non vacat, in omnibus ulceribus os ipsum denudatum, spongiosum, cariosum, & non nisi cute tectum cernebatur, adeò ut ulcera in ipsum penetrarent, & manifestè appareret, ossa tibiæ in istam crassitiem spongiosam excrevisse. Causa hujus excrescentiæ hæc fuerat. Laboraverat puella hæc ante aliquot annos morbo acuto, eoque gravissimo, ex quo naturæ potiùs, quàm medicamentorum beneficio (nullus enim adhibitus fuit Medicus Rationalis) ut videbatur, curata, de dolore quodam gravativo in tibia conqueri cœpit, paulatimq; natura sese in tibiam hancce exoneravit. Ab initio tamen actionem motumque ejus non aboleverat. Tandem verò cum in diversis locis ulcera sese prodidissent, lecto affixa fuit, nec ampliùs incedere potuit. Volebant autem parentes, ut tibiam amputarem, sed cum maximam virium imbecillitatem, ac summam totius corporis extenuationem, (tibia tamen hac excepta) adesse animadverterem, ipsamq; in ipsa operatione interituram vererer, operationem hanc aggredi ausus minimè fui. Itaq; post paucos dies naturæ satisfecit.

De fungis osseis observat. 2. Habeo in Musæo meo, ossa tibiæ, hominis mediocris staturæ, quæ apud nos in vetusto monumento reperta fuere: sunt illa duplo crassiora quàm naturaliter esse deberent, ita ut omninò appareat, illa præter naturæ ordinem excrevisse. Prætetea materia quædam ossea, per laminas disposita, illis adhæret, non aliter ac tartarum doliis adhærere videmus, sunt tamen ossa hæc satis dura ac solida. Habeo & aliud os tibiæ, similiter duplo crassius, quàm naturaliter esse deberet, sed id spongiosum fungosumq; est.

Observatio 3. Ante aliquod tempus à nobili viro Dn. IACOBO de BRUEL, os è pede bovis mihi communicatum fuit. Est id durum, nec ullo modo malè affectum, præterquam quòd à latere ejus ossis fungus osseus magnitudine ovi anatis excreverit. Fungus ille ad instar spongiæ porosus est, durus tamen, infinitisque hincinde ductibus, in quos venulas ad ejus nutritionem insertas fuisse apparet. præditus.

Hæc Basileâ inter multas occupationes circà Serenissimum Principem ac Dominum, Dom. Janutium Radzivilium &c. graviter laborantem, raptim ad te scribo. Quapropter si Excell. T. exspectationi minùs plenè satisfeci, ut me excusatum habeat, & defectum occupationibus potius meis adscribere velit, etiam atque etiam rogo. Vale vir Amplissime, & me quod facis, ama. Basileæ 17. Iunij, Anno 1610.

OBSERVATIO XXXVII.

Ex abscessu musculorũ abdominis interiùs rupto, mors sequuta est.

ANno 1588. Honesta quædam matrona Lausannensis, cùm de maximo ac pungitivo ventriculi dolore conquereretur, & me advocandum curasset, duritiem è regione ventriculi, ad latus lineæ albæ, hepar versùs, inter musculos abdominis deprehendi, quæ tamen nonnisi palpatione manus persentiebatur, nec quicquam exteriùs apparebat. Febris quoque continua, dolor ingens, pungens & pulsatorius aderat. Ex quibus (licet in cute nulla appareret intemperies) mihi facilè colligere licuit, abscessum inter peritonæum & abdominis musculos subesse. Quum verò morbum periculo non vacare, & immaturam (nisi musculis abdominis incisis) mortem expectandam esse, probè cognovissem, author fui, ut Clarissimum atque doctissimum virum, D.

Obs. 38. Doctorem JACOBUM AUBERTUM Uindonem, tūc temporis Medicum apud Lausannenses longè celeberrimum, accerserent, ac suo quoque uterentur consilio. Quo accersito, mecum planè sensit, nimirùm Phlegmonem subesse, quæ nisi maturè incideretur, aut de vita actum esse, aut ægram ipsam morbum inde diuturnum ac curatu difficilem contracturam. Uerùm cùm adstantibus hæc significaremus, attoniti erant: quia enim in cute nulla nec intemperies, nec tumor apparet, ac de interno abscessu ipsis persuaderi non posset, consilium nostrum de apertione & incisione musculorum omnes planè respuerunt; nihilominùs tamen petierunt, ut si qua ratione anodynis exteriùs adhibitis, dolor leniri, & internis sumptis medicamentis, febris nauseâ & eructationes, aliquo modo mitigari possent, tentaremus. Nos (de præsenti tamen periculo factâ priùs prognosticatione) omnia, quæ necessitas requirebat, & ea quidem, quâ fieri potuit diligentiâ, administravimus. Post dies aliquot, cùm circà mediam noctem dolor protinùs remisisset, liberatam prorsus se esse, ægra sibi persuadebat. Mox septimâ horâ matutinâ vix domum ingressi, ecce præ gaudio maritus nobis occurrit, significans, uxorem suam dolore penitùs liberatam. Id quod & reipsa verum esse, illicò comperimus. Dolor enim ferè nullus aderat, tensio quoque, eructationes, & nausea cessaverunt. Duritiem manu abdomen contrectando, nullam ferè persentire potuimus, febris quoque aliquo modo imminuta, & pulsus laudabilior erat. Ex quibus abscessum parte interna ruptum, materiámque in vacuum ventris delapsam esse, facilè nobis colligere licuit, quò etiam maritum de eventu morbi certiorem faceremus. Paucos post dies, denuò in infimo ventre dolore exorto, febris ardens simul & continua supervenit. Tandem lipothimiâ, quin etiam sudore frigido correpta ægra, naturæ satisfaciendo, placidè piéque ex hac vita decessit. Historiam hanc prolixiùs aliquo modo recensere placuit, ut Tyrones, quid in hujusmodi casibus agendum prædicendúmque sit, intelligant & ediscant.

OBSERVATIO XXXVIII.

Quidam abscessu desperato musculorum abdominis laborans, magna cum admiratione omnium curatus fuit.

ANno 1597. Sabaudus quidam quadragenarius, & robustus, cùm dolore maximo dextri lateris ad finem costarum notharum laboraret, Lausannam venit, meque unà cum Clarissimo ac doctissimo viro Dom. ALBERTO ROSCIO, apud Lausannenses Doctore Medico longè celeberrimo, in consilium advocavit. Invisentes eum, nullum neque tumorem, neque intemperiem, verùm duritiem inter musculos in profundo, nobis observare licuit. Quare dolor propter compressionem & extensionem peritonei erat ingens, cum febricula adjuncta. Corpore leniter purgato, fomentationes, cataplasmata, inunctiones, discutientia, resolventia & anodyna per dies aliquot applicuimus, sed absque fructu. Hinc spem aliquam concepimus, materiam in halitum resolvi posse, quemadmodum mihi ipsi olim acciderat. A Domino itaque ROSCIO decoctum ligni Guaiaci, & Sarsę parillæ, additis herbis hepar respicientibus pręscriptum, & per dies aliquot exhibitum fuit. Verùm tantum abfuit, ut materia dissipata fuerit, quin potiùs intra paucos dies circa regionem hepatis inter musculos abdominis & peritonęum defluxerit, atque collecta sit, ut ratione doloris punctorij & pulsatorij, locus, in quo incisio facienpa, nobis satis innotuerit. Quamobrem etsi extrinsecùs in cute nihil appareret, ne tamen materia peritonęum penetraret, atque in vacuum ventris deflueret, communi consensu deliberavimus, musculos maturè incidendos esse. Id quod etiam pręsente prędicto Domino ROSCIO, CLAUDIO MARIONE, alijsque, feliciter à me factum fuit. Quo facto, pus copiosè effluxit, neque diu pòst, febris, dolor, lipothymia paulatim cessarunt. Ulcus, propter puris copiam, quæ effluebat, per menses aliquot apertùm retinere coacti fuimus. Interim optimâ victus ratione observata, & corpore per intervalla probè expurgato, decoctis idem sudoriferis: additis iis, quæ hepar respiciunt, partésque nobiles roborant, usus, tandem singulari DEI beneficio optimè convaluit.

Obs. 39.

OBSERVATIO XXXIX.

Abscessu ingenti è regione Hepatis adaperto, subitò mors sequuta est.

EXEMPLUM I.

ANno 1592. Quadragenarius quidam in monte Coronato, pago propè Hildenam per annos aliquot obstructione viscerum, & cachexiâ laborans, tandem dolore diuturno ac magno, è regione Hepatis correptus fuit. Ego tandem per literas Reverendi ac doctissimi viri D. FRIDERICI COELOCOMI, piæ memoriæ, ejus loci verbi divini ministri fidelissimi, amici mei plurimùm honorandi, ad ægrum accersitus, in dextro hypochondrio abscessum immensæ magnitudinis deprehendi: Cutis enim totius fermè lateris ab Ilii osse ad costas veras, lineámque albam, & spinam dorsi, puris plena, elevata, & extensa erat. Dolor continuus & magnus, lipothymiæ item, nausea, appetitus viriúmque prostratio aderant. Quapropter etsi æger & adstantes amici ut abscessum aperiem, efflagitarent; propter maximum tamen, ac instans mortis periculum, neve nomen imperiti Chirurgi, mihi adhuc juveni, comparare viderer, manum adhibere recusavi, & sequenti die domum reversus fui. Post mei abitum, cum Barbitonsor in consilium adhibitus, vomicam aperuisset, maximâ puris copia impetuosè effluxit. Inde etsi dolor aliquo modo imminutus esset, intra biduum tamen æger animam DEO reddidit.

EXEMPLUM II.

Anno 1609. Soloduri in nosocomio, fœminam simili abscessu è regione hepatis laborantem decubuisse; eumque præsente Nobiliss. & Clariss. Viro Dn. Paulo Lentulo, Reipublicæ Bernensis Doctore Medico celeberrimo; apertū,

Obs. 40. & ægram sequenti die naturæ satisfecisse, memini.

EXEMPLUM III.

Anno 1616. ad matronam Bernensem decrepitam vocatus fui. Laborabat & illa ingenti tumore è regione hepatis, cum maximo dolore totius ventris, & virium prostratione. Tumorem huncce cum propter imminens periculum aperire recusarem. Et anodyna & corroborantia nonnulla interna & externa præscripsissem, triduo post per se ruptus fuit abscessus, ex quo maxima puris copia effluxit. Et ægra intra paucos dies ex hac luce subtracta fuit.

ADMONITIO.

Caveant itaque sibi juniores Chirurgi, ne in magnis abscessibus materiam è vestigio, & de repente, sed sensim & per vices evacuent. Etsi enim apertio magnorum abscessuum circà partes nobiles inprimis sit periculosa, videmus tamen, inquit Galenus, & in aliis partibus, quando aliquis magn⁹ tumor suppuratur, periculosam esse universam evacuationem, cum è vestigio deficiat anima, & vires debilitentur, & postea debilitas ista remedium non habeat. Videntur enim in his quidam propter magnam distantiam corporum & puris acritudinem, ora quorundam vasorum arteriosorum esse adaperta, quæ prius veluti quoddam operculum pus continebant: quo universim evacuato, multi spiritus unà cum eo exeunt, atque excernuntur: unde periclitantur ægri.

Commēt. 27. lib. 6. aph. Hipp.

OBSERVATIO XL.

De prodigiosa puellæ Coloniensis inedia.

Ad

Virum nobilem D. PAULUM LENTULUM, *Inclytæ Reipubl. Bernensis, civem & Archiatrum celeberrimum,*

cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus. S. P. D.

EA, quæ in rerum natura inter abstrusa & occulta occurrunt, Vir Genere, doctrinâ & virtute clarissime, nihil est quod me magis in admirationem rapiat, quàm admiranda & prodigiosa APOLLONIÆ SCHREIERÆ inedia. Quî enim corpus humanum naturaliter sine cibo & potu ad annos aliquot vivere possit, ingenium humanum planè latere opinor. Noluit enim DEUS nobis propter peccatum facilem ad ea aditum, quæ abditissima sunt, patere, sed nonnulla rimanda & investiganda reliquit viris ingeniosissimis, ut haberent, in quo sese exercerent. Vtinam igitur tua Excell. amicorum tandem precibus obtemperare, & Historiam illam evulgare diutius non cunctetur. Neque enim dubito, quin pro ingenij tui acumine, hujus rei causas aliquas naturales sis in medium allaturus. Meum autem hujus admirandæ inediæ exemplum, quod videre cupis, tale est.

Anno Domini M. D. XCV. puella quatuordecim aut circiter annos nata, è Ducatu Iuliacensi, Coloniam adducta fuit, ubi in diversorio, cui equus albus pro insigni est, in lata platea, ut singulare quidpiam, conspiciēdum exhibita fuit. Illam autem sine ullo cibo & potu, per annos tres vixisse ajebant parentes, idque testimoniis authenticis, & fide dignis confirmabant. Diligenter ego illam perlustravi, & singula observavi. Facie erat tristi & melancholica, toto corpore carnosa satis (ventrem excipio, qui ad spinam dorsi planè depressus vergebat) Hepar reliquaq; viscera ventrem manu tractando, quasi in scirrhos concreta essent, percipiebantur: excrementa nulla ejiciebat; à cibo adeò abhorrebat, ut cum quidam ex illis, qui ad eam visendam advenerant, sacchari parùm clam in os immisisset, illa protinùs in syncopen incideret. Sed quod maximè mirandum est, ambulabat illa, imò cum aliis puellis ludebat, saltabat, & negotia puerilia perficiebat, eratq; corpus suo calore naturali præditum. Respirandi, loquendi, vociferandi nulla erat difficultas. Hæc ego meis oculis vidi, & auribus percepi.

De origine hujus inediæ interrogati parentes, referebant, illam ante annos septem ex morbo gravissimo relevatam, paulatim cibi fastidio correptam fuisse, ita ut aliquando trium aut quatuor dierum spacio nihil cibi gustarit, deinde sumpto parum lactis recens emulcti, denuò per dies sex aut septem à cibo & potu abstinuisse. Cumque in ea miseria quatuor annos integros vixisset, à cibo & potu omninò posteà abhorruisse, & tribus exinde annis, neque cibum, neq; potum gustasse. Mansit illa Coloniæ per menses aliquot, & à multis magna cum admiratione conspecta fuit. Inde posteà aliò deducta est, & qualis tandem illius exitus fuerit, ignoro. Hisce valeat Excell. T. unà cum conjuge honestissima & liberis dulcissimis, quos unà mecum uxor mea peramanter salutat. Paterniaco Aventicor. die xxv. Februarij. Anno M.D.CIII.

OBSERVATIO XLI.

Puella non sustinens panem nominari, nedum videre.

Idem ad eundem

Virum Nobilem, Dn. D. PAULUM LENTULUM.

QUia te jam dudùm, vir doctrinâ atque virtute clarissime, animum ad conscribendam & divulgandam secundam partem Historiæ, abstrusi & occulti illius DEI miraculi de inedia, APOLLONIÆ SCHREIERÆ, addidisse sciam, venit in mentem casus, speculationibus tuis nō indignus, quem tibi nō communicare nō potui.

Puerum quinque aut sex años natum, Werdini ad Rorem fluvium, cum doctissimo REINERO SOLINANDRO, Illustriss. Princip. Iuliacensium, Clivensium & Montensium, Medico ordinario, & COSMA SLOTANO, ejusdem Principis Chirurgo longè peritissimo, aliquoties invisi, qui ex gravi morbo liberatus, in aliud incidit symptoma, ut quotiescunq; panem videret, imò etiam intelligeret nominari, in terram mortuus quasi prosternebatur, omni loquela, visu, auditu & intellectu privatus. Tandem verò quasi ex so-

Obs. 42. ex sopore expergefactus, surrexit, & puerilia sua negotia, ut anteà, peragebat. Ego cum hunc puerum inviserem, jam antea ultrà tres annos in hac miseria vixerat, qualis autem exitus tandem fuerit, ignoro.

OBSERVATIO XLII.

De inediæ quadam specie in Iuvene.

Idem ad

Eundem Virum nobilem, Dn. D. PAULUM LENTULUM.

NOn ita pridem, Vir Amplissime, meas cum excuterem schedas, incidit in manus casus quidam, quem tibi aliàs coràm narravi, quinetiam scriptis communicare promisi. Et quia ipse à materia de inedia, quam præ manibus habes, non usque adeò alienus est, ipsius lectio forsàn nō ingrata tibi erit, sic autem se habet.

Anno 1590. Hildenæ in patria degens,& praxin exercens, in villam proximam, Schaseippen, ad puellam quandam 18. annor. ætatis, & cancro occulto in sinistra mamma laborantem, vocatus fui. Interim autem, dùm curationem hanc (quæ etsi satis longa, ad optatum tamen finem pervenit) absolverem, familiariter cognovi fratrem hujus puellæ, juvenem 20. circiter annorum, qui anno (ni fallor) 1589. ex morbo gravissimo atque diuturno, solo DEI & naturæ beneficio, citra ullum medicamentorum usum, ita reservatus fuit, ut hinc indè deambulare posset, à cibo tamen & potu per dies aliquot adeò abhorruit, ut vix odorem ipsius sufferre, multò minùs quicquam gustare posset. Quum verò multa & varia esculenta ipsi offerrentur, ova tandem eaque durissimè cocta, cerevisiamque vulgarem sibi elegit, atque appetivit. Quibus spacio sex mensium pro suo alimento sic nutritus, illa quoque paulatim fastidire ac aversari cœpit, ut tandem omninò respueret. Contrà verò juglandes cum pauxillo panis, tàm gratus ipsi cibus fuere, ut nullus gratissimus, nec quicquam aliud per multos menses assumere potuit. Interim etsi debilis esset, hinc indè nihilominùs perambulabat quotidiè, & tandem etiam ad pristinum statum naturalem rediit, ut omnis generis cibos, ut antea, appeteret, negotia quinetiam sua rusticana probè peragere posset.

Cæterùm opinionem eorum, qui cochleas terrestres tempore hyemali, sine alimento vivere posse, contendunt, probare non possum. Hac enim hyeme, cum aliquando unà cum Doctissimis Viris, D. MICHAELE DORINGIO, Medicinæ Doctore, & EMANUELE URSTISIO, Artium liberal. Magistro, convictoribus meis, testas aperiremus, cochleasque inspiceremus, ipsa ocularis inspectio contrarium nos edocuit. Sed eas paulò diligentiùs examinandi, forsan posthac dabitur ocium & occasio: tùm quicquid observavero, libenter tibi communicabo. Tu interim vale Vir Amplissime, unà cum nobilissima tua ERLACHIA, quàm à me, & uxore mea salutatam velim. Raptim Paterniaci Aventicor. 10. Martij. 1608.

OBSERVATIO XLIII.

Obs. 43. & 44.

Adolescens incognito & abdito morbo diu laborans, postquàm à Necromantico potiunculam sumpsisset, aciculas, cuspides cultellorum, claviculos, & id genus similia tandem evomuit, & convaluit.

ADolescens in pago quodam prope urbem Metim, longo & intricato tenebatur morbo, ad quem Medicorum consilia parùm facere videbantur. Tandem Parentes Necromanticum accedunt, cujus consilio, quùm Vomitorium medicamentum hausisset, aciculas, claviculos, cuspides cultellorum, aliaque ferramenta plurima ejecit, deinde brevi convaluit. Ego cum hujus Adolescentis parenti fractam tibiam, cum Magistro JOANNE BARTHERO, Metensi Chirurgo, curarem, ea, quæ sæpius vomitu ejecerat, non sine admiratione inspexi.

OBSERVATIO XLIV.

Inciso cadavere, quæ notatu digna in ipso reperta fuere.


PVella quædam Coloniensis, ex parentibus sanis & benè temperatis nata, circà undecimum annum ætatis, primò in febrim Ephemeram, mox in hecticam incidit. Hinc cùm spatio trium mensium doloribus totius corporis, ariditate linguæ, tussiculâ, deglutiendi, respirandi atque loquendi difficultate, sudoribus frequentibus, præcipuè noctu, imò & dormiendo vexata esset; tandem nono Augusti 1595. planè extenuata, obijt. Ego accitus, ut coram clarissimo ac Doctiss. viro D. JOH. SLOTANO, Medico celeberrimo, ac RHENERO SLOTANO, Pharmacopola exercitatissimo, cadaver aperirem, sequentia observavimus.

1. Intestina vermibus plurimis infarcta conspiciebantur.
2. Mesenterium scirrhosum, & hinc indè materiâ gypseâ, uti quoque circum circà venam portam, refertum fuerat. Hinc chylus ad hepar permeare, ac distribui non potuit.
3. Hepar in diversis locis tàm in parte sua cava, quàm gibba, steatomatibus scatebat.
4. Hepar mediante materiâ gypsea tàm tenaciter diaphragmati adnatum erat, vix ut avelli posset. Hinc anhelitus difficultas, & tussicula.
5. Circumcircà venam cavam tàm ramum ascendentem, quàm descendentem, moles materiæ hujus gypseæ, ad magnitudinem pugni, tenaciter adhærescebat, ramósque comprimebat. Hinc extenuatio corporis, sanguis enim per corpus pro sui nutritione distribui non potuit.
6. Substantia lienis materiâ hac gypseâ undique scatebat, uti ex sequenti figura apparet, in qua splen per medium discissus & apertus conspicitur.
7. Thoracis vacuum aquâ limpidâ, & nonnihil flavescente, plenum visebatur.
8. Pulmonis substantia materiâ purulentâ imbuta, uti quoque steatomatis, nucis vel castaneæ ma-

Obs. 45. & 46. neæ magnitudinem excedentibus, hinc indè referta apparebat.

9. Circà exortum arteriæ asperæ ex pulmonis substantia mola, steatomatum carne permixta, ovi magnitudinem excedens, inventa est, quæ tàm asperæ arteriæ, quàm œsophago adhæresce-bat. Hinc anhelitus, vocis, & deglutiendi difficultas.

Figura Splenis per medium discißi, & aperti.



OBSERVATIO XLV.

Inciso cadavere Hepar & Splen excessivæ magnitudinis repertæ.

Pagana quædam juxtà Lausannam habitans, jam pridem morbo detenta, sibi persuadebat, fœtum mortuum post partum alterius (qui tùm post triduum mortuus.) per menses quatuordecim in utero remansisse. Id verò, quod ipsam in hac opinione falsa confirmaverat, erat in latere sinistro durities manifesta, oblonga, ac ex inferiori parte rotunda, caput infantis repræsentans, quæ ad ilia usque sese extendebat, comprehendens simul regionem umbilici, unà cum lateris dextri costis nothis. Hoc itaque cadavere præsẽte D. JACOBO TSCHARNERO, Patricio Bernensi, & D. CLAVDIO MARIONE, apud Lausannẽses Pharmacopæo peritissimo, inciso, tantæ magnitudinis hepar invenimus, ut lobus stomachum versùs sub costis sinistri lateris spurias transgrederetur. Splen quoque imẽsæ magnitudinis, durus, & in inferiori parte versùs ilium rotundus, sanguine adusto plenus, hepatis lobo adnatus, conspiciebatur. Venæ ejus cum arterijs, mediocris pollicis magnitudinem excedebant: Vas verò breve, exiguum, & obstructum erat.

OBSERVATIO XLVI.

Ex applicatione medicamentorum calidorum circà os ventriculi, inflammatio Hepatis, & mortis periculum sequutum.

Hominem Coloniæ intemperie frigida ventriculi, & calida intemperie hepatis laborantem cognovi, cui ab Empirico quodam plurima tàm emplastra, quàm unguenta, eaq; præcalida, veluti è pipere, cardamomo, oleo caryophill, cinamomi, & similibus præscripta, atque cartilagini Xyphoidi admota fuerunt, inde inflammatione hepatis correptus, vix ab eadem liberari potuit. Tandem verò Dei beneficio, ijs, quæ hepar refrigerant & corroborant, veluti julapio ex aqua cichorij, endiviæ, agrimoniæ, veronicæ, cum syrupo de succo limonum, acetosæ, & unguento sandalino exteriùs applicato, sanitati eum restitui.

Huius rei causam, si quis investigare atque indagare aveat: anatomiam hepatis diligenter inspiciat, necesse est: Cava enim sui parte à dextra in sinistram, universam ferè anteriorem ventriculi regionem integit, ita ut medicamenta calida, quæ corroborandi gratià ventriculo frigidiori admoventur, substantiam hepatis priùs attingant, antequàm ad ventriculum usque perveniant.

OBSERVATIO XLVII.

Ex applicatione cucurbitularum ad regionem Hepatis, inflammatio sequuta.

Galenus lib. 5. methodo med. & post eum multi alij, in hæmorrhagia narium, cucurbitulas, regioni hepatis applicari suadent. Quod quidem absque periculo fieri non posse, sequens Historia fidem facit.

Aulicus quidam Principis Iuliacensium, Clivensium & Montens. maximâ hæmorrhagiâ narium laborans, Chirurgum quendam, alioquin in arte benè versatum, in consilium adhibuit. Is præter alia subsidia, ipsi quoque cucurbitulas magnas ad regionem hepatis applicuit. Sanguis quidem substitit, sed inflammatio hepatis sequuta fuit. COSMAS SLOTANVS, ejusdem Principis Chirurgus longè præstantissimus accersitus,

47. 48. tus, quum vires adhuc constare, observasset, victus rationem tenuem ac refrigerantẽ instituit. Et postquam alvũ clystere leniente subduxisset, venam in brachio dextro incidit, sanguinisque ad ℥vi. extraxit. Deinde sequens Iulapium exhibuit.

R. Aquar. buglos.
Cichorei
Rosarum ana ℥ ij.
Syrupi granator. &
de rosis siccis an. ℥ j.

Misce, fiat Julapium pro duabus dosibus. Primum haustum statim à venæ sectione, nimirùm hora tertia pomeridiana, alterum circa mediam noctem exhibuit. Extrinsecùs autem totum latus usque in quartum diem, singulis diebus bis, oleis sequentibus inunxit.

R. Ol. rosarum &
Myrtillor. ana ℥ij.
Ol. absynth. ℥ ſ.
Santali rubri, & subtilissimè
Pulverisati ʒij.
Camphuræ ℈ ſ.
Aceti rosat. parum. Misce,
Fiat unguentum.

[Un]guẽtũ.

Julapium quoque præscriptum bis in die, ad quartum aut quintum usq; diem propinavit, Interim alvum per intervalla clysterib. subduxit. Tandem syrupo de cichoreo cum rhabarbaro leniter corpore purgato, & optimâ victus ratione observatâ, convaluit.

In fluore itaque sanguinis, hepati & lieni medicamenta frigidiuscula potiùs, quàm verò cucurbitulas, applicanda esse censeo, præcipuè in vehementissima hæmorrhagia, & ebullitione sanguinis. Quemadmodùm enim frigida medicamenta condensant, constringunt, sanguinemque crassiorem, minusq; fluidum reddunt, sic cucurbitulæ cum violentia, sanguinem quidem, humores & spiritus attrahunt, sicque hæmorrhagiam aliquando sistunt. Sed quia in maxima hemorrhagia sanguis effervescit, subtilior factus, atque in venis, & ut plurimum in ipso hepate in maximo est motu, facillimè cucurbitulis hypochondriis affixis, cum impetu ad hepar attrahitur. Idque ob nobilitatem visceris absq; periculo fieri non posse, certum est. Quæ enim mala ex vehementi sanguinis ad hepar refluxu oriri possunt, suo quoque loco exemplo demonstrabimus. Rectè itaque monet Hippocrates, in his unde sanguis fluit, aut fluxurus est, frigidis medicamentis utendum esse. Idque præsertim, ut ipsius interpretes volunt, ad ea loca, unde incipit motus, veluti hepati aut lieni. Sin verò obstructiones in hujusmodi visceribus adfuerint, tunc quæ intensè refrigerant, eis applicanda non sunt: id enim esset materiam magis condensare atque incuneare.

Lib. 5. Aphor. 23.

[I]ohan. Heurnius Paulus Offredus.

OBSERVATIO XLVIII.

De periculosa Hepatis inflammatione.

D. TOBIAS BANQUETUS, Senator Paterniacensis prudentissimus, quadragenarius, cõstitutione corporis gracilis, & naturâ biliosus, quum anno 1603. ob exercitia nimis violenta, suprà modum incaluisset, inflammatione Hepatis, cum dolore ventris correptus fuit. In consilium advocatus Pharmacopola quidam, malum ex flatibus, cruditatibusq; in colo intestino collectis, ortum fuisse, arbitratus est. Quapropter Enemate exhibito, sacculum ex avena, floribus chamomil. meliloti, & seminibus carminativis calidè applicuit, calida quin etiam nonulla ad flatus discutiendos per os exhibuit. Quibus sic applicatis & propinatis, cùm dolor singulis momentis ingravesceret, ego tandem advocatus fui. Tùm ægrum febre acutâ, cum linguæ ariditate, tussicula sicca, respirandi difficultate, cibi fastidio, siti maxima, nauseâ, vomitu, inquietudinibusq; laborantem offendi: duritiem quoque è regione hepatis manifestam persensi: inflammatio enim præcipuè gibbum hepatis occupabat.

Obs. 48.

In curatione hoc modo procedẽdi usus fui. Victus rationem refrigerantem & humectantem præscripsi, fomentationibus & embrocationibus omnibus calidis, quibus antea usus erat, neglectis: loco vini, decocto agrimoniæ & veronicæ, admixto nonnihil syrupi de succo citronum, & acetosæ, utendum jussi. Mox sequens Enema ordinavi.

Victus ratio.

R. Radicum & folior. altheæ
malvar.
violar.
parietar.
agrimoniæ & veronicæ, an. M. j.
Flor. chamomil.
melioti an. M. ſ.
sem. anisi
fœniculi an. ℥j.
fœnograeci &
lini an. ℥ſ.

Enema.

Coquantur in aqua ad consumptionem tertiæ partis, in ℔ j. colaturæ dissolve sacchar rubri ℥ij.

Electuar. diacathol. ℥ j.
salis p. j.
vitellum ovi
ol. violar. &
rosat. an. ℥j.
Misce, fiat Enema.

Rejecto Enemate, quia vires adhuc constabant, venam in dextro brachio incidi, & ad ℥vij sanguinis extraxi. Exterius totum latus sequenti linimento tepidè inunxi.

R ol. rosar. & violat.
cerati santalini an. ℥j.
ol. absynth. ℥ſ. Misce, fiat Linimentum.

Linimentum.

Post duas horas à cœna, ad inflammationem internam arcendam, & somnum provocandum, nonnihil laudani ipsi exhibui, adeò ut ea nocte, & postera die utcunque meliusculè se habere cœpisset: symptomata enim multùm uti & vires aliquo modo refocillatæ fuerunt. Quapropter sequentem potiunculam ordinavi.

R. Herbar. agrimon.
Veronicæ
Cuscutæ
Scabiosæ ana M. ſ.

Potio purgans.

Sem.

Obs. 48. & 49.

Sem. anisi
Fœniculi ana ʒ ij.
Liquiritiæ rasæ ℥j.
Coquantur in aqua, ut colatura redeat ad ℥iiij. In quibus dissolve Electuarij diacatholici ʒ vj.
Syr. rosar. solut. compos.
cum rhab. agar. & sena ℥j. ſ.
Misce, fiat potio, quâ clementer expurgatus fuit.

Victus rationem interim optimam observabat: pro potu ordinario utebatur decocto agrimoniæ & veronicæ, lacte amygdalino, & emulsionibus sem. frigidor. maj: oleis convenientibus quotidie inungebatur: clysteres quinetiam urgente necessitate injecimus, corpusq; per intervalla infusione rhabarbari, cum syr. rof. solut. compos. & pulvere nostro laxativo expurgavim⁹. Sic divino favore dolor, reliquaq; symptomata remiserunt. Tandem hepar, partesque nobiles sequentibus tabellis corroboravimus.

Tabella.

R. Specier. diarrhod. Abbatis ʒ ij.
Aromatici rosati
Trochiscor. è rhabarb. ana ʒj.
Sacchari dissoluti in decocto agrimoniæ & veron. ℥ iiij.
Misce, & fiant s. a. tabellæ. De quibus sumantur ʒiij. horis tribus ante prandium. His plenissimè convaluit, & per annos tres sanus & incolumis supervixit.

Sed quia à multis annis obstructionibus viscerum, præcipuè hepatis, laboraverat, & in victus ratione modum non observaret, neque per intervalla, uti ego suaseram, corpus expurgaret, paulatim in cachexiam incidit. Ingravescente morbo, in lecto pensili Bernam se ducendum curavit, ubi non diu post animam Deo placidè pièque reddidit.

OBSERVATIO XLIX.

Scirrhi Lienis compendiosa curatio.

RUTGERUS STOCKHS Hildenæ, cum à multis annis scirrho Lienis graviter laborasset, ac variorum celebrium Medicorum consiliis & medicamentis, frustrà tamen, usus fuisset, me tandem anno 1589. quo in patriam reversus, ad se vocavit. Tum in sinistro hypochondrio magnam duritiem & tensionem deprehendi, de dolore etiam gravativo, tussiculâ siccâ, & difficultate anhelitus (propter compressionem diaphragmatis) conquerebatur. Hunc divino favore feliciter & brevi, his, quæ sequuntur medicamentis, sanitati restitui.

Institutâ itaque primò optimâ victus ratione, sequens Lenitivum exhibui.

Potiũcula

R. Herbar. agrimoniæ
Veronicæ
Cuscutæ
Scabiosæ
Fumariæ ana M. ſ.
Sem. anisi &
Fol. senæ mundator. ana ʒij.
Coquantur in aqua, ut colatura redeat ad ℥ iiij. In quibus dissolve confectionis Hamech ʒ iij. diacatholici ʒiij. Misce, fiat potio.

Purgato corpore, sequens præscripsi Apozema.

R. Radic. fœniculi,
Asparagi
Lapatii acuti,
Scrophulariæ,
Polypod. querc.
Saniculæ fœm. Fuchsij,
Cortic. interior. radic. frangulæ an. ℥j.
Herbar. agrimoniæ,
Veronicæ,
Cuscutæ,
Scabiosæ,
Ceterach,
Fumariæ,
Scolopendriæ,
Capill. Vener.
Cochleariæ &
nasturtij aquat. ana M. j.
Flor. genistæ &
Sambuci ana M. ſ.
Sem. fœniculi &
Anisi ana ℥j.
Liquiritiæ rasæ &
Uvar. passular. exacinatar. ana ℥j. ſ.
Coquantur in sufficienti quant. aquæ claræ, donec tertia pars sit absumpta. Cujus decocti recipe ℔ j. In quo dissolve syrupi de scolopendrio.
Syrupi de Epithimo ana ℥j. ſ.
Aquæ cinamomi &
Aceti ana ℥j, Misce, fiat Apozema, pro tribus matutinis. Interim loco affecto sequentem applicui sacculum.

Sacculus.

R. Radic. altheæ &
Malvarum cum toto ana ℥j.
Flor. chamomil.
Meliloti
Sambuci
Herbar, cochleariæ
nasturtij aquat. ana M. ſ.
Incidantur & contundantur, indanturque sacculo, quo filo intertexto, & in aqua cocto, calidè bis aut ter quotidie applicetur.

Post fotum totum latus unguento meo ad splenes induratos, inunxi, emplastrumq; meum de Cicuta, supra alutam extensum, applicui. Hisce scirrho emollito, sequentem potiunculam propinavi.

Potio.

R. confect. Hamech ʒ iij.
Extract Ellebori nigri gr. vj.
Aquæ cinamomi ℥ ſ.
Cum decocto præscripto fiat potiuncula, quæ sumatur matutino tempore.

Corpore hac potione tàm per superiora, quàm inferiora, (absque tamen ulla violentia) probè expurgato, maximum levamen persensit. Evomuit enim multùm humoris adusti, nigri, & melancholici, procul dubio ab elleboro ventriculum versùs attracti. Quapropter ne imperfectũ relinqueremus opus incœptum, denuò apozematis præscripti doses sex, vel septem exhibui, interim quoque fomentationibus, inunctionibus & emplastro præscripto usi sumus. Per intervalla quoque potiunculam ex confectione hamech. & extracto

Obs. 50. extracto Ellebori propinavi. Sic divino favore plenissimè convaluit, multosq; deinceps annos incolumis supervixit.

OBSERVATIO L.

De abdita abortus causa.

Ad

Clarissimum ac celeberrimum virum, Dn. D. CASPARUM BAUHINUM, *Illustris. Ducis Wirtenbergici, &c. Medicum, nec non Anatomicum & Botanicum in Academia Basiliensi ordinarium.*

Cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus. S.P.D.

LIteras tuas, vir Amplissime, amoris ac benevolentię plenas, simul & Problema, Possitne homo aliquot annis sine cibo vivere? à D. CASPARO CONRADO Medico Uratislaviensi, conscriptum, & ad me missum per manus D. EMANUELIS URSTISII, accepi: cujus rei nomine, tibi & D. CASPARO CONRADO gratias ago maximas. Theatrum tuum Anatomicum, opus sanè tùm propter figurarum novarum copiam & elegantiam, tùm earundem accuratam descriptionem admirandum, & meritò æternâ laude celebrandum, maximâ cum voluptate vidi. Faxit DEUS OPT. MAX. ut reliqua, quæ Excell. T. prę manibus habet, feliciter ad DEI gloriam, & emolumentum Asclepiadeæ familiæ, absolvere possit. Quòd tam honorificè isto in opere mei mentionem facias, gratias, quàm possum, ago maximas, utinam referendi occasio detur.

Porrò superiori anno aliquoties in difficili partu adhibitus, causam abortus non ita vulgarem in una atque altera puerpera animadverti. At quia Excell. T. harum rerum studiosissimam esse sciam, illa, quæ mihi hac in re observare licuit, cõmunicare statui. Prima autem puerpera fuit TORINTINA MAYER, conjunx M. URBANI ALE, matrona honesta ac robusta, quæ ætatis tempore anno 1605. ad quinti mensis finem ferè, signis omnibus fœtus vivi apparẽtibus gravida fuit. Circà finem verò quinti mensis, fœtus primò imbeciliter ac languidè movebatur, ita ut vix persentiri potuerit. Deindè paulatim & intra paucos dies omninò cessabat moveri. Mamæ quoq; quæ antea lacte turgebant, nunc subsidebant, flaccescebant, & exiccabantur, aliave signa aderant, ex quibus fœtum in utero mortuum esse, facillimè conijcere licuit. Tandem circà finem octavi mensis, parturientium doloribus correpta, enixa est masculum, quem per tres ferè menses mortuum gestaverat, ut suo loco fusiùs declarabo. Hujus autem abortus causam, nullam aliam invenire potuimus, quàm malam ac ineptam conformationem vasorum umbilicalium. Chorda enim, ut vocant, umbilicalis, quæ communiter & in omnibus ulnarum aliquot longitudine esse solet, in hoc abortu vix spithamæ erat longitudinis. Hinc perspicuum fit, crescentem fœtum in utero materno paulatim placentam ab acetabulis sive cotyledonibus abstraxisse, & separasse. Abstracte autem hepate uterino, necessariò moritur fœtus.

Primum exemplũ de abdita abortus causa.

Obs. 50. & 51.

Alterum exemplũ

Altera est JOANNA, conjux Magist. JOANNIS CORNU Paterniacensis. Illa dum in matrimonio vixit, ad minimum octies abortum edidit. Postremum quidem hoc anno 1606. mense Januario, cùm ad quinti mensis finem utero gestasset. Quæ causæ fuerint præcedentium abortuum, me latet, cùm compellatus non fuerim: Hujus verò abortus causam fuisse brevitatem vasorum umbilicalium, seu chordæ umbilicalis, quæ ultrà sesquispithamam longior non erat, certò scio. Excell. ergò T. quidnam hac in re sentiendum existimet, ut mihi significare non dedignetur, etiam atque etiam rogo. Vale vir Amplissime, Aesculapideæ familiæ lumen atque decus celeberrimum, & me, ut facis, amare perge. Raptim Paterniaci Aventicor. 30 Martij 1606.

De abdita abortus causa, CASPARI BAUHINI

Ad

Præstantissimum virum D. GUILHELMUM FABRICIUM HILD. *Chirurgum eximium, Dominum & amicum, responsio.*

S*Quam ad me misisti Vir præstantissime, de Abortus causa observationem, legi: quid mihi videatur, paucis: Varias abortus causas, non est quod referam, satis omnibus cognitas: Ob vasa umbilicalia aliquando disrupta, ubi mater brachiis sursùm elevatis nimiùm se extendit, abortum fieri notavi: sic etiam ob vasa umbilicalia longiora nimium, collum infantis ambientia, strangulari novi: & ob brevitatem vasorum umbilicalium Abortum causari, non memini me usquam legisse, quare hæc tua Observatio observatione digna est. Hæc paucis. Quod D. DOCTOREM DORINGIUM mei causa sis complexurus, tibi summas ago gratias, nec dubito illum tibi gratum & acceptum fore. Observationes quasdam Botanicas perscripturum ad me mones, rectè feceris, remq; gratam. His vale & salve, Vir præstantissime, & te amantem redama, & ex me URSTISIUS noster salutetur. Ocyus Basileæ 26. Septemb. 1607.*

OBSERVATIO LI.

De Fœtu, qui post mortem per trimestre nullis supervenientibus symptomatibus, in utero materno contentus fuit.

Viro Nobili D. MARCO OFFREDO; Philosopho eximio, & Doctori Medico longè celeberrimo,

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

PLurimùm equidem tibi debeo, vir Amplissime, pro Exc. T. antiqua in me benevolentia, sed inprimis, quòd illam renovare, & tam amicè atque candidè mecum communicare non gravetur. Admirandum illum & inauditum casum de putrefacto cordis ventriculo, quem communicasti, accepi, nec non sine stupore perlegi. Non enim video, quid rarius, aut admirabilius in arte Medica accidere possit, quàm ipsam sub-

 stantiam

Obs. 51. stantiam cordis putrefieri. Mihi quoque non ita pridem occurrit casus, & admiratione & notatu dignissimus, quem quia tuis speculationibus non omninò indignum esse existimo, nunc tibi communicare statui. TORENTINA MAYER, uxor M. Urbani Alen, cùm jam novies peperisset, (cujus prolis sex adhuc in vivis sunt) superiori anno 1605. decimum fœtum gestabat, & eum ad quintum usque gestationis mensem optimè valere, indiesque accrescere, certissimis signis cognoscebat. Quandoquidem naturaliter movebatur in utero, venter item & mammillæ accrescebant: imò & aliquo modo lacte turgebant: Præterea extensiones quædam nervorum, coxarum, quibus in præcedentibus uteri gestationib. vexari solita fuerat, nunc quoque aderant. Circà 16. 17. & 18. Augusti, qui finis ei fuit quinti mensis impraegnationis, fœtus primò cœpit solito imbecilliùs moveri, ac paucos post dies, paulatim omninò movere desiit, absque ulla molestia, deperditione appetitus, aut adversa valetudine matris. Adijt me 9 Septembr. duce marito suo, mihiq; hæc omnia ordine retulit: sed imprimis, quòd à 14. diebus ne semel quidem sensisset fœtum. Interim quoque mammillas, & ventrem aliquo modo imminutum, & extensiones nervorum cessasse, conquerebatur. Hinc quia fœtum mortuum esse suspicabatur, auxilium meum imploravit, ac ut expelleretur medicamentis, obnixè rogavit. Ego, quià nullam præsentem aut urgentem vidi ocasionem, propter quam expelleretur fœtus, nihil temerè tentare volui, sed suasi, ut ad dies aliquot subsisteret atque expectaret, quidnam natura molitura esset, interim tamen ut optimâ victus ratione uteretur. Post 14. dies marito duce me convenit, tùm ventrem & mammillas omninò subsidisse deprehendi, retulitque, se nihil, præter massam quãdam aut veluti globulum, qui vix caput infantis adæquaret, quique pro ratione decubitus, in latus unum vel alterum se convolveret, persentire, insuper quoq; narravit, solitas nervorum distentiones omninò cessasse. Ex his quamvis aliquid præternaturale in matrice subesse, facilè mihi conijcere licuerit, commotus tamen rationibus, quas commemoravi, ante finem noni mensis nihil tentandum suasi, dummodò res in eodem permaneret statu. Circà finem verò octavi mensis impraegnationis suæ, parturientium doloribus, sed non usque adeò violentis correpta fuit. Ego, ut aliquo modo naturæ succurrerem, illicò sacculum ex emollientibus, & fœtum attrahentibus, linimentum item ex oleo amygdalar. dulcium, liliorum albor. Pinguedine gallinæ & anseris præscripsi, & applicari jussi. His per horam sic applicatis, fœtus, & quidem in pedes sese offerens, ab uxore mea, cujus opem hac in re imploraverunt, feliciter & sine violentia extractus fuit. Deinde brevi convaluit puerpera, & ad hunc usque diem prospera valetudine fruitur. Fœtus autem longitudinem spithamæ cum dimidia non excedebat. Oculi ex suis orbitis seu capsulis propédebant. Os item apertũ, caput nigrum & flaccidum erat: interim tamẽ fœtor nullus aderat, hepar uterinum integrũ, sed flaccidum pallidumq; cõspiciebatur.

In eo autem id singulare annotavi, vasa nimirùm umbilicalia, sive chordam, ut vocant, umbilicalem, longitudinem spithamæ vix excessisse. Hanc ego existimo fuisse præcipuam causam, quòd fœtus tam maturè in utero objerit. Quandoquidem crescentem fœtum pedetentim propter brevitatem vasorum umbilicalium, placentam à vasis cotyledonib. abstraxisse, nullum est dubium. Hinc paulatim imminuto alimento, & viribus deficientibus, necessariò interijt.

Observatio notatu digna de vasis umbilicalibus.

Superiori anno 1605. cùm nobilem quãdam virginem in Perroy, gravissimo affectu in aure laborantem, curandam haberem, & Reverendum D. Odetum, ejus loci verbi divini ministrum fidelissimum, & amicum meum plurimùm honorandum, aliquando per ocium inviserem, retulit mihi uxor ejus honesta, casum planè similem, nimirùm cum ante multos annos gravida esset, & propter civilia bella patriâ, cum primo marito D. Poteratio, verbi divini ministro, expulsa fuisset, elapso quinto mense non ampliùs sensisse fœtum: ventrem quoque paulatim usq; adeò subsidisse, ut de impraegnatione ampliùs nõ cogitaret. Circà verò octavi mensis finem parturientium doloribus correptam, filium peperisse, eumq; longitudinem spithamæ cum dimidia non excessisse, sed corpore ita extenuatum, cuteq; & musculis rugosum, exiccatumvè fuisse, ut figuram sceleti planè præ se ferret. Ex quibus adstantes omnes fœtum, quamvis non putridum, neque fœtidum, per menses tres aut circiter mortuum fuisse judicabant.

Historia alia de fœtu in utero materno mortuo.

Cæterùm in his recitatis historiis, Vir Amplissimè, duo occurrunt Problemata, quæ me aliquo modo in admirationem rapiunt, quæque T. Excell. speculationibus omninò digna censeo, nimirùm.

Quæstio. 1. Quomodò fiat, cur fœtus mortuus in utero, quum sit res planè contrà naturam, matutiùs non fuerit expulsus, præcipuè quum natura semper tentet expellere id, quod sibi noxium est?

Quæstio. 2. Quum fœtus in Vtero vitâ & animâ privatus, citissimè putrescat, cur hîc tamen fœtor nullus adfuerit?

Ad qualia mea quæsita & dubitationes, si Exc. T. aliquando postpositis suis gravissimis negotiis in curandis ægrotis, & studiis indefessis, mihi verbum unum aut alterum respondere libuerit, gravissimum mihi fecerit. Vale vir Clar. & Humaniss. unà cum conjuge tua Ludoica Sarazena, matronâ doctrinâ & virtute longè nobilissima, quam tecum ego, & uxor mea demissè salutamus. Paterniaci 12. Maij. 1606.

MARCUS OFFREDUS *Viro celeberrimo* DN. GUIL. FABRICIO HILDANO, *Chirurgo præstantissimo,*

S. P. D.

INdefessum tuum studium, Vir celeberrime, in explorandis rebus, quæ humano corpori contingunt, magnâ admiratione dignißimis, ut te jam pridem vulgarum Chirurgorum numero exemptum testatur, ita ad supremum in arte Chirurgica fastigium mox perventurum, indubie pranunciat. Macte igitur animo, per-

mo, perge, ut cœpisti, quandoquidem te duce, non pauci portentosi morbi debellari poterunt.

Nunc ad eam venio, quam ad me scripsisti, historiam, ut scilicet binis tuis gravissimis quæstionibus satisfaciam.

Ad primam quod attinet, fœtus in utero mortuus, quamvis res sit omnino præter naturam, eam tamen noxam non ita necessariò infert ipsi utero, ut expultrix uteri irritata, subitò ac velut motu quodam præcipiti ad expellendum insurgat, præsertim gestationis mensibus, continendo fœtui dicatis.

Ad secundam, in utero non computruit fœtus mortuus, is enim, quamvis calore vitali orbatus, mixti tamen calorem, quà mixtum erat, retinuit, siquidem eo loci defuit ambientis calor præter naturam, ad quem pertinet mixti putrescibilis calorem evocare: uteri verò ipsius calor, mortuo fœtui non omninò adversarius, posterioribus illis gestationis mensibus, ejusdem potiùs calorem, quà mixtum erat, fovit: adde, quòd uteri calor ejusdem mortui corpusculi humidum magna ex parte absumens, præcipuam putredinis materiam per illud tempus è medio sustulit, & tabem potiùs exiccando invexit, idque exemplo confirmatur alterius fœtus, in utero itidem demortui, ad exactamque exiccationem & tabem redacti, cujus in fine Observationis tuæ meministi. Hæc ad quæstiones tuas dicenda habui, quæ velim æqui boniq; consulas. Vale Genevæ 22. Maij 1606.

OBSERVATIO LII.

DE

Mola comitante fœtum usque ad ipsius perfectionem, deque ejusdem Molæ extractione.

AD

Clarißimum atq; Excellentißimũ virum Dn. D. JACOBUM ZWINGERUM, Academiæ Basiliensis Professorem & Medicum celeberrimum, atque pro tempore Rectorem Magnificum.

Cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

QUod de editione Tractatus mei de Combustionibus, Magnifice D. Rector, solicitus fueris, & etiamnum conatus meos, & studia mea promovere non desinas, gratias ago maximas, & doleo, non tantum esse in rebus meis, quantum Magnif. T. obstringor. Si qua tamen in re Mag. T. inservire potero, ne ingratus sim, operam dabo. Exemplar nunc per D. Vrstisium ad te mitto, rogoq; ut id per ocium inspicere digneris, in quo si quid emendandum tibi videbitur, pro tuo candore liberrimè me admoneas. Anexi carmina variorum, in obitum Nob. ac æterna laude dignissimi Viri D. CAROLI VTENHOVII, quæ simul excudi optarẽ. In ea sectione herniæ, cujus Mag. T. in postremis literis ad me datis meminit, nimirùm quæ fit absq; testiũ exectione, sperarem Dei beneficio aliquid boni me præstiturũ, si operatio hæc aliquãdo inter magnates accideret: inter plebeios enim homines, præcipuè huj⁹ regionis, vix adhibẽda est, nisi enim eis testis exsecetur, se nõ perfectè sanatos esse putant. Aliquoties tamẽ operationem hanc feliciter feci, & ante annos duos hîc in juvene, uti D. Vrstisius Magnif. T. significare poterit. Observationem de Molæ extractione, quàm toties promisi, simul & adumbrationem ejusdem Molæ, nunc mitto, quæ sic se habet.

ISABELLA MACE, filia ANTONII MACE, olim apud Genevenses Pharmacopœi vigilantissimi, nunc M. ELIÆ BRUNIER, civis Lausannensis uxor, matrona ut ex piis & honestissimis parentibus oriunda, sic quoque honesta ac pia, corpore robusta ac plethorica. Anno circiter ætatis 34. cum quintò utero gestaret, ad sextum usque mensem continuò, aut ad minimum alternis diebus, menstruis satis copiosis, absque incõmodo tamen & virium prolapsu, laborabat. Elapso sexto mense, mox ex toto menstrua denuò absque incommodo suppressa fuerant. 22. Martt. qui finis fuit noni mensis prægnationis, parturientium doloribus correpta, puellam robustam & omnibus membris perfectam feliciter peperit, & secundinam mox ejecit. Post partum, quia duritiem ac pondus in ventre non sine molestia magna persentiret, alterum utero se gestare fœtum sibi planè persuadebat: quod verò obstetrix dissuadebat, nec manum ampliùs adhibere volebat. Die 23. & 24. satis benè se habuit. Sed die 25. correpta est febre, vigiliis, & maximis doloribus circa imum ventrem & regionem ossis sacri, symptomatis singulis momentis ingravescentibus. Altero die IOACHIMO ROHAVD, apud Lausannenses Pharmacopœo vigilantissimo, & decumbentis sororio, Enema injicere, ac postridiè corpus leni aliquo medicamento purgare visum est. Verùm injecto clistere, & exonerato ventre, cùm ægra denuò de re aliqua ponderosa circa pudenda conquereretur, me advocandum suasit. Itaque sequenti die, nempe 27. ad ægram ingressus, ipsam febricitantem cum doloribus tùm capitis, tùm ventris & renum, nauseâ item, ructib. putidis, vigiliis & inquietudinibus, aliisque symptomatis offendi. Ex quibus facilè mihi conjicere licuit, aut molam, aut simile quid in utero remansisse. Primò itaque sequens exhibui enema:

℞. radicum altheæ &
aristolochiæ longæ an. ℥j.
folior altheæ
malvæ
Parietariæ
arthemisiæ
melissæ
pulegij
flor. chamomil.
meliloti. an. M. ß.
sem. fœnogræci
lini an. ℥ j.
anisi &
fœniculi ana ʒj ß.

Coquantur in aqua ad consumptionem tertiæ partis. In ℔ j. colaturæ dissolve Benedictæ laxativæ,

Hieræ ex colocynthide an. ʒiij.
vitellum ovi unius
salis p. j.
ol. rutacei &

Obſ. 52.

chamomil. an. ℥ij. Miſce, F. ita Enema.


Poſteà pudendis & imo ventri ſequentem ſacculum applicui.

Sacculus.

R. radicum ariſtoloch. longæ ℥ij.
herbar. arthemiſiæ
melisſæ
matricariæ
ſabinę
rutæ
pulegij
flor. chamomil.
meliloti. an. M. ſ.
ſem. fœnogræci
lini
fœniculi
aniſi
ſeſeleos an. ʒ. ſ.

Incidantur incidenda, reliqua contundantur, indantur ſacculo triangulari, filo intertexto, eius magnitudinis, ut imum ventris ad umbilicum ferè uſque cooperiat, apex verò ad pudenda, & peritonæum deſcendat.

Figura Sacculi talis eſto.



Sacculum aquâ incoctum, calidè applicui. Ventrem & genitalia per horas duas fovi, interim quoque aliquoties coxas, genitalia, ventrem atque os ſacrum, calidè ſequenti unguento inunxi.

R. ol. liliorum alb.
amygdal. dulc.
de vitellis ovorum &
lumbricor. an. ʒ. ſ.
pingued. anſeris &
caponis an. ℥j. Poſteà

R. farinæ fænogræci &
cydoniorum an. ʒj.
croci ſubtiliſſ. pulveriſ. ℈ ij.
aquæ arthemiſiæ ℥j. Miſce, & poſt unicam ebullitionem addantur olea, & pinguedines præſcriptæ, fiatque unguentum.

Reiecto clyſtere, mox illam in dorſum collocavi, tantùmque corpus deorſum retrahere curavi, ut pedes infima parte ſpondæ commodè inniti poſſent, & circa genua parùm inflecterentur. Singulis item columnis inferioribus ſpondæ ſuum manutergium alligavi. His omnibus præparatis, dextram ab annulis liberam, ſuperiori linimento inunctam, paulatim clementerque in uterum immiſi, idque ut eò comodius fieret, juſſi ut manutergia manibus apprehenderet, pedibùſque ad inferiorem ſpondæ partem firmiter inſiſteret, & ſimul parturientium dolores & conatus, quantum poſſet, provocaret. Sic enim naturæ beneficio, genitalia aliquo modo dilatantur & aperiuntur. Manu immiſſâ utero, Mola vel maſſa illa carnea in ſequenti figura litera B. notata, quæ magnitudinem capitis infantis ferè adæquabat, ſtatim obviam venit. Rotunda autem erat, ſed paulatim decreſcens, tandem in ſpongioſam quandam ſubſtantiam A. notatam, deſinebat, quæ utero ad dextrum latus, non aliter ac ſecundina ſolet in fœtu, tenaciter adhærebat. Manu itaque altius in uterum immiſſa, digitis clementer paulatimq; fungoſam hanc ſubſtantiam ab utero ſeparavi, atque unicâ vice totam hanc molam ſemiputridam & fœtidam, ſine violentia & dolore, præſente marito & JOACHIMO ROHAUD, nec non multis matronis pijs & honeſtis, extraxi. Appendebat præterea molæ huic alia quædam carnis portio, litera C. notata. Verùm quia mola hæc ſemiputrida, puttedinis ſuæ notam utero jam inuſſerat, juſſi, ut per dies aliquot decoctū ſequens bis aut ter in dię ſyphone utero inijceretur.

Injecti in ute

R. hordei integri M. ſ.
ſcordij utriuſque
roſar. rubr.
abſynth. vulgar. an. M. ſ.


Coquantur in aqua uſque ad crepaturam hordei In ℔ ij. colaturæ diſſolve
mellis roſati ℥iij.
pulv. myrrhæ &
aloes an. ʒj. Miſceantur, iterùmque per linteum colentur, & colatura tepidè utero inijciatur. Poſteà ſpongia hoc decocto imbuta, fortiterque expreſſa, pudendis calidè apponatur. Illa enim non ſolùm corroborat partē affectam, verùm etiam cum decocto utero injecto putridos humores paulatim attrahit, & abſorbet. Ideoque,

Obs. 52.

que ejusmodi spongias duas, ut unâ applicatâ, altera interim mundetur & exiccetur, habeas, necesse est. Reliquis item symptomatibus, tum optimâ victus ratione, tùm medicamentis, prout necessitas imperavit, prospeximus. Ita ut intra septimanas tres, divino favore in integrum restituta sit Matrona illa, & etiamnum unà cum puello, quem enixa fuerat, bona valetudine fruatur.

Figura Molæ.

abes hic ...ctor benevole, ...rmam ...Mola, ma...nitudi...em ve...ò, propter ...enuriā ...atij ad...mbrare ...ō licuit, ...ua tamē ...bsistur in ...dusco ...uce.




ANNOTATIO.

QUemadmodum Hepar uterinum, utero & ejusdē acetabulis aut orificiis cotyledonum adhærescens, alimentum attrahit, ut per vasa umbilicalia ad fœtum transferatur, sic mola hæc utero adhærebat, ut sibi alimentum ex cotyledonibus traheret.

In extractione molæ nonnulli hamulis acutissimis, sive pede Gryffonis (ut vocant) utuntur, sed meo judicio non sine ingenti periculo. Si enim hamulus excideret, facilimè matricem dilaceraret. Hanc ob causam forcipem excogitavi, cujus extremitates in cochlearis, aut rostri anatis formam, sed profundè satis, ut dentes excipere possit, fabricatæ sunt. In quorum cochlearium medio exurgunt dentes tres, quadrati & acutissimi, ejus longitudinis, ut hic unum depin-

ximus, ita tamen, ut secundùm lineam rectam positi, unus sit ad latus alterius. Hinc fit, ut clausâ forcipe, nullus horum dentium appareat, nullusque prætereà, quantumvis forceps effugeret, collum matricis lædere possit.

Obs. 52. *Delineatio forcipis.*




Sin verò præter forcipem, hamulum adhibere necesse sit, suadeo, ut sequens ex nostra inventione depictus eligatur, quo nos in extractione fœtus mortui utimur. Præstat tamen uti manu, ut quæ tutior est, minusque dolorosa, neque pavorem ægrotæ & adstantibus inducit.

A. Hamulus est.

B. Lamina est ferrea, in formam linguæ fabricata, alibi à nobis defensorium appellata. Quod interim, dum immittitur hamulus, retrò versùs manubrium dimittitur, infixo autem hamulo rursus versùs hamulum reducitur. Vsus autem atque utilitas hujus laminæ ferreæ est, nimirùm ut si hamulus effugeret, tamen lamina illa impediret, quò minùs collum matricis dilaceraretur.

Habes hîc brevibus, Magnifice Dn. Rector, quæ circa extractionem Molæ, mihi observare licuit, unà cum Molæ & instrumentorum delineatione. Quæ si arriserint, optatum finem nactus ero, sin minùs, meæ tamen erga Magnif. T. perpetuæ observantiæ monumētum erunt. Vale cum omnibus tuis, quos ego & Colinetæa mea chariss. demissè salutamus. Paterniaci Aventicor 10. Februarij 1607.

Hamuli adumbratio. Obs. 5



Observatio LIII.

De Mola aquosa.

Ad eundem

Virum Clarissimum atq; Excellentissimum, D. Doct. Jacobum Zwingerum.

Iam dudum, Vir amplissime, ad Epistolam tuam, non vulgaris erga me amoris plenam, respondere debui: sed quia in ea responsione de extractione Molæ agere constitui, in qua instrumenta & quædam alia erant depingenda, huc usque proposito meo, propter multas & varias occupationes satisfacere non licuit, neque etiamnum licet. Ante dies enim quatuordecim huc Bernam vocatus, circà puerum decem annorum ætatis, naturâ tenerum, corpore verò exilem, ex calculo vesicæ à juventute laborantem occupatus sum, vigesimo primo hujus mensis, calculū hunc præsente Reverendo Viro D. Ulrico Trogo, verbi divini ministro, Clarissimo Dn. D. Paulo Lentulo, Dn. Emanuele Vrstisio, multisque aliis nobilibus,

Obs. 53. & 54.

bilibus, extraxi. Id quanto labore & difficultate factum fuerit, Deus testis est. Præterquàm enim, quòd vesicæ tenaciter adhærebat, ejus erat magnitudinis, ut integrum illum extrahere non licuerit. Post operationem factam, Deus ita benedixit remediis, ut nunc, Laus Deo, ad decimum diem morbi, nullis symptomatis supervenientibus, curam protraxerimus: Febris ferè nulla adfuit, neque dolor, multò minùs inflammatio aut inflatio.

De Molæ extractione, quamprimùm domum reversus fuero, Deo dante, dabitur scribendi occasio: forsan quoque de hydrope uterino, quo dulcissima mea conjunx superiori anno, in postrema uteri gestatione graviter affecta, unà tamen cum filio, qui hucusq; benè se habet, DEI summo beneficio liberata fuit, aliquid addam. De Mola verò aquosa, nunc exemplum unum aut alterum adjiciam.

1. Exemplum de Mola aquosa.

Anno 1604. honesta quædam Matrona Bernensis, ad quinti mensis finem gravida, & parturientium doloribus correpta, ultrà decem libras aquæ, tenacissimâ membrana inclusæ, non sine conatu & dolore maximo, unà cum membrana enixa est. Ego, cum adstantes matronæ medicamentum ad fœtum expellendum propinare vellent, vocatus, in sedili parturientium matronam hanc animo, ut ita dicam, perculso atque deturbato inveni. Putabat enim, nisi fœtus expelleretur, de vita ipsius actum fore. At ego contrà suadebam, ut sese in lectum conferret, quò amissæ vires reficerentur, recolligerenturque: quapropter optimam victus rationem, & medicamenta aliquot cordialia præscripsi, sic brevi in integrum restituta fuit, & fœtum ad maturitatem usque gestavit.

2. Exemplum de Mola aquosa.

Alterum exemplum molæ aquosæ, observavi in honestissima & pia matrona, sanguine mihi juncta: illa cùm per menses aliquot se gravidâ existimaret, interim tamen valetudine parùm rectâ frueretur, factum est, ut dum noctu cum marito rem haberet, impetu quodam copiosè erupta ex utero sit aqua, utcunque viscida. Venter mox subsidit, convaluitque Dei beneficio, & ad hunc usque diem bona valetudine fruitur, & liberos aliquot progenuit. Plura non licet, propter occupationes. Vale Vir amplissime & charissime. Raptim Bernæ 30. Maij. 1606.

Tuæ Excellentiæ addictissimus
& obsequentissimus
Guil. Fabricius Hildanus.

OBSERVATIO LIV.

Mulier septimo mense molam enixa, nono mense filium peperit, diu incolumem.

Idem ad eundem
Virum Clarissimum atque Excellentissimum,
Dn. D. JACOB. ZWINGERUM.

NUnquam fœtum, cui conjuncta est mola, vir Clarissime & Excellentissime, ad maturitatem perfectionemque pervenire posse, Medicis in confesso est. Attrahit enim mola partem sanguinis & nutrimenti, inde languescente fœtu, fit abortus. Ego tamen honestissimam ac piam matronam cognovi Dusseltorpiæ, quæ cùm gravida esset, septimoque mense parturientium doloribus oppressa, enixa est molam, quæ magnitudinem capitis adequabat. Nono verò mense filium peperit, quem ad decimum septimum annum ætatis sanum & incolumem superstitem cognovi, qui tandem Wesaliæ peste obijt.

Obs. 54. Exemplum 1.

Exemplum 2.

Anno 1599. Coloniæ vocatus ad honestissimâ matronam, Rutgeri Groppers filiam, cui per triduum parturientium doloribus laboranti, fœtum perfectum & maturum extraxi. Paucis post fœtus extractionem elapsis diebus, mola sese offerebat, eàmque frustratim, & semiputridam exemi.

Exemplum 3.

Nobilem item & honestissimam matronam Freiburgi Aventicor. cognovi, quam ante annos 4. in puerperio dolore coxendico graviter laborantem, curandam habui. Ea mihi referebat, se in omnibus suis puerperijs (habebat autem tunc temporis quatuor liberos robustissimos) duabus aut tribus circiter à fœlici partu horis, molam enixam fuisse. Est illa matrona satis robusta, plethorica, & maximè carnosa.

Reliquas, quas à me expectas, Vir Clarissime atque Excellentissime, de mola ejusdemque extractione, Observationes, nunc propter temporis angustiam, communicare non licet, fiet tamen id primâ quâque occasione.

Interim Deum Opt. Max. oro, ut Excell. T. cum tota familia, quàm diutissimè incolumem conservare velit. Raptim Paterniaci Aventicor. 17. Ianuarij 1606.

JABOBUS ZWINGERUS
D.
GUILHELMO FABRICIO HILD.
Chirurgo præstantissimo
S. P. D.

RAræ sunt Observationes, Vir clarissime, quas mecum de Mola uteri muliebris familiariter communicasti: dignæ, quæ suo tempore in publicum edantur. Paræus verò præstans Chirurgus, hujus est opinionis, ut vix detur mola, quæ junctum fœtum non enecet, nutrimenti promptuario in se derivato. Sed rectè contrarium persuadent eventus à te descripti. Scilicet in re medica hoc perpetim venit usu, ut vix sit ullum theorema, quod ex omni parte verum, nullam admittat patiaturvè exceptionem. Vnde mihi mirum in modum placent ij, qui præter universales regulas, particularium casuum diligentem habent rationem. Hæc ergo causa est, cur nostra Medica ars, qualis est quantaq;, mero στοχασμῷ *præcipuè nitatur. Quod si jam occurrat quippiam varians, illius causæ sollicitè sunt perquirendæ, & in præsenti casu, qui factum sit, quod fœtus molæ consuetam & ferè semper exercitam tyrannidem, salvus & incolumis evaserit? Nimirum constituentium causarum, materiæ & efficientis comparatio instituenda est, & ita de re tota æstimandum: cùm utraque proles his suis nitatur causis, eam dominio potitam fuisse, quæ eas valentiores obtinuerit. Vnde evenit in historiis à te recitatis, fœtum firmioribus causarum satellitibus adversus molæ impressiones munitum, obtinuisse victoriam, debitoq; tempore vividum sanumq; exclusum fuisse. Duas proximè quoque ad*

me dederas laboriosæ parturitionis observationes, eas medicinæ Candidatus, Dominus Eleisserus, suis thesibus de Hysterotonica inseruit, adjecta tui honorifica mentione. Misissem ad te theses, nisi scirem, ipsummet hoc acturum. Ambit is amicitiam tuam, & convictum quoque in aliquot hebdomadas aut menses, si eum me intercessore obtinere posset: ut tuo inprimis ductu manuali operationi Chirurgicæ assuescat, quam deperit. Intereà ut privatum de Vrstisio, quem in Præceptorem filiolo tuo, susceptùrus es, negotium nostrum attingam, spero ex omni parte facturum ipsum fidi diligentisque hominis officium. Callet Gallicè, eleganter Germanicè & Latinè pingit. Monui ipsum, ut tuam sibi συνομιλιαν utilem reddat. Sublevet occupationes tuas Practicas, evolvendis Galeni, aliorumq; scriptis. Est enim perutile, laudemq; meretur, quos quis singulares vidit casus, ad medicorum principiorum rhombum revocare posse, ut quà conveniant, quà discrepent, mundo literario innotescat. Id ego conatus sum pro tenuitate ingenij & profectus mei, eo exprimere epistolio, quod tu καὶ ἀύσας ἢ ὑπὲρ ἀύσαν Centuriæ tuæ practicæ associandum existimasti. Id tu quoque aliàs præstare doctè & eleganter solitus es. Sublevet ergo Vrstisius occupationes tuas, sicque tibi prosit, sibi non obsit. Percommodum foret, vos habere Galeni & Hippocratis opera, sed non dubito, quin omni sufficienti librorum supellectile instructus sis, & sæpius me de Chirurgicis tuis lætis successibus certiorem fac. Basileæ 11. Martij 1606.

OBSERVATIO LV.

De ingenti Mola, & utero peritonæo adnato.

Ad eundem

Clarissimum atque Excellentissimum virum,

DN. D. JACOB. ZWINGERUM.

PLurimum tibi debeo, Magnifice D. Rector, qui tam liberaliter ac candidè labores tuos mihi communicaveris, conatusque meos juvare, atque studia mea ornare dedignatus non fueris. De Mola, iterum mihi occurrit casus rarissimus, quem Magnificentiæ tuæ communicare placet. Matrona quædam Milduni, Debora Barel nomine, uxor Johannis Huguet, duorum ferè añorum spacio gravissimè utero laboraverat. Ab initio gravidam se esse putabat: omnia enim signa prægnationis propemodùm aderant. Elapsis tamen mensibus aliquot falsæ hujus prægnationis, pejus se habere cœpit, mammæ flaccescebant, venter verò de die in diem accrescebat, appetitus item prostratus erat, dolores quoq; totius ventris continui, inprimis verò lateris dextri, atque è regione renis sinistri tàm vehementes, támquè maximi aderant, ut sæpissimè maritum suum & adstantes imploraverit, quò Medicum aut Chirurgum aliquem accerserent, qui aperto abdomine horrendas illas & crudelissimas bestias expelleret: planè enim sibi persuasum habebat, se gestare bestias. Tandem cùm in hac miseria ultrà duos annos languesceret, auctâ febriculâ, nauseâ ac vigilijs, nullis item usa remedijs, è vita discessit. Ego 12. Julij hujus anni 1606. vocatus, coram Generoso Domino JOAN. RUDOLPHO ab ERLACH, ejus loci Præfecto prudentissimo ac vigilàtissimo, Nob. PHILIPPO CERIACO, Domino in ALLEMAN, & DIENSI, Doctissimo quinetiam D. PETRO de L'OSEA, ejusdem loci Ludimagistro fidelissimo, & quàmplurimis alijs, cadaver incidi, atq; ea, quæ sequuntur, notatu dignissima, observavi.

1. Adaperto abdomine, plurimùm aquæ, carnis loturæ similis, effluxit.
2. Uterus in magnitudinem ingentem extensus, Peritonæo à linea alba usque ad costas spurias & renem dextrum, adeò tenaciter adhærescebat, ut vix avelli posset: hinc dolor ille maximus, quem in dextro latere passa erat.
3. Ren sinister planè putrefactus conspiciebatur.
4. Hepar undique abscessibus putridis scatebat. Hinc aqua, quæ in vacuo ventris continebatur, sanguinolenta facta fuerat.
5. Utero adaperto, aquæ fœtidissimæ puri permixtæ, ultra libras sex effluxerat.
6. Mola quoque in conspectum sese dabat, magnitudinem capitis longè excedens, inæqualis, nonnullis quoque in locis dura, atque hinc indè putrida ac fœtida. Illa autem non solum vasis cotyledonibus, verùm etiam tota illa parte, quæ dorsũ respicit, tam tenaciter adhærescebat, ut sine dilaceratione uteri, avelli atque separari non potuerit.
7. Ambo quoque testiculi præter naturam adeò excreverat, ut magnitudinem pugni excederent, erantque inæquales, duri, & ad instar ferè uvæ, quemadmodùm figura, quam mitto, indicat.

Nonne mirum, Vir Amplissime, corpus tàm languidum, támque multis & gravissimis affectibus afflictum, posse in tam longum tempus superstes esse? Mirum quoque, quomodo Uterus Peritonæo, cùm sint partes mẽbranosæ, adnatus fuerit. Idem tamen in Pulmonibus observavi, uti in Observat. 43. videre licet. Sed hęc uti sunt rara, ita etiam admiratione dignissima. Hisce vale vir Amplissime, & me, ut facis, amare perge. Paterniaci.

T. Magnif. addictissimus

Guil. Fabricius Hild.

OBSERVATIO LVI.

De Hydrope uterino, comitante fœtum.

Ad eundem

Virum Clarissimum atque Excellentissimum,

D. D. JACOB. ZWINGERUM.

PRo humanitate, quâ me non ita pridem domi tuæ rursus affecisti, Vir Amplissime, Domine & amice observandissime, gratias quas possum, ago maximas. Oro etiam quantoperè possum, ut meo nomine verbis honorificentissimis Amplissimæ atque Gratiosissimæ Facultati Medicæ Basiliensi, salutem dicere, & pro honore, ac beneficiis nuper mihi exhibitis, gratias agere, meamque omnem operam, studium, atq; observantiam offerre non graveris.

Cæterùm observatio de Hydrope uterino, de quo nuperrimè loquebamur, ita se habet.

Anno

Obs. 56.

Anno 1604. dulcissima atque charissima conjunx mea, dùm septimò utero gestaret, statim ab initio gestationis, præter modum atque consuetudinem debilitata enervataq; fuerat. Dolores ventris, & præcipuè dextri lateris, maximi ac frequẽtes aderant. Circà regionem Hepatis per intervalla, & quotiescunque fœtus in utero sese movebat, frigus molestum ac dolorosum persentiebat. Interim venter in monstrosam magnitudinem intumescebat, adeò ut ipsam duos aut tres ad minimum enixuram fœtus, cuncti arbitrarentur. Spatio hebdomadum sex antè partum, crura, pedesque hydropicorum more intumuerant, quinetiam dolores tùm ventris, laterisque dextri, tùm quoque renum & crurum, adeò aucti fuerant, ut noctes diesque continuò ejulare atque lamentari coacta esset, lectumque amplius sibi egredi non liceret. Ego interim de dolore fixo atque continuo è regione hepatis, valde solicitus eram. Verebar enim, ne tandem propter attractionem, quæ fit doloris vehementiâ, inflammatio aliqua in hepate, aut vicinis partibus (uti mihi aliquoties videre contigit) oboriretur. Quapropter ut materia peccans in corpore diminueretur & evacuaretur, aliquoties infusionem rhabarbari, & syrupum rosar. solutivum compos. cum rhabarbaro, agarico & senna, ipsi exhibui, utque alvus semper lubrica esset, clysteribus, suppositorijsque effeci. Exteriùs locum dolentem sequentibus oleis singulis dieb. bis aut ter inunxi.

Vnguentum.

R. Ol. anethini
Chamomel. an. ℥ iiij.
Axungiæ hum.
Succi veronicæ
Agrimoniæ
Absynth. an. ℥ ij.

Coquantur lentissimo igne ad succorum ferè consumptionem. Sacculum item sequentem calidè applicui.

Sacculus.

R. Florum chamomil.
Meliloti
Sambuci an. p. ij.
folior. & radic. malvæ
Bismalvæ
Agrimoniæ
Veronicæ an. M. j.
Sem. anisi
Fœniculi an. ℥ j.
Fœnograeci ℥. ß.

Incidantur & coquantur pro sacculo intersuto, qui calidè applicetur.

Sæpissimè quoque ipsi ad ℥. ß. ol. amygdal. dulc. recens extracti, nunc decocto agrimoniæ, veronicæ, sem. anisi, parumque flor. chamomillæ, nunc vino & saccharo mixti, pro vice exhibui. Hinc divinâ clementiâ dolores ita remiserunt, ut posteà paululum quiescere posset,

Die 2. Martij, Anno 1605. dolores parturientium, quamvis leviores, continui tamen ipsam infestaverant, qui sensim accreti, usque ad quartam diem ejus mensis, quâ circà septimam vespertinam dolore vehementissimo correpta, os uteri apertum, indeque ultrà libras 18. mercatorum, aquæ lympidissimæ, nulloque cruore admixto, maximo ac uno impetu effluxêre, atque in isto motu fœtus ad exitum sese paraverat. Et postquam per semihoram quievisset, & aliquantùm confectionis Alkermes, cum aqua cinamomi, sine vino destillata, dissolutæ sumpsisset, rursus dolore & conatu maximo correpta est. Tùm primò aqua, quæ fœtum comitari solet, ad libras novem effluxa, instante nona vespertina, puellum simul peperit robustissimum; quem decimâ die ejusdem mensis sacrosancto baptismo, cœtui fidelium insertum, non tantùm à parente meo piæ memoriæ, verùm etiam, quia charissimæ conjugi meæ toto gestationis tempore, instar petræ gravissimum onus fuerat, *Petrum* nominare visum fuit. Faxit Deus, fons omnium bonorum, ut in posterùm quoque ad ædificium Ecclesiæ Christi *Petra* condigna censeri possit.

Porrò optimâ à partu victus ratione observatâ, nonnullisque adhibitis remediis, intrà mensem in integram, eamque optimam sanitatem restituta fuit, itâ quidem ut puellum ipsamet lactaverit, & hucusque feliciter educârit. Sed quod summoperè mirandum, puellus iste omniũ liberorum meorum robustissimus existit, quinetiam optimo ingenio præditus. Vt inde spem concipiã, fore, ut aliquando in virum egregium evadere possit. Quod ut fiat, & charissimâ meâ conjuge diu incolumi superstiteque frui queam, Deum Opt. Max. ex toto corde precor. Idem D. O. M. Excell. T. unà cùm nobilissima ac honestissima sua Brandina, prolequè dulcissima, Nestoreis ditet annis. Vale. Paterniaci Aventicor. 20. Iunij 1608.

Tuæ Excell. addictissimus
obsequentissimus
Guil. Fabricius Hild.

Ad eundem

Virum Clarissimum atque Excellentissimum,
D.D. JACOB. ZWINGERUM.

Binas abs te accepi literas, Vir amplissime, unas per manus D. Doct. FRITZSCHII, alteras heri. Optimi isti ac doctissimi viri, quos T. Excell. mihi commendavit, acceptissimi fuerunt. Responsum ad Observationem de hydrope uterino avidè exspecto. Filiolus, qui in Oceano isto per menses novem nataverat, etiam nunc optimè se habet, omniumque liberorum meorum robustissimus existit, ac optimo, Laus sit Creatori, ingenio præditus, & jam quartum annum ætatis prætergressus est. Vxor mea, ad pariendum vicina, multò melius valet quàm in præcedenti gestatione uteri. Faxit clementissimus ille Pater cœlestis, ut feliciter parere, mihique diu superstes manere possit. Vale vir clarissime, & me, quod facis, ama. Paterniaci 29. Iunij 1609.

Tuæ Excell. addictissimus &
obsequentissimus
Guil. Fabricius Hild.

JACOBVS

Obs. 56.

JACOBUS ZWINGERUS, GUILIELMO FABRICIO HILD. *Medico-Chirurgo præstantissimo* S. P. D.

Dignus admiratione est Uterini hydropis eventus ille, quem tuæ conjugi, Vir præstantissime, feliciter accidisse, ante aliquammultos menses inaudij. In memoriam is certè mihi nostratis cujusdam nobilis Matronæ exemplum revocavit, quæ bis terve circa medium gestandi uteri tempus, humore pedes initiò, tùm sursum rependo abdominis regionem undiquaque deducente, octo circiter vel decem hebdomades, antea quàm parturiret, abortum fecit, aliquot antè diebus jam enecto fœtu, putridoque, cum effusa stagnantis aquæ copiâ excluso. Nimirùm huic, quod de Morbis muliebribus scriptum reliquit Hippocrates, usu venit: Si, *inquit*, hydrops invaserit, muliere uterum gerente, corrumpit fœtum & ejicit, cumque eo aqua effunditur, & mulier plerumque moritur. *Ea enim matrona, tertia licet vice abortum faciens, evasit tamen. Quartâ verò, cum fœtum jam putrescentem enixa, permagnam aquæ molem rejecisset, dissipatis spiritibus, lapsisq; viribus, vivere desiit. Qui factum ergo, quòd tibi Medico-Chirurgo felicissimo, tantum periculum domestici puerperij adeò feliciter cessit, ut matre ante & post partum perbelle conservata, masculo puello, eoq; vivido, robusto & integro, quòdq; mirari quis jure possit, hoc ipso tempore reliquis tuis liberis valentiore, sis exhilaratus? Inquit in Metaphysicis Aristoteles* διὰ τὸ θαυμάζειν οἱ ἄνθρωποι καὶ νῦν καὶ τὸ πρῶτον ἤρξαντο φιλοσοφεῖν. *Quanquam autem morbosarum affectionum descriptiones, ijs causarum plenissimè explicatarum fundamentis impositæ esse videri queant, ut particularium casuum nulla subesse admiratio debeat: quia tamen vel impræsentiarum duntaxat meritò subest, & complura aliàs eveniunt, quæ à generalibus Medicarum legum canonibus aberrant, non abs re fuerit, causam hujus præsentis eventus paulò altiùs perpensam, ex generali Hydropis Oeconomia deduxisse.*

Generatim igitur tria quæremus. Quæ hydropis? Quæ specierum ejus sit causa? quoque pacto humor in abdomen & pedes translatus, in tumorem eos attollere sit solitus?

I. *Quæ Hydropis efficiens causa.*

Quæ ergò hydropis causa est? Humoris, vel saltem humidi vaporis nimia abundantia, sensu idipsum loquente, Gal. 6. aph. 8. Celsus lib. 3. 21. Humorem autem læsa sanguificatio procreat. Gal. Prognost. 1. 7. Sãguificationem Iecoris, non venarum duntaxat ejus, sed Parenchymatis, frigida intemperies labefactat. 5. de loc. aff. 7. 6. de loc. aff. sub initium. Frigida intemperie Iecur tùm primò afficitur ex propriis causis, tùm aliarum partium, Ventriculi, Lienis, Renum, Pulmonis, Uteri consensu, 1. de loc. aff. 7. Prognost. 1 7. Alexander lib. 9. 2. Paulus lib. 3. 48. Hæc series causarum se mutuò antecedentium. Quæ verò tùm primò afficiunt, tùm aliarum interventu partium, in duplici differentia existunt. Vel enim per se agunt, refrigerando: vel per accidens, calefaciendo, aliovè modo calorem Hepatis exterminando, unde frigiditas: ut non magni momenti controversia sit, à calore aliis, aliis à frigore induci hydropem contendentibus.

Quomodo serum hydropicum generetur

Quo pacto autem læsa sanguificatio aquosum humorem procreat? Id cognoscemus, si ad concoctionis & sanguificationis distinctos gradus attenderimus. Calor enim rem concoquendam aggressus, utile ab inutili, purum ab impuro, pro generali ejus conditione, quæ est congregare homogenea, disgregare heterogenea, separat. Abhinc dimisso inutili, utile duntaxat subacturus, omnesque partes perfectè commixturus, eas ipsas initiò penetrat, tum invicem dirimit, tertiò diremptas ad mutuam quasi novam miscelam elaborat, quartò elaboratas, tanquam sequester quispiam per mutuas substantias ducit. Unde tandem Unio, quàm priùs, perfectior.

Hi caloris concoquentis agones sunt, pro rei coquendæ varietate inter se quoque differentes: quos obit integrè, si integer fuerit. Sin labefactatus, orditur quidem opus: non autem perficit, sed partes diremptas ob imbecillitatem nec præparat sufficienter, nec præparatas nectit invicem & unit, quæ jam causa est, ut tenuiores à calore dimissæ diffluant, residuæ crassiores venas oppleant.

Paracelsi sententia de causa Hydropis.

Hæc Græcorum Medicorũ sententia est, à qua Theophrastus Paracelsus, quem accuratæ medicamentorũ præparationes jure commendant, non parùm recedere videtur. Ejus tamen Philosophemata, κατ' ἐμὴν δόξαν *vel cum Græcis eadem sunt, vel ut nihil dissimulem, iis deteriora.* ὅσιον γὰρ ἀποτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν *Etenim proximam hydropis causam dicit esse sal aluminosum hepatis, vel alterius principalis partis: quod cum vi penetrandi acutissima polleat, resolutum per hepatis regiones subinde coletur, id quòd à crassa & incocta materia fieri haudquaquam posset. Resolvi autem propter diversas causas.*

1. *Ab influentia interni cœli hominis, virtute Solis & stellæ hydropicæ Zedos, à qua pluvia interna mota, salque attingens, illud ipsum frangat & dissolvat, ut nivem Sol. Eandem enim cœli totiusque universi habitudinem, qualis in magno mundo est, nõ allegoricam duntaxat, sed realem, in corpore humano inesse.*
2. *A propria natura salis, quæ ut res qualibet in putrefactionem abit, & aquæ elementum putrescit, ipsum sal itidem tempore microcosmico elapso, in resolutionem abeat.*
3. *A victu immoderato, qui ad terram microcosmi effusus, eam non minùs solvat, quàm si à cœlesti pluvia maderet.*
4. *Ab aliis similiter morbis, qui eandem microcosmi terram in fatalem ejusmodi resolutionem præcipitent.*

Hæc summa est Paracelsi sententiæ, quæ in duobus Tractatibus de Hydrope, libro item secundo de Tartaro, tract. 2. cap. 6. extat. Nonnunquam quidem aliter loqui videtur, & affectata verborum peregrinitate nimium gaudere: iis tamen dimissis, ostendemus quod diximus, vel eadem cum Græcis asseverare, vel iis pejora. Eadem quidem, cum ait, Humorem proximam Hydropis causam esse, ipsumque adeò morbum, meram aquam, vel aquam resolutam. Eundem etiam humorem sal esse, quod alii per serosum & salsum humorem significant.

De Paracelsi sententia Iudicium.

Diversa verò & deteriora: 1. Quando sal illud aluminosum constituit. Alumen enim in humano corpore extare, affirmari quidem potest allegoricè, sed nullatenus ne probabiliter quidem demonstrari. Discursus quidem præclari audiuntur, sed mera verba sunt. In Physica autem & Medica arena allegoriis niti, ἀφιλόσοφον. *In speciem autem verisimilis proba-*

Obs. 56. tionis Microcosmus urgeri solet: quasi is omnium creatarum rerum quintas Macrocosmi essentias complectatur: quod maximum est complurium Theophrasti dogmatum fundamentum. Id tamen si pernegetur, quanto cum fragore corruunt, quæ superstructa erant? Sin concedatur. quintam duntaxat aluminosi salis essentiam, non corpus ejus, quod ab ista diversum, inesse probabit. Vbi quis unquam dabit, hydropicorum aquam aluminosi salis quintam essentiam existere? Vt hactenus credi nequeat, hydropicorum salsum serosum humorem, sal aluminosum seu alumen esse.

2. Partium humani corporis, non ciborum, sal pessum ire existimat: sed perperàm. An enim hepatis, renum, lienis, aliarumvè partium solutum sal, aquæ tam immensam copiam parturiet? Quid quod ne unam sæpe destructam partem esse, mortuorum aperta cadavera loquuntur. Debebat tamen si fusus sal ejus hydropem produxisset: non nisi post sulphur demum & mercurium sale separari solito.

3. Salem resolvi dicit, & hydropem inducere. Quo id verò pacto anteà, quàm à reliquorum principiorum totiusque partis compage separatus fuerit? Vt enim largiamur, ex tribus principiis compositas totius partes esse, sal tamen vel aluminosus fuerit, vel quispiam alius, neutiquam funditur, nisi à spiritus & olei complexu, terreaque compage liber privatim existat. Quod quanto ignis artificio fieri debeat, Chymia docet. Prius ergo quo pacto hepatis sal, exempli gratiâ, à reliquis ejus constituentibus principiis discisionem faciat, docere debebat Paracelsus. Hoc autem negligens, quasi jam separatus foret, à Cœli interna pluvia, à propria ejus periodo, ab inordinato victu, ab aliis ægritudinibus fundi docet. Quod tres has posteriores antecedentes causas attinet, si sal merus per se existens extaret in corpore, admitti possent haut difficulter. Non autem eo existente, & ipsæ evanescunt. Quoad verò primam Cœlum internum, ejusque pluviam, allegoria mera est, quam ut fortè Rhetores, qui verborum colores rebus inducunt, admiserint: non item Philosophi. Vt quibus hactenùs à Græcorum fundamentis diversa sunt Theophrasti placita, nullis veræ Philosophiæ argumentis nitantur.

Hæ causæ sunt Hydropis.

II. De causis specierum hydropis. Quæ autem Hydropis specierum causæ sunt? Hydrops alius universalis est, totius corporis, Anasarca, Ascites, Tympanites, 3. de victu acut. aph. 3. Galenus: alius Particularis, certæ alicujus partis, pulmonis, cordis, uteri, cerebri. Sunt autem specierum jam dictarum perquirendæ causæ, quas vix attingunt antiqui Medici: posteriores, satis jejunè in solo hepate omni fabâ cusâ, ut cùm illud viderent communem hydropis auctorem esse, eidem etiam specierum causas adscripserint. Dicebant ergò, ab exigua hepatis frigiditate & imbecillitate Tympaniam, à majori Asciten, à maxima, Leucophlegmatiam provenire. Quanquam alij hanc à majori, Asciten à maxima voluerint. Hæ tamen causæ nullatenus sufficiunt. Iis enim admissis, cùm Iecoris intemperies non uno impetu, sed sensim majores vires acquirat; consequens erit, nullam futuram Asciten, quam non Tympanites & Anasarca: nulla Anasarca, quam non Tympanias antecesserit, quod absurdum. Aliorsùm ergo respiciendum est, & licet hepatis maleficio, ceu vulgatæ causæ omnis debeatur hydrops, aliarum itidem conjunctionum, primæ scilicet & tertiæ, pariter habenda ratio est.

Obs. 56. Tympaniam ergò, unà cum Hepatis intemperie, ventriculi læsa concoctio parturit. Ni enim malè coctus foret chylus, non tam facilè in flatum commutaretur. Quia verò humidior & malè cohærens partibus ejus, non ritè invicem mixtis & coagmentatis, quæ aquosior est, separatu facilior, à reliqua mole in vaporem abit. Annon ergò rectè Galenus 3. de symptomat. causis, ex ultimæ virtutis, primo scilicet concoctionis collapsu, tympaniam fieri? Vbi tamen notandum, utroq; affecto viscere, alterum alterius causam esse posse: Ventriculus enim labefactatus hepati, hepar vicißim illi nocere potest: sed tùm demùm tympanites futurus, quando vi primæ concoctionis, quæ ventriculi est, læsa, hepar itidem vel primariò vel secundariò laborat.

Leucophlegmatiam autem unà cum hepatis intemperie, læsa partium singulatum tertia concoctio parturit. Cùm enim à pituitoso sanguine per universum fuso creetur, si à sola hepatis intemperie hæc labes penderet, venæ, singulæq; partes contraxissent defectum, & malè coctum sanguinem ad debitam maturitatem revocassent. Quia verò tertia concoctio vitium facit, hepatis sanguinem malè confectum, non meliorem reddit, sed imperfectum ut est, partibus singulis obtrusum præ infirmitate deserit. Rectè ergo Galenus: ex imbecillitate virium carnis totius corporis, anasarca nascitur. Sive jam à totius intemperie hepar, sive ab hepate totius partes singulæ debilitentur.

Ascites tandem sola hepatis insignis nativi caloris frigiditas parturit, ut licet alieno exæstuet, propter imbecillitatem tamen, chylum quidem probè à ventriculo elaboratum, non superet tamen, nec in sanguinem laudabilem, sed aquosum potius & serosum convertat. Sanguificatrix vis enim opus suum exorsa, præ imbecillitate deserit, ut chyli partes invicem diremtas, crassiores à tenuioribus ad novam miscelam, sanguinisq; formam recipiendam flectere & præparare nequeat: unde quæ tenuiores sunt, in proximas partes non distribuuntur, læsa etiam distributione, sed, ut initiò dictum est, diffluant. Hoc Galenus voluit, quando ait citato loco: Ex sanguificæ virtutis imbecillitate, Hydropem (Asciten intelligens) nasci. Hæ causæ generalium hydropis specierum.

Particularium Hydropum causa. Particulares autem nonnullarum partium hydropes dari, experientia testis est. Hydrocephalos enim, capitis & cerebri hydrops est. 1. Pulmonis & Vteri meminit Hippoc. lib. 2. & 4. de morb. internis CRATO Medicus Cæsareus MAXIMILIANVM II. Imp. hydrope Cordis & Pulmonum interiisse, narrare solebat. Et nos meminimus, cujusdam Phthisici aperto cadavere, pulmones tum consumi cœptos, tùm copiosa, serosa, fœtida aqua repletos, distentosque deprehendisse, aßistente eo, sectionem administrante GEORGIO SCHONVELDERO Silesio, Medicæ rei studiosißimo. Eidem tamen venter quoque & pedes nonnihil inflari cœperant, cùm in universalem hydropem nõ infrequenter particularis degenerare sit solitus. Observatio.

Iam verò, quæ causa in his partibus tam copiosum serum producat, ex hactenùs dictis non difficulter cognosci potest. An non heic quoque hepatis intemperies, & læsa sanguificatio negotium facessit? Facessit equidem, aliter licet quàm in hydrope universali. Crudior enim & pituitosior sanguis in jecore procreatus, si pulmones vel uterum quavis de causa debiliorem invenerit; illius duntaxat particularem hydropem,

Obs. 56.

pem, non totius, utpotè robustioris, universalem Leucophlegmatiam invehit. Potest tamen idipsum nullo vitio aberranti hepate, à solius partis insigni frigida intemperie contingere, ut oblatum quamvis laudatum sanguinem assimilet partim, partim in serosum humorem convertat, qui collectus sensim, hydropici tumoris auctor est. Et hæc de specierum hydropis causis.

III. *Qua via serum in abdomen perveniat.*

Qua verò via productum serum extrà venas in Abdominis cavum perlabitur? Meminerunt quidem Auctores non solius Διαπηδήσεως, sed & apertorum, ruptorum, erosorum vasorum & membranarum. Quia tamen serosus humor neutiquam solitarius, sed sanguini permixtus est, ruptis, vel quovis modo resignatis venis, unà secum sanguinem profunderet, quo pacto videmus incisâ venâ, quemvis humorem obvium erumpere. Non profundit tamen. Apertis enim post mortem hydropicis, merum serum, nullo sanguine perfusum, vel membra distendisse, vel abdomen implevisse conspicitur.

Prætereà effuso sanguine graviora symptomata hydropicos urgerent, ut inflammati corrupti humoris pernicie in præsentaneum mortis periculum, sine magna induciarum spe, præcipitarentur. Quamvis nō penitùs negemus, quovis modo aperta vasa ejusmodi μεταςάσεως causam esse, affirmantibus idipsum cum Avicenna præclaris Medicis, tum aliis, tùm IOHAN. FERNELIO inprimis, Galliarum Regum, & FELICE PLATTERO, Basiliensis Reipublcæ archiatris, certisque exemplis confirmantibus. Potissima ergò, proxima, & immediata hujus trajectus causa Διαπήδησις est, qua sanguis attenuatus, rarefactis membranis & vasis quasi transcolatur, & sudoris in modum transmittitur. Insitus enim cum influente calor debilitatus, licet serosum sanguinem vincere & concoquere nesciens, in vaporem solvit, quemadmodum aquam ignis calore in aërem vaporosum commutari videmus. Hic vapor in tunicas impingens, tùm suâ naturâ tùm aquei humoris contagio frigidiores, easque distendens, per occultos tenues meatus elabitur, instarque sudoris in convexa earum, vel aversa parte in aquam concrescit. Hæc omnis in hydrope transsumpti humoris præcipua causa esse videtur, cui nonnunquam, ut jam concessum est, venarum rupta continuitas, quasi ex accidenti priorem causam deteriorem redditura, jungitur. Non tamen dissimulandum est, quid THOMAS RODERICUS à Vega sentiat: Quo, inquit, canali deferatur ab hepate aqua, flatusve, disceptabant prisci, multusque est in eo expediendo Avicenna. Modò comperta res esse videtur.

Cùm enim omentum peræ speciem habeat, vel impertusi infundibuli, & intrà se portæ caudicem recipiat, fit ut per receptæ portæ ramos defluat, ceu in venas in omentum aqua. Hæc de modo transitus.

Cur pedes prius quā abdomen tumeant.

Quo verò pacto ille idem serosus humor pedes occupare prius, quàm abdomen conspicitur? Si cum Anasarca complicatus Ascites foret, in promptu causa esset. Ast tùm non soli pedes, sed quævis extrema totius, ejusdem impressæ labis vestigia præ se ferrent. Sin dicat quispiam, ut olim nos arbitrabamur, serosum sanguinem in pedes distributum, non aliter quàm in hepate ejusque venis, in vaporem primùm, tùm humorem sudoris instar, tertiæ concoctionis vitio converti, & in abdomine tardiùs, propter amplitudinem ejus, quàm in pedibus apparere, largitur id quidem haut difficulter, si causa dici posset, cur sanguine in superiores quoque artus distributo, idem non fiat. Dicamus ergò, humorem initiante hydrope pedes occupantem, ex abdomine delapsum fuisse, idque tum propriæ gravitatis pondere, tum adjuncti vaporis tenuitate. Is enim pondere deorsum nitente adjunctus vapor, per membranarum se mutuò contingentium angustias, quibus singulis vasorum generibus à peritonæo in crura transitus à natura figuratus est, viam parat: ut iis occupatis, nonnihilque patefactis, se insinuet, undarumque in modum gutta pellente guttam, per fœmorum crurumque occultos, solique naturæ cognitos vasorum mœandros & ductus, ad talos usque perlabatur. Hinc est, quod pendentibus cruribus increscat tumor: sublatis verò, reclinato corpore decrescat, aqua sursùm repente, & præcordiis pressis, dyspnææ molestias inferente.

Hinc etiam est, non sursùm naturalis motus inclinatione repente humore, tardiùs inflari brachia, & tùm solum, cum undiquaque extenso abdomine, sursùm commeans serosi humoris copia, quaquaversum evadendi viam & transitum sibi parat: ubi patente ductu ad scapulas delatus, humores perlabitur, inque carpi manuumque spatia sese infert.

Binorum casuum uterini hydropis causa.

Generalia hactenùs: quæ ad speciales uterini hydropis casus adhibita, diversorum eventuum causas ostendunt. Vt enim vidimus, proxima & primaria affectus ejusmodi causa est, læsa facultas tertia concoctionis in Vtero: quæ sanguinem à jecore oblatum non ritè sibi assimilat, sed in serum & sanguinem convertit. Accedit subinde jecoris læsa sanguificatio, ut nec hæc probum sanguinem producat. Ex quo principio diversa symptomata, secundùm magis & minùs inter se discrepantia emergunt. Sævior enim is hydrops uteri est, quem jecoris & uteri duplicata intemperies procreat: mitior, qui solius uteri vitio contingit. Quod si ergò concipit mulier, uterumque gerit, si duo viscera vitium faciunt, nullum est mirum, infantem sæpius nonnunquam & matrem, ex Hippocratis sententia pessum ire. Nec enim fœtus idoneo alimento ab hepate tracto nutritur, ut tandem decedat: nec uterus ut abortus tandem, urgente aquarum copia, sequatur. Si ergò noxa magna fuerit, vel prima quoque vice matrem & infantem tollit. Sin minor, fœtui tamen semper periculosa & fatalis, abortiens mater nonnunquam evadit. Sin ureteres solum prostrata facultate laboret, jecori licet per consensum communicato nonnihil errore, evadere potest fœtus, attracto salubri sanguine: abortus etiam præcaveri roborato utero, & legitimis remediis ad suam temperiem reducto: ut quam collegit serosam aquam, ad justum parturitionis tempus validè retineat, tandemque sine fœtus vel matris noxa excludat.

Ergò quod tàm feliciter conjugi tuæ periculosus admodum affectus cesserit, utero læso, jecinori integro adscribe, salubri propterea sanguine nutritus infans, calore ejus innato per aquæ serosæ antiperistasin magis magisque invalescente, robustior, quam aliàs exclusus est, inque hucusque diem integerrima corporis animique valetudine perfruitur. Quod verò secus ille idem affectus nobilem eam matronam, cujus à me facta mentio est, habuerit, majori Iecoris, quàm uteri læsioni acceptum fero. Erat enim insignis parsimoniæ honestissima fœmina, primis conjugii annis liberorum feracissima. Et quia omnium, quibus is sexus vitaque genus nimiùm aliàs sibi indulget, penitus expers, victu

minùs

Obs. 56. & 57. *minus salubri utebatur, parvamque sanitatis, futurique periculi, frequenter licet à me admonita, rationem habebat, debilitatis uteri & hepatis, per causas has procatarcticas, viribus, id illi, quod scribit Hippocrates, contigisse tandem, hautquaquam mirari amplius possumus.*

Sic sentio, Vir præstantissime, pluribus nonnihil verbis, ut si Phocionis jure uti velles, de iis, quæ resecanda essent, & scires & posses cogitare. Essent nimirum cumplura, tùm nimis vulgata, tùm maturiore judicio examinanda. Quia tamen cum eo mihi negotiũ est, qui ut Plinius ad Trojanum scribit, solet meas esse aliquid putare nugas, nec linguæ modum habui, nec quas de casibus propositis cogitationes alebam, mihi retinendas existimavi.

Tu, prout soles, omnia benignè consules, quæq; probè à me, vel improbè dicta fuerint, præclari judicij tui censura meliora reddes. Optimè vale, Vir Clarissime, Basileæ, 22. Decemb. CIƆ IƆCIX.

OBSERVATIO LVII.

De ventre viri cujusdam, post dissectionem puris pleni invento.

Clarissimo atque Excellentissimo viro Dn. D. JACOBO ZWINGERO, Academiæ Basiliensis Professori & Medico longè celeberrimo, DOMINO & amico plurimùm honorando.

Guilhelmus Fabricius Hildanus,
S. P. D.

DOctissimum tuum responsum, ad observationem de hydrope uterino, non vulgaris in me amoris argumentum, vir clarissime & æternùm mihi observande, accepi, nec sine fructu legi, ac relegi: pro suscepto hac in re labore, sed inprimis, quod exigua mea studia cheirurgica, præclaris ac doctissimis tuis scriptis illustrare, ac ornare non desinas, gratias habeo agoque maximas.

In hydropicorum cadaverum dissectionib^9 ut plurimùm abdomen sero repletum, atque extensum invenit: ut plurimùm inquam, aliquando enim humorem loturæ carnis non absimilem reperi; veluti in matrona illa Mildunensi, & in quibusdam alijs: sed id fit quando hepar aliqua in parte exulceratum est. Tunc enim cum sero simul & aliquid sanguinis serosi in vacuum ventris exstillat. Sed quod nunc annectam, admiratione profectò dignum est. In cadavere enim quodam, abdomen pure extensum atque repletum fuisse observavi. Casum, quia T. Exc. speculationibus non indignum esse existimo, paucis hîc recensere non gravabor.

Juvenis quidam robustus, & vix viginti quatuor annorum ætatis, sutor, & Lausannensis incola, PETRUS BOURGE nomine, cùm anno 1600. messis tempore sub ferventissimo sole pluribus diebus messorem egisset, & quadam die propter sitis vehementiam, aquâ frigidâ de repente sese ingurgitasset, febri continuâ correptus fuit: ex qua malè curatus, in cachexiam incidit. Itaque nunc tertianâ, nunc quartanâ laboravit.

Obs. 57. & 58. Post menses octo, quum ex morbo isto diuturno vires planè prostratæ essent, omnesque partes corporis (ventrem tamen, qui admodum inflatus erat, excipio) imò & ipsa crura, supra modum extenuatæ essent, è vita discessit. Vocatus ego ut cadaver inciderem, in vacuo ventris non serum, multò minus humorem loturæ carnis adsimilem, sed pus album, benè digestum, & minimè fœtidum (quale ex abscessibus emanare consuevit,) inveni, idque profectò, non in exigua quantitate, sed ultrà libras undecim Medicinales. Viscera omnia eâ quâ fieri potuit diligẽtiâ inspexi, ubi verò generata fuerit materia illa purulenta, investigare non licuit. Ulcus enim nullum, neq; sinus, aut simile quid repertum est. Splen tamen & hepar scirrhosum conspiciebantur; reliqua interiora secundùm naturam sese habebant. Dissectioni interfuêre Reverendus & Doctissimus DN. JOHANNES RHETERIUS, piæ memoriæ, in schola Lausannensi linguæ Sanctæ professor longè celeberrimus, DN. JACOB^9 PRUDOMMEUS, apud Viviacenses Pharmacopola exercitatissimus, & plurimi alij. De generatione autem hujus puris, quid T. Exc. videatur, ut uno aut altero verbo rescribere non gravetur, etiam atque etiam rogo. Vale vir clarissime cum tota familia, quam tecum ego & uxor mea demissè salutamus. Paterniaci Aventicorum 1. Februarij 1610.

OBSERVATIO LVIII.

De apertione Umbilici in infantulo, & in quibusdam aliis, deque maximis inde sequutis commodis:

Ad

Eundem virum Clarissimum Dn. D. JACOBUM ZWINGERUM:

QUæ incommoda ex Umbilici apertione, in duobus infantulis sequuta fuerint, Vir clarissime, & multis nominibus mihi observande, in prima Centur. Observat. 52. vidisti. Ante menses verò quatuor, contrarium in puellula mea observare mihi contigit. Quandoquidem illa tertium mensem ætatis nondum attigerat, cùm singulare beneficium ex apertione umbilici recepit. Quum enim per multos dies morbo graviter confecta fuisset, ac noctes diesque miserè ejulasset, tandem venter ipsi intumuit, cum manifesta duritie circa umbilici & hepatis regionem. Tensio abdominis, dolorque adeò magnus, ut anhelitum vix trahere posset, sitis inexhausta, lingua ac labia continuò sicca asperaque erant. Ab initio ventrem & pectus oleo amygdalarum dulcium, liliorum alborum, & pinguedine caponis & hominis, quibus parùm olei rosarum (corroborationis causâ) admixtum erat, inunxi. Et quia dolorem magnum, & flatus multos in intestinis adesse, ex ejulationibus infantuli, & intestinorum murmure, facilè mihi conjicere licuit, sequens Cataplasma anodynum, & flatus discutiens, applicui. *Linimentum.*

Obs. 58. Cataplasma anodynum.

R. farinæ fabar. ℥ iij.
pulv. sem. cydonior. &
fœnograeci an. ʒ jß.
sem. anisi
fœniculi
anethi
flor. chamomil.
meliloti &
sambuci an. ʒj.

Coquantur cum decocto radicum althææ ad formam Cataplasmatis. Deinde admisce ol. amygd. dulc. pinguedinis humanæ an. ℥j.
vitellum unius ovi
croci ℈ ß.

Misce, fiat Cataplasma, quod calidè applicetur bis aut ter in die.

Per os quoq; parumper ol.amygdalar.dulc. cui nonnihil sacchari admixtum erat, sæpissimè lambendo exhibui. Et quia tussicula simul aderat, ac tussiendo ingentes dolores pateretur, pect⁹ præscripto linimento ex oleo amygdalarum dulcium &c. sæpissimè interdiu inunxi, & continuò sequentem syrupum lambendum propinavi,

Syrupus magistralis.

R. radicum fœniculi
petrosel.
graminis &
cichorei an. ℥j.
hordei mundati ℥iij.
liquiritię ℥ij.
herbar. polytrichi
scabiosæ
cuscutæ
botrydis
hyssopi an. M. j.
agrimoniæ
veronicæ an. M. j. ß.
flor. trium cordial. &
chamomil. an. M. ß.
sem. anisi
fœniculi an. ℥j.
passul. enucleat. &
ficuum an. ℥ij.

Coquantur in sufficienti quant.aq.ad consumptionem tertiæ partis. Colaturæ adde mellis cum prædicto decocto, ℔ ß. sacchari miscellanei clarificati ℔ j. Fiat. s. a. syrupus. Servetur in vase vitreo diligenter clauso. Quum verò tumor ac tensio circa umbilici hepatisq; regionem accresceret, & pus subesse, manifestè appareret, sequens Cataplasma applicui.

Cataplasma.

R. farinæ tritici ℥j.
far. sem. lini
fœnograeci an. ʒj.
fermenti
axungiæ porci
ungu. basilicon. an. ℥ ß.
ficuum ℥j ß.

Cum decocto radicum althææ fiat Cataplasma, applicetur calidè. Quo cataplasmate per dies aliquot admoto, umbilicus paulatim in tumorem elevatus est, quóque tandem rupto, multum humoris serosi ac puris, spacio quatuor hebdomadum continuò extillavit. Umbilicus quamprimùm ruptus fuit, symptomata paulatim remitti cœperunt; interim nihilominus syrupo præscripto infans quotidie utebatur. Matrem verò per intervalla syrupo ros. solut. composito cum Rhabarb. Agar. & senna expurgavi: & ut optimam victus rationem observaret, operam dedi. Sic divina Clementia convaluit puellula, & nunc unà cum matre bellè se habet.

Arbitror autem, humores hosce serosos non solùm ex vacuo ventris, verùm etiam ex ipso hepate per venam umbilicalem ad ipsum umbilicum confluxisse, atque inde extillasse. Id enim si in adultis, quibus vena umbilicalis in ligamentum degenerata est, aliquandò accidit, quemadmodum in quadragenario accidisse vidi, uti Observat. 47. Centur. 1. declaravi, nonne multò faciliùs id in infantulo, cui vena hæc nondum corrugata, atque in ligamentum indurata erat, fieri potuit?

Cæterùm de apertione ũbilici in puellula hydropica, exemplum nõ minùs singulare quàm annotatione dignum, Clariss. atque Doctiss. D. D. ABELUS ROSCIUS, Medicus apud Lausannenses celeberrimus, non ita pridem ad me scripsit, quod hîc annectere visum est.

Histor[ia] singu[laris] de ape[rtio]ne ũbi[lici].

Cùm apud Allobrogos, inquit, Medicinam facerem, puellam annos sedecim natam, Ascite laborantem, videre & invisere mihi contigit. Cui cùm ob ventris tumorem immodicum, sitim inexhaustam, anhelitus difficultatem, maximam virium imbecillitatem, ac domus suæ paupertatem, de remediis salutiferis, & vera curatione, in tam conclamato morbo adferendis, dubitare cœpi, præsentemq; potiùs illi mortem imminere, parentibus significavi. Paucis ab hinc diebus, die quadam Dominica summo mane hoc contigit, ut parentes & domestici, vicinique omnes, cùm officium sacrum (ut vocant) adivissent, ægra sola in domo relicta, sitis acerbißimæ impatiens, se à lectulo satis humili, statim in solum dejicit, & fontem, qui non procul distabat, pedibus manibusque repens, petit, ac lymphâ purißimâ gelidâque ternis vel quaternis iteratis vicibus, sitim suam explere tentat: ad anhelitus ferè suppreßionem repleta, domum repetere non valens, illicò juxta fontem in terram decumbens, ex umbilico rupto, sponte copiosa prorupit aqua. Hæc tandem filia, à Parentibus è templo redeuntibus, semianimis domum & in lectum reportata, paulò post levibus adhibitis auxiliis sana evasit, & convaluit. Hactenus Dn. D. ROSCIUS.

Ego Quadragenarium Ascite laborantem, cui ũbilicus ruptus fuit, sanitati restitutum fuisse observavi, uti Centur. 1. Observ. 47. fusiùs declaravi.

ANTONIUS BENIVENIUS simile habet exemplum. ANDREAS LAURENTIUS plura adfert, punctionemque umbilici in hydropicis, eâ, quæ fit sub umbilico sectione, præferendam esse censet: nec immeritò. Est enim via aptissima ad evacuandum humores serosos. Non enim è vacuo ventris solummodò, sed & nonnunquam ex ipso hepate, per eandem viam humor noxius evacuatur, in primis verò, si umbilicus intumuerit, & vena umbilicalis dilatata fuerit. Id tamen rarissimè fieri posse, certum est, cùm, ut sciunt Anatomici, in adultioribns in ligamentum sit redacta. Sin autem umbilicus retractus, & in tumorem minimè elevatus fuerit, non facilè ipsius punctionem tentarem: Quò enim natura, inquit

Obs. 58. & 59.

inquit Hippocrates, maximè vergit, eò ducere convenit. Non extuberante verò umbilico, vix spes aliqua est, naturam viam hancce affectare. Quapropter præstaret, locum minùs suspectum eligere, & sectionem sub umbilico administrare. Si enim in ipsa punctione umbilici, vena aut potiùs ligamentum abscinderetur, de hominis vita actum esset, uti D. LAURENTIUS lib. 1. cap. 8. testatur. & nos Observ. 53. centur. 1. exemplo demonstravimus. Extuberante itaque umbilico, punctionem absque periculo, & maximo cum commodo fieri posse, non extuberante verò, periculosam esse existimo. Tua verò Excell. hac de re quid censeat, intelligere cupio.

Porrò ut T. Excell. casum illum gravissimũ capitis, quem nuper Basileæ mihi monstravit, penitùs adumbrare atque cõmunicare nõ gravetur, etiam atque etiam rogo. In quadam Epistola, quam ad Clariss. atque Doctiss. virum Dn. JANUM DE BURGO, Medicum Gallũ dedi, de eo mentionem feci. Et quia Epistolam hancce Centuriæ meæ forsan inseram, apographum prius ad T. Exc. mittere constitui, ut an illam tuo cum consensu divulgare possim, intelligam. Rescribe itaque quæso quamprimùm. Vale vir clarissime, & me, ut facis, ama. Paterniaci Aventicor 2. Martij. Anno 1610.

T. Excell. addictissimus & obsequentissimus
Guilhelmus Fabricius Hildanus

OBSERVATIO LIX.

Quæ in dissectione fœtus observatu digna reperta.

ANno 1605, Matrona quædam honesta, sed cacochymica, circà quintum mensem imprægnationis, parturientium doloribus correpta, post maximos ac diuturnos conatus, gemellos cum multa aqua enixa est, fœmellam scilicet ac masculum. In masculo autem dissecando, sequentia annotavi.

1. Abdomen non secus ac hydropicorum, aqua impletum erat.

2. Testes extrà abdomen non propendebant, sed in ipsa ventris capacitate residebant, & quidem eo loci, in quo vasa spermatica ad scrotum descendunt. Vasa quinetiam spermatica tàm brevia erant, ut extrà ventrem propendere non potuerint. Vasa verò deferentia, paulò longiora quàm pro naturæ ordine solebant, conspiciebantur. Itaque natura, quantum una in parte deficiebat, in altera superabundabat. Testes denique, & vasa spermatica præter naturæ ordinem valdè rubicunda erant.

3. Hepar suprà modum magnum, inflatum, & aliquo modo lividum,

4. Mensenterium similiter, uti & renes inflammati.

5 Urachus pulchrè conspiciebatur, cavitas tamen nulla in ipso, neque stylo, quamvis subtili adhibito, imò nec vesica inflata apparebat.

6 Vesica rugosa planè & vacua erat, prætergquam quòd humor viscidus ei ad latera, non sec° ac in intestinis videre licet, adhærescebat.

7. Cutis undique maculis lividis, quales in febribus pestilentialibus conspici solent, conspersa erat.

Obs. 60. 61. & 62.

OBSERVATIO LX.

Menstrua in puella undecimo ætatis suæ anno erumpunt.

MEnses ut plurimùm anno decimo quarto, aut decimo quinto solent prodire: rationem hujus rei reddit Hippocrates lib. de septimestri & octimestri partu: nimirùm, quòd ante hanc ætatem venæ angustiores sint, ita ut sanguis liberè permeare nequeat. Quibus verò maturiùs erumpunt, sunt vitæ brevioris, inquit Sylvius, contrà quibus tardiùs, diutiùs vivunt. Ego mercatoris & civis Coloniensis, PETRI *von Walde*, hominis probi & pij filiam cognovi, cui anno undecimo ætatis suæ menstrua fluere cœperunt, quę quatuor aut quinque mensibus ordinatè fluxerunt. Postea verò iis retentis, in cachexiam incidit, & paulò post anno videl. 1599. peste correpta obijt. Puellæ hujus mater, matrona pia ac honesta, anno duodecimo ætatis suæ menstruis incœpisse laborare, illa ipsamet mihi aliquandò retulit. Hæc etsi dùm in matrimonio vixit, morbis plurimùm obnoxia fuerit, vivit tamen adhuc ad hunc usque annum 1608. Multos progenuit liberos, & nunc quinquagesimum annum ætatis prætergressa est.

OBSERVATIO LXI.

Menstrua ad annum usque septuagesimum octavum profluunt.

MEnstruorum fluxus naturaliter desinit circa annum quadragesimum quintum, aut quinquagesimum, rarissimè ad sexagesimum annum ętatis ob caloris diminutionem protrahitur.

Cognovi tamen nobilissimam ac piam matronam MARESCHALKIAM PLETTENBURK ex KETLERIS natam, cui menstrua ad annum usque septuagesimum octavum ætatis, (quæ refero, ex ipsius ore habeo) ordinariè profluxerunt. Quo anno, qùum ab ordine discedere, & inordinatiùs prodire cæpissent, in febrem continuam incidit. Cùm verò natura per criticam expulsionem sese in crus sinistrum exonerasset, exorta est inflammatio, & dolor maximus. Ego unà cum doctissimis viris D. HENRICO BOTERO, Illustriss. Juliacensium, Clivensium & Montensium Principis Doctore Medico, & D. JOHANNE KUENIO BREIDENBACHIO, Doctore Medico Coloniensi, vocatus, Gangrænam crus jam invasisse comperimus. Ex qua paucos post dies Coloniæ, nimirùm 20 Novemb. 1590. piè & placidè è vita discessit. Fuerat matrona illa sanguinea, robusta & morbis parùm obnoxia, interim tamen sterilis.

OBSERVATIO LXII.

Ex suppressione menstruorum, inflammatio colli matricis.

ANno 1587. nobilis & honestissima quædam matrona Lausannensis, cùm Genevæ menstruorum

Obs. 63. & 64.

struorum fluxu laboraret, & subitò nescio quo horrore correpta fuisset, sursum facto sanguinis refluxu, menstrua illicò suppressa fuerunt. Paucos post dies sequutus est dolor vehemens partium genitalium. Vocatus ego unà cum Clarissimo ac longè celeberrimo viro D. JANO ANTONIO SARAZENO, Medico regio, speculi matricis beneficio, ingentem inflammationem in collo matricis deprehendimus, quam injectionibus syphone quotidiè bis aut ter factis, alijsque remedijs, prout necessitas vrgebat, feliciter sanavimus, quæ postmodùm multos annos incolumis vixit.

OBSERVATIO LXIII.

Ex menstruis suppressis, ulcus in collo matricis exortum.

ANno 1586. cùm nobilis quædam matrona Lausannæ suppressione mensium, bimestri spatio laborasset, tandem exortus est dolor & inflammatio partium genitalium. Morbo propter verecundiam neglecto, abscessus & ulcus in collo matricis sequutum est: huic quidem multa & varia medicamenta à varijs Medicis & Empiricis, absque tamen omni fructu, adhibita fuerunt. Biennio post, unà cum doctiss. viro D. JACOBO AUBERTO VINDONE, apud Lausannenses Medico longè celeberrimo, ut de curatione instituẽda consultaremus, vocatus fui. Adhibito matricis speculo, ulcus callosum, fœtidum, inæquale lividumque, & ut verbo dicam, cancrosum, invenimus, quod minimè nobis tangendum existimavimus. Vocatus postea Empiricus Morgiacensis mira ipsi pollicitus erat. Sed adhibitis medicamentis acribus, auctus est dolor, aucta & febris, inflammatio, vigiliæ, cibi fastidium & syncope, ut deindè paucos post dies è vita discederet. Accersitus itaq; denuò cum dicto Medico, ut dissecaremus cadaver, totum collum matricis planè cancrosum & exulceratum offendimus.

OBSERVATIO LXIV.

Ex suppressione mensium, inflammatio & gangræna colli matricis.

ANno 1596. Honestæ cuidam matronæ, Genevæ menstruis laboranti, nescio quo pavore subitò correptæ, illicò menstrua fuère suppressa, Vndè mox inflãmatio & dolor vehemens exortus est. Ego post dies aliquot unà cum doctissimo viro Dom. ESAIA COLLADONIO, Doctore Medico, & in Gymnasio Genevensi Philosophiæ Professore celeberrimo vocatus, collum matricis lividum, & gangrænâ correptum deprehendimus. Febris vehemens, & syncope frequens aderat. Adhibuimus nonnulla, sed absque fructu; obijt enim undecimo die morbi.

OBSERVATIO LXV.

De urinæ retentione, in qua plurima observatione digna occurrunt.

Viro Clarissimo Doctissimoque D. PHILIB. SARAZENO, Doctori Medico, magni illius IANI ANTON SARACENI F. amico singulari,

Cui

Guilhelmus Fabricus Hildanus

S. P. D.

QUod de Dysenteria vestra gravissima comunicasti scriptum, vir Amplissime, domine & amice summoperè honorande, gratissimum mihi fuit, quod & in Tractatu meo de Dysenteria, quem nunc præ manibus habeo, locũ honestissimum habebit. In usu aquæ chalybeatæ te cum CRATONE non consentire video, nec immeritò. Quandoquidem tantus vir, ut acceptam atq; probabilem hancce novam suam opinionem ac paradoxon redderet, suas rationes debebat addere. Aristoteles tamen lib. proble. & Avicen. lib. 1. Fen. 2. doctr. 2. cap. 16. tecum minimè cõsentire videntur. Aquam enim in coctura subtiliorem & rariorem fieri, docent.

Ego tamen, ut ingenuè fatear, in Dysenteria illa populari, quę superioribus annis apud nos grassata est, cum fructu ægrorum, ab usu aquæ chalybeatæ me abstinuisse, ausus sum affirmare.

Cæterùm quia te circà res medicas observatione dignas, curiosum esse sciam, historiam hanc de retentione urinæ non communicare nõ libuit. Illa autem sic se habet.

Observatio singularis a[...] urina r[...]tione.

DAVID ROMAY, civis Paterniacensis, annos 80. & ultrà natus, cùm ex nimio vini recentis usu 13. Novemb. anno 1606. suppressione urinæ, & dolore colico corripi cœpisset, nullisque remedijs in diem 12. usque morbi sui usus fuisset, tandem extremâ necessitate urgente, die videl. 12. dicta, quæ 24. Novemb. erat, me accersere coact⁹ fuit. Tùm hominem in lecto febricitantem, miris cruciatibus ac doloribus afflictum, viribus quinetiam prostratum, cum ventris tumore magno, duro, tenso, ac renitente, ab osse pubis ad regionem fundi ventriculi, & hypochondriorum ferè usque, gravidæ instar, offendi. Ego illicò sacculum ex herbis, radicibus, seminibus emollientibus, relaxantibus, ac urinam moventib⁹, præparavi, & aquâ coctum calidè applicui. Cathetere dein per ductum urinarium in vesicam immisso, libras quinque urinæ, cum uncijs quatuor medicinalis ponderis, extraxi. Unde afflictus & decrepitus homo mirum in modum allevatus fuit, tumor quoque ventris multùm subsidit.

Die sequenti, videlic. 25. Novemb. Enema emolliens, leniens, ac anodymum ipsi exhibui, catheterem quidem intrusi in vesicam, urinæ tamen nihil emanavit. Hinc denuò auctus est dolor, & tensio ventris.

Vigesima tamen sexta die, quum rursùs catheterem per meatum penis in vesicam imisissem & libras sex urinæ elicuissem, protinus dolor & tensio ventris cessavit.

Vigesimâ septimâ denuò catheteris beneficio urinæ ℔ vj. profluxère. Id quod sanè mirandum, quomodo vesicæ corpus tam exiguum, ita extendi potuerit, ut tantam urinę copiam contineret. Undè non mirum, miserum huncce senem tam diris cruciatibus vexatum fuisse, quã vesica pars maximè sensilis, & tanta urinæ copia tantoperè fuerit distenta.

Die 28. circà meridiem rursùs cathetere immisso, postquam urinæ ℔ iiij. cum ℥ iiij. extraxissem,

Obs. 65.

xissem, sub finem circiter ℥j. puris subsequuta est. Posteà clystere leniente & anodyno injecto, bis alvum exoneravit, indéque maximum levamen persensit. Sub vesperam verò horâ nonâ adhuc semel cathetere in vesicam indito, urinæ ℔iiij. uti præcedentibus vicibus, quibus semper quoque multum sanguinis effluxerat. Ex quibus signis facilè conijcere licuit, abscessum in vesica delituisse, ejúsque venulas propter extensionem ab urinæ copia factam, ruptas fuisse.

Die 29. matutino tempore aliud Enema emolliens & anodynum injeci, & circà meridiem per immissum catheterem, urinæ ℔iiij. & ℥vj cũ cyatho puris pleno, uti & sub vesperam libras quatuor & uncias octo cum pauxillo puris, extraxi.

Die 30. Novembris manè cathetere urinæ ℔ij. cum multo sanguine admixto, sub vesperam verò cyathos tres vel quatuor elicui. Verùm antequàm ulteriùs progrediar, id notandum; etsi catheter difficulter immitteretur, parvo tamen & exili cathetere me nunquam propter obstacula, quæ circà sphincterem latitabãt, in vacuum vesicæ pervenire potuisse, crassiori verò imò qui crassitiem pennæ cygni adæquabat, multò faciliùs. Ratio forsan hæc reddi potest: quia cùm ductus urinarius circà vesicæ collum, imò & sphyncter ipse propter scyrrhum, qui ante ostium colli vesicæ latitabat, uti posteà dicemus, tumefactus esset, necessariò in perinæo coarctatio & angustia ipsius ductus urinarii sequebatur. Porrò exilem & minutum catheterem hancce angustiam aperire atque dilatare non potuisse, rationi consentaneum est, id quod crassioris beneficio faciliùs, & minori cum dolore fieri potuit.

Die 1. Decemb. manè cùm in ipso ductu urinario, & circà collum vesicæ obstacula nõnulla, catheteris intromissionem nullomodo ampliùs admitterent, Enema emolliens, leniens, & anodynum, illi denuò exhibui, ventrem, inguina, & coxas oleo anethino, lumbricor. & chamomil. renes verò unguento rosato inunxi. Dein à prandio semicupium ex radicibus, herbis, floribus, seminibus emollientibus, relaxantibus, & dolores lenientibus præparavi. In quod cùm descendisset æger, & per horæ quadrantem resedisset, urinam spontè excernere cœpit, indeq; levamen non exiguum persensit.

Die 2. Decembr. manè illi ad ℥ ij. therebinthinæ Venetæ exhibui: ventrem, inguina, coxas & renes prædictis oleis & unguento inunxi. A prandio propter doloris vehementiam, rursùs illum in semicupium descendere jussi. Ex quo egressus, non solùm urinam copiosè, sed unà quoque materiam crassam, albam, ac fœtidissimam excrevit. Sub noctem verò quia alvus non respondebat, denuò illi Enema injeci; Qua nocte alvum ter exoneravit.

Die 3 nonnihil aquæ nostræ diureticæ illi propinavi, & partes prædictas bis quotidie inũxi. Medicamentis hisce Deus Opt. Max. ita benedixit, ut deinceps semper urinam, simul & purulentam atque fœtidam materiam sponte & absq; dolore aut impedimento redderet. Ventrem nihilominus & renes quotidie, uti dictum, inungere jussi. Verùm pro mũdificatione & abstersione renum, vesicæ, & meatuum urinariorum, die 5. Decemb. ℥ ij. therebinth. Venetæ illi exhibui. Et quia tumor ille durus è regione vesicæ nondum penitùs sublatus erat, sacculum ex radicibus, herbis, floribus, ac seminibus emollientibus, resolventibus, & flatus discutientibus, bis aut ter interdiu calidè applicare imperavi. Tumor tamen ex hujus sacculi applicatione, cum urinæ illius fœtidæ ac purulentæ excretione ad 17. diem mensis Decemb. persistebat, quâ tandem paulatim tumor subsidere, urinaque aliquantùm clarior ac purior fieri, fœtorque remittere cœpit. Intereà temporis alvo nõ respondente, modò clysteribus, modò suppositoriis, modò pulvere mechoacæ ℨj. cum jusculo carniũ recentium utebatur. Hinc ventris dolores sedati fuere: urinam quoq; absq; difficultate, sed involuntariè reddebat. Die 6. Januarij 1607. levis quædam diarrhœa ad dies 4. vel 5. durans, supervenit, quæ tamen, postquàm ipsi quotidie ter aut quater parùm aquæ cinamomi absq vino destillatæ; cum confectione alkermes exhibuissem, cessavit.

Vrina per alvum excretio.

Circà diem 9. Januarij urina per secessum, nunc seorsim, nunc verò mixta excrementis, & quidem involuntariè effluere cœpit, neque ampliùs per penem eam reddidit. Dolor tamen nullus aderat, viresque pro ætate constabant, nec appetitus admodùm prostratus usq; ad 18. Januarij, quâ tussiculâ siccâ correptus, vires & appetitus paulatim ita diminuebantur, ut 30. Januarij, piè ac placidè animam Deo reddiderit. Aperto cadavere scirrhum magnitudinem ovi gallinacei adæquantem, unciasque duas pendentem, in ipsa vesica, & quidem ante collum ipsius tenaciter adhærescentem, inveni. Ex cavitate prætereà vesicæ, usque in intestinum rectum, ulcusculum conspiciebatur rotundum procul dubio ab urina purulenta & fœtida exesum. Corpus item vesicæ circà ipsius collum, uti quoq; intestinum rectum lividum, ren uterque insignis magnitudinis, exteriùs vesiculis quamplurimis seroso humore scatentibus, apparebant. Hepar denique in parte cava durum ac scirrhosum visebatur.

Quæ post mortẽ in dissecto cadavere, observata.

Curationi sæpissimè interfuere Reverendus D. Joh. Merula, hujus loci verbi divini minister fidelissimus, Doctiss. D. Emanuel Urstisius Liberalium artium Magister, Dn. Daniel Tavellus, Scholæ Paterniacens. Ludimoderator, Nobil. Jacobus De Bruel, & quamplurimi alij, quorum & major pars dissectioni cadaveris interfuerat. Vale Vir clarissime, & feliciter vive diu, Paterniaci Aventicor. Die 4. Julij 1608.

Ad eundem Clarissimum atq; doctissimum Virum Dn. Phil. Sarazenum *Medicum celeberrimum,*

Guilhelmi Fabricii Hildani *Epistola;*

In qua de retentione urinæ agitur.

Quod Divina providentia, Clarissime plurimùmque mihi observande Dn. D. Tuam Excellentiam cùm genere & virtute nobili sponsa pro-

Obs. 65. sa providerit, ditaveritque, maximo cum gaudio ex Dom. SARAZENO, Syndico prudentissimo, intellexi. Faxit Clementissimus pater cælestis, pacis author, ut pacificè feliciterq; vitam in multos annos, ad Dei & Ecclesiæ Christi gloriam, ædificationem proximi, vestramque salutem simul traducere possitis. Utinam tuam Exc. antequã Genevâ discedet, invisere possim: sed detineor etiamnunc Basileæ, & quatuor elapsi sunt menses, à quibus apud Serenissimum Principem DN. JANUTIUM RADZIVILLIUM & c. morbo graviter confectum, continuò fere hæreo. Ferè inquã, quandoquidem ante duos menses in agrum Augustanum, ad Generosum virum DN. ZACHARIAM GEITZCOFFLERUM & c. S. Cæsar. Majestatis, & Regis Hungariæ, Ducúmque Austriæ Consiliarium prudentissimum (cujus superiori anno, cum T. Exc. Lugduni inviserem, mentionem feci) vocatus fui. Iter hoc, divinâ gratiâ, feliciter & cum laude perfeci. Augustæ, uti & Ulmæ, non solùm ex literatis & primarijs nonnulli, verùm etiam senatus ipse humaniter me excepit, maximisque honoribus affecit. Sed ut ad Generosum virum DN. GEITZCOFFLERUM redeam, in ipsius vesica lapides reperti fuêre duo, rubri coloris; quorum unus drachmas tredecim, alter drachmam unam & semis pendit. Porrò etiamsi corpus propter longos ac continuos dolores extenuatum esset, vires quinetiam prostratæ, nihilominus tamen tam feliciter successit operatio, ut nihil supra: sed & in illa singularis Dom. ægri magnanimitas, non parum nobis profuit. Tanta enim erat animi ipsius constantia, ut ante operationem, ne ullum quidem in ipso terroris indicium appareret; in ipsa verò operatione, vix membrum aliquod moveret, multò minus exclamaret, quin potius adstantes suâ constantiâ omnes in admirationem raperet. Ante & post operatiorem ipsemet precationem ad DEUM OP. MAX. pro felici successu operationis & curationis, tam eleganter tamque doctè fecit, ut Theologum, non politicum loqui dixisses.

Denique post reditum meum Basileam, unà cum Clarissimis doctissimisque viris DN. DN. FELICI PLATTERO, & CASPARO BAUHINO, Medicinæ Doct. longè celeberrimis, casum vidi, qui cum isto, cujus ante triennium in meis ad te literis mentionem feci, affinitatem aliquam habet. Illum, ne vacuas planè ad te mitterem literas, tribus saltem verbis hîc recensere volui.

Observatio de Retentione urinæ. Nobilis quidam non obscuri nominis, vir pius & doctus, duobus ab hinc annis, retentione urinæ sæpissimè tam graviter laborat, ut aliquando per dies multos continuò exclamare ejulareque coactus sit. Tum urinam albam, turbulẽtam, maximo cum ardore, & dolore in perinæo, & circa sphincterem, guttatim reddit. In glande tamen, ut calculosis accidere consuevit, exiguũ percipit dolorem. De dolore renum etiamsi ãte biennium lapillum lentis magnitudine excreverit, nunquam tamen conquestus est. De hoc morbo variæ sunt opiniones, atque judicia. Nõnulli enim calculum, alij ulcus in vesica adesse existimant. Ego extuberantiam aliquam carnis aut scirrhum in ipso vesicæ corpore, eámque sphinctere ex parte adhærentem, autumo. Immisso enim in opicem digito, manifestam duritiem in vesica percepi. Calculum tamen non esse, inde conjeci, quod immobilis sit, neque in medio vesicæ, sed ad latus, nimirum sinistrum, reperiatur. Calculus enim si esset, non in uno aut altero latere, sed in medio, & ante ductum ipsum urinariũ reperiretur, mobilisque esset. Deinde in vesicã immisso cathetere, nullam contra calculum allisionem percipere potui. Præterea (quod notãdum) parvo & exili catethere in vesicam pervenire minimè potui, uti & ante me lythotomus quidam non vulgaris, suo exili cathetere ad ipsã pervenire non potuerat. Quum verò cathetere qui crassitiem pennæ Cygni adæquat, op⁹ aggressus fuissem, facillimè in vesicam perveni, ita ut urina per instrumentum copiosè efflueret. Idẽ mihi in viro isto, de quo aliàs ad T. Exc. scripsi, (in cujus vesica post mortem scirrhus magnus inventus fuit, ut Observ. 65. hujus Cent. declarabitur) accidit, & observare licuit. Plura addere non licet, propter tuas & meas occupationes. Vale itaque Vir amplissime, cum dulcissima tua sposa, quam tecum ego & uxor mea peramanter salutamus. Raptim Basileæ 2. Augusti 1610.

Obs. 65. *Nota.*

OBSERVATIO LXVI.

De miranda fractura brachij.

A

Clarissimo atque Doctissimo viro PHILIBERTO SARAZENO, *apud Lugdunenses Medicinæ Doctore longè celeberrimo observata, mihique communicata.*

Postremam Epistolam tuam, perquàm lubenter legi, Vir clarissime, imò lubentissimè perlegi eam, quæ adjuncta erat, raram sanè & insignem Observationem. Sat novi pridem, quanta sedulitate in artis opera continuò incumbas. Tua ista diligentia indies increscere videtur potiùs, quàm ut vel per ætatem, vel per alia artis incommoda, detrimentum capiat. Amicè facis prætereà, & suprà quàm de te meritus sum, quum solidioris istius doctrinæ tuæ monumenta nobis ultrò inscribis. Vtinam sit aliquid penes me, quod in ejus muneris locum aliquando pro dignitate reponatur. Quæ circà bonum illum senem in tam gravi ἰσχουρίᾳ à te præstita sunt, sanè peritum & diligentem testantur artificem, & si qua illi spes salutis affulsisset, per ea, quæ à te celebrata fuerant, omninò erat expectanda. Sed in re deplorata nec ipse Aesculapius quidquam promoverit. Quod autem initio epistolæ tuæ ea repetens, quæ nuper de potu chalybeato in Dysenteria usurpando, ad te scripseram, videris mihi Aristotelem & Auicennam, tanquam à sententia nostra alienos opponere (pace tua dixerim) uterque ipsorum opinioni nostræ adstipulatur. Princeps Arabum eo ipso loco, qui à te citatur, disertè scribit, aquam è ferro roborandi & adstringendi vim maximam adipisci, idipsum doctissimus Manardus Epistolar. lib. 16. Epist. 5. expressis verbis edocuit. Ferrum (inquit) adstringendi & frigerandi vim

De potu Chalybeato in Dysenteria.

Obs. 66. vim aquis omninò tribuit. Quòd verò ignitur ferrum in aqua nostra chalybeanda, id eò sit, quò intima ferri facultas in ipsam altius penetret. Vt enim decocta refrigerantia etiam febricitantibus calida exhibemus, quæ tamen à natura paulò post in actum illum refrigerandi educuntur, ita & de ferri facultatibus, aquæ per calorem communicatis, evenire nequaquam dubitamus. Aristoteles quum de natura ferri mentem suam expressit lib. meteoror, 4. cap. 6. illud frigidum esse, terreum atque exiccans, pro confirmato habuit. Quid ergo dubitabimus, in gravi & acuta dysenteria, præmissâ levi purgatione, ex iis, quæ purgando adstrictionis vestigia quædam relinquunt, tàm præcipitem humorem in alvum decubitum familiari remedio adstringente inhibere, ut ex medicorum præceptis in alimento medicamentum esse queat, & in medicamento alimentum. Laborat tùm maximè retentrix facultas, impensiùs irritata expultrice, non est ullum commodius præsidium, utrique facultati in naturalem statum restituendæ. Desinant igitur Crato & alij, istud tam acriter damnare, aut suas afferant illi rationes, quæ nos in contrariam opinionem pertrahant. Ego interim paulisper sustinebo, neque hinc me dimoveri patiar, si nobis hac de re, quod sentis, liberè & fusiùs expresseris, indè fortassis dabitur occasio, pluribus cum majore otio per literas disserendi.

Cæterùm ne inanem ad te mittam Epistolam, quæ nihil rerum novarum oculis tuis objiciat, describam tibi tria observatione dignissima, quæ nuperrimè sese nobis obtulerunt.

Observatio prima de mirâ fractura brachij. Primum hoc erit. Vir quidam Lugdunensis sexagenarius ex arthritide pituitosa in articulis humeri & cubiti dexteri, jam ferè bimestre spatium obtuso dolore torquebatur: nullis utitur remediis, solam sibi partis illius quietem imperat, dùm brachium affectum fasciâ obvolutum, & pectori innixum continuò habeberet. Is alioquin sanus & valens, in publicum hora circiter diei octava progressurus, dùm chirothecam in manum affectæ partis induere levissimo conatu adnititur, brachij os quatuor aut quinque digitis infra humerum transversim effregit. Vocatus ego confestim, rem non sine admiratione conspicio, exploro, & per Chirurgum os ipsum restituo, quæ conveniebant remedia, jubeo admoveri. Elapso triduo ægrotum reviso, num appositè restituta essent omnia exploraturus, remotis fasciis & assulis, naturalem ossis situm rediisse vidimus, & appressis digitis persensimus. Sed ecce paulò inferiùs circa cubiti articulum, nova se & nondùm conspecta obtulit ossis ejusdem fractura, dolores urgent clamosi, restitutioni itidem sedulò incumbimus. Inde placata omnia, & nunc bellè quiescit, nondùm tamen ab eo tēpore explicatæ fasciæ, nec visum, uti se habeat apars ea. Miratus sum diu tantam ossium fragilitatem in eo homine, qui se ullis ossium affectibus, vel à lue Venerea, vel aliundè contractis, laborasse pernegavit. Percurri tùm animo meo, quæcunque à veteribus Medicis circa fracturas adnotata fuerant, sed nihil, quòd non longè absimile esset, mihi occurrebat, unâ exceptâ historiâ, quæ apud doctissimum IOHANNEM SCHENCKIUM, observationum rararum & admirabilium lib. 5. observ. 7. huic non valdè dispar recensetur. Hanc ab ipso authore tibi petendam relinquo. De hoc inaudito casu quid tui judicii sit, velim si placet, audire.

Obs. 66. Observat. Secunda, de ingēti lapide in vesicâ reperto. Secundo loco referam, quod nudius tertius videre contigit. Obiit mortem senex quidam octogenarius, qui annum integrum difficili admodum ἰσχουρίᾳ interdum στραγγουρίᾳ affectus fuit. Vocati Medici in diversas opiniones trahebantur. Existimabant nonnulli, latitare ulcus in vesica inveteratum, alij, in quibus ego, calculum prægrandum ibidem delitescere censebant. Aperta fuit demortui vesica, lapis inventus silicis adæquans duritiem, & pendebat nummarij ponderis uncias sex cum dimidia, rediisset hoc ad vulgaris Medicorum ponderis uncias ferè octo. In raris hoc exemplum numero, etiamsi majores interdum & graviores visi fuerint.

Observat. Tertia. Addo his, quod etiam hodie mihi videre contigit. Puella bimula, tussi ferina septimum ferè vel octavum diem sine febre exercebatur; tantus erat illius impetus, ut quoties fluxio in pectus ingruebat, animam ferè interciperet, hodie exhibita est illi mannæ uncia, indè mevomuit multam pituitam, semel alvus soluta est, meliusculè valuit, integris viribus, optimè ad oblata se habuit in prandio, circà meridiem obdormiscere visa est. Rediit tussis tanta vi circa primam horam post meridiem, ut inhibito planè spiritu, momento præfocata fuerit infans, sine ulla corporis agitatione, dixisses leni aura extinctum candelæ lumen.

Hæc pro scriptionis & oblectationis argumento arripere placuit, ut à te invicem selecta ex observationibus tuis quotidianis habeamus, nec desinam pluribus te compellare in posterum, & amicitiam tuam colere quàm religiosissimè. Vale, datum Lugduni 7. Octob. Anno 1608.

Viro Clarissimo & Chirurgo Experientissimo, GUILHELMO FABRICIO HILDANO; PHILIBERTUS SARACENUS S. P. D.

EN habes, Vir Clarissimè, ad Dominum C. BAUHINUM Epistolam, quam, si placet, ad eum per fidum tabellarium transmittes Non fuit in me, ea triticorum genera invenire quæ ille desiderat: hoc negotium fuit nostratibus colonis committendum, qui id in se receperunt. Ego per eos me hoc nomine exolvam. Non innotescunt ista cerealia nostris botanicis, multominus pharmacopœis. Cæterùm quod ad eum virum attinet, de quo bis, ni fallor, ad te scripsi, qui eam inauditam brachij fracturam passus erat, si, quid eò tandem factum fuerit, scire optas, paucis habeto. Restitutis bis tervè, ut ex arte erat ossibus, admotis fasciis exspectabatur à nobis debita & conveniens agglutinatio per callum, uti natura facere consuevit: sed frustrata est spes nostra: nam agglutinationem ne aggressa quidem est natura, quamvis quiete diuturna, fotibus ad partem & aliis admotis, adjuta sedulò fuerit. Hoc unum obtinuit ægrotans, quod indolentem (quantum ad eam partem) ab eo bimestre spacium vixit. Brachij motum liberiorem experiri se credebat. Is paulò post ex inveterato renis ulcere diem postremum obiit. Vidimus demortui sectum brachij os. Illud carie omninò computruerat. Vnde conjecimus, eum ægrotum quamvis id pernegasset contumaciter, lue Venerea medullitùs ea in parte exesum fuisse. Ita nobis exemptus scrupulus qui diu animos nostros exagitaverat. Non est tamen res illa vulgaris exempli, cùm id ipsum

Obs. 67. *ipsum universo corpori communicari oportuerit, si totum lui Venereæ tribueretur. Fuit sine dubio in ossibus fragilitas longè major quàm naturalis, sed cùm me temporis angustia aliò pertrahat, ego accuratam hujus rei speculationem tibi (occulatissimo viro) committo. Vale Vir clarissime, & me jugiter, ut facis, amare perge Nobilem Dom Centurionem* WALLIER, *& ejusdem cohortis Episthatmum à me, si placet, salutabis. Lugduni 13. Aprilis 1609.*

OBSERVATIO LXVII.

De admiranda pedis fractura.

Viro Clarissimo doctissimoq; D. PHILIBERTO SARAZENO, *apud Lugdunenses Doctori Medico celeberrimo, magni illius* JANI ANT. SARAZENI *F. amico singulari.*

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

QUæ postremis literis ad me scripsisti, vir Amplissime, Domine & amice observande, rara profectò sunt, & lectione digna. Observatio tua de fractura brachij in admirationem me rapuit; neque undè ossium ista fragilitas processerit, excogitare possum. Quæ corpora lue Venerea laborant, & unguentis ex hydrargiro aliquoties imprudenter, & Empiricorum more inuncta fuerint, aut diuturnis defluxionibus molestatur, his aliquando ossa tenella ac mollia evadere solent, uti in cadavere vidimus juvenis illius gibbosi, quod Genevæ aliquando privatim simul dissecuimus. Is enim, quia à teneris catarrhis obsnoxius fuerat, ossa adeò tenella ac mollia habebat, ut pleraq; digitis facilè conteri possent. Sed horum symptomatum in viro isto, cujus mentionem facis, nullum adfuit, lue enim venereâ anteà ipsum neque laborasse, neque defluxionibus admodùm obnoxium fuisse, ex tuis percipio. Latet itaq; nos hujus fracturæ verissima causa. Interim tamen hæc tua historia, quia eis, quæ doctiss. D.D. SCHENCKIUS lib. 5. obser. 7. ex Marcello Donato refert, fidem addit, confirmatque, mihi chara est, ipsamque meritò inter rara reponendam esse, censeo.

In Belgio fracturam pedis vidi, in qua (etsi non eadem cum ista, quam tu communicasti, sit ratio) quia aliquid añotatione dignum animadvertere licet, Casum tibi communicare non gravabor.

Historia. Reverendus Dominus WOLFFBRANDUS apud Dusburgenses Cliviorum verbi divini minister fidelissimus ac primarius, homo pietate, virtute, & doctrinâ prestantissimus, ætatis consistẽtis, robustus & obesus, cùm anno 1582. (si rectè memini) tempore hyemali, terra congelata in proximum pagum ad ægrum quendam invisendum & consolandum ipsi abeundum, domúmq; redeundo in via ex aggere quodam tres circiter pedes alto, desiliendum esset, dextrum pedem adeò sibi contorsit ac fregit, ut integrum os tali aut astragali, non solùm ex suo loco dimoveretur, verùm etiam abruptis & abstractis ligamentis, quorum beneficio reliquis ossibus alligatur, sub interno malleolo per cutem ipsam erumperet, & foris propenderet. Ad ædes suas deportatus, Chirurgus accersitur, is videns os omninò separatum, & fibris nonnullis tantummodò adhærescens, ipsum abscidit, & ea quæ sanguinis fluxum impediunt, applicuit.

Alterâ die Clarissimi viri, Dom. GALENUS WIERUS, Illustriss. Cliviacensium Juliacens. Montensium &c. Principis Medicus ordinarius atque primarius, & D. COSMAS SLOTANUS piæ memoriæ, ejusdem Principis Chirurgus præstantissimus, Præceptor meus plurimùm honorandus, in consilium vocati fuère. Qui victum tenuem præscripserunt, corpus à pravis humoribus evacuaverunt, venam inciderunt, vulneri anodina, & pus moventia applicuerunt. Repellentibus item seu defensivis, ut vocant, affluxum humorum prohibuerunt. Curatio difficilis fuit, dolorosa atque longa. Interim tamen amici, & quidem viri docti ipsi non defuerunt. Etsi enim proprium suum Chirurgum Dusburgensem, & in arte non mediocriter versatum haberet, attamen nunc JOH. WIERUS, nunc GALENUS WIERUS, nunc RENERUS SOLINANDER, omnes prædicti Principis Doctores Medici longè celeberrimi, ipsum inviserunt, omniaque quæ necessaria videbantur, præscripserunt. Ego quoq; non rarò unà cum præstantissimo D. COSMA SLOTANO Dusseldorpio, ad ipsum profectus fui. Sic divino solo numine tandem ita convaluit, ut & sine scipione incedere posset, uti ego eum incedentem Anno 1599. cum Colonia Dusburgum ad pium & honestum virum D. SIMONEM ENGELGRAFF, à cane graviter morsum, vocatus essem, ipsemet vidi. Cæterũ quæ de tussi ferina scribis, non minùs annotatione sunt digna. Ego similiter puerum ex nobili familia, sanum alioquin atque robustum, qui & optimè tùm cœnaverat, ex catarrho ad pectus procidente, intrà paucas horas, & antequàm ego, qui in consilium advocatus eram, advenirem, obijsse, superiori æstate observavi. De potu chalybeato posthac, nunc enim non datur ocium. Vale vir Amplissime, & me quæso, ex innata tua erga me benevolentia, amare non desine. Paterniaci Aventicor. 11. Novembr. 1608.

OBSERVATIO LXVIII.

De admiranda fragilitate ossium.

JANUS DEBOURGO, *Philosophiæ & Medicin. Doctor.*

Guilhelmo Fabricio Hildano S. P. D.

QVàm malè egerint, qui morbos omnes humanum corpus obsidentes, ad certum finitumq; numerum revocare ausi sunt, præstantissime atq; amantissime Dn. FABRICI, *ex eo perspicuum satis evadit, quod novis & inauditis morbis quotannis ferè humana jactetur natura, affectuumq; species propè infinitæ, vel incredibili modo mentibusq; nostris abstruso, ab inexhausto morborum genere tanquam fonte scaturiant, suiq; exortus primordia magnâ tandem mortalium pernicie ac clade exhibeant. Non enim ita pridem quàm inutiles sint illi conatus, utq; oleum & operam in re illa conficienda perdant, deprehendere licuit in multis, qui novis medicosq; latentibus morbis perculsi,*

misere

Obs. 68.

miserè tandem magnâ omnium admiratione extincti sunt. Ex his quamplurimis unam Philibertam Bracleam Segusianam, in Biziacensium uberrimo agro degentem, in medium adducam, quæ ubi quinquagesimum nonum suæ ætatis annum attigisset, suâ sponte, nullaq; vi extrinsecus illata, ossibus confractis, anno suprà millesimum sexcentesimo sexto sublata fuit. Hæc cum die Domino sacro juxta ritum & patriæ consuetudinem, manè recentem subuculam indueret, sublato corpore jacente, & manibus sursum exporrectis, brachij os magno dolore rumpi & conteri sensit, sic ut Cheirurgi operâ fuerit opus, qui ubi fractorum ossium extrema aptè composuisset, ac fascijs deligasset, adhibitis præterea extrinsecis congruis remediis, affectum hunc feliciter curavit. Sed misella hæc non tam citò ab his liberata fuit angustijs, quàm adhuc citius severioris mali impetum debuerit sustinere; ipsi namq; tùm tandem aliquando domesticorum suorum ope è lectulo in quo jam dudum decumbebat, ad ignem esset itura, ubi induere primùm tibias conaretur, ancilla quæ illi tunc temporis ministrabat, admotis manibus opem ferens, os dextri cruris in transversum confregit: hinc dolores ac cruciatus atrocissimi oborti sunt, vocandiq; Cheirurgum occasionem denuò nacta est; qui familiaribus remediis consuetaq; methodo huic curationi incumbens, non majori difficultate ac negotio, quàm si ob aliam aliquam causam, eamq; non inauditam confractum os fuisset, fracturam illam reparavit. His in ærumnis miserrima illa biennium convixit, cumq; toto hoc temporis tractu variis fracturis, innumerisq; doloribus indies conficeretur, eam tandem huic luci eripi contigit. Hæc sanè ut admiranda, ita & verissima est historia, nec solùm Cheirurgi, multorumq; insignium testium fide, sed & mariti, & natorum decem, quos omnes superstites habet, testimonio comprobata.

Non deerunt qui affectus hujus causam lui Venereæ temerè adscribant, ut quod alia excogitari non possit, ossa omnia corrumpens, quàm quæ universi corporis molem obsideat. Sed quantum hi à vero, rectaq; ratione deficiant, omnes quotquot honestissimam illam familiam privatim agnoverunt, judicabunt: nam præterquam quod maritus nulla unquam fuit corporea labe inquinatus, uxorq; ab omni suspicione alieni concubitus semper libera ac immunis, & numerosam prolem euhecticam & pancraticè in hunc usque diem valentem, ambo susceperunt: quod aliter profectò contigisset, si modò illud verum, & toties decantatum, ex sanis sanos, & ex malè affectis malè affectos procreari, quamobrem alia excogitanda causa est, Venenum nempe aliquod occultum, ab insigni humorum corruptelâ aliquando profectum, ita se tota osseæ substantia dissidens, ut eam quoquo versum permeans ac pervadens, vel inenarrabili modo corruperit, fragilemque alioquin inter solidiores corporis partes durissimam reddiderit ac effecerit. Nec audiendi sunt ij, qui aliam causam commenti, fragilitatem illam inductam esse fortè dicturi sunt, à perpetuo humorum à capite ad ossa defluxu, ut quod perpetua illa irrigatione ossium compages dissiliat; quandoquidem compactam adeò substantiam à prima sui conformatione ita obtinuerunt, ut nulla ferè temporis diuturnitate dissolvantur, sed post secula multa è cæmiteriis in quibus humana cadavera conduntur, integra & illæsa sæpissimè effodiantur. Vale. Burgi Segusianorum 24. Novembr. 1609.

Obs. 69.

OBSERVATIO LXIX.

De admirando quodam capitis affectu, & aliis nonnullis affectibus novis.

Clarissimo ac Doctissimo Viro Dn. IANO DE BURGO Doct. Medico longè celeberrimo,

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

QUam comunicasti ac misisti Observationē, de admiranda ac penè inaudita fragilitate ossium, Vir clarissime, amice honorande, accepi, & gratissima mihi fuit. Meritò autem in ea, qui morbos ad certum numerum revocare student, refutas, rectèque indies novos suboriri sentis. Nam ut Diogenianus, octavi apud Plutarchum Symposij conviva, ait. Aliqui, naturam parere morbos novos æquè ac monstra, censent, idq; non solùm ob siderum & cœli, aëris, & aquarum mutationem, sed & ob ganeam, & mutati victus rationem. Nihil sanè æquè parit novos, & veteres innovat morbos, ac prava cibi & potus; victus ratio, inquit Diogenianus loco jam citato. Ex his enim ægrotamus, quibus vivimus. Sed prima atque præcipua causa revera est, quod corrupta hominis natura in dies augescit: quapropter etiam Deus numerum plagarum malorumvè meritò adauget, variosquè morbos ob peccata in populo excitat. Tacebo nunc de morbis monstrosis, quorum apud Plutarchum loco jam citato, Plinium, aliosque probatos authores, fit mentio. Tacebo etiam de Febre illa sudorifera Britannica, quæ Anno 1486. & lue Venerea, quæ anno 1493, vel, ut alij 1494. sævitiam suam in Europa exercere, genusque humanum miserè torquere, ac infinitos è medio tollere cœperunt: Nonne nostro quoque tempore hujusmodi advenire, novosque morbos oriri videmus? Ante paucos annos in Hassia novus quidam, & antea nunquam auditus & contagiosus morbus epidemicus ortus est, multosque miserè excruciavit, eumque à præcipuo symptomate *Die Krebelkranckheit* suo idiomate vocant. In musculosis enim partibus corporis dolorem quendam convulsivum, magnum & tremulentum, non aliter ac si undique formicæ subessent, ægri persentiunt, quique non multum à dolore, quo illi qui tempore hyemali congelatis manibus, derepente ad fornacem aut ignem accedunt (quem dolorem Belgicâ linguâ Krevelen dicimus) patiuntur, differre videtur. Dira ac sævissima symptomata, veluti contractiones, nonnunquam & extensiones artuum, cum maximis doloribus, febris item, alienatio mentis, fluxus ventris, aliaque superveniunt, quæ ægrum per multos dies, imò & aliquando in multos menses miserè exercent, ac sæpissimè è medio tollunt. Fit ex putridis & venenosis vaporibus, nervos infestantibus. De hoc novo & exitioso morbo facultas medica Marpurgensis Anno 1597. tractatum Germanicâ linguâ scriptum, in lucem edidit. In hisce verò regionibus, uti quoque scorbutus (qui in regionibus Septentrionalibus, inprimis ad Oceanum Germanicum grassatur frequentiùs) inauditus ac infrequens est morbus, & non nisi semel mihi in his partibus videre contigit. Id fuit Anno 1605.

Krebelkrāckheit *novū genus morbi in Hassia orti.*

hic Pa-

Obs.69. hîc Paterniaci in viro quodam robusto, & vix viginti annorum ætatis. Curatio etsi difficilis fuerit, evasit tamen ille, & ad hunc usque diem optima valetudine fruitur. Integram historiam in tertia, Deo volente, videbis centuria. Novam illam crudelissimam ac longè contagiosissimam luem Epidemicam, superiori seculo in Hungaria ortam, eamquè ob causam Luem Vngaricam appellatam, omnibus notum est. De qua plura in Consiliis & Epistolis à Dn. D. SCHOLTZIO, Medico Uratislav. celeberrimo editis, & Tractatu de lue Vngarica Dn. MARTINI RULANDI, medici Ratisbonensis, videre poteris. Huc pertinet quoque novum ac exitiosum illud symptoma, ante paucos annos in Moravia ortum, quod doctissimus Dn. IOHANNES SPORISCHIUS ab Ottenbachauu, Medicus celeberrimus, doctissimè descripsit, ac de eo Anno 1582. tractatum edidit, in quo ejus causas & curationem accuratè tradidit. Sic autem affectum describit. *ANNO DOMINI M.D.LXXVII. inquit, Brunæ, quæ celebris est in Marchionatu Moraviæ urbs, nova & frequentia in nonnullorum hominum corporibus apparuerunt symptomata, quæ solutioni continuitatis, per intempestivam, inconvenientem & immodicam partium carnosarum scarificationem factæ, supervenerunt. In quibusdam enim particulis, scalpro sauciatis, caro cucurbitulæ ambitu conclusa, inflammari & exulcerari visa est: ichores pituitosi in magna copia fluxerunt per exulcerata membra: totum corpus, aut tantùm membrum scarificatum interim livore fœdo, interim scabie turpi horribiliter contaminatum fuit: aliquibus denique horrendi cruciatus in juncturis articulorum, & nervosis partibus excitati, multum tempus durarunt, & certis periodis ægrotorum hominum corpora afflixerunt.* Hactenus Sporischius. Et ut paucis plura comprehendam, videmus quotidie in praxi, nova, imò & hujusmodi quæ intellectum nostrum excedunt, advenire, cujus rei exemplum non vulgare T. Exc. nunc communicare visum est.

Lues Vngarica.

Abstrusus affectus in Moravia ortus.

Historia de admirando capitis affectu.

Superiori æstate, cùm Basileam profectus essem, ibique mihi à viris doctis omnia humanitatis officia exhiberentur, à pietate & doctrinâ Clarissimo Viro Dn. D. IACOBO ZWINGERO, Medico longè celeberrimo, ad civem quendam Basiliensem, triginta circiter annorum ætatis, deductus fui. Laborat ille affectu planè abstruso, quem paucis, & uti ipsum tum temporis propter meam festinationem, annotare potui, hîc adscribere non gravabor. Elapsos ante annos sex, vir iste dolore gravativo capitis correptus fuit, & per menses aliquot continuò laboravit, Adhibitis remediis tandem ex parte remisit dolor capitis, sed crura ita resoluta fuere, ut in hunc usque dié, ne digitum quidem pedum, multò minus crus movere possit. Quod si aliquis ex adstantibus ea sublevare, aut vi quadam extendere (sunt autem retracta) tentat, ita tremunt & agitantur, ut protinus ea reponere necesse sit. Non diu post resolutos, & quidem diversis temporibus, supervenerunt, imò etiamnunc superveniunt ulcera in capite, quæ non solùm cutem & membranam carnosam, verùm etiam cranium ipsum erodunt. Sed quod admiratione non vacat, verisimile est, materiam illam acrem ac corrosivam, primùm intrinsecè colligi, carieque ista antequam exteriùs appareat, tabulam vitream erodi. Si enim ulcus aliquod in capite oriri debet, âte omnia dolorẽ fixum illa in parte capitis intrinsecè persentit, etiamsi in cute nihil quicquam appareat, graviora tamẽ symptomata nõ adfert dolor iste. Demum paulatim tuberculum in cute exoritur, sensimque ad suppurationem pervenit. Rupto tuberculo, quamprimum ossa cariosa sese extrahenda offerunt: atque hæc omnia absq, maximo dolore, & gravioribus symptomatis accidunt. Ossibus cariosis extractis, cicatrix parvo cum negotio inducitur. Diversas & quidem in diversis partibus capitis, vidi & palpavi cicatrices profundissimas. Vidi & ulcus, quod & tum temporis ad duram meningem usque penetrabat. Interim tamen de gravioribus symptomatis minimè conquerebatur. Dolor erat exiguus, febris, inquietudinesque ferè nullæ. Hæc ego tum temporis festinanti calamo annotavi: spero tamen, posthac integram historiam à Clarissimo viro Dn. Doct. ZWINGERO me acceptum.

Proble[ma]

Ex hac autem historia singulare, nec T. Exc. speculationibus indignum provenit Problema, nimirum cur materia illa acris in ipso capite collecta, potiùs cranium, corpus solidum ac durissimum, quàm duram meningem, membranam ex quisitissimo sensu præditam, eroserit, neque graviora symptomata induxerit? Quid T. Excell. hac de re videatur, ut rescribere non gravetur, summoperè rogo. Æger noster, Nobiliss. Dn. WALLIER optimè, laus Deo, sese habet, & absq; scipione firmiter, & nulla cum difficultate incedit. Vlcera tamen etiamnunc aperta sunt. Vale vir clarissime, cum lectissima tua conjuge, quam tecum ego & COLINÆTEA mea peramanter salutamus. Paterniaci Aventicorum 10. Ianuarii Anno 1610.

OBSERVATIO LXX.

De lato quodam ac longo lumbrico.

Historia prima.

Ad

Virum Clarissimum doctissimũq;
Dn. PHILIBERTUM SARACENUM,
apud Lugdunenses Doctorem Medicum longè celeberrimum, & magni illius atque excellentissimi viri p. m. Dn. Doct.
IANI ANTONII SARACENI F.
amicum singularem,
Cui
Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.


QUi has tibi traditurus est literas, vir amplissime, cum Galliam perlustrandi causâ, iter suum Lugdunum versùs instituisset, sine meis ad T. Exc. literis eum dimittere nolui. Is autem est Dom. ANDREAS TOXOTIUS DANUS, vir Pietate, doctrinâ, & eruditione insignis, & Medicinæ Doctor, qui cum duobus Generosis D. D. GEORGIO & FRANCISCO à LYCKE, fratribus Danis, mecum aliquandiu vixit: ita ut ipsius probitas mihi satis perspecta sit. Hunc itaque

virum

virum ut tibi comendatum habeas, atq; humaniter excipere velis, obnixè rogo. Quò te duce & authore in Chirurgicis (cui studio omninò addictus est) sese exercere poterit: idq; in nosocomio vestro, cujus cura T. Exc. nūc omninò demandata est, facile, uti spero, fiet. Quod si præterea apud T. Exc. unà cum Generosis suis, hospitium suū habere poterit, ipsis pergratum fuerit. Te itaq; etiam atq; etiam oro, ut prædictum D. D. TOXOTIUM, cum suis Generosis, jure amicitiæ nostræ, albo amicorum tuorum inscribere non dedigneris.

Porrò post reditum meum Lugduno, lumbricum latum, & miræ longitudinis, hîc mihi videre contigit. Historiam, quia lectione non indignam esse existimo, T. Exc. communicare non gravabor. Mulier incola hujus Oppidi, Barbara Rostin nomine, Abrahami Biseti uxor, viginti circiter annorum ætatis, natura non admodùm valida, nec robusta, sæpissimè dolore ac torminib ventris, imbecillitate ventriculi, nauseâ, item eructationib. & cibi fastidio vexata, me in consilium adhibuit, circa finem mensis Aprilis hujus anni. Tum pulvere quodam Laxativo (qui recipit rhabarbarum, turbith, & sennam) & syrupo rosato solutivo, composito cum rhabarbaro, agarico, & senna exhibito, lumbricum latum per secessum unà cum excrementis excrevit: prima scilicet die Mensis Maij, Quem cum mihi monstrasset, attonitus fui. Est enim spithamas viginti longus. Latus erat (nunc enim quia exsiccatus, contractus est) grana sex, crassus verò grana duo. A latitudine duorum granorum, interstitia habet, ex una parte aliquomodo eleuata, & serrata, uti ex annexa delineatione apparet. Hinc fit, ut dum ex parte A notata, ad B. demulceatur, atque palpetur, ad instar anguillæ lævis ac lubricus sit, sin verò ex adversa parte, asper persentiatur. Colore albus, undique tamen inter interstitia maculis nigris aspersus, & in medio exigua cavitate præditus erat lumbricus ille. Ex una parte in tenuissimum filum desinit: reliqua longitudo ejusdem est latitudinis, nec caput ullum in ipso observavi, uti nec in alijs hujus generis lumbricis quorum suo loco fiet mentio, unquam observaverim. Post excretionem hujus lumbrici, iterū expurgato corpore, & quæ partes principes roborant, per dies aliquot exhibitis, convaluit fœmina illa, & huc usque bellè se habet. Ego lumbricum hunc exsiccatum inter rara mea reservo. uti T. Exc. ex prædictis Generosis & Dom. D. TOXOTIO, qui ipsum non sine admiratione apud me viderunt, coràm intelligere poterit. Atque hæc est, vir clarissime, succincta, verissima tamen hujus lūbrici descriptio, quam falso, & inepto isto, hinc inde per Helvetiam & quidē in Burgūdiā usque disperso rumori, de MONSTRO PATERNIACENSI oppono. His vale vir amplissime; & fœliciter vive diu. Paterniaci Avēt. 28. Aug. 1609.

Delineatio frustuli præscripti lūbrici, quo latitudo interstitia, & maculæ nigræ adūbrātur.



Obs. 71.

ANNOTATIO.

VIvit matrona illa hic Bernæ, in hunc usque diem 6. Mensis Maij. 1631. quo hæc pro secunda editione adorno, vivit inquam, nec ab eo tempore morbis admodùm obnoxia fuit. Lumbricum quinetiam huc usque integrum inter rariora mea reservo.

OBSERVATIO LXXI.

De latis lumbricis
Historia altera

Viro Clarissimo Dn. GUILHELMO FABRICIO HILDANO, apud Bernates Chirurgo Primario.

PHILIBERTUS SARACENUS
S. P. D.

CVm acciperem postremam tuam Epistolam, de lato illo verme, Vir clarißime, habebam jam tum præ manibus mulierem eodem affectu, quo & tua illa, mirè devexatam. Ejus exitum aliquem, & conatuũ nostrorum in eo percurando successum exspectans, rescribere tibi hactenùs sustinui, nunc paucis habeto quæ in ægrotante observata, quæ in illius gratiam à nobis factitata sunt. Mulier est annum agens trigesimum quartum, satis benè habita, & εὔσαρκος, *hæc à primis annis verminosa usque adeò fuit, ut ex intervallis satis frequentibus, latos vermes, quos* ταινίας *Græci dicũt, excerneret per alvum, ulnam, sesquiulnam & amplius interdum longos, digiti verò medij latitudinem æquantes: ea tum inde graviter afficiebatur, mox in provectiorem ætatem delata, matrimonium contraxit, ac multos peperit fœtus, qui primis vitæ mensibus omnes extincti sunt: quod ab ea morbosa matris dispositione proficisci, omninò persuasum habemus. Increvit enim tantopere in ipsa verminosa hæc soboles, ut superioribus annis, non per alvum modò, sed aliquoties per os naresque, ejusdem longitudinis vermes illi prodirent. Ac tum in abdomine primùm conspicuus fiebat illorum motus, intumescebat enim mulieri venter hinc inde, non aliter quàm fieri solet, cùm se fœtus in eo quoquoversum commovet, mox inde in os obrepebant, eosque ipsa digitis comprehensos longa serie educebat, ac eo perseverante motu, in deliria & alienas cogitationes rapiebatur. Vix credibile est, quot quantaque usurparit in eum affectum remedia. Purgationibus usa est frequentißimis, alliorum, corallinæ, seminis contra vermes, theriaces, absinthij, nunquam ipsi defuit subsidium. Diuturnitatis ejus mali tandem pertæsa, nostrum etiam consilium nuperrimè expetivit. Illi ante omnia apozema solutivum, ad doses complures præstitimus: (ejus mox sequetur exemplar) hausto summo manè apozemate, tribus horis post inungebatur calidè totum abdomen, unguento paulò post describendo, sub vesperam ejusdem diei injici volebam clysterem ex lacte & dulcibus præsidiis, quæ vermes deorsum prolectarent, ita undique obsessi magno impetu acervatim detrusi sunt, in orbem glomerati, ac pedes viginti longitudine excedentes, ex quibus omnibus hoc commodum ægrotanti rediit, quod cum antehac ab animalium istorum edacitate, subrepto illi proprio alimento macresceret, nunc in meliorem habitum rediit, ac benè colorata est, torminum ventris expers, quibus aßiduò exercebatur, suavẽ capit somnum, nec aliena aut cogitans aut loquens animadvertitur. Hisce additum est ex hydrargiro præstantißimum remedium, illud enim ad sesquidrachmam purum, & per corium trajectum hausit, nec ab eo infestarunt ipsam diræ hæc animalia. Sed audi, quid observatum sit in eo Mercurij usu. Gestabat ægrotans tum temporis Emplastrũ pro matrice, quod ipsa paulò post observavit, totum hydrargiro perfusum: Vide quàm tenues sint illius partes, quod intestina, musculos, cutim* ἀδήλως *&* ἀναισθήτως *permeavit. Exspectamus quantum hæc profutura sint, & victus ratione convenienti imperata, remediis pluribus uti destitimus. Panem ex secali commendavimus, theriacam pariter ac pilulas mox recensendas. Quis rerum omnium futurus sit successus, per me ex literis compertum habebis. Ac ne epistola justum modum excedam, plura nunc scribere supersedeo. Curabis, si placet, ut hoc fasciculo conclusus liber, ad Clarißimum Dn. D. LENTULUM, tutò transmittatur. Exspecto aliquid Extracti esulæ ex tuo artificio. Vale vir amicißime, & me tui amantißimum redama. Datum Lugduni 12. Decembris Anno 1609.*

Obs.

Apozema.

Apoz.

℞. Radicum dictamni,
Filicis,
Polypodii quercini ana ℥j.
Corticum radicis capparis,
Tamarisci, &
Medietatis fraxini ana ʒ vj.
Herb. chamedrios,
Chamæpitis,
Absinthij,
Salviæ ana M.j.
Centaurij minoris p.j.
Sem. anisi, Citri,
Portulacæ &
Contra vermes ana ʒij.
Corallinæ p.ſ.
ſenæ orientalis mundatæ
Seminis carthami ana ʒij.
Agarici trochiscati ℥ ſ.
Cortic. myrobalanorum, citrinarum & chebubarum ana ʒiij.

Decoquantur in ſ.q aquę ad uncias decem. In colatura dissolve syrupi de cichor. cum Rhabarbaro, & de floribus persicorum ana ℥j. ſ. oximellitis scyllitici ℥j. Misce, fiat apozema propinandum in quatuor matutinis: aromatisentur singulæ doses, pulveris diamargariti frigidi scrupulo uno.

℞. Decocti præscripti q.ſ. pro dosi, dissolve diacarthami ʒ v. syr. de cichor. cum rhabar. ℥j. Misce, capiat cum custodia. Finito apozemate, & die interposita.

Vnguẽt.

℞. Vnguenti Agrippæ ℥ iiij.
Pulpæ colocynthidis pulverisatæ ʒvj.
Scamoniæ veræ ℥ ſ.
Myrrhæ,
Aloes ana ʒiij.
Fellis taurini recentis ʒij.
Agarici albi ʒv.
Pulveris radicis cyclamini ʒj.
Croci ʒj. ſ.
Ol. amygdalarum amararum ℥ vj.
ſucci allii &
Scordij ana ℥ ſ.

Miscean-

Misceantur omnia simul ad ignem, ex arte ferveant ad succorum consumptionem, & addendo petrolei ℥j. Ceræ q. s. fiat unguentum pro usu dicto.

R. Massæ pilularum de hiera cum agar. ℥ ſ.
extracti esulæ ʒij.
Mirrhæ electæ ʒj. ſ.
Corallinæ ℈iiij.
Croci ℈j.

Cum syrupo de cichorio cum Rhabarbaro fiat massa, ex cujus drachma formentur pilulæ 5. quarum deglutiat duas alternis matutinis jejuno ventriculo.

JOHAN. IACOBUS CRAFFTIUS Dn. D. GUILHELMO FABRICIO HILDANO, Paterniacensi Chirurgo celeberrimo atq; præstantissimo S. P. D.

Obs. 71.

Dolebam nuperrimè, Clarissime Dn. FABRICI, cùm placuerit mihi quædam ex tuo Musæo communicare & transmittere, non fuerim domi, quòd per eandem commoditatem tibi rescribere, quin & ingentes pro iis gratias agere potuissem. Cùm autem propter incommoditatem, locique distantiam, res hucusque sit delata, nunc illud differre nolui. Et id scriptis, mallem potius verbis tecum communicando, siquidem constet, te magnoperè ejusmodi delectari, ac me non nisi suavem & jucundum odorem inter tot flores posse recipere. Incidi itaque haud pridem in quandam controversiam gravissimorum quorundam authorum disputantium de subjecto Generationis lumbricorum: quidam enim nituntur probare, Lumbricos & quidem rotundos tantùm in intestinis nempe gracilibus, nam quòd lati in crassioribus & ascarides in ano procreentur, non hæc quæstio est, generari, alij verò non solummodo ibi, sed & in ventriculo, aliisque corporis partibus fieri. Illi sese fulciunt authoritate Galeni 1. de loc. affect. cap. 5. dum dicit, quod unicuique parti proprii insint morbi, unde partes affectæ statim dignoscantur, ut lapis in renibus, vesica, suffusio in oculis, nec non lumbrici in intestinis; ac si diceret, duntaxat in intestinis generari: hi confirmant ex Hippocrate qui 2. de morbis mulier. Lumbricos etiam in utero, Alexand. Trall. in capite, alij in pulmonibus; in hepate, vesica urinaria alii fieri dicunt. Verùm distinguendum inter lumbricos & vermes; Vermes namque in aliis quidem partibus posse reperiri, qui non tamen Lumbrici dicendi: itaque varios authores conciliandos esse existimo. Sed hoc me non movet; veniam ad cardinem dubij, in quo titubo, an lumbrici etiam in ventriculo generentur, contra ferè omnium Medicorum sententiam; qui id fieri negant, cùm tamen contrarium existimem, rationibus & exemplo, ut posteà dicetur, ductus, quod egomet vidi Mompelij, Anno Illuminationis 1509. in cujusdam pueri cadavere dissecto. Nihilominus quid hac de re, Vir amplissime, sentias, pro amicitia nostra jam dudùm contracta, quæso explica. Quod enim volunt tantùm intestina, & non quoque ventriculum subjectum eorum esse, solùm id dicere, sed non quod hactenus viderim, probare videntur. Nam putant lumbricos, qui per os vel nares rejiciuntur, solùm (quod simpliciter non nego) ex intestinis per πυλωρὸν in ventriculum subire, & inde per dicta loca rejici: siquidem neque conveniens materia, neque causa efficiens appropriata, neque locus aptus in ventriculo reperiantur. Cùm tamen non minus in ventriculo ac intestinis inesse arbitrer materiam, quæ pituitosa, cruda, putrida, crassa est, & non biliosa, quæ calida & sicca, cùm ad ejusmodi productionem temperata & humida, quæ faciliùs aliis putrescunt, teste Aristotel. requirantur, quoniam bilis in duodenum secreta fit clyster naturalis, ut patet 5. de usu part. & non tam diu remanet, quia maximè fluida, donec animal gignatur, atque sua acrimonia & amaritudine eos perimit, ut inquit Paulus; deinde secundùm commune axioma, ab iisdem animalia conservantur, nutriuntur, ex quibus fiunt, amaris autem lumbrici interimuntur, quapropter non possunt ex amaris gigni: neque atrabilaris, quia salsedine sua mordicat, frigida & sicca est, at vita animalium viventium, ut ubiq; testatur Hippoc. & Aristot. in calido & humido posita; ideoque inepta est: sanguineam (sanguis enim nūquam in venis neque densatur, neque putrescit, neque ad ventriculum vel intestina funditur, nisi ad partes alendas; at si per accidens eò mittatur, statim grumescit, unde ita refrigeratur, etiamsi putredo quædam subsequatur, non sufficiat ad vermem producendum) ipsam dicere esse, naturæ injuria fieret, nam quod aliquando lumbrici conspiciantur rubei, flavi aut nigri, fit vel quod aliqua portio humorum aliorum cum pituita conveniente misceatur, vel succent, vel pro varietate coctionis, secundùm Aristot. ita colorentur. Quapropter non minorem congruam materiam ad eorum generationem in ventriculo esse, quàm in intestinis, verisimile est. Causam efficientem, calorem nimirum vivificum nonnihil putredinalem, teste Galeno, blandum, & mitem, inducentem formam in materiam præparatam, mediante calore cœlesti: Ac locum satis capacem, nec ultra modum, ut quidam philosophantur, adesse minimè dubito, nec quoque contra Aristot. 4. Meteor. l. 3. esse videor, asserere, ejusmodi animalia post concoctionem in ventriculo materia conveniente aliquandiu retenta posse generari. Ulteriùs de causis istis hic differere, quia illæ satis notæ, & ubiq; legantur, non est opus. Exemplum proin esto confirmans hoc: Erat quidem puer Monspeliensis duodecim annor. sæpissimè lumbricis subjectus, verùm paucos per inferiora, at potiùs superiora excrevit, qui tandem vomitu exiguo laborans, globulos vermium instar acicularum ejecit; quos adeò exiguos non ex intestinis & partibus inferioribus ascendisse, planè credendum; sed ortum duxisse in ipso ventriculo maximè existimādum est. Addo post diros dolores & inflationem circa pubis regionem, quæ incurabilis erat, coactus vitam cum morte commutare. Aperto ejus corpore, reperimus inflationem istam causatam fuisse ex collectione ciborum indigestorum, & nonnullorum lumbricorum. Id videntes, de ventriculi læsione suspicati, ad ipsum proinde ascendimus, quo exsecto, adhuc aliquot lumbricos atque globulos vermiculorum invenimus, insuper & sinistro latere paulò supra ejus fundum foramen, in quod facilè digitus indatur, vidimus, quod absque dubio ab istis animalibus factum, & per illud tam cibi trudi portio quædam, nam totus non potuit, quia foramen illud non in fundo ventriculi erat, quàm lumbrici in inferiorem modò dictam regionem deciderunt; & tumorem istum causarunt. Perscrutantes verò intestina, planè nullum foraminis indicium repertum.

Obs. 71. & 72. *De ejusmodi materia affectuque agens, Vir facundissime, dummodo tibi non molestus, non abs re fore arbitror, & sequens exemplum huic annectere. Sæpissimè hinc inde legi, nec non à plurimis audivi, Lumbricos, & quidem, quos Græci* στρογγύλας ἕλμινθας *vocant, intestina, & ut aliàs diximus ventriculum, tamque partes continentes, quàm contentas inferioris ventris perforare, ac per umbilicum, inguina, perinæum, lumbos exire. Quod quidem aliquandiu me aliquo modo in suspensum tenebat, & obcæcabat, an hoc fieri posit, donec* αὐτοψία *ipsa & quotidiana praxis illud certificavit. In pago igitur quodam proximo, ad adolescentem quindecim annor. vocatus, quem cùm lumbricis laborare, ex signis judicarim, pulveris nostri cõpositi per tres dies matutinas exhibui, quibus ejecit per secessum plus quàm centum lumbricos, nihilominus venter potissimùm circa umbilicum adeò durus, ut coactus fuerim cataplasmata emollientia applicare, post quam applicationẽ intrà viginti quatuor horas aliquot lũbrici satis lõgi unà cum purulenta materia per medium umbilici egressi fuere, uti & posteris diebus, tamen locus non detumescens, cõtinuavi ejusmodi cataplasmata, suprà quæ postmodùm, postquam adolescens comederat fraga, granulæ istæ rubræ fragorum aliquoties ipsis adhærebant: quod tum evidens signum erat, intestina & partes continentes hypochondrij à lumbricis perforata, & inde tandem causam mortis ortam fuisse. Ac hæc, Vir Clarissime, pro tempore sunt, quorum, idque familiariter colloquendo, tuam mentem expecto. Vale in Christo Iesu. Datum in nostro Musæo Neocomensi. 8. Idus Octob. Anno: frVor MIserICorDIa.*

OBSERVATIO LXXII.

De latis lumbricis miræ longitudinis. Historia tertia.

Ad

Clarissimum atque Doctissimum virum D. IOAN. IACOBUM CRAFFTIUM apud Neocomenses Medicinæ Doctorem ordinarium atque celeberrimum.

Cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus. S.P.D.

HEri Aquiliâ domum reversus, Vir clarissime & amice sũmopere honorande, literas tuas domi meæ inveni, quæ mihi pergratæ fuerunt. Non solùm ejus rei nomine, quia te meas accepisse significant, verùm etiam propter theses & intimationes tuas inaugurales, quas simul misisti, pro quibus gratias, quas possum, ago maximas: data occasione ut beneficijs respondeam, nervos omnes jntendam.

De lumbricis dissertationem tuam doctissimam lubentissimè vidi atque legi. Lumbricos quoque aliquando in ventriculo (etsi viri nonnulli docti contrarium defendant) generari posse tecum sentio. Imò eos, qui per vomitum ejiciuntur, rarò ex intestinis provenire, verisimile mihi videtur. Cùm enim nihil sit, quod magis aduersetur lumbricis, quàm amara, quodque eos faciliùs enecet, vesica quinetiam fellis continuò in duodenum sese exoneret ita ut intestinum hoc humore isto amarissimo imbutum sit, credibile est, animalia ista duodenum, veluti hostem infestissimum, rarissimè ingredi. Exemplum in hirudinib. videre licet, quas ego, cùm iis apud ægros utor, in scutellam aquæ frigidæ plenam, ut unam post alteram, & quidem meliores, eligere possim, repono. Ne verò effugiant, limbum scutellæ felle alicujus animalis illino. Itaque si qui vermes ex intestinis ad stomachum ascendunt, id in his, qui maximâ aliqua obstructione pori chologogi laborant, fieri existimo. Neque me à sententia avocat, quod in prima Centuria Observat. mearum, vermes in vesica fellis repertos fuisse scripserim. Id enim accidit in cadavere hydrope mortuo, ita ut vesica fellis aquoso potiùs, quàm bilioso humore repleta fuerit, sicuti ex quadam Amplissimi viri D. D. GALENI WIERI, Reverend. Electoris Trevirensis &c. & Illustris. Principis Juliacensis, Clivensis & Montensis &c. Archiatri longè celeberrimi, ad me data epistola, Observat. 54. centur. 1. annexa, videre poteris. In vesica urinaria (quod tamen rarissimè occurrit) vermes, quales in caseo putri nasci solent, procreatos fuisse, Observat. 56. Cẽtur. 1. annotavi, ex quibus tandem lumbrici facti fuissent, nisi acrimonia urinæ eos maturè nimis expulisset. Si itaque in vesica acrimonia urinæ generationem vermium non impedit, quis quæso eos in ventriculo generari posse dubitabit? Sed desinam ego noctuas Athenas ferre.

Cæterùm quæ de lumbricis latis sive longis observavi, Excell. T. communicare non gravabor. *Exem. 1.* Anno 1604. Paterniacensis cujusdam DANIELIS ROMAY filia, novem annorum ætatis, herniâ inguinali laborans, quum herniam ipsi per incisionem curare vellem, & corpus ante operationem, per Apozemata & purgationes præparare, quadam die cum potiunculam quandam ex syrupo rosato solutivo composito cum rhabarbaro agarico & senna, nec non parum pulveris sennæ laxat. sumpsisset, frustum lumbrici, septem circiter spithamas longum, per alvum ejecit. Paucos post dies ab excretione hujus vermis, nimirum 8. Novemb. cùm herniam incidissem, & idoneis remedijs curationem ad finem perduxissem, optimè convaluit, & quod magis, ante operationem sæpissimè morbis obnoxia fuerat: post operationem tamen & curationem herniæ, semper, & ad hunc usque diem bellè se habuit.

Lumbricum hunc exiccatum maxima cũ diligentia in musæo meo reservo, cujus latitudinem, cum suis interstitijs, & maculis nigris, quibus aspersus est, quia cum præcedenti figura plane convenit, eam hic iterare superfluũ esse duxi.

Superiori anno à quadam matrona hujus loci, quæ matrice se laborare censebat, in consiliũ vocatus fui. *Exemp. 2.* Ajebat autem, circà regionem umbilici & infimum ventris, frigus aliquod molestũ se percipere. Quum verò simul & de dolore capitis conquereretur, pilulas capitales ipsi exhibui ex quibus optimè purgata fuit: frustum quinetiam lumbrici, novem spithamas longum, ejusdẽ cum præcedenti latitudinis & figuræ, excrevit, dehinc optimè valuit.

Ante

Ante annos aliquot Murati puellam ex gravi ac diuturno morbo curavi, quæ similiter lumbricum latum per inferiora excrevit. Pars huj⁹ lumbrici ex incuria adstantium in cloacam projecta fuit, frustum tamen tres tantummodò spithamas longum, mihi ad manus pervenit. Hujusmodi auté lumbrici si ex parte A notata ad B digitis molliter demulceantur, læves lubricique, sin verò ex adversa parte, asperi persentiuntur. Integros mihi nunquam, sed frustratim videre contigit. Reliqua quæ hujus argumenti habeo exempla, nunc propter temporis penuriam addere non licet, fiet id aliâs DEO volente. Interim ignosce, vir Clarissime, si pro tenuitate ingenij mei, expectationi tuæ satisfacere minimè potui, omniaq; ut æqui bonique consulere non graveris, rogo. Vale cum honestissima tua conjuge, quam tecum ego & uxor mea salutamus peramãter. Paterniaci Aventicor. 24. Octob. 1608.

OBSERVATIO LXXIII.

De latis lumbricis.

Historia quarta.

Ad

Eundem Clarissimum DN. D. IOAN. IACOBUM CRAFFTIUM.

Cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus iterum

S. P. D.

NImium profectò, Clarissime D. Doctor CRAFFTI, amicorum optime, ergà me officiosus es, nimiúmque mei causa, in scribendis prolixioribus epistolis, egregiis non tantùm, verùm etiam utilissimis exemplis, atque historiis illustratis, laboras, & velitationes meas literarias doctissimis tuis scriptis illustras. Cujus nomine non solùm me, verùm etiam posteritatem tibi plurimùm obstringis: immortalesque in præsens ago gratias, donec vicissim officio meo reipsâ aliquo modo satisfacere queam. Cæterùm ne nudæ planè sint literæ, reliqua de latis lumbricis inseram, quæ nuperrimè propter temporis angustiam, & occupationes addere non licuit.

JUDITHA MACE, Domini Joachimi Rohaud, apud Lausannenses olim Pharmacopæi exercitatissimi, vidua, à teneris palpitatione cordis, imbecillitate ventriculi, & obstructionibus viscerum valdè obnoxia fuerat. Quamobrem ex consilio Medicorum multa variaque medicaméta acceperat, & aliquando ab assũpto medicaméto cathartico, frusta satis longa vermium per secessum rejecerat. Postquàm verò nupsisset, & proles procreare incepisset, tremor ille cordis cessavit, color quinetiam faciei vividior factus est, sed continuò ferè Lienteria vexabatur, ac interi per intervalla frustula vermium, nunc ad spithamas sex, nunc ad novem, aut decem longa, per alvum excrevit. Quotiescunque autem ejusmodi frustula vermium excernebat, eorum abruptionem in ipsis intestinis facilimè percipiebat: pueros nihilominus multos, & præcipuè masculos (quorum adhuc multi in vivis) procreavit. Quadam die, cum medicamentum purgans sumpsisset, frustum vermis, ulnas septem Lausannenses, (continet autem ulna Lausannensis spithamas circiter sex) longum excrevit, cujus tamen portio remansit. Post dies enim aliquot denuò maximam ejusdem vermis partem rejecit, & quidem absque ipsius vermis abruptionis (sicuti anteà) sensu. Quapropter jam omninò se à verme isto liberatam esse, sibi omninò persuadebat, neque spes ipsam fefellit. Deinceps enim hucusque nunquam tale quid ei accidit: Fluxus, quin etiam alvi, qui ipsam anteà continuò molestaverat, remisit, & dehinc ab annis octodecim optimè sese habuit. Hæc ex ipsius mariti D. ROHAUD ore, præsente ipsa, excepi. Retulerunt præterea, si omnia frustula, diversis temporibus ab ipsa rejecta, conjuncta essent, longitudinem ulnarũ viginti Lausannensium longè excedere posse.

Obs. 73. & 74.

Apud prudentissimum virum D. IOANN. WILLADINUM, pro tempore Præfectum Avéticensem dignissimum, & compatrem meum observandissimum, ancilla vivit, quæ nunc trigesimum annum ætatis prætergressa est, illa jam à multis annis hujusmodi lumbricis latis atq; longis molestatur. Abhinc annis aliquot circiter festum divi Iohan. Baptistæ, frustula longa excernere solita est: uti & superiori quoque æstate tempore cõsueto similiter excrevit. Anno 1607. genere & virtute nobilissima matrona MARGARETHA de MULLENEN, uxor D. prædicti, frustula tria ab ipsa ancilla rejecta, quæ in longitudine ulnas sex continebant, mihi monstravit. Continuò ferè etiam prędicta ãcilla frigus quoddam molestum in ventre persentit. Sæpius item fluxu ventris laborat, nonnunquam & alvo restricta est, robusta tamen, & exigua molestia ex hoc malo afficitur. Pilulis ex aloë, rhabarb. agarico, extracto colocynthidis &c. consilio meo aliquoties expurgata fuit: pulverem item ad necandos expellendosque vermes exhibui: sed quod magis, ter aut quater ipsi ab Empirico decoctum ex solo colocynthide exhibitum fuit: ex quo vehementer expurgata, nullos propterea vermes excrevit. Appropinquante verò tempore præscripto, spõte prodeunt. Quomodo autem vermis ille à medicamentis tam validis, veluti colocynthide, expulsus non fuerit, nondùm video, cùm tamen circà præscriptum tempus, veluti per criticem quędam naturæ motum sponte, ut dixi, proserpat.

Ante septimanas tres fasciculum literarum ad te misi, in quo & literæ ad Illustrem Dn. Baronem *in Geitzkoffler*, & Generosum D. Baronem *in Gorsier* inclusæ fuerant: rescribe, si vacat, an ad te pervenerit.

Hisce vale, Vir clarissime, cum lectissima tua conjuge totaq; familia, quam tecum ego, uxor mea, ac D. Magister Vrstisius, plurimùm salutamus. Raptim Paterniaci Aventic. 24. Dec. 1608.

OBSERVATIO LXXIV.

Ex dolore Colico neglecto, abscessus in colo intestino, & mors sequuta.

ANno 1603. 29. Februar. LOISE uxor HUMBERTI WILLARD in Chastenay, gravissimo dolore colico, cum ventris constipatione ac vomitu

Obs. 74. & 75. mitu, correpta fuit, unde mox febris exorta. Neglecto morbo, nullisque adhibitis remediis idoneis, dolor ita auctus, ut per octiduum nullum capessere potuerit somnum. Dolor in sinistro latere sub costis mendosis præcipuè acerbus ac pungens erat. Vocatus 3. die Martii, ipsam ardentissimâ febre laborantem offendi. Venter non aliter, quàm in hydropicis, tumidus, & instar tympani extensus erat, neque flatum, multò minus excrementa toto octiduo ejecerat. Hinc spirandi difficultas & syncope supervenerant. Et quamvis ægram in evidentissimo mortis periculo versari viderem, attamen (præsertim quum & ægra à me petiisset, ut clysmate tentarem, an alvus lubrica posset reddi, inflatioq; ventris aliquo modo subsidere) clysterem lenitivum ei exhibui. Sed cùm tanta esset alvi constipatio, & ventris inflatio, ut altiùs ad intestina ascendere non posset, mox Enema injectum, tanquam inutile rejecit. Eadem nocte ruptus est abscessus in sinistro hypochondrio, ea scilicet coli parte, ubi fit angustius. Id autem indè cognovi, quod non parùm puris per alvum excreverit. Ex quo ægra nonnihil allevari videbatur, sed mox sudore frigido & syncope correpta, circa solis exortum è vita decessit.

OBSERVATIO LXXV.

Ex suppressis hæmorrhoidibus suppuratio, & fistulosa ulcera sequuta.

DOminus PETRUS A LEOCHO, Chirurgus apud Genevenses longè celeberrimus, homo pius atque probus, à multis annis hæmorrhoidibus, & quidem maximo sui fructu laboraverat, quæ tamen tandem anno ætatis suæ circiter septuagesimo substiterunt. Non diu post, exorta prius febri continua, dolore maximo tùm renum, tùm perinæi, aliarumque vicinarum partium correptus fuit. IANUS ANTONIUS SARAZENUS, Medicus Regius, & IOANNES GRIFFONIUS, (apud quem tum temporis Chirurgiam exercebam) in consilium vocati, extremitatem intestini recti, perinæumque in tumorem elevatum, eumque excrementorum retentione, & urinandi difficultate laborantem, offendimus. Quocircà clystere injecto, & cassiâ fistulari, diaphoenicove, leniter corpore purgato, ægrum in semicupium collocavimus. Embrocationes, Cataplasmata anodyna, & pus moventia applicuimus. Sic post dies aliquot circumcircà anum tribus diversis in locis ruptâ vomicâ, pus copiosè effluxit. Hinc dolor, reliquaque symptomata paulatim cessarunt, ulcus tamen, quamvis maximam, quam potuimus, diligentiam adhiberemus, consolidare nequivimus, sed tandem in fistulam degeneravit. Nihilominùs tamen per annos aliquot sanus & incolumis vixit, praximq; maxima cum dexteritate, laude atque emolumento ægrorum exercuit, qui mihi semper amicissimus, & instar Præceptoris fuit. Tandem planè decrepitus, placidè & piè, meo tamen multorumque amicorum maximo luctu, ex hac vita caduca in æternam vitam migravit.

OBSERVATIO LXXVI.

Quidam ex maxima combustione eadem die moritur.

VIRIS GENEROSIS, DN. D. GEORGIO ET FRANCISCO A LYCKE Danis, Fratribus Germanis.

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

VIri Generosi, & perpetuò mihi observandissimi.

Cyathos deauratos, quib. me munerare dignati estis, accepi, & jam dudum rescripsi, gratiásq; egi. Sed video ex literis Clarissimi viri DN. D. TOXOTII, epistolam vobis traditã minimè fuisse, quam ob rem doleo, & ne culpã in me transferatis, demissè rogo: iterúmque gratias habeo & ago maximas. Tu verò vir G. DN. GEORGI, jam novo, nec profectò exiguo honore ac beneficio, carmine scilicet tuo doctissimo atque elegantissimo, in secundam centuriam Observationum mearum scripto ac transmisso, me afficis: faxit Clementissimus ille Pater cœlestis, ut insignem illã liberalis animi tui erga me significationem, posthac aliqua in re compensare queã. Quod T. G. studio & operationibus Cheirurgicis sedulò incumbit, & non ita pridem gravissimam combustionem, ex pulvere tormentario factam, feliciter curaverit, ex literis DN. D. TOXOTII cum gaudio intellexi. Utinam plures haberem' nobiles, qui tecum nobilissimam antiquissimámque, ac generi humano tam necessariam artem cheirurgicam illustrare, & in pristinam suam dignitatem restituere dignarentur. Hæc porrò tua curatio casum funestum, qui Coloniæ accidit, in mentem mihi revocat, quem T. G. non cõmunicare non potui.

Anno 1599. Coloniæ in platea quadam *Die Kleine Bottegasse* vocata, cerevisiatii cujusdam famulus, cùm circa ahenum occupatus, & fortè fortuna in eum, cerevisiâ fervidâ plenum, cecidisset, etiamsi ipso momento extractus fuisset, Cheirurgorumque auxilium implorasset, eadem tamen die, maximis cum doloribus & cruciatu, lipothymia, & similibus symptomatis correptus, è vita discessit. Ego quibus remedijs tinctoris cujusdam Paterniacensis famulum, in ahenum tincturâ fervidâ plenum incidentem, curaverim, ex cap. 6. tractat. mei de Combustionibus, facilè videre poteritis. Valete Viri Generosi. Vestrã G. Dom. Merula, DN. Oeconomus, DN. Cõsul, & domestici mei omnes salutant plurimùm, Deumque Opt. Max. toto corde precamur, ut hic annus vobis lætis auspiciis ineat, lætioribus procedat, letissimis exeat, ac sæpius recurrat semper felicior. Dabam Paterniaci Aventicorum 2. Ianuar. Anno 1610.

OBSERVATIO LXXVII.

De aliis quibusdam lethalib. combustionibus.

Viro Generoso Dn. GEORGIO à LYCKE, DANO,

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

QUàm multis ærumnis ac calamitatibus vita humana obnoxia sit, Vir Generose, olim in libello

77. libello quodam rythmis Germanicis scripto decantavi, infantulosque, cum primum periculum partus evaserunt, infinitis aliis periculis veluti fasciis involutos esse, & sæpissimè etiam ex minima causa perire declaravi. Cujus rei fidem faciunt funesta illa exempla subsequentia, quæ etiam ad materiam, quam in proximis & præcedentibus meis ad T. G. literis tractavi, spectant.

Anno etenim 1608. cùm quadam die historiam in præcedentibus meis ad T. G. literis recitatam, coram viro prudentissimo DN. JOHAN. WILLADINO, pro tempore Præfecto Aventiacensi dignissimo, Compatre meo perpetuùm honorando narrarem, uxor ejus DN MARGARITA DE MULLINEN, matrona nobilitate, pietate & virtute ornatissima, mihi duo subsequentia exempla, non minus horrenda quàm deploranda, quæ & hoc ipso anno Aventici acciderāt, præsente DN EMANUELE URSTISIO, Artium liberalium magistro, convictore meo, communicavit, quæ libenter publici juris feci, ut matres circa curam puerorum prudentiores & cautiores esse intelligant & discant.

EXEMPLUM I.

Primum exemplum fuit de infante recens nato, quem muliercula quædam ex adstantibus linteis calefactis involverat, ac in incunabula posuerat, inter calefaciendum verò linteaminibus scintilla insiluerat: quapropter mater circa mediam noctem expergefacta, ac adustionem linteaminum olfacta percipiens, infantem arripuit, sed jam mortuum ipsum reperit, adeò pectus ej⁹ erat à combustione læsum.

EXEMPLUM II.

Alterum fuerat de puella trium circiter annorum ætatis, quam mater interim dum in agris negotia rusticana perageret, solam culinæ incluserat: ex agris domum reversa, puellam, cui vestes undique ardebant, mortuam jam offendit.

Observavi & contrarium, circa annum enim 1584. Hildenæ in patria viri cujusdam, *Girhardt auff der Sandbach* nomine, infans vix sex mensium ætatis, divinitùs planè in ipsa, ut ita dicam, flamma conservatus fuit. Mater enim cū infantem hùcce linteaminibus calidis, in quibus scintilla remanserat, involvisset, ac in lectum posuisset, & solum reliquisset, hortumque ut terram verteret, intrasset, nescio quo terrore insolito paulò pòst perculsa fuit. Itaque in summa illa anxietate domum ingreditur, & cum cubiculum, quod fumo impletum, aperuisset, infantem inter linteamina, veluti in ardenti igne, invenit; undique enim, & circa infantem ardebāt omnia: salvum tamē & illæsum ipsum recepit. Ita omnipotens ac misericors ille Deus Pater cœlestis pro salute hominis solicitus est ac vigilans. Vale Vir generose. Paterniaci Avent. 10. Jan. 1610.

OBSERVATIO LXXVIII.

Ex lacte coagulato scirrhus cancrosus, aliaque incommoda sequuta.

Clarissimo atque Doctissimo viro Dn. ANDREÆ WEICKIO *Medicinæ Doctori, amico & convictori meo plurimùm honorando.*

Guilhelmus Fabricius Hildanus obs. 78.

S. P. D.

QUod salvus & incolumis Basileam pervenearis, Clarissime atque amantissime DN. D. WEICKI, cùm ex tuis ad me datis literis, tum etiam ex famulo, maximo cum gaudio intellexi, Clementissimumq; illum Patrem cœlestem suppliciter oro, ut optimi ac pii Tobiæ conductorē tibi adjungat, per eundemque T. Exc. ad paternos Lares feliciter reducat.

Cæterùm ante dies aliquot matronam illā Soloduri, quæ gravissimo illo affectu, Cancro scilicet occulto, ex lacte coagulato olim contracto laborat, quámque aliquando mecum vidisti, iterum invisi: medicamenta quinetiam nonnulla tā interna quàm externa præscripsi, ex quibus & fructum aliquem percipit. Morbum tamen planè insanabilem esse adstantibus denuò significavi. Suasit Empiricus quidam, ut causticum aut vesicatorium aliquod adhiberetur, & inclusa materia hoc modo evacuaretur, hoc verò quàm absurdum ac periculosum sit consilium, ipsis & rationibus & multis exemplis ostendi. Inprimis autem historiam, funestam profectò, matronæ cujusdam ex nobili familia, hîc in vicinia, ad quam ego Anno 1606. vocatus fui, (quamque ægra nostra optimè cognoverat) in medium adduxi. Illa cùm cancro occulto per multos añós ad pupillam dextram laborasset, tandemque tuberculum à Chirurgo quodam ruptum fuisset, sequutum est malignum ac fœtidum ulcus, ex quo maximo cum cruciatu vitam finivit: uti fusiùs in tertia Centuria Observationum mearum videbis.

De Cancro porrò ex lacte in mamma concreto, singulare exemplum mihi hîc observare contigit, quod tibi nūc communicare visum est. Honesta quædam mulier, in agro Bernensi, infantulum lactans, phlegmone in dextra mamma corripitur. Ex qua lac in mamma ista coagulatum, atque in grumos concretum est. Extincta inflamatione, grumus quidam in ea parte mammæ, quæ respicit axillam remansit. Ex quo paulatim exortus est scirrhus, qui tandem in cancrum malignum degeneravit. Quantumvis enim exulceratus nondum esset, tantus tamen aderat dolor, præsertim noctu, ut aliquoties prunas subesse sibi persuaderet. Cùm per annos quinque (si rectè memini) in isto cruciatu vixisset, & scirrhus ille cancrosus proximus esset exulcerationi, me convenit: tum in dextra mamma cancrum occultum, pugni magnitudinem longè excedentem, durissimum, ac lividum deprehendi. Sub axilla quoque scirrhi tres, quorum unus magnitudinem ovi adæquabat, delitescebant. Hi tamen maligni nondum erant, neque cancrum sapiebant. Præparato satis corpore, tum optimâ victus ratione, tum purgationibus & venæ sectione, die 21. Iunij Anno 1606. præsente Reverendo viro Dn. IOH. MERULA, hujus Ecclesiæ ministro fidelissimo, ac Dn. EMANUELE URSTISIO, Artium liberalium magistro, convictore meo suavissimo, tumores hosce scirrhosos omnes excidi, ita ut brevi convaluerit. Id verò inprimis fuit notandum, ipsam interim dum scirrho isto laboraverat, semel utero gestasse, & ipsammet

 infantu-

Obs. 78. & 79.

infantulum lactasse, qui tamen infantulus vix sextum mensem ætatis attigerat, cùm circa emunctoria undique scirrhosis tumoribus scatuerit: unde tandem languidè vitam finivit. Materia enim cancri in mammâ concreta atque incuneata, lac procul dubio acre, malignum & semi venenosum effecerat. Matres itaque sic affectæ, infantulos lactare minimè debent. Sic enim lac in stomacho coagulatum, veneni instar gravissima symptomata infert, ut Galenus, Aëtius, & multi alii testantur, multò malignius efficietur, si in mammis coaguletur ac includatur. Quomodo autem in præcedenti operatione processi, proximè tibi literis communicabo, nunc non licuit. Vocor enim Freiburgum ad nobilem matronam, quæ similiter, ut audio, Cancro exulcerato laborat: quicquid autem sit, posthac ad te scribam. Salutant T. Exc. Reverendus Dn. MERULA, Dn. OECONOMUS, & domestici mei omnes. Saluta, quæso, meo nomine peramanter Dn. D. PAULUM HEBNERUM. Ille quod me in transitu hàc non offenderit, doleo. Vale vir clarissime & feliciter vive diu. Paterniaci Aventicorum 25. Ianuar. 1610.

Gal. lib. de cibis boni & mali succi. Aëtius Tetrab. 4. serm. 1.

OBSERVATIO LXXIX.

De excisione tumorum axillarum, & abscissione mammarum.

Ad eundem

Virum Clarissimum atque doctissimum D. D. ANDREAM WEICKIUM.

Heri sub noctem, clarissime Dn. D. WEICKI Freiburgo redii: Matrona illa, ad quam vocatus fueram, non cancro, sed steatomate in ulcus aliquomodo malignum degenerato, laborat. Ante paucos dies puella hîc sub plaustrum, lignis onustum, cadens, gravissimum affectum cruris sinistri contraxit. Rota enim non solùm musculos & vasa, verùm etiam ipsa ossa dilaceravit atq; confregit. Multos mihi parit labores atq; molestias affectus iste, propter symptomata quæ superveniunt: qualisnam verò erit exitus, posthac ex me intelliges. Nunc enim reliqua quæ in præcedenti, tibique communicata observatione desiderantur, addenda sunt.

Difficilem autem simul & periculosum esse excisionem tumorum axillarum, præcipuè si magni fuerint, cùm in aliis, tùm in primis in illa fœmina, cujus in proxima præcedente Observatione mentio facta, observavi. Periculosa propter venarum thoracicarum eo in loco concursum, ex quo hæmorrhagia timenda: deinde quoque eam ob causam, quòd attrahendo hujusmodi tumores, musculi pectorales, & respirationi inservientes, simul lædantur, hinc suffocationis periculum. Quamobrem paulatim, modestè & clementer hisce in partibus operandum convenit. Difficilis verò propterea, quod brachio dependente tumor in profundo delitescat atque abscondatur, & brachio tota axilla obtegatur: sin verò elevetur brachium, musculi, membranæ, vasa, simul & tumor ipse adeò extenduntur, ut difficillimè separari possit, inprimis verò, si profundiùs membranis adhæserit. Prudenter itaq; in hujusmodi operationibus agendum est. Sed & ante omnia diligenter explorandum, an tumor ex una in alteram partem vacillari atque moveri, & radicitùs extirpari possit? Inanis enim foret operatio, si pars aliqua tumoris, quantumvis minima, imò etiam membrana, quâ ut plurimùm hujusmodi tumores integuntur, remanserit: repullulat enim malum, fitque priori malignius. Nec sperandum, id quod remansit, causticis auferri posse: iis enim cancri ita irritantur, ut ad summam malignitatem perveniant, sicuti Obs. 1 Centur. 1. & alibi, demonstravimus.

Obs.

Hoc autem modo in operatione præcedentis Observat. processi. Brachio mediocriter à ministro in altum elevato, cutē in longitudinem secundùm tumoris magnitudinem incidi, posteà tumorem diligenter separavi, cavique, ne venæ abrumperentur aut inciderentur, propter hæmorrhagiam, quæ in hac operatione totum negotium invertisset. Ab ea itaque ut securus essem, majorem partem istius tumoris, qui magnitudinem ovi gallinacei adæquabat, unguibus separavi. Deinde tumore sequenti forcipe apprehēso, ministrum jussi, ut forcipis hujus beneficio tumorem, quantum (absque tamen maximo dolore) fieri posset, deorsum attraheret. Posteà acu incurvatâ, quam in promptu habebam, interim dùm minister forcipe tumorem ad se attrahebat, venas, quæ tumori inserebantur, primò ex superiori, deindè quoque ex inferiori parte tumoris apprehendi, ac firmissimo nodo ligavi. Tandem tumorem audacter separavi, atque intra ambas ligaturas fili, excidi, ita tamen, ut filum extrà vulnus propenderet, quò & suo quoque tempore extrahi posset. Reliquos quoque binos tumores, avellanæ magnitudinis, majori adjacentes, parvo cum negotio avulsi atque extraxi.

Mamm. abscis.

Tandem ad scirrhum cancrosum, totam ferè mammam ad costas penè usque occupantem pervenimus. Incisâ itaque cute circumcirca tumorem (quandoquidem cuti tenaciter adhærescebat) ipsum tùm digitis, tùm cultellis separatoriis, facili negotio separavi atque extraxi, & postquam aliquid sāguinis effluere permisissem, pulverem nostrum ad sanguinem sistendum, stupis albumine ovi madefactis, imposui: Pectus, humerum & brachium oleo rosarum inunxi, & pulvillum ex stupis mollibus, vitello & albumine ovi cum ol. rosar. conquassato, intinctis, applicui, fasciaque omnia colligavi. Cordi verò epithema admovi, & ad virium lapsus nonnihil aquæ cinamomi absque vino destill. in qua confectio Alkermes dissoluta erat, ea die, & sequenti nocte frequenter ex cochleari exhibui.

Alterâ die denuò supradictas partes ol. rosar. inunxi, vulneribus verò sequens digestivum cum filamentis imposui, & Emplastro Basilicone obtegi.

Vngu. Diges.

℞. Therebinthinæ lotæ in aq. scabiosæ ℥ij.
Ceræ novæ &
Gummi elemi ana ℥j.
Ol. rosar.
Amygdal. dulc.

de vitell.

Obs. 79.

De vitell. ovor. ana ℥ ſ.
Croci ℈j.
Vitellum unius ovi, Miſce fiat unguētum ſ. a. His & ſimilibus vulnus aliorum vulnerum more, brevi curavimus, ſicque divino ſolo favore, fœminam illam ſanitati reſtituimus, quæ & poſtmodùm prolē ſanam progenuit, ipſametque lactavit.


In exciſione autem atq; extractione tumorum axillarium, leniter & paulatim procedendū eſt: dùm enim ſive forcipe, ſive quovis alio modo tumorem attrahimus atque ſeparamus, muſculi reſpirationi inſervientes ſimul attrahuntur: hinc factum, ut durante operatione mulier hæc aliquando reſpirare non poſſet. Id quàm primum animadvertiſſem, paululùm ab operatione remiſi, ne ſuffocaretur, ſed vires recolligeret, dein denuò opus aggrediebar. Frigida quoque & valdè repercutientia, his in locis applicanda minimè ſunt, ne materia ad pleuram, aliaſq; partes nobiles repellatur, ibique inflammationes excitet. Vt igitur incommodum hoc evitarem, corpus ante operationem quater aut quinquies per intervalla, & diebus interpoſitis purgavi, apozemata propinavi, venam incidi, & optimam atque tenuem victus rationem præſcripſi. Quod ſi verò affluxus aliquis humorum poſt operationem ſupervenerit, cucurbitulæ ſcapulis ſunt applicandæ, venæ item maleoli incidendæ, ut ſanguis & humores deorſum trahantur. Dolor item ingens ſi ſequatur, loco Emplaſtri baſilici, ſequens Cataplaſma calidè applicetur.

Cataplaſma anodynum.

℞. Micæ panis albi ℥vj.
Butyri recent. non ſaliti ℥ij.
Pulv. ſem. cydonior. &
Fœnogr. ana ℨij.
Coquantur in lacte vaccino recens emulcto, ad conſiſtentiam cataplaſmatis; tùm admiſce.
Croci pulveriſati ℈j.
Ol. de vitell. ovor. &
Roſar. ana ℥ ſ.
Vitellum unius ovi. Miſce, fiat Cataplaſma, quod bis aut ter interdiu calidè applicetur. In exciſione præterea cancri, diligenter obſervanda eſt Galeni doctrina lib. 14. meth. med. ubi jubet, ut exciſio cancro cum tota ſua radice, ſinamus aliquid ſanguinis ex proximis venis effluere, quod & ego hactenus in omnibus ſtudioſè obſervavi. In prædictis verò tumoribus ſcirrhoſis doctrinam Galeni ſequi non licuit: propter maximam enim, quæ ſequuta fuiſſet, hæmorrhagiā, prius expiraſſet ægra, quàm tota abſoluta fuiſſet operatio, quandoquidem ex longa hac operatione jam anteà ſatis debilitata erat. Quapropter venas ſub axilla conſtringere ac ligare coacti fuimus. Sed & non uſque adeò neceſſe fuiſſe videbatur ſanguinis fluxus, quandoquidem tumores illi, qui ſub axilla latitabant, nondùm maligni & cancroſi erant. Cæterùm quæ promiſi, nimirū Scalpellum ſimul & Anatomiam Vitrioli mitto, tu, quæſo, omnia æqui boniquе conſule. Domeſtici mei omnes mecum T. Exc plurimùm ſalutant. Vale, vir clariſſime, & me tuum cenſe. Paterniaci 1. Februarij 1610.

T. Guil. Fabricius Hildanus.

Figura forcipis & cultelli ſeparatorij.



OBSERVATIO LXXX.

Incipiens Scirrhus ex lacte coagulato, quomodo ſanatus?

MAtrona quædam juvenis & robuſta, Hildenæ in patria dùm infantem lactaret, inflāmatione ſiniſtræ mammæ correpta fuit. Quā ſedatā, tumor & durities adeò magna remanſit, ut de ſcirrhi generatione non parva eſſet ſuſpicio. Multis licet & variis, præſertim Empiricis, medicamentis, topicis, emollientibus ac diſcutientibus uſa eſſet, nihilominus tamen tumor & durities remanſere. Ego tandem vocatus, pulvere Paſſavanti cum rhabarbaro leviter ipſam purgavi, infans quoque ut ablactaretur, protinùs imperavi. Po-

Obs. 80. & 81. vi. Postea mammas, & circumiacentes partes oleo rosaceo, cui nonnihil aceti admixtum, per aliquot dies inunxi, eum in finem, ut affluentem sanguinem pro lactis generatione repellerem & cohiberem. Mammam quoque singulis diebus sequenti linimento inunxi.

Linimentum.

R emplastri de mucilaginibus ℥ij.
ol. lilior. albor.
amygdalar. dulc.
pingued. gallinæ an. ℥j.
gummi ammoniaci in aceto
scyllitico dissoluti, & percolati ℥. ß.

Misce, fiat linimentum, quo tota mamma inungatur. Sequens Cataplasma bis interdiu calidè applicare jussi.

Cataplasma.

R. folior. & radic. malvar. quantum sufficit. Incidantur minutim, posteà coquantur in aqua, & in mortario lapideo pistentur, fiatque cum farina fabar. axungia porci, gallinæ, anatis, & proprio decocto malvæ Cataplasma. Quo applicato, & per intervalla corpore probè expurgato, decentique victus ratione observatâ, tandem tumor ille durus emollitus & resolutus fuit. Ulcusculum verò ad papillam inspersione pulveris præcipitari, superimposito emplastro Vigonis seu ranis consolidavi. Hoc modo præter omnium spem & opinionem brevi sanitati integræ restituta fuit, neque postea ullum incommodum hujus mali persensit.

Similis casus.

Similem casum anno 1607. Lucenciis in matrona quadam nobili, præsente Ornatissimo atque doctissimo D. EMANUELE URSTISIO, convictore meo suavissimo, iisdem fermè remediis feliciter curavi.

Pulvis prædictus Passavanti, quia excellens est, nec omnibus notus, ejus descriptionem hic annectere placuit.

Pulv. Passavanti Descriptio.

R folior sennę expurgator ℥iij
Turbith Gummosi ℥ii
Rhabarbari Electi ℥j
Liquiritiæ
Semin. Anisi
fœniculi ana ℥iij.
Spicæ Indicæ grana VIII. fiat omnium pulvis tenuissimus, detur à Scrupul. 2. ad quatuor.

OBSERVATIO LXXXI.

Ex prolapsu intestinorum in scrotum, gravissima symptomata, tandemque mors sequuta.

Ad Clarissimum atque Doctissimum virum Dn. SEBASTIANUM MEYERUM, Reipub. Friburgensis Doctorem Medicum ordinarium ac celeberrimum, Cui *Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.*

CAsum illum gravissimum Generosi DOMINI DE CUGEY, Vir clarissime, ac amice plurimùm honorande, sæpe mecum rumino. Quandoquidem Excell. T. pro ingenii sui dexteritate & rerum experientia statim ab initiò morbi summam adhibuisse diligentiam, nihilque eorum, quæ ad methodicam curationem spectāt, prætermisisse, attestari possum: Chirurgum quinetiam vestrum, qui anteà illi intestinum non semel reposuerat, nunc quoque munus suum obiisse, non dubito. Quia igitur Medicamenta & manualis operatio, quæ infinitos alios, imò & ipsummet Generosum Dominum, aliquoties antehàc in simili casu feliciter restituêre, nunc incassum, & absque omni fructu adhibita fuerunt, abstrusum aut potiùs divinum quid morbo huic subfuisse, liquidissimè apparet. Sed divinę providentiæ ita visum fuit, optimum atque generosum huncce virum, qui multis & variis tùm corporis tùm animæ periculis, Hierosolymam illam terrestrem (ut ita dicam) peragrando inviserat, nunc ad cælestem Hierosolymam vocare. Porrò, Clarissime vir & amice, ne diutiùs promissionem meam differam, en ea, quæ in simili affectu, non ita pridem mihi videre contigit, tibi cummunico.

Nobilis quidam in Cuilly ad Lacum Lemanum, DANIEL DE CHALLON nomine, per annos aliquot Enterocele lateris dextri laborans, tandem 20. Octobr. Anno 1606. cùm violento nimis exercitio atque motu usus esset, intestinum in scrotum delapsum fuerat. Unde statim dolor ingens totius ventris exortus, eadem nocte quoque vomitus frequens, inquietudines, urinæ item, & excrementorum retentio supervenerant. Ille verò remediis neglectis, symptomatisque indies ingravescentibus, propter doloris vehementiam, die 23. coactus fuit accersere D. JACOB. MARRIONEM, apud Lausannenses Pharmacopolam exercitatissimum. Qui ægrum in summis angustiis constitutum videns, suasit ut me advocaret, verùm ne intereà temporis in mei absentia, ociosus ibi degeret, Fomentationes & Enemata emollientia, anodyna & flatus discutientia exhibuit & applicuit. Ego 24. mensis hujus die, qui quartus morbi erat, illum invisens, maximis doloribus & inquietudinibus, vomitu quinetiam continuò infestatum, retentione item excrementorum, & urinæ laborantem, offendi, id tamen, quicquid urinæ excerneret, subrubicundum erat. Atque illa retentio urinæ ad 25. diem usque persistebat, quâ sub crepusculum urinam maximè furfuraceam excernebat. Exinde verò absque omni difficultate, imò quod magis mirandum, ad ipsam horam mortis usque, urinam tùm colore, tùm consistentia sanorum urinis planè similem reddebat. Scrotum porrò inflatum ac durum adeò erat, ut tactui omninò reniteretur.

Statim itaque illi sequens Enema præscripsi:

Enema.

R. radic. & folior. malvarum
althææ
folior. violarum
betæ
parietariæ an. M. j.
flor. chamomel.
meliloti
sambuci an. M. ß.
sem. fœnograeci
lini an ℥ß. anisi

fœni-

Obs. 81.

fœniculi an. ℥j. Coquantur ad tertias.
Colaturæ sume ℥v. In quibus dissolve
electuar. diacathol. ℥ß.
vitellor. ovor. n. ij.
ol. chamomel.
anethini
butyri recent. an. ℥ij. Misce,
fiat Enema.

Scroto verò sacculum ejusdem Enematis radicibus, herbis, floribus & seminibus confectũ & aquâ coctum, calidè applicui.

Sacculus ad scrotũ.

Idem quoque Scrotum & ventrem oleo anethino & chamomelino inunxi.

Linimentum.

Enemate rejecto, aliud denuò exhibui, sacculum præscriptum calidè applicui, scrotumque & ventrem, ut priùs, inunxi.

Rejecto verò & hoc enemate, ægrum in lecto capite reclinato, pedibus verò elatioribus collocavi, atque intestinum in locum suum reponere tentavi, sed frustrà. Quamobrem ne quid fortè mihi exprobraretur, si res ex animi sententia minùs succederet, suasi, ut D. ABELEM ROSCIVM, apud Lausannenses Medicum celeberrimum ac doctissimum, accerserent, ille, cum advenisset, voluit, ut eadem die denuò de intestino reponendo periculum facerem, id si minùs succederet, fomentationes, inunctiones & enemata continuarem, quinetiam, ut herbæ, radices, & residuum ex decoctione clysteris in mortario lapideo contunderentur, posteà per cribrum cupreũ pistillo ligneo traducerem, ex iisque cum mica panis, vitellis ovorum, oleo anethino & chamomelino fieret cataplasma, quod calidè ac frequentiùs applicaretur. Idem quoque Medicus, ut æger sequenti nocte ter aut quater aliquid olei amygdalar. dulcium biberet, alterâ verò die tempore matutino potiunculam laxativam sumeret, imperavit. Circa vesperam itaq; an intestinum reponi posset, frustrà cum tentassem, Enemata, fomentationes & inunctiones continuare cogebar. Oleum verò amygdalar. dulcium, quia sibi nauseam movebat, assumere non potuit.

Cataplasma.

Alterâ die Potiunculam hanc à ROSCIO præscriptam illi exhibui.

Potiũcula laxativa.

R. Expressionem rhabarb. in aqua
menthæ infusi ℥j.
syr. rosar. solut. ʒj.
syr. violac. ex infusionibus ℥ß.

Misce, & dissolve in aqua menthæ & hyssopi, fiatque potio, quam horis quatuor ante prandium sumat.

Sed quum potiunculam hanc paulò post cum pituita multa, & nonnihil humoris biliosi evomuisset, denuò fomentationibus usus fui. Enemaq; ex præscripta decoctione, in qua parùm Electuarij Benedictæ laxat. & hierę simplicis cum vitellis ovorum, sale & oleis præcedentium clysterum, dissolutum erat, infudi. Cujus beneficio nonnihil excrementorum induratorum ac fœtidorum excernere cœpit. Hinc dolores aliqua ex parte fuere diminuti, inflatio item & tumor nonnihil subsidit, ut scrotum manibus tractando, murmur intestini obaudiretur. Circa vesperam cùm denuò simile Enema exhibuissem, multum reddidit excrementorum, intestinum quoq; levi compressione manus simul reductum fuit, scroto tamen adhuc vehementer intumefacto, indurato, ac dolore affecto, adstringentia applicare non licuit, sed sequens Cataplasma emolliens, & flatus discutiens admovi.

Cataplasma emolliens.

R. Farinæ fabar. ℥iiij.
Pulv. flor. chamom.
Meliloti
Sambuci ana ʒij.
Pulv. sem. anisi
Fœniculi
Cumini ana ℥ß.
Pulv. baccar. lauri ʒj.

Cum decocto radicum althææ, malvæ, parietariæ, florum chamomel. meliloti, sambuci, & seminis fœnograeci, fiat Cataplasma, quod bis aut ter in die calidè applicetur.

Die 28. mensis hujus circa vesperam; jusculum quod paulò ante sumpserat, cum multa pituita fœtida evomuit, cum nihilominùs tamen ea nocte sponte alvum, & quidem excrementum laudabile, beneq; digestum exoneravisset.

Vigesimâ nonâ die, manè rursùs sponte beneficium ventris habuit, sed excrementa livida, aut cinericei coloris instar, & fœtidissima erant. Eadem quoque die bis juscula illa, quæ absumpserat, mixta pituita fœtidissima revomuit. Nocte verò sequenti vomitus continuus & fœtidissimus cum lypothymia supervenit, unde cordi Epithema aliquod applicui.

Die trigesima mensis, quæ morbi dies decima erat, continuò, & quidem materiam fœtidissimam adeò copiosè evomuit, ut mirum, ubi tanta in corpore copia materiæ retenta fuerit. Assiduo quoque egerendi conatu, cum modica tamẽ egestione vexabatur, atque excrementa fœtida, nunc solida, sed cinericei coloris, nunc verò liquida, purulenta tamen, aut sanguinolenta excernebat, atque sic tota illa nocte, quæ principium erat undecimi, in eodem statu permanebat, ita ut juscula, vinum, & quæcunque offerebantur, recusaret: Sequenti enim die, quæ finis undecimi, circa meridiem placidè ex hac ærumnosa vita ad beatorum sedes demigravit.

Porrò nonnulla in hoc morbo observatione digna occurrunt. Inprimis enim urina à sexto morbi die usque ad extremam vitæ horam, sanorum urinæ similis planè conspiciebatur. Contrà verò pulsus à quarta die morbi, quà primò ad ægrum vocatus, ad finem usque continuò tàm debilis, tamque exilis & obscurus, ut hominis jam tàm morituri pulsui similis omninò esset, reliquæ tamen facultates & actiones adeò validæ, ut interdùm vestes indueret, & in conclavi ambularet. Materiam illam viscidam, pituitosam, ac fœtidissimam, quam evomuerat, non omninò ex intestinis, sed partim aliunde, ubi diu inclusa fuerat, processisse, indè apparet, quod ante morbum aliquandiu valetudinarius adeò fuerat, ut & à pastu anhelitus (qui gravis ac fœtidus, præcipuè tempore matutino) aliquâ difficultate laboraret, tussiculâ quoque siccâ, ad mortem usq; illum comitante, continuò vexaretur, de dolore item stomachi sæpissimè conquereretur. Ex quibus perspicuum fit, ipsum non solùm propter intesti-

Quæ in hoc affectu observanda.

Obs. 81. intestinum prolapsum, sed aliam quoque internorum viscerum putredinem extinctum fuisse. facilè tamen concessero, intestinum aliquam corruptionis notam præ se tulisse: Quandoquidem fieri non potuit, quin pars illa intestini, in ipsa abdominis ruptura, sex dierum spacio compressa atque coarctata, alimento suo privata, ac tandem corrupta fuerit, (sicut etiam ex Observ. 72. Centur. 1. colligere licet) ex qua tamen intestini putrefactione tantus fœtor, quantus hîc aderat, promanare non potuit. Vtinam igitur Amici post mortem ipsius cadaveris dissectionem concessissent, multa dubiò procul rara & notatu dignissima nobis innotuissent. His vale vir clarissime, & amice plurimùm honorande, cum honestissima tua cõjuge, quam mecum COLINÆTEA mea salutat plurimùm. Paterniaci Aventicor. 12. Ianuarij 1607.

RESPONSIO
De Nobili Enterocelico.

Observationum Utilitas.
Enterocele curata divinitùs.

GUILHELMO FABRICIO HILD. *Medico præstantissimo.*
SEBASTIANUS MEYERUS S. P. D.

Observatione transmissâ, Præstantissime Medice, amiceq; observande, verum te Hippocraticum exhibes, refersque ἀκριβείᾳ *singulari, divinum nostrum senem in Epidemiis, describendo singula morborum Nobilis Enterocelici tempora.*

Quantum verò istiusmodi conducant singulares, confirmandis Medicinæ catholicis theorematis observationes, testatur Galenus noster, Argumento primi Epidemiorum, verbis hisce notatu dignissimis. Singularia, *inquit*, autumant Empirici universalis constitutionis esse principium, illaq; tandem asserunt vera præcepta esse, quæ constituuntur ab experientia. Nobis multò aliter, adeoque numerosa præcepta inventa esse ratione videntur, quorum tamen de veritate judicium facimus, prout stabiliuntur ab experimentis, & fidem accipiunt. Nam sic quidem, etsi quæ inventa ratione, ac demonstrata sunt, de eo quid magnitudine Sol à Luna distet, his credamus tamen, cùm à sensibilibus multis aliis, quæ Geometricæ docent rationes, & ab Ecclipsibus singularibus confirmentur, fidem habemus majorem. Quando igitur ab experimentis singularibus comprobata quæ per Geometriam demonstrantur, accipiunt majorem fidem, stabiliuntur firmiùs: longè magis, quæ ex Medica disciplina sunt in universum inventa, singularibus sunt probationibus constituenda. Quæ nos observari in libris vulgarium morborum docebimus. *Hactenùs Galenus. Cùm igitur, Præstantissime FABRICI, quæ ex medica disciplina in universum sunt invẽta, singularibus tuis, tamque accuratis probationibus constituas atque fulcias, profectò institutum hoc præclarissimum prosequi, tuumque sic nomen, & publicam utilitatem amplificare constanter debebis.*

Neque verò Pathologicæ tantùm parti Medicinæ lumen affert Observatio tua mihi communicata, verùm etiam Therapeuticæ, dùm remedia reponendo intestino feliciter, & ex arte adhibita Enemata, Fotus, Cataplasmata, Inunctiones, & reliqua commemoras. Quin & illud ex eadem patet, haud solo prolapsu intestini, sed alio quoque interiori affectu, nempè corruptela visceris alicujus extinctum ægrum. Qui viscidam illam, confertamq; odore tetram, vomitu rejectam materiam, mesenterij profectò sedibus diu conclusam aluisse videtur. Rectè item urinæ illæ sanorum similes, observatæ abs te. Quæ declarant eorum de vulgo insipientiam, qui Medicos (celato etiam ægroti nomine) ex sola urina de morbo ut pronuntient, cogere volunt (quales & mihi nonnunquàm molesti sunt) cùm urina nullius sæpè morbi vestigium præ se ferat, quemadmodùm ex hac tua liquet observatione. Ego verò ingratissimus sanè ergà DEUM OPT. MAX. censeri possem, si duobus nobilibus Viris commemoratis, enterocele mortuis, ego eodem affectu demùm, decimo nempe octavo anno, solo DEI nutu absq; sectione liberatus, id beneficium tàm memorabile silentio præterirem.

Anno superioris seculi octogesimo quarto, tempore belli Coloniensis, in peramplo Gymnasio, & cœtu ampliùs centum discipulorum, ideoq; contentiore voce docenti mihi, primùm solâ ruptione interioris membranæ peritonæi, prolapsuq; intestini tumor in solo inguine exortus est, non longo verò post tempore, cùm dilatatio quoq; accessisset, ejus membranæ, quæ in scrotum devolvitur, hoc pariter distentum fuit. Adhibeo Emplastrum vulgatum ad rupturam, sed eo diu frustrà usus, uno cingor perizomate, à dicto jam octogesimo quarto anno ad annum usque hujus seculi secundum, meæ verò ætatis quadragesimum primum, hoc est, ad annum usq; morbi decimum octavum. Quo spacio toto cùm nec quies curando necessaria concederetur, nec orchotomia mihi probaretur, graves perferendæ molestiæ (per ventositates præsertim) elabente sæpius intestino, fuêre. Gravissimus supremus mali dies extitit. Nam dum Einshemij, Alsatiæ Vrbe, stipendiis Cæs. Majestat. RUDOLPHI II. Curiæ Austriacæ medicinam facerem, celebri quoq; vicino Xenodochio, D: ANTONII EISENHEIMENSI ejusq; Administratori Reverendissimo Domino Suffraganeo, FRANCISCO BERO, summo Viro, salario annuo obligatus fui. Itaq; indè Gebweilerium, Principis Murbacens. (qui opera quoq; utebatur meâ) sedem, verno tempore proficiscenti, immani cum dolore, universum intestinum erupturum videbatur. Nunquam antè, totos octodecim annos tumor major. Revectus ab amicis domum, insessu quodam anodyno dolorem paulùm lenivi, moxq; petito lecto, summo experrectus manè, & restituta concinnè suo loco τὰ ἔντερα, *& peritonæum ita firmatum atq; consolidatum deprehendo, ac si nullo unquàm tempore enterocele laborassem. Cumq; nullo unquàm antè die perizomate carere ausus fuissem, jam abjicere illud, & absq; eo incedere minimè dubitavi, nec in hunc usque diem eo egui, annosq; ampliùs jàm quinque, nec quicquam illius affectus (Conditori æternæ laudes ac gratiæ) percipio. Certè tam inveteratus affectus, in homine quadragenario, tempore præsertim, quo summum incrementum sumpserat, Physicis remedijs, tamq; brevi depelli non potuit. Quare verum* ἀλεξίκακον *& liberatorem meum D. O. M. agnoscam, laudaboq; quandiu fuero, cujus proinde inusitati, & hactenus (mihi quidem) inauditi beneficij prædi-*

prædicandi gratiâ, ac gratitudinis ergò, loco ut arbitror, non incommodo, sub mentione scilicet duorum nobilium hoc malo sublatorum, hæc adscripta volui. Gravissimo sub id tempus, per summam manifestamq; injuriam affectus rerum mearum damno fueram, quod Majestatem Divinam tanto beneficio (quod quidem multis prætulerim) compensare, sarcireq; voluisse crediderim. Eademque ab aliorum quoque me adversariorum machinationibus, quæ denuò paratæ mihi videntur, paternè tueatur, teq; diu incolumem servet & sospitet. Fryburgi Aventicor. Calend. Februar. Anno 1607.

OBSERVATIO LXXXII.

Intestina in scrotum prolapsa, quomodo reposita?

QUàm gravissima symptomata, ac tandem mors quoque, ex prolapsu intestinorum in scrotum sequuta fuerint, tùm præcedenti observatione, tùm etiam Observ. 72. primæ Centuriæ, satis superque demonstravimus. Nunc quomodo iis in situm naturalem reductis, ægri convaluerint, exemplis tribus sequentibus declarare operæpretium erit.

EXEMPLUM I.

Generoso cuidam ex familia HATZFELDIORUM, à multis annis herniâ laboranti, cum quadam die intestina in scrotum prolapsa, flatuque protinùs distenta essent, dolor maximus totius ventris, vomitus continuus, cibi fastidium, vigiliæ, inquietudines, præcordiorum angustia, & lypothymiæ exortæ sunt.

Ego alterâ die ad ipsum vocatus, quamvis graviter, & non absque mortis periculo ægrotantem offenderim, tamen aliquid tentandum suasi. Quocirca statim sequens exhibui Enema.

R. Radicum altheæ
malvarum cum toto
folior. violarum
parietariæ
flor. chamomil.
meliloti
sambuci an. Mj.
sem. fœnograeci &
lini aliquantùm contusi, an. ℥. ſ.
sem. anisi,
fœniculi
carui
cumini an. ℥j.

Incidantur & contundantur omnia, posteà indantur sacculo, ejus magnitudinis, quo totum scrotum possit cooperiri, qui intersutus coquatur in ℔ 12. aquæ font. Hujus decoctionis

R. ℔ j. In qua dissolve
Electuar. diacathol. ℥j.
vitellor. ovor. n. ij.
butyri recent. non saliti, &
ol. commun. an. ℥iij. Misce,
fiat Enema, quod protinùs iniiciatur.

Sacculus verò parùm expressus calidè applicetur scroto, & recalefiat in eodem decocto, & applicetur, quotiescunque opus fuerit.

Post mediam horam rejecto Enemate, rursùs aliud ejusdem decocti Enematis, cum admixto Electuario, oleo, butyro, vitellis ovorum, plerùmque mellis infudi; & sacculum calidè applicui. Quo enemate denuò reiecto, & sacculo calido intestino probè lubricato, ægrum in lecto capite declivi, pedibus verò in altum elevatis, collocavi. Posteà manu sinistra scroto apprehenso, eoque ventrem versùs sublevato, & aliquo modo compresso, dextrâ verò imo ventris admotâ, reliqua intestina sursum versùs pectus retrusi, sicque intestinum prolapsum felici cum successu in locum suum naturalem reposui. Deindè ad intestinum suo in loco cohibendum, sacculum hũc adstringentem applicui.

Sacculus adstringens.

R. Rosar. rubr.
absynthii vulgar.
folior. prunor. sylvestr.
caudæ equinæ
fol. salviæ &
musci quercini an. M ſ.
corticum querc. ℥ij.
sem. fœnic. & anisi an. ℥j.

Incidantur & contundantur, posteà indantur sacculo, qui filo intersutus, & vino rubro incoctus, calidè frequentiùs applicetur.

Postera die, corpus sequenti potiuncula expurgavi.

Potio.

R. Radic. fœniculi
petrosel.
gramin.
polypod. querc. an. ℥ſ.
herbar. agrimon.
veronicæ
cuscutæ an. Mſ.
sem. anisi
fœniculi an. ʒij.
folior. senæ mundat. ℥ſ.

Coquantur in aqua, ut colatura redeat ad ℥iiij. In quibus dissolve Electuar. diacarthami & diaphœnic. an. ʒiij. aq. cinamom. destill. sine vino ℥ſ. Misce. fiat potio.

Tandem Emplastrum aliquod adstringens applicui, & subligaculum adaptavi. Sic divino favore gravissimo hoc periculosoque affectu liberatus fuit.

EXEMPLUM II.

JOHANNES HOFF. Grammateus Hildenæ, Compater meus plurimùm honorandus, à multis annis Enterocele gravissimè vexatus, cùm Anno 1593. in itinere aliquo modo defessus, in terram somni capessendi gratia decumbens, obdormivisset, intestinum ad magnitudinem ferè capitis infantis in scrotum prolapsum est, quod quia illicò repositum non fuerat, ab aëre tùm temporis satis frigido in ipso scroto frigefactum & inflatum est. Hinc dolore exorto, ipsoque à somno expergefacto, vix domum (à qua iter uni horæ aberat) præ maximo cruciatu redire potuit. Ego ad illum accersitus, ipsum quasi semianimem cum animi deliquiis, vomitionibus frequẽtibus, iisq; fœtidis, offendi. Dolores item tàm maximi, tàq; frequentes aderant, ut subindè sese ex una in alteram lecti partem jactare, coactus esset. Statim itaque suprà scriptum Enema exhibui, & sacculum loco affecto applicui. Posteà pedibus elevatis capiteque declivi posito, intestinum feliciter reposui. Tandem expurgato corpore, & subligacu-

Obs. 82. & 83. ligaculo applicato, plenissimè convaluit, multosque dehinc annos sanus vixit.

EXEMPLUM III.

Anno 1607. die 26. Augusti. JOHANNES NADLER, faber sclopetarius, civis Paterniacensis, homo septuagenarius & herniosus, dolore colico cum intestini descensu correptus fuit. Ego quartâ die morbi vocatus, ipsum febricitantem, cum maximis doloribus inferioris ventris offendi. Intestinum cum nonnullis excrementis in eo contentis in dextrum inguen prolapsum erat, supráque modum durum percipiebatur. Quapropter cùm illud vi reducere, consultum minùs fore animadverterem, protinùs ventrem, scrotum & inguen, oleo liliorum albor. pinguedine anser. & caponis inunxi, sacculumque ex emollientibus qualem suprà descripsi, calidè applicui, & enemata infudi. At quia in reductione intestini quæ citrà violentiam maximam fieri non potuisset, timendum erat, ne intestinum læderetur, in usu medicamentotum prædictorum, per dies aliquot pergere visum fuit. Interim excrementis in intestino prolapso inclusis, emollitis, injectis quoque per intervalla enematibus emollientibus & attrahentibus, intestinum paulatim in locum suum naturalem retrocessit, ita ut ex maximo isto periculo DEI beneficio liberatus fuerit.

OBSERVATIO LXXXIII.

De Gangræna ex cõtusione, quæ totum crus, scrotum & inguen, spacio 24. horar. mira cum celeritate invasit, atque ægrum è medio sustulit.

Ad

Amplissimum atque celeberrimum virum D. GREGORIUM HORSTIUM, *Philosophum summum, ac Medicinæ Doctorem excellentissimum.*

Cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus,

S. P. D.

MEnte atque amicitiâ minimè te à nobis sejunctum esse, etsi altissimæ rupes nos disjungant, Vir amplissime & humanissime, literæ tuæ 14. Martii Wittebergæ datæ, ante dies verò octo modò mihi redditæ, testantur: munera item quæ simul mittis, plenius fidem faciunt. Utinã ego Excell. T. eo tempore, quo hîc Paterniaci nos inviserat, pro dignitate sua, & uti decuisset, excipere potuissem, vel etiamnum officium aliquod præstare possem: proxima tamen occasione, quâ D. DORINGIUS ad me pervenerit, operam dabo ut ipse intelligat, tuam commendationem sibi non parùm profuisse.

Tractatus tuus, de casu quodam admirando, liber planè Philosophicus, doctus & elegans, mirum in modum gratus fuit, quem etiam eo majori cum voluptate perlegi, quod eo ipso tempore, quo mihi redditus, circa casum non vulgarem occupatus eram. In quo, quia nonnulla rara, & tuis speculationibus non indigna occurrunt, eum communicare, ac ordine recensere minimè gravabor.

Die 21. superioris mensis Julii, STEPHANUS TOPPINUS, civis Staffiacensis, Oppidi hîc in vicinia ad lacum Neocomensem siti, quinquagenarius, robustus, & optimo corporis habitu præditus, cùm in maximis messis occupationibus, ipsemet plaustrum vacuum ducere tentasset, ac currendo in terram procidisset, rota internam partem suræ sinistri cruris dilaceravit, cum tibiæ ossis, à periostio suo ad longitudinem spithamæ, denudatione: neutrum tamen os fractum aut fissum fuerat, ita ut pedes domum, à qua iter dimidiæ horæ abfuerat, se conferret.

Ego eadem die vocatus, illicò totum crus coxamque oleo rosar. inunxi. Vulneri priùs vino rubello, & aquâ tepidâ, à sordibus & arenâ abluto, digestivum sequens imposui.

Digestivum.

R. therebint. lotæ ℥j.
ceræ ℥ ſ.
gummi elemi ʒij.
ol. rosar. ℥j ſ.
ol. de vitell. ovor. ℥j.

Dissolve lentissimo igne, posteà admisce croci ℈ ſ. vitellos ovor. n. ij.

Ut autem affluxum humorum impedirem, fasciâ intinctâ poscâ, totum crus involvi, victũq; optimum ac tenuem præscripsi, & pro potu ordinario decoctum agrimoniæ & veronicæ ordinavi. Hinc dolor plurimùm remisit, noctem tamen eam, utcunque inquietam transegit. Circa scapulam quoque & humerum sinistrum (licet nullum manifestum contusionis indicium apparuerit) quia tamen eo loci de dolore conquerebatur, eodem oleo rosar. inibi bis illum in die inunxi, adeò ut dolor scapulæ intrà biduum cessaverit.

Die 22. Iulij sequẽs medicamentũ ei exhibui.

Potio.

R. Syr. ros. solut. compos. cum rhabarbaro, Agarico, & senna ℥j. ſ.
Pulver. sennæ præpar. ℈ij.

Cum decocto agrimoniæ & veronicæ fiat potiuncula, quâ corpus leviter purgatum fuit. Paulò post deligatione solutâ, optima futuræ digestionis signa apparuerunt. Denuò itaq; præscriptum digestivum imposui, totumq; crus oleo rosarum inunxi, & fasciâ poscâ imbutâ, omnia colligavi. Circa vesperam eadem reiteravi, qua nocte optimè quievit.

Die 23. Iulij summo mane basilicam dextram (sinistra enim propter cicatrices ad cubitum nullo modo in conspectum sese dabat) incidi, sanguinisque ad ℥vj extraxi. Soluto deligatione vulnere partem illam suræ dilaceratę, & à subjecta carne disjunctæ, quia livescebat, ac ad gangrænam tendebat, abscindere visum fuit. Quâ parte in præsentia Reverendi D. IOHANNIS DU MOULLIN ejus loci presbyteri, abscisâ, eâque aceto & sale ablutâ, Ægyptiacum nostrum ad radicem putredinis, reliquæ verò parti vulneris digestivum imposui. Posteà sequens Cataplasma, quod putredini resistit, applicui.

Catap[lasma] pu[tre]dini [resi]stens.

R. farinæ fabar. ℥iiij.
salis marini ℥j. ſ.
pulver. summitat. absynth. vulg.
scordij utriusque
rutæ ana ℥j.

Coquan-

Coquantur in Oxymelite simplici, fiatque cataplasma addendo sub finem
mytrhæ
aloes an. ℥ ſ. Miſce, fiat Cataplaſma.

Circa veſperam rurſus eadem methodo proceſſi, ſed quia nox ſubſequens ei non admodùm quieta futura videbatur, ad grana aliquot laudani ei exhibui. Qua nocte nullos dolores perſenſit, ſed quietè & ſecurè dormivit.

Die 24. Iulii manè ſolutâ deligatione, putredinem inhibitam, neque gangrænam ampliùs proſerpere, certis ſignis conſpicere licuit. Ad majorem tamen ſecuritatem, unguentum Ægyptiacum, ut anteà, filamentis complicatis, & ad radicem putredinis, totamque partem læſam, ſupradicto cataplaſmate cooperui. Intemperies nulla, neque inflatio aut dolor aderat. Domum itaq; me confero; circa tertiam pomeridianam illicò, & quidem me abſente, in altera tibiæ, nimirū externâ parte ſuræ, dolore acutiſſimo corripitur.

Ego circa nonam noctis horam ad ipſum veniens, maximis quidem doloribus ipſum vexari, facilè conjicere potui, abſque ulla tamen intemperie manifeſta, aut inflatione conſpicua. Vnde Hippocratis ſententiam, libro de vulneribus capitis, animo volvens, videlicet, Carnem contuſam neceſſe eſſe putrefieri, & in pus converti, ab incœptis deſiſtere nolui, ſed denuò digeſtivum impoſui, tibiam oleo roſar. inunxi, ac rurſùs tempore ſomni nonnihil laudani ei exhibui. Verùm tantùm abfuit, ut ſomnum capeſſere potuerit, quin potiùs circa tertiam horam noctis me accerſivit, ſi fortè aliquo modo dolorem lenire poſſem. Deligatione itaque rurſùs ſoluta, externam partem ſuræ, & quidem ipſum locum dolentem ex parte lividam deprehendi. At quia dolor magnus, nihilque aliud in promptu erat, illicò cataplaſma ex mica panis lacte cocta, additis vitellis ovorum, parumque butyri recentis, calidè applicui. Hinc dolor aliquo modo ſedatus fuit, parumq; æger quievit.

Die 25. circa ſeptimam horam matutinam ſolutis faſciis, partem externam ſuræ palmæ latitudine nigram & ſphacelatam offendi. Subitò ergò Paterniacum me recepi, ut ea, quæ pro morbi magnitudine neceſſaria videbantur, præpararem. Circa meridiem inſtructus omnibus neceſſariis, & ad ægrum rediens, ſtatim ſic exclamat: ô utinam attuliſſes ſerram, tibia enim hæc eſt amputanda, quò hoc dolore & cruciatu poſſim allevari.

Solutis ergò denuò faſciis, totam externam partem ſuræ, & ipſum pedem ſphacelatum, veſicis etiam nigris & maximis, nec non aquâ loturæ carnis ſimili, repletis, animadverti. Interim tamen nonnullis in locis, dolores & maximi & continui aderant. Efflagitantibus itaque tùm amicis, tùm in primis ægroto ipſo, ut tibiam āputarem, denuò me domum contuli, & inſtrumenta cum omnibus ad hanc rem neceſſariis, mecum attuli, atque circa horam ſecundam pomeridianam ad ægrotum redivi, tùmque totam tibiam, præter illam partem vulneris, cui præcedentibus diebus Ægyptiacum applicueram, ſyderatam, & in loco ſano non ampliùs abſcindi poſſe, comperi. Supra genu item ad externam partem in quodam loco, crines novacula abradens, ſonum, quaſi vacuum aliquod ſubfuiſſet, percipere potui. Inde malum inibi ſubeſſe conjiciens, adſtantibus atq; amicis ſignificare cœpi, amputationem planè infructuoſam & inutilem fore, & ut alios Medicos atque Chirurgos in conſilium advocarent, ſuaſi. Poſt duas horas, iterùm ſolutâ deligatione locus iſte, in quo anteà ſonum audiveramus, prorsùs ſphacelatus deprehenſus eſt. Circa decimam horam noctis in inguine ad ſcrotum, veſica ovi magnitudine nigra, & aquâ loturę carnis ſimili, repleta, illicò exorta eſt: quâ adapertâ, ſubjecta caro nigra & ſphacelata conſpiciebatur. Intra horas duas ſcrotum in magnitudinem capitis intumuit, & ſyderatum eſt. Tum æger ſudoribus primò calidis, poſteà frigidis correptus, circa tertiam poſt mediam noctem horam, quæ quarta dies ſui morbi cum undecim horis erat, ab incœpta verò gangræna, hora vigeſima quarta, placidè, & inter loquendum ferè expiravit.

Poſt mortem totum latus & caput paulatim ita intumuerunt, ut ſequenti die, cùm cadaver inhumare vellent, capulum ampliare neceſſe eſſet. Sub hypochondrio ſiniſtro veſica, quæ magnitudinem capitis adæquabat, nigra & aqua ſanguinolentâ plena, exorta eſt. Ex ore quoque & naribus aqua iſta ſanguinolenta tàm copioſè emanavit, ut per cubiculum inſtar rivuli deflueret. Ex cadavere item talis fœtor expiravit, ut adſtantes in fugam converteret.

Ab initio morbi uſque ad finem vitæ, vix ulla febris in illo cognoſci potuit, nullumq; ſymptoma febrile, veluti dolor capitis & renum, ſitis, ſiccitas & ariditas linguæ, aut pulſus à naturali ſtatu receſſus, apparuerunt. Vrinæ tamen ſtatim ab initio morbi, ad finem uſque vitæ ſanguinolentæ erant.

In iſta autem recitata Hiſtoria, nonnullæ occurrunt difficultates, quarum aliquæ, quamvis ex doctiſſimo tuo tractatu facilè diſcuti poſſint; cupio tamen hac de re Excell. T. judicium atque ſententiam, ſi quando ſibi per ocium licuerit, ulteriùs intelligere.

Primò quidem, An Gangræna hæc tam furioſa, támque dira & immanis, ut vix unquam ſimilis conſpecta, ex contuſione ſola, vel ex cauſa aliqua interna & occulta orta ſit, nec ne? Ego ex ſola illa contuſione tibiæ, tam horrendum malū oriri non potuiſſe, planè ſentio. Primò enim contuſio in tibia, etſi magna, pro magnitudine tamen Gangrænæ non reſpondebat: erat enim cutis tantummodò cū carnea membrana à ſubjecto muſculo ſeparata: ità quidem, ut ne ramus ille inſignis, qui per muſculum, ſuræ partem internam conſtituentem (qui crus moventium in ordine primus) ſuperficietenùs deſcendit, dilaceratus aut diſruptus fuerit, denudatus tamen & integer conſpiciebatur. Hanc quoque ob cauſā pars illa cutis dilacerata, & à ſubjectis partibus ſeparata, nutrimento ſuo deſtituta, neceſſariò gangræna & ſphacelo correpta fuerat. Hac verò parte abſciſſa, gangræna protinùs inhibita fuit, quemadmodùm anteà dixi, neque poſteà ullum in-

Marginalia: *[Ob]ſ. 85.* — *Obſ. 83.* — *[...]nd cataplaſma [do]lorem [len]iens.* — *Primum dubium*

Obs. 83.

lum indicium gangrænæ apparuit, usque dùm totum crus invaserat. Secundò, si Gangræna ex interna parte suræ ad externam serpendo penetrasset, vulnus priùs labe ista infectum fuisse, quàm vicinas partes invadere potuisse, luce meridianâ clariùs existit: at penetratio illa, quomodò sine dolore, inflammatione, & inflatione maxima fieri poterat, nondùm video. Post primam autem noctem usque ad 24. mensis diem, quæ fuit tertia morbi dies, nullum (pro magnitudine vulneris) dolorem, nullámque preterea inflammationem adfuisse, sed optima signa digestionis apparuisse, testabuntur & fidem facient adstantes, quorum ex numero erant Reverendus D. JOHANNES DU MOULLIN, ejus loci Presbyter, uti & D. EMANUEL URSTISIUS, Philosophię Mag & Medicinæ candidatus, convictor meus suavissimus. Adde quòd extremâ suræ parte nullum unquam indicium contusionis apparuerit. Tertiò non potuit gangræna hæc ab externa parte suræ ad coxam, nisi serpendo, ac in transitu partes, unam post alteram inficiendo, pervenire. Ac in hoc casu gangrænam cùm tibiam, tùm etiam femur, inguen & scrotum, quasi uno eodemque momento, (interim tamen hinc indè partes nonnullas illæsas relictas) invasisse, ex præcedenti historia elicere licet. Potuit itaque contusio hæc in crure, meo quidem judicio, esse causa adjuvans, præcipuum autem materiam aliquam venenatam ex corpore eò propulsam fuisse, planè sentio. Quamvis enim anteà morbis non adeò obnoxius homo iste, quia tamen rota, totum latus transgressa fuerat (id quod dolor circà scapulam indicat) potuit facilimè sanguis, aliquo in loco concretus ac putrefactus, in pestiferum hocce venenum conversum, posteà verò à natura expulsum, hocce crudele malum generare. Gravissima enim quandoque ex sanguine coagulato, FERNELIO de abditis rerum causis lib 2. cap. 15. teste, symptomata oriuntur. Idem testatur FERNELIUS, aliquandò se partem sphacelari vidisse sine causa externa, sine tumore aut rubore conspicuo, oborto primùm dolore immanissimo, tandémque ægrum extinctum fuisse, sine febre, sine symptomatis admodùm gravibus, idque in hoc ægro bellè observare licuit.

Secundũ dubium

Ex modò dictis autem oritur secundum dubium, nempè quomodo natura hancce pestiferam materiam absque symptomatis conspicuis, puta febre, syncope, deliriis & similibus, tam diu retinere, multò magis ad extimas partes corporis propellere potuerit? Tertiò, quomodò factum fuerit, quòd caput, & totum cadaver, exceptâ tibiâ dextrâ, post obitum in monstrosam hancce magnitudinem intumuerit: cùm animæ facultates, animale extincto, omnes abolitæ sint ac cessent?

Tertium dubium.

Prolixè & ordine hancce historiam recensere placuit, propter varias & ineptas, quæ hac de re apud vulgus habentur opiniones.

Tu verò, vir Amplissime, omnia boni consule. Vale, & me, ut facis, ama. Paterniaci Aventicor. 9. Augusti 1607.

Obs. 84.

VIRO CLARISSIMO ET EXperientissimo,

DOMINO

GUILHELMO FABRICIO HILDANO, *Medico & Chirurgo Reipubl. Paterniacensis ordinario.*

GREGORIUS HORSTIUS D. ET *Medicus Profess. Acad. Giessenæ*

S. P. D.

Doleo, Vir clarissime & experientissime, amice & fautor plurimùm honorande, responsum meum ad casum singularem de gangræna quadam admiranda, superiori anno conscriptum, & Francofurtum transmissum, ad manus tuas nunquam pervenisse: talis est plærumque mercatorum incuria, qui dum lucro totis viribus inhiant, brevi promissorum obliviscuntur. Actum igitur ut agam, pro transmissa, mihiq; inscripta Observatione gratias, quas animo concipere possum, habeo maximas, tibiq; vicissim officia mea promptissimè lubens polliceor & offero. Quod autem casum illum attinet, ut exspectationi tuæ satisfaciam, brevibus, si non verbis, tamen fundamentis cum priori responsione convenientibus, opinionem meam aperiam, eamq; candido tuo judicio subjiciam. Sed ne longiori tuarum literarum repetitione tædium tibi, satis alias occupato, creem, ad quæstiones tuas mihi propositas rectà progredior, inter quas primus locus illi tribuitur, quâ quæris: an Gangræna illa furiosa, tanquam dira & immanis, ut vix similis unquam conspecta, ex contusione sola vel ex causa aliqua interna & occulta orta fuerit? Negativa tua displicere nequit, ubi perpendo rationes in medium adductas, ex ipsius Hygieiæ penetralibus depromptas, & experiẽtia tua singulari confirmatas, præsertim cum tantùm illam contusionem consideres, quæ fuit in crure, concedendo nihilominus, præter hanc, aliam quoq; totius corporis contusionem adfuisse, quatenus rota totum latus transgressa fuit, quod non solùm tecum ex dolore circa scapulam colligo, sed insuper etiam urina sanguinolenta per totum morbi tempus, ab initio statim ad finem usque vitæ, satis firmiter illud ipsum indicat, propterea quod hæc in ejusmodi corporis constitutione non aliunde quàm ex contusione, non cruris sed aliarum partium, deducenda videatur. At verò si tanta fuit contusio corporis reliqui, mirum non est, sanguinem circa partes abdominis externas alicubi concretum ac putrefactum, in pestiferum quasi venenum conversum fuisse, quod rectè colligis, ita ut non videam, quid responsioni primæ quæstionis addendum censeam. Verum altera quæstio fortasis majorem dilucidationem requirit, quomodo videlicet natura pestiferam illam materiam sine conspicuis symptomatis, puta febre, syncope, deliriis & similibus, tam diu retinere, multò magis ad extimas corporis partes propellere potuerit? Coincidit hic controversia recentiorum, qua quæritur, num in corpore nostro absq; insigni humorum putredine venenum generari queat? in qua affirmativam defendit HERCULES SAXONIA lib. 2. de Phænig. cap. 8. & sequentibus, propterea quod de essentia veneni non sit, per putredinem fieri, potissimum cum quotidiana experientia testetur sæpius pestiferos affectus absque omni putredine disseminari, quod Galenus etiam innuere videtur, dum inquit:

Ad primam quæstionem responsio.

ad alteram quæstionem.

inquit: ut ab exiguo initio sputi videlicet (canis rabidi) qualitate aucta, quædam in corpore dispositio, quando ad magnitudinem notatu dignam pervenit, discerni potest, idq; post sex menses, cum nonnunquam ante id tempus nulla nota deprehendatur; sic eodem modo vitioso humore in animalis corpore genito, paulatim tractu temporis principalium partium aliqua cōsentit, à qua deinde universum corpus celeriter alteratur. Contrà præsentis quæstionis negativam acriter confirmare nititur Columba libr. 1. de feb. pest. cap. 41. non solum authoritate Galeni, qui paßim venenatos & malignos humores in corpore nostro, non aliter quàm per summam corruptionem fieri posse statuit, sed etiam rationibus, quatenus ea, quæ secundùm naturam sunt, ad qualitates immediatè substantiæ nostræ seu principio vitali contrarias, absq; insigni & vehementißima corruptione mutari nequeunt, non tam quantitatem, quàm modum putredinis respiciendo. Veruntamen cum Saxonia tantùm contra simplicem putredinem disputet, Columba verò corruptionem quandam formalem insignem, à communi putredine diversißimam intelligat, non inconveniens videtur, utramq; sententiam conciliare, nimirum ut venenum in corpore nostro producatur non ex simplici quadam putredine humorum, juxta priorem, sed ex specifica quadam corruptione vehementißima & malignißima, juxta posteriorem opinionem. His præmissis respondendum, quomodo talis maligna corruptio sine conspicuis symptomatis, puta febre, syncope, deliriis & similibus, produci potuerit? ubi solutionem nobis subministrat Hippocrates l. 3, Epidemior. sect. 3. aph. 25. ubi inquit: quorum caput horum quid tentaret, (loquitur de maligna putredine) his caput totum glabrescebat, & mentum, ossaque denudabantur decidebantque, multaque extiterunt fluxiones. His adjuncta aliquando non erat febris. Erant autem hæc formidabiliora quàm deteriora, quibus enim ad suppurationis species hæc devenit, plurimi superstites horum erant. At verò quos inflammatio reliquit, & sacer ignis, nec talem abscessum efficit ullum, hi frequentes perierunt; & si usquam loci alterius in corpore oberraret, evenerunt hæc. Etenim multis brachium vel totus cubitus decidit. Quibusdam hæc interiora latera efficiebant, vel posteriora. Nonnullis totum femur vel tibiæ denudabantur, pesque totus. Galenus in Commentario, quod ad præsens institutum pertinet, ulterius declarat, dicens; quibusdam quibus in superficie erat ejusmodi putredo, partes etiam circa febres marcescebant, &c. Hinc ergò constat, in corpore nostro talem humoris peccantis corruptionem fieri posse, quæ veneno respondeat, partiumque sphacelum introducat, absq; vaporibus putridis ad cor transmißis, propterea quòd venenum multo majoris sit activitatis, quam putredo, præsertim tunc temporis, ubi talis corruptio partibus à corde remotioribus, minusque principalibus accidit. Quocirca patet, cur tantam malignitatem sanguis ex contusione circa femur & abdomen collectus, absque insignibus symptomatis contraxerit? fuit enim in partibus à corde & aliis membris principalibus remotis, & ad faciliorem corruptionem admodum dispositis, juxta aphor. Hipp. 26. loco citato, ubi dicit, omnium gravißimam fuisse putrefactionem & corruptionem circa pubem & pudenda; propterea quod illa loca, dicente Galeno in comm. levißimè putrescant, & per consequens, citius etiam corrumpantur. Adde quod aliàs, quoad constitutionem naturalem, vitalis facultas in hoc ægro valida satis fuerit, quam ob causam cor, vitæ fons, per consensum difficulter affici potuit, prioribus scilicet diebus, ubi malignitas in partibus remotioribus ex corruptione humorum producta fuit. Vt enim natura præstantißimæ quibus τὸ θερμὸν ἔμφυτον robustißimum inest, rarißimè, sed tandem ubi accidit, periculosè laborant, propterea, quod virtus valida causis morbificis validè resistat, & non nisi magna quadam violentia deprimatur, ita præsentis ægri natura symptomatis, vel effectibus hujus materiæ corruptæ tam diu restitit, donec tandem subitò, sine præcedentibus diuturnis alternationibus opprimeretur. Porrò, quod tertiam quæstionem attinet, qua quæritur: Cur caput & totum cadaver, excepta tibia dextra, in monstrosam magnitudinem post obitum intumuerit? non video quid aliud responderi poßit, quàm quod materia peccans, antea caloris nativi robustioris compedibus quasi catenata, jam post mortem magis commota & exacerbata, suæ malignitatis fructum hunc ediderit, eâdem ratione, qua videmus interdum in scorbuticis, ut & peste laborantibus, post mortem tandem maculas variegatas efflorescere. Nec mirum quod tibia dextra fuerit à tali symptomate immunis, præsertim cùm ipsa contusio tantùm sinistram partem, quantum ex historia colligitur, affecerit. Hæc sunt, vir experientißime, quæ raptim ad tuas proximas literas respondere volui. Vale & salve à tuo DORINGIO, qui in locum tertii Professoris Medici hac septimana apud nos receptus est, de quo ex ipsius literis plura habebis. Dabam Giessæ Hassourm Cal. Feb. Anno 1609.

Obs. 83. & 84.

Ad tertiam quæstionem.

OBSERVATIO LXXXIV.

Juvenis 15. annorum dormiens è lecto surgit, ambulat, ac tādem per fenestram ex cubiculo tertiæ contignationis domus altioris, ad altitudinē 14. ulnarum decidit: sed juvante divina gratiâ pristinæ sanitati restituitur, & à gravioribus symptomatis liberatur.

Ad Virum celeberrimum & Doctiss. Dn. D. GUILHELMUM FABRICIUM HILD. *Medicum & Chirurgum peritissimum, & Reipubl. Paterniacensis Aventicorum ordinarium.*

Cui

GREGORIUS HORSTIUS *Med. & Philos. Doct.* S. P. D.

VT par pari referam, Peritißime vir, fautor & amice honorande, placet literis meis responsoriis præsentem casum subjicere, tum quod per se rarò talia accidant, tum etiam quod ex illo jucundæ quæstiones oriantur, quas breviter enodatas, tibi ulteriùs perpendendas, & cum ratione atque experientia Medicâ conjungendas relinquo. Anno superiori 20. Aprilis juvenis quidam, consanguineus meus, in eadem domo Witterbergæ mecum vivens, vesperi quodammodo inebriatus ad lectum se confert, optimè dormit, usque ad horam 12. circa quam è lecto surgit, hinc & inde ambulat, & dormiendo tandem celeriter ad fenestram ascendit, eamque

Obs. 84. egreditur. Ego tunc in eodem cubiculo dormiens, insolito strepitu excitatus, quasi per somnium recolligo, juvenem hunc in infantia sæpius ὑπνοβάτην vel somnambulonem egisse, quam ob causam famulum meum nomine proprio appello, quærendo, num secum dormientem adhuc habeat juvenem? qui excitatus negativè respondet: quapropter statim surgo, & fenestram accedo, ut fortè hærentem ibidem retraham. Sed, proh dolor, eo ipso momento in plateam lapidibus obductam ex contignatione domus tertia, ad altitudinem ulnarum 14. decidit: tacet primùm, & immobilis instar mortui projectus, in uno eodemq; loco remanet, paulò post tamen, fortaßis pluviarum frigiditate, quæ tunc frequentes erant, refocillatus, sonum edit inarticulatum, instar animalis sub manibus lanii morientis. Descendi potius eâ intentione, ut confractum hominem colligerem, ac sepulturæ præpararem, quàm ut curatione Medica vel Chirurgica eidem succurrerem. Sed quid fit? hominem invenio, quod ad membra externa omni ex parte illæsum, capite excepto, cui vulnus inflictum erat ad os usque bregmatis sinistrum, sine oßis & periostij læsione. Quibus observatis, inferius hypocaustum calefactum aperui, & advocato tum verbi Ministro, tum etiam Chirurgo proximo, consternatione quodammodo remotâ, non penitus media adæquata intermittenda esse duxi. Statim ergò cùm suffocationem imminentem viderem, pulvere nescio quo ingrato, qui ad manus erat, vomitum provocavi, ut ventriculus ab onere suo liberaretur, utpote quod de præcedēti potione vespertinâ supererat in juvene Bacchi festivitatibus minimè assueto: hinc enim imminentem suffocationem oriri, signis non contemnendis colligebam. Quo facto loqui cœpit, & de doloribus ingentibus variarum partium conquestus est, quod spem quādam restitutionis mihi afferebat, quia mentem nondum affectam videbam: qui enim dolores gravißimos sentiunt, iis mens nondum laborat. Quare de adæquatis aliis convenientibus remediis cogitare cœpi, quam ob causam venæ sectionem suasi, & aliquot horis pòst clysterem acrem revellentem injiciendum esse putavi. Ne autem tanta remedia in tam gravi casu solus exhiberem, statim DN. D. TOBIAM TANDLERUM, & affinitate & singulari amicitia mihi conjunctißimum, advocare jußi, cui advenienti casum proposui, qui auditis indicationibus mecum consensit. Quare statim venam mediam sinistri brachij incidimus, &

Vena sectio.

uncias tres sanguinis extraximus, tum ut motum sanguinis ad viscera principalia corrigeremus, tum etiam ut dolorem circa jecoris regionem vehementem leniremus. Post venæ sectionem benè quievit, & eminens suffocatio unà cum dolore dextri hypochōdrij remisit. Tribus horis à venæ sectione, circa matutinum tempus Enema exhibui, quod recipiebat

Enema.

malvæ,
bismalvæ
mercurialis,
violarum ana M. ſ.
betonicæ
tussilaginis ana M. j.
florum chamomillæ M. j. ſ.
Fiat decoctio ad ℥ x. In colatura dissolve
elect. hieræ symp.
diaphœnici ana ʒ ij. ſ.
de succo rosarum ʒ j. ſ.
Ol. chamomillæ
violarum, anethi ana ʒ vj.
salis parùm. fiat Enema. Hoc usurpato sexies alvum deposuit, & maximam sensit alleviationem. Hîc tandem ex me & adstantibus quæsivit, unde eidem tanta contigerit imbecillitas (non semel enim animi deliquium patiebatur) ignarus omninò sui lapsus periculosißimi: cui, ne fortè propter imaginationem periculi gravius quid accideret, respondimus omnes unanimiter, eundem tantùm ex lecto fortè fortuna devolutum esse, quod etiam credidit, sibiq; persuasit, se fortaßis antea per aliquot septimanas imbecillitatis hujus causas gestavisse, quæ jam ab hac causa προκαταρκτικῇ ad actum traductæ sint. Hisce remediis primo die contentus fui, nisi quod exterius vulnus capitis more solito deligatum fuerit, digestivo imposito, totoque capite oleo rosaceo inuncto. Sequenti die 22. Aprilis, ut & nocte præcedenti, de siti & anxietate conquerebatur, ita ut febris una conjuncta videretur, quod etiam urina testabatur, quæ rubicunda, sed ob sanguinis conturbationem partiumque debilitatem crassa apparebat. Ad duo igitur respiciendum esse videbatur, tum ad sanguinem in corpore præter naturam collectum, unde anxietates, pectorisq; punctiones ac dolores gravativi, tum etiam ad febrim. Quoad sanguinem collectum dissolvendum & expectorandum, exterius adhibui decoctum lactis cum meliloto, flor. chamom. ana M. iij. Marubii anthi, ana M. ij, quod comprehensum aliquot vesicis bubulis, per vices calidum epithematis loco partibus dolentibus applicare jußi: interiùs primò, diebus aliquot matutino tempore pinguedinem humanam (quam tum temporis à recenti corporis humani sectione copiosam in promptu habui) in jusculo cerevisiæ ℥ ſ. exhibendam dedi, quo remedio dolores & punctiones internæ leniebantur, & sanguis concretus ad exitum præparabatur, ita ut consequenter per tußim & screatum concreti sanguinis frusta copiosè satis, & cum facilitate rejicerentur. Quoad febrim, alvum lenientibus medicamentis apertam retinui, & præterea medicamina, & alimenta convenientia contraria præscripsi. Pro potu igitur conceßi Aq. hord. ℔. j. ſ. cum syrupo violarum, acetos. citri, de liquir. ana ℥ j. cons. rosarum ℥ ſ. Misce, & fiat Iulapium, ut febrilem calorem corrigerem, & pectus quoque lenirem: exterius cum aceto vini, & aqua rosacea spiritus frequenter recreare conatus sum, ne natura in tam gravi affectu fortè succumberet, quo fine citrum cum sacchara præparatum sæpius etiam exhibui. Quamvis autem febrilia symptomata remitterent, nihilominus 24. Aprilis sopor quidam præter naturam, & vigilandi quædam impotentia succeßit, quod postquam vidi, statim eò allaborandum esse duxi, ut quoad fieri posset, materia à capite revelleretur, & somnus præter naturam impediretur, quam ob causam primò præscripsi clysterem qui

Enema.

℞. Violarum,
chamomill.
lactuc. ana M. ſ.
salviæ,
betonicæ ana M. j.
centaur. minor. M. ij.
parietariæ M. j.
sem. lini ʒ j. ſ.
Coquantur in ſ. q. aquæ ad ʒ x. post colentur ℥ x. adde Caſſ. extract. pro clyster. ℥ ſ. massæ pilula-

Obs. 84. pilularum aurear. ℨ. ſ. ol. anethi, violarum ana ℥j. ſalis ℨj. *Miſce, & fiat Enema, quo injecto aliquoties alvum dejecit: ſed operatione medicamenti abſoluta ſopor ille rediit, quapropter frictiones inferiorum partium, & ligaturas pedum inſtituo, quibus continuatis per noctem ſubſequentem, à periculoſo hoc ſymptomate juvenem hunc DEI gratiâ liberavi: quid enim ex ejuſmodi ſopore fuiſſet expectandum, quilibet facillimè colligit. Interim dum hæc peragebantur, circa ſiniſtrum humerum, ibidemque circa articulationem brachii cum ſcapula, ut etiam circa ſpurias coſtas & fœmoris ſuperiorem partem, ejuſdem lateris contuſionem quandam factam fuiſſe, deprehendo, tum ex tumore dictorum locorum præternat. tum etiam ex dolore partiumque impotentia. Etſi verò quaſdam inunctiones hic ſuaderet Chirurgus, qui vulnus capitis tractabat, mihi tamen convenientius videbatur emplaſtrum, vel potius cataplaſma ex ſiccantibus & abſumentibus, ac tendones ac nervoſas partes confortantibus adhibere, quod Germani noſtri* Dorbandt *vocant, ex farina fabarum, Molend. bolo armeno ſymphito majori, & ſimilibus, quo continuato partes dictæ confortatæ fuerunt, ita ut aliis remediis opus non eſſet: quemadmodum eodem remedio in dextra manu, contuſa quodammodo reſpectu pollicis, commodè quoque utebamur. Poſt octiduum febri curata, ſymptomatiſque gravibus correctis, ſuſpicio erat adhuc de ſanguine concreto, quam ob cauſam aliquoties pulverem ex iis qui ſanguinis grumos diſſolvent, ut ſunt oculi cancri, pp. radic. rub. tinctor. ſper. ceti & ſimilia exhibui, & ſudorem provocavi, ſimul eo reſpiciendo, ut convenienti diæta vires admodum collapſæ reficerentur. Qua ratione præter ſpem multorum intra 14. dies juvenis hic perfectè convaluit, DEI ſingulari providentiâ, cui laus & honor in æternum.*

Ex hoc caſu ſingulari ſua ſponte pullulant problemata quædam notatu digna, quæ tuo judicio, Vir clariſſime, ſubjicio: quid mihi videatur, breviter ſubſcribam, prout illud jam pennæ ſuccurrit, dum hic Lipſiæ (abſens à mea Bibliothecula) operam medicam ægrotanti cuidam fœminæ primariæ præſtando, tanquam hoſpes vivo.

Ergo primò quæritur: Cur juvenis hic citiùs inebriatus ὑπνοβάτην vel ſomnambulonem egerit, quàm alio tempore, quod multis accidit? *An quia ſpirituũ perturbatio propter, pravas exhalationes aſcendentes facultatem dijudicandi fefellit, ita ut phantaſia bono quodam apparente commota, neglectis aliis circumſtantiis citius partes motui deſtinatas ad motum incitarit, adjuvante ſpirituum agilitate, per copiam exhalationum introducta? Vt enim ebrij vigilantes adhuc ſæpius contra rationis præſcriptum ea peragunt, quæ phantaſia imperat, quæ tamen ſobrii non aggrederentur: ita multò magis iiſdem dormientibus hoc accidere poſſe, veriſimile eſt, tum quod per ſomnum cerebrum magis repleatur, & ſpiritus magis conturbentur, tum etiam quod intelligendi facultas, utraque dijudicandi poteſtas tunc temporis quieſcat. Hinc etiam tot actiones per ſomnia nobis recurrere videntur, præſertim benè potis, niſi omninò cerebrum copia vaporum quaſi ſepultum ſit.*

Secundò quæritur: Cur tanta celeritate & facilitate juvenis hic dormiendo ambulans, feneſtram altiorem aſcenderit? *An quia ſomnambulones omnia intrepidè audent & loca periculoſa ſæpius aſcendunt, propterea quod vis diſcernendi, vaporum caligine ſopita quaſi jaceat, unde incogitantia præbet audaciam, quam ſpirituum conſtantia adjuvat? nam quemadmodum phrenetici in ſuis actionibus ſunt vehementiſſimi (quicquid enim apprehendunt, firmiter ſibi retinent, propterea quod operatione intellectiva deſtituti, ſola utuntur phantaſia, quæ hoc unicum peragendum eſſe cenſet, unde maxima ſpirituum copia ad partes apprehenſioni inſervientes à phantaſia mittitur) ſic etiam ſomnambulones frequenter ob æſtimativam quieſcentem, periculoſa loca aſcendunt, periculi magnitudinem non perpendentes, idque præſtant firmiter, quia phantaſia huic unicæ operationi tãtùm intenta eſt. Hinc etiam fit, ut nomine proprio vocati, cadunt, utpote quod ipſis admodum familiare phantaſiam aliò revocet, unde conſequenter à ſomno excitatur, & excitati magnitudinem periculi cognoſcentes, formidare incipiunt, ac diſſipatis ſpiritibus, atque aliò revocatis facultatibus debilitatis, cadunt & periclitantur.*

Tertiò quæritur: Cur dormiendo delapſus juvenis minùs fuerit læſus? *An quia periculum tantum non fuit animadverſum: etſi enim jacula prævisa minus nocent, non tamen illud ipſum hic procedit, quia vigilantibus ita decidentibus ex conſternatione timore vehementiſſimo ſpiritus omnes intrò ad ſuum principium recurrunt, unde partes externæ magis debilitantur, & citius impreſſiones alienas præter naturam ſentiunt: talis autem conſternatio & timor non adfuit dormienti. Quod ſi dicerem, reſiſtendi conatum non fuiſſe in dormiente, quam ob cauſam decidẽs primò pedibus terram attigit (quod læſio plantarum ſuperficialis teſtabatur) conſequenter autem reliquis articulis non intenſis & reſiſtentibus, ſed laxatis, ſtatim in ſiniſtrum latus decubuit. Quod ſi vigilans fuiſſet intenſis articulationibus eo fine, ut violentiæ reſiſteret, vehementior fuiſſet impreſſio: prout enim reſiſtentia major eſt, ita etiam actio redditur vehementior.*

Quartò quæritur: ſi à vehementi imaginatione per ſomnium fit νυχοβάσις, cur actorum hic ſomnambulo fuerit oblitus? *An quia diverſæ ſunt operationes phantaſiæ & memoriæ, ut citius fiat ſpecierum compoſitio à phantaſia, quàm earundem tali vel tali modo compoſitarum à memoria conſervatio? imò cum tota anima non admodum ſit intenta his actionibus, obliviſcuntur plerumque eorum quæ acta ſunt, quemadmodum vigilantes interdum obliviſcimur earum actionum, quos ſine inſigni intentione peragimus. Etſi verò præſens juvenis ſuæ actionis nullam haberet recordationem primis diebus, reſtitutus tamen confitebatur, ſe ea nocte (in qua caſus accidebat) ſomnium habuiſſe, quod ad abitum omnia præparârit, & currum celeriter aſcenderit, ubi phantaſia fefellit dormientem, ut ad feneſtram aſcendendo currum ſe aſcendere putarit. Hæſerunt enim ſpecies illæ firmiter in imaginatione, quia in mandatis eidem datum erat, ut ſummo manè ſurgeret, & neceſſaria ad iter præpararet.*

Quintò quæritur: Vnde poſt lapſum impotentia vigilandi, & per conſequens lethargus inceperit? *An à pituitoſis humoribus in cerebri regione putreſcentibus, per contuſionem ibidem fortè collectis, quod ſanguis primis diebus ex aure ſiniſtra profluens teſtabatur? Hinc igitur cerebri imbecillitas*

 unde

Obs. 84. & 85. *unde pituitosæ exhalationes, principium nervorum continuò affecerunt, ita ut facultates ad sensum ineptæ redditæ fuerint.*

Sextò quæritur: Quomodo dictus æger à tot gravibus complicatis affectibus, febri scilicet, item sopore p. n. lypothymiis frequentibus, summaque totius corporis imbecillitate tam citò vires recuperare potuerit? *An quia hæc symptomata omnia non ex causis morbificis, longa serie propter partium imbecillitatem & concoctionum depravationem, quod frequenter accidit, generabantur, sed subitò propter lapsum insperatò accidentem? Ergò cum vires & respectu juvenilis ætatis fortiores, nec præcedentibus morbosis dispositionibus absumptæ essent, fieri potuit, ut citò sanitas pristina recolligeretur.*

Septimò quæritur: Cur in articulorum contusionibus & luxationibus, potiùs cataplasmata quàm inunctiones approbaverimus, præsertim in principio? *An quia inunctiones faciunt ad pororum obturationem, nec eam exiccandi potentiam habent, quam alia medicamina, quæ siccando & discutiendo id quod insluxum est, absumunt, quod verò affluit impediunt? &c. Hæc sunt quæ raptim tuæ Dign. de præsenti casu referre volui: boni consule, & me, quod facis, ama. Dabam Lipsiæ τάχιςον Cal. Maii 1608.*

Observatio LXXXV.

De Somnambulonibus, & nonnullis aliis, qui ab alto deciderunt, absque magna læsione.

Ad

Clarissimum atq; doctissimum virum D. DOCTOREM GREGORIVM HORSTIVM, *Philosophum summum, & in Illustri Academia Giessena Hassor. Medicinæ Professorem longè celeberrimum, amicum singularem.*

Cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

RESponsum tuum doctissimum ad Observationẽ meam de Gangræna, tibi inscriptam, Vir undiquaque clarissime, & amice plurimùm honorande, accepi. Placuit omninò, illudque Observationi annexi. Accepi quoque Observationem tuam de Somnambulone, (eleganter sic à te, non autem ut ab aliis, Noctambulone vocato) raram profectò, & annotatione dignam. Quòd T. Excell. ipsam mihi inscribere dignata sit, ex eo summa sua in me humanitas & benevolentia elucescit. Faxit D. O. M. ut aliquando officiis, beneficiisque respondere possim. Problemata & nodos, quos ex præscripto casu proponis, tu ipsemet tàm doctè, & perspicuè solvis, ut mihi opus non sit noctuas Athenas ferre. Ne tamen omninò nudam ad te mittam Epistolam, addam exemplum unum aut alterum de somnabulonibus, & iis, qui ab alto, absque læsione insigni ceciderunt, convalueruntque.

Obs. 85.

EXEMPLUM I.

Quidam in agro Neocomensi ad Fontem Andreæ, Pierre Galantier nomine, vir probus, robustus, & optimo corporis habitu prœditus, & quadragesimum annum ætatis agens, cum anno 1605. Neopolin ad lacum Neodunensem, amicos invisendi, & nuptias celebrandi causâ profectus esset, & qnadam die in convivio præter voluntatem ad compotationes compelleretur urgeretúrque, effugit, & se in cubiculum quoddam secundæ contignationis domus, quò compotationes superfluas effugere posset, abscõdidit. Circà mediam noctem, quùm gravi ac profundo sõno correptus esset, ac se ex convivio effugere & viridarium ingredi velle, somniaret, è lecto surgens, fenestram ascendit, indèque in terram cadit. Mox à somno expergefactus ejulat, & clamoribus suis domesticos excitat: qui accurrentes, ipsum semimortuum in hypocaustum transferunt. Vocato ejus loci Chirurgo, nulla deprehensa fuit læsio, præterquam quòd cutis circa talos ad mutum ex parte abrasa fuerat. Talis itaque emplastris applicatis, inunctis item lumbis, & venâ in cubito secta, intrà paucos dies sanitati restitutus fuit, & ad hunc usque diem sanus & incolumis vivit. Non enim adeò pridem, quùm in agrum Neocomensem ad nobilem virum D. ISAIAM HORRICÆUM vocatus essem, prædictum Petrum Galantier ipsemet vidi, & illa, quæ acciderant, ab ipso, presente nobili viro, excepi atque annotavi. Ab eo tamen tempore, nũquam simile quid sibi accidisse, affirmavit.

EXEMPLUM II.

Idem nobilis vir HORRICÆUS mihi retulit, se ante annos 20. in ditione Episcopatus Basileensis, paganam somnãbulonem cognovisse, illámque noctu surrexisse, & dormiendo rem familiarem administrasse, imò & aliquando in cãpos ad operarios exspatiatam fuisse. Idque se suis vidisse oculis, mihi affirmavit.

EXEMPLUM III.

Lustrici propè Losannam ad lacum Lemannum civis quidam 28. annor. ætatis, à juventute somnabulonẽ egit. Qui cùm puer adhuc esset, frequenter noctu dormiendo è lecto surgebat, & per ædes & plateas obambulabat, vociferabatur, ac distinctè loquebatur. Id quod à multis visũ & observatum est. Qui hujusmodi adhuc perageret, nisi uxor ejus illum coërceret, noctúque retineret. Hic tamen mentis nunquam usque adeò compos fuit.

EXEMPLUM IV.

Ante annos 24. cùm apud præstantissimum COSMAM SLOTANUM, Praxin Cheirurgicam exercerem, vocati fuimus ad puellum, trium circiter annorum ætatis, qui ex suprema domus altioris contignatione, in pavimentum lapideum decidens, cerebrum ejus aliquo modo commotũ concussũmque fuerat, undè statim vomitus cibi indigesti subsequutus. Slotanus accersitus, abrasis crinibus totum caput ad tertium usque diem oleo rosac. inunxit, pulverem rosar. & myrtillor. inspersit, & Enemata exhibuit. Tandem etiam capite per dies aliquot inuncto oleo suo ex floribus, æger convaluit.

EXEM-

Obs. 85. & 86.

EXEMPLUM V.

Eodem anno, vir quidam pius, & magni nominis Medicus, nec non amicus meus singularis, divinitùs servatus fuit. Cùm enim obscurâ tenebricosissimâque nocte, montem quendam, in quo fodinæ carbonum fossilium erant plurimæ, eques transiret, ac parùm à via rectâ deflecteret, unà cum equo suo in fodinam, viginti cubitos (si rectè memini) altam decidit. Sed quia fodina illa adeò angusta fuerat, ut homo solus tantùm descendere posset, equus in medio tãtummodo fixus & hærens remansit. Famulus quum Dominum suum viventem adhuc intellexisset, protinùs iterum equum suum conscendit, & summâ qua potuit festinatione rusticos è proximo pago accersit, qui secum restibus omnibúsque necessariis allatis, virum istum planè illæsum è fodina extraxerunt, Equo tamen mortuo.

Superiori anno Observationem de ligamẽti sub lingua periculosa sectione ad te misi, an vero ad te pervenerit, ignoro: responsum enim nullum accepi. Puer ille nondum penitùs convaluit, incipit tamen paulatim obambulare, & vocabula nonnulla proferre.

His vale vir Amplissime, & diu fœliciter vive. Paterniaci Aventicor. 14. Julii 1609.

OBSERVATIO LXXXVI.

De Gangræna gravissima ex morsu Equi progenita:

Ad

Clarissimum atque Doctissimum virum DN. ANDREAM TOXOTIVM, *Medicinæ Doctorem longè excellentissimum; amicum singularem.*

cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

ANte triduum Clarissime atque amantissime Dn. D. TOXOTI, Soloduro redii, ubi post tuum à nobis abitum, circa nobilem virum DN. JACOBUM WALLIER cõtinuò occupatus fui. Curatio, divinâ favente gratiâ, ex voto succedit, uti procul dubio ex Clarissimo viro DN. D. SARAZENO, medico celebertimo (qui Basileâ rediens in transitu Soloduri; ipsum invisit) intellexisti. Pro congiario aureo, à generosis tuis mihi misso, ipsis, simul & T. Exc. nunc verbis gratias, quas possum, ago maximas. Quod si Deus Opt. Maxim. cœptis nostris posthac faveat, reipsa erga illos gratum animum meum declarandi, occasionem aliquam mihi non defuturam spero

Observatio de scirrho in fundo ventriculi, & colo intestino.

Vetula illa, quam aliquoties hîc mecum invisisti, paulò post tuum discessum, planè extenuata, in Christo obdormivit. Cadaver, me absente, à domesticis meis apertum, inventum est hepar omninò putridum, adeóq; fœtidum, ut nullus fœtorem sufferre potuerit. Durities quam ipsemet non raro mecum in hypochondrio dextro palpasti, scirrhus erat, qui intestino colo, & fundo ventriculi tenacissimè adhærebat. Hinc vomitus continuus & egerendi difficultas. Reliquæ partes propter fœtorem maximum perlustrari minimè potuerunt.

Cæterùm casum de gangrena, ex morsu equi, cujus in via Mildunum versùs, mentionem fecimus, nunc T. Exc. penitùs adumbrare statui, dum tamen de venenositate vulnerum, à feris inflictorum, prius verbum unum aut alterum præfatus fuero.

Obs. 85. Observatio de morsu equi.

Percrebuit apud vulgus cheirurgorum opinio, morsus equorum, canum, ursorum, leonum, ac similium beluarum, maximum ac exitiosum in se continere venenum. Hujus opinionis in causa sunt symptomata gravissima, quæ hujusmodi vulnera sequuntur; & præcipuè quod sepissimè in gangrænam terminantur. Chirurgum non mediocriter in operibus artis cheirurgicæ versatum, familiariter novi, qui hac imbutus opinione, omnes morsus animalium, etiam non venenatorum, aut ferro candenti; aut oleo ferventi protinus inurebat, atque hac occasione plerunque sibi nomen crudelis Cheirurgi parabat. Ego etsi hujusmodi vulnera nonnihil malignitatis in se continere profitear, quemadmodum postea dicam; attamen quomodo eorum opinio, qui ipsa absolutè venenosa esse sentiunt, fulciri possit, nondum video. Si enim morsus horum animalium, per se & absolutè venenosi essent, tunc profectò parvum quandoque vulnus, ab ipsis inflictum, non minus ac magnum, malignæ qualitatis particeps esset; quemadmodum videmus in morsu canis rabidi, ubi minimum quidem vulnus, si neglectum fuerit, mortem inferre potens est. Contrarium in prædictorum animalium, (nisi rabie infecta fuerint) morsibus observatur. Ingentia enim ac magna ab ipsis inflicta vulnera, in primis ubi ossa simul sũt fracta; periculosa exitiosaque esse, nec non aliquando in gangrænam terminari, experientia fidem facit: præcipuè si fracturæ arctè nimis ligatæ aut error aliquis in curatione commissus fuerit. Unde igitur; inquies; pessima illa symptomata? Profectò ego planè sentio, ipsa magis ex contusione quàm ex venenosa aliqua qualitate horum animalium accidere. Cùm enim sint robustissima, vi sua contundunt & conterunt musculos, venas, arterias, imò & ossa ipsa: Hinc dolor, hinc inflammatio, humorum affluxus, tandémque spirituum suffocatio & gangræna. Cujus rei exemplum memorabile mihi videre contigit; quod tibi viro doctissimo, & cheirurgicarum operationum avidissimo, prout promiseram, communicare non gravabor.

Anno 1579. quum Novisiæ Cheirurgiæ operam darem, civis quidam in oppido Zoons ad Rhenum, ab equo in brachio graviter morsu vulneratus fuit, cum carnis dilaceratione, & ossis fractione. Advocatus barbitonsor, ossa fracta in sedem naturalem reposuit: vulneri digestivum fracturæ verò medicamentum ex bolo armeno; farina, & albuminibus ovorum confectum; applicuit. Fascias item ferulasque apposuit, & fenestellam, quo vulnus quotidie absque fasciarum solutione curari posset; reliquit. Sed quia fascias ferulásque nimis arctè constrinxerat; auctus est dolor; auctus est & affluxus humorum. Et quia corpus neque à pravis humoribus, neq; ab abundantia sanguinis exoneratum fuerat, sequuta est inflammatio, tandemque gangræna. Magister JOH. DUMGENS, apud Novisienses Cheirurgus exerci-

Obs. 86. exercitatus, præceptor meus plurimum honorandus, in consilium adhibitus, brachium scarificavit, unguentum Ægyptiacum, reliquaque medicamenta, quæ ad curationem gangrænæ requiruntur, applicuit; ita ut gangræna remiserit, tandémque brachium sanitati restitutum fuerit: sed curatio fuit & longa & laboriosa, non quod qualitas aliqua admodum maligna animadverteretur, sed quia os fractum fuerat, & gangræna supervenerat.

Ante paucos años mulier quædam Bernæ, cùm ursis, qui cōtinuò ibi in propriis fossis asservantur, escam obtulisset, ac ursus ipsius manum, ni fallor dextram, per cancellos arripuisset, adeò manum & brachium momordit, ut illud abscindere necesse esset. Non quod medici venenosam aliquam qualitatem in morsu isto agnoscerent: sed quia caro simul & ossa penitus contusa, contritaque fuerant.

Cæterùm, etsi in morsu animalium prædictorum & per se non venenatorum, illam quam vulgus Cheirurgorum ipsis adscribit venenositatem, ut anteà quoque dixi, non inveniam: non negarem tamen, ab ipsis inflicta vulnera ab aliis, ense aut cultro incisis, nonnihil differre, imo etiam nonnihil in se continere posse malignitatis, atque proinde peculiarem curandi methodum requirere. Itaque ut omnia rectè, & ut artis est administrentur, morsus beluarum, sive equorum sive ursorum, canum, leonum, aprorum, (ut & de hominis morsu Obser. 84. Cent. 1. scripsimus) sic distinguo. Aut enim animal rabiosum est, aut solummodò commotum, & simpliciter iratum, cùm morsu violat: (Donec enim mansuetum, & minimè ira percitum, neminem mordebit, ut quidam morsum canis distinguit.) Unde affectus quilibet, peculiarem requirit curandi methodum. Si enim animal rabiosum fuerit, vulnus, sive id exiguum, sive magnum extiterit, scarificare, & cauterio actuali inurere expedit, reliquaque remedia, quæ Observatione 87. Cent. 1. & Observat. 98. hujus Centuriæ recensentur, applicāda erunt. In morsu verò ab animali non rabioso facto, inustione opus non est, ea tamen remedia, quæ ab alto ad superficiem trahunt, usurpanda sunt, idq; in eum finem, ut si quid maligni subesset, paulatim educeretur. Primò itaque vulnus aceto, in quo theriaca dissoluta est, abluo: postea, si vulnus parvum fuerit, spiritum vini, cum theriaca, filamentis impono, & emplastrum Basiliconis applico; Aut

R. pulveris radic. angelicæ
aristoloch. rotundæ,
vincetoxici,
caryophyllatæ an. ʒj.
folior. scordii,
rutæ an. ℈. j. ß.
theriacæ
extract. card. benedicti an. ʒij.

Cum s. q. mellis rosacei fiat mixtura, in forma unguenti, quod filamentis imponatur. Unguentum hoc in omnibus vulneribus, ac ulceribus malignis & venenosis, anthrace, & similibus, præstantissimum est. Sin vulnus magnum, & contusio ingens fuerit, ut quamprimum digeratur, affluxus humorum evitetur, necesse est; alioquin inflammatio, dolor ingens, aliaque pessima symptomata verenda erunt. Statim itaque victus tenuis instituendus, corpus à pravis humoribus evacuandum, & vena, si nihil est quod obstat, tundenda erit. Membrum verò malè affectum oleo myrtino, & rosaceo inungere convenit. Defensivum quoque, ut affluxus humorum impediatur, applicandum. Vulneri verò sequens digestivum imponendum.

R. ceræ novæ,
colophoniæ,
gummi elemi an. ℥ß.
therebint. lotæ in aqua cardui ben. ℥j.
olei rosacei,
amygdalar. dulcium,
de vitellis ovorum an. ℥j.

Liquefiant lento igne & percolentur, deinde admisce croci ℈ j.
theriacæ,
extract. cardui bened. an. ʒiij.
vitellos ovorum N. ij.
Misce fiat unguentum.

Vulnere hoc modo satis digesto, imponatur anteà descriptum unguentum ex pulvere radicum Angelicæ, aristolochiæ rotundæ &c. tandemque emplastro diapalmeo, aut de cerussa, vel simili aliquo medicamento inducatur cicatrix. Si dolor supervenerit nimi⁹, applicetur cataplasma aliquod anodynum, ex tractatu nostro de gāgræna, vel de combustionibus, excerptum. Si fractura adfuerit, clementer & absque violentia reponantur ossa, diligenterque in sede naturali retineantur, absque ferularum tamen nimis arcta ligatione, ne fiat humorum attractio, calorisque & spirituum suffocatio, quemadmodum in viro illo, cujus antea memini, accidit. Pura astringētia, uti etiam emplastica hîc, propter insignem contusionem non conveniunt: sed quæ simul digerunt. Inuncto itaque toto membro oleo rosaceo & myrtino, sequens applicetur cataplasma.

R. farinæ hordei ℥ij.
pulv. rosarum rubear.
myrtillorum,
fœnigræci an ℥ß.
pulv. scordii
foliorum rutæ an. ʒij.

Coquantur cum vino rubro, ad formam cataplasmatis: tum admisce
croci pulverisati ℈j.
ol. rosacei
myrtillorum an. ℥j.
de vitellis ovorum ℥ß.
vitellos ovorum N. ij.

applicetur tepidè singulis diebus semel, præcipuè si contusio magna fuerit, idque usque ad decimum, aut decimum quartum diem, donec vulnus optimè digestum sit, & graviora symptomata non amplius sint timenda. Tum in fasciis & linteaminibus, quæ fracturæ circumponuntur, fenestella, ut vocant, per quam vulnus singulis diebus mundetur, relinquatur, fractura verò quarto aut etiam sexto quovis die tantummodò deliganda erit.

Hæc

Obs. 87.

Hæc sunt, Vir clarissime, quæ festinanti calamo hac de re T. Exc. scribere potui: quam, ut omnia, in bonam partem interpretari, & sententiam suam rescribere velit, rogo.

Observatio de ruptione umbilici.

Filiolæ meę, quæ jam tertium mensem ætatis appropinquat, hisce diebus, cùm graviter laborasset, tandem ruptus est umbilicus, ex quo etiamnunc multum ichoris extillat, qui ex hepate per venā umbilicalem provenire videtur: Interiora verò jam optimè sese habent, & pristinam valetudinem paulatim recuperat: Integram historiam aliás fusius videbis. Hisce vale clarissime atque amantissime DN.D. TOXOTI, & feliciter vive diu. Salutant tè cum tuis Generosis amici omnes, in primis Reverendus DN. Merula, DN. Oeconomus, DN. Consul & domestici mei omnes. Paterniaci Aventicorum 8. Novembris 1609.

OBSERVATIO LXXXVII.

De Gangræna ex frigore ac congelatione.

ANno 1600. peregrinus Britannus Româ rediens, & in monte S. Bernardi à via rectâ deflectens, ac inter nives pernoctans, tantum frigus passus fuit, ut extremitates omnium digitorum dextræ manus, extincto in istis calore nativo, gāgrænâ correptæ sint. Exorto statim dolore vehementissimo, viriumque prostratione, maxima nonnisi cum difficultate Sedunum Vallesioru pervenit, ejusque loci Chirurgum quendam diligentem satis in consilium adhibuit. Is videns gangrænam jam in sphacelum degeneratam, apicesque digitorum planè emortuos esse, carnem digitorum circum circa ossa, prope carpum incidit, nec non ad proximum articulum usque separavit: digitos quinetiam in ipsis articulis novaculâ abscidit. Idque tali artificio & dexteritate perfecit, ut postea gangræna ulterius, & partes sanas invadere non potuerit. Sed quia serrâ ad hujusmodi operationes aptâ, bonus iste Vir minimè instructus, forcipe verò aut scalpro (ut plerique chirurgorum facere consuevere) ossa abrumpere, rem nefariam, ac artifice indignam esse censuit, miserum huncce peregrinum Lausannam ad me misit: ubi præsente viro clarissimo ac doctissimo Dn. ALBERTO ROSCIO, ejus Reip. Doctore Medico ordinario atque celeberimo, Reverendo item viro Dn. JOHAN. RHETERIO, ibidem linguæ sanctæ professore dignissimo, multisque aliis, ossa omnium digitorum dextræ manus ad metacarpum serra abscidi: quo facto brevi convaluit, & in patriam rediit.

OBSERVATIO LXXXVIII.

Obs. 88.

Gangræna ex intemperie frigida & sicca, cum defectu alimenti curata.

De sympt caus. l. 2.

CUm Senectus (Galeno teste) intemperies quædam sit, ad frigiditatem & siccitatem declinans, mirum nemini videri debet, morbos ex hac intēperie ortos, in senibus vix curari posse: Deficit enim in iis calor nativus, qui omnia vivificat, concoquit & instaurat, deficit & humidum radicale, quod omnes partes corporis humectat, atque calori nativo pabulum subministrat. Econtrà abundat hæc ætas humoribus excrementitiis, quorū illuvie sæpenumero calidum innatum paulatim suffocatur, aut ad minimum debilitatur: indè diminuuntur vires, ita ut morbis minimè resistere possint. Hinc fit, ut Gangræna ex intemperie frigida & sicca omnium sit periculosissima, præcipuè autem in senibus, & quibus partes principes malè afficiuntur. Incipitque hæc species gangrænæ circà extremitates, quùm partes illæ prius nutrimento destituantur. Non immeritò itaque Benivenius scriptum reliquit, Gangrænam à digito pedis (id quod de hac specie gangrænæ intelligendum) incipientem, mortalem esse. Ego, (ut ingenuè fatear) inter omnes quotquot hactenùs Gangrænâ ex intemperie frigida & sicca, vel alimenti penuriâ laborantes vidi, unus tantùmmodò evasit. Quam historiam hîc in gratiam juniorum Chirurgorum subjungere placuit, ut semper in morbis, quantumvis desperatis, de sanitate benè sperent, atque ad eam recuperandam, summam diligentiam adhibeant.

Historia.

Anno 1582. die 20. Augusti, cum essemus apud Illustrissimum Principem Cliviacensium, & Juliacensium, Montensium &c. in arce Bensburgensi, Presbyter quidam, homo septuagenarius & decrepitus, Gangrænâ ex intemperie frigida & sicca, vel (ut rectius dicam) defectu caloris nativi & alimenti, in dextra tibia correptus fuit, sine causa aliqua externa. Nullus in principio morbi dolor aderat, nullumque inflammationis indicium, sed potiùs frigus in crure persentiebatur. Undè statim ad se accersivit Clarissimum D.D. GALENUM WIERUM, Archiatrum Principis, ac COSMAM SLOTANUM, ejusdem Principis Chirurgum primarium, Præceptorem meum summè honorandum. Invenimus autem paulò supra talum pustulam nigram, nucis avellanæ magnitudinem vix excedentem, & (ut dictum) sine dolore, inflammatione, & tumore. Qua pustulâ incisâ, nonnihil ichoris, coloris flavi effluxit, subjecta verò caro livida, & sensus expers erat. Pustula mox in fœtidissimum ulcus degeneravit, quod intrà paucos dies tantâ sævitiâ crus invaserat, ut una ex parte semimortuum cōspiceretur. Unde ex consilio Clariss. D. Doct. WIERI, crus ubicunque suspicio aliqua Gangrænæ aderat, scarificavimus; Cataplasmata item; unguenta, aliaque plurima, quæ putredini adversantur, & nativum calorem simul & nutrimentum attrahunt, applicuimus. Cæterùm Clariss. D. Doctor WIERUS particularibus quibusdam internis medicamentis calorem nativum refocillavit, & continuò bonis & euchymis alimentis instauravit. Sic DEI beneficio, & Medici hujus ac Chirurgi summâ diligentiâ atque industriâ, revocato tandem calore nativo, & humido radicali, putredo remisit, reliqua quinetiam symptomata paulatim cessarunt. Mundificato dein ulcere, & penè sanato, Cliviam reversus est æger, ubi domi suæ adhuc ad tempus aliquod supervixerat.

Obs. 89.

OBSERVATIO LXXXIX.

De Gangrana ex intemperie frigida & sicca, deq; aliis observatione dignis in cadavere ex diuturno morbo absumpto, repertis.

POst longos aliquando & diuturnos morbos Gangrænam circà extremitates supervenire, & qua de causa id fiat, in tractatu de Gangræna satis superque demonstravi. Hujus verò rei exemplum memorabile mihi videre contigit, quod ità se habet.

Anno 1600. Uxor JACOBI BAGOLE, Curselliis in agro Paterniacensi, paulatim morbo admodùm intricato correpta fuit. Nunc enim palpitatione cordis, nunc dolore & torminibus ventris vexabatur: interim tamen appetitus non multùm prostratus fuit, ita ut pro more alimenta assumeret, quibus tamen parùm nutriebatur. Tussiculâ quinetiam, palpitatione cordis, & difficultate respirandi laborabat. Cùm circiter annos quatuor vitam hancce calamitosam vixisset, ac sceleti ferè instar extenuata esset, paulatim stupore & frigore in sinistra manu, præcipuè circa extremitates digitorum, correpta est: symptomata tamē hæc ab initio tam exigua erant, vix ut percipi possent: nec aderat tumor, multò minùs inflamatio, imò nec dolor ullus. Intereà tamen extremitates digitorum & tota manus paulatim & (quod mirandum) absque dolore sphacelata & penitus emortua est. Ego mense Septembr. 1604. tribus nimirùm septimanis post inceptam sphacelationem digitorum, ad ipsam vocatus, brachium ad cubitum usq; simul & digitos carbonum instar nigros, frigidissimos, & ita extenuatos, ut ossa vix tenuissima cute obtegerentur, offendi; nulla tamen, ut dixi, aderat inflammatio, neque dolor, imò ne quidem in loco illo, in quo calor nativus nondùm penitus extinctus fuerat. Porrò etsi debilis illa, & perquam exigua recuperandæ sanitatis spes superesset, petierunt tamen tum maritus & amici, tum etiam ægra, ut brachium sibi amputarem. Paterniacum itaque adducta, quia malum adeò lento & tardo pede adjacentes partes invadebat, vix ut percipi animadvertiq; posset, visum fuit corpus ante operationem præparare. Itaque per dies aliquot vires, quantum fieri potuit, jusculis, & cibis optimis multumque nutrientibus, confectione item Alkermes, aquâ cinamomi, & Epithematibus, regioni cordis applicatis, instauravimus. Posteà præsente Reverendo Viro D. JOHAN. MERULA apud Paterniacenses verbi divini Ministro, ac Clarissimo & Doctissimo Viro D. ALBERTO HAUWENZWEIG Medicinæ Doctore, Consultissimo item Viro D. JOSUA CACHETO, Consule apud Paterniacenses meritissimo, multisque aliis ex primariis Paterniacensium, brachium suprà cubitum, & quidem in parte sana, feliciter, & ferè sine dolore, & sanguinis profluvio, abscidi. Quæ sanguinem sistunt, & dolorem leniunt, pro primo apparatu applicui, deinde etiam ea, quæ digerunt, & pus movent. Vndè vulnus brevi digestum fuit, adeò ut laudabile pus redderet: nihilominùs tamen circà undecimam post brachij abscissionem, gangræna denuò truncum invasit, ita ut paucos post dies è vita discederet.

Post mortem, in præsentia D. HAUVVENZVVEIGH Doctoris Medicinæ, multorumq; aliorum cadaver dissecui, & ea, quæ sequuntur, notatu digna in ipso observavi.

1. Abdomen serosi humoris plenum & extensum erat.

2. Mesenterium steatomatis multis scatebat.

3. Sub vena portæ, & quidem in ipso Pancreate scirrhus admodùm magnus conspiciebatur. Hunc principium & præcipuam causam hujus morbi tàm diuturni, tamque gravis fuisse, rationi consentaneum est. Quia enim venæ portæ subjacebat, facilè impedire potuit, quò minùs chylus ad ipsum hepar perveniret, totumque corpus nutriret, uti quoque Observat. 70. centur. 1. demonstravimus. Hinc viribus paulatim prostratis, & calore nativo diminuto, sanguinem optimum & laudabilem generare non potuit. Quamobrem in juventute, & antequàm nupserat, debilis, pallida, & palpitationibus cordis obnoxia valdè fuerat. In matrimonio tamen meliùs se habuerat, & proles aliquot progenuerat. Circà annum verò 1600. symptomata omnia ingravescebant, ità ut continuò de dolore ventris, & quidem ea in parte, in qua scirrhum invenimus, conquereretur. Supervenerunt item dolores ventriculi & capitis, cum totius corporis imbecillitate, tussi continua, palpitatione cordis & appetitus imminutione. Itaque corpus sensim ita extenuatum fuit, ut ossa vix cute obtegerentur. Attamen interim dum ita laboraret, puellum progenuit, qui ad hunc usque annum 1608. quo hæc scripsi, benè se habet.

4. Hepar durum, pallidum, ac si elixatum fuisset, apparebat.

5. Pulmo dextrâ parte materiâ purulentâ ac fœtidâ, sinistrâ verò humore seroso, imbutus erat.


6. Per totam Pulmonis substantiam scirrhi plurimi, colore lividi, in quibus materia nigra, atramenti instar, contenta fuerat, conspiciebantur.

7. Lapides plurimi hinc inde per pulmonem, diversi coloris, parvi tamen omnes, reperiebantur, quorum ego nonnullos domi in Musæo meo reservo.

8. Cor sanguine planè exhaustum, extenuatū, ideoque valdè diminutum & parvum erat.

9. Arteria venosa, quia in monstrosam amplitudinem extensa fuerat, eam hîc delineare placuit. Erat autem illa humore seroso impleta, qui, quia arteria hæc venosa ex simplici constat membrana, ut Galenus, de anatomic. administrat. libr. 7. docet, eam proculdubio in istam amplitudinem extenderat.

Obs. 90. *Arteriæ Venosæ, à suo trunco abscissæ delineatio.* Obs. 90.



OBSERVATIO XC.

De membrorum contusorum & contortorum periculosa extensione.

Avicen. l. 4. fen. 5. tractat. 1. c. 5. Amb. Paræus li. 16. cap. 6. Ioh. de Vigo libr. 6. tract. de dislocat. cap. 1.

NOn sine causa gravissima CELSUS lib. 8. cap. 11. & alij, monent, in dislocationibus, quicquid suo motum est loco, ante inflammationem reponendum esse. Sin illa adfuerit, quiescere oportere, nec membrum lacessere, usque dùm inflammatio finita sit. Qui secùs faciunt, non leviora symptomata, imò & mortem nonnunquam inferunt, ut ex sequentibus exemplis apparet.

EXEMPLUM I.

Anno 1576. Puella quædam Novisiæ M. ANTONII barbitonsoris filia, inter ambulandũ pedem sibi aliquo modo contorsit, contuditque, absque tamen ullâ dislocatione. Quamobrem primis diebus morbi, motus functiove membri vix impedita fuit, imò ambulabat, nec usque adeò difficulter. Quũ verò affectum neglexisset, dolor post dies aliquot auctus, mox pes intumuit, & inflammatio sequuta fuit. At quia pater è vivis excesserat, mater Empiricum accersivit. Is pede apprehenso violenter illum extendit, atque ex una in alterâ parte circumduxit ac contorsit. Postea bolum armenium cum farinis, & albumine ovi mixtum, applicuit, omniaque tandem fasciâ diligenter & arctè constrinxit. Hinc propter ineptam extensionem & contorsionem, auctus est dolor. Et quia corpus impurum erat, neque post operationẽ expurgatum, maximus humorum affluxus, aliaque symptomata sequuta sunt. Post dies aliquot, cùm M JOHAN. DUMGENS, ibidem Chirurgum experientissimum & diligentissimum (apud quem tum temporis in Chirurgicis operam dedi) vocassent, pedem mirum in modum inflammatum & tumefactum offendit. Dolor magnus, & febris continua aderat, vigiliæ item & inquietudines. Symptomatis, quantum fieri potuit, prospexit. Tandem circa articulum, & quidem in diversis locis, abscessu rupto, plurimùm serosi & acris humoris, (quem Germani *Gliedwasser* appellant) effluxit, ligamenta quinetiam hinc inde putrida, & ossicula cariosa emanârunt. Post maximos & diuturnos cruciatus, imò & mortis discrimen, cessarunt symptomata, ità ut post menses circiter

sex

Obs. 90. sex duobus suffulcris innixa, tandemque baculo incedere posset, sed per totam vitam claudicavit. Hujus rei ego sum testis ocularis.

EXEMPLUM II.

Similem casum Metis in juvene quodam Germano observare licuit, cui ex junctura pedis ossicula nonnulla eximere coacti fuimus. Tandem multis & longis adhibitis laboribus, DEI beneficio convaluit.

EXEMPLUM III.

Fœminam quandam, juvenem adhuc satis, in pago Wandalo in Ducatu Juliacensi cognovi, quam cùm quidam nebulo stuprare vellet, ipsaque sese ab illo defendere conaretur, genu sibi contorsit. Hinc paulatim exorto dolore inflammationevè, imprudenter ab Empirico genu extensum, atque hinc inde contortum fuit, symptomata gravissima, mortisque discrimen supervenerunt. Tandem nihilominùs convaluit, per totam vitam tamen, non nisi suffulcris innixa incedere potuit, uti ego ipsemet vidi.

EXEMPLUM IV.

Matrona quædam Paterniacensis septuagenaria, EVA VIGNON nomine, ante annos 12. in terram procidens, genu sibi aliquo modo contudit atque contorsit, illæsâ tamen ejus functione. Quare cùm res suas domesticas curaret, & in agros excurreret, interimque locum affectum mirum in modum labefactaret, aucto dolore, Empiricam quandam advocat. Illa quum genu suprà modum extendisset, & ex uno in alterum latus hinc inde contorsisset, nec non Emplastrum ex pice applicuisset, exorto priùs dolore maximo, inflammatio, febris continua, aliaque symptomata supervenerunt, ita quidem, ut de vita actum esse, cuncti opinarentur. Tandem ex infima parte rotulæ abscessu rupto, per dies aliquot multum ichoris, deinde quoque materia digesta & benè cocta effluxit: hinc dolor, aliaque symptomata paulatim remiserūt, ulcus tamen ultra menses quatuordecim apertum remansit, quinetiam pus tam copiosè per illud effluxit, ut reliqua mēbra planè sceleton repræsentarent. Cōvaluit nihilominus Divino favore, posteà tamen ne pedem quidem, ut ita dicam, absque suffulcris movere potuit. Ego illam in hoc misero vitæ statu per multos annos cognovi, imò superiori anno ex fractura ejusdem tibiæ fœliciter curavi. Præterea verò die 26. Decemb. 1607. unà cum doctissimo viro Domino MICHAELE DORINGIO, Medicinæ Doctore, convictore meo suavissimo, genu inspeximus, & summâ qua potuimus diligentiâ, quæ notatu digna, annotavimus. Genu & coxa aliquantùm extenuata erant, ipsum verò genu immobile, & tibia coxam versùs retracta cernebatur. Sed quod præcipuè notandum, rotula situ naturali amota, & altitudine quatuor digitorum sursum, coxamque versùs retracta erat, quod signum, Tendinem, cujus beneficio rotula ossi tibiæ alligabatur, erosum atque ab ipso osse separatum fuisse. Tumor nullus aderat, de dolore tamen, quotiescunque tempestas mutaretur, sed inprimis frigidiore & humidiore aëris constitutione, conquerebatur.

EXEMPLUM V.

Autumno superiori 1607. infans quidam à Nobiliss. Viro D. NICOLAO à WARTENWIL, Dn. in Willart-ad Muratum, ad curandum mihi commissus fuit. Cui imperitus barbitonsor, dum mero ingurgitatus esset, brachium sinistrum, nescio quam ob inflationem carpi, ita extenderat atque contorserat, ut maximus dolor & inflammatio totius brachii sequuta sit. Circa carpum & metacarpum duobus in locis ruptâ vomicâ, curationem præsentibus Doctissimis Viris D. MICHAELE DORINGIO Medicinæ Doctore, & EMANUELE URSTISIO Artium liberalium Magistro, convictoribus meis, spacio unius mensis feliciter absolvimus, nullo in brachio impedimento relicto.

EXEMPLUM VI.

Anno 1609. 9. Novembris Paterniaci unà cum Clarissimo ac doctissimo Viro DN. ANDREA WEICKIO, Medicinæ Doctore, convictore meo suavissimo, puellam, quæ Grandissonio Paterniacum adducta fuerat, invisi. Illa ante menses duos, cum ex sepe in terram satis aridam prosiliret, pedes sibi aliquantum contorserat. Exorto dolore inflammationeve, Empiricus adhibitus fuit: qui pedes adeò extendit, & hinc inde contorsit, ut aucto dolore & inflammatione, sequuti sint abscessus, & circumcirca articulos pedum, & quidem diversis in locis, ulcera sinuosa, ex quib. serosus humor copiosè effluebat. Dolor in ipsis articulis adeò magnus ac pungens erat, ut pedes vix movere, multò minus incedere posset.

ADMONITIO AD TYRONES.

Plura hujus argumenti exempla in medium adferre possem, sed vereor ne lectori sit tædiosum. Prudenter itaque & cautè ut Chirurgus in ejusmodi casibus agat, necesse est. Inprimis autem explorare debet, an dislocatio aliqua adsit, necne (Si enim dislocatio nulla adsit, ad quid, quæso, extensio? nisi ægram periclitari velis, id quod hominem probum, & rationalem Chirurgum minimè decet. Sin autem dislocatio adsit, ea protinùs reponenda. Quod si ab initio Chirurgus vocatus non fuerit, ita ut membrum affectum jam intumuerit, & inflammatione torqueatur, victus tenuis præscribendus, corpúsque à pravis humoribus repurgandum erit. Vena item, si necessitas requirat, & nihil adsit quod obstare possit, tundenda; loco verò affecto repellentia applicanda sunt, donec sevitia inflāmationis aliquo modo sit sedata, tùm operatio tentanda, sed blandè ut fiant omnia, prospiciendum. Hoc modo procedenti, & DEUM OPT. MAX. invocanti, omnia ex voto succedent.

OBSERVATIO XCI.

Ex nimis tarda solutione deligationum in fracturis, quæ symptomata sequuta?

Quia in superiori Observatione de Empiricis operationibus egimus, non multùm ab instituto aberrare existimo, si, quid ex tarda solutione deligationum in fracturis accidisse observaverim,

Obs. 91. verim, hic annectam, ut tyrones inde, quomodo in ejusmodi casibus procedendum, ediscant.

EXEMPLUM I.

Quidam ex domesticis Domini SAMUELIS MORATELLI civis Paterniacensis, vir robustus & optimo corporis habitu præditus, æstatis tempore brachium sibi ad cubitum fregit. Et quia tum temporis Basileam profectus eram, rusticum quendam, (qui in hoc tractu præ aliis etiam exercitatis chirurgis in fracturis ac dislocationibus reponendis extollitur) ex pago proximo accersiverunt. Conjunx quoque mea, quia non rarò, me absente, fracturas ac dislocationes reposuerat, & sanitati restituerat, simul vocata fuit, ad eum quoque finẽ, ut domestici mei vulnus, quod fracturam cómitabatur (cujus curam rusticus ille Empiricus aggredi nolebat) curaret. In locum suum fracturâ repositâ, emplastrum ex pice flava applicuit, fasciisque & spleniis omnia deligavit, (relicto tamen foramine pro vulneris mundificatione) & ne ante decimum tertium diem solverentur fasciæ, splenia, & emplastrum amoveretur, jussit, domúmque se contulit. Quid fit? Alterâ die post denuò dolor supervenit, qui paulatim auctus erat. Interim domestici mei, qui vulnus quotidie curabant, ægrum & adstantes, ut emplastrum amoveretur, admonuerunt, sed frustrà: maluerunt enim impostorum, quàm in arte versatorum consilium sequi, dolore tamẽ magis magisque aucto, tandem parere coacti fuerunt. Præsentibus itaque D. MORATELLO, aliisque fide dignis hominibus, fracturâ à domesticis meis solutâ, emplastroque ablato, brachium non solùm tribus in locis exulceratum offenderunt, verùm etiam tam fœtens, ut hinc indè vermes, quales in carne putrida generari solent, cõspicerentur. Imposito itaque unguento nostro Ægyptiaco, & Cataplasmate aliquo, putredini resistente, applicato, curationem feliciter absolverunt, brachiumque pristinæ sanitati domestici mei restituerunt.

EXEMPLUM II.

Sabaudus quidam, Vir senex ac decrepitus, Genevæ in ponte Rhodani ex equo delapsus, tibiam sibi paulò supra malleolum fregit. D. JOH. GRIFFONIO mecum advocato, fracturam feliciter reposuimus, omnisque dolor protinùs sedatus fuit. Tertio die post, quum fracturam solvere vellemus, æger recusabat: ajebat enim, sibi à quodam amico, & in arte versato (erat autem is Empiricus) significatum, fracturam ante septimam diem non esse solvendam. Quinto tamen die morbi, dolore exorto, & propter serias admonitiones D. GRIFFONII, in præsentia D. JANI ANTONII SARAZENI Medici Regij, solutâ fracturâ, pustulæ multæ ac lividæ, quæ gangrænam proximam significabant, conspectæ fuerunt. Scarificata tamen tibia, & medicamentis gangrænæ adversantibus applicatis, tandem convaluit.

EXEMPLUM III.

Rusticus ex pago quodam in agro Paterniacensi, sub plaustro lignis onusto, pedem adeò sibi fregit, ut à junctura separatus, & mirum in modum contractus esset. Advocatus ego, antequam manum adhiberem, utque opprobrium omne præcaverem, adstantibus sequentia significare visum fuit. Primò etiamsi summa adhiberetur diligentia, curationem nihilominùs, propter magnitudinem morbi, ante menses sex vix absolvi posse. Secundò, quia fractura ingens, claudicationem impediri non posse. Tertiò, quia ego tùm temporis cùm aliis quoque ægris occupatus, necesse esse, ut ægrum ad me adducerent. Ad hæc cùm parentes & adstantes consensissent, fracturam reposui, & domum redii, expectaviq; donec ægrum adducerent, sed frustrà. Tanta enim fuit apud eos negligentia, ut ægrum apud se retinerent, neque quenquam alium, qui fascias, medicamentaq; mutasset, advocarent. Post itaque dies aliquot, rursus dolore acerbissimo, inflammatione item ac fœtore subortis, miser ille extinctus est.

EXEMPLUM IV.

Ego quoque, quum in solutione fracturæ cujusdam nobilis Belgæ non satis diligens essem, ac à decimoquarto usque ad vigesimum primum diem, medicamenta minimè mutassem, callus adeò magnus procreatus est, ut indè maxima deformitas tibiæ sequuta fuisset, nisi protinùs callum repressissem. Quâ verò id methodo factum sit, Lector ex Observatione 91. Centur. 1. colligere poterit.

ADMONITIO.

Ut itaque cautè ac securè agamus, secundo aut ad minimum tertio quoque die, Hippocrate & Galeno docente, fractura solvenda est, idque in eum finem, ne in membro, præter solitum cooperto, dolor aut pruritus suboriatur, neque ejus humoris, qui jam parti affectæ infixus est, perspiratio prohibeatur. Post septimum, etsi non usq; adeò necesse sit toties fracturas solvere, de quarto tamen in quartum, fascias solvere, partemque affectam inspicere solitus sum.

Hippoc. lib. de fracturis. Galen. introduct. seu medico cap. 30. Methodi med. l. 6.

OBSERVATIO XCII.

Obs. 92.

De Euphorbio.

Ad

Amplissimum atq; celeberrimum Virum Dn. D. CASPARUM BAUHINUM, Illust. Ducis Würtembergici & Tecciј &c. Medicum, nec non Anatomicum & Botanicum in Academia Basiliensi ordinarium:

Cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus,

S. P. D.

IN ulcerum curatione, vir Amplissime, nihil fermè occurrit, quod Chirurgo majorem pariat molestiam, atque plus negotii facessat, quàm si ulcus cariem in osse sibi adjunctam habeat; precipuè si profunda fuerit, propter humorem ossi imbutum. Ad hujus autem humoris exiccationem & ossis decidentiam, tùm ab antiquis, tùm neotericis Medicis ac Chirurgis, præstantius cauterio actuali nihil excogitatum est, quo & ego non rarò maximo cum fructu usus sum. Post Cauterium actuale, euphorbium hoc in casu secundum sibi locum vendicare, facilè concedo.

Obs. 92.

Quandoquidem non solùm quia acre est, & calidum in quarto gradu, humores ossi imbutos exiccat, sed videtur occultâ quadam facultate hîc convenire. Non immeritò itaque à Dioscoride, Avicenna, & recentioribus Medicis in cariosis ossibus præ aliis medicamentis celebratur. Ego etsi hactenus in cariosis ossibus Euphorbio maximo cum fructu usus fui, una tamen mihi occurrit difficultas, nimirùm an verum Euphorbium, cujus Dioscorides mentionem facit, hodie ad nos advehatur? Scribunt enim Dioscorides & Avicenna, beneficio euphorbii cariem ossis una die abscedere, id quod nostrum vix spacio quadraginta dierum præstat: neque proximam carnem adurit, quemadmodum Diosc. & Avicé. de suo Euphorbio scribunt. Hinc verisimile est, aut textũ Dioscoridis adulteratum esse, aut Euphorbium antiquorum apud nos non extare. Sed quis doctorum virorum hujus seculi T. Excell. nodum huncce meliùs solvere poterit? quem ut solvere dignetur, obnixè rogo. Cæterùm Dioscorides & Avicenna monent, ut si quando quis Euphorbio uti voluerit, propter ejus summam acredinem atque caliditatem, ossium circumjacentem carnem linimentis aut ceratis diligenter ac probè communiat, ne contactu carnis inflammationem excitet. Vesalius in sua Chirurgia, & Fallopius in tractatu de ulceribus, non minùs hac de re solliciti sunt. Hinc factum, ut à multis annis Euphorbio uti ausus non fuerim, propter metum inflammationis aut doloris. Deindè non exigua erat molestia, circumjacentem carnẽ quotiescunque ulcus curare necesse fuit, ita diligenter munire. Paulatim tamen experientia, contrarium me edocuit, nimirùm Euphorbium nostrum, etsi linguam & nares vehementer mordicet ac vellicet, in ulceribus tamen, etiamsi copiosè iis inspergatur, nullam inflammationem aut dolorem excitare. Fœlici itaque cum successu in ossa cariosa, carne denudata, etiam immunitis ulcerũ labris, quotidie, aut alternis diebus eo inspersо, utor: sicuti doctiss. D. M. EMAN URSTISIUS, qui has Excell. T. tradidit, sæpissimè apud me vidit, etiam in pueris.

Dioscor. lib. 3. c. 96. Avicenna libr. 2. tract. 2. cap. 236.

Ante annos aliquot, cùm hæc coram Dom. D. ABELE ROSCIO, apud Lausannenses Medico doctissimo, longaque experientiâ prædito, narrarem, miratus fuit. Quapropter petii, ut ille ipsemet in Officina Pharmaceutica Euphorbium optimum sibi eligeret, & in pulverem redigi curaret. Quo facto, puerum 14. annor. natum, & ulcere in anteriore parte cruris (in quo anterior pars ossis tibiæ, sive focilis majoris, longitudine spithamæ denudata erat) laborantem, accessimus. Tùm temporis ulcus implevi pulvere Euphorbii, deindè filamentis siccis, & emplastro diapalmatis superimpositis, in alterum usque diem reliqui, quo denuò Medicum ad ægrum duxi, qui dùm nullam neque pulsus, neque urinæ mutationem perciperet, multò minùs dolorem aut inflammationem aliquam adesse videret, rei novitate obstupuit, quòd oculari demonstratione viderit, Euphorbii sævitiam atque acrimoniam in ulceribus tantam non esse, sicuti à doctissimis & præstantissimis Medicis divulgatum atque proclamatum.

Obs. 9[2]

De quadam Trissaginis specie.

Porrò apographum Observationũ de quadam Trissaginis specie, & Alliaria, quas olim Clariss. atq; Doctissimo D. GEOGIO JENISCHIO (cujus ego nunquam nisi effusis lachrymis, propter summam illam, quæ inter nos fuit amicitiam, recordor) inscripseram, nunc Excell. T. Studii hujus Botanici lumini celeberrimo, cõmunico. Ille, quia paulò pòst ex hac vita ad beatorũ sedes demigravit, ad illas non respondit. Tuæ itaq; Excell. sententiam atque opinionem scire aveo. Hac Æstate duas singulares, mihique raras, fungi species observare licuit. Una ramosa existit, & Rosam Hyericontheam planè refert, nisi quòd in sua basi multò sit spissior, hæc exterius flavescit, interius verò instar agarici albescit: Crescit in locis arenosis, altitudine circiter semipedali. Altera clavam aliquo modo depressam repræsentat, excrescit in longitudinem trium pollicum, horum fungorum multi ex una eadémque basi proveniunt, qui extrinsecùs nigri, intrinsecùs verò albi, duri item & solidi, in locis umbrosis, humidis & lutosis crescentes. Unius atque alterius fungorum horum portiunculam ad Excell. T. mitto, vehementer rogans, ut omnia æqui bonique consulere dignetur. Vale Vir Amplissime, & Æsculapiadeæ familiæ decus longè celeberrimum, cum tuis omnibus, quos tecum ego & COLINETAEA mea demissè salutamus. Paterniaci Aventicor. 10. Decembr. 1607.

De speci[e] quadam fungi.

OBSERVATIO XCIII.

De altera quadam Scordii specie.

Ad Clarissimum & Doctissimum virum D. GEORGIUM IENISCHIUM, Medicinæ Doct. & Generosi Baronis à Zerotin, Medicum ordinarium. Cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus. S.P.D.

NOn minùs verum, quàm elegans dictum est, Clarissime atque amantissime Ienischi, similitudine morum & studiorum procreari amicitiam. Cujus dicti veritatem egomet in te, naturæ abditorum scrutatori sagacissimo, expertus sum. Cùm enim Genevæ ex ineunte nostra amicitia ac conversatione te inter reliqua præclara studia, Botanicæ & Anatomicæ scientiæ non tantùm studiosum, sed etiam curiosum viderem, nõ potui te non amare & colere, huncque meum ergà te amorem, ob loci distantiam argumento hoc de Scordio nostro altero (quod in curanda Gangræna non postremum obtinet locum) testificari, tuumque judicium de eadem re officiosè abs te expetere. Omisâ igitur primâ specie Scordii, quæ verum Scordium dici meretur, secundam aggredior, quam vulgus Herbariorum Chamædryos, sive Trissaginis speciem statuit, quam tamen potiùs esse speciem Scordii existimo, suntque hæ meæ rationes. Primò, quia vires ferè easdem cum vero scordio obtinet, prout ego sæpiùs ab ipsa experientia edoctus sum: resistit enim putredini, exiccat & mundificat ulcera putridæ

1. Ratio

Obs. 94. putrida ac gangrænosa, quamvis viribus vero scordio non sit conferenda.

Ratio. Secundò, quoad radicem, quæ valdè convenit cum radice veri scordii; etenim ramos suos latè extendit, sed in hoc differt, quòd durior sit, & magis lignea. Caulis quadratus, & ejusdem coloris cum vero scordio, sed ut radix, durior. Flos, si colorem, si magnitudinem & formam inspicias, prorsus idem est cum vero scordio: tota item hæc herba gustu amara atque ingrata est: odore allii, & ut verbo dicam, in toto similima Scordio, nisi quòd amaritudine, odore, ut & viribus vero scordio aliquantum sit inferior, & folia magis incisa habeat.

Cum igitur alterum hoc scordium, vero scordio per omnia simile, quumq; hoc ubique & copiosè non possit reperiri, ejus loco illud (quod ubivis ferè prodit) substituo, sed quoniam gustu, viribus & effectu inferius priori, dosin ejus duplico, ut quod viribus seu qualitatibus deest, quantitate recompensetur, cujus dosis duplicationem in Gangræna & ejusmodi putridis ulceribus curandis, felici successu ægris convenientem & utilem esse, non rarò expertus sum. Habes itaque, amantissime Domine Doct. IENISCHI, peculiarem meam de secunda specie Scordii Observationem, de qua judicium ac sententiam tuã expecto. Vale & me, ut hactenus, amore tuo solito prosequi digneris, vehementer abs te peto. Lausannæ 10 Iunii 1597.

OBSERVATIO XCIV.

De Alliaria.

Idem ad

Eundem Clarissimum D. Doctorem GEORGIUM IENISCHIUM.

Qualis mea sit opinio, Vir Clarissime, atque amicorum longè charissime, de secunda Chamædryos sive Trissaginis specie, superioribus meis ad te literis datis, satis superque declaravi. Nunc idem argumentum prosequens, de ALLIARIA paucis ad te scribere statui. Qualis autem illa herba sit, etiam tyrones nõrunt. Ego de viribus inquirendis solummodò sum sollicitus, ob hanc præcipuè causam, quod nunc Tractatum meum de Gangræna & Sphacelo, denuò præ manibus habeo, in quo medicamenta tàm simplicia quàm composita, quæ hactenùs selectiora observavi, in memoriam revoco. Habet enim singularem vim ac proprietatem, qua putredini adversatur. Ideoque ulcera putrida ac sordida abstergit & mundificat, minori tamen cum efficacia, quã verum Scordium, uti ego reipsa primo quoq; nostro conventu, Deo dante, tibi ad oculos demonstrabo. Mirum igitur nemini videri debet, si nonnulli antiquorum, Arabum præcipuè, pro Scordio vero Alliariam aliquando substituerint, non quod verum scordium ipsis fuerit incognitum, sed quòd in Alliaria easdem ferè vires cum Scordio repererint. Sed quæris forsan, cur ita sim sollicitus de Alliaria, cum scordium multò sit præstantius? Causa est, quod scordium in multis regionibus minimè crescat, neque nisi siccum, & ut plurimum obsoletum haberi possit, cum Alliaria ubique locorum prodeat. Sed quia in exiccata herba parùm facultatis & virium remanere expertus sum, idcircò ipsam in fine Aprilis, aut ineunte Maio colligere soleo, & postquàm per diem unum in umbra exiccata fuerit, minutim incido, contundoque in mortario, & prælo succum exprimo, quem in vitreis ampullis superinfuso parùm olei, annum integrum, imò ad tres usque annos reservo. Idem quoque succus sartagini infusus, lento igne inspissari potest, & ad eundem usum in multos annos reservari. Magma deinde exiccatum, & in cineres redactum, aut ex eo sal extractum, maximo cum fructu mundificativis admisceo. Succum verò sive simplicem, sive inspissatum, unguentis & cataplasmatibus indo, ad Gangrænam, aliaque ulcera putrida, sordida ac maligna, uti in meo tractatu de Gangræna & sphacelo videbis. Abstergit enim, ut anteà monui, mundificat, & putredini resistit, parùmque à vero scordio, minùs verò ab altero, cujus in ultima ad te data epistola memini, discrepat. Ex quibus summa Dei ergà nos miseros homines Clementia atque misericordia elucescit, quòd ea, quæ ad profligandos morbos maximè sunt necessaria, ubiq; provenire voluit. Ita ut plane existimem, in unaquaque regione, si quis diligenter proprietates, virtutes, atque præparationes simplicium inquirere vellet, facilè ea omnia, quæ ad sanitatem conservandam, & morbos depellendos necessaria, inveniri posse. Quod si quid, Vir clariss. hac in re observaveris, mihi amicè communicare ne dedigneris. Interim Deum supplex oro, ut te quàm diutissimè incolumem & salvum conservet. Raptim Lausannæ 1. Decemb. 1597.

DE ALLIARIA.

Amplissimi atque Celeberrimi viri Dn. Doct. CASPARI BAUHINI, *Illustriss. Duc: Wirtembergici & Teccii &c. Medici, nec non Anatomici & Botanici in Academia Basiliensi ordinarii.*

Ad

GUILH. FABRICIUM HILD:

Responsio.

Vulgarem hanc plantam ALLIARIAM *dictam, ad Allii societatem* [a] *non forma, sed odor & sapor pertrahunt, siquidem* [b] *folia trita ingratum, & planè alliatum odorem referunt: vel Porri* [c] *sectivi cum Nasturtio contusi, odorem repræsentãt.*

Hæc ex radice [d] *longiuscula, ejusdem cum foliis odore recta, tenuiduriuscula,* [e] *aliquando lignosa, &* [f] *alba: Caules tenues, rotundi, cubito* [g] *altiores exurgunt. Folia primò prodeuntia subrotunda, violæ* [h] *Martiæ similia, ac latiora, quæ juxta pediculum introcedunt coloris herbacei, quæ ubi in caulem abierũt, oblonga redduntur, acuminata, aliquando in* [i] *angulos exeuntia, per ambitum laciniata, vel incisa, ut* [i] *Vrtica, vel Melissophylli effigiem quadantenùs referant; sed læviora, nec ita rugosa, ad pediculum latiora: aliquando folio est amplissimo latissimoque, dodrãtem videlicet longo & lato, quod cum Thalio notavimus.*

a Dodon; edit. post.
b Lugd. Eric. Cord. Fuchs. habent odorem allii; Pandect. Anguill.
c Trac. Lonic.
d Matthiol. Lugd. oblonga. Dodõ. breviuscula Trag.
e Anguill. Vercell. cãdida; Pena, Lugdun.
f Dodon:

mus. In caulium summitate circa ramulos, flosculos multos candidos, & quasi congestos fert: quibus siliquæ tenues, oblongæ [m] Chelidoniæ aut Napi haud absimiles, semine nigro exiguo repletæ succedunt.

NOMEN. *Quomodò veteribus Græcis & Latinis appellata sit, nondum constat; fortè à Dioscoride prætermissa. Tragus tamen Thlaspidium secundum Crateva censuit: sed brevior est Dioscorid. lib. 2. cap. 106. quàm ut certi quid statui possit: Alterum inquit, Thlaspi recenset Cratevas, quod aliqui Persicum sinapi vocant, latis foliis & radicibus magnis, quod & ipsum Ischiadicorum infusionibus admiscetur. Sic Pena in Adversariis, Alectorolopho Plinii non pessumè quadrare hujus delineationem scribit, & ex eo Lugdun. quare & Dalechampius in Plinium, quorundam opinione Alliariam esse monet. Sed opinionem hanc non probamus, quia verba Plinii lib. 27. cap. 5. sic habent: Allectorolophos, quæ apud nos crista dicitur, folia habet similia gallinaceæ cristæ, plura, caulem tenuem, semen nigrum in siliquis. Alliaria vulgò Herbariis, Trago, (cui & Thlaspi cornutum) Fuchs. Matth. Dodon. gallica editione & post Vercellens. Lob. Lonicero, Thalyo, Cæsalp. Lugdun. Tabernem Camer. Gerardo: Alliastrum vel Alliaris, Gesnero historia: Alliaria altera, Amato: Alliaria, Rima marina, Alliarica. Pes asini, Pandect. Eric. Cordo. Monachi in Mesven: Rima Maria, Anguill. Germanis* Knoblauchkraut, Leuchell, Saßkraut, Salsekraut. *Belgis Loock sonder Loock, id est, Allium non bulbosum: Anglis Sauce alone, & Iacke of the hedge; Gallis Alliayre, l'herbe aux aulx: Italis Alliaria: Bohemis Czesenkouua hylena: Polonis Czosakouue ziee roto re, ossa noga.*

TEMPVS. *Martio, communiter Aprili mense provenit: Maii mensis initio, & Iunio floret.*

LOCVS. *Sponte locis incultis, umbrosis circà muros, hortorum sepes, & cavernas, quæ lacertarum & aliorum animalium habitationes sunt [a] provenit: variùs ad [b] pratorum & agrorum [c] margines: in arundinetis nonnulli, alii [e] in salicetis & alnetis caduis, & ad ripas Boleti in Silesia notarunt.*

TEMPERAMENTVM. *Cùm Allium suboleat, eodem Temperamento præditum esse, quidam [f] volūt: quare calefacere & desiccare, non tamen perinde atque Allium, alii [g] ad Nasturtii naturam accedere statuunt, sane cum tota gustu calidiusculo sit, secundo ordine calefacere & siccare [h] censemus. Semen tamen ferventius existit, quare voluerunt aliqui [i] rectiùs exteriùs exhiberi, quàm intrinsecùs exhiberi: omnia, quæ Nasturtium posse, sed minori efficacia Fuchs scribit. Calefacit, aperit, [k] incidit, digerit, provocat, crassos humores extenuat, lentosque incidit.*

VSVS. *Etsi in Medicina usum nullum cognitum habuerit, [a] aliqui attamen, & in culinis usum invenit, & remediis tam internis, quàm externis utiliter adhibetur.*

Martio enim & Aprili, folia [b] recentia ad condimenta, intinctus & salsamenta adhibentur, & pro Allio substituuntur. Foliis [b] contusis cum piscibus salitis nonnulli pro condimentis vescuntur.

Alii [c] embammatibus jungunt, aceto, sale, & zinzibere condita: hac enim non sunt nimiùm ferventia, & utiliora iis, quæ ex sinapi fiunt: quare & Angliæ [d] mulierculæ folia succulenta tusa, salsamentis frequenter miscent, ad incolumitatem annuam tuendam, primo Vere commendantes. In Medicina [e] facultates tribuuntur, quæ & Nasturtio & sinapi: Multò tamen mitior, & usus commodior existit: Alii [d] ad Erysemum aut Erucam facultate referre volunt.

Herbæ decoctum Asthmaticis utile, sive solum, vel in aqua [f] & oleo decoctum, & epotum.

Seminis usus esse potest, ad [g] humores crassos in pectore incidendos, quare tussientibus commendant.

Succus febribus malignis convenit.

EXTRINSECVS. *Succus [h] vel semen in pulverem redactum, naribus inditum sternutamenta provocat: Epilepticos ac Lethargicos excitat. Semen [i] cum aceto Emplastri modo, mulieribus strangulatu uteri laborantibus, pectini utiliter imponitur, easdem excitat.*

Semen [k] in eundem usum linteo sacculo digiti longitudine & crassitie insui potest, & uteri collo inseri.

Sunt qui folia Enematibus incoquant, quæ vel ad Coli, vel ad nephriticos dolores injiciuntur, à quibus non tantùm flatus insigniter discuti, sed etiam ex calculo dolores mitigari ac sopiri [l] volunt, Sic etiam adversùs coxendicum affectus, clysteribus rectè adjungi [m] statuunt.

Folia trita, & imposita, Noli me tangere sanare, testis est Pandectarum author, quare & succum & pulverem utilia esse in malignis ulceribus Cancrum minantibus, Camerarius auctor est.

Officinæ [a] olim pro Scordio perperam usæ sunt: odore [b] quidem, sed nec facie nec facultatibus planta hæc Scordium æmulatur: quare Monachi in Mesven [c] monent, ne quis odore Scordii decipiatur, & Alliariam vulgò dictam accipiat; quamvis magna sit ratione faciei differentia. Arabes tamen pro scordio non Alliariam, sed allium sylvestre, similitudine nominum decepti, sumpsere, cùm Allium dicatur.

Hic habes, Vir præstantißime & amice, quæ de Alliaria respondere potui, de reliquis etiam proximè, DEO concedente. &c. Ocyus Basileæ. 5. Iunii 1608.

OBSERVATIO XCV.

De Peste extinctis non illicò inhumandis, aliquot exempla.

Ad Clarissimum atq; doctissimum

virum Dn. IOHANNEM IACOBUM CRAFFTIUM, apud Neocomenses Medicinæ Doctorem ordinarium atque celeberrimum.

cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

NOn immeritò, Clarissime atque amantissime Doctor CARFFTI, interdixit LEVINUS LEMNIUS, de occultis naturæ miraculis, lib. 2. cap. 3. Comitiali morbo, Lethargo, Apoplexiâ, & uteri strangulatione oppressos, confestim sepulchro committendos esse. Compertum enim habeo (inquit) nonnullos effracto capulo revixisse. Quamobrem lege cautum esse convenit, ne libitinarii ac vespillones præproperè, quos mortuos existimant, extinctæq; animæ speciem præbere vident, loculo excludant, eos præsertim qui Apoplexiâ, & aliis supradictis morbis suffocantur, cùm in illis nonnunquam delitescat anima, quæ

Obs. 94. lignosa, Trago. g Dodon. bicubitalis. Matthiol. Penæ Lugdū prælong. Trago dodrantales Eric. Cordo. h Trag. circinatæ Ederæ terrestris longiora fimbriata Penæ: in folio. Atriplicis armora dicta. Amatus: ut Malvæ rotūda. Monachi in Mesuem. Lugd. Laciniis circundatæ. Vercell. l Matthiol. m Sinapi aut Chelidōiæ Trag. Lonic. Napi Anguil. Pena Lugdū. Irionis Matthiol. Lugd.

a Tragus. b Dodon. c Matthiol. d Monachi. e Schuuenckfeld f Fuchs. Lonicerus g Tragus. h Secundo inteso aut tertio remisso Dod. i Trag. Lonic. k Matthiol.

a Dodon. b Dodon. c Tragus. d Pena, Lugdun.

Obs. e Schueckfeld. f Car... rar. Matt... g Tab... mon... parte... h Trag. Lonic. i Trag. Fuchs. Matt... Lonic. sine... appli... Lugd. addi... ajun... k Ma... ol. Ges... l Ait... don. m Tr... Lonic...

a Do... Came... ad M... thiol... b Diss... l. c 45. Scord...

ma; quæ rursus corpus spiritu vitaque imbuit. Hujus rei apud Plinium, Natural. histor. lib. 7. cap. 52. Georgium Pictorinum, sermonum conviual. lib. 1. Alexandrum Benedictum Pract. lib. 10. cap. 10. Paræum, Forestum, Albertum Bottonum, Schenckium, & Lusitanum, exempla extant.

In Peste verò, malignis & contagiosis morbis, ut protinus inhumentur cadavera, rectè quidem suadent Practici: simile enim quiddam, inquit idem LEMNIVS, corporibus recens extinctis evenit, quod cereis, lychnisque ac funalibus, quæ accensa nullã graveolentiam naribus offundunt: at extincta, flammaque sopita, tetro undique fumantique odore cœnaculum complent. Verùm neque id semper tutum esse, & hominem Christianum minimè decere, quæ sequuntur exempla testantur.

EXEMPLUM I.

Circa annum 1566. ANTONIUS CORMANNVS BOVIUS, indigena pagi Meniere, (qui ad Illustris Reipubl. Freyburgensium Helvetior. ditionem spectat) dicti, nec ita procul Paterniaco siti, cùm annum vigesimum secundum ætatis attigisset, ac uxoré duxisset, non diu post DEVS OPT. MAX. Peste (quæ tunc in istis regionibus passim grassabatur) familiam ipsius invisit, atque exercuit. Perierunt ex ipsius domesticis multi, inprimis pater, mater, uxor, & nonnulli ex servis & ancillis. Ille similiter mense Augusto, eodem morbo tàm vehementer correptus fuit, ut à secunda die adstantes nihil aliud, quàm singulis momentis DEO ipsum animam redditurum, expectarent. Morbo magis magisque ingravescente, quartà die morbi, animi deliquio tám vehementi correptus est, ut adstantes ipsum jam expirasse putarent. E lecto itaque in mensam corpore collocato, linteamini illud (sicuti istis in locis moris est) involverunt atque insuerunt, cumque ibi spacio octo circiter horarum expositum fuisset, jamque ejus loci Presbyter, Libitinarii ac vespillones, ut illud inhumarent, advenissent, loculoque imponere vellent, membra verò nondum planè rigida esse perciperent, mirati sunt valdè. Quamobrem presbyter jussit, ut lodix circa faciem & pectus dissueretur: postmodum lanæ floccum, & plumam naribus labiisque admovit. Ex quibus, cùm de vita nondum penitùs extincta, spes ipsi aliqua superesset, corpus denuò in lectum reponi, ac linteis calidis involvi, quin etiam tegulas calidas pedibus admoveri jussit. Ori item guttulam unã aut alteram vini malvatici instillavit. Hinc ille, quem penitùs extinctum esse putabant, paulatim quasi ex sopore profundo excitatus, ita restitutus fuit, ut intrà spacium unius mensis negotia sua rusticana obire posset. Porrò, quia tum temporis nullis usus fuerat medicamentis, corpusque multis & pravis humoribus scateret, natura sequenti Autumno sese à superfluis illis humoribus in sinistram tibiã exonerare cœpit. Paulatim itaque in hanc tibiam humor lentus ac viscosus, qui & postea medicamentis cedere noluit, delapsus est.

Historiam hanc à viris fide dignis audieram quidem, hominem verò coràm alloqui occasio sese non obtulerat, donec anno 1606. die 16. Ianuarii à Reverendo viro D. NATHANAELE CHAMBUTO, verbi divini in Granges ministro, Paterniacum mihi adductus esset, tùm præsente Reverendo viro isto, domesticisque meis, historiam integram, & veluti ipsam fideliter hîc conscribo, narravit. Tibiam quoq; vidi, quæ sub genu ejus est crassitiei, ut crus circa coxam naturaliter esse deberet, estque dura; & paulò suprà malleolum exulcerata, absque tamen dolore. Ille verò homo robustus est, & nunc sexagesimum quartum agens annum. Præterea vigesimo nono anno ætatis suæ, morbo acuto gravissimè se laborasse, deinceps verò perquam raró morbis obnoxium fuisse, & ex altera uxore, quæ etiamnum superstes est, septem filios, tresque filias procreasse, nobis retulit.

EXEMPLUM II.

Anno 1357. cum pestis apud Colonienses grassaretur, & infinitos è medio tolleret, accidit, ut nobilis quædam matrona, REICHMVTH ADOLCH nomine, in foro novo habitans, in ædibus, cui insigne est Psittacus, peste quoque corriperetur, tandemque (secundùm opinionem adstantium) mortem obiret.

Corpus cum in cœmiterium divorum Apostolorum inhumãdum esset, noluit maritus propter summum in defunctam amorem, è digito suo annulum, quem in signum matrimonii ipsi dederat, extrahere. Id quum probè cognovissent vespillones, sequẽti nocte sepulchrum clàm accedunt, loculumque effodiunt, aperiuntque. Tum illa, quã pro mortua sepulturę tradiderant, se erigere cœpit. Vespillones ambo maximo timore perculsi, lucernam relinquunt, eaq; quã possunt diligentia indè profugiunt. Illa acceptã lucernã, ædes mariti petit, pulsat fores, ex voce & annulo à marito recognita, ipsi aperitur, quæ postmodum optimã victus ratione adhibitã paulatim convaluit, tresque deinceps adhuc progenuit filios, quos ministerio Ecclesiastico consecravit. Cum verò per annos multos cum marito piè vixisset, tandemque obdormivisset, ad ingressum prædicti templi in monimento lapideo, & elevato inhumata fuit. Ad rei autem memoriam in tabula maxima supra sepulchrum erecta, tota historia eleganter depicta, versibusque Germanicis descripta est. Hancque tabulam Anno 1604. IOANNES BVSSENMACHER, civis & mercator Coloniensis in parva forma ex ære incidi & excudi curavit. Majorem tabulam ad sepulchrum erectam, multoties Coloniæ non sine admiratione inspexi: minorem quoq; à BUSSENMACHERO excusam, penes me habeo.

EXEMPLUM III.

Anno 1582. Quum unà cum præstantissimo viro D. COSMA SLOTANO, Illustriss. Principis GUILHELMI, Iuliacensium, Clivensium, Montensium &c. Ducis Cliviam profectus, apud civem quendam, virum pium ac probum, circiter septuaginta annorum ætat. in ædibus, cui aquila pro insigni est, spacio trium mensium diversaremur, sæpissimè nobis hospes retulit, se ante annos septendecim gravissimo atque acuto morbo correptum, tandem in illud animi deliquium

Obs. 95. quium incidisse, ut cuncti illum mortuum esse, arbitrarentur. Advocatus Vir Clarissimus Dn. DOCTOR IOHANNES WIERUS, prædicti Principis Archiater longè celeberrimus, animam à corpore nondum separatam esse cognovit. Iussit itaque ut in lecto calidè cooperiretur: cordi quoque & in carpo pulsibus Epithemata applicuit, & per intervalla guttulâ unâ aut alterâ medicamentorum corroborantium, linguam irroravit. Interim dùm pius iste & fidelis Medicus circa ægtum occupatus, & de recuperanda sanitate solicitus esset, adstantes contrà funus præparabant, & quæ à Medico præscribebantur, admovebanturque, pro ludibrio habebant, ita ut alterâ die corpus inhumare vellent: sed conatibus ipsorum antevertit D.D. WIERUS. Secunda itaque die ad se rediit æger: posteà à Dn. D. WIERO, adhibitis tùm medicamentis, tum optimâ victus ratione, paulatim in integram sanitatem restitutus fuit.

Hæc, uti dixi, sæpissimè D. SLOTANO, & mihi, multisque aliis præsentibus ipsemet hospes narravit, erantque tunc elapsi anni septendecim, à quibus hæc acciderant. Ab eo quoque tempore morbis raro obnoxius fuerat, & infantes multos ex uxore progenuerat.

Cautè itaque circa ejusmodi ægros agendum est: quum enim aliquoties nonnullos per plurimos dies sine sensu ac motu fuisse, ex historiis virorum doctorum ac fide dignorum sciamus, crudele ac impium esset, hominem ad imaginem DEI creatum, propter metum pestis ac alicujus morbi maligni, protinùs veluti beluam inhumare, atque hoc esset contrà omnem charitatem Christianam, & justissimam DEI iram erga integras etiam civitates ac nationes incendere atque provocare.

Prudenter itaque faciunt Magistratus, (uti ego Genevæ, & in quibusdam aliis locis observavi) qui neminem sepeliri permittunt, nisi priùs à quodam viro Artis medicæ perito, & ad hoc negotium destinato, inspecto atque explorato cadavere.

Hæc, vir Clarissime, ad te scribere libuit, ac simul amicè rogare volui, ut quæ hujus exempli argumenta habes (scio autem te habere aliquot) ea in commune bonum familiæ artis Medicæ, communicare non graveris. Vale cum lectissima tua conjuge, totaque familia honestissima, quam ego, & uxor mea salutamus peramanter. Paterniaci Aventicor 13. Septemb. 1608.

OBSERVATIO XCVI.

De Peste aliisq; morbis acutis extinctis, non protinus inhumandos esse, historiis quinque ostenditur.

D. GUILHELMO FABRICIO HILDANO, *apud Paterniacenses Chirurgo celeberrimo atque præstantissimo.*

JOHANN. IACOBUS CRAFFTIUS, *S. P. D.*

INdies re ipsa video, doctissime D. FABRICI, firmiter in animo tuo inhærere Ciceronis dictum, Non nobis solùm nos natos esse, verùm & Patriæ, Parentibus, & Amicis: Patriæ, Parentibus, quomodo? res ipsa loquitur, & Amicis? quorum numero & me esse, præter quotidianam exercitationem; industriam, ac laborem, quem mei causa sustines, literis nuperrimè ad me datis satis superq; testaris. Quibus doctè demonstras, idq; exemplis aliquot confirmas, Corpora humana non illicò, uti tamen aliquando certo quodam tempore, quibusdam in locis fieri contingit, inhumanda esse. Cui sententiæ, relictarum multarum rationum, Naturæ, mutuæ insuper amicitiæ tàm in iisdem, quàm diversis speciebus, atque quarundam historiarum, quas postmodùm allaturus, consideratio, subscribere me cogit. Quoad Naturam, Cic. in Offic. lib. 1. pro me loquitur, dicendo: principio generi animantium omni à natura tributum esse, ut se, vitam, corpusque tueatur, declinetque ea, quæ nocitura videantur, ac omnia quæcunq; ad vivendum sunt necessaria, inquirat ac paret. Cùm igitur nostra propria longævitas & vitæ prolongatio, nobis tam recommendata, quid quæso obest, ut non eandem conservationem in proximum exerceamus? siquidem quod nobis non volumus fieri, alteri ne faciamus, & contrà lex sit, sicuti & inprimus sacra pagina dictitat: diliges proximum tuum perindè atque teipsum. *Quis nũc sodes est tam rationi alienus, imò impius, qui & animã simul cum corpore suo sepeliri cupiat? Lectionem nobis prælegunt beluæ, quæ minimè corpora, ejusdem speciei suorum proximorum (altercationes hic omitto) derelinquunt atque dejiciunt. Exempla non desunt, ac quotidiana observatio satis testatur, hæc ista serio cum observant. Quid homini faciendum? qui maximè ab istis differt, ut idem Cic. prædicto in loco evidenter distinguit, dùm dicit: hominem & beluam in eo differre, quod hæc tantùm, quantum sensu movetur, ad id solùm quod adest, quodque præsens est, se accommodat, paululùm admodùm sentiens præteritum aut futurum: homo autem, qui rationis est particeps, consequentia cernit, principia & causas rerum videt, earumque progressus & quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, & rebus præsentibus adjungit atque annectit futuras, facilè totius vitæ cursum videt, ad eandemq; degendam præparat res necessarias. Quod si itaque hæcce penitiùs, uti par esset, perpenderentur, non tam varia incommoda in sepeliendis corporibus orirentur, atque hinc inde fieri audirentur. Et hæc de iisdem: jam in diversis speciebus intimum amorem inesse, passim leguntur exempla, utpote de equis, aquilis, ciconiis, elephantis, leonibus, delphinis, & canibus, eorumque quam plurima, qui homines, & præsertim dominos suos, tam vivos, quam mortuos, summoperè amârunt: de quibus unicum hoc lubet annotare, quod memini me olim audisse. Pyrrhum Albaniæ Regem, quondam cum suo exercitu proficiscendo forte fortuitò canem propè viam reperisse, qui custodiebat corpus mortuum heri sui, hæc cum admiratione inspiciens, quidam villanus ipsi dixit, tertium jam esse diem, quo canis de isto loco non secesserit, ipso tamen inscio ibi corpus esse. Rex jussit cadaver sepeliri, & canem tàm fidelem domi nutriri. Interim diligenter inquirendo, à quonam illud homicidium commissum sciri non potuit: donec abhinc aliquo tempore delectationis gratià totum suum exercitum videre voluerit, an milites benè essent armati ac dispositi? at canis, qui semper tristis & taciturnus erat, tunc fortè Regem sequebatur, & videns præterire homicidam,*

incipit

Obs. 96.

incipit latrare, & quodammodò in ipsum incurrere, mox inspicere Regem, dein recurrere ad homicidam. talesque gestus gerere, ut Rex & adstantes mirati, illicò suspicati sint de homicidio, proin militem istum in carcerem injecit, torturâ tantùm simplici mox liberè actum confessus, atque tandem supplicio mulctus fuit. Ex his & similibus satis superque apparet, quò bruta animantia amicitia quadam plusquam quasi naturali commiseratione ducantur, eò magis hominem duci debere, & non tam subitò suum simile seponere atque oblivisci.

Tandem & majoris probationis gratià accedo recensere, idque brevissimè, quasdam (uti à te rogatus) historias, quæ sinistrè acciderunt.

HISTORIA I.

Prima est de quadam muliere, quæ tempore pestis viva cum aliis mortuis sepulta fuit, tamen postmodum diu adhuc cum marito suo supervixit, quantum scire potui, communicare non gravabor.

Agitur annus quinquagesimus, vel circiter, quod pestis sævissimè grassabatur per totam Burgundiam, præsertim Dividuni, ita ut vespillones in sepeliendis mortuis tàm occupati fuerint, ut cuilibet peculiare sepulchrum facere nequiverint, verùm foveam quandam communem, sicuti communiter solet fieri in ejusmodi luis sævitia fodere coacti, in quam aliquot corpora injicere possent. Id quod accidit cuidam mulieri nomine Dame NICOLE LENLILLET, quæ tùm temporis peste quoque per aliquot dies laborans, subitò ἔκστασιν seu potiùs, ut persæpe in hac lue contingit, in συγκοπὴν incidit, quâ aliquandiu detenta, mortuam esse judicabant, ideò sub vesperam à vespillonibus in fossam communem cum aliis sepeliebatur: ejusmodi enim corpora mortua non diu retinentur, quia citissimè putrescunt, ut sic alios inficere possent, nisi quamprimùm terræ commendarentur, ut plerunque in tali luis furore ubique fieri solet. Quæ ibi per totam noctem jacens, sub auroram ad sese rediit, animumq; collegit, nesciens tamen, quonam in loco esset, neque egredi potens propter debilitatem, & pondus aliorum corporum mortuorum, ac terræ, clamare incœpit, sed quoniam longè ab hominibus distabat iste locus, neque ullus propter fœtorem & timorem illuc appropinquabat, exaudiri non potuit; quæ tamen interim maximè esurit, siquidem spacio quatuor dierum, neq; cibum neque potum assumpserit, ad compescendam aliquo modo famem, portionem pepli sui, quo facies ejus obtecta erat, rodit atque comedit. Tandem post viginti quatuor horas, & alia corpora à libitinariis inhumanda eundem in locum afferuntur, qui dum strepitum quendam suscitabant, illa istum percipit, & tandiu vociferatur, donec ab aliis exaudiebatur: qui maximè obstupefacti, intentiùs auscultant, & vocem humanam esse percipiunt, ideò illicò ipsam effodiunt, & reviviscere videntes, domum suam apportant, ubi mox convaluit, & adhuc per aliquot annos Dividuni degit. Postmodùm propter ortam religionis dissensionem Lausannam se contulit, & illic adhuc diu feliciter cum suo marito vixit: ac tantummodò ante quatuor, vel ut plurimum quinque annos placide in Domino obdormivit. Hunc casum ipsamet sæpissime suis commensalibus enarravit, ex quorum numero est (uti mihi retulerũt) Prudentissimus atque Consultissimus Vir D. Cancellarius hujus Comitatus, Compater meus, & frater ipsius Germanus IONAS HORICAEI, ac Reverendus D. BERNHARDUS GELIUS junior, verbi DEI minister Vallanginensis, compater quoque meus honorandus.

Planè similem historiam accidisse Lipsiæ, à viro quodam fide digno, mihiq; familiarissimo, accepi.

HISTORIA II.

II. Nec admodum dissimilis ante aliquot annos hic propè urbem in quodam pago Courseille dicto visa, ubi Vir quidam syncope aliquamdiu correptus in linteum (eo enim tempore feretrum nondum erat in usu) consuebatur, & cum ad sepulchrum apportatus, & jamjam sepeliendus esset, humeros movit, quod cum adstantes vidissent, statim exsuebant, & domum ferebant: atque diu postmodum supervixit, & plerunq; post à vulgo vocatus fuit, Mors de Corseille. Hoc audivi ab istis, qui personam illam viderunt & cognoverunt.

HISTORIA III.

III. Narravit D. Iohannes Gaudotus mercator & civis Neocomensis, se sæpissimè audiisse Bizantij à viris fide dignis, sequentem historiam verè ante quadraginta circiter annos accidisse.

Doctorem quendam Iuris adhuc juvenem fuisse, à Vezoul, oppidulo non longe distante Bizantio, qui lethargo laboravit, & satis diu in ejusmodi paroxysmo, nemine tamen præsente, permansit, hoc de se sciens, separatim in quadam domo peculiari, unà cum servo à pedibus, ne divulgaretur, voluit degere, & cum sentiret paroxysmum advenire, sese in suum musæolum inclusit, ita ut ne servus quidem quicquam percipere potuerit, & solùm eam ob causam id reticebat, ne diffamaretur, atque quisppiam in jam contracturo matrimonio obstaculum sibi afferet. Verùm ne quid sinistrè ipsi accideret, ita totaliter illud tenebris committere consultum non judicavit, ideò prætorem ejus loci D. MOBOVAM, quem plerunq; propter negotia publica domi mansurum existimans, facillimè, si quid novi in urbe contingeret, audire posse, accessit, & seriò precatus, ut illud quod ipsi dicturus, nemini revelaret; hisce promissis, Doctor incipit enarrare, quomodò tali ac tali morbo subjectus, & aliquandiu tanquam mortuus jaceat, & sic reperiri posset, ne igitur intra diem naturalem sepeliatur, impedire vellet. Interim nupsit, & diu post idem casus ipsi contingit, quodam enim die, quo prætor in villam suam profectus, ibiquè pernoctavit, uxor autem, quæ planè nihil de hoc casu, sicuti nullus parentum scivit, putans maritum suum mortuum esse, omnia præparabantur ad jam ipsum sepeliendum. Quod cum prætor fortè fortuitò domum reversus audiens, & reminiscens promissorum, subitò ad ædes accedit, petitque ab adstantibus, quâ horâ inciderit in hunc paroxysmum? respondebatur ei, heri sub vesperam. Tunc ipse retardando sepulturam, Doctor paulò post reviviscere incipit, atque ab hinc 16. demum annorum obiit.

HISTORIA IV.

IV. Idem GAUDOTUS mihi retulit, se à matre sua aliquoties audivisse recitare hanc historiam, quæ contigit à Verzel, locus in Burgundia; quod cum quidam pro mortuo in Ecclesiam jam apportatus, aliquandiu ibi, sicut fieri solet, antequam inhumabatur, in feretro fuerit, aliquis ex patribus aquam benedictam in faciem, quæ non obtecta erat, inspersit; ipse expavescens oculos aperuit, inde domum relatus, mox ad se rediit, ac deinceps circiter octo annos supervixit.

Obs. 96.

HISTORIA V.

V. Aliam similem historiam fertur contigisse ante aliquot annos in hoc Comitatu, de D. IACOBO VAURA tùm temporis Castellano Budriacensi, qui quoniam aliquandiu Cardialgia laboravit, advocârunt Medicum Friburgensem, at interim ægrotus paulò ante ipsius adventum in syncopem incidit. & cùm Medicus appulerit, proximi ejus accurrunt, dicentes, quòd è vivis discesserit, & mox tumulo mandandus, ipse nihil aliud respondit, nisi siquidem adsit, ut corpus ei ostendatur, antequam in sepulchrum inferatur, id quod factum, & cum penitiùs faciem inspexerit, dixit, se non existimare ipsum mortuum esse, itaq; parùm pulveris piperis petiit, & illum in nares inflavit, de quo sternutatio excitata, convaluit, & postmodùm feliciter adhuc diu suo officio functus.

Et hactenùs de historiis eorum, qui è vivis resurrexerunt, & diu supervixerunt: possent & alia multa afferri, quibus ostenderetur, quædam corpora quidem nondum omninò mortua, sepulta fuisse, verùm vel quod propter pondus, vel distantiam loci, vel spissitudinem tumbæ egredi seu exaudiri non potuerint, coacta fuerint vitam cum morte commutare: ut relictis multis aliis, unica hacce confirmatur, quam Augustæ Vindelicorum ipsamet à viris fide dignis ibi audivi recensere. Matronam olim quandam honestam, ex familia patritia ortam, suffocatione uteri laborasse, quæ pro mortua habita, cum omnium mæstitia more solito in tumbam concameratam sub templo ejus familiæ peculiarem ac propriam, super sessibulum fuit posita, & tùm magno lapide ostium monumenti clauserunt. Post annum unum aut alterum alius ex eadem familia moritur, qui in eundem locum ponendus, lapis ab ostio revolvitur, & matrona ista suprà gradus propè ostium mortua, sine digitis in dextra manu invenitur, undè judicabatur maximè credendum, illam tunc temporis verè non fuisse mortuam, & cum ad sese redierit, exitum hinc inde quidem quærendo, tandem hosce gradus reperiisse, tamen lapidem dimovere, & clamando exaudiri non potuit, atque ut suprà etiam ostendimus, digitos suos ad famem palliandam edere, sicque eo in loco inclusa miserè vitam suã finire coacta fuit.

Haud absimilem evenisse Bizantii historiam, socrus mea, quæ indè orta, attestatur persæpe auribus accepisse commemorare.

Ex quibus omnibus evidentissimè patet, corpora sive VERE mortua, sive FERE mortua, non ante diem naturalem esse terrâ obruenda.

At vela contrahendo, hæc sunt mi Domine FABRICI, quæ pro tempore tecum scriptis commutare lubuit, ut omnia in meliorem partem interpreteris, obnixè rogo. Vale cum lectissima tua conjuge. Datum Neocomi VIII. Calend. Octob. Anno: DIsCaMVs Inania seponere.

SEBASTIANUS MEYERUS,
Med. D. Reipub. Fryburg. Physicus Ordinar.

Viro præcellenti D. GUILHELMO FABRICIO HILD. *Medico præstantissimo, Paterniacensi Cheirurgo Ordinario, Domino & Amico observando,*

S. P. D.

Et Observationes tuæ solertissimæ (quarum priores, te nondum viso, in Alsatia tum temporis Cæsar. Ma. apud Curiam Ensishemianam Physicus, cupidè mihi comparavi, recentiores autem numero centum mihi dono, & quidem gratissimo, misisti) & coràm hic Fryburgi sæpiùs jam perspecta in arte Medica exercenda singularis industria, & excolendâ studium, ut creberrimè tecum rebus de Medicis agam, me impellunt, ac nunc quidem per literas, quandoquidem rarior nobis conveniendi facultas conceditur. Id autem nec ingratum tibi, nec inutile nostrum utrique fore existimo. Cùm igitur diebus hisce ad puerum à cane rabido morsum, accitus fuerim, ex Observat. tua 87. sumo materiem.

Obs.

Curasti (omnem citrà controversiam) adolescentem illum Paterniacensem, Willometum, ex intima methodo & arte, proindèque fœlicissimè. Adhibuisti scarificationem, ustionem, attrahentia, alexipharmaca.

I. At Galenus noster 11. simplic. Aeschrionem Præceptorem suum memorat, omnes (qui quidem eo usi fuerint) à cane rabido morsos, hisce tantùm duobus curasse remediis, exhibito scil. cancrorum cinere, & emplastro ex pice, opoponace, & aceto imposito, nec ullam mentionem incisionis, aut ustionis facit. Quod argumento esse potest, hæc duo remedia in affectu isto fore supervacanea. Hoc primum.

II. Cùm ustio (ut Fernelianis utar verbis) cãdente ferro, virus omne domet & absumat, & in membra insinuari minimè patiatur, hac quoque ratione incisio nequaquam requiri videtur.

III. Quod si tamen incisio quædam omninò necessaria judicetur, cur non ea præfertur, qua Galenus ad Pisonem utitur: qui vulnus majus illicò facit, carnem circumquaq; auferens, & ad rotunditatem redigens.

IV. Cùm authore Galeno, fluviatilium cancrorum (quorum loco non rectè videntur quidam uti gammaris) cinis, substantiæ proprietate mirabilis sit in hoc affectu, præferendusne communibus illis & universalibus Alexipharmacis, Theriace, Cornu cervino, Bezoari? Hæc mihi, de quibus conferre tecum, hoc tempore occurrebant.

Ac planè perspicere te arbitror, quonam animo hancce tecum exercitationem suscipiam. Cupio ingenium meum (quod quàm sit exiguum sentio) excitare, & ad ingenii tui perspicacissimi tanquam cotem acuere, nec pigebit me, vel ad extremum usque spiritum proficere.

Quòd si rationem istam conferendi approbaveris, boniq; consulueris, nec invitus ad proposita responderis, & amicitiam nostram vehementer corroborabis, & illustrabis Observationes tuas, & me ad paria faciendum, si potero, obligabis. Sin tardiorem te in respondendo exhibueris, cave ne brevi importunum in ædibus tuis Paterniaci hospitem & exactorem sentias.

Aegrius autem, ut nosti, ejicitur, quàm non admittitur hospes. Vale vir præstantissime.

Fryburgi Noithonum. Calend.
Octobr. 1606.

OBSER-

Obs. 97.

OBSERVATIO XCVII.

Guilhelmi Fabricii Hildani, ad dubia nonnulla, in curatione morsus canis rabidi.

A

Clarissimo atque doctissimo viro Dn. Sebastiano Meyero, *Reipubl. Freyburgensis Aventicor. Doctore Medico ordinario atque celeberrimo, proposita,*

RESPONSIO.

QUam de prolapsis in scrotum intestinis, vir clarissime, & amice plurimùm honorande, à me expectasti Observationem, per nobilem virum Dominum de GLARESSE, qui me in transitu hîc inviserat, ad te misi, teque jam dudum illam accepisse confido. Nunc verò ad ea, quæ ex Observat. mea 87. Centuriæ primæ proposuisti dubia, respondere tempestivum est.

Responsio ad primã objectionẽ

Quantum itaque ad primam objectionem, Galenum fluviatilibus cancris combustis, thure & radicum gentianæ admixto pulvere, morsus canis rabidi feliciter curasse, in dubium vocare hactenùs nemo ausus fuit, cùm & idem Dioscorides, Aëtius, Avicenna, &quamplurimi, alii tũ antiquiores tùm neoterici, hoc remedii genus præ aliis antidotis in hoc affectu extollant. Ego verò partim, quia hujus remedii nullam habeo experientiam, partim quoque, quia cancri isti fluviatiles, quorum Dioscorides & Galenus meminêre, apud nos in hisce regionibus, & non nisi in Syria, Sicilia, Romæ, aliisque quibusdam Italiæ locis inveniantur, usum eorum præscribere nolui, ne forsàn aliquis, cui sævitia hujus veneni nõ satis cognita, huic remedii generi tantùm fideret, ut interim aliis remediis neglectis, æger periclitaretur. Quamvis enim de effectibus cancrorũ fluviatilium non dubitemus, in his tamen non exigua occurrit difficultas, nimirùm an ex longinquis regionibus cancrorum fluviatilium, an verò eorum loco marinorum cineres, quorum effect⁹ non æquè ac fluviatilium laudatur, item an eorũ cineres recentes, an exoleti ad nos perveniant?

At quia morsus canis rabidi inter morbos maximos meritò numeratur, quis ambiget, maximum hoc, & à tot seculis in hoc affectu laudatissimum & approbatissimum remedium, nimirùm ferrum candens potiùs, quàm remedium cui spes est dubia, adhibendum esse? Tanta enim ferri candentis vis est in hoc affectu, ut hoc solo morsus rabidorum animalium, nullis aliis adhibitis alexipharmacis (quod tamẽ non probo) empiricum quendam curasse, observaverim. Est itaque cauterium actuale, meo quidem judicio, in hoc, aliisque quamplurimis affectibus extremum remedium atque præsidium; non tamen ea, quam vulgus intelligit extremitate, sed extremitate virtutis atque bonitatis. Id tamen notandum est, nimirùm nisi satis profundè impressum fuerit, virus omne non penitus absumere posse, & frustrà adhiberi, ut Observat. 87. annotavimus. Si itaque inustio ferri candentis nõ satis profunda facta, virus hocce domare non

Quomodo Cauteriũ in morsu

possit, quis quæso de cancrorum cineribus, ex longinquis regionibus allatis, non dubitaret? Si verò ego ipsemet cancros fluviatiles vivos habere, eosq; præparare possem, tunc talis apud me vaeret Dioscoridis & Galeni authoritas, ut hoc ab ipsis præscriptum remedium applicare non denegarem. Hæc ad primam Objectionem.

Obs. 97. canis rabidi sit extremum remedium.

Responsio ad secundam objectionem.

Verissima sunt, quæ exFernelio citas verba, ferrum videlicet candens, virus omne domare & absũmere. Sed quia portio aliqua ipsius virus in crusta, ex combustione facta, facilè remanere possit, necesse esse, ad majorem securitatem, ut crusta ista exscindatur, existimo. Unctuosa enim & escharam relaxantia, in hujusmodi affectibus mihi semper suspecta fuêre, ut Obser. 87. Centur. 1. monuimus. Est autem primâ aut secunda die blandè separanda atque excitanda, ne dùm à pure humectatur essentia & vis veneni, in crusta contenta, per venas capillares, majora vasa, & per ea partes nobiles impetat, corpusque totum intoxicet. Vides itaque vir Clariss. incisionem, cujus ego in præallegata Observatione 87. memini, plus quàm necessariam esse.

Responsio ad tertiã objectionẽ

Galeni, lib. de Theriaca ad Pisonem, incidendi modus mihi non improbatur, sed ille tum non utitur cauterio actuali, carnem verò profundè & orbiculatim excidit, ut vulnus diutius apertum retineri possit. Cùm verò loquitur de inustione ferri cãdentis, tunc incisionis carnis nullã facit mentionem. At ego de excisione Escharæ loquutus eram: ea quàm sit necessaria, ex iis, quæ dicta sunt, colligere licet.

Responsio ad quartã objectionẽ

Ad quartam tuam & ultimam respondeo objectionem, medicamentum ex cancris fluviatilibus communibus & universalibus alexipharmacis, meo quidem judicio, maximo cum fructu præferendum quidem esse, substantiæ enim proprietate (ut Galeni utar verbis) mirabilis est ej⁹, in iis qui à cane rabido morsi sunt, effectus, sed quia, ut antè monui, cancri isti apud nos minimè habeantur, ad ea, quæ habere possumus alexipharmaca, ut confugiamus, necesse est. Inter quæ revera lapis Bezoardicus infimum locum nõ obtinet, tùm vulneri inspersus, tum etiam thuris, radicum gentianæ, & gammarorum nostrorum pulvere per os exhibitus. Theriaca præterea, teste Galeno, non exiguam vim obtinet, vulneri enim imposita, cucurbitulæ instar venenum exugit, & virus ab alto extrahit, estque mihi frequens ejus usus in hujusmodi affectibus, ut Excell. T. in quadam curatione fœminæ Paterniacensis, ante annos duos à cane rabido morsæ, & à me DEI beneficio curatæ, posthàc fusiùs declarabo, cùm nunc propter temporis angustiam mihi non liceat.

Hæc sunt, vir Clarissime, quæ ad doctissimas tuas objectiones in præsens respondere potui. Quibus si præter tuam expectationem non omninò satisfecerim, pro solita humanitate, atq; benevolentia in me tua, ut tenuitati ingenii mei ignoscere velis, etiam atque etiam rogo. Vale vir Clariss. & amice optime, cum dulcissima tua conjuge, quam tecum ego & COLINÆTEA mea charissima peramanter salutamus. Adventum tuum posthàc indies expectamus, & sedulò exoptamus

Obs. 97. & 98. optamus, vide igitur ne promissionem tuam diutiùs differas. Paterniaci Aventicorum 3. Februarii. 1607.

SEBASTIANI MEYERI, MED. Doct. & Reip. Freib. Helvetior. Physici ordinarij,

Ad Curationem de morsu canis rabidi, unà cum

Remedio memorabili,

Ad

GUILHEL. FABRICIUM HILDANUM, *Medicum Præstantissimum*, *Responsio.*

Epistolâ tuâ, Vir Præstantissime, eximium Galenicum, uti superiore de prolapsis intestinis maximè Hippocraticum, te præstas, non tantùm citando (cum aliis quoque summis Medicinæ authoribus) Galenum, verùm etiam industriè interpretando. Prudenter de cineribus cancrorum fluviatilium exoticis dubitas, iisque certius ustionis remedium in curando morsu canis rabidi, anteponis. Ratio item & causa excisionis escharæ, solertiæ in curando tuæ testis, arridet. Nec non perplacent alexipharmaca ad morsum canis rabidi lectissima, abs te commemorata. Gratias nomine rei Medicæ, de qua tam benè mereris, habeo, utque observare, quæ tanti ad humanam salutem momenti sunt, eaque mandare literis ne desistas unquam, hortor iterum. Vnicum saltem adhuc, quod ad curationem morsus istius magis enucleandam spectare videtur, libens propositurus. IVLIVS PALMARIVS CONSTANTINVS, Medicus Parisiensis, FERNELII discipulus libr. de morsu canis rabidi, Alexipharmacum tradit, quod solum, neglectis aliis remediis, imò & victus ratione, quocunque à morsu tempore usurpetur, certissimum ac tutissimum existat, ut quo nullum unquam animal usum viderit, quod non tam atrocis morbi periculum evitarit, quacunque uteretur victus ratione. Recipit autem Alexipharmacum id: Foliorum rutæ, verbenæ, salviæ minoris, plantaginis, foliorum polypodij, absynthij vulgaris, menthæ, artemisiæ, melissophylli, betonicæ, hyperici, centaurij minoris, singulorum æquale pondus. Semidrachmam pulveris demorsis quotidie præbere jubet, & sesquidrachmam, aut drachmas duas satis fore tùm homini, tùm omni animali, quantumvis crudeliter sauciato, censet. Quid de hoc Alexipharmaco statuas, scire aveo. Vale Vir præstantissime, meque quod facis, ama, Fryburgi Aventicor. Calend. Martij. 1607.

Remediũ memorabile ad morsum canis rabidi.

OBSERVATIO XCVIII.

Guilhelmi Fabricii Hildani, De morsu canis rabidi.

Ad

Clarissimum atque Doctissimum Virum, Dn. SEBASTIANUM MEYERUM, *Reipub. Fryburgensis Helveticor, Doctorem Medicum ordinarium.*

Difficilis pro ingenii mei tenuitate, vir Clarissime, & amice plurimùm honorande, est nodus, quem mihi solvendum proponis. Etsi enim medicamẽtum Clarissimi viri D. PALMARII contra morsum canis rabidi non improbem, uti & ingredientia omnia venena debellare posse, minimè dubitem: in gravi tamen hocce & periculosissimo morbo, ut qui eo medicamento nũquam usus fuerim, certi quid affirmare non audeo: quin potius præsidia, quæ à tot viris præclaris, & tot seculis comprobata ac celebrata fuêre, eligam. Deindè quomodo remedium hoc in tã exigua quantitate, & tam per paucos dies sumptum, venenum ejusmodi lethiferum, ut & interdùm humano corpori adeò tenaciter ac diù ĩhærens, expellere & vincere posse, non video. Scimus quidem ex Galeno lib. 2. de Antidot. & lib. 11. de simplic. med. fac. Crattippum & Æscrionem remedium ex cancris fluviatilibus per quadraginta dies exhibuisse. An putas idem quoq; in hoc remedio observandum esse? Neq; placet, quod victus rationem tàm parvi faciat. Sed quia forsan D. PALMARIUS remedii hujus singularem aliquam habuit experientiam, subsistam: & quam de morsu canis rabidi T. Excell. alias me communicaturum promisi historiam, aggrediar, paucisque referam.

Obs.

Prima historia de morsu canis rabidi.

Anno 1604. die 10. Novemb. Matrona quædam honesta Paterniacensis, quinquagenaria, uxorq; PETRI DENISII, à cane suo domestico ac rabioso quatuor diversis in locis morsa fuit. Primò quidem in dextræ manus digiti medii dicti, tribus locis diversis, quorum morsuum vulnera duo ex una ferè digiti parte in alteram penetrabant. Deinde quoque supra cubitum in musculo bicipiti. Unde meo consilio usa, modo sequẽti processi:

Primùm vulnera phlebotomo aliquantùm scarificavi, quò sanguis effluere posset, quum à vulneribus acceptis nihil ejus effluxisset. Deinde brachium ac manus undique sequenti lotione ablui.

Ablutio.

R. aceti acerrimi ℔ ſ.
salis marini subtiliss. pulverisati ℥ij.
theriacæ ℥ſ. Misce.

Posteà cauterio actuali vulneribus cauterizatis, gossipium spiritu vini, in quo theriaca dissoluta, madefactum, imposui, & sequenti Emplastro totum digitum involvi, idemque brachio quoque applicui.

Emplastrum.


R. cæparum sub prunis aliquantum coctar.
pulveris sem. sinapi
salis marini
fermenti acris an. ℥j.
fol. rutæ
scordii an. Mſ.
theriacæ opt. ℥ſ.


Misceantur, & cum s. q. mellis in formam unguenti diligenter incorporentur.

Alterâ die escharas sequenti hamulo apprehensas, separatorio blandè excidi, idque in eum finem, ne serosus aliquis humor ibi detentus, ab eschara malignitatem aliquam acquireret.

Obs. 98.

Hamulus. Cultellus separatorius.





Escharis separatis, gossipium sequenti liquore madefactum, bis in die vulneribus imposui, Emplastrumque præscriptum applicui.

R. spiritus vini optimè rectific. ℥ij.
succi rutæ ℥j.
extracti scordii
theriacæ an. ʒij.
cornu cervi usti & præpar. ʒj.
lapidis bezoard. ℈j. Misce.

Circà diem septimam dolor in digito læso adeò auctus erat, ut ad alia remedia recurrere necesse esset. Cujus nomine ulceribus balsamum abietinum calidè instillavi, totumque brachium sequenti oleo inunxi.

Linimentum.

R. ol. lumbricor.
ol. è floribus D. Cos. Slotani an ℥j.
spiritus vini ʒij.
theriacæ ʒj. Misce.

Totam verò manum sequenti Cataplasmate involvi.

Cataplasma.


R. farinæ hordei ℥iij.
sem. cydoniot. pulver. ℥ß.

Coquantur in aqua cum admixto pauxillo ol. lumbricor. Posteà adde,
pulveris flor. chamomel.
meliloti an. ℥j.

Misce, Fiat Cataplasma, addendo sub sub finem croci ʒß. vitellor. ovorum N. ij.

Obs. 98.

Ulceri ad cubitum, quia dolor nullus aderat, gossipium madefactum, & emplastrum ex cœpis, ut suprà, apposui.



Antequàm autem ulterius progrediar, notandum convenit, tantùm abfuisse, ut fervens oleum ulceribus instillatum, dolorem excitaverit, quin potius adeò ab eo refocillata atque recreata ægra, ut vix calidè satis istud instillare potuerim. Guttulas itaque aliquot, cochleari ferreo exili infusas, ad candelæ flammã usq; dum ebulliret, calefeci, ulceribusque protinus ita calidè infudi. Cochleare autem ut parvum sit, necesse est, ex magno enim difficulter oleum fervens ulceri infunditur, plùs quoque, quàm ulcus capere potest, cochleari infundere non convenit, ne forsan pars aliqua effluat, & adjacentem cutem adurat.

Nota.

Hisce remediis adhibitis, dolor paulatim, & quidem ante undecimum diem morbi remisit. Deindè rursùs gossipium madefactum liquore præscripto, nonnunquam quoque Mũdificativum nostrum ad ulcera maligna imposui, & emplastrum ex cæpis applicui.

Porrò quàm necessarium sit ulcera hujusmodi ad multos quoque dies aperta servare, experientia docet: Ex intempestiva enim cicatricis inductione, nonuullos hydrophobia correptos fuisse, ego ipsemet aliquoties vidi. Cujusmodi quoque exempla apud FORESTUM lib.10. Observat. 27. Dodonæum in suis Observat. cap. 12. habentur. Ne igitur ægra, (ut sic mihi liceat loqui) incideret in Scyllam, quum ego cuperem vitare Charybdin, die 26. mensis prędicti, ulceribus cicatrizationi proximis nõnihil cauterii nostri potentialis applicui; ad casum tamen escharæ pinguia nulla, sed de mundificativo nostro imposui: unctuosa namque, atque escharam relaxantia, mihi semper suspecta fuisse, Observat. 87. Centur. 1. annotavi. Post casum Escharæ, ulcera ut aperta retinerem, omnem curam atque diligentiam adhibui. Itaq; nunc pisis (ut in fonticulis fieri solet) nunc spongiis præparatis impositis, ipsa ad menses ferè tres aperta retinui. Interim quoque modò gossipium superiori liquore madefactum, aut mundificativum nostrum ad ulcera maligna indidi, modò quoque sequentem pulverem inspersi.

Pulvis.

R. pulver. angelicæ opt. rectificati,
pulver. radic. angelicæ
lapidis bezoardici ana partes æquales,
Misce.

Tandem intermissã applicatione spongiarũ & pisorum, ulcera insperso supradicto pulvere paulatim ad cicatricem, elapso ferè tertio mense, perduximus. Totum autem tempus, dum hæc externa remedia adhiberentur, imò & aliquandiu post absolutam curationem, optimam præscripsi-

Obs. 91. scripsimus victus rationem, & ut à salsis omnib. acribus & muriâ asservatis, fumóque exiccatis, uti & ab iis, quae utramque bilem procreant, abstineret, imperavimus. Singulis item ferè diebus, tribus horis ante prandium drachmam unam pulveris sequentis ex jusculo, aut vino albo sumpsit.

Alius pulvis.

R. pulver. gammaror. nostrorum in clibano exiccatorum, ℥x.
pulv. radic. gentianae ℥v.
olibani ℥j. Misce.

Hîc multò praestantiores fuisse cancros fluviatiles, quorum Dioscorides & Galenus meminêre, certum est, sed quia apud nos non reperiuntur, gammaros nostros eligere coactus fui.

Porrò antequàm huic Epistolae finé imponã, ea, quae annotatione digna, minimè reticenda duxi: nimirùm aegram ipsam, quintâ, nonâ, undecimâ, decimaquartâ, & vigesimâ primâ die morbi, agitationibus involuntariis & convulsivis totius corporis, febrilium horrorum instar, imaginationibus depravatis, pavoribúsque melancholicorum similibus, correptam fuisse. Haec tamen symptomata à vigesima prima die, usque ad quadragesimam morbi, per intervalla, sed rarissimè, eam molestare non cessabant.

Post menses duos à morsu canis rabidi, cùm quadam die illam in suburbio inviserem, pavoribus & imaginationibus melancholicis, cum totius corporis agitatione, correptam offendi. Ego itaque, quia aliud nihil tùm temporis eò loci ad manus esset, rutae manipulum sumpsi, contudi, & pauxillo vini superinfuso, succum expressi, eumque calidè propinavi, hinc accessio paulatim remisit. Sequenti dein die, pulverem praescriptum ex gammaris in duplo exhibui. Vulnera quoque denuò cauterio potentiali, pisis, spõgiisque dilatavi, & ad finem tertii mensis aperta retinui. Sic Divino favore convaluit, & ad hunc usque annum 1608. quo haec ad te scribo, bellè se habuit, nec unquàm praecedentis mali vestigium ullum persensit. Maritus hujus foeminae ab eodem cane in crus dextrum morsu, die 12. ejusdem mensis ad me venit. Morsus tamen cutem non penetrârat, sed quia livida & nigra, postquàm totum crus ablui, ne forsàn saliva, id quod facilè, ut Galenus & experientia testantur, fieri potest) noxam aliquam inferret, quicquid lividũ apparebat, phlebotomo scarificavi, postea cauterium actuale adhibui, leviter tamen, & eadem methodo, ut in foemina, processi. Hic tamen parvo cum negotio curatus fuit, & similiter ad hunc usque diem benè se habet.

Secunda Historia de morsu canis rabidi.

Anno 1606. puella 8. annor. aetatis, filia IOANNAE MAILLI Paterniacensis ad sinistrum malleolum internum pedis à cane rabido morsa, mihi adducta fuit. Tùm tibiâ ablutâ, morsum scarificavi, cauterium actuale applicui, reliquaq; medicamenta, superiùs recitata, adhibui, vulnus per menses tres hians detinui, totamq; curationem praesente D. EMAN. VRSTISIO, Art. liber. Magistro, foeliciter absolvi. Haec quoq; hucusq; optimâ fruitur sanitate.

Tertia Historia de morsu canis rabidi

Habes hîc, vir Clarissime, brevibus curationis illius Matronae narrationem atque Historiã, quae si arriserit, est quod laetet, sin minus, tardidati ingenii mei concedas. Vale cum honestissima conjuge, quam tecum ego, & COLINETAEA mea charissima, demissè salutamus, Paterniaci Aventicor. 9. Martii 1608.

SEBASTIANI MEYERI, MED. D.
De morsu canis rabidi,
Ad Nobilem Chirurgum, & Medicum
D. GUILHEL. FABRICIUM HILDANUM
Paterniacensem Medicum ordinarium,
Responsio.

Observationem tuam, Vir excellentissime, amice imprimis colende, de morsu canis rabidi in matrona Paterniacensi, philiatris omnibus observandam, accepi, ac legi cum voluptate non exiguâ. Idea est profectò justa, verae, legitimaeq; curationis, contagiosi ac pestiferi affectus hujus, quam omnes sibi, qui scopos medicos collineare dextrè capiunt, imitandam in medendo proponere debeant. Prior enim scopus hujusce curationis ac praecipuus est, veneni illius recens infixi, at etiamnum in extimis partibus delitescentis (neque enim quod jam altius penetravit, inseditq; visceribus, revocari possit) partem consumere, ac ut ita dicam, annihilare, partem educere penitus, & evacuare.

Extirpatio veneni.

Quem quidem scopum assequeris praeclarè, dum scarificando, veneni portionem aliam profundis, unà cum sanguine, (ubi non dubito, quin, uti Willometo quoq; Observat. 87. Centur. 1, feceras, cucurbitulam etiam benè inflammatam, quò plus sanguinis extraheretur, bicipiti musculo apposueris) aliam domas & extinguis ferro candenti, aliam ulcere, nec non valenter attrahentibus prolectas, & exhauris.

Abstersio partis.

In eo autem providentia tua atque solertia elucet singularis, quòd locos circum diligenter abstergis, si quid fortè salivae caninae desiccatae, vel spumae, alicubi se abdidisset, id quod perpaucis curae haberi existimo. Te verò Galeni callentissimum ex 6. de locis affectis non fugit, vel solum sputum, si humanum corpus contigerit, rabiem concitare posse. Vidit duos MATTHIOLVS, qui spuma tantùm perfusi, nullo quidem ex morsu accepto vulnere, rabiem contraxerunt. MATTHAEVS DE GRAD. consil. 82. magnifici cujusdam domini meminit, Iohannis Coquerani, post multos dies infecti rabie, solâ impositione manus in os rabientis canis, etsi eum canis nequaquam momordisset, Vt imitatione tui, maxima ratio habenda sit humoris, à cane quaquã parte suffusi.

Remotio escharae.

Vt verò quamprimum virulentae materiae pateat exitus, neque diutius inclusa maneat, aut alia nova succrescat, postero statim die escharam cultello & hamulo, ingeniosè (ut soles) inventis, removes, nullis usurpatis unctuosis & pinguibus, ratione illâ sanè probabili, (adducta in 1. Centuria) quòd hujusmodi exhalationem evaporationemque veneni prohibeant. Neque timendum hîc, quod in aliis est, ne defectu lenientium ad ulcus fluxio, aut phlegmone, ratione doloris feratur, quia potius jubet Dioscorides, ut sordidum sit, ac continuò inflammationem minari videatur. Si enim humores impetu ad ulcus ferrentur, unà extrorsum veneni portio raperetur, ejusq; ad interiora motus impediretur.

Qualitas veneni.

Quod posteà scribis, dum te symptoma doloris aliquandiu à curatione morbi distineret, fervens oleum infusum ulceri, non tantùm nihil doloris, verùm

etiam

etiam sensum jucundum attulisse, istud profectò venenum planè fuisse frigidum, atque adeo tuo experimento, sententia PETRI SALII DIVERSI, asserentis, venenum canis interdum temperamenti hujus existere, prorsus stabiliri videtur.

Sanè ex sententiâ quoque tua curandum, ut ulcus hic fluat quàm diutissimè, neque audiendi Methodici, qui fluidos affectus sistunt, à quacunque illi causa processerint, cùm vel empirici videant, (referente Galeno de sect.) quos rabidus canis momordit, si statim ulcus ad cicatricem ducatur, prius non administratis remediis, quæ ab ipsius causæ procatarcticæ indicatione sumuntur, convulsos omnes animam exhalare, servari autem, quibus juxta indicationem illius adhibita fuerit medendi ratio. Dogmatici verò, sive Rationales, in quibus nullum habent accidens manifestum, quod causam ipsam demonstret, in his causam procatarcticam non cunctantur investigare. Vt si canis rabidus fuerit, aut vipera, quod momordit, tunc sanè minimè cicatricem statim inducunt ulceri, sed potiùs contrà, particulas, quæ circa ulcus consistunt, nonnunquam minutatim præcidunt, dein verò calidis & acribus medicamentis venenum extrahunt, quod in corpus unà cum morsu est illapsum.

Pisa quoque & spongiolæ tuæ in ulceribus hisce vehementer probantur. Sed præterire non possum, quandoquidem huc spectat, inprimis elegantes videri mihi etiam pilulas illas THOMAE FIENI (opere de cauteriis) ex agarico, iridi, zedoariâ, aut alio ligno venenis resistente, oblitas theriaca, aut Mithridatio, & sic inditas.

Nec omittis præcipua illa & nobilissima attrahentia, Theriacam nimirum, & exornatum bezoare pulverem Præcipitati, quem quidem nomine pulveris Angelici in præscriptione tuâ intelligo.

Indere se solitum antidotum illam in vulnus, prodit Galenus ad Pisonem, ut cucurbitulæ instar exugeret, ab altoque virus ipsum extraheret, ut quæ non modò epota, sed etiam admota extrinsecus, rabidorum morsibus præsentaneum remedium existat. Itaq; non immeritò PAREVS excellere cæteris, hoc loco & affectu Theriacam indicat (hoc solo remedio se feliciter usum professus) aquâ vitæ, vel vino generoso dissolutam, duriusque, sic ut cruore manet, afflictam, impositis illo deterso linimentis eodem medicamento imbutis, moxque superpositis alliis, vel cœpis communibus, cum sale vulgari & therebinthina intritis. Neque certè inferiora tua sunt.

Magnificè à Matthiolo Præcipitatum commendatur, siquidem id eximium præstantissimumq; medicamentum appellans, (in 6. Dioscorid. de ustione demorsorum) præter id quod vulnus occludi prohibeat, diuque patens servet, ex alto ad superficiem potenter venenum attrahere asserit, eâque re cætera hujusce facultatis præcellere medicamenta; jam dudumq; se certiorem esse, in universâ medicæ facultatis materia nullum habere medicamentum, quod valentius ab alto revocet, extrahatque virus.

Ad alterum scopum, venenosæ nempe malignitatis à visceribus depulsionem, duo Galenus efficacissima selegit, Theriacam iterum, & cancrorum fluviatilium cinerem. Illâ igitur in WILLOMETO usus, nũc cancris, in hac matrona, Gamaros haud abs te substituis. Mihi quidem arridet Pelopis Doctoris Galeni sententia: cancrum cùm animal sit aquaticum, prodesse à cane rabido morsis, quibus videlicet metus est, ne corripiuntur affectu siccissimo, nempe rabie, & ne aquam metuant: fluviatiles convenire, non marinos, quod animalia marina, ob admistionem salis naturâ siccissimi, haud æquè exactè tueantur eam, quæ est adversus rabiem, contrarietatem; cætera autem in potabili aquâ degentia animalia similem cancris præparationem non admittere, horum enim ustorum cinerem, exsiccatorius cum sit, canum mordentiam venenum absumere, simulque digerere. Quæ quidem in Gammarum quadrant etiam, adeò cancro, (præsertim si chelæ & brachia forcipata spectentur, nam caudâ quidem cancer destitutus est) similem, ut vulgus eodem utrumque indigitet nomine. Thuris in pulvere tuo cernitur pars una, quinque autem gentianæ, porrò Gammarorum decem, planè uti præscripsit præceptor noster Galenus, apud quem singulare illud cineris cancrorum 11. simplic. extstat encomium. Quod NVLLVS VNQVAM eorum, qui illo fuerunt usi, sit mortuus.

Paroxysmi denique illi, agitationes, motus convulsivi, & pavores, satis ostendunt, quàm graviter jam principes partes concuti oppugnarique à veneno cœpta fuerint, ut nisi tàm strenuè, tantaque industria & vigilantia arcem defendisses, dubio procul in hostis potestatem ventura fuisset.

Quod si quid judico, vir præstantissime, Matrona hæc Paterniacensis vitam tibi post Deum, perpetuamque gratitudinem debet. Ego quoque, quod ejusmodi præclarâ Observatione me dignatus fueris, immortales tibi debeo gratias. Hortor interim, ut in observandis tuis, communicandisque solertissimis curationibus, indefesso studio pergas, quò toti Reip. humanoq; generi majorem in modum commodes, æternique nominis inde claritatem meritissimam consequaris. Deus commodo bonoque communi quàm diutissimè salvum te servet & incolumem. Vale nobilis Machaon, amicè perpetue, Freiburg. Helvet. 10. Iulii 1608.

OBSERVATIO XCIX.

Ex strictioribus arctioribusq; infantulorum involucris, gibbositas.

IN quibusdã Regionibus & familiis moris est; ut infantulos statim à partu involvendo (nescio quib⁹ de causis) fasciis arctè nimis stringant. Unde sæpiùs evenit, ut eorum corpora & artus gibbis, aliisque deformationibus genuum ac tibiatum &c. protuberent. Quin autem ob strictiorem involutionem id accidat, non est quod quisquam dubitet: siquidem ossa adhuc tenera, mollia & cartilaginosa facilè retorquentur, extraque sedem naturalem reprimuntur, quæ dein paulatim excrescentia, indurescunt, id quod ego in multis observavi. Hanc etiam ob causam solent infantulorum capita (magno ipsorum damno) in longitudinem excrescere, atque sic sphæricam figuram amittere; idque semper in potentiali cauterio, seu fontanella, ut vocant, in cervice accidit, quemadmodum Observatione 42. Centuriæ 1 fusiùs declaratur. Nutrices quoque nonnunquam studio, infantulorum decorandorum gratiâ; (sicuti ipsæ quidem existimant) capita eorundem fasciis arctiùs constringere consueverunt, ut in longitudinem excrescant. Sed quemadmo-

Obs. 98. & 99.

Cinis cancrorum.

Paroxismi à veneno canino.

Q

Obs. 99. & 100.

admodùm gibbus pulmonem opprimit, atque difficultatem anhelitus seu asthma parit: sic quoque cranio compresso & in longitudinem extenso, cerebrum ejusque ventriculi simul comprimuntur. Unde spiritibus non satis præparatis atque elaboratis, caput debilitatur, catharrisque fit obnoxiũ. Et si hujusmodi pueri adolescát, quod tamen rariùs accidit, ingenio sunt tardiori hebetiorique. Hæc in gratiam patrum, seu potiùs matrumfamiliàs monuisse, visum fuit.

OBSERVATIO C.

Iuvenis, cui utraque tibia amputata fuerat, post absolutam curationem dysenteriâ correptus, obiit.

IUvenis quidam ex Germanis militibus in Sabaudia profligatis, quorum in Tractatu de Gãgræna & Sphacelo, capite quarto, mentionem feci, gangrænâ utraque in tibia laborans, Genevam venit, ibique in Nosodochio, humaniter exceptus, & JOHANNI GRYFFONIO Chirurgo præstantissimo, & mihi, curandus commissus fuit. Tibias ad genua, præsẽtibus JANO ANTON. SARAZENO, MARCO OFFREDO, & ESAIA COLLADONIO, Medicinæ Doctoribus longè celeberrimis, abscidimus, & curationem feliciter absolvimus. Deinde circa principium Mensis Aprilis, & post sex septimanas à sanatione, quũ tempus peregrinationis aptum expectaret, ecce febre continuâ, dolore, ac torminibus ventris, tãdemque dysenteriâ corripitur, ex qua medicamẽtis liberari non potuit, sed post dies aliquot è vita discessit.

ANNOTATIO.

CAusam morbi hujus gravissimi Medici prælegati, ad refluxum sanguinis ad hepar referebant. Quùm enim juvenis esset plethoricus, ac jam ineunte vere sanguis denuò in ipso copiosè regeneraretur, & pro more ad crura, pro eorũ alimento descendere vellet, vias verò ductusque assuetos sibi rescissos occlusosque offenderet, impetuosè ad hepar venamque cavam refluxisse, ibique primò inflamationem, postmodùm reliqua symptomata invexisse ajebant, quod & rationi consonum est.

Hinc videre licet, quàm periculosus sit sanguinis ad hepar refluxus, uti quoque Observ. 47. hujus Centur. monui. Quomodo autem malo huic in iis, quibus membrum aliquod amputatum, occurrendum sit, Lector ex Tractatu de Gangræna colligere poterit.

FINIS.

GUIL-

GUILHELMI FABRICII HILDANI,

Illustriss. Marchionis Badensis & Hachbergensis &c. Inclytæ item Reipublicæ Bernensis Medico-Chirurgi ordinarii,

Observationum & Curationum Chirurgicarum

CENTURIA TERTIA.

Epistolis nonnullis Virorum Præstantissimorum, necnon instrumentis ab Authore inventis, illustrata.

OBSERVATIO I.

Fungus Scirrhosus, ex aure propullulans, quomodo sanatus?

Viro Amplissimo atq; doctissimo, Dn. PETRO DE SPINA, Serenissimi ac Potentissimi Principis ac Domini DN. FRIDERICI V. COMITIS Palatini ad Rhenum, S.R. Imperii Archidapiferi, atque Electoris, Ducis Bavariæ, &c. Medico ordinario atque celeberrimo,

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

De Chirurgicis casibus, inprimis raris, Vir Amplissime, non solùm oblectari, verùm etiam nō mediocriter in iisdem versatum esse, cùm ex variis nostris colloquiis, Anno supra millesimum quingentesimum nonagesimo quarto, primò Aquisgrani, deinde quoque Heidelbergæ habitis, tum etiam ex literis, quas ante annos quatuordecim inter nos de rebus Chirurgicis, & præcipuè de vulneribus sclopetorum commutavimus, abundè mihi cognoscere licuit. Atque hæc est causa, cur ad continuandam incœptam nostram amicitiam, sequentem casum chirurgicum, & quidem non vulgarem, tecum communicare constitui; quem ut hilari fronte accipere, & impolito stylo ignoscere velis, obnixè rogo. Animus enim dolet, & tremulenta manu hæc ad te scribo. Ante paucos enim dies, duæ ex filiabus meis, peste (quæ hîc & in vicinia gravissimè grassatur) obierūt, uxor mea charissima ex ea cōvaluit, sed filius meus major natu etiamnunc vehementer laborat.


Cæterùm, Vir amplissime, in auris meatu varii oriuntur affectus, & quidem gravissimi; omnium verò difficillimus est, si excrescentia aliqua carnis profundè ex auris meatu excreverit, summamque requirit diligentiam. Cùm enim pars sit exquisitissimo sensu prædita, neque caruncula absque causticis & erodentibus medicamentis absumi possint, facillimè ex eorum usu dolores acerbissimi, aliaque graviora symptomata suboriri solent. Hanc ob causam, cùm præsentem casum publici juris facere constituissem, illum in artis chirurgicæ studiosorum gratiam, paulò prolixiùs & diligentiùs conscribere volui. Tu verò, Vir amplissime, ne prolixitatem ægrè feras, obsecro.

Circiter annum itaque 1594. genere & virtute verè nobilis puella, MARGARITA DE MARTINES, Nobilissimi ac prudentissimi viri Dn. I. FRANCISCI DE MARTINES, DOMINI IN BOURGOV ET PALLY, filia primogenita, ætatis annum octavum agens, variolis correpta

 fuit;

Observ. 1. fuit; ex quibus eò graviùs laborabat, quia pustulæ ad extremam cutem nihil ferè eruperūt. Porrò quia materia variolarum non satis ad partes externas expulsa, puella quinetiam à teneris annis scabie in capite, & circa emunctoria, parùm obnoxia fuerat, non diu post, nimirum Anno 1595. qui fuit annus 9. ætatis, dolore capitis, eoq; acutissimo correpta est. Dolor in meatu auris dextræ præcipuè acutus & pungens erat, ita ut tota illa pars faciei in tumorem elevaretur. Auri oleum Chamomelinum tepidum, doloris leniendi causà, gossipio imponebant, faciemq; eodem oleo inungebant. Post dies aliquot in ipso meatu auris ruptus est abscessus, ex quo primis quidem diebus materia subtilis, & loturæ carnis instar, deinde pus crassum spissumq; extillabat. Dolor capitis & auris paulatim cessavit, tumefactio quinetiam faciei evanuit. Tribus elapsis mensibus, iterum materia subtilis extillare cœpit, & deinceps continuò extillavit; absque tamen dolore: quapropter nullum ex hoc malo sibi accidere posse incommodum, cuncti arbitrabantur. Circa annum verò 1600. quum auditum paulatim diminui viderent parentes, atque hac de re soliciti essent, meatumque auris inspexissent, in profundo ipsius excrescentiam quandam carnosam, & meatum planè obstruentem deprehenderunt. Interim tamen, etsi quotidie nonnihil materiæ subtilis extillaret, quia tamen neque dolor, neque aliud quodpiam adesset symptoma, puella quinetiam ratione ætatis timida esset, & ab operationibus chirurgicis abhorreret, res de die in diem prolata fuit.

Anno verò 1604. quum excrescentiam illam carneam, ex meatu auris propullulantem, viderent parentes, attoniti ac perturbati fuerunt, protinusque Medicos, eosque doctissimos, inprimis verò Dn. MARCVM OFFREDVM, & D. ANDREAM BONETVM, apud Genevenses medicinæ Doctores longè celeberrimos, hac de re consuluerunt, illi quum affectum difficilem esse, & manum diligentem requiri cognovissent, ut ego vocarer, suaserunt. Vigesimo itaque tertio Decembris 1604. cùm in Perroy, ad lacum Lemanum, ad prædictum Dominum de BOVRGO pervenissem, & aurem inspexissem, excrescentiam in ipso meatu auditorio, ejus magnitudinis & figuræ, ut hîc adumbrata est, inveni.



PRÆCEDENTIS FIGURÆ explicatio.

A. Caput hujus fungi denotat, idque externam cavitatem auris conchula dicta planè implebat. Non autem omninò rotundum, sed secundùm cavitatum figuram formatum erat: itaque

B. extremum, sive posteriorem ambitum auris. C. verò partem faciem versùs respiciebat. Dura præterea, inæqualis, lividaque erat extuberantia hæc. Reliqua pars hujus fungi, secundùm capacitatem meatus auditorii, tympanū versùs in apicem desinebat, habebatq; planè formam fungi, nondum tamen, propter extuberantiam A. notatam. integer, sed tantummodò ad litteram D. usque, conspici potuit.

Superficie sive extuberantiâ hujus fungi, uti posteà dicem⁹, ablatâ, quod reliquum erat, paulatim usque ad ipsius radicem, quę propè tympanum erat, in conspectum veniebat: constituebatque figuram præscriptam. A forma itaque & duritie, excrescentiam hancce fungum scirrhosum appellare libuit.

Propullulabant præterea circa ipsius radicem, alia duo parva germina E. notata, ex quibus procul dubio etiā fungi procreati fuissent, nisi angustia meatus auditorii obfuisset. Est tamen notandum, meatum hucce dextrum altero aliquomodo ampliorem apparuisse. Videbatur enim dura ista excrescentia, interim dum accresceret puella, impedimento fuisse, quominùs proportionem suam observaret meatus iste.

Porrò quum ex dolore livido & duritie, affectum huncce difficilem esse, & periculo minimè vacare, vidissem, denuò, ut prædicti Medici in consilium adhiberentur, author fui. Et quia Nobilis DN. DE BOURGOU, aliorum negotiorum causâ Genevam profecturus erat, voluit ut cum prædictis medicis de affectu filiæ suæ plenius consulere possim. Convocatis itaque medicis, & diligenter explorato & perquisito morbo, deliberatum fuit, ut curatio, propter maximum frigus, usque in proximum Ver protraheretur.

Vigesima itaque septima die mensis Martii 1505. cum iterum in Perroy pervenissem, sequēti die hoc minorativum exhibui.

Minorativum.

R. herbarum Agrimoniæ,
Betonicæ,
Veronicæ,
Scabiosę,
Cuscutæ,
Florum primulæ veris, ana M. ß.
Sem. Anisi,
Fœniculi ana ʒij.
Liquiritiæ rasæ ℥ß.
Foliorum senæ mundat: ʒij.

Fiat decoctio in aqua, ut colatura cum forti expressione, redeat ad ℥iiij. In quibus dissolve
Elect. diacarthami ʒiiij.
Syrupi rosati solutivi ℥j
Misc. fiat potio.

De applicatione cucurbitularum & setacei.

Porrò quum nihil magis in hoc affectu verendum esset, quàm affluxus humorum, visum est, uti diversione aliquâ insigni & continuâ; Minorativo itaque præscripto expurgato corpore, postridie cucurbitulas scapulis, cum flama magna, & scarificatione, postero verò die, nimirum 30. mensis, setaceum vertici adhibui. Deinde pro corroboratione cerebri, & in eo humorum superfluorum desiccatione, sequens præscripsi & exhibui Electuarium.

R. Conservæ florum rosmarini,

Salviæ

Salviæ,
Betonicæ,
Summitatum majoranæ ana ℥j.
Ligni sassaphras subtiliss. pulver. ℥ß.
Specierum Aromatici rosati, ʒij.

Cum syrupo conservationis corticum citri, fiat electuarium: de quo capiebat singulis diebus, tribus horis ante prandium, ad magnitudinem castaneæ. Sequens quoque pulvis quotidie semel capiti inspergebatur.

R. Corticum citri siccarum.
Radicum Iridis Florentiæ,
Radicum Ciperi an ℈iiij.
Thuris,
Masticis,
Sandaracæ,
Succini,
Granorum kermes
Rosarum rubearum an ʒ. j.
Florum betonicæ M. ß.
Storacis calamitæ,
Spicę nardi an. ʒj.

Fiat ex illis omnibus pulvis, inspergẽdus suturæ coronali, & quotidie renovandus, deterso pectine priore pulvere, fungo verò bis in die linteũ suave reduplicatum, & aquâ nostra ad ulcera maligna, (cujus descriptionem pete ex Obs. prima cent. primæ) imbutum, tepidè applicui: neque aliud quicquam usque ad mensem Majum cum fungo tentare volui: quò natura ante omnia ad ablegandas superfluitates cerebri, versus setaceũ sese assuefaceret. Interim tamen, uti & per totum tempus curationis, optimam victus rationẽ observabat.

His, uti dixi, institutis, iterum me domum contuli, usque ad 13. mensis Maii, tum denuò ad ipsam profectus, 14. sequentem exhibui potiunculam.

R. Rhabarbari electi ℈. iiij.
Agarici trochiscati ʒj.
Cinamomi ℈. j.

Infundantur in aqua Cichorii & Betonicæ, per horas duodecim. In forti expressione dissolve syrupi rosati solutivi ℥j.

Elect. Diacatholici ʒij.
De Citro solut. ℈. iiij.
Decocti laxativi ℥ij.
M. fiat potio.

Postridie medianam dextram incidi, sanguineq; ad uncias septem extraxi. Decimo sexto, 17. & 18. sequens exhibui apozema.

R. Radicum oxalidis,
Cichorii,
Graminis,
Passulatum &
Liquiritiæ, aa. ℥vj.
Boraginis,
Scabiosæ,
Agrimoniæ,
Betonic.
pimpinellæ,
Melissę an. M. j.
Capillorum omnium,
Arthemisiæ an. M. ſ.
Florum cordialium,
Genistæ,
Hordei integri an. p. j.
Corticum & seminis citri,
Oxalidis,
Melonum an. ʒj. ß.

Fiat decoctio ad ℔. j. in qua colata & clarificata, dissolve,

Syrupi de fumaria, &
De Cichorio simp. an. ℥j. ß.

Misce, fiat apozema, pro tribus dosibus matutinis: aromaticetur ʒj. coriandri præparati.

Decima nona ad drachmas sex sequentis Electuarii, quatuor horis ante prandium exhibui.

R. Electuarii diacatholici,
Diasebesten, an. ʒj.
Elect. de Citro solutiv. &
Diaprunis laxat. an. ʒvj.
Diacarthami, &
Tabellarum de Rhabarbao, an. ℥ß.

Cum melle rosato Laxativo q.s. fiat opiatum, de quo per totum tempus curationis, per intervalla ad drachmas sex vel septem, pro dosi sumebat; modò in forma boli, modò in forma potionis, cũ decocto aliquo convenienti dissoluto. Singulis quoque septimanis cucurbitulas magnas scapulis semel applicui.


Omnibus istis, uti dixi, adhibitis, ad fungi extirpationem transeundum fuit: ea autem, quia aut abscissione, aut erodentibus & causticis medicamentis, vel ligatura fieri debebat, Ante omnia nobis explorandum perpendendumque erat, quænam tutior & securior esset via atque methodus? Excisio adstantibus propter hæmorrhagiam suspecta erat, & ægra illam abhorrebat. Erodentibus quoque & causticis medicamentis massam illam fungi, qui externam partem auris adimplebat, absque periculo absumi minimè me posse, sciebam. Inprimis verò, quia ex colore livido, duritie, & inæqualitate tumoris, malignitatem aliquam subesse apparebat, verebar, ne ex usu medicamentorum causticorum magis irritaretur malum, & humor ille acris, qui post applicationem causticorum ex ulcerib⁹ effluere solet, vicinas partes simul exulceraret. Malui itaque ligaturam instituere. Singulari enim, & ad hanc operationem perficiendam commodissimo à me excogitato instrumento quodam, veluti hîc adũbratum est, fungum istum satis profundè in ipso meatu auditorio amplecti & ligare me posse, sperabam.




Instrumentũ autem hoc ex lamina cuprea, aut Argentea fabricatum esse debet, & ita quidẽ, ut per se apertum sit, extremitates tamen B. B. notatæ, digitis facilè comprimi ac claudi possint. Prædictæ extremitates quoq; aliquomodo excavatæ

Observ. I. vatæ esse debent, quo carunculam, quæ lubrica est, eò melius amplecti possint.


Vigesima itaq; tertia Maii, electo loco splẽdido, ægram in sedem collocavi, & ita quidem, ut radii solares in auris meatum penetrare possēt. Posteà caput, sive externam fungi extuberantiã, in prima figura A. notatã, filo apprehendi. Hujus enim fili beneficio caput fungi suspensum tenebam. Interim funiculum cum semi nodo, ut hîc adumbratus est, intromisi, & cum Stylo quodam exploratorio, tàm profundè, quantum fieri potuit, intrusi.



Deinde ambas extremitates hujus funiculi, per foramina, in sequenti figura B. B. notata, eo modo, ut sequens figura denotat, traxi.



Posteà instrumento tam altè, quantum fieri potuit, in meatum auditorium, & quidem ad utrumque latus fungi intromisso, extremitatibus funiculi, ambobus indicibus apprehensis, & fortiter tractis atque constrictis, fungum arctissimè ligavi, & ea quidem in parte, ubi in prima figura litera D. ipsum notavimus. Interim autem dum filum simul & instrumentum intruduntur, minister filo, in sequenti figura C. notato, extuberantiam fungi clementer leviterque in altum trahet: idque in eum finem, ut funiculus simul & instrumentum, eò faciliùs & profundiùs intromittere possit. Hæc verò, quia paulò obscuriora esse videntur, sequentem figuram, in qua omnia adumbrantur, addere placuit.




Facta ligatura instrumentum clementer extraxi: filum verò suspensum reliqui. Deinde linteum reduplicatum, & sequenti liquore insuccatum, applicui:

R. Aquæ nostræ ad ulcera maligna ℥j.
Aquæ ranarum aquatilium
Plantaginis,
Rosarum an. ℥. ß.
Sem. Cydoniorum subtiliss. pulverisati ℈. ß.
Cornu cervi usti & ppt.
Tutiæ &
Plumbi usti an. ℈. ß.
Misce.

Admonitio. Monitum autem velim lectorem, funiculum in hujusmodi affectibus nullo modo, (ut in aliis quidem corporis excrescentiis aliquandò fieri solet) aquâ forti insuccandum, multò minùs Arsenico illiniendum esse, propter gravissima, quæ inde sequuntur symptomata; Funiculum tamen, ut fungum paulatim abscinderet, singulis diebus iterum immisso & adaptato instrumento, clementer contraxi, nodumque magis magisque constrinxi.

Cùm extubernantia fungi ita ligata esset, paulatim flaccescere cœpit: emanavitque ex illa humor putridus & fœtidus, is verò ne in meatum internum auris deflueret, quotidie ter, quatèrve penicillis hîc adumbratis, & ex spongiis paratis, abstersi.

Deinde



Deinde extuberantiæ undique ſpongias, in præſcripto liquore madefactas, iterumque fortiter expreſſas, ſuppoſui, idque in illum finem, ut humorem illum putridum fætidumque abſorberent exciperentq; ita paulatim abſciſſa eſt extuberantia fungi, ita ut 27. ejuſdem menſis abſque dolore & hæmorrhagia excideret

Sed quia fungum ad radicem ipſius propter anguſtiam meatus auditorii ligare non potueram, quod reliquum erat, erodentibus, ut poſteà dicam, abſumere cogebar: priùs tamen, nimirum 24. ad drachmas ſex electuarii ſuperiùs deſcripti, & B. notati, exhibui: quo optimè expurgata fuit ægra. Ad majorem quoque humorum exſiccationem ſequens exhibui decoctum.

R. Radicum ſarſæpatillæ ℥j.
Ligni ſaſſaphras minutim diſſecti ℥iij.
Radicum chynæ in tenues orbiculos ſectæ ʒvj.

Macerentur horas viginti, in aquæ fontis tepidæ ℔ iij. & coquantur ad duarum partium conſumptionem. De colatura mederatè calida ad ℥iiij. hora quinta matutina exhibui, interim dum utebar præſcripto decocto, victum utcunque tenuem & exſiccantem obſervabat, à juſculis, & fructibus horariis, humidiſque abſtinebat, eorum verò loco uvis paſſulis, & amygdalis toſtis utebatur. Pro potu ordinario ſequens decoctum præſcripſi.

R. Reſiduum prædicti decocti,
Paſſularum,
Liquiritiæ an ℥j. ß,
Aquæ fontis ℔. vj.

Macerentur per horas quindecim, deinde coquantur ad unius tertiæ partis conſumptionem: paretur potio guſtui grata, & aromatizetur pauco coriandro præparato.

Hoc decocto, & victus ratione, per menſem integrum utebatur, interim quoque decima quaque die, corpus Electuario B. notato expurgavi, cucurbitulaſque ſcapulis, uti dixi, per intervalla, cum levi ſcarificatione applicari juſſi.

Ab initio dixi, extuberantiam fungi uſque ad literam D. beneficio ligaturæ excidiſſe, nunc quibus remediis, quod reliquum erat, uſque ad ipſius radicem, (illa autem prope tympanum erat) abſumpſerim, dicendum eſt. Statim itaque poſtquam extuberantia exciderat, iterum ægram ad radios ſolares in ſedile collocavi: mox laminas parvas tenuiſſimaſque, è cera fabricatas, & aliquantum incurvatas, undique circumcirca carunculam impoſui: idque in eum finem, ne medicamenta acria, quæ imponenda erant, meatum auditorium attingerent exulcerarentq; deinde penicillis ex ſpõgiis paratis, abſterſa humiditate, Eſcharotici noſtri, ad magnitudinẽ

Magnitudo & figura laminarum.



capitis aciculæ impoſui. Poſtea filamentis, & ſpongiis meatum implevi, & linteum reduplicatum, nec non liquore ſuperiùs deſcripto, & C. notato, exteriùs auri ſuperimpoſui. Medicamento quotidie bis, nimirum hora ſeptima matutina, & quarta pomeridiana, (ad candelam enim hujuſmodi operationes minimè ſunt tentãdæ) impoſito, 28. ac 29. eſcharam induxi, illa verò ut abſcederet, ſequens medicamentum filamentis in ipſo intinctis, applicui.

R. Mucilaginis ſem. cydoniorum, extract. æqualibus partibus, aquæ Arnogloſſæ majoris, & ranarum aquatilium ℥ij.
Cornu cervi uſti & præparati,
Tutiæ pp.
Lapidis calaminaris ana ʒj.
Croci Martis,
Saturni calcinati ana ʒ ß.

Miſce, fiatq; medicam. ad inſtar collyrii utcunque liquidi. Signetur D. Medicamentum hoc, propter meam abſentiam uſque ad quartum Iunii impoſitum fuit. Tum uti & ſequenti die laminis cæreis iterum inveſtitã carunculã, denuò de prædicto eſcharotico bis in die applicui. **D.**

Sexta die ejuſdem menſis, ad drachmas ſeptem Electuarii ſuperiùs præſcripti, & B. notati, cum decocto Betonicæ, Agrimoniæ, Veronicæ, Roſmarini, Salviæ, & ſem. Aniſi, exhibui, quo & optimè expurgata fuit, nihilominus tamen medicamentum eſcharoticum ea die bis impoſui. Septimo 8. & 9. ad caſum eſcharæ collyrium D. notatum applicui. Decima eſchara denuò exempta, laminaſque novas impoſitas, eſcharoticum ea die ter, undecima verò bis iteravi. **B.**

Duodecima die menſis, quia eſchara ſatis magna apparebat, neque pinguia ut imponerentur, conſultum mihi videbatur, ſeparatorio quodam, uti hîc adumbratum eſt, ipſam excidi.

Cultellus ſeparatorius, incurvatus, ad carunculas ex auris meatu excidendas aptiſſimus.



Exciſa eſchara, quia propter anguſtiam meatus auditorii, laminas cæreas difficulter imponere mihi licuit, eſcharoticum applicare auſus non fui: globulum itaque lentis magnitudine, ex filamentis contortum, & ſequenti pulvere immerſum, carunculæ applicui: & ſpongiis ſuavi ſuperiori medicamento D. notato, madefactis, iterumq; expreſſis, ductum auditorium adimplevi. Spongiæ autem in purulentis auribus summoperè conveniunt: materiam enim purulentam ex profundo attrahunt abſorbentque, partemq; affectam ab injuria aëris vindicant.

Vſus ſpongiarum in purulentis auribus neceſſarius.

R. Pulveris præcipit. optimè rectificati ℈j.
Lapidis Bezoardici diligenter pulveriſ.
Saturni calcinati & abluti ana ℈. ß.
Miſceantur, fiatq; pulvis ſignetur. E.

Pulvis E.

Decima ſexta, cùm beneficio ſpeculi auris ad tympanum ferè uſque inſpexiſſem, & nonnihil de radice fungi ſupereſſe probè cognoviſſem,

 ſequ en-

Observ. I. sequenti die iterum laminas cereas, eâ qua fieri potuit diligentia, infixi, & medicamentum escharoticum applicui. Verùm decima septima, quum domum proficisci coactus essem, sequentem pulverem præscripsi, & me absente imponere jussi.

R. Croci Martis optimè præparati,
Cornu cervi usti & præp.
Saturni calcinati & abluti
Lapidis calaminaris præp. an. ℈. j. ß.

Misce, fiatque pulvis tenuissimus, qui filamentis Collyrio D. notato madefactis, usque ad tertium Julii impositus fuit. Quarta, quum ad nobilem ægram rediissem, & radicem fungi nondum penitus absumptam esse, imò & præter radicem duo parva germina, in prima figura E. notata, adesse cognovissem, iterum pulverem E. notatum, & spongias madefactas imposui.

Sexta Julii, speculi & radiorum solis beneficio, nonnihil puris in profundo meatus auditorii oculis sese offerebat, in quo motus, veluti diastole & systole arteriarum, conspici potuit. Absterso pure, quia radicem mali nondum omninò absumptam esse animadverti, iterum laminam ceream, cui ex una parte nonnihil medicamenti escharotici annexeram, ad radicem ipsam applicui, & spongias madefactas superimposui. Radicem præterea fungi cranio adhærentem, imò ex ipso cranio originem traxisse, bellè apparuit. Septima, de eodem medicamento escharotico ad magnitudinem capitis aciculæ bis applicui.

Octava, electuario superiùs descripto, & B. notato ægram expurgavi, post prandium, cum radiorum solis & speculi auris beneficio meatum auditorium inspexissem, fungi vestigium nullũ nobis apparuit: qua de re in posterum nihil, præterquam pastillos Andronis, syrupo de rosis siccis dissolutos, imposui. Post dies tamen aliquot, quum in profundo auris, & illa quidem in parte, qua radix fungi fuerat, os denudatum invenissem sequentem pulverem catagmaticum, melle rosaceo parumque spir. vini mixtum, per mensem ferè integrum, me absente imponere jussi.

Pulvis catagmaticus.

℞ pulv. florum Betonicæ
Rosarum an. ℈. ß.
Rad. Iridis Flor.
Angelicæ
Cariophillat.
Masticis an. ℈. j.
Benzoi,
Styracis calamitæ an. ℈. j. ß.
Misce.

Post mensem quum ad ipsam rediissem, nullam amplius ossis denudationem inveni: qua de re ut in posterum pro corroboratione & exsiccatione partis affectæ, linimentum ex pastillis Andronis, & syrupo de rosis siccis imponeretur, corpusque per intervalla expurgaretur, ac optima victus ratio observaretur, consului. Sic divino aspirante numine pristinæ sanitati restituta fuit, qua & ad hodiernum usque diem 24. Octobris, 1613. (quo hæc scripsi) feliciter utitur, & quidem in matrimonio non infelici, proles præterea aliquot progenuit: & auditum, qui antea per annos aliquot deperditus fuerat, magna cum admiratione multorum recuperavit. Tam provida & diligens est natura: præcipuè si in juvenibus diligentia Medici intervenerit. Plura non adscribo, quandoquidem nobilissimum simul ac doctissimum virum, D. IOHANNEM DE MARTINES, ægræ nostræ fratrem (qui tibi, dum Heildelbergæ vixit, familiaris fuit) integram historiam, & successum curationis aliquando coram te narrasse, non dubito: quapropter ne prolixitate epistolæ metas transgrediar, subsisto, DEUMQ. OPT. MAX. suppliciter oro, ut te tuamque lectissimam uxorem & liberos, quam diutissimè conservare velit. Vale Vir amplissime, & æternùm vive, cum tuis, quos tecum ex corde saluto. Dabam Lausannæ Equestrium 24. Octob Anno 1615.

Observ. & 2.

OBSERVATIO II.

De hæmorrhagia narium, & purulentis auribus.

Viro amplissimo atque doctissimo DN. GREGORIO HORSTIO, *Philosophiæ & Medicinæ Doctori, & Illustrissimi Principis ac Dn. Dn.* LUDOVICI *Landgraffii Hassiæ, Medico celeberrimo, nec non in Illustri Academia Giessena Hassorum Medicinæ Professori ordinario, & pro tempore Rectori Magnifico.*

Guilhelmus Fabricius Hildanus,

S. P. D.

VErissimum esse quod dici solet, Magnifice DN. Rector, hominem proponere, Deum verò disponere, reipsâ experior. Paulò enim post abitum tabellarii, quem Generosus ille Fridbergensis ad me miserat, cùm iter ad meos dirigere proposuissem, DEUS Opt. Max. aliter de rebus meis disposuit. In morbum enim gravem incidi: qui vires meas mirum in modum exhausit. Nunc tamen, Laus sit Deo, febris remisit, & paulatim vires meas recolligo, ita ut si Deus cœptis faverit, tandem ad vos, meosque me conferre posse, sperem, Hæc ut Tua Magn. clarissimo viro DN D. GEORGIO FABRO indicare, eumque ex me salutare velit, rogo.

De Iaspide.

Ad literas, quas M. T. ad me dedit, paucis respondeo: inprimis autem annulus Jaspide ornatus occurrit, cujus vires non satis admirari possũ. Scio quidem, & ipsa experientia me edocuit, Iaspidem in hæmorrhagia multùm valere: sed qui virtutes adeò egregias atque manifestas, uti tua, ex se edidisset, nunquam me videre contigit. Itaque ut thesaurum huncce (post Deum enim, thesaurum vitæ tuæ, nimirum sanguinem tibi conservabit) Crœsi divitiis præferas, suadeo. Non enim omnes Jaspides sanguinem sistere, experientia docet: sed illæ solummodò, quę undique sanguinis instar rubicũdæ, nec ullo modo maculis albis aut obscuris conspersæ sunt: quæ, quia rarissimè reperiuntur, ut cæteris omnibus præferantur, & in pretio habeantur, rationi consentaneum est. De præclaris autem & admirandis operationibus Jaspidis in hæmorrhagia, exempla nonnulla apud ANSHELMUM BOETIUM DE BOODT lib. 2. c. 202. legantur: prudenter tamen ea uti licet. Quemadmodũ enim superfluæ evacua-

evacuationes periculosæ, sic & consuetæ, si retentæ fuerint, gravissimos morbos, nonnunquam & mortem inferre solebant. Quidam vir pius, & à teneris annis hæmorrhagiæ narium obnoxius, cum in senectute amuleto collo appenso, hæmorrhagiam inhibuisset, Apoplexia correptus fuit, uti observatione 11. hujus centuriæ fusiùs declarabitur. Nobilem quendam, cui hæmorrhoides suppressæ fuerunt, in paralysin incidisse, observatione 11. Centuriæ. 2. annotavi.

Ex imersione corporis in aquam frigidam poros obstrui, ac proinde sanguinem versus interiora recurrere, ibique aliquomodo effervescere, nullum est dubium; Interim tamen, quia hoc modo sanguis in venis refrigeratur, inspissatur, retineturque, non omninò in hæmorrhagia (cùm maxima ebullitio sanguinis adest, inprimis verò si æger juvenis, robustus, & corpore benè constitutus fuerit) reiiciendum est remedium hoc; præcipuè maximâ urgente necessitate, & quando ex duobus malis minus, ut dicimus, eligendum est; reliquaque remedia frustrà adhibita fuerint.

Quantũ autem ad effervescentiam sanguinis, quæ sola in hac Curatione hæmorrhagiæ, quæ fit per immersionem corporis in aquam frigidam, est timenda, illa facillimè Julapiis refrigerantibus & incidentibus, qualia ego obs. 17. cent. 2. præscripsi, corrigitur: non tamen, ut ingenuè fatear, nisi juvenibus convenit curatio hæc. In quibus & tutò adhiberi posse, testis est juvenis iste, cujus memini obs. 17. Centuriæ 2. Vivit enim adhuc, & ab eo tempore, nimirum ab Anno 1596. quo ex periculosa illa hæmorrhagia Divino favore liberatus fuit, optimè valuit.

Cæterùm occurrit affectus T. Magn. speculationibus non indignus. Habemus hic in vicinia, in Oppido Solignen, matronam piam atque honestam, quæ nunc vigesimum quintum annũ ætatis prætergressa est, illa à juventute in hoc usque tempus purulentas aures habuit. Extillat quotidie materia, aliquando cocta & digesta, nõnunquam quoque subtilis & tenuis, & tunc dolores adsunt, aliquando & fœtor percipitur. Cœlo existente frigido & humido, de dolore brachiorum conqueritur: procul dubio propter nervũ, quem ego ex nervo auditorio deorsum descendẽtem observavi; uti ex observ. 4. Cent. 1. videre poteris. Invisi illam aliquoties, aures quinetiã diligenter inspexi; & ut plurimum ductus auditorios materiâ purulenta repletos reperi. Ante menses duos cùm aures abstergerẽ, frustum cartilaginis semiputridi, ex ipso ductu auditorio extraxi. Id autem observatione dignũ in hoc affectu occurrit, nimirum aërem, clausis naribus & ore, tam violenter ex aurib. efflare & expirare, ut impositis pennis aut festucas illas expellat, & bullas in ipso pure excitet. Cujus rei ego aliquoties periculum feci. Interim tamen, quod admiratione dignum, auditum non multùm depravatum esse, & exiguã molestiam sibi adferre malũ hoc, ipsa ægra mihi retulit.

Vale vir Magnifice, & Fabricium tuum, ut facis, amare perge. Raptim Coloniæ Agrippinæ 27. Junii 1612.

Observ. 3. & 4.

OBSERVATIO III.

De purulenta aure.

Ae eundem virum amplissimum atq; doctissimum, DN. D. GEORGIUM HORSTIUM, Philosophum & Medicum summum, amicum singularem, cui Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

Quæ adversa, quæ tristia, quæque luctuosa, mihi post reditum meum ex Germania advenére, charissime atque amicissime mi Dn. D. ante dies circiter viginti ad te scripsi. Ab eo tempore, cùm filius meus major natu (quem superiori anno mecum in Germania vidisti) Geneva Lausannam rediisset, non diu post suum adventum peste quoque correptus fuit. Statim ab initio gravissimè laboravit, & ita quidem, ut nihil ferè spei salutis superesset. Elapso tamen septimo, symptomata sensim remiserunt, & hodie decimus quintus est dies morbi; quapropter ipsum nunc abesse periculo spero, sed fiat voluntas Domini, cui ego libenter, ut par est, subscribo, & memetipsum ipsius manibus submitto. Pestis etiamnunc vehementer hîc grassatur, & perpauci restituuntur. Deus misereatur nostrûm, & justissimam iram suam à nobis avertat.

Porrò de purulentis auribus, ante annum observationem quandam ad te scripsi, sed quia respõsum nullum abs te accepi, valde dubito an literas acceperis, an verò in via, ut sæpissimè accidit, interceptæ aut deperditæ fuerint. In omnem tamen eventum, iterum apographum ejusdem observationis nunc ad te mitto. Vt autem & epistola hæc aliquid, quo te oblectari possis, contineret, similem ferè casum tribus saltem verbis adscribere volui.

Civem quendam hîc habemus, virum triginta circiter annorum ætatis, cui cùm ante annos aliquot catarrhus cum maximo dolore in aurem sinistram decubuisset, abscessus in ipso ductu auditorio exortus est, ex quo tamen potiùs naturæ quàm medicamentorum beneficio curatus fuit. Ab eo tempore, quotiescunque os & nares claudit, ac buccas inflat, spiritumque vi expellere tentat, flatus tam impetuosè per aurem illam sinistram expirat, ut sibilus satis clarus ab ipsis quoque adstantibus facilè percipiatur, & candela, si auri admoveas, extinguatur. Dolorem tamen nunc nullum adesse, auditumque, quod tamen mirum, vix depravatum esse refert. Adscriberem quædam alia; sed præ mœrore manus tremulat, animusque simul laborat, quapropter ignosce nunc festinanti calamo, & impolito stylo. Vale vir Amplissime, & feliciter vive diu. Dabam Lausannæ Equestrium. 30. Octobris. 1613.

OBSERVATIO IV.

Nucleus Cerasi in auris meatum intrusus, naturæ beneficio per suppurationem expellitur.

Quomodo res extraneæ ex auris meatu, arte atque instrumentis eximendæ sint, Lector in prima Cent. nostrarum Chirurg. observ. 4. 5. & 6.

Margin notes: ...t. 2. — Observa... — Observa... — In immersione corporis in aquam frigidam. — De purulentis auribus.

Obs. 4. & 5. 4. 5. & 6. videre poterit; nunc nucleum cerasi naturæ beneficio, per suppurationem, rejectum esse, significabo. Anno 1610. Rev. viri D. Ionæ Merulæ, apud Aventicenses verbi divini Ministri fidelissimi, filio duodecim annorum ætatis, nucleus Cerasi in dextrum auris meatum infixus fuit. Hac de re, ut extraheretur nucleus, cùm solliciti essent parentes, (quia ego Augustam Vindelicorum profectus) empiricum advocant. Is etiamsi omnem suam diligentiam atque industriam adhiberet, nucleum tamen extrahere non potuit: imò profundiùs intrusit: idque non sine dolore & cruciatu: Est enim meatus auris exquisitissimo sensu prædítus. In ista autem operatione, hamulo acuto usus fuerat, quo ductum auris ita dilaceraverat, ut sanguis sequeretur, atque operationem impediret.

Remansit itaque nucleus usq; ad 14. Octob. Interim, etsi de magno dolore non usque adeò conquereretur puer, continuò tamen aliquid puris effluxit, superveniebant per intervalla & vertigines: quarum ob causam puer aliquando ex una in alteram partem vacillabat: caput quoque ad humerum dextrum continuò inclinabat. Cæterùm 14. die prædicti Mens. Octob. cùm pater puerum mihi adducere vellet, ac aurem inspiceret, nucleum ab ingressu auris undique pure immersum, animadvertit: illumque acie aciculi parvo cum negotio extraxit: Meatus enim auris materia purulenta, quæ nucleum extruserat, impletus erat. Postea brevî convaluit.

Annotatio ad Tyrones.

Etsi curatio hæc, atque expulsio nuclei ad votum successisse videatur, nunquam tamen hac methodo utendum, ac naturæ opus planè relinquendum esse suadeo. Multa enim variaque symptomata ex suppuratione harum partium oriri solent. Cùm enim ductus auris exquisitissimo sensu sit prædítus, facilè propter doloris vehementiam humores affluunt, atque membranam tympanum corrumpunt: Inde surditas. Non raro quoque os, quod exigua tantùm membrana investitum est, ex hujusmodi suppurationibus cariem contrahit. Carnem item fungosam ex ductu auris, propter suppurationem exortam esse, & fungum scirrhosum procreasse, ex præcedenti Observ. apparet. Diligentia itaque adhibenda, ut quicquid extranei auribus infixum est, protinus extrahatur.

OBSERVATIO V.

Ex sonitu Campanarum surditas sequuta.

PResbyter Reindorffiæ, pago haud procul à Colonia Agrippina ad littus Rheni sito, homo senex jam ac decrepitus, cùm quodam die in turrim templi ascendisset, ac ipsemet campanas pulsaret (quod ille tamen à multis annis non tentaverat) protinus dolore capitis, cum tinnitu aurium correptus fuit: nec non auditum perdidit. Ego post dies aliquot vocatus, pilulis aureis, cochiis & aggregativis ipsum purgavi, cucurbitulas scapulis, cum flamma & scarificatione applicui, auribus quinetiam anodyna adhibui & masticatoria præscripsi. His administratis, & optima victus ratione observata, dolor capitis quidem cessavit, auditum tamen non recuperavit: procul dubio propter senectutem, & disruptionem membranarum tympanarum.

Obs. &

OBSERVATIO VI.

Ex ictu bombardæ surditas sequuta.

ANno 1593. Iohannes Textor, vicinus ac compater meus, & 40. circiter annos natus, cum Hildenæ in illustratione quadam militum, humi jaceret, ac obdormivisset, accidit ut quidam ex sociis suis, jocandi ipsumque expergefaciendi gratiâ, ad aurem ejus sclopetum exploderet, somnolentus Textor semi-expergefactus, ex eo sono ita perculsus erat, ut propter maximam cerebri commotionem, sese ex uno in alterum latus convolvens, cibum crudum ac indigestum, cum maximis doloribus, evomeret. Vocatus ego, capillos abrasi, caputque oleo rosaceo inunxi: enema infudi, venam in brachio tudi, ac omnia quæ necessaria videbantur, adhibui. Tandem DEI singulari beneficio dolor capitis, reliquaque symptomata cessarunt, ac omninò convaluit, auditum verò istius auris, qui planè deperditus fuit, nonnisi post longum tempus recuperare potuit.

OBSERVATIO VII.

Ex casu ab alto surditas.

CIvis quidam Lustriacensis, ad lucem Lemanum, Estiene Chavant nomine, Vir probus, quadragenarius, mihique amicitia junctus, Anno 1601. ex alto in pavimentum decidens, vehementissima commotione cerebri correptus fuit. Ex quo casu protinus loquela privatus, cibum indigestum evomuit. Ego accersitus ad illum, omnibus, quantum fieri potuit, prospexi, adeò ut tandem omnia symptomata remiserint, ipseq; convaluerit, auditus tamen dextri auris, quem in ipso casu amiserat, hactenus nulla arte, nullaque industria restitui potuit. Tinnitus quoque auris continuò ferè ipsum torquebat. Et sæpissimè vertigine vexabatur; quapropter ut caput per intervalla pilulis capitalibus & masticatoriis expurgaretur, & cucurbitulæ scapulis applicarentur, suasi.

Septimo circiter anno post casum, cùm Dysenteriâ correptus fuisset, eaque gravissimè laborasset, tinnitus auris simul & vertigo omninò remiserant, ita quidem ut ad hunc usque annum 1616. quo hæc pro secunda editione revideo, quàm optimè sese habeat, auditum tamen non recuperavit.

DN. PETRI BLECHERETI, patritii Lausannensis filio, idem ex casu accidit. Sed nimis prolixum foret, omnia, quæ hujus rei exempla habeo, percensere: quotidie enim videmus, duces exercitus, atque præfectos tormentorum bellicorum, surdos fieri. Quandoquidem, tam ex sono tormentorum bellicorum, quàm ex casu in caput, cerebrum maximè & præter modum commovetur.

obs.7. & 8.

movetur, cõcutitur, atque ex una in alteram partem agitatur. Hinc membrana, quæ ex nervo auditorio efformatur, & in foramine auris expanditur (tympanum vel membrana tympani dicta, & auditus instrumentum præcipuum) quia ex motu isto violento supra modum agitatur atq; concutitur, aut disrumpitur, aut relaxatur, nonnunquam etiam ossicula auditui destinata, ut est Incus, stapes, & malleolus, suo loco removentur, unde fit auditus aut depravatio, aut abolitio. Si enim membrana tympani relaxetur, & ossicula dislocentur, spes aliqua auditum recuperandi superest, sin disrupta fuerit, de auditu actum est. Arbitror autem, in textore isto, cujus præcedenti observatione memini; membranam tympani tantummodò relaxatam; in his duobus autem disruptam dilaceratamque fuisse. Ex impetuoso enim sono membranam illam disrumpi posse, exemplum habemus in fenestris, præsertim chartaceorum, quæ ex sono tormentorum bellicorum, imò & sclopetorum; si in vicinia explosa fuerint, non raro ita agitantur discutiunturque, ut etiam disrumpantur: quod & ego meis vidi oculis. Hæc in gratiam tyronum recensere placuit, ut in prognosticis horum affectuum coram ægris, quid prognosticandum, ipsisque promittendum sit, edilcant.

OBSERVATIO VIII.

Matrona videns Epilepticum cadentem, infantem posteà epilepticum progenuit.

Ad virum amplissimum atque doctissimum, Dn. GREGORIUM HORSTIUM, &c. amicum singularem,

Cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus

S. P. D.

AD casum illum admirandum, de monstro Pragæ nato, Vir Magnif. ante annum ad te scripsi, varia quinetiam exempla de partibus mõstrosis addidi, ante mensem verò, de duplici vena emulgente observationem misi: omnia rectè tibi tradita fuisse, minimè dubito. In præsentia occurrit aliud exemplum, nimirum puellum morbo gravissimo, ex imaginatione matris, ut videbatur, correptum fuisse: Historia ita se habet.

Anno 1599. Honesta & pia matrona Coloniæ, juvenis, robusta, & optimo corporis habitu prædita, dum primò utero gestaret, & quadam die domesticorum negotiorum causà, urbem perambularet, ac quidam epilepticus ad ipsius ferè pedes in terram cecidisset, exclamasset, & ex una in alteram partem sese projecisset, mirum in modum perturbata perterritaque fuit prægnans. Post menses aliquot puellum feliciter enixa est: qui non diu post comitiali morbo correptus fuit. Multa variaque medicamenta, cum à Medicis Coloniensibus, tum etiam à me adhibita fuere, sed frustrà. Paulatim enim ita auctus fuit morbus, ut antequam annum ætatis attigisset, è vita discederet.

Obs. 8. & 9.

Cæterùm causam morbi in hoc puero, imaginationem matris fuisse, verisimile mihi videtur. Quandoquidem parentes sani & optimo corporis habitu etiamnunc prædìti sunt; ab eo quinetiam tempore liberos aliquot procrearunt; qui unà cum parentibus hucusque superstites, & morbo isto caduco nũquam obnoxii fuerunt.

Alia observatio.

Similis ferè casus Coloniæ quoque accidit. Matrona quædam pia, honesta, & mihi cognita, utero gerens, cum quadam die ad vicinam suam, morbo caduco graviter vexatam, vocata esset; atque in ipso paroxismo manus laborantis teneret, ictum pugni laborantis in ventrem recepit; perterrita quidem fuit vehementer, nihilominus tamen fœtum ante constitutum tempus non edidit. Feliciter peperit: non diu tamen post partum, epilepsia gravissima correptus fuit infans; quâ per horas 24. mirum in modum exagitatus & vexatus fuit. Ope Medicorum restituto, sed paulò post variolis correpto, extinctus est. Hæc ex relatione ipsius matris, ante paucos dies, cum essem Coloniæ, excepi. Verùm nihil certi constituere conabor, videlicet an imaginatio matrũ in his infantulis fuerit causa, nec ne? hoc tamen libenter ex te intelligerem, an etiam morbos ex forti imaginatione matris provenire posse, existimes. De monstris enim amplius non dubito: Ego aliquando tale quid evenire existimo; si enim imaginatio, teste Ioh. Riolano F. lib. de monstro Lutetiæ nato, in humores & spiritus manifestum habet imperium, & eorum ministerio, dum formatur fœtus, inordinata & insolenti figura delineantur externæ partes, cur non & morbi inde provenire poterunt? Vale vir Magnifice, & feliciter vive diu. Dabam Hildenæ ultima April. Anno 1612.

OBSERVATIO IX.

Ex Commotione cerebri, gravissima symptomata.

MATRONA Paterniacensis, juvenis, & optimo corporis habitu prædita Anno 1598. ictum lapidis ad supercilium dextrum recepit. Cutis quidem ad os usque incisa, calvaria tamen neque fissa, multò minus fracta aut impressa, imò vix denudata fuerat. Cerebrum verò adeò commotũ, ut mox in terram quasi semianimis decideret, quin etiam cibum indigestum evomeret. Incidit in manus Empirici, qui nulla habita ratione commotionis cerebri, vulnus tantummodò consolidare studuit; quod & brevi sanatum fuit: dolore tamẽ continuo capitis, præcipuè partis dextræ, vexabatur. Intra menses duos nervus opticus dexter adeò obstructus est, ut visum istius oculi planè amiserit; Exteriùs tamen in pupilla & circa corneam usque nunc nulla apparente macula. Vertigine quoque sæpissimè laborabat, & accessionibus epilepticis nonnunquam corripiebatur.

Cùm annos circiter octo in isto vitæ statu miserrimo vixisset, aucti sunt dolores capitis: Supervenerunt præterea convulsiones brachiorũ cum ingentib⁹ doloribus, in primis aëre existẽte fri-

Obs. 9. & 10.

te frigido & humido: ita quidem ut nunc à duobus abhinc annis lecto egredi non possit, & ad hunc usque annum 1608. decumbat: qualis verò erit exitus, tempus docebit.

Appendix.

Anno 1609. 3. Decemb. eadem Matrona convulsionibus brachii sinistri, cum maximis doloribus correpta fuit, & per dies aliquot laboravit. Ego tandem vocatus, brachium & nucham sequentibus oleis inunxi.

R. Ol. lumbricorum
Vulpini
Liliorum an. ℥ij.
Ol. Philosophorum & Therebinthinæ an. ℥ß.
Pingued. humanæ ℥j.
Misce.

Circa carpum cingulum ex corio humano applicui. His convulsiones cessarunt. Interim autem, dum ipsam curarem, aliquoties mihi retulit, se multoties fœtorem quendam, ex cerebro provenientem, percipere: Non quidem continuò, sed per intervalla, fœtorem porrò illum, etsi nō usque adeò molestus esset, aliquando tamen veluti lypothimiam sibi inducere, ajebat ægra.

OBSERVATIO X.

De periculoso catarrho suffocante.

De scabie, quæ infantibus circa collum, & in capite erumpit, curanda, valdè sollicitæ solent esse matres: cum potiùs natura, ut superfluitates atque excrementa hoc modo ad exteriora expelleret, provocanda esset, Ut plurimùm enim pueri, si in tenella ætate per scabiem non expurgantur, tandem aut illicò suffocantur, aut morbis gravissimis obnoxii fiunt, cujus rei fidem faciunt exempla sequentia.

EXEMPLUM I.

Dn. JOHANNIS RUDOLPHI AB ERLACH, genere, doctrina, virtute atque eruditione verè nobilissimi viri, & pro tempore præfecti Meldunens. prudentissimi filius, nunquam scabiei in capite aut circa emunctoria obnoxius fuerat. Robustus tamen, vividus & obesus erat, sed anhelitum aliquo modo difficulter trahebat: quod parentes ad obesitatem & constitutionem phlegmaticam corporis referebant. Circa 13. Iulii Anno 1608. Catarrhus copiosior in fauces, & circa asperam arteriam defluere incipiebat. Interim etsi appetitus minimè prostratus, & actiones corporis exercitiaq; puerilia probè exerceret, difficultas tamen respirandi ita aucta fuit, catarrusque tam copiosè ad fauces decumbere cœpit, ut 14. Jul. circa vesperam stertor aliquis circa fauces asperamque arteriam perciperetur. Cœnavit tamen pro more: sed quia difficultas spirandi, & stertor singulis momentis augebantur, eadem nocte nobilis iste vir ad me misit, auxiliumque petiit: rem tamen adeò periculosam esse minimè putans. Interim autem dum nuncius Lucentiis Paterniacum ad me perveniret, medicamenta à me acciperet, domumque rediret, catarrhus tam copiosè ad asperam arteriam defluebat, ut singulis momentis suffocationis metus adesset: & medicamentis quæ miseram, uti non posset. Confestim itaque ad me remisit nobilis, petiitque, ut ea qua fieri posset diligentiâ ipsum adirem. Sed antequam Lucentias pervenirem, puer jam maximis cum doloribus & cruciatu suffocatus fuerat, decima quinta nimirum Julii, & eadem die, qua secundum annum ætatis absolverat.

Obs. 11. & 1[2].

EXEMPLUM II.

Similis ferè casus accidit filio meo majori natu: cum enim ab ineunte vita nunquam scabiei obnoxius fuisset, & nunc septimum annum ætatis intrasset, quadam die catarrhus tam copiosè ad renes & ureteres decubuit, ut retentio inde urinæ, dolor maximus & continuus, inflammatio & gangræna sequuta sit: ex qua sexta die morbi animam DEO reddidit, ut in tractatu de gangræna & sphacelo declaravimus.

EXEMPLUM III.

Filius cujusdam nobilis in comitatu Marchiæ, quatuor circiter annorum ætatis, scabie & pruritu totius corporis, & præcipuè capitis, & circa emunctoria laborans, Dn. Cosma Slotano curandus adductus fuit. Is cùm scabiem hancce externis lotionibus, inunctionibusque minimè curandam esse, parentib. significasset, consilio Slotani amplius uti noluerunt, & empirico puerum curandum commiserunt. A quo à scabie quidē curatus fuit, sed in epilepsiam posteà incidit. Tū denuò D. Slotanus in consilium vocatus, primò corpus, quoad fieri potuit, diligenter expurgavit, optimumque vitæ regimen instituit: Deinde quæ epilepsiam debellare queunt, intus exhibuit, & circa suturam coronalem applicuit. Tandem vesicatoriis ex corticibus vitis nigræ ad emunctoria applicatis, humores excrementitios ad emunctoria attraxit, sic divina gratia puer iste ab epilepsia sanatus fuit, nec deinceps de scabie amplius solliciti fuerunt parentes.

OBSERVATIO XI.

Ex consueta Hæmorrhagiæ narium suppressione apoplexia.

Ad

Clarissimum atque doctissimum virum Dn. JOH. JACOBUM CRAFTIUM, *apud Neocomens. Doctorem medic. ordin. atque celeberrimum,*

Cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

Quemadmodum superfluæ evacuationes, Clarissime atque doctissime Dn. D. CRAFTI, periculosę, sic quoque videmus, si consuetæ fuerint retentæ, perniciosum atque exitiale esse. Id mihi cùm aliàs, tum etiam Lausannæ videre contigit. Historiam, quia annotatione non indignam esse sentio, T. Exc. communicare non gravabor.

SIMON CLERICUS, Aurifaber Lausannēsis, natione Gallus, homo pius, sanguineus & robustus, hæmorrhagiæ narium à juventute ita obnoxius fuerat, ut etiamsi sæpiùs sanguinis ad uncias aliquot pro vice efflueret, singulis annis,

aut

Obs. 11. & 12.

aut biennio semel tanto impetu erupit, ut difficulter cohiberi posset. Cujus rei ego testis sum ocularis. Anno enim 1586. cùm sanguis ei impetuosiùs copiosissimeque ex naribus proflueret, adeò ut de vita periclitaretur, unà cum clarissimo Dn. JACOBO AUBERTO VENDONE, piæ memoriæ, apud Lausannenses Doctore medico longè celeberrimo, amico ac fautore meo plurimùm honorādo, in consilium adhibitus, sanguinis fluxū ipsi non sine difficultate multisque laboribus restrinximus. Convaluit tamen divino favore, & per annos aliquot supervixit. Tandem adultior factus, cum eminens aliquod periculum ex crebra hæmorrhagia narium sibi metueret, & ad sanguinis profluvii præcautionem amuleto quodam collo appenso, fluxum inhibuisset, apoplexiā correptus fuit Anno 1589. Ex qua protinus animam Deo reddidit, cùm annum sexagesimum ætatis prætergressus esset. Post duodecim horas ab obitu, cum cadaver jam sepulturæ tradendum esset, sanguis copiosè è naribus & ore emanavit. Historia hæc rara est, multò tamen rariorem & observatione digniorem casum, quē nō ita pridem apud vos accidisse intellexi, esse existimo, quem nisi gravis fuerit, ut mihi communicare non graveris, obsecro. Epitaphium gallicum in viri prædicti obitum à filio ipsius, viro optimo pioque, & amico meo singulari, scriptum annectere placuit. Tu, quæso, omnia boni consule, & me te amantem redama. Vale Vir clarissime, & vive diu, Paterniaci Aventicorum 2. Augusti 1609.

Epitaphe.

Sur la rive de Marne à Matueil prius naissance
D'honorables parens: legitimes François:
Puis orpheure en mon art servant aut Lausanois:
Hors mon pays natal, prins au ciel accointance,

En oCtobre sept. IoVrs soVs Vne ApopLeXIe
Tost fVt SIMon LeCLer Cen eterneLLe Vie.

David le Clerc parenti
Charissimo P.

OBSERVATIO XII.

ἈΝΤΕΥΕΡΓΕΤΗΜΑ

In quo paucis ostenditur, quòd natura in quadam muliere menstrua retenta sæpe per os & nares excreverit, quæ tandem apoplexiā mortua, copiosè post trigesimam sextam mortis horam, sanguinem per jam dicta loca ejecit.

Ad
D. GUILHELMUM FABRICIUM HILD.
Medicum & Chirurgum solertissimum, amicum intimum, transmissum à
JOANNE IACOBO CRAFFTIO, *Bas. D. Physico Neocomense.*

PRinceps Peripateticorum ad Nicomachum scribens: Ingratitudinem maximum esse vitium: evitando ideò illud, æquum & justum esse censui, tua haud longè dissimilem, mutuæ nostræ amicitiæ ergò, historiam annectere, quam uti spero, raram si inveneris, ansam mihi præbes, & aliis insectari.

Obs. 12.

Apprimè allegat Hippocrates Aphorismo 3. sect. 1. *vbi docet*: Extremas & repentinas evacuationes lethales, contra consuetarū retentionem periculosam esse: *Cujus veritas unà ex parte in tua, ambabus in mea elucet. Consueti enim menses, cum retenti fuerunt, hæmorrhagiam pepererunt, quæ paulatim assuescendo tandem Apoplexiam excitavit, inde mors secuta, & longè post ingens effusio sanguinis visa est. Quomodo autem hoc contigerit, sequens historia, quæ sub finem elapsi anni hac in urbe accidit, manifestabit.*

Mulier quædam pia & honesta, nomine BONA DONBELLE, *Bysantina, commater mea, ætatis quadraginta annorum, valdè obesa, cacochymica, admodùm plethorica, destillationibus, doloribusque præcipuè capitis, ventriculi, suffocatione uteri (sicut ante biennium ipsam eâ laborasse, & per tres horas morti quasi similem fuisse, tum animum recollegisse, ego ocularis eram testis) nec non hæmorrhagiæ potissimùm eo tempore, quo menses retenti fuerunt, omninò sarcinam menstrualem copiosè per os & nares deposuit, à multis annis obnoxia fuit.*

Inde ipsam apoplexiā, (ut postea dicetur,) plethorica, cum subitò quasi attonita concidit, prius tamen benè se habens, & in officina sua nens, & motu excepta, perdifficili respiratione, pulsu vehementi, magno, ac veloci, & omni sensu privata, vitam cum morte commutasse, quid credibilius? affluxio namque ista consueta sanguinis, non neglecta intemperie, atq; mala dispositione ex inferioribus corporis partibus, majori ex parte ad cerebrum, quod omnium actionum animalium fons, author, & principale, nec non instrumentale subjectum apoplexiæ, absque violentia & agitatione internorum viscerum, sive valvularum, venarum præcipuè jugularium, tam internarum quàm externarum, ut Hippoc. 4. de vict. ac. *atque resistentia facta non fuit. Quamvis* FERNELIUS 5. De partium morbis & sympt. cap. 3. *assistente* Gal. 5. De sympt. causis cap. 6. & 3. 4. loc. aff. cap 2. 7. *asserat, apoplexiam fieri ex causis frigidis, pituitosis, lentis, crassis, & viscidis, quæ ventriculos afflati implent, sicut refert* AETIUS *capite de Apoplexia, functionem radiorum spirituum animalium impediunt transire ad musculos respirationis: unde systole & diastole diminuitur seu aboletur, ac finis respirationis tam cerebri, quàm cordis tollitur, qui est eorum refrigeratio, recreatio, sive augmentatio, & excrementorum expulsio, atque tandem vel subitò vel brevi, idq; secundum latitudinem obstructionum, uti in hac muliere vidimus, spiritus & functio animalis suffocantur: tamen alibi, ut* lib. de sang. miss. cap. 7. & 4. de vict. in morbis acutis comm. 27. in lib. introduct. sive Medico. *Avicenna* Can. 3. *non negant & plethora nonnunquam id fieri posse, quoniam, ut ajunt, tempore potissimùm Veris nonnulli venæ sectione ab ejusmodi morbo liberantur: id quod nobis in nostra muliere apparuit. Non eo tamen inficias, sanguinem pituitosum fuisse, quia maximè repleta ac cibis horariis, quibus summoperè delectabatur, crudos indigestosque humores fovit, putredo inde interna genita in causa fuit, quod sæpissimè febricula laboravit, unde cerebrum incalefactum, humores quodammodo liquescendo affatim delabi sivit. Sanguis insuper menstrualis retentus, sursum regurgitatus, ventriculos & ductus radiorum facultatis sensitivæ &*

motivæ

Obs. 12. motivæ, ita è toto occupans, replens, atque obstruens, ut vim animalem in reliquum corpus, præcipuè musculos thoracis, partim influere non permiserit, partim ipsos suffocarit. Insuper talem apoplexiam plethoricam fuisse plenius affirmatur, quod in agone mortis grumos sanguinis ex ipsius ore extraxi, sperans, eo modo maximè difficilem respirationem allevari: sed frustrà. Deinde non parvum adminiculum dedisse, planè credendum, hysterica passio, qua aliquando, ut superiùs annotavimus, laboravit: Et hoc secundùm Avicennam cap. 13. qui etiam Apoplexiam procreari dicit à communitate alicujus membri: maximam autem habere cerebrum cum utero, & contrà, lippis & tonsoribus notum. Et has fuisse causas, & quidem materiales, concomitantes quadam intemperie, totum cerebri corpus occupantes reor: quamvis aliam adjungat Gal Comment. Aphorismi 42. sect. 2. dum ait, fieri quoque à dispositione simili inflammationi: quod intelligitur ab Avicenna, Apoplexiam fieri à copioso sanguine, qui non egreditur vasa: id est, venas, arterias, aliàs fieret inflammatio, quæ tunc non esset διάθεσις φλεγμονώδης. Sanguis ergò vasa non egrediens, ea vehementer replet, affectum similem inflammationi efficit: Et fit angustia, quæ est compressio non substantiæ, sed pororum cerebri.

Summoperè certè admiratus, audiendo, ipsam quandocunque Menses suppressi erant, sanguinem & per os, & per nares ad aliquot dies copiosè exspuere atque emungere, ac ita sarcinâ menstruali per ea loca liberari: quod cùm factum, benè tum se habere, uti illæ, quæ mensibus per vias naturæ designatas purgantur.

Et hinc procul dubio una inter alias promitur ratio, quod non nisi semel, sicuti ipsamet mihi retulit, conceperit, & conceptum non diu retinuerit; quanquam hoc majori ex parte plethoræ, & magnitudini corporis adscribatur. Menses enim cum adhuc ordinariè & secundùm naturam fluebant, maximam semper copiam solebat excernere. Et hæc, qua fieri potuit brevitate, de duabus hujus historiæ partibus dicta sunto.

Nunc eadem conditione, relictis quàmplurimorum opinionibus & sententiis, & tertiam subnectemus, quæ est: longè post mortē sanguinē magna copia excrevisse. Quæ proinde, cùm mortua tempore consueto almæ matri committi non potuit, propter sororis distantiam, quæ ad funus etiam accersebatur: Ideo in hypocausto calido aliquandiu manens, ob fœtorem coacti fuere feretrum immittere, quod in culina erat, alias propter angustiam & incommoditatem domus, foras portari non potuisset: Locus non minus calidus, quàm in hypocausto; Addo & insuper, quod eo tempore loco frigoris, & Auster & pluviæ satis diu regnabant: quæ duo, calor videlicet externus, tanquam causa efficiens, & humiditas tanquam materialis, quamplurimum augent putredinem, ut Gal. 4. 9. Methodi Med. cap. 5. 3. Calor proin aëris ambientis in hoc cadavere putredinem non parùm juvit. Idq; secundùm putredinis naturam, ut Galenus 11. Meth. Med. 8. quæ est mutatio totius putrescentis corporis substantiæ ad corruptelam, à calido externo, vel in corpore ascititio vel aliunde adveniente: quæ omnia causam hujus fluxus maximè promovebant. Calor enim naturalis nondum omnino exstinctus, fotus præternaturali & adventitio seu extraneo, tam hypocausti, culinæ, quàm temporis Australis & pluvialis, proprio enim calore nihil corrumpitur, siquidem putredo juxta Aristotelem, est corruptio seu interitus proprii atque innati caloris, per externum & adventitium, in unoquoque humido proveniens: ex crudis, pravis, & retentis humoribus, putredinem, vapores atque flatus excitavit, qui quoniam calor non nimius non dissipat frigus non ingens, non coacti, seu condensati, uti Aristoteles dictitat, nimium calorem vapores consumere, contrà frigus eos consistere & impedire, verum horum medium fovere, ideò adeò aucti fuerunt, ut ventrem tympani instar intumefactum extendebant.

Obs. 12. Putred. quid ?

Nunc sanguis in venis contentus, ac nondum calore insito totaliter privatus, quamvis mors nihil aliud sit, quàm caloris nativi extinctio ut Galenus 2. de temperam. docet, motu vel intrinsecè vel extrinsecè excitato, ut videre licet in cadaveribus morte violenta sublatis, aliquando post multos dies ex vulneribus sanguinem promanare, potest moveri, non ilicò enim cessat, præcipuè in eis, qui morbis chronicis non sunt consumpti aut extenuati, quemadmodum fuit hæcce mulier, quæ nullo tunc temporis morbo apparente laboravit: quamvis videatur anima efflata corpus subitò refrigerari, poros, vias, ductusque ita contrahi atque coarctari debere, ut humores seu sanguis omnimodè in loco retineatur, & arctè incarceretur, propter insitam tamen arteriarum & venarum proprietatem, sanguis quamdiu in ipsis continetur, non coagulatur, extra verò quamprimùm, sed semper liquidum ac fluidum conservant, id quod ultra authoritates, autopsia nobis, & anatomicæ sectiones, uti & quotidiana experientia ostendunt, sicuti mihi semel Basileæ videre contigit, in quodam adolescente, qui aquis submersus, decimo sexto demum die repertus, merum, & non loturæ carnis similem, ut quis inferre posset, sanguinem per os & nares omnium cum admiratione ejecit. Putilaginosi igitur isti vapores ex tetris & fæculentis humoribus tanta copia excitati, humores in calore foventes, vias ductusque, quæ spacio viginti octo horarum contracta & clausa, proculdubio propter jam infrigidatum & rigidum cadaver erant, reserarunt, ac per ἀναστόμωσιν sanguinem excluserunt, ob compressionem flatuum in ventre inferiore excitatorum: qui adeò ventrem implentes ac replentes sanguinem præcipuè in vena cava contentum, sursum expulerunt ad venas jugulares, quæ sine dubio jam debilitatæ ac laxæ erant, potissimum internas: quæ magis apertæ propter calorem, qui aliàs aperit, rarefacit, liquescit, humores attenuat, & sic fluxum aliquo modo accelerare potens, ubi ἀναστόμωσιν consuetam sanguinis menstrualis exclusi reperiens, itaque propter repletionem erumpere cogens, & per os & per nares copiosè exiit, & hanc unicam hujusmodi fluxus fuisse rationem principalem, quamvis non ignorem, & alias multas posse esse, quæ ora venarum seu arteriarum cerebri, vel aliarum partium acredine, calore extraneo, casu, motu (fieri enim, inquit LEMNIUS, potest, ut sanguis, qui in venis delituit, agitato motoq; corpore erumpat) quantitate, qualitateve corrodunt & aperiunt: planè mihi persuadeo. Et hæc insuper etiam causa est, quod ter quaterve per horam colorem faciei mutarit, cum mox vividum, rubicundumque, mox pallidum ac morti similem habebat. Nam quoniam, ut diximus, admodum cacochymica erat, calor qui

Observatio.

lor qui conveniens ex putredine flatus excitavit, qui cùm comprimentes venam cavam, sanguinem sursum expulsum aliquid in venas capillares vultus intruserunt, qui tamdiu ibi manens colorem rubeum, quamprimum autem per os seu nares effluxus, fœdè pallidum peperit, alius deinde cùm appulsus, rursus vividum, cum ejectus, lividum effecit: idq; sæpißimè, ac per intervalla, quod adstantibus & causam hujus rei nescientibus maximum horrorem, dubiumque ipsius mortis incussit: existimantes, plusquam miraculum ac inauditum quid, nec non omni ratione destitutum esse: ideò me advocarunt, id cum vidissem, statim suprà recitatis rationibus cuilibet labellum compescui, terrorem excußi, & ad rectam veramque hujus rei opinionem induxi: & hoc per horas novem duravit, tandem post mortis horam 37. terræ commissa est. Atque hæc est mea succinctè conscripta historia, clarissime atque amantißime Dn. FABRICI, *quam nuperrimè cùm verbis audieras, Epistola hujc præcedenti simili conscripto casu à me exegisti, quam proinde sereno vultu excipere velis, etiam atq; etiam rogo. Vale iterum atq; iterum vale. Datum Neocomi 18. Calen. Sept. Anno:* FIDete seD an CIto VIDete.

OBSERVATIO XIII.

De curatione Maniæ in Iuvene quodam.

NICOLAUS LOU, ex pago Momagninensi sub præfectura urbis Aventicæ, Juvenis 29 annor. ætat. quùm plus æquo sese vino generoso Murati ingurgitasset, in febrim incidit continuam, eaque cùm graviter laborasset spacio 15. dierum, Dei & naturæ beneficio liberatus fuit, nullis adhibitis medicamentis. Sed paulò post Maniâ correptus, cum per 15. dies graviter detentus fuisset, ac tandem, die videlicet tertia April. 1606. me accersivisset, ipsum tali furore correptum offendi, ut duo viri, quantumvis robusti, vix eum continere potuerint, noctesque diesque sese ex uno lecti latere in aliud conjiciebat agitabatque, neminem agnoscebat, ne domesticos quidem, vestes, linteamina, culcitram dilacerabat, imò & proprium corpus dilacerasset, nisi adstantes præcavissent, vociferabatur item, continuòque loquebatur, nec somnum capessebat.

Ego itaq; pro primo apparatu statim sequēs ipsi Enema exhibui.

Enema.

R. Radic. & folior. malvæ
folior violar.
mercurial.
flor. chamomil.
melil. an M j.
sem. anisi & fœnograeci an. ℥ß.

Coquantur ad consumptionem tertiæ partis. In ℔ j. colaturæ dissolve salis p. ij. vitel ovor. n. ij. mellis cochlear. j. butyri recent. ℥ij.
Misce F. Enema.

Vena sectio. Rejecto Enemate, medianam dextram incidi, extraxiq; ad ℥viij sanguinis.

Emulsio. Post venæ sectionem, emulsionem amygdalar. & semin. cucurbitæ ipsi pro cœna exhibui.

Alterâ die præscriptum Enema bis, nimirū ante & post prandium injeci, jusculisque avenaceis & hordeaceis, lacte item amygdalato illum nutrire curavi: loco autem vini decoctum hordei, agrimoniæ, veronicæ, & ceterach, cui nonnihil succi granor berberis commixtum esset, ei exhibui. Illa vespera denuò præscriptum pondus Laudani propinavi.

Tertia die, quæ erat 5. Aprilis, præscripsi potiunculam sequentem.

Potiuncula.

R. Confection. Hamech ℥iij.
electuar. diacathol. ℥ij.
Syrupi rosar. solnt. ℥j.
Cum decocto pectorali fiat potiuncula.

Sexta & septima die mensis hujus, nullum ei medicamentum exhibui, sed ut optimam observaret victus rationem, nihilque aliud, præter decoctum suum hordeaceum biberet, imperavi. Hinc aliquantum dormire cœpit, adeò ut reliqua symptomata omnia potius diminui, quàm augeri viderentur.

Octavâ dicti mensis die, cucurbitulas scapulis, cum magna flamma & scarificatione admovi.

Nonâ verò sequentem exhibui potionem.

Potio.

R. Radic. lappatii acuti ℥ß.
herbar. agrimoniæ
Veronicæ
Cuscutæ
Polytrichi
Ceterach. an. Mß.
Sem. anisi &
folior. senæ mundator. an. ℥ij.
In hujus decocti ℥iij.
dissolve extracti nostri cortic. Esulæ gr. xii.
Extracti nostri Ellebori nigri gr. vj.
Aq. cinamomi destill. sine vino ℥ß.
Misce, fiat potio.

Die 12. denuò modò præscriptam potionē sumpsit.

Die 13. secundò cucurbitulas cum scarificatione applicui.

Hisce remediis, optimâ observatâ victus ratione, corporeque per intervalla expurgato, divino favore plenissimè in integrum fuit restitutus.

OBSERVATIO XIV.

De falsis imaginationibis, quæ supervenire solent iis, quibus membrum aliquod abscissum est.

HISTORIA PRIMA.

Clarissimo & Præstantissimo Viro Dn. GUILHELMO FABRICIO HILDANO, *Medico Paterniacensi ordinario, Chirurgo ut exercitatißimo, ita felicißimo,* MICHAEL DORINGIUS D. *& in Illustri Academia Giessena Medic. Professor public.*

S. P. D.

D*Vas hactenus, Clarißime Fabrici, brevi à te accepi literas, amoris ergà me tui plenißimas: ad quas ut prolixius nunc respondeam: temporis non fert conditio. Sunt enim multa, de quibus deinceps per literas tecum agere decrevi: nunc tamen non licet, & de gemina responsione, quam tibi ad duplicem observationem, de Vvulæ scilicet relaxata, de Hydrocephali* tura-

Obs. 14. curatione, adhuc debeo, nihil dicam: sunt certè non vulgaria, quæ hoc semestri in praxi observavi. Scripsit proximè de Dysenteria nonnulla; Scribam verò in posterum de eadem alia, quorum duo præcipuè erunt capita. Primum ostendet, in quos morbos nupera nostra Dysenteria desierit. In altero quæram, utrum Dysenterici, qui primò statim insultu frequentissimè deiiciunt, facilè emergant? Deinde singularem quoque de polypo narium observationem, quemadmodum aliam itidem de causa gangrænæ & consequentis sphaceli, nata ex venarum pedis sinistri in defluxione frigida, & hanc comitante atrophia, sectione à Cheirurgo quodam tentata susceptáq; data occasione ad te perscribam.

Nunc illud solùm præterire nolui, ne vacuam planè ad te mitterem Epistolam: miram scilicet Phantasia ipsiusq; sensus communis esse vim, ut objecta dudum absentia, quæ vel molesta, vel consueta saltem aliquando fuerunt, tanquam præsentissima vel aversetur, vel amplexetur. Illius rei exemplum notabile non ita pridem (nempè ante dies decem, dum hæc scribo) in Pastore quodam septuagenario, qui Ecclesiæ paganæ (quæ est in pago Eychen vocato, tribusque Giessa miliaribus distante) ad annos aliquot viginti inservivit, ipsimet mihi observare licuit. Cùm enim tibia ob pedem sphacelo depastum abscissa, truncóq; obligato vix dum in lectum repositus esset: de nullo alio conqueri cœpit, quàm maximum pedis affecti digitum unicè se dolere. Et quod forsan mireris, locum in sponda digitis notabat, in quem pes affectus reponi antea solebat, ut ita majorem adstantium fidem demereri videretur. Mirum verò & hoc, quòd non tantùm digito isto dudum abscisso, sed & tota tibia jam recentissimè à Cheirurgo amputata, prædictum symptoma incurrerit. Cujus rei rationem ecquam tu aliam adferas, quàm quæ paulò ante à me adducta est? Quod cùm ab ægroto tam constanter affirmari audirem: incidit tùm temporis commodè historia quadam, à te, nisi fallor, coràm aliquando recitata, & huic non absimilis. Cùm enim alius tibia amputata se eadem minimè destitui putaret, atque è lecto surgeret, in terram devolutus suo didicit periculo, tibia sese carere. Quare cum recitarē, æger confestim exclamavit, & se valde metuere, ne idem sibi posteà obtingat.

Observationes tuas Chirurgicas cum aliis laboribus, quod aliquandiu supprimis, non quidem ob rationes à te adscriptas, malè facis. Tracta tamen cum Bibliopola aliquo Witebergensi hac de re. Sat scio futurum, qui operam suam offerat. Si placet, ego ad aliquem scribam. Nec deerit noster Horstius: qui, quia coràm nunc adest, optimè te juvabit. Nolim enim præclara tua inventa diutiùs apud te detineri, quin plurimis innotescant. Habebunt enim non Chirurgi saltem, sed & Medici, quid inde discant. Sed abrumpendum epistolæ filum, aliàs enim prolixiùs scribam. Vale, Dabantur Giessæ Hassorum, die. 26. Mart. Anno 1610.

OBSERVATIO XV.

De falsis imaginationibus, quæ supervenire solent iis, quibus membrum aliquod abscissum est.

HISTORIA ALTERA.

Clarissimo atque doctissimo Viro, DN. D. MICHAELI DORINGIO, *in Illustri Academia Giessena Hassor. Medicinæ Profess. longè celeberrimo, amico singulari,*

Guilhelmus Fabricius Hildanus, *S. P. D.*

TUas, Clarissime & semper mihi amantissime D. Doct. Doringi, heri hîc Basileæ (ubi nunc per mensem integrum hæreo) accepi. Et quia in iis nonnulla pulchra & annotatione digna continentur, gratissimę mihi fuere, ideoque prout tempus & occupationes nunc mihi concedunt, ad singula aliquid respondere conabor. Inprimis autem, ut responsum ad observationem de Uvula relaxata maturare digneris, obnixè rogo.

De dysenteria tibi debeo observationem singularem, quam pro tertia Centuria reservabo, Interim tamen, ut Excell. T. quæ circa morbum huncce observavit, communicare ne gravetur, rogo. Adscribe quoque, quid tibi de prunis in dysenteria videatur; quidam enim, cujus Tractatum Germanico idiomate editum, apud me vidisti & legisti, illa ad cœlum usq; extollit.

Exemp. pericu. venæ s. ctionis De periculosa venæ sectione superioris Autumni exemplum memorabile mihi videre contigit. Cùm enim Soloduri apud nobilem virum D. JACOBUM WALLIER, ictu sclopeti graviter læsum, unà cum clarissimo D. ANDR. WEICKHIO Medic. Doct. convictore meo plurimùm colendo hærerem, vocati fuimus ad quinquagenarium hominem cacochymicum, & ad hydropem proclivem. Is ante aliquot dies cephalicam dextram sibi incidi curaverat, non solùm impurgato corpore, verùm & eadem die stomachum crapulis multis (ut Germanorum nostrorum, ein newes/ Ich sage/ böses Geblüth zumachen/ mos est, atque pessima consuetudo) onerato. Et quia corpus summoperè cacochymicum, & pravis humorib⁹ refertum, altera die à venæ sectione supervenerat dolor aliquis circa locum incisum, mox sequuta est inflammatio & adfluxus humorum adeò magnus, ut præ dolore noctes diesq; minimè quiescere posset. Brachium enim usque ad humerum, & manus supra modum in tumorem elevabantur, & ut verbo dicam, gangræna proxima erat. Ego prima nocte, præter topica convenientia, ad grana 4. laudani ei exhibui, cujus beneficio ea nocte benè quievit. Postera die ad ℥v. Elect. diacatharmi in forma tabellarum propinavi, sed vix semel alvum subduxit, uti nec ʒj. pilularum cochiar. & de hermodactyl. cum granis aliquot trochiscorum alhandal. & diagridii. Interim dum hæc absque magno successu adhiberem, dolor ægrum, anxietas verò barbitonsorem qui venam inciderat, cōtinuò excruciabāt. Ideoque extractum phlegmagogum ad grana 14. exhibui, quod alvum quater aut quinquies subduxit, & vomitum semel movit. Subsequenti nocte à purgatione optimè quievit, sed ubique in brachio pustulæ eruperunt, ex quibus humor serosus copiosissimè septem aut octo dierum spacio effluxit. Postquam verò denuò prædictum

extra-

extractum exhibuissem, & in topicorum applicatione nihil prætermisissem, intra dies 14. ex hoc tam gravi & periculoso symptomate liberatus fuit.

alsis ginatibus.

Cæterùm illos, quibus membrum aliquod insigne, veluti brachium, aut crus amputatum est, interim dum truncus dolore, inflammatione, aut simili aliquo symptomate afficitur, sibi imaginari, digitos, manum aut pedem dolere, mirũ non est. Id enim omnibus ferè, quibus aliquod horũ membrorũ amputatum est, accidit: Quandoquidem spiritus sensificus per nervos fluens, sẽsum istius partis amputatæ, in quam influere solitus erat, repræsentat. Sed quia ulteriùs progredi non licet, à trunco ad sensum communem reflectitur, fitque ibi falsa imaginatio. Verùm finita curatione, perrarò imaginationes hæ locũ habent. Paterniacensi tamen cuidam, JACOBO DENISIO nomine, cujus cum crus dextrum ad genu abscidissem, non modò præsentibus adhuc circà truncum doloribus, ingentes insuper adhuc dolores circà talum & digitos pedis pati, atque pedem nunc frigore, nunc calore nimio affici, verùm etiam absoluta curatione, hujusmodi non rarò sibi persuadebat. Post duos enim annos à curatione absoluta, coram D. MERULA, verbi divini ministro, & quibusdam aliis (& si rectè memini, tua quoq; Excell. unà cum URSTISIO nostro aderat) testatus est, frequentiùs se arbitrari, pedem, talum, & tibiam sibi adhuc dolere. Sed quod mirandum, circà finem curationis, cum quadam die somno expergefactus, alvum exonerare vellet, apud sese (domestici enim non aderant) disputare cœpit, num solus lecto egredi posset, anque ambas tibias haberet, nec ne. Tandem cum apud se conclusisset, tibiam nequaquam amputatam esse, sed optimè sese habere, lecto egredi tentat, verùm graviter deceptus fuit, mox enim in terram prolapsus, truncum vehementer læsit. Imaginatio autem hæc ei non ex phrenesi, aut alienatione aliqua mentis proveniebat. Quandoquidẽ tùm temporis optimè sese habebat, & febre, doloreve omninò carebat. Est igitur referenda ad causas superiùs commemoratas: quas si fusiùs videre cupis, ea, quæ D. LAURENTIUS JOUBERTUS, Philosophus & Medicus longè celeberrimus, in suo tractatu de vulneribus Sclopetorum, hac de re scripta reliquit, inspicere poteris. Mihi sat erit meminisse Tyrones, ut curam vigilantiamque adhibeant, ne ægroti propter falsas hujusmodi imaginationes, truncum commoveant, sicque hæmorrhagiam & dolorem gravissimum incurrant. Id enim cuidam ægrotorum meorũ sexagenario Granchiis, in agro Paterniacensi, accidisse, memini. Huic cum propter contusionem & fractionem insignem ossium, brachium sinistrum ad cubitum amputassem, ille verò tertio die post me absente brachium (quod minimè sibi amputatum esse persuadebat) extendere, & manu nescio quid apprehendere vellet, denuò apertâ venâ hæmorrhagia magna ac virium prostratio sequuta est, ita ut paucos post dies è vita discesserit. Iter de quo aliàs ad te scripsi, quãdo suscipere possim, adhuc mihi non constat. Interim pro humanitatis tuæ officiis, quę ultrò mihi offers, & quod de imprimenda secunda Centuria observationũ Cheirurgicar. sollicitus sis, immortales ago habeoq; gratias. Ego vicissim si qua in re tibi gratificari potero, non deero officio meo. Vale vir clarissime, & in perpetuum mihi charissime, cũ lectissima tua conjuge, quam tecum peramanter saluto. Dabantur Basileæ Rauracor. 20. April. 1610.

Historia prima. — Nota. — Historia altera.

OBSERVATIO XVI.

Obs. 16.

Phrenitis cum sudore frigido curata.

Rarissimè visum est, aliquem morbo acuto laborantem, sudore frigido superveniente, sanitati restitutum fuisse. Tantam enim humorum frigidorum, Galeno attestante, in corpore copiam sudor iste indicat, ut neque à calore nativo (qui extinctioni proximus est) neque à febrili possit calefieri, sententiam itaque Hippocratis, *Sudores frigidi in morbis acutis mortem significant*, verissimam esse, experientia docet: quendam tamen sic affectum evasisse, observavimus.

Comment 38. lib.4. Aphor. Hippocr.

Lib.4. Aphor.38 & prædict. l.1 cap.11.

Anno 1597. Mense Decembr. CLAUDIUS MARIONUS Lausannensis, Pharmacopola exercitatissimus, & in re Pharmaceutica Præceptor meus fidelissimus, febre continua correptus fuit. Amplissimis itaque viris Dn. CLAUDIO AUBERIO, IACOBO AUBERTO VINDONE, & ABRAHAMO MARELLO, apud Lausannenses Medicinæ Doctoribus longè celeberrimis, in consilium vocatis, secunda die morbi unanimi consensu infusione Agarici & Rhabarbari, addito syr. rosarum solut. & aqua cichorii purgatus fuit: postridie quoque venam ei in brachio incidi. Quarta die morbi in Phrenesin incidit, neque indicium ullum crisis, multò minus septimo apparuit. Hinc febris, delirium, reliquaque symptomata ita aucta fuere, ut de recuperanda valetudine nihil amplius superesset spei. Ego tamen tunc adhuc juvenis viginti quinque annorum ætatis, nihil eorum, quæ à prænominatis viris clarissimis mihi injungebantur, prætermisi, sed propter viri hujus tam probi, tamq; eruditi, in me singularem benevolentiam atque amicitiam, dies noctesque circa ipsum versatus fui. Invictus itaque ratione & administratione medicamentorum, cùm internorum, tum etiam externorum, nihil prætermissum fuit: febris nihilominus erat vehemens, conjuncta cum continuis vigiliis. Undecima die sudore universali eoque frigidissimo, cum extremitatum frigiditate correpto, fonticulis quin etiam, quos per aliquot annos, alterum in brachio sinistro, alterum in crure dextro gestaverat, exiccatis, cùm nihil aliud præter mortem proximam expectaremus, citra omnium nostrorum spem atque opinionem alleviatus fuerat. Nos deinde, & victus ratione, & potionibus cordialibus, epithematibusque, vires, quantum quidem fieri potuit, instauravimus; enematibus quin etiam suppositoriis, cucurbitulis atque scarificatione, materiam & vapores ad caput ascendentes, divertimus; fonticulis item, ut humores excrementitii ac superflui attraherentur, linimentum

aliquod acre imposuimus, interim tamen delirium & vigiliæ nondum cessaverant. Vrina furfuracea, & in superficie pinguis erat, nox quæ decimumquartum præcedebat, molestissima ac inquieta illi fuerat, juxta illud Hippocratis, *Quibus crisis fit, his nox ante accessionem gravis.* Ea vero nocte, quia natura denuò ad sudores movendos sese aliquomodo præparare videbatur, summo mane ex divini Hippocr. nostri consilio, *Quæ ducere oportet, quò maxime natura vergit, per loca conferentia eò ducenda*, à præallegatis viris clarissimis potiuncula ex theriaca, lapide bezoardico, parumque confectionis Alkermes, aqua cardui benedicti dissoluta, ei præscripta exhibitaque fuit. Circa horam decimam matutinam, uti & tota illa die, sudor calidus copiosè emanavit, ita ut eadem die subuculam aliquoties mutare coactus fuerit. Subsequens nox levior ipsi fuit, uti & febris imminuta, delirium quoque paulatim remisit, adeò ut ante vigesimum maxima omnium admiratione, ex omni periculo liberatus sit, tandemque ita convaluerit, ut ad annum usque 1605. sanus & incolumis vixerit.

Obs. 16. & 17. *Lib. 1. Aphor. 13.* *Lib. 1. Aphor. 21.*

OBSERVATIO XVII.

De periculosa hydrocephali apertione.

Ad

Clarissimum atque Doctissimum Virum, Dn. D. MICHAELEM DORINGIUM, *in illustri Academia Giessena Hassor. Medic. Professorem longè celeberrimum, amicum singularem.*

Cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. D. P.

PErjucundum nobis fuit intelligere, Vir undiquaque doctissime, & amice integerrime, quod Deus Opt. Max. te in illustrem Academiam Giessenam vocaverit. Ego Deum Ter. Opt. Maximum, qui scaturigio est omnium scientiarum, suppliciter oro, ut T. Exc. Spiritu suo sancto benignè illustret, ut Provinciam hancce nobilissimam, ad Dei gloriam, utilitatem ac commodum proximi, inprimis Æsculapiadeæ familiæ, tuamque salutem, in multos annos animo magno ac forti agere possis.

Responsum ad observationem de Uvulæ relaxatæ curatione, uti quoque historiam de morte ac obitu parentis tui, piæ memoriæ, quam promittis, avidè exspecto. Responsum enim tuum observationi libenter annecterem & secundæ Centuriæ, quæ si Deus Opt. Max. cœptis nostris faveat, cum nonnullis aliis brevi prodibit, insererem.

Quòd de studiis filii mei sollicitus es, & pro officiis quæ ipsi & mihi ultrò offers, immortales ago gratias; & curabo, si Dominus vitam extenderit, ut quanti te faciam & amem, intelligas, Descriptionem emplastri Slotani, ac ol. ex floribus nunc mittere non licet, brevi tamen eam, Deo dante, à me accipies. Cæterùm quia Chirurgicis operationibus te summoperè oblectari sciam, visum est adjungere casum annotatione non indignum.

Aquiliæ ad Rhodanum fluvium, in ditione Reip. Bernensis, superiori Anno 1608. puella ex parentibus honestis, corpore quinetiam satis benè constitutis & temperatis, natus fuit, nisi quod mater, quæ antea, si rectè memini, bis utero gestaverat, etsi natura satis robusta, totum tamen gestationis tempus præter consuetudinem corpore aliquo modo imbecillior fuerat. Nihilominus nato infantulo, nulla deprehensa fuit in ipso deformitas, aut vitium in conformatione, omniaq; ut videbantur, secundùm naturam sese habebant, præter oculum sinistrum, qui aliquo modo depressior altero videbatur. Quum verò tertium mensem ætatis vix absolvisset, caput paulatim accrescere cœpit, ita ut antequam infantulus octavum mensem ætatis attigisset, magnitudinem capitis cujusvis hominis longè excederet, ita enim aqua limpidissima extendebatur cranium, ut cutis omnesque subjectæ partes pellucidę redderentur, & posita ex adversa parte cendela, aut ad radios solares collocato capite, aqua ista facillimè conspiceretur in capite. Interim etsi infans continuò valdè morosus esset, lactabat nihilominus, & alimenta infantium more sumebat, quibus tamen corpus minimè nutriebatur; sed nurimentum totum ad caput differebatur. Porrò cum genere & virtute verè nobilissimus vir, Dn. ANTONIUS AB ERLACH, ejus loci nomine Reip. Bernensis pro tempore præfectus prudentissimus, fautor meus omnimodè observandissimus, hujus rei inspectionem ocularem ipsemet habuisset, meque rerum rararum curiosum agnovisset, Mense Martio proximè elapso, ut ad se proficiscerer, per literas me monuit, idque ad eum finem, non solùm ut infantulum suum hernia laborantem, quemque tunc sub curatione habebam, inviserem, verùm etiam casum huncce infrequentem annotarem, ac consilium imò & auxilium meum adderem. Sed quia Burgum Segusianorum, Galliæ Provinciam, ad nobilem virum Dn. JACOBUM WALLEY, ictu Sclopeti graviter læsum, tum vocatus fueram, puerum huncce adire mihi non licuit.

Cæterùm, interim dum per menses aliquot Burgi & Lugduni hæsi, Chirurgum juvenem, ingeniosum tamē satis, in consilium adhibuerunt. Is inciso bregmate dextro, aquæ claræ ad libram unam circiter pro prima vice extraxit; mox turundam imposuit, & emplastro quodam vulnus obturavit. Sed quia caput turgebat aqua, ita ut & continuò & copiosè efflueret, vires adeò debilitatæ fuere, ut intra horas triginta sex è vita discederet, cum menses novem, & dies quatuor vixisset.

Hæc ex relatione ipsius parentis habeo. Quum enim vigesima die mensis Junii, Aquileam ad prædictum generosum virum vocatus essem, parentem defuncti infantis, Jehan Baptiste Petraux nomine, advocari jussit, qui coram generoso viro Dom. Præfecto, omnia quæ acciderant, narravit.

Vides itaque, vir clarissime, quàm periculosa sit apertio cranii & evacuatio aquæ hydrocephalis, idque non immeritò. Continetur enim,

Obs. 17.

enim, ut ego bis in hydrocephalorum dissectionibus observavi, aqua in ipsis cerebri ventriculis, ideoque si quis illam evacuare tentat, meninges simul & substantiam cerebri ut incidat, necesse est. Hæc autem absque mortis discrimine fieri non posse, etiam tyrones norunt. Quid igitur, inquies, erit agendum? Profectò ut ingenuè fatear, morbum hunc planè incurabilem esse, cùm ratio tum etiam experientia mihi suadet. Quoad experientiam, scio clarissimum atque doctissimum virum DN. JOHANNEM SLOTANUM, apud Colonienses Doctorem Medicum longè celeberrimum, in infantulo suo, cujus ad calcem observat. 10. Cent. 1. fit mentio, non solùm omnem curam, diligentiam, industriam, atque scientiam suam adhibuisse, verùm etiam aliorum in re medica clarissimorum virorum per Germaniam, consilium auxiliumq; implorasse, sed oleum, ut dici solet, & operam perdidit. In altero præterea infantulo, cujus in eadem observatione fit mentio, similiter multa variaque medicamenta à viris doctis frustrà adhibita fuere. Quod ad rationes spectat, nullus negare potest, morbum hunc magnum esse, ideòque juxta Hippocratem extremis indigere remediis. Extrema autem remedia sunt sectio, ustio evacuationes item fortes, & exquisita victus ratio. Sed quis quæso hujusmodi remedia in tenellis istis infantulis adhibere ausus esset? Adest præterea tanta cerebri labefactatio atq; imbecillitas, ut non solùm major pars nutrimenti sui proprii in serum convertatur, verùm etiam excrementa serosa ex infimis partibus corporis recipiat: solent enim membra fortiora continuò ad imbecilliora demandare. Hinc accidit, quòd reliquum corpus hydrocephalorum minimè nutriatur, etsi membra nutritioni inservientia, optimè & secundùm naturam sese habeant, ut in istis dissectionibus, quarum observ. 10. Cent. 1. fit mentio, observavimus. Imprudenter itaque agunt illi, qui in hydrocephalis multa promittunt, sectionemque tentant. Tibi quid videatur, rescribe.

De Apollonia Schriera.

Ante mensem Apolloniam Schriers iterum cum multis aliis nobilibus invisi, nullam ferè video in ipsa mutationem. In primo ingressu ad ipsam pulsus nullus apparebat, forsan propter commotionem perturbationemq; aliquam animi, quam ab improviso aspectu nostro concipiebat, tandem verò cùm ab ipsa discessuri essemus (fuimus autem per horam integram apud ipsam) robustus & æqualis quàm bellè sentiebatur. Nasus, apices item digitorum cùm manuum tum etiam pedum, frigidæ erant.

Circa genua tamen, poplites & humeros, calor satis temperatus erat. Venter magis magisque deprimitur, ille autem cum detegendus esset, protinus color faciei aliquomodo rubicundior factus est, procul dubio propter verecundiam. Vultus præterea, brachia reliquæque partes corporis, aliquantùm magis extenuatæ, quàm hactenus mihi videntur. Vale vir clarissime, & meo nomine quæso saluta literatos apud vos omnes, ipsisq; officia mea ac observantiã omnem offer. Paterniaci Aventicorum 12. Julii 1609.

Obs. 18. & 19.

OBSERVATIO XVIII.

Artificiosus Hydrocephalus.

ANno 1593, Lutetiæ Parisiorum puer quindecim aut octodecim circiter mensium ætatis visus est, cui capitis ita extensa erat cutis, ut magnitudinem capitũ infantulorum, quorum observatione decima Centuriæ primæ fit mentio, excederet. Parentes autem hujus infantuli ipsum de oppido in oppidum circumvehebant, ac ut monstrum videndum exponebant, indeque maximum lucrum quæstumvè recipiebant.

Tandem verò cum concursus hominum esset magnus, & magistratus Parisiensis pro singulari sua prudentia dolum malum & fraudem subesse suspicaretur, parentes in vincula conjecit. Quæstione adhibita, delictum crudele atque impium fassi sunt, nimirum se cutem capitis infantuli sui, circa verticem ad musculos usque incidisse foramine parvo, ac per illud ipsum (intra cutem & musculos immissa fistula) inflasse, ac paulatim, & intra menses aliquot (inflando singulis diebus aliquoties) cutem capitis infantuli in istam extendisse altitudinem, cunctisq; hinc inde per Galliam, quæstus faciendi gratia, visendi exhibuisse.

Foramen autem ea industria fecerant, ut extracta fistula, cera aut simili aliqua materia illud facilè obturare possint. Nefando ac immani scelere satis explorato ac cognito, parentes ambo morte mulctati fuerunt.

Historiam hanc nobilissimus DN. LUDOVICUS WALLIER, (qui se puerum huncce Parisiis vidisse affirmat) præsente nobilissimo Viro Domino Philippo Destauaye, Seigneur de mololins, mihi anno 1609. 23. Maii communicavit, eamq; hic adscribere visum est.

OBSERVATIO XIX.

De monstroso hydrocephalo.

ANno 1611. Mense octobri, Hildenæ in patria, & posteà Düsseldorpiæ, juvenem hydrocephalo laborantem vidi, erat ille octodecim annorum ætatis, & ex superiori Germania oriundus, caput monstrosum erat; Rotunditas enim capitis pedes duos Geometricos, & pollices decem continebat. Altitudo capitis ejusdem erat magnitudinis. Reliquum corpus, inprimis pedes, (qui contorti & retracti) & crura extenuata erant. Cranium autem non membranosum, ut plerumque solet esse hydrocephalorum, sed durum solidumque undique tactu persentiebatur. Mente non usque adeò constabat: loquebatur tamen satis distinctè. Comedebat avidè & multùm: sed mirum in modum ipsum à morbo Epileptico vexati, referebant parentes, caput autem tertio anno ætatis, cùm ex morbo acuto curatus esset, accrescere incœperat.

Obs. 20.

OBSERVATIO XX.

De dolore gravissimo ac diuturno cùm capitis & ventriculi, tum etiam omnium ferè corporis partium.

Clarissimo atque doctissimo Viro Dn. JOH. JACOBO CRAFFTIO, *apud Neocomenses Medicinæ Doctori ordinario atque celeberrimo.*

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

IGnosce, quæso, Clarissime atque Doctissime Dn. D. CRAFFTI, amicorum optime, quod maturiùs non responderim. Occupationes, quæ Soloduri circa nobilem Virum Dn. WALLIER occurrerunt, in causa sunt. Affectus enim, ut T. Exc. quoque notum est, gravissimus fuit, & totum, ut dicitur, hominẽ requirebat. Intra paucos dies, uti spero, iterum ad ipsum proficiscar. Cumprimùm verò huc reversus fuero, de reditu te certiorem faciam, quò Pastor iste, qui tibi notus est, me convenire possit. Quod si T. Excell. libuerit ipsum comitari, rem certè gratam mihi fecerit. Instrumentum argenteum, quod tuis inclusum erat, rectè quoque accepi.

Historia tua de matrona, ex cujus cadavere post trigesimam sextam horam ab obitu, sanguis copiosè per os & nares emanavit, gratissima mihi fuit. Plurima enim, quæ lectorem oblectari, ipsique utilissima esse possunt, in illa recenses, verasque causas istius rei, nec non apoplexiam etiã ex sanguine fieri, & accuratè & doctè explicas atq; ostendis. Pro suscepto hac in re labore, & quod studia mea ornare non desinas, gratias quas possum, habeo maximas. Quod si vixero, donec centuria tertia observationum mearum in publicum usum provenire possit, ut historia tua locum in ea habeat, & tuæ non solùm erga me, verùm etiam Medicinæ studiosos benevolentiæ veluti testis esse possit, operam dabo.

Observatio.

Porrò ne mutua nostra colloquia per literas intermittantur, casum quendam gravissimum tecum nunc communicare volui. Juvenis quidã Lausannæ, piæ & religiosè educatus, Paulus Constantinus nomine, robustus & optimo corporis habitu præditus, cùm in lauto convivio lautè satis vixisset, eadem nocte dolore stomachi correptus fuit. Ab initio, & quidem per dies multos, non admodùm gravis fuit dolor iste, paulatim tamen non solùm auctus, verùm etiam vagus fact⁹ est. Nũc enim de dolore acutissimo capitis, mox, imò & in ipso momento, de maximo cruciatu oris, ventriculi, ventris & artuum conquerebatur; vomitus quoque aderat, ut vix cibum, multò minus medicamenta retinere posset.

Aliquando quoque febre continua, fastidio cibi, vigiliis & prædictis doloribus vagis ita vexabatur, ut dies noctesq; exclamare ejulareque coactus esset. Multa ipsi à clarissimo viro Dn. ALBERTO ROSCIO piæ memoriæ, apud Lausannenses Doctore medico ordinario, ac longè celeberrimo, præscripta atque exhibita fuere medicamenta, cùm interna tum etiam externa, sed frustrà. Postquam enim ultra menses octodecim vitam hancce calamitosam vixisset, tandem 15. Junii Anno 1599. piè obdormivit. De præcipua sede malè affecta, dum viveret, variæ ac diversæ fuerant opiniones, inter medicos & cheirurgos, qui diversis temporibus in consilium vocati fuerant.

Nonnulli enim in capite totius morbi præcipuam esse causam censebant: ideoque, ut calvaria in vertice terebello perforaretur, suadebãt. Alii verò causam morbi in parte aliqua ventriculi esse affirmabant. Quos certè minimè fefellit opinio. Quandoquidem ego post mortem advocatus, præsente clarissimo viro DN. ROSCIO, multisque aliis, cadaver incidi, primùmque cerebrum inspexi, in cujus ventriculis ad libras duas aquæ limpidæ inveni, arteriæ item & venæ membranarum cerebri, sanguine crasso & fœculento turgebant. In intimo ventre omnia secundùm naturam sese habebant, præter ventriculum, in cujus orificio superiori, & quidem ex parte anteriori, ubi ramus sextæ conjugationis nervorum ventriculo inseritur, ulcus erat magnum ac fœtidum, quod in vacuum usque ventriculi penetrabat. Putasne, vir clarissime, ulcus hocce doloris istius vehementissimi capitis, aliarumque partiũ causam extitisse? Tanta enim, ut scis, inter stomachum ac cerebrum, hujus nervi beneficio, est sympathia atque consensus, ut uno malè affecto, alterum quoq; simul laboret. Ventriculus prætereà humoribus corruptis, fœtidis & atrabilaris refertus erat. Externæ partes propter violentiam ac diuturnitatem morbi planè extenuatæ erant. His vale vir clarissime, cum tuis omnibus, quos tecum ego & uxor mea peramanter salutamus. Paterniaci Aventicorum 30. Novembris 1609.

Obs. 21.

OBSERVATIO XXI

Ex depresso cranio in puero, alioquin ingenioso stupiditas ingenii sequuta.

Ad Virum Nobilem PAULUM OFFREDUM *Doctorem Medicum clarissimum & doctissimum.*

DOctissimum, quod misisti ad observationẽ meam responsum, vir clariss. & amice plurimùm honorande, accepi, multùmque placuit: quandoquidem te ad diligentem lectionem Hippocratis venerandi Senis, judicium acre atq; exquisitissimum adjunxisse, res ipsa indicat. Porrò superioribus mensib. denuò hîc mihi casum gravissimum de retentione urinæ in octogenario videre licuit, quem tibi nunc communicare statueram, sed quia non adeò pridem doctissimũ & mihi amicissimum D. ABRAH. MORATELLUM apud vos curandum habuistis, argumentũ illud differre, & casum de depressione cranii (qua & eum ipsum Moratellum obiisse intelligo) cõmunicare placuit, vehementer rogans, ut si quid observatione dignum in ipsius morbo observare licuerit, id quoque mihi significare non graveris. Observatio autem mea hæc est. Puer non ex obscura familia natus, usque ad annum 10. ætatis, summ-

summo ingenio præditus fuit, ita ut parentes nõ exiguam spem inde conciperent, fore, ut in egregium & doctum virum aliquando evaderet. Sed Deo aliter visum fuit. Elapso enim 10. anno ætat. primò ejus memoria paulatim imminuta est, postmodùm quoque intellectus simul, sensimque ingenio stupidus adeò factus est, ut ad studia, imò ad mechanicas artes addiscendas (quamvis voluntas & animus propensus ei non defuerit) planè ineptus sit redditus, causam autem hujus stupiditatis ingenii, non aliam quàm depressionem cranii fuisse, frater ipsius, summus Phil. ac M. celeberrimus, compater meus omnimodè honorandus, mihi non rarò significavit. Cranium enim ad suturam Lambdoideam circa 10. annum ætat. ex casu quodam ei impressum fuerat. At quia graviora symptomata nulla supervenerant, casum atque depressionem hanc ab initio parentes neglexerant. Ita curatione spreta, paulatimque indurato cranio, depressio hæc ad extremum vitæ diem remansit. Ego illum circiter annum 36. ætat. suæ familiariter cognovi, & hanc depressionem cranii aliquoties oculis meis vidi, manibusque etiam contrectavi. Stupidus, ut dixi, erat ingenio, pius tamen, probus, & modestus, tandemque circiter annum quadragesimũ ætatis peste correptus, obiit.

Vides itaque Vir clarissime, quàm periculosæ sint hujusmodi impressiones cranii, non solùm in pueris, verùm etiam in adultis: etiamsi ab initio graviora symptomata non superveniant. Quàm absurda item & periculosa sit opinio FELICIS WIRTZ, qui scribit, circa impressiones cranii non multùm laborandum, totumque negotium naturæ comittendum esse, parumque referre, an impressio remaneat, inde quoque apparet.

Hisce vale Vir clarissime atque doctissime, cum patre optimo & maximo, meque ut amare non desinatis, etiam atque etiam rogo. Paterniaci 6. Martii 1607.

T. Excell. addictissimus

GUIL. FABRICIUS HILD.

OBSERVATIO XXII.

De capitis periculosi vulneris cum cerebri concussione, in matrona gravida, curatione.

ANno 1600. 21. Octobris, Uxor honesti viri, Dn. Petri Quey, civis & mercatoris Viviacensis, ad Lacum Lemannum, cum circa æquilibrium libræ, in qua ingens moles ferri trutinabatur, occupata esset, & famulus qui libram gerebat, trabem ferream, quæ propter molem ex adversa parte, in altum elevata erat, imprudenter satis contrectasset, ex improviso matronæ in bregma dextrum decidit. Illa protinus in terram quasi mortua prostrata, cibum indigestum evomuit: sanguinem item per os, nares & aures, non solùm illa die, verùm etiam per dies aliquot ejecit, & loquelam amisit, ita ut postquam ipsam in lectum posuissent, cuncti nihil aliud quàm mortem proximam exspectarent. Ego tamen ut manum ipsi adhiberem, maritus valdè sollicitus fuit. Pro primo apparatu à domesticis albumen ovi conquassatum, & argilla fornacum mixtum, ad sanguinem sistẽdum, vulneri impositum fuit, deinde Lausanna me accersivit.

Secunda itaque die ad ipsam perveni, tum abrasis crinibus, maximum vulnus in bregmate dextro, secundùm longitudinem suturæ rectæ ductum ad cranium usque, quod tamen neque fractum, neque impressum, inveni. Febris, dolores totius capitis, vigiliæ, inquietudines, & syncopæ aderant. Quotiescunque item iusculum aliquod aut ptisanam sumeret, statim evomuit, aliaque signa, ex quibus cerebrum valdè commotum, & sanguinem extravenatum, circa membranas cerebri effusum esse, conspiciebantur. Ego, ut cerebrum sese evacuare posset, de perforatione cranii adstantes amicos monui. Quibus rationibus meis intellectis facilè consentire videbantur, sed primò, quia multùm gravida & doloribus capitis ab annis aliquot obnoxia, quin totum etiam tempus impregnationis debilis fuerat: Secundò, quia nova incisione ad latus vulneris & quidem versus musculum temporalem pro vulneris dilatione, & ut perforatio Cranii commodè fieri posset, facienda erat, suaserunt, imò obnixè rogarunt, ut omnia alia remedia tentarem, priusquàm ad hoc, quod ipsis tam grave atque periculosum videbatur, pervenirem. Ego, ne mihi imputaretur, parui, interim tamen terebellum, & quicquid ad operationem necessarium, in promptu habui; idque ad eum finem, ut cum primùm res in pejus tendere viderem, extremum præsidium adhiberem: Veniebat enim tunc mihi in mentem, olim undecima quoque die felici cum successu terebellum, cum præstantissimo Chirurgo D. IOHAN GRIFFONIO adhibuisse, ut suo loco declarabimus. Ossi itaq; denudato filamenta sicca, reliquo verò vulneri sequens digestivum imposui.

R. Therebinth. lotæ in aqua betonicæ & salviæ ℥ j.
Ol. rosacei &
Ol. nostri de betonica ana ℥ j.
Ol. de vitellis ovorum ʒ j.
Gummi elemi dissoluti cum supra scriptis oleis & percolati ℥ ß.
Croci ℈ j.
Vitellos ovorum n. 2. Misce, fiat unguẽtũ.

Omnia deinde Emplastro basilicone obtegantur. Totum verò caput oleis sequentibus inunxi.

R. Ol. nost. de betonica ℥ j.
Ol Rosacei ℥ ij. misce.

Eadem die, quia alvus constricta, sub vesperã sequẽtes nema leniens exhibui: Acre enim propter impregnationem, & quia fœtus jam aliquo modo commotus, & tormina parturientium adessent, exhibere ausus non eram.

R. Herbarum & florum betonicæ,
Agrimoniæ
Malvæ & altheæ cum radicibus
Violarum ana M. j.
Florum chamomillæ
Meliloti an. M. j. ß.
Sem. anisi &
Fœniculi an. ℥ j.
Fœnigræci ℥ ß.

Coquan-

Obs. 22. Coquantur in ℔ iiij. decocti capitis vervecis, ad consumptionem tertiæ partis, In ℥ x. huj⁹ decocti colaturæ, dissolve vitellos ovorum num. 2. ol communis. & butyri recentis ana ℥j. Salis ℈j. Misce, fiat enema. Rejecto clystere, venam in cubito dextro pertudi sanguinemque ad uncias circiter quatuor, revulsionis scilicet gratia, extraxi.

Cùm enim quia utero gestabat, tum etiam quia ex vulnere sanguis copiosè satis effluxerat, prudenter mihi hac in re erat agendum. Mens tamen erat, post dies aliquot ipsi incidere venam jugularem dextram, uti haud ita pridem Lausannæ in puella, commotione cerebri laborante, maximo cum successu feceram: mutavimus tamen consilium propter motum naturæ, ut postea dicemus. Cum verò ab initio morbi præ dolore nõ quievisset, post cœnam per duas horas ipsi usque ad grana quatuor Laudani exhibui: ea nocte satis quietè dormivit. Altera die iterum ossi (quod & tamdiu faciendum est, donec carne tectum sit) filamenta sicca, reliquo verò vulneri digestivum præscriptum imposui; totumque caput oleis prædictis inunxi. Interim autem dum contrectabã vulnus, sequenti sacculo calido totum caput cooperiebam.

R. Radicum cariophillatæ ℥ij.
Foliorum & florum betonicæ,
Florum chamomillæ,
Meliloti,
Rosarum,
primulæ veris,
Sũmit. rosmarini,
Majoranæ an. M. j.
Sem. anisi ℥j.

Incidantur & contundantur pro sacculo intersuto, & ejus magnitudinis, ut totam ferè capitis partem capillatam cooperire possit. Eo vino rubro incocto, calidè applicetur. Sacculus iste non solùm vulnus ab injuria aëris defendit, verùm etiam caput roborat, sanguinemque extravenatum dissolvit, incidit, atque ut partim per poros cutis, partim per vias naturales effluere possit, efficit: Estque mihi in vulneribus & contusionibus capitis satis familiaris, non tamen statim ab initio, sed postquam universalia prius adhibita fuerint, eo utor. His administratis remediis, optimaque observata victus ratione, & alternis diebus adhibito enemate, febris, reliquaque symptomata, circa quartum multùm imminuta fuere: Vulnus quinetiam ad optimam digestionẽ sese parabat, ita quidem ut septimo die morbi nulla amplius adesset febris, neque dolor. Elapso septimo, solo oleo betonicæ totum caput inunxi, vulneri verò sequens unguentum imposui.

R. Therebinth. lotæ in aqua salviæ ℥ß.
Gummi elemi dissoluti in ol.
betonic. ʒij.
Pulveris radic. cariophillatæ,
Radic. Iridis
Flor. Aristoloch. rotund.
Myrrhæ,
Thuris an. ʒß.

Cum s. q. mellis rosati, & vitelli ovi, fiat unguentum, quod filamantis imponendum est, Omnia deniq; emplastro de betonica obtegãtur.

Quinta porrò die morbi, dolorem gravativum retro aures, & in ipso collo usque ad humerum persentire cœpit, quibus in locis maxima & insignis ecchymosis facta est, non sine singulari DEI & naturæ beneficio, quæ sanguinem extravenatum & circa membranas cerebri collectum, per emunctoria expellebat. Tum mihi occurrebat similis casus, quem in puella cum D. GRIFFONIO curavi, in qua natura similiter sese per hanc viam à sanguine extravenato exoneravit, ut Cent. 1. Observ. 12. declaravimus. Ante quartam prætereà diem, per intervalla guttula una aut altera sanguinis puri per nares, præcipuè autem per dextram, nonnunquam tamen & per sinistram emanavit. Quinto & sexto non sanguis purus, sed aqua sanguinolenta, effluxit. Septima, 8. 9. 10. & 11 multùm sanguinis coagulati pure admixti, 12. 13. & 14. verò non tam copiosè, sed per intervalla emunxit. A decimo quinto usque ad trigesimum & ultra, multùm purulentæ materiæ per nares excrevit. Ita singulari DEI beneficio feliciter curata fuit. Et fructum usque ad constitutum tempus gestavit. Tum parturientium doloribus correpta, gemellos progenuit, qui ut arbitror, ad hunc usque annum 1608. superstites sunt. Matrona verò, cum post annos aliquot iterum utero gestaret, & parturientium doloribus correpta esset, fœtum autem, vel ob situationem sui ineptam, vel aliam ob causam eniti non posset, & periti Chirurgi in consilium minimè vocarentur, misera illa miserè una cum fœtu vitam cum morte commutavit.

OBSERVATIO XXIII.

De Nubeculæ curatione.

ORitur affectus quidam in oculo, gravis admodum ac difficilis νεφέλιον, Nubecula, Albugo, Macula cicatrix, & Pannus dictus. Est enim veluti pañus aut nubecula cooperiens partem illam corneæ, quæ pellucida est, & splendida, aliquando ex toto, nonnunquam ex parte tantummodò. Hinc prout nubecula fuerit spissa, magna aut parva, visus aut omninò aboletur, aut ex parte depravatur. Diligenter autem, ut tyrones hunc affectum (ne in curatione fiat confusio) à catarhacta & pterygio, distinguere discant, necesse est. *Catarhacta* enim, sive suffusio, est materia in membranam concreta intra oculum, hoc est, inter crystallinum humorem & uveam. *Nubecula* verò in extrema parte corneæ, imò in ipsius substantia conspicitur, & visu facilè à catarhacta distinguitur. *Pterygium* à quibusdam unguis vocatum, nervosa est tunicæ adnatæ eminentia, ab angulo quidem nascens, & ad corneam usque progrediens; ubi verò nimium aucta fuerit, etiam pupillam tegit, substantiam tamen membranæ corneæ vix ingreditur, sed ei tantummodò adhæret, facileque, si recens fuerit, medicamentis, sin inveterata, dexteritate Chirurgi separatur. Sed cum de his hìc agere nostri instituti non sit, ad causas nubeculæ transire tempestivum est.

Est autem causa hujus mali duplex, videlicet ex-

Obs. 6. Obs. 12. Aët. ... lib. ... 2. ... Aegin. lib. 3.

cet externa & interna. *Externa* est, aut vulnus, excoriatio; apostema vel pustula, ut sæpissimè accidit in variolis, nihilque aliud est, quàm præcedentis vulneris aut pustulæ cicatrix. Quapropter ex his causis ortã nubeculam, ut plurimùm insanabilem esse, sæpissimè observare mihi licuit. *Interna* causa est, cùm materia aliqua biliosa aut acris à capite ad conjunctinam & corneam defluit, ex qua intemperies & inflammatio oritur, hæc si à principio neglecta fuerit, efflorescit sensim superficies corneæ, sive epidermis (si ita mihi appellare liceat) ac ratione partis affectæ, quæ membranosa est, colligitur materia viscida; & ut plurimùm alba, quæ tamen nonnihil humoris acris in se continet, qui paulatim superficiem subjectæ membranæ erodit atque exulcerat, remanetq; cicatrix alba. Nonnunquam quoque ipsa cornea perforatur, ita ut humores effluant, membranæ oculi corrugentur contrahanturque, fitque tum maxima deformitas: per totam enim vitam clausus manet oculus, ut lector ex Observ. 25. Cent.I. colligere poterit. Ideoq; ut Chirurgus circumspectè agat, necesse est, ne ægro damnum inferat, sibiipsi verò infamiam pariat. Ante curationem verò diligenter explorandum venit, an affectus sit sanabilis, nec ne? Si enim superficies membranæ jam antea excoriata & exulcerata, denuòque exulceratio cicatrice prædura & callosa obducta, inflammatio quoque sedata fuerit, procul dubio macula seu nubecula alba remanet, quæ sui ablationem non admittit: est enim cicatrix præcedentis exulcerationis. Sic etiam si in variolis pustula aliqua corneam occupaverit, ut nubecula remaneat, necesse est. Sin autem morbus adhuc in fieri, nec superficies pupillæ exesa fuerit, etiamsi æger visum jam aliquo modo amiserit, & cornea nubecula obducta fuerit, non tamen omninò de recuperanda valetudine est diffidendum, nisi æger jam senex, & diu catarrhis ad oculos laboraverit. Quàm autem feliciter ego hujusmodi affectus aliquando curaverim, nunc uno aut altero exemplo declarare non gravabor.

EXEMPLUM I.

Anno 1599. Coloniæ Puella octodecim annorum ætatis, defluxione ad oculum dextrum jã diu detẽta, ophthalmia correpta fuit, Quæ deindè post menses aliquot, cum frustrà multa medicamenta se adhibuisse, & visum istius oculi deperditum esse, existimasset, alterius quoque oculi visum multùm imminutum persentiret, me in consilium adhibuit. Tum oculum inflammatione correptum deprehendi, dolor tam oculi, quàm capitis ejusdem lateris, ingens & continuus aderat, & pupilla undique ferè nubecula alba obducta. Sic itaque curationem institui.

Primò illam sequentibus pilulis purgavi:

R. Massæ pilular. aurear. & lucis maj. an. ℨ j ß.
trochiscor alhandal. gr. vj.
Cum syrupo de betonica formentur pilulæ quinque, involvanturque pulvere cinamomi.

His purgato corpore, postridie venã in dextro cubito incidi, & sanguinis ad ℥ vj. extraxi. Sequenti die cucurbitulas magnas cum flamma scapulis sine scarificatione applicui. Statim itẽ ab initio oculo sequens collyrium anodynum instillavi, & pulvillos in eodem collyrio inebriatos applicui.

Collyrium.

R. Mucilaginis sem. cydonior. & fœnograeci, aquã rosar. & plãtag. extractæ ℥ ij.
lactis muliebr. ℥ iij.
tutiæ præpar. ℨ ß.
croci macerati in aqua rosar. & expressi ℈ ſ.

Misce, fiat collyrium liquidum, quod tepidè instilletur & applicetur sæpè interdiu. Collyrium autem hoc singulis aut alternis diebus iterandum est, uti quoque observat. 2. Centur. primæ monuimus. Id præterea notandum est in affectibus oculorum, & præcipuè inflammationibus, pulvillo madefacto, aut cataplasmate, sive alio aliquo medicamento applicato, oculum fascia summa diligentia ligandum esse, idque in eum finem, ut motus oculi, quantum fieri potest, impediatur: oculus enim apertus continuò movetur, clausus verò non item. At motus iste partem affectam calefacit, humoresque & sanguinem attrahit. Hinc morbus recrudescit atque exasperatur.

Cæterùm post pilularum suprà scriptarum, venæ sectionis, & cucurbitularũ siccarum usum, sequenti apozemate humores præparavi.

Apozema.

R. Radicum fœniculi
petrosel.
polypodii
lapat. acuti
Corticum interior. radic. frangulæ an. ℥ j.
herbar. betonicæ
veronicæ
agrimon.
cuscutæ &
scabiosæ an. m. j.
Flor. betonicæ
salviæ
rosmarini,
Summitatum majoranæ
thymi an. m. ß.
sem. anisi
fœniculi an. ℥ ß.
liquiritiæ ℥ j.

Coquantur in aqua ad consumptionem tertiæ partis. In ℔ ij. colaturæ dissolve syr. de betonica ℥ j.
extracti salviæ ℥ ij.
Misce, & fiat apozema pro quatuor dosibus.

Sumpto secundo haustu, corpus iterum purgavi sequenti potiuncula.

Potio purgans.

R. Electuar. diaphœnici cum rhabarb.
diacarthami an. ℨ iij.
Et cum sufficienti quantitate Apozematis præscripti fiat potiuncula.

Postridie denuò sumpsit tertiam dosin apozematis, qua die ei quoque cucurbitulas cum scarificatione scapulis applicui.

Sequenti die quartam dosin Apozematis præscripti exhausit.

Setacei applicatio.

Tandem setaceum cervici adhibui.

His administratis medicamentis, dolor capitis

Obs. 23. pitis & oculi omninò remisit, inflammatio quinetiam multùm, nubecula verò parùm imminuta fuit. Quapropter sequens applicui collyrium.

Collyrium.

R. Mucilag. sem. cydonior. cum aqua
rosac. extractæ ℥ j.
aquæ fœniculi,
euphras. an. ℥ ij.
mellis rosati ʒ iiij.
tutiæ præpar. & cornu cervi
usti præpar. an. ʒ ß.
Caph. gr. iiij.

Collyrio isto cum per mensem usa esset ægra, nubecula, quæ antea totã ferè pupillam obtegerat, adeò imminuta fuit, ut vix quartam ejus partem deinde obtegeret. Catarrhus quoque, qui anteà continuò ad oculos defluebat, beneficio setacei ad cervicem revulsus fuit. Setaceum per annum ad minimum apertum retinuit: interim singulis ferè mensibus semel pilulis præscriptis corpus evacuavimus: oculo verò singulis matutinis extracti chelidoniæ, magnitudine capitis aciculæ parvæ, sibi imponere curavit, cujus beneficio nubecula paulatim omninò deleta & ablata fuit.

EXEMPLUM II.

Puella in agro Moratensi decem annorum ætatis, filia probi ac honesti viri, Hansman nominati, catarrho diuturno ac molestissimo ad oculum dextrum correpta est. Cui cum medicamenta satis idonea adhibita non essent, humorq; qui effluebat, indies acrior fieret, sequuta est inflammatio atque erosio pupillæ: hinc pupilla nubecula alba & spississima obducta fuit. Tandem dolor, inflammatio, aliaque symptomata paulatim remiserunt. Vlcera quinetiam in facie, collo, & quidem in diversis locis ab ipso catarrho facta, medicamento aliquo desiccante ad cicatricem perducta fuerunt. Tandem cum ultra duos annos calamitosam hanc vitam vixisset, aliquo modo se restitutam esse existimabat. Sed vix anno elapso, ecce denuò catarrhus, qui de novo labia occupat: tum ad me Paterniacum adducta, suasi, ut corpore purgato reliquisque necessariis medicamentis revulsionis gratiâ propinatis, setaceum cervice adhiberetur, idque nisi maturè fieret, timendum esse, ut tandem catarrhus alterum quoque obrueret oculum, prædixi, sed crudele nimis hoc remedii genus ipsis videbatur. Quod cùm sprevissent, & à me discessissent, post menses duos catarrhus ad alterum quoque oculum paulatim decubuit. Denuò itaque ad me adducta puella, totum oculum inflammatum, & palpebras in tumorem elevatas, cum dolore maximo & febre continua, quinetiam pupillam nubecula obductam offendi, & visum omninò depravatum comperi. Quapropter manum adhibere recusavi: parentum tamen precibus victus, curationem sic aggressus sum. Primò corpore leniter purgato, & cucurbitulis cùm siccis, tùm cum scarificatione applicitis, setaceum adhibui. Ab initio quoque fronti sequens defensivum admovi.

Defensivum.

R. Farinæ hordei ℥ ij.
pulver. rosar.
nucum cupressi
gallarum
corticum granator. an. ʒ iij.
pulv. flor. betonicæ &
euphras. an. ʒ j.

Misce in mortario cum aqua betonicæ, euphrasiæ, aceto & albumine ovi, fiatque defensivum, quod tepidè fronti applicetur. Oculo vero collyria præcedentia instillavimus. Sequenti quoque sacculo ad tollendas inflammationes oculorum, tum in hac, tum in multis aliis, post universalia, maximo cum fructu usi sumus.

Sacculus.

R. Sem. fœnograeci parùm côquassati ℥ ß.
rosarum rubr.
florum betonicæ
euphrasiæ
melilori ana m. ß.
sem. anisi ʒ ij.

Incidantur omnia grosso modo, indanturque sacculo ejus magnitudinis, ut totum cooperiat oculum, qui intersurus & aqua coctus, calidè applicetur quater aut quinquies interdiu.

Hisce diligenter adhibitis, dolor, inflammatio, reliquaque symptomata paulatim remiserunt, macula tamen sive nubecula nondum penitus deleta erat: quapropter collyriis nonnihil extracti chelidoniæ, quò materia crassa & viscida, quæ pupillæ adhærebat, abstergi posset, admiscui. Etsi enim nubecula spissa videretur, nõdum tamen superficiem corneæ eroserat. Frontem prætereà totamque faciem, per menses aliquot post curationem sequenti medicamento, singulis diebus bis aut ter abluere imperavi, quò sic partes debilitatæ corroborari, cutisque propter diuturnam defluxionem rugosa & deformis reddita, aliquo modo in integrum restaurari posset.

Lotio faciei.

R. Aquæ rosar.
euphrasiæ
liliot. albor. &
plantag. an. ℥ ij.
aluminis crudi
tutiæ præparatæ an. ʒ j. ß.
caphuræ ℈ j. Misce.

His plenissimè convaluit, visumque hujus oculi recuperavit, & ad hunc usque annum 1609 quo hæc scripsi, bellè se habet. Setaceum tamen ut clauderetur, propter metum recidivæ, hactenus permittere nolui.

EXEMPLUM III.

Filia mea major natu, anno ætatis suæ sexto, nubeculam ex longa defluxione ad oculos contraxit. Multis sed frustrà adhibitis medicamentis, tandem anno 1598. 3. Augusti, setaceum ipsi applicui, cujus ope, & Dei singulari beneficio, affluxus humorum oculos prohibitus, & nubecula paulatim ita deleta fuit, ut nunc nullum ejus appareat vestigium. Neque etiam ab eo tempore usque ad hunc annum 1609. quo hæc scripsi, defluxionibus obnoxia fuit.

OBSER-

OBSERVATIO XXIV.

De vulnere quodam faciei inflicto, rara & admiranda.

Viro humanissimo & doctissimo, Dn. GUILHELMO FABRICIO HILDANO, *Medico & Chirurgo felicissimo, à Georgio Fabro D. Medico Castri Imperialis Fridbergensis communicata.*


QVod à discessu tuo, vir præstantissime, fautor & amice meritissime, tanto temporis & locorum intervallo, hucusque ad te omnis mihi denegata fuerit scribendi facultas, id extra meam culpam, imò & præter meam opinionem & voluntatem evenisse, vel ex me ipso coram pluribus cognoscere licuit; Qua de causa ante omnia me tibi excusatum velim; interea autē promissionis meæ in congressu nostro superioris anni factæ memor, casum istum Rosbacensem, singulari quadam admiratione & observatione verè dignissimum, veluti tesseram & perpetuum inchoatæ inter nos amicitiæ τεκμήριον, *en lubens tibi communico, minimè dubitans, quin lectio istius tibi haud ingrata atque injucunda sit futura.*

Postquam civis quidam honestus superioris Rosbachii in Wetteravia, nomine Iohannes Philippus à Bleichenbach, ad expedienda negotia Niddam profectus, cum senioris præfecti ibidem filio, Hermanno Crugio, aliquantulum compotasset, inter cætera de salinis suis, quas possidet parens, qualiscunq; facta est mentio. Quare ad invisendas illas ambo procedunt. Inter eundum verò accidit, ut dictus CRUGIUS, BLEICHBACHIUM *gladio (non tamen districto) in certamen provocaret, cui cum Bleichenbachius animo planè alacri nec hostili occurreret, seseq; defendere vellet, de improviso à Crugio in sinistram maxillam propè nasum graviter vulneratus est, & quidem adeò, ut illum ipsum gladium tanta vi faciei infixum, manubrio atq; nodo in terram delapsis, sibiipsimet ambabus manibus totisq; viribus tandem extrahere coactus fuerit. Quo facto & extracto, nullum planè vaginæ vinculum, sed nudum tantūmodò gladii mucronem conspicere licuit.*

Etsi verò uterq; suspicati sunt, illud ipsum vinculum in cranio seu capite adhuc delitescere, pro impossibili tamen rem arbitrati, in gramine potius (quia verno tempore in prato quodam viridi convenerant) anxiè, sed frustrà quæsierunt istud. Vnde Bleichenbachius Crugium precibus compellavit, ut digito quadantenus exploraret, num fortè in ipso vulnere adhuc hæreret: quod & fecit, sed nihil deprehendere potuit. Doloribus itaque magis magisq; ingravescentibus, nocteq; ingruenti; ipsi tum temporis in proximo quodam pago pernoctandum, sicq; hac vice Cheirurgi alicujus opera carendum fuit.

Sequenti verò die Fridbergæ, à quodā barbitonsore vulnus splenius, sive fasciis tantummodò cooperiri passus est. Deinde in Patriâ suâ Rosbachio, alterum quendam adhibuit, qui hoc vulnus solo emplastro nigro, sive fodicationis (Germanicè Stichpflaster*) nullis injectis turundis, spatio sex septimanarum consolidavit.*

Cùm igitur per tres integras septimanas vulnus ita conglutinatum esset, præ dolorum impatientia tandem resecari curavit, ut hac ratione noxii humoris, veluti patefacto emissario liberius posset effluere virus. Isto sic aperto, perexiguum quoddam foramen retinuit, non secus ac subulâ quadam esset perforatum. Intereà multas & varias potiones vulnerarias exhausit, absque ullo tamen alleviationis fructu. Post trimestre, famâ cujusdam Cheirurgi, haud quidem imperiti, pellectus, Hannoviam sese contulit, ubi septuaginta quinque septimanas commoratus, Medicorum quoque nonnullorum consilio usus est: verùm nullus eorum ad sufficientem & plenariam hujus vulneris cognitionem pervenire potuit. Tandem verò prædicti Medici, unà cum Cheirurgo, Cranio quopiam dissecto & perforato, vinculum istud propè foramen (quemadmodum in utraq; cranii parte circa nares exigua foramina conspiciuntur) in illam ipsam sinuosam seu cartilagineam cavitatem, unius digiti longitudine sub osse impactum fuisse, unanimi consensu collegerunt. Chirurgi & barbitonsores omnia sua medicamenta in ipsius vinculi tantummodò cavitatem ingesserunt. Cùm verò omnia frustrà tentata viderentur, Chirurgus tandem Hanoviensis, situm vulneri adjacentem semissis digiti latitudine novacula quadam, ad os usque transversim incidit, & carne digito separata inquisivit, ubi malum latitaret, existimans os seu zygoma fortè cariosum seu denigratum esse, sicque istud penitus incorruptum, instrumentis quibusdam corradendo malè tractavit; sed brevi à seipso rursus coaluit. Posteà ille ipse Cheirurgus variis multisque per intervalla usus est virulentis atq; escharoticis medicamentis: sed vulnus nullam omninò vim corrosivam ferre potuit; quamvis particulam carnis magnitudine sestertii, ut hic adumbratum est, omnino exederit.



Indè facies ab orta periculosa oculi inflammatione adeò intumuit, ut nihil medicamentorum amplius applicare valuerit. Interea autem dum inflammationi extinguendæ studet, excrescentia quadam carnis subsequuta est. Demum paternos revisit lares. Nihilominus tamen humor aliquis cottidiè effluxit, instar aquæ cujusdam vitriolatæ, & colore singulis horis ter quaterve alterato, foramen istud, uti antea dictum, aliquantisper adhuc remansit.

Dolores quoque ita fuerunt exacerbati, ut præ illis somnum capere nequiverit. Hinc igitur commotus in Alsatiam profectus est, ibidemq; obsidioni Moltzheimensi & Dachsteinianæ interfuit, ubi dum ipsi in tanto æstu armatura accincto, equitandum fuit, gena propè vulnus adeò intumuit, ut penè nasum ipsum adæquaverit. Vnde sibi ipsi pro certo persuasum habet, vinculum nimia istius caloris vi, sese hoc modo paulatim exeruisse. Horum tandem omnium pertæsus, Fridbergam redit, ibiq; duobus fratribus barbitonsoribus rem omnem explicuit; obnixè rogitans, ut vulnus denuò resecarent, & de origine seu fundamento diligentius indagarent, data fide, se fore contentum, etiamsi in ipso momento mortem oppetere cogeretur. Qui quidem plusquam tricesies cutim incidendo, periculum fecerunt, decem integras septimanas consumpserunt,

tandemq;

Obs. 24. *tandemq; casu potius quam arte, forcipula, quæ vulgò* Kornzänglein/ *vinculum istud medicamentis atque unguentis totum adhuc repletum extraxerunt, quod sanè tantum de se emisit fœtorem & mucorem, ut patiens vix ipse, nedum adstantes istum tolerare potuerint. Postremò intra sex septimanas vulnus istud perfectè fuit sanatum. Hoc gladii vinculum, quatuor annos, minus quinque septimanarum, faciei infixum, decima tertia tandem Februarii anni elapsi 1611. fuit extractum. Nullum amplius dolorem persentiscit, nisi quod indicem sive salutarem difficulter ori admovere queat, ob aliquam nervi, in isto latere fortè incisi, læsionem & convulsionem.*

Hæc omnia, uti in rei veritate sese habent, ab ipso Dn. BLEICHENBACHIO, *Viro honesto & fide digno, diligenter observata, & ad me perscripta, tecum quoque communia esse volui; quibus si promissioni meæ, & exspectationi tuæ satisfactum esse audiam, ex animo gaudebo.*


Si quid & tibi in artis operibus rari, uti cottidie fieri certum est, posthac fortasse contingat, vicissim communicare & in publicum conferre non gravaberis. Hisce, Vir ornatissime, benè & diu vale, & me tui studiosissimum redamare perge. Dabam in Imperiali Fridberga Wetteraviorum. Anno:

Magna LIa DeI nostrI reVeLentVr.

T. T.

GEORGIUS FABER
D. M.

Magnitudo vinculi (Orthbandt.)



OBSERVATIO XXV.

De infelici successu unguenti sympathetici, sive armarii.

Viro amplissimo atq; doctissimo Dn. GEORGIO FABRO, *Castri Imperialis Fridbergensis, &c. Doctori Medico ordinario, ac longè celeberrimo, amico suo plurimùm honorando,*

Guilhelmus Fabricius Hildanus S.P.D.

HUmanissimæ tuæ literæ, quas ante quindecim dies accepi, vir amplissime, & multis nominibus mihi amantissime, cumulum gaudii mihi attulêre. Valetudo enim tua, simul & domesticorum tuorum adversa, in qua superiori autumno te reliqui, tantum dolorem cruciatumq; mihi attulerunt, quantum vix exprimere possū. Nunc quia intelligo te vivere & bellè valere, lætatus sum, Deumque Opt. Max. suppliciter oro, ut te totamque honestissimam familiam tuam, quam diutissimè conservare velit. Quod literas meas per nundinas Argentinenses postremas ad te datas, structuram oculi artificialis, tractatum Dn. D. PAULI LENTULI de Inædiis, Confectionem Alkermes, & nonnulla alia, quæ miseram, nondum acceperis, vehementer doleo, & miror profectò, ubi & à quo fasciculus interceptus vel suppressus nunc hęreat: Argentinam tamen pervenisse, & clarissimo viro, Domino D. JOHANNI RUDOLFO SALTZMANNO, ibidem Medicinę Professori longè celeberrimo, fideliter traditum fuisse, ex suis quas ad me dedit literas, intellexi: ipsum quoque omnem diligentiam adhibuisse, minimè dubito. Interim tamen, quum ad meos redeam, quod (si DEO Opt. Maxim. ita visum fuerit) brevi fiet, Argentinam pervolare constitui, tum cui nam fasciculus traditus fuerit, ex ipso intelligam, & ut tandem ad te perveniat, operam dabo.

MARCELLUM DONATUM à clarissimo viro DN. D. HORSTIO mihi dono missum, unà quoque cum tuis accepi.

Obser[illegible] Casus verè admirandus de vulnere faciei, quem communicasti, gratissimus mihi est, & locum non infimum in tertia Centuria Observat. mearum, quam præ manibus habeo, obtinebit. Res profectò mira, virum istum tantos dolores & cruciatus sufferre potuisse; & robustissima natura ipsum præditum fuisse, indicat. Extremum autem hoc vinculum gladii (oder Orthbandt.) extra calvariam latitasse, tecum, simul & cum Dn. D. HORSTIO sentio. Intra Calvariam enim si latitasset, graviora procul dubio subsequuta fuissent symptomata. Quod autem tam diu ibi inclusum fuerit, negligentiæ & oscitantiæ profectò Cheirurgorum, maxima ex parte adscribendum est. Si enim vulnus diligenter explorassent, facilimè vinculum istud ferreum adinvenissent. Deindè eorum emplastrum fodicationum valdè mihi suspectum est. Labia enim vulnerum protinus adeò contrahit, ut vulnera superficietenus claudantur, & quæ in profundo latitāt extranea, retineantur, novaque symptomata procreant: cujus rei plura proferre possem exempla, si opus esset, unum tamen, quod singulare est, in prima centuria mearum observationum videre poteris. Virum istum, qui nunc senescit, adhuc optimè valere existimo: Superiori enim æstate cum essem in patria, ipsum apud Generosum & strenuū virum DN. WILHELMUM KETLERUM à Nesselrad, Dominum in Amboden &c. vidi, & allocutus sum: qui & cum admirandum huncce casum ex ipso intellexisset, ipsumque pristinæ sanitati planè restitutum esse vidisset, supra modum admiratus fuit.

Emplastrum [illegible] num, [illegible] go [illegible] vulne[illegible] non [illegible] per [illegible] & qua[illegible] causa[illegible]


Quam misisti delineationem instrumenti, non satis intelligo, ideoque ut ampliorem declarationem mihi communicare velis, obnixè rogo. Nunc quod tibi communicē, nihil singulare habeo, ne tamen planè nudam mitterem Epistolam, exemplum de infelici successu unguenti sympathetici, sive armarii, adscribam.

De infe[illegible]ci succe[illegible] unguen[illegible] armar[illegible]

Genere & virtute verè nobilis matrona ANNA SIDONIA BREMSERINA, DE RÖDESHEIM, Nobilis. ac strenui Viri Dn. HERMANNI à CRONBERG, Lorcensis ad Mænum Præfecti prudentissimi conjunx, matrona juvenis, & optimo habitu corporis prædita, cum ante mensem feliciter peperisset, nescio quonam infortunio factum, quod decima die post partum vuln⁹ ad latus

Obs. 25.

ad latus papillæ sinistræ, versùs sternum acceperit. Vulnus etsi non usq; adeò profundum esset, sanguis tamen copiosè effluxit. A Cheirurgo restricto sanguine non vulnus, sed cultrum, quo inflictum fuerat, curabant, & tractabant cottidie, & quidem, ut par est, diligenter, Citò &, ut videbatur, satis feliciter & ferè absque dolore curatum fuit vulnus. Sed quid fit? vix cicatrice inducto, obtuso in profundo mammæ oborto dolore, febre, cum rigore lumborum, & capitis dolore correpta fuit ægra. Mox intumescit & indurescit mamma: maximo cum dolore non solùm mammæ, verùm etiam nuchæ & scapulę, adeóque totius istius lateris. Iterum advocatur Cheirurgus, qui etsi omnem adhiberet diligentiã symptomata tamen de die in diem magis magisque accreverunt. Tandem decima nona Aprilis, ego quoque accersitus, ad ipsam Oppenhemium perveni, & mammam suprà modum tumefactam, ac undique ferè induratam offendi. Color maximus & pungitivus, febrisque continua aderant. Cicatrix precedentis vulneris vix apparebat: circa papillam livida erat cutis, ita tamen mollis, ut fluctuatio puris tactu facilè deprehendi posset, quapropter suasi, ut incideretur vomica. Consensum porrò quum dedisset egra, & adstantes negotium approbassent, scalpello incurvato atque hic adumbrato abscessum incidi.



Pus copiosè, & quidem cum impetu effluxit; hinc dolor mox sedatus fuit: reliqua quoque symptomata, veluti febris, nausea, capitis, nuchæ, & scapulę dolor, vigilię & inquietudines paulatim remiserunt & subsequens nox prorsus quieta fuit. Ab eo tempore multùm puris effluxit; durities quoque paulatim remisit: interim tamen duobus aliis in locis, & quidem prope papillam, per se exulcerata est mamma: nihilominus tamen omnia ita sese habent, ut sperem ipsam quamprimùm pristinam valetudinem recuperaturam. Plura nunc non addo: dũ enim hęc scribo, nobilissimi ac strenui viri D. WOLFGANGI ADAMI à SCHVVALBACH accipio literas, quibus cupit, ut illum ante abitum meum invisam: Id si fecero (parebo autem volente DEO) de reliquis inter nos conferemus. Interim vale, Vir amplissime, cum uxore Lectissima, totaque familia honestissima, meque pro summa humanitate tua amare perge. Raptim VVormatię 2. Maii. 1613.

Ad eundem Virum clarissimum atq; doctissimum DN. GEORIVM FABRVM, *Castri Imperialis Fridbergici Doctorem Medicum ordinarium atque celeberrimum,*

Cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus

S. P. D.

POstremas tuas, benevolentiæ tuæ erga me plenas, vir Amplissime juxtà ac doctissime, Nobilissimus vir DN. WOLFGANGUS ADAMUS A SCHWALBACH, ante dies octo Wormatiam transiens, & Helvetiam versùs properans, mihi tradidit, Ex quibus, quantum T. Exc. simul & Generosus Dn. Burggraffius, aliique viri nobiles apud vos de rebus meis solliciti sint, satis superque video; utinam vobis omnibus pro amplissimis vestris erga me studiis reipsa respondere, gratúmque me præbere possem. Verùm quæ obstét impedimenta, te non latet. Interim tamé vobis omnibus ac singulis gratias ago immortales, vestramque humanitatem simul & in me benevolentiam, apud omnes, quamdiu spiritus hos regit artus, celebrabo.

Postscriptum de affectu D. Cröberg.

Cæterùm dum ego nuperrimè apud vos in Wetteravia fui, affectus DN. A CRONBERG iterum recruduit. Dum enim in victus rationẽ peccasset, febre de novo correpta fuit: mox intumuit mamma, idque non sine maximo dolore: humores quoque tam copiosè affluxerunt, ut novum abscessum versùs axillam fecerint. Hanc ob causam Nobilissimus vir DN. A CRONBERG de conjuge sua sollicitus, magnoperè à me petiit, ut iter meum per dies aliquot retardarem: parui, & symptomatibus quantum potui, prospexi, ita quidem ut nunc iterum, Laus sit DEO, omnia salva esse videãtur: ulcera tamen nondum coaluerunt, neq; durities omninò emollita est. Vides qualẽ successũ habuit ũguẽtũ armariũ, quod nõnulli ad cœlum usque extollunt?

Porrò in præcedentibus meis ad te literis scripsi, ægram de dolore nuchæ, simul & scapulæ, totiusque lateris conquestam fuisse, quod quidem ab initio morbi, donec inflammatio, febris, aliaque in præcedentibus recitata symptomata aderant, minimè mirum. In præsentia verò, etsi dolores isti omnes remiserint, quotiescũque tamen turundas ulceribus infigo, aut quovis alio modo affectum irrito, protinus dolorem sub ipsa scapula, & quidem è regione ulceris persentit: & prout dolor circa ulcus remittit, eodem quoque modo dolor circa scapulam retrocedit. Locum dolentem vix latitudinem thaleri excedere, refert. Exteriùs tamen nihil apparet: & si manu tractatur scapula, dolorem tamen non sentit: tam profundè & in corpore absconditus est: hactenus tamen, per Dei misericordiam, nullum nobis excitavit symptoma. Cæterùm sympathia atq; consensus ille maximus inter papillam & dorsum, fit ratione nervi cujusdam, qui ex quinto ferè costarum intervallo, in musculum pectoris disseminatur, surculosque ad papillas mittit, ipsisque sensum illum acutissimum affert: uti nonnunquam experiuntur nutrices, quibus papillæ finduntur. In paucissimis tamen fœminis, quæ ulceribus mammarum laborarunt, consensum illum observavi, etiamsi diligenter attenderem. Occasiones tamen, ab eo tempore dum praxi incumbo, nunquam mihi defuerunt: neque etiamnunc desunt. Interim enim dum Wormatiæ apud Generosum ac strenuum virum Dn. Eberhardum Kemmerer von Wormbs / genandt von Dalberg moram traxi, matronam cancro exulcerato atque deplorato in mamma dextra laborantem, unà cum clarissimo atque doctissimo viro Dn. D. HECTORE SCHLANO-

 VIO,

Obs. 25. VIO, Medico Wormatiensi celeberrimo, & barbitonsore quodam quotidie invisi. Dolebat sibi quidem mamma, de dolore tamen scapulæ non conquerebatur. Nunc viduam quandam, matronam piam atque honestam, CHRISTINAM KÖFLER, hic Oppenheimii cum clarissimo atq; doctissimo viro D. EMAMUEL SCHRECKENFUCHSIO D. Medico & M. MOISE CANADEL barbitonsore tractandam habeo: habet & hæc ulcera plurima atque mirum in modum dolorosa, in mamilla dextra, imò & ad ipsam papillam (quo in loco utplurimùm dolorifica solebant esse ulcera) nullum tamen dolorem circa scapulam se persentire, quotidie (quotidie enim ex ipsa inquiro atq; exploro) mihi affirmat.

Curationem cum genere & virtute verè nobilissima matrona tibi nota, ex voto succedere, tumoremq; mammæ de die in diem decrescere, Ex nobilis. Viro Dn. WOLFGANGO à SCHWALBACH Wormatiæ, maximo cum gaudio intellexi: faxit DEUS Opt. Max. ut pristinam valetudinem brevi recuperare possit. Loco cataplasmatis, quod præscripsimus, sequenti linimento, quo ego maximo cum fructu in tumoribus mammillarum utor, locus affectus inungi quoque poterit.

Linimentū ad duritiē māmillarum

R. Gummi Amoniaci ℥ j.
Ol. amygdalarum dulcium,
Liliorum alborum,
Pinguedinis gallinæ an. ℥ ij.
Succi Cicutæ ℥ iiij.
Aceti scyllitici ℥ ij.

Misceantur, maneátque in infusione horas viginti quatuor, idque in calido: postea coquantur secundùm artem, colatura cum forti expressione servetur ad usum. In præparatione autem hujus linimenti, danda est opera: ut lentissimo igne coquatur, neque humiditas succi & aceti omninò inter coquendum absumatur: nullius enim valoris esset Medicamentum. Singularem habet efficaciam in tumoribus ex viscida materia ortis, in quacunq; parte corporis fuerint. Linimento isto calidè inuncta mamma, sequens poterit applicari Emplastrum.

R. Emplastri de Mucilaginibus &
De Meliloto an. ℥ ij.

Gummi Amoniaci dissoluti in aceto scyllitico ℥ j. ß. Misce fiatque s. a. Emplastrum, addendo parùm ceræ, si opus est.

Descriptionem ipsam pulveris serpentum, ut vocant, prout mihi à Generoso quodam communicata fuit, ad te mitto, apographum mihi retinui. Non omninò approbo descriptionem illam; non est enim satis methodica, & ab imperito quodam concinnatam fuisse apparet: tu facilè illam corrigere, & in meliorem ordinem redigere poteris.

Per dies forsan octo aut decem, propter affectum Dn. à Cronberg, mihi hîc persistendum erit. Interim si datur occasio, rescribe, & an fasciculum acceperis, significa. Sin minus, per Mercatores Silbertinam ad nundinas proximas proficiscentes, ad Dn. D. SALTZMANNUM mitte literas: illum enim Deo volente in transitu salutare atque invisere constitui. Hisce vale, Vir Amplissime, & cum lectissima tua conjuge, atque liberis dulcissimis, quos tecum ex corde saluto, feliciter vive diu, meque pro innata humanitate tua amare perge. Pro croco metallorum transmisso, uti quoque pro insigni humanitate, quâ me excepisti nuperrimè, gratias habeo agoque maximas. Præparationem oleorum, quam conjunx tua ex me scire cupit, Germanicis verbis ad ipsam scripsi, literasque tuis inclusi, si qua alia in re tibi tuisque inservire possum, non deero officio meo. Generosum Dn. Burggraffium ex me quæso saluta plurimùm. Iterum vale & millies. Dabam Oppenheimii 8. Junii 1613.

OBSERVATIO XXVI.

De mirandis effectibus fulminis,
Historia singularis.

Viro clarissimo atque doctissimo DN. GEORGIO FABRO, *Castri Imperialis Fridbergēsis Weteraviorum Doctori Medico ordinario, & longè celeberrimo, amico suo intimo,*

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

ETiamsi corpore tibi absim, vir clarissime, fautor & amice singulari studio colende, æternū tamen in hoc pectore manebis: & meritò quidē, præclara enim atq; insigni humanitate tua, qua toties me immerentem amplectere dignatus fuisti, me tibi devinctissimum reddidisti. Et profectò nihil optatiùs, nihilque jucundiùs contingere mihi posset, quàm si aliquando non tantùm verbis & officiis, verùm etiam beneficiis tibi respondere, gratumque me erga te exhibere possē, sed infelix illa distantia locorum, qua proh dolor sejungimur, obstat.

Cæterùm charissime mi Dn. frater, post reditum meum ex Germania, tot adversa, totq; luctuosa mihi advenêre, ut nisi DEUS singulari sua gratia mihi adfuisset, jam dudum sub onere isto calamitatum succubuissem. Lausannam enim rediens, uxorem meam charissimam, & filiam duodecim annorum ætatis, peste laborantes inveni. Convaluit quidem uxor, filia verò paulò post meum adventum piè in Dominum obdormivit. Post aliquod tempus, cum reliquos evasisse putaremus. Ecce filiola mea, filiolus, simul & ancilla, uno eodemque ferè tempore peste corripiuntur. Filiola & ancilla naturæ satisfecerunt, filiolus verò per DEI misericordiam convaluit. Post menses ferè duos, cum domum jam mundā, ut vocant, esse existimarem, & filius meus major natu, quem superiori anno mecum vidisti, Geneva Lausannam rediisset, peste quoque, & quidem gravissimè, correptus fuit: qua & etiamnunc laborat. Sed morbus, Laus sit DEO, in declinatione est, & ipsum jam veluti evasisse spero. Mēses itaque jam elapsi sunt tres, à quibus pestis à familia mea nunquam deflexit, & domus more Gallico perclusa, societas quinetiam hominum familiæ meæ interdicta est. Hæc, amantissime mi Dom. D. quàm me excrucient, & quàm acerbè communes miseriæ (non tantùm enim hîc, sed & in vicinia pestis ubique gravissimè grassatur, multosque è medio tollit) me conturbent, lachrimasque excutiant, vix exprimere possum.

Inistis

Obs. 26.

In istis autem miseriis maximis, maximum illud & incomparabile DEI auxilium, quo omnibus, qui ad ipsum refugiunt, opemque ipsius implorant, succurrit, evidenter persentire potui, Ita quidem, ut hucusque per singularem misericordiam DEI persistam, & quæ humana mihi advenêre, humanè & toleranter tulerim. DEUS misereatur nostrûm, justissimam suam iram à nobis avertat, Spiritu quinetiam suo sancto in omnibus tribulationibus nos ita muneret, quò in fide stabiles ad finem usque perseverare atque persistere possimus. Tibi, amicorum optimè tuisq; omnibus hæc, omniaque prospera, ex corde quoque opto.

Adversa hæc in causa fuêre, quod nihil singulare in praxi observare potui: ne tamen literas planè nudas ad te mitterem, de admirandis effectibus fulminis, exemplum singulare nunc tecû communicare visum est.

Observatio de admirandis effectibus fulminis.

Genere & virtute verè nobilis Vir DN. JOHAN. à ROSLE, ex antiquissima & nobilissima familia Solodurensi oriundus, quem honoris & reverentiæ causa hîc nomino, cùm ante annos aliquot Fridburgum Briscoviorum studiorum causa proficisceretur, & unà cum duobus famulis in via esset, tempestas maxima, tonitrua, fulgura, fulmina, & pluviæ exortę sunt. Et quia procul à pagis essent, suasit famulus, ut uno eodemque pallio ambo sese, quantum possunt, obvelarent, ac contra tempestates sese defenderent. Propterea itaque conjungunt equos, & ambo sub uno eodémque pallio progrediuntur ulteriùs. Cùm ita progrederentur, & nobilis famulo ad sinistram esset, venit maximus ictus fulminis, qui nobilem, famulum, & equos ambos in terram projecit, & impetu quodam prostravit. Famulus, & equi ambo, in ipso momento mortem obierunt, Nobilis verò DIVINITUS CONSERVATUS FUIT salvusque & incolumis evasit. In equis nulla externa deprehensa fuit læsio, ut nec in famulo, præterquàm in pileo, in quo foramen satis magnum repertum fuit. Caput quoque paulò post intumuit, & nigrum evasit: ex quibus cerebrum gravissimè læsum fuisse, satis superque constat.

In ipso verò Nobile, quæ sequuntur, miranda occurrerunt. Primò percusserat ipsum fulmen circa cubitum sinistrum, ibique manicam thoracis, simul & indusii perforaverat, vestigium quinetiam, sive maculam nigram in ipsa cute, (citra tamen ipsius læsionem) reliquerat. Foramen autem hocce in manica, in externa parte, ubi intraverat, parvum, ex interna verò parte, magnum erat. Inde descenderat materia fulminis, & globulos aliquot brachialiorum (quę ex corallis rubris erant) perfregerat, irrupto tamen filo. Posteà, quia sinistram globulo ensis imposuerat, vaginam, quę ex holoserico, ingressa fuerat materia fulminis, ipsamque cuspidem ensis, non secus ac si ex plumbo fuisset, liquefecerat: in vinculo quoque vaginę, sive Orthbandt ex ferro fabricato, sed inaurato, foramen rotundum, liquefaciendo, sibi pro exitu paraverat materia illa. In utraque pretereà poplite maculæ nigræ, veluti si aliquid picis adhæsisset, repertæ fuere, & etiã nunc aliquomodo apparent.

Porrò erat, uti dixi, cum prędicto viro nobili alius quidam in via, qui ad jactum lapidis eques præcedebat, Is similiter unà cum equo in terram prostratus fuit, damnum tamen nullum inde contraxit, prȩterquam quod auditum ex parte amiserit.

Atque hęc est hujus historiæ admirandæ, brevis, sed verissima narratio, quam ego Anno 1609. non solùm ex ore ipsius Nobilis excepi, verùm etiam vestimenta, ocreas, & ensem, quæ veluti res pretiosas in rei memoriam conservat, ipsemet vidi.

Ex hac autem historia problemata quędam propullulant, quę tuo judicio, vir clarissime, subjicio.

Primò, cur ignis, aut materia fulminis, liquefaciendo cuspidem ensis & vinculum, vaginam ipsam, ex holoserico factam, non combusserat?

2. Cur materia ignita, quæ manicam circa cubitum perforaverat, & globulos brachialiorum perfregerat, brachio ipso damnum nullum intulerat?

3. Cur materia illa fulminis, quæ in suris maculas nigras post se reliquerat, ocreas ipsas, multò minus cutem non læserat?

4. Alterum famulum circa caput quoque percussum fuisse, inde apparet, quod auditum ex parte amiserit. Cur igitur cerebrum & cor labe ista simul inquinata non fuerunt?

Flores sulphuris, natura producti.

Cæterùm mitto ad te nonnihil sulphuris, aut potius florum sulphuris, non arte factorum, sed natura productorum; qui ante annos circiter sex Badenæ Helvetiorum in thermis reperti fuere. Reverendissimus enim Archiepiscopus Coloniensis ERNESTUS Dux Bavariæ, &c. felicissimæ memoriæ, rerum naturalium curiosissimus, cum thermas istas, quæ ex copioso sulphure & exiguo alumine constant, inviseret, scaturiginem, quæ per multos annos detecta non fuerat, aperire jussit. Tecta autem erat scaturigo lapide maximo, cui sulphur hoc copiosè adhærebat. Ego cùm ante annos tres, unà cum illustrissimo Principe JANUSCHIO RATZIVILIO, Duce in Birze Dubinki, ac SLUKO, Pocillatore Mag. Duca. Lithuan. Borisoviens. &c. Capitan. Princ. Imperii, thermas hasce inviserem, flores hosce ab amico quodam, qui ipsemet illos collegerat, accepi: quos ego eis, qui arte fiunt, præferendos esse existimo: Tuam tamen sententiam atque opinionem de hac re intelligere percuperem.

Generosum Dominum Burggraffium, uti quoque Nobilissimum Virum Dom. SCHWALBACHIUM, & ipsius conjugem, ex me, quæso, saluta plurimùm. Literas tuas avidè exspecto. Et quonam in statu sint res vestræ, summoperè intelligere cupio. Vale Vir clarissime, & æternùm feliciter vive, cum lectissimâ tuâ Conjuge & filiabus, quas omnes tecum saluto, Dabam Lausannæ Equestrium 12. Novembris

ANNO

DoMIne IesV nos SVsCIpe.

Obs. 26.

Viro præstantissimo, variarumq; rerum Medicarum atq; Chirurgicarum usu celeberrimo

DN. GUIL. FABRICIO HILDANO, Medico & Chirurgo apud Bernenses ordinario

Georgius Faber Medic. Doct. εὐπράττειν.

B*Inas abs te literas, unas quidem absq; dato; Alteras verò 19. Novembris superiori anno datas, uno eodemq; die, 16. videlicet Februarii anni præsentis, ex diversis locis tandem ad me perlatas, & probè curatas esse, Præstantissime Dn. Fabrici, fautor & amice plurimùm colende, certò scias. Quas quidem, utpote ab aliquo temporis intervallo avidissimè desideratas, primo statim aspectu gratissimas mihi fuisse, nullus dubita; sed ex quibus meliora & lætiora intellectu speraveram: Cùm ecce mihi quædam obveniant in illis luctus & mæstitiæ plena, quibus ego quomodo affectus fuerim, noli quærere, de te ipso exemplum sumito, si prior ipse tibi ejusmodi misissem literas? Filias duas Charissimas te amisisse, vel potiùs præmisisse scribis? Acerbum quidem. Tanta enim naturæ vis est, ut* στοργὰς *illas* φυσικὰς *& naturales animi impetus in tantis casibus coercere non facilè queamus. Verùm moderatio adhibenda pia, & homine Christiano digna, ne videamur* θεομαχεῖν, *ac voluntati DEI non acquiescere. Quod te quoque fecisse, & adhuc facturum esse omnino mihi persuasum habeo. Te modò DEVS OPT. MAX. cum reliquâ totâ familiâ salvum & incolumem ab ejusmodi calamitatibus clementer posthac tueatur, & conservet, ex animo voveo. Me meosque quod attinet, DEI beneficio mediocriter valemus: quanquam & ego præterito Autumno, cum pestis undique apud nos invalesceret, & atrociter sæviret, de consilio quorundam amicorum & procerum meorum, cum totâ familiâ, pro salvandis ab istâ lue plantulis, in Franconiam ad visitandos parentes meos grandævos & amicos, aliquandiu deflexerim. Nullum aliàs, hac in parte confisus DEO, reformidassem aut subterfugissem periculum, nisi* στοργὴ *seu affectio illa paterna aliud quippiam mihi suasisset, cui repugnasse nefas, imò contra ipsum decalogum enormiter peccatum esset.*

Cæterum res meæ privatæ eæ sunt non tam herclè in publicis malis bonæ, ut in bonis malæ: Studia enim & praxis ipsa Medica propter agyrtarum multitudinem hoc in loco vilescunt & sordescunt. Status præterea hujus loci valdè turbulentus est. Mandatum Cæsareum contra Oppidanos publicè productum, & affixum est: quod tamen isti homines planè despectui habent. Verùm executores hujus decreti Elector Moguntinus, & Ludovicus Landgravius, à Cæsarea Majestate deputati sunt: qui haud dubiè id, quod in mandatis habent, seriò & fideliter executuri sunt. Hæc breviter de statu nostro.

Generosus DN. Burggraffius per totam hanc hyemem urbe & Castro abfuit, variisq; (ut audivi) destillationibus, & tussi aliquandiu conflictatus, sed nullius (quod sciam) Medici operâ & consilio usus est hactenus.

Nobilis præterea à SCHWALBACH, jam bellè se habet, nisi quod Schorbutus valdè apud ipsum jam reflorescere, & quasi recidivam minari videatur. Hippocratis itaque aphorismus plurimùm hîc valet: Si quid monendum videatur, de principio mone, *idq; quam ocyssimè. Verùm cunctatur ipse quidem suo periculo. Aliàs multi viri boni, iique partim nobiles, partim alii, summoperè te mecum hîc desiderant & in viciniâ exoptant, si modò absque insigni rei familiaris jactura fieri possit. Dispicies igitur ipse, quid è re tua futurum sit.*

Pro singulari deniq; & amica communicatione rari istius casus de prodigioso quodam fulminis ictu, tibi gratias ago immortales, mihi quod redhostiam, hoc tempore nihil succurrit, si quid posthac fortè erit, te celabo minimè.

Ad tua illa quæsita quid addam & respondeam, penè non video, cum eandem ferè materiam in libello tuo de combustionibus, satis eruditè tractaveris ipse. Scribis enim, tria esse fulminum genera, & quidem rectè cum Aristotele, Seneca, & quæ Pontanus hoc ipso versiculo complexus est,

Scinditque, uritq; & longo secat aëra hiatu.

Quorum primum est, quæ non urunt, sed tantùm dissipant, & habent quandam Spiritus coacti & procellosi vim commixtam, cujus causa est ingens materiæ siccitas, quæ trahit secum magnam vim spirituũ seu ventorum, qui impacti in corpora porosa, convellunt & dissipant illa absque incendio.

Altera species fulminum est, quæ urunt, multùm que terreni habent, ab Aristotele ψολόεντα *dicta. Hæc propter nimiã materiæ subtilitatem atque impetus celeritatem, igneâ suâ vi & qualitate ante penetrant atq; evolant per corpora, quàm ut adurere illa valeant: morâ tum factâ infuscant, magnasque post se ignium notas relinquunt: id quod in hoc quoque casu animadversum est, ubi materia illa fulminis nitrosa & sulphurea primò manicam thoracis & indusii, salvo brachio, saltem perforaverit, brachialia filo illæso perfregerit, & deinde maculas tantùm nigras in suris, cute, & ocreis salvis & integris ediderit. Hinc Seneca nullum, inquit, sine igne fulmen venit, sed hoc propriè igneum dicimus, quod manifesta ardoris signa, aut urendo, aut fuscando, aut afflando percussis imprimit.*

Tertia species illorum est, quæ eodem modo per rariora corpora labuntur, si verò in densiora atq; solidiora impegerint, tunc illa statim dissolvunt, quibus per angustissima quæque fuga est, ob synceram & puram flammæ tenuitatem. Eodem planè modo, quo cuspis & vinculum ensis in Nobili illo, Vaginâ prorsus illæsa, liquata fuerunt. Hanc quoque speciem idem Seneca diligenter explicat, dum inquit: Mira fulminis, si intueri velis, opera sunt, nec quicquam dubii relinquentia, quin divina illis insit potentia. Loculis enim integris & illæsis, conflatur argentum, manente vaginâ gladius liquescit, & inviolato ligno circa pila ferrum omne destillat, stat fracto doleo vinum, nec ultra triduum vigor ille durat. *Hucusque Seneca. Similem penè historiam apud Eutropium de eâdem fulminis specie legere est; propterea etiam à quibusdam miraculosum fulmen appellari consuevit.*

Cur verò auditus alterius famuli quodammodò læsus fuerit, cor autem & cerebrum, ab istâ labe incontaminata permanserint? Responderi potest, hunc vel à crassis atque fuliginosis istis vaporibus, vel à graviori fulminis sono seu fragore corrumpi facilè potuisse quemadmodum de vehementioribus in quibusdam usu compertum habemus bombardarum explosionibus, cùm secundùm Philosophum extrema objecta proprio

sensi-

26. 27. *sensui facilè nocere soleant; Vel aerem ipsi organo insitum hoc pacto impurum redditum atque læsum fuisse Sicuti enim puritas organi est causa bonæ receptionis, & exacti judicii: ita impuritas Sensorii est causa obtusi & diminuti auditus. Quod verò cordi seu vitali Balsamo & cerebro ipsi nihil inde labis communicatum fuerit, ratio est, quia effectu jam peracto, evaporatione nimirum lentâ, glutinosâ, putriq; defecta malignitas haud dubiè nullo amplius fomite suffulta cessavit & exspiravit. Hæc verò citra aliquod præjudicium virorum Doctißimorum, & in arte Medicâ magis exercitatorum dicta & scripta sunto, non tam ut meam qualemcunq; sententiam promerem, sed ut tuam quoque elicerem. Quæ omnia pro candore & humanitate æqui boniq; spero, consules.*

Flori- sul- ris na ivis. *De floribus istis sulphuris nativis quos artificialibus præferendos esse censes, idem ferè ego tecum sentio modò nihil acredinis in se contineant: quemadmodum hi ipsi à natura ipsa seu igne naturali ita purificati, in defectu florum arte Chymica præparatorum commodissimè usurpari possunt.*

Inclusi hisce cautiones aliquot de exhibendis medicamentis Chymicis, quas in superioribus amisisse te scripseras. De novis quod scribam, mihi nihil ad manum, horum fortè vicem supplebit Clariss. DN. Doct. HORSTIUS, communis noster amicus, qui superiori anno Comitiis Ratisponensibus interfuit. Conventus Electoralis & Principum 27. Martii Numburgi in Thuringia habitus est, sed exiguo cum fructu. Magnos apparatus bellicos Pontificiorum audimus, quos benignißimus DEUS à cervicibus & limitibus nostris clementer avertat. Amen. Hisce vale Vir amicißime, & quâ me semel humanitate tibi adjunxisti, eâ porrò arctiùs arctiùsque devincire perge, cum uxore & totâ familiâ à me meisque peramanter resalutatus, meque memori animo constanter absentem redama, qui te perpetuò inoblitâ mente ceu præsentem amabo & observabo: sed & sæpius per occasionem me literis tuis bea. Dabantur Fridbergæ Wetteraviorum 16. Aprilis Anno 1614.

OBSERVATIO XXVII.

De periculosa Anginæ, post Dysenteriam, curatione.

Ad clarissimum & doctissimum Virum DN. ÆMILIUM PORTUM, FRANC. PORTI *Cretensis F. Græcarum literarum Lumen longè præstantißimum, & in Antiquißima Academia Heidelberg. Professorem celeberrimum, amicum singularem*

Cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. D. P.

QUod longum silentium meum exprobras, Vir clarissime, nulla profectò injuria me afficis: quandoquidem ne amicitiæ nostræ vinculum solvatur, sæpiùs ad te scribere deberem. Verùm sæpissimè occasiones desunt, & occupationes meæ, ne T. Exc. in gravissimis suis occupationibus literis meis molestus sim, impediunt. Quum autem præsens tabellarius ad vos cogitaret, absque meis ad te literis eum dimittere nolui, tum ut per easdem te salutarem, tum etiam, (quia brevi ad nos se reversurum pollicetur) ut per eundem de tua tuorumque valetudine certior fierem.

Obs. 27. Cæterùm nihil prorsus abfuit, quin Reverendum & Doctissimum senem Dn. IOH. MERULAM, pastorem nostrum fidelissimum, & communem nostrum amicum, superiori Autumno amiserimus. Primò enim Dysenteria per menses duos gravissimè laboravit. Ex qua quum ferè curatus esset, interim dum ego Viviacum ad ægrum profectus fui, novo & gravissimo morbo corripitur. Pustulæ enim, quæ in fine morbi in labiis erumpere solent, in ipso natura propter virium imbecillitatem, (quæ cùm ratione morbi; tum etiam ætatis, sexagesimum enim sextum annum prætergressus est, aderat) tam procul expellere non poterat. Circumcirca uvulam itaq; radicem linguæ eruperunt, idque non sine dolore & inflammatione. Barbitonsorem atque ineptissimum hominem in consilium adhibuit: is quotidie ter aut quater pulverem piperis & croci gulæ faucibusq; inspersit ac insufflavit. Dolor mox auctus est, aucta & est inflammatio & febris; per intervalla quoque lipothymiæ supervenerũt. Tum ut optimum istum virum à morbo penitus liberaret, & ad patres ablegaret, medicamentum, quod simul per superiora & inferiora operabatur (Antimonium fuisse arbitror) exhibuit. Ego advocatus, cum celeriter ad ipsum ivissem, in mortis ferè agone eum reperi: vix enim spirare potuit; inquietudines aderant maximæ; lingua quinetiam faucesq; adeò intumefactæ erant, ut vix spiritum ducere, aut jusculum aliquod nonnisi summo cum dolore, & agitationibus involuntariis & convulsivis totius corporis, deglutire posset.

Curatio. Curationem porrò quod attinet, illam sic institui. Os faucesque continuò ut lacte recens emulcto ablueret, jussi, per intervalla quoque decocto hordei, rosarum, scabiosæ, melle rosato mixto, os colluebat: singulis quinetiam horis parum olei amygdalarum dulcium ex cochleari assumebat. Ter item quaterve interdiu, ac totidem noctu, collum, pectus, ac cervicem oleo liliorum alborum & amygdalarum dulcium inunximus, & lanam succidam calidè applicuimus. Enematibus item materiam, quæ propter doloris vehementiam affluebat, deorsum revocavimus. Cum ita per horas circiter triginta processissem, vomica in faucibus rupta est, ita ut materiam purulentam per os exspueret.

Hinc imminuto mox dolore, faciliùs spirare & juscula sorbere cœpit. Tum continuò superiori decocto hordei os abluens, ac nonnunquam aliquid mellis rosacei ex cochleari lambẽdo assumens, nec non optima victus ratione & medicamentis vires refocillans, paulatim singulari Dei beneficio, pristinæ sanitati præter spem atque exspectationem omnium, miraculosè ferè restitutus fuerit; ita ut in præsens, etiam septuagesimum annum ætatis intraverit, nihilominus tamen rectissimè valeat, & officio suo cum laude & hujus Ecclesiæ emolumento fungatur.

Hæc sunt, Vir clarissime, quæ de valetudine & statu hujus viri (de quo te solicitum esse sciam) tam probi, tamque pii, ad te scribere visum est:

Obs. 28. Deumque Optimum Maximum suppliciter oro, ut illum Ecclesiæ diu superstitem conservare dignetur. Vale vir clarissime, & cum lectissima conjuge, ac liberis feliciter vive diu. Paterniaci Aventicorum 16. Ianuar. 1608.

OBSERVATIO XXVIII.

De ligamenti sub lingua periculosa sectione.

Ad clarissimum atque doctissimum virum, Dn. D. GREGORIUM HORSTIUM, *Philosophum summum, & Illustrißimi Landgravii Hasiæ Archiatrum meritißimum, nec non in illustri Academia Giessena Medicinæ Professorem celeberrimum, amicum singularem,*

Cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus

S. P. D.

NUlla, amplissime atque amantissime Domine Horsti, Chirurgo committitur operatio quam vulgus magis flocci facit, atque sectionem ligamenti sub lingua, ita etiam ut obstetricibus utplurimùm committatur, quæ ligamentum hoc digito abrumpere solent: quod mihi tamen non probatur, sæpissimè enim vicinas partes simul lacerant atque disrumpunt. Hinc dolor & inflammatio, ita ut pueri lac sugere non possint: fiuntque morosi, extenuantur atque debilitatur. Prudenter itaq; hac in operatione agendum est, neque spernenda, etiamsi minima omnium videatur. In primis autem explorandum convenit, si ancyoglossus operatione hac indigeat, nec ne? multoties enim pueri aliam ob causam, quã propter vinculum sub lingua, vocem atticulare ac proferre non possunt, nulloque ligamento lingua annexa est. In his sectionem periculosam esse, sequens exemplum demonstrat.

Observatio. Rustici cujusdam hic in vicinia, in pago Corsellis, Petit yeux nomine, filius duorum annorum ætatis, superiori mense Majo 1608. ad ædes meas adductus fuit, idque ad eum finem, ut sibi ligamentum sub lingua solverem, quandoquidem abscisso ligamento linguam officio suo fungi, infantemque brevì sermonem proferre posse, planè sibi persuasum habebant parentes. Porrò aperto ore & elevata lingua, quæ crassa valdè erat, nullum inventum est nervosum vinculum. Quamobrem parentes cum infante remisimus, manumque adhibere recusavimus. Post mensem venit Empiricus & circumforaneus, cui idem adductus fuit infans, is linguam mediante ligamento nerveo durissimoq; annexam esse, parentibus persuadebat, & dummodò pecuniam numerare vellent, ut infans brevì sermonem proferret, facillimè se efficere posse, audacter ipsis affirmare ausus est. Numeratur pecunia: in sinum cujusdam matronæ collocatur infans, tum impostor linguam ex utraque & anteriori parte altè, ut mihi ab adstantibus relatum fuit, separavit. Sed quid fit? puer iste, qui prius erectus incedere poterat, in ipso momento maximis & asperrimis prius projectis clamoribus contrahitur, ita ut genua versùs inguina, & brachia versùs pectus retraherentur. Cæterùm, quia dolores continui, & medicamenta adhibita non essent, valdè extenuatus atque debilitatus fuit infans: nunc tamen aliquo modo meliusculè habet. Heri enim 18. hujus mensis Iulii, ipsum unà cum doctissimo Dn. Eman. Urstisio, artium liberalium magistro, convictore meo, aliisq; ex meis domesticis, ipsum adivi, & ea, quæ recensui, ex parentibus adstantibusq; excepi. Huc usque, ut antea, ne verbum quidem proferre potest, crura, brachiaque adhuc contracta sunt, quæ cum vi extenduntur, protinus iterum contrahuntur; sed non ita ut antea, nulloque modo incedit. De dolore tamen non usque adeò conqueritur, & appetitus rediit, ita ut paulatim vires reficiantur, lingua crassa, caput verò, totaque constitutio corporis phlegmatica est. Ego, quia pauperes, opem meam ipsis obtuli: si accedunt, faciam quicquid in me erit, & libenter videbo, qualis erit exitus: Rarus enim est casus, similem enim nunquam mihi observare contigit, ideoque eò magis T. Exc. eum communicare visum est; quò ejusmodi summopere eam oblectari sciam. Denique de Ancyoglossis inter cætera exemplum unum non vulgare habeo, quod hîc adscribere forsan T. Exc. non ingratum erit. Observatio. Est mihi frater uterinus, qui cum infans esset, admodum valetudinarius fuit. Inter cæteros autem morbos, quibus obnoxius erat, ad quartum annum ætatis ne verbum quidem proferre potuit. Ego, cum apud Chirurgum practicum versarer, & singulis ferè diebus sectionem hujus ligamenti feliciter administrarem, & quadam die ad paternos lares pervenissem, linguam ipsius inspicere visum fuit. Tum mediante ligamento crasso spissoque linguam adeò annexam inveni, ut ipsa vix dentes anteriores attingere posset. Ego eâ qua potui diligentia, ligamentum hoc abscidi, posteaque singulis diebus ter quaterve locum affectum melle rosaceo inunxi. Duobus mensibus à prima abscissione elapsis, ligamētum aliquo modo iterum annexum inveni: quapropter eodem modo ut prius processi. Res Dei beneficio ita feliciter cessit, ut brevi loqui inciperet, tandemq; & huc usque, laus Deo, vocem optimè proferre & articulare posset.

Vacat autem omni periculo operatio hæc, dummodò rectè administrata fuerit, præcipuè autem perspiciendum convenit, ne nimis profundè incidatur; ego elevata lingua, apice forficum ligamentum utplurimùm in duobus, nonnunquam & in tribus locis incido; sic enim difficiliùs coalescit iterum, quàm si uno tantummodò in loco incisio facta esset: incido autem tantummodò quicquid nerveum est, ita ut carnem vix attingam, quod si prima vice non satis abscissum, aut iterum annexum fuerit, poterit postea eadem operatio administrari; inciso ligamento, jubeo ut nutrix sæpissimè digito melle rosaceo, aut communi madefacto, linguam blādè elevet, sic enim agglutinatio atque consolidatio impeditur. Hæc ad te scribendi, Vir amplissime atq; amantissime, problemata tua medica, undiquaq; doctiss-

doctissima, quæque maxima cum voluptate legi, ansam mihi dederunt. Vale, ex musæolo nostro 19. Iulii 1608.

OBSERVATIO XXIX.

Ex inepta extensione vertebrarum, colli veluti resolutio exorta.

RUsticus quidam ex alto in aream delapsus, collum & cervicem sibi contudit, absq; ulla tamen fractura aut dislocatione, ut postea demõstrabimus: inde dolor paulatim exortus est. Post dies aliquot, cum Empiricum quendam in consilium advocasset, ipsum ægrum in terram collocat, & rustico robustissimo constituto, qui humeros deorsum deprimeret, in scamnum ascẽdit empiricus, & ambabus manibus sub mandibulis inferioribus, apprehenso capite ægri, ipsum ea, qua potuit violentia, sursum ad se trahit, collumque supra modum extendit. Vnde mox dolor vehemens, cum tanta colli imbecillitate, & veluti resolutione, exortus est, ut caput ne erectum quidem, multò minus ex uno in alterum latus circumagere posset. Manibus itaque ambabus illud subinde suffulcire coactus fuit, alioquin aut in unam, aut alteram partem, non secus ac mortuorum capita, flaccescebat; dolor tamen paulatim sedatus fuit. Cum in hac miseria ultra annum vixisset, & frustrà medicamenta multa & varia à variis ei adhibita fuissent, venit ad me Lausannam, tum ipsum Dei beneficio ita restitui, ut caput erectum sine manuum auxilio gestare, imò ex una in alteram partem (imbecillè tamẽ) circũagere posset. Victus itaq; ratione calida, sicca, attenuante, & pituitæ generationẽ prohibẽte, instituta, primò sequentes pilulas exhibui.

R. massæ pilulat. aurear. &
cochiar. an. ℨß.
trochiscot. alhandal. gt. vj.

Cum syrupo de betonica formentur pilulæ quinque, involvantur pulvere cinamomi, & in aurora cum custodia exhibeantur. Postea,

R. radic. petroselini
fœniculi
polipodii an. ℥j.
herb. agrimon.
veronicæ
betonicæ
majoranæ
rosmarini
salviæ. an. m. j.
sem. anisi &
fœniculi an. ℨij.
liquiritiæ ℥j.

Coquantur in aqua, ut colatura redeat ad ℔. ij. in quibus infundantur, coquantur, ac macerentur secundùm artem

Foliorum senæ mundator ℥ij.
agarici recent. trochisc. ℨiiij.
rhabarbari ℨij.
cinamomi opt. &
zingiberis an. ℈ij.

Misce, & fiat secundùm artem Apozema pro quatuor dosibus, interpositis diebus, ut vires conserventur, sumendis.

Intermediis diebus, sequentem potionem, ad nucham & nervos roborandos, tum matutino tempore, tum etiam tribus horis ante cœnam exhibui.

Obs. 29. & 30.

R. aquæ puriss. ℔x.
mellis opt. ℔j.

Coquantur lento igne, & spuma auferatur, postea adde

Potio corroborans.

radic. angelicæ
pœoniæ
cariophyllatæ an. ℥j.
herb. betonicæ
rosmarini
majoranæ
salviæ
ivæ arthеticæ
flor. & fol. primulæ veris an. M. j.

Coquantur in aqua ad consumptionem tertiæ partis, sumat, ut dictum, bis in die ad ℥ vj. pro haustu.

Toto fere curationis tempore quotidie de hoc decocto bibebat, & per intervalla pilulis aureis, cochiis, aggregativis, de Euphorbio & Agarico expurgabatur. Frequenter præterea jejuno stomacho masticatoria sumebat. Sequenti item electuario non sine fructu utebatur.

Electuarium.

R. conservæ florum betonicæ
primulæ veris
rosmarini
sumitat. majoranæ an. ℥ij.
extracti salviæ ℥j.
ol. salviæ
rosmarini &
saturejæ chymica arte
extract. an. gutt. vj.
pulv. cinamo. opt.
radic. & sem. pæoniæ an. ℥j.

Misce, & cum syrupo de betonica, fiat electuarium.

Linimenta.

Locum affectum, scilicet collum, oleo de therebintina, nardino, costino, laurino, lumbricor. vulpini, succo lumbricorum, & similibus inunxi. Nõnũquã quoq; collũ seq̃ti decocto fovi

Sacculus.

R. Herb betonicæ
rosmarini
majoranæ salviæ
ivæ arthеticæ
flor. primulæ veris. an. M. j.
baccar. Juniperi ℥iij.

Incidantur & contundantur grosso modo, indãturque sacculo, qui intersutus & vino coctus, calidè applicetur. Post fotum, collum, uti dixi, prædictis oleis inunxi. His divino favore convaluit.

OBSERVATIO XXX.

Aliud Exemplum.

De inepta extensione vertebrarum colli.

MAtrona quædam Bernensis, genere & virtute nobilis, ex equo delapsa cervicem sibi contudit. Ab initio nullum symptoma, nisi dolor gravativus apparuit. Post dies tamẽ aliquot, dislocationẽ adesse sibiipsi persuaserat. Et quia tum temporis Bernam ad ægros vocatus essem, in con-

Obs. 30. in consilium me adhibuit. Verùm cum nullam dislocationam adesse, ipsi significassem, mea opera amplius uti noluit. Hanc postmodum in manus Empirici incidisse, & eodem modo, ut de rustico diximus, tractatam fuisse, similique planè modo nùc affici, à nobili quodam ac fide digno homine mihi relatum est.

ADMONITIO AD TYRONES.

Ut mediocris & decens extensio in fracturis ac dislocationibus necessaria, sic nimis violẽta periculosa est, & plurima maximaque incommoda infert. Ex nimia enim & violenta extensione membrorum dolor vehemens, inflammatio, febris, phlegmone, convulsio & paralysis oriri solent. Nonnunquam & musulos divulsos fuisse, Galenus testatur. Ex mitiori verò quàm par est extensione, ossa inter se fricãtur quidem, in naturalem tamẽ situm reduci nõ possũt.

Comment 1. l. 1. Hip. de fracturis.

Modus itaque & mediocritas observanda est, quæ ex membri & musculorum magnitudine ac robore sumitur. Quandoquidem ossa magna & musculi magni, quales sunt femoris, humeri, tibiæ, &c. validissimam extensionem requirunt. Sin ossa exigua & musculi parvi fuerint, mitior quoque extensio fieri debet, ut Galenus loco præallegato fusiùs monet. Est & rationalis ac fidelis Chirurgi officiũ, in primis prænoscere, an membrum sit fractum dislocatumve nec ne? sępissimè enim evenit, ut ex levissima quavis contusione dolor & intumefactio circa articulos oriãtur, cum tamẽ nulla fractura aut dislocatio adsit. In his quàm periculosum sit membrum tractare atq; extendere, in pręcedenti observatione ostendimus, quod ex præallegatis historiis apparet. In iis enim nullam adfuisse dislocationem vertebrarum, ut falsò Empirici existimarunt, indè colligere licet, quod primis diebus vix ullum symptoma, pręter dolorem gravativum apparuerit, quodque motus colli non perierit. In quavis enim dislocatione, sive cõpleta, sive incompleta, dolor protinus ut sequatur, necesse est. Os enim, quod suo loco amotum est, partes nervosas ex suis sedibus naturalibus reprimit. Spinæ verò verticulæ, (ut PAULI ÆGINETÆ verbis utar) si perfectam laxationem sustineat, celerrimam mortem inducunt. Neq; enim levem compressionem spinæ medulla sustinet: quando sanè etiam nervorum solùm ex ipsa exortus, si comprimatur, ad periculum inducendum sufficiat.

Est igitur luxatio vertebrarum spinæ (si perfecta & completa fuerit) ob nobilitatem medullæ, quam in se continent, PAULI, aliarumque sententiâ, mortalis. Luxatio porrò vertebrarũ colli imperfecta sive incompleta, etsi mortem momentaneam non adfert, collum tamen detorquet, faciesque fit livida, cum vocis & respirationis difficultate, & nisi reponantur vertebræ, intra triduum, CELSO attestante, moriuntur: Vertebræ enim, sive articulus capitis (VESALII authoritate & verbis utor) adeò magni est momẽti animalibus, ut omnium solus non dicam luxationem magnam, sed ne deflexionem quidem, vel temporis momento ferre queat. Repentè siquidem respiratione ac voce, motuque simul & sensu totum privatur animal, ipsa nimirum radice affecta. Cum verò ex toto loco mutantur, nulla etiam restitutionis spes relinquitur, præcipitemque mortem inferunt. Hactenus VESALIUS.

Celsus lib. 8. cap. 13. & 17. Avicen. lib. 4. fen. 5. tractat. 1. cap. 21. Ambr. Paraus l. 16. cap. 5. & 14. Rolãd. lib. 2. c. 18. Chirurgic Institut. l. 1. cap. 20

Cæterùm, quia nullum horum symptomatum in præallegatis ægris apparuerit, nullã quoq; dislocationẽ, sed contusionem tantumodò, quæ extensionem non requirebat, adfuisse sequitur.

Hæc recensere placuit, ut impostura simul & ignorantia Empiricorum nonnullorum, qui se mirabilia, imò impossibilia in hujusmodi luxationibus præstitisse gloriantur, detegatur atque palàm fiat.

OBSERVATIO XXXI.

Nasus abscissus quomodo restitutus?

ANNO 1590. Cum Dux Sabaudiæ Genevensib. bellum inferret, incidit in manus militum puella quædam casta ac pia, Susanna N. nomine, quam cum stuprare frustrà tentassent, atque hac de re maxima ira perciti essent, nasum ipsi absciderunt. Post annos duos venit Lausannam, ubi tunc degebat Dn. JOH. GRIFFONIUS, Chirurgus ut ingeniosissimus, sic & in praxi felicissimus, qui cum ipsam curandam, & nasum restituendum suscepisset, ita satisfecit promissis & nasum restituit, ut maxima cum admiratione omnium, ipsum artificialem & factitium esse, vix appareret. Quemadmodum ego ipsemet non rarò vidi & observavi: Ad hunc enim usque annũ 1611. Lausannæ apud piam ac honestam matronam, Dominam Judith Mace, viduam Domini JOACHIMI ROHOLD. piæ memorię, vivit. Hyemis tamen tempore, cum frigus est maximũ, apex nasi aliquo modo livescit, ut reliquæ tamẽ partes corporis nutritur, & suo sensu est prædit. Prædicta puella (adhuc enim in cælibatu vivit) usque ad huncannum 1613. Lausannæ degit, circa nasum post absolutã curationem nulla in pejus facta fuit mutatio.

Hujus operationis & curationis primus inventor fuit CASPARUS TALIACOTIUS, in Bononiensi Gymnasio medicinæ Professor longè doctissimus & celeberrimus, qui operationẽ hácce & curationem Chirurgicam nobilissimam, & tam à veteribus quàm neotericis desideratam, primus scriptis posteritati reliquit. Dominus GRIFFONIUS verò, ex cujusdam peregrini Itali, Lausannam transeuntis, & à Domino D. CASPARO TALIACOTIO curati, relatione, nõnulla primordia habuerat, reliqua sua industria, etiamsi talib. operationibus nunquam interfuisset, nec scripta Dn Taliacotii hac de operatione extitissent, perfecit. Idque eo planè modo, quemadmodum Dn. D. Taliacotius ipsum describit.

OBSERVATIO XXXII.

Fistularum inferioris maxillæ compendiosa curatio.

DIfficiles & longæ curationis utplurimùm sunt fistulę inferioris maxillę, præcipuè quę post dolorem dentium accidunt, quomodo autem ego hactenus feliciter eas curaverim, paucis declarare non gravabor.

EXEM-

EXEMPLUM I.

Loes auff dem Sande Hildenæ, consanguineus meus, vehementissimo dolore cujusdam dentis molaris vexabatur. Adiit Barbitonsorem, qui fracta dentis eminentia radicem in alveolo reliquit, inde continuato dolore, exortus est abscessus circa dentis radicem; quo rupto exteriùs, paulatim remisit dolor, ulcus verò (quod nullo modo consolidare potuit barbitonsor, qui dentem extraxerat) in fistulam degeneravit. Ego post mortem præstantissimi Viri, Dn. COSMI SLOTANI præceptoris mei longè fidelissimi, ex aula Principis in patriam reversus, auxilium meum imploravit. Sed quia in Galliam proficiscendi jam animus mihi esset, curationem hāc, quam verebar longam fore, aggredi non audebam.

Post meum itaque abitum, diversorum chirurgorum consilia imploravit: sed frustrà, donec ego quinto post anno ad paternos lares reversus, curationem DEI beneficio infrà scriptis remediis feliciter absolvi.

Instituta optima victus ratione, sequentem exhibui potiunculam.

R. Pulveris passaphanti ʒ j. detur cum decocto betonicæ, salviæ, rosmarini & majoranæ

Postridie venam in cubito incidi.

Deinde materiam in capite sequenti decocto præparavi, & leniter purgavi.

R. Herbarum & florum betonicæ,
Scabiosæ,
Veronicæ,
Cuscutæ,
Agrimoniæ an. M. j.
Summitatum rosmarini,
Majoranæ,
Florum Salviæ &
Primulæ veris an. M. ß.
Sem. anisi &
Fœniculi an. ʒ ij.
Liquiritiæ ℥ j.

Coquantur in aqua ad consumptionem tertiæ partis. Hujus colaturæ per triduum, in aurora calidè ad ℥ iiij. melle despumato dulcoratæ, exhibui. Postea.

R. Ejusdem decocti colaturæ lb. j.
Foliorum senæ mundat. ℥ ij.
Agarici recent. trociscati &
Rhabarbati elect. ana ʒ ij.

Maneant in infusione horas duodecim, deinde iterum leniter calefacta, fortiter exprimantur: Expressioni admisce syrupi de betonica & rosati solutivi, compositi cum Rhabarb, Agarico & Sena an. ℥ j. Misce, fiat potio pro quatuor matutinis. Tandem sumpsit sequentes pilulas.

R. Massæ pilularum aurearum &
Aggregativarum an. ℈. j. ß.
Trociscorum alhand. &
Diagridii an. gran. quattuor.

Cum syrupo de stœchade formentur pilul. quinque, quæ diluculo sumantur.

Præparato satis corpore, radices dentis effodi, Callositatem verò fistulæ, unguento quodam caustico absumpsi, & ulcus unguento de succo Appii mundificavi, tandemque cicatricem Emplastro diacalcitheos, & pulveris aluminis usti induxi, sicque curationem spacio triginta dierum feliciter absolvi.

EXEMPLUM II.

Iuvenis quidam Coloniensis, non ex obscura familia oriundus, cum simili morbo laboraret, in manus barbitonsoris incidit, qui variis & per mēses aliquot frustrà adhibitis remediis, tandem me consuluit, & quidnam amplius agendum esset, à me inquisivit, cui præscriptam methodum fideliter communicavi, qua & brevi sanatus fuit æger.

EXEMPLUM III.

Anno 1599. Genevæ puellam simili morbo laborantem, superiori methodo sanitati, Dei beneficio, restitui.

EXEMPLUM IV.

Anno 1596. Coloniæ in der Bechergassen/ in domo, cui gammarus pro insigni est, adolescentem decem annorum natum, & fistula inferioris maxillæ laborantem, curandum habui. Huic satis, & interpositis vicibus, expurgato corpore, secundùm prædominantis humoris naturam, radices nonnullas dentium extraxi. Deinde fistulam superiori methodo brevi sanavi.

OBSERVATIO XXXIII.

Inveterata deplorataque inferioris maxillæ fistula, quomodo sanata?

NObilis matrona Basileæ, ex morbo acuto sanitati restituta, defluxione ad dentes inferioris maxillæ, sinistri lateris, cum per multos menses vexata esset, nec dentem, ad quem catharrus decumbebat, sibi extrahendum curasset, tandem circa radicem ipsius exorta inflammatione, & dolore maximo, generatus est abscessus. Quo exteriùs rupto, remisit dolor: nisi quod inter masticandum & loquendum, molestiam doloremque aliquem semper sentiret. Vlcus in fistulam degeneratum, per annos quatuordecim apertum mansit. Interim etsi variorum Chirurgorum consilia auxiliaq; imploraret, multa tamen frustrà tentavit. Nullus enim de extractione dentis cogitaverat, imò potiùs extractionem omnes dissuaserant. Ego cum Anno 1610. serenissimo Principi IANUTIO RADZIVILLIO Lituaniæ Duci, in difficili ac longo morbo operam meam impertirem, ad matronam quoque hanc (quę jam sexagesimum annum ætatis pretergressa est) accersitus fui. Tum superiorem partem dentis, ad cujus radicem fistula erat, ad alveolum ferè usque erosum inveni. Semel atque iterum expurgato corpore radicē dentis extraxi. Postea turundam unguento nostro ad callositatem absumendam imposui, erosa callositate pulverem præcipitatū quotidie inspersi, & Emplast. palmeum applicui, nec medicamenta hæc mutavi, usque dum ulcus perfectè sanatum esset; quod intra mensem contigit. Radix autem dentis erosa, inæqualis, & materia quadam lapidosa per laminas disposita, obducta erat. Curationi quotidie interfuerunt Dn. Constantinus, Ecclesię Gallicanæ, quæ Basilææ est, minister fidelissimus. D. Emanuel Urstisius, artium liberaliū magister.

OBSER-

Obs. 34.

OBSERVATIO XXXIV.

Ex intumefactione & suppuratione strumæ, propter catarrhum, mors sequuta.

REverendus Dn. JOHAN. CHRISINETUS, ad divum Martinum, in præfectura Ebrodunensi verbi divini minister fidelissimus, homo pius, & septuagesimum annum ætatis pretergressus, à juventute struma laboraverat, absque ullo tamen incomodo, præterquàm quod aliquando per dies aliquot raucus fieret, idque propter catarrhum, qui ad fauces, asperamque arteriam defluebat. Circa principiũ mensis Octobris 1608. prius dolore aliquo capitis correptus, catarrhus copiosior, & cum majore molestia, quàm antea, ad collum strumamque ei defluere cœpit. Cũ verò circà initium morbi, neque medicamentis, neque revulsionibus uteretur æger, ac catarrhus continuò ad partem læsam, ac propter præcedentes defluxiones debilitatam, deflueret, deglutitio cibi & potus paulatim impedita est. Interim tamen, quia vox atque respiratio integra manebat, officio suo concionando fungebatur. Tandem cùm malum suum de die in diem ingravescere videret, nec quicquã amplius ingerere posset, Lausannæ à claris. Viro Dn. ABELE ROSCIO, Doctore Medico celeberrimo, auxilium petiit. Is præterquam quod enema, potiunculam laxativam, inunctiones & cataplasmata misit, me advocandum quoque suasit: ut quidnam mali, anque aliquid, quod manualem operationem requireret, subesset, investigarem. Enema quidem, nec absque fructu, accipit: de potiuncula tamen ne guttulam haurire potuit. Quapropter ego septimo Novemb. accersitus, optimum ac pium istum senem supra modum debilem, cum pulsu intermittente inveni. A diebus enim quindecim nihil quicquam cibi aut potus, imò nec jusculum sorbere potuerat: cùm primum enim epiglottidem prætergressa essent, non vomitu tamen, neque tussiendo, sed conatu aliquo molesto illa iterum expellere coactus fuit. Interim appetitus minimè depravatus erat, ita ut sæpissimè exclamaret: Heu me miserum, qui fame pereo. Ad latus asperæ arteriæ sinistræ partis, struma appendebat, quæ ovi strutii magnitudinem ferè adæquabat: non usq; adeò dura, neque asperæ arteriæ adhærebat: quapropter nulla neque vocis, neque respirationis aut loquelę difficultas, nullus item dolor aderat. Speculo oris depressa lingua, circa uvulam & amygdalas nihil præternaturale animadvertere licuit: malum enim multò profundius hærebat. Quapropter petiit æger, ut stylo argenteo investigarem, an obstaculum hocce œsophago eximere possem. Cathetere itaque benè incurvato, cui spongiam annexeram, immisso œsophago, è regione principii sterni, ubi claviculæ annectuntur, obstaculum atque tantam angustiam offendi, ut catheter nõnisi violentia quadam intrudi posset. Immisso tamen, iterumque extracto, materia quædam viscida glutinosaque, & quæ laridum repræsentabat, sequuta est: non autem vomitu, sed eodem conatu molesto, uti prius de rejectione potus dictum est. Indè colligere licuit, strumam ista in parte ad suppurationem pervenisse: similis n. materia utplurimum in strumis continetur. Cathetere ter quatèrve immisimus, ac singulis vicibus nonnihil istius materiæ extraximus: hinc aliquo modo vinum, ac lac amygdalatum sorbere cœpit: Quapropter res suas jam omninò in tuto esse existimans, me à se dimisit. Post meum verò abitum, quia jam propter præcedentia media ad summam debilitationem extenuationemque pervenerat, œsophagus quinetiam iterum, ut priùs, à materia ista larida clauderetur, non diu post omninò corpore extenuato, extincto exhaustoq; ac absumpto calore innato & humido radicali, animam DEO placidè pieque reddidit.

Obs. 35. & 3

OBSERVATIO XXXV.

De strumæ periculosa excisione.

ANno 1596, unà cum clarissimo ac longè celeberimo Viro DN. JANO ANTON. SARACENO, medico regio Genevæ ad puellã unicam, decem circiter annorum natam, vocatus fui. Laborabat illa struma ex dextra parte colli. Illa, quia asperæ arteriæ & nervo recurrenti tenaciter adhærebat, respirationem ac vocem utcũque intercipiebat. Quapropter, ne in posterum deformitas aliqua indè exoriretur, atque cùm in matrimonium collocanda, id ipsi dedecori esset; petiit mater, ut strumam hancce exciderem; Idq; quia magnitudinem ovi anseris vix adæquabat, facilè & absque periculo fieri posse, sibi persuadebat, ego tamen simul ac clarissimus DN. SARACENUS in contraria fuimus sententia: manumque adhibere omninò recusavimus, Quandoquidem non solùm hæmorrhagiam periculosam, verùm etiam vocis ex parte depravationem, deperditionemque verebamur.

Venæ enim jugulares simul & nervus recurrens istius lateris, struma hac intertextus esse videbatur: dimisimus itaque ægram.

Non diu post temerarius quidam Tononiensis in urbem venit, cui adducta puella, facillimè & absq; ullo periculo strumam hancce exscindere se posse, audacter promittebat, de precio cum ipso conveniunt: numeratur pecunia, sed adhibita novacula, in ipsa operatione spiritum Deo reddidit, maximo cum luctu ac dolore matris, quæ vidua hanc unicam habebat filiam. Temerarius Empiricus in carcerem projectus, vix evasit, tandem à Magistratu mulctatus, dimissus fuit. Hæc in gratiam tyronum recensere placuit ut in hujusmodi casibus cauti sint ac prudentes.

OBSER-

Obs. 36.

OBSERVATIO XXXVI.

De vulnere pectoris, cum pulmonis læsione.

GREGORIUS HORSTIUS MEDICINÆ & Philosophiæ D. & Illustrissimi Principis ac Domini DN. LUDOVICI LANDGRAVII HASSIÆ &c. Medicus ordinarius. Et in Illustri Academia Giessena Medicinæ Professor, Viro clarissimo & peritissimo Dn. Guilhelmo Fabricio, Medico & Chirurgo celebri, Dn. & amico suo S. P. D.

Tam grata mihi fuit tua præsentia, satis diu exspectata, Vir peritiss. & clarissime, ut nihil magis in votis habere, quam pro dignitate tibi quidpiam officii & honoris exhibere, sed nominis tui notitia nobis impedimento fuit, quo minus illo brevi tempore voti mei compos fieri possem, dum undique maximi cæteriq; confluerent, tuumq; judicium in gravissimis affectibus expeterent. Hinc factum, ut postpositis privatis publicisque meis negotiis, ad aulam Illustriss. mei Principis Darmstadium, atque post Heidelbergam usque te comitarer, ob conversationem tuam amicam mihi perquam gratam. Etsi verò ab eo tempore corporibus sejungimur, animo tamen minimè nos sejunctos esse, vel hac ipsa epistola testari volui. Cum enim amicus noster communis Dn. D. GEORGIUS FABER occasionem ad te scribendi nansisceretur, penitus alienum à nostra amicitia esse duxi, nisi perbreves etiam adderem. Inprimis autem te certiorem facio, me pristina corporis animique valetudine, DEI gratiâ, cum meis adhuc gaudere: de te, tuisque, si reciprocum habeo nuncium, nihil mihi gratius. Novi quod hac vice perscribam ad te, nihil habeo, præterquam quod vir juvenis nobilis, ante mensem nobiscum à mirabili vulneratione superstes remanserit, & sensim optimè convalescat, cujus casus historiam paucis accipe. Factum fuit in feriis Nativit. Christi, ut nobilis quidam juvenis, studiorum gratiâ nobiscum vivens, mihi conterraneus, nocturno tempore civis cujusdam ædes aggrederetur, aliis in ipsa domo convitiis atq; comminationibus huic rei occasionem præbentibus, & per januæ rimam gladio acutiori transfoderetur, introeunte vulnere non procul à sterno circa 3. vel 4. costam superiorem, eodemque rursus sub scapula, non procul è spina exeunte. Vocatus ego circa horam 1. pulsu maximè debili, difficultateque respirationis imminente, parum spei superesse putabam, totus in ista opinione, quod sine gravi pulmonis atque fortassis etiam insigni vasorum læsione talis vulneratio fieri non posset, præsertim cum præter dictum vulnus latiori gladio circa axillas etiam non sine suspicione transfossarum venarum & arteriarum axillarium, vulneratus esset. Sed quid fit? vomitu sponte succedente è ventriculo, graviora symptomata desierant, vires sensim sese recollegerunt, nihil sputi purulenti, nihil tussis, nihil difficilioris respirationis, parùm caloris febrilis, atque excedentis sitis, in prima tantum hebdomade ac eo tempore fuit observatum. Vulnera more solito per Chirurgos tractavimus, non pauca puris optimè cocti copia quotidie profluente, ut fieri solet in morbis pectoris: interius præter universalia laxantia, inprimis cassia recent. extract. cum Rhabar. pulv. pauca remedia adhibuimus: interdum bezoardicis iterum atq; iterum pro sudore provocando, cordeque corroborando propinatis. His in hanc usque horam æger optimè sese habet, plenariam restitutionem brevi sperans.

Quæstio 1.

Occasione præsentis casus, dubitationes quædam oriuntur, in quibus tuum judicium expeto: dubitatur enim 1. num hæc vulneratio sine gravi pulmonis læsione fieri potuerit? Ego quidem primâ die totus in ea opinione fui, quod pulmo quoque necessariò graviter vulneratus fuerit, subsequentibus autem diebus, nihil quicquam per signa colligens, de modo vulnerationis cogitare cœpi, num etiam ejusmodi vulneratio possibilis sit absque gravi pulmonis vulneratione? Mecum hac de re cogitans, motum pulmonis perpendere cœpi, simulq; respirationis partes diversas considerãdo, probabiliter statui, juvenem hunc in vehementissima expiratione cum pulmones penitus incidunt, fuisse transfossum. Quod autem ansam præbuerit huic expirationi vehementiori, vix invenire potui, quam ob caussam à vulnerato, quasi aliud agens inquisivi, quid nam ante domum egerit eo ipso momento, quo fuit vulneratus? respondet ille promptissimè, se clamore vehementiori suum adversarium provocasse. Cum autem vox intensior non aliter quàm expiratione fiat, cumque per expirationem pulmones concidant, verisimile judico, pulmones hîc minimè graviter, sed fortè tantum respectu partium ad circumferentiam tendentium, adeoq; non secundum vasa insigniora læsos fuisse.

Quæstio 2.

Sed mirabitur fortassis aliquis, cur statim brevissimo hoc tempore spem consolidationis faciam ægro, cum tamen non pauci sint in ea opinione, vulnera thoracis diutissimè aperta esse debere: nimirum, quæ maximam puris copiam præ reliquis quotidie fundunt. Hinc igitur secunda dubitatio sequitur, an hæc vulnera diutius aperta esse debuerint? negativè respondeo, quia non necessarium esse videtur, diutius vulnera pectoris à consolidatione defendere, quando nihil purulentæ materiæ, vel thromborum sanguinis in cavitate pectoris continetur, quod pluribus demonstravimus in Cent. prob. therap. dec. 5. quæst. 5. Contrarium verò meritò concedimus tunc temporis, ubi materia purulenta, in ipsa cavitate thoracis etiam colligitur: in quo casu non tantum aperta retinenda sunt vulnera, sed simul etiam per injectiones digestivis, abstersivis, aliisque medicamentis naturæ succurrendum esse, putamus.

Vulnera pectoris quando aperta retinenda.

De vulnere thoracis observatio singularis.

Hujus rei exemplum ante biennium hîc in vicinia quoque habui in nobili quodam viro, lethaliter in pectore vulnerato, cui diutissimè decumbenti quotidie maxima saniei copia è vulnere, non rarò quoque pulmonum particulæ parvæ simul egrediebantur. Hic aliquamdiu phthisi corripiebatur, omnibus signis cum ea convenientе, quæ aliàs ab exulceratione pulmonum fieri solet, interdum propter malignitatem putrescentis pulmonis, cum summa virium imbecillitate febrilique calore, cutis exanthemata rubra, more illorũ, quæ petechialibus febrib. propria sunt, erumpebant. Tandem tamen cum diu satis apertum esset vulnus, ipsumque pectus atque pulmones optimè expurgarentur, cõvalescere cœpit æger, adhuc hodie perfectè restitutus vivens, quod naturæ ipsius vegetæ & sanguineæ potius adscribendum esse puto.

Quæstio 3.

Quocirca pro tertia dubitatione, vides me eò inclinare, pulmones consolidari posse, licet contrarium pateat ex eis rationibus, quibus demonstrant authores classici, phthisicos confirmatos incu-

Obs. 36. *incurabiles esse. Sed alia est solutio continui, quæ fit diuturnitate temporis ex continuis fluxionibus acrib. accedente plerumque hæreditaria vel etiam ascititia pulmonum imbecillitate: & alia est ratio ejusmodi solutionis cõtinui, quæ fit per vulnus in subjecto laborãte robustiori, commodissimis medicamentis quotidie injectis, ipsaque materia purulenta per vulnus evacuata.*

Quæstio 4. Felicis VVirtz, absurdissima opinio.

Verùm dubitabis juxta FELICEM WIRTZ, *Cheirurgum Basiliensem, qui turundas in vulneribus pectoris penitus rejicit, ipsamq; saniem, sanguinem, aliamve collectam materiam per sudores, urinam alvum, aliisq; modis commodè evacuari posse statuit. Etsi verò non negem, plurimum periculi laborantibus impendere, cum imperiti Cheirurgi turundas per peculiaria satis robusta fila non alligant, sicuti annos ante 10. cuidam studioso accidit, cui in pectore vulnerato, duæ turundæ satis longæ per negligentiam Cheirurgorum ad cavitatem pervenerant, quas secum ultra biennium cum vitæ periculo gestavit, à quibus tamen tandem ne gry quidem alteratis, casu potiùs quam arte fuit liberatus, ac postmodum plenariè restitutus: non tamen video, quomodo usus earum penitus rejici possit, cum aliàs natura, quæ adminiculum ab arte exspectat, expurgationem videlicet superfluorum minimè habere posit. Hoc est, quod pro dubitatione 4. subjicere placuit, ut à te intelligam, quid de hac assertione sentias. Quid enim putas exspectandum esse, si purulenta materia collecta circa cavitatem, ibidem retineretur tam diu, donec ipsamet natura viam expurgationis occultam sibi quæreret? sed ne manum alteram impleat epistola, subsisto, tibi tuisque felicissimum novi anni auspicium ex animo precor, teq; tuis, ac Reipubl. diutissimè valere cupio. Dabam raptim Giessæ 26. Ianuar. 1613.*

In pectore vulnerato ex negligẽtia Chirurgi turũdæ duæ ad cavitatem perveniunt.

IDEM AD EUNDEM.

Postscripium

S. Mẽses aliquot abiere, clarißime mi Dn. FABRICI, *quo præsentes has literas ad te dare volui, quas tamen ob denegatam perferendi occasionem, aliquandiu secum retinuit clarißimus vir Dn. D.* GEORIVS FABER, *amicus noster communis. Casus iste cujus descriptionem ad te dedi, felicißimum exitum habuit, etsi n. vulneratus in secundo mense vulnerationis cõpleto, propter eminentem suffocationem, consolidatis omninò vulnerib. externis, asthmate quasi prehensus, periclitaretur, tussi, atrophia & hectica febri plurimũ afflictus, adhibitis tamen convenientib. remediis, sulphuris inprimis balsamo terebinthinato, cum syrupo jujubino commixto, purulenta materiæ in ipsa pulmonũ substantia collectæ, mensura cum dimidia, per diem naturalem rejecta fuit, quo facto, vires corroborando, pulmonum exulcerationem detergendo & consolidando, ita convaluit, ut per mensem unum atque alterum ab omnibus medicamentis abstinuerit, & potiùs in culina quàm penes medicos ulterius adjumentum quæsiverit, remittẽte tussi, purulenta rejectione, similibusq; symptomatis tabem producentibus, quam ob causam optimè restitutus, hac septimana ad suos abire decrevit. Vide quid posit natura juvenilis, & quàm mirabilis sit* DEVS *in operibus suis; Cæterum omnia tua ritè mihi tradita fuisse scias, quam ob causam tum pro structura oculi, tum etiam pro aliis transmißis, maximas habeo gratias, tibiq; promptißimã meam observantiã rursus offero. Bene vale, & priusquam recedas à nobis, me de statu tuo primùm certiorem facias. Raptim Giessæ 30. April. 1613.*

Tuus

Gregorius Horstius D.

OBSERVATIO XXXVII.

De mirabili quadam hæmorrhagia umbilici, in viro quodam oborta, variisque inde subsequutis symptomatibus,

Viro amplißimo atque doctißimo DN. GREGORIO HORSTIO, *Philosopho summo, Illustr. Landgravii Hassiæ &c. Medico ordinario, & in illustri Academia Giessena Medicinæ Professori longè celeberrimo,*

Guilhelmus Fabricius Hildanus, S. P. D.

Statueram, vir amplissime, fautor & amice submissè honorande, ex hisce regionibus non discedere, nisi te prius Giessæ invisissem. Cum verò ad nobilissimum ac strenuum virum, Dn. WOLFGANGUM ADAMUM à SCHWALBACH, qui T. Exc. peramanter salutat, pervenissem, te ad thermas cum Generoso viro Dn. PHILIPPO, COMITE SOLMENSI profectum fuisse, ex Dn. D. FABRO, communi nostro amico intellexi. Doluit, imò & etiamnunc dolet absentia tua; interim tamen quia coràm tibi adesse mihi, proh dolor, nunc non licet, hocce epistolio, antequã ad meos redirem (quod volente DEO brevi fiet) te invisere statui. Deumque Opt. Max. suppliciter oro, ut iter tuum felicem habeat exitum, omniaque tibi ex animi sententia succedant.

Cæterùm clarissimus vir Dn. D. GEORGIUS FABER, tuas mihi quoque obtulit literas, ex quibus structuram oculi & quæ præterea misi, tandem ad te pervenisse, sũmo cum gaudio percepi: Inclusus casus de vulnere pectoris multùm placet, ipsùmque tertiæ centuriæ, DEO dante inseram. Quæstiones quas ex ipso proponis, tu ipsemet doctè simul & eruditè solvis: itaque ut ego noctuas Athenas feram, supervacaneum, imò & nunc propter penuriam otii, & quod longè à bibliotheca & adversariis meis absim, vix mihi licet. Ad primam tamen quæstionem addo, superficiem pulmonis tantummodò vulneratam, neque vasa magna in nobili isto læsa fuisse, me tecum consentire. Superficiem enim atque extremitates pulmonis, uti quoque hepatis, aliquãdo absque mortis discrimine vulnerari posse, exempla quoq; in observationib⁹ meis reperiuntur.

Ad primam quæstionem.

Pro secundo quæris. Vulnera pectoris aperta diu retinenda an sint, nec ne? Ego eadem distinctione, quam tu quoque proponis, utor; nimirum si sanum est corpus, & vulnus recenter inflictum, neque sanguis aut pus ullum in pectore collectum, vulnus ut diu apertum maneat, minimè opus est. Interna enim viscera ab externo aëre facilè læduntur. In cacochymicis verò corporibus alia est ratio, in eis enim consolidatio vulne-

Ad secundam quæstionem.

vulnerum & ulcerum pectoris, donec natura sese probè exoneraverit, minimè acceleráda est. Hoc modo Asthmaticum deploratum sanitati restitutum fuisse, Dusseltorpiæ apud præstantissimum virum, Dominum COSMAM SLOTANUM observavi. Integram historiam cumprimùm ad Musas meas pervenero, tibi communicabo.

Pulmones consolidari posse, tecũ sentio, exemplum habes in prima Centuria observ. de homine quodã, qui turundas per os rejecit, id quod absq; exulceratione pulmonis fieri nõ potuit. Habes & exemplũ in secunda Cẽturia, observ. de viro quodam, cui pars pulmonis abscissa fuit.

Opinionem FELICIS WIRTZ absurdam & penitus reiiciendam esse, quis negare poterit? Non solùm enim vulnera pectoris, verùm & capitis, inquibus cerebrum detectum est, imò & externarum partium vulnera, donec probè sint digesta, & partes læsæ expurgatæ, aperta retinenda esse, experientia docet, idque ego multis exemplis demõstrare possem, sed jam prolixas scribendi literas otium non datur. Si hoc modo injuriam aëris vitare cupit WIRTZIUS, nonne ex scylla in charybdin incideret? Sed & aër ille, quæso, externus, nonne cum vulnus detegitur atque curatur arte, quemadmodum quoque fit in vulneribus capitis, ubi cerebrum aut ipsius membranæ detectæ sunt, facilè emendare potest? De turundis nihil dico; illæ enim quomodo in vulneribus pectoris adaptandæ & filo alligandæ, etiam tyrones in arte Chirurgica norunt. Saniem aut sanguinem in cavitate pectoris contentum, per urinas aut alvum evacuari posse, tam absurdum est, ut nihil absurdius, nulla enim via à natura ad id destinata est. Illam verò absque mortis discrimine sibi parare non posse naturã, quis quæso est qui ambiget? Verùm mirum non est, WIRTZIUM hic graviter errasse, hæcq; contra omnem rationem proposuisse, plurimos enim eosq; gravissimos, atque cùm tyronibus medicinæ atque Chirurgiæ, tum etiam ipsis ægris perniciosissimos errores liber suus continet.

Porrò, Vir amplissime, ut par pari referam, exemplum de mirabili quadam hæmorrhagia ũbilici adscribam. Sanguinem ex umbilico infantulorum recenter natorum aliquando nimis copiosè profluere, multoties observavi, uti ex observatione 52. Centur. primæ videre poteris. Vasa enim umbilicalia si post partum ab obstetrice nimis negligenter ligata fuerint, sanguinem maximo cum infantulorum damno & vitæ periculo profundunt, uti loco præallegato ostendimus. In adultis vero, quia vena umbilicalis contrahitur & in ligamentum transit, sanguinem non amplius per eam naturaliter profluere posse, rationi consentaneum est. Verùm naturam materia aliqua morbifica oneratam, aliquando iterum venam illam reserare, per eamque serosos humores copiosè projicere, nonnunquam in hydropicis observavimus; qua de re vide Observ. 47 Centur 1. Sanguinem verò in adultis ex hepate per umbilicum adeo copiosè, ut in sequenti historia acciderit, profluxisse, hactenus an observatum fuerit, nunquam me legere memini: ideoq; casum ordine recensere non gravabor.

Obs. 37.

Dn. DANIEL SCHERTLER, Apothecarius Solodurensis Helvetiorum experientissimus, homo pituitosus, obesus & trigesimum sextum annum ætatis agens, amicus meus singularis, cum superiori anno 1612. circa festum Divi Iohannis Baptistæ ad Nundinas Argentinenses, negotiorum suorum causà profectus, ibique occupatissimus esset, ac quodam die supra modum incaluisset, apertus sibi fuit umbilicus, ita ut ad libram unam & semis sanguinis efflueret, per se tamen & nullo adhibito medicamento substitit. Miratus simul & perturbatus hac de re cùm esset, Medicos eruditos, simul & Chirurgum advocari jussit; qui hujusmodi medicamenta, quæ sanguinis fervorem refrenare solent, exhibuerunt, & exteriùs applicarunt; sed exiguo cum fructu. Altero enim die & subsequentibus, usque ad undecimum, ex umbilico cottidie bis sanguis, non quidem guttatim neque in parva quantitate, sed cum impetu & copiosè erupit. Foramen adeò erat angustum, ut vix lentem excipere posset. Certis autem horis (quod probè notandum) nimirum præcisè inter septimam & octavam matutinam, & inter secundam & tertiam pomeridianam, hæmorrhagia illa accidebat. Ut plurimùm quoque hoc tempore singulis diebus semel hæmorrhagiam narium patiebatur. Medici simul & Chirurgi, etiamsi omnem adhiberent diligentiam, sanguinem tamen medicamentorum beneficio sistere nunquam potuisse, æger ipsemet mihi affirmavit; sed sponte & per se substitisse. Hoc modo, nimirum quotidie bis, totos undecim dies sanguinem profluxisse, & interim ad libras usque viginti septem emanasse, à Medicis & ipso ægro observatum fuit. Elapsa undecima die, ulcus umbilici accrevit; ex quo loco sanguinis materia purulenta per menses aliquot extillavit, paulatim tamen iterum coaluit.

Quæstio.

Cæterùm quia quantitas illa sanguinis, qui undecim dierum spatio tam ex umbilico quàm ex naribus effluxit, modum excedere videtur, & vix homine tanta sanguinis copia præditum esse, credibile sit; adeoque rem fabulosam esse aliquis æstimare possit; quæstio suboritur: nimirum sanguis an purus fuerit, nec ne? Ego ipsum non purum, sed aliis humoribus, inprimis serosis ichoribus permixtum fuisse, existimo.

Solutio.

Constitutio corporis phlegmatica & obstructiones viscerum; quibus antea per annos aliquot laboraverat, fidem faciunt. Serosi enim humores isti, beneficio naturæ exitum petentes, venam umbilicalem paulatim dilatarunt: tandemque unà cum portione aliqua sanguinis per umbilicum eruperunt.

Ex maxima porrò evacuatione ista, vires adeò prostratæ fuerunt, ut nonnisi summa cum difficultate Solodurum reduci potuerit. Ego 14. Novembris Anno 1612, ex patria rediens, cum ipsum inviserem, omnia illa quæ recensui, ex ipsius relatione annotavi. Umbilicum extensum, rotundum & aliquantum elevatum, & instar vesicæ aquà impletæ, mollem inveni, nec non fluctuationem quandam in ipso percepi. Dolorem præterea per intervalla, inprimis verò tussiendo & noctu decumbendo, ambulando verò nullum

Obs. 37. aut exiguum saltem adesse, referebat. Venter extensus, durus, appetitus prostratus, & sitis maxima aderant, parumque dormiebat. Posteà vero quid cum ipso acciderit, ad meos redeundo, & Solodurum transeundo, si intellexero, tibi volento Deo, per occasionem communicabo. Nunc propter festinationem plura adscribere non possum. Vale itaque vir amplissime, iterumq; vale animæ meæ dimidium, sed & in æternum vive feliciter, meq; ex præclara humanitate tua amare perge. Raptim ex Arce Haseleck 14 Maii 1613

Ad eundem Virum amplissimum atq; doctissimum Dominum D. GREGORIUM HORSTIUM, &c. amicum intimum.

STatum rerum mearum domesticarum ærumnosum, proh dolor, clarissime atque amicissime mi Domine D. HORSTI, ex præcedentibus meis intellexisti. Duæ ex filiabus meis peste objerunt; uxor verò & ambo filii evaserunt. Ego per summam DEI misericordiam adhuc persisto.

Ex Germania rediens, & Solodurum transiens, iterum Dn. SCHERTLERUM, ibidem Pharmacopæum, de cujus hæmorrhagia ante menses septem ad te scripsi, invisi. Ille tunc temporis cum ipsum inviserem, non usque adeò graviter, uti superiori anno, laborabat. Præterita æstate se iterum aliquoties hæmorrhagia umbilici laborasse, mihi retulit. Posteà acidulis Griesbachcensibus usus fuit; idque maximo cum fructu. Obstructiones tamen maximas viscerum etiamnunc adesse, ex ipsius facie, & aliis circumstantiis facilè colligere est. Aliquando quoque calorem quendam, cum pruritu è regione umbilici se percipere, mihi retulit. Hæc ut promissis satisfacerem, festinanti calamo ad te scribo. De tertia Centuria & nonnullis aliis excudendis, cum Dn. THEODORO DE BRY contraxi. Quod si DEUS Opt. Max. vitam elargitus fuerit, hac hyeme manuscriptum exemplar ad ipsum missurus sum; quò proximis nundinis prodire possit. Flores sulphuris, quos ad te mitto, non arte facti, sed natura producti, Badenæ Helvetiorum ante años tres, cum thermas istas, unà cum illustrissimo Principe IANUSCHIO RADZIVILIO, Duce in Büze, Dubinki ac Slucko Pocillatore Magn. Duca Lithuan. Borisoviens. &c. Capitan. Princ. Imperii, inviserem, ab amico quodam dati mihi fuerunt. Ille ipsemet autem, cum jussu Reverendissimi Archiepiscopi Coloniensis, ERNESTI Ducis Bavariæ, &c. scaturiginem fontis detegisset, flores istos lapidi, quo scaturigo tecta erat, copiosè adhærentes reperit. Tu, Vir amplissime, ut data occasione flores istos experiri, & de eis judicium atque sententiam tuam rescribere non dedigneris, etiam atq; etiam rogo. Vale Vir amplissime, & feliciter vive diu. Raptim Lausannæ Equestrium.

De floribus sulphuris nativis.

T. Exc. addictißimus & obsequentißimus

Guil. Fabricius Hildanus.

OBSERVATIO XXXVIII.

Phthisis setacei beneficio sanata.

Viro clarissimo atq; doctissimo Dn. JOHANNI KUFFER, Doctori Medico Argentinensi longè celeberrimo, amico singulari, Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

SAlvus quidem & incolumis, vir clarissimé, fautor & amice æternùm honorande, ad meos redii. In quo statu verò familiam meam inveni, & quænam ærumnosa ab eo tempore mihi advenère, ex clarissimo viro Domino D. SALTZMANNO intelligere poteris: mihi vulnus hocce etiamnunc cruentum præ mœrore, nunc iterum fricare non licet. Statum familiæ tuæ, & quomodo setaceum quod nuperrimè applicuimus, succedit, summoperè intelligere percupio. Non tamen dubito, ipsam indè maximum fructum capessuram. Humores enim à capite ad pectus defluentes, mirum in modum ad se trahit setaceum; idque ego multis exéplis demonstrare possem; sed unicum hocce in præsentiarum sufficiet.

Observatio. Genere & virtute nobilis quædam matrona Freiburgens. Helvetiorum, uxor nobilissimi viri Dom. Petri Fivatz, per annos aliquot destillatione ad pectus laborarat, & ita quidem vehementer, ut quamvis multis variisque remediis, cùm à medicis doctis atque eruditis, tum etiam ab empiricis præscriptis usa fuisset, exiguum tamen fructum indè acceperit. Tandem usque adeò auctum fuit malum, ut non solùm materiam purulentam copiosè, verùm etiam sanguinem expueret; & in hecticam cum totius corporis extenuatione & prostratione virium incideret. Ego tādem cum in consilium adhibitus essem, præter convenientem diętam, & exhibitionem medicamentorum, tam per os assumptorum, quàm exteriùs applicatorum, nuchæ quoque setaceum adhibui, cujus beneficio brevi maxima cum admiratione eorum, qui ipsam antea cognoverant, ita restituta fuit ægra, ut etiam deinceps proles aliquot, procreaverit: cum tamen antea per annos aliquot, & præcipuè ab eo tempore, quo destillatione prædicta laboraverat, utero non gestasset.

De usnea cranii humani. Porrò ea quæ promisi, nunc ad te mitto. Primò usneam cranii humani, illam autem verā & legitimam esse, DEUM testor, quandoquidem egomet, cùm ante annos duos in Belgio essem, in cæmeterio quodam satis copiosè ipsam inveni atque collegi. Mitto quoque frustum cranii humani, cui usnea etiamnunc adhæret, poteris illud inter rara tua reponere. Sed quid quæso sentis de opinione eorum, qui usneam craniorum suspensorum tantummodò ex usu esse debere volunt? Ego quidem in illa aliquid magis virium, quàm in ea, quæ in craniis morte naturali demortuorum colligitur, contineri concedo; an verò usnea in craniis suspensorum inveniatur, valdè dubito: Nunquam enim illam reperire potui; & profectò, quomodo craniis in patibulo, ventis, pluviis, grandinibusque impetuosis expositis, usnea adnasci possit, nondùm video.

Mitto

Mitto & specimen subligaculi, quo ego maximo cum fructu in herniosis utor.

Accipe quoque, quam promisi descriptionem emplastri, ad scrophulas & scirrhosos tumores emolliendos, resolvendos & discutiendos, efficacissimi, & olim à clarissimo viro, Dn. LAMBERTO WOLFFIO, Illustr. Principis ac Domini Dn. GUILHELMI, Juliacensium, Clivensium & Montensium, &c. Ducis, Doct. Medico celeber. & COSMA SLOTANO, ejusdem Principis Cheirurgo prestantissimo, pro Aulico quodam præscripti, maximoq; cum fructu, me præsente, usurpati.

R. Rad. bryoniæ,
cyclaminis
helenii
cucumeris agrestis an. ℥j.

Coquantur in vini albi & aceti an. q. s. Deindè pistentur & per setaceum percolentur. Colaturæ admisce

pulv. radicum iridis
myrrhæ
olibani
masticis
croci
aristolochiæ rotund. an. ʒ j ß.
flor. chamomillæ
meliloti
sambuci an. p. j.
oppoponacis
sagapeni
ammoniaci
bdellii
Galbani in aqua vitæ dissolutor. an. ℥. ß.
gummi hederæ
styracis calamitę an. ʒiij.
euphorbii ʒ. v.
sem. staphis agriæ ʒij. ß.
Argẽti vivi saliva hõinis jejuni extĩct ℥ij.
olei liliorum
de vitellis ovorum
œsipi an. ʒ v.
adipis anserini
anatini
suilli
medullæ cruris vituli an. ℥j.
mucilaginis seminis lini,
fœnigræci
radic. altheæ an. ℥j.

Misce & cum s. q. ceræ flavæ & therebinthinæ fiat emplastrum.

Plura nunc ut adscribam, tempus non fert; quapropter vale vir clarissime, & ęternùm feliciter vive, cum lectissima tua conjuge, quam tecũ peramanter saluto; & pro summa humanitate, qua toties me excipere dignatus fuisti, iterum quas possum, gratias ago maximas. Præstantissimum virum Dn. JOHANNEM BREGENSERUM ex me, quæso, saluta plurimùm. Iterum vale & millies. Lausannæ 6. Decembris 1613.

OBSERVATIO XXXIX.

Ex ulcere quodam empiricè curato, pleuritis lethalis sequuta.

Obs. 39.

Viro ornatissimo atque doctissimo Domino EMANUELI URSTISIO, *Artium liberalium magistro, Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.*

NOn levis est quęstio inter Chirurgos, Doctissime atque amantissime Dn. URSTISI, nimirum, an ulcera diuturna & inveterata absque periculo cicatrice obduci possint, nec ne? Nonnulli putant, ea minimè esse consolidanda: & quidem eam ob causam, quod natura veluti per cloacam, à multis superfluitatibus sese per ea exonerare possit. Quod quidem non simpliciter negandum, præcipuè in corporibus cacochymicis, & pravis succis refertis; & in iis qui universalibus, veluti decenti victus ratione, purgationibus, non utuntur. Cujus rei exemplum non vulgare tibi communicare lubuit.

Quidam in agro Paterniacensi N. Comes nomine, Vir pius & sexaginta circiter annos natus, cum per multos annos ulcere cacoete in crure sinistro, simul atque multis magnis varicibus laboravisset, tandẽ Anno 1612. ulceris hujus causà me in consilium adhibuit, sed postquam omnia quæ sibi tam in vitæ regimine, quàm usu internorum & externorum medicamentorum observanda, necessaria à me intellexisset, sibique processus iste atque modus curandi proclivior visus esset, à me discessit: & postmodum empirico empiricè curandum se commisit.

Vlcus quidem curatum fuit, sed post menses aliquot in sinistro latere pleuritide, cum maximis doloribus & febre correptus, intra paucos dies animam Deo piè reddidit, ea verò, quæ morbo durante expuebat, materiam, qualis antea ex ulcere emanare solita erat, referebant: Uti ego cùm diebus aliquot ante ipsius obitum ad ipsum vocatus essem, ipsemet vidi.

Hinc perspicuum fit, materiam, quæ antea ad tibiam defluebat, quia expurgata non fuerat, ad pectus regurgitasse.

Id autem quomodo fiat, AMBROSIUS PARÆUS libro decimo septimo, capite quinquagesimo primo, doctè & disertè ostendit. Quo loco historiam annotatione dignissimam de Domino SARRÆO, Secretario Regis narrat. Is ulcere ex ictu sclopeti in brachio, cum multis variisque symptomatis laborans, pus aliquando per urinas excernebat, atque tum ulcus exsiccabatur: quamprimùm verò ulcus decenter fluebat, tum urinas iterum laudabiles, & nullo pure permixtas reddebat. Ille tamen sanitati restitutus fuit.

Sin autem corpus prius à pravis humoribus expurgatum, optima victus ratio observata, partesque nobiles corroboratæ fuerint, tum absque omni periculo ulcera, quantumvis diuturna & inveterata, sanari posse, infinitis exemplis demonstrare non difficile esset: sed brevitatis causa unum aut alterum proferre non gravabor.

EXEMPLUM I

Añ 1602. Genevensis quidã quadragenarius, Estiene Iouve nõ nomine, vir pius & magni animi, dum pro defensione Patriæ suæ strenuè & fortiter pugnaret, ictu sclopeti vulnus in humero dextro

cum

Obs. 39. cum maxima contusione & ossium contritione, recepit.

Unde variis & diversis supervenientibus symptomatis, vulnus in fœtidissimum & sinuosum ulcus degeneravit. Post menses novem ab accepto vulnere, cum res planè deplorata videretur, me convenit. Tum circa humerum dextrum, claviculam ac lomoptatam ad spinam dorsi, & cervicem usque multa variaque ulcera putrida, fœtida ac sinuosa, cum carie in ipsa clavicula offendi. Ex istis autem ulceribus pus copiosè adeò profluebat, ut totum inde corpus summoperè extenuaretur atque debilitaretur. Et quia pus, quod effluebat, fœtidissimum adeò, arbitrabantur cuncti, ipsum non diu fore superstitem, si ulcera cicatrice obducerentur, & materia illa fœtida retineretur.

Ego contrà, de sanitate recuperanda benè sperabam: neque spes me fefellit. Quandoquidem præscripta optima victus ratione, purgatoq; per intervalla corpore, exhibitisque medicamentis partes nobiles roborantibus, ulcera mundificavi, & felicissimè ad cicatricem perduxi. Vixit ille ad annum usque 1615. bonaque valetudine fruebatur, nec ullum incommodum ob consolidationem prædictorum ulcerum passus est, sicuti tu ipsemet quoq; ocularis testis esse potes.

EXEMPLUM II.

Quid vulgus de matrona illa sexagenaria in Gravaud, cui Anno 1606. die 20. Octob te præsente, tibiam abscidi, sentiebat, tibi etiam satis cognitum est.

Quia enim ad annos triginta istis ulceribus in tibia laboraverat, cuncti (si excrementitiis istis humoribus continuò ad ulcera copiosè fluentibus, via interciperetur) nihil aliud præter mortem subitaneam exspectandam rebantur, convaluit tamen, & ad annum 1613. mensem Ianuar. sana & incolumis vixit, tandemque planè decrepita vitæ suæ finem imposuit: Sed corpus hujus matronæ per mensem integrum ante operationem, & per menses aliquot post eandem, tum optima victus ratione, tum multis ac diversis purgationibus, apozematibus, & medicamentis partes nobiles corroborantibus, præparatum fuerat.

Reticere tamen hîc minimè possum, me aliquando ulcera curanda habuisse, quæ nullis remediis, nullaque arte aut industria adhibita, sanari potuerunt: Multùm tamen ægris ad amissam sanitatem recuperandam profuisse, tandemque etiam naturæ beneficio sanata fuisse, exemplo esse potest

EXEMPLUM III.

Asthmaticus iste, cujus historiam aliquando coram te recitavi. Is enim ab Asthmate inveterato, ulceris beneficio, quo in pectore, & quidem inter sextam & septimam costam veram laboraverat, plenissimè convaluit. Et per multos annos deinceps sanus & incolumis vixit. Natura enim per ulcus hoc, ab omnibus excrementis, quæ sibi molesta erant, sese evacuaverat: postmodùm sua sponte, & absque ope medicamentorum ulcus consolidatum fuit, ut alibi, DEO dante, fusiùs declarabo.

EXEMPLUM IV.

Simile quid in juvene quodam Genevensi observavi, fuerat ille à teneris annis morbis valdè obnoxius, & valetudinarius. Tandem natura veluti per crisin ad exteriora sese exonerante, varia plurimaque circa manuum & pedum digitos, item metacarpos, & circumcirca talos, exorta sunt ulcera, cum ipsorum quoque ossium carie. Hinc factum, ut per annos aliquot neque stare, multò minùs ambulare, vixque manibus aliquid apprehendere potuerit. Multa ipsi variaque à primariis tam medicis quàm Chirurgis ejus urbis, adhibita fuere remedia; infinita quin etiam ossicula cariosa præstantissimus Dn. GRIFFONIUS, me præsente extraxit, & ut verbo dicam, nihil eorum, quæ necessaria videbantur, prætermissum fuit, sed ut ingenuè fatear, parvo cum fructu: Ulcera enim medicamenta omnia respuere videbantur. Ab initio quoque per annum integrum, & ultra, vires multùm imminuebantur: postea verò etsi pus quotidie copiosè efflueret, non propterea tamen prosternebantur, sed potius augebantur. Tandem adultiore facto, ulcera illa parvo cum negotio, & quidem sponte ferè sanata fuerunt. Articuli quin etiam adeò corroborati, ut postmodùm absq; scipione ipsum, non sine admiratione Genevæ incedentem viderim, sed hæc rara sunt, ex quibus tamen mira illa naturę providentia, aut potius Dei summa misericordia in genus humanum elucescit, adeò ut etiam in deploratis planè morbis, suam bonitatem atque clementiam ostendat. Atq; hæc amantissime Dn. URSTISI, quia annotatione digna, multùmque ad prognosin faciunt, tecum scriptis communicare visum fuit. Tu omnia æqui bonique consule, & vale cum tuis omnibus, quos tecum ego, uxor mea, plurimùm salutam'. Datum 10. Ianuarii 1609.

APPENDIX.

Anno 1628. circa finem Mensis Martii, juvenis quidam peregrinus 20. annorum, Ex proximo pago Bernam ad diversorium publicū Coronam adductus fuit, meque advocari jussit Ille tantâ angustiâ pectoris torquebatur, ut vix spiritum trahere posset, et pulsus vix appareret: quapropter ipsum non diu superstitem fore, adstantibus significavi, Præscripsi quidem nonnulla, veluti decoctum pectorale, expectorantia, unguentum pectorale. Epithemata, sed ad carpos saltem, potiunculam item ex syrupo de pomis, & confect. Alkermes, cum aqua buglossæ, & scabiosæ, sed frustrà. Eadem enim nocte catarrho suffocativo extinctus fuit.

Causa hujus morbi & mortis fuerat scabies universalis, quam intempestivè & Empiricè, externis videlicet inunctionibus, & balneis, paulò ante sibi curaverat. Caveat itaq; sibi fidelis medicus, ne author sit, ut hujusmodi homicidia ab idiotis & Empiricis perpetrentur.

OBSERVATIO XL.

Dolor lateris divinitùs sanatus.

ANno 1595. Coloniâ ad Nobilem quendam, ex familia HATZVELDIORUM, graviter laboran-

Obs.40. laborantem, vocatus fui. Verùm post dies aliquot, cum domum rediens, in via solus essem, ex equo (pavido & malitioso) in terram projectus fui. Equo in fugam converso, iter duarum horarum, pedes conficere cogebar, Hinc cum supra modum incaluissem, posteaque iterum frigore correptus essem, domum reversus, post dies aliquot febris& dolor circa costas notas superiores, sinistri lateris, exortus est.

Arnoldo Manlio, in Academia Coloniensi medicinæ professore primario atq; celeberrimo, Preceptore meo plurimùm honorando, ac Iohanne Slotano, apud Colonienses Medico doctissimo, in consilium vocatis, nihil eorum, quæ necessaria videbantur, ab ipsis prætermissum fuit: Corpus purgarunt, venam in sinistro cubito inciderunt, inunctiones, fomentationes, & cataplasmata anodyna & discutientia præscripserunt. His per dies aliquot adhibitis medicamẽtis, febris quidem remisit, dolor tamen in eodem statu permansit, & præcipuè spirando & ambulando gravis erat, molestus atque pungens, cum maxima anhelitus difficultate. Exteriùs tamen in cute nihil in conspectum veniebat. At quia locus doloris palmæ latitudinem non excederet, de incisione cogitare cœpimus, ne vomica interiùs rupta pus in vacuum ventris, maximo cum vitæ discrimine, defflueret. Verùm antequam extremum hoc præsidium aggrederemur, minus periculosa tentare visum nobis fuit. Inter nos itaque constitutum est, ut denuò leniter corpore purgato sequenti uterer sudorifero.

R. Ligni guajaci minutim concisi ℥x.
Corticum ligni ℥j.
Ligni sassaphras. ℥ij.
Herb. Agrimoniæ,
Veronicæ, Scabiosæ,
Botrydis ana M. j.

Incidantur omnia, macerenturq; in libris decem aquæ claræ, in vase fictili vitreato & benè clauso, nec non in loco calido collocato, horas 24. Deinde lento igne coquantur ad consumptionem tertiæ partis, colatura servetur in ampulla vitrea.

De colatura sumpsi in diluculo ad uncias octo: postmodùm in lecto coopertus, sudavi per horas tres. Tandem linteaminibus calidis diligenter absterso sudore, post horas quatuor pransus sum: sed parcè & continenter. Pro potu ordinario secundo utebar decocto. A prandio, quia in praxi tunc valdè occupatus fui, & aër temperatus esset, ægros meos invisi; cœna mihi erat ex amygdal. passulis, pane bis cocto& secunda decoctione ligni. Sequenti nocte melius me habui, anhelitus quinetiam& respiratio liberior fuit: & postquam per dies quatuor decocto isto, & victus ratione usus essem, collecta materia ista in latere, sudoriferis in halitum dissipata est, & DEI sola clementia atque misericordia, plenissimè & miraculi instar convalui.

OBSERVATIO XLI.

De catarrhi ad pectus compendiosa curatione.

Obs.41. Anno 1602. mense Martio, à Senatu Paterniacensi vocatus, cum in supellectilibus transvehendis occupatus essem, supra modum incaluissem, ac denuò me aër ambiens refrigerasset; vehementissimo catarrho ad externas partes pectoris & asperam arteriam correptus fui; Catarrhus iste musculos respirationi inserviẽtes, asperamq; arteriam ita occupaverat, ut non nisi cum difficultate respirare aut loqui possem. Verùm ut maturè; & antequam adveniret febris, prospicerem rebus meis, altera die sequenti potiuncula me leniter purgavi.

R. Rhabarbari optimi & electi ʒj.
Agarici recent. trochiscati
Cinamomi ʒß.

Infundantur in decocto pectorali, maneátque per noctem in infusione. In aurora facta expressione addatur syrupi rosati solutivi compositi cum rhabarbaro, Agarico & sena ℥j.
Electuarii diaphœnici cum rhab. ʒij.
Misce, fiat potiuncula, quæ septies alvum clementer subduxit. De sequentibus tabellis continuò in ore tenebam.

R. Specierum diatrag. frigidi, &
Diairidis ana ʒj.
Pulv. sem. cydoniorum ℈j.
Florum tussilaginis &
Scabiosæ ana ℈ß.

Cum sacchari dissol. in aqua scabiosæ ℥iij. fiant tabellæ. Pectus, ventrem, scapulas, & collum quotidie sequenti linimento bis calidè inunxi.

R. Ol. liliorum alborum,
Amygdalarum dulcium,
Pingued. Anseris &
Humanæ ana ℥j.
Mucilaginis semin. cydoniorum aqua
Hysopi extractæ ℥j.ß.
Croci pulverisati ʒß.

Misce, fiat linimentum. Sequenti die in crepusculo matutino ʒj extracti cardui benedicti, pane azymo involuti, deglutivi, & parùm aqua cinam: distillat. sine vino superbibi. Hinc sequuto sudore maximo, materia catarrhi per sudorẽ adeò evacuata est, ut interim dum sudarem, maximum persentirem levamen. Ea die per horas tres aut quatuor sudavi: Deindè observata optima victus ratione: item quotidie bis inunctis supradictis partibus, & usis tabellis jam jam præscriptis, intra paucos dies sanitati, divino numine restitutus fui. Per dies octo, loco vini sequenti decocto utebar.

R. agrimoniæ m.j.
veronicæ &
botrydis an. m.ß.
liquiritiæ rasæ ℥j.

coquantur in ℔ vj. aquæ claræ, ad consumptionẽ quartæ partis, colatura dulcoretur melle despumato & sacchare. Ab aëre quoque frigido diligenter me præcavi. Eadem methodo postea multos ex simili morbo feliciter curavi.

Obs. 42.

OBSERVATIO XLII.

De aneurismate, dysenteria, & aqua chalybeata.

Clarissimo ac præstantissimo Viro Dn. GUILHELMO FABRICIO HILDANO, *Medico apud Paterniacens. ordinario, Chirurgo exercitatissimo, Domino & amico suo observando,* Michael Doringius D. *& in illustri Academia Giessena Hassorum Medicinæ Professor.* S. P. D.

GRatias tibi, clarissime FABRICI, *pro communicatis, tam olei è floribus, quàm emplastri Diapalma* SLOTANI *descriptionibus, uti & pro novæ de hydrocephalo observationis inscriptione, ago singulares: Relaturus posthac, si Deus vitam concesserit, ubi sese occasio obtulerit. Mirum quàm tu me tuis beneficiis propemodùm oneres: Emoriar igitur, ni aliquando reipsa gratitudinem meam declarem.*

Etsi verò responsum meum ad observationem de uvulæ relaxatæ curatione urgeas, quò minus tamen à me expediri potuerit, plura alia negotia impedimento fuerunt. Affectum est, sed non confectum. Quæso te, hanc moram ne ægrè feras. Operam quippe daturus sedulam, ut id prima occasione ad te transmittam. Nunc enim, Deum testor, non licuit.

De Aneurysmate.

Ne verò vacuas literas ad te mitterem, exemplum insignis Aneurismatis, Gorlitii Lusatiorum observati, mecumq; à doctissimo Viro Dn. MARTINO SCHEFFERO, *Medicinæ Candidato, Anno superiore communicati, subjicere placuit. Aneurismatis insignis insigne exemplum, inquit, nuper hìc oblatum, in cive quodam ad connexum clavicularum cum sterno, in collo. Tumor erat ovi anserini magnitudinis, veloci cum pulsu. Iugulares venæ & arteriæ plurimùm erant distentæ. Multa à Dn.* SCWENCKFELDIO *experiebantur, sed frustra. Perge itaque tu, atque observationem illam de curato simili aneurismate, ocyùs in lucem ede: ut hinc alii occasionem habeant, felicius tales affectus tractandi.*

De dysenteria.

Porrò cum à me petieris, ut si quid rari in praxi occurrit, ad te perscriberem, nolui facere quin rarum hunc Dysenteriæ eventum tecum communicarem. Hodie enim dum hæc scribo: septimus est dies, ex quo nobilis quidam studiosus, annos aliquot viginti natus, temperamento biliosus, de nocte Dysenteria corripitur, quâ ipsâ per 40. ad minimum vices dejecit. Altero die accersito collega meo, bibit potionem, paratam è rhabarbaro tosto, syrupo rosato solutivo, & decocto hordei tosti chalybeato. Hanc cum vix ebibisset, vomitu statim reddidit. Præterea si quid esculenti vel poculenti assumpsit, ventriculus nauseabundus singula ex templo aversatus est, ac eo propemodùm, quo accepit, momento rejectavit, & ut breviter dicam, quicquid imbibit aut admisit, reddidit, Dysenteria nihilominus acriter instante. Omnis ergò spes curationis, in clysteribus abstergentibus atq; astringentibus residua esse videbatur: quos etiam non tantum libenter admisit, sed & facile tulit: Sed quid fit? Quarto morbi die, subitò remittit Dysenteria, excreta redeunt ad colorem naturalem, ingesta ventriculus benè fert: Verum vires præter spem collabuntur, quæ ipsi ab initio statim morbi minus rectè constiterant. Quinto die & ego accersor. Aeger facie mihi occurrebat à naturali plurimùm immutata, pulsus erat maximè debilis: externa frigebant. Consulimus in medium, ac quia cor nobis in præsentia potissimùm affici deprehendebatur, cordialibus unicè intenti fuimus: oculo tamen altero ad malignitatem, quàm tacitè subesse suspicabamur, directo. Quoniam verò noctes præcedentes omnes insomnes egerat, & somnum commodis remediis promovere studuimus: nocte sequente, quæ erat initium diei sextæ, valde inquietus fuit: nil dormivit, lypothymias incurrit. Accersimur ambo media nocte. Exhibemus medicamenta, cordis, ut dixi, corroborationi dicata: quibus subjunximus nonnihil narcoticorum, ut quiesceret, etsi enim non ignoraremus, ab horum usu naturæ aliàs periculi nonnihil impendere, necessarium tamen atq; utile hìc esse rati Thucydidis consilium, dum inquit, δράσαντας τι ϗ κινδυνεύειν, hoc est agentes aliquid, vel periclitari. Item vulgatum illud: Anceps remedium experiri satiùs est, quàm nullum. *Quibus enim alia ad salutem via præclusa est omnis, excepta una, eaque dubia & periculi plena, necessarium esse arbitror, hac adversus pericula ire, inquit* HEURNIUS *lib. 3. praxi. general. cap. 1. sub finem. His ergò expeditis, tandem iterum abimus. Quievit per horas tres quatuorve, sed somno interrupto expergefactus, lypothymiis iterum corripitur. Accersimur denuò, instamus iisdem quibus ante cordialibus, adhibitis insuper fotibus extremorum frictionibus. Interim inter nos convenit de usu lapidis Bezoar. Præscribimus igitur pulverem hujus, eique admiscemus margaritas, corallos rubros, & cornu cervinum, præparata. Exhibemus de hoc pulvere cum jusculo nutriente aliquid: post cujus usum aliquo modo refectus putabatur. Post quinque alias horas iterum nonnihil cum syrupo acetositatis citri infundimus. Ab hujus demum usu post aliquot tempus hinc inde jactatur, delirat, manus livescunt, facies sudore frigido perfunditur, oculi caligant, vox intercipitur: ipseque post horam tertiam à meridie, morbi die sexto, expirat.*

Ecquid ergò censes, clarissime FABRICI, *verum esse illud Hippocratis oraculum, quod habetur lib. 6. Epidemiorum comment. 3. cap. 27.* Mutationes esse vitandas, nempe subitas & repentinas, *ut patet è 2. Aphorismo 51.* Omne enim nimium, naturæ inimicum; quod verò paulatim fit, tutum, cùm aliàs, tum verò, quando ab uno ad aliud facienda est mutatio, *inquit, ibidem. Quæ etsi hoc loco potissimùm de mutatione, quæ à medico per pharmaca instituitur, quemadmodum & illa quæ per diætam vel victum, ut monet 2. de ratione victus in acutis comment. 2. c. 18. 21. & sequent. intelligenda sint. Tamen in genere de ipsis etiam mutationibus, à natura quandoque factis, accipi debent. Hinc loco jam allegato t. 3. eandem sententiam generaliter protulit, ubi hæc verba leguntur:* Maximè mutationes eorum, quæ circa naturam nostram habitumque contingunt, maximè morbos committunt. *Neq; sane immeritò, quantum quidem ad præsentem casum attinet. Materia enim intercepta, ad nobiles partes, adeoq; ipsum cor præcipue per μετάςασιν delata, omnium prædictorum symptomatum auctor extitit. Atqui talem materiæ μετάςασιν præsentaneum afferre periculum, Galenus lib. de Constitutione artis cap. 8. annotavit. Sed quid de prædicto Lapidis Bezoar successu censes? Ego quidem cum ab ipsius usu omnia graviora*

De lapid. Bezoar.

viora facta fuisse viderim, hac inde conjicio: nempe ipsum cum materia maligna acriter quidem congressum fuisse: tamen cum natura lucta isti sustinendæ impar omninò fuerit, tandem naturam succubuisse.

Addo adhuc unum. Dum enim tecum viverem, memini te ad aliquot Medicos de usu potus chalybeati in Dysenteria scripsisse, ipsorumq; de hoc medicamine judicium expiscatum esse. Nam cum præter propriam experientiam, CRATONIS *etiam suffragio, quod habetur in consiliis à D.D.* SCHOLTZIO *editis, cons. 201. edoctus esses, ab istiusmodi potus usu alvum turbari & laxari, hoc remedii genus aversari cœpisti: Verùm audi, quæ de hoc ipso hactenus observaverim.*

Distinguendum enim omninò inter potum chalybeatum. Is enim qui à recente chalybe, quique nullam adhuc in aqua restinctionem passus est, medicamentosus redditus, alvum movet; alter verò qui chalybe jam ante crebrò in aqua restincto paratur, alvum sistit.

Ita decoctum hordei, quantumvis torrefacti, chalybeatū, potenter alvum citare deprehendes. Ego, si astringere animus sit, præstat primam aquam chalybeatam abjicere, & novam substituere, in qua chalybs ignitus restingui possit, vel illa etiam servata extinctiones multiplicare, adeò ut ad 40. aut 50. ascendatur.

Quod ipsum Mercatus etiam fieri vult in præparatione cujusdam medicamenti, ad obstructiones viscerum tollendas utilis, atq; illis exhibendi, qui alvo laxiore præditi sunt, ut habet libro secundo de recto artis Medicin. præsidiorum usu, capite septimo: atque hæc hactenus ad te perscribere licuit; alia occasione, eaque prima, responsum ad observationem de uvula relaxata curatione certò accipies; affectus item mei parentis p. m. descriptionem aliàs à me exspectabis. Vale cum tuis feliciter, & à me meaque cum tuis omnibus amicissimè salve. Dabantur GIESSAE *Hassorum properante calamo, die 18. Septembris Anno 1609.*

OBSERVATIO XLIII.

Obs. 43. & 44.

De Aneurysmate.

Ad Clarissimum atque Doctissimum virum DN. D. MICHAELEM DORINGIUM, *In Illustri Academia Giessena Hassorum Medicinæ Professorem longè celeberrimū,*

Cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus

S. P. D.

Ante paucos dies, Vir clarissime, literas tuas hîc Soluduri accepi: Per tres autem integros menses hîc apud nobilem virum Dn. JACOBUM WALLIER, ictu bombardę gravissimè læsum, hæreo. Affectus fuit gravissimus & difficilis, omnia tamen, DEI beneficio, ad votum succedunt. In curatione multa pulchra & annotatione digna occurrerunt, de quibus aliàs forsan plura.

Quæ communicasti de Anevrysmate, dysenteria, & aqua chalybeata, meritò annotari debet. Nunc propter temporis angustiam, & quod schedas meas ad manus non habeam, ad integram epistolam tuam respondere mihi non licet, cupio enim T. Exc. observationem, de gravissima quadam dysenteria, communicare. De anevrysmate tamen nunc singulare exemplū occurrit, quod quia ad primam historiam epistolę tuæ non malè mihi quadrare videatur, illud in pręsentia tibi communicare non gravabor.

Anno 1606. quum Bernæ puero cuidam, ex nobili familia, calculum ex vesica extraxissem, & per mensem ferè integrum ibi manerem, peregrinum quendam in Xenodochio aliquoties unà cū clarissimo ac doctissimo viro Domino PAULO LENTULO, ejus Reip. D. Medico primario, ac longè celeberrimo, invisi. Is anevrysmate, quod totam sinistram partem pectoris ad sternum & collum usque occupabat, afficiebatur. Pulsatio istius tumoris adeò erat magna ac vehemens, ut etiam vestimenta elevaret & exterius bellè conspici posset. Dolor nullus, maxima tamen respirādi difficultas aderat, mansit ibi aliquandiu, nonnulla quinetiam remedia, tàm interna quàm externa, ipsi à clarissimo viro Dn. D. LENTULO præscripta & adhibita fuere; frustra tamen. Tādem domum reversus est, & qualisnā fuerit exitus, Dominus LENTULUS simul & ego ignoramus.

Nonnulli, quibus hoc genus morbi non satis cognitum fuerat, tumorem huncce incidissēt; sed conatus eorum cōpressit Dominus D. LENTULUS, & rectè quidem: quàm periculosa enim sit apertio anevrysmatis, Dominus PARÆUS lib. 7. c. 34. exemplo ostendit. Observationem quā ego habeo de curatione Anevrysmatis, in tertia centuria videbis. Secunda enim jam dudum cōpleta, & pro prælo parata est, sed quia typograph⁹, qui tibi notus, vigilias ac labores meos libenter omninò in suum commodum atque utilitatem, meumque damnum converteret, exemplar tantisper supprimere constitui, donec aliquis alius sese offerat, interim si DEUS Opt. Max. vitam cōcesserit, tertiam quoque centuriam paulatim, ut & nonnulla alia parabo. Ante menses tres Paterniaci fœminæ tibiam abscidi, quæ & optimè convaluit. In operatione ista nonnulla annotatione digna, imò & in hujusmodi operationibus necessaria, (quorum in tractatu de gangræna fiet mentio) observavi. Vale vir clarissime, cum lectissima tua conjuge, quàm tecum, uti & clarissimum Dn. D. HORSTIUM peramanter saluto. Soloduri 10. Novembris 1609.

OSERVATIO XLIV.

De aneurysmate ex incisa arteria, deque eiusdem compendiosa, ne dicam miraculosa curatione.

Ad eundem virum clarissimum atque doctissimum Dn. D. MICHAELEM DORINGIUM, *&c.*

Cui

Guil. Fabricius Hildanus. S. P. D.

Observationem meam, de curatione Anevrysmatis, clarissime & multis nominibus charissime mi Domine Döringi, jam dudum tibi promisisse profiteor, sed hactenus propter varias causas fidem meam liberare mihi non licuit: ne itaque moram ægrè feras, obnixè rogo, historia autem ita se habet:

Quidam

Obs. 44. Quidam NICOLAUS GESSEI nomine, Ludimagister in Veulerans sub præfectura Morgiacensi ad lacum Lemannum, cùm anno 1604. propter scabiem ex humore melancholico ortã, sibi venam basilicam dextram à barbitonsore incidi curasset, atteria quoque simul compuncta fuerat. Unde paulatim Anevrysma exortum est, cui cum spacio mensis & ultra, medicaměta multa, (frustrà tamen) adhibita fuissent, Genevæ Medicos & Cheirurgos nonnullos in consilium adhibere coactus fuit. Hi cum rem in difficili esse, ac vix brachium servari posse, ipsi significassent, ad me Paterniacum venit mense Majo. Tum eo loci, ubi anteà venæ sectio facta fuerat, depræhědi tumorem, magnitudine ovum anserinum adæquantem, pallidum & utcunque durum, in quo pulsatio non tantùm digito persentiebatur, verũ etiam oculis conspiciebatur: talis enim erat pulsatio, ut pulvillos & fascias circumpositas in altum protruderet. Brachium quoque extendi non poterat. Dolor tamen non erat adeò ingẽs nisi cum brachium extendere vellet. Ego, quum curatu difficillimum hunc affectum animadverterem, manum quidem admovere recusavi; precibus tamen ipsius commotus, curationem sic aggressus fui.

Curatio. Instituta primò optima victus ratione, applicatoque tumori duro emplastro nostro de cicuta, sequens infudi Enema.

Enema.
R. rad. altheæ cum toto
foli. violar.
malvar.
parietar.
mercurial. an. m. j.
flor. chamomil.
melil. an. m. ß.

Coquantur in aqua ad consumptionem tertiæ partis. In ℔ j. colaturæ, dissolve benedictæ laxativæ ℥ j.
mellis mercurialis ℥ ij.
ol. communis ℥ iij.
salis p. j. Misce, fiat enema.

Postridie pro digestione humoris melancholici, qui in hoc corpore aliis prædominabatur, sequens Julapium exhibui.

Julapium seu Apozema.
R. rad. lappatii acuti
polypod. querc.
petrosel. an. ℥ j.
herb. agrimon.
veronicæ
cuscutę
fumariæ
summitat. lupuli an. m. j.
trium florum cordial. an. p. j.
liquiritiæ rasæ &
uvar. passul. an. ℥ j.
sem. anisi ac
fœniculi an. ℥ ß.

Coquantur in sufficienti quantitate aquæ, ad cõsumptionem tertiæ partis. Hujus decoctionis colaturæ
R. ℔ j.
syrupi de fumo terræ &
syr. de epithymo an. ℥ ij.
aquæ cinam. ℥ j. ß. Misce fiat Julapium pro tribus dosibus, in aurora tepidè exhibendis. Concocta materia, corpus à pravis humoribus sequenti potione exonerare cœpi.

Potio purgans.
R. decocti præscripti ℥ viij.
In quibus infundantur & macerentur secundùm artem
Rhabarbari optimi ʒ ij.
fol. senæ à stipitibus mundat. ℥ j.
In dimidia parte hujus infusionis colaturæ, dissolve
diaturbith cum rhabarb. ʒ j.
syr. rosat. solut. ℥ j.
misce, fiat Potio.

Altera die denuò haustum præscripti Julapii exhibui. Emplastrum quoq; ex cicuta singulis diebus renovavi. Posteà in altera dimidia parte infusionis rhabarbari & senæ dissolvi

Alia potio.
confectionis hamech ʒ j. ß.
extracti cortic. esulæ ℈ ß.
aquæ cinam. ℥. ß. F. potio,
quam tertio die post primam purgationem exhibui.

Medicamentum hoc, cum violentia quadã humores noxios tum infernè, tum supernè eduxisset & expurgasset, spiritum & sanguinem in anevrysmate contentum, ad interiora adeò revocavit, ut altera die nulla nobis nec appareret, nec sentiretur pulsatio, tumor quoque multùm imminutus conspiciebatur. Unde tum sequens emplastrum applicui.

Emplastrum.
R. emplast. diacalciteos ℥ ij.
pulv. mastich.
rosar. rubr.
myrtillor.
radic. symph. major. an. ʒ j.

Cum sufficienti quantit. ol. rosac. formetur emplast. Posteà pulvillum, aut potius nodulum ex linteo multoties reduplicato formavi, & tumori imposui, fasciaque firmiter ligavi, idque in eũ finem, ut tumor reprimeretur, & sanguinis vitalis, ex ipsa arteria in externam membranam dilatatam, influxus impediretur, atque his remediis brachium DEI beneficio brevi in integrum restitutum fuit. Sanationis hujus testes sunt, Nobilissimus & prudentissimus Dn. RUDOLPHUS AB ERLACH, pro tempore Præfectus Morgiacensis vigilantissimus, ac Dn. JOH. CONRADUS ibid. Pharmacopol. exercitatissimus, multique alii cives Paterniacens.

Causa aneurysmatis. Cæterùm antequam finem hujus epistolæ faciam, de causa anevrysmatis aliquid addam. Duplici tunica arteriam donatam esse, Galenus de Anatomicis dissectionib. lib. 6. testatur. Quarum exterior tenuis & mollis, ex rectis & obliquis fibris contexta. Interior altera ferè (eodẽ Galeno monente) quintuplo durior ac densior est; in anevrysmate itaque interiorem tunicam rumpi, exteriorem verò dilatari, verisimile est. In hoc autem viro etsi ambæ tunicę scalpello perforatæ essent, exterior tamen, quia tenuis & carni atque venis proxima, mox iterum coaluisse mihi videtur. Interior autem, cùm propter motum vehementem & continuum, necnon duritiem simul claudi non posset, sanguis paulatim per eam

De anat. dissection. lib. ... Vesalius lib. 3. c. ... Gaspar. Bauhin. lib. ... cap. 23. ... And. Laurent. l. ... cap. 8.

per eam in exteriorem tunicam influebat, eamq; extendebat. Credi enim vix potest (ut clarissimi FERNELII verbis utar) quod nonnulli comminiscuntur, in hoc affectu ruptam apertamque esse venam aut arteriam; si enim sanguis è vena aut arteria prosiliens, non amplius illis contineretur, mox corruptus putresceret: tumorque fieret generis diversi. Vidi ego civem Genevensem, cui ex aperta in brachio arteria, primò anevrysma, deinde inflammatio, gangræna & sphacelus, tandemque quoque mors supervenere, uti libr. de Gangræna & sphacelo fusiùs declaravi. Exterior enim arteriæ membrana, quia aperta quoque remanserat, & sanguis continuò efflueret, computruit, & prædicta symptomata excitavit. Atque hæc sunt, Vir Amplissime, quæ mihi de causâ anevrysmatis, si non probabiliora, tamen verisimilia esse videntur. Tuam tamen hac de re sententiam summoperè videre percuperem. Vale vir Amplissime, & cum tuis feliciter vive diu. Raptim 10. Martii 1610.

Ad Clarissimum atq; præstantissimum Virum,
Dn. GUILH. FABRICIUM HILDANUM,
Sereniß. Principis ac Domini, Dn. GEORGII FRIDERICI, *Marchionis Badensis & Hochbergensis &c. nec non Inclytæ Reip. Bernensis Medico-Chirurgum Ordinarium, Dn. & Amicum suum honorandū,* MICHAELIS DÖRINGII *D. Med. Vratislaviensis,*

Responsio Epistolica,
in qua agitur
DE ANEVRYSMATE,
Ejusque Essentia, Causa, & Signis, cum opinionum contrariarum refutatione.

Quòd nihil literarum mearum, CL. Dn. Fabrici, ab aliquot jam annis ad Te pervenerit, ideone id factum Te suspicari oportuit, quasi in re aliquâ unquam à Te offensus sim? Cave, ista suspicio candidum Tuum pectus (quod equidem mei amantissimum fuisse, atq; hodie etiamnum esse, ac quoad ambo vixerimus, identidem futurum esse, & privatis & publicis documentis didici) vel per febrim, aut somnum etiam tangat. Quàm acriter cum morbo meo novimestri, diuturno pariter ac periculoso, mihi ante quadriennium decertandum fuerit, ex Dn. Doctore Horstio, nostro communi amico, dudum sine dubio cognovisti, ipsiusq; munere (ita enim fieri ab ipso petii) morbi illius Historiam & curationis seriem, unà accepisti. Scripsi hâc eadem operâ ad ipsum quoque, excitus scilicet, atque excitatus Sennerti mei literis, quibus intellexi, & illum ad suas responsum desiderare, adeoque in eadem fortunæ navi tecum fluctuare. Ita nimirum fit, ut transportantium incuriâ, literæ utrinque missæ frequentius intercipiantur ac pereant, quod mihi vel in vicinia aliquoties contigisse, non sine causâ doleo ac conqueror. Vt ergò certus sis, quæ & quot toto eo tempore, quo Breslæ nunc vivo, Tuarum ad me pervenerint, age scito, primam prodiisse ex Arce Haseleck die 24. Octobris Anni 1612. secundam Lausannâ die 27. Decembris Anni proximè sequentis: Tertiam, eamque novissimam, Gisenbachio Hassorum, die 28. Octobris anni decursi 1617. Eæ verò quarum tam in secundis, quàm tertiis meministi, quæque præter alia de monstrosa varice observationem continuerunt, visa mihi non sunt. Excusatum igitur me habebis ultrò, quòd voto tuo rariores à me hactenus nactus sis.

Epistolam illam de Hernia Vterina ante sexennium publicè tibi inscriptam, quòd Tertiæ tuæ Observationum Centuriæ annectendam censuisti, ideoque Clarissimo tuo jubare tenebrosam meam obscuritatem illustrare voluisti, gratias ago, quantæ quidem à me proficisci unquam possunt, magnas: majores, quod tam operoso, prolixo, & rerum Medicarum ditissimo responso eam dignatus es: maximas ipsa aget res Medica, quam ista operâ non parum locupletasti. Quæ autem pro dilatatione Peritonæi in Herniosis, apud primæ, Tibi à me propositæ Quæstionis decisionem, produxisti fundamenta, meras demonstrationes sapiunt; ut vix videam, quid quispiam contra mutire vel posit, vel ausit.

Sed heus! Si solâ laxatione ac dilatatione Peritonæi Herniæ nascuntur: num existimas eas citra sectionem, tametsi per plusculos annos duraverint, sanari posse? Mihi id impossibile non videtur, dummodò competentia remedia, & accurata tùm ab ægro, tum medente diligentia adhibeantur: nec Sarcocelo aliqua complicetur. Et quid de illorum promissis statuis, qui citra Testiculi amputationem Hernias per sectionem sese curare velle ajunt? Ego istam operationem Artificem quidem diu exercitatum, expeditum, prudentem, ac ut breviter dicam, Tui similem; ægrotum verò cordatum, vegetum, & tam re quàm nomine patientem requirere puto. Hæc an tibi unquam hactenus tentata, aut tentãda deinceps sit, cognoscere aveo. Equidem vel me, in arduo isto negotio, pro meâ qualicunq; tenuitate, judice, si pars ad speciei propagationem inserviens, tali aliquâ administratione servari queat, Chirurgus inde non debitam duntaxat laudem prometiturus, sed & sui admirationem hominibus incussurus, nominisque immortalitatem consecuturus est, quod insigni illi Taliacotio, per suam illam Aurium ac Nasorum artificiosam (quanquam ægrotantibus molestissimam) restitutionem, certissimè obtigit. Numquid etiam illa Herniarum cura, quæ per cauterium instituitur, quamque Costæus Lib. 2. de igneis præsidiis à cap. 50. ad 54. usque inclusivè è Paulo, Celso, Aëtio, & Albucasi describit, satis tuta est? nolo in eâ diutius immorari recensenda: cum ex ipsismet Auctoribus eam petere possis. Tuum saltem de ea iudicium, sive privatum, sive publicum, maturè videre gestio.

De varice monstrosa rectè quoque sentis; eâque occasionem mihi luculentam suggeris, ut meam de Aneurysmate, ruptâne vel dilatata fiat Arteriâ, opinionem, jam ante plures annos Schediasmate peculiari privatim à me explicari cœptam, jam verò sub limam accuratiorem vocatam, hâc vice censendam ac dijudicandam Tibi exhibeam.

ANEVRISMA (ut à nominis appellatione initium faciam) Barbari Emborisma & sanguinis matrem appellant, recensente Fuchsio lib. 3. Inst. Med Sect. 1. cap. 26. Id omnes Galenum lib. de Tumoribus præter naturam cap. 11. ceu Ducem secuti, Tumorum numero inseruerunt: quanquam si fortasis ἀκριβολογεῖν *libeat, minus rectè. Nam etsi Tumorem Aneurysmati complicari, nullâ ratione negari posit:*

Marginalia: Obs. 44. — De Peritonæi dilatatione. — Quæstio 1. de Herniæ curatione citra sectionem. — Quæstio 2. de Herniæ cura per sectionem citra Testiculi amputationem. — Quæstio 3. de Herniæ cura per Cauteriū. — De varice monstrosa. — Aneurysma nō rectè Tumor dicitur. — [left margin, cut off:] ...bol. — ...va. — ...morbo suo.

Obs. 44. posit: effectus tamen potius is est Aneurysmatis, quàm Aneurysma ipsum: quippe quod non nisi morbus in meatus amplitudine, sive ut specialiùs exprimam, Arteriæ dilatatio definiri debet. Quod ut magis fiat conspicuum, in Aneurysmatis productionis modum aliquantò diligentius ut inquiram, operæ aliquod precium me facturum esse existimo.

Aneurysma quomodo generetur secūdum Galenum & alios.

Sanguine igitur arterioso extra Arteriam sub cutem effuso, id Generari Galenus lib. de Tumoribus præter naturam cap. 11. lib. 5. Meth. Med. cap. 4. Aegineta lib. 6. cap. 37. & cum his tota ferè tam Græcorum quàm Arabum Medicorum Schola, publico consensu hactenus docuit, ut videre est apud Iohannem Baptistam Sylvaticum, singulari tractatione de Aneurysmate, quos & ipse sequitur.

Fernelius primus Aneurysmatis causā Arteriæ dilatatione statuit.

Vnus Fernelius lib de exter. corp. affectibus c. 3. primus doctrinam istam impugnavit, atq; Aneurysma Tunicarum, Arterias constituentiū, solâ distensione & relaxatione produci, sine pudore affirmavit: cui protinus adstipulatus est Wittenstenius, in forma Medicinæ cap. 15. pag. 317. in Scholio. In horum partes propendere & videtur Fallopius apud Trincavellium lib. 2. consil. 16. Valleriola lib. 3. loc. comm. cap. 2. Vesalius apud Schenkium, lib. 5. Observ. 211. Et Paræus lib. 6. cap. 28.

Etsi verò Vidus Vidius parte 2. sect. 2. de curatione generatim lib. 6. cap. 14. Aneurysma ab Ecchymomate in eo potissimùm discriminari dicat, quòd illud Arteria, hoc venâ apertâ oriatur: mox tamen in eodem adhuc capite liberaliter concedit, quod & ipsa Arteria nimiùm aliquando dilatari, & in iis aliquid varicum instar fieri posit. Sententiam istam accuratè explanavit Sennertus Quæstione Medicâ 15.

Author Definitionum Medicarum definivit Aneurysma, quod sit venosi vasculi relaxatio, aut spiritualis materiæ sub carne, per dissultationem sese diffundentis, distribuentisq; dispersio.

Plateri opinio de Aneurysmate.

Platerus igitur Praxeos tractatu 3. cap. 3. p. 250. & cum eo Dodonæus inter exempla rararum observationum Medicarum cap. 57. mediæ cuidam institerunt viæ, ut non semper ex solâ arteriæ dilatatione, sed frequentiùs (præsertim in externis partibus) à manifestâ aliquâ ejusdem apertione Aneurysma provenire, arbitrati sint. Tunc enim (verba refero Plateri) sanguis tenuis & spirituosus ex arteria erumpens, cutem in tumorem attollit, illicq; sinum sibi format, in quem arteriæ eo ferè modo, quo arteriæ in sinus crassæ cerebri membranæ naturaliter sese exonerare solent, præternaturaliter sanguinem cum spiritu in Diastole effundendo, & in systole in se rursum rapiendo, pulsationem in Aneurysmate efficit.

Aneurysma nō fieri arterioso sanguine sub cutē effuso ratio. I.

Verùm enimverò nec ruptâ & exesâ aliquâ in parte Arteriâ, nec per diapedesin rarefactu ipsius tunicis, nec reserato ipsius osculo (tot enim modis sanguinem è vasis ipsum continentibus effluere, Galenus monuit lib. 5. Meth. Med. cap. 2.) sanguineq; arterioso sub cutem effuso Aneurysma excitari, hoc principio persuadere videtur, quòd cutis color naturalis, ne minimâ quidem ex parte alteretur, sed sibi totus similis persistat, secus quàm in phlegmone, Erysipelate, Furunculo, Petechiis, Morbillis, Ecchymomate, Hyposphagmate, & id genus aliis, quæ sanguinem extra sua vasa elapsum genitorem agnoscunt, fieri observamus.

Respondetur Sylvatico.

Nec tollit difficultatem Sylvaticus, quando id propterea fieri opinatur, quod sanguis adhuc dum in suo statu, tametsi extra proprium conceptaculum sit effusus, sine ulla corruptione conservetur. Non enim dubium solùm, sed omni cùm antiquitati, tum experientiæ communi adversum est hoc pronuntiatum. Namq; apud Hippocratem libro 6. Aphor. 20. sic legimus: Si in ventrem sanguis præter naturam effusus fuerit, ut suppuret, necesse est. Quo loci Galenus in commento ventris quidem nomine quamcunq; cavitatem, sive manifestam, sive ratione solummodo contemplabilem subinnui; suppurandi autem termino, latiùs extenso ipsius significatu, omnem sanguinis corruptelam, sive is videlicet suppuret, sive livescat, sive in grumos concrescat, accipiendam esse ait. Repetiit idem lib. 1. Prognost. comm. 42. ac lib. de atra bile cap. 2. quo posteriori loco rubicundiorem è venis, flaviorem ferè ex arteriis profluere, utrumque verò protinus simul ac vel è corpore exciderit, vel in ipso, quocunque etiam in loco contentus fuerit, concrescere affirmavit.

Atque hinc nova mihi nascitur ratio, quâ opinionem meam stabiliam. Si enim sanguis extra sua vasa rejectus statim corrumpitur, in Aneurysmate autem nullam corruptionem patitur, ut extra vasa nondum elapsus sit, consectarium est.

Multi sanè momenti difficultatem hanc esse, fatetur ipsemet Sylvaticus, non tamen talem, quæ facilè solvi nequeat. Quippe rem hanc paulo diligentiùs consideranti, omniaque intimiùs inspicienti, idem sanguini huic ex arteriâ ad cutem effluxo evenire, sibi innotuisse, quod lacustri aquæ in ipsius lacus alveo, quanquam non fluat, sed quiescat, imputri permanenti. Id enim propterea fieri, Philosophorum multos dixisse ait: quod quæ assiduè ab ipso lacu educitur aqua, & vel à terra timis, vel à Sole indesinenter ebibitur, ea à flumine, fonte, marive lacum producente, multo cum fœnore subinde resarciatur, & ad illum transmittatur, ut hinc motum quendam, aquæ secretiorem corruptionem impedientem, colligere liceat. Quod cum paludibus non eveniat, mirum non esse, ut ipsarum aquæ, propter perpetuam quietem, & prohibitam eventilationem majori ex parte putrescant. Pari itaque aut certè non multùm absimili ratione diu imputrem putat in Aneurysmate permanere sanguinem: quoniam ob naturalem arteriæ pulsationem, à causa præternaturali sine dubio auctam, & ob spirituosam sanguinis arterialis conditionem (arteriæ foramine illius ingressum & egressum minime recusante) sanguis in hoc tumore sedulò fluat, & refluat. Cui rei & inde nonnibil adjumenti accedere arbitratur, quòd is qui tumore isto afficitur, vanâ quadam evanescentis per compressionem tumoris delectatione allectus, illum sæpius comprimat, hincq; effluxus sanguis cum non effluxo misceatur, qui semel exilit alias intus permaneat. Quâ unâ etiam de causâ, ut nimirum sanguis in proprio loco magis contineatur, ingenium aliquod, tumorem assiduè comprimens, parari soleat. Plausibilia equidem hæc sunt, & ad persuadendum non malè composita, præsertim si cætera, quæ idem Sylvaticus paulò ante de transsumptione sanguinis arteriosi intra ipsam arteriam (sive Aneurysma fiat propter Arteriæ tunicarum διαίρεσιν καὶ ἀνάβρωσιν, sive earundem διαπήδησιν, sive denique osculorum ἀναστόμωσιν) disseruit, conjunxeris, atque insuper fundamentum à Galeno lib. 1. de simp. medic. fac. cap. 12. suppeditatum, penitius examinaveris. Ait enim illic Galenus: arterias ubi sese dilatant, facultatis attractoriæ tam potentis esse, ut non aerem modò habitumque attrahant, sed etiam quicquid trahi facile

ac tenue

Obs. 44.

ac tenue sit, ad spiritalis essentiæ motum impetumque expeditè consequatur: adeò ut ab arteriarum osculis, in extimam cutim dehiscentibus, quicquid piperis ad exactißimum redactum fuerit pollinem, simul cum ambiente aere absorbeatur. Eodem spectant illa, quæ è Platero non ita diu prolata sunt. Satisfacias itaq; pro virili utrique unâ eâdemque operâ.

[...]futa[...] simile [Syl]vatici.

Ad simile igitur à Sylvatico productum initiò quod attinet, næ illud omnium similium naturam redolet, quæ est, quod nihil tam sit simile, ut non simul etiam sit dißimile. Namq; aqua illa lacustris, quòd in lacu non corrumpitur, non ea duntaxat causa est, quòd per occultos terræ meatus, eosque diversos, cum affluat, tum defluat, adeoq; non eadem semper numero maneat, sed subinde novæ aquæ affluxu renovetur, ac redintegretur: verùm etiam quòd in lacu, tanquam proprio, & ut ita appellem, genitali solo ac loco hospitetur. Quò & illud momenti nonnihil conferre potest, quòd aqua lacustris, ob substantiæ suæ nativam quandã bonitatem extra lacum in vasis aliis incorrupta satis diu asservari queat. Institutâ igitur exquisitiore sanguinis arteriosi cum aquâ lacustri collatione, tantam deprehendo dißimilitudinem, ut non parùm mirer, rem istam à Sylvatico, viro herclè non contemnendi aliàs judicii, minùs profundè pensitatam fuisse. Fluat enim, refluatque sanguis in aneurysmate: per eosdem tamen, non verò diversos, ut in lacu, id fiet canales. Aqua lacustris in proprio, uti dictum, consistit loco: sanguis per Aneurysma extra arteriam propulsus in alieno. Illa naturæ genio, etiam extra natale solum constituta, non statim corruptibilis: hic contra ad corruptionem maximè pronus.

[...]citæ ob[jec]tioni re[spon]detur.

Sed excipiat fortaßis contra primam instantiã Sylvaticus, & opponat mihi locum Galeni antea citatum de arteriarum validâ vi attractrice: & dicat, pari quodammodò ratione arteriam per systolem quidem sanguinem eructare, per diastolem verò vicißim absorbere (verißimam hanc esse de attractione & expulsione tam cordis, quàm arteriarum, doctrinam, publico ac communi medentium suffragio constat: quâ ergò fide Platerus sanguinem cum spiritu in aneurysma per arteriæ Diastolem effundi, & per systolem intra arteriam iterum rapi dixerit, non satis assequor: nisi forsan mendum textui irrepsisse, & Diastolem Systoles, atq; hanc rursum illius loco scriptam esse, suspicari liceat) quâ sipho per styli diastolen, (liceat enim in re præsenti iisdem terminis uti) sive extractionem, liquorem vel per angustum etiam orificium imbibit: per systolen verò sive impreßionem denuò evomit.

[S]imile.

Sanè si per arteriarum ἀναστόμωσιν Aneurysma semper fieret, pauxillum suæ sententiæ objectio ista patrocinari posset: Verùm cùm id vel nunquam, uti mox monstrabitur, vel rarò (quemadmodum ipse Sylvaticus confitetur, dum aliis quoque causis arteriosi sanguinis profusionem adscribit) accidat, & ipsa facilè diluitur.

III.

Nam si per ἀναστόμωσιν sanguis in aneurysma ex arteria emittitur, & intra eandem recipitur, horum alterutrum ut consequatur, necessarium est. Aut enim tumor ejusdem semper erit magnitudinis, adeoq; nec decrescet, neque accrescet: aut in diastole quidem sorpto videlicet intra arteriam sanguine, totus evanescet: in systole verò vicißim emerget. Quorum utrumque non tantum falsum manifestè: sed posterius propter tantillam moram, quæ inter diastolen ac systolen intercedit, ac ferè momentaneâ est, nec non capillare propemodum Arteriæ osculum, planè impoßibile.

Et ut maximè fluxum aliquem atque refluxum sanguinis particularem, ejus videlicet, qui arteriæ osculo vicinior est, concedam: quid tamen de illo fiet, qui ad Aneurysmatis latera usque decurrit? Quo ingenio is, quin protinus alteretur, præservabitur? Cùm aliàs intra ipsasmet tam arterias, quàm venas contētus sanguis iste, qui ad ipsarum radices capillares detrusus est, reliquo in remotioribus ac cordi vicinioribus locis stabulante, craßior ferè ac frigidior utplurimùm esse appareat. Quam alterationem non obscurè approbavit Sylvaticus, quando eum, qui sanguini suâ naturâ vaporoso arteriam egresso flatuum, quippiam associari dixerit, fortaßis non errare scribit; siquidem arteriarum sanguinem se ipso craßiorem & magis lentum sic fieri, Galenus existimaverit l. 2. de caus. Puls. cap. 2. & Haly cum Avicenna ex sanguine & ventositate Emborysma fieri censuerint; Paulus quoque spiritum adjecerit. Et quid mirum, extra arterias sanguinem facilè alterari ac corrumpi? Cum hoc ipsi vel proprio ac primario, vel à venis per ἀναστομώσεις quibus invicem communicant, transsumpto vitio, in Febribus intra ipsas arterias constituto, evenire experiamur.

Erudiri igitur à Sylvatico unicè exoptem, cur non in inflammationibus, sive eæ in internis, sive externis partibus subsistant, vel Aneurysma consequatur, vel sanguis ob reciprocum fluxum à corruptione defendatur? Nobis, qui contrarium statuimus, expedita suppetit responsio. Nimirum, vel propter arteriarum exilitatem, vel earundem à circumfusis corporibus, inflammatione affectis, compreßionem & coarctationem; vel ipsarummet inflammationem; vel denique sanguinis in ipsam partis cavitatem profusionem, Aneurysmatis productio locum non habet. Quæ postrema ratio alterum quoque dubium tollit. Nam ideò sanguis in inflammationibus corrumpitur, quoniam in alieno domicilio hospitatur.

Ad aliam objectionē Sylvatico respondetur.

Facilè etiam illi quæsito Sylvatici satisfacere possum, cur ii, quibus ob vehementem torturam arteriæ manibus adjacentes violenter dilatantur, Aneurysmate non corripiantur? Dilatatio enim ista secundum unam tantum fit dimensionem, nempe longitudinem: at in aneurysmate secundum omnes dimensiones arteriam dilatari contingit: quanquam interdum vel pro arteriæ & vicinarum partium dispositione, vel sanguinis ac spirituum motus atque impetus diversitate, nunc longiora, nunc latiora, aut rotundiora aneurysmata oriantur.

In Aneurysmate secūdum omnes dimēsiones arteria dilatatur.

IV. ratio.

Ob quod figurarum aneurysmatum discrimen è Sylvatico vicißim quæro; cur, si extra arteriæ corpus sanguis elabitur, certis limitibus aneurysma circumscribatur, nec longè lateq; protendatur; sed ipsi arteriæ rectà insistat; & maximam partem figuræ sit oblongæ; qualia etiam fuerunt illa, quorum unius historiam ego aliquando ad Te, quæque tumet observasti, & Tuarum observationum Chirurgicarum Centuriæ 3. Observ. 43. ac sequenti inseruisti. Equidem sanguinem perinde atque in Ecchymomate, post contusionem aut venæ sectionem orto, hinc inde, propter majorem, quâ præ venoso sanguine gaudet, tenuitatem & mobilitatem spargendum, vero inprimis videtur consentaneum.

Sed obtendet procul dubio Sylvaticus Platerianum

Obs. 44.

num sinum, atque eo missile hoc telum excipiet. Vt ut fecerit, causæ tamen suæ parùm auxilii reperiet. Quæsiero enim rursus: quomodo iste sinus intra suos cancellos & septa ita cogere possit arteriosum sanguinem, ut ultra eos non feratur, & hinc inde prorsus evagetur? Remanet igitur pristina difficultas.

Platerus refutatur

Nec adstipulor Platero, dicenti; cutem illi sanguini esse loco arteriæ, & hic propè simili modo in Aneurysmatis sinum arteriam sanguinem præternaturaliter ejaculari, quo in crassæ cerebri membranæ sinus arteriæ sese exonerare soleant: quæ fortaßis Sylvaticus pro redarguenda alterâ meâ, ipsius simili appositâ instantia, etiam usurpare queat.

Nam si cutis arteriæ vicem sustinet, quâ quæso ratione sanguinem, qui proprii domicilii parietes effregit, cohibebit, quò minùs per patentiores ipsius poros erumpat, imò quâ facultate pulsificâ aneurysma movebitur, & quo modo cordis motui motus ipsius exactè æquabitur, si pulsandi vis à corde non nisi solis arteriis per ipsarum tunicas influit, ut ad unum omnis saniores Medici statuunt. Numquid sanguis ex arteriæ osculo recenter expressus tantarum poterit esse virium, ut totum eum, qui in sinu isto (ut cum Platero interim loquar) asservatur, protinus impellat? Profectò etiam viciniorem movendo satis eum esse facilè largiar: tamen quomodo vniverso tam regularem motum impertiri possit, non video. Etenim vicinus commotus, commovebit sibi vicinum, hic rursus proximum, & ita deinceps reliquus reliquum, donec continuatâ successione ad ultimum perventum fuerit, vel vis motrix planè evanuerit, ut videre est in aquâ per rei cujuspiam illapsum agitatâ.

Arteria igitur adhuc integra sit oportet, si aneurysmatis motus cordis motui respondere debet. Arteriæ itaque loco sanguini cutis nullo pacto esse potest. Corruente autem hac, de cutis respectu arteriæ vicariâ operâ, opinione, corruet simul & illud, quod sanguis in alienum locum emissus, integer ac salvus, quantocunque etiam temporis spatio id fiat, permanere valeat.

Quomodo Arteriæ in sinus duræ matris se exonerent.

Deinde arterias cerebrales quod spectat, alia longè ipsarum exonerationis sanguinis est conditio: Quippe illæ in sinus duræ matris naturaliter dehiscũt: hæ in aneurysmate præter naturam (salvâ scilicet adversariorum hypothesi) reseratæ sunt. Adhæc, illa sensim & in competentem locum sanguinem blandè deponunt: hæ ἀθρόως confertim & impetuosè in locum à naturâ non destinatum sese exonerant. Quis igitur miretur, hunc corrumpi, illum minimè? Desinat etiam Platerus reciprocæ illius sanguinis epotationis & revomitionis occentu molestus esse, cum in eâ nihil præsidii per præcedentia ipsi sit relictum.

V. Argumentum.

Ordior ergò novam Adversarios premendi telam & nullâ planè, sive per ἀναστόμωσιν, sive διαπήδησιν, sive διαίρεσιν vel ἀνάβρωσιν, factâ arteriæ apertione, aneurysma posse produci, ratione generali porrò sic probo: Si proprium & inseparabile, & in quo uno ferè Medicos antiquiores, cùm Græcos tum Arabes acquievisse, ipsemet testatur Sylvaticus, aneurysmatis signum est, ut per compressionem, non solùm, ut in Oedemate fieri assolet, retrocedat; verùm etiam planè evanescat, atque in hac unâ maximè re, patientibus vano cujusdam delectationis sensu illudat, veluti Sylvatico placet: integrâ, non verò apertâ arteriâ ut id oriatur, necesse est. Nam si secus sit, dic amabo Sylvatice, quâ vi sanguis per angustum, quocunque etiam modo factum ostium, propelli atque in arteriam regredi possit? Quin & hunc nodum mihi expedi, cur in inflammationibus, contusionibus, & cæteris affectibus, propter humorum extra vasa profusionem, natis, id factu sit impossibile? Si enim positâ causâ in actu, ponitur effectus: quid impediet, quo minus & hic eadem humorum depulsio per solam compressionem promoveri queat? At quantæ operæ sit, affluxum compescere, inflammationem præcavere, suppurationem declinare, eandem, si hoc fieri non permittatur, accelerare, pus foris dissectâ cute evacuare, in Ecchymomatibus lividum sanguinem discutere, eccui notum non est? Certè sanguis iste in arteriam ex aneurysmate regressus, acriùs urget Sylvaticum, quàm eos, qui dilatatâ duntaxat arteriâ aneurysma gigni profitentur. Si enim adhuc dum arteriæ tunicâ sanguis coercetur: numquid res magnopere stupenda fuerit, si compresso aneurysmate sanguis per utrumque arteriæ naturale ostium, ex utraque parte ipsi constitutum, in ipsam arteriam regurgitet? Finge enim tibi utrem, in quem ex utroque latere canalis inseratur, cujus beneficio humor aliquis in ipsum influat. Quod si utrem humore gravidum compresseris, quâ datâ portâ in utrumque tubum humorem retrocedere oculorum testimonio convinceris.

Obs. 4[4]

Simili[…]

In grā[…] ri Ane[…] rysma[…] pulsus deprehe[…] ditur.

Interim hoc diffiteri nolo, quod in grandioribus Aneurysmatibus nec pulsus deprehendi, nec sanguis per compreßionem intra arteriam vicißim propelli soleat. Non tamen propterea solùm id accidit, quod vel sanguinis major in iis contineatur copia, quàm quæ pristinis arteriæ receptaculis coerceri iterum possit, vel jam in thrombos is concreverit, ut Paræus censuit loco allegato: verùm etiam aliâ de causâ. Nam cum virtus unita fortior sit dispersâ, fieri facilimè potest, ut pulsus in arteria latißimè distentâ non sentiatur: deinde cum notum sit, vasorum orificia angustiora à liquore majori copia affluente, promptißimè obstrui: num res nova futura est: si sanguis ad ostia contractiora per compreßionem detrusus, in arteriam retrocedere nolit?

Audiendus tamen Sylvaticus, & quibus fundamentis regressum sanguinis adstruere conetur, videndum. Orditur autem ab ea arteriæ apertione, quæ per διαίρεσιν vel ἀνάβρωσιν procuratur. In illa igitur sanguinẽ facilè repelli posse, ex naturali arteriæ compositione, sive structura, se ostensurum confidit: quandoquidem cum alibi, tum inprimis lib. 7. de administrationibus anatomicis cap. 5. Galenus doceat, quod venæ peculiari constent tunicâ, duabus arteriæ, exteriori sanè, qualis venæ est, & interiore, crassitie alterius ferè quintuplâ, crassâ duraque, ceu cutem quadam internâ superficie continente, telæ araneorum manifestè persimilem, in magnis arteriis adeò conspicuam, ut ipsam nonnulli tertiam arteriæ tunicam statuerint: quarta verò alia peculiaris existit nulla, sed veluti quibusdam venis, ita quoque arteriis obhærescat, & circumtendatur membrana tenuis, contegens, affirmans, aut connectens ipsas vicinis particulis, quod maximè in imâ quidem septi regione à peritonæo, in superiore verò intra thoracem à membranâ costas succingente, accidat. Duritiem itaque & crassitiem tunicarum in causâ esse opinatur, ut, tametsi arteriæ vulneratæ sint, vulneris tamen labia non concidant, sed tantoperè dehiscant, ut digitis compressum

& ad

Obs. 44.

& ad illas repulsum sanguinem iterum recipere apta sint. Quæ etiam causa sit, ut Galeno lib. de usu Puls. cap. 6. teste, arteriarum tunicæ in demortuo etiam animali invicem dissideant.

Quòd si per ἀναστόμωσιν Arteriam aperiri contingat, receptionē istam promptiùs sine dubio absolvi credit: cum, eodem Magistro nostro, lib. 1. de simpl. med. fac. cap. 12. dictante te, arteriæ osculum cuti ipsi quàm maximè adhæreat.

Per διαπήδησιν genito aneurysmate, ut sanguis propter compressionem retrocedere valeat, multos quidem hactenus ignorasse: sed si rem istam paulò attentius consideravissent, arteriam ita nonnunquam rarefieri posse, ut quâ ratione sanguinem tenuiorem adhuc redditum, permeare, & sub cutem effluere, eâdem etiam (non mutatum tamen) compressum intra se reverti patiatur, facilè intellecturos fuisse, ait. Rarefieri autem arteriam nunc à causis calidis, nunc à causa aliquâ externâ, contundente ac distendente, statuit: cui si sanguinis tenuitas fortè fortunâ conjungatur, longè faciliorem esse exsudationem. Atq; hæc sunt, quæ pro asserenda Arteriæ reseratione commentus ac commentatus est Sylvaticus. Meatum est partium, ut in ipsorum examen aliquid operæ ac laboris insumam.

Refutatur iterũ Sylvaticus.

Arteriarum igitur structuram naturalem, atq; interioris tunicæ crassitiem & duritiem quod concernit, etsi propter coalitus difficultatem ad emittendum sanguinem tenuiorem ac spirituosiorem labia hiare, nō difficulter concedam, attamen ut ea ad eundem per compressionem recipiendū æquè pateant, non animadverto. Etenim tantæ non sunt duritiei arteriæ, ut pressæ instar ligni subrigidi nullatenus cedant. Hoc enim inflammatio, abscessus, & scirrhus manifestè redarguunt: à quibus si iu circumfusa corpora afficiantur, Arterias comprimi ac coarctari, rectissimè scribit Galenus lib. 2. de caus. Puls. cap. 2. Si ergò compressa cedat arteria, ecquid quæso fieri prohibuerit, ut ab opposito ipsius latere ostium, per quod sanguis regredi debebat, obstruatur?

Deinde, cum exterior quâ constat Tunica, venarum tunicis par sit, harum quoque ad instar post acceptum vulnus facilè coalescet, & arteriosi sanguinis, pari ratione qua venæ venosi in varicibus, effluxum compescet. Ad quam rem non parùm auxilii conferet communis illa, quam certis quibusdam in locis arteriis circumtendi, paulò ante è Galeno dictum est, membrana. Quæcunque igitur aneurysmata arteriæ sectionem sequuntur, in iis vel neutra, vel interior saltem tunica dehiscit, exterior autem coalùit: quemadmodum quoque sentis Centuria 3. Observ. 44. Facessant ergò ocyùs, quicunque cum Platero aneurysmatis, post sectam arteriam orti exemplo, nostram sententiam labefactari credunt.

D. Döring adstipulatur illi rationi; quæ habetur in Centur. 3. de Aneurysmate.

Porro, si per ἀναστόμωσιν arteria reseratur, tametsi sanguinem expeditiùs recipi sibi persuadeat Sylvaticus: mihi tamen non æquè facilè persuaserit. Arctissimè enim arteriæ osculum ipsi cuti adhæreat licet, ipsaq; arteria quamvis validissimâ vi attractrice gaudeat, ne sic tamen unquam aneurysma ullum proveniet. Regero enim ac repeto illa, quæ supra adversus ἀναστόμωσιν produxi objecta: quibus si satisfecerit Sylvaticus, dissolvat & ista. Nam etsi illa sufficere poterant, ut nullum aneurysma per arteriæ ἀναστόμωσιν fieri crederemus, locus tamen, in quo potissimum

Aneurysmata quo in loco fiant.

oriri conspiciuntur, idem luculenter demonstrat. Oriuntur quippe illic ut plurimum, ubi magna & capacia vasa transeunt. Quid? quòd aneurysmata propter Procatarctica alicujus causæ (quales sunt, cantus, clamores, tubarum inflationes, partus difficiliores, & hujus sortis alia plures) majorem impetum, arterias distendentem, nasci contingit, per has enim sanguis ac spiritus adeò exacerbantur, ut ad locum, in quo paulò amplior arteria latet, ceu turgidi ac furibundi confluant, ibidemque exitum quærentes, portâ, quâ erumpunt, denegatâ, arteriæ latera premant, quatiant, distendant, atque non aliter ferè, quàm multus ac copiosus spiritus utrem aut vesicam, sic isti arteriæ corpus in grandiorem molem dilatent.

Concedit hoc Platerus liberaliter, cùm loco nuper allegato, tum ejusdem operis Tomo 1. pag. 563. ubi interno aneurysmati, per solam arteriæ distensionem producto, cordis illum palpitantem motum, qui tam diu durat, donec hominem tandem conficiat, acceptum refert. Non parùm ergò miror, quòd idem eandem ob causam in externis partibus id fieri negaverit.

Adhæc exponat mihi velim rationem Sylvaticus, cur Priapismum, ob arteriarum ora immodicè patentia nonunquam excitatum, ut Galenus docet lib. 6. de loco affect. cap. ultimo, Aneurysma non consequatur? Præterea, si propter venarum ἀναστόμωσιν cuidam singulis mensibus ex hypochondrio dextro sanguis tanto impetu, ac si vena illic incisa fuisset, ad libræ unius pondus emanavit, nullo (postquam sanguis naturæ spōte substitit) apparente egressûs vestigio, Benivenio de abd. sanat. causs. cap. 4. & Hollerio inter rara, numero 3. testibus: Si idem, ut est apud Saxoniam lib. 3. pract. cap. 36. nobili cuidam Patavino, cui aliàs per venas hæmorrhoidales fæculentus sanguis expurgari solitus erat, per scrotum, nullo item transitus relicto indicio, in maximâ copiâ profluxit: Sique Moniali cuidam insigniter terrefactæ, ut & alii cuidam viro, ex omnibus corporis meatus sanguinem hinc inde erupisse, ex Florentini Leudani Martyrologio, & Caspari Wolffii testimonio recenset Schenckius lib. 3. part. 2. Observ. 56. & 57. quin idem & in aneurysmate, reclusis scilicet arteriarum osculis, à tenuiore & spirituosiore sanguine eveniat, causam nullam video.

Per διαπήδησιν Aneurysma fieri non potest.

Denique per διαπήδησιν genitum aneurysma quòd attinet, næ ejus productio omni saniori rationi bellum indixisse videtur. Sive enim per contusionem sive distensionem promoveatur, quomodo Ecchymosis evitari possit, planissimè nescio. Nec hariolari queo, qui sit possibile, ut ii, quibus propter crudeliorem torturam arteriæ in brachiis violentissimè distenduntur, Aneurysmate neutiquam corripiantur. Quia & illud me ignorare ingenuè confiteor; cur tenuis, levis ac mobilis sanguis per arteriarum tunicas naturaliter crassas, densas, ac undiquaque constrictas, ut loquitur Galenus lib. 6. de usu partium cap. 10. transsudans, per cutem, poris atque elabendi meatibus multò opportunioribus præditam, non exstillet? Numquid causa rarefaciens, si externa præsertim fuerit, cuti parcet, ac solas arterias afficiet? Sanè non me latet, findi quandoque ab ictu cranium, frangi ossa, foris illæsa cute. At hæc dura sunt, ictui cedere nescia, quod in arteriis usu non venit. Quæ de facilitate regurgitationis, compressi sanguinis affert Sylvaticus, diruto ipsius fundamento, per se corruunt. Et providè addidit, sanguinē, si retrocedere debeat, non mutatum esse debere.

Nam

Obs. 44. Nam si crassior evasisset, non penetraret. Ast facilè ipsum mutari, suprà, uti spero, evici. Quoquoversum itaq; se vertat Sylvaticus: elabendi tamen occasionem (quantum ego judicare valeo) vix reperiet.

In sectione, quod Platerus quærit effugium, exigui etiam momenti est. Etsi enim solâ cute dissectâ sanguis protinus erumpere videatur: idcircò tamen fit, quòd vel arteriæ tunica attenuata, cuti quàm arctissimâ conjunctione adhærens, vel statim unâ operâ simul vulneretur; vel vulneratâ cute à sanguinis copia atque impetu majore disrumpatur. Priusquam verò Sylvaticum ac Platerum dimittam, istud adhuc coronydis loco ex illis quærere allubescit: quam nimirum causam esse putent, quòd aneurysma, si ipsius origo sanguinis sub cutem effusioni assignanda sit, in ingentem denique magnitudinem non excrescat? Tantum enim per Diastolen arteriam resorbere, quantum Systole effudit, res est fidei omninò dubiæ, ut è superioribus liquet.

Definitio Aneurysmatis Sylvatici. Ergò ut tandem disputandi finem faciam, Sylvatici Aneurysmatis Definitio, quâ id Tumorem à sanguine calidissimo, tenui, vaporosoq; ex arteria sub cutem effluxo, productum ait, proba non est. Præterquam enim quòd genus, uti sub initium statim monui, incongruum est: modus quoque generationis vitiosus existit. Tantum itaque abest ut per ipsam omnes circa Aneurysma obortentes difficultates solvantur (quod à verâ definitione fieri debere, ex Aristotelis lib. 4. de physico auditu cap. 4. textu 31. ipsemet professus erat) ut plures ac majores per ipsam potius excitentur. Nostra igitur verior est: cùm ipsius operâ ac beneficio omnes difficultates, quæ cùm numero plurimæ, tùm pondere gravissimæ fuerunt, facilè, meâ quidem opinione, superaverim. Duo adhuc pro colophone subjungo προβλήματα.

Error Mercati. Primum est: Non rectè à Mercato dictum esse Tomo 1. lib. 3. parte 3. clas. 2. art. 2. dist. 26. quòd in omni quidem Aneurysmatere adsit arteriæ extensio, sed non in omni extensione Aneurysma, nisi ruptura conjungatur. Ab extensione enim quæ secundum omnes fiat dimensiones, non autem arteriæ rupturâ, formari Aneurysma, satis superq; hactenus demonstratum est. Particularis itaq; duntaxat per causam & effectum, est definitio: quando Aneurysma internæ arteriarum Tunicæ solutionem, & exterioris pulsativam at tumorosam extensionem dixit.

Error Steghii. Alterum est, minus quoque verè à Steghio lib. 8. Medicinæ Practicæ cap. 34. (cui fermè assentiri videtur Vidius, dicto suprà loco) cum aliis Aneurysma distingui in venosum & arteriosum. Venarum enim extensio varicem; Arteriarum verò Aneurysma parit, Medicis probatioris notæ censoribus.

Conclusio. Habes igitur hîc, Cl. Dn. Fabrici, meam, quam cognoscere desiderasti de Aneurysmatis generatione opinionem. Tuum fuerit, ei accurati tui judicij limâ nitorem aliquem addere. Quod ut facere haud graveris, aut dedigneris, pro veteri nostra necessitudine etiam atq; etiam te rogatum volo.

Cæterùm essent plura de quibus ad te, sumptâ videlicet occasione Epistolicâ, ad meas de Herniâ uterina literas, quam ternis illis mihi redditis Epistolis, scribere possem, nisi cùm tempori ac tuis negotiis parcendum, impræsentiarum censerem, tum disputatio hæc longius, quàm initio speraveram, jam dudum protracta foret. Sed de iis deinceps nonnihil disserendi fortassis dabitur locus. Tu interim cum tuis benè vale, à nobis salve, ac me amare porrò perge. Dabam Breslæ die 2. April. Anno 1618.

OBSERVATIO XLV.

De Gangrana, post hemicraniam in pede oborta; ubi etiam an pruna & uva recentia dysentericis conveniant, declaratur.

MICHAEL DORINGIUS D. & in illustri Academia Giessena Hassorum Medicinæ Professor ordinarius,

Guilhelmo Fabricio Hildano

S. P. D.

QVas tu, clarissime Dn. FABRICI, die 20. Aprilis Basileâ ad me perscripsisti, eæ tandem die 6. Augusti ad me pervenerunt. Qua sanè culpa, ego quidem nescio. Verùm quod in proverbio dicitur, sat citò, quia sat benè. Cumque ad proximarum mearum literarum duo capita satis prolixè responderis, nec ego quod posteriori addendum censeam, facile aliquid inveniam; priori tamen, quo periculosum in brachio venæ sectionis exemplũ describis, quin simile quid reponerem, præsertim cùm me hoc facturum proximè promiserim, facere non potui. Pastor enim ille septuagenarius de quo nuper etiam ad te, Anno superiore, messis tẽpore in agro horrore ac frigore corripitur, qui tamen calor febrilis non subsequitur. Ab hoc tempore aërem frigidiusculum neutiquam ferre potuit, sed vel coactus sub sole versari, vel in calido hypocausto semet continere. Accessit hemicrania sinistra, oborta corporis extenuatio. Perstiterunt hæc symptomata trimestri spatio. Posteà è capite materia quædam per sinistrum latus ad pedem sinistrum rectà defluxit, cumque totum occupavit, ac intensissima gelu specie imbuit. Quæ res cum ipsi non tantùm insolens, verùm etiam molestissima esset, de ejus amolitione quamprimùm cogitavit. De aliorum itaque consilio pedem primitus fovet, in fæcum vini & aquæ communis dulcis partibus æqualibus calefactis. Nil verò profecit; inungit ergo pedem oleo spicæ ac similibus oleis calefacientibus. Adhibet fotus alios, calefacientes & digerentes; sed simili semper successu. Post duas igitur septimanas cum moræ molestiaque pertæsus esset, Cheirurgum quendam vocat Grumbergens. hominem, docente eventu, ut satis truculentum, ita negligentem. Rogat, ut in summo pede venam sibi incidat. Cum autem Cheirurgus sub vesperam advenisset, & ob senium minus valeret oculorum acie, venam non tetigit. Quo facto sectionem repetit; sed nec tum sanguinis quicquam effluxit. Hoc viso tot in circulum sectiones instituit, ut denarium numerum excesserint. Instituisset plures, nisi æger præ impatientia renuisset. Quid fit? Coalescit quidem maxima vulnusculorum pars, verùm bina vel terna à coalitu abhorrent. Incipit cutis vicina rubere, dolere, tumere, summa inflammatione corripitur. Accersitur denuò Cheirurgus. Is, nescio quid, loco dolenti de magmate, (ut mihi ab ægri filio narratum,) quod post olei lini expressionem relinquitur, imponit. Abit, negligit ægrum, nec per benè multos dies revertitur. Interim inflammatio in gangrænam vertitur, quam, quia negligentius tractata, sphacelus subsequitur; qui primum minorem

Obs. 45. norem digitum, mox reliquos ex ordine depastus est. Cheirurgus dum digitum minorem sphacelo interiisse videret, resecuit ipsum, sed qua fuit inscitia, in parte corrupta. Cum itaque de fomite sphaceli nonnihil reliquisset, nec latius serpendi occasionem ipsi praecidisset, reliqui item digiti ad unum omnes, uti dictum depasti, & simili imperitia resecti. Quo factum, ut totus pes ad talum usque sphacelo tandem corriperetur; crus verò ad genu usque multùm contabesceret. In maximo ergò periculo ipso ægro, Cheirurgo verò (qui alterum se multò imperitiorem demum sibi adjunxerat) summa anxietate constituto, ego accersor, ut quid ratum sit de amputatione tibiæ, judicium coràm exponam. Re itaque omni, ut à me modò exposita, ab ægro audita, sphacelo viso, virium ægri constantia deprehensa, ægri voluntate imo prece cognita, (nihil enim nunc sibi præter intolerabilem fœtorem æquè esse molestum dixit) suadeo, ut tibia sub genu amputetur; perpendens illud Hippocratis oraculum, quod habetur lib. 1. Aphor. 6. dum extremis morbis remedia exquisitè extrema opponere jubet: præsertim cùm authore Celso lib. 7. cap. 33. nihil intersit, an satis tutum sit præsidium, quod est unicum; spesque dubia certa desperatione potior sit, ut idem Celsus loquitur alibi. Ad operationem postquam ventum, hìc tu vidisses hominis truculentiam, hìc imperitiam in locando ægro, alliganda, firmanda & abscindenda tibia, truncoque obligando. Crede mihi, ni Deus gratiâ & clementia sua operationem istam direxisset, non mirum profectò fuisset, si æger ætate aliàs provecta, inter manus, ob tantam moram, expirasset, sed tantum abfuit ut hoc eveniret, ut nec animo vel tantillum linqueretur. Præscribo confortantia: impero victum convenientem; dico Chirurgis, quid ab ipsis fieri debeat, ecce verò inflati fuerunt superbia, quaque turgidi inani scientiæ persuasione, monita mea spernunt, ægrum negligentius visitant, atque ita novo sphacelo truncum etiam in latere sinistro infici patiuntur. Petit æger denuò meum consilium, do tale, quale in tractatu tuo de gangræna & sphacelo legitur. Sed quid Cheirurgi? contemnunt id prima facie, quasi ipsos experientia dudum meliora docuisset. Verùm an ea docuerit, casus mehercle præsens testis esse potest. Quia verò cùm æger, tum liberi, uxor & amici, instanter urserunt, ut meum consilium sequerentur, spoponderunt tandem se secuturos, verùm qua fide, jam dicam. Nam cum uterque palàm quidem fidem pollicitus esset, clam tamen alter alteri in aurem inspirasse dicitur hæc verba: dicamus sanè nos facturos, quæ voluit Medicus, possumus tamen interim nostro arbitratu nostris uti, si non successerit, nobis imputari non poterit.

Chirurgorum quorundam malitia notatur.

Ecce quæ iterum malitia? quæ pertinacia? Nisi igitur & hac in parte Deus vicissim suâ gratiâ ægro adfuisset, & sponte quasi sua natura, quod corruptum erat à sano secrevisset, Cheirurgorum certè operâ id nequaquam effectum fuisset.

Sed quid amplius fit? primò passi fuerunt carnē in apice trunci à pure negligentia sua depasci, ut postea ab ea radii trūcus tegi non potuerint, sed coacti sint, de novo à radio nonnihil serrâ decutere. Deinde os, qua parte sphacelus in trunco obortus erat, etiam corrumpi passi fuerunt, de cujus restitutione cum unicè dubitarent, tandem meum consilium implorarunt, rogaruntque, utrum illam cauterio actuali, vel alia via tentare deberent? Rejicio cauterium, & præscribo pulverem tum ex aliis, tum præcipuè euphorbio: cujus usum salutarem fuisse, filius ægri ante festum Pentecostes mihi coràm narravit.

Hæc igitur historia est, quam ideò tibi prolixius delineare volui, ut Cheirurgorum nostrorū imperitiā, fastum & negligentiam apertiùs deregerē, testarerq; quanti intersit multos cū in his tum aliis regionibus tui similes haberi. Quid enim alibi fiat, res ipsa loquitur.

Problema 1. Ex hoc autem casu jucunda quædam problemata erui possunt. Primum est, cujus naturæ fuerit humor ille, qui in pedem delapsus? Tu pituitosum fuisse, sine dubio dices; Pituita enim præ aliis humoribus frigidior. Ac cum pituita unius naturæ non sit, sed alia dulcis, alia salsa, alia acida, alia vitrea, quæsierim ergò iterum, quæ pituitæ species malum hoc excitarit? Vitream fortasis accusabis, cum ab hac etiam inæqualitatem frigoris & caloris in febre epialta, in una eademque parte exsistentem, vulgò deducere soleant, verùm quomodo vitreus iste, crassus, & glutinosus humor tam subitò è capite sub cute ad pedem usque devolvi potuisset?

2. Secundum est, cur fotibus & inunctionibus calefacientibus ac digerentibus, æger nihil profecerit?

3. Tertium est, utrum à vena in pede secta, (si pro voto secti successisset, hoc est, si venâ sectâ sanguis ritè effluxisset) ægro levamen aliquod sperandum fuerit?

4. Quartum est; cur plura vulnuscula coaluerint, duo vero vel tria saltem illa coalescere noluerint? Nil addo de magmatis impositione; nil de abscissis digitis in parte corrupta, nil de aliis. Hoc saltem addo, & rogo, ut ad proposita quatuor problemata proximè respondere velis.

De prunis & uvis in dysenteria. Respondeo verò & ego ad tuum problema, idque brevibus, quæris quid sentiam de Medico-Cheirurgi cujusdam paradoxo, quo ostendit & contendit, prunorum crudorum & uvarum maturarum esum, eumque copiosum, & ad satietatem usque institutum, in dysenteria esse utilissimum. Ad hoc autem paradoxon stabiliendum ratione utitur (quantum quidem meminisse possum) & experientia rationem ita informat, pruna & uvæ laxando alvum acres humores, dysenteriam excitantes, æquè ac myrobalani & rhabarbarum tostum educunt, ergo prunorum & uvarum usus in dysenteria minimè improbandus. Experientiam vero propriarum filiarum prætendit, quæ dysenteria correptæ, usu prædictorum fructuum cum emolumento ad satietatem usq; semet ingurgitarunt.

Rationem itaque quod attinet, respondeo ad Majorem, quæ deest, & ita formanda:

Quodcunq; alvū laxando, acres humores dysenteriā excitando educit, illius usus minimè improbādus. Vera enim hæc propositio non est, nisi ita corrigatur.

Quodcunque alvum laxando, acres humores dysenteriam excitantes educit, vi roborandi facultatem intestinorum retentricem pollet, nec causæ morbificæ amplificationi convenit, illius usus in dysenteria non est improbandus.

Atqui (ut etiam ad Minorem respōdeam) pruna & uvæ alvum laxādo, acres quidē humores aliqua ex parte videtur educere, sed nimia facultate humectādi vim intestinorum retentricem labefactāt, excretricē roborant, secus quam à myrobalanis & rhabarbaro

Obs. 45. & 46. *tosto fieri solet, imò generationi amplificationiq; causæ morbificæ unicè inserviunt, docente id anni tempore, quippe cum dysenteriæ nunquam ferme magis sint familiares, quam ubi homines prædictorum fructuum esui liberalius indulgent.*

Ergò prunorum & uvarum usus in dysenteria maximè est improbandus.

Experientiam verò quod spectat, ut ea particularis est, adeoque eventui potius accidentali adscribenda, ita etiam instituto probando minus idonea. Quemadmodum enim, si medicamento aliquo videris sex aut septem homines purgatos, jam dicere certò nō potes, omnes post hac similiter purgandos esse, inquit Galenus lib. 3. Aphor. comm. 11. ita idem de prunorum atque uvarum usu in dysenteria etiam nec sperare, nec affirmare poteris. Rei itaque ipsius naturam diligentius æstimantibus, prunorum & uvarum recentium ac crudarum usus nō potest non esse formidandus. Atq; hæc de præsenti paradoxo, volante quasi calamo dicere libuit: quæ si tibi minus per omnia satisfecerint, monebis me proximè. Literæ adjunctæ ut ad Dn: D. PAULUM LENTULUM & Dn. D. PHILIBERTUM SARACENUM commodè perferantur, tute pro nostro amore diligentissimè, sat scio, curabis, ut proinde ob hoc officium diligentius te rogare, opus non habeam. His ergò cum tuis omnibus beatissimè vale. Dabam Giessæ Hassorum diē 20. Augusti Anno 1610.

OBSERVATIO XLVI.

Quidam cùm supra modum incaluisset, & ipsius corpus aqua frigida perfusum fuisset, gangræna & sphacelo in tibia corripitur.

Viro clarissimo ac doctissimo Dn. Doct. MICHAELE DORINGIO, *in illustri Academia Giessena Hassorum Medicinæ Profess. ordin. atq; celeberrimo*

Guilhelmus Fabricius Hildanus S.P.D.

Tardè ad tuas, clarissime Dn D. respondeo, quandoquidem tardè eas accepi, uti ex eis, quas ad clarissimum Virum Dn. HORSTIUM, communem nostrum amicum dedi, intelliges. Pergratas autem tuas mihi fuisse, Deum testor, sed quod propter locorum distantiam tam rarò amicitiam nostram literis fovere nobis concedatur, ex animo doleo.

Casus quem communicasti, rarus est, & miror, senem illum decrepitum tantos dolores sufferre, tandemiq; evadere potuisse, Gangræna enim à digito pedis incipiens, utplurimùm lethalis est, uti apud Benivenium & Dodonæum in observationibus videre licet. Sed hujusmodi sanationes ad solam misericordiam atq; clementiam Dei potiùs, quàm ad industriam scientiamque Cheirurgorum (quorum imprudentiam aut potius impudentiam non satis admirari possum) referenda esse, tecum sentio.

Observatio. De gangræna ex perfusione aqua frigida.

Cæterùm antequam ad problemata tua respondeam, affectum gravissimum tibi communicare visum est, Superiori æstate cùm Basileæ apud Serenissimum principem ac Dominum, Dominum JANUTIUM RADZIVILITM, Lituaniæ &c. Ducem, per menses aliquot (uti ex præcedentibus meis ad te literis intellexisti) moram traherem, accidit noctu, ut in platea quæ ponti proxima est, domus quædam incenderetur.

Cum verò cives accurrerent, ac quidam juvenis, viginti circiter annorum ætatis, robustus, plethoricus, & optimo corporis habitu præditus, tectum proximum conscendisset, ibiq; cum propter caloris ab incendio vehementiam, tum etiam propter labores, supra modum incaluisset, rogavit socios, ut aqua frigida sibi corpus perfunderent: hoc enim nisi facerent, æstum maximum non amplius se sufferre posse, sed de vita periclitari, ajebat. Affundunt aquam, eamq; copiosè, ita ut vestimenta omnia ipsumque corpus undique madefactum esset. Quod fit? Corripitur horrore, ita ut vix ex tecto descendere, & ad ædes suas pervenire posset. Postero die, ac deinceps, etsi graviter laboraret, & maximum incendium internorum viscerum persentiret, morbum tamen neglexit. Circa quartum natura cum per criticam expulsionen sese exoneraret, crus dextrum quoq; intumuit, & inflammatione correptum fuit. Ad Xenodochium itaq; deducitur, ubi clarissimo ac æternâ laude dignissimo viro Dn D. JACOBO ZWINGERO, piæ memoriæ, & Chirurgis ordinariis commmissus fuit. Post dies aliquot, cum inflammationem in tibia ad gangrænam tendere videret Dn. ZWINGERUS rogavit me, ut miserum quoque inviserem, ad ægrum itaque me confero, tibiamque ad poplitem ferè usque, gangræna correptam animadverto.

Porrò etsi vires prostratas, febrim maximā, tibiam quinetiam ad coxam ferè usque supra modum intumefactam, ac proinde rem in angustiis positam esse, satis superque videremus, attamen quia sæpissimè, etiam in desperatis, Divina clementia atque potentia, præter spem atque opinionem medicorum sese patefacere solet, & semper (ut divinus Hippocrates lib. 2. Aphor. 25. nos monet) omnia secundùm rationem sint facienda, crus undique scarificavimus: unguentum Ægyptiacum, aliaque medicamenta, quæ putredini adversantur, applicuimus, sed frustrà sequenti enim die, ad coxam regionemque hepatis usq; livida reperta fuit. Lipothymiæ, frigus extremitatum & sudor frigidus aderant, & eadem die vitam cum morte commutavit.

Ad problema primum responsio.

Nunc ad problemata tua paucis respondere conabor. Quæris primo, cujus naturæ humor ille in pedem delapsus, fuerit? Ipsum pituitosum fuisse, tecum sentio. Frigus enim intensissimum & molestissimum, quod adfuisse refers, hoc satis superque indicat. Nisi tamen pituita illa acrem quendam humorem sibi adjunctum habuisset, non tam facilè ad pedem defluere potuisset, sed & maligna qualitate præditum fuisse certum est, alioquin temperamentum & harmoniam partis non tam citò vitiasset & destruxisset; sæpissimè enim accidit, ut materia aut humor excrementitius in parte aliqua corporis colligatur retineaturque ad tempus, sed postquam acrimoniam malignitatemq; insignem acquisiverit, beneficio naturæ ad extremitates expellitur, ibique temperamentum partis destruit, gangrænamque inducit. A venenata enim & maligna qualitate

tate insitum partis calorem præfocari, atque extingui, Doctissim. FERNELIUS lib. 7. cap. 7. de externis corporis affectibus, testatur. Hujus rei exemplum habes in tractatu meo de Gangræna, cap. de causa gangrænæ ex qualitate occulta.

Fotus & inunctiones non profuerunt, primò, quia materia morbi profunda erat, Vidi ego sæpissimè abscessus ex pituita acri ortos, in quibus ossa carie contaminata erant, priusquam cutis exulceraretur. Ante annos aliquot unà cum Dn.D. ZWINGERO p. m. Basiliensem invisi, cui etiamnum per intervalla abscessus in capite suboriuntur, in quibus cum primum apparent, cranium ad duram meningem usque erosum conspicitur. Ea in parte capitis dolor præcedit, qui tamen non usque adeò gravis est, sed diuturnus, tandem quoque cutis in tumorem elevatur, paulatimque suppuratur. Aperta vomica ossa carie adeò contaminata inveniuntur, ut etiam absque difficultate ad meningem extrahi possunt: Historiam integram ut adscribam, otium non datur, videbis illam, Deo volente, posthac. Secundò non profuerunt inunctiones propter spissitudinem & densitatem cutis. Pedes enim & digitos pedis callosa cute investitos esse, omnibus notum est. Non potuerunt igitur medicamenta ad locum affectum usque penetrare. Tertiò, quia inunctiones poros obstruebant: Olea enim, etsi calida sint, semper tamen aliquid viscositatis sibi adjunctum habent, præcipuè autem ea olea, quæ per infusionem fiunt.

Venæ sectio in pede nihil prodesse potuit. Materia enim cum jam esset in motu, & ad pedem deflueret, per venæ sectionem copiosè attractam fuisse, quis est qui ambigat? Potius itaque per alias vias educenda, quam ad extremitates, partes inquam, in quibus calor nativus & humidum radicale jam antea labefactatum & ferè extinctum, attrahenda erat.

Coalescunt vulnuscula nonnulla, proculdubio quia superficialia, & tantummodò in cute erant. Duo verò vel tria coalescere noluerũt cum profundiora, & partibus nervosis proxima essent: quapropter excitato dolore materiam, quę ad reliqua affluebat vulnuscula, ad se attraxerũt: ita ut reliqua exsiccarentur, & coalescerent. Quia tamen materia aliqua, ut antea quoque dixi, acris & maligna subesset, & propter dolorem humores cõtinuò affluerent, sequuta est inflammatio, tandemque caloris extinctio. Hæc sunt vir clarissime, quæ ad tuas in præsens respondere potui. Addidissem hinc & inde observationes, & exempla ad institutum nostrum facientia, sed occupationes, quibus hîc Bernæ obruor, id non concedunt. Quas ad DN. D. BAUHINUM & DN. D. SARACENUM misisti literas, eas omnes tradendas curavi. D. Dn. LENTULO (qui responsum promittit) suas tradidi, Clarissimum virum Dn. D. SENNERTUM meo nomine, quæso, saluta plurimum. Vale amantissime DN. D. DORINGI, & cum tuis omnibus feliciter vive diu. Raptim Bernæ Helveticorum 24. Aprilis 1611.

Obs 46.

Clarissimo & Præstantissimo Viro Dom. GUILHELMO FABRICIO HILDANO, *Medico & Cheirurgo apud Paterniacenses ordinario, Domino & amico honorando* MICHAEL DORINGIUS D. *S. P. D.*

QVid causæ sit, Clarißimie Dn. FABRICI, *quod annuo fermè spacio nihil planè literarum ad me dederis, non semel mecum cogitare cœpi. Quò fit, ut valdè verear, literas illas, quas ante menses septem ad te exaravi, ad manus tuas non pervenisse. Id quod factum nolim, adjunxeram enim alias, quas tum ad clarißimum Virum Dn. D.* LENTULUM, *tum Dn. D.* SARACENUM *mitti cupiebam, ut & cum ipsis literariam istam consuetudinem colere inciperem, utut autem sit, nolui tamen præsentem occasionem ad te scribendi negligere, ut scilicet intelligeres, nihil mihi posse accidere gratius, quàm si crebro literas tecum commutem. Ero autem, pro temporis & aliorum negotiorum ratione, brevißimus. Promisi dudum, me ad te perscripturum, in quos affectus dysenteria illa, quæ ãte annum sesqui alterum nos afflixit, desierit, quinque autem à me potißimum observati: Primum enim studiosus quidam natione Saxo postquam convaluit, acerbißimam ophthalmiam incurrit, cui sanatæ defluxio ad talum dextri cruris succeßit. Deinde amplißimi Dicasterii Giesseni Cancellarius,* IOHANNES STUPPIUS, *à dysenteria fluxu hæmorrhoidum, è quo antea nunquam per totam vitam laboraverat, corripiebatur. Tertiò, lanio quidam, quarta post dysenteriam hebdomade catarrho suffocativo perimebatur. Quartò, studiosus è Dania oriundus, parotide sinistra & utriusque genæ inflammatione, quæ in abscessum etiam desiit, affligebatur, qui ægre etiam, ne facies turpitudinem aliquam contraheret, Deo auxiliante, mea opera tandem restitutus; Denique rusticus quidam è vicino pago per semestre cum dysenteria conflictatus est. Illud etiam tunc deprehendi, cùm quod à nimio potu ægros sibi temperare, tum convalescentes à nimio corporis motu sibi cavere oporteat, prioris rei multa possem adferre exempla, si necessarium id esse ducerem, posterioris unicum saltem addo, in studioso quodam Westphalo, à me observatum, cum enim plenè à me restitutus esset, animi recreandi gratiâ, extra urbem egressus, ac paulò longius exspaciatus, in recidivam incidit, à qua ægrius priore dysenteria postea liberatus.*

Dysenteria Giessena, in quos affectus desierit.

Ophthalmia. Fluxus hæmorrhoid.

Catarhus suffocativus.

Parotis.

Illud etiam ex te quærere libet: utrum eos, qui primo insultu gravißimè statim à dysenteria affliguntur, & creberrimas dejectiones habent, facilè emergere posse credas? Contrarium enim cùm ratio tum experientia evincere videntur. Ratio quidem, quod non tam materiæ copiam & malignitatem, quàm virium imbecillitatem portendat. Experientia verò, utpote quod non tantùm Professorem nostrum Mathematicum, p. m. Dn. M. NICOLAUM HERMANNUM, *sed & quaternos studiosos; de quorum uno alias ad te scripsi; tali ratione extinctos viderimus. Hæc raptim ad te scribere placuit, ne nihil omninò literarum hac occasione à me acciperes. Vale cùm tuis diutißimè, & à nobis salve. Scribebam Giessæ Hassorum die 12. Martii Anno 1611.*

Obs. 47.

OBSERVATIO XLVII.

Ex haustu aquæ frigidissimæ, stupor dolorificus crurum, & Dysenteria gravissima sequuta.

Viro Amplissimo atq; Doctissimo Dn. MICH. DÖRINGIO BRESLAVIENSI, *Philosophiæ & Medicinæ Doctori longè celeberrimo, & in Illustri Academia Giessena Hassor. professori ordinario Amico singulari.*

Guilh. Fabricius Hildanus, S.P.D.

Meas quod non acceperis, clarissime mi DN. DÖRINGI, vehementer doleo. In scribendis enim ad te literis, quotiescunque sese obtulit occasio, & occupationes gravissimæ non obsuerunt, minimè negligens fui, & cur, quæso, non scripsissem? Amicitiam enim nostram, quoad vixero, scriptis tecum fovere cupio. Meas igitur ad te, uti quoque tuas ad me, sæpissimè in tanta locorum distantia, malo quopiam fato intercipi, imò & prorsus interire, non est quod dubito.

Quæ de Dysenteria scripsisti, libenter legi, mirum profectò, post tantas evacuationes & inanitionem corporis, tam graves, tamque periculosos consequi posse morbos. Causam ego potius ad qualitatem humoris peccantis, quàm ad quātitatem referendam esse arbitror. In Dysenteria enim corpora humoribus acribus & malignis onerata esse, omnibus in confesso est. Si igitur natura, in fine morbi, excrementū aliquod, ad partem aliquam corporis expellit, etiamsi in minima fuerit quantitate, propter acredinem tamen atq; malignitatē suam gravissimos morbos procreat.

Dysenteria illa gravissima, quæ superiorib⁹ annis hic & in Vicinia multos è medio sustulit, varios quoque post se reliquit morbos. Reverendus Dom. JOHANNES MERULA, Ecclesiæ paterniacensis Verbi Divini Minister fidelissim⁹, communis noster amicus, cum à Dysenteria ferè curatus esset, angina gravissima correptus fuit. Historiam integram nunc ut adscribam, otium non datur. Videbis illam in tertia Centuria observationum. Sed & multi post Dysenteriam doloribus articulorum, & quidem gravissimis, excruciati fuēre.

Observatio de puero lieteria laborāte.

Puellus quidam, quatuor circiter annorum ætatis, & filius Dom. JACOBI DE TRIBUS Paterniacensis, post Dysenteriam Lienteria simul & vomitu correptus fuit, ita ut quicquid ingereret, aut per superiora, aut per inferiora, indigesta rejiceret. Multa quidem, sed pauco cum fructu, adhibui medicamenta, tandem quum mater iterum enixa fuisset, suasi, ut pro infantulo recenter nato nutricem quæreret, alterum verò, morbo confectum, & ferè consumptum, iterum lactaret. Paruit; neque absque successu. Intra breve enim temporis spacium plenissimè restitutus fuit. Vētriculum tamen & ventrem ol. nucum muscat, masticis & menthæ inunxi, & emp. ex tacamaca applicui.

Possem & alia quàmplurima exempla, de malignitate Dysenteriæ in medium adferre: sed prolixas scribendi litteras, occupationes nunc nō permittunt. Unum tamen, & quidem non vulgare exemplum, antequam hujus epistolæ finem faciam, tecum communicare visum est, prius tamen ad quæsita tua tribus verbis, pro temporis angustia respondere visum est.

Ad[...] sion[...]

Primò, abundantiā potus dysentericis minimè convenire, tecum sentio. Intestina enim abluit, ac nimis lubrica reddit potus copia. Sint itaq; poculenta aliquo modo spissa, & stipticitate quadam prædita, quò humectando & nutriendo etiam partes roborare possint.

Ad[...] lib[...] Aph[...]

Motum corporis dysentericis adversissimū esse, quis negare ausus esset? Si enim medicamentum purgans, ut Hippocrates & experientia ipsa testantur, & celeriùs & copiosiùs educit, si corp⁹ movetur, segniter verò & tardè, si somnus inducatur, quantò magis id in dysentericis, in quib⁹ facultas retentrix viscerum supra modum labefactata est, exspectandum?

Ad[...]

Dysētericos, qui statim ab initio morbi gravissimè laborant, & creberrimas dejectiones habēt, vix evadere posse, rationi consentaneum est. Materia enim quia acris & maligna, intestina vellicat, & dolores maximos, inquietudines, & virium prostrationem exsuscitat.

De[...] terr[...] viss[...]

Cæterùm historia de Dysenteria gravissima sic habet: JAQUES BUXER Paterniacensis, faber lignarius, vir juvenis & robustus, cum ex itinere, & violento motu corporis, supra modum incaluisset, & maximum haustum aquæ frigidissimæ bibisset, in febriculam continuam incidit: ex qua tamen potiùs naturæ beneficio, quàm medicamentorum, curatus fuit: Nullos enim adhibuit medicos. Sed quit fit? à febre vix curato, aliis & quidem gravissimis symptomatis (quæ cum morbo isto novo, ante annos viginti in Hassia orto, *krebelkrankheit* multum conveniebant) correptus fuit. Stupore enim dolorifico & molesto crurum, cum agitatione aliqua convulsiva circa nervos & periostium, vexabatur, ita quidē, ut nonnunquam crura à pedibus ad coxas usque formicis scatere viderentur: idque maximis cum doloribus, atque nunc extensione, nunc retractione nervorum accidebat. Ego cum in consiliū adhibitus essem, & in curatione morbi per mensem integrum pauco cum fructu occupatissimus fuissem, dysenteriā, quæ tunc apud nos grassabatur, correptus fuit; Dysenteria inquam adeò gravissima, ut non solùm sanguinem & ramenta, verùm etiam de substantia intestinorū maximis cum doloribus torminibusque excerneret. Febris aderat ardentissima, inquietudines magnæ, aliaque pessima symptomata. Fœtor indies adeò auctus fuit, ut tandem familiares & amici amplius cum ipso versari non possent. Vermes, quales in carne putrida procreari solebant, non solùm cum excrementis copiosè rejecit, sed & spōte per secessum exserpserunt. Ab umbilico usq; ad pedes adeò resolutus fuit, ut excrementa alvi, simul & urina, involuntariè & guttatim effluerent. Ego ab initio morbi corpus aliquoties rhabarbaro, myrobalanis, & similibus purgavi, & nihil quæ in Dysenteriæ curatione desiderantur, omisi; Astringentia tamen propter vermium abundantiam, & fœtoris vehementiam, (ne putrida &

De[...] mor[...] cult[...] dica[...] purg[...] Bat[...] scrip[...]

da &

47. 48. da, & venenosa illa materia in corpore retineretur) exhibere ausus non fui. Purgare quoque amplius propter virium optimo vires quantum potui, refocillavi: & quæ putredini adversantur, partesque nobiles roborant, exhibui. Cum verò in quartum mensem circa ipsum ita occupat⁹ fuissem, tandum Divino favore tum à Dysenteria tum etiam à priori morbo plenissimè restitutus fuit.

Porrò, Vir clarissie, quid, quæso, sentis dè causa hujus dysenteriæ tam gravissimæ? Ego excalefactionem corporis, & potum frigidum primariam omnium horum symptomatum causam extitisse arbitror. Ex potu enim aquæ frigidissimæ sanguinem & humores repentè & præter modum refrigerati, & veluti coagulati fuisse, ac postea putredinem contraxisse, verisimile est. Ex illa porrò putredine vapores maligni ad nervos pervenerunt, & dolorem istum convulsivum excitarunt. Eandem prætereà materiam in parte aliqua corporis putrefactam, acrem & malignam redditam, nec non ad intestina delatam, dysenteriam reliquaque symptomata excitasse mihi videtur. Tuam tamen hac de re opinionem atque sententiā libenter intelligam. Vale vir Amplissime, & in bonum publicum feliciter vive diu. Raptim 24. Maii. 1611.

OBSERVATIO XLVIII.

Ex maximo hausto frigidæ, febricitans eodem die extinguitur.

MAximus & frequēs inter medicos celebres, in febribus est usus potus frigidæ aquæ, & à Galeno multis in locis celebratus, servatis tamen diligenter circumstantiis, à Galeno Method. med. lib. 2. & alibi, notatis. Qui secus faciunt, & indifferenter frigidam exhibent, ægris non remedium salutare, sed necem aliquando offerunt, ut idem Galenus libro de consuetudine, exemplo Arionis Peripatætici testatur. Huic enim in febre exhibita frigida; subitò exanimatus est. Non autem à Galeno ipso, ut clarissimus D. RIOLAN⁹ (procul dubio præter opinionem inopinatequè scripsit) sed ab aliis medicis exhibita fuerat.

Cuidam Ludimagistro Ebrodudi idem accidit, Ille cum febre ardenti laboraret, à Medico suo, viro pio, docto, atque in Hermetica medicina undiquaque docto, vehementer postularet, ut sibi haustum frigidæ permitteret, concessit ipsi medicus eā tamen lege; ut limites mediocritatis minimè transgrederetur. Discesso medico, aqualem impletum frigida cum sibi à domesticis adferendum mandasset, ac haustum maximum, & quantum anhelitus sufferre potuit, bibisset, eadem die extinctus est.

Itaque antequam exhibeatur frigida; circumstantiæ, ac conditiones omnes illæ, quæ à Galeno Method. med. lib. 9. & 11. traduntur, expendendæ conveniunt. Apud Anth. Beniven. de abditis ac mirandis morborum causis ac curationibus similis casus reperitur.

OBSERVATIO XLIX.

Obs. 49. & 50.

Ex Aceti potu interimitur.

EX frigidissimo aquæ potu febricitantem interiisse, superiore observatione declaravimus. Nunc idem ex aceti potu accidisse, addam. Juvenem sanum, ac robustissimum in Lindorff propè Düsseldorpium cognovi; is Ratingiæ in Ducatu Montensium, vino inebriatus, domum rediit, ac cum itineris, tum potationis causā æstuans; poculum cerevisiarum apprehendit in culina ubi cū inscius, loco cerevisiæ ultra libras duas hausisset aceti, intra horas 24. expiravit.

Clarissimus Dn. D. ARNOLDUS MANLIUS, vir doctrina atque experientia verè insignis, & in Academia Coloniensi Medicinæ Professor longè celeberrimus atque primarius, Præceptor meus plurimum honorandus, mihi narravit, se Comitis cujusdam novisse famulum; qui cum ex violentissima & celerrima equitatione supra modū incaluisset, totumque corpus sudore perfusum esset, & maximum haustum vini frigidi bibisset; protinus mortuus in terram cecidit.

OBSERVATIO L.

Ex immersione corporis excalefacti in aquam frigidam gravissima symptomata, tandemq; mors sequuta.

DIvini Hippocratis lib. 2. Aphor. 51. sententiam, ubi sic scriptum reliquit: *Plurimum & repente evacuare, aut replere, aut calefacere, vel refrigerare, vel quovis alio modo corpus temerè movere periculosum*, verissimam esse; quotidiana experiētia in praxi nos docet. Subitaneas enim mutationes, natura vix absq; periculo sufferre potest, *quod autem*, inquit idem Hippocrates, *sensim fit ac vicissim, periculi expers est.* Porrò quā periculosum sit, internas partes in ardentibus febribus, aut aliquam aliam ob causam æstuantes, repentè & intempestivè refrigerare, ex duab. præcedentibus observ. apparet: in præsenti verò observatione æstuosum corpus, ne extrinsecus quidem absq; maximo periculo repentè refrigerari posse, exemplo demonstrare visum est.

Reverendus Vir Dn. JOH. DUMOLLIN, præsbyter in Morins, haud procul Paterniacum, vir robustus & annum circiter 33. agens, cum quadā die tempore messis in agris supramodū incaluisset, & post occasū solis domū rediret, in rivulo quodā sese imersit, imò & caput eadē aqua abluit. Verū interim eū se abluebat, forte fortuna subucula in rivulū decidit. Quū verò solus esset, neq; palliū, imò ne thoracē quidem penes se haberet, subuculā illā ita madidā induere coactus fuit. Hinc corpus antequā ad ædes suas perveniret, repentè & supra modū refrigefactū, & calor ille maximus externarū partiū intempestivè ad interiora repulsus fuit. Quapropter nō diu post exorta est febris; dolor capitis, tussicula quoq; sicca & hypochondriorum tensio, paulatim sequebantur. A febre quidem naturæ potius, quā artis (nullos enim adhibuit, medicos) beneficio curatus fuit. Dolor verò capitis & tussis, ad finē usque vitæ suæ ipsum perpetuò comitati sunt.

Ab ini-

Obs. 51. & 52.

Ab initio morbum neglexit, posteà verò quum videret omnia in pejus rui, nunc Medicos eruditos, nunc empiricos adhibuit, sed frustrà; ita enim induratum erat hepar ipsius, uti ego hisce meis manibus aliquoties palpavi, ut lapidis duritiem ferè prę se ferret. Auctâ paulatim duritie hepatis, hypochondriorum tensione & tussicula, febris hectica quoque, & appetitus prostratio supervenerunt. Tandem planè extenuatus è vita discessit, Anno 1608. cum per duos integros annos vitam hancce calamitosam vixisset.

OBSERVATIO LI.

Hydrops urinæ potu sanatus.

QUidam ex domesticis Nobilis viri JOHANN. FRANCISCI DE MARTINES, Domini de Bouriod, JEAN VASCHAUT nomine, natione Sabaudus, septuagenarius, sed robustissimus, morbisq; rarò obnoxius, Anno 1597. tertianâ febre mirum in modum arefactus & extenuatus fuerat, ita ut post menses sex ab eadem curatus, in ascitem inciderit. Quocirca corpore priùs purgato, ex cõsilio prædicti Domini de Bouriod, singulis matutinis in aurora, unum vel alterum haustũ proprię urinæ ebibebat. Id cum spacio quatuor mẽsium continuasset, & interim hydragogis aliquoties purgatus fuisset, quin etiam optimam vict⁹ rationem observasset, tumor ventris & tibiarum paulatim subsidit, tandemque plenissimè convaluit, qui cum ad annum 1604. prospera valetudine usus fuisset, tandem mense Decembri ejusdem anni, propter catarrhum decumbentem, in phthisin incidens, extinctus fuit.

OBSERVATIO LII.

Quæ in cadavere hydropici observatione digna, reperta.

ANNO 1596. 14. April. Cadaver cujusdam quadragenarii, ascite extincti, coram viro doctissimo ac celeberrimo Dn. Georgio Jenischio, Ladislai Welenii, Baronis Zerotini Medico ordinario, dissecui, & quæ sequuntur annotatione digna inveni.

1. Partes musculosæ abdominis, serosis humoribus refertę erant.
2. Vacuum ventris aqua fœtida adeò repletũ fuit, ut intestina planè ei innatarent.
3. Intestinis omnibus, à piloro usque ad rectũ undique corpuscula alba, callosa & pinguia, magnitudinem pisi non excedentia, mediante tenuissimis fibris appendebant.
4. In mensenterio nulla neq; vena, neque arteria apparuit.
5. Hepar durum, inflatum, & colore pallido erat, parumque in se continebat sanguinis: Renes ejusdem erant coloris.
6. Lien valdè exiguum extenuatumque erat. Idque illam ob causam, quod scyrrhus magnus circumcirca vasa, cùm illa quę lienem ingrediuntur, tum quoque quæ ex illo prodeunt, intumuerat. Scyrrhus autem iste obstaculo fuerat, quod lien crassiorem & feculentiorem partem sanguinis, ad se ex venis mesaraicis non attraxerat.
7. Quia octiduo ante ipsius obitum è regione lumborum ruptus fuerat abscessus, multumque emanaverat purulentæ ac fœtidæ materiæ, visum fuit inspicere partem illam, incisa itaque cute, subjecta caro ad vertebras & homoplatas usq; sphacelata & putrida reperta est. Interim tamen color in extrema parte cutis vix mutatus.

OBSERVATIO LIII.

Quidam cum deglutivisset Gammarum, maximis cum doloribus moritur.

FAtuus quidam in aula cujusdam Principis Oesophagum adeò amplum habebat, ut crustam panis, etiamsi durissimam & magnitudinẽ ovi gallinæ ferè adæquantem, facillimè deglutire posset. Quadam die cum gammaros vivos in culinam attulissent, ex adstantium persuasionibus, ut gammarum vivum deglutiret, incitatus atque inductus fuit, id cùm parvo negotio fecisset, protinus dolor & cruciatus adeò maximus sequutus est, ut continuò ex una in alteram partem cum asperrimis doloribus se projiceret; multa ipsi à Medico quodam doctissimo, & mihi amicitiâ juncto, adhibita fuerunt præsidia, sed frustrà; postquam enim ad quartum usque diem doloribus istis maximis & continuis, febre, convulsionibus & deliriis excruciatus esset, finem vitæ suæ imposuit.

OBSERVATIO LIV.

De cohærentia præputii cum glande.

IUvenis quidam viginti circiter annorum ætatis, cum juvenculam formosam satis duxisset, ipse verò ad congressum ineptus esset, paulatim disceptatio & dissensio domestica inter utrumq; exorta. Unde ambo in Consistorium matrimoniale vocati, quæ dissensionis inter ipsos causa sit, inquiritur; unus atque alter suas, minus tamen validas adfert rationes. Illa de veritate aperienda & confitenda strenuè admonita, se à marito noctes diesque mirum in modum, & absque ulla voluptate, imò ad pudendorum excoriationẽ usque defatigari, indicaverat. Ut itaque quæ hujus rei causa esset, innotesceret, decretum fuit, ut genitalia ejus à me inspicerentur. Tum præputium mediante ligamento, subter balano firmiter adhærentem animadvertebam, ita quidem, ut titillatione quadam facta, cum membrum virile erectum fuisset, balanus perinæum versus retraheretur, penisque planè reduplicaretur.

Incurvatio autem hæc atque reduplicatio membri, in cõgressu difficultatis omnis causa fuerat. Purgato itaque corpore, & in cubito venâ incisa, ipsum in sedem collocavi, & ministris, qui brachia & crura tenerent, constitutis, cultello separatorio, præputium à glande separavi, posteà linteum reduplicatum, & albumine ovi madefactum, inter præputium balanumque imposui. Post primum apparatum, digestivum per dies aliquot, deinde verò exiccantia, cicatricemque inducentia applicui, moderatam item Venerem cõcessi. Sic divino favore curationem feliciter absolvi, ut deinceps nullum hac in re persentiret incommodum.

ANNO-

ANNOTATIO.

Affectus hic duplici de causa fit. Aut enim propter ulcus præputii & balani, aut ab ipsa prima formatione. In balani enim & præputii ulcerum curatione facillimè, & præcipuè in pueris, ambo coalescunt, ita ut deinde præputium retrahi non possit, fiantque ad propagationem inepti. Quapropter in hujusmodi ulcerum curatione, Chirurgus ut diligentiam adhibeat, necesse est. Ego laminam plumbeam incurvatam & aliquo modo crassam, imponere solitus sum: aliquando quoque pulverem aliquem exiccantē, veluti plumbi usti, lithargyrii, cerussæ, & hujusmodi copiosè inspergo. In hoc autem nostro ægro cohærentia hæc à prima formatione originem duxerat, quod & sæpissimè usu venire solet, ut plurimum tamen in juvenibus, quum libidinibus Venereis titillari incipiunt, aut abrumpitur, aut propter frequentiorem penis erectionem ita distenditur atque relaxatur, ut postea nullum vel exiguum saltem inferat incommodū. Quum autem vinculum hocce abscindere necesse fuerit, diligentia adhibenda est, ut id per medium fiat, ita ut neque præputium, multò minus balanus attingatur, præcipuè si vinculum non in infima parte balani fuerit. Facilè enim eo loci ductus urinarius perfodi, indeq; fistula consequi poterit, ex qua postmodum hæc incommoda sequerentur, ut tàm urina, quàm semen per illam efflueret. Potiùs itaque de præputio (nisi aliter fieri possit) quam de balano abscindendum. Etiamsi enim præputium perforetur, incommodū tamen non est æquiparandum perforationi ductus urinarii. Paulus Ægineta tamen lib. 6. cap. 56. in contraria est sententia, vult enim ut potius de glande, quā præputio aliquid auferatur, quod ego intelligendum existimo, quum cohærentia in carnosis partibus balani, veluti ad latera, aut suprema parte acciderit. In infima verò parte id vix sine læsione ductus urinarii fieri posse, certū est: scimus enim, ductum in illa parte tenui tantummodò membrana vestitum esse, quæ incisa, postmodum difficillimè coalescit.

OBSERVATIO LV.

De partu monstroso Pragæ nato.

GREGORIUS HORSTIUS D. *illustrissimi Landgraffii Hassiæ Medicus & in illustri Academia Giessena Medicinæ Profess. ordinarius,*

Guilhelmo Fabricio Hildano

S. P. D.

Si vales cum tuis ex voto, Præstantissime FABRICI gaudeo, tibique significo, me præter spem à Musis meis Academicis diutius abfuisse, qui ferè totam æstatem Pragæ cōsumpsi, quo in loco illustrissimo meo Principi à servitiis medicis adfui, ut & in hanc usque horam hîc dimissionem ad meos exspectare cogor. Quid de communi patriæ nostræ statu exspectandum, & mihi & aliis incertum est, Deus ab Ecclesia & Rep. totius Germaniæ periculum imminens avertat. Ad literas tuas quod non responderim, absentia mea in causa fuit: nec enim adhuc hodie easdem legi, nisi quod intellexerim, easdem apud collegam Dn. D. DORINGIUM custodiri. Licet autem ad manus meas non pervenerint, nihilominus cum amicus noster communis Dn. GOTSCHALKUS MONHEMIUS aliquid literarum ad te daret, nolui intermittere, quin unà meis quoque te salutarem, tuæque meditationi subsequentem historiam medicam subjicerem.

Obs. 55.

Historia de Monstro Pragensi.

Pragæ factum fuit, hac ipsa præcedente æstate die 18. Iulii, ut puer nasceretur, cui jecur, intestina, ventriculus & lien, cum mesenterii maxima parte, extra umbilicum propenderint, qui horas paucas vivens, vitam sat miserè vix incipientem, cum morte mox commutavit.

Monstrosus & miraculosus hic partus postquam manifestaretur, protinus à quibusdam ex celebrioribus Medicis, aliisque viris doctis, de dissectione deliberatum fuit, ut non solùm exteriùs viscera præter naturam propendentia, sed etiam interior corporis illius dispositio consideraretur. Qua de causa in præsentia Dn. D. GUILHELMI MAIORIS, Dn. D. THOMAE MINGONII, Dn. M. IOHANNIS KEPLERI, Mathematicorum Principis, & aliorum, corpus paulò ante sepulturam aperiebatur. Interiùs in infimo ventre parvus inveniebatur jecoris lobus, ex quo vena cava sursum ac deorsum progrediebatur, qui continuus erat cum jecore externo, & peculiaribus membranis circumdatus, per umbilici foramen eidem jungebatur. Externum jecur plenariam jecoris formam habebat, venam portæ ex mesenterio externo quoque recipiebat, & cum ventriculo vesicula fellea, lieni, cæterisque partibus consueto modo cohærebat. Vt autem per umbilici foramen gula quoque descendebat in ventriculum, sic intestinum postremum, eodem itinere cavitatem infimi ventris petebat, & extremo gutturi inferiori jungebatur. Cætera interiùs quo ad renes vasa spermatica, cæteraque membra generationi dicata, justo modo sese habebant. In reliquis membris nihil singulare observavimus, nisi quod ejusmodi oblata occasione, maximè sic urgente rem ipsam Dn. KEPLERO, fundamenta monstraverim, quod infans in utero non propriam, sed maternam tantùm vivat vitam. Ex admiranda vasorum cordialium unione, quatenus ad oculum tunc temporis exhibui anastomosin, qua jungitur vena cava & arteria venosa, & processum, cujus beneficio arteria magna & vena arteriosa uniuntur, qua ratione pulmones in embrione sanguinem immediatè ex cava, & spiritum ex arteria magna recipiunt, ab omni interim operatione corde quiescente. De quo vide plurima sufficientia argumenta, in libro secundo Exercit. nobilium, de corpore & anima, quæst. de vita infantis in utero.]

Sed quæ causa fuit hujus deformitatis, scire gestis? Externam quidem ex relatione matris tibi refero. Quæ cum à Domino D. MAIORE & me interrogaretur, num fortè partui tali quandam occasionem præbuisset, cum lachrymis respondebat; quod tribus mensibus ante partum, vitulum mactandum præter voluntatem detinere coacta, eoque partim aperto, procidentibus illis visceribus ex abdomine, quodammodò commota fuisset. Vide mi FABRICI, quid possit imaginatio prægnantium, quam ego partus hujus monstrosi causam primariam fuisse statuo. Quis enim negare potest, eandem in accidentium mutatione plurimùm valere in prægnantibus:

Quod

Obs. 55. & 56. *quod quotidie infantium maculæ, mori, lentigines, literæ, verrucæ, figuræque partium testantur? quum nimirum phantasia spiritibus & humoribus imperet, iisdemque motum diversum imprimit; quemadmodū plenius* FERNELIVS, LAVRENTIVS, PORTA, *& alii demonstrant. At verò & hæc varietas accidentalis tantùm fuit, nimirum respectu situs, quam ob causam verisimile videtur, imaginationem totum hoc negotium peregisse, quatenus tunc temporis ritè quidem formata fuerint viscera, sed adhuc mollia, minusque firmis ligamentis cohærentia, & tenerrima cute vix circumdata. Adfuit igitur causa procatarctica, impellens phantasia, una cum causa sine qua non, ipsius scilicet materiæ patientis habilitate, embryonis scilicet mollitie & imperfectione, cujus dispositio cærea subtilisque, facilimè depravatæ phantasiæ maternæ commotionem suscipit, quatenus infans in utero tanquam pars matris vivit, eandemque humorum spirituumque commotionem cum eadem sustinet. Quod eò citius fidem apud te merebitur, ubi miraculum sequens præsenti conjunges, ubi matris vehemens imaginatio tribus tantum à partu septimanis, simile quid tentavit: idque in puello filii Dn.* KEPLERI *Mathematici Cæsarii, qui ante biennium natus est, præputio ferè inciso & inverso, propter cogitationem vehementiorem matris, qua hospitem quondam peregrinum tunc temporis observabat, qui, quomodo matutinis illis horis circumcisionem Iudaicam Pragæ peractam viderit, referebat. Sed difficilior est quæstio, quam ut plenariè à me inter turbas aulicas explicari possit. Complementum à te exspecto. Vale & exemplar Cẽturiæ problematum, cui tuas aliquot epistolas addidi, proxima occasione à me exspecta, iterum vale cum tuis, & editiones tuarum observationum matura. Raptim Coloniæ Agrippinæ 8. Septembris 1610.*

Observatio. De præputio inciso.

OBSERVATIO LVI.

De partu monstroso, exempla aliquot.

Viro amplissimo atque doctissimo Domino,
D. GREGORIO HORSTIO, *Philosopho summo, & illustriss. Principis ac Domini,*
D. LVDOVICI *Landgravii Hassiæ Medico ordinario, & in illustri Academia Giessena Medicinæ Professↄ. celeberr.*

Guilhelmus Fabricius Hildanus,
S. P. D.

NE de negligentia in respondendo me accuses, Vir amplissime, Dom. & fautor æternùm honorande, eas, quas tu superiori anno 8. Septemb. Coloniæ dedisti, 11. hujus mensis die solummodò ad me pervenisse, scias. Eæque multis de causis mihi tam gratæ, quàm quæ gratissimæ fuêre, in primis autem propter singularem, quam in eis mihi communicasti observationem. Insererem illam libenter tertiæ Centuriæ observationum mearum, dummodò id tuo cum consensu fieri possit. Similem historiam apud JULIUM OBSEQUENTEM me legere memini. Año enim ab urbe condita 646. puerum à parte priore, alvo aperto, ita ut nudum intestinum conspiceretur, natum fuisse refert.

Causam præcipuam monstrosi partus, imaginationem fortem & phantasiam prægnantis esse, tecum censeo. Etiamsi enim EMPEDOCLES monstra solùm nasci dicit, si multum fuerit semen, si paucum, si divulsum, si evanidum, si inordinato motu immissum, si transpositum, aut uterus spiritu incluso distortus. Videmus tamen rarissimè monstra nasci, nisi imaginatio vehemens intervenerit. Imaginatio enim, ut LUDOVICUS MERCATUS ex Divo Thoma refert, vis quædam est in organo corporali, unde ad speciem imaginatam mutatur spiritus corporeus, in quo firmatur vis formativa, quæ operatur in semine, & ideo mutatio fit in prole ex imaginatione parentis, si sit fortis. Movent enim, inquit idem Mercatus, potentiæ superiores infimas, & aliquando earum actus potentiùs perficiunt, quam ipsæmet naturales, ut videre est in ira, timore, tristitia, ac cæteris animæ passionibus, quæ potentiùs & efficaciùs universum corpus turbare habent, & humores undique movere, quam ipsæ naturales; ex quo constat, spiritum illum ab imaginativa potentia prædicto modo motum, efficatiùs suas vires exercere, & formationis effigiem delineare, quàm ipsa formativa, quæ ex parentis membrorum conditione prodierat, & in semine præfuerat. Hujus quoque sententiæ fuisse Plinium ex lib. 7. cap. 12. ipsius historiæ colligere est. Quid plura? Quum omnes vires ac naturales facultates, inquit LEMNIUS, totæ sint in formādo fingendoq; fœtu, fit ut muliere aliquo modo perculsa, omnes humores ac spiritus ad ima ferantur, atque in uteri secessum confluant, quibus quum accedit inhærens, penitusque menti infixa conspectæ rei imaginatio, vis ipsa, quæ formationi insistit, eam formam ac speciem, quam animo concipit, effigiat, ipsique fœtui inducit.


De o[...] tis na[...] ra m[...] lib. [...]

Gravida quædam, ut idem LEMNIUS scriptum reliquit, cum picturam pueris hydrocephalici spectasset, & inde attonita fuisset, exacto gestationis tempore, non sine vitæ discrimine infantem edidit fungoso, stupendæque magnitudinis capite.

EXEMPLUM I.

Anno 1600. Nobilis quædam ac honesta matrona, & uxor Domini Claudii Rolas, Castellani in arce de Mont, prope oppidum Rol ad lacum Lemannum, quum primò utero gestaret; & sub initio secundi mensis imprægnationis, ante crucifixum transiret, nec non latronis ad sinistram pendentis crura confracta distortaque attentè & nimis curiosè inspiceret, eamque ob causam cum attonita atque commota esset, puellam ex dextro crure mirum in modum deformem posteà procreavit. Ego 23. Februarii 1602. in consilium vocatus, rotulam nullam inveni, crus quod valdè extenuatum, & cum altero crure proportionem nullam habuit, coxam versus retractum fuit; neque

neque extendi potuit. Ossa enim cruris, ossi femoris, secundùm naturæ ordinem, ut articulum effingerent, non adjacebant; sed sursum retracta, cavitatem illam, quam inferiora femoris capita efficiunt, adimplebant, ita ut os femoris aliquomodo promineret. Proinde os femoris versùs genu, latum depressumque, ut solet, minimè erat, neque duobus capitibus aut appendicibus, multò minus intervallo illo inter prædicta capita præditum, sed aliquo modo oblongum & in acutũ desinebat. Pes similiter versus suram reflectebatur; ossaque cruris simili modo, ut de osse femoris dictum est, prominebāt, ut ex annexa figura videre licet.



Porrò etsi ambo articuli facilimè hinc & inde reflecti possent, in sedem tamen naturalem difficulter reponi, repositis verò retineri minimè potuerunt. Idque non solùm ob ligamentorum impotentiam, verùm etiam quod prædicta ossa cavitatibus suis atque extuberantiis, quorum beneficio se invicem recipiunt, carebant. Hanc ob causam quum malum incurabile esse cognovissẽ, manum adhibere nolui. Post meum abitum nõnulli alii vocati fuerunt, sed frustrà. Vivit adhuc puella ista, formosa, & reliquis membris quàm optimè constituta est; grallis quinetiam tam eleganter ac dextrè incedit, ut nihil supra. Pervenit autem non tantum ad consistentẽ ætatem, & liberos aliquot progenuit, sed & ad hunc usque diem 25. Novemb. 1629. vivit: uti hodie ex patre ipso, Domino Rolas hic Bernæ intellexi.

EXEMPLUM II.

Illustris quædam gravida, cum quadam die crepidis incederet, & forte fortuna vacillaret, aliquomodo commota atque perturbata fuit. Puellum postea progenuit, cui pes (si rectè memini) dexter, ita distortus fuit, ut digiti versùs talum interiorem, totusque verò pes suram versùs reflecteretur. Itaque cum incederet, non planta pedis, sed potius malleolo exteriori solũ calcabat. Cum verò in hoc statu vitæ tertium annum ætatis prætergressus esset, & nonnulli, absque successu tamen, in consilium adhibiti fuissent, tandem & ego accersor. Medicamenta multa, primò emollientia, jam enim omnia indurata erant, postmodum quoque corroborantia applicui. Deinde Instrumẽta ferrea adaptavi, quibus paulatim pedem, Divino favore, ita restitui, ut posteà absque difficultate, & erectè quidem, & ornatim incedere posset, nullumque hujus deformitatis vestigium appareat. Vivit ad hunc istum annum 1613. Generosus iste & 24. annum ætatis attingit.

EXEMPLUM III.

Coloniæ Agrippinæ puellam novem annorum ætatis, formosam, & ex nobili familia oriundam vidi, cui collum uteri unà cum collo vesicæ confusè propendebat. Urina continuò & involuntariè, non sine maxima molestia & dolore effluebat. Adjacentes n. partes sua acredine exulcerabat: quapropter ego aliquando in consiliũ adhibitus, anodyna exsiccantia, aliaque quæ prodesse videbantur, præscripsi.

Causa autem hujus mali talis fuerat. Mater cum utero gestaret, accedit ad illam paupercula, eleemosynamque ab ipsa exposcit; simul & suæ paupertatis causam, & quod propter prolapsum uterum, operari non posset, exponit. Quum autem, quomodo affectus iste in difficili partu sibi accidisse narraret, commota & perturbata fuit prægnans, puellamque postea, uti dixi, defectuosam progenuit.

EXEMPLUM IV.

Añò 1590. Nobilis quidam propè Hildenã, ex uxore sua puellã formosam accepit, ea quum ad tertium & quartum annum ætatis pervenisset, nec stare, multò minus incedere, aut urinam retinere potuisset, accersitus fui. Spina autem dorsi, inprimis circa lumbos & os sacrum, adeò lubrica & laxa erat, ac si nullis ligamentis aut nervis præditæ fuissent vertebræ. Medicamenta multa cum interna, tum etiam externa, quæ partes nervosas roborant, præscripsi & adhibui, sed frustrà, uti & post me nonnulli alii, & quidem viri docti, manum adhibuerunt. Matrona autem hæc, dum prægnans esset, quadam die ex scãno in dorsum cecidit, & quia ex casu isto supra modum commota atque perterrita fuerat, verisimile esse mihi videtur, puellam affectum suum inde contraxisse. Anno 1612. cum Hildenam profectus essem, puellam istam adhuc vivere, non tamen absque suffulcris incedere posse, ab ipsius fratre mihi renunciatum fuit.

Cæterùm imaginatio illa fortis prægnantium, ex terrore aut maxima aliqua commotione animi concepta, non solùm mõstrosi partus causa existit, verùm etiã si in malacia, & primis quidem gestationis mensibus, prægnanti, quod avidè concupivit, denegatum fuerit, imprimitur fœtui stigma rei expetitæ, & utplurimùm valetudinarius est. Nonnunquam quoque in utero moritur. Hujus non alia mihi ratio (LEMNII verbis utor) excogitari posse videtur, quàm quod contracto mœrore mulieris animo, spiritus vitales imminui, atque humores fœtui alendo destinatos, aliò averti, nec ad uterum deferri contingat: Sic ut infans alimento, quo ipsum mater explere noluit, destitutus, vel elanguescat, vel emoriatur. Anno 1608. hujus rei exemplum non vulgare mihi videre contigit. Honesta matrona Paterniacensis gravida cum esset, & quadam die

arto-

Obs. 56. & 57.

artolaganos, qui veluti vento inflato extuberant, quosq; hic in conviviis pro bellariis parare solebant, avidè nimis appeteret, ancillæ verò eos, ut palato suo satis grati essent, minimè parassent, nescio quo mœrore tædioque correpta fuerit prægnans: quamobrem reliquum tempus gestationis multis cum doloribus ac molestiis contrivit. Tãdem nimirum 20. Martii. puellam non tantum supra modum debilem & extenuatam, verùm etiam rei appetitæ signatam peperit. Quandoquidem è regione ossis sacri tuberculum habebat, quod horum artolaganicorum formam omninò præ se ferebat, ad ovi anserini magnitudinem elevatum, inæquale tamen, aqua & flatu repletum fuit tuberculum hoc. Membrana, qua investitum fuit, adeò tenuis atque porosa erat, ut humor serosus copiosè per illam exsudaret, hinc vires adeò imminuebantur, ut quarta die ætatis expiraret.

Ante sepulturam quum præsente patre & Dn. EMAN. VRSTISIO, partem affectam inspicerem, cavitatem ductumque inter quartam & quintam vertebram lumborum inveni. Non tamen in medio spinæ erat ductus ille, sed aliquomodo ad latus dextrum vergebat. Mater enim cum cibum huncce avidè, uti dictum est, appeteret, dextra locum illum fricaverat. Rotundus erat ductus ille, & communi periostio investitus, ejus magnitudinis, ut minorem digitum facilè exciperet.

Per ductum autem huncce vas quoddam membranosum, suisque quoque venis capillaribus præditum, ex ipso cavo hepatis, extra cutem (ubi dilatatum, extuberantiam illam efformaverat) descendebat. Ad latera prætereà duo alia vasa, quæ ex arteria magna proveniebant, tuberculo inserebantur. Hujus rei nonnulla alia exempla habeo, sed nunc plura adscribere non licet,

De statu APPOLONIÆ SCHREIERÆ in postremis meis ad te literis prolixè scripsi, Vale itaque vir amplissime, & æternùm felicissimè vive.

OBSERVATIO LVII.

Matrona parturientium doloribus tam vehementibus corripitur, ut intra horas viginti quatuor expiraret.

Viro Clarissimo atque Doctissimo Dom. ANDREÆ WEICHIO, *Medicinæ Doctori, amico singulari.*

Guilhelmus Fabricius Hildanus

S.P.D.

Diuturnum silentium tuum, clarissime atq; amantissime Dn. D. WEICKI, molestum mihi fuit, ab eo tempore, quo Basileâ discessisti, nihil planè literarum tuarum, præter eas, quas 4. Martii Breslaviæ dedisti, accepi. Ex quibus te vivere & benè valere, magno cum gaudio intellexi, Deumque suppliciter oro, ut te quàm diutissimè incolumem conservare velit. Familia mea, laus sit Deo, optimè valet: Ego verò utcunque præteritam æstatem Basileæ apud illustrem quendam ægrum contrivi: ubi tantos habui labores atque vigilias, ut propriam meam valetudinem negligere coactus fuerim. Propter longam præterea absentiam meam Paterniaco, aliæ quoque difficultates intervenêre. Hinc aucto in me humore melancholico, in quartanam (ab initio continuam) incidi. Febris quidem curata fuit, sed remanserunt obstructiones viscerum, quæ etiam nunc molestiam maximam mihi adferunt, sed fiat voluntas Domini.

Obs. 5

In praxi rara nonnulla hoc anno mihi occurrerunt. Lausannę fœtum mortuum, cujus situs planè præternaturalis autmonstrosus erat, feliciter extraxi. Misissem delineationem, nisi longè à bibliotheca mea abessem. Puerpera nunc optima valetudine fruitur. Ante mensem contrarium mihi videre accidit, rem tibi communicare non gravabor.

Vigesima quarta Maii Dom. Andreæ Morge, Arcis Mons dicta (quæ inter radicem Jurati & lacum Lemanum sita est) Oeconomi uxor, matrona pia atque honesta, & triginta annorum ætatis: cum quintò utero gestaret, & finem noni mensis attigisset, doloribus parturientium correpta fuit circa horam decimam matutinam; cum pro more, & quidem cum voluptate pransa esset, dolores tam acerbos, & motum fœtus tam vehementem ac impetuosum fuisse, ut vix unquam similes visos, adstantes referebant.

Quapropter vires protinus mirum in modum prostratæ fuêre. Circa horam tertiam pomeridianam, lipothymia & horrores maximi supervenerunt, quo tempore infantem in utero animam reddidisse, verisimile esse mihi videtur. Dolores enim atque conatus ad parturiendum ab eo tempore cessarunt, nec fœtus percipi potuit. Ego accersitus, circiter undecimam noctis ad ipsam perveni. Tum pulsus ferè nullus percipi potuit: extremitates frigidæ erant, & sudor frigidissimus totius corporis aderat, & brachium dextrum extra vulvam propendebat. Quapropter mortem proximam esse prædixi: Ne itaque inventionem meam, quæ hactenus in multis feliciter mihi successit, apud vulgus odiosam redderem, manum adhibere nolui, adstantium tamen, & ipsius ægræ precibus commotus, nonnihil confectionis alkermes, aqua cinamomi parumque vini dissolutæ, propinavi. Posteà quia genitalia veluti arida erant (quandoquidem ne guttula sanguinis profluebat) sacculum ex radicibus, herbis, floribus, & seminibus emollientibus, relaxantibus, & dolorem sedantibus, applicui, unguento quinetiam emollienti, imum ventris, coxas, os sacrum, & genitalia inunxi. Tandem inuncta manu eodem unguento, situm infantis expiscari cœpi: qui etsi monstrosus esset, ut posteà dicam, & brachium dextrum, uti dixi, extra collum matricis propenderet, caput tamen, quod pectori incũbebat, (prius inuncto, & clementer intruso brachio infantis) versus collum matricis manu reduxi. Verùm cum uterus, & ipsius

Observatio.

ipsius collum propter vitium, & expultricis facultatis summam imbecillitatem, supra modum clauderetur, adeòque constringeretur, ut manus mea sufferre non posset, ab opere desistere coactus fui, brachium mox iterum egressum est: Et sequenti die circa horam decimam matutinam naturæ satisfecit.

Ego admiratione captus, quænam possit esse causa, quod fœmina illa, alioquin sana, tam citò extincta fuisset, suasi ut cadaver incideretur. Aperto itaque ventre ipsius, vacuum sanguine seroso repletum reperi.

Propter ingentes enim dolores, & violentum motum infantis, venæ nonnullæ in ipso parengimate hepatis, & circa os sacrum, ruptæ fuerant. Inde profusionem sanguinis & mortem subsequutam fuisse, nullum est dubium. Situs autem fœtus talis erat, caput collo matricis proximè adjacebat. Brachium dextrum, quod lividum, extra collum matricis propendebat.

Crura versus pectus & caput ita reflectebantur, ut pedes in vertice conjungerentur, manus sinistra hypochondrio dextro ita erat imposita, ut brachium crura versus poplitem amplecteretur. Exempto fœtu scirrhum durissimum, qui magnitudinem capitis infantis ferè adæquabat, inveni. Ille autem utero non simpliciter adhærebat, sed ipsum corpus uteri in scirrhum concretum atque induratum fuerat. Porrò scirrhum huncce causam fuisse mortis, nemo abnuere poterit. Quandoquidem uterus ratione hujus scirrhi, ita angustus factus fuerat, ut cum mulieri adesset partus, sese extendere non posset. Et quia fœtus maturus & vegetus talem impetum fecerat, ut venæ rumperentur, nec non hæmorrhagia & mors sequeretur. Simile exemplum habes in prima centuria observ. 67.

Porrò periculosam & mortalem esse hæmorrhagiā internam, sequens exemplum fidem quoque facit.

Ante annos aliquot juvenis quidam, natione Sabaudus, in conflictu vulnus paulò infra umbilicum acie gladii recepit, ex quo intra paucas horas Lausannæ vitam cum morte commutavit. Ego cum ventrem desecuissem, ipsum sanguine plenum reperi. Vena enim cava è regione renum acie gladii vulnerata fuerat.

Basileæ, laus sit DEO, pestis nunc omninò remisit: sed Paterniaci, proh dolor, vehementer grassatur. Apoloniam Schreieram post decennem inediam, nunc iterum comedere, bibere, ambulare, excrementa excernere, actionesque suas naturales habere, ad aures tuas pervenisse, non dubito. Centuria mea secunda futuris nundinis, DEO volente, prodibit. Hæc Bernæ inter multas occupationes raptim ad te scribo. Vale doctissime atque amantissime Dom. D. Weicki, & utere eo, qui tuus est. Amplissimum virum DN. D. Kirstenium, reliquosque viros doctos apud vos, ut quàm officiosè meo nomine salutare nō graveris, etiam atque etiam rogo.

Iterum vale & millies. Bernæ
Helvet. 10. Junii
1611.

Obs. 58. & 59.

OBSERVATIO LVIII.

Ex immodica & violenta sternutatione profluvium menstruorum gravissimum atq; periculosissimum.

Nobilis matrona in agro Meldunensi quinquaginta circiter annorum nata, vidua robusta, & plethorica, circa principium mensis Martii Anno 1607. absque causa manifesta sternutatione violenta correpta fuit, ita ut per quadrantem horæ continuò sternutare cogeretur, vixque anhelitum trahere posset: tam violenter concutiebantur interiora omnia. Cæterùm in ista agitatione & concussione viscerum, maximos etiam sentiebat dolores è regione ossis sacri, & imi ventris, menstrua quin etiam simul erupere, atque profluxere, & quidem non simpliciter, & secundùm naturæ ordinem, sed per duos integros menses, absque ulla ferè intermissione. Ab initio per dies quindecim fluxus non admodùm copiosus erat, postmodum tamen vehementior factus, ad talem debilitationem pervenit matrona ista, ut lectum amplius egredi non posset. Tandem 12. mensis Maii, 1607. cum rem in angusto positam esse vidissent adstantes, me in consilium adhibuerunt.

Præscripta optima victus ratione, inunctis lumbis, & osse sacro, unguento refrigerante, & imo ventri applicato cataplasmate astringenti, brevi convaluit, & adhunc usque annum 1609. bona valetudine fruitur.

OBSERVATIO LIX.

Ex profluvio menstruorum in gravida abortus, aliaq; gravissima symptomata.

Menses aliquando in gravidis prorumpunt, & quidem tam in matris, quam in fœtus, quem gestant, commodum. Ut plurimum tamen hujusmodi evacuationes periculo non vacare, sequens historia fidem facit. Honesta matrona & uxor M. Ludov. Webers, civis Moratēs. cum anno 1608. 6. si benè memini, utero gestaret, continuo menstruali fluxu vexabatur, tamen absque causa manifesta. Verùm cum vix tertii mensis gestationis finem attigisset, & 25. Junii noctu parturientium doloribus correpta esset, protinus, & antequam matronæ accurrerent, fœtum cum multo sanguine, & humore seroso enixa est. Obstetrix cum advenisset, fœtumque inter culcitras, cum copioso sanguine coagulato invenisset, adeò perterrita fuit, ut de secundina educenda nequaquam cogitaret, putabat enim illam grumis sanguinis inhærere. In lecto itaque collocata ægra, secundina in utero remansit. Hinc factum est, ut continuò doloribus & conatibus magnis afficeretur. Dolore & torminibus ventris auctis, lypothymia quoque, nausea, & vomitus frequens supervenit. Ex partibus non solum genitalibus, verùm etiam ex ore fœtor maximus, qui totum conclave, in quo decumbebat puerpera, adimplebat, exhalavit: inprimis quotiescunque evomebat. Post dies octo cum febris esset ardens, dolores, tormina, & conatus maximi, vomitiones

Obs. 59. mitiones putridæ, & syncope, frequentes sudores rigidi, cum extremitatum frigiditate, & ut verbo dicam, cum omnes nihil aliud quam mortem proximam exspectarent, venit ad me maritus, literis commendatitiis Dn. Petri Schnellii, ejus loci verbi divini ministri, instructus. Ego etsi de recuperanda valetudine penè desperarem, nolui tamen virum istum tam anxium, tamque de uxore sua sollicitum, absque medicamento aliquo à me dimittere; Sequentem itaque potiunculam præparavi.

Potus cordialis.

R. Confectionis alkermes ʒij.
Aquæ cinamomi distillatæ absque vino ℥ij.
Syrupi papaveris erratici ℥j. ß.
Cornu cervi usti & præparati ʒij.
Aquæ Boraginis & decocti agrimoniæ & veronicæ an. ℥iiij.

Misce, fiat potio, de qua singulis tribus horis sumebat cochlearia tria. Vinum item decocto agrimoniæ & veronicæ diluebat. Prima nocte cum medicamento isto usa esset, aliquo modo meliusculè se habere, viresque nonnihil recolligere cœpit. Sequenti die similiter de præscripta potiuncula utebatur: verùm versus solis occasum aucta fuerunt tormina ventris, supervenerunt & conatus, & parturientium dolores maximi, quapropter cum præ dolore & anxietate è lecto descenderet, ecce secundina cum multo sanguine coagulato, ac putridissimis humoribus, simul & semel excidit. In lectum denuò collocata, usum præscriptæ potionis continuavit, & victus rationem optimam observavit, sicque restituta fuit, ut cum 8. Augusti Muratum venissem, illam in culina, circa domestica negotia sua peragenda sollicitam, reperirem. Crura tamen, facies, totumq; corpus inflatum erat, inflatione œdematosa, pulsus undosus & urina cruda lympidaque. Tussicula quoque & anhelitus difficultate vexabatur. Et quia noctu inquietudines maximæ aderant, nec somnum capere posset, sequentem potiunculam tribus horis post cœnam exhibui.

Potio ad somnum conciliandum.

R. confectionis alkermes ℈j.
Succi papaveris albi ℈ß.
Cum aqua cichorii fiat potio.

Ea nocte satis benè quievit, multumque amissarum virium recuperavit: quapropter sequenti die 12. nimirum Augusti illam hac potione purgavi

Potio purgans.

R. pulveris nostri laxativi ʒ. ß.
Syrupi rosati solutivi, compositi cum rhabarbaro, agarico, & sena ℥j. cum s. q. decocti agrimoniæ, veronicæ, cuscutæ seminis anisi, fœniculi, & liquiritiæ, fiat potiuncula, qua quinquies clementer expurgata fuit.

Decima tertia die nihil sumpsit, 14. verò & 15. ad semiunciam aquæ nostræ regię, cum aqua fœniculi & anisi propinavi.

Decima septima ipsam iterum purgavi, sed extracto de rhamno, quo & postea aliquoties per intervalla expurgata fuit.

Sequens quoque vinum medicatum præscripsi, quo ad tempus usa est, per horam ante prandium.

Vinum medicatum.

R. Rad. petroselini,
Fœniculi,
Liquiritiæ,
Hirundinariæ, cariophyllatæ,
Cinamomi an. ℥j.
Herb. Agrimoniæ,
Veronicæ,
Cuscutæ,
Cardui benedicti,
Centaurii minoris.
Flor. sambuci, &
Genistæ Hispanicæ, an. M. j.

Incidantur omnia minutim, ligenturque in sacculum, aut proiiciantur in dolium. Postea superinfundantur vini albi, ℔. xx. aut mensur. octo.

His divino favore ita restituta fuit, ut ad hunc usque diem 6. Martii 1609. quo hæc scripsi, optimè sese habeat.

OBSERVATIO LX.

Ex imperforato utero, gravissimorum symptomatum exempla aliquot.

EXEMPLUM I.

PUella Coloniæ non ex obscura familia nata, anno decimo sexto ætatis, singulis mensibus ventris torminibus maximis, lipothymia, vertigine, & nonnunquam paroxysmis epilepticis, per dies aliquot mirum in modum divexabatur. Tandem quum sanguis per nares ipsi copiosè erupisset, in pristinam rediit valetudinem, ita ut munera sua domestica liberè expediret, donec mense sequenti rursus similibus symptomatibus corriperetur. Affectu hocce ultra spacium anni sic durante, in consilium vocatus fui, symptomataque hæc omnia ex retentis menstruis provenire, adstantibus significavi. Postquam itaque mihi puella hæc curanda comissa esset, omnemque diligētiam ad menses provocandos frustrà adhibuissem, ut viro nuberet suasi, quia præternaturalem huncce motum atque fluxum ad naturales vias in matrimonio diversum iri sperabam. Puella vero postquam omnibus modis matrimonium recusasset, & ego quidnam in causa recusationis hujus esset, diligenter investigassem, ad matrimonium se planè ineptam confessa est. Verùm ut affectus nobis innotesceret, coram matre naturalia detegere coacta fuit, tum collum matricis subter pinnaculis mediante solida validaq; membrana, clausum deprehendi. Suasi itaque, ut corpore prius præparato, membrana hæc incideretur, & pessaria ex spongiis ad id præparatis, & unguentis appropriatis illitis infigerentur. Hoc enim modo viam hancce naturalem aperiri, & sanguinem, qui ad superiora regurgitare solitus, ad inferiora revocari facilè posse sperabam. Cum verò puella operationem hancce vehementer abhorreret, parentibusque etiamsi periculo omni vacaret suspecta esset, ipsam in hacce miseria reliqui.

EXEMPLUM II.

DN. LUDOVICUS HUBERTUS, Regis Galliæ Chirurgus, anno 1608. casum non minus annotatione dignum mihi communicavit, qui ita se habet. Aurifaber quidam Parisiis in ponte nūmulariorum habitans, cum puellam honestam duxis-

Obs. 60. duxisset, sibique in congressu liber aditus ad illam non daretur, quin etiam illa in congressu de dolore, & quod difficulter maritum admittere posset, conquereretur, post menses aliquot etsi illa se gravidam esse suspicaretur, de divortio tamen maritus cogitare cœpit. Ne tamen temerè atque inconsultò quicquam tentaret, parentes ex una atque altera parte accerset, iisq; mentem suam aperit, quibus, ut collegium Medicorum atque Chirurgorum convocaretur, visum est. Congregati itaque fuere, M. Hieronymus de la Noé, Simon Petrus, Ludovicus Hubertus, Franciscus de la Leurie, omnes Chirurgi Parisienses jurati. His inspectis muliebribus, collum matricis mediante membrana dura atque callosa clausum reperierunt, sed quod summoperè notandum, membrana illa hinc inde parvis exiguisq; foraminulis, ad menses expurgandos perforata fuerat. Communi itaque consensu hancce membranam prædicti Chirurgi inciderunt. Postea pessaria unguentis appropriatis illita intromiserunt. Sic brevi ita restituta fuerat, ut de divortio non amplius loqueretur maritus. Post menses autem sex, ab incisione facta (res profectò admiranda & rara) infantem sanum ac maturum progenuit. Tanta enim in coitu matricis aviditas attrahendi fuerat, ut etiam sperma per exigua illa foraminula attraxerit.

EXEMPLUM III.

D. BARTHOLOMÆUS CABROLLIUS, Chirurgus Monspeliensis longè celeberrimus, sequentem historiam recenset, quam hic in gratiam eorum qui Gallicam linguam non callent, brevibus annectere non gravabor.

Anno, inquit, 1592. Monspelii ad puellam septendecim annorum natam, & doloribus parturientium non absimilibus mirum in modum vexatam, accersitus fui. Mater hujus rei causa perterrita (putabat enim filiam suam in castitate aliquid deliquisse) jam antea GERVASIAM obstetricem urbis compellaverat. Illa quum affectum hunc ex arte sua minimè esse, agnovisset, suasit ut M. NOEL TURTELIUS mecum in consilium adhiberetur. Pudendis itaque inspectis, collum matricis planè clausum, cum sanguine menstruali extra vasa sua in matricis capacitate novem mensium spacio, quasi gravida fuisset, retento invenimus. Antequam tamen quicquam tentaremus, Dominum Doct. SAPORTAM, Universitatis Monspeliensis Professorem celeberrimũ, in consilium ut advocaretur, authores fuimus. Deliberatum itaque inter nos fuit, ut incisio recta, & prout affectus nobis viam monstrabat, quatuor digitorum transversorum longa fieret; qua facta à M NOELE Chirurgo docto atque expertissimo, statim circiter libras decẽ aut duodecim sanguinis crassi atque purulenti, & qui potius fæces vini, quam sanguinem referebat, effluxit. De recuperanda sanitate desperabat ipsamet ægra, post longum tamen tempus in pristinam sanitatem rediit, & etiamnunc optimè valet. Hactenus Cabrollius. Similem ferè casum, lector apud ANTONIUM BENIVENIUM de abditis morborum causis, cap. 28. videre poterit. Quomodo autem in apertione uteri clausi cũ nobili puella processerim, Lector in tertia Centuria observat. videbit.

Obs. 61. & 62.

OBSERVATIO LXI.

De colli matricis clausi apertione.

ANNO 1607. die 16. Julii unà cum D. SEBASTIANO MEYERO, apud Freiburgenses Helvetior. Doct. Medico celeberrimo, à Nobili quodam in agro Aventicensi vocatus, oblata ibi nobis fuerat semestris puella, cui orificium colli matricis, mediante membrana densissima clausum erat. Membrana autem illa undique nymphis sive carunculis cuticularibus adhærebat, quæ superiori sua parte foramine exiguo, per quod urinam excernebat, prædita erat. Parentibus itaque auxilium nostrum implorantibus, altero die puellam in mensam collocavimus, deinde substrato pulvinari, retractis item diductisque cruribus, sequentem stylum exploratorium, qui aliquo modo incurvatus, & ex una parte excavatus est, per foramen supradictum immisimus, & deorsum versus perinæum usq;, ad finem membranæ duximus. Tum cultello eoque parvo, & in rimam aut excavationem styli imposito, membranam illam, absque ulla adjacentium partium læsione incidimus, quandoquidem acies cultelli excavationem styli egrediebatur. Incisa membrana, etsi hæmorrhagia nulla sequuta, turundã tamen ex stupis suavibus, albumine ovi cum pauca aqua rosar. admixta, imbutam imposuimus; linteum item reduplicatum & eodem liquore imbutum, doloris leniendi & affluxus humorum repellendi gratia, applicuimus. Tandem turundam plumbeam, latam & crassam, unguento diapompholygos inunctam indidimus. Sic intra paucos dies feliciter curata fuit.

Styli excavati, & cultelli delineatio.



OBSERVATIO LXII.

De monstroso tumore omenti.

Clarissimo & experientissimo Viro, Domino GUILHELMO FABRICIO *Medico & Chirurgo celeberrimo, atque apud Paterniacenses ordinario,* Gregorius Horstius *D. & Professor medic. in illustri Academia Giessena ordinarius S.P.D.*

F*Ato, vel potius divina providentia factum fuit, vir clarissime & experientissime, ut qui hactenus admodum disjuncti fuimus, magis conjungeremur, cum Giessa nostra vix sex miliaribus à Francofurto distet. Eò lubentius vocationem legitimam & honestam à*

Obs. 62. & 63.

Landgravio LUDOVICO, Domino meo clementissimo mihi oblatam, suscipiendam putavi, quod scirem, hac ratione me tecum, & cum aliis viris doctis inceptam amicitiam, ob locorum propinquitatem eò melius per literas continuare posse. Responsum ad casum tuum de Gangrana te accepisse spero, unà cum observatione singulari Noctambulonis cujusdam: si pralo dignum judicatur, per me licet ut addatur parti secunda tuarum observationum. Iam nihil novi, nisi quod Giessa nostra, Dei gratia, optimè floreat, cum in omnibus facultatibus viros habeamus selectissimos, quorum nomina & labores, unà cum ἐνςάσει de scorbuto, cujus naturam & curationem ex principiis Hippocraticis & Hermeticis jam eruere conor. Hoc tantum singulare habeas; & profectò singulare, quod nuperrimè hîc in prasentia collega mei, & aliquot Chirurgorum, me dirigente, à Chirurgo nostro ordinario mulier quadam, figuli cujusdam uxor, post mortem aperta fuerit, in qua omnia viscera ritè constituta inveniebantur; excepto omento, quod in tantam glandulosam molem excreverat, ut mulier vivens adhuc ventrem tanta magnitudinis circumferret, ac si summè esset hydropica: moles illa undique membranosa erat, sed interius glandulosa, adiposa & scirrhosa. In medio verò cavitas, fœtida sordidaque sanie repleta, inventa est, pondere librarum quinquaginta sex, absq; lasione reliquorum viscerum eximebatur: & soli ventriculo adnata videbatur.

Observatio.

Quid tibi de generatione hujus tumoris videatur, candidè aperias: Ego nihil aliud statuendum esse video, quàm quod glandula omenti, qua undique vasa frequentia per duplicem omenti membranam, hinc & inde disseminata fulciunt, in tantam molem prater naturam excreverint. Vnde & in dissectione tumoris hujus cavitas ad palma magnitudinem inventa, fortè à cavitate omenti relicta, quia tam interius quam exterius glandulosa substantia membrana obducta videbatur. Vale, & si quid per alia negotia rescribendum esse videtur, Francofortum celebri Palthenio transmittatur. Dabam Raptim Giessa 12. Septemb. 1608.

OBSERVATIO LXIII.

De monstrosa umbilici procidentia.

Ad clarissimum atque doctissimum virum, Dn. D. GREGORIUM HORSTIUM, Philosophum summum, & in illustri Academia Giessena Hassorum medicina Profess. longè celeberrimum, amicum singularem,

Cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

TUæ, vir amplissime 12. Septemb. Giessæ datæ, 19. Octob. ad me perlatæ fuere: quæ gaudio maximo me affecerũt, præcipuè illam ob causam, quod Deus Opt. Max. nos propiùs conjunxerit, & T. Exc. in florentissimam Academiam constituerit, faxit DEUS clementissimus, ut vocatio illa tua ad ipsius gloriam, ædificationem proximi, inprimis familiæ medicæ utilitatem, tuique salutem plurimùm conducat. Cæterùm quod casũ de monstroso omento communicatum attinet, is mihi multùm placuit: est enim profectò rarus, nec unquam similem mihi videre contigit. Superiori tamen anno Bernæ matronam quinquagenariam, robustam, sanam, obesam & pinguem valdè, invisi: Illa ante multos annos in difficili partu relaxationem umbilici contraxerat, ex qua relaxato peritonæo, paulatim exomphalos planè mõstrosa facta fuerat, quandoquidem ad magnitudinem uteri, qui fœtum maturum gestat, umbilicus propendebat, venter nihilominus suam servabat proportionem. Extuberantia verò illa umbilici, veluti ingens saccus ita propendebat, ut manum facilè inter ventrem & saccum istum imponere possem. Porrò tumorem hunccе ex omento prolapso, & sensim in istam magnitudinem aucto, prognatum fuisse, verisimile mihi videtur: absque dolore enim tactuque, mollis & undique æqualis erat, à naturali colore non discrepabat, murmur nullum persentiebatur, ut in hernia fit intestinali: in ventrem retrocedebat nunquam, etiamsi alvum exoneraret, vel in dorsum ægra decumberet, sed semper in eodem permanebat statu. Ex quibus apparet, fuisse omentum, idque in illam molem & magnitudinem auctum, sed hæc obiter, quæ si non probabilia, verisimilia tamen esse videntur.

Obs.

Cæterùm etsi saccus ille ingens & ponderosus esset, ita tamen corpore erat valida atque sana fœmina illa, ut negotia sua domestica ipsamet administraret. De generatione verò tumoris omenti, cujus mentionem facis, nescio quam aliam adferre debeam causam, præterquam illam ipsam, quam tu quoque statuisti. Ludit enim aliquando natura, ut plus nutrimẽti ad partem aliquam, quam pro sua nutritione opus, amandet. Hinc excrescentiæ præternaturales & aliquando monstrosæ fiunt.

Observatio.

Ante Annos 14. Domin. Johannes Griffonius, Chirurgus præstantissimus, olim Præceptor meus fidelissimus, Lausannæ cuidam viro robusto & optimo corporis habitu prædito, excrescentiam ad homoplatam dextram, viginti sex librarum põdere, præsente Domino CLAUDIO AUBERTO TRIUMCURIANO, apud Lausannenses Doctore Medico longè celeberrimo, multisque aliis, feliciter exscidit, cõvaluit homo iste, & forsan huc usque vivit. Tota autem excrescentia ista, præter membranas nonnullas, ad ignem in pinguedinẽ optimam, & ad usum idoneam resoluta est. Causam materialem hujus tumoris putasne esse sanguinem aëreum, ibique per venas copiosè exsudatum, & à debili calore istius partis in adipem conversum? Sed finem faciam, & responsum tuum ad observationem meam de gangræna, reliquaque quæ promittis, avidè abs te exspecto, Deumque suppliciter oro, ut T. Exc. ad Reipubl. utilitatem diu conservare dignetur. Catalogum Virorũ doctorum vestræ Academiæ accepi, quos omnes ut ille, qui fons est omnium scientiarum, spiritu suo magis magisque illustrare, & in multos annos incolumes conservare velit, oro & efflagito: quæso ut illos omnes meo nomine demissè salutare non graveris. Vale, vir amplissime, & me ut facis, amare perge. Paterniaci Aventicorum 21. Octobris 1608.

OBSER-

Obs. 64.

OSERVATIO LXIV.

De ingenti umbilici procidẽtia, historia altera, Ad eundem virum amplissimum atque doctissimum Dn. GREGORIUM HORSTIUM, *Philosophum & Medicum summum.*

cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus,

S. P. D.

ANte menses aliquot, vir amplissime, fautor & amice ęternùm honorande, ex Germania Lausannam rediens, nihil præter luctuosa mihi advenerunt. Uxor enim mea, proh dolor, simul & duæ ex filiabus meis peste laborabant. Uxor quidem & filius meus minor natu, convaluerunt, filiæ verò ambo simul & ancilla naturæ satisfecerunt. Pestis etiamnunc hic & in vicinia gravissimè grassatur, multosque è medio tollit; perpauci enim, quod summoperè deplorandum, restituuntur; non solum propter veneni sævitiã, verùm etiam, quia remedia uti necesse esset, eis adhiberi non possunt.


Porrò ante annos quatuor, de quadam monstrosa extuberantia umbilici ad te scripsi, fœminam illam etiamnunc superstitem esse arbitror. Ab eo tempore similem affectum in Germania, in nobilissima & singulari virtute prædita matrona vidi. In illa tamen non umbilicus ipse, sed paulò supra ipsum peritonæum, & pars quædam abdominis, veluti in saccum maximum dilatata propendit. In isto autem sacco non solum omentum, sed & intestinum aliquod continetur, aliquando enim murmur in ipso percipitur, & tunc quoque dolor adest; nunc vehemens, nunc verò remissior, pro flatuum copia. Affectum huncce in difficili partu se contraxisse, mihi affirmavit.

Cæterùm quia hujusmodi procidentiæ umbilici aut abdominis, rarò in ventrem retrudi possunt, aut si retruduntur, difficulter tamen retinentur, maximasque molestias ægris pariunt; dum propter pondus superiores partes secum deorsùm trahunt, fasciam quandam sacculatam excogitavi, quâ extuberantia illa tam commodè sursùm retrahitur atque sublevatur, ut nullam ferè molestiam aut incommodum pariat.

Primò autem ex tela reduplicata, parandus atque adaptandus est thorax; ita tamen ut ultra primam costam mendosam non descendat. Thoraci porrò isti in dorso, & quidem è regione homoplatarum, ex utroque latere fascia, duos digitos in latitudine positos lata, & undique perforata, annectenda est. Istis præterea fasciis parvis fascia magna & sacculata, beneficio lororum annectenda est. Elevatur autem & delabitur secundùm necessitatem & voluntatem ægri, beneficio lororum & foraminum, quemadmodum ex sequenti figura apparet.

Fabricatur fascia illa, ex duabus particulis telæ, in exteriori parte A. A. A. notata consutæ; sic enim in medio, ubi B. notatur, sacculus efficitur, uti ex proxima figura videre licet. In qua C. C. foramina, quorum beneficio reliquis fasciis, uti dictum est, annectitur, denotant. Plura nunc, præ mœrore ad te scribere non possum. Saluta quæso meo nomine clarissimum virum D. D. GEORGIUM FABRUM, & literatos apud vos omnes. Vale vir amplissime & æternùm vive, meque pro summa humanitate tua, amare perge Raptim Lausannæ 13. Octobris 1613.

Figura fasciæ sacculatæ, ad prominentiam umbilici sublevandam.



Figura, in qua, quomodo prædicta fascia sacculata sit adaptanda & applicanda, adumbratur.



Obs. 65.

OBSERVATIO LXV.

Duplex vena emulgens, in cadavere reperta.

Ad amplissimum atque doctissimum Virum, Dn. D. GREGORIUM HORSTIUM, *Philosophum summum, & illustrisimi Landgravii Hassiæ Archiatrum, nec non in illustri Academia Giessena Medic. Professorem longè celeberrimum, & pro tempore Rectorē Magnificum,*

Cui


Guil. Fabricius Hildanus. S. P. D.

POstremas tuas, Vir amplissime ac humanissime, Francofurti datas, ibidem paulò post tuum abitum, à Typographo Choüet mihi traditæ fuêre. Rescripsissem maturiùs: sed de die in diem ad meos redire, teque Giessæ in transitu invisere posse, sperabam. Verùm hactenus frustrà: diutius enim, quam putassem, detineor: & forsan per mensem unum aut alterum hîc mihi persistendum erit. Posteà verò redeundo in Helvetiā, si Deo Opt. M. ita visum fuerit, T. Exc. videbo.

Quæ de Sartoris uxore (quæ tribus ante partum diebus incendio perterrefacta, filium edidit toto corpore maculis igneis infectum) scribis, profectò & annotatione & admiratione sunt dignissima, successum earum macularum ut observare non graveris, suadeo. Puella ista nobilis, de qua in observatione de partu monstroso ad te scripsi, adhuc vivit, & quidem hîc in vicinia, sed non nisi suffulcris incedere potest, tam efficax est prægnantium imaginatio.

Speculum tuum humanum quo ornare possem, nihil singulare habeo; ne tamen omninò nuda sit epistola hæc, observatiunculam de duplici vena emulgente addam.

Anno 1601. mense Martio, cum Lausannæ publicè hominis capite plexi cadaver dissecarem, venam emulgentem duplicem inveni, quarum una paululum sub altera oriebatur. Naturalis autem vena emulgens naturalem suum locum servabat, non tamen cum arteria emulgente, sed paulò infra renem ingrediebatur. Præternaturalis verò vena multò inferiùs è vena cava exoriebatur, & naturalem venam emulgentem, crassitie & magnitudine longè excedebat. Dividebatur autem in duos ramulos, quorum unus cum vena emulgente conjunctus, renem in sua basi ingrediebatur, alter verò ramus sub arteria emulgente ascendebat, sed mox ad anteriorem partem inflectebatur, & cum ipsa arteria emulgente in renem inserebatur. Hæc quia paulò obscuriora videntur, sequenti schemate adumbrare placuit.



Superioris figuræ explicatio.

A. Venæ cavæ truncus, quem à trunco arteriæ magnæ paululum separavi atque disjunxi, ut exortus venæ emulgentis præternaturalis meliùs appareret, atque conspiceretur.

B. Arteriæ magnæ truncus.

C. Arteria emulgens.

D. Vena emulgens.

E. Vena præternaturalis emulgens, quæ

F. notata, è venæ cavæ trunco exoritur, & arteriæ magnæ trunco succumbit,

G. Hîc dividitur in duos ramulos, quorum unus

H. notatus, ascendit sub arteria emulgente, & refluxus ubi

I. notatur, ingreditur renem, unà cum arteria emulgente.

K. Alter ramus, nonnihil inflectitur, & renem in sua basi ingreditur.

Circa divisionem venæ emulgentis G. notatam, naturalis vena emulgens, cum hac conjuncta, unum ductum constituit.

L. Vena seminalis.

M. Arteria seminalis.

N. Vreter.

O.O. Dextræ arteriæ emulgentis portio.

P. Vasa emulgentia dextri renis.

Reliquę partes omnes secundùm naturam sese habebant, tamq; sanæ erant, ut vix unquam similes in cadaveribus viderim. Ita quidem, ut homo iste procul dubio ad summam senectutem pervenisset, nisi supplicio affectus fuisset. His vale vir Amplissime cum tuis omnibus, quos tecum unà cum clarissimo atque doctissimo viro Dom. D. Doringio, nec non Dom. D. Schönwald, ex corde saluto. Raptim Coloniæ 26. Martii, 1612.

ANNOTATIO.

Vasa hæc cùm adhuc essent recentia, diligenter stupis suavibus infarci & exsiccavi, eaque in huuc usque diem 18. Maii 1630. quo hæc ad prælum describo, in Musæo meo ut rarum quid reservo: Et nunc per pictorem delineanda curavi.

OBSERVATIO LXVI.

Ex lapsu ab alto, retentio urinæ & abscessus in vesica, absque tamen febre & dolore.

Ad virum nobilem D. PAULUM OFFREDUM Doctorem Medicum, clarissimum & doctissimum,

Cui

Guilh. Fabricius Hildanus, S.P.D.

INter tot homines, qui unquam in Medicina claruerunt, vir clarissime atque amice integerrime, ego Hippocratem unicè admiror: videtur enim inter homines excessisse humanum fastigium: Hinc evenit, quod omnia quæcunque in praxi occurrunt, doctrinæ ipsius adversantia (ex quorum numero casus hic & admiratione & annotatione dignissimus, quem Exc. T. postremis ad me datis literis communicavit, non infimum obtinet locum) meritò sint annotanda. Porrò quia te circa res medicas simul & chirurgicas rarò contingentes, studiosissimum esse video, casum ex iis, quæ naturæ ordini, & Hippocraticæ doctrinæ adversantur, non vulgarem, quem mihi videre contigit, communicare non gravabor.

Verissimum esse Axioma Hippocratis, quod scriptum reliquit lib. 2 aphor. 47. Dum pus conficitur, dolores ac febres magis accidunt, quàm confecto, nemo est qui possit in dubium vocare. Attamen Anno 1699. mense Januario, miles quidam ex præsidiis castri Kerpen, 36. annorum ætatis circiter, corpore robusto, & optima temperatura præditus, cum ab alto decem circiter cubitorum, non sine lumborum contusione in terram decidisset, eadem die urinæ retentio sequuta est, adeò ut ne guttam quidem excernere posset.

Altera die advocato Chirurgo catheteris beneficio vesica exonerata fuit.

Tertia verò die morbi, cùm se Coloniam duci curasset, & me unà cum clarissimo viro Dn. D. Johanne Slotano, medico celeberrimo, compatre meo plurimùm honorando, in consilium vocasset, chateterem immisi, ita ut urinam affatim reddiderit. Singulis quoque deinceps diebus, bis aut ter catheterem immittere coacti fuimus, sine eo enim ne guttam quidem urinæ excernere poterat, & quidem ad decimum octavum usque diem morbi. Interim ventrem, lumbos, & regionem vesicę oleis idoneis inunximus, & cataplasmata applicuimus, uti etiam corpus interdum expurgavimus, potionibus nimirum per os exhibitis: Enemata enim ad intestina ascendere non potuerant, cùm ea statim rejicere cogeretur. Febris tamen nulla, nec inquietudines aderant, neque de dolore ullo conquerebatur. Circa decimum sextum diem morbi incæpimus bis in die uti semicupio, ex radicibus, herbis, floribus & seminibus emollientibus, relaxantibus, aperientibus, & urinam provocantibus. Hinc prima die urina paulatim & guttatim extillare cœpit. Sequenti die cum denuò bis semicupio usus fuisset, sponte & absque catheteris usu, non saltem urinam, verùm etiam materiam adeò purulentam atque fœtidam reddidit, ut fœtorem vix sufferre, & in conclavi, in quo decumbebat, persistere potuerimus. Prima & secunda die materia fœtidissima erat, tertia verò & quarta minus fœtida, tandem quinta fœtor omninò remiserat, sed pus per multos dies urina permixtum effluxerat. Interim decoctiones aliquot pro abstersione & mundificatione vesicæ, syphone injecimus, corpusque aliquoties cassia & therebintina lota expurgavimus. Sicque Divino favore brevi pristinæ sanitati feliciter restitutus fuit.

Abscessum hunc, vir clarissime, in vesica ipsa fuisse, tam certum est, ut nihil certius, cathetere enim obstaculum circa orificium vesicæ manifestè persentiebatur. Ex hoc denique tumore extensa vesica, intestinum rectum comprimebatur, adeò ut clyster ad colon ascendere minimè potuerit. Nonne igitur mirum est, materiam hanc, quæ procul dubio ex sanguine concreto, & aliunde in vesicam delapso, generata fuit, absque dolore & febre, in mēbrana tam exquisito sensu prædi-

Obs. 66. prædita, procreatam fuisse? Hic verò quidnam intervenerit, quod naturæ ordinem inverterit, scitu non est admodum facile, quocirca tibi, Ambrosiâ Hippocraticæ doctrinæ imbuto, explorandum atque enucleandum propono: Interim verò te unà cũ D. Patre optimo ac pio Deo Opt. Max. commendo. Valete, & diu vivite Christo, & proximo. Paterniaci Aventicor. 25. Augusti Anno 1606.

PAULUS OFFREDUS

Viro doctrinâ atque longo rerum usu præstantissimo, Dom. Guilhelmo Fabricio Hildano, Chirurgo celeberrimo & amico singulari S.P.D.

ADmiratione dignum omninò est, quod te observare dicis absoluta suppuratione abscessus in vesica citra febrem ac dolorem. Hanc tamen historiam, quum ita vis, an eo modo, quo narras, contingere potuerit, attentius paulò consideremus. Suppuratio est opus mixtum, quod scilicet tam calori nativo, quam alieno acceptum fertur: hinc fit, ut in magni cujusque abscessus suppuratione, ob utrumq; hunc calorem concurrentem, magna semper adsit effervescentia, quemadmodum notat Galenus super eo, quem citas aphor: Materia porrò, quæ suppuratur, mediocriter crassa esse debet, & ex semetipsa caloris & humiditatis particeps, ut ab utroque eo calore agente possit in pus mutari: unde solus sanguis propriè ac per se suppuratur, alii verò humores, non nisi propter sanguinem. Quocirca per eam copiosæ materiæ effervescentiam & ebullitionem, quæ in suppuratione contingit, necessariò fit, ut copiosi vapores calidissimi per venas & arterias corpetant, unde febris accenditur; ipsa verò suppurationis materia, cum ob sui attenuationem à calore supparante, majore spatio indigeat, membranosa quævis corpora partis, in qua residet, distendens, & eorum continuum solvens, dolorem excitat, multoque magis, si in parte fuerit exquisiti sensus, qualis est vesica, in qua nihilominus magni abscessus suppurationem, sine dolore ac febre observasse te affirmas. Quem casum (ut ingenuè fatear) dum seria cogitatione mecum revolvo, ne ab Hippocratis & Galeni doctrina tam alienus videatur, aliter paulò explicandum reputo, cum præsertim tantus ille fœtor, quem refers, veræ suppurationi, in qua victrix est natura, planè adversetur, ut notat etiam Galen. loco citato. Si quid igitur hac in re, satis alioquin abstrusâ, decernere mihi liceat, existimo, putridam illam & fœtentem adeò materiam referri debere partim in sanguinem è venis egressum, & per renes ob casum ex alto relaxatos dispersum, quique paulatim ibi putrescens, in vesicam tandem à roboratis renibus transmissus fuit, partim in quosdam velut grumos sanguinis, initio statim à læsis renibus in vesicam delapsi, qui grumi vesicæ orificium angustantes, ibique crassiori & magis fœculento lotio diutius retento admixti, graveolentem adeò corruptionem, à legitima suppuratione longè diversam, sensim concepere, quæ corruptio dum ita fieret, nec febrem inferre potuit, nec dolorem etiam nisi subobscurum, & qui præ molestia illius stranguriæ sensum fugiebat: quod verò clysteres æger vix admitteret, vesicæ ob retentas materias præter consuetudinem extensæ, & intestinum rectum comprimenti, tribuendum puto. Habes hic paucis, ornatissime Vir, quam petiisti à me super observatione tua sententiam, quæ si arriserit, optato fine potitus ero, sin minus, meam saltem apud te παῤῥησίαν, veri amoris indicem, agnosces. Vale.

OBSERVATIO LXVII.

Globulus plumbeus, ictu sclopeti in vacuum vesicæ immissus, post annos 30. calculosa materia obductus, tandem invenitur.

A Viro nobili Dn. Paulo Offredo Doctore Medico clarissimo, annotata, mihiq; communicata. S. P. D.

CHirurgica tua suppellex, Vir ornatissime, tam locuples est, & rerum pulcherrimarum varietate nitens, ut amicos tuos, quotquot ipse meritò possides, nunquam adeas, nisi plenâ manu, sive præsens, sive per literas: quod quidem eò gratius est & laudabilius, quò rarius: cum præsertim hoc nostro seculo longè plura sint, ad amicitiæ aram donaria nuncupantium vota, quam exsolventium. Hanc eandem munificentiam tuam, quod me itidem experiri volueris, per rara observatione ad me missa, gratias habeo & ago maximas. Eam non legi, nemo leget sine fructu & admiratione, ille ex accurata inprimis & methodica tua curatione, hæc verò ex affectæ partis natura, ejusdemq; sanatione. Quoniam verò petis à me, ut si quid simile hic sese offerat, id tibi communicem: en casum uti reverà contigit, vesicæ per multos annos graviter læsæ citra manifestum incommodum.

Historia. *Iuvenis annor. 20. in bello ictus à globulo sclopetario ad coccygem parte dextra, cum aliqua ipsius ossis fractura, curatus utcunque fuit, & cicatrix admodum cava ibidem relicta. Interim prædicto globulo in corpore delitescente (nec enim in ictu pervaserat, nec ulla ipsius in curando vulnere cura habita est) homo hic totos annos 15. citrà ullum quod persentiret incommodum, trivit. His elapsis de dysuria, doloreque non exiguo ad vesicam conqueri cœpit, adeoque symptomata hæc indies aucta: ut tandem lotii reddendi beneficio privatus, ad dies plusculos, affectu scilicet remediis omnibus obsistente, morti quam proximus fuerit, quum opportuna Chirurgi ope, calculum è vesicæ collo, quem ibi cathetere immisso non exiguum deprehendit, removentis ac detrudentis, permagnam æger urinæ copiam excrevit, qua magnopere levatus, ita denuò commodam satis ad alios annos 15. vitam traduxit. At verò anno superiori à recurrentibus ibidem, & in regione renum doloribus intensissimis cum æstu vehementi, in intima pubis ac perinæi regione, nec non à febre continua plurimùm divexatus, obiit. Ejus adaperto cadavere, calculus in vesica, ovi molem adæquans, repertus est: quo propter insolitum ejus pondus confracto, globulus ille plumbeus, avellanæ magnitudine, apparuit in medio, circa quem longo temporis decursu sabulosa materia, partim in vesica genita, partim è renibus eò delapsa, sensim accreverat, eò usque ut tandem mole sua homini illi intolerabilis evaserit, quinimò internæ externæque ad vesicam partes, una ejus portione livebant: & ipse jam per annos aliquot graviter in ea regione solebat affici, ubi diutius paulò ambulasset, quapropter etiam domi fere se continebat. Porrò tam firmiter globulo adhærebat tophacea illa materia, ut vix inde tota eximi potuerit, cujus velut agglutinationis initium inde fuit, quod prædictus globulus*

bulus in vulnere faciendo ad os illidens, eminentiam ac inæqualitatem receperat. Hic subsisto, teque cum omnibus tuis divinæ clementiæ commendo. Vale è Musæo, Calend. Iunii. Anno 1606.

Tuus ἀνδ δόλε

PAULUS OFFREDUS.

OBSERVATIO LXVIII.

Lapis olivæ magnitudine per collum vesicæ excretus.

HOnesta quædam Matrona Paterniacensis, Dn. Francisci Rouge, hospitis ad crucem albam conjunx, sexagenaria ac robusta, ultrà annos duos dolore punctorio è regione colli vesicæ, nonnunquam quoque urinæ retentione & stillicidio laboraverat. Tandem cum præ maximis doloribus & inquietudinibus in febriculam incidisset, ego in consilium vocatus fui, circa annum, si rectè recordor 1605. Itaque cum ex doloris specie, aliisque symptomatibus calculum adesse, probè cognovissem, hoc modo processi: Primò corpus sequenti potiunculа purgavi.

R. Radicum fœniculi ℥ j.
herbar. agrimoniæ
Veronicæ,
Cuscutæ,
Herniariæ an. M. ß.
Flor. trium cordial. an. p. j.
Sem. anisi &
Folior senæ mundator. an. ℥ iij.
Coquantur in aq. ut colatura redeat ad ℥iiij.
In quibus dissolve syr. rosat. solut compos. cum rhabarbaro, agarico & sena ℥j.
Electuar. benedictæ laxat. ʒj.
Misce, fiat potio.

Purgato corpore per dies aliquot, quatuor horis ante prandium pro dosi ℥j. aquæ nostræ diureticæ, cui parùm aquæ cinam. sine vino distillatæ, admixtum erat, exhibui. Inguini verò sequentem sacculum applicui.


R. Radicum & folior. altheæ
Malvarum,
Violar.
Parietariæ,
Herniariæ,
Nasturtii aquatici
Flor. Meliloti &
chamomel an. M. j.
Sem. Anisi
Fœniculi,
Petroselin. an. ℥j.
Fœnogræci,
Lini ana. ℥ß.

Incidantur & contundantur omnia, deinde indantur sacculo triangulari, quo cocto in aqua, calidè imo ventris & pudendis applicetur.

Post fotum imum ventris, pudenda & perinæum oleo scorpionum interdiu ter vel quater inungere curavi.

Hisce per dies aliquot remediis adhibitis, calculum rotundum & asperum, ejus figuræ & magnitudinis, ut hîc depictus, maximo cum conatu & dolore, parturientium doloribus non multùm absimili, ejecit. Posteà Dei beneficio convaluit, & per aliquot annos supervixit.

Figura & magnitudo prædicti lapidis.



OBSERVATIO LXIX.

Lapides quàmplurimi ex vesicæ fundo extracti, & ulceris inde relicti curatio.

Ad Virum nobilem D. PAULUM OFFREDUM *Doctorem Medicum clarissimum & doctissimum.*

AFfectum animi in me, & amorem optimi & doctissimi Parentis tui, vir clarissime, natura tibi insitum esse; abundè profectò declarasti; tum epistola tua humaniter ad me scripta, tum etiam adjunctis tuis doctissimis in Hippocratis aphorismos, commentariis, qui mihi veluti Ambrosia & Nectar erunt tam Exc. T: quam ipsiusmet Hippocratis, venerandi senis (quem meritò extensis ulnis amplecti debemus) causâ. Ego si qua in re id promereri valeâ, semper me promptum atque paratum habebis.

Cæterùm anno superiori casus mihi occurrit, quem ad aphoris. 28. lib. 6. Hippoc. referre possumus. Hunc tibi doctissime atque charissime D. OFFREDE offerre, operæ pretium duxi.

Historia. Honesta quædam matrona Friburgi Aventi uxor M. ADAMI Schlunemanni Pictoris excellentissimi, ad finem 9. mensis gravida, parturientium doloribus per dies aliquot miserè cruciabatur. Huic cum multa ab obstetricibus & adstantibus, ad fœtum expellendum medicamenta exhibita fuissent, tandem 5. die propinata validissima potiuncula, in qua (sicuti maritus & pharmacopæus suspicabantur) ingrediebatur nonnihil auripigmenti citrini, magna cum violentia, maximoque cum dolore & cruciatu, mortuum, aut potius semi putridum fœtum enixa est. Ego bimestri à partu, nimirum die 1. Maii Año 1605. cum D. Alberto Lapio, Pharmacopœo vigilantissimo atque exercitatissimo (cujus bimestris spacio à partu continuis ac maximis doloribus è regione vesicæ, & stillicidio urinæ laboraverat) vocatus, ipsam decumbentem offendi. Dolores circa fundum vesicæ; ac collum ipsum matricis aderant; & maximi, & continui; urina quoque & quicquid syphone in vesicam infundebam, per collum uteri statim involuntariè effluebat. Ex quibus fundum vesicæ in ipsius matricis collum usque exulceratum fuisse, facilè mihi cognoscere licuit. Instituta itaque optima victus ratione, doloris leniendi gratia; syphone sequens injeci medicamentum.

R. Sem. cydoniorum & fœnogræci an ʒj.
Macerentur per horam in ℔ j. ß. decocti hordei,

Obs. 69. hordei, posteà per linteum exprimantur, fiatque mucilago satis liquida, cui addantur.

Injectio.

ol. amygdalar dulc. ℥ij.
mellis rosati colati ℥j. Misce, fiat injectio;

De qua singulis horis parùm tum in vesicam, tum in os uteri syphone tepidè injiciebam. Et quia alvus non satis lubrica erat, sequens præscripsi Enema.

Enema.

R. decocti capitis vitul. &
lumbricor. terrestr. ℥x.
vitellor. ovor. n. ij.
ol. anethini & chamomel. an. ℥j.

Misce, fiat Enema, quo & posteà usa est, quotiescunque necessitas urgebat. Pectini verò hunc fotum applicui.

Fotus.

R. Rad. altheæ ℥j.
Flor. chamomel.
Fol. malvar.
violar. an. M. j.
Sem. cydonior.
fœnogreci an. ʒij.
anisi &
fœniculi an. ℥j.

Coquantur in aqua, in qua madefactū linteum reduplicatum (spongia enim propter salsedinem non convenit) calidè applicetur. Deinde sequenti linimento ventrem, coxas & genitalia, inungere curabam.

Linimentum.

R. ol. amygdalar. dulc.
ol. de vitell ovor.
Axungiæ humanæ an. ℥ß.
ol. lumbricor. &
Anethin. an. ℥j.
Misce, fiat linimentum.

Renes verò sæpissimè hoc unguento inungebantur.

Unguentum.

R. ol. rosat.
Nymph. &
Violatii an. ℥j.
Caphuræ ℈. j.

Cum albumine ovi, parùmque aceti rosat. mixtis simul in mortario plumbeo, fiat unguentum.

Pro cœna sequens amygdalatum exhibui.

Amygdalatum.

R. Amygdalar. dulc.
Sem. 4. frigidor. maj. &
papav. albi an. ʒij.
decocti hordei.
aquæ nymp. &
Rosac an. ℥ij.
Fiat emulsio secundum artem, adde
Aquę cinamo destill cum vino,
Buglos. & Bortag ℥j.
Sacchari perlati ℥j ß.
Misce, fiat amygdalatum.

His remediis adhibitis, dolor paulatim remisit, ita ut ea nocte meliꝰ quieverit quam anteà. Sed quod mirandum, per ulcus, quod in fundo vesicæ erat, infinitos lapillos contusi pumicis instar, filamentis & membranulis colligatos ac involutos, in collum matricis excrevit, quorum ego quam plurimos forcipe extraxi, reliquos post dies aliquot in rima sese offerentes, maritus ipse me absente exemit. Horum lapidum ego adhuc quàmplurimos, cum suis membranulis & filamentis, quibus colligabantur, exiccatos in Musæolo meo reservo, quibus projectis & maceratis in aqua tepida, denuò filamenta & membranulæ bellè conspici possunt.

Altera die, tertia nimir: Maji ipsam sequenti potiuncula purgavi.

Potiuncula.

R. herb. agrimoniæ
veronicæ
cuscutæ an. m. ß.
flor. trium cordial. an. p. j.
liquiritiæ rasæ ℥ ß.
sem. anisi &
fol. senæ an. ʒij.

Coquantur in sufficienti quantitate aquę, ut colatura redeat ad ℥iij. In quibus dissolve cassiæ recent. extractæ ℥ ß.
Electuar. diaphœn. cum rhabarb. ʒij.
syr. violac. ℥j.
Misce, fiat potio.

Frequenter quoque matutino tempore aliquid olei amygd. dulc. cum saccharo, in juscula carnium sorbere jussi.

Injectio.

Sedato dolore per multos dies sequens decoctum syphone in vesicam & collum matricis injecimus.

R. Radic. consolidæ maj. ℥ j.
hordei integri m. j.
herbar. agrimon.
veronicæ
scordii
alchymillæ
saniculi ana m. ß.

Coquantur in aqua. In ℔ j. colaturæ dissolve mellis rosac. ℥ ij. Misce, fiatque injectio. Qua in vesicam injecta, per collum matricis unà cum urina statim effluebat. Post injectionem turundam longitudine quatuor digitorū transversorum, sed crassam satis, ex stupis & gossypio concinnatam, inque sequenti collyrio madefactam, matricis collo infigi curavi.

Collyrium.

R. Mucilag. sem. cydonior. cum aqua
plantag. extractæ ℥ iiij.
cornū cervi usti,
lapidis calaminar. &
tutiæ præparatæ ana ʒ ß.
radic. consolidæ maj. subtilissimè
pulverisat. ʒ ij. Misce

His brevi sic cōvaluit, ut domesticis negotiis paulatim vacare potuerit. Urinā tamen continuò per collum uteri magna sui molestia effluebat.

Porrò quamvis vulnera, ac multo magis hujusmodi ulcera putrida, quæ fundum ipsius vesicæ & collum matricis ingrediuntur, utplurimùm incurabilia cum Hipp. meritò sint censenda, attamen ne de salute ipsamet ægra desperaret, ac in posterum corpore simul & mente laboraret, suasi, ut primò uteretur optima victus ratione, & ab omnibus iis, quæ urinam reddunt acrem, abstineret, deinde ut per vices corpus expurgaretur, quinetiam ut singulis matutinis medicamēta conglutinantia, qualia sunt potiones vulnerariæ, assumeret. Hæc cum religiosè & indefessè (magna enim in ea erat sanitatis recuperandæ aviditas) per menses aliquot observasset, stillicidium urinæ per collum uteri paulatim imminu-

tum

69. tum est, adeò ut partim per collum vesicæ, partim verò per collum uteri effflueret. Illa autem continuò usa medicamentis (ut dixi) conglutinantibus, & per intervalla etiam purgantibus, intra menses octo, non sine admiratione omnium eorum, quibus res cognita, plenè curata fuit, adeò ut nunc Dei Opt. Max. gratia ne guttula quidem urinæ involuntariè effluat, sed à vesica colligatur, retineatur & excernatur, non aliter ac si antea nunquam malè affecta fuisset, sicuti idipsum ex sequenti epistola ipsius mariti ad me data, ex Germanico in Latinum sermonem translata apparet. Id quod etiam nuperrimè ex relatione matronæ, quàm ejus mariti, dum ipsam secunda hujus mensis inviserem, ipsemet intellexi. Hunc casum, quum rarus sit, tibi non ingratum fore existimaveram, obnixè rogans, quod si quid simile occurrerit, mihi communicare non graveris. Fasciculus, quem Clariss. D. Doct. Lentulo transmisisti, jam traditus est. Hisce Vir clariss. vale, & me ut facis, amare perge. Paterniaci Aventic. 12. Maii 1606.

T. Exc. addictissimus
Guilh. Fabricius Hildanus.

GUILHELMO FABRICIO HILDANO,
Medico atque Chirurgo apud Paterniacenses præstantissimo.

Minimè dubito, Vir clarissime, quin summoperè scire desideras, quo in statu res nostræ sint. Quocirca præsenti hocce epistolio tibi significare placuit, conjugem meam charissimam post tui abitum hinc, remediis illis partim in officina Pharmaceutica à te præscriptis, partim etiam à te sibi transmissis, maximo cum successu usam fuisse, indeque ejusmodi levamen persensisse, ut D.O.M. assiduò gratias maximas reddere debeamus. Rursus enim domestica sua negotia peragit, nullumque amplius dolorem persentit, urinam quinetiam optimè retinere, eamque pro voluntatis arbitrio reddere valet: Malum verò illud (uti etiam à te nobis plus satis significatum fuit) non protinus, sed paulatim cessavit, ita ut à principio urinam non per naturalem ductum, sed per sinum pudoris excreverit. Natura quinetiam, paucis ante susceptam à te curationem elapsis septimanis, per naturalem urinæ ductum excernere conata, adeò ut sensim paulò minus per ductum præternaturalem, plus verò per naturalem ductum effluxerit, sicque urinam magis magisque retinere cœperit, ita ut illam nunc (quemadmodum modò dictam) eodem modo sicuti ante morbum, naturaliter retinere, reddereque possit. Cujus sanè rei nomine DEUM Omnipotentem maximoperè laudamus, quod medicamentis à te præscriptis & admotis clementer benedixerit, eundem vicissim rogamus, ut gratiam suam divinam de die in diem tibi concedat, quo sit plurimis aliis ægrotis emolumento maximo esse possit. Aliàs enim uxori meæ, magno cruciatu & calamitate vita cum morte commutanda fuisset, nisi D. O. M. beneficio artis tuæ tuique, instar instrumenti vitam illi prorogasset. Quæ omnia si aliquo gratitudinis officio promereri valebimus, nunquam tibi deerimus. Interim te cum conjuge tua, & prole charissima, Omnipotenti Deo commendamus. Friburgi Aventicorum die 6. Ianuarii 1606.

Tibi addictissimus & obsequent.
Adamus Küneman.

Obs. 70. & 71.

OBSERVATIO LXX.

Lapides quatuor in vesica, & abscessus sub vena cava.

SEnex quidam Coloniensis per aliquot annos dolore continuo circa regionem ossis sacri, præcipuè autem cum excrementa indurata exonerabat, ardore urinæ & mingendi difficultate vexabatur. Tandem anno 1599. cum totus decrepitus ex hac vita ad beatorum sedes migrasset, ego & clariss. D. Petrus Quintenus, Doctor Medicinæ vocati, ut causam doloris hujusmodi & cruciatus maximè investigaremus, invenimus in vesica lapides quatuor prædutos ac asperos, quorum unusquisque magnitudinem castaneæ adæquabat, circa regionem verò ossis sacri, ea nimirum in parte, ubi vena cava bifurcatur, abscessum magnum, in quo materia fœtida & sanguis coagulatus continebatur, offendimus: pus enim ramulos nonnullos venæ sacræ eroserat. Os sacrũ ea in parte ita erat corrosum atque exesum, ut facilimè digitis minutatim extrahi atque conteri potuerit.

OBSERVATIO LXXI.

Incipiens calculus vesicæ, quibus remediis curatus?

PUer quinque circiter annorum ætatis, natura imbecillis, à multis mensibus maximis torminibus cum difficultate urinandi laborans, tandem calculum pisi magnitudine, maximo cum dolore excreverat, inde tamen tormina & dolores in reddendis urinis minimè sedati fuere, quinetiam arenulæ in iisdem conspiciebantur, ex quibus colligere licuit, materiam calculi arenulasq; in corpore adhuc delituisse. Quocirca die 7. Decembr. 1605. in consilium adhibitus, hoc modo cum ipso processi. Primò institui optimam victus rationem, nimirum ut aër sit calidus, panis benè fermentatus & coctus, non recens, neque nimis durus. Jusculis utatur carnium castratorum pullorum, gallinarum aut caponum, quib⁹ aliquid rosmarini, salviæ & majoranæ, nonnihilque salis, ratione saporis addi poterit. Radices fœniculi, petroselini & quæcunque urinam insigniter movent, cibis minimè addantur. Dum enim urinam movent, succum indigestum simul ad venas mesaraicas ac hepar secum ducunt. Ex quibus obstructiones viscerum & materia calculosa augetur. Viscidi, glutinosi, crassi, & qui difficilis sunt digestionis cibi, veluti extremitates & intestina animalium, caro item fumo & muria asservata, aves quoque in aqua degentes, tum propter suprà dictas causas, tum quia stomachum gravant, nullo modo sunt offerenda, uti nec salsa, & quæ pipere, zingibere, gariophyllis, raphano, cæpis & ejusmodi rebus conditi sunt cibi. Legumina quoque, oryza, fructus crudi, pisces, caseus, lac, & lacte confecta edulia, summopere vitanda. Vino utatur albo, tenui, minimè generoso, decocto agrimoniæ & veronicæ diluto.

Victus ratio.

Posteà corpus sequenti potiuncula expurgavi.

℞. rad. petroselini

 fœni-

Obs. 71.

Potio purgans.

fœniculi
eryngii marini an. ℥ ß.
herb. agrimoniæ
veronicæ
cuscutæ an. m. ß.
sem. anisi ʒ j.

Coquantur in aqua ad consumptionem tertiæ partis. In colaturæ ℥ ij. dissolve syrupi ros. compositi cum rhabarbaro, agarico & sena ʒ. ß. Electuarii diacarthami in tabell. ʒ. ß. Misce, fiat potiuncula, sumenda quatuor horis ante prandium.

Purgato corpore sequentem præscripsi syrupum magistralem, de quo singulis diebus duabus horis ante prandium ex cochleari sumebat ℥ j observata interim optima victus ratione, & per intervalla expurgato corpore, nunc præscripta potiuncula, nunc pulveris radic. mechoacæ scrupulis duobus, sumptis cum jusculo carnium utebatur, syrupi autem hæc est descriptio.

Syrupus Magistralis.

R. Rad. fœniculi
petroselini
graminis
saxifragiæ
eryngii marini an. ℥ j.
herb. agrimoniæ
veronicæ
herniariæ
capill. Veneris
cuscutæ an. m. j.
flor. trium cordial.
genistæ &
chamomil. an. p. j.
sem. milii solis
bismalvæ
Anisi, &
sem. quatuor frigid. maj. an. ʒ ij.
liquiritiæ rasæ &
uvarum passular. exacinat. an. ℥ ij.

Fiat decoctio ad consumptionem tertiæ partis. Colaturæ adde sacchar. miscellan. ℔ j. ß. mellis puri & despum. ℔ ß. Fiat secundùm artem syrupus, aromatizetur pulver. cinamomi electi ʒ ij. Utebatur quoque in hebdomada bis aut ter, tribus vel quatuor horis ante prandium aquæ nostræ diureticæ ℥ ß. pro dosi cum saccharo, & nonnihil aquæ cinamomi destillatæ sine vino. Per menses quoque aliquot, sequenti semicupio ex radicibus, herbis & seminibus emollientibus, laxantibus, lenientibus, & flatus discutientibus per intervalla utebatur.

Semicupium.

R. Radic. & folior. altheæ
radic. & folior. malv.
radic. fæniculi
apii petrosel.
eryngii marini an. ℥ ij
herb. parietariæ
violar. veronicæ
flor. chamomil.
meliloti
genistæ
sambuci an. m. j.
sem. fœnograeci
lini an. ʒ j.
sem. petrosel.
anisi fœniculi
genistæ an. ℥ ij.

Coquantur in sufficienti quantitate aquæ pro semicupio. Ex simili quoque decocto, quotiescunque alvus non respondebat, addito vitello ovi, parumque electuar. benedictæ laxativæ, & ol. rutacei, enemata præparavimus & exhibuimus. Imum ventris & perinæum non ei solùm balneo egresso, verùm etiam singulis diebus semel, aut bis sequenti unguento inunximus.

Unguentum.

R. ol. scorpion.
amygdalar. amar. an. ʒ. j.
lilior. albor. &
unguenti dialtheæ an. ℥ ß.
Misce, fiat unguentum.

His adhibitis remediis, & observata illa, quã præscripsimus, victus ratione, DEI singulari beneficio paulatim convaluit, neque ad hunc annum usque 1608. quo illum invisi, ullum mali hujus vestigium sensit.

OBSERVATIO LXXII.

Semen anisi & acini granorum alkakengi, cum urina excreti.

Viro clarissimo atque doctissimo Domino D. JOH. RUDOLPHO SALTZMANNO *in Academia Argentinensi Medicinæ Professori celeberrimo, amico suo intimo,*

Guil. Fabricius Hildanus. S. P. D.

COrpore quidem utcunque valeo, vir clarissime & amice plurimùm honorande, animus verò dolet, idque propter adversa, quæ post reditum meum ex Germania mihi advenerunt. Lausannam enim rediens, uxorem meam simul & unam ex filiab. meis peste laborantes inveni. Cõvaluit quidẽ uxor mea, filia verò paulò post meum adventum piè obdormivit, uti & nonnulli alii ex domesticis meis. Filius meus major natu etiamnunc decumbit. Hactenus quidem gravissimè laboravit, nunc tamen ipsum veluti evasisse spero.

Cæterùm pro maxima & insigni humanitate tua, qua ante menses aliquot Argentinæ me excepisti, inprimis pro Platonicis simul & Lucillicis conviviis, quibus me decorare dignatus fuisti, gratias ago immortales. Vtinam aliquando non tantùm verbis, sed & re ipsa gratum me præbere possem. Interim tuus sum, & si qua in re tibi inservire potero, promptissimus ero, & quidem quoad vixero.

De alimentis viscosis in fracturis ossium.

De alimentis viscosis in fracturis ossium, te cum clarissimo viro D. D. DORINGIO per literas communicasse scio. Quæ nam hac de re sit mens D. D. Döringi, me non latet: Tuam tamen opinionem libenter quoque viderem. Ego in eadem sententia, quam Observ. 92. Centur. I. protuli, adhuc persisto. De die enim in diem experientia me edocet, supervacaneum esse, hujusmodi alimentis ineptis, quæq; quadratis, robustissimis & sanis corporibus tantummodò conveniunt, ægros aggravare, verùm de his aliàs plura.

De diureticis.

Sed quid quæso sentis de diureticis? putàsne illa cibis tutò permisceri posse? Ego juscula ex radicibus, herbis, aliisque rebus apertivis, non

Obs. 72. non quidem rejicio, non tamen in ipso prandio; sed per horam unam aut alteram ante pastum ea exhibeo. Si enim aliis cibis commisceantur; verendum est, ne chylum indigestum secum rapiant, & ad hepar ducant. Quanta enim diureticorum vis sit atque potentia, ex sequentibus historiis videre licet, quarum primam apud Dn. PETRUM PIGRAY, HENRICI MAGNI Chirurgum celeberrimum, lib. 10. cap. 20. de acidulis Spadensibus, aliisque similem vim habentibus, scribens, legimus his verbis:

Prima Historia.

Quantum, inquit, ad victus rationem, illa diligenter observanda est. Alimenta, quæ facilè concoquuntur eligenda, quæ verò difficilè & humorem melancholicum, succumq; crudum procreant, vitanda. Vino interdicendum non est, sed mediocriter diluendum; non tamen aqua acida, ut plerique facere consuevere, illa enim propter metum, ne cruditates ad renes & vesicam transvehant, cibis minimè permiscenda. Quandoquidem tanta hujus aquæ vis est atq; proprietas, ut quicquid sibi obvium venerit, secum rapiat. Id quod mihi unà cum clarissimo atque celeberrimo Viro, Dn. D. MARTINO Medico Regio, ac Dn. BASINO Doctore Med. viro probitate & virtute excellenti, observare licuit. Is enim cum acidulas biberet, semine aniso condito, ad flatus discutiendos simul utebatur. Cæterùm aqua illa acida, semen anisi integrum, per venas mesaraicas, hepar emulgentes & renes, ad vesicam usque secum ducebat; ita quidem ut ipsum semen anisi unà cum urina excerneretur. Res profectò, quæ nobis notatu digna visa fuit: ex quibus constat, aquam hanc ex usu esse minimè debere, nisi corpus à pravis atque excrementitiis humoribus prius probè atque diligenter expurgatum fuerit. Hujusmodi enim humores aqua illa, æquè ac semen anisi, ad prædictas partes duceret, &c. Hactenus PIGRAY.

Alia Historia hæc est.

Civis quidam Friburgensis Helvetior. DAVID COING nomine, vir probus ac honestus, retentione urinæ correptus, postquam ingentes dolores atq; cruciatus per dies aliquot passus esset; multaque medicamenta frustrà sumpsisset, & exteriùs adhibuisset, tandem expurgato prius corpore, cancros nostrates sive gammaros contusos; grana item alkakengi contusa, ex vino albo sumpsit; His urina ita commota fuit, ut acini granorum alkakengi, unà cum urina, maxima cũ admiratione adstantium excernerentur. Idq; non sine maximo dolore atque conatu. Interim tamen paulatim pristinæ sanitati restitutus fuit. Ego quidem curationi non interfui, verùm cum Anno 1610. decima Martii, Friburgum ad virum probitate & prudentia egregium, Dn. NICOLAUM GRIBOLETUM, Reip. Friburgensis consiliarium meritissimum, vocatus essem, ipsemet David Coing, præsente prædicto viro, Dn. GRIBOLETO, nec non Dn. NICOLAO PACODO, Reip. Freib. Doctore Med. ordinario & celeberrimo, multisque aliis, illa quæ jam recensui, & quidem in ædibus Dom. Griboleti, narravit, & rem ita sese habere, bona fide affirmavit.

Porrò, Vir clarissime, etsi radices aperitivæ, veluti fœniculi, petroselini, asparagi, &c. non eandem vim diureticam, quemadmodum acidulæ habeant, nihil tamen ab acidulis aliisque diureticis differunt, nisi secundùm magis aut minus. Hæc ego perpendens, ea, quæ urinam vehementer ducunt, medicamenta, quatuor aut ad minimum tribus horis ante prandium, & prius, expurgato corpore exhibeo. Juscula verò ex prædictis radicibus, ut per horam unam ad minimum ante prandium sumant, ægris meis suadeo. Tuam tamen sententiam hac de re intelligere quoque percupio. Inclusas quas ad Dn. GREGORIUM HORSTIUM & alios scripsi, ut curare velis, obnixè rogo. Hisce vale vir clarissime, cum lectissima tua conjuge, & in bonum publicum feliciter vive diu. Raptim Lausannæ 28. Novemb. Anno:

ſVbIICIaMVs nos Deo.

Clarissimo & experientissimo Viro, Domino GUILHELMO FABRICIO HILDANO, *Medico-Chirurgo celeberrimo, Domino & amico suo singulari, Iohannes Rudolphus Saltzmannus, Med. D.*

S. P. D.

Salvum te quidem, Vir clarissime, amice & fautor observande, ad tuos à nobis redìsse, primò tibi tuisque, deinde verò & mihi, pluribusque aliis, tua ope indigentibus, gratulor, quod autem uxorem tuam dilectissimam, & filiam suavissimam, minus felices inveneris, & hanc quidem paulò post amiseris, animitus sanè condoleo, & cum potissima tibi pars, uxor scilicet superstit, filius etiamnunc, uti spero & precor, convaluerit, non habes, cur nimium contristeris, præsertim cum eam non amiseris, sed ad æternam, beatam, cœlestem, omni dolore & squalore vacuam vitam, & eam præmiseris, quam nos omnes aliquando, temporaneis his molestiis & misera hac vita exuti, videre optamus & desideramus; ne ergò ob leve aliquod & momentaneum, quod tibi creare potuisset, gaudium, æternam ipsi felicitatem invideas. Sed de his quid multa, cum antè tibi, vel me tacente, notissima sint. Deus Optimus Maximus inposterum te tuamque familiam protegere ac defendere, & ab ulteriore infortunio & malo liberare ac custodire dignetur.

Ad tertium ergo literarum membrum accedo, secundum lubens prætereundo, tantam enim, quæ à me tibi præstita sunt officia, gratiam non merentur; hoc saltem addo, si vires voluntati non responderunt, boni id æquique consulas, & mea tibi officia semper promta & parata scias. Duo autem sunt, *quæ in tertio epistolæ membro continentur*, genere quidem eadem, specie verò *diversa.*

De diæta fractorũ ossium. *Primum est diæta fractorum ossium:* utrum scilicet alimenta conducant crassa & viscosa, an verò tenuia ac subtilia? *de hac quæstione cum Dn. D. Döringio literis contuli, & adhuc ipsi responsum debeo, solverem autem lubens, si modò ubi terrarum hæret, scirem: in ea autem semper fui, & adhuc sum opinione, crassos, viscosos cibos, quales à quibusdam præscribuntur, crassiores scilicet & viscosiores, quique facilè & mesaraicarum & hepatis venarum obstructiones causare possunt, ut habet Gal. cap. 10 libri de cibis boni & mali succi, & primo de differentiis febri-*

Aciduæ post cibũ ... sumendæ ... utur.

Obs.72. um cap. 3. ipsis nullo modo convenire, quemadmodum etiam nimium tenues: qui sanguinem subtilem admodum generare valent, calli generationem saltem non promovent; media ergò incedendum mihi viâ videtur, ita tamen, ut subjecti semper seu patientis, ratio habeatur: facilius enim hic crassiores cibos concoquit, & minus inde læditur, infelicius verò tenuiores, ille hos felicius, infelicius illos conficit, quod & voluisse videtur Gal. dicto libro de boni & mali succi cibis. Quæ distinctio si adhibeatur, videtur non usque adeò malè ab iis dictum, qui cibos crassos & viscosos non absolutè, sed respectivè, ad subjectum præscribunt: hac tamen additâ & observata cautelâ, quam idem Gal. dicto lib. cap.10. proponit, primò ut non sit continuus ipsorum usus, deinde ut immisceantur ea, quæ hoc incommodum, obstructionem scilicet vasorum, removere possunt, quod idem repetere videtur 5. de sanit. tuenda cap.8. Ad calli enim generationem requiritur talis aliqua materia, quæ visciditatem & crassitiem quandam habet, qualis quidem in ossium cavernulis tanquam in promptuario reperitur, de qua tamen natura ita est sollicita, ut etsi de ea aliquid depromat, eam tamen mox iterum resarcire studet, materia autem ad id apta denegata, ægrius ex penu suo quicquam depromit.

Alterum de diureticis quæritur: Utrum scilicet ea cibis sint permiscenda necne? Negativam suadere videntur historiæ ambæ in literis recitatæ, & rationes quoque adductæ.

At videtur & in his quoque distinctio adhibenda, tum ratione virium diureticorum, tum ratione quantitatis, ea enim, quæ mitiora sunt, tantum abest, ut cibis permixta noxam corpori inferant, ut potiùs plurimùm prodesse videantur ad renes, ubi delata ipsorum virtus fuerit, siquidem fortè crassius eo devenerit, moram ibi trahere non sinit, nec etiam metus est fortioris attractionis, cum diuretica vel sint mitia, vel minore quantitate, vel rarius exhibeantur; Sed dices, petroselinum, cerefolium, nasturtium, sem. anisi, fœniculi, carui, gran. juniperi, & alia non rarò cibis miscentur, quæ continuatione malum aliquod causare posse videntur. Respondeo, frequentiorem ipsorum usum, nimium scilicet, non probandum, præsertim si simul majore quantitate usurpentur, quod si verò debito modo sumantur, etiamsi aliquandiu continuentur, propter præparationem tamen & aliorum admixtionem, virtus ipsorum non parùm immutatur: ita ut tanta materiæ ad renes deturbatio metuenda non sit, atque ita tutò exhiberi possint. Adde quod naturæ interdum medicamento ita assuefiant, ut non modo inde non afficiantur, sed potiùs id in corporis nutrimentum vertant, quemadmodum Insubras papaveris semina innoxiè & quidem copiosè devorare dicuntur: de fortioribus diureticis idem non affirmarem, neq; ego hactenus ea cibis permiscere solitus sum, corpore præsertim existente impuro: & hæc ad rationes. Ad historias quod attinet, eæ ut particulares universaliter & necessariò non concludunt, adde, quod fortiorum diureticorum vel etiam mitiorum in majore quantitate, & diuturnus usus sine dubio accessit.

Incidi non ita pridem in Damascenum, veterem illum Medicum, inque ejus inter cætera aphorismum, quo, si à capite vel alia aliqua remotiore parte purgare volueris pilulas post cibū exhibere jubet. Cum eo autem pugnat methodus nostra medendi, quæ purgantia præsertim, quæ electivè talia dicuntur, jejuno ventriculo, vel si fortissima sint, præsumpto saltem aliquo brodio propinare suadet; Rationes hic non addam, cum tibi sint notissimæ: experientia verò hoc Damasceni præceptum confirmat: sæpiùs enim à primariis nostris Medicis pilulæ post cœnam, in ejusmodi casibus felicissimo cum successu exhibentur, quos & ego secutus, jam sæpius etiam exhibui, & ut verum fatear, in expurgando cerebro ab humoribus superfluis, nullum præsentius remedium hactenus observavi: & quod mirum est, multò minore dosi exhibentur, quam quæ manè jejuno ventriculo deglutiuntur: sumuntur autem una vel duobus horis à levi cœna, superdormiendo circa 4. 5. vel sextam matutinam operatio subsequitur, lenta & citra ullum grave symptoma, nauseam scilicet, vomitum, dejectionem appetitus, & virium tormina, & alia, & reiterantur plerumque aliquoties subsequentibus vel alternis vespertinis: atque hac ratione, plures ex parva dosi jam fuerunt purgati, qui ante dupla mane exhibita, & jejuno ventriculo commoveri non potuerunt. De hac re quid tibi videatur, proximè, si per negotia licet, aperias quæso. Ego interim de superioribus ulterius etiam cogitabo, & prolixius fortè scribam, nunc enim ob impendentia nundinalia & alia negotia, superficialiter saltem rem attigi. Si ubi Dn. D. Döringius moratur, nosti, fac quæso, sciam, habebis me vicissim ad omnia paratum. His vale, cum omnibus tuis domesticis diu felicissimè, novoq; hoc currente anno fruere placidissimè, a me meaq; costa plurimum & officiosè salutatus. Argentinæ 3. Non. Ianuarii 1614. festinationi quæso ignosce.

OBSERVATIO LXXIII.

Quàm incertum & fallax sit judicium ab urinis desumptum, sequentibus 4. exemplis demonstrabitur.

EXEMPLUM I.

ANno 1595. Mense Octobri Hermannus Monchemicus, civis Coloniensis, vir probus, sexagenarius, & hepatis calidioris, dum febri continua Francofurti correptus esset, & Coloniam adductus, 16. die morbi placidè & piè decessit. Ego quotidie cum Clariss. Dn. D. Johanne Breitēbachio, Medico celeberrimo, ipsum invisens, ejusque urinam inspiciens, observavi eam ab initio usque ad finem morbi, sanorum semper persimilem fuisse, neque unquam colorem aut consistentiam mutasse.

EXEMPLUM II.

Urina nigra maximam putredinem humorum, febri perpetuò conjunctam, indicari, omnibus medicis in confesso est. Ego honestissimam matronam Coloniæ Vnder fester in dem Roten Ochsen/ cognovi, quæ per spacium trium hebdomadum urinas obscuras reddidit, quasi atramento fuissent permixtæ, sedimento nigro ac spisso. Nulla tamen aderat febris nec renum dolor, nec quicquam, quod intemperiem aut affectum præter naturam internarum partium argueret.

EXEMPLUM III.

Anno 1601. 3. Aprilis vocatus ad Dominam in Mex prope Lausannam, ætat. 40. circiter annorum

73. 74. norum, quæ subitò dolore capitis correpta fuerat, & in ipso momento defluxio, comitata febre Ephemerâ, & dolore vehemētissimo brachia, hypochondria, coxas ac tibias invaserat. Hæc urinam ad tertium usque diem colore atramento, sedimentum verò fuligini dissolutæ persimilem reddidit. A tertio usque ad 14. diem nigredo paulatim mutata est in albedinem, & dolores remiserunt, adeò ut brevi convaluerit, & ad hunc usque annum 1609. integra fruatur valetudine.

EXEMPLUM IV.

Nobili cuidam, Danieli de Chalon nomine, enterocele laboranti, cùm intestinum in scrotum decidisset, & gravissima symptomata excitasset, urina quoque ad sextum diem morbi usque simul retenta fuit, quicquid tamen excreverat, subrubicundum erat. A sexto autem morbi die ad undecimum usque, qui eum è medio sustulit, urinā tum colore, tum consistentia, sanorum planè similem reddiderat.

OBSERVATIO LXXIV.

Infans immoderato fluxu urinæ primò, posteà vehementissimo dolore colico, cum fluore alvi, tandemque urinæ retentione corripitur, & decimo septimo die ætatis è vita discedit.

Ad Nobilem virum DN. PAULUM LENTULUM, *Illustrissimæ Reipub. Bernensis civem & Poliatrum celeberrimum,*

CUI

Guilhelmus Fabricius Hildanus S.P.D.

POstquam à te discessi, Vir amplissime, fautor & amice plurimùm honorande, DEUS Opt. Max. nos & gaudio & mœrore eodem ferè tempore simul affecit: gaudio, quia vigesima sexta Junii nobis filium largitus est: mœrore verò, quod brevi post nativitatem morbo gravissimo, & morte correptus fuit. In ipsius morbo rara nonnulla occurrerunt: quæ T. Exc. (quia hujus studii genere oblectatur) communicare placuit. Mox igitur postquam in lucem editus esset, uxor mea & quæ circa eam erant matronæ, in ipso infantulo appetentiam multò vehementiorem, quàm pro ætate conveniebat, animadverterunt: ita ut lac matris, quantumvis satis abundaret, non tamen sufficeret. Appetentiam hanc immoderatam causam fuisse, quod novem menses in utero materno non absolverit, existimo. Tertio die ætatis, correptus fuit immoderato fluore urinæ: ita quidem ut singulis diebus linteamina & involucra, quater aut quinquies mutare necesse esset. Et quamvis continuò ferè ejularet, & exclamationes violentas, nec pueris consuetas (quæ dolorem aliquem internorum viscerum subesse arguebant) effunderet, aviditate tamen magna interim lactebat, nutriebatur quinetiam & crescebat. Decimo verò quarto die ætatis vehementissimo dolore colico, cum vomitu frequenti, & (quod multò rarius) aliquo fluore correptus est. Excrementa prima die semiviridia, posteà tamen crocea, biliosa & spumosa conspecta sunt. Decimo quinto die ætatis urina planè retenta fuit, ita ut ne guttulam quidem emitteret. Atque in ea miseria, & maximis doloribus continuisque clamoribus 17. die ætatis è vita discessit. Ego doloris leniendi gratia, statim ab initio oleum amygdalarum dulcium recēs extractum, cum decocto seminis Anisi, & sacchato per intervalla exhibui, eodemque oleo totum ventrem inunxi. Sacculum item ex floribus meliloti, Chamomillæ, seminum anisi, fœniculi & fœnograeci, aqua coctum, calidè applicui. Nonnullos etiam clysteres anodynos & flatus discutientes injeci. Omnia tamē frustrà, flatus enim adeò tenaciter inhærebant intestinis, ut per totum tempus morbi, ne semel quidem efflatum crepitumque ventris emitteret.

Obs. 74. & 75.

Quæ post mortem observatione digna reperta.

Post mortem cū cadaver aperire curassem, conspecta sunt primò intestina omnia (cœcum excipio) flatibus extensa, non secus ac laniones intestina quadrupedum, cum illa conservare student, inflare solent. Nulla tamen aderat obstructio aut retentio excrementorum in intestinis.

2. Intestinis undique humor partim pituitosus, & viscidus, partim biliosus adhærebat.

3. In gibbo hepatis, ubi vena cava exoritur, insignis inflammatio cum nigredine inventa est, nunquid hæc causa retentionis urinæ esse potuit? Renes enim, ureteres, & vesica, (quæ omninò vacua) secundùm naturam sese habebant.

4. In inferiori parte splenis inflammatio quoque erat non exigua.

5. Stomacho undique humor atrabilaris adhærebat, nonne ille appetentiæ præternaturalis causa fuit?

Annon mirum est, & rarum quid, vir doctissime, tot tantaq; graviora symptomata in infantulo, ex matre alioquin optimè temperata, quæ & per totum gestationis tempus nunquam ægra corpore fuit, simul concurrere? Quomodo autē flatus sive seorsim, sive cum excrementis, quantumvis & attractione per clysteres facta non emiserit, præcipuè cum nulla esset excrementorum retentio, nondum satis intelligo: nisi id ad imbecillitatem facultatis retentricis referre velimus. Sed facultas, quæ excremēta expulit, nonne multò facilius flatus simul expellere potuit? Tu, vir doctissime, solve nodos, tuamq; sententiam nobis communica. Vale cum lectissima tua conjuge, quam tecum ego & uxor mea peramanter salutamus. Ultima Iulii 1603.

OBSERVATIO LXXV.

De miranda constipatione alvi in infante, & variarum rerum per alvum excretione.

ANno 1590. Hildenæ in patria praxin exercens, ad rustici puellum, decem circiter mensium ætatis graviter laborantem, vocatus fui. Ad quem cum pervenissem, ventrem prædurum ac inæqualem, veluti si hinc inde lapides inclusi fuissent, reperi. Tormina & dolores maximi, inquietudinesq; continuæ aderant: sugere quoque parùm appetebat. Ego cùm ex matre cognovissem, infantem à quindecim diebus ventrem non exonerasse, sequens enema infudi.

Obs. 75. & 76.

R. Radicum altheæ cum toto ℥ j.
foliorum malvarum
Violarum
florum chamomil.
Meliloti,
Lumbricor. terrestrium lotor. & incisor. an. M. ß.
Semin. lini
fœnogræci an. ℥. ß.

Coquantur in aqua ad consumptionē tertiæ partis. In ℥ iiij. colaturæ dissolve vitellum ovi, ol. liliorum & pinguedinis gallinæ an. ℥. ß. Misce.

Rejecit mox enema hoc, sine excrementis. Quapropter eadem die circa vesperam aliud infudi, ventri quoque sacculum emollientem & anodynum, ex supradictis radicibus, herbis & seminibus, continuò calidè applicui, & sequenti linimento inunxi:

Linimentum.

R. Ol. liliorum alborum,
Pinguedin. gallinæ,
Axungiæ humanæ an. ℥ ß.
Ungu. dialtheæ ℥ ij.
Misce, fiat linimentum.

Tum secundo isto enemate, non nihil excrementorum, supra modum induratorum, excrevit. De tribus quoque in tres horas parùm olei amygdalarum dulcium recens extracti, exhibui. Altera die iterum enema præscriptum infudi, sacculum continuò applicui, ventremque inunxi: hinc dolores & inquietudines multùm imminutæ fuere. Post dies aliquot cum usum horum medicamentorum continuassem, singulisque diebus enema unum aut alterum exhibuissem, diversas res, veluti plumas, lapillos, filum & stramen, per alvum, quotiescunque ipsi enema exhibebatur, excrevit, idque per dies multos. Tandem cum pristinæ sanitati restitutus esse adstantibus videretur: nec amplius me accerserent, mater quinetiam circa regimen vitæ, & applicationem medicamentorum præscriptorum, non satis diligens fuisset, è vita discessit.

ANNOTATIO.

Etiamsi aliquid præternaturale in hoc affectu subesse videatur, meo tamen judicio, hæc quæ excernebantur, per os ingesta fuisse, verisimile est. Quandoquidem mater rudis, & de infante parùm solicita, cum circa domestica, & rusticana sua negotia occupata esset, multoties interim dum illa peageret, infantem jam inter pulvinaria, jam ad fimum, & in horreo inter stramina assederat, & solum reliquerat, & quia infantes ea, quæ apprehendunt, protinus ore excipiunt, gingivisq; conterunt atque deglutiunt, facilè hujusmodi ingerere potuisse, rationi congruum videtur.

OBSERVATIO. LXXVI.

Prolapsum intestinum rectum quomodo reductum?

ANno 1605. Mense Novembri, quinquagenari[9] quidam ex pago prope Paterniacum, cum musto oneratus, ex oppido domum rediens, in via alvum exonerare vellet, ac sese inclinaret, prolapsum ipsi est intestinum. Et quia tunc aër frigidiusculus erat, exortus est dolor maximus, ita ut alterius ad suos progredi, neque ad oppidum redire posset. Verùm fortè fortuna à prætereunte quodam semianimis repertus, Paterniacum mihi adductus fuit. Tum intestinum rectum prolapsum, & ad magnitudinem ovi strutii tumefactum reperi. Dolor ingens aderat, & excrementa continuò, eaque liquida & viscida, effluebant. In curatione sic processi. Primò protinus sequens applicui fomentum.

R. Foliorum & florum verbasci albi,
flor. meliloti,
Chamomillæ
Radicum & foliorum altheæ ad M j.
Seminis lini
fœnogræci an. ℥ ß.
Anisi ℥ j.

Coquatur in lacte vaccino, recens emulcto. In decocto isto linteamina reduplicata intinxi, & per horam integram calidè applicui. Deinde toti intestino sequentem inspersi pulverem.

R. Rosarum rubearum,
Corticum granatorum,
Nucum cupressi,
Masticis,
Thuris,
Croci matris
Plumbi usti an ℥ j.
Misce, fiat pulvis.

Tandem caput ægri in terram inclinavi, pedes verò ut in altum à duobus viris fortibus elevarentur, operam dedi, mox indice meo dextro, linteo molli & suavi involuto, & decocto præscripto intincto, nec non in centro ejus quod prolapsum fuerat posito, intestinum in locum suum feliciter reduxi. Altera die os sacrum & coccygis sequenti linimento inunxi.

R. Ol. lumbricorum
Rosarum ana ℥ j.
Ol. ex floribus ℥ ß.

Misce. Sequenti die syrupo rosato solutivo composito, cum rhabarb. agarico, & senna, corpus leviter leniterq; expurgavi, venamque in brachio incidi. Sic in pristinam sanitatem restitutus fuit, nec postea amplius prolapsum est intestinum. Plura de hoc affectu lector videre poterit in tractatu nostro de dysenteria.

OBSERVATIO LXXVII.

De miranda agglutinatione ossium in ipso cubito.

Viro Reverendo ac Clarissimo, Domino Dn. ANT. FAYO S.S. *Theologiæ apud Genevenses Professori celeberrimo, Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.*

POstremas tuas, vir Reverende, & æternùm mihi colende, à Dn. ABELO VITELLIO Soluduri accepi. Affectus ejus gravis est, in ipsa enim cubiti flexura, circa musculos & nervos, materia quædam in scirrhum concreta, extensionem, flexionemque cubiti impedit, præscripsi me-

psi medicaméta varia, fomentationes, inunctiones & emplastra emollientia, resolventia & corroborantia; quæ si ritè & cum diligentia adhibita fuerint, non dubito, quin maximum emolumentum inde capessurus sit. Domi meæ si fuissem, libenter, uti petiisti, ipsum apud me retinuissem, omniaque ipsemet diligenter adhibuissem; id verò quia fieri non potuit, in patria, quid ipsemet per famulum efficere possit, tentabit.

Cæterùm quia R.T. circa res medicas raras & speculatione dignas, curiosam esse sciam, mirabilem quandam structuram & dispositionem ossium circa cubitum nunc adscribere visum est. Habeo in musæo meo ossa sinistri brachii, hominis consistentis ætatis, quæ mihi ab amico data fuêre, quæque Dn. PAULUS OFFREDUS, & Dn. ANDREAS TOXOTIUS (qui has tibi traditurus est) Medicinæ Doctores, hisce diebus non sine admiratione apud me viderunt. In eis autem ossibus cubitus non flectitur; sed mediante callo omninò & undique, veluti si continuum esset os, agglutinatus atque conjunctus est. Quæ verò hujus affectus fuerit causa, me latet, in cœmiterio enim reperta fuêre. Arbitror tamen, fracturam & ulcera circa cubitum adfuisse; idque inde conjicio, quod etiam nunc callus extuberans in ipso humeri seu brachii osse appareat, fracturam hancce sequutam fuisse inflammationem & affluxum humorum maximum, nec non circa cubitum abscessum, verisimile mihi videtur. Hinc ab humore acri, qui propter doloris vehementiam, ad articulos sauciatos cum impetu fluere solet (quemque Chirurgi Germani, Langii verbis utor, ineptissimo vocabulo Glidwasser; hoc est aquam articulorum vocant) ligamentis erosis ac putrefactis, humor ille lentus, qui articulis inest effluxit. Posteà quoque à prædicto humore isto acri crustulæ illæ cartilagineæ, quæ appendices ossium tegunt, similiter erosæ fuerunt, ita quidem ut partes spongiosæ apophysium, tam ossis humeri quam etiam radii minoris, & focilis majoris sese ad invicem attingerint: inde nutrimento ad utrumque os delato, callum productum fuisse censeo. Ab ipso porrò callo articulus, uti dixi, veluti vinculo ferreo colligatus fuit.

Ex his, vir clarissime, mirandam naturæ providentiam conspicimus. Erosis enim ligamentis & deperdito humore viscido, crustulis item cartilagineis consumptis, articulus absq; dolore moveri nunquam potuisset, præstabat itaque ægrum non movere articulum istum, quam movendo continuò doloribus affici. Reverendus Dn. JOH. MERULA T.R. quam officiosè salutat, præteritis diebus morbo, & quidem acuto, correptus fuit: nunc tamen paulatim, laus sit Deo, vires suas recolligit. Vale vir clarissime cum tuis omnibus, quos tecum ego & uxor mea salutamus peramanter. Paterniaci Aventicorum 23. Novemb. 1609.

NOTA.

De connectione ossium juncturarum lector in tractatu nostro de Ichore & meliceria Celsi, capite 25. plura videre poterit.

Obs. 78.

OBSERVATIO LXXVIII.

Ex intempestivo usu repellentium ad emunctoria applicatorum, mortis periculum sequutum.

PRæclara est sententia, quam Hippocrates scriptam reliquit, inquiens, Erysipelas ab exterioribus ad interiora verti, non est bonum. Idque non solum in Erysipelate & inflammationibus, verùm etiam in reliquis omnibus abscessibus; præcipuè si in ipsis emunctoriis, aut circa eadem fuerint, utplurimùm observare licet, uti quoque Avicenna, Mesues, Guido, Vigo, & alii monent. Emunctoria enim cum partes sint raræ, molles, laxæ, spongiosæ ac debiles, materia ab illis facilè ad partes nobiles, quæ eis sunt proximæ, repellitur. Exemplum Coloniæ in quadam matrona honesta observare licuit: Illa quum à marito suo ad humerum baculo percussa, indeque pars affecta in tumorem elevata fuisset, Cataplasma ex bolo armeno, farina hordei, aceto & albumine ovi confectum, sibi applicuit. Post dies tamen aliquot, cum morbum ingravesceret sensisset, me accersivit. Tum ipsam febre, dolore lateris, tussicula quin etiam & respirandi difficultate laborantem inveni. Ex quibus materiam propter intempestivum repellentium & refrigerantium usum ad pectus, pleuram & musculos respirationi inservientes defluxisse, facilè colligere potui. Curationem porrò sic aggressus fui. Instituta optima victus ratione, injectoque enemate cõmuni, venam eadem die, & quidem in ipso brachio malè affecto, incidi, & sanguinem ad uncias circiter octo extraxi, plethorica enim erat, viresque constabant. Totum item pectus, scapulam, humerum & brachium sequenti linimento inunxi.

Lib. 6. Aphor. 25.

Linimentum.

R. ol. lilior.
violar.
amygdal. dulc.
pingued. gallinæ an ℥j.
pingued. humanæ, (valdè enim dolores lenit.) ℥ß.
unguenti dialtheæ ʒij.
croci ℈ j.
Misc. fiat linimentum.

Sequenti quoque electuario continuò utebatur.

Electuarium.

R. specier. tragacanth. frig. ʒij.
specier diaireos ʒj.
pulver flor. scabiosæ & tussilaginis an. ℈ ij.

Cum s. q. syrupi de liquiritia & violar. fiat electuarium. Circa vesperam enema reiteravimus.

Altera verò die, ut materia ex pectore ad emunctoria & cutem propelleretur, sequens sudorificum propinavi.

Sudorificum.

R. theriac. opt. ʒij.
lapidis bezoard. gr. 6.

Obs. 78. & 79. Cum aqua scabiosæ & cardui benedicti F. potio, exhibeatur in crepusculo matutino.

Sudorista die copiosè promanavit. Hinc dolor lateris, tussis, febris, omniaque symptomata protinus imminuta fuêre. Et quum per dies aliquot electuario, ac unguento præscripto usa fuisset, Dei beneficio convaluit. Contusionem præterea brachii & humeri sequenti cataplasmate restituimus.

Cataplasma.

℞. farinæ fabar. &
lentium an. ℥ iij.
pulv. flor. chamomil.
meliloti
sambuci
absynth.
rosar. &
baccar. myrtillor. an. ʒ j.
sem. fœnograeci,
anisi ana ʒ ij.
sapæ ℥ ij.

Cum vino rubro fiat cataplasma, quod calidè applicetur, bis in die. Ante cataplasmatis verò applicationem, totum brachium, humerum & scapulam oleo nostro ex floribus calidis inunximus.

OBSERVATIO LXXIX.

Scirrhi gravissimi ad carpum curatio.

MAtrona quædam nobilis Bernæ, cum nimis violenter sibi contudisset manum dextram, circa carpum exortus est dolor, cum totius manus inflatione, varia adhibuit remedia, tandem remansit scirrhus, qui etiam à viris doctis incurabilis judicatus est: videbatur enim aliquid malignitatis in se continere. Post annos aliquot ad me venit Paterniacum, tum ad carpum dextrum ex interna parte brachii, scirrhum prædurum & magnitudinem ovi gallinacei adæquantem inveni, digitos inflectere non potuit, quandoquidem scirrhus iste musculo, qui digitos flectit, & eo quidem in loco ubi in quatuor carneas distribuitur partes, tenaciter inhærebat. Adhibitis universalibus, quemadmodum in præcedenti observatione diximus, cauterium potentiale applicui, ablata eschara, per dies aliquot materia tenuis extillavit, postà profundiùs escharoticis erosa carne, materia crassa, viscosa, & aliquo modo flavescens sese offerebat, quam vi quadam exprimere cogebar, spongiis tamen prius dilatato ulcere. Materia autem illa postquam per aliquot horas aëri exposita esset, lapidis instar concrevit atque induruit. Multum hujusmodi materiæ, & quidem diversis vicibus extraxi: inveniebatur enim ductus ab ipso ulcere, quod erat ex superiore parte carpi cubitum versus, usq; in ipsam palmam manus, subter ligamento trāsverso, & inter extuberantias illas quinti & octavi ossis carpi palmam intrans. Medicamentis ipsis mundificato ulcere, cicatricem feliciter induxi.

Reverendus Dominus Nicolaus Viretus, verbi divini Minister, cum in juventute non satis rectè ex parotide curatus esset, durities ex dextra parte remansit, & paulatim in scirrhum induruit, qui postea Anno 1606. propter affluxum aliorum humorum, & causam aliquam procatarcticam, ad suppurationem pervenit. Ego in consilium adhibitus, abscessum aperui, & materiam intus lapidis ferè instar induratam, & membranæ inclusam, atque tenacissimè adhærentem reperi.

OBSERVATIO LXXX.

Vlceris pudendorum, cum erosione testiculorum curatio.

IUvenis quidam robustus, & viginti annorum circiter ætatis, natione Sabaudus (cujus nomini parco) ulcus ex lue venerea, in parte decliviore scroti contraxerat, cum capitis & articulorum doloribus nocturnis, aliisque signis certissimis luis venereæ. Venit ad me Lausannam Anno 1601. tum dimidiam partem scroti, simul & testiculorum exæsam reperi. In palato quoq; ulcus cum ossis carie erat. Instituta optima victus ratione, corpus sequentibus pilulis purgavi.

℞. mass. pilularum aurearum,
Aggregativar. &
de fumo terræ ana ℈ j.
Trochisc. alhandal. &
Diagridii ana gran. quatuor.

Cum syrupo de betonica fiant pilulæ quinque, involvantur pulvere cinamomi, denturque in crepusculo matutino, cum custodia. Postridie basilicam sinistram incidi, & sanguinem ad uncias septem extraxi, sinistram autem propterea eligere visum est, quod caput ipsi maximè in illa parte doleret, & ulcus in palato præcipuè ad sinistram mandibulam vergeret.

Deinde sequens apozema exhibui.

℞. radicum cichorii tot.
radic. polypodii
lapat. acuti
corticum interior. radic.
fran. ana ℥ j.
scabiosæ
veronicæ
betonicæ ana m. j.
passular. enucleatarum
liquiritiæ rasæ ana ℥ j.
sem. anisi &
fœniculi an. ℥ ß.
trium florum cordialium an. p. 1.

Coquantur in s. q. aquæ purissimæ, ut colatura redeat ad ℔ iij. quibus infundantur, macerentur & coquantur s.a.

foliorum senæ à stipitibus repurgat. ℥ ij.
agaric. recent. trocisc at.
hermodactylorum
rhabarb. optim. ana ℥ ß.
cinamomi ʒ ij.
zingib. ʒ j.

Maneant in maceratione horas octo, inq; loco calido, orificio vasis bene clauso. Deinde iterum leviter calefacta omnia, fortiter exprimatur, addanturque

syrupi de epithymo
rosarum solutivi ana ℥ ij.

Misce.

80. 81.

Misce, fiat apozema pro quinque dosibus, in aurora sumendum. Porrò, quia à primo & altero haustu mediocriter purgatus fuit, per diem unam aut alteram quievit: Denique reliquam partem sui apozematis sumpsit, postremæ dosi, ut violentius ipsum evacuaret, drachmas duas conf. Hamech admiscui. Interim dum corpus ita præpararem atque expurgarem, nihil eorum quę circa ulcus necessaria videbantur, omisi. Deinde juncturas, cubitos scilicet, carpos, genua, pedesque unguento ex Mercurio, usque dum dolor & inflammatio gingivarum, & expuitio pituitæ subsequeretur. Hinc dolor capitis & juncturarum remisit, ita ut à Lue venerea simul & ab ulcere scroti & testium feliciter curatus fuerit, & ad hunc usque annum 1608. quo hæc scripsi, sanus & incolumis vivat, prolesque ab eo tempore procreaverit; ex ulcere palati tenuis excidit squama ossis, quod itidem posteà curatum fuit.

OBSERVATIO LXXXI.

Ecchymosis insignis partium genitalium, cum maxima intumefactione scroti & testiculorum, feliciter sanata.

PAterniacensis quidam ex primariis, quadragenarius, vir pius, robustus & sanguine adusto crassoque præditus, cum in celerrimo cursu equestri unà cùm equo in terram corruisset, genitalia & inguina sibi supra modum contudit. Denuò tamē conscenso equo iter suum absolvit, Altera die retentio & dolor exortus est, interim nescio quonam medicamento usus fuerat. Ego quarta die accersitus, scrotum & virgam aliquo modo tumefactam, sed carbonis instar nigram reperi, nulla tamen aderat durities, nec dolor admodum gravis. Primò itaque instituta victus ratione, totum inguen rosaceo inunxi, & sequens cataplasma calidè applicui.

R. farinæ hordei &
fabarum an. ℥ij.
pulver. rosar. ℥j.

Coquantur vino rubro, parumque aceti ad formam cataplasmatis: tum admisce ol. rosacei parum, vitellumque ovi cum albumine. Sequenti die sequens pharmacum propinavi.

R. pulveris nostri laxativi ℈ij.
syrupi rosat. solut. compositi cum rhabarbaro, agarico, & sena ℥j. Cum s. q. decocti agrimoniæ, veronicæ, cuscutæ & sem. anisi, fiat potio, qua clementer ea die purgatus fuit. Postridie à purgatione venam in brachio sinistro incidi, sanguinisque uncias septem circiter extraxi. Præscriptum cataplasma per dies quatuor aut quinque quotidie bis applicui, partemque oleo rosaceo inunxi. Deinde sequentem sacculum ipsi præparavi.

R. rad. altheæ ℥j.
absynthii vulgaris
rosarum
origani
Agrimoniæ, valet enim à tota proprietate inflatione testiculorum, ut M. Joh. Trengius Amstelrodamensis expertus est,
flor. chamomillæ
meliloti, &
sambuci an. m. j.
sem. anisi
cumini &
fœnigræci an. ℥. j.

Incidantur & contundantur, indanturque sacculo, quem intertextum & vino rubro cum aqua incoctum, calidè ter quaterve interdiu applicare jussi. Post fotum partem affectam, sequenti linimento inunxi,

R. ol. chamomil.
Anethini, &
Lumbricorum an. ℥j.
salis subtilissimè pulverisati ʒij.

Misce, fiat linimentum. His divino favore curationem intra paucos dies feliciter absolvi.

Obs. 82. & 83.

OBSERVATIO LXXXII.

Quidam cum ipsi excidendus esset tumor scirrhosus, ex interna parte femoris, in ipsa operatione animam DEO reddidit.

QUàm utilis, ne dicam necessaria, Cheirurgo sit cognitio Anatomiæ, etiamsi ex observa-35. tis superque appareat, aliud exemplum non minus memorabile quàm funestum, in gratiam juniorum Cheirurgorum annectere visum est. Germano cuidam magni nominis viro, ex frequenti equitatione, aliisque causis tuberculum ex interna parte femoris ortum fuerat. Quod ab initio & quidem per multos annos ipsi non usque adeò molestum fuerat. Tandem verò, provectus aliquomodo ætate, cum dolere accrescereque cœpisset tumor iste, extirpationem tentare voluit æger. Empiricum itaque audacissimum, in operationibus tamen Cheirurgicis exercitatissimum, rerum verò anatomicarum planè ignarum advocari jussit. Is cum illustrem Dom. ægrum ad scamnum ligasset, nullaque insignis istius rami venæ cavæ, qui ex interna parte femoris, poplitem versus descendit, habita ratione, novaculam nimis profectò audacter, nimisque profundè infixit, ramumque prædictum venæ cavæ abscidit. Cum verò nullum in promptu haberet cauterium actuale, ac sanguis copiosè & cum impetu efflueret, protinus æger piè placidèque mortem cum vita, maximo cū luctu subditorum suorum, commutavit.

OBSERVATIO LXXXIII.

De cucurbita monstrosa.

Clarissimo ac celeberrimo viro DN. CASPARO BAUHINO, *Illustrissimi Ducis Wirtebergici & Comitis Mompelgardi, &c. Dn. Medico nec non Anatomico & Botanico in celeberrima Academia Basiliensi, celeberrimo,*

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

QUod natura aliquando monstra & prodigiosa, vir clarissime, procreet, id in homine

Obs. 83. propter imaginationem vehementem mulieris, dum utero gerit, minus rarum est; in plantis verò rarissimum. Hinc T. Exc. ut quæ cum Anatomicis, tum Botanicis totam sese consecravit studiis, præsentem delineationem cucurbitę monstrosę non ingratam fore arbitratus sum. Monstrosæ inquam. Ex tenuissima enim radice, quæ crassitiē pollicis vix superabat, talis excrevit plāta, ut cunctos in sui admiratione rapuerit. Caulis à radice altitudine octo pedum rotundus erat, posteà sese paulatim in tantam latitudinem extendebat, ut superior pars, quæ in sex diversos surculos divisa fuerat, latitudinem duorum pedum cum dimidio excederet. Crassitudo caulis erat duorum digitorum, in latitudinem positorum, longitudo verò viginti novem pedum. Cavus itē erat; & ab inferiore parte ubi incipiebat in latitudinem excrescere, usque ad superiorem, exiguis & elegantissimis plicis exornabatur. Undique folia ex caule prominebant, eaque non confuso, sed optimo quodam ordine; ut plurimùm enim in uno ordine sex, nonnunquam quoque octo vel decem numerabantur folia. Dicti ordines spithamæ circiter longitudine inter se distabant, ita tamen ut in medio, inter utrumque ordinem folia duo, aut tria propenderent. Flores hinc inde multi lutei exsurgebant, fructus tamen nullus provenit, ego plantam hanc exsiccatam habeo, in qua hæc omnia etiamnunc bellè observare licet.

Crevit autem anno superiore 1608. Paterniaci in Dn. JOHANNIS BONDY, ibidem Tribuni plenis prudentissimi horto, qui ad Brojam fluvium, locum satis humidum situs est. Id tamen admiratione non vacat, nec T. E. speculationibus indigna quæstio est. Nimirum quomodo ex simili semine, & ex una eademque cucurbita exempto, monstrosa hæc & aliæ, quæ naturæ ordinem observabant, eodem anno & in eodem horto simul provenerint? Delineationem ad vivum (quantum quidem fieri potuit) factam, tibi in Botanicis exercitatissimo transmitto; quam ut hilari fronte excipere non dedigneris, etiam atq; etiam rogo. Vale vir amplissime, & me, ut facis, amare non desine. Soloduri ex ædibus nobilissimi Viri Dn. JACOBI WALLIER, ubi etiamnunc circa filium ejus, ictu bombardæ gravissimè læsum, occupatus sum, die 28. Octobris Anno 1609.

(o)

Obs. 83.



De cucurbita monstrosa D. CASPARI BAUHINI Doct. Medici, ad Guilhelmum Fabricium Hildanum responsio.

S. Debebam equidem, præstantissime D. Fabrici, dudum tuis respondisse, sed negotiis, occupationibus & peregrinationibus adscribas, rogo. Respondebo ad Cucurbitæ monstrosæ Historiam paucis. Legitur apud Plinium libro decimo nono, capite octavo, & quidem ex Theophrasto de Lactucæ generibus, ubi monet unum dici laticaulem, adeò ut ostiola olitoria ex his factitari prodiderint. Et sanè mirum non videtur, quod de Lactuca laticauli scribitur, aliquando ejus caules ob amplam latitudinem hortorum valvis utilem esse: vidimus enim ejusmodi plures plantas, maximè Echium vulgò dictum, quod caule fuit latitudinis digitorum quatuor, paucis ex eo foliis prodeuntibus, ad bicubitalem altitudinem, quod hîc Basileæ collegimus: dein Lingonis ad me missum fuit: tum Bernæ mihi à Dom. D. Lentulo tanquam planta indicta ostensum fuit.

Vidimus & Betam laticaulem in historia Lugdunensi depictam: sic & Hieracium Sabaudum Lobeli, Rutam caninam, Tithymalum Cyparissæam, & nonnullas alias. Verùm quandocunque caulis in spaciosam latitudinem crescit, tunc pauca folia obtinet, utpote nutrimento in caulem absumpto, quod huic quoque cucurbitæ contigit, & pluribus aliis contingere potest: sic ergo mirum non est, fructum nullum successisse. Nunc ad Historiam Anatomicam.

Quod

Quod de emulgente duplici scribis, novum non est, cum etiam triplex aliquando reperiatur, ut Bartholomaus Eustachius in opusculo suo de renum structura, aliquot figuris varietatem vasorum emulgentium expressit. Habet etiam Botallus, in libello de Catarrho, miram figuram, renum quatuor in unam molem concretorum, cum variis emulgentium propaginibus. Et sanè si qua in parte corporis humani ludit natura, id fit circa venas renum, vasa spermatica, venas brachii, & venæ azygos implantationem.

Ostendit mihi Doct. M. Vrstisius effigiem plantæ Granadillæ; de fructu prius legeram apud Monardem, & in Historia Lugdunensi, sed utrum figuræ non accesserit aliquid fictitii, valdè dubito, præsertim quod is qui plantam describit, clavorum non meminerit, qui fortè figuræ affictæ: miror unde sumpserit, coronam Christi ex tot spinis septuaginta duabus, quot recenset, constitisse. Audio, hanc figuram cum addita descriptione puplicè vendi Parisiis, ita referente mihi D. Solinandro, qui nuper Lutetiâ venit: venditur etiam in Italia sermone Italico: expectabimus, donec aliquis ipsam plantam adferat. Optarem intelligere, tibi ne notus sit ille D. Claudius Chapius: si tibi sit notus, rogo, ut ex eo cognoscas, quis sit ille Witeles, qui nuper Peruvianam historiam scripserit, cujus ipse meminit, quâ linguâ sit editus, & ubi impressus: item quis sit ille Monsieur Duré, cujus librũ scribit Lutetiæ impressum, ubi impressus, quâ linguâ, & an figuras habeat? Tandem scripsit ante paucos dies ad me Dn. D. Philibertus Saracenus, se tibi communicasse observationes suas circa lapidem Bezoar in Dysenteria, ut abs te exemplar ejus Epistolæ peterem: rogo ergò Vir præstantissime, ut ad me mittere digneris, scis enim me de lapillo Bezoar diversorum clarissimorum Virorum opiniones inquirere. His vale Vir præstantissime & amicissime. Ocyus Basileæ 17. Martii 1610.

Clarissimo ac Celeberrimo Viro Dom. Casparo Bauhino, *Illustrissimi Ducis Wirtenbergici, & Comitis Mompelgardi &c. D. Medico, nec non Anatomico & Botanico in celeberrima Academia Basiliensi ordinario, & longe celeberrimo,*

Guilhelmus Fabricius Hildanus,

S. P. D.

Quæ ad cucurbitam monstrosam respõdisti, Vir amplissime, accepi, & pergrata mihi fuere. Echium, de quo scribis, non ita pridem Bernæ à Dn. D. Paulo Lentulo mihi ostensum fuit; Betam laticaulem habeo, quam Dn. Mag. Urstisius mihi communicavit, Superiori anno hic in saliceto surculus salicis, latus, & monstrosus profectò repertus fuit. Illum ego inter rara mea reservo. Habeo & plantam fumariæ exsiccatam, quæ mihi in horto crevit, quamque Reverendus Vir Dn. Amandus Polanus, non sine admiratione apud me vidit, quæ octo pedes longa est. Sed cucurbita mea omnium rarissima est planta, & naturam in plantis, æquè ac in hominibus monstra producere, testis esse potest. Effigiem Granadillæ Augustæ Vindelicorum, cum descriptione Germanica impressam, Nobilis ac strenuus Vir Dn. Laurent. Arecker, Solodurensis consul prudentissimus, ante paucos dies dono ad me misit. Sed suspecta mihi est delineatio illa. Neque Dn. Chapusium Virum egregium, quique multas regiones peragravit omninò illam approbare, ex ipsius annotationibus in plantam hanc, satis apparet. Ille autem de facie mihi notus, & per literas familiarissimus est. Nudius tertius ad ipsum scripsi, ut qui nam Witeles è Dure fuerit, ex ipso intelligerem. Responsum cumprimùm accepero illud ad te mittam.

Observationes Clarissimi Viri Dn. D. Philiberti Saraceni, circa lapidem Bezoar non accepi. De Dysenteria gravissima, quæ superiori anno Lugduni multos homines è medio sustulit, quidem ad me scripsit. Lapidis tamen Bezoardici nullam habuit mentionem. In Belgio in frequenti usu est, illumq; multoties felici cum successu exhibui, ut proculdubio ex Dn. D. Döringio (cui ego plura, quæ circa hunc lapidem observavi, communicavi) intelligere potuisti: Vale Vir Amplissime, & me quod facis, ama. Raptim Paterniaci 10. Aprilis. 1610.

Obs. 83. & 84.

Observatio LXXXIV.

De cancro gravissimo Linguæ.

Valentinus Rulandus Doctor *& Medicus Palatinus ordinarius, Dn. Guilhelmo Fabricio Hildano, Medico & Cheirurgo præstantissimo,*

S. P. D.

Verè dicit Seneca, clarissime Dn. Fabrici, *amicum tardè acquiri, sed citò amitti, Hoc malum ne nobis contingat, amicitiam nostram, nuper hîc contractam, quamvis absentes, literis tamen conservare studebimus: Ego te amicum, & tardè acquisivisse memini adhuc. Annus enim nunc tertius venit, quò Athenis Rauracorum vivens, tua erudita scripta, à Doctissimis magnoperè commendata, legendo, summæ humanitatis quasi quodam sale perspersa, vidi: ut nihil nunc dicam de experimentorum tuorum historiis, bonâ ibi fide descriptis, & publicitùs communicatis, quibus Cheirurgiæ politioris curationibus humano generi consultum cupis maximè, unde meritò cum talis quilibet sit mihi* ἄλλος ἐγώ, *te mihi amicum exoptavi. Attamen voti compos non factus ibi, summæ medicæ artis Doctoris honoribus & privilegiis in me, ex inclyto Dn. D.* Bauhino, *sub Magnifici Dn. D.* Felicis Platteri *Decanatu susceptis, Basileâ quidem discessi, spe aliquando me te visurum & allocuturum: Fortuitò ergo in acidulis Vberkingensibus cum Illustri Dn. Barone à Rechberg obambulando, de Illustr. Dn.* Geitzcoffleri *à* Geilenbach *&c. calculoso vesicæ affectu colloquens, tui, (uti veritas jubet) honorificam mentionem feci; teque chirurgum non experientia solùm, verum medicis insuper præceptis illustratum, ita laudavi, ut ope verè Illustris illius ac venerandi senis suasu, ab Illustri Domino* Geitzcofflero *cum aliis vocatus, illum ipsum (adhuc benè valentem) & à calculo, sectione optimè liberaveris, & tè mihi in variis rebus, præsertim chirurgicis, exoptatum amicum præstiteris.*

Vt autem sentias præstantissime Chirurgorum, animum erga te meum adhuc fervere, en, ne te citò amittam, cancrosi istius affectus, quem præsens vidisti, veram & a me rogatam delineationem; cujus transmittendâ

Obs. 84. *mittendæ moram, oro ne ægrè feras: secundò enim navigantium flumine incuria factum, quod nostræ epistolæ Viennam usque translatæ, in reditu primum oblatæ fuerint: inde modo cursu publico, fratris mei MARTINI, Medici Cæsarei, literas hic tibi exaratas, Pragâ acceptas mitto.*

Ratione officii à Serenissimo Principe ac Domino, Dn. PHILIPPO LUDOVICO Comite Palatino Neoburgico, &c. mihi in Patria demandati, inter alios alumnos Illustris Scholæ Lavinganæ, mense Februario curandus ad me venit amicus, meus consanguineus SEBALDUS AGRICOLA, Superintẽdentis Neoburgici piæ memoriæ filius, adolescens pius, doctus, sanus aliàs, aspectu & corpore robustissimus, sed nimia severitate alter Cato: hæreditario quasi malo sermonem nunquam articulatim explicabat, lingua crassa, ex copia humoris affluentis ab humidiore cerebro, ob quod etiam pater ipsius p.m. continuis distillationibus obnoxius, neglecto consueto ligni Guajacini decocto, feliciter aliàs usurpato, tandem Apoplexia mox perculsus obiit.

Filio prædicto (sequentia omnia fideliter referenti) in extremitatis linguæ magis dextrâ parte, ineunte æstate, tuberculum valdè exiguum ab initio erupit. Mox ad ciceris, postea fabæ, tandem neglectum, ad castaneæ minoris, majorisque quantitatem, absque omni dolore, insigni tamen duritie, sensim excrevit, ita tamen, ut fili instar majoris hujus tuberculæ radicem per linguæ compressæ substantiam ego cum chirurgo tacta sparsam deprehenderim. Eadem magnitudine Mense Februario subsistit. Præcedentibus autem ineuntis hyemis mensibus, non solum bubo frigidus indolens, & induratus, (ovi instar anserini magnitudine, qua erupit, eadem quamvis remediis exceptus, ad ægri usque vitæ finem pertinax quievit: æquè cum scrophulis forsan cancrosa malignitate rebellis futurus fuisset, si vitam longius æger pertraxisset) verùm etiam in glandula post aurem dextram sita, parotis frigida at mollis prominebat. Uno & altero die sensim amandata, ad emunctoria dictæ saltem partis sub mandibula inferiore, & musculis ossis hyodis ac linguæ, sensem longa serie in χοιράδες & scrophulas terminabantur. Hoc modo singulis ferè septimanis ineuntis hyemis, ad ineuntem, in qua obiit æstatem, inprimis Luna crescente, parotis recens, frigida, mollis iterum, tandem ad emunctoria, sub mandibula in scrophulas semper desivit, tam induratas, ut in calculos abiisse materiam, tacta putasses, tamque ingentes, ut cum scrophulis sinistræ partis ex eisdem parotidibus enatis, sibique obviis, tandem totam illam cavitatem, quæ est in colli totius sub mento ambitu, impleverint.

Crescentibus sic in dies scrophulis, suæque valetudinis curandæ negligens, demum coactus, mense Februario me consuluit: illius natura linguæ & colli tumoribus, aliisque ex ægri relatione consideratis, statim suspicabar tubercula hæc cancrosa prodiisse: mihi enim tunc in mentem veniebat venerandi illud Galeni: Cancrosa scilicet esse omnia, quæ ab attrabilario succo induruerint. Propterea non esse vulgares, sed malignos tumores pronunciabam, atque prius alteri Medico, hoc ipsum malum dijudicandum offerat, ipsi mandavi. Illo tum peregrè absente, aliquandiu, ne nihil agere videar, aliquid remediis leniendo coactus egi: ob intensissimum enim frigus, quod tempore Bacchanaliorum duravit, malum indies augebatur, cum scrophulis lingua in magnum tumorem suffocationis periculo non solum elevabatur, verum illud ipsum tuberculum liguæ cancrosum, eodem die vidi cum pustula, prope venam, sub lingua, raninam dextram atro sanguine turgente, quam æger sæpius exerendo linguã tumidam, dentibus fricando aperuit, quâ evacuatâ, ne instante nocte omnia augeantur, avertebam humorum affluxum: inde etiam ex præscripto colutorio, & irrigatione oleo ligni juniperini seu corylini facta, sicque per os derivando materiam, paucis horis lingua planè detumuit. Altero die Syrupus cum decocto diasenæ exhibitus, ut & sudorifera sequentibus diebus assumpta, feliciter, ac magno ægri levamine operabantur. Postea alter Medicus, me absente (cujus tamen adventum ad veram & methodicam hujus ægri curam suscipiendam præstolabar.) ferè per mensem, præmissis etiam purgationibus, linguæ tuberculo imposuit digestivum, sed omne incassum, sic enim digerendo ulcusculum indiès latius serpsit. Quare alter Medicus suum patientem incurabilem, nisi malum sectione auferatur, proclamabat, & absque ullis remediis desperatum, neque unquam attingendum putabat. Eodem tempore astans ego Matri, ob filium suum medica ope exclusum ejulanti, non modo rogatus, verum inprimis συμπαθεία Christianorum (qua membris fide & dilectione nobis annexis omnibus, ad mortem usque opem ferre jubemur, cum in desperatis admirabilem sanando Deum viderim) commotus, mea pauca & certa remedia repetii. Erat enim cancrosus adhuc lacertosus, & viribus validus, benè & comedebat & dormiebat. Quapropter ex præsentibus signis, quam minimè curatio eradicativa certò sit speranda, præsagiens, curam palliativam, quâ cancri augmentum prohiberi, aliaq; symptomata demoliri queant, amplectendam suasi. Ustioni aut sectioni, quam senior Medicus suadebat, semper meritò contradixi, ab Hippocrate & Galeno sect. 6. Aphor. 38. fideliter admonitus, pars enim affecta nunquam gangrænosa manifestè apparebat, quam alter Medicus suspicabatur, ut jam de hoc curandi modo, præsertim hic periculosissimo, & calumniis exposito, nihil dicam, quo saltem ulcus ablatum fuisset, latente per amputatæ linguæ substantiam maligna radice.

Decimo ergo Martii rogatus, primum præscripsi convenientem diætam: deinde cum sufficientissimè à nobis binis Medicis perpurgatum corpus fuisset, talibus evacuationibus supersedi, leviores tamen, jubente ægri natura, non negligendo. Deinceps venam salvatellam aperiri jussi: postea sudorifera, occulta virtute cancro inimica, alternis diebus (quod tempus si neglexit, recens parotis statim erupit) citra molestiam præbui.

Sequebatur colutoria, optimè partes oris carcinomati vicinas defendentia. Denique exulcerato linguæ cancro, aquam abstersoriam ex stillatitiis plantaginis, carduis & ligni Heraclini, nec non pollinem ulceri inspergendum ex carduo benedicto, nicotiana, & trochiscis è viperis, magno emolumento ægri ordinavi.

Præterea adhibitis prædictis, post horam cataplasma ex sacchàro cando, floribus sulphuris & theriaca, cum oleo ligni Heraclini ad justam consistentiam redigendo, nunc ficubus, nunc panno cerato ulcerata linguæ imponi, & per famulum aut chirurgum usurpari curavi: qui ambo in administratione remediorum diligentissimi erant, bis enim plerumque singulis diebus, si non peregrè advocatus, affectum tangendo ipsis adsui. Miror autem sæpius, Berchkmannum famulum

mulum, quo meliorem nunquam apud ægrotos optarem, mihi noctu patienti accumbendo, interdiu cancrosa industriè meis remediis tractando, tam ingentē fœtorem sustinere potuisse, absq; manifesto damno. Sic indies, Clarissime Dn. FABRICI, cataplasmatis operatio mihi arridebat, cujus vim in his & similibus affectibus admirandam, oriri puto ex oleo ligni Heraclini sive corylini, hujus virtutem nobilem indies curando laude experior.

Instante Majo, cancer exulceratus indies omnium admiratione tumore mollior, fœdo & sordido ulcere mitior, imò labris primum crassis tumidis, duris, postea etiam nodosis, inversis, elatis, ac profectò aspectu horridis, subsidens & evanescens apparuit: ita, ut interim nunc sanguinem Melancholicum (at per aliquot intervalla) guttatim ad libras duas: nunc saniem ichorosam, fœtidam & cadaverosam, at quandoq; atram eructaverit: venulis atro cruore & melancholica fece deoneratis, tumor evanuit: ac malignitate extincta ulcus saniem laudabilem fusit, in exulceratæ linguæ cavitate detersâ, caro non livida, sed rubella, proba, & sana sensim succrevit: ita ut jam cicatrice obducenda foret, nisi rimulam literæ instar C. admodum parvam, cum natura etiam studio apertam aliquantulum reliquerim.

Quum sic rem in vado esse sperassem, in lateris ejusdem scrophulæ sub mandibula inferiore, quas indies auctas antea scripsi, tumore serpentes intro ad linguam sese insinuarunt, ibique sub lingua in cancrum manifestum terminabantur, quem dudum metuebam, quemq; foras elicere, & aperire summo studio, præsertim cum calore in rubro nigricante id simulaverit, laborabam, at hic funis (ut in proverbio) nihil attraxit, sed linguæ frenum partim exedendo, labro albicante, nodoso, sensim magis inverso, demum cruento, tandem exulcerato, paucis diebus ita rebellis factus est, ut sibi incumbentem & sanescentem linguæ extremitatem, cataplasmate insuper interposito, tamen per ligamentum & venam raninam furiens, iterum non quidam magno, aut manifesto, ut antea, ulcere inquinaverit: atque totam linguam, præsertim te discedente, magno & pertinaci tumore, oris ferè cavitati adæquaverit, geminum ac contiguū malum, quasi datatim alternis vicibus materiam sibi administrans, repullulando cito, latè admodum germinabat: hypochondrium utrumque, inprimis dextrum, valdè prominebat, quodque principio initæ curæ solum prominens accusabā, at cancrosus idem, quasi ipsi sit congenitum & absque dolore excusabat: pectus elevatum, tuberculis nodisque totum cum tumentibus venis perspergebatur. Dolor prius dextri, dein utriusque hypochondrii, primum sub acutum austerus homo nolebat, rogatus etiam, mihi, illum suspicanti, indicare: postea tam vehemens, ut cruciatum diutius absq; leniente remedio se ferre non posse clamaverit. Dolorem enim acutissimum, pungentiam velut acicularum sensum inferentem, nunc unum, nunc utrumque hypochondrium, nunc ad claves usque interioresque homoplatas, & humores, etiam frequenter brachium, coxendicem & totum pedem, ejusdem scilicet & dextri lateris pervadere, æger conquestus est, à quo tamen vacationem sæpius habebat, ob mitigantia à me miserante præscripta. Miserabiliter enim dolore agitata, tremula membra vidi. Tandem in dies affluxu aucto, nec avertendo, nec derivando cessante, prius uvulam inflammatam, ferè æquè malignitate cancrosa infectam aspeximus, quo aspectu prohibiti, quamvis strenuè ego & chirurgus ubique laboraverimus, tamen oris cavitati adæquata tumida lingua, ob vestigia sibi à dentibus impressa, ita secundum dentium seriem planè exulcerabatur, ut superiores dentes per exesam linguam inferioribus conjuncti fuerint: O miserandum spectaculum, O ingentem fœtorem, quem toleravimus!

Tecum omnes suffocationem metuebamus, quam tamen Deus prohibuit. Tandem cum nullo alimento frui posset, & potu vires vix reficiebantur, succedente frequenti λειποθυμίᾳ, unde horis antemeridianis illum etiam cum morte commutaturum putaram, à meridie bis alvum citò exoneravit, post magno deliquio animi commotus illius curator, recitabat orationē Dominicam, quam agonisans patientissimus Iob qualitercunque mussitando ad finem usque sequens, voce Amen clausit & confirmavit, atque sic placidissimè in Christo Salvatore 3. Iunii Solis die obdormivit.

Vesperi suadebam tecum sectionem cadaveris, cum prius sæpissimè matri explicuerim, te mihi consentire, malignitatis hujus cancrosæ radicem ex hepate (omnibus signis sic annuentibus) & germinasse, & propterea viscera inspicienda esse, at illa cum suis mulierculis hac de re, quasi hoc committere planè iniquum foret, ineptientibus, rigidè denegando me amandavit.

Nobilis matrona Bavariæ negligit curationem; Sed nobilis noster admodum benè valet. Te enim discedente, præmisi magna cum salute ægri, purgationem convenientissimam, ita ut nunc pulmones à distillationibus immunes sint: deinde cum caput tum pectus roboravi, demum utiliter thoracem ferreum ita commodè aptavi, ut obstipitatem & gibbositatem adolescentis corrigat, & fractam costam non lædat. Vale optimè Clarissime Dom. FABRICI, meque tibi amicum serva. Lavingæ, 24. Iulii Anno 1610.

Obs. 84. & 85.

OBSERVATIO LXXXV.

De monstroso & Scrophuloso collo.

Viro Clarissimo & Doctissimo, Dn. VALENTINO RULANDO, Serenissimi Principis ac Domini Dn. PHILIPPI LUDOVICI Comitis Palatini ad Rhenum, Ducis Bavariæ, &c. Doctori Medico, amico singulari,

Guilhelmus Fabricius Hildanus S.P.D.

TAm diuturnum silentium tuum, clarissime atque amantissime, Dn. D. RULANDE, summoperè me contristavit. Ab eo tempore quo Lavingâ discessi, nihil literarum à te accepi, præter eas, quas superiori anō 24. Julli Lavingæ dedisti, quæque 14. hujus mensis mihi traditę fuêre, nunc verò quia inceptam amicitiam nostram scriptis te fovere video, iterum gaudio afficior. Casus quem communicasti, observatione dignus est: Vidi ego ante annos aliquot juvenem quendam hîc in vicinia, cui uvula in eam magnitudinem excreverat, ut totum os adimpleret, uti in secunda Centuria observationum Obl. 19. fusius videbis: ubi & de ingenti tumore scirrhoso ad radicem

Obs. 85. ceni gurgulionis exemplum habebis. Nunc verò de scrophuloso collo historiam singularem hic adscribere visum est.

Nobilis quidam Austriacus 20. annorum ætatis, & Aureliæ in Galliis studiorum gratiâ degens, scrophulis nonnullis in collo correptus cũ esset, Medicos & Cheirurgos adhibuit, qui, quũ omnia frustra tentassent, & scrophulæ indies accrescerent, Lugdunum Gallorum se contulit; ibique Medicos atque Cheirurgos in consilium vocavit; qui similiter multa variaque, tam interna quam externa absque successu adhibuerunt medicamenta. Tandem Basileam pervenit, ubi clarissimo ac longè celeberrimo viro Dn. Felici Plattero sese curandum commisit. Et quia ego tum temporis Basileæ, serenissimo cuidam principi operam Cheirurgicam præstando, vivebam, simul quoque accersitus fui. Affectus profectò monstrosus, simul & horrendus erat. In tantam enim magnitudinem excreverant scrophulæ, ut circumferentia colli sese ad spithamas ferè quatuor extenderet; nec solum cavitatem illam quæ sub mento est, adimplerent scrophulæ, verum etiam cutem ad aures, suturam Lambdoidæam, mediamque partem sterni extenderent. Prædurę, lividę, inæquales, & hinc inde venis, atro sanguine repletis, circumdatæ erant scrophulæ.

Instituit & Dn. D. Platterus curationem methodicam, summamque diligentiam adhibuit; sed absque successu. Quapropter quum thermas Badenas Helvetiorum invisere vellet, à Dn. D. Plattero prius expurgato & præparato corpore, ad ipsas dimissus fuit. Ego cum ad thermas Piperinas invisendas, cum prædicto Principe Rhetiam versus proficiscerer, misellum huncce Badenæ in thermis vidi, nonnulla quinetiam ad morbum palliandum præscripsi medicamenta, verùm enim verò quum per duos ferè integros menses thermis absque fructu usus fuisset, iterũ Basileam rediit, ibique tandem (ut ex literis Dn. M. Enanuelis Vrstisii ad me scriptis, intellexi) suffocatus obiit.

De Apollonia Schreiera. Apollonia Schrejera, post longum istam inedam iterum comedere & bibere incœpit, prima scil. die hujus anni, ambulat, excrementa quinetiam excernit, actionesque suas naturales habet, ab initio cibũ parcè sumpsit, verùm nõ diu post, mente cum capta esset, omnia linteamina, lodices, imò & cultros devorare tentavit. Nunc crura aliquo modo intumefacta sunt; reliquum verò corpus multò magis quam superioribus annis extenuatum est, qualis autem tandem exitus erit, multi mecum videre percupiunt. D. Paulus Lentulus Reip. Bernensis D. Medicus longè celeberrimus, amicus meus singularis, omnia quæ circa puellam observat, & prioribus suis observationibus, hac de inedia scriptis annectit. His vale Clarissime & amantissime Dn. Rulande, & me tuum cense. Raptim Lausannæ Equestrium 24. Februarii Anno 1611.

Observatio LXXXVI.

De cancro quodam occulto.

Viro clarissimo ac doctissimo Dn. Andreæ Toxotio, *Serenissimæ Reginæ Daniæ, &c. Doctori Medico ordinario atque celeberrimo, amico suo plurimùm honorando,*

Guilhelmus Fabricius Hildanus,
S. P. D.

Ante octiduum, clarissime Dn. D. Toxoti, literæ tuæ (quæ mihi tam gratæ, quàm quæ gratissimæ) Bernæ mihi traditæ fuerunt. Meas verò quod nondum acceperis, vehementer doleo: iterumque misissem apographum, nisi occupationes obfuissent. Prolixè enim scripseram, & observationem de gangræna gravissima, ex morsu equi progenita, transmiseram. Quod si tamen intellexero, observationem illam ad T. Exc. non pervenisse, eandem iterum posthac me missurum promitto.

De gibbo ex luxatis vertebris contracto, super quem opinionem meã intelligere cupis, quid certi respondere possim, non video. Ad pleniorem enim cognitionem morbi, ampliore delineatione opus erit. Ex quibusdam tamen circumstantiis affectũ non esse recentem conjicio, quod si ille inveteratus, & flexibilis, ut dici solet, ætas prætergressa fuerit, aquam è pumice postulabit, quicunque curationem tentaverit.

Post tuum à nobis abitum continuò ferè Soloduri apud nobilem virum Dn. Wallier hæsi. Curatio, laus sit Deo, feliciter successit, & nunc absq; baculo audacter & firmiter incedit. Multa pulchra & egregia in ista curatione observavi; quæ post hac, si Deus Opt. Max. cœptis faverit, ordine videbis.

Observatio. Superiori mense Octobri, unà cum viro clarissimo atq; doctissimo Dn. Andreæ Weickio, Medicinæ Doctore, convictore meo gratissimo, Soloduri matronam, non ex obscura familia oriundam, die Fraw von Arx nomine, invisi, laborat illa cancro occulto in mamma dextra, quem ante annos quadraginta, cum infantem ablactaret, ex lacte in grumos concreto contraxit. Supervenerat autem tum temporis ex abundantia lactis, nec non retentione mensium inflammatio, qua sedata tuberculum ad magnitudinem fabæ remanserat. Quod neglectum ab initio, per annos ferè quadraginta in ipsa mamma delituerat, absque tamen dolore aut ullo incommodo. Nunc verò ante annos tres, cum decrepita ætas appropinquaret, ita accrescere & dolere cœpit, ut tandem non solum totam mammam occuparet, verùm etiam sub axillam usq; sese extenderet. Tumor iste non usque adeo elevatus, inæqualis tamen est, & undique nodulos durissimos, ac lividos, venulisque infinitis nigricantibus circumdatos habet. Tumor ac noduli isti adeò sub axillam versus vergunt ac retracti sunt, ut papilla quod notandum, ferè sub ipsa axilla recondatur. Hinc fit, ut brachium quoque dextrum propter musculũ, brachium pectori adducentem, in consensum

Obs. 86. sensum trahatur. Totum enim brachium, imò & manus ipsa, tumore præcipuè ex pituita, cui tamen multum bilis atræ admixtum (œdema scirrhodes appellant medici) ab initio morbi per annos ferè quadraginta, uti dixi, nullus fuerat dolor in ipsa mamma, nunc tamen continuus est; qui quidem jam acutus & pungens, mox verò remissior, in ipsum tamen brachium, mediante prædicto musculo sese extendit. Dolorem autem ac intumefactionem brachii, venæ sectio, ab imperito barbitonsore in ipso cubito, ante menses octo facta, non parum auxit. Cum enim antea dolor brachii esset exiguus, post venæ sectionem adeò auctus est, ut brachium nunc officio suo fungi amplius non possit, tantoperè attraxit venæ sectio.

Ego etsi affectum in decrepita hacce matrona (septuagesimum enim annum ætatis prætergressa est) planè incurabilem esse, adstantibus significaverim, quia tamen ægra, post Deum spem maximam in medicamentis, quæ adhibiturus essem, posuit, nonnulla morbum palliandi causa præscripsi. Inprimis verò optimam victus rationem institui. Deinde corpus sequenti potiuncula expurgavi,

R. Radicum lapat. acuti
scrophulariæ majoris
polypodii q.
Cortic. interior. radic. frágulæ an. ℥ ß.
Herb. cuscutæ
fumariæ
scabiosæ
ceterach an. M. ß.
Sem. anisi &
fœniculi an. ℥ ij.
Foliorum senæ ℥ j. ß.
Liquiritiæ rasæ ℥ ß.
Fiat decoctio in aqua, ut colatura redeat ad ℥ viij.

Hujus colaturæ accipe medietatem, cui admisce syrupi rosati solutivi comp. cum rhabarbaro, agarico, & sena ℥ j. Misce, fiat potio, detur in crepusculo matutino, leniter hac potione expurgato corpore, postridie venam malleoli dextri incidi, sanguinem (revulsionis causa) ad uncias circiter quatuor extraxi, & postquam per diem unum aut alterum à venæ sectione quievisset, alteram dosin præscripti decocti, cui conf. hamech ʒ ij. syrupi rosat. solutivi compos. ℥ j. admixta erant, propinavi. Brachium autem ut sequentibus oleis quotidie bis inungeretur, jussi.

R. ol. lumbricorum
vulpini an. ℥ ij.
ol. scorpionum ℥ j.
de vitellis ovorum, &
amygdalar. dulcium an. ℥ j. ß.
spicæ ʒ ß.
Misce.

His usque nunc maximo cum fructu utitur oleis, dolor enim & intumefactio brachii remittunt, mamma in eodem statu persistit; tumor non accrescit, nec dolor adest. Sequens tamen emplastrum applicat.

R. empl. diapomphol. ʒ ij.
diapalm. ʒ j.
plumbi usti & loti
lapidis calaminaris an. ʒ ß.
cum s. q. olei rosacei & succi geranii fiat s. a. unguentum.

Obs. 86. & 87.

Unguent. Ægyptiac. in cācrosis ulceribus exitiosū. Observatio.

Porrò clarissime Dn. D. Toxoti, vix credas quam exitiosum in cancrosis ulceribus sit unguentum Ægyptiacum, ego expertus loquor, superiori enim anno 1606. ad matronam, hic in vicinia cancroso, nec non fœtidissimo ulcere in mamma dextra laborantem, vocatus fui, Cheirurgus, qui curationem susceperat, ut fœtorem istum castigaret, & carnem quæ in cancrosis ulceribus continuò excrescit, absumeret, de tertio in tertium diem, aut etiam alternis diebus, unguentum Ægyptiacum applicuit, inde ulcus in continenti adeò malignum factum est, ut intra breve temporis spacium mammam ad costas usq; eroderet, ægramque extingueret, integram historiam suo loco quoque videbis. Blandè itaq; hujusmodi ulcera sunt tractanda. Demum quādiu cum tuis generosis Lugduni sis mansurus, ex te scire percupio. Rescribe itaque prima data occasione. His vale Vir clarissime, & me jugiter amare non desine. Salutant te amici & domestici mei omnes. Paterniaci Aventicorum 5. Ianuarii 1610.

OBSERVATIO LXXXVII.

De Cancri occulti periculosa curatione.

Clarissimo atque doctissimo Viro,
DN. SEBASTIANO MEYERO,
Reipub. Freiburgensis D. Medico ordinario, atq; celeberrimo,
Guilhelmus Fabricius Hildanus
S. P. D.

QUod promissis meis non satisfecerim, & maturius ad vos non redierim, Clarissime atque amantissime Dn. D. meritò mihi exprobras, iter quod in Burgundiam feci, laboriosum profectò & molestum, in causa fuit. Deinde quoque per dies fermè quindecim Bernæ hæsi. Interim tamen si quid in te peccaverim, id mihi ut condonare velis, obsecro. Doctissimum quod misisti responsum, de morsu canis rabidi, omninò mihi satisfecit. Pilulæ item ex radicibus gentianæ, zedoariæ, hirundinariæ, angelicæ, & similibus, theriaca, & mithridatio oblitæ, & ulceribus impositæ, summoperè mihi probantur, quod addam nunc, nihil occurrit; huic igitur disputationi finem ut imponamus, tempestivum est. Verùm ne mutua nostra colloquia scriptis negligerem, alia tuis speculationibus non indigna occurrit materia: De cancri scilicet occulti periculosa curatione, in qua Aphorismus 38. libro sexto Hippocr. Cancros occultos melius est non curare, &c. perpendendus. Non enim omnes, qui in Aphorismum istum commentati sunt, omninò mihi satisfaciunt. Interim tamen particularem meam de isto Aphorismo opinionem, divulgare nolui, nisi prius illam tibi communicassem, sententiam quinetiam ac mentem tuam intellexissem. Primò autem quàm periculosa sit cancri

 occulti

Obs. 87. occulti curatio, historia quadam demonstrabo. Deinde quidnam Hippocrates verbis istis: *Cancros occultos melius est non curare, &c.* meo quidem judicio, intelligere voluit, paucis annectam. Historia autem illa sic se habet.

Historia de cancri occulti periculosa curatione

Matrona hic in vicinia, ex nobili familia oriunda, postquam quinquagesimum annum ætatis prætergressa esset, nec amplius utero gestaret, menses quinetiam subsisterent, tuberculo ad papillam dextram correpta fuit. Tuberculum hoc, etsi ab initio durum, & aliquo modo molestum esset, attamen quia exiguum & indolens, neque ipsa ægra, neque adstantes hac de re usque adeò solliciti erant. Anno verò ineunte 1606. quum accresceret, & dolere cœpisset, Cheirurgus quidam in Consilium accersitus fuit. Is cum emollientia, & pus moventia per mensem ferè integrum adhibuisset, paulatim aucto dolore, ruptum est tuberculum, sed nihil præterquam aliquid saniei, loturæ carnis instar, extillavit. Mox verò malignum, dolorificum, fœtidumque ulcus sequutum est, ego 6. Julii ejusdem anni cum advocatus essem, matronam hanc supra modum extenuatam & debilem inveni. Ulcus, quod fœtidissimum, adeò erat malignum, ut totam mammam ad sternum & sub axillam, costasque ferè usque eroserat; idque spacio quatuor mensium, nimirum à principio mensis Martii (quo tempore ruptum fuerat tuberculum) usque ad mensem Julium perfecerat. Dolor item maximus, inquietudines, febricula, continua nausea, & cibi fastidium aderant. Ex quibus omnibus, quum ipsam in evidentissimo mortis periculo versari cognovissem, manum adhibere recusavi, domumque redii. Non diu post meum discessum, animam Deo piè placidèque reddidit.

Ex recitata autem historia Vir clarissime, veritas doctrinæ Hippocratis, cancros occultos habentes melius est non curare; curati enim citò pereunt, non curati verò longius tempus perdurant, elucescit. Hanc enim matronam citò periisse, hinc apparet, quod cancer ipsius à mense Januario, usque ad medium Julii, totum cursum suum absolverit, ipsamque necaverit, quum tamen si curatio tentata non fuisset, in longum tempus vivere potuisset: idque multis exemplis demonstrare possem, sed unum aut alterum sufficiet.

Observatio.

Matronam nobilem, Consultissimi & doctissimi Viri, Dn. Joh. Moulert, J. U. Licentiati, & Jllustr. Principis ac Domini, Dn. Guilhelmi Juliac. Clivens. & Montensium &c. Ducis Consiliarii Uxorem, Dusseldorpiæ circa annum 1583. cognovi, laboraverat illa per annos aliquot Cancro non exulcerato in mamma, quum verò præstantissimum Virum Dn. Cosmam Slotanum, Præceptorem meum plurimùm honorandum, in consilium adhibuisset, certis quibusdam medicamentis, cum per os exhibitis, tum etiam exteriùs admotis, incrementum tumoris ita retardavit, ut ipsum absque dolore, & insigni incommodo per multos annos, & quidem ad finem usque vitæ suæ, patienter tulerit; neque unquam ad ulcerationem pervenerit.

Observatio.

Dominus Polerius, civis Lausannensis, Vir ingenio & virtute præstans, in summa senectute cancro occulto, circumcirca papillam sinistram laborans, cum aliquando quàm periculosa sibi esset vera curationis methodus, usu atque experientia edoctus esset, & tandem ab ipsa planè abstinuisset, ad multos annos, & usque ad funera morbum huncce in sinu fovit, qui proculdubio citò ipsum trucidasset, si curatio vera administrata fuisset. Integram historiam pete ex Observat. 89. Centur. primæ, ubi & alia ejusdem argumenti invenies exempla.

De ca[ncri] curati[one]

Cæterùm ut de cancri curatione aliquid addam, & quidnam Divinus Hippocrates verbis præallegati Aphorismi, meo quidem judicio, intelligere voluerit, tibi aperiam. Cancrum (qui ut Galenus & alii docent, in omnibus partibus corporis nasci consuevit) sic distinguendo. Aut enim in partibus penitioribus, veluti in palato, sede, sinu occulto muliebri, hepate & splene, aut in summa aliqua parte corporis hæret. Qui externas partes corporis occupat, iterum duplex est, aut enim exulceratus, aut non exulceratus, quem Galenus quoque, loco jam citato occultum nominat, reperitur.

Gal. de [ar]te cura[t.] ad Gla[uc.] l. 2. ca[p.] Paul. [Aeg.] de re m[ed.] l. 4. cap.

De can[cro] intern[a]rũ par[tium]

Porrò cum cancer sit tumor durissimus, aut medicamentis emollientibus, resolventibus & discutientibus, emolliendus, & in halitum aut ad suppurationem reducendus, vel cum suis radicibus excidendus esset. Hæc verò quomodo in palato, sede, aut sinu muliebri administrari possint, nondum video. Ideoque Galenus cancros, qui in prædictis partibus nascuntur, non immeritò insanabiles pronunciavit; nec eos curare tentavit. Ego cancros circa uvulam, in hepate, splene, & collo matricis vidi; à quibus tamen ægri extincti fuêre, quæris causam? A medicamentis emollientibus exasperantur, & maligniores fiunt, quemadmodum ex Observat. 89. Centur. 1. videre licet, sectionem verò vel inustionem, quis quæso in hujusmodi partibus adhibere velit?

De can[cro] exulce[ra]to exter[]narum partium

Nunc ad cancrum externarum partium redeo, qui aut exulceratus, aut (ut antea dixi) non exulceratus, sive occultus est. Exulceratus duplicia requirit medicamina; quia enim labra habet prætumida, callosa ac dura, calida humidaque, & quæ insigniter emolliunt, desiderat remedia. Contra ulcus, quia inæquale, sordidũ, fœtidumque, abstergentia & mundificantia ut applicentur, necesse est. Ab usu autem horum medicamentorum, cancros maligniores fieri, & radices suas longè latèque dispergi, etiam quotidiana experientia fidem facit. *In cancro enim, inquit doctissimus IOH. HEVRNIVS, duplex esse venenum observatum est. Vnum putrefactivum: alterum corrosivum, si igitur ei admoveas calida & humida remedia, quæ pus promovere solent in apostematibus ac ulceribus, pepasmi capacibus, inde in altam putredinem degenerabunt, cunctaque vicina putrilagine contaminabunt. Quod si illam fœditatem causticis castigare volueris, surget alterum, quod in cancris venenum est corrosivum, ac vicina cuncta exuret;* Hactenus Heurnius: quorum verborum veritatem in prædicta matrona mihi observare licuit. Ex applicatione enim medicamentorum pus moventium, protinus factum est ulcus fœtidum; Fœtorem

Comm. [in] lib. 6. [A]phor. H[ipp.]

Obs. 87.

rem porrò hunc, quum Chirurgus ille, cui curatio demãdata fuerat, unguento Ægyptiaco (quod in cancrosis ulceribus adversissimum) castigare vellet, summa malignitas in ulcere exorta est; vicinasque partes sanas celeriter invasit, atque maximo cum dolore & cruciatu erosit. Quid igitur, inquies, agendum? Profectò si quis, quicquid ita affectum est, extirpare voluerit, meo quidem judicio à via recta non aberrabit. Dummodo malum, ut Galenus & alii monent, radicitùs & in parte sana exscindatur. Idque mihi non rarò feliciter successisse, uno atque altero exemplo demonstrare non gravabor.

Anno 1600. Vetula Lausannens. cancro exulcerato, ad concursum suturarum sagittalis & lamdoideæ laborans, in consilium me adhibuit. Ulcus dolorificum, sordidum, fœtidum, inæquale, labia verò dura, & ad pugni magnitudinem elevata erant. Præparato corpore, cum optima victus ratione, tum purgationibus & venæ sectione, præsente Rererendo viro Dn. IOHAN RHETERIO, in schola Lausannensi linguæ sanctæ Professere longè excellentissimo, Claudio Marione, Dav. Clerico, multisque aliis, abrasis crinibus, totam istam exulceratam massam, & quicquid nobis malignitate ista contaminatum videbatur, ad cranium usque excidi. Cranium quin etiam, quia cariosum, post dies aliquot scalpris abrasi. Dein pulverem catagmaticũ quotidie inspersi, vulnusque more aliorum vulnerum capitis, cicatrice obduxi, convaluit, & multos annos supervixit: tandemque planè decrepita peste obiit.

Quidam prope Lausannam, cui membum virile in fungum cancrosum, ac planè monstrosũ excreverat, nec non exulceratum fuerat, cum auxilium à me petiisset, membrum virile, & quicquid ita infectum, in ipso abdomine abscidi. Hic similiter convaluit, & ad multos supervixit annos, ut suo loco fusius videbis.

Sequitur nunc de curatione cancri non exulcerati, aut occulti externarum partium, cujus curatio aut est legitima, vera & methodica, aut est violenta. Methodica curatio secundum Hippocratem, Galenum, omniumque medicorum doctrinam contrariis perficitur. Quicunque enim morbi, inquit Hippocrates, ex repletione fiunt, curat evacuatio: & quicunque ex evacuatione, curat repletio, & aliorum contrarietas; & alibi: quæ refrigerata sunt, ea excalefacere oportet, &c. & ut Galenus docet, quod resiccatum atque induruit, quemadmodum scirrhosi atq; cancrosi tumores, medicamentis calidis & humidis relaxare, atque quicquid ita induruit, relaxare & emollire convenit. Et contra, quibus pars aliqua corporis præter modum relaxatur, uti herniosis, & eis quibus intestinum rectum uterusq; prolabitur accidit, eis frigida & quæ insigniter exsiccant constringuntque, applicare oportet; summa, ut breviter cum Hippocrate dicam: contraria cõtrariorum sunt medicamina, sivè causam morbi, sive morbum ipsum quis inspicere velit. Causa tamen omnis, ut doctissimus FERNELIUS rectè docet, prius quàm affectus excindi & submoveri debet. Causa enim persistente, manet effectus, & contra sublata causa, tollitur & (ut plurimum) effectus. Ut plurimum, addo, sunt enim morbi nonnulli, qui non curantur, etiamsi ipsorum sublata fuerit causa antecedens. In quorum numerum & cancer occultus, præcipuè inveteratus recenseri potest. Adeò enim crassus est, ut Ægineta lib. 4. capite 26. testatur, & tenaciter adhæret humor iste, ut neq; repelli, neq; discuti possit, imò ne totius quidem corporis purgationi cedat, sed topica quoque sua requirat præsidia.

Porrò quum ex Hippocratis, omniumq; medicorũ placitis, quemadmodum antea dixi, morbi contrariis curentur, ac cancer tumor sit durus, ex atræ bilis recremento, ut Galenus testatur, progenitus, si quis methodicam ac legitimam curationem adhibere velit, is ut medicamenta calida, humida, atque insigniter emollientia adhibeat, necesse est. Hæc autem quàm periculosa sint, cũ ex recitata historia, tum etiam ex observ. 89. Cétur. primæ, dilucidè apparet; quod & Galen. de simplicium medicamentorum facultatib. lib. 5. c. 8. disertè testatur, his verbis: quæcunque inquit, ex atrabilario humore induruerunt, cancrosa sũt omnia, & à medicamentis emollientibus exasperantur. Recrementum enim istud humoris atrabilarii, quia vasis, ut Galenus scriptum reliquit, diu impactum est, assatur, fitque spacio temporis acre & malignum. Cæterùm medicamenta emollientia, & in primis pus moventia, quia calida & humida, ob eorum usum impacta illa materia magisque incalescit, putrescit, fitque malignior acriorve, ita ut tandem omnia exulceret ac erodat. Et quia circumjacentes partes ab emollientibus medicamentis simul relaxantur, dilatanturque, facilimè postea dispargitur, & vicinas partes invadit corruptio atq; malignitas illa: estque fermenti instar, quod sanguinem & humores, qui ratione doloris ad locum affectum continuò confluunt, inficit, & sibi similes, malignos scilicet & acres reddit. Hæc porrò quum viro isti summo, ne dicam incomparabili, incognita minimè fuerint, meritò decretum hocce suum posteris reliquit. Melius scilicet esse, cancros nõ exulceratos sive occultos non curare, intellige curatione methodica, legitima atque ab Hippocrate passim tradita, quæ, uti dixi, contrariis perficitur: quamque curationem Hippocrates, ut ego planè censeo, hoc in Aphorismo, nequaquam autem sectionem, vel ustionem; quæ sola, ut Galenus testatur, sunt remedia cancrorum, intelligere voluit. Sic enim curati, scilicet per medicamenta emollientia, quia protinus exasperantur cancri, quemadmodum experientia docet, ægrũ citò è medio tollunt. Non curati verò (iterum addo) curatione methodica ac legitima, quia nõ exacerbatur malum, in longum tempus perdurare possunt, uti ex historia Matronæ Düsseldorpensis & Domini Polerii, apparet. Ante paucos annos matronam Soloduri vidi, quæ per annos quadraginta cancro occulto in mamma dextra, absque tamen insigni incommodo laboraverat.

Per violentam porrò, aut ut Galen. potentem curationem, intelligo illam, quæ non medicamentorum, aut naturæ, quæ morborum est medicatrix, beneficio, sed motu quodam violento artifi-

Marginalia (left, partly cut off): ...s. 87. / Actiacũ ...ncro- ...lceri- adverum. / ...meth l. l. 14. ...ic. l. 4. ...tract. ...ap. 16. / ...serva- / ...ia observatio. / ...curãne canno nõ exerati, ...erna ...partiũ / ...ratio ...ethodi- ...quid. / ...Aphor. ...& de ...eta l. 3. ...p. 120. / ...Aphor. / ...e simp. ...ed. facul. ...l. 5. c. 5. / ...b. de flabus. / ...ethodo ...ed. l. 2. ...p. 4.

Marginalia (right): De arte curat ad Glaucon. l. 2. c. 10. & Meth. Med. l. 14. / Methodo med. l. 14. Montagn. de carcin. m. fol. 61. / Comm. 38. l. 6. Aph. Hipp. / Vide Obs. hujus centuria. / De violenta curatione.

Obs. 87. artificis perficitur. Est autem tumoris, cum omnibus suis adjacentibus radicibus, extirpatio, atq; excisio: quæ, ut ita dicam, periculo vacat, dummodo corpus prius optimè, tam victus ratione, quam purgationibus, venæ sectione, & similibus præparatum, malum quinetiam in aliquo fuerit loco, ubi cum suis radicibus extirpari possit, neq; vasa maxima arteriarum aut venarum in se contineat.

Quæ ante excisionẽ cancri observanda

Lib. 2. c. 11

Circa cervicem verò, collum, & guttur, inquit Albucasis, quia nervi, arteriæ, & venæ sunt plurimæ, ab incisione & inustione est abstinendum, uti & in interna parte femoris: si ramus iste insignis venæ cavæ, qui ad poplitẽ descendit, tumori intertextus fuerit, sæpissimè enim operationes in hujusmodi partibus mortales esse, alibi exemplis demonstravi: ideoque nunquam in prædictis locis excisionem tentare volui: nisi tumor superficialis, & à prædictis vasis liber esset.

Lib. de Gang. & Sph. c. 10. observat. hujus Centuriæ.

In reliquis autem partibus, operationem hancce feliciter mihi successisse, neque malum rediisse, & mortem, quemadmodum Celsus lib. 5. cap. 28. scribit, attulisse, exemplis & observationibus nonnullis nunc demonstrare visum est.

Extirpationẽ cancri absque periculo fieri posse. Exemplũ 1.

Anno 1600. Vetulæ cuidam Lausannensi, de qua ante quoque mentionem feci, quæque sexagesimum annum ætatis tunc prætergressa erat, cancrum in occipite feliciter excidi. Nullum nobis supervenit symptoma molestum, & curatio ad votum successit. Convaluit, neque rediit malum.

2. Anno 1601. Cuidam ex domesticis Nobil. viri Dn. De Crosa, Dn. in Prilli, Cressi, &c. Bernhard Penevaire nomine, cancrum in inferiori labio, præsente Reverendo, ac Doctissimo viro Domino Joh. Rheterio, Claudio Marione, David Clerico multisque aliis excidi: curatio similiter ad votum successit, & adhunc usq; annum 1613. optima sanitate fruitur.

3. Anno 1605. Cancrum, qui integram mammam dextram occupabat, in quadragenario Paterniaci, præsente Reverendo viro Dn. Joh. Merula, feliciter extirpavi, convaluit & illa, nec ullum incommodum hac de re huc usq; persensit, & prolem procreavit, uti suo loco videre poteris.

Anno 1600. Lausannæ cuidam membrum virile, in monstrosam massam carneam excretum & undique exulceratum, in ipso abdomine abscidi. Convaluit, & ad hunc usque annum 1611. bona valetudine fruitur. Integram historiam pete ex observatione hujus centuriæ.

Possem & alia exempla similia hic in medium adducere, sed ne nimis prolixus sim, his contentus ero. Ex quibus excisionem cancri (dummodo omnia, quæ ante operationẽ requiruntur, methodicè administrata, operatio quinetiã dextrè peracta fuerit) absque insigni periculo fieri posse, dilucidè apparet.

Sed cur, quæso, in excisione cancri hæmorrhagiam tantopere formidamus? Nonne post extirpationem cancri, ut multum sanguinis, quemadmodum Avicenna & Mesues, monent, effluat, necesse est? & cur, iterum repeto, hæmorrhagiam in excisione cancri adeo formidamus? nonne in abscisione cruris, aut brachii majora vasa arteriarum & venarum occurrunt quam non (ut plurimum) in cancrosis tumoribus sese offerunt? nec propterea expertus Cheirurgus in gangræna, aliisq; ulcerib. putridis abscisionẽ membri differt.

Avicenna lib. 4. Fen. 3. Tract. 2.

Sed respondes, forsan, hujusmodi operationes cum impetu & celeriter fieri, & propterea minus sanguinis profluere, In cancro verò quia sæpissimè multa separanda occurrunt, plurimùm interim sanguinis emanare. Rectè quidẽ sentis, sed Cheirurgus, qui vasorum, venarum scilicet & arteriarum, qui tumori inferuntur, notitiam habet, periculum hoc facilimè evitare potest. Primò, ut, si vas aliquod insigne venarum aut arteriarum tumori insertũ est, id ante operationem parum supra tumorem, acu incurvatâ, & filo reduplicata circumcingat, & firmissimo nodo constringat.

Deinde ut digitis præcipuè, quæ separanda, separet. Sic enim minor erit hæmorrhagiæ metus, quàm si cultro separatorio, aut novacula fieret. Hæc mihi cum aliàs, tum præcipuè in matrona illa, cujus mammam abscidi, feliciter successit.

Sed ut finem faciam, concludo: Hippocratem in prædicto aphorismo cancros occultos in penitioribus partibus corporis veluti in palato, sede muliebri, &c. existentes, minimè intellexisse. Illi enim cum planè, ut Galenus & experientia fidem faciunt, sint insanabiles, non erat opus de illis decretum aliquod proferre, superflua enim, inutilis, & tanto viro indigna fuisset locutio. Manualem quoque operationem sive extirpationem cancri externarum partiũ, quæ fit novacula, quia, ut sciunt practici, & prædicta exempla fidem faciunt, absq; ingenti periculo fieri potest, non intellexisse, verisimile est. Alioquin de aliis quoq; operationibus, in quibus sanguis multò copiosior, quam in excisione cancri, profluit, simile quid scriptum reliquisset.

Sequitur itaque, Hippocretem de curatione vera, atque legitima cancri, quæ fit contrariis, loquutum fuisse. Hujus quoque opinionis fuisse Galenum, ex suis, quos in prædictum aphorismum scripsit commentariis, colligere licet. Dum enim de cancro exulcerato scribit, hæc habet verba. *Tunc enim, inquit, nimirum si adest exulceratio, est necessarium, ut si non aliud agamus, saltem saniem abluamus, humido aliquo utentes, non quocunque, sed vel per experientiam, vel per indagationem invento, quod neque putrefacere, neque irritare partem patientem sit naturâ aptum. Ab hac itaque curatione neque absistere convenit, neque illi, qui sunt sine exulceratione cancri, indigent ea.* Hactenus Galenus: quibus verbis curationem methodicam in cancro rejicit. Non enim partem affectam putrefacere debere, disertè scribit, emollientia autem & pus moventia, qualia sunt calida & humida, putrefaciunt. Nam quæ verè putrefacientia sunt, Galeni verbis utor, humectant simul & calefaciunt: non sunt itaque, secundum mentem Galeni, in cancrosis tumoribus applicãda. Ad majorem enim suæ opinionis confirmationem, addit: Neque illi, qui sunt sine exulceratione Cancri, indigent ea.

In eo-

In eodem porrò comentario Galenum curationem violentam aut potentem approbare, apparet. Scribit enim, sectionem aut ustionem sola esse remedia cancri. Non tamen in quovis cancro, sed in illis solummodo, qui in summa aliqua parte corporis hærent, adhibenda esse monet. Quod enim addit; illi, qui sunt in partibus penitioribus, talia remedia non desiderant, itidem experientia docet; & paulo post: Tales cancros nullo modo curare tentemus.

Hæc tibi vir clarissime, non contradicendi, sed discendi, & genuinam mentem venerandi senis, indagandi studio, in præsens communicare placuit. Vehementer rogans, ut omnia æqui bonique consulere velis. Vale cum lectissima tua conjuge, quam tecũ ego & uxor mea salutamus peramanter, ex musæolo meo 12. Martii Anno 1611.

SEBASTIANI MAYERI
Med. Friburgens.
De cancri occulti periculosa curatione.

Ad præstantissimum & celeberrimum Virum Dn. Guilhelmum Fabricium Hildanum, Medicum & Chirurgum clarissimum, Responsio.

Qvin doctissimè usu peritissimèq; tam rationibus firmissimis, quam experimentis observatu dignissimis, quàm plena periculi sit cancri nondum ulcerati, nondumq; à venenato humore corrosi & aperti curatio, perquam luculenter ostenderis, non est quod quisque dubitet, FABRITI clarissime. Verùm aliud nunc agi, aliud investigari mihi videtur, videlicet, an hunc ipsum cancrum Hippocrates in proposito Aphorismi indigitare voluerit? De sensu, inquam, divini senis, laborari mihi videtur. Ego verò, neminem equidem, ne Apollinem quidem, præter unum ipsum Hippocratem, certos nos reddere arbitror posse, quinam hoc in Aphorismo, occulti cancri, quæ deinde curatio accipienda. Tantum abest, ut ego hac in causa idoneus disceptator esse queam. Verum ut morem geram tuæ amicissimæ voluntati, quamvis arrideat interpretatio tua præ ceteris, uti tamen soliditas ejus eluceat magis, diluenda prius videntur, quæ contra eam obiici possint.

Interpretaris cancros occultos, sine ulcere non ulceratos, eamq; interpretationem exemplo nobilis matronæ, quæ, si curatio cancri ipsius, hoc modo occulti & necdum ulcerati, tentata non fuisset, in longum tempus vivere potuisset. At Galenus Antesignanus noster, primùm an eos hoc loco Hippocrates intelligat, qui in summa corporis parte hærent absque ulcere, incertum esse, quantum ex verbis Aphorismi coniici possit, rectè asserere videtur.

Deinde ipsemet occultos cancros accipit eos, qui sunt in partibus penitioribus, in ore, palato, sede, sinu muliebri. Suamq; acceptionem haut secus (atq; tu Experientissime Fabrici) ipsa quoque stabilit & illustrat experientia, ut sectionem ustionemve in hujusmodi partibus adhibitam, illis seculis nemo negare possit. Equidem scio, inquit, omnes qui hujusmodi cancros curare tentarunt, magis illos irritasse, & brevi homines intermisisse. Nam & qui cancrum in palato constitutum, & in sede, & in sinu muliebri, vel usserunt, vel secuerunt, non potuerunt ulcera ad cicatricem perducere, & homines in curatione afflictos & maceratos usque ad mortem detulerunt: qui si curationem non adhibuissent, longiore tempore, cum minori molestia transegissent. Tales igitur cancros concludit Galenus) nullo modo curare tentemus.

Quamobrem cum Galeno, pro intelligentia hujus Aphorismi, hunc in modum argumentari liceat. Hippocrates procul dubio hoc in Aphorismo de cancris loquitur, quos non sine exitio ægrorum quidam curare aggressi sunt.

Sed ejusmodi sunt cancri absconditi, non apparentes, in palato, in sede, in sinu muliebri, constituti. Ergò &c.

Cur verò non & ipse Galenus, tum periculosas cancrorum non ulceratorum curationes methodicas, quas vocas, observavit? aut si observavit, de iis hoc Aphorismo non præcipuè monuit?

Curationem enim quod attinet, non violentam (quam Galeni interpres potentem vocat) nempe excisionem, sed methodicam illam & legitimam, quæ contrariis perficitur, improbari censes.

At illam curationem improbare videtur, à quâ plerięq; alii etiam, sanè magnæ quoque authoritatis medici, illis seculis vehementer abhorruerunt. Sed hæc est excisio illa, uti constat ex Galeno, hoc loco.

Successus illi tui felices in excidendis cancris, non obscurè sanè insignem peritiem & dexteritatem tuam, ac insuper hanc Chirurgicam operationem, nõ quidem in omnibus, sed in aliquibus certè, tutam testantur.

Fides interim profectò non omninò deroganda Celso, referenti, excisa carcinomata, etiam post inductam cicatricem, tamen revertisse, & causam mortis attulisse. Sic mulieri Venetæ, cum hoc modo curatus fuisset mammillæ cancer, non multos post menses iterum sponte exulceratum esse locum, (nulla alioquin præstita illi rei occasione,) neque amplius ulcus curari potuisse, sed tandem mulierem extinctam, suo de tumoribus tractatu, Victor Trincavellius, memoriæ reliquit.

Modum demonstras, quo minus sanguinis in excisione profluat, & vas firmissimo nodo ligare jubes. Cum Galenus ad Glauconem: si laqueis intercipias vasa, consortii jure alias partes afficiendas, moneat. Ex quibus omnibus meritò videri cuipiam possit, à Galeno, nec non cæteris, tam antiquissimis quam præstantissimis etiam Medicis, hunc Aphorismum de cancris occultis, hoc est, non de aliis, quàm de iis, qui internum & latentem aliquem locum, in ore, intra nares, in utero, aut in sede, occuparunt, tum etiam de potenti curatione, sive manuali operatione & excisione, rectissimè intellectum & interpretatum fuisse.

Quæ quidem uno veritatis enucleandæ studio opposita tibi, pro amicitia non dubitabis. Ac, si quidem nihil ea tuæ interpretationi obstare docueris, transibo libens ad partes tuas, dicturus liberè. Amicus quidem Galenus, longè tamen amicior veritas: Interim libens ex te cogniturus id etiam: Cur non senex noster, si hoc Aphorismo per occultos intellexit necdum ulceratos cancros, cur non, inquam, & ipsos ulceratos jam, quibus non minus curationem Methodicam adversari, ipse confirmas, adeoque in genere cavendos omnes monuerit?

Syncerè concludo, Tuam observationem, propter singularem universæ rei medicæ scientiam, in ea satis

Obs. 88. *conspicuam, mihi haud exiguæ admirationi extitisse. Rector igitur Mundi quam diutißimè te, unà cum tuis, præsertim in istis motibus, qua belli, qua pestis, servet incolumem. Nosti Laconismum meum scribendi loquendiq;. Quare valebis, Vir præstantißime. Fridburgi Helvetiorum, ineunte anno 1613.*

OBSERVATIO LXXXVIII.

Verruca in summo balani existens, tandem in horrendum fungum cancrosum degeneravit: ubi de abscissione membri virilis agitur.

Ad Virum præstantissimum Dominum CLAUDIUM CHAPUSIUM, *Chirurgum celeberrimum,*

Cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus S.P.D.

QUam misisti historiam admirandam, de sectione Cæsarea, præstātissime mi DN. CHAPUSI, accepi: pergrata mihi fuit, & ut inter scripta mea honestum locum habeat, operam dabo. Planta, quam addisti, mihi incognita est. Utinam illam integram cum suis floribus & radice habere possimus, non enim dubito, quin ex clarissimo viro Domino D. BAUHINO plenissimam notitiam nancisci possimus.

Porrò quum hisce diebus in tertia centuria versarer, eamque ad prælum adornarem, ac observationem hancce de abscisione membri virilis præ manibus haberem, in tractatum tuum de cācro iterum (anteà enim ipsum quoque legeram) incidi. Placet profectò methodus, placent & remedia, in extirpatione tamen cancri non facilè tecum consentire possum. Quandoquidem erodentia in cancro, sive is occultus, sive ulceratus fuerit, adeò mihi sunt suspecta, ut eis uti non auderem. Ex usu enim eorum malum irritari, sæpissimè edocuit experientia. Verùm subsisto, neque experientiam tuam refutare conabor: Ego quomodo aliquoties cancros feliciter extirpavi, ex observatione præcedenti videre poteris. In qua & de periculosa cancri occulti curatione agitur, & Aphorismus 38. lib. 6. Hippocratis exponitur. In præsentia autem perpendendum tibi proponere visum fuit. Nimirum an extirpationem cancri membri virilis (quem tibi mox ob oculos ponam) specifico tuo caustico tutò fieri potuisse existimes? Ego ut ingenuè fatear, propter ductum urinarium, & quæ ex ipsius obstructione suboriri potuissent symptomata, eo, quantumvis approbato uti, nunquam ausus fuissem. Sed tuam hac de re sententiam intelligere cupio. Ego quomodo in abscisione membri virilis processi, nunc, ne nudas ad te mitterem literas, tibi communicare constitui.

PIERRE PERROD, faber ferrarius, ex pago Cresciacensi prope Lausannam, ætate quadragenarius, vita rusticus, temperamento melancholicus, à teneris annis verruca in summitate glandis lentis magnitudinem vix excedente, laboravit: ex qua in cœlibatu, nonnisi aliqua collisione facta, dolorem non sensit. In matrimonio autem propter confricationem, quæ fit in coitu, magnum & continuum cœpit sentire dolorem, ita ut per tredecim annos à congressu uxoris abstinuerit. Successu verò temporis accrevit dolor, & verruca in monstrosum cancrum, magnitudine infantis capiti, recenter nati, nihil cedenti, degeneravit. Penis in carnis massam inæqualem & lividam transformatus erat. Fœtor tantus aderat, ut familiares & amici consortium ipsius ferre nequiverint. Ulcera etiam non pauca, è quibus urina hinc inde effluebat, hunc fungum cancrosum circumambiverunt. Morbo itaque indies in deterius vergente, tam empiricos, quā rationales adhibuit medicos atque cheirurgos: sed absque fructu: Ab iis omnibus cum æger tandem planè pro desperato atque incurabili judicatus esset, in maximo quinetiam discrimine vitæ versaretur, & cuncti ad commiserationem commoverentur, ut sibi opem porrigere vellem, petiit; Reverendus itaque pietate simul & doctrina ornatissimus senex, DN. PETRUS PAGESIUS, verbi divini minister fidelissimus, author fuit, quod, facto prius prognostico coram amicis & adsistentibus, curationem aggressus sim. Affectum autem cum diligenter examinassem, in extremo esse deprehendi. Cancer enim radices suas jam ad ipsius abdominis musculos usque fixerat: quapropter extremum remedium, hoc est, ipsius membri abscisionem, potius tentare malui, quàm hominem, tanta calamitate fractum atq; afflictum, in ejusmodi miseriis diutius derelinquere.

Quod igitur ipsam curationem attinet, hoc modo processi. Primò institutā optimā victus ratione, corpus sequenti potiuncula leviter purgavi.

Potio purgans.

R. Herbarum fumariæ,
Scabiosæ,
Cuscutæ,
Ceterach,
an. M. ß.
Sem. anisi, ʒ. ß.
Foliorum senæ ʒiij.
Fiat decoctio, ut colatura redeat ad ℥ iij.
In quibus dissolve.
Confectionis Hamech ʒiij.
Syrupi rosati solutivi compositi cum Rhabarbaro
Agarico & sena,
Aquæ cinamomi distillatæ absque Vino ℥j.
Misce, fiat potio, detur in crepusculo matutino.

Venæ sectio.

Postero die venam brachii sinistri incidi, & uncias sex sanguinis extraxi. Deinde ad majorem humorum præparationem & evacuationem, sequens Apozema exhibui.

Apozema.

R. Radicum cichorii cum toto,
Radic. Lapatii acuti,
Petroselini,
Polypodii,
Scrophulariæ majoris,
Corticum thamarisci &
Interiorum radicum frangulæ an. ℥j.
Herbarum Agrimoniæ,

Vero-

Veronicæ,
Scabiosæ,
Cuscutæ,
Ceterach,
Politrichi,
Geranii an. M. j.
Trium florum cordialium,
Genistæ, &
Sambuci ana. p. j.
Liquiritiæ, &
Uvarum passular. exacinatar. an. ℥ j.

Fiat decoctio in s. q. aquæ, ad consumptionem tertiæ partis, in ℔. j. ß. colaturæ infundantur & macerentur, s. a.

foliorum senæ mundat. ℥ ij.
rad. elleborinæ, hoc est,
saniculæ fœminæ Fuchsii,
polypodii an. ℥ j.
agarici recenter trociscati ʒ iij.
rhabarbari optimi ʒ iij.
fiat s. a. potio pro quatuor matutinis.


Hisce expurgato corpore, & exonerata vesica, decima Julii Anno 1601. ægrum in sedem collocavi; & præsente clarissimo & doctissimo Viro Dn. JOHANNE RHETERIO, in Schola Lausannensi, Hebraicæ linguæ Professore celebertimo, Claudio Marione, pharmacopæo exercitatissimo, David Clerico, aliisque multis, qui etiamnunc vita fruuntur, membrum virile in ipso abdomine abscidi. Posteà pulverem meum, ad sanguinem sistendum, stupis, albumine ovi madefactis, applicui; ac linteis reduplicatis & oxycrato imbutis, inguina & scrotum involvi, fasciisque colligavi. Quibus factis servos constitui, qui per vices manu madefacta oxycrato, stupas cum pulvere continuò continerent, ne sanguis erumperet. Cauterium enim actuale hoc in casu summè periculosum est; tum quod meatum urinarium obstruat, tum etiam vesicæ, & circumjacentium partium inflammationem facilè excitet. Vulnus sic in hoc primo apparatu ligatum, in alteram diem usque intactum reliqui. Tum primis diebus applicato digestivo, ventre circumjacentibusque partibus vulneris, ol. Rosarum & Myrtillorum inunctis, item applicato defensivo imo ventris; vulnus curavi more solito. Sic Dei beneficio plenissimè convaluit

Pro urinæ autem canali, hoc subsequens instrumetum, ex AMBR. PARÆO lib. 23. cap. 9. substitui, quo tam commodè statim post absolutam curationem utebatur, ut parum imo nihil vel obstaculi, vel doloris inde sentiret, vitæ etiam suæ munia feliciter, & firma sanitate obiret; ita ut omnes, qui ipsum antea viderant, admirarentur.

Porrò quum nonnulli cancrum, in una parte excisum, in altera renasci existiment, notandum est, hominem huncce per multos annos vixisse, & corpore ita validum fuisse, ut negotia rusticana & opificium suum, absque ullo impedimento exerceret, urinam quoq; liberè, & quidem sine fistula illa, qua in principio usus fuerat, non solum redderet, verum etiam ipsam non secus ac si virgam sanam & integram habuisset, longè expelleret. Retulit præterea mihi aliquoties, se sæpissimè ad venerem incitari. Obiit tandem circa finem anni 1611. dum ego in Belgio essem, qualis autem fuerit postremus suus morbus, latet me.

Obs. 88.

Figura fistulæ.



Sequens delineatio, formam hujus fungi cancrosi tantummodò indicat, magnitudinem verò, propter penuriam spacii, adumbrare non potui; visitur illa in Musæo meo.

A. Superior est pars membri virilis, quo in loco ventre excisum est.


B. Corpus erat callosum, fusci coloris; reliquum verò hujus massæ cancrosæ, coloris rubicundi, lividi, obscuri, ubique ulceribus profundis & putridis, ex quibus urina promanabat, scatens, conspiciebatur.

(o)

Porrò

Obs. 88. & 89.

Figura fungi Cancrosi.



Porrò antequam finem hujus epistolæ faciam, aliud exemplum de ablatione penis, subjungere visum est.

In bello inter Ducem Sabaudiæ & Genevēses, cuidam militi in velitatione membrum virile ictu sclopeti ablatum fuit. Genevam deductus à Dn. Iohanne Griffonio, Cheirurgo longè celeberrimo, feliciter sanitati restitutus fuit, sed in isto viro hæmorrhagia non usque adeò magna sequuta fuerat; alioquin propter profusionem sanguinis, hujusmodi operationes periculosas esse, exempla non desunt; sed nunc ea addere, tempus & occupationes non permittunt. Vale itaqui mî Dn. Chapusi, & feliciter vive diu, cum lectissima tua conjuge, quam tecum peramanter saluto. Dabam Lausannæ 16. Februarii 1613.

OBSERVATIO LXXXIX.

De periculosa membri virilis abscisione.

PRæcedenti observatione de felici successu abscisionis membri virilis egimus. Nunc verò periculosas esse ejusmodi operationes, si minus rectè administrentur, duabus subsequentibus historiis planum faciemus.

Historia I. Anno 1581. cum rusticus quidam à Filtin, à la Marchæ Galliæ civitatem, penus sibi comparandi gratia, profectus fuisset, & crumenam ponderosam collo appensam gestasset, à manticulario quodam exploratus erat, qui quum de modo crumenam illam abscindendi deliberasset, id imprimis notavit, quod corpore antrorsum inclinato, crumena in caligas propenderet, eodem verò corpore rursus erecto, denuò sursum versus regionem umbilici retraheretur. Hæc cum manticularius probè observasset, ac rusticum ante officinam quandam merces perlustrantem conspexisset, clàm accedit, & per fissuram caligarum manu crumenam & membrum virile apprehensum, simul & semel abscidit. Miser verò ille rusticus in terram procidens, illico animam efflavit. Historiam hancce ex ore Humberti le Page, civis Lausannensis, viri pii ac fide digni, compatris mei plurimùm honorandi, hujusque rei testis ocularis, excepi.

Altera historia. Anno 1582. Cum quadragenarius quidam Hildenæ in patria mea, ulcere quodam fœtido ac maligno in ipso balano laboraret, in manus Chirurgi non usque adeò imperiti incidit. Is abscisso balano, nec pulveribus ad sanguinem sistendum validis, satis instructus, interim dum ferrum quoddam, quod primò illi in culina ad manus erat, calefaceret, tanta subsequuta hæmorrhagia, ut æger paucos post dies è vita discederet: ex tanta enim sanguinis profusione vires adeò debilitatæ fuerant, ut in integrum restitui amplius non potuerint. Ex quibus summa in abscissione

scisione membri virilis diligentiam, providentiamq; adhibendam esse, tyrones facilè colligere possunt.

OBSERVATIO XC.

De fractura quadam brachii in decrepito, ipsiusque curatione, in qua de præstantia & generatione ossifragi lapidis agitur

Viro præstantissimo Dn. CLAUDIO CHAPUSIO, *Chirurgo celeberrimo,* *Guilhelmus Fabricius Hildanus,* S. P. D.

MEnses ferè elapsi sunt septem, præstantissime atque experientissime mî Dn. Chapusi, à quibus adjunctam observationem de Verruca in summo balani existente conscripsi. Cum verò tabellarium exspectarem, ecce Wormatiam Vangionum ad Generosum virum, Dominum EBERHARDUM Kämmerer von Worms / genandt von Dalberg vocor, ita quidem, ut æstatem ferè integram in Germania consumpserim. Observationem porrò prædictam quod attinet, illam sub tuo nomine Centuriæ tertiæ inserere decrevi, ut esset veluti monumentum amicitiæ nostræ. Tibi si quid ad ipsam respondere libuerit, fac quæso, ut id maturè ad me mittas. Quandoquidem centuriam illam tertiam prælo quamprimū subjicere constitui.

Cæterùm mitto ad te uncias aliquot lapidis ossifragi, quem nonnulli osteocollam, ostitem, sabulosum, & Germani Beinbruch & Bruchstein appellant, idque non immeritò; quantum enim valeat in fracturis ossium, nō rarò expertus sum; cujus rei exempla habes in prima centur. observ. mearum, nunc tamen & aliud non vulgare tecū communicare visum est.

Ante annos circiter sex, cum apud Paterniacenses Medicinam facerem, accidit, ut septuagenarius quidam, à vicino quodam suo circa carpum baculo percussus fuerit, cum manifesta, & quidem completa fractura. Erat autem senex ille corpore extenuatus & decrepitus; sed & ante multos annos paralysi ejusdem lateris, cujus fractum fuit brachium, laboraverat, neque unquam à paralysi penitus restitutus fuerat, ita quidem, ut non nisi maxima cum difficultate, & innixo baculo incedere posset. Ego in consilium cùm accersitus essem, ossa in locum suum, eâ quâ fieri potuit diligentiâ, reposui. Et quæ in hujusmodi affectibus requiruntur remedia, applicui. Subsequentibus diebus, ut symptomata præcaverentur, corpus à pravis humoribus aliquoties expurgavi. Post dies verò aliquot, cum mihi Solodurum ad nobilem virum Dn. WALLIERUM proficiscendum esset, curationem domesticis meis absolvendam reliqui. Post mensem cùm domum reversus essem, & fracturam diligenter inspexissem, omniaque perpendissem, callum nondum factum esse, ex collisione ossium fractorum bellè apparuit. Brachium enim, uti & totum corpus adeò extenuatum erat, ut ossa etiam tunc temporis inter se, uti & ab initio morbi, disjuncta esse, facillimè perciperentur. Adeò ista in parte calor nativus simul & humidum radicale deficiebant. Venerunt tunc in mentem egregiæ illæ operationes, quas ex usu lapidis Osteocollæ sæpissimè observaveram; quapropter curationem hoc modo institui.

Iterum infusione rhabarbari, foliorum senæ & agatici, clementer expurgato corpore, illam victus rationem quæ multum nutrit, (omissis tamen cibis viscosis, qui mihi in fracturis mirum in modum, ut in prima centuria obs. 92. declaravimus, suspecti) sanguinemque optimum procreat, calidum nativum & humidum radicale instaurat, præscripsi. Singulis quoque diebus, jejuno stomacho ad drachmas duas sequētis pulveris, ex jusculo carnis recentis exhibui.

R. Lapidis ossifragi diligenter præparati ℥j.
Cinamomi electi ʒiij.
Sachari ℥ij.
Misce, fiat pulvis tenuissimus.

Brachium usque ad scapulam sequenti linimento quotidie bis inunxi.

R. Ol. lumbricorum ℥ij.
Ol. granorum juniperi ʒij.
Succi lumbricorum ℥j.
Misce, fiat linimentum.

Post inunctionem sequens applicui Emplastrum.

R. Emplastri Vigonis ad fracturas ossium ℥ij.
Emplastri oxycroc. ℥ ß
Lapidis osteocollæ præparati ℥j. ß.

Lumbricorum præparatorum, & in subtilissimum pulverem redactorum ℥j. Cum s. q. olei lumbricorum fiat emplastrum. Fracturam de tertio in tertium, aut de quarto in quartum diem solvi, & medicamenta renovavi; reliquum brachium verò quotidie semel aut bis, ut dictum est, ad scapulam & nucham usque inunxi. Hisce adhibitis remediis, callus intra paucos dies usque adeò procreatus fuit, ut collisio illa ossium non amplius perciperetur. Et brachium intra septimanas quatuor restitutum fuerit. Vides, mi Dn. Chapusi, quomodo natura in hoc decrepito, veluti assopita expergefacta, & calor nativus ferè extinctus, iterum beneficio prædictorum medicamentorum accensus fuerit? Quantum præterea valeat lapis ille in fracturis ossiū, inde quoque videre poteris.

De generatione Lapidis osteocolli.

Porrò illum, quem ad te mitto, lapidem, superiori æstate ipsemet in Germania collegi. Cū enim Mense Aprili, ad Nobilissimum ac strenuum virum, Dn. JOHANNEM HENRICUM à HEUSENSTAM, Reverendissimi Archiepiscopi & Electoris Moguntinensis Mareschalcum & Consiliarium meritissimū, nec non Satrapam in Dieburg vigilantissimum, vocat⁹ essem, & per dies aliquot moram apud ipsum traherem, in campum quendam amplissimum & arenosum, fructiferum tamen, prope DARMSTADIUM me conducere curavit. In ipso porrò agro lapidem huncce copiosè, non solùm in ipsa terra absconditum, verùm & in ipsius superficie aëri expositum, inveni. Qui extra terram reperitur, nullius esse momenti, prænominatus ille nobilis (qui hujus lapidis cognitionem habet) mihi affirmavit. Illos tamen inter se, sive formam sive colorem inspicere velis, vix discerni posse, ac proinde, qui venales

Obs. 90. & 91.

les circumferuntur, sæpissimè si non adulterinos, nullius tamen efficaciæ esse, ex adjunctis facilè cognosces; de uno enim atque altero separatim ad te mitto. Ille qui in visceribus terræ invenitur, cum primò erutus fuerit, altero mollior est, friabilis & fusci coloris; aliquamdiu verò, imò per diem unum aut alterum solummodo aëri expositus, paulatim indurescit, & albescit quoque.

Opinionem porrò nobilissimi simul ac Doctissimi istius Viri, HEUSENSTAMI, rationi consentaneam esse, planè mihi persuasum habeo. Ob frequentes enim pluvias, & solis ardorem, substantiam illam viscidam & bituminosam, quam (cùm primò ipsũ è terra effodi) in ipso observavi, absumi, ac proinde virtutes suas ex parte deponere, & nihil præter id, quod maximè in ipso terrestre est, remanere, planè verisimile esse, mihi videtur. Generatur nihilominus tamen & ille, qui in superficie terræ reperitur, etiam in ipsis visceribus terræ, sed diuturnitate temporis paulatim erupit. Deinde advenientibus pluviis, & superficiem terræ, quia sabulosa, abluentibus, in conspectum venit. Alter pedem unum, vel etiam duos tresve, imò etiam octo, profundè, diversarũ figurarum, ut ex adjunctis videre poteris, reperiuntur. Nonnullos ex basi quadam, veluti rami arboris ex radice prodeuntes, inveni. Ille qui profundo terræ reperitur, ut plurimùm mollis est, friabilis, & limosus, facileq; in aqua dissolvitur, aut inter digitos conteritur: Erutus tamen cùm fuerit, mox, uti dixi, indurescit, & inter colorem album & fuscum, medium quid obtinet. Ejusdem tamen coloris etiam nonnullos extra terram inveni lapides; quos ego non omninò improbo. Non enim ipsos aëri diu expositos fuisse existimo. Alii præterea solidi sunt; alii fistulosi, in quibus materia aliqua nigra, mollis tamen, friabilis, & aliquo modo limosa, medullam ossium repræsentans, reperitur. Ubi forsan primus hujus medicamenti author respexit, illumque in ossium affectibus singulare quid præstare posse, inde collegit. Plura si de hoc lapide videre cupis, consule Matthiolum, Quercetanum, Anselmum Boëtium de Boodt, & alios. Ego, & si ipsum in fracturis ossium præstantissimum esse, in controversiam vocare minimè contendam, attamen intra tam paucos dies, uti scribunt Matthiolus & Quercetanus, ossa fracta sanare posse, non facilè mihi persuadere possum: tibi quid hac de re videatur, rescribe. Vale Vir præstantissime, & cum conjuge feliciter vive diu. Raptim Lausannæ 30. Augusti 1613.

OBSERVATIO XCI.

De ingenti fractura brachii, in qua ossa disjuncta remanserunt.

Ad eundem Virum præstantissimum Dom. CLAUDIUM CHAPUSIUM, *Cheirurgum excellentissimum,*

Cui

Guil. Fabricius Hildanus. S. P. D.

IN postremis meis ad te literis, Vir præstantissime, curationem quandam singularem fracturæ brachii ad te scripsi; Observationem quoque de membro virili, in fungum cancrosum excretum, simul misi; fac quæso, ut quamprimùm intelligam, an literas acceperis.

Porrò ante menses duos ex Germania rediens, Basileæ fracturam, observatione dignam, in quadragenario vidi. Hujus autem viri brachium sinistrum, quum ante annos decem rota molendina apprehenderet, inter cubitum & carpum ossa in transversum adeò confregit, ut omninò inter se disjungerentur, cutis quinetiam & musculi mirum in modum dilacerarentur. Dolor supervenit maximus; inflammatio & intumefactio totius brachii; non solùm ob magnitudinem morbi, verùm etiam, quod ossa in propriam sedem reposita non fuerant, carnemque continuò compungerent. Multum puris per menses aliquot effluxit, multaq; ossicula à chirurgo extracta fuere; Tandem remiserunt symptomata, & consolidata fuerunt vulnera, sed ossa disjuncta remanserunt, & ita quidem, ut eo in loco, veluti alterum articulum constituerent, manum enim dextram si adhibet, sinistrum brachium antrorsum & retrorsum ducit, non secus ac si naturalis in loco prioris fracturæ articulus esset, idque sine ullo dolore. Ossa se invicem non attingunt; sunt enim ipsorũ extremitates callo obductæ. Brachium aliquomodo extenuatum est. Cubitum quidem movet, sed difficulter; quapropter brachium ferè inutile est.

Cæterùm quid causæ sit, cur ossa in hoc viro per callum connexa non fuerint, profectò, me latet; nisi forsan proprium nutrimentum ossis, ex quo, teste Galeno, callus procreatur, in pus conversum, unà cum pure effluxerit, aut caro vel membrana aliqua inter utramq; extremitatem ossis interciderit. Alioquin natura adeo est provida atque diligens, ut extremitates ossium confractorum, licet levissimè se contingant, statim conglutinet atque conjungat; uti ex sequenti exemplo apparet. Habeo in Musæo meo duas costas, quæ in medio mediante callo, quemadmodum ex sequenti figura apparet, cohærent. Verisimile autem mihi videtur, fragmenta nonnulla acuta, unius atq; alterius costæ musculos intercostales perforasse, ac se invicem attigisse, & beneficio naturæ per callum firmissimè connexa fuisse. Quod autem homo iste, cujus anteà facta fuit mentio, doloris expers sit, & brachium nulla intemperie vexetur, admiratione non vacat. Ego etsi in Belgio & alibi infinitas propemodum fracturas viderim, nunquam tamen tale quid me vidisse memini. Tu, qui exteras quoque regiones peragrasti, multumq; observare potuisti, simile quid si observaveris, id ut in bonum publicum communicare velis, obsecro. Pestis hîc & in vicinia vehementer grassatur; & multos è medio tollit. DEUS pro sua misericordia per unigenitum filium suum Iesum Christum, iram suam justissimam à nobis avertat. Tu si singulare aliquod remedium contra morbum huncce tam gravissimum habes, id ut nobis

Obs. [cut off]


Metho[d.] medend[i] lib. 6. A[rt.] med. c. [...]

Observa[tio] de d[uabus] costis in medi[o] per call[um] conglutinatis.

bis

Obs. 92. nobis communicare velis, obnixè rogo. Vale Vir præstantissime, & cum lectissima tua conjuge feliciter vive diu. Dabam Lausannæ 9. Septembris 1613. Obs. 92.





OBSERVATIO XCII.

Ex improvida & incauta inunctione argenti vivi, mors consequuta.

QUibus laudibus hydrargyrum in lue venerea ab omnib⁹ ferè chirurgiæ practicis celebre extollatur, quamq; præsentaneum sit in ejusmodi affectibus remedium, etiam chirurgiæ tironibus in confesso est. Cautè tamen & summa cum prudentia adhibendum esse, omnes monent Viri docti. Non enim unum idemq; remedium diversis morborum generibus adaptari debet, sicuti pleriq; artis chirurgicæ impostores, empirici atque carnifices, qui hoc remedium in omnibus ferè scabiei speciebus, ulceribus, aliisq; affectibus cutaneis, imò etiam in quibusdam doloribus arthriticis, quos ipsi suo fictitio & inusitato apud rationales Medicos vocabulo, die kalte Lähme vocant, applicare ausi sunt, idq; maximo cum damno ægrorum. Quãdoquidem corpore non purgato, ipsos in locum angustum atque calidum includunt, mox juncturas unguento ex hydrargyro inungere non cessant, donec phlegma copiosè per os effluat, dentesque vacillent. Hinc pessima ut plurimum sequuntur symptomata, quibus æger destruitur atque præcipitatur, ut mox exemplis duobus declarabimus. Est igitur morbi habenda ratio; quandoquidem hoc remedii genus requirit materiam suam particularem, in qua tanquam in proprio subjecto vim suam exercere possit. Itaq; ut chirurgus ante omnia plenissimam notitiam morbi & rationem virium habeat, necesse est. Habet enim hydrargyrum particularem facultatem, qua pituitosos humores etiam ex infimis corporis partibus ad os & fauces mittit atque expellere tentat. Id quod ego sæpissimè non solum in hydrargyro crudo, verùm etiam in ejus pulvere calcionato expertus sum, dum ipsum ulceribus, quantumvis extremitatum veluti tibiarum, & manuum præcipuè in corporibus tenellis & delicatioribus inspersi, quandoquidẽ ægri non sine molestia de dolore dentium, & inflatione gingivarum conquerebantur. Porrò dum humor ille pituitosus & lentus vi hydrargyri ex omnibus partib⁹ corporis impetu quodam sursum fertur ad os, fieri non potest, quin maxima ejus portio in laxos ac porosos pulmones feratur, illisque insidiatur. Inprimis autem pulmonibus hoc evenit periculum, natura ægri debili & languida existente; ut viscosam

Obs. 92. hanc pituitam expellere non sit potis. Hinc sequitur inflammatio, respirandi difficultas, & tandem suffocatio atque mors. Aliquando quoq; tam copiosè pituita hæc ad os confluit, ut extincto calore nativo, gangræna sphacelusque sequatur. Cujus rei quàm plurima exempla percensere possem, sed tria, quæ sequuntur, sufficiant. Ex quibus tyrones admonitos velim, in applicatione hydrargyri cautè procedendum esse.

EXEMPLUM I.

Helvetius quidam 26. annos, aut circiter natus, ex militia rediens, tum propter itineris & temporis incommoditatem, tum etiam viatici inopiam, planè extenuatus ac defessus, Lausannam venit, ac quia de dolore juncturarũ & lassitudine conquerebatur, chirurgi potius hospitio, quam diversorio publico frui maluit, quo simul & eodem tempore defatigatum ex itinere corpus, exhaustasque vires reficere, interim quoque articulorum doloribus curam adhibere posset. Sed infelici omine in manus imperiti & imprudentis empyrici incidit. Is nulla, neque virium, neque morbi ratione habita, statim juncturas omnes, etiam corpore nondum expurgato, unguento ex hydrargiro inunxit, non secus ac si lue venerea graviter infectus fuisset. Unde viribus omninò prostratis, in gravissimam lienteriam incidens, paulò post à morbo die kalte Lämme appellato, per obitum plenissimè liberatus fuit. Vocatus ego, ut coram clarissimo *D. Abele Roßio*, apud Lausannenses medico celeberrimo, *& Claudio Marione*, Pharmacopæo vigilantissimo, cadaver aperirem, pulmones lividos, & humoribus pituitosis instar spongiæ madefactæ repletos, cor verò molle, flaccidum & exangue deprehendi.

EXEMPLUM II.

Nobilis vir *Baptista Mallarda* inRue, Helvetiorum Freiburgensium Reipub. pago, 66. annor. ætatis suæ nodosa podagra extenuatus, scabie ex phlegmate salso laboravit. Incidit hic quoque in manus imperiti empyrici, qui nullis adhibitis universalibus ipsum primum unguento ex hydrargiro, deinde in balneum ex herbis calidis immissum, totum etiam corpus aqua vitæ inunxit. Paulò post humores pituitosi ex omnibus corporis partibus ad gingivas tam copiosè confluxerunt, ut inde inflatio oris, inflammatio & dolores non leves, spirandi item difficultas, syncope, aliaq; graviora symptomata sequuta sint. Die 29. Iunii 1598. accersitus, gingivas, genas, linguam, omnesque oris partes, sphacelo infectas offendi. Alligata itaque baculo spongiola, inq; gargarismate madefacta, dum os abluere vellem, dentes, partesq; linguæ & gingivarum simul exciderunt. Ob hujus igitur sphaceli sævitiam sequenti die è vita discessit.

EXEMPLUM III.

Mulier ulcere in cruce, absque ulla tamen suspicione luis venereæ laborans, cum Chirurgo se curandam commisisset, unguento ex Mercurio inuncta fuit. Post dies aliquot inflammatio gingivarum pro more sequuta est. Qua neglecta, sequutum fuit ulcus putridum, adeoq; malignum, ut gingivas, malas, nasum, totamque partem faciei infra oculos eroderet. Vixit in hac miseria menses circiter duos, deinde naturæ satisfecit. Hæc mihi Anno 1608. Die 11. Martii, præsente D. Emanuele Vrstisio, Artium liberal. Magist. à viro quodam pio & fide digno, qui affectum hunc suis vidit oculis, narrata fuere.

OBSERVATIO XCIII.

Nobilis quidam ex febre acuta curatus, protinus gangrænâ corripitur.

INter omnes gangrænæ species, illa, quæ ex occulta & venenosa qualitate accidit, meritò omnium periculosissima & exitiosissima est cêsenda. Raro enim ex ea sanitati restituuntur ægri, uti in tractatu nostro de gangræna & sphacelo suo loco fusiùs declaravimus, ut plurimum enim etiamsi membrum ea in parte, quæ nobis sana, & lue ista minimè infecta esse videtur, abscindatur, revertitur tamen malum, truncum rursus invadit, ægrumque protinus è medio tollit. Tanta enim est hujus veneni sævitia atque malignitas, ut musculos, venas atque arterias, quæ in centro partis affectæ latitant, primò & antequam in cute in conspectum prodeat, occupet, per easq; sese longè lateque dispergat, & adjacentes partes inficiat, idque ut plurimum antequam signa gangrænæ in cute appareant, perficit. Hæc etiamsi ego non raro in aliquibus observaverim, ad majorem tamen rei declarationem, non abs re, neque tyronibus infructuosa erit sequens historia, quam clarissimus ac doctissimus Dn. JANUS DE BURGO, Burgi Segusianorum Doctor Medicus longè celeberrimus, diligenter ac doctè annotavit, quamque mihi cum Anno 1609. mense Aprili Burgum, ad nobilem Virum Dom. JACOBUM WALLIER, ictu sclopeti graviter læsum, vocatus essem, & per mensem ferè integrum familiaritate atque amicitia viri istius tam docti, tamque humani, fretus essem, communicavit. Historiam autem illam sic descripsit nobilis Petrus Dhazard, natione Gallus.

Gangræna in pede sinistro nulla præcedẽte inflammatione, nullo ulcere, nulloque alio sensibili vitio affecto oborta, à venenata, malignaque qualitate profecta censetur, huicque cum tibia paulò infra poplitem in parte scilicet sana amputata esset, 11. ab amputatione die, gangræna reliquum crus, totumque sinistrum latus, præter omnium exspectationem rursum occupante, in oppidulo Segusianorum sancto Triverio sacro, extremum vitæ diem obiit.

Anno Domini 1605. Calend. Januarii cum nobilis Petrus Dhazard apud sanctum Triverium, Bressiæ Segusianorum oppidulum, ob acutam febrem decumberet, propter magnam mutuamque familiaritatem qua vicissim fruebamur, me ab eo vocari, & ad morbi curationem, qui tunc malè eum exercebat, adhiberi contigit, cui cum accommodatam profligando morbo victus rationem undiq; præscripsissem, præsi-

93. præsidiaque omnia, quæ huic depellendo affectui idonea fore conjiciebam, summa diligentia administrassem, intra quatriduum affectum, quo antea immanissimè divexabatur, affulgente divina ope, pro voto & animi sententia curavi. Verum cum in integrum restitutus planè videretur, & sese jam ad consueta munia transferre vellet, quo id ipsum sequenti die faciliùs consequeretur, & lectulo, ne ita torpesceret, corpus surgere decrevit. Per cubiculum autem cum molliter deambularet, sinistrum pedem sibi mirum in modum degravari, tantoque dolore percuti sensit, ut cum inter se deambulandum sustinere non posset, in humum, quasi vi excussus, decidere coactus fuerit: quare ad eum ministrantes illi famuli subitò accurrunt, ipsumque in pedes, quo staret, erigere conantur, sed frustra: progredi enim ipsum non posse animadverterunt, altero scilicet pede eoque sinistro motum corpori nullum præbente: quapropter ad cubile ipsum deferunt, vestimentis exuunt, supinum componunt, sicque collatum, ut à me inviseretur, ultrò satagunt. Accersor ad hominem, quem jacentem intueor, & præ dolore atrocissimisque cruciatibus magno clamore ac ejulatu divinam opem implorantem audio: mirari statim subit, quidnam rei tanti doloris malo occasionem ita celerem præbuisset: quare ab eo sciscitor, num jam diu ita excruciaretur, in quave corporis parte dolorem persentiret: qui mox se ita esse affectũ, ac dolorem, sinistro tantũ pede se incedere respondit.

De doloris specie, & qualis ille esset, interrogatus, inflammationi similem, & talem quidem qualis suppositus pedi ignis ardens efficeret, esse expressit. Quibus auditis partem dolore obsessam detego, attracto, & si quæ in ea labes subesset deprehendere cogito, sed tantum abest ut in eadem admota manu incendium illud grave, de quo conquerebatur, observarem, quin potius pedem universum, maximè autem plantam ejus, intenso admodum frigore rigentem, tactu deprehendo, & nisi mutatam naturalem figuram situmve conspexissem (erant enim reclinati in sese ipsis digiti, pesque quasi extrusus, ad demortuæ partis instar immobilis permanebat) sanam nulloque vitio inquinatam judicassem partem illam, maximè autem quod nec tumor ullus, nec ulla sensibilis mutatio coloris intervenisset; me ex tempore, qui aderant interrogant, & à me quid tam acerbi dolores significarent, sciscitantur, quibus sanè futuram gangrænam, si jam accersita non esset, judicari respondi. Etsi enim partem illam nulla inflammatione teneri, nec ulla alia manifesta intemperie affici, ob quam calor nativus obrui ac extingui posset, satis mihi perspectum erat, eumque tamen ingenitum partib. humani corporis calorem, ob alias etiam causas extingui posse in mentem venit. Est enim docta FERNELII sententia cap 7. lib. 7. suæ pathologiæ; à venenata atque maligna qualitate insitum partis calorem præfocari extinguique. Verùm apud me Guilhelmi Fabricii Hildani, exercitatissimi Chirurgi testimonium multò pleniorem fidem faciebat, ut quod tractatum magna arte ac methodo exstructum, de gangræna & sphacelo inscriptum, non longo ante tempore edidisset, ubi omnes gangrænæ causas tam universales, quàm particulares enumerans, tandem tractatus sui caput quartum huic particulare gangrænæ, quæ occultam & malignam qualitatem pro exortus sui causa agnoscit, dicavit, tamque apertis exemplis rem confirmavit, ut omnem dubitandi occasionem omnium animis eripuerit. Hæc occulta deleteriaque qualitas non actione manifesta, sed cæca vi, & ut inquit author idem, modo quodam mentibus nostris inpervestigabili, corporis substantiam corrumpit, devastat ac depopulatur. Nec abs re quidẽ, contrariis enim legibus quam nativus ipse calor regitur & gubernatur: quo fit, ut perpetuas invicem inimicitias exercentes, bellumque perpetuum contra se gerentes, alterum in prælio occumbere necesse sit, deficienteq; nativo calore, proprio temperamento partis everso, gangrænam ac sphacelum, nisi humor cui maligna illa qualitas tanquam subjecto insidet, foras evocetur, necesse quoque sit ingenerari, partemque ad internecionem penitus deduci. Hoc maximo suo malo expertus est æger ille, qui cum gangræna secundum sinistrum pedem correptus esset; ex nulla manifesta causa originem trahente; ab occulta malignaque qualitate nativo calore lethalem vim inferente in eandem incidisse censetur.

Obs. 93.

Quænam autem esset deleteria illa qualitas, quove nomine designaretur, neminem esse, qui exprimere possit, existimo, alioquin manifestam & apertam dicendam fuisse potius quàm occultam qualitatem, rationi magis consentaneũ esse arbitror. Verùm quoniam quandoq; extrinsecus advenire, quandoq; autem corpori innasci consuevit, num hoc, numve illo modo acciderit, disquisitione mihi dignum esse videtur, sed cum nulli rei extrinsecus corpori occurrenti eum fuisse obnoxium sciam, tanti mali causam internam esse ingenuè fatebor, ac in parte affecta non momento quidem temporis, sed magno dierum num. succrevisse dicere audeo. Ille namque toto antea triennio sensisse se, nescio quid doloris ac incommodi in pede affirmabat, cujus merito & solito incalescebat magis, & plus æquo gravabatur pars affecta. Si n. quandoq; bibebat aliquidve actu frigidum sorbebat, ad pedem (quod ridiculosum erat) ilicò deferri sentiebat, communicato nescio quo frigoris sensu. Medicos de hac re consulere coactus sæpè fuit, qui cum affectus hujusce causam ignorarent, parvi momenti rem, imaginationique potius quam veritati suppositam esse dicebant. Hinc videre est, quamdudum secum mali causam circumtulerit, quamque diu nativus calor, antequam occumberet & extingueretur prorsus, prælium sustinuerit. Hîc augescente indies maligna illa labe, & venenata qualitate, cum ejus vim ac impetum diutius perferre non posset extinctus est, ac evanuit, sicque partem propriè calore eoq; vivifico pauperatam jacere demortuam tandem necesse fuit. Sic illi omnia ordine contigerunt, tantoq; dolore (non quod penè sphacelo percussus doloris sensum ha-

Obs. 93. & 94.

beret, sed quod vicinæ partes serpente ad eas aura venenata insita, earum calorem devastante, vim paterentur) ut mori se potius quam vivere præ illo exoptaret. Acutus enim adeò ac ferox erat, ut nullis admotis præsidiis demulcere ne minimum quidem potuerit, & quantumvis affecta pars sanguine exoneraretur superfluo, ac intus recondito, nihilo melius se habere fatebatur: nec se quicquam solatii ũquam fuisse consequutum dicebat, quam ubi diu multumque pars tibiaque recenti lacte bubulo & tepente perfunderetur. Comburi sibi partem illam dicebat, sed qua occasione, non habeo quod dicam, nisi fortè sensus illi à maligni vaporis proprietate, aut à multitudine sanguinis & spirituum, quos eo solers providaq; natura in afflictæ partis subsidium mittebat, esset invectus.

His in angustiis biduum commoramur, donec tandem translata ad exteriora gangræna, coloris mutatio in cute appareret: Ex eo tibiam amputandi consilium initur, Chapusius præstantissimus Chirurgus, qui non longè aberat, vocatur, hic tibiam magna dexteritate amputat: sedantur symptomata omnia, quies accersitur, & de salute hominis benè speratur: Interea de discessu cogito, ægrumque regendum Chapusio committo. Verùm quia malè constitutum erat corpus, putrilaginemq; quandam ac pravam dispositionem ex lue venerea contractam (qua vix ullo medicamentorum usu, hydrargyrive crebra inunctione curari potuit) per totam sui substantiam sparsam habebat, effectum est, ut ne parvum quidem vulnus, ex abscisione relictum, medicamentis detergi potuerit, sed invalescente magis, ulteriusque serpente putredine, gangræna corripi rursum, ægrumque undecimo ab amputatione die interire, magno adstantium amicorum fletu acciderit. Hæc vera est gangrænæ ab occulta causa profectæ imago, quam quidem, quia effectum de se prompsit omnibus admirandum, occultam ac incognitam dicere non pudebit: In pedio enim affecti pedis, quantum pollice tegi posset, ita cutis non divulsa affecta erat, ut splenderet, & perspicuitatem vitri modo adepta, subjectorum tendonum, venarum, arteriarumq; substratarum intuitum non impediret.

OBSERVATIO XCIV.

De gangræna & spasmo post curatam luem veneream.

ANno 1608. civis quidam Burgi Segusianorum, opificio sartor, sibi digitum auricularem inter primum & secundum articulum confregit: cum carnis quadam dilaceratione, fractura à Mag. ANTONIO CHALY Chirurgo, rectè & ut artis erat, reposita fuit. Sequenti nocte exortus est dolor maximus: quapropter cum altera die fascias solvere coactus esset, digitum jam gangræna & sphacelo correptum esse deprehendit. Cõvocatis medicis, ne malum ulterius serperet, & vicinas partes invaderet, quicquid ita affectum, ut abscinderetur, ratum fuit. Abscisso digito, feliciterque mundificato, & ferè sanato vulnere, ita ut etiam denuò ea negotia, quæ sui erant opificii, peragere posset, cum quadam die exspaciaretur, & aëri frigido sese exponeret, protinus spasmo cum maximis & immanissimis doloribus & cruciatibus correptus fuit. Caput enim versus scapulas adeò convellebatur, adeoque retrorsum contrahebatur, & inflectebatur spina, ut caput poplitibus incumbere videretur, atque in his doloribus maximis animam DEO reddidit.

Obs. 9. & 9.

Cæterùm cum gangrænam hanc, tum etiã spasmum ex occulta & venenata quadam proprietate originem suam traxisse, non est ut quispiam ambigat. Laboraverat enim æger iste antea lue venerea: cujus veneni & malignæ qualitatis (procul dubio) fermentum aliquod in parte aliqua corporis diu absconditum, tandemque ex hac causa externa in effectum actumve productum fuerat. Historiam hanc cum Anno 1609. ad Nobilem virum, Dn. Jacobum Wallier, Burgum Segusianorum vocatus essem, mihi communicavit Dn. Janus de Burgo, ibidem Medicus longè celeberrimus, qui & omnia, quæ narravi, suis viderat oculis.

OBSERVATIO XCV.

De gangræna & sphacelo ex occulta venenataque qualitate, post curatam pestem.

IN præcedentibus observationibus de gangræna, ex qualitate occulta post luem veneream orta, egimus: Nunc post curatam pestem aliosq; acutos morbos idem accidisse, uno aut altero exemplo demonstrabo.

EXEMPLUM I.

Anno 1582. Puella rusticana ad Düsseldorpium, peste gravissima laborabat, Quæ cum nullos adhibuisset medicos: tandem nihilominus singulari DEI beneficio ita curata restitutaque fuit, ut ipsam jam penitus evasisse cuncti arbitrarentur, febris enim nulla amplius aderat, bubones sub axillis, & anthraces in brachiis sanati erant: ambulabat, negotia domestica peragebat: comedebat bibebat pro more. Verũ cum jam plenissimè se evasisse existimaret, accidit ut quadam die dolore acutissimo in utriusque pedis digitis correpta fuerit. Unde illico inflammatio & sphacelatio digitorum pedum sequuta est. Ad ultimam tamen articulationem abscissis digitis, convaluit; Ex his apparet, materiam quandam malignam à peste in corpore remansisse, ipsamq; veluti per criticam expulsionem ad extremitates pedum naturæ beneficio expulsam fuisse.

EXEMPLUM II.

Anno 1597. Puero 6. annorum nato in pago Avernier, ad lacum Neocomensem Helvetiorum, Daniel Courtaillio nomine, idem accidit, cui peste correpto bubo in inguine sinistro, anthrax verè circa talum ejusdem cruris, exorta est. Tandem quoque sequuta gangræna & sphacelo, tibiam ad poplitem absciderunt. Convaluit, & huc usque vivit, annum nunc 18. ætatis prætergressus, ab eoque tempore morbis rarò obnoxius fuit. Uti ego anno 1609. cum ex Burgundia redirem, ex ipsomet adolescente intellexi.

Obs. 96.

OBSERVATIO XCVI.

Affectus gravissimus circa genu quomodo sanatus?

PUella 18. annorum ætatis. ex domesticis Magist. Georgii von der Sulß/ civis Coloniensis, viri pii, obæsa & plethorica, cum in terram cecidisset, & genu sibi contorsisset, inflammatio totius genu, cum maximis doloribus exorta est. Ab initio emplastrum ex argilla fornacum, bolo armeno, farina tritici, aceto & albumine ovi, ipsi applicuerunt; hinc paulatim inflammatio & dolor cessarunt: tumor tamē circa rotulam remansit magnus & durus, quapropter nisi innixa baculo, incedere non potuit. Post annum venit Coloniam ad prædictum Magist. Georgium sororium, tum ego in consilium adhibitus, totum genu prætumidum, & ita rigidum inveni, ut illud absque maxima difficultate & dolore incurvare non posset: extendebat autem illud facillimè. Hinc materiam aliquam circa rotulam collectam esse, facilè intelligere licuit, curationem itaque sic institui. Primò ut sanguis & humores diminuerentur, minusque ad locum affectum affluerent, victum tenuem atque exsiccantem ipsi præscripsi: deinde corpus sequenti minorativo expurgavi.

R. herbarum & florum betonicæ,
scabiosæ
cuscutæ
agrimoniæ
veronicæ an. m. ß.
sem. anisi ʒj.
fiat decoctio in aqua ℥iiij.

Colaturæ dissolve pulver. passavanti cum rhabarbaro ʒj.
syrupi rosat. solut. ℥j.

Misce, fiat potiuncula. Postridie venam in brachio, quæ magis conspicua, incidi, sanguinemq; ad uncias circiter decem extraxi. Deinde,

R. rad. cichorii
petroselini
fœniculi
polypodii
corticum interiorum radicum frangulæ an. ℥j.
herb. betonicæ
agrimoniæ
cuscutæ
scabiosæ
ivæ arthriticæ
chamedridis an. m. j.
florum primulæ veris
summitatum majoranæ
rosmarini an. m. ß.
sem. anisi &
fœniculi an. ʒij.
liquiritiæ &
uvarum passulatum an. ℥j.

Coquantur in aqua, ut colatura ad tertias cocta, redeat ad ℔ ij. de qua singulis diebus in crepusculo matutino sumebat ad ℥vj. Interim dum apozemate hoc utebatur, corpus per intervalla, nunc pulvere passavanti, cum rhabarbaro, nunc quoque pulvere ex hermodactylis, & extracto corticum esulæ expurgavi, genu sequens applicui cataplasma,

R. farinæ hordei &
fabarum an. ℥ iiij.
pulv. rosarum rubearum
baccarum lauri
myrtillorum an. ℥j.
pul. florum chamomil.
sambuci
ivæ arthriticæ an. ℥ ß.
fimi caprini ℥ij.

Cum vino rubro fiat cataplasma, adddendo in fine sapæ ℥ iij. Applicetur calidè bis in die. Cataplasma hoc per septimanas tres applicui, interim quoque utebatur apozemate præscripto, & per intervalla, ut dixi, expurgata fuit. Ab usu horum medicamentorum & victus ratione, dolor omnis cessavit, præterquam flectendo genu; intumefactio quoque tota evanuit, præterquam ex inferiori parte rotulæ: ibi enim manifesta durities sentiebatur. Illa quia partim ligamento rotulæ subjacebat, inflexionem genu impedire potuit. Duritiem porrò hanc ut emollirem, omnem diligentiam adhibui, sed frustrà. Tandem cum nullam subesse malignitatem, satis superq; cognovissem, de apertione hujus tumoris cogitare cœpi. Mentem meam adstantibus aperui, qui postquam consensissent, ac iterum expurgata esset ægra, cùm pharmaco, tum venæ sectione, cauterium meum potentiale ad inferiorem partem rotulæ, & latus tendonis applicui, altera die, superficie escharæ excisa, sequens linimentum imposui.

R. Unguenti basilici
butyri recentis sine sale an. ℥j,
ol. amygdalar. dulc. &
de vitellis ovorum an. ℥ ß.
ol. rosac. ʒj.

Misce, fiat unguentum, addendo vitellum unius ovi, croci ℈j.

Post casum escharæ, unguento meo escharotico, quod reliquū erat carnis, paulatim erosi. Tandem materiam crassam, viscosam & durissimam ad inferiorem partem rotulæ, & quidem inter os & tendonem patellæ invenimus. Materiam hanc paulatim extraxi, applicando nunc unguentum aliquod escharoticum, nunc pulverem præcipitatum, aliaque similia. Interim diligenter prospiciendo, ne tendo læderetur, satis mundificato ulcere cicatricem induxi, postea ex sequentibus herbis pro corroboratione partis affectæ, fomentationem applicui.

R. florum & folior. salviæ
rosmarini
primulæ veris
majoranæ
ivæ arthriticæ
hyperici
origani an. m. j.

Incidantur & sacculo indantur, eo intersuto vino rubro coquatur, applicetur calidè bis in die: post fotum genu, coxamque ol. ex floribus Slotani inunxi, his divina clementia in pristinam sanitatem restituta fuit.

Obs. 96. Obs. 97.

Cujus curationis & sanationis successus tam felicissimus, cum ad aures cujusdam civis Coloniensis quinquagenarii, cujus nomen non amplius occurrit, pervenisset, me in consilium vocavit. Laboraverat autem ille spacio quindecim annorum, tumore ad patellam dextram, quapropter absque baculo incedere ipsi non licuit. Ante menses tamen duos antequam ad me veniret, tumor iste ita accreverat, ut pus apertè, & quidem in diversis locis, circumcirca genu palpando digitis persentiri possit. Manum adhibere recusavi, sciebam enim incurabilem esse affectum hunc. Tandem nihilominus ipsius precibus obtemperare coactus fui, tum aperto abscessu, per dies aliquot materia subtilis, &c. instar seri lactis, copiosè satis effluxit: absque tamen dolore. Posteà materia crassa, viscida & alba, ad instar lactis coagulati aut casei recentis apparuit, atque similiter per dies non paucos emanavit. Demum veritas eorum, quæ prius ipsi prognosticaveram, apparuit, os enim cariosum deprehensum est. Et quia ista in parte caries abradi non licuit, quandoquidem profunda erat, sequutum est ulcus incurabile & fistulosum, ita ut in posterum, uti & antea, absque scipione incedere non posset.

Observatio XCVII.

Balsama indiscretè applicata, periculosa.

VSum emplastri stiptici Paracelsi, indoctè applicati, periculosum esse, Centur. prima observ. 98. exemplo monstravimus, idem & de balsamis cùm naturalibus, tum artificialibus, censendum esse, tam certum est quam quod certissimum, cujus rei fidem facit historia sequens.

Anno 1598. Lausannensis quidam, Claudius nomine, habitans in suburbio Marteres, vir robustus & quadragenarius, secure prope rotulā dextram sese sauciavit. Vulnus profundum nō erat, nec aderat dolor, quapropter se ex consilio cujusdam amici sui, nescio quo balsamo curare tentabat. Diligenter itaque bis in die balsamum hoc calidè vulneri filamentis imponebat. Hinc brevi labia quidem vulneris coaluerunt: sed altè collecto pure, non diu post tantus exortus est dolor, tanta inflammatio, febrisque ex lipothymia, ut de vita periclitaretur. Ego unà cū Dn. Claudio Marione, pharmacopœo longè peritissimo, vocatus, totum genu prætumidum inveni, ex vulnere fungus sive fungosa caro, quæ magnitudinem ovi gallinacei adæquabat excreverat. In fungum huncce cum stylum immisissem exploratorium, ultra libras duas aquæ lympidæ, quam Germani Glidwasser / Josquinus Dalhemius verò, qui Chirurgiam Paracelsi latinè reddidit, Sinoniam appellant, effluxit. Non solum ea die, verùm etiam per triduum copiosè emanavit aqua hæc. Postea sensim mutata est in materiam purulentam.

Curationem sic aggressus sum, instituta optima victus ratione, purgato iterum corpore, incisave vena in cubito dextro, & applicatis topicis convenientibus, paulatim sedatus est dolor, inflammatio quin etiam, lipothymiæ, quæ frequentes aderant, & febres cessarunt. Sed quia articulus humore isto aqueo & purulento imbutus fuerat, in diversis circumcirca genu locis, qui etiam in ipsa sura, partim naturæ, partim artis beneficio, factæ fuerunt apertiones atque exulcerationes. Tandem maximo cum labore sanatus fuit, sed quia tendones, ligamenta, & appendices juncturæ, ratione ichoris & puris exesæ & corruptæ essent, reliquum vitæ suæ claudicavit.

Obs. 97. & 98.

Quidam Genevensis vulnus icto sclopeti recepit. Huic à Chirurgo, alioquin industrioso & optimè exercitato, applicatum fuit balsamum, cujus beneficio cum labia vulneris coaluisse videbatur, collectum denuò est pus in profundo vulneris, ex quo postea sinuosa, & penè incurabilia facta sunt ulcera. Ego tandem illum maximo cum labore sanitati restitui.

ADMONITIO.

Suadeo itaque omnibus, medicinam atque chirurgiam exercentibus juvenibus, ne temerè quicquam cum hujusmodi balsamis incipiant: præcipuè in nervosarum partium vulneribus. Nō enim citò, sed tutò ægrum velle sanare, expedit.

Observatio XCVIII.

Dolor vehementissimus in ipsa calce pedum, applicatione cauterii potentialis sedatus.

CUidam Coloniensi in ipsa calce pedum adeò acutus, vehemens & continuus, cum febre, exortus est dolor, ut neque nocte neque die quiescere posset. Joh. Slotanus, apud Colonienses Medicus celeberrimus, compater meus plurimùm honorandus, in consilium adhibitus, corpus aliquoties cùm per secessum, tum in primis revulsionis gratia per vomitum evacuavit, venā in brachio incidit, anodyna applicuit, nec quicquam eorum, quæ hìc necessaria videbantur, prætermisit: absque fructu tamen, cum dolor ab hujusmodi potius augeri videbatur. Pars tamen affecta vix in tumorem elevata erat, idque propter densitatem cutis, tandem loco dolenti cauterium potentiale applicuit. Post horas aliquot novaculā separatā escharā, guttula una aut altera ichoris extillavit, dolor mox cessavit. Vlcus post casum escharæ, per dies aliquot apertum retinuit, & pulverem præcipitatum inspersit. Deinde inducta cicatrice plenissimè convaluit. Historiam & curationem hanc, prædictus Dominus D. Slotanus mihi communicavit, & æger ipse, quum anno 1612. Coloniam Agrippinam profectus essem, mihi recitavit, & ab eo tempore nullum dolorem isto in loco se sensisse affirmavit.

Hippocr. Aphor. l. Aphor. 5.

Observatio XCIX.

De gravissimo affectu plantarum pedum ex variolis.

ANno 1599. Puellam ex nobili familia, Coloniæ Agrippinæ adeò graviter à variolis

correptam, ut totum corpus à vertice usque ad calcem una & quidem continua crusta obtegeretur, curandam habui, Febris continua & ardens, inquietudines, nausea, lipothymiæ, & deliria, dolor quinetiam totius corporis, præcipuè plantarum pedum, maximus & continuus aderat. Ego omnibus symptomatibus, quantum potui, repugnavi, neque absque fructu. Dolor tamen plantarum pedum (qui unà cùm tibiis ad genua usque præter modum in tumorem elevati erant) indies auctus, pungens & continuus factus est; cujus leniendi causa, anodyna & pus moventia applicui. Tandem diversis in locis ruptæ sunt plantæ; purulenta eaque fœtidissima emanavit materia; Inde dolor cessavit, reliqua symptomata simul remiserunt, ita ut penitus convaluerit. Sed tota illa pars pedis, à calce usq; ad digitos pedum, quæ propter deambulationem callosa est, integra abscessit. Quas deinde in scatula ad memoriam miseriæ suæ, & divinæ liberationis ex tam gravi morbo, præter omniũ exspectationem reservavit.

OBSERVATIO C.

De periculosa plantæ pedis inflammatione.

Cum plãtæ pedis partes sint nervosæ, ac proinde exquisitissimo sensu præditæ, atque in parte decliviori sitæ, non leviora symptomata ex ipsarum inflammatione oriri solent; cujus rei exempla aliquot, in gratiam tyronum, hîc in medium adferre non gravabor. Juveni cuidam Coloniæ, viginti circiter annorum ætatis, ex domesticis Generosi Viri Dn. Guil. de Flodorff. Dn. in Leud. & Wel, &c. cum ex nimis violenta deambulatione, dolor in ipsa planta pedis exortus esset, & ab initio remedia nulla adhibita fuissent, auctus est dolor, mox quoq; sequuta est inflammatio. Ego vocatus, totum pedem in tumorem elevatum, & phlegmone occupatum inveni: Dolor aderat maximus, & ad coxas usque sese extendens, febris continua & ardens: inquietudines item, delirium, & lipothymiæ. In curatione autem hunc in modum processi. Instituta victus ratione tenui, sequenti potiuncula corpus purgavi.

R. Elect. de succo rosar,
Pulver. passavanti cum rhabarb. ℈j. ß.
Syrupi rosati solut. ℥j.

Obs. 100. Cum decocto agrimoniæ, veronicæ, radicum lappat. acuti, corticum inferiorum radic. frangulæ & sem. anisi fiat potiuncula. Qua clementer expurgatus fuit. Eadem die post cœnam per duas horas ipsi ad grana sex Laudani exhibui, quievit ea nocte, viresque aliquo modo refocillatæ fuerunt; quapropter postridie venam brachii lateris laborantis incidi, & sanguinem ad uncias decem extraxi: erat enim plethoricus & robustus, hinc febris, dolores & inflammatio multùm imminuta fuit. Statim quoque ab initio coxam, genu, & quicquid ab inflammatione liberum, sequenti linimento inunxi.

R. Ol rosacei ℥ij.
Ol. lumbricorum &
Axung. human. an. ℥ij.
Misce.

Loco verò affecto, quia pinguia ex Galeni doctrina lib. 5. de simpl. medic. facult. admovenda non erant; sequens applicui cataplasma.

R. sem. cydoniorum
Fœnograeci
Altheæ an. ℥ij.

Pulverisentur & macerentur aqua calida, per duas horas, deinde admisce farinæ hordei ℥iij.
pulver. rosar. ℥ ß.

Coquantur cum s. q. aquæ ad formam cataplasmatis, postea admisce vitellum ovi, cum albumine, applicetur & renovetur quotiescunque opus videbitur. His adhibitis medicamentis, dolor multùm cessare cœpit, & locus materiæ apparuit; cui emplastrum basiliconis, toti verò pedi cataplasma præscriptum applicui. Et quia pars illa pedis maximè callosa, lacte calenti, in quo sem. fœnograeci, folia malvæ & violarum incocta erãt; diligenter fomentavi, deinde novacula callositatem illam abrasi; quemadmodum observat. 97. Centur. primæ, in curatione paronychiæ scripsimus. Sic brevi in ipsa planta pedis rupta vomica, feliciter evasit. Interim dum circa curationem atque sanationem hanc occupatus eram, aliquoties mihi narravit generosa Domina de Leud, quẽdam ex suis consanguineis ex simili morbo intra paucos dies extinctum fuisse. Quod mirum nemini videri debet, cum locus iste, ut antea dixi; sit nervosus, & exquisitissimo sensu præditus, ut proinde gravissima symptomata accerseret.

FINIS.

GUILHELMI FABRICII HILDANI,

Illustriss. Marchionis Badensis & Hachbergensis &c. nec non Inclytæ Reipublicæ Bernensis Helvet. Medico-Chirurgi Ordinarii,

Observationum & Curationum Chirurgicarum

CENTURIA QUARTA.

Epistolis nonnullis Virorum Doctissimorum, nec non instrumentis Chirurgicis, ab Authore inventis, illustrata.

OBSERVATIO I.

De vulnere quodam gravissimo Capitis, historia singularis.

Reverendo, clarissimo ac doctissimo Viro, Domino SIMONI GOULARTIO, *Theologo celeberrimo.*

Guilhelmus Fabricius Hildanus, S. P. D.

QUemadmodum magnus Mundus, Cœlum videlicet & Terra, ut divinus Poëta simul & Propheta exclamat, gloriam Dei annunciant, reverende juxtà ac doctissime Vir, Domine & amice æternùm honorande, sic etiã in minori Mundo, corpore scilicet humano, admiranda illa Dei opera, prudentia scilicet ipsius, potentia, clementia, ac misericordia, veluti in speculo nobis proponuntur, idque præcipuè in morbis, in quibus aliquando, ut Averroës rectè scribit, monstra videntur. Deus non sine gravissima causa, ut hujusmodi contingant, permittit, nimirum quò possit exulceratissimo hocce seculo, ingenium hominis in rebus divinis stupidissimum, veluti ex funesto veterno excitare, & ad pœnitentiam ita provocare. Admirabilis enim cursus cœlestium orbium Solis, Lunæ, Stellarumque reliquarum, & plura alia, quæ in Meteoris, mari item & terra occurrunt, quia jam à creatione mundi ordinem eundem observant, mentem hominis non ita, quemadmodum prioribus seculis, commovent. Rectè itaque facit T. R. dum illas admirandas, quæ circa parvum Mundum occurrunt, magno labore, multisque vigiliis colligit, & quò sibi non tantùm, sed & aliis quamplurimis usui & emolumento esse possint, fideliter ad posteros transmittit. Faxit Deus Opt. Max. ut T. R. huic generi studiorum, ad Dei gloriam & utilitatem proximi, feliciter adhuc diu multumq; invigilare possit.

Inter rara autem & admiranda, quæ homini obvenire possunt, sequens historia revera non infimum locum obtinet: Poterit itaque audacter illam, si visum fuerit, suis historiis T. R. inserere. Præterquam enim, quod Serenissimus Princeps JANUTIUS à RADZEWIL, &c. illam non semel, interim dum Basileæ in gravissimo morbo circa ipsum occupatus fui, mihi narraverit, illam postmodum quoq; nobilissimus ac doctissimus Vir, Dn. DANIEL NABOROVIUS, ejusdem Principis Architriclinus, & amicus meus singularis, jussu Principis sui ad me scripsit. Cupit enim omninò serenissimus Princeps, ut meis observationibus inseratur, & ad posteros perveniat. Sunt autem nobilissimi Viri Dn. NABOROVII, verba hæc:

Clarissime Vir, historiam commilitonis mei ALBERTI OBORSCIC, *nobili loco nati, nunc unà mecum Berolini existentis, quam promisi, brevibus accipe.*

Erat is eo tempore, quo nobilitas à Rege, & Senatu secessionem fecerat, in conflictu ad Oranscum, Pagum propè Sidloviociam, oppidum illustr. Ducis NICOLAI CHRISTOPHORI RADTZIVILII, Palatini Wilnensis, inter Illustrißimi Ducis mei Equites hastatos alæ dextræ, qui primi cum Regicis sunt congreßi: in in eoq; concursu, qui & robore animatorum in se militum, & impetu volantium equorum paribus armis peragebatur, hasta per caput sub oculo sinistro ita trajectus, ut cuspis ferri, posteriori galeæ, quæ cervicem tegit, parte perforata, promineret, ferrum ipsum, hasta jam conquassata, festuca saltem sesquipedali remanente, integrum inter palatum & cerebrum relinqueretur. Ille nihilominus & viribus & animo adhuc sibi constans, postquam ex conflictu evasisset, festucam remanentem ãte oculos cernens, manibus indignabundus evulsit, ac à Caßide caput sibi premi arbitratus, dum illam detrahere cupit, ferro affixam sentit: sic aliquantum animo consternatus ac dubius, inter palantem post conflictum ab utraque parte militem, ne, dum hostem evadere (quemadmodum generoso equo vectus poterat) cupit, sine Chirurgi auxilio in evidentem mortem incidat, in manus hostium ultrò se obtulit: à quibus captus, & ad generalem exercitus Ducem adductus, ab ipso, tanquam jam deploratus, abire quo vellet, jussus est. Ita tandem ab illustri Comite Tarnoveo Castellano Lindomiriensi exceptus, ac jussu ipsius trium Chirurgorum curæ commissus est, qui incurabile vulnus esse, omnes unanimi consensu dixêre, tamen ut aliquid præter spem in homine, de quo conclamatum erat, tentarent, instrumentis ad id aptis in loco conflictus destituti, tergo securis cuspidi ferri, quod in capite hærebat, fortiter adacto, dum ille pronus humi ab aliquot robustis peditibus teneretur, tertio ictu vix ferrum loco moverunt: quo postea ex capite forcipe extracto, sanguineq; plurimo insecuto, cartilago, vel potiùs pars oßis tenuißima, basi ferri quadrangulari, qua hastæ affigitur, magnitudine coronati, hærere visa est, cuspide ipsa ab ictu tergi securis retusa, quæ hodie quoque monstrari potest. Ille ferè semianimis Sidloviociam curru vectus, ac Chirurgo illius loci commendatus (qui sequenti die clavos binos, quibus ferrum hastæ affixum erat, alterum ex naribus, alterum ex vulnere extraxit) elapso post quinque septimanarum spatio, integrè convaluit. Cicatrix adeo exigua sub oculo relicta, ipso integro, ac integra functionis, ut ulceris alicujus levis vestigium dixeris: ab altera parte in occipitio, ubi ferri cuspis exierat, signum magnitudinis fabæ remansit. Ipsemet robustâ ac integrâ valetudine nunc utitur, ac à serenißimo Electore Brandenburgico, ac illustrißimis Marchionibus ac Principibus aliis in hoc cõventu non sine admiratione inspectus.

Habes vir clarissime, quod voluisti: Si luce dignum judicas, arbitrio & limæ tuæ committo. Plura scribere nunc non vacat: reliqua commodiori occasione. A te verò vir clarissime, peto, ut me, quem semel favore tuo dignatus es, semper eodem prosequi pergas: de me sis persuasus, nihil in reb⁹ meis esse, quod non tui causa velim. Quod reliquum est te clementiæ, ac protectioni divinæ commendo, ac quam diutissimè benè ac feliciter valere cupio. Berolini 6. Cal. August. Greg. Anno. 1613.

Atque hæc est historica narratio admirandi hujus vulneris, ad quã ego prolixè nobilissimo ac doctissimo viro Domino NABOROVIO respondi, ubi An, & quomodo prædictum vulnus lethale fuerit? perquisivi. Misissem apographum hujus responsi, sed occupationes & angustia temporis id in præsentiarum non concedunt. Vale itaque vir reverende, & cum uxore, totaque familia, quam mecum salutat uxor mea, felicissimè vive diu. Raptim Bernæ 18. Maji 1617.

OBSERVATIO II.

Observ. 3

In qua, an & quomodo prædictum vulnus per caput lethale fuerit? perquiritur.

Viro doctrina & pietate Nobilissimo DN. DANIELI NABOROVIO, *Illustrißimi & Potentißimi Principis ac Domini,* D. JANUTII RADZIVILII, *Ducis in Birze Dubinki, ac Schlucko Pocilatoris, magni Ducatus Lithuaniæ Borisovien. &c. Capitanei, Principis Imperii Consiliario prudentissimo, & Architriclino vigilantißimo.*

Domino meo in perpetuum observando:

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

HActenus non solùm sollicitus, verùmetiam anxius de te, tuaque valetudine fui, Nobilissime atque Doctissime mi Dn. NABOROVI. A 19. enim mensis Maji 1611. quo tuas 17. Februarii datas accepi, nihil de te intellexeram, nec quicquam literarum deinceps acceperam; præter illas, quas 6. Calend. Augusti superioris anni Berolini dedisti, quæque ante triduum mihi traditæ fuere: quibus perlectis, vehementer mihi gratulatus sum, inprimis quod Illustrissimum Principem tuum non solùm ex morbo suo gravissimo restitutum esse, verum etiam pro amissa costa sua, novam reperisse, ex eis intellexerim; Faxit DEUS clementissimus, ut cum Illustrissima sua Nestorios usque annos feliciter vivere, Ecclesiæ DEI ornamentum, subditis verò suis solatium, & protector acerrimus esse possit.

Casum, quem communicasti, de raro, admirando, & vix unquam viso vulnere capitis, cum tuis simul accepi, & tam gratus, quàm qui gratissimus mihi fuit. Verè enim dignus est ut annotetur, & posteris quoque innotescat. Duo autem præcipuè in illo annotanda atque observanda sunt: Primò singularis divina clementia simul ac potentia, in cujus manu sunt omnia; cui omnia possibilia, facilia, nihilque incurabile est. Secundò, ut etiam in morbis desperatis benè speret Medicus, neque impium & Christianæ charitati adversissimum Ethnicorum axioma, *Desperatos non oportet attingere*, observet. Impium inquam, quandoquidem coram Deo, ut dixi, ninihil est incurabile: quapropter sæpissimè, quæ planè incurabilia à vulgo, ne dicam ab ipsis Medicis judicantur, adhibitâ diligentiâ restituuntur. Cujus rei exemplum singulare ante duos menses mihi Coppeti ad lacum Lemannum videre cõtigit. Puer ex dysenteria gravissima televatus, gangræna correptus fuit, quæ in sphacelum conversa, dextrum crus invasit, imò & ipsum genu superavit. Ego advocatus, etsi nullum signum sanitatis in ægro; præter juvenilem ætatem elu-

Desperati non sunt relinquẽdi.

Observatio. Post dysenteriã gravissimam gangræna & sphacelus.

escere

Obs. 2. cescere viderem, attamen ut amputatio membri negligeretur, bona cum conscientia proponere non potui: mortuum enim, ut à vivo separetur, ars ipsa docet. Invocato itaque numine divino, & in ipso femore abscisso crure, maxima cum admiratione omnium brevi restitutus fuit æger. Historiam integram, Deo volente, in quarta Centur. Observ. mearum videbis. Vnus itaq; ut alteri ad extremum usque anhelitum succurrat, Christiana charitas jubet atq; imperat.

Cæterùm Nobilissime Vir, etsi vulnus, de quo scribis, meritò à Chirurgis lethale judicatum fuisse, in controversiam vocare minimè contendam: attamen distinctione hîc utendum esse arbitror. Vesicæ, cerebri, cordis, præcordiorum, tenuium intestinorum, ventriculi, aut jecoris vulnus, lethale esse HIPPOCRATES docet. Verùm hoc verbum *Lethale*, ut GALENUS testatur in comment. prædicti aphorismi, HIPPOCRATES, sæpius dixit de iis, qui ex necessitate sunt morituri; sæpius autem de iis, qui magna ex parte. Ex necessitate moriuntur, teste GALENO loco citato, quibus cor vulneratum est: est enim, ut testatur ARISTOTELES, fons vitæ. Nonnulli autem in ipso ferè momento extinguuntur, alii per horas aliquot post acceptum vulnus vivunt, de quo vide exempla plura apud JOHANNEM SCHENCKIUM, lib. 2. Cerebrum vulneratum sæpiùs, inquit, GALENUS, vidimus: cujus rei exempla quoque videre poteris Centuriæ I. Observationum mearum Chirurgicarum Observat. 13. Quod de vulneribus superficialibus intelligendum est. Quæcunque enim ad ventriculum aliquem penetrant, ex necessitate sunt lethalia. Eadem distinctione in vulneribus jecoris utendum est: Superficiale enim vulnus jecoris aliquando curatum fuisse, ex Observatione 54. Centur. 2. observationum mearum videre poteris. Profundum verò vulnus hepatis, propter profusioné sanguinis, qui thesaurus est vitę nostrę, ex necessitate lethale est. Sic & vena cava aut aliqua alia vena, aut arteria in abditis corporis partibus, si vulnerata fuerit, propter hœmorrhagiam, quæ cohiberi non potest, ex necessitate mortem infert. Ventriculi vulnus, quamvis ab Hippocrate loco supra citato lethale pronunciatum fuerit, non tamen ex necessitate tale esse, testis est admiranda & stupenda historia illa, quam apud Oswaldum Crollium in præfatione Basilicæ chymicæ mihi pag. 64. legimus, de rustico, qui Pragæ cultrum ad ventriculum usque deglutiit, quique post menses ferè duos à Floriano Matthis Cheirurgo feliciter excisus fuit. Apud Johannem Schenkium lib. 4. de vulneribus ventriculi alia quoq; leguntur exempla. Intestinorum & vesicæ vulnera non ex necessitate lethalia esse, tum ex observationibus Joh. Schenckii, tum etiam ex meis colligere poteris.

Quæ vulnera lethalia.


Lib. 6. aphor. 18.

Quæ vulnera ex necessitate lethalia.

Non omnia jecoris vulnera lethalia.

Ventriculi vulnus feliciter curatum.

Vulnus autem illud, de quo scripsisti, etsi cùm per se, tum etiam propter præstantiam partis affectæ, maximum esset, ex necessitate tamen minimè lethale fuisse, rationi consentaneum esse mihi videtur. Id verò ut demóstrem, partes vulneratæ mihi examinãdæ erunt. Sub oculo sinistro hastam affixam fuisse, totumquecollum inter palatum, & cerebrum transfixisse, ex tuis colligo. Arbitror autem, quemadmodum initium vulneris sub oculo sinistro fuerit, sic quoq; ad latus spinæ dorsi ex sinistra parte finiisse, neque in obliquum, hoc est, ex sinistra in dextram partem collum transfossum fuisse. Sic enim aspera arteria Oesophagus, spina dorsi, & ipsa medulla spinalis, simul læsa fuissent. At nullum symptoma quod harum partium vulnera consequi solet, in nobili isto ægro apparuisse, ex tuis colligere possum, quapropter collum rectè, non autem in obliquum transfossum fuisse iterum concludo. Primò itaque sub oculo sinistro os illud magnum superioris maxillæ, cui pars dentium inseritur, perfossum fuit: Deinde inter arteriam soporalem, processum mammillarem, gulam, atq; asperam arteriam sub cranio, & quidem ad latus spinæ dorsi musculos perfodit hasta. Harum autem partium nullam, mortem ex necessitate inferre potuisse, verisimile esse mihi videtur. Quantum enim ad os illud superioris maxillæ, quia non usque adeò durum, hasta illud absque ulla ferè violentia perforavit: deinde quia concavum & succulentum, etiamsi ab ictu mirum in modum confractum, facilè tamen per callum iterum coaluit. Cujus rei exemplum ante menses quatuor hîc in quadragenario quodam robusto, & optimo corporis habitu prædito observavi. Huic enim cùm os illud in ipsam capsulam oculi usque vecte ferreo, quo cœmentarii ad sublevandos lapides utuntur, cum ingenti vulnere, maximaque hæmorrhagia depressum, confractumque fuisset, in consilium vocatus fui. Hoc vulnus etsi per se magnum, & propter præstantiam partis affectæ, periculosum esse videretur, intra mensem tamen, divino aspirante numine feliciter curavi: Illæso quoque visu: inferior tamen palpebra aliquo modo deorsum reflectitur. Ossiculum enim unicum excidit, id etsi parvum, & notam hanc vix adæquaret, cicatrix tamen propter deperditum os, concava remansit: Reliqua ossicula confracta, quæ stylo exploratorio toties tetigi, per callum iterum coaluerunt.



Quare vulnus illud capitis, de quo in præcedente obs. non fuerit lethale.

Obs-

Observatio.

Deinde venam jugularem internam, & arteriam soporalem, minimè vulneratas fuisse, exigua illa hæmorrhagia indicat. Quam periculosa enim harum venarum atque arteriarum sit sauciatio, in puella quadam Genevensi ante annos aliquot observavi. Huic cum temerarius Empiricus strumam in collo, cui vena jugularis& nervus recurrens insertus erat, exscindere vellet, hæmorrhagia adeò magna secuta est, ut animam simul cum sanguine profunderet, in ipsa etiam operatione, quemadmodum in tertia Centuria observationum mearum, quę DEO volente, brevi prodibit, fusius videbis. Hæmorrhagiam autem, quæ extracto ferro hastæ, sequebatur, ex læsione venarum jugularium, aut arteriæ soporalis minime fuisse, ausus sum affirmare. Quis enim illam inhibuisset; præcipuè in loco conflictus, ubi instrumenta, forsan & medicamenta deerant? Latitant præterea in absconditissimo loco, ad quem medicamenta difficulter pervenire possũt: adde quoque, quod partes illæ propter inspirati-

Obser-tio. Venæ j-gularis [læ]sio val[de] pericu[lo]sa.

onem

nem & exspirationem, nec nõ arteriarũ carotidarum cõtinuam pulsationẽ, in cõtinuo sint motu, quæ omnia ad hæmorrhagiam sunt adversissima.

Nervos quoque insigniores, etsi vulnus circa ipsum principium nervorum, læsos non fuisse, inde colligo, quod convulsio nulla, neque dolor ipse adeò ingens (quantum quidem ex historia colligere possum) supervenerit.

Porrò quod vasa veluti miraculosè conservata fuerint, ad ferrum hastæ, post DEUM, referendum est. Cùm enim quadratum & obtusum esset, venas, arterias simul, & nervos ad latera potiùs retrusit, quàm abscidit: veluti videmus, si aliquis stylo rotundo, aut etiam quadrato telam perforare nitatur, fila ad latera retrudi, non autẽ abscindi, quæ postea tam bellè in pristinum locũ redeunt, ut vix vestigium ullum styli in tela appareat. Vidi aliquando cùm hominis abdomen globulo plumbeo ex una in alteram partem trajectum esset, ægrum nihilominus absque magnis & gravioribus symptomatibus convaluisse: Putasne hic intestina sauciata fuisse? minimè. Intestina enim utpote lubrica, globulo rotundo & polito facilè cedebant.

Non fuit itaque hoc vulnus ex necessitate lethale, præcipuè in nobili isto ægro, qui, quantum ex historia colligere possum, animo generoso, optimaque constitutione ac habitu corporis præditus fuit. Gravissimum tamen, & ex numero eorum fuisse vulnerum, quæ ut plurimùm lethalia sunt, concludo, idque propter partis affectæ præstantiam. Primò enim cerebro, organo omnium sensuum animalium, proximum erat, at videmus sæpissimè, ex minimo quoque casu cerebrum ita concuti ac commoveri, ut gravissima symptomata, imò & mors ipsa inde sequantur, quemadmodum in puero quodam ex familia Hazveldiorum oriundo, observavi. Deinde proximum erat soporali arteriæ, & spinæ dorsi, origini nervorum, quarum partium vulnera, quàm periculo sint plena, nemo non novit. Quid plura? miraculosa & divina, uti ante dixi, fuit curatio, & vix unquam talem observatam fuisse existimo. Quapropter tibi, vir nobilissime, & hujus vulnerationis & sanationis testis ocularis, multum debebit familia Æsculapiadea, quod illam in publicum dederis. Me verò quod attinet, quantum tanti viri familiaritate indignũ me esse fateor, tantum humanitatem & benevolentiam erga me tuam inde agnosco. Faxit Deus, ut aliquando non solùm verbis, verùm etiam reipsa pro dignitate tibi respondere possim. Interim vir nobilissime in hoc pectore æternùm manebis. De statu familiæ meæ, & peste gravissima Lausannensi, libenter aliquid ad te scriberem, verùm præ mœrore vulnus nondum curatum refricare non licet, fiet id post hac. Vale itaque vir nobilissime, & me pro innata humanitate tua redamare perge. Lausannæ 12. Januari 1614.

OBSERVATIO III.

De percussione capitis, & gravissimis inde sequutis symptomatibus: ubi quoque de felici perforatione cranii, post duos menses à percussione factâ, agitur.

A Viro clarissimo atque doctissimo Dn. JOHANNE de BURGO, *Philosophiæ ac Medicinæ Doctore longè celeberrimo observata, mihiq; communicata.*

Obs. 3.

COgitabam superioribus diebus, celeberrime mihiq; amicissime Domine Fabrici, quid ad te scriberem, & per quos tabellarios literas meas ad te trãsmitterem, cum Nobiliss. D. Wallier ex arce ista Burgensi discessus, & ad patrios lares secessus mihi nunciatus fuit. Mihi enim tam diu quievisse, nec jamdudum ad te scripsisse (quod tamen facere debebam) summæ pigritiæ ac socordiæ notam fore, existimavi: præsertim cùm non ita pridem epistolam à te strictæ adeò amicitiæ ac officii plenam acceperim, ut hoc solo nomine tibi gratias agere, ac exinde par pari referre, teneri multùm videar. Ego jam officii mei erga te partem expleo; sed quòd tanto viro dignum aliquid non habeam, quod scribam, plurimùm doleo. Accipe tamen quod mihi medicinam facienti, & Magistro Antonio Chalii, Chirurgo curanti, in rustici cujusdam puero occurrit: hic annum agens decimum quartum, cùm ejusdem ætatis pueros sibi vicinos die festo ad ludẽdum convenisset, unus eorum fortè fortuna eundem improvidum globulo ligneo secundum sinistram ossis frontis partem percussit. A quo quidem ictu in terram dejectus est, voce privatus, cum vomitibus bilis, atque eorum omnium, quæ deinceps ingerebantur, quæ quidem pauca admodum erant; & cùm retinere ac complecti cibum ventriculus nequiret, tabescere indies videbatur, sine quiete, imò cum dolore capitis assiduo, de quo omni momento apud domesticos suos conquerebatur: maximo etiam dolore Cardialgico, morsuque oris ventriculi atque colli in posteriora, contractione comitante. In illum cùm semel, post duos menses, à quibus ictus fuerat, cum Magistro Antonio incidissem, consilium inivi de terebrando cranio. Quod cùm bellè ab eodem præstitum esset, pleno ductu pus per factum foramẽ impetu erupit ac exiliit. Ex hinc medullosa cerebri substantia disrupta, ex vulnere membrana sese foramini obtulit ac fungi instar eminuit, ita ut intromitti, nec quin extra difflaret, contineri vix potuerit; Imò post quatuor aut quinque dies cum intus cohiberi non posset, fuerit resecanda, non quidem novacula sed filo, cujus nodulo alligabatur, & extremis hinc molliter contentis resecabatur. Sed quid inde? nihil aut parum admodum: reliqua enim profluens medulla, priore resecata, sese rursus per foramen ad trium digitorum altitudinem extra inferebat, filo, ut suprà, resecanda. Hoc cum multoties factum esset, & pugni magnitudine cerebri portio excisa, misellus ille, quantumvis omni salutis spe destitutus esset, ut quod paucis admodum uteretur cibis, nulloq; sensu omnia alvi excrementa, quibus plerunque innatabat, rejicere, subsidente paulatim reliqua cerebri parte, calloq; foramini innato, minimo negotio curatus est. Utebatur quidem, quia pauper & rusticus, & patre eadem hora, qua vulnus acceperat, orbatus, cibis cacochymicis: nociva quæque sine delectu ingerebat, & vino utens, caseo recenti, lacte, leguminibus, milio, panico, ferculis ex eisdem cum lacte paratis, placentis, & ejusmodi eduliis ex farina, lacte aut aqua subactis, vescebatur, quemadmodum & pyris, omnisque generis fructibus crudis. Locus, in quo decumbebat, duobus milliaribus Gallicis ab urbe nostra distabat, quare rarò à Chirurgo invisebatur, verùm negotium hoc totum

Capitis percussionem, quæ symptomata sequuta.

Cranii perforatio.

Nota. Portio cerebri exscinditur.

Æger bona diæta nõ utitur.

mulier-

Obs. 3. & 4.

mulierculis committebatur: Hæc cùm parum arctè parumque commodè vulnus aliquando deligarent, solvebantur fasciæ, quas & ipse data opera, tanquam importunus projiciebat, sicque pleramque pernoctabat, nulla re, ne quidem levissimâ cerebrum à frigidi aëris occursu vindicante. Multò plura, nisi epistolæ terminos excederem, de hoc eodem scriberem, & quidem scripsissem, si historiam typis dignam, & tuis doctissimis observationibus inserendam existimassem. Multa enim præter ea, quæ narrata sunt, recenserem, quæ si audire à me longiore sermone cupias, mihique animi tui affectum literis significaveris, tuæ, quantum in me erit, voluntati, tuoque desiderio satisfacere non pigebit. Interea ego & uxor mea ex acuto morbo, quem ob infelicem partum, & copiosi sanguinis profluxum passa est, vix rediviva, Excell. tuam, tuaque Excell. dilectissimam conjugem ex animo salutamus, vobisq; si quid penes nos sit, quòd usui vestro commodum esse posit, libenter offerimus. Vale Burgi Calend. Decemb. labantis anni 1610.

Tuus
JANUS DE BURGO.

OBSERVATIO IV.

Cuidam in fractura calvariæ undecima die morbi cranium felici cum successu perforatur: ubi etiam de inedia APOLLONIÆ SCHREIERÆ *agitur.*

Viro clarissimo atq; doctissimo Domino JANO *de* BURGO, *Philosopho summo, & Medicinæ Doctori longè celeberrimo*
Guilhelmus Fabricius Hildanus
S.P.D.

Literæ tuæ, vir amplissime, & æternùm mihi observande, Calendis Decembris datæ, tandem 24. Junii à nobili viro Domino Jacobo Wallier Soloduri mihi traditæ fuêre. Utinam paulo maturiùs ad me pervenissent. Libenter enim illas secundæ Centuriæ observationum mearum Chirurgicarum, quæ tunc temporis sub prælo erat, adjunxissem. Quod si DEUS Opt. Max. vitam extenderit, donec tertia Centuria (quam præ manibus habeo) prodire possit, minimè erit omittenda historia, atque curatio illa rara, & admiratione digna. Et quomodo admiratione non digna? Monet enim Hippocrates libro de vulneribus capitis, intra triduum os, quod secandum est, secari debere: neque permittendum, ut operatio ulterius protrahatur, præsertim ubi tempus calidum fuerit. Ab initio enim neglectâ perforatione, propter compressionem, aut punctionem meningum ab ossiculis factam, augetur dolor, & membranę inflammatione corripiuntur. Hinc febris, hinc delirium, vomitus, spasmus, paralysis, aliaque symptomata, imò & mors ipsa, celerrimè supervenire consuevêre. Meritò itaq; Arantius Paulum reprehendisse videtur, qui æstate ante septimum, hyeme verò ante decimum quartum diem calvariam aperiendam esse noluit. Sed mentem Æginetæ incuriâ typographorum, aut eorum, qui olim descripserunt librum, mutilatam esse, cum Porrallio planè sentio. Cùm enim Æginetæ propositum nihil aliud, prætorquam, ut ex Hippocratis & Galeni scriptis compendium concinnaret: eum mentem horum authorum in re tam magni momenti invertere, nũquam sibi proposuisse, tam certũ est, quàm quod certissimum, uti quoque, quæ mox addit verba testantur, inquit enim: Antequam relata symptomata accidant. At in fracturis & depressionibus cranii symptomata gravissima ut plurimum ante quartum, & perpaucos sic vulneratos ad decimum quartum superstites manere, etiam mediocriter in praxi versati sciunt. Quomodo itaque verisimile esse potest, Æginetam perforationem ad septimum, aut decimum quartum protrahere voluisse. Itaque Æginetam (quicquid dicat Arantius) cum Hippocrate & Galeno consentire arbitror. Locus autem ille apud Paulum adjecto adverbio Non in integrum restitui posse, nullamque postea inter Hippocratem, Galenum & Æginetam dissensionem esse, planè mihi videtur: Sic enim legerem: Quod si etiam discessit membrana, & tu ab initio vulneratum non suscepisti, hyeme quidem ante decimum quartum diem omninò ossis ablationem facere coneris, æstate verò ante septimum, antequam relata symptomata accidant. Vult itaque Ægineta, ut cranium perforetur, antequam symptomata gravissima superveniant. Quod si ab initio Medicus vocatus non fuerit, nullo modo tamen perforationem prætermittendam esse, suadet, etiamsi Hippocrates ipsam ante finem tertii fieri debere, mãdaverit. Sed quocunque fiat tempore, cum ratione & fructu fieri posse, dummodò fiat, antequam relata symptomata accidant, intelligit. Illa enim, quia morbum deploratum esse indicant, tacitè Ægineta hujusmodi ægros minimè suscipiendos esse suadet. Prudentis enim est hominis, inquit Celsus lib. 5. cap. 25. eum qui servari non potest, non attingere. Ego tamen hac in re cum Ægineta & Celso consentire non possum, neque Tuam Excell. ex eorum esse opinione, admiranda illa & prodigiosa curatio, quam communicasti, fidem facit. Etiamsi enim morbus planè desperatus esset, attamen post DEUM tuâ solertiâ, & in rebus Medicis atque Chirurgicis solida eruditione, pristinæ sanitati restitutus fuit misellus ille. Si verò curationem non suscepisset, procul dubio cerebrum brevi sphacelatum fuisset, & æger mortem obiisset. Concludo itaque, symptomata quamvis adsint gravissima, perforationem tamen minimè esse negligendam, dummodò vires ægri aliquomodo constent, & Chirurgus ab assidentibus ipsius ægri rogatus fuerit. Nihil enim interest, Celsi verbis utor, præsidium an satis tutum sit, quod est unicum: & extremis morbis extrema adhibenda esse remedia, inquit Hippocrates. Post annum ab accepto vulnere feliciter perforatum fuisse cranium, Ægineta libro & capite præallegato refert: sed addit, vulnus ex toto factum fuisse, & effluxionem habuisse, ideoque mirum non est, membranam illæsam mansisse. Ego undecima die morbi, cum æger pro deplorato habebatur, cranium cũ successu perforatum fuisse observavi: historiam hic recensere non gravabor.

Perforatio cranii quando instituenda.

Lib. 6. c. 90

Hip. de ... cap. ... de ... par. lib. Med. lib.

Cranium undecima die morbi feliciter perforatur.

Observatio.

Anno 1586. sexagenarius quidam, & civis in op-

in oppido Gex ad radicem montis jurati, nec non hospes diversorii, cui Vervex pro insigni erat, in bregma sinistrum percussus fuit, cum cranii fractione & depressione. Cecidit mox in terram, cibum indigestum evomuit, & loquelam amisit. Curatio ab initio barbitonsori commissa fuit: quum verò omnia in pejus ruere vidissent adstantes, Janum Antonium Saracenum, Medicum Regium longè celeberrimum, & Johannem Griffonium, Chirurgum rationalem peritissimumque, Præceptorem meum fidelissimum, in consilium vocarunt. Pervenimus itaque ad ægrum decima die morbi sub vesperam, ipsumque ardentissima febre laborantem, delirantem, & absque loquela invenimus: Vulnus angustum & fractura cranii aderat. Verùm etsi rem in angustiis positam satis superque nobis palàm esset: adstantium tamen petitionibus commoti, facta prius prognosticatione, curationem sic aggressi sumus.

Injecto enemate, & exonerata alvo crines abrasimus, totumque caput oleo rosaceo & myrtillorum inunximus. Deinde cutem & pericranium in formam crucis incidimus, craniumque denudavimus, nec non pulvillis ex stupis suavibus præparatis, & albumini ovi intinctis, vulnus implevimus. Sequenti die ossiculis nonnullis, quæ à prima tabula separata erant, extractis, cranium perforavimus, & quod asperum in osse, instrumento lenticulari levigavimus. Postea pannum sericeum melle rosaceo, parumque oleo rosaceo (propter dolorem immensum) cerebro imposuimus: totum verò vulnus sequenti digestivo implevimus.

R. Terebint. lotæ in aqua betonicæ & salviæ ℥j.
Ol. rosac. ℥ j. s.
de vitellis ovorum ʒ ij.
Gummi Elemi lentissimo igne cum supra dictis oleis dissoluti & percolati ʒj.
Croci pulverisati ℈ j.
Vitellos ovorum num. ij.
Misce, fiat unguentum.

quo imposito, vulneri Emplastrum Basiliconis applicuimus, totumque caput, & collum oleo rosaceo & myrtillorum inunximus. Ea die iterum clysterem injecimus, optimamque victus rationem præscripsimus: atque ista methodo per dies aliquot processimus. Interim pus per factũ foramen effluxit, & febris, reliquaque symptomata paulatim remiserunt. Sedato dolore & inflammatione, melli rosato, quod membranæ imponendum erat, guttulam unam aut alteram aquæ vitæ admiscuimus, & vulneri sequens mundificativum imposuimus.

R. pulveris radic. caryophyllatæ
Angelicæ
Aristoloch. rotundæ.
Iridis florent. ana ʒj
Extract. salviæ
Betonicæ ana ℈ij
Gummi Elemi dissoluti in ol. rosac. ʒij
Misce, fiatque cum melle rosato q. s. parumque aquæ vitæ unguentum in mortario. Tandem sequens emplastrum applicuimus.

R. Emplastri de betonica ℥iiij
Gummi Elemi dissoluti in ol. rosar. ℥j
Pulv. rosar. odiferar.
Myrtillorum ana ʒj
Masticis
Calami aromatici
Angelicæ
Caryophyllatæ ana ʒj. s.

Cum s. q. olei rosacei, parumque ceræ, fiat emplastrum. Interim dum vulnus hac methodo curavimus, singulis, aut alternis diebus, alvo sponte non respondente, clysteres injecimus: Per intervalla quoque syrupo rosato solutivo composito cum rhabarbaro, agarico & sena, manna item & cassia corpus leniter expurgavimus. Sic divino favore, magna cum admiratione adstantium, sanitati restitutus fuit.

Obs. 4. *De Apollonia Schreiera inedia.*

APOLLONIA SCHREIERA post longam istã inediam iterum edere & bibere incœpit, prima die hujus anni. Ab initio parcè sumebat cibum, & nihil ferè præter juscula, & ut plurimùm hordeacea: verùm non diu pòst, cùm esset facta insipiens, omnia etiam lintea, lodices, imò & cultros devorare tentavit. Ego septima die hujus mensis unà cum clarissimo viro D. D. PAULO LENTULO Reipub. Bernensis Medico celeberrimo, Nobilissimo item D. Johan. Franc de Martines, Dom. in Bourgoy & Pailly, multisque aliis ipsam invisi. Panem in vino maceratum ei obtulimus, quẽ avidè devorabat: Vinum tamen bibere noluit, dicens hoc sibi nocere, & capitis dolorem excitare. Invenimus illam in viridario, ubi cum pueris puerilia tractabat, & coram nobis vociferabatur, canebat, & saltabat. Actiones omnes naturales adsunt: dormit enim, insomnia habet suavia. Excrementa quotidie, & menstrua singulis mensibus copiosè excernit, Venter, qui antea supra modum depressus erat, nunc secundùm naturam sese habet, reliquaq; membra omnia carnosa sunt. Plura hac de re non addo: D. D. Lentulus enim omnia, quæ circa puellam hæc occurrerunt, & occurrunt, diligenter observat, quæ suo quoque tempore in lucem prodibunt.

Cæterùm mirum in modum gaudeo. Deoque Optimo Maximo gratias ago, quod Tuam Excell. unà cum genere & virtute nobili sua uxore, ex morbis acutissimis pristinæ sanitati restituerit eumque ut nos omnes quàm diutissimè incolumes conservare velit, suppliciter oro atque efflagito. Ego cum meis omnibus nunc, laus sit Deo, rectè valeo, superiori autumno propter multas variasque molestias, quæ mihi acciderunt, labores item atque vigilias, quas præcedente æstate in peregrinationibus, & circa ægros nonnullos magni nominis habueram, quartana ab initio continua correptus, eaque per menses aliquot confectus fui. Febris paulatim remisit, sed viscera mea etiam nũc obstructionibus exercentur, viresque indies diminuuntur. Sed fiat voluntas Domini. Mitto exemplar 2. centuriæ observationum mearum, quod ut Tua Excellent. hilari fronte excipere velit, submissè rogo. Ego & uxor mea charissima T. Excell. unà cum uxore sua lectissima peramanter, demissè, ac ex corde salutamus. Vale vir amplissime, & ignosce tumultuanti calamo. Dom. wallier optimè sese habet, & ante mensem ad thermas Piperinas in Rhetiam pro-

Obs. 5. am profectus est. Iterum vale & millies. Dabam 26. Julii Anno 1611.

OBSERVATIO V.

De gravissima commotione cerebri, ex qua mors intra paucas horas sequuta.

Viro nobilissimo atq; consultissimo DN. HENRICO A ROSENTHAL, *Iuris utriusq; Doctori longè celeberrimo, Regis Daniæ, nec non Electoris Brandenburgici, &c. Consiliario prudentissimo.*

Guilhelmus Fabricius Hildanus, S. P. D.

MAgno animi cruciatu, mœrore, multisque lachrymis, vir amplissime, hæc ad te scribo. Insperatam enim atque repentinam mortem clarissimi atque doctissimi viri Dn. Johannis Breuveri (quem propter singulares ipsius virtutes medullitùs amabam) quàm acerbè feram, vix verbis explicare possum. Ea autem, proh dolor, hoc modo accidit. Secunda hujus mensis die, cum post meridiem cum aliis juvenibus doctis, extra urbem hanc in amœnissimo loco per horas aliquot obambulasset, trunculis quin etiam cum ipsis lusisset, paulò ante sextam vespertinam simul ad urbem redeunt. Et quia excalefacti erant, antequam montem (omnes enim in altiore parte urbis hospitia habebant) ascenderent, ut haustu vini vires refocillarent, diversorium ingressi sunt: nullum tamen ex eis vino onustum fuisse, domestici DEUM testantur. Cæterùm optimus ille vir ad cœnam properans, quum sub crepusculo vespertino, instabat enim septima, absque lumine per gradus descenderet, eorumq; notitiam non haberet, capite in pavimentum lapideum cecidit, cerebrumque adeò concussit, ut protinus sanguinem per os, nares & aures ejecerit, loquelam quin etiam amiserit. In casu porrò isto cerebrum concussum fuisse, testatur Hippocrates lib. 7. aph. 58. Quibus enim, inquit, aliqua ex caussa cerebrum concussum fuerit, necesse est statim mutos fieri. Quod autem concussio cerebri in hoc viro adeò gravis fuit, mirum profectò nemini videri debet. Unaquæque enim res, ut Galenus comment. in prædictum aphorismum, docet, quò magis vacua est, eò promptiùs violatur & frangitur. Circà defectum porrò lunæ, ut idem Galenus de diebus decretoriis lib. 3. scribit, cerebrum hominis valdè est vacuũ, ergò mirum non est, quod in hoc viro (deficiebat enim luna) tam graviter læsum fuerit: inprimis quia constitutio corporis ipsius etiam sicca erat. Vnde quoque dilucidè apparet, ipsum mero, ut falsò existimarunt aliqui, minimè oneratũ fuisse. Ebriosi enim, quia molles, & ipsorum corpora simul, & cerebrum plenum, rarissimè à casu aliquo offenduntur. Ego cum accersitus essem, hominem quasi Apoplecticum reperi. Quibus enim cerebrum concussum fuerit, Galeni verbis utor, eodem modo, quo Apoplectici, sine sensu pariter & motu jacent. Sanguis copiosè per os, nares, & aures, inprimis sinistram, effluebat. Abrasis crinibus, vulnus nullum, nullamque cõtusionem (præter exiguam circa palpebram dextram) in capite reperi. Postquam autem caput oleis convenientibus inunxissẽ, cataplasma quin etiam applicuissem, & diversiones per ligaturas fortes brachiorum & crurum administrassem, æger verò multum sanguinis (qui ex capite per œsophagum ad ventriculum defluxerat) & nonnihil cibi indigesti sponte evomuisset, veluti ex sopore expergefactus, iterum adstantes alloquebatur, & quotquot sibi familiares aderant, cognoscebat. Mansit in hoc statu per horas circiter duas, invocando absque ulla intermissione, sublatis ad cœlum manibus, misericordiam Dei. Interim tamen quia sanguis propter sui ebullitionẽ, maximamque illam contusionem cerebri, & ruptionem venarum & arteriarum, per os, nares, & aures continuò emanabat, & proinde vires prosternerentur (ultra libras enim septem sanguinis effluxit) iterùm loquelam, sensum, atque intellectum amisit, & circiter horam secundam noctis, piè placideque in Domino obdormivit, maximo mœrore virorum doctorum, & dispendio incomparabili hujus Academiæ. Tanta enim cum laude & fructu Philosophiam hactenus privatim, & Mathematicas disciplinas publicè prælegit: ut Amplissimus Senatus Bernensis ipsum, si superstes mansisset, ad Professionem ordinariam sine dubio promovisset. Quid plura? in ornamentum hujus Academiæ & Patriæ paulatim evasisset nisi Deo aliter visum fuisset. Postridie 4. nimirum hujus mensis, maxima cum frequentia hominum corpus ad summum templum delatum, ibique honorificè inhumatum fuit. Reverendus, clarissimus atque doctissimus vir D. JACOBUS ad Portum, hujus Academiæ S.S. Theologiæ Professor longè celeberrimus, & pro tempore Rector Magnificus (qui ut vivi diligentissimam rationem habuit, & plus quam fratrem amavit atque promovit, ita mortuum minimè neglexit) vestimentis lugubribus indutus, veluti vicarius parentis, funus sequebatur.

Signũ concussionis cerebri.

Comm. in aphor. 58. libr. 7.

Hæc de obitu hujus Viri ad te scribere volui, ut parentibus mœstissimis pro tua prudentia illa indicare possis, quos ut Deus Opt. Max. spiritu suo consolari, nosque omnes ad piam similiter mortem præparare velit, suppliciter oro. Etiamsi enim repentè, piè tamen obiit, nec quicquam interest, fidelium mors violenta sit, aut naturalis, dummodò anteacta vita bona fuerit & pia: atqui hic Vir fuit sincerus, humanus, & verum pietatis exemplar. Quis igitur de ipsius salute dubitabit? His Vale Vir amplissime cum tuis omnibus, quos ego & Uxor mea peramanter salutamus. Raptim Lausannæ 6. Aprilis 1611.

OBSERVATIO VI.

De admirando dolore Capitis.

Viro clarissimo atq; doctissimo DN. SEBASTIANO MEYERO, *Reipub. Solodurensis Doctori Medico ordinario atque celeberrimo.*

Guil. Fabricius Hildanus. S. P. D.

LAchrimantibus oculis, & tremula manu nũc ad te scribo, clarissime atque doctissime Dn. MEYERE, idque non sine causa, quandoquidem vulnus

vulnus propter communes & privatas miserias cordi meo inflictum, nondum omninò consolidatum est. Propter communes inquam miserias: Pestis enim hic ultra duo millia è medio sustulit, ante mensem tamen omninò ferè remisit, laus sit Deo Creatori, & Servatori Christo. Privatas meas quod attinet miserias, scias, me postquam à vobis discessi, & Lausannam reversus fui, uxorem meam, simul & filiam natu majorem, peste laborantes offendisse. Restituta fuit conjunx, obiit verò filia. Post mensem, cùm uxor mea ferè restituta esset, filiola mea, quinque circiter annorum ætatis, filius item minor natu, simul & ancilla, naturæ satisfecerunt. Restituto filiolo Petro, tandem & Johannes filius meus major natu peste correptus fuit, & quidem gravissimè, convaluit tamen. Spacio itaque quatuor mensium ædes meæ perclusæ fuerunt. Ego ut domesticis meis subvenire possem, separatim vixi, & ante dies solumodò quatuordecim me ipsis adjunxi. Pestis adeò fuit maligna, ut pauci eâ correpti evaserint, imò & multi antequam ægrotarent, extincti fuerint. Successum setacei, quod nobili isti viro nupertimè applicuimus, avidè ex te intelligere cupio, non dubito tamen, ipsum maximum levamen inde percepisse, & paulatim pristinam sanitatem recuperaturum: Paulatim inquam, in contumacissimis enim istis doloribus materiam peccantem nonnisi cum tempore evacuari posse, cum aliàs, tum præcipuè ante annos duos in Belgio observavi. Casum quia rarus, & naturæ ordinem excedere videtur, tecum nunc communicare non gravabor.

Anno 1612. Esseniam Marchiæ oppidum, unà cum viro clarissimo atque doctissimo Dn. DANIELE DANIELS, Dusburgensi Clivorum Doctore Medico longè celeberrimo, ad Zonimam Huis viduam, quinquaginta circiter annorum ætatis, matronam singulari virtute & pietate præditam, vocatus fui. Illa autem spacio undecim annorum dolore acutissimo, ex dextra parte capitis laboraverat, non tamen continuò, sed per intervalla, veluti ter quaterve in anno. Ab initio morbi perpaucos saltem dies ipsam infestaverat dolor iste, successu verò temporis paulatim auctus est dierum numerus, donec tandem cùm ad ipsam vocatus essem, per menses tres continuò ferè tormentis maximis dilaceraretur. Extra cranium autem erat dolor iste, neque certum locum obsidebat, sed hinc & inde omnes partes istius lateris pervagabatur, & mox circa musculum temporalem, mox circa extremam partem auris, aut ipsam mandibulam inferiorem, vel etiam ipsa mala, & inferiori parte oculi, & labio superiori crudelitatem suam exercebat. Nunquam autē, quod notandum, dimidiam partem faciei transgrediebatur dolor iste, & si labium inferius, aut etiam superius, vel nasum occuparet, media tamen pars solummodò dolebat, altera verò omnino doloris expers erat. Cæterùm etsi dolor ita auctus esset, ut aliquando noctes diesque ejularet, & intra horas viginti quatuor, vix per horam unam aut alteram dormire posset; carebat tamē febri, & appetitus non usque adeò prostratus erat. Et cum dolor, ut Galenus, imò & ipsa experientia testatur, attrahat, intumefactio tamen nulla, quod iterum notandum, neque durities aut intemperies ulla aderat, præterquam quod nonnunquam quando ægra propter doloris vehementiam manu fricabat faciem, Adnata & palpebræ aliquomodo rubescerent, absque ulla tamē visus læsione. Multa variaque adhibuimus medicamenta, cùm interna, tum etiam externa. Interna ad humores noxios præparandos, & per alvum, urinam simul & sudores evacuandos, Narcotica item, veluti Triphetam cum opio. Nepenthem & similia, dolore maximo ipsam infestante, exhibuimus, verùm pauco cum fructu. Exteriùs linimenta, Cataplasmata, fomentationes, jam ex rebus calidis, jam frigidis, aut temperatis applicuimus, ex quorum usu tamen rarò levatus, quin potius exacerbatus fuit dolor. Tandem quoque Narcotica, veluti opium primo cum suis correctoriis mixtum, deinde purum applicuimus, sed res mira, absque doloris allevatione. Ab initio adhibitis prius universalibus, setaceū quoque nuchæ applicuimus, ex quo, etsi interim dū prædicta medicamenta adhiberentur, humor acris & fœtidus copiosè & continuò exstillaret, non nisi tamen post duos menses ab adhibitione Setacei, doloris levamen persentire cœpit, paulatim tamen, & antequam ego ex patria discederē, omninò cessavit dolor, & plenissimè restituta fuit ægra. An verò deinceps, uti antea multoties acciderat, redierit dolor, ex literis D. Doctoris Danielis, quas expecto, intelligam. Illustrem virum Dn. de Castelle, Christianissimi Regis Consiliarium, & apud Helvetios Legatum prudentissimum, uti quoque Illustrem, & singulari virtute præditam matronam, ipsius Conjugem, ex me quæso demissè, & ea qua par est reverentia, plurimùm saluta, & statum nobilis ægri nostri quamprimum rescribe. Mitto ad te fasciculum literarum ad D. Doctorem Döringium, intercede quæso meo nomine apud illustrem Dom. Legatum, ut tabellario Schafhusiano tradatur, quo Augustam Vindelicorum, ac inde Breslaviam pervenire possit. Vale Vir Clarissime, cùm tuis omnibus, quos tecum ego, & uxor mea salutamus peramanter. Lausannæ 12. Decemb. 1613.

Obs. 6. & 7.

Dolor nullis medicamentis sedari potest.

Setacei beneficio dolor capitis inveteratus sedatur.

OBSERVATIO VII.

Contumacissimus dolor capitis, setacei beneficio curatus.

ANDREAS POLSTER Coloniensis, homo quadragenarius & phlegmaticus, dolore capitis tam acerbo, tamque immani laboraverat, ut domesticorum suorum per cubiculum gressus & passus, (quantumvis exutis calceis, & substrata arena per pavimentum cubiculi incessissent) sufferre non potuerit. Videbantur enim sibi, quotiescunque ingredientium in cubiculum gressus perciperet, cultelli cerebro infigi. Multa adhibuit medicamenta, eaque ex consilio viri doctissimi Dn. Iohannis Breidenbachii, Medici Coloniensis, quibus tamen dolor non cessavit. Tandem ego in consilium adhibitus, ei Setaceum adhibendum suasi, quod & cum consensu ejus in præsentia Domini Doctoris Breidenbachii applicui.

Contumacissimus capitis dolor.

Setaceo dolor tollitur.

Obs. 8. cui. Hoc adeò feliciter successit, ut indies manifestam doloris mitigationem persenserit. Tandem elapso semestri Setaceum coalescere & consolidari permisit, & loco ejus in sinistro brachio fonticulum sibi caustico inurẽdum curavit, quò sic minori impedimento peregrinationibus vacare posset.

OBSERVATIO VIII.

De admirabili admodùmq; horrifica Mania.

Ad celeberrimum, præstantissimumq; virum Dn. GUILHELMUM FABRICIUM HILDANUM, *cui* CLAUDIUS DEODATUS, *Reverendissimi & Illustrissimi Episcopi Basiliensis D. Med. S. P. D.*

Medicus in omnibus sit circumspectus. *IN arduis periculique plenissimis affectibus, Vir præstantissime, exercitatum Medicum Argum agere, seu non ad morbum & naturam duntaxat, mentis & oculorum aciem dirigere, sed & sibi ipsi cautè attendere, & ad singulos ægrotantium actus spectare debere, ex calamitosa hac cujusdam magni nominis fanatici historia constabit.*

Observat. *Vir quidam nobilitatis genere clarus, annorum circiter quadraginta, ad festi cujusdam celebrationem profecturus, vesperi benè potus solusque conscenso equo, ingruentibus jam obscuræ noctis tenebris, sylvam ingreditur horridam, tenebrosam, nocturnisq; spectris satis frequentem, hic paulò post à recta semita deflectit, diu multumque in opaca sylva, frigido sudore perfusus oberrat: tandem circa auroram ad quandam domum divertens, futuri itineris comites, & festivitatis socios expectavit, quibuscum ad destinatum locum est profectus, at solito mæstior & taciturnior, ibiq; cum cæteris totum octiduum moratus, tempus præter modum satis hilariter & jocunde transegit, præterquam quod cum uno & altero levissima de caussa excandesceret ira.* *Cõvulsiones & dolor Colicus* *Hinc subsequutæ & convulsiones, & colici cruciatus, qui illum tota ferè nocte malè tractarunt. Mane remittentibus doloribus, ad templum ascendit, confitetur, communicat, domumque reversus, parum & bibit & comedit, sed magis magisq; tristior & timidior evadit: noctu haud dormit, sed mirabilibus phantasiis, falsisque & terrificis imaginationibus turbatur, recrudescunt tum convulsiones tum colici cruciatus. Die subsequente ad eum visendum vocatus, inveni & constipatum, & trepidabundum, atque magnis torminibus afflictum, unde statim clysterem partim emollientem, partim carminativum, & semel & iterum, iterumq; per intervalla injicio, paulatim ad acriores, & magis purgatorios ascendendo, ita ut evacuata acrium, & æstu excandescentium humorum sentina, non solùm ea nocte, sed & sequenti tota die tam bellè haberet, ut de reditu domum versus omnes cogitaremus. Atqui verò ferinus ardor, cerebro conceptus, clàm furtimque retorridæ bilis igniculos suscitãs, atque Mercurii sublimationem urgens, (ut loquuntur Hermetici) consilium susceptumque iter mutavit: vesperi siquidem illum offendimus solito nunc cacchinnari, garrire, ridere, nunc tristari, tacere, imò mirantibus omnibus è cœna solus surrexit, & cubitum ivit: at parum & inquiete satis dormivit, occursitantibus iterum variis imaginationibus & phantasiis.* *Mania.* *Circa diluculum in furorem actus, & iracundiâ plenus, è lecto prosilit, clamoribus, jurgiis, vociferationibusq; omnia adimplet, torvo & horrendo vultu minatur, & ad fenestras currens, ex alto præcipitium molitur. Ego qui in eodem quiescebam cubiculo, & rei novitate, & spectaculi tanti terrore perculsus, è lecto prosilio, & ipsum mihi alioquin amicissimum & familiarissimum, blandissimis verbis moneo, hortor, obsecro, lecto ut se componeret, & in altam lucem dormiret.* *Ma... ab... Me... rica* *At is torvis metuendus oculis, & immani rabie actus, præter omnem expectationem impetu in me facto, gulâ ambabus manibus mihi arreptâ, strangulationem & suffocationem minitatur, & citra dubitationis aleam suffocasset, nisi strepitu pedibus facto, domestici è lectis prosilientes, ocyus in mei subsidium advolassent. Ego Dei providentia suffocationis periculo liberatus, eundem primo blandis, mox paulò severioribus hortor, tum ut lectum adiret, tum ut à clamoribus abstineret. At cùm neutrum præstaret, & huc illuc cursitans omnia laceraret, accitis aliquot robustis viris, injectis vinculis constringi, & lecto alligari curo, eo interim clamante, vociferante, orante subinde, & interdum dejerante. Vocato intereà Chirurgo, qui tamen ob loci distantiam nonnisi circa noctis crepusculum adfuit, apertâ cephalicâ, nonnisi magno labore & operationis difficultate, uncias octo sanguinis eduximus. Post venam sectam etsi paulo quietior videretur, non tamen dormivit, ut & nec toto morbi decursu, (unica vice excepta, ut mox dicetur) sed continenter loquebatur, cantabat, orabat, quandoque etiam dejerabat. Altero post venæ sectionem die, circa meridiem, nobisque etiamnum prandentibus, præter opinionem è vinculis liberatus, è lecto prosilit, arreptisque scabellis in eos impetum facturus, qui comprehendere denuò satagebant. Tandem dolo circumventus, vinculis de integro stringitur, sicq; toto die & tota nocte permansit insomnis, loquens, cantans, garriens, vociferans, oransque: parum cibi admisit, potavit hordeaceam, arcano vitrioli impregnatam. Tandem lecticæ alligatus, non sine magno omnium nostrûm labore & molestia domum deportatur: tunc temporis quandoque loquebatur, quandoque silebat, atque emenso itineris dimidio, altissimo somno corripitur, quo ad solutis domi vinculis, dormitans in lectum deferretur. Post sesquihoram expergefactus, de integro furit, vociferatur, stridet dentibus, cantat, orat, convellitur non rarò, &c. Hæc morbi series, hæc historia.*

In m... quali... medi... mẽt... bibit... *Nunc paucis dicam, quæ in tam ancipiti & periculoso casu adhibita fuere remedia. Post primã illam venæ Cephalicæ sectionem, Diacodium cum hordeacea exhibuimus, somni conciliandi gratiâ, quin etiam ablatis prius capillis, caput decoctione soporifera, oleisq; humectantibus, oleo rosaceo, violaceo, chamomelino sæpe fovimus: imò ad Nepentheos exhibitionem accessimus, & frequentes seminum frigidorum emulsiones: at nullo ingenio somnus induci potuit. Aperta quin etiam fuit Cephalica sinistri brachii, ut & frontis vena suis intervallis. Accessimus ad Sinapismos, Dropaces, vesicatoria, manibus, malleolisque affixa. Quo ad purgantia (ut nunc acrium Clysterium infusiones crebras sileam) exhibuimus primis diebus Syrupum de pomis cum foliis senæ Quercetani, mox etiam ad balsamiticam Hellebori nigri essentiam in Ptisana dissolutam ascendimus, facili enim negotio omnia vorabat canis instar: quæ omnia magnam fœtidissimorum humorum copiam vacuarunt: at nullo penitus fructu,*

nullo

nullo patientis solamine. Usus est quin etiam Spiritu & arcano vitrioli, modo in Ptisana, modo in recenti sero caprino dissolutis: Tinctura item rosarum, essentiisque rerum cordialium & roborantium extractis: at omnia in pejus ibant: urgebant vigiliæ pertinacissimæ, incrudescebant terrificæ admodum convulsiones, pergente semper furore plus quam canino, ita ut assistentes minus cautos, rabiosorum canum instar dentibus peteret. Tandem fractis viribus, natura nullam Crisin tentat, circa 14. finem, in ipsius Lunæ coitu vitam cum morte placidè & quietè satis commutavit, cujus anima Deo vivat. Notandum quod in totius morbi decursu ægrotans semper optima valuerit memoria, ita ut de rebus ante aliquot annos gestis quandoque secum loqueretur.

Habes, Vir clarissime, terribilem terrificæ Maniæ historiam, quæ me in toto decursu & anxium valde & cautiorem etiam reddidit: vereorque ne maleficium aliquod in nocturna illa per opacam sylvam, & spectris veneficarumq; incantamentis frequentem, profectione contractum, ansam potissimam huic malo dederit, ut meritò illud & τὸ θεῖον Hippocratis à Medico observari debeat, præsertim cum medicamenta longo usu & experientia comprobata incassum applicaverit. Vale & quid de hoc casu censeas, scribe. Dabam Bruntruti 26. Maij. 1616.

OBSERVATIO IX.

Inveterata melancholia in maniam mutata, æger convaluit.

Ad amplissimum atq; doctissimum virum Dn. CLAUDIUM DEODATUM, *reverendissimi atque illustrissimi Episcopi Basileensis Doctorem Medicum celeberrimum,*

Cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus

S. P. D.

OBservationem tuam de admirabili admodũ, & horrifica mania, accuratè à te descriptam, vir amplissime, fautor, amice plurimùm honorande, accepi, in qua nonnulla observatione digna occurrunt, inprimis autem singularis DEI clementia, qui planè miraculosè te conservavit, cui æternùm sit laus atque gloria. Ego per eandem DEI misericordiam simili periculo bis subtractus liberatusq; fui, primò ex dentibus phreneticæ mulieris, quæ partem sinistri indicis demordisset, nisi adstantes protinus auxilium mihi subministrassent. Non diu post Paterniaci, cum melancholico robustissimo, ferreis vinclis alligato, medicamẽtum, illo recusante, propinare vellem, accepto brachio meo, prorsus nihil abfuit, quin me trucidasset, nisi adstantes ex ipsius manibus me eripuissent. Ab eo tempore periculo meo edoctus, cum hominibus hujusmodi cautius ago. Secundò notanda est summa illa diversitas caussæ morbificæ melancholicorum, maniacorumque hominum, quæ diversa adeò inducit symptomata, adeoq; inter se contrarios effectus, ut inter centum melancholicos vix unus similis sit alteri, ita etiam, ut omnium symptomatum singulas accidentium caussas enarrare impossibile sit, ut Aëtius tetrab. 2. serm. 2. c. 9; imò & experientia ipsa testatur. In Belgio & inprimis Amstelrodami, ubi melancholici, & hujus farinæ homines, ne aliquis ab eis lædatur, in domo quadam à Magistratu amplissimo ad id destinata, diligenter nutriuntur atque custodiuntur, id aliquando observavi. In curatione eandem vidi diversitatem. Plurimi enim nulla arte nullaque industria sanari possunt, uti eventus in tuo ægro fidem facit, ubi remedia, quãtumvis præstantissima, & à te ea, qua fieri potuit diligentia, & ex arte adhibita, nihil profuerunt. Ego ante annos octo, cùm apud Paterniacenses medicinam facerem, contrariũ observavi. Quadragenarius quidam robustissimus, nec ex obscura familia oriundus, à multis annis melancholiæ adeò obnoxius fuerat, ut administratione rei familiaris ipsi interdictum fuerit à Magistratu amplissimo: tandem in gravissimam maniam incidit, cum tanto furore, ut omnia dilacerasset, & frequenter seipsum ex alto præcipitasset, nisi vinculis constrictus fuisset. In istis vehementissimis agitationibus, clamoribusq; corpus continuò ferè sudoribus, nunc frigidis, nunc calidis, madidum erat. Ego cùm advocatus essem, clysterem acrem infudi, deinde venam in cubito dextro incidi: eadem die post cœnam nonnihil laudani in aqua borraginis dissoluti exhibui, frontem, & tempora oleo rosaceo, & violaceo inunxi, ea nocte utcunque quietior fuit. Postera die ad scrupulum unum extracti Melanagogi ex decocto Polypodii, foliorum sennæ, betonicæ, cuscutæ, scabiosæ, aliisque appropriatis exhibui: Vomuit bis terve: Alvus quinetiam quater aut quinquies subducta fuit. Hinc impetus ille maniæ aliquomodo remisit. Eadem die post cœnam iterum somniferum confectioni Alkermes mixtum exhibui: quievit satis benè ea nocte, & altero die penitus mente constabat. Post aliquot dies, cum melanagogum aliquoties reiterassem, & extractum hellebori nigri semel atque iterum exhibuissem, ita restitutus fuit, ut ab eo tempore, & usque nunc rebus suis domesticis quàm prudenter prospiciat. Vides quanta sit, ut antea quoque dixi, diversitas in curatione horum affectuum. In tuo ægro omnem movisti lapidem, & quidem frustrà, meo contrarium evenit. Ex quibus, ut etiam divinus Hippocrates monet, manifestum fit, nonnunquam in morbis divinum quid, hoc est aliquid, quod captum humanum excedit, subesse. Sed de his aliàs plura. Ante paucos dies tractatum meum de dysenteria Francofurto accepi: mitto exemplar, quod ut æqui bonique consulas, rogo. Inclusum epistolium mitte quæso Masonopolin, idque prima data occasione:

Vale Vir amplissime, & æternùm feliciter vive. Raptim Bernæ 5. Augusti Anno 1616.

(o)

Obs. 9.

Observat.

Mania cùm quomodò curatur.

Notanda præcipuè diversitas effectuum melancholicorum.

Obs. 10.

OBSERVATIO X.

De Hydrocephalo.

Reverendo & Clarissimo Viro Dn. IOHAN. IACOBO CRASSERO, *Verbi Divini ministro Basileæ Vigilantissimo, Domino & amico singulari.*

Guilhelmus Fabricius Hildanus, S. P. D.

ETiam nunc Bernæ, Vir reverende, fautor, & amice æternùm honorande, apud consultissimum Virum Dn. Huberum Tribunum pl. hæreo. Apposui ipsi caustica duo, alterum brachio sinistro, alterum cruri dextro, & medicamenta nonnulla cùm interna ad roborandas, & reserandas partes nobiles exhibui, tum etiam exterius pro corroboratione nervosarum partium applicui: quorum beneficio magnum levamen sentit; quapropter intra paucos dies, Deo volente, Lausannam iterum me conferam. De Chirurgia mea castrensi responsum nullum accepi, significa quæso, quid nam facturus sit D. König, quo possim maturè mittere præfationem ad lectorem, & quædam alia. Aut remitte exemplar meum ad Excellentissimum Virum Dn. Iohannem Dürenheimium, communem nostrum amicum: parum enim interest, an ab ipso excudatur, vel potius alium aliquem typographum liberaliorem habeat:

Observat. Heri præsente reverendo, pietate & doctrina præstantissimo Viro Dn. Hermanno Lignarido, hujus Scholæ S.S. Theologiæ Professore celeberrimo, hydrocephalum planè monstrosum vidi. Est is ex præfectura Grandislonensi natus, & filiolus Philippi Gerou, & Iohannæ Bovenet. Annum quintum ætatis nondum prætergressus, & ex robustissimis, & corpore optimè constitutis parentibus natus est. Circumferentia autem capitis pedes Geometricos duos cum sesquipede & pollice continet, altitudo capitis eadem est. Cranium utcunque durum, & nonnisi in quibusdam locis membranosum. Reliquæ verò partes corporis proportionem pueri ejus ætatis observant, neque adeò, ut hydrocephalorum solent esse corpora, extenuatæ sunt. Membra enim nutritioni inservientia optimè constituta esse, insignis ejus appetitus indicat: multum enim, & quidem cum voluptate comedit, ingenio planè stupidus, & cum visu & auditu, tum etiam loquela destitutus est. Caussa hujus mali latet me: referunt enim parentes, puerum sanum, & corpore quàm optimè constitutum, & proportionatum progenitum fuisse, circiter annum verò ætatis suæ primum, cum ex morbo gravissimo & acuto relevatus fuisset, in morbum huncce incidisse, & ab eo tempore caput paulatim accrevisse. Hæc raptim ad te Vir Clarissime, & rerum rararum studiosissime (ne planè nudas ad te mitterem literas) scribo; tu quæso, omnia æqui bonique consule, & me, quod facis, amare perge. Bernæ 13. Iulii 1614.

OBSERVATIO XI.

Ex fumo fornacis non ita pridem exstructæ lethargus & mors.

EX fumo carbonum nondum satis accensorum homines suffocatos esse, sæpissimè observatum est. At vaporem aquæ in angusto aliquo loco inclusum naturæ nostræ adversissimum esse, sequens observatio fidem facit. Patricius quidam, & Senator Lausannensis Franciscus Beaulesius nomine, quadraginta circiter annorum ætatis, defluxionibus obnoxius, cum fornacem in cubiculo ædificandam curasset, & interim dum exsiccabatur, ille nihilominus in cubiculo dormiret, adeò ipsius cerebrum vaporibus repletum fuit, ut lethargo correptus fuerit. Ego unà cum clarissimo doctissimoque Viro Dn. Abele Roscio, Lausannensi Medico celeberrimo advocatus, omnem quidem movimus lapidem, nec quicquam eorum, quæ ad morbum depellendum requirebantur, prætermissum fuit, sed oleum & operam perdidimus: Intra paucos enim dies in isto sopore obdormivit.

Ex hac observatione ediscant Patres & Matresfamilias, quam insalubris & periculosa sit lavatio illa pavimentorum in conclavibus, apud Germanos frequentissima, uti quoque exsiccatio linteaminum & vestimentorum circa fornaces, præcipuè in hyeme, quando fornaces quotidie semel iterumve calescunt. Hinc enim cerebrum repletur vaporibus, defluxionibus obnoxium redditur, omnesque suas actiones ægrè perficit. Ita, quæ ad delicias nobis prosunt, sanitati sæpè obsunt.

OBSERVATIO XII.

Matrona sternutando è vita discedit.

PUerpera quædam pia, atque honesta in inferiori Germania, cum victus ratione peccasset, & aëri frigido sese maturè nimis exposuisset, multis variisque symptomatibus correpta fuit, inprimis autem capitis dolore vehementi quidē, & continuo, quem sequutus est aurium tinnitus, auditus & loquelæ depravatio, mentis quin etiam aliquomodo alienatio & visus abolitio: ita enim obstructi fuerunt nervi optici, ut ne radios quidem solares percipere posset. Ego cum clarissimo atque doctissimo Viro Dn HENRICO STAPEDIO medico celeberrimo in consilium adhibitus, multa variaque medicamenta præscripsimus, adhibuimusque cucurbitulas, quin etiam vesicatoria, & setaceum nuchæ applicuimus, ita ut tandem nonnulla symptomatum remiserint, & de recuperanda valetudine spes aliqua nobis præberetur. Quadam die autem cum ipsi pilulæ capitales, quibus grana aliquot extracti hellebori nigri admixta erant, præscriptæ, à pharmacopola præparatæ, & ab adstantibus exhibitæ essent, post horas duas à sumpto medicamento semel alvum exoneravit, & quidem clementer. Iterum post horas duas nonnihil pituitæ vitreæ evomuit, absque ulla tamen violentia. Post vomitum cùm duode-

duodecies circiter sternutasset, protinus extincta fuit, & quidem sternutando.

Ex immodica & violenta sternutatione mẽstrua erupisse, & adeò copiosè profluxisse, ut ferè de vita cum ægra actum esset, in tertia Centuria observationum nostratum observ. 58. annotavimus.

OBSERVATIO XIII.

Sternutamentum Empiricorum more adhibitum, quæ incommoda sequuta?

QUam periculosa sit sternutatio in corporibus impuris, & quantum visui obsit, lector in prima observationum nostrarum Centuria observat. 24. videre poterit. Sed & alia ex sternutamentis Empiricorum more adhibitis, incommoda consequi posse, sequens Observatio fidem facit.

Anno 1611. Juvenem quendam RUTGERUM GUMMERSBACHIUM, robustum, & optimo corporis habitu præditum, Coloniæ Agrippinæ familiariter cognovi. Ille cum catarrho ad dentes defluente vexaretur, Empirici & circumforanei consilium auxiliumque implorat. Numerata pecunia, curationem aggreditur, & nullo prius exhibito medicamento purgante, naribus pulverẽ ex radicibus cyclaminis, pipere, euphorbio, & similibus, calamo inspirat, & bacillo ex utraque parte bifurcato inter dentes posito, sternutamenta provocat, & pituitatem per os & nares extrahit, & quidem copiosè. Sed quid fit? eadem die sequutus est tinnitus aurium molestus & dolorosus. Porrò dolor iste cum per se paulatim remisisset & materia ad nares defluxisset, ichor emanare cœpit, atque per menses aliquot inde effluxit. Tandem odoratus ita abolitus fuit, ut ab eo tempore sive suavissimi, sive ingratissimi odores fuerint, eos tamen percipere, aut discernere potens non sit.

OBSERVATIO XIV.

De Ophthalmiæ gravissimæ compendiosa curatione, ubi etiam de apertione venarum jugularium agitur.

Viro clarissimo atque doctissimo D. MICHAELI DORINGIO Breslaviensi Medicinæ Doctori longe celeberrimo, amico singulari studio observando.

Guilhelmus Fabricius Hildanus,

S. P. D.

QUid agas, & ubinam locorum sedem fixeris, clarissime atque amantissime mi Dom. D. Doringi ignoro, tribus enim abhinc annis nihil à te literarum accepi, præter Epistolam tuam, de rara & admiranda Hernia uterina impressam: quam Dn. D. Georgius Faber, communis noster amicus mihi communicavit. Responsum præteritis nundinis in lucem prodiit. Alias præterea ad te scripsi literas de vulneribus digitorum, & manuum, in quibus erroneam doctrinam Wirtziorum, rationibus simul & exemplis refutavi: has Lipsiam misi, & ut inde Breslaviam mitterentur, operam dedi: eas an acceperis, valde ambigo. Tu enim aut siles (quod tamen vix crediderim) aut literæ (de quo non dubito) in via interceptæ, aut quovis alio modo deperditæ fuere. O infelix inter nos distantia locorum; cui hæc omnia adscribenda. Statum rerum mearum quod attinet, scias, me jam duobus ab hinc annis ferè maximis variisque rebus adversis, præcipuè grassante hic peste gravissima (in qua partem domesticorum meorum amisi, aut potius ad beatorum sedes præmisi) & ab eo quoque tempore aliis calamitatibus ita prostratum fuisse, & indies prosterni, ut sæpissimè cum gentium Doctore dissolvi, & cum Christo esse cupiam. Etiamsi enim in praxi omnia, laus sit Deo Opt. Max. ad votum succedant, & apud Proceres & magnates nostros in eadem, uti ipsemet me vidisti, sim æstimatione: attamen qui ante annum vulnus mihi inflixit, illud etiam nunc quotidie ad cruorem usq; refricat, senectutem quinetiam studiaque mea, quæ meritò sublevare deberet, opprimit. Verùm de his nunc obiter, posthac forsan fusiùs ad te scribam.

Obs. 14.

Cæterùm ne exercitia atque colloquia nostra Chirurgica intermittam, en quæso, quid sentis de venarum jugularium sectione? perpaucis enim Medicis qui sectionem harum venarum approbarunt, hactenus mihi innotuerunt. Quapropter venarum jugularium sectionem, aut nunquam in usu fuisse, aut penitus obsolevisse, Leonhardus Bottallus scriptum reliquit. Et Petrus Plesantinus se nunquam, etiamsi quinquagesimum annum ætatis attigerit, venas jugulares incidisse, neque ab aliis sectas fuisse, unquam audivisse fatetur. Hujus opinionis causa forsan esse potest loc⁹ apud Galenum, ubi hæc habet verba: Jugulares tamen, inquit, venæ & soporales arteriæ, non sunt simplici, absolutoque modo, quemadmodum nervi præsecandæ. Peribit enim statim animal immodica sanguinis profusione enectum. Sed Galenus hic non loquitur de sectione venarum jugularium, quæ fit ratione alicujus morbi, sed de totali præcisione earum, idque in eum finem, ut demonstraret, vocem nõ venarum aut arteriarum colli, sed nervorum beneficio fieri. Perperam itaque (cum HORATIO AUGENIO assero) à sectione harum venarum abhorret aliqui, quia ex illarum sectione ritè peracta nullum malum observavi contigisse, quin potius in inflammationibus oculorum, & membranarum cerebri, aliisque affectibus capitis, efficacissimum subsidium fuisse, cùm in viro quodam ophthalmia laborante (ut mox subjungam) tum etiam in multis aliis observavi.

Venarum jugularium sectio. Leon. Bottallus lib. de venæsectione m. p. 206. Petrus Paulus magnus Plesantinus de venæsectio. mihi p. 65. Galenus de Hippoc. & Platon. placitis l. 2. cap. 11. Horatius Augen de venæsectione lib. 9. cap. 10.

Sectionem autem harum venarum ritè fieri debere, non immeritò monet Augenius: Nisi enim priùs corpus à multitudine humorum expurgatum fuerit, infelix erit successus, ratione enim ligaturæ colli & sectionis venæ, quæ ambo attrahunt humores, & sanguis ex infimis corporis partibus ad caput rapiuntur. Quapropter si plethora maxima adfuerit, pharmaco expurgato corpore, venam in cubito primo, deinde jugularem secare soleo: sic enim sanguis circa membranas cerebri, oculos, faucesque collectus, protinus evacuatur, uti ex sequenti exẽplo videre est.

Quomodo procedendũ in venarum jugularium sectione?

Obs 14. Observat.

Anno 1600. quinquagenarius & civis quidam Lausannensis Dom. N. de Combe inflammatione dextri oculi adeò graviter laborans, ut de visu periclitaretur, & præ dolore dies noctesque dormire non posset, me accersivit. Exquisita instituta victus ratione, sequenti potiuncula corpus expurgavi.

Purgatio.

R. Agrimoniæ
Betonicæ
Euphrasiæ
Scabiosæ ana p. j.
fol. Senæ &
Sem. anisi ana ℥ij

Coquatur in aqua, ut colatura redeat ad iij. In quibus dissolve electuarii de succo rosar. Mes. ℥ij. syrupi rosati solutivi, ex multis infusionibus ℥j. Misce, fiat potio.

Sequenti die venam in cubito dextro incidi, & ad uncias sex sanguinis extraxi, erat enim plethoricus. Ab initio oculis sequens collyrium instillavi.

Collyrium

R. mucilaginis sem. cydoniorum, cum aqua rosacea extractæ ℥ij Aquæ Plantaginis
Fragariæ
Euphras. ana ℥j.
Tutiæ præparatæ ʒj
Cerussæ lotæ, &
C. C. usti & præpar. ana ℈ij.
Caphuræ gr. vj.
Misce, fiatque collyrium.

Fronti sequens defensivum applicui.

Defensivum.

R. farinæ hordei ℥ij
pulv. rosar. rubearum
Myrtillorum ana ʒij
Cortic. granatorum
Balausticorum ana ℥ß
Succi prunorum sylvestrium immaturorum inspissati ʒij.

Cum aqua plantaginis, betonicæ, parumque aceti rosacei fiat cataplasma, quod tepidè singulis diebus bis applicui.

Ne autem cataplasma sive defensivum hoc exsiccando, cutemque contrahendo, affluxionem humorum adaugeat, sindone, aut carbaso aqua rosacea madefacto cooperio, & tepidè applico: omnia tamen (ut virtus defensivi eò meliùs ad cutem pervenire, operationesque suas exequi possit) madida ut sint, necesse est.

Secúda die à venæ sectione in cubito facta, sequentes pilulas ut devoraret, præscripsi.

Pilula.

R. Massæ pilularum lucis majoris ℈ij
Aurearum ℈j
Trociscorum alhandal grana iiij
Ol. fœnicul. gut. sex

Cum syrupo de stœchade, formentur pilulæ quinque, involvantur pulvere cinnamomi.

Sequēti die post sumptas pilulas paulò ante prandium, latiori vinculo debito modo ligato ægri collo, & in oppositam sectionis partem inclinato capite, ut vena magis tenderetur, scalpello venam secundùm longitudinem incidi, sanguinisque ad uncias circiter septem extraxi: Deinde pulvillum ex stupis fabricatum, nec non albumine ovi madefactum, pulvereque nostro ad sanguinem sistendum aspersum, applicui, & fascia ad osculum vulneris constrinxi. Ex hac venæ sectione inflammatio oculi protinus ita remisit, ut intra paucos dies plenissimè convaluerit, neque ab eo tempore in hunc usque diem, quo hæc scribo, unquam hoc malo laboraverit.

Quod de sectione harum venarum in inflãmationibus membranarum cerebri, & inveterata hemicrania observavi, posthac tecum communicabo, nunc propter festinationem non licet, vocor enim Seisellum in agrum Lugdunensem, ad nobilem quendam juvenem Polypo laborantem, ita ut mihi properandum sit. Ante triduum venerandum senem illum Dn. D. Penotum invisi, is ante annos quatuor in Galliam abivit: sed ante duos menses Yverdunum rediit, ubi Senatus (etiamsi suum habeat Medicum) ipsum iterum benignè recepit. His vale vir clarissime, & feliciter vive cum tuis omnibus, quos ego & Colinetæa mea charissima salutamus. Raptim Lausannæ 1. Novemb. 1614.

OBSERVATIO XV.

Ex intempestiva lachrymatione suffusio in oculo dextro suborta.

Matrona quædam Basileensis pia atque honesta, & quinquagesimum annum ætatis suæ prætergressa, cum obitum matronæ cujusdam ex consanguineis suis tam acerbè ferret, ut per dies aliquot continuò lachrymas effunderet, tandem subitò, & quidem una nocte visu dextri oculi planè privata fuit, absque dolore tamẽ & inflammatione. Ego 25. Junii anno 1614. ex Alsatia rediens, & Basileam transiens, in consilium vocatus, & à Dn. RUDOLPHO URSTISIO pharmacopœo exercitatissimo ad ipsam adductꝰ fui, & suffusionem, sive, ut dicunt, cataractam fusci coloris, nondum tamen maturam inveni. Ex minimis itaque initiis quandoque maxima, non secus atque ex minutissima scintillula gravissimum incendium suboriri posse, videmus.

OBSERVATIO XVI.

De novo quodam instrumento, in deponendis Cataractis utilissimo.

Incom-dum ... in de-tione ... ocur...

Inter cæteras difficultates, quæ in deponendis Cataractis occurrunt, sequentem non minimam esse expertus sum: nimirum quod brachium Chirurgi ex longa ista in altum elevatione defatigatum vacillat, & manus tandem tremit, præcipuè si operationem sinistra manu administrare coactus, nec ambidexter fuerit.


Chirurgum senem, pium, & in operationibus chirurgicis longè versatissimum Dn. Came p. memoriæ familiariter cognovi: Is in decrepita ætate, beneficio perspicilli (quod tamen periculosum) Cataractas multas deposuit. Brachium autem, quia tremebat, servum aut aliquem alium ex adstantibus sublevare, ac suffulcire jubebat. Sed quomodo id sine periculo fieri possit, nondũ video. Adstantes enim sæpenumero faciliùs corpore vacillant, quàm ipse Chirurgus, & priùs syncope corripiuntur, quàm ipsemet æger.

Hanc porrò ob caussam sequens instumentum

tum excogitavi, quo operatio hæc tutò, & quàm commodissimè perficitur. Huic instrumento enim cubitus Chirurgi veluti basi, aut columnæ firmissimæ incumbit, eaque sustentatur.

Obs. 16.

DELINEATIO INSTRUMENTI.



Est autem scamnum satis angustum, mediocris altitudinis, super quod sedeat æger divaricatis cruribus, idque ea in parte ubi litera A notatum est, ut dorso suffulcro B. notato, possit incumbere. Quod si Chirurgus ægrum alligare voluerit, quod tamen non usque adeo necesse esse existimo, cum operatio hæc ferè indolens sit, id beneficio prædicti suffulcri fieri quoque poterit. Ita in scamnum collocato ægro, Chirurgus divaricatis quoque cruribus, eidem scamno ubi C. notatum est, insideat. Sed quia necesse est ut Chirurgus ægro nonnihil altior sit, ideo sibi pulvinar substernat. Poterit tamen æger in sedem propriam aptamque collocari, imò & annecti, si opus fuerit. Chirurgus similiter si prædicto scāno uti noluerit, suam quoque propriam habere poterit sedem, eique prædictum instrumentum annectere. Ante operationem autem annectendum est instrumentum ad scamnum, uti in præcedenti figura apparet. Elevet illud quoque Chirurgus, aut deprimat ubi D. notatum est, donec ejus sit altitudinis, ut cubitus ei veluti basi insidere possit: id verò ut commodè fiat, aliquantum excavatum, lana præterea [ac panno munitum esse convenit. Mediante autem torculari F. notato, sursum elevatur, & deorsum deprimitur, prout necessitas requirit. In præcedenti scamno pro sinistra manu operatoris accommodatum est. Si verò dextra manu administranda operatio occurrit, ad alteram partem scamni ubi G. notatum, instrumentum affigendum est. Id autem beneficio clavi E. notati, ex ferro fabricati, cujus cuspis torculata est, commodè fiet.

OBSERVATIO XVII.

Scoria ferri adnatæ infixa, gravissimos, longos, atque continuos dolores excitat, & quibus remediis tandem remota fuit.

Fabro cuidam ferrario Hildenæ in officina sua occupato, frustulum scoriæ cum impetu ad oculum prosiliens, ipsi infixum fuit profundiùs. Ego post dies aliquot accersitus, ex inferiori parte pupillæ, ubi iris apparet, scoriam reperi. Macula enim nigra minima & literam hanc (o) vix excedens, bellè ibi conspici potuit. Dolor aderat maximus, & ferè continuus, præcipuè clauso oculo. Tunc enim inferior palpebra ad scoriam ferri, quæ aspera erat, confricabatur; quapropter noctu inprimis ipsum exercebant dolores. Cæterùm quamvis omnem diligentiam, omnemque industriam adhiberem, nec tantum semel, imò ter quaterve rem aggrederer, extractionemque tentarem, oleum tamen & operam perdidi. Tam exigua enim erat scoria, tamque profundè infixa, ut neque volsellis, neque quovis alio modo extrahi posset. Quum autem acuto aliquo instrumento illam propter continuum motum oculi effodere ausus non essem: & dolor simul & inflammatio de die in diem augeretur, negotium naturæ & medicamentis committere statui. Quapropter semel atque iterum expurgato corpore pilulis capitalibus, collyrium anodynum, & nonnihil repellens applicui; venam in brachio secui, & cucurbitulas scapulis & nuchæ admovi, sed parum cum fructu. Dolor enim, & macula illa nigra, aut potius infixa scoria in eodem remanserunt statu. Tandem sequenti applicato sacculo, macula intra paucos dies ablata, & dolor sedatus fuit, penitusq; convaluit vir iste: Sacculi autem descriptio hæc est.

℞. Radic. Althææ minutissimè incisæ & contusæ ℥j.
Florum & foliorum betonicæ
Euphrasiæ
Chamomillæ
Meliloti ana M.ß.
Rosarum odoriferarum M.j.
Sem. fœnugræci contusi ʒiiij.

Incidantur minutim, misceanturque omnia, & fiant sacculi intersuti, ejus magnitudinis, ut illos Observ. 13. Centur. 2. adumbravimus.

Obs. 18. mus. Horum sacculorum singulis diebus unum lacte vaccino recenter mulcto coquebam, & calidè applicabam ter quaterq; in die.

OBSERVATIO XVIII.

De plumbi adnatæ infixi extractione, vulnerisque felicissima curatione.

QUæ symptomata gravissima post scoriam ferri adnatæ infixam, & ab initio neglectam, exorta, præcedente observatione declaravi. Nunc similem ferè affectum, qui filio Dn. Samuelis Zehenders Patricii Bernensis, & pro tempore præfecti Mildunensis prudentissimi accidit, subjungere visum fuit, ex quibus lector videre poterit, quantum intersit, in tempore ea, quæ requiruntur, remedia adhibere. Puer autem cum Anno 1616. circa finem mensis Septembris, quadam die in culina plumbum liquefactum imprudenter, & nimis velociter in aquam frigidam projiceret, eo impetu in altum resiliit, ut non solùm pileo, verumetiam oculo sinistro infigeretur. *Observat.* Parens qui in proximo conclavi erat, intelligens strepitum (puer enim ex ictu in terram recidit) accurrit, puerumque solum, sed semianimem reperit, protinusque ipsum ad me adduxit. Oculum cùm inspexissem, granum unum plumbi ad lentis ferè magnitudinem palpebræ superiori, ubi crines erumpunt, alterum adnatæ infixum reperi, & quidem adeò profundè, ut vix volsellis extrahere possem. *Curatio.* Extracto tandem plumbo, oculo collyrium anodynum & repellens instillavi, & applicui, oculumque diligenter fascia clausi. Frontem oleo rosaceo inunxi, deinde defensivum applicui: altera die corpus syrupo rosato solutivo, parumque pulveris senæ, in decocto agrimoniæ, betonicæ, euphrasiæ dissoluti, expurgavi, & quotidie bis oculo collyrium applicui: sic intra paucos dies plenissimè convaluit, nullo superveniente symptomate. Hinc videmus, quam utile, ne dicam necesse sit, statim ab initio morbi ipsius causã, si fieri potest, auferre. Quod si ad horas aliquot relictum fuisset plumbum, procul dubio partes læsæ intumuissent, & plumbum arctius membranis inclusum fuisset, nec ante suppurationem extrahi potuisset, interim autem varia periculosissimaque symptomata, inprimis dolor, inflammatio, phlegmone, & similia pertimescenda fuissent. In vulneribus sclopetorum id sæpissimè vidi, in quibus, si ab initio extractio globuli negligitur, ut plurimum postea frustrà laborat Chirurgus, donec digestione vulneris facta, unà cum pure expellatur, neque id quidem continuò fit, sed sæpissimè maximo cum ægri incommodo in corpore ad longum tempus, imò & ad finem vitæ usque remanet. Rectè itaque monet Hippocrates, dicens: Cùm morbi inchoant, si quid movendum, move, &c.

Libr. 1. aphor. 29.

OBSERVATIO XIX.

De præstantia setacei in fistula lachrymali.

Viro nobilissimo atq; doctissimo Dn. PAULO OFFREDO Medico celeberrimo, amico singulari,

Guilhelmus Fabricius Hildanus S.P.D.

QUàm miraculosè, imò præter omnium spē & expectationem, clarissime atque doctissime Dn. Offrede, juvenis ille Coppeti convaluerit, ante dies circiter quindecim ad te scripsi. Ab eo tempore tuas accepi literas, ad quas libenter maturiùs respondissem, nisi nundinæ Francofurtenses, quæ ut plurimum in scribendis literis me occupatissimum reddunt, obfuissent. Ad quæstiones propositas quid respondeam? Plantat Paulus, rigat Apollo, sed Deus incrementum dat, idque jam maturè, jam verò tardè, secundum S.S. suam voluntatem. Verùm, quomodo methodus illa, quam nobili isti viro proposui, in aliis eodem morbo laborantibus successerit, uno aut altero exemplo nunc tibi declarare non gravabor.

EXEMPLUM I.

Honesta quædam & pia matrona Lausannensis, triginta circiter annos nata, & uxor Magistri Nicolai le Prodeux robusta, sed humidissimo cerebro prædita, cum inflammatione oculorum sæpissimè, dolore verò capitis continuò vexaretur, tandem quoque fistula lachrymalis in dextri oculi cantho exorta est, ea cum ad annos circiter duos ægram excruciasset, tandem anno 1598. me in consilium vocavit. Purgato corpore, reliquisq; universalibus adhibitis, & collyrio appropriato quotidie in oculum instillato, setaceum nuchæ quoque adhibui. Hinc dolor capitis non diu post ex toto remisit, & fistula intra menses quatuor plenissimè sanata fuit. Vivit matrona illa etiamnunc apud nos, neque ab eo tempore unquam de fistula, aut catarrho ad oculos conquesta est, uti hodie mane illa ipsamet coram marito suo mihi retulit. Ab initio autem per dies aliquot setaceum, quemadmodum & reliqua vulnera recentia, aliquomodo sibi molestum fuisse refert, deinde verò nullum incommodum attulisse, ita quidem, ut etiam rem familiarem ipsamet quàm optimè administrare posset. In tertium autem usque annum setaceum gestavit, & diutiùs, ut ipsamet affirmat, illud retinuisset, nisi per se, ut aliquando fieri consuevit, penitus exsiccatum, & cicatrix inducta fuisset.

Laboraverat autem (quod annotatione dignum est) matrona illa per annos aliquot fluxu muliebri, aut menstruis albis, quamobrem nunquã utero gestaverat, adhibito verò setaceo, paulatim remisit fluxus, ac paulò post concepit, ac filiam peperit, quæ etiam nunc cum aliis liberis, quos deinceps progenuit, vivit, ac optimè valet.

EXEMPLUM II.

Nobilis quædam puella Lausannensis, per annos aliquot defluxione ad oculos, & fistula lachrymali in dextro cantho laboraverat. Diversa remedia à diversis cùm medicis, tum pharmacopœis præscripta, & adhibita fuere, decoctum ligni

ligni aliquoties bibit, nihilque eorum quæ necessaria videbantur, omissum fuit, sed absq; fructu. Tandem anno 1610. cum ego accersitus fuissem, ulcus sordidum in externa parte nasi, & ad glandulam lachrymalem usque penetrans reperi. Adhibitis universalibus, decoctum ligni iterum præscripsi. Interim autem dum eo utebatur: setaceum applicui, ulcus verò eâ quâ fieri potuit diligentia mundificavi, oculo collyrium instillavi, os tamen denudare nolui, cum essem incertus, an & quo in loco caries subesset. Convaluit & usque nunc optima valetudine fruitur.

His omnibus consideratis, spero nobilem illum virum, methodo illa, qua alii sanati fuerunt, etiam sanari posse, neque setaceum à me propositum in corporis exercitiis incommodum illi ullum allaturum. Intra paucos dies Neviodunum profecturus sum: quod si aliquid rescribere tibi libuerit, id ad D. Rudolphum Wagenerum, ibidem Præfectum mittere poteris. Vale vir clarissime & amicorum optime, cum tuis omnibus, quos tecum ex animo saluto. Raptim Lausannæ 5. Martii 1614.

Viro celeberrimo Dn. GUILHELMO FABRICIO HILDANO, Chirurgo præstantissimo, Paulus Offredus S. D.

NOn sine voluptate tuas perlegi, vir eximie, quibus te sedulum in ordinaria tua praxi mirabilium & naturæ & artis operum indagatorem prodere pergis, magna sanè tui nominis apud posteros commendatione: nec verò in hanc usque diem responsum distulissem, ni me hoc tempore vernæ curationes & occupationes, ut nosti, subinde detraxissent.

Dysenteriam, quam refers consectarium habuisse immanem & repentinum cruris dextri dolorem, quem paulò post gangræna exceperit, illum, inquam, maligni quippiam, & venenati, ut sæpè fit, ab excellenti putredine obtinuisse, necesse est, unde cum natura in maligna illa cacochymia repurganda, nulla ope adjuta fuerit, facta est tandem illius μετάςασις in crus alterum, ichore maligno, tenuissima scilicet, teterrimaque dysenterici humoris portione, per mesaræum, quod à lumbis oritur in ipsos nervos, musculosq; lumbares transmissa, atque hinc velut momento ad imum usque pedem dextrum decurrente, qui sanè ichor, & ratione tenuitatis, & potissimum ratione adscititiæ cujusdam venenositatis, summa cũ esset donatus activitate, tãtos cruciatus sui mordicatione, in partibus illis tendinosis & αἰσθητοῖς excitavit, ut tãdẽ spiritibus partim dolorũ vi resolutis, partim à venenata materia suffocatis, caloris extinctio ibidem subsequuta sit, unde totũ illud mẽbrum, gangrænâ correptum, rectè & feliciter à te amputatum fuit, non obstante summa ægri imbecillitate. Nam certè eo casu, ut benè monet Celsus, incerta spes certa desperatione potior habenda est.

Illam porrò, quam describis, ossis femoris à natura separationem, mirari subit unà tecum, non tam eò, quod simpliciter natura os vitâ carens à sanis partibus tandem sejunxit: omne siquidem vivens consortis mortui penitus impatiens esse solet: Verùm quòd ea pars in femore, quæ ratione suæ compositionis ac temperamenti vapori illi venenato præ aliis obsistere posse videbatur, ea inquam sola gangrænam perpessa est, carnibus interim circumjacentibus sanis relictis: cujus rei caussam dare si fas est, dicam, vaporem illum veneno persimilem, dum crus ipsum destruens vires acquireret eundo, eam tandem à subtilissima, corruptissimaq; sua natura agendi vim, ac promptitudinem obtinuisse, ut nonnisi in corpus solidæ, maximæ firmæque compaginis, quale os, agere potuerit, carneis interim partibus sui mollitie & laxitate tanto hosti veluti cedentibus, ac deleteriam ejus vim libero transitu ipsi concesso eludentibus, qua ratione videmus interdum à fulmine, quod mira partium tenuitate, summaq; proinde activitate pollet, gladium intactâ vaginâ liquari. Sibi verò malignum illum vaporem os, quod debellaret, ceu objectum reliquis partibus magis proportionatum delegisse, ut ita loquar, id etiam indicio esse potest, quod ais, os ipsum illicò post membri amputationem, aliqua sui parte denudatum & prominens apparuisse, partibus scilicet adjacentibus ab illo corpore vera νεκρώσεως mox futuræ, seminaria in se habente, recessum & liberationem jam affectantibus, ut hic rursum naturæ, licet ἀπαιδεύτου, sagacitatem & providentiam mirari liceat. Hinc etiam certum elicis argumentum adversus eos, qui membrum demortuum in ipsa carne putrida resecare audent, utpote qui naturam rectè agentem imitari nolle videntur: nec verò placuit unquam mihi talis opinio, suos etiamsi assertores fautoresque habeat, non obscuri nominis.

Quod spectat ad tuam in fistula lachrymali curanda methodum, nobili Germano à te propositam, ea licet classicorum scriptorum authoritate, ut quidem arbitror, non fulciatur, qui omnes ob latens potissimum in tali affectu ossis vitium, manualem in parte affectâ curationem requirunt: nihilominus tamen cum in hac tua curatione, quam apud alios eodem in casu feliciter, ut refers, instituisti, nihil notem, quod ægrum non magnoperè juvare possit, adeò, ut spes etiam affulgeat quæpiam, fore, ut caussa antecedente planè semota, continens ipsa, & quicquid reliquum est mali, naturâ duce, probâque victus ratione comite, tandem aboleatur, in hac præsertim florenti & vegeta ægri ætate, idcirco quin se is curæ tuæ submittat, per me non stabit, postquam scilicet hac de re pluribus coràm egerimus, quod futurum spero propediem tuo ad nos accessu, uti nuncias tuis ad me. Interim vale, meque tui amantissimum, quod facis, redama. Genevæ 16. Aprilis 1614. Parens plurimam per me tibi salutem impertitur.

Obs. 19. & 20.

Quomodo gladius à fulmine vagina intacta liquetur.

Membrũ demortuũ in carne putrida non resecandum.

De fistula lachrymali.

Dysenteriam gangræna secuta, & de ... (margin cut)

... (margin cut) observatione

OBSERVATIO XX.

De ulcere maligno & cancroso, circa radicem linguæ.

Viro Amplissimo ac Doctissimo Domino Dn. BARTHOLOMÆO MERCLINO, *Medico Palatino, & Lignano longè celeberrimo, Domino & amico plurimum honorando,*

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

QUatum primus aspectus literarum tuarum, Vir amplissime, & æternum mihi observande, exhilaravit (plurimum autem crede, propter amicitiam nostram me exhilaravit) tantum earum lectio me conturbavit: Exemplaria enim tertiæ Centuriæ observationum mearum tum temporis nondum acceperam, multò minus invectivas

Obs. 20. vectivas illas Dn. D. Rulandi in te (quas ego pacis & concordiæ cultor atque amator, omittere constitueram: amanuensis verò cum literas illas dum ego in maximis angustiis versabar, & proinde omnia revidere minimè potueram, uti ex epistola ad lectorem tertiæ Centuriæ videre poteris, pro prælo describeret, præter institutum meum inseruerat) legeram. Doleo profectò summoperè non solùm propter dissidium inter vos, verùm etiam scripta mea tædiis & invectivis conspurcata esse, libenterque inter vos rem amicè componerem, si tu viam & modum, quomodo id commodè fieri posset, monstrares. Qua de re etiam ad Dn. D. Rulandum scribo, eumq; ad concordiam, mansuetudinem, & recôciliationem adhortor. Te verò venerando seni, & viro humano (quem ego, quamdiu spiritus hos reget artus, veluti parentem colam, suspiciam ac venerabor) ne difficilis sis, demissè rogo: & sanctè promitto me effecturum, ut invectivæ illæ omnes, si Deus vitam mihi concesserit, in proxima editione istius Centuriæ planè omittantur.

Cæterùm pro communicatis observationibus, profectò raris, gratias, quas possum, ago maximas, & ut in quarta Centuria observationum mearum, quam præ manibus habeo, locum obtineant, operam dabo. Sed, ut par pari referam, en casum gravissimum oris, quem ante annum Bellitii in Gallia mihi videre contigit; eumque ut penitus intelligas, ipsius descriptionem, prout à clarissimo ac longè doctissimo viro Dn. D. Petro Robino, Medico Bellicensi clarissimo, ad Collegium Medicorum Genevensium scriptus fuit, primò tibi recensebo:

Viris Amplissimis atque Doctissimis D. D. D. Doctoribus Marco Offredo, Andreæ Boneto, & Paulo Offredo, *Medicis longè celeberrimis* Petrus Robinus M.D.
S. P. D.

Singularis vestra humanitas atque in me benevolentia, Viri Amplissimi, qua hactenus me amplexi fuistis, facit, ut in casu quodam gravissimo, & veluti immedicabili, consilium vestrum prudentissimum implorare ausus sim, obnixè rogans, ut auxilio, remediisque nobis adesse non gravemini. Casus autem talis est.

Lingua ulcus. *Vir sexagesimum sextum ætatis annum decurrens, superiori mense Novembri ulcus in latere sinistro linguæ contraxit, quod ex parvula vesica in profundum ulcus, illudq; sordidum, est excavatum: quod ut curetur, cælo terraque præsidia exquisitissima comparata curavimus admoveri, quorum ope aliquando ad cicatricem productum ulcus, & penitus curatum videbatur; interea dolor perpetuus, mira ciborum degluttiendi & trajiciendi difficultas, dolor lancinativus ad aurem lateris affecti identidem hominem ferè perenmit, ex ulceris nimirum erodentis vicinia & malignitate.* Curatio. *Primò itaque occursu purgationem integram celebravimus, ex lenientibus, ex apozematis, & reiteratione purgationum, sanguinis missione, hirudines pone aures sunt admotæ, Pyroticum regioni occipitii ad primam cervicis vertebram inustum. Pilulæ, Cochiæ aggregativæ, & aureæ, an. ad ℈ j. & aliquanto plus, quolibet decimo die paratæ. Emplastrum de thapsia, betonica, &c. sutura coronali derasa inductum; ulcus sordidum quater in die, primò quidem vino diluto tepente, tum aqua secunda detersum, per dies plus quàm quindecim: tum consequenter oleo de chalcantho per dies plus quàm quindecim detersum. Clysteres quolibet octavo die injecti: reiterata secundò integra & absoluta purgatio ex leniente apozemate, & secunda purgatione. Paratum gargarisma pro ulcere detergendo, ex omni genere detergentium, & astringentium, melle rosato & aliqua parte aloës succotrinæ, & aluminis. Quibus omnibus superioribus præsidiis, tantum abest ut ulceris malignitas sit cohibita, quin potius malignitas illa sit efferata: & sub lingua versus linguæ frenum partes excavat & depascitur, salvo tamen æsophago & laringe. Chirurgus Chapusius Burgundus, casu quodam in hisce partibus præsens, hominem invisit, totiusq; ulceris originem & malignitatem denti putrido & eroso tribuens, me absente eundem dentem eduxit, eidem ulceri curando gargarisma ex detergentibus & astringentibus, & unguento Aegyptiaco præscripsit. Clarissimus Dn. Saracenus Lugdunensis Medicus, in hujus urbis viciniam accersitus, & aliud agens, me rogante hominem adivit: cum eodem Viro clarissimo consilium inivi.* Decoctum ligni. *Decoctum ex duabus partibus salzæ parillæ, & una guajaci per dies quindecim paratum, quo mane & vesperi, & in potu ordinario usus est, non omissa tertiò integra purgatione, & ab initio morbi hactenus congrua victus ratione perpetuò observata, & aqua aluminosa à diebus aliquot ulcere deterso, nihil utilitatis sumus consequuti: morbus artem evincit exhausta pharetra, ulcere magis ac magis desæviente & serpente, vim præsidiorum artemque eludente. Magna itaque humorum corruptela, pessimus totius corporis habitus, ulceris telephia, aut chironica natura, perpetua salivatio, eaque viscida & glutinosa, ex ore defluens indesinenter, à morbi primordio ulceris curationem arcent. Hæc totius morbi origo, historia, & præsidiorum series: ut si quid vestra consilia possint, si quæ sint arcana pro tanto morbo profligando, eadem nobis pro vestro ergà nos amore testatissimo impendatis, & si quis Chirurgus apud vos cæteris omnibus hac in parte excellat: eundem nobis mittatis, hoc vos iterum atque iterum rogo. Bellitii 10, Februarii 1614.*

Primi ulceris in lingua latere curati labia sunt callo similia, eaque indurata, quæ lingua obvolvenda incredibiles pariunt dolores. Hactenus Dom. D. Robinus.

Porrò cum à Collegio medicorum clarissimo constitutum esset, ut ego advocarer, ac Dn. D. Paulus Offredus nomine reliquorum ad me scripsisset & ego 7. Febr. 1614. Bellitium ad ægrum Dn. Claudium Monteilletum, ibidem in Curia procuratorem prudentissimũ, pervenissem, ulcus tale, ut in præcedentibus Dn. D. Robini literis descriptum est, inveni. Convocatis itaque mecum Dn. D. Robino, & Magistro Claudio Pennino, Chirurgo Bellicensi, curationem sic instituimus. Primò corpus sequentibus pilulis iterum expurgavimus.

Pilulæ.
R. pil. aurearum
cochiarum ana ℈ j ß
trocisc orum Alhandal &
diagridii ana grana iij

Cum syrupo rosato solutivo formentur pilulæ quinque, involvantur pulvere Cinamomi.

Purgato

Obs. 20.

Purgato corpore, setaceum nuchæ applicui.

Capiti cucupham ex sequentibus simplicibus præparatam applicuimus.

R. florum Betonicæ
Salviæ
rosmarini
lavendulæ an p. ij
radicum & seminis pœoniæ
macis
caryophyllorum
olibani
masticis
cinamomi
styracis calamitæ an ℥ ß
rosarum rubearum
nigellæ Romanæ an. p. ij
Granorum Kermes ʒiij

Contusa omnia, & exquisitè pulverisata, excipiantur bombace pexo, & cum panno serico carmesino fiat cucupha interpunctim consuta, pro cranio obducendo. Hisce administratis, ægrum iterum sequenti potiuncula expurgavimus.

R. decocti communis pectoralis cum seminibus anisi,
melonum, citri, acetosæ, adde
passularum mundatarum
prunorum damascenorum ana ℥j
sub finem decocti polypodii, &
visci quercini
epithimi
seminis carthami ana ʒiij
fol. senæ mundatorum ʒij
sem. malvæ ʒj
Fiat decoctio ad ℥iiij
In quibus infunde agarici trochiscati ʒj
rhabarbari ʒj ß
turbith. ʒ ß
gingib. &
sandali citrini ana grana sex.
In expressione dissolve diaphœnici &
confectionis hamech ana ʒj ß
electuar. diacarthami ʒj
syrupi rosati solutivi simpl. ℥j
Misce, fiat potio.

Quâ expurgato corpore, ad humoris atrabilarii acrimoniam arcendam, serum lactis cum syrupo violaceo per dies quindecim, & plus exhibuimus, & vinum decocto veronicæ, & agrimoniæ, saccharo & cinnamomo atomatizato diluimus.

Loco affecto sequentia applicuimus.

R. aquæ ranarum aquatilium
gammarorum
plantaginis
rosarum ana ℥ij
mellis rosacei ℥j


Misce, fiat gargarisma, quo os sæpissimè abluatur, & siphone in ulcus ipsum injiciatur.

Postea sequens pulvis beneficio follis, uti hic depictus est, insuffletur.

R. pulveris ranarum aquatilium &
gammarorum s. a. præparati.
cornu cervi usti & præparati ana ʒj.

Misce, fiatque pulvis, qui fistulæ follis imponendus est.

DELINEATIO FOLLIS.



Tandem sequēs medicamentum in forma linimenti præparatum, bombace in eo intincto ulceri imposui.

Linimentum.

R. cerussę lotæ cornu cervi usti & præparati
pulveris ranarum &
gammarorum s. a. præparati ana ʒ ß.

Cum sufficiente quantitate mucilaginis, seminis cydoniorum factæ cum aquis suprà descriptis, fiat instar linimenti.

Hac observata methodo, & adhibitis medicamentis, malignitas ulceris brevi castigata fuit, penitusque remisit. Cùm verò per mensem apud ægrum moram traxissem, & ulcus ferè ad cicatricem pervenisset, ita quidem, ut res tam domesticas, quàm forenses iterum administrare posset, domum me recepi, & quæ præterea agenda, Clarissimo Medico Dn. D. ROBINO, & Magistro CLAUDIO PENNINO perficienda commisi. Sed quid fit? Post meum abitum cum agyrta & circumforaneus quidam Bellitium percurreret, multumque & ad cœlum usque (ut hujusmodi impostores facere consuevêre, secreta sua extolleret, ægro adductus fuit. Is acceptâ pecuniâ, cum præter intentionem Medici atque Chirurgi, ægro medicamenta sua applicuisset, tertio post die hæmorrhagia ex ipso ulcere adeò magna consequuta est, ut nisi sedulam diligentiam adhibuisset Mag. CLAUDIUS, in ipsa hora extinctus fuisset æger. Hinc maxima consequuta est virium prostratio. Cum denuò advocatus essem, non solùm vires mirum in modum labefactatas, verumetiam ulcus pristinam ferè malignitatem adeptum esse, reperi; profundum item & sordidum erat. Ulceris quidem malignitas blandis & benignis illis superiùs recitatis medicamentis castigata fuit: sed humidū radicale adeò erat absumptum, innatusque calor extinctus, ut nulla arte aut industria refocillari posset; ita quidem, ut nō diu post animam suam DEO reddiderit. Quod sanè mirum non est: erat enim cùm ratione constitutionis corporis, tum etiam senectutis supra modum extenuatus: tantaque copia sanguinis (quemadmodum Chirurgus & adstantes referebant) effluxerat, ut vix credibile sit, corpusculū adeò exile atque extenuatum tanta copia sanguinis posse esse præditum. Verisimile autem est, Empiricum illum (quicquid pro defensione sua adstantibus persuadere voluerit) medicamento aliquo acri & erodente usum fuisse, carnemque ad ramum aliquem insignem venæ jugularis internæ non tantùm erosisse, verumetiam pristinā malignitatem ulceri iterum induxisse. Hisce vale Vir Amplissime, & Generosum ac Strenuū Virum Dn. Geitzcofflerum à Geilenbach, Dominum in Haunsheim, &c. totamque ipsius familiā splendidissimam meo nomine, quæso, demissè,

Adhibetur circumforaneus quidam.

Obs. 20. & 21.

& ea, qua par est, reverentia saluta. Dn. D. Meyerus Reipublicæ Solodurensis Medicus, ac Dn. D. Urstisius civitatis Biennensis Medicus ordinarius, quibus literas tuas non ita pridem monstravi, te plurimùm per me salutare jubent. Iterum vale cum tota familia tua honestissima, quam tecum ex corde saluto. Raptim Bernæ Helvetiorum 1. Augusti 1615.

Ad eundem Virum amplissimum postscriptum.

Ad observationem tuam de insomniis, exempla nonnulla in memetipso observata, vicissim tecum communicare constitui: Verùm nũc propter occupationes non licet. Ante paucos enim menses inclyta Respublica Bernensis Helvetiorum me vocavit, & in numerum Medicorũ, & Chirurgorum suorum ordinem collocavit: quapropter nunc in transferenda familia mea occupatus sum. Hæc in eum finem tibi significo, ut si quid in posterũ ad me scribere tibi libuerit, literas Bernam sive ad me, sive ad Dn. WILHELMUM FELSS, inter mercatores Ulmenses notissimum, mitteres. Historiam & delineationem monstri, superiori anno Lausannæ à me dissecti, ad te mitto: iterum atque iterum vale, 16. Augusti 1615.

OBSERVATIO XXI.

De admirando dentium dolore, & gravissimis inde consequutis symptomatibus.

Clarissimo & experientissimo viro Domino GUILHELMO FABRICIO *Hildano, celeberrimo Reipub. Bernensis Medico Chirurgo, amico suo singulari,* CLAUDIUS DEODATUS *Reverendissimi & Illustrissimi Principis & Episcopi Basileensis Medicus ordinarius.*

S. P. D.

ARduum profectò curatuq; perquam difficilem, fortè etiam omninò deploratum affectum, tam partis obsessæ, cerebri scilicet nobilitate & præstantia, quàm caussarum morbificarum eundem foventium & magnitudine, & perennitate atque ferocia, tibi Medico præstanti & in Chirurgicis operationibus exercitatissimo, nobilis familiæ jussu & voluntate examinandum, & rationis trutina discutiendum propono, ut iis probè cognitis & perspectis, vel ipsemet DEORUM *manus allaturus advolares, vel saltem salutare consilium, optimis & saluberrimis remediis instructũ, candido animo submitteres.*

Observat.

Annus ferè agitur, quo religiosa & nobilis Canonissa, annos nata 40. plus minus, fero admodum & insolenti correpta catarrho, calamitosam & dolorificam ad dextræ maxillæ dentes defluxionem, cum intolerabili & implacabili odontalgia pati cœpit, quæ nullo artis Machaoniæ vel ingenio, vel Spagyricæ sedulitatis dexteritate sedari aut mitigari potuit. Imò verò (ut in ejusmodi casibus ferè fit) non solùm hinc inde petita, & citra rationem Medicíq; præscriptum, adhibita fuere remedia, sed & ad usum aquæ fortis seu regiæ perventum, & insanitum est. Unde vel ex plus satis audaci & temeraria illius aquæ administratione, vel sævientis & excedentis defluxionis appulsu, non dentes solùm præ doloris acerbitate evelli debuerint, sed & inferiores maxillæ ab erodentis humoris vehementia exederentur, finderentur, putrescerent, & fistulosa, cavernosa, maligna atq; cacoëthea in mento, glandosisq; colli partibus ulcera, & scrophulæ putridũ & corruptum madorem & saniem, ad duas ferè pintas quotidiè & continenter evomentes, & hac ratione omnem curationis spem eludentes, excitarentur: ut nunc febrem putridam, putrescentium humorum saburram, è loco affecto ad interiora & nobiliora viscera, ventriculum, hepar, lienem, clam furtimq; sese insinuantẽ, & incipientem superiorũ maxillæ ab inferiori per contagij legem, cariem, nigritiem, & futuram tãdem omnium ossium capitis putrilaginem, silentio involvam.

Cau.

Altius igitur, ut ab ovo tantæ syndromes malorum & fontes & caussas investigans, auditione accepi, nobilem hanc virginem Canonissam à primis ferè adolescentiæ annis, maligna quadam capitis impetigine, vel à parentum semine, vel contagij consortio correptam fuisse, quæ spretis omnis generis remediis, septennali ferè spacio à diversis Medicis frustra admotis, curationem non admiserit, quoad tandem adhibitis à quodam Chirurgo Empirico cucuphis, iterum iterumq; magna violentia & impetu evulsis, non tam curata, quàm à legitimo operantis naturæ, & peccantes humores ad capitis superficiem expellentis cursu, impedita videretur.

Emp. cura.

Ab hac impetigine utcunq; susq; deq; liberata, post aliquot annos accessit terrifica & pertinacissima melancholia, multis perdurans annis, quam & corrupta & prava victus vivendiq; ratio præibant, & insignes tam lienis, quàm mesenterij, hepatis, & uteri obstructiones sequebantur, & quibus omnibus refractaria ad hunc usq; diem menstruorum vel omnimoda suppreßio, vel depravata evacuatio, alimenta subministrabant.

Melancholi.

Ex quibus omnibus tandem colligere licet, & ex intempestiva illius impetiginis curatione, & ex refractaria corruptorum mensium retentione, atque cachectica internorum viscerum constitutione, non solum collectam fuisse peccantium & corruptorum humorũ colluviem; sed & ob diuturnam menstruorum suppressionem, malignam quandam, venenatam, seu Arsenicali & Mercuriali tinctura donatam qualitatem, tota sui substãtia totius corporis œconomiæ infensam prognatam: inde natura sui conservandi studiosa, collectis & in unum conspirantibus viribus, qua data porta, intestinum hunc hostem expellere conatur: Verùm cum destinata ad hoc officij genus emunctoria, vel humorũ copia obstructa sint, vel præpediente morbo suis non fungantur officiis, fit, ut natura relictis ordinatiis viis, sursum versus per ἀναῤῥοπὴν ad caput, symptomatum vehementia fractum, viam & cursum inflectat, in eoque pleraque totius corporis excrementa deponat: præsertim cum & alvus pigrescens suo non fungatur officio, & renes, vasaque uretira tum arenulis, tum viscosis & crassis humoribus obsessa, minus commodè urinæ excretioni respondeant, & hepar justo calidius, surgentibus in caput tam primæ, quàm secundæ concoctionis vaporibus alas subministret. Hinc continuus ille & circularis pravorum humorum in caput, subjectasque partes cursus & recursus, hinc perennis erodentium & venenatorum humorum in locum affectum decubitus, & mador perpetuus; qui & maxillarum, & denti-

dentium & gingivarum erosionem, exesionem, putredinem, cariem fissuras, sinuosa item & fistulosa glandosarum partium colli ulcera, fistulas, scrophulas malignas, & parotidas, fortè & futura latitantia carcinomata excitat, fovetque & legitimam curationem non tam impedit procrastinatque, quàm omnem Medicorum industriam eludit.

Pro tanti affectus curatione plurima hactenus & generosa remedia, tam à generosis & præclaris Medicis, quàm experientissimis Chirurgis in medium prolata, & administrata fuerunt, quæ etsi in similibus, imò & majoribus affectibus Deorum munus fuerint, in hoc tamen pertinacissimo affectu, nihil vel parum emolumenti attulerunt. Nec injuria sanè. Cùm enim hic affectus vix, ac nevix quidem curationem admissurus sit, nisi morbificis caussis prius sublatis, effera scilicet, & maligna humorum ad locum affectum defluxione: hæc autem è medio tolli non possit, nisi prius partibus caussas morbificas generantibus, foventibus, mandantibus, atque recipientibus ad naturalem temperiem reductis, fit, ut licet Medici iterum iterumque & clysteribus, & lenientibus, & purgantibus, & revellentibus, derivantibusque, menses item moventibus, & exsiccantibus etiam, humorum sentinam evacuare & tollere tentarint: tam pertinax tamen hactenus fuit fontis istius scaturigo, tamque perennis ad locum affectum decubitus, ut incassum hactenus & purgationes, & venæ sectiones, scarificationes, vesicantia, fonticuli tam brachiis quam cruribus affixi, omne denique vacuationis genus frustra fuerit adhibitum, & Medici Sysiphi saxum volvere videantur. Inde fit etiam, ut tam rebellis, tamque refractarii morbi caussam aliam non agnoscam, quam perennem illum & efferũ venenatorum humorum, mensiumq́; suppressorum singulis Lunis sursum versus ad caput, sui natura humidissimum, regurgitantium appulsum, eoquod omnia totius corporis excrementa, suppressi & corrupti menses, naturâ duce ad eum locum, ceu ad sentinam & cloacam viam inflectant, tanto impetu & ferocia, ut omnium evacuantium, revellentium, exsiccantiũ, ipsius quoque guajaci, & cæterorum vim & potentiã eludant. Accedit & maxillarum caries, & putrelago, quæ quamdiu præsens fuerit, nullam nec cicatrizationem, nec curationem admittet. Quod si vel ferro, vel igneis medicamentorum præsidiis, corruptorum ossium evulsio, vel correctio tentetur, id fortè nec vires, morbi jam diuturnitate & violentiâ fractæ, ferent, nec partis affectæ nobilitas, citra vel vitæ discrimen, vel faciei turpitudinem, permittet.

Cùm itaque res in angusto posita, & spes admodum sit anceps, ad te seu alterum Machaonem & Podalirium, diuturnâ famâ notissimum, magnâ experientiâ clarissimum, & in artis chironiæ operibus longè dexterrimum, hasce dare constitui, ut quid consilii, quidve remedii adhuc supersit, ex te cognoscere possimus: An omnia curatrici naturæ relinquenda? at hoc vix fiet, cùm & ætas jam declinet, & vires partim morbi violentia, partim ætatis decursu labascant. An ferro aut igne quid tentandum? Verùm quis ista in delicata, & fractis jam viribus Religiosa audebit? Quis maxillas partim exesas & cariosas, partim adhuc sanas, & suis compaginibus firmiter fixas, citra syncopen, lipothymiam, & hæmorrhagiam ferro evellere tentabit? Quis perennem delabentium humorum fontem & scatebram, omnia hactenus remedia spernentem exsiccabit? Tuum expectabimus consilium, vel etiam adventum, ut quid facto sit opus, audiamus: Ego saltem eum Medicum de tanto hoste victoriam reportaturum spero, qui perennem defluxionis foveam exsiccare, & corrupta mandibularum ossa frustulatim citra noxam tollere poterit. Sed hoc opus, hic labor: Solus fortè Archimachaon, & medicinæ creator altissimus, hæc & longè majora præstabit, si votis & precibus ardentibus interpelletur.

Obs. 21.

Clarissimo atque Doctissimo Viro Dn. Claudio Deodato *Reverend̃ssimi & Illustrißimi Episcopi Basileensis Doctori Medico ordinario.*

Guilhelmus Fabricius Hildanus,
S. P. D.

Utinam ego in præscribẽdis remediis salutiferis, Vir clarissime juxta ac doctiss. tam felix essem, atque tu in delineatione morbi accuratus fuisti. Tam doctè enim (sincerè & sine adulatione loquor) & eruditè morbum ipsiusq; caussas explicasti, ut quod amplius desiderari possit, non videam. Maligna & fœda illa scabie, qua in juventute laboravit ægra, non methodice, sed intempestivè & empiricè curata, caput debilitatum, & ad humores superfluos excipiendos aptum factum fuisse, tam certum est, quàm quod certissimum. Reliquæ quoq; caussæ, à Te enumeratæ, inprimis melancholia pertinacissima, vita sedentaria, & mensium retentio, caussam morbificam adauxerunt. Hæc omnia nunc proh dolor concurrunt, morbumque difficilem, ne dicam incurabilem reddunt: Interim tamen quia scimus Deum magnum esse, & mirabilia facere, nec calamum quassatum conterere, quin potius potentiam suam, simul ac misericordiam in imbecillioribus patefacere, de ægris non facilè desperandum est, sæpissimè enim evasisse & sanitati restitutos fuisse, qui pro deploratis habebantur, in praxi non rarò observavi. Quapropter facta prognosticatione, hoc tempore veris digestis & præparatis humoribus corpus iterum Melanagogis quàm optimè, clementer tamẽ expurgandum judicarẽ. Deinde serum lactis ad dies quindecim aut viginti præbendum censerem: quod si summitates lupuli, scabiosa, item fumaria, cichorium, agrimonia, veronica, radices polypodii, scrophulariæ, & cortices interiores radicum frangulæ, cum sero coctæ fuerint, longè præstantius & efficacius evadet. Aut extrahatur succus ex præscriptis radicibus & herbis, qui depuratus detur cum saccharo. Deinde sumat ℥j. sequẽtium tabellarum.

Maligna scabie caput debilitatum.

Desperati nonnunquã evadunt.

Curatio.

Serum lactis.

Tabellæ.

R: Spec. Diath. abb.
Aromatici rosati an. ʒj.
Confectionis Alkermes ℈iiij:
Margaritarum præparat ℈ij
Ol. cinnamomi ℈ß.
Sacchari dissoluti in aqua bet. ℥iiij:
Misce, fiant secundum artem tabellæ.

Menstrua, quantum fieri potest, provocare necesse est, cui rei frictiones & ligaturæ dolorificæ crurum, & balnea ex herbis appropriatis

Mẽstruorum provocatio.

Obs. 21. tis conveniunt. Cucurbitulæ quoque poplitibus, feminibusque cum scarificatione affigantur. Post balneū, si vires permiserint, incidatur Saphenæ, non tamen una die, sed altera post alteram duabus aut tribus dieb. interpositis. Apertionem venarum hæmorrhoidalium in hujusmodi ulceribus malignis multùm prodesse, tum alias, tum ante annum in ægro quodam septuagenario, ulcere cancroso oris laborante, expertus sum. Cucurbitulas jam hactenus scapulis applicatas fuisse non dubito, quas etiam nunc iterare convenit. Fonticuli brachiis cruribusque cum ratione applicati fuerunt: sed quia diversio simul & evacuatio insignis in gravissimo hocce affectu requiritur, suaderem, ut setaceum nuchæ applicaretur, non tamen ferro candente, sed acu optimè scindente. Locus affectus, quantum fieri potest, blandè tractandus est: acria enim & erodentia medicamenta, si in hujusmodi ulceribus adhibita fuerint, irritatur & ingravescit malum. Ego utor tutia, cerussa lota, cornu cervi usto, plumbo usto, succo item scabiosæ, veronicæ, geranei, scrophulariæ, aut per se, aut melle rosaceo mistis.

Venarum hæmorrhoidalium apertio.

Setaceum

Ossibus cariosis mandibularum ut ignis & ferrum, item oleum vitrioli, & aqua fortis adhibeantur, non suadeo, idque propter gravissimas caussas, sed inspergantur pulveres radicum aristolochiæ rotundæ, iridis florentiæ, angelicæ & thuris, corticum pini & similium, quæ separationem ossium cariosorum accelerant, aut misceantur cum succis prædictis, & melle rosaceo ad formam linimenti. Quod si mandibula aliquo in loco extra os denudata fuerit, applicarem pulverem euphorbii, quod mirandas habet proprietates; sua enim caliditate humores in osse non solum exsiccat: sed & occulta quadam facultate hic convenire videtur: quapropter non immeritò à Dioscoride, & recentioribus Medicis, ossibus cariosis adhibetur, nec est quod ipsius acrimoniam timeas, etiamsi enim linguam & nares mordicet, ulceribus tamen, quantumvis copiosè inspersum, nullum dolorem aut inflammationem excitat. Hæc si cum doctrina Dioscoridis & Avicennæ, quin & cum neotericorum scriptis conferre volueris, paradoxum esse invenies, sed ego expertus loquor. Ulceribus tamen in ipso ore existentibus; quia inde ad linguam & fauces quoque facilè pervenire potest, ut inspergatur, non suadeo; linguam enim, ut anteà monui, fauces, naresq; mordicat vellicatque. Plura ut adscribam, tempus nunc non permittit, brevi enim familiam meam, Deo volente, Bernam transferam: quapropter nunc occupatissimus sum, ac vix hæc pauca exarare potui, quæ tamen ut amicè interpretari velis, rogo. Vale vir doctissime & felicissimè vive diu.

Ossa cariosa quomodo curanda.

Euphorbij vires.

Euphorbium ulceribus oris non adhibendum.

Raptim Lausannæ equestrium
8. Maii 1615.

(o)

OBSERVATIO XXII.

Cardialgia & Epilepsia gravissima ex inepta venæ sectione sequuta.

Viro doctissimo Dn. D. EMANUELI URSTISIO, *apud Biellenses Medico ordinario, Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.*

ANte dies aliquot à vobis discedens, doctissime atque amantissime mi Dn. Urstisi, opportunè Aventicum veni. Cùm enim in transitu præstantissimum Virum D. Samuelem Vogt, ibidem præfectum prudentissimum, Dominum & amicum meum plurimùm observandum inviserem, civem & sutorem quendam Bernensem M. Hieronymum Zubel, hominem quadraginta circiter annorum ætatis, veluti in agone mortis inveni. Is autem cum per dies aliquot in arce operaretur, vigiliis præternaturalibus correptus fuit, & ita quidem, ut in sextum aut septimum usq; diem somnum capere non posset, imò per totam noctem per cubiculum ambulare coactus esset. Harum vigiliarum caussa, cum propter spirituum excalefactionem caput dolere cœpisset, & appetitus paulatim prostratus fuisset, barbitonsorem in consilium adhibuit. Ille cum symptomata illa omnia ex sanguine provenire, ac proinde venæ sectione curari posse ægro persuasisset, vigesima tertia Iulii circa septimam matutinam, venam in sinistro cubito (non purgato corpore) incidit. Verùm cum vix ad uncias quinque sanguinis extraxisset, cardialgia correptus fuit, mox in terram ipsum corruentem, cum motu inordinato epilepsia quoque invasit. Uxor Dn. præfecti protinus ipsi aquam liliorum convallium, pœoniæ, & pulverem uni cornu exhibuit, hinc paulatim restitutus fuit. Post semihoram finito paroxysmo epileptico, imprudens barbitonsor venam pollicis dextri cum pertudisset, multumque (ut adstantes referunt) sanguinis extraxisset, iterum & quidem interim dum sanguis effluebat, paroxysmo epileptico, cum totius corporis motu inordinato & convulsivo corripitur. Paroxysmus adeò fuit vehemens, ut singulis momentis ipsum animam edere dixisses. Uxor itaque D. præfecti iterum nonnihil aquæ liliorum convallium & pœoniæ exhibet; sed non eodem cum successu, ut in primo paroxysmo. Ego cum tandem circa secundam pomeridianam advenissem, hominem uti dixi, veluti in mortis agone reperi. Pulsus adeò erat variabilis, ut nunquam similem in homine, qui evaserit, me observasse ausus sim affirmare. Iam enim erat magnus & celer, jam tardus, rarus, inæqualis, formicans, parvus & languidus. Sed & (quod omnibus admirabilius est) aliquoties adeò intermittebat & quiescebat, adeoque deficiebat pulsus, ut æger jam animam effudisse videretur. Non enim ictum unum aut alterum, verùm quatuor, quinque, aut etiam plures intermittebat, & ita quidem, ut facilimè passus quatuor aut quinque quiescente pulsu, per cubiculum fecisses. Interim dum ita quiescebat pulsus, corpus apoplecticorum more planè sine

motu & respiratione jacebat. Oculi aperti & fixi erant, & vix signum ullum vitæ in ipso observari potuit, nisi quod partes corporis, imò ipsæ quoque extremitates suo calore naturali fruebantur. Ego cum advenissem, protinus nares, labia & tempora succo rutæ (maximas istius succi in epilepsia esse vires, testantur viri docti) in quo non nihil theriacæ dissolutum erat, inunxi, regioni cordis & carpis epithema calidè applicui, & pulverem epilepticum, & aliquantum confectionis Alkermes, cum aqua liliorum cōvallium, pœoniæ & betonicæ exhibui: Non diu postquā præscriptam potiunculam aliaque remedia sumpsisset, & loquelam recuperasset, delirare cœpit, & ex una in alteram partem lecti se projecit: post mediam noctem tamen utcunque quievit. Sequenti die cum iterum præscriptam potiunculam sumpsisset, præter meam & adstantium spem atque exspectationem melius se habuit. Deinde observata victus ratione, expurgatoq; corpore, brevi restitutus fuit.

In hoc autem casu nonnulla annotatione digna occurrunt. Primò quid natura valida, etiam præter spem atque opinionem Medici, præstare possit: quandoquidem ego, ut ingenuè fatear, cum pulsum, uti dixi, non solùm variabilem & summè imbecillem, verumetiam omninò intermittentem in ipso observassem, mortem in propinquis esse, adstantibus significavi. Ille tamen, quia juvenis & robustus, adhibitis remediis idoneis, intra dies quatuor sanitati restitutus fuit. Respexi autem in prognostico meo non solùm ad ea, quæ quotidie in praxi accidere observamus; verùmetiam ad locum illum Galeni, qui habetur lib. 2. de præcognitione ex pulsibus, ubi ita scriptum reliquit: *Si arteria, inquit, duorum pulsuum tempus moretur, haud scio, an quisquam superstes esse posit.* Et eodem libro: *Naturalis arteriæ motus sanitatem refert, vitiosus morbum, omninò intermissus, mortem.*

Secundò, quàm periculosum sit, in uno eodemq; tempore diversis in locis, inter se oppositis, venas incidere: hinc enim maxima facta fuit sanguinis & humorum agitatio & perturbatio; cum vena in cubito sinistro, versus sinistrum latus, in dextro pollice verò versus dextrum, sanguinem humoresq; raperet.

Tertiò, non esse incidendam venam, nisi prius purgato corpore. Cum enim in hoc viro duplex adesset repletio, ad vasa scilicet, & ad vires, & à duobus ab hinc annis epilepsiæ obnoxius esset, nec tamen ante venæ sectionem expurgatus fuisset, ex prædicta agitatione & commotione sanguinis, & humorum jam per vigilias præcedentes accensorum, vapores multos ad cerebrum & cor elevatos fuisse, & prædicta symptomata excitasse, verissimum est.

De agno monstroso ante dies octo hic nato, & à me dissecto, posthac ad te scribam, nunc non vacat. Vale doctissime atque amantissime mi D. Urstisi: Strenuum Virum Dn. Capitaneum Spiterum meis verbis, quæso, saluta plurimùm. Raptim Lausannæ 13. Augusti Anno 1614.

Emanuelis Urstisii ad Guilhelmum Fabricium Hildanum Medico-chirurgum præstantissimum, responsio.

Observat.

EA, quæ in sutoris illius, Vir celeberrime atq; præstantissime, de quo scribis affectu, observasti, notatu certè dignissima existunt: præsertim verò ea, quæ de constitutione pulsus ejusdem annotasti. Idem fermè non adeò pridem in Matrona quadam urbis hujus honestissima mihi observare contigit. Hæc namq; cum ante quatuor septimanas febri continua correpta, eâdemque ultra quatuordecim dies graviter conflicta fuisset, vires adeò prostratæ fuere, retentrixq; facultas intestinorum læsa, ut spontaneum alvi profluvium supervenerit, appetitus quinetiam jam prostratus, ut per triduum ne tantillum cibi atque potus intromitteret: pulsus denique languidus, & inæqualis, modò formicans, modò intermittens erat. Ex quibus sanè symptomatibus sic apparentibus, omninò de vita ægræ conclamatum opinabar. Quarto tamen postmodum ab inedia die, cùm appetitus cibi & potus denuò redire cœpisset, in delirium, quinque vel sex dies durans, incidit. Tandem delirio cessante, balneum, quo singulis diebus uteretur, suasi: victum quinetiam restaurantem, medicamentaq; corroborantia præscripsi: quibus sic per aliquot dies usa, singulari Dei Optimi Maximi gratia pristinæ sanitati restituta fuit.

Quæ in margine ad calcem literarum tuarum, de observatione sphaceli totius corporis ferè, ut ad eam responderem, subnexisti, illius sanè ampliùs non memini: num forsan observationem illam Basileæ inter schedas meas reconditam reliquerim, ignoro. Mitto hic fragmenta nonnulla lapidis cujusdam, qui in Neostadiensium alpium locis subterraneis toto anno, nivibus ac glacie refertis, à cive quodam urbis hujus inventus, ab ipsoque huc asportatus fuit. Ex qua autem materia lapis iste constet, dubito: videtur mihi ad naturam crystalli accedere, cùm sit pellucidus instar crystalli, non tamen usque adeò durus. Hæc Vir clarissime, raptim ad te scribere volui, quæ ut æqui bonique consulas, rogo, verbis meis quæso uxori tuæ lectissimæ, ac liberis charissimis salutem plurimam annunciato. Biennæ 10. Novembris 1614.

OBSERVATIO XXIII.

De peste gravissima Lausannensi, & nonnullis annotatione dignis, in ipsa observatis.

Viro genere & doctrina, sed inprimis pietate Nobilissimo Dn. DANIELI NABOROVIO, Illustrissimi, ac Potentissimi Principis, ac Domini D. JANUTII RADZIVILII, Ducis in Birze, Dubinki, ac Sclucko, Pocillatoris Magni Ducatus Lithuaniæ Borisovien, &c. Capitan. Principis Imperii, Consiliario prudentissimo, & Architriclino Vigilantissimo, Domino meo in perpetuum observando,

Guilhelmus Fabricius Hildanus,

S. P. D.

HIstoriam tuam de admirando, & vix unquā observato vulnere capitis, nobilissime, atq; doctissime mi Dn. NABOROVI, fautor & amice æternùm observande, accepi, & jamdudum rescripsi.

Obs. 23. scripsi. Adjunxissem aliquid de statu familiæ meæ, verùm mens ægrotabat, neque etiamnunc penitus restituta est, idque non sine maxima caussa. Quanta enim adversa quantaque luctuosa post reditum meum Wormatia, ubi superiori æstate ad Generosum virum Dn. EBERHARDUM KEMMERER von Wormbs/genant von Dalberg vocatus fui, advenerint, vix tibi exprimere possu. Verùm DEUS qui fons est atque scaturigo misericordiæ, quique, ut Spiritus sanctus per Prophetam loquitur, calamum conquassatum non conteret, & linum ferè extinctum non extinguet, solâ suâ clementiâ atque misericordiâ hucusque, inter tot miserias tam publicas, quàm privatas me sustinuit. Pestis in hac civitate, quæ, uti vidisti ipsemet, non usque adeò populosa est, intra paucos menses, nimirum ab initio Julii usque ad finē Novembris, ultra duo millia è medio sustulit, ante menses tamen quatuor cessare cœpit, & nunc, laus sit DEO, omninò cessavit. Maligna fuit & vehemens, maligna, quia remedia parum profuerunt, & malignitas morbi remediorum efficaciam longè antecellere videbatur. Vehemens verò, quia multi, antequam vix ægrotarent, extincti fuerunt, qui nescio quanam vertigine, & virium labefactatione oppressi, intra paucas horas, multi verò phrenetici secūdo aut tertio die defecerunt.

Esa. 42. 3.
Math. 12. 18.
Pestis Lausannēsis.

Cæterùm medicamenta, etiamsi multis, cùm à Dn. D. ROSCIO Medico excellentissimo, tum etiam à me ex arte præscriberentur, methodica tamen & diligens eorum exhibitio atque applicatio desiderabatur. Cùm enim neque Medicus, neque pharmacopæus ullus ad provinciam hancce administrandam constitutus esset, & eis, qui hic pestiferos invisitant, consortio hominum interdictum sit, balneatori cuidam, aliisque ineptissimis & sordidis hominibus, quos Marones vocant, totum negotium commissum fuit. Hinc factum est, ut ex centum ægris vix viginti evaserint. Ex domesticis meis tres ex hac lachrymarū valle ad beatorum sedes evocati fuerunt: primò filia mea tredecim annorum ætatis, quam in reditu meo Wormatia unà cum uxore graviter laborantem reperi. Post dies verò aliquot, cum à febre aliisque symptomatibus ipsam penitus immunem esse, existimaremus, & quadam die me inscio currendo per viridarium, supra modum incaluisset, & fructibus crudis, atque horariis sese ingurgitasset, iterum in febrem incidit, quæ quia bubo in inguine dextro nondum apertus, mox maligna facta fuit, ipsamq; antequam vix remedia adhibere possem, è medio sustulit. Non diu post filiola mea quatuor annorum ætatis, eodem morbo correpta fuit. Illa vomitu tam vehementi vexabatur, ut ne jusculum quidem, multò minus medicamenta retinere posset. Exhibui ipsi aliquoties lapidem bezoardicum, sed propter vomitus vehementiam vix ad ventriculum pervenire potuit: Obiit illa tertia die morbi. Tandem & ancilla in morbum incidit, maximoque fluore alvi statim ab initio torquebatur, & cum ab alimentis, tum etiam à medicamentis tam aversa erat animo, ut nihil ferè gustare posset: illa quarta die morbi vitam posuit. Vxor mea, & ambo filii gravissimè quidem laborarunt, omnes tamen per Dei misericordiam evaserunt. Lapidem bezoardicum aquæ cinnamomi, & cardui benedicti, confectioneque alkermes mixtum, copiosè ipsis maximo cum fructu exhibui. In hac peste autem nullum eorum, qui aut vomitu, aut fluore alvi laboravit, evasisse scio? Sic & omnes ferè, quibus vena secta fuit, obierunt.

Lapis bezoar...

Non solùm autem in hac civitate, verùm etiam in vicinis oppidis & pagis, Viviaci, & Morsearum ad lacum Lemannum præcipuè, gravissimè grassata est, multosque egregios viros tum hic, tum in prædictis locis, inter quos viginti tres ministri verbi divini, in Diœcesi Lausannensi trucidavit. Mortalitas hæc aliquibus in pagis tam vehemens fuit, ut frumenta in agris, uvæ in vineis, & fructus arborum minimè colligerentur, sed bestiis & avibus relinquerentur. Neque liberæ, & hujus labis expertes fuere rusticorum & pauperum tabernæ, in ipsis etiam altissimis montibus sitæ, etiamsi inter se separatæ nullaq; vicinitas & usus inter rusticos esset. In hac ipsa urbe idem accidit: etiamsi enim ægri ea, qua fieri potuit, diligentia à sanis separarentur, & alii in xenodochium extra urbem, alii in tabernas, ad id hinc & inde in hortis & viridariis extructas, collocarentur, nihilominus tamen infiniti homines, qui nunquam cum ægris consortium ullum habuerunt, peste trucidati fuerunt. Ex quibus satis perspicuum fit, caussam hujus pestis Lausannensis & vicinarum partium, non solum propter contagium, verùm etiam propter corruptionem aëris fuisse.

Corruptio aëris caussa pestis.

Et profectò insectorum, & præcipuè erucarum copia, quæ superioribus annis, inprimis 1611. talis fuit, ut etiam folia arborum, & olera in hortis omninò depopularetur atque depasceret, id satis superq; arguit. Insecta autem hæc non solum præsagium, verùm etiam ex parte caussam hujus pestis fuisse, certum est. Præsagium, quia magnam putredinem, ex qua orta fuerunt, præcessisse demonstrant. Caussam, quia demortua putredinem auxerunt, novamque fecerunt. Præterita æstate, & quidem illo ipso tempore, quo pestis hic grassabatur, muscarum copia talis fuit, ut post hominum memoriam vix tanta visa fuerit. Inprimis autem sordidæ istæ muscæ, quæ esculenta, & maximè carnem verminoso excremento devastant, præ omnibus aliis superabundabant. Apes, quamvis, ut Plinius lib. 10. cap. 8. scribit, ne floribus quidem mortuis insideant, hoc tamen autumno fructus, veluti poma, pyra & pruna, quæ nostrates dissecant, & ad radios solares exsiccant, in ipsa quoque conclavia usque (quod antea nunquam observatum fuit) turmatim sequebantur, ipsisque insidebant. Ex quo colligere possumus, insectum hoc percepisse, floribus aliquid maligni noctu cum rore ex aëre delabente communicatum fuisse, & proinde ex fructibus istis, jam antea manibus hominum confricatis, & aëre nocturno minimè expositis, alimentum suum potius, quàm ex ipsis floribus quæsivisse.

Pestis præsagia.

Neminem autem (quod notandum) eorum qui fonticulos in brachiis & cruribus habuerūt,

Qui fonticulos ... fuerunt

(præter

(præter unum aut alterum summè cacochymicum) peste obiisse memini, & proinde præsentaneum præservativum esse tempore pestis, cùm in aliis multis, tum etiam in memetipso observavi. Ego enim duos habeo, alterum in brachio sinistro, alterum in poplite dextro.

Interim dum pestis hîc tam vehementer grassabatur, per intervalla, & quidem sæpissimè in inguine dextro, (in quo ante annos triginta, cum peste gravissimè laborarem, bubo pestiferus mihi ruptus fuit) dolorem sensi, sumpto tamen alexipharmaco ex lapide bezoar, cornu cervi, aqua cinnamomi, & cardui benedicti, mox evanuit dolor ille, sed versus fonticulum in poplite descendit, ibique exacerbatus est, & nonnunquam per diem unam aut alteram, cum inflammatione & intumefactione cruris continuavit.

Circa fonticulum quoque in brachio materiam aliquam flatulentam collectam fuisse, percipere potui. Musculus enim anterior cubitum flectentium, in cujus medio ferè fonticulus est, per intervalla adeò tremebat, agitabaturque, ut adstantes non solùm agitationem & motum, verùmetiam brachio admota aure, veluti crepitum quendam perciperent: Nullus tamen aderat dolor, & nunc per Dei misericordiam omninò remisit tremor ac palpitatio illa. Putasne mi nobilissime D. Naborovi, hanc pestiferam aliquam materiam, sed flatulentam fuisse, eamque naturam versus fonticulos veluti ad cloacam expulisse? Atque hæc sunt vir nobilissime, quæ de statu familiæ meæ in præsens ad te scribere potui. Quod superest, Deum Opt. Max. suppliciter oro, ut in posterum misereatur nostrum, teque quàm diutissimè conservare velit. Vale & æternùm feliciter vive. Dabam Lausannæ 20. Martii 1614.

OBSERVATIO XXIV.

In qua longè maximam esse difficultatem in cognitone & electione lapidis Bezoar, ostenditur.

Viro clarissimo atque doctissimo Dn. D. PHILIBERTO, *magni atque excellentissimi Viri* Dn. D. JANI ANTONII SARACENI F.

Guilhelmus Fabricius Hildanus

S. P. D.

POst bellum, laus sit DEO Optimo Maximo, suppetiæ tuæ venêre. Ante paucos dies enim ex Alsatia (ubi ad Generosum quendam vocat⁹ fueram) veniens, Nobilis iste tibi notissimus, trochiscos viperinos, quos miseras, tandem mihi tradidit. Is quidem superiori autumno ipsos à te accepisse innuit, sed hac excusatione usus, nimirum, cum, quonam in loco viverem, sibi ignotū esset, illos ad me mittere non potuisse. Vide quæso, quam nuda, quamque frivola sit excusatio: quasi ego ab eo tempore apud Antipodes vixerim, cum tamen per totam ferè hyemem propter pestem gravissimam, quæ, proh dolor, totā urbem simul & familiam meam exercuit, veluti inclusus fuerim. O qualis negligentia, aut potius qualis ingratitudo ab homine, in quem ego & multa & præclara tibi satis nota beneficia contuli. Sed quid hîc agam, cum dictum Plauti, si quid juves pluma levior gratia, si quid offendas, plumbeas iras gerunt, hoc exulceratissimo seculo verissimum esse, etiam in multis aliis experior. Interim ego, ut clavum rectum teneam, omnes nervos DEO volente intendam, atque inprimis tibi pro præstitis tuis in me beneficiis gratias nūc ago; referrem quidem libenter, si occasio & facultas mihi non deessent. Pretium, quod significasti, remitto.

Obs. 24.

Cæterùm librum clarissimi ac longè celeberrimi Viri Dn. D. BAUHINI de lapide Bezoar, doctum profectò & summæ eruditionis plenum, te jam vidisse non dubito. Sed tu, quæso, quid sentis de hoc tam pretioso medicamento? Ego revera admirandas operationes ex ipso vidi, non solùm in multis aliis, verùmetiam in memet ipso ante triennium, cum quartana continua graviter laborarem, uti in epistolica mea responsione ad Dn. D. MICHAËLEM DÖRINGIUM de nova, rara & admiranda Hernia uterina, quæ futuris nūdinis prodibit, fusius videbis. Verùm enim verò majorem difficultatem in ipsius cognitione & vera electione sitam esse existimo. Etiamsi enim varia & ferè infinita signa, quibus cognoscatur, passim ab authoribus classicis tradantur, sæpissimè tamen incerta ea esse, & fucum detegere non posse, ausus sum affirmare. Expertus loquor. Fragmenta enim lapidis habeo, quæ ad unciam ferè usque ponderant, quæque speciem lapidis Bezoar tam bellè præbent, ut nisi egomet fucum scirem, pro vero Bezoar ipse cum multis aliis viris doctis judicarem. Cineritii sunt coloris, lævigata & expolita, quemadmodum lapides Bezoar Orientales nonnullos vidi, præcipuè inter pretiosa Serenissimi Principis JANUTII RADZIVILII Ducis in Birze, Dubinki, Slucko, &c. qui ejusdē coloris lapidē Bezoar magni pretii habebat. Ad hæc ex fragmentis prædictis lapidem ex multis squamis compositum fuisse apparet, adeò tamen inter se cohærentibus, ut unum corpus constituant, nulloque modo una ab altera separari possit. Porrò ejusdem structuræ preciosissimos Orientales bezoardicos vidi, inprimis apud prænominatum serenissimum Principem qui fragmenta duo mihi donavit, in quibus etsi laminæ nonnullæ observari possint, cohærent tamen arctissimè, sed atri coloris & expolitæ sunt. Centrum ipsius lapidis excavatum fuisse, ex fragmentis istis apparet. Nucleum (quem quoque clementer mihi concessit) scarabeum, aut insectum aliquod nigrum fuisse, apparet. Quid plura? si fragmenta mei lapidis cum notis ab authoribus classicis traditis, quibus Bezoar orientalis cognosci solet, cōferre volueris, preciosissimum Bezoar esse forsan judicares tu quoque. Non solùm enim ex multis corticibus & laminis, ut dixi, compositus lapis, verùmetiam in meditullio concavus, & nucleo quodam exterius fusco, interius albo præditus est, facileq; alabastri modo abradi potest, sed & sive in ore contentus, sive in aquam projectus, facilè in liquorem dissolvitur. Quapropter omnes ferè, qui fragmenta hæc apud me viderunt, pretiocissimum Bezoar esse affirmarunt, præter Dn. D. ROSCIUM, & Dn. D. PAULUM OFFREDUM, qui dubitarunt, & MAGNUM BAUHINUM, qui negavit,

Difficultas in cognoscendo vero lapide bezoar

Obs. 24.

negavit, nihilominus tamen nihil artificiale, sed lapidem in animali aliquo concretum esse, statuerunt, & rectè quidem, ut ex infra nexo decreto meo videre poteris. Hinc apparet, quàm difficile sit, legitimum Bezoar ab adulterino distinguere. Lapides enim qui Bezoar referebant, in equis & asinis quoque repertos fuisse JORDANUS CRATO, BAUHINUS, & MINDERERUS testantur. At ego lapidem, qui magnitudinem castaneæ ferè adæquabat, inter rariora mea reservo, qui in plurimis notis cum Bezoar respondet, & tamen in ductu urinario porci Coloniæ Agrippinæ repertus fuit, forsan ibidem cùm mactaretur, propter mortis violentiam ex ipsa vesica detrusus. Illum ante duos annos, cum paternos lares inviserem, Dn. RENERUS SLOTANUS, pharmacopæus Coloniensis exercitatissimus, amicus meus singularis (in cujus præsentia lanius illum extraxerat) communicavit. Est præterea, ut rectè monet BAUHINUS, talis tantaque impiorum hominum avaritia & astutia, quorum ingenia auri desiderium tantoperè acuat, ut lapidis istius omnes conditiones naturales, tam externas, quàm internas perbellè adeò imitentur, ut ferè discerni non possint. Hæc, vir clarissime, non in contumeliam hujus tam excellentissimi medicamenti scribo, sed ut quanta in ipsius cognitione & electione sit difficultas & incertitudo, quantumque proinde Medicum lynceis oculis præditum esse oporteat, demonstrem. Tu quæso omnia æqui bonique consule, & sententiam tuam rescribe. Dn. FELICEM PLATERUM communem nostrum amicum graviter laborare, ex Dn. BAUHINO intellexi, ego propter festinationem ipsum invisere non potui. Observationes suas ante sesqui annum publici juris fecit. Utinam reliqua sua scripta ante obitum divulgare quoque posset. Benè vale in CHRISTO JESU, & me ex animo tibi faventem redamare perge. Lausannæ 20. Julii 1614.

Lapis Bezoar referens in porco repertus.

Lib. de lapide Bezoar cap. 26.

GUILHELMI FABRICI HILDANI *de fragmentis lapidum, capsulæ huic inclusis, decretum.*

Fragmenta hæc lapidis, cineritii coloris, & drachmas septem, scrupolos duos, grana sex ponderantia, quæ hactenus à multis variisque doctis & in re medica & pharmaceutica eruditis viris, quibus ea monstravi, pro genuino Bezoar habita judicataque fuere, testor ego, non Bezoar, sed calculum ex vesica hominis excisum esse, eumq; non in usum hominis me reservare, sed ut, quãta sit in cognitione & electione veri lapidis Bezoar difficultas, monstrare probareque possem. Si quis secus fecerit, de fragmentis istis pro Bezoar vendiderit, ægris aut sanis propinaverit, maledictus, execrabilis esto.

Postscriptum.

Dum tabellarium commodum, qui præsentes literas Lugdunum perferret, expecto, vir clarissime, nobilis quidam Lausannensis Basileâ rediens, me certiorem fecit Dn. D. FELICEM PLATTERUM 29. Julii diem suum obiisse. Iterum vale 1. Augusti 1614.

T. Fabricius.

Viro clarissimo GUILHELMO FABRICIO HILDANO *Chirurgo celeberrimo, & experientissimo,* PHILIBERTUS SARAZENUS *M. D.*

S. P. D.

Doleo, Vir clarissime, non esse tibi redditas meas literas, quas ad te pridem scripsi, cum iis responderem, quas mercator S. Gallensis à te mihi paulò ante tradiderat, unà cum pecunia, quæ in trochiscos viperinos expensa fuerat. Ex silentio tuo proprium mihi silentium imperabam, suspicans te iter aliquod longum suscepisse, quod ad nos scribere occasionem eriperet. Et sanè magis lætatus sum, cum postremas tuas accepi, quæ te incolumem esse, tuique semper similem nobis amicum, mihi abundè testatæ sunt. Prodiisse in lucem tertiam observationum tuarum centuriam, gaudeo, & perquiram undiquaque illius exemplar, ut desiderium meum scripta tua pervidendi expleam.

Cæterùm repetam hic, quæ priore mea epistola continebantur, quam excidisse video. Tuam de lapidis Bezoardici incerta cognitione sententiam verissimam esse, quotidie usu comperio. Vbi passim in Europa magno in pretio esse incepit, eum varii mangones & pseudopharmacopœi dolosè adulterare inceperunt, quorum ut fallaciam eludamus, duæ mihi ejus incorruptæ notæ aliis omnibus addendæ videntur, quas plerique omnes illius seduli indagatores nobis tradidere. Prima sit durities insignis, nam qui arte conflantur lapides, verorum æmuli, facilius in pulverem, & squammulas, vel levissimè attriti abire consueverunt. Secunda sit tinctura levis viridescens, quæ affricti duriusculo ex linteo molli, leviter saliva perfuso, contrahitur in linteum. Id enim ex fructibus & herbis, quas depascebatur animal vivens, contingit: quarum succus & substantia in lapidem conversa est, nec dum tamen virentem herbarum tincturam & colorem deposuit. Addam, eos lapides mihi suspectæ bonitatis videri, qui in meditullio nucleũ dactilorum, aut quippiam simile continent. Animalis enim calor in substantiam lapidescentem agens, eam uniformiter in lapidem commutat, ac homogeneum inde corpus sensim conficit. In quibus nuclei reperiuntur, dolum adesse conjicio, quod necesse habeant artifices corpus aliquod sibi parare, cui veluti fundamento squammas suas squammatim obvolvant. Plura & certiora in re tam incerta, dies nobis & usus post hac aperient, quæ ut occurrent, tibi lubens communicabo, ut te id vicissim præstiturum spero. Metuo ne me scribente diutius, interim abeat tabellarius, quo fit, ut plura & varia ad te scribere in aliud tempus differam. Perge si placet scriptis tuis, ut & assidua benevolentiæ testimonis nos subinde exhilarare: Te, si quem ex hominibus colo & colam in perpetuum Vale Dat. Lugduni 22. Februar. Anno 1615.

Not... lapidis Bezoar veri.

Viro clarissimo, atq; Doctissimo Dn. D. PHILIBERTO, *Magni atque Excellentissimi Viri* DN. D. JANI ANTONII SARAZENI *Filio,*

Guilh. Fabricius Hildanus iterum

S. P. D.

Quod tu 22. Februarii ad observationem meam dedisti responsum, Vir clarissime, fautor & amice æternùm honorande, 28. Martii Berna Lausãnam rediens mihi traditum, perquàm gratum

24. 25. Lapi- Bezo- certi.

tum mihi fuit. In cognitione enim & electione lapidis Bezoar, te opinioni meæ subscribere video. Insignem duritiem notam veri lapidis Bezoar esse scribis. At lapis ille, de quo ego ad te scripsi, durissimus est, interim tamen falsus. Habeo & alium lapidem durissimum, qui Bezoar Orientalem quam bellè repræsentat, nihilominus adulterinus est, & in ductu urinario porci repertus fuit: inde colligo, ex duritie nullum signum certum haberi posse. Tincturam viridescentem in vero lapide Bezoar quoque desiderari addis; sed nonne materiā illam, ex qua nebulones & impostores suos conficiunt lapides, facillimè colore aliquo viridescente tingi posse existimas? Occidentales Bezoar ex multis tenuissimis laminis constant, quapropter in ipsis fucum nullum esse, aliquando arbitratus sum, sed parum rectè. Ante menses enim duos, cùm Dn. Daniel Episcopus Lithotomus excellens, & senex Bernæ ultra quinquaginta calculos, quos ille ipsemet ex corporibus humanis extraxerat, mihi monstraret, inter ipsos nonnullos observavi, qui ex multis tenuissimisque laminis constabant, & Occidentalem Bezoar quàm eleganter præ se ferebant. Quapropter optimus ille senex constituit, & hæredibus suis mandavit, ut fato suo functo, omnes quos extraxit, sibique reservavit, feretro suo imponerentur, ne forsan impius aliquis impostor, imposturam cum ipsis exerceret. Itaque quibus notis certis & indubitatis lapis iste cognosci possit, nondum video. Ad experientiam quidem confugerem, nisi illa propter occasionis celeritatem, & corporis humani dignitatem tam periculosa esset. Hinc quanta in cognitione & electione hujus lapidis sit difficultas, iterum apparet. Mitto ad te tertiā centuriam observationum mearum, & historiam de vulnere Dn. Wallieri, tu quæso, omnia æqui bonique consule, & ignosce, quod maturiùs illam non miserim, hodie enim exemplaria mea hic Genevæ accepi. Vale Vir clarissime, & me ex innata tua humanitate amare perge. Ocyùs Genevæ 5. Aprilis Anno 1615.

OBSERVATIO XXV.

De duplici Pleuritide:

Ad clarissimū, utriusq; Medicinæ peritissimum Virum Dn. GUILH. FABRICIUM HILDANUM, *amicum singularem.*

Tertio pleuriti-

Eventum & exitum gravissimi morbi nobilis juvenis Antonii Pagayi Galli, gratiosi Aulici illustrissimi Dn. oratoris Dn. Petri Castillii &c. ad quem unà, Vir clarissime, vocati fuimus; nosse procul dubio desideras. Quomodo verò vigesimo tertio Februarii 1615. indefessa saltatione (uti in hilaribus) & frigidā largo potu, sævissimā duplicig; pleuritide (refugiente, trepidanteque nimirum sanguine) in utroque latere correptus, eique confestim vena brachii dextri secta fuerit: Quomodo postridie ex sinistro latere rursus (quandoquidem Chirurgi incisione eodem die ultra uncias tres non profluxerat) tua manu sanguis emissus, continuòque dolor ejusce partis pulcherrimè disparuerit: Quomodo tertio die in cubito dextro sectio repetita, singulæque sectiones ad libram fere peracta: Quomodo vigesimo mensis quarto morbi lapidem Bezoar Peruanum scabrum (delectu habito) pondere granorum octo, cum semidrachma confectionis alkermes exhibuerimus, agerque perbellè sudarit: Quomodo item sacculum anodynum tinctumque bechicum, soporifera ob vigilias, & reliqua usurpaverimus. Deniq; quinto die morbi ante discessum tuum, cùm durante adhuc nonnullo dolore lateris dextri ipsemet æger quintam etiam sectionem exposceret, illam, ne vires penitus collaberentur, sed die judicatorio sufficerent, inhibuerimus: Hæc inquam omnia propè tibi jam cognita sunt & perspecta: Igitur quæ post discessum tuum sequuta sunt, accipe.

Obs. 25.

Primo Martii, septimo morbi die, qui solet esse criticus, cùm nox præcedens (ex Aphorismo 13. libr. 2. fuisset gravior, Epithemate ex aquis & pulveribus cardiacis, nec non confectione Alkermes, cum panno coccineo, in carpis & cordis regione muniendum, quin imò Bezoare denuò confirmandum censui. Et ecce circa quintam vespertinam sudor eum prehendit, sed languidus & subfrigidus, qui unà cum magna debilitate, & prostratione virium vehementer terrebat assistentes, ita ut trepidatio fuerit exorta ac concursatio, nec non acciti cum sacris Sacerdotes. Hic ego in medio isto duello succurrere Naturæ, ad eamque corroborandam, fortiusque excludendum sudorem, confectionem Alkermes iterum exhibere non dubitavi. Illustr. Dn. Orator tum valdè erat sollicitus de salute ægri, ad quem citatus, licet res non careat periculo, spem tamen bonam habere me asserui. Calefactis itaque linteo cruribus, sumpto medicamento coccineo, applicatuque epithematis; sine mora profluxit sudor ad duas horas uberrimus saluberrimusq;, ita ut tandem sustulerit oculos æger, & postquam levatum se sensit, abstergi, cibarique ultrò cupiverit. Ad cibum itaque & potum optimè se habuit, nec à risu abstinuit, meque compressis fortiter manibus demum redire jussit. Nondum tamen debellatum erat, sed tertia die Martii demum, qui erat nonus morbi, cùm iterum cœpisset sudare, iterumque Alkermes sumpsisset, feliciter perfecteque judicatus & absolutus est. Tum mihi in mentem venit, quod Dictator noster scriptum reliquit Comment. 1. in Aphoris. Hipp. 12. Anaxionem, si ante tertium diem expuisset, vel circa septimum, vel Nonum, vel omninò undecimum diem judicationem subsecuturam fuisse. Hunc autem nostrum Antonium ab initio statim cruenta expuisse nosti. Quin arbitror, si constitutio hyemalis non fuisset, Crisin citius comparituram fuisse, cùm eodem loco moneat Præceptor, singulis morbis æstatem addere celeritatem, hyemem verò tarditatem. Itaque faventibus superis octavo post crisin die perfunctum jam morbo satisq; confirmatum ipsemet in Aulam reduxi, Illustrissimoque restitui; nec non liberalem mercedem pro opera reportavi.

Ex qua observatione elucere facilè posse judico: Primum duplices etiam, ac utriusque lateris pleuritidas periculosissimas quidem accidere nonnunquam posse. Deinde quanta præcipuè vis sit in hoc affectu legitimæ & tempestivæ, & largæ quidem, sed pro viribus, phlebotomiæ, nec adeo validam esse eorum sententiam, qui in sinistro quoque dolore dextræ tantùm venæ sectionem probant. Ad extremum, quanto in pretio duo illa medicamenta, lapis Peruanus, & confectio de cocco baphico habenda sint. Ei laudes sempiternæ, qui consilia nostra in hoc ægroto divina sua inspiratione diri-

Obs. 26. & 27. *ne dirigere dignatus est, eademque ille nos gratiâ porrò prosequatur. Vale Vir clarissime, meque, quod facis, ama, & Theodorum puerum meum ex spontaneo promisso commendatum habe. Soloduri extremo Martii Anno 1615.*

Tuæ præstantiæ studiosissimus

Sebastianus Meyer, Med. Solodurensis.

OBSERVATIO XXVI.

Venus in acutis morbis nocentissima.

Vide librum de gangrana & sphacelo cap. 27.

VEnerem in affectibus nervosarum partium, capitisq; vulneribus nocentissimam esse, alibi annotavimus: eandem in morbis acutis non minus periculosam esse, nunc exemplo demonstrare visum est.

Anno 1612. cum Hildenam profectus fuissem, & Coloniæ Agrippinæ apud amicos per dies aliquot moram traherem, ad civem quendam, virum robustum, & triginta circiter annorum ætatis pleuritide laborantem, in ipsis diebus canicularibus vocatus fui. Victus rationem tenuissimam institui, & exhibito enemate, venam in cubito pertudi. Loco dolenti fomenta, & inunctiones dolorem lenientia applicui: per os expectorantia dedi, nec quicquam eorum, quæ morbus postulabat, omisi. Circa quartum dolor lateris cessavit, liberèque & absque molestia exspuebat, & quidem materiam satis digestam. Septimo sudor copiosè promanavit. Ab eo tempore symptomata cessarunt, ita ut ipsum jam penitus evasisse, cuncti mecum sperarent, sed decepit hercle nos omnes opinio. Decima enim die morbi, cum iterum febre, maximisq; rigoribus correptus fuisset, decima tertia vivere desiit.

Pleuritidis curatio.

Actum autem Venereum caussam mortis hujus viri, profectò optimi & pii fuisse, planè mihi persuasum habeo. Conjugem enim juvenem, formosam (honestam ac probam tamen) & ut videbatur, Veneri satis deditam habebat. Illam porrò bonum istum virum, à morbo maximè prostratum, ad Venerem incitasse arbitror. Decima enim die morbi cum summo manè insciis omnibus cubiculum ingressus fuissem, uxorem cum ipso in lecto reperi; quo die, uti dixi, iterum in morbum incidit.

OBSERVATIO XXVII.

Lac deperditum quomodo restitutum.

ANno 1581. Nolgen auff dem Bande/Hildensi matronæ illo tempore juvenculæ adhuc, in primo puerperio, cum propter res adversas in summam tristitiam & mœrorem incidisset, mammæ ita exaruerunt, ut ne guttulam quidem exsugere posset infans. Illam sequentibus remediis restitui. Primò, ut se exhilararet, admonui. Deinde corpus pulvere senæ Brassavolæ leniter expurgavi. Postea singulis diebus in aurora ad ℈ij. pulveris lumbricorum terrestrium, præparatorum cum decocto augalacti, liquiritiæ, & summitatum fœniculi recentium propinavi, & mammas oleo lumbricorum bis in die inungere jussi. His per dies aliquot adhibitis remediis, & optima observata victus ratione, lac copiosè ad mammas iterum profluxit: nec unquam in a[...] [...]periis hac de re conquesta est, uti illa ipsamet, [c]um anno 1612. paternos lares inviserem, mihi [retu]lit. Ab eo tempore Coloniæ & alibi eadem methodo multas alias matronas feliciter curavi.

Lactis defectus curatio.

OBSERVATIO XXVIII.

De variolis, & abscessu interno rupto, vomituq; rejecto.

ANno 1598. filia Dn. Petri des Champs, civis Viviacensis, ætatis annorum duorum cum dimidio, subitò in morbum abditum & incognitum incidit; & uno eodemque momento visum, simul auditum, loquelam & intellectum deperdidit, ita ut neque cibum, neque potum appeteret, sed noctes diesque ex una in alteram partem lecti cum maximo impetu se convolveret atque prosterneret, & quidem quindecim dierum spacio. Postea iterum uno eodemq; momento ita restituta, ut visum, auditum, loquelam & intellectum simul & semel recuperaret, cibum appeteret & assumeret, viresque paulatim recolligeret. Ex morbo isto violento ac subitaneo vix curata, mense Julio Variolis corripitur: tum ego unà cum D. Jacobo Probo, apud Viviacenses pharmacopola experientissimo vocatus, illam adeò graviter laborantem invenimus, ut de recuperanda valetudine ipsimet desperaremus: totum enim corpus pustulis ita scatebat, ut una alteri adhæreret, & vix respirare, multò minus cibum & potum deglutire posset. Aderat febris continua, cum maxima virium prostratione atque imbecillitate. Adhibitis tamen omnibus, quæ necessaria videbantur, paulatim meliusculè sese habere cœpit. Sed ecce novus in castra nobis incidit hostis, vomitione nimirum corripitur, ita quidem, ut quotiescunque cibum aut potum assumeret, protinus vomitu rejicere necesse habuerit, nec solum ea, quæ assumebat, purè, sed purulenta materia permixta, nonnunquam quoque solum pus evomebat. Vidi enim aliquoties oculis meis puris albi & benè cocti ad semilibram, una vice vomitu ab ipsa rejecti, idq; ut plurimum ter quaterque una die: atque in hoc vitæ statu ultra menses sex languida, & adeò extenuata vixit, ut tandem ossa vix cute obtegerentur, atque difficulter respirare posset. In victus tamen ratione & applicatione Topicorum nihil prætermissum fuit. Tandem vomitus paulatim cessavit, viresque ita recuperavit, ut in pristinam optimam valetudinem redierit, & ad hunc usque annum 1609. quo hæc scripsi, bellè se habeat.

Variol[æ]

Vomitu[s] puris.

OBSERVATIO XXIX.

De morbo quodam abstruso.

Viro Nobili Dn. PAULO LENTULO *Reipublicæ Bernensis Poliatro dignissimo,* GVILHELMVS FABRICIVS HILD.

S. P. D.

ANte dies quindecim, Vir clarissime, fautor & amice plurimùm honorande, feliciter per Dei misericordiam ex Belgio ad meos reversus sum.

sus sum. Quod te in transitu Bernæ non offenderim, doleo: cupiebam enim de duobus casibus, qui mihi in patria observare contigerunt, & ad materiam de inediis, quam præ manibus habes, quadrant, tecum conferre. Primus autem est de puella quadam Coloniensi, mihi sanguine juncta, quæ morbo quodam abstruso, & non usque adeò vulgari laboravit, quem ordine, & prout ipsum ab ipsius ægræ & parentum relatione habeo, partim quoque ipsemet vidi, tecum nunc communicare statui. Illa autem cum An. 1610. (qui fuit decimus quintus annus ætatis) mense Octobri quadam die, nescio quonam appetitu præternaturali correpta esset, & cibus è vestigio ipsi oblatus non fuisset, protinus rigoribus maximis correpta fuit. In istis rigoribus non solùm fames illa præternaturalis evanuit, verumetiam appetitus naturalis prostratus fuit, ita quidem, ut etiamsi variis medicamentis, etiam à viris doctis præscriptis uteretur, á mense tamen Octobri 1610. usque ad mensem Februarium 1612. neque panem vulgarem, neque carnem aut vinum gustare potuit: panem inquam vulgarem, ad menses enim aliquot solo pane mellito, & parcè quidem sumpto, omnibus aliis rejectis cibis, quantumvis optimis, vescebatur, cerevisiamq; ut vocant vulgarem, & minimè generosam bibit. Tandem quoque prædictum panem mellitum odio habere cœpit, ac nihil præter poma, pyra, nucesque comedere, & lac vaccinnum bibere potuit. Atque in hoc statu vitæ, dum ego Coloniam venirem, ipsam inveni, & per menses aliquot vidi. Totum autem tempus morbi, nimirum à mense Octobri 1610. usque ad mensem Februarium 1612. de maximis doloribus stomachi, imò totius ventris conquerebatur, & ita quidem vehementibus, ut vix linteamina & culcitra sufferre posset: nisi tamen abdomen manu tractaretur, aut culcitris nimis oneraretur, dolorem non usque adeò magnum sensit. Porrò etiamsi cibis istis ægris ineptis, ut dixi, uteretur, qui verò boni sunt succi, respueret omnes, noctu tamen satis commodè dormiebat, febris nulla aderat, neque usque adeò extenuata erat copore: è grabato tamen ab initio morbi surrexerat nunquam. Ego cum superiori anno 1611. mense octobri Coloniam pervenissem, & in consilium vocatus fuissem, inunctiones nonnullas pro ventre, ex oleo anethino, chamomelino, unguento deoppilativo Foësii, & oleo lumbricorum (obstructiones enim viscerum aperit, & menses ducit) & similibus præscripsi, partesque nobiles internis medicamentis, quantum fieri potuit, roborare studui; Interim etsi prava ista victus ratione uteretur, natura tamen adminiculis istis ita alleviata atque refocillata fuit, ut 22. Februarii hujus anni 1612. menses, quibus antea nunquam laboraverat, eruperint. Prima vice, quamvis parcè profluerent, maximum tamen commodum inde recepit. Ab eo enim tempore dolores ventris cessarunt. & appetitus paulatim rediit. Quapropter medicamenta nonnulla, ad menses ducendos apta, præscripsi, & cùm deinceps copiosiores profluxissent, intra paucos menses, & antequam ego Coloniâ discederem, maxima cum admiratione omnium, qui antea ipsam viderant, plenissimè restituta fuit.

Obs. 30. & 31. *Exempla inediæ diuturnæ.*

Alter casus est de inedia puellæ Morsiacensis, quam ego superiori æstate 23. die Iulii invisi. Illa jam ultra annos quindecim absque cibo & potu vivit. Casum quia rarus, pluri maq; annotatione digna in ipso occurrunt, posthac per otium quoque ad te scribam, nunc enim non licet. Vale itaque Vir clarissime, & feliciter vive diu cum tuis omnibus. Raptim Lausannæ 22. Decemb. Anno 1612.

OBSERVATIO XXX.

De gravida quadam, quæ spatio sex hebdomadum ab omni ferè cibo ac potu abhorruit, usu tamen clysterum cum fœtu conservata fuit.

Nobilis quædam ac pia matrona, propè Lausannam urbem equestrium habitans, corpore non usque adeò robusta, cum utero gestaret, febre corripitur, ex qua ope atque industria clarissimi ac longè doctissimi Medici atque Philosophi, Dn. D. Claudii Auberii, Triumcuriani in Academia Lausannensi Philosophiæ Professoris celeberrimi, amici mei familiarissimi, cum restituta esset, ab omni cibo ac potu ita abhorruit, ut spatio sex hebdomadum nihil ferè per os assumere posset. Quapropter Dn. Auberius jussit, ut singulis diebus bis jusculum carnis castratorum caponum, gallinarum, & similium, in quibus vitella ovorum dissoluta erant, per alvum injicerentur, quorum beneficio ita fuit nutrita, ut fœtum ad constitutum tempus usque gestarit, feliciterque pepererit, qui & salvus supervixit. Absurdum itaq; est, quod multi ab hoc remedio tantoperè abhorrent, ac plerumque potius mori cupiunt, quàm clysteres admittere. Hæc ex relatione ipsius matronæ, simul & mariti scribo: Fœtum autem, quod notandum, ad constitutum tempus usque gestavit, feliciterque peperit puellam; cui ego cum decimum circiter annum attigisset, & catarrho ad oculos post variolas affecta fuisset, in Arce Montrichar prope Lausannam, Setaceum applicui. Convaluit, tandemq; per annos aliquot in matrimonio vixit, & proles produxit.

Ægra clysteribus nutritur.

OBSERVATIO XXXI.

De Prodigiosa fame.

Ad eundem virum nobilem Dn. D. PAULUM LENTULUM, *&c.*

Cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus

S.P.D.

Historiam tuam de puella Cornuta, quam promisisti vir clarissime, avidè à te expecto, & valdè à te contendo, ut illam maturè publici juris facere, nec diutiùs intra privatos parietes retinere velis. Est enim profectò non tantùm rara, verùm etiam admiranda, & ita quidem, ut an unquam similis casus visus fuerit, valdè ambigã. Cæterùm quia in præcedentibus meis ad te literis de prodigiosa inedia & fastidio cibi scripsi, placet

De puella Cornuta.

Obs. 31. placet nunc de contrario quodam affectu, fame scilicet prodigiosa & veluti insatiabili, tecum communicare.

De prodigiosa fame historia prima Anno 1594. cum Colonia Reinbachium, ad nobilissimum ac strenuum virum Dn. de Brept, Reverendissimi Episcopi Coloniensis Consiliarium prudentissimum, & Satrapam in Rheinbach vigilantissimum, morbo gravissimo laborantem, vocatus essem, & per mensem ferè integrum apud ipsum moram traherem, Presbyterum ejus oppidi, hominem quadraginta circiter annorum ætatis, robustissimum, & optimo corporis habitu præditum familiariter cognovi. Is bona fide mihi retulit, se septem annorum spacio fame prodigiosa, & veluti insatiabili, tam vehementer laborasse, ut sæpissimè in agris (non habens penes se cibum) humi se projicere, gramina & herbas abscindere, ac crudè devorare coactus esset. Usus autem fuerat medicamentis quàm plurimis, sed absque fructu. Tandem verò anno septimo morbi, nescio qua evacuatione criticâ factâ, à morbo isto liberatus fuit. Postea se morbis rarissimè obnoxium fuisse, mihi affirmavit.

Historia altera. Nobilem virum Dn. JACOBUM WALLIER, ante duos annos propter vulnus gravissimum Burge Segusianorum decumbentem, eodem affectu laborasse memini. Cùm enim per quatuor integros menses decubuisset, ac interim multis gravissimisque symptomatibus (quemadmodũ in historica narratione hujus affectus, quam præ manibus habeo) confectus fuisset, tandem quoque prodigiosa fame correptus fuit. Appetitus enim adeò erat vehemens, ut difficulter saturari posset æger, etiamsi enim singulis 24. horis cibũ ad minimum quinquies, & quidem satis lautè assumeret, vix tamen mensa mensam expectare potuit. Potum contrà non usque adeò appetebat. Cibum retinebat, neque illum indigestum per alvum rejiciebat, nec vomitus ullus aderat. Posteaquam morbo hoc gravissimo per mensem integrum laborasset, & summa cum difficultate magnisque laboribus & diligentia Dn. D. Jani de Burgo, Medici celeberrimi, vix curatus esset, iterum in tertianam incidit. Febris hæc cum vomitu vehementi ipsum invasit: superveniebant & deliria, vigiliæ, inquietudinesque maximæ. Febris hæc duorum mensium spatio ægrum mirum in modum excruciavit: interim tamen appetitum illum immoderatum & prodigiosum ita delevit abstulitque, ut deinceps & quidem in hunc usque diem ne minimum quidem istius vestigium senserit. Hæc in eum finem ad te scribo, vir clarissime, ut prædictam historiam de cornuta puella ex te extorquere possim, cupio enim, ut par pari referas. Vale & ignosce festinanti calamo. Raptim Lausannæ.

OBSERVATIO XXXII.

De vomitu admirando, & ferè quotidiano, cũ aliis gravissimis symptomatibus, qui ultra annos triginta duravit.

Viro clarissimo atque doctissimo Dn. D. PHILIBERTO, *Magni atque Excellentissimi Viri* Dn. D. IANI ANTONII SARAZENI *filio,*

Guil. Fabricius Hildanus. S. P. D.

IAm diu nihil literarum ad te dedi, clariss. atq; doctissime mi Dn. Sarazene, nec me ad te scripturum prius statueram, quàm acceperim librum meum de Gangræna & Sphacelo (qui Oppenheimii exuditur) quo exemplar simul ad te mitterem. Sperabam enim per mercatores nostros, Argentinâ ex nundinis redeuntes, exemplaria me accepturum, sed frustrà, quandoquidem propter delineationem instrumentorum (quorum nonnulla in æs inciduntur, & proinde tempus requirunt) ante mercatum proximum Francofurtensem ea non expecto, Tractatus meus Gallicus de Dysenteria, auctus iterum excusus est, cujus exemplaria Oppenheimio indies expecto, quibus acceptis, mittam quoque exemplar, si forsan amico alicui id offerre volueris, tu enim latinam editionem longè locupletiorem habes. Hactenus circa libellum meum Germanicum de miseria vitæ humanæ, ante annos viginti in Germania excusum, suasu quorundam virorum piorum occupatus fui, eumque revidi, auxi, hyeme sequenti, Deo volente, excudetur. Nunc quantum per occupationes licet, in quarta Centuria observationum mearum progredior, eamque si Deus vitam concesserit, & cæptis faverit, sequenti hyeme ad prælum adornabo. Hisce diebus ex Vallesia (ubi suasu, aut potius jussu quorundam ex magnatibus nostris, thermas Leucenses invisi) rediens, cum adversaria quartæ Centuriæ revolverem, incidi in observationem longè rarissimã, de vomitu videlicet admirando, & quotidiano ferè, qui nunc ultra annos triginta, cum aliis quibusdam gravissimis symptomatibus durat. Quam observationem quin tibi, circa res raras in praxi medica studiosissimo communicarem, intermittere non potui: Tu vicissim si hujus argumenti vel alterius rarum quid habueris, ut id in commune bonum communicare non graveris, obnixè rogo.

Obs[...] tio [...] miti [...] mir[...] Reverenda ac nobilis quædam Canonissa, Elisabeth Humbischen *von Waltramp* nomine, etiamsi ab ineunte ætate, ea qua fieri potuit diligentia ac cura, Masonopoli in illustri Cænobio educata fuisset, continuò tamen ferè obstructionibus, ac inde provenientibus morbis, inprimis cachexia, icteritia, febribusq; obnoxia fuit. Cibum quoque utplurimùm cum aviditate quadã præternaturali appetebat. Interim tamen crescebat, corpore quin etiam valida, & mente hilaris fuit. Decimo tertio anno ætatis, perseverante appetitu illo præternaturali, vomitus supervenit, ita ut singulis diebus semel evomeret, & ut plurimùm pituitam viscidam, nonnunquam quoq; biliosam. Continuavit vomitus ille quotidianus usque ad annum vigesimum octavum ætatis, nec usque adeò molestus ei fuit: quo anno cum variolis gravissimè laborasset, symptomata omnia mirum in modum accreverunt; inprimis verò caput, quod variolis maximè laboraverat, post illud tempus defluxionibus multò magis obnoxi-

um,

um, quàm antea fuit, pituitamq; copiosius ad ventriculum demandavit. Trigesimo anno ætatis dolore colico, eoque vehementissimo correpta fuit, quo in quartum annum mirum in modum excruciabatur. Tandem quum sequuta esset paralysis crurum & brachiorum, multaq; ex consilio Medicorum doctissimorum adhibuisset medicamenta, & thermas plumbinas & ferinas invisisset, aliquomodo restituta fuit, ita ut brachia & crura iterum moveret. In illud tamen usque tempus, quo ipsam vidi, annum quadragesimum quartum agentem, nisi humeris ancillæ innixa, incedere non potuit, scribere quidem, & nere, sed non sine difficultate, præcipuè autem duobus ab hinc annis, à quibus morbus ingravescit, & vires labefactantur. Durante colico dolore, vomitus quoque continuavit. Menses quinetiam semper, & ordinatim fluxere, sed parcè. Sedato dolore colico, duo alia supervenere symptomata satis molesta, primum est veluti suffocatio ab utero, qua ut plurimum singulis mensibus corripitur, idq; tertio, aut quarto die post fluxum mēstruorum. Alterum sudor est universalis & maximus, qui singulis ferè diebus erumpit, ut postea fusiùs dicam. Suffocatio uteri cum ipsam invadit, sine sensu ac motu veluti in sopore quodam profundo per dies aliquot jacet, mox exhorrescit, & ex una in alteram partem se projicit: Interim pituita tam copiosè ad ventriculum descendit, ut suffocationis metus adsit, spiritumq; nonnisi difficulter trahere possit: Tandem veluti ex sopore lōgè profundissimo expergefacta, summa virium prostratio & labefactatio adest.

Cæterùm vomitus ille quotidianus in annum 1616. usque (quo tempore ipsam Masonopoli invisi) qui quadragesimus quartus fuit ætatis, & trigesimus primus morbi, apud ipsam persistit, & quidem indies ingravescit. Evomit autem primò materiam pituitosam, ac supra modum viscidam, lentam & ad instar collæ tenacem. In secunda verò evomitione nunc materiam planè biliosam & amaram, nunc quoque acidam adeoque acrem, ut linguam labiaque ad cruorem usque erodat, ejicit. Tunc quoque dolor & erosio ventriculi, inflatio hypochondriorum, præcipuè circa sinistrum adest.

Non potest autem (quod maximè notandum) evomere, nisi copiosè sumpto jusculo calido, aut carnis, aut ex farina avenacea, vel vitellis ovorum cum pauco vini, aut semine cumini. primum, quod sumit jusculum, pane satis spissum est, & semimensuram excedit. Cum hoc jusculo pituitam illam viscidam & ferè insipidam, quæ pani non satis in ore masticato adhæret, evomit. Post semihoram, vel horam integram iterum superveniente nausea, denuò sumpto brodio, non tamen adeò spisso, uti erat primum, evomit materiam biliosam, acidam & acrem. Nonnunquam per horas sex vel octo ita, uti dixi, excruciatur: præcipuè, si, ut aliquando fit, per diem unum aut alterum vomitus inducias dederit. Et quotiescunque vomuerit, denuò cogitur accipere jusculum; ita quidem, ut nonnunquam ad mensuras usque duas, hoc est, ultra libras sex brodii assumat. Aliquando ex consilio Medicorum medicamenta vomitum moventia ex vegetabilibus, vel etiam mineralibus præparata sumpsit, sed cum detrimento; natura enim magis juscula appetit: ex quibus procul dubio semper aliquid nutrimenti sibi retinet. Septies aut octies quoque in anno sanguinem adustum evomit, forsan quia mēses non satis copiosè profluunt. Hanc evomitionem sequitur dolor ingens & maximus ventriculi.

Ante vomitum autem pituitam copiosè ex capite ad ventriculum delabentem percipit, mox difficultas respirandi adeò magna subsequitur, ut vix loqui possit. Eadem tamen die aut subsequenti nocte, ingenti superveniente sudore totius corporis, respiratio fit liberior, paulatimque in integrum restituitur. Post sudorem, vel etiam in ipso sudore nausea supervenit, & sumpto ad semimensuram jusculo, vomitus, ut superiùs dixi, subsequitur.

Hæc omnia, quæ recensui, cum anno 1616. mense Ianuario Masonopolin ad reverendam Canonissam Dn. Barbaram Blaurerin, à *Wartensee*, vocatus essem, unà cum clarissimo atque doctissimo Viro Dn. D. Claudio Deodato, reverendissimi & illustrissimi Episcopi Basileensis Medico, & per mensem ferè integrum apud ipsam commorarer, partim ex ore ipsius ægræ excepi, partim quoque his meis vidi oculis. Nonne mirum est, clarissime atque amantissime mi Dom. Sarazene, corpusculum hocce alioquin delicatulum, tantis doloribus gravissimisq; symptomatibus tamdiu resistere posse? etiamsi enim à tot annis, uti dixi, tam sudore isto copioso, quàm vomitu vehementissimo quotidie ferè excrucietur, corpore tamen non usque adeò extenuata, & quod admiratione non vacat, mente satis hilaris est, fertque patienter, constanter & Christianè, quæ sibi à Deo Optimo Maximo adveniunt adversa & tristia.

Atque hæc est hujus admirandi ac rarissimi casus narratio, cujus similem ego quidem nunquam observavi: legimus tamen apud Marcellum Donatum lib. 4. cap. 3. exempla aliquot. Iohannes Schenkius observationum medicinalium lib. 3. ex relatione clarissimi ac æterna laude dignissimi Viri Dn. D. Iacobi Zwingeri p.m. scribit his verbis: Religiosæ virgini, cum essem Patavii, Hercules Saxonia navavit operam, quæ jam annis triginta vel quadraginta assidua vomendi violentia exagitata, nunquam deglutit tantillum panis, aliusve cibi, quin mox idem, prout assumpsit, rejiciat, nullo corporis aut faciei damno, ut mirum sit, unde, cum nihil retineat, sibi victum paret. Hæc ex itinere adhuc defatigatus, ad te data occasione, clarissime atque amantissime mi Dn. Sarazene, festinanti calamo scribo, cui ut ignoscere velis, multum rogo. Addidissem consilium, quod reverendæ Canonissæ reliqui, sed propter temporis angustiam id fieri non potuit, fiat id aliàs, si Deus Opt. Max. vitam concesserit. Vale, & cum tuis omnibus, quos mecum salutat uxor mea, felicissimè vive diu.

Raptim Bernæ 9. Augusti 1617.

Obs. 32.

Observatio de vomitu admirando.

Obs. 32. *Consilium pro prædicta Domina Canonissa Germanicè ad ipsam perscriptum.*

GRavem omninò & per difficile, Domina reverenda Nobilissimaq; , affectũ illum tuum existere, extra controversiam est: quippe quum natura annis jam plus quàm triginta pressa ita, modò non oppressa fuerit, quis dubitabit, tam altas interim morbum radices egisse, quæ vix evelli rursus & averruncari ulla arte poterunt. Et profectò, si secundùm artis nostræ Medicæ certissima pronunciandum fundamenta, pristinam & perfectam sanitatem R. Dn. nec polliceri, nec præstare quisquam poterit. Propterea tamen totum opus naturæ etiam non committendum: hac enim ratione morbi vehementia victa citius succumbet: sed potius, quantum fieri poterit, illa juvanda, & symptomatum vehementiorum insultus cohibendus aut mitigandus est.

Vomitus non impediendus. Quia verò naturæ longo jam tempore ita vomitus consuetus, ut in habitum ille quasi abierit, nec poterit facilè, nec etiam debet motus hic in posterum impediri. Quod si enim hac in parte quicquam tentaretur, ac vitiosi illi humores, quos tanquam onus grave, excutere vomitu natura hactenus quotidie solita, retinerentur: certè periculum extremum in procinctu futurum nemo non videt. Ergo tutius omninò erit, & consultum magis, ut naturæ in hoc conatu suppetias feramus, & membra principalia, visceraque interiora ita roboremus, quò vires, quarum hic inprimis habenda ratio, conserventur. Id autem assequi poterimus primò quidem & præcipua victus ratione adhibita conveniente: deinde etiam medicamentis idoneis intra & extra sumptis.

Cibis mali succi & acribus R. D. non utatur: sed iis, qui & concoctu faciles, & parva etiam quantitate sumpti benè multumq; nutriant: ita enim natura excrementitiis humoribus minus gravata, morbo sese fortiùs, & majore cum successu opponere poterit. Quales autem cibi hi sint, operæ precium duco non pluribus commemorare, cum R. Da. longa jam experientia edocta, proculdubio cognitum satis & perspectum habeat, qui hac in parte sibi magis conveniant.

Vomitus quomodo provocandus. Ad vomitum provocandum cum natura (propter humores illos, quos acres & acidos R. D. deprehendit, quique è liene in ventriculum absque dubio effunduntur) jusculo potiùs gaudeat, quàm vomitorio alio, etiam convenientissimo, dubium non est, quin natura ex jusculis illis, licet diu non retineantur, aliquid succi boni extrahat, seque eo quodammodò refocillet. Quapropter R. D. quò huic etiam naturæ appetitui satis fiat, juscula semper eligat & assumat meliora, utpote carnium, quæ si in promptu non habentur, ignobilioribus tamen aliis addere poterit ovi vitellum, cum pauco vino: ita enim viribus nõ tantum & robori naturæ prospicitur: verùm juscula etiam illa propter jucundam, quam ex vino adepta, aciditatem & acredinem, viscidam & tenacem in ventriculo hærentem pituitam melius incidere, abstergere, & ad excretionem præparare poterunt. In eundem finem R. D. ex sequenti tragea jusculis quoq; cochlear unum immiscere poterit.

R. Cinamomi ℨij,
Croci
Macis ana ℈ij
Sacchari ℥iiii. Misce.

Quia etiam omnia pinguia, unctuosa, & oleaginea, laxando & lubricum faciendo superius ventriculi orificium, vomitum valdè promovent, ideò juscula pinguia propinentur, quæ si per se talia non sint, addatur cochlear unum olei amygdalarum dulcium, quod hoc loco maximè convenit, non tam ad promovendam, uti dictum, vomitionem, quàm ad temperandam humorum in ventriculo acredinem, sicut & ad morsus illos ac rosiones, tam in orificio ventriculi, quàm in palatu post vomitum, mitigandas & inhibendas R. D. eodem utatur oleo, vel lacte amygdalino ritè præparato. Extra verò paroxysmũ à pinguioribus in cibo diligentissimè sibi caveat.

Vomitu, quia natura viresque vehementissimo hoc conatu mirum in modum debilitantur, necessarium omninò erit, ut his illicò succurratur: quod sub initio haud incommodè fieri poterit jusculo carnis bubulæ, aut caponis, vel utatur pulte alba Weinwarm dicta, ex vino, ovis, saccharo, & butyro parata: vel sumat aliquid ex supra posita tragea: aut cum ovo sorbili vini haustum superbibat. Quæ si minus arrident, degustare poterit aquæ cinnamomi, sine vino destillatæ, cochlear unum atque alterum, addendo parum confectionis alkermes, quæ cordi mirum in modum auxiliatur, ventriculum, reliquaque viscera interiora roborat, & vires confortat. Sequentes item tabellæ summoperè conveniunt.

Tabe[llæ] R. Specierum aromatici rosati
Diarrhod. abbat.
Diatrion santal. ana ℨj
Pul. Cinnamomi electi ℨj
Confectionis alkermes ℨj ß
Sacchari dissoluti in aqua cinamomi ℥iiij.
Misce, fiantque s. a. tabellæ.

Ex quibus singulis diebus mane & vesperi, post cibum quoque sumptum unam comedat.

Flatus quomo[do] discuti[en]di. Ad flatus, qui post vomitum è ventriculo ascendentes molestiam haud levem pariunt, deprimendos, non solùm proderunt omnia, quæ ventriculo & viribus roborandis dicata fuere, utpote cinnamomi aqua, confectio alkermes, & tabellæ, sed præter ea anisi conditi usus R. D. debet esse frequentissimus, quo non solùm post cibum sumptum utatur, sed aliàs etiam per diem sæpius: quin imò si nimis adscendunt, & urgent flatus, parùm aquæ anisi cum saccharo, vel olei anisi destillati guttæ tres, cum vino albo calidè sumendæ.

Hisce & similibus medicamentis internis pro ventriculi confortatione debito modo adhibitis, ad topica etiam deveniendum: Unguentũ itaque, quod cor & ventriculum maximè respicit, tale fiat.

Unguen[tum] cor & ventric[u]lum rob[o]rans. R. Olei menthæ & scorpionum ana ℥iiij
Nuc. muschat. ℨvj
Caryophyll. ℈ij
Croci orientalis subtilissimè pulverisati cornu

Cornu cervi usti & præparati
Margaritarum præparat.
Confectionis alkermes ana ℥j.

Misceantur diligenter in mortario, fiatque linimentum, quod reservetur in vase vitreo.

Linimento hoc, cordis & ventriculi regio sæpiùs inungatur.

Præter ventriculum, hepatis & lienis quoque diligentissima habenda est ratio, siquidem hepar, quod justo calidius, morbo augmentum addit: Lien autem præcipua mali hujus caussa existit, id quod præter illa ex acidis istis & acerrimis humoribus, qui vomitu rejiciuntur, haud obscurè liquet. Hepatis ergo caliditas, ut temperetur, omnia calida, & multùm aromatizata in cibo vitanda. Vinum si generosius, aquâ diluendum, quod tamen simplici, & cruda, propter ventriculi imbecillitatem non faciendum: sed in hunc usum ejusmodi decoctū fieri potest.

R. Veronicæ
Agrimoniæ ana M. j,

Coquantur igne forti in aqua ℔iix. usque ad consumptionem quartæ partis. Dum fervet adhuc, infunde in aliud vas, addendo cinnamomi minutim incisi ʒiiij sacch. ℥j ß. Vase benè obturato refrigescat. Hoc decoctum & hepati erit utilissimum, & non injucundum.

Per intervalla quoq; corpus leviter expurgandum cum rhabarbaro, vel syrupo rosarum, aut syrupo cichorei cum rhabarbaro præparato, qui hic inprimis convenit: Sed rhabarbarum priùs in aqua cichorei infundatur & maceretur: Cinnamomi etiam aliquid & anisi addatur. In purgationibus ejusmodi lien semper respiciendus, & rhabarbaro propterea conjungenda sena, polypodium, fumaria, cuscuta, lingua cervina, & similia. Herbæ autem dictæ optimè coquantur, priusquam rhabarbarum addatur: hac enim ratione sena non tantos excitabit flatus, qui etiam cinnamomi & anisi additione præcaveri poterunt.

Propter lienem etiam lignum tamarisci interdum in vino per noctem infundatur; aut in aqua coquatur, ex qua horis matutinis sumatur haustus: Latus sinistrum inungatur oleo de capparibus. Ad proximum mensem Majum, cum rosæ recentes in copia haberi possunt, suaderem, ut R. D. virtutes earum experiatur sequenti modo. Purgato priùs corpore rhabarbaro & sena, collectisque à purgatione per aliquot dies rursum virib᷒, singulis diebus horis matutinis bibat infusionis rosarum ℥iij, abstinendo per horas tres ab omni alio cibo potuve. Quod si laxior ex hujus usu fiat alvus, uti accidere quandoquidem observavi, per diem unum poterit quiescere, & bibere diebus alternis. Infusio autem, quam dixi, rosarum tali modo præparabitur.

R. fol. rosarum purpurearum ℥iiij. In olla nova vitreata infundantur in aquæ ferventis ℔iij Vase benè clauso maneant per horas 24. postea iterum calefiant, & forti expressione colentur. Colatura servetur ad usum, uti dictum. Si loco aquæ vulgaris sumatur destillata ex cichorei, agrimoniæ, veronicæ æqualibus partibus, infusio erit præstantior, ex cujus usu plus emolumenti R. D. expectare poterit. Nobiliorem adhuc habebit, si in colaturam primam rosæ recentes iterum infundantur.

Obs. 32.

Affectus ille, qui R. D. singulis mensibus post purgationes menstruas affligit, quo veluti syncope correpta per horas aliquot omni sensu privatur, maximam partem ex vaporibus oritur malignis, ex utero ascendentibus: quem quidem affectum, si lien non movet, certè promovet, id quod haud obscurè colligitur ex palpitatione in hypochondrio sinistro, quæ semper præcedere solet. Huic malo ut succurratur, ab initio statim, dum irruit, fortissima fiat ligatura tibiarum sub genu, ut vapores cerebrum impetentes hac ratione revellantur, injiciendus etiam clyster, cui præter alia melissa, artemisia, matricaria & angelica incoxerint. Quod si R. D. ab usu clysterum abhorreat, suppositorium saltem acrius immittatur. Naribus suffumigationes è plumis perdicū, inferioribus verò partibus storax, benzoin, & similia admoveantur. In hac matricis præfocatione ad duo inprimis diligenter attendendum, caussam scilicet & symptomata. Caussa alia non est, nisi humores corrupti, & vapores inde maligni, efflorescentes in utero, quo faciunt etiam, uti dictum, tetri vapores è liene ascendentes. Hanc caussam R. D. quia tempus accessionis semper ferè præsentire potest, convenienti purgatione prius evacuare studeat, ubi medicamenta supra posita optimè conveniunt, ut rhabarbarum, folia senæ, benedicta item laxativa, confectio hamech & similia.

Ad præfocationem uteri.

In ipso autem paroxysmo symptomatum, vehementia, quantum quidem fieri potest, inhibenda, & præter ligaturas extremorum, & suffumigationes, cor inprimis roborandum. Exhibeantur itaque aqua cinnamomi, melissæ, buglossæ, borraginis, & rosarum, lapis Bezoar, margaritæ præparatæ, cornu cervi ustum & præparatum, theriaca, &c. cum syrupo citronum. Potest etiam ex aquis modò dictis, aut omnibus, aut aliquibus mistis fieri epithema, & regioni cordis applicari, præstantius erit, si croci, cinnamomi, aceti rosacei, & vini malvatici parum addatur.

Venæsectionem quod attinet, licet illa R. D. multis jam annis fuerit usitata, ætate tamen jam ingravescente, viribusque declinantibus non nisi circumspectè, & summa cum cautione administranda. Hujus autem loco venæ hæmorrhoidales semel atque iterum per annum aperiantur: inprimis quia purgationes menstruæ jam deficere etiam incipiunt: Dubium enim non est, quin apertio harum venarum insigne commodum atque levamen allatura sit: lienosis siquidem affectibus singulariter succurrit, sanguinem crassum & melancholicum evacuat, ita ut vel hac etiam ratione vomitus ille sanguinis, quo R. D. septies vel octies per annum molestatur, prohiberi posse videatur.

Alvus semper sit laxior, quæ si quando non respondet, Clysteribus provocetur: quibus semper flores chamomillæ, & sambuci, semina fœniculi & anisi (propter flatus) melissa, matricaria, artemisia (propter uterum) incoquantur.

Atque hæc sunt, quæ in gravissimo hoc af-

Obs. 32. fectu R.D. proponere volui, certa spe fretus, eam ex recto horum omnium usu, si non pristinam & integram sanitatem, maximum tamen levamen habituram. Deum ter Opt. M. precor, ut omnibus hisce clementer benedicat, suaque gratia R. D. adsit, quo animo placido & patienti tantos gravissimi morbi insultus feliciter tandem superare possit. Mazonopoli 6. d. Ianuarii Anno 1616.

Clarissimo Viro Dn. D. GUILHELMO FABRICIO HILDANO, *inclytæ Reipubl. Bernensium Medico-Chirurgo celeberrimo,*
PHILIBERTUS SARAZENUS
S. P. D.

ANgor sanè intimis sensibus, Vir clarissime & amice observande, me tamdiu nihil ad te literarum dedisse, nec ad tuas officii & industriæ plenas respondere potuisse. Si ullius negligentiæ mihi essem conscius, vix ullam, qua me redimerem ab hac culpa, iniri rationem à me posse existimarem. Præclara enim animi erga me tui inductio, prolixioribus officiis testata, tum etiam eximia in publicum merita, & istud indefessum augendæ & locupletandæ rei medicæ accuratissimis observationibus tuis studium, bonos omnes ac me potissimum, cui earum nonnullas videre voluisti, ita devincit, ut graviter delinquere mihi viderer, non modò si eruditissimis literis à te lacessitus in officio cessarem, verùm etiam nisi te ultrò provocarem, laudabilesque tuos conatus bono publico dicatos, secundo quasi applausu & acclamatione erigerem ac incitarem. Liceat enim mihi id sine suspicione captatæ gratiæ testari, in tam cæcis & fallentibus ægræ mortalitatis casibus, qui exercitatissimis quoque in arte nostra negotium facessunt, nihil vel ad artis medicæ lumen illustrius, vel ad incrementum locupletius, vel ad hominum usus uberius, istis observationibus reperiri posse existimo. Atque utinam in eadem tecum palæstra nobiliora & in hac facultate provectiora sese subigerent ingenia, spes esset, fore brevi, ut ex his perplexis ambiguitatis salebris, in quibus adhuc dum obhæret, eluctata facultas medica, gloriosum caput attolleret, & eruditæ antiquitatis gloriam adæquaret. Verùm, quò pauciores hæc cura tangit, eò jucundior & acceptior tum præsenti tum post futuro seculo erit iste labor tuus, quo ipsius emolumentis tam præclarè consultum esse voluisti. Cui ego sanè mirificè faveo, & si adesset facultas, cuperem æmulari, sed eadem me caussa ab hoc conatu arcet, quæ hactenus à scriptione revocavit. Crede enim mihi, clarissime & amicissime Fabrici, nullam aliam tarditatis istius causam, præter assiduas & inexhaustas occupationes extitisse. Nisi enim stationem, in qua nos summus ille Arbiter collocavit, deserere, & ad languentium gemitus & suspiria obsurdescere malimus, in hac quantulacunque auctioris per tot annos in re medica peritiæ fama, ita nobis eorum salati serviendum est, ut omne tempus ipsis impendatur, & vix quicquam ex eo ad naturæ usus, corporisque refectionem, nedum ad excolendas debitis officiis amicitias, otii eripi possit. Ignoscas igitur huic cessationi meæ, non mea culpa exortæ, sed negotiorum mole extortæ.

Ad præcedentem. *Historia illa de religiosæ Masonopolensis triginta annos perstante vomitu, nobis non usque adeò nova & insolens est; quippe qui virgines istas sacras frequenter eo symptomate, alias brevius, alias diutius vexatas, tum alibi, tum in ista urbe, in cœnobio Divi Petri, crebris experimentis didicimus. Mali istius caussa & origo in universum à recenti seminis labe & corruptela repetenda venit. Hoc enim in vasis spermaticis abundantius cumulatum, à facultate expultrice per omnia in uterum deponitur, in quo ob clausum os uteri moram trahit, & impermistum semini virili, nec ad conceptum alteratum, putrescit, & noxiam venenatamque qualitatem contrahit, hæc naturæ infesta, cum totum corpus, tum maximè os ventriculi, tetro & maligno habitu feriens, id ad depulsionem ejus, quod sibi molestum est, lacessit & sollicitat: quod dein facultas expultrix amoliri studet, simul quoque quicquid pravi & superflui humoris in ventriculo & in partibus vicinis collectum est, exigit ac depellit. Hinc illi tam frequentes, imò quotidiani ac diuturni vomitus, qui tam diu affligunt, quam diu corruptum semen in utero stabulatur. In specie verò in ista nobili Vestali, symptomati huic peculiariter favisse judico pravam ab ortu ipso viscerum, ac præsertim hepatis constitutionem, ac ejus intemperiem in frigidum magis vergentem: quæ obstructionibus à crasso, lento humore profectis valdè opportuna, cachexiam, (pituitosam maximè) quâ virginum nitor obsolescit, & alia symptomata olim commisit. Prodit autem se cibi appetentiâ, nec non extenuato corporis habitu, quæ in hac virgine erant conspicua. Ex hoc hepatis vitio magna humoris pituitosi copia, nimia illa voracitate aucta, succrevit, ut omnes corporis partes ejus quasi diluvio scaterent. Pubentibus verò annis, quibus genitales partes, fœcundo semine turgentes, ad libidinem prurire incipiunt, abundantius semen in capacitatem uteri depletum, ibique situ corruptum ac labefactatum est. Vnde ad os ventriculi, exspirante subinde malignâ aurâ, ac ad ejus amolitionem concitata facultate, humoris, quicunque in ventriculo vel genitus, vel ex aliis partibus accumulatus est, per vomitum exclusio est insequuta, qui tam diu eam tenuit, quamdiu eam irritans caussa perstitit. Hæc verò labes cum viscerum naturalium, ac ventriculi potissimum facultates imminuisset, & eorum functiones offudisset, non mirum, si copiosius in cerebro ac universo corpore pituita restagnans, variolas capiti magis quàm aliis partibus molestas, crebras defluxiones, passionem colicam, & ex ea paresin, mensium fluxum restrictiorem, sudorem totius corporis universalē intulerit. Nec mirū, si aucto malo, in diaphragma, fauces, ac cor ipsum malignus vapor elatus, respirationem difficilem & strangulatum uteri commiserit.*

Habes meam de horum symptomatum, ac præcipuè de perniciosissimis illius vomitus causis sententiam. Quod si illius compescendi præsidium à me requiras, nullum opportunius & efficacius venæsectione tibi suggerere possim. Detractus enim sanguis, non profert in posterum tantam seminis copiam, quæ naturæ gravis, eâ ad sui expulsionem sollicitet, sed quæ vel in suis vasis innoxiè asservari, vel in nutritionē eorum facilè absumi possit. Habes præclaram in simili planè casu apud Iohannem Matthæum de Gradi practic. part. 1. de ægritudinibus stomachi. cap. 5. narrationē, quæ sententiæ nostræ adstipulatur. Ne verò solus asymbolus sim, nihilque, quod centuriis tuis accenseri possit, conferam. En habe observationem raram, ac prorsus admirandam. Decessit nuper post puerperii labores illustris D. D. Dhalincourt, Proregis in Gallia Lugdunensi conjunx,

Obser. admi. da.

junx, cujus rimato cadavere, cordis illud involucrum, quod pericardium dicitur, cordi ipsi adhæsisse, humoreque illo naturæ providentia ad ejus irrigationem & refrigerium instituto, vacuum fuisse, repertum est. Res stupenda profectò, & nemini antea, quod sciam, observata, persensit sanè illa ex humoris istius inopia evidentia incommoda. Nam æstuans perpetuò aërem captabat frigidum, siti molesta torquebatur, ne tenuißimi etiam tegumenti patiens, pectus nudabat, quinetiam à fervidiore corde concalefactis pulmonibus, in eorum bronchia attractis atque extorrefactis humoribus, difficili respiratione laborabat, quæ symptomata nulli alii caussæ potius, quam pericardii ariditati imputanda sunt. Multa observatu digna in praxi quotidiana subinde occurrunt; sed negotiorum moles accuratius illa annotare non sinit. Spero tamen, Deo clementer annuente, ex his occupationum undis me aliquando emersurum, & in bono publico exaggerando tecum operam locaturum. Interim tamen Fabrici clarißime ac optime, dum otium suppetit, perge tuam Spartam naviter exornare, & tuis præclaris laboribus seræ etiam posteritatis gratiam mereri. De me quoties cogitabis, de homine tui studiosißimo & cupientißimo cogitare te existima. Vale & quàm felicißimè age. Hæc manu & stylo Excellentißimi Viri Dn. Pauli Krokeri raptim ad te scribo Lugduno.

OBSERVATIO XXXIII.

De inveterato dolore ventriculi, ejusdemque compendiosa curatione.

MAtrona quædam honesta ac pia, cum ultra annos duos de dolore ventriculi conquesta fuisset, nec ullis remediis ventriculum roborantibus, aut per inferiora purgantibus sanari potuisset: tandemque ex consilio Dn. D. Danielis Daniels, Düsburgensis Clivorum Medici celeberrimi, vomitivum accepisset, frustum corii laridi fumo exsiccati, quod āte duos aňos inopinanter, cum difficultate tamē deglutierat, maxima cum admiratione adstantiū evomuit, & brevi plenissimè convaluit. Utinam semper caussæ morborum tam facilè debellari possent. Hæc ex relatione ipsius Dn. D. Danielis, amici mei integerrimi habeo.

OBSERVATIO XXXIV.

Ex esu fungorum symptomata gravissima sequuta, ubi etiam de lapide Bezoar.

PRinceps quædam magni nominis, cum quadam die in prandio fungos comedisset, sub vesperam dolore torminibusq; maximis ventris, nec non cardialgia correpta fuit, mox quoque vomitus & fluxus ventris supervenerunt. Primò excrementa & fungos excrevit, mox quoque mucum, qui intestinis adhæret, sanguinemque dejecit; lipothymiæ frequentes, & virium prostratio aderant, & ita quidem, ut excrementa involuntariè simul, & sudores frigidi profluerent, intellectus quinetiam, omnesque actiones diminuerentur. Medici etsi summam adhiberent diligentiam, morbus tamen medicamenta præcellere, eaque respuere videbatur. Totam itaq; noctem veluti in agone contrivit. Altera die cùm Princeps (quem peregrè absentem illicò acciverant) advenisset, protinus ad grana quadraginta lapidis Bezoar Orientalis in pollinem redacti, ex vino albo propinavit, post semihoram sudor calidus & vniversalis supervenit, & intellect⁹ rediit, mox somnum quoque repetiit, cujus beneficio vomitus simul & fluxus sanguinolentus cessarunt, & intra paucos dies integram valetudinem recuperavit, multosque annos incolumis supervixit, ut egomet testis ocularis sum, cum anno 1610. Principi in gravissimo morbo per menses aliquot adessem, atque ea, quæ scripsi, ex ipsi⁹ & uxoris relatione annotarem.

Obs. 35. & 33. De præstantia lapidis Bezoar.

OBSERVATIO XXXV.

Ex esu fungorum vomitus vehemens, & descensus intestini in scrotum.

NObilis quidam circa Lausannam, Robert du Gas, Seigneur de la chaux nomine, cum anno 1614. mense Augusto fungos comedisset, vomitu adeò vehementi correptus fuit, ut intestina in dextram vaginam cum impetu detruderentur. Ego tertia die morbi una cum Dn. D. ABELE ROSCIO, Medico Lausannensi celeberrimo, in auxilium vocatus, in maximis angustiis ipsum invenimus: Dolor enim vehemens, & vomitus frequens aderant. Adhibito sacculo ex radicib⁹ herbis, floribus, & seminibus emollientibus, lenientibus, & discutientibus, intestinum in situm naturalem (non tamen sine maximo labore) tandem reduxi, convaluitque æger.

OBSERVATIO XXXVI.

Ex solo contactu fungorum, quæ symptomata consequuta.

NObiles nonnulli, aliique viri docti, ex quorum numero clarissimi viri, Dn. D. DANIEL Medicus Dusburgensis Clivorum, & Dn. D. KNOUSTIUS, Medicus Tremoniensis quoque fuerunt, virgines item & matronæ nobiles, cùm in Belgio per viridaria, prata, & nemora obambularent, & unus alterum alteramve jocosè fungis peteret, domumque reversi essent, labia Dn. D. KNOUSTII eâdem vesperâ, ac interim dum cœnabant, supra modum intumuerunt. Mos autē illi erat, ut continuò ferè barbam digitis tractaret atque adornaret, quod cum ea die quoq; illotis manibus, ut dici solet, fecisset, & labia digitis sæpissimè attigisset, mirum non est (cum fungi venenosam & lethiferam in se contineant qualitatem, ut Dioscorides & Galenus testantur) si ita, uti dixi, intumuerint labia. Post cœnam tamen, ac postera die, cum aquam Stapedianam quam Dn. D. Daniel secum ferebat, applicuisset, brevi convaluit. Hæc ex relatione Dn. D. Daniel Daniels, qui ocularis testis est, scribo.

ANNOTATIO.

Ex his videre licet, quàm periculosus sit esus fungorum, ac proinde è culina meritò eos ejiciendos esse. Etiamsi enim nonnulli edules sint, ut Dioscorides & Galenus concedunt, malignam tamen & venenosam qualitatem in se continere quoque testantur, & ita quidem, ut selectiores, aut

Diosc. li. 4 cap. 83. Galen. de aliment. lib. 2. & lib. de Euchymia.

Obs. 37. & 38. cacochymia. aut innocentiores, ut Dioscorides loquitur, largiùs sumpti quoque noceant. Reliquos (Galeni verbis utor) verò omnes tutius est ne attingere quidem: multi enim ex ipsorum esu interierunt. Et Plinius de fungis scribens, hæc habet verba: *Plinius l. 22. c. 23.* Familias nuper interemere, & tota convivia, Anneum Serenum præfectum Neronis vigilum, & tribunos, & centuriones. Quæ voluptas, addit Plinius, tanta ancipitis cibi? Mulierem ex esu fungorum in morbum gravissimum incidisse, & ab eo insanam permansisse, refert Forestus. *In Scholio ad observ. 116. lib. 10.* Plura qui huius farinæ exempla videre cupit, videat Ioh. Schenckium observ. Med. lib. 7.

OBSERVATIO XXXVII.

Quidam veneno infectus, Antimonio pristinæ sanitati restituitur.

SAbaudus quidam ad lacum Lemannum habitans, Vir robustus, pituitosus, & quadraginta circiter annorum ætatis, in convivio quodam splendido unà cum uxore veneno inquinatus fuit. Illa cum paulò post circa undecimam noctis naturæ maximis cum doloribus satisfecisset, ille verò graviter laboraret, quæ circa defunctam erant agenda, amicis commisit, & nave trajecto lacu Lemanno, Lausannam ad me venit circa horam sextam matutinam, narrans omnia, quæ in præcedenti cœna acciderant. Occurrebat mihi tunc in metem divini Hippocratis dictum, *extremis morbis extrema adhibenda esse remedia*: quapropter cùm venenum adhuc in ventriculo latitare ex dolore, eructationibus, aliisq; indiciis probè cognovissem, & propterea insigni ac vehementi aliquo vomitorio opus esse viderem, protinus ad grana sex antimonii præparati in substantia (infusum enim ut daretur, violentia morbi non admittebat) cum scrupulis duobus confectionis alkermes, & nonnihil cornu cervi usti & preparati, exhibui. Eadem die cum multum evomuisset, dolor & incendium ventriculi ex toto ferè remiserunt. Deinde singulis diebus tribus horis ante prandium nonnihil de sequenti electuario sumebat.

Electuarium.

R. Theriacæ androm.
Confectionis alkermes ana ʒij.
Conservæ salviæ
Menthæ
Corticum citri condit. ana ℥j.
Cornu cervi usti & præparati
Margarit. præparat. ana ℈iiij.
Cum syrupo cons. corticum citri
Fiat electuarium.

Pro potu ordinario, nihil præterquam lacte amygdalino cum saccharo, & nonnihil cornu cervi usto & præparato utebatur. Sic intra paucos dies plenissimè restitutus fuit, sanusque ad suos rediit.

OBSERVATIO XXXVIII.

Ex haustu maximo aquæ frigidæ ingens dolor ventriculi, cum mentis alienatione, sequutus.

DOmesticus quidam nobilissimi ac strenui viri Dn. Rudolphi ab *Erlach*, nobilis Bernensis, vir robustus optimoque corporis habitu præditus, & triginta circiter annorum ætatis, cum Anno 1616. 23. Febr. in ædibus nobilis sui pro more pransus esset, & statim à prandio urbem egrederetur, nec non ex fonte ante portam inferiorem urbis, ore admoto tubulo fontis, maximum haustum avidè bibisset, statim dolor ventriculi exortus est, qui paulatim adeò exacerbatus fuit, ut non nisi summa cum difficultate ad ædes nobilis sui redire posset. Quo cum pervenisset, talis fuit dolor & cruciatus, ut duo vel tres viri, quantumvis fortes, ipsum vix retinere possent, ne impetu suo veluti phreneticus spondam disrumperet. Ego cum advocatus essem, & nauseam adesse viderem, statim maximum haustum aquæ tepidæ cum oleo communi propinavi: paulò post provocato vomitu, cum ter quaterve evomuisset, dolor aliquo modo cessavit, & qui paulò ante mente captus & furiosus fuerat, paulatim ad se redire & sapere cœpit, sed quia inquietudines & dolores adhuc instabant maximi; post evomitiones sumpto jusculo, & hausto lacte amygdalino, circa decimam noctis nonnihil Nepenthis & confectionis Alkermes, cum aqua cinnamomi dissolutis exhibui: quievit satis benè ea nocte. Sequenti die dedi potiunculam purgantem: hinc cum bis terve evomuisset & alvus aliquoties subducta esset, deinde quoque infuso vini absinthii, menthæ, cardui benedicti, & similibus, quæ ventriculum roborant, usus fuisset, intra paucos dies plenissimè convaluit.

Quæ autem hujus doloris fuerit caussa præcipua, non facilè mihi perspectum est, cum alioquin aqua illa satis sit salubris, & fons ille præ aliis laudetur. Utinam adstantes diligentiores fuissent, & materiam, quam evomuit, antequam abjicerent, prius, uti jussuram, mihi monstrassent, ex inspectione illius procul dubio certius de vera caussa judicium fieri potuisset.

OBSERVATIO XXXIX.

Ex maximo haustu aquæ vitæ, quæ incommoda & commoda sequuta.

EX immoderato usu aquæ vitæ homines multos periisse scimus. Idem ante annos aliquot ancillæ meæ ferè accidisse memini. Erat illa viginti circiter annorum ætatis, retentionibus mēsium, maximisque obstructionibus viscerum ab aliquot annis obnoxia: vino quoque omninò dedita. Quid fit? quadam die post prandium, cum ampullam aquæ vitæ plenam, quam in hypocausto reliqueram, clam apprehendisset, ad satietatem ita bibit, ut paulò post humi cadens, ad semihoram veluti mortua jaceret. Hujus mali causa cum nobis nondum cognita esset, perturbati fuimus omnes, vicini quoque nobiscum soliciti accurrunt, nihil aliud existimantes, quàm ipsam jam jam animam redditurам, mox tamen quasi ex sopore expergefacta, cum ex una in alteram partem aliquantum se projecisset, sequuta est eructatio & vomitus tam copiosus, ut ferè incredibile sit: præter cibum enim, quem paulò ante in prandio sumserat, etiam multos pravos viscidosque humores evomuit, & per alvum rejecit. Tunc nobis primò ex odore excrementorum

39. 40. rum causa hujus tam gravis affectus innotuit. Tota illa nocte veluti in agone permansit. Interim ego refrigerantia & corroborantia, veluti serum lactis, decoctum agrimoniæ & veronicæ, cum syrupo berberorum (quibus & nonnunquam nonnihil confectionis alkermes admiscui) juscula item castratorum, in quibus acetosa, borrago, buglossa, & similia incocta fuerunt, copiosè propinavi. Tandem convaluit, à cachexia quoque plenissimè restituta fuit. Sic post prandium in commodum cessit, quod procul dubio jejuno & vacuo ventriculo ipsi exitiosum, lethiferumque fuisset.

Longè secus cum duobus Civibus Coloniæ Agrippinæ, excubias nocturnas agentibus, circa Annum 1610. advenisse, à Coloniensi quodam, viro fide digno, narratum mihi fuit. Hi enim cùm in publica platea (In der Marckmanns gassen dicta) ante ædes mercatoris cujusdam, dolium aquæ vitæ plenum noctu offendissent, tam affatim biberunt, ut sequenti die ambo mortui reperti fuerint. Quapropter jussu Magistratus Amplissimi, ut qui se ipsos interemerint, per Carnificem extra Urbem, ad locum supplicii tracti, ibidemque, ut aliis veluti exemplar proponerentur, sepulti fuerunt.

OBSERVATIO XL.

De fluxu hepatico, & rejectione substantiæ hepatis, post usum Turpethi mineralis.

ANno 1609. mense Martio, nobilis quidam Freiburgensis Helvetiorum, Caspar von Praroman nomine, cum obstructionibus viscerum, difficultate anhelitus, & tussicula aliquandiu laborasset; tandem fluxu hepatico correptus quoque fuit. Ego unà cum Dn. D. Sebastiano Meyero, ejus Reipublicæ Medico ordinario, in consilium adhibitus, ipsam substantiam hepatis veluti baculo cõcussam, & in pulrem dissolutam, nec non excrementis copiosè permixtam, per aliquot dies observavimus. Hoc affectu cum perpaucos dies laborasset, ac febris aucta, vires verò imminutæ fuissent, naturæ debitum tandem persolvit.

Caussam autem hujus fluxus fuisse Turbith minerale, Dn. D. Nicolaus Paccotus, Reipublicæ Freiburgensis Helvetiorum Senator prudentissimus, & Medicus ordinarius, mihi asseruit anno 1615. 26 Martii, qui & descriptionem tabellarum ex speciebus diairidis, diatragacanti frig. floribus sulphuris, & Turbith mineralis cum sacchàro (quibus æger aliquandiu per intervalla usus fuerat) se vidisse mihi affirmavit. Non abs re itaq; monent Chymici, Mercurialia & Antimonialia in affectibus hepatis & pulmonis non temerè exhibenda esse. Genere & virtute nobilissimum Virum Dn. Benedictum ab *Erlach*, Reipubl. Bernensis Cõsiliarium prudentissimum, eodem morbo obiisse, ex relatione clarissimi Viri Dom. D. Pauli Lentuli habeo: qui & substantiam hepatis (cum paulò post obitum nobilis ægri Bernam venissem) mihi visendam obtulit.

[margin: ...tius] [margin: ...curi... & an... onia... in af... ibus ...tis nõ ...erè ...iben...]

Obs. 41. & 42.

OBSERVATIO XLI.

Hydrops potus abstinentia curatus.

ABEL ROSCIUS *Medicus Doct.* GUILHELMO FABRICIO *Hildano, Chirurgo præstantißimo* S. P. D.

GRatias ago de tractatu D. Lentuli: quid de hac re sentiam, aliàs tibi coràm dicere & disserere cupio, placideq́; de hoc subjecto tecum rationes conferre opto. De me vicißim omnia tibi benevolentiæ studia promitto, atq́; officia offero. Observationem tuam de hydrope, cum anno præterito accepissem, unam nostram aut alteram ad te mittere decreveram, nisi obstitisset tanta domus meæ afflictio, pro illo, quem scivisti uxoris meæ gravißimo & diuturno morbo, ac ferè toto prodigioso, ac valdè mirando. Iam cum de novo eam historiam mihi in mẽtem ex tuis literis redegeris, meas lubenter ad te mitto, paucis descriptas, ut tuo desiderio responderem. Libellum tuum de combustionibus nuper editum cum perlegerem, jucundum mihi fuit, non solùm eruditionem tuam, sed & judicii tui quoque candorem perspicere, & quid tum mihi, tum aliis de te persuadere poßim, patefacere. Id certißimè asseram, te non solùm in hac civitate, sed in tota Helvetia & Sabaudia, citra omnium controversiam primis honoribus in arte Machaonica meritò dignum, ac dignißimum haberi. Verùm ut ad rem redeam, laudes tuas mihi nunc haudquaquam proposui decantare, potius tuæ ultimæ epistolæ breviter respondere decrevi.

Historia.

Nobilis quidam Pedemontanus, cum pater meus piæ memoriæ, Alb. Roscius praxin Medicam apud Delphinates exerceret, in hydropem illum, qui Ascites vocatur, incidit, & propterea Medicum Doctorem ad se vocavit. Qui, cum dictum nobilem Ascite jam confirmata laborantem cerneret, & ab omni remediorum genere abhorrentem, eum hoc solo consilio curavit atque perfectè sanavit; Nimirum ei dixit: Si vis sanari nobilißime Domine, & si perfectè ab hoc ingenti ventris tumore liber evadere, hoc est, si vivere velis, necesse est, ut siti, quâ cruciaris, mori deliberes. Hoc si feceris, brevi tempore spero te sanitati restitutum iri. Hoc audito consilio Nobilis, statim sibi ab omni potu imperavit, ita ut per mensem integrum nihil prorsus liquidi hauserit, & sanus evasit. Bene vale doctißime Fabrici, teq́; à me amari certò tibi persuade. Salutant te charißima conjunx mea, ejusq́; mater, Marionus Pharmaphœus, cæteriq́; amici. Lausannæ quarto Nonas Sextilis anno Christianæ Epochæ 1607.

Alteram historiam, de evacuatione aquæ in hydropico per umbilicum, cujus meminit clarißimus Dn. D. Roscius, in exordio præcedentis epistolæ, lector in 2. centuria observat. 58. videre poterit.

OBSERVATIO XLII.

De infelici successu punctionis umbilici in hydropica.

AD serosos humores hydropicorum evacuandos, PAULUS ÆGINETA reliquique Medici sectionem in abdomine paulò infra umbilicum, & quidem in opposita parte visceris affecti factã, laudant. Ego etsi sectionem hanc non improbẽ, attamen evacuationem humoris serosi commodiùs per punctionem umbilici (præcipuè si natura

Sectio abdominis in hydropicis quo in loco

Obs. 42. commodius instituatur. Vena umbilicalis aliquãdo in hydropicis dilatatur.

turâ eò tendente, umbilicus intumuerit propenderitque) fieri posse, cum LAURENTIO lib. 1. q. 16 sentio. Dilatatur enim aliquando vena umbilicalis in hydropicis, ita ut serosi humores, & quicquid præter naturam in ipso hepate continetur, per ipsam quoque effluere possit: uti ex observat. 47. centuriæ. 1. videre licet. Accedunt & observationes raræ virorum doctissimorum, ANTONII BENIVENI & LAURENTII. Puellam hydropicã, à Medicis pro deplorata habitam, ex apertione umbilici spontè facta curatam fuisse, Dn. D. Roscius Medicus doctissimus, mihique amicissim⁹, observavit. Historiam integram Lector in editione Centuriæ 2. Observationum mearum Chirurgicarum observatione 58. videre poterit. Porrò etsi apertio umbilici in hydropicis ad expurgandos serosos humores commodissima sit via, & absque periculo fieri possit, multos quinetiam hoc remedio curatos fuisse, celebriores Medici testentur: attamen hoc genus remedii non semper prodesse sequens observatio fidem facit.

Observat.

Anno 1611. mense Majo, mulier triginta annorum ætatis Ascite laborans, cui umbilicus ad ovi magnitudinem propendebat, Dn. Abele Roscio, apud Lausannenses Doctori Medico celeberrimo, & mihi adducta fuit, & quia vires utcunq; constabant, ac natura viam nobis monstrabat; ut umbilicus pungeretur, deliberatum fuit. Instituta itaque optima victus ratione, purgato item aliquoties corpore, & quæ interna viscera corroborant, exhibitis, umbilicum præsente prædicto Medico multisq; aliis scalpello punxi: Aquam, eâ quidem, qua fieri potuit, diligentia, paulatim & bis solummodò in die parceque extraximus: Nihilominus tertia post punctionem die, vomitus & cibi fastidium superveniebant, vires diminuebantur, & intra paucos dies animam profudit.

OBSERVATIO XLIII.

De periculosa dysenteriæ curatione per aquam frigidam.

Fluxus hepaticus.

ANno 1610. mense Iunio, quadragenarius quidam, vir robustus & œnopola in thermis Piperinis in finibus Rhetiæ, dysenteriâ aut potius fluxu hepatico correptus fuit. Multum enim pituitæ & serosi humoris ad instar aquæ, in qua caro recens mactata lota fuit, excrevit, absque tamen difficultate & dolore. Suasit quidam, ut jejuno ventriculo maximum haustum aquæ nivis ebiberet. Ex proximis itaque montibus sibi nivem adferendam curat, eamque ad Solem exponit, qua liquefactâ, aquam, quæ frigidissima, bibit. Eadem die fluxus ventris imminutus fuit, subsequenteque die planè cessavit. Sed paulò post dolore ac tensione hypochondriorum, præcipuè è hepatis regione, correptus fuit. Ego cum eodem anno mense Augusto cum Serenissimo Principe Ianutio Radzivilio &c. thermas hasce inviserem, in consilium adhibitus fui. Tum manifestam duritiem tensionemque è regione hepatis inveni. Anhelitus difficultas, dolorque ventris aderat. appetitus quinetiam, cum omnium artuum lassitudine maxima, prostratus erat. Ego semel atque iterum corpus clementer expurgavi, ventrem inunxi, & vinum ex radicib. herbis, florib. &c. aperientibus, partesq; nobiles corroborantibus præscripsi, victusque rationem institui. Hinc meliusculè habere cœpit. Quid verò post meum abitum cum eo factum sit, ignoro.

Dysenteria aqua frigida potu malè curata.

OBSERVATIO XLIV.

De duobus lapidibus ingentis magnitudinis, in vesica fellis repertis.


Obs. & ... Calcu... vesica...

ANno 1612. 11. Februarii, Coloniæ à viris clarissimis atque doctissimis, Dn. D. Iohanne Fabricio & Henrico Stapedio, Medicinæ Doctoribus longè celeberrimis, lapides duo ingentis magnitudinis mihi exhibiti fuere, quos Dn. Fabricius ipsemet ex vesica fellis Comitis cujusdam septuagenarii in Ersflia exsciderat. Vnus oblongus, alter ferè rotundus est, pro magnitudine tamen non usque adeò ponderosi sunt. Major enim drachmas quatuordecim, minor verò drachmas quatuor & semis solummodò pendet, quandoquidem spongiosi sunt, & per laminas concreti: sed ab initio multò ponderosiores, neque usque adeò duros fuisse asserebat Dn. Fabricius, quod & etiam nunc in ipsis lapidibus, præcipuè in majori bellè conspicitur. In ipso enim rimæ hinc & inde (ut solent esse in limo, cum à sole exsiccatur) conspiciuntur. Color aliquibus in locis croceus, aliis verò in locis ad nigredinem vergit. Delineationem horum lapidum ad vivũ factam dono mihi dedit clarissimus Dn. D. Stapedius, amicus meus singularis, quam hic subjungere visum est.

Major lapis ex una parte, ubi A. notatur, tantum excavatus est, ut tertiam ferè partem minoris excipere possit, eumquè à continua fricatione unius contra alteram ita excavatum fuisse, certum est. Prædictum Comitem per totam vitam suam robustum, neque morbis usque adeò obnoxium fuisse (nisi quod aliquando icteritiâ laboraverat) tandemque circa annum septuagesimum ætatis, febre continua eaque maligna obiisse referebat Dn. D. Fabricius. A multis autem annis, quotiescunque in lecto sese ex una in alteram partem circumvolveret, pondus magnum, molestum, & ex una in alteram partem delabens, è regione hepatis percipere poterat.

Delineatio Lapidum.

Obs. 46. & 47.



OBSERVATIO XLV.

De dolore contumacissimo & diuturno ventris, deq; ipsius caussa post mortem reperta.

CIvis quidam Aventicensis, JOHANNES CASSELLANUS nomine, cum quadam die propter violentum corporis motum in itinere supra modum incaluisset, & haustum frigidæ bibisset, febri correptus fuit. Cum autem nullum adhibuisset Medicum rationalem, varios verò Empiricos, & artis imperitas mulierculas, paulatim in cachexiam incidit; ac paulò post nauseâ quadam continuâ, & vomitu bilioso correptus fuit, ita quidem, ut continuò cibum indigestum evomeret. Non diu post dolor ventris quoque exortus est, qui cùm de die in diem accresceret, vomitus paulatim imminutus est, tandemque remisit, aucto tamen & vehementiore facto cruciatu intestinorum. Excruciavit ægrum dolor vẽtris per menses aliquot, adeoque vehemens fuit ut dies noctesque ejulare coactus esset, & alimẽta respueret. Hinc vires paulatim mirum in modum prostratæ fuere. Ego cùm Aventicum ad præstantissimum virum Dn. SAMUELEM Vogt/ ibidem præfectum prudentissimum vocatus esse, prædictum virum quoque invisi, & corroborantia; nec non anodyna nonnulla præscripsi; sed absque successu. Ad instar sceleti ferè extenuatus erat, febricula continua aderat, alvumque cõtinuò constipatam habebat. Tandem 19. Aprilis cum vitæ suæ finem imposuisset, præsente reverendo viro Dn. NICOLAO VIRETO; ejus loci verbi divini ministro fidelissimo, & nonnullis aliis, cadaver cum aperuissem; hepar ferè totum putrefactum reperi. Vesicula fellis omninò erat vacua, & cholidochus præter modum laxus & apertus. Intestina & inprimis tenuiora undique tam flava erant; ac si croco infecta fuissent. Renes similiter, & præcipuè inferiores apices eodem colore exteriùs erant tincti: eorum verò parenchyma ita erat lividum; ut principium gangrænæ adfuisse argueret. Materiam autem quandã biliosam, inprimis acrem & vellicantem, ex hepate gravissimè affecto per cholydochum amplum & relaxatum continuò ad intestina confluxisse, ibique dolorem istum gravissimum excitasse, verisimile esse mihi videtur, & color ille flavus testis est. Et quia facultas expultrix intestinorum ex præcedente vomitu partim turbata; partim quoque labefactata fuerat, sequuta est alvi constipatio, & doloris vehementia, propter retentam scilicet materiam acrem & vellicantem.

OBSERVATIO XLVI.

De dolore diuturno & inveterato ventris.

ANno 1611. 4 Decembris, cùm Hildenam parentes & amicos invisendi gratiâ profectus essem. Medmanensis quidam in consilium me vocavit. Is autem dolore gravissimo, & ferè continuò è regione umbilici laborabat, cibum singulis ferè diebus citra molestiam semel ad minimũ evomebat, interim tamen medicamentorum beneficio, etiamsi fortissima, nunquam evomere se potuisse affirmabat. Venter depressus erat, & rarissimè spontè respondebat. Referebat autem (res profectò quæ admiratione non vacat) porcos, spacio quinque annorum, à quibus doloribus istis excruciatus fuerat, excrementa sua nunquam gustare voluisse. Porrò etiamsi dolor iste gravis, & ferè continuus esset, ambulabat tamen; & negotia sua perficiebat, cibum quinetiam cum appetitu sumebat. Præscripsi illi nonnulla, qualis verò tandem fuerit exitus hujus affectus, latet me.

Nota.

OBSERVATIO XLVII.

Matrona quædam multum pinguedinis per secessum excernit.

MAtrona pia ac honesta, Düsburgi Clivorum habitans; quinquaginta circiter annorum ætatis, per annos aliquot dolore continuo è regione ventriculi vexabatur. Adhibuit remedia quàm plurima, cùm à medicis, tum etiam ab empiricis, aliisque artis imperitis præscripta & adhibita, sed omnia absque fructu. Tandem in morbum gravem atque diuturnum incidit, in quo, uti & antea, remedia, quamvis ex arte præscripta, parùm profuerunt: donec quadam die, cùm torminibus doloribusque acutissimis totius ventris excruciaretur, ultra libras tres pinguedinis per secessum rejecisset. Postea enim brevi convaluit, & ab omni dolore liberata fuit. Erat autem pinguedo illa alba, purissima, pelliculis inclusa, & in frustula divisa: nihil excrementorum admixtum erat, quapropter fœtor nullus aderat: ita etiam, ut in multos annos illam sibi

Dolor continuus è regione ventriculi.

Obs 48. reservaverit. Ego cum anno 1612. 6. Augusti clarissimum Virum Dn. Danjelem Danjelis, Medicum longè celeberrimum, amicum meum singularem Düsburgi inviserem, nec non Lucullico convivio ab ipso exceptus essem, Matronā hancce ad se vocare jussit. Etiamsi enim Dn. D. Danieli casus satis superque cognitus esset, pinguedinem quin etiam ipsemet vidisset, voluit tamen, ut & ego matronam ipsam viderem, & quæ acciderant, ex proprio ipsius ore exciperem, annotaremve. Ab eo porrò tempore morbis se parum obnoxiam fuisse, ipsamet nobis referebat. Vbi verò pinguedo illa generata retentaq; fuerit, aliis dijudicandum relinquo.

OBSERVATIO XLVIII.

Dolor Nephriticus quibus remediis sedatus?

Reverendus Vir Dn. Iohannes Merula, Paterniacensis Ecclesiæ Pastor fidelissimus, Vir pius & doctus, cum anno sexagesimo tertio ætatis suæ, in diebus canicularibus victus rationem non satis exactè observasset, & quadam die fructus crudos, acetaria item, & vinum aqua frigidissima dilutum, in cella vinaria frigida comedisset & bibisset, dolore ventris & renum correptus fuit. Is adeò gravis erat, ut continuò ferè ejulare coactus esset, & medicamentis verè anodynis, imò & narcoticis vix leniti posset. Vomitus quoque, cibi fastidium, & febris aderant. Ego in consilium adhibitus, alvum enematibus lenitivis & anodynis subduxi, ventrem & renes oleo amygdalarum dulcium liliorum alb. & anathino inunxi, oleum amygdalarum dulcium per os cū sequēti decocto exhibui bis terve interdiu.

Nephriticus dolor.


Curatio.

R. Radic. Althææ ℥ iiij.
Sem. Anisi ʒij.
Florum Chamomil.
herb. agrimon. & Veronicæ ana p.j.
Liquiritiæ ℥j.

Coquantur in aqua, ut colatura redeat ad ℔ j. ß. In ℥iiij. hujus decocti dissolve ol. amygdalar. dulcium sacchari ana ℥j.

Corpus manna, syrupo rosato solutivo, cōposito cum rhabarbaro, agarico & senna, dissolutis cum præscripto decocto, expurgavi. Tandem cum semicupio ex radicibus, herbis, floribus, & seminibus emollientibus, relaxantibus, & aperientibus usus fuisset, calculum ejus magnitudinis & figuræ, ut hic depictus est, per ductum urinarium rejecit, postea brevi convaluit, & ultra annos sex supervixit. Tandem anno 1611. 28. Augusti piè placidèque in Christo peste obdormivit.

Figura & magnitudo calculi.



OBSERVATIO XLIX.

De infelici successu prædictorum medicamentorum in juvene quodam.

Viro nobili Dn. PAULO LENTULO *Reipublicæ Bernensis Doctori Medico celeberrimo, amico singulari,*

Guilhelmus Fabricius Hildanus

S.P.D.

Non sine admiratione multorum, Vir clarissime, Dominus MERULA communis & intimus noster amicus ex morbo suo gravissimo cōvaluit. Calculum, qui magnitudinem ferè nuclei dactyli adæquat, per penem ejecit, inæqualis est, & rufi coloris.

Cæterùm verisimile esse, quod insignis ille Medicus D. D. RENERUS SOLINANDER, piæ memoriæ, olim Illustrissimi Juliacensium, Clivensium, Montensium, &c. Ducis Archiater, fautor meus plurimùm honorandus, scriptum reliquit his verbis: Si res, inquit, receptorum multitudine & varietate ageretur, pharmacopola quemvis Medicum facilè vinceret. Is enim magna ex parte non minus atq; artis studiosus novit, quod cuique morbo medicamentum adscribit Medic⁹. Hæc inquam, vera esse cum aliàs, tum etiam non ita pridem in vicino quodam meo JOSUE FLAMEND nomine, viro robustissimo, bilioso, & vix vigesimum sextum annum ætatis suæ agente observavi. Is enim cum paulò post absolutam curationem Dn. MERULÆ, febre continua, maximoque dolore ventris correptus fuisset, pharmacopœo sese curandum commisit. Is cum optimum & præclarum illum successum medicamentorū Dn. MERULÆ, cum à T. Excell. tum etiam à me præscriptorum & adhibitorum vidisset, eaque in prædicto ægro adhibuisset, eumque tandem in balneum calidum posuisset; aucta fuit febris, auctus quoque fuit dolor ventris, reliquaque symptomata omnia, tandemque delirium quoque supervenit, & ante undecimum extinctus fuit.

In præ[...] tione [...] lectore[...] consili[...] suorum

Ignora[...] tia [...] ph[...] siaris [...] [...] notatu[...]

Non sufficit itaque medicamentis, quantumvis à Medicis eruditis præscriptis, instructum esse; nisi ab ipsis quoque medicis exhibita applicataque fuerint. Cujus rei exemplum memorabile apud D. Augustinum legimus. Magnus ille nostrorū tēporum Medicus Vindicianus, consultus à quodam, dolori ejus adhiberi jussit, quod in tēpore congruere videbatur, adhibitum, sanitas cōsequuta est. Deinde post annos aliquot, eâdem rursus corporis causâ commotus, hoc idem ille putavit adhibendum, adhibitum vertit in pejus. Miratus, currit ad Medicum, indicat factum: at ille, ut erat acerrimus, ita respondit: ideò malè acceptus es, quia non ego jussi: ut omnes, qui audissent, parumque hominem nossent, non eum arte medicinali fidere, sed nescio, quâ illicitâ potentiâ, putarent. Unde cum esset, à quibus poterat stupentibus interrogatus, aperuit quod non intellexerant, videlicet illi ætati jam hoc se non fuisse jussurum. Tantum igitur valet ratione atque artibus non mutatis, quid secundum eas sit, pro tempo-

ad Mar[...] cellinum[...] August[...] nus To[...] 2. Epist[...]

Vindicia[...] ni dictu[...]

temporum varietate mutandum. Non itaque verum est, quod dicitur: Semel rectè factum nullatenus est mutandum: mutatâ quippe temporis causâ, quod rectè ante factum fuerat, ita mutari vera ratio plerunque flagitat, ut cum ipsi dicant rectè non fieri, si mutetur, contrà veritas clamet, rectè non fieri, nisi mutetur: quia utrumq; tunc erit rectum, si erit pro temporum varietate diversum. Hactenus D. Augustinus.

Coloniæ Agrippinæ idem ferè mihi contigit. Quidam ex domesticis Dn. Gualteri del Prato piæ memoriæ, Viri virtute & pietate ornatissimi & Compatris mei observandissimi, cum ophthalmia laboraret, ac ego advocatus essem, purgato corpore, & incisâ venâ, collyrium quoque oculis instillavi & applicui, quo brevi curatus fuit æger. Post dies aliquot, cùm materfamilias, Dn. Lucretia del Prato, Matrona pietate & singulari virtute verè nobilis (quam honoris & reverentiæ caussâ hîc nomino) eodem affectu correpta fuisset, & suasu præcedentis ægri de collyrio, quod ipsi restabat, applicuisset, dolor auctus est, aucta quoque inflammatio. Posterâ die cùm me advocadum jussisset, quale, quæso, mi compater, ajebat; domestico meo præscripsisti medicamentum, quod ipsi tam salutiferum, mihi verò adversissimum fuit? Respondi ipsi: Salutiferum fuit, quia ego ipsemet id exhibui: Tibi adversissimum, quia me inscio tu ipsamet id applicuisti. Ut igitur videas, quantum manus Medici possit præstare, en protinus idem collyrium præparabo, tibique applicabo. Id cùm fecissem, corpusque levi aliquo medicamento expurgassem, brevi non sine admiratione curata fuit. Hic autem Vir clarissime, perpendendum est, collyrium ex lacte muliebri, cum aqua rosacea & plantaginis mixta confectum fuisse: quapropter ratione lactis acidum factum collyrium, acrimoniam contraxerat, doloremque excitaverat. Collyria itaque, quæ lac recipiunt, singulis ferè diebus renovanda sunt, ut alibi juniores Chirurgos monui.

Utinam itaque, Vir clarissime, seplasiarii, dum Medicorum præscripta medicamenta in proprium usum atque commodum convertunt, morbos diligenter inter se distinguerent, caussas, ætatem, habitum corporis, tempus anni & hujusmodi; de quibus monet Galenus, observarent. Dn. Merula enim corpore obesus & pituitosus erat; Flamingius verò macilentus & biliosus: Dn. Merula sexagesimum tertium annum ætatis suæ agebat, Flamingius verò vigesimum septimum nondum attigerat. Dolor Dn. Merulæ ex cruditatibus & calculo renum, quem natura expellere conabatur, & proinde balneum, relaxando vias urinarias mirum in modum ipsi profuit: Dolor verò Flamingii ex inflammatione hepatis, & copiosâ effusione humoris biliosi ad intestina, originem traxerat. Quapropter cùm hepar inprimis, omniaque interiora in balneo concalefacta exsiccataque essent, mirum non est, febrem reliquaque symptomata protinus aucta fuisse. Sed eo usque ars medica pervenit, ut etiam imperiti, & hujusmodi homines, qui (ut Plinius scribit) experimenta ducunt per mortuos, de corio humano ludere, aliosque, qui vitam ferè integram in studiis & praxi medica consumpserunt, quantum quidem possunt, opprimere atque reprimere non vereantur. Interim ego quantum Deus virium dabit, ut clavum rectum teneam, omnes nervos intendam; Te hactenus idem fecisse, & in posterum facturum esse, certò scio. Plura ad Te scribam, cùm quas avide exspecto, tuas accepero, Vale Paterniaci Aventicorum.

Idem contigit in ophthalmia.

Obs. 56.

OBSERVATIO L.

De ingenti calculo, & aliis nonnullis observatione dignis, in cadavere repertis.

Viro præstantissimo Dn. GUILHELMO FABRICIO *Hildano Chirurgo peritissimo,* PETRUS BLANDINUS *Med. D.* *S. P. D.*

Et ipsum te nuper vidisse, suave mihi fuit, & jam te per literas alloqui, jucundissimum, Amplissime & clarissime FABRICI, *artis Machaoniæ decus, nec citius Lausanna domicilium reversus, quin manum calamo admoverim, & tuæ morem gererem voluntati, promissaq; adimplerem. Quare brevibus jam accipe summam observationis illius miræ, cujus à me apud te habita fuit mentio, ad stupendam calculi, in vesica fellea reperti, historiam tuam.*

Iuvenis cujusdam annos 25. nati, arte dulciarii, cùm fato debita persolvisset, ultimo Decembris proximè effluxi anni, post diutinam, eamq; valde molestam illius, quod præ se gerebat, corpusculi conflictationem, ex Dyspnœa, Marasmo, & vesicæ calculo cadaver, ex jussu affinium dissecari per Chirurgum curavimus: quo in multa supra naturæ modum admirabilia conspeximus. Primo thoracis in cavitate sinister pulmonis lobus succingenti membranæ unà cum dextro ità tenaciter adhærebat, ut ad medias putrefactus, & summâ puris quantitate copiave refertus, sicut & dexter ejusdem lividus planè & ponderosus, vix & summa cum δυσκολίᾳ *avelli possint. Duplo majorem solito substantiæ molem cor nactum erat: media quin imò in sua substantia, alba glandula, digiti pollicis magnitudinem excedente, vitiatum. Quod verò mirum visu, ita extenuatum & in se contractum præ cibi* ἀπορίᾳ *ventriculum conspeximus, ut cyathi unius haud admittere posit mensuram: is verò mera bile porracea, cum pituita juncta, & parietibus ventriculi tenacissimè adhærente, planè refertus erat, ut cavitas adimpleretur. Ulterius erat hepar exangue & retorridum, debitam quantitatem excedens, cui intestinum colon firmiter annectebatur per ligamenta quædam, sicut & reliqua intestina peritonæo. Ad corruptionem renem dextrum planè vergere dixisses, ita ex livido albicabat, & carnis mollioris erat, ut ex attrectatione in frusta abiret, plus justo naturalem magnitudinem superabat, arenulis, iisque tenuibus, sicut & sero multo refertus erat. Peram, aut sacculum arte fabrefactum sinistrum renem judicasses, hujus enim situs & figura valebant, sed ob ureteres inde oriundos, & vesicæ implantatos, ob valvulas in interna cavitate magnopere*


Observat.

In cadavere dissecto, quæ inventa.

Obs. 50. & 51.

gnoperè dilatatas, & naturales quodammodò referentes, ob copiam seri ibi contentam (possum enim & absque veritatis fuco asserere, ultra mensuram Genevensem cum dimidia ichoris adfuisse, hoc est, ad uncias quadraginta sex, aut quinquaginta ad minimum) renem stabiliisses. Vltimò tandem, & cujus caussa hæc scribo, in vesica urinaria repertus fuit calculus immensæ magnitudinis, cujus moles in extractione circiter pondus novem unciarum æquabat, jam cum per quatuor menses exaruerit uncias sex adimplet. Huic & affinem annecto. Superiori anno 1614. sub finem mensis Ianuarii, in dissectione cadaveris civis honesti, nomine Iean Lepreux bibliopolæ, in vesica urinaria, quæ in duas bursas velut distincta videbatur, in utraq; cysta reperti fuere sex lapilli, nucis gallæ omnes magnitudinem æquantes. Plura possem his annectere, sed ne epistolii fines propositos egrediar, hoc unum & obnixè rogo, quid sentias de tanta renis dilatatione, scribas. Vale Vir amplissime, & cujus fama celebre Podalirii nomen superat, & ut benè cœpisti, me amare perge, & quæ à me scripta, de meliori nota suscipe. Datum Genevæ 27. Aprilis Anno redempti orbis 1615.

Magnitudo & figura calculi.



OBSERVATIO LI.

De calculo ingentis magnitudinis, ex vesica hominis extracto.

Viro clarissimo atq; doctissimo Dn. PETRO BLANDINO, *apud Genevenses, Doctori Medico celeberrimo,*

Guil. Fabricius Hildanus. S. P. D.

Literæ tuæ vir clarissime, ante paucos dies mihi traditæ, tàm gratæ, quàm quæ gratissimæ mihi fuêre, admiranda enim quàmplurima & annotatione digna continent. Et profectò mirum est, quomodò æger iste, tot tamque gravissimis morbis confectus, tam diu subsistere, superstesque manere potuerit.

Vide observat. 43. Centur. I.

Pectus erosi humoris plenum, & sinistram partem pulmonis, pleuræ & costis, mediante callo firmissimè adnatam fuisse, in quinquagenario obstructionibus maximis viscerum laborante, observavi.

Substantiam cordis magnitudinem naturalem duplo excedentem, vix unquam observatam esse arbitror. Extenuatam verò, & exanguem illam in dissectionibus aliquando vidi. Quidam diuturno morbo cum extinctus esset, nullam prorsus in eo portionem cordis, sed ejus tantùm tunicam repertam fuisse, testatur Telesius Rerum naturalium lib. 5. c. 28.

In pericardio plus quàm libræ quatuor saniosi sanguinis, & materiæ purulentæ in viro isto, de quo antea mentionem habui, repertæ fuerunt.

Ventriculum hoc modo, ut tu scribis, contractum fuisse, rarissimum est, præcipuè in calculosis, qui ut plurimùm continuò sitibundi sunt, multumque potus ingurgitant, ex quo ventriculus labefactatus & relaxatus, potius dilatatur, quàm ut retrahi possit.

Renem sinistrum in formam peræ aut sacculi dilatatum fuisse, admiratione non vacat. Id tamen ratione calculi, qui procul dubio valvulæ ut ureteris sinistri adjacebat, aut quod magis rationi consentaneum est, adnatus erat, viamque urinæ obstruebat, accidisse arbitror. Ad renem enim & ureterem cum urina continuò deflueret, nec ulterius progredi posset, paulatim & substantia renis, & ipsius membrana unà cum uretere, in formam sacculi aut peræ extensa atque dilatata fuerunt. Si enim nonnunquam in hydrocephalis, non solùm in ipsa substantia cerebri unà cum membranis, verùm etiam cranium ipsum mirum in modum (uti tu ipsemet in musæo meo vidisti) extenditur dilataturque, quantò, quæso, magis id in rene fieri potuisse putas? Mirandam formam renum in cadavere juvenis cujusdam, Andreæ Helm Weissenfeldensis, à clarissimo Philosopho & Medico Dn. Leonhardo Doldio, Norinbergensis reipublicæ D. Medico ordinario, repertam fuisse, testatur Dn. D. Bauhinus ad finem theatri sui anatomici.


Calculos ingentis magnitudinis ante mêses aliquot mihi ostendit Dn. Daniel Episcopus Bernensis, Lithotomus excellens, quos ipse diversis temporibus ex calculosis extraxerat. At ego calculum, qui magnitudinem ovi gallinacei multùm excedit, ex vesica nobilis matronæ extraxi Anno 1598. 28. Iulii, quæ & ad annum 1611. usque supervixit.

Anno 1602. prima Novembris Andræam Vitellium, oculistam, & lithotomum intrepidum, mihique olim cognitum, Hattingiæ in comitatu Marchiæ, calculum monstrosè magnitudinis, cineritii coloris, inæqualem, ac si ex multis lapidibus compactus fuisset, & ad uncias viginti duas pendentem, ex vesica juvenis cujusdam, viginti annorum ætatis, Iohann Groten nomine, extraxisse, Magister Eberhardus Stelincks, ejusdem oppidi chirurgus, vir probus & fide dignus (in cujus præsentia Vitellius calculum istum extraxerat) anno 1612. cum Hildena Hattingiam profectus essem, præsentibus multis aliis hujus operationis testibus fidelissimis, mihi retulit. Sed in ipsa operatione, quæ & lon-

& longa & laboriosa, inprimis verò dolorosa fuerat, æger animam Deo reddidit. Delineationem hujus calculi, quam idem Dn. Eberhardus Stelincks mihi communicavit, hîc quoque annectere placuit: tu, quæso, omnia æqui bonique consule. Filium meum ut commendatum habeas, obnixè rogo, quo te duce & authore dissectionibus anatomicis, quæ apud vos frequentes sunt, nec non consultationibus chirurgicis aliquando interesse possit. Mitto ad te tertiam Centuriam observationum mearum, excipe illam, quæso, serena fronte. Vale Vir clarissime, & feliciter vive diu. Raptim Lausannæ 5. Maii 1615.

Obs. 51.

Figura & magnitudo calculi.



Ad eundem Virum Doctissimum, Dn. PETRUM BLANDINUM, *postscriptum.*

Obsignata jam, quam ad te dedi, epistolâ, Vir clarissime, literas à Viro clarissimo Dn. Georgio Fabro castri imperialis Fridbergensis Dn. Medico ordinario, amico meo singulari accepi. Continent illæ de infelicissimo successu Croci metallorum exemplum singulare. Puellæ enim quinque annorum cum à Paracelsista exhibitus esset, paulò post Symptomatibus gravissimis correpta fuit; Vomitu nimirum vehementissimo, cum alvi dejectione & concussionibus fortissimis totius corporis, tandemque mors quoq; sequuta est. Aperto cadavere, inter cætera, de quibus aliàs, ventriculus quoq; adeò angustus & in se contractus, ut magnitudinem ovi vix excederet, repertus fuit. Hepar veluti si in aqua ferventissima maceratum fuisset, induratum, & vesicula fellea præter modum tumida, sanguine citrino repleta erat. Intestina à croco isto (qui in ventriculo ita contracto, adhuc latitabat) tincta & infecta fuerunt. Vide quàm sit periculosum Chymica medicamenta tractare. Rescribe quæso, cujus coloris fuerit calculus, item an æqualis & politus, an verò inæqualis? Longitudo renis, prout ex delineatione, quam misisti, colligo, pollices geometricos octo cum dimidio; latitudo verò quinque cum dimidio continet. Hæc meo quidem judicio observationi addenda essent, omnia tamen tuo arbitrio relinquo. Iterum vale. Raptim Lausannæ 7. Maii 1615.

Tibi addictissimus
GUILHELMUS FABRICIUS HILD.

Viro præstantissimo Dn. Guilhelmo Fabricio, Petrus Blandinus S.D.

Literas tuas, Vir præclare, quamprimum accepi, exosculatus sum, & animum, qui impulit ad scribendum: quid enim ille nisi benevolentia mei æstuat? qui raptim exaratis, tam doctè & luculenter responderit; quas dico literas fronte læta iterum accepi, & maximè ob elucens in iis studium tuum & ardorem in res ob extremam admirationem scitu dignissimas. Percutit sanè ejusmodi serosi humoris quantitas in pectore contenta, sicut & fidem veluti perfodit; & ea sanguinis saniosi in pericardio. Vltra naturæ modum molem cordis auctam, admiratione dignum ducis, nec hactenus observatum arbitraris. Sed, quæso, mirari

Obs. 51. & 52.

desine, nec tibi quot modis in partium corporis nostri formatione, ludat natura, ignotum. Dein in corpore tot tantisque morbis obsesso, nulla pars sana (generaliter sanitatis nomine accepto) præter ipsum cor, reperta fuit, quod tum insita virtute, tum substantia magnitudine, tam diros insultus perferre potuit, hisce & correspondebant ea, quæ animi pathemata dicuntur.

Abscessus in corde.

Cordis attenuati ex Telesio ad tunicam usque exemplum prodis, sed quid de abscessu nuper in corde viso ab excellentissimo Paulo Offredo, à quo tanquam amico, & verè amici nomine digno, plenius accipere poteris, judicabis. In calculosis ventriculum ita rarò adstringi verè assentias, sed hic ob subitam potus è ventriculo eductionem ab humidi defectu, in reliquis corporis partibus ob hepatis retorridam substantiam, nec alienum ventriculum adstringi.

Apprimè satisfacit tua de tanta renis dilatatione arguta ratio, nec vivo carens & privato exemplo. Iam Epistolæ tuæ respondens, & quæstiunculam, quam proponis libare conabor, sed breviter, & cum Homero ἐπιτροχάδην. *Quid enim hic vela pandam? Quæris cujus coloris fuerit calculus? item, an æqualis & politus? Fuit hic cineritii coloris, prout semper vesicæ calculus observatur, inæqualis, in apicem vergens: ad fundum enim vesicæ rotundus veluti erat, tunc ad collum vergens declivior, & multò acuminatior: nullibi sanè erat æqualis, sed planè scabrosus. Geometricam tuam renis diagraphen mirum in modum approbo. In Ecstasin rapuit me veluti calculi à te visi tanta, tamq; monstrosa magnitudo. Quin imò & de croci metallici infelici successu à te scriptum epistolium mirum in modum me movit. Adderem ad hanc rem de metallorum per chymiam præparatorum exhibitione multa, ni & epistolium limites transcenderet, & tabellarius urgeret. Verùm de his pleniùs aliàs. Cæterùm quas possum animo concipere gratias ago, pro tam honesta Centuriæ exhibitione, & tui erga me synceri & nivei animi demonstratione, polliceorque, me in omnibus tuis mandatis de filio tuo perhonesto ne latum unguem discessurum. Vale, & diu incolumis, Deo benedicente, vive: tuam honestissimam consortem meo nomine saluta. Datam Genevæ 12. Maii 1615.*

Vesicæ calculus cujus sit coloris.

OBSERVATIO LII.

Ex potu vini recentis, ac nondum defæcati, retentio urinæ cum maximis doloribus sequuta.

Lib. de euchymia & cacochymia.

Musti vires.

Multa variaque morborum genera ex musto ac vino recenti oriri, testantur Medici. Mustum enim (Galeni verbis utor) licet coquatur ægrè, crassumque succum & inflationes gignat, alvum tamen subducit: id, quod si interdum efficere nequeat, mirum in modum nocet. Hactenus Galenus. Hujus quoque sententiæ est author Scholæ Salernitanæ, & omnes probati Medici. Dysenteriam inducere mustum ac vinum recens, Forestus lib. 22. observat. 31. affirmat. Ego idem in viro robustissimo accidisse memini, uti fusiùs in libro meo de Dysenteria declaratur. Mustum præterea & vinum novum, propter admixtionem crassarum partium, oppilationes viscerum, hepatis, splenis, & venarum Mesaraicarum inducere, & urinam supprimere atque retinete, sæpissimè observatum est. Qua de re lector historiam admiratione dignam in 2. centur. observationum mearum Chirurgicarum videre poterit. Hoc verò anno 1610. mense Octobri simile quid accidit: Quidam enim Vir, genere, virtute ac doctrina verè Nobilis, cum præter consuetudinem suam post prandium, & in cœna vinum novum aliquomodo lautè bibisset, eadem nocte suppressione urinæ correptus fuit. Dolor adeò erat magnus, ut ventrem in partes dilacerari atque disrumpi putaret: Aderat & vomitus, inquietudinesque maximæ. Ego in consilium adhibitus, statim sequens Enema præscripsi.

R. radic. Althææ ℥ j.
herb. malv.
violar.
Mercurialis
fol. Althææ
flor. chamomel.
meliloti
sambuci ana M. j.
sem. anisi
fœniculi
petroselini ana ℥ j.
lini
fœnorgræci ana ʒ vj.

Coquantur in aqua ad consumptionem tertiæ partis. In ℔ j. colaturæ dissolve vitellos ovorum num. 2. mellis Mercurialis ℥ ij. olei anethi & chamomelini ana ℥ j. ß. salis ℥ j. Misce & fiat clyster.

Interim dum expectabatur operatio Enematis, imum ventris, perinæum, membrum virile, atque os sacrum, sequenti lenimento inunximus:

R. Unguent. dialthææ ʒ ij.
ol. liliorum alborum
lumbricorum &
scorpionum ana ℥ j.

Misce, fiatque linimentum. Rejecto clystere, urina effluere incæpit, & postquam sequens balneum ingressus esset, dolor sedatus est, & urina liberè effluxit.

R. rad. Althææ
lilior. albor. an ℥ iiij.
fol. Althææ
malvæ crispæ
violarum
Mercurialis
flor. chamomillæ
meliloti
sambuci ana M. iiij.
sem. anisi
fœniculi
carui
petroselini
anethi
fœnigræci ana ℥ ij.
sem. lini ℥ iiij.

Incidantur quæ incidenda, & contundantur pro semicupio. His adhibitis remediis plenissimè restitutus fuit. Libenter ipsum purgasse, & quæ obstructiones reserant, & vias urinarias expurgant, exhibuissem, sed occupationes ipsius maxi-

maximæ, quibus tunc temporis occupatus erat Nobilis iste, id non permiserunt.

Videmus itaque quantum in periculum & vitæ discrimen ægros adducant, qui dysentericis tempore vindemiarum mustum, tanquam præstantissimum medicamentum non solùm concedunt, sed etiam copiosè præscribunt.

OBSERVATIO LIII.

De corpore quodam membranoso, ex vesica excreto.

Ad

Virum clarissimum atq; doctiss. Dn. JOHANNEM CRAFFTIUM *apud Neocomenses Doctorem Medicum ordinarium atq; celeberrimum,*

Cui

Guilh. Fabricius Hildanus, S. P. D.

ANte mensem Basileâ redii, vir clarissime, ubi per sex integros menses continuò ferè apud serenissimum Principem JANUTIUM RADZIVILIUM, &c. detentus fui. Post reditum meum quartanâ periculosâ correptus fui. Multis variisque medicamentis usus sum, quibus DEUS ita benedixit, ut nunc omninò ferè remiserit febris, & si DEO ita visum fuerit, pristinam valetudinem brevi me recuperare posse sperem. Hac æstate varia occurrerunt symptomata, quorum unum aut alterum Tuæ Excell. communicare non gravabor.

Superiori mense Majo die 14. calculos duos rubri coloris, quorum alter drachmas tredecim, alter unam cum semisse pendet, ex vesica Generosi Viri Dn. ZACHARIÆ GEITZCÖFFLERI à Gailēbach Dn. in Haunsheim &c. extraximus, operationem & curationem feliciter successisse, ut Generoso Viro Dn. Baroni in Gorlier significare nō graveris, vehementer rogo. Ipsius enim Generos. hac de re solicitam esse scio.

Nobilem nec obscuri nominis Virum Basileæ, unà cum clarissimis Viris Dn. D. FELICE PLATERO, & D. CASPARO BAUHINO invisi. Laborabat ille retentione urinæ, quæ ipsum per intervalla, & quidem sæpissimè mirum in modum excruciabat. Retentionem autem hanc non ex calculo, sed ex scirrhoso quodam corpore, vesicæ adnato, originē habere, verisimile est. Sed, quod notandum, in vesicam hujus viri catheterem exilem, ut vulgò utimur, immittere non potui, ut & ante me Lithotomus quidam exili suo cathethere ad vesicam pervenire non potuerat. Catethere verò, qui crassitiem pennæ cygni adæquat, facilimè in vesicam ipsam perveni. Ante triennium similem casum in octogenario observavi, ut in 2. cent. observat. 65. videbis.

Occurrit & hac æstate matrona gravida Paterniacensis, ISABETH ROUGE nomine & uxor nobilis Viri Dn. DANIEL CROTTE, quæ maximis doloribus è regione vesicæ laborabat. Urinam guttatim, & continuò tanto cum labore & cruciatu, ac si fœtus edendus fuisset, reddebat. Verùm conjunx mea, quæ me absente illam curandam susceperat, quum veram caussam tantorum dolorum scire explorareque vellet, & digitum inunctum oleo amygdalarum dulcium in collum matricis immisisset, duritiemque maximam in ipsa vesica observasset, curationem sic instituit. Primò corpus aliquoties syrupo rosato solutivo, composito cum rhabarbaro, agarico & sena expurgavit: Enemata emollientia, anodyna, & flatus discutientia infudit, ventrem, regionem vesicæ, imò & ipsum collum vesicæ & uteri, oleo liliorum alb. amygdal. dulc. & anethino inunxit, sacculum quinetiam ex radicibus, herbis, floribus, & seminibus emollientibus, anodynis, & flatus discutientibus in aqua coctum, calidè applicuit. Satis expurgato corpore, per dies aliquot medicamentū urinas insigniter ducens sumpsit, hinc facultas expultrix vesicæ ita irritata fuit, ut quadā die unà cum urina corpus membranosum ad magnitudinem pugni, molle tamen & lubricū excerneret. Et postquam per dies aliquot urinas turbulentas, imò & purulentas reddidisset, & optimam victus rationem observasset, plenissimè convaluit, & nunc partui proxima est. Prædictū autem corpus membranosum in maximas & tenuissimas membranas extendi potuit. Mater hujus matronæ, cum ante annos quatuor difficultate urinandi diu laborasset, multisque medicamentis ex consilio meo usa fuisset, calculum, qui magnitudinem olivæ adæquat, rejecit.

Anno 1605. simile quid Friburgi Helvetiorum mihi videre contigit. Matrona quædam honesta Friburgensis, ADAMI KUNNEMANNI uxor, postquam in difficili partu multa variaque sumpsisset medicamenta, ac tandem fœtum mortuum enixa fuisset, dolore acutissimo è regione vesicæ correpta fuit, & urinam guttatim reddidit. Ego bimestri à partu vocatus, ipsam graviter laborantem, & urinam per collum uteri effluentem offendi. Illum cum inspexissem, beneficio speculi matricis, ulcus in ipso vesicæ fundo, & ad collum uteri penetrans reperi: sed (quod notandum) per ulcus hoc infinitos lapillos contusi pumicis instar, & filamentis atque membranis colligatos ac involutos extraxi: quorum nonnullos inter rara mea reservo, in quibus etiamnunc mēbranæ istæ apparent. Plenissimè convaluit matrona hæc, & ad annum 1609. usque supervixit. Ulcus quinetiam in ipso collo vesicæ existens, cōsolidatum fuit, uti fusius in 3. cent. observat. videbis.

Ante dies aliquot Neocomensis quidam mihi retulit, ex rupto abdomine cujusdam viri, ROBERTI nomine, apud vos in pago l'Ocle, vermem monstrosum prorepsisse, T. Excell. ut hujus rei veritatem expiscari, mihique communicare non gravetur, vehementer rogo. Vale Vir clarissime cum lectissima tua conjuge, quam tecum ego & uxor mea salutamus. Dabam 22. Octob. 1610.

OBSERVATIO LIV.

De periculosa carunculæ curatione.

DUctum urinarium exquisitissimo sesu præditum esse, nullus Anatomicorum & Chirurgiæ Practicorum non novit. Inde evenit, ut carun-

Obs. 53. & 54. *Curatio.* *Observat.* *Caruncula in ductu urinario, difficilè curantur.*

Obs. 54. & 55.

carunculæ in ipso progenitæ difficulter sanentur, cum morbus acria, & aliquomodo erodentia medicamenta desideret, at locus affectus nihil tale sine maximo discrimine ægri admittit, præcipuè in delicatulis, ut sequens historia fidem facit.

Observatio de caruncula.

Nobili cuidam Parisiensi, caruncula ex Gonorrhœa virulenta contracta laboranti, cum chirurgus Medicamentum acre siphone in ductum urinarium infudisset, protinus dolor ingens exortus est: sequuta deinde inflammatio & febris, urinaque planè suppressa fuit, & intra paucos dies maximo cum cruciatu vivere desiit.

Historiam hancce mihi communicavit Vir nobilis ac strenuus Dn. Noël Lovis Dn. in Denant, qui hæc omnia suis se vidisse oculis affirmavit. Ex quibus perspicuum fit, Capitellum Vigonis, ejusdemque trochiscos de minio (recipiunt enim Arsenicum) non tutò carunculis istis applicari posse.

Admonitio ad Tyrones.

OBSERVATIO LV.

Matrona gravida variolis laborans, infantem variolis affectum peperit.

Viro Amplissimo atq; Doctissimo Dn. GREGORIO HORSTIO, *Philosopho & Medico summo, nec non Illustriss. Principis ac Dn. Dn.* LUDOVICI *Landgravii Hassiæ Archiatro, in Inclyta Academia Giessena Hassorum Medicinæ Professori longè celeberrimo, amico singulari.*

De ærumnoso statu rerum domesticarum meatum, Vir amplissime, fautor & amice plurimùm honorande, ante hac ad te scripsi, quare superfluum esset, nunc iterum refricare vulnus. Pestis nondum omninò hic cessavit; etiamsi huc usque aspera satis fuerit hyems: quapropter verendũ est, ne circa Ver iterum ingravescat. Deus miseratur nostri. Cæterùm ante annum de pueris quibusdam epilepticis ad te scripsi, & quæstionem movi, nimirum an etiam morbi ex forti imaginatione prægnantis fœtui inprimi possint: responsum verò ad literas illas etiamnunc avidè expecto. Nunc simile ferè quid occurrit, quod tecum communicare visum est.

Honesta quædam ac pia Matrona, in oppido Fontenoy in Lotharingia, Barue Chardini uxor, cum primò utero gestaret, & constitutum tempus pariendi ferè attigisset, unà cum marito suo, uno eodemque tempore variolis correpta fuit, & quidem tam graviter, ut maritus mortem obiret. Matrona in ipso vigore morbi, cum corpore & mente simul, & gravissimè laboraret (corpore ratione morbi, mente verò propter obitum mariti sui) infantẽ peperit vivũ quidẽ, sed variolis ita infectum & contaminatum, ut ipsa facies quoq; undiq; pustulis scateret. Vixit nihilominus ad octavum usq; diem. Hæc ex relatione piæ atque honestæ matronæ, Catharinæ Masel, viduæ Dn. Miloti, quæ hic apud nos vivit, quæque ipsamet testis est ocularis, habeo. Cæterùm summopere ex te intelligere cupio, quæ nam variolarum fœtus verissima causa fuerit: Imaginatio matris, an verò sanguis maternus? Hæc festinante calamo ad te scribo. Lausannæ ultima Decembris 1613.

Quæstio an morbi interni & imaginationis cõtrahatur? Resp. vide

OBSERVATIO LVI.

Prægnans morbillis laborans, infantem per totum corpus morbillis contaminatum peperit.

Honesta & pia quædam matrona, & Reipub. Bernensis Senatoris uxor, cum dimidiam partem noni mensis impprægnationis ferè attigisset, febre acuta & quidem maligna correpta fuit: morbilli quin etiam mox per totum corpus eruperunt. Quarta die morbi prægnantium doloribus correpta, puellum per totum corpus morbillis contaminatum peperit. Porrò etsi cùm mater tum etiam ipse infans per dies aliquot gravissimè laborarent, ambo tamen convaluerunt, inprimis mater: puer enim etiamnunc cerebrum humidissimum habet, & catharrhis obnoxius est. Quod præcipuè inde accidisse verisimile est, quod obstetrix, & adstantes mulierculæ (quemadmodum mater mihi retulit) infantulum aqua tepida statim post partum abluerunt. Aqua enim cum sit potentia frigida, materiam morbillorum versus interiora, non sine maximo damno repulit. Quodcunque enim, attestante Hippocrate, corporis malum ab exterioribus & ignobilioribus partibus, verti ad interiora, ut ad partes principes, periculosum est, & aliquando mortem adfert. Humor enim morbificus ad partes principes propellitur. Id autem balneum aquæ calidæ, in tenello isto & recenter nato puerulo facilè efficere potuit. Hinc videre licet, quàm perniciosum sit, infantulos recenter natos aqua, quamvis tepida, abluere. Cæterùm cum puer catarrhis, uti dixi, à juventute esset obnoxius, & circa septimum annum ætatis eum visum dextri oculi planè amisisse parentes percepissent; ac ego in consilium adhibitus fuissem, nervum opticum ejus oculi crassis & lentis humoribus obstructum esse, statim cognovi, quandoquidem oculi malè affecti pupilla ab altera non differebat, etiamsi ea nihil discernere posset æger. Aliquoties purgato corpore, & per intervalla applicatis cucurbitulis, 14. Januarii 1615. nuchæ setaceum quoque applicui, idque in eum finem, non solùm ut materiam circa nervum opticum collectam, ad nucham revocarem, verùmetiam, ut visus alterius oculi conservaretur.

OBSERVATIO LVII.

De admirabili admodùm situ fœtus in utero, ipsiusq; uteri ruptione.

Viro clarissimo ac doctissimo Dn. CLAUDIO DEODATO, *reverendissimi ac illustrissimi Episcopi Basileensis Doctori Medico ordinario, atq; celeberrimo,*

Cui

Guilh. Fabricius Hildanus S. P. D.

Ultimæ tuæ ante dies quindecim, penultimę verò, in quibus de admirabili admodùm & horrifi-

horrifica mania agis, vigesimo quarto Julii, vir amplissime, & amice æternùm observande, traditæ mihi fuerunt. Ab eo tempore nihil literarum tuarum accepi, propter aurigarum, quibus tu commisisti literas, negligentiam. Ut itaque in posterum securè ad me pervenire possint, suadeo, ut illas Biennam ad Dn. EMANUELEM URSTISIUM Medicum posthac mittas. Hactenus in tractatu meo de gangræna occupatus fui, illi nunc postremam manum admovi, observationibus auxi, & figuris novis illustravi. Exemplar Oppenhemium misi, ubi nisi in via deperditum fuerit, forsan futuris nundinis prodibit. Nunc quartam centuriam observationum iterum præ manibus habeo, paulatimque in ipsa progredior. Quod si observationem tuam de leproso communicare tibi libuerit, gratum mihi fuerit, libenterque ipsam centuriæ isti inseram: uti quoque illa, quæ circa reverendam & nobilissimam Canonissam Mazonopolitanam, in posterum tibi observare licebit.

Quæ de rustico circa carpum vulnerato scribis, multoties mihi observare quoque licuit, imò & superiori hyeme Patricium quendam Bernensem, Dn. NICOLAUM KILCHBERGERUM curandum habui. Receperat autem ille vulnus insigne ad carpum dextrum gladio Helvetico. In ictu isto ramus ille insignis venæ medianæ ad pollicem, indicemque (quem vulgus Chirurgorum ramum cephalicæ venæ esse arbitratur) excurrens, uti quoque arteria & tendo, qui pollicem sustinet, abscissi fuerunt. Hæmorrhagia etsi magna adesset, filo tamen ligatis vasis, protinus remisit. Ex arte curato vulnere, omnia tam feliciter successerunt, ut nullum supervenerit symptoma: circa vasa tamen abscissa, vulnus non nisi maxima cum difficultate coaluit. Nunc tamen omnia, laus sit DEO, salva sunt, nisi quod manus propter nervorum ac tendonum abscisionem robur suum nondum adepta sit. Verùm hæc minimè rara sunt: vulnera enim & ulcera omnia articulorum, si profunda fuerint, difficilimè coalescere, indies observamus, idque propter motum articuli, & defectum carnis accidit. Motus enim, quia ex corpore humores ad partem læsam rapit, vulnus continuò humectatur; quæ humectatio consolidationi obest, ut Hippocrates & experientia docent.

Porrò ne nudam ad te mittam epistolam, en casum observatione dignum. Præteritâ hyeme honesta quædam matrona Bernensis, adhuc juvenis, cum tertiò uterum gestaret, & justum tempus gestationis absolvisset, doloribus parturientium tam acerbis ac vehementibus correpta fuit, ut vix unquam similes observati fuerint. Aqua quin etiam, quæ fœtum comitari solet, uti quoque sanguis, copiosè profluxere, brachiumque dextrum fœtus, primò quoque insultu erupit. Post horam tamen dolores omnes & conatus parturientium cessarunt, nec deinceps redierunt. Quarto post die, videns obstetrix, rem in angustia esse positam, suasit, ut uxor mea (quæ in extractione fœt⁹ mortui aliquoties per singularem DEI misericordiam magna, ne dicam admiranda, præstitit) advocaretur. Illa cùm ad parturientem pervenisset, brachium dextrum ex utero propendens reperit; febris quoque, lipothymiæ & vomitus aderant. Exhibita confectione alkermes, ex aqua cinnamomi (sine vino destillata) & buglossæ, inuncto quoque ventre oleo liliorum alborum, & amygdalarum dulcium, brachio quin etiam ex ipso orificio matricis remoto, dolores hypochondriorum, qui antea propter tensionem peritonæi, ut postea dicam, acerbi fuerāt, cessarunt. Verùm dolores & conatus parturientium (etsi dolores reliquarum partium continuò ægram vexarent) neque medicamentis, neque manu (ut obstetrices & Chirurgi exercitati aliquādo facere consuevêre) excitari potuerunt. Inunctis partibus dolore vexatis, laxata alvo, anodynis, nec non cardiacis ex meo consilio propinatis, dolores omninò cessarunt, ita ut cibum utcunq; cum aviditate assumeret, somnum quin etiam minimè turbulentum caperet, & ita quidem, ut nihil amplius in ipsa, præter exclusionem fœtus, desiderari videretur. Cùm verò motum aliquem naturæ, qui nobis viam modumq; procedendi monstraret, ex consilio jussuque adstantium, in septimum usque expectaremus: ecce cardialgia cum rigore quodam ac lipothymia, cùm ægram invasissent, protinus piè placideque extincta fuit.

Obs. 57.

Caussæ difficilis partus.

Sed inquiramus nunc caussam, cur fœtum excludere non potuerit? Illæ etsi multiplices sint: omnes tamen ad tria capita reduci possunt. Aut enim nimis angustum est os uteri, quemadmodum aliquando videmus in illis, quæ antea nunquam pepererunt, aut ulcere aliquo in istis partibus laborârunt, aut quibus constitutio corporis siccissima est. At hæc antea bis uterum gestaverat, & feliciter pepererat, nec constitutione corporis admodùm erat sicca. Altera caussa est situs fœtus præternaturalis, quemadmodum in hac matrona accidit. Fœtus enim in transversum situs erat; & ita quidem, ut caput sinistro, pedes verò dextro hypochondrio ita insisterent, ut in utroque latere prominentia non obscura observari posset. Spina dorsi autem fœtus versus orificium uteri vergebat. Brachium dextrum extra orificium propendebat, sinistrum verò, uti quoque crus dextrum (quod versus caput reflexum) mediantibus vasis umbilicalibus (qui truncum corporis bis circumdederunt) trunco corporis ita alligabantur, ut ab initio fœtus ad exitum minus commodè sese parare posset, sed omnia inverso ordine acciderent. Tertia deniq; caussa est facultatis expultricis labefactatio ac prostratio, quæ fit aut propter virium cordis abolitionem, aut ex solo vitio uteri. At in hac matrona vires vitales ad finem ferè vitæ suæ integræ permanserunt. Caussa itaque ex utero ipso petenda est, hoc modo. Ab initio cum fœtus, qui & maturus & robustus erat, cùm maximo impetu sese moveret, & ad exitum præpararet, sinistro pede corpus ipsum uteri versus dextrum latus dilaceraverat: hinc facultas expultrix ipsius uteri & protinus & omninò abolita fuit, parturientium quoque dolores & conatus cessarunt. Ruptionem autem illam uteri in aliis quoque observavi, cujus disruptionis subita illa abolitio facultatis expultri-

1. Angustia orificii.

2. Situs fœtus præternaturalis.

3. Facultatis expultricis labefactatio.

Uteri ruptio.

 pultri-

Obs. 57. pultricis, & parturientium conatus (si vires vitales integræ permanserint) certissima semper mihi fuerunt indicia, idque quotiescunque accidit, de vita parturientis actum est, nisi sectio Cæsarea (quæ tamen in hoc casu valde suspecta est) administrata fuerit. Disrupto enim instrumento, nimirum utero, cessat quoque actio, hoc est, virtus expultrix, & parturientium conatus, ut antea quoque dixi: quæ omnia cùm neque medicamentis neque manu excitari possint, putrescit tandem fœtus, simul & secundina: ex qua putredine vapores putridi ac maligni ad partes nobiles ascendunt, mortemque accelerant. Occurrit & alia caussa, propter quam dolores & conatus parturientium protinus cessant, Medicis, utplurimum incognita, nimirum cùm ex motu isto vehementissimo fœtus, vas aliquod internũ disrumpitur, quemadmodum vidi in matrona quadam honesta ac pia, de qua lege observationem 57. cent. 3. In his autem facultates omnes propter deperditionem sanguinis protinus prosternuntur. Delineationem hujus situs admirabilis libenter nunc ad te misissem, nisi procul abessem à bibliotheca mea, fiet id, Deo dante, cùm Bernam reversus fuero.

De milite, cujus in epistola tua mentionem facis, quid dicam? vereor ne subsit fucus: Solus enim Deus miraculosè unico quin etiam verbo ex tempore gravissimos sanat languores, nos autem medicamentis, quæ tempus requirunt, antequam ex potentia in actum à calore nostro innato reduci possint. Verùm si anguis latet in herba, tempus ac veritas ipsa tandem patefacient. Superioribus annis hujusmodi agyrtas, pseudomedicos & circumforaneos hic quoque habuimus, sed cum suis miraculis & remediis veluti fumus brevi evanuerunt. Ante mensem literas ex Hassia, à Dn. Georgio Fabro, Medico & Chymico celeberrimo accepi, scribit ille Dn. Libavium diem suum obiisse, uti quoque Dn. Jacobum Mosanum, Illustrissimi Principis Mauritii, Landgravii Hassiæ Doctorem Medicum & Chymicum eximium, qui & meus fuit amicus intimus: Promiserat ille mihi, se controversiam illam de usu aquæ chalybeatæ in dysenteria enucleaturum: utinam id præstitisset: præstitisset autem sine ullo dubio, nisi invida mors illum nobis eripuisset. Prædictam autem aquam alvum movendi vim habere, cùm superiori autumno cum junioribus Principibus Genevâ rediens, Bernam transiret, ac me inviseret, constanter mihi coràm affirmavit. Tu, si libuerit, hoc genus argumenti facilè tractare, nodumque illum Herculeum solvere posses: Idque ut propter commune bonum facere velis, te etiam atque etiam adhortor.

Libavii obitus.

Aqua chalybeata alvũ movet.

Scripsi ad Dn. D. Crafftium, & ut radices ellebori nigri ad te mittat, admonui. An autem radices illæ veri ellebori nigri tam copiosè in tractu isto reperiri possint, valdè dubito. Rarus enim nobis est elleborus ille verus, & nonnisi in hortis, & quidem in paucissimis reperitur. Consiligo verò, quam Matthiolus in Dioscor. libr. 4. cap. 146. pseudohelleborum vocat, & Hieronymus Tragus part. 1. cap. 135. legitimum elleborum (quamvis malè, ut idem Matthiolus ostendit) esse putat, copiosè in montibus nostris crescit: sed adeò malignus est, testante Trago part. 1. cap. 83. ut etiam lupos & vulpes enecet. Cautè igitur in electione radicum ellebori nigri agendum est.

Hæc Lausannâ, ubi ante dies quindecim ad ægros quosdam vocatus fui, ad te scribo. Vale Vir clarissime, & æternùm feliciter vive. Raptim ultimâ Februarii 1617.

Idem ad eundem Virum clarissimum atque doctißimum Dn. D. Claudium Deodatum *Postscriptum.*

Delineationem situs admirabilis fœtus in utero, quam in postremis meis ad te literis promisi, Vir amplissime ac doctissime, nunc ad te mitto, ut possis ea, quæ in descriptione sunt obscura, ex delineatione plenius cognoscere. Misissem eam maturius, nisi Lausannæ & alibi aliquandiu detentus fuissem, & pictorem diligentiorem habuissem. Nobilis ille (de quo superiori anno ad te scripsi) qui ex diuturna & inveterata melancholia in maniam incidit, & à me feliciter restitutus fuit, sexta die mensis Februarii hujus anni, piè placidèque obdormivit: Vixit à curatione in decimum ferè annum, & rem familiæ suæ rectè ac prudenter administravit. Vides etiam in gravissimis & inveteratis morbis minimè desperandum esse. In vehementissimis autem istis corporis agitationibus materiam peccantem in corpore ita agitatam, excalefactam, attenuatamque fuisse arbitror, ut postmodùm partim per sudores istos, veluti extraordinarios, partim quoque per medicamenta melanagoga expulsa atq; dissipata sit. Vale Vir amplissime. Raptim Bernæ 2. Martii 1617.



Observatio LVIII.

De admirabili quodam affectu uterino.

Clarissimo experientissimoq; Viro Dn. Guilhelmo Fabricio Hildano, *Chirurgo-Medico Bernensi, Domino & amico longè charissimo,* Claudius Deodatus, *reverendissimi ac illustrissimi Episcopi Basileensis Medicus ordinarius S. P. D.*

Admirabilem tuam, clarissime Dn. Hildane, de situ mortui fœtus in utero, ipsiusque uteri ruptione historiam, non sine stupore legi. Digna profectò, quæ cæteris observationibus inseratur. Doctè admodum caussas difficultatis partus, &

tus, & exclusionis fœtus in medium adducis: Ego præter angustiam, siccam corporis constitutionem, situs fœtus in utero contenti perversitatem, maximi facio in hoc casu facultatis expultricis prostrationem: non tam ob vitalis facultatis jacturam, quàm uteri à periclitante fœtu factam ruptionem, & dilacerationem excitatam: Siquidem rupto instrumento seu utero, ut verè scribis, haud injuria cessat ejusdem instrumenti actio. Gravia autem illa symptomata cardialgiæ, recurrentesque tum lypothymiæ, tum syncope, febris item, & tandem mors ipsa, haud dubiè è venenatis, corruptis, & putrescentis tum fœtus, tum uteri vaporibus, regiam vitæ sedem impetentibus excitabantur, ut meritò ad cardiaca medicamenta primis morbi insultibus accesseris.

Quandoquidem autem de uterinis affectibus nobis sermo fit, admirabilem quoque cujusdam honestissimæ matronæ Bruntrutanæ historiam recensebo. Hæc postquam bis utero feliciter gestasset, elapsis aliquot annis, menstrua, quæ alioquin aut rarenter, aut diminutè satis fluere solebant, singulis postea mensibus & quantitate & qualitate peccantes apparuerunt: post immodicum enim sanguinis fluorem, magna viscosæ, tenacis, & albicantis pituitæ copia egerebatur. Interim uterus clam furtimq; in tumorem aspectabilem tractabilemque elevari, & non ipsi duntaxat matronæ, sed & adstantibus amicis de tertio conceptu spem facere cœpit, donec immodicus mensium fluor, singulis Lunis copiosè prorumpens, falsam de concepto fœtu opinionem fregit. Venter siquidem indies in molem excrescens, non amicis duntaxat, sed & mihi eundem paulò attentius palpanti, primùm non dubiam de accepta quadam mola, sive ex crassis flatibus aut viscosis & tartareis humoribus, sive carnea congerie ex cruditate & corrupto semine in utero congestis, spem fecerat: mox tamen mammarum flaccescentia, falsæ molæ immobilitas, maximè solennis mensium fluor, tanta copia, tantoque impetu prorumpens, omnem de concepta in utero mola metum ademit. Vix enim hactenus in utero subsistere potuisset, quin tandem aliquando laxatis uteri vinculis, reseratisque ejusdem vasis & orificio, unà cum tanto profluentis sanguinis impetu excuteretur. Rejecta igitur de concepta mola opinione, crevit de imminente hydrope suspicio, crescente utpote indies ventris tumore, cum fœdo faciei colore, cachexia, pedum crurumve inflatione, & notabili virium prostratione, ob nimiam scilicet sanguinis profusionem. At cum nectaris vivifici fons hepar, tum propter laudabilem facultatis hepaticæ progressum, tum propter facultatis sanguificę firmitatem, nec dum vires amittat, cachecticusque ille corporis habitus alia ratione non accidat, nisi quatenus fons vivificus ob nimiam mensium profusionem sensim exhauritur, fit, ut de vera aliqua hydropis specie, certam facere significationem nondum possim. Nec enim præcessit liberalior aquæ pridem suppressæ haustus: nec perennis fit humoris hydropici in partibus abdomini subjectis generatio, quæ facultati hepaticæ impedimento esse possit. (Iecur enim adhuc omnis vitii expers) Nec item proprium hepatis officium, ipsa scilicet sanguificatio, à partium propinquarum lienis, mesenteriiq; interceptione, infarctu, aut sympathia prohibetur: tum quod tales infarctus nō adsint, tum quod jecur probè suo fungatur officio; ut ex imodico laudabilis sanguinis singulis Lunis prorumpente fluore, nullam tamen hepatis Atoniam excitante, constat. Hæc igitur nobis de aliqua hydropis propriè dicti specie omnem metum ademerunt: Anasarcæ quidem seu hyposarcæ, cum jam nulli crudi ac pituitosi humores in totum corporis habitum effundantur: Tympanitidos quoque, cùm nec flatulenti spiritus intestinorum capacitati includantur: Ascitidos demum, cum nec aquosi nec serosi fluores flatibus permixti, internam abdominis cavitatem distendant. Nec etiam de hydrope uteri suspicio esse potest, in eo siquidem, si vel crudi crassique fluores flatusve includerentur, vix fieri posset, quin pridem unà cum copiosissimo mensium fluore excluderentur.

Obs. 58.

Existimo igitur, massam illam duram ac globosam, quæ tactu facilè percipitur in abdomine, esse variorum crassorum, glutinosorumque humorum, fortè & sanguinis concreti, flatuumque crassorum cōgeriem, propriâ quâdam membranâ inclusam, atque intra peritonæum & intestina in inferiori abdominis parte propè uterum, non in interna ejus cavitate sitam firmiterq; affixam. Et sanè ante paucos annos præsente chirurgo, in defuncta quadam muliere, quæ multis annis hydropica credebatur, similem massam proprio involucro, sacci instar investitam observavi, aperto quippe corpore nihil in abdomine reperi, quàm durissimam massam, propriâ membranâ involutam: quâ apertâ, aliquot nigricantis & fœdissimæ aquæ amphoras, magnam item crassorum humorum, & concreti sanguinis copiam inveni, salvis cæteris abdominis partibus, jecore, utero. Hinc fit, ut opinor, quod honestissima, & sat juvencula matrona, nullis hactenus medicamentis curari, massaque ista sensim crescens, nullis thermis emolliri, nullis medicamentis, nulloque artis ingenio excuti possit. Hæc ad te scribo, ut si aliqua industria hanc matronam curare possis, me moneas, nec enim grande deerit tuorum laborum præmium. Vale Vir doctissime, & me amare perge.

Observat.

Clarissimo Viro Dn. D. Claudio Deodato, *&c. Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.*

Responsio ad præcedentem observationem.

De casu isto inferioris ventris matronæ cujusdam Bruntrutanæ, clarissime atque amantissime mi Dn. Deodate, doctè & accuratè scribis, ac meo quidem judicio affectum illum nondum propriè esse hydropem, sed congeriem potius variorum, crassorum, glutinosorumque humorum, in ipso ventre affixam, rectè concludis. In hydrope enim abdomen ad diaphragma & costas veras usque, nunc seroso humore, ut in ascite & anasarca, nunc flatu, ut in tympanite, æqualiter extenditur, & ita quidem, ut scirrhi, si qui sint in hepate & liene, vix percipi possint. At in vestra

Obs. 58. stra ægra, globosa illa massa in inferiori ventre, & quidem è regione matricis tantummodò percipitur. Scribis præterea, hepar adhuc sanum ac integrũ esse, probè quinetiam suo fungi officio, quod in hydrope fieri nequit. Est igitur affectus atque durities illa aut in ipso utero, aut extra ipsius concavitatem, omento, mesenterio, aut pancreati affixa. Video te in hanc sententiam inclinare, massam illam duram intra peritonæum & intestina propè uterum, non in interna ejus cavitate sitam, firmiterque affixam esse. Solennis enim mensium fluor, inquis, tantâ copiâ, tantoque impetu prorumpens, omnem de concepta in utero mola metum ademit: Vix enim hactenus in utero subsistere potuisset, quin tandem aliquando laxatis uteri vinculis, reseratisq; ejusdem vasis & orificio, unà cum tanto profluentis sanguinis impetu excuteretur. Porrò etsi ex ipso omento, pancreate, & mesenterio aliquando hujusmodi excrescentias enasci, ac in scirrhos concrescere sciam, hisce quinetiam meis oculis viderim: hæsito tamen aliquantulum, an in vestra ægra malum sit extra uterum, nec immeritò: Scirrhi enim, qui extra matricem concrescunt, pedetentim enascuntur, & ita quidem, ut aliquando per multos annos tactu deprehendi non possint, præcipuè si in pancreate aut mesenterio fuerint, profundè enim jacent, & intestinis ita cooperiuntur, ut nonnisi pressu inveniantur. At in vestra ægra parvo temporis intervallo accrevit tumor. Ex omento aliquando admirandi tumores oriuntur, ut apud Marcellum Donatum à clarissimo Viro Dn. D. Georgio Horstio editum, lib. 7. cap. 4. videre poteris: sed ut plurimum pro commotione corporis, facilè ex uno in alterum latus commoventur. In vestra autem ægra, quantùm ex tuis colligere possum, ferè immobilis fuit tumor. In tumoribus & scirrhis omenti, mesenterii, & pancreatis, mamæ non intumescunt; at in vestra ægra intumuisse, non obscurè indicant literæ tuæ. Hinc verisimile mihi videtur, malum potius in utero, quàm extra cavitatem ipsius latitare, etiamsi hactenus menses copiosè & frequenter profluxerint, ex quibus tu concludis, nihil in ipso utero posse delitescere, sed crede mi Domine Deodate, idem me in nonnullis matronis observasse, præcipuè in nobili matrona hujus urbis, quæ molam ejus magnitudinis, ut ipsam non solùm tractando ventrem, verùm etiam digito in collum uteri immisso, persentire possem, gestabat: interim tamen suas habuit purgationes mẽstruales. Non autem ex ipso utero profluunt mẽses eis, quæ molam gerunt, sed quemadmodum refert Ambrosius Paræus lib. 26. cap. 65. per ramos venæ & arteriæ hypogastricæ, quæ in uteri cervicem sparguntur. Ex ipso quoque utero aliquando profluere menses, nec propterea tamen molam excuti verisimile est, nonnunquam enim tam tenaciter adhæret, ut cum ipso utero unum constituat corpus, uti ego in dissectionibus aliquoties observavi. Non malè igitur feceris, meo quidem judicio, si circa exclusionem molę, dummodò vires consenserint, laboraveris. Hæc sunt, Vir amplissime atque doctissime, quæ pro temporis angustia ad te scribere potui. Vale & cum tuis omnibus æternùm quàm felicissimè vive.

Scirrhi pedetentim nascũtur.

Tumores admirãdi in omẽto.

Observat. Molã gestantes, etiã menstruales purgationes habere possũt.

Vide cent. 1. Obs. 67. & cent. 3. Observatio 57.

CLAUDIUS DEODATUS *Med. D. Præstantissimo, famosissimoq; Chirurgo-Medico Dn.*

Guilhelmo Fabricio Hildano,

S. P. D.

ADmirabilis illius fœtus in utero cõstituti delineatione, non sine animi jucunditate contemplatus, mirabilem naturæ solertiam prudentiamq; & varios in homine juvando conatus sum admiratus, quæ, etsi suo non semper potiatur proposito fine, ne tamen frustra omninò suam operam posuisse videatur, inaccessas hominiq; ferè incognitas vias modosq; tentat, ut haud injuria è priscis philosophis Polydædala & omniscia natura nuncupata fuerit. Operæ precium feceris, si pulcherrima hac observatione quartam tuam Centuriam exornaveris.

Si in difficili illa quæstione de chalybis in Dysenteria usu, tibi aliqua saltem ex parte satisfactum sit, gaudeo, num autem lucem publicam videre digna sint, prudẽtissimo tuo judicio relinquo. Hoc saltem tibi certò persuasum velim, me propter singularẽ, quo te prosequor, amorem & candorem, omnem operam daturum, quotiescunq; sese obtulerit occasio, ut & studia laboresq; & insignes conatus, quos indefessis sudoribus, & candida animi significatione in publicam Rei medicæ utilitatem indies magis magisq; producis, meis qualibuscunq; studiis juvare, & toti mundo commendare possim. Vtinam omnes pari passu, eademq; synceritate & candore suas observationes publicis typis darent, brevi temporis spacio, non sine animi jucunditate, & studiosæ juventutis utilitate, videremus auctã Rempublicam Medicam, & inter spinosas agyrtarum & sophistarum sentes triumphantem.

Monui non ita pridem, ut data occasione, in juvenum Chirurgorum gratiam, aliquid solidi & certi de lepra, ejusq; examine, signisq; Characteristicis in publicum ederes. Cum enim hoc tempore ad Lepræ examen imprudentes & illiterati Chirurgi vocentur, qui cum lepram à lepra minimè distinguere possint, facilè impingunt, & in ferenda sententia tum sibi, tum ipsis ægrotis plerumq; non sine utrorumq; famæ jactura imponunt: qua de re copiosam satis ad te misi observationem, à nobis nuper observatam.

Misi quinetiam nuper ad te satis bellam cujusdã Matronæ observationem, falsæ Molæ suspicione laborantis: in qua adductis rationibus probare nitebar, illũ ventris tumorem nulli hydropis speciei adscribi, non itẽ Molæ uterinæ annumerari posse: sed esse potius massam quandam globosam, ex variis crassis, lentis, frigidisq; tum humoribus, tum flatibus congestam, propria membranæ seu involucro inclusam, non intra uterum, sed forinsecus supra uterum, intra Peritonæum & ipsa intestina consistere, ibiq; firmiter mediantibus ligamentis & membranis hærere. Tu contra doctissimè & solertissimè mentis & animi tui sensum hoc modo explicas. Doces primò ejusmodi durities scirrhosas, & excrescentias quandoq; in liene, Mesenterio, non rarenter ipso in omento & Pancreate oboriri. Descriptam autem à me congestam duritiem seu excrescentiam scirrhosam, tibi potius intra uteri capacitatem sitam videri, tum quod non pedetentim, sed brevi temporis spacio excreverit tumor, tũ quod ferè immobilis, fixus, eodem

De cha... m...

De l...

Falsa... la su...

eodem in loco hæreat, cum tamen omenti tumores scirrhosi mobiles sint, & pro varia corporis motione variè etiam moveantur: tum quod ab initio statim mammæ intumuerint, quod tamen nec in mesenterii, nec omenti, nec Pancreatis duris tumoribus contingit: tum demũ quod fluentibus licet mensibus ipsam tamen molam non excuti necesse sit, eò quod sæpè tenaciter utero adhæreat.

Hisce omnibus doctissimis rationibus, non tamen contradicendi, sed potius exercendi ingenii studio, brevibus satisfacere conabor. Primùm nec ipse unquam existimavi, subesse aliquem vel in mensenterio vel in omento aut pancreate scirrhosum tumorem, cùm hæc nostra massa tãtam nec duritiem habuerit, sed sit tractabilis satis, nec ita occulta & immersa, sed circumscripta satis oculis, tactuiq; obvia. Ejusmodi massæ cum primas agunt radices, non statim vel à Medico, vel ab adstantibus, ipsisvè ægrotis percipiuntur, præsertim in obesis & pinguibus, donec in aspectabilem molem excreverint; ideoq; non mirum, si primum generationis principium non considerans, scripserim, exiguo temporis spacio in aspectabilem molem massam illam excrevisse. Rarò enim, ut nosti, ad prima morborum principia vocantur medici. Creverunt mammæ primis mensibus, non quod Mola utero inclusa ad sui nutrimentum menstruo sanguine fuerit usa, aut quod occlusis uteri venis, sanguis ille ad mammas raptus fuerit, (quovis enim mense efflorescant adhuc etiam) sed quod ob obesi crassiq; corporis, multis etiam flatibus & vaporibus referti, constitutionem, multi quoq; flatus mammis sese insinuarint, ideoq; scripsi, falsam illam mammarum excrescentiam & inflationem, & nobis & adstantibus falsam de vero conceptu opinionem fecisse. Nervosior multò jam dictis ultima videtur ratio, cui tamen sic obviandum. E venæ cavæ descendentis, testibus, vesicæ, utero aliisq; vicinis partibus alimentum impertientis, ramo, duæ propagines disseminantur; quarum altera epigastrica sursum vergens, altera quæ vulvæ cervici inseritur, & mammis occurrit, ex qua uteri cum mammis consensus exoritur, & per hanc propaginem & virgines & prægnantes menstruum sanguinem profundunt, licet aliis quoq; per easdem vias sanguis profluere possit: Altera vero ejusdem tracti propago, in ipsius uteri corpus inseritur, inq; ejus cavitatem disseminatur, qui & fœtui alimentũ, & omnibus fœminis menstruam purgationem præstat. Hinc patet, non statim abortum esse pertimescendum, cum gravidis quandoq; menses prorumpunt, eò quod ab exterioribus venis, uteri collo seu cervici insertis, promanent. Quod si ab interioribus venis, fœtui adhærentibus, eiq; alimentum subministrantibus, fluant, rarò fœtus debito tempore in lucem editur, cùm sint acetabula illa & ora venarum, quæ in uteri cavitatem desinunt, & per quæ fœtus alimentum trahit, fœtusq; involucra sunt, Ex hisce patet, molam, seu potiùs massam illam in ipso utero non contineri. Nam cum ipsa acetabula & ora venarum interiorum uteri, æque benè molam, ac fœtus ipsos involucri instar circumdent & ambiant, vix fieri potest, quin in tam frequenti, tamq; copiosa mensium eruptione, massa illa iamdudum sit excussa. Et licet fatear una tecum, menses subinde ab exterioribus descendentis cavæ ramis, uteri collo & cervici insertis profluere. nunquã tamen mihi persuadebis, ab ejusmodi venis satis angustis, & exiguo meatu patentibus, tot concreti sanguinis massulas, sæpè pugni instar, tantâ copiâ singulis mensibus prodire, uti nuperrimè adhuc in dicta matrona ipse observavi, quæ etiamnum (nisi massa illa foret) satis bona fruitur valetudine, præterquam quod, ut dictum, singulis mensibus maximam sanguinis, concreti partim, partim fluidi & rubetissimi copiam profundat: unde temporis progressu aliud nõ expectandum, quàm hydrops. Ipsa moles jam amplius excrescere non videtur, sed in eodem ferè statu permanet, citra aliquã doloris acerbitatem. Et hæc sunt, mi clarissime FABRICI, quæ non contradicendi studio, sed ut amori nostro locum darem, scribere volui. Vale millies, milliesq; & cum sese dederit occasio, frequẽtiùs ad me scribe. Pro tractatu de gangræna nuper recuso, cùm nõ habeam, quo talionem reddere possim, gratias habeo longè maximas, precorq; DEUM ter Maximum, ut tibi Nestoreos annos cùm vita valetudinisq; integritate concedat, quò & faciliùs & feliciùs tuis studiis & laboribus rem medicam exornare queas. Vale. Datum 12. Maji. 1618.

Obs. 58. & 59.

OBSERVATIO LIX.

Gravida, cum ictum bombardæ in coxam reciperet, abortum facit.

Viro clarissimo atq; doctissimo Dn. DANIELI DANIELIS, *apud Dusburgenses Clivorum Doctori Medico longè celeberrimo, amico meo plurimùm honorando,*

Guilhelmus Fabricius Hildanus,

S. P. D.

De morsu canis rabidi.

QUod ad observationem meam de morsu canis rabidi tradidisti responsum, Vir amplissime & amice plurimùm observande, gratum, imò gratissimum mihi fuit: & quomodo non gratum? singularem enim tuam in me benevolentiam ex eo satis colligere licuit. Faxit Deus Optimus Maximus, ut contractam inter nos amicitiam fovere, tuæque Excellentiæ officiis debitis respondere possim.

De potione Luchtebergicâ.

Descriptio potionis Luchtenbergicæ adversus morsum canis rabidi, hisce diebus ab amico quodam, Viro docto, mihi communicata fuit: illam contra venena valere, etsi ingredientia fidem faciant, in multis quinetiam maximo cum fructu adhibitam fuisse sciam, attamen, ut in exhibitione methodus observetur, necesse esse mihi videtur. Quomodo enim unum idemque remedium, tam pueris, quàm senibus, & in eadem ferè quantitate exhibitum, intra novem dies venenum hocce tam exitiosum atque lethiferum securè extirpare possit, non video. Medicamentum enim, ut cum corpore ægrotantis; simul & cum morbo, analogiam proportionemque habeat, necesse est. At quia morsus canis rabidi inter morbos maximos numeratur, omnesque partes nobiles occupat, quisnam quæso, venenum hocce tam citò & indifferenter; in omnibus levi hocce medicamento expellere atque superare posset? Quandoquidem *extremis morbis*, ut Hippocrates docet, *extrema conveniunt remedia*. Deinde reperiuntur multi, quorum calor nativus propter indispositionem aliquam internarum partium labefactatis, & veluti sopitus est; ita ut medicamenta intra novem dies ex potentia in actum conver-

Medicamentum cum ægro; & morbo proportionẽ habere debet.

Obs. 59. Medicamentũ ex cācris fluviatilibus ad morsũ canis rabidi. Observat.

convertere non valeat. Alia præterea reperiuntur corpora, quæ pravis humoribus ita abundāt, ut vis medicamenti ab eis suffocetur. Rectè itaque antiquitas medicamentũ ex cancris fluviatilibus in morsu canis rabidi per quadraginta dies exhibuit. Sed hæc obiter dicta sint.

Cæterùm cum T. Excell. rerum rararum studiosissimam esse sciam, casum sequentem adscribere non gravabor. Superiori mense Iunio, undecima die accidit Esseniæ, ut matrona octavo mense imprægnationis ictum bombardæ in coxam dextram reciperet; non tamen globulo, sed chartâ dentibus contritâ atque commasticata; intraveratque charta ista (uti mihi ab adstantibus & barbitonsore ipso relatum fuit) musculos, ad longitudinem digiti. Ex ictu porrò isto fœtus adeò commotus fuit, ut protinus (ægra id facilè observare potuit) mortem obiret, & aqua, quæ fœtum comitari solebat, paulò post efflueret. Postera die doloribus parturientium correpta ægra, fœtum non tantum mortuum, imò & nigrum, flaccidum, fœtidumque peperit. Etsi autem post partum per dies aliquot graviter laboraret, convaluit tamen: Vulnus quinetiam viginti quatuor dierum spacio planè consolidatum fuit: sed non nisi suffulcris & incurvato corpore, idque maxima cum difficultate, incedere potuit. Ego cum ingratissimum istum Nobilem, T. Excell probè cognitum, divino auxilio sanitati restituissem, & 16. Iulii ab ipso discessurus essem, ad prædictam ægram accersitus fui, ut quænam hujus impotentiæ & corporis incurvationis esset caussa, investigarem, simulque remedia apta præscriberem. Tum autem duritiem maximam in inguine, & ab ipso osse pubis regionem hepatis versus ascendentem reperi: eaque non solùm musculis abdominis, verùm & quarto itemque crassissimo in femur procedentium nervo adhærebat, quamobrem & doloribus continuis vexabatur ægra, neque uti dixi rectè, sed incurvato corpore, & innixa baculo incedere potuit. Præscripsi evacuantia, fomentationes, inunctiones, cataplasmata, enemata, aliaque medicamenta, omnia tamen in illum finem, ut corpus à pravis humoribus exoneraretur, nervi corroborarentur, & duricies illa circa nervos emolliretur, & menses provocarentur. Ex usu porrò horum medicamentorum restituta fuit, ut nunc erectè, & absq; baculo incedere, domestica quinetiam sua negotia peragere possit.

Quæstio. An fœtus in utero ex ictu bõbardæ fuerit interfectus.

Movebatur autem tunc temporis inter adstantes quæstio, nimirum fœtus an fuerit ex ictu interfectus, nec ne? Ego etsi propter certas caussas, quid sentiebam, coram adstantibus silentio præterirem; attamen fœtum ex ictu ipso mortuum fuisse affirmare ausus sum. Etiamsi enim ad uterum ipsum non pervenerit ictus, adeò tamen commotus fuerat cùm uterus, tum etiam ipse fœtus (qui tum temporis, scilicet octavo mense imprægnationis, valdè debilis erat) ut ruptis mẽbranis aqua illa, quæ fœtum comitari solebat, efflueret, & hepar uterinum à vasis cotyledonib. abrumperetur, fœtusque enecaretur: non minus ac pisces in aqua ex violentia ictus enecantur, etiamsi globulus ipsos non attingat.

Nigredinem porrò & indicia contusionis, quæ in fœtu apparebant, ex forti imaginatione matris provenisse, planè sentio. Simile enim quid clarissimus & longè celebertimus ille Philosophus simul & Medicus, Dn. Gregorius Horstius, Illustrissimi Landgravii Hassiæ Medicus ordinarius, & in Academia Giessena Medicinæ Professor celeberrimus, amicus meus singularis, Giessæ in matrona quadam observavit. Illam enim secundo aut tertio die ante partum, propter incēdium perterrefactam, infantem sanum quidem, sed undique maculis igneis contaminatum peperisse, non ita pridem ad me scripsit: Tam efficax in prægnantibus est imaginatio; ex qua admirandæ quandoq; proveniunt maculæ, fissuræ, extuberantiæ, aliaque quamplurima, quæ captũ nostrum excedunt. Hinc quoque duritiem illam, cujus antea memini, ortum suum traxisse, verisimile mihi videtur. In forti enim ista imaginatione spiritus, imò & multi humores, versus uterum & vicinas partes confluxerant. Et quia barbitonsor, cui demandata fuerat curatio, internarum partium nullam habuerat rationem, tumor ibi in musculosis & nervosis partibus remanserat.

Fœtor verò unde provenerit, dubitatur. Nonnulli fœtum ante ictum mortuum fuisse, ex fœtore colligere voluerunt: quibus tamen ego subscribere non possum. Cum enim pervestigarem omnia, ægramque de statu suo ante ictum examinarem, ne minimum quidem, fœtum antea extinctum fuisse, sese obtulit. Computruit autem citissimè, primò quia tenellus, ac nondum maturus erat fœtus; secundò, quia calido humidoque loco inclusus; tertiò quia calore suo nativo, qui omnia vivificat, & putredini adversatur, destitutus. Quartò quia calor præter naturam qui omnia destruit, in ipso accensus. Quintò quia constitutio aëris tum temporis valdè calida & humida, ac proinde ad putredinem proclivis. Has præcipuas fuisse caussas, quod fœtus tam citò putredinem contraxerit, existimo. Tua verò Excell. hac de re quid sentiat, intelligere cupio. Generosus Dn. Comes mecum Tuam Excellent. avidè expectat, propera itaque ad nos. Vale Vir clarissime & Fabricium tuum amare perge. Dabam in arce Bruch. 8. Augusti 1612.

OBSERVATIO LX.

De prolapsu uteri propter ineptam, violentamque agitationem, tractionemque secundinæ.

MAtrona quædā gravida, ex nobilissima & antiqua familia Erlachiorũ oriũda, cùm totũ tempus imprægnationis continuis ferè doloribus lumborum partiumque genitalium confecta, & tandem sexto mense imprægnationis parturientium doloribus correpta esset, fœtum mortuum utcunque feliciter peperit. Obstetrix ignorans, alterum adhuc adesse fœtum, cum secundinam vi extrahere vellet, sequutus est dolor lumborum adeò magnus, ut protinus ab opere desistere coacta esset. Aliâ itaque advocata obstetrice, secundum fœtum peperit, sed mortuum quoque. Cæterùm

terùm etsi secundus partus utcunque quoq; successerit, dolores tamen lumborum, partium genitalium, totiusque ventris (qui post violentam ineptamque agitationem primæ secundinæ supervenerant) continuarunt: uterus quinetiam ad pugni magnitudinem extra vulvam prolapsus, ab obstetricibus reduci non potuit. Postquã per duos ferè menses hujusmodi doloribus noctes diesque mirum in modum excruciata esset, obstetricum, muliercularumque infinitarum infinitis penè remediis usa fuisset, tandem 14. die mensis Iunii superioris anni 1617. me quoque ad se advocare jussit, omnia, quæ ab initio acciderant, exponens. Tum ipsam decumbentem, & propter doloris vehementiam ac diuturnitatem, febricitantem reperi, corpus extenuatum, & vires prostratæ erant, uterus quinetiam, uti antea dixi, propendebat. Primò itaque propter doloris vehementiam, vigilias, viriumve prostrationem, sequentem potiunculam exhibui.

R. confectionis alkermes ʒ ß.
extracti nostri anodyni ℈ ß.
aquæ cinnamomi ℥ ß.

Cum decocto agrimoniæ, veronicæ, liquiritiæ, ac seminum anisi fiat potiuncula, detur tribus horis post cœnam. Lumbos, os sacrum, coxas, perinæum, inferioremque ventrem oleo rosaceo inunxi. Ea nocte benè quievit. Quapropter sequenti die, cùm vires aliquomodo constare viderem, ipsam sequenti potiuncula clemẽter expurgavi.

R. spec. diaturbith. cum rhabarb. ℈j ß.
syrupi rosat. solutivi ℥j.
cum decocto præscripto q. s. fiat potiuncula.

Eadem die cùm Badenam mihi proficiscendum esset, optima prius præscripta victus ratione, uxori meæ curationem absolvendam comisi. Illa me absente corpus per intervalla leniter expurgavit, & quæ vires instaurant, uti est confectio alkermes, aqua cinnamomi, & similia, exhibuit: exteriùs manum quinetiam admovit, non tantum anodyna, verumetiam tandem adstringentia, prout necesse fuit, applicuit. Hisce remediis, & optimæ victus rationi DEUS Opt. Max. ita benedixit, ut post dies quindecim, cùm ego Badena reversus essem, ipsam in integrum restitutam reperirem.

Obs. 61.

OBSERVATIO LXI.

De prolapsu uteri in nobilissima quadam Domina.

Vteri prolapsus.

ANno 1612. cùm parentes & amicos invisendi gratia, in patriam profectus essem, ad nobilissimam matronam, cui uterus ad ovi anserini magnitudinem, maxima cum ipsius molestia propendebat, vocatus fui, quibus autem de caussis malum illud contraxerit, ab ipsa expiscari nõ potui. Hoc tamen scio, ipsam nunquam utero gestasse, atque hoc vitio per multos annos laborasse, multosque sustinuisse dolores, neque ullo remedio, quantumvis ex arte adhibito, sanari potuisse. Fabricavi ipsi globulos ex subere, ejus magnitudinis ac formæ, uti illos hic depinximus, quibus uterus ita in corpore retinetur, ut sive pedes deambulare, sive equum aut currum conscendere voluerit, nullum incommodum indè persentiat. Primus autem globus omninò sphæricam, alter verò ovalem habet figuram, sũtque ex subere fabricati, & sequenti cerato obducti.


Curatio.

R. ceræ novæ ℥iij
colophoniæ,
gummi elemi ana ℥j.
terebinth. ʒiiij.
Pulv. rosarum odoriferar.
myrtillorum,
balaustior.
Rad. consolidæ majoris ana ʒj.
masticis &
olibani ana ʒiiij.

Misceantur omnia diligenter, & cum sufficiente quantitate olei rosacei, fiat ceratum in forma solida.

Ceratum.

Globi autem cerato intingendi sunt interim, dum adhuc liquidum calidumve est: idque in eum finem, ut porositates, cavitatesq; ipsorum cerato adimpleantur. Postea spatulâ calidâ undique lævigandum est ceratum. Habeant quoq; globi annexum funiculum, cujus beneficio urgente necessitate extrahi possint. Utitur nunc sphærico, nunc ovali globulo, prout libuerit, nec unquam ipsum, nisi ante actum venereum deponit.



Diligen-

Obs. 62. & 63.

Diligenter autem prospiciendum est, ut globi cum genitalibus proportionem habeant, collumque matricis adimpleant. Magnus enim intrudi non potest; parvus verò uterum non retinet.

OBSERVATIO LXII.

Prolapsus uteri compendiosa curatio.

MUlier quædam, Iutta nomine Hildenæ habitans, quæ & olim apud Parentes meos officio ancillæ per annos aliquot fideliter functa fuerat, cum viro nupsisset, propter inopiam, & inde resultantem pravam victus rationem (erat enim ipsis res angusta domi) unà cum marito scabie correpta, & Coloniæ à leprosis (quibus eo in loco, quod alibi inconsuetum, visitatio & examinatio leprosorum commissa est) pro leprosis dijudicati fuere. Non diu post, cum primò utero gestaret, & partus difficilis esset, prolapsus uteri sequutus est.

Curatio prolapsus uteri.

Venit ad me Anno 1580. exponens miseriam suam, purgavi aliquoties corpus pulvere fenæ Brassavolæ: postea sacculum sequentem ipsi præparavi, cumque ut calidè ter quaterq; in die loco affecto applicaret, ac continuò gestaret, jussi: cujus beneficio brevi restituta fuit, & ab eo tempore plus quam sexies utero gestavit, feliciterque peperit, uti ipsamet mihi retulit Anno 1612. cum Hildenam parentes & amicos visitandi gratia profectus essem. Sacculum autem ex sequentibus præparavi:

R. fol. plantaginis
salicis
mespilorum
quercus
Prunorum sylvest.
summitatum rubi
rosarum ana M. j.
Radic. tormentillæ
consolidæ majoris.
bistortæ ana ℥ j.
balaustiorum
nucum cupressi ana ℥ ß.
sem. anisi ℥ j. ß.

Incidantur & contundantur omnia grosso modo pro sacculo intertexto.

Etsi autem mulier hæc, & nonnullæ aliæ, hoc remedio à me sanatæ fuere: in multis tamen aliis hoc aliaque præstantiora remedia non rarò frustra adhibui.

OBSERVATIO LXIII.

Menses ultra annum septuagesimum profluunt.

MEnses ad annum usque septuagesimum octavum profluxisse, ipsemet observavi, uti Observ. 61. Cent. 2. annotavimus. Idem aliis quoque accidisse, quæ sequuntur exempla, à viris fide dignis mihi communicata, fidem faciunt. Primum clarissimus ac longè celeberrimus Vir Dn. D. Gregorius Horstius, illustrissimi Landgravii Hassiæ Medicus ordinarius communicavit. Qui in quadam Epistola ad me scripta hæc habet verba:

Observationi 61. Cent. 2. de fluxu menstruo in septuagenaria vix subscriberé, nisi ipsemet tale quid annotassem in nobili vidua adhuc, apud nos vivente, quæ annum circiter septuagesimum tertium jam agit & statis temporibus ordinato mestruo fluxu laborat: quod ego constitutioni sanguineæ & bono corporis habitui, quo prædita est, adscribo, sicuti senibus quoque non rarò fluxus hæmorrhoidalis ad ingravescentem usq; senectutem perdurat. Hactenus Dn. D. Horstius.

Secundum exemplum clarissimus ac doctissimus Vir Dn. D. Daniel Daniels, apud Düsburgenses Clivorum Medicus ordinarius, & longè celeberrimus, amicus meus singularis, hunc in modum mihi recitavit. Düsburgi, dicebat, virginem quandam Dorotheam Qnant habuimus, illa cum ab anno quinquagesimo ætatis suæ mēstruis caruisset & annum septuagesimum ætatis prætergressa esset, denuò ipsi menstrua supervenerunt, & tribus ordinariis mensibus recursum habuerunt, postea cessarunt. Sed quod annotatione dignum, ex evacuatione illa naturâ quasi reviviscens, ad centesimum ferè annum ætatis pervenit virgo illa, & hoc tandem anno 1612. mense Martio, extrema macie confecta, è vivis discessit.

OBSERVATIO LXIV.

De sarcocele sive hernia carnosa, & qua de causa ea ut plurimùm in dextra parte nascatur?

Viro clarissimo atq; doctissimo Dn. PETRO ROBINO *apud Bellitenses Doctori Medico ordinario, longè celeberrimo, amico singulari.*

Guilhelmus Fabricius Hildanus,

S.P.D.

FEliciter, laus sit DEO, ad meos redii, vir clarissime juxtà ac doctissime, sed tardè. Copeti enim apud juvenem, cui tibiam abscideram, per dies aliquot retentus fui. Ille præter omnium spem atque expectationem convaluit: Os quod (uti ex Dn. Iohanne Monteilleto intelliges) ante carnem prominebat, natura per se separavit, feliciterque paulò post meum ad ipsum reditum illud absque dolore extraxi. In hoc ægro nonnulla rara observavi, de quibus prolixè ad Dn. D. Offredum scripsi. Misissem apographum literarum, sed propter occupationes non potui: instant enim nundinæ Francofurtenses, quo tempore mihi ad amicos in diversis locis degentes scribendum est.

Adipem humanam, quam promisi purissimam, & à memetipso, cũm ante annos aliquot hîc in octavum usque diem corpus virile publicè dissecarem, fideliter collectam & mundatam, mitto, uti quoque tractatum meum de combustionibus. Tu ut omnia hilari fronte excipere velis, obnixè rogo: & si qua alia in re tibi gratificari possum, promptissimum & fidelissimum se-

per me

per me invenies. Statum Dn. Monteilli & reliquorum ægrorum nostrorum intelligere percupio.

Dum hæc scribo, in mentem venit quæstio, tuis speculationibus non indigna, de qua judicium tuum summoperè expeto: nimirum cur herniæ carnosæ ut plurimùm circa dextrum testiculum oriantur? ut plurimùm inquam: unicū enim hernia carnosa ex sinistra parte laborantē mihi videre contigit: reliquæ omnes in dextra parte fuerunt. Addam exemplum unum aut alterum.

EXEMPLUM I.

Generosus quidam juvenis, cùm amasiam suam amplecteretur, atque cum ipsa in actu venereo esset, & jam semen ejaculare vellet, à quodam cubiculum ingrediente in actu ita deturbatus fuit, ut semen retrocesserit, retentumque fuerit, quapropter dolor in inguine exortus est; & testiculi intumuerunt. Cùm verò morbum propter verecundiam celasset, dolor in sinistro inguine paulatim per se remisit, intumefactio evanuit, & testiculus ad naturalem statum rediit, circa dextrum verò tumor remansit, qui successu temporis in ingentem herniā carnosam excrevit. Ego cum aliis magni nominis medicis in consilium tandem adhibitus, non solùm carnem circa dextrum testiculum concretum, verùmetiam scrotū serosis humoribus ita extensum reperi, ut magnitudinem capitis infantis ferè adæquaret.

EXEMPLUM II.

Ante annos aliquot patritium Coloniensē unà cum clarissimo viro Dn. D. IOHANNE SLOTANO Medico celeberrimo invisi: Laborabat & ille maxima hernia carnosa, eaque ex dextra parte.

EXEMPLUM III.

Anni elapsi sunt tres, à quibus Bernam Helvetiorum ad virum quendam nobilem unà cum clarissimo viro Dn D. PAULO LENTULO poliatro Bernensi vocatus fui: Laboraverat ille per annos aliqaot hernia carnosa ex dextra parte, tādem quoque hydrocele accessit, ita ut scrotum in illam magnitudinem extenderetur, ut membrum virile planè absconderetur.

EXEMPLUM IV.

Ante menses quatuor Paterniacensis quidā JOHANOES COMES nomine, viginti quatuor circiter annorum ætatis, Lausannam ad me venit. Huic testiculus dexter in massam carneam durissimam, quæ magnitudinem pugni longè superabat, excreverat. Deliberavimus inter nos, ut ineunte Vere manum adhiberem. Verùm cùm aliquantisper diutiùs apud vos moram traherem, & affectus de die in diem mira celeritate accresceret, Freiburgum se contulit; ibique curationi cujusdam Chirurgi sese submisit. Quid verò cū ipso factum sit, nondum intellexi.

EXEMPLUM V.

Cùm ante menses duos apud vos viverem, in pagum Vauxuallançon ad reverendum Virum Dn. CASPARUM PERRETUM; ibidem presbyterum vocatus fui. Illi autem non solùm testiculus dexter, verùm etiam vasa spermatica veluti in lapidem induruerant, ita ut manu cōpresso abdomine, duritiem illam in ipso quoq; hypochondrio dextro persentire possem. Malum autem ad ipsam originem usque vasorum spermaticorum ascendere, dolor ipse, quem è regione vasorum spermaticorum ad renem usq; dextrum continuò persentiebat, indicabat. Aderat præterea vomitus, & appetitus prostratio, non tamen propter herniam, ut quidam, qui ipsum ante me inviserat, statuit, sed ratione tumoris dolorosi & duri, è regione fundi ventriculi existentis, quique compresso abdomine, tactu facilè percipi potuit. Quid plura? in tota praxi mea unicum solummodò, ex sinistra parte laborantem hernia carnosa (quæque tandem in cancrum exulceratum atque insanabilem degeneravit) me vidisse memini. Peculiaris itaque hujus rei ut aliqua sit caussa, necesse est. Te Vir doctissime, ut pro acumine ingenii tui, usu, atque experientia rerum medicarum, illam inquirere; mihique haud gravatim communicare velis obnixè rogo. Ego quid sentiam hac de re, paucis annectam.

Hernia Carnosa, quam Græci Sarcocelen vocant, teste [a] Galeno, fit testiculo indurato, & ut idem Galenus [b] testatur, cum scirrho convenit. Caussam verò, humorum crassorum, ad testiculos decurrentium ab undantiam, atq; partis affectæ debilitatem esse, Guido [c] & alii [d] statuunt. Platerus [e] ex contusione vasorum spermaticorum in scroto; item ex succo è vasis illis luxuriante, Petrus Pigray [f] verò ex humore non naturali è venis exsudante; ac paulatim in carnis substantiam transeunte, fieri scribunt. At verò Vigo [g] docet, per affluxum alicujus humoris fieri herniam carnosam, nempe cum hujus materiæ subtilior pars propter calorem testiculorum in halitum resolvatur: quicquid verò crassum & viscosum est, remaneat, in scirrhum tandem illam indurescere. Prædictæ porrò caussæ, etsi minimè rejiciendæ, attamen cur potius in dextro, quàm in sinistro testiculo locum habeant, nondum satis manifestum fit. Etenim potius circa sinistrum testem herniam carnosam gigni debere; non immeritò cuipiam videri possit. [h] Dexter enim testiculus cum propter vasa à magnis vasis eò delata, sit calidior sinistro, ipsum robustiorem quoq; esse, sequitur. Ad calidum enim & siccum temperamentum ([i] Galeni verbis utor) quod actionum robur consequatur, omnibus in confesso est. Potiùs itaque circa sinistrum testiculum, qui dextro imbecillior est, sanguinemque impuriorem, ut idem Galenus [k] testatur, ad se trahit, fluxum illum humorum delabi; ac proinde carnosam illam substantiam procreari posse; verisimile esse mihi videtur. Id verò cum rarissimè observatum sit, caussam carnosæ herniæ obscuram esse, cum Paulo Ægineta [l] statuo. Quod si tamen præter prædictas caussas, retentionem & alterationem, aut veluti corruptionem quandā seminis, hujus mali caussam quoque esse; concedere velis, non usque adeò difficile erit causā invenire, cur in dextro testiculo potiùs quàm in sini-

Obs. 64.

Hernia carnosa, quam caussam habeat.

a *Galenus lib. de tumoribus præter naturam.*
b *Meth. Med l. 14.*
c *Guido tract. 2. doct. 1. c. 7.*
d *Petrus Francus l. de herniis cap. 23.*
e *Felix Platerus tract. 3. c. de caussis exuberātia.*
f *Petrus Pigray l. 2 cap. 42.*
g *Ioh Vigo lib. 2. c. 6.*
h *Gal. l. 2. de semine Vesalius lib 5. c. 13. Bauhinus in theatro suo anatomico.*
i *Galenus loco jam allegato.*
k *de usu partium lib. 14.*
l *de re medica lib. 6. cap. 63.*

Cur hernia carnosa maximè in dextro testiculo generetur.

Obs. 64. & 65. in sinistro gignatur. Et revera retentionem seminis in Generoso isto viro, cujus ab initio memini, caussam totius mali fuisse, certũ est. Cum enim vasa omnia semine & spiritibus turgerent, & natura ut sese exoneraret, intenta esset, retentionem, ac veluti refluxum illum seminis absque ingenti periculo fieri non potuisse, dolor ille, qui in inguine subortus est, testis fuit. Idem fortassis & in reliquis, quorum facta fuit mentio (qui forsan caussam morbi propter verecundiam celarunt) accidit. Hujusmodi enim herniæ utplurimùm in juvenibus, qui sanguine & semine abundant, & in cœlibatu vivunt, accidere solent. Rarò autem fit ex sinistra parte, quandoquidem seminalis vena sinistra non à vena cava, quemadmodum dextra, sed ab emulgente sinistri renis exoritur. Itaq; verisimile mihi planè esse videtur, cum semine ex vena emulgente nonnihil salsedinis & nitrositatis, quæ crassos viscososq; humores incidat & resolvat, exsiccet, & putredini adversetur, ad sinistrum testem defluere. Tuam tamen sententiam hac de re, ut mihi communicare velis, à te magnoperè peto contendoque. Hæc festinanter ad te scripsi, quapropter ut impolito stylo ignoscas velim. Quod superest, Deum ter Opt. Max. elevatis ad cœlum manibus suppliciter & humilimè oro, ut Spiritu suo sancto te, dum in labyrintho isto Justiniani oberras, clementer conducere, tibique Bartholum aliquem pium adducere velit, qui te quàm citissimè e labyrintho educere, & in cœtum Musarum, & campos Æsculapii introducere possit. Benè vale in Christo Jesu cum lectissima tua cõjuge, & me ex animo tibi faventem redamare perge. Nobilissimum Virum Dn. CLAUDIUM FLANDRINUM, Dn. de Montarffier, uti quoque præstantissimos Viros Dn. D. MONTEILLETOS meis verbis officiosè saluta. Raptim Lausannæ ultima Martii 1614. stylo veteri.

OBSERVATIO LXV.

De Hernia aquosa, in qua præter spem & opinionem carnosa quædam substantia, vasis spermaticis adnata, reperta fuit.

Ad clarissimum juxtà ac doctissimum Virum Dn. HECTOREM SCHLANOVIUM, *Reipublicæ Wormatiensis Doctorem Medicum ordinarium ac celeberrimum,*

Cui

Guil. Fabricius Hildanus. S. P. D.

ETiam nunc, clarissime simul ac doctissime mi Dn. D. SCHLANOVI, in Germania detineor, neque huc usque ad ultimos fines Helvetiæ ad meos pervolare mihi licuit. In caussa sunt ex parte amici, inprimis viri docti, qui hinc & inde me retinuerunt, inter quos Dn. D. Petrus de Spina, serenissimi & potentissimi Principis ac Dn. D. Friderici V. Palatini ad Rhenum Medicus ordinarius, & Dn. D. Iohannes Rudolphus Saltzmannus Argentinensis, Medicinæ Professor ordinarius, & Dn. D. Iohannes Küffer, ibidem Medicus longè celeberrimus, non postremi fuere. Argentinâ discedens, in Alsatio nobilissimum quendam juvenem, herniâ aquosâ laborantem invisi. Huic quia spacio quatuor annorum varia medicamenta, cùm à me ante annum, tum etiam antea ab aliis frustra præscripta & adhibita fuere, petierunt parentes, ut tentarem an aliqua alia via sanitati restitui possit filius, se quoque fore contentos, ut incideretur scrotum, dummodò conservaretur testiculus. Parui, intra 3. septimanas curationem me feliciter absolvere posse sperabam: quandoquidem exteriùs nihil aliud præter aquam, quæ sive ad radios solares, sive noctu ad candelam exponerem scrotum, limpidissima, & in vesicula veluti in ampulla inclusa, apparebat: tactu quin etiam nulla durities percipi potuit: ita quidem, ut nihil præter aquam subesse putarem, uti & ante me ab aliis Medicis & Chirurgis judicatum fuerat. Sed bone Deus, quàm me fefellit opinio? quàm verissimam esse divini Hippocratis sententiam, *Iudicium difficile*, reipsa inveni? purgato enim & præparato prius corpore, cùm caustico meo, absque ullo tamen dolore, scrotum perforassem, & tertio die post applicationem escharam separassem, præter aquam etiam carneam quandam & induratam materiam, circumcirca vasa spermatica inveni. Post excisionem itaque escharæ, cùm nonnihil humoris serosi effluxisset, dolor ingens in infimo ventre, inprimis in inguine dextro (qui erat locus affectus) subitò exoritur, sed momentaneus: antequam enim anodynum præparassem, per se, & nullo adhibito medicamento, remisit. Sequenti nocte scrotum aliquomodo intumuit, & tumor durissimus in superiori parte vaginæ, circumcirca vasa spermatica pleniùs percipiebatur. Tunc gravissima illa & periculosa symptomata, quæ ex hujusmodi apertionibus aliquando provenisse sciebam, mihi in mentem venerunt. Ante annos enim aliquot, cùm præstantissimus ille atque excellentissimus Medico-Chirurgus Dn. Iohannes Griffonius, piæ memoriæ, Sabaudo cuidam Lausannæ scrotum aperuisset, & nihil aliud præterquam de hydrocele cogitasset, carnosa quoque substantia, testiculo & Vasis spermaticis adnata, sed seroso humore veluti submersa & tecta, reperta fuit, quæ & paulò post in cancrum malignum degeneravit: ubi medicamenta, ferrum simul & ignem, frustra adhibuit Griffonius.

Antè annos circiter tres Lausannæ idem ferè mihi in quadragenario accidit. Sed ambo isti viri, quod non omittendum, pravis humoribus referti erant. Nobilis verò noster æger sanus est corpore, interim tamen seriò apud me perpendens periculum, anxius fui, præcipuè eam ob caussam, quod de periculo ab initio nihil prædixeram. Ægri tamen ætas juvenilis, constitutio corporis optima & sana, & quod ad illud usque tempus ab omni dolore, inflammatione, & febre immunis fuerat, obediens præterea, cordatus, & ad omnia, quæ agenda & patienda, paratissimus esset, animum meum à solici-

solicitudine abducebant. Iterum igitur expurgato corpore, quæ leviter emolliunt, simul & discutiunt, veluti emplastrum de mucilaginibus cum gummis de meliloto, & de ranis, per dies aliquot applicui. Ex illis cùm malum minimè ingravescere, quin potius duritiem decrescere, ac nihil maligni subesse (ab emollientibus enim medicamentis, inquit Galenus de simplicib. medic. lib. 5. cancrosi tumores exasperantur, uti quoque in prima centuria observationum mearum exemplis demonstravi) inde cognovissem, ad fortiora perveni. Ulceri itaq; pulverem insigniter emollientem, & materiam ex profundo attrahentem quotidie semel inspersi. Exteriùs linimenta, emplastra, cataplasmata, & similia emollientia applicui, quibus remediis Deus Opt. Max. ita benedixit, ut per singularem Dei misericordiam (cui in omne ævum laus sit & gloria) spacio quinque septimanarum, curatio feliciter ad optatum finem perducta sit. Vides clarissime mi Dn. Schlanovi, quãta in hisce affectibus sit difficultas, quantaq; diligentia & vigilantia requiratur; quod si corpus cacochymicum extitisset, procul dubio propter accursum humorum de ipso actum fuisset. Hæc non sine caussa, quæ te non latet, ad te scribo, & ut literas nobilissimo viro, simili affectu laboranti, communicare velis, suadeo. Vale longùm clarissime atque doctissime Dn. Schlanovi, cum tuis omnibus, quos tecum perquàm officiosè saluto. Basileæ in transitu 1. Augusti Anno 1613.

OBSERVATIO LXVI.

De Herniæ aquosæ felicissima sectione.

Hernia aquosa, si ex caussa interna ac latente originem habet, ut plurimùm sinistram partem scroti occupat, serosusque ille humor in membrana testem in volvente, Erythroidæa dicta colligitur: idque præcipuè fit rene sinistro, ut Dodonæus rectè annotavit, malè affecto: quapropter serosos humores non attrahens, & ad vesicam mittens, per venam seminariam, quæ isto in latere ex emulgente procedit, in membranam Erythroidæam delabitur. Sectio autem Herniæ aquosæ, si ex hujusmodi caussa originem traxerit, & testiculus simul exemptus fuerit, periculo non vacat, ut idem Dodonæus observat. cap. 39. & 40. annotavit: Itaque ne temerè quicquam hac in re tentet Chirurgus, suadeo. Ne tamen Tyrones cùm meo in præcedenti observatione exemplo, tum exemplis à Dodonæo recitatis deterreantur, & ab officio atque instituto abducantur, sequenti exemplo illis animum erigam.

Jacobus Gerbetus, vir pius & illustrissimæ Reipublicæ Bernensis commissarius dignissimus, quadragenarius, robustus, & bono corporis habitu præditus (cui & in juventute calculus per incisionem ex vesica extractus fuerat) à multis annis hernia aquosa ex sinistra parte vexabatur. Multa ipsi cùm à me, tum ab aliis medicis doctis præscripta & adhibita, tum interna tum externa fuere medicamenta, absque fructu tamen omnia: ita ut tandem in maximam molem excresceret scrotum. Cum verò æger tumorem indies augeri vidisset, denuò me advocandum jussit, petiitq; , ut extremum sibi auxilium adhiberem; quod etiamsi periculo omninò non vacaret, experiri tamen potius maluit, quàm in hujusmodi miseriis vitam diutius trahere. Quamvis enim dolorem non adeò gravem inferret tumor ille, equitando tamen & ambulando ipsi maximo erat impedimento.

Obs. 66.

Præparato itaque satis corpore, tum optima victus ratione præscripta, tum purgationibus aliquoties reiteratis, & venæ sectione, septima die Maii Anno 1602. ægrum in sedem collocavi, deinde in superiore parte usque ad tunicam Erythroidæam inciso scroto, ipsum ex anteriori parte ab ipsa membrana aliquantum separavi. At quia tota aqua in tunica illa continebatur, ita ut testiculus ei innataret, ne in posterum denuò descenderet, aqua acu incurvata, ac filo reduplicato universam hanc tunicam (præter vasa seminalia) apprehendi, & mediocriter constrinxi atque ligavi. Posteà ex inferiori parte ligaturæ, membranam jam ante dictã secundùm longitudinem incidi, & aquam ad libras aliquot extraxi, paulatim tamen, ne vires deficerent: Deinde turundam satis longam crassamque, ex stupis factam, & albumine ovi madefactam, ad latus testiculi & inferiorem partem scroti versùs infixi. Inguina & imum ventris oleo rosaceo inunxi, & haspum cannabis vitello atque albumine ovi, cum pauca aqua rosacea conquassatum, madefactum applicui. Postero die iterum ventre & inguine innncto, sequens digestivum applicui.

Herniæ aquosæ incisio.

Digestivũ

℞. terebint. lotæ ℥ij
cerae novae ℥ß
gummi elemi ℥j
ol. rosac. & amygdal. dulc. ana ℥ß
ol. de vitellis ovorum ℥ij

Dissolvatur gummi lentissimo igne cum oleis, terebinthina, & cera separatim cùm & pauxillo olei liquefactis, & additis, fiatque unguẽtum: tum admisce vitellum ovi, croci ℈ß. Unguentum turundis longis & crassis vulneri imposui, & emplastrum Basiliconis applicui. Neque processum huncce, antequam vulnus probè esset digestum, mutavi. Tum pulverem mundificativum ulceri, & turundis quotidie semel aut bis inspersi, & ulcus per menses duos apertum retinui: interimque scrotum omni diligentia mundificavi, corpus item per intervalla purgavi. Tandem vulnus cicatrice obduxi, bonâ ægri cùm valetudine, qua etiam ad hunc usque annum 1608. quo hæc scripsi, fruitur. Ab eo tamẽ tempore optima in victus rationem observat, & singulis annis aliquoties superfluos humores pharmacis expurgat.

ANNOTATIO.

In hac operatione cautus ut sit Chirurgus atque circumspectus, propter pessima symptomata, quæ supervenire solent, necesse est. Inprimis autem nullo modo operationem hanc, nisi priùs benè præparato corpore, incipiat.

Obs 66. & 67.

Quod si intemperiem aut vitium aliquod in rene subesse cognoverit, aut ab ipsa operatione omninò abstineat, aut scrotum in inferiori sua parte tantummodò incidat, ut serosus ille & inclusus humor effluat. Via tamen nullo modo (ut fit cùm testiculus abscinditur) obstipetur, & serosus humor, qui à rene attrahi non potest, in abdomine retineatur, sed si opus est, denuò illic defluere possit. *Observat.* Vidi ego Bisantiis sexagenarium virum pium ac probum, cui Dn. JOHANNES GRIFFONIUS, Chirurgus præstantissimus, propter herniam aquosam singulis annis scrotum ex inferiori parte perforabat, & serosum humorem evacuabat, posteà ulcus ad cicatricẽ perducebat. Pervenit homo iste ad summam senectutem. Sin autem in rene vitium non fuerit, & defluxum planè impedire volueris, incisionem in superiori parte scroti propè inguina fieri expedit, quandoquidem duplex Chirurgo est scopus, prior evacuare serosum humorem, posterior prohibere, ne rursus de novo aqua in scrotum defluat, coacerveturque. At cùm aqua hæc utplurimum ex corpore in tunicam illam erythroidæam dictam defluat, eamque extendat, necesse est ut incisio in superiori parte scroti fiat: sic enim tunicæ dilatatæ corrugantur, & citatrix impedit, ne aqua postea facilè in scrotum defluat. *Quomodo æger sit collocãdus in ipsa operatione.* Vt autem hæc operatio rectè & majori cum facilitate administretur, non super scamnum ligandus est æger, nec supinus decumbere, sed in sella sedere debet, ut melius aqua deorsum descendat, & tunicæ in inguine facilius separari, & acu apprehendi possint.

OBSERVATIO LXVII.

De herniæ aquosæ periculosa sectione.

Hernia aquosa duplex.

HErnia aquosa aut simplex est, aut composita. Simplicem appello, in qua sola aqua scrotum extenditur; Compositam, ubi circumcirca testiculum materia putrida collecta, aut denique varices ortæ fuerint. Accedit & nonnunquam, Camerario teste, aquosæ herniæ, prolapsus intestini in scrotum, quod & ego observavi. Caro item sæpissimè testiculis & eorum tunicis adnascitur: serosus enim humor iste nonnunquam acris factus, venas capillares, membranasque leviter erodit: hinc pars illa sanguinis, quæ paulatim exsudat, quæque optima & laudabilis est, beneficio caloris innati in carneam substantiam concrescit. Indurescit autem sensim, propterea quod calor nativus paulatim debilitatur: interim tamen in illam aliquando molem augetur atque accrescit, ut magnitudinem capitis humani, Montagnana consil. 227. Foresto lib. 27. scholio. observat. 23. attestantibus, accedat. Reliquum verò sanguinis, quod serosum est, paulatim membranas totumque scrotum adeò extendit, ut caro ista, quæ testiculo adhæret, digitis palpari non possit. Hujus rei exemplum memorabile clarissimo ac longè celeberrimo Viro Dn Johanni Griffonio, Præceptori meo perpetuò honorando observare contigit.

Observat. Quadragenarius quidã, natione Sabaudus, à multis annis hernia aquosa laborans, in Hispania à Medico quodam per scrotum trajecto setaceo, parvo cum negotio primò sanatus fuerat. Post annos verò aliquot, cùm in victus ratione peccasset, & in pharmacis sumendis negligens fuisset, denuò in scrotum delapsus est humor serosus, qui non solùm membranas totumq; scrotum in maximam magnitudinem extendit; verùmetiam carneam substantiam procreavit, quæ tractu temporis supra modum indurata, naturã cancri sapiebat, idque eventus demonstravit clariùs. Accedens enim Lausannam, ubi Dn. Griffonius tum temporis degebat, nulla in ipso cognosci potuit hernia carnosa, ita seroso humore extensum erat scrotum. Inciso scroto plurimum effluxit aquæ, Hinc scrotum primò subsedit: post paucos tamen dies sequutus est dolor vehemens, inflammatio & cancrosum ulcus, maximèque malignum, quodque adeò impetuosè adjacentes partes occupavit, ut ipsius malignitas nullo modo arceri posset. Itaque intra paucos dies maximo cum cruciatu è vita discessit.

ADMONITIO.

Diligenter itaque Chirurgus signa omnia, quæ de Herniis à Celso, Paulo Æginetа, aliisque Medicis & Chirurgis describuntur, examinet, essentiamque morbi accuratè investiget, antequã manus operi adhibeat, ne malum in pejus ruat. Præterea videat, ne corpus multis humoribus pravis scateat, aut vitium aliquod insigne in renibus subsit, quemadmodum fuerunt in istis viris herniosis, quorum Dodoneus Observat. 39. & 40. mentionem facit. Quotiescunque verò Chirurgus unà cum aqua carnem circumcirca testiculum concretam subesse cognoverit, præstat scrotum incidere, testiculum, & quicquid circa ipsum concretum, separare atque exscindere, dummodò id radicitùs fieri possit: Si enim scirrhosa illa materia processum sive didymum, ut vocant, jam occupat, & abdomini adhæret, frustra tentabitur incisio, & chirurgo infamiam, ægro verò immaturam mortem inferet.

OBSERVATIO LXVIII.

Ex herniæ aquosæ ineptâ sectione immatura mors sequuta.

DOminus PETRUS CROTTESIUS, Paterniacensis Senator prudentissimus, Vir genere, virtute & pietate verè nobilis, quadragenarius, robustus, & optimo corporis habitu præditus, cũ anno 1606. ex equo in terram cecidisset, scrotum & testes sibi adeò contudit, ut indè exorto dolore, sequuta sit inflammatio, scrotum quinetiam & testes mox in tumorem magnum elevati sint. A principio propter verecũdiam malum celavit. Tandem cùm me in consilium adhibuisset, victus rationem tenuem præscripsi, corpus purgavi, & venam in cubito incidi. Loco verò affecto ab initio anodyna, discutientia, & quæ simul aliquo modo repellunt, quale est sequens cataplasma, applicui.

℞. farinæ hordei ℥ij.
farinæ fabarum ℥j.

Coquan-

Coquantur poscâ ad formam cataplasmatis, in fine admisce pulveris rosarum odoriferarum ℥ ß & post unicam ebullitionem remotis ab igne, admisce vitellum & albumen unius ovi, olei rosarum parùm, fiatque cataplasma, quod scroto per dies tres tepidè applicui, bis in die. Deinde quæ magis resolvunt adhibui: quale est sequens cataplasma.

℞. farinæ fabarum ℥iij.
hordei ℥j.

Coquantur vino rubro ad formam cataplasmatis, postea admisce pulveris rosarum.

Florum chamomill.
meliloti ana ℥ ß.
Olei rosarum &
chamomill. ana ℥ j.
Vitellum & albumen unius ovi.

Misce, fiat cataplasma.

Horum medicamentorum beneficio dolor & inflamatio omninò remiserunt, inflatio quinetiam præcipuè ex dextra parte scroti subsedit. Circumcirca verò testiculum sinistrum in mẽbrana Erythroidæa, tumor quidam ex seroso humore remansit. Denuò itaque corpus per intervalla purgare visum fuit: loco affecto fomentationes & cataplasmata, quæ incidunt, resolvunt, & discutiunt, admovi. Verùm enimverò cum frustrà hæc omnia esse viderem, suasi ut scalpello aut novacula scrotum incidi permitteret: sic enim inclusum humorem facilè & absque periculo evacuari posse, ipsi promittebam. Ille etsi non recusaret, quia tamen tunc præ aliis occupationibus ipsi non licebat, totum negotium naturæ tantisper, donec tempus esset aptum, committere voluit. Porrò etsi tumor scroti paulatim accresceret, & serosus humor magis magisque in membranam Erythroidæam defflueret, eamque distenderet, exiguum tamen incommodum inde ipsi sequebatur. Quapropter cùm hac de re non usq; adeò sollicitus esset, res in annum usque 1608. prolata fuit. Tum me absente, planè imperiti in manus Empirici incidit. Is nulla habita ratione corporis, neque quod hesterno die in magnifico quodam convivio fuerat, & proximam præcedentem noctem inter pocula cum amicis absumpserat, vigesima tertia Maii, postquam lautè jentasset, & vino generoso atque mero iterum incaluisset, ipsum in scamnum collocavit, ac testem vi quadam extraxit. Post operationem mox supervenit dolor maximus, supervenit & febris ardens atque continua, vigiliæ, aliaque symptomata, qui pium ac optimum huncce virum, ad finem usque vitæ suæ continuò ac miserè extorquebant. Et quia artis periti homines in consilium vocati minimè fuere, lipothymia quoque & sudores frigidi tandem supervenerunt, ita ut vigesima die morbi animam Deo piè reddiderit, maximo cum luctu civium & reipublicæ dispendio. Post mortem scrotum totumq; sinistrum latus supra modum intumuit, nigrum lividumq; evasit.

OBSERVATIO LXIX.

Obs. 69.

De monstroso brachio.

Viro Amplissimo prudentissimoq; Dn. D. CASPARO BAUHINO, *Anatomico & Botanico longè celeberrimo, Basileensi Archiatro meritissimo, ejusdem Academiæ Professori primario, &c.*

Guilh. Fabricius Hildanus S. P. D.

TAndem ut fidem meam liberem, Vir amplissime, fautor & amice plurimùm honorande, en omnia, quæ in præcedentibus meis promisi, nunc ad te mitto. Quæ omnia, etiamsi perexigua, & tua lectione vix digna censeri possint, attamen ut hilari fronte ea omnia excipere, & amicè interpretari velis, obnixè rogo. Postremas tuas 29. Basileæ datas nudius tertius accepi; clarissimum ac celeberrimum virum Dn. D Pavium, nostrûm adhuc (à tribus enim abhinc annis nihil literarum ab ipso accepi) memorem esse, gaudeo. Librum suum de ossibus, quem mihi transmittendum ab ipso accepisti, trade, quæso, Dn. König aut Vrstisio Pharmacopæo, ut illum huc ad me, aut D. Durenheimium mittant.

Puellam illam ex Anglia natam, cum monstrosis cruribus, cujus mentionem facis in libro de Hermaphroditis, antè biennium Argentinæ, cum clarissimo Viro Dn. Iohan Küffero D. Medico Argentin. vidi, nec sine admiratione. Quæ Dominus Chapusius, Chirurgus insignis, non ita pridem de monstroso brachio ad me scripsit, paucis hic annectere placuit. *Superiori, inquit, anno venit ad me paupercula ex pago Cham-doro, in præfectura Bellicensi, Antojne Ianins nomine, sexagenaria, laborans tumore ingenti brachii sinistri, & ita quidem, ut circumferentia brachii spithamas tres, hoc est, dimidiam circiter partem ulnæ Parisiensis adæquaret. Ab annis autem quinque ita accrevisse brachium referebat. Intumefactio circa finem deltoidis incipiebat, qua in parte etiam plus doloris aderat. Durus erat tumor, neque digito compresso cedebat, ut solet fieri in œdemate. Color ferè naturalis erat, nisi quod aliquantum ad rubedinem vergeret. Nonnunquam pruritus & pustulæ, ex quibus ichor subtilis & flavus exstillabat, superveniebant. Mansit illa apud nos per menses tres: interim præparato & expurgato corpore, cauteriis potentialibus tumorem aperui, sed nihil præter pus, uti ex aliis quoque fonticulis, exstillavit. Cataplasmata quoque emollientia, discutientia, & resolventia applicui: quibus omnibus cum nihil me efficere viderem, suasi, ut in posterum nihil amplius tentaret, quapropter ad suos rediit. Brachium autem (quod admiratione non caret) à deltoide usque ad humerum & collum, uti & circa carpum, altero brachio vix absimile erat, quemadmodum ex annexa figura apparet. Hæc Chapusius.*

Brachium monstrosum.

Cæterùm Vir amplissime, causam (quæ meo quidẽ judicio obscurissima) cur intumefactio per tot annos in medio brachii substiterit, nec altius ascenderit, Dn. Chapusius mecum summopere scire expetit. Tu rerum anatomicarum peritissimus, nodum istum facilimè nobis solvere poteris. Id si feceris, Dn. Chapusium mecum tibi multum devinxeris. Vale vir amplissime, & in bonum publicum feliciter vive diu. Raptim Bernæ 16. Junii 1615.

Obs. 70.



OBSERVATIO LXX.

De infelicissimo successu sectionis venæ in cubito.

Ad Virum nobilem DN. D. PAULUM OFFREDUM *Medicum clarissimum & doctissimum;*

Cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus,

S. P. D.

LIteræ tuæ Vir clarissime, fautor & amice æternùm observande, 29. Decembris Genevæ datæ, 12. hujus mensis hic Bernæ mihi traditæ fuere: ex quibus negotium meum cùm Dn. Roverio tibi cordi fuisse, satis perspectum habeo. Pro suscepto labore, inprimis pro singulari tua in me benevolentia, gratias, quas possum, ago maximas. Literas à Dn. Roverio simul quoque accepi, ad quas respondebo, quamprimum Lausannam reversus fuero, aut forsan ipsemet Genevam me conferam.

Hisce diebus funestus mihi hic occurrit casus, quem nunc tecum communicare cõstitui. Iuvenis quidam ex nobili familia Bernensi oriundus, viginti quatuor annorum ætatis, constitutione corporis calidus & siccus, sed cacochymicus, qui per annos aliquot Lugduni in præsidio fuit, cui cùm ante duos menses Lugduni mediana dextra phlebotomo pertusa fuisset, protinus dolore non solùm in ipso cubito, verùmetiã per totum brachium, & ad apices digitorum usq; correptus fuit. Pollex similiter, index & medius primò stupore quodam doloroso per dies aliquot discruciati fuere, deinde sensum, & motum quoque amiserunt: brachium quinetiam post paucos dies à venæ sectione ad humerum usque mirum in modum intumuit. Quapropter alium quendam chirurgum Lugdunensem in consilium quoque adhibuit: qui cùm inunctiones, cataplasmata, & similia adhibuisset, tumor brachii evanuit, præterquam in loco sectionis venæ, ubi tumor, qui magnitudinem pugni multum excedebat, remansit. Ad natale solum quum reversus esset, ac ego in consilium vocatus fuissem; tumorem istum in cubito, satis durum, locum verò, in quo vena secta fuerat, utcunq; lividum inveni. Rediit mihi tunc in memoriam similis

casus

casus, quem anno 1597. Lausannæ mihi videre contigit, quemque tribus verbis hic inserere non gravabor.

Honesta & pia matrona Lausannensis, Benoite femme de Tilman malagnie (quæ tunc temporis adhuc juvenis erat) cum febre continua laboraret, ipsique jussu clarissimi Viri Dn. Alberti Rossei D. Medici, mediana secta fuisset, varia pessimaque sequuta sunt symptomata, brachium quoque mirum in modum intumuit. Natura enim caussam morbi, humorem scilicet excrementitium ad cubitum propellere videbatur. Tandem cùm ego advocatus essem, & maturantia per dies aliquot applicuissem, ruptus fuit abscessus, & quidem in loco ipso, in quo vena secta fuerat. Maxima inde effluxit puris copia, & quidem ad menses ferè duos; Interim autem dum pus efflueret, Symptomata paulatim remiserunt, & pristinæ sanitati roboriq; restitutum fuit brachium, quo etiam nunc feliciter utitur. Præclarum itaque felicissimumque successum medicamentorum in prædicta matrona apud me perpendens: referens quoque animum ad generale axioma Medicorum, *Contraria*, ut Hippocrates, docet libro de flatibus, *Contrariorum esse remedia* item: *quicquid induruit, relaxandum & emolliendum esse*, (Galen. lib.5. Aphorisf. Hipp. comment.19.) maturantia & pus moventia per dies aliquot applico. Sed quid fit? rupta vomica pus effluit, & quidem fœtidissimum, sed copioso sanguine, & serosis humoribus mixtum. Tum quoq; Dn. D. Bartholomæus Dunus hujus Reipublicæ Medicus ordinarius, cùm mecum in consilium adhibitus fuisset, ad symptomata, quæ incidebant, quantum fieri potuit debellanda, omnes nervos intendimus, sed frustrà: brachium enim magis magisque intumuit: sanguis quinetiam, (non tamen singulis diebus, sed alternis, aut de tertio in tertium diem,) tam copiosè effluxit, ut vix prohiberi potuerit. Tandem gangræna consequuta est. Illa autem primò in ipsissimo loco, in quo antea vena secta fuerat, exorta, intra paucos dies brachium ad manum & digitos usque invasit. Hæc in sphacelum terminata, brachium intra cubitum & humerum amputare necesse fuit. Operationem septima die hujus mensis præsente Dn. D. Duno Medico, & M. Iohanne Knopff feliciter administravi, omniaq; nunc, laus sit Deo, salva esse videntur.

Sed objicies forsan, tumorem huncce brachii Aneurysma fuisse? Respondeo, non fuisse Aneurysma inde manifestum fieri, quod nulla unquam in ipso observata fuerit pulsatio, quemadmodum in aneurysmate percipitur, quin potius dolorem, stuporem, tandemque sensus amissionem, ut antea dixi, adfuisse. Ex quibus perspicuum fit, non arteriam sed tendonem musculi bicipitis, qui à sexta & septima vertebra nervos suos (qui ad pollicem, indicem & medium descendunt) recipit, phlebotomo sauciatum fuisse. Ratione itaque doloris humores ex corpore affluxisse, & circa locum sectionis venæ in cubito collectos fuisse, verisimile est. Humores porrò isti, cùm propter cacochymiam maximam corporis ægri, & præcedentem luem veneream non satis exactè curatam, maligni & acres essent, venam paulatim eroserunt inflammationemque excitarunt, calidumque innatum extinxerunt, idque post amputationem brachii satis superq; nobis innotuit. Ex interna enim parte brachii, ubi vena, quam Basilicam appellant, descendit, ductus, cùm in parte brachii amputata, tum etiam in ipso trunco quam bellè observari potuit. Per ductum enim hunc pus fœtidum ex corpore tam copiosè defluebat, ut post amputationem brachii, cauterio actuali putredinem illam castigare necesse mihi esset. Hæc sunt, vir clarissime, quæ de hoc affectu ad te scribere statui, tu quid sentias, rescribe quæso. Similem casum ante annos tres apud vos in generoso quodam Anglo accidisse, à prudentissimo & consultissimo Viro Dn. D. Sarazeno, Syndico vestro, heri mihi relatum fuit. Illum, nisi grave tibi fuerit, & occupationes non obstiterint, ut mihi prima data occasione communicare non graveris, obnixè rogo. Vale Vir clarissime, & me, ut facis, amore tuo prosequi perge. Raptim Bernæ 21. Ianuari 1615.

Obs. 70.

Viro celeberrimo Dn. GUILHELMO FABRICIO HILDANO *Chirurgo præstantissimo* PAULUS OFFREDUS M. D.

S. P. D.

ERuditissimas tuas accepi non ita pridem, *Vir eximie & amice singularis, quarum pars altera, ut verè dicam, quæ de gratiarum actione est, plus satis ampla, in re tantula tibi à me præstita, superflua videtur, aut saltem ultra mediocritatis leges; nihil enim esse penes me, quod tibi tuiq; similibus jure non debeatur, lubens profiteor. Luctuosa illa symptomata, infelicis venæ sectionis consectaria, quæ describis, in corpore juvenili, non sine aliquo stupore legi, utq; spreta omni remediorum methodicè administratorum mole, brachium ipsum ad internecionem traxerint: nec enim dubito, quin præter topica omnia medicamenta, & Lugduni & Bernæ ad hujuscemodi tumoris curationem usurpata, omne præcesserit revulsionis genus, atq; id inprimis, quod à purgantium classe desumitur, utpote in corpore, quod adeo cacochymicum fuisse refers, pernecessariorum: nec verò in assignanda præcipua tantæ ruinæ caussa, à sententia tua discedere possum, cùm de nervorum sympathia ob tendinis in vena secanda læsionem dubitare nos haud sinant dolor subitaneus, atq; stupor reliquum manus invadens, ac tres potissimùm digitos occupans; nil enim tale in Aneurysmate ob arteriam cæsam conspicitur, ut nosti, sed longè diversa ab his symptomata succedunt. Iam autem caussa illa præcipua & efficiens, cùm ad funestorum symptomatum mox subsequentium creationem impar esset, huic se adjunxit materialis, quam adfers, excellens puta & exuberans quædam cacochymia, tum aliis multis de caussis, tum maximè ob Luis Venereæ reliquias enata, quæq; ad partem afflictam ac dolentem à natura, ut sui moris est, affatim propulsata, calorem ejus tandem extinxit, ut probè notas: Ac sanè hic duplicem illam* νεκρώσεως *caussam agnosco, tum eam, quæ fit à caloris resolutione, ob immodicam scilicet ac toties recurrentem hæmorrhagiam, tum eam, quæ à suffocatione caloris oritur, tanta nempe humorum ichorumq; illuvie huc appellente, ut hinc etiam mirari desinam, conspectum à te fuisse post amputationem brachii ductum*

Causa duplex mortificationis.

Obs. 70. & 71. *ctum illum ad latus basilicæ, canaliculi cujusdam instar, qui scatere pure fœtidißimo, cujus ibidem loci generationem evidentes caussas habuisse, non verò, quod velle videris, à reliquo corpore illuc confluxisse, ex antepositis colligere est.*

Porrò cum huncce casum cum illo alio, quem interseris de matrona Lausannesi, confero; istud ex utroq; haud levis momenti in praxi elicio, quod nimirum in pura plethora, multaq; cacochymiæ participe, si modò nil urgeat, morbusq; præceps non sit, commodius tutiusq; sanguinis per hæmorrhoidas hirudinum ope vacuatio, quàm per venā brachij sectam, institui posit.

De nobili Anglo, qui ante decennium hic obijt ob venæ sectionem malè administratam, multa referre nequeo, quod ejusmodi infortunio planè non interfuerim: memini tamen, verum aneurisma tunc temporis notatum fuisse, ob arteriam venæ loco tusam, cui cum maturè prospectum non fuerit, sanguine arterioso per totum brachium sparso, gangræna paulò post succedens hominem è medio sustulit. Vale Vir præstantißime, meq; tui amantißimum redamare, quod facis, ne desine. Genevæ 6. Febr. 1615.

OBSERVATIO LXXI.

De infelici successu sectionis cephalicæ in cubito.

Viro præstantissimo, & Chirurgo excellentissimo Dn. CLAUDIO CHAPUSIO *Guilhelmus Fabricius Hildanus,* S. P. D.

Est responsio ad observationem 73. SUperiori æstate, vir præstantissime, dum ego in Germaniam profectus fui, trinas domestici mei à te acceperunt literas, quas tandem ante paucos dies mihi tradiderunt. Propter pestem enim, quæ hic gravissimè grassata est, & ambas filias meas aliosque ex domesticis meis, ex hac lachrymarum valle ad beatorum sedes evocavit, ædes meæ ultra menses quatuor perclusæ fuerūt. Retinuit itaque uxor mea literas omnes, quas me absente acceperat, donec domus, ut dicunt, purificata esset. Cæterùm pulchra quædam, & annotatione digna, literæ tuæ continent, ad quæ in præsens propter occupationes respondere non possum. De casu tamen, in epistola tua latinè scripta, dicam paucis quid sentiam, ubi perpendendum est cauterium potentiale, an secundum rationem brachio applicatum fuerit nec ne? Dolorem istum gravissimum, atque diuturnum capitis istius viri, de quo scribis, ex abundantia humorum pravorum, & quidem pituitosorum, ortum fuisse, eventus fidem facit. Porrò, quia *morbi ex repletione*, ut Hippocrates docet, *evacuatione curantur*, humor ille evacuandus erat. Caput autem non solùm per nares & palatum, verùm etiam per setaceum nuchæ applicatum, & fonticulos in brachio commodè evacuari posse, etiamsi tyronibus in arte medica notissimum sit, nec ulla demonstratione indigeat, uno tamen aut altero exemplo id hic stabilire non gravabor.

Libr. 2. aphor. 22.

Observ. 1. Dolor ingens capitis setacei beneficio curatus. Coloniensi cuidam, ANDREÆ POLSTER nomine, dolore capitis adeò contumaci, ut nullis remediis, quamvis ex arte præscriptis, & eâ quâ fieri potuit, diligentiâ adhibitis, sedari posset, laboranti, cum setaceum applicuissem, intra paucos dies à dolore omninò liberatus fuit. Integrā historiam in quarta centuria observationum mearum videbis.

Nobilis quidam in Marchia, Juncker Schel von Aldendorff nomine, triginta circiter annorū ætatis, non solùm dolore capitis, verùmetiam catarrho ad pectus defluente, tussi continua, cum totius corporis extenuatione, per multos annos laboraverat, multisque medicamentis à medicis doctis præscriptis frustra usus fuerat. Huic cùm ego Anno 1591. utrique brachio cauteria potentialia applicuissem, à dolore capitis primò, deinde à reliquis quoque symptomatibus ita liberatus, & in integrum restitutus fuit, ut paulò post uxorem duxerit, multosque annos in matrimonio vixerit. Plura, si opus esset, hujus argumenti exempla adducere possem, sed prolixas scribēdi epistolas nunc non datur otium. Secundùm rationem itaq; brachio applicui isti cauterium, etiamsi ad votum non successerit, eventus enim solus erat in manu Domini, qui omnia pro sancta sua prudentia atque voluntate dirigit atque disponit. Hinc evenit, ut sæpissimè remedia, quæ infinitis aliis profuerunt, in hoc vel illo ad votū non succedant, ut indè agnoscant ægri, simul & medici, nō propriè esse remedia, quæ sanant languores; sed solam misericordiam atque benedictionem divinam.

Quæstio tamen hic moveri poterit, nimirū an cauterium brachio illi, propter scirrhum inveteratum, quem in axilla latitasse scribis, tutò applicari potuerit? Maximus enim, ut postea dicam, inter brachium & axillam est consensus. Facilè itaque materiam aliquam malignam ex scirrho ad brachium mediante cauterio defluere, gravissimumque affectum istum procreare potuisse, verisimile est.

Ante annos quatuor, cùm Soloduri apud nobilissimum virum Dn. WALLIER, propter gravissimum ejus & tibi satis notum affectum, moram traherem, simile quid observare mihi licuit. Casum tribus saltem verbis tibi nunc ob oculos ponere non gravabor. Civis quidam Solodurensis, GEORGIUS von Buren nomine, cacochymicus, maximisque obstructionibus viscerum obnoxius, & tunc temporis quinquagesimum annum ætatis prætergressus, cum non purgato corpore, & absque ulla necessitate & consilio Medici, cephalicam in cubito dextro sibi tundēdam curasset, eademque die in convivio satis lautè vixisset, sequenti die à venæ sectione exortus est dolor circa locum incisionis, non acerbus tamen ab initio, sed potiùs obtusus erat, quo sensim aucto & vehementiore facto, maxima serosorum humorum secuta est affluxio. Æger simul & barbitonsor, qui venam inciderat, cùm in maximis angustiis viverent, ille corpore, hic verò mente, & ego quoque advocatus essem, totum brachium ab humero usque ad apices digitorum incredibili ferè modo intumefactum reperi. Inflammatio quoque aderat, & undique pustulis, veluti in herpete pustuloso conspiciuntur, scatebat. Ex his autem serosus & acris quidam humor tam copiosè, ut nihil suprà, effluebat. Inquietudines præterea, appetitus & virium prostratio,

stratio, febris, dolores, & inflammatio talis aderat, ut etiam gangrænam in propinquis esse metuerem, & de recuperanda valetudine parùm sperarem: Curationem tamen sic aggressus sum. Instituta optima victus ratione, eadem die alvû, quæ adstricta, suppositorio (ab enemate enim aversò erat animo) subduxi. Post cœnam nonnihil Laudani cum aqua cinnamomi & confectione alkermes exhibui, quievit utcunq; ea nocte. Postera die potiunculâ ex infusione rhabarbari, agarici & senna, in qua drachmæ aliquot electuarii diacarthami dissolutæ erant, exhibui: sed vix semel alvum subduxit potio illa. Quapropter sepuenti die drachmam unam pilularum cochiarum, & de hermodactylis, cum granis aliquot trochiscorum alhandal, & diagridii dedi, sed nulla ferè sequuta est operatio, forsan quia in præparatione prædictorum medicamentorum aliquid à pharmacopola prætermissum fuerat. Cùm enim ad grana quatuordecim lenitivi nostri phlegmagogi exhibuissem, alvum quater aut quinquies subduxit, vomitumque semel movit, absque violentia & molestia tamen ægri. Brachio quæ dolorem leniunt, calorem nativum, humidumque innatum refocillant atque instaurant, excrementitios verò humores absumunt, & putredini adversantur, applicui. Hinc meliusculè mox habere cœpit: & postquam per dies aliquot Apozemate, ad reserandas obstructiones viscerum, usus esset, & per intervalla lenitivo nostro phlegmagogo hydragogisque expurgatus fuisset, ita restitutus fuit, ut etiamnunc superstes sit. Vides itaque mi Domine Chapusi, quàm periculosum sit, in impuris & pravis humoribus refertis corporibus quicquam movere. Quapropter Galenus lib. 4. Meth. Med. Vulnera non solùm propter affectæ partis præstantiam, veluti si in parte aliqua nobili fuerint, aut propter ipsius vulneris magnitudinem, verùm etiam propter ægri impuritatem atque cacochymiam, magna censenda atque dijudicanda esse, rectè docuit. Videmus enim sæpissimè, ex minimo vulnere, imò & ex acaro gravissimos & lethales suboriri affectus, quemadmodum in tuo ægro FRANCISCO PROST, & cive Solodurensi, quorum mentio facta fuit, accidit. Ex toto corpore humores ad partem læsam veluti ad cloacam confluunt, caloremque nativum istius partis destruunt, variaq; symptomata excitant.

Quod de matrona Cancro laborante scribis, non usque adeò rarum est; & aliquoties hujusmodi Symptomata mihi videre contigit, præcipuè ante annos quatuor in nobili quadam matrona Solodurensi, die Fraw von Arx nomine. Illa autem per annos quadraginta cancro occulto in mammilla dextra laboraverat. Tandem cû ad decrepitam ætatem pervenisset, & ex consilio imperiti hominis venam in cubito dextro sibi secandam curasset, non solùm œdemate scirrhoso, verùm etiam dolore continuo affectum fuit brachium, uti in tertia Centuria observationum mearum, Observ. 86. quæ Deo juvante futuris nundinis prodibit, fusiùs videbis. Accidunt autem hujusmodi symptomata propter maximum, qui ratione musculorum, brachium pectori adducentium (quibus mammillæ superstratæ) & venarum ab axillari & humerariæ ramo ad mammillas descendentium, inter brachium & mammillas est, consensum. Scriptum Dn. D. Iacobi Schiffletii de inedia puellæ Helveticæ accepi, & gratias habeo maximas, illam nunc iterum comedere & bibere aliàs ex me intellexisti. Dn. D. Lentulus piæ memoriæ, etsi hac de re plurima collegerit & pro prælo annotaverit, nihil tamen præter illa quæ anno 1604. in lucem dedit, quæque jam dudum te vidisse existimo, extant. Vale præstantissime vir, & feliciter vive diu. Raptim Lausannæ 14. Decembris 1613.

OBSERVATIO LXXII.

Obs. 72.

De inepta & periculosa applicatione caustici.

Viro clarissimo atque doctissimo Dn. D. JOHANNI KÜEFFER, *Medico Argentinensi longè celeberrimo,*

Cui

Guilh. Fabricius Hildanus S. P. D.

TAbellarius, quem ad me misisti, Vir clarissime amicissimeque mi Dn. D. Kueffer, undecima hujus Bernam ad me pervenit, tuasque tradidit: sed propter tempestates, maximasq; pluvias ac infortunium, quod equo meo in via accidit, ante decimum sextum Badenam pervenire mihi non licuit. Ubi cum Tuam Excell. non offendissem, supra modum contristatus fui; sperabam enim, per dies aliquot me tecum me exhilaraturum, pristinamque nostram amicitiam coràm renovaturum. Retulit Candidatus ille, quem reliquisti, inopinatum discessum tuum propter adversam valetudinem uxoris tuæ charissimæ accidisse. Doleo ipsius vicem, te verò rogo, ut quomodo se habeat, data occasione mihi significes. Cras, DEO volente, ad meos me iterum conferam, tuasque Bernæ exspectabo. Causticum, quod à me petiisti, nunc ad te mitto, idq; ut hilari fronte accipere velis, rogo. Diversos mitto lapillos, magnos videlicet & parvos; quò possis secundum naturam subjecti, hoc est, prout cutis aut crassa aut mollis fuerit, hunc vel illum applicare. Ego illos spacio quinque aut sex, imò nonnunquam duodecim horarum relinquo. Diligenter autem prospiciendum est, ne eschara nimis magna & profunda comburatur: hoc enim non solùm odiosum & dolorosum est: verùmetiam fonticulus inde veluti inutilis efficitur, erosis videlicet venis capillaribus, per quas naturà humores peccantes expellere debebat. Nonnunquam quoque partes nervosæ è caustico, si profundam fecerit escharam, læduntur: hinc dolor ingens & continuus, aliaque gravissima symptomata sequuntur, uti alibi exemplo de Pharmacopæo quodam monstravimus. Quod si arteria aut vena simul à Caustico erosa fuerit; sequitur hæmorrhagia & magna & periculosa; quemadmodum ante annos aliquot nobili cuidam Lausannensi accidit. Huic cum seplasiarius quidam causticum sinistro brachio applicuisset, & post dies aliquot escharam, quæ & magna & profunda fuit, extraheret, maxima periculosissimaque

Eschara non sit nimis profunda ex applicatione caustici.

Vide obs. 94. cent. 2.

Observat. Periculosa caustici applicatio

Obs. 72. & 73.

maque sequuta est hæmorrhagia. Causticum enim ramum illum superiorem, quem Cephalicum vocant Anatomici, eroserat. Ego accersitus etsi protinus in subsidium accurrissem, ad libras tamen aliquot sanguinis effluxisse reperi: tanto enim cum impetu prosiliebat, ut adstátes omnes, imò & ipse pharmacopæus perterrefacti essent. Pulvere nostro ad sistendum sanguinem stupis albumine ovi madefactis ulceri imposito, feliciter cohibita fuit hæmorrhagia, paulatimque deinde ulcus coaluit. Vides, quàm circumspectè in applicatione caustici procedendum sit, cavendumque, ne liquescendo nimis latè serpat, quod quidem instrumẽto ante annos duos à me ad te misso, facilè impedire poteris. Vale Vir amplissime cum honestissima tua conjuge, quàm tecum peramanter saluto, uti quoque nobilem Virum D. Iohannem Brengenser, & rescribe, si licet per occupationes. Dabam Badenæ 16. Iunii 1617.

OBSERVATIO LXXIII.

De infelici successu cauterii potentialis, brachio applicati. Item de gravissimo tumore brachii, ex cancro mammillæ progenito.

Ad solertissimum, nec non experientissimum Virum GUILHELMUM FABRICIUM HILD. *Medicum & Chirurgum clarissimum.*

VIx artem ullam calumniis adeò obnoxiam esse, atque medicinam, te Vir præstantissime, in difficilimis artis Chirurgiæ operibus sæpissimè expertum fuisse, non dubito. Me verò quod attinet, sycophantarum morsus aliquoties quoque effugere non potuisse, sequens historia fidem facit.

Observat. prima.

Ante annos tres aut quatuor, rogatus atq; advocatus in oppidum Moyrem, ut Francisco Prost, sexaginta circiter annorum ætatis, & gravissimo nec non inveterato dolore capitis laboranti, remediis salutaribus subvenirem, me contuli. Huic universalibus veluti purgationibus, venæ sectione, cucurbitularum applicatione adhibitis, setaceum quoque & cauterium potentiale applicui. Verùm enim verò intra duos vel quatuor dies post applicationem cauterii, tumor œdematosus in brachio paulatim exortus est, sensimq; ita accrevit, ut totum brachium ab humero usque ad digitorum extremitates, nõ secus ac hydropicorum crura, intumesceret. Iterum igitur vocatus fui, & ne humiditas illa maxima calorem naturalem dissiparet, penitusque extingueret, brachium scarificavi. Factis scarificationibus, multum aquæ limpidæ & velut lixivium, non dissimilis ab ea, quæ ex hydropicorum ulceribus emanare consuevit, effluxit. Remedia quibus usus fui ad humores istos dissipandos, & Esthiomenum præcavendum, ne prolixior sim, silentio involvo. Tumor itaque brachii omninò resolutus & dissipatus fuit. Post duodecim tamen dies reversus est, easdemq; partes invasit tumor ille: verùm eisdem iterum adhibitis remediis, denuò magna ex parte, non tamen ex toto evanuit. Quapropter variis in locis expertos consuluerunt Medicos, quorum aliqui (petentibus enim consilium semper aliquid respondendum est) symptoma hoc ratione cauterii, nervo appositi, provenisse affirmabant. Eroso enim & abscisso nervo, aquam non aliter

Applicationem Cauterii quæ symptomata sequuta.

ac ex amputato sarmento extillare asserebant. Alii aliter sentiebant. Horum tamen rationes quàm infirmæ sint, eis qui in anatomicis versati sunt, notissimum est. Sciunt enim, nervos longè profundiores latitare, quàm quod à cauterio attingi potuissent. Deinde non suprà tendonem musculi deltoidis, sed multò altius appositum fuerat causticum. Post menses tres brachio, veluti hydropicorum crura, intumefacto, lẽta febri extinctus fuit. Nulla tamen aderat gangrana aut lividitas, nullus item dolor, nisi gravativus. Sed ut veritatem fatear, nisi septuagenaria ætas appropinquasset, & observatio, quam mox referam, me movisset, applicationem cauterii istius symptomatis caussam fuisse arbitrarer. Vno enim modo nascimur omnes, sed naturâ declinante, diverso modo ruimus in interitum, omnibusque hominibus, ut summus Doctor gẽtium docet, semel mori statutum est.

Obs. ... Cancer dextræ mammillæ ...

Alterius autem observationis nostræ narratio hæc est. Domina de Rosieres, defuncti jam pridem D. Comitis Pontisualensis soror, anno quinquagesimo ætatis suæ, cancro in dextra mammilla correpta fuit. Is ex occulto paulatim exulceratus est, & ita quidem, ut intra spacium decem aut duodecim annorum, totam ferè mammillam cum maximis & continuis doloribus atque cruciatu, labris item prætumidis, & aspectu horrendis, eroserit. Ego accersitus in Samuelem pagum prope urbum Pontemvallensem, ubi tunc degebat, ad ipsam perveni, & remedia ad sedandos dolores apta adhibui. Dolore aliquomodo sedato, semestre post iterum morbus recrudescere cœpit. Brachium enim dextrum primò circa musculũ deltoidem & bicipitem, deinde ad manum usque eodem modo, uti brachium præcedentis Viri Dn. Francisci Prost intumuit. Iterum igitur advocatus, remedia ad dissipandos humores aquosos applicui, sed pauco cum fructu. Quapropter brachium & manum scarificare coactus fui. Hinc aqua tam copiosa effluxit, ut universum ferè cubiculi pavimentum ea irroraretur, absque ulla tamen aut saltem exigua tumoris imminutione. Tandem post hebdomadas tres vivere desiit, brachio, uti dictum, intumefacto, sua verò sentiendi facultate, uti & brachium Dn. Francisci Prost, minimè destituto. Neuter tamen brachium suum ob tumoris magnitudinem, absque subsidio & adjumento gestare potuit.

Ex ... sub ... brachii ... tumor ...

Cæterùm caussam intumefactionis brachii prædicti viri, ad scirrhum durissimum, inveteratum, immobilem, doloris expertem & lividum, sub axilla latitantem, nec non costis ipsis affixum, refero. Tumorem enim huncce, cum diu antea mihi monstrasset, funestum istum exitum (quæ enim cum domina de Rosieres acciderant, mihi occurrebant) ipsi prædixi. Tumoris itaque brachii caussam scirrhum istum sub axilla, non autem cauterii applicationem (etsi ipsum diem obitus aliquomodo maturasse non dubitem) fuisse, ac tandem symptoma hoc supervenisse, etiamsi cauterium applicatum non fuisset, existimo. Post mortem invidi, qui hac de re ad summam lætitiam contorquebantur, variis in locis me obtrectandi non defuit materia. Hæc tibi, etiamsi experientia & rationibus te minimè esse sciam destitutum, significare decrevi, ut si aliquando tale quid tibi acciderit, cautus esses, mihique vicissim successum significares. Vale & me amare perge. Datum Sancti Amoris 22. Decembris 1612.

Tuæ Excell. addictissimus

CLAUDIUS CHAPUSIUS.

OBSER-

Obs. 74. 75.

OBSERVATIO LXXIV.

De maximo successu fonticuli ad poplitem.

SEnator quidam Solodurensis, Dn. Nicolaus Arey nomine, cum annum sexagesimum ætatis prætergressus esset, & obstructionibus viscerum imbecillitateque ventriculi adeò graviter laboraret, ut etiam abdomen & crura ipsa tumore œdematoso extenderentur, sitis magna, nec non cibi fastidium, aliaque symptomata adessent, & lecto affixus esset, unà cum clarissimo Viro D. Paulo Lentulo, Reipublicæ Bernensis Doctore Medico, me in consilium vocare jussit, anno 1608. mense Majo; Instituta optima victus ratione, & præparato humore peccante, corpus aliquoties rhabarbaro, senna & similibus expurgavimus, & quæ partes nobiles corroborant, calidumq; innatum fovent, exhibuimus. Tandem quoq; cauterio potentiali fonticulum ad poplitem dextrũ effinximus, inde serosi humores tam copiosè effluxere, ut brevi præter omnium spem atque expectationem restitutus sit æger. Vixit homo iste ad annum usque 1615. & quidem satis commodè. Natura enim humores excrementitios ad fonticulum veluti ad cloacam tam copiosè protrudebat, ut ab eo tempore, & quidem ad finem vitæ suæ, paucis usus sit medicamentis.

OBSERVATIO LXXV.

Dolor sciaticus, pruritus item totius corporis, beneficio fonticulorum feliciter sanatus.

FRanciscus Crosseranus, Lustriacẽsis ad lacum Lemmanum Senator, nec non Tribunus plebis meritissimus, Vir pietate & virtute ornatissimus, sexaginta circiter annos natus, & amicus meus singulari studio observandus, cum per menses aliquot dolore sciatico, & pruritu molesto, aut potius doloroso totius ferè corporis laborasset, & vix innixo baculo amplius incedere posset, in consilium me vocavit Anno 1613. mense Septembri. Suasi, ut corpus à pravis humoribus (erat enim homo maximè cacochymicus) aliquoties evacuaretur, viscera ab obstructionibus liberarentur, corroborarenturque, & quantum fieri posset, ad temperiem reducerentur. Ille verò cum à medicamentis adeò alieno esset animo, ut horum nihil tentare posset, nec vellet, ne planè ipsum sine subsidio relinquerem cauteria duo, alterum brachio sinistro, alterum popliti dextro applicui, quorum beneficio dolor sciaticus, simul & pruritus ille molestissimus totius corporis paulatim remiserunt, convaluitque æger. Fonticulus autem brachii nullum dolorem intulit, cum tamen fonticulus ad poplitem per menses aliquot continuò ferè dolorosus esset. Acris enim salsusque, ac pravus ille humor, doloris sciatici & pruritus caussa proxima, cùm naturæ beneficio ad fonticulum copiosè demandaretur, vellicando nervosas partes, dolores excitavit.

[margin: sti- fo- cu-]

Obs. 76.

OBSERVATIO LXXVI.

In qua vulnera digitorum & manuum, contra opinionem & doctrinam FELICIS WIRZII, *aperta retinenda esse, exemplis ostẽditur: & opinio* VVIRZII *refutatur.*

Viro clarissimo atq; doctissimo Dn. MICHAELI DORINGIO, *Breslaviensi Doctori Medico longè celeberrimo, amico singulari studio observando,*

Guilhelmus Fabricius Hildanus

S. P. D.

QUod tanto temporis intervallo, Vir clarissime, fautor & amice æternùm honorande, veteris meæ erga te observantiæ memoriam literis non renovarim, mea profectò negligentia minimè caussa fuit: sed propter occupationes corporis & mentis molestias id accidit. Superiori enim æstate Wormatiam ad Generosum quendam vocatus, variis occupationibus à studiis meis abstractus fui. Post reditum verò meum Lausannã, quæ luctuosa ac funesta mihi advenêre, ex proximis meis ad te literis cognoscere potuisti. Silentium itaque meum, si tibi molestum, longè proh dolor caussa silentii mihi molestior fuit. Responsum meum ad epistolam tuam de nova, rara & admiranda hernia uterina, propter easdẽ quoque caussas retardatum fuit. Illud tamen per hasce nundinas Silbertinas Francofurtum mitto, ut ibi centuriæ meæ tertiæ annectatur, & simul cum ea excudatur.

Chirurgicum opus FELICIS WIRZII, superiori anno auctum Basileæ iterum excusum fuit. Multa profectò in ipso continentur, quæ rationi & experientiæ repugnant, ideoque quomodo juniores Chirurgi fructum ex lectione hujus libri capere possint, nondum video. Quænam, quæso, absurda & periculosa hæc est opinio, quàm cap. 11. lib. 2. ubi in vulneribus pectoris penetrantibus turundas rejicit, materiamque purulentam, ac sanguinem in vacuo pectoris collectum, per urinas, alvum ac sudorem evacuari posse, præter rationem protulit? In vulneribus digitorum ac manuum turundas quoque absq; ulla distinctione improbat. Hæc verò doctrina quàm erronea sit atq; periculosa, etiamsi tibi, in Chirurgicis exercitatissimo viro, satis superque notum sit, nonnullis tamen exemplis id hic stabilire non gravabor.

[margin: Felix VVirtz in vulneribus pectoris turundas rejicit.]

EXEMPLUM I.

Civis quidam & mercator Coloniæ Agrippinæ, WILHELMUS QUADUS nomine, in vico Bechergassen habitans, cum quadã die in officina circa merces suas occupatus esset, examen bilancis volæ manus infixit. Ego, quia tunc temporis ad Generosum virum Dn. SEBASTIANUM ab Hatzfelt, Dominum in Wildenberg/ ꝛc profectus erã, cunctando, & me exspectando affectum suum neglexit, & ab initio peritos Chirurgos non adhibuit, multò minus vulnus turundis apertum retinuit. Superficie itaque vulneris clausa, circa

quar-

Obs. 76. Vulnus exiguum nõ negligendum.

quartum auctus est dolor: illa, quia corpus sanguine & humoribus oneratum erat, adeò ad se attraxit, ut exorta febre, sequuta sit inflammatio ac phlegmone, ita ut variis in locis exulcerata sit manus, & non nisi magno cum labore restituta fuerit.

EXEMPLUM II.

JACOBUS BERGERIUS civis Lausannensis, ibique in suprema Curia Notarius dignissimus, circa annum 1594. scalpello volam manus sibi punxit. Et quia vulnus propter sui angustiam turundis apertum minimè retineret Chirurgus, & pus in ipso fundo vulneris colligeretur retinereturque, talia sequuta sunt symptomata, ut de vita periclitaretur. Dolor autem inprimis exortus est acutissimus, mox febris, inquietudines & phlegmone sequebantur. Ego tandem in consilium adhibitus, & omnibus ad morbum depellendum necessariis institutis, post gravissimos ac diuturnos cruciatus, tandem pristinæ sanitati restitutus fuit, & hucusque hîc vivit.

EXEMPLUM III.

Ex punctura spinæ neglecta, gangræna & sphacelus.

Anno 1591. pagana quædam Hildenæ spinâ summum indicem digitum punxit. Cum verò propter caussam superiùs allatam vulneris superficies coaluisset, & pus circa partes nervosas collectum fuisset, exortus est dolor, inflammatio, atque gangræna, qua in sphacelum conversa, adiit me tandem. Purgato corpore, & ad metacarpum abscisso digito convaluit.

EXEMPLUM IV.

Anno 1598. rusticus quidam propè Lausannam, tractando spinas, malleolo spinam sibi infixit. Neglecto morbo & maturè nimis clausâ puncturâ, exortus est dolor: mox sequuta est inflammatio & gangræna, tandem sphacelus totam tibiam invasit atque occupavit. Cum verò abscissionem tibiæ recusasset, intra paucos dies extinctus fuit.

Quare vulnera turundis sint aperta servanda.

Summo itaque studio vulnera angusta, etiamsi in partibus nervosis fuerint, quicquid dicat Wirtzius, turundis tantisper, donec vulnus satis fuerit expurgatum, aperta retinenda esse, experientia ipsa, uti ex præscriptis exemplis apparet, testis est. Accedit quoque ratio: In omnib. enim vulneribus, præcipuè per incisionem factis, cutis facilimè & statim ab initio contrahitur, primò quia membranosa est; deinde quoque quia natura illâ veluti tegumento ignobili reliquas partes magis nobiles, veluti carnem, venas, arterias, nervos, nervosasque partes ab injuria aëris vindicare studet. Caro autem tam cito coalescere non potest: primò enim in ipsis quoque vulneribus per incisionem factis, quædam species contusionis adest, at caro contusa ut putrescat, & in pus convertatur, necesse esse, ex Hippocrate scimus. Suppurationem autem istam carnis, nisi in tempore, fieri non posse, etiam tyronibus notum est. Contrahitur itaque cutis vulnerum, præcipuè per incisionem factorum, statim ab initio: humores verò, qui ex carne vulnerata confluunt, retinentur, paulatimque incalescunt, & acres fiunt: & quia pars affecta nervosa, ac proinde maximè sensibilis est, sequitur dolor, qui attrahendo sanguinem & humores, gravissima symptomata excitat.

Quomodo turundæ adhibendæ.

Turundæ autem eâ industriâ, ut ad minimum superficiem vulneris, donec reliquæ partes sauciatæ, veluti caro & nervi, satis expurgatæ fuerint, hiantem retineant, adaptatæ atque fabricatæ esse debent: ne tamen partes nervosas compungant, danda est opera. Quapropter profunditas vulneris diligenter observanda est, & ne acies turundæ fundum vulneris, præcipuè si nervus, aut nervosum quid detectum fuerit, comprimat, diligenter danda est opera. Angustissima autem vulnera, quia turundam crassam non excipiunt, exilis verò cum nimis sit flexibilis, hinc & inde reflectatur, & fundum vulneris minimè attingat, soleo frustum fili aurei, aut argentei, pro vulneris profunditate longum, carbaso involvere, & unguento aliquo anodyno & digestivo inungere, nec non vulneri infigere. Blandè tamen hujusmodi, uti reliqua omnia vulnera, sunt tractanda. Periculosissimum enim, ac omnium ferè exitiosissimum symptoma esse dolorem, aliàs ex me intellexisti.

Duæ caussæ quare turundis in vulneribus utendum.

Atque hæc prima & præcipua caussa est, quod turundis in vulneribus utimur: nimirum ut humores, qui ratione solutionis continui cõfluunt, effluere possint. Altera est, ut medicamenta ad fundum vulneris pervenire atque penetrare possint. Ad quid enim, quæso, conducet medicamentum, ad vulnus digerendum, mundificandum, aut carne implendum; si vulnus clausum fuerit? Interim tamen, dum circa vulnus externum occupati sumus, in universalibus nihil omittendum est. Tenuis itaque victus ratio instituenda, corpus à pravis humoribus & sãguine, si plethora adfuerit, evacuandum. Hæc nisi facta fuerint, & vulnus ab initio turundis non dilatatur, etiamsi exiguum & nullius momenti fuerit: aliquando tamen materia illa retenta, gravissima symptomata procreat, mortemque accelerat. Cujus rei exempla, præter illa à me adducta, etiam apud authores habemus: Ab exiguo & planè despicabili vulnere (ut post Vallerìolam lib. 3. enarrat. 8. scribit Schenckius observationum medicinalium lib. 5. de digitis manuum) in vola sinistræ manus accepto, quod vix subditam cuti carnem contigeret, LUDOVICUM VIVES, Senatorii ordinis hominem, ea in Curia, quæ apud Monspessulanum est, quam vulgò Generalium vocant, intra septimum diem convulsione derepente orta, concidisse vidimus. Observavimus, inquit HORATIUS AUGENIUS lib. 9. epist. 2. Patavii ex vulnere minimi digiti JOHANNEM BAPTISTAM ARGENTINUM decessisse. Ex his vides mi Dn. DÖRINGI, quàm periculosus sit Empiricus ille processus WIRTZII, tuam tamen sententiam atque opinionem intelligere cupio. Plura nunc adscribere non licet. Vale itaque & cum tuis omnibus feliciter vive diu. Clarissimũ ac æterna laude dignissimum Virum Dn. PETRUM KIRSTENIUM ex me quæso demissè saluta. Lausannæ 27. Decembris Anno 1613.

OBSER-

OBSERVATIO LXXVII.

Ex punctura vespæ circa carpum dolor ingens totius corporis, & lipothymia consequuta.

Viro Amplissimo, atq; doctissimo Dn. GEORGIO FABRO *Castri Imperialis Fridbergensis, &c. Doctori Medico ordinario ac longè celeberrimo, amico suo plurimũ honorando.*

Guilh. Fabricius Hildanus, S. P. D.

QUod jam diu nihil literarũ ad te dederim, Vir clarissime charissimeque frater, non oblivione amicitiæ nostræ, sed longo locorum intervallo accidit. Cupio enim fraternam nostrã amicitiam, quoad vixero, tecum literis fovere. Sed quid quæso agis, & quomodo mente simul & corpore vivis? me quod attinet, aliàs ex meis intellexisti literis, quàm graviter, vel potiùs quã paternè Pater meus cælestis ante annum me visitaverit, quodque gravissimum mihi inflictum fuerit vulnus. Illud proh dolor tantum abest ut cicatrice sit obductum, quin potiùs in insanabile & lethale ulcus abierit. Propter continuos enim dolores vires exhaurit, humidumque radicale paulatim absumit. Quæris caussam. Illa tibi nota est, & superiori æstate pleniùs innotuit: innotuit & nobilissimo & strenuo viro Domino WOLFFGANGO ADAMO à Schwalbach/ etiã suo dispendio. Fecit id humanitas sua, & in me benevolentia singularis: quapropter ipsi, ut debeo, gratias ago maximas, gratias inquam immortales. Sed severum illum pseudomedicum (qui ulcus meum non lenit, sed exasperat, non suaviter abstergit, sed ad cruorem usque confricat) si ad vos redierit, ut indignum vestra amicitia, si me amas, repellito, & ut meo, non suo consilio utatur, ipsum admoneto. Clarissimo viro Dn. D. HORSTIO ut eodem modo cum ipso procedat, meo nomine quæso significato. Porrò etsi mens ægrotet, corpus quinetiam hic Bernæ (quo ante mensem ad ægros quosdam vocatus fui) laboribus occupatum sit, nefas tamen fore putavi, si colloquia nostra Appollinea negligerem. Occurrit itaque casus non omninò vulgaris, superiori æstate à me observatus & annotatus, quem laconico stylo tibi delineare decrevi.

Matrona quædam ex nobilissima & heroica familia Sickingiorum oriunda, nomine & re ipsa Margarita, nec non Generosi & strenui viri JOH. CHRISTOPHORI à Stadion, serenissimi Principis ac Dn. D. MAXIMILIANI Archiducis Austriæ, &c. in camera Ensishemiana consiliarii & vicarii prudentissimi, nec non Satrapæ in Landsern vigilantissimi, &c. Uxor, cum in canicularibus in prandio à vespa punctionem circa carpũ sinistrum accepisset, protinus dolor ingens in loco affecto exortus est. In ipso ferè momento cum lipothymia supervenisset, ad lectum se conferre coacta fuit. Ubi non diu post dolor ille, qui ab initio manum & carpum solum occupaverat, per totum corpus expansus, & acerbior factus fuit. Eodem quoque die vesicæ humore seroso & pellucido (veluti in combustionibus conspiciuntur) repletæ, exortæ sunt. Sub vesperam, uti quoque sequenti die, cum totum corpus oleo scorpionum (quod maritus in promptu habebat) excellentissimo inunctum, & sudor lapide Bezoar copiosè provocatus fuisset, brevi pristinæ sanitati restituta fuit ægra, separata per totum ferè corpus Epidermide. Vides vir clarissime, minimum quandoque insectum maximum in se continere venenum, præcipuè si ad partem aliquam nobilem (uti in hac matrona, in qua venenum per arteriam carpi celeriter ad cor pervenit) delatum fuerit. Punctiones itaque vesparum non sunt negligendæ, quandoquidem aliquando in insanabile ulcus degenerasse, in alia quadam matrona nobili observare mihi contigit: historiam forsan posthac tecum communicabo, nunc non datur otium. Vale frater charissime, cum honestissima tua conjuge, liberisque dulcissimis. Saluta quæso meo nomine generosum ac strenuum virum Dn. BURGGRAFIUM, nobilissimum item virum Dn. à Schwalbach/ ipsiusque uxorem genere & virtute nobilissimam; præterea clarissimum virum Dn. D. HORSTIUM, cujus literas, uti quoque tuas, avidè expecto. Bernæ 15. Decembris. 1614.

Obs. 77.

OBSERVATIO LXXVIII.

Ex punctura vespæ circa juncturam mandibularum, ulcus insanabile consequutum.

Ad eundem Virum clarissimum atq; doctissimũ Dn. GEORGIUM FABRUM, *castri Imperialis Fridbergensis Doctorem Medicum ordinarium celeberrimumq;,*

Cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus

S. P. D.

CUm præcedentes ad te literas, clarissime atque doctissime mi Dn. FABER, obsignassem, nec in tempore commodum tabellarium invenirem, sequentem casum (quem in præcedentibus meis ad te literis quoque promisi) adjungere visum est.

Vespæ pũctura.

Matrona quædam Düsburgi Clivorum, genere & pietate nobilis N. HOLT nomine, cum adhuc esset juvenis, & quadam die in viridario obambularet, & à vespa punctionem in faciem circa aurem dextram recepisset, protinus exortus est dolor maximus, inflammatio quoque mox sequuta est, & totum caput intumuit. Adhibitis remediis, dolor nec non intumefactio ex parte remiserunt, relicto abscessu in ipso loco affecto, quo rupto, sordidum & insanabile sequutũ est ulcus; quod etsi præclaris quoque Medicis atque Chirurgis curandum commissum fuisset, oleum tamen & operam perdiderunt omnes, quãvis summam adhiberent diligentiam, uti egomet testis sum ocularis. Cùm enim apud COSMAM SLOTANUM, Medico Chirurgum præstantissimũ viverem, & Chirurgiæ studio operam darem in sextum

Obs. 78. sextum usque annum, vidi quanta sedulitate circa affectum hunccе laboraverit. Defuncto SLOTANO, quum omnia frustrà adhibita fuisse vidisset ægra, nihil amplius deinceps tentare voluit, sed curationem palliativam ad finem usque vitæ suæ adhibuit. Ad decrepitam tamen ætatem usque vixit, & quidem utcunque commodè: quandoquidem ulcus hocce velut cloaca erat, ad quā natura superfluos atque excrementitios humores ex toto corpore copiosè, & quidem continuò amandabat. Quod autem affectus ille, qui ab initio non usque adeò gravis esse videbatur, in diuturnum & insanabile ulcus abierit, ad constitutionem loci affecti, meo quidem judicio, præcipuè referendum est. Cùm enim ulcus è regione juncturæ mandibularum esset, non potuit propter continuum motum juncturæ ad cicatricem perduci. Ulcera enim, ut norunt Medici, non sanantur, nisi exsiccentur: at quia motus attrahendo humores humectat, sequitur necessariò, ulcera circa juncturas mandibularum, cum sint in continuo motu, præterquam cum homo dormit, insanabilia esse; nisi forsan Chirurgus methodum illam, quam ego primus inveni, & in prima centuria observationum mearum, observat. 38. proposui, adhibeat: quod si methodus illa tunc temporis mihi cognita fuisset, ægra proculdubio maximum cōmodum indè recepisset, mihi verò divitias comparassem.

Vlcera circa juncturas mandibularū tur insanabilia.

De agno monstroso Lausannæ reperto nihil nunc ad te scribo: historiam enim & anatomicā narrationem, unà cum delineatione monstri ad Dn. de Bry misi, qui illam, uti spero, prælo suo subjiciet, ita ut maturè ad te pervenire possit. His iterum vale vir clarissime, & FABRICIUM tuum amare perge. Raptim Bernæ 22. Decemb. 1614.

OBSERVATIO LXXIX.

De punctura vespæ.

Item:

De infelicissimo successu croci metallorum.

Viro præstantissimo Dn. GUILHELMO FABRICIO HILDANO, Chirurgo celeberrimo, GEORGIUS FABER, castri Imperialis Fridbergensis D. Medicus ordinarius S. P. D.

Vix dici queat, humanissime & præstantissime Dn. Fabrici, amicorum optime, & plus quam fraterno, si quis major est, amore prosequende, quàm exhilararint me binæ tuæ literæ, 21. Ianuarii hujus anni, à mercatoribus Argentina redeuntibus, & hac transeuntibus, ad me perlatæ. Absterserunt enim omnem nubem & nebulam suspicionis cujuscunque: quibus jam nunc discussis sub amœnissimo hujus Veris initio relucet. Sol ille tui erga me pristini amoris & benevolentiæ clarissimus, qui quidem non penitus sublatus, sed aliquandiu occultatus fuit in obscuris diuturnioris quodammodò silentii tenebris, mihi ingratissimis. Verùm purgavit se triste illud cœlum, & tu teipsum de intermissi hactenus officii ratione, utinam modo lætiora illa de valetudine tua fuissent, quam variis modis affligi, atque indies magis magisque debilitari, auribus meis valdè ingratum est. Tuum erit mi Fabrici, omnia quæ à benignissimo Deo immittuntur, animi Christiani magnitudine constanter perferre, ea præsertim, quæ humanitùs nobis quotidie obveniunt. Interim etiam parcere lectioni & scriptioni, imò affectibus ipsis, siquidem vitæ venenum tristitia ipsa est. Quæ cum scribo, non dubitabo de tua constantia, quam in sano corpore & mente, tibi mihique sanam in multos annos conservet Deus Opt. M. unicè voveo. Me meosque quod attinet, superiori ego æstate variè quoque valui, & non tam corpore, quàm animo minus commodè. Febre ardentissima correptus, aliquot septimanas graviter decubui, cui ab aliquo intervallo successit recidiva pessima, quæ vires propemodum omnes exhauserat. Verùm singulari Dei beneficio, debitaque medicamentorum applicatione tandem victa discessit, egoque viribus paulatim recuperatis, cum meis mediocriter nunc vivo, & reconvalesco. Quid præsens hic nobis allaturus sit annus, anxius exspecto, quanquam non tantum doleam, quantum scio accidisse, quàm timeam, quantum adhuc possit accidere. Variolæ superiori anno multos hic & in vicinia è medio sustulerunt, has nunc exceperunt morbilli, qui epidemii & nobis jam sunt, atque idem malum mihi quoque domesticum fuit, sed, Deo gratia, tolerabile & sine jactura vitæ & filiolæ: videntur esse futura præludia pestis, sicuti & pleuritides illæ malignæ. Publica præterea nec pro nostro, nec pro aliorum voto & voluntate. Sunt in tota nostra Germania seditiones & turbæ, hic & ubique bella minantur funestissima. De negotio Francofurtensi ex aliis, adeoque ipsis relationibus publicè editis multa cognoscere poteris. Sed ne querelas more meo pro epistola mittere videar, modus hic esto.

Cæterùm eodem temporis articulo, quo tuæ mihi offerebantur, inter cætera privato studio tractatum de venenis præ manibus habebam, ideoque eo ipso nomine gratissima erat communicatio duorum istorum casuum, de punctura scilicet vesparum, pro quibus tibi gratias ago maximas. Iis autem pellectis in memoriam mihi revocabam similem fermè casum, quem, dum Anno 1598. Patavii studiorum gratia commorarer, excellentissimum Dn. D. Iulium Casserium Fabricium Placentinum, Præceptorem meum æternùm colendum in praxi comitarer, apud matronam quandam nobilem mihi videre contigit. Hæc ipsa in ipsis quoque canicularibus à vespa quadam circa metacarpum dextrum lædebatur: ubi statim dolor obortus est maximus, cum inflammatione insigni, supervenit febris ardentissima, & phrenesis, (siquidem nervosis & musculosis partibus inflammatis, hæc noxa cerebro promptissimè communicari solet.) Adeῤant præterea frequentes & biliosæ evomitiones, ventris constipatio, aliorumque symptomatum συνδρομὴ & momentanea quadam istorum exacerbatio: accedente insuper tempore æstivo calidissimo, quod impetum moti iam humoris mobilis, in matrona præsertim valdè plethorica & succulenta, magis magisque intendebat. Accersitus itaque supradictus Dn. D. Casserius, præmissis Bezoardicis & cordialibus, locum affectum sine ulteriori mora scarificando cauterizabat, eamque non neglectis aliis convenientibus remediis, cùm universalibus, tum particularibus

laribus (divina annuente gratia) à præsentissimo & evidentissimo vitæ discrimine dextrè liberabat, feliciterque pristinæ sanitati brevi restituebat. Suspicabatur D.D. insectum hoc ab alterius cujusdam venenati animalculi suctu vel insessu, vel herba quapiam venenata depasta, infectum fuisse, & postea malignitatem hanc parti læsæ dyscrasia, ipsique puncturæ induxisse, id quod rationi aut veritati haud absonum videtur. Epidermis verò, quod in priori illa ægrota sub finem curationis à plerisque corporis partibus fuerit separata, manifestò colligitur, istud venenum summæ fuisse activitatis, eò quod vitiosum & malignum suum humorem, vi internarum partium calorifica, & virtute bezoardica, ad remotiores & excrementales partes cutis & poros amandarit, tandemque per sudores epidermide excoriatâ & ablatâ, omninò extra corpus propulerit. Cujusmodi historia legitur in observationibus Foresti lib. 30. observ. 5. sub finem. Rectè itaque me hercle mones, ejusmodi virulentos morsus & puncturas, etiam minutissimorum insectorum, si præsertim in musculo aliquo seu junctura fiant, minime esse negligendas. Id quod etiam ex altera historia nobilis matronæ ab Holt apparet, cui à punctura vespæ ulcus in facie venenata continuitatis facta solutione cacochecticum & insanabile relictum est. Hujus quidem contumaciæ caussam Galenus lib. 1. de compos. medic. per genera cap. 18. & lib. 4. cap. 1. Item lib. 1. de med. per loca. Sic quoque Comes Montanus lib. 3. cap. 17. ex parte reddere conantur. Tu tamen prudenter asseris, istud ulcus propter continuum juncturæ motum, & humorum affluxum, ad cicatricem perduci non potuisse. Nihil dicam de quibusdam naturæ proprietatibus hominum peculiaribus, ad sanationem inidoneis. Quemadmodum enim ligna quædam propter nodorum abundantiam ex naturali defectu & corruptela adeò degenerant, ut findi nullo modo possint, sed relinquenda: ita etiam in ejusmodi naturis frustra sæpius instituitur sanatio, ubi præexistente insigni cacochymia, & pravorum humorum abundantia, mumia illa innata medicina esse nequit. Quandoque etiam intemperies alicujus particulæ in caussa est, quò minus ulcera consolidationem recipiant: Sed quid ligna in sylvam?

Pro colophone addere lubet casum de infelici croci istius metallici effectu, qui superiori æstate hic accidit. Fuit aliquandiu nobiscum Chymiater quidam, homo alioquin non indoctus, sed purus putus Paracelsista. Is rebus suis fortè desperatis aut ad restim usque perductis, spe majoris lucri Francofurtum se contulit, ibique brevi post vitæ & praxeos finem fecit. Habuerat ille puerum pro famulo, quem postea discedens hic reliquit. Famulus verò ab hero suo (nescio quo titulo) fortè fortuna acceperat pixidulam croco isto metallorum plenam, quemq; contra omnes, etiam deploratissimos affectus egregie prædicare didicerat. Quid fit? Mulier quædam ipsius vicina conqueritur de filiola graviter decumbente, & suspicionem lumbricorum verita, dosin istius pulvisculi, tantoperè commendati, à vicino sibi erogari petit. Illa impetrat satis magnam quantitatem pulveris, tantamque eam ægrotanti filiolæ quinquenni exhibet: à cujus assumptione paulò post gravissima oboriuntur symptomata, vomitus & dejectiones alvi enormes, concussiones vehementes totius corporis, insultus aliquot epileptici, & dolores in toto corpore acerbissimi. Parentes miserrimo hoc spectaculo perterriti & commoti, Dn. D. Ieremiam Moltherum Medicum, qui tum temporis me febricitantem amicitiæ gratia inviserat, accersi curant; sed priusquam adventaret, mortem oppetiit infelix ista puellula. Cadaver ipsius de consilio Medici & aliorum fuit incisum, & sequentia notatu dignissima in eo deprehensa.

Obs. 79. & 80.

Aqua citrina ore & naribus effluxerat copiosissima.

Omentum visceribus exemptis fuerat à parte inferiori disruptum.

Hepar cœruleum & nonnihil induratum, quasi in aqua ferventissima fuisset maceratum.

Pulmo in dextra parte flavescens.

Vesica fellis præter modum tumida, extuberans, & repleta sanguine aterrimo.

Cor in sinistra parte flaccidum, exangue.

Ventriculus ad ovi magnitudinem, in quo repertus adhuc fuit iste pulvis seu crocus, à quo etiam intestina fuerunt tincta & infecta.

Atque ita habes historiam consilii imprudentissimi, & facinoris capitali supplicio dignissimi. Aliàs tibi, quod communicem hoc tempore, mihi nihil occurrit. Accipies etiam à clarissimo Dn. D. Horstio nostro, cum literis observationes aliquot singulares, minimèque vulgares, si quid posthac erit, te non celabo. Vale.

OBSERVATIO LXXX.

Ex punctione vespæ gangræna consequuta.

ANno 1587. rusticus quidam propè Lausannam, juvenis, robustus & plethoricus, à vespa in dextrum latus faciei, haud procul à minori cantho oculi, cùm æstatis tempore punctus fuisset, dolor ingens & inflammatio talis sequuta est, ut sexta die morbi, cùm ego advocatus essem, totam ferè partem illam faciei lividam & gangræna contaminatã reperirem. Exhibito clystere, quicquid ita affectum scarificavi, unguentum Ægyptiacum, aliaque ad gangrænam appropriata medicamenta applicui, eademque die venam in cubito dextro incidi. Sequenti die corpus cholagogo, ut infusione rhabarbari, syrupo rosato solutivo, & electuario de succo rosarum expurgavi: hinc symptomata remiserunt; & aliquoties reiterato cholagogo, & adhibitis remediis ad gangrænas necessariis (de quibus probè in tractatu nostro de gangræna & sphacelo egimus) sanitati restitutus fuit æger.

Gangræna ex punctura vespæ.

Curatio gangrænæ.

Eodem tempore civis quidam Lausannensis, Hugo Lugrain nomine, cùm simili modo læsus fuisset, ac in manus imperitorum incidisset, multos sustinuit dolores, non solùm in parte malè affecta, verùmetiam totius capitis. Tandem convaluit, sed palpebræ dextri oculi propter cicatricem inversæ fuere. In isto porrò morbo (quod quidem deplorandum) caput & oculi ita debilitati fuerunt, ut post aliquot annos visum omninò amiserit, & ad hunc annum 1614. usque, cœcus circumducatur.

Obs. 81.

OBSERVATIO LXXXI.

De præputio monstroso ejusq; abscisione.

Viro clarissimo atque doctissimo Dn. JOHANNI FRIDERICO WERTENBERGIO, *Doctori Medico Basileensi longè celeberrimo,*

Guilhelmus Fabricius Hildanus,

S.P.D.

PLurimùm me exhilararunt literæ tuæ, clarissime atque amantissime mi Dn. D. Wertenbergi, partim propter theses à te mihi transmissas, partim etiam quia eædem curationem cum puero D. Wenzii, post meum à vobis abitum feliciter successisse, ipsumque nunc præter spem atq; opinionem multorum, forsan & parentum, sine baculo incedere, indicaverunt. Laus sit DEO Opt. Max. qui medicamentis & laboribus nostris benedixit. In epilepticis divini quippiam observari posse, tecum assero, cùm idipsum non rarò me edocuerit experientia. Sæpissimè enim nonnihil quod captum nostrum superat, in corporibus Epilepticorum delitescit. Quapropter morbus iste etsi ex semine parentum minimè contractus fuerit, multoties tamen nullis remediis eum tolli posse, testantur viri gravissimi, præcipuè si æger Baccho, ut est noster æger, addictus fuerit. Sic & morbos comitiales, qui post vigesimum quintum annum ætatis superveniunt, utplurimùm insanabiles esse, Hippocrates & Galenus testantur, cum ætas illa, si commentariis Iohan. Lygæi in Aphor. 7. lib. 7. credendum, humida sit & frigida, caussamque morbi adaugeat. A decimo quarto tamen anno ætatis usque ad vigesimum, aut vigesimum quintum, non nisi duos Epilepticos sanitati restitutos fuisse, ab eo tempore quo praxin exerceo, observavi. Primus fuit iuvenis Lausannensis, de quo vide historiam observ. 41. Cent. primæ observationum mearum. Alter fuit puella ex honestissima familia in Belgio, octodecim annorum ætatis, quæ ab ipsa pueritia Epilepsia laboraverat. Purgato aliquoties corpore, provocatisque mensibus & exhibitis eis, quæ à proprietate occulta huic morbo adversantur, nuchæ quin etiam adhibito setaceo convaluit. Sed hujusmodi exempla rara sunt: Infantulos verò multos, morbo comitiali laborantes, feliciter curavi.


In epilepsia quiddam divini.

Lib. 5. aphor. 7. Galen. in comment.

Observat. de phimosi.

Cæterùm post meum à vobis abitum casus chirurgicus non vulgaris mihi accidit, quem tibi nunc communicare constitui. Juveni cuidam viginti duorum annorum ætatis, ab ipsa nativitate præputium præter modum naturalem, & nonnihil monstrosè propendebat. Ita enim versus anteriorem partem contortum erat, ut effluente urina, ipsa sursum versus abdomen efflueret. Hinc vesicam commodè, & sine madefactione vestimentorum nunquam exonerare potuit, nisi solutis ligulis ad latrinas sese conferret. Etsi autem pars illa præputii, ut postea ex delineatione videbis, non simplex esset membrana, ut est præputium secundùm naturam formatum, sed potius substantia quædam carnosa, effluens tamen urina sub ipso præputio retinebatur, ipsumque usq; ad mediam partem penis mirum in modum extendebat. Propter contorsionem enim & complicationem præputii, lotium per se omninò effluere non potuit, nisi digitis diu emulsa glande atque præputio: propter continuam hancce emulsionem urinæ, & contrectationem glandis, membrum virile magnitudinem naturalem multùm excedebat. Porrò victus ratione, purgationibus, & venæ sectione ad operationem benè præparato corpore, ægrum in dorsum collocavi, & instrumento castratore à Chirurgis dicto, apprehenso & constricto præputio, ipsum juxta glandem abscidi. Deinde pulverem, reliquaque, quæ ad cohibendam hæmorrhagiam necessaria, postea digestivum, & quæ cicatricem inducunt, applicui. Ne autem præputium intempestivè, & præter modum contraheretur, fistulam plumbeam imposui. Sic divino aspirante Numine feliciter curatus fuit. Verùm id notandum est, me nulla arte aut industria præputium retro glandem retrahere, ipsiusque coalitionem impedire potuisse, quod quidem propter carnosam illam substantiam, de qua antea dixi, accidisse certum est. Vrina tamen nunc absque ullo impedimento, & copiosè, & rectà effluit: nec dubito, quin sperma idem facturum sit, cùm ad matrimonium pervenerit, etiamsi balanus à præputio detegi minimè possit. His vale vir clarissime, & feliciter vive diu. Ocyus Bernæ Helvet. 13. Novemb. 1616.

Delineatio præputii monstrosi.



A. Substantia est præputii abscissi, carnosa, & utcunque dura.

B. & C. ductus est urinarius, rugosus & contortus.

D. Inferiorem partem penis, quæ sutura dicitur, denotat; illa dura, & instar chordæ extensa erat.

De phimosi præcedente, idem ad eundem.

In postremis meis ad te literis, Vir clarissime, ubi de abscisione præputii egi, scripsi, me nulla arte aut industria præputium retro glandẽ retrahere, ipsiusq; coalitionem impedire potuisse. Id autem eam ob caussam accidisse scias, quod æger in prima operatione consentire noluit, ut superfluum omne abscinderem, glandis enim læsionem supra modum timebat: pars itaque superflua ita ex anteriore parte glandis coaluit, ut nullum ferè foramen pro evacuatione urinæ restaret, Quapropter cùm iterum ad me venisset, de præputio particulam ad pollicis latitudinem feliciter abscidi. Hinc præputium adeò retractum fuit, ut amplius glandem obtegere nõ posset,

posset, nullum tamen incommodum inde persentit, & nunc in matrimonio satis commodè vivit. De paraphimosi observationem singularem ad te scribere statueram, nunc verò propter certas caussas id in aliud tempus differo. Vale Vir clarissime, & me, quod facis, ama. Raptim Bernæ.

OBSERVATIO LXXXII.

De infelicissimo successu inunctionis ex Mercurio in Arthritide.

Viro clarissimo doctissimoq; DN. CLAUDIO DEODATO, *reverendissimi & illustrissimi Episcopi Basileensis Doctori Medico longè celeberrimo, amico singulari,*

Guilhelmus Fabricius Hildanus,
S. P. D.

MIraberis procul dubio, Vir amplissime, tam diu me siluisse, nec quicquam literarum ad te dedisse, imò ne quidem responsiones ad postremas tuas misisse. Quæris caussam? Superiori autumno in Hassiam ad nobilissimum quendam ægrum vocatus fui; apud quem mihi aliquandiu persistendum fuit, & ante mensem solummodò ad meos redii: quapropter ut diuturno silentio meo, & quod tractatum meum de gangræna & sphacelo maturiùs non miserim, ignoscere velis, obnixè rogo.

Cæterùm aliquando me præsente inter literatos, & quidem in disputationibus publicis controversiam hanc, nimirum *an inunctiones ex Mercurio Arthriticis prodesse possint*, nec ne? exortam disputatamque fuisse memini. Vnus quidem & alter suas habuit rationes: neminem verò hactenus scientiâ & conscientiâ præditum videre potui, qui illinitiones hasce in Arthritide adhibuerit: Agyrta tamen quidam levissimus, imperitusque homo, ad istam impudentiam ac temeritatem usque devenit, ut quæstionem hanc dubiumque in Patricio quodam Bernensi & Senatorii ordinis Viro, nobis non argumentis Scholasticis & Academicis, sed reipsa solvere non sit veritus: ausculta, quæso, mi Dn. D. Deodate integram historiam.

Fuit is Dn. Ioh. Rudolphus Hubertus, ex antiqua familia Patriciorum hujus urbis oriundus, vir pius & solidè doctus, qui & in juventute Germaniam, Belgium, aliasque regiones peragravit, & Academias varias perlustravit. In patriam reversus cum esset, non diu post provincia Grammatei curialis ipsi commissa fuit, in qua se ita gessit, ut postmodum in præfectum Grandissonensem constitutus fuerit. Elapsis annis præfecturæ suæ, in Senatorem hujus Reipublicæ, tandemque in Tribunum plebis & Ædilem designatus est. Portò cum ex patre arthritico natus esset, in peregrinationibus quinetiam incommoda multa cùm caloris, tum etiam frigoris (quibus omnibus nervosum genus mirum in modum debilitatur) sustinuisset, ac tandem quoque ratione conversationis vino largiore uti coactus fuisset, circa annum vigesimum octavum ætatis suæ de dolore articulorum conqueri cœpit. Ab initio morbi, cum à quibusdam imperitis hominibus in hanc opinionem, nimirum nihil quicquam medicamentorum in Arthritide adhibendum esse, adductus inescatusque esset, morbum neglexit: quapropter dolores paulatim & vehementiores & frequentiores sequuti sunt, & ita quidem, ut nonnunquam ad dies quatuordecim aut hebdomadas tres, præ maximo dolore somnum capere vix posset. Cum ita per annos aliquot miseram vitam viveret, tandemque propter doloris frequentiam ac inquietudines, concoctiones in visceribus probè fieri non possent; paulatim sequutæ sunt obstructiones maximæ hepatis, splenis, & venarum Mesaraicarum: & arthritis nodosa facta est. Ingravescente sic morbo, variorum, sed utplurimum imperitorum hominum consiliis uti cœpit, sed pauco cum fructu. Tandem, & quidem ante biennium, suasu quorundam in Argoviam ad imperitissimum quendam Agyrtam profectus est. Is suis secretis (horum enim hominum medicamenta omnia sunt secreta) cum integram valetudinem se ipsi restituere posse imprudenter promisisset, sese ipsi curandum tradidit. Quid fit? vix purgato corpore, artus unguento ex Mercurio conflato inungit, & quidem eo usque, dum faucium, linguæ, gingivarum, totiusque oris intumefactio, inflammatio & exulceratio, summaque virium prostratio sequuta sit; adeò ut in decimum quintum diem usque veluti in agone fuerit. Demum consilio & auxilio cujusdam viri Ecclesiastici, qui istis in locis medicinam facit, veluti ex cymba Charontis ereptus fuit. Viribus aliquo modo collectis, ad suos Bernam rediit, meque non diu post iterum in consilium adhibuit: iterum inquam, antea enim ipsi & interna & externa quoque nonnulla medicamenta felicissimo cum successu adhibueram, & fonticulos ad brachium & ad poplitem feceram. Sed videamus nunc, quidnam apud ipsum effecerint, & quid deinceps cum ipso acciderit. Campo-Regio (ubi curatio, aut potius destructio hæc à Medicastro facta fuit) Bernam reversus, præter extenuationem & imbecillitatem externarum partium, summam quoque internorum viscerum, calorisque nativi labefactationem, ac humidi primogenei diminutionem in ipso observare potuim⁹, & ita quidem, ut ab eo tempore omnia in deterius processerint. Et quamvis multis & præstantissimis medicamentis, cum à viris doctis, tum etiam à me præscriptis uteretur, thermas quinetiam Piperinas, quæ in obstructionibus viscerum reserandis, divinas edunt operationes, inviseret, ac fonticulos (quos agyrta veluti minimè necessarios clauserat) iterum sibi aperiendos curasset, parum tamen profecimus, adeò vires, actionesque omnes prostratæ erant. Morbus itaq; paulatim ita auctus fuit, ut continuis ferè doloribus affligeretur, nec solùm pedum, genuum & manuum, verùm etiam scapularum, nuchæ & coxarum. In his doloribus sæpissimè medicastrum illum, ejusque medicinam diris votis execratus fuit. Ante menses aliquot cum morbus postremum insultum facere vellet, primò exortus est dolor capitis tam vehemens, ut suturæ disjuncta

Obs. 82.

Inunctionem ex Mercurio in arthritide gravissima sequuntur symptomata.

Thermæ Piperinæ.

Obs. 82. junctæ viderentur. Non diu post materia quædam pituitosa tam copiosè in brachium dextrum decubuit, ut totum brachium, manus simul & digiti supra modum, & ita quidem intumefacti sint, ut extinctionem caloris nativi, gangrænamque proximam esse metuerem: præter intumefactionem enim dolores quoque maximi, qui materiam peccantem magis magisque attrahebant, aderant. Nec consultum fuit applicare defensiva & repellentia, propter metum aliorum gravissimorum symptomatum. Deus tamen ita benedixit medicamentis, ut intra octiduum restitutum sit brachium. Interim verò catarrhus nunc ad hunc, nunc ad illum articulum, imò & ad ipsum pectus deflexit, hinc sequuta est tussis maxima, non solum propter materiam ex capite ad pulmones defluentem, verùmetiam propter duritiem & intumefactionem hepatis & splenis, qua diaphragma in altum elevabatur. Quæ omnia cum appetitus prostratio, viriumque labefactatio sequuta esset, die quinta hujus mensis, hora prima noctis, Ascite piè placidèque obdormivit, cum nondum quadragesimum primum annum ætatis suæ absolvisset, maximo cum ipsius familiæ detrimento atque jactura, ac hujus Reipublicæ incomodo, nec non amicorum suorum luctu. Quinque reliquit liberos, inter quos filiolus est Nicolaus nomine, quinque circiter annorum ætatis, in quo jam tum doloris arthritici indicia haud obscura deprehenduntur, quod profectò mirum in tam tenella ætate, vixque simile ab Hippocrate observatum fuisse existimo. Testatur enim lib. 6. aphorismo 30. *Pueros ante usum Veneris Podagra non laborare.* At puer iste non solum per intervalla de dolore articulorum, inprimis circa plenilunium, ac cœlo existente frigido & humido, ita conqueritur, ut etiam noctu nunc inquietè dormiat, nunc præ dolore ejulare cogatur, verùmetiam nonnunquam tuberculis pituitosis ad carpos, & pedum articulos laboret. Horum tuberculorum ante annum duo ad suppurationem pervenere, in quibus materiam adeò lentam ac viscidam inveni, ut vix medicamentorum vi extrahi potuerit. Vides quanta impuri & morbifici seminis parentum in liberos sit efficacia.

In puero quinque annorum arthritici dolores deprehenduntur.

Hæc propter eam, quæ à multis ab hinc annis inter nos fuit amicitia & familiaritas, lachrymantibus oculis scribo, ut videas unicum hocce exemplum ad prædictam quæstionem solvẽdam satis superque sufficere. Apparet prætereà exinde, hujusmodi illinitiones in aliis quoque articulorum doloribus (qui ex lue venerea proveniunt non intelligo) absque summo periculo adhiberi non posse. Gravissimè itaque à Magistratu Amplissimo mulctanda atq; coërcenda esset fæx illa pseudo-Medicorum, quæ in doloribus articulorum, quos vulgus die kalte sähme vocat, miseros istos ægros veluti ad inferos detrudit: ibiq; Mercurio suo crudo crudeliter excruciat, ac nonnunquam immanissimè trucidat. Trucidat inquam; possem enim hujus rei exempla plura conferre: sed tria illa observatione 92. Cent. 3. adducta sufficient. Utinam igitur Principes & Magistratus, quibus Reipublicæ salus commissa est, tandem hujusmodi imperitissimis hominibus interdicerent, eorumque audaciam temeritatemq; reprimerent. Sed bone Deus, quàm procul abest adhuc à scopo? dum hujusmodi impostores non tantum perfert, sed & nonnunquam in gravissimis morbis ipsos advocat, ipsisque quod preciosissimum habet, corpus nimirum, imò & vitam ipsam committit. Quapropter mirum nemini videri debet, si aliquando justissimo Dei judicio, Magnates ipsimet ab hujusmodi imperitis impostoribus trucidentur, pœnamque eorum quæ circa subditos neglexêre, etiam in hoc mundo persolvant. Hac de re exemplum memorabile videre poteris Obs. 82. Cent. 3. & Tract. de Gangræna & sphacelo cap. 15. Ignosce quæso Vir amplissime, si forsan Asiatico discursu molestus tibi fuerim. Non ita pridem ex literis Dn. Constantini Erhardi ad me scriptis, maximo cum gaudio intellexi, reverendam Dominam Canonissam utcunque restitutam esse. Laus sit Deo Opt. Max. qui benedicendo medicamentis ipsam restituit. Tu si forsan hoc tempore Veris ipsam videris, statum ipsius quoque mihi significa. Vale vir amplissime, & cum tuis omnibus quos tecum saluto, æternùm quam felicissime vive. Dabam Bernæ 11. Martii 1618.

Utrum hydrargyri inunctio Arthriticis conveniat?

CLAUDII DEODATI *Med. Doct. reverendissimi & illustrissimi Episcopi Basileensis Medici responsio, ad clarissimũ experientissimumque*

DN. GUILHELMUM FABRICIUM HILDANUM,

Non te fugit, clarissime Vir, optimam quidem esse inter Medicos, tã Hippocrateos quàm Hermeticos, opinionum diversitatem & dissensionem; pessimam autem voluntatum; omnium verò præstantissimam, ægris maximè expetendam, tum opinionum tum voluntatum consensum & conspirationem. Nihilominus tamen non paucos videris & præstantissimos & celeberrimos Medicos hac nostra ætate, qui consultandi gratia ad sanandos ægros convocati, non tam in eo studium operamq; locant, ut morbi ideam, naturam, essentiam, caussas, locum affectum, & debitam curandi rationem in medium proponant; quàm ut doctrinæ ingeniiq; ostendendi caussa, relicto ægrotante, ad sublimes & hyperphysicas quæstiones atq; umbratiles logomachias ingenii acumen librent, & ampullosis verborum opinionumq; ratiunculis, solo contradicendi studio decertant; dum unus Hippocraticorum partes tueri, alter Hermeticorum castra propugnare conatur. Hic contradicentium Authorum opiniones ad veritatis examen revocare; ille novam consultandi methodum crepans, nescio quid novi luminis in Hippocratis orco delitescentis eruere, & ad illustrandos obcæcatos, tam in theoricis quàm practicis animos, cujusdam Promethæi instar, subministrare studet. Interea dum hæc non sine fastu, non sine supercilio & animorum aversione, arrogantia & alienatione fiunt, miseri ægrotantes, ut non rarenter observatum, mediis in consultationibus, nõ expectato consultantium vel consilio vel auxilio, vitam cum morte commutant. Idem ferè in obscuriorum quæstionum Medicarum discussionibus usu veni-

Co[...] tio[...] dic[...]

su venire consuevit, in quibus enodandis, multi non tã veritatis lumen quærunt, quàm inani verborum lenocinio, ingenii sublimitatem, & pomposam labascentis doctrinæ ostentationem ambiunt & stultè affectant. Sed his missis, vix quæstioni tuæ arduæ & obscuræ satis quis apodicticè responderit, ni paucis prius & Arthritidos & Mercurii naturam, essentiam, caussas proprietatesq; in medium produxerit.

Arthritidem quod concernit, hoc loci non quemvis dolorem articulos infestantem audimus, sed eum duntaxat, qui symptomatum vehementia, perenni materiæ morbificæ affluxu, humoris seu salis potiùs Arthritici cruditate & synathrysmo acerbissimus est, tum propter communis ligamenti distentionem, tum propter vicinorum nervorum, tendinumq; sympathiam & compressionem, excandescentisq; tartari, seu spiritus salis vehementem actionem. Ex quibus abundè constat, Arthritidos essentiam & naturam in articulorũ repletione ab acuto tartari spiritu, vel sale acerrimo vitriolato, nitroso, aluminosove facta, communis ligamenti distentione, nervorum, tendinumq; compressione consistere; quæ cum nervis vicinisq; partibus vim inferant, tantam doloris acerbitatem excitant, quæ vix major excogitari potest, idq; non citra ingentem partium calorem; ideoq; Hippocrates lib. περὶ παθῶν *hunc affectum Articulorum febrem vocat, cum doloris acerbitate conjunctam, ab articulorum repletione, distensione, compressione & putredine excitatam.*

Suscipiens hujus affectus causa est, vel singulorum articulorum, vel plurium simul, gentilitia aut hæreditaria imbecillitas, vel à nativo & proprio temperamento, vel ab immodico Veneris usu, nimia refrigeratione, otio, immodicáve equitatione contracta. Efficiens autem, nimia salsuginosi, serosi, acuti, aut nitrosi, æruginosive humoris, simplicis vel heterogenei, in tartaream substantiam congelati abundantia, & feritas, quæ vel in ipsis articulorum juncturis, capacitate & synovia gignitur, vel ex aliis partibus in eosdem impetu fertur, ibiq; pro varia salis congesti mordacitate & acrimonia, varias ciet dolorum acerbitates, qui & Hippocrate & experientia testibus, potissimum Veris & autumni tempestatibus recurrunt recrudescuntq;, quod tunc temporis serosæ defluxiones plurimùm luxurient, quæ cum ad imbecillas articulorum juncturas impetu ferantur, concretamq; ibi tartaream materiam vel augeant, vel dissolvant, aut calcis vivæ instar, irrigando inflamment, fit ut dolores excandescant, & symptomatum vehementia miseri arthritici plus satis torqueantur.

Hactenus de arthritidos historia, quantum quidem ad nostrum propositum facere videtur. Nunc paucis etiam, pro instituti nostri ratione, quantum quidem literarum Laconismus patitur, nonnulla de hydrargyro, seu argento vivo, aut Mercurio, admirabili illo hermeticorum Protheo proponamus, ut iis præcognitis, facilius postmodum propositæ quæstionis difficultatem solvere possimus. Inter antiquos Græcos authores vix alius timidiùs & incertiùs de hydrargyri natura & proprietatibus scripsit nostro Galeno: Quamvis Dioscorides, Galeno antiquior, nonnulla, at obscura satis, nec tanti etiam momenti de eo literis consignarit, quem postea sequuti sunt Oribasius, Actuarius, AEgineta, aliiq; Græci medici, qui pauca quædam addiderunt. Inter Arabes verò Avicenna, Rhases, Mesue, aliiq; nonnulli paulo pleniore & audaciore calamo Mercurii facultates, commoda & incommoda depinxerunt. Hos demum insecuti moderniores Latini, Gilbertus Anglicus, Brassavolas, Fallopius, Sylvius, Iulius Palmarius, Matthiolus, & alii quàm plures, & præstantissimi dogmatici Medici, quibus etsi Mercurius aliquomodo suspectus, & venenum visus sit: tamen prævia & concinna aliqua præparatione, tam quoad internum, quàm quoad externum medicinæ usum, hydrargyrum magnis laudibus & encomiis extulerũt, unico ferè excepto Fernelio, qui suavissimo latinitatis nectare priscorum Arabum, & Mauritanorum barbariem nobis condivit; hic libello suo de lue venerea, omnibus ingenii & eloquentiæ viribus Mercurium è medicamentorum familia deturbare, & ad ultimos Garamanthas, extremosq; Indos relegare conatur. Cum enim observasset, ex intempestivis hydrargyri inunctionibus, tanta cum ferocia, & dolorum aliorúmve symptomatum acerbitate, miseris ægris & vires labascere, & colliquatis vi medicamenti corporis humoribus, extrema languescere, refrigerari, membrorum tremores, contracturasq;, paralyses, apoplexias, dentium à naturali situ divulsiones, & consimilem horrẽdorum symptomatum syndromen cõcitari, hydrargyrum qualitate frigidissimum, substantiæ proprietate maximè venenosum, unà cum sectariis proclamavit (quasi verò ejusmodi calamitates à calorificis quoq; caussis cieri nequirent.) Hinc usu receptum hodie, ut nonnisi admixtis calorificis, & Mercurii ferociam frœnantibus, ejusmodi usurpentur inunctiones Mercuriatæ, qualia sunt aromata, pinguedines, adipes, olea, &c. quibus facultates, partium robur, spirituumq; tremores, conservaturos præservaturosq; sibi persuadent. Nec enim solum, ut volunt, Mercurius excandescentium humorum ferociam & impetum sua frigiditate coercet, obtunditq;, non solum siccitatem attemperat, malignitatemq; eorundem cohibet, sed etiam viscera æstu flagrantia humectat refrigeratq;: Unde non mirum, si omnis generis scabies, pruritus, impetigines, psoras, lichenas, & ipsam sæpè lepram demulceat, compescat, aut etiam radicitus extirpet. Hisce addunt, hydrargyrum suâ pernitiosâ & venenatâ qualitate caput petere, immodicas defluxiones, molestissimas sputiones, & scyalismos, atq; infestissima alvi profluvia, lethalesq; hypercatharses ciere, corporis item humores, & solidã totius substantiam fundere & colliquare, ut proprium & peculiarem ex iis humorem trahat: Scirrhos quinetiam, nodos tophosq; tam arthriticorum, quàm gallicorum emollire & dissolvere, omnis generis dolores, tam calidos, quàm frigidos, mitigare, (ut nunc omnium ulcerum, fistularumq; curam silentio involvam) quæ omnia partim innata frigiditate, partim vi, quã pollere volunt, sulphurea & humida, partim demum venefica proprietate fieri, existimant. Multas hic audis, doctissime FABRICI, easq; contrarias, ex dogmaticorum sententia Mercurii proprietates; ut quam in partem declinare debeas, te vix explicare possis.

At Hermetici, quibus naturæ lumen patet, quibusq; in reseranda viva rerum, & potissimum metallicarum Anatomia, & genium & ingenium micat, longè secus de Hydrargyro sentiunt: non venenatum clamitant, sed ut præstantissimum medicamentum, maximis laudibus extollunt; non tamen illotis manibus ad illius usum accedunt, nec indifferenter quovis obvio, nec crudo, sed arte Spagyrica concinnato, & ad cœlestem quasi δύναμιν *& essentiam redacto, magno ægrotanti-*

Obs. 32.

Fernelius Mercurii usum improbat.

Mercurius quid operetur.

Mercurius caput petit.

Hermeticorum opinio de hydrargyro.

Obs. 82.

Quinam Mercurius eligendus.

tantium fructu, ad ferocissimorum etiam morborum expulsiones utuntur. Ideoq; quantum fieri potest ad usus medicos adhibent Mercurium nativum, eumq; vel Hispanicum, vivum, purum, putumq;, per se fluxilem, quem PLINIUS æterni liquoris vomicam appellat, vel Istricum, aut è Schlavonicis, Vngaricis, Cracoviensibúsve fodinis erutum, & spiritualibus Auri tincturis à natura impraegnatum. Horum defectu artificioso utuntur, & eo potissimum, qui ex ipsis perfectis corporibus, aut è nativa seu montana cinabri per sales resuscitarios arte spagyrica elicitur.

Mercurius qui fit ex plumbo & bismuthi admixtione vitandus.

Qui enim ex plumbo & bismuthi admixtione constatur, cum sophisticatus sit, & (quo empirici plerumq; ob pretij vilitatem utuntur) ob veneficam, terrestrem, & frigidissimam Saturni naturam, humano corpori tantopere inimicã, supradicta symptomata producat, omni studio & diligentia è medicamentorum familia excludendus. Et quoniam non rarenter heterogeneæ aliorum Mineralium substantiæ, ut antimonij, bismuthi, Saturni, &c. Argenti vivi mineris vel assideant, vel & adhærescãt, sicq; varias & sæpè lethiferas Mercurio facultates imprimant, ideoq; Hermetici ceu sagaces naturæ scrutatores, non quemvis citra delectum, sed verum, genuinum, purum putumq;, naturalem, Hispanicum, aut alium optimum, rite à sulphureis terrestreitatibus, corporibusve heterogeneis separatum repurgatumq; seligunt, qui summa partium tenuitate præditus, aëreus, cœlestis, & spiritus instar ignei, intima quæque etiam solidissima metallorum corpora pervadit penetratq;. Et licet forinsecus ad tactum frigoris intensi significationem faciat albescatq;, sub ea tamen albedine & insignis rubedo, quemvis carbunculum superans, & tenuissimus subtilissimusq; latet igniculus, flagranti dulciq; liquore insignitus, cujus ope tantam purgandi vim sortitur, quantam nulli aliorum purgantium concessam esse legimus.

Ex Mercurio catharcticum fit universale.

Nec peculiari, & sibi indita proprietate crassos, lẽtos, viscosósq; purgat humores, ut putat FERNELIUS; sed omnis generis corporis impuritates, unde ex illo rectè præparato Catharcticum universale parari potest; uti & alia sexcenta præstantissima remedia, uti est Arcanũ corallinum, tãtopere in affectibus podagricis decantatum, Mercurius vitæ, Mercurius præcipitatus auri Diaphoreticus, Aquila cælestis. Tinctura, Essentia, spiritus, oleum, & elyxir Mercurij, ut videre est apud Paracelsum, Penotum, Quercetanum, Riplæum, Crollium, Andernacum, Libavium, Beguinum, Bornettum Scotum, Fr. Valentinum, & alios quàmplures Hermeticos. Ex hactenus dictis, doctissime FABRICI, paucis intellexisti, quæ meo saltem judicio & Arthritidos & Mercurij sit indoles, natura & proprietatis ratio.

Indicationes curativæ arthritidos.

Iam paulò propius ad Quæstionis solutionem accedentes, tribus ut ajunt verbis, Arthritidos curativas saltem indicationes referemus, ut inde cõstare possit, qua lege & methodo huic affectui Mercuriatæ inunctiones adhiberi possint. Cum igitur superius docuerimus, Arthritidis generationẽ tum articulorum imbecillitate, tum feroci materiæ salsuginosæ & acutæ affluxu & copia, quæ eo fertur, vel decubitu, vel attractione, vel orgasmo cieri: duo haud dubiè quoq; erunt curationis scopi, materiæ scilicet morbificæ evacuatio & affectarum partium corroboratio. Vnde materiæ morbificæ generatio impedienda, genitæ materiæ fons exhauriendus, impediendus orgasmus, materia autem partibus contenta dissolvenda, discutiendaq; & partes demum affectæ corroborandæ. Quibus autem præsidiis, tum internis tum externis, executioni mandari possit, cum jam non sit nostri instituti, propositæ quæstionis solutionem hoc modo aperimus.

Nullus medicorum etiam præstantissimorum inficias ibit, pro Arthritidos curatione Mercurium quoque adhiberi tutò posse: sed quæstio est, num crudo, an ritè præparato, num artificiali, num naturali utantur? Crudum qui adhibent, & eum quidem, qui ex plumbagine, Saturno & Bismutho conflatur, (quo ferè Empirici, tum ob pretii vilitatem, tum quod veram veri & genuini Mercurij signaturam ignorent) & ex eo inunctiones Mercuriatas, additis prout lubet, & calidis, aromaticis, pinguibus, adiposis, oleosisq; concinnant, tantum abest, ut Arthritici ea inunctione subleventur, ut potius pravissima quæq; symptomata qualia in tuo patiente post inunctionem effloruêre, persentiscant, ob veneficam, malignam, & frigidissimam Mercurij illius plumbaris qualitatem, tum nervoso generi, tum tendinibus, & ligamentis, imò toti humanæ naturæ infensissimam. Et licet forsan in inunctionum præparatione verum & genuinum Hydrargyrum adhibeant: cum tamen sæpè venenatis aliorum metallicorum substantiis, ut dictum, impraegnetur, & ab iis neglecta debita præparatione non separetur, non mirum, si ea quoq; ratione imprudenter adhibitus, suam quoque malignitatem nervis, ligamentis, tendonibusq; communicet. Addo, quod Mercurius crudus tota substantia nervosis partibus sit infestissimus.

Quod si è vero, genuino, naturaliq; hydrargyro, artis Hermeticæ ingenio vel oleum dulce Mercurii, vel spiritum illum fragrantem, quem Mercurii liquorem, seu ardentem aquam Mercurii vocant, per salis Armoniaci fixi oleum præparemus, eoq; tophos nodosq; podagricos, gypseamq; & tartaream materiam juncturis firmiter adhærentem, debita ratione præmissisq; præmittendis inungamus, minimè quoq; dubitandum, quin felicissimus indè sequatur effectus. Cum enim spiritus ille Mercurii ritè præparatus, & subtilissimus & penetrantissimus sit, usq; adeò, ut corallia, ipsasq; perlas & uniones facili negotio in liquorem agat; nullo modo diffidendum, quin & materiam tartarosam juncturis affixam, vel ipsis periostiis adnatam, uti & tophos nodosq; gypseos enodare, mollire, resolvere, in fluxilem liquorem agere, sicq; tandem evacuationi aptos reddere potis sit.

De interno Mercurii usu cum nihil quæras, nihil quoque dico: certum tamen est, Hermeticos arcano illo corallino tantoperè laudato in curanda Arthritide, podagricisque affectibus, mirandos effectus edidisse. Et hæc paucula pro temporis brevitate ad dictæ quæstionis solutionem dicta sufficiant.

Puerulum autem quinquennem articularibus doloribus correptũ quod attinet, nec moror, nec miror. Namà parentũ, avorum, proavorumve semine fixæ tincturæ impressionẽ Arthritidos suscepit: quod semẽ cum præcox fuerit, præcoces quoq; ejusdem naturæ fructus, qualitates, proprietates, signaturas & characterismos, uno pluribusvè membris impressos produxit. Non quidem laborant podagrâ pueri ante Veneris usum, secundùm Hippocratem, nisi à parentum semine podagricis tincturis impraegnato id contingat, præsertim cum parentes lue Venerea fuerint aliquando infecti; qui affectus Hippocratis ævo nondum nec effloruerat, nec innotuerat. Coronidis loco addiderim, quod non raren-

varenter filii Arthriticorum, non statim, sed longo post tempore duntaxat paternos affectus persentiscant; eò quod innati balsami vita vivacitas, & perennis aquæ vitæ irroratio, seminales fixæ tincturæ impressiones impediat, unde hæreditarius morborum character, ob nectaris vivifici abundantiam delitescere cogatur, quo minus in germina, flores, fructumve prorumpat. Quod si vivifici nectaris paupertate à primo ortu laboret natura, uti in hoc tuo puerulo; fit ut eò citius flaccescens natura, hæreditariam impressionem admittat, & prematuri talis tincturæ flores prorumpant: etsi id in omnibus morbis hæreditariis perpetuum non sit, sicut in puerili morbo seu epilepsia videre est. Et quoniam nō semper vigent morborū semina & tincturarum impressiones. fit ut & ætatis decursu, & seminis morbifici consumptione, parentes senio confecti prolē generent, nullis morborum hæreditariorum tincturis infectam.

Quæ sub finem literarum tuarum de Pseudomedicis, parambulanis illis fumi, nugique vendulis adducis, summoperè placuerant. Quod si veram, genuinam & omnibus partibus asolutam illorum historiam legere velis, vide & consule essentiam hellebori extractam Petri Holtzhemii, impressam Coloniæ non ita pridem. Hic etsi rem graphicè & abundè depingat, usque adeò tamen excœcantur hominum, etiam Magnatum & Principum animi & oculi, ut media in luce videntes, non videant, & audientes non audiant. Mundus vult decipi, decipiatur ergò. Sed video te plus satis occupatumq́ plus æquo detineri: parce ergò mihi, parce ingenuo amori. Vale, & tuum Deodatum amare non desistas. 12. Maii 1618.


OBSERVATIO LXXXIII.

De infelici successu potionis vulnerariæ.

IN præcedentibus Centuriis de infelici successu emplastri stiptici, sive fodicationum, uti & de balsamis Empiricorum more applicatis, exempla aliquot recensui. Nunc quid de potione vulneraria, si empiricè & absque methodo exhibita applicataque fuerit, observaverim, in gratiam juniorum Chirurgorum adscribam.

Anno 1616. gladiator quidam M. Conradus Pancka, Dantiscanus quidem natione, sed Bernæ civitate donatus, vir adhuc juvenis, robustus & plethoricus, cum duos nobiles inter se litigantes, alterum ab altero separare vellet, gladio acuto in brachium sinistrum vulneratus fuit. Hæmorrhagiâ sedatâ, ex consilio amicorum solo decocto vulnerario (quod ibi non solùm in vulneribus, verùmetiam in quibusdam aliis affectibus Panaceæ loco habetur) ex Pyrola, virga aurea, sanicula, artemisia & beta rubra in vino coctis, cum barbitonsorte quodam, M. Iohann Knopff nomine, curationem aggressus est. Ter autem in die haustum decocti prædicti sumebat, vulnusq; eodem decocto ter abluebat, linteumq́; insuccatum decocto applicabat, ac reliquum negotium curationis omninò naturæ committebat. Ab initio curatio ad votum successit. Circa tertium verò exorta est inflammatio, dolor ingens, febris, nausea & appetitus prostratio. Quapropter cum ego in subsidium vocatus essem, manus, totumq́; brachium intumefactum, & ad cubitum usque inflammatum reperi: nec solum brachium intumefactum erat, verùm & musculi pectoris per consensum afficiebantur: hinc quoque de angustia pectoris conquerebatur, propter vapores quoque ex inflammato brachio ascendentes, cor noñunquam veluti lipothymia afficiebatur. Vulnus autem in musculo isto, qui à Vesalio tabula prima musculorum A. notatur, & ferè eo in loco, ubi versus carpum in tendonem desinit, existebat; vixque hujus magnitudinis, sed exteriùs veluti crustâ obductum & clausum erat.

Obs. 83.



Accepto stylo exploratorio, cùm anguem in herba latentem detegere vellem, adstantes me adonent, ne tale quid tentarē, nec vulnus refricarē; cutē enim superficietenus tantummodò scissā, ægrumq; decoctum vulnerarium ab initio bibisse. Imaginantur namque sibi nostrates homines, decoctum hoc consolidationem externam vulnerum non concedere, nisi ipsa concavitate prius consolidata: ego tamen sæpissimè contrarium magno ægrorum periculo observavi. Immisso stylo, cum vulnus spithamam ferè profundum esse, versus cubitum ipsum penetrans vidissent, supra modum admirati fuerunt. Inuncto brachio oleo anodyno, turundam, quæ tamen dimidiam partem vulneris nondum attingebat, (profundiùs enim prima vice pervenire non potui) digestivo nostro alibi in affectibus capitis descripto, inunctam imposui, & linteum in refrigerativo madefactum tepidè applicui: victus rationem tenuem præscripsi, vinoque ipsi planè interdixi. Et cum julapium ex refrigerantibus & corroborantibus circa nonam noctis propinassem, longè quietior noctem illam transegit, & aliquantulum meliùs habere cœpit. Altera die circa sextam matutinam Chologogum exhibui, cujus beneficio corpus clementer expurgatum fuit. Brachium iterum inunxi, turundam paulò longiorem imposui: idem quotiescunque vulnus curabam, tentavi, donec ad fundum vulneris pervenerim. Non autem expedit, quod diligenter notandum, ut turunda ejus sit crassitiei, ut totum vulnus adimpleat: hinc enim dolor continuus, aliaque pessima symptomata excitarentur: sed sufficit, ut circa superficiem vulneris, tres tantummodò partes vulneris adimpleat, & quarta remaneat vacua, ne labia vulneris à turunda extendantur. Turunda autem ex linteis suavissimis eo modo fabricata est, ut formam planè pyramidalem habeat, quo tandem circa fundum vulneris quartam solummodò partem vulneris adimpleat, vacuo relicto, ne generatio carnis impediatur; propter eandem quoq; caussam, digesto vulnere, turunda singulis ferè diebus aliquantum abbrevianda est.


Curatio vulneris.

Turundæ cujus debeant esse magnitudinis.

Cæterùm post dies aliquot, cùm symptomata, veluti dolorem, intumefactionem brachii, nec non inflammationem non satis remittere viderem, indeque colligerem, adhuc aliquid nobis nondum satis cognitum subesse, eamq; ob caussam iterum stylo argenteo vulnus explorarem, secundum inveni sinum (non tamen ejusdē profundita-

Obs. 83. Vulnus reduplicatū

funditatis) sub vena, quam vocant cephalicam, versus medianam penetrantem, planè eo modo, ut hic depinximus.



A. vulnus est externum in cute.

B. ductus est versus cubitum.

C. ductus est sub vena cephalica, versus medianam venam.

In superficie itaq;, videlicet in cute, unum erat, in ipsis verò musculis duplex erat vulnus, quod quidem diligenter notandum: quotiescũque enim hujusmodi reduplicatio vulneris accidit, æger versatur in periculo: dum enim Chirurgus curat unum, alterum verò sibi incognitum negligit, pessima suboriuntur symptomata, quemadmodum aliquoties mihi videre cõtigit.

Cataplasma.

Detecto itaque altero vulnere, turundam quoque eodem unguento inunctam immisi. Idq; bis in die: brachium totum prædicto oleo inunxi, & sequens cataplasma applicui.

R. Farinæ hordei fabarum ana ℥j.
pulv. rosarum rubearum
balaust. ana ʒij.
chamomil.
melilot. ana ʒ j.

Cùm posca, fiat cataplasma: adde sub finem parum olei rosacei & vitellum unius ovi unà cum albumine. Hanc methodum ante decimum quartum diem non mutavi, deinde sarcoticis, & cicatricem inducentibus curationem feliciter absolvi, observata tamen optima victus ratione, & laxata alvo, quotiescunq; necessitas urgebat.

Reduplicatio vulneris unde?

Porrò reduplicatio hujusmodi vulnerum accidit, aut propter tremulentiam manus, quæ vulnus infligit, aut propter motum, agitationemque corporis vulnerati. Iracundus enim infligendo vulnus, profectò non eandem prudentiam ac circumspectionem adhibet, qua nos utimur in operationibus Chirurgicis: neq; ipsius intentio est, uti nostra, videlicet curare, sed ut plurimùm enecare potius; utut autẽ sit, nõ vacat periculo maximo hujusmodi reduplicatio vulneris, inprimis si Chirurgus ignarus aut negligens fuerit, quemadmodum antea quoque monui.


OBSERVATIO LXXXIV.

De vulnere reduplicato & gravissimis inde sequutis symptomatibus.

Reduplicatio vulneris quid sit.

Reduplicationem vulnerum periculosam esse, in præcedenti observatione obiter notavimus; idque nunc in gratiam tyronum exemplo non vulgari ostendere non gravabor. Reduplicationem autem vulneris voco, quando in cute unum existit vulnus, in musculis verò duo, aut etiam, ut me vidisse memini, tria reperiuntur; idq; propter caussas in præcedenti observatione allatas; hinc aliquando ægri gravissimis periculosissimisque symptomatibus, absque caussa chirurgo cognita corripiuntur, quemadmodum ex sequenti observatione videre licet.

Circa annum 1608. rusticus quidam in Peroy ad lacum Lemmanum, in duello vulnus in coxam dextram, è regione ferè articuli, gladio acuto recepit. Advocato barbitonsore, qui immisso stylo exploratorio, vulnus sursum versus os sacrum ascendens reperit. Id quamvis eâ, quâ fieri potuit diligentiâ curaret, nihilominus circa tertium exort⁹ est dolor maximus, inflammatio, febris, aliaque gravissima symptomata. Ego circa sextum morbi, literis nobilissimi Viri Dn Ioh. de Martines Dn. in Bourgod piæ memoriæ, cum accersitus essem, hominem in maximis angustiis reperi, tam magnus erat dolor, inflammatio, febris, & difficultas in reddendis urinis (tota enim clunis usque ad podicem & perinæum intumefacta erat) immisso stylo, aliud vulnus, quod barbitonsor non observaverat, deorsum per medium clunis versus podicem descendens reperi, hunc in modum.



A. vulnus externum in cute denotat.

B. ductus est versus os coccygis.

C. ductus versus perinæum.

Cæterùm cùm vulnus externum in cute ita ãgustum, ut ambas turundas excipere non posset, & alterum à me detectum valdè profundum esset, deorsumque tenderet, suasi adstantibus & amicis, ut ex inferiori parte incideretur, quo pus eò melius effluere posset. Exonerata itaque alvo beneficio enematis, & immisso stylo excavato, & ex una parte aperto, ad ipsum fundum vulneris usque, sequens scalpellum per rimam, aut excavationem ipsam styli detrusi & impressi, donec quod reliquum erat carnis unà cum cute, acie scalpelli transfigerem: quo facto, & extracto scalpello, funem ex serico rubro paratam, & digestivo inunctam imposui, coxam ad genu usq; totumque latus oleo anodyno inunxi, & loco affecto sequens cataplasma calidè applicui.

Cataplasma.


R. mica

R. micæ panis ℔ j.
pulv. seminis fœnogræci
lini
cydoniorum
meliloti ana ℥ ß.
pulv. rosar. rubear. ℥ j.
croci ʒ ß.

Coquantur cum lacte vaccino, fiatq; cataplasma, addendo vitellos ovorum num. 2.

Post cœnam julapium ex refrigerantibus, corroborantibus, & dolorem lenientibus exhibui: hinc melius quievit ea nocte, urinamq; minori cum difficultate excrevit. Sequenti die cholagogo corpus evacuavi, postera die venam in cubito incidi, & secundum tolerantiam virium sanguinem extraxi. Vulnus autem in duodecimum, aut decimum quartum diem prædictis remediis bis in die curavi: funem ad minimum semel in die extraxi, recentemque eodem digestivo inunctam imposui. Hac methodo cùm per dies aliquot, uti dixi, usus fuissem, & æger optimam, tenuemque victus rationem observasset, dolor, reliquaque symptomata remiserunt. Digesto satis & mundificato vulnere, sarcoticis & cicatricem inducentibus curationem feliciter absolvi.


Delineatio instrumenti, quo perforatio facta fuit.



Superioris instrumenti explicatio. Obs. 84.

A. Stylus est excavatus, & ex una parte apertus, cujus extremitas D. notata, clementer ad ipsum usque fundum vulneris immittenda est. Deinde acies cultelli B. notata, per ipsam rimam styli ad fundum vulneris infigatur, & extra cutem usque extrudatur, donec digitis possit apprehendi. Tandem immissa acie cultelli E. notata in rimam styli excavati, ita extrahendus est cultellus incisorius, ut ipsius acies rimam non egrediatur. Extracto cultello, funiculus C. notatus, digestivo ut dictum est inunctus, in vulnere relinquatur. Postea quotiescunq; opus est novum imponere funiculum, unus alteri annectendus est, sic extracto uno, alter immittitur.

Aliud instrumentum, quo vulnus profundum, & angustum ex adversa parte commodissimè inciditur, perfoditurque.



A. A. Stylus est, cujus acies in formam lanceoli, quo venæ inciduntur, fabricata est.

B. Fistula ex argento, aut cupro: eam autem non rotundam; sed aliquomodo depressam esse convenit.

Usus instrumenti talis est: Immissa fistula usque ad fundum vulneris, immittendum quoq; & per carnem cutimque extrudendum est scalpellum. Tandem funiculum scalpello eo in loco ubi C. notatus est, protinus annectere convenit. Hoc modo extrahenda fistula una cum scalpello; ita funiculus sequitur, vulnerique immittitur.

Quomodo vulnus ex altera parte incidendum.

Cæte-


Obs. 84. Cæterùm quia de incisione & apertione vulnerum hic agitur, visum fuit annectere instrumentum, quo cutis (si subest maximus spaciosissimusque sinus) secundùm longitudinem ocyssimè velociterq; inciditur, ut in sequenti observatione demonstratur.

Observat. Ante annos aliquot studiosus quidam, & alumnus Illustrissimorum Dn. D. Bernensium 18. añorum ætatis aut circiter, Abrahamus Viviacus nomine, cum propter frigoris vehemẽtiam quam Anno 1601. tempore hyemali passus fuerat, dolore vehementissimo totius tibiæ dextræ, ab ipso genu usque ad ipsas extremitates digitorum pedis correptus fuisset, & tibia intumuisset, Bernam se contulit, ubi clementia & benignitate magistratus Amplissimi receptus, & barbitonsoribus Xenodochii commissus fuit, qui cum abscessum aperuissent, & per menses aliquot ipsi varia remedia, frustrà tamen adhibuissent, Lausannam venit, ubi ipsum divino aspirante numine feliciter sanitati restitui. Erat autem tibia ab ipso genu usque ad talum supra modum intumefacta, longitudine quinque circiter digitorum in latitudine positorum, infra genu, ulcus erat rotundum ac parvum, ex quo sanies aut ichor copiosè effluebat. Corpus cum propter cruciatus & dolores, quos Bernæ & in reditu Lausannam passus fuerat, supra modum extenuatum ac debile erat, febriculâ quoque ac cibi fastidio vexabatur. Cæterùm ulceri prædicto immisso stylo exploratorio, cutem ab ipso osse ad spithamæ ferè longitudinem separatam animadverti: & quia manifesta caries in osse deprehendebatur, ulcus quinetiam tam angustum esset, ut sinus ille maximus, simul ac caries in osse (nisi illud dilatatum esset) expurgari non posset, de dilatatione ulceris cogitare cœpi. Ne tamen temerè quid in extenuato ac debili corpusculo tentarem, Clarissimum Virum Dominum Abelem Roscium, Doctorem Medicum Lausannensem celeberrimum rogavi, ut mecum ægrum adiret. Ille cum pro sua humanitate paruisset, & sinum illum maximum à barbitonsoribus neglectum, simul & cariem in osse stylo explorasset, opinioni meæ facilè subscripsit. Sequenti itaque instrumento, præsente prædicto Dn. D. Roscio, & Dn. Claudio Marione pharmacopæo fidelissimo, cutem incidi, & impositis filamentis dilatavi, idque in eum finem, ut caries in osse auferri posset. Incisionem autem cutis sequenti instrumento feliciter præstiti.

Abscessus ingens in tibia ex frigore.

Obs. & Cura





Superioris figuræ explicatio.

A. A. Instrumentum est cultellare, & benè scindens.

B. B. Ipsius acies acutissima, quæ antequam vulneri imittatur, cera in formam globuli obducenda est, ne inter immittendum carnem hinc & inde compungat.

A litera C. autem usque ad D. cutis cum incidenda esset, aciei cultelli globulum cereum, uti dictum, adaptavi, & cum cultello ad locum, ubi caro incidenda erat, pervenissem, aciemq; extra cutem extrusissem, globulus cereus in ulcere remansit, tunc ulteriùs extruso instrumento, carnem è vestigio divulsi. Postea quæ ad cariem ossis removendam desiderabantur, commode applicui, quod antea propter angustiam vulneris fieri non potuit. In hac autem curatione, quanto cum fructu euphorbio usus sim, Lector videre poterit observatione 92. Centuriæ secundæ.

OBSERVATIO LXXXV.

De monstroso varice ejusq; abscisione.

Viro clarissimo atque doctissimo D. MICHAELI DÖRINGIO, *apud Breslavienses Doctori, Medico longè celeberrimo, amico singulari;*

Cui

Guilh. Fabricius Hildanus S. P. D.

Quod te ad iter & discessum paras, clarissime atque amantissime Dn. Döringi, hisce diebus

dieb⁹ Coloniæ à viro quodam docto mihi nunciatum fuit. Doleo mei, non tui caussa: mei, inquam, caussa; in reditu enim ad meos, te Giessæ non invisere solùm, sed & ambabus ulnis amplecti sperabam. Tui verò caussa lætor, quandoquidem te hactenus summo cum honore atque emolumento studiosorum, provinciam Professoris Medicinæ in illustri illa Academia administrasse, & maxima cum gratia ab illustrissimo Principe dimissum fuisse, sat scio. Rectè itaque facis, mi amicissime Dn. Döringi, quod maternis & amicorum precibus obtemperas, teque ad paternos lares confers. Ego Deum ter Optimum Maximum suppliciter oro, ut Spiritu suo sancto tibi adesse, teque Angelis suis feliciter conducere velit. Ego etiamnunc in patria hæreo, eritque forsan per menses aliquot mihi hîc persistendum. Cæterùm quia te operationibus Chirurgicis delectari scio, placet in præsentiarum adscribere casum, quem tibi non ingratum fore confido.

Anno 1589. ex Gallia cum ad paternos lares reversus essem, ad quadragenarium quendam hîc in vicinia, virum robustissimum & optimo corporis habitu præditum, Adolphum auff dem Bruch nomine, vocatus fui; Laborabat ille ulcere maligno & inveterato in tibia sinistra, unà cum varice ingentis magnitudinis. Crassitie enim brachium meum ad carpum adæquabat, & spithamam ferè erat longa: Incipiebat autem in ipso poplite, & pedem versus descendendo gyrum, & circumvolutiones duas efficiebat. Sed quod notandum, quamprimùm tibiam in altum elevabat, protinus retrocedebat sanguis: in terram verò posita tibia, iterum descendebat, & quidem in ipso momento: & ut verbo dicam, sanguis fluebat & refluebat non aliter, ac si in tubulo quodam, nunc in hanc, nunc in illam partem projectus fuisset.

Porrò cum ulcera varicosa, ut nosti, nisi prius abscisso varice, consolidari nequeant, curationem sic aggressus sum. Instituta optima victus ratione, aliquoties item expurgato corpore, & venâ brachii ejusdem lateris incisâ, ægroque in scamno collocato, in ipso poplite cutem blandè ab ipsa vena separavi. Deinde filo reduplicato, mediante acu incurvata varicem amplectebar: in inferiore parte varicis eodem modo processi. Sed antequam filum stringerem, nodumque facerem, tibiam ex scamno in terram collocandam jussi: idque in eum finem, ut sanguis pro more deorsum flueret. Verebar enim, ne sanguis ille propter fluxum & refluxum subtilior factus, incommodum aliquod procrearet. Tandem filum ex superiori parte varicis primò arctè strinxi, nodumque effeci; postea quoque ex inferiori parte. Quo facto, varicè propè nodum superiorem, ut sanguis in varice, veluti in sacculo oblongo contentus, effluere posset, scalpello incidi. Cum verò copiosior, quàm pro magnitudine varicis decebat, effflueret, & locum attentè inspicerem, repertus fuit ductus cœcus, qui ex inferiori parte ligaturæ varicem ingrediebatur. Ille cum filo ligari non posset, nonnihil unguenti escharotici ad ipsius ostium, postea pulverem nostrum ad sanguinem sistendum cum albumine ovi copiosè applicui; omniaque fasciâ oxycrato madefacta ligavi, & in sequentem diem usque reliqui. Demum vulnera aliorũ vulnerum more curavi. Interim quoque circa ulcus nihil, quod necesse videbatur, prætermisi, & corpus per intervalla expurgavi. Sic divino favore convaluit, & ab eo tempore in hodiernum diem usque optima sanitate fruitur: ulcus quinetiam clausum remansit. Utinam igitur, Vir clarissime, in omnibus morbis caussa auferri posset; nihil enim tunc incurabile esset. Vale vir clarissime, & *Fabricium* tuum amare perge. Raptim Hildenę 16. Aprilis 1612.

Obs. 85. & 86.

OBSERVATIO LXXXVI.

De affectu quodam gravissimo, nec non raro Calcanei, tempore pestis contracto.

Viro nobili Dn. PAULO OFFREDO *Doctori Medico clarissimo atq; doctissimo, Guilh. Fabricius Hildanus S. P. D.*

Distuli aliquantisper ad te scribere, Vir amplissime, fautor & amice unicè mihi observande, non propter negligentiam in scribendis literis, multò minus oblivionem tui, sed quod verebar, ne tuum simul & meum adhuc cruentum vulnus refricarem. Ea enim est amicitiæ nostræ sanctitudo, ut quæ tibi advenere adversa tristiave, mentem quoque meam non parum compunxerint. Ut enim de morbo tuo pestifero, quem acutissimum fuisse, jampridem non sine maximo dolore intellexi, taceam; annon evulsio illa COSTÆ TUÆ longè nobilissimæ doleret? Expertus loquor: Ante quatuor enim annos in eadem fui nave. Ædes meæ propter pestem gravissimam Lausannensem ultra menses quatuor perclusæ erant: ex filiabus meis mortem obierunt duæ, famulus item & ancilla. Uxor mea charissima, reliquique omnes domestici, per singularem Dei misericordiam, veluti ex cymba Charontis, non sine maxima difficultate evaserunt. Tuas miserias, inquis, narras: sic me solaris? Ego verò, mi Dn. Offrede, adversa mea præterita, & quæ etiam nunc continuò (quid dicere velim, satis intelligis) mihi dolorem cruciatumq; adferunt, quantum Deus Opt. Max. pro singulari sua misericordia atque clementia dat virium, patienter, & quantum fieri potest, constanter fero. Quapropter te hortor, ad incommoda tua pari mente mecum ferenda. Amisisti illam? minimè; sed properavit ad beatorum illam sedem, ad quam nos omnes quoque aspiramus: Scimus enim, inquit Doctor Gentium, nos, si terrestris hujus domus nostræ tabernaculum dissolutum fuerit, ædificium ex Deo habituros, domicilium videlicet non manu factum, æternum in cœlis, in hoc enim suspiramus, expetentes domicilio nostro,

Obs. 86. quod è cœlo est, superindui. Itaque, Lipsii verbis utor, ut nauta fluctus assilientes negligit, interim tamen manum in clavo habet, oculos in astris: sic nos oportet, quod benè agimus, agere, & mentem ad Deum referre. Et quia non *Epist. 26.* subitò, inquit Seneca, impulsi ac prostrati sumus, sed singulis diebus non nihil viribus nostris subtrahatur, neque anni denumerantur, incertumque sit, ubi mors nos expectet, expectamus illam omni loco (egregia enim res est mortem condiscere) ea tamen lege, quemadmodum Dn. Paulus monet, loco præallegato, ut dissoluto tabernaculo nostro terrestri, ne nudi, sed induti, fide scilicet reperiamur.

Sed ut ad privata mea adversa redeam, etiamsi adeò maligna esset pestis illa Lausannensis, ut ex centum ægris vix sedecim evaserint, per singularem tamen Dei misericordiam atq; clementiam, beneficio alexipharmacorum & fonticulorum, in brachio videlicet sinistro, & poplite dextro, conservatus fui: Imò perpaucos, qui fonticulos gestabant, peste correptos fuisse, observavi. *Fonticulorū usus in peste.* Unum tamen, & quidem molestissimum, ne dicam exoticum incommodum mihi eo quoque tempore supervenit: dolor nimirum gravissimus & acutissimus in ipso calcaneo dextro: qui quidem, quia etiam nunc me angit excruciatque, ansam dedit affectum illum cum omnibus suis circumstantiis ordine ad te perscribere, tuumque, uti quoque parentis tui, summi Philosophi ac Medici, consilium auxiliumque expetere. *Bubo in inguine.* Scias autem primò, Vir clarissime, ante annos triginta, me peste gravissimè laborasse, & bubonem in dextro inguine ruptum mihi fuisse. Ab eo tempore, quotiescunque aër aliquis pestiferus me afflat, protinus dolorē in ipso inguine dextro persentio. Tempore itaque pestis Lausannensis, aliquoties dolor ingens in inguine exortus est, absque tamen febre, aut aliquo alio graviori symptomate: sed sumpto ad grana sex vel octo lapide Bezoar, cū scrupulis duobus cornu cervi usti & præparati, confectione alkermes ad semidrachmam, omnibusque dissolutis in aqua cardui benedicti & cinnamomi, nec non provocato sudore; dolor mox in inguine evanuit, & ad poplitem versus fonticulum descendit, non sine inflammatione, intumefactione, & dolore totius cruris. Materia hæcce pestifera cum aliquoties, & singulis ferè mensibus semel in corpore ita collecta, & beneficio naturæ ad fonticulum in crure expulsa fuisset, tandem aliud sequutum est *Dolor in calcaneo dextro.* symptoma gravissimum, dolor nimirum (qui etiam nunc me excruciat) in ipso calcaneo dextro, adeò acutus & vehemens, ac si subulis partes nervosæ compungerentur. Nunquam autem, quod notandum, continuus fuit dolor iste, sed suas habuit periodos, certamque observavit horam, nimirum quartam matutinam & tyrannidem suam per horam ad minimum integram exercuit, idque singulis diebus. Cum verò corpus pilulis pestilentialibus aliquoties clementer expurgassem, & alexipharmaca prædicta, nec non extracta, & salia cardui benedicti & scordii sumpsissem, & lotione pedis ex radicibus caryophyllatæ, vincetoxici, althææ, malvæ, foliis betonicæ, cardui benedicti, scordii, floribus sambuci, chamomillæ, meliloti & similibus per dies aliquot usus fuissem, dolor paulatim imminutus, & qui antea per horam integram excruciavit, paulatim veluti momentaneus factus est. Dum ita ultra menses quatuor excrucior, in Alsatiam ad nobilissimum ac strenuum Virum Dn. Franciscum Conradum à Sickingen, serenissimi Principis Maximiliani Archiducis Austriæ, &c. Consiliarium, & summum præfectum in *Stauffen* vocor 27. Maii Anno 1614.

Cæterùm cum propter diversas occupationes in Alsatia per menses ferè tres detentus fuissem, dolor ille in calcaneo omninò evanuit, ita ut penitus me curatum esse arbitrarer. Reversus Lausañam, cum dolor iterum circuitus suos observasset, ac ego hujus subitæ mutationis caussā diu investigassem, cognovi tandem id ex usu vini, ut vocant Vaudensis (de la Vaux) accidere. *Vini Vaud. catarrhosi[s].* Ab eo enim tempore quotiescunque de hoc vino bibo, nisi egregiè dilutum fuerit, revertitur dolor; ex quibus perspicuum fit, quàm adversum perniciosumque hoc genus vini sit catarrhosis, quod & in nonnullis Arthriticis hic indies observo. Ante mensem, cum Masonopolim in Alsatiam ad nobilem matronam, gravissimo affectu oris laborantem, vocatus essem, ibique per septimanas quinque moram traherem, ne semel quidem sensi dolorem, etiamsi ut plurimùm vina generosa biberem. Vix domum reversus, dolor quoque rediit. Invadit autem, ut antea dixi, circa quartam matutinam; quam primùm verò vesica evacuata fuerit, quod pro more circa quintam fit, imò inter exonerandum ipsam, penitus evanescit & remittit dolor, nec hactenus unquam ante prædictam horam quartam rediit. Dolore isto acutissimo infestante, si tibiam extendendo, calcaneo, ea qua fieri potest violentia, spondæ insisto, aut si uxor ambabus manibus locum dolentem comprimit, statim cessat dolor. Cum primum tamen pedem spondæ amoveo, mox, imò in ipso momento dolor revertitur, eademq; violentia, ut ab initio excruciat, idque tantisper, donec vesicam exoneravero. Cæterùm etiamsi nulla adsit intumefactio, nullaque manifesta intemperies, neque semel sedato dolore, ullum incommodum in ipso pede & in crure, usq; ad proximum tempus paroxysmi sentiam: vires tamen aliquomodo prosternuntur, lassitudoque aliqua corporis inducitur: quapropter anxius profectò sum hac de re, mi D.D. OFFREDE, vereor enim, ne paulatim incrudescat malum.

Ante menses aliquot propter Catarrhum ad pectus, à vino per integrum ferè mensem abstinui omninò, & decocto agrimoniæ, veronicæ, liquiritiæ, florum tussilaginis, cinnamomo, ac saccharo aromatizato usus sum, idque cum fructu maximo: Dolor enim calcanei omninò remisit. Quapropter libenter renunciarem vino, si id sine læsione ventriculi, quem non usque adeò validum habeo, fieri posset, neque sæpiùs peregrè mihi proficiscendum esset. Quæso itaque, ut quo

ut pro singulari nostra amicitia, summoque ingenii tui acumine, negocium hoc tibi cordi sit, opinionemque tuam, simul & parentis tui, rescribere digneris. Ego enim, ut ingenuè fatear, in cognitione hujus affectus mihimet ipsi non penitus satisfacere possum: & quonam in loco materia morbifica hæreat, item undenam sympathia illa inter vesicam & talum adeò magna, ut illa exonerata hic protinus à dolore levetur, nondum satis rectè intelligere possum. Sub finem pestis Lausannensis, materiam quoque flatulentam circa fonticulum in brachio meo sinistro collectam fuisse, percipere potui. Musculus enim anterior cubitum flectentium, in cujus medio ferè fonticulus est, per intervalla adeò tremebat, agitabaturque, ut adstantes non solùm agitationem & motum, verùmetiam, si brachio admoverent aurem, veluti strepitum quendam perciperent: nullus tamen aderat dolor. Duravit quidem per menses ferè duos, postquam verò prædictis alexipharmacis aliquoties usus fuissem, omninò remisit, neque deinceps ullum incommodum hac de re sensi. Hæc propterea adscribo, si forsan ad cognitionẽ morbi mei tibi inservire possent. His vale vir Amplissime, & cum tuis omnibus æternùm feliciter vive. Saluta quæso meis verbis Amplissimos viros Dn. Parentem tuum, & D. SARAZENUM Syndicum vestrum prudentissimum. Dabam Bernæ 20. Januarii 1616.

Viro celeberrimo & clarissimo Dn GUILHELMO FABRICIO HILDANO, *Medico & Chirurgo præstantissimo*, PAULUS OFFREDUS, *Med. Doct.*

S. P. D.

Non parũ me solatæ sunt eruditissimæ atq; humanissimæ tuæ literæ, vir celeberrime & amicissime, quas tamen ante bimestre ferè scriptas, nudius tertius modò accepi. Vulnus meum dum à tui similibus refricatur, non recrudescere illud, ut ais, sed potius deliniri persentio; nec ullum abire diem patior, quin & ipsemet eo fine vulnus hocce coalescere nescium refricem, nempe ut paterna à DEO *visitationis modum ob oculos mihi ponens, ab ejus nutu in spe & silentio pendere discam indies, mundanisq; sepositis ad cœlestia divino adspirante numine vehementius contendam, quem ærumnarum, fidelibus contingentium, finem esse præcipuum, probè nosti. Vtinam verò tibi, vir optimè, de prospero valetudinis tuæ, rerumq; domesticarũ statu gratulari possem: nec enim sine dolore tibi utrinq; satis graves mœroris caussas etiamnum suppetere video, eòq; dolendum magis, quod isthæc ea vitæ tuæ parte experiaris, quæ subsidio & alleviamento potius digna foret, & in qua sanè messem te facere dulcissimam tot tantorumq; laborum, in gratiam & tuorum, & totius quoq; Reipublicæ Medicæ a te exantlatorum, tempestivum planè videretur. At verò cum secus sentiat Pater cœlestis, macte animo pie senex, & quod jam pridem instituisti, ceu strenuus Christi miles, bonum hoc certamen decertare perge: nam dabit* DEVS *his quoque finem.*

Cæterum quam describis mihi morbi tui naturam, unà cum suis omnibus circumstantiis, mirati quã ulterius perscrutari mallem: adeò rem obscuritatis plenam deprehendo, & in qua enodanda vel mihi vel tibi satisfacere me posse diffiteor: quia tamen tibi gratificari, ac morem gerere semper in votis habui, aliquid super hac re in medium adferre nitar. Et primò de tristi sensatione, quæ grassante peste recurrit subinde ad corporis partem, quæ semel carbunculo vel bubone pestilenti affecta fuerit, nil est ambigendum. Nam & ipse hoc expertus sum: Siquidem postquam carbunculus, quem in collo passus sum, ad cicatricem perductus fuit, nõ destitit locus vario tempore acutissimi, sed ferè momentanei doloris sensum exhibere: idem etiam experiebantur alii quamplurimi, dum hic pestis grassabatur. Quæ res abundè meo judicio testari potest, quanta sit malignitate donatum venenum illud pestiferum, utpote quod non modò partis affectæ temperiem alterat, verumetiam naturalem ejus habitum, seu τόνον, qui in certa calidi tum nativi, tum influentis proportione, ac debita utriusq; ad partis temperiem relatione consistit, immutat, ac velut evertit; ut hinc non solùm pars debilior remaneat, fluxionibusq; recipiendis apta, ut in aliis particularibus morbis usu venit: sed insuper ob illam velut ἀτονίαν, quam venenum pestiferum in partem affectam introducere arbitror, determinari videtur illa partis debilitas ad eã εὐαισθησίαν tempore pestilenti, ratione cujus vel levissima in aëre labes, sanis omninò corporibus minimè alioquin noxia, per occultam quandam sympathiam ac familiaritatem, corporis olim peste detenti spiritus & humores nõnihil agitare valet: unde fit, ut locus in eo tempore debilior, quiq; carbunculi aut bubonis sanati vestigia retinet, dolorem illum acutum & fugacem persentiat, ab acriore scilicet materia, seu vaporosa, seu ichorosa, quam propulsat eò natura vario tempore. Ac sanè viscera nobilia grassante peste in plerisq; indiscriminatim aliquantulum divexari, frequens de fugaci quodam & vago, in emunctoriis præsertim dolore, querela satis arguit.

Iam verò, ut caussas doloris attingam, quem in calcaneo dextro percipis, verisimile omninò est, hunc à materia pestifera primam traxisse originem, ut ipse colligis ex temporis pestilentis notatione, quo primùm apparuit: hinc illa ibidem introducta alteratio atq; ἀτονία, quam supra diximus, à veneni scilicet præsentia, cujus quidem portio paulò crassior & humoralis, per fonticulum in poplite dextro salubriter evacuabatur, ac tenuis ac vaporosa ad calcaneum usq; excurrens, & ad partes illas frigidiores ac tendinosas appellens, denegata libera διαπνοῇ, dolorem illum acutissimum, tum distendendo, tum vellicando excitare cœpit. Et quamvis materiam pestiferam, quæ malum istud olim creavit, subesse, hocce tempore non sit credendum: varij tamen ichores, tum biliosi, tum Melancholici, succrescere non desinunt, qui ratione potissimũ fonticuli, quem gestas in poplite dextro, totam eam partem, & maximè calcaneum adeò εὐαίσθητον, & jam debilius divexare pergunt; idq; multò magis cum vino uteris valdè tenui & vaporoso, quale illud Valdẽse, quod notas, toti nervoso generi, nervorumq; principio parum favens.

Porrò hic doloris in calcaneo typus est, quemadmodum refers, ut nempe singulis diebus recurrat circa horam quartam matutinam, qui spacio unius horulæ, plus minus terminetur, præsertim si manibus locus fortiter comprimatur; aut spondam lecti vehementer eo pede premas, non secus ac in ea levioris cõvulsionis specie contingit, quæ Gallis vulgò Gutta crampa dicitur:

Obs. 86.

De tristi sensatione, quæ tẽpore pestis recurrit ad partẽ, quæ semel peste affecta fuit.

Veneni pestiferi malignitas.

De caussa doloris calcanei.

Quare dolor in calcaneo certa hora recurrat.

 hac

Obs. 86.

hac enim forti cruris affecti compressione, vapor, qui est caussa mali continens & proxima, sese in nervosa corpora insinuans, velut excutitur & evanescit: quia verò per somnum calor cõcentratus in ichores hosce bilioso-melancholicos agens, ab eis acriores vapores quã multos facili negotio exsuscitat, qui postmodum soluto somno in partes nervosas ceu magis externas ac debiles, impetum habent, hinc ideò recursus iste doloris quotidianus, & quidem ilicò post somnũ patefit: verùm quod hujusce doloris sedationem post exoneratam vesicam protinus & manifesto te deprehẽdere narras, mõstro non valdè absimile judicarim: quis enim, quæso, seu generis, operisve societate, seu partium vicinia, inter talum & vesicam consensum unquam notavit? An fortè vesica lotio per noctem collecto distenta, lumbares nervos, quorum propagines ad talum usq; excurrunt, nonnihil comprimens, impedit, quo minus libera fiat horum vaporum exhalatio; quæ postmodum loco ampliore facto per exonerationem vesicæ felicius peragitur? quod si etiam doloris talum affligentis caussã potissimam in ipso inguine dextro, peste olim affecto, ceu in proprio fomite velimus agnoscere, unde postea per continuam nervi substantiam evidens doloris sensus ad ipsum talum terminetur, ibiq; demum ceu in parte sensus exquisitissimi elucescat; hinc evidentior adhac evadet illa harum partium vesicæ vicinarum ab ea repleta compressio, liberam materierum exhalationẽ impediens: hanc opinionem in re tam ardua expendendam tibi relinquo, & ad ipsam mali curationem, cùm ita vis, descendo.

De curatione.

Vtrumq; quod gestas cauterium, locis tamen mutatis, valde probo: superius enim affigere vellem brachio dextro, nempe ad revulsionem κατ' ἴξιν à partibus affectis: inferum verò cruri sinistro, ut accommoda fiat derivatio, & avocetur hac ratione materiæ descensus in crus dextrum. Catharctica non improbo per vices: verũ in hoc affectu infernas corporis partes infestante, benignum aliquod emeticum non esset abs re: ego penes me habeo non ex metallicis aut mineralibus desumptum, quod perexiguâ copiâ serosos potissimum humores ἄνω καὶ κάτω tutò & abundè vacuat: si ejus volueris copiam tibi faciam libentissimè. Vino utendum omninò censeo sed rubello potius, quàm albo, quod utiliter, meo judicio, diluere posses aquâ ex infusione radicum chynæ, plus minus pro ratione vini magis minusve generosi. Inter topica, præter ea, quæ usurpas, balnea sulphurea ineunte hac æstate ex usu essent. Plura scribere non vacat, ob vernas curationes & præservationes, quæ nos planè avocant: tu, quæso, boni consule, quæ pro temporis angustia hic adscripsi, & me, quod facis, amare perge. Vir amplissimus & consultissimus Dn. SARACENVS salutem plurimam impertitur tibi, nec non & parens meus, qui Medicinæ hoc suo extremo senio valedixit, ac totum sese Theologicis occupationibus tradidit. Ego verò fausta omnia tibi tuisq; ex animo adprecor. Vale. Genevæ 18. Mar. 1616.

Viro nobili Dn. PAULO OFFREDO *Doctori Medico clarissimo atq; doctissimo, Guilhelmus Fabricius Hildanus, S. P. D.*

Respõsum ad præcedentes literas.

Multum tibi debeo, clarissime atq; doctissime mi Dn. OFFREDE, qui tot tantisque occupationibus in praxi medica obrutus, tam solidè ac doctè ad literas meas respondes, nodumq; Herculeum solvis. Plurimum, inquam, tibi debeo, nec candidissimam illam animi tui significationem satis exosculari possum. Interim quoque doleo, quod in præsentiarum verbis tantummodò tibi gratias agere cogor: quod si tamen DEUS Opt. Max. vitam extenderit, & occasio sese obtulerit, ne omninò ingratus erga te videar, operam dabo.

Cauterium ex brachio sinistro removendũ, & dextro applicandum esse suades; at ego propter affluentes humores ad oculos in utroque brachio gero cauterium, nec sine fructu: utinam ne tandem propter visus mei imbecillitatem, ad setacei applicationem pervenire necesse quoq; mihi sit.

Fonticulum ex crure dextro in sinistrum, derivationis caussa removendum esse censes, & rectè quidem. Altero enim crure, inquit GALENUS, malè habente, reliquum scarificabis: Materia enim, exempli gratia, ad crus dextrum per venas defluẽs, scarificato aut exulcerato sinistro, violentiâ quadam attrahitur: quapropter circa distributionem venæ cavæ supra ossis sacri initium, potiùs ad sinistrum quàm ad dextrum crus defluit. Libenter igitur sententiæ tuæ subscriberem, nisi obstructionibus hepatis à multis annis obnoxius fuissem. Etiamsi enim hepar per venas sinistri cruris etiam evacuari posse, sat sciam, rectitudinem tamen fibrarum, secundùm mentem HIPPOCRATIS & GALENI libenter, & quantum quidem possum, observo. Interim tamen, si dolor calcanei iterum insultum fecerit (à duobus enim mensibus, quia vino modicè & minus generoso, aquâ quinetiam diluto utor, inducias mihi dedit) consilio tuo, volente DEO, parebo. Libenter tamen ex te intelligere percuperem, an fonticulus in dextro crure absque periculo claudi possit? Ego quidem dubito: primò propter imbecillitatem viscerum, sed inprimis ingeneratam hepatis obstructionem: ingeneratam, inquam: memini enim, utrumque parentem longè charissimum hydrope vitam posuisse. Deinde quia, ut tu quoque rectè sentis, in inguine dextro, nescio quid malignitatis ab eo tempore, quo peste laboravi, remansit: illam porrò malignitatem an posthac ingravescente ætate, & propter continuos labores corporis, & mentis molestias, imminuto calido innato & humido primigenio, beneficio naturæ ex dextro inguine ad sinistrum per obscurissimas vias regredi possit, valdè dubito. Catharcticum, quod promittis, gratissimum mihi erit: pretium quod indicaveris, libentissimè persolvam. Vino rubello quotiescunque utor, ab ipso detrimentum accipio, & tensionem aliquam hypochondriorum persentio. Ignosce obsecro vir clarissime, non possum nunc propter occupationes plura ad te scribere. Vale & cum tuis æternùm vive. Ocyus Bernæ 10. Maji 1616. Tractatum meum de dysenteria nondum Francofurto accepi, alioquin misissem ad te exemplar.

Ad eundem virum nobilem Dn. D. PAULUM OFFREDUM.

Maturiùs ad te scripsissem, vir amplissime, fautor & amice plurimùm honorande, nisi tractatum

ctatum meum de dysenteria Francofurto expectassem, & successum affectus mei gravissimi, antequã ad te scriberem, observare voluissem. Tractatum ante paucos dies accepi, tam negligentes in rebus authorum sunt typographi, quapropter clarissime mi Dn. OFFREDE, ne moram ægrè feras, eumque hilari fronte excipias, te etiam atque etiam obsecro. De affectu meo quid dicam? Audivit JEHOVA deprecationem meam: JEHOVA orationem meam suscepit. Quatuor enim nunc elapsi sunt menses, à quibus, laus sit DEO, nullum sensi dolorem, interim tamen optimam victus rationem, quantum quidem licet, observo: à conviviis publicis splendidisque, uti & à vino Valdensi abstineo; corpus quinetiam per intervalla expurgo. Ex eo autem tempore, quo primùm dolor cessare cœpit, iterum aliquid singulare in affectu meo observavi: singulis enim ferè noctibus circa horam primam coactus fui exonerare vesicam, quod antea tamen, & quidem per totam vitam meam nunquam mihi contigit. Exinde colligo, materiam illam malignam, quę ad talum decumbebat, nunc per urinam evacuari. Vides, quomodo natura aliquando vias sibi aptissimas, nobisque incognitas, ad expurgandos humores noxios sibi construat; Catharcticum tuum ad serosos humores evacuandos nondum accepi: est forsan illud, quod Gemou, sive Guttam Gambæ appellant. Sed quid quæso de hoc medicamento tibi videtur? Scribit CAROLUS CLUSIUS lib. 4 exoticarum observationum, cap. 8 Gemou esse succum concretum. Sed vixit mecum non ita pridem candidatus quidam Medicinæ, WOLFFGANGUS GASTO nomine, vir pius, doctus & in chymicis optimè exercitatus; is mihi retulit, se à chymico quodam viro fide digno intellexisse, Gemou non succum concretum, sed chymicum esse medicamentum, imò & nonnihil antimonii in se continere. Tibi hac de re quid videatur, si per ocium libet, rescribe quæso. Ego nunc per DEI misericordiam cum meis omnibus satis benè valeo. Filius meus Lutetiam profectus est: Deus sospitator & tutelaris ipsi æternùm benedicat. Reliqua ex amplissimo viro Dn. SARAZENO, Syndico vestro prudentissimo, intelliges. Vale clarissime mi Dn. OFFREDE, & æternùm feliciter vive. Ocyus Bernæ 1. Augusti 1616.

Tuæ Excellentiæ addictissimus & obsequentissimus

Guilhelmus Fabricius Hildanus

OBSERVATIO LXXXVII.

De morsu hominis.

RUsticus quidam in pago *Worb*, prope Bernam, *Hans Schlichter* nomine, in conflictu ab adversario suo iracundiâ excandescente, ad secundum articulum medii digiti manus sinistræ morsus fuit. Ab initio à balneatore quodam in secundum mensem usque curatus fuit, sed parum feliciter: quandoquidem malum ita auctum, ut tandem Bernam ad barbitonsorem primarium Xenodochii se conferre coactus fuerit. Is cum nullum aliud remedium, quàm ut ad metacarpum abscinderetur digitus, superesse, bono isti rustico persuaderet, operationemque strenuè, & per dies aliquot urgeret, author fuit nobilissimus Vir Dn. Petrus à Wattenville Dn. in Wyll, ut ad me se contulerit æger. Tum manum, brachium, imò totum corpus propter doloris vehementiam & diuturnitatem extenuatum, digitum verò præter modum intumefactum reperi, qui & in superficie juncturæ exulceratus, & ligamenta, ipsæq; cartilaginis juncturæ erosæ, ossaque inter se disjuncta & separata erant. Purgato corpore, & parum dilatato ulcere, & imposito pulvere catagmatico, aliisque, quæ in sordidis ulceribus, & eis, in quibus ossa cariosa sunt, adhiberi solent, cartilagines, nec non squamulæ appendicum exciderunt. Deinde brevi consolidatum fuit ulcus, ita quidem, ut spacio sex hebdomadum, divino aspirante numine, totam curationem absolverim. Juncturam verò cum rigidam & immobilem permansuram esse scirem (erosis enim cartilaginibus, quæ appendices ossium tegunt, ossa juncturæ mediante callo connectuntur, uti Observ. 77. Cent. 3. fusiùs declaravimus) maturè ipsam aliquantum incurvavi, ita ut manus pristinum robur adepta sit. Idem in Mercatore quodam in Langenberg prope Dusseldorpium Año 1583. observavi, de quo vide tractatum nostrum de Ichore & meliceria Celsi cap. 3. fusiùs.

OBSERVATIO LXXXVIII.

De morsu canis rabidi.

Viro clarissimo atq; doctissimo Dn. DANIELI DANIELS, *apud Düsburgenses Clivorum Medico ordinario atque celeberrimo.*

Guilhelmus Fabricius Hildanus, S. P. D.

QUod tua familiaritate, Vir clarissime, Nesselrodii apud Generosum Virum Dn. Ketterum diutiùs frui mihi non licuerit, doleo, nihil enim unquam magis mihi in votis fuit, quàm ut cum viris doctis atque eruditis amicitiam contrahere, cumque eis me erudire possem. Sed gravissimus morbus charissimæ Matris meæ obstitit: evocavit illam Deus ex hac lachrymarum valle ad æternam vitam 26. die mensis præteriti, cum ad annum octuagesimum ætatis suæ piè religiosèque vixisset. Cæterùm colloquia illa, quæ nuperrimè Nesselrodii inter nos de morsu canis rabidi habuimus, occasionem mihi præbuerunt, ut tuæ Excel. casum singularem, quem hisce diebus mihi videre contigit, communicarem. Is verò talis est.

Circa festum purificationis beatæ Mariæ virginis, proximè elapsum, rusticus quidam Hildenæ Vir robustus, viginti septem annorum ætatis, & optimo corporis habitu prædîtus, à cane rabido circa poplitem & genu dextrum variis in locis morsus fuit. Eadem die in pagum Ater vocatum, & ad marginem ferè Rheni situm, ipsum conduxerunt: ubi sacrificulus ejus loci clave ignita S. Huberti, ut vocant, vulnera

Obs. 88.
Potio Luchtenbergica.

jussit: ipsumque eadem die ad suos remisit, ad majorem quoq; securitatem, *potionem Luchtenbergianam* tantopere in morsu canis rabidi celebratam sibi adferendam curavit, eaq; summa cum diligentia, & prout præscripta, usus fuit. Nullum supervenit symptoma, & ulcera intra dies quatuordecim planè coaluerunt. Eodem autem tempore porci tres ab eodem cane morsi erant: quibus prædictam potionem similiter exhibuerunt: nihilominus tamen post mensem rabie correpti fuere: Rusticus verò ad finem mensis Aprilis absque omni incommodo supervixit. Tunc primò dolores maximi, & peracuti in tibia dextra exorti sunt, urina quinetiam simul, & excrementa alvi suppressa fuere. Tertia die morbi cum ego accersitus essem, vires adeo prostratas inveni, ut cum è lecto surgeret, ex una in alteram partem veluti ebriosus vacillaret, & solus minimè incedere posset. Inquietudines, nausea, anxietates & angustia pectoris, nec non dolores maximi in inferiori ventre aderant, & urina simul & excrementa alvi, ut dixi, suppressa erant. Circa genu tamen, & in ipsa tibia nihil apparebat, præterquam quod cicatrices lividæ, aut potius nigræ essent. Enema emolliens & anodynum protinus infudi, quo rejecto, sequuta sunt excrementa prædura, parumque urinæ, Sacculum quoque ex radicibus, herbis, floribus, & seminibus emollientibus & dolorem sedantibus calidè applicui: & inferiorem ventrem perinæumque butyro recenti & oleo lumbricorum (urinam enim provocat) inunxi. Post horas duas, cum iterum alvum exoneraret, excrementa copiosè rejecit: sequutum est & multum materiæ pituitosæ, viscidæ & salivosæ, veluti sperma ranarum, multum item reddidit urinæ, quæ etsi obscura, turbulenta & spissa esset, absque impedimento tamen & liberè deinceps ad finem usque vitæ suæ ipsam reddidit. Semel atque iterum ita copiosè exonerata alvo, ipsum jam evasisse penitus sperabam, sed fefellit opinio: quandoquidem paulò post correptus est rigoribus maximis: subsequens nox gravis & vires magis magisque prostratæ fuere: & quia ab initio morbi usque in quintum diem nihil dormiverat, paulatim in delirium incidit: exclamabat, vociferabatur, adstantes arripiebat, & objurgabat: ex una in alteram partem lecti sese projiciebat cum impetu, & sanguinem atrum, & in grumos concretum exspuebat. Cum verò post cœnam nonnihil laudani, & confectionis alkermes exhibuissem; omninò remisit delirium & ea nocte benè quievit. Altero tamen die cum à somno pejus haberet, mortem ex Hippocrate Aphor. 1. lib. 4. proximam adesse prædixi. Aucta itaq; febre, auctâ etiam imbecillitate virium, & sudore frigido correpto ægro, placidè & mente constanti, animam sexta die morbi effudit.

Hydrophobia Morbi maligni nota

Cæterùm Vir clarissime, etiamsi Hydrophobia, quæ præcipuum, & verissimum symptoma est morsus rabidi, correptus non fuerit: ipsũ tamen pestifero hocce veneno necatum fuisse existimo. Primò enim morbum in summo gradu, ut ita dicam, malignum fuisse, summa illa virium prostratio, angustia circa præcordia, anxietates, nausea & hujusmodi, fidem faciunt. Deinde caussam mortis fuisse morsum canis, dolor ille pungens, qui per dies aliquot, antequam reliqua symptomata supervenerint, tibiam exercuerant, certissimum est indicium, aliquid veneni ibi remansisse. Et profectò malignitatem aliquam adfuisse, præter dolorem lividitas, aut potius nigredo cicatricum indicat. Vides itaque Vir clarissime, nulli remedio, nullique alexiphatmaco, quantumvis approbatissimo, in morbis præcipuè acutis, nisi methodicè adhibito, fidendum esse. Præsentaneum & à multis seculis approbatissimum remedium in morsu canis rabidi, est cauterium actuale: at hic inutile fuit! Caussam quæris? Dicam paucis quid sentiam. Primò an sacrificulus clavem illam ignitam S. Huberti satis profundè infixerit, incertum est. Ustionem enim superficialem nequaquam sufficere, exemplum habes observ. 86. centur. 1. observationum mearum Chirurgicarum. Deinde post inustionem eschara excidenda: vulnus quinetiam ad menses duos aut tres apertum est retinendum. Eschara enim nisi prima aut secunda die auferatur, retinetur in ipsa portio aliqua veneni, quæ vi ignis inspissata fuit, iterumque dum putrescit eschara, in liquorem dissolvitur, & per venas capillares ad majora vasa transit, partesque nobiles serpendo paulatim inficit, uti fusius tam in prima, quàm in secunda centuria observationum monstravimus. At quia in hoc ægro eschara minimè excisa, & ulcera nimis maturè cicatrice obducta fuerant, mirum non est, ipsum tandem pestifero hocce veneno extinctum fuisse. Quia tamen inustio aliqua vulnerum præcesserat, & potione Luchtenbergiana usus fuerat, venenum extremam suam sævitiam exercere, & hydrophobiam excitare non potuit.

Potionem Luchtenbergianam, quia multos ea curatos ex T. Excell. intellexi, non improbo: an verò intra novem dies, uti affirmant, venenum hocce tam exitiosum extirpare potens sit, valde dubito, & empiricum istum processum periculosum esse, affirmare ausus sum. Galenum & alios ex antiquioribus Medicis medicamentum ex cineribus cancrorum fluviatilium, quod omnium est præstantissimum, & à tot viris approbatissimum, ad quadraginta dies exhibuisse, eorum scripta testantur. Quomodo itaque potio ista venenum hocce tam lethiferum intra novem dies debellaret? Ideoque omnia secundùm rationem, ut monet Hippocrates, lib. 2. aphorismo 52. facere, in magnis quinetiam periculosissimis morbis, empirica methodicè & cum ratione adhibere præstat. Vale vir clarissime, & si libet & vacat, rescribe. Raptim Hildenæ 18. Maii 1612.

Doctissimo Viro Domino Guilhelmo Fabricio Hildano, *Medico & Chirurgo expertissimo, Domino & amico suo unicè colendo*, Daniel Danielis *Med. D. S. P. D.*

Doctissime atque expertissime Domine Fabrici amicorum amicissime, quam te devinxerit Nesselrhodiana

diana nostra contracta amicitia & conversatio, ex gratissimis tuis literis vidi, paremque me tibi offero ad quævis præstanda obsequia. Casum quem ad me scripsisti de morsu rabidi canis, legi & perlegi, omnibusq; perpensis, rusticum illum, quem sibi patientem habuit, à rabido cane ictum, inprimis ordinario (superstitioso tamen, ut habeo) remedio, clave nimirum, quam dicunt S. Huberti ignitâ usum, sibi sanitatem promittendo, fuisse. Deinde etiam ad majorem confidentiam potionem illam, quam dicit Luchtenbergitam, toties feliciter comprobatam sumpsisse. Hæc cum ita se habeant, superstitiosam illam inustionem multorum animis inhærere constat, quæ tamen, si ferro ad id destinato & concinnè apto, debitè & secundum artis exigentiam fiat, non solùm prodesse, sed etiam radicitus venenum tollere valet: non enim est quod majorem habeat efficaciam in hoc casu, venenosam illam materiam exstirpandi & corrigendi, quàm ipse ignis, præsertim candenti ferro impressus, ignis namq; vis penetrativa, abrasiva, mundificativa, & stiptica, præcipuè si per ferrum imprimatur: ferrum enim naturâ suâ abstergit, & exsugit succum quemvis imbibendo: habet & hoc, quod infringat penetrativam illam veneni qualitatem, quo minus ad interna viscera transeat: sed unum restat, ut citò & scitè fiat, deinde etiam eschara subitò & aptè excidenda est, ne fortè portio aliqua veneni sub ea lateat, quæ humoribus undique affluentibus, tanquam resoluta & macerata, spiritibus & sanguini participet, totumque sua lue corpus inficiat. Deinde ulcera exsecta sunt mundificanda & abstergenda, nec cicatrix ulla inducenda, nisi elapsis ad minimum 40. diebus & ulterius, indiesque semel applicandus & inspergendus pulvis sublimati, qui in hoc casu singularem, imò raram habet efficaciam, viamque latam & aptam venenosæ exhalationi præbet: nec interim deesse debent exquisita antidota, quorum omnium proprietas sit corroborare, & vi propria spiritus corrigere, undiquaque per sudores materiam peccantem (si qua fortè irrepserit) exstirpare & discutere. Hac fortè (meo judicio) si rusticum methodo, debitaque & convenienti victus ratione usus fuisset, jam miser vitam cum morte non commutasset.

De Luchtenbergica autem potione, quod ponit, usa, exiguo attamen vel nullo profectu, Credo: alia enim hæc est methodus curandi, quæ saltem per occultam antidotariam vim perficitur; neque hæc inustionem candentis ferri requirit: Illa enim propter escharam inductam, & fortè non resectam, potionis vim arcuit, quo minus illa externè vulneribus applicata, suam potuerit exerere efficaciam: & sic non potioni imputandum, sed potius inscitiæ Chirurgi, si fortè quis fuerit. Illam enim toties & tam felici successu comprobatam potionem (cujus ocularem me testem offero) illæsam, nec maculatam volo: plurimi namq; adhuc supersunt, qui ex usu illius potionis jam multis elapsis annis, etiam nunc belle vivunt. Potionis usus est per novem continuos exhibere dies tria cochlearia trinis vicibus indies, nimirum jejuno stomacho in ipso Solis ortu, meridie, & vesperi Solis occasu. Deinde locum affectum & vulnera quotidie ter etiam diligenter abluere, petiamque linteam potione illa imbutam vulneribus externè applicare, donec vulnera coaluerint, & cicatricem obduxerint: nec memini ullum fuisse, qui hoc ita justè habito processu occubuerit.

Obs. 88. Quod autem scribit, magis methodicè esse cum hac potione procedendum, huic vestræ opinioni facilè subscriberem, si alia huic curationi methodus adscriberetur: ubi autem hæc suffecerint, & huic subscribo. Quodlibet enim medicamentum, & quælibet operatio suum habet ordinem. Addit D. sua, quod tanto temporis spatio, nimirum à festo purificationis B. Virginis ad finem usque Aprilis rusticus commodè vixerit, vulneraque omnia coaluerint, non miror: Luchtenbergica enim potione abluta, tandem cicatricem posuerunt: Venenum autem, quod inhæsit, altasque in corpore radices propter diutius retentam escharam injecit, ablutione illa superficiali abstergi non potuit: Spiritibus enim & sanguini participavit: desiit etiam novem illis absolutis diebus potionis usus. Natura itaque omni medicamine destituta, non potuit evincere impressum totiq; corpori immixtum venenum: Sic tandem suas edidit operationes, unde extrema illa debilitas, nausea, anxietas, pectoris angustia, vertigo & alia, quæ refert, symptomata orta, tandemque mors ipsa subsequuta. Convocata ubi D. sua accesserit, refert ante triduum, dolores illi quàm maximos & peracutos in tibia dextra exortos esse, imò omnia excrementa alvi & urinæ suppressa fuisse, ipsiusque vires adeò prostratas invenit, ut velut ebriosus è lecto surgens, hinc inde vacillaret, minimèque pedibus insistere posset. Circa genu autem nihil dicit apparuisse, quàm cicatricum livorem & nigredinem. Hæc omnia simul indicarũt, venenum verè subesse, totumque corpus planè occupasse. Quod livor in genu & cicatricibus apparuerit cum extremo dolore, non est quod miremur: hic namque est naturæ motus, materiam peccantem ad loca infecta propellere: debilia enim cum sint, illam profligare non valent; simulque vulnerum coalitio non admisit materiæ adfluentis excretionem, unde dolores vehementissimi; inde vertigo & aliæ anxietates: per reflexum enim repetiit materia cerebrum, unde rabies, tandemque ipsa mors subsequuta. De exhibitione quorundam medicamentorum recenset, se enema exhibuisse, quo tam tetra & varia fuerint ejecta excrementa, tam alvi quàm vesicæ: Credo. Constipatio etenim illa corporis, corruptio etiam venenosa, infectio denique omnium humorum, talia excrementa produxerunt. Alia adhibita anodyna, benè & opportunè sunt administrata: sed efficaciam in tam gravi affectu habere non potuerunt: major enim fuit infectio, quàm medicamenti virtus. Laudanum quietem & somnum quidem induxit; at venenum tollere non potuit, uti & confectio alkermes laudano mixta, spiritus infectos cordis corrigere desiit; juxta proportionem enim veneni exhibita non fuit: non enim constitit, venenum eo usque serpsisse. In hoc casu medicamentum ex cineribus cancrorum Galeni summè laudo: corrigit namque spiritus, omnesque humores, continuus ille istius antidoti usus.

Vires medicamenti ex cineribus cancrorum.

Hæc sunt, mi doctissime Domine Fabrici, quæ pro modulo mei ingenii in hoc casu consideravi: quæ, si placuerint, gratum erit. Attamen obnixè rogo, ut judicium suum rescribat: optarem ex animo, me in hisce oris semper posse tuâ frui præsentiâ: dexteritas enim & scientia, longâ & felici experientiâ comprobata tuarum curationum, tua denique ingenii, doctrinæ, pietatis & probatæ vitæ cognitio, me totum tibi devinxit, ita ut nihil magis optem, quàm officiosissima tibi præstare officia. His vale Vir doctissime & expe-

Obs. 89. *expertissime, divino numine semper fultus, & vive diutissimè feliciter, meque tibi amicissimum habe. Dabantur Düsburgi 24. Iulii Anno 1612.*

OBSERVATIO LXXXIX.

De morsu lupi.

Clarissimo atque doctissimo Viro Dn. SEBASTIANO MEYERO, *Reipublicæ Freiburgensis Helvetiorum D. Medico ordinario atque celeberrimo,*

Guilhelmus Fabricius Hildanus,

S.P.D.

ANte paucos dies, Vir clarissime, quia DEI beneficio feliciter ex Belgio ad meos reversus sum, diutiùs differre nolui, quin T. Excellen. epistolio hocce interpellarem, pristinam quinetiam amicitiam atq; familiaritatem nostram renovarem. Freiburgum Brisgoviorum in reditu peragravi, ubi Medici multis honorib⁹ me affecerunt, & nonnulli ex iis conviviis splendidis me exceperunt. Dn. D. Mockius ibidem Medicinæ Professor primarius, simul & reliqui Medici T. Excell. per me plurimùm salutare jubent. Responsum ad observationem meam de periculosa cancri occulti curatione, quam ante annum ad te misi, nondum accepi: exspecto illud avidè. Cæterùm, mi Dn. Meyere, quàm necessaria in re Chirurgica sit experientia, indies magis magisq; experior. Olim enim morsum lupi venenosum esse, in dubium vocare volui: Nunc verò opinionem Dn. D. Caroli Stephani, Medicis Regii longè celeberrimi (qui morsum lupi venenosum esse asserit) rationi consentaneum esse, experientia me edocuit. Et quia antehac de morsu canis rabidi inter nos scriptis prolixè communicavimus, non ingratum tibi fore existimavi, si quod ante duos annos de morsu lupi observavi, paucis, ne nudam ad te mitterem epistolam, hic adscriberem.

Experientia in re Chirurgica necessaria. Morsus lupi venenosus.

Observat.

Anno 1610. mense Februario, cum rustici propè Lausannam in venatione lupum in obstantes plagas trusissent, & quinquagenarius quidam ex illis lupum trucidare vellet, insurgit contra ipsum lupus, ipsiusque genu dextrum arripit, & circumcirca rotulam quatuor in locis dentes altè infigit, ac miserum in terram projicit, & nisi reliqui rustici accurrissent, lupum quinetiam occidissent, de bono isto viro actum fuisset. Ab initio etsi dolores & magni & continui adessent, affectum tamen neglexit, neque ulcera ut aperta manerent, & ichor efflueret, operam dedit. A fera itaque inflictum virus cum effluere liberè non posset, auctus est dolor, aucta est & inflammatio. Cibi item fastidium & diarrhœa supervenerunt. Tandem cum materia purulenta undique circumcirca genu, & in ipso poplite collecta esset, & sinus aliquot sibi parasset, adductus mihi fuit Lausannam. Plurimis itaque factis incisionibus & aperturis, pus tam copiosè & tamdiu effluxit, ut vires inde mirum in modum prosternerentur. Tandem propter labefactationem virium diarrhœa in lienteriam conversa, planè extenuato corpore, naturæ satisfecit.

Verùm, clarissime Domine Meyere, hic perpendendum est, primò huncce virum cacochymicum, & melancholico succo refertum fuisse; secundò morbum ab initio neglexisse. Ego enim cum advocaret, jam per multos dies decubuerat, & labia vulnerum ferè coaluerant. Deinde propter injuriam temporis, & adversam valetudinem meam (nondum enim à quartana mea planè restitutus eram) raró ipsum invisere potui, sed negotium famulo, & ipsis domesticis (qui nonnunquam absente famulo turundas extrahebát, ita ut labia vulneris nimis citò coaluerint) committere coactus fui: circa affectum itaq; externum errores commissi fuerunt. Tertiò non illam, quæ requirebatur, victus rationem observabat. Quartò partem læsam valdè debilem fuisse perpendendum est: antea enim per multos annos, & diversis quidem temporibus, ulceribus in ipsa tibia laboraverat. Ab initio itaq; morbi, quia corpus purgatum non fuerat, & dolores vehementes (qui, ut Galenus testatur, instar cucurbitulæ attrahunt) adessent, sanguis & humores copiosè affluebant, qui à parte debili & in decliviori loco sita, facilè excipiebantur. Interitum itaque hujus viri potius ad supradictas caussas, quàm ad venenosam aliquam qualitatem à fera inflictam, referendam esse, rationi aliquomodo consentaneum esse videtur. Verùm tuum hac de re judicium ut proxima data occasione rescribere non graveris, rogo. Ego, ut ingenuè fatear, hujusmodi morsus malignitatem non spernendam, cùm maximam contusionem, tum etiam salivam feræ inflictam, sibi adjunctam habere, existimo. Id enim non solùm viri eruditi, verùm & symptomata, quæ in hoc viro apparuerunt, satis superque testantur. Civem insuper quendam in oppido Corsonnay propè Lausannam, Minicus Maria, si rectè memini, ex morsu lupi obiisse, Iohannes Colonnay Archigrammateus Corsonnensis, vir virtute & ingenio præstans, mihi retulit. Plura nunc propter instantes nundinas Argentoratenses, ubi multa scribenda mihi occurrunt, adscribere non licet. Vale itaq; vir clarissime cum tuis omnibus, quos tecum ego & Colinetæa mea peramanter salutamus. Raptim ex Musæolo meo 8. Decembris 1612.

Ca... Ste... ... lup...

OBSERVATIO XC.

Ex Impetigine levissima circa carpũ, gangræna & mors.

INter ea quæ corpus humanum excruciare solent, sive animalia sive morbi, acari, meo quidem judicio, infimum locum meritò obtinent. At ex acaro alterum gravissimis symptomatibus correptum fuisse, alterum verò mortem obiisse, observatione 96. Cent. 1. declaravimus. Nunc ex levissima quadam impetigine idem accidisse, mihi retulit nobilis ac doctissimus vir Dn. JOHANNES SARAZENUS I. V. Doctor & civitatis Genevensis Syndicus prudentissimus, fautor & patronus meus æternùm honorandus, cum Anno 1615. 9. Aprilis Genevæ honorifico convivio me excepisset: & sunt hæc ipsius verba. Dominus de Noyon nobilis Gallus, & frater Dn. de *Briqamaud*, Impetigine quadam (Dartes appellant

Ex ... impetigine ... ... gang... & m...

lant Galli) pruritu continuo ac molesto circa carpum laborans, Montispessulum venit circiter annum 1595. ubi (etiamsi quantum ad partes internas optimè valeret) in consilium advocato Chirurgo, medicamenta varia adhibita fuêre. Tandem exorta inflammatione & Gangræna, fato debitum solvere coactus fuit.

OBSERVATIO XCI.


De Gangrana post curatam dysenteriam.

Viro nobilissimo ac doctissimo Dn. D. PAULO OFFREDO *Medico celeberrimo,*

Guilhelmus Fabricius Hildanus.

S. P. D.

HUmanissimas, quas ad me dedisti literas, vir clarissime, jam jam accepi, utinam eis in præsens satisfacere, & cum egregio isto viro Dn. JOHANNE MONTEILLETO Bellicium me conferre possem. Sed detineor hic apud juvenem quẽdam, URBANI WADANS filium. Is ante menses tres Dysenteria correptus fuit: Morbus gravissimus, contagiosus & malignus fuit. Uno enim eodemq; ferè tempore mater, & duo filii in morbum inciderunt: cum verò nullum adhiberent Medicum, mater maximis cum doloribus & cruciatu obiit: filius verò major natu paulatim naturæ beneficio restitutus fuit. In nostro quoq; ægro cum fluxus alvi paulatim remisisset, ac ipsũ jam penitus evasisse, cuncti sperarent, & cum circa vires instaurandas tantummodò occupati essent; ecce novo, & quidem gravissimo symptomate corripitur. Repente enim & ex improviso dolor circa talum dextrum exortus est, ac mox totum pedem invasit. Dolor iste adeò vehemẽs fuit, ut dies noctesque ejulare coactus esset: interim tamen intumefactio nulla sequuta est: Calorem nullum, quin potius frig⁹ maximum, molestum, & dolorosum sensit: quapropter adstantes linteis, tegulisque calidis pedem excalefacere studebant, sed frustra. Dolor enim simul & reliqua symptomata ita accreverunt, ut intra paucos dies extincto calore innato sphacelus in pede exortus sit. Is totum crus ad genu usque paulatim invasit, absque ullo tamen caloris indicio, & intumefactione partis affectæ. Substitit sphacelus in ipsa poplite, ibique in sordidissimum ulcus degeneravit. Ulcus hoc cum totum genu occupasset, carnem simul & ligamenta ita erosit, ut ossa in ipso genu, imò & rotula ipsa planè separata essent. Cæterùm etsi æger ex præcedente Dysenteria gravissima, supra modum extenuatus esset, & vires propter fœtorem (qui adeò magnus erat, ut etiam adstãtes ipsum absque noxa sufferre non possent) ferè succumberent, ac proinde de recuperanda valetudine omnes desperarent: attamen quia hoc unicum præsidium, amputatio scilicet membri putridi, superesset; tandem in cõsilium vocatus fui. Ultima itaque die mensis præteriti, auxilio divino prius invocato, præsente Dn. JACOBO GOULARTIO verbi divini ministro, multisque aliis, tibiam in ipso femore abscidi. Operatio laboriosa & difficilis fuit: Nervi enim ita erant retracti, & genu versus pectus incurvatum, ut mentum ferè attingeret. Porrò in scamnum collocato ægro, cùm crus extendere, & femur scamno annectere vellem, vena in poplite rupta fuit, & sanguis copiosè emanare cœpit. Perpendẽs itaque, in hoc ægro hæmorrhagiâ nihil esse perniciosius, ac proinde ut femur scamno annecterem, inducias non dari, protinus sinistra apprehenso femore, dextra carnem ad os usque incidi; non autem novacula, ut in robustioribus & plethoricis corporibus fieri solet: sed cauterio actuali, & in forma cultri, quemadmodum hic depictum est, fabricato.



Hujus cauterii etiam beneficio & carnem incidi, & sanguinem simul restrinxi. Incisa carne usque ad os, ac dextra apprehensa serra, illud feliciter abscidi. Operatio etsi difficilis, nihil tamen sinistri nobis in ea, laus sit DEO, accessit. Altera verò die cùm truncum à fasciis denudassẽ, musculos, qui facta amputatione membri os obtegerant, ita versus coxam retractos reperi, ut os plus quàm duos digitos in latitudine positos, ante carnem promineret: ita ut verendum sit, ne prominẽtia illa ossis molestiam aliquam posthac nobis pariat. Nunc quia in viribus restaurandis, & symptomatibus, quæ gravissima, corrigendis, occupatus sum; ægro per dies aliquot adesse cogor: postea Bellicium me, DEO volente, conferã, & in transitu Genevæ de affectu Dn. MONTEILLETI, & de quibusdam aliis rebus prolixè tecum conferam. Vale vir clarissime cum tuis omnibus, quos tecum ex animo saluto. Raptim Coperi ad lacum Lemannum 4. Februarii 1614.


Ad eun-

Obs. 91.

Ad eundem virum nobilem atq; doctissimum
Dn. D. PAULUM OFFREDUM,
Cui
Guilhelmus Fabricius Hildanus
iterum S. D.

Magnalia DEI, etiamsi in omnibus rebus à DEO creatis appareant, nobilissime atque doctissime mi Dn. OFFREDE, in Medicina tamen præcipuè & luculenter quidem sese patefacere, indies experior. Bellicio enim Coppetum ad ægrũ, cujus in postremis meis ad te literis mentionem feci, rediens, cum nihil magis expectarem, quàm corp⁹ ipsius jamdudum terræ, animam verò Deo consecratam fuisse (quandoquidem præter prostrationem, & summam labefactationem virium, etiam *sudores frigidi*, qui, ut divinus HIPPOCRATES rectè docuit, *mortem prænunciant*, aderant) præter spem atq; opinionem meam, omniumq; adstantium, ipsum rectè valentem inveni. Cum verò truncum inspexissem, os femoris ante carnẽ adhuc prominens reperi. Qua de re cum iterum supra modum anxius essem, de abscisione cogitare cœpi. Altera itaque die præparatis omnibus, cùm os prominens abscindere vellem, & serram iuxta truncum apposuissem, illud jam beneficio naturæ separatum esse, primo intuitu magna cum lætitia cognovi: quapropter protinus sententiam mutavi, neque puerum, qui supra modum timore perculsus erat, ulterius defatigare volui. Substiti apud ipsum per dies aliquot, ac quæ ossicula attrahunt, applicui, & quotidie os clementer ex una in alteram partem commovi, atque deduxi: Sic quarta die post meum ad ægrum adventum, os magnum atque integrum absque dolore & ita quidem extraxi, ut ne guttula quidẽ sanguinis sequuta sit. Longitudinẽ autem atque formam hujus ossis hic adumbrare volui.

A B



A. pars ossis est versus genu, quo in loco abscissum fuerat.

A litera A. usque ad B. pars ossis est, quæ per duos ferè menses à carne denudata fuerat: Post operationem enim, ut in præcedentibus meis ad te literis scripsi, musculi versus coxam retrahebantur, ita ut os à carne, imò & ab ipso periostio nudum conspiceretur.

Pars verò ossis à B. usque ad C. in ipsis musculis abscondita remanserat, donec tandem beneficio naturæ in medio ferè ipsius femoris separatum esset. Quod autem natura os femoris per se ita separaverit, profectò admiratione non vacat, imprimis quia durissimum ac solidum, æger verò naturâ supra modum imbecillis, & cum præ viriũ prostratione vix spirare posset: adde etiam, quod medicamenta ad locum istum, in quo os decidit, nunquam pervenerint. Ubi iterum divina clementia atque potentia notanda & celebranda est.

Quare os ita denudatũ fuerit.

Sed quasnam putas esse caussas, vir clarissime, quod ita à carne, imò & periostio denudatum fuerit os? Ego quid sentiam, paucis annectam. Musculos beneficio fibratum & tendinum, & periostii, ossibus tenacissimè adhærere, sciunt anatomici: non potuit itaque os à carne denudari, nisi erosis fibris & periostio. Cæterùm etsi sphacelus in ipso genu substiterit, ibiq; sumo naturæ beneficio in sordidissimum ulcus degeneraverit, putredinem tamen longè altiùs circa os femoris radices suas fixisse, & os à periostio denudasse, ex hac historia luce meridiana clarius apparet. Ex quibus videre licet, quàm periculosa & absurda sit opinio atque doctrina eorum, qui membrum demortuum in ipsa carne putrida abscindendum esse docent. Tuam verò, vir doctissime, opinionem atque sententiam hac de re libenter intelligam.

Mo... dem... ... ne p... da ... absci... dup...

Nobilis ille Germanus, qui fistula lachrymali laborat, quid agit? Ne incisio illa à Chirurgis proposita, te suadente fiat, iterum moneo: idque propter gravissimas caussas, de quibus posthac Deo dante tecum conferam. Utinam videres matronam, quæ etiamnunc hic apud nos vivit, cui ante annos octodecim similem affectum curavi: ab eo enim tempore nullum incommodum hac de re sensit, & non solum à fistula lachrymali, verumetiam ab aliis incommodis uno eodemque opere liberata fuit. Hæc raptim & inter multas occupationes ad te scribo; instant enim nundinæ Francofurtenses, quæ in scribendis literis continuò mihi labores plurimos pariunt, quapropter ut tumultuanti & festinanti calamo ignoscere velis, obnixè rogo. Vale vir nobilissime & doctissime, iterumque vale & æternum vive cum tuis omnibus, quos tecum ex animo saluto. Lausannæ 23. Martii 1614.

Fistula lachr...

OBSERVATIO XCII.

De Gangræna ex intemperie frigida & sicca orta.

DOminus JACOBUS MARCUARDUS, vir probus ac pius, & Moratensis Archigrammateus

teus, septuaginta circiter annorum ętatis, cùm per annos aliquot nodosa podagra, simul & Cheiragra adeò excruciat⁹ fuisset, ut ne suffulcris quidem ampliùs incedere posset: Tandem anno 1611. mense augusto frigus quoddam molestum ac stuporem persensit. Cum autem dolor nullus, multò minùs intumefactio supervenirent, de morbo suo non usque adeò solicitus fuit. Tandem aucto paulatim stupore, pes & digiti pedis primò lividi, deindè nigri evaserunt, & gangræna evidentissimè sese patefacere cœpit, sensimq; vers⁹ genu proserpsit. Ego cum quinta Septembris Moratum ad ipsum accersitus essem, pedem & crus in ipsam suram usque sphacelatum, & instar carbonis nigrum, frigidum & supramodum siccum extenuatumque reperi. Dolor tamen nullus aderat: neque ab initio morbi ad illud usque tempus adfuerat: inquietudines ferè nullæ, quapropter dormiebat pro more: appetit⁹ vix depravatus fuit, & vix mutatio aliqua in pulsu persentiri potuit. Rogarunt tum ipse æger, tum adstantes, ut amputarem crus, sed ipsorum voluntati parêre nolui. Morbum enim penitus insanabilem esse judicavi, primò, quia maxima totiùs corporis extenuatio aderat: secundò, quia vires propter ætatem & diuturnitatem doloris, quo tòties, cum arthritide vexaretur, excruciat⁹ fuerat, minimè cõstarent. Tertiò, quia calidum innatum & humidum radicale propter jam dictas caussas, non solùm in parte affecta, verùmetiam in toto corpore absumptum. At morbi ex siccitate & penuria alimenti, & humidi primigenii, ut plurimùm insanabiles sunt. Quapropter convulsio à veratro; item ea quæ post ardentes febres supervenit, teste HIPPOCRATE, lethalis est.

Post meum abitum barbitonsorem in consilium vocarunt, is spretis omnibus, quæ ego de essentia morbi exposueram, & de eventu prædixeram, ipsis persuadebat, affectum non usque adeò gravem esse, & amputato membro omnia salva affirmabat. Ex consensu itaque ægri & amicorum crus abscidit. In ipsa autem operatione ægrũ mirum in modum cordatum fuisse, postea mihi ab adstantibus relatum fuit: sed eventus talis fuit, qualem ego prædixeram. Post dies enim aliquot ab amputato membro, gangræna truncũ iterum invasit, sensimque altius proserpsit, ita ut paulò post piè placideque expiraret.

OBSERVATIO XCIII.

De gravissima quadam combustione, ejusdemque felicissima curatione.

Viro clarissimo atq; doctissimo Dn. D. PETRO PAVIO, *Anatomicæ & Botanicæ scientiarum in inclyta Academia Lugdunensi Battavorum Professori longè celeberrimo, amico suo æternùm honorando,*

Guilhelmus Fabricius Hildanus,

S. P. D.

Etsi ab eo tempore, quo Lugduni in ædibus tuis longè humanissimè me excepisti, Vir amplissime atque doctissime, de tuo erga me amore ac benevolentia nunquam mihi dubium fuit: quotidie tamen singulare erga me studium tuum, magis magisq; mihi innotescit. Testes sunt literæ tuæ, quas deinceps ad me dedisti: testis quoq; est opus tuum de ossibus, quod non ita pridem dono mihi misisti. Non chartaceum, aut osseum profectò, sed aureum misisti munus, adeò mihi charum acceptumque est, non solùm propter doctrinam, quâ vehementer oblector, verùmetiam, quia à tanto amico proficiscitur. Ab amico, inquam, sincero, qui de me, quamvis immerenti, tam honorificè mentionem facit. Sed quidnam ego rependere, aut quanam in re amplissimo Viro gratificari potero? non video: interim tamen studium omne meum atque ingenium, ad humanitatem tuam celebrandam conferam, tibique, si aliqua in re gratificari potero, non deero officio meo. Vix credas, quàm me exhilarant præclara illa scripta tua, quæ ad finem præfationis libri tui de ossibus promittis, quæque avidè exspecto. Faxit DEUS Opt. Max. ut brevi lucem videre possint. Propterea, quæso, Vir amplissime, ne sinas, ut illa, quæ tot laboribus totque curis ac vigiliis concepisti, quæque & tecum nata sunt, tecum quoque moriantur. Non nobis, sed Deo & proximo nati sumus; nec malevolorum ac sceleratorum, invidiosorumq; hominum, qui (nescio quonam spiritu diabolico ducti) leoninis dentibus aliorum scripta libenter dilacerarent, totumque, ut ita dicam, orbem viris probis orbarent, habenda est ratio; sed clavus rectus tenendus est. Galenus suos quoque habuit adversarios, suosque antagonistas habuit Homerus; imò & Salvator noster JESUS CHRISTUS. Sed deflexeruntne à proposito? minimè. Tu itaq; Vir amplissime, audacter quoque perge, omnemq; cunctationem abjice: omnibus, sine omni dubio, probis viris, quibus gloria Dei, utilitasq; proximi cordi est, rem facies gratissimam.

Cæterùm cum libellum meum de combustionibus tibi gratum acceptumq; fuisse, ipsiusq; lectionem (uti literæ tuæ, Coloniam ad me datæ, testantur) te oblectasse sciam; intermittere non potui, quin tibi sequentem casum, revera non vulgarem, communicarem.

Anno 1616. 10. Octobris, excellentissimi ac prudentissimi Viri Dn. Antonii à Graffenried, inclytæ Reipublicæ Bernensis Quæstoris ancilla, cum puerulo, qui vesperi pede altero in vas aquæ ferventis plenum illapsus erat, succurrere vellet, ipsa incautior, vas totum evertit, ita ut tibia sinistra ad genu usque & supra, mirum in modum aqua adureretur, unde totum crus ad imam usque pedis plantam, propter doloris vehementiam mirum in modum intumuit. Ab initio applicata fuerunt lintea in spiritu vini madefacta, ex quorum usu tumor quidem nonnihil remisit: verùm ægra cum sequentibus diebus à locis frigidis sibi non temperaret, factum est, ut dolores, inflammatio, aliaque symptomata indies majus incrementum sumpserint. Ego cùm quarta die morbi advocatus essem, ipsam febricitantem inveni, dolores, inflammationes & inquietudines aderant maximæ, & totum crus ad femur usque supra modum intumefactum erat. Præscripta optima victus ratione, & loco vini decocto agrimoniæ

Obs. 93.

Observat.

Combustio gravis.

Curatio.

Obs. 93.

moniæ & veronicæ propinato, circa nonam noctis potiunculam anodynam exhibui. Altera die clementer corpus expurgavi. Topica hæc fuerũt; ubicunque epidermis nondum separata erat, unguentum sequens applicui:

Vnguentum ad ambusta.

R. Cæpæ crudæ ℥ j. ß.
salis
saponis Veneti albi ana ℥ j.

Misceantur in mortario, fiatq; unguentum cum oleo rosaceo & amygdalarum dulcium.

Deinde toti cruri, pedi, imò ipsi genu sequens cataplasma calidè applicui.

Cataplasma.

R. Farinæ hordei &
fabarum ana ℥ vj.
farinæ seminis fœnograeci ℥ j.
cydoniorum ℥ ß.
fol. & radic. Althææ
Malvæ pulverisatæ ana ℥ j. ß.
radic. curcumæ pulveris. ℥ ß.
croci ʒ j.
butyri recentis ℥ iiij.

Pulveris seminis fœnograeci & cydoniorum primò aqua parum coquantur, quæ cum iterum refrigerata fuerit, reliquæ farinæ & pulveres unà cum butyro adjiciantur, coquanturque ad consistentiam cataplasmatis cum s. q. lactis vaccini: tandem admisceantur vitelli ovorum numero duo, appliceturque calidè.

Ab initio, ut impetum humorum, qui ex corpore defluebant, impedirem (erat enim valdè cacochymica) defensivum supra genu applicui, ac per intervalla potiunculam anodynam propinavi, nec non corpus semel atque iterum expurgavi. His per dies aliquot adhibitis medicamentis, etiamsi nullum adesset ulcus profundum, sed ipsa solummodò epidermis separata, tam copiosè tamen (quod diligenter notandum) pus album, æquale, ac optimum effluere cœpit, ut incredibile sit. Ausus enim sum affirmare, & ipsi domestici testes sunt oculares, quotiescunq; affectum curavimus, curavimus antem ipsum bis in die, plusquam semilibram puris in ipsis linteaminibus & emplastris repertam fuisse, idq; per multos dies continuasse: Tandem sensim diminuta quantitate illa puris, paulatim desiccata est cutis, ita ut intra hebdomadas quinque curationem hancce feliciter, plenissimèque absolverim. Interim autem dum pus ita copiosè effluxit, cataplasmate usus sum, imò & aliquibus in locis, veluti in pede, & circa talum usque ad finem curationis. Applicui tamen & nonnullis aliis in locis magis humidis, circa finem curationis, linimenta exsiccantia, veluti unguentum de cerussa de minio & similia. Non ita pridem filiolum D. Pierre Bouier civis Lausannensis, decem mensium ætatis, cui tibia aqua fervente combusta fuit, eadem methodo feliciter restitui, ubi similiter pus supra modum copiosè effluxit. Cæterùm annotatione dignum est, tantam copiam puris, cum nullum adesset ulcus, per ipsos poros effluxisse: Ex quibus perspicuum fit, quantum methodus hæc differat ab illa, passim à practicis usurpata. Si enim hic frigida applicata fuissent, materia illa procul dubio tam copiosè non effluxisset: sed in ipsa parte affecta retenta fuisset, maximo ipsius ægræ damno: tandem enim in ipsis vasis & musculis putrefacta, & acris reddita materia, inflammatio, & caloris nativi extinctio, aut ad minimum herpes exedens, uti juveni cuidam, cujus cent. 1. observ. 99. memini, accidit, sequuta fuisset. De gravissimo quodam ac lethali vulnere in puella quadam, quæ hic in xenodochio obiit, & quanta cum facilitate in dissectione cadaveris valvulam illam ad principium coli invenerim, aliàs ad te scribam, nunc enim ne epistolæ limites excedam, finem faciam. Vale Vir amplissime, & æternùm vive. Bernæ 1. Maii 1617.

Maxima puris copia per poros effluit.

Observat.

In combustionibus frigida nõ applicanda.

OBSERVATIO XCIV.

Quidam ex combustione pulveris tormentarii sphacelo totius ferè corporis corripitur, ac intra horas duodecim naturæ satisfacit.

Ad Virum præstantissimum atq; doctissimum EMANUELEM URSTISIUM, *artium liberalium Magistrum,*

Cui

Guil. Fabricius Hildanus S. P. D.

INtra mensem, aut circiter, præstantissime atq; doctissime Dn. Urstisi, binas ad te dedi literas. In prioribus, ut aërem mutares, & huc ad nos venires, hortatus sum: quod nunc quoq; facio. Postremis (quas ante dies octo misi) delineationem situs fœtus mortui, quem ante menses duos feliciter hic extraxi, inclusi. An verò literas acceperis, mihi non constat. Postmodum casum non vulgarem videre contigit, quem tibi comunicare non gravabor.

Heri, qui fuit tertius hujus mensis, juvenis quidam viginti circiter annorum ætatis, cum noctu pulverem tormentarium pararet, sibimet ipsi tormentum exitiosum mortaleq; paravit. In tabulam enim ligneam ad libras usque quinquaginta pulveris tormentarii, qui nondum penitus exsiccatus, insperserat. Verùm cum in eodem conclavi, circa horam quartam matutinam quieti sese tradidisset, & candelam in tabulam ipsam, cui pulverem insperserat, posuisset, ac paulò post scintilla ex candela in pulverem cecidisset, protinus ita incensus fuit, ut partem domus disrumperet, stramina quinetiam lecti, in quo miser ille nudus jacebat, incenderet. Corpus cùm ita esset in medio flammæ, accurrit ipsius socius (qui ab eodem pulvere graviter quoque læsus est) is copiosè affusâ aquâ, ignem extinxit, miserumq; ex Vulcani faucibus eripuit. Nihilominus tamen dolores acerbissimi protinus, ac paulò post virium quoque prostratio supervenerunt. Ego eadẽ die circiter horam tertiam pomeridianam accersitus, hominem in agone mortis inveni. Calor nativus cùm propter vehementiam flammæ, tum etiam propter copiosè affusam aquam frigidissimam adeò erat extinctus, ut totum corpus (quod undique intumefactum erat) ne pectus, aut ventrem quidem excipio, frigidissimum, nigrum, spacelatumque esset. Pulsus nullus percipi potuit, ita ut paulò post è vita discederet. Vale Vir præstan-

præstantissime, & saluta meo & uxoris meæ nomine amicos omnes. Raptim Lausannæ 4. Februarii 1611.

OBSERVATIO XCV.

Ossa propter caussas externas denudata, non semper alterari, cariemq; contrahere, exemplis demonstratur.

Ossis cariem unam ex præcipuis esse caussis, quæ vulnerum & ulcerum consolidationem impediunt, etiam mediocriter in Chirurgicis exercitatis notissimum est. Corrumpuntur autem ossa aut à caussis externis, aut internis. A caussa externa, quotiescunque in vulneribus profundis & magnis os à carne & periostio suo denudatum est: tunc enim ratione aëris ambientis corrumpitur: Si enim calidior quàm pro temperamento ossis convenit, fuerit, vitalem spiritum ossis, humidumque innatum absumit, fitque aridum & cariosum. Ita etiam si nimis frigidus fuerit aër, emoritur superficies ossis, propterea quod humidum radicale ratione frigoris veluti gelatum, & ad caloris pabulum ineptum factum fit. Corrumpitur quoque, si oleosa, putrefacientia, & acria medicamenta applicata fuerint.

Interna caussa est, cum acris humor circa aliquam partem ossis collectus fuerit, ossaq; eroserit: quemadmodum accidere videmus in abscessibus putridis, præcipuè ex lue venerea; & variolis ortis. Verùm de hac caussa aliàs, nunc de externa solummodò agere constitui.

Cæterùm nonnullos, & quidem non vulgares vidi Medicos atque Chirurgos, qui in hac fuerunt opinione, ossibus etiam in recentibus vulneribus denudatis non posse adnasci carnem, nisi ipsorum superficies naturæ & medicamentorum beneficio in squamam abierit. Quapropter quamprimum ipsis vulnus cum osse denudato occurrebat, illud per dies aliquot ad cruorem usque scalpris abradebant, aut acria medicamenta, veluti oleum sulphuris, vitrioli, aquam fortem, & similia applicabant, ac proinde ex simplici vulnere non rarò ulcus malignum efficiebant. Oleum enim vitrioli, sulphuris, & aqua fortis, propter ipsorum ingentem calorem, acredinem, ac vim causticam, humidum innatum ossis absumunt; idque non superficietenus tantùm (mirum in modum enim penetrant ad vicinas partes) verumetiam profundè; quemadmodum videmus in dentibus cariosis. Si enim horum medicamentorum aliquod denti carioso impositum fuerit, remittit quidem dolor ad tempus, interim tamen caries non castigatur, sed dens ad sui usque radicem brevi omninò eroditur. Etsi autem aër adversissimus sit ossibus denudatis, attamen ut ab ipso alterentur & corrumpantur, non semper sequitur, præsertim si Chirurgus diligentem curam circa vulnus adhibuerit, nec quicquam acre applicuerit, idque etsi multis exemplis demonstrare possem, unũ tamen aut alterum, ne nimis tædiosa sit lectio, saltè addere constitui.

EXEMPLUM I.

Obs. 95.

Anno 1582. ego adhuc juvenis, cùm apud præstantissimum atque excellentissimum virum Dn. Cosmam Slotanum, Chirurgiæ studio operam darem, & ab ipso in pagum *Langenberg* in Marchia ad ęgros quosdam curandos missus essẽ, incidit mihi in manꝰ quinquagenarius quidam, cui cutis simul & pericranium ictu baculi lignei à toto ferè bregmate sinistro abstractum, separatumq; fuit, absque ulla tamen concussione cerebri, aut fractione cranii.

Curatio contusionis in capite cum cranio denudato.

Curationem sic institui. Primò albumen ovi, pulveri rosarum mixtum, ad sanguinis fluxum cohibendum vulneri imposui, cutemq; carnosam, quæ ad aurem ferè usque dependebat, quantum fieri potuit, in altum reduxi. Alvum quæ adstricta, eadem die Suppositorio subduxi: & venam in brachio sinistro incidi. Altera die sequens lenitivum exhibui.

Purgatio.

R. foliorum & florum betonicæ
fol. agrimoniæ.
veronicæ
scabiosæ ana M.ß.
fol. senæ.
sem. anisi ana ʒij.

Coquantur in aqua ut colatura redeat ad ℥iij. in quibus dissolve electuarii de succo rosar. Mes. ʒij.
syrupi rosarum solutivi simplicis ℥j.
Misce, fiat potio.

Nota.

Quotiescunque autem curabam vulnus, ne os ab injuria aëris ambientis læderetur, famulum constitui, qui sartaginem prunis impletam è regione vulneris tenebat. Os detectum diligenter filamentis siccis obtegi, labiis verò vulneris ad decimumquartum ferè diem sequens digestivum imposui.

Digestivũ

R. ceræ novæ
colophoniæ
gummi elemi ana ℥j.
terebinth. ʒvj.
ol. rosarum &
de vitellis ovorum an. quantũ satis.

Dissolvantur omnia simul & percolentur, admisceanturque
croci ʒß.
vitellum ovi numero unum
Misce, fiatque linimentum.

Prospiciendum autem, ne unguentum hoc nimis sit liquidum, neve ad os perfluat, quapropter filamentis illud parcè, & labiis solummodò applicui, quod reliquum erat vulneris, filamentis siccis ac mundis implevi, omniaque emplastro Basilicone obtegi, totumque caput oleo rosaceo inunxi. Hoc modo cùm per dies aliquot vulnus quotidie curassem, tandem undique in ipso cranio denudato maculæ rubræ, veluti si illud sanguine conspersum fuisset, apparebant. Hæ cùm in singulas horas accrevissent, brevi in substantiam carneam abierunt, quamvis spongiosam: quæ intra paucos dies cranium denudatum undique obtegit. Tum sequentem pulverem inspersi.

R. Florum betonicæ
salviæ
rosarum ana ℈j. ß
Rad. iridis florent.
cariophillatæ

Obs. 95.

ligni sassafras
masticis
thuris ana ℈ij.
croci ℈j.
Misce, fiat pulvis tenuissimus.

Tandem quoque emplastrum de betonica applicui. Sic intra mensem curatum fuit ingens hocce vulnus, sine ulla ossis deperditione. Filamenta autem, quibus utor in vulneribus capitis, sequenti modo præparare consuevi. Accipio telam contritam, & ad filamenta paranda aptam, eamque sequentibus aquis imbuo, iterum in umbra exsicco, idque ter aut quater repeto, tandemque ex tela illa filamenta conficio.

Filamenta pro vulneribus capitis quomodo præparāda.

R. aquæ betonicæ
salviæ
lavendulæ
rosar. odoriferar. ana ℥j.
cinnamomi
ligni sassafras
styracis calamitæ
benzoini ana ʒij.

Pulverisentur, & cum prædictis aquis commisceantur ad usum.

EXEMPLUM II.

Anno 1616. Dn. JOHAN RUDOLPHI HUBERI, Reipublicæ Bernensis Consiliarii, & Tribuni plebis prudētissimi filiolus, NICOLAUS nomine, trium circiter annorum ætatis, cum ex alto cecidisset, & panniculum carnosum inter suturam coronalem, & frontem, versùs sinistram partem à cranio separasset, craniumq; ad latitudinem palmæ ferè denudatum fuisset, præcedente methodo vulnus feliciter sanavi, absque ulla ossis deperditione.

EXEMPLUM III.

Anno 1600. puella quædam octodecim mēsium ætatis, Lausannæ in torrentem cum cecidisset, & capite in unam & alteram partem contra rupes projecta fuisset, tanta sequuta est capitis cōtusio, ut propter puris copiam panniculum musculosum circa bregma sinistrum tribus in locis incidere coactus essem. Incisa cute, cranium nō solùm denudatum, verumetiam depressum, non tamen confractum reperi. Puerorum enim crania nonnunquam absque ulla fractura deprimūtur. Sic autem processi: præter universalia bis in die caput sequenti linimento inunxi:

Linimentum.

R. ol. rosac.
myrtillorum ana ℥ ij.
chamomil.
amygdalarum dulcium ana ℥ j.
gummi elemi ℥ j.

Misceantur lentissimo igne usq; dum gummi elemi dissolutum fuerit, tum per linteum colentur, reserventurq; in ampulla vitrea ad usum. Cranio filamenta sicca, præscripto modo præparata, labiis verò vulneris præscriptū digestivum, totiq; capiti sequens cataplasma calidè applicui.

Cataplasma.

R. farinæ fabarum
hordei ana ℥ iij.
pulv. florum & folior. betonicæ
salviæ
rosarum
myrtillorum
stœchad. ana ʒ j.
sapæ ℥ ij.

Coquantur in vino rubro ad formam cataplasmatis, adde sub finem
pulv. radicum caryophyllatæ.
calami aromatici ana ʒ ij.
croci ℈ j.
vitellos ovorum num. tres.

Misce, fiat cataplasma: applicetur calidè.

Ab initio autem, & quidem spacio quindecim dierum, cum pus copiosè efflueret, jussi, ut mater singulis, ut ita dicam, momentis, digitis os naresque clauderet: idque in hunc finem, ut retentis spiritibus cerebrū inflaretur, impressionemque cranii in situm naturalem reduceret. Elapso decimo quinto, loco prædicti digestivi, sequens unguentum vulneribus imposui.

Im... cra... ... cu...

R. pulv. radicum angelicę
caryophyllatæ
iridis florent.
aristolochiæ rotundæ ana ʒ j.
cinnamomi electi &
ligni sassafras ana ℈ ij.
extracti betonicæ &
salviæ ana ʒ ij.
croci ℈ j.

Cum melle rosato quantum satis, fiat unguentum. Post usum cataplasmatis emplastrum de betonica applicui. Præscriptis adhibitis remediis, impressum cranium non tantùm in naturalem situm rediit, verumetiam vulnera brevi coaluerunt, neque squamæ ullæ ossis exciderunt: & in integrum ita restituta fuit puella, ut ad annum 1613. (quo anno peste obiit) vixerit.

EXEMPLUM IV.

Puellæ cuidam Bernensi, filiæ Dn. JONÆ WEIS, simile vulnus contusum cum cranii denudatione, simili methodo, similibusque remediis feliciter curavi, sine ossis deperditione.

EXEMPLUM V.

Crura quamvis excrementitios humores ex toto corpore facilè recipiant, idem tamen & circa tibiarum & crurum vulnera observavi, uti sequens historia fidem facit. Rusticus quidam *Montagni* in ditione Reipublicæ Freiburgensis Helvetiorum, vulnus maximum ex maxima contusione in sinistram tibiam recepit. Paterniacum cum mihi adductus esset, os multùm denudatum inveni. Dolor (vulnus enim ab initio neglexerat) maximus, inflammatio, intumefactio totius cruris aderant. Convenientibus adhibitis remediis, in integrum restitutus fuit, absque ulla ossis deperditione.

EXEMPLUM VI.

Anno 1615. quidam ex domesticis illustris Viri Dn. CASTILIONEI, serenissimi Regis Galliæ Consiliarii prudentissimi, & apud Helvetios Legati vigilantissimi, BARTHOLOMÆUS nomine, juvenis viginti annorum ætatis & robustus, cum ictu securis vulnus in dextrum crus accepisset, focileque majus usque ad medullam ferè fissum, & mihi curandus commissus fuisset; restricto sanguine, corpus eodem die electuario de succo rosarum, nec non syrupo rosato solutivo, cum aqua cichorei dissoluto, expurgavi: altero die venā in brachi

brachio dextro incidi: in superficie vulneris digestivum, quale ante descripsi, ossi verò filamenta sicca imposui, totum crus ad coxam usque oleo rosaceo inunxi, & sequens cataplasma applicui.

R. farinæ hordei ℥ vj.
pulv. rosar. rubear.
myrtillorum ana ℥ j.
boli albi ℥ ij.

Cum aceto rosaceo & aqua, fiat cataplasma, sub finem adde albumen simul & vitellum unius ovi; Misceantur, fiatque cataplasma. Processum illum ante decimum quartum non mutavi. Deinde quæ cicatricem inducunt, applicui. Hisce remediis in integrum restitutus fuit, nullo superveniente symptomate. Partem autem illam ossis, quæ ad medullam usque ferè separata, & in altum elevata erat, fasciis, laminisque plumbeis paulatim clementerque depressi, ita ut mediante collo iterum annexa fuerit, & ne festuca quidem ossis exciderit.

OBSERVATIO XCVI.

Ossa propter caussas internas denudata, non semper squamam abjicere, exemplis demonstratur.

EX caussis quoque internis ossa plerumque cariem contrahunt, præcipuè si humor aliquis acris aut putrid⁹ diutius in aliquam partem corporis defluxerit, & abscessum procreaverit. Ossa enim etiamsi omnium partium corporis sint durissima, attamen successu temporis ab ejusmodi humoribus defluentibus corrumpuntur, quemadmodum cadentes guttas pertundere saxa videmus. Quapropter rectè HIPPOCRATES scriptum reliquit: Ulcera quæcunque annua sunt, quæq; per annum integrum durant, aut etiam diuturniora, in iis os abscedere est necessarium. Nam cùm hæc ipsa sint maligna, necesse ut non tantū caro ipsa, verumetiam os corrumpatur, & abscedat. In lue venerea, item in variolis, aliisque abscessibus putridis sæpissimè id observatur. Quotiescunque autem ossa ex hujusmodi caussis denudantur, utplurimum corrumpuntur, antequā caro & cutis ipsa (uti non rarò mihi observare contigit) exulcerantur: nec coalescit vulnus, nisi caries ossis prius ablata fuerit. Id autem commodè fiet, si labia ulceris spongiis præparatis aperta retineantur, & pulvis euphorbii quotidiè inspergatur: vix enim quicquam præstantius ad cariem ossis auferendam occurrit euphorbio, quemadmodum observatione 92. centuriæ primæ observationum mearum fusiùs declaravim⁹. Est enim calidum usque in quartum gradum: quapropter humores ossi imbutos exsiccat, neq; ad partes sanas penetrat, uti faciunt oleum vitrioli & aqua fortis, quemadmodum in præcedente observatione annotavimus. Hac methodo aliquando cariem ossis emendavi, ubi nulla excidit squama. Euphorbium enim paulatim, cùm insigniter exsiccando, tum etiam à quadam proprietate occulta, ossa corrigit, & quicquid cariosi cum pure effluit. Hujus rei exemplum mihi Anno 1600. in puella duorum circiter annorum ætatis, & filia Dn. PETRI SYLVII Viviacensis, ad lacum Lemannum videre contigit. Huic puellæ enim cum post variolas abscessus ingens circa cubitum sinistrum supervenisset, Lausannam mihi adducta fuit, Apertâ vomicâ, os denudatum & cariosum repertum fuit. Ex una porrò parte ulceris, ubi profunda erat caries, naturæ atque euphorbii beneficio squama decidit: reliquam verò cariem natura sensim, & quidem insensibiliter correxit, ita ut plenissimè convaluerit ægra, neque adhunc usque annum 1614. quo hæc scribo, ullum incommodum hac de re persenserit.

Eodē anno cum Dn. IOACHIMI ROHAUD, pharmacopolæ Lausannensis filia, duorum annorum ætatis, ulcus ex variolis contraxisset, mihiq; adducta fuisset, os denudatum & cariosum reperi. Præscriptis adhibitis medicamentis, ulcus absque ulla manifesta ossis separatione sanatum fuit. Manifesta, inquam, quandoquidem fieri non potest, ut os cariosum carne laudabili obtegatur, & ulcus cicatrice obducatur, nisi prius ablata carie. Sensim itaque, naturæ & medicamentorum beneficio, quicquid cariosum, separatur, & veluti pulverulentum quid cum pure effluit. Hæc in gratiam tyronum adscribere visum est, ne ægros cauteriis actualibus, scalpris, aut medicamentis erodentibus facilè excrucient.

Obs. 96. & 97.

Os cariosum.

Observat.

Nota.

OBSERVATIO XCVII.

In qua, in magnis ossium comminutionibus atque contritionibus, etiam post multos annos fragmenta ossium prorumpere, exemplo demonstrabitur.

Viro clarissimo atque doctissimo Dn. SEBASTIANO MEYERO, *Reipubl. Solodurensis D. Medico ordinario,*

Guilhelmus Fabricius Hildanus,

S. P. D.

INclusas, quas nunc ad te mitto, literas, Vir clarissime, ante menses tres ad te scripseram. Cum verò (nescio quonam infortunio id acciderit) per dies aliquot retentæ fuissent, ac interim ego Belliciū ad egregium virum Dn. CLAUDIUM MONTEILLETUM, ibidem Procuratorem vocatus fuissem, in reditu meo ante dies aliquot iterum ad manus meas pervenerunt. Vides quanta sit tabellariorum negligentia! Interim ne longum silentium meum ægrè feras, obnixè rogo. In isto autem itinere nonnulla annotatione digna, & quidem ad materiam illam de cancro, quam antehac inter nos literis tractavimus, spectantia, occurrerunt, de quibus, DEO volente, posthac tecum communicabo. Nunc tamen ne nudas planè mitterem literas, hunc in praxi utilissimum, & annotatione dignissimum accipe casum.

Strenuus quidam & generoso animo præditus miles, PETRUS GAUTIER nomine, cum ante annos 20. in Galliis exercitum duceret, in obsidione & aggressu oppidi cujusdam, ictum sclopeti recepit. Globulus autem in ipsa regione hepatis, & quidem ad latus musculi recti, latitudine circiter digitorum sex supra umbilicum intrave-

Ictus sclopeti.

Obs. 97. traverat, & trajecto musculo obliquo, simul & transverso abdominis (illæsis tamen visceribus internis) superficiem ossis ilei propè os sacrum perforavit, ibidemque ad ipsam cutem remansit. Altera tamen die levi à Chirurgo facta incisione cutis, extractus fuit. Ab initio, etsi gravissima supervenirent symptomata nonnulla, vulnus tamen è regione hepatis existens, brevi consolidatum fuit, neque ab eo tempore ullum incommodum ægro attulit. Alterum verò ulcus in ipsa superficie ossis ilei, etsi Chirurgus illud ab initio & methodicè, & eâ, quâ fieri potuit, diligentiâ curasset, & ossicula nonnulla comminuta ex ipso extraxisset, tandemque quoq; ad cicatricem perduxisset: post annos tamen circiter duos, cum æger febre, maximisque rigoribus & bubone in inguine correptus fuisset, iterum dolor ingens, inflammatio insignis, atque intumefactio, in loco prioris vulneris circa superficiem ossis ilei exorta est. Advocatus Chirurgus, illam adhibuit diligentiam, ut tumor ille paulò ad suppurationem pervenerit: quo rupto, multum puris inde effluxit; ossicula quoque nonnulla, quæ sese ultrò offerebant, à Chirurgo absque ulla violentia extracta fuêre: ac brevi iterum consolidato vulnere, æger convaluit. Ab eo tempore, etsi aliquoties iisdem symptomatibus corriperetur æger, & diversorum, & quidem in artis operibus exercitatissimorum Medicorum atq; Chirurgorum curis sese submitteret, hactenus tamen nullus, ut ferrum & ignis adhiberetur, imò ne GRIFONIUS quidem, excellentissimus atque exercitatissimus ille Chirurgus suasit. Ante mensem, postquam ulc⁹ denuò plusquàm per annum integrum clausum fuisset, ac eisdem symptomatibus corriperetur æger, tandemque apertum fuisset ulcus, nec non multum puris effluxisset, Bellicium se contulit, meque in consilium adhibuit. Tum immisso stylo exploratorio, fragmentum ossis in imo vulneris statim inveni. Quapropter suasi, ut adhibitis universalibus, ulcus clementer & absque dolore dilataretur, donec ossa confracta, & quidem illa inprimis, quæ styloi nveniebantur, extrahi possent. Quid verò facturus sit, & an consilio meo in posterum obtemperaturus, nescio: ego enim propter festinationem, curationem isto in loco, à familia mea remoto, suscipere non potui. Deinde etiamsi prędicta symptomata perintervalla, & ut plurimum de secundo in secundum annum recurrant, malumq; iterum recrudescat, & ossicula ejiciantur, quia tamen non usque adeò malum hoc ipsi molestum est, & ulcus iterum facilè coalescit, non magnoperè hac de re sollicit⁹ est æger. Est præterea vir robustissimus, & optimo corporis habitu præditus, morbisque parum obnoxius.

Vide historiā de gravissimo vulnere sclopeti.

Hæc in eum finem ad te scribo, ut inde videas, in maximis illis contritionibus & comminutionibus ossium, ut alibi fusiùs monstravi, post multos etiam annos ossicula confracta ex vulneribus prorumpere, ac proinde quàm incircumspectè Chirurgus ille circa affectum nobilissimi viri Dn. Wallierii, processerit. Ille autem, quomodo nunc se habeat, ut ex nobilissimo viro Dn. Philippo à Staphiaco, Dn. in Molondins expiscari, & maturè ad me rescribere velis, plurimum rogo. De literis Dn. D. Döringii, quarum in superioribus meis ad te literis mentionem feci, ne sis solicitus, illas enim per aliam commoditatem misi. Vale vir clarissime cum tuis omnibus, quos tecum ego & Colinetæa mea peramanter salutamus. Lausannæ 18. Martii 1614.

OBSERVATIO XCVIII.

De usu corticum arborum, loco ferularum in fracturis ossium, & incommodis inde subsequutis,

CORtices arborum in fracturis ossium loco ferularum in usum quoque receptas esse, sciunt Practici. Ego verò eas, ob caussas, quas mox annectam, planè improbo.

Anno 1587. Nobilis quidam Chamveriacensis, *Claude de Combe* nomine, ex Germania rediens, prope Lausannam ex ictu equi fracturam tibiæ cum vulnere contraxit. Ego accersitus fracturam reposui, ægrumque in lectica ad urbem conduxi: ubi cum in diversorio ad crucem albam, per dies aliquot permansisset, ut ipsum Chameriacum in Sabaudiam ad ædes suas conducerem, petiit. Porrò in via transeundo Romiliacum Sabaudiæ oppidum, Empiricus quidam (quem in ossium fracturis, & dislocationibus reponendis, ad cœlum usq; extollebat vulgus) ægro adductus fuit. Præcedenti autem die propter maximum æstum, erat enim sub finem mensis Augusti, suasu, ne dicam jussu ægri, loco ferularum cortices recentes salicis applicueram. Solutis itaque fasciis præsente Empirico, impressio quædam in parte musculosa haud longè à poplite conspecta fuit: qua visa, arrogans ille Empiricus (me ob juvenilem ætatem in hac parte Chirurgiæ imperitum & inexpertum judicans) ossa illa confracta non satis accuratè à me reposita fuisse, inde colligit: ac ægro persuadere cœpit, ut de novo tibia extenderetur, ossaque confracta, & suis locis remota in situm naturalem reponerentur. Ego, etiamsi fracturam plenissimè restitutam esse, neque eo in loco, in quo Empiricus fracturam sibi imaginabatur, unquam os malè affectum fuisse, sed impressionem illam atque foveam ratione corticum accidisse, satis scirem: attamen quia de honore atque existimatione mea agebatur, supra modum fui anxius. Tandem ægrum & adstantes, ut negotium in sequentem diem different, admonui, hisce adductus rationibus: primò quia æger defatigatus: deinde quoque, quia operationes nunquam vespertino tempore, nisi maxima urgente necessitate administrandæ. Opinioni meæ cum clarissimus, ac longè doctissimus Vir Dn. CLAUDIUS à VERNETO, I.V. Doctor, Iudex ordinarius Episcopatus Mauriacensis, & Advocatus in supremo Senatu Sabaudiæ, ægri Gener (qui eadem die Chamberiaco socero suo obviam venerat) subscripsisset, & ut operatio in sequentem diem produceretur, æger consen-

consensisset, protinus totum crus, & ipsum femur oleo rosaceo & myrtillorum inunxi: ut autem eò melius penetrarent, atque influxos humores repellerent, oleo guttulam unâ aut alteram aceti rosacei adjunxi. Inuncto crure, illud à pede usque ad genu fascia, sequenti decocto madefacta, involvi, mediocriterque constrinxi, idque in eum finem, ut humorem influxum, ibidemq; veluti congestum, exprimerem.

R. folior. & radic. plantaginis majoris.
summitatum rubi
rosarum
myrtillorum
foliorum salicis
prunorum sylvestr. ana M.j.
absinthii
rosmarini
salviæ ana M.ß.

Coquantur in aqua ad consumptionem tertiæ partis: Colaturæ adde parum aceti. Postea ferulas meas stupis involutas fracturæ iterum circumposui, ac mediocriter constrinxi, tibiamque in capsulam, quâ in via usus fuerat æger, collocavi. Lectum ita sternere jussi, ut crus malè affectum natibus nonnihil altius jaceret, & influxi humores sursum refluere possent. Illa nocte optimè quievit, nec ullus adfuit dolor. Altera die solutis fasciis, nulla inæqualitas, nullaque depressio, aut fovea reperta, inscitia nec non arrogantia, aut potius impudentia hujus empirici detecta fuit. Quapropter deinceps nobilis æger plenissimam fiduciam in me habuit. Conduxi ipsum Chamberiacum, ibique per duos menses apud ipsum moram traxi, curationemque divino favore feliciter absolvi. Ab eo tempore cortices arborum, inprimis recentes, loco ferularum nunquam applicare volui. Hæc, quia in superioribus observationibus de fracturis ossium egimus, in gratiam tyronum adscribere volui, eosque adhortor, ut hac in re cautè & circumspectè agant. Cortices enim cum exsiccantur, circa fracturam contrahuntur, doloresq; excitant, ossaq; nonnunquam suo loco iterum removent.

OBSERVATIO XCIX.

Usus emplastri oxycrocei in fracturis ossium nō semper tutus.

Vulgus Chirurgorum in fracturis absq; distinctione, statim ab initio, aut post paucos dies, emplastrum oxycroceum fracturæ applicare solet: idque non sine ingenti periculo fieri posse, multis quidem demonstrare possem exemplis, sed hoc unicum sufficiet.

Adolescentem 24. annorum, robustum & biliosum cognovi, qui tibia fracta, in manus barbitonsoris (cujus nomini parco) incidit. Reposita fractura, primo apparatu emplastrum ex bolo armeno, farina hordei, & albumine ovi applicuit. Tertio post die cùm deligasset tibiam, & fracturam suo loco repositam inveniret, emplastrum oxycroceum admovit. Eodem die exortus est pruritus, qui paulatim transiit in dolorem vehementem. Post dies aliquot ego vocatus, tibiam inflammatam, & pustulis lividis refertam, & ut paucis dicam, gangrænâ infectam reperi: undique scarificata cutis, & remediis, quæ ad gangrænæ curationem faciunt, applicatis, cessavit gangræna. Postea fracturam suis quoque remediis propriis & aptis, divino favore persanavimus. Hinc perspicuum fit, usum hujus emplastri periculosum esse in fracturis, præcipuè autem ab initio fracturarum & dislocationum: est & eò periculosius emplastrum istud, quantum subjectum, hoc est, corpus ægri biliosius, calidius, aut pravis humoribus refertum fuerit. Sunt enim ingredientia hujus emplastri ferè omnia calida. Hinc partem affectam calefacit, sanguinemque & humores attrahit, qui, quod circa initia fracturarum ac dislocationum in motu sint, & ratione doloris & solutionis continuitatis, libentius atq; facilius affluunt. Mirum itaque nemini videri debet, Vigonem lib. 8. cap. 16. Emplastrum hocce Oxycroceum diabolicum appellasse. Ego, ut ingenuè fatear, rarissimè eo utor, nisi forsan in fine morbi pro corroboratione partis affectæ, aut ad duritiem aliquam dissolvendam. Vsus autem cerati Vigonis ad fracturas ossium (cujus descriptionem vide libro & capite præallegato) mihi summoperè probatur. Neque infimum locum hac in parte obtinet emplastrum SLOTANI, Præceptoris mei honorandi, cui ego pulveres aliquos convenientes addere solitus sum, ut

Obs. 99. & 100.

Oxycroceum emplastrum Diabolicum.

R. emplastri Slotani ℥iiij.
pulveris radicum symphyti majoris
rosarum rubearum
myrtillorum ana ʒij.
lapidis osteocollæ præparati ʒvj.

Emplastrum ad fracturas ossium.

Misceantur lentissimo igne cum modico olei rosacei, fiatq; emplastrum.

OBSERVATIO C.

Ex applicatione emplastri oxycrocei, & de mucilaginibus, gravissima symptomata.

Generosus Dn. Baro in Gorsier, Vir quadragenarius, robustus, obesus & plethoricus, cum Anno 1609. per nives trahâ veheretur, genu dextrum aliquo modo sibi contudit. Applicato tamen, nescio, quo medicamento, quod ad manus habebat, intra paucos dies sanitati restitutum fuit genu. Verùm post menses circiter duos, cum de imbecillitate quadam partis affectæ conquestus esset, ac apud quendam artis Chirurgicæ imperitum, consilium petiisset, suasit ipse, ut generosus Dn. emplastrum ex æqualibus partibus oxycrocei, & de mucilaginibus præparatum, sibi applicaret. Quod cum fecisset, intra paucas horas, exorto prius dolore, sequuta est inflammatio & pruritus, tandem quoq; febris continua, & herpes miliaris cum maximo tumore totius tibiæ & cruris, ad inguina & scrotum usque sese extendens. Dolor erat ingens, & inflammatio adeò magna, ut gravissimum aliquod symptoma, puto gangrænam, vereretur. Ego 16. Aprilis Burgo Segusianorum

Post applicationem emplastri oxicrocei, quæ symptomata sequuta.

Obs. 100. Neocomum cum nobilissimo Viro Dn. IACOBO WALLIER rediens, unà cum Clarissimo atque Doctissimo Viro Dn. IOH. IACOBO CRAFFTIO, Doctori Medico celeberrimo, & Dn. IACOBO GUY, Pha macop. Excellentiss. ad prædictum Generosum vocatus fui, & symptomata, quæ recensui, ex parte observavi, ex parte quoq; remiserant. Ante nostrum enim adventum à domesticis meis expurgatum fuerat corpus. Venam in cubito inciderant, & topica anodyna & repellentia applicuerant. Inflammatio tamen & herpes ad inguina usque sese extendebat. Cæterùm etsi morbus in declinatione esse videretur, nihilominus tamen quia verebamur, ne nova aliqua exoriretur inflammatio & affluxus humorum, (maxima enim aderat plenitudo cùm ad vires, tum etiam ad vasa) visum fuit corpus denuò paulatim apozemate laxativo pro interpositis diebus repetito, expurgare; venam quinetiam in brachio dextro iterum incidimus. Exteriùs verò fascia, decocto exsiccantium, discutientium, & corroborantium simplicium madefacta, tibiam coxamq; involvimus, sic DEI beneficio brevi convaluit, & ad annum 1623. satis feliciter vixit; tandem verò hydropicus placidè obdormivit.

Iterum itaque monitos velim Chirurgos, ut in applicatione emplastri oxycrocii prudenter & circumspectè agant, propter causas, quas in præcedenti observatione declaravimus.

FINIS.

GUIL-

GUILHELMI FABRICII HILDANI,

Illustriss. Marchionis Badensis & Hachbergensis &c. nec non Inclytæ Reipublicæ Bernensis Helvet. Medico-Chirurgi Ordinarii;

Observationum & Curationum Chirurgicarum

CENTURIA QUINTA.

Epistolis nonnullis Virorum Doctissimorum, nec non instrumentis Chirurgicis, ab Authore inventis, illustrata.

OBSERVATIO I.

De calculo per palatum rejecto.

Viro nobili & doctissimo, Domino D. CASPARO HOFMANNO, *in Inclytâ Academia Altorfianâ Medicinæ Professori longè celeberrimo, amico meo singulari,*

Guilhelmus Fabricius Hildanus, S. P. D.

HUmanissimas tuas literas, Vir clarissime & doctissime, quas Tu XV. Cal. Januarii Anno 1624. ad me dedisti, tandem quinta hujus accepi. Hæc ab initio scribo, ut scias causam, cur maturius non responderim. Multas autem ob causas eas cum voluptate legi: inprimis verò quod antiquam nostram amicitiam, olim Basileæ inchoatam, & tractu temporis veluti obsoletam, innovare studes: deinde etiam, quod casum illum tam rarum tamq; observatione dignum, de lapide videlicet per palatum rejecto, in memoriam mihi revocas. Scripsit quidem hac de re ante annum ad me clarissimus & doctissimus Vir, Dn. JACOBUS HAGENBACH, Basiliensis, Medicinæ & chirurgiæ Doctor, literas quinetiam sibi à Dn. ULRICO RIETMANNO, Medicinæ Doctore, scriptas, ad me misit; quarum apographum quidem retinui, sed ut ingenuè fatear, penè effluxit historia, quæ ita habet.

Decennium jam est, ex quo soror Domini parentis mei, ANNA RIETMANNIN, tum annos nata 45. circiter, continuo capitis dolore admodum affligebatur. Ea omnibus prius tentatis remediis, cum dolor subinde acerbissimè rediret, suasu Domini parentis mei, acidulas petiit; indicavit enim, ex ventriculi imbecillioris, continuas cruditates coacervantis, consensu, eundem dolorem promanare. Reversa ex acidulis, omni post tempore optimè sese habuit. Septimana demum proximè præterita 20. Iulii, noctu post primum somnum, motum quendam veluti rei viventis, circa nasi radicem, vel paulò inferius, evidenter animadvertit. Obstupuit admodum, dubia quid hoc rei esset, inq; lecto erecta eventum anxiè exspectavit: Et statim per palatum lapis sese sponte sua in os promovit. Ejus magnitudinis & formæ, quam rejecta in finem capitis sequente figura videbis. (*Figuram & magnitudinem lapidis per palatum rejecti, vide sequenti figura numero 1.*)

Durus, asper, ex cinereo flavescens, admodum fœtidus, idque sine omni dolore, molestia, sanguine, aliisque symptomatibus. Ipsâ die crastina Dn. parentem meum, fratrem suum accedens, me præsente, dictam λιθογενεσίαν ejusque circumstantias recensuit, lapidemq; tota sana & incolumis, mirantibus nobis ostendit.

Similis casus utrum tibi unquam lectus fuerit, vel auditus, quæso significa; Ego id genus nihil memini, nec, quamvis diligenter inquisiverim, quicquam inveni. Iam velim scire, qua

Observ. 1. ratione palatum, cujus foramina, si rectè judico, lapidis hujus magnitudinem nequaquam adæquant, pertransire potuerit? Dubium non est, ex mucoso excremento, diu circa os sphenoides & Ethmoides collecto, genitum esse; id quod tum fœtor arguit & color, tum notabilis narium circa nasi radicem obstructio adhuc persistẽs: quæ jam diu ipsi valde fuit molesta. Sed tuum hic malo audire judicium: mallem quinetiam Clarissimi Dn. Guilhelmi Fabricii Hildani, quem diligentissimum scimus rariorum observationũ examinatorem. Ejus humanitatem si mihi polliceri fuissem ausus, non dubitassem memorati casus circumstantias ad eundem perscribere: Sed vix licuit ignoto ad ignotum. Quod si operę pretium existimas, hanc quæso ipsi historiam, cũ ignota meorum officiorum & debitæ observantiæ sponsione transcribe. Vale Lindavii, Anno 1623. 23. Iulii. Hactenus Dominus D. Rietmannus.

Hæc sunt, Vir clarissime & doctissime, quæ mihi de casu tam raro innotuerunt, in quibus hoc præcipuè desideratur, videlicet, qualis fuerit odoratus tum ante, tum etiam post excretionem calculi? sed de his tacuit Dn. D. Rietmannus: pręterquam quod adjunxit, notabilem narium circa nasi radicem adfuisse obstructionem: Ex quibus colligo, odoratum si non abolitum, depravatum tamen fuisse.

Cæterùm concretus fuit lapis ille vel intra, vel extra Calvariam, vel denique in ipsa Calvaria, hoc est in cavitatibus ossis frontis, in superciliorum regione. Intra Calvariam, hoc est in cerebro, si progenitus fuisset, non solum Cephalalgia simplex, verumetiam longè severiora symptomata sequuta fuissent. Vidi id anno 1592. & 93. in generoso quodam decenni, ex familia Hatzfeldiorum, qui quum per gradus decidisset, & posteriorem partem capitis contra gradus allisisset, cerebrumque inde concussum fuisset, non solum sequutus est dolor capitis continuus, verum etiam quamplurima alia symptomata, & quidem gravissima; quorum omnium causam in dissectione reperi. Aperto enim cadavere, lapidem ex crassa viscidaq; materia concretum, & membrana validissima inclusum, circa connexionem suturæ rectæ cum Lambdoidæa inveni. *Figuram & magnitudinem hujus lapidis, (quem etiam nunc in Musæo meo inter rariora reservo) vide sub finem capitis in annexa tabula num. 2. & 3. ubi numerus binarius lapidem membrana sua inclusum, ternarius verò eundem membrana exemptum repræsentat.*

Observatio de lapide in cerebro concreto.

Plura si de hoc casu rarissimo, & lapide in vicinia cordis reperto, scire volueris, vide Obser. x. Cent. 1. De lapidibus intra Calvariam concretis, & gravissimis inde consequutis symptomatibus, exempla singularia apud Iohannem Kentmannum, Philosophum & Medicum præstantissimum, libro de lapidibus in corpore humano repertis, uti & apud Hollerium lib. 1. cap. 48. in scholio habemus.

In istis autẽ historiis tam Dom. Kentmanni, quàm Dom. Hollerii, omissum est, quod maximè desiderabatur, videlicet, quanam in parte cerebri reperti fuerint lapides; in hujus enim historiis, & quidem tanti momenti, omnia ut ad unguem adumbrentur, necesse est; alioquin cerebrum, cum pars corporis sit nobilissima, vixque aliquid præternaturale (uti indies diligens practicus observare potest) sufferre possit, non immeritò aliquis historias præscriptas Dom. D. Kentmanni, & D. D. Hollerii in dubium vocare posset, aut ad minimum suprà modum admirari, quomodo corpus adeò durum, solidum ac asperum, quale est lapis, per tot annos sine mortis periculo in cerebro delitescere potuerit? Cum manifestum sit, hominem stupidum fieri, imò & plerumque vitam amittere, si cerebrum ab impresso cranio comprimatur, & motus ipsius impediatur. Verùm enim verò, si rem diligenter indagemus, id nihilominùs fieri potuisse, facilè nobis fidem facient Anatomicæ dissectiones. Non tamen in qualibet parte cerebri id sine ingenti periculo, sed solummodò in sinu isto duræ meningis superiori, qui Vesalio aliisque Anatomicis est tertius, & à nonnullis torcular appellatur, fieri posse arbitror. Eo enim in loco, cùm inter sinistram dextramque partem cerebri, veluti vacuum quoddam sit, minus læditur ipsius actio, minusque motus ipsius à re aliqua præternaturali retardatur. Hanc ego existimo esse causam, cur puer iste, cujus antea mentionem feci, gestato calculo circa concursum suturæ rectæ & Lambdoidææ, per tot annos supervixerit. Hujus rei exemplum quoque singulare habes centur. 2. observ. 2. de milite quodam, cui post ictum sclopeti, globulus plumbeus in capite per menses sex sine gravissimis supervenientibus symptomatib⁹ remanserit. Observavi aliquoties, & præcipuè Hildenæ in fabro quodam ferratio, cujus mentionem feci observ. 8. centur. 2. uti & superiori anno in famulo generosi & strenui viri Dom. Johan. Jacobi à Diesbach, Equitis, & hujus Reipublicæ Consiliarii prudentissimi, (historiam integram, Deo volente, in quinta centuria videbis) Vulnera cum cranii fractione, aut impressione, minus esse periculosa & mortalia, circa suturam rectam, & in vertice, quàm in bregmate, quæ Realdus Columbus de re Anatomica libr. 1. cap. 5. lethalia pronunciavit: causam ex præcedentibus colligere poteris. Quæ verò in ipso cerebro nascuntur corpuscula dura, longè graviora excitãt symptomata; uti videre poteris apud Clarissimũ virum Dom. Felicem Platerum, observat. suarũ lib. 1. mihi pag. 11. & 101.

Porrò cùm nobilis matrona Rietmannin nihil tale, excepta Cephalalgia, experta perpessaque fuerit, verisimile mihi videtur, lapidem intra Calvariam concretum non fuisse; nec video quomodo calcul⁹ ejus magnitudinis, ut à Clarissimo viro Dom. D. Rietmanno depictus fuit, viam ex cerebro ad palatum sibi facere potuisset? quàm spissum enim ac solidum sit cranium versus fauces, nos docet ars Anatomica. Præterea foramina in basi cranii existentia, venis nervisque destinata, adeò sunt exilia, ut lapidem per ea exiisse incredibile sit. Demum si in anteriori parte cerebri concretus fuisset lapis, quomodo os Ethmoides sine ingenti exulceratione & deperditione

one ossis & cartilaginum perforare potuisset, non video. Intra Calvariam itaque, salvo tamen tuo judicio, generatus non fuit.

In ipsa præterea Calvaria, videlicet in cavitatibus, quæ sunt in superciliorum regione, inter utramque tabulam, minimè quoque generatum fuisse lapidem huncce, fidem facit ipsius magnitudo. Cavitates enim sive foramina illa, utplurimùm tam sunt exilia, atq; angusta, ut quomodo lapidem, qualem depingit D.D. Rietmannus, continere possint, nondum videam. Utplurimùm inquam, in illis enim quibus frons superciliaque protuberant, nonnihil capaciores reperiuntur. Observavi id præteritis diebus; Postquam enim tuas accepi literas, ut plenissimam haberem cognitionem harum cavitatum, crania aliquot in musæo meo dissecui. Viæ præterea ex his civitatibus ad nares angustæ sunt: Ossa quinetiam præcipuè in adultis, uti est matrona Rietmannin, adeò solida ac spissa, ut à lapide minimè dilatari possint, nisi maxima intervenerit putredo, & ossium corruptio. At nihil tale in Domina Rietmannin accidit, ergò in istis cavitatibus generatus non fuit. Deindè si in cavitatibus istis generatus fuisset lapis iste, potius per nares ipsum excrevisset ægra, quàm per palatum; quamvis non negem, ipsum etiam ex prædictis foraminibus facilè ad palatum pervenire potuisse, præsertim si illo ipso tempore, quo lapis movebatur, & ad exclusionem sese parabat, ægra aërem viriliter ad se, uti fit quotiescunque mucum circa os cribriforme collectum & exsiccatum, ad fauces attrahimus. Ergò nec in ipsis cavitatibus concretus fuit.

Quis usus sit harum cavitatum sive sinuum à me scire cupis: Est ille multiplex: inprimis autem (verbis Magni Bauhini p. m. Anatomicorum facilè principis lib. 3. cap. 6. utor) facti sũt ob vocem, quo magis canora sit; siquidem in senibus & qui malè loquuntur, non reperiantur. Dein ad aërem, qui per nares attrahitur, continẽdum: quo is alteratus, ad hos sinus primùm deferatur, & indè sensim ad olfactus organa, & ad cerebrum transeat, illudque alteret, & cerebrum quoque si affectum sit, ad statum naturalem reducat, (ut si cerebro nimis humido pomum ambræ olfaciamus, musco & ambra aër calefactus naribus attrahatur, ad sinus hos defertur,) Quare sæpè odor naribus attractus, in his sinibus permanens, per integrum diem in narium summitate persentitur. Sunt qui velint, à materia contenta, quæ veluti oleosa est, foramen, quod in oculi angulo majore est, transeunte, oculum humectari, & lubricum reddi, quo ocyssimè moveatur. Hæc Bauhinus. Cui tamen non ubique astipulatur Petrus Pauvius, Anatomicus & Botanicus longè excellentissimus & doctissimus lib. de ossibus cap. 7. Harum cavitatum ut Chirurgus rationem habeat in vulneribus frontis, Paræus monet lib. 5. cap. 4.

Maximum præterea hasce cavitates cum oculis habere consensum, olim Hildenæ in patria observavi, hoc modo. Adolescens quidam, Cõrad in der Bech nomine, cum in duello vulnus ad sinistrum supercilium styleto, ut vocant, accepisset, vulnusque ab initio ex arte curatum non fuisset, exorta tandem est inflammatio, cui, sequuto dolore vehementissimo, oculus in tantam molem excrevit, ut ad ovi gallinacei magnitudinem extra orbitam suam propenderet. Et membranæ ruptæ essent. Sed de his, DEO volente, pleni⁹ in quinta centuria observationum nostrarum. Arbitror autem, styleto sive pugione primâ perforatâ tabulâ, sanguinẽ in cavitatem hãcce delapsum, ibidemque putrefactum fuisse, & proindè adnatam tunicam primò, deindè per cõsensum totum oculum quoque infecisse. Maximum enim inter has cavitates & oculos consortium esse, fidem faciunt foramina ex cavitatibus istis ad oculos penetrantia.

Observ. 1.

Porrò historia illa, quam Amplissimus vir de vermibus in cavitatibus istis, à Clarissimo viro Dom. Campanâ in capite arietis repertis, adscribit, in memoriam mihi revocat casum quendam observatione dignissimum, de puero quodam Hildenæ in patria, qui post dolorem capitis, vermem per nares excrevit, protinusque ab omnibus symptomatibus liberatus fuit. Uti Amplissimus vir videre poterit observat. mearum cẽtur. 1. obser 8. Putasne, vermem huncce in cavitatibus istis generatum fuisse, & cruciatus hosce capitis excitasse? [*Figuram & magnitudinem vermis vide in sequente tabula sub num. IV.*]

Observat.

Ex his apparet, vir Amplissime & doctissime, lapidem Dom. Rietmannin, neque inter Calvariam, neque inter duas tabulas cranii, hoc est, in cavitatibus illis ossis frontis, generatum fuisse. Quo igitur in loco, inquies, facta fuit concretio illa? Arbitror ego extra Calvariam, & quidem ad radicem nasi, circa os Ethmoides, à longo tempore collectam fuisse materiam excrementitiam, lentam & viscidam, ex cerebro ibidem defluentem, eamque tractu temporis vi caloris, à continuis istis doloribus capitis, vigiliis, & inquietudinibus accensi, & specifica quadam facultate exsiccatam, & tandem in lapidem compactam & induratam fuisse. Rem autem ita se habere, arguit satis non tantum notabilis circa nasi radicem obstructio, in literis Clarissimi viri Dom. D. Rietmanni commemorata, verùm etiã motus ille veluti rei viventis, quem ægra paulò ante ejectionẽ lapidis circa radicem nasi, vel paulò inferiùs, evidenter animadvertit; quemadmodum ex præcedenti apographo literarum D. D. Rietmanni vidisti.

Similis verè casus hìc Bernæ accidit hunc in modum. Nobilis quidam ex Senatorio ordine, CASPARUS à GRAFFENRIED nomine, cum Anno 1607. qui fuit trigesimus sextus annus ætatis, aliquandiu contumacissimo & gravissimo dolore capitis, qui anteriorem partem ad suturam usque coronalem & dentes molares occupabat, laborasset, nec ullis remediis, quantumvis ex arte, & à præstantissimis Medicis præscriptis & adhibitis, cedere vellet dolor, ita etiam ut de recuperanda valetudine nulla ferè superesset spes, accidit tandem, ut quadam nocte, quum post ingentes cruciatus, multasque vigilias parumper obdormivisset æger, subitò integram deturbaret familiam, & ita quidem, ut non tantum domesti-

Observatio singularis.

Observ. I. ci, verùm etiam vicini accurrerent, nihil aliud putantes, quàm ipsum jamjam naturæ satisfacturum. Quandoquidem tanta erat faucium angustia, ac si aliquis laqueo eas strinxisset. In istis porrò angustiis, & suffocationis metu, cum corpus quoddam, videlicet tuberculum durum, castaneæ magnitudinis, ejusdem coloris ad fauces & os decidisset, illudq; expuisset æger, omnia mox remiserunt symptomata.

Tuberculum autem hocce, ex materia dura, & veluti caseo putridissimo, constabat, & membranâ validissimâ involutum erat. Ab eo tempore in hunc usque diem nunquam de hujusmodi dolore conquestus est: neque remansit obstructio ulla narium: ab arthritide tamen mirum in modum jam à multis annis vexatur. Non dubito autem, quin tuberculum hocce, si diutius remansisset, facilè tandem in calculum induruisset: Podagricos enim ad calculos generandos pronos esse, nos docet experientia. Quod autem materia hæcce calculi, adhuc cruda, ante concoctionem & coagulationem, rejecta fuerit, tum fœtorem longè gravissimum tum etiam quod vicinas partes comprimeret, & proinde naturæ molesta esset, in causa fuisse existimo. Hinc enim natura & facultas expultrix excitata fuit, & quod sibi adversum ac nocuum esse persentiebat, rejicere conata est; Idque potius per fauces, quàm per nares: quæ enim nobis circa radicem nasi molesta sunt, ut est mucus, facilius vi ad fauces attrahimus, quàm per nares extrudimus.


Cæterùm locus generationis tam lapidis Dominæ Rietmannin, quàm tuberculi Dom. à Graffenried, circa os Ethmoides fuisse, apud me nullum est dubium. Nasus enim circa radicem cartilaginosus est: cavernulas quinetiam nonnullas habet, uti videre est in cranio quodam, quod in Musæo meo reservo, in quo sinus aut cavernula, quæ nucem avellanæ facilè excipere posset, circa nasi radicem & versùs dextrum latus conspicitur. Cartilagines præterea, quibus refertus est locus iste, corpori duriusculo facilè cedunt, præsertim si accretio fit sensim. *Observat.* Observavi id Anno 1605. in nobili quadam virgine, cujus fit mentio obs. I. centur. 3. cui ductus auris propter innatum fungum scirrosum haud parum extensus ac dilatatus fuit. Id si in osse duriusculo acciderat, quid non fieret in loco cartilaginoso?

Cur autem obstructio circa radicem nasi in matrona Rietmannin, post excretionem calculi perstiterit, in nobili verò nostro unà cum tuberculo evanuerit, hinc accidisse mihi videtur, videlicet quod in illa membrana, quâ involutus fuerat lapis, circa os Ethmoides remanserit, in hoc verò viro cum tuberculo rejecta fuerit, sed & Cartilagines à calculo extra filum naturalem, & proculdubio versùs os Ethmoides depressæ fuerunt, & obstructioni narium ansam dederunt.

Habes, vir clarissime & doctissime, de hoc casu sententiam meam, quam tuo tamen judicio libéter subjicio, Tuamque Excellentiam submissè rogo, ut si quæ forsan hac in re tam rara tamque abstrusa minus rectè à me proposita fuerint, pro sua tamen humanitate ea omnia benignè interpretari, meque liberè monere velit; Cupio enim à vestra Excellentia erudiri: & libenter, si qua in re erraverim, meam mutabo sententiam.

Misissem libellum meum de præstantia Anatomiæ, nuper Germanico idiomate excusum, nisi distantia loci obstaret. Non autem doctis, sed tyronibus artis Chirurgiæ, & barbitonsoribus scripsi, si forsan ipsos ad hoc studium, veluti clavem & clavum Medicinæ arripiendum, persuadere possem. Vale vir Amplissime, & feliciter vive diu. Raptim Bernæ 8. Februarii, 1625.

Hic inseratur tabula I.



Viro Clarissimo & Excellentissimo Dn. GUILHELMO FABRICIO HILDANO, *Illustriss. Dom. Bernensium Medico-Chirurgo Exercitatissimo, Dn. & Amico observando* CASPARUS HOFMANNUS S. P. D.

Literas tuas, Vir Clarissime, rectè accepi, jamq; adeò acquiesco judicio tuo, nisi quod scire cupiam, quomodo tantus lapis sine detrimento ossium palati excidere potuerit? Descendisse enim per nares, & illapsum esse in oris capacitatem per foramina illa, per quæ respiramus, non credam, etiam ubi credere me dixero. De cavitatibus, quæ sunt inter utramq; calvariæ laminam super oculos, quæso te, per otium mediteris aliquid amplius; Inprimis autem cupiam audire à te, quid sentias de Fuchsii illo experimento, cujus memini etiam Comm. meis in libro de usu partium. Addas aliquid, ni grave est, de osse illo, quod in canibus & felibus interstinguit cerebrum & cerebellum, cui enim bono est? De his & similibus inceperam agere cū

Domino

Domino Adriano Spigelio, Medico Patavino: sed intervenit Mors, abrupitq; filum epistolare. Hujus ἀφορμὴν audi, quæso, & vide, quàm levibus occasionibus moriamur: etiam illi, qui imperium in mortem habere nobis videmur.

Nuptias celebrarat filiæ unicæ, in quibus cum fractum colligeret vitrum, vulneravit leviter nescio quem è digitis sinistræ manus. Supervenit inflammatio, quæ non tantùm occupavit totum brachium, sed & tumorem sub ala insignem excitavit; quo vix ad supurationem perducto, quàm diu effluxit sanies subcruenta & fœtida, meliusculè quidem habuit; cessante verò illâ, & diarrhœâ superveniente, omnia in pejus sublapsa sunt, usq; dum tandem 7. Aprilis Empyematicus moreretur. Ita ad me amici perscribunt Patavio. Iidem dicunt Romæ ad se venisse insignem Medicum, Pompejum Cayusum, surrogatum Sanctorio ibidem civiliter mortuo. De hujus instrumento hydrulio, cujus beneficio sine paracenthesi aquam hydropicorum per umbilicum educit, audivistine? Accepi ego nuper ab amico, qui ait, à Medico Regis Poloniæ Paulo Croquero esse, qui id multis ducatu emerit ab ipso. Si gratum est, mittam quæ habeo. Nunc accipe disputationem de somno meridiano, & me porrò quoq; dignare favore tuo. Benè vale, mi Fabrici. Scribo Altorfii, 17. May, 1625.

OBSERVATIO II.

De gravissimis quibusdam affectibus, ex levissimis causis ortis.

Ad eundem virum Amplissimum & Doctissimum Dom. D. CASPARUM HOFMANNUM, *&c.*

Cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus

S. P. D.

Contristarunt me literæ tuæ, vir Amplissime atque doctissime, & doleo profectò vehementer, communem rem Anatomicam Academiæ Patavinæ, cum interitu Clarissimi Excellentissimique viri Dom. D. Adriani Spigelii interiisse, & ita delapsum esse, ut forsan nec brevi, nec facilè restaurari possit: audivi enim à multis, ipsũ insignem fuisse Anatomicum. Scriptum mihi fuit non ita pridem Patavio, Uratislaviensem quendam Bucretium, Doctorem Medicum, Dñ. D. Spigelii p. m. scripta Anatomica & Chirurgica in lucem missurum: sed utinam id ante obitũ Dom. Spigelii factum fuisset, rarò enim scripta posthuma mentem Authoris rectè assequuntur. Video id in Chirurgia Vesalii, à Prospero Borgarutio edita, in qua nonnulla, quæ Vesalius propter immaturam mortẽ perficere non potuerat, ipse Borgarutius ex aliis Authoribus decerpsit, & Chirurgiæ Vesalii de verbo ad verbum inseruit, donec tandem perfectum compilarit opus. De his ineptiis vide tractatum meum de Gangræna & Sphacelo, cap. 17. ultimæ editionis, in quarto. Amisimus autem; proh dolor! aut potius ad beatorum sedes præmisimus à paucis ab hinc annis præclara aliquot Lumina Anatomica, videlicet Felicem Platerum, Laurentium, Petrum Pauviũ, Hieronymum Fabricium ab Aquapendente, & hoc demum anno, viros longè Excellentissimos Dom. Casparum Bauhinum & Adrianum Spigelium, viros inquam, de re Anatomica quàm optimè meritos: quapropter mihi videtur, scientiam hancce, quemadmodum cum superiori seculo veluti renata & exculta fuit, ita & cum eodem interituram. Vesalius Anatomicorum (post Galenum) facilè princeps, superiori seculo revera primus fuit, qui theatra Anatomica erexit, & multis aliis viris doctis ac ingeniosis, clavem ad scripta Anatomica Galeni rectè intelligenda præbuit. Infinita enim, quæ à Galeno obscurè dicta, aut propter Amanuensium inscitiam, & Typographorum negligentiam depravata fuere, illustravit, castigavit, & in ordinem redegit. Sed & plerumque (quod in tanto Viro haud laudandum) nimis acriter contra Galenum insorrexit: quasi nos certi essemus, scripta Galeni, ut ab ipso tradita fuere, ab imperitis, qui per tot secula libros descripserunt, depravata non fuisse. Vesalium secuti sunt viri gravissimi atq; Excellentiss. qui scientiam hancce magis magisque excoluerunt, idque non tantum in Gallia & Italia, verũ etiam in Germania, & quidem ad nostra usque tempora. Jam verò scientia illa ad interitum vergere videtur, præsertim hoc turbulentissimo tempore, quo bello & dissidio scholæ ubique infestantur, artesque liberales pedibus obteruntur. Porrò quæ de affectu Domini Spigelii scribis; præter ea, quæ observat. 96. centur. 1. de Acaro scripsi, nonnullos alios similes ferè affectus gravissimos ex levissimis occasionibus ortos, in memoriam mihi revocant, quos tecum communicare non gravabor. Tu omnia æqui bonique consule.

Obs. 2.

EXEMPLUM I.

Anno 1587. cum Lausannæ Equestrium Chirurgiam facerẽ, operarius quidam in vicino pago, tempore Veris circa sepes occupatus, pedem spinâ sibi punxit. Ab initio, cum affectum neglexisset, exortus est dolor maximus, inflammatio, febris, delirium, aliàque symptomata gravissima, tandemq; Gangræna & sphacelus; qui, cum ad genu pervenisset, & tibia abscissa non fuisset, extinctus fuit æger.

EXEMPLUM II.

Anno 1592. cum in patria mea artem Medicam & Chirurgicam exercerem, & Matrona quędam honesta apicem indicis dextri spinâ punxisset, & ab initio affectum neglexisset, post gravissimos dolores sequutus est Sphacelus; cum verò digitum ad carpum abscidissem, restituta fuit.

EXEMPLUM III.

Honesta & virtute prædita matrona, Reverendi ac Doctissimi Viri Dn. Iohannis Rudolphi Fasnacht, hujus Gymnasii septimæ classis Ludi-Magistri uxor, cum undecimâ Mensis præteriti; piscem exenterando, spinâ, secundum articulum medii digiti dextræ manus punxisset, & ab initio imperitæ cuidam Medicastræ se curandam commisisset, & exortus fuisset dolor gravissimus; in consilium vocatus fui, octavâ morbi die, tum manum brachiumque ad cubitum usque supra modum intumefactum, & inflammatione detentum reperi; humor ille, quem vulgus Chirurgorum

Obs. 2. gorum Germanorum existimat in articulis contineri, & proinde *Glidwasser* appellat, copiosè effluebat: quapropter vix credibile est, quantus fuerit dolor, inuncto brachio oleis anodynis, & applicatis defensivis circa cubitum, manu verò, quæ dolorem leniunt, mox remisit tumor brachii, & manus quoque paulatim evanuit quidem, quinque tamen in locis circumcirca digitum, & in vola manus, materia illa acris carnem eroserat, & ulcera sordida & cuniculosa post se reliquerat, circa quæ etiam nunc occupatus sum.

EXEMPLUM IV.

Cum essem adolescens, Matronam vidi Novisiæ in Diœcesi Coloniensi, habitantem prope portam inferiorem (*Niderport.*) Illa, quum sibi, ut rectè recordor, indicem dextrum vitro punxisset, sequutus est primò dolor vehementissimus, deinde inflammatio, aliaque gravissima symptomata, quæ brevi totam manum occuparunt, & diversis in locis ulcera sordida, cum ossium & ligamentorum erosione excitarunt. Operâ & diligentiâ Chirurgi cujusdam non vulgaris Mag. Iohannis Dumgens nomine, tandem post longum tempus curata quidem fuit, sed ingenti cum labore: articuli quoq; nonnulli digitorum rigidi permanserunt. Quid plura? Videmus indies, etiam ex levissimis causis atq; occasionibus gravissimos oriri morbos, præcipuè si subjectum vel impurum & pravis humoribus refertum, aut Plethoricum, vel denique error in curatione fuerit commissus; quemadmodum in iis, quos recensui, accidisse memini. In Domino Spigelio tale quid affectum quoque exasperasse, non dubito. Sed quid quæso sentis de Vitrivoris? Ego hic in vicinia tres cognovi viros robustissimos, quorum duo adhuc vivunt, & quidem satis commodè, tertius verò ante annos duos ex Phthisi obiit: hi vitra quamplurima veluti cum aviditate devorarunt. Iam cupio, Vir amplissime, ex te scire, quomodo fragmenta illa ventriculum & intestina, partes exquisitissimo sensu præditas, sine mortis periculo pertransire potuerint? Habet quidem Ioh. Manlius in suis Collectaneis exempla aliquot de Vitrivoris, sed insolentiæ ac stultitiæ eorum pœnas meritissimas morte persolverunt: de his vide tractatum meum de Christianorum commessandi ratione (den Christlichen Schlafftrunck) verùm hæc obiter. Nunc ad quæstiones in postremis tuis propositas paucis respondebo.

De Vitrivoris.

Quæstio.

Quæris primò, quomodo tantus lapis sine detrimento ossium palati excidere potuerit? Respondeo iterum, ut & in præcedentibus ad Te literis meis, locum, in quo generatus fuit, esse Cartilaginosum, & proinde corpori duro, qualis fuit lapis, facilè cedere potuisse, præcipuè quia accretio sensim facta fuit: quæ enim paulatim fiunt, tuta sunt, & naturæ minus molesta esse consueverunt, ut testatur Hippocrates lib. 2. Aph. 51. Et quia lapis membranâ quadam densâ, uti in præcedentibus dixi, inclusus fuerat, vicinas partes minus læserat. Exemplum habes eadem in Epistola de puero ex familia Hatzfeldiorum; qui lapidem membranâ inclusum, per aliquot annos in capite sine læsione vicinarum gestaverat. Foramina præterea ex naribus ad palatum tendentia, pro exclusione lapidis satis sunt ampla.

De cavitatibus, quæ sunt inter utramque calvariæ laminam super oculos, ampliorem declarationem à me exspectas. At ego præter ea, quæ de iis Vesalius, Bauhinus, Laurentius, & alii scriptis reliquerunt, nihil singulare observavi, præterquam quod in nonnullis valde sint exigua atque angusta, in aliis verò ampla & spaciosa. Petrus Pauvius, olim in Academia Lugdunensi Batavorum Anatomicus longè celeberrimus, & amicus meus singularis, libro de ossibus, parte prima capite septimo, usum earum esse scribit, ut nempe in iis remoratus, qui per nares tractus fuit aër, ita plenius coquatur & præparetur cerebro; ne is aut sua cruditate, aut insigni, quâ non rarò pollet, intemperie, nobile illud viscus offendat: in narium nempe (inquit) hæc fossa desinit, indeque in cribriforme os patet per odoratorios nervos cerebrum petenti aëri aditus. Hæc Pauvius. Vulnera præterea ad cavitates hasce penetrantia, difficillimè sanantur, & plerumq; in fistulas & ulcera Cacoethica transeunt: colligitur enim in iis materia, (nisi diligens & expertus fuerit Chirurgus) quæ, si putredinem contraxerit, ossa & cartilagines corrumpit. Vulnera harum cavitatum cum oculis tantam habent affinitatem, ut materiam purulentam, quæ ex vulnere ad cavitates hasce defluit, ibidemq; putrescit & acrimoniam acquirit, ad conjunctivam membranam decubuisse, & oculum sua orbitâ extrusisse viderim.

Experimentum, quod commemoras, verum esse concedo, sed certis conditionibus, ut posteà dicam. An autem sit Fuchsii, valde dubito. Fatetur enim ipse in frontispicio sui libri, se compendium suum Anatomiæ ex Galeno & Vesalio compilasse. Adscribam itaque verba Vesalii libro primo, cap. 12. Quibus, inquit, Gallico morbo anterior frontis ossis squama eroditur, aut vulnere perfringitur, tanto impetu in exspiratione aërem ex cavitate illa propelli cernimus, ut is etiam candelæ lumen promptissimè exufflet. Porrò hæc potius à Vesalio, quàm Fuchsio observata esse, inde conjicio, quod ille Chirurgiam ex professo exercuerit, & quidem in Italia, ubi hujusmodi erosiones ex lue Venerea, & vulnera pugione aut styleto facta, frequentius quàm in Germania, ubi Fuchsius vixit, & Medicinam, non autem Chirurgiam fecit, occurrunt.

Habebat præterea Vesalius in more, ut quotiescunque vulnera, aut ulcera, præsertim capitis, pectoris, & nervosarum partium deligabat, habebat, inquam, in more, ut accensam candedulam ceream (quali utuntur sartores ad incerandas telas sericas) vulneri, quàm proximè id fieri potuit, adjungeret: idque in eum finem, ne injuria aëris vulneri obesset. Hæc ante annos quadraginta, ex ore clariss. atque excellent. Medico-Chirurgi Cosmi Slotani, Præceptoris mei æternùm honorandi (qui curationibus Vesalii aliquoties interfuit) non semel intellexi, qui & eandem methodum in curandis vulneratis observabat. Ego in eundem finem, vulneribus capitis, præsertim magnis & periculosis, præter candelam accen-

accensam, etiam sartaginem prunis impletam, vulneri interim, dum id curo, per ministrum admovere jubeo. Fieri itaque potuit, ut dum candelam illam ceream vulneri admoveret famulus, aër in expiratione illam extinxerit. Verùm enim verò, id in omnibus fieri posse, valdè dubito: multi enim etiam adulti (uti in Musæo meo in diversis calvariis ad oculum monstrare possum) cavitates hasce tam exiguas & angustas habent, ut aër, quem continent, vix ad flocculum vulneri appositum movendum sufficeret. Ubi autem cavitates istæ amplæ sunt ac spaciosæ, apertura verò in osse angusta, aërem tanto cum impetu ex iis erumpere posse credo, ut candelam extinguat: non tamen unamquamque, sed tantùm ceream illam, quali Vesalium in curandis ægris usum fuisse, ex relatione Dn. Slotani p. m. intellexi. Hæc de experimento sive id Vesali i sit, sive Fuchsii.

De osse, quod in canibus & felibus interstinguit cerebrum & cerebellum, quid sentiam, scire cupis? Est revera artificium annotatione dignum, & summæ Creatoris providentiæ ac sapientiæ argumentum. Non autem in canibus & felibus solum: verùm & in nonnullis aliis quadrupedibus reperiri existimo, sed forsan non eodem modo. In canibus enim & felibus valdè latum & veluti fornix cranio suffulcitum est: in aliis verò animalib⁹ tale quid observatur quidem, sed valdè exiguum. Situm autem est in medio ferè cavitatis cranii, cerebrum continente, videlicet ea in parte, ubi inferior mandibula cranio annectitur, & à summo Creatore, in animalibus, quæ ossa aliaquè dura corpora rodere solent, roboris causa creatum, & veluti fornix exstructum est: ne eorum crania, cum sint oblonga, & proinde injuriis magis, quàm Sphærica, obnoxia, inter rodendum, in hoc vel illud latus detorquerentur, cerebrumq; læderetur.

Nec destitutæ sunt aves nonnullæ hoc beneficio, præsertim quæ ex præda vivunt. Decima quinta Novembris anni præteriti, à rustico quodam hic in vicinia ictu sclopeti capta fuit aquila (avis in hoc tractu perquam rara) quæ, quum cuidam ex proceribus nostris Domino Nicolao Kilchberger, viro præstantissimo, & hujus Reipubl. Senatori ac Tribuno Plebis prudentissimo, oblata fuisset, pellem sibi reservavit, ex reliquis Sceleton concinnavi, in quo id, quod jam dixi, apparet. Non tamen in medio cranii, ut in quadrupedibus, sed in posteriori parte cranii, ubi maxilla inferior annectitur, & cerebrum ad spinam dorsi descendit. In gallinis quoque tale quid observatur, forsan & in aliis avibus. Hæc sunt, Vir amplissime & doctissime, quæ pro tenuitate ingenii mei ad tuas respondere potui; Tu quæso omnia benignè consule.

Pro disputatione de somno meridiano gratias ago & habeo maximas: datâ occasione de antidoro cogitabo. Dum hæc scribo, Ulmensis quidam Medicinæ Doctor in transitu me invisit, & significavit, Tuam Excell. de Ichoribus scripsisse tractatum: percuperem illum videre. Ante annos enim aliquot, de hac materia aliquid Germanico Idiomate edidi, & nunc integrum tractatum de Ichore & Meliceride Celsi præ manibus habeo: pergratum itaq; feceris, si aut tractatum, aut saltem apographum frontispicii miseris. De Sanctorii Instrumento ad aquas hydropicorum, fine Paracenthesi educendas, hactenus nihil intellexi, nisi grave fuerit, mitte quæso delineationem. His vale Vir ampliss. & in bonum atque utilitatem familiæ Æsculapiadeæ æternùm quàm feliciter vive. Dabam Bernæ 22. Septemb. 1625.

Obs. 2. & 3.

OBSERVATIO III.

De Hydrocephalo, & quibusdam aliis vitiis, propter imaginationem prægnantium in utero contractis.

Viro Amplissimo & Excellentissimo Domino Doctori GREGORIO HORSTIO, *Philosopho summo, & inclytæ Reipublicæ Ulmensis Archiatro Clarissimo, amico singulari,*

Guilhelmus Fabricius Hildanus,

S. P. D.

Etiam sola inspectio literarum tuarum, Vir Amplissime, Fautor & Amice æternùm honorande, Genevâ mihi missarum, me exhilaravit: sed multò profectò magis earundem lectio animum meum gaudio explevit, cum ex eis intelligerem, Amplissimum Virum cum familiâ suâ salvum & incolumem Ulmam appulisse. A Senatu enim Amplissimo ejus urbis in Archiatrum Te vocatū fuisse, ante annum à Reverendo & Doctissimo viro, Dn. Francisco Arnoldo relatum mihi fuit: cujus amicitiam & familiaritatem in Aulâ Serenissimi Principis ac Domini, Domini GEORGII FRIDERICI, Marchionis Badensis & Hachbergensis, &c. mihi comparavi. Gratulor itaque Tibi, Vir Amplissime, & multis nominibus mihi charissime: atque imo quidem ex corde Tibi gratulor, non tantùm de novâ dignitate, verùmetiā quòd DEUS Opt. Max. Te è medio armorum strepitu in locum, uti spero & opto, tutiorem constituerit: in locum, inquam, ubi arma senectutis, videlicet artes, exercitationesque virtutum, ut loquitur Cicero, quoque exercere: DEO quinetiam & familiæ Asclepiadeæ inservire poteris. Ulmensem enim Rempublicam ex familiis antiquis, Virisque nobilibus & egregiis non tantùm esse compositam: verùmetiam literatos & peregrinos amplissimis honoribus afficere, sæpissimè & ex aliis intellexi, & anno 1610. ipsemet expertus sum: cujus rei causâ multum ipsis debeo: ipsorumque in me humanitatem, quoad vixero, celebrabo. Tu verò ut provinciam illam, ad quam ab Amplissimo Senatu vocatus fuisti, diu ad DEI gloriam, & utilitatem proximi administrare possis, ex corde opto.

Cæterùm etsi aliquandiu ad Te non scripserim, amicitiam tamen olim inter nos contractā religiosè conservo: & porrò conservabo, quoad spiritus hos reget artus. Quia autem propius ad nos accessisti, sæpiùs, volente DEO, ad Te scribā: & si quid rari in praxi advenerit, communicabo. Responsum ad binas meas de Trichiasi etiamnūc

Obs. 3. avidè à Te exspecto. Quia enim observationem illam Centuriæ quintæ (quæ nunc ad calcem ferè deducta est) inserere cuperem, libenter quoque Responsum Tuum adjungerem. Et quoniam in turbulento hoc rerum statu & strepitu armorum, literæ meæ forsan ad Te non pervenerunt, en iterum apographum historiæ istius matronæ, Trichiasi, seu pilorũ mictione laborantis, ad Te mitto. Vivit illa etiamnunc apud nos, & quidem pro ætate suâ (appropinquat enim septuagesimum ætatis annum) satis commodè. Porrò quia ante hac aliquoties inter nos de maculis alisque affectibus corporis, ob imaginationẽ prægnantis fœtui advenientibus, per literas facta fuit mentio, visum est, nunc exemplum unum atque alterum tecum communicare.

Anno 1608. cùm Aquiliam ad Rhodanum fluvium à Generoso quodam vocatus fuissem; Puerulus hydrocephalo laborans adductus mihi fuit, quemadmodum videre poteris Centur. 3. Observat. 17. Erat autem inter domesticos istius Generosi Puella, undecim aut duodecim circiter annorum ætatis, quæ ob intempestivam curiositatem, continuò circa infantulum hydrocephalicum versabatur, & caput tractabat. Hæc cùm post annos aliquot viro nupsisset, & infantem hydrocephalo laborantem enixa fuisset, post menses demùm sex, capite mirum in modum accrescente, & paroxysmis Epilepticis per intervalla supervenientibus, in consilium ego vocatus fui. Cum itaq; eâ, qua fieri potuit, diligentiâ ex matre investigarem, quænam possit esse causa morbi, nullam verò satis validam reperirem, in mentem veniunt, quæ Centur. 3. Observat. 17. de hydrocephalico puero commemoravi. Ex matrona itaque perquiro, anne aliquando, dùm utero gestaret, puerum istum hydrocephalicum in memoriam tibi revocaverit? Respondit, sæpissimè: & quidem toto gestationis tempore monstrosum illud caput continuò ferè sibi ante oculos obversatum fuisse. Imaginationem itaque hujus mali præcipuam fuisse causam, apud me nullum est dubium. Tibi quid videatur, significa. Vixit puer iste in secundum usque annum, & nisi me fallit memoria, ex variolis & paroxysmis Epilepticis obiit.

Superiori seculo, cùm matrona quædam herniosa, ex nobilissima familia Bernensi oriunda, secta, & feliciter curata fuisset, & post menses sex à curatione puellum progenuisset, vulnus non exiguum in inguine infantis repertum fuit; cujus cicatrix, quamvis nunc trigesimum annum ætatis prætergressus sit, etiam nunc apparet.

Non absimilis est historia, quam Tu recenses in appendice Tua ad Marcellum Donatum, libr. videlicet 7. cap. 3. de gravida monomachiam duorum observante, quæ cum alterum ab altero transfodi videret, admodum perterrita, digito oculorum palpebram petiit: & paulò post puerum mortuum, cui caput transfossum erat, genuit. Historiam hancce Clarissimus & Doctissimus Dominus D. Daniel Danielis, Düsburgi Clivorum Medicus Ordinarius & celeberrimus, tanquam testis ocularis, anno 1612. eodem modo, ut Tu illam describis, mihi retulit.

Anno 1615. Neoburgi Helvetiorum unà cum Clarissimo & Doctissimo Viro, Dn. Johan. Jacobo Crafftio, ejus Urbis Doctore Medico Ordinario & celeberrimo, compatre meo summo studio observando, puerum octennem vidi, qui cataractam sinistri oculi in ipso utero matris contraxerat. Mater enim dum gravida esset, ob intẽpestivam lachrymationẽ cataracta affecta fuerat. Ex quibus iterum videmus, quàm fortis & valida apud prægnantes sit imaginationis vis atque efficacia. Hæc obiter; ne planè nudas ad Te mitterẽ literas, aliàs plura. Vale Vir Amplissime, & cum Tuis omnibus æternùm quã felicissimè vive. Raptim Bernæ Helvetiorum, 6. Septemb. 1623.

OBSERVATIO IV.

De Cerebro non putrefacto, in cadavere, 50. annis sub terra reposito.

Ad Præstantissimum, Amplissimumq; virum, Dn. GUILHELMUM FABRICIUM HILDANUM, *Inclutæ Reipublicæ Bernensis Helvetiorum Medico-Chirurgum ordinariũ dignißimum,* Cui

GEORGIUS FABER S. P. D.

De raris, quod communicem, auribus tuis dignũ, hoc tempore penè nihil mihi succurrit, nisi quòd hesterno die, quo ad deductionem funeris Nobilißimi cujusdam Viri senis, in vicinia vocatus fui, cranium humanum interfodiendum fortè fortuna exemptum, & 50. annis sub terra repositum, in quo Cerebrum adhuc continebatur planè crudum, incorruptum, nulliq; putredini obnoxium, sed albicans & instar olei diffluens, neq; fœtens, à me multisq; aliis, cum nobilibus tũ ignobilibus visum sit, non sine magna admiratione. Quæ res consideratione reverâ dignißima est, de qua tuam ad me sententiam brevî velim rescribas. Referebat mihi defuncti filius Nobilißimus, doctrinâ, virtute, variarum quinetiam linguarum peritiâ præstãtißimus vir, Dn. PHILIPPUS *à* BELLERSHEIM, *quõdam castri nostri Vice Burggravius, nunc ejusdem Duodecemvir, Patronus mihi multis modis colendus, cadaver istud fuisse avi sui, qui ex vulnere capiti inflicto, diem suum obierat. An viribus Balsamicis alicujus Medici illud adscribendum sit, tuum erit dijudicare.*

Præterita hyemis inclementia omnes mures in agro sustulit, atq; optima speranda est messis. Radices Cyclaminis futuris nundinis certus à te exspecto. Interea benè & feliciter Vale, & à me, meâ uxore, & filiabus, cum tuâ & filio amicißimè resalutatus, in multos annos vive. Dabam Fridbergæ Wetterav. Calendis Aprilis Anno 1618.

OBSERVATIO V.

De Epilepsia in virili ætate curata, sequuta tamen cæcitate.

Viro clarissimo & doctissimo Dn. D. LUDOVICO SCHMID, *Serenißimi Principis ac Domini,* Dn. GEORGI FRIDERICI, *Marchionis Badensis & Hochbergensis, &c. Archiatro dignißimo, Amico singulari*

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

EPilepticus meus Tibi notus, Vir clarissime, fautor & amice plurimùm honorande, post meum

meum à vobis reditum, unicum habuit paroxysmum, sed gravissimum, & quidem ea nocte, quâ domum pervenimus. Ab eo tempore apozemate præparato, humore peccante aliquoties ipsum pilulis capitalibus purgavi. Electuario quoque ex ungulâ Alcis, Cranio humano, & quidem ex ossibus triangularibus, (à nonnullis tantoperè in Epilepsiâ laudatis) cornu cervi, extracto visci Tiliæ, Betonicæ & Salviæ, cum saccharo ad saporis suavitatem, usus fuit; uti quoque Aquâ Ant-epilepticâ ex floribus salviæ primulæ veris, floribus Tiliæ, Pœoniæ, & Betonicæ, cum Syrupo de Pœoniâ dulcoratâ. Quibus DEUS Optimus Maximus ita benedixit, ut sperem, ipsum pristinam valetudinem recuperaturum; sin minus, setaceum applicare constitui.

Dum hæc scribo, casus non vulgaris de Epilepsia in mentem venit, qui forsan tuis auribus non ingratus erit. Rusticus quidam prope Muratum oppidum hîc in vicinia, in pago Kertzerswyl/ Petrus Malungs nomine, per aliquot annos Epilepsiâ laborans, Empiricum in consilium advocat; cùm jam ad quadragesimũ annum ætatis appropinquaret. Datur ipsi Medicamentum, per superiora simul & inferiora maximâ cum violentia purgans. Hujus beneficio quidem ab Epilepsia, etiam contra mentem Hippocratis lib. 2. aphor. 42. liberatus fuit: sed mox sequutâ obstructione Nervorum opticorum, visũ planè amisit. Vixit per años quatuor, visus tamen recuperari non potuit.

Alius quidam rusticus in eodem pago, Hans Freytag nomine, cùm à multis annis Epilepsiæ obnoxius fuisset, & circiter annum vigesimum ætatis suæ, ab eodem Empirico potiunculam cum violentia purgantem sumpsisset, à morbo quoque liberatus fuit, sed parùm feliciter. Non diu enim post humores peccantes tam copiosè ad oculum dextrum decubuerunt, ut exorta inflammatione, cum incredibili dolore capitis, humores effluxerint, & visus amissus fuerit. Huic ut alter tantum oculus conservaretur, aliquoties etiam præteritis diebus medicamenta præscripsi. Perniciosum itaque est citò curare, nisi id tutò quoque fiat. Quapropter prudenter monet Hippocrates lib. 1. aphor. 22. concocta medicanda atque movenda esse, non cruda. Crudus enim humor, addit Butinus, ob crassitiem & frigiditatem est tardi motus, nec pharmaco obedit; undè ex commotione symptomata prava sequuntur, tantò certè deteriora, quantò pharmacum est in attrahendo generosius, & humor ob majorem crassitiem in reluctando validior, aut magis fixus, & in viis angustioribus. Ante dies aliquot literas à Domino Doctore Stigelio accepi; quarum apographum ad Te mitto, Si consultum tibi esse videbitur, poteris illud Serenissimo Principi exhibere, & quæ mihi hac in re ulterius sunt agenda, monere. His vale Vir clarissime, & æternùm cum tuis omnibus quàm felicissimè vive. Dabam Bernæ, 22. Septemb. 1622.

Obs. 5.

Clarissimo atque experientissimo Viro, Dom. GUILHELMO FABRICIO HILDANO, Inclytæ Bernatum Reipublicæ Medico-Chirurgo ordinario, Collegæ atque Fautori suo singulari,

LUDOVICUS SCHMID Med. Doctor, & Illustrissimi Principis ac Domini, Dn. GEORGII FRIDERICI, Marchionis Badensis & Hochbergensis, &c. Archiater S. P. D.

Gratissima fuit de Epilepticis præposterè curatis tua, clarissime Vir, ad me perscripta observatio: tuaque genuina ac methodica, ipsoque eventu comprobata ejusdem morbi curatio. Interea quid nuper apud nos contigerit, accipe. Principis nostri Filiolus natu minor CAROLO-MAGNUS, mense Majo, qui decimus quartus ætatis erat, quum jam pedibus firmis incedere rectius cœpisset, repentè dolore oborto extendere amplius crura renuebat, coactus præ dolore exclamabat. Foris nihil præter naturam cernebatur, præter maculam cœruleam, quæ Principi Matri, & vocato Medico ac Chirurgis persuadebat, casum aut contusionem mali causam extitisse. Ego demùm Iunio mense Stutgardiã missus, vidi crus sinistrum inæquali, duro tumore, lividis cœruleis, purpureis maculis admodum deforme, cujus articuli ad malleolos & genu præ dolore ægrè extendebantur. Dextera item tibia non magis ad motum apta, cæterùm extenuata existebat; palati anterior pars quoque livida, atro sanguine referta, tumescebat: febricula quinetiam lenta alternis diebus invalescens accessit, quam Diarrhœa varii crassi ac lenti humoris comitabatur. Ego Scorbutum esse judicavi, aliisque persuasi, meamque sententiam curatio huic morbo conveniens, felici cum successu DEI beneficio adhibita, veram esse demonstravit. Quæ verò in tenello Generosissimi pueri corpore origo morbi, adeò hisce locis insueti, adeoque inauditi, statuenda videatur, abs te per otium perdiscere desidero: DEUM Optimum Maximum etiam atque etiam orãs, ut te cum tota familia planè Asclepiadea sartum tectum conservet. Vale. Exemplar Epistolæ clarissimi Viri Dn. D Stigelii cras Serenissimo Principi, volente Deo, tradam: Teque de S. C. voluntate faciam certiorem. Iterum optimè vale. Durlaci Cal. Octob. Anno 1622.

Viro clarissimo & doctissimo, Dn. LUDOVICO SCHMID, Serenissimi Principis ac Domini Dn. GEORGI FRIDERICI, Marchionis Badens. & Hochberg &c. Archiatro dignissimo.

Guilhelmus Fabricius Hildanus.

S. P. D.

Quæ de statu patriæ longè miserrimo ad me scribis, Vir doctissime, fautor & amice æternùm honorande, dolorem cruciatumq; maximum mihi adferunt: imò etiam intima mea viscera dies noctesque ad suspiria commovent. Ah misereatur DEUS Ecclesiæ suæ afflictissimæ! Ah illam hoc exulceratissimo & sceleratissimo seculo, inter tot miserias Spiritu suo sancto illuminet, constantiâ & perseverantiâ adornet! Quod & facturum ipsum, nec suos unquam derelicturum, constanter credo. Mittit nonnunquam

Obs. 5.

quam Medicus sanguinem, non ut æger pereat, sed ut aut à futuro morbo præservari, aut à præsenti curari possit: ita etiam summus Archiater noster hodiernâ miseriâ materiam vitiosam, quæ animas nostras venenosâ suâ qualitate contaminat, vult adimere & evacuare, ne in æternum cum mundo moriamur. Quemadmodum itaque nauta, ut quidam inquit, undas assilientes negligit, manum in clavo, oculos verò in astris habet: sic nos oportet, quod benè agimus, agere, & mentem ad DEUM referre: qui tandem naviculam nostram ad portum optatum conducet, omnesq; tribulationes nostras in nostram salutem convertet.

De puero Scorbuto laborãte.

Cæterùm quæ de Illustri puero Scorbuto laborante scribis, admiratione profectò non vacant. Quænam autem in ipso fuerit causa morbi, etsi mihi, qui absens sum, non facilè perscrutari licet: quia tamen ita vis, dicam paucis, quid sentiam. Oritur Scorbutus aut ex aëris ambientis & regionis naturâ atque dispositione, aut ex pravâ victus ratione, vel deniq; ex corporis constitutione. Quæ omnia talia esse debent, ut exinde humor crassus, crudus, frigidus, & feculentus, sive is sit melancholicus, sive cum pituitâ mixtus, circa viscera nutritionis procreari, atque exinde in omnes corporis partes per venas defluere possit. Imbecillitas lienis, ipsiusque depravata functio, hîc quoque requiritur. Per lienis enim affectum præter naturam, inquit Doctissimus Horstius lib. de Scorbuto, crudiores chyli partes à sanguificatione jecoris non avertuntur: unde primò sanguis in venis jecoris & lienis depravatur, alienæ materiæ commistione: deinde jecoris hæmatosis impeditur, ratione objecti minus rectè dispositi, quatenus chylus ob læsionem lienis justo modo nõ depuratur. Porrò aërem vestrum in morbum huncce procreandum hactenus haud dispositum fuisse, sat scio. Fuit enim purus ac saluberrimus. Quia tamen turbulentissimo atq; corruptissimo hocce tempore, propter concursum & confluxum aliarum nationum, etiam ex plagis istis Septentrionalibus & maritimis, in quibus Scorbutus est frequentissimus, etiam mores & ingenia hominum in Germania, proh dolor, turbantur & corrumpuntur; quis negabit, aërem quoque aliquo modo inquinari, mutari, & proinde morbum veluti per contagium ad incolas propagari posse? Eodem modo olim dira illa lues Venerea ex insulâ quadam antiquis incognitâ (ubi frequentissima est) per Hispanos, ut Iohannes Manardus lib. 7. Epist. 2. & alii tetestantur, primùm in Italiam deportata fuit. Quum verò anno 1494. Carolus VIII. Francorum Rex ingentem exercitum in Italiam duceret, urbemque Neapolim occupasset, & victor ad suos rediisset, fœda illa lues ad Gallos Germanosque quoque propagata fuit. Hæc mihi aliquoties in mentem venere, cum superiori Vere Cochleariam (quæ hactenus, ut ex vestratibus intellexi, solum vestrum respuit) apud vos in horto Serenissimi Principis nostri, tantoperè luxuriantem viderem. Illam enim istis

Lues Venerea quò modo in Europam venit.

De Cochlearia.

in locis, qui Scorbutica passione non vexantur, minimè vel saltem rarò & difficulter provenire, tum hîc, tum etiam Lausannæ, Paterniaci, aliisque in locis in Helvetia aliquoties, non sine admiratione vidi; etiam superiori æstate. Etjamsi enim & egomet, & collega meus Dn. Doctor Rex, in horto suo summam adhibuerimus diligentiam: attamen ex semine isto, quod Durlachio mecum attuleram, ne plantula quidem nobis provenit. Alterato itaque aëre propter adventum militum ex regionibus maritimis, facilè labes aliqua tenello atque delicatulo isti puero imprimi potuit. Secundò etsi in victus ratione circa illustrem infantem nihil peccatum fuisse videatur: scimus tamen, prægnantes etiam magnates, non rarò depravato appetitu & picato affectu affligi, & plerumque cibis etiam adversissimis ventriculum gravare. Cum nutricibus sæpissimè propter mensium retentionem, idem advenisse memini. Accedit & alia causa, quæ præter prædictas, temperamentum & crasin viscerum Principis Illustrissimæ, præsertim lienis immutare, ipsiusque actiones depravare potuit: Mœstitia videlicet, anxietates, curæ, molestiæ, & hujusmodi pathemata animi, quibus Principem Illustrissimam toto tempore gestationis uteri, tum propter statum longè turbulentissimum & miserrimum patriæ, tum etiam propter adversam valetudinem & obitum Principis nostræ, piæ memoriæ, affectam fuisse scio. Hæc omnia facilè in infantem, cùm in ipso utero materno, tum etiam postquam in lucem editus fuit, redundare, ipsiusque constitutionem depravare; materiam quinetiam ad hunc morbum procreandum aptam procreare potuisse, mihi videtur: Salvo tamen Tuo judicio.

Porrò antequam finem faciam, Observatiunculam de contumaciâ hujus affectus ascribere mihi visum fuit. Circa annum 1583. cum apud præstantissimum Virum, Dn. Cosmam Slotanum, Illustrissimi Principis mei Guilhelmi, Iuliacensium, Clivensium, & Montensium Ducis Chirurgo-Medicum longè excellentissimum, Chirurgię studio operam darem, virginem octodecim annorum ætatis, & domesticam doctissimi & consultissimi Viri, Dn. N. Rentleri, J. U. Licentiati, ejusdemque Principis Consiliarii Prudentissimi curandam habuimus. Laboravit illa vulnere in ipsâ surâ dextrâ, si rectè recordor, ex morsu canis contracto. Illud cùm nullâ arte nullâque industriâ curare potuisset Slotanus, in fœdum atque contumacissimum ulcus tandem degeneravit: cum maculis quibusdam lividis per totum corpus dispersis, aliisque signis Scorbuti. Hæc cum vidisset Slotanus, & curationem Scorbuti adhibuisset, brevi & ab ulcere & à Scorbuto feliciter curata fuit. His vale Vir amplissime, & cum tuis omnibus, quos tecum ego & uxor mea peramanter salutamus, æternùm quàm felicissimè vive. Serenissimum Principem nostrum, si opportunè id fieri poterit, meis verbis quæso demissè saluta: uti etiam reliquos amicos. Filius meus minor natu satis benè habet; Laus sit DEO, Tuamque Excellentiam quàm officiosè salutat. Major natu cùm ante mensem ex itinere suo reversus esset,

perpau-

perpaucos saltem dies moram apud me traxit: postea Basileam profectus est: ubi forsan hac hyeme commorabitur. Vale iterum & millies. Raptim Bernæ, 28. Octobris 1622.

OBSERVATIO VI.

Paralyticus ex usu balnei in Lethargum incidit.

NObili cuidam sexagenario, mihi cognito, Paralysi crurum laboranti, cùm à Medico quodam solidè docto, & in praxi longè versatissimo (præmissis tamen quę præmittenda) balneum ex herbis & floribus calidis, veluti Betonica, primula Veris, Rosmarino, Salvia, Majorana, Lavendula, foliis Lauri, Iva Arthetica, Origano, granis Juniperi & similibus in vino coctis, præscriptum esset, eoque aliquoties usus fuisset, in Lethargum incidit, in eoque placidè obdormivit. Ex quibus perspicuum fit, aliquandiu medicamentum à Medico rectè præscriptum & adhibitum, à natura propter causas internas & quidem absconditas, in venenum converti.

OBSERVATIO VII.

De Paralysi crurum ex Gibbo ortâ.

PUella quædam duodecim annorum ætatis, ex nobili familia Bernensi orta, per annos aliquot gibbo metaphreni laboraverat. Circa decimum annum ætatis gibbus ille, qui permagnus erat, cùm dolere cœpisset; & mater, quæ vidua, non Medicos rationales, sed agyrtas, circũforaneos, & incantatores adhibuisset, paulatim gravissimus secutus est affectus. Mense enim Majo, anni 1621. Materia illâ circa gibbum collecta, ad nervos crurum paulatim defluente, dolor quidem circa gibbum remisit, sed crura resoluta fuerunt. Ego post menses aliquot accersitus quidem fui; & ea, quæ recensui, annotavi: quùm verò de integra valetudine recuperanda nihil certi promittere vellem, nec possem: & mater tentativam (ut dicitur) curationem, methodicam tamen, respueret, manum adhibere nolui, nec quidquam ex arte circa affectum tentatum fuit. Videant tyrones, ne dolorem, in quacunq; parte corporis is fuerit, negligant: semper enim aliquid mali prænuntiat.

OBSERVATIO VIII.

De gravissima commotione cerebri, & exinde visus deperditione sequutâ.

Viro Clarissimo atq; Doctissimo, Domino PETRO BLANDINO, *apud Genevenses Medicinæ Doctori longè celeberrimo, Amico meo singulari,*

Guilh Fabricius Hildanus

S. P. D.

ANte paucos dies, Vir Clarissime, Fautor & Amice æternùm honorande, per eundem, qui has Tibi traditurus est, literas ad Te scripsi. Is verò cùm propter certas causas iter suum retarret, & proinde tempus scribendi mihi superesset, singulare quid de concussione cerebri tecum cõmunicare libuit. Superiore mense Julio, rustici cujusdam Nic. BleWer, ex ditionis Solodurensis pago Bietzwyl oriundi filius Johannes, octo circiter annorum ætatis, cùm ex arbore in terram cecidisset, & caput ad concursum atque connexionem suturæ cum Lambdoidæa, tribus in locis vulnerasset (sine cranii tamen læsione) confestim cibum indigestum evomuit, & loquelam intellectumque ita amisit, ut veluti mortuus ad ædes paternas deportatus fuerit, & in eodem statu per dies aliquot permanserit, cum vomitu assiduo eorum omnium, quæ ingerebat. Advocatur barbitonsor ex vicino oppido Biel, qui cum vulnerũ curam tantummodò haberet, & universalia negligeret; ea tamen intra hebdomadas tres cicatrice obduxit: Ab initio symptomata, veluti febris, nausea, vomitus, fuerunt gravissima; cum autem post dies aliquot remisissent, & menti restitutus esset æger, compertum est, ipsum visu planè destitutum esse; quapropter 27. Augusti pater ad me adduxit puerum, opemque meam imploravit. Oculi, quantum oculi humani per externam inspectionem discernere possunt, absque omni læsione conspiciuntur: quamobrem parenti significavi, vitium in nervis opticis esse, eosque propter maximam concussionem cerebri, & agitationem humorum in ipso contentorum, viscidâ aliquâ materiâ obstructos fuisse. Consului, ut purgato satis corpore, & applicatis cucurbitulis, Setaceum nuchæ adhiberetur. Reduxit puerum domum, ut cum uxore & amicis suis hac de re consulere possit. An reversurus sit, ignoro. Ego, ut ingenuè fatear, de recuperatione visus parum spero. Materiam enim illam viscidam circa nervos opticos confluxam (quam ab initio, dum adhuc erat in motu, ex capite educere, aut ad alias partes retrahere conveniebat nunc ita concrevisse, ut non amplius suo loco amoveri possit, haud dubito. Libenter tamen hac de re mentem tuam, & an simile quid in praxi tibi videre contigerit, intelligam. Hæc propterea scribo, quia Te rerum rararum studiosum esse scio. Vale Vir Clarissime, Doctissime, & Fabricium, qui Tuus est, amare perge. Raptim Bernæ 1. Septembris Anno 1622.

Obs. 8.

Clarissimo Viro, Domino GUILHELMO FABRICIO, *Medico Chirurgo apud Bernenses celeberrimo*, PETRUS BLANDINUS, M. D.

S. P. D.

NEc grata magis luciferi luminis excubiis præsentia, nec gratius Nautis quia tum pelagus, quàm mihi gratæ fuere, quas die Veneris accepi à te literæ, FABRICI *charissime. Quibus niveum erga me animum tuum alterius dignovi, etsi antehac perdoctarũ tuarum frequentia, sat & mihi notus esset, tum ob eũ, qui hic de morbo quodam sat acuto, quo antehac divexabaris rumorem, unde anceps ac dubium de vitâ cum morte apud nos de te erat judicium: Hinc certè totus ex primo earum intuitu perculsus gaudio, quòd debiti officii, tibi animitus gratulor de Sanitate pristinâ recuperatâ. Historiam avidè perlegi, perdoctâ enim & accuratâ, tam causarum, quàm remediorum fuit investigatio. Verùm si quidem duo potissimum*

Obs. 8.

in eâ perquiras, Vnum, an quid simile mihi in praxi vidisse contigerit? Alterum, ut de ea mentem meam proferam, quod fiet libentißimè, etsi tenui Minervâ ὕστερον πρότερον in enucleandis observans.

Cum igitur apud omnes Medicos sit in confesso, cerebrum omnium sensuum principium esse, hinc fit, ut eo læso, confestim pariter omnes lædi: Casus enim ab alto in caput, haud potuit non causare ea quæ à te enarrata sunt symptomata; Etsi enim duplici mēbrana cerebrum arctè in cranio contineatur, facillimè tamē violento isto motu & lapsu divellitur, unde fit sensuum obtenebratio, oculis ignis splendet, naturâ enim Spiritus visivi ignei sunt, ut ex eorum frictione paulò fortiori dignoscere licet; omnia in gyrum verti videntur ex spirituum commotione & eorundem attritione, hinc pariter oboritur vomitus assumptorum & contentorū, assumendorum nausea, quia nervosa nervosis generis communione compatiuntur, ob sextæ cōjugationis nervos, stomacho & ventriculo communicatos; Σύρροια μία, ξυμπάθεια πάντα, ξύμπνοια μία. Hinc non mirum, si pro mortuo ad tempus habitus fuerit rusticus, cujus est historia, & eò violētior judicatur casus, ob diuturnitatem symptomatum, Vi enim ea compressos fuisse ventriculos cerebri, & ad nervorum originem quippiam materiæ vaporosæ & crassæ affluxisse, certum est, cujus præsentia, liber non erat spirituum animalium tam in partes motivas, quàm sensitivas influxus, nec mirari convenit, hæc contigisse illæso cranio, siquidem & minori de causa videamus plerisq; hoc evenire, si modò aliqualiter lædantur, ut fit in iis, qui pugnis contendunt, aut alia de causa caput inopinato lædunt: Innuit & hæc capitis pars affecta, ad connexionem nēpè rectæ suturæ cum Lambdoidæâ (etsi non scribas an vulnus ad cranium usq; penetrârit?) cum ratione conjicere liceat, barbitonsorem malè ejusmodi vulnera curasse, quorum forsitan ut communium habuerit rationem, Enchymosios subjacentis nullâ factâ consideratione: Impossibile enim fuit, quin facta fuerit Enchymosis intra pericranium & cutem capitis, ob ejusmodi casum ab alto, quæ cranio communicata, nec arte curata, per suturas eas, ubi vi caloris attenuata materia seu puri similis reddita, duræ matri & meningi cerebri communicata, haud dubio procul, delirio similia inducere debuit symptomata ob inflammationem, hinc febris & reliqua denuò revivíscunt. Sed superest obex amoliendus, quomodo factum fuerit, ut ex ejusmodi casu ab alto non fuerit diffractum cranium? quod existimo contigisse, partim ob locum recipientem, qui forsan haud solo duriori naturâ, sed sat herbâ coopertus fuit, partim ob cutim tenuiorem capitis, quæ facilè passa fuit ejusmodi continui solutionem, ob occursū corporis solidioris, & ob ictum improportionatum, quod interea non potis fuit Natura, durum & firmum cranium ullo modo frangere. Nec mirum certè, si ubi omnia mitiora visa sunt, & mens in integrum restituta, cæcus apparuerit & lumine orbatus; Cujus cæcitatis causam dicis, nervorum opticorum obstructionem ab humore viscoso, ob maximam cerebri concussionem. Verùm ei libenter (tuâ pace) non asscribo; Siquidem cæcitas, ubi mens in integrum restituta fuit, dummódo apparuerit, quod testatur, & ipsum ab ipsomet casu cæcum factum fuisse, sicut & privatus reliquis sensibus visus fuit, unde non ob obstructionem nervorum, quæ non fit adeò subitò hac in parte; Sed ob compreßionem dicerem, eorum nervorū, qui naturâ molles sunt & spongiosi, quiq; ejusmodi facillimè patiuntur. Etsi enim ob eorum originem id fieri non posse videatur, quia separatim oriuntur; Interea connectuntur medio velut itinere supra oßis sphenoidis sellam, antequam calvaria excedant, ita ut Græcorum X imitentur, non per adhærentiam aut intercussationem, aut quod alter alterum conscendat, sed per omnimodam unionem & medullæ confusionem, cujus opificii varias apud Anatomes Scriptores videre licet rationes, quas hîc afferere extra rem esset; Ita factum fuit, ob subitam eam commotionem & concussionem cerebri, ut facillimè comprimi potuerint: Cui & alia opitulatur, factam fuisse eorum condensationum ob materiam vaporosam & crassam, obortam ex causâ prævia, quæ vi attenuata, mollia ejusmodi corpora facillimè invadere potuit, His si annectatur forsan & abscessus, ex malè curata inflammatione, quæ secuta fuit Enchymosin, non videtur fore absonum. Verùm quid de prognostico sentiam breviter dicam; Anceps certè & dubium est; Interim nolim planè de spe decidere, siquidem sit juvenis, Et si diligens cura, cum ægri diligentiâ, ope remediorum adhibeatur, posse fieri, ut vi naturæ discußâ materiâ, & aucto calore cerebri, denuò nervi fungantur suo munere.

Quare quæ à te proposita fuere remedia ex Methodo, valdè approbo, perutilis namque erit purgatio: (quæ utinam in principio cum Venæsectione fuisset administrata) ad humorum saburram evacuandam; Ex usu futuræ sunt cucurbitulæ, revulsionis ergò, quæ si sæpius sine scarificatione admoverentur, summi essent usus. Setaceum suas hîc vires pariter edit, derivantis officio fungens: Verùm alia adhuc præstari possunt, ubi præsertim ad cicatricem reducta sunt vulnera; Qualia, fotus cerebri, ex iis quæ cerebrum corroborando, calorem nativum excitando, materiam digererent & insensibiliter evacuarent; Possent hîc habere locum Sicca, ut pulveres capitales & cucuphæ, prodessent, pariter etiam Masticatoria & pleraque alia, quæ tibi apprimè nota; Interea adhuc unum superest, quod maximi ponderis hac in parte mihi videtur, Syrupus nempe Magistralis, quo per epicrasin purgaretur, qui certa ex methodo compositus constaret iis, quæ cerebrum purgando roborarent, & visum proprietate spectarent: Ejus verò descriptionem si tua Excellentia perquirat, sum brevi missurus.

Coronidis tandem loco, an quid mihi in praxi vidisse simile contigerit, perquiris, cui postulato ita satisfacio; me plerosq; ex casu partim, partim ex ictu in capite attonitos vidisse, & passos eadem symptomata penè quæ & rusticus; Neminem tamen qui factus fuerit cæcus, imò ne quidem surdus. Animus jam erat ad Te observationes aliquot mittere, quas interea differam in aliud tempus, præ ejus penuria, & latoris harū subito discessu. Verùm si quid alterius contingat, ut fit de die in diem, quæso ne dedigneris ad me scribere: De mea sanitate certiorem te faciet Dominus Monhemius, cui sicut tibi & tui de causa, omnia quæ penes me sunt, offero. Vale Vir Clarißime & diu feliciter vive, & me amantem redama quæso.

Datum Genevæ IX. Septemb. 1622.

(o)

Viro Clarissimo & Doctissimo, Dn. PETRO BLANDINO *apud Genevenses Medicinæ Doctori celeberrimo, Amico meo singulari,*

Guilh. Fabricius Hildanus, S.P.D.

MAximum ac singularem Tuum in me favorem ac studium, Vir Clarissime, Fautor & Amice æternùm honorande, etsi hactenus satis exploratum ac perspectum habuerim; luculenter tamen eundem non ita pridem cognovi, cum propter meam commendationem, etiam ultra exspectationem, domesticum meum tàm humaniter excepisti: cujus rei causâ gratias Tibi ago ingentes: & si qua in re vicissim Excell. Tuæ gratificari potero, nunquam deero meo officio. Cæterùm pergrata mihi fuère, quæ ad casum de cœcitate post commotionem cerebri orta, accuratè profectò & doctè respondisti, addita methodo in curatione observanda, quæ ex usu mihi esse poterit, si puer fortè rursus ad me adduceretur. Sed quia in ambiguo esse, qualis futurus sit exitus hujus mali, parentibus significavi, vix illos reversuros esse existimo. Percuperent enim nostri homines, ut medicus etiam in gravissimis affectibus ipsis, de recuperanda valetudine certam fidem ac sponsionem interponeret, aut manum non adhiberet.

Porrò ne nudas planè ad Te mitterem literas, ansam mihi dedit responsum Tuum, nonnulla ex ipso hîc repetere. Primò itaque scribis, spiritus visivos igneos esse: & rectè quidem. Hujus namque opinionis veritatem, anno 1620. Exemplum singulare mihi ostendit, in juvene quodam: cui hîc in vicinia ligna findenti, cùm festuca ad palpebram sinistram tali cum impetu prosiliisset, ut scintillæ & veluti flammæ igneæ ex oculo exsilire viderentur, præ maximo dolore in terram cecidit: & paulò post cùm dolor remisisset, oculumque æger aperuisset, visum amissum esse cognovit. Octiduo postea elapso, cùm Bernam ad me venisset, maculam quandam albam, ac veluti membranam rugosam in ipso humore aqueo ante foramen uveæ inveni. Reliquæ verò partes oculi planè secundum naturam erant. Ad quid, inquies, hæc? Spiritus visivos igneos esse, approbare contendo. Cùm enim omnis concretio aut caloris aut frigoris fiat vehementiâ, rationi consentaneum esse videtur, partes quasdã subtiliores humoris aquei abundantiâ spirituum propter ictum ad partem affectam confluxorum, dissipatas, quasdam verò supernatantes, veluti cremor lactis, coagulatas fuisse. Sed de his, DEO volente, plura videbis in quinta Centuria observationum.

Deindè commotionem cerebri in puero hocce sine læsione cranii accidisse, rectè scribis: idque frequenter evenisse, observavi. Ante annos duos cùm pedissequus Generosi ac Strenui viri, Dn. Joh. Jacobi à Diesbach, hujus Reipublicæ Senatoris Prudentissimi, mensæ Domini sui astaret, fortè fortunâ in ipso hypocausto humi cecidit, & caput pavimento allisit: statimque cibum indigestum evomuit. Postea cùm sine loquela & intellectu ad lectum deportatus esset, ego vocatus fui: protinusque crines decocto betonicæ & salviæ madefactos novaculâ abrasi: nullum tamen indicium contusionis inveni. Mox totum caput oleo rosaceo inunxi, & cataplasma ex farina hordei cum pulvere betonicæ, rosarum & camomillæ, coctis cum aqua betonicæ, applicui: suppositorio alvum movi: denique venam in brachio incidi. Hæc ab initio. Elapso die tertio, Sacculum ex floribus Camomillæ, Meliloti, Sambuci, Primulæ veris, item ex Betonica, Salvia, Origano, Ivâ Artheticâ, semineque Anisi & Fœniculi, in aqua coctum, bis in die capiti per quadrantem horæ calidè applicui: Cataplasma quinetiam ex prædictis herbis pulverisatis, & cum farinâ fabarum coctis calidè admovi. Hisce adhibitis remediis brevi in integrum restitutus fuit. Hæc autem cum in prædicto Rustico adhibita non fuerint, verisimile est, sanguinem contusum, circa concursum suturarum Lambdoideæ & Rectæ collectum, atque in pus conversum, vi caloris (ut Tu rectè quoque sentis) ad cerebrum delatum esse, & gravissima symptomata induxisse; adeoque forsan cœcitatis etiam causam fuisse. Exemplum non multùm absimile videre poteris in prima Centuria Observationum mearum, observ. 21.

Obs. 8.

Observat.

Placent rationes, quas in medium adfers, cur cranium fractum non fuerit. Mihi aliquoties hujusmodi casus ex alto sine fractura Cranii videre contigit. Venator quidam prope Hildenam, Hermannus Kickup nomine, triginta circiter annorum ætatis, cum anno 1591. ex arbore in congelatam terram cecidisset, evomuit mox & sanguinem per nares, aures, atque palatum ejecit: & ad undecimum diem sine sensu & motu, veluti apoplecticus permansit. In hoc viro etiamsi maximus esset affectus, nullam tamen fracturam cranii, imò ne quidem vulnus in capite inveni: feliciter tamen à me restitutus fuit, ita ut cùm anno 1612. paternos lares inviserem, adhuc mihi gratias non tantùm verbis ageret, verùm etiam carne ferinâ oblatâ referret.

Alia.

Anno 1582. Filiolus Henrici im Holt/ prope Medman, ex suprema contignatione domus altioris in pavimentum lapideum decidens, cerebrum adeò concussit, ut statim subsecutus sit vomitus, aliaque signa gravissima. Vocatus Slotanus piæ memoriæ, Præceptor meus æternùm honorandus, & ego, crines abrasimus: fracturam tamen nullam invenimus. Adhibitis iis, quæ ex arte adhibenda fuerant, brevi pristinæ sanitati restitutus fuit. Ex his perspicuum fit, sæpissimè etiam maximas accidere cerebri commotiones, illæso tamen cranio. Sphæricum enim corpus, quale est caput hominis, præ aliis injuriis minus est obnoxium. Cœcitatem in puero hocce non propter obstructionem nervorum opticorum, sed eorum compressionem accidisse scribis: Obstructionem quinetiam tàm subitò fieri non posse, putas. Concedo, ob subitam (tuis verbis utor) eam commotionem & concussionem cerebri, eos, videlicet nervos opticos, compressos fuisse: alia tamen causa intervenire potuit, ut Tu quoq; addis, nimirùm factam fuisse eorum condensa-

Obs. 8. & 9. densationem, ob materiam vaporosam & crassam, obortam ex causa prævia, quæ vi attenuata, mollia ejusmodi corpora facillimè invadere potuit. Ex his manifestum fit, nullam inter nos de causa hujus cœcitatis controversiam esse. Scribis præterea, obstructionem nervorum opticorum tàm subitò fieri non potuisse: ubi libenter opinioni tuæ subscriberem, nisi olim contrarium in juvene quodam apud vos vidissem, qui post vehemẽtem sternutationem visu unâ nocte privatus fuit, de quo vide Observ. 25. Centur. 1.

Neminem denique, qui auditum post commotionem cerebri amiserit, Te vidisse scribis. Mihi id in aliquibus videre contigisse, memini: de quibus vide Observ. 7. Centur. 3. Propter vehementem enim concussionem cerebri, membrana tympani aut relaxatur, & sequitur auditus depravatio, aut disrumpitur, & oritur ipsius abolitio. Hæc non contradicendi studio ad Clarissimum Virum scribo: sed ut demonstrem, quãtum intersit, in hujusmodi affectibus ex arte procedere. Id enim si hoc in ægro factum fuisset, forsan cœcitas secuta non fuisset. Adderem historiam de Patricio quodam Bernensi, qui post aliquot menses, ex commotione cerebri debitum naturæ persolvit: sed nunc propter occupationes non licet, fiet id aliàs. His vale, vir clarissime, & æternùm quàm felicissimè vive, cum Tuis omnibus, quos Tecum demissè saluto. Dabam Bernæ. 1622.

OBSERVATIO IX.

De Tetano & Spasmo Cynico, ex vulnere Capitis orto: ubi inquiritur, an vulnera bregmatum, secundum mentem Realdi Columbi, sint lethalia?

Viro clarissimo & doctissimo, DN. IAC. HAGENBACHIO, *Medicinæ & Chirurgiæ Doctori, Amico meo singulari,*

Cui

Guilh. Fabricius Hildanus S. P. D.

DEcimâ sextâ mensis præteriti, per Reverendum Virum Dn. D. Wolfgangum Mayer, ad Te scripsi, amantissime mi Domine D. Hagenbachi, literas quinetiam Dn. Faschio tradendas simul ad Te misi, significa quæso, an fasciculum acceperis. Inclusæ ut ad Dominum D. Casparum Hofmannum pervenire possint, da operam. Incidi nuperrimè in Realdum Columbum l. 1. ubi vulnera in bregmate accepta, lethalia esse solere, scribit: idque sine ulla distinctione, causam tamen non adjungit. At hoc non semper verum esse, multoties in praxi expertus sum: adscribam exemplum unum atque alterum non vulgare.

Ante annos sedecim, cum Paterniaci Medicinam facerem; in pagum Monstier Muratum propè, ad puellam 14. annorum ætatis, Dorotheam Weiß / vocatus fui. Illa, cùm ex alto in pavimentum cecidisset, & vulnus perexiguum sub aure dextra contraxisset, advocatus fuit barbitonsor, qui vulgari modo vulnus curabat, & ad cicatricem perducere tentabat. Quum verò dolor capitis, febris, vigiliæ, aliaque symptomata supervenissent, & ego accersitus fuissem, ingentem tumorem, dextrum bregma occupantem, sub crinibus absconditum, & proinde à barbitonsore non observatum, inveni. Abrasis pilis, vix credas, quanta fuerit contusio, & sub cute sanguinis concreti collectio: quapropter cutis ad pericranium usque incidenda mihi fuit. Sanguis quidem concretus primis diebus, postea pus copiosè effluxit, & periculosè laboravit: adhibitis tamen remediis convenientibus, per Dei misericordiam tandem sanata fuit, & ab eo tempore in hunc usque diem feliciter vivit.

Anno 1601. honesta quædam matrona, uxor Petri Quey, civis Viviacensis ad lacum Lemanum, cùm baculo ferreo ad dextrum bregma percussa, & pro semimortua ad lectum deportata fuisset, advocatus fui. Vulnus erat ingens & magnum, sine cranii tamen fractione. Cerebrum adeò erat concussum, ut in alterum diem usque, sine loquela & intellectu permanserit, sanguinemque per os, nares & aures profuderit. Symptomata quidem supervenerunt gravissima, & curatio laboriosa fuit: convaluit tamen, & bimestri spacio à curatione, gemellos vivos feliciter peperit. In hac autem curatione, id singulare observavi; vidisti apud me modum, quem in deligandis & curandis vulneribus capitis observo; videlicet, sacculum ex Betonica, Salvia, Rosmarino, floribus Chamomillæ, Rosis & similibus, aqua incoctum, detecto vulnere calidè applico: idque in eum finem, ne vulnus & detectum os, aut etiam ipsum cerebrum ab injuria aëris, damnum aliquod contrahant. Hujus porrò sacculi beneficio sanguis concretus, sub cranio detentus, viam sibi ad cutem fecerat, & ita quidem, ut maxima sit sequuta ecchymosis, quæ totam illam partem colli, ad humerum usque occupabat. Vides, quàm provida & sagax sit natura. Quid plura? infinitos propemodum circa bregmata vulneratos feliciter curari videmus. Non sunt itaque vulnera bregmatum ex necessitate lethalia, periculosa tamen esse, nullus est qui ambigit, præsertim in Italia, & aliis quibusdam locis Galliæ, propter aëris intemperiem; apud nos verò in Germania non item. Testis est curatio illa penè admiranda in Durlacensi isto viro, Jacobo Kraus, feliciter peracta, anno 1618. Huic enim viro, etiamsi bregma dextrum disruptum, & in ipsam substantiam cerebri impressum esset, imò & portio aliqua de cerebri substantia exempta fuisset, convaluit tamen & supervixit, forsan & adhuc vivit. Historiam integram ut adscribam, supervacaneum est: Tu enim ipsemet curationi interfuisti, omniaque observare potuisti: inseram tamen illam quintæ centuriæ, Deo volente.

Similem historiam, & curationem admirandam, videre poteris apud clarissimum ac longè celeberrimum Virum, Dominum D. Petrũ Pavium, amicum meum æternùm honorandum, quam habet in suis, quos in librum Hippocratis, De vulneribus capitis, scripsit commentariis, mihi pag. 174 Quo in loco, agens de cutis & pericranii apertione in temporibus, hæc habet verba. Nam eo fine secatur cutis (videlicet in temporibus)

bus) subjectum, uti os denudetur. At hoc loco inter cutem ac os interjecti sunt temporales musculi, quos discindere summè periculosum, ne dicam lethale est. Anne semper? Minimè. Vidi namque alâ Molæ puero ita collisum tempus dextrum, aliquot uti ossis pertusi fragmenta per vulnus eximerentur, nihil tamen incommodi toto curationis tempore patiente puero. Ita tempora aperiri manu chirurgi non semel vidi, absq; ullo symptomate: Verùm ducebatur semper novacula secundum ductum fibrarum temporalis musculi, ii namque omnes excurrunt tendinem versus.

Varias autem ob causas vulnera bregmatis periculosa sunt. Primò quia cranium ea in parte, ut Hipp. lib. 1. de vulneribus capitis, & ipsa Experientia testatur, infirmissimum est, & facilè ex casu aut percussione disrumpitur. Secundò, quia venæ & arteriæ ascendentes ad membranas cerebri, circa tempora magnæ sunt, & cranio tàm propè adjacent, ut etiam earum semitas cranio insculptas, in craniis mortuorum cernamus: quapropter ex casu aut percussione facilè rumpuntur, & sanguis in vacuum effunditur. Tertiò periculosa sunt propter temporalem musculum, qui, quum pericranio (membranâ à dura matre prodeunte, & proinde exquisitissimo sensu prædita) obvolutus, multisque nervis præditus sit, si vulneratus fuerit, facilè dolores, inflammationes, aliaque gravissima symptomata subsequuntur. At si in transversum sectus, vel quovis alio modo læsus fuerit graviter, Spasmus Cynicus expectandus est. Vidi id superiori anno in puello decem annorum, filio Vlrici Wetbel in pago Seewil hic in vicinia sito. Huic quum 24. Iunii sinistrum latus capitis propter casum ex equo vulneratum, & cutis à sutura recta versus aurem, latitudine trium digitorum transversorum à cranio separata esset, cutem in sedem suam reposuerunt adstantes, puerumque sine ullo subsidio, in quartum diem reliquerunt. Tum exorto dolore, Medicastræ cuidam ipsum curandum commiserunt Parentes. Illa quum Panaceâ nostratium, decocto videlicet travmatico vulnus curaret, auctus fuit dolor, inflammatio & tumor. Post dies aliquot superveniente spasmo cynico, mihi adductus fuit. Tum maxillæ tam validè erant conjunctæ, ut dentes ad infundendum jusculum, speculo oris disjungere vix mihi licuerit. Bacillis ligneis bifurcatis os, ut olim in alio quodam affectu oris (de quo videlicet Observ. 38. Cent. 1. videre poteris) feceram, apertum retinere quidem tentavi, sed frustra. Maxillæ enim ita constringebantur, & versus latus sanum inferior maxilla trahebatur, ut bacillos, quamvis ex ligno solido, confringerent. Cum itaque propter nutrimenti inopiam vires paulatim imminuerentur, symptomata verò accrescerent, summaque corporis extenuatio, & humidi primogenii absumptio superveniret: sequutus est Tetanus, & ita quidem gravis ac magnus, ut totum corpus à cervice rigidum, & trunci instar inflexibile existeret; idq; non sine dolore maximo. Ego varia quidem tentavi, sed pauco cum fructu: vixit tamen (quod admirandum) in hoc statu, ultra dies octo vel decem: interim urinam & alvi excrementa involùtariè excernebat, obiit vigesima sexta die morbi. Cæterùm vulnus hocce per se non usque adeò grave & periculosum fuisse, inde conjiciendum est; quod ab initio, in quartum diem usque, etsi, ut antea dixi, medicamenta adhibita non essent; nullum tamen ferè incommodum inde ad ægrum perveniret: donec tandem circa decimam aut undecimam morbi diem, delapsâ materiâ ad musculum temporalem, Spasmus Cynicus superveniret; & mandibulæ dentesq; adeò clauderentur, ut æger nutrimenta conterere & deglutire non posset. Unde igitur, inquies, gravissima illa symptomata? Dicam. Ab initio, cum curatio vulneris tantoperè contusi neglecta, nec suppuratio aut digestio promota fuisset, quin potius decocto travmatico (validissimè enim exsiccat;) impedita esset, materia purulenta, vel, ut verius loquar, ichorosa & acris ad musculum temporalem (qui ab initio tamen læsus non fuerat) ad spinam delapsa est. Abolita itaque actione musculi temporalis sinistri, & ad suam originem trahente dextro, sequutus est Spasmus Cynicus primò, deinde quoque tum propter materiam ad spinam delapsam, tum etiam propter summam corporis extenuationem, & humidi radicalis absumptionem Tetanus.

Ex his vides, clarissime ac doctissime mi D. Hagenbachi, primò quàm periculosum sit, si ab initio vulnera ex arte curata non fuerint, præsertim si decocto vulnerario, quod valenter exsiccat, aut quovis alio modo suppuratio impedita aut retardata fuerit. Exempla, si opus esset, quamplurima in medium afferre possem. Secundò vulnera bregmatum, ut statuit Columbus, ex necessitate lethalia non esse, periculosa tamen, præsertim in Italia, ubi Columbus vixit, propter causas, quas recensui. Tertiò, Spasmum Cynicum non tantum supervenire posse, si alter musculus temporalis in transversum, ut volunt Practici, dissectus fuerit, verùm etiam, si propter affluentem ad ipsum materiam, ipsius actio vel depravatur vel aboletur. His vale, mi Dn. Hagenbachi, & cum tuis æternùm feliciter vive. Dab. Bernæ 10. Octobr. 1625.

OBSERVATIO X.

De commotione cerebri, quæ per expulsionem criticam in Parotidem resoluta fuit.

Ad eundem virum Doctissimum Dom. D.

HAGENBACHIUM,

Cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus,

S. P. D.

IN postremis meis ad Te literis, Doctissime & Amantissime mi Domine HAGENBACHI, de periculosa commotione atque concussione cerebri, in Matrona Viviacensi curata, ad Te scripsi; intellexisti quoque, quomodo natura sanguinem extravenatum ad emunctoria cerebri projecerit. Nunc alium casum similem, nec minus rarum, quàm admiratione dignum, tecum communicare visum mihi fuit.

Rusticus quidam robustus, optimo corporis

Obs. 10. ris habitu prædit⁹, & viginti quinque circiter annorum, cum secundâ Novembris Anno 1623. mero præter modum oneratus, circa undecimam noctis, insolentiâ & petulantiâ sua Dominũ Frisching. hujus urbis patricium, ante ædes, ad iram provocasset, & proinde ictum baculi ad dextrum bregma recepisset, & in terram prostratus fuisset, protinus cibum indigestum evomuit, sanguinem per os, nares & aures rejecit, loquelam & intellectum amisit, & pro semimortuo ad vicinum contubernium *zum Mœren* deportatus fuit. Advocato è vestigio Dn. Ioh. Iacobo Hüpschero Chirurgo, cum vulnus nullum adesse animadverteret, nihil aliud tentare voluit eâ nocte, quàm ut mentis prosternationi (quam ipse lipothymiam solam esse judicabat) succurreret. Postero die, cum inopinatus & gravissimus ille casus ad aures agnatorum Dn. Frisching pervenisset, & ego accersitus, gravissima ista symptomata animadverterem, statim victus rationem tenuissimam institui, & enema utrumque acre injeci, crines per totum caput abradi curavi: bregma verò ab ictu baculi contusum, & propter sanguinis collectionem in tumorem elevatum, ad cranium usque incidi, in eum videlicet finem, ut sequenti die trepanum adhibere possem. Effluxo sanguine contuso, totum caput oleo rosaceo inunxi, & sequens Cataplasma calidè applicui.

R. Farinæ hordei ℥ iij.
Pulv. summit. betonic.
Rosar. ana ℥ ß.

Coquantur cum decocto Betonicæ, parumque aceti rosacei ad formam Cataplasmatis, addendo sub finem ol. rosac. ℥. ß. vitellos ovorum numero duos. Applicato cataplasmate, venam in brachio dextro incidimus, & ad libram ferè integram sanguinis extraximus: aderat enim Plethora magna. His adhibitis remediis, quum symptomata nonnihil remitterent, & subsequens nox quietior esset, perforationem cranii, quum apud Nostrates operatio sit odiosa & inaudita, ulterius differre, & naturæ motum exspectare constitui: caput tamen prædicto oleo, quotidie bis inunxi: vulneri digestivum ex cera nova, gummi elemi, terebinth. oleo rosac. croco & vitello ovi, filamentis imposui, & præscriptum cataplasma calidè applicui. Interim autem dum vulnus deligabam & curabam (ne injuria aëris obesset) more meo sacculum ex sequentibus calidè capiti apposui.

Perforatio Cranii immeritò odiosa est apud Germanos.

R. Rad. Angelic.
Garyophyllatæ,
Irid. florent. ana ℥ ß.
Herbar. & flor. Beton.
Primulæ veris,
Salviæ, rosarum odoriferat. an. m. j.
Flor. Chamom. Melilot. ana m. ß.
Seminis Fœnograeci, Anisi & Coriandri præparati an. ℥. ß.

Incidantur & contundantur omnia grosso modo, pro sacculis. Cum hoc modo procederem, & singulis ferè diebus, & quidem in decimum quintum usque, enema infunderem, pus circa tertium morbi diem, copiosè ex vulnere profluere & symptomata magis magisq; imminui cœperunt: è contra verò sub aure dextra, ubi venæ jugulares ad cerebrum ascendunt, de dolore conquestus est. Quid fit? Superveniente febre symptomatica, ut in expulsionibus criticis fieri solet, abscessus sub aure exortus est, qui, quum intra paucos dies ruptus fuisset, ex hac tam periculosa concussione cerebri plenissimè convaluit æger. Quid non potest juventus, & natura valida, si Medicus medicamentis, ex arte adhibitis, adjumentum ipsi subministraverit? His vale, mi Domine Hagenbachi, & æternùm quàm felicissimè vive. Dabam Bernæ 14. Octobr. 1625.

OBSERVATIO XI.

De Commotione Cerebri, quæ post aliquot menses mortem intulit.

INter morbos acutissimos Commotio cerebri meritò censenda est: nonnunquam tamen & in chronicum evadere posse, docent exempla. Vide Observat. XI. Centur. I. Anno 1621. mense Januario, Civis quidam Bernensis, Franciscus Müller nomine, robustus, & XL. circiter annorum ætatis, cùm decliviorem plateam urbis, *den Stalden*, noctu per congelatum & lubricâ glacie obductum pavimentum descenderet, ambobus pedibus simul antrorsum prælabentibus, in dorsum cecidit, & posteriorem partem capitis contra pavimentum illisit. Ad ædes suas deductus cùm esset, cibum indigestum evomuit, & sanguinem per aures effudit: non diu post & nonnulla alia Symptomata, commotionibus cerebri communia, supervenerunt. Ego etiamsi tùm temporis gravissimo morbo laborarem, in consilium tamen vocatus, suasi, ut crines abraderentur; totum caput oleis convenientibus inungeretur; cataplasmata applicarentur, enemata injicerentur, aliaque præsidia in commotionibus cerebri requisita adhiberentur; quibus Dn. Doctor Rex, qui post me vocatus quoque fuit, subscripsit. Verùm quum æger & astantes nonnulla ex præsidiis, quæ ipsis inprimis plausibiliora videbantur, uti est venæsectio, suppositorium, & inunctiones, elegissent, reliquis autem subscribere noluissent; spacio tamen XIV. vel XV. dierum, ita restitutus fuit, ut quotidiè in publicum prodiret, usque ad 23. Aprilis, tùm primò gravedine quadam, & dolore obtuso capitis, cum vertigine, affectus fuit. Adhuc spernens optima remedia, triduo pòst convulsionibus Epilepticis correptus fuit, quibus spacio XXIV. ferè horarum continuò, & quidem adeò vehementer laboravit, ut etiam domesticos & amicos non amplius agnosceret. Mox quoque febre ardentissimâ, & deliriis infestatus, ante quartum morbi diem extinctus est. Quotiescunq; enim æger bona salutariaque consilia Medicorum, ab initio morbi respuit, interitum calamitatemque suam sibi struere indies observamus. Verisimile autem mihi videtur, post casum materiam quandam in posteriore parte capitis confluxisse, ibique propter externum frigus, à mense Ianuario usque ad Aprilem, sine noxa cerebri permansisse; deindè adveniente Vere, cùm radiis solaribus frequenter, uti ego ipsemet vidi, sese exposuisset æger, excalefacta

lefacta & acris reddita fuit materia illa. Hinc inflammatio membranarum cerebri, phrenesis, & mors. Materiam autem aliquam præternaturalem, circa membranas cerebri, sine noxâ aliquandiu morari posse, in aliis quoq; observavi.

Filius Generosi cujusdam, ex antiqua familia Hatzveldiorum, cùm altos gradus descendere vellet, & pedibus antrorsum prælapsis supinus decidisset; caput quinetiam gradibus, uni post alterum allisisset, commotio cerebri talis sequuta est, ut sanguinem per aures & nares ejiceret. Convaluit Dei & naturæ beneficio, nullis adhibitis medicamentis ab initio. Sed quid fit? Post menses quinque aut sex collum relaxatum est primò; deindè & alia quoque supervenerunt symptomata, de quibus Lector videre poterit Observ.11. Cent.1. Ab hac luce cùm subtractus esset puer, & ego cranium aperuissem, Lapidem in occipite, omni proculdubio, ex materia viscida, post casum confluxâ & concretâ prognatum inveni.

Globulum plumbeum in ipso capite per multos menses delituisse, nec cerebro noxam intulisse, observatum est. Poterit Lector hac de re videre Cent.2. Obs.2.

OBSERVATIO XII.

De infelici successu Antimonii in duabus Matronis, quarum una surda, altera fatua facta fuit.

Viro amplissimo atque doctissimo DN. CLAUDIO DEODATO, *Reverendißimi & illustrißimi Episcopi Basiliensis Doctori Medico ordinario atq; celeberrimo,*

Guilhelmus Fabricius Hildanus,

S.P.D.

Et publicæ occupationes, & privatæ quædam calamitates, Vir amplissime, Amice plurimùm honorande, quibus tùm corpus tùm mens ipsa defatigata fuit, obstiterunt, quò hactenus Tibi aliisq; amicis solito literario colloquio minimè satisfacere potuerim. Ignosce itaq; quæso pro summa humanitate tua, tàm diuturno silentio meo. Quod si vixero, posthac, Deo juvante, diligentior ero. Præteritâ hyeme ex catharro suffocativo & ferino periculosè laboravi: sed per DEI misericordiam restitutus fui: & nunc cum meis satis commodè vivo. Tandem tractatum Dn. D. HOLZEMI de Extracto ellebori Coloniâ accepi, & quidem ab ipso autore, qui non ita pridem quàm humanissimè ad me scripsit, & casum de admiranda curatione scroti post Gangrænam delapsi, communicavit; quem, si DEUS vitam extenderit, in quinta Centuria Observationum mearum videbis. Nunc quod auribus tuis plausibile esse posset, nihil singulare habeo: ne tamen planè nudæ sint literæ, en de infelici exhibitione Antimonii Exemplum unum aut alterum, observatione dignum.

EXEMPLUM I.

Biennium est, cùm nobilis quædam matrona Bernensis, adhuc juvenis, & optimo corporis habitu prædita, de dolore aliquo gravativo ventriculi, ex cruditatibus orto, conquereretur: & ob id Medicum in consilium vocasset, protinus ipsi potiunculam pro tribus dosibus in crepusculo matutino sumendis, præparavit. Cùm primum haustum sumpsisset, sequutus est vomitus maximus & frequens. Sequenti die secundum haustum tàm violentæ & frequentes sequutæ sunt vomitiones, ut parùm abfuerit, quin vitam cum morte commutaret. Circa vesperam cessantibus vomitionibus, paulatim restituta fuit, & evasit: tertium enim haustum, qui procul dubio ipsam jugulasset, non sumpsit. Inter vomendum autem, quod notandum, cùm tinnitus dolorosus aurium supervenisset, auditum amisit. Medicus nonnulla auribus instillavit, quorum beneficio auditum sinistræ auris recuperavit: auditus verò dextræ, ex quo antea quoque laboraverat, feliciter tamen restituta fuerat, hactenus restitui non potuit. Hisce diebus operam meam, atque diligentiam me circa ipsam adhibiturum, promisi. Tentabo quidem, quæ tendanda: sed verendum est, morbum jam inveteratum & insanabilem esse. Arbitror enim, in ipsis violentissimis vomitionibus membranam tympani, præcipuum instrumentum auditus, disruptam dilaceratamque fuisse. Si enim surditas, ut in vehementissimis vomitionibus fieri consuevit, ex viscido aliquo humore, circa prædictam membranam collecto procederet, maximus proculdubio adesset tinnitus. At hîc ferè nullus. Vomitorium autem nihil aliud quàm vinum infusionis vitri Antimonii fuisse, indicat gustus ipse. Nihil aliud enim quàm vinum purum se bibere putabat ægra. Sævissimus deinde vomitus, uti & lipothymiæ, aliaque symptomata, quæ supervenerunt, id testantur.

Obs. 12.

A poto antimonio Auditus deperditus,

Incurabilis.

EXEMPLUM alterum.

Anno CIↃ. IↃC. XIX. Empiricus quidam idiota & temerarius, hîc in vicinia medicinam, aut potiùs nequitiam suam exercens, matronam quandam Solodurensem, de dolore capitis conquerentem, vomitorio suo, sibi in omnibus ægris familiari, ad cymbam ferè Charontis deduxit. Evasit enim quidem, sed facta est planè fatua: Lectum non egrediebatur, nec loquebatur, nisi interrogata: cibum & potum nunquam petebat, esurienti tamen si offerebatur, cum voluptate comedebat, sin minus, renuebat. In excretione excrementorum eundem observabat ordinem. Instante enim necessitate, interrogata, an vellet exonerare alvum, parebat, & è lecto surgebat; non interrogata verò, excrementa omnia, veluti infans, in lectum deponebat. Noctu erat quieta; interdiu similiter, præterquàm quod continuò strophiolum aut linteum aliquod complicaret, & explicaret denuò, vicibus repetitis: festucas item & floccos ex culcitris extraheret, & colligeret. Sed admiratione dignum est, adeò obtusi fuisse sensus, ut cùm propter acrimoniam excrementorum, & decubitum in dorsum, nec non negligentiam astantium, factum esset ulcus ingens & putridum circa os sacrum, & coccigem, ad spinam usque; ipsam tamē nunquam de dolore conquestam fuisse. Mansit in hoc statu vitæ per menses aliquot, interim ego ipsam aliquoties unà cum Doctissimo viro, Domino Ludovico Scha-

Mentis abalienatio post sumptum Antimonium.

Curatio.

Obs 13. & 14.

Scharandæo, inclytæ Reipubl. Solodurensis Medico celeberrimo, invisi, & medicamenta præscripsi. Maximâ adhibitâ diligentiâ à Dn. D. Scharandæo, tandem convaluit, & aliquandiu supervixit, & integrâ quidem mente. Hæc obiter, donec integram historiam ex Dn. D. Scharandæo habere possim. De Fratribus Roseæ crucis quid novi? Videtur mihi eorum fama paulatim in fumum abire. Vale Vir Amplissime, & cum Tuis omnibus feliciter vive diu. Bernæ 8. Maii, 1621.

OBSERVATIO XIII.

Ex inunctione argenti vivi, nervorum Opticorum obstructio.

Matrona quædam honesta, & Dom. Andreæ Trechsel, civis Burgdorffensis uxor, cùm in puerperio in victus ratione errorem commisisset, & inde obstructiones hepatis sequutæ fuissent, tandem quoq; humor serosus ad crura delapsus est, cum maxima intumefactione crurum. Castratorem itaque Empiricum in consilium adhibuit, Is nullâ factâ corporis præparatione, articulos omnes imò & ipsam nucham, unguento ex Mercurio inunxit. Hinc humores excrementitii tam copiosè ad os defluxerunt, ut per dies aliquot in vitæ periculo versaretur ægra. Totum enim caput, præcipuè facies, os, lingua & gingivæ, mirum in modum intumefacta erant, & ita quidem, ut ne verbum quidem proferre, & vix jusculum sorbere posset. Tandem nihilominus convaluit, sed visum ita amiserat in ista curatione morbi, aut potiùs devastatione corporis, ut nihil ferè discernere posset. Venit ad me Bernam, ubi satis præparato corpore, cùm victus ratione, tum etiam purgationibus reiteratis, Setaceum nuchæ applicui. Oculis aquam nostram visum corroborantem (cujus descriptio exstat lib. de Combustionibus, cap. 13. circa finem) instillare jussi.

An. 1618. 1. Maii.

Sequens quoq; vinum Medicatum, de quo etiam nunc frequenter haustum jejuno ventriculo bibit, præscripsi.

R. Radicum Garyophyllatæ ℥. iij.
Folior. & flor. Euphrasiæ m. iiij.
Betonicæ m. ij.
Salviæ,
Rosmarini,
Majoranæ an. m. j.
Cardui benedicti m. ß.
Cinamomi ℥. iij.

Incidantur & contundantur omnia pro sex mensuris vini albi, minimè generosi, quale est vinum indigena. His ita restituta fuit ægra, ut nunc omnia quàm bellè discernere possit, scribit quoque & legit, inprimis manuscripta mariti, meliùs quàm literas impressas, uti 18. mẽsis Aprilis 1620. cùm ad me venisset Bernam, ut setaceo suo novum funiculum imponerem, ipsemet vidi.

OBSERVATIO XIV.

De Suffusione in momento orta.

Maximus Fernelius lib. 5. Pathologiæ cap. 5. de Suffusione loquens, testatur, se vidisse unâ die Suffusionem ortam generatamque fuisse. Quia tamen causas & circumstantias non adscribit, impossibile id nonnullis videri poterit, eapropter, quòd ad Suffusionem procreandam tempus requiratur. Cùm enim nihil aliud sit, ut idem Ferneli. ait, quàm humoris præter naturam, vel in pupilla, vel inter Rhagoidem tunicam & crystallinum humorem concretio, quis quæso concretionem hancce, tam repente fieri posse, sibi persuadebit? Visum itaque mihi fuit, Exemplo non vulgari opinionem atque doctrinam Fernelii stabilire.

Anno 1620. 10. Aprilis juveni cuidam, Abrahamo Bangerder von Slottweyl / findendo ligna, festuca ad oculum sinistrum prosiliit, non tamen ad ipsam corneam, sed ad palpebram: idque cum tali impetu, ut ex oculo scintillæ & veluti flammæ igneæ exsilire viderentur ægro: idq; non sine maximo dolore. Paulò pòst cessante dolore, cùm oculum aperuisset, visum amissum esse cognovit. Octiduum post, cùm Bernam ad me venisset, maculam quandam aut veluti membranam, inter humorem crystallinum & foramẽ Uveæ inveni. Reliquæ partes omnes oculi, planè secundum naturam fuerant. Erat autem alba & aliquomodo inæqualis Suffusio illa, sed adeò crassa & dura, ut foramen Uveæ planè obturaret, ita etiam ut nihil omninò oculo isto videre, multò minus quicquam discernere posset æger. Quæsivit ex me, an deponenda esset Suffusio? Suasi ut operationem differret, idque propter sequentes causas. Primò, quia Suffusio nondum satis confirmata, & ita dura, ut commodè deponi posset; tam brevi enim spacio temporis ad perfectam maturationem pervenire non potuisse, certissimum est. Deindè etiam, quoniam illa inepta ad punctionem & depositionem mihi videbatur. Idque indè colligebam, quod altero oculo clauso, fricando oculum malè affectum, Uvea immobilis perstitit, ita etiam ut nulla ipsius dilatatio aut constrictio observari posset. Hujusmodi enim Suffusiones utplurimum curationem non recipiunt; Quandoquidem Uveæ tunicæ ita adhærent, ut absque ipsius dilaceratione deponi non possint. Hujus sententiæ quoque fuisse Guidonem de Cauliaco, hæc ipsius verba testantur. Judicatur etiam, inquit, quòd Cataracta, cujus pupilla nec fricatione, nec insufflatione, nec alterius oculi clausione dilatatur, non est acceptabilis; quia est cum oppilatione nervi Optici, & tametsi deponeretur, non videret aliquid.

Cæterùm causam cur Suffusio illa in momento facta fuerit, non facilè est scire. Quia tamen concretio omnis, aut frigoris aut caloris fit vehementiâ, videtur mihi ex ictu isto tantam copiam spirituum ad oculum confluxisse, ut consumptis partibus subtilioribus humoris aquei, circa foramen uveæ (ubi spiritus propter ictum in copia confluxerunt, ut scintillæ ac veluti flammæ, quæ ex oculo exiliêre, indicant) crassiores partes istius humoris in superficie concreverint, & ut ita dicam coagulatæ fuerint. Quemadmodum videmus cremorem aut veluti membranam remanentem in superficie lactis excalefacti. Hæc

ita

ita habere, inspectio ocularis aliquomodo quoq; fidem facit; Non enim æqualis, uti communiter solent esse suffusiones, sed inæqualis, rugosa, & veluti lac coagulatum in ipso oculo conspicitur. Referebat præterea æger, & qui ipsum adduxit, ab initio in venis adnatæ tunicæ, rubedinem & veluti inflammationem quandam, per diem unū aut alterum apparuisse, sed per se, & nullis adhibitis Medicamentis facilè evanuisse. Rubedo hæc caloris quoque fuit indicium, & quidem caloris cū materia subtiliori. Si enim crassa fuisset, non tam facilè & citò evanuisset. Hæc si non probabilia, verisimilia tamen esse mihi videntur.

OBSERVATIO XV.

De visus amissione, propter disruptam Uveam.

AUlicus quidam Serenissimi Principis ac Domini, Dn. PHILIPPI Landgravii Hassiæ, &c CONRADUS nomine, natione Helveticus, cùm ad oculum sinistrum ictu baculi percussus esset, in ipso momento visum amisit. Protinus dolores exorti sunt, & inflammatio aliqua Adnatæ supervenit: quæ Symptomata tamen brevì, adhibitis medicamentis quibusdam remiserunt; verùm visus restitui non potuit, etiamsi multis, & præclaris quidem uteretur Medicis ac medicamētis. Ego cùm anno 1617. ex Hassia rediens, & Fridbergi apud Clarissimum & Doctissimum virum Dominum GEORGIUM FABRUM, ibidem Castri Imperialis Medicum celeberrimum, amicum meum intimum, per dies aliquot moram traherem, jussu Principis sui ad nos venit, quinta Decembris, & An, & quibus remediis curari possit, ex nobis perquisivit. Cui de affectu suo, sequens Judicium nostrum ad Principem suum (qui omnem movit lapidem, ut visum recuperare posset) deferendum dedimus.

Nos subscripti notum facimus omnibus, quòd, cùm honestus vir CONRADUS ad nos venisset, & petiisset, ut affectum suum oculi sinistri dijudicaremus, anque curabilis sit, ipsi indicaremus, ex inspectione cognovimus: PRIMÒ, ex ictu ipso, quem in oculo recepit, tunicam Uveam ita disruptam atque dilaceratam fuisse, ut spiritus visivi (quia dispergunter) non amplius res objectas inter se distinguere possint. SECUNDÒ, propter contusionem & inde consequutam inflammationem, humorem Aqueum aliquomodo incrassatum atque inspissatum esse, ita ut res objectæ ad humorem crystallinum veluti præcipuum & primarium visionis instrumentum, pervenire non possint. Porrò qu a utrumque Symptoma corrigi non potest, præcipuè primum, verisimile nobis videtur, incurabilem esse affectum. In fidem veritatis præsentes dedimus, propriisque manibus subscripsimus. Fridbergi Wetteravorum, 5. Decembr. 1617.

Georgius Faber Med. D.
Guilhelmus Fabritius Hildanus.

ANNOTATIO ad Tyrones.

Etiamsi observatiuncula hæcce, iis qui in re Medica exercitati sunt, non usque adeò magni momenti esse videri possit, placuit tamen ipsam in gratiam Tyronum adscribere, ut videant, quātum intersit morbum cognoscere, imò præcipuam partem curationis esse cognitionem morbi. Cognito enim morbo, quid circa ipsum faciendum sit, anque curabilis necne? facilè agnoscet prudens Medicus. Quapropter Tyrones meos semper admonere solitus sum, ut præcipuam diligentiam in cognitione tum morbi, tum etiam sedis morbi impendant. Sedem porrò morbi in hoc ægro, in tunica Uvea fuisse, ipsa ocularis inspectio fidem nobis fecit. In isto enim oculo neque pupilla, neque Iris apparuit: sed nigredo, quæ in oculo sano, per pupillam solummodò cōspicitur, in hoc ægro per totā illam partem Corneæ, quæ pellucida est, extendebatur. Ex quibus patet Uveam disruptam fuisse. At usus Pupillę est, ut rectè admonet Clarissimus ac longè celeberrimus Vir D. CASPARUS BAUHINUS, hoc tēpore Anatomicorum Princeps, simulacris acceptis transitum præbere ad crystallinum, cujus pars per hanc detegitur. *Præterea* inquit, *quòd ad perfectam visionem requirantur, ut species visibiles per lineam rectam fluant, & quidem modo cuneali ad oculum & crystallini centrum, angulo acuto, quò ei imprimantur. Quare pupillæ foramen adeò angustum est, quò ab ipsius lateribus productæ lineæ, tanquam à basi, centrum crystallini in angulo acuto contingant. Quòd si verò pupilla adeò dilatetur, ut lineæ ab ea productæ in crystallini centro angulum vel rectum vel obtusum faciant, statim visio abolet ur.* Hæc Bauhinus. Ex quibus affectum in hoc viro planè incurabilem fuisse, satis superque perspicuum sit.

Theatri Anatomici l. 3. cap. 39.

OBSERVATIO XVI.

Obs. 16.

Post Ophtalmiām gravissimam, visus, quem deperditum esse putavimus, præter spem atq; opinionem, acutior quàm fuerat antea, sequutus est.

SOlodurensis quidam septuagenarius, M. Gregorius Sicking nomine, pictor & sculptor excellens, cùm Anno 1618. in ipsis canicularibus Ophtalmiā gravissimā oculi sinistri affligeretur, ac ego eodem tempore apud nobilem quandam ægram gravissimo affectu laborantem occupatus essem, in consilium me adhibuit. Inflammatio autem, quæ ingens & magna erat, non solùm oculum ipsum, verùm etiam palpebras, mediamque partem faciei occupaverat. Apparebat præterea extuberantia quædam, fabæ magnitudine, in ipsa cornea, versus canthum majorem, & è regione Iridis. Dolor quidem totum caput infestabat, circa tuberculum verò maximus, acutus, & pungens erat. Cùm itaque propter doloris vehementiam, inflammationem & affluxum humorum in corpore cacochymo, abscessum oculi metuerem, eā quā fieri potuit diligentiā humorum impetum, ad oculum defluentium, ut impedirem, & ad alias corporis partes averterem; simul & evacuarem, operam dedi. Quapropter institutā optimā victus ratione, refrigerante scilicet & aliquomodo tenui, sequentes pilulas exhibui.

Obs. 16. & 17. Pillul. capit.

R. Massæ pilular. aurearum ℈. j.
Lucis majoris ℈. ij.
Trochiscorum Alhandal &
Diagridii an. grana tria.
Ol. fœnicul. guttul. sex.

Cum syrupo rosato solutivo, composito cum Rhabarb. agarico & sena, fiant pilulæ septem, involvantur pulv. cinamomi. Purgato corpore, venam in brachio sinistro incidi, oculo verò sequens collyrium instillavi.

Collyrium

R. Aq. rosac.
Plantaginis,
Fragariæ an. ℥. ij.
Sem. cydoniorum contus.
Sem. fœnigræci an. ℈. j.

Misce, maneantque in infusione horas quatuor, in expressione dissolve Tutię præparatæ, Cornu cervi usti & præpar. ana ʒ. j. Caphuræ ℈. ß. Misce, fiat collyrium, instilletur & applicetur calidè quater aut quinquies in die. Sedatâ inflammatione, loco aquæ fragariæ & plantaginis, aquam fœniculi & euphrasiæ collyrio admiscui. Sequenti die post sectionem venæ cucurbitulas cũ magna flamma applicare jussi: deinde iterum prescriptas pilulas exhibui, & secundò venam incidi, cucurbitulas quinetiam iteravi. His per dies aliquot adhibitis remediis, & observatâ optimâ victus ratione, tuberculum paulatim subsedit, & oculus feliciter convaluit, visus quoque ita restitutus fuit, ut nunc acutior sit, quàm fuit antè, præcipuè oculi sinistri. Cùm enim ante morbum ultra annos viginti perspicillis usus fuisset æger, nunc clauso dextro oculo, sinistro etiam minutissima discernere, legere ac pingere potest, idque sine perspicillo.

Author à teneris ãnis morbis obnoxius fuit.

Hinc morbos gravissimos & periculosos nonnunquam commodum aliquod post se relinquere videmus. Ego à teneris annis usque ad decimum tertium ætatis, obstructionibus viscerum, & inde nascentibus febribus, nunc quotidianis, nunc tertianis & quartanis, valdè obnoxius fui: Postquam verò Anno 1575. ex peste, quâ ultra menses sex gravissimè & periculosè laboravi, restitutus essem, ita convalui, ut in hunc usque annum 66. ætatis, morbis parum obnoxius fuerim. Sic plerumque morbus morbum sanat, absumptâ videlicet causâ morbificâ. Hoc modo qui à convulsione, aut distentione tenetur nervorum, febre superveniente liberatur, teste Hippocr. lib. 4. Aph. 57.

Morbus morbum sanat.

OBSERVATIO XVII.

De periculosa Ophthalmia, & visus unius oculi perditione, ex levissimo vulnere circa palpebram accepto.

SArtor quidam Hildensis M. Conradus nomine, mihi amicitiâ junctus, cùm Anno 1582. in duello ab adversario exiguum vulnus acie pugionis ad radicem frontis, & quidem in ipsam ferè palpebram superiorem & sinistram recepisset, & ab initio vulnus, propter sui exiguitatem, tum ab ipso ægro, tum ferè magis à barbitonsore, cui curatio demandata fuerat, neglectum fuisset; paulò post exortus est dolor gravissimus totius capitis, cum tanta intumefactione oculi, ut ad ovi circiter magnitudinem extra capsulam suam promineret, cum Corneæ ruptione, & humorum effluxione. Ego cùm Cliviâ (ubi ad menses aliquot cum præstantissimo Viro D. Cosma Slotano, in aula Illustr. Principis ac Domini, Dn. Guilhelmi Juliacensium, Clivensium & Montensium, &c. Principis Chirurgo, moram traxeram) parentes invisendi causa in patriam venissem, ac prædictum Virum, tum adhuc Juvenem, in tantis miseriis, ut etiam de vita exigua superesset spes, invenissem, sequentibus medicamentis adhibitis, adspirante Divino Numine, ipsum restitui: Visum tamen, propter membranarum corruptionem & humorum deperditionem, nunquam recuperavit. Protinus autem (quia alvus non respondebat) suppositorium acre imposui, & abrasis pilis, caput oleo rosaceo inunxi, oculo verò extuberanti sequens cataplasma applicui.

R. Micæ panis albi ℥iiij.
Pulv. sem. fœnogræc. & lini an. ℥ ß.
Croci ℈. j.

Coquantur cum lacte vaccino, addendo butyri recentis non salsi ℥ j. & vitellos ovorum numer. ij. fiat cataplasma, quod tepidè applicui, & reiteravi quotiescunque necesse videbatur: sequenti die corpus hac potiunculâ expurgavi.

R. Herbar. & flor. betonic. & euphrasiæ ana M. ß.
Flor. salviæ & rosmarini ana p. j.
Sem. anisi ʒiiij.

Coquantur in aqua, ad consumptionem tertiæ partis, in s. q. colaturæ dissolve
Pulveris senæ Brassavolæ ʒ j.
Syr. rosʃ. solutivi compos. cum Rhabarbaro, agarico & senna ℥. j. Misce, fiat potio.

Purgato corpore, venam in cubito sinistro incidi, & sanguinem secundum tolerantiam virium extraxi: Scapulis & nuchæ cucurbitulas magnas cum flamma & scarificatione applicui. His adhibitis & reiteratis remediis, & observatâ optimâ victus ratione, dolor capitis & oculi, febris item, inflammatio, nausea, & quæ præterea symptomata aderant, cessârunt: tandem oculo prolapsô sequens cataplasma applicui.

R. Farinæ fabarum,
Hordei, ana ℥ij.
Pulv. rosar. rubear. ʒij.
Myrtillorum, balaustior. an. ʒ. j.
Pulv. flor. chamomil. & melilot. an. ʒj. ß

Cum decocto betonicæ, euphrasiæ & rosarum fiat Cataplasma, quod calidè applicetur. Hoc per dies aliquot applicato Cataplasmate, & per intervalla purgato corpore, applicatisq; cucurbitulis, tumor subsedit, & membranæ oculi, quamvis corrugatæ, in situm naturalem redierunt, & plenissimè convaluit, visum tamen nunquam ipsum recuperasse Anno 1612. cum Bernâ in patriam profectus fuissem, vidi.

Honestæ cuidam matronæ Metensi, Anno 1586. idem ferè accidisse memini, cùm enim à marito suo ictum baculi in bregma sinistrum recepisset, & Ecchymosis maxima inde sequuta fuisset, tandem sanguis extravenatus in oculum sinistrum

nistrum prolapsus est, exorto dolore, inflammatione, aliisque pessimis symptomatibus: Parum abfuit quin visum amitteret, arte tamen & industria, DEO remediis benedicente, D. Iohannis *Bartisch* Chirurgi Metensis, me præsente, feliciter restituta fuit.

OBSERVATIO XVIII.

De Ophthalmia gravissima, & visus atque loquelæ perditione, post sectam venam frontis.

SArtor quidam Basileensis, Michaël Kesler nomine, triginta circiter annorum ætatis, cũ doloribus capitis & Epilepticis paroxysmis in lõgum tempus vexaretur, quadam die barbitonsorem accedit, cui cùm morbum suum exposuisset, ramum illum venæ frontis, qui in aliquibus nonnihil ad sinistram vergit, protinus incidit, nullâ præcedente corporis præparatione. Quid fit? Oculus in ipso etiam momento motum amisit, fixus, immobilis & clausus permansit: dolor quoque capitis exacerbatus fuit, inflammatio quinetiam oculi sinistri sequuta est adeò magna, ut erosis membranis humores effluxerint, & visus omninò deperditus fuerit: sed & quod maximum, non diu post loquelam amisit, adhibitis tamen remediis à Medicis Basileensibus, ipsam aliquomodo & ex parte recuperavit. Ego prædictum Virum, unà cum clarissimo Viro Dn. D. Iohan. Friderico Wertenbergio, Basileense Medico celeberrimo vidi 24. Septembr. 1618. & quæ recensui, non tantùm ex ipsius ore excepi, verùm etiam ex clariss. V. D. D. Wertenbergii relatione, vera esse intellexi.

ADMONITIO ad juniores Chirurgos.

Visum fuit historiam hancce observationibus nostris inserere, ut inde ediscant tyrones, in sectione venæ frontis circumspectè & prudenter agendum, nec unquam hac in re temerè & absque consilio prudentis Medici quicquam tentandum esse. Quod enim huic viro accidit, aliis quoque evenire potest: si non è vestigio, saltem pedetentim, etiam post longum tempus. De sectione hujus venæ, Hippocrates lib. 5. Aphor. 68. hoc scriptum reliquit: Cui postica pars capitis dolet, secta in fronte recta vena est adjumento. Sectione enim hujus venæ Materia, quam conjunctam vocant Medici, revellitur simul & evacuatur. Sed videndum est, an dolor ille sit per Sympathiam, an per Idiopathiam? si enim per Sympathiam fuerit, frustra secabis venam frontis, imò potius lædes ægrum, propterea quod magis magisque sanguis & humores ex aliis partibus corporis ad caput attrahantur. Sed quum oculus, simul & nervi tam vocem quàm oculum moventes, nullam cum vena frontis habeant affinitatem, videamus, quomodo & quibus de caussis gravissima hæcce symptomata huic viro supervenerint? Adnatam membranam, quæ sedes est Ophthalmiæ, venas suas à jugularibus externis recipere, õnibus Anatomicis in confesso est. Vinculo itaque injecto, eoque collo quàm arctè constricto (aliter enim vena frontis secari non potest) sanguis ex inferioribus partibus corporis, per venas jugulares, veluti vi quadam sursum attractus fuit, venasque, quæ per cutem & pericranium disseminantur expandunturq; adimplevit. *Obs. 18.*

Cum itaq; adnata tunica ex pericranio ortum suum habeat, ac forsan oculus ille propter paroxysmos Epilepticos, aliasque ob causas, jam antea debilis factus fuerat, facillimè sanguinem & humores per vinculum seu ligaturam colli attractos recepit. Vinculum itaque tam in sectione venæ frontis, quàm sectione venæ sub lingua, cautè injiciendum, & modestè constringendum esse, suadet ratio, uti quoq; in tractatu meo Germanico de Angina cap. 5. obiter notavi.

Cæterùm ligaturâ aut vinculo prædicto, nõ solum attractus fuit sanguis per externas venas jugulares ad cutem & pericranium, & proinde ad ipsam adnatam tunicam, verùm etiam & alii quàm plurimi humores pravi, ex inferioribus partibus corporis, per jugulares internas & Carotides, unà cum sanguine ad cerebrum ipsum defluxerunt, & paulò post ad nervos recurrentes, & eos qui linguæ inserviunt, quique oculum movent, decubuerunt, ipsorumque actiones depravârunt. Præcipua autem causa prædictorum symptomatum hæc fuit, quod corpus ante sectionem venæ purgatum non fuerat.

Est enim sectio venæ frontis locale remedium, ut loquuntur Medici, cujus natura postulat, ut Universalia præcedant. Et tunc maximè convenit, ut monet Augenius de venæ sectione lib. 7. cap. 8. quando materia amplius ad cerebrum non confluit, totiusque corporis plenitudo fuerit exinanita: si verò secus accidat, maximè lædit remedium. Quorum verborum veritatem ex præcedente historia videre est.

Ante sectionem itaque venæ frontis, diligenter corpus ex consilio Medici, secundum humoris prædominantis naturam, expurgandum est. Vena quinetiam in brachio aut circa malleolum, si retentio mensium aut hæmorrhoidum adfuerit, incidenda, reliqua omnia, quæ corpus purum reddunt, instituenda.

OBSERVATIO XIX.

Exhibito Vomitorio, æger visum amittit; ejusdemq; medicamenti beneficio ipsum recuperat.

VOmitum oculis obesse, præsertim in corporibus pituitosis, sæpissimè observavi. Pituita enim cùm humor sit tenax & viscidus, si vi medicamenti sursum ad nervos opticos repellitur, eis tenaciter adhæret, eosque obstruit, & adeò indurescere facit, ut perpetuò cœci remaneant ægri. Sed rarum & annotatione dignum est, quod recensebo, ægrum videlicet ex uno eodemque medicamento visum amisisse, & paulò post recuperasse iterum.

Reverendus & doctissimus Vir, Dn. Iacobus Massu, Decanus ad S. Albinum, in ditione Freiburgensium Helvetiorum, homo 34. circiter annorum ætatis, obesus, & constitutione corporis pituitosus, cùm ante annos aliquot in Cacochymiam incidisset, toto corpore, uti in Anasarca fieri

Obs. 19. & 20. ca fieri consuevit, intumuisset, & vomitorium validissimum sumpsisset, eadem die, imò & inter vomendum visum planè amisit, sine dolore tamen, & oculis manentibus claris: vitium enim circa exortum nervorum opticorum erat. Mansit in hac cœcitate viginti quatuor circiter horas: sequenti verò die, post sumptum medicamentum, cùm superpurgatio per inferiora supervenisset, visus in integrū restitutus fuit, uti egomet vidi, cùm anno 1623. 4. Martii apud S. Albinum ipsius familiaritate uterer. Magnum atq; Excellentissimum Virum, Dn. Iohannem Sturmium p.m. solitum fuisse corpus per intervalla vomitu expurgare, & proindè visum in senectute amisisse, ab eis, qui ipsum familiariter cognoverant, relatum mihi fuit. Videant itaque juniores Medici, ne temerè exhibeant vomitoria, in corporibus pituitosis & cacochymicis; præcipuè chymica, propter ipsorum violentiam. Rarissimè enim eos, quibus nervi optici obstruuntur, visum recuperasse, observatum fuit.

OBSERVATIO XX.

Visus propter nervorum opticorum obstructionem deperditus, quomodo recuperatus?

CAusa, cur visus propter nervorum opticorū obstructionem deperditus, aut nunquam aut saltem rarò restituatur, ex præcedenti observatione satis colligitur. Quod si tamen statim ab initio morbi summa diligentia adhibita fuerit, non omninò spes sanitatis abjicienda est. Vidi id in juvene quodam Genevæ, qui propter intempestivam sternutationem visum amiserat, adhibitis tamen remediis convenientibus, ipsum recuperavit: uti Lector videre poterit Centur. 1. Observatione 24.

Aliud exemplum satis memorabile mihi videre contigit, quod hoc loco adscribere, operæ precium erit. Senator quidam & Tribunus Reipubl. Bernensis, Dn. Petrus Freudenreich, p.m. Compater meus summo studio observandus, homo quinquagesimum annum ætatis prætergressus, robustus tamen, & optimo corporis habitu præditus, cùm anno 1616. adultâ hyeme, jussu Magistratus sui, legationem Friburgum Helvetiorum haberet, ibidemque à Senatu Amplissimo splendidè & magnificè exciperetur, & per dies aliquot vino generosissimo lautè tractaretur, accidit, ut cùm domum reversus esset, & literas, quas conjux in ipsius absentia acceperat, legere vellet, defectum in visu perciperet. Protinus itaque clarissimum & doctissimum Virum, Dominum Bartholomæum Dunum, hujus Reipubl. Medicum ordinarium, Compatrem meum honorandum, mecum in consilium advocare jussit. Inspectis oculis, cùm nihil præternaturale exterius in ipsis appareret, sinistro verò clauso, ægrum visu planè orbatum esse cognovissemus, facilimè indè nobis apparuit, opticum dextrum humore aliquo obstructum esse. Quapropter curationem sequenti modo instituimus. *Curatio.* Tenuem victus rationem præscripsimus, & loco vini decoctum agrimoniæ, Veronicæ & Betonicæ, cum pauco cinnamomo & sacchara aromatisatum, propinavimus. Eadem quoque die enema satis acre infudimus: sequenti verò Pilulas capitales exhibuimus hunc in modum.

R. Massa pilular. Lucis majoris.
Aurearum an. ℈. j.
Trochiscorum Alhandali, &
Diagridii an. grana iij.
Cum syrupo rosato solutivo formētur
Pilulæ septem. Deaurentur.

Postero die venam in cubito dextro incidimus, & secundum tolerantiam virium sanguinem extraximus. Deinde sequenti Apozemate per dies quatuor usus est, semel in die, videlicet tribus horis ante prandium.

R. Radic. fœniculi, Asparagi, Cichorii,
Liquiritiæ, Polypodii, ana ℥ j.
Corticum radicum frangulæ ʒiij.
Foliorum & florum Betonicæ,
Euphrasiæ, ana m. j.
Agrimoniæ, Veronicæ an. m. ß.
Trium florum cordialium, & Rosmarini ana p. j.
Uvarum exacinatarum ℥j.
Seminis Anisi & Fœniculi an. ʒij.

Coquantur in s. q. aquæ, ad consumptionē tertiæ partis. De Colatura accipe ℥. x. in quibus dissolve Syrupi de Betonica ℥ij. Misce pro quatuor dosibus.

Sic præparato humore peccante, sequentes Potiunculas laxativas exhibuimus.

R. Præscripti decocti ℥viij.
Rhabarbari electi ʒiij.
Agarici recenter trochiscati,
Turbith. gummosi an. ʒj.
Foliorum senæ mundator. ʒ ij.
Florum Tartari ʒ j. ß.
Cinnamomi electi, & semin. Anisi ana ℈. ij.

Incidantur & contundantur omnia grosso modo, postea cum suprascriptis ℥ viij. Decocti infundantur per noctem. Mane post unam aut alteram ebullitionem fortiter exprimantur, addanturque

Syrupi rosati solut. compos.
Syrup. de Cichorio cū rhabarb. an. ℥j. ß

Misceantur pro tribus dosibus, in aurora sumendis.

Post universales purgationes ad particularia pervenimus, & aliquoties cucurbitulas scapulis applicavimus. Masticatoria quinetiam præscripsimus. Sic Divinâ clementiâ plenissimè restitutus fuit visus, neque de ipsius defectu in posterum, & ad finem usque vitæ suæ, cōquestus est.

Porrò cœcitatem illam propter usum vini generosi lautè sumpti, & nocturnas compotationes supervenisse, nullum est dubium. Hinc enim viscera nutritioni inservientia, præter modum excalefacta, & ex eis vapores multi crudi & indigesti ad caput elevati fuerunt. Qui cùm in viâ Bernam versus propter maximum frigus condensati essent, opticum meatum obstruxerunt, dextrum videlicet. Ex hac enim parte propter situm hepatis, vapores copiosiùs ad caput ascenderunt. Præterea in reditu Friburgo domum, cū impetu flante Zephyro caput ex parte dextra

frigus

frigus longè intensius, quàm ex sinistra, passum fuisse, ex ipsomet ægro sæpissimè intellexi.

OBSERVATIO XXI.

De scoria Chalybis corneæ infixa, ejusdemq́; ingeniosissima curatione.

Viro clarissimo & doctissimo Dom. JACOBO HAGENBACH, *Medicinæ & Chirurgiæ Doct. excellentiss. amico meo intimo,*

Guilhelmus Fabricius Hildanus,

S. P. D.

QUàm inæqualis præteritis diebus inter nos fuerit conditio, Doctissime mi Dn. D HAGENBACH, amicorum optime, etiam nunc experior. Interim enim dum Tu domum exornas, ut Costam tuam longè desideratissimam, pro dignitate excipere possis. Ego hosti meo importunissimo grabatum extruere cogor. Tu rides, & alacriter vivis: Ego ingemisco. Te Liber à curis & molestiis liberat, mihi Tethys præcordia premit, viscera exagitat, mentemque morosam facit. Vides causam, mi Dn. D. HAGENBACH, cur nuptiis vestris corpore interesse non potui: Interim tamen mente vobis adfui, vota quinetiam mea pro felici successu matrimonii vestri, coram Deo pro vobis feci, imò & etiamnum Deum Ter Opt. M. suppliciter oro, ut piis vestris conatibus abunde benedicere velit. Pro amica autem invitatione ad nuptias vestras, & pro honore quo me dignati estis afficere, quia in præsentiarum gratias satis condignas vobis referre non possum, candidè vobis polliceor, me omnia, quæ in vestrum commodum & utilitatem cedere possunt, diligenti studio semper suscepturum. Cæterùm ante mensem de duabus curationibus quàm maximè laboriosis ad Te scripsi, quibus libenter sequentem, magis ingeniosam, quàm laboriosam, addidissem, sed propter occupationes circa Dn. Ioh. Rodolphum Steiger, Præfectũ in *Trachselwald*, mihi non licuit. Ille, laus sit Deo, nunc ferè in integrum restitutus est. Curatio autem ingeniosa, de qua loquor, talis est.

Rusticus quidam ex valle S. Mie, ut vocant, prope lacum Bielensem, Benedictus Barquin nomine, cum Chalybem apud mercatorem emeret, optimumque eligere vellet; & proinde, ut fieri solet, frustum contra frustum allideret, scintilla ipsi in illam corneæ partem, ubi Iris conspicitur, prosiliit, ibidemque membranæ firmiter inhæsit, idque non sine dolore maximo. Adstantes quum per plures dies frustra omnem adhibuissent diligentiam, dolores quinetiam atque inflammationes mirum in modum adauctæ fuissent, venit ad me Bernam quinta Martii; tunc prius institutâ optimâ victus ratione, & evacuato corpore, tam per pharmacum quàm venæ sectionem, (est enim Plethoricus.) Primò instrumentis, & quidem diversis vicibus, & per dies aliquot tentavi, an scoriam extrahere possem, sed adeò erat exigua, ut instrumentis illam extrahere non licuerit. Quapropter aliam viam inire, & beneficio sacculi, cujus fit mentio Cent. 4. Observ. 17. illam extrahere constitui, sed iterum oleum & operam perdidi, en uxor mea remedium longè aptissimũ excogitat. Interim enim, dum ego ambabus manibus palpebras aperio, illa Magnetem oculo, quàm proximè æger id sufferre potuit, admovet. Id cum aliquoties, & quidem repetitis vicibus fecissemus (non diu enim lucem, quâ tamen hâc in re summoperè opus fuit, sufferre potuit) tandem scoria ex oculo nobis omnibus videntibus, ad lapidem prosiliit. Postea applicato collyrio anodyno, brevi convaluit. Vides Doctissime mi Dn. HAGENBACH, multa quæ vi fieri nequeunt, industriâ facilè perfici posse. Notandum autem, plerumque in uno eodemque frusto hujus Lapidis, contrarias reperiri facultates, videlicet ipsum ex una parte ferrum attrahere, ex altera verò ipsum repellere, quod idem in lapide, quo nos in hac operatione usi sumus, observatur. Ne itaq; error committatur, ante operationem omnes anguli lapidis quàm accuratè examinandi sunt, ne pars illa quæ ferrum repellit, oculo adhibeatur. Facilè autem id explorabis, si limaturæ ferri, in tabula, aut charta munda dispersæ, lapidem paulatim admoveris. His vale amantissime mi Dn. D. HAGENBACH, & cum lectissima tua conjuge, quam mecum salutat uxor mea æternùm quàm felicissimè vive. Raptim Bernæ 25. Aprilis, 1624.

Obs. 21. & 22.

OBSERVATIO XXII.

De felicissima curatione fistulæ lachrymalis.

Viro doctrinâ, eruditione & virtute verè nobili, Dn. D. LUDOVICO SCHMID, *Serenissimi Principis ac Domini, Dn.* GEORGII FRIDERICI, *Marchionis Badensis & Hachbergensis, &c. Archiatro longè celeberrimo, Amico singulari,*

Cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus.

S. P. D.

QUòd tardâ admodum & pigrâ ad Te scribo manu, Vir Amplissime, fautor & amice æternùm honorande, non Tui, aut amicitiæ nostræ fit oblivione, illâ enim quoad vixero in hoc meo fovebo pectore: sed quòd tantis negotiis, præcipuè turbulentissimis hisce temporibus, Te intricatum esse sciam, ut vix Te spirare posse, facilè crediderim: alioquim nihil, crede mihi, gratius, nihil optatius accidere posset, quàm literariis colloquiis sæpissimè Tibi adesse, Teque scriptis lacessere. Deinde etiam relatum mihi fuit, Te cum Serenissimo nostro Principe peregrè profectum fuisse: quæ omnia à scribendo me abstraxêre. Ignosce itaque, Vir Amplissime, si hâc aliaque in re Te fortè offenderim. De ægro vestro, qui in ipsam substantiam Cerebri vulneratus fuerat, quid post meum à vobis abitum factum sit, intelligere cupio: Scribe itaque, quæso, & si quid rari præterea tibi advenerit, si per occupationes licet, communica quoque. Mihi inter alia singulare quid de præclarissimis proprietatibus & operationibus Euphorbii in osse carioso, observare contigit, quod Tibi communicare visum est.

Superiori mense Julio, Solodurum unà cum Clarissimo & Doctissimo Viro Dom. Ludovico

Observat.

 Scha-

Obs. 22. Scharandeo, ejus Reipubl. Doct. Medico celeberrimo, ad puerum tredecim circiter annorum ætatis, & ex nobili familia natum, Hans Jacob von Vevis nomine, vocatus fui: Is ab annis quatuor fistulâ lachrymali ex sinistra parte, quæ pro deplorata habebatur, laboravit; non enim os solummodò cariosum, verùm etiam glandula ita erosa erat, ut quotiescunque puer ploraret, lacrymæ per ipsam fistulam copiosè extillarent. Est præterea puer adeò morosus & impatiens, ut cauterium actuale, quod summum optimumque cēsetur esse remedium fistularum lacrymalium, nūquam ipsi applicare potuissemus; quapropter de aliis remediis nobis cogitandum fuit. Itaque institutâ optimâ victus ratione, corpus secundum humoris prædominantis naturam, & ægri tolerantiam expurgavimus, deinde Setaceum nuchæ applicuimus: post dies aliquot optimè fluente setaceo, manum fistulæ adhibuimus hoc modo. Primò, quia angustissima, nonnihil de caustico meo, quod absque dolore, uti Tu ipsemet vidisti, erodit, applicuimus. Post casum escharæ, fistulam unguento escharotico, & spongiis præparatis, usque ad ipsum os, dilatavimus. Tandem Euphorbium per se fistulæ inspersimus, & quidem in copia: deinde Emplastrum ex solo gūmi Elemi applicuimus. His eâ quâ fieri potuit diligentiâ, per septimanas aliquot adhibitis remediis, squamula ossis sese obtulit, quam Dom. D. Scharandeus me absente ipsemet extraxit, & postquam per paucos dies semiguttulam balsami Tolutani, semel in die cum filamentis ulceri imposuissemus, brevi plenissimè consolidata fuit fistula, quæ hucusque clausa est, oculo & visu planè illæsis. Setaceum quoque, non diu post consolidatam fistulam, cicatrice obduximus.

Alia Observatio de præstātia Euphorbii. Aliud Exemplum non vulgare, de præstantia Euphorbii in osse corrupto, prædictus Dom. D. Scharandeus mihi communicavit, quod non ita pridem in fratre suo observavit: Illi enim, cū post ruptum abscessum circa dentium ocularium radicem dextræ maxillæ, relictum fuisset ulcus cum carie maxillæ, pastam duriusculam ex puro Euphorbio & melle rosaceo confecit Dn. Scharandeus, ipsamque ulceri imposuit, & laminâ cereâ, ne excideret, cooperuit. Huic Viro, qui Juvenis est, & optimo corporis habitu præditus, intra paucos dies excidisse squamam cariosam, & protinus cicatrice obductum fuisse ulcus, testatur Dn. D. Scharandeus.

Hæc ad Te scribo, Vir amplissime, non quòd tantoperè rarum sit curare fistulas lachrymales, sed ut videas, quod tibi quoque notissimum est, nonnunquam medicamenta in hoc ægro Virtutes & operationes suas confestim edere, cùm tamen in aliis tardè aut nunquam id fiat. Vt enim unum idemque semen in hac terra citò, in altera verò tardè aut nunquam germinat, & fructum suum profert, ita etiam de medicamentis censendum est. In filio Dn. Eusebii Drach, Præfecti arcis Badensis, id evidenter vidisti. Vidisti, inquam, quomodo Euphorbium per menses aliquot absque successu ipsi applicuimus. Fuit ne in causa Medicamentum? Minimè gentium, sed quemadmodum semina diversimodè germinant erumpuntque, ita etiam in ægris propter caloris nativi, viriumq; vel imbecillitatem, vel robur & firmitudinem, medicamenta citò aut tardè operantur. At qualis fuerit constitutio filii Dn. Eusebii Drach, Tibi, Viro in arte Medica versatissimo, notissimum est. Fuit enim is naturâ imbecillis, constitutione corporis cacochymicus, & refertus pravis humoribus, qui propter vitam sedentariam, indies in ipso augebantur: Quandoquidem ulcus circa talum, motum & exercitia corporis impediebat. Æger verò noster Solodurensis laudabili succo & sanguine abundat; Robustus est & agilis; quapropter ut mos est adolescentum, tota die currit, saltat, & proinde si quæ superfluitates in corpore subsunt, facilè dissipat, & calorem innatum, qui curationis morborum præcipua est causa efficiens, suscitat adaugetque; Ille enim ubi languet, quemadmodum in prædicto ægro Badensi languebat, profectò aut tardè aut nunquam operabitur medicamentum, etiamsi fuerit præstantissimum, & summâ cum diligentiâ adhibitum. Adderem nonnulla alia rara, sed nunc non licet, fiet id posthac, volente Deo. Vale Vir amplissime cum uxore lectissima, & filia dulcissima, quas tecum uxor mea, mecum peramanter, & eâ quâ par est reverentia, salutat. Raptim Bernæ 12. Aprilis, Anno 1620.

OBSERVATIO XXIII.

De gravissimo vulnere capitis, cum cranii fractura & impressione.

Viro clarissimo & doctissimo Dn. JACOBO HAGENBACHIO, *Medicinæ & Chirurgiæ Doctori, amico suo plurimùm honorando,*

Guilhelmus Fabricius Hildanus

S. P. D.

GRavis mihi fuit præterita hyems, doctissime atque amantissime mi Dn. D. HAGENBACH; ter enim decubui; non usque adeò tamen graviter, laus sit DEO, interim tamen fidem meam tum apud Te, tum & apud alios, liberare non potui. Cum primum tamen ad Musas meas reversus fuero, promissam observationem singularem & raram, de nova, & à me inventa curatione fracturæ coxæ, Deo volente, consignabo, & ad te mittam, cupio enim, ut in quinta Centuria locum habeat quoque. Quia igitur debitum tibi nondum persolvere possum, en reditum proventumq; accipe.

Vir quidam robustus, & optimo corporis habitu præditus, viginti quatuor circiter annorum ætatis, & famulus Generosi & Strenui Viri Dn. Ioh. Iacobi à Diesbach, cùm præterita 28. Ianuarii benè potus esset, & dum equos Generosi Domini sui curaret, in pavimentum cecidisset, ictum soleâ ferreâ equi, ad ipsum os frōtis infra suturam coronalem, & ferè in locum, ubi crines desinunt, recepit; & ita quidem ut crani-

cranium ipsum fractum, & versus ipsas membranas impressum fuerit: quapropter mutus ac semimortuus ad ædes Generosi Domini sui deportatus fuit. Ego cum advocatus essem, primâ nocte nihil aliud tentare potui; quàm ut crines abraderem, sanguinisque profluvium compescerem; Idque pulvere nostro ad sanguinem sistendum, stupis albumine ovi madefactis, imposito, effeci. Sequenti die, cùm vulnus iterum curarem, impressionem cranii confracti, & quidem insignem & magnam inveni, ex utraque quoq; parte hujus fracturæ, videlicet versus dextrum & sinistrum latus, rimæ erant ita latæ & amplæ, ut Elevatorium, quale suo loco invenies depictum, facilè exciperent. (*Elevatorii delineationem vide in Tabula 2. figura 1. quæ sub finem Observationis 27. collocata est.*)

Quapropter omnibus modis secunda ac tertia die tentavi, an fragmenta cranii in altum relevare extrahereq; possem; quod tamen nonnisi ex parte fieri potuit. Quum itaque graviora symptomata non supervenire, sanguinem quinetiam extravenatum per rimas copiosè extillare viderem, vi nihil amplius tentare volui, usque dum natura, quid ulterius faciendum, mihi indicaret. Secunda itaque die, cranio denudato, impositis filamentis siccis, ne pinguia membranis cerebri damnum aliquod inferrent, vulneri digestivum ex cera, colophonia, terebinthina, gummi Elemi, ol. Rosaceo, ol. de vitellis ovorum, croco & vitello ovi concinnatum, imposui, & vulneris labia, quantum potui, pulvillis rotundis, oblongis & duriusculis, ex filamentis convolutis & contortis, vi dilatare studui: Idque in eum finem, ne labia conjungerentur, & cranium confractum, rimæq; carne obtegerentur, & proinde sanguis inter cerebri membranas craniumque, maximo cum periculo ægri, retineretur: Totum quoque caput ol. rosaceo inunxi, & Emplastrum Basiliconis applicui, omniaque fasciâ cum duobus capitibus ita ligavi, ut vulnus, etiamsi non usque adeò amplum esset, beneficio tamen prædictorum pulvillorum, & fasciæ, in quintam hebdomadam apertum retinuerim. Interim viginti quinque fragmenta cranii extraximus: Eorum quidem nonnulla erant parva, & de prima solummodò tabula, reliqua verò & magna erant, & ad membranas ipsas penetrabant; ideoque motus cerebri in quartam hebdomadam nobis apparuit. Quapropter, ne aër cerebro obesset, quotiescunq; curandum fuit vulnus, sartaginem prunis impletam, per ministrum è regione vulneris tenendam jussi, aut sacculum calidum, ut postea dicam, applicui. In sextum aut septimũ usque diem, humor loturæ carnis non absimilis, per rimas cranii fracti copiosè extillavit, qui tamen paulatim in pus conversus fuit. Tum loco filamentorum siccorum mel rosaceum cum filamentis, rimis imposui: Labiis verò digestivum præscriptum, unà cum Emplastro prædicto. Idque in decimum quintum diem usque. Postea pulverem catagmaticum vulneri inspersi, illudq; pulvillis planè siccis & duris, ne caro tandem luxuriaret, adimplevi, & sequens Cataplasma applicui.

Obs. 23.

R. Florum & foliorum Betonicæ,
Rosarum, Salviæ,
Rosmarini, Ivæ artheticæ,
Chamomillæ, Sambuci, primulæ veris, ana m. j.
Semin. anethi ℥. ij. fiat omnium pulvis tenuissimus;

Deinde accipe Farinæ fabarum ℥iij. Pulveris præscripti ℥. j. cum decocto betonicæ, Salviæ, rosarum, & primulæ veris, fiat Cataplasma. Addendo sub finem extracti betonicæ, & salviæ an. ℥. ß. vitellos ovorum num. ij. applicetur calidè, bis in die. Ex præscriptis quoq; herbis côcisis sacculum intersutum confeci, eumque in aqua coctum, interim dum vulnus curabatur, capiti calidè admovi, tum ut vulnus ab aëris injuria vindicarem, tum etiam, ut caput corroborarem, sanguinemque extravenatum in halitum resolverem. Pulverem autem catagmaticum, cujus antea memini, ex sequêtibus concinnavi:

R. Radicum Iridis Florentinæ;
Angelicæ;
Garyophyllatæ an. ℥ iij.
Ligni Sassaphras,
Rosarum rubearum odoriferarum an. ℥j.
Misce, fiat pulvis tenuissimus: Hæc de topicis.

De universalibus.

Quantum ad universalia, inprimis victum tenuissimum præscripsi, & ut totum tempus curationis à Baccho & Venere (vivit enim in matrimonio) abstineret, jussi. Loco vini decoctum Betonicæ, Agrimoniæ, & Veronicæ, bibit. Singulis quoque ferè diebus, ut materiam ex capite revellerem, & ascendentes vapores deorsum traherem, Enema, utcunque acre, infudi, idque in decimumquintum, aut decimumsextum usque diem morbi. Sed & secunda die, quod ferè oblitus eram, venam in brachio dextro, vulnus enim nonnihil versus dextrum latus vergebat, incidi, sanguinemque satis copiosè extraxi. Et circa finem curationis, loco cataplasmatis præscripti, Emplastrum de betonica vulneri applicui. His divino favore non solùm pristinæ sanitai restitutus fuit; sed & ita quidem (quod notandum, vel potius admirandum) ut ne minimum quidem symptoma supervenerit, imò ne alteratio quidem ulla in pulsu percepta fuerit.

Alia Observatio de fractura cranii.

Ante bienniũ in famulo clarissimi & doctissimi Viri, Domini Davidis Regis, hujus Reipublicæ Doctoris Medici ordinarii atq; celeberrimi, Ioh. Ulrico Gfell. Basiliensi, idem ferè observavimus. Ille enim cùm per gradus descendere vellet, & ex alto in lapidem cecidisset, dextrum bregma ipsi fissum fuit, sine vulnere tamen, quapropter protinus sanguis sub cute collectus fuit. Ego cùm advocatus essem, ægrũ sine loquela, & veluti stupidum inveni; protinus autem crines abrasi, totumq; caput oleo rosaceo inunxi, & cataplasma corroborans, & quodammodò repellens, applicui; sequenti die prius infuso Enemate, venam in dextro cubito incidi, sanguinemq; ad uncias decem aut ℔. j. circi-

Obs. 23. & 24.

circiter extraxi, & quia maximam plethoram adesse perciperemus, tertia die morbi, iterum uncias octo sanguinis ex eadem vena, imò & ex eodem vulnere eduximus. Cùm verò videremus sanguinem extravenatum, & sub cute contentum, in halitum resolvi nō posse, ante quartum, cutem in formam crucis incidimus, idque non sine successu; non tantùm enim sanguis extravenatus, inter cutem & cranium contentus, effluxit, verum etiam quicquid præternaturale in ipso capite & cerebro contentum fuit, per rimam, quæ & longa & ampla erat, extillare potuit. Tanta adhibita fuit diligentia à Dom. D. Rege in administratione universalium, à me in localium, & à domesticis Dn. Regis, in eis quæ ad victus rationem reliquaque externa spectāt, ut an Princeps aliquis majori cum diligentia curari possit, vix credam. Hunc quoque Virum Iuvenem plenissimè & sine gravioribus symptomatibus restitutum fuisse, ex ipsomet ægro omni proculdubio intellexisti.

Vides clarissime atque doctissime mi Dn. D. HAGENBACH, quantum curatione methodicâ, etiam in morbis acutis & magnis, efficere possimus. Nunc contrarium video in Dn. Ioh. Rudolpho Steiger, præfecto in *Trachselvvald*, is enim cum quinta hujus ex equo cecidisset, & ictum soleâ ferreâ equi, ad suram sinistram accepisset, rustico cuidam, ex vicino pago, sese curandum commisit. Ille cum universalia planè negligeret, in topicis quinetiam graviter erraret, indies auctus est dolor, tandem quoque sequuta est inflammatio & Gangræna, ita ut præcipua pars suræ in putredinem abierit. Ego nudius tertius advocatus fui, omnesque nervos intendo, ut pedem conservare possim. Sed de his aliàs plura. Vale amantissime mi Domine HAGENBACH, & feliciter vive diu. Dabam in arce *Trachselvvald*, 19. Martii 1624.

OBSERVATIO XXIV.

De gravissimo vulnere Capitis, Cerebri portione ablata.

Clarissimo ac Doctissimo Viro, Domino GUILHELMO FABRICIO HILDANO, *Insignis Reipubl. Bernensis Medico-Chirurgo celeberrimo, Domino & Collegæ honorando,*

LUDOVICUS SCHMIDT D.

S. P. D.

Clarissime Vir, Collega & Amice honorande, Binas tuas litteras Princeps ipse, utriusq; nostrûm clementissimus, in cujus manus inciderant, mihi reddidit: cumq; abs te scriptas intellexisset, sollicitè statim de tua valetudine quæritans, iterum atq; iterum te salvere jussit. Porrò historia tua de Abscessu, inepti Tonsoris culpâ excitato, gratissima mihi fuit; doleo tamen interim magnopere, me tanto intervallo à te scribendi officio superari: quod equidem non tam ignaviæ aut oblivioni, quàm afflicto huic Reipubl. statui tribuas velim, ac bellis civilibus: his enim ego quoq; ceu turbine quodam abreptus à Musis, à re familiari, castra sequi toto hoc anno cogor; nec dum tranquillitatis spes ulla ostenditur. Ne verò partibus meis omninò defuisse videar, insigne illud vulnus, cujus à me descriptionem petis, referre conabor: non ut rem tibi nunquam antehac auditam aut visam: sed ut tibi plurimùm me debere demonstrem, & ad tuas literas non sim ἀσύμβολος.

Rustico N. Kraus, in pago Auuensi, qui Durlaco vix quingentis passibus abest, miles ensis capulum, supra dextram aurem, ejus lateris ossi bregmatis adeò validè illisit, ut effracto cranio ruptisq; meningibus, ipsius cerebri subjacens portio contusa, tabi instar pedetentim primis diebus effluxerit, unde intra calvariam cavitas nucis juglandis capax, intuētibus cernebatur. Hoc loco quispiam vel nudam morbi descriptionem obaudiens, non injuriâ horrenda illa Symptomata denso agmine ingruisse existimabit, quæ ab Hippocrate tanquam fracti cranii, læsiq; cerebri certa ac Pathognomonica signa numerantur. Veluti Aphoris. 50. sect. 6. Quibus divisum est Cerebrum, his febrem & biliosum vomitum supervenire est necesse; quod ipsum 500. & 507. sententia Coac. repetitur. Item. Ab ossis [cranii] vulnere stupor aut desipientia, si in vacuum usq; penetraverit. Sectione 7. Aphor. 14. & 24. amplius, quibus occasione aliqua cerebrum fuerit vehementer concussum, mutos protinus fieri est necesse, section. 7. aphor. 58. Coac. 499. deniq; Requirendum, si, qui læsus fuit, conciderit, aut sopore correptus fuerit. 2. prorhet. Si offensus sine sensu quasi dormiens jacuerit, si oculi obcœcati fuerint, si Vertigo ipsum occupaverit, si conciderit. lib. de capitis vulneribus. Eadem C. Celsus eleganter hoc ordine recensuit. Vbi calvaria pertusa, protinus requirendum est, num bilem is homo vomuerit, num oculi ejus obcæcati sint, num obmutuerit, num per nares auresve sanguis ei effluxerit, num conciderit, num sine sensu quasi dormiens jacuerit? Hæc enim non nisi osse fracto eveniunt. Et post pauca. Si verò etiam torpor accessit, si mens non constat, si nervorum vel resolutio vel distentio sequuta est, verisimile est, etiam cerebri membranam esse violatam, eoque in angusto magis spes est. His adeò fidit author, ut addat. At si nihil horum secutum est, potest etiam dubitari, an os fractum sit. At in hoc nostro nihil planè omnium eorum, quæ Coryphæi isti requirunt, apparuit, non solùm in morbi principio, quo tempore adhuc in Aula moratus es, cujus rei te & spectatorem & testem locupletissimum appello, sed nec quicquam ejusmodi toto morbi decursu supervenit, præter symptomaticam febriculam admodum lentam, quæ post vulneris suppurationem mox cessavit.

Hujusmodi exempla sparsim alii quoq; fide digni narrant: sed hoc unicum [fateor] tantum apud me potest, ut non usq; adeò firmiter ex enumeratorum signorum absentia, illæsam esse calvariam, pronunciari posse putem. A qua sententia quoq; Ambrosius Paræus prudens Chirurgus, non est omninò alienus; dum lib. 9. cap. 2. fatetur, multis cranium fractum compertum fuisse, quibus nihil tale statim ab ictu supervenerit. Sed quid causæ quæso est, quòd partis nobilissimæ noxa aliàs θανατωδεστάτη, feliciter fuit curata? Scio quòd pro animi & corporis ægrotantis bona vel mala constitutione, vulnera differunt: ideoq; rusticus hic, licet temperamento tum à natura tum ab ætate melancholico (agebat enim annum circiter quadragesimum septimum) victu quinetiam utebatur parùm exquisito: modum tamen tenebat semper, & laborum assiduitate

eundem

eundem ad meliorem frugem deducebat, animi verò motus sedati erant, ac admodum placidi, quod ut in omni morbo, sic in capitis vulneribus maximum habet ad sanitatem momentum. De curatione, quod tantoperè admirer, non habeo. Tonsor, qui primus manum admovit, eiq; etiam toto curationis tempore adfuit, homo sedulus quidem, sed experientia plus quàm rationis habens, parum accuratè ægrum tractavit: Primò dilatavit vulnus, decussatim factâ cutis incisione, & exemptis ossium fragmentis, ut liber esset sordium effluxus, cui situs partis affectæ plurimùm favebat; atq; hoc quidem rectissimè. Cavitati, quam tabescens cerebri pars primis diebus effluens, paulatim majorem efficiebat, unguentum digestivum indidit, quod non omnes probant: Post aliquot dies syndonem olei rosacei & mellis rosati æquis portionibus imbutam applicuit: tandem ut solo melle rosato uteretur, vix obtinuimus. Os calvæ denudatum & reliquum vulnus cutis, quod aliquando pinguibus medicamentis inebriaverat, siccis filamentis arctè contortis postea te informatore replevit, superimposito quadruplici linteo, madefacto in vino decoctionis betonicæ & similium, satis calido. Victu usus est æger tenui sub initium, cui ego, tertia die accersitus, ptisanâ cum quibusdam cephalicis paratam, pro potu ordinario præscripsi, Electuarium item partim alterans, partim corroborans, de quibus multa dicere non videtur operæ precium. Venæ sectio intermissa fuit, purgatio non tuta: alvus autem libera semper usq; ad octavam diem, ubi segnior, suppositorio indito statim rediit ad officium: non sitis, non vigilia, non nausea unquam infestavit. Aër hypocausti sæpè erat adstantium incuriâ justo frigidior, nonnunquem calidior, rarò moderatus: ad singulos apparatus è lecto surgens indutis vestimentis scamno insidebat, usq; dum Chirurgus opus suum perfecisset, quicquid nos contrà, ut lecto se contineret, suadebamus. Circa diem decimum quartum cœpit substantia cerebri jam satis munda, punctis quibusdam quasi carnosis notari, quæ indies aucta & unita, in molem quandam cerebri, corpori non absimilem, excreverunt, quæ amissæ portionis locum occupavit: simulq; ossis foramen indies calli appositione angustius tandem coaluit, cui cutis capillata facilè postea superaddita fuit, ita ut intra tertium mensem omninò sanatus, etiamnum omnia munia rustica perficiat, perinde ac si simplex in cute vulnus habuisset.

Si quis Θεῖόν τι in hoc morbo fuisse statuat, aliter is quidem atq; Hippocrates locutus, cæterùm à veritate fortè non aberasse videri possit. Quemadmodum contrà lapidum silicibus similium selibra unciatim à muliere Pforzemensi, summis cum doloribus nephriticis excreta; itemq; supellectilis sutoriæ fragmenta non parva à puero Etlingensi incertis intervallis per alvum (ut videbatur) non sine ventris torminibus ante biennium dejecta, ἀφύσικόν τι habere, libens in tuam eo sententiam. Hæc sunt, Clarissime mi Fabrici, quæ ad te scribenda venerunt in mentem: si qua in parte accurato tuo judicio non est satisfactum; monitus id supplebo. Si ad Illustrissimam nostram Principem literas aliquando dare, integrum tibi videbitur, gratissimum ejus Celsitudini te facturum confirmo. Vale & rei Medicæ dignitatem, ad quam augendam felici sydere natus es, porrò tueri, meque amare perge. Durlati Prid. Calend. Decemb. Anno 1626.

Obs. 25.

OBSERVATIO XXV.

De gravissima surditate, post instillatum liquorem in ductum auris sequutâ.

ANno 1581. Cùm apud Clarissimum ac longè Excellentissimum Virum, Dn. Cosmam Slotanum, Serenissimi Principis mei GUILHELMI, Juliacensium, Clivensium ac Montensium, &c. Ducis p. m. Medico-Chirurgum celeberrimum, Chirurgiæ studio operam darem, Nobilissimam singularique pietate & castitate præditam virginem, tùm temporis quatuordecim circiter annos ætatis, ANNAM, Strenui ac Nobilissimi Viri, Dn. N. à Seiberg/ Satrapæ in Blanckenstein/ filiam familiariter novi. Huic puellæ ex matre aliquo modo surdâ natæ, cùm circa annum octavum ætatis, Catharrus ad aures delapsus, & proindè tinnitus sequutus esset, in manus Empirici cujusdam incidit, qui ipsi (corpore existente impuro) nescio quid oleosi aut liquidi in aures instillavit. Indè (quemadmodum sæpissimè ex ipsamet virgine simul & parentibus audivi) incredibilis dolor, quo per multos dies extorquebatur, febris item, inflammatio, vigiliæ, delirium, aliaque symptomata gravissima sequuta sunt. Ex consilio Dn. D. Reneri Solinandri, & Dn. Cosm. Slotani, Medicorum peritissimorum, adhibita fuerunt medicamenta varia, tàm interna quàm externa; quorum beneficio dolor quidem, aliaque symptomata paulatim imminuta; surditas tamen de die in diem aucta fuit, donec tandem auditum, circa annum, (si rectè recordor) vigesimum quartum ætatis, planè amisisset, adeò quidem, ut si quis tormentum bellicum prope ipsam explosisset, crepitum tamen non audivisset: Idque ego ex ipsiusmet ægræ, quæ nunc Dinslachii Clivorum nobili cuidam viro, (cujus nomen mihi excidit) nupta est, relatione accepi.

Empirica tinnitus aurium Curatio infelix.

Cùm enim Anno 1612. ad Illustrissimum Comitem, Dominum JOHANNEM ADOLPHUM von Dhaun/ Comitem in Falckenstein/ Dominum in Oberstein/ Bruch/ &c. Dominum meum Clementissimum, vocatus essem, & in ipsius aulâ per menses aliquot moram traherem; propter certas causas quoque Dinslachium ad prædictam Matronam, genere, virtute, & pietate longè Excellentissimam, vocatus fui; & ea, quæ mihi ab Anno 1581. quo tempore ipsam primùm noveram, usque ad Annum 1612. exciderant, iterum ab ipsius ore excepi. Præter singulares autem ingenii dotes, quibus nobilissima hæcce matrona prædita est, etiam linguam vernaculam eleganter loquitur: & verò, quoniam in juventute, uti testis sum ocularis, in Lectione sacrorum librorum à parentibus piis educata fuit, etiamnunc quæ ad pietatem & ædificationem Ecclesiæ spectant, in medium profert. Maritus & nonnulli ex domesticis, certis quibusdam notis & signis, digitis reliquoque corpore factis, ipsi indicant, quidquid volunt. Peregrini verò ea, quæ ipsi indicare cupiunt, in tabulam, quam continuò ferè secum fert, creta scribunt, quibus illa verbotenus respondet.

Laus hujus ægræ.

ADMO-

Obs 25. & 26.

ADMONITIO ad Tyrones.

Nota I. EX his ediscant tyrones, Primò, ne in affectibus aurium Topica applicent, nisi priùs adhibitis universalibus, præcipuè si affectus gravis & corpus pravis succis refertum fuerit. Consulat Lector hac de re Observ. 1. Centur. 3.

II. Secundò videant, ne medicamentum sit acre. Meatus enim auris cùm pars sit corporis maximè sensibilis, facilè excitatur dolor, quem affluxus humorum è vestigio sequitur, & gravissima symptomata excitat; quemadmodũ in prædicta nobilissima virgine accidit.

III. Tertiò videant, ne quicquam ductui auris instillent, ne lenissimum quidem medicamẽtum. Defluit enim facilè liquor aliquis ad mẽbranam tympani, sed propter anfractuositatem ductus auris denuò effluere non potest. Quapropter turundas ex carbaso & gossypio fabricare, earumque tantummodò apices medicamẽto imbuere, & auribus infigere soleo. Tentaverant autem Medici in hac puella, an penicillis exiguis ex spongia paratis, medicamentum, quod Empiricus instillaverat, absorbere & extrahere possent, sed frustra. Propter exquisitissimum enim sensum, & anfractuositatem ductus, penicillis ad membranam tympani pervenire non potuerunt. In hoc quoque gravissimè erraverat Empiricus, quod utrique auri uno eodemque tempore acre suum medicamentum instillaverat. *Error hujus Empirici.* Si enim uni tantummodò instillasset ductui, ægram inlatus illud collocassent Medici, ita ut forsan iterum effluxisset. Liquorẽ autem, pus, vel ichorem profundo auris extrahes, si spongiam aquâ betonicæ madefactam, iterumque fortiter expressam, ductui auris infixeris, & ægrum in latus malè affectum collocaveris. *Quomodo quid ex profundo auris extrahendum.* Hoc enim modo spongia, quidquid liquidum est, attrahet & absorbebit: sed frequẽter mutanda & levanda est spongia.

OBSERVATIO XXVI.

Infans primò fit surdus, postea quoque mutus.

SUrdos sæpissimè quoq; mutos fieri, plerumque observatum fuit. Non tamen omnes, qui auditu privantur, simul & muti fiunt, quemadmodum ex præcedenti observatione intelleximus. Secus in Reverendi, Doctrinâ & Pietate Excellentissimi Viri, Domini JOHANNIS de L'OZEA, Ecclesiæ Moretensis Ministri filio, advenisse memini. Erat ille puer rectè optimèq; educatus, vegetus, & pro ætate suâ robustus ac loquax, usque ad octavum annum ætatis: quo tempore morbo gravissimo correptus, & naturæ potius quàm Medicamentorum beneficio curatus fuit: nullum enim adhibuerunt rationalem Medicum. Statim post morbum cùm paulatim adeò surdus factus fuisset, ut ne vocem ullam amplius intelligeret, mutus quoque evasit, nec hactenus ullis remediis restitui potuit. Vivit etiamnum Morati in matrimonio satis feliciter, ubi cum laude tornariam artem exercet. Adeò (testis sum ocularis) ingeniosus & versutus est, ut ex intuitu & gestu corporis, eorum ferè omnium, qui cum ipso versantur, mentem intelligat. Porrò hic mutus factus fuit, quia octavo anno ætatis in materna lingua nondum satis confirmatus & fundatus erat; quapropter cùm non ampliùs homines loquentes intelligeret, facilè exciderunt, quæ antea didicerat. Cõtrarium evenit in prædicta nobili virgine; quæ auditum non omninò in juventute, sed tùm demùm, cùm in lingua simul & lectione librorum satis confirmata, & præerudita esset, amisit.

OBSERVATIO XXVII.

De excisione tumoris Cancrosi, ad radicem dentium ocularium.

GALENUS de Cancris, qui curationem nõ admittunt, loquens, inter alia hæc quoque habet verba: Qui Cancrum in palato ortum, & qui in sede & sinu muliebri, secuerunt aut usserunt, ulcera ad cicatricem perducere non potuerunt. Non sine causa autem scribit: in Palato, nõ autem in Ore: qui enim in palato nascuntur Cancri, utplurimùm versùs Uvulam oriuntur. Laxa enim, mollis, & ad recipiendos affluentes humores ex capite aptissima pars est. At quis quæso ibi secaret aut ureret? Meritò itaque insanabiles ipsos pronunciavit Galenus. In aliis verò partibus oris sanari posse cancros, sequens observatio fidem facit.

Genere, Virtute, Doctrinâ, sed præcipuè pietate nobilis Vir, Dn. Wilhelmus vom Scheidt genant Weißpfenning / Juris U. Doctor, & Serenissimi Principis ac Domini, Dn. Wilhelmi, Juliacensium, Clivensium & Montensium, &c. Ducis Consiliarius prudentissimus, & Satrapa in Solingen, &c. à multis annis tuberculo ad radicem dẽtium ocularium sinistri lateris laboraverat, quod ex defluxionibus vehementibus ad dentes ortum suum traxerat. Tandem quum accrescere & dolere cœpisset, ut majora incommoda evitaret, ex consilio Dn. D. Galeni Wieri, ejusdem Principis Medici celeberrimi, Coloniâ in arcem zu der Burg vocatam, unà cum clariss. Viro Dn. Iohan. Cosma Slotano, Medico Coloniensi (Dn. Wierus enim propter occupationes gravissimas circa Pricipem, curationi interesse non potuit) accersitus fui, Anno 1593. ubi curationem sequenti modo instituimus. Tuberculum autem magnitudinem juglandis adæquabat: prædurum, lividum, & inæquale erat, & partim gingivæ, partim quoq; labio adhærebat, ita quoque ut exterius extuberantia quædam appareret. Dolor quoq; pungitivus aliaq; signa, quæ cancrum comitari solent, aderant. Porrò quia à multis annis catharris ad dentes obnoxius fuerat nobilissimus æger, ne factâ operatione, defluxiones negotium nobis facesserent, constitutum fuit inter nos, ut ante operationem corpus omnibus modis, & quantum fieri posset, præpararetur; quapropter inprimis sequens Apozema, ad humorem peccantem incidendum & præparandum exhibuimus.

R. Rad. cichorii cum toto m.j.

Radicum petroselini, fœniculi ana ℥ij.

Poly-

Polypodii q. ℥. ß.
Corticum frangulæ ℥j.
Cortic. capparorum & Tamarisci an. ʒj. ß.
Herbar. Scolopendriæ, veronic, betonicæ,
Fumariæ, scabiosæ, ana m. ß.
Flor. boraginis, buglossæ, rosmarini,
Betonic. summitatum thymi, & majoranæ, ana p. j.
Seminis anisi, fœniculi, an. ʒij.
Coriandri præparat. ʒj.
Passulatum Corinthiarum ℥. ß.

Decoquantur in s. q. aquæ, & tertia parte vini, ad consumptionem medietatis.

Hujus Apozematis accipe ℥ij. ß. in quibus infundantur & macerentur per noctem:
Rhabarbari electi ʒj.
Agarici recenter trochiscati, &
Turbith gummosi, an. ℈. ij.
Folior. senæ mundatorum ʒij.
Sem. anisi, &
Florum Tartari, ana ℈. ij.

Maneant per noctem in infusione, in loco tepido. Mane post levem ebullitionem fiat fortis expressio, cui adde
Srupi de polypodio ℥j.
Aquæ cinamomi ℥. ß.
Misce, fiat potiuncula.

Sic purgato corpore, per dies aliquot de præscripto Apozemate bis in die, nimirum tribus horis ante prandium, totidemque ante cœnam, haustum bibit, tandemq; jamjam præscriptam potiunculam reiteravimus. Interim autem dum præscripto Apozemate utebatur, venam in cubito sinistro incidimus, Cucurbitulas quinetiam, primò siccas, tandem cum scarificatione applicuimus. Sic præparato & evacuato corpore per vias manifestas, sudorem quoque per dies 14. duximus, sequenti decocto.

R. Ligni sassafras optimi ʒij.
Ligni Guajaci rad. salsæ parillæ an. ℥j.
Cinamomi ℥. ß.

Projiciantur in poculum stanneum aut terreum, & affunde aquæ claræ ℔. iiij. Claudatur quàm diligentissimè vesicâ madidâ primò, deinde linteo, ne quid expiret. Tandem fiat decoctio per horas sex aut octo in duplici vase. Non autem ilicò aperiendum est poculum, sed expectandum, donec per se sit refrigefactum. Hujus decocti sumpsit ad uncias quatuor pro vice, & bis in die. Post sudorem corpus iterum expurgavimus sequenti purgatione.

R. Rad. Polypodii quercini,
Cortic. rad. frangulæ, Tamarisci, &
Capparorum an. ʒj.
Ceterach. fumariæ, scolopend, an. p. j.
Flor. buglossæ, boraginis, violarum, an. p. ß.
Seminis anisi, fœniculi, an. ʒ. ß.
Folior. senæ Alexand. select. ʒj. ß.

Decoquantur in aqua fumariæ & scabiosæ, ut colatura redeat ad ℥iij. In quibus infundantur & macerentur s. a.
Rhabarbari,
Rad. mechoacæ ana ʒj.
Agarici trochiscati ana ʒj.
Zingiberis & sem. anisi an. ℈. j.

Maneant per noctem in infusione, in colatura fortiter facta dissolve
Electuarii rosarum Mesuæ ʒij.
Syrupi de polypodio ʒvj.
Diasennæ Brassavoli ℈. ß.
Aquæ cinamomi ʒiij.

Misce & detur in crepusculo matutino. Interim autem dum decocto sudorifero utebatur, frequenter os sequenti Gargarismate abluebat, idq; in eum finem, ut partes defluxionibus obnoxiæ ante operationem corroborarentur.

Obs. 27.

Gargarisma.

R. Rosarum rubear. m. j.
Flor. malvæ hortensis, m. ß.
Cortic. granatorum ʒij.
Balaustior. Gallarum immatur. an. ʒj.
Flor. betonic. scabiosæ, an. p. j.
Radic. scrophulariæ ʒ. j. ß.

Coquantur in ℔. iiij. vini rubri & stiptici, ad tertiæ partis consumptionem, colaturæ adde
Mellis rosacei ℥ij.
Diamoronis, &
Mellis violacei an. ℥j. Misce, fiat Gargarisma.

Ex præscriptis herbis quoque minutissimè incisis, Sacculos duos præparavi, quorum alter ejus erat magnitudinis, *quam Tabula II. Observationi huic subjecta, figura II. exhibet.*

Alter ejus erat latitudinis, ut superius labium nasum & genam cooperiret. Sacculos istos vino rubro & stiptico incoctos tepidè applicare jussi; & quidem continuò.

Satis præparato corpore, tam optima victus ratione, quàm præscriptis remediis, ægrum in sedem collocavi, capite parumper retrorsum versus nucham reclinato. Tum ministrum retro ægrum constitui, qui ambabus manibus non solum caput tenebat, verùm etiam indicibus digitis superius labium in altum elevabat. Hoc facto, acu incurvatâ filoq; reduplicato apprehenso tumore, ipsum paululum attraxi, & cultello separatorio hîc adumbrato, ad ipsam mandibulam usque feliciter excidi.

(*Cultelli separatorii adumbrationem vide sub finem hujus Observationis Tabula II. figura III.*)

Exciso tumore, sequentem pulverem ad sanguinem sistendum, cum stupis albumine ovi madefactis imposui, & fasciâ ligavi.

R. Farinæ volatilis ℥. ß.
Boli Orientalis,
Terræ sigillatæ an. ℈. iiij.
Pulveris albuminum ovorum sole exsiccatorum ʒj.
Pilorum leporis minutissimè incisorũ ℈. j.
Corallorum præparator. ℈. ij.
Misce, fiat pulvis tenuissimus.

Sequentibus diebus oleum de vitellis ovorum, cum pauco croci mixtum, filamentis vulneri imposui. Digesto satis vulnere, sequenti gargarismate os sæpissimè abluere jussi:

R. Flor Betonicæ,
Rosarum,
Folior. alchymillæ,
Saniculæ,
Pyrolæ, scabiosæ, an. p. ij.

Coquantur in aq. ℔. iij. ut colatura redeat ad ℔. j. ß. in qua dissolve,

Mel-

Obs. 27.

Mellis rosati colati ℥iij.
Misce, fiat Gargarisma.

Circa finem curationis, sequentem pulverem vulneri inspersi, & laminam plumbi tenuissimam applicui,

R. Tutiæ præparatæ,
Pulveris gammarorum,
Aluminis usti, an. ℈.j. Misce.

Hisce remediis sanitati restitutus, & ex evidentissimo periculo liberatus fuit, ita ut ad annum 1611. supervixerit. Quo anno circa finem Rattingæ piè & placidè obdormivit, & pro calamitosa hacce vita beatorū sedem sibi elegit, cùm annum septuagesimum prætergressus esset.

Cæterùm dum circa vulnus occupatus essem, in Universalibus nihil prætermissum fuit, quotiescunque enim alvus astricta erat, clysteres injecimus, cucurbitulas quinetiam cum levi scarificatione applicuimus: singulis quoque diebus paulò ante prandium ad nucis juglandis magnitudinem de sequenti Electuario sumpsit.

R. Conservæ flor. betonicæ,
Salviæ, rosmarini, &
Flor. scabiosæ an. ℥.j.
Specierum dianthos,
Aromatici rosati, &
de Gemmis frigid. an. ℈ ij.

Misce, & cum syrupo conservæ corticum citronum fiat Electuarium.

Post pastum aut mivâ cydoniorum, aut semine anisi, & fœniculi condito utebatur. Cucupham præterea ex sequētibus pulveribus præparavim⁹, qua per annos aliquot usus fuit.

Pulvis pro Cucupha.

R. Florum betonicæ,
Rosmarini, Stœchados,
Rosarum rubear. an. m. j.
Summitat. majoranæ m. ß.
Sem. Coriandri præp. ʒ. ij.
Ligni aloes ʒ. j.
Masticis, Thuris, ana ʒ j. ß.
Specier. diamoschi dulcis ℈. iiij.
Nucis moschatæ ʒ. j. ß.
Caryophyllorum ℈. j. ß.
Granorum Kermes ℈. ij.

Misceantur & contundantur grosso modo pro Cucupha. Sequens quoq; vinum Medicatum præscripsimus, de quo per intervalla paulò ante prandium haustum bibebat.

R. Flor. Rosmarini, betonicæ, Lil. convallium, Primulæ Veris, ana m. iij.
Summitat. Thymi, majoranæ,
Flor. Stœchados, borag. buglossæ, an. m. j.
Radic. Iridis florent. ℥j.
Galangæ ʒiij.
Ligni aloës ʒij.
Cinamomi, Nucis moschatæ an. ʒvj.
Radic. Caryophyllatæ ℥ij.
Liquiritiæ ℥iiij.

Incidantur omnia grosso modo, projiciantur que in dolum, pro mensuris 12. aut 13. vini optimi & depurati.

Pro corroboratione gingivarum seq. Dentifricio usus est.

Dentifricium.

R. Corallor. præpar.
Rosarum rubear. an. ʒj.
Thuris, cornu cervi usti & præp.
Cancrorum præp. ana ℈. ij.
Sanguinis draconis,
Balaustiorum ana ℈. j.
Margaritar. præp. Ossis sepiæ an. ℈. ß.
Rad. Iridis florent. ʒ. j. ß.
Aluminis usti ℈. j.


Misceantur, fiatq; omniū pulvis subtilissimus.

Ignosce quæso, Candide Lector, si forsan nimis prolixus fuerim. Fecit id magnitudo morbi: magnitudo inquam. Gingivarum enim & labiorum cancri, nisi Universalia ritè & ex arte adhibita fuerint, incurabiles utplurimum esse solent. Hæc quia Empirici & circumforanei, in excisione Cancri labiorum non observant, mirum non est, si utplurimùm malum recrudescat, & in pejus evadat. Qui itaque operationes hujusmodi cum laude & utilitate ægri perficere cupit, videat primò, ut corpus ægri ante operationem diligenter sit præparatum, ubi præsens Observatio, tyronibus veluti exemplar & idea inservire poterit: deinde diligentiam adhibeat, ut malum cum suis radicibus, & in parte sana extirpetur; Quandoquidem minimâ remanente portione mali, frustranea erit operatio, ut alibi fusiùs demonstravimus.

(o)

Hìc inseratur Tabula I I.

Obs. 9.



OBSERVATIO XXVIII.

De excisione tumoris Cancrosi, in mala existentis.

ANNO 1594. Coloniæ Agrippinæ viduam Magist. Henrici Sartoris, ad portam Leporinam habitantem, curandam habui. Laboraverat illa per multos annos tuberculo Cancroso in mala dextra, quod magnitudinem nucis avellanæ haud excedebat. Durum erat, lividum, & inæquale, exteriùs tamen nihil apparebat. Præparato satis corpore, tam victus ratione, quàm reiteratis purgationibus & venæsectione, ægram in sedem collocavi: deinde ministros duos retro constitui, quorum alter caput tenebat, alter indicibus digitis in os immissis, & ambobus pollicibus è regione tuberculi positis, malam invertebat. Sic satis in conspectum veniente tuberculo, illoque acu incurvata ac filo apprehenso, cultello separatorio, superiùs delineato, excidi. Postea eodem modo, uti in præcedente observatione dictum fuit, processi, curationemque feliciter absolvi.

Binas hasce Observationes in eum finem scripsi, ut junioribus Chirurgis animum adderem, ne in Cancrosis tumoribus, in ore existentibus, facilè desperent, & ab officio desistant, dummodò ipsos apprehendere, & radicitùs exstirpare possint.

OBSERVATIO XXIX.

Ex haustu aquæ frigidæ, Dolor ingens ventriculi, & Lipothymia.

EX maximo haustu aquę frigidę ingentes dolores ventriculi, cum mentis alienatione supervenisse, Centur. IV. Observ. XXXVIII. à nobis dictum fuit. Sed quia causa hujus doloris tunc temporis non satis perspecta mihi fuit, operæ precium esse duxi, similem ascribere observationem, ab eo tempore à me notatam, ex qua præcedens historia clarior evadet. Juvenis quidam ex domesticis meis, cùm æstatis tempore peregrè profectus esset, & in via incaluisset, non procul Murato Helvetiorum, ad tubulum fontis admoto ore, maximum haustum frigidæ bibit. Quid fit? Exoritur statim dolor ventriculi, ita ut nonnisi maximâ cum difficultate Muratum pervenerit, ubi ante portam urbis in lipothymiam incidit. Cùm verò evomuisset, & insectum, vermemque multipedem, ut in fontibus plerunque conspiciuntur, rejecisset, cessavit dolor; quapropter ulteriùs ad urbem se contulit: ubi in ædibus Nobilissimi ac Strenui Viri, Dn. Johannis Jacobi à Diesbach, Equitis, &c. Patroni ac Mecœnatis mei summo studio observandi, pernoctavit, & ita restitutus fuit, ut sequenti die iterum in viam se dederit, & iter suum absolverit. Ex hac historia facilè apparet, quæ causa fuerit doloris istius viri, cujus memini Observatione supradicta: insectum videlicet aliquod cum aqua ad ventriculum pervenisse, eumque punxisse. Ego Sanguisugam fuisse, semper arbitratus sum. Quamvis enim hoc tempore, videlicet mense Februario, nondum in stagnis reperiantur; ad scaturigines tamen fontium, propter earum calorem, plerunque perreptare, verisimile est. Videant itaq; sitientes viatores, ut potiùs Diogenis calice utantur, quàm os tubulo fontis admoveant.

Obs. 30.

OBSERVATIO XXX.

De gravissima Pleuritide, in qua Venæ sectio septimo morbi die cum successu fuit adhibita.

Viro Clarissimo, Doctissimo, Domino JACOBO HAGENBACHIO, *Basiliensi Medicinæ Doctori,*

Guilhelmus Fabricius Hildanus

S. P. D.

THeses Tuas inaugurales de Pleuritide, Doctissime mi Domine HAGENBACHI, accepi, & statim legi. De Sectione venæ in Pleuritide inter nudos Theoricos & Practicos maxima est controversia: videlicet an ex eodem, vel ex opposito latere fieri debeat? Tu rectè distinguis, nimirùm in principio morbi fieri debere ex opposita parte, post principium verò ex eadem. Sed vide, atque etiam vide, mi Domine HAGENBACH, ut sectio illa fiat statim ab initio, & intra paucas horas post morbi insultum, alioquin facilè errare poteris in curatione. Ego, ut ingenuè fatear, nunquam, aut saltem rarissimè optatum successum vidi, ex sectione venæ in opposita parte facta. Rarissimè enim, præsertim inter Germanos (qui inchoante morbo potiùs carnifices, Veterinarios, Agyrtas, & hujus farinæ homines, quàm rationales Medicos adhibent) statim ab initio morbi accersitur Medicus; rarò item in augmento; sed ut plurimùm in statu, quando omnia ad interitum vergunt. At eo tempore, si vires permittunt, melius est, ex latere malè affecto evacuare, quàm revulsionis gratiâ venam in opposita parte incidere. Facilè enim ex simplici Pleuritide duplex sequeretur, quod & nonnullis maximo eorum damno accidisse memini. Tutius itaque erit, ex eodem latere venam secare. Egregiè enim materia peccans, & in parte affecta conjuncta, hoc modo evacuatur: quod & ego non ita pridem in pleuritico, maximo cum successu expertus sum. Casum, quia in eo nonnulla annotatione digna occurrunt, paucis adscribam.

Historia.

Patricius quidam hujus urbis, Dn. Johan. Jacobus Wagner nomine, Præfectus in Summißwald / homo quinquagesimum annum ætatis prætergressus, carnosus & plethoricus, sed & strumosus, & à multis annis catharris ad articulos obnoxius, cùm 21. Junii cum amicis & consanguineis, qui Mülhauso ad ipsum venerant, in multam noctem lautè vixisset, & postera die juxta illud:

Schol. Salernit. cap. 16.

Si nocturna tibi noceat potatio vini,
Hoc tu mane [illegible]as iterum, & fuerit medicina.

Summo mane, ante amicorum suorum abitum, iterum se mero onerasset, eadem die dolores articulorum primò, deindè quoque tussis, angustia pectoris, & dolores pungitivi lateris dextri, cum sputo cruento supervenerunt. Prima die ex mulierecularum & agyrtarum consilio, theriacâ, aquâ cardui benedicti dissolutâ, sudorem provocavit: sequentibus verò diebus decoctum Traumaticum, seu, ut vocant, HalWilianum (vide aniles ineptias) bibit. Hinc mirum in modum adaucta fuit febris. Quùm autem à vino non abstinuisset, symptomata omnia ita exacerbata fuerunt, ut astantes de recuperanda valetudine animum abjicerent. Quapropter me in *Summißvvaldt* advocarunt 29. ejusdem mēsis, qui fuit septimus dies morbi; tùm ægrum sequenti modo laborantem inveni. Febris erat maxima, sitis inexhausta, & tussis frequens, cum exspuitione cruenta, pectoris angustiâ, & linguæ ariditate: vigiliæ item cum capitis dolore, nausea, & cibi fastidium ægrum torquebant. Porrò cùm ex pulsu aliisque indiciis, vires adhuc aliquomodo constare cognovissem; malui aliquid tentare, quā ægrum in evidentissimo vitæ periculo omninò deserere. Curationem itaque sequenti modo institui. Primò, juxta præceptum Hippocratis lib. 1. aphor. 16. victus rationem humectātem & refrigerantem institui: vino ipsi planè interdixi, cujus loco lac amygdalarum exhibui; de quo prima die ultra mensuras duas ebibit; tantus erat æstus internorum viscerum. Alvum quoque statim lubricam feci suppositorio. Enema exhibuissem, nisi, ut scis, nostratibus illud tantoperè esset odiosum. Exonerato ventre, statim venam in cubito lateris malè affecti incidi, & ad uncias octo sanguinis extraxi. Totum pectus oleo liliorum alborum; & axungiâ caponis inunxi, & Expectorantia exhibui. Eadem die post cœnam nonnihil Laudani, cum decocto suo pectorali, parumque confectionis Alkermes propinavi. Quievit sat benè eadem nocte: quapropter sequenti die, cùm viderem, naturam novas recollegisse vires, leniter leviterque ipsum purgavi, idque infusione Rosarum pallidarum (quæ tunc temporis opportunè in horto florebant) addito Syrupo Rosato solutivo composito, parumque pulveris mei Laxativi, & Cremoris Tartari. Carpis sequens applicui Epithema:

Curat.

Epith.

R. Summitatem buglossæ, &
Boraginis cum suis floribus;
Melissæ, an. m. j.

Incidantur, & contundantur in mortario, addendo aquæ rosarum ℥ ij. Aceti Rosacei parùm. Colaturæ fortiter factæ addidi aliquid Cinamomi, parumque croci: species enim Cordiales nullæ ad manus mihi erant. Durante morbo aliquoties expurgatus fuit, sed clementer: potiunculam quinetiam post cœnam per intervalla iteravimus. Pectus quotidiè bis aut ter inunximus, & sacculos emollientes & anodynos pectori applicuimus. Sic præter spem atque exspectationem omnium, sanitati ita restitus fuit, ut non diu post curationem hùc venerit, & per dies aliquot cum amicis & consanguineis suis alacriter vixerit. Crisis ferè nulla supervenit, nisi quòd circa 17. morbi diem, sputum atque excrementa alvi majori in copiâ, quàm antea, ejecerit, nec non maculæ rubræ & latæ, circa carpos & manuum digitos apparuerint. Illæ autem an propter expulsionem aliquam criticam humoris biliosi, an verò ex applicatione Epithematis, & acrimoniâ aceti, ut plerunque accidere solet, supervenerint, affirmare non possum. Tunc enim temporis ipsemet ægro non ampliùs astiti, sed ea, quæ recensui,

30. censui, à Monhemio meo observata fuerunt. Cæterùm Doctiss. mi Dn. HAGENBACHI, mirum in modum tibi suspectam esse hanc venæsectionem, haud dubito; non quia in brachio lateris laborantis, sed in die critico facta fuerit. Morbi enim cùm inchoant, ut prudenter monet Hippo. 2. aph. 29. si quid movendum videtur, move: cùm verò consistunt ac vigent, melius est, quietem habere. In statu enim & vigore morbi, cùm symptomata omnia sint acerbissima, cumque natura circa morbum occupata, non est deturbanda remediis. Utinam methodus illa, quæ verissima & certissima, in omnibus observari posset. Verùm enim verò cùm viderem, morbum esse extremum, ac in corpore hocce plethorico hoc unicum mihi superesse remedium, videlicet sanguinis missionem; indignum esse Christiano censui, ægrum, quem pro deplorato ferè habebant astantes, non attingere. Potiùs itaque experiri volui remedium hoc, quàm ægrum in evidentissimo vitæ discrimine derelinquere; juxta illud Hippocratis: *Extremis morbis extrema conveniunt remedia.* Nihil enim interest, inquit Celsus, remedium an satis tutum sit, quod unicum est. Hæc ad Te scribo, ne unquam in praxi animum abjicias; nisi vires ægri omninò defecerint. Thesi 44. Diversionis gratiâ etiam frictiones adhibendas esse suades: quæ mihi semper fuerunt suspectæ, præsertim in morbis calidis & acutis, qualis est Pleuritis. Sanguinem enim & humores ex frictionibus incalescere, acriores fieri, & proindè majori cum impetu ad partem affectam ruere, facilè mihi concedes. In morbis frigidis, veluti Apoplexiâ, Epilepsiâ, Paralysi, & hujusmodi, locum habere posse videntur: quia tamen, ut dixi, inde sanguis & humores incalescunt, & instar vehiculi crudos frigidosque humores ad partem laborantem vehunt, circumspectè cum eis agendum est; nec facilè ab initio morbi, materiâ adhuc fluente, adhibendas esse arbitror.

Frictiones.

Ligaturæ verò fortes & dolorosæ summoperè tùm in pleuritide, tum etiam in aliis morbis acutis, ubi materia ad locum aliquem decumbit, sive calidi, sive frigidi fuerint, conveniunt. Quandoquidem sanguinem & humores veluti cum impetu attrahunt: nec verendum est, ut corpus excalefacere possint. Hæc non contradicendi, sed exercitii causa ad Te scribo: quapropter ut omnia amicè interpretari velis, rogo. Quod superest, pro thesibus transmissis gratias, quas possum, ago maximas, & insuper Tibi, mi D. HAGENBACHI, plurimum gratulor; imò ex animo Tibi de acquisita dignitate gratulor. Faxit DEUS OPT. MAX. ut provinciam illam diu ad Dei gloriam, ædificationem proximi, Tuamque salutem administrare possis. Tuum ad nos adventum avidè exspectamus, & ut ante autumnum nos invisere velis, summoperè rogo. Ego ante mensem peregrè profecturus non ero. Generosus enim Baro de Spiez Tibiam sinistram ad poplitem sibi confregit, circa quem occupatus sum. Vale & feliciter vive diu cum parentibus Tuis charissimis: quos ut meo & uxoris meæ nomine plurimùm ac demissè salutare velis, plurimùm rogo. Raptim Bernæ. 18. Augusti, 1622.

Ligaturæ.

Obs. 31.

OBSERVATIO XXXI.

De Pleuritide in morbum chronicum degenerata.

Viro Doctissimo, Dn. JACOBO HAGENBACHIO, *Medicinæ Doctori, Amico meo plurimùm honorando;*
Guilhelmus Fabricius Hildanus.
S. P. D.

Tuas, Clarissime doctissimeq; mi Domine D. HAGENBACH, unà cum libro, quem à Te expectabam, accepi literas. Pretium, quod pro libro persolvisti, proximâ occasione mittam. Interim gratias, quas possum, ago habeoq; maximas. Obitum Clarissimi & Pietate Excellentissimi Viri, Dn. D. Petri Spinæ, ex tuis, uti & ex Dn. Hemelii literis, cum dolore & lachrymis intellexi. Amisi amicum antiquum, fidelem, & intimum, vel potius præmisi ipsum ad beatorum sedes, ad quas nos omnes hoc turbulentissimo tẽpore quoque aspiramus. Inclusas quæso, si occasio sese obtulerit, ad Petrum meum mitte: facies mihi & ipsi rem gratissimam. Cum primùm Bernam reversus fuero, casum singularem, quem hac Hyeme in praxi nobis videre contigit, Deo volente, ad te scribam. Nunc nihil singulare habeo: ne tamen literas planè vacuas ad te darem, en de Pleuritide in chronicum morbum mutata, exemplum unum aut alterum.

Exempl. 1. malè curatæ Pleuritidis.

Virgo quædam apud nos, ex nobilissima Bôstetteriana familia orta, & 18. circiter annos nata, cum superiori æstate Pleuritide dextri lateris correpta fuisset, & medicus rationalis in consilium adhibitus non esset, beneficio naturæ, & rasuræ dentis apri, ex jusculo sumptæ, paulatim ita restituta fuit, ut nihil amplius desiderari posse speraret. Dolor tamen obtusus & gravativus in ipso latere remansit. Quid fit? acquirit materia illa, in latere retenta, successu temporis acrimoniam: quapropter circa principium autumni, febre acutissimâ corripitur; in qua natura veluti per criticam expulsionem materiam peccantem, ad omnes ferè articulos totius corporis detrusit. Dn. D. Rege in consilium vocato, & ab ipso ex arte præscriptis & adhibitis medicamentis, febris & dolores articulorum omnium remiserunt, præterquam in genu dextro; in quo dolor fixus remansit, non sine ingenti tumore. Tum ego quoq; adhibitus fui, & unà cum Dn. D. Rege omnem adhibui diligentiam. Corpus, Apozemate prius præparato humore, expurgavimus, vomitum quin etiam aliquoties, majoris revulsionis causâ, provocavimus, & sudorifera per dies aliquot propinavimus. In applicatione Topicorum quoque nihil prætermissum fuit. Sed omnia absque fructu ferè; præterquam quod tumor in genu evanuerit. Dolores enim etiamnunc, præcipuè cùm corpus aut crus movetur, acuti, nervi quin etiam retracti sunt, & tibia mirum in modum coxam versus incurvata est. Nunc quia eis omnibus, quæ ex arte, & secundum rationem adhibuimus, parùm profecisse videmus, tempus commodum, ut ad thermas ablegari possit, exspectamus. Si forsan earum beneficio acris illa & nervosis

Obs. 31. & 32.

vosis partibus infixa materia evacuari, & in halitum reduci possit. Est alioquin puella satis robusta & valida, neque pravis humoribus usque adeò referta: Menses quinetiam ordine fluunt.

Exemplū II.

Alterum exemplum est de Virgine quadam 20. circiter annorum ætatis, & ex domesticis Illustrissimi Viri, Dn. Mironii, Regis Galliarum apud Helvetios Legati. Hæc cum superiori Autumno Pleuritide correpta, & á Dn. D. Ludovico Scharandeo, Solodurensis Reipublicæ Medico ordinario, ipsi curatio ex arte præscripta fuisset, illa verò ut morosa & inobediens, optimis & salutaribus consiliis & remediis minimè obtemperaret, sed in victus ratione & usu medicamentorum pro arbitrio suo sese gereret, & jam aquam crudam frigidamque, jam vinum purum biberet, & medicamenta respueret; aëris quinetiam injuriæ sese exponeret, ex acuto illo morbo tandem in chronicum incidit. Circa finem enim costarum verarum lateris sinistri dolor remansit, non sine angustia pectoris, & virium labefactatione. Tussis quoque continuò ipsam exercebat. Sic paulatim in ipso pectore pus collectum fuit, quod tandem perforatis musculis intercostalibus exteriùs in cute apparuit. Vigesima itaq; septimâ hujus mensis, cùm ego quoque unà cum Dn. D. Scharandeo accersitus essem, causticum circa finem costarum verarum applicuimus, & ab ipso factam escharam 28. die excidimus. Sed nihil ferè puris sequutum est. Propter escharam enim primâ vice pus ratò in copia effluere, aliquoties apud me vidisti. Circa vesperam verò ultra uncias sex emanavit: ab eo tempore quàm copiosè effluat, vix credibile est: bis enim in die ad uncias octo aut novem pro vice effluunt. Interim vires constant, & symptomata remittunt: quapropter de recuperanda valetudine benè speramus. Nonne mirum est, Doctissime mi Dn. Hagenbach, materiam hancce purulentam in tanta copia, & tamdiu in ipso pectore, & propè cor ipsum, sine vitæ discrimine delitescere potuisse? Sed arbitror ego, ipsam membranâ aliquâ validâ inclusam fuisse, ita ut vapor nullus ex ipsa ad cor pervenire potuerit. Tu, quid sentis, rescribe. Vale, & æternùm cum parentibus tuis charissimis vive, & Dominum Grasserum, reliquosq; amicos meo nomine quàm amanter, quæso, saluta. Ocyus Soloduri, 30. Ianuar. 1623.

OBSERVATIO XXXII.

De Pleuritide, post Venæ sectionem in opposito latere factam, exasperatâ.

Viro Doctissimo, Dn. JACOBO HAGENBACHIO, Medicinæ & Chirurgiæ Doctori, Amico meo plurimùm honorando,

Guilhelmus Fabricius Hildanus,

S. P. D.

De felicissimo successu Sectionis venæ in Pleuritide, in latere malè affecto factæ, doctissime mi Dn D. HAGENBACH, ante annum ad Te scripsi. Non solùm autem in isto viro, verùm etiam in omnibus aliis, quos superiori Vere & æstate curandos habui (multos autem per Dei misericordiam sanitati restitui) ita ex voto successit, ut ne unus quidem, laus sit Deo, eorum, qui ex arte curati fuerunt, obierit. Longè secus accidit in ancilla quadam, Barbara Mouchet nomine. Illa enim cùm superiori mense Aprili ex sinistro latere Pleuritide correpta, & in dextro brachio vena ipsi secta fuisset, adeò exacerbatus & auctus fuit affectus, ut cùm ego quarta die morbi ad ipsam vocatus essem, in tantis angustiis ipsam repererim, ut morti eam proximam esse putarem. Febris erat maxima, cum tanta pectoris angustia, ut non nisi rectâ cervice spirare posset. Tussis vehemens, cum sputo cruento aderat. Optimam victus rationem præscripsi: Expectorantia exhibui, totumq; pectus oleis & unguentis convenientibus inunxi. Cùm verò morbum ingravescere, vires autem aliquo modo adhuc constare, viderem, sextâ die morbi, iterum venam secare jussi, sed in brachio lateris malè affecti. A qua postea præter omnium spem atq; exspectationem paulatim plenissimè restituta fuit, & nunc optimè habet.

Ex his, doctissime mi Dn. Doctor, videmus, quàm periculosa sit opinio eorum, qui in Pleuritide venam in opposita parte secādam esse, contendunt. Etiamsi enim id statim ab initio morbi aliquo modo locum habere posse videatur, rarissimè tamen sectionem hancce tutam esse, & in hac nostra ægra, & in aliis quamplurimis observavi. Sunt, qui in Pleuritide, sive in dextro sive in sinistro latere fuerit, perpetuò in dextro brachio venam secandam esse docent, propter venam azygon, quæ in dextro latere ex vena cava exoritur: sed & ne id quidem tutum esse, in hac ægra apparet. Præstat igitur secundum mentem Galeni, libro de Venæ sectione, & naturæ motum imitari, & rectitudinem fibrarum observare. Quęcunque enim sanguinis eruptiones è directo fiunt (inquit) maximam commoditatem ægrotantibus adferunt: quæ verò sanguinem contrà excernunt, nihil juvare, aut etiam nocere: quod scilicet interdum citra mali levamen vires exolvant. Neque enim liene malè habente, è dextra nare sanguis erumpens, neque in jecore, è sinistra, ullam adfert utilitatem; sed revulsio quidem, quæ in rectum fit, manifestam utilitatem celeriter ostendit: in quibus autem contrà accidit, nequaquam. Dextra igitur nare sanguinem effundente, ad dextrum hypochondrium affixa cucurbitula, sanguinis eruptionem clarè celeriterq; sistit: perindè atque ad sinistrum, sanguinem excernente sinistra. Hæc Galenus. Eandem quoq; methodū in venæ sectione Pleuriticorum observandam esse, disertè testatur idem Galenus, tùm in lib. de venæ sectione, tùm aliis in locis. Quæ enim in opposita parte fit Venæsectio, plurimùm nocere, & in prædicta ægra, & in aliis sæpissimè observatum est. Quandoquidem hoc modo vires frustrà exolvuntur, & sanguis bonus extrahitur, vitiosus verò & inutilis non tantum in corpore relinquitur, verùm etiam ex latere malè affecto, versus partem sanam attrahitur, fitque sæpissimè ex simplici pleuritide universalis: quémadmodum & in hac nostra ægra accidisse, ex eis, quæ dictâ sunt, colligere poteris.

Portò doctrinam Galeni de Venæsection. in Pleuri-

32. 33. leu- e Ob- atio ularis

Pleuritide veram certamq; esse, & è directo factam evidentissimam utilitatem adferre, exemplum hocce non vulgare fidem facit. Anno 1622. 24. Ianuar. Matrona quædam Bernensis, Catharina von Römisthal/ Dn. Vincentii Spætig uxor, juvenis, robusta, plethorica, & optimo corporis habitu prædita, pleuritide gravissimè correpta fuit. Sequenti die, qui fuit finis primi diei morbi, cùm ego advocatus essem, protinus suppositorio acri alvum duxi, postea venam brachii lateris malè affecti secare, & sanguinem ad uncias circiter decem extrahere jussi. Totum pectus Oleis & Linimentis convenientibus inunxi: sacculos quinetiam anodynos applicui: & expectorantia exhibui. Vigesima sextâ, qui fuit secunda dies morbi, ipsam medicamento lenitivo expurgavi. Circa finem tertii materiam digestam excreare cœpit, quam quarto & quinto copiosè rejecit: & ita quidem, ut febris, angustia pectoris, tussis, reliquaq; symptomata ante septimum remiserint, & ante undecimum, singulari DEI clementia plenissimè convaluerit, non sine admiratione multorum. Tertio enim die, cùm natura tota in hoc occupata esset, ut cruentam crudamq; materiam in pectore concoqueret, & ad excreationem faciliorem pararet, ut potestatem testandi à Senatu Amplissimo solenniter impetraret, me absente atque inscio, ex lecto in plateam publicam (id enim hîc moris est, nec aliter fieri potest) gestatoriâ sellâ se transferri curavit: ubi per semihoram aëri frigidissimo exposita fuit Vides, quantum possit natura valida, si methodus curandi rectè instituta fuerit. His vale, Doctissime mi Domine Doctor, & cum Tuis omnibus quàm felicissimè vive diu. Dabam Bernæ, 4 Augusti, 1623.

OBSERVATIO XXXIII.

De prodigiosa inedia puellæ Morsiensis, historia singularis.

Viro clarissimo & doctissimo, Dn. CONRADO PFISTERO, *Artium liberalium Magistro excellentissimo, & in Inclyta Academia Basiliensi Professori celeberrimo, amico singulari,*

Cui

Guilh. Fabricius Hildanus S. P. D.

PEr Epistolam rarò Te alloquor, clarissime & doctissime mi Dn. Pfistere, amicorum optime, animo verò & affectu sæpissimè; præsertim interim dum optimus ac pius ille Vir, Dn. Iohannes Burgowerus, suavissimus & optatissimus meus commensalis mecum vixit. Ille jam iter in Italiam facere constituit, & brevi abiturus est; faxit DEUS Opt. Max. ut illud cum successu fiat, cursumq; studiorum suorum ad DEI gloriam, & commodum proximi, absolvere possit. Misit ad me non ita pridem Dn. D. Hagenbach, ex bibliotheca tua, Epistolam clarissimi & longè celeberrimi Viri Dn. Iacobi Zvingeri p.m. De puella nostrate, Apollonia Schreiera, olim in totum abstemia, nunc tamen cibo potuq; rursus vescente. Quæ quoniam erudita admodum atque polita fuerat, inter legendum me non solum exhilaravit, sed etiam in mentem revocavit, similem ferè historiam, quam Anno 1612. in Belgio observavi, cùm enim rerum mearum causâ Coloniam & Hildenam profectus, & ulterius ad Generosum Dominum Iohannem Adolphum *von Dhun*, Comitem in *Falckenstein*, Dominum in *Oberstein & Bruch*, &c. vocatus fuissem, atque scivissem Mœrsiæ, ditionisq; illustrissimi & magnanimi Herois Mauritii Principis Nassovii &c. virginem esse, quæ per multos annos sine cibo & potu vitam traduxit, ad meos in Helvetiam redire nolui, nisi ipsam prius inviserem, & quæ annotatione digna in ipsa invenirem, literis mandarem; idq; in eum præcipuè finem, ut clarissimo Viro Dom. Paulo Lentulo, amico meo singulari studio observando, in secunda parte sui libri de inediis, inservire possent. Quum verò paulò post reditum meum in Helvetiam, Divino fato ex hac luce ad beatorum sedes evocatus fuisset Dom. Lentulus, apud me veluti suppressa remansit historia illa; quæ tamen, meo quidem judicio, rara & digna est, ut publici juris reddatur. Literis itaq; commendatitiis à Generoso Domino Comite in *Falckenstein*, ad Nobilissimum & strenuum Virum Dom. Alexandrum Schvveichel præfectum Castri & Civitatis Mœrs, cùm instructus essem, in viam me dedi, & 23. Iulii Anno 1612. Mœrsiam veni, ubi cum literas tradidissem, quam honorificè & humaniter tum ab ipso præfecto, tum etiam à Dn. Conrado Feldhusio, ejus urbis verbi divini ministro, receptus sui; inprimis autem quæ singularia in arce & propugnaculo erant, à Nobilissimo & strenuo Viro Dn. Schvveichel præfecto, mihi ostensa fuere. Deinde mediante Dn. Feldhusio puellam abstemiam quoq; vidi, & quidem in ipsius Feldhusii ædibus, ubi ipsam ad se accersiri curaverat.

Obs. 33.

Agebat autem puella illa, Eva von gen End, aliàs Eva Flegen nomine, ex parentibus honestis & mediocris fortunæ, Tilman Flegen, & Greta, in pago Repel nata, agebat, inquam, tunc temporis trigesimum septimum annum ætatis, vixeratq; in decimum sextum usque annum, sine ullo cibo & potu. Ab incunabulis autem ipsam valetudinariam, & doloribus capitis perpetuò obnoxiam fuisse, affirmabat, cùm ipsamet ægra, tum etiam Dominus Feldhusius. Anno vero nonagesimo septimo, post festum Paschatis, qui fuit annus vigesimus primus ætatis, cùm ex morbo gravissimo & diuturno, potius naturæ beneficio, quàm Medici artificio, convaluisset, paulatim ab omni cibo & potu abhorrere cœpit, ita ut tandem intra unius anni spatium esculenta & potulenta omnia respueret, nec quicquam amplius assumeret. Ab initio, & in annū usque quintum inædiæ suæ, singulo tertio die, circa solis exortum, se splendido quodam lumine circumdari, eoque se mirificè exhilarari, substātiâ quinetiam quadam mellitâ ipsius os linguamq; irrorari, & inde vires suas refocillari ajebat, imò & eo adhuc tempore, cùm ego ipsam invisi, plerumque ipsius os humore quodam dulcissimo rigari, dicebat. Anno 1602. 11. Octobris, cùm septimâ matutinâ, ut est pia & religiosa, in hortum ad preces suas fundendas descēdisset, appariciones varias ipsam habu-

Obs. 33. habuisse, tum à Dn. Feldhusio, tum etiam ex epistola quadam à Domino Iohanne Weinsipero p.m. Pastore Ecclesiæ Mœrsiensis, ad quendam amicum suum scripta, & Mœrsiæ data Anno 1605 habeo. Hujus Epistolæ Apographum mihi dedit Dn. Geis Butz, civis Medmanensis, vir pius & fide dignus. Est alioquin puella singulari pietate prædita, & conventibus sacris utplurimum interest: statura mediocris, facie pallidâ & verecundâ, cum palpebris inclinatis, non ita tamen carnosa, ut fuit Apollonia Schreiera, sed extenuata. Venter versus spinam planè retractus erat, cùm ego ipsam viderem, sine ulla tamen duritie partium contentarum. Aures & nares mediocriter humidas habebat, & plerumq; lachrymas effundebat: Urinam tamen nullam, neque excrementa ulla per inferiora, multò minùs menses excernebat, uti nec sudorem; nonnunquam tamen sibi corpus incalescere, ac si aliquid sudoris erumpere vellet, ajebat. Contrarium in Apollonia accidisse memini, uti ipsemet vidi, & Dom. Lentulus testatur, Narratione 2. Pag. 17. Calor externarum partium corporis temperatus erat: pulsus languidus, obscurus, & ferè nullus, interim tamen ordinatus. Incedit quidem, & in publicum prodit, sed innixâ baculo. Expiscatus sum præterea, an tempore æstatis muscæ & pulices ipsam vexarent? Respondit, quam maximè, imò & à mutationibus aëris, tum intensè calidis, tum etiam frigidis, se æquè ac alios lædi, affirmabat. De muscis ac pulicibus secus in Apollonia nostra advenisse, anno 1607. cùm ipsam, unà cum clarissimo Viro Dn. Paulo Lentulo, inviseram, observavi. Etiamsi enim muscæ (quarum in hypocausto, ubi jacebat Apollonia, tanta copia erat, ut nobis omnibus molestæ essent) per faciem aliasque partes corporis denudatas oberrarent, illas tamen nullo modo se percipere, imò ne tempore hyemali se à frigore magnopere lædi, constanter affirmabat: sed de his vide Dominum Lentulum de inediis, pag. 19. Astuta quidem nō usque adeò est, piè tamen de negotio religionis, & prudenter de rebus tam domesticis quàm publicis discurrit, submissa quidem voce, interim tamen respirationem habet liberam. Retulit præterea mihi Dominus Feldhusius, se ipsam in duodecimum usque diem in ædibus suis retinuisse, ac interim summâ quâ fieri potuit diligentiâ observasse, an dolus aliquis subesset: nullum tamen se percipere potuisse, sanctè asseverabat. Parentes præterea cùm per multos annos, antequam in morbum huncce prodigiosum incidisset, ab hac luce subtracti fuissent: domicilium quinetiam suum apud homines pios ac probos, & qui extra suspicionem sunt, haberet, non video quidnam obstare possit, quin historiam hancce quintæ Centuriæ Observationum mearum inseram. Qualis autem tandem fuerit finis atque exitus hujus miraculosæ inediæ, latet me, Anno tamen 1619. ipsam adhuc superstitem fuisse, à Dom. Francisco Monhemio Coloniensi, Med. Candidato, & commensali meo, qui ipsam tunc inviserat, hisce diebus intellexi. Tibi, amicissime mi Domine Pfistere, si consultum videbitur, ut epistola illa clarissimi Viri Dn. Zvingeri de inediis, annectatur, significa quæso, & apographum maturè mitte. His vale Vir clarissime, & æternùm cum Tuis omnibus quàm felicissime vive. Dabam Bernæ, 1. Octobr. 1623.

CELEBERRIMO ET PRÆSTANTISSIMO VIRO, longoq; rerum Chirurgicarum usu experientissimo, Reipublicæ Bernensis Medico, GVILHELMO FABRICIO Hildano, Magister CONRADVS PFISTERVS Basil. Acad. Professor Ordinar. salutem plurimam in Christo Salvatore nostro unico exoptat.

PRæstantissime & peritissime Vir, amicorumque optime & humanissime. Sub finem labentis anni superioris, magnâ cum animi mei lætitiâ recepi literas tuas, amicitiæ nostræ veteris testimonium sanè quàm locupletissimum continentes, mihiq; veteris mei contubernalis & amici Domini Iohannis Burgoweri Scaphusiani, rerum Medicarum studio flagrantis, memoriam lōgè gratissimam in animum meum postliminiò revocantes, unà cum observatione quadam lectissima, cujusdam virginis longo annorum decursu abstemiæ, per Te in Belgica peregrinatione, secundum omnes circumstantias diligentissimè & fidelissimè ad me perscripta, cujus lectione non minore animi delectatione afficiebar, quàm etiam admiratione abripiebar.

Quò igitur similibus historiis medicis recompensarem similia, en, Vir Cl. & amice perquàm colende, oportunè se mihi obtulit epistola quædam Cl. quondam Philosophi & Medici D. D. Iacobi Zvingeri, Professoris Acad. Basiliensis laudatissimi (amici mei, quandiu vixero, & patroni, gratissimâ memoriâ celebrandi) ad præstātissimum Dn. D. Paulum Lentulum, Bernensium olim Medicum transmissa, nec dum in lucem emissa, quâ Cl. ille Philosophus μακαρίτης omnes inediæ longioris causas accuratissimè persecutus esse videtur, proindeq; mihi dignissima visa est, quæ in posterorum gratiam publicâ luce donaretur. Quam proinde diligenter curavi ex meo autographo transcribendam, & simili alia historia medica locupletandam, ex Samuelis Meterani Antuerpiani, historici nostri temporis optimi, libro 22. inferioris Germaniæ depromptam, cujus puellæ in Gallia diu sine cibo & potu viventis historia ferè cum tua est σύγχρονος & contemporanea. Quæ si tibi digna videatur, ut prioribus annexa observationibus recudatur, poteris illam latinâ civitate donatam cæteris adjungere, quam ideò germanicâ linguâ proditam malui transmittere, quàm verò in latinam linguam transfundere, ne videatur aliquid de accurata authoris descriptione diminutum fuisse: dulciùs enim ex ipsius linguâ authoris leguntur scripta quælibet, quàm in aliam, quamvis cardinalem, traducta. Interea gratias ago maximas Viro Cl. pro liberaliter transmissis strenæ loco libellis: ne igitur ipse quoque planè sine munusculo, sub hujus novi anni ingressum, amicorum optimum his literis internunciis salutasse videar, placuit eximii quondam Medici Dn. Henrici Lavateri, Poliatri Tigurini meritissimi, parentalia & epicedia in honorem ejus passim à doctissimis Viris & ami-

Obs. 33.

cis conscripta, nuperq; apud nos excusa, ἀντιδώρε loco per occasionem hanc optimam transmittere. Deum Opt. Max. sub finem harum literarum ardentibus votis exorans, ut hunc ineuntem annum salutarem, pacificum & tranquillum ab omnibus furiosæ Bellonæ turbis atque tumultibus toti Christiano orbi esse velit: is idem clementer faxit, ut Cl. Vir & amicus optimus, hunc ipsum & reliquos annos vitæ suæ complures, felices, salubres, & cunctis animi corporisque bonis locupletatos divino favore experiatur; quò suas omnes Observationes, hactenus ignotas Reipubl. Medicæ, in publicum medentium commodum, magno cum fœnore malè habentium, promulgare valeat, quem ipsum cum tota sua familia, uxore & liberis Dei protectioni gratiosæ ex animo commendo. Dabam properante calamo Basileæ, inter multa undiq; me urgentia negotia, anno ultimæ DEI misericordis patientiæ 1624. 26. Ianuarii.

EPISTOLA ELEGANS ET DOCTA de Puella abstemia, & aliquot jam annos ab omni ciborum usu abstinente: Conscripta & missa Dn. D. PAULO LENTULO Bernam, à Clarissimo Viro Dom. D. JACOBO ZUINGERO, Philosopho & Medico Basiliensi.

OCcasione ὁμοτραπέζε, *id est, commensalis mei, Viri Amplissimi Dn. Manuel Sculteti Bernensis, filii, Vir Clarissime, à paucis diebus attentè mecum expendere cœpi, quod plures ante hebdomadas de vestrate quadam puella perscripsisti: quæ integrum triennium pertinaci jejunio sic exegerit, ut nihil vel cibi vel potus assumpsisse, certissimâ fide, inclyti quinetiam magistratus vestri interpositâ autoritate, constiterit. Ecquid ergò nos homunciones tanta quotidiani victus sollicitudine macerabimus, si ad tale quoddam justitium, alimentorum & corporeorum membrorum indesinens certamen, natura fluxa permissu & indulgentia permoveri possit? Quando verò res ea non minus admiratione, quam prudenti & philosophica commentatione digna est; ut simul tuis quoq; petitionibus satisfaciam, dicam nonnihil* παῦρα μὲν ἀλλὰ μάλα λιγέως, *id est, pauca quidem, sed utinam satis arguté, quid mihi de eo sit visum; qui omnē penes vulgum incredulum superat fidem. Si alimoniæ quotidianus usus tam est viventi corpori necessarius, ut ejus absentia primùm languescat diebus humana natura, sequentibus decrescat, penitusq; deficiat, ut inter maxima pœnarum genera, facinorosis inferri solita, alimentorum subtractio ab omni antiquitate fuerit reposita; quanto cedo miraculo, unus & alter in plures dies vel menses, cibi potusq; expers, aurâ solâ vescetur, eamq; vitalem vivet? Vt ergò ad tantæ rei certiorem cognitionem perducamur, viâ progrediendi methodicâ insistentes,* τὸ ἔστι, *id est, an sit, docebimus primùm, ne de incerto negocio certum subeamus, sed inanem eum & inutilem laborem, tum ad ejusdem naturam, quæ causarum & accidentium mutuâ proportione absolvitur, quam* τὸ τί ἐστι, *id est, quid id sit, vocare solemus, properabimus. In præsentiarum igitur historicâ methodo, sensus testimonio, & experientiæ autoritate ostendemus, existere inter homines mortales talem abstinentiæ speciem, quæ ab omni ciborum usu liberum hominem, plurium mensium & annorum intervallo nō enecet. Admiratione quantumvis dignus sit eventus, ut per omnem vitam abstinens sit homo: inter antiquos tamen gentiles sunt qui affirment. Astomorum gentis, quæ solis fructuum & radicum odoribus per nares haustis, omnem vitæ cursum peregerit, præter (a) Plinium, dubiæ nonnunquam fidei scriptorem, etiam (b) Strabo meminit ex Onesicriti sententiâ. Quod cum ferè existimetur fabulosum, Platonici sententiam in medium profert Cœlius Rhodig. Legimus, inquit, in calidis quibusdam regionibus, ac plurimo passim odore fragrantibus, multos gracili corpore, & imbecillo stomacho, quasi solis odoribus ali. Fortè quoniam ipsa natura loci, tum herbarum ac frugum atq; pomorum succos fermè totos redigit in odores, tum corporum humanorū humores illic resolvit in spiritum. Quùm igitur uterq; odor videlicet & spiritus sit vapor quidā, & simile simili nutriatur; nimirum & spiritus & spiritalis homo plurimum odoribus accepit alimentum. Hæc Cœlius ex Platonici, quem Marsilium Ficinum existimo, sententiâ. Testatur subinde Olympiodorus, visum ab Aristotele hominem, qui donec vixerit, non manducârit quicquam, nec dormierit unquam, solo aprico sole, in quo diversabatur, alimentum accipiens. Vt autem perrarum est, & vix credibile, hominem jam natum, absq; ullo victu sic adolevisse, ut ad præscriptum vitæ terminum planè jejunus contenderit: sic majorem habet veritatis speciem, patrumq; memoriâ, præter antiquorum testimonia, comprobatur, qui prius esu vixerint, aliorum instar hominum desiisse nonnunquam, ciboşq; plurium dierum & mensium intervallo abhorruisse, ut subinde tamen ad victus reversi sint consuetudinem. Perhibent sacræ literæ, ter septem diebus in luctu jejunasse Danielem: in monte Sinai bis Mosen ut legem acciperet, semel ut peccata populi expiaret: sic & Heliam inter obambulandum; in deserto Christum 40. diebus ab omni ciborum usu abstinuisse. Id refert Augustinus, ad Casulanum scribens, de quodam qui suis vixerit temporibus: idem de alio Venetiis commemorante Petrarcha: qui de his & aliis (c) Fulgosius. Avia Tinonis in Cilia, memorante Plutarcho, singulis annis delitescere solita, solâ spiratione vixisse deprehensa fuit. Ecquid de Nicolao populari nostro, Vndervaldense Helvetio dicemus? quem fides est 15. annos constantissima inediâ traduxisse in eremo, ut cùm Episcopi Constantiensium mandato panum hausisset cibi, triduum stomachi dolore prehensus, ægrotavit graviter. Apud Sigebertum in chronicis puella duodennis à Cœnæ Eucharistiæ communione, panem initio tum omnem cibum & potum aversata triennium, ad vitam tandem communem rediit. Non illi dispar Margarita Spirensis, quæ cibum primùm respuere, tum potum, omnis demum victus abstinens, Ferdinandiq; Cæsaris principali observatione vitam traducere inventa fuit. Exempla hæc sunt probatorum autorum fide digna: quibus adjiciunt plura Cæl. Rhod. l. 13. antiq. l. 14. Pogg. in Facetiis. Aen. Sylvius l. 2. comm. in Panor. Cardan. de varietate rer. l. 8. c. 43. Plura quinetiam Beda, Marullus, & alii, in anachoritarum & sanctorum vitis: quæ compendiosè exscripta, & in classes redacta, exhibet nostrum Theatrum. Discimus his casibus evenisse nonnunquam, ut præter humanæ naturæ leges aliòqui irrefragabiles, vita superstes fuerit illis, qui ab omni cibo & potu se abstinuissent.*

a) lib. 7. c. 2. nat. hist.
b) lib. 15. Geogr.
l. 24. antiq.
l. 24. c. 21.
c) l. 1. exempl. c. 2. & 5.

Obs. 33. Quùm verò id nequaquam fieri posse, omnium ferè hominum alto consensu recipiatur, & quotidianæ experientiæ calculo confirmetur, infinitos penè fame emaciatos, alimentorum defectu fato concessisse, altius nonnihil pertinacis illius abstinétiæ causas examinandas sumemus. Quod antequam fiat, cùm nihil sit aliud abstinentia, quam ciborum sumendorum privatio, & ex habitu privationis natura atq; conditio liquidius innotescat; paucis quæ de causis & accidentibus fruitionis ciborum, non quidem omnis, sed quæ naturæ præscripto inter homines est usitata, naturalisq; vocari potest, dicenda videbuntur, fundamenti loco substituemus. Fruitionis itaq; naturalis ciborum materia sunt alimenta, non tantum solida, sed etiam humida, quorum differentiæ quantumvis plures, & multum diversæ, ad generales cibi potusq; classes revocantur, ut cibum quidem Plato in Hipparcho definiat, alimentū siccum, potum è contrà humidum. Cibus ergò idoneus humano corpori dum assumitur, ori ingestus & in ventriculum provolvitur, ipsam constituit Fruitionis ciborum formam, de qua ut plura dicantur, non est necesse; Medicis cæteroquin sollicitè præcipientibus, ut ordo ingestionis, & in ore masticationis, & masticatæ deglutitionis observetur cuiq; certus & conveniens naturæ. De efficiente potior est consideratio, quam solius naturalis fruitionis hoc ferè pacto instituimus; annumeratur ea fruitio consensu omnium humanis actionibus. Actio vel simplex est, vel mixta. Simplex à sola pendet vel hominis libera voluntate, ut ambulatio, capitis motus, oculorum ictus; vel à natura, qualis concoctio est, arteriarum pulsus, sanguinis motus per venas corporis. Ad mixtam verò edendam natura & voluntas conspirant, ut hæc ex parte libera, corporis affectionibus impellatur, nolensq; cogatur, de quo Gal. eleganter 6. de motu muscul. c. 6. In harum numerum mixtarum actionum dum referimus alimentorum fruitionem: quæ non tam liberè dependet à simplici voluntate hominis, ut urgentem naturam non sequatur; causas ejus efficientes duas constituimus: animam voluntate liberâ agentem; & naturam seu corporis affectionē eam, quam trito Famis nomine, Medici & Philosophi indigitavêre; ut non minus verè, quam lepidè à Persio dicatur:

In proœm. primæ Satyr.

Quis expedivit Psittaco suum χαῖρε?
Picasque docuit nostra verba conari?
Magister artis ingeniique largitor
Venter, negatas artifex sequi vires.

En quàm magnifico encomio amplum famis imperium designet Persius, ut Magistrum artis & ingenii largitorem cognominet: planè ut Græci communi verbo dicere solebant: πολλῶν ὁ λιμὸς γίγνεται διδάσκαλος. Hoc est, ut Erasmus vertit: Magistra multorum improba existit fames. Ergo ciborum assumendorum proxima causa est voluntas, remotior & antecedens Fames. Hujus causæ perpulcrè Gal. de causis agens symptomatum, ceu genealogiam quandam delineat.

lib. 1. c. 7.

Nos breviter omnia comprehensuri, Famem nil aliud quàm appetentiam denominamus, & cum Aristotel. definimus ἐπιθυμίαν θερμοῦ καὶ ξηροῦ, i. e. concupiscentiam calidi & sicci: è contrà sitim, ἐπιθυμίαν ὑγροῦ καὶ ψυχροῦ, id est, cupiditatem humidi & frigidi. Hæc appetentia non aliundè promanat, quàm ex inanitione ventriculi, quæ fit per suctionem venarum. Trahunt autem venæ defectu alimenti in corporis ambitū largiter absumpti, ut humidi radicalis jactura, à calore profecta, compensetur. Narrat Galenus unumquodq; animal Cutetenus in ambientem aërem diffundi, quod propriè de excrementorum evacuatione, quā vocat ἄδηλον διαπνοήν, id est, insensilem transpirationem, estq; tertiæ concoctionis poples, intelligendum venit. Hæc ipsa concoctio aliud non est, quàm reparatio humidi radicalis, ab innati caloris aviditate cōsumpti. Ergò quia videmus elementari flammæ lampadis contingere, ut indesinenter oleosam humiditatem fatiget; id equidem in ipsa quoq; viventis corporis habitudine usuvenit, ut quando innatus calor, haudquaquam otiosus suæ conservationi & propagationi strenuam navat operam, in contrarium humidum grassādo serpat: illudq; in se vertendo ad nihilum redigat, vel sic imminuat, ut ejus defectu, ipse quoq; marcescat. Hoc dum fit, jam humidi alterius desiderium seu appetentia oboritur, quæ tractionis famulitio è proximis haurit venis, quæ in defecti humidi locum substituat, & languentis caloris vires restauret. Eadem ergò, cùm sit innati caloris ubiq; ratio, ubiq; certè non potest non agere, & in connatum humidum grassari, cui restituendo plusquam necessarium est quotidianum alimentum. Hinc verò evenit, ut si calor vigeat, multumq; alimoniæ è vciinis loculis deprædetur, suum in quo residet, corpus non nutriat solùm, sed etiam majorem in molem attollat; quod juvenilibus annis videmus incidere; sin fatiscat, viribus ejus decedentibus non ipse decrescit solùm & in marcorem abit, sed & corporis vigor collabitur, donec tandem senili μαρασμῷ penitus emoriatur. Vt ergò contrahamus physicæ contemplationis vela, & nominis tenus causarum singulas ad rhombum & successionis legitimum ordinem revocemus; prima maximeq; remota Famis causa, humidi radicalis consumptio est, à depopulante calore profecta. Hæc ipsa jam voluntatem nostram impellit; voluntas cibis appositis fruitur. Sunt hæ causæ naturalis fruitionis efficientes: aliæ non naturales, dum voluntas cogitur ab aliquo vel intra corpus vim faciente, ut in bulimo, vel extra, dum turpes ἀρησιπταί, quos ventres & comedones apto cognomine notat Horatius, ad vini cibiq; uberiorem non usum sed abusum, nimis quoq; compellunt volentes nolentes sympotas, vel saltem dum facultas intemperātis hominis, præter naturale famis præscriptum, gulæ & genio indulget. Sed hæc dimittimus.

Finis naturalis fruitionis proximior non est, quā famis ablatio, ut ille naturalis dolor, quem creat fames, legitimo remedio discutiatur, eo nimirū ad quod naturæ instinctu movetur animal, ut cibum ingerat, masticatum deglutiat. Quo præstito, tam pertinaci proposito ab omni cibo potuve se abstinet, ut ni is vi intrudatur, mortem perferat citiùs, quam sua sponte ad eum sumendum permoveatur: feliciora me hercle hominibus nonnullis, qui magno cum præjudicio propriæ incolumitatis, causas fruendi alimenti pervertunt fame ad voluntatis libitum adhibitâ, ut dum velint, esuriant: corpusq; paucis contentum superfluo cibo sic impleant & saburrent, rumpantur ut ilia Codro. Sed benè habet: dum illi rationem volentes lubentes exuūt, bestiis quoq; deteriores evadunt, quæ naturæ saltem instinctum providè sequuntur. Proximus hic finis est, qui ad ultimum extremumq; Nutritionem scilicet, quaq; provenit inde, humanæ vitæ conservationem properat. Ergò vescimur cibis, ut famis desiderium mitigemus, ut partes corporis exhaustas nutriamus, ut

vitam

Obs. 33.

vitam longissimè perducamus; quandoquidem βροτὸς, id est mortalis homo, si careat τῷ βροτῷ, id est pane vel alimento, verè mortalis ipso actu efficitur, lucisq; usuram deponit. Sunt hæ causæ fruitionis ciborum. Accidentia sequūtur, quæ imprimis Quantitate, Qualitate, & tempore circumscribuntur, quàm multa requirat alimenta humana infirmitas, qualia, quo tempore, quamdiu? Ex his solum tempus in præsentiarum seligimus, & id constituimus, quo fames ad cibum sumendum voluntatem hortatur. Tum verò diutius non erit differendus cibus, ne majus periculum naturali humido & alacritati caloris inferatur. Intelligit id Aristoteles, qui in physicis quæstionibus, ut refert Apollonius in mirabilibus, ait, τοὺς μονοσιτοῦντας πικροτέρα τὰ ἤθη ἔχειν μᾶλλον, ἢ τοὺς πυκνῶς τροφαῖς χρωμένους, id est, Semel in die cibum capientes acerbiores & amariores habere mores, quàm ij, qui cibis utantur crebrius; quoniam aucta in iis utraq; bilis animum magnopere perturbat, eosq; iracundos & melancholicos efficit. Ex Plinio constat, non prandentium exta celerius senescere. Id verò apertè docet Hippocrates: Μονοσιτίη ἰσχναίνει καὶ ξηραίνει, καὶ τὴν κοιλίην ἵστησι, διότι τῷ τῆς ψυχῆς θερμῷ τὸ ὑγρὸν ἐκ τῆς σαρκὸς καταναλίσκεται, id est, Semel die sumptus cibus, extenuat & siccat, alvumq; sistit, quoniam animi calore ventris & carnis humidum absumitur. Est tamen dilatio sumendi cibi aliquibus latitudinis terminis circumscripta, qui pro ætate & caloris innati diversitate varij sunt & ipsi; Cum quibus minor est ætas, calor intensior, major sit humidi consumptio metuenda, quibus major ætas, calor remissior, consumptio minor; ut non sit mirandum, Esaum & Lysandrum homines bellatores, venationi deditos, ob id etiam calore exæstuantes, illum quidem lentis edulio jus primogenitum vendidisse, hunc aquæ desiderio, tam exiguæ voluptatis causâ servum se ex tanto Rege fecisse. Vt ut autem sit, haud ultra quaternum vel quinum diem, ut certum tempus pro incerto, discrimine satis exiguo constituamus, famis toleranda potestas se extendere posse videtur, quo spacio elapso, nativo calore decrescente, homines vitam cum morte commutant. De Carolo VII. Gallorum Rege perhibent Historiographi, cùm post septem dierum pertinacem inediam assumpturus esset cibum, occlusis præ siccitate viis, moribundum non potuisse. Vt hactenus rectè (a) Hippocrates asseveraret, hominem necessariò perire septem dierum jejunio. Marcus certè Curtius Sigambrem narat Darij matrē, cibo & luce deditâ operâ subtractis, quinto die extinctâ fuisse. Est hæc fruitionis alimentorū per causas & accidentia instituta consideratio, ex qua facilimè intelligemus, quæ de abstinentia & jejunio dici debebunt, per ejusdem methodi vestigia, ex contrariis, ex privatione in habitū facto progressu, ut si Fruitionis causas sola negatione elevaverimus, jā plenam simus abstinentiæ cognitionem habituri.

lib. 28. c. 5. l. 2. de diæta.

a) Comm. de ætate.

Abstinentiæ itaq; materiam ipsa alimenta constituimus, quæ dum adsunt, non assumuntur, non adhibentur corpori: quæ ipsa est forma hujus negotii, nulla scil. alimentorum in os ingestio, ingestorum manducatio nulla, nulla manducatorum deglutitio. Contingit persæpè, qui αὐλόχειρες obstinatâ inediâ fatum sibi accelerant, ut assumptum in os cibum, dentibus quidem comminuant, expuant tamen rursus, & preces adstantium amicorum frustrentur. Efficiens causa ex formæ conditione dependet, ut cum ipsa sit nulla assumptio ciborum, hæc meritò statuatur, absentia causarum fruendi alimenti. Ergo nec voluntas præstò est, nec fames, Voluntatem sollicitans. Absente fame, illius quoque efficientes causæ desiderantur: ventriculus nō est evacuatus, venæ non exhaustæ, humidum radicale non absumptum, calor ab omni actionis momento suspensus. Hæc ita revera se habent, si naturalium causarum actiones, prout in corpore sunt comparatæ, expenderimus. Quum autem princeps fruitionis & abstinentiæ effectrix sit voluntas humana, licet ea, ut dictum est, ab urgente & impellente fame dependeat, quandoq; tamen ut suo arbitrio, vel alimentorum quæsitorum defectu, naturam urgentem non audit, nec jussibus illius obsecundat. Tum verò periculum injicitur sanitati, vigor spirituum debilitatur, calidum nativum imminuitur, ut si perstiterit obstinata voluntas, mors comes sequatur. Finis tandem abstinentiæ est, nullius famis depulsio, nec ulla necessitas instituendæ nutritionis. Quid enim calore non depascente humidum nutrito urgeret, ejusve quod nō est absumptum restitutio? Hæ causæ sunt abstinentiæ, tempus autem quibus circumscribi mometis debeat, ex tempore fruitionis ciborum facilè colligitur. Quamdiu enim causa cessat fruendi cibi, tamdiu quoque triumphat abstinentia. Quod si illa, quæ fames est, quam dicit Hipp. magnam potentiam in naturam hominis habere sanandi, debilitandi, occidendi, ingruere ceperit, abstinentiæ quoque voluntas mutata est. Est autem circumscriptum id tempus paucularum horarum spatio, in diversis quidem hominibus diverso, ex assumendi cibi consuetudine proveniente. Lampadi, quo plus affunditur olei, eò amplius absumitur, voracius grassante flamma in alimenti ubertatem. Sic pluries in die nutriti, pluries ad cibi sumendi desiderium inclinant, atque adeo spatium abstinentiæ minus obtinent. Qui verò rarius, assueti verius μονοσιτεῖν, id est, semel in die cibum capere, ii naturæ æquioris permissu longius abstinent: ea tamen moderatione, ne quàm longissimè naturalis abstinentia ultra quaternum diem, vel eò plures sese extendat, quando iis elapsis, ne quidem transitus sit amplius de privatione in habitum, ab abstinentia ad fruitionem ciborum. His ita se habentibus colligere licet, hominem naturæ necessitate ad humidi radicalis reparationem, & innati caloris, qui præcipuus est humanæ vitæ proxeneta, conservationem frui cibo eo tempore, quo fames voluntatem ejus ad cibum sumendum hortatur & urget. Colligimus quin etiam, hominem ob factam jam humidi reparationem calorisq; conservationem, cibum potumq; aversari eo tempore, quo satisfactum cùm sit naturali appetitui, voluntas à fame nullatenus sollicitatur. Quod exiguū cùm sit, & paucularum, octo vel decem horarum momentis definitum, quibus refecto per alimentum humido, perfruitur calor, creberrimis vicibus, & exiguis intervallis alternari invicem fruendi & abstinendi necessitatem oportet, ut cùm jam propius descendendum sit nobis, positis his fundamentis ad quæstionis propositæ examen, apertè illius veritas ex seipsa, sine ullius operosioris demōstrationis subsidio se proferet; nimirū, ἀδύνατον esse, omnesque corporis humani vires excedere, nullam sentire famem, eamve ultra paucularum horarum & dierum præscriptum tempus, absq; præsentaneo vitæ dispendio perferre, & ita mirandam illam plurimum dierum, mensium, annorum, abstinentiam, naturæ limites humanæ transcendere, & non nisi divinâ ope, miraculi vice, inter homines existere.

Obs. 33.

l. de Vet. Medic.

Non

Obs. 33. Non desunt autem, qui existimant, re paulo accuratiùs perpensâ, divinioris cujusdam facultatis, ejusq; naturalis semina, quibus humana vita absq; cibi potusque adminiculo, in plures menses & dies sustentetur, abscondita subesse. Nituntur his ferè certorum eventuum fundamentis. Vidit Cardanus melancholicum, qui diebus quinquaginta abstinens cibi, solo aquæ potu; singulis aut alternis diebus vitam vivebat: in eam scilicet longioris abstinentiæ consuetudinem insinuans se, ut vel hinc pateat, tale quippiam haud ultra vires esse humanæ facultatis. Comprobat id certiori eventu Spirensis illa Margarita, denorum annorum puella, quæ post capitis dolorem, & ventris leviora tormina, cibum magis magisq; fastidire incipiens, tandem penitus respuit, solo potu per pauculas hebdomadas adhibito, donec eo quoque dimisso, omnis expers alimoniæ, integra corporis valetudine vitam transigeret, interveniente Ferdinandi Rom. Regis, publicâ authoritate, ne, singulis diligenti inquisitione observatis, quippiam subesset fraudis. Leonardi quoque Pistoriensis meminit Cardanus, qui sensim assuevit, ut semel tantùm in septimana cibum sumeret. Id verè perquam familiare videbimus in anachoretarum vita evenire, ut assueti jejuniis, interposito duorum vel plurium dierum intervallo, ex consuetudine habitum fecerint, & ad longiorem abstinentiam plane innoxiam, refractarium cæteroquin, & ab actione cohiberi impotentem calorem idoneum reddiderint. Hoc fundamento præsupposito arguunt, res omnes consuetudine, ceu alterâ naturâ, perverti posse & in contrarium mutari, quandoquidem ἐπίκλητοι φύσιες εἰσὶ τὰ ἤθη acquisita naturæ sunt ipsi mores. Proinde ciborum quoq; usum, ut vel rarior fiet, persistente nihilominus vigore corporis, vel omninò nullus. Alia autem perplura ejusmodi eventuum exempla, vim consuetudinis permagnam facilè persuadent.

l. 8. c. 43. de Subtil.

Hippocr. in epidem

Quid quæso præsentiore damno vitali calori insidiatur ipso veneno? At verò continuò familiariq; usu sensim evadit quàm maximè opportunum corpori alimentum. Testem profero Galenum, apud quem Atheniensis quædam anus, ab exigua cicutæ portione sensim progressa, effecit tandem, ut ea innoxiè magnâ copia uteretur. Meminit etiam puellæ Aristoteles, venenis innutriri ceptæ, quæ in naturam abeunte consuetudine, iisdem alebatur. Quid verò adhuc dicemus, si contrario suo exitiali nutriri potest consuetudine natura, annon eadem sic regi flectiq; usu continuo, ut ne opus quidem habeat nutrimento? In aliis quoque se profert consuetudinis vis admiranda. Annon miremur, hyemis rigoribus parum incommodi persentiscere extremam nostræ faciei pelliculam, quantumvis acutum frigus universum corpus molestè concutiat? Consuetudine scilicet in eum modum occalluit, ut sibi perpessionis cujusdam meritoriæ ridiculum onus imponant ii, qui ore bardocucullis deformato, sanctimoniæ peculiarem vulgi opinionem captant, dum magna corporis parte indumentis nudâ, hyberno tempore nulla sui læsione inambulant. Quum apud Isthmum pugilum certamen spectaret Aeschylus, cognovit, alteri concertantium vehementi impactâ plaga, ab universo theatro maximum edi clamorem, percusso tamen nil admodum conquerente; astanti ergo, advertis, inquit, quàm efficax meditatio sit & consuetudo? Plagis affectus non clamat, clamant spectantes. Id refert Cælius Rhodig. ex Plutarcho de audiendis Poëtis. Et ut jocosi quippiam adspergam, cupiebant Tirynthii φιλογέλωτες id est, risus amantes, ab ea infamia Delphici oraculi consilio liberari. Responsum audiunt, liberatum iri, si Neptuno Taurum immolarent, & ἀγελαςὶ id est, absque risu, in mare projicerent. Illi re deliberata, pueros omnes, ne quam ridendi occasionem haberent, à sacrificio excludunt. Sed cum fortè puer quidam sese cœtui virorum immiscuisset, & seriò absque risu omnia administrari videret, novitate rei perterritus, vultum & ipse tetricum finxit. Quam prosopopœiam adstantes admirati, & in maximum cachinnum effusi, re ipsa ostenderunt, ὡς ἄρα πολυχρόνιον ἦθος ἀμήχανόν ἐστι θεραπευθῆναι, id est, quàm operosum sit mores inveteratos & diuturnos curari, ut ait Eustachius ex Athenæo. Ergo qui venenis nutriuntur, tactus nulla molestiâ afficiuntur, risus deponendi facultatem amittunt, solius & unius vi & efficacia consuetudinis, annon ejusdem ἡγεμονίᾳ ad longiorem victus abstinentiam perduci queant? Moveant nos bestiarum exempla, quæ hyemes integras latibulis inclusi dormiunt jejunæ. De muribus sylvestribus aperta res est; & quos hyemali tempore cochlearum greges, in ipsa terræ superficie latitantes eruimus ad apperitus tenuioris solatium, idipsum spectantibus omnibus, operculo suis relictis injecto, apertè demonstrant.

8. simpl. 18

l. 5. antiq. lect. c. 7.

Obs. 3

Odyss. 6

Cætera de genere hoc, adeò sunt multa, loquacem
Delassare valent Fabium; Ne te morer audi.

Si in bestiis aliquot hebdomadis feriatur calor innatus, nec radicale humidum penitus absumitur, quantò verius in hominibus, qui præstantissimi creaturarum, quavis prærogativa has antecellunt? Sic argutantur, qui tenent, naturæ vi quadam consuetudinis usu continuo partâ, existere inter homines quoq; mortales eam abstinentiæ speciem, quam nos paulò ante miraculorum classibus immiscendam esse, ex humanæ naturæ fundamentis, & immotis principiis demonstravimus. Aberrant tamen à scopo veritatis quàm longissimè. Non diffitemur, consuetudinis vim permagnam esse, quotidianis exemplis in id persuasi. At talem admittere, quæ demat rebus ea ipsa, ex quibus constant & conservantur, id verò dementiæ magis quàm argutiæ præ se fert speciem. Iam verò solidæ humani corporis substantiæ melior est portio radicale humidum, quod tali abstinentia consumptum non restituitur. Vel si consumptum non sit, innata caloris vis naturæ quadam ignavia sic evanuit, ut in optatum pabulum, quod præsens est, non agat. At hoc est, res naturales suâ privare naturâ, & quod in Anaxagora reprehendebatur, ignem frigidum, nivem nigram asseverare. Eodem pacto lampadis flamma eò sensim ducetur, ut submoto oleo, quod pabuli vice depascitur, assuescat ex se ipsa in multos dies inardescens lucere. An is est perpetuus vestalis ignis, quo olim cum mortuis suis defosso utebantur antiqui? Ergò quàm id est absurdum, tam parum fieri potest, ut calor innatus à depastione sui humidi, quod tanta aviditate quovis temporis momento discupit, desistat unquam, quin potius ejus defectu deficiat, & ipse penitusque emoriatur. Nec enim quicquam est aliud, quàm naturalis flamma, vi generatricis facultatis in corpore genita, jugi egens alimento, quo foveatur & eventiletur, & quod de elementari flamma canit Ovidius:

Vidi ego jactatas motâ face crescere flam̃as,
Et vidi nullo concutiente mori.

Id iam

Id tam est necessarium humanæ caliditati, ut nisi continuo motu arteriarum, pulsuq; ventiletur, ipsi alimento, quod depascitur, immoriatur. Nulla ergò consuetudine calor ab amica humidi fruitione retrahitur. Quod si est, in humidum absumptum regeneretur, sine meliore sui parte subsistet corpus, quod est ἀδύνατον. Hæc omnia eò tendunt, ut quam admiramur, prodigiosa abstinentia, nullis assuetæ cujusdam naturæ adminiculis statuatur suffulta. Ejusdem verò sensim introductæ sese digna exempla tam parum derogant universali jam dictæ veritati, ut quæ præter communem naturæ legem eveniunt, non necessario ad momentum temporis adstricta esse contendamus. Quæ potior causa & divinior, naturam rerum sistit & mutat, etiam tempore ut vult, utitur pro libitu. Quæ de venenis dicuntur, aliena sunt, haudquaquam ad rhombum. Consuetudo principia constituentia non evertens, nec à nobis evertitur. Venena itaq; immutant tantum qualitatem principiorum, non item substantiam tollunt. Humidum radicale persistit, nec calor extinguitur, suove actionis momento privatur. Alteratur solùm, & quæ prius benignioris erant naturæ, jam deleteria sapiunt; ut ergo quæ nata sunt venena, vitam participant, etiam ea, quæ legitimæ mutationis interventu sunt talia ex benignis. Ex quibus nutrimur, ex iisdem etiam constamus. Ergò si pars exigua veneni, æstuanti calori nativo, & vegeto radicali humido adsistat, mutatur id quidem, ut sunt nonnulla deleteriorum, Galeno teste; vicissim tamen suæ repugnantiæ vestigia obvertit, & imprimis agenti, illudq; pro exigua licet sui habitudine, sui simile elaborat. Quod si fiat sæpius, tandem quæ agunt, eorum quæ convertunt in se, naturam & conditionem promptè sequuntur. Ergò quod ferè jam diximus, venena solas principiorum qualitates evertunt: abstinentia substantias quoque pessundat & enecat, ut illam in naturæ castris militare, hanc contrà velitari statuendum sit.

Temp

Eadem cæterorum consuetudine nitentium exemplorum est ratio. Magis urgere videntur animalia, absque cibi subsidio vitam agentia, sed discrimen consideretur, quod inter homines est & bestias socordes illas; & apparebit facilè, caloris agentis diversitatem vim tollere similitudinis, quæ posset institui. Frigidi sunt temperamenti bestiolæ, remissi caloris, tardæ mentis, lenteq; alimentarii humoris tenacem crassitudinem devorantis. Secus intensus humanæ naturæ calor, paucularum horarum spacio absumptis oblati alimenti ferculis, appetitum movet alterius. Et quanquam fames sustineatur nonnunquam iis in naturis, quæ frigidiores nonnihil, consuetudine quoque abstinentiores sunt: est tamen latitudo ea paucularum, quatuor aut paulò plurium dierum numero definita, ultra quam si prorogetur, in interitum inclinat calor, secumq; vitam trahit præcipitem. Quis ergò tardigradas ob frigus cochleas, cum perpeti & æstuante humanæ naturæ velocitate temerè componat? Nec quod pro confesso habetur, nos admittimus: ejusmodi latentes hyeme bestiolas, victus omnis expertes, victitare incolumes. Cum nec hyemis injuriam ferre possent, nec si ferrent; discurrendo alimenti commeatum in terræ superficie, gelu adstrictâ, vel gelidis pluviis infœcundâ, reperirent ullum, providit ipsis de divite penu provida Natura, quo intra propria viscera recondito penuriâ hyemali perfruerentur. Docuit hoc eadem Natura Formicas nonnullas, quæ in terræ cavernis suos extruunt acervos. Et quis dicet vegetantia quævis, frontibus licet & comis nudata, arbores & plantas, algidis his mensibus emortuorum instar, non nutriri. Nutriuntur certè, obscuriùs licet, quantum sufficiat insito calori vegetando. Ergò ne quidem bestiolarum exemplis comprobatum est, otiari calorem. Sed cum remissior sit, longiori temporis intervallo viscidi pabuli promptuarium lentè exinanire, ut dum ejus exhausti jam persentiscat defectum, ex diutino somno proripiat sese, & ad alterius alimenti πορισμὸν se componat. Id si quis analogiæ figmento certorum hominum naturis affingere vellet, principiis humanæ vitæ, quæ omnibus hominibus sunt eadem, injuriam faceret nō ferendam: nec certè produceret unquam tantæ crassitiei vel humidum radicale, vel incoctum phlegma, quod tot mensibus & annis, vice alterius forinsecùs accedentis nutrimenti, esurientis caloris necessitatibus succurreret.

Obs. 33.

Constat ergo, haudquaquam naturæ legibus cōvenire abstinentiam tam portentosam. Miraculis adscribenda est, à causa diviniore promanantibus. Quod si non esset, an miraculi vice admiraremur, quod in deserto Christum præstitisse, commendat divina lex? Dicitur is quadragesimo die esurire cœpisse. Cur eo tantum, non prius, cum hortante naturæ defectu citius debuisset? Annon ergò divinæ vis omnipotentiæ intervenit? Heliam Prophetam triennio corvi divinitus aluerant. Quod si humanum corpus perpetuæ abstinentiæ assuefieri potuisset, cur corvorum subsidio planè mirando fuisset opus? Eidem legitur 1. Reg. 15. dormienti, Angelum panem & aquam apposuisse in deserto, cujus virtute cibi, quadraginta diebus & noctibus, usq; in montem Horeb iter fecerit. Annon perspicue divinus is cibus fuit in multos dies, avidæ naturæ, haud lōgas ferenti inducias, abundè satisfaciens? Quanta obsecro frugalitate exercuit seipsum Hilarion, ut testis est Hieronymus, ut si ulla consuetudine exuere potuisset humana infirmitas inexpugnabilem victus necessitatem, id illi certè contigisset? Medicorum experientiis compertum est, homines quandoq; pluvibus hebdomadis tenuissimo cibo potuq; sustentari, quibus non abeat fruendi cibi alacre desiderium, quin potius à diutino jejunio ardentius insurgat.

His singulis, quæ diximus, ceu infallibilibus demonstrationibus persuasi, indubie affirmamus omne abstinentiam; quæ longior sit solito, haudquaquam naturæ vel ordini, vel consuetudini adscribendam esse. Sublimiorem heic latere causam, quæ naturæ propensioni vinculum injiciat, ut corpus ex nihilo creatum, nullius quoq; terreni alimenti subsidio conservari teneatur. Sic hactenus, quid in genere de mirandis ejusmodi jejuniis, ex philosophorum & medicorum principiis dici poterunt & debebunt, paucis designanda putavi; ut quando meipsum talibus commentationibus non raro exhilaro, tibi quoq; poscenti idipsum & flagitanti, mearum cogitationum rationem redderem: ad quas si vestratis quoq; Bernatis puellæ exemplum, ab omni suspicione fraudis liberum, adhibueris, de eo, quid mea ferat sententia, facile intelliges.

Non quidem temere, hoc ipso imprimis tempore, expectanda sunt miracula, si tamen præter quotidiana infinita, quæ à nobis hominibus non animadvertuntur, ut vel unum hoc est, quod tam exiguo commeatu tot hominum millia, omnibus in terra locis quotidie sustentet & nutriat Omnipotens Creator & conservator omnium DEVS, si præter illa, quæ esse possunt, objiciant

Obs. 33. *jiciant sese nonnulla, quæ ceu minus consueta, acrius nostros feriant sensus, & in sui admirationem & stuporem alliciant, Christianam modestiam iis æstimandis sic probabimus, ut nec leves, indecoro eorum contemptu, nec superstitiosi, temerario adplausu judicemur. Quæ contingunt, omnia vel naturalia sint, vel præter naturæ cursum instituta, ad vitæ nostræ seriam emendationem nos alligent, ut dum eorum commentatione singularem DEI benignitatem erga humanũ genus plusquam benignam agnoscere cogimur, illius grato pectore memores, mundi cupiditatibus abolitis, totos nos ad laudandum & celebrandum dictis factisq; divinum NUMEN,* τὸν ἐάων δωτῆρα, *id est bona largiens, componamus. Vides, mi Lentule, quanto otio mihi ipsi indulserim, ut legendi tibi negotium facesserem. Id verò cùm natum sit ea occasione, quâ mecum vivens Amplissimi viri, Sculteti vestri Manuelis filius, admirandam abstinentiæ speciem mihi postliminiò in memoriam revocavit: quando illius parentem, literis humanioribus, imprimis latinis, imbutum rectè existimo, non abs re fuerit, si has meas quoq; ei per otium cognoscendas obtuleris, virumq; de Helvetica nostra Politia, paceq; publica perquam optimè meritum, ex me quàm officiosè salvere jusseris. Optimè vale, Vir Cl. Bas. 11. Aug. 1604.*

VIRO CLARISSIMO ET DOCTISSIMO, DOMINO CONRADO PFISTERO, Artium liberalium Magistro excellentissimo, & in inclyta Academia Basiliensi Professori celeberrimo, Amico singulari,

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

Elapsis diebus, Clarissime atque Doctissime mi Dn. Pfistere, amicorum optime, cum in describendis, & ad prælum adornandis observationibus quintæ Centuriæ occupatus essem, in epistolas, quas inter nos de inediis commutavimus, quoque incidi. In illis autem suades, ut ea, quæ Emanuel Metteranus historiæ suæ Belgicæ lib. 22, de puella Consolentanea scriptis reliquit, meis de inedia puellæ Morsensis adjungam. Id verò si non supervacaneum, saltem non usq; adeò necessarium esse, jamdudum ad te scripsissem, nisi literas ex Belgio de statu puellæ prædictæ exspectassem, earumq; te participem facere, atque sic de eadem fidelia duos dealbare parietes statuissem. Historia autem ex Metterano, ut observationibus meis inseratur, propterea supervacaneum esse dico, quia illa jam à Francisco Citesio, Medico Gallo, prolixè conscripta, ac primò anno 1602. Montispessuli, aut potius Genevæ apud Iacobum Chouët in octava, deindè Anno 1604. Bernæ per Iohannem Le Preux in quarta forma impressa fuit.

Cæterùm ea, quæ de puella Morsiensi ante hac ad te scripsi, vera & sine dolo esse, & quonam in statu illa, etiam ante paucos menses vixerit, & fortassis etiam nunc vivat, ex subsequentibus virorum fide dignorum ad me scriptis, intelliges, Anno 1623. 20 Decemb. Dn Gottschalckus Monheimius Pharmacopæus, Düsseldorpio civitate prope Moërsiam, inter alia sic ad me scripsit: Quamvis ante annos circiter duos, mi Dn. Fabrici, ad te scripserim, famam apud nos sparsam esse, puellam Morsiensem, Evam Flegen, vitæ suæ finem imposuisse, vivit tamen illa etiam nunc satis commodè, & in illo quidem statu, ut tu ipsam vidisti Anno 1612. Nihil bibit, nec edit quicquam refert tamen, singulis matutinis, quando in horto obambulat, sibi labia veluti rore suavissimo irrorari, se persentire, multa præsagit, quæ à viris bonis non improbantur, & vera esse, eventus ostendit. Hæc Dn. Gottschalckus Monheimius. Cujus filius, Franciscus Monheimius, Medicinæ Doctor, sub dato 20. Septembr. 1625. de eadem puella Düsseldorpio ita ad me scripsit. Viginem illam Morsiensem quod concernit, Evam Flegen puto, vitali illa solùm adhuc vescitur aura, sine cibo potuve. Quid tandem cum illa futurum sit, solus novit ille, qui novit eam, & omnia? Miraculum solùm stupendum est nostri temporis, circa quod meritò omnium hujus ævi Theologorum, Medicorum, & Philosophorum desudare debebant ingenia. Ego pro mea tenuitate jamdudum eam revisitassem, ni præsentissima viarum pericula memet absterrerent. Faciam (ut Græci dicunt) ἐκ καίρῳ, & si quid in omnem eventum imperare possum, diligenter contendam. Multa eorum eveniunt, quæ prædixit: & præsertim maximas istas civium rusticorumq; angustias in quibus hoc tempore versantur. Misera illa totius fertilissimi comitatus devastatio, superioribus mensibus eheu secuta est, quam tam certè verificarunt nostri Croati, ac si ex tripode Apollinis dicta fuissent. Sola deest obsidio, quæ non solùm tunc temporis erat timenda, sed & fortè facienda, nisi Clemens ille rerum omnium moderator, hisce hominibus frænum per morbos & mortes injecisset. Hactenus Franc. Monheimius.

Gotschalckus Monhemius de inedia

Cæterùm Clarissime mi Dn. Pfistere, etsi ex binis istis testimoniis satis superq; appareat, negotium sine dolo esse, pluribusq; testimoniis minimè indigere historiam hancce: attamen visum mihi fuit adjungere epistolam, quam hac de re ante annos duos ad Magnificum ac nobilissimũ Virum Dn. Brederodium, illustrissimorum Ord. Fœderatorum Belgii Consiliarium meritissimũ, & per Germaniam Legatum, scripsi; quamq; ille Coloniam ad nobilem ac doctissimum Virum Dn. Henricum Bilderbeckium misit, qui ipsam Moërsiæ cuidam amico suo tradendam curavit. Tandem responsum unà cum literis meis ad Dn. Bilderbeckium scripsit, & an I. Becker, vel Decker vocetur, ex literarum suarum, ad Dn. Bilderbeckium, subscriptione, quia valdè intricata & obscura est, non satis rectè percipere possum. Virum tamen doctum atque eruditum esse, ipse stylus epistolæ suæ, quamvis germanicè scriptæ, satis superq; ostendit. His vale Vir doctissime, & cum tuis omnibus feliciter vive. Bernæ, 19. Februar. 1626.

puel... Mor... sis. Fran... scus ... hem... de puel... Mor... si

VIRO

MAGNIFICO AC NOBILISSIMO VIRO Dn. PETRO BREDERODIO, *Illustrissimorum Ordd. Fœderatorum Belgii Consiliario meritissimo, & per Germaniam Legato fidelissimo, Domino & amico plurimum honorando.*

Guilhelmus Fabricius Hildanus,

S. P. D. *Basileam*

INter signa & miracula, Vir magnifice & nobilissime, quibus divina bonitas, pauperculos nos peccatores in hoc sceleratissimo seculo ad resipiscentiam provocare studet, nihil mirabilius, nihilque quod captum hominis magis excedit, meo quidem judicio, occurrit, quàm quod videmus homines in multos dies, immo & in multos menses, & annos, sine cibo & potu vivere. Voluit autem Deus ut præsens hoccè seculum decimum sextum, post primum adventum salvatoris nostri cum hujusmodi prodigiis inchoaret; ut nobis significaret, futurum esse tempus planè prodigiosum, & calamitosum. Harum porrò inediarum admirandarum tria habemus exempla satis recētia: Primum in puella Apollonia Schrejera, quæ hic in vicinia in decimum usq; annum sine cibo & potu vixit, cujus historiam describit Paulus Lentulus p.m. hujus Reipublicæ Medicus ordinarius ac celeberrimus, amicus meus singularis. Ego quoque testis sum ocularis. Alterum describit Franciscus Citesius Medicus Gallus, de puella Confolentanea, quæ aliquandiu sine cibo & potu vixit: Tertium exemplum nobis exhibet Eva Flegen, sive Efgen *von gen End*, puella Moërsiensis ditionis Illustrissimi & magnanimi Herois Mauritii Principis Uraniæ, Comitis Nassoviæ, &c. quæ circa annum 1596. ab omnibus esculentis & poculentis abhorrere cœpit. Hanc puellam ego quoque vidi. Cum enim Anno 1612 in Belgium profectus fuissem, & apud Generosum Dn. Iohannem Adolphum à Dhun Comitem in Falchenstein & Oberstein Dn. in Bruch. &c. aliquandiu moram traherem, à sua Generositate literis commendatitiis ad Nobiliss. Et strenuum Virum D. Alexandrum *von Schwickel*, præfectum Morsiensem uti & ad Dn. Conradum Feldhusium ejusdem urbis Ecclesiæ ministrorum; instructus fui. Itaque omnia quæ cum ipsa ad illud tempus usque acciderant, præsente Dn. Feldhusio annotavi. Vixerat autem illa tunc temporis, in decimum sextum usq; annum, sine cibo & potu; porrò cum hujusmodi admiranda Dei opera minimè oblivioni sint tradenda, quin potius, ut posteris quoque innotescant, Scriptis consignanda: visum mihi fuit, illa quæ ego apud puellam hanc observavi quintæ Centuriæ Observationum mearum, quam præ manibus habeo, inserere. Ut autem historiam illam ad aliquam perfectionem reducere possem, Amplitudinem tuam eâ quâ decet observantiâ rogo, ut per amicos suos, istis in locis degentes expiscari velit, quidnam ab Anno 1612. cum ipsa acciderit: & si aliquis historiam illam admirandam consignaverit. Faciet Ampl. Tua mihi officium quàm gratissimum, si eam mihi procuret. Ego si vicissim Amplissimo Viro inservire possum, nunquam deero officio meo. Vale, & in bonum publicum æternum quàm felicissimè vive: Dabam Bernæ Helvetiorum 17. Octobris 1623.

[Ci]rca an[n]um 1601. [a]b omni [ci]bo & po[tu] abhorrere cœpit [h]ac anno 99. ci[b]um & po[tu]m reverere[...]t.

VIRO NOBILI ORNATISSIMOQUE, DOMINO HENRICO BILDERBECKIO, *Illustrissimorum D D. Ordinum fœderatorum Belgii Consiliario prudentissimo. I. Becker*

S.P.D.

TUas, Nobilissime atq; Ornatissime Vir, unà cum adjunctis DN. Guilhelmi Fabricii Hildani, ad virum Magnificum DN. Brederodium literis rectè accepi. Quæris statum puellæ Efgen flegen / quæ jam diu sine cibo & potu vixit. Illa etiam nunc eadem conditione ac modo vivit, in quo Dom. Guilhelmus Fabricius Hildanus, Medicus Bernensis, ipsam vidit Anno 1612. Non occurrit quicquam de ipsa in lucem prodiisse; Scio quidem Dom. Conradum Veldhusium hujus Ecclesiæ ministrum, jussu Magistratus ipsam in ædibus suis, per duodecim dies noctesq; habuisse, & singulari diligentia atq; vigilantia, observasse, an dolus aut fraus subsit: quo tempore tamen neq; Velthusius, neq; domestici ipsius quicquam deprehendere potuerunt, quod vel minimam suspicionem dare potuisset, prædictam puellam cibo aut potu usam fuisse. De hisce omnibus Coloniensibus nonnullis, sic petentibus testimonium cōcessum datumq; fuit (Intelligit fortassis Tractatum, quem Franciscus Citesius de puella Confolentanea edidit Anno 1602. in quo tamen de inedia puellæ Morsiensis mentionem non facit.) Ab eo tempore in Gallia Tractatum de inediis in lucem editum fuisse, audivi quidem, sed exemplar nullum mihi videre contigit. His vale & feliciter vive diu. Dabam Moersiæ, 18. Ianuarii, 1624.

LECTORI S.

HOrtati sunt amici nonnulli, & quidem Viri docti, ut præscriptam Observationem 33. De falsa, & fictitia inedia puellæ Morsiensis delerem aliamq; in ipsius locum substituerem. Cùm verò lectorem qui jam primam editionem hujus Centuriæ vidit, id in suis studiis perturbare posse, apud me perpenderem; nihil in secunda hacce impressione mutare volui. Non enim pudet, hac in re me deceptum esse confiteri, cùm sciam, omnibus notum esse ipsam à triginta, & amplius ab hinc annis, infinitis viris præclarissimis & prudentissimis, etiam in ipsa urbe *Mörtz* imposuisse.

Optarem autem ut aliquis eorum, qui ab initio hujus fictitiæ inediæ ipsam cognoverunt totum negotium conscriberet, & in publicum daret; quo in posterum in hujusmodi fraudulentis illusionibus cuncti cautiores esse possent. Ego plerumque in privatis colloquiis coram proceribus nostris inediam Apolloniæ Schreieræ in dubium vocare, ipsamq; clarissimum Virum Dom. D. Paulum Lentulum (qui historiam integram descripsit, & in publicum dedit) simul & me, multosq; alios fefellisse, nec non quamplurima, quæ de hujusmodi inediis ab authoribus quantumvis approbatissimis, sparguntur suspecta mihi esse, ausim dicere.

Vivit Schreiera illa in hunc usque diem 20. Octobris 1633. quo hæc scribo; robusta est, & alio-

Obs. 33. aliorum hominum more nutriméta sumit. Si eo tempore quo iterum cibum appetere, & cum aviditate devorare incipiebat, vel etiam ab initio, dum hîc in custodia (uti ex historia Dn. Doctoris Lentuli videre est) habebatur, rigidè examitata fuisset, dolus, omni procul dubio in apertum venisset. De his, mi candide Lector, (ne in posterum mecum decipiaris Te admonere, & epistolam quam hac de re olim ad clarissimum & doctissimum Virum Dn. D. Petrum Vffenbachium &c. scripsi, annectere volui. Tu quæso, omnia æqui boniq; consule.

VIRO CLARISSIMO ET DOCTISSIMO Dn. PETRO VFFENBACHIO, *Illustrissimi Landgraffii Hassiæ &c. nec non Inclytæ Reip. Francofurtensi Doctori Medico Ordinario atq; longè celeberrimo, amico meo singulari studio observando.*

Guilhelmus Fabricius Hildanus
S. P. D.

QUas tu, clarissime atque doctissime mi Dn. D. Offenbachi, octava Aprilis Francofurti ad me dedisti literas, tertia hujus accepi, ubi tam diu detentæ fuerint, ignoro. Verùm hoc tempore turbulentissimo, quo armorum strepitu, & nefandi belli motu imperium Romanum imò tota ferè Europa flagrat id mirum non est. De puella Mörsensi, de qua Dn. D. Franciscus Monheimius ad Exc. Virum scripsit, ante triduum miranda intellexi. Quandoquidem Dn. Gottschalckus Monhemius, literis 24. Iunii Dusseldorpii datis significat inediam puellæ illius falsam & fictitiam ante paucos dies detectam fuisse. Nova quæ singulis septimanis sparguntur, non tantũ id affirmant, sed & ipsam in vincula conjectam esse asseverant. O detestabile, atq; diabolicum scelus, quo infiniti homines à triginta ab hinc annis mecum decepti fuerunt: imò & ipse Dominus Conradus Feldhusius Ecclesiæ Mörsensis pastor fidelissimus, Vir optimus & pius, qui ipsam in duodecimum diem in ædibus suis retinuit, summaq; cum diligentia observavit, an dolus subesset, se tamen neque domesticos quicquam fraudis percipere potuisse, sanctè coram me asseruit, Anno 1612. 23. Iulii, ab eo tempore à viris fide dignis, ibidem in vicinia degentibus, mihi aliquoties scriptum fuit, ipsam non tantum in eodem statu, in quo ego ipsam prædicto tempore vidi, hoc est sine cibo & potu vivere, sed & futura prædicere, quæ postea eodem modo quo illa prædixerat, evenerunt. Hæc an sine auxilio & illusione diaboli fieri potuerint, apud me credibile non est. Quæ ego de hac puella tum ex propria inspectione, & observatione, tum etiam ex aliorum virorum, fide dignorum relatione in publicum dedi Exc. T. Centuriæ 5. Observ. 33. videre poterit; & revera nisi tot viris præstantissimis ab ipsa quoque impositum fuisset, non mediocriter me contristaret, quicquam me de fictitia inedia scripsisse, verùm enimvero solatur me aliquomodo, alios quoque deceptos fuisse. Dominum Doct. Franciscum Monhemium proxime totum negotium ad me scripturum non dubito, forsan quoque aliquid hac de re in publicum dabit.

De fictitia inedia puellæ Mörsensi.

Tractatus Domini D. Lentuli p. m. de inediis, quamvis difficulter reperiatur, in duplo tamen ipsum nactus sum: ad proximum itaque mercatum vestrum Exemplar unum pro bibliotheca Excell. V. alterum ad Dominum Monhemium mittam, dummodo Deus vitam concesserit. Pestis enim hîc ingruit, & jam aliquot è medio sustulit, & quidem spatio 24. horarum tam magnum est venenum, Deus misereatur nostrum Tuamq; Excell. cum suis omnibus quàm diutissimè conservet. Dominus D. Faber communis noster amicus, quid agit? ipsum adhuc superstitem esse, non ita pridem ex præsidiario quodam milite Fridbergensi, hac transeunte, cum gaudio intellexi, & per eundem ad ipsum scripsi. Quod si forsan ipsum offenderis, quæso ut ipsum meo nomine amanter salutare non graveris. Vale, Vir clarissime doctissimeque, & Fabricium tuum amare perge. Raptim Bernæ 16. Iulii 1628.

OBSERVATIO XXXIV.

De rarissimo quodam affectu, in quo æger cibũ, quamvis solidum & durum, absq; difficultate: potum verò non sine suffocationis metu deglutiebat.

Viro Amplissimo atq; Doctissimo, Domino PHILIBERTO SARAZENO, *apud Lugdunenses Doctori Medico longè celeberrimo, Amico singulari,*

Guilh. Fabricius Hildanus, S. P. D.

COnfectionem Alkermes, quam misisti, Vir Amplissime, secundâ hujus, per Dominum Nicolaum Glutz Solodurensem, amicum meum singularem, accepi: cui precium statim quoque tradidi, ut illud per veredarium Soloduro ad vos mitteret; idque fideliter jam factum esse, haud dubito. Quod superest, gratias ago ingentes, quòd Clarissimus Vir cùm hac in re, tùm etiam in aliis abundè mihi gratificari, omniaque officia, quæ amicus amico præstare posset, in me conferre non cessat. Faxit Deus OPTIMUS MAXIMUS, ut aliquando erga Claritatem Tuam te ipsâ gratum me exhibere possim. Cæterùm convalui per DEI misericordiam, ex gravissimo meo morbo: Affectus quinetiam circa epiglottidem, de quo antehac ad Te scripsi, adhibitis remediis quibusdam, paulatim ablatus fuit. Nulla aderat Exulceratio, sed intumefactio tantùm circa laryngem, & procul dubio exigua, propter quam epiglottis officio suo rectè & promptè fungi non potuit. Id autem propter tussim & catarrhum ex capite ad asperam arteriã delabentem, accidisse, haud dubium est. Tussis enim adeò fuit vehemens, ut nunquam similem mihi videre contigerit. Interim autem dùm ita affligebar, frequenter mihi in memoriam venit casus ille rarissimus, quem superiori anno mihi videre licuit.

Solodurensi cuidam Sexagenario, Domino Urso Rouchti nomine, cujus etiam in aliis ad Te literis

Affe... mem... bili...

Obs. 34. literis mentionem feci, qvùm catharrhus ad sinistrum latus delapsus esset, non tantùm paralysis istius lateris sequuta est; verùm etiam deglutitio adeò depravata fuit, ut liquida omnia, præsertim vinum nõ sine suffocationis metu deglutire posset: reliqua verò quamvis solidissima facilimè ad ventriculum descendebant. Qvùm itaque liquida sorbere non posset, & solidis non satis nutriretur, tandem ad summam imbecillitatem, lapsũque virium pervenit. Ego tertio Aprilis Anno 1620. ad ipsum vocatus, primò pilulis (quas facilimè deglutiebat) corpus leniter leviterque expurgavi: deindè omnia quæ ad vires instaurandas requirebantur, exhibui. Et quia, ut dictum est, liquida, inprimis vinum sine suffocationis metu sorbere non potuit, juscula utcunque spissa præparavi, additis vitellis ovorum: pro potu lac amygdalarum dedi. Latus resolutum oleis convenientibus& aquis appropriatis inunxi. Collo sacculum ex radicibus, herbis, & floribus resolventibus & corroborantibus, in aquâ coctis, applicui. Hinc cùm Symptomata omnia multum imminuta fuissent, & latus resolutum ferè restitutum esse videretur: liquida quinetiam faciliùs quàm antea sorberet: quæ supererant facienda, domesticis administranda reliqui. Verùm enimverònon diu post meum abitum, qvùm catarrhus iterum inopinanter ad latus sinistrum & laryngem decidisset, omnia deteriora evaserunt: catarrhus enim denuò, maximo cum impetu ad latus sinistrum & laryngem delapsus est, & de novo paralysin induxit: quapropter cùm nihil liquidi deglutire posset, nec solidis satis reficeretur corpus; vires quinetiam propter longitudinem morbi (antea enim femoris os sibi fregerat, quẽadmodum aliàs ad te scripsi, neque penitùs à fracturâ restitutus fuerat, cùm paralysi corriperetur) prostratæ essent, brevi naturæ debitum persolvit.

Porrò, Vir Amplissime, quænam hujus affectus tàm rari tamque difficilis fuerit causa, pro summo ingenii tui acumine, nobis quæso expone. Ego sedem mali in Epiglottide, illamque simul & adjacentes partes in ipso quoq; momento, cùm paralysi corriperetur, humore viscido imbutas fuisse, existimo. Hinc Epiglottis cùm laryngem asperamque arteriam exactè obtegere non posset, facilè fieri potuit, ut liquida, & inprimis vinum, quia tenuium est partium, ad ipsam arteriam asperam pervenerit, & suffocationis metum excitaverit; duriuscula verò ratione crassitiei & ponderis, operculum asperæ arteriæ depresserint, & proindè sine difficultate ad ventriculum pervenerint. Est&alia causa quæ mortem acceleravit, nimirùm aër frigidus, qui, non satis obturatâ asperâ arteriâ suo operculo, facilè ad pulmonem perveniebat, & calorem vitalem præter modum refrigerabat.

Quantum autem aër frigidus hoc modo, cum impetu & in copiâ ad pulmones delatus, facultatem vitalem prosternat; in morbo etiam meo expertus sum. Cùm enim propter vehementissimam tussim, epiglottis tandem quoque ita labefactata fuisset, ut asperam arteriam non satis promptè obtegeret; & tussiendo, aut etiam oscitando aër frigidus ad pulmonem perveniret, vires protinùs ad lipothymiam ferè usque prostratæ fuerunt. Tandem necessitas me edocuit, ut tussiendo, linteo calido (quod continuò in prõptu habebam) nonnunquam quoq; volâ manus os obtegerem, tussiendoque auram calidam ex linteo attraherem. Hoc enim modo lipothymiæ multò minùs sequebantur. His vale, Vir Amplissime, & me, ut facis, amare perge. Raptim Bernæ, 30. Aprilis, 1621.

(Margin notes, partly cut off: ...rabilis ...oria. / ...ratio.] ...udem. / ...cidiva. ...hali. / ...usa de... ...avata. ...glutitio ... / ...ër frigi... ...s sine ...eratio. ... inspira... ...è maxi... ...è noxi...)

OBSERVATIO XXXV.

Obs. 35.

De ossiculo OEsophago infixo, unde mors sequuta.

Viro Clarissimo & Doctissimo Domino JACOBO HAGENBACHIO, *utriusq; Medicinæ Doctori celeberrimo Amico meo singulari,*

Cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus.

S. P. D.

DEscriptionem morbi optimi Viri Domini SCHWEBELII Bipontini, quam in postremis tuis à me petiisti, Doctissime mi Domine Doctor HAGENBACH, nunc per ipsummet Dominũ SCHWEBELIUM ad te mitto. Quæ de morbo suo mea sit opinio, & quid cum ipso tentaverim, & in posterum sit tentandum, partim ex ipso coràm intelliges, partim in consilio, quod in ipsius gratiam scripsi, abunde videbis. Præteritis diebus affectus gravissimus hic nobis ad manus venit, quem tibi non communicare non possum. Famulo cuidam juveni, ex domesticis Nobilissimi Viri, Domini SIGISMUNDI à WATTENWIL, cum inter cœnandum ossiculum in gula remansisset, & tota nocte, ut illud rejicere posset, frustrà, ut ipsi videbatur; occupatus fuisset, sequenti die circa vesperam ad me venit. Catheterem incurvatum clementer in OEsophagum immisi, & eâ quâ potui diligentiâ exploravi; quonam in loco infixum posset esse ossiculum, sed nihil præternaturale invenire potui; præter angustiam quandam OEsophagi è regione Laryngis, & eâ quidem in parte ubi de dolore, non tamen pungitivo, sed obtuso conquerebatur. Immitto itaque instrumentum meum, ad res extraneas ex gutture extrahendas; cum sua spongia annexa, sed absque fructu quoque. Nihil enim præter angustiam quandam œsophagi (quam ego, propter excoriationem ab ossiculo factam, & affluxum humorum, evenisse non dubito) reperire potui; quapropter ipsi significavi, nihil amplius instrumentis tentandum esse, ne locus affectus magis magisque irritaretur, pessimaque symptomata excitarentur. Cum itaque curationem, cujus fit mẽtio Centur. 1. Observ. 32. cum ipso instituere vellem, quendam ex barbitonsoribus nostris accedit. Is ad aliquot vices instrumentis in œsophagum immissis; malum ita exacerbavit, ut aucto dolore; tandem nihil amplius deglutire posset; quapropter octava die morbi iterum, unà cum Clarissimo Viro Dom. D. DUNO Medico in Consilium vocor. Tum collum undique durum, tensum, & supra modum usque ad ipsum pectus,

intume-

Obs. 35. & 36. intumefactum invenimus, dolor erat maximus, respiratio difficilis, pulsus celer, & debilis, nec guttulam quidem jusculi deglutire potuit: quamobrem ipsum in periculo vitæ suæ versari, adstantibus significavimus: interim tamen ut dolor reliquaque symptomata lenirentur, omnes nervos intendimus. Collum & pectus ol. Liliorum & amygdalarum dulcium inunximus, Cataplasma & sacculos emollientes & anodynos, ex radicibus & foliis Malvæ, Altheæ, florib. Chamomillæ, Liliorum & Meliloti, semin. Lini, Fœnograeci, Anethi, & Meliloti, applicuimus, Decoctum quinetiam ex radicibus & foliis Altheæ, Malvæ, floribus Chamomillę, cum pauco melle, ex cochleari lambendo dedimus; Sed omnia frustrà, sequenti enim die 5. videlicet Decembris qui fuit nonus morbi placidè obdormivit. Post obitum inciso collo, œsophagum cum vicinis suis partibus, sed eo præsertim in loco ubi ossiculum infixum fuerat; planè sphacelatum, cum maximo fœtore invenimus, ossiculum verò nusquam, imò nec in ipso ventriculo: Pulmones, propter præcedentem inflammationem lividi erant, & ventriculus planè vacuus. Meritò hic quæris quid de ossiculo factum sit? Ego illud primâ nocte, & antequam ad me veniret, in maximis istis conatibus, quos immisso digito in gulam, ad excludendum ossiculum, sibi excitaverat, aut per superiora rejectum, aut ad ventriculum & intestina delapsum fuisse. Id enim nisi accidisset, ossiculum aut ab initio instrumentis, aut post mortem digito in ipsa gula invenissem. Quod autem adeo placidè, ut nihil supra, & absque ullo corporis motu violento extinctus fuerit; cum potius mors violentissima, tam ratione partis affectæ, quàm ætatis (erat enim juvenis) exspectanda erat, suas quoque habet causas, de quibus aliàs; nunc enim ut plura adscribam tempus non concedit. Vale itaque mi Dom. D. HAGENBACH, & cum tuis omnibus, quos mecum salutat uxor mea, æternùm quàm felicissimè vive. Bernæ, 20. Decemb. 1623.

OBSERVATIO XXXVI.

De semestri vomitu.

Viro clarissimo atq; doctissimo, Dn. D. PHILIBERTO, *Magni atque Excellentissimi Viri*, Dn. D. JANI ANTONII SARAZENI, *filio*,

Guilhelmus Fabricius Hildanus

S. P. D.

RECtè profectò & sapienter Averrhoëm Philosophum summum, cùm *Monstra in morbis fieri scribit*, sensisse, Vir amplissime, Domine & Amice plurimùm honorande, indies experimur. Apparet id in matrona illa nobili, de qua Anno 1617. 9. Augusti ad te scripsi: illa enim, etsi plus quàm annos triginta, vomitu illo admirando, cum aliis quibusdam symptomatibus gravissimis laboraverit, satis tamen commodè ipsam vitam traducere, ante annum, cùm Mazonopolin ægros invisendi causa vocatus essem, hisce meis vidi oculis. Vides quàm mirabilis sit Deus in operibus suis.

Vide Centur. 4. Observ. 32.

Porrò de vomitu diuturno, superiori æstate iterum singulare quid observavi. Matrona quædam honesta quinquaginta quatuor circiter annorum ætatis, & Magistri ANTONII SCHWEIGERS, civis & Serrarii Bernensis uxor, ante annum circiter in convivio splendido, caput mustelæ piscis comedendo, dolore ventriculi subito, & ad me accumbens, correpta fuit, eoque per sex integros menses laboravit, & ita quidem, ut cibum retinere non posset, sed illum, jam confestim ab ingestione jam sequenti die rejiceret: Interim dolores vehementissimos ventris & lumborum perpessa est, & per intervalla diarrhœa laboravit. Multis quidem usa fuit Medicamentis, sed ab Idiotis & Empiricis exhibitis, & proinde sine fructu. Tandem 30. Augusti proximè elapsi, cùm ad summam extenuationem & labefactationem virium, & ut verbo dicam, discrimen vitæ, redacta fuisset, me accersere jussit. Præscripsi convenientem victus rationem, & cordialia nonnulla interna simul & externa: sed vix præparatis medicamẽtis, planè deficientibus viribus, naturæ debitum persolvit. Quæ hujus doloris tum ventriculi, tum etiam reliquarum partium, simul & vomitus fuerit causa, ex te Vir amplissime scire cupio. Ego spinam piscis, in rugam aut plicam aliquam oris ventriculi inter comedendum infixam fuisse, ventriculumq; paulatim exulcerasse & perforasse existimo. Simile quid in Juvene quodam Lausannensi, Paulo Constantino, observavi: is enim in convivio sorbendo jusculum simili morbo correptus fuit, à quo tandem extinctus est. Arbitrabantur parentes venenum ipsi datum fuisse, sed perperam. Verisimilius enim est, ossiculum aliquot acutissimum, rugæ alicui oris ventriculi inhæsisse: apparuit id post obitum; apertò enim à me cadavere, ulcus in ore ventriculi repertum fuit: At si venenum sumpsisset, exulceratio potius in ipso fundo, quàm in ore ventriculi extitisset. Historiam integram videre poteris; Centuriæ tertiæ Observatione vigesimâ. Hæc raptim: præter ea quæ heri ad te scripsi, ut inter nos aliquandiu intermissa colloquia de rebus Medicis iterum inchoëm. Vale Vir amplissime, & cum tuis omnibus æternùm, quàm felicissime vive. Bernæ 7. Novemb. Anno 1620.

OBSERVATIO XXXVII.

Quidam post sumptum Medicamentum Chymicum, paulò post extinguitur: ubi etiam de porcello monstroso.

Doctissimo Viro, Dn. JACOBO HAGENBACHIO, *Basileensi, Artium Liberalium Magistro*,

Cui

Guil. Fabricius Hildanus S. P. D.

AD postremas tuas, Doctissime atque amantissime, mi Domine Hagenbachi, quas ante mensem accepi, protinus respondere constitui, & quæ ulteriùs circa morbum matris tuæ charissimæ (meo quidem judicio) agenda, simul indi-

Obs. 37.

indicare volui. Quum vero ex literis Reverendi ac celeberrimi Viri Domini Grasseri intelligerem, omnia cùm ipsa in tuto esse, teq; brevi ad nos reversurum, sententiam mutavi, tuumq; adventum avidè expectavi, sed frustrà. Significa itaque quæ hujus moræ sit causa, & quonam in statu sit morbus matris tuæ, & si quid consilii me conferre posse putas, significa simul, non enim deero officio meo. Cæterùm rectè valeo cum meis omnibus, Laus sit Deo, Filius meus Iohannes in Nosocomio Lugdunensi receptus fuit, ubi Praxi Chirurgicæ incumbit. Ex postremis ejus ad me literis intelligo, ipsum quoque ad te scripsisse; & scalpellum misisse, significa an rectè ad te pervenerint omnia.

Empiricus gloriatur se sanare posse Arthritidem.

Porrò post tuum à nobis abitum, vicini montes nivibus prægnantes, monstrum aut potius carnificem pepererunt, qui præpotentem & crudelissimum illum hostem humani generis, Arthritidem videlicet, domare, aliaq; mira se præstare posse, impudentissimè jactitare ausus est. Inter monticolas & rusticos tympanistam & tibicinem hactenus egit & etiamnunc agit, sed postquam à Vulcano edoctus fuit, ut ipsius industriâ ex margaritis & lapidibus preciosis, ut ille asserit, Medicamenta preciosissima præparare possit, Bernam quoque venit, ubi imperitiæ & temeritatis suæ specimem singulare & lamentabile edidit, hoc modo.

Optimus & probus ille senex Dominus Iohannes Franciscus Rex, pharmacopola, qui tibi notus fuit, cùm per dies aliquot dolore Chiragrico laborasset, malitiosus ille Agyrta (qui antea aliquoties Medicamenta in ipsius officina emerat) ad ipsum se confert, & ut horum impostorum mos est, futilia sua & vana ad cœlum usque extollit. Probus ille Vir, vanis istis persuasionibus, aut potius diabolicis incantationibus hujus nebulonis commotus, prima die hujus mensis, circa septimam matutinam, potiunculam, quam ex margaritis aliisq; lapidibus preciosis, ô nefandum scelus! arte Vulcaniâ præparatis, conflatam esse ajebat, ab imperitissimo isto nebulone sumit. Quid fit? Sumptâ potione, protinus vires totius corporis diminuuntur, & paulò post ita deficiunt, ut intra horas circiter tres, postquam nonnihil pituitæ evomuisset, visum, auditum, loquelam, motum item & sensum ita amiserit, ut sequenti die cùm ipsum inviserem, punctiones acicularum non senserit: Atque in hoc vitæ statu placide obdormivit; cùm post sumptam potiunculam vix quadraginta horas vixisset.

Trigesima præterea Ianuarii, quidam ex primariis hujus Reipublicæ, tibi quoque notus, alioquin Vir doctus & prudens, ab eodem agyrta fere trucidatus fuit. Cùm enim paulò ante prandium nonnihil liquoris, quem ineptus ille impostor aquam auream, Gulden-oder Krafft-wasser appellat, sumpsisset, non diu post, cum adhuc ad mensam esset, virium prostratione, eructationibus, & nausea correptus fuit. Sed quia venenum cibo & potui permiscebatur, & ipsius venenata qualitas à cibo & potu suffocabatur, singulari Dei clementia, & naturæ validissimæ beneficio, omnia simul evomuit, & convaluit.

Obs. 37.

Præteritis diebus in pagum propè Burgdorff ad Juvenem viginti trium annorum ætatis vocatus fui. Is quoque ab eodem agyrta venenosis medicamentis ita devastatus fuit, ut in deploratum morbum inciderit: interim tamen imperitus & sceleratus ille impostor, hactenus à Magistratu amplissimo impunitus dimissus fuit. Quorsum, mi Domine Hagenbachi, divina ars Medica devenit!

De porcello monstroso.

Aliud monstrum, quod ego præteritis diebus, apud Clarissimum Virum, Dn. D. Scharandeum vidi, superiore mense Januario, in pago prope Solodurum natum fuit; Porcellus est octipes, cum duobus corporibus, & uno capite, in quo quatuor aures, duæ minores in syncipite, ubi sutura recta Lambdoideam attingit, veluti ex eadem radice proveniunt: reliquæ naturalem formam & magnitudinem habent, naturalemq; locum occupant. Interiora viscera, ut ex Domino D. Scharandeo, qui eà diligenter perspexit, & monstrum etiamnunc exsiccatum habet, intellexi, omnia in duplo erant, uti fusius ex ipso intelliges. Suadeo enim, ut ipsum in transitu invisas, uti quoque consultissimum Virum Dominum Tribunum Saler, poteris enim eodem opere affectum uxoris ejus videre, & facies quoque ipsi rem gratissimam. Philippus meus hucusque continuò apud ipsam fuit, non sine meo incommodo. His vale & de morbo matris quàm primum ad me scribe. Uxor mea ipsam, uti quoque Parentem tuum, & Dominum Grasserum mecum salutat. Raptim Soloduri, 6. Februar. 1620.

OBSERVATIO XXXVIII.

Post esum Fragorum, mortis periculum sequutum.

Viro Clarissimo, Doctissimo, Domino JOHANNI FRIDERICO WERTENBERGICO *Medico Basiliensi, ejusdemq; Academiæ Professori celeberrimo, Domino & amico suo plurimùm honorando,*

Cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus,

S. P. D.

NOndum mihi licuit ad vos proficisci; Vir undiquaque doctissime, fautor & amice æternùm honorande, causam in eis quas antehac ad te scripsi exposui, & rogavi, ut apud præstantissimum Virum, Dominum ISELIUM me excusares, quod Te jam fecisse non dubito, spero tamen brevi, volente DEO, me ad vos excursurum. Porrò non ita pridem singulare quid in Praxi observare mihi contigit, quod postremis meis ad Te literis inservissem, nisi festinatio tabellarii obfuisset.

Observat.

Honesta quædam fœmina, trigesimum annum ætatis prætergressa, corpore robusta & valida, Catharina Stalber nomine, uxor Iohannis Rudolphi Lehnmanni, cum quinta hujus mensis, jejuno adhuc ventriculo, manipulum unum

Obs. 38. & 39.

num aut alterum fragorum comedisset, post horas tres dolore ventriculi correpta fuit: qui protinus adeò auctus, ut etiam lipothymiæ supervenirent. Assidentes hac de re perturbati, protinus Theriacam exhibent, & quidem ea die bis, sequenti nocte semel, sed planè frustra; dolor enim, & lipothymiæ magis magisq; adauctę fuerunt, vertigo item, visus obfuscatio, & manifesta ventriculi & hypochondriorum extensio atque intumefactio supervenêre. Sequenti die cum dolores essent acutissimi, & reliqua symptomata magis magisq; adaugerentur, ipsam quinetiam ægram animam brevi efflaturam putarent adstantes, summo mane ad me venit maritus, exponẽs omnia quæ acciderant. Quum itaque de sumpto veneno apud me nullum esset dubium, & proinde vomitorium aliquod excellens requiri, probè mihi constaret, statim ad guttulas duodecim, Essentiæ sive Extracti tui stomachici, cum decocto agrimoniæ & veronicæ, quòd opportunè paratum habebam exhibui, & post semihoram jusculum carnis purum, & sine pane dedi. Evomuit quater, & circa vesperam alvum bis deposuit. Hinc dolor cessavit, lipothymiæ quoque reliquaq; symptomata remiserunt, & sequenti nocte melius habuit, & quum cordialia nonnulla & ventriculum roborantia adhibuissem, intra paucos dies plenissimè restituta fuit. Hinc videmus, quàm præsentaneum remedium sit vomitus, quum malum est in ventriculo, præcipuè si specifico aliquo medicamento, quale tuum est stomachicum provocatus fuerit.

Quæritur autem quænam horum gravissimorum Symptomatum fuerit causa? Ego planè censeo fraga à serpente, aut potius bufone veneno inquinata fuisse; Bufones enim, ut testatur magnus Paræus, fragis summopere oblectantur. At eorum venenum, quòd urinâ, salivâ, & halitu ejaculant, mortiferum esse, testatur Rondeletius lib. de piscibus, Paræus lib. 20. cap. 30. Cùm itaque fœmina hæc fraga plane cruda, puto illota, & sine additione vini aut sacchari comedisset, verisimilimum mihi esse videtur, ea veneno bufonis, ut dixi, inquinata fuisse. Tibi verò quid videatur, quando ad vos pervenero libenter intelligam. His vale, Vir clarissime, & æternùm cum tuis omnibus, quàm felicissime vive. Bernæ 20. Iulii, 1621.

OBSERVATIO XXXIX.

De gravi affectu in puella, post esum uvarum sequuto.

Ad eundem Virum clarissimum atq; doctissimum, Dn. IOHANNEM FRIDERICUM WERTENBERGIUM, *Medicum Basiliensem, ejusdemq; Academiæ Professorem celeberrimum,*

Cui

Guil. Fabricius Hildanus, S. P. D.

NOndum ad ea, quæ de puero Francovallensi scripsisti, Vir clarissime, & amicorum optime, respondere potui; neque etiamnunc respondeo: propediem enim, si DEUS Opt. M. cœptis faverit, ad Serenissimum Principem ac Dominum, Dn. GEORGIUM FRIDERICUM, Marchionem Badensem & Hochbergensem, &c. profecturus sum, tumq; in transitu Basileam ægrum ipsum tecum, DEO dante, invisam, & quidquid præterea cum ipso agendum sit, simul deliberabimus. Ad literas meas de periculoso esu fragorum, nondum responsum à te accepi, quod tamen adhuc avidè exspecto. Non ita pridem simile quid mihi videre contigit. Casum accipe paucis. Quartâ hujus ad puellam nobilem, Dn. N. Spireri Basiliensis filiam, duorum circiter annorum ætatis (quæ præcedenti nocte protinus in acutum morbum inciderat) vocatus fui. Laborabat illa summâ angustiâ pectoris, & virium prostratione. Sed & (quod præcipuè notandum) musculosæ partes totius corporis, præcipuè faciei, materiâ quadam flatulentâ intumefactæ erant. Hujus rei causam cùm ea, quâ potui, diligentiâ perquirerem, omniaque, quæ præcedenti die comederat, ex domesticis intellexissem, cognovi, affectum huncce post esum uvarum (quas nostrates matronæ tempore vindemiarum suspendunt, ut siccentur) accidisse. Incidit tunc confestim in mentem casus, quem de esu fragorum aliàs ad te scripsi. Num & hic similiter uvas aut in vinea ipsa, à bufone vel serpente aliquo, aut in ipso conclavi aranearum veneno inquinatas fuisse, & proinde vomitorio aliquo opus esse, collegi. Cùm verò stomachicum tuum in tenello hocce infantulo mihi suspectum esset, sequentem potiunculam exhibui.

Potiuncula.

℞. Guttæ Gamandræ grana tria,

Syrupi Rosati solutivi compositi ℥ij. cũ decocto agrimoniæ, veronicæ, scabiosæ & liquiritiæ, fiat potiuncula; quam statim propinavi. Evomuit non diu post sumptam potiunculam; & circa vesperam duas habuit sedes. Per intervalla quoq; nonnihil aquę Veronicæ & Cardui benedicti, quæ in venenosis affectibus sũmopere conveniunt, sumpsit. His intra dies quatuor plenissimè restituta puella fuit. Præteritis diebus lumbricum latum spithamas viginti longum vidi: de quo, cùm ad vos pervenero. Nũc plura non licet. Vale itaque Vir clarissime, & cum tuis omnibus æternùm quàm felicissime vive. Dabam Bernæ 14. Febr. 1622.

Lumbricus la[tus]

EXCELLENTISSIMO ATQUE EXPERIENTISSIMO VIRO, Dn. GUILHELMO FABRICIO HILDANO, *Chirurgo Medico Bernensi, Domino & amico longè charissimo*, IOHANNES FRIDERICUS WERTENBERG *Philosophiæ ac Medicinæ Doctor, nec non Professor Logicæ in Academia Basiliensi, S. P. D.*

TUæ literæ, Vir clarissime atque excellentissime, me propter duas causas maximè exhilararunt: Primò, quod ex tuis intellexerim, Te brevi ad nos venturum: summo enim desiderio tuum adventum exspectamus. Secundò, quod ex iis quoque successum medicamenti stomachici in honestâ quadam matronâ perceperim; in quâ manifestissima signa assumpti veneni appare-

Obs. 39. Signa veneni in[..] [..]a corpus [..]mpti.

apparebant. Quid enim aliud lipothymia, dolor, vertigo, visus obfuscatio, ventriculi & hypochondriorum intumefactio atque extensio denotabant, quàm assumptum venenum? Similis casus mihi relatus fuit, in quo etiam opera mea expetebatur. Erat puella 18. annorum Lucis valle oriunda, quæ non longè distat Basileâ: Parens ipsius vocatur Henricus Gißing: cui manè pruna à puero, quæ collegit sub arboribus, erant exhibita: statim à comestis prunis varia symptomata in eâ se manifestarunt, lipothymia, vomitus, vertigo, icterus, in toto corpore, prostratio omnium virium, convulsiones. A principio parentes existimabant esse febrem ephemeram, sed paulò post supervenerunt recensita symptomata: & quarto die obiit. Ad me quidem petitum consilium venerunt, sed nimis serò, antequam enim tabellarius domum rediisset cum medicamentis, naturæ satisfecit. Non est autem mirum, apud prædictam fœminam theriacam nihil effecisse, licet aliquoties fuerit exhibita: nam proculdubio venenum nimis altè radices egit: & non quamprimum ab assumpto veneno theriaca exhibita fuit. Proinde optimè factum à Viro Excellentißimo, quòd ille vomitorium propinaverit, Nam hac ratione materia fuit evacuata: ablatâ enim causâ tollitur effectus. Ista methodus curandi non ignota fuit; Empiricis, quorum mentionem facit Matthiolus in commentariis lib. 6. in Dioscoridem: isti enim fraudulenti impostores cum sciant venena non posse nisi parum nocere, ubi ventriculus fuerit cibis valde repletus (ut autor est Dioscorides in præfatione libri sexti: & Avicenna libro quarto, fe. sextâ) proindè priusquam suggestum ascendant ad satietatem usque, præsertim æstate lactucas crudas devorant sale, aceto, & oleo conditas, verùm olei tantum imponunt, ut ferè in eo lactucæ innatent. Et quia hyeme, maximè urgente brumâ, tenellæ lactucæ difficilè passim inveniri possunt, ideo earum vicem his præbent interanea boum præpinguium, quorum tantam comedunt copiam, quoad ventriculus veluti tympanum extendatur.

Fraudes empiricorum circ[..] assumpta venena.

Id autem eo consilio faciunt, ut hac quidem jurium pinguedine, eorumq; substantiæ craßitudine, illæ verò frigiditate suâ, oleique multitudine, quam illis adjiciunt, prætérquam quod veneni penetrationem inhibent, cùm internas vias obstruere poßint, erodentem quoq; ingesti arsenici acrimoniã obtundũt. Cùm igitur venenum sumpserint, quod illis ob præassumpti alimenti vim, nullam aut parvam noxam adfert, nempè quod ventriculus sit tensus, & pinguedine imbutus, mox suam adulteratam antidotum, quæ omninò legitimam theriacam mentitur, assumunt, idque impunè. Quò fit, ut facilè postea populo astanti persuadeant, id esse antidotum omnium præstantißimum, contra omnia venena, quod in universo orbe reperiri poßit. His vulgi animi persuaßi, majori multitudine ac impetu feruntur, ut adulteram, invalidam, veramq; mentientem theriacam emant.

Itaque cùm temporis momento capsulam hac impostura exhauserint, statim è suggesto descendunt circumforanei, seseq; in hospitium recipiunt, arsenicum paulò antè sumptum una cum lactucis aut bubulis iteraneis arte quadam evomunt: neque aliud illo die assumunt, quàm lac, quod tantum sæpius alternatim potant, vomuntq; & revomunt. Ex his igitur enarratis luce meridianâ clarius est, vomitum maximè assumptis venenis convenire. Hæc autem Vir clarissime atque excellentißime à me in medium prolata fuerunt, ut tuam sententiam confirmarem, Te scilicet rectè & optimè fecisse, quòd honestæ matronæ vomitorium, & post vomitorium cordialia & corroborantia exhibueris. Vale Vir Excellentißime, & me amare perge.

Obs. 40. & 41.

OBSERVATIO XL.

De sterilitate sive impotentia ad coitum, in viro quodam Iuvene.

ANNO 1608. cùm dissensio domestica Lausannæ, inter virum viginti quatuor annorum ætatis, Simonem Petrum Fauconnier nomine, atque uxorem suam orta fuisset, & hac de re ambo in consistorium matrimoniale vocati essent, & uxor, quæ Juvenis quoque erat, maritum impotentiæ ad actum Venereum accusaret, constitutum fuit à Senatu Ecclesiastico, ut à me inspicerentur genitalia, & quæ hujus impotentiæ esset causa, pervestigaretur. Inspectis partibus obscœnis, ipsum sinistro testiculo carere reperi, quē sibi excisum esse, cùm vix tertium mensem ætatis attigisset, retulit: Alter verò testiculus, uti quoque penis ipse, secundum naturam constitutus erat: quapropter ulterius causam Sterilitatis inquirens, & Ventrem inspiciens, cicatricem maximã atque deformem (quam ab initio indusio obtegerat) invenio: occupabat illa cicatrix ventrem, à regione hepatis usque ad inguina ferè, & musculum rectum ejus lateris. Hujus cicatricis causam cùm ab ipso investigarem, retulit mihi, se anno secundo ætatis suæ combustione ex vestimentis incensis, graviter & periculosè correptum fuisse, vixque ab ipsa sanari potuisse. Accidit & aliud malum, nimirum pestis, quã non diu post curatam combustionem, illo ipsomet loco combustionis, se correptum fuisse referebat. Propter combustionis itaque violentiam, simul & pestis malignitatem, & erosionem anthracis, vasa spermatica partim erosa, partim corrugata fuisse, verisimile esse mihi videtur.

Frequēter intensus ac vehemens calor præternaturalis, absumendo humidum radicale, calorem innatum extinguit, refrigerationemque inducit.

OBSERVATIO XLI.

De Mensibus perpetuò sine noxa Retentis.

Clarissimo & Doctissimo Viro, Dn. STEPHANO LE DUCHAT, *apud Genevenses Medicinæ Doctori celeberrimo, Amico singulari,*

Guilh. Fabricius Hildanus, S. P. D.

ANtehac ad Te scripsi, Vir Clarissime, & juvenem quendam Medicinæ Studiosum, sed in arte Pharmaceuticâ non mediocriter versatũ, de meliore notâ Clarissimo Viro commendavi. Is cùm nunc iter suum ad vos instituisset, intermittere nolui, quin Clarissimum Virum per eundem interpellarem, & Epistolio hocce amicitiam nostram foverem. Facerem id subindè, nisi obstarent occupationes in praxi, quæ apud nos potiùs molestias quàm divitias parit. Quia tamen plerunque etiam rara, quibus etiamnunc oblector,

Obs. 41. ctor, in eâ occurrunt, longè facilius labores omnes perfero. Quæ in commotione cerebri non ita pridem observavimus, ex latore præsentium intelliges, forsan non sine admiratione.

Cæterum hisce diebus Quadragenariam quandam ex præfecturæ Nidoviensis Parochiâ Diessen oriundam, Annam, Samuelis Geignart uxorem ex casu ab alto, circa coxam dextram, lumbos, & os sacrum graviter læsam, feliciter curavimus. Sanctè nobis affimat Matrona illa, se nunquam fluxu menstruali laborasse, tum durante virginitate, tum etiam in ipso matrimonio: in quo tamen septem liberos peperit, & quidem feliciter, quorum major pars adhuc in vivis est, & athleticè optimeque valet. In puerperio Lochia quoque exigua fuisse affirmat. Fuit illa, ut refert, ab ipsa juventute in hoc usque tempus semper robusta, valida, morbisque parum obnoxia. Jam verò etsi propter caritatem annonæ, & infirmam fortunam ad egestatem deducta, & proindè extenuata & macilenta sit; est tamen etiamnunc sana, corporeque ita valida, ut cum marito suo veluti reliqui mercenarii, propugnaculo nostro exstruendo manum strenuè admoveat. Hæc profectò mihi veluti paradoxa. Etiamsi enim ut nonnulli testantur, Amazones & fœminæ Saltatrices apud Indos, parum aut nihil fluxum illum experiuntur, & tamen optimâ sanitate fruuntur, prolem quinetiam producunt; apud nostrates tamen mulieres id rarissimè aut nunquam auditum fuisse existimo. Inde natum proverbium apud Germanas mulieres usitatum: Der Baum / der nicht bluhet / kan keine Frucht tragen. Mulieres enim cùm sint naturæ frigidæ, multa in eis gignuntur excrementa, tam secundæ quàm tertiæ concoctionis: quæ si non expurgantur per vias à natura destinatas, gravissimi indè subsequuntur morbi, inprimis obstructiones viscerum malus habitus totius corporis, febres, Icteritia, scyrri viscerum, mania, tussis, angustia pectoris, lepra, hydrops, podagra, & infinita alia, quæ calorem naturalem extinguunt, humidum radicale absumunt, actiones omnes partium corporis impediunt, fœminasque infœcundas efficiunt. Hæc raptim, quapropter ut tumultuanti calamo ignoscere velis, summoperè rogo. Vale cum tuis omnibus, & feliciter vive diu. Bernæ, 29. Augusti, Anno 1622.

VIRO EXCELLENTISSIMO, DN. GVILHELMO FABRICIO HILDANO, Reipublicæ Bernensis Medico celeberrimo,

STEPHANUS LE DUCHAT Doct.

S. P. D.

Gratißima illa Tua mihi, heri ab herâ meâ reddita: hactenus latorem non vidi: quæsivi, quo uteretur hoßpitio, quod nec domesticis nostris constat. Charus mihi multis nominibus futurus est. Quæ de cerebri commotione indigitas, gestio ex ipso intelligere. Me verò Vir Clarißime, Tibi arctißime devincis: dum vel negotiis obrutus, mihi, quæ tibi præter Naturæ legem occurrunt, impertiris. Refers, fœminam quadragenariam menstruas purgationes nunquam passam septies puerperam, septem liberis virum suum ditasse; quorum pleriq; etiamnum superstites, imminutè à partu lochia fluxisse: Corpus optimæ constitutionis nactam jam macrescere. Constare tamen vires, ita ut operam suam vestro elocet propugnaculo.

Dum hæc oculis perlustro, animus ambigit, num genitus fuerit menstruus sanguis, qui ob uteri venarum obstructionem ad alias vias remeaverit: unde nata sit Hæmorrhagia, vel fluxus alius quißpiam, qui vices obierit menstruæ purgationis.

Sed de his cum sileas, penitius huic cogitationi non adhæreo: revolvitur potius animus in eam opinionem, minimè genitum fuisse ejusmodi sanguinem: Vndè nulla symptomata ipsius in corpore præter Naturam moti, vel quiescentis in utero, emerserunt. Conjicio ipsam adolescentulam vegeto fuisse calore; duram sortem vix corpori necessaria subministrasse, ærumnosam vitam duxisse, laboribus rusticis assuetam, ita ut sanguis superfluus non fuerit genitus nec excretus eò quod parcâ manu cibata materia hæmatoseos exigua suggerebatur, cujus secundæ coctionis nihil superabundabat, unde menstruæ purgationes erumperent. Sanguinis verò menstrui causa efficiens, utpote superflui, cum censeatur calor imbecillior, sibi copiam sanguinis præsentem aßimilare non valens; in hac fœmina sanguis superfluus generari non potuit, cum calor esset vegetior, sanguinem attenuans & transpirationem promovens, non autem remißior & imbecillior, qui generando sãguini menstruo par & adæquatus censetur. Vnde verò fœtui alimentum accesserit investigandum? Supponerem, ipsam solito fuisse cibi avidiorem, & laboribus minus indulsisse; Ex cibo copiosiore & optimâ chylosi sanguinem copiosiorem & superfluum, respectu proprij individui, temporè gestationis uteri, in fœtus nutritionem & auctionem transiisse, Naturâ providâ speciei benè consulente. Ex laboris verò imminutione transpiratio minor facta; sanguis vi exercitiorum non ita attenuatus: addo etiam quietem, ob minorem ad motum aptitudinem; ob nimiam distensionem à fœtu causatam; unde frigidior sanguis incepit restagnare, & ad uterum transmitti: neceßitatem alimenti potius æquando, quàm superando: unde paucitas lochiorum à partu orta. Similia exempla huc non accerso, utpote satis trita, & proborum authorum voluminibus consignata: Rarum tamen in Helvetiâ, cœlo frigidiore humidiore, victus ratione satis liberali.

Dißimile mihi præ manibus exemplum elegantißimæ matronæ, annos triginta septem natæ, cui liberalißimè fluunt menses, toto etiam tempore gestationis uteri, nono quin imò mense servatâ temporis lege parcius fluunt, hactenus quidem sine propria, vel fœtus noxâ: optimi est habitus; cibis euchymis copiosè utitur; quiete fruitur animi & corporis; Vivit in re lautâ. Crediderim per exteriores venas cervicis uteri superfluum sanguinem excerni: Alimentum verò per venas interiores liberaliter affluere: hicq; vigere Retentricem, ne idoneo pabulo destituatur fœtus. Verisimile quippe non est, hiare os uteri, cum fœtus edat vegetos & validos, cum propriâ virium constantiâ. Spero metuo judicio fore auctiorem & feliciorem, quod dum operior, Tibi à DEO felicitatem, mihiq; Tua benevolentiæ perennitatem exopto. Vale Vir Clarißime, mihiq; favere perge. Dabam Genevæ, 8. die Septembri 1622.

VIRO

Obs. 41.

VIRO CLARISSIMO, DOMINO STEPHANO LE DUCHAT, Genevensis Præstantissimo Doctori celeberrimo;

Guil. Fabricius Hildanus, S.P.D.

BInas, quas ad me dedisti, literas, Clarissime & Amantissime mi Domine Doctor, rectè accepi. Responsum Tuum Doctissimum ad Observationem de Menstruis perpetuò sine noxa retentis, pergratum mihi fuit. Nonnulla enim, quæ historiam magis admiratione dignam reddunt, à me tamen omissa fuere, in memoriam mihi revocas. Dubitas, an sanguis Menstrualis ad alias partes delatus, hæmorrhagiam vel alium quempiam fluxum, qui menstruæ purgationis vices obiverit, precaverit. At illa nunquam passa fuit hæmorrhagiam; nec aliquam aliam fluxionem. Quapropter tecum ambigo, an sanguis menstrualis in ipsa genitus fuerit, nec ne: Si enim genitus fuisset, procul dubio ex ipsius retentione gravissima symptomata supervenissent. Statuis ipsam adhuc adolescentulam vegeto fuisse calore Et rectè quidem. Sed quid de præteritis multa? Est enim etiamnunc, & quidem hoc ærumnoso tempore, dùm propter annonæ caritatem magnâ quoque inopiâ afficitur, quàm robustissima & sana. Filiam suam, decimum sextum annum ætatis jam prætergressam, nondùm fluxu menstruali laborasse; nihilominùs tamen virili, ut ita dicam, robore præditam esse, nobis asseruit. Adduxit secum filium quatuordecim annorum ætatis, quem præter modum vividum & robustum esse, his etiam vidi, meis oculis. Ex quibus omnibus conjicio, matrem naturâ robustissimam, & optimo corporis habitu præditam esse: & proindè sanguinem superfluum, & ad nutritionem ineptum; si qui forsan adfuerit, vi caloris nativi dissipatum fuisse. Tempore gestationis uteri cibum nunquam copiosiorem sumpsit: laboribus quinetiam & quidem gravissimis non tantum circa res familiares, verùm etiam in ipsis vineis strenuè se incubuisse, nobis affirmavit. Hinc cùm sanguis elaboratus, & ad nutritionem aptior factus esset, facillimè in nutrimentum fœtus etiam aptissimum cedere potuit: etiamsi menses ante conceptionem non fluxerint.

De Matronâ, cui toto gestationis tempore fluunt menses, rectè statuis, id fieri per venas exteriores cervicis uteri. Os uteri enim minimè hiare, tecum censeo. In gravidis enim si advenerit, ut os uteri aperiatur; de fœtu actum est, etiamsi vividus fuerit: tam exitiosus & noxius est aër ambiens. Contra compertum est, matres fœtum mortuum per aliquot menses sine noxâ gestasse, ore videlicet uteri manente clauso. Hac de re poteris videre Observat. 51. Centur. 2. Observ. mearum apud vos impressam.

Quæ de commotionibus Cerebri nuper innui, Studiosus ille, cui meas tradidi, Tuæ Excel. coràm communicasset, si eam domi offendisset. Duæ sunt historiæ, quarum una de puero quodã, qui post commotionem cerebri visum planè amisit; agit: quam ad Dn. D. Blandinum scripsi, qui libenter illam Tibi communicabit. Altera de felicissima curatione commotionis cerebri cum ingenti fissura Cranii in Viro juveni tractat: de qua forsan aliàs ad te scribendi dabitur occasio: nunc enim non licet. Vale Vir Clarissime, & cum Tuis omnibus æternùm quàm felicissimè vive. Dabam Bernæ, 1622.

Obs. 42.

OBSERVATIO XLII.

De Lochiis retentis, & exindè sequuto morbo gravissimo.

VErissimum esse Divini Hippocratis dictum quod habet libro de natura pueri, sic inquiens: *Si non purgetur mulier à purgationibus partus, morbus magnus ipsam corripiet, & periculum vitæ incurret, nisi citò curetur, & quis convenientem purgationem ipsi inducat.* Verissimum, inquam, hoc esse, persæpè in praxi expertus sum; præcipuè anno 1598. in Nobili quadam Matronâ, Dn. Iohannis d'Yverdun, Senatoris & Quæstoris Lausannensis uxore. Matrona hæc cùm 6. Februarii, circa decimam matutinam filium satis feliciter peperisset; subsequenti nocte dolore ventris & lumborum correpta fuit. Ille cùm paulatim ita adauctus esset, ut etiam lipothymiæ supervenirent; & præ maximo dolore, vigiliisq; ac phrenesi; jam morti proxima esse videretur; accersitus fui tertio die post partum: tum investigando & perquirendo ea, quâ fieri potuit, diligentiâ omnia, quæ acciderant, cognovi tandem, causam morbi esse suppressionem atque retentionem Lochiorum.

Lochiorum retentio quàm pestifera exemplo docetur.

Cùm enim in conclavi frigido peperisset, & ab assistentibus matronis (quæ potius curam pueri, quàm matris habuerant) aliquantisper derelicta fuisset; flatum quendam instar auræ frigidæ, ad ipsius intima penetralia uteri irruisse, & exindè vix aliquod indicium Lochiorum apparuisse; ajebat.

Causa ilorum retentionis quæ?

Vt itaque causam mali removerem, Lochia ut quamprimùm provocarem, operam dedi, non neglectis tamen symptomatibus. In hũc finem, præter convenientem victus rationem, sequens Enema injeci:

Curatio.

Enema.

℞. Radicum Altheæ,
Aristolochiæ longæ & rotundæ,
Liliorum alborum, ana ℥.ß.
Foliorum Malvæ, Parietariæ,
Mercurialis, & Violarum, an. m.ß.
Florum Camomillæ,
Meliloti,
Sambuci, ana p.ij.
Seminis Aneti,
Seselios, & Fœnogræci, an. ʒ.ij.

Coquantur in aqua; ad consumptionem tertiæ partis. In ℥. x. colaturæ dissolve vitellos ovorum num. ij.

Salis gemmæ, & unguenti de Arthanitâ ana ʒ.j.
Olei Anethini & Laurini ana ℥. ß.
Misc. fiat Clyster.

Imò ventris, pudendis, & perinæo, Sacculum ex sequentibus calidè applicui:

Sacculus.

℞. Radicum Aristolochiæ rotundæ & longæ,


Gentia-

Obs. 41.

Gentianæ, Angelicæ,
Bryoniæ, ana ℥.ß.
Cyclaminis ʒ.ij.
Herbarū, Artemisiæ, Melissæ, Sabinæ, Origani, Calamenti, an.m.j.
Florum Tanaceti, Camomillæ, & Sambuci an.m.ß.
Seminis Anethi, Seselios, Carui, & Anisi an.ʒ.j.

Incidantur & conquassentur omnia grosso modo pro sacculo frequenti intersuto, & triangulari, ejus magnitudinis, ut prædictas partes cooperire possit. Coquatur in aqua, & calidè applicetur.

Figura Sacculi.



Ventrem, coxas, & crura, quæ per consensum maximo quoq; dolore afficiebantur, oleis sequentibus calidè inungere jussi:

Linimentum.

R. Olei Camomillæ, Anethi, de vitellis ovorum,
Olei ex floribus, secundum descriptionem Slotani, an.℥.j. Misce.

Hæc omnia primâ die adhibita fuêre, erat enim periculum in mora. Post cœnam sequentem Potiunculam propinavi:

Potiuncula.

R. Aquæ Melissæ, Artemisiæ an ℥.j.
Cinnamomi sine vino distillatæ ℥.j.
Confectionis Alkermes ʒ.ß.
Laudani grana ij.
Syrupi de papavere ℥. ß. Misce.

His adhibitis remediis, & recalefacto sacculo in suo brodio, quotiescunq; necesse fuit, dolores ex parte cessarunt, & optime eâ nocte quievit. Sequenti die reiterato enemate, & sacculo. Lochia subsequuta sunt. Quapropter febris, nausea, inquietudines, vigiliæ, reliquaq; Symptomata paulatim remiserunt: & postquam corpus mannâ, & syrupo rosato solutivo composito, expurgatum fuisset, & Lochiâ copiosè profluxissent (erat enim matrona maximè plethorica) intra paucos dies plenissimè convaluit.

ADMONITIO

Videant igitur obstetrices, ne parturientes aëri frigido exponant, quin potius muliebria protinus à partu, aut ipsa Secundinâ adhuc calidâ, aut linteis calidis cooperiant. Aëre enim frigido, inquit Rodericus à Castro, parte 2. lib. 4. cap.12. nihil deterius puerperis est, quia ex illo vacuum uterum subeunte, distenditur, frigescit, ac intumescit ipse uterus, ejusque orificia occluduntur: undè hæc lochiorum suppressio, subindeq; gravissima symptomata, & mors ipsa sæpissimè contingit.

OBSERVATIO XLIII.

De alio quodam affectu propter Lochiorum suppressionem secuto.

ANno 1607. Paterniaci cùm Medicinam facerem, jussu Magistratus, Matronam triginta circiter annorum ætatis, pro Leprosâ habitam invisi. Per totum autem corpus scabie laborabat, cum partium musculosarum extenuatione quadam, facies quoque nonnihil deformis & torva erat. Inciderat autem in morbum hunc propterea, quod in puerperio ante annum non satis expurgata fuerat. Cùm enim opibus ac facultatibus non ita magnis instructa esset, & proindè nimis maturè negotiis suis domesticis prospicere, ac aëri frigido sese exponere coacta fuisset, eamq; ob causam Lochia substitissent, post septimanas aliquot à partu, febri continuâ cum putredine correpta fuerat, ex qua, quia non Medicum aliquem rationalem, sed Empiricos tantum adhibuerat, in cachexiam inciderat. Hæc omnia cùm post diligentem inquisitionem ex ipsa intellexissem, Curationem sequenti modo institui.

Primò, optimâ præscriptâ victus ratione, corpus Lenitivo medicamento expurgavi; quod

R. Radicum Polypodii quercini,
Corticum interiorum radic. frangulæ,
Liquiritiæ ana ʒ.j.
Cuscutæ, Fumariæ,
Scabiosæ ana p.j.
Seminis Anisi, &
Foliorum senæ ana ʒ.j.

Coquantur ut Colatura redeat ad uncias duas: in quibus dissolve
Pulveris senæ Brassavoli ℈.ij.
Syrupi rosati solutivi compositi ℥.j.
Misce, fiat Potio.

Purgato sic corpore, venam ad malleolum sinistrum incidi; deinde sequens Apozema præscripsi:

R. Radicū Cichorii, Fœniculi, Petroselini, Polypodii, Elleborinæ, sive Saniculæ fœminæ Fuchsii, ana ℥.j.
Herbarū Betonicæ, Veronicæ, Cuscutæ, Ceterach, Linguæ cervinæ, Artemisiæ, Melissæ, Scabiosæ, Agrimoniæ, an.m.j.
Florū cordialium, & Sambuci an.m.ß.
Seminis Anisi, Fœniculi an. ʒ.j.
Liquiritiæ mundatæ, &
Uvarum passularum exacinatarū an.℥j

Coquantur in sufficiente quantitate aquæ ad consumptionem tertiæ partis. De Colatura clarificata, & melle despumato dulcorata, bibebat haustum tribus horis ante prandium, totidemq; ante cœnam. Cùm per dies octo de præscripto Apozemate bibisset; iterum corpus sequenti potiunculâ expurgavi:

R. De-

Obs. 43. Potio.

R. Decoctionis præscriptæ q. s. adde
Folior. senæ Alexandrin. mundator.
Semin. Anisi an. ℈. iiij.
Florum Tartari ℈. ij.

Coquantur, ut colatura redeat ad ℥. ij. in quibus dissolve
Pulveris senæ Brassavoli ℈. j. ß.
Extracti Melanagogi ℈. ß.
Syrupi de Polypodio ℥. ß. Misce, fiat Potio.

Post secũdam hancce purgationem iterum de prædicto apozemate ipsam bibere jussi; corpusq; per intervalla præcedenti potiunculâ expurgavi: & ut menses provocarem, omnem adhibui diligentiam: quapropter lotiones pedum præscripsi; venæ quinetiam sectionem ad malleolos iteravi, salemq; artemisiæ per intervalla, cũ decocto artemisiæ & melissæ exhibui. Externas partes scabie affectas, unguento contra scabiem Excellentissimi quondam atque experientissimi Medico-Chirurgi, Cosmi Slotani, præceptoris mei æternum honorandi, inunxi. Cujus hæc est descriptio:

Unguentum contra scabiem efficacissimum Cosmi Slotani Medico Chirurgi &c.

R. Corticum radic. frangulæ recent.
Radicum Lapathi acuti,
Scrophulariæ majoris,
Enulæ campanæ ana ℥. vj.

Incidantur & contundantur omnia in mortario. Deinde projectis radicibus in vas vitreum aut vitreatum, superaffunde
Aceti optimi ℔. j.
Axungiæ porcinæ ℔. iij.

Misceantur lento igne, donec axungia sit resoluta. Postea insolentur per mensem integrum: & tandem coquantur in duplici vase, ad consumptionem ferè humiditatum. Colaturæ fortiter factæ admisce Styracis liquidæ ℥. ij. Misceantur, & reservetur colatura in vase vitreato benè clauso. Axungia hoc modo præparata Domino Slotano veluti basis variorum unguentorum in scabie, & externis affectibus erat commodissima; cui postea & alia, prout ipsi necessum esse videbatur, admiscebat. Descriptionem hujus axungiæ contra scabiem accommodatissimæ, in gratiam Chirurgorum ascribere libuit. Cæterùm Unguentum, quo inuncta fuit nostra ægra hoc modo composui:

R. Prædictæ axungiæ ℥. iiij.
Aluminis usti, Tartari,
Sulphuris, ana ʒ. ij.

Misceantur & agitentur diu in mortario: fiatq; unguentum.

His tùm internis tùm externis medicamentis cùm aliquãdiu usa fuisset ægra, & convenientem victus rationem observasset; mensesque ut decet, profluxissent, restituta fuit.

...ela.

Prospiciant itaq; quàm diligentissimè Puerperæ, ut plenissimè expurgentur post partum. Lochio enim, teste Galeno, 3. Epidem. comm. 3. non abundantiâ modo, sed insigni etiam pravitate & vitio obsunt. Laudabiliorem enim sanguinem ad fœtus nutrimentum, uterus allicit, relinquitq; deteriorem. Ille itaque si post patum expurgatus non fuerit, ad viscera regurgitat: consumpitur; variosq; morbos procreat.

Obs. 44. & 45. Terminus Lochiorum rectè fluentium.

Lochiorum porrò expurgationem, in masculo, in triginta, in fœmella verò in quadraginta duobus diebus fieri voluit Hippocrates, libro de natura pueri. Robustæ tamen mulieres, inquit Rodericus à Castro de morbis mulierum part. 2. lib. 4. cap. 1. & quæ valdè exercentur, sæpè ad octiduum duntaxat salubriter purgantur, & si quæ lochia postea habeant, non continuò fluunt, sed per intervalla, singulis videlicet quatuor diebus, aut circiter.

Suppressorum causa.

Internæ verò suppressionis Lochiorum causæ, præter frigus sunt sanguinis crassities & abundantia, quæ obstruit: viarum strictura, alicujus partis dolor, imbecillitasve, uteri angustum os, aut ejusdem distorsio. Plura de his qui vult, videat Rodericum à Castro, de Morbis Mulierum part. 2. lib. 4 cap. 12.

OBSERVATIO XLIV.

Ex nimio profluxu Lochiorum, mors subitanea.

QUÆ incommoda ex suppressis Lochiis consequuta fuerint, in duabus proximè præcedentibus Observationibus dictum fuit. Iam dè eorundem intempestiva profluxione exemplum ascribere, non abs re visum fuit.

Historia.

Honesta quædam matrona Genevensis, Madamme de Puis nomine, quadraginta circiter annorum ætatis, quæ antea aliquoties mares fœmellasq; feliciter enixa fuerat, cùm anno 1589. utero gestaret, & finem mensis noni attigisset, & quadam die circa rem familiarem occupata esset: nescio quanam de causa (arbitror tamen, ex violenta aliqua commotione corporis factum fuisse) lochia cum impetu eruperunt. Accersiti quidem fuerunt Medici, sed frustrà: eadem enim die, unà cum fœtu exstincta fuit. Omne itaque nimium Naturæ inimicum esse, rectè docuisse Hippocratem lib. 2. Aphor. 51. quotidiana Experientia fidem facit.

OBSERVATIO XLV.

Fœmina quædam vehementissimis doloribus parturientium excruciata, feliciter & citò liberatur.

ANno 1617. 24 Novembris venit ad me Eisenbachium in Hassia, ubi ad Generosum quendam ex familia Reideseliorum vocatus fueram, Rusticus quidam, exponens filiam suam jam in quintum diem parturientium doloribus, & quidem vehementissimis laborasse, jam verò ante horas ferè 24. dolores parturientium omninò cessasse, fœtum item in transversum positum, & præcedenti die obiisse, & alterum brachium ipsius extra vulvam propendere. Dedi ipsi sequentem Potiunculam, eam ægræ protinus exhibere jussi:

R. Confectionis Alkermes ℈. j. ß.
Aquæ cinamomi ℥. j.
Decocti agrimoniæ & veronicæ, sacchato & cinamomo aromatisati (quod opportunæ paratum habebam) quantum sufficit. Misce, fiatque Potiuncula.

Suam

Obs. 46. Suasi quoque obstetricem strenuè admonendam esse, ut brachium propendens audacter in situm suum naturalem propelleret, caputq; versus orificium uteri attraheret. His diligenter administratis, intra horam feliciter peperit, convaluitque. Fœtus non tantùm appropriatis Medicamentis, verùm etiam eis, quæ vires restaurant, expellitur; inprimis si præternaturalis situs corrigitur.

OBSERVATIO XLVI.

De tuberculis quibusdam in utero contractis, eorumq; curatione.

Viro Amplissimo atq; Doctissimo, Dn. GREGORIO HORSTIO, *Philosophiæ & Medic. Doctori, & Illustrissimi Principis ac Domini, Dn.* LUDOVICI, *Landgravij Hassiæ Med. celeberrimo, nec non in illustri Academia Giessena Hassorum, Medicinæ Professori ordinario,*

Guilhelmus Fabricius Hildanus,

S. P. D.

TUas, Amplissime atque Doctissime mi Domine HORSTI, amicorum optime, 8. Aprilis Francofurti in nundinis datas, unà cum Thesibus De Symptomatibus morborum & febrium cognitione: uti quoque de febre Ephemara, rectè accepi. Quibus adjuncta erat Sciographia Solis, Clarissimi & Doctissimi Viri, Domini Doctoris JACOBI MÜLLERI Mathematici celeberrimi: quæ omnia tàm grata, quàm quæ gratissima mihi fuere. Inprimis autem effigiem tuam exosculatus sum, eamque studiosè mihi reservo. Pro omnibus istis Tibi & Domino MÜLLERO gratias quas possum, ago maximas: utinam vobis vicissim officiis simul & beneficiis respondere possem. Sed ab eo tempore, quo Typographus ille, longè negligentissimus, quartam Centuriam meam miserè adeò, ut vidisti, commaculavit, Stylus meus veluti arescit. Quia tamen studio Chirurgico, ut scis, summoperè oblector, nonnunquam postpositis aliis negotiis in Praxi etiam in quinta Centuria Observationum progredior: De gravissimo quoque affectu, qui vulneribus articulorum, inter barbitonsores Germanos supervenire solet, & ab eis das Glidwasser appellatur, aliquid Latinè in publicum edere statui. Quæ Germanicè à me de hoc affectu prodierunt vidisti in Chirurgia castrensi. Tu si quid de hoc affectu in antiquorũ scriptis invenisti; ut in bonum publicum mihi communicare velis, rogo. Ego apud Hippocratem, Galenum, Paulum Æginetam, Avicennam & alios antiquos: uti & apud Guidonem, Vigonem, Tagaultium, Paræum & Johan. Andream à Cruce, nihil de hoc affectu reperio. Cornelius tamen Celsus lib. 5. cap. 26. de sanguine, sanie & pure scribens hujus affectus mentionem facere videtur: Cujus sententiæ quoque fuisse Clarissimum Virum Dn. D. Johannem Langium, ex epistola 3. lib. 1. colligere est.

Observatio. Cæterùm cum tuberculo, cujus historiam à me expectas, res ita se habet. Honesta quædã matrona, & Dom. Nicolai Sinners, patricii Bernensis, & pro tempore, nomine hujus Reipublicæ præfecti in Signaw uxor, ante septennium puellum peperit, qui in medio nasi maculam, aut potius tuberculum rubicundum, sed parvum ad instar lentis habebat, & quidem ex imaginatione matris: quæ dum utero gestaret, Cerasa avidè sed frustra appeti erat. Non diu pòst, crescente puero, macula illa in tuberculum (quod molle & flaccidum erat) quoque excrevit, & Cerasum per medium discissum, & naso appositum, præ se ferebat. Cùm tertium annum ætatis attigisset puer, & tuberculum hocce deformitatem ipsi faceret, eamque ob causam ego in consilium vocatus fuissem puerum primò clementer syrupo rosato solutivo, composito cum Rhabarb. agarico & sena expurgavi, & undecima Septembris Anno 1616. operationem sequenti modo institui. Primò acu incurvatâ, & filo reduplicato ad basin transfixo tuberculo, illud aliquantum elevavi & attraxi: deinde cultello separatorio benè scindente, ab inferiore parte tuberculi incisionem & separationem inchoavi, & quidem satis commodè feliciterque. Cùm verò paulò altius versus frontem cultellum duxissem, & ramum quendam singularem, (quod notandum) qui à vena frontis tuberculo insertus erat, ipsique nutrimentum præbebat abscidissem, & puer impetuosè ejulasset, atque ex una in alteram partem mirum in modũ sese projecisset, sanguis tàm copiosè exsilire cœpit, ut quod reliquum erat tuberculi, non satis artificiosè separare, atque excindere possem, sed ut sanguis protinus sisteretur, operam dare coactus essem: sequenti itaque die deligato vulnere, tuberculum omninò separatum non esse innotuit; quapropter anxius fui: Hujusmodi enim tubercula & maculæ, nisi cum radice penitus extirpentur, de novo recrescere solent. Id enim mihi Anno Millesimo quingentesimo octogesimo septimo Genevæ in puella octo circiter annorum ætatis accidisse memini. Huic enim cùm excrescentiam ad instar pruni, in utero matris contractam, in medio frontis, non satis exactè & cum omnibus suis radicibus excidissem, non diu pòst, inductâ cicatrice, denuò excrescere cœpit: quapropter secundo operationem aggredi coactus fui, & quidem felici cum successu. Cùm enim quicquid de cute colore isto rubicundo infectum fuit, excidissem, nũquam repullulavit tuberculũ, & cicatrix alba sequuta est. Porrò quum propter morositatem pueri, quod reliquum erat, excindi non posse viderem, digerentibus, pus moventibus & dolorem sedantibus, per dies aliquot processi. Satis digesto vulnere, nonnihil de caustico meo (quod constat ex cineribus sarmentorum & calce viva) guttâ unâ aut alterâ aquæ rosarum & plantaginis in formam linimenti dissolvi, eoque cum penicillo exiguo margines vulneris inunxi, escharamque induxi. Quâ factâ, iterum ad ipsius casum usque, digestivo ex cera, Terebinthina, gummi elemi, oleo rosaceo & amygdalarum dulcium, vitello ovi, & croco, præparato processi. Posteà iterum causticum applicui, idque tam diu, donec nihil amplius de tuberculo, aut cute colore rubicundo infectâ, restaret. Tum, jamjam præscripto unguento, ad finem ferè curationis processi. Non solùm enim digessit, & do-

Obs. Obs. tio.

Obs. 46. & dolorem lenit, verum etiam incarnat. Per intervalla tamen pulvere præcipitato spiritu vini rectificato, & aquâ rosaceâ abluto, usus sum; Insigniter enim ex alto trahit, quæ præter naturam cuti & proximioribus musculis inhærent. Tandem exsiccantibus cicatricem induxi, & ita quidem, ut ne minimum quidem indicium aut vestigium hujus tuberculi appareat. Vixit ad annum usque 1628. & Peste obiit.

Admonitio. In excisione autem horum tuberculorum & macularum diligenter prospiciendum est, ut omninò excidantur, nec quicquam de cute aut carne colorata remaneat; solent enim recrescere, ut de puella Genevensi dixi. In applicatione caustici, cautè quoque & circumspectè procedendũ, & quidquid superfluum, paulatim absumendum est, ne cartilago nasi à suo periostio denudetur: quod facilè fieret, si causticum per se, hoc est, nõ dissolutum apponeretur.

Observatio. Dissoluto verò caustico, ipsius vis & acrimonia, mediantibus aquis prædictis ita refringitur atque imminuitur, ut hujusmodi excrescentias & maculas perbellè eo absumi posse, ausus sim affirmare, idque Anno Millesimo Quingentesimo Nonagesimo quarto Coloniæ in Mag. Johannis N. Sericarii Textoris puellulo expertus sum, Ille enim, cùm tuberculum ad instar cerasi rubri, ex imaginatione matris in medio nasi, ab utero materno contraxisset, & ego in consilium adhibitus fuissem, illud caustico prædicto dissoluto, quàm felicissimè absumpsi, & ulcus ita consolidavi, ut nullum indicium præcedentis mali appareret: primò autem Caustico dissoluto ad excrescentiæ mortificationem; deinde Digestivo ad casum eschare: pulvere Præcipitato rectificato ad mundificationem usus sum: tandemque exsiccantibus cicatricem induxi. Atque hoc modo maculas & tubercula in utero matris contracta, curari posse, neque omninò insanabilia esse, quæ cum pueris nascuntur, nisi prope oculos fuerint, existimo. Observavi id quoq; in Reverendo Viro Domino HENRICO ab HATZVELDT generosi viri Domini SEBASTIANI ab Hatzveldt, Domini in Wildenberg filio, cui Anno Millesimo Quingentesimo Nonagesimo Tertio cùm tertium annum ætatis jam prætergressus esset, pedem dextrum, mirum in modum distortum tam feliciter restitui, ut nũc in incedendo & deambulando hujus contorsionis & deformitatis nullum amplius appareat vestigium, uti ego ipsemet Anno Millesimo Sexcẽtesimo Decimo Septimo ex Hassia rediens & Moguntiæ ubi tunc Canonicus est, ipsum invisens, hisce meis vidi oculis. Cujus historiam tibi aliàs communicavi, & tertiæ Centuriæ Observatione Quinquagesima sexta inserui, quamque tu recenses in Marcello Donato lib. 7 cap. 3.

His Vale Vir amplissime, & æternùm cum tuis omnibus quàm felicissimè vive. Saluta quæso meo nomine literatos vestros omnes, inprimis verò D. D. FABRUM amicum nostrum intimum. Et quas ante biennium promisisti Observationes pro quinta Centuria tandem mitte. Dabam Bernæ Helvetiorum, 2. Septembris, 1620.

Obs. 47.

OBSERVATIO XLVII.

De Urina per vomitum, itemq; per alvum rejecta.

GREGORIUS HORSTIUS *Medicinæ Doctor, & Illustrissimi Principis ac Domini, Dn.* LUDOVICI *Landgravii Hassiæ Archiater,*

GUILHELMO FABRICIO HILDANO *S. P. D.*

NON ita pridem, Vir Clarissime & Peritissime, fautor & amice medullitùs colende, Centuriam quartam Observationum tuarum, cum officiosâ salutis annunciatione, communis noster amicus, Reverendus & integerrimus Vir Dom. IOHANNES COMBILLONUS *ad me misit; pro cujus communicatione gratias ago maximas. Postquam verò præ cæteris, inter occupationes alias, Observationem 55. ad me perscriptam diligentius perlegerem, omninò recordari non potui literarum, quas de pueris Epilepticis ad me scripsisse dicis, motâ simul illâ quæstione: Num morbi ex forti prægnantis imaginatione, fœtui etiam imprimantur? Rem ipsam quod attinet, non dubito, quin ex dissertatione mea de causis similitudinis & dissimilitudinis in fœtu, respectu parentum satis intellexeris, quid statuendum esse judicem; ubi tuam quoq; Observationem, De Iracundia mulieris prægnantis fœtui communicata, pluribus declaratam invenisti. Præsens exemplum quod attinet, An scilicet Variolarum communicatio, tunc temporis ubi actu prægnans laborat, fœtui vi imaginationis, vel per sanguinem maternum accidat: Respondendum esse puto, magis ad ipsius sanguinis infectionem, quam imaginationem respiciendum; ea propter quod morbus hic intemperiei cum affluxu peccantis materiæ: Et quia per Imaginationem fiunt, non tam intemperiem & materiæ vitium, quam formatricis operationem respiciunt, quæ in maculis impressis, malâq; conformatione maxima ex parte patet. Quemadmodum verò morbi congeniti vi imaginationis per impeditam formatricem difficulter sanantur, quod experentia quotidiana testatur, ita peccantium humorum ratione, fœtui occurrentes affectus, modo aliàs sanabiles sint, curationem non difficulter admittunt, quod ex Observatione Tua 56. sequenti de Morbillis manifestum est. Hinc luce meridiana clarius, falsum idipsum, quod in ore vulgi, penitus desperandum de iis affectibus præter naturam, qui cum recens natis nascuntur: Contrarium frequenter experientia confirmat, cujus rei exemplum luculentum in Observationibus Foresti legitur.*

An morbi per imaginationẽ matris fœtui imprimantur.

Morbi qui cũ pueris nascũtur, nõ semper incurabiles sunt.

Observatio. *Idem superiori anno hoc etiam observavimus, in vicini mei Typographi Academici, Nicolai Hampelii filiolo recens nato, qui editus in lucem tuberculum exulceratum in capite prope suturam sagittalem habebat. Vocatus in consilium, parentes consternatos bene sperare jussi, cùm cranium integrum, & tuberculũ subcutaneum tantum observarem: adhibitis maturantibus & convenienti digestivo, per septimanam unam atq; alteram ulcus apertum detinui, quod tandem sat suppurata materia, sua sponte consolidatum fuit, ita ut puellus in hanc usq; horam belle valeat, nisi quod scabiosus admodum more consueto, potissimum eorum, quorum nutrices cacochymi alaborant, quo etiam scabiem*

Obs. 47. biem hanc magis, propter matris ejusmodi neutralem constitutionem purioris lactis confectionem impedientem, quàm alio referrem.

Cæterum in Observatione trigesima secunda admirandum, diuturnum proponis vomitum, quo ipso in mentem mihi revocas Exemplum pueri duodecim circiter annorum, quem ante quadriennium circiter, Darmstadÿ vidi, qui singulis diebus ad minimum semel, vomitum patiebatur aquæ salsæ, quæ subjugalem urinam referebat, idq; à teneris unguiculis, quod dicitur. Inquiris causam? In promptu est. Vix enim semestre compleverat, ubi morsu porci totum membrum quo viri sumus, unà cum testibus eidem fuit abscissum; Vulnere per imprudentiam omnino consolidato, ita ut cutis undiq; consolidata, callosaq; reddita, & vix radix penis sub cute per tactum deprehensa fuerit. Interrogatus hic puer, num circa pubem sensum gravitatis interdum sentiret? Interdum idipsum fieri respōdit, sed absq; insigni dolore. Vides, mi FABRICI, naturæ solertiam, quæ etiam occlusis viis consuetis, media cōservationis arti impossibilia frequenter invenit, quod hoc ipso anno in muliere quadam apud nos Giessæ, quoque licuit observare, modo tamen alio.

Observat. De urina ad annos 12. per vomitum rejectâ.

Hæc enim cum aliis, ferè ante biennium, in sylvam oppido vicinam, apportandorum lignorum gratiâ ambulans, ab arbore procumbente, diversis in partibus læditur, ita ut etiam ipsum membrum muliebre circa orificium internum, quod carunculis quatuor clauditur, graviter laceraretur: domum transportata, vel ex paupertate, vel ex verecundia nullum ex peritis Chirurgis adhibet, sed suasu nebulonis cujusdam, qui carnificis officium hîc sustinet, ex herbis consolidātibus decoctum & Cataplasma usurpat, adeoq; non tātum vulnus, sed tandem procedente tempore, & ipsum meatum ad vesicā & uterū consolidat, ut ultra semestre nullam urinam, nec etiam menstrua reddiderit, profluente nihilominus serosâ humiditate singulis diebus per alvū, non cum alvi excretis, sed separatim. Cùm autem prædicta paupercula, & colicis & uteri doloribus, ante menses duos gravissimè laboraret, accedente tunc temporis alvi obstructione, consilium meum imploravit num scilicet possibile sit, ut sectio vulvæ interioris, quod Chirurgus aliquis audaculus eidem promiserat, cum spe restitutionis fiat? Assumpto igitur Chirurgo, membrū consolidatum mihi monstrabat, ubi dilatatis carunculis, interius foramen, unà cum lateribus carunculis subjectis, omninò consolidatum, callosum, induratum, exsiccatumq; repertum fuit, ut spes aliqua restitutionis ex sectione vix exspectanda mihi videretur, quam ob causam emollientibus externis, alvo succurrendum esse suasi, donec DEUS miseriæ huic finem imponeret. His mediis mediocriter vicissim habere cœpit, ut etiam nunc vivat adhuc, & hinc & inde Eleemosynam colligens, ambulet. Admiranda sanè partium corporis nostri sympathia est, dum unâ laborante, frequentissime contra naturam suam altera, quod superfluum est, quasi in subsidium veniens, in sese recipit, idq; sæpius viis occultis; quatenus totum perspirabile, juxta Hippocratem. Patet hoc in multis, inprimis in Paralysi illa spuria, quæ Colicos dolores excipit, cujus memorabile Exemplum subjicere placet.

Observat. De urina per alvū excreta.

Vir Generosissimus & Illustris ERNESTUS, Comes de Solms, &c. piæ memoriæ, cui solennitatem funebrem heri celebravimus, ante septimanas aliquot incidit in dolores Colicos & Nephriticos, quibus per octiduum graviter affligitur: Vocor octiduo elapso, dolores persistentes, cum alvi obstructione invenio, simul ægrotante de humerorum & scapularum dolore conquerente. Quanquam verò de hoc ipso Symptomate nō parum sollicitus essem, utpote qui primum in Austria, Styria, olim ante annos quindecim Praxin faciens, & deinde etiam in his regionibus, μετάςασιν illam peccantis materiæ, adeoq; Paralysin spuriam post colicos dolores observaveram; feci tamen quod Methodus Medendi permittebat, ita ut internus affectus optimè corrigeretur, & Paralysis ulterius non extinderetur. Sed quid fit? Catarrhus accidit Suffocativus, quo intra horas vigintiquatuor aliquoties paroxysmis correptus æger è medio tollitur. Tu verò, Vir Clarissime, quid judicas de hoc eventu? Totus ego in eo sum, suffocationem illam, duas ob causas incurabilem fuisse; Et propter affluentem materiam à capite, cui aliàs Generosus ille admodum erat obnoxius; Et propter musculorum pectoralium imbecillitatem, qui repleti per communicatam materiam colicæ, ad commotionē pectoris, pro excretione sputi necessariam, impotentes erant. Quid autem de ipso modo communicationis statuam, ex Problematibus θεραπευτικοῖς à me editis, tibi notum est. Alia quadam domi, T. Excell. transmittam, modò DEUS vitam & otium in hoc turbulento Reipublicæ statu mihi permittat. Hæc boni consule & me amare non desine. Dabam remotus à Musis meis Lichæ in arce Solmensi, ubi in gratiam decumbētis Illustris viduæ, per septimanam unam atq; alteram hæreo. 15. Septembr. Anno 1619.

De Paralysi spuria post colicos dolores.

Obs.

Catarrhus suffocativus.

VIRO AMPLISSIMO DOCTISSIMOQUE Dn. D. GREGORIO HORSTIO, Illustrissimi ac Celsissimi Principis ac Domini, Domini LUDOVICI Landgravii Hassiæ, &c. Archiatro, & in Illustri. Academia Giessensi Medicæ Professori primario & longè celeberrimo;

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

LIteras tuas, Vir amplissime, fautor & amice æternum honorande 15. Septembris Lichæ datas ante paucos dies accepi, quæ mihi summopere gratæ fuerunt, propter singularia, quæ in ipsis recenses. Inprimis autem multùm admiror, historiam de vomitu aquæ salsæ; quam ego serum ab ipsis renibus à sanguine segregatum & attractum esse non dubito. Per quas vias autem ex ipsis renibus, imò ex ipsa vesica (gravitas enim quam circa pubem aliquando persentit puer, urinam ad vesicam descēdere satis superque denotat) ad ventriculū regurgitet, non facile est scire.

Vivit etiamnunc Soloduri matrona genere & virtute Nobilis, quæ per annos circiter tres, ulcere renis dextri non sine molestia laboravit. Ego quinta die Iulii Superioris anni 1617. una cum clarissimo atque doctissimo Viro, Dn. Ludovico Scharandeo ejusdem Reipublicæ Doctore Medico ordinario in consilium adhibitus fui: ipsa de dolore maximo & pungitivo lateris dextri, sub costis mendosis, regionem renis versus conquesta est, cum febris aliisq; indiciis, quæ materiam purulentam inter musculos abdominis & peritonæum contentam esse significabant. Factâ incisione, pus tam copiose effluxit, ut spacio qua-

Observatio.

Obs. 47. quatuor dierum, ad libras duas & semis emanaret. Ante apertionem autem sæpissimè, & toties quoties lotium excernebat, grumi sanguinis ipsi admixti erant, cùm primum verò abscessus fuit apertus, grumi isti non amplius cum urina, sed cum materia purulenta effluxerunt. Vidimus & aliquoties materiam serosam, aut potiùs ipsam urinam cum purè effluentem. Ex quibus perspicuum fit abscessum illum cum rene dextro communicationem habere maximam, per quas autem id fiat vias, latet nos, naturales enim dantur nullæ. Cæterùm inter paucos menses consolidato ulcere, cum plenissimè se restitutam esse matrona sibi persuaderet, & usum Medicamentorum ad integram curationem ulceris in rene, necessariorum, negligeret, denuò post menses circiter decem à Curatione, malum recrudescere cœpit, tandemq; de novo, abscessum in musculis abdominis procreavit: quem iterum in alio tamen loco, & quidem non longè ab ipsa spina, ante menses aliquot incidi. Multum huc usque effluit puris, sed qualis tandem futurus sit finis, suo tempore ex me intelliges.

Iterum redeo unde digressus sum. Quid quæso sentis, mi Domine Horsti, possitne cutis quæ virgam tegit, in puero, cujus mentionem facis, incidi, & ductus urinarius detegi? Simile quid refert Cabrollius Chirurgus magni nominis Observatione vigesima de Virgine quadam ex nobili familia nata, viginti circiter annorum ætatis, cui collum vesicæ membranâ crassâ & dura obductum fuit: urinam autem per umbilicum excernebat. Incisâ membranâ istâ, & filo ligato umbilico, plenissimè restituta fuit; In fœmina illa quæ urinam per alvum excernit, frustrà administrari incisionem pudendorum & colli vesicæ, verendum est, planè enim mihi persuasum habeo, non tantum collum vesicæ & uteri, verùm etiam ipsum intestinum rectum ab arbore læsum atque perfossum fuisse, & proinde naturam, pro excretione urinæ viam sibi facillimè per alvum facere potuisse: quæ via cùm nunc callosa reddita sit, difficulter coalescit, etiamsi circa collum vesicæ fieret incisio. Sed observa, quæso an ne etiam menses posthac per alvum effluant: id haud difficulter fieri posse, arbitror.

[...]inam [...]r podi[...]n excer[...] senex [...]idam.

Vidi senem quendam Paterniacensem, urinam omnem per podicem, sine insigni molestia excernêtem, in quo post mortê ductum urinariû, circa Sphyncterem Scirrho occlusum esse, reperi.

Variolas quarum mentionem feci, Obs. 55. Cent. 4. potius ex corruptione sanguinis, quam imaginatione matris provenisse, tecum sentio. Affectus qui cum pueris nascuntur, non omnes insanabiles esse, in aliquibus, ut etiam hîc ante annos tres, in Dn. Nicolai Sinners, patricii Bernens. & nunc præfecti in Signauu filio (qui tunc tertium annum ætatis agebat) expertus sum. Puer ille tuberculum rubicundum in medio nasi, ad instar cerasi ex forti imaginatione matris ab utero cõtraxerat: hic tam feliciter à me sanatus fuit, ut nullû amplius appareat vestigium. Olim Coloniæ similem affectû in eodem loco, nec non ex eadê causa existêtem, curavi: Sed de his aliâs plura.

Generosus ille ex Illustri familia Hatzveldiorum oriundus, cui circa annum 1592. cùm Coloniæ praxin exercerem, pedem intortum restitui, uti Observ. 56. Cent. 3. vidisti, etiamnunc tam ornatè & rectè incedit, ut ne minimus quidem defectus appareat. Ante annos duos ex Hassia rediens ipsum Moguntiæ invisi, pedemq; nudum conspexi. Hinc manifestum fit, non penitus de hujusmodi affectibus ex imaginatione matris contractis, desperandum esse. *Obs. 47. & 48.*

Catarrhum illum suffocativum, in Generoso isto incurabilem fuisse, rectè statuisti; Non enim musculi pectoris tantùm, propter affluentem materiam ex capite imbecilles, verùm etiam vires totius corporis, propter vehementiam nephritici & colici doloris, vigilias, & appetitus prostrationem labefactatæ, & pro excretione sputi non satis validæ erant. At in catarrho suffocativo nisi vires validissimæ fuerint, res in angusto cum ægro posita est. Vidi id ante annos aliquot in infantulo, ex variolis viribus prostrato, cui cùm adstantes margaritas crassiusculè cõfractas, in liquore aliquo infudissent, & inopinanter per asperam arteriam ad pulmonem pervenissent, incredibili cum cruciatu intra paucas horas exstinctus fuit. Aliàs integram historiam videbis, nunc ut plura addam, tempus & occupationes non permittunt. Vale itaque Vir amplissime, & amicorum optime, cum tuis omnibus quos tecum demissè saluto: uti etiam Nobilissimum Virum Dn. Dörenbergium, à quo post meum Eisenbachio discessum, nihil literarum accepi. Raptim Bernæ 17. Nov. 1619. *Observatio singularis.*

OBSERVATIO XLVIII.

Testiculus dexter ad ovi Anserini magnitudinem adauctus, & pilis infarctus, in Hydropica repertus fuit.

Viro amplissimo atque doctissimo, Dn. GREGORIO HORSTIO, *Philosophiæ & Medicinæ Doctori, nec non Illustrissimi Principis ac Domini,* Dn. LUDOVICI *Landgravii Hassiæ, &c. Archiatro dignissimo, Amico singulari,*

Cui *Guilhelmus Fabricius Hildanus* S.P.D.

NOn exiguo gaudio affectus fui, Vir amplissime, fautor & amice æternùm honorande, cùm clarissimum Virum Dominum Doct. Iacobum Müllerum fratrem tuum charissimum hîc offenderem: idque inprimis quia de optima valetudine, & familiæ tuæ, per eundem certior factus fui. Faxit DEUS Opt. Max. ut clarissimus Vir in multos annos, eâ in bonû Reipublicæ literariæ, & inprimis familiæ Medicæ frui possit. Ego quoq; Laus sit Deo, satis benè habeo. Iam in secûdû mêsem, propter ægros quosdã hîc Basileæ hæreo, brevi tamê, ut spero, ad meos reversurus sum.

Observationes quas ante annum promiseras etiamnunc avidè exspecto. Ego, quod speculationibus tuis condignum esse possit, nunc nihil singulare habeo: nisi quòd ante mensem, cum Bauhino nostro Magno, hydropicam hîc in Xenodochio aliquoties inviserim, cujus venter post puerperium in tantam magnitudinem excreverat, ut an unquam similis visus sit, valdè dubitem.

Circum-

Obs. 48. & 49.

Circumferentia enim ducto per medium umbilici filo, continebat pedes Geometricos quinque. Miseram aliquandiu in hoc statu vixit vitam: Tandem triduo ante obitum, rupto umbilico, ultra mensuras octodecim Basilienses, aquæ effluxit: 20. Septembris cum debitum naturæ persolvisset, & 21. cadaver à clarissimo Viro, Domino D. Thoma Platero, præsentibus item clarissimis Viris Dn. Dn. D. D. Casp. Bauhino, Petro Ryffio, Friderico Wertenbergio multisque aliis, apertum fuisset, iterum aquæ, ultra mensuras viginti effluxit. Præterea testiculus dexter ad ovi anserini magnitudinem adauctus, pilis (materiæ cuidam purulentæ, oleaginosæ & albæ commixtis) infarctus, repertus fuit. Major autem pars pilorum confusè & quasi in globum acta, prædictæ materiæ immixta erat. Multi quoque interiori membranæ tenaciter inhærebant. Mitto portiunculam horum pilorum, ut videas, veros fuisse pilos. Causam generationis eorum libenter, si quando per ocium licebit, ex clarissimo Viro intelligam.

Hæc raptim ad te scribo, & obnixè rogo, ut clariss. & doctiss. Virum Dn. D. Fabrum, communem amicum, si quando ad ipsum perveneris, meis verbis amanter salutare, non dedigneris. Vale, Vir amplissime, & cum tuis omnibus æternùm quam felicissimè vive. Dabam Basileæ 15. Octobris, 1618.

OBSERVATIO XLIX.

De monstrosa Mola, in qua Crines reperti fuerunt, historia singularis.

Viro amplissimo atque doctissimo, DN. GREGORIO HORSTIO, *Philosophiæ & Medicinæ Doctori, nec non Illustrissimi Principis ac Domini,* DN. LUDOVICI *Landgravvii Hassiæ, &c. Archiatro dignissimo, amico singulari,*

Guilh. Fabricius Hildanus, S. P. D.

IAM ad aliquot menses me hîc Durlachii, circa Illustrissimam ægram occupatum fuisse, Vir amplissime, fautor & amice æternùm honorande proculdubio ex Dn. D. Georgio Fabro, communi ac intimo nostro amico (ad quem superiori hyeme Durlachio scripsi) intellexisti. Quia tamen Deus pro sua clementia Medicamentis ita benedixit, ut brevi veniam impetraturum, & ad meos me reversurum sperem, ante abitum meum epistolio hocce te tuosq; omnes quàm amicissimè salutare, & ut amicitiam nostram scriptis fovere non desinas peramanter rogare volui. Scripsi Oppenhemium ad Dominum Combillonem, ibidem Ecclesiæ Gallicæ Pastorem, amicum meum intimum, & ab ipso petii, ut meo nomine quartam Centuriam Observationum ad te mitteret, quod omni proculdubio faciet.

Obsecro itaque, ut ipsam hilari fronte accipere, & pro summa tua humanitate benignè interpretari velis. Sed ignosce quæso, clarissime mi Domine Horsti, ipsam tot; tamq; monstrosis mendis atque erroribus conspurcatam, commaculatamq; esse. Id non meâ culpâ accidisse, omnes qui manuscriptum exeplar (quod absolutâ impressione à Typographo recepi) videbunt, testabuntur: sed in causa fuit Dominus de Bry, qui ineptum & semifatuum adhibuit correctorem.

Obs.

Cæterùm observationes, quas ante annum promisisti etiamnunc expecto. De generatione quoque crinium, in dextro testiculo mulieris, ex hydrope mortuæ inventorum, judicium tuum videre percuperem. Sed quid quæso tibi de generatione crinium in ipso utero repertorum, videtur? Historiam paucis narrabo.

Vidua quædam honesta, quinquaginta circiter annorum ætatis. Catharina nomine, Molâ laborans, in Aula Serenissimi Principis ac Domini, Domini Georgii Friderici Marchionis Badensis & Hachbergensis, &c. ante annum naturæ debitum persolvit. Hujus matronæ, ex jussu Principis: aperto cadavere, hepar & lien sine noxa, pulmo verò semiputridus repertus fuit. Separatus & exemptus uterus, ad libras octoginta & septem Mercatorum ponderavit: Et partim ichore quodam flavo, partim quoq; materiâ adiposâ & oleaginosâ infarctus erat. Sed, quod admiratione non vacat, in medio ipsius uteri crines, (aut veluti lana flavescens, & adiposâ illâ materia involuta,) reperti fuerunt. Quia verò jussu Sereniss. Principis aliquantum hujus lanæ communicatum mihi fuit, portiunculam quoque ad te mittere volui, ut illam inter rariora tua reserves. De hac matrona clarissimus ac doctissimus Vir, Dn. D. Ludovicus Schmid, Serenissimi Principis ac Domini, Dn. Georgii Friderici Marchionis Badensis & Hachbergensis Archiater longè celeberrimus, & amicus meus singularis, inter alia hæc annotavit, mihiq; communicavit.

Venter, inquit, huic fœminæ intumuit ut in prægnante, urina coloris ac substantiæ mediocritatem servavit: functiones naturales, vitales, & animales ferè sine noxa: alvus tamen segnior ferè semper; quippe molis pondere compressa. Pedes ac tibiæ longè post in tumorem sublatæ durum, renitentem, qui pressu nullas foveas œdematosas recipiebat, nec sacrificatus, aquâ exudabat. Carminantia, incidendentia, purgantia, balnea nihil proderant: Usa fuit victu mali succi, refrigerante, præsertim brassicâ muriaticâ (Sawrkraut) acetariis, tantâ copiâ, ut de pluribus mensibus, quæ horum superant, colligeret, ebibito insuper, quod his affusum erat acetum. Venter prædurus erat, sensim à pondere dolor, inprimis hypochondria affligebat. Si verò antrorsum propensa, ventrem scamno imponens suffulciret, majorem quàm ex cubatione aut alio situ levationem sentiebat. Plus quadriennio duravit affectus iste. Hactenus Dn. D. Schmid.

Observatio de grandi mola.

Præteritis diebus, cùm spiræ circa matronam cancro exulcerato & gravissimo, in mamma sinistra laborantem occupatus essem, unà cum Domino Iohanne Hulderico Streitter, Doctori Medico excellentissimo, matronam quandam Molâ laborantem aliquoties invisi, cujus venter in monstrosam ferè magnitudinem extensus

tensus

Obs. 49. & 50. tensus est. Circumferentia enim, ducto filo per medium, continet pedes Geometricos quinque cum dimidio: sedendo præterea ad genua usq; propendet. Tumor ille ventris, quatuor abhinc annis incepit: paulatimq; auctus est. Ab initio morbi utero se concepisse, cùm ipsamet ægra, tum obstetrices putarent; Motus enim ac si fœtus adfuisset, persensit, & ubera lacte abundare cœperunt, aliaque signa conceptionis aderant. Post menses tamen aliquot lac ex mammis evanuit: motus quinetiam in utero paulatim & indies imminutus, tumor verò adauctus est. Iam etsi venter prægnus ac durus sit, facultates tamen naturales, vitales & animales integras habet. Sed de hoc casu absque ullo dubio, posthac fusius ad te scribit, Dn. D. Streitter, tanquam ordinarius ipsius Medicus.

Ante annos viginti, Genevæ similem vidi molam in matrona quadam honesta, quæ per annos sedecim morbo isto laboraverat: qualis autem fuerit finis, & quidnam in ipsa repertum sit observare non potui; Ante obitum enim ipsius, Genevâ discessi. Illud tamen scio, ipsam multis variisq; medicamentis, ex consilio Medicorum præscriptis, absque fructu usam fuisse. Hæc obiter, ne planè vacuas ad te mitterem literas.

Vale Vir amplissime, & amicorum optime cum tuis omnibus. Raptim Durlachii 8. Maii, 1619.

OBSERVATIO L.

De Trichiasi, seu Pilorum mictione, ejusq; felicissima curatione.

Ad amplissimum atque doctissimum Virum, Dn. GREGORIUM HORSTIUM, *Philosophiæ & Medicinæ Doctor. & Illustrissimi Principis ac Domini, Domini* LUDOVICI *Landgravii Hassiæ Archiatrum, nec non inclytæ Academiæ Giessenæ Hassorum Medicinæ Professorem ordinarium,*

Cui

Guil. Fabricius Hildanus, S. P. D.

ANte octiduum, Vir amplissime, Fautor & amice æternùm honorande, Observationem de tuberculis quibusdam, in utero matris propter fortem imaginationem contractis, eorumq; curatione ad te scripsi. Ab eo tempore, cùm adversaria mea pervolverem, incidi in Observationes duas ad te perscriptas, quarum una Basileæ 15. Octobris, Anno 1618. data, de testiculo dextro ad ovi anserini magnitudinem adaucto & pilis infarcto, in Hydropica reperto, agit. In altera, quàm Durlachio 8. Maii 1619. ad te misi, Mola monstrosa, in qua crines reperti fuerunt, describitur. At quia nullum à te accepi responsum, valdè dubito an ad manus tuas pervenerint, nec ne.

Quapropter ut significare velis, quomodo res se habeat, obsecro.

Porrò quia de Crinibus in penitioribus corporis partibus repertis, in binis istis Observationibus mentio facta fuit, visum est hîc adscribere simile & quidem perrarum exemplum.

Obs. 50. Vivit etiamnum hîc Bernæ apud nos vidua, singulari virtute & pietate prædita, quæ nunc sexagesimum annum ætatis prætergressa est. Illa ante octennium, doloribus torminibusq; ventris & lumborum correpta fuit, eisq; ultra annum continuò ferè laboravit. Interim Vrina, (quam non nisi maximo cum conatu excernebat) nunc sanguinolenta, nunc purulenta & turbida erat. Verùm quod admiratione non vacat, non solùm purulentis & viscidis humoribus referta erat urina, sed & pili quàm plurimi rufi & oblongi quotidiè cum ipsa excernebantur, idq; non sine dolore maximo.

Nonnihil enim duri ac rigidi, & velut setæ porcinæ erant, & proinde partes quas transibant, mirum in modum pungebant. Multis usa fuerat Medicamentis, cùm à Viris doctis tum etiam ab Idiotis, Empiricis, & mulierculis præscriptis, sed sine successu. Ego cùm Anno 1616. ad ipsam vocatus essem, & quæ recensui, præcipuè excretionem pilorum, ex ipsa intellexissem, pilos quin etiam, ipsemet in urina vidissem, admiratione captus fui. Casus enim mihi novus, & veluti inauditus fuit. Legi quidem apud Iohannem Schenckium observation. medicinal. libr. 3. mihi pag. 557. simile quid, sed ægros ita laborantes, maximis cum doloribus obiisse addit. Rogatus tamen sequentibus remediis curationem aggressus sum.

Vires, cùm propter doloris vehementiam & diuturnitatem, vigiliarumque frequentiam summopere labefactatæ essent, inprimis ea, quæ insigniter nutriunt, præscripsi; Deinde suasi ut clysteres sibi familiares faceret, quod vix ab ipsa obtinere potui; nostri enim homines singulare & salutare hoc remedium, veluti crudele & inhumanum abominantur: Cum verò mediante instrumento à me invento & in tractatu de dysenteria depicto, eam sibimetipsi dare posse Enemata significâssem, paruit tandem.

Sequente itaque Enemate usa est: ab initio cum fructum ejus percepisset semel, aut bis in die, deinde per intervalla, veluti de tertio in tertium aut quartum quemq; diem.

Enema.

℞. Radic. Althææ,
Malvarum, an. ℥.ij.
Herbar. Melissæ,
Artemisiæ, Origani,
Folior. Malvæ,
Althææ, an. m. j.
Florum Sambuci,
Meliloti,
Chamomillæ, an. m. ij.
Sem. Anisi, carui, seseleos an. ʒ.ij.
Fœnograeci, lini, an. ℥.j.

Incidantur & contundantur omnia in minutissimas partes misceanturq; diligenter, ac reserventur in sacculo aut pyxide benè clausa.

Harum herbarum Accipe m. ij.
Aquæ fontanæ ℔ ij.

Coquantur ad consumptionem medietatis in ℔. j. colaturæ, dissolve

Benedictæ laxativæ ʒ. vj.
Ol. anethi, chamomill. an. ℥. ß.

Obs. 50.

Butyri recentis ℥.j.ß.
Vitellos ovorum, num.ij.
Misce fiat Enema.

Corpus per intervalla expurgavi sequenti Potiuncula.

Potio purgans.

R, Radic. fœniculi,
Cichorii, an.ʒ.ij.
Herbar. Scabiosæ,
Cuscutæ,
Melissæ an.p.j.
Trium flor. cordialium, &
Genistæ Hispanicæ an.p.ß.
Sem. seseleos,
Folior. senæ, an.ʒ.j.ß.

Coquantur ut colatura redeat ad uncias duas, in quibus dissolve
Benedictæ laxativæ ʒ.j.ß.
Diacarthami ʒ.j.
Syrup. rosati solut. compositi cum rhabarbaro agarico & sena ℥.ß.
Aquæ cinamomi ʒ.iij.
Misce, fiat potio.

Renes sequente linimento bis in die inungere jussi.

R. Vnguenti rosarum ℥.ij.
Ol. Amygdalarum dulce, &
Liliorum albor. an.℥.j.
Misce, fiat linimentum.

Ex præscriptis radicibus, herbis, floribus & seminibus pro Enemate paratis, etiam sacculos præparavi, quos aqua coctos ventri & perinæo applicandos curavi. Hisce ad tempus adhibitis remediis, ita restituta fuit matrona illa, ut in hunc usque diem 13. Septembris, 1620. quo hæc scripsi satis commodè & feliciter inter nos vivat, & rem familiarem administret. Ante paucos dies ipsamet mihi significavit, se jam aliquot abhinc annis alvum adeò liberam habuisse, ut clysteribus nihil amplius opus fuerit: Vrinam quinetiam absque difficultate reddidisse: præterquam quòd utplurimùm bis in anno, veluti tempore Veris & in Autumno, præcedentis morbi gravissimi, reliquias aliquas, quamvis exiguas persentiat, & Crines paucos excernat, sed sine magna molestia. Vtinam aliquis lynceis oculis præditus, nobis locum, in quo pili hujusmodi nascuntur, investigare vellet. Tu ut id tentare velis obsecro. Vale Vir amplissime, & æternùm felicissimè vive. Dabam Bernæ, 13. Septemb. 1620.

OBSERVATIO LI.

Semen Anisi, Carbones, & Pili cum urina reiecti.

Ad eundem Virum Amplissimum, DN. DOCTOREM HORSTIUM,
cui
Guilhelmus Fabricius Hildanus.
S. P. D.

DE Trichiasi admirandâ, superiori anno ad Te scripsi, Vir Amplissime, Fautor & Amice æternùm honorande: sed nihil responsi à Te accepi. Propter turbulentissimum enim statum Germaniæ literas interceptas & deperditas esse, haud dubito. Matrona illa, de quâ scripsi, ab eo tẽpore, quo ipsam restitui, in hodiernum usq; diem (res profectò miranda) satis commodè vixit, præterquàm quòd superiori vere ad mẽsem ferè integrum eodem morbo affecta fuerit: non usq; adeò tamen graviter. Dolores quidem tàm è regione renis & uterum, quàm in ipso collo vesicæ, quotiescunque urinam reddebat, sensit: acuti tamen & vehementes non erant: quapropter nullum insigne symptoma supervenit. Interim ego corpus aliquoties cùm medicamentis, quibus anno 1616. in ipsa usus fueram, tùm etiam prunis laxativis expurgavi: Enemata quoque frequenter instrumento ad id aptato sibimet ipsi exhibuit: & per intervalla terebinthinam Venetam ad drachmam unam aut drachmam unâ & semis sumpsit: Renes unguento & oleo rosaceo inunxit; & imo ventri & pudendis sacculum ex radicibus, herbis, floribus, seminibusq; emollitivis applicuit. Interea nõ tantùm crines, verùm etiã semẽ anisi (quo post pastum quotidiè utebatur) imò & carbones rejecit, absque insigni tamen dolore & incommodo: uti mecum observavit Doctissimus quidam Medicinæ Candidatus, Dn. M. JACOBUS HAGENBACHIUS Convictor meus suavissimus, qui crines, & similia, quæ excrevit, diligenter in rei memoriam sibi reservavit. An autem carbones isti in corpore fuerint geniti, dubitamus. Ego cum jusculis & pane ipso potiùs devoratos, quàm in parte aliquâ corporis ipsos genitos fuisse, arbitror. Convaluit intra mensis spacium, & nunc pristinâ valetudine fruitur. Qualis verò tandem hujus morbi futurus sit exitus, & quanam in parte corporis pili nascantur, DEO, qui scrutatur abyssum, & thesauros illarum, qui mensus est mare, & conceptum ejus, soli cognitum est. Ego hîc obmutesco. Cæterùm valeo cum meis per DEI misericordiam, & ex gravissimo morbo, quo superiori hyeme per mẽses aliquot lecto affixus fui, restitutus sum. Hæc propter latoris ad nundinas Silbertinas proficiscentis festinationem raptim ad Te scribo. Vale Vir Amplissime, & Amicorum optime. Bernæ Helvetiorum, 23. Junii, 1621.

Esdr. 4. ca. v. 58.

VIRO CLARISSIMO ET EXPERIENTISSIMO, DN. GUILHELMO FABRICIO HILDANO, Medico & Chirurgo Inclytæ Reipublicæ Bernensis ordinario, Domino & amico intimo, GREGORIUS HORSTIUS *Philosophiæ & Medicinæ D. & Civitatis Imperialis Vlmensis Med. Ordinar.*
S. P. D.

INgenti gaudio literis tuis me affectum esse scias, Vir Clarissime & Experientissime, Fautor & amice plurimùm colende, tam quòd cum tuis ex voto te vivere, quàm quòd amicum erga me tuum affectum sat constantem declararent. Pro pio voto, quo novæ meæ functioni, cui jam in annum secundum pro virili, & etiam ad nutum & spem Amplissimi mei Magistratus, DEpræsum, gratulatus es, maximas habeo gratias, DEUM OPTIMUM MAXIMUM ardentibus votis invocans, ut in posterum sicut hactenus ex utraq; parte nobis cle-

Obs. 51.

his clementer adsit. Binas tuas epistolas, quarum prior Basileæ 15. Octobr. anno 1618. & posterior Durlaci 8. Maii, 1619. data erat, de Trichiasi seu capillitio, quibus sub dato 12. Septembr. 1620. & 23. Iunii, 1621. aliàs adhuc duas epistolas novis de eadem materia notatis observationibus addis, rectè me accepisse scias, ad quas nisi me fallit opinio breviter annis superioribus ante meum ex Hassia abitum respondi, quanquam dubito, num ad manus tuas, his turbulentis temporibus, literæ meæ pervenerint.

Cùm autem inpræsentiarum pro rei gravitate pleniùs responsum desideres, annitar ut ex parte tantùm expectationi tuæ satisfaciam.

Historia prima de fœmina Durlacensi.

Primò, Durlaci post obitum honestæ fœminæ ex uteri tumore morientis, in utero materiâ ichorosâ & oleaginosâ repleto, pilos, subflavos instar lanæ, dissectione factâ, repertos esse dicis, eorumq; portiunculam transmittis, & ex relatione Clarissimi Viri Domini Doctoris LUDOVICI SCHMIDT, Archiatri Badensis, Amici & Fautoris mei singularis, subjecti laborantis naturam pluribus describis; Addis deindè sub dato Basileæ, quod ibidem præsentibus Clarissimis Medicis Hydropica post mortem aperta fuerit, quæ in dextro testiculo ad ovi anserini magnitudinem, adaucto, pilos copiosos materiæ purulentæ & oleaginosæ permixtos habuerit: Tandem tertio loco notabilem sub dato 13. Septembris, Anno Millesimo Sexcentesimo vigesimo, addis historiam de Mistione frequenti pilorum in fœmina decrepita quam aliquãdiu optimè restitutam; tandem quartâ epistolâ sub dato 23. Iunii, Anno Millesimo Sexcentesimo vigesimo primo, de novo non tantùm τειχίασιν, sed etiam rejectionem seminis anisi & carbonum per vias urinarias passam esse scribis.

Hist. 2. de hydropica Basiliensi.

Hist. 3. de mistione frequente pilorum.

Vt ergò, quod in communi proverbio dicitur, nõ tantùm duos, sed etiam plures parietes unâ fideliâ dealbare possim ad omnes epistolas unius argumenti ferè, breviter respondeo.

Responsio ad præcedentes historias.

Τὸ ὅτι planum est, quòd videlicet in partibus corporis internis pili sæpius inveniantur, sicut hirsuto corde præditum Aristomenem Messenium fuisse Plinius refert libro undecimo, capite trigesimo septimo, & addit hirsuto corde natos fortioris esse industriæ, vel ut Dalechampius lectionem antiquam habet, fortiores industriâ; cujus exempla similia ex Cælio, Benivenio, Lusitano & Mureto refert Schenckius Observation. Medic. libro secundo mihi pagin. 448. in mammis etiam pilos generari posse Vesalio libro quinto, capite decimo octavo, & Hercul. Saxon. libro 10. Panth. capite quadragesimo primo, non omni ex parte absonum videtur, unde pilari morbo, quem Hispanæ fœminæ juxta Christophorum à Vega libro tertio Artis Medic. Sectione sexta, capite decimo, pelo vocant mulieres interdum cum flacciditate mammarum laborare dicuntur, ubi falsò propter pilum quendam devoratum id ipsum fieri statuunt, quanquam anili huic commento summus Philosophus, ut habet Vesalius, subscripserit; ut videre licet libro septimo histor. animal. In renibus pilosum quid ὥσπερ τείχες, generari posse patet ex Hippocrate libro quarto, Aphor. 76. ut etiã ex Galeno ibidem in comment. In inveteratis etiam abscessibus ob varias humorum qualitates materiam in calculum arenam, ligna, carbones, amurcam, fœcem, setas porcinas, in aliasq; ejusmodi formas converti constat, quẽadmodum ex Galeno quoq; Alex. Bened. libro tertio Anatom. capite quarto refert. Imò maximè tuis etiamfide dignis diversis observationibus manifestum est id ipsum non rarò tale quid in humano corpore fieri, quâ de causa restat inquirendum τό διότι nimirum quomodo & quâ ratione idipsum fieri soleat. Phisiologiâ de pilorũ generatione communi, de quâ pluribus Marcellus Donatus in princip. Historiar. Medic. Mirab. Hercules Saxon. libro decimo, Panth. capite trigesimo octavo, & sequentibus, & alii disserunt, hîc repetere nolo: sufficiat nobis, quod libro primo, de nat. hũ. exercit. 3. §. 13. innuimus, pilos tertiæ concoctionis excrementum esse, ex sicca videlicet & vaporosa materia, tali tamen, quæ soliditate quadam pingui sit prædita, productum: excrementum dico non penitus inutile, sicuti de fine pilorum dicto loco quæstione 7. satis apparet. Hanc pilorum generationem num partibus internis etiam attribuere liceat, dubium est, cùm nõ sufficiat materia generationis, nisi quoque simul adæquatum & conveniens subjectũ adsit, unde ratione partium, quibus innascuntur pili, plurimum eosdem variare videmus, quod maximè barbæ, palpebrarum, superciliorum, axillarum cæterorumq; membrorum pili testantur, de quo Galenus libro primo, de comp. Medic. s. l. capite primo, & libro undecimo, de V. P. cap. decimo quarto videatur. Pilos oblongos in lingua cuidam enatos scribit Amatus Lusitanus, ex eoq; repetit Marcellus libro sexto Historiar. Medic. capite secundo, quos etiam evulsos aliorum instar vicissim renatos fuisse asserit: mirum profectò, & non sine causa monstrosis apparentiis à Marcello annumeratum ostentum, cùm pars hæc perpetuâ scateat humiditate, singularis utilitatis gratiâ, propter sapores dijudicandos eidem concessâ, quâ sublatâ, quod incendiis febrium fieri solet, gustus etiam necessariò deficit. An autem calor nativus vehementior eo usq; processerit in hac parte, ut absumptâ convenienti temperie generationi pilorum ansam præbuerit, dubium est, nec circumstantiæ necessariò hîc perpendendæ per prædictos Autores annectuntur. Hirsuto corde præditi, quotquot enumerantur ab Autoribus ferociores & animosi, dùm viverent prædicantur quam ob causam temperamento partis calidiori meritò idipsum tribuimus: cùm enim quotidiè mactatorum brutorum & frequenter etiam corporum humanorum dissectiones demonstrent, in corde copiosũ adipem, pro ratione temperiei cujusq; generari, cujus generationem nos etiam datâ materiâ & aliis calori adscribimus, ut patet de Natur. hum. libro primo, exc. 3. quæ 4. quid mirum si datis requisitis convenientibus etiam pili generari possint, cùm utraq; productio separationi tertiæ concoctionis excretorum tribuatur, ut ita penitùs impossibile non videatur, etiam in partibus internis pilorum productionem naturaliter interdum fieri posse, quod inter cætera fœtus in utero quoq; testatur, instar partis internæ matris, donec excludatur, vivens, quem sæpius non capite tantùm, sed ferè toto corpore hirsutum in mundanam scenam prodire videmus, pilis sæpissimè, præsertim in capite, satis oblongis, idq; tunc temporis maximè, quando matres constitutione corporis calidiores, utraq; robustiore præditæ sunt, quãquam connati pili tales sponte suâ, cute post partum tàm propter aeris ambientis naturam, quàm alias ob causas alteratâ, decidant, novis postea sensim progeneratis.

Quomodo pili in internis partibus generentur.

Sed minùs ad rem, inquis, cùm non tàm de eo solliciti simus, quomodo partibus internis pili tanquam excrementum concoctionis tertiæ, licet rarissimè, innascan-

Obs. 51. *nascantur, quàm quâ ratione fieri potuerit, ut in morbosa constitutione utero, testibus, ipsisq; renibus tale quid non ratione raritatum acciderit, quemadmodū exempla singularium observationum idipsum confirmant.*

Fateor equidem communem & naturalem pilorum generationem hactenus me præsupposuisse: restat inpræsentiarum ut videamus, num etiam alius productionis modus dari possit? Innuebat id ipsum superius Alexand. Bened. ex Galeno, præter naturam varia, pilos etiam referentia generari posse, quemadmodum hac de re variè varii disserunt, inprimus illi, qui suprà nominatum aphorismum Hippocraticum declarare conantur. Nos non negamus, præter univocam & communem pilorum generationem, æquivocam etiam dari posse, quando videlicet in dispositione corporis morbosâ, seu præter naturam, calor nativus id elaborare & producere conatur, quod pro dispositione materiæ fieri potest. Sic cùm urinâ crassâ veluti capillos exeuntes à renibus excerni statuit Hippocrates cui experientiâ suâ, tàm incomm. quàm in sexto de locis affectis subscribit Galenus, qui crassum humorem in renibus ad aliquem usq; modum siccatum & torrefactum pili formam induere putat, unde tales ægrotantes medicamentorum tenuantium & incidentium usu, cum victus ratione humectante, sanatos esse testatur. Non admodum abludit ab hac assertione Cardanus in comm. dum inquit: generantur hi pili prælongi in renibus ex materia tenui, lentâ, terreâ, à calore immodico, ut reliqua omnia, quæ consistentiam habent. Vnde curatur patiens humectantibus, attenuantibus ac dissecantibus, quatenus scilicet magis attenuata materia non postmodum coire potest. Vischerus in comm. ad aphorismum mavult ex mente Hipp. renum ulcus subintelligere, nempe quod fibrosæ renum carnes in hujusmodi quasi filamenta resolvantur, ulcere attritæ & laceratæ, quod etiam Paracelso placet, dum ad aphor. hunc inquit: quando renes laciniosi vel plumosi fiunt, sicut foris quoq; fieri potest, ut scilicet ulcera nascantur, quæ in forma pilorum aut sicut scissuræ fibrosæ carnium absumantur, sicut solent ulcera plumosa, quando, inquam, renes ejusmodi ulceribus obnoxii sunt, atq; ita corraduntur, ea omnia in urinam transeunt sæpè in tanta quantitate, ut meatus obstruantur & urina impediatur, atq; ita in urina post exitum conspiciantur: Si igitur tales laciniæ in urina reperiantur, certissimum signum est, in viis urinariis ulcus plumosum delitescere. Non difficulter hoc ipsum concederemus, nisi non tantum filamenta ulcerum abrasa, sed etiam pilos revera tales cum urina excretos experientia tua & aliorum confirmaret, qua de causa τειχίασιν ab ulceratione renum merito distinguimus, ipso etiam Galeno 6. de l. a. c. 3 statuente, verisimilius sibi videri, in venis ex crassa & lenta materia pilos ejusmodi fieri, quando calor in venis materiam illam habilem exiccat, & in crinem efformat: Montan. in vasis urinar. materiam illam viscidam aduri putavit, ita ut pro angustia & lōgitudine ureterum in pilos efformetur: Fernelius libro tertio Path. capite decimo sexto ex vasis spermaticis, quæ parastatæ dicuntur, derivari dicit, in quibus teretem figuram sortiātur ex seminis materia, quæ vi morbi sensim defluens calore crassescat, quò etiam inclinat Hercules Saxonia citato loco qui omnium pilorum materiam statuit vaporem pinguem, quasi seminalem, utpote cum crassa pituita sæpius etiam per vias urinarias ablegata nunquam sufficiens materia generationis pilorum esse possit. Probabilius dici posse videtur (inquit Viscerus) crassos istos ac lentos humores, è quibus fila ista tenuia nascuntur, in venis quidē coacervari, consistentiam verò pilorum accipere in angustis renum meatibus per quos pituitosa materia unâ cum seroso sanguine transit ac trajicitur: postea descēdere in ureteres, in quibus magis exiccetur, donec à lotio abluta in vesicam protrudatur, ob tenacitatem tamen non abrumpatur: id quod etiam curandi ratio ostendit, quâ usus est Galenus per extenuantia & incidentia, victumq; humectantem; ita namq; prohibetur, ne materia ista lētore sublato amplius coëat. Brassavolus etiam ad aphor. prædictum, non à renum exulceratione τειχίασιν fieri putat, ea propter quod affectus hic diureticis curetur, quæ tamen renibus exulceratis minimè conveniant. Absint igitur filamenta, quæ ulceris abrasi particulæ esse possunt: absint fibrosæ sanguinis partes, quas propter commistionem sanguinis & urinæ sæpius excerni vidit Christoph. à Vega com. de urinis, capite quarto more fibrarum sanguinis post venæsectionem in aqua separatarum: absit quod ex reliquiis Gomorrhææ virulentæ, vel mulieris menstruatæ, seu viri complexum jam olim passæ cum urina pilorum & filamentorum instar excretum est, ut innuit Fernelius citato loco: de eo quæritur, quomodo pilosa substantia lanuginem diversi coloris exhibens, qualem portiunculam ex utero dissectæ hydropicæ desumtam ante annos aliquot mihi transmisisti, in renibus, testibus, utero vel aliis partibus generari possit? Hic necessario duplicem pilorum generationem repetere cogimur, dicendo quod æquivocâ quadam productione tale capillitium producatur, idq; in statu præter naturam, quemadmodum omnia tua exempla & aliorum observationes testantur: scilicet non intentione primâ, prout in statu secundùm naturam maxima ex parte pili progenerantur, ita ut ex quorundam mirabili structurâ Galenus DEI OPTIMI MAXIMI singularem providentiam colligat; sed secundariâ, quatenus vis formatrix convenienti materiâ datâ etiam in abscessibus & læsis partibus nostris otiosa non est, quòd generatio puris & aliorum contentorum præter naturam testatur.

Maximè verò hîc conveniens pilorum materia perpendenda videtur, quam Herc. Saxon. seminalem & propriâ formatrice præditam asserit, quâ ratione videmus etiam sub cute, priusquam per poros ejus egrediantur, pilos formari, quemadmodum apertè satis aprugna caro testatur, quæ sæpius ex substantia carnis quasi setas provenientes & cutim postea transeuntes exhibet.

Similē ergò materiam in abscessibus potissimùm glandulosarum partium dari verisimile videtur, utpote cùm glandulosa corpora superfluitates utiles tertiæ concoctionis, quò etiam seminalis pilorum materia pertinet, promptè recipiant. At verò datâ materiâ, mirum non est, quin agente calore interdum eò usq; elaborari possit eadem, ut pilosum quid inde producatur, cum mille artifex sit calor innatus, qui gradibus licet alternatus in abscessibus & collectionibus nunquam otiosus est: ne quid dicam de putredinali cadaverum calore, quem etiam post mortem pilorum proventum in locis consuetis datâ materiâ promovere videmus. Obiter dum prædictum Saxoniam inspicio, pilaris puerorum affectus occurrit, quo ipso prædictus etiam

Obs. 51.

Affectus pilaris puerorum.

etiam Autor demonstrare conatur, pilos non semper in ipsa cute, sed interius quoq; formari posse, quemadmodum affectum hunc pulchrè ex Ouditio, Parao, & aliis describit, cujus assertioni calculum addo, qui diligenti inquisitione factâ, qualunam sit iste affectus pilaris (quem nostri die Mitesser vocant, eapropter quòd infantes hoc modo laborantes atrophia quasi laborent) tandem observavi, puerulos illos, qui pilosi tam capite, quàm toto corpore nascuntur, hoc morbo non affici, sicuti in filiis meis prioribus, ac etiam filia nihil tale licuit observare, qui tamen omnes pilorum subtilium proventum aspectabilem secum attulerunt, mox postea suâ sponte cadentium; at ultimus natu, quem DEI gratiâ hîc Vlmæ Hedraiges mea enixa est, primo tali lanugine destitutus, sed mox cæteris tenerior & magis macilentus, reverà pilarem hunc affectû, ut vocat Montanus de morb. puer. perpessus est, ubi mellis inunctione factâ cum subsequenti frictione, tam in dorso, quàm in brachiis atq; femoribus, per poros cutis innumerabiles Cridonas, Parao à crinium formâ sic dictos, seu eminentias quasi crassorum pilorum evocatas vidi; vermiculorum intercutaneorum quoddam genus putat Kufnerus, Schenchius & alii, quanquam ego nil quicquam, quod vitæ testimonium perhiberet, in ejusmodi eminentiis observaverim, utpote cùm instar sordium in poris cutis hærentium per iterata balnea abstergentia postea tollantur, subsequente puerorû nutritione & refectione conveniente, quemadmodum in filiolo meo ab eo tempore hucusq; præ cæteris εὐσάρκῳ, & DEO benedicente quasi τετραγώνῳ satis apparuit, quod quâ ratione fiat ulterius inquirendum. Verisimile videtur, hecticam dispositionem & maciem in tali casu pueris accidere propterea, quod materia illa viscida, quæ præter naturam in poris cutis retenta fuit, impedimento sit, quo minus calor in[illegible]us convenientem transpirationem habere possit, quam ob causam idem calor interius augetur, ita ut admodum quidem appetant pueruli & fame quasi torqueantur, nihilominus autem convenienti nutritione & augmentatione destituantur. Quamprimum verò pori cutis ab ejusmodi materia obstruente prædicto modo liberantur, mox partes antea flaccidæ suum habent incrementû, & reliqua pilaris affectus symptomata desinunt, quod in proprio meo filiolo, cui ex alto DEVS ulterius benedicat, satis superq; sum expertus.

Sed quo labor, optime FABRICI? Probabilem tantummodo non demonstrativum hunc discursum judico, tecum sentiens, quod multa nos in hac densâ mentis caligine lateant, quæ tandem in DEO contemplabimur, cui miram nostri conformationem soli S. Scriptura meritò tribuit. Interim dum hîc cum Aesopica vulpe vas lambimus, non penitus aberrasse videor, dum etiam curationem tuam in τριχιάσει adhibitam perpendo, qui causæ antecedenti prospiciendo per clysteres emollientes, incidentes ac abstergentes, per ejusmodi quoq; potiones lenitivas ad vias urinarias expurgandas simul directas; non neglectis iis, quæ exterius huic intentioni servire potuerunt, feliciter diuturnum hûc affectum extirpasti, quo luce meridianâ clarius redditur, pilorum ejusmodi proventum collectioni pravorum humorum originem suam debere. Tu bene vale, & me, quod facis, amare perge. Raptim Vlmæ, 12. Octobris 1625.

Tuus
Gregorius Horstius D.

Idem ad eundem.

Postscript.

QVAe sub dato 6. Septembr. currentis anni subjicis, Vir Clarißime, de imaginatione prægnantis exempla libenter legi: nî fallor dissertationem de hac materia publicè in actu Doctorali Dõni Doct. STREISERI Spirensis habitam tibi communicavi. Pluribus eo in loco id ipsum, sicut etiam in lib. 7. Histor. Med. Mirab. Marcello addito declaratur.

Obs. 51.

Observatio singularis de calculosa fœmina.

Vnicum tantum addo, nimirum notatu dignum exemplum honestæ fœminæ, quam Lithotomus noster Dominus Iohannes Iacobus Merckius, arte suâ & peritiâ tibi notißimus in sextû circiter mensem prægnâtem à calculo satis insigni per sectionem liberavit, ita ut optimè restituta certo tempore fœtum perfectum & vitalem ederet cùm antea calculi magnitudine impedita tempore partus aliquoties de vita periclitaretur. Hic terror & imaginatio fœtui nihil quicquam nocuerunt, quam ob causam videmus, imaginationis impreßiones diversimodè fieri, quod ego magnanimitati & constantiæ matrum tribuendum esse censeo, cùm non omnes æqualiter affectibus abripiantur. Iterum ἐπὶ μήκιστον vale. Dabam ut supra.

T.
G. H. D.

VIRO AMPLISSIMO, ATQUE DOCTISSIMO Domino GREGORIO HORSTIO *Philosophiæ & Medicinæ Doctori Excellentißimo, & inclytæ Reipublicæ Vlmensis Archiatro longè celeberrimo, amico singulari*

Guilhelmus Fabricius Hildanus,
S. P. D.

QUIA Centuriam meam quintam, quæ de matrona Trichiasi laborante, aliquot ad Tuam Excellentiam continet Epistolas, jam ad prælum præparo; visum fuit Epistolio hocce statum ejus tibi significare, & portiunculam pilorû, ab ipsa, cum urina, excretorum, ad Te mittere, ut videas veros esse pilos. Ut autem, antequam hæc scriberem, prolixè cum ipsa de morbo suo loqui possem, ad cœnam ipsam heri vocari jussi: in quâ primò ab ipsa expiscatus sum, an permittere velit, ut ipsius nomen historiæ morbi inseratur.

Quod etsi hactenus id mihi denegaverit, nunc tamen ut cuncti majorem fidem adhibeant historiæ, DEUM quinetiam OPTIMUM MAXIMû ipsiusque facta magna, & inscrutabilia celebret, id mihi concessit.

Appellatur autẽ matrona illa SARA SCHEWERIN, Reverendi ac Doctissimi Viri Domini JACOBI FISCHER quondam in ditione hujus Reipublicæ Verbi Divini Ministri, vidua. Cum prædicto viro suo, per multos annos in matrimonio piè ac placidè vixit, filias quin etiam & filios, quorum nonnulli adhuc vivunt, progenuit. Mortuo marito ante multos annos, in viduitate adeò castè ac piè sese gessit, ut provincia publica à Magistratu nostro Amplissimo ipsi demandata fuerit: quam etiamnunc summa cum laude, nec nô singulari dexteritate administrat. Puellas enim

(qua-

Obs. 51. & 52.

(quarum quotidie ultra centum & quinquaginta ipsius Scholam frequentant) in Germanica lingua, Catechismo, Psalmorum modulis, & quicquid præterea ad vitam piam instituendam requiritur, instruit. Ab eo tempore quo meis medicamentis usa est, videlicet, ab Anno 1616. se nunquam, uti antea sæpissimè, graviter laborasse, constanter asseverat.

Nonnunquam tamen dolores nephriticos ipsam molestare dicit; sed accepto Enemate lenitivo, mox remittere; pilos quinetiam, & lapillos albos, & friabiles, nec non materiam, in carbones combustam tunc cum urina profluere. Pilos autem, quod notandum, Spitamam longos, se aliquoties excrevisse, refert; sed non sine difficultate, & dolore vellicante; idque circa lumbos præcipuè, sed & tunc temporis veluti manifestum incendium renum percipit. A duobus tamen ab hinc annis, quo ex meo consilio, ac suasu acidulis Griesbachensibus usa fuit, minus ab hujusmodi doloribus lumborum, & intemperie renũ molestatur. Est alioquin matrona illa, pro ætate (sexagesimum enim sextum ingressa est) satis robusta, & obesa partesque nobiles omnes, adeò habet integras, ut, DEO volente, summam senectutem ipsam attingere posse, non dubitem.

Vides Vir Amplissime quàm mirabilis sit DEUS in operibus suis. Hæc raptim. Saluta quæso meis verbis Generosum Virum Dominum GEITZCOFLERUM à GEILENBACH, Dominum in Haunsheim, &c. uti & Nobilissimum ac Prudentissimũ Virum Dominum ITEL EBERHARD BESSERER, &c. item Dominum Doctorem FINGERLINUM, Dominum JACOBUM MIRCKIUM, cæterosque amicos, inprimis verò lectissimam suam conjugem. Valete, & æternùm feliciter vivite omnes. Dabam Bernæ Helvetiorum, 26. Februar. 1626.

OBSERVATIO LII.

De mictione sanguinolenta, post spiritus Terebinthinæ exhibitionem.

ANno 1609. Nobilis quidam Bernensis, quadraginta circiter annorum ætatis, robustus, & optimo corporis habitu præditus, cùm de dolore aliquo circa lumbos & os sacrum conquestus fuisset, Circulatorem quendam Empiricum in consilium adhibuit, cujus suasu ad uncias ferè duas Spiritus Terebinthinæ, cum pauco vini albi, uno hausto bibit. Hinc protinus dolor vehemens è regione renum, cum maximo ardore, atque incendio manifesto istarum partium, exortus est. Post horas quinque ab assumpto Medicamento, sanguis jã purus, jam urinâ mixtus, guttatim & involuntariè, sed maximo cum dolore & ardore, per penem exstillare cœpit: & spacio duorum dierum summo cum cruciatu continuavit. Medicamentis cùm internis, tum etiam externis, à Clarissimo Viro Domino Paulo Lentulo Reipublicæ Bernensis Doctore Medico primario adhibitis, dolor renum, ardor item, & stillicidium sanguinis & urinæ cessârunt quidem, dolor tamẽ coxendicus, per multos annos ipsum cruciavit: ubi iterum multa medicamenta adhibuit, sed frustrà, donec tandem ante triennium, meo suasu, acidulas Griesbachenses invisit, quarum beneficio, Divino aspirante Numine sanitati restitutus fuit. Frequenter Medicamentum salutiferum, inter quæ etiam spiritus Terebinthinæ referri potest, in venenum transit, si in dosi error commissus fuerit.

OBSERVATIO LIII.

De Diabete.

DIabetes, quam alii, teste Galeno libro de differentiis Symptomatum cap. ultimo, Hydropem in vas urinale, vel Diarrhœam in urina vocant, morbus est adeò rarus, ut Galenus profiteatur, se bis tantummodo ipsum vidisse; de locis affectis libro sexto, capite tertio. Mihi toto illo tempore, quo artem Medicam & Chirurgicam exerceo semel occurrit. Fuit id Anno 1615. in Dn. Werneri Menntchi, civis Solodurensis filio, septem circiter annorum ætatis: Laborabat puer iste primò ardore aliquo urinæ, exiguo tamen, cùm verò ipsum ad acidulas Griesbachenses secum conduxissent parentes, & puer acidulas pro libitu & in copia bibisset, fluor urinæ adeò magnus sequutus est, ut, an unquam similis visus sit, valde dubitem; Hinc sitis talis supervenit, ut Solodurum reversus singulis noctibus, ultra mensuras duas cum dimidia aquæ, hoc est plusquam libras decem (quantitatem vini, quod admiscebatur, non observârunt adstantes) ebiberet, & eodem modo protinus, nihil alterata, iterum emingeret. Ego unà cum clarissimo atq; doctissimo Viro, Dn. Sebastiano Meyero Reipublicæ Solodurensis Medico ordinario in cõsilium adhibitus, victus rationem aliquomodo refrigerantem, & insigniter nutrientem præscripsimus: Loco vini, & aquæ, quibus antea, ut dixi, copiosè usus fuerat, lac amygdalarum & juscula castratorum, caponum & pullorum, in quibus vitella ovorum dissolvebantur, propinavimus: Carnem assatam castratorum, perdicum, caponum, turdorum, alaudarum, coturnicum & similium avicularum dedimus. Hâc cum per dies aliquot usus fuisset victus ratione, & vires nonnihil recollegisset, syrupo rosato solutivo, composito cum Rhabarbaro & myrobalanis citrinis corpus leniter expurgavimus, & per intervalla potiunculam sequentem exhibuimus;

℞. Radicum tormentillæ,
Bistortæ,
Symphyti majoris,
Plantaginis, an. ℥.ij.
Herbar. agrimoniæ,
Veronicæ,
Rosarum rubear. an. m.ß.

Coquantur in aqua ad consumptionem tertiæ partis. In ℥.ij. hujus decocti, dissolve Syrupi de rosis siccis ℨ.ij. cornu cervi usti & præparati, corallorum præparatorum, Trochiscorum, de Spodio ana ℈.j.

Misce, fiat potio.

De præscriptis pulveribus quoque non rarò cum lacte amygdalino dedimus (eodem autem ferè modo, quod notandum, quo lac amygdala-

dalarum bibebat, illud protinus quoque iterum reminxit, vix immutato ipsius colore. Adeò facultas retentrix renum, labefactata & imbecillis: attractrix verò valida erat: sub grabato autem pelvis, quâ urinam excepimus, collocata erat. Renes unguentis & oleis refrigerantibus & adstringentibus, veluti oleo rosaceo, myrtillorum, masticis, unguento rosaceo, & Comitissæ Varriganæ inunximus. His cùm per dies aliquot usus fuisset remediis, & victus ratione, plenissimeque restitutus esse nobis videretur puer, domum me contuli. Post meum abitum, cùm victus rationem non observasset, & loco lactis amygdalarum, vinum aquâ dilutum iterum bibisset, denuò in eundem morbum incidit, & quidem tam graviter ut tadem naturæ debitum persolverit. Hallucinantur itaque graviter, qui acidulas Griesbachenses, in abscessibus renum, ardore urinæ & Diabete, veluti salutare remedium præscribunt. Etiamsi enim refrigerant, quia tamen insigniter urinam movent, & propter acrimoniam ulcera vellicant, non video, quomodo in hujusmodi affectibus cum fructu adhiberi possint.

OBSERVATIO LIV.

De Hernia in sene curata.

HErniam in senibus difficulter & vix curari posse, testantur viri docti, & ipsa quoque experientia fidem facit. De sanitate tamen semper benè sperandum esse, sequens historia confirmat.

Generosus quidam Bernensis sexagenarius Dominus Ioh. Iacobus à Diesbach Eques, & olim sub Henrico Magno Dux exercitus fortissimus, Vir optimo corporis habitu prædítus, præterquam quòd doloribus podagricis ab aliquot annis obnoxius fuerat, spacio viginti annorum insigni ac maximâ herniâ intestinali laboraverat, ad quam curandam cùm me, tum alios in Gallia & alibi expertissimos adhibuerat Medicos & Chirurgos, sed frustrà. Tandem cùm de sanitate recuperanda, ne quidem cogitaret ampliùs, & subligaculis, ne ingravesceret malum, uteretur in morbum incidit Anno 1618. à quo ultra menses sex lecto affixus fuit. Post morbum hunc ne minimum quidem indicium præcedentis herniæ sensit, nec amplius utitur spleniis aut subligaculis. Ex his manifestum fit, quietem & decubitû in dorso, unicam esse Panacæam herniarum.

ANNOTATIO.

Dubitabis forsan, Candide Lector, curatio & sanatio hujus Herniæ inveteratæ, fueritne perfecta & constans, nec ne? Hunc autem ut ex animo tuo eruam scrupulum, scias, Generosum huncce bimestrè post curatam Herniam himitum Anno 1620. mense Iunio Ischuriâ, simul & obstructione alvi tam graviter correptum fuisse, ut per dies aliquot ne guttam quidem urinæ, nonisi maximo cum conatu, & dolore excernere posset. Ego advocatus, propter evidentissimum mortis periculum, neglecta Hernia, semicupium ex radicibus, herbis, floribus & seminibus emollientibus & relaxantibus, ipsi præparavi, eoque per dies aliquot usus sum.

Enemata quinetiam emollientia & relaxantia exhibui. Sacculos emollientes ventri & pærinæo, applicui, totúmque ventrem coxas perinæúmque, oleo liliorum alborum, amygdalarũ dulciũ, & pinguedine caponis, quotidiè ter quaterve inunxi. Hisce remediis, Divino aspirante Numine, restitutus fuit. Et quamvis hæc omnia, herniæ essent adversissima, ut quæ constringentia & exsiccantia, non autem emollientia & relaxantia, qualia in Ischuria adhibita fuerunt, requirebat remedia, attamen ne minimum quidem indicium herniæ inde apparuit, neque in hunc usque diem 13. Septembris, 1620. quo hæc scripsi, apparet. Piè autem placideque Bernæ obdormivit Anno 1627. die 7. Januarii. cùm annũ 70. ætatis ferè appropinquasset.

OBSERVATIO LV.

De affectu quodam gravi præputii, & penis, eiusq; curatione.

QUadragenarium quendam, Virum robustũ, unà cum Clarissimo atque Doctissimo Viro, Domino LUDOVICO SCHARANDEO Reipublicæ Solodurensis Helvetiorum Medico ordinario, curandum habui. Laboraverat ille à multis annis defluxione quadam humorum ad penẽ & præputium, quæ ipsum cùm febre, rigore maximo, nausea, dolore capitis, & lumborum corripiebat, & præcipuè post equitationem vehemẽtem, aut excessum in compotationibus. Tunc enim prius exorta febre, ut dixi, glandulæ in inguine dextro increverunt, mox quoque membrum virile & scrotum intumuerunt. Primis annis morbi sui, non nisi bis aut ad summum ter in anno, à defluxione ista corripiebatur, nec usque adeò vehementer: purgato quoque corpore, sectâ item vena in cubito, & applicato Medicamento aliquo discutiente, facilè cedebat malum. Progressu tamen temporis, morbus contumacior factus, frequentiùs ipsum invasit & difficiliùs curari potuit.

Nonnunquam enim talis durities in penè & præcipuè in ipso præputio remansit, ut spatio duorum mensium, illud retro glandem retrahere non posset. Ubi corpus aliquoties expurgavimus, sudorem provocavimus, Topica quoque, veluti Cataplasmata, unguenta, emplastra, & sacculos emollientes, resolventes & corroborantes applicuimus: tumor quidem & durities paulatim remiserunt, sed levissimo interveniente errore in victus ratione, aut corporis agitatione, in eundem iterum incidit affectum.

Tandem Anno 1619. cùm tumor omninò evanuisset, nec durities ampliùs circa præputium adesset, deliberatum fuit inter nos, ut semel in mense, aut de sexta in sextam hebdomade infusũ sex granorum CROCI METALLORUM cum vino sumeret: & bis aut ter in año venam brachii dextri incideret. Loco affecto sacculum adstringẽtem & corroborantem, ex radicibus tormentillæ, bistortæ, plantaginis, item ex balaustiis, nucibus cupressi, corticibus granatorum, rosis, & similibus, in aqua coctum, per menses multos

Obs. 55. & 56.

calidè applicuimus, idque bis in die, mane videlicet, antequam lecto egressus fuisset per horam integram: Vesperi verò, postquam quieti se tradidisset, denuò sacculum imposuit, & per totam noctem, supra locum affectum reliquit. Ab initio per mensem integrum sine intermissione, singulis videlicet noctibus, usus est sacculo, postea verò per intervalla, hoc est, ter aut quater in hebdomade tantummodò, ipsum applicuit.

Hâc methodo & hisce remediis, non tamē omissâ optimâ victus ratione, difficilis ille affect⁹ depulsus fuit.

OBSERVATIO LVI.

Paraphimosis ex violento coitu, quomodo sanata.

SPONSUS quidam Juvenis, haud ex obscura familia patriciorum Bernensium oriundus, viginti quatuor circiter annorum ætatis, cùm Anno 1616. mense Januario prima nocte sponsam suam nimis arctè amplecteretur, nec unquam antea Venerem exercuisset, tanta cum violentia frænum ei abruptum & præputium retrorsum fuit detrusum, ut maximus dolor & intumefactio totius membri virilis, inde sequuta sit. Ab initio, morbum propter verecundiam celavit, tādem verò cùm symptomata ingravescerent, me in consilium vocavit.

Primò itaque victus rationem tenuissimā & refrigerantem præscripsi: Deindè corpus cholagogis medicamentis expurgavi, & venam in brachio incidi, sanguinemque satis lautè extraxi: aderat enim maxima plethora. Regionem renum unguento refrigerante bis in die inungere jussi: loco verò affecto sequens Cataplasma applicui.

R. Farinæ hordei ℥. iiij.
 Pulveris rosarum,
  Myrtillorum, an. ℨ. ij.
  Balustiorum,
  Nucum cupressi. an. ℨ. j.

Coquantur in aqua rosacea & plantaginis, parumque aceti rosacei, fiatque Cataplasma, addendo vitellum unius ovi. Applicetur tepidè & bis in die. His per dies aliquot adhibitis remediis, cùm dolores, qui ab initio acerbi & magni erant, remisissent, appetitus ad Venerem & erectio membri, ipsum adeò vexavit, præcipuè noctu, ut tota curatio inde impediretur. Quotiescunque enim membrum virile erigebatur, præputium adeò constringebat balanum, ut mirum in modum inde auctus sit affectus.

Cùm itaque hac de re anxius essem, jussi ut per dies aliquot consortium atque familiaritatem uxoris, imò ipsius præsentiam planè evitaret. Deinde corpus iterum cholagogis purgavi, & lumbos oleis sequentibus inungere jussi.

R. Olei violacei,
 Ex Nymphæa,
 Rosarum, an. ℥. j.
 Ol. hyoscyami per express. ℨ. ij.
 Caphuræ dissolutæ in aceto rosac. ℈. j.
  Misceantur in mortario.

His ita peractis, post cœnam, cum dormitum iret, dosin Laudani exhibui: Meliùs ea nocte quievit, minorq; membri virilis fuit erectio.

Quum itaq; aliquoties exhibitionem Laudani iterassem, inunctiones quinetiam lumborum & applicationem Cataplasmatis continuassem, tumor membri virilis brevì remisit, ut non diu pòst, præputium & retrorsum detrahere, & antrorsum reducere, balanumq; obducere posset æger. Convaluit, & ab eo tempore liberos aliquot ex uxore sua recepit.

ADMONITIO ad Tyrones.

Vide atque etiam vide, Candide Lector, ne prædictum cataplasma applices, si Paraphimosis ex impuro congressu cum scorto acciderit. Materia enim maligna ad interna viscera repelleretur: hinc maligna ulcera sequerentur, ut sequēti Observatione fusiùs dicam.

OBSERVATIO LVII.

De Phimosi & Paraphimosi ex impuro coitu.

IN præcedenti Observatione de Paraphimosi ex intempestivo, licito tamen & puro coitu orta egimus, nunc visum est etiam de Phimosi & Paraphimosi, propter illicitum & impurum congressum cum meretrice, nonnihil adscribere. Inter scortatores enim satis frequens est malum & ut plurimùm difficulter sanatur, uti ego sæpissimè vidi. In congressu etenim isto illicito, nimiumq; luxurioso, cum meatus totius corporis & præcipuè membri virilis (quia porosum est, sint aperti) facilimè vaporem aliquem malignum & impurum, (ex scorto, quod aut lue Venerea, aut fluxu mensium, vel fluxu albo laborat, aut paulò ante cum Viro aliquo Gonorrhœâ virulentâ laborante, rem habuit) ad se attrahit.

Hinc primò pruritus circa glandem & præputium, qui ab initio voluptatem aliquam adferre videtur, oritur: mox tamen incalescente materiâ circa glandem & præputium inclusâ & acriore factâ, fit ex pruritu dolor, totumq; mēbrum virile intumescit; hinc præputium aut ante balanum contrahitur, & ita, ut vix urina liberè perfluere possit, clauditur: aut retro glandem abducitur, ibique mirum in modum intumescit. Hoc malum Paraphimosin, illud Phimosin appellant Medici.

Sæpissimè quoque sequuntur ulcera virulenta & maligna in ipso balano, quæ difficulter sanantur, propter malignam qualitatem, quæ membro virili ex impuro coitu impressa fuit. Porrò cum propter malignitatem ex scorto cōtractam & membro virili impressam, tum etiam propter copiam humorum ex sordido & impuro corpore, ad partem, uti dixi, porosam & laxam decumbentium, tantam sequutam fuisse putredinem, ut partem aliquam virgæ abscindere necesse fuerit, memini, idque præcipuè fit si error in curatione committitur, quemadmodum postea dicam. Adderem exempla. Sed quia odiosum est, hæc & similia quæ probus & fidelis Medicus veluti arcana penes se, ut docet Hippocrates in lege continere debet, divulgare

Obs. 57. gare, nomina supprimam, & potius quæ in curandis ægris observavi, in gratiam tyronum paucis adscribam.

Est autem morbus iste aut simplex, aut cũ aliis gravioribus symptomatibus, veluti Gonorrhœâ virulentâ, lue Venereâ, exulceratione & inflammatione conjunctus, (de dolore taceo, est enim veluti symptoma inseparabile) quæ omnia diligenter perpendenda, ne quicquam in curatione omittatur. Ante omnia autem corpus, cùm pharmacis tum venæ sectione à pravis humoribus expurgandum est. Novi Chirurgum quendam in Belgio, haud vulgarem, qui hujusmodi scortatoribus Phimosi & Paraphimosi laborantibus, statim ab initio infusum Stibii hyacinthici exhibebat. Quod in robustioribus & pituitosis corporibus non usq; adeò improbandum esse videtur: præcipuè si loco Stibii, Crocus Metallorum acciperetur; Non solùm enim materiam peccantem evacuat, verùm etiam provocando vomitum, à loco affecto revellit.

Verùm in extenuatis & imbecillioribus corporibus, minimè tutum esse Medicamentum sciunt Practici. Sed & diligenter perpendendum & prospiciendum est, an scortum lue Venerea fuerit infectum, tunc enim à Croco isto Metallorum, quia violentiâ quâdam, etiam ex remotissimis corporis partibus ad centrum corporis trahit, atque ab omnibus Medicamentis per vomitum cum violentiâ purgantibus, abstinendum est, ne materia peccans ex genitalibus ad hepar trahatur, & fiat ex particulari affectu universalis morbus, quod in aliquibus evenisse observavi. Præstat itaque uti ego semper maximo cum successu feci, corpus clementer & blandè expurgare, hunc in modum:

℞. Radicum Polypodii,
Cichorii,
Lapatii acuti, an. ʒ. ij.
Corticum interiorum radic. frangulæ, ʒ. iiij.
Herbar. Scabiosæ,
Fumariæ,
Agrimoniæ,
Veronicæ,
Cuscutæ, an. m. ß.
Trium florum cordialium, &
Genistæ, an. p. j.
Folior. senæ ℥. j.
Sem. anisi ʒ. ij.

Coquantur in ℔. j. ß. aquæ, donec colatura redeat ad ℥. x. In quibus infundantur & macerentur per noctem,

Rhabarbari electi ʒ. iij.
Turbith gummosi,
Agarici recenter trochiscati,
Florum Tartari an. ʒ. j. ß.
Cinamomi electi, &
Specier. diarhod. abbatis, an. ℈. ij.

Expressioni fortiter factæ, adde

Syrupi rosat. solut. compositi cum Rhabarbaro, agarico & sena,
Syrup. de cichor. cum rhabarb. an. ℥. j.

Misce, fiat Potio pro tribus dosibus, alternis diebus in crepusculo matutino sumendis cum custodia. *Obs. 57.*

Primo hausto purgato corpore, incidatur vena in brachio & extrahatur sanguis secundum virium tolerantiam & plethoræ magnitunem. Post sectionem venæ sumantur reliqui haustus. Corpore clementer sic purgato, tam pharmacis, quàm venæ sectione, sudor per dies aliquot movendus est, ut materia maligna, à scroto contracta, si forsan jam per corpus diffusa fuerit, in halitum abire & per poros evacuari possit.

In hunc finem itaque

℞. Theriac. opt. ℈. ij.
Cornu cervi usti & præpar. ℈. j.
Syrupi de succo limonum ℥. ß.

Cum s. q. aquæ Cardui benedicti fiat potiuncula.

Pro delicatioribus,

℞. Lap. Bezoardici occidẽtalis grana viij.
Magisterii margaritar. ℈. ß.
Confect. Alkermes ℈. j.
Syr. de succo limonum,
Aqu. cinamomi sine vino destillatæ, ana ℥. ß.
Aq. card. benedict. q. s. fiat potiuncula.

Aut paretur decoctum sudoriferum ex ligno Guajaci, radic. Chinæ, salsæ parillæ & similibus.

Loco affecto, nõnulli statim ab initio (quia inflammationem adesse vident) refrigerantia & repellentia, applicant, sed malè; Materiam enim virulentam & malignam ex impuro coitu contractam repellunt, & in ipsam partem secludunt, unde postea virulenta & maligna ulcera oriuntur. Quum itaque præcipuum symptoma, quod ægros molestare posset, sit dolor, ab ipso curatio incipienda est. Sequens itaque applico Cataplasma anodynum.

℞. Farinæ fabarum,
Hordei, an. ℥. ij.
Sem. cydoniorum ℥. j.
Fœnograeci ʒ. ij.
Pulv. rosar. rubear. ℥. ß.
Croci ℈. j.

Cum lacte vaccino fiat Cataplasma. Adde vitellos ovorum num. ij. Applicetur calidè.

Totum membrum virile, nisi inflammationis vehementia obstiterit (inflammationibus enim oleum, ut docet Galenus, adversatur) sequenti oleo inungo.

℞. Ol. amygdal. dulcium recẽter extracti,
Ol. rosarum, an. ℥. j.
Ol. de vitellis ovorum ℥. ß.
Misce.

Interim dum hæc adhibentur medicamenta, victus tenuissimus observandus est, à Baccho & libidinosis ac venereis cogitationibus omninò abstinendum, propter causas quas in præcedenti Observatione recensui.

Sed quia unica purgatio minime sufficit, in hoc tam contumacissimo malo, necesse est purgationem præscriptam reiterare,

 Ego

Obs. 57. Ego, non rarò extracto corticum Esulæ, in hoc affectu, uti quoque in Gonorrhœa virulenta & similibus affectibus, maximo cum fructu usus sum; Videtur enim facultate quadam singulari hasce expurgare posse partes. Sedato dolore, si tumor circa glandem & præputium non cedit, ita ut præputium neque abduci neq; reduci possit, fiat sequens cataplasma:

R. Farinæ fabarum,
Lentium,
Lolii, an. ℥. j.ß.
Pulver. rosarum,
Absynthii,
Florum chamomill.
Sambuci, an. ʒ.j.ß.

Cum decocto florum betonicæ, chamomillæ, sambuci & rosarum fiat cataplasma, addendo vitellos ovorum num. duos. Applicetur calidè.

Hisce remediis continuanda est curatio, donec præputium, si Paraphimosis, in locum suum reduci: aut velut in Phimosi, abduci & balanus denudare possit. Atque hæc est certa, vera, & securissima Phimosis & Paraphimosis ex impuro coitu contractorum curatio.

Quòd si adfuerint alia quoque Symptomata, velut Gonorrhœa virulenta, aut ipsa lues Venerea, ulteriorem curationem indigent, de quibus hîc agere instituti nostri non est.

De exulceratione tamen glandis & præputii, quam Cariem vocant, unum aut alterum verbum addam. Quotiescunque in Phimosi aut Paraphimosi ex impuro coitu contracta, frigida medicamenta applicantur, & materia illa maligna in partem affectam secluditur, tantam acrimoniam acquirit, ut inde maligna, putrida & virulenta ulcera, imò & nonnunquam Gangræna ipsa, sequantur. In curatione horum ulcerum iterum non levem errorem committunt quàmplurimi, dum aquâ, ut vocant, forti, aquâ item plantaginis, cum vitriolo, alumine, viridi æris, unguento Ægyptiaco, & similibus, ulcera abluunt, aliaq; acria applicant: Hoc modo enim malum addunt malo.

Quandoquidem dolor, quem acribus illis medicamentis excitant multos humores ex corpore ad locum affectum trahit: hinc inflammatio, aliaque Symptomata omnia accrescunt indies: blandè igitur hujusmodi ulcera tractanda sunt, hunc in modum. Primò si sordida fuerint, abluantur sequenti decocto,

R. Ligni Guajaci, ℥. j.
Radic. Chinæ,
Vincetoxici,
Angelicæ, an. ℥. ß.
Herbar. Scabiosæ,
Fumariæ,
Absynthii,
Scordii, an. p. ij.
Rosar. rubear. m. j.

Coquantur in aqua ad cõsumptionem tertiæ partis, colatura servetur ad usum.

Si majorem abstersionem volueris, adde aliquid mellis rosacei.

Ablutis ulceribus, soleo ab initio dum dolor adhuc vehemens est, applicare unguentum ex Cera, Terebinthina, Gummi Elemi, cum oleo Amygdalarum dulcium, oleo de vitellis ovorum, & croco: postea Cataplasma anodynum supra descriptum.

Sedato dolore & satis digesto ulcere, pulvere præcipitato, quàm diligentissimè Spiritu vini rectificato, sæpiusq; aquâ rosaceâ abluto, mundificanda sunt ulcera, aut insperso pulvere per se aut cum butyro recenti, vel unguento rosaceo mixto, & filamentis imposito. Mundificato ulcere, cicatrix inducenda est, unguento de Cerusa de minio, de pompholyge, aut sequenti Collyrio.

Obs. 58.

R. Aquæ plantaginis, &
Rosarum, an. ℥. ij.
Sem. cydoniorum contusi ℈ ij.

Maneant in infusione horas quatuor. Colaturæ fortiter expressæ, adde
Plumbi squammosi & subtiliss. triti,
Antimonii crudi & diligenter pulverisati,
Cornu cervi usti,
Cerusæ lotæ,
Lapidis calaminaris, an. ℈. ij.
Corallorum præparator. ʒ ß.

Misceantur, & tepidè cum linteis applicetur.

In Phimosi ubi glans detegi non potest, prędictum decoctum, syringâ quotidiè quater aut sexies inter præputium & glandem injiciendum, diligenterq; pus abluendum est, omnibus quinetiam modis laborandum, ut dolor sedetur & intumefactio membri auferatur, quò ulcus præputio detegi & medicamenta ipsi imponi possint. Detegitur autem purgationibus iteratis; venæ sectione & applicatione Cataplasmatis, de quibus antea prolixè dictum. Detecto balano, ulcera si adfuerint, curanda sunt, superiùs præscriptis auxiliis, quibus si non sanantur ulcera, & luis Venereæ indicia adfuerint, propria ejus curatio adhibenda est.

OBSERVATIO LVIII.

De Paraphimosi infantium, & eius curatione.

NON tantùm sordidi scortatores, propter gravissima delicta fornicationis, hoc malo, certissimo iræ Divinæ indicio, sæpissimè graviter corripiuntur, imò & membrum virile aut partē ejus aliquando amittunt, verùm etiam ipsi miseri infantes, imò adhuc lactantes, ab ipso immunes non sunt.

Accidit enim nonnunquam ex prava victus ratione Nutricis, ut humor acris ad genitalia infantis decumbat, ibique pruritum excitet. Mox propter confricationem genitalium & acrimoniam urinæ, confluunt humores circa balanum & præputium, qui utplurimum flatulenti & pituitosi sunt.

Cùm itaque penis sit pars corporis porosa & mollis, facilimè humorem istum excipit & quidem adeò copiosè, ut mirum in modum extendatur præputium.

Nonnunquam quoque propter acrimoniã urinæ, inflammatio supervenit. Cæterùm cùm barbitonsores quosdam ineptissimos, infantulos hos

58. hoc malo laborantes, scarificationibus profundis & applicationibus medicamentorum acrium, crudelissimè tractasse sciam, Christianâ charitate commotus, placuit in gratiam ægrorum simul & tyronū hîc adscribere remedia, quib⁹ ego multos infantulos, hoc malo laborantes, per DEI misericordiam feliciter sanitati restitui.

Primò, Nutrici victus rationem, quæ tenuis sit & refrigerans, præscribo.

Deinde secundum humoris prædominantis naturam ipsam expurgo, utplurimum tamen sequenti potiuncula.

℞. Rad. cichorii,
Lapatii acuti,
Polypodii, ana ℥. j.
Cortic. radic. frangulæ ℥. ij.
Herb. scabiosæ,
Veronicæ,
Agrimoniæ, an. p. j.
Flor. cordialium an. p. ß.
Foli. senæ, &
Sem. anisi, an. ℥. ij.

Coquantur in aqua ut colatura redeat ad ℥. ij. in quibus dissolve
Elect. de succo rosar ℥. ij.
Syr. ros. sol. compos. cum Rhabarb.
Agaric. & sena ℥. ß.
Misce, fiat Potio.

Si pituita in corpore prædominium obtinet, loco Electuar. de succo rosarum, ℥. iij. diacarthami substituo. Si plethora adest venam in brachio incido. Hujus medicamenti beneficio infans quoque purgabitur.

Sin verò ablactatus fuerit, à drachma una ad drachmas tres syrupi rosati solut compositi, ipsimet infantulo cum ptisana, aut decocto agrimoniæ & veronicæ exhibeo. Ab initio, si dolor & inflammatio adfuerint, sequens applico Cataplasma.

Accipio, Micæ panis albi ℥. iij.
Pulv. rosar. rubear.
Balaustiorum ana ℥. ij.
Croci ℈. j.
Butyri recentis, ℥. j.

Ex quibus omnibus cum lacte vaccino conficio Cataplasma, sub finem addo vitellum unius ovi.

Hisce remediis adhibitis, & prout necessitas urgebat, iteratâ potione purgante, aliquot infantulos Paraphimosi laborantes sanitati restitui. Si verò morbus adeò fuerit contumax, ut prædictis præsidiis non cesserit, applicetur sequēs Cataplasma.

℞. Far. fabarum ℥. ij.
Pulv. summitat. absynth.
Flor. chamomillæ,
Sambuci an. ℥. iij.
Pulv. sem. fœnugræci ℥. ij.
Cumini ℥. iij.

Coquantur cum vino rubro austero ad formam Cataplasmatis, quod calidè applicetur bis in die. Si excoriatio aliqua adfuerit, loco vini accipio decoctum florum chamomillæ, meliloti, sambuci & rosarum: Excoriationem quinetiam, sequēti unguento inungo.

Obs. 57.

℞. Olei rosacei ℥. j. ß.
Cerusæ lotæ,
Tutiæ præparatæ,
Cornu cervi usti & præpar.
Corallorum præparator.
Plūbi squamosi, Schiferbleyh an. ℥. j. ß.
Cāphoræ dissolutæ in aq. rosac. ℥. ß.

Misceantur & agitentur tam diu in mortario, donec formam Linimenti acquirant.

ANNOTATIO

Monitos velim Lectores, nonnunquam mihi advenisse infantulos, in quibus affectus adeò fuit contumax, ut ultra tres Septimanas circa ipsum occupatus essem, præcipuè Anno 1607. circa Paterniacensem infantulum, cujus Nutrix supra modum erat cacochymica, & proinde (mediāte lacte) quotidie novam suppeditabat materiam peccantem. Quapropter Apozemata aliquot exhibui aliquoties quinetiā gnaviter ipsam expurgavi; & ut optimam victus rationem observaret, jussi Quantum ad externa Medicamenta, quia eis quæ jam præscripsi, ātea in multis felicissimè usus fueram, nihil in ipsis mutare volui; Ab eis enim, quæ cum ratione fiunt, ut docet divinus Hippocrates, ad alia transeundum non est, stante & perseverante eo, quòd à principio visum est, nec alio interveniente Symptomate, quod à priore instituto recedere nos cogat. At in hocce ægro postquam mater semel atque iterum expurgata, venaque incisa fuisset, & Cataplasma ex mica panis albi, pulvere rosarum &c. quod antea præscripsi, per dies aliquot applicuissem, dolor simul & inflamatio remiserunt, tumor verò ultra dies quatuordecim in eodem statu permansit, & quia antea in aliquibus pueris, (in quibus plura alia frustra tentaveram) idem mihi contigisse, tunc occurrebat, ab applicatione posterioris Cataplasmatis desistere nolui, juxta sententiam præscriptam Hippocratis. Quid fit? Insurgit tandem natura, materiamque peccantem è vestigio expellit, & ita quidem, ut intra horas viginti quatuor omninò evanuerit & subsederit tumor. Idē & in aliis affectibus puerorum advenisse memini.

Hip. lib. 2. aphor. 52.

ANNO 1618. Domini Christophori Burckhardi civis Basileensis (quem honoris causa nomino) filiolum octodecim circiter mensium ætatis, unà cum Viris Clarissimis atque Doctissimis Dominis Doctoribus, MARTINO CHMIELECIO ET JOHANNE FRIDERICO WERTENBERGIO, Basileensibus Medicis celeberrimis, curandum habui. Contraxerat puer ille ex Variolis, præter alia symptomata, tumorem ex materia pituitosa & flatulenta circa malleolum sinistrum, qui videbatur abscessum minari.

Cæterum cūm hujusmodi Apostemata circa articulos, sint difficilis & longæ curationis, & nonnunquam nervos ipsaque ossa erodant, constitutum fuit inter nos, omnibus modis tentare, an materia ipsa inclusa, possit per insensibilem, ut loquuntur, transpirationem evacuari.

Applicuimus itaque cataplasma ex farina fabarum, lupinorum, lolii, pulvere florum chamomillæ, sambuci, meliloti, baccis lauri, semine anisi, cumini & similibus coctis cum lixivia simplici & sapa, addito Sale. Ad 15. aut 18. dies abs-

Obs. 58. que successu applicuimus Cataplasma hoc, tandem ex calefacta materia in loco affecto, subito pruritus & herpes pustulosus aut miliaris supervenit; quapropter per diem unum aut alterum usum Cataplasmatis intermisimus, & locum affectum unguento albo Rhasis inunximus, & ut puer pedem pro libitu confricaret, ipsi permisimus, & postquam ex pustulis multum humoris effluxisset, imminutus est tumor circa articulum: Consolidatis pustulis, iterum Cataplasma applicuimus, donec denuò exortæ sint pustulæ, quas ut antea unguento albo exsiccavimus, iterumque Cataplasma applicuimus.

Hisce per vices mutatis remediis, tandẽ felicissimè sanatus fuit affectus ille tam contumax atq; rebellis. Hæc propterea adscribo, ne Chirurgus toties mutet medicamẽtum quoties successus queâb ipso exspectat, non sequitur illicò. Frequẽter enim apud pueros & imbecilles tempus requiritur, antequam natura medicamentum ex potẽtia in actum deducere possit; Non propterea tamen ab instituto desistendum, sed naturæ motus exspectandus est.

Hinc videmus causam, cur plerumque Medici etiam fidelissimi & optimi, tam graviter injuria afficiantur, ab iis ægrotis, qui veluti scortũ meritorium, quotidie novos Medicos, plerumque etiam impios impostores & sordidissimos carnifices adhibent.

Res autem ita habet. Sæpissimè rationalis Medicus ægro Medicamentum ex arte præscribit, & per dies aliquot, eâ quâ fieri potest diligentiâ exhibet applicatque, absque tamen successu; Quemadmodum enim semen, quod in terram projicimus non ilicò germinascit: & absumptus cibus non statim in sanguinem convertitur: Ita quoque tempus requiritur antequam Medicamentum vires suas edere possit. Interim si imperitus aliquis, ægro medicamentum etiam ineptissimum exhibet, ac primum medicamentum tum demum vires suas exerit, ita ut convalescat æger: tunc primus qui sanitatis author est, infamiâ opprimitur: postremus verò laudibus ad cœlum extollitur, donis quinetiam muneribusq; splendidissimis afficitur.

IOHANNES BIRKMANNUS, quondam Medicus Coloniensis longè celeberrimus, ægro non ex infima familia oriundo, per dies aliquot remedia ex arte adhibuerat, parvo cum successu. Quondam sub multam noctem alius quidam Doctor, Tilmannus nomine, vocatur. Is ut aliquid fecisse videretur, Iulepium ex Syrupis & aquis destillatis exhibet, quibus æger ita alleviatus fuit, ut altera die, cum Dominus Tilmannus ipsum denuò inviseret, ipsi decem florenos, ut vocant, aureos offerret. Discedenti ab eo, ante ædes ægri, obviam venit Dom. Doct. Birckmannus, cui ostendit munus dicens; Vide, vide, mi Domine Doctor Tu Sementem fecisti, Ego Messem. Hæc ex ipsius Dn. D. Tilmanni ore, qui mihi fuit familiaris, habeo.

OBSERVATIO LIX.

De periculosa retentione urinæ, post sumptam Terebinthinam.

Viro Doctissimo, DN. JACOBO HAGENBACHIO, *Artium liberalium Magistro, Convictori suo amantissimo,*

Guilhelmus Fabricius Hildanus

S. P. D.

QUæ de prospero statu ægrorum meorum, quos Bernæ tibi curandos reliqui scribis, Doctissime mi Domine Hagenbachi, multùm me exhilarant, fac ut nihil eorũ quæ circa ipsos sunt factu necessaria, intermittatur, quò in integrum restitui possint omnes.

Hic quoque cum Generoso ac Strenuo Viro, Domino Iohanne Iacobo à Diesbach, inclytæ Reipublicæ Bernensis Consiliario prudentissimo, &c. Mæcenate meo plurimùm honorando, per Dei misericordiam omnia benè habent. Morbus ejus, crede mihi, fuit gravissimus & periculosissimus, in quo rara nonnulla & annotatione digna occurrerunt, quæ successivis horis consignavi, eaque tibi, quia posthac in praxi usui esse poterunt, communicare volui.

Vt autem casum penitus intelligas, ab initio omnia, tum ea quæ paulò ante morbum, tum quæ in morbo ipso occurrerunt, ordine recensebo. Inprimis autem ut scias velim, Generosum à multis annis Arthritidi obnoxium fuisse, quapropter cùm plerumque ob decubitum in dorsum, urinam crassam, viscidam & turbulentam excerneret, ex consilio Medicorum per intervalla ad drachmas duas aut scrupulos quatuor Terebinthinæ purissimæ sumebat: idque cum fructu Non ita pridem verò haud feliciter successit ei usus hujus medicamenti, cum enim 18. Iunii in lauto quodam convivio, cibis crudis & frixis ventriculum onerasset, & proinde eructationes, ac nausea supervenissent, 22. paulò ante prandium Terebinthinam sumpsit, à qua alvus semel atque iterum subducta fuit, sed urina parcè profluxit; optimè nihilominus & cum appetitu in cœna cibum, cum amicis quibusdam, qui ipsum inviserant, sumpsit. Circa mediam noctem urina planè substitit, cum dolore, nauseâ, torminibus, & vomitu, eadem nocte, uti quoque sequenti die, etsi ex consilio Barbitonsoris sui domestici, balneo satis convenienti uteretur, nihilominus tamen diris tormentis & cruciatu agitatus fuit.

Ego 23. circa vesperam Muratum, ubi decumbebat, ad ipsum veniens exanimem ferè (propter doloris vehementiam) ipsum inveni. Venter prædurus erat, præcipuè circa regionem vesicæ; quæ mirum in modum, propter copiam urinæ in ipsa collectam, extensa erat; de immissione Catheteris cogitavi, sed quia Generosus æger operationem hancce summoperè, propter angustiam ductus urinarii sui (quam sibi naturalem esse refert) aversabatur, petiit ut omnia alia præsidia prius tentarem, antequam catheterem immitterem. Itaque cum maximam constipationem ventris quoque adesse viderem, protinus sequens Enema infudi:

R. Foliorum Althææ,
Malvæ,
Parietariæ,
Violarum,
Origani, ana m. ß

Florum

Obs. 59.

Florum Chamomillæ,
Meliloti,
Sambuci, ana m. j.
Sem. Anisi, Fœniculi,
Seseleos ana ʒ.ij.
Sem. Lini ℥.ß.

Coquantur in lacte caprino, ad consumptionem tertiæ partis. Colaturæ accepi ℔. j. cui admiscui

Vitellos duorum ovorum, &
Butyri recentis sine sale,
Olei olivarum ana ℥.ij.

Post semihoram Enema rejecit, & guttulæ aliquot cum conatu extillarunt. Rejecto Enemate, semicupium ex prædictis herbis aquâ coctis præparatum habui, in quo per horam ferè integram perstitit. Post egressum ex semicupio linteis calidis absterso corpore, & in lectum posito ægro, ventrem & perinæum oleo liliorum alborum & amygdalarum dulcium, inunxi: Sacculum quinetiam ex præscriptis herbis, floribus & seminibus præparatum, & lacte caprino coctum inferiori ventri & perinæo applicui.

His omnibus peractis & adhibitis, circa nonam noctis sequentem potiunculam propinavi.

R. Confectionis Alkermes ℈.j.
Laudani grana tria.

Cum decocto agrimoniæ & veronicæ, parumq; aquæ cinamomi fiat potiuncula.

Hac nocte optimè quievit. Sequenti die, qui fuit 24. iterum ter aut quater semicupio insedit, nec sine fructu; Vrinam enim aliquoties ita movit, ut ad semicochleare excerneret pro vice. Sed quia sequens nox gravis ipsi fuit, & nihil per penem aut alvum rejiceret, imò ne flatum quidem emitteret, sequens Enema 26. bis infudi.

R. Herbarum, florum, & seminum pro primo Enemate præscriptorum ana quantum satis, cum aqua fiat decoctio ad consumptionem tertiæ partis.

In ℔.j. colaturæ dissolve
Terebinthinæ Venetæ ℥ ß.
Olei olivarum ℥iij.
Vitellos ovorum num. duos.
Misce, fiat Enema.

Horum Enematum beneficio alvus aliquomodo subducta & commota fuit: quotiescunq; etiam alvum exoneraret, guttulas aliquot urinæ, cum maximo conatu emingebat. Eadem die circa nonam noctis iterum præcedentem potiunculam ex confectione Alkermes, Laudano, &c. exhibui, cujus beneficio, Divinâ interveniente gratiâ, eadem nocte, non tantum quàm optimè quievit, verùm etiam dormiendo, cùm de urinæ excretione insomnium haberet, ipsam tam copiosè excrevit, ut sequenti mane, qui fuit 27. linteamina simul & lectum madidum reperiremus. Ab eo quoque tempore sine ulla difficultate profluxit urina, sed involuntariè & guttatim, usque ad vigesimum nonum.

Cùm verò alvum nondum satis respondere & ventrem mirum in modum flatu atque excrementis extensum esse vidissem, iterum circa quartam pomeridianam jamjam præscriptum Enema infudi, à quo eadem nocte ter fœtidissima excrementa, simul & flatus in copia rejecit, quibus insigniter alleviatus fuit.

28. Vigesima octava, quum duritiem & tensionem ventris, simul & dolores maximos adhuc esse viderem, suasi ut ter semicupium ingrederetur. Enema quoque præscriptum cum Terebinthina semel infudi; Et quia vires prostratas esse videbam, iterum post cœnam præscriptam potiunculam cum Confect. Alkermes, & duobus granis Laudani exhibui: quapropter tota nox levis ipsi fuit, urina quinetiam sine difficultate profluxit, sed involuntariè & guttatim, in copia tamē.

29. Sequenti die qui fuit 29. lapillum magnitudine granum hordei adæquantem in matula, invenimus. Est lapillus iste cinericei coloris & porosus, veluti pumex ille vulgaris, quo in culina, ad mundanda utensilia, utuntur. An autem ex vesica rejectus fuerit, an verò ex arena, quâ matula abstersa fuerat, in matula remanserit, adhuc dubito, cùm nullum eâ nocte, excernendo urinam, senserit dolorem in pene, nec unquam antea, neque ab eo tempore, arena in urina visa sit. Vigesimo nono sequentem potiunculam in aurora exhibui, quæ alvum octies clementer & absque vomitu movit, subsequenti quoq; nocte duas sedes habuit.

R. Agrimoniæ,
Veronicæ an. p.j.
Liquirit. ʒ. j.
Fol. senæ Alexandrinæ ʒ. j.ß.
Sem. Anisi, &
Fœniculi, ana ʒ.ß.

Coquantur in aqua, ut colatura redeat ad ℥.j.ß. In quibus dissolve.

Extracti prædicti grana iiij.
Pulveris nostri laxat. ʒ.ß.
Florum Tartari ℈.j.
Syrupi rof. solut. ʒ.vj.
Aquæ cinamomi ʒ. iiij.
Misce, fiat Potio.

Porrò cùm à vigesimasexta, urina involuntariè & guttatim, ut dixi, effluxisset, sumptâ jam jam præscripta purgatione eadem etiam die eam retinere cœpit: & ab eo tempore eam absque ulla difficultate retinuit.

Tumor quinetiam & durities ventris & præcipuè è regione vesicæ subsedit evanuitq;: ita ut sacculum illum, cujus ab initio facta fuit mentio amplius applicare, ventremq; oleo liliorum & amygdalarum dulcium inungere opus non fuerit. Ab initio morbi usque ad trigesimum mensis urina planè cruda & alba fuit: postea verò paulatim naturalem colorem adepta est, cum sedimento furfuroso. Ab eo tempore, pro corroboratione partium internarum, sequenti Tragemate usus est.

R. Pellicular. interior. vētriculi gallin. ʒiij.
Cinamomi electi ʒ.j. ß.
Nuc. moschat. ℈.ij.
Macis ℈. j ß.
Croci ℈.j.
Rosar rubear. nondum penitus apertarum ʒ.j.
Fiat omnium pulvis tenuiss. cui adde sacchari ℥.iij.ß.

Misceantur & fiat Tragea, de qua sumpsit bis aut ter singulis diebus cum jusculo ex vitello ovi, vino & aqua facto, aut cum pane tosto, & vino irrorato.

Regionem ventriculi sequenti linimento singulis diebus bis inunxi nimirum ante prandium & post cœnam, deinde linteum reduplicatum & calefactum applicui.

℞. Olei Cydoniorum ℥.j.
Masticis purissimæ,
Gummi Tacamaacæ, ana ʒ.j.

Dissolvantur lentissimo igne & percolentur, deinde admisce
Olei nucis Moscatæ ʒ.ij.

Cæterùm quia urina furfurosa cernebatur, suasi, ut iterum nonnihil Terebinthinæ sumeret, id tamen ut majori cum successu fieret, sexta hujus mensis haustum de vino suo medicato (quod ex Rhabarbaro, sena, agarico, floribus Tartari, betonica, & aliis quibusdam herbis nervalibus conflatum est) propinavi, à quo alvus bis subducta fuit. Sequenti die scrupulos quatuor Terebinthinæ ex ovo sorbili exhibui, quæ alvum bis movit, urinarias quinetiam vias manifestè expurgavit. Nunc nullis amplius utitur medicamentis, præterquam, quòd per intervalla nonnihil de præscripto Tragemate sumat, regionemq; ventriculi inungat, & optimam observet victus rationem.

Habes, Doctissime HAGENBACH, succinctam, integram tamen narrationem, eorum quæ circa morbum gravissimum hujus Generosi occurrerunt.

Sed quæris forsan: Quibusnam de causis Ischuria post sumptam Terebinthinam sequuta sit, cùm alioquin Terebinthina urinam movere, viasq; urinarias expurgare soleat?

Deinde etiam quomodo in hoc ægro potiuncula ex Laudano præparata, urinam movere potuerit, cùm soporifera fluxiones omnes immodicas, imò & Diabetem ipsam sistere, manifestum sit?

Ad primum respondeo, Corpus in præcedenti convivio multis cruditatibus & excrementis fuisse oneratum, quæ ab usu Terebinthinæ ad vias urinarias protrusa fuerunt. Inde vides Diuretica nunquam exhibenda esse, nisi corpus prius expurgatum fuerit: eosq; graviter hallucinari qui Diuretica cibis permiscent & in mensa utuntur, quemadmodum alibi singularibus observationibus ostendi.

Ad secundam quæstionem dico, Laudanum & cætera soporifera, diversas quandoque etiam contrarias ex se edere operationes, experientiam docuisse. Hinc Laudanum, nunc defluxiones ad pectus, dysentarias, item Stranguriam, & immodicos profluentes menses sistere, nunc urinam & sudorem insigniter movere aliaque naturæ adversissima, etiam ex intimis corporis partibus ad exteriora propellere videmus. Id autem quomodo fiat, posthac ex me intelliges. His vale, & amicos omnes meo nomine saluta. Murati 10. Iulii, 1620. ubi Anno Christi 1475. Carolus Audax Burgundiæ Dux fortissimus, ab Helvetiis cæsus est.

OBSERVATIO LX.

De felicissimo successu Laudani in decimestri puero.

Ad eundem Virum Doctissimum, DN. JACOBUM HAGENBACHIUM.

QUàm clementer, Clementissimus DEUS Generosum ac Strenuum Virum Dn. Diesbachium, quondam Henrici Magni Ducem exercitus fortissimum, & hujus Reipublicæ ornamentum longè celeberrimum conservaverit, & ex periculosissimo suo morbo restauraverit, Doctissime HAGENBACHI, ex postremis meis ad te literis intellexisti: Superest nunc, ut quæ causa sit, cur diversæ & contrariæ operationes persæpe ex Laudano sequantur, tibi exponam. Faciam id paucis, dum prius de ipsius præstantia observationem adscripsero.

Anno 1607. cùm Paterniaci Medicinam facerem, & decimestri puero insignem herniam intestinalem feliciter secuissem, vulnus quin etiam ad cicatricem ferè perduxissem, ecce subito ingentibus doloribus & torminibus ventris corripitur infans, ita, ut noctes diesq; ejularet.

Ego ignorans causam tam subitam & insperatam (parentes enim & adstantes eam summo studio celabant) hujus mali, anxius fui, interim tamen quæ in hujusmodi affectibus adhiberi solent, sedulò per dies aliquot adhibui, sed pauco cum fructu. Tandem cum vires paulatim imminui viderem, ad granum unum Laudani, parumq; Confect. Alkermes, cum lacte materno post cœnam exhibui. Quievit satis benè ea nocte, sequenti die Ecchymosis in inguine sano erumpere cœpit, quæ paulatim coxam ad genu pedemq; usque occupavit. Ab eo tamen tempore dolores & tormina ventris imminuta fuerunt, & cùm triduo post eandem potiunculam ex Laudano exhibuissem, omninò remiserunt, sed Ecchymosis illa sive sanguis extravenatus alterum quoque crus, lumbos & os sacrum occupavit. Verùm adhibitis remediis convenientibus, in integrum brevi restitutus fuit infans.

Causam autem hujus Ecchymosis, casum & contusionem lumborum fuisse, tandem mihi innotuit. Quadam enim die infans incunabilis suis impositus, ex scamno alto in pavimentum ita cecidit, ut incunabula perfringerentur.

Porrò diversas contrariasque hujusmodi præclaras operationes Laudani, per accidens fieri scias. Dum enim dolores lenit & somnum inducit, recurrit calor nativus, qui propter doloris vehementiam & vigilias dispersus fuit, ad internas partes corporis, inde suas vires mox ita colligit æger, ut omnes facultates veluti in integrum restituantur. Quapropter facultas attractrix convenientem succum attrahit; Retentrix quæ retinenda sunt, retinet: Alteratrix alterat, immutat, & concoquit. Expultrix postea ea quæ naturæ sunt molesta & inimica expellit, ut in Generoso Dn. à Diesbach, de quo antehac ad te scripsi, & prædicto infantulo accidisse intellexisti. Miror itaque cur nonnulli Laudanum

Obs. 61. tantoperè reformident, illudq; ad ultimos Garamantas, ut dicitur, si penes illos esset, libenter ablegare vellent, cùm sit Medicamentum, si eo cum judicio utamur, nec abutamur, longè excellentissimum, uti tu jam persæpe apud ægros meos vidisti. Quapropter etiam Clarissimus & æterna laude dignissimus Dn. Conradus Gesnerus Opium tantoperè extollit, uti videre poteris in ipsius Epistolis. Sed de his coram plura. Vale.

OBSERVATIO LXI.

De laboriosa mictione post ineptam Herniæ sectionem.

Viro Amplissimo Clarissimoq; Domino Doctori CASPARO BAUHINO, *Anatomico & Botanico longè celeberrimo, Illustrissimi VVirtembergici Ducis, &c. Medico felicissimo, & Basiliensi Archiatro meritissimo, ejusdemq; Academiæ Medicinæ Professori primario,*

Guil. Fabricius Hildanus, S. P. D.

HUmanissimas tuas literas, Vir Amplissime & Amice æternùm Honorande, per Nobile Virum, Dn. Schönerum accepi; inclusas quinetiam è vestigio Dn. Doct. Steckio tradendas curavi. Adventum prædicti Nobilis Viri, qui præter mẽtem meam atque sententiam accidit, non parùm admiratus fui: & doleo profectò, propter sumptus, quos fecit: quosque ego libenter præcavere voluissem. Quandoquidem, ne huc se conferret, antehac per literas ipsum monui. Sciebam enim à vestris Medicis & Chirurgis omnia tentata, & decenter administrata fuisse. Affectus gravis fuit, & etiamnunc molestus est: interim tamẽ eum incommodum ægri cessurum spero. Non facilè enim inposterum de suppressione urinæ periclitabitur.

Porrò non ita pridem mihi accidit casus nõ vulgaris, de laboriosa mictione, quam Amplissimum Virum celare nolui. Venit ad me præterita die 29. Aprilis, juvenis quidam 24. annorum ætatis, Ulricus Diedicker nomine, ex præfectura Schenckenberg: qui à primis incunabulis urinam non nisi maximo cum labore & conatu excrevit. Ad tertium præterea annum ætatis corpus nequaquam erigere, multò minus incedere potuit. Ab eo verò tempore paulatim ambulare cœpit: ad septimũ tamen annum nonnisi incurvato corpore: nunc verò sine ulla difficultate incedit: robustus & sanus est.

Ad laboriosam illam mictionem removendam plurima adhibita fuerunt remedia, tùm à rationalibus Medicis, tum ab Empiricis: ex quibus unus Carunculam in ductu urinario esse arbitratus est: ego tamen cùm prædicta die 29. Catetherem immitterem, nullum obstaculum in ipso repeti: & vix credibile est, in pueris lactentibus Carunculas generari. Bis quoque à Senatu nostro Amplissimo, anno videlicet Millesimo sexcentesimo vigesimoprimo, & præterito mense Martio, hîc in Xenodochio Medicis commissus fuit. Ter quinetiam thermas invisit: & sæpissimè balneis ex herbis usus fuit: sed omnibus sine successu. Nunc quia iterum sumptibus Magistratus ad thermas ablegandus fuit, ab Amplissimo Magistratu meo in mandatis mihi datum fuit, ut explorarem, unde affectus proveniret, & an thermis sanari posset? Ego responsum dedi: ipsum neque thermis neque aliis medicamentis sanitati restitui posse. Cùm enim causam morbi investigarem perquireremque, cognovi, ipsum sexto mense ætatis in sinistra parte castratum, & ab eo ipso tempore difficultate mingendi affectum fuisse. Arbitror itaque, testiculum cum suis membranis à peritonæo prodeuntibus, unà cum nervis, imò & peritonæo ipso in operatione præter modum attractum, nimisque altè avulsũ & abscissum, ac proinde nervos, qui ex osse sacro ad testiculum & musculum vesicæ excurrunt, simul læsos fuisse; & propterea sphyncterem tàm propter abscissos nervos, quàm retractum peritonæum, non nisi vi dilatari posse. Quemadmodum in externis affectibus, si nervus hujus vel illius partis abscissus, aut quovis alio modo retractus fuerit, actionem istius partis depravari videmus. Quod ad septimum annum ætatis erecto corpore incedere non potuerit, id ex eadem causa quoque provenisse mihi videtur. Ex eisdem enim foraminibus ossis sacri, ut doctissima tua scripta Anatomica testantur, nervi etiam ad crura descendunt, qui, etiamsi non abscissi, cùm reliquis tamen, & inprimis cum peritonæo, in avulsione illa violenta testiculi, versus anteriora ita retracti fuerunt, ut erectionem corporis non admiserint.

Incurvatio tamen illa corporis, post usum thermarum Badensium & Balneorum ex herbis emollientibus præparatorum, ante septimum annum, ut ante dixi, revisit. Cùm itaque reliquæ partes in avulsione testiculi retractæ, post usum & thermarum & balneorum, aliorumque medicamentorum diversis temporibus adhibitorum, etiam ex arte, in integrum restitutæ fuerint; inductus fui, Amplissimo Senatui referre, frustrà ipsum hoc iter suscepturum. Ad suos itaque remissus, & decretum fuit, ut in patria sumptu Magistratus nostri artificium aliquod, quo se sustentare posset, disceret.

Est profectò casus ille rarus: neque occurrit mihi, me similem in praxi vidisse: non quòd hujusmodi errores non committantur sæpissimè, sed propterea quòd omnes quibus testiculus cũ suis membranis, & productione peritonæi, ità attrahitur & abscinditur, moriantur. propter nervorum enim & membranarum ineptam attractionem & avulsionem, oriuntur dolores ingentes, præcipuè è regione ossis sacri: mox quoque inflammationes circa internas partes ossis sacri: vigiliæ item & febres sequuntur. Vulnus verò aridum fit & siccum. Tandem spasmo corripiuntur, & naturæ debitum persolvunt: uti ego nonnullos ab Empiricis ità castratos vidi. Hæc crassâ Minervâ & quidem discendi causâ ad amplissimum Virum scribo; obnixè rogans, ut, an ego de causa morbi rectè sentiam, me moneve velit. Habeo nunc præ manibus affectum umbilici & quidem rarissimum, de quo posthac, Deo volente, successum ad amplissimum Virum scri-

Obs. 62. scribam. Vale Vir humanissime, & rei literariæ, familiæ inprimis Asclepiadeæ æternùm quàm felicissimè vive. Bernæ 13. Iunii, 1623.

OBSERVATIO LXII.

De raro quodam affectu Umbilici, ejusdemq; felicissima Curatione.

Ad eundem Virum amplissimum, Dominum Doctorem CASPARUM BAUHINUM, *&c.*

Cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus.

S. P. D.

IN postremis meis ad te literis, Vir amplissime, Fautor & amice æternùm honorande, quas præterito mense Iunio de laboriosa mictione, post ineptam herniæ sectionem ad te scripsi, de raro quodam affectu umbilici mentionem quoq; feci: eumque ampliss. Viro me communicaturum promisi. Fuit autem ille talis. Patricius quidam Bernensis, Vrsus Lerber, Vir robustus, torosus, & vigintiquinque circiter annorum ætatis, superiore hyeme ad me venit, ostendens mihi Excrescentiam fungosam umbilici, quam sex vel pluriū mensium spacio paulatim ex ipso centro umbilici provenisse dicit: sine ulla tamen causa externa. Decimâ nonâ itaque Martii cùm primò vidissem affectum, magnitudine suâ nucem juglandem superabat. Colore erat livido ac fusco ad instar carcinomatis, substantiâ mediocriter durâ & carneâ, atque instar casei putridi fœtente. Ab initio nullum ferè adfuisse dolorem affirmat; postea tamen crescente fungo, ipse quoque dolor increscebat, & per intervalla ægrum vehementer torquebat. Interdum quoq; subito horrore corripiebatur: qui tamen mox iterum per umbilicum quasi erumpere, ipsi videbatur. Nonnunquam etiam sanguinem profundebat: cætera tamen sanus erat, omnesq; functiones integrè exercebat. Cùm itaque vererer, ne insolens & rarus hic affectus malignitatem aliquam cancrosam sibi conjunctam haberet, nonnisi precibus ab ægro victus, manum adhibere volui. Difficultate igitur affectus ægro significata, malui primò curationem palliativam adhibere, quàm extrema statim tentare. Præscriptâ itaque victus ratione convenienti corpus aliquoties melanagogis expurgavi: & venam in dextro cubito incidi: fungo verò sequens applicui Collyrium.

Collyriu. ℞ Aquæ Rosarum, Plantagin. Cardui benedicti an. ℥ j.
Ranarum ℥.ij.
Seminis Cydoniorum contusi ʒ.ß.

Maneant simul in ifnusione per horas aliquot: postea exprimantur fortiter addanturque.

Tutiæ præparatæ,
Plumbi Fernelii præpar.
Cornu cervi usti,
Lapidis calaminaris,
Cinerum Ranarum, & Gammarorum, ana ℈.ij.

Misceantur, & fiat instar Collyrii, quod filamentis & linteis suavibus tepidè applicetur bis terve in die.

Cùm per menses ferè duos præscriptam victus rationem observasset, & Collyrio hocce usus fuisset, omniaq; ad votum succedere viderem, auctus mihi fuit animus ad reliqua quoque cum ipso tentanda. Constitui itaque Excrescentiam illam filo aquâ Mercurii sublimati insuccato, iterumq; exsiccato, ligare. Sed quia propter obesitatem ægri fungus ille inter musculos veluti absconditus jacebat, & non nisi superficies ferè ipsius apparebat, non parum solicitus fui, quomodo ipsum cum suis radicibus prehendere possem. Tandem sequens Instrumentum, quod meritò *Speculum Vmbilici* appello, excogitavi: hujus beneficio depressis musculis, cùm totus fungus in conspectum venisset, animadverti, non unum, quemadmodum primo intuitu apparebat, sed tres distinctos esse fungos. Hujus itaque instrumenti beneficio, fungum cute tenus ligare, adeoque radicitùs extirpare potui, quod alioquin propter obesitatem ægri sine instrumenti hujus ope fieri non potuisset.

Adaptavi autem instrumentum hocce ex catillo stanneo, cujus fundum excidi, & ex utraque parte fasciam oblongam annexi, eamq; in dorso tàm strictè ligavi, ut catillus musculos reprimere posset. Nonnunquam tamen aliquem ex ministris constitui, qui speculum introrsum ambabus manibus intruderet, ne hypochondria fasciâ comprimerentur, & ut respiratio liberior esset. Nonâ itaque Maii adaptato filo circumcirca fungum, & apposito speculo, eoque impresso filo usque ad radicem fungi, ut postea ex delineatione instrumenti apparebit, illud, quantum fieri potuit, constrinxi. Quia autem propter ingentes dolores, imò & lipothymias, quæ protinus ex arctâ ligaturâ superveniebant, primâ vice radicem fungi non satis arctè ligare potui, subsequentibus diebus, videlicet alternis, aut de tertio in tertium diem, filum nonnihil, & prout æger id sufferre potuit, constrinxi, idque semper prædicti instrumenti beneficio. Interim quæ dolorem leniunt, fungo apposui: linteum quinentiam reduplicatum in decocto herbarum astringentium, veluti plantaginis, Geranii, Equiseti, Rosarum, radicum Scrophulariæ, & hujusmodi cum pauco aceto madefactum applicui. Non autem unâ vice propter dolorem, imò & palpitationes, quæ post arctam ligaturam statim superveniebant, fungos omnes simul ligare potui. Prima itaque vice duos tantum filo prehendi: quibus ablatis, tertium quoque eodem modo aggressus sum. Post casum fungorum pulveres pro præscripto collyrio, quibus nonnihil aluminis usti admixtum erat, umbilico inspersi, & collyrium linteo in eo madefacto applicui: non omisso tamen decocto astringenti prædicto. His adhibitis remediis, feliciter, laus sit Deo, restitutus fuit: nec ullum incommodum ab eo tẽpore sensit. Porrò quemadmodum tria vasa ad umbilicum concurrere scimus: ita etiam tres fuisse fungos, eosq; separatos, ut sequens delineatio denotat, observavi, ita ut fomitem mali tam ex corde, quàm ex hepate promanasse constet: unus enim in medio, reliqui ad latus versus hypochondria erant. Ex arteriis præterea provenisse,

Obs. 62. nisse, arguunt lipothymiæ, quæ superveniebant, quotiescunque filum arctè nimis constringere tentavi, (*Delineatio Fungi paulò post fig. I. sequetur.*)

Est profectò affectus iste apud me perquam rarus: nec similem vidi unquam: imò nec quidquam de ipso me legisse, memini, nisi apud Celsum, qui libr. 7. cap. 14. ejus tribus saltem verbis meminit. Si licet per otium, quæso, Amplit. Tua quid de eo sentiat, unico saltem verbo mihi communicare non gravetur. Responsum quoq; de laboriosâ mictione avidè exspecto. Vale Vir amplissime, & in bonum publicum æternùm quàm felicissimè vive. Dabam Bernæ, 21. Septembris, Anno 1623.

Delineatio Instrumenti sive Speculi Umbilici *exhibetur Tabula sequente III. Figura II.*

Tabula III.

Fig I.





Fig II.



OBSERVATIO LXIII.

De abscessu gravissimo circa podicem ex inepta venæsectione sequuto.

Obs. 63.

Viro Clarissimo atq; Doctissimo Domino LUDOVICO SCHMIDT, *Serenissimi Principis ac Domini, Dn.* GEORGII FRIDERICI, *Marchionis Badensis & Hachbergensis, &c. Archiatro dignissimo, Amico & Collegæ æternùm honorando,*

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

IN eis quas heri ad te dedi literas, Vir Clarissime, Fautor & amice æternùm honorande, de erroribus, qui in sectione venæ ab imperitis barbitonsoribus committuntur obiter monui. Exemplum verò annotatione dignum, adscribere non potui. Putabam enim tabellarium Rôtelanum, hodie summo mane discessurum: Nunc autem, quia à Senatu nostro Amplissimo, ipsius abitum retardari video, promissis satisfacere conabor.

Observatio.

Præterito mense Aprili, amicus quidam meus, Vir doctus, & 50. circiter annorum ætatis Reverendus Dn. Nicolaus Hentzius, hujus scholæ linguæ Græcæ Professor, & Collegii OEconomus & Rector, & consuetudine potius, quàm necessitate adductus, quendam ex primariis barbitonsoribus nostris, venæsecandæ causâ accersiri jubet. Is, ut nostrorum hominum mos est atque consuetudo, præclarum facinus se facturum putans, si larga fieret sanguinis extractio, duas eadem hora (qui modus secandi venas nostris usitatus est) aut potius eodem momento venas incidit, primam videlicet in brachio dextro, alteram in manu sinistra. Quid fit? Vix tribus à venæsectione horis elapsis, maximâ sanguinis & humorum sequutâ agitatione, versus podicem delapsus est humor peccans, ita ut sibi videretur sanguinem omnem per secessum evacuatum iri, & veluti cum impetu effluxurum. Agitatus enim sanguis in vena cava, imò & in ipso hepate & vena portæ: comotus item humor melancholicus facilè ad podicem decubuit. Facilè, inquã, id fieri potuit, cùm corpus pravis humoribus & præcipuè atrabilario (qui propter sui gravitatẽ, mediantibus venis hæmorrhoidalibus, haud difficulter ad podicem descendebat) refertum, nec ante venæsectionem purgatum esset. Tribus itaque horis, ut dixi, à venæsectione, exorto dolore & inflammatione, subsequens nox gravis ipsi fuit. Altera die, cùm deambulatione tempus fallere vellet, adauctus est affectus, & in abscessũ durum renitentem, ac dolorosum degeneravit. Febris quoque supervenit, vigiliæ item & inquietudines adauctæ fuere. Sicque in sextum diem doloribus acerbissimis, cum alvi constipatione divexatus fuit. Barbitonsor interim universalia negligit, & nihil præter Emplastrum suum incognitum, ut vocant, applicat. Ego quinta Maii, instante vespera accersitus fui, hominemq; in maximis angustiis inveni. Statim suppositoriis alvum subduxi. Debebat id clystere fieri, verùm illud, (quod tibi forsan incredibile erit) etiam docti, & Magnates ferè omnes, non minus ac plebei homines, veluti crudele & immane remedium non tantum respuunt, verùm etiamsi penes ipsos esset, libenter ad inferos detruderet. Vides quantum in flore apud nos sit ars Medica.

Ex agitato sanguine abscessus in ano.

Circa

Obs 63. Circa nonam noctis Potiunculam anodynam & cordialem ex Confectione Alkermes, Extracto anodyno, aqua cinamomi & boraginis conflatã propinavi, & Cataplasma sequens anodynum simul & suppurans, applicui.

Potiuncula anodyna.

Cataplasma.

R. Farinæ tritici ℥ ij.
Fermenti ℥. j.
Pulveris folior althææ,
Malvæ crispæ an. ℥. ß.
Sem. Fœnugræci,
Lini, &
Cydoriorum, an. ʒ. ij.
Picis Navalis, &
Pinqued. porci an. ʒi vj.
Croci ℈ j.

Coquantur cum aqua communi, fiatque Cataplasma, addendo sub finem vitellos ovorum ij. applicetur calidè. Utcunque quievit hac nocte, altera die Cataplasma iterum bis applicuim⁹, & post cœnam præscriptam potiunculam exhibuimus. Septima die maturatus à Cataplasmate abscessus, circa exortum Solis ruptus est, ex quo serosa, fæculenta & livida materia effluxit, quæ adeò erat fœtida, ut conclave totum putrilaginoso & verè cadaveroso odore, & fœtore adimpleret, ita ut non solùm fascias & indusia, sed & linteamina & culcitras mutare, aëremque suffimigiis tota die corrigere, necesse fuerit.

Abscessus autem qui in nate sinistra in ipsis clunibus prope podicem erat, duobus in locis ruptus est: Immisso in utrumque ulcus stylo exploratorio, compertum est, horum alterum, quod superius, sinu quinque transversorum digitorum longo, rectà sursum ascendere; alterum versus intestinum rectum tẽdens duorum transversorum digitorum profunditate ad latus vergere. Utrumque inprimis profundius illud, ferè absque sensu doloris Stylum tam profundè admittebat, tam magna & ingens fuerat putredo. Ab initio Digestivo & Cataplasmate prædicto per dies aliquot, deinde mundificativis & potione Travmatica usi fuimus. Convaluit tandem & hucusque quàm optimè se habet. De inepta venæsectione & exinde infelici successu, aliud exemplum videre potes, in 4. Centur. Observa 22. Ex his apparet verissima esse quæ Celsus scripta reliquit lib. 2 *Ignaro difficilimum esse venam incidere*, intellige commodè & cum utilitate ægri. Videmus id quotidiè, præcipuè inter Germanos, qui venæsectionem veluti Panacæam ad morbos omnes depellendos esse putant, & quia negotium totum imperitis conceditur, mirum non est si infiniti homines plerumque ab ipsis hoc remedio trucidantur. Quippe cum sanguine, ut testantur Galenus & Aëtius, vitalis spiritus copiosè exhauritur inde universa corporis moles refrigeratur, omniaque naturalia opera deteriùs fiunt.

Gal. lib. de scarific. Aet. lib. 3. cap 21.

Hæc raptim & in eum finem ad te scribo. Vir Amplissime, ut memoriam tuam stimulis cõcitem, quo tandem casum istum rarum, de rustico in ipsam Cerebri substantiam vulnerato habere possim. In Observationibus enim conscribendis, quantum per occupationes licet, progredior. Vale Vir Clarissime & humanissime, & cũ Tuis omnibus æternùm, quàm felicissime vive. Bernæ Helvetiorum 20. Octobr. 1620.

De hoc casu vide observ. 25. hujus centuria.

OBSERVATIO LXIV.

De Gangræna ex retentione Vrinæ, historia singularis, in qua rara nonnulla recensentur.

Viro Nobilissimo Amplissimo, Domino THEODORO de MAYERNE *Domino in Aubonne, &c. Serenissimi & Potentissimi* JACOBI I. *Regis Magnæ Brittanniæ, &c. Archiatro celeberrimo, Domino & Amico singulari,*

Guilhelmus Fabricius Hildanus

S. P. D.

JAM dudum ad Te scribere, & de nova dignitate, emptoque Domino Aubonne gratulari Tibi debuissem, Vir Nobilissime, Domine & Amice æternùm honorande, sed ignosce, si tardus sum in scribendo. Id si ægrè feras, cum Cicerone dico, seram quoque gratulationem reprehendi non posse, si nullâ negligentiâ prætermissa illa fuit. At quæ me à scriptione abstraxère, procul dubio ex eo, quem huc misisti, intelligere potuisti. Plurimùm autem Tibi, Vir Nobilissime, gratulor, & lætor, negotium tibi ex animi sententiâ evenisse. Spero enim fore, ut amicitiam antehac literis inter nos cœptam, tandem quoq; mutuis colloqiis coràm continuare, tuaque præsentiâ frequenter frui possimus. Procul dubio enim te alliciet locus. Quandoquidem adeò amœnus est, ut, an in toto illo tractu Equestriũ (qui ex parte lacus Lemanni Septentrionem versus situs est, & Genevâ Lausannam usque extenditur) amœniorem, salubriorem, atque fertiliorem reperire possis, vix crediderim, ita ut meritò AUBONNE, quasi diceres AURA BONA, meo quidem judicio vocetur. Faxit DEUS OPT. MAX. ut cœpta tua omnia ad DEI gloriam, ædificationem Ecclesiæ Christi, utilitatem & commodum subditorum, tandem quoque ad Tuam Tuorũque salutem succedere possint.

Cæterùm quia statum Generosi nostri ægri scire cupis, ipsius jussu paucis, sed ordine ipsum tibi aperiam. Reversus huc ex Magna Britann. sæpissimè de ardore Urinæ, nonnunquam quoq; de ipsius retentione conquestus est, sed sumptis, Emulsionibus à Te præscriptis, Enematibusque, adhibitis quoque candelulis, facilè restituebatur. Ex sinistra tamen parte peritonæi, à duobus aut tribus mensibus ante morbum, usque dũ ruptus fuit abscessus in perinæo, ut postea intelliges, dolorem pungitivum, non usque adeò acutum tamen, continuò persensit. Circa principium verò Mensis Aprilis hujus anni, cùm præscriptam victus rationem non satis exactè observasset, in exercitiis quinetiam corporis, modum excessisset, fœtorem quendam in urina percipere cœpit. Fœtor ille paulatim adeò auctus fuit, ut mirum sit, quomodo talis putredo absque febre, nauseâ, aliisque gravissimis Symptomatibus in corpore tàm diu delitescere potuerit. Eodem quoque tempore in fundo urinæ, materia quædã visci-

Initium morbi.

Vrina fœtor & ...

Obs.64. viscida, spermati ranarum non absimilis conspiciebatur. Præterito mense Majo cùm ad Alpes prædia sua invisendi gratiâ, profectus esset, & scopulos pedes ascenderet descenderetque, & proindè præter modum ac consuetudinem suam incaluisset, longè vehementius quàm antea ipsum invaserunt Symptomata. Reversus Bernam cùm esset, Emulsiones exhibui, Enema ex lacte quod præscripsisti, injeci aliquoties: Renes unguentis & oleis refrigerantibus inunxi, post dies quoque aliquot corpus medicamento Cholagogo leniter expurgavi, venamq; in brachio incidi. Et quia materiam illam fœtidam & viscosam cum urina copiosè ipsum excernere videbam, suasi, ut per dies aliquot sero lactis cum saccharo uteretur. His per dies quatuordecim adhibitis medicamẽtis, & exquisitissimâ observatâ victus ratione, cùm omnia salva esse videbantur: fœtor quinetiam urinæ nonnihil remittere videretur, Soloduꝛum ad Illustrem Dn. Meronium Christianissimi Regis Legatum vocor. Non diu post meum abitum, malum & longè acerbius & crudelius, quàm unquam antea, ipsum invasit, non solum enim febris ardentissima & continua, cum urinæ retentione, verùm etiam phlegmone in ipso perinæo exorta est. Quapropter me absente, Dominum Davidem Regem, hujus Reipublicæ Doctorem Medicum ordinarium & doctissimum appellare coactus fuit. Insistit & ille Emulsionibus Enematibusq; & locum affectum oleis convenientibus inungit; semicupio quoque propter doloris vehementiam, uti coactus fuit. Interim ego accersitus redeo, ægrumq; veluti in agone reperio. Febris enim vehemens, syncopæ frequentes, nausea, cibi fastidium, urinæ ardor & retentio, omniaq; ferè signa, quæ mortem præsentem præcedere solent, aderãt. Phlegmone in perinæo magnitudine ovum anserinũ adæquabat, cum maximo dolore pũgitivo, tumore & duritie scroti & virgæ. Dominus D Rex ante meum adventum anodynis, & quæ discutiunt ac resolvunt simul usus fuerat, sed frustrà: quapropter ad pus moventia nobis transeundum fuit.: Sequens itaque Cataplasma applicuimus:

R. Radicum & folior. althææ,
Malvæ an. m. j.

Coquantur & pistentur, ut artis est, quibus admisce

Farinæ tritici ℥. ij.
Farin. sem. fœnograeci, &
Lini ana ℥. j.
Butyri recentis,
Olei lilior. albor. &
Vnguent. de althæâ ana ℥. j. ß.
Croci ʒ. ß.
Vitell. ovor. num. ij.

Misce, fiat cataplasma, quod calidè applicuimus bis terve in die. Vigesimanona Maii cum in medio perinæo, & quidem in ipso tauro ruptus fuit abscessus, pus adeò putridum & fœtus in copia effluxit, ut totum conclave incredibili & plusquam cadaveroso suo fœtore adimpleret. Fœtor ille per dies aliquot continuavit; talis enim erat sphacelosa putredo, ut totum perinæũ emortuum excideret, & ulcus ingens post se relinqueret. Interim ego quæ putredini resistunt, applico, ulceri unguentum Ægyptiacum meum in tractatu meo de Gangræna descriptum, cum filamentis & duabus turundis, quarum una versus scrotum ascendebat, altera deorsum versus podicem descendebat, imposui: postea sequens Cataplasma applicui: *Obs.46.*

R. Farin. lupinor.
Fabarum ana ℥. j. ß.
Pulver. summitat. Absynthii,
Scordii,
Rutæ, an. ʒ. ij.

Coquantur in Oxymelite simplici, fiatque Cataplasma: adhuc calenti admisce

Aloes,
Myrrhæ, an. ʒ. j. ß.

Carnem autem emortuam quotiescunque ulcus deligavi, forfice & scalpellis ad id aptis, quantum fieri potuit, excidi: Pus cum penicillis ex spongiis in decocto scordii, rutæ, absynthii, & lupinorum, addito sale, madefactis abstersi. Sic per singularem DEI misericordiam putredo paulatim, & quidem intra triduum cessavit, nec ulterius serpsit: quapropter usum unguenti Ægyptiaci intermisi, & linimentum ex pulveribus radicum Aristolochiæ rotundæ, Iridis Florentinæ, Angelicæ: Aloës item & myrrhæ cum Extracto Scordii, parumq; vitelli ovi mixtis, ulceri imposui. Cataplasmate tamen præscripto ultra hebdomadas tres usus fui. In perinæo autem non solùm cutis & caro à putredine erosa fuit, verùm etiam membranæ multæ putridæ, ductus urinarii proculdubio tunicæ, exscindendæ atque extrahendæ nobis fuerunt: quapropter omnis ferè urina per ulcus effluxit, idque in longum tempus, ut postea dicam.

Circa initium Iunii in medio virgæ, & quidem in ipso latere dextro tuberculum, quod ab initio ferè morbi duriusculum fuerat, in abscessum abiit, qui paulò post ruptus quoque est, non tamen ad ipsum ductum urinarium penetravit: quapropter adhibitis emollientibus, digerentibus, & mundificantibus haud difficilè coaluit. Triduo à rupto in virga tuberculo, humor qui antea per totum scrotum expansus fuerat, in imam ipsius partem, versus ulcus in perinæo decubuit, ibique extuberantiam quandam duram effecit.

Postquam verò applicuissemus sacculos emollientes, unguentum item de althæa, & Emplastrum ex meliloto, materia ibidem collecta, per ulcus in perinæo paulatim evacuata fuit.

A carne putrida, & membranis sphacelatis satis mundificato ulcere, decocto Traumatico ex pyrola, alchimilla, sanicula, consolida Saracenica, artemisia, & beta rubra, cum vino rubro stypt ico usi fuimus, hoc modo: Bibit æger haustum tribus horis ante prandium, & totidem post cœnam: cum Siphone quoque ulceri illud bis in die calidè injecimus, duabus quinetiam cum turundis eodem decocto madefactis ulceri immisimus, unâ videlicet sursum, alterâ deorsum versus prostratas. Tandem linteum reduplicatum in eodem imbutum calidè applicuimus. Non tantùm autem ulceri cum Siphone decoctum, verùm

Marginalia: *...ratio.* — *...ecidiva ...m vita ...scrimi...* — *...legmo... ...n pe... ...ae.* — *...aplasma ... ...ans & ...ionem movẽs* — *...scessus ...ti... ...ruptus cum ...* — *Decoctum pro abstersione ulceris.* — *Mundificativum.* — *Tuberculum in virga.* — *Decoctum Traumaticum potum.* — *Cum Siphone injectum.*

Obs. 64.

verùm & ipsi ductui urinario, tàm sursum quàm deorsum infudimus. Id verò ut commodè fieret, rostrum siphonis incurvatum fieri curavimus.

Non autem admiratione caret, in hac gravissima maximaq; putredine, Sphyncterem semper salvum & incolumem extitisse. Apparet id inde, quòd æger etiam in morbi ipsius vigore urinam semper retinere potuerit; nec unquam involuntariè illa effluxerit. Vlcus nihilominus quod deorsum versus vesicam tendebat, profundum erat, & ad ipsas Prostratas, quas ego à longo tempore malè affectas fuisse existimo, tendebat. Quotiescunque autem urinam excernebat, partim per penem, partim quoque per ulcus effluebat, absque ulla tamen difficultate & dolore. Prædicto decocto Traumatico, eo modo ut dixi, in tertium mensem usus est, ita ut paulatim ulcus plenissimè consolidatum fuerit, nec fistula ulla remanserit. Faxit DEUS Opt. Max. ut recuperatâ valetudine diu ad DEI gloriam frui possit.

Vrinæ pars per ulcus effluxit: ulcus plenissimè coaluit.

Porrò præter Topica enumerata etiam in universalibus nihil prætermissum fuit. Ab initio vires preter modum labefactatas cibis optimi succi, cordialibus item medicamentis, quantum fieri potuit, instauravimus. Deindè paululum recuperatis viribus, de triduo in triduum, aut etiam alternis diebus, nonnihil Terebinthinæ optimæ exhibuimus, cujus beneficio alvum lubricam fecimus, & vias urinarias simul expurgavimus. Renes unguento rosaceo cum Camphora inunximus, & laminam plumbeam ejus magnitudinis, ut lumbos & os sacrum cooperiret, applicuimus. Nunc optima valetudine, Laus sit DEO, fruitur Generosus ille, nec ullum incommodum hujus mali gravissimi persentit. Urinã absque ulla difficultate & impedimento excernit præterquam quòd, cùm post cœnam ipsam reddit, pruritum quendam dolorosum, eo in loco, ubi antea fuit ulcus, persentiat. In urina præterea nonnunquam furfures conspiciuntur. Præterea quotiescunque ipsam vult excernere, guttula una materię viscidæ, albæ & glutinosæ in extremitate ductus urinarii ante excretionem urinæ apparet. Qualis illa sit materia, & undè proveniat, ex Te scire cupit Generosus? Ego materiam illam ex labefactatis & nondum satis corroboratis prostratis pervenire existimo, esseque veluti excremẽtum seminis, beneficio naturæ ad extremitatem virgæ projectum. Deindè etiam quærit, cur pruritus ille dolorosus in urinæ excretione, post cœnam, cùm cubitum iturus est, solummodò, non autem mane aut interdiu persentiatur? Arbitror ego, naturam locum illum mẽbranâ suâ destitutum, noctu, cùm naturales operationes præcipuè fiunt, viscosâ quadam & glutinosâ materiâ in eum finem, ne ab acrimonia urinæ lædatur, munire. Interdiu verò urinam, quia aliquoties excernitur, materiam illam abluere, partemque adhuc debilem vellicare. Hæc si nõ probabilia, verisimilia tamen mihi esse videntur. Sed ampliorem declarationem, & quomodo hisce Symptomatibus imposterũ occurrendum sit, ex Te, Vir Nobilissime, avidè exspectamus.

Vniversalia medicamenta.

Terebinthina.

Vrina furfuracea.

Quæstio 1. Vnde materia illa viscosa ex cretionẽ urinæ antecedens prodeat?

Quæstio 2. Cur pruritus in reddenda urina vesperi solũ persentiatur?

Generosum ægrum porrò quod attinet, etiamnunc optimam exquisitissimamque observat victus rationem. Per intervalla quinetiam utitur Terebinthinâ. Præterito quoque autumno Apozemate laxativo corpus expurgavimus, & venam in brachio sinistro secuimus.

His vale Vir Nobilissime & Fabritium Tibi addictissimum amare perge. Dabam Bernæ, 3. Novemb. 1620.

VIRO ORNATISSIMO, CELEBERRIMO, *ἰατροχειρούργῳ Experientissimo, Domino* GUILHELMO FABRITIO HILDANO, THEODORUS de MAYERNE S. P. D.

QVòd de dominio Aubonne nuper à me empto gratulari per literas voluisti, & novæ possessioni ominari ac precari felicia, amicè abs Te factum, Vir Ornatissime, quùm præsertim eo nomine aliquandò colendam tibi proponas mutuis colloquiis necessitudinem quam literis hactenus inter nos cœptam excultamq; personali consortio fovere ipse percupio. Partorum longum & tranquillum usum mihi meisq; indulgeat Omnipotens DEVS, nosq; Tuorum votorum compotes faciat. Brevi, aspirante Numine, ignota mihi, licet mea invisurus, advolare cogito: & tuncde omnibus coràm. Interim me Tui amantissimum redamato, & me tuum esse scito.

Vide quàm propitium sit nobis homuncionibus cœlum, quod ut alterâ manu Generosum nostrum ægrum insuperabili penè malo afflixit, sic alterâ porrexit operæ opisq; tuæ remedium, cujus (si unquam) tempestivâ præsentiâ, Vir Optimus Orci faucibus ereptus, ex malorum Iliade redivivus emersit. Votivam solvat DEO OPT. MAX. sanitatis auteri gratiarum tabellam, tibiq; AEsculapio gallum vigilantiæ hieroglyphicon offerat.

In corporibus, quorum urethram dira caruncula carnificina diu vexavit, etiam post absumptam carnẽ superfluam, & ferruminatum ulcus, pars diutissimè debilis remanet, suscipiendis fluxionibus aptissimo, in subjecto præsertim plethorico, sanguineo, bilioso, mobilium humorum, duri exercitii, genii liberioris, & parum exactæ Diætæ. Strenuè à Doctore Rege tecum pugnatum ad arcendam phlegmonem, quæ potuisset præcaveri forsan, nisi partem opplens congestio, remediorum vi elusâ, humorum digestionem & dissipationem multis parasangis superasset. Partium infimarũ, humidarum, excrementis vicinarum putredo summa esse solet, quam dicto ocyùs corripit Sphacelus, cum horrendo fœtore, qualem æger expertus est. Vietus & languens nativus calor si partes deferat, succedit immediatè morticini subjecti dissolutio. Sed Divinâ benignitate debellatum abs te malum, in cujus curatione plurimùm herclè tribuo Travmatico vestro decocto, mihi notissimo, & multiplici experientiâ maximè cõprobato.

Tria nunc restant, de quibus meam poscitis sententiam. 1. Pruritus eo loci, ubi fuit ulcus, post cœnam saltem infestus, toto die imperceptibilis. 2. Vrina furfurum plena; quæ talis non continuò, sed per intervalla funditur. 3. Purulentum Excretum, quod in apice glandis, ad meatus urinarii summitatem congestum, urinam præit, & ab ipsa expellitur.

Primùm tribuo tecum parti adhuc tenellæ, quã vix adhuc tegit cicatrix, eaq; adeò mollis, & tàm exquisiti sensus, ut (deterso per iteratam diurnis horis

urina

Obs. 64. & 65.

urinæ excretionem mucoque totus ductus per somnum delibutus veluti circumvallatur) facilimè lædatur urinæ acrimoniâ nervosum corpus frequenti insuper excretricis sollicitatione irritatum. Ad hoc incommodum firmetur exsiccantibus cicatrix. Injectiones vulnerariæ fiant in urethram, additis ochrâ insipidâ vitrioli, ad summum calcinati, & saccharo Saturni. Suffitus excipiatur perinæo in sella perforata, ex Thuro, Mastice, Sandaracha, Succino, Aloë, Myrrha, addito Antimonio crudo, nec non ejusdem Antimonii Cinnabari, in parva quantitate.

Ad 2. quæstionem responsio.

Furfuracea num ex renibus prodeant, quos utplurimum trahit in consensum glandularum Prostatum diuturnum malum? Num ex vesica, ob longam vicinarum partium intemperiem, tumores, solutionem continui, scabie quadam laborante?

Ad 3. quæstionem responsio.

Materia viscida, alba, videtur quid redolere πυῶδες, eamq; arbitror vel per διαπήδησιν, ex tenui ulceris membranulâ exsudare, vel à Prostatis ulcerosam dispositionem patientibus fundi, quæ glandulæ cùm excrementitium mucum, à semine longè diversum naturaliter contineant, eumq; oblinendo ductui destinatum, ad facilem & indolentem seminis & urinæ excretionem, si debiliores fuerint, humoris quantitas excedit vulgò naturæ modum, multaq; sub gonorrhææ specie imponere solet. Huic Symptomati prædicta proderunt; injectiones, suffitus, quibus si acidularum potus ex artis legibus subnectatur, & tandem pilulæ ex Terebinthina mastichinata, per mensem unum & alterum deglutiendæ exhibeantur, nos in perfecta curatione omne punctum laturos confido. Longa est hujus mali historia, cujus faxit DEUS, ut, cùm ad vos venero, videam catastrophen. Si quid peragendum restet, communi fiet consilio. Interim Viro Generoso, & de bonis optimè merito, auxiliatrices manus dare perge. D. Doct. Regem meo nomine saluta, & quoties vobis aliquid superrerit otii, mei memoriam simul refricare ne dedignemini. Vale, & per me, (illius concessione, à quo vera salus) plurimùm salve. Londini, 23. Ianuarii, 1621.

OBSERVATIO LXV.

In bubone Venereo, non satis maturè aperto, quæ symptomata sequuta?

IN impuro concubitu, cum inquinato scorto, quia ductus penis, partiumq; genitalium meatus omnes aperiuntur ac dilatantur, fit ut vapor malignus ad venas proximas, posteà & per majores ad hepar pertranseat, massamque sanguineam inficiat. Deinde ex intempestivo atque illegitimo isto cōcubitu hepar ita incalescit, & insitus ipsius calor refrigescit, ut postmodum in sanguinis procreatione, omnibusque actionibus suis languidum sit, & ferè impotens. Hinc loco sanguinis cruditates multæ generantur; & quia natura semper, ut partes nobiles conservet, & à labe vindicet, intenta, etiam pravos hosce humores ad emunctoria hepatis, ad inguina scilicet expellere tentat. Inde generantur tumores & abscessus, quos Bubones Venereos appellant Medici. Horum autem nonnulli ex materia magis sanguinolenta ac calida fiunt, qui & parvo cum negocio ad suppurationem perveniunt. Qui verò bubones ex crassis, lentis, ac frigidis proveniunt humoribus, difficulter suppurantur, majoremque curam atque diligentiam requirunt. Nonnunquam enim natura, ut materiam hancce crassam lentamque penitus ad externam cutem expellat, cum potens non sit, inter peritonæum, & musculos remanet, delitescitq; & continuò vapores suos malignos ad hepar mittit. Aliquando & sinus maximos, periculosissimosque efficit, variaque symptomata infert. Materia enim labe istâ inquinata, uti dixi, ad hepar recurrit, massamque sanguineam non solum inficit, verùm etiam alias partes corporis contaminat. Id cuidam magni nominis Viro accidisse memini, is enim cum Bubone ex dextro inguine laboraret, & apertionem ad menses aliquot retardasset, materia illa acris atque maligna ad nervum coxam moventium quartum, qui omnium totius corporis maximus est, defluxit. Inde dolor Coxendicus acerbissimus, ac continuus exortus est, qui ægrum per multos menses mirum in modum exercuit. Aderant enim & convulsiones, febris continua, inquietudines, vigiliæ, cibi fastidium, & lipothymiæ. Hinc ita extenuatus est æger, ut ossa vix cute obtegerētur, vixque corpus, præter caput & brachia, movere posset. Ego cum nonnullis aliis celeberrimis Medicis in consilium vocatus, multa, & ferè infinita adhibuimus medicamenta, tam interna quàm externa; sed parvo cum successu. Bubo enim (quod notandum) exteriùs vix apparebat, nisi quod inguē prædurum esset. Dolor præterea ferè nullus; Coxendicus enim, qui maximus, hunc obscurabat. Tandem postquam multa adhibuissemus cataplasmata attrahentia, & suppurantia, beneficio caustici ruptus est bubo, ex quo spacio sex aut septem dierum, ultra libras decem puris effluxit. Circa rotatorem coxæ, uti quoque in clune, rupti sunt abscessus, ex quibus omnibus pus per menses aliquot tam copiosè emanavit, ut de recuperanda valetudine cuncti desperarent. Etiamsi enim dolores & convulsiones cessarent, inquietudines tamen, & præsertim noctu, in eodē ferè permanebant statu: Superveniebant & aliquoties lipothymiæ cum cibi fastidio. Omnibus quæ aderant symptomatibus, tam diligenter medicamentis, cùm internis, tum etiam externis prospeximus, ut tandem vires aliquomodo recolligere cœperit, & postquam thermis piperinis atque Badenis usus esset, & suffulcris incedere posset, paternos lares, à quibus diu abfuerat, repetiit.

Materia humorum (margin)

Obs. 65. & 66.

Observatio.

OBSERVATIO LXVI.

De Gibbo, in quo post mortem vertebræ cariosæ, & spinalis medulla denudata reperta fuit.

QUia in præcedentibus de Luxatis vertebris egimus, visum fuit, propter affinitatem materiæ, de Gibboso illo Juvene, cujus mentionem fecimus Centuriæ I. Observatio. 45. singulare quid adscribere, quod in prædicta Observatione omissum fuit. Diximus, in gibbo illo septimam, octavam, & nonam vertebram metaphreni, ita carie exesas fuisse, ut nihil præter exteriores semicir-

Obs. 67. Medulla spinalis in medio putridorum ossium illæsa subsistit.

micirculos,&eorum processus, repertum sit. Ubi admiratione non caret, quomodo spinalis medulla, cùm pars sit corporis quàm maximi momenti, quemadmodum ex præcedentibus apparet, conservata fuerit? Erat enim planè denudata, & non nisi membranâ suâ cooperta: interim tamen insigni illa putredine ossium cariosorum, & ulceris pulmonis sordidi, circumdata. Nihilominus tamen de Symptomatibus, quæ læsâ spinali medullâ supervenire solent, nunquam conquæstus fuerat æger.

OBSERVATIO LXVII.

Gibbus vertebrarum Lumborum, quomodo curatus?

FIliolæ Domini Nicolai Kilchbergeri, Patricii Bernensis, circa 18. mensem ætatis, vertebræ lumborum excrescere cœperunt. Cùm per menses aliquot barbitonsores Bernenses inunctionibus, balneis, & laminis plumbeis tenuissimis, curationem frustrà tentassent, & spina indies magis magisque in gibbum excrevisset, tandem & ego in consilium adhibitus fui, Anno 1619. mense Iunio. Tùm tertiam & quartam vertebras lumborum, ad ovi anatis magnitudinem extuberantes inveni, quas secunda & quinta nonnihil sequebantur, ita ut in maximum gibbum excreverit spina, præcipuè versus sinistrum latus: quapropter sinistrum crus dextro longè imbecillius fuit. In curatione sequenti modo processi.

Methodus curandi gibbum.

Primò dorsum totumq; crus sequenti aquâ ad nervos corroborandos inunxi:

℞. Aquæ granorum juniperi sine vino destillati.
Aquæ Salviæ,
Betonicæ,
Lavendulæ an. ℥. ij.
Pulver. radicum bistortæ,
Tormentillæ,
Rosarum an. ʒ. ij.

Misce, fiatque infusio in ampulla magna, per dies octo vel decem.

Dein per inclinationem à pulveribus separata aqua ad usum reservetur. Post inunctionem sequens Emplastrum, quo ego etiam in fracturis ossium utor, applicui:

Emplastrum ad fracturas ossium & gibbos.

℞. Emplastri Slotani ℥. quinque.
Ceræ novæ ℥. ij.
Lapidis sabulosi, sive Osteocollæ ℥j
Pulveris radic. consolidæ majoris,
Terræ sigillatæ an. ʒ. iij.
Pulver. Balaustiorum,
Nucum cupressi,
Rosar. odoriferar. ana ʒ. j.

Misceantur lentissimo igne, fiatque Emplastrum addendo olei Rosacei aut Masticis, quantum satis. Totum autem præcipuumque artificium in curatione Gibbi, in hoc consistit, ut extuberantia vertebrarum reprimatur retrorsum; alioquin omnia frustrà tentantur. In hunc itaque finem laminam ferream, aliquantum incurvatam, & ejus quidem longitudinis & latitudinis, ut totum gibbum cooperiret, in thoracem ex re duplicata tela ita adaptavi, ut extuberãtes vertebras reprimere posset. Laminam tamen carbaso quoque obtexi, ut puellæ minùs esset molesta. Thorax nudo corpori induatur; & ita quidem adaptandus est, ut totum ventrem ad muliebria usque comprehendat: Per medium prætereà ventrem ligulâ oblongâ constringatur: circa pectus quidem mediocriter, ne metaphrenum & costæ constringantur: post costas verò mendosas, usque ad imum ventris arctissimè; quò lamina ferrea extuberãtes vertebras reprimere possit. Ne autem thorax à scapulis sursum trahatur, fasciæ duæ transversum digitum latæ, in utroque inguine añectendæ erunt thoraci, quæ descendentes per perinæum, iterumq; ascendentes subter nates, in utroque latere thoraci ligulis annectendæ. Emplastrum autem & inunctiones, de quarto in quartum, aut etiam de sexto in sextum diem renovavi: Coxam verò totumque crus singulis diebus, præscriptâ aquâ inungere jussi. Sic Divino favore, intra menses sex gibbus depressus fuit. Thoracem verò Laminamque, propter imbecillitatem & mollitiem membrorum, in secundum usque annum gestavit. Nunc cùm annum ætatis tertium attingit, quàm bellè se habet.

Lamina ferrea pro repressione gibbi.

OBSERVATIO LXVIII.

De Luxatione Spinæ.

INter luxationes omnium periculosissima est illa, quæ in spina dorsi occurrit: testantur id Hippocrates lib. de articulis: Avicenna, & alii: Præcipuè autem vertebræ colli, docente Avicennâ, mortem subitaneam adferunt. Nervi enim respirationi inservientes, addit Avicenna, coarctantur, respirationemque auferunt. Dislocatio prætereà versus partem interiorem, etsi hominem in momento necare non possit, præcipuè ea, quæ completa non est, lethalem tamen esse scribunt post Hippocratem Avicenna, & alii. Medulla enim spinalis cùm pars sit cerebri, eandemque cum ipsâ habeat naturam, gravissima sequuntur symptomata, ni suo loco amotæ fuerint vertebræ. Comprimuntur prætereà nervi ex spina prodeuntes, si introrsum facta fuerit dislocatio, & symptomata adaugent. Est autem spinæ aut completa sive perfecta, videlicet cùm vertebra omninò suo loco amota est. At illa, præcipuè si versus partem interiorem fuerit, mortem infert: Aut imperfecta, quando nimirùm vertebra aliquantum suo loco amota est. At hæc non semper lethalis est, quemadmodum ex sequentibus exemplis videre licet.

EXEMPLUM I.

Pistori cuidam Burgdorffiensi, propè Bernam, cùm rota plaustri onusti vertebras duas impressisset, domum semimortuus & ab umbilico ad pedes paralysi planè resolutus portatur. Barbitonsor advocatur, qui nullâ habitâ rationе speciei luxationis, miserum pronum in ventrem

Obs. 68. trem collocat, & eâ, quâ potuit vi, manibus primò, deindè quoque genu spinam, quæ depressa, & proindè relevanda erat, magis magisq; deprimit. Vides, qualis ignorantia, aut potius inhumana temeritas! Arbitror tamen, ipsum tyrannidem suam circa vertebras luxatas non exercuisse. Procul enim dubio vertebræ ulteriùs impulsæ fuissent, & in ipsa operatione animam egisset æger, sed vertebras, quæ supra & infra luxationem erant, ipsum deprimere voluisse, ut tandem æqualis fieret spina. Sed quid factum est? Dolores, qui in ipso ictu rotæ exorti fuerant, in operatione mirum in modum adaucti sunt. Hinc febris, inflammatio, intumefactio, tandemque abscessus quoq; supervenit. Qui cùm ruptus fuisset, pus quinetiam copiosè, & in longum tempus effluxisset, dolores, febris, aliaque Symptomata paulatim remiserunt: Paralysis tamen in eodem statu permansit. Anno 1616. post annum ab accepto morbo, & ego quoque accersitus fui, sed nihil præscripsi, cùm morbum inveteratum & insanabilem esse viderem. Ab umbilico enim inferiores partes omnes sine sensu & motu erant: Sphyncteres tamen (qui ab initio quoque resoluti fuerant) excipio. Excrementa enim & urinam retinebat. Fistula, quæ ex abscessu remanserat, ad ipsam spinam dorsi, & forsan ulteriùs penetrabat; in cujus fundo caries ossium stylo exploratorio deprehendi potuit. Reliqua membra secundùm naturam sese habebant, & integra erant, comedebat cum appetitu, sed lectum egredi non potuit. In hisce miseriis per annos aliquot vixit, qualis verò tandem fuerit exitus, mihi non constat.

EXEMPLUM II.

Anno 1621. 10. Januarii, venit ad me ex villa quadam propè Bernam, rusticus quidam, Johann. Bucher nomine, cui ante menses quindecim, ex arbore cadenti in terram, secunda vertebra lumborum ita introrsum repulsa fuerat, ut manifesta luxatio conspiceretur, multòque magis manibus palparetur. Post casum protinùs supervenit dolor acerbissimus, qui in longum tempus continuavit, neque etiamnunc ab eo liber est æger, præcipuè quando corpus inclinat, aut erigit. Ilicò præterea post casum, cibum indigestum evomuit, nihilq; cibi aut potus per dies aliquot retinere potuit. Febris quoq; ardentissima, sitis inexhausta, vigiliæ, inquietudines, ariditas linguæ, tandemque delirium supervenerunt. Statim quoque post casum inferiores partes corporis ab umbilico paralysi correptæ fuerant, quapropter neque excrementa, neque urinam retinere potuerat, nunc tamen ea retinet, sed cum difficultate excernit. Ab initio symptomata adeò erant vehementia, ut de recuperanda valetudine nihil spei amplius superesset.

[...]na vertebra luxata introrsum.

Variorum autem barbitonsorum usus fuerat ope, quorum ne unus quidem, uti æger ipse mihi retulit, luxationem spinæ cognoverat, aut quicquam de ipsa cogitaverat. Hinc factum est, ut nihil ex arte ipsi præscriptum aut adhibitum fuerit. Quia tamen juvenis (nondum enim trigesimum annum ætatis attigit) & optimo corporis habitu præditus est, solo naturæ beneficio res eò devenit, ut dolores, febris, multaq; alia symptomata remiserint. Urinam quoque & alvi excrementa, ut dixi, retinet; sensum quoq; crurum recuperavit, coxasq; & genua movet, quamvis difficulter: pedes verò etiamnunc adeò resoluti sunt, ut vix suffulcris sese sustinere, aut passum unum vel alterum deambulare possit. Hæc omnia propter nervos ad crura descendentes, & à luxata vertebra compressos, accidunt. Cæterùm quia omnia ita occalluerant, ut luxata vertebra in sedem naturalem reponi non posset, morbum insanabilem esse, ipsi significavi. Suasi tamen, ut proximâ æstate, præparato & decenter expurgato corpore, thermas Badenses Helveticas inviseret. Crura quinetiam & os sacrum, aquis distillatis & appropriatis, veluti aquâ Betonicæ, Salviæ, Primulæ Veris, Juniperi, & similibus inungeret: si forsan in hac florenti ætate nervis nonnihil roboris addi possit. Planè stupendam & ope Diaboli factam luxationem spinæ dorsi, vidi Dusseldorpii, Anno 1583. Juvenis quidam, viginti circiter annorum ætatis, cùm propter conceptam quandam phantasiam, noctu decumbens in lecto, se strangulare vellet, & in hunc finem ex poplitali suo funem parasset, eumque columnæ spondæ alligasset, colloq; injecisset, sequenti die mortuus in lecto repertus fuit, etiamsi collum nullo modo à laqueo stringeretur. Mirantibus hæc omnibus, quæ turmatim accurrebant, venit carnifex, qui cum cadaver exuisset, Metaphrenum à diabolo adeò depressum repertum fuit, ut os pectoris ferè attingeret.

Obs. 68. & 69.

Observatio horrenda ac diabolicæ luxationis.

OBSERVATIO LXIX.

Luxatio Spinæ introrsum facta quomodo reponenda?

QUamvis luxationem spinæ introrsum factã, in locum reponi non posse, passim apud rationales Medicos & Chirurgos trita atque celebrata sit opinio. Quomodo enim quis, inquit Hippocrates, ab anteriore parte per ventrem coactionem facere possit? attamen crudele & inhumanum esset, si Chirurgus ingeniosus & expertus ægrum derelinqueret absque ullo præsidio; præcipuè cum sciamus, affectum huncce hominem aut enecare, aut per totam vitam suam miserum & claudum reddere, quemadmodum ex præcedentibus exemplis videre licet. Mortalem autem esse affectum, præter Hippocratem libro de articulis, etiam Avicenna testatur his verbis: Si dislocatio, inquit, est ad partem interiorem, non est possibile ut curetur, & est de eis, quæ interficiunt velociter. Hujus sententiæ quoque sunt alii quàm plurimi Viri docti. Cùm itaque, iterũ inquio, inhumanum esset, ægrum, qui aliàs moriturus est, ubi nullũ aliud præsidium superest, quàm repositio vertebræ, sine auxilio derelinquere, omnia, quæ ex ratione fieri possint, tentanda sunt, hunc in modum.

Hippoc. lib. de articul. Paul. Aeginet. libr. 6. cap. 116.

Avicenna lib. 4. Fen. 5. tr. 1. cap. 218

Obs. 69. Modus veterum in luxata spina repositione qualis?

Curatio autem hæc, ut id prius moneam, partim ex Hippocratis, Oribasii, & Æginetæ mente, partim quoque ex propria inventione instituenda est. Collocatur æger pronus super scamnum aut organum Hippocr. ab Oribasio lib. de machinamentis, cap. 35. delineatum, deinde laquei duo lati & spissi (ne extendendo cutem vulnerent) ex tela fabricati, corpori injiciendi sunt, unus supra luxatum, alter infra. Qui supra Luxationem, sub axillis injectus est laqueus scamno, qui infra luxationem verò, axi annectendus est, lineâ tamen rectâ, ut circumducto axe, æqualiter fiat extensio spinæ.

Modus Paræi lib. 16. cap. 16.

Sed quia Organi Hippocratis usus jamdudum obsolevit, ideò Paræus inter modernos Chirurgos facilè Princeps, alium modum excogitavit, injectis videlicet laqueis, uti dixi, viros duos fortes constituit, quorum unus superiorem, alter inferiorem laqueum apprehendit trahitque. Præstat tamen, meo quidem judicio, superiorem laqueum columnæ alicui immobili alligare; inferiori verò organum trochleatum Paræi annectere. Illud enim quàm aptum sit, ubi pars aliqua corporis extensione opus habet, sæpissimè in fracturis ossium & luxationibus expertus sum. Cæterùm etsi Hippocrates Dislocationem spinæ introrsum factam, mortalem esse pronunciaverit, uti antea quoque dixi, docet tamen, tentandum esse, an concussio per scalam facta, ægro opem aliquam salutiferam adferre possit? Quapropter cum æger aut organo, sive Glossocomo Hippocratis, aut instrumento trochleato Paræi alligatus fuerit, spina à ministris extendatur, quantum necesse esse videbitur, æqualiter tamen Chirurgus interim ambabus manibus spinam nunc in dextrum, nunc in sinistrum latus concutiat, aut etiam linteo sub ventre posito, in altum elevet. Sed videat, ne deorsum deprimat dorsum, uti fecit ineptus ille restaurator in Burgdorffiensi Pistore, de quo in præcedenti Observatione dictum fuit.


Porrò si extensio & concussio spinæ statim ab initio, dùm adhuc recens est luxatio, administrata fuerit, spes aliqua superest, Luxationem, intellige imperfectam, reponi posse. Sin id fieri nequiverit, arbitror potiùs tentandum esse sequens remedium extremum, quàm penitùs derelinquere ægrum, qui alioquin præter magnitudinem morbi, aut immanissima tormenta & dolores, moriturus, aut vitam duram miseramque victurus est, uti ex superioribus exemplis videre licet:

Extremũ spina reponenda remediũ.

Fiat itaque incisio novaculâ, usq; ad ipsam appendicem vertebræ descendentem, mox per idem vulnus iterum immissâ novaculâ duæ aliæ fiant incisiones, una ad dextrum, altera ad sinistrum latus appendicis: deindè tenaculis ad negotium hocce aptis, apprehensâ appendice trahatur in altum, & reponatur vertebra in sedem naturalem. Interim autem dùm hæc fiunt, spina ut extensa sit, necesse est; faciliùs enim in situm naturalem resiliet vertebra. Vulnus aut exiguum, aut magnum, secundum dislocationis magnitudinem infigendum est.

Si enim unica vertebra impressa fuerit, parvum sufficiet vulnus; sin duæ aut plures, magnũ ut sit, necesse est, quò ambæ vertebræ luxatæ apprehendi possint. Si hæmorrhagia obstiterit, ita ut statim post incisionẽ factam operatio fieri non possit, stupis arctè contortis, & albumine ovi madefactis, nec non pulvere nostro, ad sanguinem sistendum aspersis, sistendus est. Ubi hoc observandum, totum vulnus, præsertim ex utraque parte appendicis, stupis istis quàm diligentissimè adimplendum esse. Id verò ut commodè fiat, ex

Obs. ... Vide ... de Gangran.



stupis contortis hunc in modum fiant pulvilli multi; quorum unus post alterum vulneri intrudatur, donec impletum fuerit. Applicetur postea Emplastrum aliquod tenaciter adhærens, & fascia ligetur. Post horas aliquot cùm sanguis substiterit, clementer, ne sanguis iterùm prorumpat, eximendæ sunt stupæ. Posteà adhibenda est tenacula, quemadmodum dictum est. Tenacula autem fortis & dentata sit, quemadmodum utimur in extractione calculi. Si duæ luxatæ fuerint vertebræ, ambæ, & quidem duabus tenaculis apprehendendæ sunt.

Nota

Duo itaque sint Chirurgi, qui æqualiter, unoque cum consensu in altum trahant. Videat prætereà Chirurgus, ne incisiones ad latera appendicis nimis profundè fiant, propter nervos, qui ad latera vertebrarum ex spinali medullâ prodeunt. Necesse prætereà est, ut operatio hæc fiat ab initio morbi, dùm vires adhuc constant, & antequam pars affecta inflammatione & intumefactione sit obsessa. Nec quicquam interest, an æger, ut aliquando fit, sine loquela & intellectu fuerit.

Quandoquidem in depressione cranii gravissima illa symptomata, loquelæ videlicet & intellectus amissio, quoque adsunt, nihilominus tamen diligens & expertus Chirurgus operationem non procrastinat. Scit enim, impressionem cranii causam esse mali, reposito cranio in situm naturalem, remissura esse Symptomata. Poterit Lector hac de re videre observationem singularem Centuriæ primæ, Observation. 15.

Qua ... & post ... cisione ... spina ... genda.

Quod si ab initio Chirurgus vocatus non fuerit, sed secundâ, tertiâ, aut quartâ demùm die, ante operationem fovendus est locus decocto Betonicæ, Primulæ Veris, Salviæ, Camomillæ, Meliloti, Rosarum, & granorum Juniperi, quibus emollientia nonnulla, veluti malvam, altheam, addere poterit, deindè repositionem tentare. Post operationem dorsum oleo Rosaceo & lumbricorum inungendum; vulnus quinetiam more aliorum contusorum vulnerum tractandum est.

Objectio.

Objiciet forsan aliquis, Operationem hance incertam ac periculosam, & proindè minimè tentandam esse.

Solutio.

Respondeo, idem & de aliis gravissimis operationibus dici posse; interim tamen nihil eorum, quæ cum ratione fieri possunt, omittit fidelis & ingeniosus Chirurgus, quin potiùs ex mente Hippocratis, extremum remedium extremo applicat morbo. Satius enim est, ait Celsus, anceps experiri remedium, quàm nullum.

1. aphor. lib. 2.

De-

Obs. 69. Cranii depressio quomodo curetur.

Depressio cranii, quæ maximam affinitatem cum luxatis vertebris habet, per se, nisi valdè exigua fuerit, lethalis est, ubi operatio periculosa juxtà & incerta est. Cutis enim decussatim ad cranium usq; & quæcunq; subsunt vasa venarum & arteriarum, inciduntur, Pericranium, membrana exquisitissimo sensu prædita, maximo cum dolore à pericranio abrumpitur: Cranium deindè ad cerebrum usque perforatur terebello, hamulis & elevatoriis elevatur in altum: At hæc omnia sunt ne periculosa? maximè. Quid dicam de extractione fœtus mortui, de partu cæsareo, extractione calculi, & similibus operationibus, quæ quidem periculo plenæ, nihilominus tamen indies cum fructu administrantur: uti ego multoties in praxi meâ expertus sum. Quapropter cum Celso libr. 7. cap. 33. assero, nihil interesse, tutumne sit remedium, nec ne, quod unicum: & proindè etiam in desperatis affectibus semper ea, quæ secundum rationem fieri possunt, tentanda esse. Cæterùm non video, operationem hancee tantoperè esse periculosam. In medio enim dorsi non datur magna vasa venarum aut arteriarum. Nervi præterea in appendicibus exiles sunt; quapropter sæpissimè permagna vulnera circa spinam dorsi feliciter sanata fuisse observavi; præcipuè in juvene quodam viro, cui in tumultu, cultro vulnus circa quartam vertebam lumborum infixum fuit, ubi acies cultri fracta inter appendices spinæ remansit.

Huic ego post annos duos ab accepto vulnere, fragmentum cultri extraxi, fistulamq; feliciter curavi. Erat autem angustissima, quapropter dilatanda fuit tum causticis, tùm etiam instrumentis incisoriis. Omnia tamen sine inflammatione, aut aliquo alio graviori symptomate facta fuerunt: quemadmodum Lector videre poterit Observatione sexagesima secunda, Centuria prima, ubi acies cultri, quam ego adhuc inter rariora mea reservo, delineata quoq; cernitur.

Iubet præterea Magnus Paræus, in fractis vertebris, si fragmenta ossium magna symptomata excitaverint, cutim aperire, ossaque confracta extrahere. In fracturis costarum introrsum factis, ubi fragmenta costæ pleuram pungunt, maximosq; dolores, aliaque symptomata excitant, idem Paræus suadet, ut cutis incidatur usque ad costam, eaque hamulis apprehendatur, & in situm naturalem reponatur. Hoc si in vertebris costisq; fractis fit, cur non idem in spina luxata fieret?

OBSERVATIO LXX.

De flatu in musculosis partibus copiosè collecto.

Obs. 70. & 71.

FLatum in ventriculo & intestinis generari, rectè statuunt Medici. In aliis tamen partibus corporis copiosè coacervatum fuisse, aliquoties vidi. Id verò quia rarissimè contingit, exemplum non vulgare in medium producam. ANNO 1593. Coloniæ Agrippinæ, unà cũ Clarissimo ac Doctissimo Viro Domino IOHANKUENIO BREIDENBACHIO, Coloniensi Doctore Medico longè celeberrimo, puellum decem circiter annorum, curandum habui. Ille cùm variolis per totum corpus gravissimè laborasset, & ferè evasisset, hoc symptoma supervenit, ut Abdomen ab umbilico, femora item & crura ad pedes usque, flatu supra modum extenderentur. Videbatur autem flatus ille partim inter cutem & musculos, partim quoque in ipsis musculis contineri. Quotiescunque enim partes istæ manu tractabantur, crepitus similis illi, qui tractando carnem vitulinam mactatam, & à lanione inflatam percipitur, intelligebatur. Dolor nullus aderat, partes quinetiam internæ benè valebant, & à præcedente morbo ferè restitutæ erant. Varia adhibuimus Medicamenta; Interna, ad calorem nativum refocillandum, partesque nobiles corroborandas; Externa, ad flatus discutiendos, ita ut tandem convaluerit. An autem copia ista flatuum ex Ventriculo & intestinis, flatuum utplurimùm generationis loco, ad externos musculos permeaverit, an verò ipsissimis in locis generata fuerit, viris doctis discutiendum relinquo. Nihil tamen, quod obstare possit, quò minus quoque in aliis corporis partibus flatus generentur, video. Si enim flatus à calore imbecilli (fit tamen nonnunquam teste Galeno Meth. med. 12. ex vehementi calore) generatur, atque in aliquo alio membro externo, calor nativus non minus ac in ventriculo possit esse imbecillis, cur non idem quod in ventriculo efficit, etiam alibi sequeretur? Quod in memetipso, de flatu in externis musculis observavi, uti Lector Observatione 23. Centur. 4. videre poterit.

OBSERVATIO LXXI.

De infelici successu Cucurbitularum, in scapulis applicatarum

MAtrona quædam nobilis in Cuilli prope Lausannam, dolore inveterato capitis & scotomiâ laborans, cùm impuro & impurgato corpore cucurbitulas sibi applicandas curasset, non diu post Paralysi brachiorum correpta fuit. Ego in consilium cùm essem vocatus, corpus decenter expurgavi. Masticatoria & sudorifera præscripsi. Tandem ipsam ad Thermas Valesianas misi. Convaluit quidem, sed non sine magno labore, ac multis expensis.

Scarificationem sequuta Paralysis. Curatur.

Figulum quadragenarium, natione Germanum, Lausannæ degentem, dolore similiter capitis, & scotomiâ laborantem, post applicationem cucurbitularum paralysi correptum fuisse memini. Hic cùm thermas varias invisisset, bona quinetiam sua frustrà consumpsisset, tandem Naturæ debitum persolvit.

Cùm enim à teneris annis aquam & argillam frigidam, ut opificium hoc postulat, tractasset, partes nervosæ adeò fuerunt debilitatæ, adeoque calor nativus labefactatus, ut medicamenta, quamvis exquisitissima adhiberentur, morbum tamen debellare non possent. Edi-

Alia incurabilis & cur?

Obs. 72. scant tyrones, Universalia remedia topicis præponenda esse.

OBSERVATIO LXXII.

De Intempestiva Hæmorrhagia, ubi perniciosa opinio Paracelsi de sistendo sanguine examinatur,

NIHIL periculosius hemorrhagiâ in praxi Chirurgica accidere posse, Medicis omnibus notum est. Sanguis enim cùm sit thesaurus vitæ nostræ, si præter modum effluit, aut extinguitur homo, aut in morbum diuturnum incidit, miseramque vivit vitam. Protinus itaque sistendus est: nec Paracelso fides adhibenda, ut postea dicam, dùm priùs exempla aliquot de intempestivâ & periculosa, ne dicam mortali hæmorrhagiâ, adscripsero.

EXEMPLUM I.

Circiter annum 1582. honestus quidam vir, Hildenæ in patria mea, Conradus zu Putzhoven nomine, in conflictu vulnus versus sinistrum bregma accepit gladio, ubi ramus soporalis arteriæ, qui ex anteriori parte auris ascendit, simul abscissus fuit. Ab initio sanguinem feliciter restrinximus: ne tamen iterum propter agitationem corporis commoveretur, ægrum in hospitio publico (zum Dürpel) quo in loco vulnus receperat, retinuimus. Quid fit? Quinto die post acceptum vulnus cùm quidam ex propinquis, qui vulnus inflixerat, cubiculum ægri ingressus fuisset, adeò commotus, & irâ percitus fuit æger, ut iterum apertam arteriam tanta sequuta sit sãguinis profluxio, ut parum abfuerit, quin simul animam emitteret. Protinùs tamen restricto sãguine convaluit, & multos supervixit annos. Vide Cent. 1. Observ. 18.

Vide Vesalii Tabul. arteriæ magnæ g.

EXEMPLUM II

Circa annum 1604. Civis quidam & Arcularius Lausannensis, cum duos civium suorum, congredientium ac inter se litigantium, dirimere & reconciliare vellet, cultro vulnus ad finem musculi bicipitis accepit. Vocatus barbitonsor sanguinem restrinxit, vulnusque eâ, quâ potuit, diligentiâ curavit. Vigesimâ die post acceptum vulnus, cùm æger jam ab omnibus periculosis symptomatibus liber esse videretur, & per cubiculum deambularet, accidit, ut, cùm per fenestrã transeuntes observaret, & illum, qui vulnus inflixerat, ex abrupto videret, adeò commotus & perturbatus fuerit, ut iterum apertâ venâ, sanguis tàm copiosè effluxerit, ut antequam ego Paterniaco (ubi tunc Medicinam faciebam) advenirem, extinctus fuerit. Idque mirum non est; quandoquidem etiam in interfectis sanguinẽ per vulnus exstillare videmus, si ille, qui facinus commisit, cadaveri astiterit. Tanta est enim (inquit Levinus Lemnius de occultis naturæ miraculis lib. 2. cap. 7.) ac tàm valida latentis naturæ vis atque imaginatio, modò aliquid vitæ supersit, aut corpus mortuum incalescat, ut sanguis ebullire, accensaque bile effervescere incipiat.

EXEMPLUM. III.

Anno 1585. si rectè recordor, cùm Lausannæ altercatio inter nobilem quendam, & aurifabrum orta fuisset, & in dimicationem aciemq; simul venissent, atque Aurifaber vulnus circa cubitum sinistrum accepisset, intra paucas horas animam simul & sanguinem amisit. Tàm impetuosè enim sanguis profluebat, ut sisti non potuerit.

ADMONITIO

Paracelsi opinio de sistendo sanguine.

Ex his videmus ineptias, quas Paracelsus libro 1. Chirurgiæ suæ magnæ, Tractatu 2. cap. 10. mihi pag. 34. item de Curatione vulnerum tractat. 2. cap. 9. mihi pag. 496. scriptas reliquit, docens, quomodo sanguis sit sistendus. Ubi hæc habet verba: Notum est, inquit, apud Medicos, morbum non cedere, nisi ipsius causa, atque id, quod ægroto inutile est, priùs auferatur. Indè concludit, & scribit: Si propter iram aut luxuriam sanguis profluit, necesse est, ut illa priùs cõprimatur, hæc verò extinguatur. Durante enim irâ aut luxuriâ, natura medicamentum non admittit. Si ebrietas in causâ fuerit, necesse est, ut illa priùs solvatur, quàm sanguis sistatur. Quod si constellatio aliqua fluxum sanguinis commoverit, exspectandum est, donec illa cursum suum absolverit. Multas hujus farinæ ineptias Lector videre poterit, loco præallegato. Ex quibus facile colligere poterit Candidus Lector, quàm perniciosa humano generi sit doctrina Paracelsi. Sed ponamus casum; Vulneratur in conflictu ebrius aliquis: nonne hìc concurrunt, præter causam proximam hæmorrhagiæ, duæ aliæ remotæ, ira videlicet & ebrietas? At quis mortalium tàm abundat sanguine, ut supervivere possit, usque dùm ebrietas discussa, aut effervescentia bilis sedata fuerit? Videmus Contrarium Exemplo secundo & tertio, superiùs allegato. Si ex defatigatione aliquâ Corporis fuerit, inquit idem Paracelsus, loco jam citato, necesse est, ut probè quiescat pars illa, antequam sanguis sistatur. Rectè sanè diceret, dummodò aliquis inducias cum morte facere posset.

EXEMPLUM IV.

Vidi ego cõtrariũ, Anno Millesimo Quingentesimo octogesimo quinto, Metis in juvene quodam robustissimo, & in arte gladiatoria versatissimo: qui cùm diu dimicando incaluisset, & defatigatus fuisset, vulnus ad majorem oculi dextri canthum accepit, ex quo sanguis tàm copiosè promanavit, ut in ipso ferè momento extinctus fuerit: uti Lector videre poterit Centur. 2. Observ. 14.

EXEMPLUM V.

Propter Luxuriam, juvenem in periculosissimam hæmorrhagiam incidisse, Lector inveniet Cent. 2. Observ. 17. In hoc juvene si expectassem, donec libido illa ad coitum remisisset; in viro verò, cujus memini Exemplo primo, usque dùm ira atque effervescentia bilis placata fuisset, omni procul dubio animam simul cum sanguine amisissent.

ADMONITIO AD TYRONES:

Hæc in gratiam juniorum Chirurgorum ascribere, eosque simul admonere volui, ut scripta Paracelsi, uti & Felicis Wirtzii (qui perniciosam hancce doctrinam confirmat parte 4. cap. 4 (cum

Obs. 72. 4.) cum judicio legant. Plerunque enim, si in Antiquos non latrat Paracelsus, & contumeliis eorum scripta lacerat, dogmata tamen eorum in perniciem hominum invertere studet: quemadmodum & hîc facere conatus est.

Verissimum quidem est axioma Medicorũ, quo Paracelsus utitur, videlicet affectum aut morbum tolli non posse, nisi ablatâ ipsius causâ. Idem etiam in hæmorrhagia valere asserit; Et rectè quidem. Sed distinguendum est inter causam conjunctam vel proximam, ruptionem videlicet aut apertionem venæ aut arteriæ, & remotam: uti sunt ira, excandescentia, ebrietas, libido, luxuria, & hujusmodi. Priùs itaque causa proxima, quæ majoris est momenti, quàm remota, removenda, osculaque venarum aut arteriarum obturanda sunt; deindè remotis causis quoque ex arte prospiciendum est. Quâ methodo autem & industriâ sanguinis fluxus sit sistendus, videat Lector Centur. 2. Observ. 15. 16. & 17. Item Tractatum nostrum de Gangræna & Sphacelo cap. 19. 23. & alibi.

Viro Doctissimo, Domino JACOB. HAGENBACHIO, *Medicinæ & Chirurgiæ Doctori Excellentissimo, Amico meo singulari,*
Cui
Guilhelmus Fabricius Hildanus
S. P. D.

PRæteritis diebus, Doctissime, Amantissimeq; mi Domine Doctor, de intempestiva & periculosa hæmorrhagia observationem, aliquot Exemplis ornatam & stabilitam, pro quinta Centuria conscripsi; ubi perniciosam doctrinam Paracelsi, de sistendo sanguine, refellere conatus sum. Ab eo tempore de hæmorrhagia narium exemplum planè lamentabile atque luctuosum mihi videre contigit, quod tibi, propter causas, quas postea adscribam, communicare volui.

Non ita pridem cùm Nobilissimus ac Strenuus Vir, Dominus ANTHONIUS à WEINGARTEN, copias in Rhetiam ducendas, pararet, nobilis quidam, Adam von Litzko nomine, (an Austriacus, vel Bohemus aut Moravus fuerit, ignoro) juvenis adhuc, ab ipso quoque receptus fuit. Huic quum per dies aliquot sanguis per intervalla ex naribus exstillasset, & ad balneatorem, ut sibi cucurbitulas applicaret, se contulisset, nulla habita ratione affectus, optimum illum virum in calidissimum laconicum collocat, ibidemque operationem suam perficit. Quid fit? Excalefacto corpore, tanta sequuta est sanguinis ebullitio & per nares eruptio, ut vix credibile sit, corpus unius hominis tantam copiam sanguinis continere posse. Adhibita quidem fuerunt remedia, sed ab imperitis, & proinde sine fructu. Sequenti die quum Capitaneus à Weingarten, fortè nobilem ac optimum huncce militem, tam periculosè laborantem invenisset; supra modum perturbatus fuit, meque statim advocari jussit. Accurro, sed veluti in agone ægrum invenio. Sanguinem quidem sisto, sed tantam copiam jam spacio viginti quatuor horarum amiserat, ut eadem nocte piè placideque obdormierit.

Hæc, Doctissime mi Dom. HAGENBACH, ad Te scribere visum fuit, non in eum finem quasi aliquid novi, vel tuis auribus inauditum, & rari, tibi annunciare vellem, quotidiè enim, proh dolor, hujusmodi errores ab imperitis committuntur, sed potius, ut apud peregrinos, qui Academiam vestram celeberrimam frequẽtant, expiscari possis; an forsan aliquis inveniatur, cui nobilis ille à Litzko, vel saltem ipsius prosapia nota fuerit; quò parentibus significari possit, ipsum Adamum hîc piè placidèque diem suum clausisse, & honorificè inhumatum esse videlicet 15. Septembris, Anno 1624. Adhibe itaque, quæso, diligentiam, ut tristissimis parentibus hæc innotescere possint. Quod si tamen occasio nulla sese apud vos obtulerit, id mihi significa, quò Epistolam hancce Centuriæ meæ quintæ inserere possim; hoc solo enim modo, parentibus & amicis tandem manifestum fiet, quo morbo, & quonam in loco, nobilis ille juvenis vitæ suæ finem fecerit. Vale mi Dom. D HAGENBACH, & cum tuis omnibus æternùm feliciter vive. Bernæ 13. Octobris, Anno 1624.

Ad eundem Virum Doctissimum, Dom. D. JACOBUM HAGENBACHIUM.

NON ita pridem, Doctissime atque Amantissime mi Dn. Hagenbach, de immatura morte Nobilissimi Viri, Dn. Adami à Litzko, ad te scripsi. Ab eo tempore, cùm adversaria mea revolverem, in casum non multum absimilem incidi, quem tibi nunc communicare volui. Anno 1617. mense Augusto, quum Egregius atque Excellentissimus Vir, Dn. Iacobus Bucher, amicus meus singularis, & hujus urbis Archigrammateus meritissimus, ad thermas Leucenses, in Vallesia sitas, profectus fuisset; singulis ferè diebus hæmorrhagiam narium patiebatur. Ego cùm eodem tempore, jussu quorundam ex Magnatibus nostris, thermas hasce visendi; earundemq; facultates explorandi gratia, ad ipsas profectus quoque fuissem, & periculosum statum Dn. Bucheri vidissem, non mediocriter commotus atque perturbatus fui, quapropter ipsum quã diligentissimè admonui, ut valetudinis suæ rationem haberet, nec amplius thermas ingrederetur. Cùm verò admonitiones meas parum apud ipsum valere, viresq; magis magisq; imminui vidissem, porrexi ipsi opus aphorismorum Hippocratis, (quod opportunè mecum attuleram) & locum ubi scribit: *In his frigida uti oportet, undè sanguis copiosè profluit, aut profluxurus est, &c.* ipsi ostendi, hæc quum vidisset, & manifestam imminutionem virium de die in diem percepisset; in posterum thermis parciùs quidem usus est, verùm enimverò humidum radicale jam propter intempestivam hæmorrhagiam adeò erat absumptum, viresq; imminutæ, ut reversus Bernam, non diu post, dùm ego in Hassia apud nobilem quendam ægrum hæsi, animam Deo piè placidèque reddiderit. Vides mi Dn. D. Viros in politicis prudentissimos, plerumq; in eis quæ ad optimam valetudinem conservandam spectant, cæcos esse. Hæc raptim Bernæ 1. Novembris Anno 1624.

Tuus
Guil. Fabric. Hildanus.

Obs. 73. & 74.

OBSERVATIO LXXIII.

De Stercore porcino.

Hæmorrhagiam omnium esse periculosissimum symptoma, ex præcedenti Observatione Lector facilè colligere poterit. Necesse itaque est, ut Chirurgus exquisitissimis probatissimisq; remediis sit instructus. Sed & ne ea quidem sufficiunt, nisi dexteritas in adhibitione cōjungatur. Inter arcana ad sanguinem sistendum nonnulli stercus porcinum extollunt, inter quos fuit Christophorus Landreus, Medicus Gallus, in Oecojatria sua. Sumit autem stercus porcinum, & sanguinem ab ægro rejectum, utriusque partes æquales, inter se commiscet, & addito butyro recenti, simul in sartagine assatas, ægro per os præbet edendas.

Sed remedium hocce, etiamsi Dn. Christophoro Landreo, ut ipsemet refert, ex voto successerit, non semper tamen in hocce periculosissimo symptomate, quod nullas admittit inducias, tutum esse, olim in vitrico meo, Petro Crantzio, p.m. vidi; cui quamvis per os datum, & exteriùs applicatum fuisset stercorarium hocce remedium parùm tamen abfuit, quin propter ingentem hæmorrhagiam narium naturæ debitum persolveret. Interim enim dùm astantes remedio huic fidem adhibebant, & optatum successum exspectabant, tantam perdidit sanguinis copiam, ut quamvis adhuc juvenis & robustus esset, in cachexiam inciderit, miseramq; ab eo tempore vitam vixerit, donec tandem propter imminutionem caloris nativi, & absumptionem humidi radicalis, planè extenuatus, vitæ suæ finem faceret. In morbis itaque acutis & quovis alio modo periculosis, potiùs ad ea, quæ ex proprietatibus manifestis, quàm occultis agunt, confugiendum est.

OBSERVATIO LXXIV.

De admiranda & observatione dignissima cujusdam vulnerati historia.

Ad celeberrimum Experientissimumque Virum, Dn. GUILH. FABRICIUM HILDANUM, *cui* CLAUDIUS DEODATUS *Reverendiss. & Illustriss. Episcopi Basileensis Medicus Ordinarius S. P. D.*

Non *ita pridem fallendi temporis, & animi recreandi causa, doctissimas Tuas Observationes evolventi mihi, Vir clarissime, multa sane occurrerūt, quæ solertis naturæ potestatem, & artis Medicæ sublimitatem atque excellentiam, omnibus admirabilem reddere consueverunt, qualia sunt lethalia partium principum, Cerebri, Cordis, Hepatis, pulmonum, intestinorumq; vulnera, quæ licet hactenus plerisque tanquam incurabilia videantur, non rarenter tamen nostris temporibus, miro artis ingenio persanantur.*

Nam etsi Hippocr. *6. Aphor. 18. &* Galenus *in comment. ut & 1. de usu partium: 4. Methodi 6. & passim alibi, elegantem lethalium vulnerum classem & seriem constituant, uti sunt cordis vulnera, Cerebri, ejusque vētriculorum: ut & vesicæ discissiones, hepatis septique transversi, intestinorum, ipsiusq; ventriculi vulnera & perforationes, cæsim punctimq; inflicta, nihilominus tamen ejusmodi vulnera, quotidianâ id docente experientiâ (licet utplurimum fatali quadam necessitate, vel pro majore sui parte mortem inferant) concurrentibus præsertim DEI & Naturæ præsidiis, Asclepiadeâ expertorum Pæonum manu persanata, & ad totius compagis integritatem reducta fuere, uti recenti hâc Observatione & historiâ notatu dignissimâ, cuilibet constare poterit.*

Ante annum plusminus, Adolescens quidam, viginti & aliquot annorum, lanificæ texturæ operam navans, nocte silente unà cum sodalibus epoti vini calorem mitigaturus, oppidum Bruntrutum circumeundo, in aliquot Scholares incidit, pari temulentiâ calentes: Hi oborta lite, ad arma deveniunt. Scholaris arrepto ense (quem styletum vocant) paulò supra umbilicum, partem sinistram versus, Textorem perfodit, ita ut ex altera parte, lumbos & deorsum versus, ensis sibi exitum paraverit. Concidit Textor, & semimortuus ad Chirurgi officinam defertur. Scholaris de instante vulnerati morte dubius & anceps, adhibitâ quorundam operâ, clàm oppido aufugit. Vulneratus autem ad duos præstantes Chirurgos, Iohannem sc. GLANZ, *Aulicum Chirurgum, &* WERNERUM CRAMAT, *oppidi Bruntrutani Chirurgum delatus (quem omnes vitam brevi cum morte commutaturum sperabant) ab utroque & vitam & inflicti vulneris sanationem, repetitis votis exposcebat. Hi ambo, præmisso periculi prognostico, lethiferi vulneris curationem suscipiunt, vulneris magnitudinem, profunditatem, locum affectum, cæterasque circumstantias, quantâ potuere diligentiâ, pervestigant, etsi non ipsam ventriculi cavitatem, saltem pylorum ipsum, aut tenuium intestinorū principium, perfossum & apertum esse, probabili conjectura pronūciant, licet ambo inflicti vulneris orificia usque adeò angusta fuerint, ut vix tenuiori stylo vulneris interiora perrimari potuerint. Itaque rei difficultatem, & arduam curationis aleam percunctati, tum intrinsecus, tum extrinsecus ea adhibuere præsidia, quæ longo usu & quotidianâ praxi comperta habuere, ut sunt Olea, balsama, unguenta, emplastra, potiones item & Apozemata vulneraria, &c. Paulò post (ut ferè fit) sequuntur varia & ardua Symptomata, febris horrifica, sitis, vigiliæ, inquietudo, animi defectus, alvi constipatio &c. Suasi ut inter cætera adhiberent subinde blandas & emollientes alvi evacuationes & clysmata, ut si forte vel in ventriculo vel intestinis sanguinis grumi stabularentur, excluderentur, ne ex subsecuta sanguinis putredine, vel major febris excandesceret, vel graviora Symptomata oborirentur. Factum ita semel, iterum, & tertiò, & magna semper concreti nigricantisq; & putrescentis sanguinis copia educta: non obscurum vulneratorum intestinorum argumentum. Tandem aliquot septimanarum spacio, vulneris orificiis hinc inde cicatrice obductis, æger sibi in integrum restitutus visus, domum redit, remanente tamen semper circa partem affectam dolore pungitivo, & ejusdem partis satis duro tumore, ita ut quasi curvatus incedere cogeretur. Hujus & doloris & tumoris pertæsus, alium Chirurgum consuluit, qui nescio quid puris subesse suspicatus, ea adhibuit remedia, quæ tumoris mollitiem & puris maturationem procurarent, inde ad binam tumoris ferro apertionem deventum, sed frustrà; nil*

enim

enim præter serosæ materiæ paucum quid effluxit, remanente semper pristino dolore pungitivo.


Et quoniam habitu cachectico præditus esset, haberetq; & hepar & lienem, ipsasque venas mesaraicas, longis & antiquis obstructionibus obturatas, ea etiam remedia, me suadente, administrata fuere, quæ reserandis viscerum obstructionibus abundè opitularentur. Sed hisce omnibus frustrà admotis, totum tandem negotium uni Naturæ concessum fuit, præsertim cùm æger iterum ambularet, & suo officio utcunq; perfungeretur. Quid fit interim? Sub anni finem, patiens expeditis negotiis domum rediturus, medio in itinere alvum exonerare, non sine magna doloris acerbitate cogitur, & inflicti ensis extremum apicem, (quem infra delineatum vides) magno cruciatu & torminibus excludit. Chirurgi, rei novitate attoniti (etsi æger non nisi Magistratus jussu & authoritate id fateri voluerit) omnem movêre lapidem, ut exclusum alvo apicem haberent, & singulis obviis ostenderent, atque cum ense prius detruncato conferrent. Observârunt demum, esse quidem extremum detruncati ensis apicem, sed desiderari adhuc alteram portionem, quæ ensem integrum referat.

Subesse autem aliquam in corpore ensis detruncati portionem, idem permanens, & continuus pungitivus dolor declarat, qui, exclusâ etiamnum ensis cuspide, fixus permanet. Ex his abundè constat, ob læsum vel ventriculum, vel intestina, lethale vulnus extitisse, atque integri anni spacio ensis cuspidem, profunda satis ferrugine exesam, in labyrintheis intestinorum anfractibus, purgationibus frustrà exitum stimulantibus, delituisse, quicquid enim alvo excluditur, intestinorum orbes percurrat oportet. Num autem ruente in terrã ægro, ensis fuerit fractus, & retrahendo ensem apex jam exclusus, vel etiam quæ desideratur pars, in ipso ventriculo, vel ipsis intestinis hæserit? Quâ item ratione contigerit, ut læso vel ventriculo, vel intestinis, superstes hactenus fuerit æger? quomodo citra offensam ferrum latuerit? Et utrum (ut suspicamur) altera intrusi ensis portio subsit in corpore?

Hæc & alia multa, quæ in hujus rei gratiam proponi possent, tibi Viro expertissimo pensitanda & discutienda relinquo. In hunc ferè finem & Schenckius noster, & Amatus Lusitanus & Benedictus Faventinus, pulchras exhibuere historias, præsertim de acubus & aciculis inconsideratè deglutitis, & per urinæ ductus anfractuosissimos, citra corporis vel sanitatis læsionem exclusis, &c. Sed de his aliàs. Dum hæc scribo, affertur ad me puella semestris, quæ morbillis mirum in modum fuit ita conflictata, (apud nos enim & morbilli & variolæ grassantur, & plurimos infantes è medio tollunt) ut unius noctis duntaxat spacio, horrenda Gangræna sinistrum crus invaserit, & in aterrimum colorem converterit, nec mali finis, sed ignis ille crescit eundo, labuntur vires, & mortem præsentaneam videmus.

Hisce vale, & tandem rescribe: Satis enim otiatum est hactenus. Scire velim, num meas variis observationibus instructissimas, Bellelagio acceperis. Datæ 12. Februarii, 1619.

Longitudo & figura Styleti.



Obs. 74.

CLARISSIMO ATQUE DOCTISSIMO Viro, Dn. D. CLAUDIO DEODATO, Reverendissimi & Illustrissimi Episcopi Basiliensis Archiatro longè celeberrimo.

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

ANte mensem ex Aula Serenissimi Principis ac Domini, Domini GEORGII FRIDERICI, Marchionis Badensis & Hachbergensis, &c Bernam rediens, vir undiquaque Doctissime, & amice æternùm honorande, tuas 12. Februarii, ut & alias 10. Maii hujus anni datas literas, domi meæ inveni. Cùm verò ad binas illas rescribere vellem, ecce ad Illustrem Dominam à BOLLWEIL vocor. Vix arcem cùm ingressus essem, Solodurum ad ægram graviter decumbentem, redeundum mihi fuit. Negotiorum itaque multitudine impeditus fui, quò minus ad Te rescribere potuerim.

Deindè responsum aliquantisper studio retardavi, ut possem Exemplar quartæ Centuriæ (quam heri Oppenhemio accepi) simul ad te mittere. Illam nunc misissem, nisi te ipsam jam habere, ex postremis tuis 3. Iulii datis, (quasque ante triduum accepi,) intellexissem. Quâ igitur in re Excell. Tuæ in præsentiarum gratificari possim, non video. Copiam enim illam Ellebori nigri, quam Tu expetis, nancisci non possum; Quandoquidem hîc & in vicinis locis, nonnisi in hortis, & quidem paucissimis, colitur Elleborus verus.

Iterùm ad Centuriam quartam Observation. redeo, in qua summam sordidamque negligentiam Typographi videre poteris: adeò enim erroribus typographicis conspurcata est, ut an viri docti ipsam sine nausea legere possint, vix crediderim. Res profectò deploranda, quod Authorum vigiliæ atq; labores Typographorum incuria atque negligentia ita depravantur, & lectores persæpe in eorum studiis retardantur. Ego & sumptus & labores omnes, qui requirebantur, ut quàm correctissimè pro prælo describerentur, uti etiam nunc manuscriptum Exemplar (quod absolutâ impressione à typographo, ut inde errata colligerem, accepi) fidem facit.

Majorem itaque in modum rogo, Vir Clarissime, ne culpam hanc in me transferre, quin potiùs omnia, pro summa humanitate tua, benignè interpretari velis.

Cæterùm vulnus, de quo scribis, lethale fuisse, nullus sanæ mentis in controversiam vocare potest. Intestinorum enim vulnera lethalia esse, Hippocrates, ipsaque experientia, fidem faciunt. Fuit prætereà spinæ ipsiusque medullæ, & ex ipso exeuntibus nervis proximum, ac proinde doloribus, inflammationibus, aliisque gravissimis Symptomatibus magis obnoxium.

Ventriculum autem, (multò minùs pylorum) uti præsentes Chirurgi arbitrati sunt, perfossum non fuisse, ex situ vulneris apparet. Pylorus enim, sive orificium dextrum ventriculi, in dextro latere è regione hepatis: Ventriculus verò altiùs quàm fuerat vulnus, situs est. De læsione in-

Obs.74. ne intestinorum tenuiorum quoq; dubito. Cum enim sint exsanguia, rarissimè coalescunt. Quapropter Hippocrates libro sexto, Aphor. 18. non immeritò hujusmodi vulnera planè lethalia esse pronunciavit. Apud Marcellum Donatum tamen & alios, vulnera tenuiorum intestinorum curata fuisse, exempla inveniuntur. Verisimiliùs itaque mihi videtur, salvo tamen acerrimo tuo judicio, Styletum intestinum colon, & quidem illa in parte ubi reni sinistro firmissimè annexum est, perfodisse, cuspidemq; styleti, processum secundæ vel tertiæ vertebræ lumborum (qui validi sunt) offendisse, ibique, quia ex optimo chalybe fabricatus fuerat ensis, extrahendo & vulnerato in terram cadente, & hinc inde vacillante, ruptum confractumq; fuisse, remanente cuspide vel in ipso intestino, vel partim in intestino, partim quoque in ipsis musculis.

Intestinum autem Colon, uti dixi, vulneratum fuisse, constipatio alvi quoque fidem facit; Cùm enim è regione renis sinistri, ut scis, angustum sit, facilè propter affluentes humores, inflammationem, & intumefactionem, transitus excrementorum impediri potuit. Copia quoq; illa sanguinis concreti, quem excrevit æger, indicat colon fuisse vulneratum. Rationabiliter itaque Enemata adhibuisti, quorum beneficio, meo quidem judicio, magna ex parte conservatus fuit æger.

Ex his, ut ad Quæsita tua paucis respondeam, videre poteris, Vir amplissime, ensem, ruente ægro in terram, verissimè confractum fuisse, cuspidemq; in corpore remansisse: non tamen in ventriculo, ut dixi, sed in intestino & musculis. Quòd si cuspidem prædicto processui vertebræ infixum fuisse, ibidemq; ad tempus hæsisse, aliquis affirmare voluerit, meo quidem judicio à via recta non aberrabit.

Quæris præterea, quâ ratione contigerit, ut læso vel ventriculo, vel ipsis intestinis, superstes remanserit æger? Respondeo cum Averrhoë, sæpissimè monstra fieri in morbis, hoc est, hujusmodi quæ captum humanum superant. Deindè vulnera ventriculi aliquando fuisse curata, post Nicolaum Nicolum, & Matthiam à Cornace, testatur Marcellus Donatus libro quinto, capite quarto. Singulare quoque exemplum videre poteris apud Crollium in præfatione. Ante annos aliquot Galenus Wierus, magni nominis Medicus, in quadam Epistola ad me scripta, hæc quoq; habet verba: memini ego, inquit, Monspelii à Præceptore meo, Dn. Laurentio Iouberto, Medico & Professore Regio celeberrimo, nobis ostensum fuisse cultellum obtusum, qui panno obductus, ab opilione alteri cuidam vi in os ingestus, & per gulam demissus, longo tempore, & si rectè recordor, toto biennio in corpore delituit, donec abscessu in inguine facto excretus, & æger ope Chirurgi curatus fuit, qui posteà septennium adhuc supervixit. Hactenus Wierus.

Centur.1. Obs.54.

Porrò vulnera, illâ in parte intestini, ubi æger tuus vulneratus fuit, non omninò deplorata esse, his meis quoque vidi oculis, Exemplum habes Observ.54. Cent.1.

Quandoquidem intestinum, illa in parte crassum, carnosum, partibusq; carnosis proximum, imò annexum est; Itaque cùm reliqua intestina, tam à flatu quàm ab excrementis, continuò ferè hinc inde truduntur, sola illa pars Coli penè immota consistit, propterea haud difficulter coalescit. Quæris tertiò, cur ferrum citra offensam tam diu in corpore latuerit? Non omninò fuit citra offensam, continuis enim doloribus ægrum excruciatum fuisse, scribis. Solet præterea natura sagax, quæ in corpore nostro nunquam quiescit, res extraneas, quamdiu corpori nostro includuntur, callosâ quadam materia obducere, adjacentesq; partes ab injuria rei extraneæ vindicare. Exemplum habes Observatione 62. Centuriæ primæ, de cultro lumbis infixo. Item Obs. 2. Cent. 2. de globulo plumbeo, menses sex, nullo symptomate superveniente, cerebro incluso.

Quartò, an reliqua pars ensis, quæ desideratur, adhuc in corpore delitescat, quæris? Id profectò difficile est scire. Attamen continuus & fixus ille dolor satis arguit, aliquid præter naturam, sive id pars ensis, sive fragmentum appendicis vertebræ fuerit, adhuc in parte affecta delitescere. Cuspidem enim ensis, ad appendicem aut alam vertebræ allisisse, verisimile esse mihi videtur: nisi enim tale quid offendisset, non video, quomodo in ipsa carne disrumpi potuisset ensis. Quæ de morbillis scribis, arguunt maximam adfuisse malignitatem, & revera superiori anno, morbum istum & contagiosum & malignum fuisse, ipsemet Basileæ, ubi tunc per menses aliquot propter quosdam ægros moram traxi, observavi. Ultra quingentos enim intra paucos menses è medio abstulerunt, in aliis gravissima symptomata reliquerunt: Multi enim visum amiserunt, alii surdi facti fuere. In multis apostemata oborta sunt, hinc ulcera maligna, cum ossis corruptione sequebantur. Filiolam Dn. Iacobi Meyweiler, Civis & Mercatoris Basileensis, quæ loquelam ex variolis amiserat, curandam habui, & divino favore sanitati restitui, de quo aliàs fusiùs.

Cæterùm literas tuas, quas te Bellebagio, variis observationibus instructissimas, ad me dedisse scribis, non accepi, quapropter ut iterum apographum mittas, rogo.

Ante annos decem tempore hyemali ex equo in aquam gelidam cadens, similem affectum ei, de quo in postremis tuis scribis, circa humerum sinistrum contraxi, ubi inunctiones, emplastra, fomentationes, & cataplasmata per multos menses ferè frustrà adhibui. Tandem in ipso brachio facto fonticulo, dolor paulatim cessavit, neque deinde, laus sit DEO, reversus est. Sed antequam ad fonticulum pervenias, suadeo, ut purgato corpore, sudorifero aliquo utaris, si forsan materia circa nervosas partes contenta, per poros expelli posset. Exteriùs fomentum aliquod ex Betonica, Salvia, Iva arthetica, granis Iuniperi, floribus primulæ Veris, Chamomillæ, & rosis, aquâ, non autem vino (quod nervis etiam exteriùs applicitum inimicissimum esse observavi) coctis, calidè applicarem: Deindè locum sequétibus aquis inungerem:

R. Aquarum Salviæ,

Beto-

Betonicæ,
Lavendulæ, ana ℥.j.
Spirit. Iuniperi sine vino præparati ℥j. ß. Misce.

His valeVir amplissime, & cum tuis omnibus æternùm quàm felicissimè vive, Dabam Bernæ 23. Iulii, 1619.

OBSERVATIO LXXV.

De Effectibus iræ in ulceribus.

QUàm periculosa sit ira in vulneribus capitis, Lector ex Observatione decima septima, Centur. I. videre poterit. Non tantùm autem in vulneribus capitis & nervorum, verùm etiam in ulceribus infestam esse ægris, & sæpissimè sanationem impedire, aut ad minimum retardare, observavi.

Ira in [...]osis [...]ata [...]icilia.

Quapropter ulcera in biliosis corporibus (quod diligenter observandum) difficulter consolidantur, & frequenter recrudescunt. Propter iram enim calor, qui juxta cor est, ut testatur Galenus libr. de causis morborum, & proinde sanguis ipse in venis effervescit, acrimoniam acquirit, partesq; jam anteà labefactatas vellicat eroditq;: cujus rei sequens exemplum fidem facit.

EXEMPLUM I.

Anno 1620. Generosum quendam, abscessu, & indè exorto ulcere in perinæo, gravissimè laborantem, feliciter sanitati restitui, & ita quidem, ut ulcus cicatrice obductum tandem quoq; fuerit. Quid fit? Post menses aliquot, cùm ad iram à quodam incitatus esset, sequenti nocte excernendo urinam, acrimoniam persentire cœpit. Dolor quoque & inflammatio in perinæo exorta est, tandemque ulcus, quod anteà maximo cum labore cicatrice obduximus, iterum apertum fuit.

EXEMPLUM II.

Anno 1617. In Hassia Generosum quẽdam, unà cum Viris clarissimis & doctissimis, Domino Iohanne Hartmanno Beyer, Dn. Georgio Fabro, & Dn. Cornelio Thaurero, Medicinæ Doctoribus longè celeberrimis, exulceratione colli vesicæ & prostatarum, post Gonorrhœam virulentam contractâ, laborantem, curandum habui. In quo Generoso id quoque observavi, ut quotiescunq; ad iram (celerrimè autem etiam ob nullius momenti irascebatur) concitatus esset, mox quoq; febris, inquietudines, vigiliæ, aliaq; symptomata, inprimis autem dolores adaugerentur, & ita quidem, ut nonnunquam dies noctesque, præ magnis doloribus, præcipuè cùm urinam excerneret, ejulare coactus esset. Irascimini itaque (vos ægri) sed nolite peccare, inquit Doctor Gentium. Peccat autem graviter in DEUM, qui suæ ipsius animæ aut corpori damnum aliquod infert.

ANNOTATIO.

VIdeant autem Iuniores Chirurgi, ut in prognostico fistularum perinæi sint prudentes. Si enim ex causa interna facta fuerit fistula, quẽadmodum in Generoso nostro ægro, item in sene illo, cujus fit mentio Cent. I. Observ. 79. nũquam perfectè sanatur. Obducitur quidem nonnunquam cicatrice, sed facilimè à causa aliqua interna recrudescit, imò & nonnunquam, si ad tempus clausa persistit, gravissima symptomata subsequuntur.

Obs. 75. & 76.

Vidi id Coloniæ circa annum 1594. in sexagenario quodam Viro, singulari virtute & pietate prædito, Gualtero del Prato nomine, Compatre meo æternùm honorando; cui cùm fistulam post carunculam & retentionem urinæ ortam, multis laboribus cicatrice obduxissem; æger verò post curationem iterum difficultate urinæ, doloribus, aliisq; Symptomatibus continuò ferè vexatus fuisset, post menses sex à curatione, cum aliis Medicis iterum in consilium adhibitus fui, & fistulam aperire coactus sum. Convaluit non tantùm æger, verùm etiam ultra annos quatuordecem à curatione satis commodè vixit, & añum septuagesimum septimum prætergressus est, neq; post illud tempus consolidationem fistulæ tentare voluit, ne sibi accideret, quod Poëta ait:

Observatio.

Incidit in Scyllam, cupiens vitare Charybdim.

Ex his quoque ediscant ægri, ne tantoperè de integra & perfecta consolidatione harum fistularum sint solliciti. Sunt enim via apta pro Excretione multorum excrementorum, quæ beneficio naturæ, ex hepate, renibus, vesicâ, & vasis spermaticis eò extruduntur. Quapropter ægros hujusmodi fistulis laborantes, ab aliis gravioribus morbis utplurimùm immunes esse, sæpissimè observavi: præcipuè autem in senibus, & qui antea difficultate & suppressione urinæ, & carunculis laborarunt. Vlcera in perinæo, quotiescunq; ad ductum urinarium perveniunt, insanabilia ferè censenda esse existimo, idque propter excrementorum, quibus eorum corpora scatent, abundantiam, propter imbecillitatem item facultatis expultricis harum partium, ex Venere aliisque causis contractam, adeò magnam, ut urinam excrementitiis humoribus refertam, per anfractuosum ductum penis expellere non possit.

Pueris verò & juvenibus, si ulcera fistulosa hisce in partibus supervenerint, de curatione nõ omninò desperandum est.

OBSERVATIO LXXVI.

De admiranda curatione Scroti post Gangrænã delapsi.

Clarissimo & Expertissimo Viro ac Domino, Dn. GVILHELMO FABRICIO HILDANO, Artis Chirurgicæ Doctori Excellentissimo, Domino Amico suo honorando,

PETRUS HOLTZEMIUS S. P. D.

CLarissime & Expertissime Domine FABRICI, Amice honorande, iamdudum ad Claritatis Tuæ datas literas respondissem, nisi præsens dolendus proh dolor Imperii Romani motus, animorumq; dissensio, quibus itinera periculis plena redduntur, & veredariorum profectiones retardantur, impedivissent. Excusatione igitur dignus ero, qui maturius respondere non potui: hanc autem oblatam occasionem negligere nec debui, nec volui.

Dolet in literis Claritas Tua, tam magnificum DEI Omnipotentis donum, Medicinam videlicet, his tempo-

Querlae in Medicina côtem.

Obs. 76. *pium & contemptores.*

temporibus tàm miserè jacere & sordescere, & quidem apud doctos & magnates, qui, eheu, nunc adeò contra rectum judicium ruunt, ut etiam indoctum & circumforaneum qualemcunq; ineptum, qui vix à limine Medicinam salutavit, qui studia non propter veritatem, sed propter quæstum sectatur, Excellentissimo & in arte Expertissimo Viro præferunt. Quid facies Vir Doctissime? Hæc ætas inimica Philosophiæ (dico veræ scientiæ) tales mores profert, si non postulat: ferendum, & non culpandum, quod mutari non potest: natura enim non æquale omnibus dedit ingenium. Dolendum quidem, tantum esse hoc seculo Medicinæ contemptum, gaudendum è contra, vitio & abusu hominum nullam artem infamem censeri. Mundus quidem hoc ævo plenus literatis, sed per hoc ne pilo melior. Felices propterea, quorum cogitationes Divinâ Providentiâ gubernantur, quorum scopus gloria DEI est, atq; proximi utilitas: qualis Tua est, Vir Clarissime, qui artem nostram Medicam variis & utilibus Observationibus illustras, vereq; longam & difficilem esse demõstras, posteritatem erudis, talentumq; Tibi à DEO creditum, in terram non fodis: artes enim in hoc divinitùs traditæ sunt, ut non sinant hominem in parvarum rerum cogitationibus quiescere. Sic perge Vir honorande, quo cœpisti pede: Dignum laude Virum Musa vetat mori. Vnicum rogare debeo, ignoscat, rogo, libertati. Cùm tot & tàm varii casus, imò monstra, quæ subindè in arte se manifestant Claritati Tuæ, vel occurrant in Praxi, vel ab aliis Medicis notata significentur, si similem, quem notavi, casum viderit unquã, aut observaverit, respondere non gravetur.

Feliciter vivere quibus cõtingat?

Observatio.

Anno Domini 1616. mense Iunio, Vir quidam honestus, annorum circiter quadraginta, vino obrutus, cùm repentè in scroti tumorem, cum febre acutâ, & virium subitâ dejectione incidisset, à Chirurgo vocato remedium petiit, qui cùm livorem istius partis cum exulceratione penis totius, imò periculum, quòd manifestam Gangrænam deprehenderet, notaret, de cura solicitus, petiit consilium Medici. Ego vocatus, injecto priùs clystere, quoniam alvus à biduo non responderat, præscripsi Cataplasma ex scordio, ruta, farinâ lupinorum, orobi cum oxymelite, vino, & similibus. Per os exhibui Diasenam Hieron. Fracastorii, subindè aquã Theriacalem, quòd malignitatem cordi communicatã observarem, sine hac enim vix respirare potuit. Die sequenti, deposito Cataplasmate, super cuticulam, quam Epidermidem vocant, separatam vidimus: tertio die scrotum sponte apertum, circa vesperam vel libras aquæ decem effluxisse. Quarto die testes ex toto nudatos conspeximus, deciderat enim scrotum à pectine usq; ad perinæum. Hîc quod facto opus deliberavimus, resiccantibus & incarnantibus remediis, quatuordecim dierum spacio tantùm profecimus, ut non tantùm testes scroto muniverimus, sed & natura scrotum novis pilis vestiverit, glans peni redierit integra, omnia ulcera penis consolidata fuerint, & officium viri deinceps patiens præstare potuerit. Ego, nec quisquam Medicorum nostrorum, similem nec vidit, nec audivit: luis venereæ nulla suspicio: nunc inculpata fruitur valetudine.

Aqua libræ X. ex scroto effluunt.

Ratio cur æger fuerit restitutus.

Ego naturam potiùs in conservatione speciei quã individui solicitam esse dixi: studet enim perpetuitati, ut cùm individuum servare non posit, speciem conservet, quod præstat partibus, quibus sobolescimus. Si molestum non fuerit, & negotia ferant, judicium Cl. T. officiosè peto; offero me & mea vicissim in omnibus paratissima. Benè valeat. Festinatio Tabellarii calamum abrumpit. Raptim Coloniæ, 29. Ianuarii, Anno 1621.

OBSERVATIO LXXVII.

De Gangræna Perinæi, & Scroti admirandâ curatione.

Viro Nobili, Clarissimo, Domino Doctori PETRO HOLTZEMIO, *apud Colonienses Medicinæ Professori ordinario; & Serenissimorum Principum*, FERDINANDI *Archiepiscopi & Electoris Coloniensis, &c. &* WOLFGANGI WILHELMI *Comitis Palatini ad Rhenum, &c. Medico ordinariò, & celeberrimo, Amico summo studio observando,*

Guil. Fabricius Hildanus S. P. D.

MOnstra in morbis fieri, Vir Nobilis, Amplissime, Avertoëm summum illum Philosopum rectè scriptum reliquisse, indies experimur. Testis est admirandus & ferè inauditus ille casus, quem Clarissimus Vir mecum communicavit. Ego infinitos propemodum vidi ægros, Gangræna Scroti laborantes, sed, ut ingenuè fatear, ne unus quidem restitutus fuit. Pudenda enim cum partes corporis sint humidissimæ, raræ & spongiosæ, facilè excrementitios humores ex corpore descendentes recipiunt, sequiturque Gangræna, uti sæpissime in hydropicis observamus, in quibus Gangrænam pudendorum, propter cachexiam corporis, & labefactationem viscerum, nec non caloris nativi partis affectæ imbecillitatem, planè insanabilem esse existimo.

Gen... liun... tura...

Ægrum autem, de quo Clarissimus Vir scribit, non fuisse diuturno aliquo morbo affectum, ex literis Clarissimi Viri colligo: scribit enim, ipsum vino obrutum repentè tumore scroti cum febre acutâ correptum fuisse. Vires itaque non fuerunt à diuturno aliquo morbo, quemadmodum fit in hydropicis, consumptæ, sed adhuc integræ: quapropter morbum faciliùs debellare potuerunt. Simile quid videre mihi licuit.

Generosus quidam Bernensis, quadraginta circiter annorum ætatis, à multis annis carunculâ laboraverat, quæ ipsi multum negotii facesse bat. Ante annum, circa principium Aprilis cum præscriptam à Medicis victus rationem non satis exactè observasset, & in corporis exercitiis modum excessisset, primò fœtorem cadaverosum in urina (quæ sedimentum viscidum, spermati ranarum non absimile habebat) percipere cœpit. Ego quæ renes viasque urinarias abstergunt & mundificant, præscripsi: interim tamen fœtor ad septimanas aliquot continuavit. Tandem penitùs suppressâ urinâ, & exortâ inflammatione in ipso perinæo, Gangræna sequuta est, ita quidem, ut totum illud interstitium, quod est inter podicem & scrotum, ductus item urinarius partim exciderit, partim quoque exscindendus fuerit. Longa esset oratio, si omnia, quæ annotatione digna in hoc ægro occurrerunt, recensere vellem. Clarissimus Vir omnia ordine videbit in V. Centuria

Hist... mem... bili ... Gág... Scro... Peri...

Obs. 77. curatâ feliciter.

turia Observationum mearum, Obs. 64 in qua paulatim progredior. Tandem omnibus admirantibus veluti ex cymba Charontis evasit, & nûc integrâ fruitur valetudine, neque ullam molestiã in reddenda urina sentit. Carunculæ enim omnes, quæ anteà ductum urinarium coarctabant, erosæ & ablatæ fuerunt. Exigua præthereà fistula in perinæo remansit, & maximo quidem cum ipsius commodo; viscidi enim atque excrementitii humores, qui ex superioribus & labefactatis partibus, veluti renibus, vesicâ, & vasis spermaticis, descendunt, liberè per ipsam effluunt, non tamen involuntariè, sed cum ipsâ urinâ, quam pelviculâ, ad id ex industriâ fabricatâ, excipit.

Ulcus consolidatum rerum rumpitur

Observatione autem dignum est, ante menses aliquot cùm ulcus illud in perinæo, ita volente & jubente ægro, me verò dissuadente, maximâ adhibitâ diligentiâ, cicatrice obductum fuisset, ægrum retentione urinæ aliisque incommodis, quæ carunculas comitari solent, de novo tãtisper afflictum fuisse, donec fistula iterum rupta fuerit. Porrò ut redeam, undè digressus fui, nisi juvenis adhuc esset Generosus hic noster æger, robustus, optimo quin etiam corporis habitu præditus, vix evasisset. Natura enim, ut Clarissimus Vir rectè quoque sentit, semper sollicita est in conservatione individui sui, morbisque sese opponit: sed prout valida aut imbecillis fuerit, aut victrix evadit, aut victa succumbit. Memini aliquoties ex Domino Cosmâ Slotano, p. m. Chirurgo præstantissimo, Præceptore meo observandissimo, intellexisse curationem admirãdam, nec absimilem illi, cujus Claritas Tua mentionẽ facit; cujus etiam memini Centur. I. Observ. 48 Est autem talis.

Alia Observatio scroti gangrænâ

Quadragenarius quidam Coloniensis, robustus & optimo corporis habitu præditus, cùm æstatis tempore supra modum incaluisset, & maximum haustum frigidæ bibisset, post dies aliquot febre continuâ correptus fuit. Ex qua potiùs naturę beneficio & industriâ, quàm arte & medicamentis Medicorum curatus fuit; interim tamen intemperies & vitium in hepate remansit, quapropter paulò post in cachexiam incidit, & ita quidem, ut primò Icteritiâ, postea quoque Ascite prehenderetur. Advocatus Dominus Doctor Bernhardus Cronenburgius, si rectè recordor, Medicus Coloniensis longè celeberrimus, omnia, quæ ad morbum debellandum necessaria esse videbantur, adhibuit. Tandem veluti per criticam expulsionem in scrotum delapso humore seroso, Dominum Slotanum quoque vocarunt in consilium. Ambo omnem adhibent diligentiam atque industriam. Interim tumor scroti non cedit, sed paulatim eo in loco, extincto calore nativo, in Gangrænam desinit.

...mi... feli... cu...

Scrotum itaque undique phlebotomo scarificant, sale marino & theriacâ aceto dissolutâ abluunt: Unguentum Ægyptiacum, & Cataplasma ex farina Juniperorum, lolii, aloë, myrrha, scordio, aliisque putredini resistentibus applicãt, nec quidquam eorum, quæ ad universalia spectant, prętermittunt: Optimam victus rationem præscribunt, corpus per intervalla leniter leviter que expurgant: corroborantia, & obstructiones aperientia, cùm intus exhibent, tùm carpis, hypochondriis, & ventri applicant. Interim dùm aqua copiosè per scrotum effluit, æger meliusculè habere, viresque recolligere cœpit. Demùm scrotum sphacelatum partim naturæ & medicamentorum beneficio decidit, partim quoque quod sphacelatum erat, à Domino Slotano novaculâ resectum fuit, ita quidem, ut testiculi nudi conspicerentur: Ulcus per menses aliquot apertum mansit. Interim natura, quicquid humoris excrementitii visceribus inhærebat, per hanc viam ita evacuavit, ut partes nobiles in integrum restituerentur, & á morbo planè liberaretur æger. Circumcirca autem testiculos, quod notandum, natura cicatricem duram, adeoque callosam procreavit, ut ipsos vice scroti, ab externis injuriis vindicare sufficiens esset. Sic DEI beneficio omninò restitutus fuit æger, & ad multos annos in matrimonio vixit, liberosque aliquot progenuit.

Obs. 77. & 78.

Alia Observatio de ulcere pudendi.

Ante annos aliquot cùm Lausannæ Medicinam facerem, venit ad me Sabaudus quidam, XXIV. circiter annorum ætatis, cujus nomini de industriâ parco: huic ulc⁹ ex lue Venerea ortum plusquam dimidiam partem scroti & testiculorũ eroserat. Adhibitis à me medicamentis, DEO benedicente restitutus fuit, & liberos ex uxore sua suscepit. Hanc Corodinis loco addo historiam, etsi à præcedentibus diversa sit.

Cæterùm, Vir Amplissime, mirum in modum literæ Claritatis Tuæ me exhilararunt, nec immeritò. Cùm enim nullus ferè inter literatos patriæ meæ dulcissimæ, qui mihi familiaritate & amicitiâ juncti fuerunt, (inter quos Dominus Doctor Manlius, Præceptor meus æternùm honorandus, Dom. Doctor Botterus, Bridenbachius, Wierus, Fabricius, Stapedius, Johannes Slotanus, & alii,) supersit, DEUS Claritatem Tuam mihi suscitavit, ut eorum vices in colloquiis literariis gereret. Pergat itaque quæso, Clarit. Tua, & Fabricium, quem duco, ut video, humanitate suâ summâ, ultrò albo amicorum inscripsit, in perpetuum non extergat. Ego vicissim totis viribus in id incumbam, ut Clariss. Viro, ubicunque potero, gratificari queam. Vale Vir Amplissime, & æternùm quàm felicissimè vive. Bernæ Helvetiorum, 22. Maii, 1621. Demissè rogo Clar. Tuam, ut inclusum fasciculum Dosselpordium mittere non gravetur.

OBSERVATIO LXXVIII

De ulceris inveterati & cacoëthus, ex intempestivo usu Medicamentorum frigidorũ, in combustione applicatorum orti, felicissima curatione.

ETIAMSI in tractatu nostro de combustionibus, uti quoque in Centuria prima Observatione 90. luculenter satis monstravimus, quàm à ratione aliena, quàmque periculosa sit methodus curandi combustiones per medicamenta frigida, non erit tamen abs re, sequenti exemplo id denuò confirmare.

Puella quædam ex nobilissima familia orIunda,

 unda,

Obs. 78. unda, URSULA VON UTENHEIM nomine, 16. annorum ætatis, cùm pede sinistro in aquam fervidam delapsa esset, & secundum vulgarem, ac passim à Practicis usurpatam Methodum, Medicamenta frigida, & quæ insigniter exsiccant, applicata essent, paulatim malum exacerbatum est. Pes totumque crus mirum in modum intumuit, & ulcus circa talum exteriorem remansit: ubi Medicamenta quàmplurima, tam interna quàm externa, absque fructu adhibita fuêre. Ulcere isto cùm in quartum usque annum laboràsset, & ego Anno Millesimo Sexcentesimo Decimo octavo Durlachium vocatus essem, me, unà cum Clarissimo ac Doctissimo Viro Domino Lud. Schmidt, Serenissimi Principis ac Domini Domini GEORGII FRIDERICI Marchionis Badensis & Hachbergensis &c. Doctori Medico celeberrimo, in consilium adhibuit. Ulcus autem istud latitudinem Thaleri Imperialis excedebat: labia in circumferentia inæqualia, nonnihil elevata, prædura & callosa erant; Articulus quinetiam, propter impactam, atque à frigidis istis medicamentis induratam materiam, adeò erat rigidus, ut vix ipsum movere & incidere posset.

Sequenti autem modo curationem instituimus: Primò potiunculâ hâc corpus expurgavim⁹,

℞. Extracti Cnicopharmaci ℈.ij.
Extract. mechoacæ ℈.j.
Syr. ros. solut. compositi ʒ.vj.
Decocti communis folior. senæ ℥.j.
Misce, fiat potiuncula.

Vlceri pulverem præcipitatum, optimè & s. a. rectificatum cum filamentis imposui. Pedem, & quicquid induruit, sequente Linimento inunxi:

℞. Pingued. caponis,
Ol. liliorum alborum,
Ol. lumbricorum an. ℥.ß. Misce.

Posteà sequens Cataplasma calidè applicui,

℞. Farinæ fabarum,
Lolii ana ℥.j.ß.
Pulver. radic. althææ,
Bryoniæ,
Sem fœnograeci, an. ℥.ß.
Flor. rosarum odoriferarum,
Myrtillorum, balaustiorum an. ʒ.j.
Masticis, olibani, an. ʒ.ij.
Sapæ ℥.ij.
Croci ʒ.ß.

Cum decocto radicum althææ & fœnograeci f. s. a. Cataplasma.

Post dies etiam aliquot fonticulum caustico, sub genu, è directo ulceris fecimus, in eum finem, ut esset affluentis humoris ex corpore interceptio: quapropter ne clauderetur, antequam pars affecta, ex diuturnitate morbi labefactata, satis esset roborata, injunximus. His adhibitis remediis, cùm labra prædura & callosa emolliri non posse videremus, caustico ea absumpsimus, inductâ escharâ sequēs Digestivum applicuimus.

℞. Ceræ novæ ℥. j.
Colophoniæ,
Gummi elemi, Terebinthinæ, an. ℥.ß.
Pulver. masticis, olibani, an. ℈.ij.
Croci ℈.j.

Cùm oleo rosaceo & amygdalarum dulcium q. s. fiat Vnguentum, addendo vitellum ovi, parum olei de vitellis ovorum.

Præscriptum cataplasma per mensem ferè integrum applicatum, pulvis verò præcipitatus ad finem curationis inspersus fuit. Post usum cataplasmatis, sequens Ceratum circumcirca juncturam pedis applicuimus.

℞. Emplastr. de mucilaginibus ℥.iiij.
Gummi ammoniaci ℥.ß.
Ceræ ℥.j.
Croci ʒ.ß.
Argenti vivi extincti ℥.ij.ß.

Misce, fiat ceratum, quod supra alutam extendatur, & applicetur ut dictum est. Notandum autem est, ab usu hujus cerati nonnunquam pustulas erupisse: id quotiescunq; accidit, usum Cerati intermisimus, & unguentum aliquod exsiccans, veluti de Cerussa applicuimus: consolidatis pustulis, ceratum iterum ad eruptionem usque pustularum applicuimus. Hoc modo enim materiam induratam satis emollitam, paulatim quoq; evacuavimus. Tibiam à digitis pedum ad genu usque fasciâ, sequenti decocto imbutâ, involvimus.

℞. Radic. consolidæ major.
Tormentillæ,
Bistortæ, ana ℥. j.
Herb. Beton.
Ivæ arthriticæ,
Absynthii,
Salviæ,
Rosmarini,
Flor. Primul. Veris an. m. j.

Coquantur in ℔. vj. aquæ, addendo Salis m. j. Fasciam usquead finem curationis præscripto decocto madefactam applicuimus: post curationem verò ut siccam illam, per annum integrum & quidem mane applicaret, & per intervalla corpus expurgaret, venaque in brachio tunderetur, jussimus. Sic Divino favore ab ulcere isto inveterato feliciter, & parvo cum negotio convaluit.

OBSERVATIO LXXIX.

De ulceris fistulosi & inveterati felicissima & compendiosa curatione.

Obs. &

ANNO 1586. Excellens quidā Medico-Chirurgus (cujus nomen hîc lubens prætermitto) Genevæ matronam, quæ ex abscessu in crure ulcus fistulosum contraxerat, curandam habuit: circa quam cùm ultra menses sex occupatus fuisset, summamque diligentiam frustrà adhibuisset, tādem Dominus JOHANNES GRIFFONIUS, Chirurgus scientiâ simul & experientiâ clarus, Præceptor & Fautor meus perpetuò honorandus, in consilium adhibitus fuit. Is ut Chirurgus circumspectus, & in inquirendis causis morborum longè diligentissimus, cùm stylū exploratorium adhibuisset, & cognovisset, præcipuam & unicam causam, quæ consolidationem impediebat, tenuitatem esse cutis, quæ ulceri adjacebat, spem dedit ægræ, se brevi, juvāte DEO, illam in integram sanitatem restituere posse.

Purga-

Obs. 79. & 80.

Purgato itaque & satis præparato corpore, caustico cutem illam tenuem erosit, & ex fistula ulcus oblongum fecit. Post casum escharæ, unguento de succo apii mundificato ulcere, spacio trium aut quatuor circiter septimanarũ feliciter cicatricem induxit.

Ab eo tempore frequentissimè in curandis ægris idem mihi observare contigit. Quotiescunque enim in abscessibus pinguedo, & panniculus carnosus à putredine aut pure absumũtur, cute remanente integrâ, non coalescit, neque cum carne redunitur. Quæris causam? In promptu est. Venæ enim capillares ad cutem tendentes, à putredine & pure eroduntur & absumuntur; Quibus erosis, sanguis & nutrimẽtum consolidationis materia non amplius ad cutem defertur. Hinc cutem hoc modo à subjecto panniculo carnoso separatam, colorem naturalem in lividum aut obscurum mutare videmus, arescit enim. Quapropter veluti inutile quid abscindenda aut erodenda est.

Hæc in gratiam juniorum Chirurgorum adscribere visum fuit, ut in inquirendis causis, quæ sanationem ulceris impediunt, diligentes prudentesque sint, atque videant, frequenter ex minimo etiam errore sanationem ulceris retardari posse.

OBSERVATIO LXXX.

De fistulæ, ex parotide ortæ, curatione.

Studiosus quidam, circa annum duodecimũ ætatis, abscessu sub aure dextra (parotis vocatus Medicis) correptus fuit, qui quum paulatim in fistulam abiisset, per tres integros annos frustrà à Barbitonsoribus excruciatus fuit. Tandem 28. Julii Anno 1620. cum Bernam venisset, & mihi adductus fuisset, fistulam cuniculosam inveni, exteriùs in cute duo saltem erant foramina angustissima, quorum unum sursum versus cranium tendebat, & in duos sinus dividebatur: alterum deorsum versus jugulares venas descendebat. Sed omnia intus erant callosa. Optima præscripta victus ratione, semel quinetiam atque iterum expurgato corpore, caustico meo cutem, quæ fistulis illis adjacebat, erosi, & digestivum, nec non Unguentum Basilici ad casum escharæ applicui. Deinde eodem caustico, nec non pulvere Angelico, diligenter rectificato, callositates omnes paulatim absumpsi, ita ut intra septimanas septem plenissimè convaluerit.

[margin: ...stã... ...alve... ...ange... ...igõ.]

Prædicto autem pulvere ad finem ferè curationis usus sum, Non tantum enim mundificat, & superfluam carnem absumit, verùm etiam consolidat, & optimæ carnis generationem promovet.

Sensim prætereà viscosos humores, qui in ambitu vulnerum, & ulcerum male curatorum, delitescere solent, ad se trahit & evacuat.

Porrò diligẽter attendendum est, ne quicquam de cute à subjecta carne musculosa separata, & venis capillaribus destituta, remaneat. Consolidationem enim impedit, ut præcedenti Observatione tyrones fusiùs monui. Et quia illa in prima applicatione in hoc nostro ægro, propter callositatem insignem erosa non fuerat applicationem caustici aliquoties iteravi; ubi diligenter prospiciendum est, ut quantitas caustici cum cute, quæ erodenda est, justam, & ut dicimus, ad pondus habeat proportionem. Et ita quidem, ut partes integræ & sanæ conservẽtur, malè affectæ verò destruantur. Id autem rectè ut fiat, necesse est ut Chirurgus optimam habeat notitiam facultatis sui caustici.

Obs. 81. & 82.

Deinde etiam ut naturam subjecti cognoscat, hoc est, an molle, rarum, humidumque, an vero solidum, densum, & siccũ exsistat? Quàm periculosum enim sit, in applicatione causticorum medicamentorum errare, Lector ex observatione 94. Centuriæ 1. & observ. 72. Cent. 4. videre poterit.

OBSERVATIO LXXXI.

Inveteratum ulcus, in pollice pedis existens, quo modo sanatum?

Tigurinus quidam Iuvenis contusionem ad pollicem pedis receperat, exortâ inflammatione in ulcus degeneravit; id cum inveterasset, nullisque, ut videbatur, remediis amplius curari posset, venit ad me Genevam Anno 1595. Digitus intumefactus, & inflammatione obsessus erat. Ad externum latus digiti ulcus erat cum excrescentia carnis, quæ magnitudinem fabæ excedebat, & dimidiam ferè partem unguis velabat. Hanc Barbitonsores causticis aliquoties absumserant, sed frustrà. Quicquid enim de die absumebant, id noctu fungi instar repullulavit. Ego diligenter perquirens, quænam sanationi hujus mali obstare possent, inveni unguem, subter carnem illam extuberantem, à subjectâ carne separatum esse, & proinde continuò carnem sanam, versus radicem unguis pungere, dolores excitare, humoresq; copiosè attrahere. Cognitâ causâ ægro spem feci, brevi ipsum sanitatem recuperaturum. Purgato corpore, & sectâ venâ in cubito ejusdem lateris, excrescentiæ carnis pulverem aluminis usti inspersi: Digito verò simul & toti pedi sequens Cataplasma, quod refrigerat, & dolorem lenit, applicui.

Cataplasma refrigerans & anodynũ.

℞. Farinæ fabarum ℥.ij.
Pulveris rosar. rubear.
Balaustiorum, &
Nucum cupressi ana ʒ.ij. Croci ℈.ß.

Coquantur cum aqua plantaginis & rosarum, parumq; aceti ad formam Cataplasmatis, addendo sub finem vitellum ovi, parumq; olei rosacei, applicetur tepidè.

Beneficio hujus Medicamenti dolor simul & intumefactio multum remiserunt, excrescentia quinetiam carnis aliquantum imminuta est, ita ut unguis à subjecta carne separatus, quem excrescentia carnis obtexerat, in conspectum veniret. Illum eùm sculpello & forfice, eâ quâ fieri potuit diligentiâ abscidissem, & pulverem exsiccantem aspersissem, nec non Emplastrum diapalmeum applicuissem, brevi convaluit. Ediscant Chirurgi, quantum intersit, morbi causam præcognoscere.

Obs. 82.

OBSERVATIO LXXXII.

De infelici successu Thermarũ Leucensium, in Catarrhoso quodam.

SAMUEL BERNHARDUS, Vir doctrinâ, virtute & pietate longè Excellentissimus, & Serenissimi Principis ac Domini, Dn. GEORGII FRIDERICI, Marchionis Badensis & Hachbergensis, &c. Consiliarius prudentissimus, sex aut septem annis destillatione ad pulmonem laboraverat, quæ tandem quoque ad externas partes aliquomodo decubuit, ita ut lassitudines spontaneæ, & quidem aliquomodo dolorosæ, sequutæ sint.

Quapropter ex consilio quorundam Medicorum, thermas Valesianas invisit Anno 1618. sed parvo cum successu, in eis enim hepar (quod naturâ calidius habebat) ita excalefactum fuit, ut defluxus humorum ad pulmones mirum in modum inde auctus, aliaque Symptomata sequutâ sint. Durlachium ad suos rediens, cùm Basileæ (quo ad ægros quosdam curandos vocatus fueram) me offendisset, unà cum clarissimo atq; doctissimo Viro, Domino Doctore JOHANNE FRIDERICO WERTENBERGIO, Medico celeberrimo, in consilium me adhibuit.

Summa autem aderat intemperies hepatis, sitis maxima, capitis dolor continuus, cibi fastidium, & tussis assidua, sub aure quoque sinistrâ circa venas jugulares externas tubercula, in scirrhos ferè indurata, inter balneandum exorta fuerant.

Corpus aliquoties expurgavimus infusione Rhabarbari, folior. senæ, syrupo rosato solutivo, Electuar. de succo rosarum, & similibus. Venam in brachio incidimus, & quæ obstructiones aperiunt, & intemperiem viscerum corrigunt, exhibuimus; Setaceum quoque nuchæ, & causticum ad poplitem dextrum applicuimus: Regiones quinetiam hepatis & renum unguentis & oleis refrigerantibus inunximus.

Hinc Symptomata omnia cùm remisisset, Durlachium ad suos profectus est, circa mensis finem Septembris, ubi iterum auctis Symptomatibus prædictis, & supervenientibus novis, veluti Lipothymiis frequentibus, tumorum sub aure & circa venas Jugulares suppuratione, pectoris angustiâ, & anhelitus difficultate, per totam hyemem graviter laboravit, donec tandem ineunte Vere animam suam piè placideq; DEO reddidit.

Ante obitum tamen ulcera ad venas Jugulares, quæ ab initio propter sanguinis & humoris adusti abundantiam, maligna & dolorosa fuerant, ad cicatricem ferè pervenerunt.

Horum omnium ipsemet testis sum ocularis, cùm enim ad Serenissimum Principem ac Dominum, Dominum GEORGIUM FRIDERICŨ, Marchionem Badensem & Hachbergensem, &c vocatus essem, prædicto Domino BERNHARDO iterum, unà cum Clarissimo & Doctissimo Viro, Domino Doctore LUDOVICO SCHMIDT, ejusdẽ Principis Archiatro celeberrimo, ad finem usq; vitæ, eâ quâ potui diligentiâ inservivi.

Ante annos aliquot, honesta & pia quædam matrona Bernensis, immodico fluxu menstruorum laborans, suasu imperitarum quarundam mulierculârum, me acriter dissuadente, thermas Leucenses invisit, ubi post primum & secundum ingressum thermarum, fluxus adeò auctus est, ut parum abfuerit, quin vitam cum morte commutasset. Difficulter Bernam rediit, ubi tamen paulatim vires recuperavit, & in hoc usque tempus vivit.

ANNOTATIO.

Videant itaque omnes, qui hepate calidiore præditi sunt, & defluxionibus ad pectus obnoxii, ne Thermis Valesianis utantur; Excalefacto enim hepate, protinus vapores multos ad cerebrum mittit, defluxionesque ad subjectas partes adauget.

Continent prætereà Thermæ hæ, præcipuè fonticulus ille aureus, das Goldtbrünlein dictus, nonnihil vitrioli, quod pulmonibus, ut sciunt Medici, adversissimum, præcipuè si aqua bibatur; major autem pars eorum, qui thermis hisce utuntur, singulis matutinis haustum ex prædicto fonticulo bibunt.

OBSERVATIO LXXXIII.

De Alumine, & Thermis Aluminosis in Arthritide.

Viro Nobili atque Doctissimo, Dn. LUDOVICO SCHMID, *Medicinæ Doctori, & Serenissimi Principis ac Domini,* Dn. GEORGII FRIDERICI, *Marchionis Badensis & Hachbergensis, &c. Archiatro dignissimo,*

Guilhelmus Fabricius Hildanus

S. P. D.

FEliciter me Bernam rediisse, Doctissime mi Domine Doctor, Amicorum Optime, ex postremis meis, quas Tibi jam dudum redditas fuisse non dubito, intelligere potuisti. Ab eo tempore defluxiones iterum pedem meum sinistrum occuparunt, & maximo quidem cum dolore, qui tamen, superveniente subsequenti nocte sudore, mox evanuit. Vides, quàm proficuus & salutaris mihi sit sudor, in articulorum dolore, quòd & aliàs, & quidem sæpissimè, cum admiratione expertus sum. Inter sudandum enim dolor ita remittit, ut, nisi moveatur membrum, vix percipiatur. Quandoquidem subtilis & acris illa materia, quæ partes nervosas vellicat; per sudorem ex parte evacuatur. Ex parte inquam, pituitosus enim & viscidus ille humor, qui ad articulos nervosq; decumbit, partem aliquam humoris acris secum retinet. Hinc fit, ut partes malè affectæ in longum tempus, etiam remittente paroxysmo, imbecilles remaneant, & dum moventur, dolore afficiantur. Ex motu enim acris ille humor, qui à pituita, veluti à freno suo retinetur, exacerbatur, incalescit, & tyrannidem suam exercet. Hæc quia tibi, ut Medico longè Exercitassimo, satis superq; cognita, de eis plura non addam; & singulare quid, quod hisce diebus in memetipso expertus sum, ascribam.

Post paroxysmos podagricos, quorum causâ Carlsburgi, ut vidisti, lecto affixus fui, pedes tumore

Obs. 83. tumore œdematoso intumefacti remanserunt, non solum in via, verùm etiam cùm domum reversus essem, ubi occupationes non permiserunt, ut mihimet ipsi remediis subvenirem. Cùm verò ãte dies aliquot, propter catarrhum, ad sinistrum pedem maximo cum dolore delapsum, lecto affixus essem, tumor pedis dextri planè evanuit. Quapropter ut pars affecta corroboraretur, nec defluxiones in posterum facilè reciperet, sacculum, quo hactenus & in memetipso, & in aliis semper cum successu usus fueram, videlicet ex Betonicâ, Salviâ, Ivâ Artheticâ, Primula veris, Absinthio, Rosis, & Granis Iuniperinis aquâ coctis, calidè applicui, idque iterum atque iterum cum fructu. Post dies verò aliquot gravissimorum Medicorum autoritate commotus, ad majorem astrictionem, & partis affectæ corroborationem, prædictis herbis alumen quoque addidi. Quid fit? Sentio protinus alterationem quandam in intimis partibus pedis: mox sequitur dolor, primò gravativus, ut vocant, qui paulatim in acutum transiit, adeoq; auctus fuit, ut post horam unam sacculum abjicere coactus fuerim.

Alumen Observatio.

Dolor per dies aliquot continuavit, ita ut Anodynis ipsum debellare coactus fuerim. Dolorem autem huncce propter admixtum alumen supervenisse, inde fit manifestum, quod ejsdem sacculis persæpè in aliis, nec non, ut dixi, præcedentibus diebus in memetipso, sed absq; alumine cum fructu usus fueram.

Thermæ Aluminosis.

Sed inquies forsan, ad quid futilia hæc? Dicam paucis. Cognosces indè facilè, quid de thermis, quæ ex alumine constant, censendum atque statuendum sit? Etiamsi enim affectas & à morbo labefactatas partes corroborent, cutem tamen adeò contrahunt, porosq; constringunt, ut corpus ad sudorem, in arthritide tantoperè necessarium, ineptum efficiant.

Quapropter Arthriticos ad Thermas, quæ ex alumine constant, nonnisi maximo cum judicio & præmeditatione ablegandos esse, indè certior factus sum. Hujus quoque sententiæ magnum Solinandrum fuisse, ex Consilio vigesimo quinto, Sectione quartâ, hæc ipsius verba testantur: Thermarum usus (inquit, de Podagrâ loquens) vix tutus est in ipsâ Paroxysmi exacerbatione: neq; in ipsius initio aut augmento convenit. In declinatione autẽ utiles esse possunt, si exercitati Medici industriâ ipsarum adhibendarum usus & modus regatur. Extra paroxysmos purgatis corporibus, & mandante membro depleto, cum magnâ ad præservandum utilitate, adhibere licet, si dexter, ut dixi, earum usus accedat. Hæc Solinander, qui eas, quæ ex alumine, sale, sulphure, Chalcantho & Nitro suas habent, præ aliis approbat. In penuria harum thermarum, cũ Guanerio & Andernaco artificiale balneum ex sulphure, alumine, sale, &c. præscribit. Vt autem ulteriùs cognoscas, alumen adversissimum esse Arthriticis, iterum ad affectum meum redeo. Thermarum usum in ipsius Paroxysmi exacerbatione aut augmento minimè convenire, Solinander rectè monet.

Michaël Mejerus in civitate corporis humani capite 6. addit, affectam partem absque tumore & tophis esse debere, antequam fomenta applicentur. At affectus meus jam extra paroxysmum erat. Ab eo enim tempore, quo Durlachio discessi, nullos passus fueram dolores in pede dextro: nullus prætereà adfuit tumor, multo minùs tophi, nihilominus tamen dolor, ut ante dixi, applicato fotu ex alumine, protinùs exortus est. Quæris causam? Arbitror ego, materiam quandam morbificam ex præcedenti paroxysmo, in superficie partis affectæ superstitem, & ad insensibilem transpirationem præparatam, vi aluminis (eximiè enim, Galeni verbis utor, omnia aluminis genera astringunt) ad nervosas partes retrusam, ibidemq; ejus actimoniâ auctam fuisse. Alumen enim vim quoque habere excalefaciendi, autor est Dioscorides. Id tamen potiùs per accidens, nimirùm poros constringendo, & calorem nativum intus includendo, quam innatâ qualitate calidâ aluminis, fieri existimo. Eodem modo tempore hyemali nix excalefacit manus, si cum ea fricentur.

Obs. 83. & 84.

lib. 5. c. 123

Vides, Vir clarissime, quid de thermis Aluminosis aliisq; omnibus, quæ insigniter astringunt & exsiccant, in arthriticis sit sperandum. Ego hæc in memetipso primò expertus sum. Nunquam enim, quod sciam, alumine in arthriticis usus fui, neque in posterum utar. Cùm enim sudor, ut sæpissimè cum in memetipso, tùm etiam in aliis expertus sum, omnium præstantissimum, promptissimum, & securissimum sit anodynum in arthritide, cutis & pori nullo modo constringendi, sed potiùs relaxandi sunt.

Deinde cùm extra controversiam sit, materiam morbificam non per vias cuti proximas, sed profundiùs sitas, ad articulos decumbere, non video, ad quid constrictio & coarctatio illa pororum, quæ fit vi aluminis, tantoperè sit necessaria? Verùm tuam ut hac de re sententiam rescribas, & si quid rationi minùs consentaneum à me adductum fuerit, candidè moneas, obnixè rogo. Nunc enim nihil mihi magis in votis est, quàm ut Furiam illam Zipperlinam profligare possim. Tu ut idem, & quidem viriliter facias, etiam hortor. Vale, & æternùm cum tuis omnibus quàm felicissimè vive. Bernæ .... Iunii 1622.

OBSERVATIO LXXXIV.

Adolescens, cui manus resoluta erat, brachium sibi frangens, restituitur.

HElvetius quidam Adolescens, ... Lausañæ studiis dans operam, ex arbore cadens, brachium sibi ad carpum frangit. Ego in consilium adhibitus, fracturam feliciter sanitati restitui.

Ante annos autem aliquot, contusionem talem circa carpum ejusdem brachii ex casu quoque contraxerat, ut eo tempore manus veluti resoluta & impotens permanserit: postrema autem curatio tam feliciter successit, ut manus penitus in integrum restituta fuerit. Causam hujus sanationis hanc esse, mihi videtur: Primus affectus sive contusio carpi, cùm ab imperito malè curata esset, & inprimis plurima medicamenta refrigerantia applicata fuissent, materia quædam viscida inter ossa carpi remanserat, quæ cùm post

Obs. 85. fractum brachium ab humore affluente veluti irrorata, emollita & excalefacta esset, postea medicamentorum emollientium & resolventium, à me summâ quà potuit fieri diligentiâ, adhibitorum beneficio, resoluta & dissipata fuit. Quæ exitiosa nobis videntur, frequenter commodum maximum adferunt.

Observatio LXXXV.

De felicissima curatione Fracturæ Costarum, in qua nonnulla Annotatione digna occurrunt.

Viro Doctissimo, Dn. Jacobo Hagenbachio, *Basileensi Doctori Medico celeberrimo, Amico meo singulari,*

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

Maximo animi mei cùm dolore atq; mœstitiâ, Doctissime mi Domine Doct. Hagenbach, adversam valetudinem Clarissimi & æternâ laude dignissimi Viri, Dom. Grasseri, ex binis suis, quarum primæ ante quatuordecim dies, postremæ verò heri traditæ mihi fuerunt, cognovi. Precor autem DEUM Opt. Max. ut ipsi Spiritu suo sancto adesse, ipsumq; Christianâ constantiâ ac patientiâ veluti clypeo munire velit. Iter, quod ad Generosum Dominum Baronem in Gorgier (apud quem tum propter morbi gravitatem, tum etiam adversam tempestatem, per dies aliquot detentus fui) feci, obfuit, quò minus maturè respõdere potuerim. Ne itaque moram difficulter feras, obnixè rogo.

Etsi autem prima inspectio literarum tuarum dolore me affecerit; cùm tamen ex postremis maximam ac sedulam diligentiam tuam, circa affectum optimi istius Viri, Domini Grasseri, adhibitam cognoscerem, ab omnibus molestiis & curis animus meus laxatus fuit. Laus sit Deo, qui Te suscitavit, ut vices meas circa pium istum virum in suis angustiis ex arte efficere possis. Nihil autem in methodo à Te adhibitâ correctione dignum occurrit, omniaq; mihi probantur. Pulverem præcipitatum, nisi dolor obfuerit, inspergere poteris: alioquin butyro recenti, aqua rosaceâ loto, commisceri poterit. Per se tamen impositus, materiam illam tophaceam & viscosam meliùs ex profundo & circumjacentibus partibus attrahit.

Pulvis præcipitatus.

Cataplasma ex radicibus, Ari, Scrophulariæ bryoniæ, altheæ, & similibus à Te præscriptum, ad emolliendam & resolvendam materiam illam tophaceam, summopere mihi quoque probatur. Adderem nonnihil pulveris rosarum rubrarum, Ivæ Arthreticæ, & Betonicæ, ad majorem corroborationem partis malè affectæ. Adderem quoq; nonnihil croci, & vitellum unum aut alterum ovi, si dolor adfuerit.

Cataplasma.

Mercurium crudum, uti Clarissimus Vir, Dn. D. Werdenbergius quoque suasit, non admiscerem. Plerunque enim in corporibus, præcipuè valetudinariis, ad subjacentes partes penetrat, ipsisq; inhæret, non sine detrimento valetudinis.

Mercurius crudus.

Porrò casus, quem in præcedentibus meis ad Te literis promisi, talis est. Decimo nono mensis Decembris, superioris anni, interim dum ego Soloduri apud Dominum Kallenbergium ægrotantem hæsi, quadragenarius quidam hujus urbis, Michael Dilberger nomine, Vir robustus & plethoricus, cùm in propugnaculo extra urbem noctu excubias perlustrasset, & fortè fortuna super congelata terra, retrò in capulum gladii cecidisset, nonam decimamq; costam lateris sinistri propè spinam confregit, ita ut partes confractæ ad exteriora vergerent. Deportatur à Commilitonibus ad ædes suas, quæ extra mœnia sunt: ubi noctem in maximis doloribus contrivit. Summo mane cùm uxor mea accersita esset, hominem in maximis angustiis invenit.

Obs. Fract. costar. ex lap.

Dolor enim & pungitivus & maximus erat, cum pectoris angustia, & respirandi difficultate. Præparatis omnibus, quæ ad operationem necessaria erant, confracta ossa feliciter in situm naturalem reposuit. Totum latus oleo Rosaceo inunxit, & cataplasma ex farina hordei, pulvere rosarum, balaustriorum, Nucum cupressi, gallarum, & Tormentillæ, cum posca & ovo integro confectum applicuit; ferulas quinetiam & pulvillos, prout ad ossa continenda necesse esse videbatur, apposuit, omniaq; convenienti ligaturâ constrinxit; leviter tamen. Arcta enim ligatura quàm sit periculosa in fracturis costarum, aliàs coràm ex me intellexisti. Costis confractis sic repositis dolores reliquaque symptomata protinùs ex parte remiserunt. Statim quoque post repositionem costarum confractarum, haustum aquæ Prunellæ & Sionis, partibus æqualibus cõmixtis exhibuit. Victum quin etiam tenuissimũ præscripsit. Sequenti die venam secari jussit, & de tertio in tertium diem fracturam deligavit, & curavit. Interim bis in die haustum de prædictis aquis in octavum usque diem bibendum dedit. Post decimum cùm ego domum reversus fuissem, ægrum ab omni periculo liberatum reperi. Tùm curationem prædictis remediis & emplastro ad fracturas ossium, spatio quatuor hebdomadarum plenissimè & feliciter absolvimus.

Symptomata. *Curat.*

Cæterùm in hac curatione annotatione dignum fuit, quod in cute ne minimum quidem indicium, ut fieri solet, contusionis apparuerit, sed sanguis ille contusus per alvum effluxerit, & quidem in copia. Testatur enim æger, testantur & astantes, uti quoque domestici mei, ad aliquot libras sanguinis contusi & grumosi per secessum effluxisse; idq; hoc modo.

Sangu. concre. per alv. rejectu.

Tertio die cùm suppositorio ducenda esset alvus, insurgit natura, & per se alvum illa die ter quaterve ducit, ac ultra libras tres humoris viscosi sanguinisq; concreti, & excrementis mixti, rejicit. Fluxus iste ad sex fermè dies continuavit, ita tamen ut priori biduo, numero sedium ac quantitate excrementorum viscosorum, & sanguinis grumosi paulatim adauctus fuerit.

Biduo autem intermedio fluxus neque auctus neque imminutus fuit, sed in eadem quantitate & numero permansit. Ultimo tandem bibiduo sensim iterum decrevit, donec ad naturalem excernendi modum rursus pervenisset: viribus interim satis semper constantibus, neque unquam admodum imminutis, uti nec ægro ab ulla febri infestato.

Hæc

Hæc omnia domestici mei mecum, videlicet Dn. Iohannes Burgowerus, & Dn. Franciscus Monhemius, qui & operationi interfuerunt, diligenter observarunt. Vides clarissime mi Domine Doctor, quàm provida & sagax sit natura in conservatione sui individui, quæ meo quidem judicio per venas & arterias lumbares, ad intestinum Colon, eâ in parte, ubi è regione renis sinistri peritonæo annectitur, viam sibi quæsivit.

Secus procul omni dubio advenisset, si in dextro latere fuisset contusio. Id enim ante duos annos hîc in cive quodam, *Hans Rust* nomine, vidi. Huic enim ex minori contusione, quàm non fuerat hæc, lateris dextri, & sine ulla fractura costarum talis sequuta est Ecchymosis, ut totum latus ab axilla ad clunem, umbilicum, & spinam dorsi occuparit, & multa gravissima symptomata excitarit.

De quibus tamen tandem maximâ à me adhibitâ diligentiâ, Deo benedicente remediis, curatus fuit, & satis commodè vixit, usque ad nonum hujus mensis: tùm inter pocula accepto colapho, cùm retro in pavimentum hypocausti cecidisset, & posteriorem partem capitis cum nucha contudisset, aliquantisper veluti exanimis permansit: ad se tamen cùm rediisset, surgit, & ad ædes suas se confert, ubi cibum indigestum evomuit. Circa primam noctis apoplexiâ corripitur, & sequenti die debitum naturæ persolvit. Post obitum multum sanguinis & pituitæ viscidæ per os rejecit. His vale, & feliciter vive diu cum parentibus clarissimis, quos Tecum ego & uxor mea peramanter salutamus. Raptim Bernæ, 23. Februarii 1623.

OBSERVATIO LXXXVI.

In qua nova & artificiosa inventio, ac Methodus curandi fracturas ossis femoris proponitur, & Exemplo stabilitur.

Viro Doctissimo atq; Excellentissimo, Domino JACOBO HAGENBACHIO, *Medicinæ & Chirurgiæ Doctori, Amico singulari,*

Guilh. Fabricius Hildanus, S. P. D.

CUr hactenus fidem meam apud Te liberare non potuerim, & promissam Observationem tàm tardè ad Te mittam, Doctissime atque Amantissime mi Domine HAGENBACHI, antehac aliquoties ex literis meis facilè colligere potuisti; sed sat citò, utinam quoque sat benè, tibique grata esse possit.

Agit autem Observatio hæc de fractura ossis femoris sive coxæ; in cujus curatione ante annos circiter duos singularia nonnulla & observatione digna animadverti, quæ Tibi Viro in Chirurgicis diligentissimo communicare, & si vixero, quintæ Centuriæ quoque inserere volui. Sin minus, Tu quæso, da operam, ne familia Chirurgica inventione hacce, quam proponam, utilissima (sine jactantia hoc dictum sit) frustretur. Diversimodè autem frangitur os femoris, hoc est, in transversum, obliquum, vel longitudinem, quemadmodum & cætera ossa. Frangitur item vel in medio, vel versus inferiorem aut superiorem articulum. Verùm enim verò quocunque modo, quacunque etiam in parte, hujus ossis fractura facta fuerit, perquàm difficilis est, & rarò (Avicennæ verbis utor) homo ex fractura sine claudicatione evadit, præsertim si fractura in superiori parte femoris fuerit. Quæris causam? in promptu est.

Primò, quia os femoris non rectum est, uti sunt ossa tibiæ & brachii, sed naturaliter in externam partem veluti in arcum dilatum est: quapropter si fractum fuerit, facilè versùs internam partem incurvatur. Versùs externam verò veluti in arcum extuberat.

Secundò adsunt nervi & musculi ex interna parte femoris quàm maximi & robustissimi, qui cum primum os fractum est, versùs originē suam trahentes illud, quod jam antea, ut dixi, naturaliter incurvatum est, facilè & ita quidem in arcum trahunt, ut extremitates ipsius circa fracturam sese disjungant, & versùs externam partem protuberent.

Tertiò, quia unicum est os, quapropter non tàm facilè in loco suo retineri potest, ac si aliud sibi, uti brachia & tibiæ, adjunctum haberet.

Quartò, cum pars maximè sit carnosa, & os veluti in medio pulvinari situm, difficulter beneficio ferularum & spleniorum in loco suo retineri posse, Experientia docet, præsertim si fractura in obliquum facta fuerit. Validissimi enim nervi ac musculi ossa, quamvis ab initio rectè reposita fuerint, extra locum tamen iterū trahunt: quemadmodum in ægra quadam, ut dicam posteà, videre mihi contigit.

Diligenter tamen distinguendæ sunt fracturæ ossis femoris. Si enim versùs genu aut in medio fractum fuerit os, & diligens atque expertus Chirurgus adhibeatur, non usque adeò difficilis est curatio, uti ego sæpissimè in meis ægris vidi, omnesque hactenus (Laus sit DEO) sine claudicatione curavi: imò & superiori anno puellam quatuor circiter annorum ex Domesticis Generosi ac Strenui Viri, Domini Johannis Jacobi à Diesbach, hujusmodi fracturâ laborantem, sine maxima difficultate curavi. Sin verò superior pars ossis propè coxam fracta fuerit, vix absque claudicatione curabitur æger, uti Avicenna & alii testantur; tùm propter causas superiùs allatas, tùm etiam quia splenia nonnisi ex una, videlicet ex infima parte constringi possunt. Hæc verò ut rectè intelligas, sequens attende exemplum.

Puella octo circiter annorum, filia Magistri Abrahami Meyeri, Civis Bernensis, cum 28. Mensis Junii, Anno Millesimo sexcentesimo vigesimo tertio, ex suprema contignatione dom9 in pavimentum cecidisset, os femoris sinistri in altiori parte fregit. Ego eadem hora accersitus, fracturam completam circa processum minorem vel inferiorem, à Vesal. ossium tabulâ primâ V. notatum; cum insigni extuberantia ossis fracti, versùs externam partem femoris inveni; crus quoque longè breviùs erat altero. Pri-

Marginalia: Obs. 85. / 86. — Contusio lateris dextri. — Mors ex apoplexia ... accepto colapho ... — Obs. 61. — Observatio. — Observatio singularis de fracturâ femoris.

Obs. 86.

vatim enim femur, inquit Ægineta libro sexto, capit. centesimo secundo, *dum frangitur, magis in anteriorem locum distorquetur, itemq; in Externum; nam in hos etiam dilatum est.* Cæterùm os confractum feliciter reposui, & applicatis medicamentis convenientibus & spleniis, crus in capsulam ita adaptavi; ut in decimum quartum usque diem omnia nobis ex voto succederent, & à dolore omnibusque Symptomatibus imunis ægra esset; interim tamē fracturam de tertio in tertium diem, pro more curavi. Sed quid fit? Cùm quadam nocte muscæ & pulices præter modum vexarent puellam, & proinde corpus & crus commoveret, ut spacio viginti quatuor horarum mirum in modum extuberaret, & & crus longè brevius evaderet altero, uti ex figura, quam postea addam, videbis. Vides qualis deformitas& claudicatio sequuta fuisset? nisi DEUS suâ gratiâ mihi adstitisset.

Fracturas autem in hac parte femoris, videlicet propè coxam, sine claudicatione curari non posse, testatur Avicenna mihi libro quarto, fen. 5. tractatu tertio, cap. decimo quarto, his verbis: *Scias, quod ille, cujus coxa & ancha sunt fractæ, parùm denudatur à claudicatione* Brunus libro primo, capit. sexto. Theodoricus libro secundo, capite trigesimo octavo. Guido de Cauliaco, tractatu quinto, doct. prima, capit. septimo. Iohannes de Vigo libro sexto, capite decimo quarto, doctrinæ Avicennæ subscribūt. Hujus quoque sententiæ fuisse Cornelium Celsum, testatur ipsemet libro octavo, capite decimo, his verbis: *Neq; tamen ignorare oportet, si femur fractum est, fieri brevius; quia nunquam in antiquum statum revertitur, summisq; digitis postea cruris ejus insisti, sed multa tamen femoris debilitas est; ubi fortunæ negligentia accessit.* Andræas Vesalius, Anatomicus & Chirurgus insignis, libro secundo, capite decimo quarto Chirurgiæ suæ, cum Celso consentit: uti & Peccetius libro quarto, capite decimo quarto. Est itaque communis sententia Authorū, os femoris fractum, præsertim ex superiori parte, sine claudicatione curari non posse, idque mirum non est. Splenia enim & fasciæ ea in parte, ut capita ossis fracti reposita retineant, commode adaptari non possunt. Paræus, Chirurgus longè celeberrimus& ingeniosissimus, libro decimo quinto, capite secundo, se matronam, cui os femoris ad ipsum processum magnum fractum fuit, sanitati restituisse refert: sed hoc veluti rarum& inauditum quid recenset, nec immeritò. Neminem enim, qui ex hujusmodi fractura sine claudicatione evaserit, præter unicam hancce puellam, cujus curationem mox adscribam, unquam me vidisse, sanctè affirmare possum.

Habeo inter Anatomica mea ossa femoris, ad minimum septem vel octo in cœmiteriis collecta, quorum nonnulla in medio, major verò pars, versus coxam fracta & distortè curata fuēre. Ex his omnibus videre licet, verissimam esse doctrinam Avicennæ, reliquorumque Authorum allegatorum. Si quis tamen Methodum illam, quam postea tibi proponam, sequi voluerit, facilè evitabit, ne crus brevius evadat, & claudicatio sequatur. Prius autem curationem puellæ nostræ recensebo; ex qua reliqua omnia faciliùs intelliges.


Obs. 86


Vigesimâ itaque octavâ Junii Anno 1623. cum prædicta puella, ut antea dixi, ex suprema contignatione domus in pavimentum cecidisset, & pro mortua in grabatum deposita fuisset, statim accersitus fui. Tum in diversis corporis partibus, etiam in ipso capite contusiones, & excoriationes, non usque adeò tamen magni momenti inveni: Os verò femoris & quidem, ut antea dixi, circa processum minorem sive inferiorem, omninò fractum, & in exteriorem partem in gibbum ita incurvatum, ut femur ultra duos digitos in latitudine positos, altero brevius esset, quemadmodum ex sequenti figura videre licet, in qua A. locum affectum denotat. In repositione autem ossis fracti hujus puellæ, quia adhuc tenella, instrumentis uti necesse mihi non fuit, sed totum negotium manu absolvi. Præparatis itaque omnibus quæ requirebantur, puellam in mensam collocavi, laqueumq; ex tela suavi sub interfeminio disposui. Hujus laquei capita ministro ad caput ægrotantis stanti, porrexi: Alium prætereà constitui ministrum, qui ambabus manibus genu apprehendebat: sic unus laqueo femur sursum, alter manibus genu deorsum recto tramite trahendo, fracturam feliciter reposui. Deinde inunctâ tota tibiâ, à pede usque Hypochondria, applicato item Emplastro, & eâ, qua fieri potuit diligentia, circumpositis spleniis & fasciis, totum crus in capsulam, ut apud me vidisti, collocavi. Dolor, qui antea magnus erat, statim cessavit, & benè quievit eâ nocte.

Signa os fracti rectè repositi.

Crus prætereà ejusdem longitudinis erat cum altero, hinc cognovi, os rectè repositum esse; sunt enim hæc signa certissima, os rectè in locum suum esse repositum. Tertiâ die cum fracturam iterum deligarem, capita ossis fracti quàm optimè adhuc coaptata esse, ipsa ocularis inspectio fidem nobis fecit. Extuberantia enim nulla aut inæqualitas circa fracturam aderat, de dolore non conquerebatur ægra, & crus ejusdem longitudinis erat cum altero. Quapropter omnia in tuto esse sperabam. Et ut Symptomatibus præcaverem, de tertio in tertium, vel de quarto in quartum diem, fracturam obligavi. Vigesima quartâ Iulii, qui fuit decimus sextus morbi, cum pro more fracturam obligarem, omnia adhuc ad votum succedere, iterum cognovi. Quid fit? Sequens nox, etiamsi dolores non adessent, propter caloris tamen vehementiam (erat enim in ipso Æstatis vigore) & muscarum importunitatem, quum aliquomodo gravis ipsi esset, ipsum quoque crus cum sua capsula hinc inde commovisset, capita ossis fracti iterum loco dimota fuerunt, ita quidem, ut spacio viginti quatuor horarum ingens extuberantia secuta, & crus plus quàm tres digitos, in latitudine positos, brevius factum sit, ut ex sequenti figura videre licet.

Extu-





Extuberantia tamen hæc sine dolore ullo fiebat, qua de re forsan admirari poteris, cum periostium exquisitissimo sensu sit præditum, & proinde gravissimos dolores excitet, si ab ossibus fractis pungatur. Sed verisimile est, extremitates ossis fracti, jam viscosâ & glutinosâ quadam materiâ, ad calli generationem destinata, ita obductas fuisse, ut periostium pungere non potuerint. Verùm iterum ad rem. Quum extuberantiam illam ossis, & retractionem deformitatemq; cruris viderem, & apud me perpenderem, claudicationem futuram, anxius profectò & perturbatus fui; etiamsi me non lateret, Avicennam totamq; scholam Medicam consentire, in hujusmodi fracturis aliter fieri non posse; negotium tamen animo & cogitatione percurrens atque expendens, En singulari DEI Optimi Maximi instinctu confestim mihi occurrit sequens instrumentum; cujus beneficio gibbus ille & extuberantia ossis intra paucos dies, & quidem sine ullo dolore, depressa, & os tam bellè in integram pristinamque ac naturalem formam restitutum fuit, ut ne minima quidem deformitas, multò minus claudicatio ulla remanserit; quin potius spacio duorum mensium, ita restituta fuerit ægra, ut sine baculo incedere posset.

Instrumentum autem ex lamina ferrea fabricatum, & tela fustanica, ne carnem lædat, coopertum est, hunc in modum.


Explicatio Instrumenti.

Ab A. usque ad B. instrumentum linea recta fabricatum est; pars verò illa quæ CC. & DD. circumscribitur, ita incurvata est, ut femur, inprimis versus fracturam amplecti possit.

E. & F. fasciæ sunt ex duplicata tela fustanica factæ, quarum illa femur supra genu, hæc v. crus ad poplitem amplectitur.

G. Alia est fascia, quæ instar cinguli, corpus supra ossa Ilei ambit, quemadmodum sequens figura demonstrat. Fasciæ autem sint ex tela fustanica, reduplicata, diligenterq; consuta, ut in opere relaxari nequeant.

Obs. 86.



Sed prospiciendum est, ut instrumentum cum femore justam habeat proportionem, ita ut inferior pars B. notata ultra poplitem non descendat, multò minus superior extremitas A. os Ilium superet. Cingulum enim si os sacrum & Ilii superaret, non satis arctè constringeret fracturam, & proinde inutile esset instrumentum. Hoc modo femori annexo & adaptato Instrumẽto ligulâ in medio cinguli paulatim cõstrinxi, idque bis terve in die, lentè tamen, ne dolorem excitarem. Sic intra dies tres aut quatuor incurvatio ossis adæquata fuit, reliqua quinetiam omnia tàm benè ad votum successerunt, ut intra septimanas septem vel octo plenissimè convaluerit ægra.


Vides mi Dn. Hagenbachi, DEUM OPT. MAX. pro sua misericordia plerumque in Praxi nobis patefacere, quæ Antiquis latuerunt.

Fracturam enim femoris, quæ pro difficilima semper habita fuit, ut ex prædictis Authoribus colligere poteris, ad eam facilitatem redegi, ut quivis etiam Tiro in arte, etiam sine claudicatione curaturus sit, dummodò diligentiam adhibuerit, & instrumentis aptis instructus fuerit: sequenti itaque modo negotium aggrediendum est. Si femoris os fractum sit, inquit Hip. lib. de fracturis, extensio diligenter inprimis facienda est, ne minus, quàm debeat, efficiatur. Amplior enim si sit, nullam læsionem affert. Valenter itaque, imò & valentissimè extendi debet crus, & recto quidem tramite; sunt enim musculi femoris maximi & robustissimi, qui versus principium trahentes maximam extensionem requirunt. Hæc Hippocr. Sed subjecti habenda est ratio. In pueris enim sola manu, & sine ope Instrumentorum, coxam fractam hactenus feliciter reposui, aliquoties etiam in adultis. Verùm id non semper tutum est, propter musculorum magnitudinem & robur. Quapropter si Chirurgus validissimam hancce extensionem perficere minimè potuerit, ad instrumenta confugiat. Si enim minus quàm res postulat, femur extendatur, tum capita ossis fracti non poterunt in situm naturalem reduci, sed veluti decussatim ad invicem, maximo cum damno ægri, disposita erunt; uti tu quoque ossa femoris inter Anatomica mea vidisti.

Femoris os fractũ quomodo reponendum.

Primò itaque sequens instrumentum à me inventum, & Remora dictum, scamno aut tabulæ infigendum est. Involvatur diligenter linteis suavibus; deinde æger supinus in tabulam ita adaptandus est, ut instrumentum interfemineum occupet.

Figura instrumenti.



Declaratio instrumenti Remoræ.

Ab A. usq; ad B. instrumentum quo ego utor, longum est pollices novem.

Circa B. crassitiem habet pollicis.

C. Foramen est, in quod mediante torculari, globulus ferreus D. notatus, infigitur, de quo postea in dislocatione scapulæ agetur.


E Ton-

Obs.

f. 16.

E. Torcular est, cujus beneficio Remora scamno aut tabulæ infigitur, usque dum cauda Remoræ G. notata, tabulæ insistat, & clavo suo torculari F. notato, firmiter annecti possit.

Placuit autem, hocce Instrumentum Remoram vocare, quemadmodum enim Remora, teste Plinio, lib. 32. cap. 1. piscis exiguus cogit stare navigia, ut ultra progredi non possint, ita etiam instrumentum hoc, eo modo, uti dixi, accommodatum, ægrum, etiamsi fuerit robustissimus, retinet, impeditque, ne trahendo deorsum inclinet. Posteà sequens cingulum à me inventum, femori parum supra genu adaptandum est, sequenti modo.



Declaratio Cinguli.

A. Cingulum est, quo femur parum supra rotulam cingitur. B.C. Hamuli sunt validissimi, ex ferro vel ære fabricati, quorum unus ad internam, alter ad externam partem genu adaptetur: possunt enim pro arbitrio Chirurgi huc vel illuc duci. Tandem hamulis injiciendus est laqueus validus F.F. notatus & ejus longitudinis, ut plantam pedis præcedat. Sit itaque D. genu E. verò planta pedis, sub qua laqueus F.F. conjungitur, ibidemque laqueo annectendum est Instrumentum trochleatum G. notatum, ut extensio, quemadmodum dicam posteà. Si quis tamen Cingulum tibiæ circa talum adaptare voluerit, errabit. Verùm tunc laqueum ita brevem esse convenit, ut ipsius extremitates sub planta pedis conjungantur.

Delineatio hujus Instrumenti trochleati, etsi apud Ambros. Paræum, Chirurg. longè Excellentiss. & ingeniosiss. habeatur lib. 16. c. 7. & alibi eodem libro; quia tamen nonnulla in eo emendavi, ut facilè videbis, si Delineationem D. Paræi cum mea contuleris, placuit delineationem meam hic adjungere: Tu pro arbitrio, hanc vel illam eligere poteris.


Obs. 16.

Arbitror autem, Dom. Paræum primò hujus Instrumenti usum in fracturis ossium & dislocationibus introduxisse. Quandoquidem nullibi apud Chirurgos, qui ante ipsum scripsere, quicquam de ipso me legisse vel vidisse memini; quicquid sit, præstantissimum est instrumentum, & inter omnia, quæ unquam ad ossa confracta, & articulos dislocatos reponendos, ab Authoribus nobis communicata & depicta fuere, meo quidem judicio, aptissimum.

Primò enim ad omnes partes corporis (costas, claviculas, mandibulam & pubis os excipio) sive fracta fuerint ossa, sive luxatæ juncturæ, adaptari potest.

Secundò recto trahit tramite, neque partem læsam plus minusve ad hanc vel illam partem trahit, præcipuè si Cingulum & Remora non omittantur. Hinc sanctè affirmare possum, me aliquoties fracturas sine dolore ferè reposuisse. Beneficio autem Cinguli prædicti efficitur, ut pars læsa non obliquè, sed recto tramite trahatur. Si enim tibia aut femur fractum fuerit, cingulum ad genu aut talum ita adaptandum est, ut extremitates laquei, antea F.F. notati, in ipso centro plantæ pedis conjungantur, ibidemque hamulus Instrumēti trochleati injici possit.

De Cingulo ejusq; utilitate.



Obs. 86. Sin brachium fractum fuerit, cingulum carpo adaptetur, ita ut hamuli cinguli antea B & C. notati unus internam, alter externam partem manus respiciat, & extremitates laquei circa ipsum apicem digiti medii concurrant. Paræus loco cinguli membro fasciam ex tela adaptat, eaque instrumentum suum annectit, uti videre poteris lib. 16. cap. 22. 45. & alibi: Sed hoc modo extensionem rectam vix fieri posse, facilè conjicies, si in prædictis capitibus delineationes inspexeris, negotiumque attentè examinaveris.

Tertiò vel lentè, vel celeriter trahit, partemque plus minusve, pro arbitrio Chirurgi, & ut res ipsa postulat, extendit, quod cum aliis machinis & glossocomiis vix observari posse, Experientia me edocuit.


Quartò parvum est, & sine magno impedimento circumferri potest, etiamsi peregrè ad ægros proficiscendum est: totum enim instrumentum, quo ego jam per multos annos usus sum, cum sua Remora & cingulo, ultra uncias triginta quinque non pendet.

Quintò ægris terrorem non incutit, ut solent alia glossocomia & machinæ, ab Antiquis usitatæ, & apud Oribasum aliosq; adumbratæ.

In dislocatione humeri aptissimum quoq; est Instrumentum hoc, uti apud Paræum lib. præallegato c. 22. videre poteris, longè tamen aptius evadit, si globum ex ferro, ejus magnitudinis & figuræ, uti postea adumbrabitur, fabricatum, Remoræ infixeris (quod beneficio Torcularis fiet) & processeris, ut postea dicam.

In dislocatione Spinæ quoque utimur hoc instrumento; ubi loco cinguli prædicti corpus fascia, sex digitos latâ & oblongâ, secundum corporis ægri magnitudinem, & ex tela nova facta, obvolvendum est, idq; è regione ossis sacri, & ita quidem, ut dimidia pars fasciæ superiores extremitates ossis ilei superet, reliqua verò pars fasciæ ossi ilei incumbat. Sic enim efficies, ut deorsum trahendo ossa ilei, spinas quoque trahas & extendas; aliter enim spina extendi non potest. Vt autem æqualiter trahatur spina, laqueus prædictæ fasciæ duobus in locis injiciendus & annectendus est, videlicet ex anteriore parte in medio ossis pubis, è regione lineæ albæ, & ex posteriori parte è regione spinæ & ossis sacri, ita ut extremitas laquei, una inter nates, altera verò pudenda versus descendat, & circa genua conjungantur, ubi instrumentum Trochleatum annectendum, & in ventrem posito ægro, trahendum est. Ne autem inter trahendum corpus, instrumentū sequatur, & deorsum inclinet, fascia lata & oblonga pectori & dorso super brachia injicienda est, quæ à duobus viris robustis sursum trahatur, vel tabulæ, in qua jacet æger, annectatur. Aut poterunt pali duo tabulæ hoc modo infigi, ut ex utroque latere corporis subter brachia unus sit: sic in extensione corporis pectus & respiratio libera erit.

Hæc obiter de præstantia & usu prædicti instrumenti; nunc iterum ad institutum nostrū revertar.



In tabulam itaque, & ad Remoram posito ægro, injecto quoque cingulo, ad talum vel genu, ut dictum est, hamulis item cinguli imposito laqueo, clavus torcularis in forma crucis fabricatus (qui instrumento trochleari adpictus & A notatus est) columnæ aut parieti alicui infigendus est, idq; è directo membri fracti, ne in extensione membrum fractum hinc inde detorqueatur. Posteà hamulus instrumenti trochleati B. notatus, laqueo, alter verò G. insignitus, clavo ad postem vel parietem imponatur. Omnibus sic adaptatis, minister trahet funem ductarium D. notatum, sed blandè. Interim autem dum minister funem trahit, Chirurgus ambab. manibus femur circa fracturam amplectetur; sed inprimis sciat, quorsum capita ossis fracti inclinent, alioquin vix ea rectè imponet. Ponamus itaque casum: femur dextrum hunc in modum esse fractum, ut caput ossis A. versus externam partem extuberet. B. verò versus internam vergat, ut præsens figura ostendit.

Dum itaque Chirurgus manibus amplectitur femur, diligenter prospiciat, ut interim, dum crus beneficio instrumenti trochleati extenditur, pollicem sinistrum capiti ossis fracti A notati, dextrum verò pollicem B admoveat, idque quodammodò viriliter, prospiciatque, ne minister funem relaxet, quin potius clementer trahat, usque dum os in situm suum naturalem redierit.

Amplior enim extensio, inquit Hypocr. lib de fracturis cap. 67. si fit, nullam læsionem affert, idq; propter musculorum magnitudinem. Sic trahendo funem, & manibus clementer reprimendo capita ossis fracti, os in situm naturalem revertetur. Quod facilè cognosces, primò, quia extuberantia nulla aut inæqualitas ossis, admotis manibus percipitur. Secundò, quia

Sign. bene positi


86. quia os protinus fit æquale, idque plerumque cum crepitu quodam. Tertiò, dolores pungitivi cessant. Quartò, crus ejusdem est longitudinis & figuræ cum altero.

Sic reposito osse, non relaxandus est funis ductorius, priusquam Medicamenta fasciæ & ferulæ sint impositæ. Celeriter itaque totum crus à pede usque ad coxam & hypochondrium inunguendum est oleo rosaceo, fracturæ v. sequens Cataplasma imponendum.

♃. Farinæ hordei ℥. iij.
Pulveris rosar. rubear. ℥. ß.
Balaustiorum,
Nucum Cupressi,
Gallar. ana ʒ. ij. Cum posca fiat Emplastrum in mortario, addendo vitellos ovorum num. ij. olei rosacei ℥ j. Applicetur tepidè. In adultis & extenuatis huic Emplastro admisceri poterit ʒ. ß. lapidis Osteocollæ; generationem enim calli accelerat. In juvenibus autem & succulentis non convenire osteocollam, ex Centur. 1. Observ. 91. colligere poteris. Deinde involvendum est femur, à genu usque ad coxam, fasciis poscâ imbutis.

de colla

Ut autem capita ossis fracti retineantur, nec loco suo excidant: En instrumentum à me inventum, quod femori sequenti modo apponetur.



Explicatio præcedentis Figuræ.

A.A. lamina est ferrea, pollices 14. longa, duos verò lata, in medio autem ubi B. B. notata, in duas partes divisa est, ita tamen, ut mediante torculari,

Obs. 86.

C.C. adduci possint. Hoc enim modo unicum Instrumentum diversis ægris inservire potest. Pro statura enim corporis aut longius aut brevius illud efficies.

Torcular autem ut contrarios motus habeat, necesse est, ita ut circumducendo ambas laminas A A. notatas, vel ad centrum * notatum trahant, vel unam sursum, alteram deorsum æqualiter propellant. Ne autem laminæ prædictæ in hanc vel illam partem vacillent, ex utroque latere torcularis splenium ferreum

D. D. notatum, firmiter annexum est, ita tamen ut ex adversa parte, per annulos duos

E. E. E. E. notatos, ad libitum Chirurgi sursum deorsumque moveri ac duci possint.

F. G. Fasciæ sunt duæ, quarũ illa femur supra genu, hæc verò crus ad poplitem amplectitur.

Sic annexo Instrumento, superior pars

H. notata, inferiori processui ossis pubis, quod & fenestratum os pectinis, item & pudibundum os appellant, & apud Bauhinum ossium tabula 4. H. notatur, imponenda. Est autem suffulcrum hoc H. notatum, ex ligno fabricatum, & in altiori sua parte

I. notata, nonnihil in rotundum excavatum, idque in eum finem, ut eminentiam ossis prædicti eò meliùs excipere possit.

Excavatio hæc filtro, linteaminibus, & stupâ ita munienda est, ne pars illa, cui insistit, lædatur.

Hoc modo supra & infra genu annexo Instrumento, stylo ferreo K. notato circumducendum est torcular (habet enim in suo centro foramina) donec pars illa H. insignita, contra prædictum os fenestratum firmiter insistat; tum reliqua pars femoris (si fractura fuerit in medio femoris, aut prope genu) munienda est spleniis ligneis, antequam superior fascia L. notata claudatur. Sin fractura versus coxam, aut processum minorem femoris fuerit, quemadmodum in puella, de qua antea dixi, præter instrumentum jamjam depictum & descriptum, etjam præcedens, quo in puella usus fui, apponendum est, quò os in suo loco retineri possit.

His omnibus quam diligentissimè peractis, totum crus in capsulam ligneam, uti apud me vidisti, adaptandum est, ac in tertium aut quartum diem relinquendum; singulis tamen diebus coxa, imum ventris, Hypochondrium, itemque crus ad plantam pedis, & quicquid fasciis non obtegitur, oleo rosaceo inunguendum est.

Quod si affluxus humorum ad partem læsam supervenerit, defensivum aliquod supra fracturam applicetur. Statim quoque ab initio universalia probè sunt instituenda. Victus tenuis & exquisitus præscribendus est, & si fieri potest, corpus à pravis humoribus expurgandum, aut enematibus laxandum est, ne constipato ventre, febris oriatur.

Obs. 18. Excrementa autem facilè vasculo, ex stanno vel cupro fabricato, excipies, *cujus ideam paulò post sub signo hoc subjiciemus* ☞


Vena quoque ejusdem brachii incidenda est, & sanguis pro ratione plenitudinis, & tolerantia virium extrahendus, sed & continuò quàm diligenter prospiciendum est, ne præscriptum Instrumentum laxetur, sed ad genu firmiter sit annexum; Ex superiori quin etiam parte fenestrato ossi insistat, quod torcularis beneficio efficies, & impedies, ne capita ossis fracti semel imposita, iterum extra locum suum declinent. Hæc de primo apparatu.

Quarto aut quinto die, si nihil sinistri circa fracturam acciderit, resolvenda est, omniaque tùm fasciæ, tum etiam emplastra & inunctiones renovandæ; omnia tamen prius præparanda, ne quid in opere deficiat, & deligationem retardet. Est enim necesse, ut membrum fractum supra infraq; fracturam, à duobus ministris æqualiter teneatur; quod cùm sine dolore, & ministrorum labore fieri nequeat, minimè cunctandum, sed in opere festinandum est.

Ampliore tamen extensione (uti nonnulli artis parùm periti, qui quotiescunque fracturam resolvunt, membrum iterum extendere solent) opus non est. In primo enim apparatu, si ossa rectè reposita fuerint, (debent autem rectè reponi) ad quid quæso conducet, ægrum denuò totiesque excruciare?

Ut autem, Citò, Tutò & Iucundè, secundum præceptum Galeni, tàm secunda, quàm subsequentes deligationes fracturæ fieri possint, negotium sequenti modo instituendum est. Si ex lecto in mensam aut tabulam collocari potest æger, denuò tabulæ aut scamno infigenda est Remora; quemadmodum in primo apparatu factum fuit.


Si verò in lecto deligatio fieri debet, loco Remoræ fasciâ, ex tela novâ & forti factâ, retinendus æger, ne deorsum inclinet, quando minister pedem extendit. Ut autem dilucidiùs fiant omnia, annectere placuit figuram, quæ sequitur sub hoc signo ☽.



Ponamus itaque casum, ut A. sit superior pars spondæ, ubi æger ita collocandus est, ut in medio B. notato, sit caput ipsius. Sint prætereà spondæ infixi annuli duo, alter ad dextrum latus, ad sinistrum alter, C.C. notati. Appositâ deinde fasciâ D.E. danda est opera, ut medium fasciæ interfemineo adaptetur. Ex utraque autem parte fissa & in duas partes divisa, est fascia, uti apparet in figura ex G. & H. Appositâ itaque fasciâ hoc modo, ut fissura G. regionem fundi ventriculi non

Obs. 86.

li non superet (in omnibus enim operationibus, ut sæpissimè ex me intellexisti, pectus quantum fieri potest, liberum esse debet, ne respiratio impediatur) & H. vix sextam partem Metaphreni pertingat; annulis C. C. notatis inserendæ, & quàm validissimè annectenæ sunt extremitates fasciæ, ita quidem, ut ægrum retineant, quò minus deorsum inclinet. Ita adaptatâ fasciâ, capsula aperienda, asseresq; ad latera deprimendi sunt, & cingulum superius adumbratum, circa talum injiciendum, laqueus quinetiam sub planta pedis conjungendus est. Non usque adeò tamen necesse est, uti instrumento trochleato (ulteriore enim extensione opus non est) sed sufficiet, si minister unus dextra funem cinguli, sinistra v. calcem pedemque apprehenderit, & levaverit. Id autem ut æquabiliter fieri possit, alius minister, qui femur circa coxam ambabus manibus apprehendat parùmque attollat, constituendus est. Hoc modo nonnihil in altum elevato crure, celeriter mutanda ac renovanda sunt emplastra, reliquaque omnia, inuncto tamen prius crure. Sed prospiciendum est, ut prædictum instrumentum & ferulæ diligenter circumponantur, & crus in capsulam suam denuò rectè ponatur, ut anteà satis superq; dictum. Cingulo autem in secunda & subsequentibus deligationibus fracturæ, propterea utor, ut ejus subsidio minister facilè & sine labore retineat partem affectam, ne in hanc vel illam partem vacillet. Nonnunquam instrumentum trochleatum quoque apposui, sine ulla tamen extensione, sed in eum tantummodò finem, ne musculi versus originem trahentes, os ex situ suo removerent. Hæc de fractura ossis femoris, ejusdemque repositione, & quomodo in situ naturali retineri possit, ne crus brevius fiat. Vnum adhuc de præstantia Instrumenti trochleati & Remoræ addam, videlicet ipsius usum in repositione scapulæ, in qua ambo commodissima esse, aliquoties expertus sum. Quocunque enim modo loco dimotum fuerit caput humeri, horum Instrumentorum beneficio, nisi dislocatio fuerit antiqua, facilè ipsum repones, si Remoram cum suo globulo ferreo, ejus magnitudinis, *ut in sequenti figura sub litera A depictus est*, in tabulam aut scamnum commodum infixeris, ægrumque collocaveris, ut mox dicam. *Ipsa Remora, globulo subjecta, litera B. notatur.*





Globulus autem telâ involvendus est, uti etiam Remora. Deinde ægrum in dorsum collocabis, & ad Remoram ita adaptabis, ut globulus instrumenti alæ cavitatem repleat. Apposito præterea cingulo, cum suis hamulis & laqueo, ad carpum annectendum est trochleatum instru-

Obſ. 87. mentũ, uti præcedens demonſtrat figura, tandemque paulatim extendendum & trahendum brachium, donec caput humeri in propriam ſedem repellatur. Tum inſtrumentum trochleatum parùm relaxandum, corpusque ægri ſurſum trahendum eſt, cavitas verò axillæ, pilâ ex linteis factâ replenda, faſciiſque ita ſtabilienda, ne iterum ſuo loco excidat.

Habes Clariſſime & Doctiſſime mi Dn. HAGENBACHI, inventionem meam ac modum reponendi, ac ſuo loco retinendi os femoris fractum. De Univerſalibus, & quomodo Symptomatibus ſit occurrendum, nihil adſcribo. Hæc enim Tibi ſatis ſuperque ſunt cognita. Vale itaque mi Dom. HAGENBACHI, & cum Tuis omnibus æternùm quàm feliciter vive. Dab. Bernæ, 18. Maii, 1625.

OBSERVATIO LXXXVII.

De fractura tibiæ, in gravida.

Ad eundem Virum Clariſſimum & Doctiſſimum, Dn. D. JACOBUM HAGENBACHIUM, &c.

Cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus,

S. P. D.

NON licuit mihi profectò, Clariſſime & Doctiſſime mi Domine HAGENBACHI, Obſervationem præcedentem celeriùs ad Te mittere, varia enim occurrunt, quæ mè à ſcriptione avocant, quinetiam corpus & mentem plerunque affligunt. Quapropter ut tarditati ignoſcas, multùm rogo. Ne autem debitum ſine reditu perſolvere velle videar, en de eadem materia obſervationem non ſpernendam: in qua & nõnulla tuis ſtudiis non indigna occurrunt.

Honeſta quædam & pia Matrona, Domina Anna Rennen, uxor Domini Rudolphi Zender, ætatis circiter triginta annorũ, cum ſuperiori an. Milleſimo, ſexcenteſimo, vigeſimo quarto, trigeſimo Maii, circa Solis occaſum in via, itinere duarũ horarum ab urbe diſtante, ex equo cecidiſſet, & ſoleâ ferreâ equi ictum in tibiam ſiniſtram recepiſſet, os tibiæ inter genu & talum in medio fractum fuit, cum inſigni contuſione & dilaceratione carnis. Ad proximum hoſpitium cùm deportata eſſet, & Dominus Abrahamus Bronnerus, hujus urbis Chirurgus ordinarius vocatus, caſum illum difficilem, & multis modis periculoſum eſſe cognoviſſet, inuncto toto crure, & quæ prætereà neceſſaria eſſe videbantur, inſtitutis, ægram in lectica ad urbem comportandam curavit. Vbi ſequente die, Domino Bronnero ſic ſuadente, ad ipſam quoque vocatus fui, tum prædictum os in obliquum, cum vulnere non exiguo, fractum eſſe reperimus, fracturam feliciter repoſuimus, & tibiam in capſulam collocavimus. Repoſito oſſe, dolor mox ceſſavit, omniaq; ad votum ſucceſſerunt, imò & fragmenta nonnulla oſſis ſine difficultate extraximus. tandem per Dei miſericordiam, nullis ſupervenientibus Symptomatibus, pleniſſimè reſtituta fuit ægra.

In hac autem curatione nonnulla annotatione digna occurrunt. Primò erat gravida, & ſeptimum menſem imprægnationis tranſgreſſa; nihilominus fœtus (ut fieri ſolet) ex hoc tam gravi caſu, concuſſione corporis & conſternatione animi, commotus non fuit. Ad conſtitutum itaque tempus filiam peperit. Illa quàm fuerit à partu in hunc uſque diem robuſta & lepida, vix credas. Procul dubio propter optimam victus rationem, quam Mater obſervavit.

Secundò, ſine difficultate hac vice peperit, imò & nullum incommodum circa fracturam ſenſit: cum tamen præcedentes parturitiones omnes (ſepties autem anteá pepererat) fuerint, ut refert, difficiles. Robur & vivacitatem infantis id feciſſe arbitror: fœtus enim quò eſt fortior, eò faciliùs quoque naſcitur. Teſtis eſt fœtus abortivus, qui non niſi maxima cum difficultate & dilaceratione Matris naſcitur, etiamſi embryo magnitudinem minimi digiti vix adæquaverit. Quemadmodum enim de arboribus poma matura decidunt, cruda verò & immatura, nonniſi magno labore aut ventorum impetu, à ſuis pediculis avelluntur; ita etiam cum fœtu accidit, ut pleniùs videre poteris in Epiſtolica mea reſponſione ad Dn. D. Döringium.

Tertiò, nulla apparet macula in hac puella, ut fit plerunque, ſi gravida gravi aliquo morbo aut animi perturbatione corripitur. Quæris cauſam? Eſt Matrona corpore quidem parvo, imbecillo & macilento, animo verò magno ac heroico prædita, pietate item, & ſingulari virtute ornata; quapropter in fœtu facultas imaginatrix (uti in puſillanimibus facere conſuevit) operationes ſuas exercere non potuit.

Quartò, vix credibile eſt, quantas circa generationem calli habuerimus difficultates & labores, adeò etiam, ut vigeſima tertia ſeptimanâ poſt contractam fracturam, movendo & circumagendo pedem, oſſa confracta adhuc vacillarent. Lapidem ſabuloſum, in fracturis oſſium tantoperè celebratum, & per os cum decoctis & aquis appropriatis exhibuimus, & fracturæ applicuimus, ſine magno tamen fructu: quapropter non parùm anxius fui. Tandem, laus ſit Deo, à vigeſima tertia ſeptimana morbi ad trigeſimam, callus generatus, & fractura planè confirmata fuit. Cæterùm cauſa tarditatis calli generationis, meo quidem judicio, in fœtu quærenda eſt. Quamdiu enim in utero fuit, alimentum ad calli generationem deſtinatum, (generatur autem ex puriſſimo) ad ſui nutritionem per vaſa umbilicalia, poſteà ex mammis cum lacte materno attraxit. Prætereà deficiente calore nativo in parte affecta, natura oſteocollam, aliaq; medicamenta, quamvis præſtantiſſima, & à tot ſeculis approbata, ex potentia in actum traducere non potuit, quapropter callus non niſi cum difficultate generatus fuit. Sed de his ſententiam tuam ſcire quoque cupio. Non enim negligenda eſt hiſtoria, & prima fractura oſſis, quæ mihi in gravidis videre contigit. His vale, mi Dn. Hagenbachi, & cum Tuis æternùm quàm feliciter vive. Raptim Bernæ, anno 1625. 25. Iunii, quæ mihi dies, Anno 1560. Hildenæ natalis fuit.

OBSER-

OBSERVATIO LXXXVIII.

De fractura Patellæ.

Viro Amplissimo & Doctissimo, Dn. PETRO PAVIO, *Medicinæ Doctori Excellentissimo, Anatomiæ & Botanicæ facultatis, in inclyta Academia Lugdunensi Batavorum Professori Primario, ac longè celeberrimo, amico meo singulari studio observando.*


Guilhelmus Fabricius Hildanus, S. P. D.


ANte menses tres in Hassiam, ad Generosum quendam ex familia Reideseliorum, vocatus fui, Vir Amplissime, amice plurimùm observande, & nunc Bernam ad meos propero. Quia autem hic Francofurti per dies aliquot, apud amicos quosdam meos, moram trahere coactus sum, & ad Te scribendi sese offert occasio, intermittere non potui, quin Amplissimum Virum Epistolio hocce interpellarem atque salutarem. Id verò ex animo facio, meque totum tibi offero, voveo, & dedico. Nunc quod scribam, etsi nihil singulare habeam, ne tamen nudas ad Te mitterem literas, en exemplum de fractura patellæ, quod propterea adscribo, quia uti rara, sic & difficilis est fractura hæc, ut dicam posteà. Casus autem talis est:

Quadragenarius quidam, vir robustus, & optimo corporis habitu præditus, domesticus perillustris Principissæ ac Dominæ, Dom. Annæ Landgraviæ Hassiæ, &c. Comitissæ in Solms, Labach, ex casu sibi patellam in transversum fregit, cum maxima contusione genu, sine vulnere tamen. Ab initio etsi ex arte curatus fuisset æger, nihilominus tamen dolores acutissimi, aliaque symptomata supervenerunt. Tandem dolore, reliquisque sedatis symptomatibus, convaluit quidem, sed claudicatio, ac summa imbecillitas totius cruris secuta est, ita ut nonnisi maxima cum difficultate ambulare, & tibiam, ascendendo vix sublevare possit. Ego ante paucos dies ex Hassia rediens, cum Fridbergæ in Wetteravia apud Domin. Georgium Fabrum, Landgraviæ Hassiæ, & castri Imperialis Fridbergensis Doctorem Medicum ordinarium, ac longè celeberrimum, amicum meum singularem, per dies aliquot detentus essem, ad prædictam Dominam Comitissam consilii causa simul vocati fuimus: ubi virum istum vidimus, & quæ ipsi acciderant, ex ipso coràm collegimus. Præscripsimus & nonnulla ad partes nervosas roborandas: sed verebar, ne frustra omnia adhiberentur. Occurrebant tunc ea, quæ Tua Exc. l. d. ossibus parte 4. c. 4. ex Amb. Paræo recenset; qui l. 15. cap. 22. testatur, se neminem, cui patella fracta fuerat, vidisse, qui nō claudicasset. Tu cum Domino Paræo existimas, causam claudicationis ad callum, cujus beneficio patella fracta connectitur, referendam esse; cum videlicet capacitatem articuli subter patellam implet, motumque articuli impedit. Etsi verò opinionem hancce rationi consentaneam esse, in dubium revocare minimè conabor, unus tamen restat scrupulus, videlicet, an fractâ patellâ, extuberantia calli talis esse possit, ut cavitatem hancce (quæ inter femur & os tibiæ magna est) adeò adimpleat, ut motum actionemque genu impedire possit? Videmus enim utplurimum in reliquis ossium fracturis, (nisi contritio ossis & periostii fuerit maxima) naturam tam decenter & eleganter connectere ossa, ut rarò relinquatur vestigium fracturæ. Periostium enim, quamdiu integrum est, materiam calli retinet, quò minus in extuberantiam excrescere possit, nisi ea adhibueris, quæ ex proprietate quadam specifica generationem calli promovent, uti ego adhuc juvenis in Belgio feci, & quidem pauco cum successu; quemadmodum videre poteris Centur. primæ Observ. 91. Deinde in hoc nostro ægro, callum non fuisse causam claudicationis, ex sequentibus apparebit: quapropter distinctione hic opus est.

Nota B. circa generationē calli, in ossium fracturis.

Frangitur autem patella, vel in transversum, vel in obliquum, vel denique secundum longitudinem ductâ linea per ipsum femur, versus majorem digitum pedis. Hæc autem ut dilucidiora fiant, delineationem patellæ, ab omnibus suis membranis mundatæ, adjungere placuit: simul & aliam adumbrationem patellæ, uti ego illas in sceletis meis habeo, quibus membranæ musculorum quorundam, tibiam moventium, videlicet septimi, octavi, & noni, uti etiam tendo validissimus, qui ex ipsis enascitur, adhærent.





Obs. 88.

De fractura secundum longitudinem patellæ.

Si itaque ab A. usque ad B. fracta fuerit patella, vix claudicatio consequetur; præcipuè si ingeniosus ac expertus Chirurgus, qui Symptomatibus pravis scit obviam ire, adhibitus fuerit. Ille enim patellam disjunctam facilè conjunget, & conjunctam pulvillis, spleniis, fasciisque in loco suo retinebit. Facilè inquam. Circa patellam enim septimi, 8. & 9. tibiam moventium, musculorum extremitates, uti ex præcedente figura apparet, concurrunt, & in validissimum tendonem H. desinunt; qui patellæ implantatur, tandemque in inferiore parte G. ex ea erumpens, in anteriorem tibiæ sedem sub genu ossi tenuissimè annectitur, inserituŕque. Porrò cum proprium sit musculorum, versus suam originem trahere, etiam sine industria Chirurgi, fracturam patellæ secundum rectitudinem ossis & membranarum, musculorum, & tendonum factam, plerumque in locum suum redire posse, rationi consentaneum, & ex præcedēti figura videre est: quinetiam, quia propter validissimam musculorum prædictorum attractionem, labia patellæ fractæ statim ab initio arctissime conjungūtur, nullam inde calli extuberantiam, nullamque proinde claudicationem consequi posse, certum est; dummodò Chirurgus in Vniversalibus, & Topicorum rectâ administratione nihil neglexerit, & dolori, aliisque symptomatibus diligenter prospexerit.

De fractura in transversum.

Cum fractura verò in transversum, videlicet à C. usque ad D. longè alia est ratio. Hoc enim modo fracta patella musculi, præcipuè 7. 8. & 9 versus coxam trahunt; tendo verò, qui sub genu tibiæ ossi inseritur, & G. notatur, patellam deorsum protrahit hinc in medio ita disjungitur, ut labia fracturæ, propter validissimā attractionem musculorum & tendonis, nunquā conjungi possint. Hoc modo fractam esse patellam in prædicto viro, & ipsa ocularis inspectio, & tactus digiti, nobis fidem fecerunt. In medio enim adeò erat disjuncta, ut digitus auricularis ad foveam implendam vix sufficeret. Ex hac disjunctione patellæ, cum musculi tibiā moventes, inprimis septimus, octavus, nonus, robore suo destituti essent, mirum non est, claudicationem consecutam fuisse, ægrumque tibiā vix sublevare posse.

De fractura in obliquum.

Cum fractura in obliquū, hoc est, ab E. usque ad F. eadem ferè est ratio. Musculi enim prædicti, simul & tendo, labia patellæ fractæ sursum deorsumque, vel etiam in transversum trahunt, disjunguntque. Ex his videre est, fracturam hancce patellæ, in transversum vel obliquum factam, nulla arte, nullaq; industria, sine claudicatione curari posse. Vult tamen Paulus Ægin. de re medica lib. 6. c. 103. ut extenso crure, patella, quæ in duas partes divisa est, digitis contrahatur, donec labia fracturæ mutuò se contingant, ac committantur. Hæc tentari quidem poterunt, vix tamen crediderim, labia patellæ fractæ conjungi, aut si conjuncta, tam diu propter doloris vehementiam fasciis aut spleniis retineri posse, donec mediante callo sint connexa. Sed rarò, laus sit Deo, uti etiam testatur Avicenna, fractura hæc occurrit. Patella enim, cum mobilis, nulloque ossi annexa sit, facilè cedit, & ex una in alteram partem, à quovis corpore duro protruditur. Iā finem facerem Epistolæ, sed aliud occurrit exemplum de fractura patellæ, cum maxima contritione, quod Amplissimo Viro Coronidis loco libenter communicabo.

Fractura patellæ ...

Generosus quidā ex antiqua familia Steinbergiorum, in Ducatu Brunswicensi oriundus, nomine Conradus à Steinberg, cum Ordinum confœderatorum Belgiæ castra sequeretur, & in expeditione quadam atque conflictu, aciem suorum equitum cōtra hostem instrueret, magnanimiterque pugnaret, ictu sclopeti patella sinistra ipsi fracta, mirumque in modum comminuta atque contrita fuit. Ab initio, quum vulnus propter loci incommoditatem, & expertorum Medicorum penuriam, ex arte minimè curatum fuisset; exortus est dolor acutissimus, inflammatio, Meliceria, aliaque gravissima symptomata, qui ipsum dies noctesque adeò excruciarunt, quinetiam concoctiones omnes, atque actiones naturales retardarunt, ut tandem planè factus sit Cacochymicus. Multi ac varii in consilium adhibiti fuerunt Medici atque Chirurgi, sed frustrà. Tandem quoque vocatus fuit D. Cosmas Slotanus p.m. Illustrissimi Principis, ac Dom. Dom. Wilhelmi Juliacensium, Clivensium, & Montensium, &c. Ducis Medico-Chirurgus ordinarius & celeberrimus, Præceptor meus observandus. Quum itaque in arcem Bodenberg, ad ægrum pervenissemus; genu supra modum intumefactum atq; hinc inde exulceratum invenimus, cum ligamentorum & cartilaginum erosione. Mansimus apud ipsum per Menses circiter duos: interim, cum Dn. Slotanus eam adhibuisset industriam atq; diligentiam, ut non exiguum fructum atque imminutionem omnium symptomatum persentiret æger, & Dn. Slotanus à Principe suo vocatus fuisset; Dusseldorpium in curru pensili conductus fuit æger. Verùm non diu post, quum propter agitationem & defatigationem corporis, malum, symptomataq; omnia ingravescerent, & vires deficerent, tandem piè placideq; DEO animam suam reddidit, Anno 1582. 28 si rectè recordor, Septemb. Dissecto & ad conditurram præparato corpore, à Dn. Slotano, coram Dn. Renero Solinandro, & Galeno Wiero, Medicinæ Doctoribus longè excellentissimis, calculum sat magnum & durum in vesica fellea, omniaque ferè viscera interna corrupta invenimus. Ligamēta item & cartilagines, imò & ipsa ossa genu, exesa erant. Hæc raptim ad Te scribo, quamprimùm verò ad Musas meas pervenero, uberiores, DEO volente, habebis à me literas. Vale Vir Amplissime, & in bonum publicum vive diu. Dabam Francofurti 8. Decemb. 1617.

Obs. 89.

OBSERVATIO LXXXIX.

De mira fragilitate ossium.

Viro Amplissimo Doctissimo, DOM. PHILIBERTO SARAZENO, *apud Lugdunenses Doctori Medico longè celeberrimo, Amico singulari,*

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

SÆpissimè cum admiratione legi, Vir amplissimè, ea, quæ de mira & ferè incredibili fragilitate ossium, cùm apud Marcellum Donatum mihi lib 5. cap. 1. scribuntur, tùm etiam à temetipso, & à Dn. Iohanne de Burgo observata, mihiq; communicata, nec non Centuriæ 2. Observationum mearum inserta fuere. Cum enim ossa partes sint corporis omnium solidissimæ, ex substantiâ quinetiam crassâ & terrestri ita compactæ, ut etiam per multos annos illæsæ in ipsâ terrâ remaneant, impossibile mihi videbatur, tàm facilè eâ disrumpi ac frangi posse: sed experientiâ aliter edoctus, adscribam exemplum unum aut alterum.

Superiore anno 1620. matrona quædam honesta & robusta, quæ nondum 30. annum ætatis attigerat, Dn. Philippi Thomæ, hujus urbis Senatoris filia, cum quadam die circa rem familiarem occupata esset, & in ipso hypocausto fortè fortunâ in pavimentum cecidisset, tibiam dextram circa poplitem sibi fregit. Vocantur barbitonsores duo: qui quidem fracturam se rectè reposuisse asseruerunt, interim tamen sequutus est dolor adeò magnus, aliaque symptomata adeò sæva, ut quum ego septimo mense post acceptam fracturam, in consilium adhibitus essem, ipsam veluti in agone reperirem. Quapropter manum adhibere recusavi, corroborantia tamen quædam præscripsi, & astantibus significavi, ipsam brevi finem vitæ suæ facturam. Post paucos dies paulatim, & veluti lumen, cui deficit fomes, extincta fuit, adeò consumpta atque extenuata, ut ossa vix cute obtegerentur. Nec mirum: propter gravissimos enim, continuos ac longos dolores & cruciatus, quos ex inepta deligatione & situatione tibiæ perpessa fuerat: propter diuturnum item decubitum, quum de universalibus toto isto tempore morbi, ne semel quidem fieret mentio, calor nativus labefactatus, & humidum radicale absumptũ, obstructiones quinetiam quàm gravissimæ hepatis, lienis, & venarum mesaraicarum sequutæ fuerant.

Aliud Exemplum

Ante annum Sexagenarius quidam Solodurensis, ex Senatorio Ordine, Dn. Ursus Rouchti nomine, ab aliquot annis catarrhis adeò obnoxius fuerat, ut maxima indè virium, totiusq; corporis labefactatio, etiam externarum partium, sequuta sit. Die quodam lectum egrediens, cùm per cubiculum deambularet, vestesq; indueret, nec non inopinatò pedem dextrum nõ satis aptè deduceret, protinus in pavimentum decidit, non sine maximo dolore, aliisq; signis, quæ os fractũ esse arguebant. Advocato Empirico quodam, cujus consilio & remediis in fracturis ossium pleriq; isto in loco utuntur, femur seu femoris os, ad quatuor circiter digitos, in latitudinem positos, supra genu in transversum fractum esse, repertum fuit. Reposuit quidem fracturam, si Empiricis jactantiis credendum: dolor enim, verissimum signum, os non satis rectè fuisse repositum, non remisit, sed potius auctus fuit, donec tandè, quum universalia planè neglecta fuissent, exorta esset phlegmone, & exindè ulcus circa fracturam, quapropter ad menses aliquot decumbere coactus fuit. Tandem cùm utcunque restitutus esse videretur, & innixus suffulcris per cubiculum deambulare posset, Paralysi aliisque gravissimis symptomatibus (de quibus posthac datâ occasione ad Te scribam) correptus fuisset, naturæ debitum solvit. Os autem verissimè fractum fuisse, testis sum ocularis. In postremis enim morbo suo, non diu ante obitum, ulcus ipsum, adhuc ad os usque apertum, inspexi, osque fractum fuisse, manifestè cognovi. De causis hujus fragilitatis ossium inter se non conveniunt Medici: ego libentiùs Tuam intelligam mentem, quàm quicquam hac de re inpræsentiarum proferam. Vale Vir amplissime, & cum tuis omnibus æternùm quàm felicissimè vive. Raptim Bernæ Helvetiorum, 28. Februar. 1621.

OBSERVATIO XC.

In qua, Thermas in Ulceribus inveteratis non semper tutas esse, contra vulgarem opinionem ostenditur.

Viro Doctissimo, DOM. JACOBO HAGENBACHIO, *Medicinæ & Chirurgiæ Doctori, Amico singulari,*

Cui

Guilh. Fabricius Hildanus, S. P. D.

CUm plerumque Thermæ ex sulphure, alumine, vitriolo, ferro, cupro, aliisq; metallis quæ insigniter mundificant & exsiccant, constet, Doct. mi Dn. Hagenbachi, & proinde ab omni ævo in ulceribus, scabie, aliisque externarum partium vitiis, à Medicis cum successu fuerint adhibitæ, tandem in abusum quoque venerunt, & ita quidem, ut imperitorum hominum extremũ refugium esse soleant. Cùm enim in contumacissimis & inveteratis affectibus, ea quæ ab initio imprudenter, ne dicam impudenter promiserunt, tandem præstare nequeunt, ægros, ut se extricare possint, ad Thermas ablegant, nulla neq; morbi, neque ægri habita ratione: Inde plerunque evenit, ut ægri eorum interitum mortemq; multis sumptibus, maximisq; molestiis & laboribus, quos in via sustinent, accelerent. Vidi id aliquoties, præcipuè hisce diebus in nobilissima ac singulari virtute prædita matrona, Dn. Magdalena Nageliana, nobilissimi Viri, Dn. Rudolphi Manuelis, Consulis nostri prudentissimi uxore, quæ nunc 70. annum ætatis attingit. Laborat illa à multis annis ulcere doloroso & contumacissimo, cum ossis carie, circa juncturam pedis sinistri. Quapropter anno 1614. balneas Neuhausenses propè Bernam, tibi cognitas, invisit, idque cum fructu. Dolor enim sedatus, & ulcus cicatrice obductum est. Non diu tamen post iterum recruduit malum, & ulcus de novo

Marginalia: ...ssium natura. | ...bia in hypocausto fracta. | ...lè re...ta. | ...aliu. | ...xemplum simili con...u. | Obs. 89. Iridè malè curatio. | Mortem infert. | Historia singularis de infelici successu thermarum in ulcere inveterato.

Obs. 90. ruptum fuit; quapropter Anno 1616. eisdem Thermis iterũ uti voluit, sed minorem fructum inde recepit, febre enim correpta fuit, quâ per dies aliquot periculosè laborans, à me restituta fuit. Admonui quidem tunc temporis ipsam strenuè, ut in posterum à balneis, & balneatione omninò abstineret, sed frustrà. Domum enim cùm reversa fuisset, & ulcus recruduisset, paulatimq; vicinas partes, maximis cum doloribus occupasset, ad Thermas Blumensteinenses, ad Tunam oppidum sitas, partim ex consilio barbitonsoris cujusdam, sed præcipuè proprio suo motu, se contulit, 4. Iunii hujus anni. Thermas cùm vix in quartam diem ingressa fuisset, vires protinus adeò prostratæ fuerunt, ut nihil suprà. Quum itaque propter imbecillitatem corporis, thermas amplius ingredi non posset, pedem malè affectũ ex grabato extendens, ad poplitem usque, aquæ thermarum calefactæ ter quaterq; singulis diebus immersit, nec id quoque cum successu fiebat; cum enim 3. Iulii ad ipsam vocatus fuissem, vires mirum in modum prostratas, pulsumque intermittentem inveni; sitis maxima, nausea & appetitus prostratio aderant. Suasi primò, ut protinus à balneatione desisteret, nec pedem amplius aquæ illi calidæ thermarum immergeret. Secundò, ut præter exquisitissima juscula carnium, singulis quoque horis cochleare unum hujus aquæ sumeret.

Potiuncula cordialis.

R. Confect. Alkermes ℥.j.
Aquæ melissæ,
Buglossæ, Rosarum,
Aqu. Cinamomi, destillatæ sine vino ana ℥.j.
Syr. de succo limonum.
Violarum an. ℥.vj.
Margaritarum præparat. ℈.j. Misceatur

Carpis sequens applicui Epithema,

Epithema.

R. Aq. Buglossæ,
Melissæ, Rosarum,
Cinamomi an. ℥ j.ß.
Aceti rosacei ℥.vj.
Croci ℈. j.
Spec. diamargarit. frigid. &
Lætificantis Galeni, an. ℈.ij.

Misce, fiat Epithema, applicetur tepidè, pulvillis in eo madefactis.

His vires paulatim ita restitutæ fuerunt, ut quam in thermis morituram esse putabant astantes, Bernam in lectica brevi allata sit, ubi vires intra paucos dies ita recuperavit, ut nunc quàm optimè se habeat.

Ex his, amantissime mi Dom. Hagenbachi, singularem, & ad praxin necessariam doctrinam colligere poteris, videlicet, Thermas in putridis, inveteratis & cacoëthicis ulceribus non temerè adhibendas esse. Quæris causam? Materia putrida musculosis partibus circa ulcus, vel etiam ipsi ossi imbuta, ex calore Thermarum incalescit, acris fit, malignitatem acquirit, & ulcus magis magisq; dolorosum reddit; quapropter humores continuò ex corpore (præcipuè si id impurum, nec antea probè, uti in hac nostra ægra quoque accidit, expurgatum fuerit) ad partem affectam confluunt, & cum reliquis humoribus

Thermæ cur in ulceribus inveteratis & pravis exitiosæ.

prædictis, partibus musculosis inclusis, corrumpuntur: Porrò materia illa, vi atq; calore Thermarum in ipsis venis & arteriis incalescit, & in vaporem resolvitur, qui posteà per venas ad hepar, per arterias ad cor, per nervos verò ad cerebrum ascendens, naturales, vitales & animales spiritus contaminat, gravissimaque symptomata inducit; idque evidentissimè in hac matrona vidimus: antequam enim ad thermas proficisceretur, corpore adeò erat robusta & valida, ut iter hoc eques comodè perficeret, thermis verò cùm vix in quartum usa fuisset, primò prostratio virium, angustia pectoris, & quædam veluti cordis palpitatio, sequuta est. Secundò, sitis maxima, eructationes, nausea, & cibi fastidium sequebantur. Tertiò, inquietudinibus & vigiliis torquebatur; ex quibus omnibus satis perspicuum fit, tria illa membra principalia, cor videlicet, hepar & cerebrum, malè affecta fuisse, idque verum esse, facilè ex eis, quæ sequuntur, colligere poteris; Quamprimum enim balneationem, lotionemq; pedis malè affecti, intermisisset, spiritus vitales protinus refocillati, vires quinetiam brevi in integrum restitutæ fuerunt. Intemperies quoque calida hepatis, sitisq; inexhausta, nausea, appetitus prostratio, vigiliæ & inquietudines remiserunt, convaluitq; brevi, ut anteà quoq; dixi.

Cæterùm quum à Dn. Consule mihi proposita fuisset quæstio: possetne aqua illa ulceri cum fructu applicari? aquam, quæ à nemine, ut referũt incolæ, hactenus explorata fuit, probavi, eamque cum ex copioso ferro ac pauco vitrioli constare viderem, ipsius usum non improbavi, suasi itaque, ut aquam linteis in ipsa madefactis tepidè applicaret ulceri, ut autem ipsius vis atq; facultas adaugeretur, beneficio ignis aquam communem à medicamentosa, quantum fieri potuit, separavi, quâ per dies aliquot cum fructu usa fuit. Nunc tamen aquam illam Thermarum, quam de quarto in quartum diem recentem Bernam asportandam curat, simplicem & sine ulla coctura applicat, idque optimo cum successu; dolor enim circa ulcus exiguus est, nec amplius vicinas partes contaminat. Vides mi Dn. Hagenbachi, etiam medicaměta longè excellentissima, qualia sunt thermæ, in perniciem hominum cedere, si præter rationem adhibita fuerint. Aliud addam exemplum.

Aliud observ. de usu ... thermarum.

Optimus ac singulari virtute prædictus nobilis ille, Dn. Abrahamus ab Erlach, quem non diu ante abitum tuum, ex dolore podagrico, eoq; vehementissimo, curavimus, quum proprio suo motu, & sine consilio Medicorum ad Thermas Valesianas se contulisset, in ipsis ante octiduum naturæ debitum persolvit, idque mirum non est; erat enim homo, ut vidisti, cacochymicus, cujus viscera à multis annis obstructa, & mirum in modum infarcta fuerunt pravis humoribus; hi quum ante ingressum thermarum evacuati non essent, in ipsis thermis incaluerunt, hinc cùm exorta fuisset febris, mox & alia sequuta sunt symptomata gravissima, & quia Medicus illo in loco adesset nullus, sine auxilio extinctus fuit. Hæc raptim, si ulterius scribendi otium mihi esset, plura adderem exempla, quibus infinitos homines

Obs. 91. nes singulis annis propter abusum thermarum perire videmus. Vale & salve amantissime mi Dn. Hagenbachi. Bernæ 9. Augusti, 1621.

OBSERVATIO XCI.

In qua iterum de Balneis in ulceribus inveteratis agitur, & Lapis Medicamentosus Crollii examinatur.

Ad eundem Virum Doctissimum, Dn. JACOBUM HAGENBACHIUM, *Medicinæ Doctorem, Cui*

Guil. Fabricius Hildanus S. P. D.

QUòd feliciter Basileam perveneris, & in via à Catarrho convalueris, Doctissime & Amantissime mi Domine Doctor, ex eis, quas per Dn. IOHANNEM ADAMUM WEIDENKOPFIUM, J.U. Doctorem ad me misisti, cum gaudio intellexi. Benedictus sit Deus, qui Te ad Tuos reduxit. De affectu fratris Weidenkopfii summoperè doleo: præsertim quia jam inveteratus est, & de recuperandâ veletudine exigua spes superest. Thermas ipsi non dissuasi, præsertim si Piperinis ipsi uti liceret. Sed & volente Deo proxima æstate licebit. Non enim perpetuò quiescit virga impietatis super sortem justorum Psal. 125. Thermas ulceribus inveteratis adversissimas esse, ante annum ad Te scripsi: doctrinam quinetiam illam (quæ nostratibus paradoxum quoddam esse videtur) exemplo, quod nobis præbuit Nobilissima Domina Negeliana, confirmavi. Illa perquàm benè ab eo tempore valuit, & pro ætate (septuagesimum enim annum ætatis jam prætergressa est) robusta & valida fuit corpore. Ante mensem verò, interim dum Dominus Consul maritus ipsius ad vindemias profectus fuit, Empiricum quendam ex oppido quodam vicino accersivit, qui ut dolores tibiæ sedaret, & ulcus, quantum fieri posset, mundificaret, & consolidaret, balneum domesticum ex lapide medicamentoso, sive, ut vocant, Philosophorum aquâ cocto, ipsi præparavit. Quid fit? Post primum atque secundum ingressum, imminutionem viriũ præsentire cœpit. Cùm vero in quintum usque diem à lavatione non desisteret, magis magisque prostrata fuit facultas vitalis. Reliqua quoque Symptomata, quæ ante annum ipsam in thermis Blumensteinnensibus laceraverát, redierunt, mirumque in modum accreverunt, & ita quidem, ut 21. mensis præteriti, cum Dominus Consul domum rediisset, meque è vestigio in consilium vocasset, nihil aliud quàm brevi ipsam morituram esse putaverimus. Pulsus adeò obscurus & debilis erat, ut vix percipi posset. Nausea & eructationes erant, & maximè & frequentes, reliquaque symptomata quoque longè graviora, quàm ante annum fuerant, sese ostentabant, & eodem planè modo apparebant, ac si venenum sumpsisset. Idque profectò mirum non est. Cum enim Lapis iste insigniter exsiccet, & longè vehementiùs constringat, quàm verò thermæ Bluměsteinenses, ut facilè videre poteris, si ingredientia lapidis, & mixturam, ex quâ profluunt prædictæ thermæ, examinaveris: Sanè cum ægra totum ferè corpus balneo, isto ex lapide præparato, toties immersisset, clausi fuerunt pori cutis penè universæ. Quapropter impeditâ transpiratione, venenosi vapores, circa partes nobiles tyrannidem suam longè crudeliùs, quàm ante annum, cum tibiam tantum aqua immergeret, exercere potuerunt. Observavi autem hâc vice, non solùm materiam putridam & simpliciter malignam musculosis partibus & ossi imbutam, Symptomata prædicta excitare: uti quoque ante annum mea fuit sententia, sed insuper aliquid aliud subesse, venenosam videlicet qualitatem, ex medicamentis contractam. Cùm enim à multis annis ulcere hocce laboraverit, & utplurimùm ab Empiricis, circumforaneis, & veterinariis Medicis curata fuerit, persæpè applicatus fuit Mercurius, Arsenicum, & hujusmodi medicamenta, quorũ maligna venenosaque qualitas quin etiamnunc musculis, imò & ossi imbuta sit, apud me nullum est dubium. Testantur id symptomata, quæ cum ante annum, tùm etiamnunc in ipsa apparuerũt. Illa enim planè cum symptomatibus, quæ eis, qui Mercurium sumpserunt, aut quibus Arsenicum applicatum fuit, conveniunt. Vide hac de re tractatum meum de Gangræna & Sphacelo cap. 5. & alibi. Referunt præterea cùm ipsamet ægra, tùm etiam ancilla, quæ ulcus quotidiè abstergit, & medicamenta applicat, se aliquoties materiam albam ac pellucidam, & puri permixtam Emplastris adhærentem invenisse. Hanc ego, quantum quidem ex ipsorum relatione colligere possum, Mercurium fuisse existimo. Ille enim cum sit tenuium partium, facilè ad ipsam substantiam carnis, imò & ossis penetravit. Illa nunc, quia propter ipsius cariẽ liquescit & dissolvitur, separatur & liberatur Mercurius à suis vinculis, vi caloris nativi subjecti, (est enim ægra naturâ robustissimâ) qui postea à facultate expultrice cum pure expellitur.

Observatio singularis de lapide medicamentosum. *Venenositas ulceris hujus unde?*

Curatio. Porrò in curatione sic processi. Protinus Epithema, quod ante annum præscripsi, carpis tepidè applicui, & potiunculam cordialem propinavi, victusq; rationem convenientem institui. Mox sequens infudi Enema:

Enema.

R. Radicum altheæ ℥.ß.
Foliorum Malvæ, Altheæ,
Mercurialis, Parietariæ ana m. ß.
Florum Camomillæ,
Meliloti, Sambuci, ana m. j.
Seminis Anisi, Fœniculi,
Fœnograeci ana ʒ.ij.

Coquantur in aquâ, ut colatura redeat ad uncias x. in quibus dissolve
Electuar. Diaphœnici, & Benedictæ laxativæ an. ʒ.vj.
Olei Camomillæ, & anethi an. ℥.ß.
Butyri ℥.j.
Vitellos ovorum num. ij.
Salis ʒ.ij. Misce, fiat Enema.

Rejecto Enemate, eructationes, nausea, & vomitus biliosus protinus remiserunt, ita ut eadem nocte meliùs quieverit. Subsequentibus diebus in applicatione Epithematis, & exhibitione aquæ cordialis nihil quoque prætermissum fuit. De sequenti præterea trageâ per intervalla, cum pane tosto, & vino asperso sumpsit.

R. Spe-

Obs. 91. Tragea.

R. Specierum Aromatici rosati,
Lætificantis Galeni, & Diarrhodonis Abbatis ana ℈. ij.
Margaritarum præparatar. ℈. j.
Cornu cervi usti & præparati ℈. j. ß.
Cinnamomi electi ʒ j.
Sacchari rosati ℥. iiij. Misce, fiat Tragea.

Ventrem, & præcipuè regionem ventriculi, ad promovendam concoctionem, bis aut ter in die sequenti Linimento inunxi:

Linimentum.

R. Olei Menthæ, Absynthii, Anethi, ana ℥. ß.
Olei Nucis Muschatæ ʒ. ij.

Misceantur lentissimo igne, fiatque Linimentũ. Sic Divino aspirante Numine, plenissimè convaluit, ut nunc rebus suis domesticis, uti anteà præesse possit. Ex his Doctissime mi Dn. Hagenbachi, videre poteris, quàm perniciosæ sint thermæ in ulceribus inveteratis, propter causas, quas ante annum ad te scripsi. Vides prætereà insipientiam nostrorum hominum, præcipuè eis in rebus, quæ ad optimam valetudinem conservandam, aut amissam recuperandam spectant. Vides, inquam, stolidam ipsorum cœcitatem, cùm omnes morbos thermis curari posse, sibi imaginantur.

Lapis Medicamentosus examinatur.

Cæterùm quia antea de Lapide Medicamẽtoso facta fuit mentio, non possum non te admonere, ne omnia, quæ de eo scribit Crollius, veluti Oracula esse, tibi persuadeas. Nonnunquam enim Theoricus Icari pennis multa scribit, & ad astra extollit, quæ cùm Solem, videlicet Experientiam (quæ verum à falso distinguit) attingunt, liquescunt, & in nihilum abeunt. Si ingredientia hujus lapidis diligenter examines, calidum & siccum, sed & insigni acrimoniâ præditum esse reperies. Quomodo itaque vires ipsius innumerabiles, ut scribit Crollius, esse possint, & tot in affectibus sine damno ægri tutò applicari, nondum video. Addam Exemplũ unum aut alterum, ex quibus, veluti ex ungue Leonem, id facile cognosces.

An in omnibus ulceribus externis tutò adhiberi possit?

Scribit Crollius, Lapidum huncce *Vlcera omnia* in partib⁹ corporis exterioribus subitò tollere, si aquâ, in qua dissolutus fuit, mane & serò laventur, & linteum eadem aqua madefactum superimponatur. Sed cave, ne periculum facias in ulceribus nervosarum partium, dolore item & inflammatione obsessis, præcipuè in corporibus delicatulis, biliosis, & cacochymicis. Dolorem enim, inflammationem, vigilias, inquietudines, aliaque pessima symptomata protinùs supervenire videbis. Id olim Novisiæ in Belgio, in adolescẽte quodam, scabie crurum laborante, vidi; quẽ aliquoties post applicationem hujus medicamenti, propter vehementiam doloris in Lipothymiam incidisse memini. Quod mirum non est. Nõ enim calida & sicca, quæ acrimoniam sibi adjunctam habent, qualis est lapis ille, dolorem leniunt: sed calida & humida temperata, de quibus, Deo volẽte, plura in tractatu meo de Meliceris.

An in cãcrosis affectibus conveniat.

Cave prætereà, ne medicamentum hocce, & similia acria, in cancro aut ulceribus cancrosis, uti suadet Crollius, sive mammillarum, aut oris, sive in quacunque parte corporis is fuerit, applices. Videbis enim, protinus malum ingravescere, & in pejus abire. Observavi id sæpissimè in ulceribus Cancrosis, etiam Bellitii in Galliâ, in viro quodam egregio, Dn. Claudio Monteilleto. Laborabat ille ulcere ad radicem linguæ, quæ naturam cancri imitabatur. Ulcus hocce cum ex usu & applicatione aquæ aluminosæ, à Medico suo ordinario præscriptæ, exasperatum esse viderem, suasi, ut os sæpissimè aquâ ranarum aquatilium, gammaror. plantaginis, & rosar. cum melle rosac. ablueretur, & pulvis ranarum & gammaror. combustorum ulceri inspergeretur. Mirum est quantâ cum celeritate malignitas ulceris remiserit, non sine admiratione Medici & Chirurgi, qui exiguam illam acrimoniam aquæ aluminosæ ulceri obesse, nunquam putassent. Integram historiam vide Obs. 20. Centur. 4. Sed & tu ipsemet ante triennium in matrona illa Spirensi, cui mammam abscidi, mecum observare potuisti, quàm periculosa & exitiosa sint medicamenta acria in affectibus cancrosis. Cave itaque, ne fidem adhibeas eis, quæ Penotus lib. de præparat. & usu medicamentorum Chymicorum, Philippus item Müllerus in suis miraculis chymicis, Phædro, & alii in curatione Cancri, de Arsenico aliisque medicamentis erodentibus, tàm splendidè tantisque cum Encomiis proponunt. Deniq; oculorum lacrymas restinguere, rubedinem quinetiam, & dolores oculorum, lapidem huncce tollere, asserit Croll. In opthalmia quoque si in aq. rosar. Euphrasiæ, vel Verbenæ, prius in vino per mensem (nota acrimoniam, quam ex vino in digestione contrahit) digestæ & destillatæ, dissolutus fuerit, conveniens esse medicamentum scribit. Sed Deus bone, quis mortalium cruciatus illos, quos suscitabit medicamentum hocce, in oculis sufferre poterit? Quis quæso Equus membranis & oculis adeò densis & validis præditus esse poterit, quæ ab hujusmodi medicamẽtis non eroderentur? Fac obsecro periculum tale; asperge aquam, in qua lapis iste dissolutus fuit, in laminam ferream, exactissimè politam, & relinque illam per horas aliquot, & videbis, ubicunque aqua illa aspersa fuit, non solum maculas nigras, verùm etiam nonnihil de substantia ferri ablatum esse. Hæc si in ferro fiunt, quid in cornea membrana politissima fiet? Meministi haud dubiè, dùm mecum viveres, ad puellam Ursulam Tianam nomine, ophthalmiâ laborantem, vocatum me fuisse: meministi quoque, ipsã affectum ex applicatione collyrii ex vitriolo albo & similibus contraxisse, & visum maximo cum dolore & cruciatu ita amisisse, ut per duos integros menses nihil discernere potuerit. Meministi, inquam, quanto cum labore & diligentia à nobis restituta fuerit. Vivit illa etiamnunc (uti etiam heri vidi) satis commodè; præterquam quòd visus ipsi sit debilis, & in cornea dextra nubecula, tùm propter acrimoniam Collyrii, tum etiam humoris peccantis, qui superficiem tunicæ eroserunt, remanserit. Hæc profectò non scribo, ut viros istos egregios, qui sua quoque habebant dona, spernere, aut ipsorum scripta floccifacere velim, sed potius ut videas, quàm circumspectè in praxi agere, medicamenta quinetiam examinare, nobis sit necesse. Quæ enim in schola

Obs. ... Observatio de Claudio Monteilleto.

Pulvis Penoti ... Cancro improbatur.

An in oculorum affectibus ... apti ...

Observatio.

Medicamenta examinanda ... circumspecte adhibenda sunt.

schola & cathedra aliquando præter rationem, plerumque ad acuenda ingenia juventutis, in theoria proponuntur, sunt toleranda: quæ verò in praxi, in perniciem ægrorum præscribuntur, potius execranda & damnanda, quàm admittenda esse existimo. His Vale, & omnia benè consule. Dabam Bernæ, 4. Novemb. 1622.

OBSERVATIO XCII.

De infelici successu inunctionis ex Mercurio.
Viro Clarissimo atq; Doctissimo Dn. Doct. LUDOVICO SCHARANDÆO, *inclytæ Reipublicæ Solodurensis Archiatro celeberrimo, amico singulari,*
Cui
Guilhelmus Fabricius Hildanus.
S. P. D.

QUantum ego doleo, Clariss. atque amantissime mi Dn. D. Scharandi, amicorum optime, de infelici successu curationis nobilissimæ ægræ, de qua ad me scripsisti, tantum inscitiam simul & temeritatem istius Empirici, tibi probè noti, admiror. Admiror inquam, quî non agnoscit, Stillato suo sudorifero hepar, renes, totamque massam sanguinis incalescere, & proinde humores, qui ad affectam partem fluunt, acriores fieri, tandemque omnia erodere & devastare posse. Splendidæ præterea promissiones, imperitiam, temeritatem atque arrogantiam ipsius arguūt; Si enim plenissimam cognitionem morbi haberet, modestior profectò esset in suis Prognosticis & promissionibus, vel saltem familiariùs tecum, ut qui ab initio morbi circa ægram fuisti, & proinde morbi plenissimam notitiam habes, communicaret. Maximas & insignes adesse obstructiones hepatis, & quidem à multis annis, tibi notum est. At putasne obstructiones hasce, usu destillati sui (ut vocat) medicamenti sudoriferi, dum partes subtiliores per sudorem abeunt, crassâ remante materiâ, adaugeri? apud me de hoc nullum est dubium. Scis præterea, exulcerationem renis à longo tempore adfuisse, & etiamnunc adesse: at ille hæc omnia floccipêdit, dum nihil præter prospera promittit. Sed talis solet esse mos imperitorum hominum. Tu interim, Vir Clarissime, ut clavum quantum potes, in istis procellis rectè & viriliter, uti hactenus fecisti, teneas, te etiam atque etiam adhortor. Hîc enim, hic inquam, non agitur de corio boum, sed de domicilio animæ hominis, facto ad Imaginem DEI, qui tandem eos, qui fideliter opificium suum conservare student, abundanter remunerabit: illos verò qui secus faciunt, in æternum confundet. Mihi quoque sæpissimè cum hujusmodi hominibus negotium est, & quotidie ferè ad eos, quorum valetudo à Carnificib⁹ aliisque imperitissimis hominibus evertitur, in consilium vocor.

Heri puero duodecim annorum ætatis, Josepho Adamo, setaceum adhibui. Is decimo anno ætatis, ludens cum aliis pueris, in corpus quoddam durum procidens, vulnus ad sinistrū oculum, ubi Os Jugale prominet, sibi inflixit, cum ossis contusione. Circa vulnus hoc Barbitonsores cùm per menses aliquot occupati fuissent, & ossicula nonnulla extraxissent, nunquā verò ad cicatricem id perducere potuissent, adhibitus tandem fuit quidam; qui Podalirio se doctiorem & expertiorem esse credit. Ille quū puerum morbo isto, quem inepto vocabulo Die kalte Lähme vocant, laborare, parentibus persuasisset, nullâ factâ priùs corporis præparatione, miserum istum ægrum (qui nondum decimum annum ætatis absolverat) unguento ex Mercurio inungit, idque in proprio hypocausto, ad id destinato, in quo à multis annis continuò homines, eodem morbo laborantes, miserè torquentur. Non enim aër inclusus solummodò, verùm & ipsi parietes Mercuriali isto veneno imbuti sunt, & virulentum atque pestiferum odorem spirant. Vt etiam sani, si diutiùs in ipso moram traherent, omni proculdubio, salivatione & gingivarum exulceratione corriperentur. Sed de hoc proximè observationem singularem à me habebis. Non tantùm autem articulos inunxerunt, verùmetiam nucham ipsā. Quid fit? Ascendunt humores ex toto corpore sursum, idque tam copiosè, ut lingua gingivæ, totùmque caput mirum in modum intumuerit, cum tanta gingivarum & oris inflammatione, salivatione, viriumque prostratione, ut puer per dies multos in periculo vitæ versaretur. Evasit tandem, sed ab eo tempore collum undiq; scrophulis & nodis scatet, Defluxiones quoque acres ad oculos adeò copiosè decubuerunt, ut jamdudum visum sinistri oculi planè amiserit. Dextrum quoque oculum, in quo interdum pustulæ exoriebantur, etiamnunc tam acriter occupant, ut an adhuc aliquid luminis in eo supersit, ignorem; Nihil enim discernere aut videre potest, & uterque oculus protuberat, tanta est affluxio humorum. Adsunt præterea dolores maximi & acerrimi. Ex aure quoque sinistra, continuò materia copiosè exstillat, quæ nunc ichorosa, nunc purulenta, nonnunquam etiam cruenta est, cum auditus depravatione. Non solùm autem ulcus in osse jugali sinistro etiamnum apertum est, verùmetiam ad dextrum oculum ex defluxione aliud ulcus est, utrumquē procul dubio cum ossis carie conjunctum. Collum quoque hinc inde, & aures, & inguina, excoriationibus scatent.

Purgato corpore, setaceum, ut dixi, adhibui, collyria quinetiam anodyna applico, qualis verò futurus sit successus, aliàs ex me intelliges. Adderem Observationem aliam, de Matrona quadam in Burgdorff, quæ post ineptam inunctionem Vnguenti ex Mercurio, obstructione nervorum opticorum correpta fuit, sed nūc non vacat, fiet id posthac. Mitto tibi tabulam de Conjugationibus Hebraicis, hîc excusam, si forsan ad laudatissimum tuum Studium linguæ Sanctæ tibi prodesse possit. Accipe quæso illam hilari fronte, & hoc studio gnaviter perge. Vale Vir Clarissime, & æternùm mihi amantissime, Bernæ 13. Maji 1620.

OBSER-

Obs. 93.

OBSERVATIO XCIII.

De Cingulo Mercurii, Historia observatione digna.

INter medicamenta monstrosa, quibus Empirici moderni nobilissimam artem chirurgicã, maximo mortalium damno defœdarunt, Zona Mercurii non infimum locum apud vulgus obtinuit, præcipuè in scabie, & eis, qui in peregrinationibus à pediculis immunes esse cupiũt. Fidem faciet subsequens historia. Cingulum autem hoc duorum transversorum digitorum latum, & ex limbo panni adaptatum, Mercurio crudo, & axungiâ porcinâ vulgari modo extincto, imbuitur, nudisque lumbis induitur. Honesta quædam & singulari virtute prædita matrona Basiliensis, 40. circiter annorum ætatis, robusta, constitutione corporis humidâ & obesâ & corpulenta, cùm anno 1621. mense Februario, propter pruritum levemque scabiem cingulum hoc induisset, & per tres hebdomadas dies noctesque gestasset, à scabie & pruritu quidem liberata fuit, sed in morbum longè pejorẽ incidit. Superveniente enim salivatione, atq; gingivarum exulceratione, cum gravedine capitis, quadam die Dominica cùm lectum egressa fuisset, nauseâ, cum virium quadam prostratione, correpta fuit, nihilominus tamen ad tẽplum se contulit. Verùm dùm sacris intereraт, adaucta sunt symptomata. Finitâ cõcione, cùm domum deducta fuisset, catarrhus ad sinistrum latus delapsus est, quem dolores cum totius lateris impotentiâ mox sequebantur. Iohannes Fridericus Wertembergius, Medicus Basiliensis celeberrimus, in consilium adhibitus, eam adhibuit diligentiam, ut dolores ex parte sedati fuerint. Quùm verò summa imbecillitas lateris sinistri remansisset, & ego 25. Augusti, an. 1621. aliorum ægrorum causâ Basileam vocatus essem, in consilium quoque me adhibuerunt. Non tantùm autem de imbecillitate brachii & tibiæ cõquerebatur, verùmetiam sæpissimè nauseâ, cibique fastidio (propter imbecillitatem ventriculi) afficiebatur. Constitutum fuit inter nos, ut expurgato corpore, vena in brachio incideretur: Deindè ut decocto sudorifero ex radicibus Chynæ, ligno Guajaco, sassaphras, & similibus uteretur, spinamque dorsi, brachium, & crus post sudorem aquâ ex granis juniperinis, aquâ item salviæ, betonicæ, & lavendulæ inungeret. Et quia cardialgiam quoq; frequenter patiebatur (procul dubio propter relictam venenositatem Mercurii) theriacam, Bezoar, confectionem AlKermes, aquam cinnamomi, & hujusmodi præscripsimus: quibus DEUS ita benedixit, ut in integrum restituta fuerit.

Cingulũ Mercurii quale.

Exemplũ de infelici illius successu.

Curatio Affectus, qui ei supervenit.

Affectum autem huncce propter abusum Mercurii supervenisse, tàm certum est, ut nihil certius, ipsa quoque Symptomata satis superq; id testantur. Vi enim Mercurii humores, præsertim pituitosi, etiam ex infimis corporis partibus ad caput elevari, gingivasq; inficere, quotidiana docent exempla in eis, qui propter luẽ veneream Mercurio inunguntur. Quùm itaq; corpus hujus matronæ anteà expurgatum non esset, & humores vi Mercurii ad caput protruderentur, illa verò eodem tempore ab aere frigido non abstineret, certum est, cerebrum frigore compressum fuisse, materiamque peccantem ad latus sinistrum defluxisse, dolores, aliaq; symptomata prædicta excitasse. Quæ enim sinistrè adhibentur remedia, plerunque sinistrũ habent effectum.

Causis istius affectus.

Obs. 9[illegible] & 9[illegible]

OBSERVATIO CXIV.

De miro effectu Mercurii præcipitati.

IN præcedenti Observatione de mirandâ efficacia Mercurii Exemplum habuimus, quomodo videlicet pituitam veluti ex toto corpore colligat & ad caput cum impetu protrudat. Vim autem atque facultatem hancce Mercurium ne quidem in ipsa calcinatione, atque rectificatione (ut loquuntur Chymici) amittere, sæpissimè in externis ulceribus observavi, præsertim Anno 1618. quum nobilem quandam matronam Solodurensem, unà cum Dn. Ludovico Scharandeo, Doctore Medico Excellentissimo, curandam haberem. Laborabat illa ingenti abscessu inter peritonæum & musculos externos abdominis, quem quum ego è regione renis dextri, aut paulò magis versus umbilicum, aperuissem, & post digestionem ulcus pulvere præcipitato, diligentissimè præparato & rectificato, mundificarem, talis salivatio sequuta est, ut plerunque unâ die ad libras aliquot pituitæ exspueret, non aliter ac si hydrargyro inuncti fuissent articuli omnes. Cessit ipsi hoc in maximum commodum, totum enim corpus hoc modo mirum in modum à materia morbifica exoneratum, ulcus quinetiam consolidatum fuit. Propter intemperiem tamen atque gravem dispositionem internorum viscerum, post annum de novo collectâ materiâ, iterum facienda mihi fuit incisio, quæ tandem in fistulam abiit, quam etiamnunc ægra summo suo commodo apertam habet: per eandem enim natura, veluti per cloacam, excrementa à partibus nobilioribus expellit.

Merc[illegible] licet r[illegible] ctifica[illegible] tamen phlegm[illegible] te cap[illegible] opplet.

OBSERVATIO CXV.

De curatione Luis Venereæ inveteratæ.

ANno 1589. cum Hildenæ in Patria praxin exercerem, adducta mihi fuit matrona honesta & singulari virtute prædita, Christiana in Monnemans Hoff nomine, quinquagenaria, quæ à tribus annis lue Venerea à marito suo contractâ laborabat, & quidem gravissimè. In diversis enim temporis partibus ulcera erant sordida & maligna, præcipuè circa claviculam dextram, cum ipsius claviculæ carie. Dolores capitis & articulorum, præsertim noctu, adeò magni & acuti aderant, ut nonnisi suffulcris incedere posset. Variorum autem Chirurgorum & barbitonsorum consiliis usa, & ter inunctiones ex Mercurio experta fuerat: sed sine fructu. Causam postea exponam. Curationem autem sic institui: Victus rationem optimam & euchymam præscri-

præscripsi: postea humorem peccantem sequenti modo præparavi, & evacuavi:

℞. Radicum Lapati acuti, Polypodii querc.
Corticum interiorum radicum frangulæ ana ℥. ß.
Radicum Fœniculi, Petroselini ana ʒ. ij.
Foliorum Betonicæ, summitatum Lupuli, Fumariæ, Scabiosæ, Cuscutæ ana m. ß.
Florum Betonicæ, Salviæ,
Rosmarini, & Boraginis an. p. j.
Seminis Anisi & Fœniculi ana ʒ. ij.
Liquiritiæ ℥. j.

Coquantur in ℔. iiij. aquæ purissimæ, & fiat s.a. Apozema. De quo accipe uncias iiij. foliorum senæ mundator. ʒ. ij. Tartari purissimi ʒ. j. Coquantur ad consumptionem medietatis. In Colatura fortiter expressa infundantur sequẽtia:

Rhabarbari electi ʒ. j.
Agarici Trochiscati, &
Turbith optimi, an. ℈. ij.

Maneant in infusione horas octo: dein factâ unâ aut alterâ ebullitione fortiter exprimantur, addaturque Syrupi rosati solutivi compositi ℥. j. Misce, fiatque potio, detur tribus horis ante prãdium. Sic purgato corpore, de præscripto apozemate bis in die, videlicet tribus horis ante prãdium; totidemq; ante cœnam, haustum bibit, idque spacio trium hebdomadarum, & amplius: Corpus per intervalla expurgavi, tùm præscriptâ potiunculâ, tùm etiam confectione Hamech, dissolutâ in præscripto apozemate, tùm etiam pilulis de fumaria, & pulvere senæ Brassavoli. Vlcera pulvere præcipitato mundificavi, claviculæ verò cariosæ cauterium actuale applicui, & postquam eschara squammaque ossis decidisset, carpos & cubitos, uti etiam pedes & genua, sequenti Linimento inunxi:

R. Axungiæ porcinæ recentis ℔. j.
Pinguedinis humanæ (mirum enim in modum dolores lenit) ℥. iiij.
Olei ex floribus Slotani ℥. ij.
Styracis Calamitæ,
Benzoini, Masticis, ana ʒ. ij.
Theriacæ, & Mithridatii ana ℥. ß.
Argenti vivi ℥ vj.

Agitentur diu in mortario, addendo Olei Spicæ, Salviæ, & Granorum Iuniperi ana ʒ. j. Fiatque s.a. Linimentum, quod servetur in vase vitreo aut vitreato ad usum.

Ab initio autem semel in die ipsam inunxi, videlicet per tres aut quatuor horas ante prandium, idque tantisper feci, donec pituita per os effluere incepisset. Id enim ab inunctionibus desistendum esse, significat. Vltra dies quindecim pituitam viscidam exspuebat, interim ulcera omnia ad cicatricem pervenerunt, dolores quinetiã reliquaque symptomata remiserunt, & perfectè sanata fuit ægra, ita ut per multos annos à Curatione satis commodè vixerit. Cur autem matrona hæcce à præcedentibus Chirurgis ad salivationem quidem usque inuncta, curata tamen non fuerit, inquisitione dignum est. Objiciet forsan aliquis, ipsam ex marito morbum denuò contraxisse. Nequaquam verò. Ille enim statim ab initio perfectissimè per illinitionem curatus fuerat. Supersũt itaque binæ aliæ causæ hujus recidivæ. Prima fuit, ulcus circa claviculam, in quo os statim ab initio, & antequam primæ curationi sese subjiceret, à materia virulenta contaminatum fuisse, inde apparet, quod nunquam perfectè sanari potuerit, sed statim post curationem repullulaverit. Ante ulceris enim mundificationem, & ossis cariosi extractionem, ipsam inunxerant. Hinc superficies ulceris, cutisque ipsa contracta quidem fuit, caries verò in osse, veluti fermentum, quo postea totum corpus de novo inquinatum fuerat, permansit.

Obs. 95. & 96.

Nota.

Hinc ediscant Chirurgi, Apostemata & ulcera in lue Venerea priùs mundificanda, & ossa cariosa extrahenda esse, antequam illinitiones ex Mercurio administrentur. Idem te Tophis & Gummatibus, ut vocant, intelligi oportet. Nisi enim ante exhibitionem decocti Ligni, aut inunctionem, probè emolliti fuerint, vix beneficio unguenti Mercurialis, multò verò minùs decocti Sudoriferi resolventur & discutientur, quin potiùs dissipatis partibus subtilioribus, materia magis impacta crassaque in scirrhos indurescet, & de novo morbum procreabit. Secunda causa recidivæ fuit forsan, quòd præcedentes Chirurgi vestimenta post curationem non mutarunt. Ex eisdem itaque vestimentis, sudore & ichore inquinatis, facilè iterum morbum contrahere potuisse ægram, ex Observ. 100. Centur. 1. colligere poterit Lector.

Nota.

Edisc ant hîc iterum Practici, vestimenta omnia post curationem Luis Venereæ, aut mutanda, aut sapone Lixivioq; probè lavanda, & à sordibus expurganda esse, antequam induantur. De his nullus eorum, qui de Lue Venerea scripserunt, quantum ego quidem scio, quicquam in bonum publicum prodidit, aut Tyrones monuit. Accidit prætereà & hoc quoque singulare, in curatione hujus matronæ, videlicet, ut cùm ipsi cauterium actuale applicarem, non de ardore ignis, sed de applicatione rei intensè frigidæ conquereretur. Tàm valida & efficax est, apud mulieres præsertim, propter timorem concepta opinio, ut etiam sanâ mente, quemadmodum hic, judicium ægri obtenebrare, & quodammodò invertere possit. Ex astantibus enim jam olfecerat, me eâ die aliquid extraordinarii circa ulcus tentaturum. Anno 1591. exemplum non longè absimile mihi Coloniæ in matrona Nobilissima, Dn. Marescalkia Plettenburg, ex Kettleris nata, præsentibus D. D. Henrico Bottero, & Iohanne Kuenio Breidenbachio, Medicinæ Doctoribus longè celeberrimis, videre contigit, de quo consulat Lector Tractatum nostrum de Gangræna & Sphacelo, cap. 7.

OBSERVATIO XCVI.

Docens, Illinitiones ex Mercurio, Luis Venereæ, etiam inveteratæ, verum esse Antidotum.

ANNO 1610. Nobilem quendam, & singulari virtute & doctrinâ præditum Virum, Basileæ ex lue Venerea sanitati restitui, qui ultra annos 10. lue istâ non sine maximo suo incommodo la-

Obs. 96. do laboraverat. Sãguis enim singulis ãnis ad minimũ semel, plerunque bis, curationem, utplurimùm ex Decocto ligni Guajaci, radicũ Chinæ, Sassaphras, & similium instituerat. Adeò enim ab inunctionibus Mercurialibus abhorrebat animus ipsius, ut etiam ob solam earum cogitationem totus quasi contremisceret. Quapropter variorum tùm Galenicorum tùm Chymicorum consiliis & remediis, etiam in Gallia & Italia usus fuerat, quorum industriâ morbus quidem palliatus, sed tamen radicitùs nunquam curatus fuit. Tandem increscentibus Tophis in tibiis, cùm dolores nocturni, tàm capitis quàm artuum, ingravescerent, consilium à me petiit, omnia, quæ cum morbo suo acciderant, exponens. Hæc cum frustrà etiam à præclarissimis Medicis adhibita fuisse intellexissem, suasi, ut curationem per illinitiones Mercuriales experiretur potiùs, quàm diutiùs vitam tot miseriis intricatam viveret. Paruit tandem: Quapropter optimam victus rationem præscripsi primò: deinde corpus aliquoties expurgavi, priùs præparato humore peccante. Non autem statim post purgationes articulos unguento Mercuriali inunxi, sed per dies multos circa tophos gummata omnem operam atque industriam consumpsi, ut eos emollire possem. Quare bis in die Sacculos ex sequentibus applicui:

Fotus.

R. Radicum Altheæ,
Malvæ,
Bryoniæ,
Scrophulariæ majoris, an. ℥.ß.
Foliorum Altheæ,
Malvæ,
Violarum, an. m.ß.
Florum Camomillæ,
Meliloti ana m.j.
Seminis Anisi,
Lini,
Fœnograeci,
Seminis Meliloti an ʒ.ij.

Incidantur & contundantur omnia grosso modo; indanturq; sacculis filo intertextis, & ejus magnitudinis, ut Tophos cooperire possint. Coquantur in aqua, & calidè applicentur per semihoram, aut horam integram. Postea eos sequenti Linimento inunxi;

Linimentum.

R. Olei lumbricorum,
Liliorum alborum,
Amygdalarum dulcium,
Pinguedinis humanæ an. ℥.j.
Unguenti de Althea ʒ.ij. Misce.

Tandem sequens Emplastrum applicui:

Emplastrum.

R. Emplastri de Ranis cum Mercurio ℥ij.
Gummi Elemi, &
Tacamahacæ, dissolutorum in oleo amygdalarum dulcium, & percolatorum ana ℥.j.

Misceantur, fiatq; Ceratum, de quo extendebam supra corium, & applicui Tophis.

Emollientibus & incidẽtibus circa Tophos ad septimanas circiter tres processi. Interim apozemate convenienti, & purgationibus utebatur. Demùm æger ipsemet unguento Mercuriali, in præcedenti Observatione descripto, articulos semel in die inunxit, sed pedes, genua, carpos, & cubitos tantùm. Hinc talis secuta est Salivatio, ut nõ rarò ad l bras duas tresve una die exspueret, idque ad dies octo aut decem: interim Symptomatibus, quæ superveniebant, diligenter prospexi. Sic divino favore, Tophi, qui durissimi fuerãt anteà, in halitum abierunt: dolores quinetiam, reliquaque symptomata remiserunt, convaluitque æger, & in hunc usque annum 1623. quo hæc scribo, bonâ valetudine fruitur. Ex quibus luce meridiana clariùs evadit, inunctiones ex hydrargyro, certissimam & securissimam esse viam curandi luem hancce, ejusque verissimum existere antidotum: uti quoque testantur Viri docti, inprimis Iohannes de Vigo lib. de morbo Gallico; Nicolaus Massa lib. de morbo Gallico: de Heri lib. de Lue Venerea, cap. de frictionibus & alibi: Ambrosius Paræus lib. 19. cap. 10. & multi alii.

Fateor quidem, molestissimam, laboriosam, & aliquo modo periculosam esse curationem hancce, quæ per inunctiones Mercuriales obitur. Sed quid tùm? Estne propterea in morbo hocce tàm magno, & plerunque contumacissimo, rejicienda & spernenda? Minimè: quin potiùs eligenda, cùm sit omnium certissima, dummodò rectè administrata fuerit. Id autem ut fiat, non cuivis Empirico concredere debet æger valetudinem suam, sed rationalem ac expertum sibi eliget medicum. Molestias præterea, quæ inter curandum accidunt, æquo animo patienterque ferat, cùm sit paterna castigatio, quâ Divina bonitas plerunque carnem nostram effrenatam erudire, & ad resipiscentiam benignè provocare cupit.

OBSERVATIO CXVII.

In qua, Prægnantes & pueros, Lue Venereâ infectos, tutò inungi posse, ostenditur.

QUum primùm me ad Praxin Chirurgicam accinxissem, diu in ambiguo fui, an etiam Prægnantes & Pueri, Lue Venereâ infecti, sine discrimine vitæ, aut jacturâ sanitatis, per illinitiones Mercuriales sanari possent? Nodum hunc tandem mihi solvit insignis & excellens ille Philosophus & Medicus, Dn. Nicolaus Massa, Vir de Chirurgia benè meritus. Is enim sine periculo id fieri posse, in lib. suo de Lue Venerea, tract. 3. c. 9. & tract. 4. c. 1. disertè scribit. Quod etiam verum certumque esse, sequens Exemplum fidem facit.

Anno 1590. Hildenæ praxin me exercente, Medmannæ tota familia fœdissimâ hacce lue infecta fuit, hoc modo: Paterfamilias, vir probus ac pius, cùm negotiorum suorum causâ peregrè profectus esset, & cum famulo suo, lue Venereâ infecto, per noctes aliquot in eodem lecto dormiret, luem ex ipso contraxit. Reversus domum, mox lue istâ inquinavit uxorem, ex quâ postea pueri (quorum tres erant) & ancilla ipsa, infecti fuerunt. Porrò cum mulier se gravidam esse percepisset, & insuper infantem, viginti circiter mẽsium ætatis, eodem modo contaminatum, lactaret, solliciti erant tùm maritus, tùm ægra ipsa, an curatio post partum usque esset protrahenda, necne? Ego, ut sine mora, & maturè administraretur, suasi:

97. suasi: fore enim sperabam, ut ex una eademque fideliâ tres parietes dealbaremus; præsertim in hoc veluti recenti adhuc morbo. Placuit consilium omnibus: quapropter curationem hoc modo institui.

Primò victus rationem optimam, & ex cibis euchymis præscripsi: postea corpus sequenti modo expurgavi:

R. Radicum Oxalidis,
Cichorii, &
Polypodii quercini, ana ℥.ij.
Corticum interiorum radicum frangulæ ℥.ß.
Herbarum Betonicæ,
Scabiosæ, Cichorii,
Endiviæ.
Cymarum lupuli ana m.ß.
Florum Betonicæ,
Cordialium omnium, &
Genistæ ana p.j.
Seminis Anisi, &
Fœniculi ana ʒ.ij.
Uvarum exacinatarum, &
Liquiritiæ ana ℥.j.

Decoquantur in ℔.ij. aquæ ad consumptionem medietatis. Hujus Colaturæ accipe ℥.xvj. Clarificetur, & dulcoretur saccharo miscellaneo: fiatque apozema, de quo capiat ægra haustum tribus horis ante prandium.

R. Reliquam partem Colaturæ, videlicet ℥ viij.
Rhabarbari electi ʒ ij
Agarici Trochiscati, Turbith, an. ʒ.j.
Hermodactylorum ʒ.j ß.
Foliorum senæ mundatorum ʒ.iij.
Tartari albissimi ʒ.j.ß.

Maneant per noctem in infusione, deindè factis ebullitionibus aliquot, fortiter exprimantur, & cum unciis quatuor sacchari miscellanei fiat Syrupus Magistralis, addendo sub finem, syrupi rosati solutivi compositi ℥. ij. aquæ Cinnamomi sine vino distillatæ ℥.j.

Servetur in vase vitreo benè clauso ad usum. Hujus Syrupi sumpsit per intervalla Cochleare unum aut alterum, tribus horis ante prandium, aut per se, aut cum apozemate suo præscripto. Interim autem, dum hisce utebatur remediis, infantem suum ipsamet lactabat: hoc modo enim infans simul purgatus fuit. Sic satis purgato corpore, articulos, videlicet pedes, genua, carpos, & cubitos semel in die, ad salivationem usq; inungere jussi: sed adeò leniter, ut ultra unciam unam, aut unciam & semis, unguenti pro vice non impenderim. Porrò infans etsi inunctus nõ fuisset, multum tamen pituitæ per os exspuebat. Id cùm vidissem, illum ablactare, & cum jusculis carnium, lacte amygdalino, panatellis, & similibus nutriri jussi: protinus etiam ipsum in lectulum proprium, & à matre separatum posui, ne ampliùs vaporum Mercurii à matre particeps fieret. Mater aliquandiu multum pituitæ exspuit. Interim frequenter Cordialia; veluti Confectionem Alkermes, aquam Cinnamomi, & similia exhibui, & exulcerationi Oris & gingivarum prospexi. Sic Divino favore feliciter & mater & infans convaluerunt, & post sex circiter menses infantem vividum & sanum peperit. Hac absolutâ Curatione, reliquos domesticos quoque curavi.

Obs. 98. & 99.

OBSERVATIO XCVIII.

De matrona, lue Venerea infecta, quæ cum aliquandiu in Hypocausto, vapore Mercuriali impleto, moram traxisset, à morbo suo liberata fuit.

Mirandas operationes ex usu Mercurii consequi, sæpissimè in Praxi videmus: cujus rei fidem quoque facit exemplum sequens.

Anno 1607. cum Paterniaci Medicinam facerem, in vicino quodam pago, virum juvenem lue venereâ gravissimè laborantem, curandum habui, cujus uxor quoque, triginta circiter annorum, eandem luem ab ipso contraxerat. Porrò cum periculum in mora, nec diutius protrahenda esset curatio, & proinde in ipso vigore hyemis, quæ tunc aspertima fuit, instituenda esset; suasi, ut mulier marito suo adstaret, nec ab ipso ex hypocausto discederet, ne forsan ab injuria aëris magis magisq; læderetur, & morbus contumacior fieret, erat enim delicatula. Placuit consilium, paruitq; ægra jussis. Quum itaque dies noctesque in eodem hypocausto, quod & angustum & humile erat, cum marito suo viveret, & maritus propter morbi magnitudinem (erat enim inveteratus) unguento ex Mercurio multoties inunctus fuisset, à solo vapore unguenti ita alterata, & ad salivationem inducta fuit mulier, ut ferè eodem modo ipsi atque marito pituita ad os deflueret, exulceratio quinetiam oris superveniret. Quæ cum vidissem, protinus corpus leniter leviterque purgavi, idque aliquoties, & symptomatibus, veluti exulcerationi oris & gingivarũ, lipothymiæ, & similibus, prospexi. Tandem adeò aucta fuit salivatio, ut in proprium cubiculum, à marito separatum, collocanda nobis fuerit. Hæc unà cum viro suo à dira ista lue plenissimè convaluit, etsi inuncta non fuisset.

OBSERVATIO XCIX.

Matrona luis Venereæ expers, & aliquandiu in hypocausto, vapore Mercuriali infecto, degens, in gravissimum morbum incidit,

Longè infeliciùs successit mora in aere Mercuriali, in alia Matrona, Margaretha Lehmañin nomine, ex pago Steffisburg propè Bernam oriundâ. Huic cùm anno 1622. autumnali tempore, post insignem corporis excalefactionem & haustum aquæ frigidæ, catharrus ad uvulam delapsus esset, & dolores cum deglutiendi difficultate excitasset, rusticum quendam Veterinarium, hominem planè rudem & insulsum, in consilium adhibuit. Is habitâ nulla ratione vel totius corporis, vel partis affectæ, aquam Escharoticam penicillo uvulæ admovit, hincque dolor, inflammatio & angustia gutturis supervenit, ita ut in vitæ discrimine versaretur ægra. Tandem cum Symptomata remisissent,

Obs. 99. sissent, & vires recuperasset, venit Bernam Mése Februar. anno 1623. ubi à Magistratu amplissimo in mandatis mihi datum fuit, ut ipsam, quantum fieri posset, sanitati restituerem. Uvula autem omninò erosa, & circumjacentes partes exulceratæ fuerunt. Cùm verò locus in Xenodochio non esset vacuus, injunctum fuit istius loci Oeconomo, in quo ægri, lue venerea laborantes, extra urbem curantur, ut ipsam reciperet. Medicamentis itaque ægram instruo, & cum Senatusconsulto ad prædictum hospitium, iter dimidiæ horæ ab urbe distans, ablego, ut tamen in cubiculum mundum collocetur, expressè jubeo. Sed quid fit? intruditur in hypocaustum longè calidissimum, ubi eodem tempore nonnulli lue venerea infecti inungebantur: in quo intra paucos dies ad illam debilitatem & lapsum virium redacta fuit, ut cum jussu Magistratus amplissimi iterum in urbem adduceretur, jamjam animam redditurã existimaremus. Mansit in Xenodochio, in der Insel per tres menses, antequam vires recuperare potuerit. Interim cordialia & alexiteria multa per os exhibuimus, & exteriùs cordi & carpis applicuimus. Tandem convaluit, vox tamen propter uvulæ erosionem rauca permansit.

Ex contrariis hisce operationibus Mercurii (tam in hac, quàm præcedenti Observatione commemoratis) eodem modo usurpati, videmus, ipsum esse verum antidotum luis venereæ: priorem enim matronam, quia in ipsa materiam aptam & dispositam reperiebat, in qua vires suas exercere potuit, restituit atque sanavit: alteram verò, propter defectum materiæ aptæ dispositæque, ad summam labefactationẽ virium deduxit, imò & trucidasset, si per paucos adhuc dies in hypocausto isto moram traxisset.

ADMONITIO.

Ex his discant Chirurgi, quàm sit absonũ & periculosum, in affectibus cutaneis, ulceribus, & artuum doloribus, quos die kalte Lähme vocant, aliisque affectibus, qui cum Lue Venerea affinitatem non habent, uti hoc remedio. Non enim morbus curatur, sed natura destruitur: nõ vires conservantur (quod in curatione morborum tantoperè requiritur) sed facultates omnes, in primis vitales, ob venenosas qualitates Mercurii imminuuntur & inficiuntur. Cujus rei Exemplum singulare Lector videre potuit Centur. IV. Observ. 82. in Amplissimo & Consultissimo Viro Dn. Johan. Rudolpho Hubero p. m. uti & in sequenti.

OBSERVATIO C.

Scabiosus quidam, in lectum, sudore luis venereæ infectum, detrusus, insanabilem luem contrahit.

AErem hypocausti vapore Mercurii & ægrorum, Lue venereâ laborantium, infectum, etiam sanos inficere & gravissimè contaminare posse, in proximè præcedente observatione exemplo declaravimus. Sed & sanos à vestimentis, sudore ægrorum imbutis, infici posse, ex Cent. 1. Observ. ultima videre licet. Nunc aliud & simile ferè exemplum, satis memorabile, quod mihi videre cotingit anno 1609. in gratiam Juniorum Chirurgorum adscribam. Rusticus quidam prope Paterniacum, cum tempore messis supra modum incaluisset, frigidamque nimis lautè bibisset, in febrim incidit continuam, ex qua naturæ potiùs beneficio, quàm Medicorum artificio sanatus fuit. Post morbum, cum natura excrementitios humores, in externis venis contentos, expelleret, & per universum corpus pustulas excitaret, rusticum quendam Veterinarium in consilium adhibuit. Is cum pauperculum istum ægrũ persuasionibus suis induxisset, ipsum lue venereâ laborare, acceptà pecunia, miserum in lectum linteaminibus sordidissimis, in quibus plures ea lue infecti sudaverant, stratum, collocat: ubi adeò infectus & contaminatus fuit optimus ille rusticus, ut cum me postea demum in consilium adhibuisset, ipsum neque ferro neque igne (ut ita dicam) multò minus medicamentis sanare potuerim, sed miserè tandem obire coactus fuerit. Hallucinantur itaq; quàm gravissimè, imò & impiè agunt Empyrici quàmplurimi, qui turpis lucri causa, & ut exiguos sumptus parere, unciamque unam aut alteram Mercurii sibi reservare possint, contra præcepta artis, contra Christianam charitatem, contra propriam deniq; conscientiam, ægros in lectum, jam antea ab aliis commaculatum, & lue venerea infectum, detrudunt.

FINIS Centuriæ V.

GUIL-

GUILHELMI FABRICII HILDANI,

Illustriss. Marchionis Badensis & Hachbergensis &c. nec non Inclytæ Reipublicæ Bernensis Helvet. Medico-Chirurgi Ordinarii,

OBSERVATIONUM ET CURATIONUM Chirurgicarum

CENTURIA SEXTA.

Epistolis nonnullis Virorum Doctissimorum, nec non instrumentis Chirurgicis, ab Authore inventis, illustrata.

OBSERVATIO I.

De admirando quodam affectu, post ineptam oculi extra orbitam suam prolapsi, excisionem; ubi methodus procedendi Dom. Georgii Bartisch refutatur.

Viro Clarissimo & Doctissimo,

DN. JOHANNI BURGAWERO,

Inclytæ Reip. Schaffhusianæ &c. Doctori Medico ordinario atque celeberrimo, Amico meo singulari,

Guilhelmus Fabricius Hildanus, S. P. D.

MEmineris procul dubio, Doctissime Clarissimeque mi Dom. D. Burgavvere, de prolapsu, sive extuberantia oculi extra orbitam suam, sæpissimè inter nos, cùm mecum viveres, factam fuisse mentionem, & quàm inepta sint instrumenta Dn. Georgii Bartisch, ad hanc operationem rectè ac feliciter administrandam, ex me intellexisse, imò & temetipsum (nisi fallit memoria) de infelicissimo successu hujus instrumenti, Anno 1623. in hâc Urbe lamentabile vidisse exemplum. Sed quia illa omnia forsan tuis peregrinationibus, quas ab eo tempore, per Italiam, Galliam, aliasque regiones perfecisti, in oblivionem tibi venerunt: Visum mihi fuit, historiam illam ex adversariis meis, & literis Dn. Reberi, ægræ parentis, ad me scriptis, colligere, scriptis consignare, tibique communicare, idq; in eum finem, non solùm ut casum illum gravissimum tibi in memoriam revocarem, verùm etiam ut Cent. sextæ (quam nunc præ manibus habeo) in utilitatem ægrorum, simul & Chirurgorum, adderentur. Sed ad rem.

Observatio singularis de prolapsu oculi.

Domini Iohannis Reberi, pastoris in pago Betterkingen, hîc in vicinia, filiola, secundo anno ætatis, plurimis hinc inde per corpus dispersis furunculis laboraverat, qui tamen laudabili (si Patri credere fas est) puris emissa copia, tandem veluti spontè coaluerunt, ita ut puella in tertium usque annum ætatis utcunque benè se habuerit: tum cœpit esse morosa, valetudinaria, & catharrhis obnoxia, & plerumque ad oculos. Tandem sinister oculus intumuit, & macula quædam flava ad minorem cantum orta est, visumq; abolevit. Oculus cum ad nucis juglandis magnitudinem extra orbitam suam, & palpebras paulatim excrevisset, Bernam adducta mihi fuit filiola: suasi, ut sequenti modo instituetur curatio: videlicet 1. ut victus rationem observaret,

Curatio Methodica.

Observ.1. servaret. 2. Ut corpus (quod pro ætate satis validum & optimo habitu præditum erat) per intervalla blandè expurgaretur. 3. Ut loco venæ sectionis, sanguisugæ ad medianam sinistram apponerentur. 4. Ut cucurbitulæ scapulis adhiberentur. 5. Setaceum in Nucha fieret. 6. Cataplasmata observ.17. Centuriæ 5. descripta, applicarentur. Hisce enim præsidiis nonnullos sanitati me restituisse, coram parente affirmavi. Maligni enim aliquid in oculo latere, ne minimum quidem indicium aderat: quapropter præscripta methodo sanitatem me assecuturum, sperabam. Interim autem dum essentiam morbi, ac methodum curandi, Parenti prolixè exponebam, aliquoties ipsum admonui, ne filiolam Empiricis, & præsertim herniothotomis curandam committeret, ne forsan violentam curationem, cultrum videlicet adhiberent: id enim sine magno vitæ discrimine fieri non posse, ipsi exposui. Hæc cum ex me intellexisset, petiit, ut ego manum adhibere vellem; Polliceor, me summam adhibiturum diligentiam, nec non eâdem vesperâ oculo cataplasma aliquod applicaturum. Quid fit? interim dum ego medicamenta præparo, improvidus ac imprudens ille Pater herniothotomum quendam, hominem audacissimum, accedit, cui omnia, quæ ex me intellexerat, refert. Ille consilio meo pro ludibrio habito, affectumq; parvi faciens, experientiam suam vanam ad Cœlum usque, (ut horum hominum mos est) extollens, exstirpationem oculi proponit, suadet, & urget, quam & sine ullo dolore fieri, puellamque intra dies quatuordecim se sanare posse, impudentissimè promittit. Vanis itaque & futilibus istis promissionibus obcæcatus Pater, protinus consentit. Corpore itaque impuro, cacochymico, minimèque purgato, instrumento Dn. Georgii Bartisch, oculum eruere periculum facit. Verùm superficiem tantummodò excisam, radicem verò mali relictam esse, eventus, ut mox intelliges, docuit. Peractâ sectione, dum vulneris consolidationem, quantum potuit, promovere studet herniothotomus, curationemque ad summum intra dies quatuordecim se absolvere posse, spem facit parentibus; Ecce, relictum seminarium mali subitò repullulat, & quidem tanto cum impetu, violentiâ, & malignitate, caro quædam livida & spongiosa ex orbitâ ipsâ crescit atque prorumpit, ut brevi magnitudinem duorum pugnorum virilium superaret, cute hinc inde rumpente, & exinde ichore fœtido effluente, turgentibus venis, totâque penè facie ab isto horrendo fungo carnoso oppressa, dextro quin etiam oculo, imò & faucibus, putrida & luxuriante carne oppletis.

Delineationem hujus instrumẽti vide in opere suo de affectibus oculorum, Germ. ã edito.

Cæterùm ad angustias hasce deductâ puellâ, & ab herniothotomo suo derelictâ, improvidus ille Pater iterum Bernam ad Reverendum & doctissimum virum, Dom. Nicolaum Henzium, Græcarum literarum Professorem, scribit, ipsumque rogat, ut apud me pro filiola sua intercedere vellet, si forsan, propter commissum errorem, ipsi operam meam denegarem. Ad me quoque literas mittit, auxiliumque meum implorat. Respondi per Dom. Henzium, etiamsi imprudentem & improvidum Patrem, quia optima & salutaria consilia mea contempsit, pedibusque obtrivit, indignum esse sciam, propter charitatem tamen Christianam, languẽti puellæ operam meam me non denegaturum. In urbẽ itaque deductâ puellâ, in ædibus Dom. Henzii mecum monstrosum huncce affectum viderunt Reverendi, doctissimi, uti & experientissimi Viri, D. Hermannus Lignaridus p. m. Theol. Professor. D. Christophorus Lüthardus, Theol. Prof. D. Nicolaus Henzius, Græcæ Linguæ Prof. D. D. David Rex, & Dom. Barth. Dunus, hujus Reip. Doctores Medici Ordinarii, uti & nonnulli ex chirurgis nostris, præsertim quoque herniothotomus ipse, qui ineptam & longè infelicissimam operationem administraverat. Interfuerunt & multi alii, quos brevitatis causà omitto. Vix credibile est, in quãtam molem fungus ille cancrosus tam brevi tẽporis spatio excreverit. Verùm, si rectè recordor, tu ipsemet quoque aderas. Circumferentia enim ad radicem mali, ex chartâ factâ, quam adhuc in Musæo meo habeo, pollices quatuordecim, altitudo verò novem excedit. Undique nodosus & lividus ille fungus ulceribus sordidis ac fœtidis scatebat, ex quibus ichorosa & fœtida fluebat materia, facileque sanguinem, quotiescunque tractabantur, profundebant, & quidem in copia.

Etsi autem malum esset magnum, & quotidiè sanguis effluеret: nihilominus tamen sat benè se habebat puella, quoad interiora viscera. Et quod cum admiratione vidimus, quamvis tota ferè facies, ut ex effigie, quam etiamnunc in Musæo meo habeo, videre est, intumuerit, imò & fauces ac gingivæ, cibis tamen, tam solidis quàm liquidis, sine difficultate utebatur, & quod singulari DEI beneficio miserrimæ puellæ contingebat, maximum penè tam noctis quam diei partem, dormiendo consumebat, atque ita suavi somno tormenta malorum demulcebat. Per mensem ferè integrum puellam in Urbe reliquerunt, Interim symptomatibus, quantum potui, obviam ivi, eaque removere, omnem adhibui diligentiam. Tandem improvidus & incautus pater, secum sumptis medicamentis, puellam ad pagum Better Kingen reduxit, ubi paulò pôst obdormivit.

Sectio autem facta fuit Mense Junio, octavo verò Septembris 1623. extincta fuit: spatio itaque trium mensium horrendus ille affectus cursum suum absolvit, qui si curatione methodica à me proposita, ex fundamento curatus fuisset, ad multos annos sine noxa & incommodo durasset.

Hæc Clarissime & doctissime mi Dom. Burgrawere, perpende, & instrumentum D. Bartisch diligenter examina, quò Chirurgos, si similis affectus & operatio in praxi tibi acciderit, instruere, ipsisque ineptiam hujus instrumenti significare, & ad oculũ demonstrare possis. Quod si aliquis, ut plærumque horum hominum mos est, tibi pertinaciter contradicere voluerit, fac, quæso, ut prius in vitulo aut ove

peri-

periculum faciat, tunc enim ipsemet videbit, ineptum esse instrumentum. Ego expertus loquor. Cùm enim operatio illa Lustriaci, in Generoso, cujus in 1. Cent. obs. 1. mentio facta fuit, facienda esset, instrumentum, quod aqud me vidisti, Bartischii, per excellentissimum quẽdam artificem Lausannensem fabricandum curavi, illudque etiamnunc in Musæo meo mihi reservo: Cum verò in capite vituli ejus periculum facerem, protinus cognovi, impossibile esse, eo oculum integrum ex orbitâ suâ, sine fractione cranii eruere, quod & prædicta puella suo damno experta est. Aliud itaque instrumentum, cujus delineationem videre poteris Cent. 1. obs. 1. excogitavi, eoque operationem feliciter administravi. Propter sequentes autem causas instrumentum Bartischii incommodum esse dico. Primò, quia cum orbitâ proportionem non habet, præsertim in fundo Orbitæ, & circa principium Musculorum, & implantationem nervi optici in oculum, quo in loco oculus est abscindendus; Orbita enim in suo fundo hanc lineam ——ut plurimum lata est, at instrumentum duplò ferè latius. 2. Quia in formâ Cochlearis, aut hamuli, quo lithotomi calculos è vesicâ extrahunt, excavatum est, etiamsi acutum fuerit, non tamen ad latera, & propè cranium, sed antrorsum scindit, & proinde major pars mali in orbitâ remanebit. 3. Quia extuberans est & crassum, totam orbitam ita adimplere, ut sine maxima violentiâ ad fundum orbitæ intromitti non possit, in brutis expertus sum. 4. Si velimus, ut instrumentum, qualecunque id fuerit, scindendo institutum nostrum facilè ac citò perficiat, necesse est, ut introrsum & extrorsum ducatur, eo modo, ut scindendo ligna serram ducimus; Id verò instrumento hocce & cochleari fieri nequit. Novaculam quoque addidit Dom. Bartisch, forsan ut adnata tunica eâ abscindatur; neque id quoque periculo vacat. Cranium enim eâ in parte tenuissimum est, facileque acie novaculæ findi posset. Ex his omnibus facilè videre poteris, quàm incommodum, ne dicam ineptum sit Instrumentum Domini Bartisch.

Antiqui, & inter Neotericos major pars, prolapsum oculum extra orbitam filo ligabant, & vel ad ligaturam abscindebant oculum, vel negotium naturæ committebant. Dominus Claudius Chapusius, magni nominis chirurgus in Burgundia, amicus meus singularis, in tractatu suo Gallico de Cancro, filo arsenicali id fieri suadet; sed cautè & circumspectè hîc procedendum est: filum enim nihil, præterquàm quod extra orbitam pendet, præhendit; at sæpissimè (præsertim si dispositio aliqua ad Cancrum adfuerit) ne dicam semper, scaturigo mali in profundo capsulæ latet, quæ nisi omninò abscissa, sive instrumento, sive filo id factum fuerit, protinus repullulat, & in monstrosum fungum excrescit, quemadmodum vidimus in puella Dom. Reberi, de quâ anteà. Hæc diligenter perpendenda sunt, antequàm ligaturam stringamus, vel quovis modo superficiem mali abscindamus, uti aliquoties Excellentissimum virum, Dominũ Chapusium & alios admonui: si verò totus oculus cum suis musculis extra orbitã suam prolapsus fuerit, tunc methodum Dom. Chapusii non penitus improbo. His vale, Clarissime atque doctissime mi Dom. Burgawere, & cum tuis omnibus, quos uxor mecum peramanter salutat, æternùm quàm felicissimè vive. Dabam Bernæ. 19. Februarii Anno 1629.

OBSERVATIO II.

De singulari Dei providentia, in depositione Catarractæ.

Viro Nobili, Amplissimo & Doctissimo,

DN. D. CASPARO BAUHINO,

Anatomico & Botanico longè celebertimo, Basiliensi Archiatro meritissimo, ejusdemque Academiæ Medicinæ Professori primario, & Illustrissimi Wirtenbergici Ducis &c. Medico felicissimo, Domino & Amico meo singulari studio obser-vando,

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

Ita est ut scribis, Vir amplissime atque doctissime, tuoque judicio libenter subscribo; nimirum loco candelularum decocto aliquo convenienti, ex radicibus & herbis consolidantibus & abstergentibus, utendum esse; cui tutiam, plumbum ustum, cornu cervi, cerussam, & lapidem calaminarem, ac nonnihil mucilaginis seminis cydoniorum, ut decoctum spissitudinem aliquam acquirat, nec facilè defluat, admiscerem. Si proximo futuro mercatu nostro huc venerit æger, cum ipso hac de re agam uberius.

De planta, quam ante mensem ad Te misi, judicium tuum nondum accepi. Exspecto illud avidè. Versor nunc in quarta Centuria Observationum, eamque pro prælo describo. Occurrit in ea, in quadam observatione, videlicet 16. de Catarractis difficultas, cujus causas naturales nondum invenire potui, etiamsi aliquomodo toto animo eas perquirerem. Tibi verò anatomicorum hujus seculi (loquor sine adulatione) Principi, facilè erit, nodum huncce nobis solvere. Quæstio autem hæc est, nimirum: Quomodo in depositione catarractæ non solum adnata, verùm etiam cornea & uvea, absque ullo dolore acu perforari possint? Scimus enim, adnatam à pericranio, Corneam à dura, & Uveam à pia matre, membranis exquisitissimo sensu præditis, proficisci. Videmus prætereà, si vel minima festuca, aut minutissimum granum pulveris, oculis illapsum fuerit, statim vehementissimos dolores oriri; at in depositione catarractæ, ut ego aliquoties expertus sum, etiam in ipsa perforatione membranarum, dolor tam exiguus est, ut æger vix de eo conqueratur; ex quibus summa DEI providentia atque misericordia erga nos miseros homines illucescit. Si enim in hac operatione sensus ille, ac dolor exquisitissimus, qui punctis mẽbranis sequi solet, adesset, nullum virum tam cordatum ac magnanimum, qui hujusmodi dolores sine capitis corporisq; commotione sufferret, reperiri posse existimo: ac proinde aquâ è pumice postu-

Obs. 2.

Quæstio.

Obs. 3. postularet is, qui in hac operatione quicquam tentare vellet.

Ad hæc si amplissimus Vir mentem suam aperire nobis voluerit, gratissimum mihi fecerit; multum quoque sibi devinciet Studiosos artis Medicæ: Neminem enim, qui quæstionem hanc enucleaverit, me legere memini. His Vale Vir amplissime doctissimeque, & æternùm quam felicissimè vive. Raptim Bernæ 31. Martii, Anno 1618.

OBSERVATIO III.

De curatione fistulæ lachrymalis.

Viro Doctißimo,

DN. HENRICO SCHOBINGERO, Medicinæ & Chirurgiæ Doctori Excellentissimo, amico meo singulari;

Guilhelmus Fabricius Hildanus,

S. P. D.

Quas Tu prima hujus mensis ad me scripsisti literas, doctissime amantissimeq; mi Dom. Schobingere, septimâ ejusdem mihi traditas esse, scias: Ex quibus Te rectè valere, libenter intellexi, Deus Te tuosque diu incolumes servet, idq; ad sui gloriam, & utilitatem proximi. Lator literarum tuarum ad me non venit, alioqui ipsi apud Domin. Consulem, ut à me petiisti, adjumento fuissem, literisque ad ipsum instruxissem: Eo enim tempore propter adversam valetudinem in publicum prodire non potui. Plura continent literæ tuæ, ad quæ post respondebo. N nc quid de fistula lachrymali filii Domini Alexii Oxlini sentiam, libenter communicabo, quò curatio apud vos institui possit: ut enim hûc ducatur æger, non suadeo, quandoquidem hujusmodi affectus Medicum requirunt, qui non saltem notitiam morbi, verùmetiam oculos acutos, manusque & firmas & intrepidas habet; At duo hæc posteriora, proh dolor, in me desiderantur. Tu verò mi Dom. Schobingere, qui & notitiam morbi, & reliqua, quæ necessaria habes, si curationem aggressus fueris, haud difficulter optatum scopum Te attingere posse, planè persuasum mihi habeo. Ego quomodo in hujusmodi affectibus processi, multosque feliciter sanitati restitui, paucis tibi significabo.

Curatio fistulæ lachrymalis Ante omnia instituenda est optima victus ratio. Secundò, purgandum est corpus, secundum humoris prædominantis naturam. Tertiò, caput corroborandum, idque Medicamentis tā per os sumptis, quàm exteriùs admotis. Convenit decoctum ligni Guajaci, sassaphras, radicum chynæ, & salsæ parillæ, additâ betonicâ, salviâ, Rosmar. Majorana, & primula veris. Conveniunt quoque conserva betonicæ, Rosmarini, salviæ, Majoranæ, primulæ veris, pœoniæ, confectio Alkermes, Cortices Citri, species Dianthos, Aromatici rosati, & hujusmodi; Capiti inspergatur pulvis Berzoiri, styracis Calamitæ, masticis, Olibani, succini albi, granorū Kermes, rad. Iridis Florentinæ, florum betonicæ, Rosmarini, majoranæ, & rosarum rubearum, ex quibus piliolus, sive cucupha parari quoque poterit. Quartò materia, quæ ad oculum fluit, ad alia loca trahenda est: in hunc finem cucurbitulæ, scapulis frequenter appositæ, conveniunt, uti quoque vesicatoria post aures: Omnium verò præstantissimum est Setaceum, materiam enim ad oculos fluentem, potenter ad se trahit & evacuat, caput ab omnibus excrementitiis humoribus expurgat, & egregiè corroborat. Quid plura? tanti est momenti, ut inveteratam fistulam lachrymalem, sine hoc præsidio vix curari posse, in aliquibus observaverim: amovet etiam causam antecedentem mali. Exemplum singulare habes in Cent. 4. obser. mearum Obser. 19. Exempl. 2. Quapropter ut curatio feliciter succedere possit, admonendi sunt parentes, ne præstantissimum ac longè securissimum hocce præsidium respuant. Prius itaque purgato corpore; applicandum est setaceum, nec quicquam circa fistulam tentandum, nisi setaceum priùs ad tempus aliquod fluxerit, materiamque ad fistulam decumbentem ad se traxerit. De hac methodo procedendi in gravissimis & inveteratis affectibus capitis, dummodò periculum non fuerit in morâ, vide Cent. 3. observ. 1.

Posteà dilatanda est fistula, id si turundis ex radicibus gentianæ, aut spongiis præparatis fieri potest, bene est, sin minus, nonnihil de caustico meo applicare soleo: sed vide, ne in quantitate pecces. Quantitas autem grani milii Solis sufficiet. Diligenter quoque claudendus est oculus, ne forsan causticum liquefactum in oculum fluat. Sunt qui guttulâ unâ aut alterâ aquæ fortis, vel olei vitrioli, fistulam aperiunt, callumque & carnem superfluam erodunt, sed perperam. Propter insignem enim vim penetrandi, os, quod forsan adhuc sanum atque integrum fuit, corrumpunt: quod de caustico nostro minimè timendum est, cum sit materia crassa & terrestris, quæ vicinas partes incontaminatas relinquit: oleum verò vitrioli, & aqua fortis longè lateque se extendit. Aperta fistula pulvis præcipitatus, quàm diligentissimè præparatus, inspergendus, aut filamentis imponendus est ulceri, quod emplastro ex solo gummi Elemi, in alutam aut telam extenso, obtegendum. Ego fortiori pulvere isto non utor, ne os, si forsan adhuc sanum fuerit, à suo periostio detegatur. Sæpissimè enim fistulas lachrymales, etiam inveteratas, sanavi, in quibus caries in osse reperta non fuit. Quapropter festinandum non est, sed sensim procedendum, insperso pulvere prædicto bis, vel semel in die, prout ulcus fuerit humidum: utplurimum tamen dum pulvere isto utor, semel tantùm in die ulcus deligare soleo. Stylo ab initio cariem ossis curiosè perquirere, non est necesse: si enim os cariosum fuerit, pulvis iste carnem, quia mollis & flaccida est, facilè absumet; sin sanum fuerit os, sanum illud relinquet pulvis, & ulcus non solùm mundificabit, sed & ad cicatricem perducet. Habet enim diversas hasce facultates pulvis iste, uti ego primò in ægris Excellentissimi Medico-Chirurgi Dom. Cosmæ Slotani. p. m. Præceptoris mei fidelissimi, & ab eo tempore in praxi mea observavi.

Si os cariosum inveneris, quantum fieri potest, detegendum est, postea Euphorbium in subtilissimum pulverem redactum copiosè insperge: nihil enim præstantius esse Euphorbio, in ossibus cariosis, imò & in fistulâ lachrymali, sæpissimè ex me intellexisti, habes quoque exemplum in quinta Centuria obser. 22. Nec Te deterreat ipsius acrimonia; Euphorbium enim nostrũ adjacentem carnem non adurere, ut volunt plurimi, observavi, de quibus vide Centuriam 2. obser. 92. Cent. 5. Obser. 22. Admonendus autem est pharmacopæus, ne pulverando Euphorbium, pistillum, ut moris est, oleo innungat: Oleum enim vim Euphorbii infringit, & ossibus adversissimum est. Ne autem acrimoniâ suâ nares feriat, guttula una aut altera spiritus vini affundenda est. Sunt qui cariem ossis oleo Vitrioli, sulphuris, aut aquâ forti corrigere tentât, sed malè: ad circumjacentes enim partes fluunt, & os ulteriùs corrumpunt: quapropter vide, atque etiam vide, mi Dom. Schobingere, ne hujusmodi medicamentis utaris, imò ne quidem in ossibus duris & solidis, uti sunt tibiarum, multò minus narium. Alii cariem ossis fistulæ lachrymalis cauterio actuali corrigunt, quod non improbo, mihi tamen, laus sit DEO, præcedens methodus cum Euphorbio, semper tam feliciter successit, ut cauterio actuali nunquam usus fuerim: Interim tamen illud, ut dixi, non rejicio: quæ enim ferrum non sanat, insanabilia esse, Hippocrates pronunciavit.

Satis mundificato ulcere, & prædicto pulvere præcipitato ferè carne repleto, balsamum Tolutanum filamentis applicare poteris: Cicatricem enim planam & pulchram facit. Per totũ autem tempus curationis, sequens Collyrium oculo bis aut ter in die instillandum, & linteũ reduplicatum, & Collyrio madefactum, applicare convenit, sintque omnia fasciâ diligenter ligata, ut oculi motus, quoad fieri potest, impediatur. Motus enim humores attrahit, & consolidationem impedit. Collyrium tale est.

R. aquæ rosarum
Plantaginis an ℥j ß.
aquæ Euphrasiæ &
Valerianæ an ℥j.
Sem. Cydoniorum Contusi ℈.j. misceantur maneantque in infusione horas sex vel octo; colaturæ adde
Tutiæ præparatæ
plumbi. squammosi diligenter præparati.
Cornu Cervi usti, & præparati an ʒj
Caphuræ ℈.j.
Misceantur omnia diligenter in mortario, fiatq; Collyrium, quod tepide applicetur. Hæc si diligenter administrata fuerint, spem habeo, DEUM Opt. MAX. omnibus abundè benedicturum, id ut faciat, ex corde opto. Vigesima sexta Maij, agnus, duo habens corpora, & duo capita, sed unum saltem pectus, hîc natus fuit. De hoc monstro posthac DEO dante fusiùs, nunc enim non licet. Vale, & cũ tuis omnibus æternùm feliciter vive. Quod si ad Domin. Doctorem Bilgerum scripseris, eum, quæso, nomine meo plurimùm saluta. Dabam Bernæ. 17. Junij. 1629.

OBSERVATIO IV. (Obs. 4.)

Fonticulus in cervice improbatur, & setacei præstantia exemplo singulari demonstratur.

Maxima illa incommoda & damna sanitatis, quæ ex fonticulis in cervice, præsertim infantulorum, consequi solent, abundè declarata fuere. (Obser. 42. Cent. 1.) Hujus rei exemplum annotatione dignum, circa annum (nisi fallit memoria) 1608. Soloduri in puero Parisiensi vidi. Fuit puer iste egregii atque Excellentissimi Viri, Dn. N. Baduelis Parisiensis, filius, quem pater, ob singularem suum amorem in nationem, & linguam Helveticam, Solodurum miserat, non solùm ut aërem mutaret, verùm etiam linguam addisceret. Quia autem propter cerebri intemperiem humidam, à juventute ferè catarrhis obnoxius fuerat, visum fuit Medicis Parisiensibus, ut antequam in Helvetiam mitteretur, causticum cervici applicaretur. Formato & facto fonticulo, Solodurum adductus fuit, circa undecimum (si rectè recordor) annum ætatis, ubi à nobilissimo ac strenuo Viro, Dn. N. Wallierio, Gubernatore Neocomensi (qui hujus pueri curam habuit) Domino Danieli Schertlero, Pharmacopæo Solodurensi, commissus fuit, ut diligentiam adhiberet, quò linguam Germanicam addisceret, & propter adversam valetudinem, optimam victus rationem observaret, nec quicquam in administratione medicamentorum, à Medicis præscriptorum, omitteretur. Omnia, prout à Medicis Parisiensibus præscripta fuerant, à Dn. Schertlero ac suis domesticis observata, & sedulò quidem administrata fuerunt, sed sine fructu. Catarrhi enim de die in diem magis magisq; optimum huncce puerum exercebant, & nunc ad oculos, nunc ad dentes & aures, non sine maximo dolore & tinnitu, defluebant. Nonnunquam quoque ad fauces, pulmonem, & ventriculum, descendebant, & sequebantur raucedines, tussis, nausea, vomitiones, & similia. Quid plura? totum corpus adeò languidum atque imbecille redditum fuit, ut vix amplius incedere posset. Cum per annos aliquot ita affectus fuisset puer, à Nobilissimo Viro Dn. Wallierio Gubernatore in consilium accersitus fui, cui, cùm symptomata prædicta ex fonticulo promanare exposuissem, & nisi clauderetur, & setaceum applicaretur, de puero actum esse, ostendissem, petiit, ut opinionem & sententiam meam scriptis consignare vellem, quò Dn. Baduelli copiam facere posset. Petitioni ipsius satisfeci, & quomodo ligatura illa, caput ambiens, continuò humores ex infimis corporis partibus ad cerebrum attrahat, sphæricam quin etiam figuram capitis in oblongam mutet, ventriculosque cerebri comprimat, exposui, & ut loco fonticuli setaceum applicaretur, suasi. Res ad Medicos Parisienses delata fuit, qui cùm opinioni meæ subscripsissent, & eorum responsum, unà cum literis

Obs. 4. & 5.

literis Domini Baduelis, Solodurum ad Dominũ Wallierium, Gubernatorem; pervenisset, statim setaceum applicui, & fonticulum clausi. Setaceo tam abundè benedixit Deus, ut de die in diem meliùs habere cœperit æger, & intra paucos mẽses, magnâ cum admiratione omnium, qui ipsum antea familiariter cognoverant, ita restitutus fuerit, ut planè novus homo esse videretur. Symptomata enim, antea commemorata, remiserunt, vires verò corporis adeò accreverunt, ut tandem sanus & incolumis ad suos in Galliam reversus sit. Ex his, uti & ex iis, quæ Observ. 42. Cent. 1. dicta sunt, luculenter apparet, quid de fonticulis in cervice sit sentiendum.

OBSERVATIO V.

Post hæmorrhagiam narium cœcitas.

ANno 1623. tempore messis, cùm rusticus quidam juvenis, ex pago Wille propè Basileam, *Hans Schumacher*, in agro supra modum incaluisset, vehementissimâ hæmorrhagiâ correptus fuit, & eâdem die visum planè amisit. Nõ diu post, vertigo, cum incredibili dolore capitis supervenit, qui miserum istum ægrum ultra mẽses sex continuò torquebat; inflammationes quoque, & dolores oculorum sequebantur: cùm verò ab expertis & rationalibus Medicis curatus non fuisset, cœcus remansit. Venit ad me Bernam 1627. 7. Septembris, petens, ut quidnam sibi in gravissimo suo affectu faciendum, significarem. Inspectis oculis, dextrum planè (quantum quidem visus meus cernere potuit) illæsum inveni; in sinistro verò humor aqueus aliquo modo turbidus erat; non adeò tamen, ut cœcitas inde consequi potuisset. Ex his dijudicavi, vitium esse in nervis opticis, eosque intempestivâ illâ hæmorrhagiâ per nares obstructos fuisse. Et quia malum jam inveteratum erat, parumque spei superesset, ut visum recuperare posset, manum adhibere nolui, ne afflictissimus æger, procul à familia sua remotus, sumptus frustra faceret. Sequens itaque consilium ipsi suggessi: primò, ut optimã victus rationem observaret, & ab omnibus, quæ ventriculum gravant, caputq; vaporibus implent, abstineret. Secundò, ut caput per intervalla pilulis Cochiis, Lucis, Aureis, & similibus expurgaretur. Tertiò, ut masticatoriis pituita per fauces evacuaretur. Quartò, ut cucurbitulis, setaceo item, & fonticulis, materia peccans circa nervos opticos collecta, ad nucham & brachia traheretur. Consilio hocce instructo ægro, ipsum ad suos remisi, & insuper suasi, ut in hisce omnibus Medicorum Basiliensium auxilium quoque imploraret. Quid verò postea de ipso factum sit, ignoro.

Ex his manifestum fit, hæmorrhagiam narium oculis esse infensissimam. Idem de sectione venæ frontis statuendum esse, Lector videre poterit Centuriæ 5. Observ. 18. Propter sternutationem (à quibusdam tamen Medicis in affectibus oculorum celebratam) quin etiam puerum visum amisisse, aliaque incommoda secuta fuisse. Cent. 1. Observ. 24. & Cent. 4. Obs. 13. notavi.

Admonitio.

Caveant itaque sibi Medici atque Chirurgi, ne in doloribus aliisq; affectibus capitis, materiam peccantem, more agyrtarum & circumforaneorum ex cerebro ad nares trahant, visumque destruant.

OBSERVATIO VI.

De obstructione nervi optici, & visus amissione, propter vulnus superioris palpebræ.

EX levissimo vulnere ad superiorem palbebrã accepto, nec satis rectè ab initio curato, visum istius oculi deperditum fuisse, lector videre poterit Cent. 5. Obs. 17. Idem ferè hoc anno observare mihi contigit; Casum, quia haud vulgaris est, paucis recensebo.

Puellus quidam 4. annorum ætatis, M. Iacobi de l'Osea, civis Moratẽsis Aventicorum filius, cùm 20. Maii hujus anni, turbæ infantulorum, qui cœcum quendam quatuordecim annorum exagitabant, adsisteret, & cœcus ille bacillum ex una parte acutũ in turbam projiceret, puerum prædictum inter omnes innocentissimum attigit, vulnusque ipsi ad sinistram palpebram superiorem inflixit. Cecidit mox in terram puer iste, cibumq; indigestum evomuit, nec quicquam cibi aut potus in tertium diem retinere potuit. Accersito barbitonsore ejus loci, frustulum pinguedinis extra vulnus propendens reperit, quod filo serico ligatũ, post dies aliquot forfice abscidit, vulnusque intra quindecim dies, nullis immissis turundis cicatrice obduxit. Sic salva omnia esse videbantur, sed perperam; post menses enim aliquot, quum parentes observassent, visum hujus oculi abolitum esse, puerum mihi Bernam adduxerunt 20. Augusti anno 1627. ubi revera hoc oculo cœcum esse infantulum, cognovi. Interim tamen oculi partes extimæ (quantum quidem oculari inspectione cernere potui) omnes illæsæ erant. Imò ne motus quidem depravatus erat, cùm tamen musculus attollens, quem & superbum vocant, procul dubio læsus fuerat. Cæterùm vulnus hoc, inter cranium & oculum ad nervum opticum usque penetrasse, pinguedo, quæ ex vulnere propendebat, testis est: an verò nervus ab ictu ipsius baculi læsus fuerit, an verò materia aliqua cruda, circumcirca nervũ confluxa, ibidemque retenta, nulla enim immissa fuit turunda, nemini, nisi Deo notum est. Interim tamen junioribus Medicis & Chirurgis suadeo, ne usum turundarum in vulneribus profundis, præsertim contusis, ut nonnulli inepti barbitonsores, rejiciant negligantq;, quin potius vulnus tantisper apertum retineant, donec satis expurgatum fuerit.

Admonitio Chirurg.

OBSERVATIO VII.

De Coalitione superioris palpebræ cum oculo, & quomodo separata fuerit?

COalescunt nonnunquam palpebræ vel inter se, vel cum oculo, si vulnera aut ulcera palpebrarum & oculorum negligenter curata fuerint, itaut oculus aperiri non possit, & deformitas sequatur. Hujus rei exemplum singulare

gulare in nobili quodam viro juveni Lucariensi vidimus, Coloniæ Agrippinæ Anno 1593. Nobili autē isti in Italia ense inflictum fuerat vulnus, quod partem illam faciei ab aure sinistra ad oculum usque, uti postea ex adjunctâ figura apparebit, occupaverat. Non saltem autem superior palpebra incisa fuerat; verùm etiam ipsa adnata & cornea tunica, sed superficialiter saltem, & nequaquam ad vacuum oculi: humores enim non effluxerant. Sanatum quidem fuerat vulnus in Italia, sed parùm feliciter. Quia enim oculum fasciâ nimis arctè clauserat chirurgus, palpebra superior conjunctivæ & corneæ annexa fuerat, tamque firmiter ad hærebat, ut oculum aperire non potuerit, neque à dolore omninò immunis erat æger. Cum enim, ut Anatomicis notū est, uno oculo moto, alter quoq; moveatur: At hic oculus malè affectus, cum altero liberè moveri non posset, & palpebræ propter motum oculi hinc atque illinc diriperentur, non potuit non consequi dolor: quapropter intumefactio oculi aderat, & continuò ferè lachrymas profūdebat. In Italia chirurgos in consilium quidem vocaverat : sed quia separationem palpebræ ab oculo, nonnisi instrumēto scindente fieri posse responderant, modusq; ille procedendi ægro (etiamsi visum veluti deperditum esse sciebat) suspectus, curationem in longum tempus distulit: Verebatur enim, ne in separatione cornea disrumperetur, humores effluerent, membranæ conciderent, & deformitas subsequeretur. Tandem, cum prædicto anno 1593. Coloniam pervenisset, & Dom. Johannē Slotanum, Medicinæ Doctorem, mecum in consilium adhibuisset, Divinâ gratiâ sequentibus præsidiis feliciter ipsum restituimus.

Obs. 7.

Præscriptâ optimâ victus ratione, purgato item corpore, & incisâ venâ in brachio, stylum exploratoriū incurvatum versus Canthum majorem, subter palpebram superiorem inter oculum & palpebram blandè immisi, donec apex saltem styli ex cantho minori promineret. Tum stylo exploratorio filum sericum tenuissimum annexui, mox stylum eâdem viâ, quâ ipsum immiseram, videlicet per canthum majorem extraxi, & extremitates fili sub oculo conjunxi, eique frustum plumbi drachmæ circiter ponderis annexui. Plumbum hocce pensile interdiu liberum erat, & hinc atque illinc, prout æger caput in unam vel in alteram partem inclinabat, movebatur. Noctu verò, ne forsan incommodum aliquod, aut dolorem excitaret, plumbum illud seposui, oculumque fasciâ leviter obtexi.





Oculo

Obs. 7. & 8.

Oculo frequenter collyrium sequens penicillo ex pennis gallinæ facto, per angulum majorem ter quaterve in die per ministros imponere jussi.

R. Aquæ Rosarum
plantaginis
Euphrasiæ an ℥ ß.
Tutiæ præparatæ
Cer ussæ lotæ
Cornu Cervi usti & præparati an ℈ jß.

Misceantur in mortario, addendo mucilaginis spississimi sem. Cydoniorum q.s. ut formam linimenti adipiscatur. Beneficio prædicti fili serici & plumbi, quicquid sub palpebra oculo annexum erat, intra dies octo aut novem abscissum fuit. Tum oculum integrum quidem, sed visum propter cicatricem pupillæ depravatum invenimus. Palpebras, frontemque per dies aliquot oleo lumbricorum inunxi, & sacculum ex Betonica, Euphrasia, Iva arthetica, primula veris, chamomilla, rosis, & Roremarino in aqua coctum, calidè applicui, præsertim noctu. Sic motus palpebrarum & oculi penitus restitutus fuit, ita, ut nulla remanserit deformitas, præter exiguam cicatricem in cornea tunica. Est quidem laboriosa operatio hæc, ingeniosa tamen, certa, minusque periculosa, quàm ea, quæ à Celso lib. 7, cap. 7. Et Hieronymo Fabricio ab Aquapendente lib. de operationibus chirurgicis, capite de Ancyloblepharo, describitur, fitque ferè sine dolore.

OBSERVATIO VIII.

De gravissimo morbo Authoris.

Viro Genere & Virtute Nobilissimo,

DN. D. MELCHIORI SEBIZIO SENIORI in Academia Argent. Medicinæ Professori clarissimo, ejusdemq; urbis Archiatro longè celeberrimo, Domino & Amico meo summo studio observando,

Guilh. Fabricius Hildanus, S. P. D.

IGnosce quæso, Vir Amplissime clarissimeque, quòd hactenus in scribendis ad Exc. Tuam literis, præter modum tardus fuerim, obstiterunt occupationes, curæ, & molestiæ, quibus cùm corpus, tum mens ipsa occupata fuit. Sed inprimis morbus gravissimus, quo superiori Hyeme correptus fui, & per menses aliquot periculosè laboravi, in quo & nonnulla annotatione digna occurrerunt, quæ clarissimo Viro brevibus non communicare nolui.

Decimo sexto Decembris, cum ad nobilem quendam ex familia Erlachiorum, periculosè laborantem, vocatus essem, & per dies aliquot apud ipsum moram traherem, in via verò tempestatibus & inclementiæ aëris expositus fuissem, catarrhus ad pectus mihi delapsus est, qui primis diebus non usque adeò gravis esse videbatur: interim tamen quia gravedo capitis quoque aderat, pilulis capitalibus caput expurgavi, optimâ victus rationem observavi, à vino abstinui, & expectorantia sumpsi, pectus quinetiam oleis & unguentis convenientibus inunxi: Attamen tussis adeò adaucta est, adeoque vehemens facta fuit, ut nihil aliud quàm vasorum pulmonis & peritonæi disruptionem, imò immaturam subitaneamque mortem exspectarem. Incredibile est, quantum pituitæ viscidæ vitreæque exscreaverim; scio enim, aliquoties spacio 24. horam ad libras aliquot me exspuisse. Febris vix in pulsu (qui in toto morbo languidus fuit) apprehendebatur; Appetitus iminutus quidem, sed non omninò prostratus fuit: quapropter ut vires conservarentur, optimis & exquisitissimis cibis usus sum, nihilominus tamen tussis de die in diem, non sine capitis gravedine & dolore, adaucta fuit, & ita quidem, ut ipsa nocte nativitatis Salvatoris nostri, quæ à 24. ad 25. Decembris excurrit, circa duodecimam noctis, cum musculi abdominis & pectoris, propter violentiam tussis mirum in modum concussi fuissent, dolor ingens, primò in inguine sinistro, post horam quoque in dextro latere circa costas veras exortus est, adeoque acutus, ut respiratio ad semihoram ferè veluti intercepta esset. Propter vehementiam enim doloris tam pectoris quàm abdominis, materiam in aspera arteria collectam exscreare non potui. Uxor astantesque ministri, cùm ex radicibus, herbis, floribus, & seminibus remollientibus & relaxantibus, sacculos aquâ coctos applicuissent, syrupos quinetiam expectorantes (quæ opportunè omnia in promptu erant) copiosè propinassent, materia illa ad externos musculos tam pectoris quàm abdominis delapsa, dissipata fuit. Remittente itaque nonnihil dolore, pituitam viscidam in aspera arteria contentam exscreare cœpi, paulatimq; angustia illa pectoris remisit, ita quidem, ut circa quintam matutinam somno utcunque placido correptus fuerim, in quo sudor calidus copiosè per totum corpus erupit, cujus beneficio major pars materiæ, ad musculos pectorales & abdominis delapsæ, dissipata fuit. Attamen catarrhus ille suffocativus post primum insultum aliquoties rediit, sed longè mitiùs, & semper quidem in diebus imparibus; Observata victus ratione, adhibitis sacculis, oleis, & unguentis remollientibus, reliquisque quæ requirebantur, tussis illa ferina paulatim iminuta fuit; sed ecce novum & rarum symptoma, quo ad mensem ferè integrum afflictatus fui. Frequenter tussiendo, aut etiam oscitando, respiratio ad ictus aliquot pulsus, veluti intercepta fuit. Mox aërem frigidum per pectus diffusum sentiebam, quem protinus prostrationes virium sequebantur; quapropter tussiendo & oscitando, ab exspirationibus vehementioribus summâ diligentiâ mihi abstinendū fuit. Multoties enim cum in summo materia lenta & viscida, ad laryngem delapsa esset, indeque à somno expergefactus, eam exspuere vellem, inter exscreandum de suffocatione extremè periclitabar. Præterquam enim quod materia viscida contumaciter parti inhærebat, atque difficulter screatu ejici poterat, etiam ob diuturnū hiatum oris, aura frigida confertim & cum impetu quasi ad pulmonem ruebat: Hinc prostratio virium sequebatur.

Hujus symptomatis caussam in Epiglottide fuisse arbitror. Illam enim propter violentiam tussis adeò labefactatam fuisse, ut officio suo in tegen-

tegendo, & retegendo asperam arteriam, non satis promptè fungi posset, verisimile mihi videtur: quapropter tussiendo aut exspirando, vel etiam oscitando, cùm epiglottis aperiretur, nec satis promptè iterum clauderetur, aër frigidus, nec satis elaboratus, per asperam arteriam, veluti cum impetu ad pulmonem pervenit, spiritus vitales afficiebat, viresque prosternebat, idque indè colligo, quod longè mitius esset symptoma hoc, minusque virium prostratio sequeretur, si quando linteo calido, (quod semper in promptu habebam) aut vola manus os obtegerem, & tussiendo aut oscitando aërem calidum inspirando attraherem, adhibitis medicamentis quibusdam, symptoma hoc quoque remisit, ita ut intra menses tres, singulari DEI beneficio, præter meam, adstantiumque spem atque exspectationem, ex hoc tam gravissimo periculosissimoq; morbo restitutus fuerim: Faxit supremus Archiater, ut quod reliquum mihi superfuerit in hac valle miseriarum, vivendi tempus, id totum ad ipsius gloriam, ædificationem proximi, meamque salutem impendere possim.

Simile quid superiori anno in Solodutensi quodam vidi. Is cibum facilè, potum verò, præcipuè vinum, non sine suffocationis metu deglutiebat. Accidit id ipsi propter catarrhum ad laryngem, qui Epiglottidem patentem reddebat. Propter pondus autem cibi facilè deprimebatur, cùm enim contra liquida ad asperam arteriam descenderent, sed de his fusiùs agam in quinta Centuria Observationum, DEO volente. Cæterùm epistola doctissima, quam clarissimus Vir de Meliceria ad me scripsit, mirum in modum placet, omnia enim, quæ de hac materia dici poterunt, compendiosè complectitur. Quod si DEUS Optimus Maximus vitam extenderit, donec tractatum in lucem edam, illam sub Exc. Tuæ nomine, nisi molestum id ipsi fuerit, adjungere constitui. Scio enim, lectori gratissimam & utilissimam futuram; His vale Vir Amplissime, & cum tuis omnibus æternùm quam felicissimè vive. Dabam Bernæ 16. Junii Anno 1621.

OBSERVATIO IX.

De visus imbecillitate & vertigine.

Clarißimo Præstantißimoq; Viro, Dn.

GUILHELMO FABRICIO HILDANO, inclytæ Reip. Bernensis Medico-Chirurgo ordinario atq; celeberrimo, Domino & Amico plurimùm honorando,

Melchior Sebizius Senior S.P.D.

Literis tuis, Vir Clariß. Amice plurimùm honorande, copiosè & prolixè duabus meis epistolis, diversis quidem temporibus, ejusdem tamen penè argumenti, eâdemque de materia scriptis, dudum respondi, ut si fortè harum una intercipiatur, altera tibi redderetur. Quod autem hactenus nihil responderis, miror sanè plurimum præsertim cùm te de probato aliquo remedio in affectu meo, officiosè & peramanter rogarim. Suspicor, vel tibi meas non fuisse redditas, vel aliis te distractum fuisse occupationibus, ut respondere tibi non licuerit: Ignosce, quæso, quod responsionem urgeam, id enim ut faciam, & summa affectus mei cogit necessitas, & præsens occasio, quâ certò scio, meas tibi esse exhibituras. In meo affectu nihil mihi accidit molestiùs, nihilque acerbius, quàm quod ubi caput vel cervicem in dextrum vel sinistrum latus verto, visus quandam patior difficultatem, vel potius defectum, nec homines ferè agnosco, dolorem quoq; quendam obtusum in tota cervice, qui tamen mox desinit; suboritur tamen is quoque nonnunquam in posteriore colli parte, in basi occipitis oßis, qui tamen in momento evanescit. Cùm autem inclinato capite vel scribo, vel literis incumbo, is rursus redit, atque non solùm posteriorem, sed etiam anteriorem capitis partem affligit, capite elevato, paulò post cessat. Manibus si quid diutiùs tracto, statim molestiam quandam in cerebro experior: Loco dum moveor, videor mihi quasi ebrius incedere. Habes Vir clarißime, de quibus potißimum conqueror; spero autem, te petitioni meæ quamprimùm satisfacturum, amicitiamque continuatione literarum, quibus mihi nihil charius & optatius accidere poßit, conservaturum. Quod si vicißim mea utiopera potueris, liberaliter utaris, etiam atque etiam rogo, mihique benè de te merenti rursum præbeas quæso. Felicißimè cum tuis vive & vale. Dabantur ocyus Argentinæ 2. Octob. 1621.

Obs. 8. & 9. Descriptio morbi.

Responsio ad Epistolam.

Viro genere & virtute Nobilißimo, doctißimo,

DN. MELCHIORI SEBIZIO SENIORI, in Academ. Argentorat. Medicinæ Professori clarissimo, ejusdemque Vrbis Archiatro longè celeberrimo, Domino & Amico meo summo studio observando,

Guil. Fabricius Hildanus S.P.D.

Supra modum doleo, Vir nobilissime, fautor & amice æternùm honorande, meas, quas per nobilem quendam ex nostratibus, ad acidulas Griesbacenses proficiscentem, mihi nō fuisse redditas; Multò magis verò doleo, literas, quas clarissimus Vir de affectu suo ad me se scripsisse ait, ad manus meas non pervenisse; respondissem enim, & quidem quàm ocyssimè, postremæ autem meæ duo præcipuè continebant capita, primum erat morbi mei gravissimi, quo superiori hyeme periculosè laboravi, succincta descriptio. Secundum, pro Epistola Clar. T. doctissimæ, ad me de Meliceria scripta, gratiarum actio, libenter nunc apographum istius epistolæ iterum misissem, sed occupationes non permittunt. Nudius enim tertius Basileâ, ubi ægrorum quorundam causa per sex integras septimanas moram traxi, Bernam rediens, negotiis ferè obruor.

De affectu Clar. Viri profectò anxius sum; quàm gravis enim & molesta senibus sit visus difficultas & defectus, (ut de vertigine, reliquisque de quibus Clar. T. conqueritur, taceam) in memetipso, qui jam sexagesimum primum annum ætatis prætergressus sum, experior. Porrò petit Clar. Vir à me, veluti ab indigno, consilium, quod quidem propter illam, quam inter nos cōtraximus amicitiam, ipsi denegare nec possum, nec debeo, etiamsi noctuas Athenas me laturum esse sciam: Sunt autem hæc de quibus Clar. Vir. quantum quidem ex ipsius literis colligere possum, conqueritur, visus nimirum difficultas, vel potius

Obs. 9. potius defectus, inprimis quando caput vel in unum vel in alterum latus vertit. Dolor præterea obtusus in vertice & posteriore colli parte, qui tamen & nonnunquam anteriorem partem capitis affligit, præcipuè cum Clar. V. inclinato capite vel legit vel scribit. Loco etiam si movetur, veluti ebrius incedere sibi videtur. Hæc omnia partim ab humore aliquo ad posteriorem capitis partem, nervosque opticos delabente, partim propter agitationem quandam spirituum & vaporum, accidere existimo. Cùm enim temperamentum cerebri, præcipuè in senibus, sit frigidum & humidum, calor quinetiam nativus imbecillis, vapores qui ex inferioribus partibus sursum elevantur, facilè in excrementitium humorem transeunt, & ad nervos defluunt, ubi dolorem vel obtusum, vel acutum excitant, prout materia peccans aut mansuera vel acris fuerit. Quod si spiritus animalis, qui est visus instrumentum, quique in magnis cerebri cavitatibus & arteriis continetur, humoresque simul commoti quoq; fuerint (motu autem, quo caput movetur, necesse est, ut testatur Rasis, ut quæ liquida in eo contenta sunt, moveantur) visus hebescit & obscuratur, & homo veluti ebrius ex una in alteram partem vacillat, ut etiam sæpissimè graviter ad terram concidere, ipsi necessũ sit. Cæterùm cum affectus sit ex repletione, videlicet propter vaporum ex inferioribus corporis partibus ad caput elevatorum, & inde generatorum humorum copiam, quis non videt evacuatione curandum esse? Itaque non tantùm ad partem recipientem, cerebrum videlicet, verùm etiam ad propellentem respicere, operæ pretium erit; Victus itaque ratio inprimis observanda est, sitque talis, quæ optimum succum procreare, ventriculum quinetiam partesque nutritioni inservientes, simul & calorem innatum corroborare, & humidum radicale instaurare possit. Secundò, excrementa quæ quotidie in visceribus propter caloris nativi inopiam generantur, per intervalla evacuare licet, id autem fieri debet pharmacis, quæ non simpliciter excrementa evacuant, verùm etiam proprietate quadam specifica ex capite deorsum trahũt. Ego in simili affectu tam in memetipso, quàm in aliis, sequentibus pilulis maximo cum fructu utor. Ventriculum enim partesq; omnes nobiles corroborant, viscera, uti & caput, clementer purgant, visumq; acuunt & instar balsami corpus nostrum à putredine humorum vindicant.

Pilulæ corroborales & purgãtes caput.

R. Aloës succotrinæ purissimæ, & ter aut quater succo rosarũ pallidarum impregnatæ, iterumq; ad solem canicularem, aut in cineribus tepidis exsiccatæ ℥.j.
Rhabarbari electissimi & subtilissimè pulv. ʒ.ij.
Agarici recenter trochiscati iterumq; exsiccati ʒ j.
Confectionis Alkermes ℈.iiij.
Cremoris tartari ʒ.j.ß.
Ol. Cinamomi & fœniculi an. ℈. j.

Misceantur diligenter in mortario, & cum s.q. extracti betonicæ & scordii fiat massa, de qua sumatur scrupulus unus aut drachma semis. Purgant, ut dixi, clementer, & quidem sequenti die. Per duas autem aut tres horas post cœnam modicam Pilulas hasce exhibeo. Noctu enim, propter vaporum abundantiam, qui in somno sursum elevantur, vis medicamenti faciliùs, quàm interdiu ad cerebrum pervenit. Usum quoque pilularum ex Maro, Costo, & Aloë Doct. Raimundi Mindereri, non improbo. Quod si affectus contumax fuerit, fortiora adhibenda sunt pharmaca, prius tamen præparata & concocta materia apozemate aliquo appropriato, ex radicibus aperitivis, foliis & floribus betonicæ, majoranæ, primulæ veris &c. cum syrupo de cichorio & de betonica an. q.s. parato. Deinde corpus expurgandum est pilulis Aureis, Ochiis, Aggregativis de Agarico, & similibus, aut infusione Agarici, rhabarbari & foliorum senæ. Ventriculus item partesq; nutritioni inservientes corroborandæ sunt, ubi confectio Alkermes, de hyacintho, item species Aromatici rosati Diarrhodonis Abbatis, species de Gemmis lætificantis Galeni, & hujusmodi conveniunt.

Post universales purgationes, particulares minimè sunt negligendæ, inprimis autem masticatoria ex mastice, pyretro, majorana, betonica, staphide, agria & similibus, quæ humores noxios clementer ad fauces trahunt, laudo. Ab Errhinis & sternutamentis, ut Clar. Vir abstineat, suadeo: cerebrum enim cum impetu & præter modum concutiunt, & visum hebetant, uti exempla ostendi, Cent. 1. Obs. 24. Cùm enim materiam ex cerebri ventriculis ad nares trahunt, nervos opticos in transitu obstruunt. Usus cucurbitularum scapulis & nuchæ applicatarum in Clar. V. mihi non probatur. Sæpissimè enim in hujusmodi casibus materiam peccantem ad spinam dorsi, maximo ægrorum damno, trahunt. Observavi id ante annos aliquot in matrona quadam nobili propè Lausannam, simili affectu laborante. Non diu enim post applicationem cucurbitularum, paralysi brachiorum correpta fuit. Maximum autem & summum remedium, cùm ad præsentem affectum curandum, tum etiam ad alia quàm plurima mala, quibus in senectute obnoxii sumus præcavenda, habebit Clar. V. si in utroq; brachio cauterio potentiali fonticulos, ut vocant, sibi faciendos curaverit. Inter præsidia enim, quæ noxios humores ex corpore evacuant, primum ac præcipuum locum obtinent. Quandoquidem natura sagacissima ad eos, veluti ad cloacam, excrementitios humores, tàm ex pectore, quàm ex capite protrudit, per eosque sensim evacuat, uti Clar. T. in epistolis meis 49. prolixè videre poterit. Ego quoque expertus loquor, quatuor enim habeo fonticulos, & maximo quidem meo commodo. Quod si indispositionem aliquam aut intemperiem hepatis aut venarum mesaraicarum adesse cognoverit Clar. V. (solet autem & plerũq; affectus ille ex biliosis, acribus calidisq; vaporibus ex hepate elevatis, provenire) fonticulus ad poplitem dextrum summoperè conveniet. Ille enim excrementitios humores hepatis & venarũ mesaraicarum evacuabit, partesq; nutritioni inservientes corroborabit, caput præterea suffimigiis ex mastice, olibano, styrace, Benzoino & hujusmo-

Obs... tio.

jusmodi corroboratur, uti etiam cucupha, ex appropriatis facta, de quibus ut singulatim agam, supervacaneum esse duxi, cum clarissimo Viro hæc omnia sint quàm notissima. Quod superest DEUM ter Opt. Max. suppliciter oro, ut omnibus abundè benedicere, & Clar. Virum, in bonũ Reip. literariæ in multos annos incolumen conservare velit. Dabam ocyùs Bernæ 9. Octobris Anno 1621.

OBSERVATIO X.

De surditate ferè inveterata, extemplo curata.

Ad Doctissimum Virum,

DN. JOH. BURGAWERUM,

Medicinæ Candidatum,

Cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus.

S. P. D.

Constitueram, Doctissime mi Dn. Burgavver, inpræsentiarum ad te scribere Observationem illam raram, de Calculo Scroti: sed aliæ occupationes id nunc non permittunt, fiet id, volente DEO, brevi. Interim accipe Casum lectione non indignum. Venit ad me 7. hujus, Rusticus quidam ex pago vicino Ottlingen, Christin Dierwächter nomine, exponens, se ante annum circiter, auditu dextræ Auris planè orbatum esse, & multa à multis, etiam in arte Chirurgica exercitatissimis, frustrà adhibita fuisse. Hujus Surditatis causam cùm diligenter perquirerem, retulit, se quadam die in agro obdormivisse, ubi cùm ex somno expergefact⁹ fuisset, tinnitum strepitumque istius Auris longè molestissimum sensisse, auditum quoque paulatim imminutum, tandemque planè abolitum fuisse; Aurem cùm obiter inspexissem, nec quicquam extranei vidissem, affectumque propter affluxũ humorum ortum esse putarem, suasi, ut caput evacuaretur, Vena secaretur, Cucurbitulæ applicarentur, & Turunda Medicamento aliquo conveniente, ad tinnitum Aurium insuccata, infigeretur: Turundam itaque fabrico.

Illam verò cùm immittere vellem, & obstaculum aliquod subesse animadverterem, admoto Speculo Auris, in profundo aliquid præternaturale video: immissis itaque instrumentis, qualia hîc depicta sunt, materiam quandam pinguem flavamque, sordes aurium præ se ferẽtem, & prope membranam tympani tenaciter hærentem, extraxi: hinc in ipso momẽto tinnitus remisit, & auditum recuperare cœpit. Materiã autem hancce cùm diligenter inspexissẽ, grillum semiputridum, sordibusque auris involutum esse reperi. A sordibus mundificatã Aure, ad suos eum remisi, & ut singulis diebus Turundã medicamento prædicto madefactã auri immitteret, jussi. Heri ad me rediit, gratias egit, & perfectissimè se curatum esse nunciavit.

Existimo autem, ipsum mero Vaudensi oneratum fuisse, & proinde ingressum grilli in aurem non observâsse. Grillum verò ex anfractuositatibus auris regredi non potuisse, sed putrefactum, & sordibus involutum fuisse. Utinam semper Causa morbi tam facilè reperiri & aufferri possit: tunc vix profectò daretur morbus insanabilis. Hæc raptim 16. Augusti 1626.

Obs. 10. & 11.

OBSERVATIO XI.

Ex Colapho Apoplexia & mors sequuta.

Civis & Arcularius quidam Bernensis, nomine Hans Rust/ Vir probus, & 50. circiter annorum ætatis, homo cacochymicus & obstructionibus viscerum laborans, cùm anno 1623. 9. Februarii, circa 6. vespertinam, inter pocula altercationem cum patricio quodam habuisset, & colaphum accepisset, protinùs in pavimentũ hypocausti cecidit, & aliquantisper veluti exanimis permansit: paulò post tamen ad se rediit; surrexit, & ad ædes suas (quæ non procul absunt à loco, ubi percussus fuit) se contulit, ubi apud domesticos de dolore capitis conquestus est: nihilominus tamen jusculum sumpsit, sed mox evomuit illud cum reliquis cibis indigestis. Ad lectum se confert, perseverante tamen dolore, & satis quietè dormit usque ad horam primam noctis, tum veluti rigore quodam correptus, subitò loquelam amittit, fitque apoplecticus, & postero die circa meridiem naturæ debitum persolvit. Post mortem sanguis, pituitâ vitreâ mixtus, copiosè per os emanavit. Dorsum lividum erat. Posterior quinetiam pars capitis, & nucha intumefacta reperta fuit.

Porrò quomodo id acciderit, quòd ex levissimâ illâ causâ & casu mors successerit, perquisitione dignum est. Arbitror ego, post ictũ colaphi & casum, commotionem cerebri secutã esse. Id enim indè colligitur, quòd veluti exanimis mutusque permanserit, & cibum indigestum rejecerit. Sunt enim hæc signa commotionis cerebri certissima; si casus aut percussio capitis præcesserit: In hac porrò agitatione & concussione cerebri ruptæ fuerunt venæ (sanguis, qui ex ore emanavit, testis est) ex quibus sanguis effluxit, ventriculosque cerebri, & ipsius anfractus opplevit, & spiritus animales suffocavit, ita ut ad partes infra caput existentes defluere non potuerint. Hinc Apoplexia illa maxima, quam fortem appellat Hippocrates lib. 2. aphor. 42. Hæc verò ita sese habere, ex Galeni libro de Sanguinis missione colligitur, ubi hæc habet verba: *Nonnunquam* (inquit) *priusquam computrescat sanguis, ingens ipsius vis decumbit in partem aliquam, quam aut extinguit omninò; ita ut actio ipsius pereat, aut illi certè noxam non contemnendam infligit. Hoc siquidem pacto Apoplexiæ eveniunt, multo nimirum sanguine incumbente in animantis principium.* Hæc Galenus. At Apoplexiam hoc modo ex ictu aut casu fieri posse, etiã Experientia, & viri docti testantur. Platerus inter alia hæc quoque habet verba. *Extra vasa sanguis delatus, si non in cerebri substantiam infusus inflammationem pariat, tunc enim phrenitis fieret, sed anfractus & ventriculos subitò opplendo obstruat.*

Vide Hip. lib. 7. Aphor. 58.

De functionibus læsis cap. 2. mihi pag. 27.

Obs. 11. & 12.

nervorumq́; initium premat, stuporem & apoplexiam causat: ut frequenter ruptâ venâ accidit: idq́; nonnunquã ob plethoram ad vasa, iis præsertim, quibus consueta hæmorrhagiæ per mẽses, hæmorrhoides & nares substiterant. Idem à causâ externâ violentâ, ut cerebri contusione, ex ictu vel casu potest accidere: etsi cerebri substantia vulnerata minimè sit, ut sanguis quoq́; cerebri cavitates, ipsiusq́; substantiam, ex locis præsertim ubi contusa est, oppleat. Hactenus Platterus.

Sed quæstio est, cur non è vestigio post ictũ & casum, sed saltem post aliquot horas sequuta sit apoplexia? Respondeo, id evenisse propterea, quòd venæ disruptæ in capite fuerant exiguæ, & proindè sanguinem sensim ex eis ad vẽtriculos fluxisse, eosque opplevisse. Pituitam quinetiam (quam in hac Apoplexiá ex præcipuis fuisse causis morbi, viscosus ille sanguis testatur) quia tardè movetur, non tàm celeriter ex remotis partibus ad ventriculos cerebri confluere potuisse.

OBSERVATIO XII.

Matrona ex mœrore, & subita consternatione animi, in Apoplexiam incidens, paulò post extinguitur.

Viro Amplißimo atq́; Doctißimo,

DN. GREGORIO HORSTIO,

Philosophiæ & Medicinæ Doctori excellentissimo, & inclytæ Reipublicæ Ulmensis Archiatro longè celeberrimo, Amico singulari,

Guilhelmus Fabricius Hildanus,

S. P. D.

TUas, Vir amplissime, fautor & amice plurimùm honorande 4. Decembris Ulmæ datas, 7. Januarii per adolescentem quendam Ulmensem, tyronem chirurgiæ, accepi. Libenter ipsi adjumento fuissem, si apud nostrates locus aliquis vacuus extitisset. Volebam ipsum instruere literis commendatitiis, ad amicos meos Genevæ & Lugduni degentes, sed commoditas ipsius, ut iter hoc susciperet, id non ferebat, nec tempus satis idoneum erat. Discedens itaq; hinc, Basileam, ut arbitror, se contulit.

De obitu matronæ, trichiasi laborãte.

De Domina Sara Schewerin, matrona Trichiasi laborante, hæ ultimæ erunt literæ, quas ad Te scripturus sum: undecima enim Januarii proximè elapsi piè placidèque obdormivit. Sed quæris sine dubio, quo genere morbi extincta sit? Id tibi paucis significabo. Fuerat matrona illa, ut ante hac quoque ex meis ad Te literis intellexisti, à multis abhinc annis, pro ætate sua robusta, parumque morbis obnoxia, imò etiam hac hyeme, quæ tamen propter intemperaturã, & inconstantiam aeris (ut ego etiam in memet ipso experior) senibus gravis & valde molesta fuit, provinciam suam cum laude administravit. Cæterùm decimo prædicti mensis, circa meridiem, quum ex inepto & agresti tabellario literæ ipsi traditæ essent, & ex eis inopinanter intellexisset, filium suum, qui in Dalen, in Argovia hujus Reipublicæ ditionis pago, Ministrũ Ecclesiæ agebat, quemque unicè amabat, diem suum clausisse, adeò mente fuit commota & cordolio prostrata, ut vix perlectis literis, in grabatum se projiciens, protinus syncope correpta sit. Adstantes hac de re non usque adeò solliciti (nullus enim ex Medicis vocatus fuit) optimam ac piam hancce matronam sine auxilio ex arte præscripto derelinquunt, & muliercularum, imperitorum hominum remediis ipsam refocillare tentant, sed frustra; Hæc quum mihi ab amico quodam meo nunciata essent, protinus & quidem ultrò accurro, an forsan optimæ matronæ auxilio esse possem, verùm fefellit me opinio: sine loquela enim, intellectu, & planè Apoplecticam ipsam inveni, ita ut sequẽti die extincta fuerit illa, quæ præcedenti die corpore adhuc sana & valida, ad meridiem usq; per urbem ambulaverat, & rem familiarem administraverat. Vides, quàm perniciosæ sint passiones animi, præsertim in corpore senili, si subitò & inopinatè acciderint.

Ego ut cadaver aperire, & causam generationis crinium investigare possem, omnem movi lapidem, sed oleum & operam perdidi, etiamsi enim amicis, præsertim eis, qui ex ipsa sũt nati, significarem, quantum ipsis intersit, ut morbum defunctæ, ipsiusque causam sciant, si forsan in posterum aliquis eorum eodem affectu corriperetur; attamen ab ipsis impetrare nõ potui, ut corpus aperirem. Vides, quàm sint solliciti nostrates, ad conservanda cadavera, quæ terræ & vermibus sunt destinata, & brevi in cineres abire coguntur; interim dum corpora sua, in quibus imago DEI adhuc viget, carnificibus, incantatoribus, circumforaneis, aliisq; nequissimis ac sceleratis hominibus confidunt. Pudet me, dicere hæc inter eos, qui in Ecclesia ac schola Christi edocti sunt, imò & in hac urbe indies accidere. Contemptus donorum DEI & imprimis artis medicæ, hæc omnia faciunt. Sed forsan in posterùm eos pœnitebit, cadaver non fuisse perlustratum; amplissimam enim prolem, tum ex ipsamet defuncta, tum etiam ex filiis & filiabus natam reliquit, quæ uti verendum, ab isto morbo non omninò immunis erit. Apparuit id quoque in defuncto ipsius filio, Ministro in Dalen, qui à multis annis affectu vesicæ laboraverat, & frequenter urinam cruentam excreverat, qui & tandem à morbo isto extinctus fuit, & novem liberos reliquit.

Obser- tio.

Simile quid hîc accidit hunc in modum; ante annos aliquot, cùm nobilis quædam fœmina, gravida, Beati Ludovici à Lauternaw uxor, Matronæ de Weingerten P. M. sibi sanguine jũctæ, cui vena secabatur, adstaret, & exilientem sanguinem nimis attentè observaret, cordolio prostrata in syncopen gravissimam incidit, & sequenti die fœtum mortuum peperit; illa verò convaluit, & etiamnunc vivit. His vale Vir Amplissime, & æternùm cum tuis feliciter vive, Bernæ 16. Martii 1627.

OBSER-

OBSERVATIO XIII.

De periculosa applicatione cucurbitularum, in hæmorrhagia narium.

Applicationem cucurbitularum ad scapulas & nucham, in hæmorrhagia narium, præstantissimum esse præsidium, Medicis notum est: nonnunquam tamen in perniciem ægri adhibitam fuisse, observavi. Poterit lector hac de re videre historiam singularem, in quinta Centuria observ. mearum, in Epistola quadam ad Dom. Doctorem Hagenbachium scripta, & Observat. 27. annexa, sequens quoque Exemplum annotatione dignum est.

Patricius quidam Bernensis, quadraginta circiter annorum, plethoricus, & optimo corporis habitu præditus, cum hæmorrhagiâ intempestivâ narium laboraret, & ex consilio Medici cucurbitulas ad ignem sibi applicandas curaret, adeò auctus fuit fluxus, ut inter paucas horas ad libras aliquot sanguinis effluxerint. Ego cùm in cõsilium vocatus essem, & ægrũ in culina propè ingentem ignem in sella positum, atque omnia circa ipsum sanguine conspersa esse viderem, supra modum perturbatus, & tantam ignorantiã, ne dicam dementiam Barbitonsoris admiratus fui: Jubeo itaque, ut ilicò à foco recedat, protinusque totum dorsum sequenti linimento inungo

Linimentum refrigerans.

℞. Ol. ex Nymphæa,
Rosarum &
Violarum an ℥j.
Caphuræ aceto rosaceo dissolutæ ℈j.
Misceantur in mortario.

Mox brachia ad cubitum, tibias ad poplitem vinculò arctè stringo, fronti linteum aquâ & aceto imbutum applico, naribus verò pulverem meum ad sistendum sanguinem, lib. de Gangræna & sphacelo cap. 19. descriptum, turundis albumine ovi imbutis impono. Hisce adhibitis remediis sanguis substitit, vires quinetiam paulatim collegit, feliciterque restitutus fuit æger, & ad annos aliquot supervixit, donec tandem Anno 1628, peste obiit.

Tantam autem in viro isto fuisse sanguinis ebullitionem, ut non solùm per nares undatim efflueret, verùm etiam ad ventriculum descenderet, ibidemque in grumos coagulatum, iterum per vomitum tam copiosè ejiceretur, ut æger sæpissimè coram me fassus sit, se intra paucos dies ultra mensuras novem (quæ faciunt libras viginti septem) sanguinis amisisse. Res profectò mira, unicum corpus, quod non usque adeò vastum erat, tantâ copiâ sanguinis præditum fuisse. Quod si tamen aliquis mihi objicere voluerit, serosos humores sanguini admixtos fuisse, huic non sum contradicturus; id enim in eodem ferè casu concessi, de quo vide Obs 37. Cent. 3.

Ex his ediscant tyrones, in hæmorrhagia, ex quacunque corporis parte illa fuerit, corpus non esse excalefaciendum, nec dorsum linteis calidis fricandum, multò minus ad ignem collocandũ. Excalefacto enim dorso, sanguis in ipsa venâ cavâ quæ dorso adjacet, effervescit, fitq; subtilis, acris, & ad fluxum aptissimus. Rectè itaque docet Hippocrates lib. 5. aphor. 23. his verbis: *In his, inquit, frigida uti oportet, unde sanguis copiosè profluit, aut profluxurus est.* Nonnulli in hæmorrhagiâ cucurbitulas ad regionem hepatis applicari jubent, sed & id sine periculo haud fieri posse Cent. 2. Obs. 47. demonstratum est. Vulgus in hæmorrhagiâ nariũ ægro aquam frigidam clàm ad cervicem projicit, ut inde per dorsum ad lumbos descendat: idque plerumq; cum successu factum esse observatum est. Duabus enim de causis hæmorrhagiam cohibet. Primò, quia propter subitam formidinem sanguis ad originem suam, hepar videlicet, & cor recurrit, ideoq; videmus in metu externa pallere, & aliquo modo algere. Deinde, quia propter profusionem illam aquæ frigidæ, sanguis in venâ cavâ, quæ dorso, ut antea dixi, adjacet, refrigeratur, & quodammodò inspissatur.

Obs. 13. & 14.

OBSERVATIO XIV.

Puella variolis laborans, loquelam amittit.

Quàm gravissimè variolæ Basileæ grassatæ sint, Anno 1618. hisce meis vidi oculis; ultra quingentos enim pueros è medio abstulerunt, eorum qui evaserunt, nonnulli visum amiserũt. Sequebantur & in multis apostemata, & ex eis ulcera cacoëthea cum carie ossium, nervorumq; putrilagine & erosione, post quæ claudicatio summaq; labefactatio partium sequebatur. Inter cætera autem, quæ supervenêre symptomata, sequens, quia non vulgare, hîc annotare placuit.

Filiola Domini Iacobi Meyweiler, Civis & Mercatoris Basileensis, septem circiter annorum ætatis, cum variolis gravissimè correpta fuisset, circa quartum diem morbi loquelam ita amisit, ut ne minimum quidem vocis articulum, aut sonum aliquem edere posset. Ego 9. Octobris cùm in consilium adhibitus essem, & hujus morbi causam investigare vellem, ne minimum quidem linguæ vitium inveni. Illam enim absque omni difficultate movebat, protrudebat, atque ex una in alteram partem circumducebat. Labia item, nasum & oculos, quotiescunque ad risum incitabatur, non aliter ac ridentes, contrahebat quidẽ, vocem tamen aut sonum nullum proferre potuit. Ex his signis malum in ipsis recurrentibus nervis esse, haud difficulter conjeci. Recurrentes enim nervos vocis præcipua esse organa, post Galenum asserunt Anatomici. Quapropter illis interceptis aut sectis, mutum statim ut reddatur animal, necesse est.

In curatione autem sic processi. Primò syrupo rosato solutivo, composito cum Rhabarbaro, agarico & senna, nec non duobus granis guttæ gamandræ, dissolutis in decocto betonicæ, salviæ, primulæ Veris, corpusculum ut per intervalla expurgaretur, suasi. Deinde quæ cerebrum partesq; principes roborant, uti sequens facit Electuarium, præscripsi.

℞. Conservæ flor. betonicæ
Primulæ veris,
Salviæ

Obs. 14.

Rosmarini an. ℥.ß.
Confectionis Alkermes ʒ.ij.
Specier. dianthos & de gemmis an. ℈.ij.

Cum syrupo de betonica q. s. fiat Electuarium, de quo sumat æger quotidie ter aut quater, præcipuè jejuno stomacho, & post cœnam, ad magnitudinem castaneæ. Exteriùs sequentem fotũ anteriori parti colli, ubi nervi recurrentes descẽdunt, iterumq; recurrunt; bis in die applicare jussi.

℞. Florum betonicæ, salviæ, rosmarini, primulæ veris, summitat. majoranę, hyperici, centaurii. an. m. ß.
Rosarũ rubearũ, Ivæ Artheticæ an. m. j.
Granorum Iuniperi ℥.ij.

Incidantur & contundantur omnia grosso modo, postea indantur sacculo, ejus magnitudinis, ut anteriorem partem colli ad sternum usque cooperire possit. Is aquæ incoctus applicetur calidè, fomenteturq; collum spacio unius horæ, idque bis in die. Deinde inungatur collum sequentibus aquis destillatis.

℞. Aquæ betonicæ,
Primulæ veris,
Salviæ,
Lavendulæ, an. ℥.ß.
Spiritus Iuniperi sine vino præparati ℥.j.
Theriacæ optimæ ʒ.ij. Misce.

His non diu adhibitis remediis, loquelam paulatim recuperavit, & nunc optimè valet puella.

Aliud Exemplum.

Anno 1626. mense Iunio, cum variolæ Bernæ præter modum grassarentur, puerum duodecim annorum, Nicolaum Geisler, variolis laborãtem, curandum habui. Huic circa tertium morbi diem, caput, collum, & facies in monstrosam magnitudinem intumescere cœpit. Lingua quoque faucesq; adeò intumuerunt, (erat enim corpus summè cacochymicum, neque ab initio morbi purgatum fuerat) ut per dies aliquot vix juscula, aut lac amygdalarum deglutire, multò minus loqui posset, febris prætereà ardentissima, angustia pectoris, vigiliæ, & lipothymiæ aderant, ita ut de vita actum esse omnibus videretur. Cùm verò eâ quâ fieri potuit diligentiâ curationem methodicam instituissem, elapso septimo, symptomata omnia paulatim remiserunt, præter loquelam, quæ ita ablata fuit, ut ne syllabam quidem proferre posset. Nonnihil recuperatis viribus supradictis medicamentis ægrum plænissimè restitui, qui & in hunc usque annum 1631. quàm optimè valet.

OBSERVATIO XV.

De ulceribus oris, ex lue Venerea contractis: Item, de Uvulæ relaxatæ periculosa curatione.

Ad Virum Nobilem,

DN. PAULUM OFFREDUM,

Doctorem Medicum Clarissimum,

cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

Obs. 15.

Ab eo tempore, quo Genevæ nos invicem invisimus, Vir amplissime, continuò ferè catarrhis adeò obnoxius fui, ut etiamnum hîc hæream, nec familiam meam Bernam transferre potuerim.

Quæ de ulcere oris ex lue Venerea contracto scribis, arguunt, radicem mali etiamnunc in visceribus delitescere. Simile quid ante annos aliquot in Sabaudo hîc mihi observare contigit. Is per multos annos ulcere cum carie ossis, ex lue Venerea contracto, in ipso palato versus sinistram partem mandibulæ laborans, cùm decocto ligni aliquoties absque fructu usus fuisset, Lausannam ad me venit. Diligenter præparato corpore, & linimentis ex Mercurio adhibitis, brevi sanitati restitutus fuit. Squamma ossis palati quidem abscessit, sed quia ulcus dentibus (ubi os palati spissum est) proximum, os denuò carne quam bellè tectum fuit. In alio quodam, (cujus nomini hîc parco) Ozænâ gravissimâ ex lue Venerea contractâ laborante, idem expertus sum. Ex quibus perspicuum fit, Mercurium externis corporis partibus adhibitum, etiamsi ad partes oris facilè evolet, pituitamq; etiam quàm copiosè secum ducat, nihilominus tamen in hujusmodi ulceribus præsentaneum remedium, & verè Alexipharmacum esse. Interim autem dum Mercurium adhibeo, gargarismata ex scabiosa, rosis, plantagine, betonica ac melle rosaceo, aut diamorone adhibeo. Si putredo aliqua adfuerit, nonnunquam guttulam unam aut alteram unguenti Ægyptiaci, cum penicillo adhibeo. Sed cavendum, quantum fieri potest, ne dentes attingantur; nigri enim inde efficiuntur. In ulceribus quoque oris malignis & ex lue Venerea contractis, aquam ex Arsenico, sequenti modo præparatam, maximo cum successu, applicare soleo. Accipio Arsenici crystallini, subtilissimè triti ℈ij. Aquæ rosarum, plantaginis, & scabiosæ ana ℥.ij. Projicio omnia in phialam satis amplam, eamq; per horas 24. in arena aut cineribus calidis positam, tandem adaucto igne, & apertâ phialâ, per quadrantem horæ ebullire sino. Refrigefactâ per se arenâ & phialâ, aquam per pannum aut linteũ percolo, atque penicillo in ea intincto, ulcera leniter leviterq; attingo. Diligentiâ autem in administratione hujus medicamenti opus est, & inprimis prospiciendum, ut cùm primùm aqua penicillo ulceri adhibita fuerit, æger caput inclinet, ne sputum ad ventriculum descendat: quapropter applicatio hæc non tyronibus, multò minus adstantibus ægri committenda est. Deinde ne adsit affluxus ad partem læsam, nevè inflammatione tentetur, necesse est, malum enim adderetur malo. Quod ego in levioribus etiam affectibus oris, ex intempestivo ac præpostero usu horum, & similium medicamentorum evenisse observavi. Addam exemplum unum aut alterum.

EXEMPLUM I.

Nobilis ac strenui Viri, Dn. Ioh. Heid, inclytæ Reip. Freiburgensis Helvetiorum Consulis prudentissimi uxor, cùm quadam die sub ardentissimo Sole equitasset, caputq; plus, quàm pro conservanda valetudine licebat, excalefactum fuisset,

[Obs. 15.] isset, Catarrho ad uvulam & fauces correpta fuit. Advocatus barbitonsor, cùm uvulam intumefactam esse deprehenderet, pulverem summè calidum & acrem quotidie ter quaterve insufflavit. Hinc exorta inflammatione & abscessu periculosissimo, non tantùm Uvula, verùm etiam cartilagines narium erosæ fuerunt, ulceraq; hinc inde in facie eruperunt. Tandem miseram calamitosamq; hanecce vitam, misera illa ægra, (quæ nulla arte sanari potuit) miserè, sed constanter & piè finivit, melioremq; vitam sibi elegit. Hæc ex ore Genere & virtute nobilissimæ matronæ Dn. prænominatæ ægræ filiæ, Anno 1611. 6. Martii, præsente clariss. V. Do. Sebastiano Meyero, Reip. Solodurensis D. Medico ordinario excepi.

EXEMPLUM II.

Anno 1612. ex Belgio rediens, unà cum Viro clarissimo atq; doctissimo Dn. GEORGIO FABRO, Castri Imperialis Fridbergensis Doctore Medico ordinario atq; celeberrimo, matronam piam & singulari Virtute præditam, nec non D. Fabro sanguine junctam vidi: Cui cùm propter catarrhum Uvula relaxata inflammataq; fuisset, & barbitonsor aquam, quam Regis vocant, nimis indiscretè applicuisset, talis sequuta est inflammatio, & humorum affluxus, ut per dies aliquot de vita periclitaretur ægra. Tandem cùm Dn. D. Faber (qui peregè profectus fuerat) advenisset, summâ suâ & indefessâ diligentiâ restituta quidem fuit: sed uvula & portio aliqua ossis palati & cartilaginum narium exciderunt, maximo cum ipsius incommodo & loquelæ depravatione.

EXEMPLUM. III.

Ex pulvere piperis longi & croci, gulæ faucibusque insperso atque insufflato, anginâ periculosissimam sequutam fuisse, in Reverendo Viro, DN. JOH. MERULA p. m. Ecclesiæ Paterniacensis pastore fidelissimo, observavi Anno 1607. uti in 3. Centuria observationum mearum fusiùs videre poteris.

Quapropter curandum est, ne corpore existente impuro, aut inflammatione & affluxu humorum tentatâ parte affectâ, hujusmodi medicamentis calidioribus & erodentibus facilè utamur, uti etiamsi maligna aliqua qualitas, ex humore atrabilario progenita, quæque Cancrũ sapit, adfuerit. Cancrosa enim ulcera à medicamentis erodentibus exasperantur irritanturque. In his potius medicamentum ex cineribus Gammarorum & ranarum cum eorum mẽstruo confectum applicarem. Illud quanto cũ successu in egregio isto sene DN. CLAUDIO MÕTEILLETO ante annum fecerim, te non latet. Verùm medicamentum hoc in tuo ægro, nisi basis (ut loquitur Massa) luis Venereæ prius evacuata eradicataque fuerit, frustra applicabis. Hæc festinanter ad te scribo; quapropter ut tumultuanti calamo ignoscere velis, obnixè rogo. Vale vir Clarissime, & feliciter vive diu. Raptim Lausannæ 18. Maii 1613.

Epistola.

JOHANNES SCRETA, Medicinæ Doctor Basileensis, Guilhelmo Fabricio Hildano &c. S.P.D.

[Obs. 15. & 16.] *Mitto ad Te, Vir excellentissime, fasciculum huçce, quem mihi Argentinæ in Nundinis, Candidatus quidam Medicinæ tradidit, ad te perferendum. Mitti illum credo ab amicissimo tibi Dom. D. Horstio. Misissem quoque, si tempus permisisset, Historiam & Iconem infantis bimestris, in Nosocomium Argentinẽse, præsentibus Clarissimis Viris D. Saltzmanno, Dn. Sebizio, Dn. Funccio, Nosocomii Medico Ordinario, perlati, cujus Nuchæ ingentis molis & ponderis caro est annexa. Aphonos est planè, & nullum adhuc, quamdiu vivit, vagitum emisit. Verùm hæc in aliud differo tempus. Pestis in nostros atrocius sævire incipit. Protegat Dominus suos. Vale, Vir Clarissime, & me patrocinio tuo fovere ne desine. Dabam raptim Basileæ 18. Iulii 1629.*

D. Socer salutem T. H. adscribit officiosissimam.

OBSERVATIO XVI.

Ingens steatoma feliciter exstirpatur.

Viro Nobili Doctissimo Clarissimoq;

DN. JOHANNI SCRETÆ, Basiliensi Doctori Medico longè celeberrimo; amico meo singulari,

Cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus S.P.D.

FAsciculum, quem ante paucos dies misisti; Clarissime juxtà ac doctissime mi Domine Doctor, rectè me accepisse scias. Pro suscepto labore gratias ago habeoque maximas: utinã Clarissimo viro vicissim aliquâ in re gratificari possem, non deessem profectò officio meo. Ne tamen ingratus sim, En accipe consilium meum de conservanda valetudine, quod ut serenâ frõte accipere velis, rogo. Fasciculum illum ad me misit Clarissimus & amicissimus meus D. Horstius Archiater Ulmensis, qui secundâ parte observationum suarum medicinalium me muneratus est. Historiam & iconem infantis, cujus Nuchæ ingentis molis & ponderis caro est annexa, libenter viderem: Est enim res satis rara. Cum puero nata esse primordia hujus carnis, & anteriores partes colli quoque occupare inde conjicio, quod Excell. T. scribit, puerum, quamdiu vivit, nullum vagitum emisisse, procul dubio eam ob causam quod nervi recurrentes in ipsa formatione fœtus in utero, carne istâ fuerint impliciti. Hîc in Viciniâ in Oppido Vevey ad lacũ Lemannum circa Annum 1593. simile quid visum esse occurrit.

[*Observatio de ingenti steatomate.*]

Cuidam sexaginta circiter annorum, Iean Girau de la Four nomine, robustissimo & optimo corporis habitu prædito Viro, in ipso dorso, circa finem vertebratum colli, paulatim steatoma in tantam molem excreverat, ut molestum esset ægro onus hocce quamvis indolens, veluti collossicum, amplius gestare: quapropter ut ab ipso liberari posset, expertorum Medicorum & Chirurgorum auxilia imploravit. Vivebat autem eodem tempore Lausannæ egregius quidam ac excellẽtissimus Medico-Chirurgus, Iohannes Griffonius, olim præceptor meus fidelissimus, qui quum vocatus & ab ægro & adstantibus supplex rogatus fuisset, ut manum adhibere vellet, curationem hoc modo aggressus est. Primò optimam

Obs. 16. & 17.

victus rationem instituit, & ut à vino, omnibusq; cibis potentiâ calidis, ad tempus quoddam ante operationem planè abstineret, jussit. Interim apozemata & purgantia exhibuit, venamq; secuit.

Sic satis præparato corpore, cutem ad radicem tumoris ad subjectam carnem usque circumcirca tumorem incidit. Postea totam illã partem tumoris, quæ spinam versus tendebat, cum suâ membranâ unguibus separavit, & integrè extraxit, & mox quæ hæmorrhagiam cohibent, vulneri, quod maximum erat, applicuit: deindè illud more aliorum vulnerum feliciter sanavit. Finitâ operatione, trutinata excrescentia pondus librarum septem excedere reperta est. Vixit homo iste per multos annos sine ullo incommodo.

Hæc mihi non tantùm Anno 1594. ab ipso Domino Griffonio, cùm ipsum Visontionis inviserem, verum etiam Anno 1629. à Nobilissimo ac pietate ornatissimo viro, Dom Gamaliele de Tauel, Castellano Viviacensi, qui operationi & curæ interfuit, relata fuerunt.

Pestem apud vos sævire scribis. Vehementer doleo, & Patrem cœlestem vobiscum supplex oro, ut Te, tuosque, ac omnes pios benignè ac paternè conservare velit. Apud nos, in Urbe quidem, cessavit, quibusdam tamen in locis in ditione hujus Reipub. præsertim verò in parte illa Galliæ Lausannam & Genevam versus, gravissimè nunc grassatur. Deus misereatur nostri, propter filium suum unigenitũ Dom. nostrum JESUM CHRISTUM, in cujus tutelam, Te, tuosque omnes commendo, & ut doctissimum ac longè celeberrimum Virum Dom. Socerum tuum meis verbis quàm officiosè salutare velis, etiam atque etiam rogo. Vale, Vir Clarissime, & cum tuis omnibus æternùm quàm felicissimè vive. Dabam Bernæ 28. Julii 1629.

OBSERVATIO XVII.

De monstrosa massa carnea, Occipiti infantis cujusdam adnata.

Viro Clarissimo & Experientissimo, Dn.
GUILHELMO FABRICIO HILDANO, Medico-Chirurgo apud Bernenses eminentissimo, Domino & Patrono honorando,

Iohannes Screta Med. Doct. S.P.D.

LUctari te cum Arthritide, Clarissime Fabrici, à Puero, qui à vobis ad nos redux factus est, non sine magno animi dolore intellexi. Mitiget atrocitatem dolorum tuorum Archiater ille summus, teque rei medicæ ornamentum singulare, diu nobis salvum conservet ac incolumem. Effigiem infantis, de quo superioribus literis (quas te rectè, unà cum fasciculo accepisse existimo) mentionem feci, tibi transmitto. Vivit is adhuc, verùm, ut audio, vitam omninò miseram, nutrimento omni, quod corpori reliquo debetur, ad carnosam illam molem abeunte. Chirurgi, Barbitonsores, molem istam cum vita ipsa sustulissent, ni doctissimorum Medicorum Salzmanni, Sebitzii, & Funccii autoritas aliud suasisset. Quâ ratione enim hæmorrhagiam tot venarum & arteriarum illic complicatarum præsertim in tam tenero & debili corpusculo, sine discrimine non excitare solùm, verùm etiam jam factam sistere potuissent? Verùm hæc est sæculi nostri malignitas, ut colluvies illa Barbitonsorum experimenta per mortem etiam ac interitum facere, sibi non turpe ducat. Cœpit malum illud in utero materno, quod etiam illum ad ultimum vitæ terminum usque comitabitur. Vocem nullam mittit: fortè propter nervos recurrentes, à nimio illo pondere retractos. Conatus quidem aliquis vagitus adest, verùm inanis prorsus. Vetulam rugosam facie sua exprimit: quam ob causam etiam adstantibus vix non risum excitat. Si de his per otium sententiam tuam mihi explicares, maximi beneficii loco id haberem. De statu rerum nostrarum D. Socer meus te certiorem faciet. Reverendis D. Theologis: D. item Durnheimio & Stetlero, fautoribus meis optimis, salutem adscribo officiosissimam. Vale, Vir excellentissime, & me inter observantissimos tui esse, certò tibi persuade. Dabam Basileæ 29. Iulii, Anno 1629.



OBSERVATIO XVIII.

De prædicto infantulo, & nonullis aliis.

Viro Nobili & Doctissimo,

DOMINO JOH. SCRETAE,

Basileensi Doctori Medico celeberrimo, Amico meo singulari,

cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

AD præcedentes literas tuas, doctissime mi Dn. Doctor, quæ de infantulo bimestri, cujus nuchæ massa carnea annexa est, agebant, ante octiduum respondi; & casum non multum absimilem, de steatomate videlicet ingenti, communicavi. Ab eo tempore per Clarissimum Virum Dom. Socerum tuum secundas tuas, unà cum effigie infantis accepi, & non sine admiratione inspexi: pro comunicatione iconis gratias habeo.

In præcedentibus meis scripsi, primordia hujus massæ carneæ in utero materno nata esse, & ad nervos recurrentes sese extendere, cujus sententiæ T. Excell. quoque esse video. Verisimile autem est, id propter fortem aliquam imaginationem matris accidisse; Idem enim in aliis observavi.

De hydrocephalo propter fortem imaginationem matris, exemplum videre poteris Cent. 3. Obs. 17. & Cent. 5. Obs. 3.

De adnato quodam tuberculo, ex imaginatione in utero contracto, vide Cent. 3. Observ. 56. Exempl. 4. excrevisset procul dubio tuberculum hoc in maximam molem, si infans diu vixisset.

Non tantùm autem propter fortem imaginationem matris Natura superflua in fœtu, uti est sextus digitus, & excrescentia carnea, veluti in infantulo, de quo hic agitur, & in Paterniacensi, procreat; Verùm etiam plerumq; membrum aliquod defecisse, observatum est. Exemplum superiori seculo nobis exhibuit Thomas Schwickerus Saxohallensis, qui sine brachiis natus fuit. De eo scribit Matthæus Quadus, in libro quodam Germanico, cujus titulus est, Teutscher Nation Herrligkeit/ mihi pag. 433. id propter terrorem, fortemque imaginationem matris, cum fortè fortuna pauperem brachiis orbatum videret, accidisse: Inquire itaque, an fœminæ huic tale quid acciderit? Prudenter autem à Medicis Argentinensibus factum fuit, quod conatibus Chirurgorum obstiterunt, procul dubio enim unà cum adnatâ carne vitam sustulissent: Id enim in puella quadam Genevensi, cui excidendus erat tumor in collo, evenisse, Cent. 3. Observ. 35. videre poteris. Idem & hìc in viciniâ, in oppido Toun ante biennium, cum struma, exscindenda esset, visum est; Priusquàm enim operatio à Herniothotomo peracta esset, æger extinctus fuit.

De excisione verò steatomatis, de quo ego in præcedentibus meis ad te scripsi, longè alia est ratio: in dorso enim vasa venarum & arteriarum sunt exilia: quod egregius atque excellentissimus ille Medicus atque Anatomicus, Dom. Griffonius sciebat, sine ingenti itaque periculo excisio ibidé fieri potuit. Vocem quod nullam emittit, id à nervis recurrentibus malè affectis provenire, tecum sentio, quemadmodum ex præcedentibus meis colligere poteris. Nervi enim recurrentes, si malè affecti fuerint, statim vox depravatur, vel etiam penitus aboletur, uti in aliquibus observavi, & aliquando in capreolis periculum feci. Vivit etiamnunc hac in urbe septuagenarius quidam decrepitus, qui ante sesqui annum paralysi ex dextro latere correptus, & in ipso momento mutus factus fuit. Excrementa quoq; tum alvi, tum vesicæ involuntariè profluebant. Ego illam adhibui diligentiam, ut non diu post excrementa alvi retinere potuerit, quæ & etiamnunc nonnisi voluntariè reddit: Vrina verò in hunc usque diem guttatim & involuntariè effluit. Ab initio morbi, adhibitis universalibus, sacculos ex betonica, iva arthetica, Rosmarino, salvia, flor. primulæ veris, granis Iuniperis & similibus, in aqua coctos, collo applicui, collumq; oleo lumbricorum & ex floribus inunxi, quorum medicamentorum beneficio, vox ex parte restituta fuit: arbitror enim, materiam peccantem circa sinistrum nervum recurrentem saltem dissipatam fuisse.

Facie vetulam rugosam infantem hucce exprimere scribis: id mirum non est. Nutrimentum enim ferè totum ad molem hancce carneam defertur, hinc reliquum corpus, imò & facies ipsa tabescit, fitq; rugosa. Idem in puero hydrocephalico, cujus mentio fit Cent. 1. Observ. 18. Et in aliis observavi. Fames enim corpora non solùm extenuat, & rugosa facit, verùm etiam vividum & roseum colorem cutis in lividum, subobscurum, & nigricantem immutat, quemadmodú Anno 1587. egomet in maxima ac ferè universali dira illa fame in Sabaudia, aliisq; vicinis locis, in illis qui fame extincti fuerunt; hisce meis vidi oculis. Sed commemoratione dignum est, in cadavere quodam fame extincto, & à præstantissimo Viro Dn. Ioh. Griffonio Genevæ dissecto, ossa medullâ orbata reperta fuisse. Id tamen mirum non est: In famelicis enim ex toto corpore, quicquid nutrimenti superest, ad cor, & hepar recurrit, ut calor nativus humidum innatum fovere possit. Hac ipsâ horâ dum hæc scribo, literas à doctissimo Viro Dn. Henrico Schobingero accipio, qui se ante paucos menses ex Italia redeuntem, Campiduni infantem per totum corpus, exceptis manibus & pedibus hirsutum vidisse scribit: addit, id ex terrore & imaginatione matris accidisse, cum in macello à velleris agnini conspectu terrore perculsa esset. His vale, Vir doctissime, clarissimeq; & me amare perge. Dabam Bernę 10. Augusti 1629.

OBSERVATIO XIX.

Catharrus ad dorsum delapsus, in sphacelum degenerat.

GEnere & Virtute Nobilis quidam Bernensis, quinquagenarius, & ex Senatorio Ordine, Dominus Antonius Teillerus, homo robustus & obesus, à longo tempore adeò somnolentus fuerat, ut frequenter in mensa & inter comedendum, somno obrueretur. Hìc cum Anno 1621. æstatis tempore, ab Amplissimo Senatu

Obs. 19. natu Bernensi, Badenam ad Comitia missus esset, & tum in itinere, tum etiam in loco ipso, propter negotiorum multitudinem, corpore simul & ingenio defatigatus fuisset, Catharrus ipsi ad dorsum defluere cœpit: non tamen ad cutem, sed ad musculos, qui spinæ sunt proximiores. Quum verò ab initio defluxio non usque adeò esset vehemens, in cute quinetiam, imò & in toto dorso nihil præternaturale (excepto dolore quodam gravativo) adesse cerneretur, ex consilio Barbitonsoris cujusdam Badensis, (qui totum negotium naturæ committendum esse suasit) morbum planè neglexit. Quum itaque materia peccans (quam ab initio frigidã fuisse, obscurus & gravativus ille dolor testatur) magis magisque ad dorsum deflueret, dolor adauctus est, febricula quinetiam supervenit, somnolentia tamen magis magisque remisit, & appetitus non usque adeò prostratus fuit. Finitis comitiis, quum Eques Bernam rediret, & in via, propter pluvias & tempestates maximas defatigatus, locus quinetiam affectus, à vestimentis, & pallio madido, compressus fuisset, adeò aucta fuerunt symptomata omnia, ut non nisi cum difficultate Bernam redierit, ubi quum Ego & Dom. D. DAVID REX, hujus Reip. Medicus Ordinarius 5. Julii 1621. in consilium vocati essemus, totum illud spatium, quod est à secunda vertebra metaphreni, usque ad decimam, supra modum intumefactũ invenimus. Tumor erat durus, præsertim inter utramque scapulam, Dolores acutissimi cum magna inflammatione aderant, Febris ardens & continua, inquietudines maximæ, & sitis inexhausta, ægrum exercebant, nullum tamen signum suppurationis aderat. Nos quantum fieri potuit, symptomatibus omnibus, tam internis quàm externis præsidiis prospeximus, & ut materiam in profundo collectam extraherem⁹, tumori emollientia & pus moventia applicuimus, sed per multos dies sine notabili successu. Natura enim circa interna viscera occupata, & in ipso loco affecto veluti sopita, à medicamentis alterari ac moveri non potuit. Quum itaque in maximis essemus angustiis, & quomodo materia inter musculos spinæ proximos contẽta, attrahi posset, solliciti essemus, Ecce naturam, quæ quadam die post prandium insurgit, materiamque expellere conatur, Superveniunt itaque rigores maximi: Sudor per totum corpus affatim erumpit, anxietates, lipothymiæ quinetiam tam frequentes sequuntur, ut mortem proximam esse adstantes putarent: Nos cõtrà de optimo eventu benè speravimus, nec fefellit nos opinio. In ipso enim paroxysmo, natura materiam peccantem cum impetu cutem versus ita extrahit, ut intra paucos dies, tribus in locis ruptus fuerit abscessus, ex quo materia ichorosa ac fœtidissima effluebat. Immisso stylo exploratorio, omnia quæ sub tumore (qui spytamam erat longus, nec minus latus) in profundo continebatur, jam sphacelata & emortua esse deprehendimus: Quapropter ulceribus unguentum meum Ægyptiacum, cujus descriptio extat in tractatu meo de Gangræna & sphacelo cap. 13. turundis imposui, postea cataplasma ex farina lupinorum, lentium, fabarum &c. uti eodem capite descriptum est, applicui. His adhibitis remediis, nihiloque in universalibus omisso, symptomata remiserunt, & natura beneficio medicamentorum, & carnem illam sphacelatam, & cadaverosam paulatim separavit, idque circa tria illa foramina, quæ in medio tumoris erant, ubi primò carnem planè mortuam novaculâ exscidi, & ex tribus prædictis foraminibus unum effeci, sed fine ullo dolore. Dolor enim in hoc ægro, à magnitudine morbi jam prostrato, summo studio evitandus erat. Facile enĩ propter dolorem de novo adaucta fuisset febris, reliquaque symptomata. Quomodo autem carnem emortuam sine dolore exscinderim, in gratiam tyronum adscribam.

Sphacelum semper adjunctam sibi habere Gangrænam, in tractatu meo de Gangræna & sphacelo cap. 2. ostensum fuit. Carnem præterea sphacelatam sine omni sensu esse, paulatimque proximam adjacentemque carnem Gãgrænâ adhûc obsessam, inficere & putrescere, eodem loco abundè dictum fuit. Ut itaque carnem emortuam sine dolore exscindas, necesse est, ut partem sphacelatam & planè emortuam exactè cognoscas. Id iterum te docebit prædictum caput secundum tractatus mei. Carnẽ itaque sphacelatam, hoc est, planè emortuam, ad radicem, hoc est, quâ vicinam carnem, nondum de toto emortuam attingebat, sensim exscidi, postea unguentum meum ægyptiacum filamentis imposui, & prædictum cataplasma calidè applicui bis in die. Hoc modo iterum factâ escharâ, & penitus emortuâ carne, quæ antea semimortua erat, sequenti vel etiam eâdem die sub vesperam, iterum quantum potui, de corrupta carne exscidi, & tantisper applicationem ægyptiaci, & cataplasmatis iteravi, donec, quicquid corruptum & depravatum erat, excisum, morbusque superatus & evictus esset. Id verò, ex eo deprehendes, quòd malum non latius serpet, & circa ipsum apparebit circulus exactè rubens, & exquisiti sensus. Separationem enim carnis mortuæ à vivâ, naturæ & medicamentorum beneficio fieri indicat: Præterea in isto circulo rubro, materia spissa & alba reperitur. Hâc methodo me non sine admiratione adstantium, plus quàm semilibram carnis mortuæ ex dorso hujus viri, sine dolore exscidisse, ulcus quinetiam, quod spytamam ferè erat longum, nec minus latum (erat enim rotundũ) feliciter curasse, testis est ipse æger, qui in hunc usque diem 18. Septemb. 1632. quo hæc scribo, vivit: testes quoque sunt adstantes, quorum nonnulli adhuc vivunt, inprimis Genere, virtute ac doctrinâ nobilissimus Vir, Dn. Ioh. Antonius Teillerus, ægri filius, Reverendus item & doctissimus vir Dominus Hieronymus Werderus, Verbi Divini Minister, qui curationi quotidie interfuerunt. Superato & evicto malo, Eschara quinetiam ad sanam ferè carnem excisa, sequens unguentum filamentis imposui.

Sign[...] gr[...] tam cogn[...]tur.

℞ The-

R. Therebinthinæ
Gummi Elemi ℥ij.
Ceræ novæ ℥ij
Ol. rosacei &
De vitellis ovorum lento igne extracti an. ℥j. ß. Dissolvantur & percolentur, postea admisce
pulv. mirrhæ
Aloes &
Scordii an ℥j. misce, fiatque unguentum addendo vitell. ovorum. n. 2.

Unguentum hoc non solùm digerit, & dolores lenit, Verùm etiam mundificat ulcera putrida & sordida, carnemque laudabilem procreat: quapropter eo usus sum usque ad finem ferè curationis, uti quoque cataplasmate prædicto. Illud enim exsiccat, partemque ægram corroborat. Circa finem verò curationis ad cicatricem inducendam, filamenta, succo Verbenæ, prunellæ, & caudæ Equinæ imbuta, Ulceri imposui, & emplastrum Slotani applicui. Sic divino aspirante Numine feliciter restitutus fuit, & in hunc usque diem 24. Januarii 1629 feliciter vivit, neque ab eo tempore, quod notandum, tantoperè somnolentus fuit, nisi forsan æstatis tempore, quando ipsi à gravissimis suis occupationibus tum publicis tum privatis, otium datur.

OBSERVATIO XX.
De fallacia pulsus & urinæ.

Clarissimo & Doctissimo Viro,
DN. SEBASTIANO MEYERO,
apud Freiburgenses Brisgoiæ Medicinæ Doctori Excellentissimo, Amico singulari,
Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

ANte paucos dies tuas accepi literas, clarissime atque doctissime mi Dn. Doctor, Amicorum optime, quæ non mediocriter me contristârunt, & etiam nunc, quotiescunq; eas inspicio, contristant. Propter gravissimum enim morbũ Dn. Prætoris Federeri anxius sum: præsertim cũ de recuperanda valetudine, literæ tuæ haud spem mihi attulerint. Dominum autem patrem Cœlestem supplex oro, ut Spiritu suo sancto ipsi adesse, & angelis suis ex ærumnosa hacce vita ad æternam quietem ipsum conducere velit. Pro transmissis novis, ut & pro anatomia Theologica, gratias, quas possum, ago maximas. Sed in opusculis meis ad prælum adornandis adeò occupatus sum, ut hujusmodi scripta vix inspicere mihi liceat: Interim tamen, volente Deo, non ero ingratus. Centurias meas præ manibus habeo, easque instrumentis, historiis, exemplis, & observationibus adaugeo. Nunc in sexta laboro, eamq; in ordinem redigo. Tractatum meum de Ichore & Meliceria Celsi, Laus sit Deo, absolvi, continet capita 30. separatim tamen non prodibit, sed cum reliquis opusculis.

Cæterùm, Vir clarissime, quàm fallaces sint urinæ & pulsus, cùm aliàs, tùm hisce diebus vidi. Puer tredecim annorum, ex familia Wurstenbergiorum oriundus, Christophorus nomine, Ascite laborans, cùm à carnifice, aliisque Empiricis derelictus esset, in consilium accersitus fui, triduo ante ipsius obitum; tum abdomen, genitalia, & crura, mirum in modum intumefacta reperi; Urina quoque suppressa erat: quapropter dolores, inquietudines, & anxietates aderant. Applicato sacculo ex radicibus & foliis altheæ, malvæ, parietariæ, floribus Chamomillæ, Meliloti, semine fœnograeci, lini & Anethi, & inuncto ventre oleo liliorum alborum, urina mox profluere cœpit, & quidem in copia, & postquam confectionem Alkermes, in aquis cordialibus dissolutam, exhibuissem, & carpis Epithema adhibuissem, symptomata multùm remiserunt, pulsus quinetiam ferè naturalis factus fuit, sed & urina etiam ultima, ab urina hominis sani nihil discrepabat. Res profectò admiranda; à teneris enim annis cacochymicum, & obstructionibus maximis viscerum, obnoxium fuisse puerum hũc, mihi, qui ipsum aliquoties ex gravissimis morbis restitui, notum est. Venit mihi tunc in mẽtem casus, quem Friburgi hîc in vicinia, ante annos viginti in nobili quodam viro, cujus nomen nunc non occurrit, tecum vidi. Ille gravissimè laborans, & substantiam hepatis veluti in pultem dissolutam, & per secessum excernens, urinas veluti naturales reddebat, tibi si forsan in mentem venerit casus, illum ut communicare velis, rogo.

Porrò de fallacia pulsus in postrema nostra peste anno 1628. hic quàm gravissimè grassante, exemplum annotatione dignum vidi. Doctissimus Vir, Dominus Iohannes Durenhemius, Poëta Laureatus, & Notarius cæsareus, peste gravissimè laborans, quum instante quarta die morbi, circa vesperam pulsum non saltem exiguum, & parvum, verùm etiam intermittentem haberet, & ego adstantibus lachrymantibus oculis (est enim intimus meus) significarem, ipsum eadem nocte expiraturum, (neminem enim talem pulsum habentem, ex hac peste convaluisse, observavi) contrarium evenit. Circa mediam noctem enim diarrhæa (quæ tamen in hac peste in reliquis mortalis fuit) superveniens, alvus ter quaterque subducta fuit, hinc natura vires suas ita collegit, & adeò refocillata fuit, ut sequenti die pulsum immutatum, & aliquantulum ad naturalem vergentem invenerim, & brevi convaluit.

Hæc, ne vacuas planè ad Te, Vir doctissime, mitterem literas, adscribere placuit. Posthuma clarissimi Viri Dn. D. Mockii p.m. amici mei singularis, cum primum prodierint, ad me, quæso, mitte, pretium quod indicaveris, mittam, & quidem cum fœnore. His vale, Clarissime mi Dom. D. & cum tuis omnibus, quos uxor mea mecum peramanter salutat, æternùm quàm feliciter vive. Medicos vestros, & inprimis Dn. D. Helblinum meo nomine saluta. Raptim Bernæ 10. Iulii, Anno 1631.

Post-Scriptum.

Absolutis præcedentibus ad te literis, clariss. Vir, cùm Centurias meas pervolverem, historiam præcedentem, de fluxu hepatico, inveni, sed valdè succinctè descriptam Continetur illa Cent. 4. Obs. 40. de urina tamen nihil adscripsi, uti nec de re-

Obs. 20.

Pulsum fallacem esse, exemplo ostenditur.

Obs. 21. de reliquis symptomatibus. Tibi si aliquid de his occurrit, scribe. Plura exempla de fallacia urinæ, vide Cent. 3. Obs. 73.

Observatio XXI.

De difficultate respirandi.

Clarissimo & Experientissimo Viro, Dn.
GUILHELMO FABRICIO HILDANO, Illustriss. Marchionis Badensis &c. nec non inclytæ Reip. Bernensis Medico-Chirurgo Dignissimo, Amico & collegæ honorando,
Ludovicus Schmid, Illustriss. March. Bad. Archiatros.

Petiit superiori mense Perillustris & Generosus Dominus Emich, Comes in Falkenstein, Clarissime & Experientissime Dn. Fabrici, per ministrum hac transeuntem Argentinam, ut tecum ego de Dyspnœa, quæ Generos. suam aliquandiu jam molestavit, agerem: & quâ ratione hujus violentia infringi, quin & ipsa radicitus evelli posset, ambo in medium consuleremus. Huic Generosissimi Herois petitioni eò majore studio obtemperandum mihi esse judicavi, quòd is Serenissimo nostro Principi & Consanguinitate & animi conjunctione Charissimus, amicitiâ ejus ab ineunte ætate nunquam hactenus interruptâ floruit. Tradam autem, quidquid de affectus istius naturâ cognoscere licuit: & quid de ejusdem curatione videatur, paucis subjiciam, liberum perspectæ tuæ prudentiæ relinquens, de utroq; quod è re visum fuerit, decernere.

Principio autem, & in ipso statim limine, non mediocris sese nobis offert difficultas, qui non viso ægro, nec coràm observatis accuratè morbi signis pathognomonicis, ex tot impeditæ Respirationis generibus certam aliquam & definitam ejus speciem designare cogimur: si tamen metam, ad quam in curatione describendâ collimemus, nec Andabatarum more in re nobis pugnare velimus, præfixam habere oportet. Quamobrem antequam ad Te scriberem, pauca quædam, quæ ad rem investigandam conducere mihi visa sunt, ex ipso ægro percontanda fuerunt, quorum responsa ex autographo legere poteris. Vt enim Dyspnœam illam, quâ Generosus Dominus Comes laborat, citra ambages dicamus ut revera est, densam & laboriosam respirationem absque febre vel abscessu: hæc tamen ipsa ab angustiâ organorum oriatur, necesse est. Reliquum igitur est, ut angustia illa vel repletionem meatuum asperæ arteriæ, vel compressionem causam habeat. Repletione verò non laborare saltem potiores asperæ arteriæ tubulos, indè patet, quòd responso ad tertiam quæstionem, nullum inter respirandum audiri sonitum, disertè affirmatur. Compressio rursus quum multifariam quoque contingat, nos hîc eos tantùm modos, qui locum habere possunt, omissis aliis, recensebimus. Aut enim hypochondria, flatibus vel humore aggravata, comprimunt vicinas thoracis partes, iisq; motionis libertatem adimunt: atqui S. G. extra thoracem nullius functionis læsionem deprehendere se profitetur. In ipso pectore leves pulmonum arteriæ interdùm crasso lentoq; humore replentur, & spiritus instrumenta comprimunt: quod Antipatro Medico accidisse. Galenus 4. de loc. affect. cap. 10. prodidit. Quia verò ei individuus Comes est perpetua & summa pulsus inæqualitas, quæ in hoc ægro non deprehendi, responso ad quartam quæstionem insinuatur: leves quoq; arterias à suspicione infarctus purgat. Aqua in cavitate thoracis collecta, privatum ejus hydropem nonnunquam efficit, cæteris totius corporis partibus omninò illæsis. Quod in Canonico quodam Badenæ contingere memini, qui de magnâ spiritus difficultate per intervalla sine stertore & ullo sonitu conquerebatur. Cæterùm non erat ei liber in alterutrum latus decubitus, quippe humore in unâ, uti solet, & quidem dextrâ cavitate thoracis contento. Quod quia hîc secus habere sexta responsio declarat, aliam subesse mali causam colligitur. Ea est procul dubio humor lentus & crassus, occupans exiles asperæ arteriæ ramulos, & carnem pulmonis, qui impedimento est, quò minus pulmo agiliter dilatari possit. Dubitatur autem, quandoquidem in medio thorace ulceris sensus, adeoq; dolor indigitatur, quomodo pulmonis caro indolens affecta, sedes statuatur. Verùm ille dolor ex consensu fit membranæ, pectoris media distinguentis; illa pulmonis aggravati pondere thoracisq; contentione in diversa trahitur, molestumq; istum sensum percipit. Si enim œsophagus laboraret, deglutitio, non respiratio læderetur. Humor is, quem mali causam proximam statuo, non in ipso pulmone generatur, quandoquidem in Generoso hoc ægro, licet sexagesimum ætatis annum egresso, vitalis calor, ut & totius corporis robur adhuc rarâ firmitate vigent. Caput verò negotiorum multitudine defatigatum, nec non usu Vini generosioris, quale ditio illa producit, petitum, humores pituitosos & crudos tacitè colligit, & ad pectus clanculum transmittit.

Inventâ sede affectâ, & humoris, qui eam lædit, specie, non admodum difficile erit, idonea præscribere curationis remedia. Vincere autem, & radicitus morbum extirpare fortè difficilimum: subiiciam tamen, quæ si non tollendo, certè leniendo illi utilissima judicantur.

Victus ratio primum, & magni momenti remedium est. Eligendus igitur aër temperatus, purus, atq; à ventis tranquillus. Somnus moderatus esto. Exercitatio corporis moderatissima. Potus sit vinum pauciferum, album & tenue, de quo sæpiusculè & paululum bibatur, non affatim. Cibus attenuante qualitate præditus eligatur. Singula hæc minutius recensere præsens Medicus commodius potest. Inprimis Capiti, quod mali causam fovet, prospicere par est, Venæ sectione tempestivâ, quæ & vacuare repletionem, & derivare à pectore descensum humoris possit. Fit hæc verno vel etiam autumnali tempore in venâ cephalicâ, si ætas adhuc permittit, moderatâ sanguinis quantitate ad uncias V. vel VI. Purgatione item non violentâ, nempè aut Pilulis Angelicis D. D. Bayeri, vel hisce:

R. Pilul. de Agarico, sine quibus, Mastichinar. ana Scrupulum.
Alephanginarum semiscrupulum. Misce
Cum aqua betonicæ fiant Pil. 13.

Pileolus medicâ vi præditus, gestatu non parùm utilis esset, hujus modi.

R. Nucis Moschatæ, styracis Calamitæ an. ℈ij.
Rosarum rubr. pug. ij. ß. Coriandri præparati,
Seminis Nigellæ ana semidrachm.
Garyophyllorum, Succini, Sãdaracæ, granorum Kermes ana scrupulum.
Incisa & crassiusculè tusa misce ad usum.

Poten-

21. *Potentissimum auxilium vacuandi, & derivandi humorem peccantem à cerebro, est Fonticulus in brachio excitatus, qui perenni emūctione scaturiēti pituitæ remotū à parte periclitante exitum præbere valet.*

Posteaquam parti, quæ humorem peccantem ad respirationis organa transmittit, eo, quo dixi, pacto prospectum est: deinde is, qui jam pulmoni immersus, anhelitum impedit, expurgari debet, hoc Syrupo.

♃. Pulmonis cervi vino abluti & incisi ℔j. radicis Chinæ unciam.

Herbarum Salviæ, Botrydis, Hyssopi, Scabiosæ, Veronicæ, Marrubii an. manip.

Capilli veneris, florum stœchadis Arabicæ ana m.ß.

Seminis Anisi, Fœniculi, Psyllii ana ʒj.

Radic. Ireos Florentinæ, ʒij. Cinamom. ʒj.ß. Croci scrupulum.

Infunde in aqua Veronicæ, Scabiosæ, boraginis, violarum, vini albi ana ℔. j. Stent in vase vitreo obserato, ad moderatum calorem dies 4. dein destillentur in B. M. ad siccitatem.

R. Hujus aquæ lib. 1. succi borragin. Scabios. ana ℥. iiij.

Sacchari q. s. Coquantur in Iulepi consistentiam: de quo subinde pauxillum capiat illustriss. Dominus Comes, & relaxatis faucium musculis ultrò delabi ad tracheam permittat.

Hæc sunt, quæ jussu perillustris Dn. Comitis breviter consignare debui: cumq; S. G. abs te seriò opem exspectet, gratissimum facies, si sententiam Tuam ad me scripto deferendam cures. Hinc enim commodè in arcem Falkenstein transmitti potest. Vale Vir Præstantissime, Amicorum integerrime. Durlaco, 20. Maii, quo die præsidia Bavarica ex Marchionatu abducta sunt, postquam sex integros menses eos ingenti sumptu aluimus. Anno Salutis cIɔ Iɔc XXIII.

Sequuntur quæstiones, Generoso Domino Comiti à Dn. D. Ludov. Schmid propositæ.

I. An præter thoracem, Partis alterius alicujus functio læsa sentiatur?

II. An consueta aliqua vacuatio suppressa?

III. An inter spirandum sonitus audiatur?

IV. An Pulsus sit inæqualis?

V. An cordis adsit palpitatio?

VI. An melius in alterutrum latus decumbat Generosus æger.

Perillustris Domini Comitis ad prædicta quæsita Responsio, ex Germanico in Latinum translata.

Ad I. responsum est, Generos. suam hactenus nullam planè ullius interni visceris actionē læsam aut labefactatam, præterquam in pectore, animadvertisse.

Ad II. Generosit. sua Venas quidem Hæmorrhoidales nunquam vel apertas, vel alio quocunque modo malè affectas fuisse: Consuetam autem sanguinis evacuationem, quæ fit per venæ sectionem, pariter nullatenus intermissam esse, vel etiam quemquam in mittendo sanguine, pro ætate Generosi Dn. ægroti, defectum, si modò vena probè ritèque tusa fuerat, unquam sese persensisse.

Ad III. Nullum item prorsus in respirando sibilum aut stertorem Generos. suam deprehendere.

Ad IV. Pulsum esse varium, ipsiq; Paroxysmo accommodatum, ita quidem, ut prout hic vel fortis vel debilis fuerit, talis & pulsus existat.

Obs. 21.

Ad V. Persentiscere Gener. suam aliquam cordis palpitationem, quam ab angustiâ seu difficultate respirandi provenire autumat, hancq; tum universo corpori, tum præcipuè cordi plurimum molestiarum facessere, sibi persuadet: nulla tamen hucusq; deliquia animi supervenisse.

Ad VI. Decubitum Gener. suæ utrumq; in latus æqu facilem esse: quamquam Paroxysmus jam à dextrâ thoracis parte in sinistram, mox ab hac vicissim in illam declinet: in medio tamen pectoris ut plurimùm hærere, ipsique adeò Oesophago (ut Generosus æger auguratur) ulceris alicujus adinstar insidere videatur; unde postea liber respirationis motus impediatur.

Responsio ad præcedentem Epistolam.

Viro Nobili & Doctissimo,

DN. LUDOVICO SCHMID,

Medicinæ Doctori Excellentissimo, & Serenissimi Principis ac Domini, Dom. Georgii Friderici, Marchionis Badensis & Hochbergensis &c. Archiatro celeberrimo, Dn. & Amico meo plurimùm honorando.

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

Affectum perillustris & Generosi Comitis, Emich in Falckenstein &c. Vir Amplissime & amice æternùm honorande, tam doctè tamq; eruditè tum quoad causas, tùm etiam curationē adumbrâsti, ut, quid ulteriùs desiderari possit, vix videam. Ne tamen hac in re Generoso Domino Comiti, Tibique officio meo defuisse videar, addam pauca quædam.

Affectum, de quo conqueritur sua Generositas, Difficultatem Respirandi absque Febre & abscessu esse, scribis. Procedit Spirandi difficultas, ut Galenus passim in libris de Respiratione, & de locis affectis testatur, vel propter vehementem in corde & pulmone Caliditatem, aut Viarum Spiritalium angustiam, aut virium imbecillitatem. Porrò ex vehementi in corde & pulmonibus concepto calore, in Generoso ægro difficultatem spirandi non procedere, ex Tuis colligitur literis. Superest igitur, ut sit aut propter viarum Spiritalium angustiam, aut virium imbecillitatem. Angustia autem illa, ut Tu rectè scribis, vel propter Repletionem meatuum, vel eorundem Compressionem accidit. Ex repletione nō fieri (quandoquidem inter respirandum nullus auditur sonus aut strepitus) facilè tecum assererem, nisi aliquoties Dyspnoicos, imò & Asthmaticos, qui sine sonitu & strepitu spirabant, vidissem, in quibus nihilominus post obitum hinc inde in ipsis asperæ arteriæ ramulis pituitam viscidam, imò & calculos inveni. Potest itaque aliquis propagines asperæ arteriæ, per pulmones dispersos, materiâ aliquâ viscida & tenaci infarctas habere, & proindè laboriosè spirare; idque tamē sine sonitu aut strepitu. Materia enim hæcce nō semper ex capite ad pulmones defluit, ut in ipsâ asperâ arteriâ, aut primis ac majoribus ipsius meatibus, exspirando sonus aut strepitus efformari possit: verumetiam nonnunquam ex Congestione procreatur, quando videlicet aut propter æta-

Obs. 21. tem ingravescentem, vel ob attractum aërem venenosum & putridum, Calor insitus pulmonum adeò labefactatur, ut etiam proprium nutrimentum debito more concoquere, multò minus excrementa fuliginosa expellere, non satis potens sit. Tunc enim paulatim congeritur exsiccaturque Materia illa crassa in exilibus ductibus pulmonum, & depravatur respiratio. Hinc fit, ut familiaris morbus iste soleat esse eis, qui in fodinis operantur, & metallica tractant. Sed hi utplurimùm tussi siccâ solent torqueri. Quandoquidē natura semper conatur expellere, quod sibi infestum esse percipit. Sed & ne hanc quidē esse causam in suâ Gener. indè conjicio, quòd de Tussi nihil scribis.

Aňectuntur sæpissimè Pulmones membranæ, costas succingenti, ut eis, qui aliquando Pleuritide laborarunt, aut casum aliquem violentum passi sunt, accidere consuevit. Hæc tamen vix quidem, nisi ex conjecturâ cognoscuntur: uti nō ita pridem in ægro quodam meo hac ratione accidit. Ante octiduum Solodurensis quidam Senator, Wilhelmus Kellenberg, quadragenarius, phthisi obiit. Is ante multos annos ex equo cadens, sinistrum latus ad scopulum sibi colliserat. Ab initio per dies aliquot dolores fuerunt graves, cessarunt tamen paulatim, & primis annis post casum satis commodè vixit. Tandem angustia pectoris, deinde quoque tussis supervenit. Post obitum Pulmones exulcerati, & costis annexi fuerunt reperti. An simile quid in Generoso Ægro acciderit, præsens Medicus facilè expiscari poterit. Ego etiamsi nihil certi hac in re statuere possim, aliquo modo tamen mihi suspectus est dolor, quem suam Generos. in pectore circa dorsum persentire scribis; Quemque ego non ex ipsâ carne pulmonis, quæ propter penuriam nervorum ferè indolens est, sed potiùs propter læsionem aliquam membranarum provenire autumo. Extra thoracem quoque, attestante Galeno, lib. 1. de difficultate respirandi, nonnunquā latent causæ, quæ organa respirationis comprimunt, & angusta reddunt. Sunt illæ tumores præter naturam, & Scirrhi, qui circa ventrem, hepar, splenem, & colon consistunt. Eis itaque, qui in juventute Scorbuto, febribus Quartanis, & hujusmodi morbis, ex crassis & adustis humoribus ortis, laborarunt, eis inquam obstructiones viscerum remanere solent: quæ si in splene fuerint, vix ab ægro percipiuntur, paulatim tamen in scirrhos abeunt, & laboriosam respirationem faciunt. Aut enim Diaphragma comprimit splē scirrhosus, aut illud ipsum suo pondere deorsum trahendo, ipsius liberum motum impedit. Ex indurato hepate nihil minus exspectare licet, sed faciliùs & maturiùs ipsius obstructiones cognoscuntur.

Ex hepate plus justo calido Dyspnœā provenire, scribit Nævius in Consultat. Dùm enim Caliditate suâ agit in cruditates, in abdomine cōtentas, vapores multos ad caput impellit, illudq; defluxionibus obnoxium reddit; liberamque respirationem impedit.

Tertiò, Dispnœam ex virium imbecillitate fieri, testatur Galenus multis in locis. Sed tacebo hîc de imbecillitate viriū, quām Galenus intelligit, quæ propter vehementem calorem cordis & pulmonis supervenire, & respirationem difficilem efficere solet (nullam, enim intemperiem calidam istarum partium, in Suâ Generositate ex pulsu percipi posse scribis) & ad instrumenta respirationi inservientia me converto. Nā & illa aliquando afficiuntur & debilitantur, ut respirationem difficilem reddant, etiamsi in ipsis pulmonibus nullum sit vitium. Id Aretæus de causis & notis diuturnorum affectuum lib. 1. cap. XI. paucis hisce verbis indigitare voluit, cùm scribit: *Afficitur autem pulmo, simul etiam quæ spirationi conducunt, afficiuntur interceptum & pectus.* Hinc Senes utplurimùm difficulter respirare videmus, etiam pulmonibus existentibus sanis. Eorum enim musculi respirationi inservientes, imò & cutis ipsa, propter defectum caloris nativi, & imminutionem humidi innati exsiccantur & labefactantur, & ita arida fiunt, ut officio suo non satis promptè fungi possint, sequiturque difficilis respiratio. *Fit etiam,* inquit Doctissimus Platerus, *ut majores præsertim nervi septi, à dorsali medullâ progressi, defluxionibus aut aliis morbis separatim & soli infestati, Dyspnœam quandam pariant,* &c. Infestantur autem & imbecilles fiunt, tum nervi septi transversi, tùm etiam musculi respirationi inservientes, quotiescunque defluxiones ex capite veluti furtim ad ipsos defluunt. Cùm itaque Generosus æger (tuis verbis utor) caput habeat multitudine negotiorum defatigatum; nec non usu vini generosioris petitum, quod humores pituitosos & crudos tacitè colligit, & ad pectus clanculum transmittit; quis causam Dyspnœæ in Gen. suâ ex capite provenire dubitat?

Sed occurrit & alia causa, quâ omni procul dubio caput mirum in modum labefactatum, & proindè defluxionibus obnoxium factum fuit; damnosa videlicet consuetudo aulicorum; cùm continuò, etiam tempore hyemali & pluvioso, detecto capite incedunt. Hanc ego crediderim esse causam, quòd Cœlius Aurelianus de morbis diuturnis lib. 3. cap. 1. scriptum reliquit, quòd passio hæc hactenus mulieribus viros magis gravaverit atq; presserit, cùm videlicet ipsarum capita & pectora continuò non tantùm indumentis vestita, verùm etiam capita capillis, & musculi pectorales mammis tecti, & proindè ab injuriâ aëris vindicati fuerint. Hactenus inquam; in posterum enim morbos omnes, ex defluxionibus natos, ipsas quoque correpturos, non dubito. Hodiè enim mulieres in Germaniâ, (quòd profectò deplorandum) more aliarum nationum; quæ aëre temperato aut etiam æstuoso fruuntur, detecto capite & pectore incedunt, præsertim magnates. Hæc de causâ morbi.

Quoad Curationem, illam à victus ratione inchoandam esse, rectè sentis, nisi enim illa diligenter fuerit instituta, & observata, frustrà adhibentur reliqua. Vinum cum Galeno de Compos. Medicam. Secundum Loca lib. 7. caput 6. præscribis album & tenue. Nec immeritò quidem. Propter consuetudinem enim & senectutem illud concedendum erit. Quodsi tamen sequenti decocto dilueretur, meo quidem judicio non esset abs re:

R. Agri-

℞. Agrimoniæ cum toto, Veronicæ an. p. 1.
Florum Tussilagin. Betonicæ, & Scabiosæ an. p. ß.
Liquiritiæ mundatæ ℥ß.

Omnia diligenter in umbrâ exsiccato, & cōcisa coquantur in ℔ viij. aquæ fontanæ, ad consumptionem tertiæ partis. Decoctum adhuc fervidum in poculum effundatur, & addantur Cinnamomi confracti drachmæ quatuor aut sex, pro libitu ægri, Sacchari ℥.j. quàm diligenter tecto poculo, quò Spiritus Cinnamomi conservari possint, relinquatur in loco frigido, donec per se refrigeratum fuerit decoctum, poterit & drachma una coriandri præparati addi. Cerevisiâ si uti voluerit Generos. Æger, prospiciendum est, ut sit neque nimis recens, neque vetusta & acida, quàm optimè tamen cocta & defecata: Cui inter coquendum addantur, aut in dolium projiciantur ea, quæ capiti aut pectori conveniunt. Uti sunt radices Enulæ Campanæ, Iridis, Garyophyllatæ, Liquiritiæ, flores item & folia Betonicæ, Hyssopi, Scabiosæ, Veronicæ, Tussilaginis, Botrydis, & Agrimoniæ propter hepar. Convenit quoque hydromel, præsertim si prædictæ herbæ in ipso incoctæ aut maceratæ fuerint. Potus autem, omniaq; immensè frigida, etiam aër pectori nocent. Post pastum sumat cochlear unum sequentis Pulveris.

℞. Specierum Dianthos & Diamoschi dulcis ana ʒ j.
Cinnamomi electi, Liquiritiæ mundatæ ana ʒ.ij.
Radicum Iridis Florent. Florum Tussilaginis,
Scabiosæ, Botrydis, Sem. Anisi ana ℥.j.
Sacchari ℥.viij. Misce, fiatq; omnium pulvis tenuissimus.

Præter victus rationem convenientem, purgationes universales minimè sunt negligendæ: sint tamen lenes, ne materia commota cum impetu ad partem affectam ruat. Sequenti itaq; Apozemate humorem peccantem tùm in capite, tùm etiam in reliquis visceribus præpararem.

℞. Radicum Aperitivarum, & Enulæ Campanæ ana ʒ j.
Polypodii quercini,
Corticum interiorū radicum frangulæ,
Liquiritiæ an. ʒ.j. corticū, Tmarisci ʒj ß.
Herbarum Betonicæ, m.ß. Veronicæ, Hyssopi, Botrydis,
Agrimoniæ, Cuscutæ, Chamæpithyos,
Ceterach ana p. j.
Florum Betonicæ, Primulæ veris, Genistæ Hispan.
Scabiosæ ana p. j. ß.
Florum cordialium ana p. ß.
Uvarum exacinatarum ℥.j.

Coquantur s. a. in ℔. quinque aquæ fontanæ, ad consumptionem mediæ partis.

℞. Colaturæ fortiter expressæ & clarificatæ ℔. j.
Syrupi de quinque radicibus, & de cichorio cum rhabarbaro ana ℥.j.
Misce, & fiat Apozema pro 4. dosibus, bis in die, tribus videlicet horis ante prandium, totidemq; ante cœnam levem, sumendis,

Sic præparatis humoribus in visceribus, exhibetur sequens Lenitivum:

℞. Decocti prædicti ℥.vj. Rhabarbari electi ʒ. j. ß.
Agarici trochiscati, Turbith gummosi ana. ʒ. j. ß.
Foliorum senæ mundat. ʒ. ij. Semin. Anisi ℈iiij.

Infundantur per noctem in loco tepido, vase benè obturato. Manè post levem ebullitionem fortiter exprimantur, addanturq;
Syrupi de Cichorio cum rhabarb.
Syrup. rosat. solut. ana ℥ j. Misce pro duabus dosibus, in crepusculo matutino sumendis, sic bis in anno purgato corpore, cùm præcipuam causam mali ex capite provenire, apud me non sit dubium; exhiberem, ut tu quoque suades, per intervalla Pilulas Angelicas Dn. D. Beyeri, aut eas, quas tu in tuis ad me literis præscripsisti.

Quodsi semel in mense nonnihil Terebinthinæ deglutire posset Gener. Æger; illa profectò summoperè ipsi conduceret. *Quippe* (Galeni de tuendâ valetudine lib. 5. cap. 11. verbis utor) *non solùm alvum solvere sine noxa potest, sed etiam viscera omnia, jecur, lienem, renes, pulmonesq; abstergere.* Hæc Galenus. Non immeritò itaq; Iacchinus in IX. librum Rhasis tantoperè laudat usum Terebinthinæ in Asthmaticis, non solùm quia viscera, ut dixi, abstergit & mundificat: verùm etiam quia urinas simul movet, ut idem Galenus de simplicium medicamentorum facultatibus l. 8 testatur, & experientia ipsa comprobat. *Usus autem ejus* (inquit Iacchinus) *ejusmodi est, ut ad summum uncia media ejus propinetur ex oleo amygdalarum dulcium, cui etiam vis non exigua inest extergendi. Quodsi nimis delicatus æger non sit, etiam amararum.* Sed ego hæc, videlicet quantitatem & modum exhibendi Terebinthinam, præsenti Medico pro suo arbitrio & dispositione ægri relinquo. Id saltem dico, summoperè necesse esse, ut urina per intervalla moveatur: quod etiam Celsus testatur lib. 4. cap. 4. de re medicâ. Per urinas enim materia peccans tùm ex pectore, tùm etiam ex reliquis viscerib⁹, quę sub diaphragmate sunt, evacuatur non tantùm, sed & putredini humorum resistit. Quapropter senibus præstantissimum esse medicamentum, sæpissimè expertus sum.

Post universalem Purgationem humor peccans, si quis in pectore fuerit, evacuandus est, ubi Syrupus Violarum, Capilli Veneris, Tussilaginis, de Hyssopo, de Liquiritiâ, & Trochisci Bechici nigri (quibus ego ante annos aliquot in simili affectu cum fructu usus fui) conveniunt. Summoperè quoque placet Syrupus Magistralis à te præscriptus.

Hæc breviter de internis remediis, superest nunc, ut de externis præsidiis aliquid adscribam, ubi quàm diligentissimè pervestigandum est, an extra thoracem lateat causa mali. Quapropter si obstructio aliqua hepatis adfuerit, præter universales purgationes, convenit Unguentum Deoppilativum Fœsii, aut sequens paretur.

Obs. 21. *De Terebinthina.* *De externis præsidiis.*

Obs. 21. ℞. Succi radicum Ebuli, & Iridis nostratis,
Succi herbar. Eupatorii, Apii ana ℥.iij.
Olei Lumbricor. Camomillæ, Lilior. albor. & Absinthii ana ℥.iiij.

Coquantur simul lento igne ad consumptionem ferè succorum, colaturæ adde pulveris calami aromatici, spicæ nardi ana ʒ.ij. Misce.

Si obstructio aliqua lienis, aut Scirrhus adfuerit, sinistrum latus Oleo ex Capparibus, aut Oleo (quod præstantissimum est) ex succo Cochleariæ inungendum est: postea Emplastrum Heurnii ex succo Cicutæ applicetur. Mirum enim in modum omnem duritiem Lienis emollit, ut ego aliquoties observavi.

De Venæ sectione, an in Dyspnœâ locum habeat, dubitant nonnulli, cùm causa principalis morbi non sit ex sanguine. Quodsi tamen intemperies aliqua calida viscerum adfuerit, & vires permiserint, bis in anno vena incidi, & sanguis secundùm tolerantiam virium extrahi poterit. Non enim sanguis solus, sed & reliqui humores sectâ venâ evacuantur. Quapropter Galenus 4. de ratione victus in morbis acutis comment. 21. non veretur sanguinem detrahere, etjam in Orthopnœâ siccâ. Fiet autem verno tempore in Cubito dextro: in autumno verò in sinistro. Aut fiat apertio venarum hæmorrhoidalium: præcipuè si vitium aliquod in splene adesse, præsens Medicus cognoverit, aut atra bilis prædominium habuerit. Modus tamen servandus est in Extractione sanguinis, propter ætatem ingravescentem Generosi ægri.

Dixi ab initio ex Aretæo, Dyspnœam aliquando ex vitio aliquo instrumentorum Respirationi inservientium, uti sunt musculi pectorales, & nervi à quartâ, quintâ, & sextâ vertebrâ Colli, ad septum transversum descendentes, originem trahere: videlicet quando exsiccantur & aridi fiunt, uti in morbis acutis, & in senibus accidere videmus. Hanc ob causam persæpè pectus & collum circa exortum nervorum, ad septū descēdentium, inungere expedit Oleis Emollientibus, Humectantibus, & Corroborantibus, veluti Oleo Irino, Liliorum alborum, Amygdalarum dulcium, pinguedin. Cygni (quæ in morbis pectoris omnium est præstantissima) Gallinæ, Caponis, Anseris, Unguento ex Altheâ, Mucilagine Sem. Cydoniorum & Fœnogræci: quibus adderem Oleum Lumbricorum: Egregiè enim humectat, partesque nervosas corroborat, & si quæ obstructiones in ipsis aut partibus musculosis fuerint, eas aperit. Musculi præterea Respirationi inservientes, uti & nervi tàm ad musculos pectorales quàm septum descendentes, alio modo afficiuntur & debilitantur: quandò videlicet à defluxione aliquâ ex capite molestantur. In eum finem, & ut vitio illi quoque occurratur, præter purgationes etiam cucurbitulæ scapulis cum flammâ magnâ applicentur, semel in mense, aut de sex in sex hebdomadas ad minimum. Sed inprimis (ut Tua quoq; est sententia) Fonticuli in brachio conveniunt. Eorum enim beneficio humor peccans, qui ex capite, à quo, ut verisimile est, præcipua causa mali dependet, deorsum defluit, sive id ad pulmones ipsos, sive ad musculos & nervos respirationi iuservientes fuerit, non tantùm derivatur, verùmetiam evacuatur, simul eodemque tempore, idque sine magnâ molestiâ, ut ego in memetipso, qui antehac quatuor gestavi, quorum etiamnunc duo fluunt, expertus sū. Quodsi ex hepate plus justo calido vitiū aliquod, uti nonnunquam fieri solet, accesserit, fonticulus ad poplitem dextrum, præsentaneum & longè Excellentissimum erit præsidium, ad rectificandum hepar sanguinemque, uti in multis expertus sum.

Lotio Crurum cocta ex Betonicâ, Salviâ, Hyssopo, Scabiosâ, Rosmarino, Camomilla, & similibus, non parùm à capite & pectore revellit. Pileolus à Te præscriptus ad caput roborandum, etiam mihi probatur. In eundem quoque usum ac finem poterit Gen. Æger Electuario aliquo Caput corroborante uti, veluti est sequens:

R. Conservæ Rosarum & Betonicæ an ℥j.
Conserv. Florum Tussilaginis, & scabiosæ an ʒvj.
Florum Salviæ & Rosmatin. an ℥ß.
Specierum Dianthos ʒij.
Confectionis Alkermes ʒj.

Cum Syrupo de Betonicâ fiat Electuarium, de quo sumat Gener. Aeger ad magnitudinem Nucis juglandis, per duas horas ante prandium, totidemque post Cœnam.

Caput, uti quoque pectus, per intervalla spongiâ siccâ, aut linteis tepidis blandè fricetur: & pulmones cantu, lectione, & vociferatione exerceantur, quò in eis excitato calore nativo, humores excrementitii eo faciliùs evacuari possint. Interim tamen, dum Gen. Aeger pulmones ita exercet, in ore aliquid teneat, quod excreationem promovere possit, uti sunt Tabellæ DiaTragacanthi frigidi, Diaridis, Trochisci Bechici nigri.

Plumeam Pellem Cygni, pelliceâ industriâ elaboratam & adaptatam, in thoracis affectibus præsentaneum esse præsidium, & specificâ quadam facultate pectori prodesse, in uxore meâ charissimâ observavi, hoc modo: Fuerat illa à multis annis tussi obnoxia, præsertim hyemali tempore: cujus causâ & medicamenta multa adhibita; fonticuli quin etiam facti fuerunt, absq; insigni tamen fructu. Quum verò Anno 1617. amicus quidam Belga, plumea pelle Cygni ipsam munerasset, illamque ab eo tempore præsertim hyemali, pro tegumento pectorali gestasset, paulatim, laus sit Deo, à tussi liberata fuit: ita ut à duobus abinc annis ab eâ molestata non fuerit: etiamsi fonticuli sint clausi. Hinc pellem hancce specificâ quadam facultate pectori prodesse conjicio: quemadmodum vulturis pellem, foris admotam, Ventriculum roborare, & concoctionem cibi promovere videmus. Ut ut sit, suadeo, ut sua Gen. periculum faciat. Non enim dubito, ipsam multùm profuturam esse; dum videlicet calorem nativum pectoris fovebit.

Hæc paulò prolixiùs fortassis quàm opus fuisset, Vir Amplissime, & Amice omnibus modis charissime, consignare volui. Tu pro Tuâ prudentiâ & rerum usu, ea, quæ Gen. ægro maximè conducere posse cognosces, ex eis excerpere poteris.

poteris. Quod superest, Deum precor, ut omnibus quàm abundè benedicere, Te autem cum totâ Tuâ familiâ honestissimâ in multos annos benignè conservare velit. Confectionem Alkermes pro Illustrissima Principissâ, cùm primùm id fieri poterit, Deo volente, mittam. Interim vale, & me, ut facis, ama. Dabam Bernæ 25. Iunii, 1623. quâ die Annum meum magnum Climactericum, LXIII. absolvo. Faxit Deus Opt. Max. ut exiguum curriculum vitæ meæ, ad ipsius gloriam & utilitatem proximi perficere possim.

OBSERVATIO XXII.

De lapidibus & turundis, tussi rejectis, aliisq; annotatione dignis.

Viro Doctissimo Excellentissimoq;

DN. VLRICO RIETMANNO, Medicinæ Doctori celeberrimo, ac Reip. Lindaviensis Physico ordinario, Amico singulari,

Guilh. Fabricius Hildanus, S. P. D.


ANte septimanas aliquot, tuas, Doctissime mi Dn D. Rietmanne, me accepisse fateor, sed negotiis adeò intricatus fui hactenus, ut ad eas respondere mihi non licuerit, quapropter ut tarditati literarum ignoscere velis, etiam atq; etiam rogo. Inprimis autem circa Centuriam quintã Observationum mearum, ut proximâ æstate illa excudatur, occupatus fui: ubi ea, quæ tum de lapide per palatum rejecto, observasti, & quæ à Cl. Viro D. Casparo Hoffmanno, uti & à doctissimo Dn. Hagenbachio ad me scripta fuere, simul & quæ mea hac de re sit opinio, inserui. Id ne in malam partem interpretari velis, obnixè rogo. Misissem Apographa literarum, quæ hac de re inter nos communicatæ fuerunt, sed negotia non permittunt; videbis ea, quum liber prodierit. Diligentiam tuam circa res raras laudo, & ut in hoc studii genere pergas, te etiam atq; etiam adhortor. Dabis mihi ad te scribendi ansam, si subinde rarum quid in Praxi acciderit. Nunc accipe casum non omninò vulgarem.

Vir Iuvenis, & vix trigesimum annum ætatis prætergressus, Iohannes Schauffelberger nomine, Archigrammateus Præfecturæ Erlacensis, Ditionis hujus Reip. homo ante hac quidẽ robustus, & optimo corporis habitu præditus, aliquot tamen abhinc annis, cùm nimis intemperanter vivere cœpisset, & crapulis ac vino præter modum addictus esset, tandem paulatim Asthmaticus factus est, quo affectu quum mirum in modum, diuque vexatus esset, & omnia hujus morbi symptomata in pejus ruerent, Empiricorumq; ac carnificum remedia irrita essent, tandem Dom. Bartholomæum Dunum, hujus urbis Doctorem Medicum primò, meque post menses aliquot in consilium adhibuit. Vix credas, quanta fuerit tussis vehementia, atque asperitas, cum tanta raucedine, ut tandem loquelam vix profferre posset. Non tantùm autem materiam purulentam, viscosam, & fœtidam, cruori permixtam, tussiendo copiosè excernebat, verùm etiam lapides infinitos, sed grandes, pumiei albo non absimiles, per tussim ipsum rejecisse, Dn. D. Dunus, ego, & multi alii testes sumus. Tandem planè consumptus obiit. Utinam Cadaver aperire mihi concessum fuisset, procul dubio Pulmonem veluti lapideum invenissem.

Vidisti sine dubio in 1. Centur. Observationum mearum, Observ. 46. historiam, de Turundis, ex vulnere Thoracis in cavitatem delapsis, & tussi rejectis. Optimus ac nobilis ille Vir, cui id accidit, Dominus Iohannes Pourri Neocomensis, etiamnum vivit. Vigesimâ enim secundâ Mensis Ianuarii hujus anni, propter genu suum malè affectum, Bernam ad me venit, & constanter asseruit, ab eo tempore, quo Turundas tussi rejecit, quàm optimè vixisse. Ille quantumvis nunc senex sit, robustus tamen est, respirationemque semper quàm liberrimã habuit, atq; etiam nunc habet. Res profectò rara, forsan & nunquam observata; ideoque ut magis authentica redderetur historia, nomen ægri, in Observatione propter certas causas omissum, nunc adscribere volui.

Anno 1616. Mense Aprili, Puella Neocomi, Anna Majot nomine, postquam diu dolore Ventriculi vexata fuisset, multaque medicamenta ex consilio Doctissimi Viri, Domini Iohan. Iacobi Crafftii, Neocomensis Doctoris Medici, sumpsisset, tandem Lapides duos, fabæ magnitudinis & formæ ferè, per Vomitum unà cum aliis Cibis, multumque Pituitæ viscidæ, præsente Dn. Crafftio Medico evomuit, & brevi convaluit. Puellam hancce post rejectionem horum lapillorum, per aliquot annos incolumem supervixisse, hisce diebus, cùm Dn. Crafftius me inviseret, sanctè affirmavit. Lapides hosce, quos paulò postquàm rejecti fuissent, Dn. Crafftius dono ad me misit, etiamnunc inter rariora mea reservo.

Figura Lapidum, per vomitum rejectorum.



Sunt autem cinericii coloris, leves item & porosi, in quibusdam locis eosdem membranâ & carne, veluti dentes evulsos obductos fuisse, Dn. D. Crafftius tunc temporis ad me scripsit, & hisce dieb. coràm testatus est; sed hæc obiter. Paucis nunc ad tuas respondebo;

Scribis, Matronam quandam, declinantis ætatis, apud vos Scirrho in Mamilla sinistra laborare, eumq; profundè latere, & veluti costis affixum esse. Scirrhum huncce, quantum quidem ex tuis colligere possum, ex lactis coagulatione, primam ac præcipuam traxisse causam, existimo. Cum enim illa ipsamet infantes non lactârit, nec ullo modo lactationem promovere potuerit, mirum non est, lac in mamilla in grumos, tandemq; in scirrhum concretum fuisse. Mensium quoque retentionem, & regurgitationem ad superiora, malum auxisse, apud me dubium non est. Et quia scirrhus ille, ut scribis

Obs. 22.

Observ. singularis de turundis tussi rejectis.

Observ. de Lapid. per vomitum rejectis.

De Curatione cancri occulti

Obs. 22. bis, tactu inæqualis, nec omninò doloris expers est, non amplius legitimum esse, arbitror. Hæc propterea adscribo, ut in adhibitione Topicorum cautus sis atque circumspectus: facilè enim hujusmodi scirrhi in cancrum degenerare solet. Vidi id sæpissimè, imò & ante annum hîc in vicinia, in nobilissima quadam Matrona, cui cùm similis scirrhus in mamilla dextra, me dissuadente, applicatione Topicorum irritatus fuisset, in cancrosum & insanabile ulcus degeneravit. Præstat itaque universalib. causam antecedentem absumere, & præcavere, ne radices suas altius figat, quàm quicquam aliud tentare. Extirpationem enim scirrhi, quia ut scribis, profundus, & veluti costis adnatus est, suadere ausus non sum. Ab emollientibus quoque quia, ut testatur Galenus, scirrhi, qui ab atra bile induruerunt, exasperantur, cavendum esse: de his exempla habes in Observationibus meis.

In administratione Universalium, ante omnia optima Victus ratio instituenda est: ubi omnia quę insigniter excalefaciunt, & exsiccant; Veluti aër intensè calidus, Exercitia violenta, piperata, & acria omnia, vitanda sunt: etiamsi enim causa hujus morbi, cùm sit humor atrabilaris, frigida esse videatur, quasdam tamen partes calidas, propter admixtionem humoris biliosi in se quoque continere, symptomata, quæ sequuntur, veluti dolor ingens & pungitivus, inflammatio, corrosio Ulcerum, & hujusmodi testantur.

Sed & audiendi non sunt, qui acrimoniam illā humorum, eis, quæ insigniter refrigerant, refrænare & retundere student. Calorem enim innatum paulatim imminuunt debilitantque, modum itaque tenere, & temperata, sive fuerint nutrientia, sive alterantia humorem peccantem, quo sanguis laudabilis, & humores benigni procreari possint, exhibere convenit. Corpus per intervalla expurgandum est, ubi ad humorem atrabilarem præcipuè respiciendum. Ego in hujusmodi affectibus Rhabarbaro, Agarico, Senna, Polypodio, Cuscutâ, Corticibus Frangulæ, Elleboro nigro, Esulâ, Confectione Hamech, & hujusmodi cum fructu utor.

De purgatione.

Mercurii dulcificati, de quo sententiam meam scire cupis, nullam habeo experientiam, & ut exhibeatur, suadere ausus non sum.

Quàm infestus enim & periculosus in affectibus Cancrosis sit Mercurius sublimatus, & Arsenicum, non tarò in Praxi observavi. Adscribam exemplum unum aut alterum. Quadragenario cuidam, Viro robustissimo, tumore Cancroso ad Carpum laboranti, cùm Pulvis ille ad Cancrum, tantoperè à Penoto celebratus, applicat⁹ fuisset, supervenientibus sævissimis symptomatis, intra paucos dies extinctus fuit, uti videre poteris in Tractat. meo de Gangræna & Sphacelo, cap. 5. circa finem.

Observ. de periculosa applicatione Arsenici.

Anno 1618. Matronæ singulari virtute & pietate præditæ, Dn. Margarithæ Kumsthoffin, Consultissimi ac Doctissimi Viri Dn. Hermanni Scheidman, Juris Utriusque Licentiati, Uxori, mamam sinistram, propter Cancrum exulceratū, mirum in modum contaminatam, Spiræ abscidi. Illa variis multisque medicamentis, tum à rationalib⁹ Medicis, tum etiam ab Empiricis præscriptis usa fuerat. Inter alia autem Empiricus quidam Oleum quoddam Causticum, ex Arsenico & Mercurio, conflatum applicuerat, & quidem interim dum gravida esset. Ubi id notatu dignum occurrebat, quòd quotiescunque applicaret, de Oleo suo, præter alia symptomata gravissima, fœtum in Utero adeò commotum fuisse senserit, ut parum abfuerit, quin abortum fecerit: quapropter ultra tres vel quatuor vices adhibitum non fuit. Si itaque Mercurius exteriùs adhibitus, tantoperè pernicios⁹ est ac noxius, quid quæso fiet, si per os sumatur? Spiritus enim Vitales inprimis, mox etiam reliquos, opprimit.

Observ. de Oleo quodam Caustico.

Anno 1610. cùm serenissimum Principem ac Dominum Dn. Janutium à Ratzevil, &c. unà cum Viris Præstantissimis & Doctissimis D. D. Felice Platero, & Martino Chmielecio, Medicinæ Doctoribus, Basileæ curandum haberem, id probè observavi. Cùm enim Serenitas sua, propter nostram voluntatem ac consilium, per intervalla Mercurio quodam dulci uti vellet, sanctè id asserere possum, quòd quotiescunque de hoc medicamento acciperet, Lipothymiæ, Vomitiones, anxietates, pectoris angustia, aliaque symptomata subsecuta fuerint, eaque adeò sæva, ut nihil aliud exspectaremus, quàm Mercurium Vitæ in Mercurium Mortis abiturum. Sed inquies, forsan ipsum non satis diligenter præparatum fuisse; At ipse Quercetanus P. M. ipsum cōfecerat, & ad naturam ac constitutionem Principis tam concinnè adaptaverat, ut eo quovis tempore, ac quovis Morbo, cum fructu, veluti Panaceâ uti posse, planè persuasum sibi haberet. De Præparatione itaque minimè dubitandum est. *Quidā Medicaster*, inquit Laurentius Hoffmañus, lib. de novo usu & fero abusu medicamentorum Chymicorum, mihi pag. 35. *exhibuit cuidam duas Pilulas ex Mercurio confectas, quarum primâ sumptâ, incidit in Apoplexiam, alterâ in Paralysin.* Hæc Hoffmannus. Anno 1620. Tympanista quidam, qui Podagram, aliaque insanabilia se sanare posse, impudenter jactitabat, huc Bernam venit, ubi cum præter alios etiam optimum ac probum Virum, Dn. Joh. Franciscum König Podagricū, vanis & futilibus suis persuasionibus seduxisset, ipsique Medicamentum Chymicum, (Mercuriū Vitæ fuisse, ex symptomatis, quæ supervenerunt, apparuit) exhibuisset, post horam primò visum, mox auditum, & loquelam, tandemque intellectum amisit, & 32. horis post assumptum Medicamentum, veluti Apoplecticus obiit. Vide Tract. meum de Præstantia Anatomiæ, pag. 55. & Lithotomiam Vesicæ pag. 18. Ex his colligere potes, mi Dn. Rietmanne, quid de Mercurio dulci in hac tua ægra censendum, exspectandumq; sit.

Obser. de Mercurio vi...

Vena aliquoties in anno, prout plenitudo adfuerit, præcipuè autem Vere & Autumno, incidenda est: non autem in brachio, sed in pede sinistro, ut sanguis deorsum trahatur. Præstat tamē Sanguisugis aperire venas Hæmorrhoidales: facilè enim per hanc viam sanguinem atrabilarem,

De ven... Section...

De hæm... rhoidib...

nem, & humores adustos evacuari posse, Medicis notissimum est. Accedit & alia causa, ob quam apertionem harum Venarum suadeo, videlicet metus Apoplexiæ, quâ utrumque Parentem extinctum fuisse scribis. *Quippe qui Hæmorrhoides habent fluentes*, inquit Hippocrates, *neq; Pleuritide, neq; Peripneumoniâ, neq; Phagedena, neq; furunculis, neq; tuberculis terebinthi figuram habentibus corripiuntur: fortaßis autem neq; Lepris, Vitiliginibus*, &c. Ad Universalia quoque spectant Fonticuli, ideoque quum ægra vestra, ut tu scribis, phlegmatica, Cerebro quinetiam catarrhoso & corpore obesa sit, suadeo ut præsidium hocce minimè circa ipsam negligatur. Quibus autem in partibus corporis cum fructu efformari possint, perpendendum est. Qui destillationibus à capite ad alias partes molestantur, ut plurimùm Hepate calidiore præditi esse consueverunt. Ex intemperie enim calidâ Hepatis, & viscerum infimi ventris, vapores multos sursum elevari, & propter frigiditatem cerebri condensari, iterumq; deorsum relabi, tibi notissimum est. Vt itaque Hepar rectificetur, vaporesq; minùs ascendant, applica causticum ad poplitem dextrum, ibidemq; Fonticulum efforma; Hoc enim modo causam antecedentem humorum, qui in cerebro colliguntur, & catarrhi inde provenientis, rectè, & sine magno negotio abscindes. Si præterea alium Fonticulum in brachio sinistro feceris, per eundem facilè evacuabitur, quicquid præternaturale in capite colligetur: & proinde divino aspirante Numine, ab Apoplexia immunis erit ægra; affectum quinetiam in Mammilla refrænabis. Hæc si diligenter observata fuerint, ut de Topicis multùm sis sollicitus, meo quidem judicio opus non erit. Quòd si tamen dolor supervenerit, sequés adhibeatur Linimentum;

℞. Olei rosac.
Amygdalarum dulc.
De Vitellis ovorum, sine magna assatione Vitellorum extract. an. ℥ij.
Rad. Scrophular.
Herbæ Roberti an. m.ß.
Ranarum;
Gamarorum ana num.vj.

Incidantur & conquassentur in mortario, postea cum prædictis Oleis coquantur lentissimo igne, ad humiditatis ferè consumptionem, Colatura agitetur in mortario plumbeo, cum pistillo plumbeo, per aliquot horas. Servetur in Vase vitreo ad usum. Inuncto loco affecto, sequens applicetur unguentum, supra alutam extensum;

℞. Gummi elemi,
Ceræ novæ ana ℥.j.
Ol. rosac.
De vitellis ovorum,
Amygdal. dulc. ana ℥.ij.

Misceantur simul lento igne, & percolentur, deinde in mortario plumbeo admisceantur sequentia;

Tutiæ præparat. plumbi squammos.
Cornu cervi usti, & præparat.
Gammaror, Ranarum Calcinat. an. ℥.ij.
Lithargyr. aurei loti, & subtilissimè pulverisat. ana ℥jß.

Misceantur, & agitentur cum pistillo plumbeo ad minimum per horas sex, admiscendo paulatim succi sequentium, quantum suscipere poterit Unguentum;

R. Rad. Scrophular. major. M. ij.
Ari. m. j.
Herb. Roberti.
Solatrj. ana. m iij.

Incidantur & contundantur in mortario, extrahaturque succus per prælum, ad usum prædictum. Hoc habe pro secreto: est enim præstantissimum in hujusmodi Affectibus. Hac Methodo si non sanabis affectum, ferocitatem tamen ipsius adeò refrænabis ac edomabis, ut ægram sine magno incommodo cum ipso senescere posse non dubitem. Vidi id tum in aliis Dusseldorpii, in nobili matrona, Doctissimi atque Consultissimi Viri Dn. Ioh. Mulert. I. U. Licentiati &c. uxore. Illa enim scirrho Cancroso, ex lacte coagulato, & retentione Mensium, in Mamilla laborans, à Præstantissimo Viro Dn. Cosmo Slotano, Iuliacensium, Clivensium, & Montensium Principis Medico-Chirurgo, Præceptore meo æternùm honorando, hisce & similibus præsidiis adeò conservata fuit, ut ad finem vitæ nihil incommodi inde sibi natum sit, cujus rei testis sum ocularis. Ut autem in ægra tua omnia ad votum quoque succedant, Deum ter Opt. Max. supplex oro. Vale & cum tuis omnibus æternùm quàm felicissimè vive. Dabam Bernæ, 17. Iunij, 1626.

Obs. 22. & 23.

Observ. de cancro occulto.

OBSERVATIO XXIII.

De confectione Alkermes, & ejus præparatione.

Clarissimo atq; Experientissimo Viro
DN. GUILHELMO FABRICIO,
hildano, Medico atq; Chirurgo solertissimo
S. P. D.
Lucas Justus D. Illustriss. Ducis Bipont. Med. ordinarius.

Confectio alkermes an dysenteriis conveniat?

CLarißime atque experientißime Vir &c. rogavit me in itinere Ampliß. atque Consultiß. Dominus Dn. Iohannes Henricus Schvvebelius, Illustriß. Ducis Bipontini Vice-Cancellarius, ut Filium difficultate visus ac penè suffusione laborantem, tibi commendarem, quæso igitur, hominem Saluberrimis tuis consiliis Juva non erit ingratus, suaderem te approbante Setaceum, ut & continuum usum Euphrasiæ, quam in quarta Observationum tuarum doctißimarum Centuria tantopere commendas. Editionem quintæ, quam polliceris, quæ & multis mortalibus usui erit, matura. Præterita æstate Dysenteria valde sæviit; incidi tum in elegantißimum tuum de hac materia librum, sed unicum admiratus, te confectionem Alkermes probare. Cùm meminerim D. Saportam, Præceptorem ac promotorẽ meum Monspeliensem, sæpius dixisse, lapidem Lazuli vim purgandi nunquam amittere, etiamsi multoties lavetur, ideoq; in dysenteria aliisq; alvi fluxibus angue & ovo pejus odisse: tuum igitur hac de re judicium, cum non absque singulari ratione fiat, audire cupio. Non ita pridem illustris quadam Domicella difficultatè respi-

Obs. 23. *respirandi, at & doloribus Nephriticis laborare cœpit, post mortem ubi corpus apertum, spina dorsi instar majusculæ literæ S. fuit, & in renibus duo calculi reperti. Hæc brevibus ad te scribere volui. His vale, & ægri, quæso, rationem habeto. Basileæ 10. Septemb. Anno 1623.*

Epistolica Responsio.

Viro Nobilißimo & Doctißimo,

DOMINO LVCÆ JVSTO,

Medicinæ Doctori celeberrimo, & Illustrissimi Principis ac Domini, DN. IOHANNIS Ducis Bipontini Archiatro dignissimo, Domino & Amico meo plurimùm honorando,

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

LIteræ tuæ humanissimæ, quas mihi obtulit Dn. Schwebelius, Vir nobilissime, Doctissime, perquàm gratæ mihi fuerunt: inprimis propter Observationem raram, de calculis miræ magnitudinis, in renibus Illustris Domicellæ repertis. Utinam communicasses integram historiam, & delineationes magis ad vivum misisses, nihil enim, crede mihi, qui hujusmodi oblector, jucundius accidere potuisset. Quæ in gratiam optimi Viri, Dn. Schwebelii scripsi, & quid de ipsius affectu sperandum sit, ex ipso coràm intelliges. Setaceum ipsi applicui, & fonticulum ad poplitem dextrum, applicato caustico, efformavi. Illud ad materiam conjunctam ex capite evacuandam, hunc verò ad hepar (quod ipsum plus justo calidum habere non dubito) rectificandum. Faxit DEUS OPT. MAX. ut maximum fructum inde habere possit. Quinta Centuria Observationum mearum, cujus editionem urges, hac hyeme in lucem venisset, si DEUS Typographum, Dom. Theodorum de Bry, ex hac luce non eripuisset. Scripsi tamen ad ipsius hæredes, à quibus responsum indies exspecto.

Confectio alkermes an dysentericis sit exhibẽda.

Cæterùm causas atque rationes meas, cur confectionem Alkermes dysentericis exhibeo, à me scire cupis, in quibus cùm ut plurimum duobus modis, videlicet propter crebras dejectiones, & malignitatem materiæ peccantis, Vires & facultates vitales afficiatur, quis quæso non videt, Cordiale aliquo medicamento, & quidem præstantissimo, opus esse? Tale autem est confectio Alkermes, testatur id Mesues, hujus confectionis inventor, imò & quotidiana experientia id comprobat; Ego sanctè affirmare possum, nihil præstantius me unquam reperiisse, etiam in ipsis infantulis, Dysenteriâ laborantibus. Sed Dom. D. Saportam P. M. suspectam tibi reddidisse confectionem hancce, ex tuis conjicio literis, idque propter lapidem Lazuli, à quo apud Mesuem nomen accipit, & confectio de Lapide Lazuli vocatur. Scio quidem ex Dioscoride & Galeno, Lapidem huncce acrimoniâ quâdam præditum esse, scio quoque ex Mesue & neotericis, ipsum vim purgandi habere, sed in debita quantitate exhibitum. Mesues enim ipsum à drachma una & semis, usque ad drachmas duas exhibet. Antonius Musa Brassavolus, in libro de Medicamentis purgãtibus, ad drachmam unam, & sunt hæc ipsius verba: Lapidem Lazuli expertus sum, & drachmam nunquam excessi, & semper profuit, neque tamen tormina induxit, qualia putabam, antequam essem expertus &c. Purgat itaque lapis Lazuli, si ʒ.j.ß. aut duas, ut vult Mesues, aut drachmâ una, secundùm Brassavolam, sumatur. An verò confectio ex ipso facta, præsertim in exigua illa quantitate, ut ego illam exhibeo, alvum movere possit, facilè videbis, si compositionem & præparationem hujus confectionis, prout illam describit Mesues, & post ipsum Iubertus, accuratè examinaveris. Ponam autem descriptionem Iuberti, propter puritatem styli, quæ sic habet.

Con... nu... mea... stre...

Accipe succi pomorum dulcium & aquæ rosarum, (quibus setæ libra una fuerit per diem naturalem infusa, & multùm expressa) an. ℔.j.ß.
Succi granarum Kermes ℔.j.
Sacchari solidi ℔. ij. coque ad mellis spissitudinem.

Habes hîc clarissime Dn. D. Iuste, Succi & aquæ rosarum libras quatuor, quas si cum libris duabus sacchari solidi, ad mellis consistentiam coxeris (expertus loquor, ipsemet enim periculum feci) remanebunt tibi unciæ triginta quatuor Syrupi, quo remoto ab igne & etiamnum calido, adde (secundum descriptionem Iuberti quæ hodie ab omnibus approbatur.)

Ambræ crudæ minutim incisæ ʒ.ij. sine ut liquescat, deinde super hunc projice sequentia pulverata:

Ligni aloës crudi
Darseni, id est, cinamomi electissimi an. ʒvj
Lapidis Lazuli drachmas duodecim
Margaritarum albarum ʒ.ij.
Auri boni,
Moschi boni an. ʒ.j. confice secũdũ artem.

N... Mo... Mo... nõ...

Tota itaque confectio continet uncias triginta sex, & drachmas duas, excepto tamen lapide Lazuli; Hasce uncias, si in drachmas diviseris, habebis drachmas 290. Porrò drachmæ duodecim lapidis, quæ compositionem ingrediuntur, faciunt grana 720. quæ si in 290. diviseris partes, habebunt singulæ drachmæ confectionis grana duo cum dimidio circiter, lapidis Lazuli: si omnia quàm diligentissimè & accuratè fuerint ponderata & cocta.

Cæterùm cum ego in præscribendis medicamentis dosin semidrachmæ vix unquam excesserim, non video, quomodo exigua illa quãtitas lapidis alvum movere possit, præsertim quum utplurimùm astringentia & exsiccantia, veluti cornu cervi usti & præparati, corallos præparatos, Spodium Syrupum myrtillorum, & de rosis siccis, Minam Cydoniorum & hujusmodi quoque admiscuerim. Non purgat itaque confectio Alkermes, ut Dominus Saporta arbitratus est, præsertim si sequentia verba Iuberti diligenter perpendere volueris. *Lapidis Cyanei seu Lazuli vocati, inquit, lotione contentus est autor, primo aquâ dulci, post triturationem, idque tricies, quasi terendo semperq; innovando aquam, & postremò decies cum aqua rosacea. Nos ante lotionem ustum esse volumus, ut Cathartica vis omnis absumatur, ea superstite, quæ exhilarare, & cor recreare creditur, absumptis forsitã, aut repreßis vaporibus melãcholicis.*

Lau... Iub... de l... Laz...

Hacte-

Hactenus Iubert⁹. His omnibus consideratis, nō video, quomodo locū habere possit opinio Saportæ, neque quomodo confectio Alkermes rejicienda sit in dysenteria, aliisque alvi fluxionibus, quin potius omnibus aliis cordialibus ipsam præferendam esse, experientia semper fidem mihi fecit. Habes Vir Nobilissime & Doctissime, hac de re opinionem meam, quam ut benigne & amicè interpretari velis, multùm rogo. Vale, & in æternum cum tuis omnibus feliciter vive. Dabam Bernæ 17. Decembris Anno 1623.

Nobilissimus & doctissimus

DOMINVS LUCAS JUSTUS,

Medicinæ Doctor celeberrimus

S. P. D.

DN. GUILHELMO FABRICIO HILD.

Doctè sane atq; eleganter, clarissime atq; Experientissime Vir, ad objectionem meam de Lapide Lazuli in confectione Alkermes mihi respondisti, virium scilicet in curatione Dysenteriæ maximam habendam rationem, & cum nullum præstantius Cordiale ista confectione detur, meritò usurpandam, nec acrimoniam sive purgandi vim Lapidis Lazuli timendam, cum ad singulas drachmas Confectionis duo tantum grana, si recte supputetur, ipsius Lapidis ingrediantur. Sed ex ore D. D. Saportæ Præceptoris ac promotoris mei, p. m., venerandi, unicam do instantiam; Confectio de Hyacintho eadem ferè quæ & Confectio Alkermes recipit Cordialia, excepto Lapide Lazuli, qui suspectus. Ergo in dysenteria, ut omnem evitemus suspicionem, ad vires conservandas potius Confectione de Hyacintho, quam confectione Alkermes utendum. Antecedens manifestum erit, si apud Iubertum utriusq; descriptionem examinaverimus.

Quod ad Clarissimi atq; Consultissimi Viri Dni. Doctoris Schvvebelii, nunc Cancellarii Bipontini filium D. Fridericum, difficultate Visus laborantem, rectè meo judicio affectum in ipso nervo Optico statuis, quia oculi sunt pellucidi, nec exteriùs ullum animadvertitur vitium, præter ruborem in humore aqueo. Habemus Galenum 4. de locis affect. Cap. 1. suffragantem, ubi inquit; Si in oculo, nullo apparente malo, cernendi sensus deperditus, demissum à cerebro nervum visorium hujus imminutæ aut deperditæ visionis causam in se continere, necesse est. *Ex affluxu igitur humorum, quemadmodum benè in consilio mones, nervus Visorius obstruitur. Curatio etiam à Tua Excellentia optime instituta, dum primò Setaceum, postmodum Cauterium, Diætâ & Pharmaciâ non neglectâ administratum; Nam ex horum omnium usu optime se habet, & de die in diem majores in recuperatione visus sentit fructus.*

Vnicum objicio, non ita pridem Birckenveldium, ubi Acidulæ, quarum Iacobus Tabernamontanus quoq; meminit, ad Aulam Principis pro nobili ægro invisendo accersitus, Lignum Fraxini, quod certo anni die ac hora finditur, mihi exhibitum, frequenter illo in vulneribus ac contusionibus sanandis scalpendo eo telum, sive instrumentum, quo quis læsus, felici successu utuntur. Maxima hìc intercedit similitudo, quæ per curationem unguēti armarii fit; Cum autem in hujus disquisitione nihil Physicum vel naturale deprehendatur, quid sentiendum, paucis edissere, turpe namq; aliquid asserere (nisi ad sympathias & occultas proprietates confugiamus, excipit hic Scaliger, Cardani Censor Criticus, Venena, quæ qualitatibus occultis agunt) cujus rationem reddere non possumus. His præstantissime Vir Vale. Biponti Calend: Augusti Anno 1624.

Obs. 24.

OBSERVATIO XXIV.

De raucedine, & ejus curatione per setaceum.

Viro Clarissimo & Doctissimo

DNO. JACOBO HAGENBACHIO,

Medicinæ & Chirurgiæ Doctori Excellentissimo, Amico meo singulari.

Guil. Fabricius Hildanus, S.P.D.

De Raucedine.

GRavissimus, & veluti deploratus est affect⁹, de quo sententiam meam intelligere cupis, Clarissime atque Doctissime mi Dn. D. Hagenbach, Amicorum optime. In consistente tamen hacce ætate (scribis enim ægram triginta circiter annorum esse) non penitùs desperandum est, sed potiùs ea omnia, quæ secundùm rationem adhiberi possunt, porrò adhibenda sunt. Quod & hacten⁹ à Vobis Viris Clarissimis, Dn. D. Chmielecio, Dn. D. à Brun, Tuaque Excellentia magna cum sedulitate, ac indefessa diligentia, & quidem ex arte factum fuisse, ex eis, quas ad me scripsisti, literis ita manifestum fit, ut quid Ego amplius in medium afferre possim, vix videam. Quia tamē vobis ita visum fuit, frater Dn. ægræ responsum meum urget, dicam paucis quid sentiam.

Scribis matronam 30. annorum, Hepate naturâ calido, Cerebro autem sicco præditam, à sesquianno Catarrho ad fauces, asperamque arteriam, imò & ad ipsum pulmonem, cum tussi, raucedine, & Vocis depravatione, obnoxiam fuisse; Glandulam quinetiam, sive amygdalam dextrā erosam esse. Horum Symptomatum omnium causam, Calorem intensum Hepatis esse, non dubito. Ex Hepate enim præter modum calido, continuò vapores ad Caput ascendunt, ibidemq; condensantur, & ad partes inferiores, utpote ad fauces, asperam Arteriam, pulmonem, & musculos Laryngis defluunt; Et quia materia illa, propter Hepatis calorem, facta fuit acris, partes illas laxas ac teneras, uti sunt fauces & Amygdalæ, facilè erodere potuit. Hepar itaque cùm sit fōs & scaturigo Morbi, & pars mandans, Cerebrum verò recipiens, inprimis quoque Hepati occurrere atque prospicere convenit, reliquis tamen Symptomatibus non neglectis. Suadeo itaque, ut corpus per intervalla clementer ac leniter expurgetur, idque Rhabarbaro, Syrupo rosato solutivo, de Cichorio cum Rhabarbaro, Mannâ, & similibus, decocto pectorali, vel aquâ Cichorii infusis, & dissolutis. Non exiguum quoque fructum percipiet ægra, si frequenter post Cœnam Syrupum de Papavere, aut aliquid Meconii, cum decocto pectorali, parumq; aquæ Cichorii sumpserit. Hæc enim intemperiem Hepatis mirum in modum corrigunt, materiam subtilem incrassant, ejusque acrimoniam obtūdunt. Decoctum

autem

Obs. 21. autem pectorale pro potu ordinario (à vino enim ut penitùs abstineat, necesse est) ex Scabiosa, Hordeo, Liquiritia, Polypodio, radicibus & floribus Tussilaginis, Betonica & Botryde, præpararem: prospiciendum tamen, ne copia ingredientium modum excedat, saporemque injucundum efficiat. Ad majorem quoq; abstersionem, & mundificationem Ulcerum, circa amygdalas & fauces, nonnihil mellis despumati adderem. Fonticulum ad internam partem poplitis dextri fecistis, & rectè quidem; Præsidiorum enim omniū, quibus intemperies Hepatis corrigi potest, præstantissimum esse, aliquoties, imò etiam in deploratis affectibus, observavi; Suadeo itaque, ut secundus Fonticulus ad poplitem dextrum, videlicet externam partem, aut si malit, ad sinistrum Crus efformetur. Brachio sinistro Emissarium, sive fonticulum, secundùm rationem à Vobis adhibitum fuisse, testor, sed quia procul à Capite abest, & ex uno tantummodò latere Catarrhum evacuat, ipsum haud sufficere posse, quis non videt? Cùm itaque continuò Vapores ex calidiore Hepate ad Caput ascendunt, si nunquam per nares & fauces, ut scribis, expurgata fuit, si deniq; nunc sine intermissione humor acris ad fauces, asperam arteriam, musculos Laryngis, & pulmonem decumbit, & quidem in copia, necesse erit, & emissarium quoque, ad humores noxios evacuandos, magnum sit atque ingens. Illud autem est Setaceum, quod nisi cervici adhibitum fuerit, reliqua remedia, quantumvis exquisitissima & optima fuerint, inutilia tamen & inefficacia erunt omnia, tandemq; catarrhus ille acris omnia devastabit. Similem casum Argentinæ mihi videre contigit hunc in modum:

Observ. singularis de Raucedine & præstantia Setacei.

Anno 1611. Patricius quidam, non obscuri nominis, Raucedine & erosione Amygdalarum, propter catarrhum salsum & acrem, laborans, Dn. D. Küeffer, & alii cuidam Medico seniori, cujus nomen nunc non occurrit, Medicis longè celeberrimis, se curandum commisit. Ex his Dn. D. Küeffer suasit, ut ad humores acres revellendos & evacuandos, Setaceum fieret. Hæc quum alter Medicus, cujus opinionem semper magni fecerat æger, acriter repugnaret, & altercatio inter ipsos orta esset, & per menses aliquot perseverâsset, mirum in modum adauctus fuit morbus. Tandem mortuo seniore Medico, Dn. D. Küeffer iterum ægro applicationem Setacei proponit, cumq; id sine meo consilio admittere nollet æger, Dn. D. Küeffer, sic petente & efflagitante ægro, ad me venit Lausannam, ubi cùm omnia mihi exposuisset, petiit ut secum Argentinam me conferrem, ubi prædictum ægrum, ex deplorata raucedine, cum summa labefactatione Virium, feliciter restituimus, & ita quidem, ut anno 1617. ex Hassia rediens, cùm Argentinam pervenissem, iterum multis honoribus me affecerit. Præcipuum autem præsidium, quo, post Deum, restitutus fuit, Setaceum censendum est: reliquis enim quum adhibebantur, jam antea quoque usus fuerat, sed sine fructu. Exemplum hocce eum in finem ad te scribo, ut ægra sciat, post Deum nihil præstantius esse Setaceo, ad debellandum morbum suum. Tu itaque mi Dn. D. fac ipsi animum, & Setaceum ad tertiam Vertebram, vel inter tertiam & quartam applica, sed vide, ut cutem, quantum fieri potest, in altum trahas, funemq; profundè trajicias: sic minùs molestum erit, ac longè efficacius. His vale, Vir clarissime, & cū tuis omnibus æternùm quàm feliciter vive. Saluta quàm demissè meo nomine Clarissimos Viros, Collegas tuos circa ægram, videlicet Dn. D. Chmielecium, & Dn. D. à Brun, & ut tecum omnia benignè interpretari velint, ipsos meo nomino quæso obsecra. Raptim Bernæ, 14. Nov. Anno 1626.

Observatio XXV.

De motu convulsivo, cum Desipientia, ex aura maligna.

Chirurgo-Medico Clarissimo, Dn.
GUILHELMO FABRICIO HILDANO,
Petrus Blandinus S. P. D.

Habeo unde mihi gratuler, Amice charissime, & multùm colende, quòd superiores meas à D. Burgovvero acceperis, (cui devincior ob eas traditas) iisq; etsi raptim scriptis, pro benevolentia tua responderis. Certum est, & eruditiores in arte machaoniæ, tecum singulis diebus multum posse proficere, nec vacuis manibus à te recedere, cui, si occurrunt casus difficiles, penè omnes curandi committuntur, hinc fit, ut honestus ille juvenis non nisi cum fructu à Te recesserit. Quòd mei memoriam facias in quinta tua Centuriæ Observationum, gratias habeo, eamq; animitùs expecto, utque tibi pro voto satisfaciam, & aliquid Centuriæ sextæ, brevi lucem visuræ, Observationum mearum inseram, lubet casum quempiam enarrare; Ubi quædam ad eum facientia proposuero, ex malignæ nempe aura sæpius dirissima ac lethalia suscitari symptomata, neque finem dari iis, usque dum aura ea per partes continuatas, vaporis specie suscitata, dissipata fuerit, aut intercepta: (Hinc Lipothymiæ, Vertigines, insultus Epileptici, Membrorum tremor, convulsiones, &c.) & sicuti horum symptomatum, & plerorumq; aliorum, ad hanc consequentium, occulta causa est, inde elucescere vires efficaces medicamentorum, viribus occultis operantium, ut non abs re Autor præcelebris dixerit: Occultis totius substantiæ morbis, necesse fuisse, naturam contrarias vires comparâsse, quæ & ipsæ occultæ sint, & totius substantiæ dissidio illis adversæ, ne morbi immanes propriis destituti remediis jacerent.

Observ. *Iuvencula itaq; annorum 16. quæ ante biennium cùm nupsisset, boni habitus, & floridi coloris, & statæ formæ, mensem unum aut alterum ab initio matrimonio, de leni quodam digiti medii manus sinistræ conquæritur stupore, per diem unum aut alterum, cui & lenis subsultatio brachii immiscebatur, aderat & insolita quæpiam recurrens desipientia, quod domestici despicientes, (præ bilari habitu, quo prædita est) circa horam undecimam nocturnam, ubi placide quiesceret, ea motu totius corporis violento & extraordinario præcellitur, qui ubi à marito percipitur, statim operam meam desiderat, illicoq; vocari mandat, cui & præsto adsum, ob summam quâ juncti sumus affinitatem, & sub finem Paroxysmi, juvenculâ restitutâ, percontor*

quid

26. *quid rei? se ignorare dicit, adeò attonita erat; quietis & compositis aliquomodò spiritibus superiorum narrat historiam. Mox in præsentia mea subingreditur alter Paroxysmus, quem subingredi persentiens, de digiti summo dolore conqueritur, hinc manus contrahitur, brachium convellitur, & motu Epileptico universum corpus percellitur, spuma stridore quodam eliditur ab ore, sensus omnis cum memoria perit, crudeliter ad aliquod tempus divexatur, ad se rediens, statim manum porrigit, quam ubi expansam conservare vellem, deserere cogor, præ atrocissimo dolore, quem percipiebat, ob eam expansam, statim redit Paroxysmus, furore eodem, quo & superior. Curo vocari Chirurgũ, & Pharmacopœum, quorum ope, remisso affectu, cum videret velle me uti, malle se mori, quàm ullum medicamenti genus admittere dixit. Quid hac in parte contra nutum præstarem, valde anxius eram, præstitis præsertim frictionibus, ligaturis inferiorum partium, & manus affectæ violentis, ubi & à suprà enarratis bis convulsa jacuisset, tandem cogito de corio humano, ex quo factâ circa carpum ligaturâ, & partem brachii musculosam, evanuere omnes ii insultus, qui per tres horas eam divexârant; nec ab eo tempore quippiam eorũ percepit, intra bimestre; fluxere menstrua, concepit, & affinium suorum summo gaudio peperit. Inde concludo, non vinculo simpliciter, (siquidem & ante fuisset administratum, sed corio humano hujus affectus solutionem potiùs tribuendam. Vale, Vir charissime, & si me amantem redamas, rescribe. Dabam Genevæ, 25. die mensis Octobris, Anno 1626.*

OBSERVATIO XXVI.

De mirando motu Convulsivo, cum Desipientia, ex vapore maligno.

Viro Clarissimo & Doctissimo,

DN. PETRO BLANDINO,

apud Genevenses Doctori Medico longè celeberrimo, *Cui*

Guil. Fabricius Hildanus S. P. D.

IGnosce, Vir Clarissime & Doctissime, quòd admodum tardè ad tuas respondeo, facit id adversa valetudo mea; Hyems enim hæc valde molesta mihi fuit, præsertim propter Catarrhũ, ad dextram delapsum, quæ etiam nunc tremebunda, segniter, ut ex præsentibus videre potes, pingit. Volebam quoque literis meis quintam Centuriam Observationum mearum adjungere, at id maturiùs fieri non potuit: illam nunc ut hilari fronte excipere, omniaque æqui bonique consulere velis, obnixè rogo. Casus, quem in postremis tuis communicâsti, de motu Convulsivo cum Desipientia, rarus & annotatione dignus est. Mirum profectò, quomodo uno in digito, plerumque etiam minimo, tot materiæ, aut vaporis maligni, ad gravissima hæcce symptomata procreanda, contineri possit. Ex Matrice id evenisse, aliquoties vidi; præsertim circa annum 1611. tempore veris ad Lausannam, in nobilissima quadam Virgine, pietate, omnibusque virtutibus longè ornatissima. Illa quum per Mensem fere integrum lassitudinibus spontaneis, mœrore ac mœstitiâ affecta fuisset, tandem Convulsionibus; quæ mirando quodam modo ipsam exercebant, correpta fuit. Primò enim exorto dolore gravissimo ventris, præsertim è regione Matricis, protinus sese in ventrem projicere coacta fuit, ubi priùs mente capta, totum corpus veluti in globum contrahebat hoc modo; Genua & cubiti versus templa amplectebatur. Sic in grabato suo, digitis pedum, genibus, & cubitis veluti insistens, totum corpus mirum in modum, & cum violentia sursum deorsumque, & quidem motu involuntario ac convulsivo jactitabat, idque utplurimùm spatio circiter semihoræ. Postea cum impetu sese in dorsum projiciebat, & veluti semianimis per horam ferè integram jacebat. Interim adstantes sudorem, qui erumpebat, abstergere, consummatis item, & jusculis, potionibus quoque Cordialibus, Epithematibusq; ex meo præscripto præparatis, quantum fieri potuit, ipsam refocillare, operam adhibuerunt. Sic remisso Paroxysmo, & recuperatis viribus, mens quoque in integrũ restituta fuit, & ita quidem, ut egrediens è lecto, & per cubiculum mecum ac parente suo, obambulans, mirum sit, quàm prudenter, piè & perspicuè puella hæcce (quæ nondum vigesimum annum attigerat) de eis, quæ proponebãtur, dissereret, ignara eorum, quæ in Paroxysmo acciderant, donec iterum novus ipsam corriperet: recurrebat autem ter aut ad summum quater intra horas 24. Ego morbum tum victus ratione, tum medicamentis & præsidiis, tam internis, quàm externis, quantum fieri potuit, debellare operam dedi. Tandem Convulsiones quidem ac reliqua symptomata remiserunt, sed veluti per criticam expulsionem, ad externas partes projectâ materiâ peccante, brachiis & tibiis quasi contracta fuit. Tum iterum purgato, ac decenter præparato corpore, ad Thermas Vallesianas ipsam misi, ubi in integrum restituta fuit, & in secundum annum supervixit. Obiit, nisi fallit memoria, Anno 1613. interim dum ego in Belgio fui: quâ autem morte extincta fuerit, mihi non constat. Ab eo tamen tempore ex parente suo intellexi, ipsam per menses ferè duos morbo mirum in modum intricato confectam fuisse, & quotidie operam ac præsidia mea frustra implorâsse. Id quoque mihi commemorabat, per aliquot dies ante obitum, tantum fœtorem ex corpore ipsius promanasse, ut vix credibile sit.

Cæterùm morbum huncce ex matrice, & quidem ex corrupto semine provenisse, apud me dubium non est: erat enim juvencula sanguinea, & optimo corporis habitu prædita, quæ & ante morbum (ut à quodam ex astantibus clàm mihi nunciatum fuit) animum ad juvenẽ quendam Virum nobilem adjecerat; sed contradicentibus parentibus; ipsi nubere non potuerat: retentum itaque & excalefactum semen computruit, & naturam veneni contraxit: *Sperma enim corruptum*, Magnini lib. de regimine Sanitatis c. 6. verbis utor, *in toto corpore se habet ad modum veneni; unde sicut parum veneni sufficit corrumpere totum corpus, ita & spermatis corrupti aliquan-*

Obs. 26.

Obs. 26. *liquantulum sufficit corrumpere totum corpus.* Motus quoque convulsivus, quo corpus hujus puellæ concutiebatur, motui, quo Viri, qui coitum furiosè, indecenter, & nimis impetuosè exercent, utuntur, haud multum absimilis erat.

Anno 1625. Mense Majo Matrona quædam Bernensis juvenis, convulsionibus horribilibus cum desipientia per dies aliquot laborabat. Tam impetuosè autem corpus ex una in alteram partem concutiebatur, ut duo Viri, quamvis robustissimi, ipsam vix continere possent. In istis motibus convulsivis autem corpus non aliter agitabat, ac si cum marito suo coivisset. Id cum probè observâssem, & medicamenta omnia ipsam respuere vidissem, suasi, ut maritus, qui per menses aliquot abfuerat, accerseretur; alioquin de ipsa actum esse. Sequente die, adveniente marito, brevi restituta fuit, & ad se rediit. Membra tamen, ab ipsis Convulsionibus concussa & labefactata, per dies aliquot sequente Linimento inunxit;

R. Ol. ex floribus Slotani ℥j.
Lumbricorum,
Vulpin. Chamomelin.
Lilior. alb. Rosac. an. ℥ß. Misce.

Ab eo tempore degentem vitam cùm suo Medico jugali, nunquam neque Convulsionibus neque aliis morbis ipsam correptam fuisse scio. Adderem Observationem singularem de Lipothymia ex causa abdita & maligna, sed tremulenta dextra nunc dissuadet: fiet id, cumprimum intellexero, præsentes tibi fuisse gratas. Hisce diebus adjunctum fasciculum literarum, tibi inscriptarum, à doctissimo atque excellentissimo Viro, Domino Iohan. Burgavvero accepi: ignosce, quæso, quòd maturiùs ipsas non miserim. His vale, Vir Clarissime, & æternùm quàm felicissimè vive. Dabam Bernæ, 24. Februarii. Anno 1627.

OBSERVATIO XXVII.

De insita malignitate Carbonum.

Clarissimo & Doctissimo Viro,

DN. JACOBO HAGENBACH,

Medicinæ & Chirurgiæ Doctori.

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

Quantum me exhilararunt antepenultimæ tuæ, Vir Clarissime & Doctissime, tantum contristârunt ultimæ: illæ enim de nato tibi filio certiores nos fecerunt, hæ verò ipsius Morbum exposuerunt. Benignissimus ac misericors Deus ipsum à gravi suo Morbo benignè liberare, tibique illum in multos annos incolumem conservare velit.

Te eorum omnium, quæ ad Morbum depellendum requiruntur, nihil prætermittere, Curationemque Methodicam instituisse, ex tuis satis apparet literis, in quibus porrò persistendũ. Quæ enim secundùm artem ac rationem fiunt, ea non facilè sunt mutanda, ut nos docet Hippocrates, Interim da operam, ne aspera hæcce Tussis, circa genitalia damnum aliquod, aut dilatationem Peritonæi & Vaginæ inferat. Tu pro tua industria subligaculi beneficio id facilè cavebis.

Ante paucos dies literas à Dn. D. Casparo Hofmanno, Professore Altorffiano accepi, in quibus mihi casum de Lapide per Palatum excreto, & à Dn. D. Ulrico Rietmanno observato, proponit. Responsum meum brevi ad te mittam, & quidem non obsignatum, ut quid Ego de hoc Casu tam raro sentio, id Tu quoque videre possis.

Hisce diebus Carbonarius quidam pauper, Jaques Bolon nomine, ab Amplissimo Senatu curandus ad me missus fuit. Ille cùm anno 1623. in ipsis Canicularibus, dies noctesq; in conficiendis Carbonibus occupatus esset, tandem Nauseâ ac Vomitu, cum fastidio cibi, Vertigine, & Vigiliis correptus fuit, mox febris quoque, & sitis maxima, cum Linguæ ariditate supervenit. In tertiam hebdomadem cùm graviter laborasset, & lecto affixus fuisset, pedes quoque supra modum intumuerunt, non sine dolore maximo, & inflammatione, quæ cum in Gangrænam transiisset, & pauper ille in manus imperiti hominis incidisset, majorem digitum pedis dextri ipsi tenacula incisoria, qua utuntur fabri ferrarii, vi maxima abscîdit. Hinc factum est, ut etiamnũc suffulcris incedere coactus sit: Nervi enim ex lõgo isto decubitu circa genua retracti sunt; Arbitror quoque, Ossicula adhuc nonnulla in avulsione digiti pedis confracta superesse.

Duo autem in hac Historia annotatione digna occurrunt; Primò, quanta Carbonibus insit abscondita malignitas, & proindè mirum non esse, ex fumo Carbonum nondum accensorum, nonnullos subitò suffocatos fuisse, uti ex Observationibus Celeberrimi Viri D. Plateri, & meis videre poteris. Deinde etiam, quàm crudelis & perniciosa sit carnifica illa operatio, quæ fit tenaculis incisoriis, aut scalpro. Sed de his plura habes in Tractatu meo de Gangræna & Sphacelo.

Cæterùm mitto ad te Tractatum meum de Lithotomia, quem ut Typographo tradere velis, obnixè rogo. Vale Doctissime mi Dn Hagenbach, & cum tuis omnibus æternùm quàm feliciter vive. Raptim Bernæ, 15. Martii Anno 1625.

OBESRVATIO XXVIII.

Ex Gallico in latinum translata.

DE

Prolonganda Senectute.

Reverendo ac Doctissimo Viro,

DN. SAMUELI JAZVEROTO,

Ecclesiæ Christi Lausannensis Antistiti vigilantissimo, &c.

Guilhelmus Fabricius Hildanus,

S. P. D.

Ante mensis spatium, vel circiter, Reverende Vir, Fautor & Amice plurimùm honorande, filius tuus Bernam cùm appulisset, Te ejusmodi vivendi regimen exoptare, mihi significavit, cujus adminiculo ingruentis Tuæ senectutis incommoda & tolerare, & superare facilius

lius, tuoq; officio fungi comodiùs possis. Quod verò seriùs fortassis, quàm sperabas, tuæ petitioni satisfacio, equidem veniam me atque excusationem haud difficulter à te impetraturum confido, si, quæ sit vera diuturni hujus silentii mei causa, tibi exposuero. Ea verò non est alia, quàm gravissimus, & tantùm non lethalis ille morbus, qui me totum ita corripuit, ut viribus penè universis destitutus, continuò hactenus decumbere coactus fuerim; Et nunc demùm ex eodem respirare mihi aliquantulum, sensimque Dei beneficio convalescere liceat.

Cæterùm quoniam Senectus, de communi quorumvis Medicorum pariter atque Philosophorum sententiâ, nihil aliud, quàm inevitabilis quædam caloris nativi, humidiq; radicalis diminutio atque absumptio esse, rectè statuitur, ita, ut quemadmodum illis adhuc florentibus, ipse vitæ vigor illæsus consistit: sic deficientibus paulatim iisdem, unà quoque actiones ac facultates vitales singulæ labascant, necessarium omninò est, ut si modò maturè gravamina senectutis, indies magis ac magis invalescentia, declinare atque evitare voluerimus, in id omne nostrum studium & curam intendamus, ut quocunque possumus modo, ipsum naturalem calorem, suumq; pabulum, humidum primigeniũ sartum ac tectum conservemus.

Ad hunc autem scopum ut feliciter collimare queamus, media, quæ nos eodem deducunt, certa & tuta oportet sequamur: ubi ante omnia se offert Diæta, seu benè salubriterque vivendi norma: quæ præcipuè quidem in convenienti tam cibo quàm potu constituendo occupatur. Cibus itaque, quo vesci cum successu aliquo possis, in universum talis esto, ut, præterquam quod parum excrementi contineat, magnum etiam multumq; nutrimentum in omnes corporis partes ex sese diffundat. Ejusmodi qui sint, quæris? En tibi ex quadrupedum numero, Caro primùm vitulina, bovina, ovilla, caprina, mox è volatilium grege, capones, pulli, columbæ, alaudæ, Perdices, & aliæ similes. Ova præterea recentia, & quicquid laudabili succo, eâque qualitate imbutum est, ut & nobiles partes vivifico humore irrigare, & simul etiam facili labore concoqui queat.

Contra verò ab illis ciborum generibus magno tuo Te commodo abstinere memineris, quæ succos utplurimùm crudos, crassos, salsos, tenaces, viscosos, frigidioresq; corpori impertiunt: utpote sunt, carnes quæcunq. salitæ, ac infumatæ: pisces etiam qui in stagnis atque paludibus cœnosis capiuntur: Caseus item, cumprimis recens, nec admodum antiquus: Lac & lactaria; quinetiam quæ in butyro frixa sunt omnia: siquidem hæc universa innatum calorem corrumpunt potius, quàm nutriunt, pravisq; humoribus corpus infarciunt.

Juscula verò recentia cum ovo uno aut altero, atque tantillo vini & aquæ, salisve cocta: ut & butyrum quoque quàm recentissimum, ac dulcissimum si frequenter degustes atq; deglutias, accedit corpori alimentum non pœnitendum. Aspergere poteris, quoties lubet, jusculo cochleare hoc pulvere plenum, qui recipit cinnamomi electi ℥.j. Macis ℈.j. ß. Nucis muscatæ ʒ.j. Croci ℈.j. Sacchari ℥.iiij. ex subtilissimè contritis atque mixtis omnibus fiat pulvis, qui in capsulâ arctè conclusâ reservetur ad usum. Usus autem illius non tantum in jusculis erit condiendis: verùm aliquando matutinis etiam horis è domo foras in publicum proditurus, eũdem bucello panis frixo, vinoq; intincto aspersum assumes. Lac insuper amygdalarum dulcium ad insiti humoris calorisq; propagationem non parùm, mihi crede, confert. Soleo illud ego plærumq; ex jure carnis recentis, non rarò quoque ex simplici tantùm aquâ, cui frustum panis incoctum sit, conficere: aliquando etiam vitellum ovi cum pulvere prædicto admisceo. Aromata verò in tertium quartumve gradum usque calida, cujusmodi piper censetur, grana paradisi, & hujus generis alia: Cepæ quin etiam, allia, porrum, raphani, sinapi, nullo tibi modo proficua esse possunt: quandòquidem tantum abest æstuante illo, quem in visceribus accendunt, fervore, humiditas atque caliditas naturalis quadatenus saltem custodiatur, ut potius planè ac plenè destruatur, pessumque eat.

Ad potum quod attinet, vino uteris, quod vester ille Equestrium Tractus vobis producit, quodque vernaculo sermone de la Coste, & de la Vava nominatis: Cave tamen, ne forte nimis, nimisque generosum sit: alioquin facilimè in partibus principibus aliquam excitaret intemperiem. Quod si vim illius infringere ac temperare velis, admiscere poteris loco aquæ crudæ, hanc decoctionem, quæ R. aquæ fontanæ mensuram unam & semis;

Sacchari ℥ij, coque per horæ quadrantem; deinde Canthaho infunde, eumque, adjectâ Cinnamomi electi ℥ß. cum operculo ac linteo confestim occlude, atque ita, ne Cinnamomi præcipua virtus evaporet, sponte suâ refrigescere permitte.

Ter in die cibum capies, sed parcum atque frugalem: nec quantum cupiditas expetit, sed quantum naturæ sufficit: ne vires hujus nimiâ ingesti alimenti mole obrutæ, concoctionem affectam solùm, non perfectam relinquere cogantur. Quemadmodum enim ignis moderatè lucentis flamma, copiosiori lignorum appositâ strue prorsus extinguitur: ita non minus ipse quoque nobis à naturâ inditus calor, crebriori ac majori, quàm par est, cibi potusque abundantiâ tandem suffocatur. Manè itaque horâ septimâ, quod tuo commodo fiat, jentaculum sumes, hausto jusculo aliquo, vel carnis, vel vitelli unius atque alterius ovorum, quod cum vino, aquâ, butyro recenti, pulverisque supradicti pleno cochleari paratum sit. Vel sorbebis ovum cum pauxillo vini: aut etiam panem tostum, vino immersum, ac modò dicto pulvere aspersum comedes.

Post circiter undecimam tibi prandendum erit, vespori verò circa sextam cœnandum: sic enim justum debitumque temporis spatium, ad unamquamque concoctionem absolvendam naturæ operanti relinquetur. Hîc autem curæ Tibi cor-

Obs. 28. *pulvis confortans.* *Lac Amygdalarũ.* *Aromata* *Potus.* *Jentaculum.* *Prandiũ & Cœna.*

Obs. 28. bi cordique sit tritus ille Scholæ Salernitanæ versiculus:

Ut sis nocte levis, sit tibi cœna brevis; Nam
Ex magnâ cœna stomacho fit maxima pœna.

Vide c. 7. Schol. Salernit. cũ commẽt. Cum enim nocturno potissimum tempore, ubi animales functiones requiescunt, naturales operationes, verbi gratiâ, Digestio cibi, Distributio Chyli, præparatio sanguinis, ejusdemque per venas in omnia corporis mẽbra dispensatio, excrementorum denique in singulis concoctionibus segregatio, liberè administrentur, certè quã malè sibi consulant, qui per id temporis gulæ ventrique indulgentes, Naturam ab opere suo, immodicâ ciborum ingurgitatione avocant, ipsi tãdem suo damno experiuntur: dum non somno duntaxat noctu carentes, corporis inquietudine agitantur: verùm in multò pejores gravioresque ex hoc solo errore affect[illegible] incidunt: quos recensere hoc loco perfacilè [illegible]dem esset, sed de industriâ illis supersedeo: neque enim pluribus hæc jam monere attinet: dum ad Te scribo, Reverende Vir, hominem, cui sobrietate vitæque totius temperantiâ nihil prius vel antiquius esse norunt omnes, qui te norunt.

Quoniam verò ex partium Nobilium, cerebri puta, cordis, ac Hepatis incolumitate, reliqua universi corporis sanitas dependet, ut his, quoad fieri potest, perpetuò benè sit, unicè est enitendum: id quod inter cætera, sequentium præcipuè tabellarũ beneficio assequi poterimus.

Tabellæ corroborativa.

R. Specierum aromatic. rosati:
Specierum Lætificantis Galeni:
Cinnamomi Electi
Pellicularum de Gallinarum ventriculis, singulorum ℥j.

Sacchari ℥iij. cum mucilagine gummi Tragacanthæ, factâ cum aquâ Cinnamomi, fiat pasta, ex quâ formentur morselli, drachmæ unius pondere, siccentur paulatim. Ex his unam accipies pòst cœnam, quando cubitum iturus es: aliâs etiam, quoties matutino tempore è lecto surrexeris, & quendam appetitus languorem adesse animadverteris, horam circiter septimam similiter unam gustabis. Adhæc confectio Alkermes, & prædictarum partium robur studiosè tuetur, & stomachi quoque digestionem fructuosè promovet. Quare de eâ, si tibi arrideat, ad magnitudinem nucis avellanæ interdum deglutiens. Scribenti hæc, mihi in mentem subit Illustrissimus beatæ memoriæ Princeps Guilhelmus, Dux Juliacensis, Clivensis, atque Montensis, qui continuò triginta annorum spatio, suum ante obitum, singulis horis matutinis haustum aquæ cinnamomi bibere, posteaque leniter aliquandiu obambulare consueverat: interim tamen nihilominus negotiis suis strenuè vacabat; Quin & venationibus interdum, animi recreandi causâ, sese oblectabat: hujus autem potus subsido vires suas tam probè refecit, aluitque, ut ad annos usque octoginta salvus atque incolumis vitæ suę dies produxerit. Verùm hîc opus est cautelâ, in eo, ne Cinnamomum, quod plerique in usu & consuetudine positum habent, cum vino distillemus: quippe hoc modo acrius, quàm decet, redditur, & justo plus exsiccat: magis autem illud convenit, quod cum aquâ pluviali, vel fontana distillatur.

Ducis Iuliacensis VVilhelmi confortat.

Quanquam autem ii, qui ad decrepitam senectutem præcipiti cursu contendunt, exquisitum atq; accuratum vivendi regimen observant: fieri tamen nullâ ratione potest, ut omnes excrementitii humores præcaveantur: ob ingravescentem enim implantati Caloris marcorem, corporisque exercitationem deficienrem, facili occasione superflui malique humores intus sese coacervant: qui postea variis morborum generibus fomitem atque seminarium præbent. Hinc necessum est, in eo totus sis, ut corpus ab istiusmodi excrementorum saburrâ mundum atque purgatum habeas, utque venter quotidiè semel ad minimum sese exoneret, provideas. Quod si suâ sponte & ultrò fluere, mollisque esse recuset, facilitandus atque irritandus erit Clysteriis, suppositoriis, prunis laxativis: quæ cum ℨj foliorum sennæ, florum item Tartari, annisi, Cinnamomi, ana ℨß, omnibus in linteo ligatis, coquantur. Addes quoque parum Sacchari; illaq; simul per spatium duarum horarum ante prandium cum jusculo accipies. Præterquàm verò quod alvus hoc pacto singulis diebus respondere debet, è re quoque tuâ plurimum foret, si de tali pilularum massâ, qualem mox describam, decimo quinto quoque die, scrupulum unum, vel drachmam semis, tribus à cœnâ horis assumeres: id quod citra ullam incommoditatem abs te fieri posset. Altero namque die æquè, atque aliâs soles, curis tuis atque occupationibus, sine ullâ remorâ incumbes: nec opus est, ut propter pilularum deglutionem domi te contineas: siquidem illæ alvum tam benignè subducunt, ut unam solum, vel duas ad summum tibi sedes cieant: idque postero demum die, à sumpto prandio. Descriptio earum talis est:

Pru[illegible] laxa[illegible]

Pilu[lae] corro[bo]rati[vae] part[ium] Nobi[lium]

R. Aloës succotrinæ purissimæ ℨiij
Rhabarbari Electi ℈v.
Myrrhæ,
Croci ana ℈ijß.
Cremor. Tartari ℈jß.
Confectionis Alkermes ℈j.

Olei Cinnamomi & anisi ana ℈ß. Misceantur, fiatque secundum artem massa, cum sufficiente quantitate extracti Scordii. Quod si fortè Pharmacopæus vester Tartari flores, ut & Scordii extractum in numerato atque procinctu non haberet, facies me eâ de re certiorem, & quantum vobis opus erit, libenter transmittam. Virtus autem atque efficacia descriptarum Pilularum varia est & multiplex. Nam partes principes singulas mirificè corroborant, ventrem leniter expurgant; pituitam crassam ac viscidam, quæ hâc præsertim supremâ atque extremâ in ætate corpora nostra onerant ac molestant, è capite, reliquisque partibus educunt: putredini insuper resistunt, & ut (paucis multa dicam) Balsamo cuidam, vel præservativæ, quâ multorum morborum insultus eludere atque elidere possumus, jure meritò comparantur.

Caut[eria]

Denique quia cauteriorum quoq; usus in virium diuturniori conservatione longè maximus atque uberrimus existit, dum natura per eorum

eorum emissaria, ceu quosdam fonticulos, nullos non malignos atque supervacaneos, qui in corpore magnâ cum sanitatis jacturâ colliguntur, humores effundit atque expellit: uti per multos jam annos in memetipso experiũdo certissimè cognovi. Equidem non possum non illorum applicationem tibi meliori de notâ commendare, tibiq; sanctè promittere, fore, ut si aliquandiu unum vel alterum fonticulum in tibiâ brachiove gestaveris, tantum utilitatis ad te redundaturum sit, quantum forsitan vix unquã sperasses. Reliquas autem violentas purgationes, quæ robustis & quadratis hominibus magis quàm senibus conveniunt, venæ item sectiones & emissiones sanguinis, vitæ thesauri: balnea denique tibi majorem in modum dissuaserim, quoniam & humidum radicale potenter imminuunt, & calorem jam ante languentem penitus subvertunt.

Apertionem tamen venarum hæmorrhoidarum, semel vel bis in anno factam, præsertim in Vere & Autumno, non improbo: Sanguinem enim crassum & fœculentum per eas quàm commodissimè evacuari posse, nos docet experientia. Quamobrem non immeritò Galenus lib. de venæ sectione adversus Erasistratum scriptum reliquit. Hos vitã morbis minimè impeditam agere, quibus superflua per hæmorrhoidas vacuantur. Id Hippocrates quoque testatur lib. de humoribus. Et lib. 6. de morbis popularibus his verbis. Qui hæmorrhoidas habent, neque pleuritide, neque peripneumonia, neque phagadena, neque furunculis, neque tuberculis therebinthi figuram habentibus (nigræ sunt pustulæ, maximè in cruribus, figuram therebinthi fructus habentes. Vide Galenum in Comment. prædicti libri Hippocr.) corripiuntur: fortassis autem neque lepris, fortassis neque vitiliginibus. Hæc Hippocrates. Ego sincerè adscribere possum, experientiâ me comprobasse, eos rarissimè Apoplexiâ, Epilepsiâ, aut vertigine, & oculorum inflammationibus correptos fuisse, quibus hæmorrhoides fluebant. Quid plura? apertione hæmorrhoidarum gravissimos sanatos fuisse morbos, & in aliis, & in memetipso sum expertus.

Visus imbecillitas non exiguam adfert molestiam in senectute, præsertim homini literato, ideoq; danda est opera, ut quantum fieri poterit, conservetur. Præcipua autem causa, qua homini qui literis incumbit, visus debilitatur, sunt studia, vigiliæ, & lucubrationes nocturnæ, ex quibus cerebrum, & ejus calor nativus, & per consequens, spiritus adeò labefactantur, ut non solùm visus hebescat, verùm etiam plærumq; auditus ingravescat, omnesq; actiones segniter perficiantur. In omnibus itaq; adhibendus est modus, inprimis autem optima victus ratio observanda: caput quoque ut frequenter ab exremẽtitiis humoribus expurgetur, perquàm necesse est: fiet id pilulis suprascriptis, vel sequẽtibus.

℞. Aloës succotrinæ ℥. iiij.
Rhabarbari electi ʒ. ij.
Agarici trociscati,
Turbith. ana ʒ. j.
Diagridii, &
Trociscorum Alhanduli an. ℈. ij.
Salis Euphrasiæ
Fœniculi ana ℈. j. ß.
Cremoris tartari ʒ. j. Cum extracto Euphrasiæ fiat massa, addendo olei fœniculi per distillationem facti ℈. j. Dosis est à drachma semis usque ad scrupulos duos, semel vel bis in mense.

Obs. 28.

Sequentes quoque tabellæ mirum in modum visum corroborant, si tribus horis ante prandium, totidemq; post cœnam, pondere drachmarum duarum sumantur.

Tabellæ ad visum corroborandum.

℞. Radicum valerianæ vulgaris, tempore Veris, antequam herba vix è terra eruperit, collectarum. ℥. ß.
Corticum ligni sassaphras
Cinnamomi electi
Seminis fœniculi ana ʒ. j.
Florum Euphrasiæ, &
Betonicæ ana ℈. j.
Nucis muscatæ ʒ. j. fiat omnium pulvis tenuissimus, ex quo cum unciis quatuor sacchari, dissoluti in aqua Euphrasiæ, formentur morselli.

Ego sequenti infusione maximo cum successu utor. Caput enim, & præsertim visum, mirum in modum corroborat, & pituitam ex capite ad fauces trahit: Ventriculum quoq; roborat, digestionem promovet, & flatus in intestinis discutit: Quapropter senibus omnibus, nisi intemperies aliqua viscerum adfuerit, convenientissimum esse medicamentum, si duo aut tria cochlearia, bis aut ter in hebdomade, & tribus horis ante prandium sumantur, in memetipso experior.

Spiritus vini compositus pro corroborat. visu.

℞. Rad. valerianæ collectarum ut supra ℥ j.
Radicum Angelicæ,
Cinnamomi
Corticum Ligni sassaphras an ʒ. ij.
Semin. fœniculi ℥ j.
Foliorum rutæ
Florum Euphrasiæ
Betonicæ
Primulæ Veris
Rosmarini ana p. j. Incidantur & contundantur omnia in minutissimas partes, & projiciantur in ampullam vitream, affundendo spiritus vini, ut supernatet tres digitos.

Sequens quoque aqua visum egregiè acuit, si oculi eâ abluantur, & linteum reduplicatum & aquâ imbutum noctu oculis tepidè applicetur.

Aqua visum corroborans.

℞. Euphrasiæ cum toto
Valerianæ
Herbar. fœniculi
Anagallid. flore purpureo an. m. vj.
Foliorum rutæ m. iij.

Incidantur & projiciantur in Alembicum vitreum, quibus superinfunde aquæ rosarum lib. 1. digerantur per dies quatuor vase benè clauso: postea distillentur in balneo M. & servetur ad usum. Aqua Valerianæ quoque per se ex radicibus & herba distillata, visum mirum in modum corroborat.

Admonitio.

Prospiciendum autem est in præparatione hujus

Obs. 28. hujus aquæ, ne summitates fœniculi, aut valerianæ sumantur, propter acrimoniam seminis: acria enim omnia oculis adversissima esse, sæpissimè expertus sum: Quandoquidem vellicando oculos, exquisitissimo sensu præditos, excitatur dolor ille protinus, & cum impetu humores excrementitios ex capite ad oculos trahit; Hinc inflammationes, erosiones membranarum, & ciliorum plerumq; quoque cœcitas sequitur, uti in multis vidi. Non temerè itaq; Ophthalmicum Crollii adhibendum est oculis: est enim medicamentum acre, & oculis noxium. Nobilis quidam Freiburgensis Helvetiorum, Petrus Fivatz nomine, amicus meus singularis, cùm circa annum 1618. imbecillitate visus laboraret, & ex consilio & jussu Medici cujusdam chymici, Ophthalmico Crollii aliquandiu usus fuisset, visum planè amisisse, hisce meis vidi oculis, sed & ne in hunc usque diem quidem 7. Novembris 1629. restitutum fuisse, hodie mihi à Viro Nobilissimo Domino in Molondans Secretario, & interprete Regis Galliarum apud Helvetios, mihi annunciatum est.

Alia admonitio. Ex hoc solo exemplo capiant documentum qui in affectibus oculorum medicamenta præscribunt. In præscribendis quoque collyriis, quibus Tutia, Cornu cervi, coralli, & similia, ingrediuntur, diligenter prospiciendum est, ut omnia quàm exquisitissimè super marmor sint lęvigata, alioquin oculos vellicant: id enim aliquoties mihi cum ægris meis accidisse memini. Quapropter hujusmodi pulveres in pharmacopoliis priusquàm præscribantur, examinandi sunt.

Atque hæc sunt, quæ, ut votis tuis satisfacerem, hâc demum occasione ad Te exarare mihi licuit. DEUM ter Opt. Max. omnis boni ac doni fontem inexhaustum, seriis gemitibus atque suspiriis invoco, ut divinâ suâ benedictione, & gratiâ vivificâ remediis hactenus recitatis aspirare, Teq; Ecclesiæ suæ (heu quantum nunc pressæ) bono publico salvum ac sospitem diutissimè conservare dignetur. Nam

Nì DEUS affuerit: viresq; infuderit herbis,
Quid, rogo, Dictamnus, quid Panacæa juvent?

OBSERVATIO XXIX.

De Peste Bernensi, item de Lapide Bezoar, & nonnullis aliis.

Clarissimo & Doctissimo Viro

DN. JOHANNI JACOBO CRAFFTIO, apud Neocomens. Doctori Medico ordinario atque celeberrimo,

cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus,

S. P. D.

De statu familiæ meæ Te sollicitum esse, doctissime, amantissimeque mi Dom. Compater, iteratio literarum tuarum, quas per Dominam de Rossans Te misisse scribis, (traditæ autem mihi non fuerunt) abundè testatur. Pro præclara illa in me, meosque benevolentia tua, gratias quas possum ago habeoque immortales, patremque cœlestem suppliciter oro, ut Te tuosque omnes quàm diutissimè conservare, corporalibus quinetiam & spiritualibus bonis ditare velit. Ego, Laus sit DEO OPT. MAX. cũ meis omnibus, nunc rectè valeo; Pestis quoque apud nos remisit: benedictus sit Iehova, qui me meosque omnes benignè conservavit, præter ancillam, quam ad sedes beatorum vocavit. Fuit peracuta & maximè contagiosa pestis illa, & plusquam tria millia hominum in hac urbe è medio abstulit, Inter quos etiam fuerunt multi viri præstãtissimi, Utriusque Ordinis. Reverendus ac doctissimus Vir Domin. Hermannus Lignaridus S. S. Theologiæ Professor, longè celeberrimus fidelissimusque, & amicus meus perquàm fidelis, uti antesignanus hujus Scholæ, sic & primus ex ordine Ecclesiastico. 2. videlicet Septemb. ad beatorum sedes properavit, quem secuti sunt, Abrahamus Musculus, hujus Ecclesiæ Diaconus, Daniel Bernerus Linguæ, Hebraicæ Professor, & Dom. Meyeros: Ex Senatoribus obiit, Dom. Antonius à Graffenried, Consul, David Fellenberg, quæstor, Nicolaus à Diesbach, Triboletus, Ioh. Steckius I. V. Doctor, & quamplurimi alii. Cessavit quidem, sed verendum, ne adveniente æstate morbus redeat. Quàmplurimi enim, non solùm ex Magnatibus nostris, verùmetiam ex plebeis, etiamnunc instructi sunt essentiis, aquis, elixeriis, & similibus istis medicamentis calidissimis Empiricorũ & pseudochymicorum, imò & etiamnunc in publico loco ab agyrta quodam venduntur, & quidem, ut vereor, in damnum civium. Talia enim medicamenta in peste illa, quę superiori anno hîc grassata est, multis, ne dicam omnibus ægris (quotquot mihi videre contigit) obfuerunt, paucis profuerunt, uti antehac quoque ad Te scripsi; Ab eis enim corpora nostrorum hominum, quia utplurimùm carne vescuntur, lautèque & in otio vivunt (& proindè aut plethorici aut cacochymici fiunt) ad venenum recipiendum reddita fuerunt perquam idonea. Vides itaque Vir doctissime, essentias istas Theriacales, elixiria, & infinita alia medicamenta, cum Vino generoso, aut spiritu vini præparata, nonnisi maxima cum cautela exhibenda esse: præsertim tempore pestis.

Quid de lapidis Bezoardici usu in peste censeam, scire cupis? Scio quosdam esse, qui non usque adeò magni faciunt medicamentum hoc, præsertim in peste. Ego tamen illud non solùm in hoc morbo, verumetiam in variolis, morbillis, febribus malignis, imò & in contumacissima quartana, præstantissimum esse, cum in memetipso, tum in ægris meis, non raro expertus sum; Præsertim in Belgio, ubi frequens est in usu. Hîc quia carè æstimatur lapis ille, rarò illum præscribo. Duplex est: Occidentalis, & Orientalis, qui occidentali præfertur: nec immeritò, modò genuinus fuerit. Plerunque enim à nebulonibus, agyrtis & impiis hominibus, tam artificiosè adulteratur, ut dolus vix cognosci possit. Quapropter Occidentali libentiùs utor, tam facile enim, uti Orientalis, adulterari non posse, planè mihi persuasum habeo.

beo, cum enim ex multis corticibus sive laminis, ceparum instar, constet, non video, quomodo ars naturam facilè imitari possit. Superiori æstate, cum peste correptus essem, felici cum successu usus sum Occidentali, uti & uxor mea, & quidam ex domesticis Domini Weittenbachii, pharmacopæi nostri, præter hos nemini illum exhibui, mitto tibi lapillum Occidentalem, quem ut serena fronte accipere velis rogo.

Sum enim adhuc aliquot lapidibus instructus, quos anno 1612, cum in Belgium profectus essem, ab amicis, & iis quidem, qui hujus medicamenti plenissimam notitiam habent, mihi comparavi.

Quid sit mucharum rosarum, item an Marum in hisce regionibus crescat, quæris? Ex quibus Te pilulas Marocostinas Mindereri p. m. conficere velle conjicio.

Id si feceris, quæso, ut pondus earum augere velis, quo & ego saltem unciam unam aut alteram habere possim: pretium, cumprimùm significaveris, persolvam, & quidem cum fœnore. Cùm enim sit compositio laboriosa, quæ & longum tempus requirit, non licet mihi nunc admovere manum. Totus enim occupatus sum circa opuscula mea, antehac seorsim edita, videlicet ut ea revideam, & in unum volumen conjungam. Est autem medicamentum laudatissimum, ac longè excellentissimum, & tutum, ventriculum partesque omnes corporis roborat, & veluti balsamum à putredine præservat, pravosque humores clementer educit, & proinde à variis morbis, etiam à peste hominem vindicat. Convenit præcipuè cacochymicis, pituitosis, & senibus, uti in memetipso non rarò expertus sum. Nunc ad quæsita tua paucis respondebo.

Mucharum sive mucarum Rosarum, vocabulum est barbarum, quo nonnulli infusionem rosarum per se, alii infusionem cum saccharo in syrupum coctum, intelligunt, ut testatur Fallopius lib. de Medicamentis purgantibus simplicibus, mihi cap. 39. de rosis, his verbis. *Notate*, inquit, *quod syrupus rosatus solutivus in aliis locis Italiæ vocatur Mucar, sive mucarum rosarum.* Leonhardus Fuchsius verò de compositione Medicamentorum libr. 2. cap. 3. Infusionem rosarum ex duabus saltem infusionibus, mucharũ rosarum appellat. Porrò Dominum Mindererum per Mucharum sive Mucarum, non syrupum, sed infusionem rosarum intelligere, certum est. Ad uncias enim tres Aloës dissolvendum, unciæ duæ syrupi vix sufficerent. At tum Aloë cum reliquis in massam pilularem redigi non posse, Tibi, viro in arte medica consummatissimo, notum est; Ad quid præterea saccharũ in hac compositione, quæ in parva quantitate sumitur? Intelligit itaque Dominus Mindererus infusionem rosarum; Eamque non ex duabus, sed multis infusionibus constare debere, ex operatione harum pilularum percepi: nonnunquam enim semiscrupulus earum, ter quaterque alvum mihi subduxit, sed & ex ipsa descriptione Mindereri id apparet. Capite enim primo sui Aloedarii, vult, *ut Mucharum rosarum, quod dissolvitur Aloë, sit perfectum*, quibus verbis indicat, mucharum esse duplicem: perfectum & imperfectum. Ex imperfecto, qui ex duabus saltem infusionibus constat, conficitur syrupus rosatus simplex, ex perfecto, hoc est, ex multis infusionibus, fit syrupus rosatus solutivus simplex, videlicet sine additione aliarum simplicium, uti sunt Rhabarbar. Agar. senna, & similia. Hæc de Mucharo.

Obs. 30. Duplicem esse Mucharum ostenditur.

De Maro

Marum verum in Germania sponte non provenit: de industria verò magnaque diligentia Augustæ vindelicorum, Francofurti, aliisq; in locis à pharmacopæis laboriosis & diligentibus, in hortis educatur, sed & ne quidem in Italia nasci, testatur Matthiol. in Diosc. lib. 3. c. 42. *Quapropter* (Matthioli verbis utor) *eos errare nõ crediderim, qui graciliorem amaracum mari loco substituunt*; Quandoquidem testatur Galenus, quod unguentum illud, in quo amaracum pro maro admisceri jussit, etsi minus quidem odoratum videretur, non tamen viribus inefficacius erat. Hæc, ut petitioni tuæ satisfacerem, paucis ad te scribo, & ligna in sylvam fero. Tu enim in cognitione plantarum, me, multosque alios superas. Ne obliviscaris quæso, quin Reverendum & Doctissimum Virum Dominum Gerhardum admoneas, ut in Versione libri Domini Antonii Prætorii p. m. pergat; Faciet rem Deo gratam, & proximo utilissimam.

Vigesima nona mensis præteriti, uxor mea me præsente, fœtum mortuum, mirando quodam modo, veluti in globum involutum, ex utero matronæ cujusdam ex primariis, instrumentis (manu enim fieri non potuit) feliciter magnaq; cum admiratione adstantium extraxit, convalescit matrona illa, laus sit Deo. Operatio illa in hac urbe insitata, & hactenus nunquam administrata, facit id ineptia & anilis rusticitas obstetricum, quæ plerumque malunt potius, ut parturientes moriantur, quàm Medici accersantur. Vale Vir clarissime & me ama, à quo plurimùm amaris. Raptim Bernæ 12. Maii 1629.

OBSERVATIO XXX.

Viro Nobili & Doctissimo,

DN. JACOBO HAGENBACHIO, Medicinæ & Chirurgiæ Doctori celeberrimo, Amico meo singulari,

Cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

MOrbum ægræ vestræ piissimæ, matronæ genere & virtute ornatissimæ, Dominæ Comitissæ, ad declinationem vergere, doctissime, amantissimeq; mi Dom. D. non sine gaudio maximo intellexi. Faxit DEUS OPT. MAX. ut pristinam valetudinem brevi recuperare possit. Interim tamen ne apertionem venarum hæmorrhoidarum negligat, multò minus adhibitionem fonticulorum ad poplitem respuat, Tu, quæso, sedulò ipsam adhortare.

De usu Aceti in Peste &c.

Tractatam Germanicum de peste, quem misisti, accepi & legi. Quid quæso sentis de usu aceti,

Obs. 30. ceti, quod in bubonibus, tumoribus, exanthematibus, & ulceribus pestiferis author præscribit, pag. 36. Mihi profectò acetum in hujusmodi, aliisque affectibus malignis, exteriùs adhibitum, summoperè improbatur. Acetum enim refrigerare Hippoc. lib. 2. de Diæta. Et Dioscor. lib. 5. cap. 17. testantur. Et quamvis partes quasdam calidas habere, uti Galenus scribit, non negaverim, frigidam tamen qualitatem prædominare, cum Paulo de re Medica lib. 7. cap. 3. litera O assero: quapropter insigniter refrigerare & repellere, quotidie in praxi Chirurgica observamus. Hinc Hippocrates libro de liquidorum usu, eo utitur in vulneribus recenter inflictis, ut videlicet affluentes humores reprimat. Acetum itaq; buboni, aut Antraci adhibitum, venenum (quod extrahendum erat) ad partes nobiles repellere, hominemq; protinus enecare, sequitur. Tale quid superiori anno Domino Consuli à Graffentried p.m. peste laboranti, accidisse, valde dubito. Quidam enim (rerum Medicarum imperitus) cujus sententia plurimùm apud Dominum Consulem valebat, triduo ante obitum Consilium hocce dederat, videlicet ut stupæ Canabinæ hapsus, fecibus aceti optimi imbutus, buboni in inguine applicaretur. Ego verò, & Collega meus Dn. D. Dunus, in faciem ipsi restitimus, opinionemque tam damnosam refutavimus, & buboni Emplastrum sequens applicuimus.

Observatio de Aceto.

Empl. ad Bubones

℞. Emplastri diaquil. simplic. ℥ iiij.
Gummi Ammoniaci,
Galbani,
Bdelli ana ʒ iij.

Dissolve gummata in vino generoso, percolentur, ad consistentiam coquantur, & cum Emplastro comisceantur, addẽdo Theriacæ ℥ ß.

Sic satis benè habebat quarto, quinto, imò sexto die morbi, & ita quidem, ut ineunte septimo, ex grabato suo surgens, cum domesticis suis cœnaret, & ea nocte satis quietè dormiret. Quid fit? Circa horam tertiam matutinam, quum è somno expergefactus esset, & in lecto ad scribendam Epistolam ad amicum quendam, se componeret, & corpus commoveret, protinus Syncope correptus fuit, loquelam & intellectum amisit, & intra paucas horas animam Deo piè reddidit. Ego vix aliud mihi persuadere possum, quàm eadem nocte acetum buboni admotum, protinusque venenum ad Cor repulsum fuisse. Hujus Medicamenti enim author, eadem nocte ægro adstabat. Quod si erravero, & Medicastro illi injuriam facio, à Deo Opt. Max. veniam peto, teq; adhortor, ut vigilans sis, ne hujusmodi errores circa ægros tuos ab imperitis adstantibus committantur. Medici Tigurini libellum de peste ediderunt, qui mihi valde placet: in eo curationem hactenus inusitatam proponunt, videlicet ut cutis sub bubone, digitis aut forcipe elevetur, acu candenti perforetur, & foramini radix ellebori nigri imponatur. De hac curatione (quæ mihi quoque probatur) magnus ille Medicus & Philosophus Conradus Gesnerus P.M. in Epistolis suis mentionem quoque facit, mallem tamen, acu benè scindente, quàm ignita, cutem perforare, Tibi quidnam videatur rescribe, & si occasio sese obtulerit, periculum facito. Tractatum de peste jussu Magistratus vestri Amplissimi, apud vos excusum esse, audivi: Mitte quæso exemplar, pretium comprimùm indicaveris, mittã. His vale, & fœliciter vive diu. Raptim Bernæ 6. Septembris 1629.

OBSERVATIO XXXI.

De lue, seu febre Ungarica

Clarissimo atq; peritissimo Viro
DN. GUILHELMO FABRICIO HILD.
Illustriss: Principis ac Domini Dn: GEORGII FRIDERICI, Marchionis Badẽsis & Hachbergẽsis &c. nec non inclytæ Reipub. Bernens. Medico-Chirurgo celeberrimo, Dno. Collegæ & Amico unicè colendo
LUDOVICUS SCHMID D. S. P. D.

EX posterioribus tuis literis, Clarissime Fabrici, valetudine minus prospera te nuper usũ fuisse, intellexi: quam nunc pristinæ restitutam integritati & gaudeo, & verè diu sartam tectamq; esse, DEUM sanitatis authorem supplex oro. Cæterùm in Palatinatu ab initio Septemb. ad hunc diem febris illa, quam Vngaricam vocant, primò milites utriusq; exercitus, deinde horum contagione cives, maximo numero corripuit, summâ quidem eventus discrepantiâ. Hostilem enim militem pestilenti statim malignitate afflixit, exanthemata livida, bubones, alias veneni notas proferens: unde aliquot millia ipsorum perierunt. Nostri verò exercitus vix quoq; tertia pars intacta ab hac lue permansit, plurimi tamen eâ, quã vita militaris patitur, curatione, multi sponte sanati, pauci occubuêre: quin potius incolæ, qui hospitio eos excipere, eorumq; curare valetudinem tenebantur, frequenter eodem infecti morbo, diem obiêre suum, illis revalescẽtibus. Sexus insuper ac ætatis habebat isthæc rationẽ, dum mulieribus ferè parcebat, & ut plurimùm florẽtis ætatis viros infestabat.

De hujus autem Vngaricæ febris natura, quam primis mensibus præ se tulit, meam explicaturus sententiam, omninò quidem eam in continuarum classem referendam, minimè ambigo, quod non antè ad infebricitationem desiit, quàm ex toto fuerit soluta. Id verò cùm circa vigesimum ferè diem, & eo ampliùs contingat, pituitam in venis majoribus putrescentem hanc accedere statuo, quod quotidiana circa vesperam accessio, quæ sequenti mane sensilem obtinet remissionem, identidem demonstrat: præterea calor blandus, non acris aut ardens, ut plerique tegumentis foveri postulent; quibus denudati statim frigoris sensum aliquem percipiunt. Pulsus quoque, magnitudine aut vehementia parùm à naturali mediocritate recedens, frequentiâ potissimum eaq; inæquali & inordinatâ variat. Vrina non multum tincta, sitis ferè nulla. Dolor autem capitis, inseparabilis hujus morbi comes est, à quo & is vulgò denominatur: quem catarrhus tussisq; non rarò sequuntur. Internam illam febris hujus causam, manifestus in victu commissus error evincit. Milites enim per æstatem partim ex intemperantia, cerasa, pruna, pyra, poma, rapas, uvas, omnia cruda & immatura, affatim devorarunt: aquâ pluviâ ex vicinis lacunis sæpe inter proficiscendũ sitim sedare coacti, postmodum etiam musto se repletunt: Ex quibus omnibus fieri nequit, quin crudi pituitosiq;

Feb... gar... tin... nun... da. Cau... tern... habe... tuit... putr... tem...

Cau... inter... qua ... evinc...

tuitosiq; succi, & ad putredinem proni, uberrimè provenerint; qui accedente Autumnalis aëris inæqualitate, quæ calore interdiu humores accendere, noctu verò dum sub Dio malè vestiti degere coguntur, spiracula cutis obserare consuevit, promptè putredinem conceperit. Hæc verò ita accipi velim, ut febrim hanc non exquisitè quotidianam, nec ex sincera pituita ortam putem; sed potius humorem pituitosum prædominari quidem, cui tamen modò bilis, modò succus Melancholicus admisceatur: pro cujus portione aliàs delirium & vigiliæ ægros molestant, sæpè somnus ac sopor tenet. Hinc est, quòd nullam perfectam Crisim in tanta convalescentium multitudine observare contigit, licet natura per sudores, narium hæmorrhagias, diarrhœas, hæmorrhoides, pedum tumores, non rarò aliqua oneris parte se levârit. Erat tamen tuta, omni carens malignitate, non comitata Symptomatibus pravis: adde etiam sine contagio. Fernelius ejusmodi morbos, Epidemicos simplices vocat; multi enim similiter in victu delinquentes, in eam inciderunt, nec occulta ex aëre suberat causa. Atq; hic primus quasi gradus fuit morbi.

Sub hyemis autem initium adeò is in pejus mutatus est, ut planè alius à se ipso videretur: quippe putredo humoris malignitatem sibi asciscens, non modo capitis dolorem auxit, sed & gravia superinvexit symptomata, viresq; acquisivit eundo; Accessit enim tremor manuum ac linguæ, virium insignis lapsus, sed citra lypothymiam, surditas, expugnabilis vigilia, aut contra sopor gravis, urina confusa, aliquando suppressa, linguæ inflammatio, frigidi ac tenues sudores, dysenteria, convulsio. Multi ad insaniam delirârunt, adeò ut blanditiis quidam, custode remoto, in puteum præcipitem se dederit, alius gladio seipsum confoderit, unus cantando & clamando aliquot noctes diesq; pervigil insumens, exiguo demum concesso silentio expirarit. Atq; hæc putredo, ex ægrotantium corporibus exhalans, circumstantes, qui ei concipiendo fuerunt idonei, sæpe gravius læsit. Hunc ego secundum morbi gradum judico, quo cum plures sunt interfecti.

Tandem, postquam hybernum gelu remittere incipiebat, vix quisquam decubuit, in quo non petechiæ, bubones, parotides, aut aliquid tale cerneretur, quod febrem pestilentem factam ostenderet: Is tertius gradus constituitur, & plerosq;, quos invasit, è medio sustulit, sed Dei singulari miseratione in hoc statu non diu persistens, nunc ferè ubivis grassari desiit. Habes, præstantissime Fabrici, quæ de Febris Vngaricæ natura plurimorum ægrorum diligenti notatione observare potuimus. Reddenda porrò jam esset ratio, quamobrem ea viris potius, quàm mulieribus exitiosa fuerit: atq; inter viros, cur juvenibus benè habitis, ac incolis, quàm reliquis magis infesta: quod quidem ex temperamenti proprietate, explicatu forsan non esset admodum difficile: majus tamen operæ pretium esse videtur, expedire curandi rationem, quam tenuimus, quamq; plurimorum salus contra intestinum hunc hostem conservata comprobavit.

Quum igitur tria sint Medicorum ad expugnandos morbos instrumenta, nempe Diæta, Chirurgia, & Pharmacia: Diætam quidem semper in hoc morbo eam instituimus, quæ putredini adversaretur, euchymiam procuraret, calorem moderatè temperaret, & caput ac ventremmo, ubi Domicilia, non læderet. Aër eligebatur temperatus, inter cibos hordeata, panatellæ, oryza, pyra, poma odorifera & vinosa, pauco cinnamomo aromatisata, pruna Damascena, cerasa armeniaca, alaudæ, perdices, capi assati, & jure acidulo ex aceto rosaceo, succo limonum, aut agresta conditi; longè ablegatis lacticiniis & ovis, aliisq; quorum prompta est in calido ventre putrefactio. Vinum quoq; cujus vel exiguo haustu maximè lædebatur caput, ut vitarent, operam dedimus, ejusq; loco ptisanam concessimus nitratam: huic tamen, maligniore evadente morbo, Scorzonerum, Doronicum, atq; in Diarrhæis etiam cornu cervi, tormentillamve adjecimus: Cœna erat prandio parcior, ob imminentem accessionem. Alvus si quando subsistebat, promptè clystere alterante aut suppositorio movebatur.

Chirurgia præter venæ sectionem nihil ferè huic morbo confert, quam ipsam liberè adhibuimus, dum morbus nulla malignitate timendus erat. Pharmaciæ major est necessitas & variatio. Nam initio quidem morbi, blando pharmaco, cujusmodi est pulvis Diasenæ, putrida pituita ex prima regione dimovebatur: reliquiæ verò (quandiu febris in primo suo gradu subsistit) alternantibus atq; iis quæ putredini resistunt, in naturalem statum reduci poterunt: additis quæ capiti & ventriculo roborando præstant, cujusmodi sunt, mala aurea, citria, granata recentia, cum saccharo comesta; præterea radix cichorii condita, cortex citri, & myrobalanorum omne genus, vel hoc conditum:

℞. Conservæ acetosæ, florum cichorii, rosarum, betonicæ an. ℥ ß.
Specier. Diarrhod. abbat. diatrionsantal. an. ℈ ij. dianthos ℈. j.
Syrupi ribium & spirit. Vitriol. rectificati q. s.

Misce, fiat conditum, moderato acore jucundum; Dolori capitis demulcendo oxyrrhodinum erat in usu, ex nucleis persicorum atque papavere albo facta emulsione, cum decocto verbenæ, scordii, & betonicæ, addendo aliquid aceti rosacei.

Postquam verò malignitas accessit, jam non amplius expurgatio & alteratio humoris morbifici sufficiebat, sed pugnandum etiam erat cardiacis & Alexipharmacis, ideoq; alterantibus addebamus species liberantis, confectionem de Hyacintho, lapidem Bezoardicum, margaritas: aliquando etiam sudorem cum emulsione sem. napi, citri, cardui benedicti, addito Syrupo de fumaria, vel de scordio, & terra sigillata, interim etiam Mithridaticæ confectionis ℈. j. movimus, à quo, præsertim post augmentum morbi, manifesta levatio sequi solebat. Quemadmodum tandem malignitate auctâ, non exspectatâ coctione, statim à prima morbi invasione, nihil antiquius erat, quàm repetitis per intervalla antidotis venenatam qualitatem obtundere.

Quæ cum ita sint, neminem offendere debet Auctorum, qui febris hujusce curationem scriptis mandârunt, in diversum abiens sententia. Quidam enim purgationem & phlebotomiam, tanquam utilissima ejus remedia laudât, alii hæc ipsa adeò reddunt suspecta in hoc morbo, ut ad unum omnes, qui iis usi sunt, aut perisse, aut vix evasisse, asseverent. Vtriq; verè, si morbi versutiam consideres, qui nūc manifestus, nunc occultis armis vim facit, & corpus oppugnat. Sed hæc sufficiant, quæ pro tua humanitate, ac summo candore, rudi Minervâ ad te exarata, boni, spero, consules, mi Doctis-

Obs. 31.

Prisana nitrata.

2. Chirurgia.

3. Pharmacia.

Conditū.

Oxyrrhodinum.

Cardiaca & Alexipharmaca. Sudorifera.

Authores in curatione variant; & quid statuendū.

Obs. 32. *Doctissime Fabrici, meque porrò amare perge. Vale Wormatiæ 8. Martii 1621.*

OBSERVATIO XXXII.
De Artrithide.

Viro Clarißimo atq; Doctißimo,

DN. D. LUDOVICO SCHMID,

Serenissimi Principis ac Domini, Dn. GEORGII FRIDERICI, Marchionis Badensis & Hachbergensis &c. Archiatro dignissimo, Amico & Collegæ æternùm honorando,

Guilhelmus Fabricius Hildanus
S. P. D.

QUas Tu octava Martii Wormatiæ ad me dedisti literas, Vir doctrinâ & virtute clarissime, eas heri sub multam noctem per tabellarium Röttelanum accepi, Te vivere, & inter tot molestias & occupationes rectè valere, plurimùm gaudeo: ego quoque per singularem Dei misericordiam, ex gravissimo meo morbo (in quo nonnulla annotatione digna occurrerunt, de quibus aliàs) convalui; Doctissimum & nervosum scriptum, quod de febre Hungarica ad me dedisti, multum placet, essentiam enim & naturam ipsius, uti etiam curandi modum tam doctè & accuratè explicas, ut quid ulterius desiderari posset, nō videam, utinam ego prolixius nunc respondere possim, sed propter angustiam temporis non licet, tabellarium enim diutius retinere nolui, propter confectionem Alkermes, quam ante paucos dies Lugduno à clarissimo Dn. Sarazeno accepi, & heri adjunctis literis ad illustrissimam Principem mercatori cuidam tradidi, qui eam dolio suo inclusit, sed hodie manè eam iterum ab eo petii, ut festinanter per cursorem ad vos perveniret; Porrò febris illa Hungarica Anno 1617. inter milites nostros, in Pedemontium à Senatu nostro amplissimo missos, etiam fuit Epidemica, multosq; è medio abstulit, & quidem nonnullos ex primariis, major pars militum in Italia ipsa, plurimi quoque hîc obierunt, in quibus diversa ac varia observabantur symptomata. In aliquibus febris erat ardentissima & maligna, in aliis verò nonnulli siti inexhausta torquebantur, alii non ita. Juveni cuidam, cùm propter ardorem febris lingua intumuisset, & vena sub lingua à barbitonsore secta fuisset, loquelam amisit, cui cum ego medicamenta quædam præscripsissem & exhibuissem, ex parte loquelam recuperavit: Quibus præterea remediis nonnullos feliciter restituerim, ante hac (si rectè memini) ad te scripsi.

Observat. de infelici sectione venæ sub lingua.

Cæterùm de affectu Serenissimi Principis nostri, summoperè doleo. Inprimis quod hoc turbulentissimo tempore, à negotiis ad recuperandam pacem & tranquillitatem patriæ abstrahatur. Suadeo autem, ut decenter præparato & expurgato corpore, omnem adhibeas diligentiam quò sudorem per intervalla, præcipuè ab initio, cùm dolores premunt, provocare posses; quātum enim possit sudor in sedandis doloribus podagricis, hoc ego nunquam credidissem, nisi id in memetipso expertus fuissem, etiam in postremo morbo meo, in quo propter tussis vehementiam, cùm partes omnes, tàm internæ, quàm externæ, maximo cum impetu concuterentur, & ita quidem, ac si disrumpi debuissent, etiam humor peccans ad pedem dextrum, maximo cum dolore delapsus est, qui nullis medicamentis leniri potuit, tandem provocato sudore, protinus evanuit: idem & in aliis experior. Sudorem autem in nonnullis decocto Guajaci, sassaphras, chynæ & salsæparillæ, in aliis Theriaca, mithridatio provocare soleo; Qui à Theriaca propter saporis insuavitatem, uti ego ipsemet, abhorrescunt, eis sequentem potiunculam exhibeo:

℞. Lapidis Bezoardici occidentalis grana octo vel decem, confectionis Alkermes ℈. j. aut ʒ. ß. Aquæ cinnamomi distillatæ sine vino ℥. ß. aut, si febris adest magna, ʒ. ij. cum s. q. aquæ cardui benedicti, fiat potiuncula, quam circa secundam aut tertiam matutinam exhibeo, ut superdormiat æger; Dormiendo enim sudor faciliùs erumpit. Partem affectam maximis infestantibus doloribus ol. rosaceo completo, cui nonnihil pinguedinis humanæ admisceo, inungo, sed quia Serenissimus Princeps noster inunctioni aversatur, fotum sequentem calidè applicarem.

℞. Florum & foliorum betonicæ m. j.
Salviæ
Rosmarini
Primulæ veris, chamomillæ
Herb. Ivæ artheticæ
Rosarum rubearum ana m. ß.
Foliorum althææ
Malvarum ana m. j.
Seminis anethi ℥ j.
Fœni græci ℥. ß.

Incidantur & contundantur omnia grosso modo, pro sacculis, ejus magnitudinis, ut affectam partem cooperire queant, coquantur in aqua aut lacte vacinno, secundum doloris vehementiam. Hujus fotus beneficio pori aperiuntur, nervi corroborantur, & materia circa ipsos confluxa faciliùs evacuatur. A vino autem, etiam externis medicamentis admixto, in artrithide planè abstinendum esse, (quod forsan nullus ante me observavit) certò ut tibi persuadeas velim, dolorem enim reliquaque symptomata vehemētiora fieri ab usu vini, à quatuor abhinc annis, primò in memetipso, deinceps quoque in aliis observavi. Post fotum, locum affectum succo lumbricorum cum aqua betonicæ, salviæ, & granorum juniperi extracto, inungerem, est enim, ut scis, medicamentum in hujusmodi affectibus aptissimum, & appropriatum, sin Serenissimo Principi ingratum id quoq; fuerit, poterūt lumbrici concisi, & cum prædictis aquis parumq; sale mixti, per alembicum vitreum distillari, sed minor erit medicamenti efficacia. Sedatis autem doloribus, membra malè affecta, ad tempus prædicto succo ut inungantur, suadeo, corroborat enim articulos partesque nervosas, ita ut in posterum minus recipiant affluentes humores; prædictæ aquæ lumbricorum poteris addere nonnihil styracis calamitæ, Benzoini, Moschi, cinnamomi & florum betonicæ, ad odoris suavitatem. Quæso, Serenissimo Principi persuadeas, ut usum betonicæ

betonicæ sibi faciat familiarem; singularem enim habet proprietatem in artrithide, ad ipsius symptomata, mitiora reddenda. Dn. Roset um olim Syndicum Genevensem, quotidiano usu betonicæ ab artrithide, quâ in juventute vexatus fuerat, tãdem in senectute curatum fuisse, ex ipsius ore intellexi, sed exquisitam observabat victus rationem, corpus quin etiam per intervalla expurgabat, & fonticulos aliquot gestabat. Diversis autem modis ipsius Celsitudo betonicâ uti poterit. Primò folii adhuc tenellis, in acetariis, & cum jusculis & carne coctis, item conserva ipsius, aut etiam extracto. Generosus Bernensis Dn. Iohan. Iacobus à Diesbach, exsiccatam betonicam in pulverem redigit, eoque pulvere sacchato permixto ad ʒ j. aut ʒ. j. ß. utitur cum fructu. Alii tabellas ex pulvere betonicæ, cum saccharo aquâ betonicæ dissoluto, præparant, & ad usum reservant. Medicamenta autem ex betonica per duas aut tres horas post brevem cœnam sumẽda sunt. Noctu enim propter vaporum abundantiam, qui in somno sursum elevantur, vis medicamenti facilius quàm interdiu ad cerebrum elevatur, & ad nervos pervenit, quòd si tamen Serenissimus Princeps etiam jejuno ventriculo medicamento aliquo ex betonica uti voluerit non dissuadeo.

Cumprimùm autem dolor aliquis artrithicus, etiam minimus, sese manifestaverit, à vino ut abstineat S.P. necesse est. Id enim veluti vehiculum humores pravos ad nervos vehit, bibat itaq; decoctum sequenti modo factum:

℞. Florum & summitatum betonicæ
Agrimoniæ ana m. ß.
Veronicæ p. j.
Liquiritiæ (propter dolorem enim lũborum summoperè convenit) mundatæ & minutim concisæ ℥. ß.

Coquantur in ℔. 6. aquæ fontanæ ad consumptionem tertiæ partis. Decoctum adhuc fervidum in poculum unà cum herbis effundatur & addatur cinnamomi minutissimè confracti ℥. ß. optimè cooperto & tecto poculo, relinquatur donec per se refrigefactum fuerit decoctum. Deinde coletur & reservetur in ampulla vitrea, benè clausa. Si sapor liquiritiæ ingratus fuerit, Seren. P. addatur loco liquiritiæ uncia una aut altera sacchari. Ad dolores lũborum sedandos, usum clysterum summoperè approbo, cucurbitularum non item; verendum enim esset, ne major fieret attractio pravorum humorum ad locum malè affectum; Summoperè conveniunt inunctiones ex oleo rosaceo selectissimo, amygdalarum dulcium, & oleo ex Nymphæa, cum camphora, parum q; aceti rosacei, sed quia S. P. inunctiones ex oleis aversatur, poterit semen cydoniorum aquâ macerari, & cum extracta mucilagine, eaq; lumbi & os sacrum inungi, aut applicari regioni renũ ceratum santalinum, supra corium extensum. Ante menses aliquot nobilem quendam ex inflammatione, & inde sequente gangræna in perinæo, propter caruncul[um] & retentionem urinæ inde nascentem, feliciter curavi; cui ad calorem & incendium renum temperandum, laminam plumbeam tenuissimam, & tela annexam regioni lumborum, post inunctionem, maximo cum fructu applicui, fitq; sine difficultate, dummodò tenuis diligenterq; tela annexa sit. Fotum discutientem & anodynum, cujus mentionem facis in literis, non omninò improbo, præcipuè maximo urgente dolore, quod si tamen sine fotu sedare posses dolorem, meo quidem judicio consultiùs esset, scis enim quæ aut actu aut potentia calida sunt, renibus non temerè adhibenda esse.

Habeo vicinum septuagenarium Virum, qui nunc aliquoties dolore maximo lumborum cum retentione urinæ correptus, & feliciter à me sequenti potiuncula restitutus fuit.

Potiuncula ad dolorẽ lumborum & urinæ retentionẽ.

R. Extracti papaveris nostratis ℈j.
Syrupi papaveris Erratici ʒij
Aquæ Cinnamomi sine vino distillatæ ʒj.
Confect. Alkerm. ℈j.

Cum decocto agrimoniæ, Veronicæ, liquiritiæ & sem. Anisi q. s. fiat potiuncula, detur post duas horas à cœna. Potio hæc dolorem lenit, partesque nobiles simul corroborat. Experior id in multis. Extractũ si in promptu non fuerit, ipsius loco accipio ad grana tria aut quatuor Laudani fideliter præparati. Hæc sunt, Vir Amplissime, quæ ad tuas respondere visum fuit, ea ut æquè bonique consulas, multùm oro, Serenissimum Principem nostrum ut meo nomine eâ quâ par est reverentiâ demissè salutare velis, etiam atque etiam rogo; Ante triduum quoque ad te scripsi, literisque confect. Alkerm adjunxi, quas ab uxore procul dubio accipies. His vale Vir Clarissime, & æternùm cum tuis omnibus quàm feliciter vive. Dabam Bernæ 7. Aprilis 1621.

Obs. 32. & 33.

OBSERVATIO XXXIII.

De Lipothymia ex causa occulta.

Viro Amplissimo atq; Doctissimo,

DNO. GREGORIO HORSTIO

Philosopho summo, & Medicinæ Doctori Excellentissimo, nec non inclytæ Reipub. Ulmensis Archiatro longè celeberrimo, Amico meo singulari

Guil. Fabricius Hildanus, *S.P.D.*

Hisce diebus cum adversaria mea pervolverem, Vir Amplissime & Doctissime, incidi in casum rarum, & annotatione dignum, quem olim inquodam ex nobilitate nostra observavi, & feliciter sanavi; Illum quum tuis speculationibus non indignum esse animadverterem, tecum communicare, & Centuriæ sextæ, quam præ manibus habeo, inserere placuit; Est autem talis:

Generosus ac strenuus Vir, Dominus Johãnes Jacobus à Diesbach, Eques, & in Gallia quondam sub Henrico Magno, Dux Exercitus fortissimus, Mæcenas meus integerrimus, homo optimo corporis habitu, sed hepate plus justo calido & sicco, cerebro verò præhumido præditus, circa annum 1608. qui fuit quadragesimus septimus ætatis suæ, affectum quendam paulatim in se detegere cœpit, videlicet duritiẽ quandam in collo sub aure sinistra, exterius tamen nihil apparebat, sed inter musculos, ut ægro videbatur, latitabat. Dolor non aderat, nec quicquam præternaturale, tractando collum, percipi potuit.

Quoties-

Obs. 33. Quotiescunque verò pro more suo horis matutinis, vel quovis alio tempore, pectine vel linteis aut spongiâ siccâ, caput fricare & abstergere vellet, & manu à vertice collum claviculásq; versus, cutem capitis & colli nonnihil fortiter cõprimeret, statim labefactationem spirituum vitalium, & lipothymiam in proximis esse persensit; Ita quidem, ut sæpius mihi dixerit, protinus de se actum esse, si aliquis partem illam capitis & colli, manu aliquandiu comprimeret: quapropter etiam noctu, propter suffocationis metum, vix in latere sinistro cubare ausus fuit. In his itaque angustiis cum esset constitutus Generosus æger, Paterniaco (ibidem enim tunc temporis artem meam exercebam) Bernam me per literas vocavit, ubi quum hæc omnia intellexissem, auram quandam malignam, in arteria soporali retentam, eamque (comprimendo & fricando capite & collo) ad sinistrum cordis ventriculum descendere, Generoso ęgro significavi, nec fefellit opinio, uti ex sequentibus intelliges.

Victus ratio. Curationem hoc modo institui. Primò jussi, ut optimam victus rationem, uti & à multis annis fecerat, observaret, præcipuè autem ut cum cibis coquerentur tenella folia, & summitates buglossæ, boraginis, Melissæ, Angelicæ, folia & flores calendulæ, Gariophillatæ, scabiosæ, pimpinellæ, cerefoliæ; cortices item citronum & arantiorum, ciñamomũ, crocus, Macis, & nux muscata. *De purgãtibus.* Secundò, ut purgantibus suis domesticis, à clarissimis viris D. D. Rivenio & D. D. Quercetano olim propter dolores artrithicos præscriptis, per intervalla uteretur. Basis autem horum medicamentorum erat, Aloe, Rhabarbarum, Agaricum, senna, Turbith, Diagridium, Tartarum, & similia, tum in forma pilularum, tum etiam Electuarii & potionis sumpta. *Vinum medicatum.* Tertiò suasi, ut de sequenti vino medicato per intervalla haustum biberet.

R. Rad. Angelicæ
Uincetoxici,
Petasitis,
Carlinæ, an ℥ij.
Gentianę ℥j.
Corticum citri siccar.
Arantiorum
Cinnamomi electi an ℥j ß
Herb. Scabiosæ,
Betonicæ,
Scordii,
Cardui benedicti an M j
Flor. Buglossæ,
Boraginis
Calendulæ
Violarũ & rosarũ odoriferarũ an. Mß
Sem. Angelicæ &
Cardui benedicti an ℥j

Incidantur & contundantur omnia grosso modo, & cum mensuris 12. vini albi probè defecati, fiat infusio in dolio quercino. De sequenti Electuario quoque frequenter à Drachma una ad Drachmas duas, tribus horis ante prandium, uti & post cœnam deglutiebat.

Electuarium. ♃ Conservæ florum buglossæ
Boraginis
Melissæ
Betonicæ an ℥iiij
Confect Alkermes &
De hyacint. an ℥iij.
Specierum lætificantis Galeni,
Corticum Citri, &
Rad. Angelicæ an ℥j
Lapidis Bezoar
Cornu cervi usti & præparati
Margaritarum præparat. ℈ ij
Extracti scordii ℥j
Syrupi conserv. corticum citti q. s.
fiat electuarium.

De fonticulis. Quartum præsidium, cujus beneficio restitutus est, fuerunt fonticuli duo, quorum unum ad poplitem dextrum, alterum in brachio sinistro formavi; In eum videlicet finem, ut vapores tum ex hepate plus justo calido ascendentes, deorsum traherentur, tum etiam superflui humores ex capite evacuarentur. Ex fonticulis istis non exiguum fructum, ad dolores artrithicos arcendos, quoque percepit, ideoque illos ad finem vitæ suæ gestare voluit; Aliquoties tamen illos ex uno in alterum brachium, aut ex uno in alterum poplitem per me mutare jussit. Hisce adhibitis remediis, Generosus Dominus brevi quidem levamen aliquod sensit, sed nonnisi post longum tempus penitus sanitati restitutus fuit, idque mirum non est, fomes enim mali à multis annis in corpore latuerat, ut mox intelliges. Vixit ad annum usque 1627. & septimum Januarii, qui fuit annus vitæ suæ 66. obiit ex febre continuâ, cum difficultate mingendi, aliisque symptomatibus, quibus artrithici & decrepiti affici solent; De prædicta tamen Lipothymia à multis annis ante obitum ne minimum quidem indicium senserat.

Porrò, Vir Amplissime, quomodo aura ista maligna in corpore sit genita, non facilè est scire; Pauca tamen in medium afferam, quæ forsan non omninò erunt absona: Passus fuit Generosus ille in juventute dislocationem pedis sinistri, cum maxima contusione. Dislocatio hæc cum ab imperitis malè curata fuisset, molestias & dolores multos sustinuit æger. Ab eo quoque tempore crus imbecillius altero remansisse, & per aliquot annos atrophiâ affectum fuisse, non semel mihi retulit. Ex gravissimo hoccе affectu cum vix restitutus esset, & jam in Gallia, jam in Belgio castra sequeretur, accidit quadam die in venatione, cùm supra modum defatigatus fuisset, ut in terram gelidam & nivosam se projiciens, somno obrutus & veluti congelatus sit, præsertim sinistrum latus. Hinc secutus est dolor contumacissimus coxæ. Ad dolorem hunccе sciaticum ferinum domandum, iterum medicos varios, & utplurimùm irrationales empiricos, adhibuit. A juventute itaque cùm perpetuò tam in castris quàm alibi, molestias ac labores multos sustinuisset, & ad consistentem ætatem pervenisset, paulatim artrithicis doloribus correptus fuit. Quum itaque calor nativus, præsertim sinistri lateris, statim à juventute factus fuisset imbecillis, & continuò in castris vitam degens, magis magisque factus sit imbecillior, excrementitios humores

33. mores non satis concoquere, minus dissipare potuit. Verisimile itaque est, materiam aliquã malignam in corpore progenitam fuisse, atq; ex ea vaporem ad soporalem arteriam ascendisse. Exemplum in memetipso habeo, à peste enim quâ anno, ni fallor 14 aut 15. ætatis laboravi, materiam quandam malignam in inguine dextro remansisse, indicat dolor, quem hac in parte sentio, quotiescũq; loca peste infecta frequento: Abditum enim & in inguine absconditũ venenum, propter similitudinem externum venenum vel auram pestilentialem ad se trahit, idque sine doloris sensu fieri non posse, non semel expertus sum, etiam superiori æstate. Quantas verò molestias mihi fecerit materia illa maligna, tempore pestis Lausannensis, ex Observ: 85. Cent: 4. colligere poteris.

Accedit & alia causa hujus vaporis maligni in Generoso nostro ægro, frequens videlicet usus medicamentorum ex Mineralibus confectorum, quæ diversis temporibus, tum à rationalibus medicis, tum etiam ab Empiricis præscripta, & cruri applicata fuère, inter quæ etiam nonnulla (ut vidi ex descriptionibus, quas æger mihi ostendit) Mercurium crudum in copia recipiebant. At Mineralia illa, si eis abutamur (etiam in externis affectibus) non semper tuta esse, ex Cent. 5. Obs. 90. & 91. In Matrona Nägeliana vidimus; in illa autem ambæ causæ prænominatæ, videlicet materia putrida & maligna, propter imbecillitatem caloris nativi genita, & musculosis partibus, imò & ossibus imbuta, & copia illa medicamentorum ex mineralibus, præsertim Mercurio præparatorum, & ulceri suo applicatorum, concurrebant. A quadraginta enim annis tàm copiosè Mercurium applicuerant Chirurgi, ut posterioribus annis vitæ suæ (quod notandum) plerumq; ichore permixtus, & emplastris adhærens conspectus sit: etiamsi à longo tempore applicatus non fuisset.

Cæterùm quomodo aura illa maligna in Domina Nägeliana ex tibia ad partes principes pervenerit, satis, absque jactantia sit dictum, intelligo, & in prædicta Observ. exposui. In Generoso verò Dn. à Diesbach quomodo id acciderit, ut ingenuè fatear, adhuc ignoro. Tu Vir Amplissime, pro ingenii tui acumine rerumque experientia, id, quæso, explica. Hæc pingui Minerva ad A.V. scribo; quæ ut omnia, pro sua humanitate & in me benevolentiâ, benignè & amicè interpretari velit, vehementer rogo: Vale Vir Amplissime & nobilissimam costam tuam, uti & reliquos amicos, meo nomine plurimùm saluta. Raptim Bernæ 17. Maii 1629.

Responsio ad præcedentem Observationem.

Viro Clarissimo, Experientissimo

GUILHELMO FABRICIO HILDANO, Medico & Chirurgo Ordinario Reip. Bernensis Helvet. Domino & Amico suo.

GREGORIUS HORSTIUS, S.P.D. *à fonte Salutis Christo Iesu* Θεανθρώπῳ. Obs. 33.

Rectè tuas, Clarissime & Experientissime Fabrici, fautor & amice pl. colende, mihi traditas fuisse scias, quæ duplici nomine gratissimæ fuerunt; tam quod exantlatis periculosissimis pestiferæ luis symptomatibus te, Dei gratiâ, bellè valere testarentur, quàm etiam quod casum singularem communicarent, cujus lectio rara non parum delectat. Quanquam verò non dubitandum, etiam venenatam penitus qualitatem in corpore nostro generari posse, quod Galenus noster lib. 6. de loc. aff. cap 7. concedit, idq; 3. Epidem com. 3. ægr. 4. fundamenti loco ponere videtur, dum ægrum non à phrenitide, sed ob virulentam succorum qualitatem tertia die succubuisse scribit: non tamen in hoc casu proposito res ita plana videtur, cum inter partem colli laborantem, & pedis sinistri læsionem diversam, nulla convenientia vel sympatheia nobis appareat. Rectè quidem statuis, varias ob causas, tàm internas, quam externas, calorem nativum lateris sinistri labefactatum fuisse, quâ ratione facilimè fieri queat, ut ob tertiam istam & ultimam digestionem, quæ in qualibet parte peragitur, quidpiam excrementitium remaneat, quod in alienam postea naturam degenerare soleat. At reverâ obscurum est, positâ partis ejusmodi imbecillitate, circa pedem sinistrum, quâ ratione vapor malignus colli partes internas protinus ad levem attactum affecerit, ut lipothymia, viriumq; vitalium defectus extemplò subsequeretur? an fortè latus sinistrum debilitatum dolore coxæ, tum etiam præcedenti pedis ejusdem dislocatione, nec non medicamentorum Mercurialium crudorum applicatione, capitis imbecillitatem, respectu nervosi generis κατ' ἀξίν introduxit, cujus ratione postea vicinis partibus, arteriis carotidibus ejusdem lateris contiguis, materia quædam maligna per congestionem communicata fuerit, quæ ad levem contactum irritata malignam ἀπόρροιαν, cordi maximè inimicam, expiraverit? De monte Pilati vobiscum referunt incolæ, sicuti recordor idipsum, secundo navigio per Lacum Lucernatum olim me iter faciente, mihi relatum fuisse, quod levis etiam lapillus in puteum montis ejusdem projectus, manes Pilati sic irritare soleat, ut miris procellis postea sæviant ad inundationis usque periculum, quod propè Styram [illegible]terioris Austriæ quoque fieri memini, dum in fo[illegible] montis vicini, quod vocant, das Windloch/ lapis immittebatur, protinus procellis ac ventis æstuantibus, ex arce quasi Aeoli prodeuntibus. Quid si quid tale etiam in μικροκόσμῳ fieri statuamus, ubi sæpè latet vaporosa flatulenta maligna materia, quæ levi de causâ commota, suæ perniciei prodit effectus, eosq; deteriores, quò magis μιάσματα maligna principibus partibus insidias struunt. Sunt sanè, juxta divinum Hippocr. in nobis membra σύμπνοια καὶ συμπαθῆ πάντα, quare promptè fieri potest, ut malignitas aliqua latens, subitò sæpius exacerbata, per causam externam partis alicujus læsionem introducat, quâ causâ desinente, mox etiam ἀπόρροια vel affluvium malignum desinat. Sed plura non addo propter temporis angustiam, teq; cum Conjuge DEO Optim. Max. commendo. Benè vale ἐπὶ μήκιστον. Dabam Vlmæ ταχίστον. 18. Iunii 1629.

Tuus Totus

GREGORIUS HORSTIUS.

Pro-

Obs. 34.

P. S.

Promissam alteram Observationum partem Dn. M. Ioh. Cunradus Roth, Med. Cand. in Acad. Argentinensi meo nomine transmittet. Boni consule chartaceum munusculum, meq; amare perge.

OBSERVATIO XXXIV.

De periculosis Orificiorum ventriculi obstructionibus.

VEntriculus duobus orificiis donatus est, utrumq; non sine vitæ discrimine obstruitur, ut præter experientiam testatur Clarissimus Dn. Riolanus Partic. Meth. Med. Sect. 3. cap. de ventr. his verbis: *Obstrui etiam potest ventriculus in utroq; orificio. Obstructo superiore, prohibetur introitus alimenti. Obstructo inferiore, non est liber chylo in intestina exitus. Hæc vitia quamvis dignoscantur, curari tamen non possunt.* Hactenus Riolanus. Iudicium atque prognosticum celeberrimi Domini Viri Riolani, profectò durum est, ideoq; ne studiosos & Tyrones Medicinæ ab instituto absterreat, aut practicos negligentes reddat, Exempla aliquot in medium producam, ex quibus manifestum fiet, utrumq; orificium occlusum, arte reclusum esse. Primò autem agam de obstructione superioris orificii, quod est gula, fauces, & Oesophagus nominatur, & multas ob causas obstruitur, uti sunt inflammationes, apostemata, scirrhi, ossicula, spinæ piscium, & similia, quæ inter comedendum gulæ infiguntur, & tam tenaciter inhærent, ut ad ventriculum descendere nequeant.

Inflammatio superioris orificii ventriculi.

De inflammatione superioris orificii, triste exemplum habuimus Coloniæ Agrippinæ, circa annum, si rectè recordor 1592. in Viro, genere pietate, & Virtute verè Nobilissimo, Domino N. Pilgram, Consule prudentissimo, Patre Patriæ. Hic quum in decrepitâ ætate catarrho ad fauces correptus fuisset, & difficulter deglutire posset, celeberrimos Viros, Dn. D. Arnoldum Manlium, Academiæ Coloniensis Medicinæ Professorem primarium, & Dn. D. Henr. Botterum, Illustrissimi Landgravii Hassiæ Medicum, in consilium vocavit, qui & protinus omnia ex arte præscripserunt, nec ab initio sine successu. Quum verò in augmento, & circa statum morbi, symptomata, ut fieri solet, ingravescerent, & deglutitio aliquantum difficilior fieret, Medicis visum fuit, ut clysteres nutrientes, & leniter alvum moventes, injicerentur. Quid fit? Vix exhibito primo, en vetula ægroto accedēs, omnibus modis usum clysterum vituperare, & maledico dente carpere non erubescit. Falsis hisce persuasionibus cum æger ad iram atq; excandescentiam maximam in Dn. Botterum, qui hujus præsidii præcipuus author erat, incitatus fuisset, & Medici circa vesperam ad ægrum venissent, contumeliosè Dn. Botterum insequitur ac lacerat. Injuriam hancce, quum Dom. Botterus, ut qui omnia se ex arte præscripsisse sciebat, ægrè ferret, & Dom. Consuli viriliter contradiceret, ipsumq; desereret, nec amplius invisere vellet, magis magisq; ad iram commotus fuit æger. Incenso itaq; humore bilioso, adaucta fuerunt symptomata omnia, & quia propter altercationem inter Dominum Botterum, & ægrum, ipsiusq; Botteri absentiam, interrupta fuerat curatio Methodica, omnia in deterius abierunt, ita ut intra paucos dies animam Creatori suo piè placidèq; reddiderit, maximo cum civium luctu. Hæc ex relatione Dn. Manlii & Botteri habeo. Hinc videre est, non sufficere, ut Medicus suum faciat officium circa ægros, ut rectè monuit Hippocrates lib. 1. Aphor. 1. nisi assidentes adjumentum administraverint. At lingulaca illa vetula hîc non adjumentum, sed detrimentum, non solatium, sed exitium attulit. Æger tamen excusari non potest: sui infortunii enim ipsemet ex parte author fuit. Ille enim, ut Vir prudens, & Vrbis præcipua Columna, potius Medicorum præclarissimorum consiliis, rationibus stabilitis obtēperare, quàm garrulam illam auscultare debebat. De periculosâ obstructione Oesophagi lector videre poterit Exemplū singulare Cent. 3. Obs. 34. Hæc obiter: nunc ad lætiora exempla transeo.

EXEMPLUM I.

Civis & sutor quidam Coloniensis, cum inter confabulandum frustum corii in ore contineret, & inopinanter ad medium gulæ deglutiret, parùm abfuit, quin suffocatus fuerit. Divino tamen aspirante Numine ipsum restitui. Vide Cent. 1. Observ. 21.

EXEMPLUM II.

Anno 1592. Mulierem quandam ab ossiculo undiq; aspero, & gulæ cum suffocationis metu infixo, feliciter me restituisse, in eadem Cent. 1. Obs. 22. dictum fuit.

EXEMPLUM III.


Anno 1603. Cum apud Paterniacenses Medicinam facerem, quadragenario cuidam ossiculum ex gulâ feliciter extraxi, qui & feliciter restitutus fuit, uti in prædicta Cent. 1. Obs. 36. lector videre poterit, unà cum delineatione instrumenti, quo ossicula, spinas piscis, & similia ex gulâ extraho. Quòd si tamen instrumentum hoc ad manus non fuerit, spongiola catethere, quo in exploratione calculi vesicæ utimur, aut filo ferreo mediocris spissitudinis, annectenda est.

EXEMPLUM IV.


Anno 1612. cum Hildenam in patriam profectus fuissem, accidit Coloniæ Agrippinæ 11. Octobris, ut puella quatuordecim annorum, & filia Dn. Wilhelmi à Häsz civis Coloniensis, cum post cœnam aciculâ mediocris longitudinis dentes circumpurgaret, nec satis prudenter ineptum hocce dentiscalpium duceret, versus fauces delapsa & linguæ infixa fuerit acicula. Quid fit? Oritur statim dolor, deglutitio quin etiam impeditur, ita ut noctem in maximis trāsegerit doloribus, nullisq; remediis à parentibus & amicis, qui accurrebant, adhibitis, sublevari potuerit. Sequenti die summo manè vocantur duo ex primariis Chirurgis urbis, qui quidem omnem adhibuerunt diligentiam atq; industriam, sed frustra. Cùm itaq; parentes ex

34. amicis meis intellexissent, me præcedenti die Hildenâ Mulhemium propè Coloniam pervenisse, & versus Helvetiam ad meos properare, puellam Mulhemium ad me ducunt, & omnia, quæ acciderant, exponunt. Ego cum instrumentis (præter pauca ad praxin quotidianam necessaria) instructus non essem, unà cum parentibus atque ægra (quam in maximis angustiis videbam constitutam) anxius fui. Precibus tamen parentum & ægræ commotus, malui aliquid tētare potius, quàm afflictissimam ægram sine auxilio ablegare. Invocato itaque auxilio divino, speculo simplicissimo, inferius adumbrato, linguam quidem deprimo, aciculam tamen visu, imò ne digito, leviter in gulam immisso, detegere potui. Iterum itaq; anxius fui. Quum verò ægra auxilium meum magis magisq; efflagitaret, & ut digitum profundius gutturi intruderem, aciculamq; perquirerem, rogaret, ac se mori potius, quàm in tantis angustiis diutius vivere paratam esse, exclamaret, immisso indice ad radicem linguæ usque, & quidem cum violentiâ quadam, tandem aciculam linguæ infixam reperi; In transversum autem, & tam profundè infixa erat, ut caput aciculæ vix persentiri posset. Tentavi quidem aliquoties, an ungue apprehensam illam extrahere possem, sed propter crassitiem digiti irritato ventriculo, ab opere desistere coactus fui. Quapropter diligenter observato loco affecto, & situ aciculæ, instrumento inferius adumbrato, aciculam toties apprehendere conor, donec tandem illam, magnâ cum admiratione adstantium, præsertim ægræ, quæ alacritate & lætitiâ ad Deum laudandum incitata fuit, extraho. Postea gargarisma ex betonicâ, rosis, plantagine, in aquâ coctis, addito melle rosaceo, præscripsi, quo & brevi restituta fuit. Operationi, præter parentes, interfuerunt Dominus Hubertus Freyalderhouen, Bertramus Brewer Hildanus, Henricus Grilenberg, Petrus von Werdt, Cives Colonienses, quos honoris causa nomino. Obs. 34.


Instrumentum ad deprimendam linguam.



Hamulus quo aciculam extraxi.



Anno 1624. cum adolescenti cuidam, ex domesticis Mag. Ioh. Bergtoldi Brettelii, Civis & Sclopetarii Bernensis, Hans Ballier nomine, inter prandendum os satis grande Oesophago infixum fuisset, & mox dolores ingentes, & suffocationis metus supervenissent, ad ædes meas conductus fuit, ubi uxor mea, unà cum filio meo Petro p. m. (qui operationem hanc aliquoties à me viderant) me absente, beneficio instrumēti, in prima Cent. Obs. 36. delineati, os feliciter extraxerunt, deinde brevi convaluit. Figuram ossis, quod etiānunc inter rariora mea reservo, hîc añectere volui. Non est igitur omnis obstructio superioris orificii vētriculi, ut Riolanus voluit, mortalis. At quoties quæso in Angina vera & magna, obstruuntur fauces, nec tamen moritur homo? Exemplum singulare lector videre poterit Cent. 3. Obs. 27.



Observatio singularis de obstructione pylori.

Orificium inferius ventriculi, sive pylori, rarò obstruitur: est enim superiori paulò amplius, ita ut quæ per superi' orificiū ingeruntur, per inferius facilè excernantur. Deinde superius orificium defluxionibus ex capite, uti etiam vaporibus calidis, in morbis acutis ascendentibus, valdè obnoxium est, inferius verò non item: quapropter mihi non nisi semel videre contigit. Fuit id Anno 1627. in parvulo ac tenello semestri puero, Dn. Henrici Othonis p. m. filio; huic puero, cum nutrix sive gerula pulte spissâ ac viscidâ per dies aliquot ventriculum adimplevisset, & calor innatus, ut pultem digerere, & in tempore ad intestina ablegare posset, non satis validus esset, paulatim in ventriculo coacervata fuit puls, adeoq; pylorus obstructus, ut omnia quæ ingerebat, iterum per vomitum rejiceret, nec quicquam per inferiora excerneret. Hinc adeò debilitatus fuit tenellus ille puer, ut ipsum jam jam spiritum emissurum esse astantes arbitrarentur. Tum ego accersitus fui, puerumq; divinâ gratiâ feliciter restitui: quibus verò remediis id perfecerim, recensebo, dum prius adscripsero, quomodo nostrates pultem conficiant, puerisq; infarciant.

Farinam purissimam tritici, vel speltæ, cum lacte integro, in sartagine tam diu coquunt, do-

Obs. 34. nec in spississimam ac viscidã pultem abeat: plerumq; quoque aliquid butyri admiscent. Deinde nutrix aut gerula, indice suo dextro apprehensam particulam pultis, pueri supinus jacentis ori, & plerumque (præsertim si ipsam recusaverit) ad fauces ferè usque intrudit, & ita quidem ut volens nolens cogatur ipsam deglutire. Hinc sæpè numero gravissima oriuntur symptomata, dum ventriculus infantulorum adhuc imbecillis spissâ illâ pulte oneratur. Ventriculus enim horum infantulorum non recipit id quod appetit, sed id quod nutrix vi intrudit. Hæc verò ut rectè intelligãtur, deglutitionis modus considerandas est, videlicet, an naturalis an verò animalis, & à nostra voluntate dependeat? Sunt qui deglutitionem naturalem actionem, alii animalem esse volunt, in rei tamen veritate mixta est actio: masticatio enim cibi in ore, & ad Oesophagum propulsio, est actio animalis, & à nostra voluntate dependet, fitque musculorum beneficio: descensus verò cibi ex ore per Oesophagum ad ventriculum, qui fibris rectis perficitur, naturalis est: Quamdiu itaque appetitus cibi adest, Oesophagus quoque beneficio fibrarum rectarum ipsum ad se trahit, & ad ventriculum mittit, dum tamẽ prius voluntariâ actione ad Oesophagum missus fuerit. Vbi verò appetitus cessat, cessat quoque facultas attractrix Oesophagi, cibumq; etiamsi ipsi oblatus fuerit, non attrahit, sed respuit. Porrò si nutrix infantulo pultem ad Oesophagum ferè usque, ut plerumq; nostrates faciunt, protrudit, tunc actio animalis inutilis est, naturalis verò attrahendi facultas Oesophagi operabitur, pultemq; ad disruptionẽ ventriculi, ut ita dicam, attrahet, idque non sine magno periculo infantis, ut in hoc nostro ægro vidimus. Vt itaq; periculum evitemus, cochleate, non digito, infantulis puls offerenda & ingerenda est: hoc enim modo quamdiu naturalis appetentia adest, animalis suo quoque fungetur officio, pultemq; ex ore ad Oesophagum deferet, satiato verò ventriculo, infans pultem protinus, & antequam ad Oesophagum perveniet, exsputet. Hæc in gratiam nutricum adscribere volui. Nunc quomodo in curatione processerim, paucis annectam.

Curatio pylori obstructi in semestri puero.

Primò prohibui, ne pultes, aliaque edulia, ex pane aut farina cocta, sed juscula tantummodò carnis infantulo exhiberentur, quibus & aliquid Olei amygdalarum dulcium admiscui. Et quia insignis obstructio pylori, propter pultem in ipso retentam, aderat, ideo sequentibus oleis ventrem regionemq; ventriculi inungere jussi.

Linimentũ emolliens.

℞. Ol. Amygdalarum dulcium,
Liliorum alborum an. ℥.j.
Ol. ex floribus ℥. ß. Misce, sequentem quoque sacculum emollientem, aquâ coctum, calidè ventriculo applicui.

℞. Radicum Altheæ
Liliorum alborum an. ℥. ß.
Foliorum Altheæ
Malvæ an. m.j.
Menthæ
Absynthii Pontici
Florum Meliloti an. m. ß.
Seminis lini
Fœni græci
Anisi an. ℥ ß.

Incidantur & contundantur omnia pro sacculis. Et quia natura omnia per superiora rejiciebat, nihil verò per inferiora excernebat, singulis diebus Enema unum aut alterum nutriens ex consummatis cum vitello ovi, & pauco sacchari miscellanei exhibui. Beneficio horum enematum infans per multos dies nutritus fuit, quandoquidem omnia quæ per os assumebat, protinus evomebat. Enematibus autem vitam hominis ad tempus cõservari posse, Lector exemplum habet in 4. Cent. Observ. 30. Hisce remediis feliciter restitutus fuit puer iste, & in hunc usq; diem 2. Decembris 1629. quo hæc scribo, vivit, & quàm optimè valet. Non est igitur omnis obstructio inferioris orificii ventriculi insanabilis.

OBSERVATIO XXXV.

De vitrivoris Exempla aliquot, admiratione digna.

Viro Amplissimo atq; doctissimo,

DN. GREGORIO HORSTIO,

Philosopho summo, & Medicinæ Doctori Excellentissimo, nec non inclytæ Reip. Ulmensis Archiatro longè celeberrimo, Amico meo singulari.

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

ANte menses aliquot, Vir Amplissime, Amice colendissime, cum Centuriã meam quintam ad prælum præpararem, Epistolam de matrona, trichiasi laborante, ad Te quidem scripsi, & Centuriæ inserui, hactenus tamen illam non misi: Putabam enim, librum propediem in lucem proditurum. Nunc verò quia impressio differtur, propterea quod inter hæredes Domini de Bry p. m. (apud quos manuscriptum Exemplar delitescit) non satis rectè convenit, apographum literarum ad Te mittere volui, quibus portionem aliquam pilorum, à matrona illa cum urina excretorum, inclusi, ut videas, veros esse crines. Mitto quoque Lithotomiam vesicæ, quam ut A. V. serenâ fronte accipere, suumque judicium liberè rescribere velit, etiam atque etiam rogo.

De vitrivoris.

Nunc quod speculationibus Ampl. viri dignum sit, nihil singulare habeo: Ne tamen planè vacuæ sint literæ, occurrunt Exempla aliquot de vitrivoris, quæ Amp. V. communicare volui. Tres novi viros robustissimos, & ebrietati à juventute addictos, qui inter pocula, ex merâ petulantiâ, plura dentibus contriverunt & devorarunt vitra, & quidem tantâ cum aviditate, ut sãguis per os emanarit, idq; sine detrimento valetudinis: horum duo etiãnunc vivunt, tertius verò cum sexagesimum ferè annum attigisset, phthisi quidem obiit, an verò morbum, quo extinctus est, ex devoratis vitris contraxerit, non constat. Ab eo enim tempore, quo vitra devoravit, per aliquot annos incolumis vixit, sed adeò intemperanter, ut, an morbum ex devoratis vitris, an potius ex ingurgitatione vini & ebrietate contraxerit, valdè dubitem. Unum ex duobus illis,

qui

qui adhuc superstites sunt, Paterniacensis, & amicitiâ mihi junctus, quemque à multis annis non videram, hisce diebus hîc offendi, & miratus fui. Est enim, quamvis nunc sit senex, & in florenti ætate quàm plurima vitra devoraverit, attamen etiamnunc robustus, & morbis parum obnoxius.

Cæterùm, Vir Amplissime, non satis mirari possum, quo modo fragmenta illa acutissima, & in copia devorata, intestina, exquisitissimo sẽsu prædita, sine incredibili cruciatu, ac vitæ exstinctione, permeare potuerint? Rationes naturales, quæ mihi satisfacere possint, non invenio: ideoque id divinæ bonitati potius adscribo, quàm causas physicas perquiro. Deus enim pro infinitâ suâ misericordiâ ac Clementiâ, clementer nobiscum agit, & resipiscentiam nostram patienter exspectat, uti quoque in tractatu meo Germanico, de Christianorum comessandi ratione pag. 25. monui. Mirando autem quodam modo, ac solâ divinâ bonitate atque misericordiâ, prædictos viros servatos esse, fidẽ faciunt exempla vitrivororum, qui temeritatis suæ atque stultitiæ pœnam, morte persolverunt, ut videre est apud Iohannem Manlium, tomo 2. in quinto præcepto, sub titulo De conviviis Cyclopicis, his verbis:

Satellites Regis Galliæ, largius se vino ingurgitantes, contuderunt vitrea pocula, ac alter alteri præbibit illum pulverem Elapsis vix duobus mensibus, omnes mortui sunt. Hæc mihi narravit quidam multis nobis notus, ipsisq; assidens, cui tamen, ut homini Scholastico, pepercerunt.

Ante paucos annos fuerunt quidam Ambergæ in Bavariâ, qui longâ potatione inebriati, tandem vasa testacea, è quibus biberant, contundunt, seu in pulverem redigunt, & alter alteri illum pulverem in vino præbibit: tandem ventum est ad vitra, quæ similiter in pulverem redacta sunt, ac invicem sibi præbiberunt. Hæc ante paucos annos historia hûc scripta est, additumque erat in literis, tres ex nobilium numero, eo die esse mortuos, reliquos ægrotare, & mortem certissimam exspectare. Et paulò pòst, addit Dom. Manlius; *Credo non fuisse tam nociva illa vasa testacea, quàm sunt vitra, quæ in alvum demissa, intestina erodunt, unde homo superstes esse nequit.* Hactenus Dom. Manlius. Ex quibus magis magisque in opinione meâ confirmor, videlicet prædictos viros, ut anteà dixi, miraculosè servatos fuisse. Ignosce, Vir Amplissime, si tibi molestus sim. Vale, & cum lectissimâ tuâ Cõjuge æternùm quàm felicissimè vive. Raptim, Bernæ. 19. Junii Anno 1626.

Responsio ad Observationem de Vitrivoris.

Viro Clarissimo Experientissimo,
DN. GUILHELMO FABRICIO HILD.
Medico & Chirurgo ordinario Reip. Bernensis Helvetiorum, Domino & Amico suo.
GREGORIUS HORSTIUS, S.P.D.

S. *Gratissimæ mihi fuerunt literæ tuæ, Vir Clarissime & Experientiss.me, Fautor & Amice plurimùm colende, unà cum Germanico tuo Tractatu de Lithotomia Vesicæ, pro quo gratias ago maximas. Lubenter insuper quoq; legi epistolam inclusam, quæ singularem Observationem de τειχιάσω continuas. Vitrivororum natura nõ admodũ admiranda videretur, si Temperamentum hoc ævo ejusmodi vitris conveniret, quale Plinius olim Tiberio Principe excogitatum fuisse refert, ut scilicet fluxibilitatem vitra nanciscerentur. At cùm vitrum ultimus transmutationis terminus aliàs constituatur, vix ejusmodi artificium exspectandum erit; Imò potius contrarium sequeretur, quòd in ejusmodi pellucida consistentia, vi ignis ad summam puritatem deducta, videatur Ευτελέχεια, & perfectio quædam absoluta, quò nonnulli finalem Mundi transmutationem quoque referunt, unde Civitas DEI gemmea, tota pellucida, cujus plateæ aurum mundum, ὡς ὕαλος διαφανής, juxta Apocalyps. Ioh.*

Quanquam autem acutissima fragmenta Vitrorum alias acumine suo facilimè partes corporis lædãt, alia tamen est ratio, quando masticationis beneficiò cõteruntur, ac postea cum alimentorũ ac potulentorũ liquoribus commiscentur, ubi non dubito, quin ad primarũ Viarum purificationem faciat ejusmodi Vitrum, comminutum in partes minimas, acrimoniâ suâ facultatem expultricem ad excernendum stimulante. Novi quoq; tales, qui petulanter Vitrorum particulas devorarent, sæpiùs non absq; faucium Hæmorrhagia, qui num petulantiæ suæ pœnas dederint, ignoro. Sed fortaßis hac de re pluribus communis noster Amicus, Clariß. Hoffmannus, cujus literas mihi inclusas hîc accipies. Libellum de Lithotomia, propter Occupationes & peregrinationes, nondum perlegi, sed eundẽ nostro Merckio communicavi, maximè eam ob causam, quòd hoc mense Generosus quidam Baro è Styria ipsius dexteritati sese subjiceret, à quo quidem Calculum ℥ij dextrè extraxit, laborante tamen sexta die ex Inflãmatione, & Sphacelo Vesicæ mortuo, De quo casu, tũ etiam de iis, quæ Merckio nostro, aliàs, ut nosti, exercitatißimo, in hac manuali operatione, in libro tuo dubia videntur, pluribus posthàc agam. Hisce benè Vale, cum familia. Raptim Vlmæ, 17. Augusti. 1626.

IDEM AD EUNDEM.

S. *Prioribus meis has addo, Vir Clarißime Excellentißime, Fautor & Amice plurimùm Colende, tibiq; gratias ago pro Scripto tuo Germanico, Lithotomiam Vesicæ continente. Rectè facis, mi Fabrici, quod nihil non tentes, quò diversas Medicinæ partes illustriores reddas. Assertiones tuas quod attinet, perplacet inprimis, quòd in generatione Calculi potiùs cum paucis veritatem defendere, quàm cum multis errare velis. Miror, cur toties celebriores Medici viscidam materiam, & calorem exurentem inculcare soleant: cum tamen ejusmodi figulinæ concretioni res ipsa contrarium demonstret, ne quid dicam de varietate Calculorum, è Vesica detractorum, quorum quilibet ferè, quoad consistentiam, colorem, & uno verbo, quoad diversitatem Tartari sui nativi, diversimodè productus conspicitur: quemadmodum satis mirari non possum talia, cùm tot Calculorũ humanorum diversa genera penes nostrum Lithotomum (qui jam ultra bis mille manu propriâ à Calculo Vesicæ, & Herniis, sectione & extractione liberavit) reservata perpendo. Quoad modos extrahendi Calculum, nosti quem noster Lithotomus præferat aliis, non absq; certa diutinaq; experientia,*

Obs. 35. tia, qui penitus rejicit illorum sententiam, qui statuunt, Vulnus illud Turundis & aliis apertum retinendum esse, propterea quòd hâc ratione facilimè fistulosis Vlceribus occasio præberi queat. Inprimis inhumanum omninò, & ab Artis operibus alienum esse statuit inquisitionem Calculi, ubi ex voto non succedit extractio totaliter, tertiâ vel quartâ die reiterare, quod absq; insigni dolore, viriumq; jactura fieri non posse verisimile est, cùm vulnus post triduum contra rationem de novo non sit irritandum.

Quoad Balneum nosti dissensum ipsius, ubi puto differentiam inter Balneum aquæ dulcis temperatum, ac inter Balneum calidius, vel etiam cum herbis apparatum, dubitationes istas tuas conciliare posse. Illustris Baro Carinthius, Ioh. L. B. à Malech, p. m. de subsequente inflammatione valde sollicitus fuit: qua de causa paulò ante sectionem, Acidularum potu, præmissis præmittendis, usus fuit: imò Victus rationem exquisitam temperatamq; talem adhibuit, ut nihil quicquam in eadem desideraretur. Sed quid fit? Calculus è Vesica vix fuit extractus, en ecce dolores circa pubis & Vesicæ locum, nocte primâ subsequuntur intolerabiles, quibus remissis, matutino tempore, grumi sanguinis è Vulnere cum Vrina excernuntur. Dolor hic remissior secundâ die, circa tertiam noctem ita exacerbatur, ut signa inflammationis Vesicæ, vicinarumq; partium inde colligerentur, quod omnis generis remedia, tam interna quàm externa, nobis extorsit: frustrà tamen adhibitis omnibus, sub finem sexti diei Vir optimus exspirare, vitamq; cum morte commutare cogitur. Aperto post mortem corpore, Vesica interius, unà cum subjacente Intestino recto, Sphacelo correpta conspiciebatur. Quod cùm tam brevi tempore factum esset, tuæ Observationis, olim ad me perscriptæ, mox recordabar, ubi 24. horis post contusionem gravia lethaliaq; subsecuta fuerunt. Integrum Casum, cum Consiliis Clarissimorum Medicorum, huic ægrotanti communicatis, σὺν Θεῷ, per occasionem aliam transmittam, ubi diebus hybernis cum DEO plus otii dabitur. Hisce benè Vale, cum familia tua, diutissimè felicissimè. Ocyùs Vlmæ. 20. Augusti 1626.

Clarissimo Viro,

DN. GUILHELMO FABRICIO

Hild. Anatomico & Chirurgo præstantissimo, & Amico meo magno,

CASPARUS HOFFMANNUS S. P. D.

VIr Clarissime & Præstantissime, non injuriâ doles occasum Anatomiæ. Quidni enim ita loquar? Vix ego novi jam ullam Germaniæ Academiam, in qua exercitia illa obeantur, ut par erat. Patavium amisit non Spiegelium tantùm, sed & concurrentem ipsius, ut vocant, Plazzonum. Qui successisse his vipsius vult, Pompejus Caymus, mira de se excitat Discipulorum judicia. Soleo Ego apud amicos deprædicare felicitatem meam, cui audire, & secantes videre contigerit duos summos Anatomicos, Dn. D. Aqua Pendentem, & Bauhinum. Feci ego hactenus, quod potui: verùm jam tradita est ea lampas alii. De Vesalio meliùs sentis. Potuisset verò esse major, si minor esse voluisset, si, inquam, explicare Galenum maluisset, quàm reprehendere. Ego hactenus seriò laboravi in enodandis quibusdam difficultatibus, sed mirum est meum fatum: sunt enim quidam, qui velint, etiam errores Galeni me defendere. Nimirum eo ipso Galeni sibi videntur, si semper in ore habeant Galenum. Hac de re dicent tibi aliquid hæ duæ orationes, quas mitto. Interim strenuè ego pergo in Galeno, securus quid deblaterent isti. Rogo autem, si quid habeas quo possit Galeni illa Editio reddi ornatior, uti mecum communices. De communicatis exemplis illis rarioribus, gratiam habeo.

De Vitrivoris ita judico, descendere fragmenta Vitrorum, immista cibis & excrementis, atq; ita minùs lædere, obtusâ videlicet acie illorum à lentore istorum. Sed cur non fit in omnibus? Credo fieri in iis tantùm, in quibus Natura est robustior, ideoq; expeditior ad obeundas res suas. De Calculo Lindaviensi jam totus sum tuus. De cavitatibus supra oculos ἐπέχω; Puto autem voci servire, ut doceo comm. in lib. de usu partium; Aërem pro spiritibus Animalibus quò minùs credam præparari in illis, multa faciunt. Vide autem, si vacat, in libro de Digressione illa libri octavi, dictorum Commentariorum, quis verus sit usus ossis illius, quod in quibusdam Animalibus distinguit Cerebrum & Cerebellum, tum demum sciemus, ubi sciverimus, cur Cerebrum sit divisum in Cerebrum & Cerebellum? Hoc autem ut obscurissimum est, ita illud quoq;. Quominùs credam rosioni servire, facit, quòd rosio ab utraq; Maxilla tantùm fit, nihil conferente Calvariâ, & præsertim parte ejus aliqua internâ, qualis est Os, de quo agimus. Et si gallinæ etiam habent, quid rodunt illæ? Sed neq; credo sphæricam figuram quicquam facere ad robur Capitis. Vide hac de re Hypomnemata Mauritiana Steini. Vsum instrumenti Hydragogi mitto, ut accepi à Dn. Christophoro Burckardo, Medicinæ Candidato, qui nunc Patavii vivit. Ab hoc scire possumus, si quid ampliùs necesse sit ad instituendam operationem. Rogo autem significes mihi, quid putes de toto negotio? Tractatū de Ichoribus mittam, si Deus volet, proximâ occasione: jam enim ad manus non est. Promiserat Augustanus quidam, se totum Tractatum de Humoribus (cujus particula est libellus de Ichoribus) excusurum: sed fefellit spem meam. Tempora illa scilicet studiis nostris valdè inimica sunt, & perdunt etiam illos, qui nobis auxilio esse solent in his talibus. Hæc causa est, cu[r] VVecheliani etiam refrixerint de Galeni Græcolatini editione. Sed abrumpo, & commendo Te tutelæ divinæ. Benè Tu vale, mi Fabrici, & perpet[uò] mihi amorem tuum. Scribo Altorffii, 4. Aug. 1626.

OBESRVATIO XXXVI.

De aciculis, absque insigni molestiâ diu in corpore retentis.

QUæ horrenda ac crudelissima Symptomata post deglutitas aciculas in Virgine quadam sequuta fuerint, Lector videre poterit Centur. 1. Observ. 34. In alia tamen matronâ robustâ, & cōsistentis ætatis, per annos aliquot in corpore sine magno incommodo delituisse aciculas, observare mihi contigit Coloniæ, in hunc modum.

Anno 1612. Cum in Belgium profectus essem, à nobilissima quadam matrona in consilium adhibitus fui. Illa mihi exposuit, se ante annos sex, cum quodam die caput exornaret, & aciculas aliquot, ut solent mulieres, in ore retineret, eas

36. 37. eas inopinanter deglutiisse, statimq; pungitivos dolores, sed non usque adeò vehementes, in Oesophago exortos fuisse, eosq; tamen adhibitis præsidiis quibusdam à Medicis præscriptis, paulatim remisisse, præterquàm quod ab eo tempore inter comedendum, præsertim deglutiendo cibum solidum, adhuc dolorem fixum in Oesophago percipere se ajebat. De dolore quoque pungitivo in fundo ventriculi, uti & in quibusdam aliis partibus ventris, conquerebatur, præsertim post pastum, forsan quòd aciculæ ab onere cibi deprimebantur. Ex quibus omnibus facilè colligere mihi fuit, diversis in locis aciculas adhuc delitescere.

Consului, ut medicamento lenitivo corpus per intervalla expurgaretur, si forsan hoc modo aciculæ suo loco amoveri possent. Deinde ut usum olei amygdalarum dulcium cum saccharo in formam Electuarii mixti, familiarem sibi faceret, & singulis diebus bis aut ter de hoc Electuario, & præsertim ante pastum, sumeret, idque in eum finem, ut beneficio olei dolor leniri, ulcera verò, si quæ forsan adessent, saccharo abstergi & consolidari possent. Hoc medicamento per menses aliquot, & quamdiu ego Coloniæ substiti, maximo cum fructu usa fuit, quid verò post meũ abitum cum ipsâ acciderit, ignoro.

OBSERVATIO XXXVII.

De gravissima Iliaca, propter delapsum intestinum, in herniosa quadam Matrona.

Viro Clarissimo & Doctissimo,

DN. JACOBO HAGENBACHIO,

Medicinæ & Chirurgiæ Doctori celeberrimo, Amico singulari;

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

QUinquaginta ferè sunt anni, Clarissime mi Dn. D. Hagenbach, à quibus circa ægros versor: interim herniosos aliquot à morbo extinctos esse, videre mihi contigit; herniosas verò nullas præter unam, idque maximis cum doloribus, integram historiam tibi communicare non gravabor, sed succinctè. Pietate & virtute ornatissima Matrona, Dn. Magdalena *zur Kinden*, 40. circiter annorum, Uxor Dn. Antonii Landawer, à multis annis Herniâ intestinali, quam ex difficili partu contraxerat, laboraverat, sine insigni tamẽ molestia: quapropter de subligaculo, aut splenio gestando nunquam fuerat sollicita. Quid fit? Quum 17. mensis præteriti per horas aliquot in horto suo occupata fuisset, ac interim intestinum in cavitatem illam, quam sibi à longo tempore efformaverat, delapsum fuisset, at illa nihilominùs ad opera sua perficienda nimis intenta esset, & intestinum non retruderet, exortus est dolor, ita ut incurvato corpore domum se conferre coacta fuerit. Vbi cum dolores mirum in modum adaucti fuissent, & Vomitus supervenisset, accersitur Medicus, ille quamvis summam adhiberet diligentiam, symptomata tamen de die in diem, imò de hora in horam adaucta fuerunt. Tanta enim erat constipatio alvi (cujus causam, videlicet prolapsum intestinum, celabat ægra) ut neq; Enematibus, neque medicamentis per os sumptis, laxari potuerit. Non satis exponere possunt adstantes, quantos dolores dies noctesq; perpessa fuerit ægra, quantaq; fuerit vomitus violentia, ita etiam ut non solùm ea quæ assumebat, verùm & stercora ipsa ex ventriculo & intestinis rejiceret. Ego cum primâ Augusti, qui fuit 16. morbi, advocatus fuissem, & causam tantorum dolorum & symptomatum perquirerem, ægramq; monerem, ut verecundiam tantisper deponeret, donec ego ventrem ac hypochondria palpassem, protinus ubi anguis in herba latebat, inveni. In dextro enim inguine tumorem, pugni magnitudinem excedentem, durum item & dolorosum reperi. Porrò cùm marito & adstantibus Amicis significâssem, tumorem huncce tantorum malorum causam, ægramq; brevi morituram esse, admirati fuerunt omnes; Causa enim & essentia morbi ipsis erat incognita. Quapropter ipsis exposui, portiunculam intestini, abdomini inclusam, ibidemq; propter compressionem & inflammationem corruptam esse, idque post obitum manifestum fieri, totumq; latus lividum, tumorem verò nigrum futurum. Cùm verò & ipsa ægra, & astantes valde contendissent, ut manum adhiberem, protinus sacculos Emollientes, & dolores sedantes præscripsi, & applicui, hinc dolores circa Herniam aliquo modo leniti fuerunt, nihil quoque eâ die evomuit. Secundâ Augusti multum bilis & materiæ fœtidæ per superiora rejecit, Lipothymiæ quoque, & sudores frigidissimi supervenerunt.

Obs. 37.

Tertiâ Augusti, cùm ægra Enema acciperè vellet, illudq; uxor mea infudisset, ac interim dum operationem exspectaret, sacculis locum affectum foveret & tractaret, intestinum quoq; mirantibus nobis omnibus, feliciter & sine magna difficultate reposuit. Quapropter tumor in inguine mox subsedit, & excrementa multa, sed & quod admiratione non vacat, frustum intestini semiputridi, digitum, longum cum Enemate rejecit. Frustum autem illud videbatur esse intestinum cœcum, multum quoque pinguedinis excrementis permixtum erat. Videbatur quidẽ sibi ægra nonnihil sublevata esse, interim tamen ingravescentibus symptomatibus, sequente die, qui fuit 19. morbi, piè placidèq; obdormivit.

Vides, Clarissime mi Domin. Hagenbach, quàm facilis fuisset curatio, si ab initio causa morbifica Medico cognita fuisset; Sed serò Medicina paratur, quum mala per longas invaluere moras. Hæc fecit impudens & damnosa Verecundia. Præter hanc, ut antea dixi, nullam Herniâ extinctam me videre contigit. Pars enim affecta in mulieribus non facilè admittit, ut dilatatio atque sinus magnus ab intestino efformetur; quod tamen in Viris facilè fit, quando intestina in Scrotum descendunt. De gravissima Hernia in nobili Matrona vide Obs. 55. Cent. 1.

Ante annos aliquot nobilem herniosum vidi prope Lausannam (à Cuilli ad Lacum Lemannum) monf. Chalon nomine, cui cum quadam die intestinum in Scrotum delapsum fuisset, at

Obs. 38. æger propter verecundiã morbum absconderet, etiam uxori suæ, quam paulò antè duxerat, non indicaret, tandem miserè periit. His vale, vir Clarissime, & cum tuis omnibus æternùm feliciter vive. Bernæ 18. Augusti, 1626.

Observatio XXXVIII.

De lato lumbrico, & vulnere gravissimo capitis.

Pietate, Virtute, & Doctrina Ornatißimo Viro

DN. IOH. BURGAWERO,

Schaffhusiano, Medicinæ Candidato, Amico meo singulari.

Guilhelmus Fabricius Hildanus,

S. P. D.

FElicem successum itineris, simul & studiorũ vestrorum, Doctissime mi D. Burgavvere, tum ex literis tuis, tum etiam ex literis D. Monhemii maximo cum gaudio intellexi, Faxit Deus Opt. Max. ut studia vestra ad Dei gloriam commodumque proximi brevi absolvere, & feliciter ad vestros in patriam redire possitis. Causam cur hactenus ad tuas non responderim literas, ex D. Monhemio intelliges; quapropter ut mihi ignoscas obsecro. Ego per Dei Misericordiam mediocriter nunc valeo, & subinde in colligendis & scribendis Observationibus progredior. Tractatum meum de Christiana commessandi ratione, superiori æstate excuderunt hæredes D. de Bry P. M. sed Tu, qui Exemplar ad prælum descripsisti, & quidem quàm correctè, vix credes quàm sit mendis refertum commaculatumve. Facit id incuria Typographorum vel potius sordida ipsorum avaritia, dum expertum & aptum correctorem non adhibent. Excusus quoque est discursus Anatomicus, Germanico idiomate scriptus; in quo hujus artis præstantiam & utilitatem ostendo, junioresque Chirurgos Germanos, ad artem hanc, veluti clavem & clavum totius Medicinæ amplectendum, adhortor, illum unà cum sceleto, quod erectum apud me vidisti, Amplissimo Magistratui meo volente Deo brevi pro Bibliotheca hujus Collegii offeram. Artificium quoque, quo ego in connexione ossium usus sum, in gratiam studiosorum artis Anatomicæ adscripsi. Mitterem Tibi, uti & Dom. Monhemio Exemplar, nisi distantia loci, & motus belli obstaret. Hanc quoque ob causam suadeo, ne multum sis sollicitus de mittendis operibus D. D. Aqua pendentis P. M. etiamsi illa libenter viderem, uti etiam tractatum Celeberrimi atque excellentissimi viri Dn. Doctoris Spiegelii Equitis, de latis lumbricis. Quod si tamen commoda advenerit occasio, & liber magnus non fuerit, gratum mihi faceres, si exemplar miseris; De hac enim materia neminem antehac ex professo scripsisse arbitror. Tu vicinum nostrum, Den Wirth zu den Räblüten/ cognovisti, & de ipsius affectu audivisti. Observat. Ille à multis abhinc annis à lumbricicis latis excruciatus fuit, & ut ipsemet, ipsiusque domestici testantur, ultra centum ulnas longum hujus vermis, sed diversis temporibus, frustratim excrevit. Vivit ille adhuc, & quidem satis commodè, nondum tamen à morbo liberatus est. Quid de vulnerato, cui Mediastinum transfossum fuit, factum sit, data occasione scribe, vix ipsum evasisse arbitror. Interim tamen plerumq; monstra, ut refert Averroeis, in morbis fiunt. Vidi id quoque superiori hyeme in famulo generosi Equitis D. Ioh. Iacobi à Diesbach, viro robusto & 24. annorum: Obs. Ille cum benè potus esset, & dum equos curaret, in pavimentum cecidisse, tictum soleà ferreà equi ad ipsum os frontis, ubi crines desinunt, recepit, cum maxima fractura & impressione cranii; quapropter mutus ac semimortuus ad ædes generosi sui Domini deportatus fuit. Hic, divino aspirante numine, feliciter à me sanitati restitutus fuit, & ita quidem, (quod admirandũ) ut ne minimum quidem symptoma supervenerit, imò ne alteratio quidem in pulsu percepta fuerit, etiamsi Cerebrum per septimanas tres denudatum esset, ac interim viginti tres aut quatuor fragmenta cranii extracta fuissent. Integram historiam, volente Deo, in quinta Centuria videbis. Cæterùm tuo nomine amicos, quos nominasti salutavi, qui te resalutant omnes quàm amanter, præter Apellem nostrum D. Bartholomæum à Sarbruck, qui ante menses aliquot à nobis discessit, iterumque Basileam se recepit. D. Lerber præfectus Senaculi Te quoquoque salutat. Ille ab eo tempore quo ipsum ex gravissimo suo affectu umbilici, tibi notissimo curavimus, quàm optime vixit, neque ullum incommodum præcedentis mali tam gravissimi sensit. Domestici mei Te quoque salutant omnes. Hisce æternùm quàm felicissimè vale. Raptim Bernæ 6. Novembris, Anno 1624.

Observatio XXXIX.

De disjunctione ossis pubis in partu, & quibusdam aliis.

Ad

Eundem Virum Doctißimum, Dominum

IOHANNEM BURGAVVERUM,

Cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus

S. P. D.

POstremas tuas, doctissime, amatissimeq; mi Dom. Burgavver, octavo Martii accepi, ad quas Materias respondissem, nisi præsentem occasionem exspectassem. Valetudinem Tuam & optatum progressum studiorum tuorum, uti & Dom. Monhemii (quem jam dudum Patavinas Musas reliquisse arbitror) maximo cum gaudio ex eis intellexi. Statum familiæ meæ, ex filio, qui tibi has traditurus est, intelliges. Illum quum ad studia sua continuanda, & in praxi sese exercendi gratia, ad exteros mittere constituissem, Patavium aptissimum esse locum, mihi visum fuit. Quantum enim omnes partes utriusque Medicinæ, & imprimis studium Anatomicum

Obs. 39.


tomicum, ibidem floruerint hactenus, ac etiam nunc floreant, omnibus notissimum est. At quia ego, uti sæpissimè ex me audivisti, à juventute hoc studio oblectatus fui, percuperem quoque, ut filius hujus scientiæ cognitionem aliquam nancisci posset, illam enim clavem & clavum esse totius Medicinæ, in dies magis magisque experior, quod in tractatu quodam Germanico, & in gratiam tyronum Chirurgiæ scripto ostendo, si forsan eos ad hoc studium majori cum alacritate amplectendum, incitare possem. Quæso itaque mi Dn. Burgavver, ut prædictum filium meum commendatum habeas, & quemadmodum ante hac ipsi fuisti præceptor fidelis, porrò ipsi loco patris esse velis, quo Te duce & authore tempus, sumptusque cum fructu impendere, tandemq; solatio mihi esse possit. Hæc quia te facturum non dubito, pluribus non utor verbis, sed vicissim ad studia tua promovenda, si Deus vitam concesserit, promptissimum me fore, tibi promitto. Defluxiones ad articulos rarò me nunc, laus sit Deo, molestant; Vtor subinde pilulis post cœnam, & à vino generoso abstineo, Delectum verò in cibis, uti apud me vidisti, propter consuetudinem, nondum observare possum. Sed ut plurimùm quæ à domesticis apponuntur, comedo, & plerumq; salubriores negligo, sine magno tamen incommodo: *Quæ enim* inquit Hipp. *longo tempore assueta sunt, etiamsi deteriora sunt, in se minus nocere consueverunt.* Si quid ulterius de statu familiæ meæ & Patriæ scire cupis, ex filio meo intelliges.

Quæst. 1. ... ossa ... in ... dis... ...

Nunc ad Quæstiones, quas in literis his postremis proponis, paucis respondeo. Quæris primò, an ossa pubis in partu disjungantur, nec ne? Scio hac de re diversas esse opiniones inter medicos & Chirurgos rationales, & nonnullos disjunctionem horum ossium affirmare, alios verò negare. Ego ut ingenuè fatear, cùm in juventute arctissimam connexionem horum ossium in dissectionibus anatomicis observassem, in hac quoque fui sententia, videlicet impossibile esse in partu disjungi posse; praxis aliter me edocuit, & præcipue in extractione fœtus mortui aliquoties observavi, quid hac de re statuendum sit. Respondeo itaque, verissimum quidem esse, in partu non solùm ossa pubis, verùm etiam ossa Ilii ab osse sacro disjungi, id tamen plus aut minus fieri secundùm constitutionem parturientis, & fœtus conditionem. Si enim parturiens est juvenis & robusta, fœtus validus, secundum naturam situs, & ad partum naturalem dispositus, disjunguntur quidem nō solum ossa pubis & ilii; sed & ipsum os caudæ extrorsum reflectitur, nec tamen id semper percipit parturiens, nisi valde obscurè. Sin autem parturiens fuerit consistentis ætatis, constitutione corporis sicca, & imbecillis, fœtus quin etiam debilis, vel in transversum aut obliquum situs, immaturus aut planè mortuus, ita ut sine maximo conatu matris excludi nequeat, tunc profectò ossa prædicta tam videnter disjunguntur, ut non tantum ægra ipsa, verùm etjam adstantes in tactu facilè percipere possint. Hæc in uxore mea charissima, cum filium meum Petrum pareret, expertus sum. Hinc plerumque in praxi post difficillimos hujusmodi partus, stillicidium urinæ, imbecillitatem lumborum, & claudicationem consequi videbis. Cum enim collum vesicæ, comissuræ ossium pubis adhæret facilè, musculus ipsius in difficili partu propter disjunctionem horum ossium læditur relaxaturque; Cum ossibus Ilii & Coccigis eadem est ratio. Nervi enim ex osse sacro prodeuntes, & ad rura descendentes, in difficili partu propter prædictam disjunctionem compatiuntur, & à fœtu comprimuntur.

2. De usu cucurbitularum in impressione cranii.

Secundò quæris, quid de usu cucurbitularū in puerorum depresso cranio sentiam? Scribis enim, te ex familiari conversatione cujusdam viri magni nominis audivisse, usum cucurbitulæ, impresso puerorum cranio, applicandæ, nocere magis, quàm juvare, ideoq; reprobandum esse, eò quod dum capitis cutem violenter constringit & corrugat, ossa subtus fracta, magis à se mutuo separat, & versus interiora detrudit. Respondeo cum distinctione, si enim cranium fractum, cutis verò adhuc integra est, tunc revera nocebit cucurbitula, propter causas quas Tu recenses. Quapropter incidenda est cutis, quo ossa confracta extrahi possint: Tum enim non simpliciter nocent fragmenta cranii, propter impressionem, verùm etiam quia membranas pungunt. Poteris hac de re videre Centuriam meam primam, Observationem 15. Cranium verò puerorum quia adhuc molle & tenerum est, si absque fractura impressum fuerit, quemadmodum argenteis & stanneis vasis ex solidorum corporum collisione accidere videmus, tunc cucurbitulam cum fructu applicari posse, expertus sum, testatur id quoq; præstantissimus & ingeniosissimus Vir Dn. Ambrosius Paræus, lib. 10. cap. 6. uti & D. D. Petrus Pauvius Anatomicus, & Chirurgus longè excellentissimus, in suis, quos in Hippocratis librum, de vulneribus capitis scripsit, commentariis, mihi pag. 88. Ego ad hanc operationem loco cucurbitulæ, utor corneo instrumento, quod apud me vidisti, cujus delineationem habes Cent. 2. Obs. 5. & apud prædictum Dn. D. Pauvium, loco præallegato. Sit autem cucurbita aut corneum illud instrumentum ita angustum, ut centrum tantummodò impressionis occupet. Cucurbitula cornea, quâ ego utor, ejus est magnitudinis, ut hîc depicta est: sed de his plura videre poteris loco jamjam allegato:



Quæst. 3. de cancro.

Quæris tertiò, fueritne cancer verus, qui apud vos ex mamma excisus fuit, nec ne? Respondeo, materiam illam crassam, albam ac sevo similem, quam in meditullio ipsius tumoris cancrosi invenisti, nullam afferre posse dubitationem, verum fuisse cancrum. Id enim me quoque

Obs. 39. & 40. Nucleus cancri qualis.

observasse memini, utplurimum tamen nucleus cancri durissimus est. Subtiliores enim partes materiæ, ratione doloris in loco affecto coacervantur, & per ulcus effluunt, crassiores remanent, inque scirrhum concrescunt. Quod si dolor fuerit vehemens, continuus, & diuturnus, uti plerumq; fit in cancro exulcerato, humores indifferenter ad partẽ affectam confluunt, ex quibus biliosi facile evacuãtur per ulcus, uti & sanguis ipse (quotidie enim ferè sanguinem ex carnosis ulceribus exstillare videbis) attrabilaris verò in scirrhum, & pituita in sevum concrescit, quæ tamen tractu temporis propter malignam dispositionẽ humoris atrabilarii & intemperiem calidam partis affectæ, paulatim in scirrhum quoque concrescit, & naturam cancri induit. Habes doctissime atque amantissime mi Dn. Burgawer, paucis sententiam meam ad quæstiones propositas. Tu omnia benè consule. Dum hæc scribo, literas à D. D. Hagenbachio accipio, ex quibus intelligo, præclarum illud lumen Academiæ vestræ Dn. D. Spigelium, inquam Equitem D. Marci, vitæ suę finem fecisse, vehementer profectò doleo, tam propter vulnus ob hujus Viri obitum Academiæ Patavinæ inflictum, quàm quod filius meus à tanto viro erudiri non potuerit; ego Deum Opt. Max. suplex oro, ut Æsculapiũ aut Podalirium aliquem suscitet, qui ipsius provinciam in commodum & utilitatem juventutis, honoremq; Academiæ administrare possit. Hisce vale doctissime mi Dn. Burgawer, & æternùm quàm feliciter vive. Salutant te Domestici mei & reliqui amici omnes. Dabam Bernæ 9. Maii 1625.

OBSERVATIO XL.

De Generoso quodam hydropico.

Clarissimo Doctissimoq; Viro,

DN. LUDOVICO SCHARANDEO,

Doctori Medico, & Physico Reipub. Solodurensis Ordinario,

Guil. Fabricius Hildanus, S.P.D.

QUæ de optimo progressu Curationis tàm Dn. Kallenbergii, quàm Pueri Burgundi ad me scripsisti; Vir Clarissime, & Amice plurimùm honorande, mirum in modum me exhilararunt. Faxit Deus, ut optatum scopum brevi attingere possis. Verendum tamen est, ne sub steatomate, quod partem metacarpi sinistri occupat, caries ossis aliquã in parte inveniatur, quod & sæpissimè in praxi mihi videre contigit. Viscida enim materia illa, circa ossa collecta, plerunque (nescio quã facultate veluti abditã) ea contaminate priùs, quàm exteriùs apparere solet. Tuã præsentiã apud Generosum Virum, Dominum Baronem in Gorgier &c. frui, ante dies 14. frustrà sperabam. Sed prudenter fecisti, quòd ante maximas illas tempestates, quæ post abitum tuum supervenerunt, quasque ego in viã expertus fui, Te domum retuleris. Ea ipsa tempestas in causã fuit, quòd per octiduum ferè apud ipsum moram trahere coactus fuerim. Ab eo tempore de successu Curationis Generosi Domini Baronis nihil intellexi. Utebatur tunc Tabellis à Te præscriptis, & apozemate aperitivo & Laxativo, à Domino Gottroveo Freiburgo misso. Controversiam, quam inter Tuam Excell. & Dom. Doct. Crafftium de Specie morbi fuisse scribis, non usque adeò magni esse momenti existimo: cùm in Curatione nullam inter vos fuisse dissensionem, intellexerim. Dom. Doct. Gottrovius quoque, quantum ad Methodum curandi, Vobis consentit, uti ex ipsius præscriptis vidi. Ego Vestris consiliis ubique subscripsi: quemadmodum ex Consilio, quod Generoso Dn. ægro reliqui, videre poteris, si forsan denuò ad ipsum vocatus fueris. Non autem esse Anasarcam, Dn. D. Crafftius mihi concessit. In Anasarcã enim cùm propter labefactationem tàm primæ, quàm secundæ Concoctionis, progenita pituita (ut vocant) liquida, vi caloris nativi, (qui in hac hydropis specie vegetior est quàm in reliquis) ex hepate in universum corpus per venas deferatur, universũ quoque corpus, etiam facies, brachia, & manus intumescunt. Venter tamen minùs quàm in aliis hydropis speciebus in tumorem elevatur. Color item faciei mutatur, fitque pallidus. Hujus hydropis Exemplar superiori Autumno vidi in filiolo Dn. Abrahami Tiller; Civis hujus urbis, de quo plura tùm ad morbum, tùm etium ad felicissimam curationem spectantia, ex Monhemio meo, qui curationi interfuit, intelligere poteris. At faciem, reliquaque membra, quæ supra diaphragma existunt, in Generoso Dn. Barone non intumefacta, sed potiùs extenuata esse, testabuntur mecum, qui Generosum Dn. ægrum antehac cognoverunt. Facies quoque Colorem suum vividum, uti fit in Anasarca, in albidum vix ac ne vix quidem mutavit, sed eundem ferè semper retinuit. In Tympanite totum Corpus tabescit, præter ventrem, qui præcipuè tumet, & veluti vesica spiritu splena, extensus est, & si abdomen manu percutitur, veluti tympanum sonum edit. Nulla tamen fluctuatio persentitur, & abdominis moles minùs gravis est, quàm in Ascite. Hæc omnia superiore Autumno in filiolo septenni Dn. Jacobi Blauneri hîc vidimus, qui nullã industriã, nullisque remediis, quamvis ex arte adhibitis, ex Tympanite curari potuit. In Ascite partes corporis supra diaphragma extenuantur, reliquæ verò & inprimis venter, propter abundantiam humoris serosi, qui cùm ex ipsã substantiã hepatis in vacuum ventris, tùm etiam per venas deorsum defluit, mirum in modum intumescũt, & si digito compresseris, remanet fovea, uti in œdemate fieri solet. Gravitatem quoque maximam, murmur item & fluctuationem in ventre percipit æger, quando ex uno in alterum latus decumbit. Cùm itaque in Generoso nostro ægro non tantùm ventrem, verùm etiam reliquas partes inferiores omnes, præter genitalia, usque ad ungues pedum, præter modum intumefactas esse viderimus, quis dubitat, esse Ascitem? Quia tamen flatum in vacuo ventris unà cum sero collectum esse, ex sono percipitur, mixtum esse morbum, existimo; Videlicet partim ex serosis humoribus, partim quoque ex flatu progenitum, adeoque non simpliciter Ascitem, nec absolutè Tympanitem appellari posse; Magis tamen ad Ascitem, quam ad Tympanitem accedere arbitror:

plus

40.
41.

plus enim est aquæ quàm flatuum. Vidi id aliquoties in dissectionibus hydropicorum, videlicet præter humorem serosum, flatum quoque in abdomine collectum fuisse. Verùm, ut ab initio dixi, non usq; adeò magni momenti est controversia hæc. In hoc enim convenimus omnes, esse hydropem, eumque primariò esse ex hepate, propter intemperiem ejus calidam, partim innatam, partim quoque ex victus ratione acquisitâ, labefactato, maximisq; obstructionibus referto, indeque temperamentum reliquorum viscerum depravatum ac imminutum fuisse. Observavi & aliam causam morbi in Generoso nostro ægro, videlicet tussim illam præter modum vehementem, quâ ineunte hyeme laboravit: ex quâ hepar omniaque viscera, primæ & secundæ Concoctioni inservientia, per aliquot menses continuò, adeoque concussa & commota fuerunt, ut officio suo fungi minimè potuerint. In Curatione prætereà nulla quoque inter nos est discrepantia. Primò enim Materiã peccantem digerendam, concoquendam, atque tùm per alvum tum etiam per urinam & sudorem evacuandam; Vias prætereà & obstructiones reserandas, intemperiem viscerum corrigendam, partesque omnes, tàm vitales quàm naturales & animales, corroborandas esse, & ore & pennâ consuluimus omnes. Hæc raptim & tumultuanti calamo ad Te scribo, Vir Clarissime. Tu ut omnia pro tuâ in me benevolentia benignè interpretari velis, obnixè rogo. Vale cum lectissima Tua Conjuge, quam Tecum ego & uxor mea salutamus peramanter. Bernæ 12. Martii. 1623.

OBSERVATIO XLI.

De duobus Asciticis, per venę sectionem, in apice digitorum annularium factam, curatis, historia singularis.

Viro Clarissimo

GUILHELMO FABRICIO HILDANO, Reipub. Bernensis Medico-Chirurgo ordinario.

IEREMIAS ERHARDUS, M. D. S. P. D.

Trimestre ferè est, Nobilissime & Clarissime Vir, fautor & amice honorande, cum tuæ literæ adjuncto consilio de affectu nostri Ludovici Berckenmair, nec non tractatu tuo de conservanda valetudine & Thermis Vallesianis & Piperinis, per Dom. Doct. Gregorium Horstium, mihi Vlmâ huc mittebantur; quarum intuitus summo certè gaudio me afficiebat, præsertim cum intellexerim, te Pestilentiæ, quâ tenebaris, virulentiam superasse. Verùm eheu! multò superavit lætitiam hanc triste nuncium Clarissimi nostri Horstii, quod ex relatione Dom. Doctoris Ludovici Schmid, Archiatri Durlacensis, fato te cessisse narrabat. Credidi ego, condolui Reipubl. Machaoniæ, deploravi, beato Fabricio benedixi, atq; idcirco responsum intermisi, cum sciam Manibus nobiscum ulterius Colloquium esse denegatum. Sed ecce idem noster Horstius detersit rursus oculis lachrymas, cum ante 14. ferè dies redivivum te mihi nunciabat, Deo sit laus, hic te Nestoreos annos conservet tuis, mihi totiq; turbæ literariæ.

Interim quid de affectu Domini patientis mei sentias, consilium tuum eruditissimum satis superq; demonstrat, atq; meam opinionem, quæ tam in causis, quam curatione tecum planè convenit, confirmat; Cui etiam in plurimis parere patiens consensit. Ante paucas septimanas fonticulum brachio sinistro adposuimus; alterius, verò brachii, ut & setaceum, planè respuit. Thermas Piperinas, quamprimum tempus concesserit, visitabit; ubi absq; ullo dubio commodior erit occasio tecum correspondendi. Interim de Instrumento quodam crus fulciente, summè quidem sollicitus est, nec dubito, quin illius ope posset incedere, sed artificis detestanda negligentia hactenus illum voto suo privavit. Vnicum est de quo in cura hujus affectus adhuc dubito: an nimirum callus intra patellam jam contractus sit, nec ne: Mihi hac de causa non videtur, quum aliqualis, minimus licet, cruris motus adsit. Quâ ratione motus, emollientibus adhuc & anodynis insisto, quibus si nihil effecero, ad minimum nervis & tendinibus strictioribus benè fecero. Verùm de statu patientis moderno, pluribus te ejus literæ docebunt. Quæ de affectu Nobilissimæ cujusdam puellæ scripseras, ejusdemq; miraculosa sanatione, lubens legi & pro communicatione gratias tibi ago; plurima sæpe tentat natura, quorum ne cogitatio quidem mentes nostras ferit. Verùm ut rescribendi major tibi sit occasio, En! Binos non ita pridem curavi Asciticos: prior erat Georgius Lidel, Nobilis prætor in Thansufano opido Vir 62. annorum: altera cujusdam aurifabri, Bassalacquæ ei nomen est, uxor, Augustæ 24. annorum: summis angustiis circa pectus aetinebantur, ita ut vix hypocaustum potuissent transgredi, symptoma quidem est huic morbo familiarissimũ & molestissimum. His nec deobstruentia, nec purgantia, nec diuretica, nec asthmati alias conducentia, ullum ferebant levamen. Post incisionem venularum capillarium, in apice digitorum annularium, suasu Chirurgi cujusdam, experientiam singularem contestantis, tentatam, in dies remisit Dyspnæa, atq; in hunc usq; diem benè habent. Quæso quæ ratio?

Obs. 41. & 42.

Observatio de curatione Asciticorum.

Hisce cum tua familia millies vale, & me amare perge. Dabam raptim Augustæ Vindelicorum 17. Martii Anno 1629.

OBSERVATIO XLII.

De fonticulis in hydrope.

Clarissimo Doctissimoq; Viro,

DN. SIMONI OBSOPÆO, Medicinæ Doctori ac Professori in vetustissima Archi-Palatinâ Academia celeberrimo, Amico singulari,

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

Quod res tuæ, Clarissime excellentissimeq; Domine Doctor, Amice perpetuò honorande, in melius jam vergere cœperint, ex consultissimi Dn. D. Pastoris ad me scriptâ epistolâ, singulari cum gaudio intellexi; Quo quidem nomine ante omnia Deo Ter Opt. Max. devotas ago gratias, ejusque Numen sanctum supplex posco, ut suam porrò quoque benedictionem ita Tibi largiatur, quò integram tandem valetudinem rursus acquirere possis. Ego certè, si meo vel consilio vel auxilio qualicunq; Excell. Tuæ uspiam inservire

Obs. 42. vire potero, nunquam committam, ut meo me desulsse officio, jure quis conqueri queat: hac inprimis occasione, quam Dn. D. Pastor ipse mihi jam offert, dum majorem in modum à me petit, ut meam de fonticulis sententiam Tecum communicem.

Tumor ventris & tibiarum. Quantum autem ventris atq; tibiarum attinet tumorem, is quod adhuc ex reliquiis opilationum, quæ præcesserunt, bonamq; internarum partium temperiem destruxerunt, scaturiat, absq; dubio te non latebit. Cùm verò ipsa jam viscera indies meliusculè habere comperias, ut ex prędicta Dn. D. Pastoris epistola percepi, adeò quidem ut & appetitum erga cibum & somnum quoque modicum rursus adesse sentias; Vires quinetiam omnes aliqua iterum incrementa capere animadvertas, non dubito, quin idem quoque tumor pedetentim in auram vel fumum sit abiturus, præcipuè verò si Dominus naturæ, quantum fieri poterit, ipse etiam adjumento erit, ita ut quotidie ad obstructiones tollendas aliquo medicamine utatur. Quum autem difficilè admodum ac molestum stomacho sit, si apozemata, vina medicata, & illepida hujusmodi pharmaca similia, singulis absorbere diebus cogatur, non possum, quin Domino significem, me hoc in casu, relictis jam dictis, ad salia, veluti absinthii, Hypericonii, Centaurii, Eupatorii, utriusq; Veronicæ, ut & cremorem Tartari, ceu sacram (quod ajunt) Anchoram confugere, ex iisdemq; non vulgare commodum atque emolumentum percipere. Maximo etiam cum fructu fæculam rad. Ari exhibeo hoc modo ℞. Fæcul. Ari, cremoris Tartari an. partes æquales: misceantur, & cum jusculo carnis aut tantillo vini albi, exhibeantur à scrupulo uno, ad scrupulos duos. Atqui sic & gustui gratum, & obstructionibus accommodatum parare soleo medicamentum. Aliquãdo itaque loco cremoris Tartari, salia assumere posses, nisi fortè ideò quod adhuc aliquantulum lixivium redoleat, adversari ea ac respuere velles. In iis autem, quorum viscera adhuc debilia sunt, & languent, parum confectionis Alkermes & aquæ cinnamomi adjicio. Quum itaq; internæ partes hisce remediis paulò magis adhuc levatæ atq; curatæ fuerint, in ambabus tibiis, vel ad minimum in dextra, confici fonticulus absq; periculò poterit. Atqui tum illius auxilio internæ partes ab excrementitiis humoribus, non sine maximo valetudinis tuæ commodo, expurgabuntur. Quoniam verò tumor ille tibiarum Domino suspectus esse videtur, haud abs re erit, si ante applicationem causticorum eas fasciis, imo à pede incipiendo, & usque ad genua progrediendo, arctè & strictè deligaverit. Antea tamen in decocto Absinthii, Centaurii, Scordii, Salviæ, Betonicæ, origani, Rosmarini, granorum juniperi, & similium, cum aquâ & sale parato, eas madefacere calidèque applicare convenit; idque vesperi potissimum, ubi cubitum es iturus: interdiu verò, præcipuè cùm è domo exire foras, aëriq; frigido te committere volueris, decocto illas imbuere non oportet; consultiùs enim est, ut tum siccæ applicentur.

Salium usus. *Pulvis deopilativus.* *De fonticulis.* *Fasciarũ usus in tumore pedum.*

De affectu Cæterùm quod affectum Uxoris consultissimi Viri Domini Licenciati Scheidmanni concernit, est quidem ille à festo nativitatis Christi, (quo ægram Heidelbergæ primum visitavimus, eique rebus non aliter ferentibus, curam, ut loquuntur, palliativam tantùm præscripsimus) non factus deterior, nisi quòd labia (quæ tum temporis, propter applicationem medicamentorum escharoticorum, putrida & cadaverosa, adeòque aliquantulum depressa quoque videbantur) jam rursum parumper excreverint. Aliàs satis commodè Domina valet, & tam cibo, quam potu mediocri cum appetitu fruitur: nisi quod scirrhus, qui sub brachio latitat, suum ferè antiquum hactenus obtinuit, illas quinetiam, quas nosti, vellicationes nondum remiserunt. Advocavit hisce diebus Dominus Scheidmannus Barbitonsorem quendam, nomine M. Georgium N. Zvvingbergensem in viâ montanâ, non longè ab oppido Bensheim habitantem; Qui quidem ipsi tanquã alter Æsculapius commendatus, stipulatâ manu pollicebatur, sanctèque jurabat, se cancrosum illud ulcus Dominæ Ol: Martis atq; Veneris perpaucos intra dies, absque ullo vitæ periculo, quin imò sine omni dolore, erosurum atq; absumpturum esse. Quoniam verò Domina maximo suo ipsius damno prohdolor cognoverat, quantam malorum iliadem acria ejusmodi atque corrosiva medicamenta sibi peperissent, morem homini isti gerere noluit: quippe quæ jam firmiter mamam ulcerosam ferro abscindendam esse statuerit; quem quidem in finem illius corpus jam idoneis catarcticis præparamus. Faxit Cœlestis Pater ac Deus misericors ut, ad quem aspiramus, nobisq; præfiximus scopum, citò, tutò, jucundè collimemus. In scirrhi cura hac vice nihil tentabimus, sed cum nunc missum facientes, commodiorem occasionem expectabimus. Quod si E. T. prædictum Barbitonsorem novit, ejusque vitam ac praxim & in ejusmodi affectibus percurandis peritiam atque dexteritatem, aliquo modo cognitam atque perspectam habet, ut de eo nos certiores faciat, rogamus, id enim si feceris, non solùm mihi, verùm etiam Dn. Scheidmanno, tàm gratum id, quàm quod gratissimum erit. Hisce commendo E. T. protectioni Divinæ cum totâ familiâ, eamque plurimùm salvere ac valere jubeo. Dabam Spiræ Nemetum 1. Martii 1619.

Obs. & D. Scheidmanno.

OBSERVATIO XLIII.

De lapidibus in sinistro rene repertis.

Clarissimo atq; Experientissimo Viro, Dn.
GUILHELMO FABRICIO HILDANO, Medico & Chirurgo consummatissimo, Dom. & Fautori observando,
LUCAS IUSTUS, Archiater Bipontinus. S. P. D.

Clarissime atq; Experientissime Vir, Chirurgorum hoc seculo verè Coryphæe, quod tardius ad literas tuas 3. Calend. April. conscriptas, respondeam, nonnisi quod picturam lapidum Renum à te desideratam, citius habere non potuerim, ascribas velim; Historia sic se habet.


Illustrissima

[Ob]s. 43. [Ob]s. 44.

Illustrissima virgo annorum circiter triginta, optumo corporis habitu, sed paululum gibbosa, ex subito in proprio conclavi igne, ita perterrita fuit, ut menses ab eo tempore non amplius fluxerint; interea utcunq; se habuit, nisi quod aliquando de difficultate respirandi, nec non dorsi dolore, conquereretur, cujus nomine etiam ab Archiatris varia tentata fuere remedia. Elapsis verò sedecim annis, computatione à retentione menstruorum factâ, prædicti dolores magis magisq; intenderunt, ut mors tandem subsequuta sit. Corpus cùm conderemus, spinam dorsi instar majusculæ literæ S. binos etiam lapides, magnitudine ac colore ad vivum hîc delineatos, in sinistro rene inveni; En & Ecce naturæ lusum!

[Do]lor ex [...]dine [...]igre- [...]em té[...]

Cæterùm pro transmisso libro Lithotomia Vesicæ inscripto, gratias, quas possum, habeo & ago maximas, studebo ut ἀντίδωρον sim gratus. In secando Calculo de variis manualibus operationibus dissesis, & quæ ex eis præferenda, doces: inprimis verò summam dexteritatem Petri Franci probas: qui non statim à facta incisione. Calculum (nisi is ultro se offerat) extrahit, sed vulnus fasciis ligat, & post aliquot dies, viribus ægri recollectis, adaptatis instrumentis calculum elicit. Ego certè hoc non possum non magni facere. Improbant verò nonnulli hos tuos labores, quod vernaculâ nostrâ linguâ librum publici juris feceris, sed quid, an non plerique nostri Lithotomi ita aliquando sunt frigidi, ut monitore opus habeant? His vale Biponti 28. Novemb. Anno 1626.



OBSERVATIO XLIV.

De Ulcere Renis, & ingenti abscessu inter peritonæum & musculos, exterius rupto.

Viro Amplissimo, Doctissimo,

DN. JOHANNI KUFFERO

Doctori Medico Argetinensi longè celeberrimo, Amico meo singulari studio observando,

Guil. Fabricius Hildanus S. P. D.

TAm securus & confirmatus sum animo, de synceerâ tuâ erga me benevolentiâ, & amicitiâ, Vir Amplissime, & Amice Integerrime, ut verissimè credam, Te longum silentium meum non sinistrè, sed benignè interpretaturum. Obstiterunt enim negotia, quò minùs ad Te scribere potui: deindè etiam morbus gravissimus, quo hac hyeme per menses aliquot periculosè laboravi. Convalui tamen, & nunc cum meis omnibus optimè vivo. Laus sit Deo, quem, ut Te unà cum Lectissimâ Conjuge, liberisque dulcissimis æternùm benignè conservare velit, ex corde precor.

Cæterùm, Vir Amplissime, hisce diebus cùm Soloduri ab ægrâ quadam, unà cum Doctissimo Viro, Domino Ludovico Scharandæo, ejus Reipub. Doctore Medico ordinario & celeberrimo, in consilium adhibitus essem, quæstio nobis proposita fuit: Acidulæ Griesbachenses an ægræ sint proficuæ, nec ne? Nobis quia in affectu isto, quem mox Tibi ob oculos ponam, suspectæ semper fuerunt acidulæ, suasi, ut Medico alicui, in Viciniâ harum acidularum, quiq; earum ampliorem cognitionem haberet, nodus iste solvendus proponeretur. Cùm itaque & Dom. Doct. Scharandæo, & marito ipsius ægræ, amicitia illa atque familiaritas, quæ inter nos est, nota esset, petierunt, ut ad Te scriberem, consiliumque expeterem. Ægra enim antequam se itineri accingat, quid de usu acidularum sperare debeat, scire percuperet. Quapropter summoperè Te rogatum volui, ut hac in re nobis gratificari non graveris. Casus autem talis est:

Historia hujus affectus.


Nobilis & singulari virtute prædita matrona, Domina Magdalena Biss, strenui ac Nobilis Viri, Dn. Werneri Saler, Consulis Solodurensis Prudentissimi Conjunx, quæ jam quadragesimũ aut circiter, agit annum, Anno 1617. circa finem Januarii, de dolore quodam gravativo lateris dextri conqueri cœpit. Circa costas autem mendosas, & versus altiorem partem hepatis primò exortus est, deindè paulatim versus regionem renis dextri descendit. Nullam tamen hujus doloris causam externam dare potest. Urina, uti Dn. D. Scharandæus diligenter observavit, statim facta est turbulenta, & non diu pòst purulenta. Supervenit quoque febris & nausea: præcipuè autem carnem adversabatur. A D.D. Scharandæo adhibitis medicamentis quibusdam, acidulas Griesbachenses Solodurum asportandas curavit: quas cùm ipso mense Januario & Februario bibisset, appetitum recuperavit: maximam quoq; copiam excrementitiorum humorum cum urinâ excrevit: interim tamen dolor ex toto non cessavit. Sequenti mense Augusto cùm thermas piperinas in Rhœtiâ inviseret, dolores adeò adaucti fuerunt, ut ab eo tempore nunquam ab ipsis immunis fuerit. Anno 1618, mense Februario, prędictus dolor mirum in modum auctus fuit. Præter D. D. Scharandæum itaque Dominum Doctorem Martinum Chmieletium, Basiliensem Medicum Clarissimum, in consilium adhibuerunt. Corpus iterum ex arte expurgatum; Venæ brachii ter, pedis verò semel sectæ fuerunt. Per intervalla quoque aquam acidam Griesbachensem bibit, nec sine fructu. Interim purulentam materiam per urinas continuò, per intervalla quoque arenulas excrevit. Sæpissimè quoq; filamenta semidigitum longa in lotio cpnspecta fuere. Auctis doloribus è regione renis, & ego quoque vocatus fui, Anno 1618, 23. Junii, ut quid facto opus sit, cum Dn. Doctore Scharandæo deliberarem. Iterum expurgato corpore, inunctionibus, fomentis, Cataplasmatibus, & similibus tentavimus, an dolores sedari, & materia contenta in halitum resolvi posset, sed frustrà. Quapropter

Vrina sabulosa cũ filamẽtis excreta.

Obs. 44.

propter ad suppurantia pervenimus; Sed & nec eis materiam ad suppurationem attrahere potuimus: quapropter sextâ Julii, paulò ante prandium, etsi in cute indicium nullum abscessus appareret, Caustico tamen meo, tibi noto, escharam

Caustico inducitur Eschara.



hujus magnitudinis, sine dolore, è regione renis, aut paulò magis versus umbilicum, induximus. Sub vesperâ, ad carnem ferè vivam usque, Escharam scalpellis ad id aptis exscidi: quæ quia nondum satis profunda, nonnihil de eodem caustico ad fundum incisionis imposui. Sequenti die cùm per reliquam escharam ad materiam purulentam usque, incisionem prosequutus fuissem, pus album & benè coctum copiosè effluere cœpit. Primâ tamen vice, ne vires prosternerentur, ultra uncias quatuor non evacuavimus. Circa vesperam iterum multum effluxit, uti quoque sequenti die: tùm trutinatâ materiâ, repertum fuit, spacio viginti quatuor horarum, ad uncias tredecim effluxisse. Exindè Symptomata omnia, quæ gravissima, veluti febris, nausea, Lipothymiæ, vigiliæ, & hujusmodi, paulatim imminuebantur, inprimis dolor tùm lateris dextri, tùm etiam è regione ventriculi, qui ægram ab initio morbi adeò exercuerat, ut sæpissimè culcitram vix sufferre posset, remisit. Dolor insuper totius, cruris dextri, qui ante incisionem abscessus vehementissimus fuerat, nullisque remediis sedari potuerat, sequenti nocte imminutus est, & intra paucos dies evanuit, nullis adhibitis remediis: Pus tamen per mensem integrum, & diutiùs copiosè emanavit. Ubi notandum, ante incisionem abscessus, sæpissimè in urinâ grumos sâguinis, magnitudinem lentis vix excedentes, conspectos fuisse, qui post apertionem apostematis non ampliùs per urinas, sed cum ipso pure per ulcus excernebantur. Materia quoque purulenta minùs copiosa in urinâ reperta fuit. Undè facilè collegimus, abscessum esse inter musculos & peritonæum, communionemque cum rene habere: quod postea manifestiùs apparuit, cùm materia serosa puri permixta per ulcus efflueret; Per quas autem vias id factum fuerit, non facilè est scire. Casum escharæ sequenti unguento anodyno & digestivo, ut vocant, promovimus:

XIII. unciæ puris effluxere.

Grumi sanguinis in urina conspecti.

Digestivũ pro Eschara.

℞. Ceræ novæ ℥j.
Colophoniæ, &
Gummi Elemi an ℥ß.
Croci ℈jß. Cum oleo Rosaceo, & amygdalarum dulcium q. s. fiat unguentum, addendo vitellum ovi. Sic satis digesto ulcere, pulvere præcipitato, diligenter præparato & rectificato, nec non butyro recenti mixto, ulcus mundificavimus. Tandem balsamo Tolutano turundis imposito, circa finem mensis Augusti, consolidatum ulcus & cicatrice obductum fuit. In applicatione autem pulveris prædicti, quod notandum est, inflammatio aliqua gingivarum, & salivatio, non minùs ac si hydrargyro inuncta fuisset, sequuta est, tàm est delicatula & tenuis textura.

Porrò dùm circa Topica occupati fuimus, in reliquis nihil prætermissum quoque fuit: victus rationem optimam observabat: frequenter trochiscos Gordonii, ad drachmam unam cum lacte caprino, nonnunquam quoque nonnihil therebinthinæ, & trochiscorum alkekengi jejuno ventriculo; post cœnam verò serum lactis cũ saccharo rosato exhibuimus. Cùm autem medicamenta in formâ potionis, nonnisi cum difficultate sumeret, frequenter exhibuimus sequentes pilulas, pondere duorum scrupulorum, & paulo pòst jusculum carnis, sine pane superbibendũ dedimus, quò medicamentum eò meliùs in ventriculo dissolvi, & ad locum affectum pervenire posset.

℞. Therebinthinæ præparatæ cum decocto agrimoniæ, veronicæ, alchymillæ, saniculæ, pyrolæ, & liquiritiæ ℥vj.
Pulv. Liquiritiæ ℥ij.
Spiritus therebinthinæ rectificati ℈ijß,
Misceantur; & fiat massa.

Interim dùm his utebatur remediis, Symptomata, uti dixi, remiserunt: vires quinetiam paulatim recuperavit, pus tamen quotidiè cum urinâ excrevit. Quapropter consuluimus, ut usum trochiscorum Gordonii, & præscriptarum pilularum, nequaquam intermitteret. Ad tempus quidem paruit: tandem verò, cùm ab usu medicamentorum nauseabunda facta fuisset, eorum usum intermisit: satis tamen feliciter & commodè vitam traduxit, usque ad mensem Junium, Anni 1619: tùm iterum de dolore lateris malè affecti conqueri cœpit, ita quidem, ut secundâ Julii iterum coacti fuerimus applicare causticum, & eodem modo, quo & antea, omnes musculos usque ad peritonæum perforare; Non tamen in eodem loco, sed nonnihil altiùs, & magis versus musculum rectum abdominis; Pus iterum, quẽadmodum & antea, copiosè effluxit. Cicatrix quoque præcedentis ulceris post menses aliquot rupta fuit. Tùm funem sericeum per utrumque ulcus traduximus, in eum finem, ut forsan hoc modo materia liberiùs effluere, & affectus in fine tandem sanari posset. In eundem quoque finem decoctum Traumaticum ad tempus exhibitum, & ulceribus siphone injectum fuit: sed frustra laboravimus. Paulatim enim materia deorsum versus coxam delapsa est. Quapropter cùm multa variaque medicamenta, tàm interna quàm externa, etiam sudorifera sine fructu sumpsisset; Tandemque thermas Badenses Helveticas inviseret, iterum collecta fuit materia, ideoque versus musculi latissimi medium, & ferè eo in loco, ubi Vesalius ipsum tabulâ decimâ X. notavit, Badenæ, præsente Dn. Doct. Scharandæo, aperta fuit vomica; Ex qua rursùm pus copiosè effluxit. Mansit aliquandiu in thermis, deindè domum rediit, ubi nunc utcunque commodè vivit: ulcera tamen etiamnum aperta sunt, ex quibus quotidiè pus exstillat, non tamen usq; adeò copiosè: urinas quoque adhuc purulentas quotidiè reddit.

Obs. *Vnit... salia... dicam... taque... hibiti...* *Pilu...* *Rest...*

Cæte-

Cæterùm cùm maximam confidentiam in acidulas Griesbachenses posuerit tùm ipsa ægra, tùm etiam maritus (qui jam aliquoties in calculo renum eis cum fructu usus fuit) summoperè à Clarissimo Viro exposcimus omnes, ut mentē suam nobis aperire non gravetur; Possitne eis cū fructu uti nec ne? Consolidationem quidem ulcerum non tantoperè expedit ægra: sed interna viscera, beneficio acidularum ab excrementitiis humoribus expurgari, novumque robur eis addi, ulcus quinetiam internum consolidari posse existimat; Domino Scharandæo verò, uti & mihi nonnihil suspectæ sunt acidulæ. Internas enim exulcerationes nondum obcalluisse, ex abūdantiâ puris, quod quotidiè cum urinâ effluit, perspicuum fit. At acidulas propter acrimoniam, quam ex vitriolo contrahunt, internis exulcerationibus adversas esse, experientia in aliquibus ostendit. Tibi verò, doctrinâ atque experientiâ longè excellentissimo quid videatur, scribe & significa: Primò an acidulæ huic subjecto cōveniant, nec ne? Secundò si conveniunt, quid circa usum earum sit observandum? Etenim an vulgari modo eis uti possit ægra nostra, dubitamus. Scimus enim, quemadmodum quoque testatur Tabernæmontanus, in suo aquarum thesauro, c. 4. eas renes viasque urinarias quidem ab excrementitiis & viscidis humoribus expurgare: verū harum partium ulcera consolidare posse, cum Tabernæmontano negamus: earum enim acrimonia consolidationem impedit. Itaque quidnam præter acidulas, pro consolidatione ulcerū internorum sit usurpandum, adscribe quoque. Nobis trochisci Gordonii, quarum descriptionē videre poteris apud prædictum Authorem, particulâ 6. cap. 10: uti quoque pilulæ ex terebinthinâ antea præscriptæ, vel decoctū aliquod Traumaticum, probantur.

Memini ego circa annum 1587, cùm primò Lausannæ praxi Chirurgicæ operam darem, à Dn. Claudio Auberio, Doctore Medico longè Celeberrimo, & amico meo singulari, exulceratione renum, syrupo Magistrali ex pyrolâ, saniculâ & alchimillâ, cum saccharo & melle conflato, curatam fuisse; Nihil tamen in universalibus prætermissis. Tertiò ascribe sententiam tuam, an ulcera externa sine periculo possint sanari ac claudi? Nos id absque dispendio vitæ fieri non posse existimamus. A multis enim annis ægram obstructionibus hepatis, & venarum mesaraicarum, nec non doloribus hystericis obnoxiam fuisse, certò scimus. Poteris id quoque ex præcedentibus colligere, ubi scripsi, dolorem lateris primò sub costis mendosis, hoc est, ut ego planè sentio, in gibbo hepatis incepisse. Manifestum itaque est, naturam sibi viam hancce pro secretione excrementitiorū humorum struxisse: quapropter non temerè obturandam esse.

Habes, Vir Amplissime, succinctam plenissimâ tamen descriptionem morbi, simul & quæstiones aliquot; Ad quas ut maturè nobis respōdere velis, obnixè rogamus. Operam Tuam nō in homines ingratos Te collocasse, experieris. His Vale, & cum Lectissimâ conjuge, liberisque dulcissimis feliciter vive diu, Bernæ, 6. Maii, 1621.

Hasce literas apertas Solodurum misi, ut si quid in ipsis omissum à me esset, id ab ægrâ ipsâ, aut à Dn. D. Scharandæo, qui perpetuò ægræ adfuit, adjungeretur.

Obs. 44.

Viro Clarißimo & Experientißimo, Dn.
GUILHELMO FABRICIO HILDANO,
apud Bernates Chirurgo Primario, Fautori & Amico meo singulari,

JOHANNES KÜFFER, DOCTOR
S. P. D.

Nobilis, Clarißime atq; Experientißime Domine Doctor, Literas tuas accepi, ubi ad longum recēses Medicam historiam cujusdam honestæ matronæ, quæ ut jam per quatuor penè annos gravi, ita curatu difficili & laborioso affligitur morbo. In cujus curatione licet multa & varia à variis Medicis adhibita sint remedia, iis tamen Dominam ægram usque huc integræ & pristinæ suæ sanitati restitui haud potuisse, non modò scribis, sed & meum in tam gravi casu consilium exposcis. Ad illas Vir clarißime, respondissem quidem quamprimùm, nisi inter cætera, quò minùs hoc facerem, duo haud contemnenda me deterruissent, quorum primum est rei propositæ difficultas, alterum verò ingenii mei tenuitas, cum exiguâ rei Medicæ experientiâ. Collatione namq; horum duorum à me factâ, tantam eorum inter se distantiam reperiri, quantā forsan est summitas Atlantis cælum sustinentis ad ejus radicem, adeò ut non citra rationem temeritatis & audaciæ me justè accusari posse existimaverim, si tam difficilem casum meâ tenuitate oppugnari posse præsumerem. Et hanc ob causam meum ad Te in proposito casu rescriptum hactenus distuli. Quoniam verò Nobilißimi & Prudentißimi D. D. Consulis, Mariti honestißimæ matronæ, literæ responsum urgent, sic insufficientiâ meâ posthabitâ, malo nesciens errare, quàm Tibi volens deesse, obnixè rogans, ut, si quæ minus rectè scripta tibi videantur, æqui boniq; ea consulere velis.

Quæstionum tuarum propositarum, quas à me dissolvi cupis, prima versatur circa materiam Remedii (liceat nunc dicere) indicati. Secunda circa usum administrandi dictam remedii materiam. Tertia verò circa quid agendum in Exulcerationibus externis. Harum solutionem aliter, quàm per indicationes, nunquam venabimur, quæ, ut nosti, sunt comprehensio juvantis cum comprehensione nocentis. Et quemadmodum hoc ultimum ordine naturæ præcedit ipsum juvans: sic quoque ordine methodi primò, quàm fieri potest, diligentißimè est disquirendum, & postmodum quàm citißimè executioni demandandum. Hoc enim benè cognito, faciliùs deinceps tuis Quæstionibus satisfacere licebit. Est autem indicans in tuâ historiâ enarratâ duplex; Curatorium videlicet & Præservatorium. Curatorium quidem ratione ulceris, quatenus est ulcus: præservatorium verò ratione materiæ ulcerantis. Cum itaq; ulcus sit soluta Vnitas, cum magnitudine imminutâ partis viventis, producta à materiâ corrodente: ob id indicationes hauriendæ sunt tam à rebus præter naturam, quàm à rebus secundum naturam. Si considero ulcus, ut est res præter naturam, tunc ex Galeno lib. 3. method. cap. ultimo, ejus primum indicatum per modum inventionis est Agglutinatio, seu Conjunctio labiorum ipsius ulcerū. Quoniam

Indicatio quid?

Vlceris definitio.

Obs. 44. verò præter Vnitatis solutionem etiam magnitudo partis ulceratæ est imminuta, tunc carnis iste defectus pro suo indicato Essentiali habet carnis generationem. Quodsi insuper & cutis substantia sit deperdita, de quâ non dubitandum: sic enim habent tua verba: (cicatrix quoque præcedentis ulceris post menses aliquot rupta fuit) tunc ejus præsidium indicatum est cutis generatio. Quæ cùm sit seminalis, sic vera cutis regenerari nequit, sed aliquid simile cuti est generandum, quod cicatrix appellatur.

Indicata hujus affectus. Habemus ergò ex tribus istis indicātibus, videlicet ex imminutione partis carnosæ, solutione unionis, & cutis deperditione, etiam tria indicata, è diametro indicantibus opposita, impletionem nempè cavitatis seu carnis generationem, Agglutinationem, & cicatrisationem. Quæ indicata ad effectum deducenda solius naturæ sunt opera, non Medici, cujus officium solum est, ut docetur cap. 6. lib. 3. Method. removere impedimenta, sine quorum sublatione à Medico facienda, ipsa natura suos jam dictos scopos assequi non potest. Sunt verò dicta Impedimenta, quæ Medico rationali summoperè consideranda, & quantum fieri potest, diligentissimè removenda veniunt, in duplici differentia: quarum prima cōsistit in læsione facultatis, altera verò in errore, ut nos loquimur, externo.

I. quoad læsam facultatem. Quod ad læsam facultatem attinet, de eâ hîc nil fari aut scribere licet: siquidem illa sola deprehenditur ex cognitione partis, cujus est facultas, quæ si affecta est, & ejus functionem consequenter lædi necesse est. Quantum autem ex Tuis scriptis conjicere possum, non ita vobis adhuc constat (pace vestrâ hæc dixerim) quæ partes internæ sint exulceratæ? Externos abdominis musculos si excipiam, qui & per spontaneum abscessum, & per causticum admotum ulcerationem haud levem intuentibus ad oculum exhibent. Evidens hujus nostri dubii argumentum præbent hæc verba, in historiâ sic scripta: Materia quoq; purulenta minùs copiosè in urina reperta fuit: undè facilè collegimus, abscessum esse inter Musculos & Peritonæum, communionemq; cum rene habere. Quod & postea manifestiùs apparuit, cum materia serosa puri permixta per ulcus efflueret. Quibus verbis, Renem in se habere essentialē exulcerationem, adhuc vos dubitare sequentia probant, dùm scribitur: Per quas autem vias id factum fuerit, non facile est scire, &c. Meo tamen judicio non ita difficile erit hoc novisse, si serosæ materiæ (sumatur nunc serum in proprio significatu) ortum & generationem, simul & vasorum communionem spectemus. Constat enim, serum esse excrementum jecoris, in cujus gibbâ parte suam perfectionem adquirit: è quâ facile potuit & fluere aut trahi, tùm ratione tenuitatis suæ, tùm ratione doloris, per easdem vias, per quas ferebatur sanguis ad partem ulceratam, maximè cùm descendentis venæ cavæ truncus, antequam in Iliacos ramos dividatur, quinque alios surculos de se promat, quorum duo primi, Adiposus nempè & Renalis, ad ipsos Renes, musculosus verò ad Lumbares & abdominis musculos, in quibus ulcus consistere dicitur, feruntur: in quibus, seu inter quos est magna socia communio, & talis, ut facilè per musculosum jam dictum rivum ad adiposum & renalem, videlicet ramulos, pus ipsum ferri, & è contra ex renibus per dictos meatus ad ipsum externum ulcus materia serosa derivari, non citra rationem potuerit; non obstante, quòd etiam pars materiæ serosæ etiam in longinquioribus ab hepate venis, nedum in propinquioribus jam dictis, semper cum ipso sanguine maneat commista, tanquam ejus vehiculum, usq; ad extremas capillares venas, ad ambitum corporis sparsas.

Demonstratur, quomodo serum per ulcus effluxerit.

Deindè verò de Rene exulcerato nullum vobis superesse dubium, ex Tuis hisce subsequentibus verbis conjicere possum, quæ sic habent. Dùm funem sericeum per utrumq; ulcus traduximus, in eum finem, si forsan hoc modo materia liberiùs efflueret, & affectus in Rene sanari tandem posset. Quibus quasi ratum fit, ex rupto abscessu unum ulcus non modo in rene dextro, sed & extra peritonæum ejusdem lateris, alterum separatim usque ad extremam cutim consistere. Nùm verò præter dictas partes etiam aliæ nonnullæ & nobiliores, sint affectæ eodem morbi genere, de hac re absens nihil certi statuere, & exindè de indicantibus à læsâ facultate sumendis minus, quid determinare possum. Id quod etiam de impedimentis ab errore ulceris externo desumendis dicendum. Qui error est communis vel proprius. Communis est vel Materia fluens ad partem ulceratam, vel Materia residens in parte ulceratâ. Illa prout varia est secundum speciem, vitium speciei, & causam generantem, sic quoque varia indicat præsidia: hæc verò etiam pro ejus multiplicitate, multa parit specialiora indicata. In quorum notitiam solùm devenimus, si perspecta nobis sit subjecti dispositio naturalis præterita & præsens, nec non alia, quæ eam comitantur: de quibus ne verbum quidem in historiâ relatâ, nisi quòd matrona ægra sit 40. annorum. Hinc ad errorem proprium nobis descendendum, qui etiam sua varia & distincta habet impedimenta, pro distinctione scoporum, ad quos collimare debemus. Si enim scopus sit carnis generatio, ejus impedimentum est excrementum duplex, necessariò generandum etiam ex probo sanguine, tenue nempè & crassum: illud ut humidum indicat siccans: hoc verò ut crassum detergens. Quorum neutrum primum gradum vel siccationis, vel detersionis transcendere debet. Sin glutinare sit animus, etiam tunc duo sunt impedimenta. Sanguis videlicet optimus affluens, qui indicat sui exsiccationem, validiorem tamen, quam in carnis generatione, & raritas carnis jam supra genitæ, quæ postulat astringens in gradu primo: Quæ duo indicata etiam in cicatrisatione locum habent, sed validioribus, quàm in agglutinatione, præstatur remediis. Quæ omnia impedimenta ulceris sanandi Galenus paucis complexus est verbis, cum ait: Vlcus est humidum: Sanum autem siccum, humidum enim dicitur ulcus, hoc est, ulcus tamdiu perseverat, quousque durat humiditas morbifica; & sanum est ulcus, hoc est, dùm morbifica humiditas est consumpta, quæ attinet ad Generationem carnis, Agglutinationem & cicatrisationē. Hinc mirum me non habet, quòd ab exhibito Traumatico & ulceribus injecto, nil levaminis sit subsequutum. Non debent enim talia exhiberi ulcere non planè deterso & exsiccato: secus namq; illud sorditiei genus mediantibus istis detinetur in parte ulceratâ, & serpere solet ulcerando semper novas partes, & aliàs priùs læsas gravius afficere. Quod & hîc accidisse, indè conjicere licet, quòd post illorum usum de novo facta & aperta sit vomica, de se reddens in hodiernum usque diem purulentam & materiam & urinam, signum haud dubie ulcerum malignorum & ægrè sanabilium.

Pro quorum curatione inprimis quæris: Num Acidu-

Obs. 44. mōt. cum dictâ Responsione de Acidulis.

Acidulæ in dicto casu & subjecto conveniant, necne? *Vt rationaliter quæstioni huic satisfiat, præsuppono, Renem dextrum ulcere adhuc sordido detineri, & externum ulcus adhuc cum simili quoque sorditie purulentâ consistere. Indicio hujus sunt verba tua hæc: ulcera tamen nunc etiam aperta sunt, ex quibus quotidie pus exstillat, non tamen usque adeò copiosè, urinas quoq; adhuc purulentas quotidie reddit &c. Ergo antequam consolidamus, primò materia purulenta est detergenda, ejus nova regeneratio inhibenda; cujus efficiens causa est meo judicio renum excedens calor, & vicinia inflammati hepatis tùm per se, tùm ex accidenti, ob usum Thermalium aquarum minùs convenientium, ob præcedentes acutas febres passas, nec non ob sæpè detentum pus, antequam erumperet. Materialis verò ipsius causa videtur ex præcedentibus morbis tanquam signis esse sanguis acris, biliosus, & adustus, qui & materiam regenerando puri aptam reddit, & partes affectas simul plus inflammare solet, cui accedunt obstructiones Mesaraicarum, cavi hepatis, à materiâ haud dubiè lentâ & viscosâ. Quæ imprimis est attenuanda, & incidenda, item sanguis refrigerandus, ejus acrimonia mitiganda, & quod alterantibus corrigi nequit, benignè evacuantibus id tollendum est; adhæc intemperies hepatis & renum calida frigidis contemperanda, & si quæ materia purulenta jam genita est, hæc simul abstergenda per meatus ulceratæ parti proximos. Qui scopi omnes nùm unico Acidularum usu præstari valeant, id ipsarum materiâ & facultatibus rimari solùm licebit. Quæ dependent à causâ materiali aciditatis in fontibus istis acidis, quæ magnâ ex parte ex calcanthi permistione meo judicio contingere solet, sed vapor calcanthosus solùm aquæ permisceatur, sive vapor supernè genitus ex Terræ ambientis frigiditate cogatur, & in aqueam & acidam quidem substantiam transmutetur, quæ postea in scaturigine fontis mista, totam dein reddit aquam acido sapore plenam. Temperiem verò istarum dixerim ego apertè esse frigidam & siccam, cum exiguo caloris igniculo, cum tenuitate substantiæ, quâ undiq; penetrat. Calor ideò exiguus, quia vapores haud multam habent caliditatem, deinde quia calor vaporis obtunditur ex aquæ frigiditate, ita ut vehemens esse non possit. Sic acidulas calidas nuncupabimus, non à qualitatis dominio, cùm frigidæ, ut dixi, statuantur. Effectus autem edunt proportionatos temperamento. Refrigerant enim, exsiccant, penetrant, crassas humiditates dissolvunt & incidunt, laxa astringunt, & roborant. Quibus additur Tertia facultas, nostro proposito apta, nempè quod renum & vesicæ passionibus opitulantur, calculum frangunt, arenulas & viscidam pituitam atque purulentam materiam detergunt, & per urinarios meatus expurgant, haud aliter ac alia ad id specifica remedia, omnium viscerum obstructiones item solvunt, & putrefactioni opitulantur. Quas jam enumeratas acidularum facultates omnes si variis affectibus istius Dominæ ægræ applicare velim, quibus jam per aliquot annos graviter fuerat divexata, non possum ipsi non suadere usum acidularum Griesbachensium, conditione tamen hac præmissâ, ut ante illarum usum, debitè ac probè ab omni excrementitiorum humorum genere tàm per phlebotomiam, si huic sit assueta, quàm alia alvina remedia sit purgata.*

Neque obstat authoritas Tabernæmontan, imò dictæ jam opinioni opposita. Siquidem & mihi satis constat, ulcera renum, maximè si sint valdè sordida, acidulis difficulter curari posse, quoniam earum astrictio tanta non est, quanta in isto continuo transitu seri & materiæ purulentæ forsan requiritur. Sufficit nunc si illarum beneficio consolidationis impedimenta supradicta tàm læsæ facultatis, quàm errorum externorum, corrigantur & tollantur, ad quorum sublationem, quæ conglutinationem utique præcedere debet, unicè nobis est confugiendum. Quodsi verò simul & reliquis ordine se subsequentibus aliis duobus indicātibus ulceris attendere cupiamus, aut possemus, non inconsultum meo judicio foret, si singulo aut saltem alterno mane, ante haustum matutinum, loco alterius roborantis remedii, iteraret solitam antea dosin istarum pilularum, quæ ex Terebinthinâ, tanquam basi totius compositi sunt confectæ, quibusq; antea feliciter fuit usa. Vesperi verò & intermediis diebus suo utatur defensivè roborante, ante & post haustum Medicinalem.

An Acidularum acredo ulceribus internis non sit adversa.

Quod verò acrimonia acidularum internis exulcerationibus adversa esse dicatur, illud quidem in pectoralibus & pulmonum quibusdam vitiis, nec non longis Dysenteriis verum esse, ab Experientiâ habemus; cui accedit autoritas Raymundi Mindereri p. m. magni istius Chymici & Medici, qui in suo de calcantho libello idem habet & affirmat. Secus se res habet in aliis ulceratis partibus. Quocirca primæ Tuæ Quæstioni à me sic responsum velim, quòd scilicet Domina ægra pro correctione sui mali liberè, & tutò uti possit in potu acidulis Griesbachensibus. Quid autem circa earum usum specialem potissimùm sit observandum, id requirit & Medicum præsentem, & exactam totius constitutionis affecti corporis notitiam, quæ ut plurimum communem earum usum vel in totum mutare, vel in quibusdam saltem aliqiud limitare solet, quam mihi absenti divinare non licet: sed, ut dixi, præsenti Medico & ejus discretioni omnia ad usum necessaria sunt committenda.

An ulcera hujus ægræ rectè serventur aperta?

Demùm etiam tuæ sententiæ facilè subscribo, dùm Vlcera externa in nostro subjecto, citra magnam sanitatis jacturam consolidari non posse neq; debere, affirmas. Nam, omissis multis rationibus & autoritatibus, ad illud ipsum sentiendum me adigunt ea, quæ præcesserunt ante ulceris externi apertionem, & quæ post sunt consequuta. Ante eam etenim aderant febris, nausea, lipothymia, vigiliæ, dolores acerbi &c. Quæ tamen omnia statim atq; abscessus ad rupturam devenerat; vel saltem remiserunt, vel in totum evanuerunt. Vt meritò ab istis juvantibus & lædentibus prægressis concludere liceat, ulcera ista externa esse aperta servanda, aut si per se casu conciderent, & consolidarentur, arte iterum esse de novo aperienda. Et hæc sunt, quæ per præsentium latorem ad Tuas Quæstiones currenti calamo, multisq; obrutus negotiis, respondere potui: quibus si non satis feci: saltem animus tibi satisfaciendi mihi non deerat. Cui omnia fausta precor, & me meaq; omnia officiosè commendo. Hisce benè vale, & mihi benè fave. Nobil. Clariss. & Experientissimos Dominos Doctores Medicos Bernenses, & Solodurnenses meo nomine officiosissimè saluta. Argentinæ, ex Musæo, 25. Iunii, Anno Christi Salvatoris 1621.

Obs. 45. & 46.

OBSERVATIO XLV.

Ex mictione sanguinolenta repentina mors.

ANno 1613. Mense Iulio, Nobilis quidam Lausannensis, Dn. FERDINANDUS LOVISIUS, Dominus de Chesau, & Chandans, quem honoris gratiâ, & propter eam, quæ inter nos fuit, familiaritatem, nomino: Vir pietate, & Virtute Excellens, cùm quadam die in publicũ prodiret, & cum subditis suis sermonem haberet, in deliquium animi incidit. Ex Pago suo Chandans Lausannam in Lectica deportatus, animam DEO piè placideque reddidit. Causa mortis fuit mictio sanguinis, quam per tres integras septimanas studiosè celaverat, & Vxori suæ vix, Medicis verò nunquam indicare voluerat. Verecundia, quæ Sanitati adversatur, plerumque necem afferre solet.

OBSERVATIO XLVI.

De admiranda Hæmorrhagia per Penẽ.

Viro Nobili Doctissimoq;

DN. FRANCISCO PROSP. GOTTROWIO, Reipubl. Friburgensis Helvetiorum Archiatro celeberrimo, ejusdemque Consiliario Prudentissimo, Amico singulari,

Guilh. Fabricius Hildanus, S. P. D.

ALiquoties mihi, Vir Clarissime, Amice Colendissime, cum Lithotomis, rerum Anatomicarum imperitis, negotium fuit: Vesicam enim ipsiusque collum, Venis, quæ alicujus momenti censeri possint, præditam esse, in dubiũ vocare ausi fuerunt. Atque hanc acceptam esse opinionem Lithotomorum Empiricorum in Germaniæ existimo. Ex isto porrò errore multa incommoda, & quidem gravissima sequuntur; In extractione enim Calculi, dum Hæmorrhagiæ & sanguinis, qui in Vesicam confluit, ibidemque in grumos concrescit, rationem non habent, & ut effluat, subsidia non adhibent, putrescit, & gravissima excitat symptomata; Videlicet dolores gravissimos, inquietudines, febres, Inflammationes, Gangrænas, tandemque mortem ipsam. Verùm enim verò rem aliter se habere, tibi, Vir Clarissime, omnibusque, qui fabricam humani corporis intelligunt, notum est.

Ut autem ignorantiam horum hominum exemplo quoque refellerem, rationalesque Chirurgos cautiores redderem, statui Historiam illam Observatione dignissimam, de Affectu Dn. ANTHONII MARIONIS, Centuriæ meæ inserere. Nequaquam tamen illam publici Iuris facere volui, nisi priùs ad Virum Clarissimum, ut qui ante me ad ægrum accersitus fuit, referrem ea, quæ Ego hac de re consignavi, qnod & nunc facio, submissè rogans, ut omnia perlegere, castigare, & si quid à me prætermissum fuerit, id adscribere non gravetur: inprimis autem obnixè rogo, ut Excellentia T. quantitatem sanguinis, ab ipso rejecti, à Dn. CAPITANEO Meister/ communi nostro Amico, qui etiam Curationi interfuit, aliisque astantibus expiscari, mihique significare velit. His Vale, Vir Clarissime, Consultissime, & cum tuis æternùm feliciter vive. Dabam Bernæ 18. Septemb. 1626.

Anno 1623. cùm Viri nonnulli juvenes Friburgenses, saltando ac currendo sese exercerent, accidit, ut quidam ex eis, ANTONIUS MARION nomine, homo viginti circiter annorum, robustus, & plethoricus, inter saltandum Perinæum contra extremum scamni angulum allideret, sine ulla tamen Cutis Vulneratione: quapropter etsi dolor protinus superveniret, maximus nulla tamen secuta est Hæmorrhagia, inde factum est, ut de affectu non usque adeò sollicitus fuerit: sed aliquo modo sedato dolore, cum reliquis suis Sodalibus hilaris esset. Sequente verò nocte adaucto dolore, cùm sanguinem copiosè emingere cæpisset, & intra paucos dies ad libras aliquot sanguinis per penem eminxisset, ac ita quidem, ut Vires mirum in modum imminuerentur, haud parum perturbatus fuit. Quapropter Nobilem & Clarissimum Virum, Dn. FRANCISCUM PROSPERUM GOTTROWIUM Reipubl. Friburgensis Medicum ordinarium atque celeberrimum, in Consilium vocare jussit. Is considerato periculo, in quo versabatur æger, autor fuit, ut Ego quoque accerserer. Quartâ itaque Martii, 1623. cùm ad S. ALBINUM, in agro Aventico situm, ad ægrum pervenirem, Vires, propter copiam sanguinis, per Penem rejecti, mirum in modum prostratas inveni: eâ quoque die, & subsequente nocte, ad libras circiter duas excrevit. De Vrina, quæ jam separatim cum sanguine permixta erat, non loquor. Sed quod admiratione non vacat, vidi his meis oculis, etiam præsente Dn. D. GOTTROWIO, ægrum grumos sanguinis, qui magnitudinem ovi gallinæ excedebant, sine insigni molestia & conatu per ductum Vrinarium excrevisse, tam valida erat in ipso facultas expultrix. Inter effluendum autem veluti gelatina erat, è momento tamen in grumos spissos concrevit. Vix credibile est, quantum sanguinis per penem eminxerit. Interim tamen, divino aspirante Numine, feliciter à nobis Sanitati restitutus fuit, & pristinas vires ita recuperavit, ut sequente anno in Galliam profectus sit, ubi in huncusque annum 1626. quo hæc scribo, castra regia sequitur.

Curationem autem ut sequitur, instituimus; Primò Victus rationem, quæ refrigerat, humectat, nutrit, & corroborat, præscripsimus 2. Sequentem Potiunculam bis in die, videlicet manè & vesperi propinavimus.

℞. Aq. Fragariæ,
Prunell.
Plantag. an. ℥.j.ß.
Syrup. de Papavere,
Althea Fernel. an. ℥.j.
Tripheræ magnæ cum Opio, ʒ.ij.
Misce fiat potio, pro sex dosibus, matutinis, & vespertinis.

Frequen-

Frequenter quoque interdiu nonnihil de sequente potione ex cochleare sumebat.

℞. Aq. Plantag.
Bursæ Pastor.
Centum nod. an. ℥.j.
Boli oriental. veri ʒ.j.
Confect. Alkerm. ℈iiij.
Syrup. de Papavere, ℥j.ß.

Misce. Perinæo sequens cataplasma applicuimus;

℞. Farin. hordei ℥j.ß.
Pulv. Balaustior.
Nucum cupress.
Rad. Bistortæ,
Tormentill. an. ʒ j.
Rosar. ʒ.ß.

Cum decocto rad. & foliorum Plantag. parumq; acet. rosac. fiat cataplasma, applicetur tepidè.

Imo ventri, quia de dolore extensivo, propter copiam sanguinis in vesica collecti, conquerebatur, hoc applicuimus cataplasma.

℞. Parietar. Malvæ,
Altheæ, an. m.j.
Flor. chamomill.
Melilot.
Sambuc. an. m.ß.
Sem. Lini,
Fœnogræc.
Anisi, an. ℥.ß.

Misce, fiat omnium Pulvis tenuissimus. Hujus pulveris R. an. ℥j.ß.
Farin. fabar. ℥iij.

Coquantur cum lacte Vaccino, fiatq; cataplasma, addendo Vitellos ovorum num. ij. Butyr. recent. ℥j. Applicetur tepidè. Regionem Renum sequente unguento inunximus;

℞. Vnguenti refrigerant. Galeni ℥iij.
Ol. Nymphææ, ℥j.
Camphoræ dissolut. in acet. rosac. ℈j.

Misceantur in mortario, fiatq; linimentum.

Cæterùm, quum propter maximam, & ferè incredibilem sanguinis deperditionem, & proinde Hepatis refrigerationem atq; labefactationẽ, secuta fuisset viscerum obstructio, & Cachexia, visum nobis fuit, ut sequente uteretur Syrupo Magistrali, qui non tantùm viscera reserat, sed & internum ulcus circa collum vesicæ, propter casum factum, consolidat;

℞. Rad. Fœniculi,
Petroselini,
Asparag. an. ℥.ß.
Herb. betonic. Scabiosi
Agrimon.
Veronic.
Alchymill.
Pyrol.
Sanicul. an. m.j.
Sem. Anis.
Fœniculi,
Vrtic. an ʒ.ij.
Flor. trium cordial.
Genist. Hispanicæ, an. p.j.
Liquirit. mundat.
Uvarum exacinat. an. ℥j.

Fiat s.a. decoctio in aqua fontan. ad consumptionem tertiæ partis: Colaturæ adde, Mellis despumat. & sacchari miscellanei an. ℔j. fiat Syrupus s.a. Aromatizetur speciebus Aromatici rosat. & Diarrhodon. Abbatis, an q.s.

De hoc Syrupo sumebat æger singulis diebus per tres horas ante prandium cochleare unum aut alterum. Sumebat quoque per intervalla ad ʒj. aut ʒj.ß. Therebinth. claræ, cum pulvere Liquiritiæ. His non sine admiratione multorum feliciter & perfectè sanitati restitutus fuit. Quid non potest Iuventus in corpore integris visceribus prædito?

OBSERVATIO XLVII.

De periculosa Hæmorrhagia per pudenda, in Puella.

Idem ad eundem.

CAsum illum gravissimum, quem vidimus unà in Dn. Antonio Marione, Vir nobilissime, Amice plurimùm honorande, nõ ita pridem consignavi, & ad T. Excell. misi. Ab eo porrò tempore, cum quâdam die adversaria mea revolverem, en incido in casum non longè absimilem, quem tibi communicare volui.

Anno 1622. 5 Decembris, Puella quædam ex nobilissima familia Bernensi orta, quinq; circiter annorum, cochleare oblongo manubrio, qualibus in Culina utuntur, in manu gerens, cũ ex scamno in pavimentum hypocausti decidisset, & mucrone manubrii infimam partem colli matricis, versus intestinum rectum vulnerâsset, tanta secuta est sanguinis profusio, ut Parens ipsa, & adstantes, non semel ad me dixerint, se nunquam credidisse, corpus tam exile ac juvenile, tantâ copiâ sanguinis præditum. Ad libras enim aliquot effluxisse, ausus sum affirmare. Restricto tamẽ sanguine pulvere nostro ad sistendum sanguinem, & refocillatis atque instauratis viribus, vulnus, quod ad intestinum rectum ferè usque penetrabat, brevi feliciter curavimus, & in hunc usque diem vivit.

Ex hac porrò Historia, nobilissime & clarissime Vir, apparet imprudentia Lithotomorũ quorundam, qui Hæmorrhagiam istis in locis esse pertimescendam, negare conantur. Videmus quoque, Pueris urgente necessitate, & præsertim in morbis acutis, venæ sectionem, quam vulgus tamen Germanorum tantoperè rejicit, sine ullo periculo administrari posse. Si enim in hac puella ad libras aliquot sanguinis, sine vitæ discrimine, effluxerint, quid quæso, obstat, cur Medicus rationalis ad paucas Vncias non extrahat? Sed de his judicium amplissimi Viri intelligere cupio. Vale, & æternùm feliciter vive. Raptim Bernæ, 18 Octobris 1626.

OBSERVATIO XLVIII.

De supressione urinæ.

Obs. 48.

Viro Generoso,

DN. THEODORO DE MAYERNE,

Domino in Aubonne &c. Serenissimi & Potentissimi Iacobi I. Regis Magnæ Britanniæ &c. Archiatro celeberrimo, Domino & Amico singulari studio observando.

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

IGnosce Generosè Domine Baro, quòd nuperrimè ante abitum meum Tuam Generos. non inviserim. Affectus gravissimus Generosi ac strenui Viri, Dn. Iohannis Iacobi à Diesbach &c. in causâ erat, ut quàm celeriter mihi Moratum proficiscendum fuerit. Laborabat ille retentione urinæ; & calculos aliquot excrevit. Porrò quia Generos. Tuam doctrinâ rerumq; usu multiplici excellere, & proinde in hujusmodi affectibus singularem experientiam habere non dubitat, certum nuntium suis ac meis literis instructum ad Generos. Tuam Solodurum misit 28. Novembris. Is verò cùm præter spem atque exspectationem Tuam Generos. non offendisset, in mandatis mihi dedit, ut iterum ad Gener. Tuam scriberem, & affectum adumbrarem. Id quod nunc, ne Generos. Tuæ tot tantisq; negotiis intricatæ molestus sim, paucis absolvam.

Est autem Generosus ac strenuus ille Dominus à Diesbach constitutione corporis calidus & siccus, ac nunc sexagesimum tertium annum ætatis ingressus: cujus partes nobiles (quantum quidem hactenus cognoscere nobis licuit) adhuc veluti integræ sunt: exceptis tamen renibus, præcipuè sinistro, ut mox dicam. Cæterùm quia ab ineunte ætate in Galliâ, Belgio, & alibi castra sequutus est, & proindè labores & molestias multas sustinuit, factum est, ut ante annos viginti defluxionibus ad articulos obnoxius esse cœperit. Ubi intemperies calida hepatis, continuò mittēdo vapores ad cerebrum, haud parùm auxit malum. Horum dolorum arthriticorum & defluxionum causâ etiamsi Gener. sua Dn. Doct. de la Riviere, & Dn. Doct. Quercetani p. m. aliorumq; præstantissimorum Medicorum usus esset consiliis & remediis, & quidem cum successu: nihilominus tamen gravissimos ac diuturnos sustinuit dolores & cruciatus, ita etiam, ut malum tandem in nodosam Podagram abierit, & in lecto per multas septimanas cubare coactus fuerit. Interim tamen cessante dolore, præter domesticas & privatas occupationes, publicis etiam, & quidem magni momenti negotiis præfuit, ac strenuè incubuit, & etiamnunc incumbit. Quia autem domesticis suis medicamentis à prædictis Medicis præscriptis ad arthriticos dolores arcendos, causamq; mali diminuendam hactenùs cum fructu usus fuit: neque etiam exiguum fructum ac commodum ex fonticulis, quos gestat, percipit, Generos. Tuam literis non onerasset, nisi ante annum alius affectus, in quo consilium & auxilium à Tuâ Gener. expetit, supervenisset. Ut autem negotium penitus intelligatur, tribus verbis illum ob oculos ponam.

Descriptio Morbi.

Decimâ octavâ Iunii, superioris anni 1620. cùm Morati in lauto quodam convivio, cibis crudis & frixis ventriculum onerasset, & vinum præter suam consuetudinem aquâ fontanâ refrigeratum bibisset, eructationibus & nauseâ correptus fuit. Cùm verò alvus quoq; substitisset, sine consilio Medici, vigesimo secundo die, paulò ante prandium, nonnihil therebinthinæ sumpsit: cujus beneficio alvus bis subducta fuit. Sed quid fit? Circa primam noctis, cùm urina planè substitisset, dolores acerbissimi, nausea, tormina, & vomitus supervenerunt. Ego 23. dicti mensis, Moratum veniens, exanimem ferè propter doloris vehementiam ipsum inveni. Venter prædurus, & vesica propter copiam urinæ, mirum in modum extensa erat. Suasi, ut Enemate laxato ventre, catheter immitteretur. Sed quia Generosus æger operationem hancce propter ductus urinarii sui angustiam (quam sibi naturalem esse refert) summoperè aversabatur, petiit, ut omnia alia præsidia tentarem, antequam catheterem immitterem. Enemata itaque aliquot infudi: semicupium quinetiam ex radicibus, herbis, floribus, & seminibus emollientibus, laxantibus, & dolorem sedantibus præscripsi: sacculos ex iisdem simplicibus paratus applicui, & ventrem uti & perinæum Oleo liliorum alborum & amygdalarum dulcium inunxi. Cùm autem omnem diligentiam dies noctesq; adhiberem urina tamen non flueret: & dolores reliquaq; symptomata magis magisq; adaugerentur, vigesimo sexto die circa nonam noctis, potiunculam ex granis tribus Laudani, confectionis Alkermes ℈j. cum decocto pectorali, parumq; aquæ cinamomi dissolutis exhibui. Hujus medicamenti (Deo benedicente) beneficio, eadem nocte benè quievit: & urinam inter dormiendum copiosè excrevit. An autem arenulas aut lapillos simul rejecerit, observatum non fuit. Verùm post dies aliquot lapillum cineritii coloris, & porosum, sed valdè exiguum in matulâ invenimus. Ab eo tempore aliquoties dolores quidem sensit, præcipuè è regione sinistri renis: verùm applicato sacculo ex radicibus altheæ, ex malvâ, parietariâ, Camomillâ, meliloto, & seminibus emollientibus, & flatus discutientibus, dolores remiserunt: neque gravia usque adeò symptomata supervenerunt. Interim tamen lapillos aliquot rubicundos, duros, & asperos, ab eo tempore rejecit: etiam ante dies quatuordecim in postremo suo morbo.

Quod superest, exactam optimamq; victus rationem observat: per intervalla quinetiam vino medicato, ex Rhabarbaro, Agarico, Senâ, Cremore Tartari & herbis quibusdam appropriatis, tempore vindemiarum parato, primò vias communes, deindè, videlicet sequenti aut tertio pòst die vias urinarias Therebinthinâ expurgat: tandemq; nonnihil aquæ ex radicibus aperitivis, saxifragâ & similibus bibit, sed nunquam nisi eo modo, uti dixi, corpus prius expurgatum fuerit.

Hæc sunt, quæ hactenus circa generosum ac strenuum nostrum ægrum occurrerunt: quæq; ipsius jussu ad Generos. Tuam scribo, demissè rogans, ut affectum huncce diligenter examinare, & prudentissimum consilium suum primâ occasione nobis communicare velit. Faciet inprimis Generoso Domino ægro, deinde mihi quoq; rem gratissimam

gratissimam. Scire quoque cupit generosus æger, Therebinthina sitne lavanda, nec ne? Hac enim in re non consentiunt practici. Hactenùs ex meo consilio illotâ usus est: subtiliores enim ejus partes, quæ vias urinarias petunt, in lotione abire, verisimile esse, mihi videtur. His vale, & æternùm quàm felicissimè vive. Raptim Bernæ, 3. Decembris 1621.

Responsio ad præcedentem Observationem.

Viro Ornatissimo,

Et Iatro-Chirurgo Experientissimo, Amico singulari, Dn. GUILHELMO FABRICIO HILDANO,

THEODORUS DE MAYERNE,

R.M.P.B.A. S.P.D.

Morbi, quoad causam materialem, congeneres sunt calculus & Arthritis: loco tantùm differunt, & conditione succi malum committentis, qui laxos membrorum articulos occupans, Salis dissoluti speciem refert: renes & vesicam obsidens, Tartarum coagulatam repræsentat. Graphicè describis (Vir Ornatissime) Symptomata, quibus conflictatur acerbissimè Vir Generosus, Dominus à Diesbach: quorum lenitionem, imò (si sperari possit) per remotionem causarum omnimodam sublationem, ut poscit æger, tu in votis habes, sic ego ipsi ex animo opto. Nodosa & tophacea Podagra Medica respuit auxilia: tunc tantū estis solliciti, de subindè adventante urinæ suppressione, ab arenulis per angustis meatibus sæpenumero impactis quæ lotio exitum intercludunt. Generationem calculi potenter impedit, ad superiora materiæ viscidæ & Tartareæ revulsio, ejusdem per vomitum exclusio, post liberaliores epulas, & largiorem potum. Hoc semel in mense, vel alternis mensibus, fiat à cœnâ, ut per somnum immediatè subsequentem, corpus refocilletur, & Spiritus recreentur. Circa ultimam Lunæ quadram purgetur corpus medullâ cassiæ cum Therebinthinâ & Rhabarbari pulvisculo. Quatuor matutinis consequentibus detur ℈j. vel ʒ.ß. Tartari Vitriolati ex Crolli in suâ Basilicâ descriptione præparati: post assumptionem jusculi hoc sale conditi, & radicibus aperientibus medicati, cum additione summitatum tenellarum Malvæ, & Vrticæ urentis; Vir Generosus equitet: siquidem membrorum impotentia aliud exercitii genus non admittit. Clysteribus emollientibus & refrigerantibus, addito Electuario Anti-Nephritico Quercetani; alvus subindè everratur, renes contemperentur. Acidularum potus non est futurus inutilis, licet forsitan aliquantum Arthritidi ob irritationem fluxionum incommodus. Attamen leve malum præsens, emergente bono, eoq; non exiguo mercari operæ precium duco. Sufficiant ista ad præcautionem. Vrgente Ischuriâ, (si quando præter spem recurrat) Clysmate admodum emolliente, additis Oleis Amygdalarum dulcium, & Scorpionum, atque Therebinthinâ eluatur sæpius alvus. Foveantur relaxantibus, emollientibus Diureticis partes, in quibus sabulosa hærebit saburra. Semicupium (si ratione exoleterorum membrorum non sit grave) ex iisdem præparetur; addito Oleo multo. Ad deturbandos obices vias obsidentes, detur Tartarus Vitriolatus præscriptus, ex aquâ Parietariæ, vino albo, oleo amygdalarum dulcium. Liquor Raphani cum sacchаro Candio paratus optimus est. Lapide Brunellæ in Ptisanâ vulgari, vel aquâ parietariæ soluto, adjecto Syrupo de Altheâ, nihil in hoc affectu præstantius. Vias lubricas reddet conserva florum Malvæ vulgaris & roseæ, idoneâ tempestate præparata; Cui addatur pars tertia pulveris Glycyrrhizæ, Gummi Arabici & Pruni æquis proportionibus commixti. Capiat Dominus instar juglandis manè, per quinque aut sex dies, super exhausto vini albi momento, idque ante menstruam purgationem, & juscula Diuretica. Dolorum acerbitas Laudano ut antè exhibito, quoties opus fuerit, demulceatur. Pluribus Virum Generosum onerare salutis auxiliis nec volo, nec debeo. Faxit Omnipotens DEUS, ut hisce remediis sæva, quâ strenuum Ducem exercet, carnificina bonis avibus possit averruncari. Datum Londini die 17. Februarii 1622.

OBSERVATIO XLIX.

De periculosa Suppressione Urinæ, ubi etiam de semestri fluxu alvi, & quibusdam aliis annotatione dignis, agitur

Viro Doctissimo,

DN. JACOBO HAGENBACHIO, Medicinæ & Chirurgiæ Doctori Excellentissimo

Guil. Fabricius Hildanus, S.P.D.

QVæ de periculosa suppressione Vrinæ, quâ generosus ac strenuus Vir, Dn. IOH. IACOBUS à Diesbach olim laboravit, 10. Iulii Anno 1620. ad te scripsi, Doctissime atque amantissime mi Dn. D. HAGENBACH, memoriæ tuæ adhuc inhærere non dubito, sin minus illa suo quoque tempore in 5. Centuria Observationum mearum Chirurgicarum videbis, Generosus iste hisce diebus iterum ex Suppressione Vrinæ graviter & periculosè laboravit, sed feliciter; laus sit DEO, restitutus fuit. Causa autem postremæ suppressionis cum præcedente diversa fuit. Anno enim 1620. Materia præter modum viscida & cruda, vi Terebinthinæ ad vias Vrinarias protrusa, eas infarcierat; Nunc verò Calculus crassus & oblongus ductum Vrinarium occupavit. Vix credibile est, quantos duorum dierum spatio, sustinuerit dolores.

Interim Ego Enemata infudi; sacculos applicui; & semicupia præscripsi. Hæc cùm parum juvare viderem; & Vrina magis magisque (Vesicam extendendo) dolores; conatus; angustiasque augeret, tandem Catheterem immisi, idque sine difficultate fere; sed ad Spincterem tantummodò. Quum verò instrumentum ulteriùs sine vehementia; & dilacerationis metu intrudere me non posse, viderem, Calculum quinetiam Cathetere non invenirem; iterum Enema ex Decocto Emolliente, cum Vitellis Ovorum, Terebinthina, & butyro recente infudi, & perinæo, ac infimo Ventri sacculum ex Radicibus & foliis Altheæ, Malvæ, Parietariæ: floribus item Meliloti, Sambuci, & Chamomillæ; sem: Lini, Fœnugræci, Meliloti, Petroselini, Nasturtii, & Raphani paratum calidè applicui; idque 23. Februarii, circa un-

Obs. 49.

decimam noctis. Quid fit? Reseratur mox Sphincter, & Vrina in copia fluere incipit; Hinc dolores, conatus, tésiones Ventris, aliaque symptomata remittunt: quapropter Calculum adesse, non ampliùs cogitavimus: sed perperam, vigesimâ enim quintâ ejusdem Mensis, circa octavam matutinam, cùm subitò Vrina iterum retenta fuisset, dolores quinetiam, & conatus supervenissent, Calculum oblongum, asperum, & magnum, uti hîc depictus est, circa tertiam pomeridianam rejecjt, absq; insigni tamen difficultate; Subsequentibus diebus fragmenta quã plurima excrevit, deinde convaluit, ita ut heri Muratum profectus sit.



Nonnulla autem annotatione digna in hujus generosi Morbo, ab anno 1620. occurrerũt. Primò fluxus alvi, quo ante biennium per sex integros menses laboravit, ita ut singulis diebus utplurimùm alvũ ad minimũ quater aut quinquies exonerare coactus esset, sine Virium tamen prostratione: quapropter de sistendo fluxu, non usque adeò solliciti fuimus. Tandem cùm molestum sibi esset, noctu toties interturbare domesticos, voluit ut sisteretur fluxus. Exhibui itaque, & applicui ea, quæ in hujusmodi affectibus à multis seculis à Viris doctis comprobata esse sciebam, sed frustra. Demum quum lapillum asperum (quem à multis mensibus in Vretere sinistro, per intervalla senserat) rejecisset, protinus remisit fluxus alvi, secus in postrema Lithogenesia accidit: tanta enim fuit cõstipatio alvi, ut sine beneficio Enematũ, ne flatus quidem, multò minùs excrementa excernere posset. Hujus rei causam in Calculum referendam esse arbitror. Postremus enim Calculus cùm esset grandiusculus, & collo Vesicæ obliquè inhæreret, tota vis expultrix circa ipsũ occupata fuit, neglectis Intestinis.

In Parturientibus eandem alvi Constipationem sæpissimè observavi, idque non solùm in ipso partu, verùm etiam per dies aliquot post enixum fœtum, & interim dum fluebant Lochia. In Expulsione verò præcedentis Calculi (quia parvus) facultatem expultricem dispersam, & partim circa Calculum occupatam fuisse, partim quoque Intestina alvumque irritasse, verisimilè esse mihi videtur.

Tua, quæ hac de re sit opinio, rescribe, quæso. Calculum autem collo Vesicæ in transversum infixum fuisse, inde conjicio, quòd ante immissionem Catheteris, ne guttulam quidem Urinæ excernere potuerit æger: post immissionem verò instrumenti, mox effluere inceperit. Etiamsi enim lapidem Cathetere non attigerim, suo tamen loco, videlicet ex transverso in rectum remotum fuisse, certum est.

Nota.

Vides mi Dn. HAGENBACH, non semper opus esse, ut instrumentum in Vesicam vi intrudamus: suo enim loco amovisse Calculum, & facultatem Expultricem irritasse, plerumque sufficit.

Est præterea observatione dignum, generosum huncce Virum antehàc multoties de angustia ductus Urinarii apud me conquestum fuisse, & proinde in præcedentibus Urinæ suppressionibus, immissionem Catheteris semper recusasse. Id, si exilis Catheter immissus sit, verum esse, in hoc suo morbo expertus sum: cùm enim propter doloris vehementiam Catheterem admisisset æger, & jussu ipsius exili ductum Vrinarium explorare, & Sphincterem recludere vellem, undique anfractuositates & obstacula sese offerebant; Crassum verò, sine difficultate ad Sphincterem immisi: forsan ulteriùs ad Vesicam pervenissem, si vim adhibere voluissem. Putâsne ætatem decrepitam in causa esse? In senibus enim quia omnia concidunt, siccanturque, ductus Vrinarius quoque fit rugosus, & proinde Catheter crassus exili longè faciliùs intruditur; Vti aliàs fusiùs ex me coràm intellexisti. Vide itaq;, atque etiam vide, mi Dn. HAGENBACH, ut crassis quoque Catheteribus sis instructus. Hæc tamen hactenus à Practicis etiam celeberrimis observata non fuisse, scripta & delineationes instrumentorũ Mariani, Sancti Bærolitani, Ambrosii Paræi, Petri Franci, Joh. And. à Cruce, & Gualtheri Reiff, fidem faciunt. Catheter autem meus, quo Ego in generoso hocce Viro, & in aliis, sæpissimè etiã in Dn. Antonio Vetzerino te præsente usus sum, in circumferentia novem grana, vel hanc lineam crassus est. ____________

Notandum quoque est, Generosum ægrum in maximis istis doloribus & conatibus, sibi planè persuasum habuisse (quod & in multis aliis expertus sum) Calculum ad balanum usque pervenisse: cùm tamen Sphincterem nondum transgressum fuisse, in exploratione & immissione Catheteris compertum sit.

Hujus falsæ imaginationis causam esse arbitror, quòd compressis Nervis à Calculo, circa radicẽ penis, spiritus animalis ad extremitatem, videlicet ad balanum, partem exquisitissimo sẽsu præditam, concurrant. In Calculosis ferè omnibus id quoque observamus, qui etiam in maximis istis Calculi doloribus, summum solatium ex compressione balani & præputii percipiunt: ex compressione enim ista, spiritus Animales versus principium nervorum, videlicet spinam dorsi recurrunt. De his aliquid simile videre poteris Obs. 86. Cent. 4.

His Vale, Vir Clarissime, & cum tuis æternùm feliciter Vive. Bernæ, 2. Martii. 1626.

OBSERVATIO L.

De periculosissimâ suppressione urinæ, ejusque felicissima curatione.

Viro Clarissimo

GUILHELMO FABRICIO HILDANO, Medico-Chirurgo celeberrimo.

PHILIBERTVS SARACENVS, S. P. D

Servit

Obs. 50.

SErvius ad postremam tuam Epistolam respondeo Vir Clarissime: Causam tarditatis meæ habeto. Expetivisti à me historiam morbi civis cujusdam Lugdunensis, qui gravi Ischuria superiori anno affectus, solo cathetere in vesicam immisso, pristinam mejendi libertatem facili negotio obtinuit. In eo nihil novum aut rarum à nobis observatum fuit. Pituita, quæ meatum vesicæ obruebat, ejus symptomatis, læsa scilicet mictionis causa legitima deprehensa est. Sed dum tibi responsum paro, in manus nostras incidit Vir quinquagenarius omnimoda urinæ suppressione cruciatus, cum atrocissimis doloribus renum, ventriculi ac totius ventris, accedebant vomitus assidui & vigiliæ. Septima die exacta, cum penè exanimis esset, ac frequenti per catheterem exploratione satis constaret, utriusq; renis (non vesicæ) integram obstructionem id sævum symptoma fovere. Adhibitis is omnibus, quæ artis in eo casu abundè suggerit, enematis varii generis, catharcticis multis, diureticis, insessibus, litibus, potionibus acriter urinas cientibus, in quibus olea & sales chymici non omittebantur. Aegro in animum venit confugere ad aquæ thermales Vice comitenses vitriolo, nitro & bitumine prægnantes, quæ à mense Iulio asservatæ ad Ianuarium usque apud amicos repertæ sunt. Illas satis feliciter per urinas excernere incepit, sed (quod magnam earum tenuitatem attestatur) solas aquas lympidas, quales hauserat admisso multo exercitio in scheda, deponebat, ita ut nihil urinæ tàm diu retentæ præterlaboretur. Exhaustis Vicecomitensibus, quæ ad manus erant, ad Spadenses perfugium habuit, quæ jam pridem ex fontibus deportatæ hic sese obtulerunt. Illæ pariter facilem transitum obtinuerunt ad dies aliquot sed restitantibus urinis, quarum magna vis ad vigesimum usque diem collecta erat, ac ægrum ad extremã perniciem adduxerat, ut jam morti proximus cerneretur, cum sopore eo & subsultibus, qui ab isto affectu moribundos invadunt, ultimum attulimus ipsi subsidium. Illud fuit drachma una pulveris eximii diuretici in liquore ejusdem facultatis diluti. Eum pulverem ægrotans, qui assumpta confertim evomebat, ad horas ferè tres asservavit. Inde recreatus ad se rediit. Magnam vim puris in matularum fundo conspeximus, quod tandem disparuit, & nunc illius eximii pulveris auxilio, annuente summo medico ad consuetas rediit functiones. Quis ille fuerit pulvis, amice tibi aperio. Ex millepedibus istis & vino albo frequenter lotis petitus est. Liquor fuit lixuvium ex radicibus aperientibus & ligno Iuniperino ad cineres redactis, cum vino albo comparatum. Potens sanè est, nec solo hoc eo certum comprobatum remedium. Præfuit illi curæ nobiscum Dn. Ieremias Læverius, collega noster celeberrimus. En habes certam morbi contumacissimi historiam, cui alias deinceps subnectam, si te illis delectari didicero. Vale Vir clarissime, & sæpe ad nos rescribere ne graveris. Lugduni Calendis Martii 1628.

OBESRVATIO LI.

De decocto granorum Iuniperi, & de vero usu diureticorum, in calculosis.

AD

Virum Clarissimum & Doctissimum,

DN. IOHAN. IACOBUM GRASSERUM,

cui

Obs. 51.

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

MAximo cum dolore postremas tuas legi, clarissime & doctissime mi Dn. GRASSERE, amicorum optime; Præter podagram enim dolore Nephritico te quoq; excruciari scribis, clementissimus Pater Cœlestis Te Spiritu suo S. consoletur & ad piam constantiam & patientiam Christianam magis magisq; præparet, quod idem ut mihi quoque largiatur, orabis. Hujus mali autem causa præcipua est decubitus in dorsum, qui renes lumbosq; excalefacit, & proinde causam efficientem urenularum, adauget. Vita præterea sedentaria, vigiliæ, inquietudines, & hujusmodi, quæ harmoniam corporis destruunt, digestiones omnes retardãt impediuntve causam materialem nimirum humores viscidos, crudos, salsos, acres & terrestres procreãt. Operam itaque dabis ut exactam observes victus rationem, quemadmodum prolixè scripsi in consilio, quod tibi dedi ante annos aliquot.

De decocto Iuniperino.

Cæterùm quæris in postremis tuis literis, quid de decocto Juniperino sentiam, videlicet an tibi prosit, vel noceat? Respondeo cum Galeno & Dioscoride Junîperum calidum esse & siccum idq; tertii ordinis, urinam movere, sed mediocriter, ut Galenus addit, jecur, renesque expurgare; Nimirum crassos & glutinosos humores extenuando. Convenit & ad vitia thoracis, & tusses, caput quinetiam & ventriculum, uti ego aliquoties in ægris meis expertus sum, corroborat, & proinde in nervorum nervosarumq; partium affectibus præcipuè ex causa frigida ortis, salutare esse remedium, omnibus in confesso est. Cur igitur, respondes, Dn. D. Bauhinus p.m. solitus fuit dicere, decoctum ex baccis Iuniperinis mihi non prodesse, & calculum generare? Respondeo clarissimum & longè experientissimum huncce Virum, legitimum usum hujus decocti nunquam improbasse, sed abusum. Quæcunq; enim medicamenta urinam movent, summo cum judicio & non nisi in puris & probè expurgatis corporibus sunt usurpanda, uti etiam in consilio meo obiter monui, sin minùs humores noxios & crudos ex ipsis venis mesaraicis, & hepate, ad renes pellunt & secum ducunt, qui postea facilè propter intemperiem calidam renum in arenulas vel etiam lapillos concrescunt. Affatim præterea, Galeni verbis utor, sumptus hic fructus, stomachum mordificat, caputq; calefacit; Ex quo illud quandoq; implês, dolore divexat. Ex his vides clarissime mi Dom. Grassere, quotidianum usum hujus decocti Iuniperini, rectè & ex fundamentis à Dn. D. Bauhino in Te Viro cacochymico multisq; humoribus viscidis & crudis, referto improbatum fuisse.

Observatio.

Ut autem rectè intelligas verum usum diureticorum, en sequens attende exemplum: Generosus ac strenuus Vir Dn. Ioh. Iacobus à Diesbach (qui & arthritide, ut tibi notum est, à multis annis, & quidem gravissimè ac frequenter laborat) à tribus aut quatuor ab hinc annis etiam per intervalla arenulas & lapillos non sine molestia excrevit. Ille igitur ut generationem lapillorum, quantum fieri possit, impediat, ex meo consilio hunc observat ordinem: Optimam victus

Obs. 51.

rationem exactè tenet; Quandiu à podagra liber vinum tenue, album, minimèque generosum, quale est Wistellachcense, aquâ crudâ dilutum bibit, & quidem parcè. Cùm primum verò dolore in hac vel illa parte infestatur, statim à vino abstinet, & decocto Agrimoniæ, veronicæ & liquiritiæ, & cinnamomo aromatizato, aut lacte amygdalarum utitur: donec impetus doloris, sitisque vehementia remiserit, tum iterum bibit vinum aqua dilutum. Ne autem materia aliqua propter decubitum in dorsum, in renibus in lapillos concrescat, hunc in modum utitur diureticis. Ut plurimum singulis septimanis aut ad minimum bis terve in mense, haustum vini purgantis ex Rhabarbaro, Agarico, senna, cremore tartari, & similibus, cum correctivis, tempore vindemiarum cum musto facti, bibit, cujus beneficio clemẽter purgato corpore, postridie ad Drachmam unam, aut paulò plus, therebintinæ claræ & crudæ (id est non lotæ, in lotura enim subtiliores partes deperduntur) sumit. Movet & illa nonnihil alvum, viasque urinarias aperit, & leniter leviterq; abstergit, viscososq; in illis contentos humores educit, quo facto, per dies tres aut quatuor, singulis matutinis, tribus horis ante prandium ad unciam unam aquæ parietariæ aut aquæ diureticæ, ex radicibus, herbis, & seminibus aperitivis distillatæ, cum pauco vini albi bibit: Quotidie verò per duas horas post cœnam cochleare unum pulveris betonicæ cum sacchato sumit. Ante hac usus quoque fuit extracto, aquâ, & conserva betonicæ, idq; maximo cum fructu. Betonicam enim præstantissimum esse medicamentum in artrithide, alias ad te scripsi.

Horum medicamentorum & victus ratione beneficio, sat feliciter, laus sit Deo, vivit, & partes nobiles integras & illesas conservat: sine baculo tamen & suffuleris rarò incedere potest, ita devastati & rigidi facti fuerunt articuli ante annos aliquot, ab usu medicamenti cujusdam Empirici. Quod sal marinum in copia recipiebat, cujus etiam mentioné feci in consilio, quod anno 1620. ad Te scripsi: Suadeo itaq; ne tantoperè tibi familiarem facias potum Iuni perinum, nisi prius purgato corpore. Sed quia hoc tempore vinum purgans ex musto præparate nõ licet, sequens infusum commodè substituere poteris.

℞. Rhabarbari electi ℈ij.
Agarici trociscati
Turbith optimi an. ℈j.ß.
Foliorum sennæ mundat. ʒj.
Florum tartari ℈ij.
Specierum Aromatici rosati
Cinnamomi &
Seminis Anisi an. ℈j. cum hausto vini albi, & optimè defœcati fiat infusio per noctẽ expressionem bibe tribus horis ante prandiũ, si febris adfuerit loco vini accipiatur aqua cichorii.

Hæc sunt, clarissime atque amantissime mi Domine Grassere, quæ ad quæstionem tuam respondere potui: Tu omnia æqui boniq; consule, & cum tuis omnibus æternùm quàm feliciter vive. Uxor mea Te tuamq; uxorem & liberos plurimùm salutat. Dominus Rhagorius cum suo comitatu satis magnifico heri Thorbergam profectus est, ut ibi possessionem sui officii occupet. Faxit Deus Opt. Max. ut omnia ad ipsius gloriam & utilitatem proximi cedere possint. Vale Bernæ 4. Aprilis 1625.

OBSERVATIO LII.

De ardore urinæ.

Magnifico & Nobilissimo Viro,

DN. PETRO BREDERODIO,

Illustrium & Præpotentum D.D. Ordinum Generalium Fœderati Belgii Consiliario, & Legato per Germaniam, Domino & Fautori suo honorando,

Guil. Fabricius Hildanus S. P. D.

Etsi in curatione morborum, Magnifice & nobilissime Vir, inspectio ægri summoperè necessaria sit Medico, ad causam morbi investigandam, & curationem rectè instituendam; quia tamen id cum ægro, de quo Amplitudo tua coràm mecum locuta est, fieri non potest, dicam paucis, quid de morbo suo ejusdemq; curatione sentiam. Scribit, se eo renum affectu, qui calculos procreat, cum Dysuriâ antehac laborasse, & adeò graviter quidem, ut cum Dysuriâ nunc etiam conjuncta sit stranguria. Nec mirum, acrimonia enim illa urinæ, & retentricem facultatem debilitat, & expultricem irritat. Est itaq; affectus primarius, de quo conqueritur Reverendus æger, Dysuria, sive urinæ ardor, quam comitatur stranguria, veluti symptoma: uti plerunq; fieri solet. Urinæ enim stillicidium, inquit Galenus, comment. 48. lib. 7. aphor. Hippocratis, ipsius urinæ acritudo facit, & potentiæ retentivæ in vesicâ imbecillitas, quæ ob intemperaturam fit, præsertim frigidam. Hæc Galenus. Ex quibus stranguriam in hoc ægro Symptoma esse, manifestum fit.

Curationem itaque, quam mox ad Dysuriam corrigendam proponam, etiam stranguriæ convenire, rationi consentaneum est. Variis autem de causis fit Dysuria: in hoc verò ægro propter intemperiem calidam renum, ab humoribus item salsis & mordacibus, qui urinam acrem efficiunt, illam præcipuè fieri, tàm ex relatione Tuæ Amplit. quàm ex schedâ, quam misit Reverendus æger, colligo.

Quoad curationem, inprimis victus ratio, quæ modicè refrigerat, incrassat, ac lenit, instituenda est. Abstineat itaque æger ab omnibus, quæ difficulter concoquuntur, veluti à carne salitâ, & in fumo exsiccatâ, & in genere à salsis, piperatis, & frixis omnibus. Summoperè quoque nocet Sinapi, allium, Cepæ, Porrum, Eruca, Nasturtium, omniaq; quæ urinam ducunt: uti sunt radices Petroselini, Fœniculi, Asparagi, & similia. Utatur pane probè fermentato & cocto, non salito, carne item vitulorum, castratorum, pullorum, caponum, columbarum, & avium in arboribus viventium. Conveniunt Pisces squamosi, cocti, sine vino & aromatibus: Macis tamen crocus, nux muscata, & cinamomum in cibis non nocent; Conveniunt quoque ova recentia, bu-

tyrum recens, amygdalata, hordeacea, & avenacea. Cum carne coquantur, quæ acrimoniam humorum refrenare, & intemperiem calidam viscerum temperare possunt: ubi inprimis conveniunt Acetosa, Lactuca, Endivia, Portulaca, Malva, Borago, Buglossum, Atriplex, & hujusmodi. Solent plerunq; etiam Medici nonnulli viscosa in ardore urinæ præscribere, uti sunt juscula, extremitatum animalium, & mucilagines, idque in eum finem, ut humores acres incrassentur. Verùm hujusmodi non usque adeò mihi probantur, nisi ipsorum usus fuerit & rarus & moderatus. Verendum enim esset, ne tandem venæ mesaraicæ ipsumq; hepar obstruatur, & magis magisq; incalescat. Pro potu utatur vino albo, diluto cum decocto hordei, radicum acetosæ & Liquiritiæ. Ab omnibus, quæ sanguinem & humores excalefaciunt, uti sunt, præter cibum & potum, exercitia violenta, vigiliæ immodicæ, mora in aëre calidissimo, & irâ, sibi caveat. Ira enim inprimis obest: utpote quæ humores incendit, & urinam adeò acrem efficit, ut complures ægros Dysuriâ laborantes viderim, qui propter iram gravissimis Symptomatibus, præcipuè dolore inter mingendum intensissimo, correpti fuerunt. In irâ enim accenditur bilis, totaque cum impetu ad vias urinarias decumbit.

Corpus ut per intervalla evacuetur, necesse est. Fiet id medicamentis lenientibus & blandè purgantibus: fortiora enim catarctica humores accendunt, & ardorem urinæ adaugent. Cassia hîc laudatur, & ab Authoribus omnibus aliis medicamentis in ardore urinæ præfertur. Verùm in quibusdam ægris post cassiæ usum, dolores adauctos fuisse, observavi. Testatur id quoque Generosus Vir, Dn. Zacharias Geitzcoflerus, in Epistolâ quadam ad me scriptâ & Centur. 1. Epistol. mearum insertâ. Petrus Pigray, insignis Chirurgus Gallus, se id quoq; observasse, literis prodidit. lib. 7. cap. 4. Conveniunt itaque Manna, Syrupus Rosatus solutivus, tam simplex quam compositus, Syrupus Violarum & de Cichorio cum Rhabarbaro; aut sequens potiuncula, quâ ego cum fructu in hujusmodi affectibus utor, præparato prius humore sequenti modo:

R. Radicum & foliorum Acetosæ, Liquiritiæ,
Herbar. Veronicæ, Agrimoniæ
Summitatum Lupuli an. m.ß.
Trium florum cordialium an. p.j.
Uvarum exacinatarum ℥.ß.

Coquantur in ℔iij. aquæ, ad consumptionem tertiæ partis. In unciis duodecim colaturæ dissolve Syrupi Violacei, & Syrupi de Altheâ an. ℥.j. Misce, fiat Apozema pro quatuor dosibus, in crepusculo matutino sumendis. Aut

R. Aquæ Lactucæ, Acetosæ, Nymphææ ana ℥.j.
Syrupi de Portulacâ, de Altheâ & de Papavere an. ℥.ß. Misce, fiat potio; sumatur in aurorâ, ut dictum. Sic præparato humore per dies aliquot, sequentem exhiberem potiunculam purgantem:

Obs. 52. *Potio purgans.*

R. Aquæ Cichorii, Portulacæ an. ℥ij.
Rhabarbari electi ʒj.ß.
Agarici recenter trochiscati,
Cinamomi, & Seminis Anisi an. ℈ij.

Infundantur secundum artem, & maneat in infusione horas octo, in loco calido. In expressione dissolve,

Syrupi rosati solut. compositi cum Rhabarbaro, Agarico & senâ ℥j.
Electuarii de succo Rosarum (flavam enim bilem, quæ in ardore urinæ utplurimùm peccat, educit) ℈j.ß. Misce, & fiat Potiuncula: sumatur tribus horis ante prandium.

De Venæ sectione.

Hoc modo purgetur corpus per intervalla, prout præsenti Medico consultum & necesse esse videbitur. Convenit quoq; venæ sectio bis tervè in anno facta, in vere videlicet & autumno, præsertim si plethora adfuerit. Fiet autem in cubito dextro, propter situm hepatis Si verò inflammatio aliqua vesicam aut renes, propter multitudinem humorum infestaverit, secandæ sunt, secundum mentem Hippocratis lib. 6. aphor. 36. venæ malleoli, & quidem interioris. Hæc, quæ videlicet in pede fit, evacuationis particularis causâ: illa verò, quæ in brachio, refrigerationis universi corporis, & revulsionis gratiâ.

De Vomitu.

Præstantissimum præsidium esse vomitum in mictione ardenti, & Viri docti scribunt, & experientia ipsa me sæpiùs edocuit. Vomitus enim humores biliosos ex hepate & venis mesaraicis potenter revellit & evacuat. A mitioribus autem incipiendum. Bibat itaq; æger haustum maximum aquæ tepidæ cum oleo communi aut butyro recenti, postea immisso digito aut pennâ in gulam, excitetur vomitus, idque per horam post largiorem cœnam, ut per somnum subsequentem corpus & spiritus refocillentur. Aut

Vomitorium.

R. Rad. Raphani ʒij. radic. Asari ʒ.ß.
Semin. Anethi & Anisi an. ℈j. Coquatur in hydromelite, ut colatura redeat ad uncias sex, aut septem. Colatura sumatur, ut dictum.

De fortioribus Vomitoriis, veluti ex helleboro albo, croco metallorum, & similibus præparatis, nihil addo. Non enim mihi satis cōstat constitutio ægri, an corpus ipsius aptum sit ad vomendum; An quæ pars aliqua supra ventriculum, veluti pectus, caput, visus &c. malè sit affecta. Præsenti itaque Medico pro suo arbitrio & prudentiâ de his dijudicandum relinquo. Hoc tamen addo, aliquoties in ardore urinæ, aliisque gravissimis affectibus partium genitalium, cum fructu me infuso croci Metallorum usum fuisse. Alvus ut quotidie lubrica sit, necesse est: eâ enim astrictâ humores mordaces ad vias urinarias vergunt, & dolores adaugent. Ut itaque lubrica reddatur,

Enema.

R. Radicum liliorum, Altheæ,
Malvæ cum foliis an. m.ß.
Violarum,
Florum Camomillæ,

Meli-

Obs. 52.

Meliloti an. P.ij.
Seminis Lini, Fœnogræci an. ℥ ß.
Anethi ℥.j.

Coquantur in aquâ, ad consumptionem tertiæ partis. Colaturæ accipe ℥. x. Olei Anethi & Amygdalarum dulcium an. ℥j. Vitellos ovorum num. ij. Misce, fiat Enema; Quod diutissimè retineatur: si verò opus fuerit, ut citiùs rejiciatur, addatur sacchari ℥j. Salis ʒj. Extemporaneo hocce atque domestico Enemate frequenter cum successu usus sum in meis ægris:

Inlapium.

℞. Lactis recens emulcti ℥x. vel xij.
Vitellos ovorum num. ij.
Butyri recentis ℥ij. Misceantur lento igne, & fiat Enema.

Dolores & inquietudines, quotiescunq; vehemētes fuerint, sumat æger duas horas post cœnā nonihil Laudani, aut sequentem Potiunculā:

Emulsio.

℞. Aquæ lactucæ, papaveris an. ℥j.
Syrupi de papavere, & de Altheâ Fernelii an. ʒvj. Misce fiat potio.

Sequēs quoque emulsio multùm proderit.

℞. Amygdalarum decorticatarum ℥j. ß.
Seminis papaveris albi ʒj.
quatuor seminum frigidorum majorum an. ℈ij.
Cum decoctionis hordei ℔j. fiat emulsio: addendo aquæ lactucæ & Portulacæ an. ℥ij. Syrupi Violatii, & Nympheæ ana ℥. j.
Misce, & fiat emulsio, de quâ bibat æger post cœnam ad libitum.

Dolores item, & ardorem urinæ lenit Oleū amygdalarum dulcium, recens extractum sine igne, cum Syrupo de Altheâ & violarum exhibitum. Lac quoq; vaccinum recens emulctum, ardorem urinæ vehementer lenit. Bibatur autem vacuo ventriculo, ne permixto vino coaguletur. Sequens Electuarium usuale intemperiem calidam viscerum, & acrimoniam urinæ mirum in modum corrigit.

Electuarium.

℞. Conservæ florum Nympheæ, Violarū, Rosarum, & florū cichorii an. ℥j.
Santali & albi & rubri an. ʒj.
Seminis Oxalydis & Portulacæ an. ℈ij.
Trochiscorum de Camphorâ ʒj. ß.

Misceantur, & cum suff. quant. Syrupi de Papavere fiat electuarium, de quo sumat æger tribus horis ante prandium à ʒj. ad ʒij. totidemq; post cœnam.

Cùm quieti se traditurus est, superbibat haustulum aquæ Lactucæ & Portulacæ, cum Syrupo de Altheâ dulcoratæ. Si dolores vehementissimi fuerint, audactèr ad ʒj. præscripti electuarii granum unum aut alterum Opii purissimi, & cum liquore aliquo dissoluti, permisceri poterit.

Regio renum, hepatis & ossis sacri, sequenti Linimento inungatur mane & vesperi.

Linimentum.

℞. Butyri recentis ℥ij. Olei Rosacei & Nympheæ an. ℥j. Camphoræ dissolutæ in aceto Rosaceo ʒ. ß. Misce.

Regioni hepatis applicetur unguētum Santalinum, super alutam extensum. Ingentes dolores & cruciatus lenit insessus in decocto radicum Altheæ, Malvæ, cum foliis, florum Camomillæ, Meliloti, Seminis Lini, Fœnogræci, Anethi, & Meliloti.

Ante mensem cùm Generosus quidam hîc doloribus maximis propter urinæ ardorem laboraret, virgam decocto prædictarum radicum & herbarum cum lacte recenti facto, immersi. Sacculum quinetiam ex prædictis simplicibus concinnatum imo ventri applicui. His adhibitis remediis lapillum per virgam ejecit, & brevi convaluit. Hæc sunt Amplissime Vir, quæ absenti ægro de morbo suo consignare potui. Si circumstantias omnes requisitas ad me scripsisset æger, exquisitiùs & prolixiùs ad singula, si opus fuisset, respondissem. Interim ut Tua Ampl. hæc bono animo accipere velit, obnixè rogo. Faxit Omnipotens Deus, ut omnia in commodum & utilitatem reverendi ægri cedere possint. Vale Illustris & Magnifice Domine, & æternùm quàm felicissimè vive. Bernæ 23. Septemb. 1623.

OBSERVATIO LIII.

De ardore & incontinentiâ Urinę, ex intempestivo usu trageæ calidissimæ.

Etiamsi inter Medicos illud receptum sit, videlicet, ut imbecillus ventriculus, præsertim à causa frigidâ, calidis, tum per os sumptis, tum exteriùs admotis, foveatur, corroboreturque; Circumspectè tamen procedendum esse, tum observatio 46. Cent. 2. tum sequens historia fidem facit. Anno 1627. Civis quidam Bernensis, Dom. BENEDICTUS WECK, sexagenarius, sed pro ætate suâ robustus, & optimo Corporis habitu præditus, cum de imbecillitate & cruditatibus ventriculi conquereretur, & ex consilio Empirici cujusdam, trageâ ex pipere longo, zinzibere, Cardamomo, galangâ, Cinamomo, gariophillis, aliisque, quæ insigniter calefaciunt, aliquamdiu affatim usus fuisset, & vinum, ut vocant nostrates, Claretum, quod ex similibus aromatibus, addito Saccharo, conficitur, bibisset, tantus ardor & incontinentia urinæ sequuta est, ut singulis ferè momentis, maximo cum dolore, illam reddere coactus fuerit. Ego, cum tandem advocatus essem, optimum huncce virum in maximis angustiis invenio: Dolores inter mingendum aderāt maximi, quos vigiliæ, inquietudines, & prostratio virium sequebantur, ita, ut de vita ipsius actū esse videretur.

Curationem hoc modo institui. Primò, ut ab omnibus salsis, pipere, zinzibere, & quæ humores acres gignunt, abstineret, jussi, & jusculis insigniter nutrientibus, uti sunt, carnium recentium, gallinarum, caponum, hordei mundati, & avenæ decorticatæ, uteretur. Cum carne Endiviam, Lactucam, folia violariæ acetosæ summitates bugloss. boraginis, coquere jussi. Pro potu lacte Amygdalarum, quibus nonnihil sem. papaveris albi, parumque sacchari miscellanei admixtum erat, utebatur, vel sequenti decocto.

R. Rad. Altheæ sicc. acetosæ an ℥ij.
Rad. Liquiritiæ ʒiiij.
Hordei mundati ℥j.

Coquantur in ℔. vj aquæ fontanæ, ad consumptionem

Obs. 53.

ptionem tertiæ partis, aromatizetur ʒj Cinamomi & ʒij sem. anisi, bibat ad libitum.

Secundò corpus cleméter expurgavi sequẽti potiunculâ.

℞. Mannæ selectæ ℥j. dissolve cum præscripto lecto, colaturæ admisce pulveris nostri laxativi ʒj syrupi rosati solutivi simplicis ℥j.

Blandè expurgato corpore per aliquot dies per duos aut tres horas post cœnam à granis duodecim ad scrupulum unum Mæconii, prædicto decocto dissoluti exhibui, Lumbos, os sacrum, & hypochondria sequenti linimento ter in die frigidè inungere jussi. Cavendum autem est, ne inungatur pectus hoc linimento ne respiratio difficilis reddatur.

♃. Ung. Rosati Mes.
 Butyri recentissimi an ℥j.
Ol. ex Nymphæa, &
 Violarum an ℥ß.
 Caphuræ dissolut. in acet. rosac. ℈jß
Misce, fiatque linimentum.

His adhibitis remediis, cum intra paucos dies ardor urinæ haud parum remisisset, sequenti purgatione iterum ægrum blandè expurgavi

℞. Liquiritiæ
 Polypodii
Rad. Acetosæ an ʒj.
 Passularum mundatarum ʒij.
Fol. Sennæ ℈iiij.

Fiat decoctio, ut colatura cum forti expressione redeat ad ℥ijß. quibus infunde per noctem Rhabarbari Electi ʒj.

Sem. Anisi &
 Cinamomi an ℈ij. factâ expressione

adde

Syr. Rosati solutivi simplicis ℥j.

Misce, fiat potio.

Sic purgato corpore, sequens Electuarium præscripsi.

℞. Conservæ florum Nymphææ
 Rosarum,
 Buglossæ
 Boraginis an ℥ß.
 Minæ cydoniorum sine specieb⁹ ʒvj.
 Trociscorum de spodio ʒj. ß.
 Cornu Cervi usti & præparat.
 Pelliculi vent. gallinæ an ʒj.
Pulv. Semin. portulacæ
 Plantaginis.
 Papaveris albi an ℈ij
 Confectio Alkermes ʒj.
 Caphuræ ℈j.

Cum s. q. syrupi de papavere fiat Electuarium, de quo sumebat castaneæ instar bis in die, per horas duas, mane antè, vesperi, post cibum. Alternis quoque diebus, vel de tertio in tertium diem potiunculam ex Mæconio antea descriptam, post cænam sumebat, & lumbos prædicto linimento inungebat. Præscriptis remediis, & victûs ratione per DEI gratiam à morbo suo intra dies circiter viginti plenissimè liberatus fuit. Sed quia partes nobiles propter doloris vehementiam, vigilias, & intemperiem calidam partium internarum labefactatæ, viresque prostratæ fuerant, nonnihil in victus ratione mutavi; Loco enim herbarum præscriptarum, salviam, rosmarinum, thymum, majoranam, folia, & grana lauri, Crocum, macis, & hujusmodi, quæ nonnihil excalefaciunt, cum cibis incoquere jussi: Vinum quoque album, sed decocto suo præscripto dilutum concessi:

Tragea.

Sequentem item trageam præscripsi.

℞. Spec. Aromatici rosati
 Diarrhodonis Abbatis
Spec. Lætificantis Galeni an ʒj.
 Trociscorum de spodio
 Corallorum præparatorum
 Cinamomi Electi
 Corticũ Citronum siccarum an ℈ij.
 Pell. Ventr. gallinæ ʒj. ß.
 Nucis Muscat. ʒj.
 Sacchari rosati ℥iiij. Misce, fiatq; tragea, de quâ ter vel quater in die utebatur.

Vngu. pro ventriculo.

Regionem Ventriculi sequenti linimento bis in die calidè inungebat, & linteum calefactum applicabat.

℞. Ol. Menthæ Masticis an ℥ß.
 Gummi Elemi ʒij misceantur lento igne & percolentur, colaturæ admisce ol. nucis muscatæ ʒj.

Porrò quia propter maximam labefactationem viscerum, humor serosus in fine morbi veluti per expulsionem criticam ad tibias decubuerat, easque hydropicorum tibiarum instar turgidas reliquerat, sequenti potiunculâ iterum ægrum clementer purgavi.

Purgatio.

℞. Guttæ Gamandræ subtilissimè pulverisatæ grana vj. cremoris Tartari ℈j. misceantur, & post unicam aut alteram ebullitionem cum haustulo vini albi, bibat tribus horis ante prandium Tibias à digitis pedum ad genu usque fasciis dies noctesq; involvi: noctu quidem illas decocto sequenti imbui, interdiu verò propter frigus siccas applicui: Decoctum ex sequentibus præparavi,

Decoctum corroborans & exsiccans.

♃. Foliorum & florum betonicæ
 Rorismarini Origani
 Absynthi vulgaris
 Chamomillæ, Rosarum,
 Sambuci an. m. j.
 Seminis fœniculi, & carui an. ℥ j.
 Salis ℥ij.

Coquantur in ℔ 9. aquæ ad consumptionẽ tertiæ partis, in applicatione autem fasciarum diligentia est adhibenda, ut æqualiter, & arctè imponatur. Modum autem fasciandi tibias videat lector in appendice ad Centuriam Epistolarum in Epistola quadam ad Dn. D. Erasm. Posthium, quæ sic incipit, Exosculatus sum literas tuas &c. Hisce remediis plenissimè restitutus, fuit, & in hunc usque diem 24. Februarii 1630. satis commodè vivit.

OBSERVATIO LIV.

De incontinentia sive stillicidio urinæ, & instrumentis ad eam excipiendam.

Viro Clarissimo & Doctissimo,

DN. JACOBO HAGENBACHIO, apud Basileenses Medicinæ & Chirurgiæ Doctori celeberrimo, amico meo singulari,

Obs. 54.

Cui
Guilhelmus Fabricius Hildanus.
S. P. D.

Decreveram aliquoties, Clarissime atque doctissime mi Dom. HAGENBACH, gravissimum affectum nobilissimi viri, Domini PETRI à Wattenwyl, Dom in Wyl, felicissimæ memoriæ, tibi communicare, simulque inventiones meas novas, ad colligendam urinam apponere, ut sextæ Centuriæ inseri posset observatio: Unum verò impedimento fuit; Nobilissimus enim æger, quadam die, cùm graviter laboraret, morbumque abstrusum esse sibi videretur, coram uxore sua aliisque adstantibus, me rogavit, ut post mortem cadaver suum aperire, & quæ notatione digna invenirem, ea in bonum publicum, observationibus meis inserere vellem. Quum itaque tandem naturæ satisfecisset, nihil magis in votis fuit, quàm re ipsa præstare, quæ defuncto verbis promiseram. Uxori itaque & amicis mentem meam aperio, dissectionem quin etiam (ne sumptus forsan eos absterreret) gratis me facturum promitto; Sed surdis, ut ajunt, cantilenam cecini; Vides mi Dom. HAGENBACH, fatuam illam sollicitudinem nostrorum hominum circa mortuos, & damnosam negligentiam de salute viventium. Hæc quum perpenderem quodammodò indignatus fui, & propter injuriam in bonum publicum ab eis perpetratam, apud me constitui, nihil de hoc affectu in lucem me daturum, imò & de instrumentis ad colligendam urinam à me inventis, & in musæo meo absconditis, ne quidem cogitavi amplius. Hisce verò diebus cùm iterum æger quidam, incontinentia sive stillicidio urinæ laborans, in manus meas venisset, felicissimumq; usum instrumentorum istorum iterum vidissem, visum mihi fuit pauca hæc, quæ de hoc affectu memoriæ meæ adhuc inhærent, consignare, instrumenta quin etiam adumbrare, & tibi communicare.

De stultâ, viventiumq; saluti damnosa, hominum circa mortuos sollicitudine.

Fuerat autem nobilis ille à multis annis catarrhis obnoxius, qui nunc hanc, nunc illam corporis partem occupabant, quapropter sæpissimè suasi, ut præter optimam victus rationem corpus per intervalla expurgaretur, & fonticuli fabricarentur. Suaseram autem, ut ad hepatis intemperiem (quæ veluti scaturigo erat reliquorum affectuum) corrigendam, ad dextrum poplitem, pro evacuatione verò capitis sinistro brachio caustica applicarentur. Victus rationem quàm exactè quidem observavit, à juventute enim temperanter vixerat, purgationes verò, etiam maximâ urgente necessitate, difficulter sumebat, & applicationem causticorum omninò neglexit, imò ad nauseam usque semper respuit. Sic ingravescente ætate, & magis magisque imminuto calore nativo, omnia paulatim in deterius abierunt. Anno itaque 1625. cùm autumnus pluviosus & inconstans fuisset, de catarrhis magis magisque conqueri cæpit, qui nunc hanc nunc illam partem invadebant. Tandem verò è regione renis dextri, sub hepate fixus remansit dolor, ab initio gravativus erat, paulatim tamen adauctus est.

Aeger catarrhis obnoxius.

Iussus uti fonticulis.

Purgatione corporis.

Causticis quæ suo damno respuit.

Ego etiamsi ab initio morbi vocatus non fuissem, scio tamē, Collegam meum nihil eorum quæ requirebantur, omisisse. Corpus ex arte purgatum, vena incisa fuit, inunctiones quinetiam, fomentationes, & incessiones minimè neglectæ fuerunt. Ego cùm 4. Februarii 1626. accersitus essem, omniaque ex arte administrata fuisse viderem, nihil innovare volui: materiam enim ex superioribus partibus deorsum delapsā, & inter peritonæum & musculos abdominis retentam, beneficio fomentationum, cataplasmatum &c. in halitum reduci posse sperabam, sed frustra. Quum itaque exteriùs nihil appareret, neque tactu quicquam perciperetur, Collega meus in illam incidit sententiam, malum in rene esse; Visū itaque fuit ægro, ad acidulas Griesbachenses se conferre, Tuamque Excellentiam aliosq; Medicos apud vos, in transitu Basileam, in consilium adhibere, ex eorum itaque, & nostro consilio acidulis usus fuit. Bernam reversus meliusculè quidem habuit, non diu tamen pòst dolores lateris iterum ingravescere cœperunt. Constitutum itaque à nobis fuit, ut maturantia & pus moventia applicarentur; Si forsā materia inter peritonæum & musculos retentā, versus cutem attracta, beneficio incisionis evacuari posset, quemadmodum in genere, virtute, & pietate nobili matrona, Dom. WILDINA apud vos, & Soloduri in alia matrona nobili, tibi quoque nota, insimili ferè affectu, ante annos aliquot, à me factum fuisse, te non latet, sed & his nihil profecimus, adeò labefactata apud ipsum erat facultas expultrix. Tandem deorsum & ad nervos crura moventes delapsâ materiâ peccante, sequuta est paralysis crurum & vesicæ, ita ut urina guttatim exstillaret, tandemq; videlicet 20. Febr. 1626. finem vitæ suæ faceret. Propter acrimoniam enim urinæ & decubitum, sequuta est circa Coccigem excoriatio & inflammatio, quæ tandem in gangrænam sphacelumque degeneravit, omnesq; ad ossa usque erosit; Vix credas quantos habuerim labores circa nobilissimum hunce ægrum, quos tamen parvi facerem, si cadaver, uti defuncto promiseram, aperire mihi licuisset.

Porrò cùm nobilissimum & afflictissimum ægrum, propter stillicidium urinæ, in istis viderem angustiis, & proinde propter charitatem christianam commotus essem, cogitaremque, quomodo ipsum in suis miseriis sublevare possē, inter alia instrumentum ad colligendam urinā, non sine maximo solamine ægri, excogitavi; Ejus enim beneficio urinam ita collegit, ut ne guttula quidem ad ulcus deflueret. Hisce diebus excellentissimum usum hujus instrumēti in septuagenario Viro iterum vidi, de quo postea fusiùs, cùm pauca quædā, quæ de morbo nobilissimi ægri nostri adhuc dicenda sunt, adscripsero.

Nobilissimo ægro, multisque aliis morbum abditum & captum humanum excedentem visū fuisse, & proinde ægrum voluisse, ut in bonum publicum cadaver suum desecaretur, ab initio hujus epistolæ intellexisti: mea verò quæ de hoc affectu fuerit opinio, paucis nunc adscribā, tuoq; judicio libenter submittam.

Ægrum autem multis annis catarrhis obnoxium fuisse, ubi Vir Clarissime, qui ipsum familia-

miliariter cognovisti, notum est. Cùm itaque paulò ante morbum latus dextrum, nescio nunc quâ illisione aut casu, quàm levissimè offendisset, affectumque neglexisset, & proinde latus labefactatum fuisset, humores paulatim ex capite ad partem debiliorem & in loco decliviori sitam, defluere cœperunt, ab initio tamen ferè sine molestia ac dolore, materia enim peccans frigida viscidaque, ac in parva quantitate erat, èam autem inter peritonæum & musculos abdominis latuisse, inde manifestum fit, quod exteriùs neque tactu neque visu unquam illam detegere potuerimus. Quandoquidem longè faciliùs peritonæum introrsum in saccum, quàm musculos abdominis cum suis membranis ac cute ipsa, extrorsũ dilatare atq; extendere potuit materia peccans; Idque in aliis me observare licuit, uti videre poteris Centuria 1. Obs. 63. & in annexa epistola doctissimi Viri Dom. CLAUDII BUCCARDI, item Centur: 2. Obs. 37. At abscessum gravissimum Virtute & pietate nobilissimæ matronæ Dominæ WILDINÆ, nulla alia in parte quàm inter peritonæum & musculos abdominis latuisse, satis superque exploratum habeo. Clarissimus Dominus D. CASPAR BAUHINUS p. m. cui curatio mecum commissa erat, id quoque sæpissimè coram me & adstantibus fassus est. Quod & odor ipse puris, qui effluebat, satis superque arguebat; Plerumque enim odorem interaneorum animalium recens mactatorum, planè præ se ferebat. Taceam nunc de periculoso ac maximo affectu nobilissimæ matronæ, Dom: MAGDALENÆ BEISSIN, Nobil. & Consultissimi Viri Domini WERNERI SALER, Solodurensis Consulis prudentissimi uxoris, cujus affectus tibi notus est. In hac matrona pus præcipuè inter musculos & peritonæũ congregatum fuisse, clarissimus Dom: SCHARANDÆUS (qui ipsam mecum curandam habuit) fidem faciet. Valet & vivit etiam nunc quàm feliciter matrona illa.

Sed quæris forsan causam, cur in nobilissimo ægro nostro, incisio æquè ac in præcedentib° facta non fuerit? Respondeo, ac sincerè profiteor, præcipuam veramque sedem mali, semper nos, imò & ipsum ægrum latuisse. Cùm enim materia peccans viscida, & planè frigida esset, non pungitivos, uti in præcedentibus, sed gravativos excitavit dolores, qui à costis mendosis per totum latus ad inguen usque dextrum æquabiliter se extendebant. Cùm itaque foris, ne minimum quidem indicium sacculi, qui materiam continebat, appareret, ludibrio habebant adstantes omnia, quæ ego de apertura aut incisione proponebam. Hæc sunt Clarissime & doctissime mi D. HAGENBACH, quæ de morbo nobilissimi ægri nostri menti meæ adhuc inhærent, si maturiùs calamum accipere potuissem, forsan & nonnulla alia, quæ memoriæ meæ exciderunt, addidissẽ. Hæc præcipuè eam ob causam ad te scribere volui, ut ansam haberem instrumenta, ad colligendam urinam, in utilitatem ægrotum in lucem dare, & sextæ Centuriæ annectere. Tu omnia æqui bonique consule, quæso.

Obs. 54. Observ. de alio quodam ægro laborante stillicidio urinæ.

Superiùs de alio quodam ægro, stillicidio urinæ laborante, mentionem feci, fuit is septuagenarius quidam Bernensis, qui 21. Junii cùm totâ die circà ligna findenda occupatus fuisset, præter modum incaluisset, & circa crepusculum vespertinum, superveniente pluviâ frigidiusculâ, corpus subitò madefactum & quodammodò frigore percussum fuisset, paralysi dextri lateris correptus est. Loquelam quoque & intellectum simul amisit. Excrementa quin etiam, tum alvi, tum vesicæ, involuntariè effluebant. Vocatus, illam adhibui diligentiam, ut paulatim intellectum & loquelam ex parte recuperaverit. Ex parte inquam, sinistrum enim nervum recurrẽtem saltem restitutum, dextrum verò simulque dextram partem spinæ, materiâ peccante etiamnunc oneratam esse arbitror.

Brachium enim & crus dextrum officio suo nondum funguntur. Excrementa tamen alvi non amplius involuntariè profluunt. Urina verò adhuc guttulatim exstillat; verùm id propter retentricis facultatis imbecillitatem, in decrepitis mirum non est.

Cum itaque ab initio, imò & in hunc usq; diem urina guttatim exstillasset & (ut ingenuè fatear) instrumentum prædictum è memoria mihi excidisset, sed cùm non diu pòst propter acrimoniam urinæ & decubitum sequuta sit excoriatio circa os Coccigis, & nates, hac de re valde sollicitus eram, en rursus in mentem mihi venit, quanto cum successu Dominus in Wyl p. m. prædicto instrumento usus fuerat; protinus itaque illud ægro supposui, quo & urinam etiamnunc tam exactè colligit, ut ne guttula quidem deperdatur. Ab initio autem tria excogitavi instrumenta A. B. C. notata, quorum A inter femora collocetur, dum æger supinus. B. si in dextrum, C. verò, si in sinistrum cubuerit.

(o)


Obs. 54.

Inventio alius commodioris instrumẽti.

Sunt quidem aptissima instrumenta hæc, & prædicto Domino in Wyl maximâ utilitatem ac solamen in suo morbo attulerunt, cùm tamen molestum esse viderem, tot instrumentis instructum esse, posteà aliud, & quidem omnium aptissimũ inveni. Aptissimum inquam, sive enim supinus, sive in dextrum, sive sinistrum latus se vertat æger, quàm bellè adaptari potest. Ejus delineationem hîc quoque annexi.

Fabricatur autem vel ex argilla, vel ex stagno, cupro, imò etiã ex vitro, ejus capacitatis, ut libra vel libram unam & semis urinę contineat.

Delineatio Instrumenti.



In Viris autem solummodò utimur præscriptis instrumẽtis, in mulieribus vix adaptari possunt, in iis verò vasculum in libro de Lithotomia Vesicæ cap. 21. delineatum, aptum est, præsertim si filum crassum ex lana contortum, pudendis per matronã aliquam ita adaptatum fuerit, ut superior pars fili colli vesicæ adhæreat, inferior verò in vasculum propendeat.

Hæc de instrumentis ad urinam recipiendam. Coronidis loco addam compendiosissimam curationem stillicidii urinæ in decrepito, fuit is Dominus Benedictus Grat, olim verbi Divini minister fidelissimus, homo 93. annorũ, hîc in vicinia in Dorberg, cui Anno 1626. quum stillicidio urinæ correptus fuisset, nec sine molestia aliquandiu laborasset, meque in consilium adhibuisset, & malum propter retentricis facultatis imbecillitatem ortum esse cognovissem, sequentem exhibui potiunculam

Potiuncula


℞. Syr. de papavere, &
De Althæa Fernelii an ℥j.
Confectionis Alkermes ʒj.
Aq. Buglossæ, Boraginis &
Melissæ an ℥ij.
Aq. Cinamomi, sive vino distillatæ ℥j ß.

De hac potiuncula sumebat singulis diebus per tres horas ante prandium, ad cochlearia tria aut quatuor, totidemque per tres horas post cœnam, idque ad menses aliquot. Hoc solo medicamento, optimâ tamen observatâ victus ratione, ita instaurata fuit facultas retentrix, ut ab eo tempore, & ad finem usque vitæ suæ (vixit autem usque ad annum 95. ætatis) urina non amplius involuntariè efflueret. Per intervalla tamen præscriptâ potione utebatur.

His vale Doctissime amantissimeque mi D. Hagenbach, & cum tuis omnibus quàm felicissimè vive. Dabam Bernæ 3. Sept 1628.

OBSER-

Delineatio prædicti instrumenti.



OBSERVATIO LV.

De ardore & incontinentia urinæ, & nova inventione instrumenti, quo inter deambulandum colligitur

Ad Eundem Virum doctißimum

DN. JACOBUM HAGENBACHIUM Medicinæ & Chirurgiæ Doctorem celeberrimum.

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

Superiori anno, doctissime mi Dom. HAGENBACH, Casum non Vulgatem de stillicidio urinæ ad Te scripsi, nunc simile quid occurrit, quod tecum communicare visum est. Capitaneus quidam decrepitus, Civis Friburgensis, à multis annis arthridide nodosa laboravit: Ante annum quoque de ardore & acrimonia urinæ conqueri cæpit. Præscripta fuerunt multa, tum à Medicis Freiburgensibus tum etiam à me, ad demulcendum ardorem & acrimoniam urinæ, quæ tamen parum profuerunt. Materia enim, quæ antehac ad articulos defluere, ibidemque dolores intensissimos excitare solebat, nunc ad renes & vias urinarias decumbit. Hinc tanta sequitur urinæ acrimonia, ut illam singulis ferè momentis reddere coactus sit: dolores verò Arthritici non usque adeò vehementer, uti ante hac, ipsum molestant, corpore quinetiam mediocriter valet: ita etiam ut plærumque in publicum prodiret, nisi incontinentia urinæ obesset. Ut igitur optimum huncce virum & mihi à multis annis amicitiâ junctum, in tantis molestiis sublevarem, instrumentum commodissimum inveni, quo urinam inter deambulandum colligit, Est autem tubulus ex ligno tornatus, cui ex infima parte, vesica bovina alligata est. Ex superiori verò parte thoraci, ex duplicata tela facta, tubulus annectitur, ut ex sequenti figura videre licet.

Commodissimum est instrumentum hoc, non solum pedes incedendo, verùmetiam equitando. Vesica enim, tubulo alligata, urinam tam benè recipit, atque continet, ut ne guttula quidem deperdatur, Sed quia ægro tandem, propter madorem veficæ, fit molestum, idcirco vasculum excogitavi, quod membrum virile quoque excipit; Estque simili modo thoraci annexum. Specimen quod mitto, fictile quidem est, longè tamen commodius erit, si ex argento, cupro, stanno, aut tenuissima lamina ferrea instagnata

Obs. 56.

gnata (sturtz) fabricatum fuerit. Externa facies hujus vasculi nonnihil in rotundum elevata est. Oppositum verò latus, quod fœmora versus tendit, multo magis extuberat. Capacitas ejus sit, ut semilibram contineat. Ambo instrumenta ad Te mitto, quæ ut serena fronte accipere velis, rogo. His vale, vir doctissime, & feliciter vive diu. Raptim Bernæ 25. Junii 1629.



OBSERVATIO LVI.

De calculo in ipso ductu urinario retento.

Clarißimo Viro,

DN. JACOBO HAGENBACHIO,

Medicinæ & Chirurgiæ Doctori,

Guilhelmus Fabricius Hildanus S.P.D.

HAc ipsâ horâ tuas accepi & legi literas, Doctissime & Amantissime mi Dn. HAGENBACH, & quidem DEUS testis est, lacrymantibus oculis. Quæris causam? Accepi heri literas ex Patria, ubi bello devastantur omnia. De morbo quoque filii mei nihil quàm tristia intelligo: & tu nunc tertium argumentum doloris & mœstitiæ, videlicet immaturam, & planè lamentabilem mortem filii, Clarissimi & Consultissimi Viri, Dn. D. IACOBI BURCKHARDI, Amici mei integerrimi, adfers; DEUS pro immensa sua misericordia tristissimos Parentes, & me, solari, ac Spiritu suo sancto munire velit, quò adversa omnia, quæ nobis propter peccata immittit, constanter & tranquillo animo, ut Christianos decet, perferre possimus. Tu interim, Charissime mi Dn. HAGENBACH, ut vices meas apud Parentes agere, ipsosque meo nomine consolari velis, obnixè rogo. Si singulare quid in hoc casu, præter actum heroicum Dn. FASCHII, à Te observatum fuerit, communica quæso. Ante mensem cùm in præparatione medicamentorum dextram defatigassem, secuta est Chiragra, quæ aliquandiù me excruciavit, ita ut etiamnunc non nisi cum difficultate scribere possim. Ignosce itaque si rariùs quàm amicitiæ nostræ jus postulat, ad Te scribo. Non autem dextra tantùm, sed & mens ipsa, propter adversa, quæ subinde adveniunt, laborat, & proinde ingenium hebescit, & ad studia magis magisque fit tardum; DEUS misereatur mei.

Quòd

56. Quòd Observationes de Spasmo Cynico; & commotione Cerebri, gratæ tibi fuerint, libenter ex Te intellexi; Si aliquid simile habes; communica quæso, ut lucem quoque videre possit. Matrona, quæ ex punctura Spinæ piscis tam graviter laboravit, ut ex eis, quas ad Clarissimum Dn. D. HOFFMANNUM scripsi, vidisti, ante mensem feliciter convaluit, non sine admiratione multorum; Nullum enim aliud incommodum ex hoc tam gravi morbo remansit, quàm unius articuli, videlicet medii, rigiditas. Hujus juncturæ enim ligamenta & cartilagines ichor ille acris eroserat. In hac Curatione summam illam malignitatem humoris peccantis quàm bellè observare quoque potui. Ab aliquot abhinc diebus, curandum habeo Virum Juvenem, qui cùm inter pocula arderet ira, & dextrâ vitrum cum impetu percussisset, & fregisset, volamque manus duobus in locis leviter punxisset, gravissimis doloribus, aliisque symptomatibus correptus fuit; Nunc tamen omnia, uti spero, in tuto sunt.

Sed attende quæso Casum non vulgarem, quem hisce diebus in Nobili quodam quadragenario, Viro robusto, & optimo corporis habitu prædito, vidi. Is aliquot abhinc annis calculo renali obnoxius fuit, & multos lapillos per Virgam rejecit, & quotidiè ferè Urinam arenosam excernit: idque, ut refert, sine insigni molestia. Ante menses verò octo, cùm iterum Calculus in ductum Urinarium delapsus, & prope glandem detentus fuisset, non paucas excitavit molestias, videlicet retentionem Urinæ, dolores, Vigilias, & similia Symptomata. Quidam ex nostris Universalia & Topica ex arte præscripsit, adhibuitque, extractionem verò Calculi neglexit. Interim tamen dolores, reliquaque symptomata paulatim remiserunt.

Remanente Calculo fixo, elapso septimo mense ad me venit, & omnia quæ acciderant, exposuit, partemque affectam tractandam præbuit. Retracto præputio versùs radicem penis, cum pollice ac indice glandem circa Coronam tractarem, lapidem statim in carnosa parte penis sensi, cumque facilè uncis, aliisque instrumentis aptis me extrahere posse, spem feci ægro; Sed fefellit me opinio; Immisso enim stylo exploratorio, quamvis diligentissimè perquirerem, Calculum tamen invenire non potui. Ab eo tempore aliquoties Catetherem, etiam maximum, sine difficultate & dolore ægri profundiùs, & ultra Calculum in ductum Urinarium immisi quidem, lapidem tamen denudatum reperire non potui: quapropter nihil temerè tentare volui; præsertim cùm Urinam sine difficultate ferè, frequentius tamen quàm naturæ ordo postulat, redderet.

Vides mi D. Hagenbach. quàm mirabilis sit natura (potiùs autorem & Creatorem naturæ intelligo) in suis operationibus? illa enim quum Calculum sibi molestum, eundem verò ex membro longissimè à fonte caloris nativi sito, expellendum non satis potentem esse perciperet, sinum ad excipiendum Calculum, in carnosa parte penis efformavit, ibidemque membranâ obduxit. Verisimile tamen mihi esse videtur, sinum huncce aliquo in loco foramine quodam, procul dubio exiguo, per quod humores excrementitii, qui circa Calculum colliguntur, ad ductum Urinarium perfluunt, præditum esse. Hoc modo Calculos in Cerebro, Corde, aliisque partibus nobilioribus, sine maximo incommodo ægri, per multos annos inclusos fuisse observavi: tam sagax & provida est natura, in conservatione sui Individui. Quis verò hujus affectus futurus sit finis, suo, DEO volente, tempore ex me intelliges. Cramerum de Peste, & quæstiones Medicas JOH. MATTHÆI rectè accepi, & brevi numeratam pecuniam remittam. Plura ut scribam, dextra, quæ nondum planè convaluit, non permittit. Saluta meo nomine Clarissimum Virum Dn. GRASSERUM, reliquosque Amicos, & æternùm cum tuis omnibus feliciter vive. Raptim Bernæ, 14. Decembris; 1625.

Obs. 56. & 57.

OBSERVATIO LVII.
De calculo in ipso Scroto genito.

Clarissimo & Doctissimo Viro,

DN. IOHANNI BURGAVVERO, Schaffhusiano, Medicinæ & Chirurgiæ Doctori Excellentissimo, Amico singulari,

Guil. Fabricius Hildanus, S.P.D.

QUanta cum laude, Clarissime & Doctissime mi Dn. D. Burgawere, Amicorum integerrime, in Doctorem creatus fueris, & quàm præclara Scientiæ tuæ specimina, tam in privato examine, quàm publica disputatione, ediderit, non satis deprædicare potest Clarissimus Dn. D. Thomas Platerus, Archiater Basiliensis, in suis, quas non ita pridem ad me scripsit literis. Nuntium profectò neque optatius, neque jucundius mihi afferre potuisset. Gratulor itaq; tibi, mi Dn Burgawere, vereq; & ex corde gratulor, rem tibi ex sententia evenisse, teq; nunc salvum & incolumem, ex difficillima Peregrinatione ad tuos rediisse. Faxit Deus Opt. Max. ut brevi in ornamentum Patriæ (de quo non dubito) evadere, & in Nestoreos annos vivere, tandemq; verò veram nostram Patriam cœlestem ingredi possis. Hæc tibi, quem unicè amo & diligo, ex intimo Corde opto. Pro transmissis Thesibus, & quòd in eis de me quoq; honorificè mentionem feceris, gratias ago habeoque maximas, nisi molestum fuerit, mitte quæso exemplar unum aut alterum, sed in albo, quò etiam Dn. Weissio, Præfecto in Sanem, & Dn Durenheimio nostro, qui etiam te, ut scis, amant, charumq; habent, singulis exemplar tuo nomine offerre possim. Perplacet materia, propterea quod rara est, & à nullo, quod sciam, hactenus eventilata fuit. Mitto ad te quintam Centuriam, quam ut hilari fronte accipere, & adjuncta Exemplaria San Gallum, ad Clarissimum Consultissimumq; Virum, Dn. D. Sebastianum Schobingerum, & Ulmam, ad Clarissimum Virum Dom. D. Gregorium Horstium,

Obs. 57.


mittere velis, rogo. Hâc quoque occasione amicitiam cum Viris tam humanis tamq; doctis contrahere poteris. Splendidè & ornatè, etiam respectu quartæ, correctè excusa est, & proinde majore cum alacritate, Deo volente, in sexta progrediendi ansam mihi dabit. In proxima porrò Centuria non immeritò locum quoq; habere poterit. Casus ille rarus, & observatione dignus, quem tu ipsemet superiore æstate hîc in ædibus meis mecum vidisti, & ex parte annotâsti, sed quia post tuum à nobis abitum, cùm æger Genevâ ad me reversus fuisset, quædam alia circa affectum huncce annotavi, visum mihi fuit, casum integrum hîc adumbrare, tibiq; communicare, vehementer rogans, ut si quid à me prætermissum fuerit, id Tu adscribere non graveris. Est autem talis;


Observatio de calculo in Scroto genito.

Valentinus Vögler Heidelbergensis, antehac Ludimoderator, Grammateusq, in Schwetzingen & Munster ad flumen Noh. in Palatinatu inferiore, quadragenarius, ante annos octodecim, videlicet circa annum 1608. stranguriâ, & difficultate inter mingendum cum maximo cruciatu ventris, laborare cœpit, sine ulla tamen causa, ut ille quidem testatur, externa. Stranguria illa, & dolores ventris, cùm in duodecimū annum perseverassent, & magis magisq; adaucti fuissent, tandem ante annos sex planè substitit urina, nec amplius per penem effluxit, sed hinc inde per Scrotum, & è regione pubis Vlcera fistulosa sibi efformavit, per quæ ab eo tempore urina sine insigni molestia & dolore effluxit. Horum Vlcerum, uti fieri solet, jam nonnulla claudebantur, jam nova exoriebantur. Superiore præterea æstate, cùm novus & ingens quidem abscessus ad sinistrum latus Scroti exortus fuisset, Basileam venit, ubi iterum multos ingentesque sustinuit dolores. Tandem 16. Iunii cùm ruptus fuisset, multumq; puris effluxisset, calculus in conspectum venit, qui & post dies aliquot à Dn. Martino Wirzio, Basiliensi Lithotomo, & Amico meo singulari, sine ullo negotio ex vulnere, post ruptum abscessum relicto, tenaculis & hamulis, directore ac præside Clarissimo Viro, Dn. D. Thoma Platero, celeberrimæ Academiæ Basiliensis Archiatro, ac Professore Practico Ordinario, extractus fuit. Calculum ab initio pondus octo drachmarum excessisse nobis retulit, jam verò, uti tu ipsemet vidisti, vix drachmas quinque pendet; Est enim porosus, & cineritii coloris, ita ut facilè crediderim, ab initio ipsum, veluti pumicem, aquâ imbutum fuisse. Calculum mihi reliquit, quem inter rariora mea reservo. Ego verò ne ingratus erga pauperem huncce exulem essem, viatico ipsum muneravi. Porrò ab eo tempore, quo extractus fuit calculus, tota ferè urina per illud ipsum ulcus, à calculo factum, effluit, sine dolore tamen; interim, præter ulcus hoc, sex adhuc reperiuntur ulcera, ad ductum urinarium penetrantia. Vnum in pube, tria circa radicem penis, & principium Scroti, versùs dextrum latus, & duo in Scroto ipso. Perinæum integrum & sanum est, neque antehac malè affectum fuisse, constanter affirmavit, Urinam quoq; se nunc retinere posse, nec guttulam quidem involuntariè effluere dicit. Quum verò summoperè molestum ipsi esse viderem, Vrinam non nisi depositis caligis reddere posse, vel spongiâ, aut linteaminibus ipsam colligere coactum esse, sequens Vasculum, olim Coloniæ, pro ægro quodam, Amico meo, à me inventum, ex cupro fabricandum feci, ipsique dedi. Hujus vasculi beneficio urinam ita excipit, ut ne guttula quidem ad caligas exstillet.

De loco generationis calculi.

Cæterùm de loco generationis hujus calculi nobis perquirendum est. In Vesica ipsum generatum fuisse, vix credam; Quomodo enim tantus lapis ex Vesica per ipsum ductum urinarium, usque ad radicem penis pervenire potuisset, sine insigni læsione partium, quas transiit? Et quia perinæum nunquam in hoc Viro malè affectum fuisse, & tactus ipse, & ocularis inspectio (lubrica enim sunt omnia) fidem nobis fecerunt, & æger constanter asseruit, sequitur, calculum non in vesica, sed ipso in loco, ubi extractus fuit, concretum fuisse. Id verò quomodo acciderit, non facile est scire; Causam enim externâ hujus mali nullam ex ipso expiscari potui. Quædam tamen quæ mihi in mentem nunc veniunt, adscribam: quæ si non vera, verisimilia tamen esse mihi videntur. Arbitror autem, ipsum ab initio morbi (hæc sine dubio nobis propter verecundiam celavit) excoriatione quâdam, & postmodum carunculâ laborasse, & proinde urinam sæpissimè retentam fuisse, donec tandem exorto abscessu circa radicem penis, relictus sit sinus, & ex eo varii ductus, & ulcera fistulosa, quemadmodum & te præsente, sex circumcirca Scrotum, & in ipso Scroto reperi, Toties itaque; & quotidiè collectâ, imò & plerumq; ad tempus retentâ urinâ, in sinu ipso circa scrotum, nihil video quod obstare potuisset, quò minus hoc in loco æquè ac in vesica, concrescere potuerit calculus, imò & forsan faciliùs. In vesica enim insita illa facultas expultrix continuò operatur, & quod nocuum est, extrudere conatur, quod circa scrotum minimè fieri potuisse, tibi notum est. Cur quæso in hoc sinu calculus generari non potuisset, cùm & in Atheromate circa temporalem musculum genitam fuisse materiam lapidosam, superiori anno hîc mihi videre contigerit. Sed de his plura aliàs, uti & de fractura, quam mecum in uxore Dn. Triboleti vidisti, in qua quàm difficulter generetur callus in gravidis, iterum expertior. His vale, Clarissime & doctissime mi Dn. Burgower, & cum tuis omnibus æternùm quàm felicissimè Vive. Dabam Bernæ, 30. Octobris, 1626.





OBSERVATIO LVIII.
De fistula Urachi.
Ad eundem Virum Clarissimum & Doctissimum,
DN. D. IOH. BURGAVVERUM,
&c. cui
Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P.D.

QUas superiori mense Februarii de Turundis, post extractionem calculi adhibendis, ad me scripsisti literas, Clarissime & Amantissime mi Dn Burgawere, perquàm gratæ mihi fuerunt, easque Tractatui meo de Lithotomia Vesicæ (quem Dn. Schobingerus noster in linguam Latinam vertit) cum nonnullis aliis Virorum Doctorum de eadem materia ad me scriptis Epistolis, annectam. Ex quibus, volente Deo, videbis, præcipuos Orbis Christiani Medicos, videlicet Germanos, Gallos, & Italos, mecum sentire: ideoque quicquid sine ratione, & fundamento hac de re blaterant Empirici, Circumforanei, & hujus farinæ homines, me parum esse sollicitum. Interim eorum facta, & quod tam nefariè de corio humano ludunt, ut deplorem, sæpissimè me invitat Christiana Charitas, atque commiseratio, sed frustrà: hujusmodi enim errores nemo nisi Magistratus amplissimus hìc & ubique corrigere, & abrogare potest.

Porrò Vrachum in homine me nunquam pervium invenisse, aliàs coràm ex me intellexisti, & Cent. 2. Obs. 59. ut & in 1. Cent. Epist. 46. legere potuisti. Hujus quoque sententiæ esse Bauhinum, & præcipuos Anatomicos, tibi notum est. Nonnunquam tamen vi quadam naturæ apertum fuisse, ex Bartholomæo Cabrollio Obs. 20. colligere poteris. Ego quoque simile quid in Viro isto, Valentino Vogel, cui superiore æstate, ut notum tibi est, calculus è Scroto extractus fuit, observavi. Ille vigesimâ primâ Martii proximè præteritâ, iterum me hìc invisit, retulitq; se ab eo tempore quo à nobis discessit, quàm optimè se habuisse, & in ditione Tigurina in pago quodam Ludimagistrum egisse, jam verò, propter instans Ver, atque æstatem, (quo tempore, ut scis, rustici Helvetiæ ubiq; ferè, propter occupationes, Ludimagistros suos dimittunt & ablegant) ut alibi se nutrire possit, prospiciendum esse, non tantùm autem ulcera omnia, quæ tu circumcirca ipsius Scrotum, & membrum Virile vidisti, etiamnunc aperta sunt, & ut antea fluunt, verùm etiam ante menses aliquot de novo ulcus haud procul sub ipso umbilico, exortum est. Ex quo plerumq; pars aliqua urinæ, utpote subtiliores partes, non tantùm guttatim exstillat, sed nonnunquam veluti cum impetu erumpit. Vlcus hoc sine dolore ferè, molestia, & febre, ex tuberculo ad instar furunculi, factum esse, sanctè nobis asseruit. Ego coram Dn. Henr. Schobingero, convictore meo suavissimo, stylum exploratorium per illud ipsum ulcus, quod valde angustum & callosum, ad vesicam ipsam immisi. Ex quibus videre est, urachum in Viro isto pervium factum esse; tam sagax ac provida est natura, in conservatione sui individui. Cùm enim ductus Vrinarius callosis istis ulceribus impeditus esset, aliam sibi pro evacuatione urinę fabricavit viam. Hæc clarissime & doctissime mi Dn. Burgovvere, præcedentibus meis, 30. Octobris ad Te scriptis, annectere volui, ut de hoc casu satis raro, integram haberes historiam.

De urachi opinio Galeni VVieri.

Cùm finem huic Epistolæ imponere vellem, in mentem venit, me aliquoties ex ore Clarissimi & doctissimi Viri, Dn. D. Galeni Wieri p. m. Illustrissimi Principis mei, Iuliacensium, Clivensium, ac Montensium, &c. Ducis, Archiatri, Amici mei singularis, intellexisse, se ejus esse sententiæ, videlicet urachum in omnibus pervium esse, & proinde Diuretica maximo cum fructu umbilico applicare. Cabrollius, Anatomicus & Chirurgus celeberrimus, idem sentit; uti ex prædicta Obs. 20. & tabula de umbilico, mihi pag. 23. colligere poteris.

Qui

Obs. 58. Qui cerevisiam recentem & nondum satis defœcatam in copia bibunt, plerumq; stranguriâ corripiuntur, inuncto verò umbilico sævo vaccino vehementia doloris mitigatur: Hinc inter potatores mos invaluit, ut in commessationibus frustum candelæ in pera circumferant, maximoque cum fructu utantur, ex quibus manifestum fit maximum esse consensum inter umbilicum & vesicam, nec omninò rejiciendam esse opinionem Weieri. His vale, clarissime & amantissime mi Dn. Burgavvere & æternùm feliciter vive. Dabam Bernæ, 8. Aprilis, 1627.

Clarißimo atq; Experientißimo Viro, Dn.
GUILHELMO FABRICIO HILDANO,
inclytæ Bernatum Reipubl. Medico-Chirurgo,
Experientissimo, Felicissimo, Domino ac
Fautori suo æternùm honorando,
IOHANNES BURGOWER. D. Scaffhusiensis.
S. P. D.

Binas à Te, Venerande Senex, accepi; Alteras quidem XVIII. die Novembris, alteras I. Decembris, utrasq; longè gratißimas legi, perlegi, relegi. Gratum enim meritò fuit, tam humaniter salutari ab Excellentia T. Præceptore ac Fautore meo optimè merito, simulq; de Valetudine tua secunda certiorem fieri: faxit DEVS, ut Patriæ, totiq; Medicæ Reip. diù adhuc salvus sospesq; superſis. Gratum quoq; fuit, imò gratißimum, videre tandem aliquando desideratißimam Tuam Centuriam, luci publicæ expositam, & quidem tum elegantiori frontispicio, tum correctiore typo, quā cæteras, editam. Hoc nunc optimo jure calcar Tibi stimulumq; addet, Clarißime Vir, ad absolvenda reliqua industriæ ac peritiæ tuæ monumenta, quibus & grata posteritas amplius erudiri, & nominis tui immortalitas porrò quoq; perennare queat. Sextam tuam intelligo Centuriā, itemq; Tractatum de Meliceria, & alia id genus utilißima scripta, nec non conjunctam tandem omnium tuorum operum impreßionem. Summoperè placuit elegans illa, æneisq; figuris perquàm bellè polita hujus Centuriæ facies; Vbi rectißimè Icari casu nuda Artis nostræ θεωρία, Dædali autem felici volatu vera Praxis adumbratur. Instrumentorum pictura plurimùm quoq; mihi arrident. Nec habeo, vel invenio, in toto hoc opere, quod displiceat.

Quod autem peculiari me quoq; exemplari donare volueris, pro eo, ut & omnibus aliis alias mihi exhibitis beneficiis, gratias habeo, & habiturus sum, dum vivo immortales, simulq; omnia, quæ à mea tenuitate proficisci possunt, amoris ac gratitudinis officia, Venerando Seni offero, polliceor. Nec minores etiam gratias tibi persolvo, pro singulari illa de Calculo Observatione, quam nunc omnibus circumstantiis absolutam cum Vasculi & lapidis effigie, ad me perscribere dignatus es. Eximiè verò, tuo more, in Generationis illius locum inquiris; Vbi meo quoq; judicio rem acu tetigisse videris. Neq; enim è Vesica potuisset eò devenire, sine ingentibus atrocibusque symptomatis, siveq; manifesta læsione partium interjacentium. Quas cùm benè habitas esse constet, certum omninò est, tantæ molis lapidem illac minimè transiisse. Neq; mirum alicui videri debet, quòd Lapidem ex ipso in loco, ex quo fuit eductus, generatum esse asserimus: quandoquidem Experientia, rerum omnium Magistra, docet, nullam ferè corporis nostri partem esse, in qua non lapides gigni poßint, adeò quidem, ut neq; Cor, neq; hujus Arteriæ ab iis tutæ sint. In utroq; enim, ut & in Mesenterio, Calculos viderunt gravißimi Autores, Fernelius, & Hollerius. Nihil novi est, lapides in Cerebro concrevisse, quod Kentmannus, cum pluribus aliis, testatur. In Palpebris lapides offenderunt Aetius, & Scaliger: sub lingua Cornelius Gemma, & Guajnerius: in Tonsillis & faucibus, Languis, & idem Kentmannus; In Gutture jam olim Avicenna. Lapides in Pulmonibus inventos docent Græci & Latini paßim Scriptores. Et inter rariora nunc recordor, me quoq; lapillos vidisse Tusi rejectos. In Mammis lapides vidit Lemnius, Cardanus, & alii in Ventriculo: in Intestinis Capivaccius, & Mercurialis, cum plurimis aliis. In Venæ portæ, ipsoq; Hepate Columbus, Benivenius, Dodonæus. In Vesica fellis iidem, & Languis, Fallopius, Forestus. Dum Patavii Anatomicis interessem Dissectionibus, memini me vidisse in fellis folliculo Lapidem ejus magnitudinis, ut ferè folliculum implêrit, instar Chrystalli lucidum, albicantem, ac lævem. Extraxit eum in Theatro Præceptor meus p. m. D. D. Spiegelius. In Liene quoq; ac venis Hæmorrhoidalibus lapides repererunt, illic quidem Vesalius, hic Columbus, qui in ipso etiam Vmbilico idem deprehendit. In Vtero ipso olim Hippocrates & Galenus lapides natos esse docet. Quod eò minorem meretur admirationem, quia superiori seculo totus infans in eodem putrefactus fuit inventus, teste Schenckio.

In Arthriticorum juncturis tophos quotidie nemo non observat. Quinimò in glanduloso illo corpore, quod Vesicæ adnascitur, lapides etiam genitos esse scribit Marcellus Donatus. In quibus locis omnibus cùm excrementitios humores in lapideam quandam molem cogere natura poßit, tantum abest, ut absurdum sit, ut veritati quam maximè consentaneum videatur, statuere, nostrum hunc Calculum non alibi, quàm in ea ipsa Scroti parte natum esse, ex qua Naturæ magis, quàm Artis ope, extractus postea expulsusq; fuit. Sed dum plura de his scribo, quid aliud ago, quam quod, juxta Proverbium, noctuas Athenas fero.

Vale, Vir Clarißime, & me, quod facis, amare perge. DEVS te bono publico diutißimè adhuc viventem florentemq; conservet. Raptim Scaffhusii, 7. Decembris. 1626.

OBSERVATIO LIX.

De Impotentia ad Coitum, propter contusionem capitis & lumborum.

ANNO 1630. 9. Februarii jussu Consistorii matrimonialis, cum reliquis Medicis Ordinariis Bernensibus, Collegis meis plurimùm honorandis, hominem 36. annorum, robustum & optimo corporis habitu præditum, Michaelem Iutzeler, de impotentia ad Coitum ab uxore sua accusatum, exploravimus. Exteriùs quidem nihil quicquam, quod congressum cum uxore impedire posset, invenimus. Etiamsi enim ex una parte castratus esset, reliqua tamen secundum naturam se habebant omnia: Confitebatur insuper, stimulum libidinis sæpissimè non deesse, sed penem erigi non posse.

Hujus impotentiæ causam, & anteactæ vitæ sta-

59. 60. tæ statum, cum diligenter perquireremus, retulit nobis, se ante annos octo circiter, baculo ad dextrum bregma graviter percussum, multumq; ex hac contusione se perpessum fuisse, imò & auditum auris dextri amisisse, urinam quin etiam involuntariè effluxisse. Ex quibus conjecimus, post ictum & contusionem capitis, materiam quandam præter naturam deorsum fluxisse, & nervos, imò & arterias, quæ erectioni penis inserviunt, opplevisse. Hæc cum Consistorio matrimoniali relata essent, divortium factum fuit.

Impotentiam ad Coitum post lapsum in dorsum sequutam quoque esse, in viro quodam robustissimo, ab uxore suâ (quam ante sesquiannum duxerat) ut inepto ad congressum matrimonialem, in jus vocato, Anno 1625. 15. Novembris, hîc Bernæ observavi. Fuit is rusticus quidam, Hanns Aeschlimann/nomine, ex vicino pago Langnaw/ oriundus. Hic in primo matrimonio ex uxore sua liberos aliquot susceperat: in secundo verò planè impotens fuerat, etiamsi circa genitalia omnia secundum naturam se haberent. Referebat ille, etiamsi tempore coitus libidinis stimulus non deesset, membrum tamen virile erigi non posse. Hujus impotentiæ causa erat casus ex arbore, ex quo lumbi mirum in modum concussi, nec à rationalibus Medicis aut Chirurgis ex arte curati fuerant.

Anno 1630. 3. Martii jussu Magistratus nostri, unà cum Collegis meis hominem 36. annorum, Durs Gnägi nomine, robustum & optimo corporis habitu præditum, exploravi, is eodem modo ex casu in dorsum ad congressum matrimonialem impotens factus fuerat.

Hæc in gratiam Medicorum & Chirurgorum, quibus aliquando à Magistratu amplissimo examinandi, & explorandi eos, qui à libidinosis & luxuriosis mulieribus, ob impotentiam ad judicem Consistorii matrimonialis citantur, in mandatis datur, scribere visum fuit.

OBSERVATIO LX.

De impotentia ad coitum, propter frenum nimis breve & durum.

Clarissimo atq; Doctissimo Viro,

DN. JOHANNI JACOBO CRAFFTIO, apud Neocomenses Doctori Medico ordinario atque Celeberrimo,

Guilh. Fabricius Hildanus, S. P. D.

IN Viro isto, quem ad me misisti, Clarissime atque Doctissime mi Domine Doctor, maleficium nullum adfuit. Quòd autem ad actum venereum hactenus ineptus fuerit, id propter frenum penis accidisse reperi. Adeò enim erat breve, durum, atque validum, ut simile nunquam mihi videre contigerit. Adhærebat prætereа frenum usque ad ipsum ductum urinarium, uti ex ipso ægroto prolixiùs intelligere poteris. Quapropter distento pene, & retracto præputio, glans (testis sum ocularis) versus perinæum ferè usque retrhaebatur. Ex his facile intelligere poteris, cur ex inordinato atque præternaturali illo coitu voluptatem nullam habuerit. Quæris causam, cur in primo concubitu cum sponsâ suâ meliùs commodiusve quàm deinceps semen ejecerit? Respondeo, ipsum hoc imaginativè fecisse, cùm certum sit, eandem causam mali ac vitium freni in primo coitu, non minùs quàm in posterioribus adfuisse. Verùm in primo congressu cum novâ sponsâ, propter seminis & spirituum abundantiam, tantus ardor, aut potiùs furor ad Venerem fuit, ut etiam mens si non aliquo modo perturbata, adeò tamen occupata esset, ut verum à falso non satis rectè distinguere posset. Ab eo verò tempore ex continuò, & quidem (ut ille ipsemet testatur) laboriosissimo coitu dissipatis spiritibus, & aliquo modo exhausto humido radicali, Mens, quia in coitu non ita, uti antea, occupata est, meliùs verum à falso distinguit. Nudius quartus frænũ à glande separavi, majori tamen cũ difficultate, quàm in quodam alio viro, de quo vide historiam Centur. 3. Obs. 54. Si diutiùs moram hîc trahere voluisset, maximè consultum fuisset: aliquando enim frenum iterum recoalescere solet. Verùm quia negotia sua id non concedebant, medicamentis ipsum instruxi, quibus ipsemet se curabit. Quod petis Oleum ex Vitellis ovorum, hodiè extractum, nunc ad Te mitto; Vti quoque Emplastrum pro Nobili puellâ. Retinaculum & medicamenta pro puero hernioso, per famulum meum brevi, Dante DEO, mittam; Vti is, qui has Tibi traditurus est, fusiùs significabit. Vale Uir Clarissime, & æternùm feiiciter vive. Raptim Bernæ, 6. Aprilis 1616.

Obs. 60. & 61.

OBSERVATIO LXI.

De sterilitate, propter coitum dolorificum ob longitudinem penis, & quomodo emendata.


GEnerosus quidam juvenis, robustus & corporis proceritate elatior multis aliis, Virginem ex nobilissimâ familiâ oriundam, formosam, sanam, & quàm optimo corporis habitu præditam, duxerat, quæ in secundum annum non tantum sterilis permansit, sed tandem quoque in cacochymiam incidit. Hujus rei causam quum mater, matrona singulari virtute, pietate, ac prudentiâ prædita, ex filiâ anxiè expiscaretur, respondit, ob immensam longitudinem penis mariti sui se maximos dolores, non solùm in ipso coitu, verùm etiam post congressum persentire: genitalia quin etiam sua ob intempestivum coitum læsa esse. Mater cum ex oculari inspectione cognovisset, collum matricis filiæ suæ exulceratum esse, & anxia esset, Coloniam (ubi tunc temporis artem meam exercebam) filiam suam adduxit, Anno 1593. Vocor in consilium, exque matre omnia, veluti internuntiâ, percipio. Suadeo ut ad tempus à congressu Venereo, & consortio atque familiaritate cum viro suo abstineat, interim corpus aliquoties blandè expurgo, & quia propter violentum & intepestivum ac dolorosum coitum obstructio-

Obs. 61. & 62.

nes viscerum exortæ fuerant, apozemata aperitiva exhibeo. Conservis quinetiam tabellis, Electuariis, & Confectionibus Alkermes, de hyacintho, & similibus partes nobiles corroborare studeo, & collo matricis mucilaginem seminis Cydoniorum cum aqua plantaginis, & rosarum extractam, cui admixta erat tutia, cerussa, cornu cervi ustum & præparatum, per matrem bis terve in die imponere jubeo.

Hisce adhibitis remediis, cum intumescentio colli matricis remisisset, Excoriatio quinetiam persanata esset, & maritus uxorem suam invisendi causa Coloniam venisset, & congressum cum ipsa urgeret, anxia fuit juvencula, cui præcedentes dolores, quos passa fuerat tempore coitus animo infixi adhuc inhærebant: quapropter cum iterũ in consilium vocatus essem, suasi ut instrumento quodam instar scuti, inferius adumbrato, & ex subere fabricato, lanâ quinetiam munito, temqore coitus penis muniretur, ne profundius intraret. Scutum autem hocce ejus erat spissitudinis quantùm penem in longitudine proportionem justam excedere coniicere potuimus, In medio foramine eâ magnitudine, ut penem excipere posset, præditum erat. Externa facies plana & æqualis erat, interna verò propter ossis pubis exuberantiam nonnihil excavata, sed ubique Lanâ vel gossipio benè munita erant. Scutum hocce ante congressum cum uxore apponebat maritus, idque non sine maximo successu. Tam benè enim successit inventio hæc, ut non solùm sine dolore, verùm etiam cum voluptate cum viro suo coiret: Eventus quoque fidem fecit. Non diu enim post prægnans facta fuit, filiamque formosam peperit, quam ego cum Anno 1611. Coloniam profectus essē unà cum matre, & nonnullis aliis infantulis ex ipsa natis, vidi. Hinc plærumq; magnos morbos ab initio, exiguis remediis removeri posse videmus. Ex doloroso enim coitu omni procul dubio, tandem putridum, sordidum, & incurabile ulcus in collo matricis sequutum fuisset.

Hæc quidem est adumbratio & forma scuti, cum suis funiculis, qui ante congressum Venereum in dorso connectuntur, ne in coitu amoveatur scutum, Magnitudo verò ex proportione corporis, & penis petenda est.



OSERVATIO LXII.

De abortu propter constipationem alvi.

Viro Clarißimo & doctißimo,
DN. JACOBO HAGENBACHIO,
Medicinæ & Chirurgiæ Doctori Celeberrimo, amico siogulari
Guilhelmus Fabricius Hildanus
S. P. D.

TAm diuturnum silentium tuum doctissime mi Dom. D. HAGENBACHI fecit, quod Ego & uxor mea de Te valdè solliciti fuerimus, & de tua valetudine dubitare inceperimus. Nũc quia Te cum parentibus, & filiolo rectè valere intelleximus, alacritate, & lætitiâ ad DEUM laudandum fuimus excitati: Eumq; ut æternùm te tuosq; conservare velit, supplices oramus. Ego & uxor mea mediocriter valemus: mediocriter inquam. Propter ingravescentem enim ætatem plærumque defluxionibus aliisque incommodis corripimur. Ne tamen ætatem hàcce meam otiosè transigam subinde in opusculis meis ad prælum exornandis, tempus impendo, & quæ præterea in praxi rara occurrũt, consignare non desino. Etiam hisce diebus, casum non usque adeò vulgarem observavi, quem ut tibi communicem, intermittere non possum.

Fluxum Alvi sæpissimè abortum consequi, in dysenteriâ aliisque fluxionibus alvi videmus. Fœtus enim cum nutrimento suo destituitur, lanquescit tandemque moritur. Ex constipatione quoque alvi, abortum fieri Posse (quamvis id, ut arbitror, à paucis observatum sit) sequens observatio fidem facit. Anno 1630. in ipso Mensis Iulii fervore, matrona quædam singulari virtute & pietate prædita Viri Excellentissimi Domini JACOBI SCHNELLII Huic Reip.

à Se

62. à secretis uxor, alioquin sana, optimoque corporis habitu prædita, & in septimum mensem gravida, quum nescio quânam de causâ, constipatione alvi correpta fuisset, illamque in sextum aut septimum diem neglexisset, exorta est febris continua, quæ & non diu post in malignam abiit, cum maximis doloribus tum ventris tum & renum & lumborum. Quum propter adversam valetudinem meam, ipsam adire mihi non liceret, uxorem meam (quæ à nostratibus matronis, ut scis, frequenter in similibus casibus in consilium adhibetur) rogarunt, ut afflictissimam hancce matronam invisere, ipsique solatium aliquod afferre vellet, paruit. Verùm enim verò quum præter prædicta symptomata, & alia, veluti maximum dolorem Capitis, linguæ ariditatem, sitim maximam, & lipothymias adesse videret, ægram brevi fœtum exclusuram prædixit: idque propter maximam constipationem ventris (nisi protinus lubrica redderetur) sine vitæ periculo vix fieri posse, significavit. Hæc cum mihi relata essent, suasi ut scybala in recto intestino collecta, beneficio suppositorii ex melle & sale, extraherentur, deinde reliqua ex proximo intestino Enemate lenitivo evacuarentur. Quid fit? immisso suppositorio, natura insurgit, & scybala & reliqua simul excrementa tam copiose expellit, ut Enemate opus nô fuerit. Exonerato Ventre, symptomata multùm imminuta fuerunt, altero tamen die fœtum exclusit, vivum quidem, sed intra paucas horas expiravit. Puerpera per dies aliquot periculosè laboravit, DEUS tamen medicamentis ex consilio meo ab uxore mea adhibitis, tam abundè benedixit, ut plenissimè restituta fuerit, & in hûc usque diem, in calce hujus epistolæ notatum, quàm optimè se habeat.

Ex his palam fit, quàm infesta prægnantibus sit alvi constipatio. Dum enim excrementa & flatus putridi retinentur in Ventre, exoritur Calor præter naturam, & augetur corruptio in Corpore, ex qua spiritus vitales, ipseq; sanguis, ex quo fœtus nutrimentum suum habet, inquinatur, ideoque fœtus diu superstes manere non potest. Itaque quemadmodum in profluvio alvi, & hæmorrhagiâ intempestiva, fœtus propter penuriam nutrimenti languescit, & plærumque extinguitur: ita etiam fit, si sanguis & spiritus, vapore aliquo maligno ac putrido inquinati fuerint.

In [illegible]

Ante menses aliquot nata hîc fuit puella, quæ Excrementa per pudenda excernit: hactenus tamen sine magna difficultate; sed de hoc casu posthac, cum successum videro, fusiùs ad Te scribam, nunc enim propter nuncii festinationem plura addere non licet. Raptim Bernæ 30. Iulii. 1630.

OBSERVATIO LXIII.

De Extractione fœtus mortui, Exêplum singulare.

Obs. 63.

Viro Clarissimo & Doctissimo,

DN. IACOB. HAGENBACHIO,

Medicinæ & Chirurgiæ Doctori, Amico meo singulari,

Guil. Fabricius Hildanus S. P. D.

QUàm odiosi & ingrati sint Medici parturientibus, & puerperis nostris, nisi summa adfuerit necessitas, Doctissime Dn. Hagenbach, Tu ipsemet, dum mecum viveres, & vidisti, & audivisti sæpius: hinc fit, ut multæ miserrimè pereant, quæ tamen servari possent, si arti peritos in consilium adhiberent, facit id obstetricum ignorantia, & rusticitas, dum prægnantibus persuadent, Medico ignota esse, quæ circa parturientes & puerperas occurrunt. Inde fit, ut Medici operationem hanc, omnium præstantissimam, & necessariam, extractionem videlicet fœtus mortui, negligant. Non solùm autem de nostris loquor, per totam enim Germaniam, proh dolor, paucissimi reperiuntur Medici, qui hanc operationem exercent. Multi verò qui ipsam contemnunt, quasi contra decorem ac honestatem esset, Medicum, qui partium genitalium totiusque negotii (quæ omnia obstetricem latent) cognitionem habet, tractare muliebria, & afflictissimas parturientes ex tantis angustiis, imò & ex ipsis faucibus Orci liberare. Tu verò mi Dn. Hagenbach, qui operationem hanc à me vidisti, vide, atque etiam vide, ne immensum hocce donum Dei, quo ego multas parturientes, morti proximas, conservavi, negligas. De hujus operationis præstantiâ accipe exemplum recentissimum. Matrona quædam nobilis, & uxor cujusdam ex primariis hujus urbis, cum nonô esset gravida, & constitutum tempus gestationis absolvisset, parturientium doloribus correpta fuit. Vocatur obstetrix, quæ quidem illam, quam potuit, adhibuit diligentiam, sed frustrà. Supra modum adauctis doloribus & conatibus ad parturiendum, uxor mea quoque accersita fuit: antea enim, Divinâ adspirante gratiâ, ipsam ab obstetricibus veluti derelictam, bis à fœtu mortuo liberaverat uxor mea, sed manu tantum, & sine instrumentis, quod hac vice fieri nô potuit. Porrò cum fœtum mirando quodam modo in globum involutum esse, & caput osse ilei sinistri incumbere animadverteret, adstantibus significavit, partum præter modum difficilem fore, neq; infantem vivum eniti posse, prædixit.

Quapropter jussit ut cordialia exhiberentur, Epithemata carpis applicarentur, venter, genitalia, & adjacentes partes oleis emollientibus, & relaxantibus, inungerentur, & sacculus emolliens ventri applicaretur, quæ quidem administrata fuerunt, sed frustra. Dolores enim & conatus magis magisq; augebantur, ita, ut vasa umbilicalia extra uterum propellerentur, & fœtus extinctus fuerit. Tum & ego advocatus fui. Vix credibile, est in quantis doloribus & cruciatibus ipsam invenerim, & ita quidem, ut junctis elevatisq; manibus, sine intermissione me rogaret, exclamando, ut Cæsareâ sectione ipsam ex tantis angustiis & doloribus liberare vellem, & sunt hæc ipsius verba, Mein lieber Herr Fabrici/ schnei-

Obs 63 & 64.

schneidet mir den Bauch auff / damit ich dieses Schmertzens möge erlöst werden. Taceo, & quid maritus, & adstantes matronæ, quibus consilia Medicorum apud parturientes & puerperas, odiosa esse consueverunt, dicturæ sint, exspecto: Obmutescunt omnes: illa verò magis magisque exclamat: seca, seca, mi Dn. Fabrici, & ocyus me ex tantis angustiis libera. Quum verò sectionem illam, ut periculosam, neque in hoc subjecto necessariam, rejicerem, & methodum meam extrahendi fœtum mortuum proponerem, statim & ipsa ægra, maritus, & adstantes omnes exclamant, adhibe, adhibe, quæsumus, quæ adhibenda, & tenta, quæ tentanda, ut hujus miseriæ finem videre possimus. Uxor itaque mea, ut quæ operationem hanc, Lausannæ, Paterniaci, & alibi multoties administraverat, me adstante, operationem aggreditur, iterumq; prædictas partes inungit, sacculumq; calidum applicat: Postea eâ quâ fieri potuit diligentiâ, attracto capite, ostium uteri versus hamulum vertici adaptat: quibus omnibus Deus ita benedixit, ut intra dimidiæ horæ spatium à fœtu, simul & à secundinâ, maximâ cum adstantium admiratione, qui nũquam de hac operatione audiverant, feliciter liberata fuerit. Vigesimâ videlicet nonâ Aprilis hujus anni. Post operationem omnia tam benè ad votum successerunt, ut brevi in integrum restituta, & perfectè sanata fuerit. Laus sit Deo Opt. Max in secula seculorum

Fœtus in globum adeò contortus & intricatus fuit, ut ejus situm describere non possim. Totum præterea corpus, imò & facies ipsa (quod in aliis nunquam observavi) limo quodam glutinoso ac spisso, cineritii coloris, coopertum erat His vale, doctissime mi Domine Hagenbach, & cum tuis omnibus æternùm quàm felicissimè vive. Raptim Bernæ 9 Iunii 1629.

OBSERVATIO LXIV.

De mirando quodam situ fœtus in utero:

Clarissimo & doctissimo Viro,

DOMINO FRANCISCO MONHEMIO, apud Wesalienses Doctori Medico ordinario, Amico singulari

Guilhelmus Fabricius Hildanus,

S. P. D.

De puella Morgiensi inedia.

QUas Tu, doctissime mi Dom. MONHEMI 6. Nonas Iunii Düsseldorpio ad me dedisti literas, decimâ quintâ Septembris rectè acepi; Ex quibus valetudinem tuam, tuorumq; cum gaudio, statum verò puellæ Morgiensis Efgen Flegens, cum admiratione intellexi: scribis enim, ipsam in eodem statu, ut ego illam vidi Anno 1612. adhuc persistere. Res profectò stupenda, forsan & ab initio mundi nunquam visa, hominem, uti illam, in trigesimum annum sine cibo & potu vixisse. Quæ ego de admiranda hacce inedia observavi, quintæ Centuriæ observ: mearum, quæ præteritis Nundinis Francofurt. excusa est, inserui; Adjunxi quoque quæ mihi tum à parente tuo charissimo, tum etiam à Te, aliisq; viris fide dignis communicata fuêre. Tu qui in vicinia degis, da quæso operam, ut quid in posterum cum ipsa fiet, diligenter annotes, & si vixero, mihi communices.

APOLLONIA nostra SCHREIERA adhuc in eodem statu, ut Tu illam vidisti, vivit, & quidem sat benè; Comedit enim & bibit cum aviditate, mensesque suos rectè habet, & ut verbo dicam, quàm optimè valet corpore, morbisque per decenniũ, post illã ediã, obnoxia non fuit, pia præterea, casta, sobria & abstemia est, sed ingenio aliquantulum tardiore. Vides quomodo nos decepit. Ante annos enim 16. cùm cuncti arbitrabantur, ipsã morti esse proximã, Domino D. PAULO LENTULO p. m. hujus Reipt Medico ordinario, & mihi à Magistratu nostro Amplissimo, injunctum fuit, ut cumprimùm ex hac luce subtracta esset, ipsius cadaver perlustraremus. Verùm ipsam Dominum LENTULUM vitâ superasse, tibi notum est: me quoq; superare posse (humanitùs loquor) non dubito. Illa enim juvenis est, & robusta; At ego senex & valetudinarius. Sed fiat voluntas DOMINI.

De casu adolescentis zum Newenwerck / te antehac ad me scripisse quidem recordor, qualis verò fuerit affectus, non amplius occurrit, si quid rari circa ipsum te observare contigit, id tribus saltem verbis significa.

Urges atque admones me, ut methodum meum extrahendi fœtum mortuum, in lucem mittam, quod & alii viri docti antehac fecerunt: Scias, mi MONHEMI, me hanc operationem (sine jactantia sit dictum) plusquam quadragies propriis manibus feliciter administrasse, & proinde nonnulla, haud spernenda, in ipsa observasse. Vxorem præterea meam sæpissime, etiem hac hyeme bis, in prægnantibus deploratis, maximo cum successu manum adhibuisse; Interim tamen quomodo ex fundamentis hac de re aliquid scribere possim, me nondum videre. Testor enim, inter tot operationes, quas tum ego, tum uxor mea, administravimus, nondum duas, quæ sibi invicè ex omnibus responderent, mihi occurrisse; Sed semper aliquid novi, sive circa situm fœtus, sive circa dispositionem uteri, partiumque genitalium, aut parturientis, sese obtulisse: quis itaque quæso, operationem, tot tantisque mutationibus obnoxiam, ad certas regulas, certamque methodum redigere posset?

Ansã præterea præberem Empiricis, multisque ineptis hominibus, qui neque conscientiam habent (quorum hoc tempore, proh dolor, multi reperiuntur) ad multa mala perpetranda. Id tum Lausannæ tum Paterniaci ab ineptis barbitonsoribus, & artis chirurgicæ inexpertis factum, & parturientes frustra crudeliter tractatas fuisse, memini. Hos, DEUS testis est, nunquam meis operationibus interfuisse, sed forsan ex relatione muliercularum quarundam, quæ quidem interfuerant, ocularem tamen inspectionem non habuerant (tota enim operatio sub culcitris, & tecto corpore prægnantis perficitur) se satis edoctos esse, sibi persuasisse.

Cognitio

Cognitio præterea structuræ partium genitalium hîc requiritur. At quanto in pretio inter Chirurgos (ut de obstetricibus taceam) Germanos sit studium Anatomicum, tibi notum est. Præstat itaque omnibus tacere, quàm loquendo paucis nocere. Nonnulla de hac operatione videre poteris Observ: 64. Cent. 1. & Observ: 21. in apendice ad Dionysium Fontanorum, à Dom: Basseo edita Francofurii Anno 1600. Videbis forsan & nonnulla in sexta Centuria, in epistola quadam ad Dom: D: PAULUM CROKERUM, Serenissimi Principis ac Domini Dom: CHRISTOPHORI Ducis in Zkaras &c. Archiatrum dignissimum, & amicum meũ singularem. Præter hæc an aliquid ulterius de hac operatione in publicum sim daturus, nondum constitui.

Cæterùm quia de extractione fœtus mortui nobis negotium est, placet hîc annectere exemplum de partu adeò difficili, ut inter tot, quæ tum mihi, tum uxori meæ ad manus pervenerunt, vix unquam similem viderim. Honesta quædam matrona Bernensis, *Elisabet Wagner* nomine, uxor Iacobi Schmid, cum secundò esset gravida, & superiori Autumno, propter fœtum mortuum, maturum tamen, in octavum diem, doloribus parturientium supra modum excruciata, tandemq; ab obstetricibus pro deplorata derelicta fuisset, ut uxor mea in consilium & auxilium vocaretur, adstantes rogavit; Illa cùm circa quartam pomeridianam ad ægram venisset, præter modum ipsam debilem invenit. Conatus ad partum perexigui aderant; Febri torquebatur ardentissima: idque propter doloris vehementiam, ac diuturnitatem, vigiliasque, & quod potiunculas aliquas ad expellendum fœtum, ex rebus calidis confectas sumpserat, vinoq; generoso, ut hîc moris est, usa fuerat; aqua, quæ fœtum comitari solet, ab initio effluxerat, quapropter genitalia adeò erant arida, sicca & clausa, ut vix ingressum duorum digitorum admitterent.

Negotium autem hoc modo aggressa est: Loco vini lac amygdalarum exhibuit, & quidem in copia, Alvum, quæ constricta erat, Enemate subduxit; Ad vires refocillandas, potiunculas ex aquis cordialibus, & confectione Alkermes propinavit: carpisq; epithemata applicuit, totum ventrem, coxas, lumbos, os sacrum, & genitalia, oleis & pinguedinibus anodynis, emollientibus & relaxantibus, inunxit, sacculumque triangularem emollientem, & relaxantem, ejus magnitudinis, ut infimum ventrem & interfeminium cooperiret, calidè applicuit. His per horas aliquot adhibitis remediis, cùm inunctâ manu situm fœtus explorare vellet, vix apices digitorum in uteri ostium intrudere potuit; Adeò clausum erat adeòq; fœtus, propter præcedentes conatus, versus os pubis & genitalia depressus fuit. Tandem cùm summo cum labore & industria, genitalia aliquantum dilatata fuissent, digitosque ulterius immisisset, lumbos, manumq; dextram fœtus sese ante ostium offerre reperit, ut itaque inversum ac monstrosum situm illum fœtus corrigere, & caput, aut pedes ostium versus adducere posset, omnem quidem adhibuit diligentiam, sed frustrà, tam angusta & contracta erant genitalia. Ab incepto tamen opere cum desistere nollet, sed operando, & auxilium opemque divinam implorando, strenuè progrederetur, & parturientem quotiescunq; consultum ac necesse videbatur, ad labores reduceret, tandem & quidem ante duodecimam noctis, singulari misericordiâ ac clementiâ Dei, maxima cum admiratione adstantium, feliciter ac miraculosè liberata fuit. Miraculosè inquam, fœtus enim, ut post partum apparuit, mirando quodam modo, hunc in modum involutus erat: caput & collum sub brachio dextro versus coxam dextram ita reflexum fuit, ut facies inter nates collocata esset: adeò dorsum collumq; erat prolongatum, manus dextra regioni renis sinistri, sinistra verò manus, genu ejusdem lateris incumbebat; Tibia dextra sinistræ decussatim in formam X incumbebat, & ambæ versus pectus reflexæ erant. Habes, Doctissime mi Dn. Monhemi, descriptionem situs fœtus, delineationem libenter misissem, nisi negligentia pictoris, qui miraculosum huncce situm statim post partum carbone quidem adumbravit, non tamen absolvit, id impedivisset, fiet id aliàs Deo volente. Brevi autem in integrum restituta fuit matrona illa, & ab eo tempore in hunc usque diem, quàm benè se habuit: His vale, & cum tuis omnibus quàm felicissimè vive, raptim Bernæ 25. Dec. 1626.

OBSERVATIO LXV.

De duobus affectibus añotatione dignis in utero, propter terrorem ac fortem imaginationem prægnantium, pueris impressis.

Viro Clarissimo & Experientissimo, Dn.
GUILHELMO FABRICIO HILDANO, Medico & Chirurgo famosissimo, Patrono colendissimo,

LUDOVICUS HORNICÆUS, Philos. Medicinæq; D. ac P. L. Cæsareus.

S. P. D.

TUm demum me beatum in lachrymosa hac mundi valle existimavi, ubi omnium hominum, quod ejus daretur, amicitiam ac favorem mihi conciliarem, feliciorem, si viris in universum doctis familiariter uti mihi licet! felicissimum, si Medicorum nostri seculi Principum, è quorum numero tu Vir Excellentissime (nil solis auribus tuis tributum volo) es, studia, amorem ac benevolentiam haberem. Mentem meam liberè adaperio, confisus fore ut inde Exc. T. eo minus mihi, literis ipsam gravioribus negotiis districtam interpellanti, nec unquam de facie noto succenseat. In numerum igitur tuorum, Vir celeberrime, eo quo Excellentissimus Dn. D. Horstius Archiater Vlmensium, ac antehac in illustri Gissenâ Præceptor meus summè colendus, tum & Clarissimus Dn. D. Adr. Spiegelius Chirurgus & Anatomicus egregius p. m. quondam cum studiorum gratia Patavii agerem, me suscipe, mihiq; Excell. T. ad omnia grata officia præstanda paratissimo fave, nec non insertos versiculos boni consulens, tractatui cuidam Tuo, ut publicum observantiæ ergà Exc. T. meæ signum sint, si placuerit, annecte. Nihil

Obs. 65. & 66.

novarum rerum habeo quod Exc. T. scribam, præterquam quod nuper Matrona quædam honesta, explosâ bombardâ perterrefacta, cum prægnans esset, hac in urbe infantulum peperit, plagam in dorso habentem, non aliter formatam, ac si à glande tormentaria inflicta fuisset, vulnus ne, an aliter nominem, dubito. Iuxta Fabricii ab Aquapendente mentem, vulnus non erit, cum ab externo aliquo instrumento inflictum non sit, quid Exc. T. videtur? Imo quid de tempore impressæ hujus plagæ, num imaginatio matris eam in terroris articulo (id quod ego sentio) an verò tempore exclusionis demum & partus, quod alii malunt, cum aliàs propter inevitabilem sanguinis affluxionem fœtus vivus lucem hanc aspicere nõ potuisset, fœtui impressus sit? Hac de re nuper quoque dicto Clarissimo Dn. D. Horstio scripsi: similem casum in insignium Observationum, tuarum, Cent 5. eam perlegens, p. 19 inveni. Insuper non ita pridem uxor vietoris, paulò postquam porcum mactare vidisset, infantulum enixa est, cujus infimi ventris partes extra abdomen propendebant.

Hisce procemii loco vale Vir amplissime, cum omnibus tuis æternùm feliciter. Data Francofurti ad Manum, 13. Idus Septembris 1627.

Exc. T. colendissimus
Ludovicus Hornicæus, D. Poliater Francofurtensis.

OBSERVATIO LXVI.

De gravissimis quibusdam affectibus, in utero materno contractis.

Viro Clarissimo & Doctissimo

Dn LUDOVICO HORNICÆO

Phil. & Med. D. celeberrimo, nec non P. Laur. Cæsareo, Amico singulari.

Guilhelmus Fabricius Hildanus,

S. P. D.

SUavissimas tuas literas, Vir doctissime 13. Septemb. Francofurti datas, 1. Novemb. accepi. Adjunxisti carmen doctum simul & lepidum; gratæ illæ, gratum & hoc mihi fuit: propensum enim animum in me tuum inde agnosco & exosculor. Quòd verò me in numerum Principum Medicorum hujus seculi collocas, id profectò ægrè fero. Quandoquidem meo me pede metior, & tenuitatem tarditatemque ingenii mei (quod non præstitit in bonum publicum, ea quæ præstare debuisset) lubens agnosco. Voluntatem quidem non defuisse testis est; Verùm quàm plurima intervenisse & obstitisse impedimenta, quæ à scriptione me retardarunt avocaruntque, sciunt amici & hi, qui à multis annis me cognoverunt. Jam verò etsi propter ingravescentem ætatem vires deficiant, non tamen deficit voluntas, & subinde in sexta Centuria Observationum mearum progredior.

Porrò uterq; casus, in tuis ad me literis commemoratus, admiratione non vacat. Quomodo enim illæsâ matre fœtus propter terrorem fortemque imaginationem prægnantis in utero lethaliter feriri possit, & ita quidem ac si id ense, aut aliquo instrumento factum fuisset, meum, ut ingenuè fatear, superat captum. Interim tamen talia evenire indies videmus. Possem & ego aliquot gravissimorum affectuum exempla, propter imaginationem prægnantis in fœtum impressorum, in medium afferre, nisi de eis jam in Observationibus meis sparsim mentio facta fuisset. Repetam tamen nonnulla, idque tribus verbis.

De Hydrocephalo, ex imaginatione matris contracto, exemplum habes Cent. 3. Observ. 17. & Cent. 5. Observat. 3.

De transfosso capite in utero propter terrorem matris, vide Epistolicam responsionem meam, ad Dn. D. MICHAELEM DORINGIUM, Medicum Breslaviensem, uti & Observat. 3. Cent. 5.

De infantulis, qui Epilepsiam in utero terrore & forti imaginatione matris contraxerunt, vide Cent. 3. Observ. 8.

De variolis propter imaginationem in utero contractis, exempla habes Cent. 4. Observ 55. & 56.

Non solùm autem propter terrorem prægnantis, verùm etiam propter iram, deformitates fœtui impressas fuisse, observavi. Exemplum memorabile videre poteris Centur. 1. Epist. mearum, Ep. 44. Vivit puella illa etiamnum, robusta & de facie formosa est, nec ita saltando & tremendo uti in pueritia fecit, incedit; propter verecundiam enim libenter celaret, quæ tamen celari non possunt, puto claudicationem & contorsionem pedis sinistri. De affectibus ex ira contractis, poterit T. Excell. quoque videre Observ. Cent. 3. Obs. 56. Exemp IV. de Matrona Paterniacensi. Vivit illa nunc in hac urbe, & aliquando coràm me fassa est, affectum puellæ suæ propter excandescentiam & iram maximam in ancillas suas, quæ artolaganos nimis negligenter paraverant, impressum fuisse.

Sed quid dices de Thoma Schvvickero Saxo-Hallense, qui superiori seculo sine brachiis natus fuit, & ad decrepitam ætatem supervixit? De eo scribit MATTHIAS QUADUS in libro quodam Germanico, cujus titulus est: Teutscher Nation Herrligkeit mihi pag. 433. id propter terrorem fortemque imaginationem matris, cùm forte fortuna pauperem brachiis orbatum videret, accidisse.

Cæterùm, Vir doctissime, id observavi, ut quemadmodum tuberculum in puella Paterniacensi, de qua anteà, suum habuit canalem & viam ex hepate, ut inde attraheret nutrimentum: ita etiam stigmata & tubercula, quæ in utero formantur, suas habere venas arteriasque particulares, atque insignes, per quas nutrimentum & vitam recipiunt. Vidi id ante annos octo in Dom. NICOLAI SINNERS, hujus urbis Patritii filio cui cùm tuberculum ad instar cerasi rubri in utero materno contractum, in medio nasi exciderem, ductum insignem ex vena frontis rectà ad nasum descendentem offendi, & abscindere coactus fui. Mirum est, quanto cum impetu sanguis inde profluxerit, mihique in faciem prosiliens, in operatione impedimento fuerit. Convaluit tamen, neque usque nunc hujus tuberculi vestigium apparuit.

Memini me Anno 1593. simile tuberculum rubicundissimum in medio nasi, Coloniæ in trimulo erodétibus feliciter absumpsisse, puerumq; in in-

in integrum restituisse. Sed circumspectè & prudenter hic procedendum est, ne novacula, multò minus erodentia, cartilagnes attingant.

Infinita autem (quod notandum) propemodum adhibita fuerant remedia, ad cutem dealbandam, tùm in puero Bernensi, tùm etiam in Coloniensi, sed sine successu. Ex quibus manifestum fit, hos & oleum & operam perdere, qui hujusmodi tubercula & stigmata, sine radicis abscisione sanare conantur.

Nisi enim viæ, per quas affluit nutrimentũ, præcisæ fuerint, frustrà adhibentur reliqua, at quia id semper fieri nequit, mirum non est, si plerumque Medicus, circa hujusmodi maculas & stigmata occupatus, laboris sui fructu privatur.

Nunc iterũ ad epistolam tuam redeo. Scribis, Matronam gravidam explosâ bombardâ adeò perterrefactã fuisse, ut infantem plagam in dorso habentem pepererit. In hujus autem affectus descriptione hæc desiderantur. 1. Quo tempore impraegnationis id acciderit? 2. An statim post conceptum terrorem, dolores parturientium supervenerint: an verò diu post? 3. An puer diu supervixerit, & an plaga profunda fuerit?

Plagam autem hancce *Vulnus* appellari posse existimo, etiam secundum mentem Aquapendentis. Fuit enim solutio continui, in parti molli recens, sine pure ac putredine. Fuit quoque ab externo instrumento, videlicet bombarda, facta plaga illa, sed mirando & supernaturali, captumque hominis superante quodam modo. Quemadmodum autem ad infligendum vulnus duo requiruntur: gladius videlicet, & manus ejus qui ferit: Ita etiam circa ea, quæ fœtui in utero præter naturam accidunt. Objectum, quod mentem animumque prægnantis perturbat, veluti gladium; Imaginationem verò prægnantis, manum esse existimo. Fuit itaque bombarda instrumentum aut veluti gladius: Imaginatio verò prægnantis manus, quæ plagam hancce inflixit. Plagam præterea hancce in ipso terroris articulo factam fuisse, tecum assero, idque si non de toto, saltem ex parte. Si enim statim post conceptum terrorem exclusus fuit fœtus, uti Matronæ, cujus memini Cent. 5. Obser. 3. accidisse dixi, & Matronæ Esseniensi (de quâ postea) quoque accidit, tunc integrum vulnus in ipso terroris articulo factum fuisse, nullus est qui dubitare possit. Si verò post septimanas aut menses aliquot à concepto terrore exclusus fuerit, tunc in ipsa terroris hora, vulneris aut plagæ primordia saltem facta fuisse existimo, progressu verò temporis magis magisque accrevisse; uti videmus in labiis leporinis, quæ plerumque primis mensibus impraegnationis fœtui imprimuntur, sed paulatim cum ipso accrescunt, & cicatrice obducuntur. Cum iis qui distorta membra in utero ex terrore & imaginatione prægnantis contrahunt, eadem est ratio, uti videre poteris Cent. 3. Observ. 56. Exemp. 1. de Matrona Rollensi. Quemadmodum itaque manus ejus qui Vulnus infligit, prout robusta aut debilis fuerit, vulnus suam quoq; habet proportionem, & aut magnum aut parvum existit, ita etiam prout prægnantis terrores, mentis perturbationes, simul & imaginationes, propter res objectas fuerint aut interiores aut remotiores: ita etiam effectus, qui inde sequuntur in fœtu, erunt aut magni aut parvi. Deinde quemadmodum vulnus ab externa causa factum, secundum conditionem partis læsæ, aut mortale aut minus mortale existit: ita etiam fœtus in utero propter fortem imaginationem prægnantis. Si in partem nobilem inciderit, protinus extinguetur; aliquandiu verò supervivet, si imaginatio in partem minus nobilem delata fuerit. Hinc fœtus, cui transfossum fuit caput in utero, uti vidisti Obs. 3. Cent. 5. in ipso terroris momento animam deposuit, puella verò Rollensis, de qua anteà, diu supervixit. Supervixerunt quoque hi, quorum fit mentio Cent. 3. Obs. 56. Exemp. 2. 3. & 4.

Obs. 66. & 67.

Hæmorrhagiam in hujusmodi affectibus non usque adeò formidandam esse existimo. Quemadmodum enim plaga illa, de qua scribis, non gladio aut aliquo alio instrumento acuto, sed supernaturali quodam modo vi impressa fuit, & proinde meritò vulnus contusum censenda est: ita etiam sine insigni hæmorrhagia fieri potuit. Scimus enim, vulnera, quæ à re contundente fiunt, rarò multum sanguinis profundere. Deinde si forsan nonnihil sanguinis effluxit, is cũ lochiis commixtus, nec ab obstetricibus mulierculisque observatus fuit. Præterea in exclusione fœtus sanguinis fluor, propter aëris ambientis frigiditatem protinus quoq; remisit.

Porrò cùm Anno 1611. in patriam, Parentes & amicos invisendi causa, profectus fuissem, simile quid de ictu bombardæ Esseniæ observavi. Historiam, quæ observatione digna est, videre poteris Cent. 4. Obs. 59. ut & in epistolica responsione ad doctissimum & longè celeberrimum Virum, Dn. Michaelem Döringium, Doct. Med. Breslaviensem, quo in loco & alia hujus argumẽti exempla recensentur. Hisce vale, Vir doctissime, & nisi molestum fuerit, significa, an in fœtu, cujus intestina extra abdomen propendebant, visa sit hæmorrhagia, & an mater supervixerit? de morte enim fœtus non dubito. Dabam Bernæ, 26. Decemb. 1627.

OBSERVATIO LXVII.

De coalitione oris Matricis, post difficilem partum.

INter Symptomata, quæ partum difficilem sequuntur, unum gravissimum est, inflammatio Genitalium: facilè enim in gangrænam transit, & vel mortem immaturam accelerat, vel aliud vitium insanabile post se relinquit. Observavi id aliquoties, præsertim anno 1625. mense Iulio, in honestâ Matronâ, uxore Mag. Wilhelmi Kraus, civis, & Sutoris Bernensis. Illa cum primò gravida esset, & constitutum tempus gestationis attigisset, maximo cum conatu ac dolore à fœtu quidem, mortuo tamen, sed non à dolore & periculo liberata fuit: in sextam enim hebdomadam tantis doloribus dies noctesq; excruciata fuit, ut nihil supra. Tandem cum ad ipsam accersitus essem, orificium matricis planè coalitum & genitalia præter modum intumefacta reperi: sub ipso collo vesicæ maximum foramen, per quod

Obs. 67. & 68.

quod urina guttatim exstillabat, ad vesicam penetrabat. Causa hujus mali tam gravissimi fuerat inflammatio partium genitalium, ab obstetrice propter summam sui ignorantiam neglecta, & in putridum ulcus degenerata, quod naturæ potius beneficio, quàm obstetricis artificio, sanatum fuerat, orificio tamen uteri remanente clauso. Exhibitis enematibus, admotis fomentis, inunctionibusq; anodinis, internis & externis, dolores quidem sedati fuerunt, intumefactio quoque circa pudenda remisit, vires quin etiam pristinas recollegit: os uteri verò nullâ arte aut industriâ chirurgicâ reserari potuit: quapropter ad congressum cum marito inepta remansit: tranquillè tamen inter se vixerunt, usque ad annum 1628. quo ipse peste extinctus fuit: illa verò in hunc usque diem 13. Ianuarii 1630, quo hæc scribo, vivit: menses tamen per loca solita non excernit, nonnunquam tamen prius supervenientibus torminibus & diarrhæâ, sanguinem excrementis permixtam, per alvum excernit.

OBSERVATIO LXVIII.

De fractura tibiæ, in gravida.

Viro Clarissimo & Doctissimo,

DN. IOHAN. BURGAWER,

Medicinæ & Chirurgiæ Doctori excellentissimo, & inclytæ Reipubl. Schaffhusiens. &c. Medico ordinario & celeberrimo, Amico singulari, cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus S.P.D.

Hac ipsa hora, clarissime atq; amantissime mi Dn. D. Burgawer, tuas accepi literas, ad quas vix pauca hæc respondere potui. Præter mentis enim anxietates & tristitiam, propter obitum filii mei, etiam hisce diebus chiragrâ laboravi, ita ut etiamnunc difficulter pingere possim. Pro Christiana tua commiseratione, & pia consolatione, gratias tibi ago habeoq; maximas, Deus te tuosq; benignè conservet. Lithotomiam meam vesicæ tibi gratam fuisse gaudeo. Dn. Schobingerum salvum & incolumem Patavium pervenisse, ante octiduum ex literis Dn. Parentis ipsius intellexi. Faxit Deus Opt. Max. ut ibidem studia sua absolvere, & brevi feliciter ad suos redire possit.

Porrò clarissime atque doctissime mi Dn. D Burgavver, vix credas quantas habuerim molestias & labores, cum morosa illa matrona, cui fracturam tibiæ sinistræ, Te præsente & juvante, reposui: non quod Symptomata molesta supervenissent, sed quia sanatio, propter causas, quas mox adscribam in longum tempus producta fuit. Casum ordine, sed tribus saltem verbis recensebo poterit forsan aliquando tibi in praxi tua prodesse.

Vigesima sexta Iunii 1626. uxor Dn. Iohan. Triboleti, hujus urbis Senatoris prudentissimi, matrona 40. circiter annorum, obesa, & plethorica, cum hîc in vicinia (bey dem Badhauß) equum conscendere vellet, tibiam sinistram intra genu & talum fregit. Ego cum eadem die accersitus essem, & completam fracturam invenissem, scis, quàm feliciter, (te quoque adjuvante) fracturam reposuerimus, ipsamq; in urbem conduxerimus. Secunda quoque ac tertia die omnia ad votum nostrum successisse, Tu ipsemet vidisti. Post tuum à nobis abitum cum nihil eorum, quæ ad methodicam curationem spectant, prætermisissem, & neque dolores, neque ullum symptoma supervenisset, cũcta in tuto esse, curationemque intra menses duos me absolvere posse, sperabam, sed fefellit me opinio. Nesciebam enim ipsam gravidam esse, imò ne ipsa quidem ægra id sciebat, quapropter infantem suum in sextam septimanam post acceptam fracturam lactabat. Circa quadragesimum diem morbi, cum callum adhuc lubricum, mollemque esse cognovissem, suasi ut infantem ablactaret, id quum fecisset, & infans, quem gestabat (qui hactenus propter defectum nutrimenti languidus fuerat, nec se movere poterat) vires acquisivisset, cœpit cognoscere, se gravidam esse, & rectè quidem. Vigesima enim secunda Ianuarii 1627. qui fuit finis noni mensis gestationis, puellum sanum & vegetum feliciter peperit, qui & ad menses aliquot supervixit. Tandem verò unà cum puellula, quam in ipsa curatione lactaverat, obiit. Vides quàm exitiosum sit infantulis, sugere gravidam?

Cæterùm clarissime mi Dn. D. Burgavver, incredibile est, quantam adhibuerim diligentiam atque industriam, ut callus generari posset, sed frustra, donec tandem enixa esset infantem. Tum demum spacio quadraginta dierum confirmatus est callus, feliciterq; restituta fuit ægra, sine ulla claudicatione. Decem itaq; ferè menses circa fœminam hanc, supra modum morosam & impatientem, occupatus, & quotidie exprobationes multas ab ipsa audire coactus fui, præsertim posterioribus mensibus, quasi in mea fuisset potestate, pro arbitrio suo naturæ ordinem & cursum volentem aut nolentem invertere, atque præstare, quæ nullus, nisi unus Deus perficere potest? Tibias enim gravidarum, verissimè fractas (plerumq; enim agyrtæ & nebulones fracturas fingunt, uti videre poteris in libello meo de præstantia Anatomiæ, pag. 16.) quam diu ventrem ferunt, mediante callo, coalescere posse, impossibile esse, primò Anno 1624. in uxore Dn. Rudolphi Zender, de qua vide Cent. 5. Obs. 87. & nunc in hac matrona expertus sum. Tota enim natura, cum circa formationem fœtus occupata sit, materiam, ad formationem calli destinatam, ad uterum mittit, & ossa fracta negligit. Hæc tremula manu ad Te scribo, quapropter ut omnia æqui boniq; consulere velis, rogo. Vale clarissime & doctissime mi Dn. D. Burgavver, & æternùm cum tuis feliciter vive. Bernæ 24. Ianuar. Anno 1628.

OBSERVATIO LXIX.

De Hernia gravissima in Sene,

Viro Clarissimo, Dn.

GUILHELMO FABRICIO HILDANO, Artis Medicæ Doctori Excellentissimo, Poliatro Reip. Bernensis, Dno. & Amico suo plurimùm honorando.

SEBA-

Obs. 69.

SEBASTIANUS SCOBINGER M. D. S. P. D.

VIr quidā apud nos primarius, Vir clarissime, annos natus circiter sexaginta tres, à multis annis laborans herniâ, quæ jam unà cum ætate magis magisq; ingravescere videtur, consilium à me petiit, qui malum hoc, si non penitus auferri, saltem præcaveri possit, ne successu temporis abeat in pejus. Ego verò conscius mihi ἀπειρείας meæ in hujusmodi affectibus gravibus & inveteratis curandis, nolui ipsum sine consilio aliorum, qui majorem haberent Experientiam quam ego, in curam meam suscipere. Cum verò neminem sciam, qui in hoc artis nostræ parte, quæ artificiosa manuum operatione hoc genus malorum dextrè curare decet, peritior sit & exercitatior, quàm tu ipse, cujus Chirurgia præcipua est professio, feci apud prædictum ægrotum tui mentionem, & singularem tuam in hac parte peritiam ac dexteritatem de meliore nota ipsi commendavi. Is itaq; me rogavit, ut nomine suo rem ad te perscribere, atq; una super ea consilium auxiliumq; tuum implorare vellem. Qua in re cum petitioni ipsius deesse non possim, etiā atq; etiam te rogatum velim, ut consideratis hujusce affectus circumstantiis, quid de ejusdem curatione tibi videatur, haud gravatè nobis significare digneris. Res autem ita se habet. Ante annos circiter 35. primùm persentire cœpit optimus hic Vir tumorem in inguine dextro, qui paulatim increvit ad dimidii ovi magnitudinem, absq; notabili tamen aliquo dolore. Paulò post tunc Chirurgi cujusdam consilio usus est ligaturâ quadam, qua adhibita tumor haud difficulter ibi intra peritonæum continebatur. A quindecim autem jam annis idem malum etiā sinistro inguine apparere cœpit, atq; adeo jam est auctum, ut magnitudine tumorem lateris dextri nunc multum superet. Sicq; tumore utrinq; paulatim aucto, Bubonocœle tandem abiit in Enterocelen, cum Oschei tumore certè prægnandi, hoc tamen discrimine, ut tumor, qui est in parte dextra, appressæ manus ope ferè totus intra abdomen retrudi possit, secus ac ille, qui est in sinistra.

Causam morbi evidentem quod attinet, Dominus Patiens, qui studiis literarum assiduò incumbens majori ex parte sedentariam vitam agit, nullam aliam afferre potest, quàm frequentem & difficilem exscreationem humoris pituitosi, crassi & viscidi, quo abundat, quemq; non nisi summo conatu nixuq; ejicere potest. Sciendum autem, ipsum etiam doloribus nephriticis esse obnoxium, quorum causâ jam diu frequētibus usus est balneis aut insessibus, ex anodynis & emollientibus factis, quibus tumorem hunc relaxato subinde peritonæo, nimiumq; lubricatis intestinis, magis magisq; increvisse credendum est. Idq; præcipuè à tribus jam annis est observatum, postquam nimirum ante triennium etiam alias ob causas usus esset thermis ferinis. Oscheum autem, quando erecto stat corpore, nunc quidem nō multò minus esse videtur, quàm pueri bimuli caput, ut tumor jam nullâ ligaturâ amplius intra capacitatem abdominis coërceri possit: quapropter etiam omnis ligaturæ usus à multo jam tempore penitus est intermissus. Quamvis autem hactenus patienter admodum hoc malum tulerit, à quo etiam non adeò multum incommodi sensit, præterquam dolorem quendam ab umbilico ad præcordia usq; se extendentem: quia tamen hic ipse dolor ad partes vitales usq; pertigens, & intervallo aliquot dierum subinde recurrens, ipsi est suspectus, tanquam pejus aliquid minans (qui meo tamen judicio non adeò est periculosus, quippe non illarum partium proprius, sed tantùm per Sympathiam ab Omento, quod fundo ventriculi affixum, ab intestinis annexis in scrotum delabentibus, interdum deorsum trahitur, naturali situ illorum mutato, & flatibus, quibus Herniosi abundant, concurrentibus excitatus) præterquam, quod etiam hoc timet, ne gliscente indies malo, dolores acerbi, aut putredines, aut aliquod aliud incommodum gravius tandem superveniat, nihil eorum intermittere decrevit, quæ vel ad curationem hujus mali, vel saltem ad ejusdem levamen, & symptomatum graviorum, quæ eidem supervenire possent, præcautionem, facere possent.

Quapropter egregii hujus viri nomine Te iterum iterumq; rogo, ut quid de curatione hujusce affectus, aut saltem de præcautione incrementi symptomatum, ab ipso dependentium tibi videatur ad nos perscribere; & si quæ tibi sint remedia, sive ligaturæ sint, sive subligacula, aut alia, quæ tibi ad rem esse videantur, ea per huncce tabellarium nostrum, hac sola de causa ablegatum, ad nos mittere digneris. Persenties ipsum utique omni modo gratissimum. Quod si verò fortassis grave tibi sit consulere absenti, efficiam, ut si per te liceat, eum coràm videas, neq; enim gravabitur te vel huc, vel in alium quendam locum in vicinia nostræ commodum, vocare, dummodò sciat, quomodo minori cum incommodo Tuo venire possis. Desideramus autem hac de re sententiam tuam per literas primùm cognoscere. Ipse interim hoc munusculo, literis hisce incluso, ceu grati animi signo & arrhabone, gratiam tecum inire voluit. Vale Vir Clarissime, qui in studio anatomico primus mihi Præceptor fuisti, cùm ante annos circiter 25. ageremus Genevæ, & in amore mei perge. Quod si ego vicissim aliquâ in re tibi inservire possim, efficiam, ut me tibi semper addictum esse persentias. Dabam Gallopoli 15. Ianuar. anni hujus ineuntis ᴄɪɔ ɪɔᴄ xxɪ. quem tibi tuisq; omnibus faustum & felicem ex animo precor.

Epistola Responsoria ad præcedentem Observationem.

Viro Nobili, Clarissimo atq; doctissimo
DN. SEBASTIANO SCHOBINGER,
apud San-Gallenses Medicinæ Doctori celeberrimo, ibidemque Senatori prudentissimo,
Dn. & Amico observando
Guil. Fabricius Hildanus, S.P.D.

ITa est, ut scribis nobilissime & doctissime mi Dn. D. memini adhuc, olim cùm Genevæ dissectionem Anatomicam, non docendi, sed discendi potius, & memetipsum erudiendi causâ habui, clarissimum Virum quoque interfuisse. Ab eo tempore verò, quod sciam, literas à te non habui, neque te vidi, præterquam cum ante annos tres Reipublicæ nomine Legationem apud Magistratum nostrum Amplissimum haberes, meq; pro tua humanitate tunc quoq; inviseres. Nunc quia video te amicitiam nostram, olim inchoatam, porrò per literas renovare & fovere velle, gaudio elatus sum, & vicissim omnia, quæ ad amicitiam conservandam requiruntur, promitto. Affectus, de quo sententiam meam intelligere cupis, gravis est, tùm per se, tùm etiam ratione subjecti. Per se, primò, quia inveteratus est.

Obs. 69.

Intelligo enim, nobilissimum ægrum à triginta quinque annis ex dextrâ parte, à quindecim verò ex sinistra Herniâ laborasse, ipsasq; Hernias paulatim in tantam molem excrevisse, ut nunc, ægro erecto stante corpore, Oscheum non multò minus esse videatur, quàm pueri bimuli caput, & ita quidem, ut nullâ amplius ligaturâ in corpore retineri possint intestina. Ratione subjecti, videlicet ægri, gravis quoque est affectus, quia sexagesimum tertium annum ætatis jam attigit. At scimus, hoc tempore, propter caloris nativi & humidi radicalis diminutionem, morbos graves & incurabiles evadere. Hisce omnibus consideratis, quid de perfecta curatione sperandum sit, non video. De cura tamen palliativa, ut loquimur, hoc est, quomodo præcavendum sit, ne malum ingravescat, & in posterum graviora symptomata inferat sententiam meam explicabo.

Quantum autem ex literis clarissimi Viri percipere possum, duas & quidem diversas adesse species herniæ in nobilissimo ægro vestro, colligo, videlicet ex dextra parte intestinalem: quod inde manifestum fit, quod tumor, qui eâ est in parte, appressæ manus ope, ferè totus in abdomen retrudi possit. Inter Hernias enim, quarũ sex species à Medicis numerantur, solùm Omentalis & intestinalis, quæ duæ veræ Herniæ sunt, in scrotum descendunt, iterumq; supino decumbente ægro, aut appressâ manu, in capacitatem ventris dilabuntur. Tu ferè addis, & rectè quidem; Scio enim in inveteratis Herniis, qualis est illa in vestro ægro, ubi intestinum toties excidit, nunc post reductionem intestini nonnihil tumoris remanere. Membranæ enim, quæ antea ab intestino mirum in modum extensæ fuerunt, corrugantur, & speciem tumoris præ se ferunt. Videmus id in mulieribus, quæ sæpissimè utero gestarunt, quibus tandem abdomen fit rugosum & durum.

Tumorem ex sinistra parte Scroti fixum esse, nec unquam in abdomen retrudi posse, disertè scribis: non est itaq; Epiplocele, neque Enterocele, idque inde probatur, quòd æger, si intestinum in scrotum inclusum esset, alvum exonerare non posset. Sequerentur & alia symptomata, inprimis dolor ingens, uti & inflammatio, propter excrementa intestino & scroto inclusa. Sequitur itaque, esse unam ex reliquis quatuor speciebus Herniarum, videlicet esse aut aquosam Ventosam, Carnosam aut Varicosam. Tu ut præsens Medicus, tractando manu locum affectum, facilè cognosces, quid sit. Si enim aqua in scroto collecta fuerit, tumor scroti rotundus erit, aut aliquando oblongus, æqualis tamen & ponderosus: opposito quoque lumine ex altera parte scrotum translucidum conspicitur. Si fuerit flatus, tumor rotundus quoque erit, æqualis & translucidus, sed minus ponderosus. Si carnosa exstiterit Hernia, tumor percipietur durus & inæqualis. Varicosa cognoscitur, quia per scrotum & præcipuè ubi vasa ad membranam Erythroideam descendunt, venæ varicosæ tam evidenter percipiuntur, ut majori tàm indagatione, quàm palpitatione manuum opus non sit. Ego, ut ingenuè fatear, collectam ibique inclusam esse aquam existimo. Nonnunquam tamen præter aquam, carnosam substantiam circumcirca vasa spermatica & testiculum repertam fuisse observavi, de quibus clarissimus Vir in observationibus meis videre poterit, sed illa non semper manu palpari potest: aquâ enim, quæ totum scrotum adimplet atq; extendit, obtegitur.

Cæterùm, cum tumor istæ sinistræ partis, in capacitatem ventris retrudi non possit: frustranea, imò noxia erit ligatura illa, quæ intestina reprimit. Verendum enim esset, ne propter compressionem subjectæ partes sinistri lateris comprimerentur, tandemq; purredo, aliaq; symptomata subsequerentur. Proponam tamen posteà Subligaculum, quod nobili ægro multum profuturum scio. Tribus tamen verbis causam, cur id suadeo, primò annectam.

Scribit Clarissimus Vir, nobilissimum ægrũ dolorem ab umbilico ad præcordia partesq; vitales usq; sese extendentem, sentire. Hinc angustiam pectoris aliquando subsequi, verisimile esse mihi videtur. Accidit autem dolor iste, ut tu quoque sentis, per sympathiam, quam partes nostri corporis ad invicem habent. Accidit, inquam, meo quidem judicio hoc modo. Cùm scrotum aquâ repletum, suo pondere atq; extensione proximos adjacentes musculos, & inprimis rectos, simul & perinæum trahit, mirum non est dolorem subsequi, illumq; sese ad præcordia extendere, & quandoque pectus angustum reddere. Inseruntur enim musculi recti (ut docet Galen. lib. 5. de usu part. cap. 14. & Bauhinus in theato Anat. lib. 1. cap. 8) ad ossis pectoris latera, & ultimarum costarum verarum cartilagines. Quapropter à pondere scroti deorsum retractis musculis rectis, simul & pectoralibus, mirum non est, si dolor ad præcordia usque, partesque vitales extendatur, & plerumque angustia pectoris subsequatur.

De c[...] tione [...] liati[...]

Porrò cum plenissima sanatio hujus affectus exspectanda non sit, suadeo, ut omnem diligentiam adhibeas, quò subsequentibus remediis dolores, & quæ præterea adsunt incommoda, leniri atque mitigari possint. Primò autem, quantum fieri potest, diminuendum est pondus scroti: est enim, ut ex præcedentibus manifestum fit, causa doloris hypochondriorum partiumque vitalium: fiet id, si optimam victus rationem, quæ pauca excrementa procreat, præscripseris, corpusque per intervalla leviter leniterq; expurgaveris, idque secundùm humoris prædominantis Naturam. Deinde etiam si sacculos & cataplasmata ex herbis, floribus & seminibus discutientibus, attenuantibus & incidentibus applicueris. Ego, qui frequenter in similibus affectibus manum adhibui, sequentibus utor. Primò hoc sacculo.

Sacc[...] prof[...]

R. Herbar. Betonicæ, Salviæ
Origani, Calaminthæ
Absinthii an. m. j.
Flor. chamomillæ, meliloti,
Sambuci, Tanaceti an. m. ß.
Rosarum rubearum m. j. ß.
Seminis anisi, fœniculi, carui,
Seseleos an. ℥j.

Incidantur & contundantur omnia pro sacculis ejus magnitudinis, ut partem affectam cooperire possint. Coquantur in aqua communi, addendo salis m.ß. Applicentur calidè spatio unius horæ aut amplius, prout tibi consultum videbitur, & nobiliss. æger pati poterit, idque singulis diebus bis, manè videlicet antequam lecto egrediatur, vesperi quoque tribus horis post cœnam. Post fotum linteis calidis absterso loco affecto, applicare poteris sequens cataplasma.

R. Farinæ fabarum
lupinorum & lolii an. ℥iij.
Pulveris radicum bryoniæ
Iridis Florentinæ an. ℥j.
Radic. ari ʒvj.
Pulver. florum chamomillæ
Sambuci, Tanaceti,
Origani, calaminthæ
Absinthii, Rosarum an. ʒij.
Pulver. sem. anisi, fœniculi,
carui, ad ʒ iiij. salis ℥iiij.

Coquantur cum oxymelitis simplicis & decocti betonicæ, salviæ, chamomillæ & partib. æqualibus, addendo vitellos ovorum num. tres, applicetur calidè bis in die.


Si dolor abdominis urget, sequenti linimento id inungo.

R. Olei liliorum alborum
Amygdalarum dulcium &
Ol. de vitellis ovorum ℥.ß.
lumbricorum ℥j.

Soleo in hujusmodi affectibus de tertio in tertium, aut de sexto in sextum mensem, præscriptam curationem iterare. Hoc enim modo humor in scroto contentus diminuitur absumitur; & pars affecta, propter diuturnitatem morbi debilitata corroboratur.

Utor quoque subligaculo in hujusmodi affectibus aptissimo, hoc modo. Concinno Thoracem ex tela reduplicata; ejus longitudinis, ut ad umbilicum, aut paulò ulteriùs descendat: deinde compono sacculum ex tela gossypina, eo modo, ut postea ex delineatione videbis, sacculum postea tribus in locis ligulis thoraci annecto scrotumque quantum necesse videbitur in altum traho, beneficio multorum foraminum, ut ex delineatione videbis. Hoc enim modo humeris onus scroti imponitur. Musculi verò ventris, uti & perinæum relaxantur, fiuntq; liberi, nec amplius à pondere scroti deorsum trahuntur. Prospiciendum autem est, ne thorax, imò reliqua vestimenta nimis sint angusta: circa umbilicum enim compresso abdomine, intestina deorsum versus locum affectum truduntur.

Hæc si decenter præparata & adaptata fuerint, omni procul dubio, maximum solamen inde percipiet nobilis æger. Id autem ut fiat, Deum Opt. Max. suppliciter oro. De successu & si quid præterea acciderit, in quo consilium aut auxilium meum nobili ægro usui esse possit, clarissimus Vir monere poterit. Hoc enim tempore vobis coràm officia mea præstare mihi non licet, nondum enim penitus ex morbo, quo 16. Decembris anni proximè elapsi correptus fui, convalui, indies tamen, laus sit Deo, firmior fio corpore. De victus ratione, purgationibus & quæ præterea usui esse poterunt, nihil addo, sed clarissimo Viro omnia, pro suâ prudentiâ & in re Medicâ singulari experientia atque dexteritate, disponenda relinquo. His vale, Vir clarissime, & me tui amantissimum vicissim amare perge. Bernæ 25. Ianuarii 1621.



OBSER-

Obs. 70.



OBSERVATIO LXX.

De periculosissimis herniis, & rejectione clysterum per vomitum.

Clarissimo & experientissimo Viro
GUILHELMO FABRICIO HILDANO,
Medico & Chirurgo Inclytæ Reipublicæ Bernẽsis ordinario, Amico singulari,
cui
Abelus Roscius Medicinæ Doctor.
S. P. D.

QVinta tuarũ Observationum Centuria cum tuis literis humanissimis, Vir præstantissime, atq; amicorum integerrime & observandissime, mihi redditæ fuerunt ante sex septimanas, ineunte scilicet Decembri, proximè præterito: Quæ certè mihi gratæ & acceptæ fuerunt duobus potissimum nominibus, tum quòd tuum erga me animum, & quanti facias amicitiam nostram, luculenter ostendant, tum verò quòd me ruri & rebus campestribus valdè oblectantem, & à libris & studiis per nimium plerumq; avocatum ad ea revocaveris, atq; tuarum Observationum lectione beaveris. Miror sanè mirabilem tuam diligentiam & non mediocres tuos labores. Et gratias ago de tam insigni humanitate& benevolentia: Debebam tibi alias non parum pro aliis à te acceptis, nunc autem debeo longè plus, adeò ut aliquando solvendo non sim futurus: Vigebit tamen in me nunquam interitura tuæ singularis humanitatis & benevolentiæ memoria. Literis tuis respondissem citiùs, si per negotia licuisset, & tabellionum commoditas se mihi obtulisset. Quod autem ad te jam ab aliquot annis non scripserim, & de iis, quæ inter nostras meditationes & curationes observatione digniora interdum occurrebant, tibi non communicaverim, id potiùs meæ vertatur negligentiæ rogo, quàm ut me unquam tui oblitum esse ulla ex parte suspiceris: meam igitur hanc tarditatem æquo feras animo, amanter oro. Nunc autem aliquantulum otii nactus, tibi respondere, & petitioni tuæ satisfacere conabor.

De hernioso Observatio I.

De nostro hernioso historiam paucis accipe: Circa finem mensis Maii proximè elapsi anni 1626. consultissimus & prudentissimus Vir PETRVS BVRGESIVS, Senator & Xenodochii Præfectus Lausannensis, cum ãte aliquot annos Enterocele laborasset, atq; ejus causa subligaculum sibi aptatum continuò circumferret (erat enim ejus ramex non levis, aut in supremo tantùm canali consistens, sed à membranæ peritonæi dilaceratione aut distenta laxatione, in scrotum profundiùs descendens, cùm scil. incogitanti non satis concinnè sua aptaretur fasciola, aut sine illa incedere contingeret, facilè tamen reducebatur) contigit, ut pro negotiis & nata necessitate, dum diutiùs equitare cogeretur, ab equo succussante relaxato subligaculo, & parùm dehiscente, cœpit incautus inter equitandum intestini prolapsum sub ligatura persentire, quod quidem ob ligaturæ compressionem in scrotum excidere non poterat, sed compressum sub perizomate & pulvillo in media via continebatur, & equitationis motu continuò affricabatur & atterebatur, atq; ita non repulso ad suum situm intestino, illud sub fascia compressum per iter in quintum usq; diem detinuit; Vnde dolores & molestias non exiguas toto itinere patiebatur, indeq; exorta inflammatione, dolor acerbus non solum eam partem læsam & laceram, sed totum ventrem, hypochondria, ilia & ventriculum cruciabant; Tandem domum regressus, confestim decumbere coactus, volvulo correptus est, diris cruciatibus ventris, ventriculi subversionibus, alvi constipatione, vomitibus continuis, ructibus atq; aliis ilei symptomatibus: à domesticis multa statim excogitata & adhibita fuere remedia, colica dicta vulgaria, sed omnia irrita. Vocatus ego, ægrum symptomatibus supradictis conflictatum, atq; etiam febre continua, jactatione, siti, vigiliis, & ructibus inanibus mirè conflictatum vidi. Ex inquisitione causa cognita, intestina in scrotum prolapsa, reperi flatibus & fecibus turgida, regressui prorsus obluctantia; Imminens periculum astantibus, ejus præcipuis amicis indicavi, & sine mora clysterem emollientem ex arte paratum injici & reiterari jussi, fotus & cataplasmata loco læso inguini scil. & scroto apponenda curavi, deinde intestina in abdomẽ reponenda aliquoties tentavi, idq; blandis manibus faciendum imperavi, ne à duriori tractatione, aut violentiori impulsione, intestino inflammato & jam nimiùm læso, vis inferretur; & ne à contusione & inflammatione gangræna lethalis inveheretur; Quod in similibus casibus sæpiùs accidisse observavi. His peractis, cùm à supradictis remediis nil meliùs haberet ægrotus, & clysteribus injectis iisq; retentis, alvus non mota, sed potiùs adeò inhibita esset, ut nihil per inferiora descenderet, nec spiritum quidem ullũ transmitteret, & malo ingravescente saviora supervenirent symptomata, tormina atrocia, & crucia-

tus in-

tus ingentes, intestina etiam & viscera omnia inverti viderentur, atq; omnis cibus potusq; biliosi etiam humores, demum pituitosi, variaq; alia excrementa ingenti cum conatu continuè per os redderentur, alium clysterem probè paratum volui indendum, adaucta laxativorum electuariorum quantitate, fotus & cataplasmata iterum apponenda, moderatè tamen calida, ne à calore actuali partes subjectæ contusa & attritæ multò magis læderentur (id quod certè parùm attendunt seplasiarii & barbitonsores, quibus hæc cura frequentiùs committitur, ex quo errore periculum accelerari non rarò vidimus) paucis post horis cùm secunda die illum reviserem, omniaq; in pejus succedere animadverterem, singultum etiam valdè jam eum infestantem, & delirium accedere viderem, ad astantes ego conversus, illos de clysteris rejectione nescio quid ob murmurantes audivi, ex tempore ea, quæ ultimò per os rejecerat, mihi ostendenda volui:

Clysterem totum ultimum, eumq; syncerum cum suis oleis & electuariis in pelvi dignovi, ejusq; odorem oleosum & medicamentosum benè percepi: AEgrum quoq; de pravo oris sui sapore oleoso & pharmacoso, ex hac ultima vomitione miserè conquerentem intellexi. Subitò exinde ex ejus faciei coloris mutatione & pulsus frequentia, inæqualitate & pravitate, virium prostrationem, vitalium facultatum imbecillitatem, & mortis periculum imminere putavi.

De sectione seu de peritonæi apertione à Dn. Rousseto lib. de partu cæsareo celebrata cogitavi, sed huic operationi nullum relinqui locum existimavi, tum ob virium imbecillitatem, tum præcipuè propter experti chirurgi penuriam. In re tam desperata ægrotum non deserui, sed recollecto animo manus auxiliatres, quanta potui diligentia, ei adhibui, remedia cardiaca & bezoardica propinavi, epithemata cordis regioni applicui: Aliud enema conficiendum curavi ex rad. Ireos recent. contusis, rad. bryoniæ, althææ & cortic. rad. Ebuli, summitatibus foliorum ejusdem, foliis Sisimbrii, mercurialis, violarum, malvarum, lathyridis, floribus sambuci, chamomeli, meliloti, semin. fenigræci, lini, anisorum, marathri, bac. lauri &c. in decocto capitis & intestinorum vervecis, bullitu additis colaturæ electuariis cathol. benedict. & hieræ diacolocynth. cum oleis liliorum, linosæ & amygd. d. & ex magmate cataplasma latum & amplum non tantùm inguini & scroto, verùmetiam toti ventri inferiori applicare feci; Ventriculus oleo nucis myrist. inunctus fuit.

Post horam unam aut alteram ab injecto enemate, & à fotu, & cataplasmatis adhibitione, scrotum manibus blandis tractandum jussi, & quam fieri potuit, benignè palpando totum intestinum paulatim in suum locum reductum fuit; Et confestim pharmacum ex ℥ij. Syr. ros. composito helleborati cum ℨj ß diaphen. & ℨß. aquæ nostræ imperialis propinavi. Tribus aut quatuor ab hoc horis, jusculum assumpsit ex vervece & gallina cum ovi luteo & sacchar, clysterem retinuit, medicamentum non evomuit; neq; jusculum; parum quievit; deinde alvum exoneravit bis. Et cum dormire non posset, potum somniferum ex syr. de nimphæa & de papavere cum aqua nimphææ hausit, horas duas circiter dormivit. Expergefactus, duas adhuc sedes habuit, instaurans aliud jusculum ritè præparatum sorpsit. Adventante aurora quarta diei, lenitivum ei alterum exhibitum fuit ex infus. Rhab ℨjß Syrup. ros. solut. ℥j & diaphen. ℨij. quoniam murmura, rugitus, ructus, & ventris dolores adhuc recurrebant, ab hoc pharmaco alvus placidè subducta fuit ter vel quater, nullo deinceps superveniente vomitu. Die sequenti aquæ nostræ imperialis ℨj ß cum pulvere diarrhod. & confect. hyacinti an ℈j sumpsit. Ab eo die paulatim collectis viribus & quasi reviviscens, sedatis symptomatis meliùs indies habuit. Septima die cum oris amaror adhuc eum infestaret, & ventriculi quoddam onus, ventrisq; rugitus aliquos persentiret, purgationem supradictam reiteravit. Decima die morbus ille, qui lethalis judicabatur, sensim vi naturæ depulsus præsidiis nostris cessit, atq; per DEI gratiam sublatus est. Confirmatus & restitutus ubi fuisset, eum seriò monui, ut de probo victus regimine, & de apto subligaculo & pulvillo concinnè fabricato & apposito sollicitus esset; ne posthac tam periculosi sæviq; morbi recidivæ ansam daret. Sed incautus duodecimo ni fallor die, postquam restitutus erat & in publicum prodierat, cùm inopinatè intestinum in scrotum decidisset, nec illud reducere potuisset, iisdem quibus priùs symptomatis vexari cœpit. Delapsum intestinum ob fæces induratos & copiosos flatus turgidum, primis diebus restitui non potuit, etiamsi iisdem auxiliis, quibus priùs dolores mulcere, fæces emollire & intestina reducere tentatum sit: duo enim priora enemata, ut priori vice fecerat, sincera per os rejecit, subsecuta etiam bilis & pituitæ copia. Adauctis igitur prima & secunda die doloribus & supra dictis symptomatibus, febre etiam & vomitu crebro urgentibus, remedia supradicta ultimo loco præscripta, ei fuerunt adhibita atq; reiterata, tum enemata tum etiam fomenta in tertium usq; diem, & in quartum in quo post longam & blandam contrectationem intestina reducta fuere in suum situm, potio lenitiva, ut supra, præscripta & propinata, alvus exonerata doloresq; ut plurimum sedati, purgatione reiterata, tandem reliqua symptomata remiserunt, & paucis ab hoc diebus sanius factus, & in pristinam valetudinem restitutus est, & ab eo tempore non ampliùs de sua hernia conquestus est, imò sine ullo suæ valetudinis dispendio in hunc usq; diem, fortunante & favente CHRISTO, omnes suas subit actiones, sive pedes sive eques, sive stando, sive deambulando, & corpus exercendo, sui tantùm perizomatis aptati, & victus regiminis beneficio.

Intestina iterum in Scrotum decidunt.

De herniosa Observatio II.

Hæc de clysteribus ab intestinis imis & crassis ad tenuia & ad stomachum adtractis, sursum raptis & per os rejectis, recens historia, alias duas à me jampridem observatas, mihi in memoriam revocat; quarum prior hæc est. Anno 1598. cum olim juvenis Scisselij Allobrogum primò medicinam facerem, & sub initio mensis Septembris Genevam, sex leucis à dicto oppido distantem, profectus essem, sorores, consanguineos & amicos meos invisendi gratia; sororem meam natu majorem FRANCISCAM ROSCIAM, honestam matronam, jam ante quatuor annos Viro suo Domino Anshelmio Qualia orbatam, lecto decumbentem & gravissimè a quinq; diebus ægrotantem reperi. Vexabatur maximis uteri, ventris & ventriculi cruciatibus; accersiti antea ab initio fuerant piæ memoriæ Medici, D. OFFREDUS senex & D. COLLADO, atq; Pharmacopæus D. MATTH. TILLEUS, multa fuerunt excogitata & adhibita remedia, clysteribus crebris perfusa, oleis carminantibus illita; Quibus in principio & in secundum usq; diem aliquantulum adjuta videbatur.

Obs. 70.

tur, sed tertio die malo exacerbato, febre superveniente sæviora redierunt symptomata, dolores atrocissimi, vomitus crebri, vigiliæ continuæ, ructus frequentes, & ventris rugitus, quæ nullis cedebant medicamentis, sed indies graviore facto morbo, tandem die quinto delirium atq; frequentes sincopes intervenerunt, & quod magis mirandum, imò stupendum fuit, illa die & nocte mei adventus tres clysteres per os rejecit. Id quod omnes domestici atq; dictus D. TILLEVS mecum observavimus.

Tres clysteres per os rejiciuntur.

Quæ omnia primo meo adventu cum attonitus considerassem, atq; causam tantorum malorum investigassem, & diligentissimè perquisivissem, & ab ægrota cunctãdo percontatus fuissem, hypochôdria, ilia, & abdomen palpassem, ab ipsa veritatem extorsi, atq; hinc volvulum ex hernia profectum esse judicavi. Dixit enim, se tumorem in inguine (glandulam magnam vocabat) jam ante aliquot menses sensisse, & in ea parte dolorem ferè continuum ab aliquibus diebus passam fuisse, eumq; tumorem à sex tantùm diebus adeò increvisse, ut molem duorum pugnorum æquaret, imò exsuperaret & ab eo tempore dolorem & calorem indies intensiorem perpetuò eam molestasse, sævaq; & horrenda supradicta symptomata obvenisse ajebat: quæ omnia non huic tumori seu herniæ, sed colo intestino vel utero asscribenda putabat. Contrectato loco, detecto mali fonte, peritonæi nempe ruptura in inguine facta, per quam intestina cum fecibus devoluta, cùm per eundem meatum seu foramen per quod descenderant, remeare non possent, prædicta symptomata invexerant: Subitò & sine mora ex iis quæ domi sese offerebant, & ad manus erant (erat etenim in noctis hora decima) malvis, camemelo, & copioso semine lini, in multo oleo & aquæ æquis partibus decoctis, locum tumentem diutiùs fovi, & cataplasma ex iisdem cum stercore ovillo recenti mixtis apposui, & singulis horis per totam noctem reiteravi. Tandem adventante die manibus sensim tumorem contrectando, intestina in suum locum suaviter omninò retrusi atq; reposui. Reductis intestinis, summo mane clysterem laxativum injiciendum jussi, quo alvus laxata, fecesq; fœtidissimæ expurgatæ fuerunt: hinc dolores atq; vomitus cessarunt, cæteraq; symptomata remiserunt, & deinceps ea quæ conclamata videbatur, per DEI gratiã in hunc usq; diem vixit, & vivit, herniosa quidem semper ab eo tempore, sed quæ nunquam postea in iliacam passionem recidit: Et quamvis ob rupturæ magnitudinem & foraminis amplitudinem, intestina frequenter & facilè elabantur, facilè tamen reducuntur. Valdè valetudinaria nunc est & annosa, quippe quæ sexagesimum quintum jam preteriit annum.

De hernioso Observatio III.

Alia historia est nobilis cujusdam viri Senatoris Camberiacensis, Dom. à Charancon vocabatur, ille cùm vindemiarum tempore ad amœnum & amplum suum vinetum Chauaigne dictum, ut annuatim consueverat, se contulisset, (illud vinetum non procul distabat à Seisselij oppido, ubi tunc, ut supra dixi, medicinam exercebam anno 1599.) & quodam die in vinea aliquid magno cum nisu ageret, repentè sibi imum ventrem crepari sensit, atq; intestina in scrotum prolabi, quæ cum reponere conaretur, nec posset, in iliacã passionem incidit, secunda enim die ructibus & vomitibus assiduis vexatus, alvum habuit penitùs suppressam, difficultas etiam urinæ illum comitabatur, sub vesperam febris, sitis, oris amaror ingens, vigiliæ, jactationes, ventriculi subversiones, dolores seu potiùs cruciatus, clamores continui, illum torquebant, adeò ut nihil per os admittere & retinere posset. Ego accersitus sub vesperam secundæ diei, ex pulsus inæqualitate, inordinatione, parvitate & celeritate, etiam ex tot symptomatum vehementia, & subitanea virium dejectione, morbum acutissimum & prorsus lethalem, & quartum diem non prætериturum pronuntiavi; Idq; nobili matronæ uxori suæ, duobus suis Nepotibus generosis adolescentibus (liberis enim carebat) certò futurum prædixi, idcircò extemplo præscriptis quibusdam topicis, ne nihil fecisse viderer, cardiacis ad cordis regionem, anodinis ad ventrem; Ad reditum & ad equũ denuò conscendendum me paravi, sed victus omnium domesticorum precibus, qui ut ne meum ægrum miserandum ita desererem, suosq; domesticos derelinquerem, rogabant, remoratus fui & remansi, & protinus enema emolliens & anodynum parandum & injiciendum curavi, atq; post horas tres reiterandum. Ambo ante diluculum tertiæ diei per os reddidit. Tertium post meridiem injectum sub vesperam adhuc sincerum evomuit, & ea nocte feces ipsas fœtentes & iterum bilis copiam cum violentia & cruciatu maximo, per vomitum rejecit, & ita languescens & variis doloribus discruciatus, viribus & spiritibus exhaustis, corpore penitus inanito, sub vesperam quartæ diei defecit.

Ego ut tantæ contumaciæ mali hujus causam investigarem, Chirurgum expertissimum Dom De Lorrain, Camberiaci Practicantem, advocandum rogavi. Dissecto cadavere ileon intestinum, quod in scrotum descenderat, livens invenimus, & supra os pubis in meatus initio (quod notatu dignum) spongiosam seu potius fungosam carnositatem reperimus, intestinum circa meatum involventem membranisq; vicinis adeò adhærentem, ut vix manibus & unguibus avelli posset. Eam excrescentiam primo statim die enatam & a sanguine ob dolorem & rupturam in plagam confluxo, & ad locum laceratum concurrente genitum fuisse autumo, qua fungositate viam obstruente, facta fuit impossibilis intestini delapsi reductio.

Hæc habui, Vir Clarissime & Amice observandissime, quæ pro occasione data ad te scribere, & ut tuæ petitioni morem gererem, respondere volui. Longior fui, quàm ab initio proposueram. Benè & feliciter vale, Vir ornatissime, & me quâ cepisti benevolentia, complecti perge. Vxori tuæ plurimùm ex uxore mea salutem. Dominus IESVS te cum tuis bene valentem conservet, tibiq; unà & nobis semper ut adsit oro. Datum Lausannæ Equestrium die 20. Ianuarij Anni 1627.

OBSERVATIO LXXI.

De hernia intestinali, & gravissimis inde sequutis Symptomatibus.

Viro Nobili & Doctissimo,

DOMINO ABELI ROSCIO,

apud Lausannenses Doctori Medico longè celeberrimo, Amico meo singulari,

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

OBservationes, quas de herniosis ad me misisti, clarissime, & doctissime mi Dn: Doctor, amicorum optime, non sine admiratione legi: præser-

præsertim ultimam, quæ de nobilissimo Viro D. à Charançon agit: nonnulla enim annotatione digna in eâ occurrunt. Primò, quomodo peritonæum tam citò & è vestigio disrumpi, imò & vagina ipsa dilatari potuerit, cum sit membrana valida ac densa? Quapropter existimo, ipsum jam antea, & à longo tempore herniâ laborasse, morbumq; celasse. Idem Anno 1606. apud vos in viciniâ in oppido Cuilly, ad lacum Lemannum, in nobili Viro Dn. de Challon vidi; Is, per annos aliquot insignem herniam intestinalem tam dextrè celaverat, ut ne uxor quidem ipsa, adhuc juvencula (quam in secundis nuptiis duxerat) dolum animadverteret. Quid fit? quâdam die, cum in lacu vicino, propter maximas & ingentes tempestates, vitæq; periculum, magno & insolito nisu laboraret, neque subligaculo munitum esset corpus, intestinum cum impetu in scrotum delapsum est. Ab initio morbum neglexit, aut potius propter verecundiam celavit: tandem verò cum dolor ingens, vomitus, aliaq; gravissima Symptomata exorta fuissent, unà cum Dom. Iacobo Marione, Pharmacopæo vestro, accersitus quidem fui, sed frustrà: tam erat induratum & inflammatum intestinum in ipso scroto.

Post obitum Dn. à Charançon, dissecto cadavere, Ileum in scroto repertum fuisse, scribis: Ubi iterum mirum est, quomodo enemata duplicationem compressionemq; illam ilei permeare, & ad ventriculum regurgitare potuerint. Verum enim verò, naturam plerumq; non tantùm hæc, sed & multa alia, quæ captum hominis excedunt, in morbis perficere, etiam hisce meis vidi oculis. Hinc intestinorum vulnera coaluisse in aliquibus observavi, Exemplum non vulgare videre poteris Cent. 1. Observ 54. Perquàm rarum exemplum de vulnerato intestino in eâdem Centuriâ Observ. 55. habes, in Nobilissima Dominâ Lustriacense, Domina Margarita de Grenße, à multis annis herniosâ, cui post delapsum intestinum in ipsam abdominis dilatationem gangræna cum ulcere sordido in inguine supervenit ex quo bimestri spatio excrementa alvi emanarunt. Illa tamen per singularem Dei misericordiam feliciter restituta fuit, & ad annos aliquot à curatione supervixit, nec fistula, uti plerumq; fieri solet, remansit.

Verisimile autem est, in prædictâ Matronâ non Ileon, aut tenuium aliquod intestinorum, sed Colon affectum, & dilatationi, sive foramini peritonæi inclusum fuisse: Idque sine ullâ reduplicatione intestini. Cùm enim omnium intestinorum crassissimum sit Colon, facilè fieri potest, ut aliqua ipsius pars lateralis, peritonæo dilatato aut rupto includatur, & putrescat, reliquis ipsius partibus remanentibus sanis atq; integris. Cum cruentis intestinorum vulneribus eadem est ratio. Si enim intestinorum aliquod, ense, aut cultro in transversum penitus dissectum, aut quovis alio modo per putrefactionem ruptum fuerit, de vitâ hominis actum esse experientia docet: Extremitates enim intestini protinus sursum deorsumq; retrahuntur, nec unquam labia suturâ conjungi, multò minus retineri possunt. Lausannensi cuidam Dn. Claudio Trypey, Anno 1626. in castratione partem intestini abscissam esse, & materiam fæcalem per menses aliquot ex relicto ulcere effluxisse, memini. In Viro autem isto, Colon sauciatum fuisse, arbitror: tenuia enim intestina ut Hipp. & experientia docet, non coalescunt. De infelicissimâ hacce castratione Excell. T. fusiùs ex ipso ægro, quem adhuc apud vos superstitem esse puto, intelligere poterit: forsan & historiam, in gratiam tyronum, sextæ Centuriæ inseram.

Obs. 71. Observat. de infelicißima castratione.

Tertiò in affectu nobilissimi Viri Domini de Charançon annotatione dignum est, spongiosa sive fungosa illa caro, quam supra os pubis, videlicet in meatus initio, repertam fuisse scribis. Ex hac substantia carnosa satis superq; videre est, herniam hancce non recentem, sed inveteratam fuisse: talis enim substantia carnosa, ex integrâ & illæsâ aliquâ parte corporis, præsertim membranosa, qualis est processus peritonæi, sive vagina, tam brevi temporis spatio (quarto enim die morbi ipsum defecisse, scribis) minimè procreari potuisse, rationi consentaneum est. Quæ ego de excrescentiis carnosis & fungosis, ex detectis cerebri membranis, & magnis articulorum vulneribus prorumpentibus, Cent. 1. Observ. 14. & 15. item Cent. 2. Observ. 36. scripsi, hic locum habere non possunt. In cerebri enim, & articulorum istis vulneribus, non tantùm capillares venæ & arteriæ; Verùm etiam magna vasa sauciata & aperta fuisse, tibi viro in arte Medicâ consummatissimo, tam notum est, quàm quod notissimum: at circa crepaturam sive herniam Domini de Charançon, ne minimam quidem venam aut arteriam disruptam fuisse, inde colligo, quod de reperto sanguine extravenato, & in vacuo abdominis collecto, mentionem nullam feceris.

III. Observatio circa morbū Dom. de Charāçon.

Substantiam hancce carneam, quam circa meatum repertam fuisse scribis, observatione dignam esse assero, tuamque diligentiam laudo; Idque meritò. Nullum enim, præter Ambrosium Paræum lib 8. cap. 15. hactenus illam in dissectionibus observasse, puto. Hujus substantiæ autem, sive carnea, sive callosa fuerit, interventu, foramen, per quod intestinum in scrotum descendit, in adultis obturari, & hernias curari, verisimile esse mihi videtur. Tam provida & sagax est natura, vel potius Creator rerum omnium, in conservatione hominis. Verùm enim verò hujusmodi curationes tantummodò fiunt in eis, qui beneficio perizomatis prohibent, ne intestinū in scrotum descendat, ut presbyter, cujus meminit Paræus, loco præallegato, fecerat, aut per menses aliquot supini cubaverint, quemadmodum Generosus quidam Bernensis Dn. Ioh. Iacob. à Diesbach Eques, de quo vide Cent. 5. Obs. 54.

Nota circa hernias inveteratas.

Diligenter itaque herniosos admonere soleo, ne perizomata, subligacula, omniaq; intestinum reprimentia (de quibus plura in sexta Centuria) negligant. Quicunq; enim herniosi usum perizomatum intermittunt, ingenti sese periculo exponunt. Vidimus id in Dn. Nicolao Kilchbergero, hujus Urbis Senatore, & Tribuno plebis prudentissimo. Ille à multis annis herniâ intestinali affectus fuerat, ex qua aliquoties, quādo in-

Observatio de Dn. Nicolao Kilchbergero.

Obs. 71.

do intestinum in scrotum descendebat, periculosè laboraverat. Cùm verò ante annos aliquot consilium auxiliumq; à me peteret, perizomata ipsi adaptavi, quorum ope adeò sublevatus & conservatus fuit, ut nullum amplius incommodum ex herniâ suâ perciperet, & jam extra omne periculum esse sibi persuaderet, usumq; perizomatis negligeret. Quid fit? Anno 1627. in ipsis canicularibus, cum in prædio suo Bremgarten obambularet, & propter maximum æstum aëris, subligaculum suum per dies aliquot deposuisset, & nunc pedes, nunc eques corpus immodicè nimis commoveret, paulatim & quidem ab initio sine magno incommodo, delapsum est intestinum in scrotum, sine magno, inquam, incommodo. Arbitror enim, naturam jam in generatione substantiæ illius carnosæ, uti T. Excell. in Dn. de Charançon invenit, occupatam fuisse, & dilatationem peritonæi, sive vaginam, ex parte opplevisse.

Porrò cum ab exercitiis non desisteret æger, victus quinetiam rationem non observaret, & jam vino, jam lacte, & ipsius sero, imò & aquâ crudâ promiscuè & affatim uteretur, exortus est dolor in inguine & scroto: quapropter necesse fuit, ipsum in urbem conducere, ubi cum Collega meus Dn. Doctor Rex, & ego in consilium vocati essemus, scrotum præter modum durum, & turgidum, invenimus: dolor tamen non usq; adeò magnus aderat, neque ab initio adfuerat: quapropter affectum suum neglexerat: febri tamen continuâ, dolore capitis, & lumborum, vigiliis, & hujusmodi torquebatur. Adhibuimus quidem, quæ ex artis præscripto adhiberi potuissent: sed sine successu. Tandem enim superveniente singultu, & vomitu vehementissimo, fæces quoque evomuit, & undecimâ Augusti Anno 1627. animam suam Deo piè placideq; reddidit.

Alia Observatio de Dn. Iodoco Fögelin.

Generosum ac strenuum Virum Dn. Jodocum Fögelin, Equitem, Dn. in Cugyrte: Anno 1607. Cum subligaculum suum deposuisset eodem modo periisse, memini. Ego quintâ die morbi accersitus, intestinum quidem in ventrem reduxi, nihilominus tamen biduo post, naturæ debitum solvit. Intestinum enim in foramine abdominis, sive vaginâ, aliquandiu compressum, jam contaminatum fuerat. In nobilissimo Viro Dn. de Chalon, cujus ab initio mentionem feci, vomitus quoque tam vehemens supervenit; ut tandem omnia, quæ assumeret, cum alvi excrementis per os ejiceret. Quid plura? sæpissimè hujusmodi exempla in praxi occurrunt: quapropter optandum, ut apertio peritonæi à Dn. Rösseto, & Paræo (quæ etiam antiquis cognita fuit) tradita, in usum revocari posset. Sed habet & illa suas quoque difficultates. Nisi enim in tempore, constantibus item viribus, & antequam intestinum contaminatum est, administrata fuerit operatio, frustrà fit posteà. At hodiè rarissimè inveniuntur ægri, præsertim inter Germanos, qui periculosas, & inusitatas operationes, ab initio morbi admittunt. Extremo tamen morbo, extremum ut adhibeatur præsidium, etiamsi non semper tutum sit, non dissuadeo: dùmmodò solers, fidelis, ac diligens Chirurgus, instrumentis quin etiam necessariis instructus, adfuerit. Non enim cuivis garrulo & circuforaneo committenda est operatio tam magni momenti.

De apertione abdominis, in herniosis.

De inscriptione & dedicatione quintæ Centuriæ Observationum mearum ad Lausannenses, sollicitus sum. Secundus enim nunc elapsus est annus, quo liber à Dn. Jacobo Musnier, Senatore & Tribuno plebis, meo nomine ipsis oblatus fuit. Quia verò in hunc usque diem ne verbis quidem, multò minus literis responderunt, aut gratias egerunt, verendum est, exiguum hocce munus ipsis minimè gratum fuisse. Tu quæso expiscare causam, & si quid in præfatione intermissum à me, aut forsan non satis concinnè dictum fuisse intellexeris, ut amicum decet, sincerè & amicè mone, quò errorem in secundâ editione corrigere possim. Ante octiduum pestis hic nonnihil remisit, propter tempestates verò & pluvias, jam rursus incipit, & multos è medio tollit. Deus misereatur nostrûm. His vale Vir nobilissime & doctissime, & cum tuis omnibus æternùm quàm felicissimè vive. Dabam Bernæ 14 Decemb. Anno 1628.

OBSERVATIO LXXII.
De infelicissima Castratione.

Viro Doctissimo,

DN. JACOBO HAGENBACHIO,

Medicinæ & Chirurgiæ Doctori, Amico meo singulari,

Guilhelmus Fabricius Hildanus S.P.D.

IN postremis meis ad Te literis, doctissime mi Dn. D. Hagenbach, de gravissima Herniâ Dominæ Landawerin egi. Ab eo tempore de infelicissima Castratione, in septuagenario quodam administrata, Exemplum planè funestum vidi: Casum, quia annotatione dignus est, tibi communicare visum fuit.

Lausannensis quidam, Claude Tripav nomine, à multis annis herniâ intestinali ex dextro latere laborans, Bernam venit, ubi 17. Iunii castratus fuit, sed infeliciter. Quia enim in operatione portio aliqua intestini simul abscissa fuit, subitò exortus est dolor, qui & gravissimus, & continuus fuit. Vigiliæ quoq; inquietudines, febris, & Lipothymiæ supervenerunt, tussis quin etiam & vomitiones, statim post operationem sequebantur, quæ & adeò vehementes fuerunt, ut injectus funis circa processum Peritonæi mox relaxatus sit, & excrementa eâdem nocte per vulnus effluerent, idque in longum tempus. Sanctè enim asseverat æger, se spatio plus quàm octo septimanarum nihil per alvum excrevisse, sed excrementa omnia, simul & Vermes aliquot, per vulnus effluxisse. Tandem dolores ex parte (etiamnum enim & quidem continuò dolores adsunt, ita ut non nisi innixus baculo, & incurvato corpore incedere possit) febris verò, & major pars reliquorum Symptomatum ex toto remiserunt, sed fistula in inguine remansit, ex qua etiamnunc materia feculenta intestinorum continuò effluit, sed non in tanta copia, ut antehac, nec, quod mirandum, fœtorem excrementorum

præ se fert. Hæc partim ex ore ægri excepi, partim quoque vidi: primâ enim hujus mensis, cùm consilium petendi causâ ad me venisset, omnia, quæ acciderant, mihi exposuit, prædictamque fistulam monstravit. Est illa angusta, sed profunda, & rectà versus regionem Hepatis ascendit: inguen quoque & linteamina, quæ scrotum involvebant, prædictâ materiâ fæculentâ commaculata reperi. Nudius tertius à Magistratu Amplissimo, Collegio nostro mandatum fuit, ut ægrum huncce inviseremus, & an sanari possit, exploraremus; Denuò itaq; affectum vidi, & præsentibus Collegis meis, stylo pervestigavi, ubi æger iterum, quæ cum ipso acciderant, (nullus enim nostrûm operationi interfuit) nobis exposuit. Exploratâ fistulâ, omnibusq; ea, qua fieri potuit diligentiâ, consideratis, affectum, in decrepita hacce ætate, insanabilem esse, judicavimus, & Senatui indicavimus; Ne tamen quicquam intentatum relinqueretur, jussu Magistratus, præsidia nonnulla præscripsimus: illa tamē parùm profutura existimo, affectum enim inveteratum, & ulcus internum, & circa intestinum callo obductum esse, tam certum est, quàm quod certissimum. Cæterùm non satis mirari possum, decrepitum huncce Virum, tot dolores, totq; mala gravissima sufferre, & in hunc usque diem vivere potuisse. Memini quidem, eundem errorem etiam ab aliis in castratione commissum fuisse, sed nullum, quod sciam, evasisse. Intestina enim vulnerata, præsertim hoc modo, raro coalescere, nos docet experientia. Tibi, Vir clarissime, quid videatur, & quodnam intestinum vulneratum fuisse existimes, rescribe quæso ego planè sentio fuisse Colon. His vale Vir doctissime & feliciter Vive. 22. Septemb. 1626.

OBSERVATIO LXXIII.

De Enterocele, ejusdemque Curatione.

Viro Nobili Doctissimoq;

DN. ULRICO RIETMANNO,

Lindaviensi Medicinæ Doctori celeberrimo, Amico meo singulari

Guilh. Fabricius Hildanus, S. P. D.

NE indigneris quæso, doctissime amantissimeque mi Dom. D. Rietmanne, quòd ad penultimas tuas, quas 22. Januarii accepi, hactenus non responderim, & præsertim pro thesibus tuis doctissimis, gratias non egerim, quod tamen maturiùs facere debuissem: non solùm eam ob caussam, quòd materia illa, quam tractas, videlicet de obscuritate Visus, mihi, ut homini ætate confecto, accepta fuerit, verùm etiam quod in eis aliquoties honorificè mei mentionem feceris; quâ de caussa ingentes tibi ago gratias. Ne autem silentium meum ægrè ferre, caussamque, quæ à scriptione me avocavit, perpendere velis, multum rogo.

Fuit illa morbus, quo 9. Januarii correptus fui, neque etiamnunc penitus restitutus sum. Ab aliquot septimanis in publicum quidem prodeo, sed non sine difficultate. Morbus meus ab initio defluxio simplex ad articulos esse videbatur: successu verò temporis, affectus ille gravissimus, cujus memini Centur 4. obs: 86. iterum recruduit, multasque molestias mihi fecit, neque etiamnunc (propter maximam imbecillitatem lumborum, & coxarum) non nisi cum difficultate incedere possum. De obitu quoque filii mei, qui superiori æstate ex Italia rediens, & per Galliam iter faciens, in Belgio diem suum clausit, non mediocriter angor. Ita mi Dn. Doctor luctandum nobis est in hoc mundo, donec tandem ad statione illam verè quietam perveniamus Faxit Deus Opt. Maximus, ut constanter, & in fide, adversa omnia, quæ nobis propter peccata adveniunt, perferre possimus.

Ignosce, si etiamnunc ad penultimas tuas non respondeo, præterita enim nocte iterum catarrhus ad pedem mihi delapsus est. Et Tu responsum ad postremas, quas ante paucos dies accepi, urges: respondebo tamē posthac, Deo volente, & casum non vulgarem in puello, ex forti imaginatione matris ortum, communicabo.

Quid de nobilissimo ægro nostro (in cujus gratiam nobilis & doctissimus Vir, Dominus Doctor Sebastian⁹ Schobingerus, Reipubl. Sancgallensis Doct. Medicus celeberrimus, ibidemq; Senator prudentissimus, quoque ad me scripsit) sentiam, paucis accipe:

Scribis, sexagenarium ab anno nondum exacto, in inguine dextro protuberantiam deprehendisse, quam bubonocelem esse, & paulatim, nisi majori malo diligenter occurratur, in insignem enterocelem abituram, tecum assero: idq; potius propter relaxationem processus peritonæi quàm crepaturam.

Quæ enim propter disruptionem, dilacerationemque peritonæi in scrotum descendunt intestina, non sensim, ut in Nobili ægro vestro, sed festinanter, dilabuntur. Quæ hujus relaxationis & protuberantiæ sit causa verissima, non facilè est scire, neque etiam usque adeò necesse est, ut de ea sollicitè perquiramus, parùm enim ad curationem facit: Caussas tamen, quas Tua Exc: proponit, ut verissimas omnes approbo, imò & primam, quam tamen nonnulli in dubium vocare contendunt; Negantes herniam esse morbum hæreditarium. Sed vide quæso, hac de re Excellentissimum Senem Valescum de Tharanta lib 26: cap: 8. quo in loco disertè scribit, se herniosos ex parentibus herniosis natos, usq; in tertiam generationem, vidisse: Ego simile quoque habeo exemplum, annotatione dignum, quod paucis tibi communicare non gravabor. Circa annum 1550 floruit sub illustrissimo Principe meo Domino Guilhelmo, Juliacensium, Clivensium & Montensium &c. Duce, felicissimæ memoriæ, herniotomus totius regionis famosissimus, quem propter inscitiam theoriæ artis suæ, adeò audacem & temerarium fuisse, ut homines ac si bruta fuissent, castraret, non semel mihi retulit Excellentissimus Vir Dn: Cosmas Slotanus, ejusdem Principis Medico-chirurgus celeberrimus &c. (olim Præceptor meus æternùm honorandus, qui eodem tempore in aula quoque vixerat & castratorem huncce familiariter cognoverat. Sed annotatione dignum est, quod Iohan

An hernia sit morbus hæreditarius?

Observatio de progenie herniosa.

Obs. 73. Notatu digna historia de herniotomo atque Monacho temerario

Wierus de præstigiis Dæmonum lib. 4. cap. 20. de temerario hocce Viro commemorat: videlicet Monachum quędam cùm propter perpetratum adulterium gravissimas pœnas metueret, ac fingeret rupturam circa umbilicum, apud castratorem huncce consilium petiisse. Quid fit? Pacto cum priori Monasterii de pretio curationis transacto, Castrator Monachum in ædibus suis excipit, ubi quo se coram Magistratu Ecclesiastico excusari posset, quasi in juventute castratus fuisset, utrumq; testem ipsi exsecat. An autem herniotomus ille fuerit herniosus nec ne, ignoro quidem, prosapiam verò ipsius, quæ in hodiernum diem adhuc magna & mihi ex parte cognita est, utplurimùm herniis obnoxiam esse, imò etiam mulieres scio. Possunt itaq; herniæ ex parentibus in liberos propagari. Sed hæc obiter.


Quæstio I.

Nunc ad quæsita tua respondere conabor: Quæris primò, utrum in hac annosa hernia, & sexagenaria Dn. patientis ætate, perfectæ rupturæ consolidatio sive curatio per medicamenta sit speranda nec ne? De hoc ego valde dubito, neque herniam in hac ætate sine læsione viscerum perfectè sanari posse existimo. Hernia enim si in corpore consistentis ætatis, vix & non nisi, rarissimè sanabilis, quantò minus in decrepita? In aliquibus tamen curationem successisse memini quidem, sed id de raris contingentibus est. Habes exemplum Cent. 5. Observ. 54. Fuit is generosus ac strenuus Vir Dn. Io. Iacobus à Diesbach, Eques, & olim sub Henrico magno Dux exercitus solertissimus, tandemq; hujus Reipubl. Senater prudentissimus, qui ab anno 1618. quo à Hernia restitutus fuit, ad annum 1627. & 7. Ianuarii supervixit, nec unquam tamen de hernia ipsum conquestum fuisse, ego, qui ipsi familiarissimus fui, & antea ipsi perizomata omnia conficere solitus, affirmare possum. Aliud exemplum videre poteris Cent. 2. in epistolica Respons. Dom. Doctoris Sebastiani Meyeri, ad Obs. 81. uti & apud præstantissimum Chirurgum D. Ambrosium Paræum lib. 8. cap. 15. Ego quoque herniosos nonnullos restitui.

Quæstio II.


Quæris secundò, quibus remediis curatio sit tentanda? Ego ut ingenuè fatear, in decrepita ætate ægros multis medicamẽtis internis onerare solitus nõ sum, ut quæ in omnibus ferè frustrà adhibita fuisse, observaverim; Nisi enim æger in longum tempus decubuerit, sine successu adhibentur medicamenta. Exemplum habes in generoso Equite Dn. à Diesbach, cui multa variaq; medicamenta adhibuerant præstantissimi Viri, Dn. Quercetanus & Dn. Riverius, Medici Regii, sed frustrà. Quare decumbere recusaverat, ac demum decumbens in dorso per menses aliquot, perizomate solo sanatus fuit. Verùm curatio hæc in ægro vestro, non satis tuta est, propter decubitum enim renes incalescere, & arenosam dispositionem eorum augeri, haud dubito. Observavi id quoque in generoso Viro Dom. à Diesbach, qui ab eo tempore, quo à hernia suâ curatus fuit, calculo renum laborare cœpit, & aliquot lapides, etiam grandiusculos excrevit.

Ne autem malum magis magisq; ingravescat, suadeo, ut nobilissimo ægro perizoma, eâ quâ fieri potest industriâ & diligentiâ adaptetur & præparetur, quo intestinum intus retineatur; Idque facilè fieri posse existimo, præsertim cùm morbus adhuc recens sit. Utinam mensura ægri mihi ad manus esset, libenter enim vobis perizoma fabricarem: Ne autem me vobis deesse velle videar, descriptionem & figuram retinaculi, quo ego à quadraginta abhinc annis, maximo cum fructu in meis ægris, imò & in quàm plurimis Magnatibus utor, annectere volui. Constat id ex pulvino, cingulo, & duobus subligaculis: sed totum artificium in pulvino situm est, videlicet ut justam habeat magnitudinem, ita ut neque nimis parvus, neque nimis magnus, sed secundum magnitudinem inguinis, hunc in modum sit adaptatus, & ita quidem ut totum spatium inguinis cooperiat, etiamsi affectus in uno saltem sit latere.




Exterior autem facies pulvini plana, interior verò, quæ rupturam respicit, lanâ infarcita multumq; elevata esse debet, præsertim eo in loco, in quo protuberantia in inguine conspicitur. Pulvinus fit ex corio duro, quali sutores ad soleas calceorum conficiendas utuntur, tela fustanica coopertō; Deinde in parte quæ rupturam respicit, lanâ adeò infarcto, ut durus efficiatur, alioquin protuberantiam reprimere non potest. Cingulum latum sit quatuor circiter digitos; subligacula verò ea in parte, ubi pulvino annectuntur pollicis tantùm sint latitudine, ne sub crurum divisione molestiam pariant, paulatim tamen in latitudinem excrescant, ut ex sequenti delineatione videre est.

Supe-




Superior autem pars pulvini in præcedenti figura A. A. A. notata semilunarem formam ut habeat, necesse est: sic enim infimus venter perizomati commodiùs incumbet. Cingulum duobus in locis pulvino annexum esse debet: Primò in medio, ubi B.B.B. notatur; Deindè quoq; ex superiori sua parte. Subligacula C C. notata pulvino annectuntur, ut ex proxima præcedenti delineatione videre licet. Deinde ad latera scroti sub crurum divisione descendentia, versus posticam partem, sursum inter nates & fæmora, per depressum illum locum à Vesalio tabula 2. musculorum X. notatum, sunt ducenda & ex anteriori parte, è regione ossis ilei annectenda, & ita stringenda, ut protuberantiam inguinis firmiter reprimat pulvinus. Id autem ut faciat pars illa, quæ rupturâ respicit, inprimis lanâ tantisper infarcienda est, donec pollices duos alta sit. In applicatione prospiciendum est, ne cingulum ossa ilii transcendat, neque ex anteriori parte ultra os pubis descendat, hoc modo enim facilè hærebit perizoma, nec ullam ferè molestiam ægro efficiet. A paucis abhinc annis aliud genus perizomatis nonnullis ex ægris meis ex ferro fabricari curavi, quod commodissimum quidem est, subligaculis enim (quę sub crurum divisione molesta esse solent) opus non est, sed vix absente ægro rectè apteq; fabricari potest. In gratiam tamen nobilissimi ęgri delineationem hîc inseram. Tu fac periculum an apud vos confici possit.

Pro dextro latere.



Pro sinistro latere.



Declaratio instrumenti:

Ruptura est ut, scribis, in dextra parte inguinis, fabrica itaque cingulum ex tenui lamina ferrea, pollicem circiter unum cum dimidio latum, ejus longitudinis, ut principium ejus A. notatum, inguini sinistro incumbat, finis verò B. insignitus, dimidiam partē corporis amplectendo

 in me-

Obs. 73.

in medio ossis sacri dorso firmiter insistat, sitque ea in parte nonnihil latum & semirotundum, ne partem, cui incumbit, lædat. Limbi quoq; cinguli undique nonnihil extrorsum sint elevati, & undique foraminibus exilibus, ut acus saltem traduci per ea possit, perforati: cingulo hocce annexa sit lamina ferrea, in delineatione C. notata, & ita adaptata, ut protuberantiam peritonæi reprimat, viamq; per quam intestina descendunt, obturet, ideoq; ut nonnihil introrsum inclinet, necesse est; Sed quia scuto sive lamina ferrea sola & per se, id præstare impossibile, ideò subere, lanâ, & panno fustanicâ sive xylinâ, uti quoque totum cingulum, munienda est. Pars autem illa cinguli à B. usque ad D. non ferrea est, sed ex tela canabina nova, nondum madefacta, & tela xylina cooperta, & consuta. Fabricatio hujus perizomatis aliquo modo quidem difficilis est, sed commodissimum est instrumentum. Si tibi arridet, necesse est, ut tu ipsemet specimen cinguli (ut ego facere soleo) ex plumbo conficias, cui laminam ex tenuissimo ferro stanno inducto (*auß Sturz*) annectes, quod acu ac filo fieri potest. Cingulum hocce plumbeum ægro tuo tantisper adaptabis, donec justam inveneris mensuram: tum baculo quàm diligentissimè accipe distantiam à lamina vel scuto C. usque ad B. & proinde sertarius in fabricatione totius instrumenti, non facilè errabit, præsertim si distantiam illam diligenter observaverit.

Hæc de fasciis seu retinaculis, quæ noctu (quò corpus melius quietem capere possit) auferri poterunt, interdiu verò diligenter sunt adhibenda stringendaq; & quidem antequam æger egrediatur è lecto.

De medicamentis.

Quantum ad medicamenta, sunt illa vel interna vel externa. Interna ad hernias appropriata, agunt vel manifestâ vel occultâ & specificâ qualitate. Quæ manifesta qualitate agunt, sunt ea, quæ propter insignem constringendi & exsiccandi, quâ pollent facultatem, processum peritonæi contrahunt, viamque intestinis occludunt. Quorum infinita ab Autoribus proponuntur; inter quæ celebrantur Radices Tormentillæ

Bistortæ
Plantaginis
Pentaphylli.
Ex herbis
Sanicula,
Alchimilla
Pyrola,
Equisetum,
Bursa pastoris,
Centum nodia,
Pruna sylvestria immatura,
Nuces cupressi,
Balaustia,
Bolus Armenus verus,
Terra sigillata,
Cornu cervi usti
Spodium, & quamplurima alia.

Verùm prædictorum medicamentorum usus mihi in adultis, imò & vestro ægro, valde suspectus est. Cùm enim in decrepita ætate viscera, ut scis, obstructionibus sint obnoxia, & proinde operationes naturales segniter perficiant, verendum est, ne à quotidiano ac diuturno usu medicamentorum astringentium, hepar, aliaq; nobiliora viscera lædantur. Deinde non video, quomodo eorum facultates propter vim astringendi ad locum affectum excurrere possint. Et si successum temporis (doctissimi atque excellentissimi Viri Cn. D. Ioh. Matthæi Quæst. 30. verbis utor) excurrere possent, sine multiplici tamen offensione & obstructione nobiliorum viscerum, Epatis, Lienis, renum, & totius venosi generis, minimè eò usque transirent, ideoq; plus incommodi quàm commodi præstarent. Quapropter licet simplicia illa quæ vulneraria dicuntur, & facultatem astringendi habent, extrinsecus tempestivè admota plurimum possint, intrinsecus tamen, vel nihil utilitatis, sed damni plurimum inferunt, vel si ad consolidandum aliquid præstent, Epar tamen aliaque nobiliora viscera obstruendo, plus nocent quàm prosunt. Vides clarissime mi Dn. Rietmanne, hujus Viri doctissimi, de prædictis medicamentis, in affectibus externis, sententiam, cui ego libenter subscribo.

A quadraginta præterea annis nobilissimû ægrum constipatione alvi obnoxium fuisse, scribis. Venter itaque ab usu prædictorum medicamentorum astringentium & exsiccantium, magis magisq; exsiccabitur. At siccitas alvi quam adversa & periculosa sit herniosis, tibi quoque notum est.

A specifica qualitate; ad hernias curandas sequentia præstantissima esse non semel expertus sum; sunt autem veluti

Radices Consolidæ majoris
Herniaria
Lumbrici terrestres,
Pulmonaria maculosa; &
Priapus cervi &
Semen perfoliatæ,
Pilosella, sive auricula muris, etiamsi insigniter astringat, eam hernias tamen sanare observatum est. Ego tamen ea usus non sum, nisi extrinsece; ex præscriptis possunt fieri pulveres, electuaria, cum syrup. conservæ radic. consolid. majoris, item morselli & pillulæ, cum therebint. omnia ad lubitum ægri, addendo nonnihil cinnamomi & seminis anisi vel eorum olea, arte chymicâ facta, ad flatus discutiendos & digestionem ventriculi promovendam, in hunc finem quoq; addo pellicul. vent. gallinarum.

Diligenter quoque prospiciendum est, ne Nobilissimus æger in victus ratione peccet, imprimis ut ab eis omnibus, quæ ventrem flatibus distendunt; abstineat. Alvus semper sit lubrica, ut sine conatu excernere possit. Id beneficio Cassiæ vel rhabarbaro cum myrobalanis, vel etiam prunis laxativis fieri poterit. Clysteres non improbo nisi quando intestinû in scrotum prolapsum est, tunc enim penitus ab eis abstinendum. Hæc de internis medicamentis; Addam & pauca de externis. In quibus præcipuè curationem perfici posse, non rarò expertus sum, non neglecto tamen perizomate aptissimo, quod intestinum, ne descendat retineat. Externa omnia, ut insigniter astringant, exsiccent & flatus discutiant,

tiant, necesse est: Sunt illa vel in forma Emplastri, vel unguenti, vel sacculi.

Inter Emplastra nihil præstantius Emplastro Arnoldi de Villa nova, quod de pelle arietina vocant, ad imitationem hujus emplastri, infinita alia ab autoribus proponuntur; Quibus in pueris hactenus cùm fructu usus sum, & etiam nunc utor, in adultis verò non item. In iis enim quia inguen pilis abundat, adeo adhærent, ut dolores non exiguos excitent; hinc fit attractio humorum & proinde major humectatio, atque relaxatio partis malè affectæ; Linimenta conficiuntur ex oleo, pinguedine & simplicibus astringentibus, in quibus oleosa facultas semper principatum obtinet, & proinde partes laxatas; quæ constringi debebant, magis magisque relaxat. Ergò & illa non usque adeò sunt probanda. Ad fomenta itaque, quæ insigniter astringunt, fugiendum, quæ ex sequentibus conflatur veluti ex radicibus;

Consolidæ majoris
Bistortæ
Tormentillæ
Plantaginis
Ex Herbis
Saniculæ,
Pyrolæ
Alchimillæ
Auriculæ muris
Equiseto,
Nucibus cupressi
Gallis;
Corticibus granatorum
Balaustiis;
Semine Plantaginis
Perfoliatæ
Anisi;
Carui;
Cumini & similibus flatus discutientibus. Addo quoque plerumque sal & alumen: Ex his paro sacculos ejus magnitudinis ut totum inguen, vel saltè partem læsam adimpleant: Coquantur in aqua fabrorum, vel vino rubro, addito parùm aceti:

Suadeo autem, ut nobilissimus æger sacculis istis noctu tantùm, & quandiu in lecto est, utatur; Interdiu verò fasciam sive retinaculum sine emplastro tamen, propter causas, quas recensui, applicet.

Quæst. III. Tertiò quæris, an per sectionem absque periculo curari possit? Est illa videlicet sectio ultimum atque extremum remedium, nec facile adhibenda, non nisi maxima urgente necessitate, & reliquis omnibus prius tentatis præsidiis; præsertim in hacce decrepita ætate; non enim fieri potest sectio sine maximo dolore, & mortis periculo; Id Valescus de Tharanta quoque testatur libr: 6. cap: de Herniis his verbis: Qui cacochymicum, aut imbecillem, aut debilem vel senem esse præsumpserit per incisionem curare, manifestissimè desiderat homicida nuncupari. Itaque ut in nobilissimo ægro nostro instituatur, non suadeo, præsertim cùm nihil videam quod magnoperè urgeat. Morbus enim adhuc in principio, & relaxatio peritonæi non usque adeò magna est: ita ut intestinum, fasciis & subligaculis, antea à me propositis, si concinnè adaptata fuerint, facilè retineri posse existimem.

Obs. 73. Observatio de sectione hernia in septuagenario, cum successu adhibita.

Maxima tamen urgente necessitate in decrepitis, dummodò interna viscera integra & manifestè læsa non fuerint, administrari quoque posse, sequens exemplum fidem facit. Anno 1608: cùm apud Paterniacentes medicinam & chirurgiam exercerem, sæpissimè à Magist. Joh: Nadler, natione quidem Germano, sed in civem ibidem recepto; Viro optimo ac pio, rogatus fui, ut se à hernia intestinali per sectionem restituere vellem: Fasciis enim & retinaculis; quamvis summa industria adaptatis, intestina amplius retineri non poterant; Ego hominem, qui jam septuagesimum primum annum ætatis ingressus erat, omnibus modis ab instituto abducere quidem tentavi; sed frustrà. Tandem cùm Empirico cuidam se committere vellet; at ego, ne empiricè & forsan infeliciter ab eo tractaretur, timerem, operam meam; propter amicitiam quæ inter nos fuit, amplius recusare non potui: Itaque per multos dies præparato corpore, & invocato Numine Divino; Negotium aggressus sum, 8. Junii anno superius commemorato: operatio & curatio per singularem Dei misericordiam adeò ad votum successit, ut ad aliquot annos post sectionem supervixerit: Erat autem homo natura robustus, & pro ætate sua optimo corporis habitu præditus, nisi quod à calculo renum plerumque torquebatur.

Quæst. IV. Ultimò quæris, quomodo mali incrementis, & ulteriori intestinorum descensui, sit occurrendum? Poteris id ex præcedentibus colligere; Videlicet si optimam victus rationem observaverit æger, & præsertim ab omnibus eis, quæ flatus procreant; abstinuerit. Si denique sacculos astringentes; & flatus discutientes, applicuerit, & perizomate atque retinaculis continuò (præter noctu) cinctus fuerit. Continuò inquam, quendam enim ex proceribus nostris superiori ætate, propter intermissionem retinaculi sui, & prolapsum intestini in scrotum, in Iliacam passionem incidisse, & intra paucos dies extinctum fuisse, in sexta Centuria, volente Deo, videbis.

Hæc sunt, Clarissime & Doctissime mi Domine Doctor, quæ ad tuas literas respondere potui; Utinam; Nobilissimo ægro multùm prodesse; Tibi verò grata acceptaque esse possint. Ut autem omnia benignè excipere atque interpretari velitis, submissè rogo. Vale, & cùm tuis omnibus æternùm quàm feliciter vive. Bernæ 20 Aprilis 1628.

De usu clysterum, in prolapsione intestinorum in scrotum:

Ad Eundem Virum Nobilem atq; doctissimum,

D. D. ULRICUM RIETMANNUM &c.

Cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus:

S. P. D.

Hisce diebus, cùm in describendis, & ad prælum adornandis observationibus meis, sextæ Centuriæ, occupatus essem; Doctissime, Clarissimeque mi Domine Rietmanne, & in Episto-

Obs. 73. lam meam de Enterocele, ante annos aliquot ad Te scriptam, incidissem, illamque perlegissem, & mentem meam, de usu Clysterum, in prolapsu intestinorum in scrotum, non satis tibi exposuisse viderem, ut nonnihil uberius illam explicarem, necesse esse duxi; Ne usum clysterum in gravissimo hocce affectu omninò me improbare velle, existimes. Prolapsio autem intestini in scrotum, vel est in fieri, vel jam facta, & inveterata. In fieri illam esse dico, quando ab initio intestinum descendit in scrotum, & symptomata nondum gravia adsunt, tunc enim clyster non protinus infundendus est, ne forsan unà cum intestino quoque ad scrotum descendat, malumq; adaugeat. Præstat itaque alvum, si constipata fuerit, supposito rio laxare, mox sacculum ex radicibus, herbis, floribus, & seminibus emollientibus, flatusque discutientibus, aquâ coctum, applicare. Deinde in lecto collocato ægro, & inclinato capite, in altum verò elevatis pedibus, reducere oportet intestinum in locum suum naturalem. Reposito intestino, protinus sacculo astringente, aquâ fabrorum cocto, locus affectus per dies aliquot fovendus est, ut partes relaxatæ constringantur, & vagina aperta obturetur. Interim colum abluendum atque expurgandum est, quô flatus, qui intestina ad scrotum propellunt, simul educantur: id autem enematibus perquàm commodè fiet. Si unum ex superioribus intestinis in scrotum delapsum fuerit: Præter enemata, lenitivo quoque medicamento corpus expurgare convenit: Enema enim naturaliter ad superiora intestina pervenire non posse, tibi in Anatomicis versato Viro, notum est.

Per factum, sive inveteratum prolapsum intestini in scrotum, intelligo, quando intestinum jam per dies aliquot in scroto retentum fuerit, ita ut symptomata pessima, veluti durities ac tensio scroti, dolor item, vomitus, anxietates, febris, & hujusmodi ægrum extorqueant. In his enemata non tantùm conveniunt, verùm etiam necessaria sunt, neque verendum, ut facilè in scrotum descendant. Intestinum enim, quia foramini peritonæi, & vaginæ inclusum, & proinde compressum est, ut ad scrotum perfluat Clyster, vix fieri potest. Sed ponamus casum, nonnihil de clystere ad scrotum descendere, quomodo tamen aliquid mali inde ad ægrũ pervenire posset, non video. Enema enim intestinum emollit, lubricum reddit, dolorem lenit, & flatus educit, quæ omnia, in descensione intestini summoperè desiderantur, ideoque neminem sanæ mentis usum Clysterum in affectu tam magni momenti, improbare posse existimo, nisi ut antea quoque dixi, statim ab initio fuerit.

Hæc sunt, Vir doctissime, quæ præcedentibus meis addere volui, ne forsan præstantissimũ & laudatissimum hocce medicamentum in affectu tã periculoso, me improbare velle existimes. His vale Vir doctissime, amicissimeque, & me amare perge, raptim Bernæ.

OBSERVATIO LXXIV.

De quibusdã raris, in cadavere repertis.

Viro Nobilissimo Consultissimoq;,
DNO. ANTONIO à GRAFFENRIED,
Inclytæ Reip. Bernensis Consuli prudentissimo,
Dom: meo singulari studio observando;
Guil. Fabricius Hildanus, S.P.D.

MEministi, omni procul dubio, Vir Nobilissime consultissime, Amplitudinem Tuam ante annum, nomine Magistratus nostri Amplissimi, in mandatis mihi dedisse, videlicet ut pauperculam illam, JOHANNAM PFEIFFER, curandam susciperem, nervosque omnes intenderem, an forsan à gravi suo morbo, variisque symptomatibus, & quidem gravissimis, liberari posset. Meministi præterea, quæ mea fuerit responsio, nimirum, tot esse morbos complicatos in uno eodemque subjecto, ut ne quidem Æsculapius, aut Podalirius ipsam à morbo liberare, satis potens atque eruditus sit: adeoque Magistratum Amplissimum sumptus omnes frustrà hac in re facturum. Suasi tamen, ut optimam victus rationem observaret, gravissimis quinetiam symptomatibus palliativâ, ut vocant, curatione ipsi succurreretur: quam & quoad vixit adhibui. Porrò cùm DEUS clementissimus puellam hancce, præteritâ die quintâ hujus mensis, à tot malis liberâsset, & ad sedem beatorum vocâsset, sequenti die (ut tantorum morborum atque symptomatum causas investigarem) corpus demortuum incìdi, & viscera, ut mox adscribam, disposita esse reperi. Agebat autem octavum annum ætatis, & ab ipsis incunabulis, ut referunt hi, qui ipsam nomine Magistratus educârunt, morbis obnoxia fuit. Quod ipsi partim quoque propter pravam victus rationem accidisse, verisimilimum mihi videtur, Referunt enim, matrem non tantùm vinolentam fuisse, & quotidie se vino onerâsse, verùm etiam infantes suos, etiam à teneris, utplurimum solo pane & vino aluisse. Hinc viscera tum in ipso utero, tum etiam post partum, primò lacte materno, deinde etiam pravâ victus ratione labefactata, & veluti tosta fuerunt, imprimis hepar, quod & præcipuam causam fuisse tantorum morborum, quibus affecta fuerat puella, ex sequentibus palàm fiet.

Primò quoad hepar, etsi color ipsius externus utcunque laudabilis esset, interius tamen siccum, aridum, & veluti semicoctum erat, quod sanè arguebat, maximam intemperiem calidam adfuisse. Hinc sitis illa inexhausta, quâ à teneris affecta fuerat, provenisse, non est dubium. Intemperiem autem hancce, puellam partim in utero matris, partim quoq; ex victus ratione contraxisse, ex præcedentibus colligere est.

Ex hac porrò intemperie calida hepatis, sequutum fuisse cerebrum humidissimum, rationi consentaneum est. Calor enim hepatis, quotiescunq; modum excedit, quemadmodum in hac ægra, vapores multos ad caput per magnas venas propellit: qui propter frigiditatem cerebri condensantur, & in humorem convertuntur. Uti in hac puella factum fuit, & ita quidem, ut cranium à teneris annis copiâ vaporum & humorum frigidorum, paulatim aliquomodo extensum fuerit, & proinde caput proportionem corporis aliquan-

aliquantum excesserit. Maxima illa humiditas cerebri insuper, spinam dorsi omnesque ex ipsa prodeuntes nervos, continuò adeò irroraverat, totumq; corpus tam lubricum effecerat, ut à quatuor abhinc annis, ne fulfulcris quidem incedere, imò vix in sella sedere potuerit. Articuli omnes uti & ossa ipsa, adeò erant mollia, ut nonnulla ad instar Ceræ tractabantur, imprimis claviculæ & costæ, ubi ossi pectoris annectuntur. Spina dorsi, à continua ista defluxione humorum ex capite, adeò erat emollita & lubrica facta, adeoque vertebræ erant relaxatæ, ut figuram hic adjunctam repræsentaret. Prima autem incurvatio A. notata, sinistrã partem pectoris occupabat, hinc angustia pectoris & respirandi difficultas. Altera incurvatio Spinæ B. notata, è regione hepatis erat, & ita quidem, ut ren dexter incurvationem, aut angulum C. notatum occuparet, sinister verò nonnihil versus musculos abdominis deprimeretur. Ex hac porrò incurvatione spinæ, omnes corporis partes, veluti in globum ita contrahebantur, ut vix puerum trium annorum adæquaret.

Spina dorsi adumbratio.



Cæterùm propter maximam illam humiditatem cerebri, & defluxionem humorum frigidorum ad nervos, præcipuè ossis sacri, non tantum sequuta fuerat imbecillitas crurum, ut ãtea quoq; dixi, sed & sphincter vesicæ adeò relaxatus fuerat, ut à quatuor ab hinc annis urinam retinere non potuerit, sed continuo stillicidio urinæ laboraverit. Quamobrem vesica, cum à tanto tempore urinam non colligeret retineretq; & proinde veluti inutilis esset, planè in se contractã, rugosa & veluti scirrhosa inventa fuit: præcipuè circa ipsius fundum. Non tantùm autem ab aliquo tempore incontinentia urinæ laboraverat, sed & plerumq; excrementa alvi involuntariè effluxerant, imò & ipsum intestinum rectum frequenter simul prolapsum fuerat, & ita quidem ut difficulter reponi posset.

Obs. 74. Excrementorum alvi involuntaria excretio. Prolapsus intestini recti.

Lien planè erat sanum: Splenica quinetiam vena maxima; Hinc appetitum illum continuum, & comedendi aviditatem provenisse, apud me non est dubium. Lien enim cùm crassiorem chyli partem, sine ullo impedimento ex venis mesaraicis continuò attraheret, & proinde humores acidos copiosè ad ventriculum mitteret, facilè bulimia, sive immodica appetentia consequi potuit. Etsi autem cibum multum appeteret, plurimumq; comederet, exigua tamen sequuta est nutritio, quin potius de die in diem magis magisq; extenuatum fuit corpus. Quæris causam? In promptu est: Corpus enim illud carnosum, quod venæ portæ substrastum est (pancreas vocatur Anatomicis) adeò erat grandulosum, ac durum, ut chylus in venis mesaraicis alteratus, ad hepar pervenire non potuerit. Est & alia causa hujus atrophiæ, videlicet cacochymia maxima, *Impura enim corpora* inquit Hipp. *quantò plus nutries, tantò magis lædes*: Quandoquidem alimentum, quod affertur, corrumpitur, augetque vitiosorum & ad nutritionem ineptorum humorum quantitatem.

De Liene. De pancreate scirrhoso. Lib. 2. Aphor. 10.

Ventriculum quoque imbecillem habuisse, arguit flatuum copia; à quatuor enim ab hinc annis, abdomen in modum tympani extensum fuerat: idque propter flatuum in intestinis retentorũm copiã: qui illis adeò tenaciter inhærebant, ut superiori æstate, cùm aliquoties ipsam purgarem purgationi ne quidem cederent, & post mortem, acie scalpelli perfossis intestinis vix efflarent: nec solùm intestina flatu extensa erant, sed & ipse quoque ventriculus.


De ventriculo.

Renes secundum naturam erant; Ureter verò dexter magnitudine naturæ modum multùm excedebat, & crassitie minorem digitum ferè adæquabat, è contrario verò sinister valde exilis repertus fuit; Neque ad vesicam descendebat, sed sub emulgente dextra, venam cavam ingrediebatur, quemadmodum ex sequenti figura apparet. Ren itaque dexter, ut amborum renum officium faceret, necesse fuit; Id verò an accuratè satis, an segniter, à natura præcipuè in hoc corpore præter modum imbecille, factum fuerit, non facilè est scire, verisimile tamen mihi videtur, beneficio unius renis serum vix satis à sanguine separari potuisse: Et proinde vi caloris hepatis, vapores copiosiores ad cerebrum elevatos fuisse.

Renes.

Aureta

Obs. 74.



A. ureter dexter. C. Vena cava
B. ureter sinister. D. Arteria magna.

De pulmone.

Substantia pulmonis materiâ purulentâ erat imbutâ, præcipuè ex sinistra parte, ubi propter spinæ incurvationem compressa, ideoq; magis livida, quàm in dextro latere, conspiciebatur & principiū sphaceli ibi fuisse, color præ se ferebat. Hinc anhelitus fœtidus, hinc tussis gravissima, quâ per dies aliquot ante obitum affecta fuerat. Putredinem porrò hancce causam fuisse, quod tam placidè expiraverit, apud me nullum est dubium. Id enim sæpissimè in eis, qui ex inflammationibus inferioris ac medii ventris (quotiescunq; in sphacelum abeunt) moriuntur, observavi, cùm primum enim putredo majores arterias ingreditur, statim veluti syncope corripitur homo, protinusq; & sine violentia extinguitur, non secus ac lumen deficiente oleo. Putridus enim ac malignus ille vapor, spiritum vitalem suffocat, temperamentumq; cordis destruit. Quibus post partum secundina in utero putrescit, hoc modo moriuntur, imò & qui propter gangrænas externarum partium vivere desinūt. Qui sphacelo crurum laborant, ut plurimum moriuntur, quamprimum putredo genu prætergressa fuerit. At sphacelo scroti affectos, diu superstites fuisse, aliquando mihi observare contigit. Hujus rei causam docet Anatomia: Crus enim circa genu longè majores habet arterias, quàm non habet scrotum; Ideoq; per eas citiùs vapor malignus ac putridus ad cor ascendit, quàm non ex scroto, etiamsi cordi sit propinquus.

Observatio.

Pericardium.

Pericardium prægnum, & aquâ turbidâ repletum fuit. Hinc palpitationes cordis, quibus frequenter laboraverat. Sed, quod annotatione dignum est, diaphragmati, & quidem in medio ubi nervosum est, tam tenaciter, & mediante callosâ materiâ annexum erat, ut illud non nisi novacula separare potuerim. Hinc pectoris angustia, & respirandi difficultas, quâ à teneris annis affecta fuerat puella, provenisse, extra dubium est. Præternaturalis enim connexio illa pericardii, dilatationem pectoris non admittebat.

Superest adhuc aliud symptoma, non parvi momenti, quo etiam antehac affecta fuerat ægra, cujus causam in dissectione quoque invenimus: videlicet, quod ab incunabulis lotium sine difficultate, & conatu reddere non potuerat; Donec tandem nervi ossis sacri adeò relaxati essent, ut etiam sphincter vesicæ, ut antea dixi, officio suo non amplius fungeretur, & urina involuntariè efflueret. Hujus difficultatis causam in excretione urinæ, connexionem illam præternatnralem pericardii cum diaphragmate fuisse, non est quod dubitemus. Ad faciliorem enim excretionem excrementorum, haud parum facere diaphragma, post Galenum, de usu partium libr. 7. Vesalius, ac reliqui Anatomici testantur. In excretione enim excrementorum, cùm anhelitum retinemus, diaphragma viscera, quæ sub ipso sunt, deprimit, excrementaq; propellit.

Habes, Vir Nobilissime, consultissimeque, quæ in infima ac media regione hujus Microcosmi, annotatione digna inveni. Supremam, videlicet caput, ob temporis angustiam perlustrare non potui. Propter funebria enim, quæ parabātur, vix duæ horulæ mihi, ad omnia quæ recensui, perquirenda, concessæ fuerunt: quæ amplissimo Viro lubens communicare volui; Primò quia Amplitudinem Tuam etiam Anatomicis oblectari, & proinde annotatiunculas hasce minimè in malam partem interpretaturam scio. Deinde etiam, ut videat quàm utile & necessarium sit studium Anatomicum, ægris quidem ad valetudinem conservandam, Medico verò ad amissam ægris restituendam. Utinam igitur Antistites & Proceres Germaniæ hæc perpenderent possent: procul dubio studium hoc majori in pretio apud ipsos esset. His vale Vir amplissime, Consultissime, & in commodum Reipublicæ æternùm quàm feliciter vive. Dabam 25. Aprilis Anno 1624.

Epistola.

De tumore quodam in inguine inveterato & duro.

Probitate, doctrinâ & rerum usu insigni, Dn.

GUILHELMO FABRICIO HILDANO,
GEORGIUS SPORLINUS,
S. P. D.

A quo tempore clarum, Vir clarißime, Fabricii nomen mihi innotuit, tuas ego Virtutes & mirari & amare incepi, nec tamen huc usque severiora tua studia & occupationes meis incompositis, nullo sale dicendiq; acumine conditis literis, turbare ausus fui: nunc mihi gratulor, quòd justam ansam nactus sim ad te scribendi, quem tam longo tempore observantiâ & amore tacitus prosecutus sum. Nam honestißima cujusdam matronæ, mihi sanguine junctæ, precibus moveor, quin etiam innatâ tuâ humanitate animor, (quam tum ex scriptis tuis doctißimis & æternâ memoriâ dignis, tum ex Dn. D. Hagenbachii & Dn. Burgavveri commendatione perspectam habeo) ad te hac Epistolâ interpellandum. Rogo obnixè, ut benignè hac interpreteris, nec animum tam tui observantem & amantem despicere velis.

trigin-

Matrona quinquagenaria, pia & honesta, ad tringinta annos pacificè cum marito vivens, habitu tenui magis quàm pingui prædita, temperamentum quidem nativum sanguineum sortita, curis tamen, negotiis & œconomicis laboribus ad aliqualem siccitatem connatam temperiem deduxit. Cerebrum habet humidum, gravedini & destillationibus obnoxium, hepar præcalidum, ventriculum optimè temperatum, & concoctionis munus debitè obeuntem obtinuit. Diæta utitur mediocri, & à multis annis salsis admodum, acrib. & aromatizatis cibis abstinet, sanguinis adustionem metuens. Nam olim ex alio succo per assationem in venis genito, melancholica phantasmata perpessa est, inde ad præcautionem singulis annis quater sanguinem mittere assueta est, & propter defluxiones ad oculos, cauterium in brachio gestavit, quod tamen ante quinquennium coalescere sivit. Hæc, clarissime Vir, tuum consilium & auxilium petit in affectu, quem enarrabo.

Anno 1611. quo tempore DEUS, justus nostrorum scelerum vindex, hanc urbem visitavit ita, ut in manus ejus inciderent & pestilentiâ aliquot mille occiderent, prædicta fœmina malignâ tunc lue tacta fuit, sumpto tamen alexipharmaco hydrotico, crisis facta est per abscessum in bubone dextro. Carbunculus manu & curâ Medici tractatus est, qui nimis diu ulcus apertum, nescio an prudenter detinuit. Nam locus est declivis, & motu continuo exercetur, quin etiam ob vasorum amplitudinem, & glandularum laxitatem, alias promptè fluentem humorem excepit. Qum ita per 6. circiter menses continuò materia serosa affluxu molestata esset, nec exsiccantibus consilio Medici adhibitis, quicquam juvaretur, Chirurgum quendam in pago degentem consuluit, hujus suasu Valeriana media infusum bibit, & loco affecto fotum sequentem in sacculo applicavit, ex radic. urtic. maj. Valer. herb. rutæ. Veron. Saniculo & partib. æqualibus, in aceto vinoq; incoctis: His materia fluens ad menses & urinas revulsa est, ulcus exsiccatum & glutinatum, ac clausum, & ipsa matrona sibi videbatur in integrum restituta. Verùm post menses aliquot glandula in inguine intumuere sensim, & de novo calore, rubore & dolore accedente in abscessum bubo transiit; Quo rupto ipsa sibi pus Aristolochiæ foliis abstersit, & postmodum prædicto fotu curavit, ut ad cicatricem rediret, & perfectè sanatum videretur ulcus, & multis annis sana quoad hunc affectum vixit, donec ante biennium eadem illa glandula in inguine dextro sensim increscere cœpit, quod tamen ipsa matrona sprevit ac neglexit: Verùm cum à proximè prægresso Vere huc usque celerius crevit quàm anteà, & ad ovi anserini, ut refert, magnitudinem jam pervenit, ipsam anxiam reddit. Nam quia suppurationem non sperat, veretur, ut vel in molem tantam excrescat, quæ sibi impedimento maximo & molestiæ foret, vel malignitatem acquirat cancrosam: eò quod nuper in Agnatâ suâ durũ parotidem tumorẽ in cancrum abiisse, qui eam etiam suffocavit, conspexerit. Narrat autem mihi, esse mediocriter durum tumorem suum, in bubone concolorem, & indolentem; nisi quòd circa D. Iohannis festum quotannis punctiones & dolores inconstantes experiatur, sine dubio ex occultâ quadam malignitate & subtilitate pestiferi Veneni, à morbo relicti. Nam circa illud tempus olim pestifero bubone laboravit. Quia autem magnam fiduciam recuperandæ sanitatis in te habet, me jussit, te per literas obnixè orare; Ut quid in hoc casu faciendum aut sperandum putes, rescripto aperias. Id oneris ego non invitus suscepi, quia hac occasione tibi innotescere spero, ut si fortè favore tuo & benevolentiâ dignum censere velles, me quidem immeritum, non tamen ingratum experiaris. Sanè mihi gratulabor (si responso tuo me dignabere) me ex te aliquid didicisse, id quod diu in votis habui, & nisi olim Amico meo Dn. Burgavvero gratificatus essem, quod summo desiderio optabam, pari studio etiam laborassem, in tuam domum & familiaritatem recipi. Age ergo, Vir clarissime, pro tuâ, quâ tam diu humano generi profuisti, & arte & pietate huic honestæ matronæ, quæ ingrata non erit, satisfacias, meque tibi commendatum habeas. Vale quàm felicissimè. Basileæ 10. Decemb. Anno 1625.

OBSERVATIO LXXV.
De scirrho, & ejus curatione.

Viro Doctissimo;

DOM. GEORGIO SPORLINO,

Doctori Medico excellentissimo,

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

MAgnoperè doleo, doctissime atque Excellentissime mi Domine Doctor Sporline; quòd citiùs ad humanissimas tuas respõdere mihi non licuit, & forsan inpræsentiarum tibi ad amussim satisfacere nequeo; Id enim illa, quæ hactenus inter Parentem tuum, virum consultissimum, & me fuit amicitia, quamque tu porrò excolere cupis, requirebat. Sed ignosce, quæso, tarditati literarum.

Casus, quem proponis, gravis est, & ocularem inspectionem requirit; quam tamen ne tibi quidem, quamvis præsenti Medico, concessam esse, ex tuis probè intellexi: quapropter quidnam certi de hoc morbo ad Te perscribere possim, non video. Ne tamen planè tibi operam meam recusare velle videar, dicam paucis, quid sentiam. Scribis, matronam quandam quinquagenariam Anno 1611. peste correptam, & in inguine dextro bubonem perpessam esse; Ex eoque per sex circiter menses continuò materiã serosam effluxisse: Hinc conjicio, usum turundarum aut planè neglectum, aut in administratione earum erratum fuisse, & proinde effluxâ serosâ materiâ, crassam & viscosam remansisse, paulatimque induruisse. Idem in abscessibus mammarum accidisse, & in scirrhos abiisse, non semel observavi. Quòd autem Medicus ab initio morbi ulcus diu apertum retinuit, non imprudenter, sed cum ratione ab ipso factum fuit. Id enim in omnibus affectibus, in quibus malignitas aliqua, uti est in peste, morsu canis rabidi, aliorumque animalium, subest, requiritur. Sed interim, dum ulcus apertum retinemus, medicamenta materiam ex profundo ad superficiem trahentia, turundis imponenda sunt. Id verò in primâ curatione factũ non fuisse, materiamque peccantem; videlicet crassam ac viscosam remansisse, ex tuis colligo; ubi inquis: Post menses aliquot glandulas in inguine sensim intumuisse, & de novo calore, rubore & dolore accedente, in abscessum & ulcus transiisse,

Obs. 75. fuisse, foliis tamen Aristolochiæ & foliis & radicib. Urticæ maj. Valer. Herb. Rutæ. Veron. sanic. an. partibus æqualib. in aceto vinoq; in coctis, curatum fuisse. Hic iterum circa ulcus in hoc erratum fuisse, videlicet materiam crassam & viscidam beneficio turundarum, vel saltem medicamentorum extractam, ulcusque perfectè mundificatū non fuisse, inde apparet, quod ante biennium eadem glandula in inguine dextro sensim increscere cœpit. Ab initio itaque morbi, nimirum ab anno 1611. in hunc usq; diem fomitem mali in inguine remansisse, & in scirrhum ad ovi anserini magnitudinem excrevisse, ex tuis percipio: ubi intempestivū usum aceti, affectum haud parum auxisse, verisimile esse mihi videtur. Etsi enim acetum crassos humores dissolvit, exsiccat, reliquaque membra penetrare facit, ut testatur Galenus 2. ad Glauconem, & 14. methodi medendi, usus eius tamen ut mediocris sit, necesse est. Debet prætereà in hujusmodi affectibus aliis medicamentis emollientibus tantummodò adjunctum esse: alioqui crassos humores veluti in lapidem condensat, calorem innatum imminuit, & nervosis partibus obest. Est itaque affectus, de quo agitur, scirrhus ex pituitoso, crasso ac viscido humore concretus, qui & malignitatem quandam contraxisse videtur, primò, quia ex materiâ malignâ & pestiferâ primordia sua nactus est, eamque naturam ab Anno 1611. in hunc usque diem superare, atque ex toto eradicare non potuisse, sed in corpore delituisse, fidem fecerunt dolores, qui circa divi Johannis festum quotannis in inguine recurrerunt. Simile quid in memetipso expertus sum, uti videre poteris Observ. 86. Cent. 4. Secundò propterea malignū ipsum esse arbitror, quia inveteratus est; Solent enim plerumque scirrhi etiam in corporibus sanis tandem malignitatem acquirere. Exempla habeo multa. Tertiò propter constitutionem corporis malignus esse potest. Scribis enim, matronam hancce olim ex atro succo per assationem in venis genito, melancholica phantasmata perpessam esse. Hæc propterea adscribo, ut videas, scirrhum huncce insanabilem esse, nisi forsan manuali operatione extirpetur. Quod tamen temerè tentandum non est, præsertim, si radices profundæ & Peritonæo implantatæ fuerint. Nisi enim cum omnibus suis radicibus evulsus fuerit, frustra erit operatio. Suadeo itaque, ut curatione palliativâ, ut vocant, quantum fieri poterit, incrementum atque exulceratio impediatur, ne in ulcus malignum & cancrosum degeneret.

Curatio palliativa.

Curatio autem illa sequentibus intentionibus perficitur. Primò observanda est victus ratio, quæ sanguinem laudabilem & humores benignos procreat. 2. humores adusti per intervalla evacuandi sunt. 3. sanguis secundum tolerantiam virium ad minimum bis in anno, præsertim in vere & autumno, extrahendus est. In primis autem apertio venarum hæmorrhoidarum mihi probatur. Per hanc enim viam sanguinem adustum commodissimè evacuari posse, docet quotidiana experientia. Quartò diligenter prospiciendum, ne in usu topicorum peccetur. Inprimis autem cavendum est, ne medicamenta, quæ insigniter emolliunt, applicentur. Emollientia enim scirrhosis tumoribus, qui ad cancrum vergunt, uti est ille, de quo hîc agitur, adversissima esse, affectumque exasperare, multoties in ægris observavi. Sed de his vide exempla Centur. 1. Observ. 89. Galenus id quoque se observasse testatur. De simplicium medicamentorum facult. lib. 5. cap. 8. his verbis: *Quæ ab atrabilario succo duruerunt, cancrosa sunt omnia, & ab emollientibus medicinis exasperantur.* Ab omnibus prætereà, quæ exulcerationem vel etiam minimam excoriationem tumoris accelerant promoventque, diligenter cavendum est; Ne tumor protinus in malignum ulcus degeneret: uti ante annum, hîc in viciniâ, in piâ & nobilissimâ matronâ accidisse memini. Ex his colligere poteris, quemadmodum quoq; doctissimus Heurnius testatur, & ego sæpissimè observavi, duplex venenum in cancrosis affectibus delitescere. Unum videlicet putrefactivum, alterum corrosivum. Quapropter si calida & humida, quæ pus in ulceribus promovere solent, adhibeantur, in putredinem degenerabit materia contenta, vicinasque partes putrilagine contaminabit. Quòd si illam cruditatem caustico, aut medicamento aliquo acri castigare volueris, surget alterum, quod in cãcris venenum est corrosivum, ac vicina cuncta exuret. Non est igitur irritandus affectus, neque adhibenda curatio vera ac legitima, quæ fit per contraria, sed potiùs palliativa. De his plura vide Observ. 87. Cent. 3.

Præter universalia autem (de quibus anteà) tumori applicarem ea, quæ ipsius malignitatem refrœnare atque coercere, exulcerationemque impedire possunt, uti est sequens unguentum, quo ego in hujusmodi affectib[us] sæpiùs cum fructu usus sum.

R. Ung. Diapompholigos ℥iiij.
Theriacæ Venetæ ℥j.
Saturni nitro purissimo calcinati, & aquâ plantaginis loti ℥ij.

Succi geranii sive herbæ Roberti, quantum in mortario plumbeo admisceri poterit, ut justã consistentiam unguenti retineat. Aut

R. Plumbi squammosi (Scheverbley) pulverisati, & cum aquâ solatri loti, ℥j.
Tutiæ præparatæ, cornu cervi usti,
Lapidis Calaminaris, Lithargirii aurei.
Cineres ranarum & gammarorum an ℥ß.
Commisceantur, fiatque pulvis tenuissimus, posteà

R. Rad. Scrophulariæ majoris & plantag.
Herb Geranei sive Roberti.

Scabiosæ, solatri, semper vivi an q. satis. Incidãtur & contundantur in mortario, extrahaturque succus ad usum. Hujus succi accipe uncias 4. separatim, olei ros. uncias 6. Admisceantur prædictis puvelribus in mortario plũbeo, & agitetur pistillo plumbeo per horas sex ad minimũ, affundendo paulatim & alternatim, ut artis est, oleum & succum, donec justam consistentiam unguenti acquirat, quod in vase vitreo aut vitreato servetur ad usum. Extendatur supra alutam & applicetur semel aut bis in die. Hæc sunt, Vir doctissime,

Obs. 76.

ctissime, quæ ad tuas respondeo, donec Tu ipsemet ocularem habueris inspectionem, meque uberiùs de essentiâ morbi edocueris. Interim cum tuis omnibus quàm felicissimè vive. Bernæ 13. Januarii 1626.

OBSERVATIO LXXVI.
De sudore sanguinolento.

Clarissimo atq; Doctissimo Viro, Dn.
GUILHELMO FABRICIO HILDANO, Medico & Chirurgo celeberrimo, Fautori & Amico honorando,
GEORGIUS SPORLINUS, Med. Doctor Basiliensis, εὐπράττειν.

Excellentiæ tuæ, Clarissime & Doctissime Dn. Fabrici, in medicinâ faciendâ peritiæ fama, me primùm movit, ut ante annum de diuturno inguinis tumore, quo honesta quædam matrona nostrâs molestata est, te (id ipsa jubente) per literas consulerem. Nunc singularis tua erga me benevolentia, quam plures salutem ex te mihi nuntiantes, & recentissimè D. Veiras commendarunt, ad denuò hoc scripto te interpellandum impellit. Ante omnia brevibus exponam, quæ de dictæ matronæ affectu hactenus cognovi. Illa postquam judicium tuum & consilium de suo tumore inaudivit, solâ convenientis victus observatione, atq; purgationum & venæsectionum statâ repetitione contenta, nullum topicum deinceps admittere voluit, sed tandem, ut locum affectum digitis contrectarem, permisit. Deprehendi ego tumorem mediocris ovi gallinacei magnitudine, insidentem musculi in dextro abdomine obliquè descendentis nervoso tendini, qui tendo ab osse Ilij per inguen ad pectinem porrectus, veluti chorda densa in omnibus hominibus ad tactum apparere solet: huic, inquam, aponevrosi inhærentem tumorem animadverti, non, ut illa retulit, durum & scirrhosum, sed instar glandulæ aut glandosæ carnis naturalis subdurum, cæterùm indolentem & concolorem, & ab eo tempore, quo tibi scripsi, nihil omninò auctum esse, patiens asserit, tantùm metuit solicita matrona, ut in posterum materia in hunc locum, fluxionibus recipiendis aptum irruens, pejus aliquando malum coquat. Quæso, Excellentissime Fabrici, me edoceas, quid tibi videatur: An levis hic morbus spernendus potiùs, quàm medicamentis impositis irritandus? Mittit tibi illa in gratitudinis signum aureum hunc nummum, & ut levem hanc remunerationem serenâ fronte suscipias, rogat. Quod ad me, in Rulandi curationum centuriis ad methodum juxta corporis humani partes reducendis occupatus sum, & cum Collegâ meo D. Doctore Schrœtâ id opus aggressus, de medicamentis Rulandi præcipuè autores varios consulens, incidi in ea, quæ D. Valent. Rulandus de oleo Heracleino ad te olim scripsit, in Epistolâ ejus, quæ in doctissimis rarissimarum observationum Centuriis tuis Centur. 3. observationis 84. locum tenet: Hinc ansam arripio & obnixè rogo, ut pro innatâ tibi humanitate, in commune bonum communicare velis, si qua habes, quæ ad hujus operis adornationem facere posse videbuntur: vel saltem licentiam des, ut de quibusdam tecum liberè conferre possim. Viden, quam familiarem tuâ humanitate reddideris: confidentiùs autem tecum ago, quòd sciam, à Parente meo te coli & amari, qui plurimam salutem tibi scribere jussit, & amica officia sua offert. Cæterùm quoniam variis observationibus delectaris, referam casum, quem cum admiratione vidi. Anno præterito 1626. Adolescentulus in viciniâ meâ, natus annos 12. sub initium mensis Februarii, cum fratre lanione, ad empta armenta abigendum, rus profectus est, in viâ ab exercitio & à vino, quod bibit album, aliàs aquæ assuetus, sanguis febrili calore incensus, & ad extrema corporis commotus fuit, & quia summè tenuis, fluxilis & serosus, præterea à naturâ irritatâ compulsus, exitum per extrema venarum ora molitus est. Hinc per nudam gingivarum carnem penetrans, primùm cruentâ exputione rejectus est, mox è poris in totius corporis ambitu exudans, densis & infinitis stillis indusium maculavit. Nihilominus puer iter perficiens, domum pedes rediit, ad quem vocatus fui octavâ morbi die, idq; ob summum periculum vitæ, quod fera narium hæmorrhagia minabatur. Pulsus ei erat febrilis, frequens & debilis: totus pallidus & valdè imbecillis ipse, extremas partes frigidas habuit: nec mirum, cùm intra dies octo ultra tres mensuras nostrates sanguinis effudisse, astantes asseruerint, ego tamē existimarem, tantam sanguinis jacturam, nisi vitæ dispendio, eam ætatem pati non posse. Lodices & culcitras infinitis sanguineis maculis pictas, & cutim patientis universam petechiis conspersam latiusculis, in medio nigrum sanguinis concreti, pori cujusque osculum obturantis, punctum habentibus, conspexi. Interim ad narium hæmorrhagiam, quæ vitæ thesaurum prodigè nimis dissipādo, virium ruinam intentabat, sistendam, Gypsum aceto subactum cum linteis fronti frigidè applicabam, considerans Criseos insolentiam, & efferam ac immoderatam hanc ἔκκρισιν *inhibendam esse, sive symptomatica sit, sive, quod magis arridebat, à naturâ incepta quidem, sed ob vasorum nimiam apertionē eò perducta, ut laxatas habenas retrahere, & inde gradum revocare natura non posset, nisi arte adjuvaretur. Præterea ad sanguinis impetum sistendum, sequentē mixturam confestim parari jussi: R. Syr. myxt. de papav. an ℥ß Syr. de ros siccis ʒ.ʃ. lapid. prunellæ ℈iiij. Aq plantag. ℥iij. M. p 2. potionibus. Nitrum tanquam principale addidi, eò quòd olim à Professore Monsbeliensi, in periculosâ hæmorrhagiâ illud exhibitum magno cum fructu viderim: Spiritus sanguinem commoventes figit, calorem si quid aliud refrœnat, & serosos ichores per urinæ vias educit. His cum cordialibus & victu refrigerante ac instaurante usus, à Deo pristinam sanitatem recuperavit. Sed postquam convaluit, totius corporis pruritus, citra tamen scabiem, diu ipsum molestavit, qui tandem eum etiam deseruit. Sanguinem supra modum seroso & diluto præditum fuisse, probant sufficienter sudor sanguinis diluti & aquosi color, qui apparebat in sanguine, è naribus profluente, dilutè rubens, & maxima copia ipsius, qui si sincerus fuisset, sine dubio æger defecisset: tandem serosi & salsi ichoris pruritus subsequens signum indubitatum est.*

Observatio singularis de sudore sanguineo.

Hæmorrhagia.

Nota.

Vidit hunc ægrum Doctiss. Dn. Candidatus Schobingerus, quem ad eum duxi: huic plurimam ex me salutem nunciare ne graveris; miror, quòd mei & amicitiæ nostræ oblitus sit, vel saltem esse videatur. Hic vale, & cum tuis felicissimè vive, meq; tibi commendatum habeto. Basileæ 9. Iunij 1627.

Schobingerus.

T. Excell. observantissimus.
Georgius Spörlinus Med. D.

Obs. 77.

OBSERVATIO LXXVII.

De Centuriis Domini Martini Rulandi p.m. Item de ichore cruento, ex variolis profluente, & periculosissimâ hæmorrhagiâ narium.

Viro Clarissimo atq; Doctissimo,

DOMINO GEORGIO SPÖRLINO, Basiliensi Doctori Medico longè celebertimo, Amico meo singulari,

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

DEbui jam dudum, clarissime & doctissime mi Dn. Doctor Spörline, ad tuas respondere; Sed, ut verum fatear, tardus sum. Faciunt id occupationes, curæ atque molestiæ: quapropter ut Exc. T. me excusatum habeat, Obsecro. Ante mensem quoque clarissimum & doctissimum Virum Dn. D. Iohannem Scretam rogavi, ut apud T. Exc. me excusaret, Quod & ipsum fecisse non dubito. Per eundem Virum Clarissimum Thesaurum vestrum Rulandinum, quem dono mihi misisti, rectè accepi, & statim compingendum curavi; Eumque nunc lego. Acceptum, imò acceptissimum mihi misisti donum. Quod enim ante annos viginti desideravi, & frequenter optavi. Videlicet, ut Centuriæ Viri Clarissimi ac longè celeberrimi Dn. D. Martini Rulandi p.m. in unum volumen conjungerentur & ederentur, id T. Exc. & Dn. D. Scretam jam non sine magno labore præstitisse video. Laudatissimus est labor, quem rectè Thesaurum inscripsistis. Quemadmodum enim Reges & Principes res suas pretiosas, & quæ ipsis sunt chariora, ærario suo includere, claustris munire, clavesq; sibi soli reservare consuevère: ita quoque Dn. Rulandus cum suis secretis & remediis, in Centuriis suis contentis fecit. Hinc plura in eis leguntur, quæ tamen non intelliguntur. Interim tamen perquàm utilis est labor vester, qui magno cum labore tot membra inter se divisa, luto quodam plusquàm sapientiæ chymicorum, in unum corpus, optimamq; methodum conglutinaveritis atq; tam concinnè adornaveritis, ut lector jam sine labore & dispendio temporis ea, quæ sibi ad praxin suam utilia esse videbuntur, facilè excerpere atq; colligere possit, donec tandem Supremus Archiater Aesculapium aliquem suscitet, qui nobis clavem inveniat, atque communicet. Tandem methodum Paulus Remealmus, Medicus Gallus, in suis observationib. quoq; observavit, quæ tamen non ab omnibus probatur.

De Centuriis Domini D. Rulandi.

Mihi nisi occupationes, peregrinationes, & adversa valetudo, obstitissent, à multis jam annis, ea, aut saltem plura, quæ à Dn. Rulando occultantur, innotuissent. Quandoquidem cum D. Rulando filio, p. m. olim Rudolphi II. Imperatoris, felicissimæ memoriæ, Medico longè celeberrimo, illam contraxeram amicitiam, ut clavem hujus Thesauri mihi haud denegatus fuisset. Præterea cùm Anno 1610. Hausheimium propè Lauginganam, ad generosum & strenuum Virum Dn. Zachariam Geizcoflerum à Geilenbach, Dn. in Haunsheim, Möltz, & Weschenburen, &c. vocatus essem, & per menses duos apud ipsum moram traherem, tantam benevolentiam apud Dn. Valentinum Rulandum, Doct. Medicum Palatinum acquisivi, ut ultrò mihi promiserit, se libenter clavem Centuriatum Parentis communicaturum. Cùm verò Haunsheimio Basileam ad Illustrem Principem ac Dominum, Dn. Ianutium Ratzivilium &c. periculosè laborantem redux fuissem, vix credas, quantos circa Celsitudinem suam per multos menses sustinuerim labores & molestias, tum Basileæ, tum in itinere ad thermas Badenses & Piperinas: de quib⁹ Magnific⁹ ac longè celeberrimus Vir, Dom. D. Martinus Chmieletius, Amicus meus singularis, qui in hoc certamine podalirico, ut optimus & longè excellentissimus atque doctissimus Aesculapius mihi adstitit, testis esse poterit. Basileâ cùm ad meos reversus, propter vigilias, molestias curas, anxietates atq; labores, quos circa illustrem ægrum habueram, quartanâ correptus fui, & periculosè laboravi. Ex hoc morbo singulari DEI beneficio curatus, in Belgium, parentes & amicos meos invisendi causâ, iter institui, ubi ad finē ferè anni 1612. hinc & illinc ab amicis & literatis detentus fui. Reversus ad meos in Helvetiam, Wormatiam ad nobilissimum Virum Dn. Eberhardum Kämmerer von Worms genant von Dalberg/ vocatus fui, Anno 1613. Interim dum ita peregrinationibus & occupationibus, tandē quoque curis atque molestiis domesticis, uti Cent. 4. Observ 23. videre poteris, occupatus eram, amicitia cum Rulandis contracta, obsolevit, neque de hoc negotio deinceps amplius cogitavi.

Porrò, clarissime mi Dn. D. Spörline, gravissimus, rarus, forsan & nunquam visus est affectus, quem antehac ad me scripsisti, videlicet sudor sanguinolentus, de quo Dominus Henr. Schobingerus, ut testis ocularis hujus rei admirandæ & prodigiosæ, sæpissimè mecum verba fecit. Ego qui à teneris ferè annis circa ægrotos versor, tale quid nec vidi, neque ab aliis unquam visum fuisse audivi. Memini quidem me Anno 1592. Hildenæ in patriâ, quadragenarium, Virum robustissimum, febre ardentissimâ & continuâ laborantem, curandum habuisse, eique die septimo morbi sudorem adeò flavum, ac si croco tinctus fuisset, erupisse, & quidem tam copiosè, ut contortâ subuculâ aquâ ubertim exstillaret, & linteamina omnia croceo colore inficeret. Verùm id non usque adeò rarum, aut veluti res mira æstimanda est. Sudoris enim materia aquea, subtilis & plerumq; acris existit, præsertim si humor biliosus, ut in hoc Viro accidit, admistus fuerit. Sanguis verò, qui naturâ suâ crassus est, non potest per angustissimos poros prorumpere; Videmus quidem plerumq; in morbis peracutis, vi morbi, & facultatis expultricis vigore, sanguinē adeò ad circumferentiam corporis propelli, ut tandē cutis maximè post obitum livescat, interim tamen sanguinem exstillare visum non est. Hinc apparet, observationem tuam raram esse & quæ diligenter notetur, dignam.

Ante annos duos, cùm variolæ hîc gravissimè grassarentur, multosq; è medio tollerent, infantulos nonnullos vidi, quibus per universum corpus.

corpus, ex pustulis, loco ichoris & puris, sanguis veluti sincerus exstillavit, & ut plurimùm ante septimum diem morbi promanare cœpit, sed ante undecimum naturæ satisfecerunt, quotquot mihi videre cōtigit. Hoc symptoma quamvis non usque adeò rarum, cutis enim anteà à pustulis contaminata atque exulcerata fuit, est tamen inusitatum, forsan & à paucis observatum. Ast autem hujusmodi sanguinis profusio (intellige ex pustulis) ad facultatis expultricis vigorē, retentricis verò & alteratricis imbecillitatem referenda. Expultricem enim facultatem in pueris istis validam fuisse, inde apparet, quod statim ab initio morbi, pustulæ per totum corpus proruperint, idque in copiâ, sed maximo cum dolore, vigiliis & febri. Hinc reliquas facultates externarum partium adeò prostratas & labefactatas fuisse, ut retentrix facultas materiam illam cruentam, malignam & acrem retinere non potuerit, donec alteratrix facultas ipsam in pus permutaret, verisimile mihi esse videtur. Indigesta itaque & adhuc cruenta ut exstillaret, necesse fuit. Hæc cùm ego diligenter perpenderem, hujusmodi ægros morituros prædixi, neque fefellit me opinio: ante undecimum enim, ut antea quoque dixi, naturæ debitum solverunt.

Reverendus & Doctissimus Vir Dn. Iacobus Blaunerus, Verbi Divini minister hîc in viciniâ, Amicus meus singularis, Vir juvenis & robustus, à multis annis hæmorrhagiæ narium obnoxius fuit. Anno verò 1626. tempore Veris tanta ebullitio & profusio sanguinis ipsi supervenit, ut coactus fuerit se in urbem transferre, ubi illam adhibui diligentiam, ut tandem fluxum cohibuerim. Quum verò omnia in tuto sibi esse persuaderet, & in lecticâ ad suos reversus esset, propter agitationem corporis iterum hæmorrhagia tanto impetu supervenit, ut nō diu post animam suam piè placidèque DEO redderet. Huic autem Viro, quod diligenter notandum, sanguis non tantùm ex naribus cum impetu promanabat, verùm etiam ex gingivis, & quidem sanis & incontaminatis, exsudabat: ita, ut sanguinem non solùm expueret, sed & hinc inde circa gingivas, sub linguâ, & intra dentes, in grumos concretum cogeretur digitis extrahere. Hæc, doctissime mi Domine Spörline de meis ægris, Variolis laborantibus, & loco saniei sanguinem ex pustulis expellentibus, ad T. Exc. crassâ Minervâ scribo, quæ ut omnia amicè interpretari velis, obnixè rogo. His vale Vir Clarissime, & parentem tuum, Virum prudentissimum Dn. Consulem, meis verbis, eâ, quâ par est, reverentiâ, uti & Dn. D. Johannem Scretam, saluta quæso. Bernæ 30. Octobris, Anno 1627.

OBSERVATIO LXXVIII.

Frustum vitri in secundum annum usq; carni sine dolore, aut aliquo alio symptomate, inclusum, feliciter extrahitur.

Viro Nobili Doctissimo,

DN. GREGORIO HORSTIO,

Phil. & Med. Doctori Excellentissimo, & Inclytæ Civitatis Ulmensis Archiatro longè celeberrimo. Amico meo æternùm honorando.

Guilhelmus Fabricius Hildanus,

S. P. D.

PRo transmisso complemento ad observationes tuas, Vir Nobilissime, amplissimeque, & inprimis quod in ipso tam honorificè mei mentionem facis, gratias quas possum ago maximas, inde humanitatē, & in me benevolentiam tuam, agnosco. Utinam & ego vicissim T. Exc. aliqua in re gratificari possem: non deessem, profectò, officio meo.

Præterita 1. Maij ad te misi meditationum Dn. D. Gerhardi, Exempl. 13. Tractatus Germanici D. Tob. Mulleri Creutzgang / inscripti 2. uti & secundæ partis cantionum mearum 6. Fasciculum Tigurino cuidam mercatori, cujus nomen nunc non occurrit, hîc tradidi, ut id secum ad nundinas Fori Tiberii (Zursack) veheret, indeque per Dominum Iosephum Schreiber, Mercatorem Vlmensem, ad te mitteret. Tuam itaq; Exc. omnia jam rectè accepisse spero. Librum tertium epistolarum medicinalium, cum Centuria emblematum, in lucem daturum promittis: Faxit Deus Opt. Max. ut brevi id facere, artemq; medicam multis adhuc præclaris tuis scriptis illustrare possis.

Quæstio de cataracta.

Præteritis diebus, cum Centuriam meam sextam in ordinem redigerem, & ad prælum adornarem, in epistolam olim ad Clarissimum Virum Dn. Casparum Bauhinum, communem nostrū Amicum à me scriptam, incidi, in qua quæstionem ipsi proposui: videlicet, quomodo in depositione cataractæ, tunicæ oculi sine dolore perforari possint? ab ipso perquisivi: sed responsum nunquam ex ipso extorquere potui. Ardua & difficilis profectò est quæstio: Quomodo enim tunicæ oculi, exquisitissimo sensu præditæ, sine dolore acu perforari possint, captum ingenii mei, ut verum fatear, superat; Tibi, si vacat, mentem tuam tribus saltem verbis hac de re scribe, quæso. Ego causas naturales non invenio, sed planè Divinum opus esse existimo; ut ex literis quas ad Dn. D. Bauhinum scripsi, quarum apographū mitto, videre poteris.

Observatio singularis de frustulo vitri carni sine noxa inclusa.

Hisce diebus simile quid mihi videre contigit, Patricius, & Senator hujus urbis, Dominus Nicolaus Kilchbergerus, in Consilium me adhibuit. Laborabat ille tuberculo duro, & ut videbatur scirrhoso, in metacarpo dextro, ad indicis digiti radicem, quod magnitudinem fabæ nonnihil excedebat. De causa hujus mali quum diligenter expiscarer, retulit, sed ante sesqui annū inter pocula, quum assclæ suo, vitrum tenenti, colaphum infligeret, vitrum fregisse, & in ipso ictu vulnusculum recepisse. Ex quo quum sanguinem copiosè promanare videret, ver quinetiam instaret, & venæ sectione se quoque opus habere crederet, manum in aquam calidam immersisse, & ad uncias aliquot sanguinis, non ali-

Obs. 78.

ter ac si vena phlebotomo pertusa fuisset, effluxisse asseverat. Deinde gossipio imposito vulneri, & fasciâ obligato, de ipso amplius sollicitũ non fuisse, & triduo post vulnus planè consolidatum fuisse, refert; Remanente tamen tuberculo duro, sed sine dolore, nisi id comprimeret, aut contra corpus aliquod durum allideret. Ex his nihil aliud colligere potui, quàm simplicem esse scirrhum ex materia aliqua viscida, post curatum vulnus, non satis suppuratum, concretum. Emplastrum itaque de cicuta (quod præstantissimum esse in tumoribus duris & scirrhosis, multoties expertus sum) applico. Quid fit? post dies aliquot quum exortus fuisset primò pruritus, deinde dolor pungitivus circa tuberculum, iterum ad me venit, decima hujus mensis, tum cutem exulceratam, & cuspidem vitri A. notatam, aliquantum prominentem reperio. Volsellâ vitrum sine difficultate extraho, cujus magnitudinem ac formam hic appinxi. Mundificato ulcere, intra paucos dies consolidatum fuit.



Porrò, Vir amplissime, quomodo frustum hocce acutissimum vitri, in parte nervosa & exquisito sensu prædita, tam diu sine dolore, ac ullo ferè incommodo latitare potuerit, admiratione profectò non vacat. Plumbeos quidem globulos per multos annos in corpore sine incommodo ac dolore permanere, indies videmus. Globulum plumbeum post annos triginta in vesica, calculosa materia obductum, repertum fuisse, ex relatione viri Clarissimi Dn. Pauli Offredi p. m. habeo, uti Obs. 67. Cent. 3. videre poteris. Plumbum in corpore retentum, putredini non esse obnoxium, & facilè in membris consolidari posse, Barthol. Maggius de vulneribus sclopetorum disertè testatur: Detentum siquidem (addit) in corpore plumbum per triginta annos vidimus, quòd ægrum nullo modo afficiebat dolore, quamvis singulis diebus locum mutaret, quia ita sensim locum deserebat, ut ne perciperetur quidem. Tandem ad partem aliquam descendebat, in qua inflammationem & abscessum excitabat, qui si secabatur, facilimè plumbum educebatur. Hæc Maggius. Ego generosum quendam Freiburgensem hic in vicinia cognosco, qui plus quam quadraginta annos globulum plumbeum sine magno incommodo in talo gestavit. Ex quibus manifestum fit, verissima esse ea, quæ Alfonsus Ferreus libro de Sclopetatum vulneribus cap. 5. Ex Averroe probat, videlicet plumbum cum carne hominis similitudinem habere. Poterit tamen, addit Ferreus, id potius ex occulta aliqua causa, quàm manifesta fieri. Ferrum verò, lignum, fragmenta ossium, spinæ piscium, & hujusmodi extranea, in corpore sine magnis accidentibus diu permanere nequeunt, de quibus vide Observat. 33. & 62. Cent. 1.

Observatio singularis de de vulnere sclopeti

Genevensis quidam, Stephanus Iuvenonius nomine, cum Anno 1602. duodecima Decembris, viriliter ac strenuè pro patria sua pugnando, ictu sclopeti ad humerum dextrum vulneratus fuisset, & globulus circa scapulam sinistram excisus esset, vulnus autem in sordidum ac fœtidum ulcus abivisset, nec à Chirurgis curari potuisset, post annum ferè ab accepto vulnere, venit ad me Paterniacum, ubi dilatato ulcere sinuoso & cuniculoso, præter ossium fragmenta, turundas duas ex spongia præparata factas, & ante menses aliquot, propter incuriam Chirurgi derelictas & deperditas, in cavitate quadam ulceris inveni, quibus extractis plenissimè restitutus fuit, & permultos annos supervixit, sine depravatione actionis brachii, etiamsi pars aliqua superioris processus scapulæ, quem rostrum porcinum appellamus, exempta fuisset. Vides Clarissime mi Dn. D. naturam ne quidem spongiam sufferre potuisse, etiamsi serico sit mollior. Sed respondes, spongiam pure imbutam putredinem auxisse. Vitrum verò quia corpus siccissimum putredini obnoxium non esse, quod etiam verum tecum & ego fateor. Interim tamen, quomodo fragmentum hocce vitri, tribus apicibus acutissimis donatum, dolores ingentes aliaque pessima symptomata non excitaverit, nondum video: scimus enim, præclarissimum virum, Dn. Adrianum Spigelium ex punctura vitri extinctũ esse.

Similis ferè casus Anno 1625. hic accidit. Patricius quidam, Iohannes Iacobus Bruner, cùm inter pocula ira exardesceret, & volâ manus vitrum perfrangeret, fragmenta nonnulla minutissima hinc inde in carne remanserunt, quæ quum à Chirurgo neglecta, nec extracta essent, & labia vulnusculorum coaluissent, exorto prius dolore intensissimo, inflammatio quoque, & lipothymiæ supervenerunt. Ego 19. Novembris 1625. cum accersitus essem, brachium ad humerum usque, præsertim manum mirum in modum intumefactam reperi. Eâdem nocte manum oleo rosaceo inunxi, postea sequens cataplasma calidè applicavi.

℞. Farinæ fabarum,
Hordij
Lupinorum. an. ℥j.
Pulv. radicum altheæ.
Florum Chamomillæ,
Meliloti,
Rosarum &
Betonicæ an. ℨij.

Croci ℈j. Coquantur cum lacte recenter emulcto, ad formam cataplasmatis, addendo sub finem butyri recentis ℥j. vitellos ovorum numero 2. Post Cœnam per duas horas sequentem potiunculam exhibui.

℞. Mœconij ℈j.
Confect. Alkermes. ℈ʃ.
Syrupi de pomis &
Aquæ cinamomi sine vino destillatæ an ℨij.
Aquæ buglossæ q. s. fiat potio.

Eâdem nocte mediocriter quievit, & vires aliquantum recollegit: quapropter sequenti die corpus clementer expurgavi, & triduo post venam in altero brachio incidi. Vulnuscula turundis primò minutissimis & unguento digestivo inunctis, deinde crassiusculis dilatavi, & imposita

posito mundificativo, ex Mercurio præcipitato, mundificavi, & fragmenta nonnulla vitri extraxi, curatio quidem difficilis fuit, ad optatum tamen finem pervenit, & etiamnunc vivit æger ille. His vale Vir nobilissime amplissimeq; & cum tuis omnibus, quos tecum saluto, æternùm quã felicissimè vive, saluta quæso meo nomine Medicos vestros, item Dn. Merckium & Dn. Baullerum, cujus responsum ad postremas meas exspecto. Raptim Bernæ 28. Iulii 1631.

Ad præcedentem Observationem Responsio Dn. D. Gregorii Horstii, ad D. Guilhelmũ Fabricium Hildanum.

S. Pro transmisso Chartaceo munusculo non est quod gratias agas, Venerande Senex, Vir Clarissime, Amice pl. colende: boni consule potius affectum Amoris erga te mei, qui constanter durabit, quamdiu Spiritus hos reget artus. Epistolium ad Clariss. Dn. Bauhinum p.m. communem nostrum, dum viveret, amicum, libenter legi, nihilq; magis in votis mihi fuisset, quam magni istius Anatomici judicium de quæstione proposita videre. Ego ut verum tecum quoque fatear, me nullibi penes Autores hanc dubitationem observâsse memini, multò minus ejusdem resolutionis recordor, quanquam ipsa operatio diligenter à veteribus & recentioribus, eo modo quo ab Empiricis exerceri solet, describatur, ut videre licet apud Paræum lib. 16. cap. 22. & durantem Scacchum lib. 1. Subsidii Chirurg. cap. 9. usque ad cap. 16. non obstante, quod celebris Hieron. Fabricius ab Aqua pendente part. 1. c. 16. de operat. Chir. rarius Empiricis ocularis ad votum hanc Chirurgiam succedere statuat, cum non immeritò Celsus curationem hanc inter subtilissimas, quasi dicat, ingeniosissimas & difficillimas reponat, quam tamen difficultatem non parum inventum tuum cũ accomodata sella in brachii fulcro lib. Observ. Cent. 4 Obs. 16. adjuvat. Verum est, quod dicis, partes istas oculi, quæ perforantur, exquisito sensu præditas esse, quam ob causam non absque causa quæris, cur dolor non admodum hic in ipsa operatione patientes affligat, qui tamen vulneratis hisce membranosis partib' vehementissimus esse solet, quod una atque altera Observatione Clandorpius in speculo suo Chirurgico erudito confirmat, quotidiana experientia attestante. Nosti naturam doloris in meis me problematibus θεραπευτικοῖς Dec. 3 q. 9. potius in solutâ unitate, quam unitatis solutione quærere, qua ratione sæpius vulnus inflictum non observatur, donec iracundiæ fervore sopito tandem animadvertatur. Quid si modo simili mens terrore & consternatione percussa protinus in ipsa operatione depositionis cataractæ dolorem non sentiat, quemadmodum cauteriis actualibus, instrumento tecto subito impressis, parum doloris causatur? Quid si ἀναισθησίαν hanc ipsa partis laborantis intemperies cũ materia juvaret, cum cataracta diuturnitate tẽporis ex vaporosa humiditate in oculũ demandata, partisque recipientis frigiditate condensata generetur, qua ratione, sicut in aliis partibus, ita etiam hic sensus obtusior fieri potest: hinc ergo puncturâ factâ, quæ in momento continuum solvit, tantus dolor non adest, qui tamen sæpius succedere solet, datis inflammationibus supervenientibus, ubi calor præter naturam sensum partis laborantis excitat, qua de causa Chirurgi ocularii, dum hanc operationem perficiunt, extemplo talia remedia applicant, quæ inflammationem & dolorem arcent, quo fine sanum oculum ita disponunt, cum utriusque sit idem motus, ut unà cum ægro quoque quietus retineatur. Non tamen nego, quod piè statuis, hic etiam Dei providentiam concurrere, qui fidelis est, & ultra vires nos affligi non permittit.

Quod alterum casum attinet patricii vestri, cui particula vitri confracti per tempus aliquod in metacarpio ad radicem indicis sub cute latuit absque dolore, nisi compressio vel allisio durioris objecti occasionem præbuisset, verisimile videtur, vitream istam particulam undique mucilaginoso succo, quem aliàs è massa sanguinea sibi familiarẽ partes istæ tendinosæ circa digitos, pro sui nutritione trahunt, obductâ fuisse, quæ materia putredine saniosa reddita, causam abscessui præbuit, in quo diu sine sensu doloris pars hæc vitrea latere potuit, donec compressione factâ sensiles partes vellicaret.

Cæterùm notabilis est historia, quam in Cent. 3. observ. ex relatione Clariss. Offredi legi, de globulo plumbeo per tot annos in vesica latitante. Mirum quidem non est, ejusmodi globulos plumbeos diu absque noxa corporibus intrusos circumgestari, quod experientia confirmat, ubi tamen sæpius etiam observamus, abscessu facto separationi & egressui eosdem ansam præbere, quod Anno 1612. in nobili quodam studioso Giessæ notavi, qui tempore nocturno læsus, ejusmodi bombarda manuali circa musculum pectoralem vulnerabatur, globulo extra pectoris cavitatem sub deltoide in brachium sinistrum introeunte, qua in parte post septimanas aliquot abscessu factô, præter spem nostram, plũbeus globulus sese offerebat. Sed admiratione non caret, in vesica, cujus vulnera Hipp. lib. 6. Aph. 18 lethalia pronunciat, globum plumbeum tam diu latitare potuisse: Vesalius testatur, vesicæ vulnera curatu facillima esse, referente Viscero in Com. ad Aph. citatum, si fiant in parte anteriori versus collum, eò quod parte anteriori sit obducta peritonæo, vel ut Fallopius censet, quod tunica vesicæ interior carnosa existat, adeoque coalescere possit. Huc igitur pertinet etiam historia cujusdam, quam habet Kentmannus lib. de calculis, qui globo æneo per vesicam trajectus sanitati restitutus fuit. Verisimile igitur videtur, læsionem etiam circa partem hanc carnosam fuisse factam, ubi natura postea citiùs solutam unitatem consolidare potuit. An autem singulari quadam occulta familiaritate plumbum, præ cæteris metallis, tamdiu corpori humano inesse possit absque noxa, quod placet Alphonso Ferrio cit. lib. 3. cap. 5. & Paræo, lib. 10. Chirur. cap. 10. dubitari potest, præsertim cum idem Paræus lib. 26. cap. 3. eidem plumbo malignam qualitatem naturæ nostræ inimicam inesse pronũtiet,

Obs. 78. & 79.

dum plumbea destillatoria vasa improbet. Imò si verum est, quod Amatus Lusitanus Centur. 2. Cur. 69. refert, de puero octennali, qui decoratum æneum numisma, ex illorum genere, quibus senes pro computis obeundis utuntur, post elapsum annum, ex parte gracilius, & à naturali calore consumptum, cum excrementis alvi reddidit. Si verum, quod habet Zach. à Puteo in Clavi medica pag. 235. de auro brevi temporis spatio in ventriculo gallinæ plurimùm emollito, & digesto. Ne quid addam de Wendleri gallinis, interius deauratis, quod refert Sennertus de Consit. Chymiæ &c. Sanè sequitur, plumbum aliis metallis minorem convenienriam habere cum humano corpore, propterea quod per longum temporis spatium absque omni alteratione lateat occultum. Quid si nativa suâ proprietate manifestâ, quâ laminas plumbeas exterius affluxum inhibere, qua pulverem plumbi, juxta Hor. Aug tom. 1. Epist. lib. 12. Epist. 6. præparatum ulcera maligna purificare, abstergere, & consolidare novimus, interius etiam plumbei globuli sine noxa retineantur, & calorem nativum ipsius partis temperando, minus aliis præter naturã contentis affluxum dolorificum excitent? Sed hisce concludo, teque cum conjuge Deo Opt. Max. commendo. Dabam Ulmæ Suevorum 22 Aug. 1631.

OBSERVATIO LXXIX.

Verruca ingens & magna in pollice, quomodo extirpata.

ANNO 1584. cum Langenbergum Marchiæ pagũ Clarissimo Medico-Chirurgo Cosmo Slotano, ægrorum quorundam causâ missus essem, & Dom. Wilhelmi zur Wasserfallen / viri egregii, hospitio per menses aliquot uterer, Sorori ipsius, puellæ piæ ac honestæ, verrucam ingentem & magnam, ex ipso pollice dextro, inter primum & secundum articulum prominentem, & manum deformem reddentem, hoc modo extirpavi. Purgato corpore, verrucam filo cannabino reduplicato, & Arsenico insuccato ligavi, filumque singulis diebus aliquantum strinxi, donec tandem verruca excideret: tum relictum ulcus Unguento apostolorum satis mundificatum, cicatrice obduxi, quæ adeò æqualis facta, ut vix vestigium verrucæ appareret.

Cæterùm etiamsi curatio hæc passim apud Chirurgos non solùm verrucis, verùm etiam in aliis corporis excrescentiis sit usitatissima, non suadeo tamen juvenibus Chirurgis, qualis ego fui tunc temporis, ut Methodũ hancce sequantur, propter gravissima & longè periculosissima symptomata, quæ applicationem arsenici sequũtur, de quibus prolixè in tractatu meo de Gangræna & Sphacelo disserui. Quorum symptomatum profectò etiam nonnulla in hac puella supervenerunt: ad quæ profliganda purgationes, venæsectio, defensiva & cardiaca mihi adhibenda fuerunt. Tandem verò ita feliciter successit curatio, ut cùm Anno 1612. ex patria Langenbergum profectus essem, ipsamque, (quæ jam per multos annos in matrimonio vixit) simul & prædictum virum inviserem, pro summa olim circa ipsam adhibita diligentia, maximas mihi egerint gratias.

Ab eo tempore aliquoties verrucas, aliasq; excrescentias, longè felicius, minori quinetiam cum dolore & molestia, extirpavi sequenti modo; Purgato corpore & secta vena, si plethora adest, causticum meum, quod fit ex lixivio sarmentorum & calce, circumcirca radicem verrucæ applico, eamque radicem, unà cum caustico, cupulâ, id est instrumẽto, ex argento in formâ digitalis, quo mulieres utuntur, sed multo depressius, fabrico, includo,



& arctè deprimo, idque in eum finem, ne liquefactum causticum adjacentes partes contaminet, easque erodat: Factâ escharâ, digestivum ex butyro recenti, oleo amygdalarum dulcium, cum croco & vitello ovi, ad casum escharæ usque applico. Deinde ad dies aliquot mundificato ulcere, pulvere Angelico Vigonis optimè rectificato, cicatricem aliorum ulcerum more induco. Quòd si prima applicatione caustici, integra radix verrucæ ablata non fuerit, iterum nonnihil de prædicto caustico applico: Id verò antequam eschara sit ablata, fieri debet; Sic enim minus erit dolorificum, idque toties, quoties necesse est, facio.

ADMONITIO.

Porrò antequam Arsenicum, aut quodvis aliud Medicamentum acre & erodens applicatur, diligenter perpendendum, & essentia verrucæ examinanda est. Solent enim nonnunquam verrucæ malignæ existere, quæ erodentibus medicamentis exasperantur, & in cancrum degenerant, uti Lector observ. 88. cent. 3. de Verruca in balano: Item obs. 84. cent. 3. de Verruca linguæ videre poterit.

ANNO 1620. Solodurensem, Virum Senatorii ordinis septuagenarium, unà cum Clarissimo & doctissimo Viro D. D. Ludovico Scharãdeo, aliquoties invisi: Laboraverat ille per annos aliquot verrucâ, in summitate alæ auris dextri, absque insigni tamen molestia, tandem cùm dolere cœpisset, carnificem in consilium adhibuit, à quo adhibito caustico medicamento, in malignum ulcus degeneravit verruca.

Lustriacensis quidã, Bernhardus Penevaire nomine, per multos annos verrucam in inferiore labio gestaverat, tandem cùm Medicamentum acre & erodens applicuisset, in cancrum degeneravit, quem ego Anno 1601. excidi, quemadmodum obs. 87. Cent. 3. videre licet.

In applicatione præterea caustici ad radicẽ Verrucæ, prospiciendum est, ne in quantitate peccetur, & Eschara ad nervos usque perveniat.

OBSERVATIO LXXX.

De Arsenici periculosa applicatione.

INter omnia medicamenta, quæ exteriùs applicantur, vix periculosiùs occurrit, quàm Arsenicum: Est enim, ut Galenus lib. 4. de compos. Medicam. secundum loca & alibi docet, Medicamen-

Obs. 81.

camentum septicum, hoc est putrefactivum. Putrefacit non solùm, ac liquefacit carnem: verùm etiam mittit vapores quosdam malignos & venenosos ad partes nobiles, ipsasq; gravissimè lædit. Et quamvis tibiis, brachiis aliisq; à corde & cerebro remotioribus partibus applicetur, ejus tamen malignitas ad prædictas partes facilè pervadit. Idque per venas ad Hepar, ibiq; intemperiem calidam in sanguine incendit: per arterias ad cor, & deliquium animi ac Syncopen procreas: per nervos verò ad cerebrum ascendit, & deliria, vigilias, inquietudines, aliaq; gravissima Symptomata, imò etiam aliquando mortem infert: ut ex sequenti exemplo videre est.

Helvetius quidam, Vir robustus, & vix quadragesimum annum ætatis prætergressus, cùm tumore cancroso ad carpum laboraret, Genevam venit, ubi Chirurgo alioquin docto, ingenioso, maximeq; in arte Chirurgica exercitato, se curãdum commisit. Habebat is autem pulverem ex Arsenico, & nonnullis aliis simplicibus confectum, quo se cancrum absque magno negotio curare posse promittebat: & reverà in nonnullis aliis cancrosis tumoribus, scrophulis & similibus affectibus laborantibus, pulvere isto feliciter usus fuerat: In hoc tamen viro non successit. Applicato enim pulvere, mox dolor, vehemens ac maximus, exortus est. Deinde quoque inquietudines, vigiliæ, febris ardens, & continuum cibi fastidium, ac vomitus supervenerunt: Tandem delirium & syncope frequens exorta, ita ut intra paucos dies animam Deo reddiderit.

Cuidam Barbitonsori idem ferè accidit. Huic cùm ego tuberculum eâ quâ fieri potuit diligentiâ, ad apicem pollicis dextri excidissem: ipse verò (persuadens sibi, radicem nondum penitus extirpatam esse) nonnihil Arsenici applicuisset: exorta sunt Symptomata gravissima, dolor nimirum ingens, febris, vigiliæ, inquietudines & deliquia, ita ut de vita periclitaretur. Tandem nihilominus Divino favore restitutus fuit.

Prudenter itaque in applicatione & usu hujus medicamenti procedere convenit: est enim, ut antea dixi, venenosum & lethiferum, ideoq; non video, quomodo audiendi sint, qui Trochiscos ex Arsenico, calce viva & auripigmento, in putridis ac serpentibus intestinorum ulceribus, Clysteribus permiscere volunt. Sed de his in tractatu nostro de Dysenteria, cap. 10. abundè dictum fuit.

OBSERVATIO LXXXI.

De cancro, & malignitate arsenici.

Viro Doctissimo Excellentissimoque,

DN. JACOBO HAGENBACHIO, Medicinæ & Chirurgiæ Doctori, Amico meo singulari;

Guilhelmus Fabricius Hildanus S.P.D.

Præmisso novi anni auspicio, Doctissime atq; amantissime mi Dn. D. Hagenbach, inprimis cupio, ut me excusatum habeas, quòd tam rarò ad te scribo, faciunt id occupationes, & tarditas ingenii mei, quod & plerumq; suas habet molestias, tibi satis notas. De obitu celeberrimi, & æternâ laude dignissimi Viri, Dn. Caspari Bauhini, Anatomicorum hujus seculi facilè principis, vehementer doleo: non tantùm propter eam, quæ jam à multis annis inter nos fuit, amicitiam, sed inprimis propter damnum, quod inde ad familiam Medicam perveniet. Non enim dubito, quin præclara scripta cum ipso perierint. Judicium tanti Viri, ut & tuum, de discursu meo Anatomico, libenter vidi, & magni facio. Scribis Amplissimum & Consultissimum Virum, Dn. Sebastianum Sporlinum, Consulem vestrum prudentissimum, libellum illum videre percupere; Ut itaque ipsi hac in parte gratificari possis, en iterum exemplar ad te mitto, accipe illud benevolo animo. Epistolam Dn. Guilhelmi Laurenbergii, de Calculi vesicæ curatione, à te accepi quidem, sed nondum persolvi: indica, quæso, pretium, & statim mittam. Tractatum meum de Lithotomia vesicæ absolvi, præter instrumenta, quæ adhuc depingenda sunt. Suppeditabit ille tibi instrumenta nonnulla, pro officina tua Chirurgica, quo in opere ut strenuè progrediaris, etiam atque etiam Te adhortor. Facies profectò rem omnibus Medicinæ ac Chirurgiæ Studiosis perquàm gratam, & utilissimam, inprimis si utendi modum adscripseris. Mitto nonnihil de Vnguento meo, quod à me petis, Escharotico, cui descriptionem quoque adjunxi, illam tibi reserva, & da operam, ne in manus Empiricorum incidat, propter abusum. Etiamsi enim præstantissimum sit medicamentum, in vulneribus tamẽ pravis ac contumacibus periculo nõ vacat. Quandoquidem propter malignam qualitatem, quam ab Arsenico habet, protinus partes nobiles petit, easque afficit; Quapropter in corde Lipothymiam, in Hepate, ac toto corpore intemperiem calidam, sitim, linguæ ariditatem, & hujusmodi excitat. In cerebro verò facit Vigilias, & inquietudines, & delirium. Nausea præstereà, Eructationes, & cibi fastidium sequuntur. Rarus itaq; tibi sit usus hujus unguenti, inprimis autem cave, ne illud impurgato corpore; multò minus circa Arterias magnas, & in gravidis, applices, neve in quantitate pecces. De quantitate accipe exemplum sequens.

De unguẽ. Escharotico.

De malignitate arsenici.

Matronam, ulcere deplorato laborantem, curandam habeo, cui non ita pridem illud in triduum, supra linteum tenerum extensum, applicuissem, sed semel in die, & vix pondus duorum granorum unguenti pro vice, attigissem, gravissima supervenerunt Symptomata, etiamsi ulcus à venis & arteriis magnis, uti & à partibus nervosis sit remotũ, intra biduum tamen remiserunt; omniaq; nunc cum ulcere ad votum, Laus sit Deo, succedunt. Porrò, vix grana sex, ut dixi, hujus unguenti, ad Escharam hancce inducendam, impendi, quæ vix granum unum cum dimidio Arsenici continent: Scrupulus enim unus unguẽti, recipit arsenici grana quinque, cum tertia circiter parte unius grani. Ex his colligere potetis; primò quantitatem unguenti, quæ ulceri imponenda est, deinde etiam, quàm periculosus sit pulvis Penoti, & Mulleri, ad Cancrum; Propterea quod Arsenicum in copia recipit, & dosin pulveris, quæ inspergenda est, non adscripserint, ideoque

Observatio de malignitate prædicti unguenti.

De pulvere Penoti ad cãcrũ.

Obs. 81.

que mirum non est, Helvetium illum, quamvis robustissimum, cujus memini lib. de Gangræna & Sphacelo, cap. 5. circa finem, post usum pulveris ad cancrum, vitam amisisse. In quantitate enim erratum, & arteriæ applicatus fuit. Sed inquies, si ulcus fuerit magnum, ita ut quantitas illa unguenti, quam præscripsisti, non suffecerit, quid tunc agendum? Ego quantitatem granorum sex unguenti pro vice rarò excedo, si non sufficiens fuerit, admisceo nonnihil unguenti digestivi, aut Butyri recentis. Hæc de quantitate. De ipsius præstantia in vulneribus pravis, sordidis, & malignis, sequens accipe exemplum.

Observatio de præstantia prædicti medicamenti.

Anno 1590. cùm in Belgio Medicinam facerem, juvenis quidam viginti annorum in conflictu glande plumbeâ, eaque ut vocant, labefactatâ (eine matte / oder ermüdedete Kugel) vulnus ad Metacarpum accepit, id quum in sordidum, & malignum ulcus degeneratum fuisset, venit ad me Hildenam: ubi quum vidissem ulcus esse in in superficie, sine fractione, aut carie ossis, brevi me illud ad cicatricem perducturum ipsi pollicebar: sed fefellit me opinio, medicamenta enim omnia, quibus in multis aliis cum fructu usus fueram, respuebat. Tandem cum nonnihil de hoc unguento meo Escharotico applicuissem, Eschara beneficio Digestivi cecidisset, intra paucos dies convaluit. Arbitror autem, glandem venenatam fuisse, vulnusq; qualitatem malignã inde contraxisse, quæ beneficio hujus unguenti, propter similitudinem, quam (ratione Arsenici) cum veneno habet, extracta fuit.

Admonitio.

Cæterùm, etsi unguentum hocce nostrum Escharoticum, malignum atque contumacissimum ulcus, ut dixi, Deo sic benedicente, castigaverit, omnemque malignitatem ademerit, etsi quoque in aliis sordidis ac pravis ulceridus, scrophulis, fistulis & hujusmodi, eo, ut sanctè affirmare possum, cum fructu ususfuerim, cave tamẽ mi Dn. Hagenbach, ne id in Cancrosis affectibus applices; Arsenicum enim, omniaque quæ ex eo conficiuntur medicamenta, Cancrosis affectibus adversissima esse, aliàs non solùm ex me audivisti, sed & tu ipse Anno 1618. Spiræ mecum vidisti, quàm infeliciter Empiricus quidam, Medicamẽto quodam ex Arsenico conflato, (Fedronis fuisse existimo) in Matrona illa Virtute & Pietate nobilissima, Dn. Margareta Scheidmannin, usus fuerat. Fedronem huncce olim reverendæ & nobilissimæ Matronæ, Christianæ à Veltbruggen, Abbatissæ apud divum Quirinum Novisianum, Cancro in altera mammilla laborantem, suis medicamentis Chymicis mortem maturâsse, Dom. Cosmas Slotanus p.m. Chirurgus Excellentissimus, ut testis ocularis, aliquoties mihi retulit. Poteris quoque hac de re videre Dn. D. Bernar. Dessennium, in suis adversùs Fedronem scriptis. Hæc propterea adscribo, ut medicamenta Fedronis adversùs Cancrum diligenter examines, priusquam eis in tua Praxi utaris: constabat enim ex arsenico, at Arsenicum exitiosum esse medicamentum in Cancrosis affectibus, exemplo quoq; ostendi in Tractatu meo de Gangræna, ut antea dixi. Non est igitur audiendus Dn. Penotus, qui libro suo de vera præparatione & usu medicamẽtorum Chymicorum, mihi pag. 150. medicamẽtum suum ex Arsenico conflatum, veluti arcanum, & pretio à se comparatum, ad astra usque extollit, sed bonum illum ac optimum Virum, & quidem mihi amicissimum, ab aliis seductum fuisse, neque unquam hujus medicamenti periculum fecisse, uti nec Dn. D. Philippum Mullerum, sui ad cancrum medicamenti, planè mihi persuasum habeo. Alioquin medicamentum tam periculosum, tamque lethiferum (intellige in cancrosis affectibus adhibitum) ille ad astra non extulisset: hic verò miraculis suis Chymicis, & mysteriis Medicis, procul dubio adscripsisset.

Arsenicũ cancrosis affectibus adversissimum esse, ostẽditur.

A medicamentis Fedronis ad cancrum cavẽdum esse ostenditur.

Verisimile autem mihi videtur, Dn. Penotum arcanum hocce in peregrinatione sua olim ab Italo quodam, Norinbergæ degente, *Il Medico del cancro* appelato, accepisse, hujus enim Itali medicamenti descriptio (quam ego primùm vidi Anno 1587. antequam Penotus & Mullerus sua in lucem dedissent scripta) cum arcano Dn. Penoti, quoad ingredientia planè convenit. Sed quæris forsan, quomodo descriptio illa Norimbergica ad manus meas pervenerit? Dicam id paucis. Circa annum prædictum, quum Dom. Ioh. Griffonius, Chirurgus Excellentissimus, ac rationalis, eodemq; tempore Præceptor meus observandus, Matronam non obscuri nominis, cancro laborantem, curandam haberet, & de hoc remedio fama Norinbergâ Genevam pervolasset, tum Dn. Griffonius, tum etiam ipsamet ægra, & ipsius astantes, illam adhibuerunt diligentiam, ille in scribendis literis, & negotium urgendo, hi in suppeditandis nummis, ut tandem non solùm pulverem ipsum, verùm etiam compositionem nanciscerent Dn. Griffonius, quam postea, pro sua in me benevolentia ac liberalitate, communicavit. Quum verò Dn. Griffonius, ut prudens & circumspectus Chirurgus, hujus pulveris in ulcere quodam sordido & contumaci periculum facere vellet, antequàm illum cancro applicaret, & sævissima, quæ sequebantur, Symptomata vidisset, apertè dixit, Medicum illum del cancro nũquam hoc medicamento cancrum curasse, sed potius ægros interemisse, nimisque magnificè se jactare atque ostentare. Ne autem hujus doli fraudisq; origo te lateat, scias Theodoricum, & Lanefrancum, quos secutus est Guido, cancrum distinguere, in cancrum Apostema, & in cancrum Vlcus; Cancer Apostema est affectus ille, quem sub nomine cancri intelligunt Hippocrates, Galenus, Avicenna, & alii rationales Medici, atque Chirurgi. Cancer verò Vlcus (Guidonis verbis utor) est, quando ab ulceribus & vulneribus, propter irritationem factam ab acribus, aduruntur & commoventur humores pravi, Melancholici, & fiunt, trahunturq; ab universo corpore, & è vicinis membris in eum locum, & putrefiunt, & calefiunt, ac acrimoniam & venenosam qualitatem acquirunt, ex quibus generatur & augetur mala dispositio, & fit cancer. Hæc Guido. Sed hujusmodi ulcera etiamsi sint maligna, & plerumq; contumacissima, uti & illud fuit in juvene, de quo dixi antea, quemadmodum & in nobilissima illa Virgine, quam Durlachii in aula illustrissimi Principis mei mecũ

vidisti, anno 1618. non tamen sunt cancri, nec cum cancro Apostemate, ut Theodoricus loquitur, hoc est cancro vero, confundi debent: ejus enim contumacia malitiam omnium ulcerum multùm superat.

Porrò, in cancro ulcere Theodorici, & Guidonis, vel potius ulceribus pravis & malignis, pulverem illum, sive arcanum Medici Norinbergici, uti & unguentum meum Escharoticum cõvenire, tam in juvene, cujus memini, quàm in aliis, non semel expertus sum. Imò & in nobilissima illa Virgine Durlachii, & quidem te præsente, cui anno 1618. Vlcus inveteratum ac contumax, ad juncturam pedis, post combustionem relictum, feliciter curavimus. Etsi autem unguẽtum hocce in hujusmodi ulceribus præstantissimum sit medicamentum, in Cancro tamen, ut antea quoque monui, minimè est applicandum. Medicinæ enim fortes, inquit Avicenna, augent malitiam cancri, intellige Veri, non fictitii Theodorici, hoc est, cancri ulceris, id quoque testatur Lancfrancus, Guido, & alii.

Distinctionem autem hancce, vel potiùs errorem, inter Cancrum Apostema, & Cancrum Ulcus, uti & usum Arsenici, in artem Chirurgicam, maximo cum ægrorũ damno, Monachum illum Theodoricum introduxisse, ex lib. ejus c. 6 ubi de Cancro ex Apostemate, vel Vulnere malè curato, orto loquitur, colligere est; Sic enim scribit loco præallegato. Mortificetur Cancer cum Arsenico, secundùm doctrinã nostram sublimato; Primâ enim die fistulam, Cancrum, Herpetem Esthiomenum, sive Lupum, noli me tangere, seu formicem, & omnes similes morbos occidit.

Vides qualis error? Sed & eundem Theodoricum in Curatione morbos inter se non distinguere, ex capite sequente, videlicet 7. videre poteris; Ubi de Cancro Apostemate seorsim quidem agit, in medicamentis tamen nullam facit distinctionem, sed eisdem Curationem perficiendam esse, disertè scribit. Theodoricum etiam secutum fuisse majorem partem Chirurgorum, qui ad aliquot centena annorum post ipsum vixerunt, etiam ipsum Guidonem, Rulandum, & Valesium de Tharanta, ipsorum scripta fidem faciunt.

Utinam perniciosa illa doctrina, etiam inter doctos, ad nostra non pervenisset tempora: nullus enim ferè affectus hodie in Chirurgia occurrit, in quo majores comittantur errores, quàm in Cancro. Quæris causam? Morbus, ipsiusq; essentia, ipsis non satis perspecta est, & in Curatione axioma illud Medicorum: *Contraria sunt Contrariorum remedia*, nimis religiosè observant: dum enim Tumorem vident durissimum, emollientibus & resolventibus (contra mentem Galeni) duritiem illam emendare student, postea cùm in Ulcus degeneravit Tumor ille, Labia prædura Escharoticis & erodentibus absumunt, sorditiem & fœtorem Ulceris Ægyptiaco, & similibus corrigunt, quæ omnia quàm sint absona & perniciosa, tum ipsemet ex solo illo exemplo Spiræ colligere potuisti: Quàm graviter enim Medicus quidam septuagenarius, doctus, & in Praxi exercitatissimus, qui tibi quoque notus fuit, in Matrona illa erraverit, sæpissimè ex ipsamet ægra ipsiusque Maritò audivisti; Ipsius enim consilio & consensu Tumor, quem per aliquot jam annos, sine insigni incommodo, in mamilla gestaverat, & ampliùs gestare potuisset, ruptus fuerat, & Medicamenta tam emollientia, quàm erodentia applicata fuerant. Sed & lumen illud Anatomicum longè præclarissimum, hac in re errâsse, & Arsenicum in Cancro exulcerato præscripsisse, in ipsius de Chirurgia scriptis videre poteris. Utinam igitur multi Cancros curare non tentarent, quàm illotis manibus, ut habet Proverbium, negotium tam magni momenti aggrederentur. Sed de his pleniùs videre poteris Cent. 3, Obs. 87. Hæc ut de Cancro ad Te scriberem, ansam mihi dedisti, cùm Unguentum Escharoticum à me peteres, quæ quidem crassâ Minervâ ad Te scribo: verùm Tu, ut omnia æqui bonique consulere velis, obsecro. Vale cum tuis omnibus, quos tecum Ego, & Uxor mea salutamus. Raptim Bernæ 20. Januar. 1625.

Obs. 81. & 82.

OBSERVATIO LXXXII.

De gravissimis symptomatibus post variolas.

Viro Clarissimo atq; doctissimo

DOMINO BLANDINO,

apud Genevenses D. Medico longè celeberrimo; Amico suo singulari,

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

GRatæ mihi fuerunt literæ tuæ, Vir Clarissime, Amice plurimùm honorande, gratissimus verò earum lator, Dn. Burgowerus, quem propter ipsius Pietatem, Doctrinam, atque Eruditionem, medullitùs, & veluti fratrem diligo. Retinui ipsum in 16. diem apud me, idque non sine ipsius fructu. Interim enim dum moram apud me traxit, Fractura Tibiæ in Matrona, quadraginta circiter annorum, & obesa, sese obtulit; ubi non tantùm usum instrumenti trochleati magni Paræi vidit, sed & introductionem ad novam illam, & in quinta Centuria descriptam Observationem, de Fractura Femoris ejusdemque repositione, habere potuit. Prædictam Centuriam hæredibus Dn. de Bry p. m. imprimendam commisi, quid facturi sint, & an hâc æstate proditura sit, brevi certior fiam. Extant quoque in illa monumenta amicitiæ nostræ. Tu, Vir Clarissime, fac quæso, ut sexta quoque Centuria raris tuis Observationibus ornari possit. Cæterùm miserè nunc affligimur hîc Variolis, variis diversisque symptomatibus complicatis, quàm plurimos infantes è medio tollunt. In multis Paroxysmi Epilepsiæ præcedunt, mox sequitur febris ardens & continua, quæ & in nonnullis maligna est. Varia post se relinquunt symptomata; Præsertim in iis, qui non ex Arte curantur. Hisce diebus ex vicino quodam Oppido adducta mihi fuit puella, cui materia illa acris Variolarum ita eroserat corneam, ut ex utroq; oculo facta esset cæca. Etiamnunc curandum habeo puerulum, Domini Petri Tschiffelini filium; cui post variolas

Variolæ sævissimè grassantur Bernæ.

las

Obs. 82. & 83.

las circa juncturas ferè omnes, Tubercula, & Apostemata, ex frigida viscidaque materia remanserunt.

Nonnullos materia Variolarum, ex facie & capite cum impetu ad pectus delabente Catarrho suffocante, miserè vitam finivisse vidi. Hisce diebus quoque Puerum Paraphymosi, in ipsis Variolis ortâ, periculosè laborantem, curandum habui. Feliciter curatâ Paraphymosi Abscessus circa humerum sinistrum exortus est; is antequam ad Suppurationem perveniret, Catarrho suffocante suffocatus fuit. Puero cuidam 13. Nicolaus Grisler nomine, eùm caput & facies supra modum intumuisset, delapsa est materia peccans ad nervos recurrentes, & musculos laringis, ita ut mutus factus fuerit: divinâ tamen aspirante gratiâ ipsum restitui. Hæc raptim: Tu Vir Clarissime omnia boni consule, & tumultuanti calamo ignosce. Bernæ, 15. Julii. 1626.

OBSERVATIO LXXXIII.
De cutaneo quodam affectu.

Viro præstantissimo Doctissimoq;

DN. EMANUELI URSTISIO.

Artium liberalium M. Amico singulari,

Guil. Fabricius Hildanus S. P. D.

AFfectus ille cutaneus, præstantissime atque amicissime Dn. URSTISI, cujus causa hisce diebus tecum in consilium adhibitus fui, quia ex sanguine bilioso & adusto ortum suum habet, primò victus ratio, quæ humectet & refrigeret, instituenda est: ubi omnia salsa, pipere, Zingibere, garyophyllis, cæpis, raphano, sinapi & hujusmodi præparata, vitanda. Omnis excessus cùm cibi, tum etiam potus, præcipuè vini generosi, nocet: uti quoque exercitia corporis nimis violenta, item balnea calida, laconica, qualibus hîc Basileæ uti solent. Secundò ut corpus à pravis & adustis humoribus expurgetur, necesse est: idque confectione Hamech, Syrupo de polypodio, Electuario Diaphœnic: cum Rhabarbaro, pilulis de fumo terræ, & similibus: vel sequenti Apozemate (quod simul etiam humorem peccantem præparat) commodè fieri poterit.

Apozema

R. Rad. Lapatii acuti
Scrophular. majoris
Polypodii
Cichorii
Corticum frangulæ &
Tamarisci ana ℥ß
Herb. Agrimoniæ
Veronicæ
Cuscutæ
Scabiosæ
Fumariæ ana M. j.
Liquiritiæ rasæ
Uvar. passular exacinatar. an ℥j.
Flor. Genistæ &
quatuor Cordial. an P j.
Sem. Anisi
Feniculi ana ʒij.

Fiat s. a. decoctio in sufficiente quantitate aquæ, ad consumptionem tertiæ partis, ut colatura redeat ad ℔ j ß in qua infundantur, macerentur & coquantur secundùm artem

Fol. Senæ à stipulis expurgatorum ℥ij
Rhabarb. electi ʒiij.
Agarici recenter trochiscati &
Rad. Mechoacæ albis: ana ʒij.

Maneat in infusione horas 12, postea fortiter exprimantur, addanturque

Syrupi rosati solutivi compositi ℥ij.
Syrupi de Fumaria ℥j.

Misce, fiat potio, pro tribus matutinis, interpositis diebus sumenda. Sumto primo haustu, postridie poterit incidi vena in cubito sinistro, vel dextro, si nimis male affectum fuerit sinistrum, & extrahi usque ad uncias quinque aut sex sanguinis, secundùm virium constantiam.

Usus Hirudinum hîc maximè conveniret: Sed quia apud vos non sunt in usu, tuum erit expiscari, an æger ipsorum usum atque applicationem concedere velit. Postremæ dosi apozematis drachma una, aut drachma una & semis confectionis Hamech, prout priores potiones operatæ fuerint, commisceri possunt. Poteris & per intervalla corpus sequenti potiuncula expurgare.

R. Rad. Polypodii querc:
Saniculæ fœminæ
Cortic: interior radic: frangulæ
Rad. Lapatii acuti ana ℥ß.
Herb. Veronicæ
Fumariæ
Cuscutæ
Scabiosæ ana M.S.
Liquiritiæ ℥ß.

Coquantur in s. q. aquæ ut colatura redeat ad ℥v in quibus infundantur, macerentur, & coquantur s. a.

Fol. Senæ ℥j.
Agarici recenter trochiscati
Rhabarb. opt: ana ʒj.

Maneant in infusione horas octo, postea exprimantur, expressioni adde syrupi rosati solutivi compos. ℥j.

Misce, fiat potio

Aut exhibe pilulas sequentes:

R. Massæ pilurat. Aggregativ. ℈j.
Pil. de fumaria ℈ij.
Trochis: Alhandal gr. iiij.

Cum syrupo de Polypodio, formentur pilulæ quinque, involvantur pulvere liquiritiæ.

Circa Autumnum, si opus tibi videbitur, reiterabis præscriptum apozema, & venæ sectionem. Interim prospicere convenit, ut optima victus ratio observetur, alvusque semper sit lubrica. Itaque si per se minimè respondet, pruna Damascena, cum decocto aliquo purgante, veluti senæ, Rhabarbari, Mechoacæ, Agarici, Polypodii, corticum frangulæ, saniculæ fœminæ, lapatii acuti, fumariæ, scabiosæ, & similibus, præparata, præscribere poteris.

Ita purgato corpore, non abs re esse duxi, si hoc æstivo tempore per dies decem, aut quatuordecim, sero lactis uteretur.

Quantum ad topica, purgato corpore, par-

tes

tes malè affectæ singulis diebus bis sequenti decocto abluendæ erunt.

℞. Rad. Lapat: acuti
Scrophulariæ majoris
Enulæ campanæ ana ℥j.
Hellebori nigri &
Saniculæ fœminæ ana ℥ß
Herb. Fumariæ
Scabiosæ
Furfurũ optimè cribratorũ ana. M.ij.
Salis Marini M. j.
Tartari ℥iij.

Coquantur in tribus mensuris aquæ ad consumtionem tertiæ partis, colaturæ adde aceti ℔ j. Misce. Postea inunguntur unguento Bernhardino, vel Enulato: aut

℞. Radic. Hellebori nigri
Lapat. acuti
Scrophulariæ majoris
Enulæ campanæ an. ℥.j.
Succ. Fumariæ
Lupulorum
Scabiosæ
Aceti acerrimi an. ℔.j.
Pinguedinis porcinæ ℔ij.

Misce, maneantq; in infusione quatuor aut sex dierum spatio, postea coquantur ad humiditatis fere consumptionem, tandem coletur & ad usum servetur pinguedo:

℞. Hujus pinguedinis ℥iij.
Pulv. aluminis & vitrioli usti
Cerussæ
Lithargirii aur.
Tartari
Saturni calcinati
Salis marinis usti an, ʒ.j.

Misceantur in mortario, addendo succi Citronum ℥.ß. misce fiat linimentum, quod in vase vitreo reservari debet. Quod si ℥.j. Mercurii extincti addideris, longè præstantius erit unguentum. Succus Citronum, item oleum Tartari & frumenti, per se in hoc affectu quoque summoperè conveniunt.

Atque hæc sunt medicamenta, quæ in præsens maximè convenire existimo. Victus rationem Germanico idiomate prolixè ad ægrum scripsi: Tu ut omnia rectè administrentur, operam dabis. Vale doctiss. Dn. Vrstisi amicorũ optime. Raptim 23. Iunii 1610.

OBSERVATIO LXXXIV.

De Artrithide.

Viro Nobili Doctissimoq;,

DN. LUDOVICO SCHMID,

Doctori Medico, & Illustrissimi Principis ac Domini, Dn. GEORGII FRIDERICI Marchionis Badensis & Hachbergensis &c. Archiatro dignissimo, Amico singulari studio observando:

Guilhelmus Fabricius Hildanus S.P.D.

TE optimè valere, Vir Clarissime, fautor & amice æternùm honorande, uxor Tua Charissima, hodie per ancillam vestram mihi significavit: Benedictus sit IEHOVA, qui, ut in expeditione hac, & deinceps quoque multos annos, ad utilitatem Reipubl. Te tuosq; conservare velit, ex corde precor. Ego etiamnunc decumbo: post tuum enim abitum etiam sinistrum pedem occupavit Furia illa Zipperlina, in quo per dies tyrannidem suam exercuit. Maximo cum successu usus sum fomento primo anodyno, ex herbis floribus & seminibus emollientibus, & discutientibus, aquâ simplici coctis: Deinde ex corroborãtibus, quo etiamnunc utor. Nudius quartus, sinistrum genu quoque invasit Furia illa, & satis quidem atrociter & vehementer, sed sequenti die, sumpto infuso granorum quatuor croci metallorum, & applicato sacculo anodyno, paulatim hospitio suo expulsa fuit, ita ut dolor veluti nullus supervenerit; Vides, Vir clarissime, quàm efficax sit vomitus ab initio, dum materia morbifica adhuc est in motu. Id antehac in aliis quoq; podagricis maximo cum successu expertus sum. Nemini tamen, hoc morbo laboranti, unquam crocum metallorum ausus fui exhibere, sed extracto meo corticum Esulæ, semper usus sum. Id verò nunc ad manus non habui, alioquin de ipso, ut probato mihi medicamẽto, potius sumpsissẽ. Porrò pes dexter, in quo morbus incepit, nondum restitutus est, imò ne dolor quidem omninò evanuit, præcipuè eo in loco, quem primus occupavit morbus. Causam cataplasmatis, quo ab initiò materiam peccantem repelli posse sperabã, adscribo. Constat autem ex unciis duabus farinæ fabarum, una hordei, & drachmis sex pulveris rosarum, cum aqua, parumq; aceti & vitello ovi mixtis & coctis. Quis quæso, medicamẽtum hoc, tam exiguo temporis spacio, ultra viginti horas enim appositum non fuit, humorem illum acrem ad nervos, nervosasq; partes retrudere potuisse, credidisset? Id tamen factum esse, in me, & meo quidem incommodo, experior; quapropter posthac cautior ero.

Hæc obiter de affectu meo. Cæterùm anxius sum profectò; meo enim incommodo, etiam domesticis hîc molestias pari, Tu, uti spero, hac de re, datâ occasione apud Serenissimum & Clementissimum Principem me excusabis. Quod superest Deum Ter Opt. Max. suppliciter oro, ut ipsius Serenitati, totiq; exercitui, in hac expeditione Spiritu suo Sancto adesse velit, quo omnia ipsius cœpta & facta Heroica ad Ecclesiæ Christi ædificationem cedere possint. Saluta meo nomine Amicos omnes; Dabam Carlsburgi, ex grabato, 20. Aprilis 1622.

OBSERVATIO LXXXV.

De arthritide, & sopore profundo, ex decubitu sub fœno recenti.

Viro Doctissimo,

DN. JACOBO HAGENBACHIO,

artium liberalium Magistro, Amico singulari,

Guilh. Fabricius Hildanus, S. P. D.

FAsciculum, quem misi, doctissime & amantissime mi Dn. Hagenbach, rectè ad te pervenisse, inclusas quinetiam à te traditas esse, ex postremis

Obs. 85.

stremis tuis intellexi, fac quæso, ut Dom. Veiratius suas quoque, quamprimum id fieri poterit, accipiat. Conductorem equi contentum esse libenter intellexi. Quæ de affectu clarissimi Viri, Dn. Grasseri scribis, maximum mihi afferunt dolorem, utinam consilio auxilioque ipsi prodesse possim. Ego in maximis istis doloribus Laudano semper cum fructu usus sum; Addo autem non nihil Alkermes, aquæ cinamomi, sine vino distillatæ, & syrup. papaveris erratici, maximum enim est cordiale, omniaq; utplurimùm in decocto Agrimoniæ & Veronicæ, aut aliquo alio decocto, aut aqua appropriata dissolvo. Solet potiuncula hæc sudorem (qui primum & præcipuum est anodynum in arthritide) quoque provocare. Omnibus præterea modis laborandum est, etiam externis remediis, ut furor atq; impetus paroxismi quamprimum, & antequam vires doloris vehementia dissolvantur, reprimatur. Habet Dn. Grasserus varia & plura remedia anodyna in consilio, quod ipsi dedi. Ex quibus tu hoc vel illud prout tibi consultum videbitur, eligere & applicare poteris. Quod si primum dolores non sedaverit, spem tamen deponere non licet, sed aliud præparandum est, adeò enim mirabilis & prodigiosus est morbus iste, ut remedium, quo hodie cum fructu utimur, illud ipsum sæpissimè cras dolores adauget, etiam in uno eodemque ægro. Sed & aliquoties (quod dicam admiratione non vacat) expertus sum, præcipuè in Dn. Iohan. Rud. Hubero p. m. hujus Reipublicæ Tribuno, medicamentum quod humero aut cubito vel etiam coxæ, & genu, applicatum, dolores sedabat, circa extremitates planè incassum fuisse applicatum. Cujus rei causam ad caloris innati imbecillitatem aut vigorem referendam esse, mihi videtur. Is enim cum prope truncum validus ac vividus sit, medicamentum facilius eis in locis ex potentia in actum reducere potuit, quàm in ipsis extremitatibus manuum & pedum, in quibus semper imbecillis existit. Cave tamen, ne medicamentis, videlicet fomẽtationibus, lavacris &c. Alumen addas, illud enim, quamvis à practicis in arthritide celebretur, adversissimum esse, non ita pridem in memetipso expertus sum. Nuperrimè enim cum ex aula Serenissimi Principis mei Dn. Georgii Friderici Marchionis Badensis & Hagenbergensis &c. ad meos reversus essem, & pedes post paroxismum quem Carlsburgi passus fueram, & defatigationem in via, tumore œdematoso affecti essent, fotum ex radicibus, herbis & floribus corroborantibus, addito alumine, applicui; Hinc protinus exortus est dolor vehemens, quem propter alumen supervenisse inde manifestum fit, quod diebus tam præcedentibus, quàm subsequentibus paroxismum, eisdem sacculis, sed sine alumine, cum fructu usus fueram. Integram observationem videre poteris ex adjuncto apographo, quod clarissimo Viro Dom. Grassero quoq; communicare poteris.

De Arthritide.

Arthritis, morbus mirabilis.

Alumen in arthritide adversissimum.

Ante 14. dies cùm in vallem Emmenthall ad ægrum quendam vocatus essem, à quodam Viro fide digno Dn. Samuele Vogler, ministro verbi divini *in Erisvvyl*, relatum mihi fuit, superiori autumno bubulcum juvenem robustum & sanum ibidem in vicinia fuisse, is quum quadam vespera coram hero suo, reliquisq; domesticis jocosè dixisset, hac vespera se maturè velle abscondere usque in crastinum, quo semel ad satietatem dormire posset, abiisse. Altera die quum consueta hora non prodiret, & domestici ipsum perquisivissent undique, tandem sub vesperam in meta fœni recentis, semimortuum repertum fuisse, & in alterum diem usque, sine loquela & intellectu permansisse. Demum veluti ex Lethargo profundissimo cum expergefactus esset, paulatim vires suas recuperasse, & convaluisse. Vides, non tantùm carbonibus semiaccensis, verùm etiam quamplurimis aliis rebus sulphureum vaporem, qui caput cæteraq; membra Principalia ferit, inesse. Idem & in eis qui in cella, in qua Cerevisia generosa effervescebat, moram traxerunt, accidisse, in Belgio aliquoties observavi.

De sopore profundo ex decubitu sub fœno recẽti.

Cæterùm apertionem genu quod attinet, tam diu iteranda est applicatio caustici, usq; dum satis profundum sit ulcus. Illud tamen quia satis latum est, ut scribis, cavendum est, ne causticum margines ulceris attingat. Sufficit itaque si centro ulceris tantummodò applicaveritis causticum. Casus Escharæ exspectandus non est, sed superficies excidenda, novumq; causticum applicandum, hoc modo sine dolore ad sinum usq; penetrabit. Plura non adscribo; Tu enim modum apud me vidisti. Saluta meis verbis quàm officiosè clarissimum & doctissimum Virum Dn. Christophorum Hennichium, cui de nova dignitate & vocatione ex animo gratulor. Faxit Deus clementissimus, ut provinciam illam diu, ad Dei gloriam & utilitatem proximi administrare possit. Dominum Grasserum quoque saluta, ante paucos dies ad ipsum scripsi, percuperem ex ipso intelligere, an literas acceperit. Vale & salve cum tuis omnibus, & quando gradum accepturus sis, rescribe. Raptim Bernæ 20. Iulii Anno 1622.

De ... caustici.

OBSERVATIO LXXXVI.

Vinum exteriùs adhibitum, nervis esse noxium.

Viro Doctissimo, Domino

IACOBO HAGENBACHIO,

Artium liberalium Magistro, Amico singulari.

Guilhelmus Fabricius Hildanus

S. P. D.

Cistas meas, quas per aurigam misisti Doctissime mi Dn. Hagenbachi, amicorum optime, rectè accepi, pro adhibita diligentia gratias, quas possum, ago & habeo maximas. Maturiùs scripsissem, nisi affectus meus dextræ recruduisset: Quum enim post reditum meum Basileâ, manifestissimam intemperiem frigidam in universa manu persensissem, iterum in memetipso explorare volui, quid vinum exteriùs adhibitum, posset in affectibus nervosarum partium. Manum itaq; in tertium usq; spiritu vini inungo, bis in die. Quid fit? Exacerbatur dolor, & adeò quidem, ut per dies aliquot vix digitum

tum minimum sine dolore movere potuerim; quapropter de aliis medicamentis mihi cogitandum fuit, quibus Deus ita benedixit, ut procul dubio plenissimè restitutus fuissem, nisi Neocomi primò, deinde quoque Morati circa ægros occupatus fuissem. Hæc propterea ad te scribo, ut cognoscas, quàm noxium sit vinum in affectibus nervorum, etiam exteriùs adhibitum.

Vidi id Anno 1614. in Sabaudo quodam nobili, huic cùm crura paralysi resoluta essent, & balneum ex herbis appropriatis quidem, sed in vino coctis, per dies aliquot usus fuisset, Lethargo correptus, & post triduum extinctus fuit. Quæris causam? Qualitas illa sulphurea & ignea vini, per nervos ad cerebrum ascendens, multosque humores excrementitios, crudos & pituitosos, (erat enim homo cacochymicus & pituitosus) secum ex inferioribus partibus corporis sursum vehens, soporem huncce induxerat. Cave itaque, ne vino utaris in affectibus nervorum. Cæterùm 18. Augusti in tractu Equestrium (A La Coste) in pago Begnin, nata fuit porcella octipes, cum duobus corporibus & uno capite, cujus effigiem ad me misit Generosus ac strenuus Vir Dn. Imbertus à Diesbach, Dn. ad sanctum Christophorum, qui tibi notus quoq; est. Monstrum tamen ipsum quoq; accepi; sed ab aliis. Adjunctas literas ut curare velis, rogo; Dn. D. Platero tu ipsemet suas trade, unà cum structura oculi. Chirurgiam Frambesarij brevi, Deo volente, ad te remittam. Vale, & Parentes, ut iquoq; Dominum Grasserum, D.D. Wertenbergium, cæterosque amicos, meo & uxoris meæ nomine quàm officiosè saluta, ocyùs Bernæ 9. Decemb. 1621.

OBSERVATIO LXXXVII.

De affectu quodam admirando, ex ictu Vespæ.

Viro Clarissimo, Domino

GUILHELMO FABRICIO HILDANO, Artis Medicæ Doctori Excellentissimo, Domino & Amico suo plurimùm honorando.

SEBASTIANUS SCHOBINGERUS, S. P. D.

Magna cum voluptate legi, Vir Clarissime, quintam Centuriam Observationum tuarum Medicinalium, è quibus facilè perspexi tuam etiam antea palam notissimam, multiplicemq; experientiam, summo cum studio Artis Medicæ instaurandæ illustrandæq; conjunctam.

Lectio autem illa præter cætera etiam hoc mihi attulit commodi, quòd jam laudabili exemplo tuo incitatus omninò decreverim, & ipse posthac mandare literis, si quid porrò in Medicina facienda occurrerit rari, & à vulgari sententia hominum alieni; cui studio si ab eo tempore, quo praxin primùm exercere cœpi, incumbere licuisset, (vario autem vitæ genere variè distractus, sicuti nosti, id intermisi) haberem jam etiam fortaßis aliquot Centurias Observationum, non contemnendarum.

Obs. 87.

Quando jam verò te ita affectum esse video, ut Observationibus alienis æquè delecteris, ac propriis, omniaq; studia tua ad bonum publicum referas, fretus humanitate tuâ, & amicitiâ nostrâ vetere, te non ægrè laturum existimavi, si tibi hunc Casum describerem, non adeò quidem gravem, sed qui tamen penes me admiratione non caret, & super eo judicium consiliumq; tuum à te peterem.

Observat.

Nobilis quædam Matrona, annos nata circiter quinquaginta, ruri habitans, cùm ante duos circiter annos, tempore verno, in horto suo semina quædam olitoria terræ mandaret, inopinatò percepit dolorem acutum in brachio, ni fallor, sinistro, prope cubitum, in parte exteriore; quapropter vespâ se ictam existimans (quamquam an per intermedium indusium quo erat induta, id fieri potuerit, addubitaret) nudato brachio locum dolentem extemplò unguibus comprimit, ut, si fortè aliquis ibi esset aculeus, à vespa fucóve relictus, eum extraheret; nullum autem, etiam acutissimè diligentissiméq; cernens videre, nedum evellere potuit, sed tantùm macula rubra parváq;, qualesà morsu pulicum esse solent, ibi apparebat, citra tumorem tamen ullum, aut dolorem, nisi quando tangebatur, resq; ita per anni ferè spatium remansit.

Anno elapso macula illa paulatim elevari cœpit in tuberculum, valde exiguum primò, ambitu suo vix excedens magnitudinem grani cannabini, quod tamen successu temporis, ac præcipuè postquàm Matrona illa balneo Emsensi usa esset, increscere cœpit, ut jam magnitudinem æquet pisi mediocris, per medium secti, cutiq; impositi. Est autem rubrum, in summitate fuscum, (blawlecht/) & duriusculum. Hæret in summa tantùm cute, cum qua apprehensa digitis à carne subjecta facilimè in altum elevari potest, ut nulla subtus percipiatur durities, multò minùs circum circa tumor ullus, qualis aliàs talibus Vesparum ictibus supervenire solet. Crescente tuberculo, etiam dolor paulatim auctus, qui intervallo aliquot horarum redit, duratq; pro vice dimidiam ferè horam, tunc ipsi magis molestus frequensq;, quando tempestas ad pluviam ventosq; inclinat, & quando ipsa in negotiis domesticis, ministerio brachiorum utens, defatigatur.

Magnitudo tuberculi.

Si quis tuberculum levi manu tangat, tantum ibi sentit dolorem, ac si carbo, aut candela ardens loco affecto admoveretur, ita ut sæpiùs ne indusii quidem contactum ferre poßit, sed jam à dimidio ferè anno, Emplastro Apostolico superimposito illud tegere, & ab omni contactu munire coacta fuerit; quodq; admiratione maximè dignum, quò leviùs blandiusq; id attingitur, eò magis ipsi dolet, imò dolor fit ferè intolerabilis; quando verò manu semel admotâ tuberculum premitur graviter, dolorem sentit ferè nullum, imò dolor absq; ullius rei tangentis contactu excitatus, & per se aliquando recurrens, tunc à vehementiore compressione fit lenior, evanescens paulatim.

Cùm nuper lectissima illa Matrona tuberculum hoc mihi monstrâsset, & de eo aufferendo consilium à me petiisset, jussi, ut loco Emplastri Apostolici, hactenus adhibiti, Oppodeltoch Theophrasti Paracelsi uteretur, & sic faceret periculum, an fortaßis aculeus, si quis parti infixus, hâc ratione extrahi posset, quo remedio etiam nihil proficiente, ad ferrum recurrendum esse dixi. Ab aliquot jam hebdomadibus autem non audivi, quid Emplastrum illud effecerit. Quod si verò pertinax malum etiam hoc remedium eludat,

Obs. 87. & 88.

decrevi, ubi denuò ad ipsam venero, tuberculum, quò cuti inhæret, acu incurvâ sericoque molli (Flechtseiden) trajicere, quò id commodiùs sursum attollere, & à partibus subjacentibus quasi divulsum, forfice radicitùs resecare possim: hæc enim unica, & quidem tutissima, mirabilis hujus mali curandi ratio superesse mihi videtur.

Quoniam verò, Clarissime & Excellentissime Dn. D. Fabrici, te in perpetuis exercitiis Chirurgicis consenuisse scio, rogatum te velim quàm officiosissimè, ut sententiam tuam tam de Natura & Caussis, quam etiam de curatione hujus mali, mihi communicare digneris, egoq; efficiam, ut curâ σὺν Θεῷ feliciter peractâ, Matrona illa, permolesto hoc malo liberata, se gratam erga te exhibeat. Vale Amicorum meorum veterum decus, & quod facis, Henricum Schobingerum, Agnatum meum, disciplina tuæ commissum, in studio præcipuè Chirurgico instituere, ipsumq; in operibus Medicis subinde exercere perge. Ex Musæo meo Gallopoli, 19. die Martii 1627.

OBSERVATIO LXXXVIII.

Responsio ad præcedentem Observationem, in qua similis casus describitur.

Viro Clarissimo atq; doctissimo

DN. SEBASTIANO SCHOBINGERO, Civitatis Sangallensis Doctori Medico longè celeberrimo, ejusdem Reipub. Consiliario prudentissimo, Amico meo singulari studio observando,

Guilhelmus Fabricius Hildanus, S. P. D.

IGnosce, Vir Clarissime, Consultissimeq;, quòd admodum rarò ad Exc. T. scribo: excusationes non affero, præter eas, quas jamdudum ex Dom. Henr. Schobingero nostro intellexisti; videlicet occupationes, curas, molestias, & adversam Valetudinem. Quàm gravis enim & molesta mihi fuerit hyems hæc, vix credas.

Libentissimè legi Casum, quem communicâsti; Est enim rarissimus, ipsumque ex ictu vespæ, ut postea fusiùs dicam, ortum fuisse, non dubito: idque eò magis asserere ausus sum, quòd ante annos sex Masanopoli in Alsatia, in quinquagenario quodam, ex Senatorio ordine, similem viderem.

Observat. Fuit & ille ex punctura Vespæ ortus, non tamen in eodem loco, sed in ipsa sura, ejusdem cum eo, quem E. T. describit, erat coloris, figuræ, atque magnitudinis, adeoque sensibilis, ut æger contactum limbi pallii, inter deambulandum sufferre non posset.

Suasi, ut trajecto filo radicitùs excideretur: id verò cùm tentare nollet, jussi ut Emplastrum de Ranis cum Mercurio applicaretur, & laminâ plumbeâ excavatâ obtegeretur. Consilium hoc non sine fructu maximo cessit: de dolore enim, quandiu Ego Masanopoli moram traxi, (hæsi autem ibidem per mensem & ampliùs) non usq; adeò conquestus est; Quid verò deinceps cum ipso factum sit, ignoro.

Porrò, de causa tuberculi nobilissimæ ægræ vestræ, sententiam meam scire cupis. Illa vel est interna, vel externa. Interna si fuisset, esset vel ex affluxu sanguinis, aut alicujus humoris: vel denique ex congestione, ut vocant Medici. At ex affluxu esse non potuit: necessariò enim aliqua corporis commotio, febris, bubo sub axilla, vel simile quid præcessisset. Deindè, non tantùm macula illa parva rubra secuta, sed & brachium inflammatione & tumore tentatum fuisset. At horum symptomatum nullum supervenit, Ergò, &c. Neque ex congestione esse potuit; Quicunque enim ex facultatis alteratricis & nutricis errore, aut expultricis imbecillitate fiunt tumores, pedetentim ac lentè crescunt: at macula hæc festinanter & è vestigio accidit; Ergò ex congestione esse non potuit. Sequitur itaque externam habere causam. At quia neque casus, neque percussio, aut tale aliquid præcessit, & quàm celeriter impressa fuit macula, verisimile mihi videtur, ex ictu sive punctura Vespæ potiùs, quàm ex aliqua alia fuisse causa. Neque obstare potuit indusium, quò minùs aculeum suum cuti infigeret; Idem enim cum Viro illo Masanopoli accidisse, memini. Hanc quoque esse causam, quòd aculeus repertus non fuerit, existimo: non enim altè cuti infixus esse potuit, & in indusio remansit.

Id verò consideratione dignum est, videlicet, cur venenum hujus Vespæ, uti & in Masanopolitano, ad alias partes propagatum non fuerit, vel sæviora symptomata in ipso loco affecto excitârit? quemadmodum aliis accidisse, E. T. videre poterit Cent. quartæ Obs. 78. 79. & 80. Procul dubio, quia Vespæ illæ succo alicuius herbæ venenosæ infectæ fuerant: hæ verò non. Deinde per intermedium indusii factus fuit ictus, & proinde præcedentibus minùs profundus, minusque venenosus extitit. Maximum dolorem excitare tuberculum hoc, præsertim si leniter tangatur deprimaturque, scribis: inde manifestum fit nervum, vel nervosum quid attingere; Graviùs verò Compresso tuberculo, dolorem ferè nullum præsentire ægrâ, ais; Id meo quidem judicio fit, quod fortiter compresso tuberculo spiritus animales ad vicinas partes minùs sensibiles recurrunt.

Cupit præterea E. T. ex me intelligere, quænam instituenda sit curatio. Est illa vel Palliativa, vel Methodica, aut denique Violenta, quam Galenus Potentem appellat.

Palliativa simul & Methodica in hoc consistit, ut optima Victus ratio observetur, corpus per intervalla expurgetur, & humores, si qui ad partem affectam affluunt, ad alias partes trahantur, evacuenturque; Sive id purgationibus, sive Venæ sectione, Cucurbitulis, aut Fonticulis fiat. Tuberculo Emplastrum de Ranis cum Mercurio & laminam plumbeam, in medio concavam, ne tuberculum comprimat, applicarem. Emplastrum Oppodeltoch non improbo, præsertim illud quod Paracelsus (diversas enim habet descriptiones) ex Nicolao transcripsit, & nonnullis transpositis, & in ponderibus mutatis, sibi adscripsit, & Oppodeltoch vocavit: cùm tamen nihil aliud sit, quàm Empl. Divinum Nicolai. Longè autem efficacius evadet Emplastrum, si ad unciã unam drachmas duas Amalgamatis Saturni, in mortario calido admiscueris. Hæc non solùm dolo-

dolorem leniunt, sed & emolliunt & resolvunt.

Ante años tres æstatis tempore, tanta apud nos fuit Vesparum copia, ut veluti turmatim in conclavia ruerent. Neminem verò ab ipsis læsum videre mihi contigit. In omnem tamen eventum Oleum ex ipsis per infusionem præparavi, mihiq; reservavi Mitto de hoc Oleo aliquid, & E. T. de eo periculum faciat, suadeo: illud enim dolorem leniendo, & tuberculum emolliendo, profuturum non dubito. Multa enim similitudine quadam in nobis agere, indies videmus; Quemadmodum notum est, Oleum Scorpionum, vel etiam Scorpionem ipsum contritum, & ictui suo impositũ, proprium suum Venenum extrahere. Sic crines Canis rabidi, morsui suo impositi, Venenum domare, nonnulli prodiderunt: faciat periculum qui volet, Ego ferrum candens præsentaneum ac verum Alexipharmacum esse morsus canis rabidi, non rarò expertus sum: uti in Obs. meis videre poteris.

Sed ut ad ea quæ similitudine agunt, redeam, nonne in combustionibus, quæ vel igne, vel aquâ, oleove fiunt, si pars affecta igni admota, & veluti frixa fuerit, ignem empyreuma parti impressum extrahere videmus? Idem præstare posse sal, saponem, & cæpas crudas, experientia testatur: de quibus vide Tractatum meum de Combustionibus. Sic frigus, frigus extrahit. Hoc ipsum quilibet facilè hyeme experitur, si manus frigore propè congelatas fricet nive, vel aquâ gelidâ: sic enim subitò incalescent, at igni admotæ magnum sentient dolorem punctorium. Præterea si quis poma, aut rapas congelatas injiciat in aquam frigidissimam, videbit ipsum gelu internum foràs quasi allici, ita ut fructus illi redeant ad naturam suam pristinam Sin verò demergantur in aquam calidam aut tepidam, confestim flaccescent, & paulo pòst nigrore contracto putrescent.

Forsan Oleum Vesparum in earum punctura per similitudinem idem præstabit, præsertim ab initio adhibitum.

Hæc si pro voto non successerint, & tuberculum ægræ magis magisque molestum fuerit, ad Curationem Violentam sive potentem, hoc est, excisionem tuberculi, confugiendum est.

Illam autem eodem modo, ut E. T. scribit, administrarem, videlicet filum subter tuberculo trajicerem, sursumque illud attraherem, & novaculâ exciderem, verùm diligenter prospiciendum est, ut cum tota sua radice extirpetur, & sanguis, secundùm rei indigentiam, effluere permittatur. Medicamentis præterea omnibus, quæ Vulneri imponerem, nonnihil Theriacæ admiscerem. His Vale, Vir Clarissime, Consultissimeque, & cum tuis omnibus æternùm quàm feliciter vire. Dabam Bernæ 28. Aprilis, 1627.

Appendix de eodem affectu, à Cl. Viro Dn. Sebastiano Schobingero, ad Nepotem suum Henricum Schobingerum, Med. Candidatum, Convictorem meum exaratæ. S.P.

Obs. 88.

Literæ tuæ, HENRICE, Agnate charissime, superioribus hisce diebus mihi fuerunt redditæ. Consilium autem Clarissimi Dn. FABRITII, de curando Tuberculo dolorifico, ex ictu Vespæ genito, quod attinet, illud mihi antehac rectè fuisse redditum, meis verbis ipsi significabis, pro quo, usq; dum AEgrota nostra ipsa referat, Ego quidem ipsi nunc gratias ago maximas. Usa Oleo Vesparum, per multos dies nullum inde levamen sensit. Iussi posteà loco dolenti applicare Emplastrum Oppodeltoch Theophrasti, cum amalgamate Saturni, cujus usu itidem nihil effectum, quam quòd ibi in epidermide parva tubercula eruperint. Cùm itaq; ipsemet ipsi adesse non possem, suasi ut usum hujus Emplastri continuaret, donec ad ipsam venirem, quo etiamnum nihil juvante, finitis diebus Canicularibus malum ferro excindendum erit, quod unum, meoq; judicio omnium certissimum tunc nobis supererit Remedium. Ex hoc Consilio autem facile est cognoscere, tanquam ex ungue leonem, quàm exercitatus sit Dn. FABRITIUS in omni parte Medicinæ, etiam in Casibus raris, & ab intelligentia Vulgi remotis, inquibus, præter ἐμπειρίαν καὶ ἀναλογισμὸν, Artis præcepta, quantumvis prolixa, parum aut nihil valent. Vale, & D. D. FABRITIUM ex me quàm officiosissimè saluta. Gallopoli, 19. die Iulij, Anno 1627.

Ex intempestivo usu Lapidis Bezoar, Quartana & Mors.

Clarissimo & Excellentissimo Viro, Dn.
GUILHELMO FABRICIO HILDANO, Medico & Chirurgo præstantissimo, Inclytæ Bernatum Reipub. Archiatro.
Cui
PAULUS CROQUERUS S. P. D.

Post reditum IOHANNIS KRIEGII mei à vobis, binas ad te dedi literas per Mercatores Cracovienses, qui ad Nundinas Lipsenses profecti erant: cum nullum à te responsum tulerim, vereor, ne malo fato à tuis manibus aversæ sint: nec enim puto, si accepisses, te cessaturum fuisse in officio, qui semper officiosissimum & humanissimum te præbes, ijs præsertim, qui seriò & suis momentis virtutem tuam æstimant, inter quos ego nomen profiteor meum, ut ut sit, literarum jactura est levis, maximè cum eædem repeti poßint, modò constet in viâ strangulatas esse. Communicabam in postremis tibi inexhaustum luctum meum, ex obitu Illustrißimi Ducis Christophori Zbaras, Herois incomparabilis, & causas morbi primùm ac mortis latius deduxi: eò quòd in longo morbo, ex causa rarißimâ, usu videlicet frequenti & immodico lapidis Bezoar, contra omnium nostrûm sententiam, contracto, quinto ferocißimæ quartanæ mense, rebus humanis exemptus est. Is laudatißimæ memoriæ Heros, cum Byzantii Legatum ageret, à Pessa Medico modum usurpandi Bezoar, ad vitam prorogandam, & omnes morbos arcendos, sumpsit eâ dosi, ut minima quadraginta granorum esset, aliquando ad octuaginta grana ascenderet. Huic Bezoar usui conjuncta fuit strictißima victus ratio, dimidii caponis aut gallinæ elixæ, sine sale, sine vino. Id cum ille avidißimè arripuisset, & omninò tanquam pro cœlitus sibi revelato arcano, in animum demisisset, nec meis monitis, nec aliorum amicorum, ac inprimis Illustrißimi fratris sui Castellani Cracoviensis (in cujus familiam statim à reditu Byzantino

Obs. 88. *zantino ego concesseram) precibus revocari potuit. Ita suis planè commissus consiliis, aliquoties Vere ineunte, eum Bezoar usum frequentavit; hinc offensiones jam se prodentes consultò dissimulabat, ne videretur luere pœnas suæ obstinationis, donec in expeditione Borussicâ violata natura erupit, & se atrocissimè, cum stupendis symptomatis vindicavit. Curatus à Medicis Sedanensibus, Torunensibus, & aliis, quos Rex alit: sed morbi vis adversus ipsa remedia insurgebat. Advectus quarto mense domum, ego cum alio Medico ætate & praxeos usu provecto, accurro, offendo vires jam planè exhaustas, symptomata aucta, febrim continuam, præter illam, quæ quarto die manifestis accessionibus sæviebat, vomitus bilis æruginosæ assiduos, cibi fastidium extremum, dejectiones porraceas, biliosas, ad quas cum sollicitaretur, fæcibus aliquantulum commotis statim cor delinquebat, & exanimabatur, tanta nidoris fœculenti malignitate cor & spiritus vitales offundente. Ita cum viderem, Patronum meum per illum summum languorem appetentibus fatis erogari, & vitam, & vitæ institutum detestatus sum, quod cum ipsius patrocinio & munificentiâ singulari, ad aliorum præsidia magis ac magis confirmaretur, ipsi tamen nullam opem præbere potuit. O me miserum quod summ in me fortuna telum contorsit? Quo uno miseriæ patebam, cum ipsius clementiâ in beatitudinis (si quæ mortali obvenire potest) aditu me collocabat. Sed satis querelarum, quæ totam vitam meam occupabunt, ne illas his epistolæ angustiis coërceri posse existimem. Mitto tibi descriptionem affectus pueli quinquennis, qui pedis est luxatio, bono loco & locupletibus parentibus natus est, quorum rogatu affectum descripsi plenius, & ad te digitum intendi, ut inde salus huic malo peteretur, quam, nisi à te, in artis operibus exactissimo Viro, sperari posse non puto. Quæso accurate nobis mali hujus medelam exequere, quicquid præscripseris, me arbitro & directore, à nostratibus Chirurgis diligenter administrabitur. Spero hunc, qui meas ad te literas procurat, gratum fore, nec enim vellem nullo fructu tibi molestias exhiberi. Ego brevi dabo ad te pleniores, in quibus etiam pro me quædam à te flagitabo, quæ nunc cum jam is, qui meas ad te curat, sit in procinctu, scribere plura non permittat. Illud tantùm addo, ut tibi de me persuadeas, me tui causâ omnia velle, & modò imperes, in felicitate meâ positurum, ut tibi pareàm & obsequar. Vale clarissime & amicissime Domine Fabrici, amice colendissime. Cracoviæ die 3. Maii 1628.*

Exc. T. addictissimus & Amicus integerrimus.

CROQVERVS M. D.

OBSERVATIO LXXXIX.

Intempestivum Medicamentorũ quorundam usum periculosum esse, ostenditur; item de pede distorto & quomodo arte in formam naturalem reducendus?

Nobilissimo, Doctissimo, Amplissimoq; Viro

DN. PAULO CROQUERO,

Serenissimi Regis Poloniæ Doctori Medico longè celeberrimo, Amico singulari.

Guilhelmus Fabricius Hildanus,

S. P. D.

ANxius de Te vehementer fui, Vir Nobilissime, Doctissime, Amplissime; ab eo enim tempore, quo Dominus Kriegius à nobis discessit, nullas à vobis accepi literas, quapropter solus intuitus literarum tuarum, quæ hac vespera mihi traditæ, me exhilaravit, longè verò magis gavisus fui, cùm ex eis Te vivere recteq; valere intelligerem. De obitu tamen illustrissimi Principis Tui, Christophori Ducis in Zbaras tecum doleo. Sed quid faciendum (Est enim hæc vitæ nostræ conditio, ut post multas molestias, quibus in hac valle miseriarum obnoxii sumus, tandem altiora petamus: ego quoque hac hyeme per menses aliquot decubui, neque etiam nunc penitùs sum restitutus. Age dum, mi Domine Croquere, negligamus assilientes fluctus hujus mundi, & ut Gubernator, manus quidem semper in clavo habeamus, oculos verò mentis in astris, id est, ad Deum elevemus. Sed non parum admiratus sum, cùm scribis, lapidem Bezoar Celsitudini ipsius obfuisse; ego nihil tale circa Bezoar observavi, imò & in memetipso & in aliis cum successu eo semper usus sum. Quid si factitius fuisset? Sed & ex frequenti ipsius usu id evenire quoq; potuit. Optimum enim quandoque medicamentum, si eo abutimur, in damnum nostrum convertitur. Episcopum Uratislaviensem Magisterium Perlarum sæpè bibisse, atque demortuo tunicas ventriculi nigras & corruptas apparuisse, post Woyselium testatur Laurentius Hoffmannus. Libavius aliquot exemplis demonstrat, Magisterii Margaritanum & Corollarum, quæ tamen humidum nativum instaurare creduntur, usu, multos in tabem incidisse, plurimos vita privatos esse, tunicis ventriculi & intestinis acrimonia planè erosis, quod etiam Marchionis Johannis conjugi evenisse, idem Hoffmannus scribit. Episcopum Basileensem à cõmuni nostro Amico Domino D. Martino Chmieletio, Medico celeberrimo, post obitum dissectum, frequenti & intempestivo usu Cingiberis conditi mortem accelerasse, repertum est. Hoc ipsemet Dominus Chmieletius mihi aliquoties narravit; Dn. Platerus hanc historiam quoque recenset Obs. suarum lib. 2. sub titulo de cordis dolore, mihi pagina 406. Quantum igitur verus ac legitimus usus hujus vel illius Medicamenti prodest, tantum persæpè ipsius abusus nocet, etjamsi fuerit pretiosum.


Porrò Vir Nobilissime, Doctissime, Amplissimeque, cum duobus fere abhinc annis, nullas à Te habuerim literas, & proinde incertus essem, an meas, de Thermis Piperinis acceperis, nec ne, apographum earum Francofurtum misi, ut ibidem cum quibusdam aliis ex meis scriptis lucem videre possent, quò certior essem, tandem exemplar ad manus Tuas pervenire; Annexi schemata speluncæ, in qua erumpunt thermæ istæ quàm saluberrimæ (à nemine adhuc, quod sciam, adumbratæ) simul & adumbrationes thermarum, reliquorumque omnium, quæ in spelunca

spelunca illa altissima & horrida, continentur, quibus omnibus Ampl. Virum oblectari, neque conatus meos ægrè laturum esse, confido.

Quæ de distorto & inverso pede pueri quinquennis scribis, de eis absente ægro non facilè judicare possum; utinam igitur delineationem partis affectæ simul misisses, sed & ambigo, an malum ex violenta caussa, quam Ampl. Vir recenset, an verò in utero contraxerit infans? Si enim ex casu aut violenta contractione nutricis aut gerulæ provenisset malum, procul dubio graviora symptomata infantem statim exercuissent, vidimus id hic ante aliquot annos in nobilissimo quodam ex familia Diesbachiorum, qui, quum pedem aliquo modo detorsisset, & ab ineptissimis hominibus extentio nimis violenta facta fuisset, gravissimis mox correptus fuit symptomatibus; aliis idem accidisse memini; At in vestro ægro nihil tale visum fuisse, ex tuis colligo, sed utut sit, sive ex causa violenta fuerit affectus, sive in utero materno, ex forti imaginatione matris, aut propter inversum situm, contractus, de salute tamen in tenella hacce ætate desperandum non est, sæpissimè enim mihi contorta membra in praxi mea occurrerunt, quæ nihilominus tamen feliciter tandem restituta fuerunt, etiam in hac urbe. Horum affectuum quoque singulare exemplum videre poterit Amplit. Tua in tertia Centuria Obs. 56. Exemp. 2. & Cent. 5. Observ. 46.

Methodum curationis ab Amplit. Tua propositam, omninò approbo, quæ enim à longo tempore induruerunt, ante omnia emollientibus, veluti fomentis & balneis ex radicibus & foliis althææ, malvæ, flor. Chamom: meliloti, sem: lini & fenigræci paratis, addita betonica, Iva arthetica, floribus primulæ veris, & hujusmodi, quæ nervos roborant, lubrica sunt facienda. Conveniunt & olea emollientia, pinguedines & emplastra. Satis emollitis partibus induratis, ad ea, quæ nervos partesque nervosas roborant, transeundum est; Inter ea verò, quæ nervos roborant, succus lumbricorum & oleum meum ex floribus, præcipuè mihi probantur, uti & aqua betonicæ, salviæ, granorum juniperi sine vino distillata. Vinum enim etiam exteriùs applicatum, nervis inimicum esse, in memetipso & in aliis observavi; in atrophia quoque præstantissimum esse succum lumbricorum, frequenter expertus sum; ejus præparationem vide in tractatu meo de gangræna & sphacelo c. 13. Hæc dum adhibentur, in universalibus nihil omittendum est. Sed de his nihil addo, ne noctuas Athenas me ferre voluisse videar.

Verùm enimverò tota difficultas in hac curatione in recta fabricatione & applicatione Instrumentorum consistit. Nisi enim instrumenta rectè adaptata fuerint, frustra erunt omnia, sivè emollientia, sive corroborantia fuerint. Quapropter danda est opera, ut ante omnia instrumenta fabricentur; quamprimùm enim emollientia adhibueris, statim quoque instrumentum ut applicetur, perquàm necesse est. Sin minùs & infans gressum tentare vellet, distortus articulus magis magisq; distorqueretur, quapropter interim dum emollientia adhibentur, quiescendum est in lecto. Hæc in multam noctem & festinanti calamo ad te scribo, cras tamen operam dabo, an per pictorem nostrum delineationem instrumenti, quo ego in hujusmodi affectibus utor, nancisci possim, sin minus, egomet specimen ex charta parabo, ut ex ipsa saltem formam instrumenti cognoscas ac videas. Magnitudo enim ex membro læso sumenda est. Admonendi autem sunt Parentes, non illicò & unius anni spatio absolvi posse curationem, sed longum tempus requirere, præsertim quia affectus inveteratus est, statim enim ab initio curatio erat instituenda. Non tamen, ut antea dixi, de valetudine recuperanda desperandum est. Interim enim dum crescit puer, si articulus distortus beneficio calcei & instrumenti ex lamina ferrea fabricati, & calceo annexi, compressus, & versus situm suum naturalem reflexus fuerit, paulatim ad statum naturalem redibit; Vidi id cùm in aliis, tùm in Generoso, cujus mentionem feci Cent. 3. Observ. 56. & Cent. 5. Observ. 46. sed necesse est ut puer instrumentum dies noctesque gestet. Atrophiæ ut occurratur, totum crus frequenter oleo vel succo lumbricorum inungere convenit. Hoc modo instituta curatione, spe ducor, vitium illud paulatim magna ex parte corrigi posse. Id ut fiat, Deum Ter Opt. Max. suppliciter oro. Raptim Bernæ Helvetiorum 20. Iunii 1628.




Obs. 90.

Post scriptum.

Hodie specimen sive exemplar instrumenti, quo ego in hujusmodi affectibus utor, fabricavi, Tu fac ut ex lamina ferrea mediocris spissitudinis, secundùm magnitudinem partis affectæ diligenter adaptetur; Annexi quoq; delineationem instrumenti.

Dominum Kriegium meo nomine saluta quæso plurimùm. Iterum vale & millies.



OBSERVATIO XC.

De distorto pede, propter fortem imaginationem matris, & quomodo restitutus?

Ad Eundem
Nobilißimum, Doctißimum, Amplißimumq; Virum
DN. PAULUM CROQUERUM
Serenissimi Regis Poloniæ Doctorem Medicum longè Celeberrimum, Amicum meum singularem,
Cui
Guilhelmus Fabricius Hildanus.
S. P. D.


Ante annum, Vir Amplissime, Doctissimeq; mi Dom. CROQUERE, per nuntium Norinberga ad me missum, de distorto pede ad T. Exc. scripsi, & specimen serperastri misi; Omnia te rectè accepisse spero. Ab eo tempore silui; Oblivio tui fuerit? Absit. Propter singulares enim virtutes tuas, & in me benevolentiam, medullitùs te amo ac veneror. Negligentiâ meâ id factum esse si dixeris, longè quoque falleris opinione: nunquam enim, ut sciunt amici, in scribendis literis ad amicos socors esse soleo. Quid igitur moram fecit? Distantia quæ inter nos est locorum, tabellariorum certorum penuria, & gravissimus morbus popularis, pestis videlicet, quæ superiori æstate & per totam ferè hyemem nos exercuit, & quatuor circiter millia in hac urbe, quæ, ut vidisti, nec magna, nec populosa est, è medio abstulit. In urbe quidem cessavit, sed in vicinis locis etiamnunc vehementer grassatur. Deus quoque me cum totâ familiâ mea eadem lue visitavit, sed benignè. Omnes enim restituti fuimus, præter ancillam, quam Deus ad se vocavit. Fuit valdè maligna pestis illa, & contagiosa, ita ut quamplurimi exstincti fuerint, antequam (ut ita dicam) ægrotarint: præsertim hi, quibus ab initio morbi ab Empiricis purgamentum propinatum, aut vena secta fuit. Aquæ Theriacales, Elixiria, atque calidissima, & cum Spiritu vini præparata medicamenta, quæ ab Empiricis in copia hûc introducta, & multis exhibita fuerunt, omnibus obfuerunt, nulli, quod sciam, profuerunt. Porrò cum hisce diebus à Viro clarissimo Dn. Iacobo Hagenbachio, Basiliensi Doctore Medico, mihi significatum esset, civem quendam Basiliensem brevi ad vos in Poloniam iter suum instituturum, intermittere non potui, quin ad T. Exc. per eandem occasionem scriberem, eamq; Epistolio hocce officiosè salutarem. Munusculum quoque Chartaceum libenter misissem, sed propter distantiam loci tabellarium onerare non potui.

Quomodo curatio cum puero, distorto pede laborante, successerit, & an specimen superastri, quod misi, aptum fuerit, scire aveo. Ego egregias aliquot curationes hujusmodi instrumētis, tum in distortis pedibus, tum etiam genuum, per Dei misericordiam, feci. Sed requirunt hujusmodi instrumenta diligētem artificem, & Medicum laboriosum, qui specimina propria manu secundum dispositionem ac figuram partis malè affectæ, scit fabricare atque adornare. Ego, qui hactenus varos, & gibbosos multos sanitati restitui, expertus loquor: semper enim specimina ipsemet fabricare coactus fui. Omnium autem, quotquot mihi occurrerunt difficilima & laboriosissima fuit curatio in puero, cujus fit mentio Cent. 3. Obs. 56. Exempl. 2. & Cent. 5. Obs. 46. Observatio & Curatio hæc, quia multis tum ægris tum Medicis etiam, sine ullo dubio, utilis erit, paulò accuratiùs illam describam, & sextæ Cent. Observationum mearum, quam præ manibus habeo, inseram.

Circa Annum itaque 1589. nobilissima quædam gravida, ex antiquissima familia Sickingiorum orta, & Generoso ac multis nominibus Viro præstantissimo Dn. Sebastiano ab Hatzvvelt, Domino in Wildenberg & Crototff &c. nupta, cum quadam

Obs. 90.

quadam die crepidis subere elevatis, incederet, & fortè fortuna vacillaret, haud parum comota atq; perturbata fuit: nihilominus tamen fœtum ad constitutum tempus gestavit, & puellum progenuit: Huic pes (si rectè recordor) dexter ita distortus fuit, ut digiti malleolum interiorem, totusq; verò pes suram versus reflecteretur: itaq; cum incederet puer, non plantâ pedis, sed malleolo exteriori solum calcabat, ut ex sequenti figura videre licet.



Multa quidem adhibita fuerunt medicamenta, etiam à præstantissimis Medicis & Chirurgis, sed frustrà. Quum tertium annum ætatis prætergressus esset infans, & nulla amplius superesset spes restitutionis pedis, & Generosus Dom. parens de me audivisset, Coloniâ, ubi tunc artem meam exercebam, per literas me ad se vocavit, anno 1592. & ut omnem diligentiam atq; industriam circa puerum suum adhiberem, rogavit. Explorato optimèque considerato morbo, de restitutione pedis, ut ingenuè fatear, penè desperabam: omnia enim jam occalluerant. Cum verò auxilium à me efflagitarent parentes, curationem sequenti modo institui.

Primò, quia infans robustus & obesus erat, corpus ante omnia mannâ & syrupo rosato solutivo per intervalla purgavi, ne balneis & fomentationibus superfluos humores ad partem affectam attraherem: Purgato corpore, sequens decoctum emolliens in decimum aut duodecimum diem usque, bis terve in die calidè applicui.

R. Rad. Altheæ
Malvæ an ℥ ß.
Herb. & Flor. Betonicæ
Ivæ artheticæ,
Flor. Chamomillæ
Meliloti an M j.
Sem. Lini, &
Fœnigræci an ℥ ß.
Anisi, ℥j.

Coquantur in decocto capitis & pedum vervecis, fiatque fomentum, quo bis in die ad semihoram usque pedem immersi. Post fotum totam tibiam plantamq; pedis sequenti oleo inunxi.

Oleum Emolliens.

R. Ol. Liliorum alborum,
Amygdalarum dulcium, an ℥ ß.
Ol. Lumbricorum ℥j.
Ol. Granorum juniperi ʒij. misceantur.
Postea sequens Emplastrum applicui.

Empl. Emolliens & corroborans.

R. Empl. de mucilaginibus ℥iß.
Gummi Amoniaci, in spiritu juniperino dissoluti & percolati, iterumque ad spissitudinem cocti ℥j. Ceræ novæ ʒß.
Ol. de vitellis ovorum ℥j.
Dissolvantur lentissimo igne, deinde admisce
Pulv. florum betonicæ
Ivæ artheticæ
Rosarum rubearum an ℈ij.
Croci
Pulv. Lumbricorum terrestrium.
Masticis.
Olibani an ʒj. Misce & fiat secundum artem Ceratum, addendo parum olei rosacei, si opus fuerit. Emplastrum hoc mirum in modum emollit, & partes nervosas corroborat.

Sic satis emollito pede, ab usu emollientium discessi, & corroborantia, de quibus postea, applicui.

Obs. 90.

Interim autem dum emollientibus utebar, serperastrum ad affectum huncce accommodatissimum inveni, & ipsemet specimen ex tenuissima lamina ferrea, charta & ligno concinnavi: quod postea in arce Gototff per serrarium ex ferro fabricatum fuit, eodem modo ut infra depictum est.


Porrò etiamsi pes mirum in modum distortus esset, ut ex præcedenti figura videre licet: post usum tamen emollientium, facilè veluti in formam naturalem reduci potuit, idque sine dolore, sed remotâ manu protinus in pristinam formam monstrosam revertebatur.


Quotiescunque autem pedem (quod diligenter observandum) extendebam, & in formam naturalem reponebam, sinus magnus inter malleolum interiorem & plantam pedis, percipiebatur. Processus enim inferioris appendicis ossis tibiæ, qui malleolum internum constituit, quia à longo tempore ossi calcis incubuerat, depressus erat, & ab osse calcis distabat. Processus verò fibulæ, qui malleolum exteriorem facit, præter naturæ ordinem prominebat, totumque pedem introrsum detorquebat.

Ut igitur pes in situm suum ac formam naturalem reduci posset, necesse fuit, ut prominentia fibulæ deprimeretur, defectus verò processus appendicis ossis tibiæ aliquantum prolongaretur. Illud arte & industriâ, hoc verò naturæ beneficio factum fuit. Cæterùm naturam mirando quodam modo in conservando sui individuo solicitam esse, exemplum ad oculum in Musæo meo demonstrare possum: Habeo enim Sceleton Caponis, in quo miranda Creatoris providentia observatur; quandoquidem femur sinistrum, cum in transversum fractum, & extremitas una ossis fracti, super alteram callo quàm firmissimè annexa fuisset, & proinde crus illud altero brevius evasisset, provida ac prudens natura, os tibiæ ejusdem cruris tantum longius creavit dextro, quâtum femur sinistrum brevius est dextro: ita ut nulla relicta sit inæqualitas aut deformitas. Hæc si in brutis fiunt, cur non & in pueris, interim dum accrescunt: præsertim si optimo corporis habitu sint prædititi, & vivaces fuerint, qualis erat Generosus hic noster æger. Sed ut ad institutum redeam, sic satis emollito pede, de reliquis cogitandum fuit. Primùm itaque pedem totumq; crus succo lumbricorum, aquâ betonicæ, ivæ arthreticæ, salviæ, & juniperi mixto, inunxi, & sequens Emplastrum, quod mirum in modum corroborat, applicui.

De mirâdâ Creatoris providentia Exemplũ singulare

R. Emplast. Slotani ℥iij.
Gummi Elemi purissimi
Ceræ novæ an. ℥j.
Pulv. Masticis
Olibani pulv. lumbricorum, aquâ communi lotorum & exsiccatorum an. ʒij.
Rosarum rubearum
Balaustriorum.
Nucum cupressi an. ʒj. Cum S. q. olei lumbricorum fiat Cerotum, quod supra alutam extendatur, applicetur, & renovetur, de sexto in sextum diem. Postea in formam naturalem reposito pede, quod, ut antea dixi, facilè & sine dolore fieri potuit, sequens instrumentum pedi tam concinnè adaptavi, ut pes in pristinam formam præternaturalem recedere non potuerit, nisi forte fortunâ fasciæ ac vincula laxarentur.






Declaratio

Declaratio Figurarum præcedentium.

In prima figura interna facies instrumenti adumbratur: Eam præsertim ob causam, ut reflexura laminæ A.A. in conspectum veniat: hujus reflexuræ enim, quæ in secunda figura D. insignita est, beneficio, planta pedis introrsum, & versus malleolum internum reflexâ, ex telâ factâ, instrumento diligenter annectatur, ne loco suo recedere possit. Id verò ut commodius fiat, ferula lignea stupis, & telâ involutâ interiori parte tibiæ apponenda, & unà cum fasciâ & loramentis vincienda & liganda est, ut ex sequenti Figura apparet.



Porrò instrumento undique firmiter annexo, si forsan aliquando circa talum, & plantam pedis relaxatum fuerit, beneficio torcularis, in secunda & tertiâ figura B. notati, in altum facilè retrahi potuit: quàm rarissimè enim loramenta, fascias, cæteraque omnia solvere conveniebat: quin potius summa diligentia adhibenda erat, ut pes immobilis maneret. Genu verò quod attinet, id beneficio flexuræ, in tribus figuris G. notatæ facilè movebatur.

Hoc modo rectè ac firmiter ligato pede, prominentia illa fibulæ depressa, aut saltem ne excresceret, impedita fuit. Processus verò inferioris appendicis ossis tibiæ, quum locus vacuus esset, excrescere, paulatimque sinum illum circa malleolum internum implere potuit. Hoc modo deformitas pedis omninò castigata, emendataque fuit, & ita quidem, ut inter deambulandum hujus deformitatis nullum amplius vestigium appareret, quemadmodum ego ipsemet Anno 1617. ex Hassiâ rediens, & Moguntiæ, ubi tunc temporis Canonicus erat, hisce meis vidi oculis.


Longum autem tempus, summamque diligentiam hujusmodi curationes requirunt. Vi enim nihil efficitur, sed est naturæ opus, quæ deformitatem illam corrigit, si ars & industria Medici accesserit. Idque ego in prædicto Generoso ægro expertus sum Sed affectus jam inveteratus & deploratus erat: quapropter instrumento præfigurato per integrum annum, & ulterius in ipso usus sum. Postea serperastrum eodem modo fabricatum, ut ante annum specimen simul & delineationem ad T. Excel. misi, apposui, quo & per annos aliquot sine ullo incommodo usus fuit. Quia verò pueri crescunt, instrumentum contra in eodem tenore permanet, ideo quotiescunque res postulat, illud revocandum est.

Cur à prioribus Medicis curatus nõ fuerit.

Quod autem à prioribus Medicis, quamvis expertis, restitutus non fuerit, non ratione medicamentorum, quæ ex arte præscripta & adhibita fuerant, sed defectu serperastrorum accidit: quãobrẽ in hujusmodi affectibus necesse est, ut Medicus toto ingenio ad inventionem instrumentorum incumbat, citra quæ omnia frustra adhibentur medicamenta, quamvis optima.

De distortis pedibus in pueris nuper natis.

In pueris verò nuper natis, si distorsio aliqua pedum fuerit, non usque adeò difficilis est curatio, dummodò serperastra commoda adaptata fuerint. Vidi id Anno 1621. in nobilis Viri Dom. Benedicti Doube Moratensis puero, qui cum distortis & veluti monstrosis pedibus natus esset, non diu post ipsum Bernam mihi adduxerunt, ubi spatio octo vel decem mensium per Dei gratiam, feliciter à me restitutus fuit. In hoc autem puero nullum emolliens applicui, quandoquidem omnia adhuc lubrica erant. Corroborantibus itaque antea commemoratis, curationem incœpi & absolvi, sequenti tamen adaptato & apposito serperastro, ex lamina ærea, non usque adeò spissa, tam concinnè fabricato, ut pedem secundum naturam dispositum ferè repræsentaret, quemadmodum ex sequenti figura apparet. Prius autem prædictis aquis tepidis crura irroravi, atque imbui, & Emplastrum corroborans malleolis applicui. Postea fasciis ex carbaso paratis, pedes & tibias ad genua usque involvi, tandemque, ne pedes inter ungendum & fasciâ ligandum in formam naturalem repositi, ex loco recederent, serperastra, hîc depicta apposui.



A. A. Laminæ sunt ex ære, ad imitationem & formā pedis secundum naturam se habentis, fabricatæ.

B. B. Aluta est in medio, cui Laminæ annexæ sunt, ne videlicet loco suo amoveantur, neque calcaneus simul, uti & maximus ille tendo, qui calcaneo inseritur, comprimatur. Hæc ideò prolixiùs ad Amplissimum Virum scribere volui, si forsan in curatione infantis, de quo superiori anno per literas inter nos egimus, ex usu esse possent. Vale Nobilissime, Amplissimeque mi Domine Croquere, & me amare perge. Dabam Bernæ 28. Augusti, 1629.

OBSERVATIO XCI.

De tumore quodam Oedematoso, & gravissimis inde sequutis symptomatibus.

Viro Nobili, Doctissimo, Amplissimoq;

DOM. DOCT. JEREMIÆ ERHARDO, Augustæ Vindelicorum Poliatro Celeberrimo, & Physico Ordinario, Amico meo singulari studio observando.

Guilh. Fabricius Hildanus, S. P. D.

DEscriptionem morbi gravissimi Dn. Ludovici Berckemair &c. Augustani, Nobiliss. doctiss. amplissimeq; Vir ante menses duos ad me misit Dn. Gregorius Horstius, amicus meus singularis, unà cum apographo literarum, quas T. Exc. de eodem casu ad ipsum scripserat. Miraberis, nec immeritò, quod admodum tardè respondeo: Sed ignosce quæso. Propter adversam enim valetudinem meam, & domesticorum meorum, simul & amicorum, quos peste (quæ gravissimè, proh dolor, hîc grassatur) Deus visitavit, plurimos quinetiam ex lachrymarum valle ad beatorum sedes advocavit, dies noctesque occupatus fui: neque etiamnunc lues illa apud nos, & in vicinia cessat. Celeriùs itaque ad Excellentissimum virum scribere non potui. Ne itaque Excell. vestra silentium hocce meum ægrè ferre, apud ægrum quoque suum me excusare velit, vehementer rogo.

Quæ de affectu optimi istius viri mea sit opinio, & quid porrò faciendum, pro tenuitate ingenii mei paucis scripsi, literasve non obsignatas, hisce inclusi: libenter enim omnia Excellent. Vestræ calculo subjicio, idque meritò: Plerúmque enim præsens Medicus circa ægrum plura ad curationem scitu necessaria videt, & observat, quæ absentem latent.

Cæterùm, vir Nobiliss. Clarissimeque, rarum & magnum quidem esse affectum ægri vestri, nullus in arte nostra versatus, in dubium vocare poterit. Longè tamen majorem rarioremvè esse illum, quem nunc Excell. vest. communicabo, ex ipsius historia videbit. Puella Nobilissimi, Virtute & Pietate ornatissimi Viri, Domini Davidis de Tritorrens, Ebrodunensis, ad lacum Neocomensem, in ditione hujus Reipub. filia, à teneris annis tumore Oedematoso, sed duro, dextræ manus, laboraverat, sine ullo tamen incommodo ferè, aut actionis læsione, reliquo quinetiam corpore existente sano. Ad tumorem huncce tollendum, Dominus Doctor Penotus p. m.

qui tunc temporis Ebroduni vivebat, & Parentibus ægræ familiaris erat) non tantùm, verùm-etiam alii quàmplurimi Medici & Chirurgi in consilium adhibiti, & quæ ab eis præscribebatur remedia, summâ cum diligentiâ applicata fuerunt, sed sine sucessu, adeò pertinax erat tumor ille. Tandem à Domino D. Penoto & me constitutum, & Parentibus relatum fuit, ut naturæ motus expectaretur, nec corpus amplius multis medicamentis, sive internis, sive externis, oneraretur. Quid fit? Post annos aliquot, & si rectè recordor, circa annum 13. ætatis, cùm de curatione tumoris ne amplius quidem cogitarent Parentes, en sensim decrescere incipit, idque insensibiliter: Ita quidem, ut intra paucos dies planè evanuerit; maximâ cum adstantium admiratione, & inprimis Dom. D. Penoti, qui post subitam illam atque repentinam mutationem brevi aliquid mali eventurum prædicebat: neq; ipsum fefellit opinio. Non diu enim pôst, maximus exortus est dolor circa Scapulam, ita ut dies noctesque ejulare, & præ dolore exclamare coacta fuerit optima & pientissima puella. Iterum in consilium adhibito Domino D. Penoto, illam adhibuit diligentiam, ut tandem sedatus fuerit dolor, reliquaque symptomata remitterent. Cũ itaque omnia in tuto esse viderentur, & astantes simul & Medicus ipse, lætitiâ & alacritate ad Deum Ter. Opt. Max. laudandum excitarentur, en, subitò in Scyllam incidit, quæ ex Charybdi liberata erat. Post paucos enim dies materia peccans in coxam dextram delapsa est, ubi iterum horrendos & incredibiles excitavit dolores ac cruciatus. Tunc Dominus Penotus denuò internis simul & externis medicamentis morbum, quantum fieri potuit, debellare operam dedit, nihilque eorum, quæ ars præcepit, neglexit. Cũ per menses aliquot dies noctesque tormentis lacerata esset ægra, tandemque Anno 1616. 10. Aprilis, Bernâ Ebrodunum advocatus essem, caput femoris extra acetabulum suum, versus externã partem prolapsum, & proinde crus altero brevius esse, reperi.

Quærebatur ab astantibus, an caput in locũ suum reponi, & retineri posset? Ego repositionem, propter doloris vehementiam, & labefactationem virium, difficilem & periculosam, repositum verò caput femoris, propter ligamentorum relaxationẽ in acetabulo suo retineri posse, impossibile esse dixi. Quibus omnibus cum Dominus Penotus subscripsisset, Parentes quinetiam assentirent, nihil tentatum fuit. Omnem itaque adhibuimus diligentiam, ut dolor sedaretur, & Crus corroboraretur. Curatio hæc cum ad votum succederet, ægra quinetiam suffulcris primò, deinde scipione incederet, Dom. D. Penoto, ut præsenti Medico, totum negotium cõmisi, Bernamque (quæ iter unius diei cum dimidiâ Ebroduno distat) me contuli.

Non diu post meum abitum cum omnia iterum salva esse viderentur, de n'ovo, & ex improviso, ac sine ulla causa externâ, dolor in pede dextro, & præsertim circa ipsum calcaneum ortus est, imò & cum maximâ inflammatione: quapropter nova instituenda erat curatio. Purgatur corpus, propinantur apozemata & julapia, & sudorifera, applicantur epithemata, anodyna, & quæ mediocriter repellunt primò, deinde pus moventia, nihilque eorum, quæ requirebantur, omissum fuit. Tandem in ipso calcaneo ruptus est abscessus; Ex quo cùm pus in copiâ effluxisset, dolor remisit: Post dies quoque aliquot frustulum ossis ad instar squamæ piscis, in conspectum venit. Extracto osse, brevi convaluit puella: Et post annos aliquot, viro cuidam Nobili Dom. Isaaco Micheli nupsit, cum quo etiamnunc Ebroduni in matrimonio feliciter vivit, præterquàm quod nonnihil claudicat. Postremum autem hocce Symptoma, quod observatione dignũ; totum cursum suum sesquimẽsis spatio absolvit, hoc est, abscessus formatus, per se ruptus, os quinetiam naturę beneficio expulsum, & ulcus consolidatum fuit. Mirum profectò, naturam in corpore extenuato, & mirandis doloribus antea excruciato, hæc omnia tam celeriter præstare potuisse: præsertim in loco à fonte caloris nativi remotissimo. Mirum quoque est, quomodo materia illa frigida, viscida, & veluti scirrhosa, ex manu, in quâ per annos aliquot retenta fuerat, sursum ad scapulam insensibiliter ferè regurgitare potuerit. Verùmenimverò naturam plerumquæ mirandas operationes efficere, quotidie in praxi videmus. Ignosce quæso vir Nobiliss. Amplissimeque, si prolixâ hacce narratione tibi molestus fuerim. Adjunctum tractatulum de Thermis Vallesianis & Piperinis, ut serenâ fronte excipere, omniaque æqui bonique consulere velit Excell. T. obnixè rogo. Vale, & me amare perge. Raptim, Bernæ 23. Novembr. 1628.

Obs. 91. & 92.

Observatio XCII.

De Neronica venæ sectione, & nonnullis aliis.

Viro Nobili, Clarissimo & Doctissimo,

Dn. Jeremiæ Erhardo,

Augustæ vindelicorum Poliatro celeberrimo, & Physico Ordinario &c. Amico meo singulari,

Guil. Fabricius Hildanus S. P. D.

Humanissimas tuas literas 17. Martii ad me datas, Nobilissime, doctissime atq; amplissime Vir, ante paucos dies accepi; pro præclara tua in me benevolentia, & quod tantoperè de nobis sollicitus fueris, gratias, quas possum, ago habeoq; maximas. Utinam vicissim clarissimo Viro aliqua in re gratificari, & propensum animum meum erga Excellentiam suam, significare possem. Hoc tamen Clarissimo Viro polliceor, me omnia, quæ ad amicitiam nostram augendam & conservandam pertinent, summo semper studio suscepturum.

De Peste Bernensi.

Pestis gravissimè hîc grassata est, & ultra tria millia hominum in hac urbe, quæ neq; magna, neque populosa est, delevit. Nunc, laus sit Deo benignissimo, cessavit. Admodum fuit cõtagiosa, & tam maligna, & peracuta, ut multi vix secundum morbi diem attingerent. Ego quoque & charissima mea uxor, uno eodemque ferè

Obs. 92.

De præstātia fonticulorum.

fere tempore correpti fuimus, sed non usq; adeò periculosè laboravimus. Causam post DEUM fonticulis, quos in cruribus gestamus, adscribo; præsentissimum enim ac longè securissimū præservativum tempore pestis, esse fonticulos & setacea, non solùm Lausannæ Anno 1613. verumetiam superiori æstate hîc observavi. Quandoquidem ex omnibus, qui fonticulos & setacea habebant (quorum viginti sex mihi noti sunt) tres tantùm obierunt, reliqui (præter civem quēdam Heidelbergensem, hic habitantem, me, meamq; uxorem) etiamsi continuò circa ægros versarentur, morbo ne quidem correpti fuerunt.

Vide Cent. 4. Obs. 23. & 86.

Ægro vestro, Dn. Birckmaiero ad suas respōdeo, & ut causticum brachio dextro quāprimum applicetur, & fonticulus efformetur, sedulò ipsum admoneo. Libenter intellexi, ipsum hac æstate thermas piperinas invisurum, maximum enim fructum ex ipsis accepturum, haud ambigo.

De callo sub patella.

Dubitat clarissimus Vir, an callus sub patella contractus sit nec ne? Ego materiam illam viscosam, ab initio morbi sub patella confluxam, nondum planè induruisse, existimo: Motus ille, quem superesse scribis, quamvis sit exiguus, id satis superq; testatur: quapropter rectè facis, quod etiamnunc emollientibus & anodynis insistis. In hunc finem ægro suasi, ut succus lumbricorum cum oleo amygdalarum dulcium & liliorum alborum præparetur. Sequenti Emplastro quoque non rarò cum fructu in nervorum & juncturarum contracturis ex arthritide, aliisq; malis, & defluxionibus ortis, usus sum: emollit enim, corroborat, & resolvit.

Emplastrum ad contracturas nervosarum partium.

R. Empl. Slotani, vel ejus loco Diapalmii,
Empl. de mucilaginibus an. ℥ij.
Gummi Elemi purissimi
Ceræ novæ an ℥j.

Misceantur lentissimo igne, addendo ol: rosacei, & de vitellis ovorum an q. s. postea adde
Pulv. Masticis & Olibani an ℥ ß.
Pulv. Lumbricorum aquâ lotorum ℥j
Betonicæ,
Rosarum rubearum,
Balaustriorum,
Corticum granatorum an ℥ij. misceantur, fiatq; ceratum.

Interim autem dum hæc adhibentur remedia, usus instrumenti, ad crus fulciendum, non est negligendus, præsertim in via thermas versus, uti fusiùs Dominum patientem admonui.

De pilulis marocostinis.

Porrò, Vir Clarissime, quia pilulæ Marocostinæ Domini Doctoris MINDERERI p. m. hîc non præparantur, & occupationes meæ non permittunt, ut ego manum adhibeam, idcircò Dominum patientem rogavi, ut mihi saltem unciam unam, aut unam & semis mittat, Tu, Vir amicissime, fac quæso per amicos, ut ex eis quæ diligenter sunt præparatæ, nancisci possim. Cùm enim sit medicamentum longè excellentissimum & naturæ meæ accommodatum, uti antehac in memetipso maximo cum successu expertus sum, statui, iterum illud mihi familiare reddere.

De curatione ascititiorum.

Curatio ascitiorum, quorum mentionem facis, Observatione digna est. Difficulter enim curatur morbus ille, præsertim in senibus, qualem Dn. Georgium Lidel esse, ex tuis colligo. Illam verò, salvo tamen tuo judicio, non venæ sectioni, sed potius medicamentis, ante venæ sectionem ex arte administratis, præcipuè adscribēdam, rationi consentaneum esse mihi videtur. Hydropi enim nisi ex suppressione mēsium, aut hæmorrhoidarum, morbusq; adhuc recens fuerit, venæ sectionem adversare, Galenus, & experientia ipsa testatur. Ex tuis autem colligo, purgantia, deobstruentia, diætetica, & asthmati conducentia, ante venæ sectionem ægris adhibita fuisse. At horum medicamentorum beneficio, si optima victus ratio accesserit, qualem in vestris ægris accessisse non dubito, plerumq; Asciticos sanitati restitutos esse, vidimus.

De venæ sectione in ascitis.

Ne tamen externum hocce præsidium planè negligamus, paulò attentiùs negotium perpendendum est. Scribit Excell. vestra, post incisionem venularum capillarium, in apice digitorum annularium, dyspnœam indies remisisse. Ex quibus verbis colligo, venulas illas in utroq; digito annulari incisas fuisse, idque, omni procul dubio uno eodemq; momento; In consuetudinem enim venit, præsertim inter Germanos, & hîc quotidiè à nostratibus usurpatur, ut multi in utraq; manu simul, aut in utroq; brachio, venas sibi incidi curent: idque utplurimum non sine dispendio valetudinis. Ex duplicata enim venæ sectione, maxima in corpore, præsertim in hepate, fit sanguinis & humorum agitatio, fluxus & refluxus ad contrarias partes simul. Id verò sine periculo haud fieri posse, tibi in arte Medica versatissimo, notum est. Si quæris exempla, multa in medium producere possem, nisi forsan tuis auribus essem molestus. Unum tamen, & quidem annotatione dignum, videre poteris Cent. 4. Obs. 22. Annectam & adhuc unum aut alterum.

EXEMPLUM I.

Anno 1622. tempore veris, cùm Reverēdus & Doctissimus Vir Dn. Nicolaus Henzius, hujus Scholæ Professor Græcæ Linguæ celeberrimus, lassitudinibus spontaneis, eructationibus & capitis gravedine afficeretur, nulla præcedente corporis evacuatione, duas venas, uno eodemq; tempore, sibi tundendas curavit; videlicet unam in brachio dextro, alteram in sinistra manu. Ex maxima hacce commotione & agitatione sanguinis & humorum, cum impetu delapsa est materia peccans ad podicem, ubi post horas circiter tres à venæ sectione, exortus est dolor, primò gravativus, postea pungitivus, ita ut subsequens nox valde gravis ipsi fuerit. Altera die, cùm levi deambulatione corpus exercere vellet, protinus auctus fuit dolor, inflammatio & tumor, febris quoque ardentissima, inquietudines, nausea, aliaq; symptomata supervenerunt. Tandem cùm accersitus fuissem, symptomatibus, quantum potui, prospexi, & abscessum ad suppuratiōé perduxi: adeò ut paulò post ad latus intestini recti ruptus sit; vix credibile est, quàm copiosè pus, præter modum fœtidum, effluxerit. Sinus autem hujus abscessus ad latus intestini recti, os sacrum versus, rectà ascendebat; maxima difficultate curatus fuit, & in hunc usq; diem vivit, sed & (quod mirandum) nulla remansit fistula.

EXEM-

EXEMPLUM II.

Anno 1626. mense Februario, Bernensis quidam Faber ferrarius M. Ioh. Stäle nomine, homo robustissimus & optimo corporis habitu præditus, post ineptam hancce venæ sectionem in utroq; brachio simul, & quidem impurgato corpore administratam, eâdem nocte malè habere cœpit, & circa crepusculum matutinum rigoribus maximis correptus fuit: paulò post inflammatio hepatis, cum ardentissima febre sequuta est. Circa quartum morbi diem materia peccans per criticam expulsionem in dextrum latus scroti delapsa est: Ubi ingentem abscessum procreavit, à quo tamē feliciter per Dei misericordiam à me restitutus fuit, & etiamnunc vivit.

EXEMPLUM III.

Anno 1624. Civis & textoris cujusdā Bernensis, cui Ioh. Laurentius nomen est, uxor, Matrona pia & honesta, cum utero gestaret, & quâdam die, suasu mulicrcularum, (ad imitationem vulgus, quod falsam hancce concepit opinionem prægnantes longè faciliùs fœtum excludere posse, si postremis mensibus venæ pedum incidantur) venas in utroq; pede sibi tundendas curaret, statim malè habere cœpit, & eâdem die doloribus parturientium, & quidem tam vehementibus correpta fuit, ut sequenti nocte fœtum mortuum & immaturum, ingenti cum cruciatu pepererit. Mater pòst multa, quæ superveniebant Symptomata, vix evasit. Hinc apparet, Vir clarissime ex duplicata venæ sectione diversis in mēbris, inter se oppositis, uno eodemque tempore facta, maximam in hepate fieri sanguinis & humorum agitationem. Quia verò in vestris ægris nihil eorum, quæ ad integram morbi curationem spectant, omissum fuit, facilè fieri potuit, ut ex hac commotione in ipso hepate facta, quod reliquum erat materiæ peccantis, vi quadam naturæ (quæ plerumq; mirandas operationes ex se edit) aut per alvum, vel urinas, aut sudores evacuata, & sanitas inde sequuta sit. In istis verò, quorum ego mentionem feci, contrarium evenisse mirum non est: corpora enim eorum cacochymica, ante venæ sectionem purgata non fuerant.

Porrò, clarissime amplissimeque Vir, cum venæ sectionem, diversis in partibus corporis, inter se oppositis, uno eodemq; tempore factam, non aliter, quàm in perniciem ac damnum maximum valetudinis cedere posse, viderem, placuit illam in tractatu meo Germanico, de præstantiâ Anatomiæ, *Neronianam venæ sectionem* appellare: Idque non immeritò; olim enim apud Tyrannos hujusmodi venæ sectio genus erat supplicii, quo suos intimos saltem amicos, veluti ex gratiâ afficiebant, ut apparet in Seneca. De his barbitonsores, balneatores, simul & ægros sæpius admoneo, & in prædicto tractatu admonui, sed videor mihi surdis cantilenam cecinisse. Ita immanis ac barbara illa consuetudo, ab imperitissimis nebulonibus in artem Chirurgicam introducta, invaluit. Hæc sunt Vir amplissime, quæ inpræsentiarum tumultuanti calamo ad te scribo, quæ ut omnia benignè interpretari velis, obnixè rogo. Vale Vir amplissime & æternùm cum tuis omnibus quàm felicissimè vive. Dabam Bernæ 18. Aprilis 1629.

OBSERVATIO XCIII.

De infelicissimo successu thermarum Leucensium.

Viro Clarissimo & Doctissimo,

DN. D. JOHAN. STIGELIO,

Poliatro Laubacensi dignissimo.

Guilhelmus Fabricius Hildanus

S. P. D.

Benedictus sit IEHOVA, Clarissime atque Doctissime mi Dn. D. STIGELI, qui tuis rebus tam benignè & abundè prospexit, teque in Poliatrum Laubacensem erexit; Sed inprimis, quod (ut ex Lindnero nostro sæpiùs intellexi) Vxore Pietate, Virtute, & Opibus ornatâ, Te simul beavit. Faxit DEUS OPT. MAX. ut quàm diutissimè ad DEI gloriam, & ædificationem ac solatium ægrorum, provinciam illam administrare possis: deinde etiam, ut matrimonium hoc, ad Ecclesiæ CHRISTI propagationem cedat, Vos verò vitam hancce calamitosam, præsertim turbulentissimo hocce tempore, tranquillè ac piè simul transigere, tandemque gloriæ æternæ participes fieri possitis. Id unicè tibi, tuisque, mihi meisque ex corde opto. Ego verò, mi Dn. STIGELI, qui nunc sexagesimum sextum annum prætergressus sum, indies imminutionem virium in me percipio. Paroxysmos aliquot Podagræ antehàc, Te etiam præsente, perpessum me fuisse, probè nosti, à tribus tamen abhinc annis, laus sit DEO, longè mitiores & tolerabiliores fuerunt, quàm tu ipsos in me vidisti, raro quoque recurrunt. A Vino generoso, quale est Vaudése, planè abstinere cogor: illud enim, imò etiam omne Vinum in Arthritide, etiam exteriùs adhibitum, adversissimum esse experior.

In Cibis delectum ferè nullum observo, sed quæ apponuntur, comedo, idque sine insigni incommodo: à juventute enim in turbis istis bellicis Patriæ meæ, ita assuefactus fui. Singulis ferè mensibus Pilulis ex Aloë, Rhabarbaro, Agarico, &c. post cœnam maximo cum fructu utor, sicq; paulatim ad metam propero.

Porrò, Clarissime mi Dn. STIGELI, tuas, unà cum literis Nobili Matronæ, Dn. SARÆ SIELLIGERIN, non ita pridem accepi, quæ mihi perquàm gratæ fuerunt: tam diuturnum enim silentium tuum aliquo modo molestum mihi fuit, sed fecit id, proh dolor! turbulentissimus Imperii status, cui DEUS suo quoque tempore finem dabit; Id verò ut brevi fiat, pacemque habere possimus, eum qui pacis unicè est autor, ex corde oro, atque efflagito.

Cæterùm cùm Lindnerus noster iter suum Basileam, ad studia sua absolvenda dirigeret, nolui eum sine meis ad te literis dimittere. Vixit ille mecum circiter annum cum dimidio. Interim se ita gessit, ut mihi meisque perquàm gratus acceptusque fuerit. In Praxi quoque Medica & Chirurgica, progressum haud spernendum

Obs. 93.

fecit, manumque simul adhibuit. Tu quæso, Vir Clarissime, fac ipsi animum, ut non tantùm in studio, verùmetiam in Praxi Chirurgica pergat. Si einm à multis seculis necesse fuerit, hàc Artem excolere, profectò id hoc nostro erit tempore, quo ubique, & per totam Germaniam omnia bello ac dissidiis flagrare, artemque Chirurgicam ab imperitis tonsoribus, agyrtis, & hujus farinæ ineptissimis hominibus tractari videmus. Utinam igitur Medici rationales omnes, uti tu fecisti, in Academiis & Peregrinationibus, non tantùm theoriam Artis Chirurgicæ addiscerent, sed & manum simul adhiberent; Conservarentur procul dubio plerumque magnanimi heroës multique Viri egregii, qui turbâ imperitorum tonsorum Castrensium miserè pereunt, idque impunè. Ego, quotiescunque se offert occasio, Magistratum Amplissimum hîc & alibi tam privatis colloquiis, quam in publicis meis scriptis, admoneo, uti vidisti procul dubio in tractatu meo de Præstantia Anatomiæ, item Tract. de Lithotomia Vesicæ, & alibi; In præfatione ad Centuriam quintam, eundem movebo lapidem, etiamsi me omnem operam perditurum sciam: usq; adeò enim obscuritatis Princeps obcæcavit mentes Principum, ut summum illud ac immensum hocce donum Dei, Artem videlicet Medicam, pedibus conculcari sinant. Sed de his satis: tu enim ipsemet vidisti, & vides, quo in pretio sit Ars Chirurgica apud Germanos.

Porrò, Praxis mea interim dum D. Lindnerus mecum vixit, satis frequens & magna fuit, uti ad ipsius matrem scripsi: ita etiam ut quàm plurima, quæ ipsi in posterum usui esse possint, observare potuerit, quod & ipsum fecisse scio. Hisce quoque diebus funestus ac memorabilis casus, de infelicissimo successu Thermarum Leucensium, in Valesia sitarum, nobis videre contigit, quem tibi Coronidis loco communicare nõ gravabor.

Observatio de infelicissimo successu thermarum Leucensium.

Nobilis quædam Puella, Catharina Brunerin nomine, 18. circiter annorum, à multis annis obstructionibus Viscerum, deinde etiam retentione mensium, destillationibus ad oculos, & plerumque ad pectus, obnoxia fuerat.

Porrò superiore Vere cùm angustia pectoris, difficultas respirandi, cæteraque symptomata omnia apud ipsam ingravescerent, ex consilio imperitarum muliercularum, nec non impurgato corpore, se præterito Junio ad Thermas Valesianas contulit, & quidem maximo suo damno: tanta enim erat pectoris angustia, tantaque respirationis difficultas, excrementitiorum quinetiam humorum abundantia, ut vix eques proficisci, multò minùs pedes incedere posset, & frequenter in via, propter corporis agitationem, materiam atrabilarẽ evomere coacta esset. Gemmium, montem illum altissimum, cum octophoro ad thermas deportata fuisset, mox eis non uti, sed abuti cœpit. Cùm enim primis diebus bis in die, & per semihoram tantummodò thermis insidere debuisset, donec tandem, paulatim ascendendo, ad horas quatuor ad summum, in die provenisset, veluti cum impetu eis uti cœpit, & ita quidem, ut primâ die, & subsequentibus, quater ad minimum thermas ingrederetur, etiam in crepusculo matutino, nec absoluto somno, statimque post prandium, & cœnam, & interim dum Natura circa concoctionem cibi occupata erat. Quid fit? Cùm in decimum diem ita Thermis innatasset, & post prandium jam per horas aliquot eis insedisset, subitò illi supervenit rigor, nausea, mox murmur, & dolor circa imum Ventris, atque os sacrum, sed inprimis in Inguine dextro. Inde, in ipso momento, cum impetu delabente materiâ quadam præternaturali, in dextram plantam pedis, altâ voce (admirantibus omnibus) exclamat, dicens, sibi videri aquam gelidissimam, in pedem dextrum, præsertim plãtam & digitos, perfusam esse. Hinc protinus motus abolitus, & veluti rigidus factus fuit pes. Ad lectum deportatâ ægrâ, dolores adeò adaucti fuerunt, ut dies noctesque ejulare & exclamare cogeretur. Subsequentibus diebus ad thermas quidem aliquoties deportata fuit, an forsan dolor ille acutissimus leniri, & frigus intensissimum ac molestissimum pedis, quo se excruciari ajebat, corrigi posset, sed sine fructu. In ipsa enim aqua calida, de frigore pedis continuò conquerebatur. Summa itaque cum difficultate Bernam in lectica deportata fuit. Ubi cùm Ego 18 Julii, fuit 12. morbi, in consilium adhibitus fuissem, Pedẽ dextrum, qui frigidissimus, sine tumore quidem & inflammatione inveni, sed in ipsa planta Vesica erat satis magna, ac livida, quam cùm forfice incidissem, nonnihil ichoris, ad instar loturæ carnis effluxit, subjecta verò caro livida cernebatur: quapropter Parentibus significavi, Gangrænam radices suas tam altè fixisse, ut nulla ampliùs supersit spes restitutionis. Cùm verò contendissent Parentes, ut omnem adhiberem diligentiam, an forsan sanari posset, nihil eorum quæ ad Gangrænam, Sphacelumque arcendum calorem innatum refocillandum, & ad partem affectam alliciendum, spectant, intermisi. Brevi affectus, per singularem Dei misericordiam, eò usque devenit, ut pes, qui antea frigidissimus fuerat, ferè naturali suo calore foveretur, eschara quinetiam à Vesica relicta, circumcirca pus coctum & laudabile ex se redderet; Interim tamen cùm angustia pectoris de die in diem adaucta fuisset, & tussi pus cruentum ejecisset, sinistrum item crus, venterque Hydropicorum more intumuissent, viresque, propter doloris vehementiam & diuturnitatem, prostratæ fuissent, naturæ debitum solvit, 31. Julii.

Vides, mi Dn. Stigeli, etiam optima medicamenta, qualia etiam sunt Thermæ, sed sine ratione adhibita, in venenum & perniciem hominis cedere posse. In aliis talia quoque observavi, quemadmodum in quinta Observationum mearum Centuria, quæ futuris nundinis, Deo volente, proditura est, videbis. Hæc raptim; Lindnerus enim noster se itineri accingit, ideoque ut plura adscribam, tempus non permittit. Vale, & cum tuis omnibus, quos tecum Ego, & Uxor mea salutamus, æternùm quã felicissimè vive. Dabam Bernæ 9. August. 1626. Dn. Durenhemius, ac cæteri Amici, tibi noti, te plurimùm salutant.

Obs 94. Observatio.

OBSERVATIO XCIV.

De gravissimo Ichore & Meliceride ex causâ levissimâ ortâ.

Viro Genere & Doctrinâ Nobilißimo,

DN. D. MELCHIORI SEBIZIO

Seniori, Medicinæ in inclytâ Argentinensi Academiâ Professori Clarissimo, ejusdemque Urbis Archiatro longè celebertimo, Domino & Amico meo summo studio observando.

Guilhelmus Fabricius Hildanus S.P.D.

MAgnoperè admiratus fui, Vir Genere & Doctrinâ Nobilissime, cum ex literis tuis, quas heri mihi tradidit Ornatissimus Vir, Dom. JOHANNES à Berg, intelligerem, meas tibi redditas non fuisse. Ad eas enim, quas Ampl. Tua de affectu suo ad me scripsit, 2. Octobris, anni 1621. me nonâ ejusdem mensis respondisse, adversaria mea mihi fidem fecerunt. Cui tamen literæ meæ commissæ fuerint, non amplius mihi occurrit. Ut autem Ampl. Vir sciat, quæ de affectu suo mea fuerit sententia, en mitto iterum apographum literarum prædictarum. Utinam Amplissimo Viro & gratum, & è re esse possit.

Cæterùm non mediocriter gavisus fui, cùm Amplissimum Virum etiamnunc adeò firmum esse corpore, ut provinciam suam cum laude administrare possit, ex prædicto ornatissimo Viro intellexissem. Id singulare DEI donum esse agnosco. Perpauci enim homines, qui in hac ætate (Amplissimum enim Virum jam annum octuagesimum tertium prætergressum esse, ex literis, quas aliàs ad me dedit, cognosco) id præstare possint, hoc tempore, ubi omnia ad interitum vergunt, reperiuntur; Præcipuè inter Medicos, quorum ingenium studio amplissimo & difficili, Praxi verò laboriosissimâ & molestâ vires corporis non tantùm enervantur, verùm etiam spiritus & humores, imò etiam partes ipsæ nobiles à putridis & fœtidis vaporibus, ex ægrotorum corpore exspirantibus, quotidiè inquinatur. Medicum itaque confectum senio, veluti naturæ miraculum esse, sæpiùs mihi dictavit ratio. Sed quid dico naturæ miraculum? Quin potiùs Creatoris naturæ in humanum genus donum maximum, quo Experientia in Medicinâ tantoperè necessaria, à senibus summâ diligentiâ & longo rerum usu acquisita, in commodum humani generis, ad juvenes propagari possit. Ego, si Clementissimo meo Patri cœlesti ita visum, & mihi salutare fuerit, vigesimâ quintâ hujus, annum meum Climactericum absolvam, idque non sine multis curis, molestiis, & laboribus corporis & animi, quos à juventute meâ sustinui. Faxit DEUS Optimus, ut ambo cursum totius vitæ nostræ, ad ipsius gloriam, & commodum proximi, absolvere possimus.

Tractatum meum de Ichore & Meliceride Celsi, de quo Amplissimo Viro antehac scripsi, nondùm absolvi. Obstant occupationes & molestiæ, tàm domesticæ quàm in praxi. Habeo etiamnunc inter manus affectum ex Meliceriâ cō tractum, qui gravissimus, & tamen ex levissimâ causâ ortus fuit. Recensebo illum paucis. Juvenis quidam XIV. annorum ætatis, Reverendi & Doctissimi Viri, Dn. JACOBI HABERÜTERI, p.m. quondam hujus urbis Divini Verbi Ministri filius, cùm 10. Augusti superioris, anni pedem inter deambulandum leviter contorsisset, & ab initio circa curationem error à barbitonsoribus commissus fuisset, exortum primò dolorem maximum sequuta est inflammatio totius tibiæ, & ad coxam ferè usque. Febris item maxima, inquietudines, nausea, cum virium prostratione supervenerunt. Tandem, videlicet 8. Septemb. cum à barbitonsore suo derelictus & affectus pro deplorato habitus fuisset, ego quoque advocatus fui. Tùm circumcirca juncturam pedis novem inveni ulcera, & quidem nonnulla eorum in ipsâ articulationem usque penetrantia: ex quibus ichorosa materia tàm copiosè aliquandiu effluxit ut mirum sit, undè in corpore tàm extenuato & debili, tanta humorum colluvies provenire potuerit. Ligamenta, imò & ossa ipsa erosa erant. Os calcis (quod dicam, admiratione non vacat) in medio ex unâ in alteram partem, ut progressu temporis cognovimus, & vidimus, perforatum fuit, ac si aliquis terebello hujus O magnitudinis illud perforasset. Perforationem hancce Ossis, cùm durante curatione invenissem, funē ex uno in alterum latus per ipsum os traduxi, quō Ossa cariosa extrahere possem. In medio tibiæ ulcus erat cuniculosum: ex unâ enim parte ad genu usque extendebatur, ex alterâ verò ad talū usque ferè descendebat. Ab initio omnem adhibui diligentiam atque industriam, ut dolores quàmprimum sedarentur: & vires (quæ adeò labefactatæ erant, ut mortem proximam esse, omnes putarent) reficerenrur. DEUS ita benedixit remediis, ut duos hosce scopos paucis diebus absolverem. Postea ulcera mundificavi, ligamenta putrida, & ossa cariosa, atque à virulentâ illâ materiâ contaminata, extraxi.

Curatio perquàm difficilis & laboriosa fuit. Omnia tamen (laus sit DEO) nunc in tuto sunt, etiamsi ulcus, quod, ut antea dixi, calcaneum perforavit, nondum penitùs cicatrice sit obductum. Genu, quod propter magnitudinem morbi, & retractionem nervorum, incurvatum erat, in pristinum statum restitutum quoque fuit. Articulus tamen pedis rigidus immobilisque permanebit. Id enim plerumque quod ante me nullus, quod sciam, observavit, fit in Meliceride, quando ligamenta & Cartilagines ossium eroduntur: tunc enim mediante callo coalescit junctura, fitque rigida, uti fusiùs, & quidem exemplis, DEO volente, in tractatu meo de Meliceride ostendam. His Vale, Vir Nobilissime, cum Tuis omnibus, quos Tecum quàm demissè saluto. Raptim Bernæ 7. Junii. 1623.

De hoc affectu ejusdemq; curatione lector plura videre poterit in tractatu de Ichore & Meliceria Celsi.

OBSERVATIO XCV.

De balneo artificiali ejusdemque infelicissimo successu.

Obs. 95.

De gravissimo morbo in thermis Vallesianis contracto, in consilio de conservanda valetudine suo loco egimus: sequitur nunc de infelicissimo successu balnei artificialis, exemplũ & funestum & annotatione dignum.

Anno 1623. in ipsis diebus canicularibus, nobilis quædam, & singulari virtute prædita matrona Bernensis, Nobilissimi ac prudentissimi Viri Domini ANTONII TILLIERI, hujus urbis Senatoris uxor, ætate quidem confecta, corpore tamen adhuc robusta, quum animum recreandi causâ ad thermas Badenses aut Vallesianas proficisci vellet, & cuidam pseudochymico mentem suã aperuisset, ab ipso inducta fuit, ut crederet, se posse arte suâ chymicâ (qualis vanitas ac jactantia!) naturam imitari, ac thermas naturales tam artificiosè adumbrare atque exprimere; ut quisque facilè & sine magno sumptu balneum sibimetipsi domi suæ præparare possit. Placuit consilium, conficiturq; balneum ex mineralibus, cui optima illa matrona, nullo modo antea purgato aut præparato corpore, spatio quatuor septimanarum quotidiè bis ingressa est, & per horas tres aut quatuor pro vice in ipso moram traxit, nulla interim observatâ victus ratione. Quid fit? corripitur tandem febre continuâ, sed admodum lentâ, cum exiguis rigoribus; vocatus in consilium, pulsum adeò languidum, obscurum & debilem invenio, ac si jam jam naturæ satisfactura esset. Et quia alvus constipata, suppositoriis, mannâ, syrupo rosato solutivo & similibus, laxam eam effeci. Cordialia præterea, & bezoardica exhibui, carpis quoque & regioni cordis epithemata applicui. Hinc circa nonum diem morbi melitisculè habere quidem videbatur, sed non diu post de novo superveniente rigore, febris aucta fuit, omniaque in pejus abierunt, & ante decimum quartum animam piè placideq; DEO reddidit.

Verisimile est, venenosam qualitatem mineralium spiritus vitales inquinasse, caloremq; præternaturalem circa cor & in reliquis visceribus accendisse, paulatimque humidum radicale absumpsisse. Idem ferè nobilissimæ Matronæ Dom: MAGDALENÆ NEGELIANÆ, Nobilissimi ac amplissimi Viri Dni. RUDOLPHI MANUËLIS, Consulis nostri prudentissimi uxori accidisset, anno 1623. nisi ego, post DEUM obstitissem. Cùm enim ex consilio Empirici cujusdam, balneum ex mineralibus conflatũ per dies aliquot ingressa fuisset, parum abfuit, quin animam DEO redderet. Sunt itaque, sive thermæ, sive balnea, aut medicamenta fuerint, non temerè & sine judicio, sed circumspectè & summo cum judicio præscribenda & adhibenda. Sed hac de re videat Lector plura Cent: 5. Obs: 90. & 91.

OBSERVATIO XCVI.

Ex balneo aquæ dulcis, Mors sequuta. Exempla aliquot:

Non solùm balnea ex mineralibus, arte chymicâ conflata, naturæ nostræ adversari, sed & plerumque lotionem aut moram in aqua dulci ac calida periculo non vacare, observavi, inter plura exempla, adscribam unum aut alterũ:

EXEMPLUM I.

Anno 1626. si rectè memini, civis quidam Solodurensis, Dn. LAURENTIUS SCHARANDÆUS, Vir optimus ac probus, & pro ætate suâ (septuagesimum enim annum ferè attigerat) robustus, & optimo corporis habitu præditus, Cùm quadam die circa vesperam, ex villa sua urbem reversus esset, & lassitudinem aliquam membrorum suorum perciperet, jussit domesticos, ut sibi balneum ex aqua communi ac simplici è vestigio præpararent. In quo cùm vix per horam unam moram traxisset, & lypothymiam proximam esse cognovisset, protinùs in lectum se contulit: ubi antequam Medicus ejus urbis ordinarius, Dom. LUDOVICUS SCHARANDÆUS, filius ægri accurreret, Apoplexia correptus eaque ipsa nocte extinctus fuit.

EXEMPLUM II.

Eodem anno idem ferè accidisset seni cuidam Bernensi, JOHANN-LUDMANN nomine, qui cùm in ipso balneo aquæ dulcis incaluisset, & lipothymia correptus fuisset, in morbum gravissimum, cum suma labefactatione virium incidit, & per menses aliquot periculosè laboravit: tandem verò per singularem Dei misericordiam à me restitutus fuit, & ad annum 1628. supervixit.

EXEMPLUM III.

Anno 1628. die 4. Maii, civis & mercator quidam Bernensis, Samuel Hallerus nomine, cũ propter præcedens frigus, membra (ut plerique ex nostratibus quotannis facere consuevere) recreare refocillareq; vellet, cum uxore & liberis labrum aquæ dulcis ac calidæ ingreditur. Balneũ omnibus ad votum successisse videbatur quidē, sed perperam: una enim ex infantulis, puella duorum annorum, circa mediam noctem febre ardentissima cum rigoribus, vomitionibus, & inquietudinibus maximis corripitur: mox quoque paroxysmi epileptici supervenerunt. Ego cùm sequenti die accersitus fuissem, & alvum per dies aliquot exoneratam non fuisse, intelligerem, jussi ut statim suppositorium infigeretur, & lac amygdalarum ad libitum exhiberetur: præscripsi quoque potiunculam antepilepticam, ex aqua betonicæ, primulæ veris, & syrupo de pæonia, ex cochleari exhibendam, sed frustra; Eadem enim nocte, supra modum exacerbatis paroxysmis epilepticis, è vita discessit.

EXEMPLUM IV.

Præterita hyeme 1627. Juvenem 16. annorum, Iohannem Rudolphum, doctissimi atque excellentissimi Viri Dom. Iohannis Durenhemii Poet. Laur. & Notarii Cæsarii &c. filium, sanum ac vegetum curandum habui, illi cùm in laconico supra modum incaluisset, & post egressum ex balneo aëri frigido citiùs, quàm par erat, sese exposuisset, sequenti die malè habere cœpit. Tertia die supervenit febris ephemera, cum rigore maximo. Quarto, quinto, sexto & septimo furunculi plus quam tringinta per universum ferè corpus, præsertim circa pectus, scapulas, & in dorso eruperunt, non sine dolore maximo, nauseâ aliisque

que symptomatibus; impurus enim sanguis vi caloris laconici ex centro corporis ad circumferentiam attractus, & propter repentinam coarctationem pororum retentus, putredinem contraxit, hinc furunculi: feliciter tamen restitutus fuit.

Ex præcedentibus apparet, quàm periculosa sit lavatio, sive ea fuerit in aquâ, vel naturâ vel arte medicatâ & calida, vel etiam in aqua dulci, nisi corpus prius expurgatum, & ad balneum præparatum fuerit. In balneo enim, præsertim aquæ communis, corpus fit lubricum, pori ac viæ omnes dilatantur, sed & viscera, præsertim hepar & renes, incalescunt, & sanguis in ipsa vena cava effervescit, inde multi humores ad cerebrum adscendunt, qui ibidem condensantur; & in humorem convertuntur. Hinc in Domino Scharandæo sequuta fuit apoplexia, & in puella Dn. Halleri Epilepsia. Hæc in gratiam eorum scribo, qui lavationi, thermis & laconicis nimis sunt dediti, ut aliorum periculo fiant prudentiores.

OBSERVATIO XCVII.

Quæ in dissectione muris Alpini annotatione digna reperta fuere.

Viro Clarissimo & Doctissimo,

DN. HENRICO SCHOBINGERO,

Sanct-Gallensi, Amico meo singulari,

Cui

Guilh. Fabricius Hildanus, S. P. D.

TE salvum & incolumem Patavium, campum illum Musarum, inprimis verò Æsculapii, amœnissimum, & totius Italiæ florentissimum, pervenisse, & rectè valere, clarissime & doctiss. mi Dn. Schobingere, ex literis Viri doctissimi & & Consultissimi Dn. D. Sebastiani Schobingeri, Avunculi tui, maximo cum gaudio intellexi. Faxit Deus ter Opt. Max. ut ibidem studia tua feliciter absolvere, & brevi redux esse possis, eris nobis hospes acceptissimus. Suadeo autē, imò adhortor Te, ut totis viribus hac hyeme studio Anatomico incumbas, aptiorem enim & commodiorem locum ad studium hocce excolendum vix reperias. At quàm jucunda, ne dicam necessaria sit scientia hæc, omnibus quidem ad sanitatem conservandam, Medico verò ad amissam restituendam, indies magis magisque experior. Non solùm autem Medico & ICto necessaria est, verùm etiam Theologo ad Script. Sacram multis in locis rectè intelligendam & exponendam perquàm utilis, ut aliquoties coram ex me intellexisti, & volente Deo fusiùs in 6. Cent. Obs. videbis.

Hisce diebus, cùm podagrici dolores me exercerent, tempus fallendi gratia Murem Alpinum marem, quem domi alui, dissecui; quæ in dissectione annotatione digna observavi, adscribam paucis.

Primò occurrit *pellis*, in quâ raritas & paucitas pilorum & lanæ, observatione digna est. Unus enim cuniculus, qui magnitudine murem Alpinum exæquat, hoc tempore hyemali plus habet crinium & lanæ, quàm duo mures alpini. Putasnè hoc sine causâ à summo Creatore ita factum fuisse? minimè. Quia enim animal hoc in Autumno se abscondit & per totam hyemem in cavernis profundis & calidis dormit, & nonnisi in fine Veris, quando aër iterum incalescit, ex locis istis subterraneis & calidis prodit, superfluum fuisset, si crinibus & lanâ, uti reliqua animalia, quæ dies noctesq; aeris inclementiæ, imbribus ac nivibus exposita sunt, vestitum, onustumq; fecisset. Superfluum inquam nonsolùm, verùm etiam damnosum idfuisset. Calor enim ille externus & adventitius calorem innatum exstingueret, humidumq; radicale animalis absumeret, & vix ad æstatem superviveret. Scribit Excellentissimus & Doctiss. Dn. GESNERUS, se murem Alpinum dormiturientem initio hyemis in vas ligneū, scandulis abjegenis concinnatum, & fœno semiplenum, addito suo operculo deposuisse, & post dies aliquot mortuum reperisse. Causam fuisse respirationem exclusā, existimat GESNERUS. Ego potius calorem illum nimium fœni, & vaporem sulphureum in ipso contentum, mortem accelerasse arbitror. In ipsis enim montibus, ut idem Gesnerus testatur aditus cavearum suarum tam solidè arctèq; occludunt, ut mirum sit, qui fiat, quod respiratio eis non intercipiatur.

Observatio de Vapore maligno fœni.

De Vapore Sulphureo & maligno fœni, aliquoties ex me sequens exemplum intellexisti. Anno 1622. Juvenis quidam hîc in vicinia (im Emmenthal) quum quadam vespera coram domesticis jocosè dixisset: hac vespera me maturè abscondam usque in crastinum, quo semel ad satietatem dormire possim. Abiit: Sed quid fit? Sequenti die cum consueta hora præsens non esset, & domestici ipsum quæsivissent undique, tandem sub vesperam in meta fœni semimortuus repertus fuit, & in alterum diem usque sine loquela & intellectu permansit. Demùm verò cum velut ex lethargo profundissimo expergefactus esset, paulatim vires suas recuperavit & convaluit. Vides, non tantum carbonibus semiaccensis, verùm etiam fœno, præsertim recenti, sulphureum ac malignum vaporem, qui caput, cæteraq; membra principalia lethaliter ferit, inesse? Verisimile itaque mihi videtur, murem vasi ligneo inclusum potius calore & vapore isto sulphureo fœni, quàm propter respirationis penuriam exstinctum fuisse, Hæc de *Pelle*.

2. Sequitur *Pinguedo*, circa quam copia illa magna, proportionaliter loquendo (est enim, ut scis, parvum animal) observatione digna occurrit. Inter pellem & musculos ultra libram unam cum dimidia: in ipso verò abdomine ad libram integram collegi. Est autem pinguedo illa non admodum spissa, sed quodammodò liquida, quapropter verisimile mihi videtur, in ipsa succum quendam alimentosum contineri, cujus beneficio animal, dum hyeme in profundissimis cavernis montium dormit, nutriatur; Qui enim tempore verno capiuntur, macilentos esse, venatores referunt. Minus autem pinguedinis in abdomine hujus animalis

Obs. 97.

propterea contineri existimo, ne viscera interna propter pinguedinis comprimantur, & eorum actiones lædantur. Id enim quàm sit perniciosum, vidi Coloniæ Agrippinæ in illustri quadam fœmina, quam diuturno morbo mortuam esse, nonnulli Medicorum, qui ipsi multa variaq; medicamenta præscripserunt, constanter asseverarunt; Sed perperam. Ego enim cum Clarissimo & doctiss. Viro, Dn.D. Iohanne Slotano Coloniensi Medico celeberrimo vocatus, ut cadaver condiremus, sanctè affirmare possum, viscera omnia tàm integra inventa fuisse, ut saniora in corpore videri posse, vix credam, pinguedine verò adeò erant onerata & compressa, ut officio suo fungi non potuerint. Ut enim de monstroso omento taceam, pro certo affirmare possum, è regione lineæ albæ secundum longitudinem abdominis, factâ incisione, pinguedinis spissitudinem Spithamas duas excellisse. Pinguedinis itaq; abundantiâ potiùs, quàm morbi violentia exstinctam fuisse matronam hancce, à Dn.D. Slotano, aliisq; multis, qui dissectioni interfuerunt, statutum fuit. Verùm hæc obiter. Pinguedinem autem muris Alpini recētem, præstantissimum esse anodynum, etiam in vehementissimis doloribus articulorum jamjam in memetipso experior: à quatuordecim enim diebus propter arthritidem in publicum prodire non potui. Specificâ quoq; facultate, si plantæ pedum eâ inunctæ fuerint, somnum provocare, hisce diebus, cum propter vehementiam doloris pedes meos inungerem, observavi.

Matronà copiâ pinguedinis suffocatur.

3. Musculi abdominis, propter pinguedinis copiam, vix conspiciebantur, pedibus verò tibiisque, tàm anterioribus quàm posterioribus inservientes musculi validissimi, neq; usq; adeò pinguedine circumdati erant.

4. Pauco sanguine præditum esse animal hoc, in dissectione quoque observavi: sanguinem enim protinus in pinguedinem transmutari existimo. In porcis idem observant laniones, quo enim obesiores & pinguiores, eò minus habent sanguinis.

5. In dorso, præsertim versus cervicem & homoplatas, multum carnis glandulosæ, qualis est mammarum, inveni. Carnem hanc duplicem usum habere existimo. Primò cum in dorso humi stratum est animal, & in altum extensis pedibus instar plaustri fœno onustum, & alii mures mordicus apprehensâ caudâ, versus specum ipsum trahunt, ne spina dorsi læderetur. Deinde verisimile est, in carne istâ glandulosa succum quendam alimentosum æstatis tempore coacervari, cujus beneficio in hyeme, cùm animal dormit & cibum non capit, calor nativus & humidum radicale mirando quodam modo fovetur. Hæc si non apodictica, verisimilia tamen mihi esse videntur.

6. Ureterum structura observatione quoque digna est. Crassitie enim calamum scriptorium pennæ anserinæ adæquant. Hæc tamen cum distinctione intelligenda sunt. Verus enim ureter proportionem non excedit, sed pinguedine, quæ & suam habet membranam, investitus est, forsan in eum finem, ut in hyeme, cùm animal dormit, præter vesicam etiam ureteres extendi, & portionem aliquam urinæ retinere posset. Utinam Dn. Wolffius noster, & alii, qui calculo renum torquentur, hoc beneficio quoque præditi essent: longè enim faciliùs & minori cum dolore ac periculo, calculi è renibus ad vesicam descēderent.

7. Intestina, quemadmodum ut plurimum in homine videmus, corporis longitudinem septies adæquabant, in iis id quoque observatione dignum est, videlicet cœcum intestinum capacitate suâ proportionem reliquorum nonnihil excedere. Forsan in eum finem, ut in hyeme, dum dormiunt, & purissimo succo alimentoso, in pinguedine & carne glandulosa, ut antea dixi, contento, nutriuntur, si quæ excrementa superfuerint, in hoc intestino colligerentur & retinerentur, usque dum tempore Veris à somno expergiscuntur.

8. Valvulam nullam inveni, fortassis etiam inutilis esset. Usus enim præcipuus valvulæ cùm sit, ut obstet, quo minus putridi flatus ex colo ad superiora intestina ascendere, chylumq; inquinare possint, ac nullus fœtor in excrementis hujus bestiæ sit, non video, ad quid profuisset valvula. Præter hæc nihil singulare in ventre reperi. Pectus & caput non perlustravi: Ossa enim integra mihi reservare volui.

9. Ossa colli & pectoris cum homine ferè cõveniunt. Collum enim septem constat vertebris: furculas quinetiam eleganter fabricatas habet. Posterior pars cranii magis obtusa est, quàm in reliquis quadrupedibus, proculdubio à creatore ita factum, ut caput spinæ dorsi firmius incumberet, robur quinetiam capitis, dum pedibus terram fodit, & quæ obviam veniunt, dentibus rodit, adaugeretur.

10. Homoplatæ costis, uti in homine aliisq; brutis, non incumbunt, sed elevatæ, & undique carne glandulosâ, de quâ antea, substratæ sunt.

11. Costas, uti homo, ex utroq; latere duodecim habet, septem videlicet veras, & quinque mendosas. Id quod in aliis sceletis quadrupedum quotquot ego eorum habeo, non observatur: alii quatuordecim, quindecim, vel etiam plures ex utroq; latere habent.

12. Pedes anteriores digitos habent quatuor, unguibus acutissimis ac validis munitos, sed pollicibus carent. Posteriores pedes verò suas habet pollices. Hujus structuræ cum admirarer differentiam, & quâ de causâ id à Creatore factum apud me perquirerem, en in Clariss. Viri Dn. Gesneri opus de quadrupedibus incido, ubi in descriptione hujus animalis hæc habet verba: Cæterum, inquit, observandum est tempus, quonam dormiunt, ne ante illud fodiantur. Pinguissimi quidem sub natalem Domini reperiuntur. Danda etiam opera, ut inter fodiendum parum strepitus fiat, ne in calido suo loco excitentur. Experrecti enim capi non possunt: nã utcunq; strenuè fodiat venator, ipsi fodiendo simul & retrocedunt, & pedibus, quam effoderint terram rejiciendo, fossorem impediunt. Ex his apparet, animal

97. 98.

nimal hoc pedibus anterioribus radere, posterioribus verò retrorsum projicere terram. Ad radendam itaque terram & foveas excavandas digiti quatuor non tantum sufficiunt, verùm etiam pollices inutiles & impedimento essent. Poteris id in pueris, qui æstatis tempore ad littora manibus scrobes fodiunt, observare. Posteriorum pedum verò alia est ratio: illis enim, ut ex præallegatis Dn Gesneri verbis colligere licet, quia animal terram perhendit, & retrorsum contra fossorem cum impetu projicit, pollices majoris roboris causâ requiruntur.

Hæc sunt, Clarissime & Doctissime mi Dn. Schobingere, quibus dum corpus dolore affligebatur, mentem exhilaravi, tempusq; continui. Sed inquies forsan? Ad quid hæc? Nos enim circa corpora humana, non brutorum versamur. Ad quid? Ut inde ineffabilem sapientiam & providentiam Creatoris videas & magnifacias. Ejus enim bonitas & providentia, si ad bruta animalia usque se extendit, uti ex eis, quæ dicta sunt, colligere est, quomodo nos, quos ad imaginem suam creavit, & per filium suum unigenitum redemit, in angustiis nostris deseret? Deinde ut videas studium hocce, etiamnunc in decrepita hacce ætate mea, charum mihi esse. Sed ignosce si fortassis prolixa hac narratione molestus tibi fuerim, & si quid rari in anatomicis occurrit, aliquando communica. His vale Clarissime & Doctissime mi Dn. Schobingere & æternùm quam feliciter vive. Dabam Bernæ 12. Februarii, 1628.

OBSERVATIO XCVIII.

De gravissimo effectu Cantharidum, exteriùs adhibitarum.

Nobilis quidam ex oppido Ville Neuve dicto, ad Lacum Lemannum in Helvetiâ sito, tumore genu ex materiâ viscida frigidaq; laborans, barbitonsorem in consilium adhibet, is nullâ habitâ ratione causæ antecedentis, solis topicis malum curare tentat. Cucurbitulas itaque, tandemque causticum ad latus rotulæ applicat, & fonticulum efformat, in eum videlicet finem, ut materiam contentam extrahere posset. Hæc cum non succederent, cataplasma quoddam ex fermento, & cantharidibus applicat, totumq; genu exulcerat. Hinc sequutus est dolor maximus circa genu, inquietudines, febris, aliaque graviora symptomata: Inter reliqua autem dolor lumborum, renum, & totius ventris ipsum extorquebat, mox tantus ardor urinæ sequutus est, ut sine cruciatu & ejulatu, ne guttulam quidem (guttatim autem & sanguinolenta exstillabat) emittere posset: ablato cataplasmate, ardor urinæ reliquaq; symptomata paulatim remiserunt, tumor quinetiam circa genu nonnihil imminutus fuit: Vesificatorium enim hocce vehementissimum partem materiæ peccantis, inprimis subtiliorem extraxerat. Hæc cum barbitonsor videret, Cataplasma suum ex Cantharidibus iterum applicat, ex quo cum prædicta symptomata, præsertim ardor urinæ, mox longè vehementiora, quàm antea exorta essent, & affectus ingravesceret, applicationem prædicti cataplasmatis amplius admittere noluit æger, & barbitonsorem suum deseruit.

Venit itaque ad me Lausannam, ubi cum Apozematibus humorem pituitosum præparassem, pilulis quinetiam aggregativis, de hermodactylis, aliquoties corpus expurgassem, decoctum ligni Guajaci, Sassaphras, & radicum Chynæ propinavi, sudoresque provocavi, blandè tamen & in eum finem saltem, quò materia illa viscida & frigida circa genu, aliquomodo incalesceret, & ad temperiem reduceretur.

Postea sequens Cataplasma Vigonis applicui, cujus hæc est descriptio.

Cataplasma Vigonis lib. 2. cap. 3.

℞ Far. fabarum
Far. hordei an ℥iiij.
Furfuris benè triturati M. ij.
Stercoris caprini triturati ℔. ß.
Camomillæ
Meliloti an Mj. Cum lixivio, & sapa sufficienti, de omnibus fiat Emplastrum solidum, addendo olei Camomillini, & anethini an ℥ij. applicetur calidè bis in die. Hoc Cataplasmate cum per mensem ferè integrum usus fuisset, convaluit: sed quia totum crus propter diuturnitatem morbi labefactatum fuerat, suasi ut thermas Valesianas inviseret, ubi plenissimè restitutus fuit. JOH. LANGIUS lib. 1. Epist. 47. Simile exemplum habet.

Ex his veritatem eorum, quæ Matthiolus in lib. sextum Dioscoridis cap. 1. scripta reliquit, videmus, ubi hæc habet verba: Nocent (videlicet Cantharides) privatim vesicæ, omnibusque urinæ inservientibus membris, non modò haustæ, sed quandoque etiam exteriùs illitæ, ubi exulcerare sit opus, præsertim cum amplis admiscentur Cataplasmatis; locisque illinuntur Vesicæ propinquioribus, nempe coxendicum articul s dolore diutiùs tentatis, vel pubi, vel renibus, vel testibus. Hactenus Matthiolus.

ADMONITIO.

Si quis itaque Cantharides in usum adhibere, & vel intus propinare, vel exterius applicare voluerit, is ut circumspectè & prudenter procedat necesse est, præsertim autem videant juniores Medici, ne in præscribendis medicamentis, quæ Cantharides recipiunt, in quantitate peccent, neque præscripta medicorum semper sequantur: plerumq; enim in dosi errorem committunt, quandò ad paucas uncias fermenti, reliquorumq; simplicium, quæ vesicatorium ingrediuntur, drachmas aliquot, imò ad unciam unam & semis usque pulveris cantharidum præscribunt, & quia cantharides adeò leves sint, ut quinquaginta vix drachmam pendeant, facile in pondere error cômittitur, hanc ob causam ego vesicatoria hunc in modum præscribo. verbi gratiâ, in defluxionibus ad oculos, nares, fauces, pectus, aliasque vicinas partes.

Vesicatorium in defluxionibus ex capite ad oculos, nares, aliasque partes.

℞. Fermenti acris ℥ ß.
Cantharid. subtiliss. pulveris. num. 6.
Misceantur in mortario, addendo parum aquæ betonicæ in formam cataplasmatis, extendantur super pannum, & applicetur sub auribus. In bubonibus pestiferis propè bubone deorsum versus infra

Obs. 98.

infra quatuor aut quinque transversos digitos, sequens vesicatorium multoties cum fructu applicui: attrahit enim venenum ad exteriora.

Vesicatorium in bubonibus pestilentialibus.

℞ Fermenti acris ℥j.
Cantharid. subtiliss. Pulveris. no. 20.
Theriacis, &
Methridatii an ℈j. misceantur in mortario in formam Cataplasmatis, adde, si opus est, parum spiritus vini. Solent admiscere acetum, Verùm quia illud refrigerat, & venenum ad interiora repellit, in peste, aliisque malignis affectibus exteriùs adhibitum, mihi suspectum est.

Vesicatorium in dolore coxendicis inveterato.

In coxendice aliisque affectibus inveteratis, in majori quantitate hunc in modum præparari poterit.

♃ Fermenti acris ℥iij.
Pulv. Euphorbii ℈j.
Piperis Longi
Pyrotri an ℈ij.
Cantharid no. 60. In mortario fiat mixtura in formam Cataplasmatis, addendo aquæ vitæ quantum s. Extendatur super pannum & applicetur. Hac methodo, si Cantharides applicentur, omni vacant periculo, etiam locis vesicæ propinquioribus adhibitæ. Vidi id Anno 1613. in filio meo JOHANNE, peste periculosè & cum alienatione mētis laborante, illi cum Vesicatorium satis validum & amplum ad bubonem in inguine applicuissem, ille verò Cataplasma sufferre nollet, illudque cum impetu abstraheret, totumque inguen, scrotum quin etiam, & penem commacularet, exorta est inflammatio, cum vesicis dolorosis, ex quibus materia tam copiosè ad bubonem attracta fuit, ut brevi ruptus sit, tum symptomata omnia remiserunt, & convaluit æger.

Cantharides sine ullo periculo applicari posse Exemplis demonstratur.

Aliud exemplum vidi in filia mea SYBYLLA p. m. cui in juventute propter Catarrhum periculosissimum ad oculos defluentem, aliquoties amplissimo Cataplasmate ex Cantharidibus nucham & scapulas cooperui, humoresque tam copiosè ex capite attraxi, ut affluxio ad oculos eadem die quidem remiserit, Verùm propter errorem in victus ratione, quamvis levissimum, facilè redierit; Donec tandem setaceum nuchæ applicui, cujus beneficio perfectè sanata fuit, uti Cent. 1. Observ. dictum fuit. Quamvis autem vesicatorium, ut dixi, magnum applicarem, stillicidium tamen, & ardorem urinæ nunquam supervenisse, ausus sum affirmare. Hæc de effectibus Cantharidum in externis affectibus; In internis morbis de eis nullam habeo experientiam: eas enim nunquam exhibere volui, cùm in juventute mea, malignitatem earum in viro quodam juvene, de quo in sequenti observatione, viderim.

OBSERVATIO XCIX.

De gravissimis Symptomatibus, ex devoratis Cantharidibus ortis, & quomodo remota fuerint?

IUvenis quidam Bernensis, Gedeon Alder nomine, studiorum causâ Lausannæ degens, Anno 1587. cum quadam die post prandium ante Officinam Pharmaceuticam Dn. Claudii Marionis, pharmacopæi excellētissimi, cum quibusdam aliis ex suis commilitonibus garriret, & unus alterum irrideret, inquit Alder ad unum ex astantibus, quid vis mihi dare, & ego devorabo duodecim ex istis muscis Hispanicis, ad introitum officinæ in vitro venum expositis? Conveniunt inter se de pretio: famulus officinæ cantharides numerat, Alder illas omnes simul ridendo & jocando mastigat, & veluti cum aviditate devorat. Quid fit? Circa mediam noctem exoriuntur dolores atrocissimi ventriculi, ventris, renum, imò totius corporis, sanguinemq; maximo cum dolore mingit: Quapropter summo manè in consilium vocantur Viri clarissimi ac doctissimi, Dn. Claudius Auberius, & Dom Iacobus Aubertus Virdo, Medicinæ Doctores celeberrimi, qui protinus vomitorium ex copiosa aqua tepida ac oleo amygdalarum dulcium exhibuerunt, in eum finem, ut si quid veneni in ventriculo superesset, per superiora evacuaretur. Post vomitum Enema lenitivum, cui oleum violarum, amygdalarum dulcium, & butyrum recens in copia admixtum erat, exhibuerunt: illudq; eadem die sub vesperam, uti & sequenti die reiterarunt, ut videlicet venenum in intestinis contentum per inferiora extraherent. Carpis Epithema cordiale applicarunt: renes verò & hypochondrium dextrum oleo rosaceo, nymphææ, & butyro recentissimo simul mixtis, inunxerunt. Per os lac vaccinum, recens emulctum, cui nonnihil ol. amygdalarū dulcium admiscebatur, copiosè propinarunt: bis quoque in die potiunculam ex theriaca, confect. Alkermes, & cornu cervi, cum aquis cordialibus exhibuerunt. Hisce adhibitis remediis, & optimâ victus ratione observatâ, intra paucos dies feliciter restitutus fuit æger, & ad multos annos incolumis supervixit.

Ratio autem, cur à tanta copia cātharidum interemptus non fuerit, est, quod eas integras ferè devoraverit, & proinde efficacia earum minor, quàm si in pulverem redactæ fuissent, extiterit. Deinde etiam, quia statim ab initio summâ cum diligentiâ, & ex arte à præclarissimis & excellentissimis Medicis curatus fuerat. Hujus curationis & sanationis testis ocularis est Dn. Ioh. Melchior Schurmeister, Pharmacopæus Bernensis lōgè excellentissimus, & in hunc usq; diem 7. Martii 1631. per DEI gratiam vivens, qui & ipsemet cantharides, sic volente & urgente Gedeone, devorandas præparavit.

De gravissimis Symptomatibus, ex cantharidibus per os sumptis, videat Lector Ioh. Langiū Epist. 47. lib. 1. & Gabrielem Cabrollium Chirurgum celeberrimum Obs. 17.

OBSERVATIO C.

De clavis in pedibus, & quomodo curandi?

INter ea quæ corpori nostro molestiam adferre, ab omnibus tamen floccifieri solent, clavum in pede, quem & oculum picæ, germanicè Egersstenaug vocant, vulgus quoque numerat, sed perperam

peram: Si enim error circa affectum hûcce commissus fuerit, facillimè in gravissimum morbum evadet. Nobilissimum & egregium quendam Virum, & Serenissimi Principis ac Domini, Dn. Emanuelis Ducis Sabaudiæ &c. Consiliarium (quem de facie quoque hic Bernæ cognovi) eo extinctum fuisse, ex viris fide dignis habeo. Mihi simile quid in barbitonsore quodam videre contigit. Huic enim cùm claviculam instar verrucæ, ex attritu forficis, in apice dextri pollicis procreatæ, excidissem, ille verò me absente, nescienteq; nonnihil arsenici vulneri imposuisset, parum absfuit, quin vitam cum morte commutaret, uti lector in Centuria sexta videre poterit. Quotiescunq; igitur temerarii atq; artis imperiti homines, clavum huncce, sive duritiem, ad carnem vivam exscindunt, guttulamq; unam aut alteram, (uti vulgus facere consuevit) olei vitrioli, aut aquæ fortis, vel nonnihil arsenici imponunt, exoriuntur dolores acutissimi, inflammationes, convulsiones, lipothymiæ, aliaq; gravissima Symptomata, plerumq; etiam sequitur mors, uti Consiliario Ducis Sabaudiæ accidisse ante dixi. Aliam itaque viam ac methodum excogitavi, quâ memetipsum, uxorem item meam, aliasq; feliciter sanitati restitui, hunc in modum. Inprimis quia affectu sille propter attritum, & angustiam calceamentorum procedit, calcei angusti & ex corio duro parati, abrogandi, & ex corio tenell., uti est Hispanicum, quod Maroquin vocant, parandi sunt. Postea præparetur sequens balneum emolliens, pro pedibus.

R. Radicum altheæ
Malvæ,
Liliorum alborum,
Scrophulariæ majoris an. ℥j.
Foliorum altheæ,
Malvæ,
Violarum,
Florum chamomillæ,
Meliloti an. Mj.
Sem. lini,
Fœnigræci,
Anethi, an. ℥j.

Incidantur & contundantur omnia grosso modo, coquanturq; in aqua, in qua pedes per duas horas post cœnam immergantur, & per horam integram macerentur. Linteis calidis abstersis pedibus, in lectum calidum se conferat æger, & superdormiat, sequenti, uti & tertio die, (semper tamen post cœnam) iteretur balneum. Sic satis emollitis claviculis, novaculâ totum illud quod induruit, abradendum, abscindendumq; est, verùm pedetentim, & superficie tenus, non autem à superficie ad centrum, quemadmodum Centuriæ primæ Obs. 97. in curatione paronichiæ ostendi. Clavo sic ad radicem abscisso (quod sine dolore fit) emplastrum de cicuta, supra alutam tenuissimam extensum applicetur, fasciaq; carbaseâ ita ligetur, ut dies noctesq; adhæreat. Ab initio quaternis diebus, postmodum verò singulis mẽsibus, saltem renovandum est emplastrum: per menses tamen multos, imò etiam per annum integrum emplastrum gerere convenit, idque sine ullo fit incommodo, ac molestiâ, maximo tamen cum fructu. Hoc enim modo memetipsum, uxorem item meam, aliasque feliciter sanavi. Descriptionem emplastri pete ex epistola quadam, ad Nobilissimum ac Doctissimum Virum; Dn. Paulum Croquerum scripta, & consilio, de conservanda valetudine inserta.

Alia Observatio.

De Coxæ Luxatione.

Excellentissimo, Experientissimoq; Viro
DN. GUILHELMO ERNESTO SCHEFFERO
Med: D. & Practico celeberrimo
Guilhelmus Fabricius Hildanus
S. P. D.

Clarissime, Excellentissime Vir, amice plurimùm colende, Literæ tuæ doctissimæ 10. Januar. 1632. datæ, ritè ad me perlatæ sunt, quibus me obnixè rogas, ut meam de quodam gravissimo Coxæ affectu, adolescentis quindecim annorum, sententiam aperirem, consiliumque communicarem, an & quomodo futura aliqua spes sanationis? Quamvis autem ocularis in talibus casibus requiratur inspectio, tamen quæ de hoc statuo affectu, & quid agendum, lubenter impertiam.

Ex sagaci & fundamentali tua morbi descriptione dislocationem Coxæ dextræ deprehendo; quod inde constat, cum crus trium digitorum latitudine brevius altero, externæque pars coxæ debito more altior. Interna causa, uti scribis, est dolor ex affluxu humorum ortus, qui postea ob casũ de scala auctus, unde humores copiosiores affluxi, tendines & ligamenta mollia & lubrica reddiderunt, inprimis ligamẽtum brevi, quod, uti scis, caput femoris in sua capsula retinet. Hinc facilè intelligitur, crus brevius permansurum, adolescentemque perpetuò claudicaturum, cum caput femoris nunquam in suam Capsulam possit reduci, siq; hoc tentetur, frustraneus erit labor. Tendines enim & ligamẽta per affluxum alienorum humorum emollita, & lubrica facta, caput femoris retinere nunquam possunt. Hujus exemplum nobis contigit hîc in aliqua fœminâ primariâ, quæ cum equo ante sesqui annum decidisset, crusque dextrum lœsum esset, & principio morbi remedia convenientia non essent adhibita, præterlapsis septimanis quindecim, consilium meum licet serius imploravit, at barbitonsores tamen, me dissuadente & contranitente, reductionem coxæ ipsi persuaserunt, quæ, cum ter quaterque frustrà tentata fuerit, sine fulcro incedere non potest. Ejusmodi plura vidi, malumque semper pejus factum recordor.

Inanis & inutilis etiam est labor, quando ægrum calidioribus unguentis, ad tabem membrorum usitatis, ex Pyrethro, Euphorbio, sem. sinapi, similibusque excruciant Quamdiu enim causa tabis, quæ est dislocatio, abundantia mucoris, quæ vasa obstruit, & distorsio vasorum non tollitur, tabi mederi non poterit quispiam. Equidem post usum horum medicamentorum

acrium,

Obs. 100.

acrium, crus intumescit, non autem quasi bonũ nutrimentum per vasa attrahatur, sed potiùs cũ humores non naturales & contrarii tertiæ concoctionis ad cutem trahantur, illamque tumidã reddant. Quid verò tabis caussa agendum, postea referam,

Rebus sic stantibus, Coxarum restitutio naturalis fieri nequit, Optimum ergò, si coxa, totumq; crus omnibus remediis, quantum possibile, corroboretur. Observanda autem in hac cura sequentia.

1. Quod ægrotus in diæta omnes cibos frigidos, humidos, pituitam generãtes, omnesque superfluitates fugiat, talibusque vescatur, quæ boni sunt nutrimenti, hisce miscenda semper, quæ nervosas roborent partes, ut sunt Rosmarinus, Salvia, Majorana, Cortic. Citri, Aurantior. Ex hisce memoratis herbis fiat decoctum, additoque pauco melle vinum misceat, eædemque herbæ Cerevisiæ imponantur, & bibat.

2. Coxa Extensionibus & rebus acribus non vexetur, potiùs roboretur, quod commodè fit non emollientibus, sed potissimùm astringentibus. Inde perspicere in proclivi est, quod olea recommendata, uti ol. lumbricor. Anethin. Camomel. lil. alb. Axung. Tax. & Vulpin. &c. morbo inconvenientia, licet lumbrici singularem quandam possideant proprietatem, utilitatemque habeant in talibus affectibus, uti postea referam

3. Quia ob vitam sedentariam, exercitiorũque defectum, copiosa generatur pituita & ad locũ affectum tanquam imbecillem partem defertur, corpus sæpius purgetur benignis & placidis medicinis, vomitus etiam si interdum accedat, non nocebit. Corpore diæta & purgationibus præparato, fiat sacculus tãtus, quantus totum tegat coxam, ex sequentibus herbis & ad latitudinem pollicis impleatur, interbassetur, terque quaterque bulliat, & imponatur.

℞ Fol. & Flor. Betpnicæ Rosmarini, Salviæ, Primulæ veris, Lavendulæ Origani, Absinthii an. ℳj. Rosarum, Granor. juniperi, Musci quercin. an. Mij Sem Anis ℥ij

Incidantur omnia grosso modo.

De his herbis quantum satis, sacculo indantur, addatur Salis Mß. & duabus mensuris aquæ coquatur, calideque imponatur. Hic sacculus tres vel quatuor dies efficax est. Coxa ita mane & vesperi fomentata, totum crus, Coxa & Os sacrum succo lumbricorum inungatur, & tantisper fricetur, donec benè absorptus fuerit, Succus hoc modo præparetur.

℞ Crassissimorum lumbricorum Mij. vel iij, singulis sordes extrahantur & exprimantur digitis, (non enim vino abluendi,) concidantur minutissimè, posteà injiciantur cyatho stanneo sive argenteo, affundantur Aquæ Flor. Lavendulæ & Baccar. Juniperi. (quæ non cum vino sint destillatæ) an ℥iij Salis ℥j. Cyathus obturetur vesica humectata, ne quidpiam expiret, deinde aquæ imponatur, & coquatur quatuor vel quinque horas. Refrigerato Cyatho vesica auferatur, & succus per pannum crassum exprimatur, indaturque vitro angusti orificii, addaturque aliquid olei Amygdal. dulc. sive lumbricor. hoc modo per multos conservatur dies; utilissimus etiam est hic succus in tabe membrorum, corroborat nervosas partes, reseratque obstructiones arteriarum & venarum, vide libri mei caput 13. de Gangræna & Spacelo. Coxa & crure hoc succo benè inuncto, Emplastrum sequens molli inducatur corio, totique imponatur Coxæ. Loco succi Lumbricorũ inservire possunt Aquæ Betonicæ, Salviæ, Primulæ Veris, Lavendulæ, Granor. Juniperi sine vino præparatæ, In me ipso enim expertus sum, vinum internè & externè usurpatum nervosis nocere partibus, Emplastrum hoc modo fiat.

℞. Emplast. Diapalm. ℥iiij. Ceræ novæ ℥ij. Gumm. Elemi Tacamahaci, an. ℥j. Masticis Olibani an. ʒx. Lumbricor. terrestriũ subtilissimè pulverisator. ℥jß. Pulv. Ros. rub. Myrtillor. Balaustior. Ivæ Artheticæ Flor. Hyperic an. ʒij.

Dissolvantur gummata lentissimo igne in s. q. Olei lumbricor. & percolentur per linteum, postea commisceantur omnia cum Emplastro suprà dicto & Cera liquefacta, fiatque massa, addendo nonnihil ol. gr. Juniperi & Spicæ,

Balneo ex herbis ad sacculum præscriptis, addito pauco sale & Alumine, commodè etiam uti poterit, totumq; crus vel utrumq; in eo lavare. Finito balneo per horam in lecto quiescat, succoq; fricari, & emplastrum imponi curet. In usu balnei & sacculi corpus sit quietum, ne natura impediatur, si iterum ambulare incipit, calceus altior, in quantum crus brevius, paretur, ne pondus sive corpus plus imbecilli quàm sanę incumbat parti. Hoc processu Divina juvante Gratia plures sanavi, quod sine fulcro sive baculo incedere potuerint.

Tandem Dominus scire desiderat, quid de ustione coxæ, cujus Hippocrates lib. 6. Aph. 60. meminit, sentiam? Resp. illa non contemnẽda, sed magnifacienda, egregios enim & felices successus in coxarum affectibus inde secutos esse, verissimè vidi, verùm Hippocrates non vesicatoria & linum crudum, sed ferrum ignitum intelligit, quod ad verticem & juncturam coxæ penetrando urere possit, mucoremq; præternaturalem, circa articulum collectum, consumere. Cum autẽ hoc apud præsentem ægrotum factu sit difficilimum, de hac operatione agere jam supervacaneum est, DEVS Opt. Max. potiùs invocandus, ut præscriptis benedicat, quod ex animo precor. Bernæ 21. Februar. 1632.

Centuriarum & Observationum Chirurgicarum Finis.

GUILHELMI FABRICII HILDANI,

Illustrissimi Principis ac Domini

DN. GEORGII FREDERICI,
Marchionis Badensis & Hachbergensis, &c. nec non
Inclytæ Reipublicæ Bernensis Medico-Chirurgi ordinarii CONSILIUM:

IN QVO

De

CONSERVANDA VALETUDINE,

Item, de Thermis Valesianis, & Acidulis Griesbachcensibus, earum facultatibus & usu, succinctè agitur:

AD PETITIONEM

Nobilissimi, doctrinâ, prudentiâ & virtute Ornatissimi Viri

DN. ANTONII à GRAFFENRIED,
Inclytæ Reip. Bernensis Helvetiorum Consulis Prudentissimi,
conscriptum.

ACCESSIT EPISTOLA AD

Nobilissimum, Doctissimum & Amplissimum Virum

DN. PAULUM CROQUERUM,
Illustrissimi Principis ac Domini, Dn. CHRISTOPHORI
Ducis in Zbaras &c. Archiatrum dignissimum,

In quâ de Thermis Fabariensibus sive Piperinis, & nonnullis aliis lectu dignis, agitur; Adiecta Thermarum illarum tabula gemina, quarum priore tractus terræ & vicina loca: posteriore descensus formidabilis, ipsarum aquarum calidarum scaturigo, hospitia, labra & solia, totumque adeò antrum subterraneum, novo conatu repræsentatur.

VIRO
NOBILISSIMO, DOCTRINA,
Prudentiâ & Virtute ornatissimo

DN. ANTONIO à GRAFFENRIED,

Inclytæ Reipublicæ Bernensis Helvetiorum Consuli prudentissimo, Domino & Fautori meo singulari studio observando.

GUILHELMUS FABRICIUS HILDANUS S. P. D.

NEgotium, quod antehac mihi imposuisti, Vir Nobilissime, Amplissime, Consultissime, maturè quidem, ut promiserâ, executus sum, sed ut ingenuè fatear, ex parte saltem: Consilium enim de valetudine tuâ conservandâ, tum temporis quidem consignavi, sed propter occupationes varias, quæ ut Amplit. V. notum est, subinde mihi occurrunt, & præsertim propter iter, quod ad Illustrissimum Principem ac Dom. Dn. Marchionem Badensem & Hachbergensem, &c. jussu Magistratus mei Amplissimi feci, id revidere & describere non potui. Deinde, quia hactenus quotidie nobis convenire, & coràm colloqui concessum fuit, scriptum hocce veluti supervacaneum esse duxi. Cum verò ante dies aliquot ex Amplit. V. intelligerem, se iter ad thermas Vallesianas dirigere, & proinde præsenti consilio instructum esse velle, statim calamum arripui, & quæ consignavi, ex adversariis meis descripsi. Habet Amp. T. non tantum, quo in thermis tempus fallere, verùm etiam, (si præscripta diligenter observaverit) thermis cum fructu uti poterit. Sat citò itaque, utinam sat benè quoque esse possint. Quicquid tamen sit, spero, Amp. V. pro sua humanitate, & in me benevolentia, omnia benignè interpretaturum. Id verò ut facere velit, demisse rogo atque efflagito.

Tria autem ex me scire cupit Ampl. Vir.

Primò, quomodo sese in victus ratione gerere debeat, ut valetudinem diu conservare possit?

Secundò, quid de thermis Vallesianis cēseam, & quomodo S. Ampl.^t. eis cum fructu uti possit?

Tertiò, quid circa usum acidularum Griesbachensium observandum, de earumq; facultatibus, & an sibi prodesse possint?

Utinam ego eâ eruditione atque dexteritate essem præditus, ut omnia quæ hîc requiruntur, quæque Ampl. V. à me expectat, præstare possem; Nihil enim, dico sincerè, gratius aut optatius mihi accidere posset. Quia tamen Amp. V. provinciam hancce præ aliis mihi imponere visum fuit, dicam pro tenuitate ingenii mei, quid sentiam. Tuum erit, pro summa humanitate & in me benevolentia tua, omnia benignè interpretari. Id ut facere velis, obnixè rogo atque efflagito.

Cæterùm, Vir Amplissime, verissimum esse magni Hippocratis dictum, quod extat lib. 2. Aphorismo 37. *Qui corpore valent, difficulter ferūt medicationes*, nō rarò in praxi mea expertus sum. Et quamvis Hippocr. hoc loco, uti quoque Galenus in commentario istius aphorismi testatur, de medicamētis cum violentia purgantibus, quemadmodum tempore Hippocratis erant in usu, loqui non ignorem, ad alia tamen quoque non solum pharmaca, verumetiam, quæ comeduntur & bibuntur, si eis ita abutimur, naturam nostram insigniter alterent, hoc est, corpus nostrum aut præter modum excalefaciant, refrigerent, humectent, aut exsiccent, hæc quoque referri posse, quotidiana experientia fidem facit. Nisi enim medicamentum invenerit materiam peccantem, in quam agere possit, necessariò & quasi tyrannicè humorem illum, qui cum sanguine mixtus est, essentiam-

essentiamq; hominis constituit, aut ad se trahit, aut quovis alio modo insigniter alterat, harmoniamq; corporis destruit. Præter pharmaca autem insigniter corpus nostrum excalefaciendo & siccando alterant Thermæ (de quibus postea,) Item Aromata, præcipuè piper, Zingiber, Gariophylli, allium, cæpa, omniaq; calida, acria & salsa, vinum quinetiam generosum, in copia sumptum. Hinc, doctissimi Fernelii verbis utor, corporis omniumq; facultatum ejus perversio.

Ut enim calx ad arboris radicem conspersa fructum accelerat, arborem verò perimit, ita calidius alimentum, maximeq; vinum, suscitato calore spiritus facultatesq; erigit, mortem verò maturat. Dum enim corporis calorem auget, substantiam minuit: dumq; innati calidi spiritum & calorem habitu fovet, ejus substantiam, quæ humidum est primigenium, dissipat exsorbetq; omnem vitam alacriorem & vegetiorem, sed tamen breviorem facit. Præter modum refrigerant & humectant Aqua cruda, Lactuca, Portulaca, fructus Horarii, Cucumer, Melones, Persica mala, & similia. Refrigerat, extenuat, concoctionemq; perturbat acetum, in copia sumptum. Idem de reliquis censendum est. Quandoquidem constat, iterum Fernelii verbis utor, non modo spiritus & humores, quibus conservamur, sed & omnem corporis partiumq; constitutionem ab esculentis poculentisque mutari. Hinc intemperies, hinc obstructio, hinc cacochymia, hinc plethora, quæ vitia gravissimorum morborum causę antecedentes continentesque fiunt.

[...]orm [...]m [...] lib. 4.

Porrò cum A.T. partes principes, uti ex integris operationibus apparet, veluti integras habeat, non video consultum esse, corpus multis medicamentis gravare; præsertim in hac ætate (nondum enim quinquagesimum annum ætatis te prætergressum esse existimo) in qua calor innatus, qui multas superfluitates digerit & concoquit, adhuc vegetus ac validus est. Dixi autem ãtea, principes partes veluti integras esse, veluti inquã. Hepar enim in calore & humiditate multum excedere, amplitudo venarum, habitusque corporis calidus & humidus, uti & rubor faciei, satis indicat. Habet præterea A. V. cerebrum paulò humidius, & proinde catarrhis obnoxium. Quod quidem ex parte propter calorem hepatis modum excedentem, ut dixi, accidere, rationi consentaneum est. Calor enim ille per majores venas ad cerebrum elevatus, vapores quosdam crassos secum ducit, qui propter cerebri frigiditatem, in humorem convertuntur, iterumq; ex capite ad partes inferiores destillant. Deinde cum à teneris unguiculis studiis, postea verò negotiis politicis, & quidem gravissimis, strenuè incubuerit A V. mirum non est, si propter continuos istos labores, vigilias & lucubrationes, quibus homo politicus quotidie obruitur, caput factum sit imbecille, ac proinde defluxionibus obnoxium. Accedit & injuria aëris frigidi, quam ad annos aliquot, dum provinciam Archigrammatei administraret, quotidie in Senatu detecto capite te sustinuisse scio. De liene quoq; aliquo modo conqueritur Ampl. V. Hepate enim plus justo calido, plurimum gignitur humoris attrabilarii, cujus sedes est Lien. Negotiorum quoque gravissimorum multitudo non parum facit ad generationem humoris attrabilarii; humore isto à liene attracto, & quidem in copiâ, mirum non est, si gravitas hypochondriorum sequatur. Imbecillitas ventriculi inde quoque consequi consuevit. Calor enim hepatis, si modum excesserit, actiones ventriculi impedit. Ex humidiori præterea cerebro multum pituitæ, ad ventriculum decumbit, ipsiusque calorem hebetiorem reddit, ac proinde concoctionem retardat. Reliquas partes omnes integras & incolumes esse arbitror.

Cum itaq; ex Hippocratis sententia, corpus multis & inprimis valentioribus medicamentis minimè gravandum esse censeam, ac victus ratio, tam ad optimam valetudinem conservandam, quam ad amissam recuperandam, primum Medicinæ sit instrumentum, multi quinetiam morbi solâ dietâ curentur, suadeo, ut eam, quàm diligentissimè observes, omnemque excessum tam in cibo, quã in potu & corporis exercitiis evites.

Non solum enim cibi qualitas, verum etiam ipsius quantitas & exsuperantia naturam nostram lædit, & morbos generat. Quapropter rectè Hippocrates; *Vbi cibus*, inquit *prater naturam plus ingestus est, hic morbum facit.* Sub victus autẽ ratione tam cibum & potum, & reliqua, à Medicis res non naturales dicta, intelligenda sunt.

Libr. 2. aph. 17.

De Aëre.

Aër itaque intense frigidus, ut qui non solum cerebro & oculis (ut ego expertus sum) verùm etiam omnibus partibus nervosis, imò vitæ nostræ quæ in calore & humiditate consistit, adversissimus, fugiendus, præsertim detecto capite. Aër quoque calidissimus evitandus. Quandoquidem hepar, renes, inferioresque partes omnes corporis, ipsosque spiritus præter modum incendit, intemperiemque calidam hepatis & bilem adauget, humidum radicale diminuit, caloremq; nativum dissipat, & fluxiones capitis liquefaciendo in cerebro humores excitat. Nebulosus, item turbidus, fœtidus, crassus & humidus, quia spiritus obscurat, humores densat, & debilitato calore nativo concoctiones omnes lædit, fugiendus: temperatus verò, purus, serenus, tenuis, ventisque difflatus eligendus est.

De Cibo.

Cibus, qui subtilis ac concoctu sit facilis, multumque nutriat, eligendus est. Subtilis enim cibus subtilem ac laudabilem generat sanguinem, ac proinde spiritus puriores. Crassus vero è contra facit. Inter esculenta cum panis præcipuum obtineat locum, de ipso primum.

De Pan[e].

Sit ille ex optimo ac puro tritico, cum pauco sale, benè fermentatus, ac probè coctus, non calidus, neque nimis durus & siccus. Si ex purissima & à furfure mundata fuerit farina, multum quidẽ nutriet, alvum verò constringet, sin portio aliqua furfurum cum farina relinquitur, minus nutriet, alvum verò lubricam reddet. Furfures enim, teste Galeno, facultatem detersoriam habent. Panis verò azymus, hoc est, carens fermento, testante Galeno, loco præallegato, nemini, inprimis vẽtriculo imbecilli prædito, est commodus. At justa fuerit admiratio (Hippocratis verbis utor) si didiceris, quantum maza turbationem, & molẽ,

Lib. de Aliment.

Lib. de Victus ratione in morbis acutis.

& flatum, & tormen ventriculo inducat, si ingesta fuerit.

De Carne.

Sequitur de carne, quæ diversa est. Alia enim facile, alia difficile concoquitur. Concoctu difficilis est caro sale condita, & fumo exsiccata, præcipuè bubula, vaccina & caprina. Porcinam, quæ inter calidum & humidum temperata, & proinde maximam similitudinem cum carne nostra habet, insigniterque nutrit, ut docet Galenus de alimentis lib. 3. quia tamen valde phlegmatica, non usque adeò tibi convenire arbitror, recens tamen, & per dies aliquot sale conspersa, aut in muria ipsa macerata, deinde probè cocta si fuerit, non usque adeò nocivam tibi esse arbitror, præcipuè si excessus evitaveris. Sal enim humiditatem illam excrementitiam aufert & corrigit. Caro ferina, veluti ursina, aprina, cervina, leporina, præcipuè, si veterana fuerint animalia, concoctu difficilima sunt. Anserum aliarumque avium in aqua viventium excrementitia est, nec facilè concoquitur. Facilimè concoquitur, optimumque nutrimentum procreat caro castratorum, agnina, bubula, si nõ antiqua fuerit, vitulina, gallinarum, caponum, perdicum, turdorum, columbarum, avium in arboribus degentium, & similium animalium. Circa usum autem carnis in universum, ut docet Galenus, augescentium caro multò est præstantior, quam inclinantium ætate; media verò est, inter utramque florentium. Prava autem admodum est novellorum, sed diversa ratione, ac senũ: Siquidem horum caro dura est & sicca, ac nervosa, ideoque concoctu difficilis, & nutrimenti exigui; contrà animalium nupertimè editorum corpora, mucosa sunt ac humida, eoque excrementis plena; facilius tamen per alvum descendunt. Cum carne coquenda sunt Salvia, Rosmarinus, Majorana, Thymus, Hyssopus, Satureia, radices Fœniculi, Petroselini, & nonnunquam quoque acetosa, cichorium, lactuca, endivia, & similia, secundum anni tempus, & conditionem constitutionemque corporis. Ex radicibus tamen fœniculi, petroselini, aliisque insigniter diureticis, si cum carne cocta fuerint, brodium ante prandium est bibendum, nec reliquo cibo cõmiscendum, quod etiam de reliquis omnibus diureticis intelligendum est, quemadmodum postea, cum de acidulis agam, fusius dicam. Carnes, cum probè elixæ fuerint, optimum gignunt sanguinem, & præsertim, si animalium boni succi fuerint. Humidiores tamen carnes, qualis vitulina & agnina esse consuevit, assentur, quibus condimenta ex succo acetosæ, arantiorum, limonum, aceto & similibus addantur.

De alimentis lib. 3.

De Ovis.

Ova gallinarum recentia, & mediocriter cocta optimum gignunt sanguinem, multumq; nutriunt, anserum verò & anatũ ova contrarium efficiunt.

De leguminibus.

Legumina, veluti peassoli, lentes, fabæ, pisa, & hujusmodi, quia ventriculum gravant, difficulter digeruntur, sanguinemque crassum & pravum procreant, abdomen flatu adimplent, visum hebetant, obstructiones viscerum pariunt, fugienda sunt. Brodio tamen, in quo lentes aut pisa incoxerint, quia abstergit, urinam ducit, & obstructiones viscerum tollit, uti poteris.

De acetariis.

Pro acetariis conveniunt cichorium, cerefolium, fœniculum, mentha, flores buglossæ, boraginis, violæ, flores genistæ Hispanicæ, sambuci, cappares, olivæ, mala citria, nasturtium, Rhaponticum, Valeriana campestris inodora, sceuphu minimum alterum Lobelii, German. Lemmerlattig oder Rebkreß / das ist / Winter Salat. Lactuca & portulaca, quia visivos spiritus hebetant, minimè conveniunt, uti quoque melones & cucumeres. Præter modum enim humectant, ventriculum debilitant, & ipsius concoctionem retardant, impediunt.

De Piscibus.

Pisces magni & lacustres, uti quoque marini, & in sale ac muria asservati, minimè conveniunt. Eligendi itaque sunt mediocres & fluviatiles, veluti trutæ, lucii exigui, percæ saxatiles, aut funduli, Germ. Grundel vocant. Quorum alimentum, inquit ARNOLDUS de villa nova (licet squammis careant) ad voluptatem, concoctionem, simul & distributionem, & succi bonitatem præstantissimum est. Carpa sive carpio, quia mucosa & humore excrementitio abundat, vino, ut mucorem deponat, coquenda est, rarò tamen in usu esse convenit. Anguilla, quia limosus est piscis, & succum crassum præbet, obstructiones viscerum parit, inprimis autem calculosis adversatur, ut observarunt viri docti, hoc modo necanda & coquenda est. Habeat coquus lebetem cum suo operculo, in quem manipulos duos aut tres salis, parumque vini, deinde anguillam projiciat, quæ tam diu impetuose ex una in alteram partem se projiciet, donec necata fuerit, majoremque partem mucoris deposuerit; tunc abluenda, & cum vino & aromatibus coquenda est. Cæterùm pisces ab initio mensæ aliis cibis præponendi sunt, si tamen una in mensa cum carne & lacticiniis pisces minimè commiscueris, rectius facies.

Ar[omata].

Inter aromata præcipuè conveniunt cinnamomum, macis, crocus, & nux muscata, reliqua, veluti piper, zingiber, garyophilli, & similia, præcipuè in copia sumpta, calorem hepatis adaugent.

De S[ale].

Sal quoque, etiamsi cibum gratum efficiat, humores crassos subtiles reddat, & putredini adversetur, usus tamen ipsius moderatus ut sit, necesse est. Ventriculum enim reliquaque viscera, propter suam acrimoniam lædit. Cepæ, item allium, porrum, raphanus & sinapi, quia maximè calida, & acrimoniam quandam in se continent, & visui adversantur, aut ab eis abstinendum planè, aut ipsorum usum moderatum esse convenit.

De C[aseo].

Caseus, quia in hisce regionibus nobis cibus familiarissimus, non usque adeò nocuus est, inprimis modicè sumptus. Sit tamen neque putridus, neque cariosus, aut præter modum inveteratus. Propter salis enim & coaguli injectionem, progressu temporis humiditatem omnem deponit, acrimoniamque acquirit, & difficilè concoquitur. Poma, pyra, persica mala, fructus item horarii, cruda comesta nocent. Ventriculum enim præter modum refrigerant, concoctionem impediunt, & flatus procreant.

De P[otu].

Vinum sit album, tenue, optimè defecatum, neque nimis generosum. Inter vina autem apud vos usitata, saluberrimum est vinum, quod hæc finitima terra profert, der Landwein / & vinum

Neocomense, modò non sit nimis austerum & acerbum. Secundum locum obtinet vinum Equestrium, de la coste dictum, vinum Vaudensium, etiamsi ventriculo frigido & debili non sit inutile, quia tamen nimis vaporosum, & capiti ac nervis infensissimum, usus ipsius ut moderatus, illudque aqua dilutum sit, necesse est. Diluitur autem aqua simplici & cruda, aut decocto Agrimoniæ, & Veronicæ, Cinnamomo & Saccharo aromatisato.

Post pastum semen Fœniculi, Anisi, Coriandri conditi, masticatum & ingestum, conserva item Rosarum, & Miva Cydoniorum conveniũt, ventriculum corroborant, & concoctionem promovent. Excessus omnis tam in cibo, quam in potu vitandus est, nec unquam alius cibus sumẽdus, nisi ingestus prius fuerit concoctus. Sic enim (ut quidam magni nominis vir monet) edendum est, ut esuriamus, & sic potandum, ut sitiamus. Inprimis autem nocturnæ compotationes vitandæ sunt. Quandoquidem digestiones, quæ in ventriculo, Hepate & Venis, noctu præcipuè fiunt, si non omninò impediunt, retardant tamen. Hinc cruditates multæ, obstructiones venarum mesaraicarum, Hepatis, Lienis, omniumq; corporis partium (quæ veluti seminaria sunt gravissimorum morborum) sequuntur, visus item debilitatur, & caput catharris fit obnoxium. Quid plura? nocturnæ compotationes bonum habitum hepatis dissolvunt, bonam cerebri constitutionem (propter vapores, qui continuò sursum elevantur) destruunt, & nervos debilitant. Hinc arthritis, convulsiones, paralysis, epilepsia, vertigo, apoplexia, calculus renum & vesicæ, & sæpissimè repentina mors consequitur. Quapropter

Vt sis nocte levis, sit tibi cœna brevis.

De tempore & horis sumendi cibum, Medici sua quoque habent decreta, quomodo verò homo politicus, qui tantis negotiis, quantis T.A. submersa est, eas possit observare, non video. Vnum tamen iterum hic moneo, nimirum, ne cibum sumas, nisi cibus, quem ante sumpsisti, digestus, & ventriculus ab excrementis evacuatus fuerit, ne forsan impuro existente ventriculo cibus corrumpatur.

Exercitia corporis sint mediocria. Quemadmodum enim ex otio nimio multi gignuntur humores pravi, ita etiam exercitatio, quæ modum excedit, totum corpus debilitat, calorem nativum incendit, innatumq; calidum absumit, hinc labefactatio & infirmitas virium sequitur. Illæ autem mihi sanè, Galeni verbis utor, videntur utilissimæ omnium exercitationum, quæ nõ solum corpus exercere, verum etiam animum oblectare possunt. Quia autem exercitatio digestionem promovet, exiguos meatus expurgat, & excrementa expellit, utilius est, teste Galeno de tuenda valetudine lib. 2 eam ante cibum administrare, dummodò mediocris sit, nec laboriosa. Ubi enim fames, ut docet Hipp. lib. 2. aphor. 16. laborandum non est. Vult autem idem Galenus duplicem concoctionem, nimirum eam, quæ fit in ventriculo, & eam, quæ fit in vasis sanguinis, peractam esse, ac denuò tempus cibandi instare. Post pastum tamen modicè quoque corpus exercere convenit juxta illud:

Post pastum stabis, passu mollive meabis.

Post cibũ. Modica enim exercitatio post sumptum cibum, calorem nativum excitat & adauget, concoctionemq; promovet, violenta verò eandem impedit ac destruit. Nullum autem utilius aut præstantius exercitium corporis in hac ætate & statu vitæ tuæ tibi eligere poteris, quam deambulationem, dummodò non sit brevis. Breves enim deambulationes, ait Arist. 5. prob. 12. fatigationem movere magis solere, quàm longas, & de contrario in contrarium frequenter se movere, laboriosum est. Qui enim in brevibus viarum spaciis obambulant, ac sæpius progredi ac regredi coguntur, inæquali motione perturbantur. Spiritus præterea animales & visus propter continuam corporis circumvolutionem læduntur, & vertigo excitatur. Porrò quemadmodum in exercitatione corporis, ita quoque in studiis & gravissimis animi exercitiis, atq; occupationibus ac lucubrationibus nocturnis, & post sumptum cibum, ne ingenium omnesque actiones animales negotiorum gravissimorum multitudine obruantur destruanturque, mediocritas observanda, & excessus vitandus est. *De otio & quiete.* Otium quoque & quies mediocris esse debet. Immodica enim quies corporis & animi actiones impedit, multosque humores excrementitios procreat, & corpus debilitat, ut testatur Hipp. lib. 2. de diæta. Necesse tamen est, ut corpus labore defatigatum quiescat. Nam

Quod caret alterna requie, durabile non est.

Somnum moderatum quoque esse convenit, moderatus enim totum corpus roborat, internas partes humectat, concoctionem perficit, noxiosque humores ad emunctoria propellit, sæpe quoque mediante sudore expellit. Immoderatus verò contrarium efficit, calorem nativum obtundit, multosque humores crudos gignit, & corpus iners & ignavum reddit, ut postea dicetur. Quum enim, inquit Hipp. lib. de flatibus, corpus invaserit somnus, sanguis frigesit. A natura enim somno frigefaciendi vis inest. Infrigidato autem sanguine, languidiores fiunt ipsius meatus; quod hinc palam fit, quod corpora adgravata reclinantur. Et alibi: Somnus atque vigilia utrumq;, si modum excesserit, malum. *Lib. 2. aphor. 3.* Tam diu itaque dormiendum est, donec concoctio alimentorum in ventriculo & hepate sit peracta, & sanguis ex hepate & corde per universum corpus distributus, quod communiter, nisi crapula, ebrietas, & nocturnæ vigiliæ obfuerint, fit spatio septem, vel ad summum, & præsertim in eis, qui ventriculum debilem habent, octo horarum. Concoctionem autem peractam esse cognosces, si urinam atque excrementa reddendi supervenerit desiderium, si capitis gravitas, ventris dolor, ructus & oscitationes non, vel saltem paucæ adfuerint.

De somno meridiano. A somno meridiano planè abstinendum esse, aliqui docent. Ex ipso enim febrem, pigritiem, dolores capitis, catahrros, aliaque incommoda provenire putant, de quibus vide Avicennam, Arnoldum de Villa nova, & alios. Hæc

tamen

tamen non in omnibus locum habere, sed cum distinctione intelligenda esse, abundè in tractatu meo Germanico, de cõservanda valetudine Reg. XII. ostendi. Convenientissimum quidem, & maximè secundum naturam constitutum tempus somni, noctem esse, sat scio. Nox enim frigiditate & humiditate sua aptissima est ad quietem, tenebræ præterea & silentium noctis ad dormiendum invitant, dies verò ad laborem creatus est, interim tamen somnum meridianum non penitus rejiciendum esse existimo; præsertim, quando multitudine negotiorum gravissimorum, aut quovis alio modo, nocturnus somnus interruptus fuerit, tunc enim, si somnus meridianus supervenerit, minimè rejiciendus & negligendus est. Prostratas enim & propter vigilias præcedentes dispersas vires iterum colligit. Calor præterea naturalis in somno ad partes nutritioni inservientes concurrit, & concoctionem cibi externi & in prandio sumpti promovet. Sit tamen neq; longus, neque ilicò post prandium, nec depresso capite. Obesis & plethoricis somnum meridianum obesse testatur Hipp. de diæta lib. 3. humidam enim eorum cõstitutionem adauget; At T. Ampl. quia macilenta, securiùs eo uti poterit, præsertim in hac sua ætate, quæ magis magisque ad senium vergit. Senib. enim (clarissimi & longè celeberrimi Viri Dn. D. Dan. Sennerti Instit. med. lib. 4. cap. 6. amici mei integerrimi verbis utor) inprimis commodus est somnus, & vix aliquid est, quod senectutis siccitatem ita humectare possit, quam somnus. Atque hæc commoda non solum sani, sed & ægri percipiunt, siquidem per somnum vires valde reficiuntur, alimentum concoquitur, excrementitii humores elaborantur & separantur, dolores sedantur. Hinc Excellentiss. & celeberrimus Vir, D. Fœlix Platerus, p.m. amicus meus singularis, me præsente dicebat: Si quis somnum meridianum mihi ademerit, vitam ipsam ademerit. Immoderatus tamen somnus, sive nocturnus, sive meridianus fuerit, non parum nocet. Spiritus enim obscurat & torpidos reddit, mentiq; & memoriæ quasi segnitiem & stuporem conciliat, caloremq; crudis humoribus cumulatis, & superfluis cohibitis, evacuationibusque suppressis obtundit, & quasi ignem, qui multo modo ventilatur, torpere facit.

Felicis Plateri de somno meridiano sententia.

De cubiculo.

In hypocausto calido & angusto, aut quovis alio modo in aëre incluso dormire, periculosum est; præsertim, si humidus quoque simul fuerit. Inclusus enim aër ille, cum noctu attrahitur, cerebrum, pulmonem, reliquaque viscera lædit, ipsorumq; temperamentum ac spiritus inficit. Beantesium Lausannensem, & quidem ex Senatorio ordine virum, in hypocausto præhumido dormientem in lethargum incidisse, & extinctum fuisse memini. Cubiculum itaque sit amplum & perspirabile, in quo & nonnunquam flamma ex ligno aut granis juniperi accendatur, aut suffumigia suavia ex Benzoino, styrace calamita, mastice, olibano, & hujusmodi, quæ cerebrum partesque nobiles corroborant, parentur. Sit præterea à cloacasis, stabulis animalium, præsertim porcorum, aliisque locis sordidis, immundis atq; fœtidis remotum cubiculum. Linteanima, item culcitra & vestes sint mundæ, & inter rosas, spicam, botrydem, & similes herbas & flores asservatæ.

Observatio.

Cæterùm vigiliæ, si modum excesserint, non minus ac somnus immoderatus, noxam adferre, superiùs ex Hippocrate ostensum fuit. Nocturnæ enim & intempestivæ vigiliæ concoctionem impediunt, cerebum siccant, mentem & ingenium perturbant, & debilitant, nativum calorem humidumque radicale consumunt, & nonnunquam morbos peracutos, veluti febrim phrenesin, delirium & hujusmodi procreant: summo itaque studio ea, quæ nocturnum somnum impediunt, vitabis. Ea autem præcipuè sunt curæ, solicitudines, & anxietates, quibus homo politicus utplurimum obruitur. Vt autẽ cum animi securitate somnum inire possis, suadeo, ut nobilissimi & generosissimi viri, Dom. RANZOVII, Holsatiæ immortalis Decoris atque Ornamenti doctrinam observes. Is enim solitus fuit dicere, se cum cubitum contenderet, vestesque exueret, omnia simul negotia ac cogitationes, tam de reb⁹ publicis quam privatis, simul deponere & exuere, ut eò melius somno vacare possit: Summo autem mane se unà cum vestibus negotia & cogitationes pridianas reassumere. Quam consuetudinem tibi quoque servandam esse duco.

Quum ab eis, quæ à nobis ingeruntur, nõnulla veluti naturę nostrę familiarissima in corpore retineantur, & in ipsius substantiam mutentur, nonnulla quoque, veluti excrementa rejiciantur, danda est opera quàm diligentissimè, ne ea, quæ excerni convenit, retineantur, & contra, quæ retinenda, excernantur. In his enim si error commissus fuerit, valetudo nostra in discrimine versatur. In corpore autem retineri debent, Chylus, sanguis & spiritus. Excernenda verò sunt excrementa, veluti fœces alvi, urina, sudor, & similia omnia, quæ in corporis alimentum verti non possunt. Chylus est succus ille, qui mediante calore, & innata facultate ventriculi, ex cibo & potu per concoctionem elicitur. Ex quo postmodum sanguis & spiritus procreantur. Excernitur autem Chylus, & proinde sanguinis & spirituum materia proxima vomitione tum assidua, tum præcipuè medicamentis chymicis, veluti vitro antimonii, Mercurio vitæ & similibus facta, quæ sæpissimè non tantum humores noxios simul & Chylum, verum etiam ipsam animam evacuant, cujus rei exemplum vidi Lausannæ in Dom. ELEASARE PERIALDO, ibidem Philosophiæ Professore celeberrimo. Is sumpto Antimonio maximis cũ doloribus, convulsionibus & cruciatu vitam finivit. Nonnunquam quoque venenosa & pestifera illa qualitate horum medicamentorum facultates animales, vitales & naturales protinus ita supprimuntur, ut cùm vomitus consequi & venenum rejici non possit, vita brevi extinguatur. Vidimus id ante annos aliquot in optimo & piissimo viro Dom. JOHANNE FRANCISCO REGE. Quapropter donec rectè valeas, provocandã minime esse vomitionem arbitror.

De [...]

De [...]

Obs[...]

Si

Si quando verò propter inordinatam victus rationem aut intemperantiam (vix enim fieri potest, ut homo politicus exactè observet regulas omnes Medicorum) cibus malè concoquitur, aut in ventriculo corrumpitur, quod ex nausea & eructationibus acidis, aut etiam amaris & fœtidis cognosces, multum ad valetudinem optimam conservandam proderit, si semel in mense vomitum provocaveris. Fiet id horas duas ante prandium. Vomitu enim bilis& pituita præcipuè, &consequenter alii quoque pravi humores evacuantur. Hinc eos, qui frequenter vomunt, ut plurimum sanos esse videmus. Vomitum autem concitare poteris haustu magno aquæ tepidæ, cum oleo communi, aut

Vomitum ...ntia.

℞ Sem. Raphani ʒij.
Agarici ℈j. ß.
Ficuum pinguium N. iv.
Flor. Genistæ & Rosmarini ana p. j.

Coquantur in aquæ ℔ j. ſ. ad consumptionem tertiæ partis, Colaturæ accipe ℥ vj. in quibus dissolve

Syr. de succo acetosæ ℥ j.

Misce: Fiat potio, sumatur tepidè, deinde digito aut penna immissa gulæ excitetur vomitus. Sunt & alia vomitoria longè vehementiora passim apud Medicos in usu, veluti ex radicibus Asari, Helleboro albo, & Antimonio hyacinthico, sed hujusmoni nonnisi cum cautela & ab experto Medico præscripta, usurpanda sunt.

San...

Inter ea, quæ in corpore retinenda sunt, sanguis, qui, uti anteà dixi, ex chylo generatur, secundum obtinet locum, estque thesaurus vitæ, & ut nonnulli loquunrur, sedes animæ. Officinam habet in hepate, inde per venas veluti per rivulos in totum corpus diffusus, omnes ejus nutrit partes. Quapropter nonnisi maximâ urgente necessitate detrahendus est, unà enim cũ sanguine simul & spiritus naturalis detrahitur. Hinc hepatis refrigeratio viriumque labefactatio sequitur, adeò, ut omnes ferè, quibus frequenter in anno venæ secantur, aut qui hæmorrhagiâ narium & intempestivo fluxu menstruorum & hæmorrhoidum laborant, vix ad decrepitam ætatem perveniant. Peccante tamen sanguine, sive id fuerit qualitate, aut quantitate, ipsius detractionem non dissuadeo, dummodò id ex consilio prudentis Medici factum fuerit.

Spiritu...

Tertiò sequitur spiritus, qui nonnisi maximo cum periculo excernitur. Est autem Spiritus (doctissimi FERNELII verbis utor) corpus æthereum, caloris, facultatumque sedes & vinculum, primumque obeundæ functionis instrumentum. Qui triplex est, primus naturalis, ex aëreâ illâ portione sanguinis in hepate generatus, & inde in totum corpus effusus. Hujus spiritus portio quædam una cum sanguine puriori ex hepate per venam cavam in cordis ventriculos fertur, fitque spiritus vitalis, qui per arterias toti corpori communicatur. Ascendit & portio quædam, per arterias carotidas ad cerebrum, fitque ibi Spiritus animalis, qui inde per nervos omnibus corporis partibus diffusus, motum simul ac sensum, nec non actiones omnes animales perficit. Hæc propterea adscribo, ut cognita præstantia spirituum, curiosè eos conservare studeas, ne vel dissipentur vel extinguantur. Dissipantur autem & elabuntur Spiritus intempestiva & frequenti sanguinis missione, purgationibus vehementibus, vitro Antimonii, Mercurio vitæ æternæ, & similibus præparatis: per violentas quin etiam motiones & labores, vigilias, studia & inediam, exhauritur spiritus. Extinguitur verò & suffocatur propter crapulam nimiam& ingurgitationem vini.

De excernendis.

Hactenus de eis, quæ studiosè in corpore retinenda sunt, sequitur nunc de eis, quæ veluti inutilia excernenda; illa autem sunt non tantum excrementa trium concoctionum, nimirum fœces alvi, urina & sudor, verum etiam reliqua omnia, quæ in corporis alimentum cedere non possunt, veluti pili, ungues, narium mucus, & quæ ex auribus& oculis promanant sordes. Harum ne quid retineatur, curiosè providendum est. In primis autem danda est opera, ut alvus quotidie ad minimũ semel respondeat, suppressa enim alvo&retentis excrementis, primæ concoctionis vapores multi sursum elevantur. Hinc nausea, dolor capitis, vertigo, oculorum caligines, tormina, & hujusmodi consequi solent. Quod si per se & naturaliter non responderit alvus quotidie, non propterea tamen natura quotidie medicamentis defatiganda est, juxta illud quod ab initio protuli, Hippocratis dictũ; *Qui corpore valent, difficulter ferunt medicationes*: assuefacta enim natura medicamentis quotidiano eorum usu, postea si periculosus inciderit morbus, ab eis non alteratur, eaque, ut ita dicam, respuit & irridet. Victus itaque ratione humida, veluti jusculis carnium recentium, in quibus borago, spinachia, folia Rhabarbari monachorum, pruna & similia incoxerint, laxanda est alvus, si sicca fuerit. Poteris quoque ab initio prandii aut paulò ante prandium, pruna aliquot saccharo & aqua, parumque vini cocta comedere. In quibus si drachma una foliorum sennæ, & scrupulus unus cremoris tartari, parumque cinnamomi incocta fuerint, majorem vim laxandi obtinebunt. In maxima quoque siccitate & constipatione alvi, sequens enema non inutile est, quod quidem laxat, & alvum lubricam facit, simul tamen quoque nutrit. Accipe brodiũ carnis vitulinæ, aut agninæ, in quo borago, spinachia, aut rhabarbarum monachorum incocta fuerint ℔ j.

Enema domesticum.

Vitellos ovorum Num. 2.
Sacchari rubri ℥ ij.
Salis ʒ ij.
Ol. comm. ℥j.

Misce, fiat enema, quod tepidè injiciatur. Suppositoriis quoque ex melle & sale paratis, urgente necessitate alvum laxare poteris.

De flatu.

Ex flatu retento gravissimi morbi oriri solent, juxta hos resus:

Quatuor ex vento veniunt in ventre retento:
Spasmus, hydrops, colica & vertigo, hoc res probat ipsa.

Non itaque crepitus ventris, uti nec eructationes

tiones sunt retinendæ, ut habet proverbium, Tussi potius crepitum dissimulare, quàm comprimendo morbum accelerare convenit.

De urinâ. Urina quoque minimè est retinenda, sed quotiescunque naturæ gravis est, excernenda. Mirum enim in modum naturæ molesta est, & insigniter facultates omnes vesicæ debilitat, si vi & præter modum retenta fuerit.

Observat. Magnum & præclarum illud Mathematicæ artis lumen, Tychonem à Brahe hoc modo extinctum fuisse, ex relatione clarissimi ac doctissimi Viri Dom. Doctoris ANDREÆ TOXOTII, Serenissimæ ReginæDaniæ Archiatri longè celeberrimi, & olim convictoris mei suavissimi habeo. Is enim cum Pragæ in splendidissimo convivio Magnatum, propter verecũdiam urinam diutius, quam par erat, retinuisset, facultas expultrix vesicæ ita labefactata fuit, ut postea ipsam excernere non posset. Quapropter exorta inflammatione tandem naturæ debitum persolvit. Non est itaque retinenda urina, uti nec diureticis provocanda, nisi maxima urgente necessitate. Qui enim præter modum mingunt, his alvus exsiccatur, ut Hipp. docet libr. 4. Aphorismo ultimo. Diuretica præterea excrementitios humores secum versus vias urinarias ducere, obstructionesque (nisi corpus valde purum fuerit) procreare solent, ut postea fusius dicam.

De sudore. Tertiæ & ultimæ digestionis excrementum sudor est. Is ut plurimum post mediam noctem facta digestione, eis, qui integra sanitate fruuntur, dormiendo erumpere solet, si non per totum corpus, saltem circa emunctoria, ut natura inde humores noxios ex partibus nobilioribus expellat, quapropter minimè impediendus, quin potius diligenter & exspectandus, & linteis calidis abstergendus est. Quod si sudor universalis sponte tibi non supervenerit noctu, suadeo, ut per intervalla deambulatione, aut quovis alio exercitio corporis ipsum provoces, & linteis calidis abstergas. Laconicum, quo multi hodie ad sudores provocandos utuntur, tibi haud prodesse arbitror. Balneum enim, ut rectè Avicenna docet, lib. 1. Fen. 3. doctrina 2. cap. 5. cor debilitat facit syncopen & nauseam, humores quietos movet, & eos ad putrefactionem præparat, & cum eis ad membrorum debilium receptacula declinat. Ergo ab eis accidunt apostemata in occulto membrorum, & in eorum superficie. Caput præterea catarrhis obnoxium reddunt, & visum debilitant. Dum enim sanguis in hepate & vena cava præter modum in balneo incalescit, elevantur vapores multi ad caput, ibique propter frigiditatem cerebri in humorem condensantur. Quid multa? Balnea præcipuè, si immodicè eis utamur, ipsam vitalem facultatem, ut testatur Galen. dissolvunt, mortemque accelerant. Dum enim sudores copiosè & præter modum provocant, non tantum excrementitii humores, verum etiam utilis humoris portio quædam dissipatur, atque evacuatur. Hæc non tantum de laconico balneo, sed etiam de balneis naturalibus, sive thermis, siccis abutamur, intelligenda sunt. Ad sordes tamẽ cutis abluendas nonnunquam, quia ab incunabulis assuefactus, lavacro, sive tinâ, raro tamen, uti poteris, quæ etiam apud antiquos erat in usu. Sit autem labrum loco temperato collocatum, & ita quidem, ut ex ipso lavacro calido lectum calidum ingredi, & per horam aut semihoram quiescere possis. Cum enim repentinæ mutationes sint periculosæ, cavendum est, ne ex calido ad frigidum subitò declinemus.

De Laconico oder Badstuben.

Gal. lib. de usu respirationis & de causis pulsuum. lib. 3.

De lotione pedum. Lotiones pedum ad sanitatem conservandam quoque conducere, volunt Medici, & rectè quidem. Vapores enim, qui sursum elevantur, deorsum trahunt, quapropter catarrhosis, vertiginosis & hystericis visum corroborant, & digestionem promovent. Nequaquam autem ex aquâ simplici parandæ sunt, sed additis herbis convenientibus, uti sunt Betonica, Euphrasia, Salvia, Rosmarinus, Majorana, primula Veris, Origanum, Melissa, Artemisia, flores item Chamomillæ, Sambuci, Genistæ, semen Fœniculi, Anisi, Carui, & hujusmodi, quæ vim calefaciendi, incidendi & aperiendi obtinent. De horâ, quâ eis uti convenit, inter se non consentiunt Medici. Nonnulli enim id jejuno ventriculo, alii ante cœnam fieri debere volunt. Ego post duas horas post cœnam brevem, convenientissimum esse tempus lavandi pedes, existimo. Calefactis enim pedibus in balneo, si iterũ refrigerantur subitò, ut fieret, si balneo uteremur matutino tempore, aut paulò ante cœnam, maximum detrimentum inde consequi posse, aliquoties observavi, præcipuè, si aër frigidus fuerit, propter frigus enim vapores veluti cum impetu, & in copiâ sursum ad caput repelluntur.

Observatio. Addam exemplum. Genere & virtute Nobilissima Domia Anna von Sickingen/ Generosi ac strenui Viri Dom. Eberhardi Kämmerers von Worms genant von Dalberg uxor, cum anno 1613. paulò ante cœnam, & aëre existente frigido, lotione pedum usa fuisset, posteaque cœnam nobiscum sumpsisset, posteaque eadem nocte dolore capitis, defluxione ad pulmones, & tussi periculosa correpta fuit. A me summa adhibita diligentia tandem convaluit, & ad annum 1619. 21. Martii supervixit. Ex his manifestum fit maximum esse consensum inter caput & pedes, manifestum fit.

Observatio de pathia dum capitis cordis. Quod & ego, cum anno 1593. nobilem quendam Aquisgranum in Belgio ad thermas duxissem, observavi. Nobilis enim ille calorem thermarum absque virium prostratione, lipothymia & vertigine, sufferre non potuit, nisi ita collocato corpore, ut extremitates digitorum pedum extra aquam thermarum prominerent, quod & multis aliis in eisdem thermis ita accidere, ibidem à Medico tunc temporis ordinario, Domino Petro de Spinâ, posteà verò Illustrissimi Comitis Palatini Archiatro, aliisque viris fide dignis mihi relatum fuit. Vt igitur incommoda evitare, commoda verò procurare, fructumque ex lotione pedum capessere possis, abstersis pedibus linteis calidis, protinus ex balneo aut lavacro, ut in lectum calidum te conferas, necesse

necesse est; ne pedes aëris frigidi incommoditatem persentiant. Hæc de excretione excrementorum trium concoctionum. Sequitur nunc de reliquis excrementis, quæ cum in substantiam corporis nostri abire non possint, ut antea dixi, veluti inutilia abjicere quoque convenit. Primò crines, qui, cum ex fuliginoso, crasso ac terreo vapore membrorum internorum generentur, ut testatur Galenus, resecandi sunt, quotiescunque opus esse tibi videbitur, sed & singulis matutinis horis caput pectine & linteo tepido perfricare convenit, quo crines simul & cutis ab immunditie & furfuribus mundari possint. Os prætere semel in die, idque jejuno ventriculo, præsertim aqua parumque vini abluendum est, sed & dentes sale fricandi sunt. Hoc enim modo multum pituitæ per fauces ex capite trahes.

Sequens quoque pulvis ad dentes dealbandos & confirmandos aptissimus est.

Pulvis ad dentes dealbandos.

R. Iridis Florent. ʒij.
Corallor. præparatorum,
Cornu cervi usti & præp.
Alum. usti an. ʒj.ß.
Benzoini,
Styracis calamitæ an. ʒj.
Gariophylli ʒß.
Moschi grana sex

Fiat omnium pulvis tenuissimus, reservetur in vase vitreo.

Si erosio gingivarum adfuerit, tunc

Contra erosionem gingivarum.

R. Ligni Guajaci &
Sassaphras ana ʒij.
Aluminis usti
Cornu cervi usti an. ʒj.
Cochleariæ in umbra exsiccatæ, & in pulverem redactæ ʒj.ß.

Misceantur, & reserventur in vase vitreo. Mucus narium excrementum est cerebri, quapropter diligenter & sæpè expurgandus est. Si enim retinetur in cerebro, ipsius spiritus, & proinde constitutionem, actionemq; ac temperamẽtum corrumpit, & ingenium stupidum efficit. Nonnunquam & alia quàm gravissima symptomata procreat. Aures quoque & oculi à sordibus quotidie sunt expurgandi. Solent nonnulli oculos quotidie aqua frigida abluere, idque non absque insigni debilitatione visus fieri posse, non rarò observavi. Frigida enim humores & membranas oculorum paulatim ita condensant & inspissant, ut res objectæ difficulter ad humorem crystallinum, visus instrumentum præcipuum, pervenire possint, imò & spiritus ipse visivus hoc modo debilitatur. Abluendi igitur potius sunt aqua fœniculi (ex herba, non ex semine destillata) aut sequenti aqua, quæ visum mirificè corroborat & acuit.

Mucus narium.

Oculi quomodo abluendi.

Aqua visum corroborans.

♃. Euphrasiæ cum toto,
Herbarum fœniculi. Cave, ne addas summitates, propter acrimoniam seminis.
Anagallidis flore purpureo. ana M. xij.
Rutæ. M. vj.

Incidantur & proiiciantur in vas vitreum, superinfunde aquæ rosarum ℔. ij. Digerantur per dies quatuor in vase benè clauso, posteà destillentur in balneo Mariæ, serveturque aqua ad usum.

Valeriana quoque visum mirum in modum roborat, sive aqua ex radicibus, herba & floribus destillata oculos ablueris; sive tragea ex radicibus sequenti modo præparata, usus fueris.

Tragea ad visum acuendũ.

♃. Radicum Valerianæ ʒß.
Ligni sassafras. cinnamomi electi ana ʒij.
Florum betonicæ
Euphrasiæ
Sem. fœniculi ana ʒj.
Nucis muscatæ ℈ij.

Fiat omnium pulvis tenuissimus, cui addatur sacchari ℥vj

Summatur jejuno ventriculo, uti etiam post pastum: ventriculum enim caputque corroborat, visumque acuit. Unguium quoque extremitates sive præsegmina singulis septimanis abscindenda. Et, ut verbo dicam, corpus ab omnibus excrementis & sordibus mundum servari debet, qui optimam valetudinem diu incolumem conservare cupit.

Animi accidentia, veluti ira, mœstitia, timor, gaudium, & hujusmodi, summo studio, & quantum fieri potest, vitabis. Corpus enim, ut Galenus & experientia ipsa testantur, mirum in modum alterant; à naturali statu evertunt, & insignem ipsius caloris nativi commotionem efficiunt. In ira enim sanguis & spiritus, & proinde humores omnes in corpore effervescunt, incenduntur, & ad externas partes effunduntur. Hinc facies inceditur, acies oculorum obscuratur, membra tremunt, venæ sanguine turgent, & plerumque non sine discrimine vitæ dirrumpuntur, & homicidia aliaque gravissima scelera perpetrantur. Addam exempla aliquot.

De animi accidentibus.

Juvenem, cui caput vulneratum & cranium fractum fuit, ex solâ irâ in febrim incidisse, & mortuum esse memini. Vide Cent. 1. Observ. 17. & 18.

Exempla damni ex ira orti.

Ex vehementissima ira atque indignatione præstantissimum atque excellentissimum Virum Dn. Ioh. Griffonium, Chirurgum longe exercitatissimum, in morbum acutissimum incidisse, & periculosè laborasse, hisce meis vide oculis.

Mœrorem atque mœstitiam mortem accelerare posse, exemplum memorabile in sexagenariâ matronâ, virtute & pietate ornatissima Dom. Sarâ Scheuverin, aliâs de grosse Schrgone/ vidi. Illa enim, quum 10. Ianuarii Anno 1627. ab inepto & agresti tabellario literas accepisset, & inopinanter ex eis intellexisset, filium suum, Ministrum in Dalen in Argoviâ, diem suum clausisse, adeò mente fuit commota, & cordolio prostrata, ut vix perlectis literis in grabatum se projiciens, protinus syncope, deinde apoplexiâ correpta & extincta fuerit, uti fusiùs in 6. Cent. videbis.

Exemplũ noxiæ mæstitiæ.

Plura si de accidentibus animi videre cupis, vide doctissimum præstantissimumq; Virum Dn. Simon. Goulartium, Theologum summum, historiarum admirandarum & memorabilium, volumine primo, mihi pag 389. qui in unum fasciculum ex variis autoribus singularia multa de animi accidentibus collegit, ubi etiam videre est, præ gaudio magno homines extinctos fuisse, uti & ex incommodo risu, quod & insignis ille Philosophus ac Medicus Laurentius Ioubertus in libro

bro suo de risu testatur. Sic metus, inquit Magnus ille Philosophus ac Medicus Levinus Lemnius, de habitu & constitutione corporis lib. 2. c. 2 consternatio, repentinus terror atque improvisa subitaque periculorum aut mortis intentatæ formido, ita vires & formam depopulantur, ut nonnulli sui prorsus dissimiles appareant. Cujus rei exemplum memorabile nostra memoria edidit, juvenis quidam generosus ac nobilis, qui quũ in aula Caroli Cæsaris versaretur, indecorè parumque reverenter atque inhonestè se gessit; Siquidem virginis cujusdam, quam deperibat, pudicitiam expugnavit, quod in cœtu consensuque heroicarum virginum capitale censeri solet ac morte piandum, tametsi nulla vis illata sit, ac puella tacito quodam consensu, non magnoperè repugnare obluctarique videretur: itaque in carcerem conjectus est, postridie plectendus capite: nam id rigidè observare solent, ne quis impunè tale quiddam attentare, ac decus aulicum stupro fœdaque libidine contaminare audeat. Quum autem ea nocte tædio ac mœrore conficitur, ex angore mentis, conceptaque mortis formidine ita immutatus est, ut sequenti die, quum pro tribunali consisteret, à nemine eorum, quibus cum familiariter vixerat, ne à Cæsare quidem agnosci potuerit: adeò illi mortis horror vitæque desperatio paucarum horarum spacio colorem vigoremque corporis ademerat, ut omnis species formæque decor ac venustas defluxisse appareret, sic ut suprà quàm credi posset, squalida sit effecta facies. Color ex florido luridus & cadaverosus, aspectus horridus, indecora canities, barba situ & pædore, fœdaque illuvie deformata. Cæsar quum in illum defigit oculos, suppositicium esse suspicatus, ac fucum sibi factum, explorari jussit, an ipsus is esset, & an ementita aut adulterina canities, barbaque medicato aliquo liquamine oblita foret ac delibuta, quum autem tale nihil subesse animadverteret, aspectu viri attonitus atque obstupefactus, ex vindictâ in commiserationem animum deflexit, itaque satis pœnarum dedisse ratus, culpam illi remisit, ac violatæ ereptæque pudicitiæ crimen condonavit. Hæc Lemnius: Ex quibus, quid passiones animi in nobis possint, perspicuum fit.

Exemplũ moxia mœstitia.

Memorabile exemplum de subita canitie.

Hæc sunt, vir Amplissime ac prudentissime, quæ de victus ratione monere volui: quæ si exactè observata fuerint, omni procul dubio supervacaneum esset, corpus multis medicamentis gravare, sed quia homini politico, tot tantisque tam publicis, quam privatis negotiis veluti submerso, impossibile est, leges Medicorum omnes observare, necesse fore existimo, ut præter optimam victus rationem per intervalla, veluti semel in mense, medicamento aliquo benigno utaris, uti sunt sequentes pilulæ, quæ ventriculum omnesque partes nobiles mirum in modum corroborant, caputque clementer purgant, putredini humorum adversantur, & visum acuunt.

Medicamentum menstruũ benignũ.

℞. Alois succotrinæ purissimæ, & ter aut quater succo rosatum pallidarum imprægnatæ, iterumque exsiccatæ ℥j.
Rhabarbari electi ʒij.
Agarici recent. trochiscati ʒj.
Confect. Alkermes ℈iv.
Ol. Cinnamomi, & Fœniculi ana ℈j.

Misceantur diligenter in mortario cum s. q. Syrupi de Betonica, fiatque massa, de qua sumatur scrupulus unus, aut drachma semis, per duas horas post cœnam modicam. Purgant, ut dixi, clementer, & quidem sequenti die circa vesperã. Aut utere sequentibus, quæ visum mirum in modum roborant & acuunt:

Aliud.

R. Aloes præscripto modo præparatæ ʒvj.
Rhabarbari electi ℈iv.
Agarici trochiscati ℈ij.
Extracti Euphrasiæ & Betonicæ
Confectionis Alkermes ana ʒß.
Salis Euphras. &
Cremoris Tartari ana ℈ij.
Ol. Cinnamomi &
Fœniculi ana ℈j.

Misceantur, fiatque s. a. massa cum s. q. Syrupi de Betonica. Dosis est ℈j. aut ʒß. post cœnam sumenda.

Sic purgato corpore de sequenti vino tempore matutino, antequam in publicum prodibis, haustũ bibere poteris. Corroborat ventriculum, caput, hepar & lienem, concoctionemque promovet.

Vinum partes nobiles corroborans.

℞. Radicum Cichorii.
Garyophyllatæ
Enulæ Campanæ
Corticum Tamarisci
Corticum interiorum radicum frangulæ ana ℥j.
Herbarum Betonicæ
Euphrasiæ
Florum & foliorum Salviæ
Rosmarini
Summitatum Majoranæ
Agrimoniæ
Veronicæ
Cuscutæ
Linguæ Cervinæ
Ceterach ana M. j.
Cardui benedicti
Absinthii pontici
Centaurii minoris ana M. ß.
Trium florum cordialium & genistæ ana p. j.
Cinnamomi elect. & minutatim confracti ʒiij.
Macis
Nucis muscatæ
Zinziberis ana ʒß.

Incidantur omnia in minutissimas partes pro 12. mensuris vini albi & defœcati, nec nimis generosi, quale est vinum nostras, Landwein. Bis quoq; in anno, veluti in vere & in autumno paulò uberius corpus expurgare convenit. Id sequenti vino medicato commodè fiet:

Vinum purgans.

℞. Radicum polypodii
Corticum tamarisci, &
Corticum radicum frangulæ ana ʒj.
Rhabarbari electi ʒij.
Turbith gummosi
Agarici recenter trochiscati ana ℈iiij.
Foliorum Sennæ ʒiij.

Spe-

Specierum dianthos, &
Diarrhodonis Abbatis
Cinnamomi electi ana ℈j.
Cardui ben. p. ij. Incidantur omnia, fiatque nodulus, cui affundatur vini albi & defœcati q. s pro quatuor dosibus, tribus horis ante prandium sumendis. Aut poteris loco hujus vini sequentes sumere pilulas:

Pilulæ purgantes.

♃. Massæ pilularum aurearum
Cochiarum ana ℈j.
Trochiscorum Alhanduli
Diagridii ana gr. iij.

Cum Syrupo rosato solutivo formentur Pilulæ septem, addendo
Ol Cinnamomi
Ol. Fœniculi ana gutt. 4.

Aut Fiat sequens potiuncula:

Potiuncula purgans.

R. Rhabarbari electi ʒj. ß.
Agarici recenter trochiscati
Turbith electi ana ℈ij.
Fol. Sennæ ℈iv.
Spec. aromatici rosati
Diarrhodon. Abbatis ana ℈j.
Florum Tartari ℈j. ß.

Cum s. q. aquæ cichorii & betonicæ fiat infusio spatio 24. horarum. Deinde facta una aut altera ebullitione in duplice vase fortiter exprimantur, addaturque Syrupi de cichorio cum Rhabarbaro ℥ß. Misce: Fiat potio pro duabus dosibus. Sumantur quatuor horis ante prandium.

De venæ sectione.

Si sanguis in qualitate aut quantitate peccaverit, & præsens Medicus consultum esse invenerit, poterit vena in brachio secari, & secundum tolerantiam virium sanguis extrahi: quod in vere in dextro, in autumno in sinistro cubito aut manu fiet.

Nota de electione venæ.

Quærit Ampl. V. quænam vana sit tundenda? Respondeo, non opus esse, ut circa electionem sis solicitus. Omnes enim venæ brachii in ipso thorace ex una eademque radice, nempe ex trunco venæ cavæ proveniunt, ut post Vesalium lib. 3. cap. 5. Casparus Bauhinus, hujus seculi Anatomicus longè celeberrimus libr. 4. cap. 23. observavit, & testatur inutilem esse adeo curiosum delectum venarum unius vel alterius venæ, in eodem latere.

De apertione hæmorrhoidarum.

Sed quia Amp. V. plerumque de liene conqueritur, præstaret loco venæ sectionis in brachio aperire venas hæmorrhoidales, idque bis aut minimum semel in anno; videlicet in vere & autumno. Per hæmorrhoidales enim venas sanguinem crassum & fœculentum quàm commodissimè evacuari posse, sæpissimè expertus sum. Quamobrem non immeritò Galenus lib. de venæ sectione adversus Erasistratum scriptũ reliquit, hos vitam morbis minimè impeditam agere, quibus superflua per hæmorrhoidas vacuantur. Id Hippocrates quoque testatur lib. de humoribus, & lib. 6. de morbis popularibus his verbis: Qui hæmorrhoidas habent, neq; pleuritide, neque peripneumonia, neque phagadena, neque furunculis, neque tuberculis therebinthi figuram habentibus (nigræ sunt pustulæ maximè in cruribus, figuram therebinthi fructus habentes. Vide Galen. in comment. prædict. libr. Hipp.) corripiuntur: fortassis autem neque lepris: fortassis neque vitiliginibus. Ego sincerè adscribere possum, experientia me comprobasse, eos rarissimè Apoplexia, epilepsia, aut vertigine, & oculorum inflamationibus correptos fuisse, quibus hæmorrhoides fluebãt. Quid plura? apertione harum venarum gravissimos sanatos fuisse morbos, & in aliis, & in memetipso expertus sum. Addam Exemplum unum aut alterum.

Præstantia fluxus hæmorrhoid.

Exempla. I.

Septuagenarius quidam nobilis Paterniacensis N. de Glane Dominus in Cuscy, à multis annis singulis mensibus fluxu hæmorrhoidum laboraverat, quum verò tandem in decrepita ætate & in hyeme suppressus esset fluxus, & æger vernum tempus exspectaret, ut eas aperiri operam daret, en quadam die post prandium, cum rotam molæ circumvolventem attẽtè inspiceret, vertigine primò, mox quoq; paralysi dextri lateris correptus fuit. Ego cum in consilium adhibitus essem, & hæmorrhoidales venas aperuissem (suppressas enim esse probè sciebam) brevi ipsum restitui, quod alioquin in decrepita hac ætate & tempore frigidissimo vix fieri potuisset.

II.

Ego quum anno 1610. post infinitos labores & molestias, quas circa Illustrissimum Principem ac Dominum Dom. Ianutzium Ratzivilium &c. periculosè laborantem per multos menses tum Basileæ, tum in itinere ad thermas Piperinas in Rhetia, dies noctesq; sustinueram, quartana correptus essem, ex apertione venarum hæmorrhoidarum fructum longè maximum percepi, & ex morbo per Dei misericordiam sanitati restitutus sum.

III.

Genere & Virtute Nobilissimus quidã Lausannensis, Dominus Ferdinandus Lovisius Dom. in Chesan, 24. circiter annorum, quum propter obstructionẽ gravissimam Lienis, multorum præstantissimorum Medicorum consiliis per annos aliquot sine successu usus fuisset, tandem anno 1595. appropinquante Vere, cum Patavium se conferre vellet, an forsan ibidem à Medicis curari posset, priusquam in viam se daret, in consilium me adhibuit. Perlectis consiliis à Medicis ipsi datis, cum viderem, hæmorrhoidas apertas nunquam fuisse, suasi, ut id quamprimum fieret. Præparato itaque & evacuato humore atrabilari, hyrudines apposui, & ad uncias novem vel decem sanguinis extraxi. Hinc adeò sublevatus fuit, ut de itinere in Italiam non amplius cogitaret. Subsequente æstate aliquoties apozemata & purgationes iteravi, & regionem lienis Oleis appropriatis inunxi, & sub prima frigora autumni hyrudines iterum apposui, sic per DEI gratiam plenissimè convaluit, uxorem duxit, & per multos annos in conjugio feliciter vixit; apertionem tamen venarum hæmorrhoidarum nunquam neglexit. Non immeritò itaque Hippocrates fluxũ hæmorrhoidarum tantopere extollit.

Et quia Ampl. Vir de liene quoque nonunquam conqueritur, quemadmodum ab initio dixi, suadeo, ut præsidium hocce longè maximum minimè negligat. Suadeo præterea, ut regio lienis

Oleum lienis inungendo.

nis nonnunquam sequentibus inungatur, veluti oleo amygdalarum dulcium, liliorum alborum, chamomillæ, rutæ, & de capparibus. Ego oleum ex cochliaria herba præparo, quod singulari ac specifica quadam facultate, lieni ac lienosis prodesse, experientia edoctus fui, præsertim in Belgio, ubi opilationes, tensiones & scirrhi lienis, in scorbuticis frequenter occurrunt. Vt autem certus essem, facultatem à sola cochliaria proficisci, oleum illud sine ulla additione aliorum simplicium, solo oleo olivarum, addita herba succulenta, & contusa, per infusionem conficio. Sed difficultas est in educatione herbæ, hactenus enim in hoc tractu provenire noluit. Antehac periculum quidem hic Bernæ, Lausannæ & Paterniaci feci, sed frustrà. Dn. Paulum Lentulum p.m. hujus Reip. Archiatrum, eundem lapidem quoque movisse, & operam mecum perdidisse memini; res profecto mira. In Belgio enim multis in locis sponte provenit. Sed verisimile est, naturam in procreatione cochliariæ, propterea hic inertem esse, quod per DEI misericordiam Helvetia à dira illa lue, scorbuto videlicet (cujus præcipuum antidotum est cochliaria) immunis fuerit hactenus, Poterit Ampl. V. hac de re videre Cent. meam 5. in epistola quadam ad Dom. D. Ludovicum Schmid, Illustriss. Marchionis Badensis & Hachbergensis &c. Archiatrum, ab Obs. 5. Ego, ne præstantissimo hocce medicamento orbatus essem, Anno 1612. cum in Belgio essem, uti & anno 1622. Durlachii ex horto Principis mei, olei hujus copiam mihi feci: quo & etiamnum in ægris meis utor, pro se, vel additis nonnullis aliis oleis convenientibus. Hoc Anno 1628. iterum periculum feci, an forsan provenire vellet, & semen, quod ex Belgio acceperam, in hortum meum pensilem seminavi, quod jam in copia provenit. Faxit DEUS Opt. Max. ne infaustum nobis sit omen, & præcursor morbi, cujus est remedium. Cæterùm, antequam ulterius progrediar, Ampl. virum monere volui, ut sibi caveat, ne uno eodemque tempore ac momento diversæ venę in diversis partibus corporis inter se oppositis, incidantur. Error profectò magnus atque exitiosus, qui tamen à nostris hominibus quotidie in perniciem sanitatis usurpatur, dum venas vel in utroque cubito: vel ex uno latere in cubito, ex altero vero in manu: imò & in utroque pede, & utraque manu simul incidunt. Hinc tanta fit sanguinis & humorum agitatio, atque perturbatio in visceribus, ut non rarò gravissimi morbi subsequantur, uti videre poteris Cent. 4. Obs. 22. Et in tractatu meo de præstantia anatomiæ, sub titulo de Neroniana venæ sectione.

Scorbutus in Helvetia infrequês morbus.

Cochliaria Bernæ primo provenit Anno 1628.

De Neroniana sectione venæ.

De cucurbitulis.

Si gravedo capitis advenerit, aut defluxiones oculos faucesque molestaverint, poterint applicari scapulis cucurbitulæ magnæ; non tamen in laconico, sed ante ignem, vel prope fornacem. Laconicum enim tibi esse adversissimum, ante demonstratum fuit. Cavendum quoque, ne dorsum ante ignem, aut fornacem nimis incalescat; Ne sanguis in vena cava, quæ dorso adjacet, effervescat. Satiùs itaq; erit, si applicatio cucurbitularum in hipocausto, aut conclave aliquo temperato (linteis tamen calidis prius aliquantum fricatis scapulis) facta fuerit. Non est autem detrahendus sanguis, quod notandum, nisi maxima urgente necessitate, ex sanguine enim spiritus tam naturales, quam vitales & animales procreantur, ex sanguine omnes corporis partes nutrimentum, roburque trahunt; quapropter veluti thesaurus vitæ, & valetudinis nostræ, conservandus est, sed de his ante quoq; dictum fuit.

Porrò, Vir Amplissime, multa in te concurrunt, à quibus calor nativus debilitatur, humidumque innatum absumitur, sunt hæc, veluti curæ, sollicitudines, anxietates, labores in legationibus, lucubrationes nocturnæ, aliaq; quamplurima, quæ homini politico incumbunt. Iam verò quia propter caloris nativi imbecillitatem nihil aliud quam excrementitiorum & pravorum humorum abundantiam in posterum exspectandam, iterum Ampl. T. adhortor, ut usum pilularum antea præscriptarum, familiarem sibi reddat, deinde etiam ne præstantissimum hocce præsidium, ad conservandam optimam valetudinem toties A. T. à me propositum, fonticulos videlicet, amplius respuere velit. At cur quæso fonticulos respueres? Cum sine periculo, & dolore ferè formentur, & sine molestia gestentur, commoda verò, quæ ex eis sequuntur, vix exprimere possint? Ad eos enim natura veluti ad cloacam, excrementitios humores ex internis visceribus propellit, totumque corpus à variis morbis, qui ex redundantia pravorum humorum oriuntur, vindicat. De numero eorum, & locis, quibus eos applicare convenit, si A. T. ex me quærit, in memoriam revocanda sunt, quæ ab initio dixi, videlicet hepar in calore & humiditate temperiem multum excedere, & cerebrum paulò humidius & proinde catarrhis obnoxium esse. Ut itaque calor ille hepatis temperetur, & redundans humiditas evacuetur, primus fonticulus ad poplitē dextrum efformandus est. Alterum verò ad superfluos humores ex capite evacuandos, & catarrhos, qui ad oculos, faucesq; frequēter defluūt, derivandos & evacuandos, brachio sinistro applicarem. De præstantia horum fonticulorum ut multa adscribam, supervacaneum esse existimo; multoties enim fructum eorum, & rationibus, & exemplis Ampl. V. coràm exposui.

DE THERMIS LEUCENSIBUS in Vallesia.

De Thermis Vallesianis.

SEcundò, cum Amp. Vir thermis Vallesianis jam aliquoties usus fuerit, quærit, quid ego de illis censeam? dico, earum usum haud parum ad valetudinem conservandam, plerunque etiam ad amissam recuperandam conducere, dummodò ritè adhibitæ fuerint: sin minus, sanitati non parum obesse, in multis observavi, ut postea exemplis monstrabo: earum tamen usum Amp. V. non dissuadeo, sed observatis, quæ observanda. Mixtura autem harum thermarum, ut Martinus Rulandus, Gallus Etschenreuterus, & alii testantur, constat ex ære & sulphure, verùm æs in mixtura quantitate sulphur multum præcellit, quemadmodum lutum, aut veluti rubigo ferri, ex nigro rubescens, quod hinc inde circa scaturigines fontium invenitur, simul & aqua ipsa, in qua stipticitas

Mixtura.

citas quædam gustu percipitur, satis superq; indicat. Imbecillitatem ventriculi, præcipuè ex intemperie frigida & humida, emendant, Hepatis item, lienis & venarum mesaraicarum obstructiones auferunt. Catarrhosis quoque prodesse volunt, quod quidem verum, sed non omnibus. Quibus enim propter intemperiem calidam hepatis, caput catahris fit obnoxium, & destillationes ad pulmonem descendunt, his thermas Leucenses adversissimas esse, cum aliàs, tum in Dn. Samuele Bernhardo, Illustriss. Principis ac Dom. D. Georgii Friderici Marchionis Badensis & Hachbergensis &c. vidi Anno 1618. cujus historiam videbis Cent. 5. Obs. 82. Excalefacto enim hepate vapores multi ad caput ascendunt, qui postea ad pulmonem descendunt. Continet præterea thermæ hæ, præcipuè fonticulus aureus, das Goldbrünlein/ nonnihil vitrioli, uti tu ipsemet vidisti, quod pulmoni adversissimum est, præcipuè si aqua bibatur. Hydropicis præterea & qui calculo renum, aut dolore & imbecillitate juncturarum & nervorum vexantur, conveniunt, & ut paucis omnia comprehendam, in omnibus frigidis & humidis morbis, præcipuè in pituitosis corporibus existentibus, mirificè prosunt. Sed quia Ampl. T. hepar plus justo calidum habet, ac thermæ quoque intensè sunt calidæ, necesse est, ut eis circumspectè utaris. Id autem ut fiat, multa sunt observanda, omnia tamen paucis, & sub tribus capitibus comprehendam.

Primò, quæ ante ingressum thermarum facienda?

Secundò, quæ in ipsis thermis observanda? Ac

Tertiò, quæ post usum thermarum agẽda?

[Qu]a ante [ingressu]m [the]rmarũ [fa]cienda.

Quum itaque ad thermas perveneris, antequam ingrediaris, per diem unam aut alteram quiescendum est, quò vires in via labefactatæ sese colligere possint, & excalefactio corporis ex itinere contracta remittat. Interim quoque optima victus ratio observanda est: Deinde, ut corpus à pravis humoribus quam diligentissimè evacuetur, perquam necesse est. Humores enim pravi in visceribus existentes, si crassi fuerint, vehementia caloris thermarum exsiccantur, hinc obstructio viscerum, quæ veluti mater est multorum gravissimorum morborum, uti sunt icteritia, hydrops, podagra, calculus renum & vesicæ, sequitur; sequitur inquam, tandem caloris nativi omniumq; spirituum diminutio, virium prostratio, & mors ipsa. Si humores fuerint tenues, inflammantur in visceribus, fiuntque acres, quapropter febres excitant, & humidum radicale absumunt. Mirum itaq; nemini videri debet, Galenũ scriptum reliquisse *balnea facultatem corporis dissolvere, & mortem accelerare.* Hujus rei exemplum annotatione dignum vidi anno 1626. in nobili Puella Bern. CATHARINA BRUNERIN nomine. Illa cum obstructionibus viscerum, retentione mensium, destillationibus ad oculos & pectus, à longo tempore obnoxia esset, ex consilio imperitarum muliercularum, non purgato prius corpore, ad thermas Leucenses se contulit. Quid fit? Cum in decimum diem thermis innatasset, & post prandium jam per horas aliquot ei insedisset, subitò illi supervenit rigor, nausea, mox murmur, & dolor circa imum ventris, atque os sacrum, sed inprimis in inguine dextro. Inde in ipso momento cum impetu delabente materia quadam præternaturali, in dextram plantam pedis, alta voce (admirantibus omnibus) exclamat, dicens, sibi videri aquam gelidissimam in pedem dextrum, præsertim plantam & digitos, perfusam esse. Hinc protinus motus abolitus, & veluti rigidus factus fuit pes. Ad lectum deportata ægra, dolores adeò adaucti fuerunt, ut dies noctesq; ejulare & exclamare cogeretur. Subsequentibus diebus ad thermas quidem aliquoties deportata fuit, an forsan dolor ille acutissimus leniri, & frigus intensissimũ ac molestissimum pedis corrigi posset: sed, sine fructu: in ipsa enim aqua calida de frigore pedis continuò conquerebatur: summa itaque cũ difficultate in lectica Bernam deportata fuit. Vbi cum ego 18. Julii, qui fuit 12. morbi, in consilium adhibitus fuissem, pedem dextrum sphacelo jam occupatum esse inveni. Omnem quidem adhibui diligentiam, sed oleum & operam perdidi, ut Amp. vir fusiùs videbit in sexta centuria. Diligenter itaque ante ingressum ad thermas corpus præparandum & expurgandum est, huncin modum:

[E]xemplũ [no]xus bal[ne]i.

Potio purgans pro tribus dosibus.

♃ Rad. Cichorii cum toto
Rad. & Fol Acetosæ
Fœniculi
Polypodii ana ℥j.
Corticum interiorum radicum frãgulæ, &
Corticum tamarisci ana ℥jß.
Herb. Agrimoniæ
Veronicæ
Cuscutæ
Scabiosæ ana p. j.
Trium florum cordialium &
Genistæ ana p. ß.
Sem. Anisi &
Fœniculi ana ʒj.
Liquiritiæ mundatæ ℥ß.
Fol. Sennæ Alexand. mundat. ℥j.

Coquantur in ℔. iij. aquæ purissimæ, donec colatura redeat ad uncias quindecim, in quibus infundantur & macerentur sec. art.

Rhabarbari electi ʒiij.
Agarici recent. trochiscati ʒij.
Turbith. gummosi, &
Cremoris Tartari an. ʒj.

Specierum Diarrhodon. Abbat. ℈ij. Maneant in infusione horas 12. idque in loco calido, deinde facta ebullitione in duplici vase, fortiter exprimantur, addanturque Syrupi rosati solutivi, compositi cum rhab. agarico, & senna ℥j.ß. Aquæ cinnam. ʒvj. Misce. Fiat potio pro tribus dosibus, tribus aut quatuor horis ante prandium sumendis. Idque alternis diebus; primus & secundus haustus si non satis valide operati fuerint, addatur postremæ dosi electuarii de succo rosarum à ʒj.

De vena sectione. à ℥j. ad ℥ij. prout præsenti Medico necesse esse videbitur. Si plethora adfueit, incidenda est vena brachii, extrahanturque unciæ quinque aut sex sanguinis, secundùm tolerantiam virium. Post venæ sectionem, iterum per diem unum aut alterum antequam thermas ingrediaris, quiescendum est, ut vires propter purgationes & venæ sectionem refocillari possint. Atque hæc sunt, quæ præter optimam victus rationem ante ingressum thermarum facienda, quæ etiã Bernæ, antequam Ampl. Vir itineri se accingat, fieri possunt; sed videndum est, ne corpus in via crapulis multis iterum gravetur, aut equitationis vehementia vires labefactentur.

De iis, quæ in ipsis thermis observanda. 1. Regula. IN IPSIS THERMIS hæc tibi sunt observanda. Primò, ne intres nisi absoluto somno. Somnus enim naturalis cum vires reficiat, cruditates concoquat, superfluitatesque & excrementa expellat, minimè interrumpendus est. *2. Regula.* 2. Nisi priùs exonerata alvo atque vesica. Ex retentis enim atque ex calore thermarum excalefactis excrementis, vapores multi sursum elevantur, & aliquando lipothymiam, vertiginem nauseamque inducunt. Quapropter nisi alvus sua sponte responderit, suppositoriis, aut clystere aliquo lenienti, vel prunis laxativis provocanda est. Postea manus & faciem aquâ & vino abluere, dentesque sale fricare, ac tandem se ad thermas conferre convenit. *De potu aquæ thermarum.* Aqua quoque ipsa thermarum in aurora ad uncias septem vel octo bibita, in aliquibus alvum solvit, sed quia urinam simul movet, non possum probare contrarias hasce operationes, uno eodemque tempore, ac in uno subjecto factas.

3. Aëre existente frigido, obscuro & nebuloso, thermas intrare non convenit, uti nec ante ortum solis. Necesse enim est, ut aër beneficio solis ab omnibus vaporibus nocturnis purificatus sit. Quapropter post cœnam & solis occasum à balneo abstinendum est.

4. Ingrediundo & exeundo balneum, corpus quàm diligentissimè vestimento apto muniendũ est, præcipuè, si aër fuerit frigidus, ne apertis poris frigus noceat partibus nervosis.

5. Locus eligendus est in balneo, qui non sit nimis calidus. Cum enim Amp. T. hepar habeat plus justo calidum, ut ab initio ostensum fuit, neque viribus admodum valida sit, ne præter modum in thermis incalescat, prospicere debet.

6. In ipso balneo neque comedere, neque bibere convenit. Natura enim, quæ tunc circa operationem thermarum occupata est, sumpto cibo & potu perturbatur, & chylus nondum satis digestus & coctus calore balnei ad hepar venasque trahitur, maximo cum valetudinis detrimento. Quod si tamen labefactatio virium verenda esset, poteris ante ingressum ad thermas jusculum aliquod carnis, in quo vitellum ovi dissolutum sit, bibere, aut ovum sorbile, haustumque vini accipere, & paulò post ad balbalneum Te conferre. Sequenti quoque Trageâ, quam Anno 1617. Tibi, cum thermas Vallesianas quoque inviseres, præscripsi, quaque cum fructu usus fuisti, etiam in posterum uti poteris.

Tr. ante ingressum ad thermas mem.

R. Specierum aromatici rosati,
Diatrion Santali,
Diarrhodonis Abbatis ana ʒß.
Cinnamomi electi,
Corticum citri sicc. ana ʒj.
Pellicularum ventriculi gallinar. ʒj.ß.
Macis ℈j.
Sacchari rosati ℥iiij.

Misce, Fiat tragea, quæ pane tosto & vino irrorata, paulò ante ingressum ad thermas sumatur ad libitum & tolerantiam ventriculi.

Lipothymia modo ... curre... 7. Si lipothymia aut labefactatio aliqua virium in ipso balneo advenerit, ut nonnunquam propter dissipationem spirituum, aut quod corpus ante ingressum thermarum ab excrementis exoneratum non fuerit, accidere, solet, nonnihil aquæ cinnamomi, absque vino destillatæ, aut parum confectionis Alkermes accipere poteris, sed ut protinus ex balneo in lectum te conferas necesse est, ubi ad vires recuperandas iterum aliquid aquæ cinnamomi & confectionis Alkermes, aut sequentes tabellas, vel etiam jusculum haustumque vini accipere convenit.

Tabe...

R. Specierum Aromatici rosati ℈ij.
Specierum de Gemmis, &
Lætificantis Galeni,
Confectionis Alkermes ana ℈j. ß.
Sacchari ℥iij

Not... Misceantur in mortario, addendo aquæ cinnamomi q. s. fiatque pasta, ex qua formentur parvi morselli, qui paulatim in umbra siccentur. Pretiosa enim medicamenta illa, si cum saccharo calido commisceantur, vires suas amittunt.

8. Ita in thermis se gerendum, & in eis persistendum est, ne corpus supra modum incalescat, & intemperies calida internorum viscerum oriatur. Quemadmodum enim temperatus calor viscerum, qui ex thermis eis inprimitur, humores noxios concoquit, digerit, & quæ in externis partibus corporis sunt, evacuat, ventriculum omniaque viscera roborat: ita calor præternaturalis viscerum, ex thermis contractus, concoctiones omnes impedit, humidum radicale absumit, calorem nativum imminuit. Revocando præterea humores, qui in externis partibus sunt, ad centrum corporis, viscera omnia debilitat, destruit.

In thermis hilarem esse convenit. 9. In ipsis thermis hilarem esse convenit, absque magna tamen corporis agitatione, ne duplici modo incalescat, & operationes, quæ ex thermis exspectantur, impediantur.

Siccitas oris. 10. Sitis aut siccitas oris & linguæ si in balneo supervenerit, non propterea tamen ilico vinum aut aqua, quemadmodum multi faciunt, ingurgitanda est, propter causas, quas Reg. sexta exposui, sed sumas tabellam unam aut alteram succi berberorum, aut cerasa condita, item rob. de ribes, aut taleolum citronum, vel simile quid, pro oris suavitate atque refrigerio.

De tempore. 11. Quantum ad tempus, quo in balneo tibi persistendum, sufficit, meo quidem judicio, ut prima die spacium unius horæ non transgrediaris, hoc est, semihoræ ante prandium, tantundemque ante cœnam. Secundâ, tertiâ ac subsequen-

sequentibus diebus paulatim ascendendum est, donec ad horas quinq; aut ad summum sex perveneris. Cum enim corpore non usque adeo sis validus, & hepar habeas calidum, prospiciendum est, ne ex longiori mora in thermis vires dissipentur, & hepar magis magisque incalescat. Eodem autem modo atque ordine, quo ab initio, ascendendo ad horas quatuor, quinque aut sex pervenisti, moramq; in balneo traxisti, sic circa finem paulatim descendendum est, donec iterum ad horas duas, aut potius ad horam unam perveneris.

12. Balneo si egressus fueris, linteis absterso corpore in lecto calefacto (frigus enim post Balneum summoperè nocet, ut antea quoque monui) ad horam unam aut alteram quiescendum est. Interim si somnus & sudor sponte, & natura duce supervenerint, minimè interrumpendi sunt. Beneficio enim sudoris superfluitates multæ, in externis corporis partibus contentæ, evacuantur, spiritus in thermis dispersi recolliguntur, & humores agitati & commoti placantur.

13. Absterso sudore, & vestito corpore, secundum aëris conditionem, aut per prata & viridaria, aut in ipso cubiculo paulisper deambulare, deinde ad prandium te conferre poteris, ubi optima vict⁹ ratio observanda, & excessus omnis evitandus est, quemadmodum antea quoq; monui. Post prandium per semihoram integram, blandis & jocosis colloquis tempus fallendum, aut si labefactatio aliqua vitium adfuerit, aliquantum in lecto quiescendum est. Deinde corpus levi aliquo exercitio, aut deambulatione exercendum.

[post] [prandiu] [...]ndu.

14. Post horas circiter quatuor à prandio, thermæ iterum ingrediendæ sunt, prædictis observatis regulis, præterquam quod non tam diu in ipsis persistere convenit, quemadmodum ante prandium. Egressus ex thermis, iterum paulisper quiesces, reliquaque regula 12. & 13. præscripta observabis. Somno tamen hoc tempore minimè uti convenit. Deinde cœnandum est. Cœnam autem multis de causis prandio breviorem esse convenit; quemadmodum antea quoque dixi.

15. Post cœnam, nisi inclementia aëris obfuerit, per horam unam aut alteram deambulare, aut aliquo alio exercitio mediocri corpus movere, tandemque ad quietem te conferre, & somno te dare poteris. In quo modus quoque observandus est, quemadmodum antea dictum fuit. Nonnulli post cœnam thermas iterũ ingrediuntur, sed malè. Cum enim vim caloris ex centro ad circumferentiam corporis trahant thermæ, digestiones omnes, quæ maximè fiunt noctu, retardantur, & cruditates multæ in visceribus remanent. Quapropter omnia secundum rationem facienda sunt, nec intempestiva balneatione naturam, (quæ morborum curatrix est, & cum thermas, tum etiam medicamenta omnia ex potentia in actum vertit) in suis operationibus gravare aut impedire convenit. Quod facile in A. T. quæ viribus non usque adeò valida, & hepate paulò calidiori prædita est, fieret, si intempestivè thermis uti vellet. Quid plura? Cavendum est, ne viscera ex intempestiva balneatione præter modum incalescant, neque humores, qui in eis sunt, exsiccentur, obstructionesque subsequantur. Sed de his antea abundè dictum fuit.

[...]enã [...]agê.

[...]enã [...]nas [...]e o. [...]tur.

16. Sic pedetentim procedendo, ad dies viginti tres aut quatuor thermis uti convenit, quarum sex in ascendendo, & sex in descendendo impendendæ sunt. Reliquis diebus æquali ordine, hoc est, singulis diebus, ut antea dixi, ad horas quinque aut sex balneandum est, donec excoritatio cum pruritu superveniat. Interim tamen in usu thermarum eodem, ut dixi, ordine progrediendum, donec excoriatio sufficienter sit facta. Tum enim, ut epidermis nova regenerari possit, parcius & tepidius thermis uti convenit. Nonnunquam quoque durante excoriatione in lecto sudandum est; hinc enim humoribus in externis venis ac musculis contentis, copiosè evacuatis, citius & minori cum molestia curatur excoriatio.

Durante excoriatione quid faciendum.

17. Durante excoriatione, à medicamentis purgantibus abstinendum est, ne materia vi thermarum ad externas partes corporis attracta, à medicamento purganti ad interna viscera revocetur. Alvus tamen si constipata fuerit, suppositoriis laxanda & lubrica reddenda est.

18. Excoriatio si ante decimum aut duodecimum diem supervenerit (Id enim fit aliquando, & præcipuè in eis, qui subtiliori sanguine & humoribus acribus abundant) non propterea excoriatione sanata thermarum usus intermittendus est. In hujusmodi enim excoriatio nonnunquam bis supervenire solet, inprimis, si densitas cutis quoque adfuerit. Cum tamen in aliis, videlicet eis, qui cutem raram porosque patentes habent, ac multum in lecto & balneo sudant, vix semel appareat excoriatio. in quibus nihilominus de optimo fructu & bonâ operatione thermarum, minimè dubitandum est, etiamsi excoriatio non supervenerit. Causa enim conjuncta excoriationis mediante sudore evacuata est. De his A. T. monere volui, ne anxia esset, si excoriatio bis acciderit, neque etiam solicita & occupata, si ne semel quidem apparuerit. Qui enim excoriationem vi & intempestiva balneatione provocare student, gravissimè errant, optimamque valetudinem destruunt & corrumpunt, uti ex præcedentibus facilè colligere poteris.

Excoriatio non vi provocanda.

19. Symptoma aliquod, veluti constipatio alvi, febris, sitis immodica, dolor capitis, vigiliæ immodicæ, lipothymiæ, hæmorrhagia narium, aut simile quid, si in thermis supervenerit, protinus à lavatione cessandum est, hujusmodi enim symptomata ex intempestivo usu thermarum supervenire solent.

De symptomatib. quæ eis, qui thermis utuntur, supervenire solent.

20. Alvus si constipata fuerit, laxanda est suppositoriis, clystere, prunis laxativis, aut potione aliquâ, de quibus in præcedentibus abundè dictum fuit.

21. Ad febrem sitimque immodicam arcendam, corpus potione aliqua purgante laxandum est, ut

De Febre. Potio purgans.

R. Rhabarbari electi ℈iv.

Foliorum sennæ ʒj. ß.
Cremoris tartari, &
Cinnamomi optimi ana ℈j.
Sem. anisi ʒj.
Aquæ cichorii ℥ij.

Maneant in infusione horas octo, idque in loco calido, deinde fortiter exprimantur, addaturque syrupi rosati solutivi compos. ℥j. Misce, fiat potio. Sequens quoque Iulapium sitim immodicam arcet, caloremq; febrilem imminuit.

Iulapium ad sitim arcendã.

♃. Aquæ acetosæ,
Cichorii,
Buglossæ,
Lactucæ,
Fragariæ, ana ℥j.
Syrupi de succo granatorum, &
Limonum ana ℥j. ß.
Spiritus Vitrioli guttulas duodecim.

Misceantur, fiatque Iulapium, de quo sumas ter aut quater in die haustum unum. Si aquæ destillatæ in promptu nõ fuerint, paretur decoctum ex agrimonia, veronica, radicibus & foliis acetosæ, aut limonum vel berberorum, & guttulæ aliquot spiritus vitrioli, si intemperies calida viscerum adest maxima. Lac quoque amygdalarum dulcium præstantissimum est in febribus, refrigerat enim & multum nutrit. A vino abstinendum est, ejus verò loco decoctum agrimoniæ & veronicæ, saccharo parumque cinnamomi aromatizatum bibas. Calor febrilis si maximus, & plethora adfuerit, vena in cubito tundenda, parumque sanguinis extrahendum est.

Dolor capitis.

22. His si dolor capitis non cessaverit (febris enim ut plurimùm dolorem capitis sibi adjunctum habet) inungantur tempora oleo rosaceo completo aut populeonis, applicenturq; clysteres, suppositoria, aut potiuncula purgans. Quod si vehemens & contumax adeò fuerit dolor capitis, ut prædictis remediis placari non possit, applicetur fronti & temporibus linteum duplicatum, & sequenti liquore madefactum.

Linteum capiti applicandũ.

R. Aquæ betonicæ,
Rosarum, &
Plantaginis ana ℥ij.
Aceti rosati, ℥j.
Albumina ovorũ diu agitata Num. 2.

Misceantur diligenter & applicentur tepidè.

Linimentum pro regione hepatis & renum.

Et quia ex calefacto hepate & renibus, vapores multi ad caput ascendunt, refrigeranda sunt hujusmodi membra sequenti linimento.

R. Ol. rosarum,
Ol. ex nymphæâ, &
Violarum an. ℥j.
Caphuræ dissolutę in aceto rosaceo ℈j.
Misce.

Post inunctionem applicetur emplastrum santalinum.

De Vigiliis.

23. Vigiliæ immoderatæ & molestæ si supervenerint, addatur lacti amygdalarum nonnihil seminis papaveris albi, & cucurbitulæ: aut utere sequenti Iulapio.

Iula[...]

R. Aquæ lactucæ,
Buglossæ,
Betonicæ an. ℥j.
Syrupi de papavere ʒvi.
Specierum diamargariti frigidi, &
Diarrhod. Abbatis an. ℈j.

Misce, fiat potio, quæ per duas horas post cœnam sumatur. Aut accipe grana tria aut quatuor laudani. Frons inungatur ungu. populeonis, & applicetur linteum aquis supra scripta madefactum.

De li[...] thym[...]

24. Ex immoderata balneatione spiritus nonnunquam ita dissolvuntur, ut virium prostratio subsequatur. Quapropter omninò à balneo per dies aliquot abstinendum est, donec vires recuperaveris. Id autem ut brevi fiat, ex usu esse debent ea, quæ spiritus vitales instaurant, & humidum radicale adaugent. Hæc autem sunt, cibi optimi succi, quique multum nutriunt, præcipuè autem juscula carnium recentium, in quibus vitella ovorum sint dissoluta, & similia, de quibus antea abundè dictum est. Instaurant præterea vires aquæ cordiales; uti sunt, aqua cinnamomi, buglossæ, boraginis, melissæ, & rosarum, in quibus nonnihil confectionis Alkermis sit dissolutum, veluti hæc:

Potu[...] dialis

R. Aquæ buglossæ,
Et boraginis an. ℥j. ß.
Cinnamomi ℥j.
Syrupi de succo citronum ʒvj.
Confect. Alkermes ℈j. ß.
Margaritarum præp. ℈j.

Misceantur, fiatque potiuncula, de qua frequenter sumatur ex cochliari. Pulsus quoq; circa carpos eadem potiuncula fricētur ter aut quater in die: aut applicetur sequens epithema carpis & regioni cordis:

Epithema.

R. Aquæ Melissæ,
Rosarum,
Borraginis an. ℥j. ß.
Aceti rosacei, &
Aquæ cinnamomi an. ℥j.
Specierum diatrion. santali, &
Diamargarit. frigidi an. ℈ij.
Caphuræ ℈j.

Misceantur, fiatque epithema, quod tepidè applicetur. Solet nonnunquam ex intempestiva & immoderata balneatione sanguis ita incalescere, adeòque acris fieri, ut cum impetu sursum tendens, & venas capillares erodens, hæmorrhagia narium, & quidem periculosa, subsequatur. Quemadmodum Anno 1617. Excellentissimo & piissimo Viro Dn. Iacobo Bucher, Archigrammateo hujus Reipublicæ p. m. in ipsis thermis, & quidem me præsente, supervenisse memini. Ante annos aliquot honesta & pia quædam matrona Bernensis, immodico fluxu menstruorum laborans, suasu imperitarum quarundam mulierculærum, me acriter dissuadente, thermas Leucenses invisere voluit, ubi post primum & secundum ingressum thermarum fluxus adeò auctus fuit, ut parum abfuerit, quin vitam cum morte commutasset. Difficulter Bernam rediit, ubi paulatim vires suas recuperavit, & in hoc usque tempus vixit. Hæc adscribo, ut videat

De ha[...] morrh[...] gia na[...]

Obser[...]

Ampli[...]

Amplissimus Vir, quàm perniciosæ & periculosæ sint thermæ in eis, quibus sanguis aliqua ex parte fluere solitus. Quapropter si hæmorrhagia narium supervenerit, usus thermarum protinus intermittendus est. *Quibus enim* inquit Hippocr. lib. 5. Aphor. 19. & 23. *Sanguis fluit, aut fluxurus est, in his frigido uti convenit.* Sequens itaque potiuncula adhibenda.

R. Foliorum & radicum Arnoglossæ majoris
Foliorum lactucæ
Agrimoniæ
Veronicæ an. M ß.
Trium florum cordialium an. p. 1.

Coquantur in ℔j. ß. aquæ ad consumptionem tertiæ partis. In unciis tribus colaturæ dissolve terræ sigillatæ ℈ij.

Spodii, & cornu cervi usti & præparati ana ℈j.
Syrupi de papavere, & de limonibus ana ℥ ß.

Misce, fiat potiuncula, quæ reiteranda, quotiescunque necesse esse videbitur. Naribus turundæ madefactæ albumine ovi & pulvere usniæ cranii humani, aut pulvere nostro ad sanguinem sistendum, in tractatu de gangræna & sphacelo descripto, aspersæ infigantur, & linteum reduplicatum & posca madefactum, fronti & naso applicetur. Cucurbitulæ quoque scapulis applicantur, & brachia, uti quoque crura, ad poplitem fortiter ligantur. Plura de hoc symptomate videre poteris in peculiari scripto Germanico, quod in publicum dedi, & tractatui de Gangræna & sphacelo annexui.

26. Quod si durante excoriatione, nausea, vomitus, & appetitus prostratio supervenerit, uti vix aliter fieri potest, parciùs thermis utẽdum est. Vomitus arcendus est miva cydoniorum, aut tabellis antea descriptis. In appetitus prostratione cibus cum rebus acidis, veluti succo acetosæ, uvis immaturis, succo citronum, arantiorum, granatorum & similibus, præparandus est. Syrupi quoque ex prædictis succis præparati, uti quoque Syrupus berberorum, rob. de ribes, & hujusmodi, cum decocto agrimoniæ & veronicæ sumpti, nauseam, vomitum, & appetitus prostrationem durante excoriatione removent. Poteris quoq; nonnunquam aliquid conservæ rosarum, cui guttula una aut altera spiritus vitrioli sit admixta, deglutire.

Porrò constant thermæ Vallesianæ, ut antea dixi, ex copioso ære, imò & nonnihil vitrioli in se continent, inprimis fonticulus aureus das Goldbrünlein dictus uti A. T. quando cum ipsa Anno 1617 thermas Vallesianas inviserem, & aquam hancce probarem, ipsamet observavit & vidit. Ratione itaque æris simul & vitrioli aqua hæc jejuno ventriculo bibita, urinam movet, & proinde in obstructionibus hepatis, lienis & venarum mesaraicarum convenit. Suadeo itaque, ut tu quoque ea utaris. Sed nonnullis observatis regulis.

1. Non est bibenda aqua thermarum, nisi prius per dies quinque aut sex thermis usus fueris, idque in hunc finem, ut humores viscosi, visceribus inclusi, & beneficio thermarum aliquo modo emolliti & subtiliores facti, faciliùs per alvum & vias urinarias evacuari possint.

2. Prospiciendum est, ut alvus sit lubrica, dum aquam bibis, ne astricta alvo flatus in ventre accumulentur. Quod si sponte non responderit, laxanda est suppositoriis, aut clystere aliquo domestico, aut prunis laxativis.

3. Cumprimùm excoriatio supervenit, à potu aquæ desistendum est, ne natura, quæ tunc circa humores noxios, ut eos ad cutem protrudat, occupata est, conturbetur, & intus revocetur. Excoriatione tamen curata, iterum ad potum aquæ thermarum accedere poteris.

4. Ante ingressum ad thermas, urgente necessitate, jusculum carnis, aut ovum sorbile, haustumque vini sumi posse, superius dictum fuit. Sed si aquam thermarum bibis, necesse est, ut id fiat ventriculo planè vacuo, ne operatio aquæ à cibo impediatur.

5. Modus autem bibendi aquam thermarum talis sit, ut paulò ante egressum ex thermis, haustum aquæ ex fonticulo aureo, quatuor unciarum calidè bibas, deinde ad lectum te conferas, & per horam quiescas, absque sudore tamen & somno. Non enim intentio est, ut per sudorem, sed potius per alvum & urinam agat aqua illa. Postea paulisper deambulabis, tandemque ad mensam te conferes. Post prandium, si libet, eodem modo haustum bibas, sin minus, matutinus haustus major, hoc est, quinque vel sex, aut septem unciarum esse debet. Secunda die augenda est dosis, paulatimque ascendendum, donec ad libram unam, aut libram unam & semis perveneris. Tandem eodem planè modo, quo ab unciis quatuor ascenderis ad libram unam, aut libram unam & semis, descendendum iterum est usque ad uncias quatuor. Hactenus de eis, quæ in ipsis thermis observanda.

Quæ post usum thermarum facienda.

Cæterùm, Vir Amplissime, cum operationes thermarum, absoluta balneatione, non ilicò cessent, imò ad multos menses in nobis agant, necesse est (si aliàs fructum & utilitatem ex thermis expectare cupis) ut post usum thermarum optimam observes victus rationem, ne natura crapulis onerata, in suis operationibus perturbetur. Primò autem per dies aliquot in loco ipso quiescendum est, antequam te itineri accingas. Non solùm ut vires in thermis labefactatas recolligere possis, verùm etiam, ut pori aperti paulatim claudantur, antequam Gemmium, montem illum altissimum & frigidum conscendas. Aër enim hujus Montis cum adeò sit subtilis & frigidus, ut etiam mense Augusto (ut ego hisce meis vidi oculis) in ipso per nives sit deambulandum, si poros apertos invenerit, facilè penetrabit, & commoda illa omnia, quæ ex thermis exspectas, in incommodum convertet. Possem exempla in medium adferre, sed ad quid? cum res adeò sit manifesta, ut nihil supra.

Mulierib. præcipue frigus adversum.

Præcipuè autem mulieribus adversissimus est mons iste, propterea, quod viris magis à frigore lædantur. Deinde etiam, quia earum stolæ aut vestimenta, cum corpori, uti vides, minimè

mꝰ adhæreant, facilè frigus recipiunt, præcipuè circa genitalia, & imum ventris. Hinc uterus & viscera tam nutritioni, quàm generationi inservientia, præter modum læduntur. Dies itaque exspectandus & eligendus est, qui neque sit pluviosus, neque nebulosus, sed serenus & calidus. Danda quoque est opera, ne ascendendo & descendendo montem, corpus labefactetur, aut supra modum incalescat, præcipuè ascendendo propter subitam mutationem caloris & frigoris. Hæc autem & pleraq; alia incommoda facilè evitabit, ac longè majorem fructum ex thermis percipiet, si Ampl. V. in reditu per aliā viam, videlicet S. Mauritium, & Viviacum versus, iter suum instituerit. Id autem ut faciat, suadeo.

In itinere, uti quoque cum domum reversus fueris, excessus omnis tam in cibo & potu, quàm in exercitiis tam corporis, quàm ingenii, vitandus est. Alvus quoque lubrica sit, & si tormina aut tensio aliqua hypochondriorum adfuerit, corpus iterum levi aliquo medicamento purgandum est. Vsus quoque tabellarum, antea præscriptarum, ad corroborationem internarum partium non protinus intermittendus est. Hæc sunt, Vir Amplissime & prudentissime, quæ circa thermas observanda necesse esse, duxi.

DE ACIDVLIS GRIESbachcensibus.

Mixtura.

TErtiò, quærit Amplissimus Vir, quid circa usum acidularum Griesbachcensium observandum, & an sibi prodesse possint? Dicam paucis, quid de illis censeam. Continent autem in se, ut Tabernæmontanus & alii testantur, hæ acidulæ spirituales atque subtilissimas illas facultates, (quæ veluti animæ metallorum censentur) atque virtutes, ferri, vitrioli, salis crystallini, Bituminis liquidi, & sulphuris. Ferrum primum obtinet locum, reliquaq; omnia quantitate præcellit. Vitriolum sequitur; deinde sal crystallinum, bitumen, ac tandem sulphur. Ex his, quæ harum acidularum sint facultates, quæque inde sequantur operationes & commoda, facilè videre licet. Ratione enim ferri vim exsiccandi, corroborandi, refrigerandi & alvū movendi obtinent. Ferrum enim alvum movere, in tractatu de dysenteria ostensum est. Ex vitriolo vim abstergendi, resolvendi, attenuandi, incidendi, obstructiones aperiendi, intemperiemque calidam viscerum temperandi, & urinam atque sudorem movendi, trahunt. Propter admixtionem salis non tantum exsiccant, mundificant, & calefaciunt, verum etiam earū vis purgandi acuitur. Bitumen vim calefaciendi & molliendi ipsi tribuit. Mediante sulphure mediocriter (exiguam enim portionem, ut dixi, Sulphuris continent) calefaciunt, materiam viscidam lieni, venis mesaraicis, hepati, renibus, & vesicæ infarctam emolliunt, attenuant, doloresque mittigant. His omnibus à summo Archiatro ac Creatore omnium rerum, divina sua sapientia in ipsis terræ visceribus commixtis, fit medicamentum planè divinum, & ad plerosque gravissimos, ne dicam deploratos morbos debellandos, excellentissimum. Inprimis autem ventriculum omniaque membra nutritioni inserviētia corroborāt, & appetitum adaugent, obstructiones venarum mesaraicarū, hepatis, renum & vesicæ, aperiunt, & si quæ arenulæ in ipsis latitant, expellunt. Intemperiem omnem internorum viscerum corrigunt. Spleneticis, catarrhosis & arthriticis, mirum in modum conferunt. Icteritiam & aquam intercutem, ex intemperie calida ortam, sanant. Defluxiones oculorum tollunt, visum & auditum roborant, memoriam adaugent, vertiginem & epilepsiam curant, & à paralysi & apoplexia præservant. Sanguinem mundificant, & putredini internarum partium resistunt. Matrici mirum in modum conveniunt, eamque roborant & expurgant. Menses retentos promovere, superfluosque sistere, & fluxum album sanare, experientia edocuit. Sudorem & vrinam insigniter ducunt, & humores viscosos & arenulas, ut antea dixi, simul educunt, viasque urinarias mundificant. Nervos insigniter corroborant: quapropter arthriticis tum bibitæ, tum etiam in ipsis lotis conveniunt. Ischiaticos dolores, vbi alia medicamenta parum profuerant, & proinde pro deploratis habebantur, harum acidularum beneficio sanatos fuisse, in nobili quodam Bernensi, T. A. cognito, observavi. Vulnera, & ulcera tam oris, quam aliarū partium, scabiem item & contusiones, aliaque vitia cutis emendant, & sanguinem extravenatum dissolvunt.

Commoda acidularum Griesbachcensium.

Vi[...] aci[...]

Insignes autem ac præclaras hasce operationes, non in omnibus ægris & complexionibus, sed præcipuè in juvenibus, sanguineis, cholericis & melancholicis edunt acidulæ, uti quoque in eis, qui viscera interna illæsa, & adeò valida habent, ut acidularum facultates protinus ex potentia in actū deducere possint. Phlegmaticis verò senibus & decrepitis, omnibus denique, qui defluxionibus ad pectus, phthisi, tabe, asthmate aut exulceratione aliqua internorum viscerum, diabere atque summa refrigeratione & labefactatione hepatis, & inde nascente hydrope laborant, aqua acida veluti exitiosum & mortiferum est medicamentum.

Qui[...] noce[...] aci[...]

Vt autem cum fructu acidulis uti possis, tria quoque perpendenda sunt.

Primò, quid ante earum usum observandū?
Secundò, Quidnā interim, dum bibuntur?
Et Tertiò, quid post earum usum faciēdum?

Ad acidulas itaque cum perveneris, non ilico aqua, uti nonnulli faciunt, ingurgitanda est, sed per diem unum aut alterum quiescendum. Interim ut corpus expurgetur, necesse est. Id tamen clementer fieri debet. Quandoquidem acidulæ per se in multis alvum turbant. Sequens itaque lenitivum sufficiet.

Qui[...] te us[...] acidu[...] rum [...]cessu[...]

℞. Rhabarbari electi ℥j.
Agarici recenter trochiscati ℈ j. ß.
Spicæ Indicæ, &

Specie-

Specierum Aromatici rosati ana ℈ j.

Incidantur omnia minutatim, & macerentur per noctem in aqua cichorii & betonicæ, ana q. s. pro haustu, postea fortiter exprimantur, addanturque Syrupi rosati solutivi compositi ℥ß. aquæ cinnamomi ʒ ij. Misce, Fiat potio.

Purgato corpore si plethora adfuerit, vena brachii dextri incidi, parumque sanguinis extrahi poterit. Optima quoque victus ratio, tam in itinere, quam in loco ipso, & post usum acidularum, observanda est. Sed de his quia in præcedentibus abundè satis dictum fuit, subsistam, & ad secundum caput progrediar, modumque bibendi, & quæ inter bibendum observanda sint, paucis perstringam.

Sic satis præparato corpore, post ortum solis surgendum, alvus & vesica exonerandæ sunt, os quin etiam aqua parumque vini abluendum, posteà ad fontem ex spatia veris, pedetẽtim tamẽ, ne nimis incalescat corpus, & sudor provocetur. Ad fontem cum perveneris, drachmam unam aut alteram tabellarum, quæ sequuntur, sumas.

℞ Specierum Dianthos,
Diarrhodon. Abbatis an ʒ ij.
Confectionis Alkermes ʒ j.
Margaritarum præparatarum,
Corallorum an. ℈ ij.
Gummi Tragacanthi purissimi, & subtilissimè pulverisati ℈ j ß. ol. Cinamomi, & anisi an. ℈ j.
Sachari rosati ℥ viij.

Misceantur in mortario, addendo aquę cinnamomi sine vino distillatæ, q. s. Fiatque pasta, ex qua formentur morselli, qui in umbra exsiccentur, propter causas, quas antea recensui.

Deinde ad uncias sex ex ipso fonte in vasculum, aut poculum argenteum haurire, suoque operculo diligenter cooperire, & tantisper ambabus manibus tenere debes, donec frigiditas illa externa aut actualis aquæ nonnihil remittat, postea sensim ebibas, iterumque ad ʒ j. Tabellarum præscriptarum sumas, idq; tribus horis ante prandium. Indè pedetentim ad hospitium est redeundum, ibique corpus leniter movendum, sudorem tamen, ut plerique faciunt, minimè provocabis. Primis enim diebus, corpore beneficio acidularum per alvum & vias urinarias nondum satis expurgato, non video, quomodo sudor prodesse possit. Tandem te ad prandium conferre poteris, in quo omnis excessus tam in cibo, quam in potu evitandus est. Copiâ enim cibi & potus vis acidularum obtunditur. Cibus sit concoctu facilis, uti antea paragrapho de cibo & potu abundè dixi, vinum album, tenue, optimè defæcatum, minimeque acidum aut generosum eligatur.

Solent in mensa aquam acidam vino quoq; permiscere; quod ego tamen non probo. Cibus enim ut sufficienter concoquatur, & in chylum convertatur, necesse est ut in ventriculo moram aliquam trahat. At contrà aqua acida, quia maximè diuretica ad vias urinarias properat, hinc moram illam cibi in ventriculo tam requisitam, tamque necessariam, & proinde concoctionem ipsam impedit, atque illa acida vino permixta, inde sæpissimè (& præcipuè in eis, quibus calor nativus, & facultas concoctrix non usque adeò valida est) sequuntur obstructiones viscerum, venarum mesaraicarum, & hepatis inprimis, quas posteà morbi gravissimi subsequuntur. Suadeo itaque, ut in mensa vino, aut per se, aut decocto agrimoniæ & veronicæ, saccharo & cinnamomo aromatisato diluto utaris. Tantam enim quarundam acidularum urinam movendi inesse vim atque efficaciam, ut comestum & devoratum semen anisi unà cum urina per penem in aliquibus rejectum sit, viri docti observarunt, quemadmodum ex Observatione 72. Centuriæ tertiæ observationum mearum videre poteris.

Post prandium non ilico deambulandum, aut præter modum corpus movendum est, sed, ut concoctio probè perficiatur, moderata quies requiritur, à somno tamen abstinendum est. Circa tertiam post meridiem, iterum paulatim ad fontem deambulabis, iterumque ad drachmam unã tabellarum præscriptarum sumes, & ad uncias sex aquæ bibes, & postquam rursus drachmam unam comedetis, ad hospitium redibis; Ubi corpus mediocriter usque ad cœnam movendum est. Si aer fuerit frigidus, id in cubiculo, sin minus, per prata & viridaria fiet; Postea cœnandum est.

Solent nonnulli tribus aut quatuor horis post cœnam, iterum eandem mensuram aquæ bibere, verum T. A. id minimè consultum esse arbitror. Noctu enim dum dormimus, natura suas operationes præcipuè perficit, chylum, qui à præcedenti die propter motum corporis semicoctus ad hepar pervenit, ulterius & perfectius concoquit, sanguinem per totum corpus distribuit, omnibusq; membris nutrimentum suum assimilat, excrementa separat, & ad excretionem præparat. At si post cœnam aquam bibis, illaque urinas aut alvum ducit, interrumpitur somnus, retardanturq; prædictæ operationes omnes, idq; non sine maximo detrimento, & jactura sanitatis.

Sequenti die post exortum solis, uti quoq; post prandium, simili modo, uti primo, ad fontem exspaciandum, sed ad uncias decem aquæ pro vice bibendum est, non omissis quoque tabellis præscriptis. Tertia die iterum quatuor unciis augenda est dosis aquæ, & sic procedendo, & singulis diebus ad uncias quatuor pro vice augẽdo dosin, ascendendum est, donec ad libras tres, aut ad summum tres cum dimidia (intellige libras medicinales) perveneris. Idque fiet nona aut decima die. Si enim prima die bibis uncias sex aquæ, & singulis diebus addis uncias quatuor, bibes nona die libras tres & uncias duas, decima verò die libras tres cum dimidia, ubi ad dies sex aut octo persistendum, nec dosis augenda est: tandem cum descendendum est, eodem modo, uti ab initio, quotidiè unciis quatuor aucta fuerit dosis, sic descendendo singulis diebus abstrahendæ sunt unciæ quatuor, donec iterum ad uncias sex perveneris, ubi denuò ad dies tres aut quatuor persistendum est, antequam potatio acidularum omninò intermittatur. Dies itaque 28. aut 30. ad fontem impendendi erunt.

Inter bibendum si alvus non responderit, quod nonnunquam fieri solet, præcipuè in his, in

Marginalia (right): nalibus, mihi pag. 266. A — An acidulæ post cœnam bibendæ. — Si alvus constipata quid agendũ.

Marginalia (left, partly cut off): illa. — modo ... — ... acidam vino permiscenda — ...

in quibus per urinas insigniter operantur acidulæ, (Quicunque enim plurimum mingunt, parvam habent dejectionem) movenda est prunis laxativis aut sequenti clystere :

Hipp. aph. ult. lib. 4.

Enema.

℞ Aquæ acidæ ℔ j.
Mellis rosacei ℥ij.
Vitellos ovorum N, ij.
Ol. Olivarum ℥j. ß.
Misce, & iniiciatur tepidè.

Si tormina ventris adfuerint, præparetur hoc modo.

Aliud.

℞ Fol. Malvæ,
Betæ,
Flor. Chamomillæ
Sambuci ana M. j.
Sem. Lini
Anisi
Fœniculi ana ℥ß.

Coquantur in s. q. aquæ ad consumptionẽ tertiæ partis in ℔. j. Colaturæ dissolve vitellos ovorum N. duos. Sacchari rubri ℥ij. Ol. anethi & chamomillæ ana ℥j. Salis ʒj. Misce, Fiat clyster. Ea autem die, qua medicamentum purgans sumitur, usus acidularum intermittendus est. A sudore quoque abstinebis.

De sudore

Ab initio etsi quamplurimi sudorem quoq; deambulando simul & in lecto provocare solent, non video tamen, quomodo id tibi utile esse possit. Nisi enim primæ viæ per alvum & urinam prius expurgatæ, & ab omnibus excrementitiis humoribus probè expurgatæ fuerint, noxium esse sudorem provocare, nullus in controversiam vocare potest. Rapiuntur enim excrementitii humores ex centro corporis ad circumferentiam Molestum quoque & periculosum est, si ab initio natura per alvum, urinas, simul & per sudorem sese evacuat, & quidem uno eodemque tempore. Quandoquidem vires prosternuntur, & plerunque penitus supprimuntur. Addam exemplum.

Observatio.

Ante annos aliquot Nobilis quidam Bernensis, inveterata sciatica affectus, me suadente, ad acidulas Griesbachenses profectus est. Duxit ille secum famulum, hominem quadratum, robustissimum, & optimo corporis habitu præditum. Nobilis sanus ad suos rediit, famulus verò in via animam reddidit. Quæris causam? in promptu est. Nobili, secundum præscriptum, & modicè acidulis usus fuerat. Famulus verò secundum gulæ appetitum, imprudenter atque temerariè aquam in copia ingurgitaverat. Inde secutum est, ut cum acidulæ per omnes vias, videlicet urinarias, alvum simul & sudorem operarentur, tandem natura planè suppressa, vitaque simul evacuata sit. Ante quintum itaque aut sextum diem, sudorem minimè provocandum esse censeo. Postea paulatim naturam assuefacere convenit, hoc modo: Prima die, cum sudorem provocare volueris, sumptis acidulis, ad semihoram in lecto sudabis, secunda paulò plus, & sic paulatim ad horam unam & semis, aut ad horas duas ascendendum est. Deinde iterum pedetentim descendendum, donec ad semihoram perveneris; hoc modo vires conservantur, & humores noxii decenter & sine violentia evacuantur.

Circa sudorem autem hæc diligẽter observanda sunt. Primò, ne cum violento motu corporis, & deambulatione provocetur. Medicus enim ut naturæ motum observet, docent Hippocrates & Galenus, totaque schola Medicorum. Quapropter si natura versus alvum & vias urinarias tendit, ad sudores movendos minimè propensa fuerit, vim ipsi inferre minimè licebit. *Quæ enim ducere oportet*, inquit Hippocrates, lib. 1. Aphor. 21. *quo maximè natura vergit, per loca conferentia eò ducenda sunt.* Deambulatione itaque minimè provocandus, si verò in lecto supervenerit, exspectandus, & diligenter abstergendus est linteis calidis.

Quæ in sudore observanda.

2. Si sudando, aut post sudorem prostratio virium, aut lipothymia supervenerit, refocillandæ sunt vires jusculis carnium recentium, aqua cinnamomi & similibus.

3. Post sudorem aër frigidus fugiendus est, ne apertis poris ad partes nervosas perveniat, easque lædat.

Quæ post potionem acidularum facienda.

Sic absoluta potatione, per diem unum aut alterum, antequam te itineri accingas, apud fontem quiescendum est. Interim corpus benigno aliquo medicamento, qualia ante præscripta fuere, nisi jam per acidulas alvus frequenter commota fuerit, expurgandum est. Vires quoque, si labefactatæ fuerint, cibis optimis & boni succi, tabellis quinetiam aliisque cordialibus, antea præscriptis, corroborandæ sunt. Solent nonnulli acidulas secum domum asportare, & ad tempus uti, quod quidem non improbo, si vasis vitreis, ne spiritus evanescant, quàm diligenter inclusæ fuerint, & jejuno ventriculo, non autem in mensa bibantur, propter causas, quas recensui antea.

De diversis operationibus acidularum.

Cæterùm etsi jam dudum prolixitate mea metas epistolæ transgressus fuerim, unum tamen, antequam finem faciam, monendum est; nimirum acidulas secundum diversitatem subjecti, diversas producere operationes, atque effectus. In aliquibus enim per alvum, in aliis per sudorem, in reliquis verò per vias urinarias operantur. Nonnunquam quoque (quæ omnium optima est operatio) primò per alvum, deinde per urinam, tandem per sudores materiam peccantem educunt. Quàm diligentissimè itaque motus naturæ observandus est.

Si enim alvum ducunt acidulæ, diminuenda est dosis, imò etiam, si fluxus alvi ingens supervenerit, per dies aliquot quiescendum, & potatio intermittenda est, ne aucto fluxu ventris vires labefactentur, & Dysenteria periculosa sequatur. Ea enim famulum Nobilis illius Bernensis, cujus antea memini, extinctum fuisse, ex ipso Nobili habeo. De evacuatione per urinam idem intelligendum est. Si enim impetuosè & & præter modum moverint urinam, parciùs erũt bibendæ, ne Diabete, hoc est, fluxus immodicus urinæ, quem alii, teste Galeno, hydropem in vas urinale, vel Diarrhæam in urinâ vocant, superveniat. Id Dn. Werneri Meuntche Solodurensis filiolo, 7. circiter annorum Anno 1615. supervenisse memini. Cum enim Parentes puerum secum ad acidulas Griesbachenses conduxissent, & puer aquam acidam ad libitum, & nimis lautè bibisset,

Observatio.

tantus

tantus fluor urinæ secutus est, ut, an unquam talis visus sit, valde dubitem. Historiam integram in 5. Cent. Observ. 53. videbis.

Hæc sunt, Vir Amplissime atq; Consultissime, quæ hoc tempore ad cõservandam optimam valetudinem tuam necessaria esse duxi, quæ paulò prolixius consignare, & constitutioni corporis tui accommodare volui, ut essent veluti compendium eorum omnium, quæ ab Hippocrate, Galeno & aliis de optima valetudine prolixè & in genere tractantur. Quæ si diligenter observata, & administrata fuerint omnia, nullum mihi dubium est, quin maximum commodum inde tibi adventurum sit. Quod superest, Deum ter Opt. Max. suppliciter oro, ut abundè Amplissimo Viro suisque omnibus benedicere, & in multos annos ad DEI gloriam & emolumentum hujus Reipublicæ benignè conservare dignetur.

NOBILISSIMO, DOCTISSIMO,

Amplissimoque Viro,

DN. PAULO CROQUERO,

Illustrißimi Principis ac Domini,

DN. CHRISTOPHORI,

Ducis in Zbaras, Supremi stabuli Regis Poloniæ Præfecti, & Gubernatoris in Solec, Wielicensi & Hrubieszoviensi Capitanei, &c. Archiatro longè celeberrimo, Amico meo singulari studio observando.

Guilhelmus Fabricius Hildanus, Salutem à Christo, unico salutis nostræ Autore, precatur.

SEcundus ferè elapsus est annus, Vir Nobiliss. & Doctissime, quod Dom. Ioh Kriegius à nobis discessit. Ab eo tempore nihil literarum à T. Ampl. accepi, quapropter anxius sum vehementer, & dolet mihi ex animo tam diuturnum silentium vestrum. Hinc suspicor, literas ad Te meas iterum in via deperditas fuisse; Faxit DEUS clementissimus, Virum illum optimum, Dominum Kriegium non periisse simul in itinere illo tam longo, tamque periculoso, sed salvum & incolumem ad vos rediisse.

Cæterùm, quum dubius essem, an epistola mea Amplissimo Viro tradita esset, an verò propter distantiam locorum, qua invicem disjuncti sumus, iterum ut antea deperdita, visum fuit, illam publici juris facere, quod Amplissimum Virum non ægrè laturum esse spero. Id enim in eũ finem à me factum est, primò, quò certior fieri possem, tandem exemplar ad manus A.V. pervenire posse; Id autem ut fiat, ex animo opto. Accedit & alia causa, quæ ad illam divulgandam impulit, videlicet, me non ita pridem industria pictoris, quem habemus excellentem & ingeniosum, situm loci thermarum Piperinarum, ad vivum adumbrasse, cujus schematis Amplit. tuam inprimis, deinde reliquos omnes, qui thermas hasce invisere volunt, copiam habere cupio. Sed miraris forsan, quomodo pictor absente loco id præstare potuerit? Respondeo, perquam facilè id præstitit. Habeo enim specimen, sive structuram speluncæ, thermarum, ex argilla, cartha, scandulis & hujusmodi factam, in qua omnia, quę in antro isto profundissimo continentur, peritè adumbrantur. Illam egomet, cum Illustrissimum Principem ac Dominum, Dn. Janutium Ratzivilium, Ducem in Birze, Dubinki ac Schlucko, &c. Anno 1610. ad thermas hasce conducerem, successivis horis fabricavi, & huc usque mihi reservavi, quam &, si rectè recordor, Dn. Kriegius apud me vidit, quæ & à nostris, quibus locus notus est, approbatur. Sed quia spelunca hæc, in qua thermæ erumpunt, adeò mirabilis, & inter petras sita est, ut nihil supra, uno solo schemate ipsam adumbrare impossibile nobis fuit, duabus verò tabellis id facilè effecimus.

In primo autem schemate, sive tabella, superficiem antri, & ex ipso vaporem spissum ascendentem vides; Vides insuper viam ex pago Valens ad thermas descendentem, iterumq; ex thermis ad cœnobium Pfeffers ascendentem. Verùm enimverò, ut schema aut tabulam alteram exactè intelligas, pone tibi ante oculos speluncam altissimam & horridam, ex duobus parietibus inter se æqualibus constructam, parietemq; versus Occidentem ablatum esse, hoc modo pons, thermæ, diversoria, reliquaque, quæ in speluncâ parieti versus Orientem sunt annexa, in conspectum tibi venient. Adumbrationem parietis speluncæ, Occidentem versus, lubens omisi. Nihil enim adumbratione dignum in ipso conspicitur. Quandoquidem aqua thermarum ex pariete versus orientem erumpit, pons quin etiam, & diversoria, ut dixi, ipsi annexa sunt: trabes tamen, quibus diversoria superædificata sunt, M.M. notatæ, parieti versus Occidentem incumbunt.

Habes, Vir Nobilissime & Doctissime, quæ de thermis Piperinis observavi, simul & adumbrationem speluncæ thermarum, nunquam adhuc visam. Fatetur enim Münsterus, se situm

speluncæ & thermarum adumbrare non potuisse. Quod superest, Amplissimum Virum obnixè rogo, ut omnia benignè interpretari, amicitiamq; nostram porrò fovere velit: Ego vicissim polliceor, si quid labore aut ingenio ad dignitatem T. adaugendam, præstare potero, quam promptissimè id me facturum, & insuper DEUM ter Opt. Max. suppliciter oraturum, ut amplissimum Virum cum suis omnibus æternùm beare velit. Dabam Bernæ Helvetiorum 10. Iunii 1628.

Huc refer utramque Tabulam, qua territorium Fabiranum Numero I. & ipsæ thermæ Numero II. repræsentantur.

IDEM AD EUNDEM *VIRUM NOBILISSIMUM, DOCTISsimum, Amplissimumque,* DN. PAULUM CROQUERUM, &c. *EPISTOLA* DE MAGISTRALIBUS QUORUNdam Medicamentorum compositionibus: de Extractione item Fœtus mortui, & de Thermis Piperinis, ubi earum situs, ortus, facultates, & usus succincte describuntur.

Sæpissimè de Te cogitavi, imò & sollicitus fui, Clarissime & Doctissime mi Dom. D. Croquere; Ab eo enim tempore, quo hic Bernæ primò inter nos amicitiã contraximus, eamq; porrò Basileæ suavissimis & familiaribus colloquiis corroboravimus, nihil de Te intelligere, aut quorsum Divina providentia Te deduxerit, percipere potui. Iam verò, cum ex tuis, quas Krezminetii, in itinere Constantinopolitano ad me dedisti, literis, uti quoque ex latore Tuarum intelligerem, Te vivere non tantum, & valere, sed etiam Divina Providentia atque benignitate, ad summum dignitatis gradum collocatum esse, non mediocriter gravisus fui. Faxit DEUS Opt. Maxim. ut provinciam illam diu, ad Dei gloriam, commodum proximi, Tuamque salutem administrare possis.

Consilia D. Saraceni. Exspectavimus consilia Clarissimi Dom. D. Philiberti Sarazeni, quæ per Te lucem videre cõcesserat, sed hactenus nihil tale ad nos pervenit: distantia, quæ inter nos est, locorum forsan obfuit. Erant in illis ex scriptiunculis meis nonnulla, quæ utinam revidere possim, antequam prælo committantur. Tria autem proponis in literis tuis, ad quæ responsum exposcis: descriptionem videlicet Medicamentorum quorũdam in Centuriis meis contentorum: deinde etiam, quæ de extractione Fœtus mortui; & tandem de facultatibus atque usu thermarum Piperinarum comperta habeo.

Quoad Medicamenta, primò occurrit Oleũ ex floribus calidis, cujus descriptionem, uti & nonnullorum aliorum medicamẽtorum à te desideratorum, in V. Centuria Observationum, & Tractatu quodam novo de Meliceria & Ichore Celsi, quæ opuscula præ manibus habeo, videbis. Oleum quidem ex floribus sub titulo, Oleum ex Floribus Slotani. Cum enim hujus olei primordia à præstantissimo Medico-Chirurgo, Cosmo Slotano, p.m. Præceptore meo fidelissimo, habuerim, placet illud observantiæ ergò, meæ in Virum istum tam pium & eruditum suo nomine insignire, etsi hæc mea præparatio à sua longè sit alia. Quia autem nondum mihi constat, quando Tractatus ille propter belli tempestates, ubi studia supprimuntur, prodire possit, en accipe descriptionem.

Descri[ptio] Olei ex Florib[us] Slotan[i].


Tempore veris accipe Olei olivarum ℔. vj.
Catellorum Num. duos.
Ranarum aquatilium Num. xij.
Lumbricorum terrestrium, aqua lotorum M. iiij.
Aquæ Iuniperi sine vino distillatæ ℔. iij.

Coquantur lento igne, donec caro Catellorum ab ossibus separetur, & humiditas ferè sit absumpta. Colaturæ adde
Axungiæ humanæ,
Olei Scorpionum,
Muris Alpini,
Olei amygdalarum amararum an. ℔. ß.

Misceantur, & in vase vitreato aut stanneo magno & spacioso reserventur, postea adde Gemmarum populi arboris recentiorum, & contusarum ℔. iij.
Florum primulæ Veris
Ungulæ Caballinæ,
Betonicæ,
Genistæ Hispanicæ,

Camo-

Thermarum Fabaranarum in Helvetijs, Vulgo Pfäffers Badt accurata delineatio, qua non tritorij tractusq Vicini antriq formidabilis facies exprimitur, sed et ipsi imæ speluncæ recessus, scaturigo, hospitia, balnea et ascensus, nova inventione oculis obijciuntur.



Tabula II. ipsum Themarum antrum et ima repræsentans.



Camomillæ Romanæ,
Violarum,
Liliorum Convallium,
Lavendulæ,
Sambuci,
Anethi,
Salviæ,
Cheiri,
Rutæ,
Thymi,
Rosmarini,
Centaurii minoris,
Veronicæ,
Origani,
Tanaceti,
Ligustri,
Agrimoniæ,
Pulegii,
Meliloti,
Verbasci,
Absinthii vulgaris,
Rosarum odoriferatum ana M. j.

Florum Hyperici, nondũ apertorum, M. iv. Flores omnes optimè sint mundati, ita ut nihil herbarum eis sit admixtum, alioquin oleum erit viride, cum colorem aliquo modo rubrum propter flores hyperici, & gemmas populi habere debeat. Omnia misceantur simul in vase, ut dixi, spatioso, & vesica diligentissimè cooperto. Insolentur per totam æstatem, quò flores possint singuli suo tempore colligi, & recentes addi. Ineunte hyeme coquatur tota infusio in duplici vase, ad horas octo vel decem, vase tamen diligenter clauso, ne facultas & virtus florum evanescat, coletur oleum dum adhuc tepidum est, & reservetur in vase benè cooperto ad usum.

Est autem Oleum istud egregium & excellentissimum in omnibus nervosarum partium affectibus, inprimis frigidis. Discutit enim, corroborat, resolvit, flatus dissipat, doloresque insigniter lenit. Apoplecticis, Epilepticis, & Paralyticis summoperè convenit. Eo inuncto collo, in angina confert, præsertim in statu & declinatione morbi. Inuncto ventre, & perinæo, urinam, menses, & secundinas provocat, obstructiones viscerum, hepatis, lienis, & venarum mesaraicarum reserat. Nonnihil olei nucis Muscatæ, parumque Masticis cum ipso dissolutum ventriculum mirum in modum roborat. Additum farinæ Lupinorum, parumque fellis taurini, & umbilico applicatum, vermes enecat. Cum oleo Rosaceo, amygdalarum dulcium, cera, therebintina, gummi Elemi, Croco, & Vitello ovi mixtum, in formam unguenti, recentibus vulneribus, inprimis sclopetorum, utiliter imponitur. In omnibus contusionibus, præsertim capitis & nervosarum partium, nisi ingens adfuerit inflammatio, mirificè confert. In Contusionibus ab initio & augmento, oleo rosaceo mixtum, in statu verò & declinatione per se adhibitum, dolorem lenit, & sanguinem extravenatum resolvit. Doloribus aurium convenit, si turundis eo imbutis imponatur. Si ad partes tres olei rosacei completi, ut vocant, partem unam hujus olei admiscueris, & gingivas dentesq; , uti quoque tempora & malas inunxeris, gravissimos dolores dentium lenire, in multis expertus sum. Templa autem & malæ ter vel quater saltem in die, gingivæ verò singulis horis inungendæ sunt, oleum enim cum saliva facilè effluit. Post inunctionem loco dolenti linteum reduplicatum & calidum apponatur. In doloribus artrithicis in multis egregium est anodynum; in multis inquam. In nonnullis enim artrithicis, morbus tam contumax est, ut omnia remedia, quamvis approbatissima, respuat, & Medicum irrideat. In podagricis, si in ipso principio paroxismi, cùm materia peccans in motu est, & à capite descendit, dorsum hoc oleo, addito oleo rosaceo inũxeris, prohibebis ne materia peccans descendat, aut ad minimum paroxismum mitiorem efficies, quod & in memetipso expertus sum. Humorem enim circa spinam collectum resolvit. Et per insensibilem transpirationem evacuat. Protinùs tamen medicamento quàm lenissimo veluti pilulis Angelicis Dom. D. BEYERI, vel Marocostinis Dom. D. MINDERERI, aut pilulis in præcedenti consilio, pro Dom. à Graffenried præscriptis (quæ sic incipiunt, ♃. Aloes succotrinæ purissimæ, & ter aut quater succo rosarum pallidarum imprægnatæ &c.) corpus clementer expurgo.

Arthritis

Unguentum ad splenes induratos ex oleo amygdalarum dulcium, ol. de capparibus, pinguedine humana, ursi, caponis, & anseris in quibus succus cochleariæ, nasturtii aquatici, & tamarisci coxerit, conficio. Addo nonnunquam nonnihil gummi amoniaci, dissoluti aut in prædictis succis, aut aceto scyllitico.

Vngu. ad splenes induratos

Emplastrum de cicuta hoc modo præparo ℞. Gummi Am̃oniaci aliquantum contusi, & in vas vitreum aut vitreatum projecti ℥v. Affunde succi cicutæ, & aceti scyllitici ana partes æquales, ut ad tres digitos supernatent. Maneant in infusione dies sex vel octo. Interim accipe cicutæ succulentissimæ, & minutim concisæ Miij. Ol. amygdalarum dulcium ℥iij. coquantur lentissimo igne ad consumptionem ferè succi, percolato oleo admisce ceræ flavæ ℥ij. His peractis coquatur Amoniacum infusum, donec omninò dissolutum sit. Coletur, iterumq; coquatur lento igne, ad consistentiam & spissitudinem cerati. Tandem ceram & oleum quoque admisce, semper agitando donec refrigeratum fuerit, servetur in vase vitreato benè clauso, acetum autem scylliticum, quod notandum, cum aceto acerrimo recens debet esse factum; Acetum enim scylliticum facilè corrumpitur, & aciditatem suam omninò deponit.

Empl. de cicuta.

Nota de aceto Scyllitico.

Pulverem laxativum quo ego in variis affectibus utor, sic conficio.

pulvis laxativus.

♃. Foliorum sennæ Alexandrinæ mundatorum
Turbith. gammosi an. ʒiij.
Rhabarbari electi
Cinnamomi
florum tartari an. ℈iiij.
Zinziberis
Macis an. ʒj. Misceantur, fiatq; omniũ pulvis subtilissimus.

Extracta mea tum corticum Esulæ (quod & non-

Extractũ Esula & Hellebori. & nonnunquam phlegmagogum apello) tum Ellebori nigri, non spiritu vini (vim enim eorum purgandi infringit) sed decocto aliquo appropriato, veluti radicum Lapati acuti, cichorii, polypodii, herbarum agrimoniæ, veronicæ, cuscutæ, scabiosæ, florum cordialium, & seminum carminativorum conficio.

Rhamni. Extractum verò Rhamni ex solo succo inspissato parare soleo.

Aqua Diuretica. Aquam Diureticam, quam & aliquibus in locis Regiam, propter regias suas proprietates in regio morbo, appello, ex radicibus, herbis, floribus, & seminibus, ex quibus apozemata in viscerum obstructionibus confici solent, elicio prius aqua coctis: deinde additis Lumbricis aqua lotis, per alembicum destillatis.

Descriptionem pulveris ad sistendum sanguinem, habes in tractatu meo de Gangræna & Sphacelo, impresso in quarto, cap. 19. pag. 170. Ranæ quomodo sint præparandæ, vide eodem libro & capite pag. 188.

Vnguentum Escharoticum. Callositates fistularũ feliciter absumo pulvere præcipitato, spiritu vini rectificato, & aqua Rosacea & Plantaginis loto, & per se inspersо, aut butyro recenti mixto, & cum turundis imposito. Si præcipitatus per se non satis validus fuerit, ad drachmam semis præcipitati addo scrupulum semis vitrioli, ad rubedinẽ calcinati, Mercurii sublimati, & opii electi ana grana sex, Vnguenti Rosacei ℥ij. Fiat unguentum in mortario, diu agitando.

Emplastr. Palmium Slotani. Emplastri Palmei, sive Slotani, qui primus ejus autor fuit, hæc est descriptio:

R. Adipis porcinæ recentis ℥xij.
Ol. Rosarum recentis & fragrantis,
Minii ana ℥xx.
Chalcitidis ustæ, sed non ad rubed.
Aluminis usti ana ℥ij.
Adipis Cervi ℥iv.
Masticis
Olibani in tenuissimum pulverem redacti. ana ℥ij.

Fiat Emplastrum secundum artem, agitando bacillis saliceis & succulentis. Hæc de medicamentis.

Extractionis fœtus Mortui difficultas. De Extractione fœtus mortui sententiam meam intelligere quoque cupis: poteris videre ea, quæ hac de re scripsi observ. 64. Centur. 1. & observat. 21. in appendice ad Dionysium Fontanonum, à Domino Brassæo, edita Francofurti, anno 1600. Nihil enim amplius de hac operatione in publicum dabo; propter summas illas difficultates, quæ circa ipsam occurrunt. Etiamsi enim illam plusquam quadragies propriis manibus administraverim, & uxor mea plusquam tricies, nondum tamen duæ operationes, quæ sibi invicem ex omnibus respondissent, occurrerunt, sed semper aliquid novi jam circa situm fœtus, jã circa dispositionem uteri, & partium genitalium aut parturientis intervenit. Quis itaque rem tã intricatam tantisque mutationibus, difficultatibusque conjunctam, ad certam methodum redigere posset? *Abusus.* Deterret me quoque maximus ille abusus, qui inde sequeretur, si ad imperitorum Empiricorum aures perveniret operandi modus. Multi enim hujus farinæ homines, etiamsi rem & intentionem authorum non satis perspexerint, arbitrantur tamen, se omnia ad amussim intelligere: sicque experientiam, uti aliàs sæpè, ita hoc etiam in casu, per mortes facere non erubescunt: juxta illud Germanorum Empiricorum non minus impium quàm perniciosum dicterium, **Es muß erfahren oder gelehrnet seyn/ vnd solt es schon hundert Bawren kosten.** Id quod Lausannæ & Paterniaci à duobus Empiricis (qui nunquam huic operationi mecum interfuerant, sed ex aliorum tantummodò relatione vix aliquid de methodo mea audiverant) perpetratum, & parturientes crudeliter tractatas, tandemq; jugulatas esse, memini. Itaque rationali, etiam Medico nõ tam ex Lectione authorum, quam verò ex oculari inspectione discenda erit. *Caut[...]* Interim tamen cave, ne, si fieri potest, inverso & naturali planè cõtrario modo, videlicet pedes fœtus mortui primò apprehendendo, eum extrahere tentes, quemadmodum post Petrum Francum lib. de herniis c. 84. docet Pareus lib. 24. cap. 33. Quin potius in eo totus sis, ut ante omnia caput adducere possis. *Caut[...]* Cave quoque, ne uncos à Iohanne Andrea à Cruce & aliis depictos, in usum adhibeas. Quicquid enim acutum & valde mucronatum est, meritò in hujusmodi operationibus fideli Medico suspectum esse debet. Sit itaque hamulus obtusus ac hebes, ut si forsan in ipsa operatione, inter attrahendum, loco suo, cui infixus fuit, excideret, matricem tamen oblædere non possit. *Not[...]* Sit præterea hamulus iste lamina ferrea, quam in appendice ad Praxin Fontanoni, loco præallegato Defensorium appello, munitus, uti ibidem videre licet.

III. d[...] cund[...] Extra[...] ones. Extracto fœtu, secundina nullo modo negligenda est: Illa enim nisi protinus post fœtum extrahatur, de puerpera actum est. Habes hac de re Exemplum singulare in Epistolica mea Respõsione ad Dn. D. Michaelem Döringium, de Nobili quadam Matrona Bernensi: ubi etiam de modo extrahendi secundinas disseritur. Utinam obstetrices omnes illam adhiberent industriam atq; experientiam, ut hac in re officio suo majori cum dexteritate fungi possent: vel illam saltem cognitionem haberent, ut quanti momenti sit ipsius secundinæ retentio, agnoscerent. Foret enim profectò, ut Matronæ quamplurimæ hic aliisque in locis, quæ divina clementia ex Scylla liberatæ, obstetricum ignorantia, in charybdin incidunt, conservarentur.

De T[...] mis P[...] rinis. Quæris tertiò, quid de Thermis Piperinis observaverim, & quibus in morbis conveniant, scire cupis. Et quia quendam ex Nobilitate vestra eis uti velle scribis, necessum fore existimavi, ut rem paulò prolixius explicarem, & quæ ego, cum Anno 1610. eas cum Serenissimo Principe ac Domino Dn. Ianutio Ratzivilio, Duce in Birze, Dubinki ac Schlucko &c. inviserem, de eis observavi, ascriberem, ne nobilissimus ille Vir iter tam longum tamque laboriosum ac molestum, sine fructu instituat.

Inter admiranda autem & inscrutabilia Dei opera non infimum locum obtinent Thermæ Piperinæ, non solum quantum ad earum situm, verum etiam & inprimis respectu earum faculta-

tum & operationum, ita ut meritò miraculum Naturæ propter situm, donum verò immensum ac maximum DEI ob admirandas earum facultates & operationes censeri possint. Thermæ autem hæ in Rhætia in diœcesi Curiensi, prope Abbatiam Benedictorum, olim Monasterium Divæ Virginis DEI genitricis, apud Favarias situm, in Rhætia appellatum, & post natum Christum Anno DCCXXVI. à Carolo Martello fundatum, in valle profundissima & antro vastissimo & obscuro, inter Orientem & Meridiem, non procul à Rheno fluvio sub saxo erumpunt. Distant à prædicto Monasterio iter unius ferè horæ, à Curia autem (oppido ac sede Episcopali) duobus milliaribus Germanicis, in præfectura Sargants, sub tutela septem antiquorum Helvetiæ Cantonum, videlicet Tiguri, Lucernæ, Vriæ, Suitiæ, Sylvaniæ, Tugii & Glaronæ.

Planè liberæ sunt thermæ hæ, nulloque tributo aut vectigali oneratæ. Referunt enim incolæ, cum aliquando ab Abbate quodam prædicti Monasterii vectigali oneratæ essent, eas exaruisse, neque prius iterum promanasse, quam sublatum fuerat tributum. Iohannes Langius lib. 2. mihi Epistol. 52. de causa fervoris thermarum loquens, simile quid ex Athenæo lib. 3. commemorat his verbis: *Has verò* (videlicet thermas) *Sacrosancta Dei Dona esse, vel ex hoc potes conjicere, quod mundi opifex nullo vectigali oneratas, sed pauperibus locupletibusq; æquè liberas esse voluit. Reddita namq; de publicis privata bonis, dispereunt. Saluberrima namque fontis in Edepso aqua, ab Antigoni Regis publicanis vectigali onerata exaruit. In Troade Tragasei salis collectio vulgo libera, tributo onerata evanuit: tributo sublato salis copia restitu cum fœnore auctior rediit. Pium quoque & salutare foret, ut Thermarum Domini edicto caverent, ne inopes hospitum exactionibus à thermarum usu arcerentur.* Hæc Langius: quæ lubens hic inserere volui, ut ostẽderem, non esse fabulosa, ut multi voluerunt, quæ de thermis Piperinis referuntur.

Porrò Abbas prædicti Monasterii magna cura atque diligentia, magnisque sumptibus, omnia, quæ ad hospitia, balnea, pontem, & vias ædificandas & reparandas requiruntur, sua liberalitate ita suppeditat, ut etiam Caupones (uti hospes noster ipsemet mihi fassus est) hospitia gratis possideant, idque in eum finem, ut omnes, qui thermas hasce, inprimis pauperes frequentant, eò humanius juvari atque excipi possint, neque hospitum exactionibus à thermarum usu arceantur, ideòque ingressus & insessus omnibus gratis conceditur.

ali- ... ib- ... erga ... ri-

Sed & non solùm ingressus & insessus thermarum, omnibus gratis conceditur, verùm & plerumque Reverendissimus & Illustris. Dom. ABBAS, thermarum Princeps, erga peregrinos, qui propter adversam valetudinem thermas invisere coguntur, liberalitatem, omniaque humanitatis officia exercet. Uti egomet cum anno 1610. prædictum Principem Radzivilium, ad thermas hasce ducerem, hisce meis vidi oculis. Cum enim caupones omnibus, quæ à nobis requirebantur, non semper instructi essent, Reverendissimus & Illustris. Dom. MICHAEL SAXER pro tempore Abbas, frequenter nobis prospexit, & carne ferina, piscibus excellentissimis, vino item generoso, aliisque, Principem muneravit.

Qui facultatem habent, singulis diebus cruciferum ad lumen suppeditandum persolvunt; Quia enim multi nunquam balneo egrediũtur, necesse est, ut tota nocte lumina sint accensa. Cũ verò aliquis discedit, bacionem pro stipẽdio Præfecti sive Inspectoris thermarum numerat. Ut enim omnia rectè succedant administrenturque, omnes quin etiam piè ac modestè vivant, Abbas inspectorem constituit, leges item promulgavit, quas qui transgressus fuerit, pro ratione delicti mulctatur. Leges istæ singulis septimanis ab Inspectore thermarum præleguntur. Deindè etiamsi, ut ante dixi, planè liberæ sint thermæ; Quia tamen diversa sunt lavacra, prospicit inspector, aut Præfectus thermarum, ut omnes ac singuli, quantum fieri potest, pro dignitate collocentur. Supremum lavacrum, quod minimũm est, Magnates & Nobiles occupare solent, quamobrem der Herren Bad / hoc est, thermæ Dominorum appellatur: vires tamen easdem cum reliquis obtinet, nec ullo modo facultate inter se differũt: habent quoque singulæ proprias scaturigines, adeò copiosas, ut ad rotam molarem circumducendam ferè sufficeret aqua.

Quando inventæ sint thermæ hæ.

De inventore thermarum.

Repertæ autem atque detectæ fuerunt, referente JOH. STUMPHIO lib. 10. cap. & JOH. GULERO in descriptione Rhetiæ lib. 6. sub FRIDERICO secundo, Romanorum Imperatore, à quodam viro ex nobilissima & antiqua familia (teste Goulero) Carlinorum ab Hohenbalcken oriundo. Qui quum venationi & aucupio addictus esset, der Vogler / hoc est Auceps, vocatus fuit. Ille cum quadam die singulari industriâ, sed non sine maximo periculo, corvos sylvaticos (avis est quâ istis in regionibus Magnates in deliciis vescuntur, & Waldrappen appellant) nido detrahere vellet, & rupes hasce scopulosas & horrendas descendisset, thesaurum huncce immensum, ac donum DEI, nullis divitiis terremis æquiparandum, in spelunca ista detexit, atque invenit, regnante videlicet FRIDERICO secundo, qui vixit circa annum Christi M C C XII. Ab eo itaque tempore, usque ad annum 1543. quo anno pons exstructus fuit, ægri nonnisi maximo cum periculo vitę ad thermas pervenire potuisse, omnibus, quibus situs loci notus. in confesso est. Æternâ itaque laude atq; honore dignus est Reverendissimus & Illustrissimus Dom. RUDOLPHUS STUCKIUS, Abbas Monasterii Favariani, P. M. sub quo, quantum ex Dom. GULERO colligere possum, ædificium põtis singulari DEI clementia repertũ, pons quinetiam mirãdâ quadam industria fabricatus fuit.

Non procul à thermis, videlicet iter semihoræ, pagus est Valens nomine, ex quo per altissimum montem descensus est, usque ad ingressum speluncæ: ubi demum pons ad thermas usque descendens & 252. passus longus, ex ligno fabricatus, & nescio quo artificio rupibus ex parte Orientali infixus & annexus fuit, anno 1543. Ante illud tempus nullus ad thermas, ut testatur Münsterus, venire poterat, citra adminiculum

lum longissimi funis aut scalæ dependentis. Situs speluncæ atque thermarum adeò est mirabilis, & inter petras inclusus, ut Münsterus fateatur, se ipsum adumbrare non potuisse.

Ego quum Anno 1610. Illustrissimum Prîcipem ac Dominum Dom. JANUTIUM RADZIVILIUM &c. ad thermas hasce conduxissem, & aliquandiu in loco moram traxissem, specimen speluncæ ex argilla, charta, & ligno tam concinnam (absque jactantia sit dictum) fabricavi, ut omnia quæ in spelunca continentur, ad vivū repræsentet. Adumbratur autem saltem paries antri Orientem versûs; Ex ipso enim aqua erumpit: ad ipsum pons annexus est, & diversoria adædificata sunt. In adverso pariete Occidentem versus, quia nihil singulare conspicitur, illum ut adumbrarem, superfluum esse duxi. Pone itaque casum, ut sis in ipso antro, ad sacellum B. notatum, atque ante te Occidentem versus habeas parietem scopulosum, similem eo qui à tergo Orientem respicit. Pone insuper casum ut ad ipsum sacellum antri, veluti in medio cataphractæ navis constitutus sis, habeasq; subter te carinam; Ita quoque antrum hocce in fundo, ubi Caminus perfluit, in acutum desinit. In medio verò, ubi thermarum aqua ex monte erumpit, pons, reliquaque ædificia sunt, latum & quodammodò spaciosum est, à sacello verò, ut & ex adversa parte, montes iterum conjunguntur, ac si natura, vel potius summus Creator, testudinem effingere, eaque immensum huncce thesaurum ab injuriis externis vindicare voluisset, Extremitas prætereà versûs Meridiem, ubi descensus per pontem ad sacellum, angustum fit antrum, ac proram, Opposita verò pars Septentrionem versûs, obtusa, vel semicircularis cernitur, & puppim Cataphractæ repræsentat.

De speciminе antri.

Descriptio forma antri.

Porrò ex prædicto specimine, (quod etiamnunc inter rariora mea reservo) Dom. JOSEPHUS PLEB, Pictor & Geometra excellens, secundam tabulam tam eleganter figuravit, ut hi qui thermas inviserunt, illam omnia quæ in antro continentur, quàm optimè repræsentare, testentur.

Descensus porrò ad thermas, etsi jam minimè sit periculosus, tam horridus tamen est, ut multi præ timore descendere non audeant. Pōs enim, quamvis robustissimis trabibus, rupibus profundè infixis, annexus sit, totus tamen ob ambulantium gressus & passus vacillat ac tremit. Quapropter nullus ibi eques descendit, & qui pedibus propter adversam valetudinem vel pusillanimitatem descendere non possunt, tectis oculis in sella gestatoria à rusticis ad thermas deportantur. Ex utraq; autem parte thermarum altissimi sunt montes, quos separat profundissima & præceps vallis, per quam fluit horrendo strepitu amnis glacialis, *Camingen* dictus. Antrum ovalem ferè formam habet, aut veluti cataphractam, seu navim rostratam repræsentat. Versus Septentrionem enim latum est circiter passus sedecim, desinitque versûs meridiem in acutum, totumque antrum quadraginta circiter passus longum est. In medio antri, ubi thermæ & hospitia sunt, plurimum & veluti in rotundum excavata sunt saxa, quæ deorsum paulatim ita conjunguntur, ut veluti carinam navis repræsentent, quapropter amnis vix ultra passus quatuor latus est, quamprimum verò extra rupes proruperit, mox in latum se extendit, & recta Ragatii Rhenum petit. E medio præterea speluncæ rursum recurvantur saxa, & paulatim ad se ita inclinantur, ut in cacumine montis, aliquibus in locis, præcipuè versûs Meridiem, hominem ab una parte rupis unico saltu alteram pertingere posse diceres. Etsi autem antrum, uti jamjam dixi, excavatum sit, etsi etiam scopuli mirando quodam DEI artificio constructi propendeant, nonnunquam quoque ingentia saxa ex cacumine montis decidisse, visum sit: memoria tamen hominis nullum unquam ab ipsis læsum fuisse, & incolæ & omnes, qui thermas hasce frequentarunt, fidem faciunt. Ex quibus singularis & admirabilis DEI providentia iterum conspicitur, cujus mera potentia, veluti firmo quodam statumine immensum illud pondus montium sustentatur atque conservatur. Hospitia ibi habentur duo; Haud multò supra rapidum torrentem trabibus fulcrisque, rupibus ex una atque altera parte impositis, sustentata: sunt tamen pro ratione loci satis commoda. Propter vapores verò thermarum (qui plerunque tam spissi sunt, ut in ipso etiam meridie candela opus sit) in antro retentos, præhumida minusque grata sunt. Hinc evenit, ut multi dies noctesque thermis non egrediantur, sed cibum simul & somnum in ipsis capiant, ditiores id propter voluptatem, quam ex ipsis thermis percipiunt; pauperes autem propter penuriam hospitii faciunt. Alioquin aër etsi spissus & humidus sit, est tamen saluberrimus. Vapor enim iste thermarum simul ad valetudinem conducit: viscera enim tam interna quam externa humectat; & quæ in ipsis sunt, obstructiones aperit, materiamque eis infarctam emollit atque resolvit. Bonitas quinetiam aëris inde cognoscitur, quod muscas perpaucas, serpentes verò & bufones nullos, ranas autem rarissimas locus ille foveat. Versus Meridiem scopulos unius atq; alterius lateris speluncæ penè conjunctos esse, paulò ante dictum fuit. Angustia porro illa atque conjunctio montis in causa est, quò ipsimet radii solares ad hospitia usque vix per horam integram pervenire possint. Id autem fit circa ipsum meridiem: fissura enim montis linea recta respicit Meridiem. Quod si tamen post ortum usque ad meridiem, uti quoque post meridiem usque ad occasum solis, lumen aliquod à Sole in antrum ad hospitia usque pervenerit (pervenit autem quotidie, nisi aër valde fuerit turbidus & nebulosus) & in Sciaterio umbram dederit, semper, hoc est, tam ante quam post meridiem, tibi horam circiter meridianam indicabit umbra. Itaque sive secundum cursum solis fuerit septima, octava, nona aut decima matutina, sive secunda, tertia, quarta,

Hosp[...] ther[...]

Aër [...] sal[...]

quarta, quinta, aut sexta pomeridiana, umbra tamen in horologio tuo solari ulterius, quam à media undecima usque ad mediam primam vix progredietur.

Id autem, meo quidem judicio, propter reflexionem radiorum solarium accidit. Radii enim solares cum ab ortu solis usque ad meridiem ad superficiem & veluti marginem antri versus occidentem tantummodò reverberent, reflectuntur radii in superficie montis per angustam illam rimam usque ad fundum antri, non minus ac si sol esset in ipso meridie. Idem quoq; accidit post meridiem, cum sol ad occasum vergit, tunc enim radii solares à parte illa antri Orientem versus, simili modo ac si sol esset in meridie, deorsum reflectuntur. Hæc rudi Minerva: Mathematicus aliquis hæc diligentius dilucidare atque explanare poterit, sat est mihi, Lectorem saltem monuisse. Angustia porrò illa montis in superficie sæpissimè impedit, quò vapores thermarum minimè in aërem liberum exhalare queant, sed in antro ipso cōtineantur, idque inprimis splendente sole: tunc enim radii solares vapores thermarū repellunt, & in antro retinēt: quemadmodū videmus fumum retineri in culina, si radii solares caminū è directo pertingunt. Retentio porrò illa vaporum efficit, ut sæpissimè in ipso meridie talis ibi sit obscuritas, ut lumina accendere necesse sit.

Cæterùm neq; plaustris neque equis datur accessus ad thermas, quapropter omnia, quæcunq; requiruntur, sive ad ædificanda sive reparanda ædificia, tum reliqua omnia, ut humeris ferant homines, necesse est. Panis & vinum ex Monasterio ad thermas, quantum opus est, affertur: reliqua verò, veluti carnes, pisces, volucres, & quæ inter Magnates desiderantur, satis difficulter, & nonnisi Curia allata ibi habentur: idq; non sine singulari Dei providentia. Quid enim quæso impedit magis operationem thermarum, quàm excessus in cibo & potu? Hinc plerumq; videmus, thermas etiam saluberrimas ægris damnosas esse, non quidem per se, sed propter crapulam, & intempestivam comessationem. Quia autem incommoditas loci Thermarum Piperinarum, ut excessus in victus ratione committatur, hic non permittit, fit, ut thermarum vires atque operationes non interrumpantur, sed sine impedimento perficiantur.

Id quoque singulare habent thermæ Piperinæ, ut quamprimum aliquis eis insederit, libidinem ac stimulum ad venerem ei aufferant. Absoluta tamen balneatione mox in pristinum statum redit natura, & quidem cum fœnore. Neq; id quoq; absq; singulari Dei fit providentia. Sæpissimè enim homines in aliis thermis, propter earum calorem ad venerem incenduntur, fiūtq; libidinosiores, hinc operationes thermarum salacitate impediuntur atque retardantur.

Habes Clarissime Domine Croquere, sitū loci, ubi nulla quærenda est voluptas: præterquam enim quod angustum & obscurum est antrum, talis insuper est strepitus torrentis, ut alter alterum non nisi alta voce prolatis verbis, vix intelligere atque percipere possit: ita etiam ut nonnullos ex hujusmodi strepitu delirio correptos fuisse, observatum sit. Strepitus enim tum torrentis, tum etiam aquæ thermarum, quæ ex alto maximo cum impetu in amnem cadit, in multis somnum interrumpit impeditque, hinc spiritus & sanguis incalescunt, mox febris aliaq; symptomata sequuntur. Sed hæc rarò & in paucis accidunt. Ego cum anno 1610. thermas hasce inviserem, aliquando per multas noctes somnum capere non potui. Verùm illud observatione dignum est, videlicet si quis noctu, cum propter strepitum aquæ dormire non potest, psalmum aut cantilenam aliquam mente, non autem prolata voce canit, is intelliget ex strepitu isto aquarum, veluti Musicam aut potius harmoniam atque concentum cum cantilena illa, quàm mente canit, indeq; aliqualem saltem voluptatem percipiet; minusq; illi strepitus aquæ molestus erit. Hæc ego in memetipso & in aliis observavi: non tamen in omnibus idem accidere, ab aliquibus intellexi.

Occulta quædam Musica ex fluvii susurro percipitur.

Cæterùm etsi locus per se insuavis atq; informis sit; in thermis tamen tanta est voluptas, ut multi per octiduum & amplius eis non egrediantur: sed cibum simul ac somnum, ut antea quoque dixi, in eis capiant. Id enim nobilem quendā ex meis ægris, Dn. Jacobum Wallier cum cum fructu fecisse memini. Non semper tamen modus ille tutus est. Aliquando enim pauperes, qui unde vivant, non habent, si noctu in deliquium animi inciderint, & hi, qui ipsis assident, somno oppressi quoq; fuerint, submerguntur. Quemadmodum anno 1610. 24. Augusti, cum ego thermas hasce inviserem, pauperculo cuidā accidisse, recordor. Qui ita continuò & sine intermissione thermis insident, decem aut duodecim dierum spacio totum negotium absolvunt. Multi tamen processum hunc non probant: dicunt enim, strenua hacce lavatione calorem nativum partesq; hobiles mirum in modum labefactari. Experientia tamen non tantum in prædicto viro Nobili, Dn. Jacobo Wallier; verùm etiam in aliis contrarium ostendit. Retulit mihi honestus quidam civis hujus Urbis, Dominus Antonius Vetscherinus, se novies thermas hasce piperinas invisisse, & ut plurimū totam balneationem novem aut ad summū duodecim, imo & unam septem dierum spacio absolvisse, eamque præ cæteris omnibus è re sibi fuisse testabatur.

Sola voluptas in ipso balneo.

Quidam in thermis submergitur.

Non autē continuò profluere aquam hancce, sed in autumno evanescere, usq; ad mensem Majum, tumq; iterum copiosè erumpere, scribunt nonnulli. Id tamen cum distinctione intelligendum esse, ex incolis edoctus fui. Hyems n. si asperrima & siccissima fuerit, tunc omninò sese subducere, neque ante medium aut finem mensis Maij redire affirmabant. Hyems verò si pluviosa fuerit, aquam quidem profluere, sed minori in copia, vixque tepidam esse, dicebant. Idque verissimum esse, ipsemet observavi. Cum enim anno 1610. usq; ad mensem Septembrem in thermis istis moram traherem, manifestissimā maximamque imminutionem, quoad quantita-

Thermæ hæ stato tempore sistuntur: neq; fluūt continuè.

tem simul ac calorem ipsius aquæ animadverti. Rectè itaque Paracelsum hac de re sentire, existimo, qui in libello suo de thermis Piperinis scripum reliquit, aquam hancce in Autumno, cum herbæ flaccescunt, cum ipsis evanescere, ac denuò mense Majo cum iisdem prorumpere; quod præcipuè de ipsius facultatibus intelligendum esse, arbitror. Etiamsi enim hyemali tempore aqua hæc profluat, nullius tamen ferè valoris esse, testantur incolæ: non minus ac herbæ æstivales, quæ hyemali tempore in sylvis reperiuntur. Itaq; quemadmodum brumali tempore radices herbarum vi caloris terræ in ipsius visceribus, propter aëris ambientis frigiditatem inclusi atque retenti, novum robur acquirere videmus; ita etiam seminaria harum thermarum tempore hyberno in ipsis visceribus terræ retinentur, novasq; vires acquirunt. Quapropter circa festum Martini omnes, etiam caupones, in proximos pagos ascendunt, & hospitia per totam hyemem vacua relinquunt.

Aqua thermarũ qualis.

Chrystallo clarior est aqua hæc: gustum tamen nullum neq; odorem habet, nec præter modum calida, sed adeò temperata est, ut unusquisque ipsam sibi accommodatam esse diceret: ita etiam ut pueri, quamvis delicatuli adhuc, ipsius tamen calorem etiam circa scaturigines facilè sufferre possint. Et contra rustici, & qui cutem & carnes durissimas habent, non nimis frigidam, sed quàm temperatissimam ipsam quoque reperiunt Secundũ enim gradum caloris non excedit aqua illa. Hinc fit, ut intemperiem calidam, sicut reliquæ thermæ, visceribus non imprimant, imò, quod observatione dignum, si siticulosus aliquis eis aliquantum insederit, extinguitur atque depellitur sitis. Sunt itaq; adeò temperatæ thermæ hæ, ut omnes, cujuscunq; ætatis aut constitutionis fuerint homines, earũ calorem etiam in ipsa scaturigine facilè perferre possint. Inde & illud commodum succedit, videlicet ut earum vires facultatesque integræ ad ægros perveniant. Adeò enim copiosè ex monte promanat aqua calida, ut ad rotam molarem, quemadmodum antea dixi, circumducendam sufficeret. Continuò itaq; & sine intermissione nova affluit. Secus in aliis thermis evenit, quarum insignem maximumque calorem aut frigida aqua frangimus, aut in vasis ac labris per se refrigescere sinimus: interim earum vis atque facultas evanescit, dissipanturque spiritus, qui sunt anima thermarum, & ita quidẽ, ut nihil ferè, præterquam actualis ille calor, in eis remaneat. Hujus rei aliquando Badenæ Helvetiorum periculum feci, implendo vitrum aqua ista fervida atque sulphurea, quæ aëri exposita, sequenti die neque odore neque sapore ab aqua communi discerni potuit. In aliis thermis sordes ægrorum in labris & natabulis remanent: at hic continuò per affluxionẽ novæ aquæ abluuntur, defluuntque: nihilominus tamen singulis septimanis, uti quoque in aliis fit thermis, quàm diligenter eluuntur, & scopis mundantur natatoria.

Cur therma Piperina multis aliis præstantiores.

De mixtura thermarum piperinarum.

Hactenus de situ loci, & gradu Caloris thermarum; Sequitur ut de earum Mixtura agamus. Scribunt Fuchsius, Rulandus, & alii, constare ex auro, sulphure, ferro, ære, & nitro. Tourniserus verò ex magnete, auro, ære, sulphure & aqua communi. Horum autem nullum neque sapore neque odore percipitur, nec excrementum ullum in eis reperitur: minimeque spissa, sed, ut anteà dixi, Chrystallo clarior est aqua. Ego cum anno 1610. Serenissimo Principi Radzivilio &c. in gravissimo morbo operam navarem, & aliquã diu cum sua Serenitate in thermis moram traherem, atque ad libras viginti circiter quatuor hujus aquæ evaporare sinerem, vix semidrachma sedimenti in fundo alembici remansit. Johannes Stumpfius de Helvetia lib. 10. cap. 23. aurum in rupibus, ex quibus aqua hæcce profluit, inveniri scribit. Quod & ipsum verum esse, ipsemet observavi. In superiori enim balneo (im Herrenbad) fissuram inter rupes detexi, ex qua limum pinguem, rubrum, & ponderosum extraxi: qui ablutus & ab arena expurgatus, terræ sigillatæ non multum absimilis fuerat: quo in externis affectibus cum successu usus sum; Estque valdè exsiccans: in internis verò morbis, ut ingenuè fatear, periculum facere ausus non fui. Arenam verò, quæ in lotione luti remansit, cum Ensisheimii in Alsatia probandam dedissem, aurum in ipsa repertum fuit, sed pauxillum. Propter gravitatem enim suam aurum per fissuram semper deorsum tendit. Existimo tamen, si quis hyeme, cum thermæ exarescunt, fissuram illam ad ipsius fundum usque detegeret atq; aperiret, illum laboris sui fructũ minimè perditurum. Cũ itaque thermæ hæ neque saporem neque odorẽ ullum, ut antea dixi, habeant, aut quidquam excrementorum ejiciant; Visum fuit Paracelso, lib. de Thermis Piperinis cap. 1. ipsas per se esse puras, adeoq; Elementum simplex, neque sulphur, aut quidquam aliud ex mineralibus in se continere. Hæc ita sese habere, non tantum inde apparet, quod, cum ipsam, uti modò dixi, per evaporationem examinassem, nihil in fundo alembici remanserit: verumetiam adeò vaporosam ipsam esse constat; Ut si quis ovum, aut lapillum ei imponat, non protinus sed sensim imergatur, fundumque petat. Quapropter corpora in his thermis ita sublevantur, tam leviaque efficiuntur ut ægri pulvinari opus non habeât, etiamsi aspero saxo insideant.

De fa[illegible] ther[illegible] Pip[illegible]

Quoad facultates harum thermarum, nonnulla antea commemorata in memoriam revocanda sunt, videlicet temperatissimas, omnibusque, cujuscunque ætatis aut conditionis fuerint ægri, acceptas esse. Facit temperatura hæc, ut interiora viscera ab eis non alterentur, aut incalescant. Hinc fit, ut in obstructionibus hepatis, lienis, & venarum Mesaraicarum, nec non in morbis inde provenientibus, præstantissimas esse aquas hasce, in multis observaverimus: & præcipuè in Serenissimo Principe ac Domino, Dn. Ianutio Ratzivilio &c. deinde quoque in Nobilissimo Viro, Dn. Iacobo Wallier, cujus historiam vide in observatione singulari, seorsimque edita, & apud Theodorum de Bry impressa, anno 1614. Sanctè autem affirmare possum, jam dicto Viro nobili Walliero, in diuturno suo morbo atque decubitu lienem ita induruisse, ut instar lapidis alicujus in ipso abdomine persentiretur, indeque

varia

varia Symptomata, veluti famem insatiabilem, icteritiam nigram, febres contumacissimas, & similia provenisse: In thermis verò Piperinis intemperiem illam, obstructiones, & scirrhositates lienis penitus ablatas fuisse. De his nobilis iste æger testis est: etiam nunc enim apud nos Friburgi Helvetiorum vivit, & quidem satis feliciter, atque in matrimonio.

Mirum præterea in modum in affectibus nervorum, nervosarumque partium convenire, tum in prædicto Serenissimo Principe, & Dom. Walliero, tum etiam in quibusdam podagricis ex Nobilibus nostris, aliisque civibus observavi. Solodurensis quidam aurifaber: Magister Josephus Rockenstil, triginta circiter annorum ætatis, cum ante annos decem doloribus articulorũ aliquoties correptus fuisset, & consilium à me petiisset, ipsum per intervalla extracto meo phlegmagogo purgavi, venam incidi, vino generoso interdixi, tandemque ad thermas piperinas misi: in quibus ita restitutus fuit, ut in huncusque diem à doloribus istis amplius non fuerit vexatus. Est itaque summum remedium in arthritide; quemadmodum testantur hi, qui ipsis usi fuerunt. Inter quos quoque est Generosus ac strenuus Vir, Dn. Johannes Jacobus à Diesbach, Eques, ex nobilissima & antiquissima familia Bernensium oriundus, qui eas ter non sine fructu magno invisit; uti quoque prædictus D. Antonius Vetzerinus, qui novies illas frequentavit. Hic enim etsi à multis annis arthritidi fuerit obnoxius, & nunc septuagesimum annum ætatis prætergressus sit, nondũ tamen facta est nodosa, ita ut etiamnũ in hac decrepita ætate sine magno incommodo pedes per urbem ambulare possit.

Ulceribus inveteratis & difficilis curationis, mirum in modum prodesse, præmissis universalibus, tum in Serenissimo Principe Radzivilio, tum in Nobilissimo Viro, Dn. Walliero vidi: ossa tamen cariosa, aut ossium fragmenta, etiam plenissimè à suis periostiis separata, nequaquam sine adminiculo manus experti Chirurgi expellere posse, ut nonnulli putant, in prædicto Viro Dn. Wallier observavi, uti in ipsius historia de vulnere quodam gravissimo Sclopeti inscripta, fusiùs videre poteris.

Visum acuere aquam hancce, scribit Fuchsius & alii: ego verò non tantum aquam, verum etiam fumum istum, in aliquibus oculis aliquo modo obesse, observavi.

Suadent nonnulli, ut aqua harum thermarum quoque bibatur; non quidem pro potu ordinario, sed medicamentoso. Id tamen perperam fieri, ex incolis, & iis qui thermas inviserunt, edoctus fui. Inprimis autem retulit mihi vicinus quidam meus, Dn. Antonius Vetzerinus, de quo antea, se aliquoties hujus rei, aquam bibendo, periculum fecisse, sed maximo suo incommodo. Ipsam enim potam concoctionem ventriculi impedire, appetitum prosternere, & nauseam excitare. Idem & ego cum thermas hasce inviserem, in quadragenario quodam, robusto, & obeso Capitaneo observavi: huic enim ex potu hujus aquæ adeò commotus fuit ventriculus, ut triduo omnia, quæ assumeret, per vomitum rejiceret; cum virium & appetitus prostratione: postea tamen sic exonerata natura, thermis maximo cũ successu usus fuit. Quidam tamen Nobilis Tigurinus, & Serenissimi Principis Radzivilii domesticus, *Hector Muraltus* nomine, cum triduo aut quatriduo jejuno ventriculo maximum haustũ hujus aquæ bibisset, nullum incommodum ventriculi se inde persensisse, sed urinam majori in copia reddidisse, mihi affirmavit. Arbitror itaque, eis inprimis ventriculum subvertere, qui pravis humoribus scatent, & ante ingressum ad thermas expurgati non fuerunt. Quapropter corpora prius sunt præparanda, & secundum humoris peccantis naturam expurganda.

Quibus noxiæ sint hæ thermæ.

Obsunt prægnantibus: quia enim aperiunt & relaxant, plerunque menses movent, & abortum faciunt. Qui lue venerea laborant, ab usu thermarum Piperinarum lædi, nonnulli putant: medicamentum enim hocce magnum atque sacrum morbum istum profanum sordidumque non admittere ajunt: imò ne eos quidem sufferre, qui hydrargyrum tractarunt. Cujus sententiæ fuit *Leonhard Turneiser Pison libr. 6. cap. 4.* Hæc tamen non perpetuò vera esse, experientia mihi ostendit. Cum enim anno 1610. thermas hasce inviserem, Linimentum ex Mercurio crudo axungia porcinâ extincto confeci, eoque totum ferè corpus, præter caput & pectus, juvenis cujusdam tyronis mei, inungi curavi, & deinde thermas ingredi jussi, ut viderem, an mutatio aliqua inde ipsi acideret, sed nulla subsequuta fuit, feliciterque post inunctionem thermis, uti & ante illam, usus est. Quin imò certioris cognitionis causa, in me quoque ipso idem eodem modo tentavi; sed nec ipse alterationem ullam expertus sum.

Quando abstinendum à Thermis.

Quibus autem noxiæ & perniciosæ futuræ sunt thermæ, primò nauseabundi fiunt, cum eructationibus molestis, hypochondria murmurant & extenduntur, venter intumescit, facultatesque omnes, tàm vitales quam naturales, & animales prosternuntur. Hæc si advenerint, protinus discedendum est. Quamprimum enim aliquis ita affectus ex antro ad proximum pagum Valens deportatur, è vestigio symptomata omnia remittunt, & restituitur æger. Vidi id hisce meis oculis in Serenissimo Principe Radzivilio, Idem Dn. Anton. Vetzerino, & aliis ægris advenisse; nihilominus tamen thermis cum fructu usos fuisse, memini. Si quis tamen contumax fuerit, nec citò discesserit, is periclitatur de vita. Hæc de facultatibus: reliqua pete è Authoribus.

Quo tempore commodissimus harũ thermarum Usus sit.

Superest nunc, ut, antequam finem faciam, de Tempore, quo eis uti convenit, aliquid addã. Harum thermarum aquam non continuò manare, sed mense Majo erumpere, & mense Sept. iterum evanescere, ex eis, quæ dicta sunt, intelligere poteris. Ex quibus perspicuũ fit, à medio mensis Maii usq; ad finem Augusti, earum vires præcellere: ad mediũ tamen septembris adhuc efficaces esse, observavi, præcipuè si æstas ac autumn⁹ siccus fuerit. Autumno enim existente humido, aqua illa pluviosa, quæ ex rupibus affluit, calorem ac facultatem thermarũ infringit. Nonnun-

Nonnunquam quoque, quod notandum, ante festum Divi Johannis non promanare aquam, Johannes Gulerus, ut testis fidelissimus, in historia sua Rhætica lib. 6. commemorat; ac tunc diutius, & per totum ferè autumnum fluit. Tandē verò non usque adeò efficax est, nisi Autumnus valdè siccus fuerit; Vides mi Dn. D. Croquere nihil certi de tempore statui posse.

Modus utēdi qualis.

Modus utendi ab omnibus non idem observatur: nonulli enim dies noctesque eis insident, in eis cibum somnumque capiunt, & hi brevi temporis spacio, videlicet decem aut duodecim dierum totum negotium absolvunt: uti superius de Vetzerino dixi: qui aliquando intra septiduum ad felicem balneationis finem pervenerat. Idem ego in aliis quàm plurimis, præsertim in pauperculis, qui in hospitio locum non inveniebant, observavi. Nobilis quoque Vir, Dom. Wallier, de quo antea dixi, aliquoties dies noctesq; eis non egrediebatur. In eis, qui ita diligenter & assiduè illis innatant, plerunque secunda aut tertia die, in aliquibus quoque intra horas 24. apparet excoriatio. Nonnulli ultra horas octo aut novem in die balneationi non impendunt, videlicet duas aut tres horas ante prandium, totidemque ante & post cœnam. De his thermis elegantissimum carmen conscripsit, & seorsim edidit Carolus Pascalius, Regis Galliæ & Navarræ Legatus apud Rhetos, quod & Dom. Gulerus historiæ suæ Rhetiæ inseruit. Doctissimus atque excellentissimus Vir Dominus M. L'Escarbot, amicus meus singularis, illud Gallicis versibus elegantissimis reddidit. Hæc sunt Nobilissime, Clarissime atque Doctissime mi Dn. Doct. Croquere, quæ superiori mense Februario per Dominum Johannem Kriegium ad Tuas respondi: quasque, cum in via à prædonibus ipsi ablatas fuisse, ex binis suis literis, Breslaviæ & Lublini scriptis, intelligerem, libenter eas non tantum repetere, verum etiam ampliores exarare volui. Tu ut omnia æqui bonique consulere velis, obnixè rogo. Genere & Doctrina Nobilissimum Virum, Dominum Naborovium meo nomine quæso saluta. Ah quam libenter hujus viri integerrimi & mihi amicissimi literas viderem. Vale Vir Clarissime, & æternùm quam felicissimè vive. Dabam Bernæ 26. Augusti, Anno 1623.

AD EVNDEM
VIRVM AMPLISSIMVM
atque Doctissimum
DN. D. PAULUM CROQUERUM, &c.
Amicum intimum,

CUI

GUILHELMUS FABRICIUS HILDANUS

iterum S. P. D.

Epistola de thermis Piperinis.

Quas Tu, Amplissime amicissimeque mi Dom. Croquere 23. Maij Cracoviæ ad me dedisti literas, 22. hujus accepi, nec sine mœrore legi: cum viderem, præter primas anno 1623. de thermis Piperinis, & nonnullis aliis, quas tam avidè à me exspectas, ad te scriptas literas sat prolixas, etiam bis iteratas, in via intercidisse. Maxima illa distantia quæ inter nos est locorum, ac turbulentissimus, proh dolor, Imperii Status, hæc faciunt. Primas enim Domino Kriegio à prædonibus ablatas fuisse, antehac ex ipso intellexi: postremæ verò quomodo interierint, ex binis suis, sed vnius tenoris, ex thermis Piperinis ad me scriptis literis, non percepi. En itaque quarta nunc vice apographum primò ad te scriptarum. Faxit Deus Opt. Max. ut tutò ad te pervenire, tuoque desiderio atque exspectationi plenè satisfacere possint.

Quæstio.

Superest nunc ut ad quæstionem, in postremis tuis propositam, respondeam. Videlicet an aqua thermarum Piperinarum, possit extra illū proprium alveum, in proximo loco, hoc est, in duobus illis domiciliis, quæ specui imminent, eodem fructu, sine ulla efficaciæ & virtutis jactura in usum adhiberi? Id nullo modo fieri posse scias. Primò enim pons, qui passus circiter 252. longus est, etsi robustissimis trabibus rupibus infixis, annexus sit, ob ambulantium tamen gressus & passus, ut in præcedentibus literis quoque monui, adeo vacillat ac tremit, ut quicquam ad thermas equis adducere, nullus unquam tentare ausus fuerit. At quis mortalium tantam copiam aquæ, quantum ad corpus integrum lavandum requiritur, ex spelunca illa profundissima, in montem altissimum humeris transferre posset? Deinde aqua, cujus calor adeò temperatus est, ut unicuique ex industria accommodatam esse diceres, iter unius horulæ in proximum domicilium apportatam, ibidemque iterum calefactam, vires suas penitus amittere, facilè ex eis, quas ad te scripsi literis, conjicies. Earum enim facultas, non in crassa quadam ac terrestri, sed aerea & spirituosa materia consistit. Denique ex meis intellexisti, aquam calidam, tam copiosè ex rupibus promanare, ut ad rotam molarem circumducendam facilè sufficeret, si quis itaque ad

ad scaturiginem locum occupaverit, præsertim in superiori balneo im Herren Bad / quod Magnatibus præ aliis cōceditur, is continuò, & sine ulla intermissione nova irrorabitur aqua, & quidem integra, hoc est plenissimè suis viribus prædita, quod minimè fieret, si ex spelunca in proximum hospitium deportaretur. Vaporem præterea thermarum saluberrimum esse, in præcedentibus meis ad Ampliss. virum scriptis literis, dictum fuit, si itaque aliquis uti vellet aqua ista extra speluncam, is vapore isto privaretur. Hæc sunt Vir Ampl. quæ ad quæstionem tuam respondeo.

Centuria mea quinta observationū Francofurti apud Bryerianos adhuc delitescit, & an hac æstate excudi possit, adhuc incertus sum. De lithotomia vesicæ superiori anno tractatum Germanicum scripsi, misissem Exemplar, nisi distantia locorum obstaret.

Variolæ nunc quàm maximè inter pueros hic grassantur, multosque è medio tollunt: ubi etiam singulare quid de Oleo ex floribus observavi hunc in modum. Accipio butyri recentissimi ℥j. Ol. liliorum alborum ʒij Ol. ex floribus fragrantissimi ʒiij. Misceo lentissimo igne, addendo tertiam partem vitelli ovi. Hoc Linimento bis aut ter in die faciem inungo, idque maximo cum fructu; dolorem enim lenit, turpitudinemque cicatricum, quod præcipuum est, impedit. Id tamen diligenter observa, ut pustulæ, quamprimum materia in ipsis concocta & digesta fuerit, incidantur, ne in ipsis contentus humor (qui acris & malignus esse solet) subjectam carnem erodat, & cicatrices cavas efficiat.

Pro honorario, quo Ampliss. Vir me munerare dignatus est, nunc verbis saltem ago habeoque gratias, utinam reipsa quoque gratum animum erga Ampliss. Virum declarare possem, sed distantia illa maxima locorum, qua disjuncti sumus, id impedit. Si quid tamen occurrit, in quo Ampli. T. gratificari possum, nihil sum recusaturus. His vale Vir Nobilissime Doctiss. Ampliss. & cum Tuis omnibus æternùm quam felicissimè vive. Raptim Bernæ Helvetiorum Anno *1626.* 25. Junii, quæ mihi dies Anno M. D. LX. Hildenæ natalis fuit.

FINIS.

GUILHELMI FABRICII HILDANI

Illustrissimi Principis ac Domini

DN. GEORGII FREDERICI

Marchionis Badensis & Hachbergensis &c. nec non Inclytæ Reipub. Bernensis Helvet. Medico-Chirurgi ordinarii

DE

DYSENTERIA,

Hoc est,

CRUENTO ALVI FLUORE;

LIBER UNUS:

In quo hujus morbi causæ, signa, prognostica, curatio, & præservatio continentur; & instrumenta ab authore inventa, adumbrantur: Item, quomodo symptomata, quæ huic morbo supervenire solent, sint removenda, traditur.

CAP. I.

Quid sit Dysenteria?

CUm variæ sint profluvii alvi species, quas vulgus inter se non sine maximo vitæ periculo, ut plurimùm confundit, operæ pretium mihi visum est, inprimis species omnes, antequam ad curationem Dysenteriæ accedamus, breviter, & quod fieri potest, accuratè distinguere.

Cœliaca, prima alvi profluvii species.

Fernelius de partium morbis, & symptom. lib. 6. cap. 10. omnes alvi fluores sub quatuor speciebus comprehendit, quarum prima Cœliaca vocatur, fitque, cum excrementa levia, æqualia, & alba excernuntur: quippe quia chylus iis permixtus est. Causæ hujus fluxus sunt: Primò, quoniam obstructiones in hepate, splene, & venis mesaraicis, quæ chyli distributionem impediunt, adsunt. Secundò, quia virtus attractrix imbecillior est. Tertiò, quia æger antea multis crapulis & vino sese ingurgitavit, & obruit, ac præcipuè fructus crudos, fugaces, & ventrem laxantes, comedit. Chylus itaque in intestinis propter viscerum obstructionem manens, sensim corrumpitur, & postquam sua tum quantitate, tum qualitate gravis esse cœpit, insurgit natura, quæ ipsum ejicere conatur. Hoc alvi profluvium, si propter viscerum hepatis & venarum mesaraicarum obstructiones acciderit, diuturnum est, & aliquando per aliquot annos ægrum excruciat, uti ego observavi Coloniæ in quadam puella, cujus fit mentio Observ. 70. Cent. 1. Sin aliam ob causam, veluti ex immodica crapula advenerit fluxus iste, secundo aut tertio utplurimùm die, spontè conquiescit.

Lient... secun... speci... *Gal. ... l. 4. ... ment... l. 6. ... ment...*

Secunda alvi profluvii species, Lienteria, sive intestinorum lævitas dicitur, in qua alimenta & celeriter & indigesta excernuntur. Causa est concoctionis primæ, & facultatis retentricis imbecillitas, ob quam alimenta, donec à calore innato, & facultate concoctrice, probè concocta sint, stomacho & intestinis inhærere non possũt, cruda itaque, indigesta, & ferè uti comesta fuerint, excernuntur.

Diarr... tertia... cies.

Tertia species est Diarrhœa, quæ licet generale nomen sit, ac æquè ad omnes profluvii alvi species accommodari possit, Medici tamen propriè sub hoc vocabulo profluvium synceriorum humorum, sine vehementi sensu doloris intelligunt. Aut enim pituita, aut flava bilis, aut atra purior, seorsim evacuatur: idque, ut dictum est, sine vehementi dolore. Contrarium verò in dysenteria accidit: illam enim dolores maximi, & excretiones cruentæ atq; continuæ comitantur.

Dysen... ria qu... ta sp...

Hæc

Hæc quarta & postrema profluvii alvi species existit, de qua hîc succinctè agere instituimus.

Verùm, ut ordine aliquo ista prosequamur, primò morbum ipsum describemus; deinde causas, signa, prognostica, & denique tam morbi, quàm accidetium curationem proponemus. Antequam autem ad institutum nostrum progrediamur, notandum convenit, sub nomine Dysenteriæ omne cruentum alvi profluvium ex quacunque causa, intelligi posse, cum Dysenteria tamen propriè dicta nullam affinitatem habere; profluvia namque ista cruenta, nullum ferme dolorem inferunt, & intestina ab exulceratione immunia sunt, æger quinetiam nullâ assiduâ egerendi cupiditate, (sicuti in Dysenteria vera fieri solet) vexatur. Sunt itaque hæ profluvii sanguinis species à vera, & propriè dicta Dysenteria diligenter distinguendæ, ne in curatione postmodum fiat confusio.

Cæterùm sanguinolentæ excretionis species in universum quatuor existunt. Prima fit in iis, quibus membrum aliquod abscissum est, tunc enim sanguis, qui pro nutritione partis abscissæ constitutus fuerat, ad fontem suum recurrens, beneficio naturæ ad intestina depellitur, fitque ut Hippocrates loquitur, sanguinea dysenteria. Quod si sanguis iste impetuosè, copioseque ad fontem suum, hepar inquam, refluxerit, à periculo non immunis est æger. Incenditur enim in ipso hepate, & vena cava, acrimoniamque contrahit. Quod si humor iste acris à vesicula fellea attractus, & ad intestina protrusus fuerit, sequitur dysenteria gravissima, ut ego vidi in quodam juvene, cui tibiæ ambæ amputatæ, & curatio feliciter absoluta fuerat, qui postea septimanis sex à curatione, dysenteriâ gravissimâ correptus, intrà paucos dies vitam cum morte commmutavit, sicuti Lector in secunda Centuria Observationũ mearum Chirurgicarum videre poterit.

Nobilis quidam sexagenarius dysentericus cum quinta die morbi vitam cum morte commutasset, & venter ipsius à Domino Claudio Chapusio, Chirurgo celeberrimo, apertus fuisset, intestina undique gangrænosa reperta fuere. Procul dubio propter ingentem inflammationẽ. Historiam hanc ipsemet Dominus Chapusius ad me scripsit Anno 1615. 25. Februarii. Accidunt & hujusmodi sanguinolentæ excretiones iis, qui consuetas exercitationes intermittunt, lautius tamen liberaliusque vivunt, uti quoque iis, quibus menstrua, hæmorrhoides, aut assueta hæmorrhagia narium suppressa est.

Secunda species est, quum ex hepate, aliquam ob causam debilitato, aquosus sanguis, aut veluti lotura carnis excernitur: Iecur enim, inquit Galenus, loco citato, nutrimentum, quod per vasa, quæ sunt in mesenterio, attraxerat, rursùs per eadem semicoctum ablegat. Quemadmodum enim ventriculus aut venter, si imbecilles fuerint, cibum quidem attrahunt, probè tamen eum concoquere nequeunt, sed semicoctum rejiciunt, hic per secessum, ille per vomitum, sic quoque fit, si hepar labefactatum extiterit.

Tertia species cruentarum excretionum, à Galeno dysenteria melancholica dicitur, fitque quum sanguis propter longiorem moram in hepate adustus, per venas mesaraicas ad intestina recurrit, & niger atq; splendens excernitur.

Porrò quotiescunque sanguis iste attrabilaris ita liberè & absque dolore effluit, cum ægrores benè sese habent, & ad sanitatem tuendam, aut amissam recuperandam, hæc evacuatio conducere potest. Quod si verò sanguis iste excremẽtitius & adustus, in anfractibus & replicationibus intestinorum subsederit, retentusque diu fuerit, acrior efficitur, malignitatemque acquirit, & postquam intestinum paulatim abrasit, erositq;, sequitur ulcus malignum, & dysenteria verè atrabilaris, quæ juxta Hippoc. incurabilis existit, uti posteà dicemus. Atque hæ tres species sanguinolentarum excretionum impropriè dysenteriæ vocantur. Fit & ex venis hæmorrhoidalibus sanguinis per alvum excretio, quæ tamen nequaquam dysenteria appellari potest, etiamsi nonnunquam maximus dolor & cruciatus adsit, fluxus enim iste non ab intestinis, sed à venis hæmorrhoidalibus, ano insertis, procedit.

Galen. de usu part. corp. hum lib. 5. c. 10.

Libr. 4. aphor. 24.

Quarta denique & ultima cruentarum dejectionum species, quæ propriè & verè Dysenteria dicitur, ex Galeni sententia libr. finitionũ medicar. de sympt. caus. lib. 3. item de loc aff. lib. 6. & alibi, est cruentum alvi profluvium, cum ventris doloribus, torminibus maximis, tenesmo, & febre, ut plurimum propter causam aliquam erodentem, & ulcus in intestinis existens. Species autem harum excretionum cruentarũ, diligenter ut inter se distinguantur, necesse est: hoc enim multùm ad curationem rectè instituẽdam conducit. Priusquam itaque huic capitulo finem imponamus, differentias earum brevibus annectemus.

Quarta species.

Definitio Dysenteriæ.

Et primò quidem, si cruenta excretio propter abscissum membrum, veluti tibiam vel brachium, aut propter assuetarum exercitationum intermissionem, vel hæmorrhoidum mensiúmve supressionem, aut hæmorrhagiam narium, acciderit, ex inspectione, & relatione ægri, addisci poterit. Quibus sic occurrere convenit. Si ex plenitudine vasorum, ut minuatur sanguis, prohibeaturque ne tam copiosè generetur, necesse est. Idque sanguinis missio copiosa, & secundùm ægri vires repetita, victus quinetiam ratio tenuis, parca, parumque nutriens, præstabit.

Differentia Dysenteriæ.

Si ex labefactato hepate (Galeni verbis utar) tenuis sanies, sive seorsus humor sanguinis ab hepate dejicitur, deinde aucto malo, crassus humor, fœcibus vini haud absimilis. Præterea in excretionibus hepaticis nihil abrasum expellitur, atque interdum duorum aut trium dierum intervallo supprimitur evacuatio, deinde rursus malum redit, atque excrementa prioribus multò pejora excernuntur. Id verò per intestinorum ulcera haud quaquam apparet: quippe in iis neque affatim, neq; ex longis temporum intervallis, laborantes dejicere consueverunt. Hæc porrò species dysenteriæ spuriæ superioribus annis hic Paterniaci vulgaris fuit, & in quibusdam, qui fluxum maturiùs restinguere

De locis affect. l. 2.

guere tentabant, periculosa. In hoc fluxu sanguinolento potiones ex rhabarbaro, myrobalanis, aut mechoaca, mirum in modum conveniunt. Hepar præterea speciebus diarrhodonis Abbatis, Triasandali, trochiscis de rhabarbaro, & similibus corroborare, intemperiem contrariis corrigere, & obstructiones reserare convenit. Intestina quinetiam, ne ab humore isto excrementitio lædantur, defendenda sunt. Id quod oleo amygdalarum dulcium, lacte item amygdalato emulsionibus seminum frigidorum, cremore hordei decorticati, clysteribusque perficere possumus.

Galenus de sympt. caus. lib. 3. cap. 2.

Tertia demum cruëtarum excretionem species, Melancholica Galeno dicta dysenteria, à vera ita distinguitur, quod in ista quoque multum simul, sed rarò excernatur. Quum enim assiduæ excretiones fiant, vel propter imbecillitatem, vel demorsum, ac in hac specie dysenteriæ partes nondum eo usque labefactatæ sint, ut facultas retentrix à suo officio deficiat: materia quinetiam, quæ ad intestina defluit, nondum acris reddita, sequitur, ægrum continuis istis egerendi cupiditatibus minimè vexari, sed multum simul egerere. Nonnunquam enim sanguis usque adeò diu in intestinis moratur, ut in glomos concrescat. Hujus rei exemplum Coloniæ Anno 1599. cum Clarissimo Viro Joh. Slotano Medico celeberrimo, in quodam aurifabro inveteratâ hemicraniâ laborante, mihi observare contigit. Huic tantum sanguinis profluvium per alvum supervenit, ut ultra decem libras, decem in glomos coagulatas dejecerit (diversis tamen temporibus, & absq; dolore, usque adeò ater erat sanguis iste, ut medullæ cassiæ conferri assimilarique potuisset. Ille tandem nihilominus convaluit, ut in secunda Cent. Observ. Chirurgicarum, fusiùs declarabitur. In dysenteria verò propriè dicta contrarium accidit; Parum enim frequenter, & maximo cum dolore æger excernit, & quidem propter acrimoniam materiæ, quâ intestina punguntur, & ad excretionem irritantur. Fluxus præterea iste illicò non sistendus est, sed corpus prius rhabarbaro evacuandum, intemperies calida hepatis contemperanda, obstructiones item, & viæ urinariæ reserandæ veniunt. Atque hæ sunt trium istarum excretionum sanguinolentarum differentię, signa, ac succincta curatio.

Observatio.

Tenesmus Dysenteriæ species.

Est & ex eodem, inquit Galenus, loco paulò ante citato, quo jam dicta dysenteria, genere, affectus ille, qui Tenesmus dicitur, in quo ulcus in recto intestino est factum. Verùm de hoc affectu postea in proprio capite sermonem habebimus. Nunc verò, unde digressi, redire convenit.

CAP. II.
Gradus & distributio Dysenteriæ.

Aph. lib. 4 commẽt. 26. Fernel. de part. morb. & symptom. lib. 6. c. 10. Alex. Bened. lib. 20 cap. 34.

Antequam ulterius progrediamur, operæ pretium erit, ad rectam ac methodicam curationem instituendam, morbum studiosè in suos gradus distinguere: summè enim necessarium est ad morbi prognosin, scire an morbus sit vehemens, an remissus. Statuimus itaque cum Galeno, & quibusdam recentioribus Medicis, tres species, vel potius tres gradus Dysenteriæ, qui secundùm excrementorum differentiam, & doloris vehementiam, rectè distinguntur.

Tres gradus Dysenteriæ veræ. Primus gradus.

Primus gradus sub se principium morbi complectitur, ubi materia peccans intestina saltem erodere incipit: hinc quæ excernuntur excrementa pinguia, alba, limosa ac viscosa, quemadmodum intestinis adhærere solent, conspiciuntur. Qua in re nonnunquam falluntur ægri, existimantes se diarrhœâ & simplici alvi profluvio laborare, sed pinguedo, quæ interiori tunicæ intestini adhæret, mox simul cum excrementis sequitur & excernitur; Quæ si in aquam projiciantur, supernatat: si verò in carbones ardentes, pinguedinis assatæ præ se fert odorem.

Secundus gradus.

Secundus gradus est hujusmodi: Si æger per dies aliquot curationem distulerit, atque humores acres confluere permiserit, aut medicamẽtorum astringentium usu, humores in intestinis coercuerit, tunc colluvies humorum acrium intestina corrodit, primamque intestinorum tunicam exulcerat: atque ita ejusdem tunicæ frustula, excrementis permixta, frequenter apparent, quæ si in prunas projiciantur, pellicularum & membranarum instar contrahuntur, & excrementa indies magis cruenta fiunt. Hi duo gradus Dysenteriæ curationem admittunt.

Tertius gradus.

Tertius gradus est, cùm morbus augetur, nec æger, prout necessitas requirit, sese gerit: tũc enim materia magis magisque corrumpitur, & acrior fit: ita quidem, ut morbus ad sumum malignitatis gradum perveniat, ulcera quoque in intestinis serpant, ac maligniora fiant, adeò ut substantia ipsa intestinorum, multumque sanguinis simul excernantur: Conspiciuntur & quãdoq; exigua carnis frustula, quæ in ardentes carbones projecta, gravem reddunt odorem, contrahuntur, siccantur, ac in cineres rediguntur, estque incurabilis pronunciandus morbus, juxta Hippoc. A difficultate intestinorum habitus, si veluti caruncula exeant, lethalis est. Cum morbus in summo est malignitatis gradu, tunc ut plurimum ratione ulcerum, & inflammationis, tanta stomachi & intestinorum imbecillitas sequitur, ut lienteriâ quoq; æger corripiatur. Hinc fit ut cibus indigestus excernatur, cibusq; omninò respuatur, quod accidens est periculosissimũ. Cæterùm etsi gradus iste Dysenteriæ meritò ab Hippocrate, Galeno, aliisque præstantissimis viris, incurabilis censeatur, vidimus tamen hîc Paterniaci quendam, dysenteriâ graviter adeò laborantem, ut domestici fætorem, qui ex ipso spirabat, sufferre non possent. Non solùm enim frustula carnis, verùm etiam vermes, quẽadmodùm in putrescente carne nasci solent, excernebat. Historiam Lector in tertia Centuria Observationum nostrarum, Observ. 47. videre poterit.

Aphor. lib. 4.

CAP. III.
Causæ Dysenteriæ.

Ut eò faciliùs succedat curatio, operæ pretium est, causas perquirere, easque diligenter distinguere. Causę autem sunt vel externę vel internæ: sed in genere causa Dysenteriæ nihil aliud est, quàm acris & maligna materia, quæ in gyris, & intestinorum rugis retenta, ea rodit & exulcerat, ac proindo ad continuam excretionem irritat,

irritat. Acris autem & maligna illa materia, ut doctissimus HOLLERIUS testatur, ex quolibet humore generari potest. Sanguis enim si aliquando in rugis & gyris intestinorum concrescat, ac putrescat, fit acris malignusque, & intestina erodit, ex reliquis quoque humoribus, pituitâ scilicet, & utrâque bile dysenteriam fieri, omnibus in confesso est.

Inter externas hujus morbi causas, corruptio aëris periculosissima est, propterea quòd sine beneficio aëris nemo diu vivere potest. Si igitur pars aliqua hominum infecta est, alii alios posteà per continuam frequentationem inficiũt. Cæterùm dubium non est, quia Dysenteria, quæ anno 1601. ad finem ferè anni 1603. inter nos grassata est, cùm popularis fuerit in tota hac provincia, causam quoque non habuerit universalem. Non potest autem causa esse universalior tùm valetudinis, tum morborum, quàm aër; Valetudinis quidem, si purus: morborum, si corruptus. Non immeritò igitur asserimus, hanc nostram Dysenteriam ex parte, ratione corrupti aëris provenisse. Et hîc notandum est, aërem toto superiori anno 1601. tot vaporibus & exhalationibus oneratum fuisse, ut sol, (præsertim circà suum ortum) quotidie ferè conspectus sit pallidus & caliginosus: Vapores verò & exhalationes illas in aëre putrefactas, aërem quoque infecisse. Necesse est igitur corpora terrestria, quæ in spirando aërem ad se continuò attrahunt, simul infici, eorumque humores corrumpi. Hîc etiam considerandi sunt ambo terræmotus superioris anni, quorum alter 8. Martii, alter 7. Septembr. excitatus est. Hinc elevati sunt vapores multi, qui anteà in visceribus terræ retenti, & corrupti, aëris corruptionem auxerunt. Corruptio illa in fructibus etiam arborum sese patefecit. Quandoquidem eodem anno fructus in arboribus, præcipuè poma, non rarò inventa sunt, quæ ante maturitatem in ipsis arboribus nigra & putrida conspiciebantur. Præterea hyemale & vernale tempus nobis satis pluviosum fuit. Hinc corpora multis humoribus phlegmaticis repleta sunt. Posteà mensibus Junio & Julio æstus maximus supervenit, qui ad hanc humorum putredinem promovendam & augendam, non parùm conduxit. DEUS pro suâ misericordiâ ac clementiâ tum aëris, tum precipuè veteris nostri Adami corruptionem, quæ hujus flagelli, & quàm plurimarum aliarum afflictionum, quibus DEUS nos coërcet, causa est potissima, purificet. Medicamenta præterea acria & erodentia, ut Colocynthis, Antimonium, Arsenicum, Adamas, vitrum pulverisatum, & similia, crebrò sunt causa Dysenteriæ, præcipuè si hujusmodi medicamenta in gyro aut ruga aliqua intestinorum retenta fuerint. Neque solummodò medicamenta acria per os sumpta, verùm etiam illinitiones ex hydrargyro, Nicolao Massa lib. de lue venerea, tractatu 4. cap. 4. attestante, si intempestivè adhibitæ fuerint, idem efficere possunt. Quemadmodum enim in lue venerea malignus humor vi hydrargyri, ad os propulsus, gingivas exulcerat, expuitionesque movet, ita etiam, si ad intestina copiosè defluxerit, irritatione diarrhœam, exulceratione verò dysenteriam generat. Aqua item vinum, acetum, uti & edulia, præcipuè liquida, & quæ aceto, vino, aut liquore aliquo austero confecta, & in vasis plumbeis, cupreis, stagneisque diu conservata, dysenteriam quandoque procreant, uti ex sequentibus exemplis facilè colligere est.

Observat. I. Anno 1592. sub ipsis diebus canicularibus cùm Amplissimus Senatus Bernensis Argentorati Legationem haberet, & hospes propter maximum æstum palato hospitum suorum gratificari vellet, nec non vinum lagenis cupreis in puteum frigidissimum suspenderet, factum est, & paucis elapsis diebus ipsi Legati, & omnes ferè, quos secum comites itineris habuerunt, unus post alterum, uno eodemque morbo, nimirùm vehementissimo dolore ventris, febre, & dysenteriâ correpti sint. Ita quidem, ut nonnulli ex illis Argentorati, alii in via, & Bernæ in Patria obierint. Hæc mihi Amplissimus Dominus JOHANNES WILLADING Patricius Bernensis, nunc verò pro tempore Præfectus Aventicensis prudentissimus (qui & ipse in hac legatione non sine vitæ suæ periculo hæc expertus fuit) præsente doctissimo viro Domino EMANUELE URSTISIO Medicinæ Doctore, convictore meo, aliquoties retulit. Qui & ab eo tempore (quod mirandum) quotiescunque aëre existente calidissimo, vinum in labro, aqua frigida impleto, refrigeratum bibit, dolore & torminibus maximis, nonnunquam & diarrhœa se corripi, affirmat. Tam sagax est natura, ut ab eo, ex quo aliquando damnum aliquod accepit, semper abhorreat. Ego quoque in juventute mea, cum ab esu fungorum venenatorum aliquando læsus essem, postmodum usum eorum, etiamsi boni ac laudabiles essent, absque nausea, eructationibus & dolore stomachi, ampliùs sufferre non potui.

Observat. II. Ex aceto in vase plumbeo asservato idem mihi accidit. Anno enim 1605. Maji à viro, genere & virtute verè nobili Domino JOH. FRANC. DE MARTINES DN. IN BOURGOV ET PAILLI vocatus, cùm in via supra modum incaluissem, & in pago quodam Pally nominato, in prandio lautè satis de lactuca aceto in vase stanni plumbeo asservato, & butyro recenti, (oleum enim nobis deficiebat) irrorata, comedissem, ac inde Morgias defessus, quinetiam torminibus ventris vexatus valdè, pervenissem, in cœna, cum denuò acetario usus essem, quemadmodum & vino, aquâ diluto, in sequenti dein nocte torminibus ventris (non usque adeò tamen asperis) correptus fui. Circa solis deindè exortum, excrementa copiosa, & multis humoribus viscidis, ac loturæ carnium similibus, permixta ejicere cœpi, iter nihilominus absolvi, & circa meridiem in Perroy ad prædictum Dominum perveni. Post prandium, & sequenti nocte, etsi ultra sexagies alvum exonerare coactus essem, motum tamen & beneficium naturæ, (præcipuè quia vires constabant) impedire nolui. Vigesimâ verò quintâ, materiam peccantem sequēti potiuncula expurgavi.

R. Rhabarb. opt. & pulverisati ʒ.is.
Myrobalanor. citr. pulverisator. ℈j.

Cinna-

Cinamomi ℈j. cum decocto agrimoniæ, veronicæ, & radic. eryngii marini, fiat potiuncula.

Corpore leviter purgato, inunctoq; ventre, oleo rosac. cydonior. & mastich. tormina multùm imminuta fuère. Postea sequenti electuario usus fui.

Potio purgans.

℞. conservæ rosar. ℥ij.
cornu cervi usti & præparati, terræ sigill.
Sem plantag. ana ʒj.
Pulv. genital. cervi ʒß. Cum syrupo de rosis siccis q. s. Fiat electuarium.

Per intervalla quoq; enema sequens instrumento meo ipsemet mihi infudi.

Electuarium.

℞. hordei integri.
Fol. plantag. cum radicibus rosar.
Flor. chamomil.
meliloti ana M. s.
Sem. anisi, &
plantag. ana ℥s. Coquantur in aqua ad consumptionem tertiæ partis. In ℔j. colaturæ dissolve mellis despumati ℥j. vitellos ovor. Num ij. misce, fiat enema.

Tandem ad partes nobiles corroborandas, sequentes tabellas mihi ordinavi

Enema.

℞. Spec. aromatici ros. &
diarrhod. Abbatis ana ʒj.
confect. alkermes ʒs.
sacchari dissoluti in aq. rosac. ℥iij.
Misce, fiant tabellæ,

Tabella.

Hisce remediis, optimoque vitæ regimine, DEI beneficio convalui.

Cæterùm non solùm edulia quæ in prædictis vasis conservantur, verùm etiam aquam quæ per tubos plumbeos defluit. Dysenteriam procreare posse, tum Avicenna, tum alii celebres Medici testantur. Plumbum enim propter admixtam cerussam, mordacem habet qualitatem. Itaque aqua ista non solùm ægris noxia est, verùmetiam in sanis nonnunquam dysenteriam procreat. Avicenna lib, 1. fen. 2. doctrin. 2. capit. 16. Leonhard. Fuchs. de medend. morb. lib. 3. c. 15 Anton. Mizaldus memorabil. lib. cent. Johannes Riolanus lib. de diætâ sanor. cap. 9. Victorinus Schönfeldt. cons. de dysenteria cap. 8.

Omnes fructus horarii, fugaces & dulces, cujusmodi sunt pruna, cerasa, mala persica, melones, cucurbitæ, mala & pyra dulcia & cruda, uvæ, mustum, hydromel, cerevisia dulcis & recens, nec satis cocta, vinum item fructuarium, hoc est ex pyris & pomis confectum, hoc pyraceum, illud pomaceum nominat Riolanus, quia facilè corrumpuntur, & in humorem causamque morbificam dysenteriæ convertuntur, summoperè nocent, & sæpissimè mortem accelerant.

In compendio suo Medicina de diæta sanor. c. 9.

Historia.

Anno 1607. tempore autumni Symon Beauly, civis Paterniacensis, homo robustus, & vix 24. annorum ætatis suæ, cum dysenteria correptus esset, ex consilio cujusdam imperiti, primò egregium maximumque haustum vini generosi ebibit. Persuadebant enim illi, hoc remedio plures sanitati restitutos fuisse. Alterâ verò die cum fluxum vehementiorem esse viderent, suaserunt adstantes, ut maximum haustum musti pyracei biberet; Hoc enim modo materiam peccantem simul & semel evacuatum iri, asserebant. Hinc multò vehementior facta est dysenteria, quinetiam tormina, dolores totius ventris, & febris valdè aucta fuère. Sequenti die cum ex consilio fatui cujusdam hominis, maximum haustum frigidæ ebibisset, singultu adeò vehementi correptus est, ut vicini ex adversa parte plateæ ipsum singultientem, probè intelligere possent, adeò ut in hoc vitæ statu post dies aliquot è vita discesserit. Non video itaque, quomodo pruna recentia, uvæ, mustum, poma persica, & hujusmodi dysentericis sint concedenda. Experientia enim docet, uti quoque Hippocr. & alii scriptum reliquerunt, autumni tempore, cum hujusmodi fructus maturescunt, dysenteriam imprimis grassari: Hinc schola Salernitana cap. 19.

Hipp. 3. Aph. 22.

Autumni fructus caveas, ne sint tibi luctus.

Leon. chin. nonu lib. Rl ad Al forem 58. Vi Schö feldt. dysen cap.

Hippocrates prætereà, Dioscorides, Galenus, aliique viri docti testantur, fructus hos impuro, & ad putredinem parato succo, constare, stomacho adversari, & alvum subducere.

Hippoc. de diæta lib. 2. Dioscor. de materia medica. lib. 1. cap. 136. Galen. de simplic. medic. facultat. lib. 7. cap. 3. in litera K. Actuat. de Spiritus animal. nutrition. cap. 6. Arnoldus de Villa nova in schola Salernit. cap. 19. Vict. Trincavill. Enchirid. med. lib. 6. sect. 3. cap. 4. Tragus lib. 3. ca. 34. Medici Marpurg. de dysenter. Martinus Ruland Cæsar. Majest. Med. de luis Hungar. curation. cap. 5. Petrus, Specher de Dysent. Ioachim Reinickhen. de dysent. Victor Schönfeldt. de dysent. cap. 4. Christoph. Wyrsung. lib. 3. cap. 11. & 16. Iohann. Crato consilio mihi 25. Dysenteria, inquit, benè caveri potest, si quis à fructibus abstineat, & excrementa laborantium, maximè ventris, vitet. Petrus Forestus lib. 22. Obser. 31. Michael Doringius in quadam Epistola ad me scripta, & tertiæ Centuriæ observ. mearum inserta.

Porrò, quæ de prunis recentibus, pomis persicis, & hujusmodi, dicta, de musto quoque intelligenda sunt. Iuflat enim (Hippocratis de diæta lib. 2. verbis utor) & subducit, ac conturbat, fervens in ventre, & alvo secedit. Inflat quidem, quia calefacit, subducit autem ex corpore, quia purgat, conturbat, quia fervet in ventre, atque ita alvo secedit. Et Galenus, Mustum inquit, licet coquatur ægrè, crassumque succum, & inflationes gignat, alvum tamen subducit, id quod si interdum efficere nequeat, mirum in modum nocet. Et alibi, mustum dulcissimum maximè subducere alvum, & sanitati noxium esse, multis verbis testatur. Hinc Schola Salernitana sic scriptum reliquit:

Libr. Euchymia & cacochymia. De alim lib. 2. de vin

Impedit urinam mustum, solvit citò ventrem:
Hepatis emphraxin, splenis generat lapidemq;.

Mustum autem & vinum recens, urinam insigniter supprimere posse, exemplum notabile in octogenario quodam Paterniacensi, David Romay nomine, Anno 1606. vidi, de quo historiam lector in secunda Cent. Obser. Chirurg. videre poterit. Iuvenem annos 19. natum, ex largiori potione vini nondum defœcati, dysenteriâ verâ correptum esse, refert Forestus.

Obs.

Deniq;

r.22. serv.31

Denique, pisces, caro suilla, & in genere quicquid impensè humidum, duræ digestionis, & quod facilè corrumpitur, pisces ex se mortui, & quæcunque ad corruptionem tendunt, summoperè nocent. Cibus etiam acris, & potentiâ valdè calidus, ad generationem hujus morbi facit: quandoquidem nulla fit putredo sine calore externo, ut in tractatu meo de Gangræna & Sphacelo declaratur. Itaque si viscera jam multis humoribus infarcta, & præter modum excalefacta fuerint, facilè corruptio aliqua humorum sequitur. Hujusmodi autem cibus acris est, qui ex allio, raphano, zingibere, gariophillis, cardamomo, sinapi, & in genere ex iis, quæ linguam mordicant, conficitur. Ideoque morbum hunc sub finem æstatis utplurimùm grassari videmus, & quidem tam ratione æstus, qui humorum corruptionem auget, quàm ratione fructuum fugacium, quos pueri, potissimum huic morbo obnoxii, jam comederunt. Familiaritas quoque & conversatio ægrotis, & præcipuè latrinarum usus cum iis communis, periculosus est, & facillimè inficit: in dysenteria enim (doctissimi Dom. D. Georgii horstii verbis utor) malignitas adest, non respectu totius, quia morbus universalis nō est, sed ratione specificæ & malignæ corruptionis illorum humorum, qui intestinorum exulcerationem fœtidam generatunt. Quatenus autem hæc corruptio specifica singulari cuidam parti, nimirum intestinis, & non simpliciter toti, contraria est & inimica, eatenus facilimè recipitur, & vim suam exerit tum temporis, ubi quis aliquo modo dispositus ad cloacas ægrotantium accedens per inferiorem gutturem (ut Plautus loquitur) venenatas expirationes excretorum recipit. Quapropter sanis nullo modo ægrotorum latrinas frequentare convenit, ut capite ultimo ad finem fusiùs declarabimus.

...dysenteria ...ilentis ...exha... ...excre... ...Lib. ...morbis

Causa autem interna Dysenteriæ nihil aliud est, quàm humor acris, malignus & corrodens, qui vel biliosus vel atrabilaris, vel ex pituita, salsa tamen, acris & corrupta, qui non rarò in capite generatur, & posteà ad intestina delabitur. Aliquando etiam acres & maligni isti humores ex hepate, liene, venis mesaraicis, & aliis visceribus internis, proveniunt. Denique ex magnis venis, & partibus externis ad intestina aliquoties delabuntur. Quamvis autem corpora nostra hujusmodi humoribus sæpissimè graventur. Dysenteria tamen non semper sequitur, sed tantum postquam humores illi sunt corrupti, ac acriores facti, sive id corrupti aëris ratione, sive ex familiaritate cum ægrotis, vel aliis ante enumeratis causis accidat. Sed necesse est, ut rectè scribunt, Mercatus, Horstius, & Alexand. Benedictus, ut visciditatem & lentorem quendam sibi adjunctum habeant humores isti, cujus ratione plus solito intestinis adhærent, eademque exulcerant, unde patet, qui fiat, quod sæpius in diarrhœa peccantes humores mordacissimi, & fervidissimi sentiantur, & nihilominus exulcerationem intestinorum non introducant, quatenus scilicet ejusmodi viscida qualitate destituuntur, & intestinorum tunicis aliquandiu adhærere nequeūt. Cæterùm natura hujusmodi humoribus onerata, eos ejicere conatur, & excernendo primum evacuat humorem viscidum, qui in intestinis naturâ hæret, tum ut lubrica reddantur, & excremēta eò facilius permeare possint, tum etiam ut intestina conservētur, ne ab humore bilioso, quem natura quotidie ad intestina mittit, sive quavis alia re, statim offendantur. Quando igitur viscosus ille humor primò evacuatur, ut ægri sæpissimè Diarrhœâ se laborare existiment, quia dolor nondum acerbus est, nec sanguis adhuc excernitur. Verum enimverò, intestina viscoso suo humore abstersa ac destituta, maligno ac virulento humori amplius resistere non possunt: itaque ab eo exulcerantur, adeò ut sanguis posteà maximo cum dolore excernatur: præcipuè si peccans humor in intestinis retentus fuerit. Pueri eo tempore, quo ipsis dentes erumpunt, multis variisque morbis (ut Hippoc. docet) sunt obnoxii, utplurimum autem febri, & fluxu ventris, qui aliquando in dysenteriam transit, corripiuntur. Consentaneum enim rationi est, veluti acubus, perforatis gingivis à dentibus prodeuntibus, hæc symptomata evenire: In isto enim motu naturæ molesto, insignes cruciatus & vigiliæ oboriuntur, ob quas in illis calor præternaturalis excitatur, à quo attrahuntur humores ad eas partes, qui inibi putres, salsi & acres redditi, nec non ad stomachum deinceps, & intestina præcipitati, mirificè expulsivam facultatem irritant, & consequenter alvi fluxus inducunt. Hujus rei exemplum memorabile mihi videre contigit. Anno 1608. mense Junio filiolus Magistri Samuelis Gomenii, arcularii paterniacensis, cum vix mensem septimum ætatis suæ attigisset, ac quatuor simul dentes ipsi erumperent, dysenteriâ adeò gravissimâ corerptus est, ut quinta die morbi, maximis cum doloribus è vita discesserit. Quibus tempore dysenteriæ consuetæ purgationes, veluti menstrua aut hæmorrhoides sistuntur, aliquando dysenteriâ corripiuntur: sanguis enim ad venam cavam & hepar recurrit, ibique inflammatur, posteaque ad intestina regurgitat. Quibus brachium, aut tibia amputata est, simili ratione dysenteriam incurrunt, uti Hippocrates, Galenus, & alii testantur. Hujus rei exemplum mihi in milite, cui ambas amputavimus tibias, videre contigit. Historiam Lector ex secunda Centuria Observ. & ex tractatu de Gangræna & Sphacelo petere poterit. Cautè igitur prospiciendum est, ne purgationes solitæ intermittantur. Quamobrem juvenes & sanguinei exquisitâ victus ratione uti, nec non venæ sectione sanguinē diminuerr necessariò debent.

Lib. 3. Aphor. 25.

Hieron. Mercurialis de morbis pueror. 2. cap. 25. Symon VVal. Lambert. de morbis pueror. Observatio.

Galen. de symptom. caus. l. 3. c. 2. Comment. 4. in libr. Hippoc. de art. c. 40. Arnoldus de Villa nova breviarii practices lib. 2. c. 37.

CAP. IV.

Signa Dysenteriæ.

CUm variæ sint alvi profluvii species, (uti diximus) cōveniet, eas omnes per sua signa diligēter describere, ut cōfusio in curatione evitetur.

Quod ad tres priores species, nimirum Cœliacam, Lienteriam, & Diarrhœam, illæ facilè cognoscuntur, & parvo negotio à dysenteria distinguuntur. Primùm, quia nullus cruor excrementis permixtus est; deinde, quia dolor & tormina ventris, non ita, quemadmodum

in

in Dysenteria, ægrotum fatigant, potest tamen utraque in Dysenteriam mutari, videlicet cum materia peccans acris & maligna est, & intestina viscoso suo humore destituta sunt. Accidunt & alii ventris fluxus, sed cruenti, qui tamen nullam cum dysenteria affinitatem habent, quoniã interdum propter hepatis imbecillitatem, utplurimùm vero ex apertis interioribus hæmorrhoidibus venis proveniunt.

Porrò dysenteria sæpius cum maximo dolore, & ventris torminibus, atque continuâ egerendi cupiditate incipit, etiamsi nihil ferè, præter parum viscosæ vel cruentæ materiæ excernatur, quæ nihilominus & acris valde, & pungens est. Hinc fit, ut Celsus lib. 4. cap. 15. malum hoc Tormina appellet. Nonnunquam etiam ejusmodi alvi profluvium evenit, quod initiò quidem Diarrhœa videtur esse, sed postquam duos aut tres dies continuavit, & intestina suo humore viscido abstersit, in dysenteriam demum vertitur. Ac primùm sanguinis aliquid, excrementis & humoribus viscosis permixtum, postea purus sanguis, ac tandem tunicæ, & ipsa intestinorum substantia excernuntur. Quapropter in hujusmodi profluvio dysenteriæ tempore diligenter prospiciendum. Quod ego anno 1603. mense Augusto, expertus sum: cùm enim præ occupationibus de diarrhœa mea solicitus esse non possem, hæc in dysenteriam gravissimam tandem commutata fuit, quæ me postea aliquot dies affecit. Quia autem in aliis excretionibus cruentis, utpote in ea, quæ procedit in labefactato hepate, & apertis interioribus venis hæmorrhoidalibus, aliquis ardor in recto intestino adesse potest, propterea illas omnes profluvii alvi species à dysenteria diligenter distinguere necesse est, ne in curatione fiat confusio. Cæterùm in cruentis alvi excretionibus sine dysenteria, sanguis utplurimum, & majore quantitate, & purior, quàm in dysenteria ejicitur. At in dysenteria præcipuè initio paucus, & excrementis, vel aliis viscosis & purulentis humoribus permixtus, excernitur.

Celsus.

Quod ad febrem attinet, ea incertum est dysenteriæ indicium: non enim semper initio morbi, nisi peccans materia præter modum acris & maligna fuerit, intervenit, sed plerumq; post aliquot dies propter doloris vehementiam, & inquietudines, ac purulentiam materiæ in gyris & intestinorum rugis coacervatæ. Ego tamen nonnullos à Dysenteria curavi, nulla adveniente febre, sed id rarò. In dysenteria quoque in principio pinguedo excrementis admixta est: deinde exigua frustula ex prima intestinorum tunica, ac tandem ipsa substantia, excernuntur. Sequuntur & dolores capitis, vigiliæ, appetitus atq; virium prostratio, sitisque quoque augetur, ita ut lingua & palatum sic arescant, vix ut ægri loquelam proferre possint.

CAP. V.

Quibus signis pars affecta cognoscenda?

COgnito morbo, pars affecta nunc investiganda venit, in quonam scilicet intestino sit excoriatio vel ulcus? ea enim cognitio cùm ad rectè de morbo prognosticandum, tum præcipuè ad optimam ejus curationem, perutilis & necessaria est. Pars autem affecta, partim ex dolore, partim etiam ex inspectione excrementorum cognoscitur. Dolor enim si acutissimus est, ita ut ægro videatur se aciculis & cultris undique per ventrẽ pungi, signum est, præcipuam excoriationem in tenuioribus esse intestinis. Quod si in jejuno fuerit, dolor præcipuè erit ingens, nausea maxima, fastidium cibi, vomitus, febris, ardor linguæ, vigiliæ, inquietudinesque ægrum exercent. Excrementa cruda valdè excernuntur, viresque supra modum prosternuntur. Si ulcus in aliquo crassorum intestinorum hæreat, dolor non usque adeò acutus persentitur. Nam crassa intestina tenuioribus sunt magis carnosa, ac proindè sensu minus acuto prædita. Hujus doloris differentia facilè animadverti potest in Colica & Iliaca passione: quamvis enim in Colica, quæ fit in crasso intestino, nempe Colo, dolor vehemens sit: In Iliaca tamen passione, quæ fit in Ilio gracili intestino, multò acerbior, ac vehementior est.

Ex situ doloris, in quonam intestinorum sit excoriatio, videlicet, an in gracilium aliquo, si dolor superiorẽ ventris partem occupet, an in crassorum aliquo, si inferiorem, præcisè judicare nõ possumus. Est enim, ut Hippoc. rectè lib. de affectionibus, annotavit, per totum ventrem. Deindè non omnia crassa intestina (uti norunt ii, qui in arte Anatomica versati sunt) in inferiore ventris parte existunt, neq; gracilia omnia in superiore locum suum habent. Quod evidenter apparet in Coli crassi intestini situ: à recto enim intestino ascendit Colon ad sinistrum hypochondrium versùs Lienem, ubi alligatur, & angustius redditur, quemadmodum Dominus Doctor CASPARUS BAUHINUS, Anatomicus & Botanicus insignis & laboriosus, propriâ suâ industriâ observavit. Posteà pergit, & ascendit ad infimam usque ventriculi partem, quam attingit, mox ad dextrum hypochondrium descendit ad apicem usque Ilii ossis, ubi intestinum Ileon finit. Contrà verò intestinum Ileon (quod unum ex gracilimis intestinis) aliquando usque adeò descendit, ut etiam in scrotum eorum, qui herniâ laborant, delabatur. Hinc perspicuum fit, excoriatione, apostemate, aut ulcere in intestinis gracilioribus existente, fieri posse, ut dolores sint in inferiore ventris parte: cùm verò excoriatio & ulcus in aliquo crasso intestino existant, fieri quoq; posse, ut dolores in superiore ventris parte, imò ad fundũ ventriculi persentiantur.

Superest via altera cognoscendæ partis affectæ, nimirum per excrementa, quæ diligenter inspicienda sunt: nam si sanguis, item purulenta materia, & viscositas intestinorum, excrementis permixta inveniatur, id denotat morbum in tenuioribus intestinis existere. Sunt enim suprema ordine, proinde materia & sanguis ut descendant, longiori temporis momento indigent, atq; interim possunt faciliùs excrementis sese immiscere. Contrà verò si morbus in crassioribus intestinis (quæ postrema sunt ordine) hærent, sanguis, purulenta materia, & intestinorum viscositas, excrementis permixta non sunt, sed tantùm iis circum circa adhærent. Interdum tamen sanguis & viscositas ante excrementa, nonnunquam statim

Alius dus cognoscendæ partis affectæ.

statim post excernuntur. Si æger mox, atque acutos & extremos dolores senserit, alvum exonerat, id denotat, ulcus in crassioribus intestinis esse: si verò non, certum est indicium, morbum in tenuioribus intestinis hærere.

CAP. VI.

Prognostica Dysenteriæ.

ANtequam ad curationem accedamus, necessarium est præcognoscere, quid de morbo futurum sit, an æger evasurus, an non? si enim lethalem aut diuturnum morbum esse Medicus cognoverit, & adstantibus significaverit, culpâ immunis erit. Est & laudabile, & divinâ illa arte dignum, præterita, præsentia & futura prænoscere. Ex quo illud pariter innotescit, quid agendum sit, naturæne totum negotium committendum, aut tentanda artis præsidia, aut nihil prorsus moliendum in rebus planè desperatis. Optimè autem prædicturus Medicus, tria hæc diligenter consideret. Primò naturam & qualitatem morbi, hoc est, gravis ne, an levis sit? secundò vires ægri, an vegetæ, aut imbecilles? partem deniq; ægram. Quandoquidem si morbus levis est, & in crassis intestinis, vires verò robustæ, facilè sanabitur. Si omnes hæ conditiones aut earum una secus se habeat, in vitæ aut saltem diuturnioris morbi periculo versatur. Verùm hæc fusius & accuratius hunc in modum declarantur.

In primis sciendum est, Dysenteriam gravé & periculosum, ut Hipp. docet, esse morbum: Medico tamen initio morbi accersito, & ægro Medici consilio acquiescente, recuperandæ valetudinis spes datur: si verò Medici consilium negligat, usquedum prostratæ fuerint vires, & sanguis; membranæ, ipsaque intestinorum substantia excernatur, tunc in mortis discrine, quamvis Medicus summam adhibeat diligentiam, versatur; *A difficultate enim intestinorum, habitus* (inquit Hippoc.) *si veluti caruncula exeant, lethalis est.*

Præterea Dysenteria contagiosa est, præcipuè quæ ex corrupto aëre fomitem suum habet: humores enim ab attracto aëre, ex parte corrupti, postea si circa ægros versari necesse fuerit, facillimè prorsus corrumpuntur. Anno 1604. Nobilis ac strenuus Vir, Dn. NICOLAUS APERROMAN, Eques Hierosolymitanus, & Reipublicæ Freiburgensium Consul prudentissimus, cùm dysenteria per dies quatuordecim graviter laborasset, tandemque ea obiisset, post eum omnes ferè, qui circa ipsum fuerant, dysenteria corrupti fuêre. Inprimis autem uxor ejus mœstissima, Dn. Doctor Paulus Lentulus, Reipubl. Bernensis Medicus celeberrimus, Dn. Albertus Lapis, Pharmacopœus Freiburgensis; nec non una ex ancillis, quæ continuò circa ægrum fuerat, & de excrementis abjiciendis, lectumque sternendi curam habuerat; Ego divinâ clementiâ servatus fui, reliqui quoque convaluerunt. Quare si fieri potest sine læsione proximi, loca infecta vitanda sunt. Pueri, mulieres, & otiosi hoc facilius corripiuntur, quàm cæteri: tum quia natura humidiores sunt, tum etiam, quia fructibus crudioribus, esculentis humidis & facilè putrescentibus oblectantur, vescunturque.

Affectus si in tenuioribus est intestinis, præcipuè jejuno, majori in periculo, quàm si (teste Aëtio) in crassis, æger versatur: habent enim sensum multò exquisitiorem. Hinc tormina, dolores, & inquietudines multò vehementiores & acutiores. Stomachus præterea, quia majorem habet sympathiam cum tenuioribus intestinis, ad vomitum incitatur, & cibum respuit. Illáque quoniam illicò vires ægri diminunt, majus periculum inferunt. Præterea horum intestinorum ulcera planè sunt incurabilia, ut Hipp. & experientia fidem faciunt. Contrà verò crassorum intestinorum ulcera omninò non sunt deplorata, sed curabilia, ut in prima Centuria observationum mearum Chirurgicarum exemplis demonstratur.

Tetr. 3. sermon. 1. cap. 43. — *Aphoris. 18. lib. 6.* — *Observ. 54. & 55.*

Dysenteria ex humore pituitoso & bilioso minus est periculosa, & facilius, quàm ea, quæ ex adusto & atrabilari humore procedit, curari potest, quæ cancro exulcerato, æquè minus curabilis est; ut Hippoc. & Galenus testantur. *Si enim* (addit Galenus) *cancer in summa parte consistens, cum difficultate sanabilis est, aut omninò insanabilis, multò magis insanabilis erit cancer, qui intestina occupat, tum quia nihil sibi imponi, quod adhæreat, patitur, tum quoniam semper ab excrementis tangitur.* Aëtius idem affirmat. Sed quia judicium difficile, ut Hippocrates docet, excrementa inspicienda sunt, diligenter item circumstantiæ considerandæ, antequam sententia feratur. Aliquando enim ab initio morbi, aut paulò post sanguis niger, melancholicus, adustus ac splendens excernitur, cum tamen intestina nondum exulcerata sint, neque illam habeat acrimoniam ac malignitatem, ut illa facillimè & profundiùs erodere possit nisi forsàn inter anfractus & gyros intestinorum morâ aliquam traxerit, adeoque malignitatem acrimoniamque acquisiverit, Galeno atestante. Hujus rei exemplum in memetipso observavi. Anno enim 1603. mense Augusto diarrhœâ correptus, triduum excrementa biliosa (absque dolore tamen) excrevi, quæ posteà nigra & sanguine adusto permixta erant. Tandem quoque sanguinem purum dejeci. Purgato corpore rhabarbaro, & myrobalanis, clysteribus item anodynis & corroborantibus usus, brevi, laus DEO, convalui. Si verò æger, postquam morbo extenuatus & debilitatus fuit, excrementa atrabilaria, aut instar sanguinis nigri excreverit, postridie, ut Hippocrates docet, moritur. Nonnunquam tamen circa finem morbi alicujus accidere potest, ut æger excrementa & sanginem nigrum excernat, quibus tamen levatur, & convalescit: fit enim beneficio naturæ, quæ se morbi victricem ostendit, expellitque quicquid pravorum humorum in corpore supererat; cujus rei exemplum videre est in 2. Centuria observationum mearum, de quodam aurifabro Coloniensi. Si verò hac excretione magis debilitetur æger, & signa concoctionis in urina non appareant, tunc Aphorismus ille Hippocratis (*Quibuscunque ex morbis acutis vel diuturnis, vel ex ulceribus, sive quovis alio modo*

Hipp. lib. 4. Aphor. 24. — *Tetrab. 3. sermon. 1. cap. 43.* — *Lib. Aph. 1.* — *De usu part. humani corpor. lib. 5. c. 10.* — *Lib. 4. Aphor. 23.* — *Observatio.* — *Lib. 4. Aphor. 23.*

modo extenuatis, nigra bilis, sive uti sanguis niger, desubter exierit, postridie moriuntur) verissimus erit. *Qui durum habent lienem, eis superveniens difficultas intestinorum* (inquit Galenus) *solvit dispositionem.* Idem attestatur Hippocrates eodem libro, Aph. 48. his verbis. *Lienosis difficultas intestinorum superveniens, bonum. Humor enim crassus, melancholicus & noxius, lieni inclusus, evacuatur.* Quæ tamen verba Hippocratis cum distinctione intelligenda sunt, nimirum de moderata evacuatione. Si enim ultrà modum fuerit evacuatio illa, laborantibus noxia erit & gravis, cum temperies caloris nativi visceum, hepatis, lienis, & totius venosi generis, ut Galenus in supradicto commentario refert, hoc modo multùm imminuatur atque aboleatur. Rectè itaque Hippocrates scriptum reliquit, inquiens. *Quicunque lienosi à difficultate intestinorum capiuntur, iis superveniente longa difficultate intestinorum, aqua inter cutem, aut levitas intestinorum advenit, & moritur.* In quo Aphorismo vocabulum, *longa*, perpendendum venit, cum Hippocrates sub eo immoderatam intestinorum difficultatem intelligere voluerit. Ex immoderata evacuatione, materiæ, ut concoquatur, ocium non datur, sed ex parte corrumpitur, sequunturque ex uno incommoda multa alia. A furore etiam quandoque liberat dysenteria, teste Hippocrate, quandoquidem noxii humores (addit Galenus) à capite ad interiora transferuntur.

Lib. 6. Aphor. com. 43.

Lib. 6. Aphor. 43.

Lib. 7. Aphor. 5.

A dejectione syncera difficultas intestinorum malum, inquit Hippocrates. Syncera enim dejectio propterea periculosa est, primò quia magnam subesse intemperiem significat. Deinde quod intestina ab ipsa potius, quàm à permista exulcerantur. Porrò per synceram dejectionem Galenus in commentario utramque bilem, scilicet flavam, & atraam intelligit. *Mulieri uterum gerenti, si alvus plurimum profluat, periculum est, ne abortiat.* Quandoquidem non solùm pravi, & ad nutritionem inutiles humores, verum etiam ii, qui pro nutritione fœtus destinati fuerant, profluunt. Itaque fœtu suo destituto alimento, erumpit atque prolabitur. *A tabe habito, profluvium alvi superveniens, lethale.* Verùm alvi profluvium, in primis verò Dysenteriam, non solùm in iis, qui tabe, verum etiam quavis alia de causa sunt extenuati, periculosam esse, sæpius observavi: arguit enim maximam viscerum imbecillitatem atque labefactationem. Attamen aliquando in extenuatis, alimentis insigniter nutrientibus, & medicamẽtis viscera corroborantibus, hujusmodi alvi profluvia retenta, atque restricta fuisse, eumque, quem moriturum putabamus, convaluisse memini. Non igitur necessitate est lethale, sed perniciosum, ut Paulus Offredus interpretatus est. Hæc ideò addo, ne tyrones etiam in morbis gravissimis desperent, & ab officio desistant. *Hydropici sæpissimè alvi fluore* (ut Galenus testatur) *corripuntur.* In iis enim venæ, per quas jecur ad se trahit alimentum, quod quum paulatim corruptum fuerit, deorsum expellitur. Hujusmodi fluor si in Dysenteriam transierit, periculosa est, & ut plurimum lethalis.

Lib. 7. Aphor. 23.

Hippocr. lib. 5. Aphor. 34.

Hippocr. lib. 5. Aphor. 14.

Aphoris. 5. comm. 14.

Commẽt. 2. cap. 2. in progn. Hippocr.

Si statim à principio morbi febris supervenerit, ægrum in maximo versari periculo significat: ea enim maximam humorum malignitatem & acrimoniam arguit. Præterea si dysenteria continuaverit per aliquot dies, & æger paulatim extenuetur, & debilis fiat, cibum item non appetat, syncopem frequenter patiatur, excrementa etiam tetrum reddant odorem, & excernendo sudor frigidus emanet, id periculosum & mortale est. Si sub finem febris supervenerit, sive ratione inflammationis viscerum, sive materiæ virulentæ ac putridæ circa intestinorum ulcera, vix æger evadet. Si veluti carunculæ dejiciantur, lethale quoque est, substantia enim intestinorum existit, quæ regenerari nequit. Dysenteria in pueris periculosa est, & si cum febre acuta fuerit, aut in fine alicujus morbi gravis acciderit, ut plurimùm lethalis, tum quod vehementiæ morbi resistere nequeant, tum quia medicamentis, ut necessitas postulat, uti non possint. In adultis aliam ob causam periculosa est, nimirum quod temperamenti sint siccioris, & tot humores, corruptioni obnoxios, non accumulent; adde & eos fortiores esse, quò morbis resistant, & exercitia faciant, quibus humores excrementitii cõsumantur. Si igitur hoc morbo corripiãtur, id sum̃am humorũ corruptionẽ ac malignitatẽ adesse, indicat. Dysenteria infantium, quæ est cum vomitu & vermibus, ut plurimùm lethalis est, præcipuè si fuerit cum febre acuta: significat enim maximam humorũ putredinem, & malũ in superiobus intestinis existere. Anno 1607. mense Augusto, filius Domini Petri Freydenreich/ Reipublicæ Bernensis Senatoris, & Tribuni prudentissimi, compatris mei plurimum honorandi, dysenteriâ correptus fuit. Statim ab initio morbi usque ad extremum vitæ diem omnia quæ assumebat cum multa putridissima materia, & vermibus ultrà duo de viginti, evomuit. Febris erat vehemens, & pulsus statim ab initio morbi frequens, profundus, obscurus & intermittens. Quarta die morbi pustulæ diversæ & in diversis corporis partibus, in pectore nimirum sub axilla, in brachio sinistro, aliisque in locis ortæ fuerant, quarum nonnullæ latitudinem palmæ adæquabant, lividæ erant, & cuticulam tantummodò elevabant, in quibus nonnihil ichoris continebatur, protinus tamen exiccabantur. Septimo tandem morbi die, sudore frigido correptus, placidè animam expiravit. Si quis ex alio morbo acuto relevatus, Dysenteriâ corripitur, ut plurimùm brevi moritur. Nonnulli ex iis, qui Dysenteriâ graviter laborant, ad tempus languent, exsiccantur, & sensim moriuntur: propterea quod maligna ulcera circa viscera interna remanserunt. Id quod & Hippocrates testatur. *Dysenteria*, inquit, *sedata abscessum aut humorem aliquem faciet, si non ad febres, aut sudores, & urinas crassas, & albas, ac valdè perspicuas, aut ad tertianas, aut ad varicem, aut ad testem, aut ad crura, aut ad coxam dolor decubuerit. Alii fiunt Hydropici, multi*

Hip... lib... phor...

Obs... ...

Lib... ... in ... acut...

multi quoq; lienteriâ ad tempus afficiuntur. & postea convalescunt.

hat. Reverendus Dominus Iohannes Merula, piæ memoriæ, Ecclesiæ Paterniacensis Pastor fidelissimus, cum Anno 1607. periculosa atque diuturna dysenteria, divinâ gratiâ, liberatus esset, inflammatione uvulæ correptus fuit. Tandem & sequuta est angina, ut in tertia Centuria Observat. Observatione 27. fusius declaravimus. Præterea in dysenteria, quæ superioribus annis hîc grassata, pluribus in fine morbi materia aliqua ad coxas & crura decubuit, ibique dolores & imbecillitatem nervorum induxit, sicuti ego in pluribus observavi.

Singultus si initio morbi acciderit, non usque adeò est periculosus. Si verò sub finem, ut plurimum mortem prænunciat: quandoquidem singultus ille exinanitione & nimia evacuatione fit, proptereà mortalis existit, ut Hippocrates rectè annotavit. Sudor item frigidus, & extremitatum frigiditas, mortem imminere significant.

is. lib.5. .3.

Cap. VII.


Curatio Dysenteriæ, in qua primò agetur de vitæ regimine, tanquam prima curationis intentione.

Dysenteriæ curatio in hoc præcipuè consistit, ut humor acris & malignus evacuetur, & ulcus atq; excoriatio intestino in consolidetur. Interim quoque semper, ut Galenus monet, jecoris habenda est ratio. Quod ut perficiatur, quatuor intentiones observandæ veniunt. Prima est, ut regimen vitæ instituatur: secunda, ut acres & maligni humores expurgentur & evacuentur; tertia, ut dolores mitigentur: quarta, ut profluvium restringatur, atque ulcus consolidetur.

. 4. ipp. c.

Regimen autem vitæ, cùm primum curationis morbi hujus sit instrumentum, quo probè observato, multi facilmè, & absque plurimorum medicamentorum usu sanari possunt, ideò de eo paulò prolixius nobis agere visum est.

Quod ad aërem, is in Dysenteria temperatè calidus esse debet: Cùm enim humorum malignitas quædam & corruptio Dysenteriam semper comitetur, necesse est poros semper manere apertos, non secus ac in peste, ut corruptio illa, quæ in venis est, exhalare possit. Certum autem est, eos caloris beneficio apertos retineri, frigore verò condensari ac constringi, & humores vaporesque noxios, qui sunt in exterioribus venis, ad centrum & partes nobiles pelli. Itaque hyberno aut frigido tempore necesse est cubiculum aliquantulum tepefieri. Hanc quoque ob causam æger sub linteaminibus & lodicibus calidè sese continere debet, & rarius surgere, non solùm ideò, ne membra frigefaciat, verùm etiam ne ea fatiget: Motus enim & agitatio corporis imbecillitatem & profluvium augent: Contra quies & somnus, vires corroborant, & profluvium moderantur, ut Hippocrat. & experientia ipsa testantur. Quapropter necessitas requirit, ut pelvis ad id apta ægro supponatur, qua (meo judicio) comodior nulla inveniri potest, quam ea, cujus delineationem hîc quoque subjicere placuit.



AA. Capacitas pelvis.
B. Foramen est rotundum latitudinis spithamæ aut circiter.
C. Margo, sive extremitas pelvis nonnihil depressa, ut æger commodius ei insideat.
F. Manubrium.
E. Fistula trium digitorum, in latitudine positorum, per quam pelvis expurgatur.
D. Operculum est hujus fistulæ.

Si Febris vehemens, aut tempus calidissimum fuerit, necesse est aërem, quem æger ad se attrahit, nonnihil esse frigidum: ideoque æstatis tempore ab aliquo adstantium, frigidus aër circa ægri faciem flabello excitandus, præcipuè si propter nimium æstum, & Spirituum dissipationem, lipothymia aut syncope afficiatur. Cubiculum aquâ rosaceâ, aut aquâ fontanâ irrorandum, herbisque & floribus frigidioris naturæ, ut rosis, nymphœa, plantagine, foliis vitis, salicis, quercus, & hujusmodi, singulis diebus inspergendum est; subucula quinetiam, & linteamina sæpius erunt mutanda, ne vapor excrementorum ægro damnum inferat. Domus & conclave quoque baccis juniperi, olibano, storace, mastice, & similibus, perfumiganda sunt. Poterit etiam æger pomum odoriferum olfacere, ex iis simplicibus compositum, quæ calorem contemperent, & cor ipsum corroborent, temporis tamen ratione habitâ. Ideoq; æstatis tempore, aëre calidissimo existente, ad hunc modum præparabitur.

Pomum odoriferū pro æstatis tempore.

℞. Santali utriusque
Boli armeni
Corallor. rubr.
Cornu cervi usti
Radic. Ireos
Cordicum citri exiccat. ana ʒs.
Lapidis Bezoard. ℈j.
Rosar. odoriferar. p. j.
Styrac. calam. ʒj.

Moschi ℈s.
Confectionis alkermes ℈ij.
Camphoræ ℈j.

Cum mucilagine gummi Tragacanthi ex aq. rosar. fiant poma magnitudine nucis, quæ non solùm ægris, verùm etiam sanis, cum Dysenteriæ, tum Pestis tempore, præservationis gratiâ, conveniunt.

Pomum odoriferū pro hyberno tempore.

R. Styracis calam.
Benzoin.
Radic. Angelicæ.
Macis
Gariophyll.
Cortic. citri sicc. ana ℥j.
Lapidis Bezoard. ℈j.
Confect. Alkermes ʒs.

Cum mucilagine gummi tragacanth. ex aq. cinamomi; fiant poma, quæ & sanis præservationis gratiâ, hyemis tempore conducunt.

Cibus & Potus.

Quod ad cibum & potum, quia in hoc morbo ventriculus debilis, concoctrix quinetiam & retentrix facultas labefactata, & intestina excoriata, necesse est ægrum circa principium, & interim dum vehementes sunt dolores (si modò vires consentiant) parcius vivere. Itque cibi sint facilis concoctionis, & euchymi, id est, qui optimè nutriant, cujusmodi sunt juscula carnium recentium, castratorum boum, caponum, gallinarum: hordei mundati, farinæ avenaceæ, addito butyro recenti, non salito: butyrum enim hoc dolores mitigat & intestina defendit, quo minus ab humore acri offendantur. Cum carne coquendæ sunt radices tormentillæ, bistortæ, eryngii marini, item folia acetosæ, borrhaginis, buglossæ, folia & flores calendulæ, & similes herbæ. Hujusmodi quoque herbis aliisque adstringentibus carnes farcire expedit. Pinguedo castratorum liquefacta, & jusculis admixta, mirum in modum dolores lenit, & intestinorum ulcera consolidat. Lumbricos terrestres, lotos & concisos, cumque carne castratorum coctos, si ægro eorundem juscula exhibita fuerint, mirum in modum Dysentericis prodesse, sæpissimè expertus sum. Dolores enim leniunt, & quæ in intestinis sunt ulcera, aut vulnera, facultate quadam specifica consolidant, quod & Clarissimus Dominus Doctor JOHANNES WIERUS, libr. de Scorbuto testatur. Sed quia urinas simul insigniter movent, ut Diosc. & experientia fidem faciunt, nonnisi prius expurgato corpore hujusmodi juscula exhibenda sunt, & quidem paulò ante pastum: diuretica enim reliquis cibis minimè sunt permiscenda, uti aliquoties monui. Lac quoque muliebre summoperè convenit, vel ejus loco vaccinum recens mulctum, & cum melle despumato tãtisper coctum, donec media pars absumpta sit. Potest quoque in eo mica panis albi & sicci, parumque butyri recentis non saliti, vel cochleare unum aut alterum olei amygdalarum dulcium coqui, postea in eo vitellum ovi dissolvi, sic enim non solùm nutrit, verum etiam mirum in modum dolores lenit. Si febris continua est, vino & omnibus aromatibus, alliis, cœpis, sinapi & similibus, prorsus abstineat: si verò febris certas periodos observaverit, tribus aut quatuor horis ante paroxismum nihil edat & bibat, quò febris vacuum stomachum inveniens, eò felicius ac citius ægrum deserat. Dolore sedato, iis, quæ cap. 9. recensentur, medicamentis uti debet, videlicet quæ abluunt, abstergunt, & intestina mundificant, qualia sunt serum lactis, hydromel, & juscula satis liquida, cocta ex aqua & pane triticeo, sed secundario, hoc est, cum suis furfuribus, furfures intestina obstergunt & mundificant. Deinde paulatim rationem victus, quæ desiccandi, & alvi profluvium restinguendi vim habeant, instituere expedit. Ad hoc nonnulli carnem leporinam assacam, item quæ ex ea præparantur edulia, commendant, sed ne ea cum aceto, alliis, sinapi, pipere, Zingibere, cardamomo, gariophyllis, & hujusmodi speciebus acribus & calidis præparata sint, diligenter prospiciendum est. Mala cydonia, pyra item in clibano exiccata, ad hanc intentionem aliquo modo conducunt, dummodò singulis vicibus parum sumat æger, quoniam stomachum onerant, & difficilè digeruntur. Lac amygdalatum in hoc morbo præstantissimum est, id autem, ut sequitur, præparari debet. Amygdalæ mundatæ cum decocto agrimoniæ, veronicæ & radicum eryngii marini in mortario pistentur, & per linteum colentur: potest & parum aquæ rosaceæ & plantaginis, parumque sacchari, ad saporis suavitatem admisceri. Oriza, & milium excorticatum, lacte coctum, non solùm nutrit, verùm etiam consolidat, poterit quoque addi vitellum ovi, parumque butyri recentis. Ego hujusmodi pultibus, ut efficaciores reddantur, nonnihil pulveris radicum bistortæ, tormentillæ, cornu cervi usti & præparati, corrallorum præparat. & genitalium cervi addo. Lentes, pisa fabæ, cum aqua coctæ, ad hanc quoque intentionem utilia sunt, inprimis iis, qui tali victu uti consueverunt. Si fortius constringendi profluvii necessitas urgeat, adjiciatur parum amyli. Caro vervecina assata, item columbarum, turdorum, & hujus generis avium, quæ in arboribus vivunt, summoperè laudatur, avium verò aquatilium nocet.

Lumbrici terrest.

Lac muliebre.

Lac amygdal.

De Pane.

Panis debet esse ex optimo tritico fermentatus, & benè coctus, parumque ante ignem exiccatus: cotillisci & crustula cum ovis confecta etiam conveniunt. Nonnulli panem ex siligine præparant, cui nigra illa sambuci grana, cum acinis in pulverem contusa, admiscent & ægro exhibent, sed panis ille optimè fermentatus & coctus esse debet, alioquin nocet. Verùm in his omnibus ætatis ac virium ægroti, & temporis morbiq; ratio habenda est: si enim vires prostratæ sint, aut si Lienteria, febris continua, & syncope Dysenteriam comitentur, aut æger juvenis, & delicatiore victu uti consueverit, tunc cibum delicatiorem, faciliorisque concoctionis, exhibere necesse est, ut vires ægri conserventur. Itaque caro leporina, fabæ, lentes, crustula, cotillisci & hujusmodi cibi difficilioris concoctionis, admittendi non sunt. At contra lacte amy-

amygdalato, item jusculis carnium recentium, hordei & avenæ mundatæ, sive farinæ avenaceæ tostæ, nobis Habermuß dictæ, utatur, præterea jusculis ex mica panis in aqua cum butyro & vitellis ovorum coctis, & similibus ferculis, quæ facilè digeruntur, ac multum nutriunt. Dysentericus enim, inquit Alexander Trallianus, propter intestinorum & ventris imbecillitatem, haud multum potest concoquere, præsertim quum febricitat. Ideoque ejusmodi cibus eis offerendus, qui non solùm vim habeat nutriendi, verùm etiam simul aliquo modo astringat, ventriculumque ac intestina corroboret. Ideoque cibis semper aliquantum pulveris radicum bistortæ, cornu cervi usti & præparati, & similium, ut antea quoq; monui, miscere convenit. In virium quoq; lapsu summoperè conducunt, multumque nutriunt consummata & restaurantia, ex capone, carne vitulina & vervecina. Coquantur carnes in aqua, donec ab ossibus omninò separentur, & in particulas dissolvantur, postea per linteum exprimantur, auferaturq; pinguedo. Inter coquendum soleo adjicere nonnihil radicum bistortæ, & tormentillæ, sic enim simul constringunt, & corroborant, interim tamen nullum insuavem acquirunt saporem. Consummatum hoc refrigeratum, in gelatinam congelatur, ideoq; quum ægro de eo exhibere volumus, illud denuò in patina ad ignem lentum calefaciendum, ægroque tria aut quatuor cochlearia exhibenda erunt, & quidem singulis quatuor horis. Potest & admisceri parum pulveris corallorum præparatorum, & cornu cervi, ut antea dixi. Restaurantia ex caponum, perdicum, phasianorum, ac similium, carnibus, minutim incisis, & per alembicum destillatis, à nonnullis præparantur, quibus flores & pulveres cordiales addunt. Hos tamen merito reprehendit Dominus Quercetanus. *Nam nihil,* inquit, *præter phlegma inde destillatur:* Siquidem gluten illud alimentosum, in quo recondita manet omnis nutriendi vis, per alembicum non transcendit, adeò ut ii, qui restaurantia ex carnibus destillatis parant, in vanum potius laborent, quàm ut momenti aliquid conferant, ad sanitatem hominis conservandam. Omnium verò optimum modum præparandorum Restaurantium, describit idem Quercetanus hisce verbis.

R. Caponem duorum aut trium annorum deplumatum, & exenteratum, quem collo, alis & pedibus resectis, in frusta minuta discinde: porrò accipe unam aut duas perdices, coxam vervecinam, aut vitulinam. Hæ carnes omnes minutim incisæ, & invicem commixtæ, macerentur per 12. horas in vino albo: indantur postea in phialam vitream, addendo cinamomi semunciam, & unam aut alteram nucem muscatam, crasso modo contusam, corallorum, margaritarum præparatarum ana ℥iij. florum borraginis, & buglossæ ana p. j. omnibus ritè mixtis, & invicem agitatis, vasisque orificio optimè clauso, ut nihil exhalare queat, ac in aheno aquâ repleto collocatis, coquantur, idque sine ebullitionis intermissione, per septem octove horas. Quo tempore carnes perfectè & sufficienter coquantur, & jurulentæ fiant. Tepefactum vas aperiatur, jusque inde separetur, exprimendo residuam carnium partem per linteum: omnibus refrigeratis, pinguedo, si quæ restat, cochleari argenteo separanda est: si quæ fortè cruditatis appareant vestigia, jus inter duas patinas recoquendum est, donec albedinem & decoctionem perfectam assequatur. Hujus gelatinæ accipe tria vel quatuor cochlearia, quæ in patina super carbones eliquata, sorbenda des ægro, ad vires instaurandas: idque continuandum singulis tribus horis, ex quo brevi restitutum iri illum videbis. Pauperes, quibus ob facultatum penuriam hujusmodi pretiosa juscula præparare vetitum, possunt caponem exenteratum, coxamque vervecinam, parumque cinamomi in phiala vitrea, ut dixi, decoquere, indeque succum extrahere. Ex capone præterea præparatur aliud edulium, ad vires restaurandas non minus efficax, hoc modo; Coquatur capo in aqua, usque dum caro ab ossibus separetur, & jusculum ferè consumptum sit. Inter coquendum admisce radicem unam aut alteram tormentillæ & bistortæ minutim concisæ. Hujus caponis recipe pulpam integram, amygdalarum decorticatarū M. s. terantur optimè in mortario, deinde per linteum trajiciantur, adde postea parum sacchari miscellanei, cornu item cervi usti, & optimè præparati, corallorum rubrorum & præparatorum ana ʒij. Succus quoque coxæ vervecinæ assatæ optimus est, præcipuè si parum pulveris nucis muscatæ addatur. Conveniunt & gelatinæ in Dysenteria ad vires restaurandas, fluxumque constringendum, fiuntque hoc modo.

Gelatinarum præparandarum modus.

Capo aut caro vitulina, vel vervecina, unà cum pedibus vitulinis, parumque radicum bistortæ, tormentillæ, & eryngii marini, in aqua coquantur, donec caro ab ossibus separetur, postea per linteum exprimantur, auferaturque tota pinguedo. Tandem admisce parum sacchari, & cornu cervi usti præparati. Quod si valdè debilis fuerit æger, operæ pretium erit aliquid aquæ cinamomi destillatæ absque vino, vel ejus loco pulverem cinamomi admiscere. Si fructibus delectetur, cydoniis, pyris & pomis uti poterit, qui tamen sint cocti, vel tosti. Possunt ex hujusmodi fructibus varia edulia præparari. Prosunt & mespila, sorba, corna. Cydonia parum excavata, foramine cerâ novâ impleto, postea assata, & calidè comesta, præsentaneo sunt remedio. Castaneæ etiam tostæ, uti & avellanarum nuclei, & amygdalæ, eis qui stomacho valido præditi sunt, concedi possunt. In principio pastus æger semper astringens aliquid & corroborans, veluti conservam rosarum antiquam, diacydonium simplex, aut Electuarium aliquod appropriatum sumat, sic enim constringitur & clauditur pylorus, corroboraturq; venventriculus, ut eò facilius diutiusq; retineat ac concoquat cibum.

Quales fructus in Dysenteria conveniant.

Potus Dysentericorum.

Quod ad potum, inprimis lac occurrit: non enim mediocrem usum habet in Dysenteria,

Medici Marpurg. de curatione Dysenteriæ. Galen. de simplic. medic. facult. lib. 10. cap. de lacte.

ria, adeò ut maximus inde fructus expectandus, si modò rectè exhibitum fuerit. Nonnulli tamen usum ejus ante tertium morbi diem non concedunt, & rectè quidem. Quum enim lac omnium facilimè alteretur, ventriculum, quantum quidem fieri potest, purum requirit. Statim itaque ab initio corpus rhabarbaro, myrobalanis, & hujusmodi, à pravis & acrioribus humoribus, excrementisque exonerare convenit. Postea si dolor ægrum valde excruciat, lac ipsi summoperè prodest, præcipuè illud, quod crassarum existit partium,[a] quale est lac vaccinum, quod eam ob causam non immeritò præ aliis in Dysenteria à [b] Galeno laudatur. Constat autem lac secundùm [c] Galenum, ex tribus substantiis qualitate diversis, & in hoc morbo necessariis. Prima crassa est, ex qua caseus conficitur, ob quam substantiam nutrit, & quæ in intestinis ulcera sunt, sanat: *Caseum enim recentem & mollem ulcera sanare* idem [d] Galenus asserit. Secunda substantia pinguis & butyrosa existit, cujus beneficio digerit, dolorem lenit, intestina quinetiam undique humectat & illinit, ut eò minùs ab humore acri lædantur. Tertia substantia serosa est, cujus beneficio abstergit, mundificat, & abluit. Sed quia propter serum hoc, alvum quoque subducit, ideò per coctura millа serositas tota, aut ex parte absumi debet. *Quandoquidem* (ut Dioscoridis, & Aëtii verbis utar) *si quis, præcocto lacte serum consumpserit, omninò ventrem non subducit.* Exhibent autem hoc ipsum iis, quibus venter ac intestina ab acribus superfluitatibus mordicantur, eisq; qui jejunum intestinum biliosis fluxionibus infestatum habent, & Dysentericis, omnibusque in universum internis exulcerationibus auxiliatur. Alexander Trallianus lac coquit ad consumptionem tertiæ partis. Vult præterea, ut quarta pars aquæ lacti admisceatur, posteaque ad dimidias coquatur, sic enim minus in ventre, ut Aëtius testatur, casei naturam accipit. Galenus & alii hujus quoque sunt sententiæ. Hanc quoque ob causam monet Galenus, loco jam allegato, ut inter coquendum nonnihil mellis parumque salis adjiciatur. Sit autem mel prius probè despumatum, & ab omni sorditie expurgatum; Sic enim minus in bilem convertetur, ut ad finem hujus capitis dicemus. Modus coquendi lac, ab Aëtio duplex proponitur. Aut enim diutius cocto lacte, serum absumitur, aut silicibus candentibus injectis, & tam diu iteratis, donec serum absumatur. Primus modus ab Aëtio præfertur, alter rejicitur: ex ignitis enim lapidibus, cinis lacti commiscetur, vitiosusque evadit. Coctura fit ad ignem assiduè agitando, ne dirimatur, & si quid ollæ labro adhæserit, etiam id spongia munda auferre oportet: nam sæpius hoc ipsum lacti admixtum, totum corrupit. Porrò in exhibitione lactis, verba illa Hippoc. *Lac dare caput dolentibus malum: malum verò & febricitantibus; & quibus hypochondria suspensa murmurant, & siticulosis, malum autem, & quibus in febribus biliosæ sunt dejectiones:* expendenda sunt. Quum enim lac naturâ sit vaporosum, facilè ad caput mittit suos vapores, præcipuè si ventriculus jam antea propter febris vehementiam æstuat, multisque cruditatibus & humoribus putridis oneratus fuerit, tunc enim calor febrilis, vaporibus lactis, ut ad caput ascendant, instar vehiculi est. Iis verò, quibus propter morbos frigidos, obstructiones viscerum, & flatuum copiam ilia suspenduntur ac murmurant, similiter nocet, quia frigidum est, flatulentum, & obstructiones auget. Denique in biliosis dejectionibus minimè convenit, quia bilem auget, & fluxum movet; Id quod Trallianus quoque confirmat loco præallegato. Quibus, inquit, venter, sæpè profluere solet, his lac merum plus nocere, quàm auxiliari solet. Verùm hæc præcipuè de lacte crudo intelligenda sunt: Coctum enim, quia magis est crassum, minus ad caput evaporat, neque fluxum auget, cum in coctura pars illa, quæ ventrem laxat, nimirum serum, absumpta sit. Moderatus tamen ejus usus esse debet: Consuetudinis quinetiam habenda est ratio, & eo temqore, quo dolores ægrum maximè excruciant, adhibere convenit, tum enim leviori malo connivendum, & graviori incumbendũ erit. Debet autem lac esse, ut Galenus monet, ex animali sano, & optimo pabulò pasto. *Quibus verò in locis,* inquit Diosc. lib. 2. cap. 57. *scammonium, veratrum, mercurialis, clematis, & hujusmodi herbæ sunt pro pabulo, lac omne ventrem stomachumq; subvertit*; gustu sit suave, bono odore præditum, aut odoris expers, vel certè exiguũ odorem referens, recensq; emulctum. Vaccinum, ut antea dixi, à Galeno in Dysenteria præfertur, mulieris tamen benè habitæ, & bonam victus rationem observantis, humano corpori, ut idem Galenus loco jam citato testatur, longè est familiarissimum, sicuti ex sequenti exemplo apparet.

a Gal. de alim. facult. lib. 3. cap. 14.
b Lib. de Theriac. ad Pisonē.
c De simpl. med. facult. l. 4. cap. 16. & lib. de Euchym. Pau. Aeg. lib. 7.
d De simpl. med. facult. l. 10. c. de caseo.
Dioscor. lib. 2. cap. 75. Aëtius Tetrab. 1. sermon. 2. cap. 95.
Lib. 8. c. 7.
De facult. alim. l. 3. cap. 14. Aët. Tetrab. 1. sermon. 2. cap. 95. Vict. Schönfeldt de Dysent. cap. 8.
Modus lactis coquendi. Nota.
Lac quibus noceat, & quibus cōducat.
Lib. 5. Aphor. 64.
De simpl. med. facult. 10. c. de lacte.

Observatio.

Anno 1607. puellum trium circiter annorum ætatis Dom. Iacobi de Tribus, Senatoris Paterniaci ex longo & desperato fluore alvi, modò dysenterico, modò lienterico, curandum habui, cui multa tam interna, quàm externa adhibui medicamenta, sed frustra. Tandem cum de recuperanda sanitate parum spei superesset, & mater de novo pepetisset, suasi ut puellam recens natam nutrici alicui committeret, & puellum triennem, jam à diuturno morbo, viribus planè exhaustum denuò lactaret. Paruit consilio, resque tam feliciter successit, ut paulatim constricta sit alvus, viresque ita recuperatæ, ut nunc vividus & robustus omninò puer iste existat. Qui lacte uti non possunt, iis sequens præparetur ptisana.

Pti[sana].

Accipe hordei mundati M. j.
malorum cydonior. in frustula concisor. &
in clibano exiccatorum
radic. eryngii matini,
liquiritiæ
uvarum passular. an. ℥. ß.
sem. papav. albi
agrimoniæ M ſ. Cum ℔ij. aquæ,
Et parum mellis despumati (abstergit enim

&

& mundificat intestina) coquantur hæc omnia ad consumptionem tertiæ partis. Postea sume ℥i.ſ. cinamomi contusi, quod in lagena, vel in alio vase apto ponatur, & decoctum adhuc bulliens superinfundatur: Mox vase bene cooperto relinquatur, donec per se refrigefactum fuerit; sic virtus & proprietas cinamomi decoctum ingreditur, fitque gratum. De hoc decocto bibat æger quotiescunque sitiet: partes enim nobiles roborat, dolorem lenit, & sitim restinguit. Eidem quoque decocto pruna sylvestria matura & exiccata addi possunt.

Ad sitim quoque restinguendam convenit sequens Iulapium.

℞. aquar. rosar.
plantag.
buglossæ an. ℥iij.
aq. papav. albi ℥ij.
syrupi de rosis sic.
Et de cotoneis an. ℥j.ſ.
Misce, fiat Julapium.
Vel R, folior. plantag.
agrimon.
veronicæ &
Lysimachiæ an. M.ſ.
rad. bistortæ &
tormentillæ an. ℥j.

Coquantur in ℔. viiij. aquæ, ad consumptionem tertiæ partis, dein colaturæ adde parum syrupi de rosis siccis, & de cottoneis ad saporis suavitatem.

Utatur quoque æger ad sitim depellendam jusculis hordeaceis, aut lacte amygdal. dulcium, aut emulsione seminum frigidorum majorum, parumq; seminis papaveris albi, ad dolores sedandos, & humores acres contemperandos.

Aqua destillata fragorum, radicum tormētillæ, & plantaginis cum succo cydoniorum parumque sacchari, summoperè convenit. Cum verò necesse est, alvi profluvium fortiùs constringere, prunorum sylvestrium sine aromatis laudantur.

Potus omnis potentiâ calidus, sive vinum, sive cerevisia, aut simile quid, nocet, præsertim dum febris adfuerit, & inflammationis periculum, sed (ut verbo dicam) dum febris, dolor, & inflamatio adsunt, à vino & omnibus calidis abstinere oportet. Si vino coactus est uti, vinum aliquod rubellum & adstringens sibi eligat, si generosum fuerit, decocto agrimoniæ, veronicæ, & radicum eryngii marini, aut aquâ plantaginis, diluatur, si cerevisia delectetur, aut facultatem bibendi vinum non habeat, eligat sibi cerevisiam veterem benè mundatam & minus generosam. Hydromel item, mustum, & succus ex fructibus expressus planè huic morbo sunt contraria, quèadmodum capite tertio fusius declaravimus. In morbi quidem declaratione cum febris inflammatio & tormina remiserint, ad stomachum, & interiora viscera corroboranda utatur vino, non tamen usque adeò generoso.

Aqua Chalybeata in dysenteriis ab omnibus ferè, qui in medicina claruerunt, præter IOH. CRATONEM, laudatur, ille enim lōgè aliam profert opinionem, in consilio pro quodam magnifico Domino, ubi hæc habet verba. *In recta, inquit, victus ratione nihil prætermittatur, nec detur potus chalybeatus, ut fieri solet. Non enim astringit, ut falsò existimant Medici, sed turbat alvum.*

Crato in consiliis mihi Cons. 201.

Præclarum illum ac æternâ laude dignissimum Virum Dn. FELICEM PLATERUM, p. m. hujus quoque fuisse sententiæ, in Epistola quadam ad me scripta testatur, his verbis.

Platteri de aqua chalybeata opinio.

Clarißimè atque amicißime Dn. Fabrici, denuò admonitus per Vrstisium nostrum, ut ad quæstionem quam præcedenti anno mihi scriptis proposuisti, meumq; judicium expetivisti, tibi responderem. Quod hactenus à me minimè factum fuisse, negotiis meis, & ætati jam declinanti attribues. Quâ tamen adeò adhuc in tertia parte praxeos meæ absolvenda dies noctesq; laboro, ut pleraq; alia seponam.

Quod aquæ chalybeatæ vires in dysenteria attinet, non malè Cratonem judicasse arbitror, etsi plerique eam dysentericis exhibeant. Primùm enim hoc certum est, Chalybem, quo nomine ferrum purius, & durius vocant, vim habere movendi, & nonnihil etiam ventrem turbandi, idque ob succum ferro innatum, seu ferruginem, naturæ nostræ adversam. Eamque uti multa alia è mineris stimulando & conturbando ad excretionem sollicitantem. Qua ratione & rasura ipsius propinata, prius præparata in aceto, vel in Crocum Martis, uti vocant, redacta, longèque magis si infusionem illius in vino factam des, vomitum, nisi pauca illius sit quantitas, movet, & quia per eum multa excrementa educit, in obstructione venarum mesaraicarum, ut inde quoque excretio ad intestina fiat, adjuvat, morbis inde natis aliquando opitulans. Ab ignito verò ferro vel chalybe, in aqua extincto, nisi aliquoties hoc fiat, vis illius adeò in aquam transire nequit, facitque tunc illud ferè, quod & silices candentes, in aquam conjecti, nimirum quod tenuiorem aquæ & crudiorem partem absumentes, eam minus serosam, crudam, ut & coctio aquæ facit, reddant: magisque proin idoneam, quam si crudam biberit, uti & si in lacte vel à chalybe aut silicibus hoc fiat, serosiorem illius partem absumendo lac crassius magisque glutinans in dysentericis & phthysicis conveniens, efficient. Qua ratione & aqua chalybeata in dysentericis non adeò nocere poterit, uti nec si à chalybe vis aliqua vomitum movens illi imprimatur, cum & vomitus in dysenteria juvare revellendo poßit. Qua tamen etiam, vel leviter saltem quam sæpius chalybeatâ uti malim, aut eam omittere, aliave potius, ut aquam coctam cum rebus utilibus, vel lac amygdalinum, propinare.

Hæc subitò, præterquam constitueram, exarare volui, ut animum meum tibi deditißimum cognosceres. Quæ ut boni consulas rogo. Vale Vir experientißime cum tuis, quos Deus incolumes servet. Basileæ 26. Februarii 1607.

T. Deditiß.

FELIX PLATTERUS, Archiatros Basil.
Annum ætatis 70. prætergressus.

MICHAEL DORINGIUS distinctionem facit inter potum chalybeatum, & sunt hæc ipsius verba. *Is, inquit, qui à recente chalybe, quiq; nullam adhuc in aqua restinctionem passus est, medicamentosus redditus, alvum movet; Alter verò qui chalybe, jam ante crebrò in aqua restincto paratur, alvum sistit. Ita*

Vide Obs. 42. Cent. 3

decoctum hordei, quantumvis torrefacti, Chalybeatū, potenter alvum citare deprahendes. Ergo si astringere animus sit, præstat primam aquam chalybeatam abjicere, & novam substituere, in qua chalybs ignitus restingui possit, vel illâ etiam servatâ exstinctiones multiplicare, adeò ut ad 40. aut 50 ascendatur. Quod ipsum Mercatus etiam fieri vult, in præparatione cujusdam medicamenti ad obstructiones viscerum tollendas utilis, atq; illis exhibendi, qui alvo laxiore præditi sunt. Hactenus Doringius. Hujus quoq; sententiæ est ANDREAS LIBAVIUS in suo syntagmate arcanorum Chymicorū, & HERCULES SAXONIA in suo Pantheo de hepatis affectibus.

Mercat. l. 2. de recto art. Med. præsidiorum usu cap. 7.

Ego, ut ingenuè fatear, doctrinam & praxin Præceptorum meorum imitans, per multos annos aquam chalybeatam dysentericis quoque præscripsi. Tandem verò cùm ea quæ Crato hac de re observavit, mihi innotuissent, ac proindè loco aquæ chalybeatæ ægris decoctum aliquod conveniens, ut posteà dicam, exhibuissem, omnia profectò longè feliciùs mihi successerūt; Ita quidem ut observationem Cratonis verissimā esse, reipsa expertus sim.

Loco autem aquæ chalybeatæ lac amygdalatum, aut ptisanam anteà præscriptam, vel julapium aliquod, aut solum decoctum agrimoniæ, veronicæ & radicum tormentillæ propino. Illud si sequenti modo præparatum fuerit, nullum saporem ingratum habebit.

R. Agrimoniæ M. j
Veronicæ Ms.
Rad. Bistortæ &
Rasuræ cornu cervi ana ℥s.

Coquantur in ℔. 9. aquæ fontanæ, donec tertia pars sit absumpta, idque fortissimo igne, & in vase aperto. Herbæ autem & radices, ut sint exsiccatę, necesse est. Recentes enim decoctum reddunt ingratum.

Æger, quantum fieri poterit, quiescat. Quādoquidem motus humores agitat & movet, quies verò eosdem quietos retinet. Propterea quotiescunq; alvum exonerandi necessitas requirit, ægro pelvis supra depicta, vel simile aliquod vas ad id aptum, supponatur.

De somno.

Dormiat, quotiescunque poterit, sive interdiu, sive noctu; Nam quies & somnus in hoc morbi genere non solùm utilia, verùm etiam omninò necessaria sunt, quoniam vires intereà refocillantur, & actiones omnes animales quiescunt: Hinc fit, ut in somno profluvium aliquo modo restringatur, ut Hippocrates testatur his verbis: Cum voles Helleborum magis ducere, move corpus, cùm verò sistere, somnum inducito, nec moveto. Passiones animi, veluti ira, tristitia, & in genere quicquid sanguinem, & humores conturbat, sūmoperè nocet. Propterea videat æger, ut quantum fieri poterit, hilariter vivat, & patienter morbum ferat.

Lib. 4. Aphor. 15.

Cæterùm, antequam capitulo huic finem imponam, pauca de usu mellis & sacchari in hoc morbo sunt monenda. Et primò quidem, quantum ad mel, etiamsi abstergendi vim habeat, & à [a] Dioscoride, & [b] Galeno, in sordidis atq; profundis ulceribus laudetur, quia tamen tenuium est partium, ut idem [c] Galenus testatur, & facilimè in bilem vertitur, nec non alvum suâ acrimoniâ ad excretionem irritat, ipsius usus in Dysentericis modicus ut sit, necesse est. Multum præterea ut ipsi aquæ admisceatur, coquatur, & continuò despumetur, vult Galenus: sic enim acrimoniam ex parte deponit, neque ita alvum irritat. Ex saccharo, finum minimè est eligendum; in depuratione enim additur lixivium ex calce viva confectum, à qua acrimoniam acquirit, ita ut sitim excitet, sanguinem adurat, bilem gignat, & caput gravet. Ut Magnus BAUHINUS, Anatomicorum facilè princeps, in tractatu suo de medicamentorum præparatione monet. Est igitur ad medicamenta & alimenta pro dysentericis conficienda, saccharum, quod vocant miscellum, Germani Farin zuckher / Gallicè Cassonade potius eligendum.

De usu mellis & sacchari.

a Lib. 2. cap. 201. b de simpl med. facult. lib. 8

c ... cap. ... De ... ment. cult. ... cap.

Sacch... impre... tur.

CAP. VIII.

De purgationibus, Vomitu, Venæ sectione, & cucurbitulis, tanquam secunda curationis intentione.

INterea dum æger superius enarratam victus rationem observat, necessariorum medicamentorum usus minimè negligendus. Et quia morbus est ex repletione, auspicanda erit curatio, juxta illud Hippoc. axioma. Quicunque morbi ex repletione, curat evacuatio. Statim itaque ab initio juxta omnium ferè Medicorum dogmaticorum sententiam instituēda est evacuatio. Morbi enim cum inchoant, inquit idem Hippoc. si quid movendum videtur, move. Ab acrium itaque & malignorum humorum, intestina erodentium evacuatione, incipienda est curatio. Hanc viam autem, quia vulgus summoperè improbat, paucis purgationum necessitatem indicabimus. Quod ut perspicuè demonstretur, & quibus de causis fiat, in memoriam ea, quæ ante attulimus, revocare oportet, nimirum dysenteriam ex maligna & acri materia provenire: quæ modò ex hepate, modò ex splene, aliisque commemoratis visceribus, vi naturæ (quæ partes nobiles semper conservare studet) ad intestina rejicitur, facultatem expultricem proritat, & continuam egerendi cupiditatem infert, erodit, exulceratque intestina, maximosque dolores excitat, qui deinceps si quid boni vel pravi succi in corpore redundat, ad intestina trahunt. Nunquid igitur, antequam profluvium constringatur, acris & maligna hæc materia primùm evacuanda, & è corpore expurganda erit? Sed objiciet aliquis. Quid purgatione opus, quandoquidem æger continuò excernit? Respondeo, acrem materiam in visceribus hærentem, per se non nisi post longum temporis spatium, & magno ægrotantium periculo excerni posse. Imò quicquid æger aut bibit, aut comedit, quantumvis bonum & salubre, corrumpi & in venenum converti: Impura enim corpora, inquit Hippoc. quantò plus nutries, tantò magis lædes. Contra medicamentum virtute ac proprietate sua particulare, acrem & malignam hancce materiam morbificam ex visceribus ad intestina ad se trahit, & protinus educit, quâ eductâ, pro corroboratione intestinorum, & profluvii inhibitione, ea quæ fluxum restringunt, inhibetque,

Lib. 2. Aphor. 2...

Lib. 2. Aphor. ...

Cur in ... sente purgā... ... bant ... ...

Objectio.

Respon...

Lib. 2. Aphor. ...

que, liberè & sine ulla mali supervenientis suspicione, exhiberi possunt. Astringentia verò ab initio exhibita, febrem augent, & inflammatione vitiosam materiam prohibent, ne excernatur, unde eâ inhibitâ, postmodum ad partes superiores regurgitat. Hinc gravior febris incenditur, fiunt epilepsiæ, & convulsiones, aliaque ejusmodi mala enascuntur. Suppressâ intempestivè dysenteriâ, inquit idem Hollerius in fine Schol cap. 43. lib. 1. de morb. inter. vidi insanum factum. Plura incommoda, quæ ex dysenteria intempestivè suppressa, sequuta, videat lector apud Hollerium loco præallegato, aliosque authores.

Verùm non sufficit dixisse, corpus in dysensenteria purgandum esse, sed præterea quoque quibusnam id medicamentis fieri debeat, adscribere convenit. Debet autem evacuatio hæc fieri non medicamentis, ut vocant, scammoneatis, sed ejusmodi, quæ post se astringentem facultatem, ad ventriculi & intestinorum, aliorumque viscerum corroborationem relinquunt, qualia sunt Rhabarbarum, Myrobolani, Mechoaca, succus rosar. & syrupus violar. Nec est, quod Medicus ejusmodi ægrum debilitari vereatur, quum potius contra ejusmodi refocillatur: quoniam acres & malignos humores, qui corpus antea debilitabant, viresq; prosternebant, expurgant. Hinc sequitur, quemadmodum jam antea monui, eos graviter errare, qui statim ab initio, & antequam maligna materia sit educta, profluvium inhibere & restringere student. Concludamus itaque cum Fernelio, aliisque probatissimis Medicis, statim ab initio, & ante omnia expurgandum esse corpus, ut acris materia, sive causa morbi, quæ undique gyris, & intestinorum anfractibus adhæret, vel etiam adhuc per venas mesaraicas effusa est, educatur. Antequam autem id aggrediamur, operæ precium est, diligenter perquirere, in quonam intestino morbus consistat: id quod ex præcedenti capite quinto facilè cognoscere licet. Si enim in crassioribus & inferioribus hæret, primùm sequens enema abstergens, deinde pharmacum purgans, exhibendum est.

R. Hordei decorticati
furfur. tritici an. M. j.
rosar. siccar.
florum verbasci albi
lumbricor. lotor. in aq. an. M. ʃ.

Fiat decoctio in aqua font. ad consumptionem tertiæ partis. Hujus decoctionis R. & ℔. ʃ.
mellis rosati
sacchari rub. an. ℥j.
ol. rosac ℥ij.
vitellos ovor. num. ij. Misce
fiat Clyster.

Si dolor magnus & acerbus est, fiat decoctio ex lacte vaccino recens emulcto, in quo hordeum ad crepaturam coquatur. Hoc enemate, quia abstergit, mundificat, & dolorem lenit, quotidie semel aut bis ægro uti convenit. Quod si ulcus tenuiora intestina occupaverit, non est, ut æger magnum commodum ac utilitatem ex clysterum usu inde expectet; non enim ultra intestinum colon ascendere solent, propter valvulam in fine Ilii, & principio coli existentem, & à clarissimo Dn. D. Caspare Bauhino singulari arte ac industriâ inventam & observatam.

Nota.

Cæterùm in Enematum exhibitione observandum, ut, cum intentio Medici est abluere & detergere intestina, illa in majori quantitate exhibeantur, quò intestina impleri & ablui, clyster quinetiam mox rejici possit. Contrà si intentio est fluxum constringere, & ulcera consolidare, in minori quantitate, quò diutius retineantur, exhiberi ac infundi debent.

Quamvis autem sæpè numero præcipuum malum in crassioribus intestinis, quæ clysteribus facilè ablui possunt, hæreat, nihilominus tamen ad tenuiora quoque sese extendit labes illa. Quãdoquidem acris illa materia, sive ex capite, sive aliunde defluxerit, cùm tenuiora intestina perrepat, semper nonnihil malignitatis suæ in intestinorum gyris & anfractibus, post se relinquit. Itaque clysteres non sufficiunt, sed pharmaco vẽtriculus & intestina omnia, expurganda sunt. Ad hanc autem intentionem rhabarbarum, myrobalani, & radices mechoacæ, primum locum obtinent. Dioscorides etiam agaricum ad ʒj. dysentericis exhibet. Verùm quia dysenteria semper quandam sibi malignitatem adjunctam habet, medicamentis purgãtibus aliquid, quod cor corroboret, putredini quinetiam ac malignitati adversetur, parumque adstringat, semper commisceri debet, ut sunt unicornu, cornu cervi ustum & præparatum, lapis bezoar, aqua cinamomi sine vino destillata, terra sigillata, bolus armenus verus, succus arnoglossæ majoris, & similia. Quoad theriacam, quamvis summum sit antidotum, partesque nobiles defendat, purgantibus tamen medicamentis non est admiscenda: eorum enim vim ac operationem obtundit, impeditq;, ut Galenus testatur. Rejecto enemate pharmacum purgans exhibendum est, Itaque pro adultioribus

Lib. 3. c. 1.

De theriaca ad Pisonem.

Potio purgans.

R. Rhabarb. electi ʒj.
Myrobal. citrinor. ℈ij.
Syr. de cottoneis ℥j.
Lapidis bezoar gr. iiij.

Pro pauperibus loco lapidis Bezoar, cornu cervi usti & præparati ʒj. substituatur, fiatque cũ aqua, aut decocto plantaginis & centumnodiæ, id est, polygoni, & cochleari uno aquæ cinamomi sine vino destillatæ, potiuncula. Si aqua cinamomi in promptu non sit, ejus loco parum pulveris ejusdem substituatur. Loco syrupi de cottoneis, si minus habentur, substituendus syrupus de rosis rubris & siccis. Addo & aliquando parum succi arnoglossæ majoris.

Nonnulli concisum rhabarbarum in talleolas in sartagine, aut laminâ ferreâ, supra carbones candentes parum torrefaciunt, quod tamen Rondoletius improbat, & quidem meritò. Ad purgandum enim inutile invalidùmve, uti etiam acre redditur medicamentum. Quapropter Dn. Doctor Platterus, & alii, in principio morbi de assatione rhabarbari, non usque adeò sunt solliciti, sed potiùs viribus ejus adhuc integris, exhibendum suadent, & quidem non immeritò; melius

Rhabarbarum an torrefaciendũ.

Tractat. 3 c. de curat dejectionũ. Leon. Favent. de medend. morb. c. 56

lius enim evacuat materiam peccantem. Tandem verò si tertiò aut quartò repeti debeat idem medicamentnm, & majorem ab eo astrictionem desideremus, aliquo pacto erit torrendum.

Quod si æger juvenis & imbecillis sit, dosis medicamenti imminuenda est. Contrà si robustus, sequenti die, aut post dies aliquot reiteranda potiuncula, quò maligna & acris materia eradicari possit. Id quod Hollerius hisce verbis asserit. Nullum autem, inquit, præstantius pharmacum rhabarbaro, à quo purgatio non solùm semel convenit, sed si res exigit, & vires permittunt, sæpiùs reperenda est. Sin æger propter imbecillitatem quotidianam purgationem ferre nequeat, id alternatim fiat, vel post primam & secundam purgationem dies unus aut alter intercaletur. Interim verò enemata exhibenda, vomitus provocandus, & vena incidenda erit, ut postea ordine declarabimus. Sequenti quoque apozemate ad præparandam materiam, & humorem acrem contemperandum, utatur.

De morb. inter. lib. 1. cap. 43.

Apozema

R. Rad. Lappat. acuti.
Cichorei
Fœniculi
Cortic. interiorum radicum
Frangulæ
Eryngii marini ana ℥s.
Hordei mundati ℥j.
Herb. Agrimon.
Veronicę
Fol. & Rad. Plantag. ana Mj.
Flor. Rosar. rub.
Violar.
Buglos. &
Borrag. ana Ms.
Liquiritiæ ℥j.

Coquantur in sufficienti quantitate aq. purissimæ. In ℔ij. colaturæ dissolve syr. de succo acetosæ.

De rosis sicc. &
Cydonior. ana ℥j.

Misce, & fiat Apozema, de quo æger crepusculo matutino sumat, & tribus horis ante cœnam ad ℥iiij. aut ℥v. pro dosi.

Et quia in Dysenteria jecoris semper est habenda ratio, ut Galenus monet, non solùm post sumptas potiũculas, verùm etiam frequenter interdiu tabellam unam Diarrhodonis Abbatis sumat æger. Aut

Comm. 4. in lib. Hippoc. de artic. cap. 4.

Electuarium.

R. Spec. Diarrhod. Abbatis
Tria santali ana ʒj
Diamargariti frig.
Aromatici rosati an. ʒij.
Cornu cervi usti & præpar. ʒj.
Lapidis Bezoardici ℈j.
Confect. alkerm. ʒj.

Cum s. q. syrupi cydonior. fiat electuarium aut cum ℥iiij. sacchari dissoluti in aq. cichorei, formentur tabellæ.

Regio hepatis, oleo de absynthio, cui aliquãtum cerati santalini admixtum sit, inungi convenit. Aut,

Linimentum pro hepate.

R. Ol. de absynth.
Amygdalar. amar. an. ℥ij.
Succi agrimoniæ &
Veronicæ
Aceti an. ℥j.

Coquantur omnia lento igne ad succorum ferè consumptionem. Colaturæ admisce Trochiscor. de Eupatorio, & de rhabarbaro an. ℥j. ſ. Misce, fiat linimentum pro regione hepatis.

Porrò in hoc morbo medicamenta purgantia in forma solida sumpta, potionibus sunt anteponenda: diutius enim in corpore manent, ac proinde plus peccantis materiæ, ad se attrahunt & evacuant. Itaque superiori pulvere ex rhabarbaro, myrobalanis, cornu cervi, præstat admiscere syrupi violacei, vel cydonior. aut rosarum, quantum opus fuerit, ad bolum conficiendum, quem æger potionis loco sumat.

Boli

Mechoaca, quia crassos, viscidos, putridosq; humores, utramque bilem & aquas, clementer & absque violentia expurgat, Nicolao Monarde attestãte, in hoc morbo præsentaneum est remedium, ut cap. 11. fusiùs declarabimus. Pro adultioribus itaque.

Purg... in fo... boli... potio...

R. pulv. mechoac. albiss. ʒj.
Myrobalan. citrin. ℈ij.
Cornu cervi usti, & præp. ℈j.

Cum syrupo de cydoniis, vel de rosis sic. fiat bolus, vel sumatur cum aq. destillata, aut decocto arnoglossæ majoris, centumnodynæ, parumq; aq. cinam. destillatæ absq; vino.

Ex hac radice panem Martium, sive Mazam panem (ut vocant) laxativum conficio, de quo pueris & delicatioribus, qui rhabarbarum, aliaq; medicamenta respuunt, exhibere soleo. Hoc autem modo componitur.

R. Amygdalar. dulc. in aq. calida
maceratarum & decorticar. ℥j. ſ.
pulv. mechoacæ subtilis. ℥j.
sacchari ℥ij.
cornu cervi usti, & præpar. ʒiiij.
mucilag. gummi tragacanth. ʒiij.

Pan... Mar... purg...

Contundantur omnia diligenter in mortario lapideo, cum s. q. aquæ rosar. odoriferarum, fiatque massa. Ex qua formentur placentæ, quæ in furno tepido, aut supra tegulam calefactam paulatim exiccentur. De his placentis exhibeatur adultioribus ad ℥. ſ. aut ʒv. Pueris verò ad ʒj. vel ʒij. vel plus minusve, secundùm ægrotantis vires. Succus item & infusio rosar. usque ad ℥ij. aut ℥iij. plus aut minus, huic morbo utilis existit: biliosos enim & acres humores, qui ut plurimùm hujus affectus basis sunt, ut Galenus testatur, clementer purgat. Si succus aut infusio non habeatur, exhibeatur syrupus rosatus. Sequenti quoque syrupo in dysentericis feliciter utor: noxios enim humores absque violentia educit, partesq; nobiles corroborat.

Com... lib. 4... phor...

Syru...

R. Rhabarb. optimi
Mechoacæ albiss. an. ℥j.
Agarici select. & recent. trocisc.
Fol. senæ à stipulis expurg. an. ℥. ſ.
Corticum interior. radic. frangulæ.
Radic. polypod. querc.
Myrobalanor. citrinor. an. ℥j.
Flor. violar. recent. &
Prunellor. sylvestr. an. M. j.
Cinamomi ℥j.

Infun-

Infundantur per noctem s. a. in decocto radicum cichor. eryngii marini, herbar. agrimon. veron. flor. cordial. liquir. & sem. anisi. Mane ebullitione & expressione fortiter factâ, cum ℥xij. sacchari miscellanei fiat s. a. syrupus. De quo adultioribus detur ad ℥j. usque aut ℥j.ß. junioribus & delicatioribus ad ℥ß. Pueris verò ad ʒij. plus aut minus, prout Medico videbitur, ætas item viresq; ægri concesserint.

Quotiescunque autem æger ventrem exoneravit, pelvim hoc modo mundare debent adstantes. Extra domum in aliquo loco remoto, & à sanis non frequentato scrobs fodiatur, in quam ægrorum excrementa, & urinam injiciant, eamque postea arenâ, aut calce vivâ cooperiant. Atq; hoc modo, non saltem ægris verùm etiam sanis, consulitur. Teterrimus enim ille, & pestiferus excrementorum fœtor, non solum ægris, sed etiam sanis, summoperè nocet, partesq; nobiliores infestat. Quapropter tum ægri, tum sani, ea, quæ cor, partesque nobiles corroborant, & putredini adversantur, naribus admovere debent. Cujusmodi est spongia insuccata in aqua cinnamomi, cui aliquid aceti ros. admixtum sit: aut ejus loco aquæ cordial. in tractatu nostro de Gangræna & Sphacelo, descriptæ, & aceti rosar. æquales partes accipiantur. Corticum citri odor, & eorum succus putredini adversatur, spiritusque vitales & animales refocillat.

Interim dum æger purgatur, imò toto morbi decursu, summo studio vires ejus conservandæ veniunt: ideoque quotidiè bis aut ter, tabellam unam aut alteram diamargariti, vel diarrhon. Abbat. aut specierum Liberantis, vel aliquid cõfect. Alkermes, exhibere, cordi quinetiam Epithemata, applicare necesse est. Si febris vehemẽs fuerit, lac amygdalarum, aut emulsio sem. frigidor. major. & sem. papav. albi, cum decocto agrimoniæ, veronicæ, radic. & folior. plantag. & eryngii mar. extracta, propinetur, addito parum sacchari, aut (quod præstantius) syrupi de cotoneis, ad saporis suavitatem, ventriculi & intestinorum corroborationem. Margaritæ, item corallia præparata, lapis Bezoar, cornu cervi ustum & præparatum, terra sigillata, bolus armenus verus, confectio Alkermes, & hujusmodi, sive cum aqua buglossæ & borrhaginis, sive in forma electuarii, aut tabellarum sumpta fuerint, cor, partesq; nobiles corroborant, malignosque humores reprimunt.

Qui verò à medicamentis purgantibus alienus fuerit, vel qui aliquam ob causam iis uti noluerit, illicò tamen ventris fluxus constringi minimè debet, sed per aliquot dies intestina jusculis carnium recentium, sive castratorum, sive boum, caponum, aut gallinarum, abluere præstat, quibus admisceri poterit oleum olivarum, vel amygdalar. dulc. aut butyrum recens sine sale, uti capite de vitæ regimine declaravimus. Hujusmodi juscula multum nutriunt, abluunt & mundificant intestina, simulque dolorem mitigant, præsertim, si unus aut alter vitellus ovorum eis admisceatur. Postquam tres aut quinque dies æger jusculis usus fuerit, tandem ad medicamenta, quæ profluvium constringunt, confugiat.

Vomitus quid in Dysenteria conducat.

Vomitus quoq; summoperè convenit, præcipuè eis, qui eum facilè ferunt, eique assueti sũt. Materiam enim, quæ ad intestina fluit, divertit, ventriculum mundificat, imò etiam ex mesaraicis venis & splene humores nonnunquam educit, & fluxum sistit, Hippocrate teste, qui sic scriptum reliquit; *A longo alvi profluvio habito, spontaneus morbus superveniens, morbum solvit;* Corpore tamen prius evacuato, ne acris & maligna materia ad ventriculum regurgitet, ipsumque lædat, fastidiumque cibi inducat. Hanc itaque vomitoriam potiunculam sumat.

Lib. 6. Aphor. 15.

Vomitus.

Vomitorium.

R. Aq. Pluvialis ℔ij.
Mellis ℥iij.

despumando continuò ad tertiæ partis consumptionem coquantur. Hujus Hydromelitis cyathum unum tepidum, cum duabus unciis olei olivar. aut butyri recent. bibat. Post sesquihoram à sumpto vomitorio, pennam aut digitum oleo olivarum, aut butyro inunctum, in gulam immittat, vomitumque provocet. Si fortiori vomitorio opus est, raphani radicem in mortario contundere, & cum prædicto hydromelite colare, posteà ægro cum oleo aut butyro exhibere cõvenit. Seminis raphani pulverisati dimidia uncia, aut minus, prout laborantis ætas & vires fuerint, cum hydromelite atq; oleo, vel butyro exhibita, præstans & optimum est vomitorium. Videndum tamen, ut æger paulò post vomitorium ejiciat. Victorinus Schönfeldt de dysenteria cap. 10. Nonnulli ʒj. radicum asari in dysenteria pro vomitorio exhibent. Id in corporibus robustis quidem fieri potest; in delicatioribus verò minimè: hellebori enim albi modo purgat, ut Diosc. testatur. Si verò à medicamentis abhorreat, ut pueri, mulierculæ, & hujusmodi delicatiores solent, tunc ut quidam ex recentioribus Medicis suadet, orificium ventriculi, & venter supra umbilicum, unguento de Arrhanita inunguendus est, vel orificio ventriculi hellebori albi radices extrinsecus imponantur, quod mihi tamen valdè suspectum est: Quandoquidem necesse est, ut hujus medicamenti vis & proprietas abdominis cutem & partes musculosas penetret, antequàm ejus operatio expectetur. Porrò abdomine hujus medicamenti acrimonia & violentia imbuto, hocque medicamento per ventriculum & intestina diffuso, operationes violentæ sequuntur: & posteà horum medicamentorum operationem sistere ac impedire, in Medici potestate ac arbitrio non est. Denique quoniam unguenti hujus ingredientia pleraque acria & calidissima, qualia sunt euphorbium, colocynthis, mezereon, & alia hujusmodi, ea non sine maximo damno, & vitæ periculo in dysenteria applicari possunt, præcipuè si æger imbecillis & tenellus sit, ventremque naturâ lubricum habuerit. Postremò notandum est, hujus unguenti ingredientia maxima cum violentia alvum ciere, quod item in dysenteria planè contrarium, & perniciosum est, in qua medicamenta stypticam quandam facultatem, ut rhabarbarum, habere necesse est. Sit igitur admonitio, in gratiam ægrorum prolata. Ægro, cum minorativo, tum etiam vomitu expurgato, postquam aliquandiu quieverit, si juvenis, robustus

Usus unguenti de Arrhanita, in dysentericis periculosus.

De vena sect. in dysenteria. stus & plethoricus fuerit, vena in brachio, quæ magis conspicua, incidenda est, extrahendusque sanguis ad ℥vi. vel ℥vij. & ℥viij. secundùm ægri vires, & morbi vehementiam; si febris, & viscerum inflammationis metus adfuerit, viresq; consentiant, evacuatio sanguinis abs re non erit. Botallus de curatione per sanguinis missionem, juveni cuidam ad ℥xv. maximo cum successu detraxit. *Botallus de vena sectione. Pag. 55.* Idem Botallus in Domino de Essarts, longâ & validâ febre, nec non alvi fluore, modò Lienterico, modò Dysenterico extenuato, venæ sectionem largam, & aliquoties repetitam, feliciter se adhibuisse asserit. Sed hac in re cautè, & nonnisi cum præmeditatione procedendum est. Non illicò autem, sed paulatim sanguis extrahẽdus: sic enim major fit revulsio, viresque meliùs conservantur. Pueris, quibus ratione ætatis venas incidere non licet, ligetur brachium, ut vena aliquantum appareat; Deinde venæ una aut altera sanguisuga applicetur. Juvenibus, senibus, & omnibus, in quibus venæ sectio aliquam ob causam suspecta, cucurbitulæ scapulis revulsionis gratia applicentur. *De cucurbitulis.* Possunt autem primò aliquoties absque scarificatione, postmodum cum scarificatione, applicari. Si fluxus & dolor vehemens est, brachia fortiter ligantur ad cubitum, uti & crura ad genua. Nonnulli frictiones in dysenteria revulsionis causa adhibent, sed quia fricando sanguis incalescit, tenuis & acris efficitur, non usque adeò mihi probantur. Antequam autem vena incidatur, aut cucurbitulæ applicentur, ægrum leniter purgare necesse est, ne venæ sectione maligni ac putridi humores ex intestinis ad hepar, & venas trahantur. Purgetur autem rhabarbaro, & myrobalanis, aut simili medicamento, ut anteà diximus. Hæmorrhoidum spontaneam apertionem, nec immoderatum fluxum derivationis gratia, hîc aliquid conferre, testatur Clariss. Dn. Doctor FELIX PLATTERUS. *Tract. 3. c. de dejectione.*

CAP. IX.

De dolore sedando, tanquam tertia curationis indicatione.

INter cætera accidentia, quæ morbo huic supervenire solent, præcipuũ ferè est dolor, propterea quod sanguinem & humores ad partem affectam violenter attrahit: indè febris, syncope, inquietudines, phrenesis, aliaque graviora symptomata sequuntur, donec tandem vires planè prosternantur. Ideoque summo studio in id incumbendum, ut dolor sedetur, quod triplici modo fieri potest. 1. Si causa doloris auferatur. 2. Si acris & malignus humor ad temperiem reducatur. 3. Si partis affectæ sensus aliquo modo stupefiat, & hebes efficiatur. *Primus modus dolorem leniendi.* Porrò causa doloris aufertur, primò medicamentis, tam iis quæ vomitum provocant, quàm etiam iis, quæ per inferiora purgant, qualia sunt rhabarbarum, myrobolani & mechoaca, item clysteres abstersivi, uti antea diximus. *Secundus modus.* Secundò tollitur dolor, si materia, quæ ad intestina confluit, ad alia loca divertatur. *Diuretica cur ab initio morbi minimè exhibenda.* Ad hanc intentionem Diuretica multùm prodesse possunt; In principio tamen morbi, & antequàm corpus optimè purgatum sit, ea non sunt exhibenda, ne acris & maligna materia, dum ad renes fertur, & transeundo per venas mesaraicas & hepar, iis visceribus damnum aliquod majus & primario morbo pejus inferat. Purgato itaque corpore, ad Diuretica deveniendum est. Quocirca radices petroselini, fœniculi, & anisi cum carne coquantur, & jusculum ægro horâ unâ ante prandium, exhibeatur. Diuretica enim cibis minimè admiscenda esse, alibi demonstravimus. Venæ item sectio sanguinem divertit, & evacuat, qui ut plurimùm in Dysenteria maximam adfert molestiam. Quare venæ sectio in Dysenteria minimè est improbanda, modò ætas & vires permittant; Brachia & crura tæniis arctè sunt liganda, & quidem modò supra, modò infra genu & cubitum: hujusmodi enim ligaturæ ex visceribus interioribus sanguinem & humores acres, ad partes corporis exteriores, vehementer attrahunt. Eandem ob causam partibus supra commemoratis, cucurbitulæ, aut ventosæ, quas vocant, applicari possunt. Humores quoque divertit sudor, propterea capite de vitæ regimine diximus, ægrum sub linteaminibus, & lodicibus calidè & quietè se continere debere, quò acres & maligni humores, qui in externis continentur venis, per poros potiùs exhalare possint, quàm à frigore ad centrum corporis repelli. Attamen non suadeo circa morbi principium, ut sudorifera eandem ob causam, quàm de Diureticis recensuimus, adhibeantur.

Altera via sedandi doloré in hoc consistit, ut acrimoniam & qualitatem corrosivam minuamus ac leniamus. Quamobrem prius purgato corpore, lac vaccinum aut caprinum coctum, quemadmodum cap. 7. demonstravimus, exhibendum est. Febricitantibus enim, inquit Trallianus lib. 8. cap. 8. non tam facilè lac dandum est, quod in ventriculo acescat ac corrumpatur, aut ex calore in caseum coalescat, unde majores cruciatus, viscerum tensiones, capitis dolorem & cibi fastidium excitat. Item juscula pinguefacta, sive butyro, sive oleo olivarum, aut (quod magis laudo) amygdalar. dulcium, quemadmodũ capite de vitæ regimine declaravimus. Oleum rosaceum, ac præcipuè omphacinum præstantissimum est, quod ægro ad ℥iij. aut ℥iiij. in jusculo carnium recentium exhiberi potest. Oleo rosaceo & de cottoneis mixtis æqualibus partibus, totus quoque venter inungatur. Postea accipiatur omentum vervecinum liquefactum cum oleo rosaceo, ventri calidè superimponatur. Quàprimum omentum refrigeratum fuerit, denuò in eodem lacte calefaciendum, & ut prius applicandum est.

Ego in dysenteria sæpius utor oleo amygdalar. dulcium, cui tantum sacchari miscellanei admisceo, quò formam Electuarii acquirat. De hoc Electuario æger singulis ferè momentis aliquantulum sumat. Si aliquid olei recentis ex vitellis ovorum admisceas, præstantissimum habebis medicamentum, non solùm ad dolores sedandos, verùm etiam ad excoriationem & ulcera intestinorum curanda. Oleum quoque rosaceum, præcipuè omphacinum, oleum item cydoniorum, hîc valdè convenit. Videndum tamen, ne ejusmodi olea, quæ per os exhibenda sunt, rancida, sed recentia sint.

R. Flor chamom.
Meliloti
Verbasci &
Violar. an. M. ſ.
Radic. & folior. althææ an. M. j.
Lumbricor. in aq. lotor. M. ſ.
Sem. fœnograeci &
Lini an ℥. ſ.

Coquantur in lacte vaccino ad conſumptionem tertiæ partis. In colatura ℔j. diſſolve vitellos ovor. num. ij.
Olei roſac. &
Butyri recent. ſine ſale an ℥ ij.
Miſce, fiat clyſter.

Aliud enema hoc modo præparari poſſet. Coquantur inteſtina vervecis in aq. cum manip. tribus hordei decorticati. De hoc juſculo accipiatur ℔j. plus aut minus, prout ætas ægri feret, atque in eo diſſolvantur vitelli ovorum num. ij. aut iij. olei roſac. & ſevi vervecini, quantum opus videbitur, & exhibeatur ægro quotidie ſemel vel bis, ſecundùm doloris vehementiam. Dolorē in dyſenteria vehementer lenit enema ex lacte cocto, præcipuè ſi vitellum ovi parumq; mucilaginis ſeminis cydonior, & fœnograeci, ac ʒj. olei roſac. admixtum fuerit. Si dolor ſit vehemens, in eodem lacte poterunt ad grana tria opii diſſolvi.

Porrò ſi dolor his medicamentis non ſedatur, ad fortiora deveniendum eſt. Ideoque ſingulis diebus ægro bis aut ter emulſio ſeminum frigidorum, videlicet melonum, cucurbitarum & papaveris albi in mortario lapideo piſtorum, aquâ, in qua hordeum decorticatum, & fruſtum panis coxerit, colatorum, exhibeatur. Ad eandem quoq; intentionem ſequens Iulapium propinetur.

R. Aquar. lactucæ
Nymphææ
Plantag. an. ʒij.
Syr. de papav. &
De cottoneis an. ʒj.
Spec. diamargar. frigidi. ℈ij.

Miſce, fiat julapium, quod æger duobus hauſtibus ſumat, alterum quidem duabus horis à cœna, alterum verò noctu, cum ſitis ipſum urgebit. Emulſio hæc & julapium, tam gravidis, quàm pueris, ſine ullo metu exhiberi poſſunt. Si dolor adeò vehemens eſt, ut præſcripta emulſione & julapio leniri non poſſit, ad valentiora accedendum eſt, qualia ſunt Tryphera, Philonium, pilulæ de cynogloſſo, trociſci de Succino cum opio, laudanum, quibus non ſine ægrotantium fructu ſæpius uſus ſum: quandoquidem non ſolùm dolorem leniunt, & ſomnum provocant, ſed etiam fluxum alvi conſtringunt, vireſq; reſtaurant.

Itaque R. Philonii Perſici ℈iſ.
Theriacæ recent ℈j.
Lapidis Bezoardici gr. v.
Syr. de papav. &
de cotoneis ana ℥ſ.

Cum aqua plantag. fiat potiuncula, quæ horâ ſomni exhibeatur.

Pro pauperibus loco lapidis bezoardici ſubſtituatur cornu cervi uſti, & præpar. ℈j.

Aut, ♃. trociſcor. de ſuccino cum opio ℈ij.
Spec. diamarg. frig. ℈j.
Syr. de papav. ſ.

Cum decocto radicum & folior. plantaginis, agrimoniæ, & veronicæ, fiat potiuncula.

Sequens quoque Enema ad eandem intentionem facit.

Enema ad ſomnū conciliādum.

R. Rad. Tormentillæ,
Conſol. major. &
Plantag. ana ʒj.
Flor. Meliloti
Verbaſci &
Roſar. ana. p. ij.
Sem. Papav. albi &
Hyoſciami ana ℥ j

Coquantur in lacte vaccino ad conſumptionem quartæ partis. Hujus colaturæ pro adultioribus ſumantur ℥viiij in quibus diſſolve vitellos ovor. N. ij.
Philonii Rom. ʒij
Ol. Roſac. ℥ij.
Miſce, fiat Clyſter.

Pro junioribus verò & pueris imminuatur doſis, tam decoctionis, quàm Philonii. Enematis loco poteſt ſequens ſuppoſitorium admoveri.

Suppoſitorium.

R. Pulv. Myrrhæ,
Maſticis ana ʒj.
Opii diſſoluti in aq. lactucæ. gr. vj.

Miſceantur cum vitello ovi; fiatque paſta; quæ ſyndone aut linteo ſubtili involuta; indatur ano, ita tamen ut propendeat filum, quò quàprimum æger obdormierit, extrahi poſſit.

Cap. X.

De profluvio comprimendo & inteſtini ulcere conſolidando, tanquam quarta & ultima curationis intentione.

Poſtquam quatuor aut quinque dies ab initio morbi, tum vomitu, tum etiam rhabarbaro & clyſteribus abſtergentibus, corpus ſic purgatum fuerit, ad remedia, quæ profluvium comprimunt, deveniendum eſt. Illa autem partim per os ſumuntur, & per clyſteres infunduntur, partim quoque extrinſecus corpori applicantur. Sed antequam illud perſtringimus, conditiones nonnullæ circa ægrum diligenter ſunt conſiderandæ. Quamdiu enim febre, & vehementiſſimo ventris dolore laborat, fluxus alvi non illicò, nec omninò comprimendus eſt: hujuſmodi enim ſymptomata malignam & acrem materiam nondùm planè ex corpore evacuatam arguunt. At quia adſtringentium medicamentorum uſu maligna illa materia in corpore retinetur, optimâ victus ratione hujuſmodi corporibus maximè opus eſt, parteſque nobiles corroborandæ, donec inteſtina pinguibus & optimè nutrientibus juſculis ſatis ſint exonerata, atque ab omni materia acri expurgata, ut ſuo loco declaravimus.

Quamprimum autem febris & ventris dolor ex parte ſedatus fuerit, ægro ſubinde aliquid, quod inteſtina roboret, & fluxum reſtinguat, exhibendum eſt.

Antequam autem ad declarationem medicamentorum eorum, quæ id efficere poſſunt, progrediar,

Quæ circa usum medicamentorum astringentium observanda.

progrediar, Lectorem admonitum velim. In exhibendis medicamentis, ventris fluxum sistẽtibus, hoc observandum esse, nimirum, ut æger de illis sæpius sumat, sed singulis vicibus parùm. Sæpius, inquam, propterea quod medicamentum ob cõtinuum profluvium, ventriculo & intestinis diu inhærere nequit. Parùm verò singulis vicibus exhibendum, tum ut in natura illud de potentia in actum convertere possit, tum etiam ne fluxus repentè comprimatur, quod aliàs valdè periculosum esset, uti sæpius monui.

Nux muscata.

Inter simplicia, quæ alvum in Dysenteria constringunt, non infimum locum obtinet nux muscata; quandoquidem diversas facultates, omnes in hoc affectu necessarias, in se continet. Primò oleosam substantiam, propter quam dolores lenit, intestina illinit, ut ab humore acri minus lædantur. Aromaticæ verò qualitatis ratione, quæ in aëreo spiritu consistit, ad partes omnes nobiles penetrat, easque mirificè corroborat. Terrestris demum in ipsa particula adstringit, stomachum atque intestina corroborat, & quæ in ipsis sunt ulcera exiccat, cicatricemque inducit, & ut verbo dicam, nux muscata, Avicenna & aliis testibus, ipsaque experientia comprobante, hepar, splenem, stomachum, ac præcipuè os ejus confortat, constringitque, flatus discutit, visum acuit, uteri affectibus frigidis mirificè prodest, lenit dolores, & urinæ difficultati confert: atque hæc omnia in dysentericis summoperè desiderari, quis, quæso, negare poterit? Cæterùm in torrefactione summa adhibenda est diligentia, neque ut vulgus facit, in lamina ferrea candenti sunt torrefaciẽdæ: sic enim oleosa earum atque aromatica vis ac qualitas evanescit, ingratum saporem acquirunt, remanetque tantummodò pars terrestris, quæ quidem ventriculum & intestina corroborat, & fluxum alvi constringit, reliquæ verò, quas recensui operationes, ex ea minimè sunt expectandæ. Itaque qui nucibus non torrefactis in dysentericis uti voluerit, non multùm meo judicio aberrarit: Videmus enim præallegatos authores, cùm de facultatibus, & usu nucis muscatæ agunt, torrefactionis non meminisse. Crato quinetiam consilio 201. 202. nuces muscatas dysentericis quidem præscribit, non tamen torrefactas. Verùm si propter ardentem febrim aliquis eis simpliciter uti ausus non fuerit, ecce hoc modo torrefaciendæ sunt. Involvantur nuces muscatæ stupis canabinis madidis, singulæ seorsim, postea per quadrantem horæ ad focum cineribus calidis imergantur, & postquam per se refrigefactæ fuerint, à stupis mundentur, serventurq; ad usum.

Avicen. lib. 2. tract. 2. cap. 502. Arnoldus de villa nova in scholam Salernit. cap. 38. Fernel. meth. med. lib. 5 cap. 19. Idem eodem lib. cap. 22.

De præstãtia lapidis Bezoar in dysenteria Caspar Bauhinus lib. de lapide Bezoar c. 32. Observ.

Lapidem Bezoar præstantissimum esse in dysenteria, experientia me edocuit. Philibertus, Sarazenus Medicus Lugdunensis celeberrimus in dysenteria epidemica eo feliciter se usum fuisse quoque testatur. Princeps quædam magni nominis, post esum fungorum dysenteriâ aliisque symptomatibus tam graviter laborans, ut quasi in agone versaretur, cum ad grana quadraginta lapidis Bezoar sumpsisset, post semihoram sudor calidus, & quidem universalis, supervenit, mox quoque sequutus est somnus, & intra paucos dies pristinæ sanitati restituta fuit, uti lector in quarta Cent. obs. nost. fusius videbit. Verùm enim verò in ipsius cognitione, & electione, sum̃a est difficultas, talis enim (ut rectè BAUHINUS monet) impiorum hominũ est avaritia & astutia, ut lapidis istius omnes conditiones naturales, tam externas quàm internas, perbellè adeò imitentur, ut ferè discerni non possint.

Plantaginem Dysentericis maximè convenire testatur Diosc. lib. 2. c. 153. astringentem enim & exiccatoriam vim habet. Quamobrem & inflammationes, si adfuerint, compescit. Folia cum carne coquantur, aut exhibeatur ejus succus crudus, pueri ad ℥j. aut ℥ij. adultioribus ad ℥iij. vel ℥iiij. per se aut cum jusculis, aut decocto aliquo appropriato.

Lysimachiam quoque Dysentericis prodesse, idem Diosc. author est; *foliorum enim succus*, inquit, *seu potu exhibitus, seu clystere infusus, ad Dysenteriam valet*. Neque succum tantummodò, verùm etiam decoctum, viri docti non immeritò extollunt. Radix nymphææ, [a] quia vim habet siccantem, circa mordacitatem, ventrem sistit, [b] ideoque exiccata, & pota, cœliacis ac dysentericis auxiliatur, [c] imò mirificè in Dysenteria, & quibusvis fluxionibus, [d] nec non ulceribus intestinorum, accommodata est. Pulvis leporis combusti præstans est in dysenteria, ad alvi profluvium constringendum. Is autem hoc modo comburitur. Abstractâ pelle, & exenterato corpore in frustula scindatur, & illotus cum sanguine suo in vase fictili undiq; benè cooperto & lutato, clibano imponatur & siccetur, ut in pulverem redigi possit. De hoc pulvere detur adultoribus ʒj. junioribus & pueris paulò minus. Hepar vervecinum, item cancri aquatiles, in clibano exiccati, optimè ventrem constringunt. Theriaca quoque à Galeno, & aliis quàmplurimis Medicis, præcipuè cum intestina inflammatione vacant, in Dysenteria laudatur: si per intervalla cum supra commemoratis aquis dissoluta, horâ matutinâ sumatur: sit autem recens, magis enim refrigerat. Tanta autem hujus medicamenti vis est, ut (quemadmodum Galenus testatur, purgantium pharmacorum operationem supprimat, si ei, qui medicamentum purgans hausit, propinetur, & dosis in adultioribus ʒj. non excedat.

Purgato corpore, Philonium Mesues, & Laudanum utiliter adhibentur: dolores enim leniunt, somnum tantoperè in hoc morbo necessarium provocant, & fluxum constringunt: cautè tamen hac in re agendum est: Genitale cervi exiccatum, & scalpro aut lima abrasum & comminutum, præstantissimum, ad profluvium Dysentericum constringendum, remedium esse, experientiâ comprobatum est.

Nicolaus de Metri, olim Sigismundi Archiducis Austriæ Medicus & Chirurgus celeberrimus testatur, se multos Dysenteriâ laborãtes, sequenti pulvere curasse. Turturem integrũ, hoc

hoc est, cum pennis & visceribus suis in ollam bene coopertam & lutatam immittebat, eumq; in clibano, donec omnia probè exiccata essent, & in pulverem redacta, relinquebat. De hoc pulvere capiebat ℥j. pulveris radic. tormentillæ ʒs. Commixtis omnibus, singulis matutinis exhibebat ʒj. cum aqua tormentillæ, aliquando etiam post cœnam. Deinde coquebat herbam & radices verbasci albi: tandem æger in sedili perforato collocabatur, & per inferiora hujus decocti fumum, quantum calidè ferrè poterat, recipiebat, quod singulis diebus ter fiebat. Processus iste non est improbandus, si universalia, veluti vitæ regimen, ac purgationes & ritè adhibeantur, & rectè observentur. ARNOLDUS DE VILLA NOVA pulverem de turture hoc modo conficit. *Accipiatur*, inquit, *turtur cum pennis suis, & interiora extrahantur, & pulvere boli armeni, sanguinis draconismumiæ, cum forti aceto, & vitellis ovorum q. s. conficiatur, & ex hoc turtur impleatur, & in olla nova ponatur, & optimè sigilletur, in furno panis comburantur. Et de hoc pulvere des quotidie cum succo plantaginis, vel aqua rosarum, vel saccharo antiquo, vel syrupo aliquo constrictivo.* Carnem item, sed in primis columbarum, in cibo summoperè prodesse Dysentericis, testatur Gesnerus. Mala Cydonia in frustula concisa, & in clibano exiccata, deinde in pulverem tenuissimum redacta. Miva item cydoniorum simplex, Margaritæ & Corrallia præparata, terra sigillata è Silesia, bolus orientalis, unicornu, & cornu cervi ustum præparatumq;, Crocus Martis, semen plantag. & similia, sive seorsim, sive duobus aut tribus ex his simplicibus commixtis & exhibitis, sumpta, summoperè conveniunt. Fit quoque pastillus ex vitellis ovorum, qui maximam comprimendi profluvii Dysenterici efficaciam habet. Hoc autem modo componitur.

℞. Vitellos ovor. N. ij.
Ol. amygdalar. dulc. aut si in promptu non sit, olei rosac. cochleare j.
pulver. nuc. muscatæ cinam.
Sem. plantag. ana ʒj.

Misceantur omnia, postea super tegulam calidam ponatur, & agitentur baculo, donec ad justam spissitudinem pervenerint. De hoc pastillo sumat æger singulis ferè momentis nonnihil, sed parùm pro vice.

Sequens quoq; pulvis præstantissimus est.

℞. Terræ sigillatæ.
Cornu cervi usti & præparat. cum aq. plantag. & centumnodinæ margaritar. præparatar.
Corallior. præparator.
Croci Martis ana ʒij.

Misce, fiat pulvis, de quo adultioribus ad ʒj. usque: junioribus verò ad ʒs. vel ℈j. & pueris ℈s. cum aq. plantaginis & centumnodinæ, vel cum harum herbarum decocto. Aut permisceatur jusculo aliquo modo spisso, veluti cremori hordei, aut avenæ decorticatæ. Poterit & ex vino rubro mirum in modum (si febris non adfuerit) exhiberi.

Sequens quoque Electuarium convenit.

Electuarium.

℞. Radic. tormentil.
Bistortæ
Sem. plantag.
Papav. albi ana ʒj.
Margaritar. præparat.
Corallor. præparat.
Cornu cervi usti & præp. ana ℈iij.
Cinamomi opt.
Nucum musc.
Interior. tunicar. ventriculi gallinar.
Confect. alkermes ana ʒj.
Mivæ cydonior. simpl. ʒij.
Syr. myrtillor. vel de rosis siccis q. s.

Misce, fiat electuar. de quo æger de tribus in tres horas, aut quotiescunque alvum exoneraverit, parùm sumat. Sequenti quoque Julapio, præcipuè cùm sitibundus fuerit, uti poterit.

Iulepum.

℞. Syrupi de cotoneis
Myrtini &
de rosis siccis ana ℥j.
Decocti agrimon. veronicæ, & radicum eryngii marini ℔js.
M. fiat Julapium.

Succus item granatorum, de ribes, de agresta & cydoniorum, cum aq. plantaginis, vel decocto præscripto mixtus, addito parùm sacchari, summoperè convenit. Sin æger rotulis uti maluerit, dentur sequentes.

Rotulæ.

℞. Trochiscor. de spodio
Specier. Diarrhod. Abbat.
Pulpæ cydonior. exsiccator. & in pulverem redactor.
Croci Martis.
Cornu cervi usti & præpar. cum aq. plantag. & centumnodinæ ana ʒj. cum ℥iiij. sacchari in aq. plantag. fiant rotulæ, de quibus æger sæpius sumat unam, aut pondere drachmæ unius. Aut.

Tabellæ.

℞. Specier. Diarrhod. Abb. ʒj.
Cornu cervi usti & præpar.
Croci Martis ana ʒij.
Cinamomi elect. ℈ij.
Confect. alkermes ℈j.
Sacchari dissol. in aq. rosac. ℥iiij.

Misce, fiant tabellæ.

Est & sequens aqua destillata præstantissima, quæ adultioribus ad ℥iij. aut ℥iiij. junioribus ad ℥ij. pueris paulò minùs, ter aut quater in die, exhiberi potest. Et cum ea si virium lapsus adsit, aliquid confectionis Alkermes, simul & nonnihil sacchari pro pueris admisceri potest.

Aqua Dysenterica.

℞. Radic. eryngii marini
Symphyti
Plantaginis
Verbasaci albi
Tormentillæ ana ℥iiij.
Prunor. Sylvestr. immaturor. & Contusor. ℔ij.
Herbar. Agrimon.
Veronicæ
Saniculæ
Alchymillæ

 Pyrolæ

Pyrolæ
Centumnodinæ
flor. Verbasci ana Miiij.

Incidantur omnia, posteà superinfunde aquæ plantaginis ℔iiij. Macerentur simul in loco calido horas 24. Deinde in balneo Mariæ destillentur, & in vase vitreo reserventur.

Aqua seorsim aut cum præscripto pulvere sumatur.

Sequens quoque, Claretum Dysentericis conveniens est: corroborat enim partes nobiles, ulcus in intestino consolidat, & fluxum cohibet.

Claretum

R. Radic. bistortæ.
Arnoglossæ major.
Tormentillæ
Eryngii marini ana ℥j.
Cinamomi opt.
Santali rubr. ana ℥is.
Nucum muscat. tostar.
Cornu cervi usti & præparr an. ʒij.
Rosar. rubr.
Veronicæ
Agrimoniæ
Saniculæ
Alchymillæ ana Ms.
Sacchari ℔j.

Omnibus crasso modo incisis & contusis, infundantur in vini rub. ℔vj. macerenturque 24. horas in vase optimè clauso. Posteà colentur ter aut quater per manicam Hippocratis reserveturq; in ampullis vitreis bene obturatis.

Interim dum æger medicamentis astringentibus per os utetur, astringentium clysterū usum intermittere minimè debet, imò iis quotidie semel, atque iterum, prout necessitas urgebit, utendum. Quamdiu dolor acutus est, clysteres sint anodyni, quemadmodum in præcedentibus declaravimus. Vehementia verò doloris & febris, quàmprimum remiserit, ad ea, quæ astringunt, & ulcus consolidant, transeundum est, ut sequitur.

Clyster astringens & consolidans.

R. Radic. tormentill. ℥j.
Hordei decorticati ℥iij.
Rosarum
Folior. plantag.
Folior. & flor. verbasci
Centemnod.
Lumbricor. lotor. in aq. ana Mj.

Coquantur in aq. & in colaturæ ℥x. aut ℔j. ad summum, dissolve vitellos ovor. Num. 2.
Mellis rosati ℥ij.

Misce. fiat Clyster.

Aliud Enema astringens.

Aliud Enema.

R. Radicum bistortæ,
Symphyti
Tormentillæ ana ℥j.
Hordei super carbones torrefacti ℥ij.
Summitat. rubi
Folior. plantag.
Saniculæ
Alchymillæ,
Pyrolæ,
folior. & flor. verbasci
Rosar. ana Mj.
Myrtillorum
Gallarum
Cortic. granator. an. ℥j.
Lumbricor. terrestr. lotor. in aq. Mj.

Coquantur in aqua ad consumptionem tertiæ partis. In ℥x. aut ℔j. colaturæ dissolve vitellos ovor. Num. ij.
Sevi cervini, vel
Hircini liquefacti ℥j.
Croci Martis ℥s.

Misce, fiat clyster

Aliud enema anodynum & consolidans.

Aliud enema anodynum & consolidans.

R. Radic. consol. major.
Tormentillæ
Bistortæ ana ʒj.
Rosarum
Saniculæ
Alchymillæ
Pyrolæ ana Mj.

Coquantur in lacte vaccino (quod in omnibus ulceribus internis, leniendo, abstergendo, & glutinando summoperè convenit) ad consumptionem tertiæ partis. Colaturæ
Recipe ℥viij.
Succi plantag. ℥iij.
Pulv. masticis
Sarcocollæ,
Sanguinis draconis,
Boli armeni ana ʒj.
Mellis rosac. ℥j.

Misce, fiat enema.

Aliud enema quo... Nar... cum...

R. Capita papav. albi Numer. 4.
Radic. bistortæ, &
Tormentillæ ana ʒj.

Coquantur in lacte vaccino, ut colatura redeat ad ℥x. in quibus dissolve vitellum ovi,
Theriaces recent. ʒij.

Misce, fiat enema.

In sordidis & putridis intestinorum ulceribus, sedato dolore, sequens summoperè convenit enema.

Enema... sordi... intestinorum ulcera.

R. Lupinos aliquantum fractos & contusos ℥iij.
Radic. plantag.
Vincetoxici
Tormentillæ
Eryngii marini ana ℥j
Absynth. vulg.
Rosar. rub.
Scordii utriusq; ana Mj.
sem. Anisi &
Fœniculi ana ℥s.
flor. Chamom. &
Summitat. anethi an Ms.

Coquantur in sufficienti quantit. aquæ, ut colatura redeat ad ℔iij. in quibus dissolve
Mellis rosac. ℥ij.
Aloes
Myrrhæ ana ʒij.
Caphuræ ℈s. Misce.

Fiat enema.

Ex his clysteribus sumat æger singulis diebus duos aut tres, pro fluxus vehementia, & ulceris

ceris inquinamento. Nonnulli in putridis ac serpentibus ulceribus intestinorũ præscribunt clysteres ex urina, lixivio, muria & similibus, item ex vino, lacte, aut decocto aliquo leniente, in quo pastillos ex arsenico, calce viva, auripigmento rubro, acacia aliisque astringentibus paratos dissolvunt. Sed hæc, quia caustica, escharotica, erodentia, venenosa, summoperéque periculosa existunt, cum Rondoletio lib. 2. cap. 20. ut ab usu eorum abstineat fidelis Medicus, præcipuè in nervosis partibus, quales sunt intestina, suadeo. Quandoquidem ut plurimùm symptomata inducunt, in primis arsenicum, quemadmodum in tractatu de Gangræna & sphacelo monui: continet enim in se occultam quandam facultatem, quâ liquefacit, & in putredinem resolvit carnem, & quæcunque attingit, deinde etiam vapores malignos ad partes nobiles mittit. Hæc autem si ex arsenico, in exterioribus partibus applicato, accidunt, quid quæso expectandum erit, si clysteribus admixtum, ac intestinis injectum fuerit? Profectò nihil aliud quàm dolores extremi, convulsiones & mors. Quocirca caveat sibi Medicus ab ejusmodi medicamentis, in internis affectibus.

Cæterùm præter medicamenta, quæ per os sumuntur, & per clysteres exhibentur, exteriùs quoque applicanda sunt unguenta, Cataplasmata & similia, quæ profluvium sistunt. Itaq; lumbi quotidie oleo rosac. Mesues bis aut ter erunt inungendi: præcipuè si dolor adfuerit, & æger continuo propter imbecillitatem in dorso decumbere cogatur. Venter similiter bis aut ter in die sequenti linimento inungendus est.

℞. Ol. rosac.
Mastic. &
Cydonior. ana. ℥j.

Misce, & inunge totum ventrem. Aut,

℞. Ol. myrtini
Rosar.
Cydonior. ana ℥j.
Pulveris nucum muscat. ʒ.
Mastici. ʒ.

Misce, fiat linimentum. At hanc quoque intentionem unguentum de corticibus castanear. mirum immo dum convenit. Descriptionem lector ex sequenti capite petere poterit. Post inunctionem applicetur sequens emplastrum.

℞. Olei rosac.
Myrtillor,
Masticis
Cydonior ana ℥is.
Pulv. masticis
Thuris ana ℥j.
Pulv. nuc. muscat. ℥s.
Rosarum rub.
Nucum cupressi
Balaustior.
Boli armeni
Sanguinis drac. ana ʒij.
Colophoniæ ℥ij.
Ceræ q. s.

Misce, fiat emplastrum.

Aut fiat hoc modo in forma Cataplasmatis.

Cataplasma.

℞. Pulv. Rosar. rubr.
Myrtillor.
Glandium.
Boli armeni
Croci Martis
Radicum symphyti major.
Bistortæ &
Tormentillæ ana ʒij.
Farinæ hordei ℥iij.

Misce, fiat pulvis, de quo accipe, quantum opus, & misce cum albuminibus ovorum & decocto plantaginis, & centumnodinæ, ad formam Cataplasmatis.

Osvvaldus Crollius emplastrum ex Theriaca, & terra sigillata, ana, conflatum, ventri applicat.

Possunt fieri & fotus ventris ex decocto radicum & herbar. astringentium, sed prospicere convenit, ne nimis calidè applicentur: calor enim profluvium sanguinis provocat.

Fotus.

℞. Radic. & folior plantag.
Radic. Bistortæ
Tormentillæ ana ℥j.
Folior. Quercus
Mespilor.
Equiseti
Rosar. rub. ana Mj.
Balaustior. ℥s.
Nuc. cupressi
Cortic. Granator. ana ℥j.

Incidantur & contundantur, deinde indantur sacculo ejus magnitudinis, ut imum ventris ad umbilicum, aut aliquantum supra umbilicum cooperiat. Sacculus aquâ, parumq; aceti incoctus, tepidè applicetur.

Sylvam medicamentorum selectiorem tam internorum quàm externorum, vide apud FELICEM PLATTERUM in praxi sua, tractatu 3. cap. de dejectionis curatione.

Porrò, quum pernecessarius sit in hoc morbo clysterum usus, & multi, præsertim mulieres, propter verecundiam ab iis abhorreant, instrumentum peculiare excogitavi, quo quisque sibi ipsimet clysterem nullo negotio infundere potest. Delineationem atque descriptionem hîc subjungere placuit.


A. Fistula ex ligno fabricata, pollicis crassitie, lõgitudine spithamæ cum dimidia, cujus foramen crassitiem pennæ anseris non excedit: quo enim angustius fuerit foramen fistulæ, eò violentius & altius ad intestina clyster ascendit.

B. Cannula est vulgaris clysteribus, quæ in anum intromittitur.

C. Vesica est bovina, in quam infunditur clyster. Illa autem ex una parte fistulæ A. notatæ, ex altera verò parte orificio vesicæ D. notato, ex ligno quoque fabricato, firmiter est alliganda.


E. Hujus orificii clavis est:

F. Clavis est fistulæ A. notatæ, harum clavium beneficio clyster in vesica C. notata, ad libitum ægrotantis retinetur.



Præparato igitur clystere, & in vesicam infuso, atque ambabus clavibus E. & F. notatis benè clausa vesica, æger in dextrum latus decumbat, & cannulam B. notatam sibi in anum immittat. Id autem ut commodè fiat, genua aliquantum incurvanda & sursum elevanda sunt. Deinde linteamina reduplicata, aut stupas ex adverso fistulę firmiter ponat, ne fistula ano excidat: ideoque sinistrum crus paululum extendet, quò genu sinistrum in dextrum poplitem sese insinuare possit, hoc enim modo retinetur in ano cannula. His omnibus expeditis, æger clavem F. notatam detorqueat, ut aperiatur fistula, mox vesicam manibus comprimat. Sic clyster sine ulla difficultate ad intestina perveniet. Aptissimum est instrumentum hoc, ita ut si quis superiorem institutionem sequatur, parvo negotio sibi ipsimet clysterem infundat. Sumpto clystere, habeat in promptu ejusmodi pelvim, qualem 7. capite delineavimus, quò possit in lecto alvum exonerare. Tandem benè exoneratâ vesicâ, claudenda est clavis F. notata: Clavis verò E. notata, aperienda, donec inflata sit vesica, tum protinus mediante clave clausa reponenda est, ut exiccetur & conservetur. Qui ad conservandam valetudinem propter siccitatem & constipationem ventris aliquãdo clysteribus uti coguntur, opus non habent, ut in lecto decumbant, sed sedendo possunt sibi ipsis nullo negotio superiori instrumento clysterem infundere. Incurvato itaque corpore sibi cannulam in anum immittant, postea sedeant in scamno, ne cannula excidat, mox apertâ clave & compressâ vesicâ, ut antea monuimus, clyster facilè altius in intestina penetrabit.

Aliud instrumentum ex mea inventione, ad exhibenda enemata aptissimum, præcipuè quando Medico peregrè ad ægros proficiscendum est.



CAP. XI.

Quomodo in puerorum Dysenteria procedendum?

Cum infantes medicamentis ad morbum depellendum necessariis uti non possint, operæ pretium est, loco infantis ea nutrici præscribere, quæ requiruntur, quò possit lac (quod alimentorum, imò & medicamentorum naturam assumit) infantulo vice medicamenti esse. Necesse est igitur, ut nutrix optimâ victus ratione utatur, quemadmodum cap. 7. annotavimus. Si vires infantuli satis firmæ fuerint, & Medico spes aliqua sit morbum medicamentis superari posse, nutrici potiunculam illam, quam antea præscripsimus, ex rhabarbaro & myrobolanis propinabit, & post horam à sumpto pharmaco mammillas infanti porriget. Sic enim utcunque infantulus purgabitur. Deinde utatur nutrix pulveribus adstringentibus, electuariis, aquis destillatis, & aliis antea enarratis adstringentibus medicamentis. Infantulo potest exhiberi aliquantulum aquæ nostræ Dysetericæ cum saccharo mixtæ. Si profluvium vehementius fuerit, quàm vires infantuli ferre possint, tunc vires ipsius tantùm optima victus ratione, epithematibus, aliisque cordialibus restaurandæ ac conservandæ sunt. Hoc modo Medicus calumniam vulgi, & ignarorum quod infantulum purgare voluerit, effugiet. Sunt qui ventrem unguento de arrhanita inungendum suadent, sed periculum & incommodum quod ex

ex hac inunctione sequitur, cap. 7. ostendimus. Pueris verò paulò grandioribus nec amplius lactentibus scrupulus unus, aut drachma semis rhabarbari tosti, & aliquantum myrobalanorum citrinorum, cum jusculo carnis, aut aqua plantaginis, parumq; aquæ cinamomi sine vino destillatæ, præscribatur. Ætate provectioribus augeatur dosis, prout Medico necessarium videbitur. Succus item rosar. pallidarum cum sacchari duorum aut trium cochlearium quantitate, exhibitus, item aqua florum prunorum sylvestrium, pueros in dysenteria leviter purgāt, & post se constipationem quandam relinquunt.

Radix mechoacæ præstantissima est, & singulis tam pueris, quàm gravidis exhiberi potest, præcipuè iis, qui rhabarbaro uti non possunt; Quandoquidem radix illa insipida est, ita ut ægri, imò etiam pueri illam facilimè sumere possint. Deindè certum est, radicem hanc cum rhabarbaro maximam habere affinitatem. Hinc fit, ut à nonnullis rhabarbarum album vocetur. Purgat sine violentia, primò intestina, posteà proprietate quadam speciali ad se aquositates ex visceribus attrahit, easque leniter educit, & quod in ea laudabilius est, post se adstrictionem quandam relinquit, quà intestina corroborantur, & alvus constringitur. Id quod JOHANNES CRATO Medicus Cæsareus confirmat his verbis: *Mechoacæ usum non improbo, minus tamen frequentem esse velim, cum certum sit, ex usu frequentiori alvum plurimùm siccari.* Experientia huic rei fidem facit: purgato enim corpore hac radice, ut plurimùm alterâ die, imò tertiâ, alvus adhuc adstricta manet. Optima est candidissima, quæ nullum saporem habet, nec carnosa est, ex singulis taleolis aliquantulum gustetur: nam solet nonnunquam radice Bryoniæ adulterari, sed facillimè fucus agnosci potest: Quandoquidem Mechoaca insipida est: Bryonia verò amarissima & insuavis. Usus talis sit. Redacta in tenuissimum pulverem, adultioribus & robustioribus ʒj. vel ʒjs. exhibeatur. Pueris verò ℈j plus aut minùs, prout ætas & vires fuerint. Exhibenda autem est cum jusculo carnis recentis, non autem cum vino: nam experientiâ compertum est, vinum omninò hujus medicamenti operationem impedire; Quapropter in prandio vinum bibendum non est, nisi fortè ex nimia purgatione vires extenuatæ sint, tūc enim æger haustum vini sumet, ut vires refocillentur. Monitum autem hîc velim lectorem, nonnullos artem medicam excernentes, radici huic, ut majorem vim purgandi acquirat, diagridium admiscere, quod quidem in aliis nonnullis morbis locum habere potest, in dysenteria verò nequaquā.

Tandem ad ea, quæ alvi profluvium sistunt, transeundum est. Ideoque cornu cervi ustum & præparatum, ut ante diximus, margaritæ item & corallia rubra præparata, unicornu & terra sigillata præscribantur. Propinetur autem cum jusculis, aut in pulte, aut cum aqua plantaginis, aut lacte probè cocto, in quo aliquid sacchari rosati dissolutum fuerit. In quibus omnibus procedendum secundùm ætatem & vires puerorum, robustiores, aut imbecilliores. Convenit item syrupus de cottoneis, myrtillis, & de rosis siccis; lac item amygdalatum, emulsio seminum frigidorum, & seminis papaveris albi cum decocto agrimoniæ, veronicæ, eryngii marini, saccharo, vel syrupo de cottoneis præparato: Aqua item Dysenterica nostra, quam cap. 10. descripsimus, præstantissima existit in Dysenteria puerorum: detur cum saccharo cochleare unum pro vice, aut misceatur cum jusculis & pulte. Genitale item cervi exiccatum, & limâ in pulverem redactum, in dysenteria præstantissimum est remedium. Pueris ad ℈j. adultioribus verò ad ʒj. usque, bis aut ter exhibere soleo.

Pulvis.

Aut sequentis pulveris usus esse potest.

R. Radic. tormentillæ
Bistortæ
Arnoglossæ major. an. ʒij.
Cornu cervi usti & præpar.
Corallor. rub. an. ʒj.
Genitalis cervi ʒiij.

Misce, fiat pulvis tenuissimus. Exhibeatur in aqua aliqua aut syrupo appropriato. Potest ex ipso cum syrupo de rosis siccis, aut de cydoniis confici electuarium, vel etiam cum saccharo tabellæ, prout ægro libuerit.

Extrinsecus ventrem inungere convenit oleo rosac. de cottoneis, & mastice; aut utere unguento de corticibus castanearum Montagnanæ, quod præstantissimum est, tam in sistendis mensibus immodicè profluentibus, appositum ventri sub umbilico, coxas versus, quam etiam in dysenteria compescenda, si eodem venter sæpius in die inungatur. Hujus descriptionem, quia non usq; adeò vulgaris, hîc adscribere visum est.

Vnguentū de corticibus castanearum.

R. Ol. mastich. ℔j.
Myrtini
Cydonior. an. ℔j.
Mastiches
Acaciæ
Sang. drac. an. ℥s.
Corallor. rubr. ℥j.
Carabæ
Terræ sigillatæ an. ℥j.
Cortic. castanear.
Scoriæ ferri præpar. an. ℥ij. ſ.
Boli armeni
Balaustior.
Thuris an. ʒs.
Resinæ ℥j.
Ceræ q. s. F. unguentum.

Quæ terenda sunt, in pollinem tenuissimū, redacta, oleo, ceræ & resinæ liquafactis, diligenter permisceri debent. Acaciam, si mollis & tractabilis fuerit, aqua rosac. aut plantaginis solutam, præ pulveribus reliquis admiscere convenit. Aridior autem in pollinem trita, unà cum aliis pulvisculis adjici debet. Sed adeò siccæ acaciæ parum tribui, imò pro carbone potius, quàm pro acacia haberi debet. Et sanè ejusmodi ad usum non adhiberent seplasiarii, si legitimæ ac veræ notas novissent, cum exsucca illa præter nomen nil acaciæ habeat. Inuncto ventre, applicetur cataplasma aliquod, præparatum ex pulvere rosar. masticis, parumque farinæ hordeaceæ, misceantur omnia cum albumine ovi, & syrupo myrtillor. vel de rosis siccis, aut succo prunorū sylvestr.

Vel imponatur cataplasma, superiori capite descriptum. Quod si dolor magnus est, omentum vervecinum in lecto calido intinctum, ventri applicetur, sicuti cap. 9. monuimus. Ab initio morbi statim, si fieri potest, detur aliquantum ol. amygdal. dulc. cum saccharo mixtum: singulis quoque ferè momentis exhibeatur lac vaccinum tepidum. Polygonum marem incisum, & sacculo inditum, qui sacculus deinde aquâ vel lacte coctus, extrinsecus circa regionem umbilici applicetur, mirificè dolorem sedare, fluxumque comprimere, non rarò expertus sum.

CAP. XII.

De accidentibus Dysenteriæ, & primò de Tenesmo.

HActenus de Dysenteria, ejusque causis, signis & curatione, sequitur modò, quomodo ejusdem accidentibus sit occurrendum? Inprimis autem sese offert Tenesmus, sive Tinesm⁹ & Tenasmus, non solùm, quia in Dysenteria frequens est, verùm etiam, quia à Galeno, ut species Dysenteriæ censetur. Sic enim scriptum reliquit. *Est autem ex eodem, quo jam dicta Dysenteria, genere, & qui tenesmus dicitur, cum ulcus in recto intestino est factum.* Is cætera quidem symptomata infert dysenteriæ similia, minus tamen multò vehementiora. Quicquid tamen sit, sive inter species dysenteriæ quis affectum hunc numerare, sive illum, ut morbum per se, considerare velit, parùm refert. *Non enim*, ut Galenus monet, *de nominibus est contendendum, sed ut rei essentia rectè intelligatur, opera danda.* [a] Est itaque Tenesmus recti intestini affectus, quem comitatur conatus, & implacabilis desidendi cupiditas, pauca tamen, & non nisi cruenta & mucosa excernens. [b] Hinc fit, quod Mesue affectum hunc *mendosum appetitum egerendi* appellet. Particul. 4. sect. 1. cap. 4.

De sympt. caus. lib. 3. cap. 2. Cœlius Aurelius de chronic morb. lib. 4. cap. 6.

a Gal. de loc. aff. lib 6. cap. 2. De sympt. caus. lib. 3. Al. Trall. lib. 8. c. 6. Aet. Tetrab. 3. serm. 1. c. 44. Piso in sua Praxi lib. 3. cap. 16. b Gal. 7. aphor. comment. 27.

Causas ferè communes habet cum Dysenteria; non solùm enim affectus iste, propter ulcus in intestino, verùm etiam ob quamcunque causam, quæ facultatem expultricem proritare potest, accidit. In Dysenteria ex continua & crebra dejectione, quia exulceratur intestinum, oritur. Fit & absque Dysenteria, quum scilicet materia aliqua acris, sive ea fuerit biliosa, sive phlegma salsum, ad intestinum hoc defluit, ipsumque exulcerat. [c] Potest tamen & sine ulcere fieri, nisi adsint inhærentia, quæ mordicent. *Sed hic nothus*, inquit Piso [d] *Tinesmus dicendus est.* Prætereà notandum cùm in Dysenteria, tum Tenesmo, si causa morbi fuerit pituita putrida & acris, vehementissimos supervenire dolores: [e] suo enim lentore tenaciter adhæret intestinis, neque ut flava bilis celeriter permeat. [f] Sequitur & ex hæmorrhoidibus interioribus exulceratis, excrementis induratis, multisque aliis de causis, quas Lector apud Mesuen, Gordonium, Nicol. Pisonem, aliosque authores, videre poterit.

c Leonhard. Ioachim. in 9. lib. Rhasis cap. 59. d In sua praxi lib. 3. cap. 16. e Gal. 3. aphor. comment. 12. 3. Epidem comm. 3. f Mesue partic. 4. sect. 1. c. 4. Gordon. de passion inr. part. 5. cap. Ioachim loco jam citato.

A Dysenteria autem Tenesmus sede doloris facilè distinguitur, quandoquidem intestina illa superiora occupans, dolores maximos ventris excitat; Hic autem affectus, quia rectum intestinum, cruciatus circa podicem percipiuntur. Cæterùm quum Tenesmus causas plerumq; cum dysenteria communes, uti dixi, habeat, plurima quoque Symptomata communia habet: virium tamen prostratio non semper usque adeò in Tenesmo, ac in dysenteria est timenda. Et si Celso hac in parte sit fides adhibenda, hominem per se nunquam jugulat. Quia tamen nulla inflammatio interna, nullumq; ulcus interiorum partium periculo vacare sciamus, Celso assentiri non possumus. Est & in gravidis periculosus affectus iste. *Mulieri enim*, inquit Hippocr. *utero gerenti, si tensio supervenerit facit abortum.* Ob ejusmodi igitur tensionem, addit Galenus, atque molestiam, & totum aliud corpus laborat, sed præ cæteris matrix, quæ cognata est recto intestino. Supervenit & huic affectui, ut Hippocrates testatur, urinæ difficultas atque stillicidium. Propter vicinitatem enim & consensum, quam inter se habet vesica & intestinum rectum, debilitatur musculus, qui urinam retinet; prolabitur & nonnunquam in hoc affectu intestinum rectum: maximus enim & continuus ille conatus, ad expellendum, dolor item & inflammatio sursum trahentes, tandem adeò labefactantur, atque debilitantur, ut in suo officio deficiant, neq; podicem amplius retinere queant.

Li[...] Lib[...] phor[...] Lib. [...] 58.

In curatione eadem victus ratio observanda est, qualis prius in dysenteria præscripta fuit. Si adsit inflammatio, & vires concedere possint, vena in brachio incidenda est. Si ab acribus & mordacibus humoribus, qui ex corpore deorsum defluunt, æger denuò rhabarbaro & myrobalanis, aut pulvere radicum mechoacæ purgandus est. Quod si dolor acutissimus, vigiliæ & inquietudines maximæ adfuerint, aliquantum laudani, aut syrupi de papavere exhibere solemus. Injectionibus etiam, quæ in intestinum fiunt, nonnihil laudani, aut succi capitum papaveris nostratis admisceri potest. Postea infundendum est sequens enema, anodynum & corroborans.

Cur[...]

℞. Hordei decorticati ℥ij.
Flor. verbasci
Rosar. rubr. an. M. j.
Lumbricor. lotor. & incisorum M. j.
Sem. fœnogræci
Cydoniorum an. ʒiij.

Enem[...] abste[...] anod[...] & co[...] boran[...]

Coquantur in aqua, vel lacte recenti, si dolor adsit vehemens, ad consumptionem tertiæ partis. In colaturæ ℔s. dissolve vitellos ovorum num. ij. ol. rosac. ℥j. de vitellis ovorum ℥s. Misce, fiat Clyster.

Quantitas clysterum parva esse debet: est enim tantummodò intestinum rectum abluendũ, frequenter tamen infundendi sunt. Si inflammatio magna adsit, olea omittenda sunt, cùm inflammationibus maximè adversentur, juxta Galeni sententiam. Lumbis extrinsecus circa os sacrum, sedi, pubi & interfœmineo, sequens applicetur sacculus.

De s[...] medi[...] cult. l[...]

Sacc[...]

℞. Rad. Altheæ ℥ij.
Fol. Malvæ
Bismalvæ
Violar.
Fol. & Flor. Verbasci
Meliloti
Chamomil.

Lumbri-

Lumbricor. lotor. & incisorum ana Ms.
Sem. Fœnogr.
Anethi
Cydonior. &
Lini ana ℥is.

Incidantur & contundantur crassiusculè, deindè sacculo ejus magnitudinis, ut prædictas partes cooperire possit, indantur. Qui intersutus, aquâ aut lacte recens emulcto, coquatur, calideque applicetur, per horam integram ad minimum, ter aut quater singulis diebus. Aut fiat ex præscriptis herbis insessio, vel semicupium, ut vocant.

Post fotum, prædictæ partes sequentibus oleis inungantur.

R. Ol. Rosac.
Chamomil.
Lumbricor.
Axungiæ hum. ana ℥j.

Misce, fiat linimentum.

Dolore sedato, si ulcus in recto intestino adsit, clysteribus abluendum erit, ex sequenti decocto.

R. Hordei ad crepaturã usq; cocti ℥iij.
Fol. Plantag.
Fol. & flor. Verbasci
Rosarum rubr.
Alchymillæ
Saniculæ ana Mj.
Rad. Consol. major. ℨij.

Coquantur in aqua ad consumptionem tertiæ partis. Colaturæ ℔s. admisce mellis rosati ℥ij. vitellum unius ovi (semper enim aliquid, quod anodynum sit, admiscendum) Ulcere probè abluto & mundificato, singulis diebus ter aut quater in rectum intestinum sequens medicamentum, syphone injiciatur.

R. Decoctionis modò præscriptæ ℔j.
Mellis rosac. ℥iiij.
Boli armeni
Myrrhæ
Sanguin. dracon. an. ℨj.

Misce & utere tepidè.

Aut si dolore adhuc aliquis adsit.

R. Mucilaginis sem. cydonior. & psyllii extractæ ex decocto hordei, & fol. plantag. ℥iiij.
Boli armeni præpar.
Terræ Saxonicæ an. ℨj. Misce.

Poterit quoque uti sequenti suffumigio.

R. Florum verbasci exiccator. Ms.
Masticis
Olibani
Storac. calam.
Benzoin. an. ℨij.

Misce, & per sedile cubiculare inchoetur perfumigatio, interim dum æget alvum exonerat, quo fumus eò melius in intestinum usque penetrare possit.

Sequenti pulvere Forestus quendam se miraculi instar à tenesmo curasse refert.

R. Mastic. ℨj.
Thuris ℈j.
Sem myrtillor ℨj. ſ.
Flor. rosar. rubr. exiccatar. ℈ij.

F. pulvis pro suffumigio.

Cæterùm opera danda est, ne æger toties è lecto egrediatur, quoties conatus ipsi superveniunt, ne vires ejus prosternantur. Præstat enim ipsi linteamina, aut pelvim, cujus descriptionem & picturam dedimus, supponere.

CAP. XIII.

Ani procidentiæ curatio.

Causæ ani procidentiæ.

SÆpissimè quoque dysenterici procidentiâ ani molestari solent: præcipuè autem circa finem morbi, vel etiam ipso jam penitus curato, inprimis verò si tenesmus antea adfuerit: propter continuum enim conatum, dolorem, ac nonnunquam inflammationem intestini, adeò musculi intestinum sursum trahentes, debilitantur, ut officio suo amplius fungi non possint. Prolabitur quoque intestinum à diversis causis, de quibus Lector authores consulat.

Victus ratio.

Eandem victus rationem, quemadmodum & dysenteria requirit, vehementer tamen, quæ ventrem restringunt ac constipant, hîc minimè conveniunt, sed ut venter laxus sit, ne æger in dejiciendo vehementiùs cogatur comprimere & podicem protrudere, necesse est. Si humores ex corpore affluant, viresq; consentiant, rursus medicamentum purgans exhibeatur, & vena in brachio incidatur.

Quod si intumuerit, & dolor adfuerit, primò intestinum fovendum est sequenti decocto.

Fotus.

R. Fol. & flor. verbasci albi
Flor. Meliloti
Rad. & fol. altheæ ana Mj.
Sem. lini & fœnogr. ana ℥s.

Coquantur in lacte vaccino recens emulcto, & cum spongia vel linteo reduplicato, & madefacto decoctione præscripta, foveatur intestinum prolapsum. Si interim dum locus fovetur, intestinum retrò non cesserit spontè, linteamine molli in decocto præscripto madefacto, leviter leniterque introtrudendum est. Quod ut faciliùs fieri possit, necesse est, ut æger caput inclinet, crura verò in altum elevet. Tum Chirurgus indice suo dextro linteo involuto, & in centro ejus, quod de intestino prolapsum est, introducat. Hac methodo, cùm aliàs, tum Paterniaci in viro quodam honesto processi, uti lector in meis observationibus videre poterit.

Reducto intestino, sequens Cataplasma astringens & corroborans applicetur.

Cataplasma astringens & corroborans.

R. Farinæ volatilis ℥ij.
Sanguinis drac.
Boli armeni albi
Rad. Arnoglossæ maj.
Masticis ana ℨij.

Misce & cum albumine ovorum, parumque vini rubri fiat Cataplasma.

Quod si in posterum prolabatur, aut neque tumor, neque dolor adfuerit, locus sequenti decocto foveatur.

Fomentũ.

R. Radic. folior. & florum verbasci albi
Radic. & folior. plantag.
Rosarum rub.
Centumnodinæ an. M j.
Gallarum
Corticum granator.

Quer-

Quercuum an. ℥s.

Coquantur in vino rubro ad consumptionem tertiæ partis. Hac decoctione fovendum est intestinum, quotiescunq; prolapsum fuerit. Postea aspergatur sequenti pulvere.

R. Rosar. rubr.
Corticum granator.
Nucum cupressi
Masticis
Croci Martis &
Plumbi usti an. ℥s.

Misceantur, fiatque pulvis subtilissimus. Insperso pulvere, retrudendum est intestinum eo modo, quo antea declaravimus.

Suffumigium sequens non parum cõvenit.

Suffumigium.

R. Masticis
Thuris
Storacis calamitæ an. ʒj. Misce.

Particul. 5 rubric. 7.

Gordonius tam in prolapsu intestini, quàm in exitu ani, exuviis serpentum utitur.

In diuturno exitu ani os sacrum & coccygis sequenti decocto fovere convenit.

Fometum

R. Folior. & florum betonicæ
Primulæ veris
Hyperici
Salviæ
Rosmarini
Majoranæ
Rosar. rubr.
Baccar. juniperi an. M. j.
Alumin. rochæ ℥ij.

Incidantur & contundantur grosso modo, deinde indantur sacculo, qui intersutus, coquatur vino rubro, & calidè applicetur ter aut quater interdiu.

Post fotum convenit sequens linimentum pro corroboratione nervorum.

Linimentum.

R. Ol. hyperici
Lumbricor. an. ℥s.
Ol. thereb. &
Ceræ an ʒj.
Aq. salviæ &
Juniperi an. ℥s.
Misce, & fiat linimentum.

Cap. XIV.

De febri.

Quod ad febrim attinet, partim capite de regimine vitæ, partim alibi declaravimus, qua ratione ei occurrendum sit. Si statim ab initio morbi supervenerit, id malum est omen, nam denotat, materiam seu causam morbi valdè malignam esse. Quamobrem pro virili cor partesque omnes nobiles corroborandæ, & à vaporibus malignis, tam julapiis, quàm epithematibus, aliisq; hujusmodi remediis, quæ capite de syncope describuntur, defendendæ muniendæque sunt. Si verò post aliquot dies febris supervenerit, id indicat, aut alvi profluviũ nimis citò constrictum, ac proinde materiam quandam venenatam vel acrem in corpore retentam: aut propter dolorem, inquietudines, vigilias & similia, calorem febrilem incensum fuisse. Quibus omnibus julapiis refrigerantibus, lacte amygdalato, emulsione seminum frigidorum, & similibus, quæ partes nobiles refrigerant, dolorem sedant, somnumque provocant, diligenter occurrendum erit, sicuti suo loco fusiùs demonstravimus.

Cap. XV.

De Hepatis inflammatione.

Si inflammatio Hepatis supervenerit, basilica dextra incidenda erit, extrahendusq; sanguis, prout vires consenserint, & morbus requisiverit.

Sequens quoque Iulapium exhibendum.

Iul[ep.]

R. Aquar. endiviæ
Cichorei
Plantag. an. ℥ij.
Syr. de cichorio &
De cotoneis an. ℥j.
Diamarg. frigid. ℈j.

Misce, fiat Iulepus, quo æger sæpius utatur.

Regio Hepatis bis aut ter in die inungenda est sequenti unguento.

Vng[uen]tum

R. Cerati santalini ℥ij.
Olei nymphææ
rosar. an. ℥j.
Spicæ nardi ℈j.
Misce, fiat unguentum.

Aut applicetur linteum reduplicatum & madefactum sequenti epithemate.

Epi[thema]

R. Aquar. endiviæ
Cichorei
Lactucæ
Absynthii an. ℥ij.
Aceti ℥s.
Specier. Diarrhod. Abb ʒj.
Santali rubri ʒs.
Misce, & applica tepidè.

Utatur æger optimo vitæ regimine. Singulis ferè momentis bibat lac amygdalatum, aut emulsionem seminum frigidorum, item jusculum carnium recentium, veluti vervecum, boum, gallinarum & caponum. Abstineat ab omnibus acribus, salitis & diureticis, ne acris materia ad hepar transeat, præcipuè si intestina nondum satis ab ea exonerata fuerint. Utatur quoque decocto agrimoniæ, veronicæ, hordei, liquiritiæ, passularum, & similium.

Cap. XVI.

De syncope.

Deliquium animi seu syncope in Dysenteria potissimùm accidit, vel ob nimiam sanguinis evacuationem, & spirituum dissipationem, vel ob materiæ malignitatẽ, ex qua vapores sursum ad cor elevantur. Si à nimia evacuatione facta fuerint, pro virili fluxus ventris illicò comprimendus erit, uti suo loco diximus. In syncope à nimia evacuatione, vires reficiendæ sunt, inprimis optima victus ratio instituenda. In quem finem utatur jusculis carnium recentium, ut gallinarum & caponum, in quibus dissolvi possunt vitelli ovorum, & aliquantum aquæ cinamomi sine vino destillatæ. Summa, quicquid multùm nutrit, & facilè digeritur, hìc eligendum est. In una atque altera specie syncopes exhibenda sunt medicamenta, quæ cor partesque nobiles corroborant, & à malignis vaporibus defendunt, qualia sunt lapis Bezoar, cornu cervinum, cornu monocerotis, theriaca, terra sigillata, confectio Alkermes, Diamargaritum frigidũ, & similia.

Exte-

Exteriùs autem sequens Epithema applicetur.

R. Aq. Ros.
Borrag.
Buglos.
Acetosæ
Aceti rosac. ana ℥j.
Santalor. omnium
Spec. Diamarg. frig. ana ʒs.
Croci ana ℈s.

Misce, fiat epithema, quod tepidè cordi applicetur. Labia quoque, nares, tempora & arteriæ carporum eodem epithemate fricentur.

Sequens quoq; Emplastrum maximo cum fructu regioni cordis & arteriis in carpo applicare soleo.

R. Micæ panis triticei ℥j.
Pulv. Cinam ʒij.
Gariophyllor.
Macis ana ʒj.
Confect. alkermes ℈iiij.

Cum aq. rosac. parumque aceti rosac. fiat pasta, quæ super alutam aut linteum extensa applicetur.

Cap. XVII.

Quomodo capitis dolori, & vigiliis occurrendum?

Si propter vapores, qui sursum ad caput elevantur, & ex intestinorum cum capite consensu, dolor capitis, vigiliæ & inquietudines supervenerint, danda opera est, ut vapores illi deorsum trahantur & impediantur, ne ad caput ascendãt. Ad hoc Julapia, & emulsiones seminum frigidorum summoperè conveniunt. Post pastum sumat æger parum mivæ cydoniorum simpl corroborat enim ventriculum, & constringendo impedit, ne vapores ad caput ascendant.

In usu autem mivæ cydoniorum, aliarumq; conservarum, quæ ad vapores reprimendos sumuntur, id studiosè observandum est, nimitùm ut post pastum sumantur, & diu in ore terantur, sensimque deglutiantur, quò undique gutturi & orificio ventriculi diutiùs adhærere possint. At contra si alvum sistere volueris, sumatur ante pastum, & in forma boli deglutiatur: Sic enim quamprimum fundum ventriculi petit, & ad intestina descendit.

Si dolor capitis, vigiliæ & inquietudines magnæ fuerint, syrupum de papavere cum aqua lactucæ & betonicæ propinare convenit, temporaque inungenda unguento populeonis, in cujus unguenti ℥j. admiscebis sex grana opii, in aqua lactucæ dissoluta. Abstineat ab omnibus calidis & vaporosis, ut sunt aromata, legumina, allia, cœpæ, sinapi & similia. Necesse est etiam purgare, venas incidere, & ventosas applicare, si vires permittant.

Cap. XVIII.

De ardore & siccitate linguæ.

Siccitas linguæ accidens est admodum frequẽs in Dysenteria, quod ut plurimùm talem ægro affert dolorem, ut vix edere aut bibere possit: quoniam lingua ob maximam, quæ in ea est, ariditatem & siccitatem, excoriatur & finditur. Porrò ut huic morbo succurratur, necesse est, ægrum lacte recenti emulcto, in quo folia violar. malvar. & rosar. coxerint, os sæpè abluere; Posteà cochleari argenteo, aut alio instrumento apto, excrementa & viscositates, quæ linguæ adhærent, paulatim & leniter abradere, & linguam, si dolor vehemens est, butyro recenti, aut oleo amygdalar. dulc. inungere. Nobilem Virum cognovi, admodum valetudinarium, is ad linguæ refrigeratione͂ multos ex larido taleolos, longitudinem ferè & latitudinem suæ linguæ adæquantes, scindi curavit, sed ab altera extremitate filo alligato constricti erant, quo famulus illos tractare posset. Projectos in aquam frigidam, & aliquandiu maceratos, alternatim linguæ imponebat, ita ut dum taleolus linguæ impositus calefiebat, reliqui in aqua refrigescerent.

Si inflammatio oris adsit, colluatur & gargarizetur os decocto plantaginis, rosar. scabiosæ & hordei, in quo dissolutum sit aliquid mellis rosac. & Diamori: cucurbitæ sive ventosæ, ut vocant, scapulis applicentur, & brachia ad cubitum (revulsionis causa) ligentur. Nonnulli venas sub lingua incidunt: in corpore tamen cacochymico, & nondum satis purgato, non usque adeò tuta est venarum illarum sectio. Æger ribes, & cerasa condita, item mel rosaceum, diamorum, & similia, in ore frequenter teneat.

Cap. XIX.

De urinæ retentione.

Multoties Dysenteria laborantibus accidit, ut nihil, vel parum reddantur urinæ, nec tamen semper sequitur hepatis, aut renum ureterum, aut colli vesicæ obstructionem adesse: sed aut profluvium alvi ad se attraxisse, & serosum humorem evacuasse, aut eum vehementia febris desiccatum esse. In his non est tantoperè laborandum de urinæ provocatione, sed principali curationi incumbendum est. Si urinæ retentio propter obstructionem, aut viscerum inflammationem acciderit, illicò adhibenda sunt remedia. Observandum est nihilominus, quod antea monui, nimirum non protinus, & sine maturo consilio, diuretica adhibenda esse, ne diureticorum usu, maligna & acris materia ab intestinis ad venas mesaraicas & hepar repellatur, & morbus in pejus ruat. Itaque si inflammatio in hepate, & renibus fuerit, procedendum est, ut cap. 13. ostendimus, videlicet venæ sectione, cucurbitularum applicatione, Julapiis & emulsionibus: Regio verò hepatis & renum unguento rosac. aut eo, quod eodem cap. descripsimus, ungenda est. Si verò renes, ureteres, aut ductus urinarius humore pituitoso & viscido obstructi sunt, tunc renes, imum ventris, & genitalia, oleo scorpionum, lumbricorum, amygdalar. amatarum, & anethi simul mixtis, inungenda sunt. Exhibeatur quoque sequens enema.

Clyster urinam provocans

R. Herbar. nasturtii aquat.
Herniariæ
Malvar.
Parietariæ an. Ms.
Flot. meliloti
Chamomil.
Lumbricor. terrestr. lotor. an. Mj.

Sem.

Sem. seseleos.
Petroselini
Anisi an. ℥j.
Misce, fiat clyster.

Residuum clysteris inguini calidè applicandum est, aut spongia, vel linteum reduplicatum, decocto clysteris extinctum, inguini & tauro calidè admoveatur. Si his urina nihilominus semper retineatur, diureticum aliquod decoctum propinandum, quale hoc est.

Diureticum.

R. Radic. petroselini
Rusci
Asparagi an. ℥j.
Herbar. parietar.
Agrimoniæ an. Mj.
Granor. Alkekengi Num. x.
Liquiritiæ ℥j.
Sem. anisi
Petroselini an. ℥s.

Coquantur omnia s. a in ℔vj. aquæ puriss. ad consumptionem tertiæ partis. Colatura dulcoretur saccharo, de qua æger sumat ℥vj. tres horas ante pastum.

Si dolor vehemens adsit, præparetur sequẽs semicupium.

Semicupium.

R. Radic. & folior. althææ
Parietar.
Malvæ
Flor. meliloti
Violar. an. Mij.
Lumbricor.
Sem. anisi
Fœniculi
Petrosel.
Fœnogræci
Lini an. ℥j.

Coquantur in aqua ad consumptionem tertiæ partis. Huic decocto insideat æger ad umbilicum usque per sesquihoram, aut horam integrã, modò vires ferant,

Si syncopes periculum adsit, ei parùm vini generosi, aut aquæ cinamomi sine vino destillatæ, aut aliquid cõfectionis alkermes, exhibeatur. Balneo egressus, aliquantum supra descriptæ decoctionis apertivæ sumat, & lectum ingrediatur.

Si urinq; retentio ex recti intestini (cui collum vesicæ incumbit, adeoque facilè ex ipsius inflammatione comprimitur) inflammatione procedat, injectionibus procedendum est, ubi tempus morbi considerandum. Itaque circa initium morbi decoctum hoc repercussivum per syphonem injiciatur.

R, Hordei mundati Mij.
Fol. Rosar.
Plantag. ana Mj.
Lumbricor. terrestr. lotor. M. s.

Decoctum repercussivum.

Coquantur in aq. ad consumptionem tertiæ partis. In cujus colaturæ ℔j. dissolve vitellos ovor. Num. ij.
Ol. Rosac.
Myrtillor. ana ℥j. Misce.

Hujus decocti singulis diebus quater, aut quinquies tepidè nonnihil per syphonem in anum injiciatur.

Posteà ad resolventia transeundum est.

Itaque superiori decocto manipulum unum flor. chamomillæ, & tantundem flor. meliloti, adjiciantur.

Si inflammatio ad suppurationem tendat, sequens decoctum injiciatur.

R. Rad. & Fol. Althææ
Malvar.
violar. ana Mj.
Ficuum siccar. Num. xij.
Sem. Lini &
Fœnogræci ana ℥s.

Fiat decoctio in aq. ad consumptionem tertiæ partis. Colaturæ admisce butyri sine sale, & ol. lilior. albor. q. s.

Si materia aliqua crassa & viscosa, pus, lapis, aut arenulæ in ductu urinario retentæ fuerint, fomentationes emollientes applicentur, aut æger semicupio utatur. Deindè catheter argenteus inunctus oleo amygdalar dulc. in ductum urinarium ad vacuum usque vesicæ leviter leniterque immittendus, quò urina effluere possit.

CAP. XX.

De Lienteria.

QUando æger cibum indigestum propter stomachi & intestinorum debilitatem, retinere nequit, tum si ventriculus humoribus superfluis oneratus, leviter vomitus provocandus erit; Posteà æger purgandus potiuncula ex rhabarbaro, & myrobalanis, aut pilulis de mastice. Purgatus, aliquantulum de hoc electuario frequenter sumat.

Electuarium.

R. Mivæ cydonior. simpl.
Conser. rosar. antiq. ana. ℥is.
Boli armeni.
Corallor. rub.
Cornu cervi usti & præpar.
Cinamomi ana ʒj.
Confect. alkerm. ℈ij.

Cum syrupo conservationis corticum citri fiat electuarium.

Tragea.

Aut R. Specier. arom. ros.
Cortic. citri
Sem. Anisi
Cinamomi electi ana ʒj.
Ventric. gallinar. præparat. ʒij.
Sacchari ℥j. F. Tragea.

Poterunt & ex eodem Pulvere cum saccharo tabellæ fieri.

Regio ventriculi, & venter sequenti oleo inungatur.

Linimentum.

R. Ol. Mastic. Mentæ an. ℥j.
Ol. nuc. muscat. ʒij.
Ol. cinamomi guttul. 12. Misce.

Postea sequens applicetur cataplasma.

Cataplasma.

R. Pulv. mastic.
Rosar. odorifer.
Cinamomi
Mentæ an. ℥j.
Gariophyll.
Corallor. præpar. an. ʒs.
Ceræ novæ ℥ij.
Ol. masticis Mentæ &
Nuc. muscatæ q. s. ad conficiendum cataplasma.

Si gummi Tagamacca haberi possit, addatur ℥j. & ceratum sic erit multò præstantius. Hoc enim gummi, ut experientia docuit, ventriculum partesque nobiles corroborat. Sæpius quoque conservâ rosarum uti & mivâ cydonior, & si febris non adest, per intervalla zingibere, & calamo aromatico condito utatur, item aq. cinamomi sine vino destillatâ, uti & tabellis aromatici rosati, Diarrhod. Abbatis, & similibus, ventriculum, partesque nobiles corroborantibus, quorum usus post Dysenteriam semper requiritur. Utatur cibis euchymis, & à difficilioris digestionis scilicet cibis abstineat, ut suo loco fusiùs declaravimus.

CAP. XXI.

De præservatione à Dysenteria.

PRæservatio Dysenteriæ in his consistit. Primò, cùm morbi propter peccata à Deo, ne cum mundo pereamus, immittantur, ut pœnitentiam agamus, vitamque nostram pravam & sceleratam corrigamus; deinde coram Deo demisso corde nos posternamus, ipsumque ut justissimam suam iram à nobis avertat, suppliciter oremus, præcipuè & in primis necesse est.

Sequuntur remedia à DEO creata, & instituta, inter quæ victus ratio primarium obtinet locum. Cibaria itaque calida, viscosa, difficilis digestionis, corruptionibusque obnoxia, vitentur. Secundò ut corpus conservetur purum. Ideoque per intervalla purgandum pharmaco, & venæ sectio instituenda, si plethora adsit. Tertiò utatur cibariis iis, quæ ventriculum & intestina corroborant.

In vitæ regimine, primò aër infectus si caveri nequeat, alteretur & corigatur: aër enim crassus & occlusus hujus morbi semina diu in se continet, augetque. Suffumigetur itaque sæpiùs cubiculum & domus, imò etiam vestes & linteamina, baccis juniperi, olibano, mastice, radicibus angelicæ, prunis injectis, vel ignito lateri, aut silici inspergatur acetum, ut fumus indè exhalet.

Sequens quoque pulvis summoperè convenit.

R. Storac. calam.
Benzoin ana ℥j.
Thuris mastic. ana ℥ij.
Rosar. rub. grosso modo incisarum p. ij.

Misce, fiat pulvis grossus, de quo sæpius prunis aliquantum injiciatur. Ignis enim, Sarrazeno teste, aërem exicca[t], & malignam ipsius qualitatem aufert, quo fit, ut si qua etiam inspersa forent contagiosa semina, dissipentur. Etsi verò Sarrazenus hæc in præcautione Pestis tradat, in Dysenteria tamen etiam utiliter præscribi possunt.

Verùm non possum silentio hîc præterire præceptum quoddam Conradi Gesneri piæ memoriæ, quod etiamsi ab ipso in Peste præscribatur, in Dysenteria tamen multùm conducere posse, rationi consentaneum est. *Locus*, inquit, *in quo æger decumbit, foramen apertum habeat superius, ut halitus pestilentes exeant, præsertim ægro sudante. Id foramen modò aperiri, modò claudi poterit: cùm enim suffumigia idonea fiunt, cum aqua rosarum camphorata, claudatur aliquandiu locus, deinde rursus aperiatur.* Hactenus Gesnerus. Sed conclave in quod foramen illud desinit, quia tetris & malignis vaporibus, qui ab ægris expirant, infectum est, à sanis hominibus, cùm in Dysenteria, tum etiam Peste, frequentari minimè convenit. Ego in nonnullis Magnatum cubiculis, foramina, quæ ad supremam contignationem, & tectum usque desinebant, observavi, easque tam sanis, quàm ægris in primis multùm conducere, non est, ut quispiam ambigat. Quod si locus, & commoditas ægri non permittant extruere ejusmodi foramina cubiculi, in quo æger decumbit, ad minimum laquear ut celsum sit, necesse est. Si enim humile fuerit, æger, imò etiam sani vapores putridos sursum ascendentes, denuò attrahent, quod periculosum, aut saltem prolongationis morbi causa facilè esse potest.

Convenit & maximè sequens suffumigium pro correctione aëris.

Suffumigium.

℞. Corticum citri contusor.
Gariophyllor.
Macis ana ℥s.
Rosarum odoriferar. Mj.

Incidantur & contundantur omnia grosso modo, postea immittantur in ollam vitreatam, aut aliud ad id vasculum aptum, & superinfundantur, aq. rosar. ℔j. aceti ℥iiij. postea super focum mensalem coquantur, fumus enim iste qui exhalat, suavissimo & saluberrimo odore implebit cubiculum. Sed diligenter prospiciendum est, ut domus à sordibus, spurcitiaque omni & fœtore quovis, longè sit alienissima. Magistratus item curam habeat, ne ægrorum excrementa in publicas plateas & foricas, sed in scrobes projiciantur, & terrâ cooperiantur.

De cibo & potu.

Quod ad cibum & potum attinet, caro salita, & in fumo exiccata, præcipuè porcina, item suffocata, qualis est artocrearum, item ferina omnis, quadrupedum & avium in aquis degentium, summoperè nocet, præcipuè si zingibere, pipere, alliis, & cæteris hujusmodi, cocta & præparata fuerint. Extremitates etiam quorumvis animalium nocent. Utatur igitur carne recenti vervecinâ, agninâ, ovillâ, vitulinâ, gallinarum, caponum & avium in arboribus degentium, veluti perdicum, coturnicum, alaudarum, rusticularum, merularum, passerum, turdorum & similium, prout anni tempus, & facultates ægri fuerint. Utatur cum carne, succo citronum, aut aurantiorum, aut agrestæ, vel acetosæ. Ova recentia & sorbilia quoque conveniunt. Cum carnibus coquantur rosmarinus, salvia, majorana, cerefolium, acetosa, borrago, folia & flores calendulæ, radices & folia petroselini, fœniculi, cichorei, summitates lupuli & similia. Hordeum item

tem, avena decorticata, & farina avenacea tosta nobis Habermuß dicta, conveniunt. Nocent pisces omnes (præter trutam, percam, & minores lucios) præcipuè sale conditi, aut fumo exiccati. Nocent & acria omnia & summè calida, veluti piper, zingiber, gariophilli, cardomomum, raphanus, allium, cæpæ, porrum, sinapi, & cibaria, quæ cum hujusmodi rebus confecta sunt. Pisa item, fabæ, lentes, & phaseoli; Juscula tamen, in quibus pisa aut lentes coxerint, conceduntur, præsertim si cum iis rosmarinus, salvia, & majorana coxerint. Caseus, lac, & lacticinia omnia (butyro excepto) vitanda sunt. Fructus omnis dulcis, & corruptioni obnoxius, ut sunt pyra, poma, pruna, cerasa, mala persica, & similia, graviter obsunt; Cerasa verò acida, ribes, mala cydonia, item mala & pyra cocta sub prunis, aut in aqua cum butyro, semine fœniculi & anisi, conceduntur. Panis debet esse probè fermentatus, & coctus: Contra verò gasteria, lagana, collyra, bazinia, & quilibet panis non fermentatus, mirum in modum nocent.

Quoad potum, inprimis nocet mustum, & vinum acre, quale ex fructibus acerbis exprimitur: tormina enim generat. Vinum item valdè calidum, quale est malvaticum, tum Dysenteriæ, tum pestis tempore, plurimùm obest. Excessus omnis, tam in cibo, quàm potu vitandus; Quandoquidem non semper qualitas, sed præcipuè quantitas nocet, & morbos generat. Ideoque sobriè vivendum est, & ut Plutarchus rectè admonuit, *vesci citra saturitatem, saluberrima res est.* Post pastum à potu abstinendum est: interrumpitur enim concoctio, hinc cruditates multæ, pravique humores generantur. Exercitium quoque ad sudorem ante pastum convenit, post pastum autem leviter deambulandum, ut eò facilius, & sine interruptione, digestio perficiatur. Cautè tamen hac in re agendum: Si enim Dysenteria ex corruptione aëris procedat, aut cū ægrotis nobis versari necesse sit, tunc exercitia ad sudorem usque periculosa sunt; apertis enim poris, corruptus aër facilè intrat, primùm in venas & paulatim per eas ad partes nobiles commeat.

De cōserv. valetud.

Animæ passiones, veluti tristitia, gaudium immoderatum, ira, timor, & similia, sunt quoq; diligenter vitanda.

Secunda intentio.

Toto contagionis tempore alvus lubrica esse debet. Si constricta fuerit, clysteribus, suppositoriis, mannâ, syr. rosato solut. cassiâ, vel jusculis carnium recent. in quibus borrhago, folia violar. mercurialis, & hujusmodi coxerint, laxanda est.

Per intervalla quoque corpus purgandum est. Itaque adultioribus exhibenda est sequens potiuncula.

Potio purgans.

R. Rhabarb. electi ℨis.
Spicæ gr. v.
Cinamomi ℈s.

Incidantur omnia minutim, deinde vino generoso irrorentur, & per horas octo macerentur sub cineribus calidis in ℥iiij. decoctionis sequentis.

℞. Agrimoniæ
Cuscutæ
Scabiosæ ana Ms.
Uvar. passul.
Sem. anisi
Folior. senæ ana ℨii.

Coquantur ad consumptionem tertiæ partis. In colatura maceretur rhabarbarum, ut diximus. Deinde forti factâ expressione, adde syr. rosat. solut. ℥is. Misce, fiat potio.

Alia potio ad eandem intentionem.

Alia potio.

℞. Electuar. Diaphœnic. ℨiiij.
Syr. rosat. solut. ℥j.

Aut loco diaphœnic. accipiantur elect.
Diacatholici ℨvj.

Pro pueris. ℞. rhabarb. electi ℨs.
Spicæ gran. ij. Macerentur in ℨij. aut ℨiij. aquæ cichorei, expressioni adde syrupum rosarum solut. ℥s. Misce.

Si potiunculam hanc sumere non possit, exhibeatur ℈j. aut ℨs. pulv. radic. mechoacæ cum jusculo carnis recentis: est enim radix illa insipida, & clementer purgat, quare pueris & delicatioribus aptissima. Sed vinum gustare minimè convenit, donec medicamenti purgantis operatio facta sit: impedit enim operationem ejus. Si plenitudo adsit, & ætas, viresque consentiant, incidatur basilica dextra, extrahatúrque sanguis, plenitudinis ac virium habitâ ratione. Si humor atrabilaris abundat, incidatur splenetica. Habenda est quoque cura, ne purgationes consuetæ intermittantur, id enim periculosum est. Quapropter si hæmorrhoides aut menses substiterint, secandæ sunt venæ pedum, aliisque præsidiis provocandæ.

Tertia intentio.

Tertia & ultima præservationis intentio in usu eorum, quæ stomachum, intestina, partesque nobiles corroborant, & corrupto aëri, & humorum putrefactioni adversantur, consistit. Itaque singulis hebdomadis ter aut quater parùm theriacæ, aut Mithridatii cum aqua cardui benedicti, aut florum calendulæ sumantur. Unicornu quoque, & cornu cervi ustum, & præparatum, hoc in casu laudantur. Sed extractum ex teneris cervorum cornibus, vel etiam induratis, sed recentibus, quod D. QUERCETANUS in Pharmacopœa Dogmat. restit. cap. 25. describit, longè antecellit, & tam in peste, & Dysenteria, quàm in omnibus morbis venenosis, & ex putredine ortis, præstantissimum est præservativum. Lapis quoque Bezoar non infimum locum obtinet ad venenum arcendum, partesque nobiles à corruptione muniendas. Radices item angelicæ, baccæ juniperi, cortices citri conditi, terræ sigillatæ ex Silesia allatæ, non parvam habent efficaciam.

Ad ventriculi & intestinorum corroborationem matutino tempore, item à pastu, sumatur aliquantum conservæ rosarum, nivæ cydoniorum, myrobalanorum conditor. Laudantur & cerasa acida condita. Item semen fœniculi, Anisi & Coriandri, quod pro junioribus

ribus, & biliosis cum aceto, pro senioribus verò, & iis quibus ventriculus debilis est, cum vino malvatico, parumq; aquæ vitæ præparari debet.

Ego vinum hoc præservativum Dysenteriæ tempore amicis meis præscribere soleo, quod ventriculum, intestina, partesq; nobiles corroborat, corruptioni aëris, & humorum putredini resistit.

R. Absynth. vulg.
Cardui bened.
Scordii utriusque
Veronicæ
Mentæ
Rosar. rubr. an. Mij.
Cortic. citri
Cinamomi
Radic. angel.
Baccar. juniperi an. ℥j.

Incidantur & conquassentur omnia, postea in dolio, quod 12. aut 16. contineat mensuras, collocetur, & impleatur vino optimo & puro. De hoc vino adultiores singulis matutinis, antequam domo egrediantur, bibant scyphum unum aut alterum: juniores minus: pueri duo aut tria cochlearia: est enim præstantissimum præservativum, tum dysenteriæ, tum pestis tempore.

Pro pueris verò, & iis, qui à vino isto propter amaritudinem abhorrent, summoperè sequens aqua destillata convenit.

R. Radic. tormentil.
Bistortæ
Plantag.
Eryngii mar. ana ℥j.
Rad. angel. ʒs.
Cortic. citri
Cinam. electi an. ʒj. ß.
Rosar. odoriferar.
Scordii an. M. j.

Incidantur & contundantur omnia grosso modo. Postea projiciantur in alembicum vitreum, & superinfundatur.

Aquæ rosar. ℔js.
Aq. card. bened. ℔s.

Maneant in infusione horas 24. vase benè clauso. Deinde destillentur in Balneo Mariæ. Hujus aquæ exhibeatur ter aut quater in hebdomade. Poterit & nonnihil sacchari, cornu item cervi usti & præparati, aut terræ sigillatæ Silesiacæ admisceri.

Aliud præservativum in forma electuarii.

R. Cortic. citri condit.
Mivæ cydonior. simpl.
Conservæ rosar. &
Borrhaginis an. ℥j.
Specier. diamarg. frig.
Diarrhod. Abb.
Cornu cervi usti & præpar.
Cinamomi opt. an. ʒij.
Confect. Alkermes. ʒj.

Cum s. q. syrupi conservationis cortic. citri, fiat electuarium, de quo sumatur manè jejuno stomacho ad castaneæ circiter magnitudinem.

Aliud præservativum in forma tabellarum pro gravidis & pueris.

Tabella præservativa pro gravidis & pueris.

R. Specier. Diamargat. frigidi
Margaritar. præpar.
Corallor. rub. & præp. an. ʒj.
Terræ sigill.
Cornu cervi usti & præpar.
Lapidis bezoard. an. ʒs.
Sacchar. dissol. in aq. rosar. ℥vj.
F. secundum artem tabellæ.

Ego ex baccis juniperi extractum dulce & suave conficio, de quo pueris & delicatioribus, cùm in peste tum etiam in Dysenteria, maximo cum fructu exhibeo.

Naribus admovenda sunt, quæ cor, partesque nobiles corroborant, & malignitati aëris adversantur, qualia sunt, acetum rosac. cui parùm aquæ cinam. admixtum; cortices item citri, & pomum muscatum cap. 7. descriptum. Inprimis verò præstantissima est sequens aqua cordialis, si in ea spongia insuccata, & naribus, temporibus, & carpis admota fuerit.

Aqua cordialis.

R. Aq. Rosar.
Spicæ. ana. ℔ij.
Pulv. Cinam. ℥ij.
Garyophyllor.
Nucis musc.
Macis
Benzoini
Storacis calam.
Cortic. citri ana ʒs.
Flor. Rorismar.
Summitat. major. ana Ms.

Contundantur contundenda, deinde omnia commisceantur & digerantur in sole per dies 24. vase optimè cooperto. Postea destillentur lento igne in balneo Mariæ, aquâ diligenter in vase vitreo collectâ. Adde moschi ℈s. ambr. grana 6. croci ℈j. Vase diligenter cooperto reponatur & servetur ad usum: Est enim præstantissima in syncope, & virium lapsu, non solùm extrinsecus applicata, sed etiam epota.

Ad eandem intentionẽ valet sequens quoque pomum odoriferum.

Pomum odoriferũ.

R. Benzoini,
Storac. calam. ana ʒs.
Rad. Ireos florent.
Cortic. citri
Calami arom.
Angelicæ
Cinam. ana. ʒis.
Rosar. rubr. &
Flor. Violar. ana. p. j. F. pulvis.

Postea cum mucilagine, gummi tragacanthi, infusis in aq. rosar. fiat massa, addendo moschi & ambræ ana gr. 4. Ex qua formentur globuli odoriferi, qui pestis, & Dysenteriæ tempore infectioni aëris mirum in modum resistunt, Spiritus item, partesque nobiles corroborant.

Sequentibus trochiscis interdiu domus ad aeris correctionem sæpius suffumigetur.

Trochisci pro suffumigio.

R. Storac. calam.
Benzoini,
Rad. Angelicæ ana ʒs.
Cinamomi

Gariophyllor.
Mast c. ana ℥ij
Carbonum tiliæ, aut salicis ℥iiij.

Contundantur omnia, quibus addantur, mucillag. gummi tragacanth. aquæ ros. q. s. & probè misceantur, fiatque massa, ex qua trochisci pro suffitu præparentur.

Ioh. Crato consil. mihi 25. Gregor. Horstius lib. de morbis eorumque caussis exercit. 5. Quæst. 13.

Postremò sani nullo modo ægrorum foricas, aut loca, quo eorum excrementa rejiciuntur, frequentent, sed ægri propria sua habeant loca secreta, in quæ nonnunquam calcem vivam, aut cineres conjicere convenit: Ex eorum enim excremẽtis tetra & pestifera fit exhalatio, quę quamprimum sanorum alvum attingit, proprietate quadam occulta illicò hominem inficit, id quod multoties observavi, & quidem nemini mirum videri debet: idem enim iis accidit, qui oculos, ophthalmiâ laborantium, aspiciunt, nam eorum oculi statim quoque inficiuntur. Linteamina item, in quibus scabiosus dormiverit, sanorum cutem protinus inficiunt; & ulcus pudendorũ in concubitu prius pudenda invadit. Summa, corporis partes sympathiam quandam & affinitatem inter se habent, ita ut ex una in alteram morbus facilè pertranseat. Hæc igitur sani diligenter præcaveant.

FINIS.

GUIL-

GUILHELMI FABRICII HILDANI

Illustriss. Marchionis Badensis, & Hachbergensis, &c. nec non Inclytæ Reipublicæ BERNENSIS Medico-Chirurgi Ordinarii,

LITHOTOMIA VESICÆ:

Hoc est,

ACCURATA DESCRIPTIO CALCULI VESICÆ, EIUSDEMQUE CAUSARUM, ET SIGNORUM PATHOGNOMONIcorum, inprimis verò Methodi, quâ tàm in fœminis, quàm in Viris sit extrahendus; ubi quidem diversæ Operationes describuntur, & Instrumenta quædam singularia depinguntur,

Primùm ab Authore Germanico idiomate in lucem edita;

JAM VERO AB EODEM AUTORE AUCTA, ET A' DISCIpulo & Commensali suo, HENRICO SCHOBINGERO SANGALLENSI, Med. Candidato, in Latinum translata,

CUI

Accesserunt Epistolæ aliquot Virorum Clarißimorum, de Usu & Abusu Turundarum, post extractionem Calculi adhibendarum.

Ad Lectorem.

INter omnes corporis humani Morbos, benevole Lector, quibus DEUS *Opt. Max. Mortales in hac vita, propter Peccata affligit ac punit, ex primariorum gravißimorumque numero est Calculus Renum & Vesicæ. Primò, propterea quod, quando meatus urinarii à Calculo obstruuntur, & urina supprimitur, tantus dolor oboritur, ut ægro interdum Venter, Lumbi, & omnia in partes dilacerari atque disrumpi videantur; quando enim meatus superiores, ureteres dicti, obstruuntur, & urina supprimitur, tunc illa regurgitat, & in vasa majora influit, unde æger eodem ferè angore, cruciatu atque dolore, ac ii qui in aquis submerguntur, extinguitur: uti Doctißimus & Experientißimus Medico-Chirurgus,* Ambrosius Paræus, *ex propria experientia testatur, mihiq́ in mentem venit, etiam Lausannæ Hospita ad crucem albam,* la Flammande *dictæ, ante annos 30. contigisse. Similia retentæ in ureteribus Urinæ exempla sæpe quidem, imò etiam Bernæ mihi occurrerunt, uti Lectori* Cent. 1. Epist. 10. *videre licet. Cujus miseriæ, doloris atq́ angoris, cum summo animi tædio, me spectatorem esse oportuit.* DEO *verò Opt. Max. sit laus, qui hactenus semper remediis ita benedixit, ut nulli angore illo oppreßi, inter manus meas objerint. Quòd si verò urina supprimatur in Vesica, ita ut neque regurgitare, neque excerni queat, tunc pariter dolor, ac cruciatus ingens, periculum verò minus concurrit, propterea quòd ægris sæpe instrumēto succurrere, lapidem repellere, urinamq́ promovere poßumus. Hac de re consulat Lector* Observ. 65. Cent. 1.

2. Causa.

Deinde etiam affectus hic propterea gravißimis morbis annumeratur, quòd dolor hic non unius saltem, vel duorum, aut trium dierum spatio ægrum afficiat, uti parturientibus, aut aliis etiam, quibus brachium,

aut membrum aliquod amputandum est, contingit, quique interea vel à morbo liberantur, vel etiam moriuntur; verùm dolor in hoc Morbo per totam ægri vitam perdurat. Et quamvis hodie Calculus aliquis è Renibus deorsum in vesicam, & ulteriùs protrusus fuerit, crastinâ tamen alius subsequitur. Anno 1624. Dn. Iohan. Wolfium, *civem Bernensem, curandum habui, qui intra paucos dies ad 300. lapillos excrevit. Hujus Viri natura, quod observatione dignum, ita constituta est, ut quamvis Renes ipsius hodie ab omni arena ac calculis probè expurgarentur, subsequente tamen die denuò novos in iis suborturos credam.*

3. Calculus Vesicæ nō aliter quàm Lithotomiâ curari potest. Galenus Arte Medic. c. 89.

Calculus Vesicæ etiam non minores difficultates, dolores ac cruciatus, nisi ex Divina providentia à perito Lithotomo extrahatur, producit. Quòd enim in Vesica, postquam semel coagulatus, atque induratus est, medicamentis emolliri, conteri, & expelli queat, ut mult circumforanei jactitant, impossibile est, quemadmodum experientia, ut & Galenus, & alii testantur.

Dn. Zachariæ Geitzcofleri opinio, de expulsione Calculi Vesicæ.

Nobilissimus ac strenuus Dn. Zacharias Geitzcofler, *Dn. in Geilenbach, Haunsheim, Weschenbeuren, Moes, &c. Eques, ac S. Cæs. Majestatis, & Archiducis Austriæ, &c. Consiliarius, sæpe me, & aliis quoque præsentibus, in hæc verba erupit, dicens:* videri sibi Artem conterendi, ac medicamentis pellendi Calculum Vesicæ, hominibus à Deo nondum revelatam esse, quod aliàs jamdudum, si non Sanitatem integram, doloris saltem levamen aliquod obtinuisset, ac consecutus esset: quandoquidem nō solùm primariis orbis Christiani Medicis, verùm etiam secretis, imò secretissimis Primatum, Principum, atque Nobilium medicamentis frui atque potiri potuerit. Præterea se neque crumenæ, neque ventriculo, hoc est, sumptibus pepercisse, præscripta itidem medicamenta libenter adhibuisse, operam tamen ac oleum perdidisse. *Idem etiam de gravissimo & incomprehensibili dolore tam Calculi, quàm Podagræ (utpote qui utroque affectu per multos annos affectus fuit) testari potuit. Postquam enim, Dei beneficio, per Lithotomiam à Calculo liberatus fuit, sæpenumero manus ad cœlum extendens, inter cætera in hæc verba erupit; Domine, si talis divina tua voluntas, & animæ meæ saluti consultum fuerit, parcas mihi posthac calculo, gratiosaque Podagrâ toties, quoties lubuerit, mihique salutare fuerit, me affice. Non abs re autem pius ac sapientissimus ille Vir Podagram* gratiosam *vocat: quoniam dolor calculi sæpe adeo vehemens est, ut non mirum esset, si æger etiam ad desperationem impelleretur, sequemetipsum in corporis & animæ periculum præcipitaret. Longe verò alia est Podagræ ratio, quamvis enim etiam dolor maximus eam comitetur, tolerabilis tamen est, semperque dolor tantundem intermittit ac remittit, ut æger non solum Deo inservire, sed etiam rei familiari præesse possit.*

Podagra morbus gratiosus est, respectu Calculi.

Præterea morbus iste, tanquam singularis quædam paterna divinaque admonitio, à peccatis nos dehortatur ad resipiscentiam. Efficit ille, ut vigilemus, sobrio pectore, Deum invocemus, ad eumque vota atq; singultus fundamus. Nullus igitur Christianus fores huic ægritudini præcludet, sed potius eam, tanquam gratiosam, cum lætitia ac patientia amplectetur, simulque perpendet, quoties venerandam Dominam Arthritidem inordinatâ vitæ suæ ratione adse vocarit. Hac de re consulat Lector Speculum meum vitæ humanæ parte 4.

De [...] mer[...] Hip[...] tis.

Quemadmodum autem Calculus, respectu ægrorum, in gravissimorum morborum classem refertur, ita etiam Chirurgo nulla ferè operatio difficilior, quàm ipsa Lithotomia, accidere posset. Hinc meritò mirum alicui videri possit, quare excellentissimus & sapientissimus Vir Hippocrates, *in Iurejurando personas peculiares Lithotomiæ præposuerit, ejusque administrationem Discipulis suis, h. e. rationalibus Medicis committere noluerit.* Nam inquit, nec verò calculo laborantes secabo, sed Viris Chirurgiæ operariis, ejus rei faciendæ locum dabo. *Credere verò non possum, Hippocrati unquam in mentem venisse, ut difficilem ac periculosam hanc Operationem expertis ac rationalibus Medicis è manibus eriperet, eamq; vulgaribus Lithotomis, multò minus Agyrtis, atque Empiricis committeret. Si enim ipsius Scripta, & inprimis Iuramentum attentè legamus, & examinemus, longè integriorem, magisq; sanam ei fuisse Conscientiam; imò etiam ipsum multos Pseudo-Christianos probitate superâsse, comperiemus: quomodo igitur hanc Operationem, putà Lithotomiam, a reliquis Medicinæ partibus rescidisset? Nullo alio in loco, ne quidem in difficillimis, qui ipsi contingere potuissent, casibus, id factitavit. Eo ipso tempore, & multis seculis pòst, distinctæ illæ Medicinæ partes, nimirum Diæta, Pharmacia, & Chirurgia, nondum à se invicem sejunctæ fuerunt, easq; singulas unus idemq; Medicus apud ægros administravit. Non erubuerunt recentia & putrida Vlcera tractare, manus carbonibus denigrare, ægrisq; cibos ac medicamenta sua præparare. Vtinam laudabilis illa consuetudo non obsolevisset, melius fortassis ægrorum res haberent. Cùm igitur Hippocrates omnes Operationes semper tam prudenter, tam cautè ac religiosè instituerit, nihilq; magis quàm salutem & incolumitatem proximi, sibi commendatū habuerit, ut ex Scriptis ipsius manifestum sit: quomodo igitur rem adeò difficilem Chirurgis vulgaribus committere ac tradere voluisset? Si enim Casus aliquis occurrit gravis atque difficilis, si Morbus accuratiore examine, Arte & industriâ indigeat, uti ut plurimùm evenire solet, certè tunc etiam peritus, sapiens, & expertus Medicus requiritur. Quare igitur* Hippocrates *imperitis & indoctis Chirurgis (inter quos etiam extiterunt, qui primas Operationes suas in brutis animalibus, didicerunt) cultellum in manus tradidisset? Ethnicus quamvis esset, magis tamen sana & integra præditus fuit Conscientiâ, quàm ut tale quid commisisset, multò minùs præcepisset. Propterea Locus iste mihi admodum suspectus est, eumq; depravatum fuisse existimo; præcipuè quoniam libros, ob Typographiæ penuriam, per tot secula describere oportuit, vetustissimaq; exemplaria procul dubio perierunt, hinc facilè aliquis illud adjicere potuit.*

Præter hæc omnia, sibi ipsi contradiceret Hippocrates, *cùm* Aphorism. 52. libr. 2. *sic scribat:* Omnia secundùm rationem facienti, si non succedat secundùm rationem, non est transeundum ad aliud, stante eo, quod à principio visum est. *Ex his verbis tale argumentum potest extrui; Hippocrates vult, ut omnia apud ægros ex fundamentis Artis instituantur, & peragantur. Multi ac plerique Empirici, Agyrtæ, & vulgares Chirurgi, qui admini-*

administrationem Operationis tam periculosi suscipiunt, Theoriæ & Principiorum Medicorum ignari sunt. Ergo secundùm doctrinam Hippocratis, Lithotomia eis administranda non est.

Hîc aliquis mihi objicere posset, apud Veteres singulis ferè Morbis peculiares Medicos fuisse præpositos, ac pari modo procul dubio etiam peculiares Lithotomos extitisse. Quamvis autem res ita se habeat, omnes tamen Rationales, h. e. tales Medici fuerunt, qui Artem ex veris Medicinæ fundamentis, in Hippocratis, & Posterorum ipsius Scholis didicerant; unde rursus apparet, præfatam sententiam falsò Hippocrati *ascribi: Si enim tunc temporis Chirurgi etiam Medici Rationales, & ex Discipulorum Hippocratis numero extiterunt, quare administrationem Lithotomiæ eis interdixisset? Vno verbo, tota* Hippocratis, *ipsiusq; Sectatorum doctrina eò tendit, ut, quemadmodum in prædicto* Aphorismo *docet, omnia ex fundamentis Medicis peragantur, ubi quidem vocabulum* Omnia *omnes, qui Theoriam ac fundamenta Artis ignorant, excludit.*

Quòd Cornelius Celsus, *Excellens Medicus Romanus, Lithotomiam ipsemet administrârit, ex ipsius Scriptis facilè colligi potest: difficilem enim hanc Operationem, ejusdemq; Curationem non tam propriè & accuratè describere potuisset, nisi ipse manum adhibuisset. Libri sui 7. c. 26. ubi de Lithotomia Vesicæ scribit, Lithotomum Medicum, non verò Chirurgum vocat: ex quo quidem etiam aliquo modo apparet, quòd ad Lithotomiam non Chirurgi vulgares, sed potiùs præclari atque experti Medici Rationales adhibiti fuerint, imò tales, qui in doctrina & Scriptis* Hippocratis atque Galeni *versati & experti fuerunt. Mentionem etiam ibidem facit* Celsus *duorum præstantium Virorum, Magetis, & Ammonii, qui suo tempore aut paulò ante in hac Arte floruerint: qui, si Empirici, aut Lithotomi vulgares fuissent, procul dubio nullam ipsorum mentionem fecisset. Superiore seculo Viri duo Excellentissimi atq; doctissimi,* Iohannes Anthracinus, *&* Marianus Sanctus Barolitanus, *vixerunt, & suo tempore in Arte Lithotomiæ insigniter floruerunt, libellum quinetiam eximium de ea scripserunt: quomodo autem hoc præstare potuissent, si ipsimet manum aratro non admovissent, Operationemq; manu propriâ non administrâssent? Vtinam res saltem jam eò non devenissent, ut hic, & alii Morbi difficiles, eorumq; Curationes iis, qui nullam planè Theoriæ, ac fundamentorum Artis cognitionem habent, imò quibus, tanquam improbis, pravis, nefariisq; hominibus, ægrorum salus parum curæ est, committerentur. Procul dubio res meliùs haberent, imò spondere possum, quòd multi, qui miserè ad carnificinam trahuntur, in vivis servari possent. Denique ut concludamus, finemq; faciamus, nemo* Hippocratem, *utpote qui unus ex integerrimis Ethnicis fuit, accuset, ac si operationem hancce difficilem à Medicina separare, & imperitis, inexpertis, imò multis, Scientia & Conscientiâ carentibus, cultrum in manus tradere voluisset.*

Quoniam verò Lithotomia, ut unicuique constat, adeo difficilis ac periculosa est, ac proinde Chirurgus omnis generis institutione ac eruditione maximè opus habet, ideoq; charitate Christianâ, & miserorum languentiumque ægrorum commiseratione, sicuti etiam amicorum persuasione atque petitione inductus, boni publici causâ, ea, quæ circa operationem hanc collegi, ex propriaque experientia ipsemet apud ægros meos observavi, typis publicis quin mandarem, omittere nefas duxi. Vbi quidem in primo limine, & ante omnia Lithotomum admonitum velim, ut difficilem ac periculosam hanc operationem non instituat, nisi in ea sufficienter exercitatus fuerit, eamque ab aliis administratam viderit, atque didicerit: neque ipsi in mentem veniat, id quod aliquando mihi respondit quidam Chirurgus, *à quonam ergò primus hujus operationis administrator, eam administratam viderit? At respondeo, primo Lithotomo occasionem hancce denegatam fuisse, alioquin procul dubio eâ usus fuisset, remque adeò difficilem non temerè tentâsset. Præterea Ethnicus, Dei, ejusque Verbi ignarus fuit, quo docemur, ea, quæ nobis ab aliis fieri volumus, etiam proximo nostro facienda esse. Quemadmodum igitur non libenter videres, ut aliquis difficilem hanc operationem in corpore tuo institueret, periculumq; ac tyrocinium suum in te faceret, cùm tamen ab aliis expertis Lithotomus eruditus non sit: eo etiam modo te geras erga proximum, si saltem juxta mandatum divinum, eum sicut teipsum diligis. Medici insuper apud veteres Ethnicos hoc singulari gaudebant commodo, & beneficio, ut casus occultos & incognitos in maleficorum corporibus experiri, adeoq; rerum plurimarum proprietates & effecta investigare potuerint. Hâc ratione tot Radicum, herbarum, & aliorum vires, in lucem prodierunt, hominique innotuerunt. Eadem Lithotomiæ potest fuisse ratio, ut doctus & expertus aliquis Medicus & Anatomicus, re paulo accuratiùs examinata, tyrocinium postmodum, ac primam operationem in malefico aliquo, ad mortem condemnato homine, instituerit.*

> *Admonitio ad Lithotomū.*

> *Lithotomiam nemo instituat, nisi eam priùs ab expertis Lithotomis administratam viderit.*

> *Matth. 7. vers. 12.*

Hodie commoditas illa Empiricis & Pseudochymicis negatur: hinc tot errores in Medicina & Chirurgia committuntur, de quibus plura ab initio libri, in præfatione ad lectorem. In hac itaque rerum Chirurgicarum confusione, ut librum hunccе conscriberem, & in lucem ederem, Christiana Charitas unicè me commovit. Quam barbarè & inepte multi, qui gravem atque periculosam hanc operationem administrare satagunt, rem tractent, & quàm leve Artis suæ fundamentum & cognitionem habeant, exitus apud multos declarat: quod etiam interdum inter multos, in quorum corpore Lithotomia, vel castratio administratur, pauci, & vix unus evadat: ubi plurimi quidem Lithotomi eo sese excusant, & consolantur, quòd æger ipsis pro mortuo oblatus fuerit, quodque ipsum tanquam deploratum curandum susceperint, præterea tam ægrum, quàm propinquos hoc pacto optimè contentos fuisse, eosque omnia, quæ consequerentur symptomata, sive salutaria, sive lethalia fuerint, æqui boniq; consulturos spopondisse. Hoc vero neutiquam probandum, piumque Medicum talia verba parum decent; cùm enim ob morbi atque doloris magnitudinem ac vehementiam, maxime jam contristetur ac perturbetur æger, facile ejusmodi verbis in majorem animi perturbationem, veluti is, qui jamjam mortis sententiam percepit, incidere posset.

> *Quid Authorem ad scribēdum hūc librum impulerit?*

> *Aegros pro mortuis curādos suscipere, Medicum pium non decet.*

Hoc vero Medicus ægro, vel propinquis proponet, affectum difficilem, periculosum, & quoad exitum, admodum ambiguum & incertum esse, seq; propterea nihil promittere posse, quod nemini constet, quid Deus Opt. Max. in æterno suo decreto de ægro, & nobis omnibus

> *Quid Medicus ægro proponere debeat.*

nibus sibi proposuerit, & utrum illam jam ad gratiam suam vocaturus, anverò ipsi in hac miseriarum valle vitam ulteriùs sit protracturus. Hoc verò ægro polliceatur, se in omnibus operam suam cum summa diligentia, & fideliter ipsi præstiturum, eumque in finem supremi Medici benedictionem præstolaturum, vicißim petendo, siquidem omnes mortales simus, & tempus, quo Deus nos vocaturus est, ignoremus, si fortè DEUS Opt. Max. voluntatem suam in ægro compleret, eumq́; ad se vocaret, ne culpa ei ascribatur, neve propterea odio habeatur.

Quòd si verò æger animo perterrito dejectoque esset, tunc imminens periculum propinquis quidem apertè declarare, ægrum verò consolationibus erigere, vel per Ministrum Ecclesiæ ex S.S. excitare oportet: multi enim ex terrore & pavore in Lipothymias lethales, aliaque gravia symptomata incidunt. Postquam igitur æger, unà cum propinquis, stipulatâ manu hoc ei promisit, & ore confirmavit, quilibet flectat genua, Ministerque Ecclesiæ ardentes & intentas ad DEUM Omnipotentem preces concipiat, ejusq́; auxilium atq́; præsidium imploret ac invocet: si verò nullus Verbi divini Minister adfuerit, tunc aliquis ex astantibus, vel Medicus ipse, unam ex Precationibus, libro meo de Gangræna & Sphacelo postremæ Editionis seu Impreßionis præfixis, recitet: & cave tibi, ne ante finitas preces operationem instituas. Post administratam operationem gratiæ quoque DEO Omnipotenti, pro divina sua præsentia atque auxilio, antequam dimittantur propinqui, agendæ sunt: de quo postea alibi plura dicentur. His itaque peractis, rem Deo duce aggredi poteris. Sed vide, ut quod ægro & propinquis ore promisisti, illud in animo quoque habeas, & reipsâ præstes.

Chirurgus ante conceptas preces operationem non instituet.

Inprimis verò ne proprium tuum commodum & lucrum, sed potiùs salutem & incolumitatem ægri spectes. Quamvis Hippocrates ex Ethnicorum numero, & cognitione Dei destitutus fuit, hoc tamen Discipulis suis præcepit, & jurejurando ipsis injunxit. Tu verò, utpote Christianus, aliter si feceris, Deo scrutatori Cordis suo tempore non evades, eique pœnas si non temporales, æternas tamen dabis: cur enim sanguis eorum, quos Deus ad imaginem suam creavit, imò, quod longè majus est, pro quibus filium suum unigenitum in mortem, in mortem, inquam, maledictam crucis tradidit, in ipsius conspectu non pretiosus esset?

Medicus magis salutem ægri, quam proprium suum cōmodum spectet. Vide Iusjurādum Hippocratis. Psalm. 72. vers. 14. Deut. 21. 23. Galat. 3. vers. 23.

Ad primam accedit & alia ratio, quæ me quoq́; commovit, mihique ad scribendum hunc libellum ansam præbuit: quod nimirum castrator quidam ex familiaribus meis, cùm nuper etiam Lithotomiam administraturus esset, multoties coràm, sicuti tandem etiam literis me sollicitavit, ut ei accuratam institutionem, quâ ratione difficilis hæc operatio ipsi instituenda sit, & quid ego singulare circa eandem propria experientia observarim, scripto communicarem.

Alia ... Autoris ad ... dum ... libe... communi...

Cùm autem superiore æstate, sepositis reliquis meis negotiis, responsum ad ipsum exarassem, in eoque sequentes tres partes, quid nimirum Chirurgo, 1. ante operationem, 2. in ipsa operatione, 3. post operationem agendum incumbat, breviter tractâssem, & fortè fortunâ institutionem, sive epistolam illam Viro cuidam in Medicina erudito, ostendissem, ut illam non in unius alicujus castratoris, eâ fortasis abusuri, manus traderem, sed potiùs beneficio typi pluribus communicarem, monuit. Sic itaque præfatum Lithotomum coràm, qualiter & quantum potui, institui ac erudivi, scriptum verò penes me servavi, denuò ei calamum admovi, & loco ejus, quod octavo, decimo, & undecimo capite compendiosè tractatur, omnia fusiùs, & prout requirit necessitas, in plenum & convenientem ordinem redegi, bonique publici causâ typis publicis mandare volui. DEUS gratiam & benedictionem suam mihi largiatur, ut tenuis hic labor meus propositum scopum assequatur, h. e. ut ad Dei gloriam, & tam ad ægrorum, quàm Medicorum utilitatem & emolumentum faciat, sicuti eventurum spero: siquidem nihil temerè & inconsideratè scribo, sed ipse manum adhibui, & in infantibus atque adultis, tam masculis, quàm fœminis, Lithotomiam administravi.

Quandoquidem igitur ea, quæ tot annorum spatio summo studio, labore, ac diligentiâ expertus sum, Chirurgo fidelißimè communico, ideoque omnes pios, benevolos, prudentes, atque solertes Medicos, inprimis eos, quibus ægrorum salus & incolumitas curæ est, laborem huncce meum non improbaturos, sed ad ægrorum salutem, & famæ suæ propagationem cum fructu conversuros, & tanquam benignos Christianos, & æquos judices, de eo judicaturos esse, confido. Invidorum verò & malevolorum hominum calumnias quod attinet, nemo eis offendatur.

Hæc sunt, benevole Lector, quæ in primo hujus libelli limine tibi proponere volui: cæterùm, unumquemque cujusvis sortis hominem, ut omnia in bonam partem interpretari, & ad ægri utilitatem atq́; salutem referre velit, humanißimè rogo.

GUIL-

Caput Primum.

Non abs re, graviq; causa, divinus ac celeberrimus ille Medicorum Parens *Hippocrates*, *libro de Arte*, sic scriptum reliquit: *Medicus si suffecerit ad cognoscendum, sufficiet quoque ad sanadum.* Quibus verbis *Hippocrates* solertes quoslibet Medicos hortatur, ut ante omnia summum studium & diligentiam, ad consequendam exactam & accuratam Morbi cognitionem, adhibeant, priusquam de instituenda ipsius Curatione quicquã intendant, aut cogitent. Ac sanè aliter si procedat Medicus, sive in morbis & affectibus internis, sive in externis, tardè, imò nunquam optatum scopum attingere, ægrumq; pristinæ suæ Valetudini restituere poterit. His igitur verbis inprimis fidelem atque solertem quemvis Chirurgum hortati vult, ut in omnibus propositis casibus, ejus quod agendum est, exactam cognitionem habere nitatur, ac studeat: quod quidem ex nuda experientia obtinere & addiscere non potest, sed bonos atque probatos Autores ipsum ad manus sumere, & evolvere necesse est. Inter Veteres *Hippocrates, Galenus, Avicenna, Paulus Aegineta, Cornelius Celsus, & Albucasis* præcipuè fontes sunt, è quibus cuilibet Medico atque Chirurgo Theoria, & Artis fundamenta haurienda sunt. Illos sequuntur *Lancfrancus, Guido de Cauliaco, Vigo, Tagaultius, Vesalius, Fallopius, Ioh. Andreas à Cruce, Hieronymus Fabritius ab Aquapendente, & Ambrosius Pareus*, quorum quidam Germanico quoq; Idiomate scripserunt.

Hoc nō sine causa hîc in introitu propono; Scio enim, Lithotomos quosdam adeò leves ac temerarios esse, ut ex levi quavis Calculi suspicione ac signo, Vesicæ ferrum admoveant, in eaq; multùm fodicent, & quæritent, tandem tamen Calculum nullum inveniant. Talis Empiricus meo tempore *Coloniam* venit, qui magnificè de seipso senserat. Cùm autem cuipam ibidem Calculum extrahere vellet, Calculum tamen nullum in ipsius Vesica reperisset, clàm, & admodum promptè Calculum è manica ad forcipem emisit, & ac si eum è Vesica eduxisset, simulavit. Cùm verò quidã ex astantibus Amicis dolum ipsius deprehendissent, ejusque nequitiam detexissent, à Magistratu Amplissimo examinatus, & ut æquum fuit, castigatus, atque relegatus fuit. Unde autem hoc accidit? Reverâ totius mali causa est; Primò, quia tot nefariis ac temerariis hominibus, eò tantùm ut loculos suos impleant spectantibus, Artis hujus exercitium conceditur: in aliis verò desideratur Ars & Experientia, nec non accurata Morbi cognitio, quodque à signo uno, aut pluribus, quæ interdum Calculo cum aliis Vesicæ affectibus communia sunt, sese decipi fallique patiantur.

...us impe... ...ris ...gitur.

Ut autem Chirurgus accuratam Morbi cognitionem habeat, & assequatur, primò sciendũ, quid sit Calculus, deinde etiam quas causas habeat, hinc postea certa & Pathognomica Calculi Signa manifesta fient. De quibus tribus partibus in hoc primo, secundo, ac tertio capite agemus.

Definitio Calculi Vesicæ.

Ut igitur institutum meum aggrediar, dico Calculum Vesicæ esse præternaturalem, crassum, viscidum, terrestrem, & calore præternaturali, occultaque qualitate in Vesica coagulatum humorem, in lapidemque coactam materiam, multorum gravium atq; periculosorum symptomatum causam. Quando enim Calculus, ob asperitatẽ & acrimoniam suam, sensibilissimam Vesicæ substantiam exulcerat, vellicat, pungit, & labefactat, aut etiam collo Vesicæ includitur, eumque obstruit, tunc Urina paulatim in Vesica colligitur, eamque distendit, & adeò extendit, ut sæpenumero ipsius Venæ capillares disrumpantur; Quanto verò cum dolore hoc fiat, vix credibile, maximè iis, qui Morbum hunc parum tractārũt. Dolorem autem istum postmodum inquietudo, Vigiliæ, Calor, & Inflammatio interiorum Viscerum, delirium, imbecillitas Ventriculi, Hepatis, & universi corporis subsequitur.

Homine itaque, ob doloris diuturnitatem, solitâ suâ quiete somnoque privato, interrumpuntur functiones naturales; Ventriculus enim cibos probè concoquere, atque digerere nequit, atque ita Chylus crudus & indigestus ad Hepar, in quo secunda fieri debet concoctio, transmittitur: & quoniam error primæ Concoctionis non corrigitur in secũda, idcirco etiam ex crudo, crasso, & semicocto illo chylo sanguis laudabilis generari, & ex Hepate per venas ad partes corporis diffundi non potest. Hinc tandem corpus pravis humoribus refertur, multique ac diversi Morbi, tam interni quàm externi, uti sunt, Icterus, Colica, Spasmus, Hydrops, Arthritis, maligna Ulcera, fistulæ, & tandem, post diuturnos languores, Mors ipsa insequitur.

Fernelii opinio de Calculo.

Statuit Fernelius ac scribit, omnes Vesicæ calculos è Renibus ortum ducere, indeque primum ipsorum semen seu rudimentum per Ureteres in Vesicam transmitti: huic verò sententiæ alii doctissimi & experientissimi Practici refragantur. Cùm autem Controversia hæc, utrùm Calculus prima sua rudimenta in Renibus accipiat, an verò in ipsa Vesica generetur? parum emolumenti Chirurgo afferat, ideò Lectorem eâ suspendere non cupio.

Utrum verò Calculus adsit, nec ne? illud quidem scire, imò de eo etiam certum oportet esse Medicum: quâ autem ratione cognosci queat, postea capite tertio videre poterit.

Cap. II.

De Causis Calculi Vesicæ; ubi quidem etiam indicatur, à quibúsnam cibis Calculosi sibi cavere debeant.

Quandoquidem fidelis & industrius quivis Chirurgus ac Medicus, coram Deo, supremo

Cap. 2.

mo Medico, non solùm ægros curare, sed etiam curatis consilio suo salutari sanitatem conservare, non solùm Calculum extrahere, sed etiam ne novus aliquis in Vesica generetur, præpedire tenetur atque devinctus est: idcirco etiam maximè requiritur, ut Chirurgus sciat & informetur, quo modo, quibus itidem ex Causis Calculus in corpore humano, & potissimùm in Vesica generetur atque concrescat? De Calculis verò, qui in aliis corporis partibus sæpè, & in copia reperiuntur, hoc loco agere non constitui.

1. Causa Calculi: Causa Materialis Calculi est Phlegma; Efficiens verò Calor.

Testantur *Hippocrates*; *Galenus*, & alii Autores celebres, ac scribunt, Calculi causas esse, primò plegma densum, crudum, crassum, viscidum, atque terrenum, in Vesica collectum & coagulatum, quod si, vel ob imbecillitatem facultatis Expultricis, vel Meatuum Urinariorum angustiam, veluti in infantibus, supprimatur, diuq; ibidem retineatur, suborto Calore præternaturali, in Calculum convertatur, & induretur. Quemadmodum è terra viscosa, pingui & limosa calore ignis lapides generari videmus.

2. Causa Calculi.

Chymicorum opinio de Causa calculi.

Chymici verò concretionem sive coagulationem Calculi Sali attribuunt, & Sal, sive Tartarum, in humoribus corporis humani contentum, veram ac genuinam harum Calculi coagulationum causam, imò materiam tartaream per se ad generandum Calculum proclivem atque idoneam esse, contendunt.

Felicis Plateri opinio de Causis calculi.

Excellentissimi Medici, Dn. *Felicis Plateri*, *p. m.* opinio huic non est absimilis; Scribit enim, in Calculosis humorem quendam acrem, salsum, atque terrestrem Urinæ permisceri, eumque Calculum efficere. Opinio hæc firmis rationibus confirmari posset: quoniam verò hactenus brevitati studui, hisce supersedebo. Hac de re legere poterit Lector Excellentissimum Doctissimumq; *Ioh. Fernelium, de Partium Morbis & Symptomatis, lib. 6. c. 12. Dn. Danielem Sennertum, in suis Institutionibus Medicis, lib. 2. part. 2. c. 9.* item Dn. D. *Gregorium Horstium, Centur. Probl med. decad. 8. quæst. j. & lib. Consult. & Epist. Medicinal. Sect. 9.* Sicuti etiam *Iosephum Quercetanum, in Consil. de Arthritide & Calculo.* Prudens tamen quivis facilè judicare potest, quòd ad coagulationem istã phlegmatis, & Calculi generationem, aliud quid præter immoderatum frigus (ut quidam volunt) vel calorem præternaturalem, ut alii scribunt, concurrere oporteat.

Coagulatio calculi nõ oritur à frigore.

Si enim Calculus ab immoderato frigore ortum duceret, (quod tamen adeò intensum, ut lapidem generare possit, in homine vivo reperiri impossibile est) calor eum rursus dissolveret: quod tamen non fit, Ergo frigus vera Calculi causa esse non potest.

Calor solus non efficit calculum.

Si verò coagulatio & coalescentia ista humoris phlegmatici, ejusdemque in lapidem concretio, à Calore proficisceretur, tunc ille vel in medio, vel in summo gradu talis esses: Si in medio, & quidem vel in secundo, vel in tertio gradu constituatur, Calculus in aqua denuò resolvetur, ut apparet in furnorũ & clybanorum luto, quod aliquando plus quàm centies calore ignis induratum fuit, & nihilominùs tamen in aqua rursus mollescit, & solvitur.

Si verò calor internus in supremo gradu collocetur, ut humorem phlegmaticum indurare queat, quemadmodũ argilla sive lutum in furno laterario per summum calorem in lapides convertitur, tum denuò Natura tantum calorem nec ferre nec tolerare potest.

Sequitur ergo necessariò aliud, & quidem occultum quid in humoribus latere, iisque inhærescere: uti videmus, eam esse aquarum quarundam naturam ac proprietatem, ut quamvis aliàs claræ ac limpidæ sint, attamen lignum, paleam, & alia in lapides convertant.

M... vi... e... ...mon... ve... in lapi...

Mottrouvii ad Lacum Lemanum, in ditione Bernensi, ab alto monte aqua pura limpidaq; delabitur, quæ gramen ac herbam, omniaque obvia, ut ipse vidi, in duros lapides, qui neque in aqua resolvuntur, neque in igne liquescunt, convertit.

Bi... qu... ...mi... lis.

Juxta civitatem Biennam similiter flumen clarum ac limpidum, è monte ad mœnia in angustam plateam defluit, ubi parietibus adhærens, in pumicem mutatur, qui adeò augetur, ut certis temporibus eum rescindere oporteat, alioqui tandem, paucorumque annorum spatio, viam transitumque per plateas interciperet.

Prope rivulos autem istos aliæ aquæ sunt, quæ nec subsident, neque lapidescunt. Unde quidem peculiarem & occultam constitutionem ac proprietatem Calculosam aquis inesse, manifestum fit.

Eadem potest etiam esse ipsius Hominis ratio, ut ex causis quibusdam internis alius ad Calculum dispositus sit, alius verò non.

Ob... ...tio ...lari...

Anno 1624. civem quendam Bernensem, Dn. *Iohan Wolfium*, hîc, Bernæ curandum habui, qui à multis annis Calculo obnoxius fuit; Æstate verò dicti anni, postquam octo vel decem circiter dierum spatio dolore lumborum gravi affect⁹ fuisset, intra paucos dies prope 300. lapilli è Renibus per meatus Urinarios, ac Virgam ipsius, nullo singulari præcedente lumborum calore, multò minùs frigore, aut alio quopiam percepto in corpore incommodo, prodierunt. Mira est Viri hujus Naturæ ad generandos Calculos dispositio. Bonâ fide affirmare possum, idemque Vir dictus ipse confirmabit, intra biennium plus quàm mille Calculos ab ipso excretos esse, inter quos ante tempus aliquod quidam in Uretere dextro hæserunt, tandem tamen, DEI beneficio & auxilio, idoneis Remediis propulsi fuerunt. Iam benè habet, salvus & incolumis est, & tam eques, quam pedes negotia sua potest exequi.

An... Cal... phleg... te or... habe...

Scribunt nonnulli, non omnes Calculos in corpore humano ex phlegmate, sed etiam ex aliis humoribus pravis excrementitiis generari. Propterea quòd etiam lapides quidam cineritii, alii flavi, rubri, nigri, aliisque coloribus tincti inveniantur: cùm tamen albi futuri sint, si ex humore phlegmatico ac viscido constarent.

Huic quamvis Ego sententiæ contradicere nec possim, nec cupiam, Doctrinam tamen *Hippocratis*, *Galeni* & aliorum evertere non potest. Quoniam in concretione & coagulatione Calculi ad causam naturalem primariam respiciunt, ubi quidem phlegma primas obtinere deprehenditur.

Quòd si fortè alius quipiam humor, uti aliquid

liquid atræ bilis simul concurrit, tunc Calculus griseus, cineritius, quinimò etiam niger, prout multum parumve humoris dicti ad eum confluit, producitur.

Eadem quoque est reliquorum humorum ratio, quorum affluxu & permixtione cum phlegmate, Calculus flavus, ruber, aut aliter coloratus evadit: idque juxta caloris interni, prædictorumque humorum constitutionem.

Quamvis igitur ad coagulationem generationemque Calculi in homine aliquid super Naturam, ut dictum est, concurrit, quod Sali & Tartaro, ut *Platerus, Horstius, & Sennertus*, referunt, ascribi potest; illud tamen primas duas causas, veluti causam Materialem, quæ est phlegma crassũ ac viscidum, & Efficientem, putà calorem præternaturalẽ interiorum Viscerum evertere non potest. Hæ enim duæ Causæ tam manifestè & evidenter in Calculosis apparent, ut nemo in dubium eas vocare possit.

Humor phlegmaticus excrementitius, crassus & viscidus, quotidiè in ipsorum Urina deprehenditur, nullusque Calculus adeò parvus in Vesica continetur, ubi phlegma hoc non percipiatur.

Non ita pridem mihi allatum fuit fel bovinum, in quo Calculi, magnitudine fabam circiter majorem æquantis, rudimentum aderat, qui phlegmate crasso ac viscido involvebatur.

De Calore quoque Præternaturali interiorum Viscerum dubiandum non est, eumque sitis præternaturalis & immoderata, quâ Calculosi vulgò afficiuntur, sufficienter declarat.

Ex his omnibus patet, duo inprimis Ciborum genera concretionem atque coagulationem Calculi promovere; Videlicet primò ea omnia, quę crassum, densum, viscidumque humorem progenerant: deinde etiam quæcunque Hepar, Renes, aliaque interna Viscera calefacere, sanguinemque & humores accendere possunt.

Cibi, qui multum phlegmatis progignunt, præcipui sunt, Lac, & omnia Lacticinia, excepto butyro; Caseus item, & Pisces, inprimis illi, qui in stagnantibus, turbidis, ac putidis aquis degũt, & squamis destituuntur. Extrema etiam Capita & Viscera Animalium, & omnia præterea viscida; Quam quidem etiam ob causam caro Vitulina, hœdina, Vervecina, aliorumque Animalium recens ablactatorum, Calculosis, si eâ sæpius uterentur, detrimentum allatura esset. Quicquid durum, crassum, difficilisq́; Concoctionis est, quamvis minimè viscosum sit, multum tamẽ phlegmatis producit. Propterea quod cibi isti, si diutiùs in ventriculo retinendi sint, nec digeri possint, calorem innatum, Concoctionis instrumentum, magis ac magis debilitant, unde quidem loco boni succi, crudum crassumq́; phlegma generatur: quod postea ad Renes Vesicamque perveniens, ibidem subsidet atque colligitur, & generando calculo occasionem præbet. Omnis salsa, atque suffumigata caro, & pisces: caro ferina, vel cervina, aprugna, leporina, Capreolorum, Vrsorum; omnis itidem panis azymus, quicquid in butyro, vel oleo frictum & assatum est, nocet. Artocreata pariter, sicuti etiam pisa, lentes, fabæ, oryza, milium, brassica, fructus crudi, & similia, non conducunt.

Cap. 2.

Otium calculi causa.

Otium, Somnus multus, & potatio sive crapula nocturna, corpus molle ac lubricum reddũt, membraque omnia humore phlegmatico excrementitio, frigidoque perfundunt, atque adeò ad Calculi generationem faciunt.

2. Causa Efficiens calculi.

Altera causa calculi, ut antea dictum fuit, Calor præternaturalis interiorum viscerum, sanguinis, atque humorum est. Illa autem in homine accenduntur ex usu nimium calidorum, qualia sunt, Piper, Zingiber, Gariophylli, Cardamomum, Galanga, Baccæ lauri, Piper longum, sicuti etiam Porrum, Allium, Sinapi, Cæpæ, & alia id genus, quæ saporem acrem ac vellicantem obtinent. Vina generosa & calida assumpta, immoderata ac violenta corporis exercitia, tam pedestria, quàm equestria, balneationes calidæ in stuphis, aut alibi huc etiam faciunt: sicuti etiam diuturnus ex morbo decubitus. Hinc videmus, Podagricos sæpe etiam Calculo affici, interdumq́; in præsens vitæ periculum incidere; sicuti Anno 1623. Viro cuidam spectabili Soloduri accidit, cui culculus in latere dextro, ad decimum quartum usque diem Ureteri impactus inhæsit: unde ægrum non solùm multa pati, sed tandem etiam vitam cum morte permutare oportuit, quamvis summa diligentia ab ipsius Medico circa ipsum fuerit adhibita.

Quare Podagrici plerumq́; calculosi?

Quòd verò Podagrici Calculo Renum atq́; Vesicæ obnoxii sint, non solùm inde proficiscitur, quod ipsorum Iecur, Renes, ac Lumbi, multiplici in dorsum decubitu calefiunt; sed etiam, quoniam ob intermissum corporis exercitium, dolorem, inquietudines, & Vigilias omnes tres concoctiones non probè perfici possunt, unde loco boni succi, qui ex cibis ad hepar deferri, & in laudabilem sanguinem converti deberet, crassus, viscidusq́; humor ad illud, & ulteriùs ad renes atq́; vesicam devenit: & tum quidem calor præternaturalis qui adest, partes tenues & aquosas dissipat, reliquum verò indurescit. Primò quidem leve habet principium, quando verò quotidie novum phlegma ad Calculum (qui calorem semel conceptũ semper fovet ac retinet) accedit, paulatim increscit & augetur, uti candelam, sæpius in sevum intinctam, augeri cernimus.

Vnde calculi quidam asperi & inæquales sint?

Quòd vero calculi quidam asperi & inæquales sint, hinc fit, quòd interdum alii lapilli & arenulæ ex renibus in Vesicam delabantur, humoriq́; viscoso, Calculum involventi, adhærescant, & simul quoq́; cum ipso indurescant.

Vtrum potiones Sudorifera Podagricis utiles?

Ex illis igitur, quæ hactenus commemorata sunt, prudens quivis facilè colligere atque videre potest, quanto judicio & prudentiâ Potiones Sudoriferæ, ex ligno Guajaco, Chyna, Sarzaparilla, Sassafras, & similibus, decoctæ in Podagricis adhibendæ sint: ita nimirum ut ægris sudor non adeò potenter moveatur & cieatur, sive id fiat reduplicatis culcitris, sive lapidibus calefactis, &c. Sic enim omnia interiora Viscera, inprimis verò Hepar ac Renes, supra modum incalescunt, unde tenuis & aquosus humor dissipari, viscosus verò facilè indurari, & tam in articulis externis, quàm etiam in renibus lapidescere potest.

Sufficit

Cap. 2.

Sufficit igitur, ut æger potionibus hisce Sudoriferis moderatè utatur, neque vi Naturam ad sudorem moveat. Ita decoctum, attenuante calefacienteq; proprietate suâ, humores pravos excrementitios & præternaturales partim per sudorem expellet, partim etiam aliter resolvet ac dissipabit, partes quoque internas & externas, ægrumq; maximè corroborabit.

Quare infantes Calculo obnoxii? Hippocrates de Morb. lib. 4. Galen. comm 26. lib. 3. Aphorismi Hippocratis.

Quòd vero infantes huic morbo magis quàm adulti ac seniores obnoxii sint, fit, *ut testatur Hippocrates*, quòd interdum lac insalubre è mammis maternis sugant. Quò etiam, *ut scribit Galenus*, facit inordinatus & immodicus ipsorum victus: sic enim multos crassos, crudos, & indigestos humores, ac phlegma cumulant, quod cum urina ad Vesicam deducitur.

Nec exiguam quoque ad generandum calculum in infantibus occasionem præbet, quòd parum exercentur, & meatus Urinarios adhuc angustos obtinent, unde crassum atque viscosum phlegma difficulter excerni potest, prętertim cùm facultas expultrix in iis debilis adhuc & imbecillis sit.

Quando postea lentum crassumq; phlegma in vesica retinetur, & calor internus intensus simul concurrit, eos magis quàm seniores huic morbo obnoxios esse, mirum non est. Quamvis enim Seniores, propter ventriculi, omniumque interiorum viscerũ imbecillitatem, multos quoq; viscidos crassosque humores, tanquam primam & materialem hujus morbi causam, progenerēt, altera tamen causa, nempe calor, ad humorem illum phlegmaticum desiccandum & indurandum, eisdem deficit.

Acres salsique cibi causa calculi.

Anno 1581. 28 Ianuar. frater 16. añorum ex calculo mihi obiit, in quo *Dn. D. Birckmannus*, Medicus celebris Coloniensis (qui ipsi in hoc morbo operam suam navarat) hanc, tanquam præcipuam calculi causam, observavit, quòd nimirum à pueritia sua sale peculialiter oblectatus fuerit, adeò ut cibi palato suo nunquam sufficienter sale condiri potuerint. Hinc interiora Viscera incaluerunt, & accensa fuerunt, ita ut humores viscidos, in vesica contentos, facilè exsiccare, & in lapidem convertere potuerint.

Inveniuntur tamen infantes, imò etiam senes, qui luti, Carbonum, pisorum crudorum, imò etiam frumenti & tritici integri esu delectātur, qui ad calculum etiam admodum solent esse dispositi: calor enim naturalis assumptis istis prętenaturalibus debilitatur & extenuatur, & loco sanguinis laudabilis, humorem phlegmaticum, frigidum, tanquam primam calculi causam, producit, ut in superioribus aliquoties commemoratum fuit.

Observatio.

Iosephus Furer, Civis Bernensis, à pueritia abstemius fuit, contra verò nullus cibus magis gratus ei offerri potuisset, quàm integrum frumentum & triticum, quod dentibus minutissimè contrivit, ac comedit, & tamen sanus atq; incolumis annum ætatis 61. attigit, quo symptoma post symptoma, sępe gravia Ventris ac Lumborum tormina, ipsum invaserunt, tandem cùm ingens abscessus circa extremitatem lumborum, & juxta os sacrum ipsi enatus, ibidemq; ruptus fuisset, maxima puris copia effluxit, donec multos menses post occubuit. Dum adhuc in vivis esset, sæpius stylo exploratorio ad dextrum ferè renem penetravi. Si petitionibus, sollicitationibus, muneribusq; impetrare potuissem, ut cadaver ipsius mihi secare licuisset, procul dubio multæ res miræ in eo repertæ fuissent.

Atque ita, benevole Lector, causas Calculi percepisti, quod tibi ad præscribendam & instituendam ægris tuis tam ante, quàm post administratam Lithotomiam, victus rationem, inserviet.

Cap. III.

De Signis Calculi Vesicæ.

Quòd tot graves perniciosique errores, circa internos & externos Morbos atque Symptomata committuntur, imò etiam tales, qui ægros sæpenumerò interimunt, imò in causa sunt, ut gravia symptomata, & affectus p. n. in corpore remaneant, membra resolvantur, ægrique totum vitæ curriculum cum summa molestia transigere cogantur, vulgò hinc proficiscitur, quòd Medicus Morbum non rectè cognovit. Hoc itaq; primum est, quod Medico apud ægros agendum incumbit, ut nimirum Morborum cognitioni incumbat; *Qui* enim *Medicus sufficit ad cognoscendum*, inquit Hippocrates, *sufficiet quoq; ad curandum.* Hac de re multa, si opus esset, in medium afferre exempla, imò etiam docere possem, Lithotomos aliquando Vesicæ ferrum admovisse, multum diuque in ea fodicasse & quæritasse, Calculum tamen nullum invenisse.

Unde error iste? inde nimirum, quòd exactam accuratamque Morbi, ejusdemque Causæ cognitionem non habuerant.

Quàm perniciosum autem id ægro, turpeque Chirurgo sit, sapiens quilibet judicare potest.

Ut verò omnia convenienter, & secundùm Artem peragantur, Chirurgus sequentia capita, Calculique Signa diligenter notabit.

Excellētissim⁹ ille Senex *Hippocrates*, quinque Calculi Signa proponit his verbis: *Cæterum Morbus Signa quinq; habet; Nam ubi mejere vult, dolore affligitur, & Vrina paulatim fluit, veluti in Vrinæ stillicidio, & est subcruenta, nimirum Vesica à lapide exulcerata, & Vesica inflammata est. Verùm hoc Signum conspicuum est, indicat tamen summa pars Præputii. Quandoq; mingit arenosa,* &c. Quamvis autem *Hippocrates* paucis his verbis ferè omnia, quæ ad cognitionem Morbi requiruntur, complectatur, In juniorum tamen & tyronum gratiam, ea paulò fusiùs cum aliis circumstantiis & Signis exponam. Ut Chirurgus accuratam Morbi cognitionem, antè & priusquàm periculosam hanc Operationem administrandam suscipiat, habere queat.

Hippocrates autem in verbis prædictis, non sine causa Dolorem primo, inter Calculi Signa loco ponit, cùm tamen propriè loquendo, & in rei veritate secundum sit, propterea quòd æger rarò Medicum, nisi dolor urgeat, in consilium adhibet. Alias omninò persuatus sum, quòd etiam hoc non obscurum Calculi Signum sit, (quamvis propriè loquendo Calculus nondum in

in Vesica coagulatus fuerit) quando nimirum *Vrina crasso, albo, viscido humore permixta est: præsertim si fundo matulæ, quando Vrina per noctem, vel diem in ea immota continetur, validè adhæreat.* Hoc verò Signum Signis Calculi, ab *Hippocrate* descriptis, non abs re præpono, ut Medicus industrius illud nuntii & præcursoris Calculi loco habeat, & ad reprimendum futurum malum maturè diligentiam adhibeat. Tale verò phlegma non solùm in Urina, veluti causa materialis Calculi, hoc est, tanquam materia, è qua Calculus ortum ducit ac generatur, *ut in præcedente capite dictum fuit*, antè & priusquàm Calculus subsedit, & coagulari cœpit, cernitur; Sed viscida illa Urina in ægris vulgò tàdiù, quamdiù Vesica Calculo affecta est, imò quò magis crescit Calculus, eò etiam majore in copia viscositas hæc in Urina deprehenditur. Quoniam ea Vesicæ est natura atque proprietas, præsertim quando circa collum læditur, & ab acrimonia Calculi irritatur & vellicatur, ut talem Urinam viscidam & excrementosam progeneret.

Dico autem *vulgò*, quoniam in Calculosis quibusdam Urina etiam pura claraque remanet. Hoc verò potissimùm contingit in iis, quibus facultas expultrix debilis & infirma, Meatus itidè Urinarii parvi & angusti sunt. In his Calculi longè celeriùs, quàm in iis, qui perpetuò turbidam, crassam, viscosamque Urinam excernunt, nascuntur: ab his enim phlegma, utpote causa Calculi, excernitur; Illis verò in Vesica detinetur, Calculo adhærescit, eique nutrimentum, augmentum & incrementum suppeditat.

Quoniam verò sæpe etiam in aliis Morbis Urina viscida deprehenditur; Idcirco industrius Medicus hoc Signo solo non aquiescere, sed etiam alia sequentia diligenter observare debet. In Gonorrhæa virulenta etiam humor phlegmaticus albus Urinæ admiscetur, Urina verò in istis ægris non guttatim, ut in Calculosis, destillat, sed magno plenoque impetu, & in copia ferè, ac si nullum subesset vitium, summo tamen cum dolore & ardore profluit. Ita etiam interdum in mensibus albis Mulierum, Urina alba viscida deprehenditur, nullum tamen singularem dolorem in ipsius excretione, nisi rem cum Viris impuris habuerint, patiuntur.

Hæc differentia diligenti Medico, ut accuratam Morbi cognitionem sibi comparare possit, nihilque in Curatione omittatur, diligenter observanda est.

Quando igitur antecedens Calculi Causa non tollitur, & generatio phlegmatis non impeditur, ita ut coalescat in Vesica, & lapidescat, tum *dolor vehemens, præsertim in mejendo* subsequitur: quando enim Natura ad expellendam Urinam insurgit, simulque Calculus ad sensibilissimum Vesicæ collum protruditur, tunc asperitate suâ cervicem pungit, ac lædit, adeoque dolorem gravem inducit. Urina quoque si colligatur in Vesica, eam magno cum dolore distendit, atque diducit; Ita ut sæpe etiam Thorax, & superiora hominis Viscera in consensum trahantur, ægerq; interdum spiritum sibi defecturum, lateraq; disrumpenda esse, existimet.

Atque hoc primum est, quod ab Hippocrate proponitur, Calculi Signum. *Cap. 3.*

3. Signum Tertiò, *Vrina paulatim, & velut in Vrinæ stillicidio fluit*, Causa est, quia Calculus ad Vesicæ collum decumbit, meatusq; Urinatios adeò obstruit, ut Urina liberè, & ad placitum profundi nequeat.

4. Signum Quartò, *Vrina sæpe subcruenta fluit*, quod inde fit, quoniam asperi Calculi anguli atque mucrones cervicem Vesicæ pungunt ac vellicant, tumque venæ capillares (quarum eo in loco satis magnus est numerus, ut postea capite quinto dicetur) læduntur, Urinaque cruenta subsequitur. Hoc verò præcipuè fit, quando æger sive deambulare, sive equum aut currum conscendere volens, intempestivè movetur: Ubi corpus supra modum concutitur.

5. Signum Quintò, interdum etiam *Inflammatio Vesicæ* oboritur. Propterea quòd Urina, diutiùs in Vesica retenta, in eaque collecta, Vesicam adeò extendit, ut interdum Venulas ipsius disrumpi oporteat, tumque sanguis in Vesicam profluit, putrescit, & Inflammationem parit.

Hippocrates scribit, hoc quidem extrinsecus cognosci non posse; Præputium vero, & anteriorem Virgæ partem illud indigitare. Causa est, quoniam sanguis juxta collum Vesicæ confluit, & quia etiam collum plures Venas, & plus carnis, quàm ipsa Vesica obtinet, à Calculique asperitate læsum ac vulneratum fuit: hinc etiam potissimùm & primariò inflammatur, quæ inflammatio postea per totam Virgam ad præputium usque extenditur. Præterea maximus etiam atque gravissimus dolor in hac Inflamatione Virgæ extremitatem occupat: Quamvis inflammatio causaque doloris in Vesica sedem habeat. Hoc verò non solùm Inflammationibus Vesicæ, sed in genere in omnibus Calculosis cernitur, qui maximè de dolore anterioris partis, sive glandis Virgæ queruntur: quamvis Calculus omnis doloris autor, in parte postrema circa collum Vesicæ hæreat, illudque vellicet, & exulceret. Hoc verò propter exquisitum ac singularem balani, sive glandis Virgæ sensum, & quia Nervi omnes ibidem concurrunt, contingit.

Inflammatio Vesicæ lethalis. Verùm, tales Vesicæ Inflammationes plerùnque propter gravia ac periculosa symptomata, putà febres, immoderatas Vigilias, delirium, spasmum, & similia, quæ mox subsequuntur accidentia, lethales sunt. Ideoque Calculosi, ne Urina ipsorum supprimatur, diligenter cavere, & ubi primùm suppressionem aliquam ipsius percipiunt, peritos Medicos in consilium adhibere debent. Et si fortè illa Balneis, Cataplasmatis, Fomentis, Unguentis, & similibus cedere nollet, tunc ab experto & exercitato aliquo Chirurgo, citra moram, Catheter ægro usque ad Vesicam immitendus, ipsique etiam à medicamentis Diureticis vehementioribus abstinendum esset. Quando enim meatus urinarii inferiùs obstructi sunt, & ex superioribus corporis partibus plures humores eò propellũtur, fieri non potest, quin dolor, imò omnia reliqua symptomata ingravescant. *Adhortatio ad calculosos.*

Cap. 3.

Suppressio Vrinæ periculosa.

Suppressio autē Urinæ non solùm in Calculosis, sed etiam omnibus periculosa est. Doctissimus Vir Dn. D. *Andreas Toxotius*, Regiæ Majest. in Dania Physicus Ordinarius, Amicus meus singularis, aliquando cùm *Paterniaci* apud me viveret, narravit, præclarum atque insigniter doctum, celeberrimumque Virum, *D. Tychonem Brahe*, &c. ex suppressione Urinæ obiisse. Vir iste pius ac celebris, cùm Pragæ in magno quodam convivio, ultra vires & consuetudinem suam detentus, diuque Urinam retinere coactus fuisset, postea reperto idoneo ad donerandam Vesicam loco, Urinam ampliùs excernere non potuit: cumque Inflammatio Vesicæ subsecuta esset, è vita ei excedendum fuit.

6. Signum Calculi.

In præcedentibus indicatū atque propositum fuit, Calculosos dolorem magnum in Præputio, seu glande membri virilis percipere: ex quo aliud, quod diligenter observandum, & communiter certum Calculi Signum est, consequitur. Quando nimirum *Calculosus anteriorem Virgæ partem fere semper, præcipuè verò Vrinam redditurus, digitis fricat, comprimit, trahit ac mulget*, ita ut Calculosos, inprimis verò infantes viderim, quibus membrum virile dimidiâ ferè parte solito longius fuit.

Objectio.

Hîc mihi aliquis objicere posset, dicens, si dolor circa præputium & glandem membri virilis urget, quomodo igitur æger locum illum eo, quo videmus, modo comprimere, & mulgere poterit? Annon dolorem hâc ratione augebit? Id, meo judicio, hinc fit, quoniam prima atque præcipua doloris causa non eo in loco consistit, &

Responsio.

quòd dolor iste præcipuè per consensum, & affluxum spirituum Animalium excitatur: hinc per compressionem illam Præputii, & glandis membri virilis, dicti spiritus Animales repelluntur, parsq; exquisitissimo suo sensu ex parte privatur.

Observatio.

Rem ita sese habere, Anno 1613. in memetipso expertus sum. Cùm enim post gravem Pestem *Lausannæ* dolor ardens talum meum dextrū invasisset, meq; singulis diebus manè horâ quartâ & quintâ cum vehementia corripuisset, tunc singulare doloris levamen percepi, quando Pede spondæ insistebam, aut alius quispiam ambabus manibus talum fortiter comprimebat: sic enim spiritus sensitivi denuò repulsi fuerunt. Hujus rei descriptionem ampliorem *in 4. Cent. Obs. 23. & 86.* invenies.

Nota.

Quando Eques hyberno tempore pedibus suis diutiùs stapedi insistit, hi supra modum frigescunt, ita ut planè obriguisse videatur? Quare. Quoniam spiritus Vitales, ac sanguis è pedibus ad interiora repelluntur? mox verò ubi pedes extra stapedem propendent, rursus ad eos defluunt.

7. Signum Calculi.

Calculosi, non tamen omnes, interdum etiam arenulas & lapillos in Vrina sua deprehēdunt. Quamobrem non abs re vocabulum *Quandoque* adjicit Hippocrates.

Observatio.

Ego *Coloniæ* Calculosum non obscuri nominis curandum habui, qui se calculo vesicæ laborare persuaderi non potuit, propterea quod nunquam arenam aut lapillos in urina sua deprehenderit, & tamen 4. Calculi in eo reperti fuerunt. Atque ita quidem fieri potest, ut aliquis Calculum in Vesica contineat, nullam tamen arenam cum urina excernat. Sic etiam invenias aliquos, qui lapillos & arenulas in copia cum urina emittunt, & tamen Calculo Vesicæ affecti non sunt: sed arena atque lapilli isti è renibus proveniunt, & parum in Vesica subsistunt. Ad hoc industrius Medicus attendere, & omnia diligenter distinguere debet: ne Lithotomiam vesicæ in Nephriticis instituat.

Quando autem Calculi Renibus delabuntur, facilè ex lūborum, laterumq; dolore deprehenduntur ac dignoscuntur. Quandiu enim Calculus hæret in Renibus, tandiu etiam ibidem vel gravem, vel exiguum dolorem, prout movetur, aut quiescit, excitat.

Quando verò per Ureteres in Vesicam delabitur, gravissimum dolorem in latere producit, ægerq; successivum Calculi per sensibiles Ureteres in Vesicam descensum facilè potest percipere. Ad Vesicam ubi pervenit, minore cum dolore progreditur: Virga enim Ureteribus patentior est. Non tanta quoque lenti crassiq; phlegmatis copia in iis, quibus arenulæ & lapilli è Renibus proveniunt, ac si Calculus in Vesica confirmatus esset, deprehenditur.

8. Signum

Præter hæc, ex prædicta vellicatione & exulceratione, à Calculo circa Vesicæ fundum, collumq; facta, alius quidam corporis motus, non minùs Calculum Vesicæ denotans, sequitur, quādo nimirum *æger in excretione Vrinæ, gravissimisq; suis doloribus, crura sua transversim complicat, coxas comprimit, caput itidem ad terram demittit, manuq; alterâ, interdum etiam ambabus Ventrem, juxta Os pubis, quantum potest constringit.* Ad hoc Natura ægrum impellit, quandoquidem per complicationem illam crurum, compressionemq; coxarū, Calculus aliquo modo ex collo Vesicæ sursum repellitur, ita ut Urinæ transitum minùs impediat.

9. Signum

Aeger, præter gravissimum Stranguriæ dolorem, interdum etiam alio Symptomate, *dolore* videlicet *gravativo*, ut vocant Medici, h. e. *ac si pondus quoddam grave infimo ipsius Ventri, ac intestino recto, inter ossa pubis, incumberet, eaque deorsum deprimeret, afficitur.* Hoc vero præcipuè ob Calculi magnitudinem ac gravitatem contingit.

Observatio.

Vir quidam honestus Genevensis, 28. circiter annorum spatio Calculo laboravit. In hoc Medici illud omnium maximè mirati sunt, quòd æger statim initio Morbi ejusmodi grave pondus in fundo Vesicæ, & juxta intestinum rectum perceperit, de eoque toto Morbi decursu, & à tot annis conquestus fuerit.

Aperto autem tandem post mortem ipsius Cadavere, magnoque Calculo in Vesica reperto, ac Medicis pondus ipsius admirantibus, eum contriverunt, in ejusque medio ingentem globum plumbeum ante annos 30. ex periculoso ictu, Vesicæ ipsius inflictum, phlegmate obductum, & in lapidem conversum, invenerunt. Hoc Medicus quidam Excellens Genevensis, qui ipse casui interfuit, ante annos aliquot ad me scripsit.

10. Signum

Vrina ægrum frequenter ad excretionem stimulat.

lat. Propterea quod Calculus Vesicam erodit, exulcerat, mucronibusque & acutis angulis suis facultatem Vesicæ Expultricem irritat & excitat. Hinc Urina plerunque guttatim, sed maximo cum dolore, ut antea diximus, destillat.

Virga sæpiùs tam in Infantibus, quàm in adultis *tenditur & arrigitur*; Minimè quidem ex appetitu Venereo, aut naturali libidine, sed potiùs propter magnitudinem doloris, qui spiritus, ac flatulentam materiam attrahit, Virgamque indurat.

Calculosi pleriq; perpetuò sitiunt, multumq; ac sæpe potum appetunt: primò, propterea quòd multa crebraque Vrina ipsis reddenda est, adeoque humores copiosi ab eis excernuntur, quod Natura quidem compensare, adeoque interiora Viscera in conveniente suo temperamento, ac symmetria naturali conservare studet. Secundò, quoniam interiora Viscera gravi continuoque dolore, inquietudine, atque Vigiliis incalescunt; Ideoque etiam multum ac crebrum refrigerium postulant, imò sæpe quidem intempestivo & inconveniente tempore, hoc est noctu, & extra mensam. Hinc igitur, ubi Ventriculi & Hepatis concoctiones impediuntur, facilè è scintilla flamma accenditur: sequuntur enim Obstructiones, & magnæ interiorum Viscerum imbecillitates, Icterus, Hydrops, & similia, ut suo loco fusiùs dicetur.


Quando Chirurgus digidum indicem in Intestinum rectum, quàm profundè quidem potest, *intrudit*, ac postea aliquantulum contrahit, putà versùs Os pubis, *communiter duritiem percipit*: *communiter*, dico, propterea quòd Calculus interdum etiam in suprema Vesicę parte jacet, nec juxta collum percipitur, Quocirca ægro ante explorationem istam injungatur, ut, quantum fieri potest, ambulando, currendo, ac saltando se corpusque suum exerceat. Infans verò si fuerit, sub axillis præhendatur, corpúsque validè concutiatur. Neque tamen ista ad administrationem Lithotomiæ sufficiunt: duros enim tumores scirrhosos in Vesica inveni, qui digitis in anum immissis, tam duri deprehendebantur, ac si fuissent Calculi. Alia præterea Calculi Signa, veluti Retentio Urinæ, Urina cruenta, & similia concurrerant: uti Lector *Cent. 2. Obs. 65.* videre poterit.

Excellentissimus & Experientissimus Vir, Dn. *Cosmas, Slotanus*, Illustrissimi Ducis Juliacensium, Cliviensium, & Montensium, &c. Medico-Chirurgus ordinarius, Preceptor meus plurimùm honorandus, sæpiùs mihi retulit atq; narravit, se Coloniæ, unà cum Doctissimo ac celeberrimo Viro, Dn. *Bernhardo Dessenio Cronenburgio*, Virum quendam nobilem curandum habuisse, in quo omnia Calculi Signa adfuerant, nisi quòd cum Cathetere, hoc est, instrumento per Penem in Vesicam immisso, nihil Calculosi deprehendi potuit. Cùm tamen tandem obiisset, scirrhum sive tumorem durum in Vesica inventum fuisse, qui adeò creverat, ut totam Vesicam impleret, vixque spatium, quod Urina, ubi in Vesicam influit, permeare posset, reliquisset; in Mulieribus quidem etiam idem observavi. Quoniam igitur tumores isti duri scirrhosi tam altas egerunt radices, quemadmodum in defunctis vidi, & expertus sum, ut eos, citra mortis periculum, avellere, & educere impossibile sit: idcirco meritò nullus Chirurgus adeò levis, temerarius, atque imprudens erit, ut Operationis tam difficilis administrationem, nisi de eventu omnino certus sit, suscipiat. Explorationem itaq; cum instrumento sequente modo instituet.

Colloca ægrum supra sedile, scamnum, vel mensam paulò elatiorem, ita tamen ut corpus aliquantulum versùs anteriora, & pedes, inclinatum & incurvatum sit; pedes & crura quoque longè à se invicem diducta habeat, dorsoq; incumbat. Deinde unum ex instrumentis inferiùs depictis, priùs oleo amygdalarum dulc. aut butyro recent. probè illinitum, paulatim, ac lentè in Vesicam intromitte. Quòd si Calculus aliquis adfuerit, mox instrumento illud agnoscere poteris: nisi fortassis alicubi adnatus, & membranulâ involutus sit; quales mihi aliquando occurrerunt: Præcipuè verò Nobilis quidam Basileæ, de quo postea cap. 8. dicetur.

In hoc autem Casu, quoniam Lithotomia institui non potest, Chirurgus ægrum expertis Medicis committat, ut omnibus, quibus fieri potest modis atque remediis, levamen ei afferant, & ne malum ingravescat, ut suo loco ulteriùs indicabitur, prospiciant.

Effigies ac Delineatio Instrumentorum, & stylorum exploratoriorum, ad Calculum in Vesica explorandum, Vrinamq; retendam emittendam;



Cap. 3. & 4.

Hæc verò instrumenta ex optimo argento, vel orichalco confici, & concava in parteq; anteriore, & ad latera perforata esse debent, ut per ea Urina effluere, atq; Vesica evacuari queat; & si fortè humor viscosus, aut sanguis coagulatus foraminibus adhæreat, eaque obstruat, filo argenteo expellendus est. Horum verò instrumentorum Chirurgus multa genera, longa nimirum & brevia, parva & crassa, in promptu habeat: vidi enim aliquando, me instrumento parvo ad Vesicam penetrare non potuisse, cùm tamen magnum & crassum citra ullum impedimentum & obstaculum immissum fuerit: causa est, quia tenerum ac gracile instrumentum anfractibus ac rugis Virgæ impingit: crassum verò Urethram diducit, & per se aperit. Propterea etiam Chirurgus semper, quando instrumentum immittit, Virgam aliquantulum in altum, & versùs Umbilicum attrahet, ut meatus urinarius extendatur, rugæque instrumentum non detineant.

CAP. IV.

Quid Chirurgo ante administrationẽ Lithotomiæ considerandum, & prædicendum sit.

QUoniam inter omnes affectus & operationes Chirurgicas, Lithotomia meritò una ex gravissimis censenda atque habenda est; Idcirco etiam fidelis & diligens Chirurgus non temerè, circumforaneorum, Agyrtarum, & Impostorum more, cultrum corpori humano, quemadmodum Lanii brutis Animalibus, admovere, sed omnia priùs probè considerare, reique exitum diligenter trutinare debet, ut illud ægro, vel etiam propinquis & Amicis indicare & referre, adeoque ipsorum judicium, opinionem, & responsum percipere possit.

Primò autem, non prædictorum Empiricorum & Agyrtarum more, seipsum offeret, & insinuabit, sed donec solenniter vocetur, exspectabit: qui enim non vocati obsequium suum ægris deferunt, se leves & impudentes homines, imò proprii sui commodi ac lucri magis, quàm salutis & incolumitatis ægrorum studiosos esse, quique præterea, dummodò Artem addiscere & excolere possint, ne integræ quidem, quod ipsemet ex multis audivi, Rusticorum centuriæ parsuri sint, eo ipso abundè testantur. Deinde etiam ludibrio nobilissimæ huic Arti, & summo Dei dono vertitur, si Medicus non vocatus ad ægrum accedat, eique obsequium suum deferat. Nullus quippe Sartor, Sutor, aut alius artifex, facilè familias, opificium suum exercendi gratiâ, accedet, sed domi, donec vocetur & accersatur exspectabit. Præterea etiam requiritur, ut æger singularem animi affectum, amorem, ac confidentiam in Medicum habeat, si saltem felix Curationis successus sperandus sit. Qualis verò amor iste, & summa in Medicum confidentia esse poterit, quãdo ipse sponte suâ, ut multi Agyrtæ, obsequium suum offert, & ut ita loquar, inconstante sermone suo, ostentatione, & garrulitate ægrum, ad fidem, etiam vitæ suæ dispendio, ipsi adhibendam, quasi fascinat?

2. Quando solenniter vocatur, non plerosq; eos, qui, ne dimittantur, & alii ipsorum loco consulantur, rem extenuant, & parvifaciunt, imitetur; Sed ægro, vel ipsius propinquis rei veritatem, difficultatemq; Operationis, & eventum futurum exponat. Eventus itaque Morbi Chirurgo ideò cognoscendus est; primò, ut maturè Symptomata avertere, iisque quantum fieri potest, obviam ire queat: deinde etiam, ut æger & astantes eò meliorem spem, confidentiam, & amorem erga eum concipiant. Quoniam ipsum rem & artem suam ex fundamentis intelligere vident. Tertiò ideò etiam eventus Morbi Chirurgo cognoscendus, ægroq; sive propinquis prædicendus est, ut, si res optatum finem ac scopum non assequerettur, ipse tamen ideò non vituperetur, & apud Vulgum diffametur. Cui malo Medicina hoc tempore, prôh dolor! magis quàm cætera vitæ genera est obnoxia. Multi enim loco honorifici promeritiq; honorarii, nefariis, cõtumeliosis, & inhumanis verbis ægrum dimittunt, & si per eos staret, libenter eum ad cymbam Charontis amandarent, eum, inquam, quem paulò ante, dum doloribus morboq; premebantur, ad cœlum extulerant, cuiq; dimidiam bonorum suorum partem vix recusâssent.

Nobilis quidam, cùm aliquando Coloniæ ex vehementissimo dolore, graviq; morbo decũberet, Chirurgum, mihi probè notum, ad se accersit, 100. Imperiales, si dolorem ejus lenire atq; sedare posset, ipsi offerens. Chirurgus igitur cùm summam diligentiam adhibuisset, ægrumq; brevi temporis spatio sanitati restituisset, vix centum asses ei dare voluit: re verò ad Amplissimum Magistratum delatâ, Nobilis graviter reprehenditur, eique, ut promissis staret, & Medico mox satisfaceret, injungitur. *Bartholomæus Cabrollius*, Chirurgus celebris scribit, se ad puellam quandam nobilem ditissimam, 18. annorum, quæ Urinam non per collum Vesicæ, sed per umbilicum reddiderit, vocatum, sibiq; spem factam fuisse, fore ut Parens libentissimè dimidiam bonorum filiæ suæ partem, si eam sanare posset, ipsi donaturus esset. Se verò post absolutam Curam atque sanationem, quam 12. dierum spatio absolvit, duplicem solummodò Ducatum obtinuisse scribit. Magna fuit ista ingratitudo, quam Deus non impunè feret. Si idem mihi non sæpiùs etiam evenisset, ejusmodi ingratos & inciviles homines existere posse, vix crederem.

Aliquando, cùm Lausannæ degerem, ad ditissimi Mercatoris Uxorem gravidam, quæ procul ab Urbe in vastissimo monte commorabatur, ibidemq; ex casu quodam lethaliter in capite vulnerata fuerat, vocatus fui, ad quam cùm hyberno tempore per imbres & nives, sæpe quidem cum vitæ periculo, me contulissem, eamque, Dei beneficio, sanitati pristinæ ita restituissem, ut duos liberos, quos Utero gestârat, ad constitutum usque terminum gestârit, eosque salvos & incolumes in lucem enixa sit, post annum circiter demum laboris ac medicamentorum meorum remuneratio jure mihi poscenda & extorquenda fuit. Ubi quidem homo ille ingratus tam dexterè causam suam defendere, eique

eique talem inducere novit fucum, ut mihi exiguum quid, & ne quidem id, quod domi neglexeram, adjudicatum fuerit. Quid fit? Biennio pòst Curationem, cùm Mulier ista opulenta & ingrata, fœtum mortuum expellere non posset, multæque nobiles & honestæ Matronæ eam hortarentur, & rogarent, ut me vocaret: noverant enim, quot Mulieribus tam Lausannæ, quàm in aliis huius ditionis locis, in similibus Casibus, auxilio meo adfuerim, easque divino auxilio salvârim, quod & ipsa eandem confidentiam habere, nec suspicari debeat, quòd in summis suis angustiis auxilium meum ei recusaturus, aut præterita in memoriam revocaturus sim; Quibus respondit, Maritum suum ita se erga me gessisse, ut auxilium meum implorare non audeat, se rem in crastinum delaturam, meq; tunc ad se vocaturam. Sequente die cùm vocandus essem, ne vocarer, rogavit; sibi enim constare, quamvis aliàs multos ex similibus angustiis liberârim, me tamen ipsam non sanaturum, seque agnoscere, gravissimam hanc calamitatem, propter ingentem ingratitudinem erga me, sibi fuisse impositam, & quoniam nullus alius in Operatione ista exercitatus in hisce regionibus existat, vitam sibi cum morte commutandam esse. Atque ita in summo dolore & miseria, postquam sex integris diebus dolores parturientium sustulisset, nec fœtum excludere posset, obiit. Plura Exempla de modo, quo DEVS Opt. Max. ingratitudinem erga fideles Medicos punire solet, suppeterent: ad evitandam verò prolixitatem, his supersedebo. De hac Muliere Lector videre poterit, *Cent. 1. Epist. mearum Epist 54.*

Ex his verò non concludo, quòd Medicus privato suo commodo adeò intentus esse debeat. Absit, non ita sentio, sed potiùs unicuique fidelissimè ac diligentissimè inservire, & potiùs Proximi, quàm proprium suum commodum spectare debet. Quibus autem facultates suppetunt, ii liberali animo laborem Medico compensare, coram Deo tenentur, ut pauperibus gratis servire possit. Atque hoc, ut Scriptura loquitur, est debito honore Medicum afficere.

Ut igitur Chirurgus futurum ægri statum ex Arte prædicere, & indicare queat, sequentia diligenter observet.

Primo, utrùm Calculus sit magnus, an parvus? quod partim ex circumstantiis, partim etiam ipsis manibus, & digito in Anum immisso, cognoscere atque discernere poterit. Ex circumstantiis quidem magnitudinem Calculi cognoscere potest Chirurgus, si ad principium Morbi attentus fuerit. Quò enim major est Calculus, eò etiam majus temporis spatium ad sui generationem requirit: magnusque Calculus brevi temporis intervallo vix generari potest, nisi corpus ægri (quod Medico diligenter observandum) peculiariter ad eum dispositum fuerit. Præterea etiam exiguus Calculus ægro longè vehementiorem gravioremque dolorem, quàm magnus, affert: ille enim unà cum Urina in collum Vesicæ delabitur, eumque pungit & exulcerat, Urinãq; supprimit; Hic verò, scilicet magnus, non adeò profundè ad collum Vesicæ pervenire potest, ut tam gravia excitare possit Symptomata. Digito verò exploratorio in Anum immisso, optimè magnitudinem Calculi explorare atque agnoscere potest: cumque ejusdem extremitates, angulos, altitudinem ac latitudinem digito discernere & comprehendere possit, eâdem operâ facilè magnitudinem Calculi deprehendere licebit. Si verò illud præstare, Calculumque digito complecti nequeat, illius quoque magnitudinem non certò dignoscere, eum verò magnum esse, sibi persuadere poterit: tumque de pondere ac mole, quam ægri circa extremitatem Ani percipiunt, diligenter ægrũ examinabit; Prout enim pondus & moles illa se habuerit, de magnitudine quoque seu parvitate Calculi judicandum erit.

Secundò, etiam Constitutionis ægri ratio habenda est: si enim Calculus magnus, æger verò parvus, aut debilis, imbecillis & prostratus fuerit, nihil aliud quàm infelicem exitum sperare potest. Si verò Calculus non admodum magnus, æger robustus, & benè habitus sit, erit unde prospera quæque sperare queat. Nemo verò Calculi, magnitudine ovum gallinæ minus superantis, extractionem, sine vitæ periculo, ne in grandioribus quidem adultisque Viris, tentare potest: talis enim Calculus, citra musculi Vesicæ, imò ipsius etiam Vesicæ exulcerationem, vix educi potest. Calculum quoq; frangere, non admodum tutum, imò an frangi possit, incertum est; Quoniam nonnulli duri instar silicis reperiuntur, ut alibi fusiùs dicetur.

Tertiò, etiam dispositionis sive constitutionis interiorum ægri Viscerum ratio habenda est; si enim Pulmo, Hepar, Lien, Renes, vel etiam Vesica labefactata, & ex parte corrupta esset, ut sæpiùs in istiusmodi Morbis contingit, tunc Lithotomia sine vitæ periculo tentari non posset: Natura enim postmodũ è prædictis Visceribus humores pravos & excrementitios ad Vulnus transmittit, indeque dolores, tumores, & alia molesta symptomata, ac tandem, ut suprà dictum, Mors ipsa subsequitur. In Castratione Chirurgus pariter ad ista attentus erit, nullumque ægrum internis Morbis, velut Ictero, Phthisi, Hydrope, & similibus laborantem, castrandum suscipiet: aliàs eum citò ad Patres promovebit. Uti exempla satis frequentia testantur.

Quartò, si fortè Lithotomia incommodo & alieno tempore, Chirurgo administrãda veniret, multis etiam malis exponeretur, ut postea c. 10. ulteriùs dicetur.

Quintò, si æger ante Operationem Remedia requisita, veluti Purgationes, Phlebotomiam, Diætam, & similia, de quibus postea dicetur, adhibere non posset, aut nollet, vel Chirurgus illa ex imperitia non præscripsisset, nullus etiam optatus exitus sperari potest: si enim pravi humores & Sanguis non ante Operationem evacuentur, cum impetu postea ad Vulnus labuntur & fluunt, atque Symptomata suprà commemorata producunt.

Sextò, postquam Chirurgus digito in Anũ immisso, vel etiam Cathetere, aut stylo exploratorio,

Cap. 4.

Signum, quo cognosci potest, utrum Calculus sit æqualis, & lævis, an verò inæqualis, & asper.

torio, Calculum inæqualem, asperum & angulosum adesse deprehendit, non aliter apud se statuere potest, quàm Operationem difficilem & lõgam, variisque periculis implicitam futuram. Discrimen illud Calculi etiam inde aliquo modo innotescit, quòd Urina alba & lactea plerumque Calculum æqualem ac lævem denotare soleat. Si verò Vrina frequenter rubra cruentaque fuerit, certò Calculus asper, inæqualis, & angulosus aderit: præterea etiam hunc dolor longè major, quàm illum, comitatur.

Septimò, Calculi Vesicæ adnati extractio nõ absque summo periculo tentari potest; Vesica enim in extractione dilaceratur, unde multa periculosa sequuntur symptomata.

Octavò, Quòd si Calculus oblongus, hoc est instar Olivæ foret, Chirurgusque fortè fortunâ forcipe in medio eum prehenderet, & in obliquũ extraheret, facilè atiam Vesicæ collum dilacerari & exulcerari posset.

Calculi in Mulieribus minùs periculosi, quã in Viris.

Nonò, periculum Calculi multò levius est in Mulieribus, quàm in Viris: collum enim Vesicæ in fœminis breve, & adeò amplum est, ut interdum etiam magni Calculi, citra incisionem, per illud educi possint: ut cap. 22. dicetur.

Decimò, quando post Operationem Turundæ Vulneri non immittuntur, illudque donec Vesica probè expurgata fuerit, apertum non retinent, tunc æger etiam in periculo Recidivæ versatur; Vti suo loco fusiùs dicturi sumus.

Vndecimò, in senibus, & provectæ ætatis hominibus Vulnus longè tardiùs, quàm in junioribus; In iisque quorum interiora Viscera imbecilla, debilia, atque vitiata, multisque humoribus pravis referta sunt, tardiùs ac difficiliùs, quàm in iis, qui Pulmones, Hepar, Lienem, ac Renes, habent integros, sanatur. Quando enim in senibus corpus variis humoribus pravis refertur, iiq; ad Vulnus labuntur, tunc sanatio ipsorum ab iis impeditur atque suspenditur. Idem etiam de internis juniorum Visceribus corruptis intelligitur.

Longè alia Calculosorum, quam Herniosorum ratio.

Nullus autem Lithotomus sibi persuadeat, vel imaginetur, quòd eadem sit Calculi quæ Rupturarum, ratio, quodque Lithotomia, ut, prôh dolor! multis usuvenire solet, tãtâ facilitate quẽadmodum Castratio, administrari queat. Quoniam enim multi Rupturas per integrum decennium, imò etiam diutiùs, absque dolore secum circumferunt, hinc etiam interiora ipsorum Viscera non usque adeò, ut in Calculosis, corrumpuntur. Vnde quoque ex neglecta ante Operationem conveniente corporis præparatione, minus detrimenti ad eos redundat; Quamvis illud minimè probandum sit, fidelemq; atque solertem Lithotomum parum deceat, imò etiam coram Deo ratio ipsi reddenda sit, si adeò temerè & inconsiderate ferrum corpori humano admoveat, nec majorem ejusdem curam gerat, illudq; prout necessitas requirit, & Ars præcipit, ante Operationem non præparet. In Calculosis verò longè gravius est periculum: etenim propter ingẽtem diuturnumq; dolorem, interiora ipsorum viscera labefactata, multisq; humoribus excrementitiis referta sunt: unde etiam ad avertenda symptomata longè major diligentia & industria, quàm in rupturis, ut etiam alibi dictum fuit, requiritur.

Cap. V.

Descriptio brevis Anatomica Vesicæ.

IN omnibus Artibus, etiam Mechanicis, commune Axioma traditur, quòd quivis opifex, Artem suam ad proprium honorem suum, proximique emolumentum, dirigere cupiens, ante omnia subjecti sui, h. e. materiæ, circa quam occupatur, proprietates atque naturam agnoscere debeas. Sic quando Aurifaber exactam auri & argenti, puri, vel cum aliis Metallis permixti, cognitionem non habet, quomodo aliquid boni atque laudabilis in Arte sua præstare poterit? Sic neque faber lignarius, Materiarius, Lapidicida, faber ferrarius, & alii similes, Naturam ac proprietates ligni, lapidum, & ferri ignorabunt; alioquin nunquam verum scopum perfectæ in arte sua peritiæ attingere poterunt, sed semper à peritis artificibus tyronum loco habebuntur.

Quandoquidem igitur homo, nobilissima Dei Creatura, imò ipsa Dei imago existit, meritò illi, qui circa illius corpus occupantur, non sicut faber lignarius, & lapidicida ligno atque lapidibus, ferrum admovere, sed Subjecti sui, h. e. corporis humani, præcipuè verò ejus partis, cui manus admoturi sunt, exactam cognitionem habere deberent: si enim hîc error aliquis committeretur, longè gravior esset, quàm si circa prædictas materias accideret. Aurifaber si in opere suo hallucinetur, illudve sinistrè tractet, argentum vel aurum denuò in crucibulum projicit, nihilq; præter tempus atque laborem perdit, faber lignarius, cæmentarius, ac faber ferrarius nihil aliud, quod magni momenti sit, amittit. Medici verò, adeoque ipsius etiam Chirurgi Subjectum, circa quod versatur, est corpus humanum. Quocirca ut ipsius constitutionem, & planè stupendam divinamq; structuram sciat & intelligat, necesse est. Hæc itaque causa est, benevole Lector, quòd in gratiam juniorum tyronumq; Chirurgorum, nec non institutionis ergò, antequam ulterius ad curationem, periculosamque extractionem Calculi progrediar, brevem quoque descriptionem Anatomicam Vesicæ subjungere volui.

Situs Vesicæ.

Sita autem est Vesica in infimo Ventre, undiquaque osse Pubis, osse sacro, atque Coxis circumdata, quod natura ita constituit, ut tenues serosasq; sanguinis partes, è Renibus ad eam defluentes, eò meliùs recipere, & per Virgam educere posset.

Inter duas Peritonæi membranas, in Viris quidem supra intestinum rectum, cui collum annectitur; in fœminis verò supra collum Vesicæ, cui itidẽ annexa est, interjacet: ita ut tabernaculum, superbumque Palatium, in quo homo concipitur, & unde primam suam ducit originem, inter Vesicam, & intestinum rectum, hoc est in loco, ad quem omnes totius corporis sordes veluti ad cloacam confluunt, situm habeat: quod meritò unicuique, in statu suo glorianti, seque metipsum, non secus ac pavo, dum plumas intuetur, suspicienti, ad deprimenda supercilia, miseriamque suam agnoscendam, ansam præbere deberet.

Hac de re consulat Lector *Tractatum meum Germanicum, seu Speculum vitæ humanæ.*

Aliud verò Ligamentum à fundo Vesicæ sursum ad umbilicum, quo illi firmiter inseritur, & annectitur, ascendit, ab Anatomicis Urachus nominatum, quod Vesicam suspendit, eamq; impedit, quo minus urinâ repleta deorsum, ac supra musculum colli Vesicæ decumbat, unde quidem urinam retinere non posset, Vesica evacuata interdum magnitudinem pugni infantis non excedit; Urinâ verò quando repleta est, grandescit, ita ut aliquando in superiore parte ossis Pubis deprehendi queat. Anno 1604. Paterniaci in Viro octogenario tãtam urinæ suppressionem vidi, ut Vesica ipsius proximè ad umbilicum pertigerit, Venterque, ut in gravida aliqua Muliere, tumuerit; unde etiam Vesica adeò labefactata fuit, ut urina ipsi per intestinum rectum effluxerit. Hac de re videat *Lector 2. nostram Centuriam Observ. 65.*

Lithotomus autem ea, quæ modò de parvitate Vesicæ in medium attuli, quando Lithotomiam Apparatu parvo, ut vocant, administraturus est, diligenter observet. Quoniam enim Vesica evacuata corrugatur, facilè Chirurgus digitis suis in anum imissis, fundum ipsius unà cum Calculo ad collum Vesicæ protrudere, & quandoque dissecare potest, quod periculo non vacaret: quandoquidem Vulnera Vesicæ, in fundo vulneratæ, plerumque lethalia sunt; Ut testatur *Hippocrates, lib. 6. Aphorism. 18.* Quoniam Vesica eo in loco membranosa, & ex multis nervis constructa est, paucas præterea etiam Venas insertas habet, hinc Vulnera ibidem, propter gravia, quæ illicò subsequuntur symptomata, difficulter sanari possunt.

Communiter autem unicam Homo Vesicã obtinet, quamvis Riolanus, & alii duas aliquando repertas fuisse, fidem faciant. Hac de re consule Excellentissimum ac celeberrimum Anatomicum *Casparum Bauhinum, in Theatro suo Anatomico lib. 1. cap. 31.*

Substantia Vesicæ est partim membranosa, ex nervis genita, partim carnosa; Fundum ipsius ut extendi, multumque Vrinæ complecti, postea rursus contrahi, & corrugari queat, membranosum: collum verò ejusdem carnosum musculo Sphinctere dicto munitum, cujus usus est, Vesicam occludere, & ne Vrina involuntariè effluat, impedire. Ea autem est colli istius carnosi constitutio, ut ille meatus auxilio ac beneficio dicti musculi ita claudatur, ut ne unica quidem Vrinæ guttula è Vesica effluere possit. Vbi verò Vesica Vrinâ repleta est, aut acrimoniam aliquam præternaturalem ascivit, tunc Natura onere illo sese deonerare cupit: tumque distenduntur Musculi Abdominis, omnesque simul deorsum supra Vesicam deprimuntur, Atque ita Sphincter, hoc est Musculus Vesicæ aperitur, Vrinamque emittit. Ad propellendam & expellendam è Vesica Vrinã, non parum etiam Diaphragma, quod Thoracem (in quo Cor atque Pulmones continentur,) ab infimo Ventre distinguit, conducit. Illud enim in excretione Vrinæ sẽper Ventriculum, Hepar, atque Lienem vi deprimit, quæ postea ulterius Intestina ad inferiora, adeoque ad Vesicam usque protrudunt. Vt autem Diaphragma eò efficacius deprimi queat, sæpenumerò in excretione Vrinæ Respiratio suspendenda est, inde intumescunt Pulmones, dilatantur, ac Diaphragmatis depressionem magis intendunt.

Cap. 5.

Addo autem *Sæpenumerò*, quoniam Respiratio non semper in excretione Vrinæ suspenditur. Viri-juvenes robusti, repletâ Vesicâ Vrinam, etiam non interruptâ Respiratione, possunt emittere: excepto excretionis fine, quando nihil ferè ampliùs in Vesica continetur, ubi quidem spiritus ipsis etiam junioribus aliquantulum suspendendus est. Hoc verò inde fit, quòd juniores facultatem expultricem longè robustiorem, meatus itidem Vrinarios magis amplos ac lubricos obtinent, quàm ipsi Senes, in quibus omnia arescunt, & collabuntur, vires quoque labascunt ac debilitantur, unde etiam Vrinam sæpe numero difficulter, & non nisi suppresso & coactu spiritu excernere possunt. Mulieres minore cum difficultate, quàm Viri, Vrinam emittunt: quoniam collum Vesicæ brevius, & adeò amplum obtinent, ut non solùm ipsorũ Vrina, sed etiam phlegma, & quidquid præterea in Vesica continetur, absque vehementiore conatu, respirationisque suppressione, præsertim dum juniores adhuc sunt, facilè possit profluere; in senioribus verò sæpiùs observavi, quòd Vrinam, absque suppressione spiritus, manoque conatu, excernere minimè potuerint: cujus rei ut suprà de Viris dictum, causa est, quoniam ipsorum corpora etiam arida & sicca sunt, Viresque omnes in ipsis deficiunt.

Differentia eorum quibus Vrina suspensâ Respiratione excernenda est, quibus verò non.

Proximè juxta prædictum Musculum, sive Sphincterem, Natura duas glandulas, Prostatas dictas, produxit, in quibus virile semen, postquam perfectè à Natura elaboratum est, colligitur, & ad usum suum reservatur.

De Glandulis Prostatis, earumque officio.

Hæ duæ partes, putà Sphincter, sive musculus Vesicæ, & Prostatæ, Lithotomo in primis etiam observandæ sunt, præsertim quando Lithotomiam apparatu parvo administrat: si enim Sphincter, sive musculus Vesicæ dissecaretur, aut instrumentis dilaceraretur, æger Urinam in posterum ampliùs retinere non posset, sed quemadmodũ illa per Ureteres è Renibus in Vesicam delabitur; ita etiam rursus per Penem guttatim exstillaret. Si verò prædictæ glandulæ, sive Prostratæ dissecẽtur, aut dilacerentur, tunc Vir ille sterilis, & ad generationem ineptus evadet.

Vesica autem è triplici membranarum genere genita atque contexta est, quarum exterior à Peritonæo, sive membrana interiore Abdominis proficiscitur, crassa quidem & valida, ne quando Vesica à copia Vrinæ crassescit, & extenditur, dirumpatur. Præterea etiam Vesica beneficio istius membranæ aliis partibus circumjacentibus annectitur: atq; adeò non tam arctè Vesicæ adhæret, sive annexa est, ut reliquæ duæ, quæ, propriè loquendo, Vesicam constituunt, & adeò tenaciter inter se cohærent, ut multi eas membranam sive tunicam unicam cõstituere judicarent. Sunt autem illæ alias crassæ

De membranis Vesicæ.

Cap. 5.

sæ, aliàs verò raræ ac tenues, prout Vesica à copia Vrinæ distenditur: juxta fundum tamen & collum Vesicæ, sicuti etiam iis in locis, in quibus Vreteres è Renibus Vesicæ inseruntur, semper crassiores sunt, quàm alibi, præsertim circa collum Vesicæ, ne ab acrimonia Vrinæ, & Calculi labefactentur.

Membranula Vesicæ interior nitida est, & alba, rara, tenuis, subtilis, & ex genere nervoso, unde exquisitissimus ipsius sensus oritur. Similiter etiam, sicut reliquæ membranæ omnes, quarum est dilatari & contrahi, è triplici fibrarum nervosarum genere veluti contexitur, inter quas fibræ rectæ sunt internæ, transversæ externæ, obliquæ verò mediæ. Harum fibrarum beneficio Vesica functiones suas exequitur, h.e. attrahit, complectitur, retinet, & rursus expellit.

Galen. de usu part. lib. 6. beneficio fibrarum rectarũ attrahit, transversarũ excernit, omniumq; simul cooperantiũ retinet.

Ne autem Vesica ab acrimonia Vrinæ labefactetur, intrinsecus quasi mucosâ quâdam pelliculâ, quæ, ut Anatomicis videtur, ex tertiæ Concoctionis excrementis generatur, obducta est. Humor iste mucosus plerumque in Vrina, quando Calculus aliquis in Vesica continetur, deprehenditur. Media Vesicæ tunica crassitudine eas, quas modò commemoravi, aliquantulum superat, fibrisque carnosis intertexta est, non quòd fibræ illæ, ut in Musculis, rubeant, sed albidæ sunt, quemadmodum in membranis sive tunicis Ventriculi, & Intestinorum videre est. Fibrarum istarum carnosarum beneficio, meo quidem judicio, fit, ut etiam Vulnera Vesicæ interdum consolidari queant. Carnosis istis fibris calor etiam innatus Vesicæ, aliàs exiguus, fovetur & augetur; similiter quoque Vesicæ in excretione Vrinæ conferunt & inserviunt; Vesicam enim aliquantulum comprimunt.

Quâ autem ratione Vrina in Vesicam influat, multis admodum mirum videtur, cùm unicum tantùm foramen, collum videlicet, in ea, quando è corpore eximitur, conspiciatur: unde apud antiquos Philosophos ac Medicos, Asclepiades, Vir insigniter doctus existimavit, Vrinam instar nebulæ atque Vaporis in eam transsudare, & postmodum in aquam converti: quam quidem opinionem erroneam Galenus pluribus in locis refellit. Hoc tempore, quo Ars Medica ad summum fastigium pervenit, totque excellentissimi Viri eam scriptis illustrârunt, eamque quotidiè in Academiis docent, imò etiam reipsâ demonstrant, non solùm inter plebejos, & imperitos Medicinæ homines, qui Asclepiadem sectantur, sed etiam inter ipsos Chirurgos inveniuntur, qui nullam præterea Anatomiæ, sive Subjecti quod tractant, cognitionem habent; hinc si de Vreteribus mentio fiat, obstupescunt, mirantes quomodo hoc fieri possit, cùm tamen unicum tantùm foramen, per quod Vrina effluat, in Vesica conspiciatur. Summoperè dolendum est, quòd nobilissima Ars Chirurgica eò reducta sit, ut etiam multi, qui consummati Artifices haberi volunt, prima adhuc, quod ajunt, Elementa ignorent; Lithotomorum & Castratorum nomen sibi vendicant, cùm tamen partium istarum constitutionem & Anathomiam ignorent. Ideoque ægros laguentesque homines sæpe sæpiùs succumbere, vel aliàs vitæ ac sanitatis naufragium facere, mirum non est.

De i[...] rib[...] The[...] Bau[...] pag.

Sed ut ad propositum meum revertar, ita sese res habet; Vesica tria habet foramina, duo paulò supra collum, utrinque nimirum unum, ubi quidem ex utroque Rene meatus Vrinarius ad Vesicam descendit, ab Anatomicis Vreteres appellantur. Hi igitur, ubi utrinque, uti dictum, Vesicæ inseruntur, uterque ibidem peculiarem suam membranam obtinet, quâ meatus iste urinarius tam arctè occluditur, ut non solùm Vrina, sed etiam flatus remeare & erumpere nequeant: quemadmodum folles lusorios occludi, nullumq; flatum emittere, & quò magis inflantur, eò arctiùs etiam spiritum eos continere videmus; ita etiam Janitores isti, ab Anatomicis Valvulæ dicti, adeò arctè clauduntur, ut ne flatus quidem, quando Vesica infletur, per eos erumpere queat. Vreteres isti è Renibus oriuntur, & utrinque intra Peritonæum, sive membranam interiorem Abdominis, ad Vesicam descendunt: albi sunt, unde à quibusdam Nervi appellantur, sicuti reverà etiam naturam Nervorum æmulantur, & parum sanguinis continent. Rotundi, & non usque adeò, præterquam in Calculosis, ampli sunt, in quibus paulatim dilatantur, ut interdum quidem Calculi satis magni per eos expellantur.

Calc[...] reten[...] in V[...] ribus [...] retent[...]

Si verò aliquando contingat, ut Calculus in Vreteribus hæreat, periculum non spernendum subsequitur: Retentio enim ista Calculi, propter exquisitissimum ipsorum sensum, magnum postmodum dolorem producit, quem tumor, inflammatio, Gangræna, & mors ipsa consequitur: ut illud sæpiùs &, non ita pridem quidem observavi. Vreteres itidem à vicinis partibus perexiles, tenues, & minutas Venarum & Arteriarum fibras, alimentum ac vitam ipsis deferentes, accipiunt. Præterea etiam Nervi, partim à sexto pari Cerebri, partim quoq; à spina ad eos derivantur: unde sensus ille exquisitus & dolor lumborum, quando arenulæ aut Calculus è Renibus deorsum ad Vesicam delabitur, ortũ habet. Atque hæc quidem de superioribus duobus meatibus, sive Vreteribus, per quos Vrina è Renibus in Vesicam defluit, dicta sunto.

Tertium Vesicæ foramen est ipsius collum, sive ductus Urinarius inferior, cuivis notus, per quem Urina, phlegma, arenulæ, lapilli, & alia contenta præternaturalia è Vesica fluunt. Carnosus, multis tamen fibris intertextus est: unde fit, quòd istius loci Vulnera in Lithotomia facilè coalescant. De Musculo Sphinctere ibidem sito, sicuti etiam de duabus glandulis Prostatis, suprà dictum, nec ea jam repetere necesse est.

Quòd autem meatus hic Urinarius paulò amplior, quàm duo superiores, sit, inde patet, quòd sæpenumero, quando Calculi è Renibus ad Vesicam delabuntur, majorem in Ureteribus dolorem excitent; In Vesica verò semel existentes, plerunq; absque dolore per Virgam ab ægro excernantur: hunc tamen meatum inferiorem

per

per Virgam multo angustiorem & longiorem Viri, quàm fœminæ obtinent.

Unum insuper hîc coronidis loco silentio prætereundum non est, quòd nimirum in utroq; colli Vesicæ latere, Venæ & Arteriæ aliquot ad Vesicam, ejusdemque collum derivantur, quæ ei à Vena cava, & arteria magna, postquam sub Renibus bipartitur, transmittuntur: illa quidem, nempe Vena, ut Vesicæ, & ipsius collo nutrimentum, hæc verò, putà Arteria, ut eidem calorem nativum & insitum suggerat atq; communicet.

Venę istæ & Arteriæ Chirurgo in Lithotomia diligenter observandæ sunt, ita ut eis, quantum fieri potest, parcat, quod quidem in Operatione cum apparatu parvo præstare non potest: tunc enim digitis in Ano conglomerantur, & adeò cōprimuntur, ut non unus aliquis, sed quandoq; etiam plures rami dissecentur: quando verò cum Itinerario Operatio perficitur, tunc omnes Venæ in longum extenduntur, neque tot rami dissecari possunt: ut sapiens quivis, si paulò accuratiùs rem perpendere velit, facilè judicare potest. Hæc itaque brevis esto Descriptio Anatomica Vesicę, & quantum quidem Lithotomo sciendum incumbit. Plura qui scire cupit, consulat *Galenum, Vesalium*, & inprimis Excellentissimum ac celeberrimum Anatomicum & Botanicum, Dn. *Casparum Bauhinum*, in Theatro suo Anatomico.

CAP. VI.

Quid æger, cui Calculus extrahendus est, perpendere, & quâ ratione sese ad Operationē istam periculosam præparare, atq; disponere debeat.

Solet solers ac providus quivis Oeconomus, ædificium aliquod magnum & sumptuosum extructurus, eò res suas dirigere, ut primò materiam requisitam, putà lignum, lapides, & quicquid præterea requiritur, in promptu habeat: deinde etiam ut sibi de industrio, experto, atque fideli aliquo Architecto prospiciat. Quoniā igitur multò plus tibi, benevole Lector, in difficillima gravissimaqne hac omnium, quæ in corpore humano unquam institui possent, Operatione, quàm in ædificatione Villæ, domus, aut castri situm est, vitaque tua in ea quandoque etiam tenui veluti filo, ut ajunt, dependet: idcirco diligenter cavebis, ne quicquam temerè, sed omnia maturo consilio, atque prudenter instituas atq; suscipias. Si enim hac in parte festinares, & aliquid omitteres, facilè ipsi tibi exitium accelerare posses.

Primò autem & ante omnia, quandoquidem hora mortis & discessus ex hac vita unumquemque latet, Dominusque veniet, sicut latro sive fur nocturno tempore, imò quandoquidem in gravi atque periculosa hac Operatione Vita & Mors adeò implicantur, & inter se digladiantur, ut nemini constet, utra pars Victoriam reportatura sit; Ideoque primò rem tum familiarem ita institues, eoque diriges, ut, fatis ita ferentibus, intactâ Conscientiâ ex hac vita discedere possis, liberique & hæredes tui post te ab omni altercatione, rixis, atque dissidiis immunes sint. Deinde cum DEO OPT. MAX. te conciliare, eidem peccata atque delicta tua ex animo confiteri, seriamque pœnitentiam ac resipiscentiam agere, animo quinetiā sincero non solùm divinum auxilium & præsentiam invocare atque implorare, sed etim Ecclesias & Congregationes Christianas ut in precibus suis tui recordentur, sollicitare debes. Magnum quippe pondus habent fidelium preces, & ipsas Nubes penetrant; uti semper in difficilibus, imò talibus quidem Casibus, in quibus omnia deplorata videbantur, præcipuè verò in extractione fœtus mortui, expertus sum.

Cap. 6.

Observatio.

Cùm anno 1610. die Lunæ, 14. Maii, Nobilissimo ac strenuo *Dn. Zachariæ Geitzcofler, à Geilenbach, Domino in Haunsheim, Moës, & Weschenbeüren, &c.* Equiti S. Cæs. Majestatis Rudolphi II. & Archiducis Austriæ, &c. Consiliario, Calculus extrahendus esset, non solùm eâ ipsâ die manè in templo Haunsheimensi, subditi ipsius convocati, in totaque Concione ad preces ardentes concipiendas admoniti, sed præcedente quoque die Augustæ Vindelicorum, Ulmæ & Laugingæ, in omnibus Concionibus Evangelicis hujus Viri, nec non gravis ac periculosæ operationis in corpore ipsius instituendæ, mentio facta, simulq; Deus, ut operationi atque Curæ benediceret, seriò invocatus atque rogatus fuit, idque non absque insigni fructu. Deus quippe Operationi ita benedixit, ut omnes in admirationem raperetur. Hujus generis exempla plurima, nisi brevitati studerem, in medium afferre possem.

Admonitio ad Magistratum, & Pastorem.

Summoperè itaque optandum foret, ut in quibusvis gravibus ac periculosis Operationibus, Lithotomiis, Castrationibus, Membrorum amputationibus, Consuetudinis hujus Christianæ celebratio Lithotomis & Castratoribus, ab Amplissimo Magistratu, & Pastoribus, imponeretur & injungeretur, unde sæpenumero corpus & anima plurimorum ægrorum & infirmorum, qui vel in ipsa Operatione, vel paulò post, absq; ulla consolatione & præparatione ad mortem, moriuntur, conservari posset. Magistratum itaque Amplissimum, ubique locorum, ut & Præfectos Ecclesiæ admonitos velim, ut pauperum & miserorum, qui hinc inde in Xenodochiis Chirurgiam subeunt, curam gerant; eisq; non solùm corporalia, sed etiam spiritualia suppeditent: idque eam potissimum ob causam; quoniam, si hac in parte officio suo defuerint, ratio coram divina facie ipsis reddenda erit. Ad hoc etiam eos incitare & commovere debet id, quod Dn. Salvator noster Jesus Christus in die Judicii, ipsis, & in genere omnibus proponet, quod minimo ex meis (intellige Pauperes) præstitistis, mihi ipsi præstitistis. Quomodo igitur cum iis agetur, qui se erga eum, qui mortem pro ipsis subiit, à pœnis & cruciatibus æternis eos liberavit, imò insuper etiam in his terris ad summos honores præ cæteris evexit, nihilominùs tam ingratos in ipsius membris atque pauperibus exhibent? Sic alloquetur eos in ultima illa die Dominus; Discedite à me iniqui in gehennam æternam, quæ Vobis atque Diabolis ab æterno parata est: famelicus enim eram, nec me cibâstis, sitibundus eram, nec mihi potum exhibuistis. Ubi quidem non solùm

Cap. 6. & 7.

solùm cibus ac potus corporalis, sed cibus potiùs spiritualis, putà auxilium, Consolatio, & adhortatio, in agone mortis, intelligenda sunt. Maleficis quidem, supplicium subituris, Pastor aliquis Ecclesiæ, ut Anima servari possit, adjũgitur, quod optimo quidem jure & ratione fit; quare igitur idem in membrorum Amputatione, Castratione, & Lithotomia omittitur? Quandoquidem etiam ibi non solùm Mors imminet, sed interdum quoque ægrum tanto dolori succumbere contingit, ita ut nisi consolatione Christianâ erigatur, periculum sit, ne gratiæ atque misericordiæ divinæ diffidat, adeoque desperabundus mortem subeat: quod quidem unicuiq; cujus res agitur, cogitandum relinquo.

CAP. VII.

Quem Medicum æger sibi eligere, & quibusnã Virtutibus idem præditus & ornatus esse debeat.

QUemadmodum igitur prudens ac sapiens Oeconomus, postquam sibi de omnibus rebus necessariis, veluti ligno, lapidibus, Calce, & similibus, quæ ad propositum suum opus & ædificium requiruntur, prospexit, omniaq; ordine disposuit, non quemvis fabrum lignarium, ac cæmentarium mercede conducit, eique fidem adhibet, sed ut fidelem & peritum aliquem Architectum nancisci queat, omnem diligentiam adhibet: ita etiam æger operam dabit, ut in gravibus morbis & affectibus, inprimis verò in Lithotomia, corpus ac vitam suam, non cuivis Empirico, nefario, temerario, & inexperto homini, adeoque cuivis obvio, committat. An igitur Medicus, quem in consilium adhibiturus est, sequẽtibus Virtutibus sit præditus, observabit.

Medicus sit pius. Primò & ante omnia Medicus operam dabit, ut sit pius, fidelis, probus, integer vitæ, neque blasphemiis, aut aliis vitiis deditus: quamvis enim pietas omnibus cujusvis sortis hominibus necessaria sit, in iis tamen, qui Medicinam exercent, maximè requiritur. Sæpè enim Deus Opt. Max. Medicamentis vires suas subtrahit, ut eas, quando à Medico blasphemo & impio exhibentur, exerere nequeant. E contrà rebus abjectis & vilibus, à probis piisq; Medicis adhibitis, miras facultates infundit.

Ne ebrietati & libidini sit deditus. Ebrietatem, Libidinem, & ludos ne sectetur: his enim facilè aliquid hodiè apud ægros negligitur, & omittitur, quod crastinâ sarciri non potest; quoniam occasio præceps, adeoque summo studio arripienda est, *ut Hippocrates lib. 1. Aphorism. 1.* monet.

Ne sit blatero aut garrulus. Ab iis, qui multum apud ægros blaterant ac garriunt, magnificè de se sentiunt, ac si sui similes vix haberent, multaque & impossibilia quidem pollicentur, caveat sibi æger: plerumq; enim accidit, quod Poëta canit:

Insipienti major inest jactantia menti,
Vas etenim pleno tinnit inane magis.

Præterea nonnunquam ægro tædiosum atque molestum est, quando Medicus, aut alii, tam multa loquuntur, rident, & alias nugas agunt; hinc ait Menander,

Medicus loquax alter languenti morbus est.

Talem quidem Medicum aliquando apud Virum quendam celebrem vidi, qui ægrum multiloquio, & instrumentis Musicis recreare & oblectare gestiebat; æger verò per Præfectũ suum aulicum honorario ipsum donavit, eumque ablegare jussit: miranti mihi respondit æger, se eum, quando in posterum Bachanalia instituturus sit, rursus ad se vocaturum.

Me... ne ... mer... Æger etiam diligenter, an Medicus temerarius sit, inquirat. Multi enim, prôh dolor! inveniuntur, qui non magis à corporis humani, quàm faber ferrarius, ac cæmentarius à lapidũ, ac ligni sectione abhorrent: & quamvis nullam omninò spem, de ægro per Lithotomiam in vivis conservando, ob oculos videant, nihilominùs tamen non curant, numosq; accipiunt, & Mundum decipiunt: Hoc est, intrepido animo, & citra peritorum consilium incisiones in corpore instituunt: quod tamen non probandum, sed ubi nulla Sanitatis restitutio per Lithotomiam sperari vel exspectari potest, vita ægro non temerè præcidenda. Qui hoc perpetrant, coram Deo mortis ipsius autores sunt. Neque ipsos excusat, quod prætendunt, ægrum ita voluisse, eos rogâsse, mori se malle, quàm in ejusmodi miseriis & cruciatibus diutiùs vitam trahere. Minimè gentium, non hâc itur ad astra: horam nobis à Deo præfixam cum patientia Christiana exspectare, simulque per multas ærumnas in regnum cœlorum nobis ingrediendum esse, *Act. v. 22.* perpendemus. Hæc industrius quidem Medicus ægris proponat, eosq; eo ipso consoletur; postea etiam omnibus, quæ excogitari possunt, mediis ac rationibus dolores ipsorum, per salutaria medicamenta atque remedia leniat.

Non leve temerarii animi indicium est, quando Castratores non priùs diligenter inquirunt, & explorant, utrùm Calculus aliquis in Vesica contineatur, nec ne, sed levi aliquâ suspicione, signisque Calculi aliquot inducti, ferrum Vesicæ admovent, frustraque cum forcipibus diù eam perreptant, quæritant, & tamen nihil inveniunt: quemadmodum hoc ipsum contigisse scio. & quòd Castratori cum ludibrio & re infectâ ab operatione desistendum, Vulnusq; denuò consolidandum fuit.

Dolus ... cujus... Circum... foran... Circulator seu Circumforaneus quidam, meo tempore Coloniæ Lithotomiam in Viro quodam administrandam suscepit. Postquàm autem diù in Vesica fodicâsset, & quæritâsset, nihil verò invenisset, tandem clandestinò, ut arbitrabatur, Calculum è manica ad forcipes emisit, quem quidem, ac si eum è cavitate Vesicæ eduxisset, ostentabat. Detecto verò ab astantibus & Amicis ægri, dolo, levis ac nefarius iste impostor meritas Amplissimo Magistratui pœnas dedit.

Vulnus statim post ... sioné ... solida... dum. Animi porrò temerarii argumentum est, quando Lithotomus statim post extractum Calculum Vulnus unire, summoque studio sanationem ipsius accelerare conatur. Sic quidem phlegma, Arenulæ, & similia in vesica remanent, & de novo deteriora symptomata, quàm ipse Morbus fuerat, excitant.

Nec

Nec minor temeritas est, quando nonnulli ægros suos Castratos tertio, quarto, vel sexto die è lecto erigunt, indeque gloriolam aliquam vanam captant, antequam funis decidit. & abscissus Peritonæi processus probè sanatus est: tunc sæpenumerò Intestina iterum procidunt, & symptomata lethalia, quæ hîc recensere nimis longũ foret, producunt.

Multò verò magis illud dolendum est, quòd multi ex mera temeritate, & imprudenter, (uti multos novi) ægrum super scamnum prosternunt, alligant, & loco herniosi lateris, in sano Castrationem instituunt. Hi meritò à prudentissimo Magistratu, ob tam indignum facinus, puniendi, parique ære compensandi sunt. Scriptum enim est, *Oculus pro Oculo, dens pro dente, pès pro pede, &c.* A nefariis quidem istis hominibus sibi cavebunt, nec corium suum ipsis committent, illi, quibus Sanitas & vita pretiosa est.

Præter hæc omnia, summè quoque necessarium est, ut Lithotomus atque Castrator in Anatomicis versati sint; quid enim boni, absque cognitione corporis humani, inprimis verò illius partis, in qua Oparatio instituenda est, efficere poterunt? quum unicuique Natura, proprietates, ac constitutio illius rei, cui manus admovenda est, exactè accurateq; intelligenda & cognoscenda sit. Quando itaque Chirurgus Anatomiam non intelligit, facilè inter secãdum unum pro altero, summo ægri detrimento, sumere, & abscindere poterit: uti sæpissimè contingit, & de quo alibi exempla proposui.

Adhæc non purus putus sit Empiricus, h. e. qui nihil præter nudam experientiam habeat, sed aliquid ampliùs in fundamentis Artis didicerit, ut Naturas & Constitutionem ægrorum, causas morborum, atque Symptomatum cognoscere, easque, quando percipiuntur, avertere ac præcavere queat. Quia non semper fieri potest, ut Medicum præsentem habeat.

Optandum igitur esset, ut omnes, qui Artem hanc tractare cupiunt, literis etiam aliquantulum operam dedissent, ut ad *Hippocratem, Galenum, Avicennam, Aegmetam, Celsum,* aliosq; Excellentissimos Viros, tanquam veros Medicinæ fontes, aditum habere, ex iisque fundamenta artis percipere & addiscere possent. Quoniam verò studia à Germanis nostris jam contemnuntur, mirum non est, quòd Ars hæc planè cœno obruatur, aliiq; populi nobis longè antecellant.

Similiter etiam æger à temerariis illis hominibus, qui Artem addiscere volunt, quantumvis centum, ut ajunt, rusticorum vitæ dispendio ipsis comparanda esset, sibi cavebit: initium rei faciunt, sive succedat, sive non, ægervè sanetur, aut obeat, ipsis perinde est. Sufficere existimant, si æger se tanquam deploratum ipsis commiserit, nullaq; præterea excusatione, coram Deo & hominibus, opus esse. Leves sunt isti homines, sine conscientia, & scientia, à quibus ægri diligenter quoque sibi cavebunt. Summè enim necessarium est, ut Lithotomus ab aliis quoque peritis Lithotomis Lithotomiam administratam viderit, uti quivis facilè apud se judicare potest.

Medicum porrò Avaritiæ, privato commodo, & lucro deditum esse non decet: hàc enim ratione ægri sæpenumero in magna infortunia incidunt, ac malè curantur. Quando nimirum Medicus, Avaritiæ & lucri causâ, in Curatione tenax est, aut ea quæ conveniunt, & necessaria sunt, non adhibet: vel etiam dum ægrum curare deberet, aliis negotiis incumbit ægrumq; tyroni alicui committit, ac deserit.

Manus sanas, & robustas habeat.

Denique etiam manus sanas, firmas, robustas, & minimè tremulas habeat, sicuti etiam acutum visum, ut Operationem citò expedire possit, nec æger diù crucietur ac detineatur. Non sufficit autem Medicum præfatis Virtutibus, industriâ, & experientiâ præditum, & ornatum esse; sed insuper requiritur, ut æger, post Deum, Medicum Medicorum summum, totam fiduciam suam in ipso collocet, eumque singulari amore ac studio prosequatur: si enim æger Medicum suum torvis, ut ajunt, oculis intueatur, si sine causa cõvitia ac scommata in eum effundat, morbumque atque dolorem suum spongiâ veluti detergi, & unguibus abradi velit, ac si penes ipsum sit, Morbum pro arbitrio tractare, gubernare, regere, extendere, contrahere, quemadmodum aurifaber aurum & argentum, faber verò ferrarius ferrum tractat. Imò, si æger Morbum sibi à Deo Opt. Max. propter peccata, ut nimirum ad frugem se recipiat, resipiscat, & ab eis desistat, immissum esse non agnoscat, tunc Deus summam illam ægri erga Medicum ingratitudinem punit, nec medicamentis & laboribus Medici benedicit, ut aliàs fieret, si æger verbis ac moribus humanum, reipsâ verò, quantum facultates ipsius ferunt, gratum sese exhiberet. Verbo dicam, jubet nos sacra Scriptura Medicum honorare, quia ipsum constituit Altissimus, h. e. ad munus atque vocationem istam vocavit. Quibus verbis Scriptura eos, qui legitimè ad munus istud vocantur, & à Viris doctis approbantur, distinguit ab iis, qui non more solito per veram januam, sed veluti fures per fenestras & ambitus intruduntur, & à quibus ægri Sanitate, unà cum bonis ac opibus suis privantur: veluti sunt leves & imperiti Circumforanei, Circulatores, Presbyteri vagabundi, Iudæi obstinati, Carnifices, & alii hujus farinæ nefarii homines ac nebulones, quibus multi ne obulum quidem crederent, cùm tamen interea Sanitatem, imò corpus & Animam suam manibus ipsorum committant. Eò usque occæcavit Diabolus homines, non aliam sanè ob causam, quàm ob ingratitudinẽ nostram erga Deum, & quoniam cœlestia, salutaria, ac pretiosa ipsius dona pedibus conculcamus. Quicunque igitur erga fidum & industrium, nec non à Deo constitutum Medicum suum, sive verbis, sive moribus, multò verò magis remuneratione ingratus fuerit, cujusmodi quidem ægri mihi sæpenumerò obtigerunt, ille facilè sibi persuadere poterit, quòd Deus labores, ac sollicitudines, quibus pius, probus, atque fidelis Medicus ægrorum causâ afficitur, non impunè feret: sicuti Lector *superiùs cap. 4.* Ingratos à Deo fuisse punitos, videre poterit.

Quomodo Aeger erga Medicum suum affectus esse debeat.

Ubi igitur æger Lithotomum commemoratis Virtutibus præditum nactus fuerit, resque suas,

ut

Cap. 8.

ut dictum fuit, disposuerit, Operationi, invocato divino Numine, sese submittere poterit. Atque hæc quidem de eis, quæ ægro ante Operationem perpendenda incumbunt, breviter dicta sufficiant.

CAP. VIII.

Quid Lithotomo ante operationem, tam ratione Calculi, quàm ipsius ægri, perpendendum sit: ubi quidem ostenditur, non omnium Calculorum extractionem tentandam, neque etiam omnes ægros ad Lithotomiam aptos esse.

IN præcedentibus Capitibus, quomodo æger ad Lithotomiam sese disponere, qualemque sibi Lithotomum eligere debeat, breviter propositum & explicatum fuit. Sequitur nunc, ut etjam de officio Lithotomi nonnulla subjungamus. Ut autem omnia ordine persequi queam, ea ita distribuam, ut primò quidem quid Lithotomo ante Operationem, deinde etiam in ipsa Operatione, & denique post Operationem faciendum, ac moliendum incumbat, proponam.

Duo Medico ante administratione Lithotomiæ observanda sunt.

Quicunque igitur Lithotomus, in tam difficili periculosaq; Operatione, aliquid boni præstare, proximo itidem suo fideliter inservire, coram Deo subsistere, neque æternam damnationem mereri cupit, ante omnia, primò Calculi constitutionem, deinde etiam Naturam ægri probè, ac summa cum diligentia explorabit, nihilq; imprudenter tentabit. Id autem paulò fusiùs sequente ratione explicabimus.

1. An adsit Calculus.

Calculum quod attinet, ante omnia, an adsit Calculus, explorandum, & inquirendum, neque temerarii & audaces quidam Empirici imitandi sunt, qui levi aliquâ Calculi suspicione inducti, illicò & citra ulteriorem inquisitionem, cultrum adhibent, ægrum summo quinetiam periculo, seque metipsos, & Artem ludibrio exponunt.

Signa externa Calculi, & exploratio facta cum digito, nō sufficit ad instituendam Lithotomiā. De his vide Cent. 2. Obs. 65.

Externis igitur Calculi Signis, sicuti etiam explorationi digito in Anum immisso factæ, simpliciter & per se fidendum non est; aliquando enim in dissectione Cadaverum observavi, quòd duri tumores ac scirrhi, qui ægro adhuc vivo existente, per anum tam duri, ac si Calculi fuissent, palpari potuerunt, inventi fuerunt, imò, quod magis est, tumores isti duri circa collum Vesicæ eadem ferè symptomata, ac si Calculus aliquis adfuisset, excitârunt. Quòd autem ejusmodi tumores indurati & scirrhosi incisione, citra mortis periculum non potuerint eximi, inde manifestum fit, quòd illi, ut ipse evidenter vidi, adeò firmiter atque tenaciter Vesicæ, & ipsius collo adnati fuerint, ac si unum cum Vesica corpus constituissent. Exploratio igitur cum instrumento facta, ad indagandum, & discernendum Calculum à duris istis tumoribus, in Vesica natis, omnium optima atque certissima est: quod cum digito in anum immisso discerni non potest, magnitudo verò Calculi plerumque eo agnoscitur.

2. Magnitudo Calculi omnino explorāda

Secundò, Calculi quoque magnitudinem cognoscere ac scire necesse est: si enim admodum magnus esset, nihil aliud, quàm Mors, exspectanda foret, uti sæpe ægros vel in ipsa Operatione, vel paulò pòst mori contingit.

Obs. De Calc & op tion. sula. ctor 4. Ob.

Andreas Vitellius, celeberrimus Castrator atque Lithotomus, anno 1602. die omnium Sanctorum, Juveni cuidam 20. annorum, *Iohanni Groten* dicto, Hattingiæ in Marchia Calculum, 22. uncias pendentem, extraxit, eâ verò ipsâ horâ, & in operatione occubuit. Similia Exempla, si opus esset, plura afferre possem. Quòd si igitur Medicus ægrum moriturum certus fuerit, sententia Cornelii Celsi, *Desperatos non esse attingēdos*, locum habere potest, imò cuivis temerè factum videbitur, si Lithotomus in talibus ægris Lithotomiam instituat: quoniam æger fortassis cum morbo suo diù adhuc supervivere, Deoque ac Proximo inservire posset; Præterea hoc coram DEO OPT. MAX. difficulter excusare poteris. Pius itaque atque fidelis quivis Medicus, ejusmodi ægros doctis Medicis, atque Theologis committat: ut illi quidem, quantum fieri potest, dolores ipsorum leniant ac mitigent, hi verò eos consolentur, & ad patientiam constantiamque Christianam, donec supremus Archiater suppetias ferat, adhortentur. Quòd autem ejusmodi ægri sæpe etiam multos annos tali morbo affecti supervivant, experientia testatur.

Histor memo bilis.

Petrus Pigray, Chirurgus experientissimus lib. 7. cap. 4. scribit, se novisse quendam Nobilem, qui 25. annos Calculo, citra insignem tamē molestiam, affectus fuerit: quando enim Urinam excreturus erat, tunc illum instrumento sibi ipsi applicato Urinam absque dolore emisisse. Quæ cùm ita sint, quare igitur, mi Chirurge, ægri tui corpus, Animamque tuam propriam periculo exponeres?

3. Utrum Calcul adnat sit.

Quòd si verò etiam certus esses (quod difficulter tamen agnosci potest) Calculum Vesicæ adnatum esse, tunc Lithotomia non facilè instituenda erit: quoniam in avulsione Calculi simul etiam Vesica dilaceraretur, unde nihil aliud, quàm mortis periculum, exspectandum foret.

Observ

Anno 1610. Basileæ, unà cum doctissimis ac celeberrimis Medicis, *Dn. Felice Platero, & D. Caspa ro Bauhino*, ad Nobilem quendam primarium ex Alsatia vocat⁹ fui, qui à multis annis Calculo atrociter divexabatur: nullus tamen Castrator aut Lithotomus unquam Calculum in ipso deprehendere potuit, quanquam experientissimos adhibuisset Medicos. Ego quoque summâ in Viro illo adhibitâ diligentiâ ac studio nunquā tantum efficere potui, ut digito vel instrumento Calculum in Vesica deprehendere potuerim. In hoc Viro, uti præfatus *Dn. D. Bauhinus*, Amicus meus singularis, coràm mihi retulit, primoque Theatri sui Anatomici libro, cap. 31. testatur, post pium ipsius obitum, Calculi aliquot ingentes, peculiari sacculo sive Vesiculæ, Vesicæ innatæ & adnatæ, inclusi reperti fuerunt. Si igitur Castrator sive Lithotomus solummodò ad signa Calculi attendere voluisset, ea quidem in hoc Nobili omnia (præterquam quod digito & instrumento nihil reperiri potuit) videre ac deprehendere potuisset: & si postmodum Lithotomiam instituisset, forcipes immisisset, ac Calculum cum involucro suo, ut facilè quidem fieri potuisset, prehendisset,

hendisset, & extraxisset, quomodo cum ægro actum fuisset? Non aliter certè, prôh dolor! quàm cum pluribus aliis, qui in imperitorum ac temerariorum hominum manus incidunt, ægerq; subitò, cum summo dolore Vesicæ, & omnium Viscerum interiorum inflammatione, occubuisset; cùm tamen cum affectu suo multos adhuc annos vitam agere, Deo inservire, familiæque suæ præesse potuerit. Neque etiam ad rem facit, quod multi Castratores ajunt, aleam jaciendam esse, ut æger à doloribus liberetur, sive hoc, sive illo medio illud efficiatur. Minimè verò, nequaquam ita statuendum, sed Deus Opt. Max. sæpe corpora nostra in hac vita, his & aliis morbis gravibus visitare & castigare solet, ut carnem nostram mortificare discamus, & Anima servetur. Hoc idem etiam *Beatus Augustinus* diligenter perpendit, cùm Majestatem divinam ardentissimè precatur, dicens, *Hîc ure, hîc seca, ut parcas in futuro*. Quare iterum repeto, quando Chirurgus novit, (quod quidem novisse debet) de Sanitate per Lithotomiam nihil sperari posse, tũc illam instituendam non esse.

Ægrum quod attinet, diligenter ante Operationem inquirendum est, primò utrum ita constitutus sit, ut Lithotomia in eo possit institui? si enim in infantulo aliquo Calculus magnus, ut sæpe fit, deprehenderetur, postmodum patet, & concludendum est, eum absque mortis periculo educi non posse; quoniam ipsorum vires nimis adhuc debiles & imbecilles sunt, ad ferendum videlicet magnum, cum operatione ista conjunctum dolorem: unde *Cornelius Celsus*, & alii ex Veteribus, Lithotomiam in infantibus, ante nonum ætatis annum, administrare noluerunt; multos tamen, & longè quidem juniores, Operationem feliciter sustulisse, atque sanatos fuisse, Calculo præsertim minore existente, experientia testatur. Eadem est decrepitorum Senum ratio: quamvis enim corporis ipsorum magnitudo analogiam quandam cum Calculi magnitudine habere videatur, considerandum tamen est, Senum corpora longè aridiora & sicciora, quàm juniorum esse, indeque in Operatione cutem, Musculos, Venas, & similia, non ita facilè, ut in junioribus, qui Temperamentum adhuc calidum & humidum, ac proinde cutem, carnem, & Venas lubricas obtinent, extendi ac dilatari posse. Vidi nihilominus, Operationem hanc etiam in Senibus feliciter successisse, Calculi tamen non admodum magni erant.

Anno 1610. die 14. Maii, *Dn. Iohan. Iacobus Mirck*, experientissimus Lithotomus Ulmensis, in mea, plurimorumq; aliorum celebrium Virorum præsentia, Nobilissimo ac strenuo Viro, *Dn. Zachariæ Geitzcofler*, Dn. in Geilenbach, Haunsheim, Weschenbeüren, & Moës, Equiti, & Sacræ Cæs. Majest. Consiliario, &c. Viro quinquagenario, Calculos duos, quorum alter ℥xiij. alter verò ℥j. ß. pendebat, feliciter extraxit, dictusque Dominus brevi pristinam sanitatem recuperavit, ita ut multos adhuc annos post Operationem illam supervixerit, Imperioq; Romano prudentissimo suo consilio atque judicio optimè inservierit.

Cap. 8. & 9. Observatio.

Anno 1598. die 28. Iulii, Vivatii ad Lacum Lemanum Nobili cuidam Matronæ quadragenariæ, *Vrbanæ Hugonin* dictæ, Calculum magnitudine ovum gallinæ superantem, feliciter extraxi, quæ brevi quoque restituta fuit, sanaq; & incolumis vixit, ac optimè liberis suis præfuit, usq; ad annum 1611. quo piè in Domino obdormivit, nullamque Calculi molestiam ad obitum usque percepit.

Secundò, Constitutio ægri diligenter quoq; observanda est: si enim vires ægri fortè vehementia ac diuturnitate dolorum Calculi prostratę essent, adeò ut interiora Viscera, putà Pulmones, Hepar, Renes, &c. ex parte computruerint, & labefactata fuerint, Operatio instituenda non est; Oleum enim & opera perditur, ægerq; propter symptomata Operationem mox sequentia, moritur. Hîc rursus necesse est, ut Chirurgus peritum aliquem Doctorem Medicum, cui Viscerum interiorum constitutio innotescat, in consilium adhibeat. Quòd si verò imbecillitas aliqua, propter doloris vehementiam, absque interiorum tamen Viscerum labe superveniret, tum Medicus illi, ante Operationem, subveniet: quod benignis quidem Purgationibus, Clysteribus, exquisitâ Victus ratione, & Corroborantibus cordialibus perfici potest.

Anno 1598 cùm Vivatii suprà dictæ *Dom. Hugonin*, ob ejusmodi magnam imbecilllitatem, Calculum extrahere recusâssem, eique optimam victus rationem præcepissem, corpus purgassem, & Cordialia nonnulla, tam externa, quàm etiam interna præscripsissem, intra paucas septimanas (quoniam interiora ipsius Viscera adhuc integra fuerant) ita restituta fuit, ut ei, quemadmodum dixi, die 28. Iulii ingentem Calculum è Vesica per Lithotomiam extraxerim: *uti ex Cent. 1. Observ.* mearum videre est.

CAP. IX.

Quâ ratione corpus ægri Victus ratione, Purgatione, Venæ sectione, ac Balneis, ad Operationem præparandum sit.

POstquam Calculus sufficienter exploratus & detectus, illumque extrahendum esse, vel ab ægro ipso, vel (si fortè nondum ad consistentem ætatem pervenit) ab ipsius propinquis & Amicis determinatum, Chirurgus itidem ad suscipiendam Operationem illam rogatus fuerit (honestum enim Virum parum decet, ut ad hanc, & alias Operationes difficiles, Agyrtarum & Circumforaneorum more, sponte se ingerat) tunc Chirurgus non illicò ægrum, sicuti lanius ovem, scamno alligabit, cultrumque adhibebit. Minimè gentium, aliter verò procedendum erit: si enim Operationem legitimè instituere, & coram Deo subsistere cupis, corpus ægri ante Lithotomiam, tam conveniente Victus ratione, quàm etiam Purgatione, Venæ sectione, & similibus, præparandum, aptumque & idoneum reddendum est. Hîc rursus fideli cuivis Lithotomo maximè incumbit, ut peritum aliquem Medicũ, qui ægri naturam, interiorumque Viscerum constitutionem cognoscat, sibi adjunctum habeat. Quod si fieri nequit, primò quidem ægro legitimam

Cap. 9.

mam Victus rationem, præsertim quoad cibum ac potum præscribat, eique injungat, ut eam per aliquot ante Operationem dies diligenter observet: inprimis verò ea omnia, quæ dura, & difficilis sunt Cōcoctionis, vitabit; uti est omnis caro salsa & suffumigata, pisces, caro ferina, Caseus, & similia. Deinde etiam tam ante, quàm in ipsa Curatione, sicuti etiam aliquandiù post nocent quæcunque immodicè salsa, aut aromatibus condita sunt. Inprimis verò Piper, Zinziber, Caryophylli, Raphani, cæpæ, imò omnia quæ linguam adurunt, & acria sunt. Ex Aromatibus Cinamomo, Croco, Macere, & nuce moschata, prout commodum fuerit, uti potest. Tertiò, viscosa omnia ei vitanda sunt; unde Capita, pedes, & viscera Animalium, sicuti etiam Lac, Caseus, Pisces, in aquis turbidis degentes, & alia id genus damnum ipsi afferunt. Carne igitur bubulâ ac vervecinâ recente, pullis gallinarum, Columbis, omnis generis avibus (exceptis aquatilibus) sicuti etiam ovis, & butyro recente, hordeo, Avenâ decorticatâ brodiis pisorum, & similibus vescatur. A vino, & omni potu vehementer calefaciente æger abstineat, pro potuq; ordinario Ptisanâ communi, vel Decocto sequente utatur;

Decoctum pro potu ordinario

R. *Agrimon. Veronic. an. m. ß. Liquirit.* ℥ß. Incidantur & decoquantur *in* ℔ *iij. aquæ fontan.* ut remaneant ℔ ij. quæ ebullientes in cantharū infundantur, *addendo Cinamom.* ʒvj. *Sacch.* ℥jß. Cantharus subitò ac probè obturetur, ut nihil exhalet. Deinde Decoctum refrigescat per se, de quo bibat æger ad libitum. Lac amygdalarū dulc. mirum quoque in modum ipsi conducit: præsertim si duabus partibus Amygdalarum, pars tertia semin. Cucurbitæ atque Melonum addita, omniaque cum aqua, cui frustum panis incoxit, per linteum trajecta, & aliquid Sacchari adjectum fuerit.

Affectus animi vehementiores, præsertim Ira, tristitia, & similes, ægro vitandi sunt. In Somno itidem atque Vigiliis modum servabit: & hyberno tempore aëre mediocriter calido utetur, æstivo verò tempore cubiculum sæpe frigidâ irrigabit, & foliis ac floribus refrigerantibus, ut calida aëris intemperies aliquo modo infringatur, consperget.

2. Quomodo Corpus purgandū sit.

Deinde etiam corpus ante operationē purgandum est, medicamentis tamen benignis, & quæ alvum non vehementer commoveant, ne novus quandoq; humor ad meatus Urinarios deferatur, ibidemque affectum augeat. In infantibus sufficiens est *Syrupus rosat. solut. vel Syr. de Cichor. cum Rhabarbaro.* Si verò æger paulò adultior fuerit, tunc parum Electuarii, de succo rosat. dicti, adjici, & cum aqua Endiviæ misceri potest. Adultis sequens Potio conveniet:

Syrupus Magistralis.

℞. Rad. Cichor.
Lapat. acut.
Polypod. ana ʒj.
Liquirit. mundat. ʒij.
Herb. Scabios.
Agrimon.
Veronic. ana m. ß.
Flor. 3. Cordial, anna p. j.
Sem. Anis. ʒij.
Fol. Sennæ Alexandrin. mundat. ℥iij.

Coquantur in aqua, ut Colatura redeat ad ℔.j. in qua infundantur, & macerentur per noctem:

Rhabarb. elect. ʒij.
Agaric. recent. trochiscat.
Turbith gummos. anna ʒj.

Post sufficientem macerationem, & ebullitionem unam aut alteram, exprimantur fortiter, & cum ℥ iiij. Syrupi rosat. solut. comp. nec non ℥vj. Sacch. miscellanei f. Syrupus Magistralis. De hoc Syrupo infanti, in quo Castratio, vel Lithotomia administranda est, ℥ß. adultiori ℥j. & sic deinceps, quò adultior est æger, eò major etjam dosis ei conveniet. Cum aq. Endiviæ, vel Ptisana, sicuti etiam cum decocto Præscripto ex Agrimon. &c. misceri potest. Quoniam verò ejusmodi ægri, propter magnum ac diuturnum dolorem præcedentem, multis humoribus crassis referti sunt, simplici aliquâ Purgatione non acquiescendum, sed plures, donec corpus sufficienter purgatum fuerit, adhibendæ sunt; atque ita eò feliciùs succedet Curatio, minusque negotii facessent Symptomata.

3. De Sectione

Postquam autem Corpus præfatis Remediis sufficienter purgatum fuerit, ægro, quatenus id ætas, & aliæ circumstantiæ concedunt, Vena secanda, & prout vires ægri constiterint, & sanguis abundaverit, sanguis emittendus est. Plerumque in dextro brachio, ob Hepar, institui solet: nisi æger fortè in latere sinistro affectum aut vitium aliquod p.n. habuerit, ut ex consilio Medici in brachio sinistro Vena ipsi secanda sit. Quòd si etiam consueta aliqua evacuatio in ægro supprimeretur, uti sunt Hæmorrhoides, mēstrua Purgatio in Mulieribus, tunc illæ, præmissâ corporis purgatione, inprimis movendæ atque ciendæ sunt, antequàm instituatur incisio. Castratores quidam perniciosum huncce abusum ac consuetudinem fovent, ut ægro, tribus diebus incisionem proximè præcedentibus, manè & vesperi Potionem Diureticam vehementem exhibeant, se Calculum eâ ratione ad Vesicam depulsuros existimantes: quantum verò nocumenti iis afferant, *postea cap. 23.* inter alios abusus, declarabitur.

Supp... hæ... rhoi... men... Purg... mov... sunt. Abus... pern... sus ... rum ... Castr... rum.

4. Q... mod... ter in... rior e... tiri d... beat.

Quartò, Venter inferior, præmissâ legitimâ ac sufficiente Purgatione, ante incisionem etiam satis potenter emolliendus, laxusque ac lubricus reddendus est, ut in Operatione, quando per exiguum Vulnus Calculus magnus, ut sæpe evenire necesse est, extrahendus occurrit, membranæ & musculus Vesicæ commodè, & minore cum periculo dilatari, diduci, atq; extendi queant. Pro Semicupio verò sumantur sequentia;

Semi... pium

℞. Rad. Altheæ,
Malv. ana ℥ij.
Fol. Altheæ,
Malv.
Violar.
Parietar.
Flor. Chamomill.
Melilot. ann. m.j.

Aneth

Sem. Anis.
Melilot.
Aneth.
Lini,
Fœnograec. ana. ℥j.

Incidantur, & contuntantur omnia grosso modo, coquanturque pro Semicupio. In hoc Semicupium æger tres aut quatuor dies ante Operationem immittatur, quod vesperi duabus horis post cœnam fieri poterit, ut è Semicupio calido postmodum in lectum calefactum sese conferre, atq; quiescere possit. Quotiescunque verò Semicupium egreditur, & per semihoram, vel diutiùs quieverit, cum Unguento sequente Venter ipsius inferior totus inungatur;

℞. Ol. Amygd. dulc. recent.
Lilior. alb.
Scorpion. an. ℥j.
Pinguedinis Capon.
Anseris, an. ʒij.
Unguenti Dialtheæ, ʒij.
Misce f. Linimentum.

Quòd si verò æger Semicupio nō delectaretur, aut alia impedimenta occurrerent, tum sumatur herbarum prædictarum q. s. injiciantur in sacculum, in aqua decoquendum, & applicetur Perinæo, ejus tamen magnitudinis, ut partes omnes circumjacentes etiam cooperire queat.

Cap. X.

Quodnam anni tempus, & ætas ægri, Lithotomiæ maximè conveniat; ubi quidem insuper etiam de præparationibus quibusdam, ante Operationem necessariis, agitur.

Non sufficit corpus ægri purgâsse, & mundificâsse, sed etiam in periculosa hac Operatione Anni tempus, si fieri potest, observandum erit. Quoniam enim hyems frigida, ac proinde Vesicæ, Nervis, & omnibus in corpore nostro è genere nervoso conflatis ac genitis inimica, & noxia est; quoniam etiam ejusmodi frigus corpora nostra condensat, & omnia contrahit, tempus hoc, hybernum scilicet, Operationi isti non nisi perniciosum esse potest. Quemadmodum etiam intensissimus calor æstivus, maximè verò dierum Canicularium; quandoquidem ille omnia interiora Viscera in corpore humano calefacit, sanguinem incendit, bilem adauget, calorem verò nativū cum humido radicali dissipat atque consumit, adeoq; multa periculosa symptomata excitat: hoc, inquam, tempore difficilis quoq; Operatio ista instituenda non est: ut ex *Hippocrate* demonstrari posset. Sequitur itaque Ver, utpote quod temperatum, adeoque inter anni tempora, ut *Hippocrates libr. 3. Aphorism. 9.* testatur saluberrimum est, & proinde corpora nostra emollit, & lubrica reddit, ad instituendam Lithotomiam, ut *Cornelius Celsus*, & alii testantur, convenientissimum & utilissimum, atque adeò difficillimam ac periculosissimam Operationem istam eo tempore potissimum instituendam esse. Huc igitur industrius Medicus scopum suum dirigere poterit, præsertim cùm Operatio ista plerumque sine periculo suspendi possit. Sequitur tandem Autumnus, in quo quamvis inconstantia aëris morbos, atque symptomata periculosa reddit, propter humidam tamen constitutionem suam Lithotomiæ magis accommodatus est, quàm æstas, propter summum ipsius æstum, & quàm hyems, propter intensam ipsius frigiditatem.

Cap. 10.

De Autumno.

Quòd si verò necessariò adversa & intempestiva aëris constitutione ejusmodi Operatio instituenda esset, tum quantum fieri potest, adversæ aëris qualitates Arte corrigendæ & emendandæ erunt. Hyberno igitur tempore, sicuti etiam in Autumno æger paulò ante Incisionem in cubiculum moderatè calidum collocari, Sacculique Emollientes prædicti, vel Semicupium paulò diutiùs ante Operationem adhiberi poterunt. Tempore æstivo, ægro, quod sæpe mihi in hac, & aliis Operationibus difficilibus, quæ suspendi non poterant, faciendum fuit, cubiculum versùs occasum situm destinare, illudque frequenter frigidâ irrigare, ac foliis refrigerantibus, veluti salicis, quercus, Plantaginis, Rosarum, & similium, conspergere oportet.

Quomodo contrariæ aëris qualitates corrigendæ sint.

Ætatis itidem Ægri ratio quoque habenda est, unde sapientissimi Veteres ejusmodi Operationes non in teneris Infantulis, neque etiam in Senibus decrepitis, instituere voluerunt. In Infantibus quidem, propter ipsorum imbecillitatem: & quoniam ingentem dolorem & hæmorrhagiam, quæ periculosam illam incisionem comitari solent, citra mortis periculum tolerare non possunt. In Senibus verò incisio ista summè periculosa est, non solùm propterea quòd mortales omnes in declinatione ætatis suæ debilitantur & enervantur, sed etiam quoniam calor nativus, imò ipsum quoque humidum radicale in iis deficit; indeque ipsorum corpora arescunt & exsiccantur, ita ut Cutis, Musculi, Venæ, ac Nervi difficulter in incisione extendi, & ad immittenda instrumenta, & educendum Calculum, non sufficienter dilatari possint. Imò sæpenumerò in Senioribus incidendis, propterea quòd ipsorum Viscera exarefacta sunt, Venas, Musculos, ac Nervos summo ægri periculo disrumpi atque divelli, contingit. Præterea Medico quoque perpendendum incumbit, quòd quemadmodum humidum radicale, & calor nativus in Senibus deficiunt: ita etiam humores frigidos præternaturales excrementitios atque phlegmaticos naturæ limites excedere, unde nihil aliud, quàm omnis generis prava symptomata in iis speranda sunt.

De Ætate, in qua Operatio hæc commodissimè potest institui. Quare Lithotomia in Senibus periculosa.

Chirurgum denique etiam Instrumentorum, variis modis, & ex optimo ferro confectorum copiâ instructum esse oportet: sæpe enim accidit, ut in Operatione eorum aliquod fractum, fragmentaque ipsius in Vesica retenta fuerint: quemadmodum scio aliquando Chirurgo, Crus amputaturo, serram in media Operatio-

Multitudo Instrumentorū in Lithotomia requiritur.

Cap. 10.

Hac de re vide libru meum de Gangrana & Sphacelo.

peratione (proprio suo contemptu atque dedecore, summoque ægri incommodo) quod nimium indurata esset, disruptam fuisse. Varia verò Instrumentorum, ut dixi, genera requiruntur; veluti Catheteres, styli Exploratorii, Itinerarium, Conductores, specula, forcipes, Hamuli, & similia, quorum magna, parva, ac media Chirurgus habere debet, ut in Operatione, prout Calculus magnus aut parvus, ægerque constitutus fuerit, hoc vel illud adhibere queat. Vnâ fideliâ duos se dealbaturum parietes ne credat: neque enim in Operatione conquirendis instrumentis locus conceditur. Multitudinem verò & varia instrumentorum genera apud doctissimos & experientissimos Viros, *Marianum, Sanctum Barolitanum, Ambrosium Paraum, Petrum Francum, & Iohan-Andream della Croce*, Lector videre poterit. Ego ad Operationem istam instrumentum peculiare excogitavi, & inveni, quod quivis, cui illud arridet, juxta descriptionem atque figuram, quam postea *18. cap.* subjiciam, sibi præparari conficique curabit. Duplicem autem usum habet; non solùm enim ad aperiendam Vesicam, loco Speculi, inservit, sed simul quoque Calculum prehendit, ac forcipis vices subire potest.

Chirurgum præterea etiam Medicamento aliquo, ad sanguinem sistendum probato, instructum esse oportet. Quod sequitur, ipsi in hac, & aliis periculosis Operationibus ex usu esse potest, quod ei è *Tractatu meo de Gangrana & Sphacelo* huc adjungere volui;

Pulvis ad sistendum sanguinis profluvium.

℞. Farin. Volatilis ℥vj.
Sanguinis Dracon.
Thuris,
Boli armeni,
Terræ sigillat. an. ℥ß.
Gypsi, ℥jß.
Ranarum Aquatil. præp. an. ℥ij.
Musci Cranii humani ℥j.
Pilorum leporis minutissimè incis. ʒij.
Pulv. Albuminis ovorum sole Canicular. exsiccat. ℥j.
Spumæ maris,
Spongiæ novæ torrefact. an. ℥ß.

Misce, f. Pulvis tenuissimus, qui servetur ad usum. Præter Pulverem illum ad sistendum sanguinem, Chirurgus etiam omnis generis fasciis, spongiis, Aquis Confortativis, & similibus, sufficienter instructus erit: de quo in *sequente Capite* plura dicentur.

Lithotomia non statim post Purgationẽ, ac Venæsectionem instituẽda est.

Postquam igitur tam corpus ægri præscriptâ Victus ratione, Purgatione, ac Venæsectione, quàm reliqua etiam quæ ad instituendam Lithotomiam requiruntur, præparata fuerint, non statim & proxima post Purgationem, & Venæsectionem die, incidendus est æger, sed per unum aut alterum diem quies naturæ concedenda, ut Vires à Purgatione ac Venæsectione aliquo modo dejectæ, restaurari atque refocillari queant: interea verò cibis boni succi est reficiendus, & Natura omnibus modis ac rationibus confortanda; Sacculorum præterea Emollientium, Oleorum & Linimentorum, de quibus *suprà cap. 9.* dictum fuit, applicatio & usus manè ac vesperi continuandus.

Tandem ubi ad ipsam Operationem accedendum erit, ægroq; eâ ipsâ Aurorâ alvus, si non naturaliter & per se, beneficio tamen benigni Clysteris soluta fuerit, Urinamque emiserit, ac postea jusculum, ovum sorbile, & aliud quid simile assumpserit, parumque superbiberit, DEI OPT. MAX. præsentia & auxilium ante omnia seriò & ardente animo implorandum & invocandum est, & si fortè Minister aliquis Ecclesiæ adfuerit, per eum preces concipiendæ, sin minùs, aliquis ex astantibus unam ex Precationibus, *Tractatui meo de Gangrana ac Sphacelo* ultimæ Editionis, præfixis, recitabit. Postea æger è Semicupio, postquam der Semihoram ante incisionem, ad emolliendum inferiorem Ventrem, in eo commoratus fuerit, eximatur, linteis calefactis diligenter abstergatur, supraque mensam aut alium locum pro re nata alligetur; Ita tamen, ut antea gressum unum aut alterum, imò si fieri possit, saltum fecerit, quò Calculus eò meliùs deorsum versus Vesicam decumbere queat. Infans verò si fuerit, sub utraque Axilla à Propinquis prehensus, & in altum elevatus, concutiatur atque hinc inde cõmoveatur, ut Calculus eò faciliùs deorsum ad collum Vesicæ decumbere possit. Tunc invocato divino Numine Operatio eo, quo postea dicetur, modo instituatur. Æger verò singulari artificio ac dexteritate, ut ex sequente capite apparet, ligandus est.

CAP. XI.

Quomodo Æger collandus, atq; ligandus sit?

UT Lithotomia secundùm artem, minoreque cum dolore atq; periculo ęgri administretur, non parum in eo situm est, ut æger rectè collocetur, & quantum opus est alligetur. Sic autem collocabitur, ut lux ac splendor Solis tibi emolumento esse, manusque tuas irradiare possit; Deinde, ne in Operatione hinc inde corpus commovere possit, diligenter alligandus erit. Hâc enim ratione facile à tenaculis, aliisque Vesicæ inhærentibus instrumentis lædi atq; feriri, tibi verò molestias, labores, curas, ac sollicitudines creare posset. Ad vitandum igitur hoc incommodum, & ne æger in Operatione sese commoveat, aut hinc inde vacillet, impediendum, supra mensam stabilem ac firmam collocandus, & alligandus erit. Quidam volunt, ut æger erecto corpore sedeat, quod ipse quoque aliquando factitavi, eum quidem in finem, ut Calculus eò faciliùs versus collum Vesicæ delabatur; Situatio verò ista facilè periculosæ Lipothymiæ ansam præbere posset: *ut cap. 20.* De Lipothymia ulteriùs dicetur.

Hâc igitur ratione collocandus, atque ligandus est æger, ut infimus quidem Venter ac lumbi aliquantulum deorsum propendeant, & inclinentur, ut Calculus eò faciliùs ad collum Vesicæ provenire queat. Abdomen verò, Thorax, & caput, supina jaceant. Thorax itidem non alligetur, sed liber sit. Interea tamen tot Viri robusti adhibeantur, ut ægrum, urgente

necessitate, continere queant: inprimis verò circa brachia, axillas, & crura. Thorax, ut dictum, non attingendus, nec comprimendus; ne spiritus ac respiratio intercipiatur. Natibus substernatur linteum, sive lodix reduplicata; lumbis verò & capiti unum aut alterum pulvinar, admodum compactum, ut æger eò firmiùs ei incumbere queat. Nonnulli ægrum super saccum magnum, paleâ vel aceribus repletum, reponunt, quem quidem non improbo: huic enim æger multò firmiùs atq; stabiliùs, quàm pulvinari incumbit. His peractis, Chirurgus crura ægri, quantum fieri potest, sursum versùs Ventrem, ac nates contorqueat: postea fasciam longam ac validam, è linteo paratam, & quatuor pollices in latitudine positos latam, utrinque contortam & convolutam, ita tamen ut ambo capita in medio æqualiter co?ãt, quales in fracturis cranii adhiberi solent, in promptu habeat. Sic autem Ligaturam instituesʼ; fac ut Minister alterutrum caput fasciæ in posteriore Cervicis ægri parte firmiter teneat, deinde altero capite super axillam sinistram, & sub sinistro brachio versùs coxam dextram, & super femur antrorsum, mox infra genu versùs exteriorem Cruris partem progredere, ubi quidem fasciam bis circa crus trajicere, indeq; sub planta pedis, & rursus supra crus, & infra genu sursum versùs lumbos deducere poteris. Postea sursum versùs axillam sinistram procede, ut rursus sub brachio ad cervicem usq; pervenire possis, ubi quidem caput fasciæ, quo crus dextrum ligâsti, Ministro continendum trades, tu verò prehenso altero, quòd eò usque continuit, capite supèr axillam dextram primò antrorsum, mox sub brachiis retrorsum versùs crus sinistrũ, ita ut ambæ fasciæ in dorso transversim sese cõtingant, procedes, hinc fasciam tuam, supra coxam ac femur deorsum ad genu, & supra suras, femur, atque sub planta pedis, mox iterum sursum ad coxam, & supra lumbos, ad dextram axillam usque, eodem modo, ut de sinistro latere dictum fuit, protendes, ita ut tandem ambo fasciæ capita in cervice connecti possint, ubi nodum facies. Atque ita æger satis arctè ac firmiter ligatus erit. Nihilominùs tamen (ne in Operatione sese comoveat) utrinque duos Viros robustos atque cordatos collocare poteris, quorum bini genua & pedes, reliqui verò axilles ac manus contineant; ita tamen ut Thorax, ut sæpiùs dictum fuit, minimè comprimatur. Aliàs etiam Manus peculiari fasciâ genibus, aut genua per se alligantur, beneficio instrumenti torcularis, eum in finem mensæ infixi, & per Asterismum notati, uti ex adjuncta figura, quam clarioris intelligentiæ causâ, in gratiam tyronum, & minùs exercitatorum Lithotomorum, partim ex Experientissimo & celeberrimo Viro, *Ambrosio Paræo*, mutuatam, in fine hujus capitis subjungere libuit, apparet. Peractâ Operatione, manibusque solutis ac deligatis, nodus in in Cervice etiam illicò solvendus, fascia verò eo ipso in loco forfice dissecanda erit, unde statim solvi, & citra molestiam auferri poterit.

Mulieres eodem modo collocari & alligari poterunt: occurrerunt tamen mihi in hac, & aliis gravibus ac dolorificis Operationibus Mulieres, quæ Ligaturam respuerant. Inter cæteras verò Anno 1598. die 28. Junii Viviaci ad lacum Lemanum, Matronæ cuidam nobili, *Vrbanæ Proux* dictæ, Nobilissimi & spectatissimi Viri, *Dn. Danielis Hugonini, p.m.* derelictæ Viduæ, ingentem Calculum extraxi. Cùm autem eam alligaturus essem, mihi objecit, quid mihi de ipsa videretur, & utrùm eam attonitam esse existimarem: se tot enixam liberos, multò itidem graviores, quàm Operatio ista ei afferre possit, dolores à Calculo excitatos sustinuisse, nũquam tamen Ligaturâ opus fuisse. In sellam igitur perforatam Obstetricum eam collocavi: & quoniam Calculus locum incidendum in collo Matricis jam aliquo modo indicabat, scabello depresso ad pedes ægri insidens, totam Operationem & Incisionem sub vestibus peregi, Calculumq; cum summa Astantium admiratione eduxi: & quamvis plurimi tam Viri, quàm fœminæ adessent, nemo tamen corpus nudum, imò nec ego quidem, cõspicere potuit. Mulier ista per Operationem tam præsente fuit animo, ut ne semel quidem sese loco moverit, aut ejulârit, breviq; singulari Dei beneficio, pristinam suam Valetudinem recuperavit, quam quidem ab Anno 1598. ad annum 1611 integram obtinuit. Hujus quoque Mulieris mentio fit in *Cent. 1. Obs. 68. sicuti etiam 22. hujus libri Capite.* Testis præterea memorabilis hujus Operationis, ad hunc usque annum 1627. superstes vivit Nobilissima, nec non Pietate & Virtutibus ornatissima Matrona, *Dn. Iaquelina Mestral, Dn. à Vandans, &c.*

Anno 1625. die 12. Maii, hîc Bernæ Nobilissimæ ac spectatissimæ Matronæ, *Dn. Mariæ Spirer*, Nobilissimi ac strenui Viri, *Dn. Ludovici à Diesbach, Vxori* charissimæ, Steatoma satis magnum è junctura Axillæ dextræ, unà cum membranula, in qua continebatur, feliciter exscidi. Mulier ista meritò etiam in fœminarum cordatarum catalogum referri potest: nec enim ligari nec contineri voluit. Ac licet Incisio dolorifica esset, propterea quòd Steatoma illud prope juncturam, membranis sensibilibus adnatam erat, non multum tamen corpus commovit, & ejulavit, sed dolorem summa cum patientia constanter tulit, & brevi quoque, Dei beneficio, feliciter restituta fuit. Ex his tamen non concludo, quòd Chirurgus methodum meam hac in parte semper imitari, ægrosque suos in gravibus istis Operationibus ligare non debeat: successus enim in multis voto fortassis non responderet.

Si tamen Operationem suam citra ligaturam peragere queat, ut ipse quidem multas graves ac varias Operationes, ægro non ligato, administravi, eò consultius erit: multi enim Ligaturâ adeò deterrentur, ut in periculosa symptomata, antequam ad rem ipsam ventum sit, incidant. Non dubito, periculosissimam Lipothymiam, quæ in Amputatione brachii, Viri Nobilis, *Dn. Balthasari à Diesbach*, cujus cap. 20. de Lipothymia mentio fit, supervenerat, majore quoque ex parte à terrore, è ligatura cõcepto, ortum duxisse

Cap. 11.

Historia memorabilis de terrore, à Ligatura orto.

duxisse: post absolutam enim Curam simile quid ex eo percipere potui.

Anno circiter 1608. cùm *in Castello Regio Bourg en Bresse*, miles quidam præsidiarius secundâ vice somno oppressus in excubiis deprehensus, & postmodum, ac si ictu sclopeti trajiciendus esset, opertis oculis alligatus fuisset, accessit Generosi Dn. D. *Petri de Boisse, Baronis à Bardalian, &c.* Castelli illius *Sereniss. Regis Henrici Magni nomine, Gubernatoris atque Vicarii* filius, flexisq; genibus, pro vita ac liberatione istius Militis (quoniam puerulus iste singulari amore eum prosequebatur) supplex intercedit. Gubernator mandat, ut illicò deligetur, eique annuncietur, Excellentiam S. supplicatione filioli sui inductam, vitâ eum donare. Ubi igitur miserum istum Militem deligassent, eum veluti in agone animam jam agentem, & Ratione privatum, invenerunt, unde à nonnullis è Castello in Urbem deportandus fuit, ubi Nobilis atque Doctissimus Vir, *Dn. Ianus de Burgo*, Medicinæ Doctor, juxta mandatum prædicti Generosi *Dn. Domini de Boisse*, consilio suo ei adfuit, eumque tandem restituit. Hæc mihi *Dn. D. de Burgo*, Fautor & Amicus meus singularis, cùm anno 1609. *Burgum* ad ægrum quendam vocatus essem, ipse pluribus narravit: unde quidem quàm periculosus animi affectus sit timor terrorque, apparet.



CAP. XII.

Quomodo Chirurgus tempore Incisionis sese gerere, atque disponere debeat.

HActenus explicatum, ac breviter enarratum fuit, quomodo tam æger ipse, quàm etiam Medicus ad Lithotomiam sese disponere, ac præparare debeat, quomodo itidem collocandus atq; ligandus sit æger. Sequitur nunc porrò, quâ ratione Chirurgus Lithotomiam instituere, in ejusque administratione gerere se debeat: ubi quidem sequentia capita diligenter notanda sunt.

Cap. I. Incip. appa. parv. stitu. est.

Primò, nullus unquam fidelis ac pius Lithotomus adeò audax ac temerarius erit, ut Lithotomiam *apparatu parvo*, ut vocant, quem Audaculi nonnulli in usu habent, instituere satagat, propter plurima inde sequentia symptomata, quemadmodum *cap. sequente* dicetur, sed potiùs super *Itinerario* eam instituat.

II. Incis. in S. facie.

Secundò, incisio non in ipsa Sutura, à Scroto deorsum versùs Anum descendente, & ab Anatomicis *Tauro* nominata, instituenda est: Vulnus enim eo in loco admodum difficulter sanatur, quoniam ibidem pauca caro conspicitur, libenterque fistulæ, & affectus insanabiles subsequuntur: adde, quòd vulnus in operatione, propter duritiem istius Suturæ, non facilè dilatari potest. Incisio igitur è regione Suturæ, & duos circiter digitos latos juxta anum versùs Coxam sinistram instituetur.

III. Incis. secun. propo. nem. culi p. institu.

Tertiò, Chirurgo existimandum non est, quòd incisionem secundùm proportionem Calculi facturus sit. Quamvis enim Calculus magnitudine avellanam aut fabam non superaret, Incisionem tamen ejus magnitudinis esse oportet, ut instrumenta immitti, Calculusq; prehendi queat. E contrà verò si Calculus magnus esset, Lithotomusq; vulnus, secundùm magnitudinem Calculi, magnum quoque inferre contenderet, certum est, quòd Musculus Vesicæ, ac venæ dissecarentur, ægerque in mortis periculum præcipitaretur. Vulnus igitur mediocris magnitudinis esse oportet, & si Calculus magnus deprehenderetur, vulnus cum speculo, atque forcipibus tantùm dilatandum & extendendum est, ut calculus extrahi possit. In hac verò vulneris extensione Venæ, sicuti etiam Musculus Vesicæ, non tam citò, ut per incisionem, lædi possunt. Expansæ quoque istæ membranæ, Venæ, & similia post operationem denuò contrahuntur, & multò meliùs, quàm si dissectæ essent, ad sanationē firmam disponuntur.

IV. Musc. Vesic. nimi. secan.

In tota porrò Operatione, tam in Incisione, quàm instrumentorum immissione, vel calculi extractione, cavendum, & omni studio prospiciendum est, ne Musculus Vesicæ dissecetur, aut à Calculo dilaceretur: hoc enim si accideret, æger non facilè sanari, neque Urinam ampliùs continere posset, sed ut Urina in Vesicam influit, ita etiam rursus efflueret. Præterea etiam Chirurgus instrumenta, digitumque in Anum immittendum, semper Ol. Amygdalar. dulc. illinat.

V. Calcu. extrah. dus in. ger.

Calculus, quoad fieri potest, integer extrahendus, nec facilè in Vesica confringendus est, quoniam non semper nobis constat, qualisnam Calculus in Vesica contineatur. Vidi ego Calculos, domique meæ unum adhuc, instar silicis durum reservo. Præterquam quòd autem ejusmodi Calculi non absque magna violentia, intolerabiliq; ægri dolore confringi possunt, periculum insuper est, ne Vesica, aut saltem Collum & Musculus ejusdem, acutissimis Calculi angulis dilaceretur & exulceretur. Quamvis enim interdum etiam Calculi, per se asperi, acuti, & inæquales reperiantur, non tantum tamen damnũ, ut prædurorum Calculorum mucrones, cultro-

rum aciem interdum adæquantes, inferre possũt. Occurrerunt interdum in ejusmodi Operationibus Calculi, qui instar Pumicum dissiliebant, nec penitùs extrahi poterant: quo quidem in Casu confractio Calculi periculo vacat; Tum verò Vesica cochleari diligenter est mundificanda, arenularumque ac fragmentorum reliquiæ extrahendæ. Vulnus itidem Turundulis paulò diutiùs apertum retinendum, ut postea fusiùs dicetur. Si verò Calculus, ob magnitudinem suam, integer educi nequeat, tunc necessitate nullam legem habente, de omnis generis instrumentis prospiciendum erit, quæ cum judicio tamen sũt adhibenda, dolorque, quantum fieri potest, leniendus; Ingens enim & ferè incomprehensibilis dolor, individuus operationis comes, sæpe efficit, ut æger Lipothymiâ extinguatur. Nonnunquam etiam, Calculo grandiore existente, ipsæ Venæ disrumpuntur, unde æger tantâ Hæmorrhagiâ corripitur, ut inter manus Medici succumberet, vel saltem statim post Operationem occumberet Non desunt temerarii quidam, & Anatomiæ imperiti Castratores, quibus fabulosum videtur, ejusmodi Venas Pærinæo, & collo Vesicæ insertas esse, ut iis ruptis, ingens periculosaque Hæmorrhagia subsequi possit; Illis verò sequentia Exempla perpendenda sunt.

Cùm Anno 1623. in Bacchanaliorum celebratione, *Adolescentes ac Viri quidam Friburgenses* Aventicorum, saltando se exhilarâssent, alterque ipsorum æquis pedibus altum scabellum transilire voluisset, eique impingens ruisset, ita ut angulus scabelli ipsum Perinæum offenderit, tanta subsequuta est Hæmorrhagia, ut intra paucos dies aliquot sanguinis libras per Virgam (cutis enim non vulnerata fuit) emiserit: qui quidem ex parte coagulatus, atque concretus erat, ut mirum sit, quomodo per Virgam emanare potuerit: cùm itaque Nobilissimus, Doctissimus atque Experientissimus Dominus, *Franciscus Prosper Gottrouw*, Medic. Doctor, & Physicus Ordinarius Civitatis Friburgensis Aventicorum, mecum ad ipsum vocatus esset, vix eum restituere potuimus, adeò Vires, ex vehementia Hæmorrhagiæ, prostratæ erant.

Eodem tempore idem ferè hîc Bernæ *Puellæ cuidam Nobili*, quatuor annorum, contigit: cùm enim è scamno in baculum incidisset, & circa pudendorum extremum versùs Anum vulnerata fuisset, tam violentus subsecutus est sanguinis fluxus, ut ferè incredibile sit, tantam sanguinis copiam in infante contineri posse. Hoc eum in finem huc insero, ut Castratoribus atque Lithotomis, præsertim iis, qui Apparatu minore utuntur, documento esse queat. Quando igitur Calculus, ob malignitatem suam, sine mortis periculo extrahi nequit, nè tum Operatio instituatur, iterum atque iterum suadeo: hoc fideli & industrio cuivis Chirurgo multò laudabilius & utilius erit, quàm si languentes ægros, ut quidam solent, velut ad macellum trahat.

Illud verò nullo quoque modo silentio prætereundum, quemadmodum nimirum multa diversa Symptomata affectum huncce difficilem comitantur, ita etiam necesse esse, ut Medicus sufficientibus Ministris ac famulis instructus sit, omniaq; eo modo ac ordine peragantur, ut ingruente necessitate nihil desideret. Primò verò, quamvis æger sufficienter ligatus fuerit, cordati tamen aliquot Viri, qui eum ita continere queant, ne in operatione hinc inde vacillet, Medicumque in opere suo impediat, adhibedi sunt. Idem mihi aliquando *Paterniaci*, cum *quadragenario cuidam Viro* crus amputaturus, & jam-jam serram atque Cauteria prehensurus essem; accidit: cùm enim æger altâ voce vociferari cœpisset, omnes aufugerunt, excepto filio meo, natu majore, qui tunc temporis pusillus erat, cuiq; alligatum crus pro forma tenendum commiseram; & nisi Uxor mea, tunc temporis gravida, ex alio vicino, in quo erat, cubiculo accurrisset, ægrumque circa Thoracem prehendisset, æger, & ego cum ipso, in summum discrimen incidissem. Alius præterea famulus cum ampla aliqua Patina, in qua instrumenta omnia ordine disposita contineantur, ad dextrum constituatur, ne demum in Operatione è sedili surgendum, & hoc vel illud petendum, & afferendum sit: in eadem Patina inter cætera etiam Oleum amygdalar. dulc. in Scutella locetur, ut eo, quoties opus fuerit, instrumenta & digiti illiniri atque inungi queant. Et quoniam frigus Vesicæ omninò noxium, adeoque instrumenta calefieri necesse est, carbones verò calorem, qui hic requiritur, suggerere nequeunt; idcirca Chirurgus pelvem aquâ, ad institutum suum temperatâ, plenam lateri suo apponet, in eadem instrumenta, quantum opus est, calefaciet, & postea Ol. Amygd dulc. imbuet. Eidem famulo alia insuper Patina, in qua ea omnia, quæ statim post Operationem applicanda sunt, ordine disposita sint, committenda est: ut extracto Calculo, quæcunque ad sanguinem sistendum, aliosve usus requiruntur, etiam in promptu sint. Quoniam etiam, propter vehementiam doloris ac hæmorrhagiæ, sæpenumerò ingentes imbecillitates, Viriumque dejectiones subsequuntur, propterea etiam alii cuidam ex astantibus Amicis, ut ægro sæpius de Aqua Confortativa sequente cochleare exhibeat, eumque refocillet, injungendum est.

Aq. Confortativa.

℞. Aq summitat. & flor. Borrag.
Bugloss. Rosar. Odorif. an. ℥ij.
Cinamom. destill. sine vino.
Syr de succo citr.
Papaver. errat. an. ℥j ß.
Specier. de gemmis,
Lætificant Galen. an ℈ij.
Confect. Alkerm ʒj.
Misce, f. potio. Aqua ista Confortativa spiritus Vitales cordis corroborat, ac reficit, doloremque alio modo lenit;

Epithema quoque sequens nequaquam intermittendum erit;

℞. Aq. Meliss.
Bugloss.
Rosar. an. ℥ j. ß.
Cinamom. sine Vino destill.
Acet. rosac. an. ℥ j.
Specier. Diamargarit. frig.
Diambr. an. ℈ ij.

Cap. 12. & 13.

Camphor. ℈ j.
Croci, ℈ ß. Misce f. Epithema.

In hoc Epithemate, seu Medicamento Cordiali, non solùm ante Incisionem pulvilli madefaciendi, Pulsibusque utriusque manus alligandi, sed etiam pannus coccineus, latitudinis volæ manus eo imbuendus, cordisque regioni calidè imponendus erit.

In ipsa verò Incisione aliquis ex Ministris, & Astantibus eodem Medicamento subinde Nares, ac tempora illinat, pulvillosque in manibus madefaciat.

CAP. XIII.

De diversis Operandi modis, ac methodis administrandi Lithotomiam, ac primò de Incisione, Apparatu parvo *facta.*

QUandoquidem in præcedentibus Capitibus, quomodo Chirurgus sè ante, & in ipsa Incisione gerere debeat, indicavi: meritò jam ulteriùs mihi progrediendum, quidque statim post extractum Calculum agendum eidem incumbat, dicendum esset. Quoniam verò diversi operandi modi in administratione Lithotomiæ à Veteribus ac Neotericis Practicis adhibentur; Ideoque in gratiam juniorum atque tyronum Chirurgorũ, eorum aliquos huc inserere volui, è quibus unusquisque unum aut alterum, qui ipsi aptissimus atque tutissimus videbitur, eligere poterit.

Prima, & hisce temporibus apud Lithotomos vulgares usitatissima ferè Operatio, sive Calculum extrahendi modus, sequente ratione perficitur; Ægro, ut par est, ligato: Chirurgus indicem, seu medium manus sinistræ digitum in anũ immittit, dextrâ verò inferiorem Ventrem fortiter, deorsum, versùs Vesicam, deprimit. Vel adhibeatur Minister, qui provinciam illam suscipiat; Non tamen nudâ manu Ventrem comprimat, sed linteum molle multipliciter reduplicatum, vel stuppas in manibus contineat: quoniam Ventre hâc ratione nudâ manu compresso, musculos sæpenumerò offendi atque contundi contingit: unde quidem dolor, tumores, Inflammationes, & alia periculosa symptomata subsequuntur, ægroque multum negotii facessunt. Repertum igitur digito in anum immisso Calculum ad collum usque Vesicæ protrudit, tumque incisionem supra Calculum instituit, eumque digitis in Anum immissis foràs propellere conatur; Quod quidem nonnullis, præsertim quando parvus est Calculus, felicissimè succedit; Sin minùs, reliquũ hamulis, inferiùs depingendis, peragunt, eamq; Operationem *Apparatum minorem* nominât. Quã periculosa autem sit Operatio ista, sapiens quivis facilè colligere poterit, ubi perpenderit, quòd in ea Chirurgus facilè partes collo Vesicæ adjacentes, vel ipsum collum, imò quandoque etiam ipsum Vesicæ musculum, perfodere possit, unde primò quidem ingens hæmorrhagia, propter Venarum eo in loco concurrentium, & periculosos sanguinis fluxus concitantium, multitudinem, ut *cap. præcedente* demonstratum fuit, exspectanda; deinde etiam verendum est, ne æger Urinam retinere nequeat, aut fistula in parte affecta remaneat.

Admonitio.

Apparatus minor periculosus.

Præterea etiam observatum fuit, quod in Operatione illa, Apparatu minore facta, Vesica ipsa, propterea quod evacuata in se collabitur, imò ipsum etiam intestinum rectum simul vulneratum, adeoque dissectum fuit: ita ut Lithotomus ipse digitum suum, *ut Petrus Francus* testatur, Novaculâ offenderit, tumque Urina per Intestinum rectum, & vice versâ alvi fęces per Vulnus effluxerunt. Quanta autem incommoda hoc ægro, quantum verò contemptum ac dedecus Lithotomo afferat, unicuique facilè colligere licet.

Illud porrò in hac Operatione diligenter etiam notandum, quòd si nimirum contingeret, ut Medicus fortè in incisione partes transfoderet, & alterutrum digitum in Ano feriret, quomodo tunc res suas instituturus esset? Nunquid ob dolorem proprium ab Operatione desistere, opusque imperfectum relinquere cogeretur? Quamvis igitur operandi Calculumque extrahendi modus iste, à Veteribus quibusdam adhibitus fuerit, uti è scriptis ipsorum apparet, fideli tamen cuivis Chirurgo, ut rem paulò diligentiùs examinet, nec eos hac in parte imitetur, suadeo. Veteres equidem primam glaciẽ fregerunt, ac viam Posteris in Artibus straverunt, eoque ipso multum præstiterunt. Quoniam verò, ut scribit Hippocrates, *lib. 1. Aphorism. 1. Ars longa, vita verò hominis contrà brevis est*, idcirco res multas excolere non potuerunt. Propterea à nemine vituperandi, sed potiùs, tanquam supremi Medici instrumenta, honore afficiendi sunt. Qui verò hoc tempore meliores ac certiores operandi modos nôrunt, & nihilominùs tamen eorum usum rejiciunt, eosdem contemnunt atq; vituperant, illi certè non nisi temerarii, & tales quidem homines, qui ob Conscientiæ suæ levitatem, ægrorum Curam convenientem non gerunt, habendi ac æstimandi sunt.


CAP. XIV.

In quo alter operandi modus, super Itinerario *videlicet, describitur.*

ALtera Operatio, ac Lithotomiam instituendi modus, super Instrumento, Latinis *Itinerario* dicto, peragitur. Rectè autem sic appellatur, quandoquidem Chirurgo viam, ad exactam loci incidendi notitiam sibi comparandam, monstrat. E tenui verò argento, seu Orichalco sequẽte ratione conficiatur;

Itine-

Itinerarium.




Ægro itaque sufficienter ligato, omnibusq; ritè dispositis, *Itinerarium* per Virgam in Vesicá, superque Calculum immitte, deinde incisionem Novaculâ (cujus mucronem utrinque acutum esse oportet) digiti transversi distantia ad latus Tauri, à Scroto ad Anum tendentis, versùs coxam ad Itinerarium usque facito, postmodum *Conductorem seu Semispeculum* super Itinerario ad Calculum usque immittito, cujus figura *sequente capite* subjicitur. Postea Itinerarium, ut Virga sit libera, extrahito. Est autem Conductor præfatus concavus, ex alteroq; latere apertus, uti ex ipsius figura suo loco patebit: in extremitate itidem crassus, propterea profundè admodum immittendus, ut Vulnus, collumq; Vesicæ aliquantulum dilatet, tumque per latus Conductoris apertum *Hamulus*, Lithotomis usitatus & cognitus, in Vesicam immittendus, Conductor verò extrahendus, postea duobus manus sinistræ digitis, medio videlicet ac indice, in anum immissis, Calculus attrahendus, hamulo prehendendus, & extrahendus erit.

Præterea etiam Ministrorum alter manu suâ, juxta partem Ossis Pubis superiorem, Ventrem fortiter comprimat, omnia eum in finem, ut Calculus eò meliùs ad collum Vesicæ decumbat. Ne autem compressione istâ Musculos Abdominis offendat aut contundat, unde demum Inflammatio, aliaque subsequi possent symptomata, non nudâ manu, sed reduplicato panno, aut stuppis mollibus id peragat. Lithotomi nonnulli præfatum Conductorem, aut Semispeculum, tanquam superfluum rejiciunt, hamuloq; super Itinerario ad Calculum usque penetrant: quibus ego non obsistam, eum tamen habet usũ, ut Vulnus collumque Vesicæ aliquando dilatet, unde eò faciliùs immitti potest Hamulus. Eundem quoque in finem à nonnullis *Speculum Vesicæ*, ut vocant, intromittitur: deinde Calculus cum digitis in Anum immissis ad Vulnus usque adducitur, ibidemque hamulis prehenditur. Quem quidem operandi modum, minimè rejiciendum, ipsemet felici cum successu exercui: incisionem verò mediocriter magnam esse oportet: nimis enim parva si fuerit, tunc instrumenta absque vi immittere non poteris. Magnam verò si feceris, tunc fortè Venas plurimas, imò etiam Musculũ, aut ipsam Vesicam lædere vel dissecare posses.

Cap. 14. & 15.

Hamulorum delineatio.



CAP. XV.

De tertio Calculum extrahendi modo.


QUòd si verò Calculus tantæ esset magnitudinis, ut Hamulis depictis extrahi non posset, majorque vis requireretur, tunc res sequente modo instituenda esset;

Factâ super Itinerario, ut dictum, Incisione, immisso itidem Conductore, seu Semispeculo, ac Vulnere per idem aliquo modo dilatato, Itinerarium extrahendum, atque *Tenacula* supra Conductorem ad Calculum usque intromittenda erit. Extracto postmodum ipso quoque Conductore, Calculus tenaculâ diligenter inquirendus ac prehendendus est. Et postquam tenaculam iterum atque iterum fortiter compresseris, de Calculoque probè prehenso certus fueris, tunc eum extrahas: in extractione verò, ambabus manibus facta, tenaculam lentè hinc inde convertas atque contorqueas, ut Vulnus aliquantulum dilatetur, atque tenacula cum Calculo eò meliùs educi queat: quod si fortè primâ vice fieri non posset, ita ut Calculus, quod sæpe contingit, è tenacula excideret, tunc arreptâ aliâ paululum latiore


Cap. 15. latiore & validiore tenaculâ, Calculum prehendas, quæ eum quidem, ob latitudinem suam, arctiùs complecti poterit. Dum verò tenaculam immittes, aliquis Ventrem sub Umbilico manu fortiter comprimat, ut suprà quoque dictum fuit. Ad immittendam verò tenaculam, vulnus aliquantulum dilatari oportet, quod quidem Speculo Vesicæ efficitur. Quòd si verò integer calculus educi non posset, adeoq; conterendus esset, tunc diligenter observet Medicus, ut hac in parte prudenter agat, uti jam in superioribus quoq; indicatum fuit.

Ad confringendum verò Calculum, Doctissimus & Experientissimus Vir, *Petrus Francus* solertissimus Lithotomus, peculiare & admodum idoneum habet tenacularum genus, uti è sequente patebit capite, quarum effigiem in gratiam Lectoris huc inserere lubuit: quoniam dicti istius Viri liber Germanico idiomate non prostat. Similiter etiam *Ambrosius Pareus, lib. 17. cap. 44.* Chirurgiæ suæ, peculiarem tenaculam, ad Calculum in Vesica confringendum non ineptam, proponit. Tenacularum verò *Dn. Franci* duo sunt genera: altera in anteriore parte paulùlum lata & concava, calculo prehendendo, & extrahendo inservit. Altera tenacula, ad confringendum Calculum comparata, aliquantulum acuta est, ut Lector postea ex effigie colligere poterit. Hîc rursus monitum velim Chirurgum, ne facilè Calculum cõfringere tentet, propter magnum, quòd Operationi, & fractioni isti imminet periculum; sæpe enim Calculi durissimi in Vesica reperiuntur, ipseque unum adhuc, instar silicis durum, inter rariora mea reservo. Quis autem, quæso, ejusmodi Calculos absque periculo in Vesica cõfringere posset? Quoniam verò Calculi duritiem, vel mollitiem difficulter percipere possumus, ideoque denuò suadeo, ut fidelis atque industrius Lithotomus à grandiorum Calculorum extractione abstineat. Quod si tamen necessariò instituenda esset Lithotomia, commodissima erit *Dn. Franci* tenacula, quoniam Vulnus non vehementer, nec unâ vice dilatat atque extendit: & quamvis pars tenaculæ anterior latè pateat, in postrema tamen Vulneris parte angusta est; unde quidem collum Vesicæ minùs patitur, quod in periculosa hac Operatione diligenter observandum.

Speculum Vesicæ, ad dilatandum Vulnus.



Semispeculum Vesicæ, ad dilatandum Vulnus in collo Vesicæ.



CAP. XVI.

De quarto operandi modo, in Lithotomia usitato, qui meritò Lithotomia Franconina *appellari potest.*

Quoniam Excellentissimi & Experientissimi Viri, *Dn. Petri Franci*, in hoc libro aliquoties mentionem facio, ideoque prætermittere non possum, quin etiam Operandi modum, primò ab ipso inventum, huc inseram, qui quidem *lib. sui cap. 33. ita describitur*; Corpore ægri, ut dictum, ad Lithotomiam præparato, factaque supra Itinerarium incisione, Turundam Vulneri accommodatam imponit, nihilque præterea eâ vice circa extractionem Calculi molitur, nisi fortè per se in Vulnere compareat, tunc eum vel tenaculis, instituto

stituto suo appropriatis, vel hamulis, (qui hac in parte, ubi Calculus æqualis ac lævis fuerit, maximè idonei & commodissimi sunt) extrahit; Quòd si verò Calculus non ad Vulnus prociderit, aut grandior fuerit, tum Vulnus more solito obligat, ægrumque reponit: diebus aliquot post, ubi res ægri meliùs habent, Vulnusque suppuratur, nec febris adest, Calculus itidem in Vulnere comparet, ut plerumque contingit, Virque prædictus hoc sæpe sibi evenisse scribit, tunc eum præfato modo extrahit. Calculo verò non ad Vulnus prorumpente, tunc vult, ut digitis in anum immissis, atque compressione Musculorum Abdominis, ut antea dictum fuit, deorsum ad Vulnus attrahatur, & protrudatur, quod, ut inquit, eo tempore absque omni periculo fieri potest; Quādoquidem intumefactiones remiserunt, & Urina semper liberè effluxerit, præterquam quòd etiam æger eò usque exquisitam Victus rationem observavit, nullaq; inflammatio ampliùs in Vulnere verenda est. Calculum itaque deorsum ad locum incisionis usque deductum, tenaculis sive hamulis, ut antea declaratum fuit, educit. Quòd si verò Calculus tam magnus esset, ut per Collū Vesicæ non nisi dissectâ Vesicâ, extrahi posset, (quod admodum periculosum, & inflammationis, imò etiam mortis, aut aliorum difficilium graviumque symptomatum mox subsequentium causa est, adde quòd Vulnus non coalescit) hortatur ac monet, ut summa adhibeatur diligentia, ne Vesica extra collum suum, ubi pinguedo ac musculi conspiciuntur, dissecetur. Quin potius si calculus, ut dictum, tantæ esset magnitudinis, ut per collum Vesicæ extrahi non posset, ut Chirurgus eum tenaculis, infrà delineandis ac depingendis, confringat, suadet: quæ eum quidem ad usum valde idoneæ sunt, ita tamen ut sufficienter acutæ ac validæ sint; Non unâ tamen vice, sed binis aut reiteratis vicibus confringi poterit, habitâ inprimis ægri ratione, ita ut hodie pars Calculi confringatur, & die uno aut altero pòst reliquum peragatur: interea etiam Medicamenta Anodyna, Inflammationem reprimentia, applicentur: ubi diligenter quidem observandum, ut omnia calidè adhibeantur. Atque ita consultius est, inquit, Calculum frustulatim extrahere, quàm ægrum tāto dolore atque miseriâ opprimi, semperque è duobus malis minus est eligendum. Nullum, addit dictus *Dn. Francus*, huc usque Autorem inveni, qui hoc modo Lithotomiam administrârit, sicuti reverâ multis mirum videtur, quòd æger, post factam incisionem, per quinque vel sex dies plus minùsve non attingendus, tum demumque Calculi Extractio instituenda sit. Viri verò docti & experti rationibus & argumentis meis perceptis, sententiæ meæ subscripserunt. Experientia verò, inquit *Dn. Francus*, aliquoties me docuit, quòd æger post extractionem Calculi adeò debilitatus fuit, ut nihil ulteriùs cum ipso tentare, aut plures Calculos indagare ausus sim, ne inter manus meas, aut paulò post occumberet. Postquam itaque eum deligavi, eique, donec vires resumeret, astiti, Calculum, qui post incisionem in Vesica remanserat, in altera deligatione spontè excidisse, sæpe observavi. Hoc vero præcipuè accidit, quando Calculus iste altero, qui fuit extractus, minor est.

Interdum etiam Calculus per se in Vulnus procidit, ita ut in conspectum veniat: quoniam verò Vulnus in superficie, & in cute minus est, quàm intra ipsum collum Vesicæ fuerat, quemadmodum aliàs fieri deberet, ideoq; Calculus hæsit, ita ut nonnunquam pars Calculi ante Vulnus, reliquum verò in ipso adhuc collo Vesicæ hæserit. Præterea quando Calculus, qui in Vesica remansit, major est eo, qui extractus fuit, tunc Calculus iste ad collum Vesicæ, ac Vulnus usque pervenit, ægroq; dolores concitavit, sicut reliqui, qui jam-jam extracti fuerant, hoc est, æger iisdem doloribus, ut antea, affectus fuit. Calculi autem leves ferè per se ad collum Vesicæ, ac Vulnus delabi solent, reliqui non tam facilè, interdum etiam planè non. Quòd si verò in collo Vesicæ ac Vulnere non comparuerit Calculus, facilè detrudi potest, ita ut Chirurgus digitos in anum immittat, Ventremq; comprimat, ut hactenus aliquoties indicatum fuit. Quæ quidem omnia periculo vacant.

Nonnunquam planè nullos ampliùs superesse Calculos persuasus fui, & tamen post aliquot dies contrarium expertus sum: propterea quod æger dolorem, aliaque Calculi signa, perceperat. Quo quidem perspecto, honoris ac famæ meæ tuendæ gratiâ, Calculum quoque superstitem pari modo extrahere coactus fui. Postquam autem observavi, & sæpiùs expertus sum, quòd illud longè faciliùs, minoreq; cum dolore atq; periculo ægri, quàm in prima incisione, præstare possem, & ad modum illum calculum extrahendi usurpandum & exercendum inductus fui, ne videlicet post incisionem Calculus non unâ vice extrahatur, nisi per se prodeat, sed ad dies aliquot, ut dictum fuit, Operatio suspendatur, ægerque, donec vires resumpserit, dimittatur. Hactenus *D. Petrus Francus*, ex quibus quidem, quàm probus ac prudens Lithotomus Francus iste fuerit, apparet. Idem quoque familiares ipsius de ipso testati sunt, quorum adhuc aliqui, cùm anno 1586. Lausannam venissem, in vivis superstites fuerant. Utinam operandi modus iste apud omnes Lithotomos & Castratores introduci posset; longè enim plures incisos evasuros existimo. Quoniam enim Lithotomus ita apud se statuit, necesse esse, ut æger primâ vice vel à Calculo liberetur, aut moriatur, hinc sæpe fit, ut in incisione tantam profundat sanguinis copiam, vel adeò torqueatur, ut propter dolorem immanem, inflammationem, aliaque perniciosa symptomata mox subsequentia, vel in ipsa incisione, vel statim post moriatur. Quæ omnia impediri possent, si præscriptum operādi modum imitaremur: quod sequente Exemplo confirmari potest.


Laus Petri Franci.

Exemplū.


Ponamus aliquē fortè arcu, vel sclopeto feriri, telumq; sive globum Vulneri impactum inhærere; Chirurgus itaq; ingentem sanguinis fluxum præsentem perspiciens, annon ex tempore eum sistere conabitur, tandemque post dies aliquot, ubi nulla ampliùs Hæmorrhagia verenda erit, telum, vel globum inquiret? Eadem ipsius quoque est Lithotomiæ ratio: cui tanta quidem aliquando super-

Cap. 16. supervenit Hæmorrhagia, ut ægrum in extremum vitæ periculum præcipitet. Tantæ itidem subsequuntur Lipothymiæ, ut nisi æger extemplò deligetur, ac reponatur, repentinâ morte extinguatur.

Delineatio prædictarum Tenacularum, à Dn. Petro Franco inventarum, ad extrahendum Calculum maximè idonearum.



Aliud Tenacularum genus Dn. Petri Franci, ad confringendum Calculum.



Cap. XVII.

De quinto operandi modo, qui præfato quoq; Petro Franco adscribitur.

Refert prædictus Dn. *Petrus Francus, lib. sui cap. 33.* ac scribit, sibi aliquando infantem bimulum, Calculo Vesicæ magnitudinis circiter ovi gallinæ laborantem, oblatum fuisse. Cùm autem omnem quam potuit diligentiam, ad Calculum deorsum in collum Vesicæ detrudendum, adhibuisset, nihilque efficere potuisset, infans itidem à dicto Calculo adeò torqueretur ac vexaretur, ut Parentes illum libentiùs mortuum, quàm diutiùs in tanta miseria spiritum ducere cuperent; Ipse verò interea exprobrationem sibi factam, quòd Calculum educere non potuerit, in malam partem interpretatus esset, tandem se Calculum in inguine, & superiore Ossis pubis parte, paulò è regione exsecturum, apud se constituisse: quandoquidem Calculus deorsum deduci non potuerit, seque propterea Calculum, cum digitis in anum immissis, adeò in altum elevâsse (dum Ministrorum alter è latere opposito Ventrem comprimeret, Calculumque ad locum incidendum protruderet) ut eum ibidem exsecuerit, infantemque, tametsi summoperè debilitatum, nihilominùs tamen restitutum, Vulnusque sanatum fuisse. Ex his Vir celeberrimus atq; doctissimus Dom Franciscus Roussetus lib. de partu Cæsareo sectione 3. capite 6. & 7. concludere voluit, semper Calculum eo in loco exsecandum esse, illudque minore cum periculo fieri posse. *Lithotomiam* proinde illam *Franconianam* vocat, cùm tamẽ *Dn. Francus* eam minimè ad imitationem præscripserit, sed expressè in libro suo, se stolidè egisse fateatur, adeoque unumquemque, ne ipsum hac in parte imitetur, sed præcedentem Operandi modum amplectatur, hortetur, nec immeritò quidem: quamvis enim experientia constet, Vulnera Vesicæ interdum etiam sanari, cujus rei plurima in medium afferri possent exempla, ipseque similia Vulnera sanavi: rarò tamen illud contingit, firmumque manet, quod scribit *Hippocrates lib. 6. Aphorism. 18.* Vulnera Vesicæ lethalia esse: quemadmodũ enim una hirundo non facit Ver, ita etiam se habent Vesicæ vulnera, & quamvis unum aliquod sanetur, è contrà tamen decem aut plures deplorati obeunt; propterea quòd caro sive Parenchyma Vesicæ, non facilè sanationem recipit, sed quoniam Vesica è genere nervoso, & ferè exsanguis est, ideoque ipsius vulnera non facilè, raroque coalescunt, idque inprimis etiam propter gravia atq; periculosa quæ superveniunt symptomata: uti sunt dolor vehemens, calor & inflammatio interna, Tumor, Spasmus, & similia. Diligenterque notandum est, quòd interdum etiam Vrina per vulnus effluere non potest, sed in infima Ventris cavitate congeritur, ubi quidem putrescit, partesque circumjacentes accendit, atque corrumpit. Ad hanc alia quoque difficultas non spernenda, in hac incisione accedit, quòd nimirum incisio ista non nisi in infantulis tentari queat; uti prædictus *Dn. Francus* infantem illum duorum circiter annorum fuisse scribit. Quare, objicis, non pariter

 ter in Adultis? Propterea, respondeo, quòd digitorum tuorum longitudo, ad Calculum eò usque attollendũ, donec ad inguina prodire queat, non sufficit. Hæc tibi, benevole Lector, in Musæo meo facilè demonstrare possem, ubi quidem sceleta anni dimidii, & integri, trium itidem atque triginta annorum reservo. Cum dicto igitur *Dn. Franco*, fideli atque industrio cuivis Chirurgo periculosæ hujus Lithotomiæ administrationem iterum atque iterum dissuadeo.

Si verò calculus ingentis fuerit magnitudinis, uti fuit ille cujus mentionem feci Centuriæ 4. Observatione 51. & æger, & adstantes propter ingentes ac maximos dolores auxilium à Medico vehemẽter efflagitarent, tunc profectò invocato prius numine Divino, & facto prognostico de eventu ancipiti, & incerto, sectionem illam inguinalem, de qua scribit D. Francus cap. 33. sectioni, quæ fit in collo vesicæ, præferrem. Calculus enim si propter magnitudinem ad inguen attollitur, minori cum dolore ac periculo in inguine, quàm per collum Vesicæ extrahi posse, planè mihi persuasum habeo, præsertim in Viris: In mulieribus verò si per collum Vesicæ extrahi non poterit, per collum matricis id fieri posse, & quidem sine magno periculo, experientia me edocuit, ut Lector capite 22. videre poterit.

Antequam autem Chirurgus talem operationem aggrediatur, magnitudinem calculi diligenter exploret: nisi enim ejus fuerit magnitudinis, ut digitis, per podicem immissis, ad inguen elevari possit, tentanda non est operatio. Calculus enim Vesicæ inclusus, ut in hac operatione abdomini firmiter adjaceat, negotium postulat: Si enim inter Vesicam cum suo calculo, & abdomen vacuum aliquod remanserit, illudque intestina impleverint, facilè in operatione novaculâ lædi poterunt. Priusquam autem operatio hæc instituatur, corpus tum optima victus ratione, tum etiam purgationibus, Venæsectione aliisque præsidiis quàm diligentissimè & ex arte præparare convenit, de quibus omnibus suo loco abundè dictum fuit. In operatione autem ægrum in mensam stabilem ac firmam sic collocabis, ut nates mensam nonnihil promineant: Crura verò (quæ à duobus Viris cordatis teneantur) ad latera ita extensa sit, ut Chirurgus inter utrumque ægro adstare, operationemque commodè perficere possit. Brachia quoque, & axillæ, à Viris fortibus firmiter sunt tenendæ, interim tamen cavendum, ne Thorax comprimatur, propter causas quas capite undecimo commemoravimus. Hoc modo in dorso posito ægro, lipothymiæ minus sunt verendæ, & viscera interna atque intestina nonnihil sursum inclinant, & lapis facilius inguen versus ducitur.

Postea digitis sinistræ manus, per podicem immissis, calculus ad sinistrum inguen elevandus est, ex dextero verò latere, unus ex adstãtibus, manu, substrato linteamine reduplicato, ventrẽ quãtum æger sufferre poterit, comprimat, calculumque sinistrum inguen versus retrudat, donec exterius manifestè persentiri possit. Dum Lithotomus novaculâ abdomen unà cum Vesica ad Calculum usque incidat: mox alius ex ministris stans ad sinistrum latus tenaculâ calculum præhendat, extrahatque. Lithotomus autem, quod notandum, digitos suos ex podice non eximat, nec minister manum ventri amoveat, nisi alter minister prius stylo exploratorio, & cochliare, cap. 19. depicto perquisiverit, an plures adhuc calculi in Vesica contineantur, exploraverit. Quod si forsan alium adhuc invenerit, omnem adhibere debet deligentiam, ut ipsum hamulis, tenaculis, vel aliis instrumentis idoneis extrahat, alio quin frustranea esset operatio.

Extracto calculo quid faciendum.

Exempto calculo, vulnus abdominis, turundis (quibus filum, ne in vacuum ventris dilabantur, annectere convenit) apertum tenendum est; idque in eum finem ne sanguis in ventrem defluxus, putrescat, & gravissima symptomata excitet, sed naturæ beneficio, in pus conversum, per vulnus evacuari possit. Turundæ autem digestivo, suo loco descripto inungendæ sunt, Empl. Basiliconis applicetur, & totum abdomen oleis convenientibus inungatur, de quibus cap. 21. fusius disseremus. Sunt qui vulneribus ventris decocta traumatica siphone injiciunt, sed perperam: remanent enim in inferiori ventre; putrescunt, & pessima symptomata excitant: de Vulneribus pectoris idem intelligo.

Hac Methodo institutâ operatione, dummodo (ut dictum) calculus ad inguen elevari poterit, in magnorum calculorum extractione, minus esse periculum in abdomine, quàm per collum Vesicæ certum est. Quandoquidem ingens ac magnus calculus, ut per collum Vesicæ extrahatur, propter ejus angustiam longum requirit tempus; Interim æger ingentibus affligitur doloribus, Vesica, ipsiusq; fibræ delacerantur, sanguis copiosè profluit, Vires dissolvuntur, maximoque cum cruciatu æger vel in ipsa operatione, aut paulò post extinguitur. Operatio verò in inguine, sine ulla ferè declaratione Vesicæ perficitur, hæmorrhagia præterea non usque adeò verenda est. Vesicam præterea in suo fundo vulneratam consolidari quoque posse observatum est: suas enim fibras carnosas habet, quarum beneficio calor ejus innatus fovetur, & vulnera curantur, ut cap. 5. ostendi. Contra verò Vesicam circa collum insigniter delaceratam, difficulter consolidari posse, inde manifestum fit, quod eo in loco ureteres ingrediuntur, vulnusque continuò humectant, & consolitationem impediunt, sequiturque perpetuum stillicidium Urinæ.


Cap. 17. & 18.

Cap. XVIII.

De sexto operandi Modo.


Quanquam in quibusdam è prædictis calculum extrahendi modis quicquam desiderari queat, ad hunc tamen operandi modum, peculiare instrumentum inveni, quo calculus etiam commodissimè & absque magno pericuo, tam è maribus, quàm è fœminis educi potest: quod industrium quidem Cheirurgum celare nolui, sed hîc etiam ipsius delineationem, descriptionem, & usum ei communicare lubuit: quorum quidem alterum clausum, alterum verò apertum depingitur:

Sequitur Instrumenti delineatio.



Descriptio & Explicatio præpositi Instrumenti.

Instrumentum hoc ex quatuor præcipuè partibus, lit. A. A. A. A. signatis constat, quarum unaquæque rostrum satis crassum, lit. B.B.B.B notatum, circa mucronem aliquantulum incisum continet, quæ tamen omnia simul juncta, rotundum ac læve rostrum constituunt, cujus pars extrema C. digiti circiter crassitiem habet, in Peripheria sequentis figuræ circulum æquat:




Desinit tamen in mucronem usq; ad D. Longitudo rostri à C. ad D. instrumenti mei quatuor pollices continet; qui verò pollicem integrum, vel dimidium adjicere voluerit, illi liberum erit. Partes autem prædictæ, A. A. A. A. signatæ, in instrumento ferreo E. E. E. E. cujus beneficio instrumentum aperiri claudique potest, coeunt. Hoc verò ferrum crassitudinis lineæ sequentis erit; ▭ . nisi enim paulò crassius esset, tunc quatuor prædictæ, & lit. A. A. A. A. signatæ partes, non exactè ac firmiter in illud coire possent. Rostrum præterea etiam, prehenso Calculo, non satis strictè constringi claudiq; posset. Prædictas quatuor partes, A. A. A. A. notatas etiam admodum latas validasque esse necesse est, in meo quidem instrumento hujus sunt latitudinis ———, crassitudinis verò paulò plus dimidia parte minoris. Foramina verò in parte E. E. E. E. notata, singulari industriâ effingenda sunt, ne vel in magnitudinis excessu, vel in defectu peccent. In excessu quidem, ne rostra ad hanc vel illam partem vacillent, sed liberè ac firmiter moveantur. Neque etiam nimis angusta oportet esse foramina, aliàs pars E. E. E. E. signata, non liberè & absque impedimento, beneficio torcularis attolli ac deprimi posset. Pars infima, F. F. F. dimidiâ parte crassior sit parte supremâ, E. E. E. E. notatâ, idque eum in finem, ut torcular eò firmiùs ac liberiùs moveatur. In instrumento meo hujus est crassitudinis ———. In hac infima parte quatuor partes, A. A. A. A. includi, & unumquodq; beneficio clavi liberè aperiri atque claudi posse necesse est: ut ex delineatione in lit. F. F. F. apparet. Torcular istud etiam validum, singulari studio sequentis crassitudinis ac longitudinis conficiendum est.

In hoc ferro, crucis figuram referentes, tres tantùm anguli conspici possunt.

Par[…] etiā[…] cis[…] qua[…] in […] par[…] ta[…] ci[…] qu[…]

Torcular.




Hæc igitur brevis est prædicti instrumenti descriptio, quod ex ferro optimo ac tenui diligentissimè fabricandum, ne rostra in Operatione frangantur. Sequitur jam *ejusdem usus.*

Ægro

Ægro ad incisionem, ut antea dictum, fusiúsque indicatum fuit, præparato, Chirurgus Itinerarium per Virgam ad Calculum usq; intrudat, factaque super prædicto Itinerario incisione, Conductorem supra Itinerarium ad Calculum usque immittat, postea Itinerarium, ut libera sit Virga, extrahat.

Conductor.



Hoc verò Instrumentum commodissimè *Semispeculum* nominari potest, propterea quòd illo, Speculi loco, Vulnus satis commodè, minoreque cum discrimine, quàm ipso Vesicæ Speculo aperitur. Præterea etiam difficulter admodum cum Speculo Vesicæ alia instrumenta, Tenaculæ, hamuli, & similia in Vesicam immitti possunt, nisi priùs extrahatur Speculum, ac tum Vulnus denuò clauditur, parumque prodest ipsius facta dilatatio. Hoc verò instrumento, quoniam unicum tantùm rostrum, illudque cavum obtinet, omnia alia instrumenta ad Calculum usq; intromitti possunt. Propterea etiam commodissimè Conductor nuncupari potest. Ex argento, ferro, vel orichalco conficiatur, tenue tamen, lene, validumque sit.

Conductor igitur ad Calculum usque immisso, tunc mucronem rostri instrumenti tui D. signatum, per cavitatem Semispeculi in Vesicam quoque intrude, rostroque ad Calculum usque intruso, Semispeculum extrahe, ut manum sinistram possis habere liberam, tunc instrumentum dextrâ dirige, indice verò, ac medio manus sinistræ digito, in Anum immisso, Calculum ad rostrum instrumenti tui attrahe, tunc collocatus ad sinistrâ unus ex Ministris, instrumentum beneficio torcularis leniter eò usque dilatet, donec digito in Anum immisso, Calculum intra quatuor rostra, B. B. B. B. notata, irrepsisse deprehendas ac sentias. Tunc Ministrum eò usq; instrumentum striatim contorquere jubebis, donec Calculum sufficienter prehenderit, quod facilè ex convolutione torcularis cognoscere ac deprehendere poterit. Quo facto, instrumentum tuum unà cum Calculo extrahe, digitis verò in Anum immissis, eum insequere, & ad instrumentum protrude. Quoniam verò ipsemet torcular stringere atque dirigere non potes, idcirco minister antea probè instituendus erit, ut sciat, quonam torcular, tam in attollendo quàm deprimẽdo, vertere atque movere debeat. Similiter etiam ante incisionem Calculum cum instrumento prehendere, eaque ratione, quando Calculum in Vesica sufficienter prehenderit, observare atque addiscere poterit.

Usus hujus Instrumenti.

Hujus porrò instrumenti utilitates aliquot sunt: primò enim eum habet usum, ut Vulnus collumque Vesicæ loco Speculi dilatet; Deinde etiam tenacularum loco, ad Calculum prehendendum & extrahendum adhibetur: imò, quod magis est, quàvis Vulnus ad collum Vesicæ Speculo sufficienter aperueris, & dilataveris, tenaculam tamen in Vesicam immittere non posses, nisi priùs Speculum rursus extrahas, illud've (nõ absque ingenti dolore atque periculo ægri) tantundem dilates, ut è regione, vel per ipsum Speculum tenaculam intromittere possis. Eadem quoque est *Aperientis Mariani* ratio. Instrumentum verò meum utrumque præstat: non solùm enim Vulnus, collumque Vesicæ leniter ac lentè aperit ac dilatat, sed simul etiam Calculum prehendit, nec opus est multâ instrumentorum permutatione, *imò Operatio instrumento isto solo, unà cum Itinerario, & Novaculâ posset institui*, ita ut post factam Incisionem, instrumentum supra, vel è regione Itinerarii intromitteretur. Tertiò, impossibile est, ut Calculus semel Instrumento isto prehensus, evadere queat, ut plerumque cum tenaculis ac hamulis accidere solet, ubi Calculus aliquando facilè hinc inde potest excidere. Instrumẽtũ verò hocce meum, Calculum quadrupliciter simul ac semel complectitur. Quartò, potest hoc Instrumentum tam in infantibus, quã etiam in Adultis, imò tam in Maribus, quàm in fœminis adhiberi. Quoniam igitur instrumentum illud duplicẽ habet usum, ut nimirum Speculi Vesicæ, ad aperiendum Vulnus & collum Vesicæ, nec non etiam tenacularum vices subire possit, non immeritò *Speculo-forceps* nominari potest. Quamvis autem, benevole Lector, *Speculo-forcipes* tantas utilitates annexas habeant, ut etiam, quemadmodum ex præcedentibus patet, illarum solarum adminiculo difficilis hæc Operatio, adjuncto quandoque Itinerario, atque Novaculâ, perfici posset: nihilominùs tamen Chirurgum omnis generis instrumentis instructum esse necesse est. Quoniam nulla occurrere posset Operatio, cujus eventum Chirurgus ante Incisionem minùs, quàm ipsius Lithotomiæ, præscire possit.

Figuram Aperientis vide apud Marianum, Ambros. Pareum, Ioh. Andr. à Cruce, & alios.

Cap. 19.

CAP. XIX.


Quid Lithotomo statim post extractionem Calculi, & ante primam deligationem, agendum incumbat.

HActenus explicatũ ac declaratum fuit, quomodo Lithotomus, tam ante, quàm in ipsa Operatione gerere se debeat. Peractâ itaq; DEI beneficio atque auxilio, Calculi extractione, non postmodum obligandus, & in lectum reponendus est æger; accidit enim aliquando, ut duo pluresvè Calculi in Vesica contineantur, ut quidem Anno 1610. apud celebrem quendam in Suevia Virum, duos, & antehac apud Coloniensem quendam quatuor, omnes quidem satis magnos, inveni. Imò Doctissimus ac Celeberrimus Vir, *Rembertus Dodonæus, Cæs. Majestatis Rudolphi II. Medicus*, ad duodecim, *Ioh.* verò *Schenckius in Obs. lib. 3.* cap. de Calculo Vesicæ 32. Calculos, & singulos peculiari membranulâ inclusos, repertos esse testatur. Si quis itaque extracto uno aliquo Calculo omnia in vado esse existimaret; Calculus verò unus aut alter, imò magna etiam fragmenta in Vesica remanerent, tunc Operatio illa periculosa ac dolorifica, frustranea, & ultima miseria major esset primâ. Uti Doctissimus & Excellentissimus *Dn. D. Paulus Lentulus*, hujus Reip. Physicus ordinarius, p. m. aliquando mihi significavit ac retulit, se interfuisse, cùm Puero cuidam 15. annorum, Nobiliss. spectatissimi Prudentissimi Viri, *Dn. Petri Chambrier*, utriusq; Comitatus, Neocomensis & Valendinensis Vicarii filio, ante annos aliquot Calculus ingens è Vesica, ab experientissimo quodam Lithotomo, feliciter extractus fuisset; ubi quidem procul dubio alius insuper Calculus, ut dictum fuit, & exitus demonstravit, in Vesica remansit, qui quidem etiam paulatim adeò increvit, ut non levia excitârit symptomata: collum quinetiam Vesicæ interdum adeò obstruxit, ut urina beneficio instrumẽti, ac Cannulæ educenda fuerit. Postquam autem juvenis iste annos aliquot in miseria atq; doloribus istis transegisset, & medicamenta plurima à variis Medicis, Pharmacopœis, & aliis præscripta, frustrà & absque ullo dolorum suorum levamine, adhibuisset, tandem *à Auvernier* ad lacum Neocomensem in ædibus Parentis, eum occubuisse. Quid verò post pium ipsius obitum in ipsius Cadavere repertum fuerit, celeberrimus doctissimusq; Vir, *Dn. Ioh. Iacobus Krafftius*, Medicinæ Doctor, & Civitatis Neocomensis Physicus Ordinarius, Dn. Compater meus plurimùm honorandus, non ita pridem mihi narravit, ac dixit, se à defuncti Dn. Parente vocatum, & rogatum fuisse, ut Cadaver ipsius dissecaret, causamque tantorum & tam diuturnorum dolorum graviumq; symptomatum indagaret: quo quidem dissecto, ingentem Calculum in Vesica se reperisse, alterum præterea Renem totum putridum atq; consumptum fuisse.

Die 20. Novembris, 1626. Nobiliss. ac generosus Vir, *Dn. Franciscus Ludovicus ab Erlach*, junior, Dominus in Spiez, præfatorum Calculorum, post mortum ægri repertorum, minimum mihi ostendit, qui ferè rotundus est, instar globi, cineritius, durus, ac lævis, ponderis ℥iij. Calculum istum dictus Nobilis ab uxore sua, Nobilissima ac Spectatissima Matrona, *Dom. Elisabetha Chambrier*, defuncti sorore accepit, quæ fratrem p. m. post Lithotomiam per annos aliquot misertimè vixisse, Vulnusq; nunquam coaluisse, refert.

Ad evitandam autem exitiosam illam perniciem, statim post extractionem Calculi, stylo exploratorio, superiùs depicto, denuò in Vesicam immisso, an plures Calculi in ea contineantur, omni studio explorandum, sique alii insuper inveniantur, tunc Medicus diligentiam adhibeat, ut unus post alterum educatur, nihilque in Vesica remaneat. Vesicâ verò ab omnibus grandioribus magnisq; calculis liberatâ, & expurgatâ, tunc rursus sequentium *Cochlearium* aliquod intromittatur, & si fortè adhuc lapilli, arenulæ, aut sanguis coagulatus in ea contineretur, si tempus & occasio nimirum id patiantur, extrahantur, si enim æger multum sanguinis emitteret, aut ut plerumque contingit, debilis & imbecillis esset, aut animo linqueret, tunc (ut Lithotomi quidam casum hunc vilipendentes, & nihilominùs in instituto suo pergentes, in usu habent) non diutiùs suspendendus, sed illicò in lectum reponendus, sanguis sistendus, & Lipothymiæ, ut *capite sequente* dicetur, subveniendum erit. Maximis enim eductis Calculis, non necesse est, ægrum in tanto periculo, quale Lipothymiam comitari solet, suspendere; quandoquidem Natura (si nempe Vulnus ad tempus apertum retineatur, ut postea dicetur) ista omnia per Vulnus expellit, & Vesicam expurgat. Et quamvis Calculi grandiores in ea remanerent, Natura tamen eos ad Vulnus propellit, unde instrumentis & tenaculis accomodatis possunt eximi: ut postea, ubi de Lithotomia Mulierum scribam, Deo dante, docebo.

Delineatio Cochlearium.



CAP. XX.

De Lipothymia, & quânam ratione ei sit subveniendum?

MEritò jam ad primam deligationem mihi progrediendum, & quanam ratione Vulnus obligandum; ægerque in lecto collocandus sit, indicandum esset. Quoniam verò Lipothymiæ inter omnia Lithotomiæ supervenietia symptomata, gravissimæ ac periculosissimæ sunt, adeò ut nonnulli eis opprimantur; ideoque antequam ulteriùs progrediar, breviter eas perstringere, operæ pretium esse duxi. Quarum quidem curationem subjiciam.

Causæ hujus Symptomatis multæ sunt: in hac verò & similibus operationibus difficilibus vel à summo dolore, Vires, ac spiritus Vitales consumente & dissipante, vel etiam à dissectione atq; disruptione Venarum, indeq; sequente Hæmorrhagia proficiscitur. Interdum etiam æger, ex nimia cibi & potus ante Incisionem assumptione, in gravem Lipothymiam incidit, quod mihi aliquãdo accidit; cùm enim *anno 1609. die 31. Maii*, Paterniaci mulieri cuidam quadragenariæ, & tamen robustæ, crus alterum prope genu amputassem, & jam-jam circa sistendum sanguinem, & reponendum truncum occupatus essem, in tantam incidit Lipothymiam, ut omnes mortuam eam judicarent. Cùm itaque Uxor mea, quę operationi quoque interfuit, illicò, & dum truncum obligarem, dimidiam circiter sequentis aquę cordialis partem ei exhibuisset, ac postea in lectum eam reposuisset, tantus subsecutus est Vomitus, ut integram pelvem crudis ac indigestis cibis plenam ejecerit. Feliciter tamen convaluit, annosq; plurimos supervixit. Dies aliquot post Operationem, cùm eam immoderatæ istius ingluviei, præscripto meo consilio è diametro repugnantis, arguissem, respondit, visum sibi fuisse, se in posterum cibis valedicturam, seque propterea ultimâ vice Ventrem plenè saturare voluisse. Potio verò Cordialis è sequentibus erat composita;

R. Confect. Alkerm. ℈ij.
Aq. Cinamom. destill. sine Vino, ℥j.
Calendulæ,
Buglos. an. ℥ ß.
Misce.

Ex his patet, Lithotomos nonnullos perperam agere, si præcedente vesperâ, vel etiam proximâante Operationem aurorâ, cum ægro vino se ingurgitent: hinc enim in gravia symptomata & imbecillitates incidunt. Nisi vorax ista mulier evomuisset, fortassis pleno ventre occubuisset. Quoniam enim Natura, Operatione debilitata, esculentorum ac potulentorum copiam digerere atque concoquere nequit, inflammationes internæ, febris, & plurima alia sequuntur Symptomata. Sufficit ergo, si ægro ante operationem, sive Castrationem, sive Lithotomiam, & similia, jusculum, ovum sorbile, & haustus Vini, nihilq; præterea ad aliquot post operationem horas exhibeatur. Hâc quoque ratione Lipothymias, aliaque difficilia symptomata, ex nimia assumptorum copia ortum ducentia, vitabimus. In Operatione tamen Vires ægri subinde sunt reficiendę, quem quidem in usum conducunt jscula, Aqua Cinamomi, aut Potio Cordialis prædicta, & alia, de quibus in superioribus mẽtio facta fuit. Tempora itidem, frons, Nares, & Pulsus præscripto Epithemate illinendi sunt.

Quandoquidem vehementissimus quoque dolor, Lithotomiæ comes, sæpe atque communiter Lipothymias producit, ideoque Chirurgus, quantum fieri potest, eum præcaveat. Det igitur operam, ut manum intrepidam, non tremulam, nec timidam obtineat, ut Operationem, tametsi gravem ac dolorosam, promptè tamen expediat. Hunc quidem in finem necesse etiam est, ut Medicus de omnis generis instrumentis, non crassis quidem & ineptis, sed maximè subtiliter elaboratis atque politis sibi prospiciat: quæ aquâ quidem calidâ calefacienda, & Ol. Amygdal. dulc. ut suo loco diximus, illinienda sunt.

Illud præterea silentio prætereundum non est, ægrum videlicet erecto, ut quidam in usu habent, corpore collocandum non esse, quod quidem ad calculum eò meliùs ad collum Vesicæ protrudendum conducit: Lipothymiis verò ansam quoque præbet; Ægro enim super dorsum decumbente, Viscera interiora omnia meliùs quiescere, spiritusque liberè hinc inde permeare, & Operationes suas perficere possunt, quàm si erecto corpore sedeat. Hinc fit, quòd ii, quibus in lecto Vena secatur, non facilè in Lipothymiam incidant.

Elapsis aliquot annis, hîc Bernæ Nobili cuidam brachium dextrum prope axillam, ob infelicem Phlebotomiæ in cubito administratæ successum, ac subsecutam Gangrænam, mihi amputandum fuit. Cùm itaque in sellam collocati brachium disponerem, & ad incisionem commodè instituendam alligarem, æger (è gravi quidem Morbo præcedente summoperè debilitatus) in tantam incidit Lipothymiam, ut mortem jam jam instare existimaremus. Dissectis itaque illicò omnibus ligaturis & fasciis, ægroque in terrã prostrato, postmodum ad se rediit. Quoniam verò operatio, ob vehementiam Gangrænæ ulteriùs sine mortis periculo suspendi non poterat, ideoque doctissimus & Experientissimus *Dn. D. Bartholomæus Dunus*, inclytæ hujus Reipublicæ ac ditionis Physicus ordinarius, Compater meus benevolentissimus, simulque & Ego, de tentanda rursus sequente die brachii amputatione convenimus: ubi lectum ita quidem adaptavi atque disposui, ut totum corpus æqualiter, dorsoque incumbere potuerit, solumque brachium è latere extensum, & convenienter alligatum fuerit; unde quidem tam feliciter successit Operatio, ut ne levissimam quidem Lipothymiam senserit, & ad hunc usque annum 1627. vivat. Carnem verò Cultro candente ad os usque, ad hæmorrhagiam, spiritumque Vitalium dissipationem præpediendam, dissecui. Hac de re plura videat Lector *in libro de Gangræna, & Sphacelo.*

Hæmorrhagia quoque non postremum inter Causas Lipothymiæ, in hac & aliis Operationibus difficilibus, locum obtinet, quæ quidem Chirurgo, quoad fieri potest, præcavenda, atque adeò

Cap. 20.

Vide sub finem 12. cap.

[Cau]sa Lipothymiæ.

[Histo]ria [cujus]dam [mul]ieris.

Aeger nõ erecto corpore collocandus.

Historia vehemẽtis ac periculosæ cujusdam Lipothymiæ. Vide Cent. 4. Obs. 70.

Cap. 20. & 21.

adeò incisio nequaquam Apparatu parvo, sed potiùs supra Instrumentum sive Itinerarium instituenda est: Apparatu enim parvo, cum digitis à Chirurgo in Anum immissis, Venæ atque Musculi Vesicæ, & Intestini recti adeò comprimuntur, ut non unam, sed aliquot, Venas, sæpissimè etiam ipsas Venas Hæmorrhoidales, eo in loco pati, ac dissecari necesse sit. A quo expertus quidem Chirurgus diligenter, non solùm in Incisione, sed etiam instrumentorum immissione, Calculique extractione, sibi cavebit.

Quæstio. Hîc tandem, & Coronidis loco quæritur, quid agendum incumbat Chirurgo, si æger in periculosam gravemque Lipothymiam incideret aut periculosa aliqua Hæmorrhagia, antequam Calculos omnes eduxerit, suboriretur. *Responsio.* Respondetur, ægrum subitò deponendum, omnemque diligentiam & curam adhibendam esse, ut refocilletur, ac restauretur, periculosus itidem sanguinis fluxus supprimatur, atque impediatur; Etenim longè præstat, ut tota Operatio, & Lithotomiæ administratio, vel pars ipsius in crastinum suspendatur, tumque peragatur, quàm si ægro inter manus ipsius Chirurgi occumbendum, aut saltem paulò pòst, ex nimio sanguinis profluvio, moriendum esset. Quòd autem modus ac methodus hæc extrahendi Calculum, cum Arte congruat, & à celeberrimis Chirurgis adhibita fuerit, apud doctissimum ac celeberrimum Virum, *Petrum Francum*, qui ante annos 70. ditionis Bernensis, sicuti etiam Civitatis Lausannensis Chirurgus & Lithotomus ordinarius fuit (Virum probum ac pium) videre est: qui non solùm vult, ut æger ingente Hæmorrhagiâ, ac Lipothymiâ superveniente, deponatur, restauretur, symptomataque amoveantur, ac postmodum quod reliquum est, Operationis etiam dies aliquot pòst peragatur; sed etiam requirit, ut toti Operationi dies nonnulli destinentur: ita ut factâ primâ die Incisione, æger in lectum reponatur, Calculus verò post aliquot demum dies extrahatur, omnia eum in finem, ut vires conservari, & lethalia symptomata evitari queant. Utinam hisce quoque temporibus ægrorum salus & incolumitas singulis Castratoribus, atque Lithotomis æquè, ac probo isti Viro, curæ esset.

De hoc Calculum extrahendi modo, vide c.16.

CAP. XXI.

Quâ ratione æger post Operationem primò, atque secundò, & usq; ad perfectam sanationem sit obligandus.

QUm primùm Calculus, & alia, ut suprà dictum, è Vesica educta fuerint, tunc æger neque Suturis, nec balneis ulteriùs suspendendus, ut *postea cap. 23.* ulteriùs indicabitur, sed ut mox in lectum, ad recuperandas ac refocillandas Vires, collocetur, prospiciendum erit.

Chirurgus igitur Turundam, albumine ovi imbutam, & Pulvere ad sanguinem sistendum, suprà cap. 10. descripto conspersam, in promptu habeat, Vulnerique ad Vesicam usque imponat. Inferiorem verò ventrem ab Umbilico, lumbos itidem, Pudenda, & Coxas sequente Oleo, priùs paululum calefacto, optimè inungat;

℞ Ol. Rosac.
Violar. an. ℥ij.
Amygdal. dulc.
Ovorum,
Butyr. recent. an. ℥j.
Misce, ad usum prædictum.

Peractis his omnibus, pulvillum mediocriter crassum albumine ovi, aque ros. atq; Plantaginis conquassato, imbibat, Vulnerique imponat, & omnia diligenter obliget: quòd si tum Lipothymia supervenerit, ægro denuò cochleare unum aut alterum de præscripta Aqua Cordiali exhibeat, Pulvillos Pulsibus applicatos renovet, ægrumque postmodum, per integræ vel dimidiæ horæ spatium, & quietem placidè componat. Postea Jusculum cum haustu Emulsionis Amygdalar. dulc. exhibeat: vinum enim in hoc, & aliis similibus affectibus neque intra, neque extra corpus, donec nulla ampliùs suspecta erunt symptomata, adhibendum est; nisi fortè maximæ imbecillitates, & Lipothymiæ, ad ipsius usum nos impellerent. Atque hæc de prima Deligatione dicta sint.

Secunda Deligatio hoc modo instituenda erit Lithotomo; Ubi Incisio manè facta, ægroque Urina sub vesperam minimè molesta fuerit, denuò deligandum est Vulnus, ne ex Suppressione Urinæ incommodum aut Symptoma aliquod in Vesica superveniat; è regione quippe istius Turundæ, albumine ovi imbutæ, & præfato Pulvere conspersæ, Urina non potest effluere. Vulnus itaque deligaturus Medicus, duplici Medicamenti genere eum instructum esse oportet.

Primò quidem Turundâ recente, albumine ovi madefactâ, & Pulvere ad sistendum sanguinem obductâ, sicuti etiam Pulvillis præfatis albumine Ovi, & aquâ rosac. &c. imbutis, ut si fortè novus sanguinis fluxus soboriretur, omnia ad rem facientia in promptu habeat, neque impudentiæ accusari queat. Hunc quidem ordinem in omnibus Operationibus ac incisionibus meis, tribus aut quatuor primis diebus, donec de suppressa hæmorrhagia planè certus sum, observo, mihique semper in mentem venit, quod Castratori cuidam celebri, *Andreæ Vitellio*, dicto, aliquando contigit, qui cùm *Comiti cuidam à Waldeck, Episcopo Osnabrucensi*, tumorem quendã è femore exscidisset, nec Medicamentis sanguinem sistentibus, Cauteriisque actualibus sufficienter instructus esset, dum culinæ accurrens ferrum fortè aliquod prehendere, & ignire vellet, interea pius iste Dominus expiravit.

Præter hoc & alio insuper Medicamento instructum esse Lithotomum oportet, quod, suppressâ Hæmorrhagiâ, ad sedandum dolorem, ac promovendam Suppurationem, Digestivum videlicet, sequente modo præparatum, adhibendum erit.

℞. Ceræ novæ ℥jß.
Gumm. Elem. pinguiss.
Terebinth claræ, an. ℥j.
Colophon. ℥ß.
Ol. Amygd. dulc.
De Vitellis ovorum, an. ℥j.


Teran-

Terantur lentissimo igne, & percolentur, Colaturæ admisce Croci subtilissimè pulverisati ℈ij. Hujus Unguenti accipe ℥j. cui admisce Vitellum ovi unius, & Ol. rosac. q. s. ut formam liquidam acquirat.

Hoc Unguento Turunda, & omnia reliqua vulneri imponenda, illinienda, ex residuo verò vitello ovi permixto Emplastrum, Vulneri applicandum, conficiendum erit. Postea venter, Lumbi, sicuti etiam Pudenda & Inguina Oleis suprà præscriptis inungantur, Pulvillus itidem albumine ovi, cum aq. Rosac. & Plantaginis, nec non pauxillo acet. rosac. conquassato, madefiat, & parti affectæ applicetur; ita ut omnia probè loco patienti adhæreant, eodemque modo primo, secundo, ac tertio die, imò etiam diutiùs procedendum erit.


Turundæ hâc quidem ratione atq; discrimine adhibendæ sunt, ut nimirum statim ab initio, quando nulla ampliùs verenda est Hæmorrhagia, *Cannula Argentea*, in parte anteriore aperta ac perforata, ut ex sequente delineatione apparet, quo Urina sine impedimento effluere possit, intrudatur. Quoniam verò Cannula ista, ob duritiem suam, Vulnus aliquo modo premit, ægroque interdum dolores affert, ideoq; illam obducere soleo Panno molli, quem ex ea parte, quâ Cannulæ adhærere debet, Unguento suprà descripto (cui Vitellum ovi admixtum non est) ut tenaciter adhærescat, illino, eamque probè involutam, ita tamen ut pars anterior perforata, nuda, & aperta permaneat Digestivo, cum Vitello Ovi, & Ol. rosac. præparato, inungo, Vulnerique impono. Ut res clarior evadat, Cannularum aliquot delineationem subjicere lubuit;

Cannulæ.



Quidam volunt, ut Cannulæ istæ ex laminis plumbeis malleo diductis conficiantur, quæ magis etiam arrident; quoniam in Vulnere flecti, & ad situm ægri accommodari possunt. Harum verò Cannularum aliquot, veluti parvas, magnas, & mediocres, quarum aliæ curvæ, aliæ verò rectæ, & ad foramina usque, ut dictum, panno obductæ sint, in promptu habendæ sunt. Si verò æger Cannulas quoque illas, propter vehementiam doloris, tolerare non posset, tunc Turunda ex tenero mollique linteo, pannoque convoluto, confecta, Cannularum loco vulneri imponatur. Vulnus verò, quotiescunq; urina premet ægrum, deligandum erit, ita tamen ut illud, si fieri potest, bis tantum in die, manè nimirum ac vesperi fiat. Quando enim toties deligatur Vulnus, & Medicamenta mutantur, tunc neutrum Operationes suas, ut par est, potest exequi. Hæc verò Medicamenta, ac deligandi modus, per dies aliquot continuandus, intereaque, ut probè expurgetur Vesica, diligentia adhibenda. Urina denique, pus, & similia (ne inferiori Ventri, & Coccygi noceant) Vasculo hîc delineato excipienda sunt.

Vasculum, ad excipienda Vesicæ excrementa.



A.A. Cavitatem hujus Vasculi denotat, ejus quidem capacitatis ac magnitudinis, ut tertiam circiter mensuræ partem capere possit. Pars verò posterior, lit. D. notata, obtusa ac lata est, paulatimque in mucronem desinit, ut eò commodiùs ægro substerni, ac pars superior, lit. C. signata, (altitudinis etiam unius digiti) sub Vulnere cuti applicari, atque adeò Urina per foramen lit. B. notatum, in Vasculum possit influere. D. est manubrium, quo Vasculum intrudi, & rursus extrahi potest. Si verò dolor,

Cap. 21. tumorve, aut calor aliquis p. n. superveniret, tunc sequens Cataplasma Turundæ, quàm calidè quidem ferre potest æger, imponendum; & quamvis tumerent Inguina, ut plerumque accidit, nihilominùs tamen calidè applicandum erit;

Cataplasma.

℞. Farin. Hord.
Fabar. an. ℥jß.
Sem. Fœnogræc. ʒij.
Cydon. ʒj.
Pulv. Rof. rub.
Chamomill.
Melilot. an. ʒjß.

Coquatur in lacte addendo butyr. recent. & Oleum amygd. dulc. an. ℥j. Vitellos ovorum num. ij. Croci ℈j.

Misce, f. Cataplasma.

Inunctiones præterea Ventris, Lumborum, & Partium suprà commemoratarum, ut antea dictum fuit, continuandæ sunt,

Quando à Turundis abstinendum sit.

Postquam itaque Vulnus sufficienter ad Suppurationem perductum, Caro itidem contusa probè expurgata, sanguis concretus hinc inde in partibus Vulneri adjacentibus dissipatus, nihilque alienum ampliùs in Vesica contentum fuerit, tunc nulla ampliùs turunda, aut Canula argentea Vulneri imponenda, sed omni ratione Natura ad sanandum, & consolidandum Vulnus, juvanda est. Quòd si tunc Chirurgus Toletanum, aut aliud aliquod conveniens atque probatum Balsamum adhibere cupiat, penès ipsum erit. Ego Unguentum præscriptum ex gummi Elemi, sæpe ad finem Curationis usque, in hoc, & aliis similibus Vulneribus contusis, adhibui, eaque feliciter ad sanationem perduxi: quoniam dolorem, non solùm sanationem impedientem, sed etiam multa alia symptomata producentem, lenit ac mitigat, partem itidem affectam aliquo modo expurgat atq; mundificat.

Quòd si verò necessitate urgente validius aliquod medicamentum adhibendum esset, ut si Vulnus propter Contusionem admodum sordidum, & putredinem concepturum sit, tunc Mundificativum sequens Vulneri imponi poterit;

Mundificativum.

℞. Aloës Succotrin. ʒij.
Myrrh. ʒj. ß.
Rad. Gentian.
Angelic.
Aristoloch. rotund. an ʒj.
Scordii, ℈iiij.

Fiat omnium pulvis tenuissimus, cui admisce Terebinth. ʒij. Mell. rosac. q. s. Misce, fiat unguentum.

Si verò Gangræna aut Sphacelus, uti interdum contingit, in Scroto deprehenderetur, tunc Lector *Tractatum meum de Gangræna & Sphacelo* ea de re consulere poterit.

Si porrò, propter Contusionem & sanguinem coagulatum, Calor aliquis p. n. suboriretur, tunc Medicamentum aliquod, ad calorem illum extinguendum, Gangrænamq; atque putredinem arcendam, Syringâ injiciendum erit; v. g.

℞. Rad. Aristoloch. rotund.
Gentian. an. ʒij.
Fol. Plantag.
Rosar.
Scordii,
Rutæ, an. p. j.
Parietar. m ß.

Coquantur in ℔iiij. aq. ad tertiæ partis consumptionem in ℔j. Colaturæ dissolve Mell. rosac ℥j.

Remotis tandem omnibus Sanationis impedimentis, tunc crura ægri supra mantili colligentur, & quando deligatur, Vulnus, ne nimium diducantur crura, prospiciatur. Hoc Suturæ loco erit.

De vulnerariis, & quo loco....

Hoc loco etiam Chirurgi atque Lithotomi nonnulli, Potionum Traumaticarum, seu Vulnerariarum internum usum, non minùs quàm externum, commendant, illudq; pro summo secreto habent. Quoniam verò Calculosi, propter doloris præcedentis diuturnitatem, inquietudines atque Vigilias, plerumque Valetudinarii, & malè habiti, interiora itidem Viscera obstructa, multisque pravis ac viscosis humoribus referta sunt: quoniam etiam Experientia testatur, Potiones istas Vulnerarias in omnibus Obstructionibus interiorum Viscerum nocere, uti in *Tractatu meo de Meliceria & Ichore Celsi*, demonstratur; Idcircò ab eis abstinere possumus, præsertim cùm alia Medicamenta externa optima, veluti Balsama, Unguenta, Emplastra, & similia, Dei beneficio, in copia nobis suppetant. Quare non opus est, ægrum ejusmodi Potionibus multum vexare, eaq; ratione obstructiones internas augere. Harum verò loco, omnibus modis ac rationibus, tam cibis, quàm Medicamentis, allaborandum est, ut Obstructiones internæ reserentur, & Natura (quæ in omnibus tam internorum, quàm externorum Affectuũ Curationibus præcipuum ac saluberrimum balsamum, & potionem Vulnerariam suppeditat) omnibus modis corroboretur. Hâc enim debilitatâ atque prostratâ, Curatio nulla constans à Medico sperari potest. Quomodo autem Æger toto curationis decursu, in Victu, & aliis se gerere debeat, *nono, ac vigesimo tertio cap.* docetur, & indicatur.

CAP. XXII.


Quomodo Lithotomia Vesicæ in Mulieribus instituenda sit?

QUamvis in Vesica Muliebri non facilè concrescere possint Calculi, quoniam collum Vesicæ in ipsis breve, & præterea etiam adeò amplum est, ut phlegma, arenulæ, & quicquid insuper materiam Calculo generando subministrare potest, facilè cum Urina educatur: nihilominùs tamen sæpenumerò Mulieres, in quibus magni reperti sunt Calculi, vidi. Inprimis anno 1598. Viviaci, in oppido quodam ad lacum Lemanum sito, in nobili atq; honesta quadam Matrona, cui Calculus sequentis magnitudinis in Vesica concreverat: qua de re videat Lector *Cent. 1. Obs. 68.*

Calcu-


Cap. 22.

Calculus.



Anno 1608. Friburgum Aventicorum ad honestam quandam Matronam vocatus fui, cui difficilis laboriosusque partus fœtus mortui, dolorem ingentem in Vesica, & in collo Uteri post se reliquit. Cùm igitur Speculo Matricis collum Uteri aliquantulum dilatâssem, in ipsius fundo Calculum album deprehendi, quo quidem cum tenaculâ prehenso, plures alii secuti sunt, qui pumices albos conquassatos referebant, in densoq; crasso ac viscido limo invicem cohærebant. Huic Matronæ intra paucos dies innumeri Calculi, cum phlegmate è Vesica per collum Matricis educti fuerunt. Qua de re consulat Lector *Cent.3. Observat.69.*

Ante annos aliquot, cùm Civitatis Paterniacensis Physicus essem ordinarius, occurrit mihi honesta quædam Matrona, cui Calculus in Vesica sequentis magnitudinis atque figuræ succreverat, quâ ratione verò ipsum tractârim, *in eadem Centuria Observ.68.* Lector videre poterit.



Anno 1622. cùm Nobiliss. atque Lectissima quædam Matrona hîc Bernæ Retentione Urinæ, cum magno dolore, ac stranguria correpta fuisset, obstetricesq; vocasset, summam ad expellendum fœtum adhibuerunt illæ diligentiam, vocata pariter Uxor mea, cùm ei tam assumptis quàm admotis subvenisset, Calculus satis magnus è Vesica prodiit, fœtumq; duos circiter adhuc mēses, ad terminum consuetum gestavit; unde quidem apparet, quàm necessarium sit, ut Obstetrices, imò omnes illi, qui circa gravidas occupantur, difficultatem Urinæ ac partus internoscere sciāt. Horum Exemplorum plurima in medium afferre possem; quoniam verò nemo adeò ignarus est, ut Calculos etiam in Mulieribus, si non tam facilè ac tam frequenter, interdum tamen etiam in ipsarum Renibus atque Vesica generari posse dubitet: ideoque his acquiescam, & quanam ratione Lithotomia instituenda sit, declarare pergam.

Quicquid igitur *cap. 1.* de Præparatione ægrorum masculorum dictum, propositumq; fuit, idem & de fœminis observandum erit. Similiter etiam Chirurgus eadem, quæ cap. 2. tradita fuerunt, præcepta, æquè in Mulieribus ac in Viris observabit. Inprimis verò ipsum de Calculo omninò certum esse oportet: quod utroque quidem modo supra commemorato, digito nimirum ac instrumento, explorare poterit.

In Mulieribus Calculi exploratio cùm digito instituitur, hoc modo; Ut Lithotomus manus dextræ indicem in collum Matricis intrudat, quo sursum versùs os pubis incurvato, Ventreque supra os Pubis sinistrâ manu compresso, duritiem Calculi digito percipiet. In Puellis verò, præsertim junioribus, exploratio hæcce cum digito per collum Matricis absque vi atque discrimine fieri non potest, sed per Anum, sicuti in Viris, instituenda est. Hâc verò exploratione acquiescendum non est, reperiuntur enim etiam tumores duri in Vesica Muliebri, qui Urinam supprimūt, & eadem ferè, quæ Calculus, symptomata excitant. Tumque Exploratio cum instrumento facta tutissima atque certissima est; digitus tamen etiam magnitudinem Calculi indigitat.

Lithotomiam verò per se quod attinet, non parum variat: quoniam enim collum Vesicæ in Mulieribus breve, rectum, & amplum est, rarò facienda Incisio, nisi Calculus magnus fuerit: tūc enim necessitas non habet legem, uti postea dicetur. Aliàs, quandoquidem collum Viris adeò dilatatur, & per illud etiam magni Calculi extrahi queant, quare non idem etiam in fœminis fieri poterit? Quoniam Vesicæ ipsarum collum admodum breve, rectum, & amplius, quàm in ipsis Viris, existit. Hoc præterea etiam in Lithotomia Mulierum notandum venit, eam, citra Sphincteris, vel ipsius etiam Vesicæ læsionem, vix administrari posse. Propterea extremum istd remedium non facilè tentandum erit.

Extractio verò Calculi in Mulieribus hoc modo à Chirurgo instituenda est; Corpus ante Operationem conveniente victus ratione præparabit, & quantum opus est, purgabit, Venamque secabit. Præparatis præparandis, Balneisque emollientibus, Sacculis, ac Oleis per dies aliquot, sicuti etiam eâ ipsâ ante operationem aurorâ, à Muliere incidenda adhibitis, supra mensam aut scamnum collocanda, & pro re nata alliganda erit. Ubi quidem iterum admonitum velim Lithotomum, ne Thoracem, tam in Viris, quàm Mulieribus liget, sed liberum, ne impediatur Respiratio, permittat. Non abs re autem, eam pro re nata alligandam esse, adjicio: quandoquidem Mulieres adeò cordatæ atq; magnanimes, ut Ligaturam admittere nollent, mihi occurrerunt, in quarum numerum etiam referenda est prædicta Nobilis Matrona Viviacensis, quæ nec ligari, nec manibus contineri voluit, & tamen in tota Operatione ne buccas quidem corpusve commovit.

Nota. Thorax nō ligandus.

Exempla cordatarū Mulierū.

Observatio.

Anno 1618. honestissimæ juxta & lectissimæ cuidam Matronæ mammam sinistram, sicuti etiam ante annos aliquot honestæ cuidam Vetulæ, à Gravau, ad lacum Lemanum, crus amputavi: de quibus & multis aliis Mulieribus, idem affirmare possem, bonaque fide testari possum, Deum Opt. Max. maximè Mulieribus, imò etiam magisquàm ipsis Viris, gratiam, interdum etiam ineffabiles

Cap. 22. effabiles dolores atque pericula subeundi, nec ea abhorrendi, sed magis audacter atque cordatè ferendi, quàm ipsis Viris, largiri.

Muliere itaque ad Incisionem dispositâ, & alligatâ, Chirurgus stylum suum exploratorium, seu Catheterem ad Calculum usque in Vesicam immittat; Catheterem verò istum non usq, adeò incurvatum, & intortum, neque etiam tam longum, ut in Viris, sed dimidiâ parte breviorem, & paulò crassiorem, habitâ inprimis ægræ ratione, esse oportet. Supra hunc quidem Catheterem, Conductorem seu Semispeculum (cujus figuram suprà vidisti) ad Calculum usq; intromittat Lithotomus, quo facto, tenaculam in parte anteriore non planè rotundam, sed aliquo modo acuminatam, per Semispeculi cavitatem, donec Calculum inveniat, intrudat, tumq; Semispeculum, ut manus utraque libera sit, extrahat: postea indicem, & medium digitos sinistræ manus in collum Matricis immittat, Calculumq; ad Tenaculam adducat, & ut eum prehendere atque extrahere possit, omnem diligentiam adhibeat. Quod si primâ vel secundâ vice non succederet, ita ut Calculus è latere saltem prehensus, è tenacula elaberetur, tunc nō minùs in fœminis, quàm in Viris, ab opere minimè desistendum, verùm tenacula toties, donec prehensus extractusq; fuerit Calculus, immittenda erit. Hac etiam in parte Instrumentum meum, *Speculo-forceps* dictum, cujus *cap. 18.* mentionem feci, multas ob causas (ut eo ipso capite declaratum fuit) admodum idoneum est; collum enim Matricis leviter ac paulatim, minoreq; cum periculo dilatat, Calculum itidem non duobus tantùm, sed quatuor in locis simul prehendit, ita ut neque in hanc neque in illam partem possit deflectere: præterea etiam Operator digitis suis, ne Calculus ex anteriore instrumenti parte elabatur, impedit. Ubi igitur Minister, qui dicti instrumenti torcular stringit ac moderatur, Calculum sufficienter prehensum esse animadverterit, tunc Lithotomus manu dextrâ instrumentum, cum Calculo, paulatim extrahat; ambobus verò digitis, in collum Matricis, aut anum immissis, Calculum sequatur, eumque Instrumento foras propellat; ut supra *cap. 18.* dictum fuit.

Educto itaque Calculo, Chirurgus tam in Mulieribus, quàm in Viris, Vesicam perquirat, & an quæ supersint reliquiæ, exploret, de quo *cap. 19.* diximus, nec opus ea idem hoc loco repetere. Mulier igitur postmodum in lectum deponenda, totusq; Venter ac lumbi Ol. rosac. Viol. Amygdal. & similibus supra commemoratis medicamentis inungendi erunt. Postea, ubi nulla suspecta fuerit Hæmorrhagia, Turundam satis longam, ex linteo molli confectam, ac Digestivo illitam, in collum Matricis immittere conveniet. Prætereà etiam Pessarium, è stuppis teneris, sive gossypio factum, & aqua sequente imbutum, in collum Matricis intrudatur.

℞. Aq. Plantag.
Rosar. an. ℥iij.
Meliss. Artemis. an. ℥j.
Sem. Cydon. ʒj.
Ovum, cum vitello, & albumine, numi.

Conquassentur ac misceantur; deinde Pessario, sicut etiam Pulvillo, aquâ illâ madefactis, Pudenda tota obducantur; reliquum verò, ut in Viris, peragatur.

Atque hæc breviter de Calculis, qui per collum Vesicæ educi possunt, dicta sufficiant. Quâ verò ratione reliqui, qui propter magnitudinem suam (qualis etiam ille, cujus figuram capite hocce præmisimus) sine mortis periculo, per collum Vesicæ educi nequeunt, tractandi sint, non parum ambigo. Ubi quidem omninò sentio, longè consultius esse, ut Chirurgus hac in parte cum Mulieribus eodem modo, ut suprà de Viris dictum fuit, procedat, ut eas videlicet peritis quoq; Medicis, doctisq; Theologis commendet, iis quidem, ut doloris levamen, quantum fieri potest, ipsis afferant, his verò, ut consolationibus, piisq; ad patientiam atque constantiam adhortationibus eas erigant. Licebit tamen Chirurgo periculum facere, num fortè Calculum in Vesica confringere, adeoque frustulatim extrahere possit. Scribit *Marianus, Sactus Barolitanus, Paræus & alii*, Collum Vesicæ, ille quidem è latere, hi verò in in ipso medio incidendum, Calculumq; per Vulnus illud eximendum esse: quæ tamen Incisio mihi, propter Sphyncterem Vesicæ, qui eo in loco vix intactus evaderet, admodum suspecta est. Quod igitur antea dixi, repeto; quandoquidem in Viris collum Vesicæ, quod tamen angustius est, quàm in ipsis fœminis, eò usque cum instrumento dilatandū est, donec Calculus educatur, quare idem etiam in fœminis, quarum collum Vesicæ capacius est, fieri non poterit?

Obje[ctio]. Hîc objiciet aliquis, ac inquiet, tu ne hanc Operationem à te ipso abhibitam, rejicies? ut *Cent. 1. Observ. 68.* viere est. Resp[onsio]. Causa, Lector benevole est, quòd Natura ipsa viam, & quânam ratione Operatio instituenda esset, mihi monstrarit: Calculus enim, ob acumen suum, Vesicam, collumque ipsius adeò eroserat, ut in ipso Matricis collo, perexiguum quoddam foramen, extremo digito, stylóque exploratorio deprehendi potuerit: propterea Vulnus istud Cultello incurvato, cujus figura sequitur, ut tenaculam longam incurvatam, hîc pariter delineatam, immittere possem, dilatavi.

Delinea-

Delineatio Cultelli, atq; Tenaculæ.




Hâc quidem Tenaculâ Calculum corripui, atque ita prehendi, ut eum secundâ prehensione sive conatu eduxerim, dictaq; Mulier brevì convaluit, multos annos supervixit, ac liberos suos honestè educavit. Eadem est Mulieris istius Friburgensis, cujus in principio hujus capitis mentionẽ feci, ratio: ubi quidem Natura etiam, quid faciendum esset, indicavit.

Quandoquidem igitur ex ambobus istis Exemplis manifestum fit, Lithotomiam etiam in Mulieribus in hoc loco sine periculo institui posse, consultius mihi videtur, ut collo Vesicæ parcamus. Hoc verò de iis Calculis, qui per collum Vesicæ, ob magnitudinem suam educi, ac propter duritiem confringi nequeunt, dictum volo. Uterque verò modus difficultates suas non spernendas annexas habet: si enim incidatur collum Vesicæ, verendum est, ne musculus Vesicæ feriatur, néve æger postea Urinam retinere nequeat: Si verò sub collo Vesicæ fiat incisio, tunc illud ipsum metuendum est, quandoquidem Vesicæ Vulnera difficulter sanationem recipiunt. Quod si ex his duobus alterutrum mihi eligendum esset, postremum, præsertim in Mulieribus, collum Matricis amplum obtinentibus, tentarem. Quòd enim etiam Vulnera Vesicæ sanentur, plurima extant exempla, inter quæ etiam collocanda est Mulier ista Friburgensis, cujus Vulnus perfectè sanatum fuit, quæque Urinam, ut antea dum integrâ sanitate frueretur, retinere potuit. Si autem hoc in Vulnere, ab acumine Calculi, humorumque malignorum affluxu suborto, accidit, quantò magis in Vulnere, ex incisione recente orto, contingere poterit?

Hæc verò Incisio hoc modo instituenda & administranda est; Corpore primò convenienti victus ratione, Purgatione, & similibus præparato, collocetur, ligeturque ægra, ut suprà sufficienter explicatum fuit, deinde stylus Conductorius, non rectus quidem, sed aliquantulum incurvatus, atque intortus, ut sequens figura indicat, in Vesicam ad Calculum usque intrudatur.

Stylus Conductorius.



Idque in eum finem, ut Calculus è fundo Vesicæ ad collum ipsius attolli queat, alterque Ministrorum, prehenso cum dicto Instrumento Calculo, ut è figura patet, Manubriũ Instrumenti à se versùs os Pubis contorqueat; Hâc ratione Calculus proximè sub collo Vesicæ comparebit ubi quidem Chirurgus incisionem supra Calculum per Collum Matricis, donec Calculum attingat, faciet. Factâ Incisione, mox tenaculâ curvâ, superiùs depictâ, intrusâ, Calculum prehendat & attrahat, Minister vero Instrumentum suum à se detorqueat, ut ita manus manum fricet. Novacula vero, quâ Incisio fit, ubique operta, pannoque involuta, & nihil præter mucronem ipsius denudatum esse debet, ne in incisione alicubi damnum inferat. Nec etiam attingendus est Musculus Vesicæ. Tenaculam præterea non rectam, sed sursum incurvatam esse oportet, ut è figura superiore apparet. Si verò etiam cum Hamulo periculum facere lubuerit, quemadmodum in Viris fieri solet, illud non improbo. Extracto tandem Calculo, tunc in sistendo sanguine, leniendo dolore, & reliquis, eo modo procedendum erit, ut suprà aliquoties indicatum fuit.

Quoniam verò Vulnera ista propter partium istarum substantiam valde nervosam, parumque carnosam, dolorosa sunt, nec facilè sanationem

recipi-

Cap. 22. recipiunt, propterea in gratiam Lectoris, curandi methodum cum medicamentis, in Cura Mulieris Friburgēsis, in principio hujus capitis commemoratæ, adhibitis, huc inserere lubuit. Ac primò quidem cùm dolore vehemente afficeretur, subinde ipsi de die parum de sequente Medicamento in Vesicam, ejusq; collum injeci;

℞. Sem. Cydon.
Fœnograec. an. ℥j.

His grosso modo contusis affunde mens. ß. aquæ, in qua hordeum ad crepaturam incoxerit, seminibusq; prædictis per horam in ea infusis, coletur, & Colaturæ adde Ol. Amygdalar. dulc. ℥ij. Mell. rosat. ℥j.

Quòd si fortè in hac cura dolor aliquis p.n. supervenerit, Chirurgus hoc Medicamentum prædicto modo adhibere poterit Quoniam etiam Alvus in ea non respondebat, ideò frequenter Clysteres adhibui: qui parati fuerunt ex jusculi, in quo primò caput Vituli, deinde etiam manipulus Lumbricor. terrestr. incoxerant, ℥x. Vitell. Ovorum num. ij. Ol. Anethin. Chamomelin. an. ℥j. Qui clyster non solùm alvum emollit, sed etiam dolorem lenit ac mitigat. Propterea Mulieribus incidendis toties, quoties constipatio alvi, doloresvè in corpore molesti fuerint, injiciendus est.

Ad sedandum verò dolorem, ex herbis seqq. q. s. Sacculos confeci, eosque in aqua decoctos calidè Perinæo, atque Pudendis applicui;

℞. Rad. Altheæ, ℥j.
Flor. Chamomill.
Fol. Malvæ,
Violar. an. m. j.
Sem. Cydon.
Fœnograec. an. ʒij.
Anis.
Fœnic. an. ℥j.

Incidantur & contundantur grosso modo, ad usum prædictum.

Nota. Si verò post Operationem Hæmorrhagia supervenirét, tunc neque hæc, neque alia fomenta calida, donec suppressa fuerit, adhibenda sunt. Ventrem, Pudenda, & Coxas sequente Unguento, sive Oleis inungere jussi;

Vnguentū pro Ventrē.

℞. Ol. Amygd. dulc.
Ovor.
Axung. human. an. ℥. ß.
Ol. Lumbric.
Anethin. an. ℥j.

Lumbi, & os Sacrum sequentibus Oleis inungenda sunt;

Linimentum pro Lumbis.

℞. Ol. Rosac.
Nymphææ
Violar. an. ℥j.
Camph. ℈j.

Cum pauco albuminis ovi, & acet. rosac. misceantur, in mortario plumbeo, & agitentur, ad formam Linimenti.

Post cœnam, sicuti etiam matutino tempore, de emulsione sequente haustulum ei exhibui, quam quidem Chirurgus in omnibus, qui ardorem Urinæ percipiunt, præterea etiam debiles & imbecilles sunt, cum fructu adhibere poterit.

℞. Amygd. dulc.
Sem. papaver. alb.
4. frig. major. an. ʒij.

Omnia contundantur, & cum aquâ seq. per pannum trajiciantur.

℞. Ptisanæ,
Aq. Nymphææ,
Rosac. an. ℥ij.
Cinamom. destill. sine vino,
Borrag.
Buglos. an. ℥j.
Sacch. opt. ℥j. ß. Misce.

Ex horum medicamentorum usu dolor brevi remisit, multique Calculi per collum Matricis prodierunt.

Interdum etiam sequente Potione eam purgavi;

℞. Agrimon.
Veronic.
Cuscut. an. ß.
Flor. Borrag. Bugloss.
Violar. an. p. j.
Liquirit. ℥. ß.
Sem. Anis.
Fol. Senn. an. ʒij.

Decoquantur in aqua, ut Colatura redeat ad ℥ij. in qua dissolve;

Electuar. Diaphœnic. cum Rhab. ʒij.
Syr. violar. solut. ℥j.

Misce, capiat in aurora.

Sæpe etiam parum Ol. amygdalar. dulc. cum sacch. in jusculo carnis manè exhibui.

Dolore itaque medicamentis præscriptis sedato, per dies aliquot continuos Decoctum sequens in Vesicam, collumq; Matricis injeci.

R. Rad. Consolid. major. ℥j.
Hordei, m. j.
Veronic.
Scordii,
Alchymill.
Sanicul. an. m. j.

Decoquantur in aquæ mens. j. ad tertiæ partis consumptionem, in Colatura dissolve; Mell. rosac. ℥ij.

Quoties Medicamentum illud in Vesicam injeci, toties per collum Matricis denuò effluxit, semper verò phlegma cum arenulis secum eduxit. Præterea etiam per longum temporis spatiū Urinam retinere non potuit, à qua tamen molestia, Dei beneficio, rursus liberata fuit, ut jam jam dicturus sum. Vesica igitur commemoratis injectionibus repurgatâ, Turundam crassam, digiti longitudinis, ex mollibus stuppis, & gossypio contortam, & aquâ sequente imbutam, in collum Matricis, quàm profundè quidem potuit, immisit;

R. Aq. Plantag. ℥iiij.
Sem. Cydon. grosso modo contusi, ʒ. ß.

Misceantur, & per dimidiam horam ad cineres macerentur: mucilago extracta trajiciatur per pannum, addendo; C. C. usti,

Lap. Calaminar.
Tutiæ, an. ʒ. ß.
Rad. Consolid. major. subtilissimè pulveris. ʒij.

Turundam hanc aliquādiu adhibuit: interea etiam

23. etiam præscriptam Purgationem aliquoties reiteravi, convenientem Victus rationem observare, eamque ab omnibus, quæ Vrinam acriorem reddere possunt, tam in cibo, quàm potu, abstinere jussi. Præterea etiam (quoniam interiora ipsius Viscera ab Obstructionibus erant libera) interdum potionem Vulnerariam, atque Syr. ex herbis Traumaticis præparatam, sumpsit. Hac ratione profluvium Vrinæ per collum Vesicæ remisit, tandemque rursus per collum Vesicæ naturaliter effluxit, multosque annos salva & incolumis supervixit, donec tandem ex peste extincta fuit. Ad hanc verò Curam non exiguum temporis spatium requiritur: nec certus interea est Chirurgus, utrùm perfectè Vulnus coalescere possit, an verò remansura sit fistula, Vrinaque per eandem effluxura. Propterea pium atque industrium quemvis Lithotomum iterum atque iterum quàm humanissimè admonitum velim, ne hac in parte quicquam temerè & inconsideratè suscipiat, & Operationem hancce non nisi deploratis omnibus aliis remediis, instituat.

Cap. XXIII.

De horrendis ac perniciosis quibusdam erroribus, qui ante Operationem, in ipsa Operatione, & post Operationem, à multis Vulgaribus Lithotomis committuntur.

Huc usque de præcipuis rebus, quę Lithotomo ante Operationem, sicuti etiam in ipsa Operatione ac Cura, perpẽdẽda incumbunt, dictum fuit. Clarioris autem luminis atque doctrinæ gratiâ, tyronibus Lithotomiæ, crassos insuper atque perniciosos quosdam errores atque abusus, multis, prôh dolor! qui Artem hanc profitentur, & magnificè de semetipsis sentiunt, admodum familiares, coronidis loco huc inserere, eosq; refellere lubuit: qui omni quidem humanitate, nec eo tamen fine, ac si quenquam in Arte suâ vituperare, aut eludere cuperem faciam, nihil minùs, sed potiùs ut imperitos instituam, & ægros afflictos ab infortunio vindicem.

Primus autem ac præcipuus, qui in Lithotomia, Castratione, & aliis Operationibus difficilibus, à vulgaribus Lithotomis committitur, error sive abusus est, quando ægro diebus Lithotomiam proximè præcedentibus, nec non toto Curationis decursu, liberum vitæ genus concedunt, nec ullum in victu, & aliis similibus ordinem præscribunt: imò nec corporis quidem præparationem ac purgationem præmittunt, sed ægros, ut ipsis offeruntur, incidunt. Ubi igitur Corpus cacochymicum, ut aliter fieri non potest, aut Pletoricum fuerit, tunc omnia ad locum affectum affluunt; unde postea dolor, tumores, inflammationes, spasmus, & nonnunquam Mors ipsa subsequitur. Chirurgus igitur difficiles istas Operationes, non nisi præmissâ sufficiente corporis Purgatione, instituat.

Hîc rursus nonnulli sæpennumerò graviter hallucinantur, existimantes se rem acu tetigisse, ubi ægros ante Incisionem *Antimonio, Mercurio vitæ*, & aliis similibus vehementibus Medicamentis purgaverint, cùm tamen per Mineralia ista violenta vires internæ, ac humidum radicale, cum calore nativo adeò debilitentur, & opprimãtur, ut sæpenumerò restitui nequeant: quòd si tunc Incisio instituatur, viresque, ob dolorem ac hæmorrhagiam, de novo debilitentur, æger plerumque succumbit. Quicunque Chirurgus igitur non tantum in Theoria, seu fundamentis Artis versatus est, ut ægrorum Naturam ac Constitutionem, Vires, humorum prædominium, & evacuandi modum dignoscere nequeat, ille peritum aliquem Medicum, ut multi solent, & sibi adjungere non erubescat. Ab hoc enim discere, & præterea etiam laudem atque honorem reportare poterit, ægroque fata subeunte, Medicus iste de diligentia ac fide ipsius testabitur, eumque excusabit.

Cap. 23.

3. Abusus.

Porrò Lithotomi nonnulli ægro, postremis tribus, vel pluribus ante Incisionem diebus, manè ac vesperi plenum haustum Potionis, ex decocto rad. Restæ bovis, sem. itidem Milii Solis, ac Saxifragæ, Medicamentis Diureticis vehementioribus præparato, exhibere solent; idque eum in finem faciunt, quòd existiment, sibique imaginentur, se Calculum hâc ratione vi ad collum Vesicæ propulsuros, ut eum post Incisionẽ cum tenacula eò faciliùs prehendere queant. Quamvis autem hoc Medicamentum idoneum ac speciosum esse videatur, non solùm tamen inutile, sed etiam perniciosum est. Inutile quidem, quoniam Medicamenta Diuretica, ubi per tot ambages atque circuitus, veluti è Ventriculo per Intestina, Venas Masaraicas, Hepar, Venas emulgentes, Renes, ac Ureteres in Vesicam pervenerunt, viribꝰ suis adeò spoliantur, ut ad Calculum ad collum Vesicæ protrudendum sufficere nequeant. Perniciosum verò est, quia Medicamenta Diuretica multos crudos, crassos, ac noxios humores è Ventriculo, Intestinis, Venis Mesaraicis, Hepate, ac Renibus secum ad inferiorem Ventrem, inprimis verò ad Ureteres, atq; Vesicam deducunt, qui post Incisionem multa perniciosa ac periculosa symptomata, potissimùm verò dolores, Inflammationes, Gangrænam, Spasmum, ac Mortem producunt. Vnde etiam periti Chirurgi Calculosis, inprimis verò proximè ante incisionem, nullas violentas, sed tantùm benignas potiones Purgantes exhibere solent. Quòd si Medicamenta per Alvum purgantia, simul etiam per Vreteres evacuare possunt, quanto magis medicamenta illa, quæ propriè ac electivè, imò totius substantiæ proprietate vires ac facultates Vrinam movendi obtinent, idem præstabunt? Pius igitur & industrius quivis Lithotomus ab ejusmodi Medicamentis Diureticis abstineat. Si verò Calculum descendere velimus, tunc æger è balneo egressus, ut antea dictum fuit, & jam-jam incidendus, parumper per Cubiculum deambulet, & si fieri possit, saltet. Infans verò si fuerit, sub brachiis præhendatur, parumq; concutiatur, atque ita Calculus per se, propter molem suam, longè faciliùs ad collum

Cap. 23.

Vesicæ decumbet, quàm aliàs medicamentis Diureticis depelli posset. Hi igitur omnium crassissimi errores, qui ante Incisionem committuntur, existunt; sequuntur alii non leviores.

4. Abusus.

Vulnus non est suendum.

Castratores & Lithotomi nonnulli Vulnus unâ aut alterâ Suturâ, ut quàm citissimè coalescere possit, adducendum esse existimant. An verò suturæ istæ utiles ac necessariæ sint, facilè inquiri potest. Eas autem non utiles, sed potiùs perniciosas esse, hinc patet: primò quia neque Turunda ut par est immitti, neque sanguis in Vesica collectus, multaque perniciosa symptomata excitans, sisti potest. Deinde, cuivis notum est, post extractionem Calculi multas res p. n. veluti arenulas, phlegma, sanguinem concretum, ac pus in Vesica remanere. Consuto igitur Vulnere, quomodo quæso sordes istæ effluere poterunt? Retentæ verò in Vesica necessariò putrescunt & corrumpuntur, unde dolor ingens, Inflammatio, tumores, Apostemata, Spasmus, & alia lethalia symptomata subsequuntur. Tertiò, ponamus, neque sanguinem concretum, neque arenulas, adesse, notum tamen est, ad Vesicæ, à longo temporis spatio à Calculo exulceratæ, debilitatæ, ac proinde etiam quotidie crassum viscidumque phlegma, uti in Calculosis observamus, generantis expurgationem, tempus & otium requiri. Hoc verò per Vulnus fieri necesse est: quoniam enim meatus Vrinarius longus existit, anfractúsque atque ambages suas obtinet, ideoque per illum, præsertim cùm facultas expultrix eo tempore admodum debilis & imbecillis sit, evacuari non potest. Humore igitur illo viscoso in Vesica retento, quomodo perfecta sanatio sperari poterit? An non denuò novus Calculus concrescet ac generabitur, aut aliud aliquod perniciosum symptoma superveniet? Ita sanè absque omni nubio. Idem quoque sæpenumerò observamus in externis Apostematis, imò etiam in Vulneribus recentibus, non sufficienter mundificatis, & ante tempus cicatrice obductis: tunc enim pus in fundo generatur, atque colligitur, & de novo gravia symptomata producit.

Historia memorabilis, Vulneris ante tempus Cicatrice obducti.

Ante annos aliquot Lausannæ honesto cuidam Civi Vulnus in musculo bicipite, non sufficienter turundis apertum retentum, & præmaturâ Cicatrice obductum fuit, hinc materia purulenta in fundo Musculi collecta, Venam quandam ibidem putrefecit, unde diutiùs, quàm ab initio quartæ septimanæ, post inflictum Vulnus, tanta subsecuta est Hæmorrhagia, ut vitam cum morte permutârit. Quartò, languenti ægro renovantur dolores; Vulnere enim intumescente, ægrove crura movente, Suturæ istæ incidunt atque distendunt labia, ægrumque sine intervallo excruciant. Præterea etiam, contra Chirurgorum expertorum methodum, Contusorum Vulnerum Sutura instituitur.

Contusa Vulnera non sunt suenda.

Et hac quidem ratione Sutura ista non utilis, sed perniciosa erit. Easdem verò Suturas Superfluas, & minimè necessarias esse, sapiens quivis, perspecta loci affecti constitutione, facilè cognoscere poterit, ubi quidem experietur, quòd colligatis ambobus Cruribus, ut suo loco dictū fuit, non aliter coalescat Vulnus, quàm si consutum fuisset. Sic igitur Suturæ istæ nec utiles, nec necessariæ sunt. Hoc idem etiam testatur Excellentissimus Chirurgus, *Petrus Francus, lib. de Herniis, c. 32.*

Abusus verò Suturarum Vulnerum non novus, sed à multis jam annis in usu est, credóque *Theodoricum* primum ipsius autorem extitisse, sicut *lib 3. cap. 44.* Chirurgiæ suæ videre est. Nec mirum; illis quippe temporibus Artes liberales ad summam barbariem redactæ erant: præterea verisimile non est, *Theodoricum*, tanquam Virum Ecclesiasticum, & Episcopum Cerviensem, ipsummet manum adhibuisse: sicuti ipse in præfatione sua fatetur, se illa à quodam, quem *Hugonem de Luca* nominat, collegisse, nec diù tamen apud ipsum commoratum esse; ita ut non obscurum sit, ipsum materiam istam ex proprio cerebro, non autem ex sua, vel *Hugonis* experientia adjecisse. Illud verò maximè mirandum, quòd etiam ipse *Lancfrancus, Guido*, & alii celeberrimi Practici, Ecclesiasticum illum, qui tamen non Practicus, sed Theoreticus Chirurgus erat, in hoc pernicioso abusu atque errore, tanquam fideles Discipuli, secuti sunt, nec animadverterunt, quàm multi ægri incisi, per Suturas istas Vulnerum, naturæ debitum solverint. Quocirca pium quemvis Lithotomum humanissimè ab Abusu illo dehortatum velim.

5 A[bu]s[us].

Multi præterea Castratores & Lithotomi ægrum statim post Lithotomiam in Semicupiū, cui herbas quidem appropriatas incoquunt, collocare solent, eumque per dimidiæ horulæ spatium, plus minúsve, ei insidere sinunt, eum, ut opinantur, in finem, ut dolor leniatur, corpusq; inter Incisionem aliquantulum refrigeratum, denuò calefiat. Hoc verò balneo sequentibus incommodis atque symptomatis ansam præbet.

Sym[ptomata] ma[la] ... Bal[neo] com[mit]tur.

Primò, in Balneo illo reserantur vulneratæ Venæ, & Arteriæ, unde quidem tanta subsequitur Hæmorrhagia, ut ægri summâ imbecillitate ac Lipothymiis opprimantur. Neque hæc levissima causa est, quòd multi statim post Operationem succumbant, aut aliàs ingente virium dejectione, morbisque chronicis subsequentibus multum, antequàm moriuntur, langueant, quoniam per jacturam illam sanguinis adeò prostratæ fuerunt Vires, ut restaurari nequeant. Idcirco monet censetque *Hippocrates*, ut in iis, qui sanguinem emittunt, aut quibus sanguinis fluxus suspectus est, non calida, sed frigida Medicamenta adhibeantur.

Li[b] ... ph[or.] 23.

Deinde, ponamus nullam Hæmorrhagiam verendam esse, cuilibet tamen notum est, Corpus in Operatione, propter vehementiam doloris ac hæmorrhagiæ, perturbatum, omnesque corporis Vires prostratas fuisse, adeoque nullum præstantius remedium, ad refocillandas ægri Vires quærendum, quàm ipsam requiem. Cùm balneum insuper multos Vapores sursum mittat, facilè periculosa Lipothymia inde subsequi posset: uti superioribus annis apud celebrem quendam Virum, post operationem observari.

Tertiò

Cap. 23.

Tertiò, quandoquidem proprium caloris est attrahere, hinc etiam per usum Balnei magna humorum præternaturalium copia ex superiore corporis parte, præsertim è lumbis, utpote qui jam-jam ob præcedentem Operationem, commoti sunt, quasi vi deorsum trahuntur, tantoq; interdum cum impetu ad Vulnus delabuntur, ut tumor ingens cū intemperie, & alia symptomata subsequantur: ex Balnei enim istius usu Venæ, atq; meatus omnes in loco affecto adeò dilatantur, & lubrici redduntur, ut humores excrementitii omnes ad Vulnus confluant, sanationemq; impediant.

Sextò, Lithotomi quidam usum Turundarū rejiciunt, Nervosque omnes ad Vulnus citò consolidandum intendunt. Magna quidem illa, & præceptis Artis repugnans temeritas: non enim sufficit, ut æger citò sanetur, ac pristinæ Sanitati restituatur, sed idem etiam tutò, h. e sine periculo atque dolore fieri oportet: quâ autem ratione sanatio illa tutò, & absque periculo fieri possit, non video; nisi enim collum Vesicæ post Lithotomiam, beneficio Turundarum per dies aliquot apertum retineatur, & Vesica expurgetur, Arenulæ ac phlegma de novo retinentur, fitque miseria postrema deterior primâ; propterea quòd Arenulæ ac phlegma calore & inflammatione, Lithotomiæ succedente, denuò coagulantur, & indurantur. Quando igitur res illæ in Vesica retentæ, veluti phlegma, ac sanguis coagulatus, ventilatione carent, suffocantur, & inflammantur, unde facilimè Gangræna, tandemque, post acerbissimos dolores, Mors ipsa sequitur. Propter Inflammationem enim Vesicæ, Urina per Ureteres in Vesicam defluere non potest: unde inflammatio Renum, intemperies interna vehemens, Lipothymiæ, Spasmus, & similia oriuntur. Castrationes nonnulli hoc quoque modo instituunt, ut ægros sexto vel quarto die è lecto erigant, seque rem acu tetigisse existiment, honorem ac famam hâc ratione sibi comparaturi: quàm periculosum verò sit, & quàm gravem rationem aliquando coram Deo reddituri sint, quicunque vel tantillo pollet judicio, facilè intelligit, quod etiam multis coràm proposui.

Septimò, prætermittere non possum, quin Lectorem, ut sibi ab exitioso perniciosoque abusu, quem non postremus inter Chirurgos nostris temporibus, in libro suo descriptum reliquit, caveat, hoc loco obiter admoneam. Vult autem & scribit, sufficere, si Vulnus, post extractionem Calculi, linteo mundo operiatur, statuitque Urinam Vulneri mederi, & ad ipsius sanationem sufficere; Imò, addit, si nulla alia supervenirent symptomata. Rectè quidem & optimè dictum, quomodo verò symptomatis, putà dolori, intumefactionibus, Inflammationibus, & similibus, quibus singula Vulnera, præsertim cum magna aliqua Cōtusione conjuncta, ut hæc, obnoxia sunt, subvenire poteris? Quomodo itidem absque convenientibus Medicamentis atq; remediis, symptomata impedies? Quin potiùs, inquam Ego, mortis imminebit periculum: nisi enim Vulnus ab initio, beneficio Medicamentorum ac turundarum, apertum retineatur, intumescit, & ita coalescit, ut neque Urina, multò minùs humores viscidi, pus, & sanguis, quæ post Incisionem in Vesica remanserunt, emanare queant: unde quidem omnis generis prava symptomata, tandemque Mors ipse subsequitur. Urinam quod attinet, quid, quæso subsidii inde sperari, aut quanam ratione illa medicamenti vices, ad demolienda symptomata, sanandumque Vulnus, hac in parte supplere poterit? Quandoquidem eo tempore non absoluti ac simplicis excrementi, sed aliam insuper naturam obtinet. Propter dolorem enim & inflammationem, non Vesicæ solùm, ac Vulneris, sed etiam propter calorem p. n. atque febrilem Cordis, & totius Massæ sanguineæ, imò & puris in Vesica, & circa Vulnus collecti, peculiarem facultatem corrosivam, perniciosam & acrem ascisit; Ita ut liberè affirmare possim, Urinā retentā è præcipuarum Causarum omnium periculosorum, quæ Lithotomię supervenire possunt symptomatum, numero existere. Chirurgus igitur omnibus mediis ac rationibus impediat, ne urina retineatur, sed liberè fluat. Hoc verò Cannulis atque Turundis, ut suo loco dictum, optimè, & citra insignem molestiam, consequi poterit.

8. Abusus

Octavò, alius insuper nec levis quidem Abusus ab Empiricis quibusdam committitur, qui non solum Turundarum in Vulneribus usum, rejiciūt, sed etiam Vesicam Potionibus suis Vulnerariis ab omni phlegmate, arenulis, & similibus expurgare, Vulnusque perfectè sanare satagunt. Gravis error & abusus ille, quo multi vitâ suâ privantur. Potiones enim Vulnerarias ad Vesicam usq; pertingere, ibidemque aliquid boni præstare posse, impossibile est; Cùm enim nec ipsa quidem Medicamenta Diuretica, ut *Galenus*, & alii scribunt, & experientia quotidiana testatur, subtili ac penetrabili naturâ ac facultate prædita, vix ad Vesicam pervenire queant: quomodo, quæso, Potiones Traumaticæ, quę exsiccant & astringunt, eò pervenire, Vesicamque expurgare atque sanare poterunt? quin potiùs Mesenterium, Hepar aliaque interna Viscera, ac Venas, *ut cap. 21.* dictum fuit, obstruent, multaque prava symptomata, uti doctissimus *Ioh. Matthæus, difficultat. Med. quæst. 30.* testatur, excitabunt.

Galenus Artis Medic. c. 98.

9. Abusus

Nonò, inter singularia ac summa remedia nonnulli referunt, si statim post Operationem Pulvillus, vino calido imbutus, applicetur, nec illud in prima solùm deligatione, sed per totum etiā Curationis decursum nihil aliud adhibent, ut celebris quidam Lithotomus non ita pridem ad me scripsit, de eoque sententiam atque opinionem meam expetivit. Respondi autem, in his & aliis Vulnerib⁹ contusis, statim ab initio ejusmodi medicamenta requiri; Primò, ad sanguinem sistendum, secundò, ad dolorem sedandum; Ad Suppurationem promovendam: ad humores alienos è corpore affluentes repellendos; Vinum verò sanguinem minimè sistere, hinc patet, quòd ejusmodi Medicamenta frigida & sicca esse oporteat, cùm tamen Vinum naturâ calidum, & præterea etiam acre sit. Nec etiam dolorem lenire, multò minùs Suppurationē Vulneris promovere potest; Quandoquidem partem affectam calefa-

Cap. 24. cit, ac propter acrimoniam suam Vulnus vellicat, atque dolorem excitat. Medicamenta igitur Anodyna & Suppurantia, naturæ calidæ, & humidæ; omnisque acrimoniæ expertia esse oportet. Quintò tandem, humores p. n. è corpore affluentes non reprimet, multò minùs repellet, cùm calidum sit, Medicamenta verò Repellentia frigida esse oporteat.

CAP. XXIV.

De Symptomatis, eaq; demoliendi modo.

HActenus præcipuæ partes ac capita, quæ cuivis fideli & industrio Lithotomo, quantum quidem ad instituendam Operationem requiritur, cognoscenda sunt, proposita & explicata fuerunt. Quoniam verò nonnunquam gravi periculosæque Operationi huic, innumera perniciosa symptomata, & affectus p. n. Curationem interdū totam invertentes, & immutantes, superveniunt, qui sæpe doctissimis & Experientissimis quibusvis Medicis imponunt; Ideoque summa Lithotomo adhibenda est diligentia, ut æger expertum aliquem nancisci possit Medicum, qui naturam ac constitutionem ipsius probè perspectam habeat, & ad eam non solùm Victus rationem, humorumque excrementitiorum è corpore evacuationem dirigat, sed eò etiam animum intendat, ut symptomata demoliatur & corrigat, atque depellat. Quod quidem Chirurgo apud honestos & peritos quosvis homines honorem ac laudem conciliabit. Et si fortè successus voto non responderet, tunc Medicus Chirurgi diligentiam Propinquis commendare, famamq; ipsius defendere atque tueri poterit. Hunc quidem ordinem in omnibus difficilibus ac periculosis Operationibus, quantum potui, non sine fructu observavi. Quoniam verò Medici præsentiam interdum denegari non ignoro; Ideoq; perito atque industrio Chirurgo sequentia diligenter observanda erunt.

1. Quid ad arcenda symptomata observandū

Primò, ut toto Curationis tempore, tam aliquot ante Incisionem diebus, quàm in ipsa Cura, & aliquandiu pòst prospiciat, ne æger in Victus ratione peccet, inprimis verò ut omnia, quæcunque corpus, humores, ac sanguinem calefacere & incendere possunt, evitet. Nihil propterea aliud, quàm Juscula, cremorem hordei, & avenæ decorticatæ (quæ quidem hac in parte, sicuti etiā in Castrationibus maximè commendantur) assumat. A Vino ægri isti planè abstineant, ejusque loco Ptisanam, & Emulsiones Amygal. dulcium adhibeant; Uti initio fusiùs indicatum fuit, nec opus est, ea hoc loco repetere.

2.

Secundò, in avertendis Symptomatis cavēdum est, ne alvus cōstipetur, sed singulis diebus naturaliter fluat: retentis enim & induratis in corpore alvi excrementis, Vesicam, Intestinum rectum, aliasque in Operatione contusas & exulceratas partes comprimunt. Ad purgandum tamen non nisi Medicamenta lenia, veluti Mannæ, syrup. rosat. solut. vel Syr. de Cichor. cum Rhab. exhibenda sunt: quantum enim damnum ex usu Catharcticorum Medicamentorum ad ægrum redundare queat, antea dictum fuit. Optimum verò & convenientissimum remedium in istis ægris, ad alvum solutam servandam, sequens Clyster erit;

Cly[ster]

R. Rad. Althææ, ℥j.
Fol. Althææ,
Malvæ,
Mercurial.
Parietar. an. m.j.
Chamomill.
Melilot. an. m.ß.
Sem. Lini,
Fœnogræc. an. ʒ ß.
Anis.
Aneth. an. ʒj.

Decoquantur omnia in aquæ mens. ij. ad consumptionem tertiæ partis, hujus decocti pro adulto accipe ℥x. Butyr. recent. Ol. Aneth. an. ℥j. Vitell. ovorum num. ij. Sacch. rubr. ℥ij. Misce, & fiat Clyster.

De [Suppo]sito[riis]

Suppositoria hîc nō facilè adhibenda, quandoquidem acredine atque duritie suâ Anum, qui in Operatione non parum irritatur, & consequēter etiam collum Vesicæ comprimunt, & exulcerant. Tempestate verò aëris frigidâ suppositoria parva ex butyr. recent. parari, in aqua frigida servari, ægroque, quoties opus erit, applicari poterunt; alvum enim leniunt & emolliunt, doloremq; mitigant. Æstivo quoque tempore herbæ emollientes Carnibus adjiciendæ & incoquendæ sunt. Inprimis verò ad rem facit Cichorium, Endivia, Spinachia, ac folia Rhab. Monachorum: sicuti etiam Mercurialis, quæ duæ postremæ inprimis Alvum aliquo modo laxant & emolliunt.

Tertiò, ad avertenda Symptomata, ad constitutionem ægri quàm diligentissimè respiciendum erit: si enim æger juvenis, robustus, atque plethoricus fuerit, nec nimiam in operatione sanguinis copiam profuderit, tum secundo, aut tertio post incisionem die, tutò Vena in brachio dextro ei secari, & habitâ ratione Virium, sanguis emitti poterit. Hæc quidem Phlebotomia calorem internum, febrem, inflammationem, tumores, spasmum, dolorem, & similia avertit, & impedit.

Quartò, singulis diebus bis, aut quoties deligatur æger, ipsius Venter ab Umbilico ad Pudenda usque, sicuti etiam Lumbi & Os sacrum, Ol. rosac vel Myrtill. inungenda erunt, vel præparetur Linimentum tale;

Lini[men]tum Lu[mbis]

R. Unguenti rosac. ℥j.ß.
Butyr. rec. in aq. rosac. loti,
Ol. Violar.
Nymphææ, an ℥j.
Mucilag. Sem. Cydon. aq. rosac. extract. ʒ. ß.
Camph. aceto dissolut. ʒj.

Misce in mortario, ad formam Linimenti.

Si verò dolor aliquis p.n. Ventris, aut prope Vulnus superveniret, tunc rursus Olea primò adhibita, veluti Ol. amygdal. dulc. de Vitell. Ovorum, & similia reiteranda essent. Quibus etiam parum Ol. Lumbric. ad impediendum Spasmum admisceri, eoque Os sacrum inungi posset. Atq; hæc in genere, & breviter de Symptomatis, eorundemq; Præcautione, dicta sunto; de iis enim omnibus

omnibus prolixè agere, hujus loci non est, neque etiam provincia illa Herniario aut Lithotomo, sed perito alicui Medico, eum in finem vocato, incumbit.

CAP. XXV.

De Retentione Calculi in Ureteribus.

IN præcedente capite in genere de Symptomatis, Lithotomiam insequentibus actum fuit, quoniam verò duo insuper non levia Symptomata, Calculosis familiaria, occurrunt; ideoque ea, Chirurgos instituendi, docendi, & exhortandi gratiâ, in duobus inprimis sequentibus capitibus perstringere volui.

Primum verò ac periculosissimum, quod calculosis accidere potest, Symptoma est, quando Calculus in Ureteres decumbens, iisque impactus inhærens, gravissimum dolorem, ob summam meatuum istorum angustiam, & sensum, producit: *ut cap. 5.* fusiùs dictum fuit. Gravissimum autem dolorem istum facilè inflammatio partis dolentis, nec non Mors ipsa, præsertim si æger, obstructo utroq; Uretere, Urinam emittere non possit, insequitur. Hîc verò Lectorem celare nolo, interdum etiam Ureteres ex aliis quoq; causis, quàm Calculo Renum, obstrui: uti ex sequente Exemplo apparet.

Anno 1595. die 8. Iunii, obiit Coloniæ filius meus primogenitus, qui ad septimum usque ætatis annum caput, Cervicem, imò universum corpus adeò mundum purumque obtinuit, ut nulla unquam Pustula, multò minus furunculus, aut scabies in eo deprehendi potuerit: unde quidem sæpe apud Amicos queritabundus dixi, subitaneum aliquem affectum tandem Puerum istum oppressurum & extincturum, quod etiam evenit. Cùm enim septimo ætatis anno, per unum aut alterum diem Cephalæâ quâdam affectus esset, subsecutus est dolor lumborum, cum febre conjunctus, sicuti etiam Retentio Urinæ, ita ut ferè ne guttulam quidem excernere posset, Et quamvis honorandi atq; doctissimi Viri, *Dn. Arnoldus Manlius, Dn. Ioh. Kuenius, Bredenbachius, &c. Dn. Ioh. Slotanus*, omnes tres Med. Doctores, summam adhibuissent diligentiam, Vrina tamen secedere noluit, atque ita septimo die Morbi obiit. Cadavere itaque, præsente *Dn. Slotano*, ab honorando *Dn. Ludovico Glandorffio*, experientissimo ac solertissimo Chirurgo, dissecto, ingentem & insignem Renum, ac partium circumjacentium inflammationem, in Gangrænam jam degeneratam, reperimus.

Hoc igitur solertibus quibusvis Matribusfamiliâs diligenter notandum erit, ne scabiei in Infantibus, quamcunq; corporis partem occupet, nisi Oculos, Aures, Nares, & similia corrumpat, Manus medicas adhibeant: quoniam enim Natura in hoc infante per scabiem corpus à vitiosis humoribus expurgare non potuit, hinc anno septimo, veluti per expulsionem criticam, subitò è capite, Thorace, aliisque partibus supra lumbos decubuerunt, ibidemque Ureteres obstruxerunt. Quamvis autem nullum aliud præter hoc unicum exemplum viderim, quòd Materia scabiei Infantibus Ureteres obstruxerit: sæpe tamen affectus præternaturales plurimi, tam interni, quàm externi, in infantibus curandi mihi occurrerunt, quibus vel natura scabiem non expulerat, vel etiam quasi vi, & lacessitâ Naturâ, sanata fuit. Inde Infantes sæpenumerò malignis & insanabilibus Apostematis, Scrophulis, Ulceribus, fistulis, & similibus, infectos videmus. Ut taceam incommoda, quæ sæpe internis partibus nobilibus Naturâ in tenellis Infantulis non repurgatâ, aut in opere suo impeditâ, supervenerunt. De hoc quidem Matresfamiliâs, sicuti etiam Chirurgiæ tyrones, quorum nonnulli infantes Unguento Enulat. ac Bernhardino cum Mercurio illinere non erubescunt, monendos esse judicavi. Ab eo verò pius quivis Medicus sibi caveat, & si fortè, necessitate urgente, dolor scabiei in infantibus leniendus sit, butyrum recens per se, aut aquâ rosac. lotum sufficiens erit, si eo scabies illinatur, vel etiam cremorem lactis, recens à lacte separatum admisce.

Admonitio ad Chirurgiæ tyrones.

Ut autem ad institutum meum revertar, natura Ureteres à Renibus usque ad Vesicam, angustos admodum condidit, quoniam ei tantum usui destinati sunt, ut Urinam, aliquando etiam materiam viscidam ac purulentam è Renibus in Vesicam deferrent. Si verò eveniat (ut quidem calculosis quibusdam accidit) ut crebri multique Calculi è Renibus in Vesicam per eosdem delabâtur, tum successu temporis dilatantur, ita ut interdum etiam (quod ipse vidi) Calculi, magnitudine pisa, aut fabas majores æquantes, è Renibus in Vesicam delapsi fuerint: Id verò non absque ingente dolore, ob exquisitissimum Ureterum sensum, contingit; præterea etiam periculo non vacat. Si enim Calculus in Ureteres decumbat, eisque impactus inhæreat, dolor ingens, intumefactio interna, Intemperies, febris, Inquietudo, sæpe etiam delirium, Lipothymiæ, aliaque periculosa symptomata sequuntur. Adauctâ postmodum in parte affecta inflammatione, ac subsequente Gangrænâ & Sphacelo, tum demum de hominis istins vita actum erit: quemadmodum anno 1623. mense Iunio, apud celebrem quedam Virum, in vicinia simile vidi. In hoc Viro, cùm Calculus Ureteribus impactus inhæsisset, nullisque remediis deturbari potuisset, tandem inflammato loco affecto, extinctus fuit. Post pium ipsius obitum, totum latus, ut in Gangræna accidere solet, fuscum evasit.

Observatio.

Calculus autem ideò in Ureteribus detinetur, quia videlicet acutus, asper, inæqualis, & angulosus, è contrà verò Ureter angustus ac parvus est. Quòd si præterea etiam facultas expultrix, ob multiplicem dolorem, debilis & imbecillis fuerit, tum Calculus propter acumen suum, nec non Ureterum angustiam, prodire non potest, sed hæret: sique tunc æger corpore pravis humoribus repleto, Diuretica validiora adhibuerit, magnam phlegmatis, vitiosorumque humorum copiam ad locum affectum deducet, adeoq; Oleum camino addet. Obstructo alterutro tantùm Uretere, periculum longè minus, quàm si uterq; obstrueretur, erit: Natura enim Urinam ad alterum Renem, & per ejusdem Ureterem ad Vesicam deducit. Bonâ fide asserere possum, quòd anno

Quomodo Calculi in Vreteribus detineantur.

Observat.

Cap. 25.

anno 1624. honorando ac prudentissimo Viro, *Dn. Ioh. Wolfio, Civi Bernensi*, Calculi aliquot in Uretere dextro ad tertiam usque septimanam impacti inhæserint: interea ingentem quidem in loco affecto patiebatur dolorem, reliqua verò symptomata non admodum molesta erant: propterea quòd Urina per ureterem sinistrum ad Vesicam, indeq; per vias ordinarias profluere potuit. In hoc quidem Viro, quamdiu Calculus in Ureteribus detentus fuit, eodem modo, ut postea dicetur, Curationem institui, paucaq; Medicamenta Diuretica, ne humores alienos è corpore ad locum affectum pellerem, adhibui. Tandem paulatim ad Vesicam delapsi, & citra molestiam per Virgam excreti fuerunt.

Utriusq; Ureteris Obstructio periculosa

Obstructo verò à retentis lapillis, arenulis, aut similibus, utroque Uretere, angor & cruciatus maximus oboritur, ægerque, ut Excellentissimus Vir, *Dn. Ambros. Paræus lib. 17. cap. 36.* testatur, iisdem sæpe doloribus, quibus submersi, opprimitur. Urina enim denuò ad Venam cavam regurgitat, spiritus Vitales suffocat, caloremq; innatum extinguit. Ex tali quidem angore, Calculiq; in utroque uretere retentione, honestissima atque lectissima quædam Matrona Lausannensis, Hospita videlicet ad crucem albam, la Flammande dicta, ante 30. annos extincta fuit. Præterea etiam observatum fuit, idemque Pareus citato loco testatur, ægros aliquos in tantis angustiis urinam supernè per Vomitum reddidisse.

Observat. Puer quidam quotidiè Urinam per Vomitum excernit.

Doctissimus ac celeberrimus Vir, *Dn. Gregorius Horstius*, inclytæ ac liberæ Reip. Imperialis Ulmensis Physicus ordinarius ac Medicus, Dn. & Amicus meus benevolentissimus, ante annos aliquot Casum hunc memorabilem ad me perscripsit. Ante quadriennium circiter, scribit, Darmstadii, Puerum quendam 12. annorum vidi, qui à juvẽtute sua quotidiè ad minimum semel aquam salsam, instar Urinæ equinæ, per Os evomuit. Causa hujus affectus erat, quòd Puero isti, nondum dimidium annum agenti, pudenda à Porco cutetenus demorsa fuerunt, Vulnusq; ex negligentia Barbitonsoris omninò coaluit.

Puella quædam nobilis Urinã per Umbilicũ effundit.

Legimus apud Excellentissimum Chirurgum Gallum, *Bartholomeum Cabrollium Observ. 20.* oblatam ipsi fuisse nobilem quandam Puellam, cui collum Vesicæ à juventute omninò occlusum, è contrà verò Urina per Umbilicum, cum summo incommodo & molestia, excernenda fuit. Hæc quidem duo Exempla, quandoquidem notatu dignissima ac nova sunt, in gratiam Medici industrii huc inserere lubuit, ex quibus apparet, quàm mirabiliter Deus Opt. Max. interdum, & in multis hominibus, per Ministram suam Naturam operetur, resq; planè mirabiles producat.

Victus ratio.

Cùmprimum autem unus aut alter Calculus Calculosorum Ureteribus impactus fuerit, postmodum ægro conveniens Vivendi ratio præscribatur: ab omnibus crudis & difficilis coctionis, sanguinem itidem & humores adurentibus Cibis; veluti sunt Aromata, & similia, nec non etiam à vino, planè abstineat, ejusque loco emulsionibus Amygdalarum dulc. ex amygd. part, 2. & Sem. Cucurbitæ parte altera, paratis utatur: vel Potionem seq. conficiat.

℞. Agrimon. Veronic. an. m. ß.
Liquirit. ℥j.

Incidantur ac decoquantur in aquæ mens. ij. & Mellis cochl. j. per horam circiter dimidiam. De hoc decocto bibat æger ad libitum.

Clyst.

Postmodum etiam sumat Clysterem sequẽtem, eumq; quandiu poterit, contineat.

℞. Rad. Malv.
Altheæ, añ. ℥j.
Fol. Altheæ,
Malv.
Violar.
Mercurial, añ. m. ß.
Parietar. m. j. ß.
Flor. Chamomill.
Melilot.
Sambuc, añ. m. ß.
Sem. Anis.
Lini,
Fœnicul.
Fœnugræc. añ. ʒij.

Incidantur, & contundantur omnia, postea f. decoctio in ℔ iiij. aquæ fontan. ad consumptionem tertiæ partis: in ℥x. hujus decocti colat. dissolve,

Butyr. recent.
Ol. Lilior. alb.
Lumbricor. añ. ℥j.
Vitell. Ovor. num. ij.
Salis, ʒij. Misce, f. Enema.

Ejusmodi Clysteres frequenter, vel saltem quotidiè semel adhibiti, ægro maximè conducerent. Meatus enim Urinarios internos emolliunt, ac lubricos reddunt, præsertim si diutiùs ab ægro contineri possint. Si verò in Intestinis detinerentur, tunc adhibito Suppositorio alvus stimuletur; Similiter etiam, nisi sufficienter eos cõtinere possit, momentum salis adjiciat.

Sacc.

Loco affecto Sacculus, ejus latitudinis ac lõgitudinis, ut totum latus cooperire queat, applicandus, & ex iisdem herbis, quæ pro Clystere præscripta fuerunt, q. s. parandus erit: & nisi Calculus remediis istis cederet, tunc ex præfatis herbis Semicupium paretur, cui æger ad Umbilicum usque insideat. Præterea etiam subinde Cohl. j. Ol. Amygd. dulc. cum pauxillo Syr. de Althea, atque decocto Agrimon. & Veronic. additã Liquiritiã, permixti propinetur, & si fieri possit prospiciatur, ut corpus equitando, vel deambulando exerceat: ut per exercitium istud corporis Calculus eò faciliús ad Vesicam delabi possit. Semicupium verò ita præparetur, ut æger pedes extra aquam contineat, sic enim eò diutiùs in eo permanere poterit. Pharmacopolæ, imò etiam ipsi Calculosi, in locis quibusdam peculiaria, & admodum idonea in hunc usum sedilia, cum pelvi quadam in promptu habent, quæ qui sibi conficienda curare cupit, eorum figuram & usum apud doctissimum & celeberrimum Virum, *Dn. Ambrosium Paréum, lib. 17. cap. 38.* reperiet. Deficiente verò sedili isto, ejus loco Cupa ejus latitudinis, ut æger ei commodè insidere queat, altitudinis verò, ut Balneum Umbilicum ipsius attingat, accipiatur. Hæc quidem Cupa, in posteriore parte aliquantulum in altum (ut dorso ei in-

ei incumbere possit) elevanda, in parte verò anteriore (ut crura foràs propendere queant) incidenda vel excavanda est. In hanc æger, quàm commodè quidem fieri poterit, collocetur, balneum temperatum conservetur, ægerque per mediocre temporis spatium in eo permaneat.

Ad Balneum verò herbę in copia adhibeantur, ut illud eò efficacius efficiant. E' Balneo in lectum calefactum, ne Venter refrigeretur, deponatur: Et statim post egressum è Balneo, seq. Potiuncula ei exhibeatur;

℞. Ol. Amygd. dulc.
Syr. de Althea Fernel. an. ℥j.
Confect. Alkerm. ℈j.

Cum aquæ Parietar. & decocti pro potu ordinario præscripti, an. part. æqualibus f. Potiuncula, detur tepidè.

Ubi verò æger post egressum Balnei aliquantulum quieverit, tolum latus, Venterque ad spinam dorsi usque, sequente Linimento inungatur;

℞. Ol. Lilior. alb.
Amygd. dulc.
Pingued. Anseris,
Scorpion.
Lumbric. an. ℥j.
Capon. an. ℥ß. Misce.

Corpore eo, quo dictum est, modo inuncto, Sacculus prædictus calidè applicari poterit: vel paretur sequens cataplasma, & calidè applicetur;

℞. Farin. Tritici, Hordei, an. ℥ij.
Pulv. rad. Altheæ,
Fol. Malvæ, Parietar. an. ʒij.
Sem. Lini, Fœnograec. an. ʒiij.

Coquantur cum decocto rad. & fol. Altheæ, & Parietar. fiatq; Cataplasma: addendo sub finem.
Butyr. recent.
Ol. Lilior. alb. Lumbric. an. ℥j.
Vitell. ovor. num. ij.
Croci, ℈j. applicetur calidè.

Balneum verò, Lumborum inunctio, Sacculi, & Cataplasma toties, quoties necessitas dolorque requiret, reiteretur.

In hoc Casu, ad Calculum videlicet è sede sua ad Vesicam depellendum, etiam conducit Vomitus: eo enim corporis motu ac concussione Calculus interdum in Vesicam delabitur. Nisi igitur sponte suboriatur Vomitus, benignis Medicamentis provocandus erit. Haustus aquæ tepidæ, butyro recent. vel oleo Olivarum permixtæ, Vomitum ciet: præsertim si statim post assumptum Vomitorium, digitus vel pluma oleo imbuta, ad Uvulam intrudatur: Vel,

℞. Rad. Raphan. ʒij.
Menth. Hordei decorticat. an. p. j.

Coquatur omnia in aquæ ℔j. ß. ad consumptionem dimidiæ partis: adde parum Olei, vel butyri recent. & ægro propina.

Aliud paulò efficacius.

℞. Agaric. ℈ij.
Rad. Raphan. Asari, an. ʒj.
Flor. Roris marin. p. j.

Coquantur in aqua, ut Colatura redeat ad ℥vj. In quibus dissolve Syr. Acetos. ℥ij. Misce.

Hâc potiunculâ, ægro tepidè exhibitâ, mone ut mox digito, sive plumâ in collum immissâ, Vomitum proliciat.

Cap. 25.

De Purgatione. Purgationes in ægris istis adhibendæ non sunt: humoribus enim præternaturalibus excrementitiis, viscosis & similibus è partibus superioribus ad intestina propulsis, facilè etiam pars aliqua ad Renes & Ureteres delabi potest. *De Cassia.* Cassiam nonnulli in Calculosis commendant, & pro singulari experimento ad refrigerandos Renes ac lumbos extollunt; alii verò eam Vrinam ciere, & acrem reddere, reipsâ comperiunt, & experiũtur. Hac de re consulere poterit Lector Doctissimum & Experientissimum Virum, *Petrum Pigray, lib. 7. cap. 4.* Item *Cent. 1. Epist. mearum, Epist. 34. & 35.* Loco verò Purgationis, Clysteres, quoties opus erit, adhiberi poterunt.

De Medicamentis Lithontripticis. Quidam etiam in hac Retentione & interceptione Calculi in Ureteribus, Pulverem in Officinis, Lithontribon dictum, aliaque Medicamenta Diuretica vehementiora cõmendant, quæ tamen periculo non vacant: nisi paulò antè corpus ab omnibus vitiosis humoribus expurgetur; sin minùs, Medicamenta ista Diuretica vehementia, ut sæpiùs observavi, multos vitiosos humores è superiore corporis parte ad Renes propellent: ita ut Calculus non solùm magis magisque Ureteribus impingatur, sed etiam Inflammationes internas, indeq; mortem ipsam subsecutam esse, expertus sim. Prudentiâ igitur hac in parte maximè opus est: si verò interdum Naturæ Medicamentis Diureticis subveniendum esset, tunc tertia pars sem. Cucurbitæ Amygdalis addatur, quòd non solùm Renes & Ureteres refrigerat atq; lenit, sed etiam Urinam aliquo modo ciet. Similiter etiam ægro interdum Haustulus aquæ Parietar. vel Petroselin. cum Syrupo de Althea Fernel. permixtæ, propinari poterit: vel Emulsioni Amygdal. dulc. parum prædictarum aquarum affunde, hinc Urinam magis minùsve, prout multum vel parum aquæ affuderis, promovebit.

De Symptomatis. Affectibus istis gravioribus plerumque etiam multa periculosa Symptomata, veluti Intemperies interna calida, Lipothymiæ, Inquietudines, Vigiliæ, & similia minimè negligenda, superveniunt, ubi quidem requiritur, ut Chirurgus peritum aliquem Medicum in consilium adhibeat, ne quid omittatur, sed omnia cum summa prudentia maturoque consilio suscipiantur, ac peragantur. Nihil enim hîc temerè agendum, errorque semel commissus rarò sarciri potest. Quòd si igitur Intemperies aliqua interna vehemens, ac sitis molesta fuerit, tunc Venæ sectio in brachio affecti lateris nihil nocebit, quatenus nimirum Vires eam perferre possunt. Phlebotomia quidem ista Inflammationem internam, aliaque symptomata impediet: præterea etiam tam cibus quàm potus ad corporis refrigerationem dirigantur. De quibus omnibus suprà *cap. 9.* actum fuit. Alvus verò astricta si fuerit, præscripto Clystere ægro succurrendum erit. De avertendis Lipothymiis nonnunquam ob doloris vehementiam, inquietudines atque Vigilias, supervenientibus, consulat Lector *c. 20.*

Cap. 25. & 26.

Si verò prædictis remediis dolor non leniri, nec æger quiescere posset, tum sequentem ipsi propinabis Potiunculam.

Potiuncula anodyna.

℞. Aq. L.ctuc.
Parietar. an. ℥ j ß.
Syr. de Papaver. ℥j.
Althea Fernel. ℥ ß.
Confect. Alkerm. ℈ j. Misce f. Potio.

Hanc Potiunculam exhibe ægro duabus horis post cœnam, ut superdormiat. Sæpe in ægris meis, sedato beneficio hujus Potiunculæ, aut aliis id genus Medicamentis, dolore, somnoque subsecuto, Naturam Calculum expulisse, observavi. De quo plura *cap. sequente* dicentur.

Nota.

Cap. XXVI.

De Retentione Calculi in Virga.

CAlculo, Dei beneficio, ex Ureteribus in Vesicam delapso, illicò quidem cessat dolor, nondum tamen absoluta est operatio: Calculus enim non rarò etiam in Urethra ac Virga detineri solet; ubi quidem Urinam retinet, gravesque dolores & angores producit. Minùs verò affert periculi, quàm si in Ureteribus detineretur; quandoquidem Urethra per Virgam transiens plerumque paulò amplior, quàm Ureteres, est. Addo autem *plerumq;*: Calculosos enim curandos habui, quibus meatus Vrinarius per Virgam adeò angustus erat, ut Calculum absque ingente molestia atque dolore emittere non potuerint: cùm tamen interea sponte, & sine ullo negotio è Renibus per Vreteres in Vesicam delapsi essent.

Angustia Vrethræ unde oriatur.

Angustia verò illa Vrethræ primò à Natura, seu prima Conformatione & ortu oriri potest: quandoquidem Natura non semper in omnibus Subjectis & Individuis eundem tenorem servat, sed aliquando membrum aliquod majus vel minus in hoc quàm in illo producit. Deinde ex Causis etiam accidentalibus ortum suum habere potest: ut si fortè Vrethra Calculosi à Gonorrhœa Venerea, in juventute labefactata, aut Calculus eidem extractus fuit: tunc enim Cicatrix Meatum Vrinarium eo in loco paulò angustiorem, quàm antea erat, reddit. Ætatis præterea etiam ægri ratio habenda est: quemadmodum enim juvenes omnia membra, Venas atque meatus, molles, lubricos & amplos obtinent; ita etiam omnia exsiccantur & indurescunt in Senibus, adeoque Vasa, Venæ, sicuti inprimis etiam meatus Vrinarii, perpetuò minores & angustiores evadunt: unde quidem Vrinam sine difficultate atque molestia emittere nequeunt, quò etiam imbecillitas facultatis expultricis multum facit. Quibus verò à multis annis multi ac crebri Calculi è Renibus per Vreteres & Vrethram prodierunt, in iis meatus Vrinarii paulatim dilatantur, ita ut etiam adultiores facti calculos minore cum periculo excernant.

Observat.

Ante 30. annos ad Nobilissimum quendã Virum *à Hatzfeld, Dn. in Wildenberg*, veni, qui incredibilem Calculorum, è Renibus suis per Virgam ejectorum, numerum mihi monstravit. Et quamvis Nobilis iste tunc temporis Vir sexagenarius esset, Calculos tamen instar pisorum ac fabarum grandiuscularum, absq; singulari molestia, emittere potuit: propterea quòd Meatus ipsius Vrinarius à longo tempore multitudine Calculorum, ab ipso rejectorum, dilatati fuerant. Ego Calculum, instar calicis dactyli, in Musæo meo reservo, quem sexagenario cuidam Viro, Dn. Iohanni Merulæ, Verbi divini Ministro Paterniacensi, citra incisionem, non quidem absq; dolore, sed sine mortis periculo, è Virga eduxi: sex enim annos supervixit, sæpeque Calculos, absque singulari molestia excrevit. Hoc autem posito, Retentio tamen Calculi in Virga minimè tam periculosa est, ut in Vreteribus; quoniam medicamentis & instrumentis meliùs ad Calculum penetrare possumus, quàm si retineretur in Vreteribus. Et quamvis omnia frustrà adhiberentur, ad ultimum tamen remedium, h. e. ad incisionem Virgæ, eo in loco, cui inhæret Calculus, confugere possumus: ut postea fusiùs dicetur. Si igitur contingat, ut Calculus in Virga retineatur, tũc fideli atque industrio Chirurgo non illicò, ut interdum temerarii Circulatores, inprimis ad majorem operi suo splendorem conciliandum, mercedemq; ampliorem reportandam, factitare solent, incisio instituenda est: hoc, inquam, Rationalem atque fidelem Chirurgum non decet, sed priùs omnia remedia, ad Calculum citra Incisionem educendum, adhibenda sunt: quibus omnibus frustrà adhibitis, immotoq; manente Calculo, è duobus malis minus eligendum, & ad incisionem, tanquam sacram anchoram, confugiendum erit.

Urethræ verò, quantum fieri potest, ferro quòd parcendum sit, hinc fit, quòd semper in loco inciso cicatrix dura, meatus Urinarii dilatationem impediens, remanet. Quando igitur postea alii è Vesica excernendi sunt Calculi, Virga verò ea ex parte, quâ exsect⁹ fuit Calculus, propter Cicatricem paulò durior & angustior facta fuit, tum Calculus denuò intercipitur, rursusque nova Incisio, vel eodem, vel proximo in loco instituenda est. Inde sæpe fit, ut Vulnus illud tandem in fistulam degeneret, & consolidari nequeat. Quantum verò incommodum id ægro afferat, prudenti cuivis judicandum relinquo: quandoquidem Urina simul & semen per fistulam illam effluunt, quâ quidem de causa semper Calculum citra Incisionem educere studui. Quoties igitur Chirurgus Calculum in Virgam prolapsurum suspicabitur, utpote qui jam jam ex Ureteribus in Vesicam decubuit, tunc illi, quantum fieri poterit, via sternenda & aperienda erit: ita ut meatus Urinarius Virgæ inferior, mollis ac lubricus servetur. Cui quidem scopo inserviunt Clysteres, Sacculi, Linimenta, Cataplasmata, ac Semicupia, *capite præcedente* descripta. Si verò tum demum, ubi Calculus jam in meatu Urinario interceptus fuerit, ad ægrum vocaretis, primò quidem & statim convenientem Victus rationem ei præscribes, de quo quoniam *in 9. sicuti etiam in superiore capite* satis superque actum fuit,

26. fuit, ideoque ea hoc loco repetere non est opus. Postea Sacculum, ejus magnitudinis ut pudenda tota cooperiat; herbis emollientibus, superiore capite descriptis, repletum, & in aqua, vel lacte recent. decoctum, calidè applicabis, locoque affecto parumper fomentato, Sacculum tolles, ac totam Pudendorum regionem, ac Virgam, sicuti etiam inferiorem Ventrem, & Perinæum, Unguento *cap. præcedente* descripto inunges, postea Sacculum rursus applicabis, & ne refrigeretur pars affecta, cavebis: frigus enim in affectibus istis valde nocet; Bini propterea Sacculi, ut refrigerato & ablato uno, alter calefactus præstò & in promptu sit. Et si fortè Semicupio insidere cuperet æger, quod in hoc quidem casu maximè conducit, tunc statim, postquam è balneo egressus, & linteis calefactis abstersus fuerit, Virga, Pudenda, inferior Venter, ac Perinæum ipsius Unguento prædicto calefacto inungenda, ac postmodum Sacculi denuò calidè applicandi, atque ita donec accedat Calculus, continuandum erit. Dum autem Virgam inungit Chirurgus, eam manu alterâ leniter in altum versùs Umbilicum attollat: alterâ verò manu Calculum, quantum fieri potest, sursum & & versùs glandem pellat, sed videat, ne Calculum denuò in Vesicam repellat: quin potiùs omnibus modis ac rationibus meatū Urinarium, ad educendum Calculum, emolliet, ac lubricum reddet: quem quidem in finem sufficientem herbarum, superiore capite pro Clystere præscriptarum, quantitatem accipio, easque cum lacte recent. & momento butyri recent. decoquo, & Colaturam in poculum, aut ollam infusam, ægro, ut Virgam suam in eam suspendat, sub culcitram trado. Quamprimùm autem Colatura ista refrigescere cœperit, mutabitur, & alia præstò erit.

His quidem inunctionibus ac balneationibus meatus Urinarius emollitur, & lubricus redditur, ita ut Calculus eò faciliùs expelli queat. Non parum etiam ad rem facit, si Ol. amygdal. dulc. cum Ol. Scorpion. permixtum, Syringâ in Vesicam, usque ad locum, cui Calculus impactus est, injiciatur: hæc enim Injectio duplicem usum habet, quoniam meatus Urinarius non solùm Oleo emollitur, & lubricus redditur, sed etiam ab inspirato cum Syringa aere ac spiritu, aliquo modo dilatur: quòd si tunc æger simul Urinam & Calculum expellere conetur, eò meliùs secedere potest Calculus. Quemadmodum sæpiùs in ægris meis observavi, in primis verò Venerando, pio, ac prudentissimo Viro septuagenario, *Dn. Antonio Vetzerin* p.m. quem à sex septemve ante pium ipsius obitum annis, sæpenumerò in Vrinæ retentione, & Calculi interceptione in Ureteribus & Virga, Dei beneficio, feliciter curavi: ita ut nunquam ad Lithotomiam confugere coactus fuerim. Subinde tamen ac sæpe, dolore ingravescente, Potiunculam, sub finem superioris Capitis descriptam, ei exhibui: quod non parum ipsi, sicut & plurimis aliis ægris, profuit: ubi enim beneficio hujus Medicamenti doloris sævitia ac vehementia sedata fuerit, ægerque somnum & quietem aliquam capessere potuerit, Natura refocillatur & restauratur, viresque novas acquirit. Inde facultas expultrix corroboratur, reviviscit, excitatur, & quæcunq; Naturæ inimica sunt, expellit.

Cap. 26.

Observat.

Hoc ego anno 1621. diligenter observavi, & expertus sum Murati, in sexagenario quodam non obscuri nominis Dn. *Dn. Ioh. Iacobo à Diesbach*, cui in Retentione ac suppressione Urinæ, non neglectis interea balneis, Epithematis, Unguentis, Clysteribus, & similibus, frustrà tamen adhibitis, tandem die quâdam hora nonâ vespertinâ, potiunculam præscriptam exhibui: cùm autem nocte illâ superdormivisset, Urina soluta copiosè effluxit. Unde postmodum dolores, ardor internus, aliaque symptomata remiserunt. Prostratis verò mirum in modum Viribus, ad quintum vel sextum diem sequentem Urinam retinere non potuit, pristinam tamen Sanitatem, Dei beneficio recuperavit, & ad 7. usque diem Ianuar. Anni currentis 1627. vixit.

Errores quorundā Lithotomorum.

Lithotomi quidam Ministrum, aut alium quempiam constituere solent, qui membrum virile sugat, aut mulgeat, eaque ratione Calculum extrahere tentet. Præterquàm quòd autem suctione istâ meatus Urinarius dilatari nequit, sed potiùs contrahitur, Calculusque magis ac magis, nisi in anteriore Virgæ parte contineatur, quòd nimirum suctione istâ magna humorum ac sanguinis copia ad Virgam quasi vi attrahatur, malumque deteriùs reddant. Præstat igitur, remediis modò commemoratis acquiescere, in eorumque usu, ne alvus constipetur, utque conveniens Victus ratio instituatur, operam dare.

Quâ ratione Calculus in Virga cōfringēdus.


Calculo verò remediis istis non cedente, eum confringere tentabimus, quod interdum, præsertim si mollis fuerit, facilè fieri potest.

Ambros Pareus, Excellentissimus & Experientissimus iste Chirurgus, in hunc finem terebras torculatas, parvas, acutas, quarum figura sequitur, adhibet: quas tamen peracutas, & minimè è chalybe, sed tenui ferro fabricatas esse oportet: & ne meatus Urinarius lædatur, primò Cannula lit. A. notata, ad Calculum usque intromittatur, tumque Chirurgus sinistrâ manu Virgam, ea ex parte cui Calculus inhæret, prehendens, Calculum cum pollice & indice corripiat, postea prædictâ Cannulâ à Ministro leniter deorsum ad calculum usque depressâ, Chirurgus Terebellum lit. B. signatum, ad Calculum intrudat, & in orbem contorqueat, atque ita mucrones ipsius Calculum paulatim imminuent & confringent. Quo facto, Oleum amygd. dulc. & Scorpion. Virgæ injiciatur, Sacculorum itidem, & Linimentorum usus eo usque, donec Natura arenulas & lapillos confractos cum Urina expellat, continuetur. Cannulam quidem argenteam subtilissimam, terebram verò ferream esse oportet: chalybs enim facilè frangi, mucronesq; suos in meatum Urinarium deponere posset.

Deli-

Cap. 27.

Delineatio Cannulæ, atq; Terebræ.



In hac verò terebratione ac fractione Chirurgus, ne meatum Vrinarium lædat aut vulneret, summam diligentiam adhibeat. Si igitur sequente Tenaculâ attingi posset Calculus, omnium quidem optimum tutissimumque foret, quandoquidem Calculus, forcipe istâ prehensus, semel ac simul totus extrahi, adeoq; æger, sine ulteriore molestia, liberari potest.

Hæc verò Tenacula è ferro tenui, ne rostrum ipsius, mediocris pennæ, vel styli exploratorii maximi, suprà *sub finem 3. Capitis* delineati, crassitudinem excedat.

In parte verò posteriore è ferro valido & crasso, ut rostrum eò firmius prehendere, prehēsaque retinere queat, fabricetur. Exactè rotundam, levemque eam esse oportet; similiter etiam priùs Oleo amygd. dulc. aut butyr. recent. probè illinentur, & ne frigida, sed aquâ calida calefacta applicetur, cavendum erit.

Tenaculam igitur manu dextrâ, quàm leniter quidem poteris, in Virgam ad Calculum usque intromittito. Quod ut eò commodiùs exequi possis, sinistro pollice & indice Virgam circa glandem prehendes, & in altum attrahes; Adductâ autem ad Calculum Tenaculâ, Ministro Virgam attollendam committes: tu verò pollice & indice sinistro Calculum prehendes, diductaque aliquantulum Tenaculâ, Calculum ambobus digitis versùs tenaculam, ut eum prehendere & extrahere possis, propelles. Extracto Calculo, Oleum amygd. dulc. vel lac recens calefactum in meatum Urinarium, ut ad naturalem suam lubricitatem reducatur, insperges.

Si verò Calculus meatum Urinarium contrivisset, exulcerâsset, adeoque Inflammationem aliquam excitâsset, tunc loco Olei amygd. dulc. Collyrium sequens inspergatur;


R. Aq. Plantag. Rosar. Fragar. añ ℥ ij.
sem. Cydonior. contus. ℈ ij.

Macerentur per horam in loco calido, postea fiat expressio, cui adde;

C. Cornu usti & præparat.
Tutiæ præparat.
Plumbi squammos. loti, & præparat. añ. ʒ j.
Caphuræ ℈ ß. Misce.

Hoc Collyrium dolorem sedat, Inflammationem reprimit, partesque exulceratas consolidat.

Delineatio Tenaculæ.



Præter prædictam terebram Parei & tenaculam, adhuc duo alia instrumenta, ad extrahendum calculum è virga in Musæo meo habeo: quorum primum ex officina Chirurgica Clarissimi Viri, Dn. D. Ioh. Andr. à Cruce in latina editione pag. 51. in Italica verò pag 33. depictum, & ab ipso ASTA appellatum, ex parte mutuatus sum, ex parte inquam, nonnulla enim in ipso mutavi & correxi, uti Lector ex delineatione & descriptione videre poterit. Author eo quidem utitur ad extrahendos globulos plumbeos ex Vulneribus sclopetorum, ego verò illud ita adaptavi, ut etiam ad extrahendos lapillos è virga quàm aptissimum sit, modo sint extra perinæum balanum versus: qui enim perinæo inclusi sunt lapilli, instrumentum incurvatum requirunt.

Est autem stylus ferreus ex inferiori sua parte tricuspis, ex superiori verò torcularis, cum sua matrice, ut videre est A. B. cuspides (quas à Cruce

Cruce alas appellat) C.C.C. expansæ B. claviculus est, qui stylo torculari infigitur, & fissuris fistulæ E.E. notatæ, inseritur, ne cuspides, sive alæ, in operatione, in ipsa fistula circumvolvantur.


F. fistula est argentea vel cuprea, ejus crassitiei artificiosè fabricata, ut ductus urinarius illam admittere possit. Habeat fistula illa ex utraque parte fissuram, quo clavis D. notatus, sursum deorsumq; versus, duci possit. Superior pars fistulæ G. notata in formam pelviculæ fabricata est, ut in operatione oleo amygdalarum dulcium impleri, illudque per fistulam ad ductum urinarium, & calculum perfluere possit.

Hoc modo adaptata omnia, virga adjacentesque partes, sacculo ex radicibus Altheæ, liliorum alborum, floribus Chamomillæ, meliloti, fol. violarum, brancæ ursinæ, parietariæ, semine lini & fœnograeci per semihoram fovendæ sunt. Postea virga & vicinæ partes, oleo amygdalarum dulcium aut liliorum alborũ inungantur. Tandem inungendus quoque est stylus, A. notatus, uti & fistula F.G. Hæc ita peracta cum fuerint, intrude stylum per inferiorem partem fistulæ, ubi G. notata est, usquedum cuspides sive alæ C.C.C. notatæ, non amplius appareant, tum matricem, sive verticem B.B. notatum, stylo torculari A. ad pelviculam ferè usque circumvolve. Sic adaptata fistula, & prædicto oleo inuncta, eodemq; oleo impleta pelvicula, clementer in virgam, ad calculum usque immittenda est. Tum ductum urinarium pollice ac indice tuo sinistro sub calculo prehende, parumq; constringe, ne Calculus instrumento profundius perinæum versus intrudatur; Ad calculum posita fistula. F. notata, stylus paulatim intrudendus est, ut cuspides sive alæ, parum extra fistulam promineant, tunc enim tricuspis, ad instar speculi matricis aperitur, & ductus urinarius dilatatur. Id quum pro magnitudine calculi factum fuerit, pollice ac indice tuo sinistro, calculum instrumentum sive speculum tuum versus, protrude, omnemq; diligentiam adhibe, ut cuspides sive alæ speculi calculum prehendere possint. Tum verticem, sive matricem styli, quantum opus est, circumvolve, clementerq; speculum unà cum calculo extrahe.

Prædictum instrumentum Dn. à Cruce ASTAM appellat, ego speculum cœcum. Speculum quia ductum urinarium dilatat, aperitque. Cæcum verò quia cuspides sive alæ, aut rostra, in ipsa fistula occultantur. Est etiam ad extrahendos globulos plumbeos è vulneribus sclopetorum, aptissimum speculum hoc, dumodò cum vulnere & globulo proportionem habeat, hoc est, crassum, magnum, validumq; sit: alioquin vulnus circa globulum dilatare sufficiens non esset.


Admonitio. Videat autem Chirurgus, ut cuspides, sive rostra, ex optimo ferro, non ex chalybe, per aquam frigidam indurato, fabricata sint, ne forsan in operatione apex rostri alicujus abrumpatur, & in meatu urinario remaneat.

Delineatio speculi ad extrahiendos carulos è virga.



Alterum instrumentum, cujus delineatio quoque sequitur, ante annos viginti circiter mihi à Dn. Daniele Episcopo, hujus Reip. Lithotomo Excellentissimo, communicatum fuit: qui etjam se eo cum successu usum fuisse, mihi asseruit, ego ejus periculum non feci. Constat autem ex duobus Stylis ferreis, ita inter se junctis, ut clauso instrumento unicus esse videatur. Est & ex una parte, ubi A. notatur, crassus & spissus cum sua flexura, ita accommodata, ut immisso rostro B. notato in ductum urinarium ad calculum usque, beneficio torcularis C. ad instar tenaculæ, facilè aperiri, ac claudi possit, uti ex delineatione satis superq; apparet.

Superest



Quomodo Calculus, citra fractionem & Incisionem, educi queat.

Superest & aliud medium, quo Calculus è Virga, minore cum periculo atque dolore, quàm per Incisionem ac fractionem, cum terebello atque tenacula, meatu nimirum Vrinario levi inflatione aliquantulum dilatato, educi potest. Vbi igitur Chirurgus Syringâ suâ, Oleum amygdalar. dulc. ut antea dictum fuit, in Virgam ad Calculum usque injecerit, ita ut meatus Vrinarius Oleo amygd. dulc. repleatur, ægrum, ut Oleum ubique Calculum & Vrethram humectet, emolliat, ac lubricam reddat, per dimidiam horulam quiescere sinat, ita tamen ut Virga Sacculo emolliente, antea descripto, involuta sit.

Peractis his omnibus, Chirurgus Cannulâ suprà delineatam, & lit. A. notatam, in Urethrâ immittat, eaque ad Calculum usque adductâ, sinistrâ manu Virgam juxta glandem prehendat, eamque firmiter admodum comprimat. Ubi igitur Urethra à spiritu leniter atq; paulatim per Cannulam inflato mediocriter dilatatus fuerit, tunc indice dextro Calculum leniter propellet. Quòd si fortè primâ aut secundâ vice fieri non posset; nihilominùs tamen non desistet, sed rursus, cum moderatione tamen, ad evitandum dolorem, Cannulam ori admovebit. Quamobrem ad inflationem Urethræ reverà non tibicen, Empiricus, imperitus Circulator, aut ebriosus, sed circumspectus, & expertus & Chirurgus adhibendus erit.

CAP. XXVII.

Quâ ratione Calculus è Virga sit exscindendus?


QUòd si Calculus nullis remediis cedat, & expelli queat, adeoque ex diuturna Urinæ retentione alia gravia ac periculosa Symptomata verenda essent: tum quidem Lithotomia, tanquam ultimum & extremum remedium, adhibenda erit. Ubi quidem Chirurgus rursus & inprimis Victus rationem convenientem præscribere non negliget. Deinde etiam locum ad instituendam Incisionem maximè idoneum eliget.

Chirurgi nonnulli Incisionem supra ipsum Calculum, hoc est, in inferiore Virgæ parte, & in medio Urethræ faciunt, quod tamen non probatur: quoniam enim Urethra eo in loco parum carnosa est, ideoque Vulnus non facilè consolidatur, ita ut interdum etiam fistulæ, ut ipse observavi, ibidem remaneant.

Hac de causa è regione Urethræ, & in carnosa Virgæ parte, Incisio sequente modo instituenda est.

Collocato supra dorsum ægro, ad dextrâ ipsius constitutus, pollice & indice sinistræ manus Virgam prehende, ita tamen, ut manus tua ossi Pubis incumbat, Virgaq; supra indicem traducta propendeat, ac pollice fortiter versùs Ventrem deprimatur, Calculus verò superiori indicis parti firmiter incumbat: postea Incisionem aliquantulum è regione Urethræ, secundùm Virgæ longitudinem, donec mucrone novaculæ Calculum attigeris, institue. Quòd si tunc Calculus (quoniam cutis in superiore parte distensa, indicem & Virgam, unà cum Calculo sursum pellit) non erumpat perse, tunc instrumentorum sequentium aliquo extrahendus erit.

Delineatio Instrumentorum.



27. 28. Superveniente verò Hæmorrhagiâ, Chirurgus Turundam, albumine ovi imbutam, & pulvere ad sistendum sanguinem, cujus descriptioné *cap. 10.* præmisimus, conspersam, in promptu habeat, Vulneri immittat, atque pulvillo itidem albumine ovi imbuto cooperiet, atque fasciet.

In prima Deligatione Virgam, Ventrem, ac Inguina ægri Oleis, quorum descriptionem in limine *cap. 21.* reperiet, inungat: turundas verò & Emplastra Digestivo, eodem Capite descripto, illinat, atq; ita ægrum singulis diebus bis deliget. Quòd si tandem quoque Balsamum, ad cicatricem Vulneri inducendam, inspergere cupias, nihil nocebit. Si verò dolor, & humorum vitiosorum affluxus in Virga superveniat, Cataplasma sequens calidè applicari poterit;

R. Farin. Hordi ℥ij.
Pulv. Rosar. rubr.
Balaust. añ. ʒj.

Coquantur cum s. q. aquæ Parietariæ ad formam Cataplasmatis, addendo sub finem, Oxymelitis simpl. ℥j. cum vitello unius Ovi.

Ne verò Urethra eo in loco, unde Calculus exsectus fuit, angustior reddatur, caróve luxuriet, & in posterum rursus molestias facessat, idcirco necesse est, ut Chirurgus Candelam ceream, seu filum plumbeum, Unguento Diapompholigos, vel Emplastro de Ranis illitum, in Virgam intrudat, & quoties opus erit, renovet.

Cap. XXVIII.

Quomodo illi, quibus Calculus, ob magnitudinem suam, aliisq; de Causis extrahi nequit, tractandi sint.

Quandoquidem Calculum adeò magnum in Vesica generari contingit, ut citra mortis periculum extrahi nequeat: ideoq; multò consultius est, ut æger, quemadmodum *Avicenna & Lancfrancus* scribit, Excellentissimusque Medico-Chirurgus *Ioh. Andr. à Cruce, lib. 5. tractat. 3. c. 3. & in Officina Chirurgica* etiam hortatur, non attingatur, h. e. Lithotomia in ea non instituatur: vel enim æger, inquit ille, morietur, vel fistula in loco affecto remanebit, unde reliquum vitæ spatiũ cum summa miseria traducet. Quoniam præterea ægri quidam adeò timidi ac pusillanimes sunt, ut ex solo terrore ferè extinguantur, interea verò Chirurgum pium atque fidelem non decet, ut alibi quoque dictum fuit, cuiquam vitæ suæ filum abrumpere, ideoque necessitas requirit, ut hîc modum, quo ægri illi tractandi sint, breviter subjiciam. Ad patientiam Christianam atque constantiam eum adhortaberis, eiq; propones & indicabis, primam & originalem hujus, & omnium aliorum morborum, afflictionum, & ærumnarum, quibus homo in hac vita obnoxius, causam partim à nobis ipsis, partim etiam à Deo, Parente nostro Cœlesti, ortum ducere. Dixit enim Scriptura, nullum malum accidere in Civitate, quod Deus non faciat; quod tamen cum grano salis, & distinctione accipiendum est.

A nobis, nec non in nobis ipsis Spiritualis, ac præternaturalis, & quandoque etiam naturalis omnium ægritudinum causa existit. Causa spiritualis ac *supernaturalis* est Natura corrupta ab Adamo ad nos derivata, & quòd omnes in peccatis concepti sumus, nascimur, incrementum sumimus, atq; senescimus, imò quòd tota Natura, Vita, & actiones nostræ non nisi ad Peccata proclives sunt, adeoque non temporalem solùm, sed etiam æternam pœnam merentur. Causa morborum *Naturalis*, inconveniente, turpi, & immoderata vitæ ratione, per crapulam, & similia, in nobis generatur, ut suo loco fusiùs dicetur. Quod verò suprà asserui, Malum quod accidit in Civitate, à Deo proficisci, à veritate quidem alienum non est, ad alium tamen finem dirigitur. Quoniam enim tanta est divina erga genus humanum misericordia, ut Deus ab initio Filium suum dilectissimum, tanquam sacrificium propitiatorium, pro peccatis, ut homo salvari posset, morti consecrârit, nihil verò impuri, peccatisve ac vitiis inquinati, de regno suo communicabit, atque particeps fiet: idcirco ægritudines, afflictiones atque calamitates eum nobis præstant usum, ut iis ad pœnitentiam ac resipiscentiam inducamur, simulque iis, sicut aurum igne, purificemur. Qemadmodum igitur peritus aliquis artifex ferre nõ potest, si ineptus & imperitus aliquis famulus aurum ipsius ante tempus, & antequàm sufficienter purificatum sit, è prunis extraheret, illudque ad institutum suum ineptum redderet: ita etiam Deus, Cœlestis pater noster, non vult, ut vel æger ipse, vel Medicus vitæ cursum, in maximis etiam doloribus, ærumnis, & calamitatibus contrahat, vel abrumpat, sed impatientes illos ægros, qui Crucem cum Christo tollere, per multasq; afflictiones in ipsius regnum ingredi recusant & aversantur, puniet. Propterea æger subinde sententiam *Propheta* animo volvat, & infixam habeat: Domine Iram tuam feram, quia peccavi; tu verò, mi Deus, fer mihi auxilium, intuère imbecillitatem meam, mihique in omnibus patientiam atq; constantiam largire.

Cap. 28. Quòd si Deus ægris, qui sæpe propter acerbissimos dolores ad impatientiam impelluntur, non parcet, quomodo igitur tractabit temerarios Circulatores, Circumforaneos, & hujus farinæ homines, qui quamvis ægrum ex Lithotomia moriturum prævideant, & agnoscant; nihilominùs tamen adeò temerarii, imò potiùs adeo impii sunt, ut turpis & insatiabilis lucri causâ, rem tam vilipendant, & ex mera temeritate, quadrupedalibus verbis, maleque fundatis ac vanis pollicitationibus eum veluti fascinent, & obcœcent, donec eum ad carnificinam adducant. Quomodo, inquam, tractabuntur? Gravis ratio ipsis coram Deo de actionibus suis reddenda erit, imò propria ipsorum Conscientia eos coram tribunali divino accusabit. Quocirca nullus honestus piusque Chirurgus neque in hac, neque in aliis periculosis Operationibus, ubi æger aliàs cum affectu suo aliquandiù supervivere posset, unquam vanis levibusq; promissis ad Lithotomiam subeundam se inducere conetur, neque etiam rem nimium extenuet, sed exspectet, donec æger, vel ejusdẽ

Cap. 28. propinqui, instinctu proprio eum vocent atque sollicitent, ne vitæ cursum datâ operâ, turpis lucri causâ, ei interrumpat.

Occurrente verò ejusmodi affectu, ex quo ægro intra paucos dies moriendum est, ut eum conservet, nervos intendat. E. g. cùm Anno 1614. Copetum, ad puerum quendam, cujus *Cent. 4. Observ. 91.* mentionem feci, ut ei femur supra genu resecarem, vocatus atque sollicitatus essem, Operationem illam quidem suscepi, cùm viderē quòd puer ultra quinque vel sex dies supervivere non potuisset, Operatio verò spem aliquam mihi fecisset, cui quidem Deus ita benedixit, ut in hunc annum 1626. usque, fortassis hâc ipsâ horâ, salvus & incolumis supervivat.

Alia verò est Calculi ratio; Æger enim eo affectus per multos annos eum circumferre, Deoque ac Patriæ suæ inservire potest, sicuti plurimos quidem vidi, qui in calamitoso isto statu atque doloribus, ad provectam ætatem pervenerunt. Quoniam igitur Operatio hæc in Senioribus, & præsertim quando Calculus magnus est, duabus de Causis periculosa existit: primò, propterea quòd Natura ipsorum labascit, debilisque & imbecillis est. Deinde quia Cutis, Musculi, Venæ, & reliquæ, quæ in Operatione dilatari atque extendi deberent, partes, tum demum propter senium arescunt, exsiccantur, omnique succo atque humore naturali destituuntur; Ideoque etiam multò difficiliùs Calculus, ex ipsis Senioribus videlicet, quàm è junioribꝰ educi potest: *sicuti c. 10.* pluribus indicatum & declaratum fuit. Quicunq; igitur Operationi illi sese submittere respuunt, & Curam Palliativam desiderant, sequentia diligenter perpendant.

Quid calculosis observandũ

Primò, requiritur ut Calculosi exquisitissimam victus rationem observent, & ab omnibus iis, quæ Calculum augere & grandiorem reddere possunt, abstineant, sibique caveant. Proinde omnes crassos, crudos, viscososq; cibos vitabunt; Aromata omnia, excepto Cinamomo, Macere, Croco, & nuce moschat: ipsis nocent; iis enim Causa Efficiens Calculi augetur. Nocet prætere Vinum generosum, immoderatum corporis exercitium, Ira; & uno verbo, omnia quæcunq; corpus calefaciunt, Calculosis noxia sunt: ut Lector *cap. 9.* fusiùs videre poterit. Præterea etiam ab omni Vino calido & forti abstinendum, pro potuque ordinario Vinum album annuum, nullâ tamen facultate astringente præditum, adhibendum erit. Qui verò Cerevisiâ uti coguntur, minimè recentem, sed quæ optimè cocta ac depurata sit, bibent: vel etiam Decoctum Agrimon. & Veronic. cum Liquirit. *ut cap. 9.* dictum fuit, sibi parari curent, eoque utantur. Emulsiones Amygdalar. dulc. modo prædicto Capite descripto paratæ, Calculosis etiam, præsertim doloribus urgentibus, optimè conducunt: succis enim oleaginosis Amygdalarum ac sem. Cucurbitæ, meatus Urinarii leniuntur, & lubrici redduntur. Raphani, Sinapi, Nasturtium aquatic. imò omnia Diuretica vehementiora, Calculosis maximè perniciosa sunt: per illa enim Calculus ad collum Vesicæ propellitur, ubi acerbissimi dolores excitantur. Quin potiùs Calculus è collo Vesicæ, quantum fieri potest, retrorsum, ut postea dicetur, pellendus est.

Præterea etiam necesse est, ut æger interdum Medicamentum aliquod, quod Ventriculum, & interiora Viscera corroboret, Concoctionemque adjuvet, assumat, eum præsertim in finem, ut natura vegetior atque robustior reddita, humores excrementitios eò meliùs consumere, Calculique augmentum & incrementum impedire queat. Hîc commendatur Conserva Rosar. Menthæ, Absynth. Pont. Cortices Citri, & Arantior. sem. Anis. & fœnic. & similia: vel sequens præparetur Tragea;

R. Specier. Aromat. rosat.
Diarrhodon. Abbat.
Cinamom. elect. & pulveris. añ ʒj.
Cort. Citr. sicc.
Pellic. Ventriculor. gallinarum, añ. ʒjß.
Aut, R. Sacch. rosat. ℥vj. Misce, f. Tragea.
Conserv. Rosar.
Menthæ,
Absynth. Pontic.
Cort. Citr. condit. an. ℥j.
Pellicular. interior. Ventricul. gallinar. subtilissimè pulveris. ʒiij.
Confect. Alkerm. ʒij.
Margarit. præparat.
Corallor. præparat. an. ʒj.
Cum Syr. de Althea Fernel. q. s. f. Elect.

De hoc Electuario capiat æger manè jejuno Stomacho, & Vesperi sub ingressum lecti, sicuti etiam post prandium, quantitatem Nucis juglandis.

Et si fortè de imbecillitate Ventriculi conquereretur, tūc scrobiculus Cordis ac regio Stomachi sequente Linimento quotidiè bis inungi poterit;

♃. Ol. Menthæ,
Mastich. an. ℥j.
Gumm. Tacamahac.
Elemi, an. ʒiij.

Terantur simul lentissimo igne, & colentur per pannum: postea admisce Ol. nuc. moschat. per expressionē facti, ʒij. Ol. gariophyll. ʒ.ß. Misce, servetur in vase vitreo.

Sequens quoq; Emplastrum regioni Ventriucli, applicetur:

♃. gumm. Tacamahac. elect.
Elemi pinguiss. an. ℥j.
Ol. Menthæ,
Cydonior. an. ℥ß.

Dissolvantur omnia lentissimo igne, & percolentur; postea admisce Ceræ novæ ℥iß.

Pulv. Mastic.
Oliban. an. ʒiij.
Gariophyll.
Nuc. moschat.
Rosar. rubrar. an. ʒj.

Misce, fiatq; Cerotum f.a, addendo Ol. Menthæ, q.s. In hac porrò Cura palliativa requiritur, ut æger interdum Hepar, Renes, & Meatus Vrinarios paulum refrigeret, calorique præter-

præternaturali resistat: quod quidem tam Internis quàm externis Medicamentis perficitur.

Inter Remedia interna Clysteres Lenientes & Emollientes, nec non Purgantia Lenitiva primas tenent. Purgato enim per vices corpore, simulq; reseratis Viscerum obstructionibus, non nisi refrigeratio ac restauratio interiorum Viscerum subsequi potest. In Purgantibus verò diligenter observandum est, ne nimis acria ac violenta sint, ne alii humores excrementitii è superioribus corporis partibus ad Renes atq; Vesicam attrahantur; qua quidem in parte Manna, Syrup. rosat. solut. comp. de Cichor. cum Rhabarb. vel Syrupus Magistralis, *cap. 9.* descriptus, paginam omnem absolvit. Quidam in Calculosis commendant Cassiam, unde quidem nonnulli non levem fructum percipiunt: industrium tamen Medicum admonitum velim, quod alii pessimè ex ejus usu sese habuerint, malumque suum adauxerint. De quo Nobilissimus ac strenuus *Dn. Zacharias Geitzkofler à Geilenbach, &c.* in Epist. quadam, die 18. Martii, 1609. data conqueritur, quòd nimirum semper post usum Cassiæ, ardor Urinæ ipsi supervenerit.

Idem mihi anno 1610. cùm ipsi inter cæteros in Arce sua Haunsheim Calculum excidissem, aliquoties coràm narravit, dicens, se nunquam Cassiâ (quam tamen sæpissimè assumpserit, usum, quin dolor Vrinæ, seu Dysuria subsecuta sit, nec Medicos, quàm diligentissimè & accuratissimè quidem Cassiam correxissent, illud impedire potuisse. *Petrus Pigray*, celeberrimus & experientissimus Majest. Regiæ in Gallia Chirurgus, idem etiam *l. 7. c. 4.* confirmat, ubi Cassiam Calculosis malè conducere scribit.

Anno 1624. Patricius quidam Basiliensis 22. annorum, ex *Burckhardorum* familia oriundus, ut me, propter singularem, quæ mihi cum Parente suo intercedit, amicitiam, inviseret, ad me accessit, mihiq; significavit, se æstate illâ diebus canicularibus in Italia Febre continuâ laborâsse, cumque Medicus Cassiam ei exhibuisset, neque vulgari dosi, putâ ab ℥j. ad ℥jß. quicquam præstare potuisset, paulatim eum dosin auxisse, & ad ℥ijß. pervenisse, unde quidem tantum Urinæ profluvium subsecutum sit, ut per tres dies continuos Urinam adeò quidem acrem profundere coactus fuerit, ut singulis vicibus filum ferreum candens per Virgam suam traduci existimarit. Unde quidem, quid in Calculosis de usu Cassiæ censendum sit, apparet. Prædicta igitur Medicamenta nobis sufficiant: inter quæ inprimis quidem Syrupus Magistralis, cujus descriptionem *c. 9.* invenies, cum aq. Cichor. & Acetos. exhibitus, conducit.

Non leve quoque subsidium Calculosis è Clysterum usu sperandum est; Ventrem enim inferiorem ab omni phlegmate & impuritatibus expurgant, humores noxios, ad renes & meatus Urinarios fluentes, ad Intestina attrahunt, Ureteres emolliunt, ac lubricos reddunt, doloré leniunt, interioraq; Viscera refrigerant.

Cap. 28.

Propterea Æger sæpiùs Clysterem sequentem sibi parari, injicique curabit;

Clyster.

℞. Rad. Altheæ, ℥ß.
Fol. Altheæ,
Malv. an. m. ß.
Parietar. m. j.
Flor. Chamomill.
Melilot.
Sambuc. an. m. ß.
Sem. Lini,
Fœnugræc.
Sem. Anis.
Fœnic. an. ʒij.

Coquantur in s. q. aquæ, f. decoctio ad consumptionem tertiæ partis: in ℔ j. Colaturæ dissolve;

Electuar. Diacathol.
Mellis Mercurial, an. ℥ß.
Ol. Lilior. alb.
Anethin. an. ℥j.
Vitell. ovor. num. ij.
Salis, ℈ ij. Misce, f. Enema.

Alius Clyster.

Si dolor ardorq; Urinæ urgeat, & ex tempore Clyster injiciendus sit, tunc accipe lactis recent. ℔j. adde Sacch. miscellanei cochl. ij. Vitell. ovor. num. ij. butyr. recent. Ol. amygd. dulc. an. ℥j. Misce, f. Enema, reiteretur toties, quoties opus fuerit. Si verò cupis, ut non diu ab ægro retineatur, Salis momentum adjicies. Hujus quidem Clysteres frequens usus ægro nullo modo nocere potest.

In Purgatione verò ob causas prædictas, modus tenendus, neque æger intempestivè eâ perturbandus est. Præterea etiam Calculosis interdum aliquid, quod interiora ipsorum Viscera, inprimis Hepar, Renes, & Meatus Urinarios refrigeret, assumendum est: quò quidem sequens facit Julapium;

℞. Aq. Cichor.
Endiviæ, an. ℥ij.
Syr. de succ. Citri,
Accetos. an. ℥j.
Misce pro duabus dosibus. Aut;

℞. Aq. Cichor.
Parietar.
Acetos. an. ℥jß.
Syr. de Althea Fernel. ℥j.
Misce, pro duabus dosibus.

Si verò æger aquis destillatis non oblectaretur, sequens Potio ei parari poterit;

℞. Rad. Petroselin.
Accetos.
Liquirit. an. ʒij.
Herb. Parietar.
Herniar.
Veronic. an. m. ß.
Flor. 3. Cordial. an. P. j.

Coquantur in ℔ iij. aquæ, ad dimidiæ partis consumptionem. In ℥ iiij. Colaturæ clarificat. dissolve;

Syr. de Nymphæa,
Succ. Berberor. an. ℥j.
Misce, pro duabus dosibus.

Has verò potiunculas capiat æger mane jejuno

Cap. 27. juno stomacho, & postea duabus horis ante cœnam, putà circa horam tertiam pomeridianam. Nonnulli volunt, ut capiantur post cœnam, verùm Concoctionem aliquo modo impediunt: si tamen dolor urgeat, è duobus malis minus eligendum est, ut postea dicetur.

De Acidulis.

Qui ad Acidulas interdum sese cōferre possunt, non nisi magnum subsidium ex earum usu percipient: Hepar enim ac Renes refrigerāt, Ureteres atque Vesicam ab omni phlegmate expurgant, Calculiq; generationem & incrementum impediunt: sicuti Doctissimus *Dn. D. Tabernæmōtanus* in thesauro suo Aquario, diversis in locis testatur. In usu verò Acidularum, æger constitutionem corporis sui probè explorabit, aut peritum aliquem Medicum in consilium adhibebit: si enim fortè pectus aut pulmo labefactatus esset, quantumvis levissima sit labes, Acidulæ tamen adhibendæ non sunt: malum enim inde augetur, & ingravescit.

Remedia externa.

Ad refrigerandum verò extrinsecus Hepar ac Renes, poterit æger quotidiè semel aut bis latus dextrum, ac lumbos sequente Linimento illinire & inungere;

Linimentum ad refrigerādum Hepar, ac Renes.

R. Unguenti rosat. Mes. ℥ij.
Ol. rosac.
Nymphææ, an. ℥. ß.
Caphuræ dissolut. in acet. rosac. ℈j.

Misceantur in mortario, fiatque Linimentum. Similiter etiam æger Emplastrum Santalin. Hepati applicatum gestare, & altero quoq; die renovare posset.

Nota.

De reliquis Topicis, seu Epithematis, ex aquis destillat. aceto, & aliis refrigerantibus, Hepati appropriatis, hìc nihil scribo, cùm non semper periculo vacent; propterea quòd nonnunquam calorem præternaturalem nimium repellunt, caloremq; innatum suffocant: qua quidem in parte æger prudentis alicujus Medici, ut omnia ritè administrentur, consilium sequetur.

De Vena sectione.

Ad reprimendam internam Hepatis intemperiem, plurimùm confert Phlebotomia, quæ tamen nonnisi cum sum̄a prudentia adhibenda est, qua quidem in parte Medicus ad vires ac constitutionem ægri respiciet: si enim Virtus debilis, imbecillis, atq; prostrata fuerit, quemadmodum sæpe Calculosis accidit, Venæ sectio non facilè instituenda est. Præterea ubi vel propter senium, vel propter morbi magnitudinem, corpus minimè Plethoricum, sed potiús cacochymicum, pravisque humoribus refertum fuerit, Phlebotomia quoque non conveniet: multò verò magis ex usu ægri fuerit, si corpus medicamentis benignis, *ut c. 9.* dictum fuit, purgārit, & mundificarit. Phlebotomia verò in brachio dextro adhibenda est, nisi fortè æger dolore singulari in aliqua sinistri lateris parte afficeretur; Tum enim Vena in ejusdem lateris parte secanda esset.

Quòd si Calculus deorsum ad collum Vesicæ decubuerit, Urinam suppresserit, &, ut sæpe fit, dolorem gravem excitārit, tunc omnibus, quibus fieri potest mediis, Calculus à collo Vesicæ repellendus, dolorque leniendus erit. Et quoniam sæpe contingit, ut flatus & excrementa exsiccata Intestinorum, Vesicam & Calculum deorsum ad collum Vesicæ deprimant, ideoq; statim unus è Clysteribus, superiùs in hoc capite descriptis, ægro injiciendus est. Primus verò Clyster, ut illicò retentos flatus & excrementa educat, ægroque levamen afferat, paulisper acuendus erit. Clysteres verò sequentes aliquandiù retineri poterunt. Nonnulli ægrum doloribus istis correptum in Semicupium ex herbis Emollientibus paratum, demittunt, quod dolorem quidem aliquo modo lenit, meatus Urinarios emollit, ac lubricos reddit, Urinamque movet: ægro verò erecto corpore Semicupio insidente, Calculus eò magis ad collum Vesicæ decumbit, Urinamque supprimit. Quare longè consultius est, ut æger supra dorsum deponatur, ita ut Venter inferior paulò elatior sit capite, ut Calculus retrorsum possit recedere. Loco verò Semicupii, Sacculum sequentibus herbis repletum, qui inferiorem Vētrem ad Umbilicum usque, sicuti etiam inguina, ac Perinæum operiat, ægro, quàm calidè quidem ferre poterit, applicabis, & quoties opus fuerit, renovabis;

R. Rad. Lilior. alb.
Altheæ, an̄. ℥ß.
Fol. Malvæ, Altheæ,
Brancæ ursin. an̄. m. j.
Parietar. m. j. ß.
Flor Melilot.
Sambuc.
Chamomill. an̄. m. j.
Sem Lini,
Fœnogræc.
Anis. an. ℥ j.

Incidantur & contundantur omnia grosso modo pro Sacculo.

Sacculus in aqua vel lacte coquendus, & câlidè applicandus, eoque remoto, Venter atque Pudenda sequente Linimento inungenda sunt;

R. Butyr. recent. ℥ j ß.
Ol. Amygd. dulc.
Scorpion. an̄. ℥ j. Misce.

Sequens quoque Potiuncula Anodyna ægro exhiberi poterit;

R. Aq. Lactuc.
Syr. de Papaver. ℥i.
Parietar. an̄. ℥ j ß.
Confect. Alkerm. ℈ j.

Misce, f. Potio: detur duabus horis à cœna, aut bibat de hac Emulsione;

R. Amygd. dulc. decorticat. ℥ij.
Sem. Papaver. alb. ʒiiij.
Frig. quatuor Major. an̄. ʒj.

Cum ℔ ij. decocti sequentis f. Emulsio; Addendo

Syr. de Althea Fernel.
Nymphæa, an̄. ℥ j ß.

Decoctum pro Emulsione.

R. Hordei decorticat.
Uvarum passular. exacinat.
Liquirit. mundat. & incis. an̄. ℥ j.
Fol. Veronic.
Parietar.
Herniar. an̄. m. ß.

Cum ℔ iiij. aquæ fontan. f. decoctio ad tertiæ partis consumptionem.

His

His verò remediis si Calculus à Collo Vesicæ repelli, dolorque leniri nequeat, Chirurgus, aut alius quispiam, in hoc negotio versatus, indice suo, Oleo, vel butyro recent. inuncto, in Anum immisso, Calculum, quantum fieri potest, repellat. Si verò digito repelli, Urinaque moveri nequeat, Chirurgus unum ex instrumentis, sive Catheteribus, *suprà cap. 3.* depictis, Ol. Amygdal. dulc. illitum, leniter per Virgam in Vesicam intromittat, Calculumque repellat: unde Urina per Cannulam illam effluet, simulque dolor & cruciatus ægri omnis postmodum remittet. Novi Calculosos aliquos non obscuri nominis, qui mediante Curâ istâ Palliativâ annos plurimos supervixerunt, Patriæque & Amicis suis summo emolumento fuerunt.

Anno 1625. Nobilis quidam ex Italia veniens, hîc in Hospitio ad Coronam hospitatus est, qui toto die, ac subsequente nocte ne guttulam quidem emingere potuit. Vocatus autem manè, cùm instrumenti beneficio Urinam solvissem, ipsemet Candelam ceream in Virgam immisit, equum conscendit, & discessit, indicans, Candelas istas cereas nullas sibi molestias inter equitandum facessere. Experimentum verò non semper tutum est: meatus enim Urinarius inter equitandum facilè eâ ratione lædi & exulcerari posset.

Petrus Pigray testatur, & expressè scribit, *lib. 7. c. 4.* se novisse Calculosum quendam nobilem, qui per 25. annos integros Calculum circumtulerit, & Urinam emissurus ipsemet Catheterem, ad solvendam Urinam, applicare nôrit. *Theodoricus lib. 3. c. 44.* scribit, Calculum ita ad fundum Vesicæ detrudi posse, ut per 40. annorum spatium ibidem hærere possit: quod quidem, tanquam rem incredibilem, huc inserere ausus non fuissem, nisi *Guido de Cauliaco Tractat. 6. doct. 2. c. 7.* ipsemet de eo scripsisset, nec contradicere potuisset. Ponamus verò, rem ita se se habere, & *Theodoricum* paulò liberiùs scripsisse, certum tamen est, idemque ipse in multis observavi, qui beneficio prædictæ Curæ, sicuti etiam superiùs dictum fuit, annos plurimos supervixerũt. Quoniam igitur, (ut Christus, Caput atq; Salvator noster, suprà nos docuit) per multas miserias, afflictiones atq; calamitates, ad æternam quietem nobis transeundum est; Idcirco nullus æger, si Calculus ob magnitudinem suam, citra mortis periculum, exscindi nequeat, ex impatientia vitæ suæ cursum abrumpet, sed cum patientia atque constantia Christiana, liberationem cœlitùs à Medico Medicorum supremo præstolabitur.

Cap. 27.

Atque hæc quidem benevolum Lectorem, juxta amicorum quorundam petitionem, celare nolui. Deus Opt. Max. Chirurgis suam largiatur gratiam, ut illa ad divini sui nominis gloriam, ægrorum atque languentium emolumentũ, nec non Animarum suarum salutem atque beatitudinem dirigant. Utque verò voti compos fias, Deusque ter Opt. Max. manibus tuis benedicat, auxilium atque præsidium ejus in omnibus tuis actionibus assiduis precibus implorabis, vitamque piam & honestam, sobriam, modestam, & castam ages, tibique magis ægrorum salutem, sanitatem & incolumitatem, quam proprium tuum commodum ac lucrum, commendatum habebis; Atque ita Deus in hac vita te sospitabit, tãdemque æternâ beatitudine clementer donabit.

Conclusio.

Admonitio ad Lithotomũ.

Μόνῳ τῷ Θεῷ δόξα.

APPENDIX,

EPISTOLARUM ALIQUOT SINGULARIUM, De Usu & Abusu Turundarum, post Extractionem Calculi adhibendarum.

AB AUTHORE LIBRI

AD VIROS CLARISSIMOS ET EXPERIENtissimos, tam Medicos, quàm Chirurgos, & vicissim ab iisdem ad ipsum, exaratarum.

VIRO

Pietate, Virtute atq; Doctrinâ Ornatissimo,

DN. HENRICO SCHOBINGERO,

Sangallensi, Medicinæ Candidato, Amico singulari,

GUILHELMUS FABRICIUS HILDANUS, S. P. D.

ETiamsi tenuia mea Scripta, doctissime atque amantissime mi Dn. Schobingere, ut quæ adeò impolitè & crassâ Minervâ concinnata, ut vix digna censeri possint, quæ in publicum prodeant, de die in diem magis magisque mihi displiceant, & proinde dubius fuerim, an concedere vellem, ut Tractatus meus Germanicus de Lithotomia Vesicæ, eam in Linguam, quæ aliis nationibus etiam est cognita, Latinam videlicet verteretur; præsertim hoc tempore, quo censores Scientiarum multi, & quidem rigidissimi, Momi & detractores infiniti, fautores verò perquàm pauci reperiuntur: attamen quia Tractatum illum à Viris doctis non improbari video, & Clarissimum atque Doctissimum Virum, D. Sebastianum Schobingerum, Doctorem Medicum Gallopolensem, longè celeberrimum, ejusdemq; Civitatis Senatorem Prudentissimũ, Patruum tuum perquàm charum, uti & Clarissimum Doctissimumque Virum, Dn. Thomam Platerum, Archiatrum Basiliensem longè excellentissimum, utrumque Amicum meum singularem, ejus quoque esse sententiæ, ut eum Latinitate dones, non sum tibi contradicturus. En tibi igitur exemplar meum, variis in locis, imò etiam duobus Capitibus integris, videlicet de Situ ægri, & Curatione Palliativa Calculi, auctum. Annexi quoque ad calcem Libri Epistolas aliquot virorum doctorum, ad me scriptas, in quibus de Turundis, post extractionem Calculi collo Vesicæ imponendis, sed ab Empiricis, & Theoriæ Artis Chirurgicæ imperitis perperam improbatis, agitur, quas ne omittas, velim: quàm perniciosa enim & humano generi infesta sit methodus illa Empiricorum, statim post extractionem Calculi labia Vulneris unire, non solùm ex Capite 21. & 23. libri edoctus fuisti, verùm & Epistolis subsequentibus hisce adjunctis abundè cognosces: ubi etiam videbis, usum Turundarum à rationalibus Medicis & Chirurgis, sive Germani, sive Galli, aut Itali fuerint, non improbari.

Inter Germanos Medicos, meritò magnifacienda est sententia Amplissimi & Doctissimi Viri, D. D. GREGORI HORSTI, Civitatis Ulmensis Archiatri longè celeberrimi, ut qui ipsemet

ipsemet hujusmodi operationibus & curationibus interfuerit, & successum viderit. Testatur autem literis ad me scriptis, quasque apud me vidisti, se mecum sentire, & meis rationibus subscribere. Magnifacienda quoque est opinio Virorum & doctissimorum Dom. D. DANIELIS SENNERTI, Institutionum Med. lib. 5. part. 1. sect. 2. Cap. 13. D.D. JOH. JESSENI, à JESSEN, Institutionum Chirurgic. cap. 17. & D.D. HENRICI PETREI, in Enchiridio Chirurgico, tract. 10. cap. 15. Hi omnes disertè scribunt, Vulnus post Extractionem Calculi apertum esse retinendum, usque dum Vesica satis sit expurgata. Hujus quoque sententiæ esse Gallos, non solùm ex PARÆO, FRANCO, lib. de Herniis, cap. 32. verùm etiam ex literis, quas Dn. Lud. PANTHODUS, Chirurgus excellens, hac de Controversia ad me scripsit, videre licet.

Italos quinetiam mecum consentire, Excellentissimus & de Chirurgia quàm optimè meritus D.D. Hieronymus FABRICIUS AB AQUAPENDENTE, in operibus suis Chirurgicis testatur. Quid plura? Vulnus velle claudere, antequàm Vesica probè sit expurgata, tam perniciosa & absurda est sententia, ut vix aliquid absurdius in praxi Chirurgica proferri possit; quod tumetipse ex αὐτοψίᾳ, & Oculari ipsius operationis inspectione compertum habes: ideoque meritò ab omnibus abjicienda & damnanda. Ex his vides, mi Dn. Schobingere, quàm utilis, ne dicam necessaria, Chirurgo sit Theoria Artis, & ignarum theoriæ vix aliquid laude dignum præstare posse, imò infinitos ægros imperitiâ & temeritate suâ necare. Hæc, quæso, perpende, & trutinâ æquâ examina, quo posthàc in Praxi tua audaciam, ne dicam impudentiam, & nequitiam Empiricorum retundere, salutemque ægrorum promovere possis. His, Doctissime atque amantissime mi Dn. SCHOBINGERE, divinæ Clementiæ Te commendo, qui ut studiis tuis ac piis conatibus abundè benedicere, teque in multos annos incolumem conservare velit, ex corde oro. Dabam Bernæ, 14. Martii, Anno M. D. C. XXVII.

Viro Clarissimo Experientissimo,
DN. GUILHELMO FABRICIO HILDANO, Medico & Chirurgo ordinario Reip. Bernensis Helvet. Domino & Amico suo,
Gregorius Horstius, S. P. D.

GRatissimæ mihi fuerunt Epistolæ tuæ, Vir Clarissime & Experientissime, Fautor & Amice plurimùm colende, unà cum Germanico tuo Tractatu de Lithotomia Vesicæ, pro quo gratias ago maximas. Lubenter insuper quoq; legi epistolam inclusam, quâ singularem Observationem de Τεχιώσει *continuas.* Vitrivororum *natura non admodum admiranda videtur, si Temperamentum hoc ævo ejusmodi vitris conveniret, quale* Plinius *olim* Tiberio *principe excogitatum fuisse refert, ut scilicet fluxibilitatem vitra nanciscerentur. At cùm vitrum ultimus transmutationis terminus aliàs constituatur, vix ejusmodi artificium exspectandum erit; Imò potiùs contrarium sequeretur, quod in ejusmodi pellucida consistentia, vi ignis ad summam puritatem deducta videatur* ἐντελέχεια, *& perfectio quadam absoluta; Quo nonnulli finalem Mundi transmutationem quoq; referunt; Vnde civitas* DEI *gemmea, tota pellucida, cujus plateæ aurum mundum,* ὡς ὕαλις διαφανής *juxta* Apocalyps. Johan.

Quanquam autem acutissima fragmenta Vitrorum alias acumine suo facilimè partes corporis lædat; alia tamen est ratio, quando masticationis beneficio conteruntur, ac postea cum alimentorum ac potulentorum liquoribus commiscentur, ubi non dubito, quin ad primarum viarum purificationem faciat ejusmodi vitrum comminutum in partes minimas, acrimoniâ suâ facultatem expultricem ad excernendum stimulante. Novi quoq; tales, qui petulanter Vitrorum particulas devorârunt, sæpiùs non absq; faucium Hæmorrhagia, qui num petulantiæ suæ pœnas dederint; ignoro. Sed fortaßis hac de re pluribus communis noster Amicus Clarißimus Hoffmannus, *cujus literas mihi inclusas hîc accipies. Libellum de Lithotomia, propter occupationes & peregrinationes nondum perlegi, sed eundem nostro* Merckio, *eam ob causam, quòd hoc mense generosus quidam Baro è Styria ipsius dexteritati sese subjiceret, à quo quidem Calculum ℥ i j. dextrè extraxit, laborante tamen sextâ die ex Inflãmatione & Sphacelo Vesicæ mortuo. De quo Casu, tum etiam de eis, quæ* Merckio *nostro, aliàs, ut nosti, exercitatißimo, in hac manuali Operatione in libro tuo dubia videntur, pluribus posthàc agam. Hisce benè vale, cum familia. Raptim Vlmæ, 17. August. 1626.*

Idem ad eundem.

SI Prioribus meis has addo, Vir Clarißime, Excellentißime, Fautor & amice plurimùm colende, tibiq; gratias ago pro Scripto tuo Germanico, Lithotomiam Vesicæ continente. Rectè facis, mi Fabrici, quòd nihil non tentes, quò diversas Medicinæ partes illustriores reddas. Aßertiones tuas quod attinet, perplacet inprimis, quòd in generatione Calculi potiùs cum paucis veritatem defendere, quàm cum multis errare velis.

Miror cur toties celebriores Medici viscidam materiam, & calorem exurentem inculcare soleant: cùm tamen ejusmodi figulinæ concretioni res ipsa contrarium demonstret, ne quid dicam de varietate Calculorum, è Vesica detractorum, quorum quilibet ferè, quo ad consistentiam, colorem, & uno verbo, quoad diversitatem Tartari sui nativi, diversimodè productus conspicitur: quemadmodum satis mirari non poßum talia, cùm tot Calculorum humanorum diversa genera penès nostrum Lithotomum, (qui jam ultra bis mille manu propriâ à Calculo Vesicæ, & Herniis, sectione & extractione liberavit) reservata perpendo.

Quoad modos extrahendi Calculum, nosti quem noster Lithotomus præferat aliis, non absq; certa diutinaq; experientia, qui penitùs rejicit illorum sententiam, qui statuunt, Vulnus illud Turundis & aliis apertum retinendum esse: propterea quòd hâc ratione facilimè fistulosis Vlceribus occasio præberi queat. Inprimis inhumanum omninò, & ab Artis operibus alienum esse statuit, inquisitionem Calculi, ubi ex voto non succedit extractio totaliter, tertiâ vel quartâ die reiterare, quod absq; insigni dolore, viriumq; jactura fieri non poße, verisimile est, cùm Vulnus post triduum

contra rationem de novo sit irritandum. Quoad Balneum, nosti dissensum ipsius, ubi puto differentiam inter Balneum aquæ dulcis temperatum, ac inter Balneum calidius, vel etiam cum herbis apparatum, dubitationes istas tuas conciliari posse. Illustris Baro Carinthius, Joh. L. B. à Malech, p. m. *de subsequente inflammatione valde sollicitus fuit: qua de causa pauló ante sectionem Acidularum potu, præmissis præmittendis, usus fuit, imò Victus rationem exquisitam temperatamq; talem adhibuit, ut nihil quicquam in eadem desideraretur. Sed quid fit? Calculus è Vesica vix fuit extractus, en ecce dolores circa pubis & Vesicæ locum nocte primâ subsequuntur intolerabiles, quibus remissis, matutino tempore, grumi sanguinis è Vulnere cum Vrina excernuntur. Dolor hic remissior secundâ die, circa tertiam noctem ita exacerbatur, ut signa inflammationis Vesicæ vicinarumq; partium inde conspicerentur, quod omnis generis Remedia tam interna, quàm externa nobis extorsit: frustrà tamen adhibitis omnibus, sub finem sexti diei Vir optimus exspirare, vitamq; cum morte commutare cogitur. Aperto post mortem corpore, Vesica interiùs, unà cum subjacente intestino Recto, Sphacelo correpta conspiciebatur. Quod cùm tam brevi tempore factum esset, tuæ Observationis olim ad me perscriptæ mox recordabar, ubi 24. horis post Contusionem gravia lethaliaq; subsecuta fuerunt Symptomata. Integrum Casum, cum Consiliis Clariss. Medicorum huic ægrotanti communicatis,* σὺν Θεῷ, *per occasionem etiam transmittam, ubi diebus hybernis, cum Deo plus otii dabitur. Hisce benè vale, cum familia tua diutissimè, felicissimè. Ocyùs Vlmæ, 20. August. 1626.*

Viro Amplissimo atq; Doctissimo,
DN. GEORGIO HORSTIO,
Philosophiæ & Medicinæ Doctori Excellentissimo, & Inclytæ Reip. Ulmensis Archiatro longè celeberrimo, Amico singulari,

Guilhelmus Fabricius Hildanus
S. P. D.

An Turunda Vulneri, post extractionem Calculi, imponenda?

Binas tuas postremas, Vir Amplissime, Fautor & Amice plurimùm honorande, 17. & 20. Augusti datas, superiore mense accepi, ad quas paulò maturiùs respondissem, nisi Centuriam meam quintam Francofurto exspectare, & ex una eademque fidelia duos dealbare parietes voluissem. Mitto illam nunc, obnixè rogans, ut illam hilari fronte accipere, omniaque pro summa humanitate, & erga me benevolentia tua, benignè interpretari velis. Miror *Dn. Merckium*, Lithotomum vestrum, Virum alioquin in manuali Operatione exercitatissimum, contra tot Virorum Clarissimorum doctrinam, imò & contra rationem ipsam, reijcere eorum sententiam, qui Vulnus post extractionem Calculi Turundis apertum retinendum esse statuunt. At memini Ego, ipsum *Dn. Merckium* anno 1610. die 14. Maij, cùm Calculos duos è Vesica Generosi & strenui Viri, *Dn. Zachariæ Geitzcofleri à Geilenbach, Domini in Haunsheim, &c.* felicissimæ memoriæ, feliciter extraxisset, Turundam quoque, sive fistulam argenteam Vulneri imposuisse; ita enim ante Operationem inter *D. D. Bartholomeum Mercklinum, David Verbezium, ipsumq; Merckium, & me* communi consensu deliberatum ac constitutum fuerat. Sed, ut verum fatear, alterâ statim die sententiam mutavit, usumque fistulæ, nobis invitis, intermisit. Hinc post dies aliquot exorta est Ecchymosis periculosa, quæ totum Scrotum occupavit. Scribit autem Excellentia T. ipsum penitus reijcere eorum sententiam, qui Vulnus post Calculi extractionem, Turundis apertum retinendum esse, statuunt: propterea, inquit, quòd hâc ratione facilimè fistulosis Ulceribus occasionem præbeant. At ego dico, Rationales Medicos ac Chirurgos, post extractionem Calculi, Vulnus Turundis aut fistulis argenteis, vel plumbeis apertum tenere, ut mortem interitumque ægri evitent. Nec est timenda fistula; Vulnera enim contusa, qualia sunt hujusmodi, ante eorum concoctionem, suppurationem, & mundificationem, in fistulam degenerare posse, absurdum est dicere. Quandoquidem videmus quotidiè, neminum quidem Vulnus contusum, etiam in partibus musculosis, coalescere posse, nisi caro, & quicquid contusum est, priùs putrescat, & in pus convertatur. Hinc ante quadragesimum diem nullum, sive Vulnus, sive Sinus fuerit, in fistulam abire posse, testantur Viri docti, testatur & ipsa Experientia: ut enim Vulnus contusum in fistulam transeat, necesse est, ut priùs suppuretur, & quicquid circa ipsum contusum est, in pus convertatur, quemadmodum antea quoque dixi. Id verò calidis humidisque & unctuosis Medicamentis, Anodynis, &, ut vocant, Digestivis efficimus. At illa generationem fistulæ, (illa enim quæ vehementer exsiccant requirit) impediunt. Nullo itaque modo ab initio post extractionem Calculi fistula est metuenda, sed potiùs Mors avertenda; si enim ab initio Digestio & Concoctio Vulneris promota, & sanguis, qui in Operatione propter Venarum & Arteriarum dilacerationem, & doloris vehementiam, tum ad ipsam Vesicæ cavitatem, tum ad vicinas partes confluit, evacuatus, & in pus conversus non fuerit, putrescit. Hinc dolores maximi, Inflammationes Vesicæ, Inquietudines, delirium, gangræna, tandemque Mors ipsa sequitur. At quomodo sanguis concretus in Vesica evacuabitur, nisi Vulnus apertum fuerit? Atque hæc est causa, cur plurimi post Extractionem Calculi moriuntur; præsertim hi, in quibus facultas expultrix viresque, aut propter Senium, aut puerilem ætatem, vel denique propter Hæmorrhagiam, prostratæ sunt. Si verò Vulnus beneficio Turundæ, Digestivo, & Anodynis inunctæ, apertum retinetur, hujusmodi symptomata vix pertimescenda esse, ipsemet in ægris meis aliquoties expertus sum.

Hæc, Vir Amplissime, non contradicendi studio, sed tot Virorum doctissimorum verissimam doctrinam defendendi causâ, & in utilitatē ægrorum, ad Te scribo. Tu si rationes meas superiùs scriptas, & in Tractatu meo de Lithotomia commemoratas, examinaveris, facilè quid de hac

de hac Controversia statuendum sit, judicare poteris. Scio quidem, hujusmodi Vulnera nonnunquam in fistulas degenerare, non quòd Turundæ ab initio impositæ fuerant, sed quia Musculus Vesicæ in Operatione dilaceratus, aut Vesica, post extractionem Calculi, non satis mundificata fuit. Sed de his aliàs forsan scribendi dabitur occasio. His Vale, Vir amplissime, & cum tuis omnibus æternùm quàm feliciter vive. Raptim Bernæ, 31. Octob. 1626.

Excellentissimo atq; Experientissimo Viro,

DN. GUILHELMO FABRITIO HILDANO, Inclytæ Reip. Bernensis Medico-Chirurgo Felicissimo, Fidelissimo, Domino ac fautori suo perpetim honorando,

Iohannes Burgovver, Inclytæ Reip. Scaphusianæ Poliater, S. P. D.

De Necessitate Turundarum.

POstremas tuas literas longè gratißimas, Vir Clarißime, Fautor æternùm colende, superioribus hisce diebus accepi. Vsum autem Turundarum, post Calculi extractionem, de quo sententiam meam, & quid in Peregrinationibus meis de eo observârim, scire cupis, quod attinet, de eo malim Viros in Artis operibus exercitatos ac consummatos audire, quàm meum nimis præcipitanter judicium, quod tamen perexiguum est, proferre.

Gallorum hac in parte medicationem facilè crediderim, eandem esse cum Tua, eò quòd omnium fermè externorum affectuum, tam qui circa Fracturas atque Luxationes, quàm qui circa Tumores, Vulnera, Vlcera versantur, tractationes eodem planè filo, quo Tuæ peraguntur, eâdemq; Artis lege ac methodo curantur. Dum in Galliis vixi, hanc ipsam Operationem, Lithotomiam putà, quam omnium Chirurgicorum operum apicem ac summam, ob sui difficultatem, non immeritò appellat ingeniosißimus Taliacotius, *In Curtorum Chirurgia, summoperè desiderabam videre, ejusq; solius gratiâ Lutetiæ Parisiorum mensem & ampliùs moratus fui, diutiùs, avidè exspectans anniversariam illam in Nosocomio Charitatis Lithotomiam, quæ in compluribus pueris calculosis institui solet. Verùm certas ob causas totum id negotium sequentem in annum dilatum est.*

Ad Italos autem quod spectat, non obscurè patet, Eos Tecum omninò sentire, usumq; Turundarum approbare, ex illo Italorum Chirurgorum Principis ab Aquapendente *loco, quem in Operationibus suis Chirurgicis videre licet: quando, expedito Sectionis opere, inquit, Turundam ex ovi albumine & vitello, cui Croci quidpiam adjectum sit, in plagam imponunt, & ita apertum Vulnus servant; quousque Vesica ab alienis reliquiis expurgata sit, & pus in plaga appareat; extra verò linteum ex Vino & Ol. rosac. expressum: postea verò Coxis astrictis, & glutinationi plagæ, & carnis generationi student, & ita curant. Atque hæc non modernorum duntaxat Rationalium Chirurgorum est sententia, sed jam olim ipsius* Celsi, *Latini* Hippocratis, *mens eadem fuit; uti ex fine cap. 36. lib. 7. ubi de Curatione Calculo avulso habenda agit, unicuique palàm fit. Imponenda (inquit ibi) Vulneri medicamenta sunt, Pus moventia; & si purgandum Vlcus videbitur, melle linendum. Id si rodet, rosâ temperabitur. Huic Curationi aptißimum videtur Enneapharmacum Emplastrum. Nam & sevum habet ad pus movendum, & mel ad Vlcus repurgandum; medulla etiam, maximeq; Vitulina, quod in id, ne fistula relinquatur, præcipuè proficit. Et mox addit: ubi Vlcus purgatum est, puro Linamento ad Cicatricem perducendum est.*

Plura aut meliora addere nunc, & temporis penuria, & festinatio tabellionis haud permittunt. Tuum erit, Venerande Senex, hæc qualia qualia, non æqui solùm boniq; consulere, verùm etiam pro consummati judicij tui acumine, & multorum annorum felici experientia, corrigere. Interea annum, quem nuper cum bono Deo auspicati sumus, cum subsequentibus plurimis aliis, felicißimum & pacatißimum Excellentiæ T. Tuisq; omnibus animitùs reprecor. Deus Te nobis omnibus, ac publicæ saluti diutißimè adhuc incolumem servet atque superstitem. Adjunctam Clarißim. Dn. Doctoris Horstii, *&c. manum nuper mihi missam, nunc unà accipies. Inclusam quoque Strenulam, ceu animi beneficiorum memoris leve saltem symbolum, quæso ne contemne, donec, Deo vitam Praxinq; fortunante, meliora sequantur. Vale, Venerande Senex, cum Tuis omnibus felicißimè, & deinceps etiam me amare perge. Raptim è Musæo, Scaphusiæ, VII. Kl. Februar. Anni ab exhibito Meßia* cIɔ Iɔ cXXVII.

Viro Excellentissimo,

DN. GUILHELMO FABRICIO HILDANO, apud Bernenses Medico-Chirurgo peritissimo & longè celeberrimo, Amico suo singulari.

Ludovicus Panthotus, S. P. D.

De Usu Turundarum post extractionem Calculi.

Quid sentiendum de Turundis post Extractionem Calculi Vesicæ.

VIr Clarißime, & Amice plurimùm Colende, Tuas ad me 12. Novembr. ultimò missas, ejusdem mensis fine accepi, unà cum vestrarum Centuriarum quinta, de qua gratias quàm plurimas reddo. Opus est perpolitum, & Autore suo dignum. Nihil in illa legi animadvertiq; potest; quod & Medicum eruditum, & Chirurgum expertum non sapiat; meo non modò, sed etiam doctorum judicio. In præsentia quid rependam nihil habeo, præter Observationem de Dysenteria factam à Dn. de la Moniere, Lugdunensi Medico, apud nos satis noto. Tanto me favore prosequitur Dominus, ut meam non dedignetur postulare sententiam de præceptis, quæ Libellus suus de Lithotomia Vesicæ Lithotomos docet; & præsertim circa usum Turundarum Cannulatarum, à Vesicæ lapidis extractione utilium, quamvis nonnulli earum usum improbent, & opponant, quòd Cannulis Vulnus dilatetur, & sæpius in fistulam degeneret. Liberè dicam, quid sentiam, Vir Clarißime, mea opinio vestræ quadrat.

Primùm, in Gallia Lithotomi justa de causa nunquam Turundis utuntur in pueris, in quibus Lithotomia solent solo parvo, vel infimo, ut loquuntur, Apparatu

ratu exercere: quoniam impatientes, simul & rationis usu nondum fruentes, ob imprudentem corporis motum, alio operandi modo graviter lædi possent. In Adultis verò, & iis qui ratione reguntur, in quibus fieri non potest Lithotomia, alio quàm magno & solenni Apparatu, *Turundâ Cannulatâ post Calculi extractionem utuntur, eamq; intra Vulnus principio Curationis intromittunt, & sinunt unius, duorum, trium, pluriumve dierum spatio, vel tanto, quanto opus esse judicant, ut effluant thrombi vel grumi sanguinis, in Vesicæ capacitatem effusi; tum etiam mucilaginosi humores, arenulæ, minuti Calculi in Vesica residui, qui nonnunquam in Vesicæ sinu in longius tempus cohibentur, labiis Vulneris citiùs invicem adductis, quoniam Vrethra illis expeditum, nec satis amplum potest præbere exitum, grumis potissimùm sanguinis, & tunc temporis sanguis extravasa corrumpitur, creátve dolorem, febrem, abscessum, & gangrænam: quod accidisse cuidam non infimæ notæ Viro, qui nunc vitam Religiosam degit, observavi.*

Observatio singularis.

Post extractum Calculum Operator nititur statim Vulneris labia unire, metuens fistulæ accessum; tribus hebdomadis elapsis, ipsoq; Vulnere in totum ferè conglutinato, lancinantem circa Vulnus æger persentit dolorem, & cruciatus immensos. Convocantur Medici & Chirurgi, utrùm Vulnus amplificare expediret? Astantes enim & Lithotomus suspicabantur, delituisse lapidem aliquem, qui exitum quærens, & ad plagam allidens, horum esset causa dolorum, unanimi penè consensu illi consulunt applicandum circa Vulnus Cataplasma Anodynum, rati subesse Abscessum, ex sanguinis non s.q. educti, & citiùs intra Vesicam coërciti putrefactione, nec eventus fefellit, pure per Vulneris orificium paulò post erumpente. Tum etiam istud Vulnus, sicut sentit Dominus, est contusum, sæpiusq; dilacerationi junctum, indicans priùs Suppurantium, quàm Glutinantium & Epuloticorum usum; adde quòd Vesica, pars multum concava & ampla, retinet multum sanguinis, tam ejus qui Operationis tempore, quàm illius, qui eâ peractâ Vesicam subit & penetrat, ex Venis sanguinis quantitatem non mediocrem per aliquod temporis spatium in Vesicæ fundum effundentibus; adde quòd alij aliis plus sanguinis emittant, non ideò tantum, quòd & difficilis & diuturna sit Operatio, & aliquando justum & consuetum operandi tempus ob Subjecti, vel Operantis, vel utriusque conditionem excedat; sed maximè quòd Vasa Hypogastrica & Pudenda, plurimos & valde amplos in nonnullis surculos emittant, qui partes istas Operationi subjectas irrigant: unde augetur necessitas utendi Turundis Cannulatis, quibus si toto Curationis Vulneri, Lithotomiæ soboli dicatæ tempore, censeremus utendum, justo justiùs operatores earum usum damnarent. Verùm ignorantia eos hac in re pertinaces efficit, cùm tempus Turundis utendi distinguere nesciant. Vale, Vir Clarissime, & Nestoreos vive annos, ut & tuis omnibus semper possis prodesse. Datum Lugduni 20. Decemb. 1626.

Viro Experientissimo.

DN. LUDOVICO PANTHOTO, apud Lugdunenses Gallorum Chirurgo celeberrimo, Amico meo singulari,

Guilhelmus Fabricius Hildanus S.P.D.

Responsum tuum ad quæstionem meam, tibi propositam, Vir Excellentissime, & Dn. & amice plurimùm honorande, videlicet; *An extracto Calculo, Turundæ Vulneri sint infigendæ, necne?* rectè accepi, & pluris facio (loquor sine adulatione) quàm omnium Empiricorum nugas, qui sine ratione ea, quæ cum ratione fiunt, impudenter & sine fundamento vituperare non erubescunt. Tua verò opinio non tantum ipsâ ratione stabilitur, sed & exemplo, observatione dignissimo, illustratur. Id libenter quoque intellexi, Lithotomos vestros in Gallia mecum consentire, usumque Turundarum non improbare. Turundas Cannulatas, propter causas, quas tu quoque recenses, Pueris non adeò convenire, tecum sentio; nudis tamen, in quacunque parte corporis id fuerit, nunquam utor, sed carbaso involutis & tectis, ita tamen ut foramina Cannulæ non sint involuta. Præterea, ut minùs lædat Turunda, ipsam digestivo, ad dolores sedandos, & pus movendum, inungo, uti videre poteris *in Tract. meo de Lithotomia Vesicæ, cap. 20.*

Quamvis autem Turundæ Cannulatæ sive ex auro, sive ex argento, aut plumbo (quæ mihi præ cæteris probantur) fuerint, ab initio post extractum Calculum maximum habeat usum, dum Urinæ, quæ statim ab Operatione utplurimùm acris esse solet, sanguini item in Vesica coagulato, arenulis, aliisque excrementitiis humoribus, liberum exitum præbeant; si quis tamen earum usum non solùm in pueris, verùm etiam in adultis improbare voluerit, ei non sum contradicturus, Turundis enim ex carbaso factis, & digestivo inunctis, idem quod Cannulatis perfici posse, in ægris meis expertus sum: præsertim si vulnus bis aut ter in die curatum fuerit: Turundas enim ex carbaso eis, quæ ex metallis fiunt, minùs esse dolorosas quis non videt? At dolorem omnium symptomatum esse periculosissimum, tibi notum est.

Porrò cavendum erit, ne Turundis, sive ex carbaso, sive metallis, præsertim ex plumbo fuerint, abutamur; quemadmodum enim legitimus ipsarum usus necessarius & utilis, ita abusus, hoc est, si diutiùs quàm par est, eis utamur, usq; dum Vulnus probè sit digestum, & Vesica ab omnibus in ea præter naturam collectis expurgata: quo facto, ab usu Turundarum desistendum est; ne Vulnus in fistulam transeat; sed de his pleniùs in *Tractatu meo de Lithotomia Vesicæ, cap. 20. & 22.* Nisi autem collum Vesicæ, beneficio Turundarum, ab initio satis pateat, nihil præterquàm gravissima symptomata, mortemque ipsam exspectare oportet: præsertim si æger imbecillis (raro autem is, cui Calculus extrahendus est, robustus & vegetus existit) aut decrepitus fuerit. Post operationem enim, cùm humores ex circumjacentibus partibus corporis ad Vulnus confluunt, intumescit, clauditurque collum Vesicæ, & tam

De dis... latu...

Qu... ... Tu... req...

Tur... ex c... so, l... stru... unct... can... is n... res... mosi...

Cau... de u... run...

Vsu... rud... negl... qua... at sy... mat...

tam arctè comprimitur, ut ne quidem urina ipsa liberè effluere possit; inde sanguis coagulatus, & quæcunque præter naturam in Vesica retinentur, longè faciliùs quàm in quavis alia corporis parte putrescunt, inde dolor gravissimus, inflammatio, febris ardentissima, nausea, delirium, inquietudines, spasmus, gangræna & sphacelus Vesicæ, adjacentiumque partium, tandemq; mors: & ut verbo dicam, vix perfecta sanatio exspectanda est, nisi Vesica probè expurgata fuerit. At quomodo, quæso, expurgabitur, si labia Vulneris protinus, post extractionem Calculi conjungantur? Hinc videmus, Empiricos dum labia Vulneris, ut fistulam evitent, conjungere conantur, aut mortem accelerare, aut fistulam procreare: quæ enim in Vesica remanent, Vulneris glutinationem impediunt, sequiturque fistula, quæ plerumque ægrum ad mortem usque comitatur: uti *Adolescenti* isti *Neocomensi*, cujus memini *in Tractatu meo de Lithotomia, cap. 18.* accidit. Hisce diebus ipsius Soror, Matrona genere, virtute, & pietate nobilis, quæ etiamnunc apud nos vivit, coram me testata est, videlicet Vulnus fratris sui nunquam coaluisse, & post obitum duos Calculos in Vesica repertos fuisse; horum unum, qui drachmas duas pendet, mihi monstravit. Est ille rotundus, politus, cineritii coloris, & durus ad instar silicis. Hosce lapides, vel saltem ipsorum primordia, post operationem in Vesica derelicta fuisse, (uti etiam *Dn. Paulus Lentulus*, qui operationi interfuerat, arbitratus est) verisimillimum mihi videtur. Ex quibus omnibus apparet, quàm utilis ac necessarius sit usus Turundarum. Est itaque dolendum, mi Dn. Panthote, homines tam inscios, ac rudes esse in ea arte, quam profitentur, ut hæc non agnoscant. Facit id ignorantia Theoriæ, quæ si ipsis nota esset, Turundas non improbarent, quin potiùs ad cœlum usq; extollerent.

His vale, Vir Experientissime, & cum tuis omnibus æternùm quàm feliciter vive. Dabam Bernæ 20. Ianuarii 1627.

FINIS LIBRI DE LITHOTOMIA VESICÆ.

GUIL-

GUILHELMI FABRICII HILDANI,

Illustriss. Marchionis Badensis & Hachbergensis, &c. nec non Inclytæ Reipublicæ Bernensis Helvet. Medico-Chirurgi ordinarii

De GANGRAENA ET SPHACELO,

TRACTATUS METHODICUS;

In quo

Horum morborum Differentiæ, Causæ, Signa, Prognostica, ac denique Methodica curatio continentur.

Editio duodecima & ultima.

Omnium locupletissima; Observationibus etiam raris, nec non instrumentis necessariis, ab Authore inventis, ita aucta; ut planè nova recenseri possit.

Candido Lectori.

Quamvis, Candide Lector, hæc duodecima ad minimũ hujus tractatus sit editio, ita tamen Observationibus raris, instrumentis utilibus, ne dicam necessariis, medicamentis quin etiam approbatis, illum auximus, ut planè nova censenda sit, præcipuè si præcedentes editiones Latinas, Gallicam item, & primam editionem Germanicam, Coloniæ Agrippinæ excusam, spectes. Interim tamen ordinem & methodum præcedentem, uti ex Indice capitum videre poteris, non mutavimus. In reliquis quoque omnibus, omnem prolixitatem, ne tibi tædium adferret, evitavimus; saltemque ea in medium adferre contenti fuimus, quæ ad Gangrænæ & Sphaceli accuratam cognitionem, & methodicam curationem maximè necessaria videbantur. In descriptione remediorum brevitati quoque, quoad licuit, studens, ea tantùm proposui, quæ ratione & autoritate, ac simul etiam experientiâ comperi præstantissima, & quibus tutò Chirurgus videre possit.

Porrò quamvis passim ea tractemus, quæ verius Medicos spectant, putà victus rationem, & præparationes, purgationesque ægrotantibus necessarias; non eò tamen facimus, quòd existimemus, licere cuivis Chirurgo, nedum Tonsoribus, ac cæteris imperitis, Medici partes præsumere: Verùm ut Chirurgus ruri, militia, vel alibi, Medici ope destitutus, valeat tamen ex tempore præstare, quæ ægrum juvent. Gangræna enim ceu morbus acutissimus, præsentissima poscit remedia; quorum alioqui dilatio ac retardatio ægris nimiùm perniciosa. Sin Chirurgus Medici consilio uti potest, erit utique illius præsentia ægro magno tum solatio, tum etiam levamento: adde, quòd non tam facilè Chirurgi periclitabitur existimatio, si curatio non è voto successerit. Doctus enim ac industrius Medicus, qui naturalem ægri constitutionem, causas item & signa morbi probè noverit, maturè satis omnibus accidentibus, quæ morbum consequi solent, occurrere poterit, præcavereque, ne gravia ac lethalia Sympromata ingruant. Hac ratione quoque Medicus Chirurgum, si fortè circa ægrum quid deliquerit, officii sui admonere poterit. Atque hoc modo nihil, quoad morbi curationem legitimam prætermittitur: quin potius omnia remedia,

prout à Deo destinata, cum recta ratione administrabuntur. Quòd si verò æger à morbo non liberetur (sicuti non omnes liberantur) Medicus tamen coram Deo excusatur: quia remedia secundum usus à Deo destinatos legitimè ac decenter adhibuit. Quòd autem curatio non successerit, non ideò Medicus culpandus, vel ars contemnenda, quinpotius confidendum, morbum sibi maximè cordi ac curæ fuisse, omnemque operam suam in illum impendisse: Cujus etiam rei urgente necessitate Medicus rationem reddere poterit. Sin verò Chirurgus in gravioribus morbis & operationibus hæc spreverit (uti faciunt imperiti barbitonsores, Agyrtæ, & hujus farinæ homines) cunctaque, quamvis morbi nullam habeat cognitionem, nutu suo administrare cognatus fuerit: tunc quoque morbus finem exitiosum acquirit. Id autem alia de causa non fit, nisi quod opinentur barbitonsores, &c. suæ existimationi plurimùm derogari, si Medicum, qui decentem victus rationem præscriberet, corpusque ab humoris dominatu repurgaret, ad ægros suos vocarent. Hinc fit, ut indies tot ægri tam nefandè ab iis enerventur ac trucidentur. Sciant tamen, se impunitos non evasuros: sed ab ipsis tanquam homicidis in extremo judicio, coram tribunali ejus rei rationem exactum iri. Hæc instinctu amoris erga proximum in medium adferre volui, quæ in bonam vel malam interpretetur partem, quicunque volet.

Cæterùm quia omne munus bonum, & omne donum est perfectum, supernè descendens à Patre luminum, *ut Divus Apostolus Iacobus monet; omnem etiam Medicinam ab altißimo creatam, divino solummodo munere habemus: imò quia medicamentum quodvis, nisi divina benedictione vivificetur, mortuum est, & nullius usus: ideò Medicus Deum inprimis veneretur, & opem ejus atque benedictionem votis continuis imploret. Quam ut exorare meliùs, & impetrare poßit; ab enormibus sibi peccatis diligentissimè caveat: non scurra sit, vino Venerique dies noctesque deditus, aut aliàs malæ famæ: verùm sobrium se gerat & modestum, ægrorumque suorum salutem curæ sibi cordique habeat: & in eo totus sit, quò morbos eorumdemque symptomata, causas, medicamentorum facultates, ægrique naturam rectè cognoscere, & ex obscurioribus quibusvis artis atque ingenii beneficio feliciter se expedire poßit: ne fortè temorè quid, sed omnia circumspectè, in ægri salutem atque emolumentum administret. Aliter qui facit, & hæc & alia, quæ ratione officii incumbere sibi novit, ex levitate negligit: sciat sanè, sibi tandē accuratißimas DEO ter Optimo Maximo de minimis etiam reddendas esse rationes. Non enim aurum Medico, non argentum, non gemmæ preciosæ concreduntur, in quarum præparatione, si quem forsan errorem commiserit, facilè eundem corrigere, aut ad summum ære sese exsolvere poterit: sed corpus humanum thesaurus sanè preciosissimus, & nobilißima DEI creatura, ipsi committitur: in hujus cura, si quid neglexerit: aut venenum pro alexipharmaco incautus exhibuerit: non aurum & argentum ipsum liberabunt: sed anima propterea æternis ignibus excruciabitur.*

Quamobrem Medicus, qui, qualis audire vult, talis etiam est, probus scilicet & fidelis, à DEO Opt. Max. felicem in omnibus suis actionibus successum expetat & exspectet: sic DEVS aderit ipsi invocatus; ut in casibus etiam difficillimis atque dubiis miro se modo & ex voto expedire poßit, quemadmodum Christus ipse nobis promisit, quando. Quæcunque petieritis, inquit, à Patre meo in nomine meo, dabit nobis. Item petite & debitur vobis; quærite, & invenietis, pulsate, & aperietur vobis, id quod & alia Sacroscripturæ Testimonia paßim nobis confirmant.

Quoties antem difficilis atq; periculosa Chirurgo operatio suscipienda est, præsentibus ægri consanguineis, familiaribus, vicinis, & aliis, verbi divini Ministrum vocabit, qui omnes exhortetur, ut ardentißimis votis DEVM precentur, quo felicem operi periculosißimo successum largiatur. Quia verò Chirurgus in castra & alibi sæpe Verbi divini ministrum habere non potest, præcationes aliquot, quibus in casu necessitatis utatur addere placuit; quas Lector ab initio libri, statim post præfationem ad Lectorem videre poterit. Precibus peractus, iterum magnitudinem periculi cognatis & amicis exponet: suamque ipsi curam & diligentiam religiosè promittat, & sanctè etiam præstet; petatque simul, ne sibi deinceps, culpa imputetur, si fortè minus secundum spem & exspemationem operatio processerit, & DEO ter Opt. Max. ita visum fuerit, ut æger vel in ipsa operatione vel paulo post exstinguatur. Quod si ergo amicos consentire videat, ad operationem ipsum sese accingat. Atque hæc, Benevole Lector, hac vice movere volui, tu hæc & alia æqui boniq; facies.

GUILHELMI FABRICII HILDANI

Inclytæ Reipublicæ Bernensis Helvet. Medico-Chirurgi ordinarii

DE GANGRÆNA ET SPHACELO

TRACTATUS METHODICUS;

In quo

Horum morborum Differentiæ, Causæ, Signa, Prognostica, ac denique Methodica curatio continentur.

CAPUT I.

Quid Gangræna & Sphacelus?

Cap. 1.

Cic. Offic. lib. 1.

BEnè Cicero *Omnis*, inquit, *quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet à definitione proficisci: ut intelligatur, quid sit id, de quo disputatur.* Omissa autē definitione fluctuat tractatio. Est autem definitionum genus duplex: unum, quo rei nomen declaratur, & nonnihil illustratur: velut cum Etymi ratio adfertur: alterum, quo pleniùs rei natura & essentia absolvitur. Illam Nominis, hanc rei definitionem vocant Dialectici. De Gangræna agenti nominis erit definitio illa latior Etymologica: Gangræna est morbus carnem exedens: siquidem Græca vox γάγγραινα deducta est à verbo γράειν, sive ut *Hesychius* γραίνειν, hoc est, exedere sive rodere. At essentiales Gāgrænæ definitiones plures sunt, apud idoneos scriptores Medicos utriusque œvi: quarum tamen nonnullæ descriptiones potiùs, quàm definitiones. Medicarum definitionum Auctor ait; Gangrænam esse mutationem coloris naturalis, in colorem præter naturam, & mortificationem, sive adsit exulceratio, sive absit. *Galenus* sic videtur definire, initium mortificationis in parte ægra, quæ paulatim sic invadit & occupat partes vicinas, & adjacentes, ut nisi adferatur remedium, perfecta subsequatur mortificatio, Idem *Galenus* dicit, Gāgrenam esse dispositionem mediam inter summas inflammationes, & Sphacelum, eumque inflammationibus tanto deteriorem, quò mitior est Gangræna Sphacelo. Idem *Galenus* de Gangrænis, quæ inflammationibus accidunt, ait: tum credi membrum Gangrænâ affectum, cùm propter summam inflammationem tendit ad mortificationem, nec tamen planè mortuum est, & sensu expers. Alibi dicit, locum censeri Gangrænâ affectum, cùm propter sum̄am inflammationem incipit mutari color, & perire sensus, tenditque ad mortificationem. Omnes omnium definitiones, aut descriptiones adferre, infinitum fuerit: superiores satis sint, ceu ex quibus etiam reliquæ omnes derivatæ, ac penè transcriptæ videntur. Nos quidem ut eam Gangrænæ definitionem colligamus, quæ & brevis & accommodata sit omni Gangrænæ, ex quacunque causa ortæ, statuimus *Gangrænam esse principium mortificationis, eamque utplurimùm magnas inflammationes sequi, atque corrumpere partes molles corporis humani; veluti cutem, musculos, venas, arterias, nervos.* Vel, Gangrænam esse incipientem & imperfectam suprà dictarum partium mortificationem.

Definitio duplex.

Definitio nominis.

Definitio rei.

Lib. de tumoribus præter nat.

Gal. in lib. Hipp. de art. com. 4.

Lib. 2. ad Glauc.

Galen. in Hipp. aph. com. 50. sect. 7.

Gangrænæ definitio essentialis Gal.

Similiter & Sphaceli nobis tradenda est definitio, quandoquidem de eo simul acturi; cùm haud dissimilis sit affectio, imò in eam superior sæpiùs degeneret. Sphacelus igitur sive Sphacelismus, & Syderatio Latinis, est plena, perfecta & absoluta mortificatio, non solùm suprà dictarum partium, simul & ossium (uti sæpiùs usurpantur apud *Hippocratem*) verùm & cæterarum omnium plus minusve solidarum. Itaque in Sphacelo cutis, caro, venæ, arteriæ, nervi, tendines, & ipsa ossa putrefacta sunt, ac magis magisque putrescunt: quemadmodum *Galenus* & experientia ipsa testatur. Et in summa, membrum Sphacelo affectum planè mortuum & frigidissimum est. Ideoque Gangræna & Sphacelus à Clarissimo Viro Dn. Iacobo Auberto Vindone, olim Amico meo familiarissimo, quem honoris & amicitiæ causa hic nomino, non immeritò inter tumores frigidos numerantur.

Cap. lib. Gla... Pau... gin... c. 9 Tag... lib. de C... & ... lo l... Fuc... de ... mor... b. 5. c... Sph... defi...

Lib. ... mor... præter... natur...

Lib. ... sign... cap...

CAP. II.

Differentia inter Gangrænam & Sphacelum.

PORrò quamvis ex superiori definitione Gangrænæ & Sphaceli, differentia satis manifesta sit: attamen quia nonnulli, & præcipuè hi, qui nondum satis sunt versati in cognitione morbi, & praxi, vocabula hæc adeò confundant, ut ne ipsi quidem sese extricare possint: atq; nunc Sphacelum Gangrænam, nunc Gangrænam Sphacelum; Nonnulli quoque indifferenter, & sine distinctione tum Gangrænam, tum etiam Sphacelum, aut Gangrænam, aut Sphacelum vocitent, atq; hoc modo non solùm nomina, verùm etiam (in pernitiem damnumque maximum ægrorum, & sui

& sui ipsorum ignominiam) curationem ipsam confundant, visum est, distinctionem horum affectuum paulò prolixiùs declarare, atque ob oculos ponere.

Licèt autem tum Gangræna, tum Sphacelus non ex diversis, sed ex iisdem causis originem trahant, nihilominus tamen non exiguam inter se differentiam habent, & requirit uterque propria sua remedia, atque curandi methodum. Primò dum membrum aliquod emoritur, nec tamen planè est mortuum, sed sensu aliquo adhuc præditum, affectus ille à Galeno aliisque medicis Gangræna appellatur. At quia pars affecta in Gangræna, ut plurimum maximo ardore, inflãmatione, dolore, tumore, reliquisque signis, calorem ac æstum maximum significantibus afficitur, & inflammatio atque inflatio hæc instar ignis adjacentes partes invadit, rectè Gangrænam Germanico idiomate Heissen Brand appellare possumus. Quamprimùm verò inflammatio atque incendium hoc innatum ac insitum calorem humidumque radicale absumpserit, ita quidem ut membrum planè sit emortuum, tum ab Hippocrate, Galeno, aliisque medicis Sphaceli nomẽ sortitur. Nos verò, quia in Sphacelo membrum nigrescit, ac frigidissimum est, nihilominus tamen (propter putredinem) proximas adjacentes partes invadit, erodit, atque devastat, Sphacelum cum quibusdam Medicis celebribus, Germanicè Kalten Brand nuncupamus.

Gangræna ut plurimum est in superficie, atque (ut superiori cap. declaravimus) cutem, musculos, aliasq; partes molles afficit. In Sphacelo verò non tantùm hæ partes molles, verùm etiam ossa ipsa afficiuntur. In Gangræna cutis rubet propter inflamationem maximam, in Sphacelo verò fit primò pallida, deinde livida, & mox nigra. In Gangræna nullus adest fœtor, in Sphacelo verò putrescit membrum & pestiferum emittit fœtorem. Interim dum Scalpello adhibito æger sensum exquisitum habet, Gangræna, dum verò nullus ampliùs adest sensus, Sphacelus appellari debet. Membrum enim planè emortuum est: cautus tamen hac in re ut sit Chirurgus, necesse est: frequenter enim ægri existimant, sensu nondum expers esse membrum, digitos quoque & pedem ut plurimum movent, usq; dum tibia ad genu ferè planè sit emortua. Sensus autem ille non verus est, sed fit per imaginationem præcedentis doloris, & Sympathiam partis vivæ cum illa, quæ jam emortua est. Digiti quoque & pes moventur, quamvis membrum omninò sit mortuum: proterea quod, dum nervi, & musculi fœmoris, & circa genu moventur, nervos digitorum & pedis quoque movent, & ad se trahunt. Sextò & ultimò differunt Gangræna & Sphacelus curatione. In Gangræna enim totum negotium in hoc consistit, ut præcaveamus, ne putredo aliqua membrum invadat, occupetque, aut si jam adfuerit, ulteriùs non progrediatur. In Sphacelo verò superfluum est in hoc impendere laborem, quandoquidem pars illa, quæ emortua est, reviviscere non potest, ideoque ut protinus auferatur, sive id novacula & sertâ, sive cauterio actuali aut potentiali fiat, necesse est.

CAP. III.

Gangrænæ & Sphaceli causæ Universales.

GAngrænam & Sphacelum definivimus mortificatione, hunc quidẽ perfectâ, illum autem imperfectâ. Cùm autem mortificatio sit vitæ extinctio, ac proinde calidi innati destructio, utpote in quo vita verissimè consistat, videndum quot modis, & quibus ex causis contingat innati calidi extinctio & deperditio. Nam eædem causæ, si corripiant membrum, aut partem corporis, prout plus minusque sunt efficaces, parti illi vel Sphacelum vel Gangrænam inducunt, ac plerũque ut augentur, Gangrænam quidem prius, deinde verò Sphacelum.

Innatum calidum sine humido radicali existere non potest.

Non potest autẽ calidum innatum existere sine humido suo radicali, & Spiritibus fixis in omnibus corporis partibus; Adeò ut graviter læso humido radicali, innati calidi fomite & alumno, læsis item Spiritibus, in quibus tanquam in subjecto insidet, ipsum quoque lædatur innatum calidum. Humidum autem radicale resolvitur, dissipatur & absumitur cibo quotidiano non satis reparatum, & restauratum: vel si occurrat illi alienus calor vehemens & diuturnus; Aut etiam si concrescat, & veluti fixetur, cogaturque acutissimo frigore. Sic etiam Spiritus, qui partibus affixi, ipsum tum humorem radicalem, tum innatum calidum comitantur, possunt vel dissipari vel suffocari, vel infici. Dissipantur negatâ refrigeratione & recreatione, per influentes Spiritus, qui à partibus primariis continenter communicantur, ac distribuuntur reliquo corpori per nervos, venas & arterias. Suffocantur abundante humore, siquidem innatum calidum assiduè ventilationis egens, non potest integrè conservari. Inficiuntur denique à materia prorsus maligna, venenata & corrupta. Hinc quæcunque causæ possunt exiccare, aut cogere humorem radicalẽ, quæcunque item dissipant, suffocant, aut inficiunt ipsos Spiritus, humoris radicalis comites individuos, eædem sunt intercipiendi ac destruendi innati calidi causæ, ac proinde mortis. Et verò interitus omnis, sive naturalis, sive violentus, ad aliquam ex his causis revocatur. Nam verbi gratia, qui lenta, aut violenta febri, aut igni, aut fame, aut senio intereunt, illi, herclè, moriuntur ex dissipatione & absumtione humoris radicalis, quæ in his subitò & repentè, in illis fit lentiùs. Sic & qui rigidissimo algore pereunt, dici possunt interire propter congelatum, coagulatúmve humorem radicalem. Qui ex ingenti aliquo vulnere, cum insigni hæmorrhagia vel secus pereunt, illi procul dubio extinguuntur propter magnam dissipationem simul & semel factã. Qui strangulantur, aut submerguntur, vel qui ex hydrope, aut ingenti insignique contusione pereunt, eos verè dicimus mori propter suffocatos eosdem spiritus. Postremò, qui ictu morsúve venenato, aut toxico sumpto pereunt, in his maligna spirituum infectio mortem creat. Quod si totum corpus hoc modo interit, innato calido sic affecto, uti suprà diximus, sive penuriâ humoris radicalis, sive etiam inopiâ spirituum eum comitantiũ, haud dubiè quædam illius partes possunt pariter mortificari, ubi similes defectus innato

Quibus de causis humidũ radicale corrumpatur.

Spiritus quomodo afficiãtur.

Exemplũ.

Cap. 3. & 4.

nato calido accidunt. Tum enim necesse est illarum crasin & harmoniam dissolvi, sive subitò, sive sensim. His ita constitutis, dicimus membra sive partes corporis mortificari, seu potius extingui posse ab aliquâ ex his tribus causis. Primò quidem ex vehementi alteratione qualitatis manifestæ, qualis est intemperies calida, frigida, humida & sicca. Deinde ex qualitate occulta, hoc est, materiâ malignâ & virulentâ, sive corpori ingenitâ, sive extrinsecus contractâ. Omninò enim hujusmodi materia totâ suâ substantiâ corrumpit innatum calidum, & spiritus interficit. Tertiò deniq; cùm partes corporis pariter afficiuntur, ex spirituum maximeque vitalium suffocatione, aut interceptione. Atq; hę causæ dum exstinguunt innatum partibus illis calidum, prout sunt magis minùsve violentæ, efficiunt in eis primò Gangrænam: deinde si eis non satis rectè occurratur, aut occurri non possit, Sphacelum. Hæ in universum sunt causæ Gangrænæ & Sphaceli; Clarioris tamen doctrinæ gratiâ tres hasce causas tribus subsequentibus capitibus ordine, & paulò prolixiùs declarabimus.

Causarũ omnium Gãgrænæ brevis enumeratio. I. Causa II. Causa. II. Causa.

CAP. IV.

Prima particularis causa Gangrænæ, alteratio videlicet vehemens ex qualitate manifesta, puta intemperie calida, frigida, humida, & sicca.

SIquidem res omnes, auctore *Galeno*, cõservantur proprio calido temperato & naturali, contrà externo & præter naturam corrumpuntur, utique pars aliqua diuturnâ inflammatioe affecta, per affluxum aut congestionem humoris sanguinei, aut biliosi, desinit tandem in Gangrænam, aut etiam Sphacelum. Nimirum quia humor radicalis à calido extraneo, & præter naturam exsiccatur & absumitur, unde & ipsius tandem innati calidi exstinctio. Usuvenit id quoties phlegmonis temerè adhibentur frigida, & adstringentia, aut etiam emplastrica, à quibus spiritus influentes, ipsumque nutrimentum primò arcentur & repelluntur, ut *Fernelius* & *alii* docent, à parte affectâ: ipsisq; adeò poris eorundem medicamentorum usu constrictis, humores excrementitii parti impinguntur magis, ac veluti inculcantur; Atque ita obruitur præfocaturque quantulumcunque inest innati calidi. Ideoque non immeritò hac de re nos monet divinus *Hippocrates*, inquiens: *Erysipelas, & aliud quodcunq; corporis malum, ab exterioribus & ignobilioribus partibus, verti ad interiora ut ad partes principes & nobiliores, non est bonum, quin vitæ periculum adfert.* Nam quicquid est illorũ humorum à quibus *Erysipelas* nascitur, ad partes principes, ut cor, jecur, cerebrũ propellitur & protruditur. Ab interioribus autem ad exteriora cõverti *Erysipelas*, & aliud quodvis malum interius effusum, bonum est: evocatur enim ad superficiem cutis superfluus & malignus humor. Adstipulatur & *Avicenna*, cùm ait: malignos interdum oriri dolores ex repercutientium usu, ipsumque humorem sæpiùs intrò pelli, unde pars affecta livida & nigricans evadat, denique computrescat. Quicquid enim transpiratione minimè ventilatur, putrescit facilè, teste *Galeno*. Cùm enim phlegmonis antecedens & continens causa sit sanguis calidus & humidus, quantitate aut qualitate peccans, hic alio quovis humore citiùs putrescit & corrùpitur; Si repercutientibus, aut Emplastricis intrò pellitur, aut alioqui retinetur in ima parte affecta: hac ex causa inflammationi plerumque Gangræna succedit. Hìc nonnullorum Chirurgorum ignorantia, qui in magnis inflammationibus frigida sua, & emplastrica cataplasmata, ex farina hordei, bolo Armeno, albumine ovorum, aceto, & similibus frigidis, frigidè applicant, meritò est notanda. His enim calidum innatum non solùm debilitant & imminuunt, verùm etiam ut plurimum extinguunt suffocantque: ita ut Gngræna & Sphacelus necessariò sequantur.

Gal. de simp. med fac. lib. 4. cap. 13.

Gãgræna ex inflammatione Galen. lib citato c. 1. Frigida cur inflammationibus obsint. Causa prima. Fern. Meth. med. lib. 4 cap. 2.

Hipp. Aph lib. 6. aph. 25. Iob. Lygæus in com. aph. 25. lib. 6.

Avic. lib. 4. Fen. 5. tractat. 1. cap. 3.

Cap. ... Lib. d. aqua temp.

Chirurgorum peritorum erron ... tatus

Altera causa, cur ex usu frigidorum medicamentorum in magnis inflammationibus Gangræna sæpissimè consequi soleat, est, quod humidum radicale gelatum, & ineptum ad caloris pabulum factum sit: quemadmodum oleum & pinguedinem frigoris vehementiâ condensari videmus, ut posteà fusiùs declarabimus. Ut autem in inflammationibus adstringentia & emplastrica periculosa, sic & præter modum calida, pinguia item & oleosa. Olei enim & similium pinguium usus nusquam inflammationi, teste *Galeno*, convenit. Arteriâ vulneratâ, cutis superjecta coalescit; Et arteria propter continuum motum, & duplicem ac duriusculam, quâ prædita est, tunicam seriùs agglutinatur, & coalescit, ita extravenatur sanguis, & fit tumor Medicis Aneurysma dictus. Tum sanguis ille extravenatus corrumpitur, auctoque calore putrescit, unde sæpiùs Gangræna & Sphacelus. Id accidit, quoties improvidè Chirurgus tundens brachii Basilicam, non eam modò, sed & arteriam illi subiecam, non eam modò, sed & arteriam illi subiectam pertundit. In sectione itaque hujus venę uti quoque medianæ, adhibenda est diligentia: Basilicæ enim arteria, uti diximus, medianæ verò tendo musculi Bicipitis subjacet. Quare periculosa autem harum partium sit pũctio phlebotomiâ factâ, ex sequentibus apparet exemplis. Anno 1587. Genevensi cuidam à barbitonsore incisâ basilicâ, arteria simul pertusa fuit. Non diu post inflatum, dolore item & inflammatione correptum est brachium. Advocato JOHANNE ANTONIO SARACENO Medico celeberrimo, ac JOH. GRIFFONIO Chirurgo longè ingeniosissimo, inventum est Aneurysma, quod in Gangrænam degeneravit. Renuente verò ægro amputationem brachii, intra paucos dies naturæ satisfecit.

Causa ... Iul. Scal. subr. Cara. Exer. dist.

De ... me... lib. ... An... 12. c. Gã... ex ... rys...

Via ... tab ... mu... lit. & An... Pa... lib. Hi... Ga... ex ... Bu... te... br...

Ante annos aliquot Coloniæ in ædibus *Reymundi Ringolt* pharmacopolæ vigilantissimi, puellæ cujusdam ex domesticis à juvene barbitõsore incisâ medianâ, subjecta cauda musculi bicipitis simul puncta fuit. Hinc statim exortus est dolor vehemens, totius brachii inflammatio, & convulsionis periculum. Ego cum Clarissimo & Doctissimo Viro *Dn. Henrico Bottero* Illustriss. Iuliacensis, & Montens. Ducis, nec non Illustr. Hassiæ Landgravii Doctore Medico ordinario atque Celebertimo, vocatus, illam purgavimus, brachium Anodynis inunximus, & cataplasmata ejusdem intentionis applicavimus, venam in malleo-

Ol...

malleolo incidimus, ita, ut tandem Dei beneficio convaluerit. Hæc ea de causa recensere volui, ut Chirurgus in sectione venarum cautus sit & prudens, ut rectè monuit *Celsus*.

In Articulorum & nervosarum partium vulneribus, & si Chirurgus propter imperitiam, aut negligentiam, vulneris simul & corporis rationem non satis diligentem habuerit, oriuntur dolores maximi, sequiturque inflammatio, inprimis si plenitudo ad vasa, aut ad vires adfuerit. Tandem quoque humor acris, subtilis, & indigestus, quem *Celsus* hydropem & melliceriam, nostrates verò Chirurgi ineptissimo vocabulo Gliedwasser, hoc est, aquam articulorum appellant, & esse arbitrantur, sed falsò, quemadmodum in tractatu nostro peculiari, de hoc affectu scripto fusiùs declaravimus. Effluit autem humor iste aliquando tam copiosè, uti *Langius* testatur, ut pars ita affecta emoriatur, & Sphacelo corripiatur. Insignes contusiones quales ex sclopetorum vulneribus, & aliæ undecunque factæ partium carnosarũ, inprimis, si ossa simul fracta fuerint, non rarò desinũt in Gangrænam & Sphacelum; præsertim verò si longo tempore adstringentibus curentur, uti fit ab imperitis. Cùm enim impeditur digestio, quæ fieri debet medicamentis calidis & humidis, caro contusa, & sanguis coagulatus facilè corrumpuntur; tandemque putrescentes ipsum innatum calidum extinguunt.

Accidit etiam Gangræna infantium pudendis, sive obstetrices, dum ex utero prodeunt, eorum lumbos duriùs attrectaverint, sive in ipso partu nimiùm compressi fuerint. Pudenda enim, ceu mollia & spongiosa, facilè suscipiunt sanguinem contusum ac livescentem, qui inibi corrumpitur, unde dolor & inflammatio, quæ demùm suffocat innatum calidum, id quod non ita pridem mihi apud diversos infantulos videre contigit.

Enormes ustiones interdum excipit Gangræna, vel etiam Sphacelus, quemadmodum accidisse comperi honestissimæ matronæ apud nostrates Hildanos. Illa enim tempore hyemali, quodam die propter domestica negocia defessa, ad focum sedens, & Syncope correpta, in terram, & unâ quidem tibiâ in ipsas prunas cecidit, illamque antequam domestici accurrerent, graviter sibi inussit. At quia hæc matrona obesa valdè & pravis humoribus non parùm onerata fuit, secutus est adfluxus humorum, dolor, inflammatio, & non diu post Gangræna. Illa nihilominus Dei beneficio, & medicamentis à me adhibitis feliciter curata, & in integrum restituta fuit. Quod autem magnæ ustiones interdum in Gangrænam terminantur, hisce fit de causis, primò quia vasa corrugantur ustione, & constringuntur, sicque via obstruitur spiritibus vitalibus, ut nequeant liberè permeare: secundò, quia humor radicalis partis absumitur, & exsiccatur ignis vehementiâ. Cùm enim destituatur innatum calidum humore suo radicali, necesse est partem affectam interire. Est & tertia causa, nempe quod cum empyreuma, tum etiam corrugatio cutis summum accendat dolorem, ac proinde humorum affluxum excitet, quibus in parte affecta incalescentibus, & inflammationem concipientibus, exiccatur humor radicalis, ipsumque innatum calidum suffocatur.

Cap. 4.

Gingivarum inflammatio maximè in infantibus, in gangrænam interdum degenerat: partim propter abundantem oris illorum humiditatem; partim, quòd non possint ad justam morbi necessitatem medicamenta apponi. Morbus enim magnus, vehemens, & peracutus, magna quoque requirit remedia: sed quis illa in ore adhibere ausus? Accedit & alia difficultas, nimirum, quòd magna illa abundantia salivæ medicamenta protinus abluantur. Hujusmodi Gangrænas non solum in Scorbuto, verum etiam aliis oris affectibus, & præsertim inflammationibus gingivarum laborantibus, me vidisse memini.

Gagræna gingivarum.

Hipp. l. 1. aphor. 6.

Inflammationes quoque internæ non rarò desinunt in Gangrænam & Sphacelum: cujusmodi vidimus in ipsis etiam cerebri membranis, ut patet ex sequenti historia. Fusis apud Delphinates Helvetiis Anno 1587. quendam ex eo numero curavi, robustum juvenem, bono habitu, ac capite sauciatum, hunc in modum. Ensis Helvetici ictu secta illi fuerat pars ossis parietalis, circiter palmam lata: hæc autem cuti musculosæ adhæserat, suoque loco erat reddita: quin & sanguinis & pilorum interventu concreverat veluti crusta, quæ totam illam partem contegens, impedierat, quo minùs ulla materia sex diebus totis ab accepto vulnere promanaret. Porrò abrasis crinibus apertoque vulnere, inventa est inter partem ossis separati, & duram matrem, plurima materies graveolens, simul & ossium tenuia aliquot fragmenta; prætereaque, quòd majus est, vermes grandiusculi quatuor aut quinque. Insuper & dura mater denigrata & infecta erat putredine, tam diu insidente. Æger nihilominus convaluit, Clarissimi *Iani Antonij Sarazeni M. D.* Consilio, & *Ioh. Griffonij* Chirurgi longè peritissimi operâ atque industriâ: quibus & ego interfui.

Gangræna internarum partium.

Memorabilis historia de vulnere capitis.

Uxor Iudicis Obertadensis ad Coloniam 24. annis scirrho hepatis laborans, tam multa subinde adhibuit emollientia, ut tandem inflammatione, deinde etiam abscessu maximo in hepate facto, abdominis musculi & cutis labem, ac demùm etiam exulcerationem senserit. Adhibitus in consilium cum Domino *Arnoldo Manlio* Medicæ facultatis in Coloniensi Academia Professore primario, deprehendi maximum tumorem in heparis regione, paulò ante ruptum, quàm advenissemus, cum tanto fœtore, ut nihil suprà. Inibi excitatum est ulcus ingens, ex quo plurima materies sanguinolenta, subtilis & graveolentissima, simulque plures omenti particulæ, ut & hepatis loborum, planè sideratæ: unde paucis post diebus obiit. Ex quibus perspicuũ fit, scirrhosis tumoribus emollientia non esse adhibenda, quemadmodum *Galenus* de simpl. Medic. facultat. lib. 5. cap. 1. rectè monuit. Nec solùm scirrhosi tumores internarum, verùm etiam externarum partium, ex usu emollientium exasperantur, & in cancros convertuntur, ut in meis Observationibus variis exemplis demonstratur.

Gangræna in hepate.

Cap. 4.

Gangræna ex urinæ suppressione.

Filio meo septenni accidit magna ex cerebro defluxio in ureteres: unde urinæ obstructio tanta, ut ne guttula quidem permeare posset, & quantumvis ritè variis adhibitis remediis, sextâ die obierit. Inciso apertoque abdomine coram Clarissimo *Ioh. Slotano* M. D. inventi sunt renes cum vicinis partibus inflammati, & Gangrænâ correpti. Cæterùm cum hîc de inflammatione renum sermo sit, sequentem casum exoticum, qui mihi à Clarissimo Domino *D. Bartholomæo Mercklino* Medico Palatino & Laugingano longè celeberrimo, & amico meo singulari studio observando, per epistolam communicatus fuit, in gratiam Studiosorum rerum rararum hîc inserere visum est. *Renum*, inquit, *frusta, pollicis magnitudine, per virgam maximo tormento & dolore excreta vidi in Archimagiro Dillingano, Seitz dicto, Anno 1593. tandem tamen 14. Iulij mortuo. Testes oculati sunt hæredes, inprimis Cheirurgus peritissimus* Dn. Michaël Berchtoldus *Dillinganus, qui perpetuò ipsi adstitit.* Hactenus Mercklinus.

Renum frusta cū urina excreta.

Gangræna intestinorum.

Nobilis quidam sexagenarius Dysentericus, cùm quinta die morbi vitam cum morte commutasset, & venter ipsius à *Dn. Claudio Chapusio* Cheirurgo celeberrimo apertus fuisset; intestina undique Gangrænosa reperta fuêre, procul dubio propter ingentem inflammationem. Historiam hanc ipsemet *Dn. Chapusius* ad me scripsit Anno 1615. die 25. Februarij. Aperui olim corpora ex Iliaca passione defunctorum, in quibus omentum & intestina tota Sphacelo tenebantur: ex his fœtor gravissimus vetuit penitiùs morbi causam. Breviter; nulli non corporis parti Gangræna potest accidere. Biliosis quoque inflammationibus, utpote Erysipelati aliquando succedit Gangræna: sed inprimis quando frigidis adstringentibus, & emplastricis medicamentis calor ille adventitius intrò repellitur. Hinc extincto calore nativo, & absumpto humido radicali, emoritur pars ita affecta. Pinguia quoque & oleosa, ut Galenus testatur, hîc minimè ex usu esse debent, ut antea quoque monuimus.

Gangræna ex Iliaca passione orta.

Gangræna ex intemperie calida & sicca.

Gangræna ex frigore.

Hactenus de Gangræna ex intemperie calidâ: nunc de iis, quæ ex altera activa intemperie, nempe frigidâ oriuntur, agendum. Talis ea est, qualis qua sæpè extremæ partes corripiuntur, dum summa vi frigoris humor radicalis & spiritus adeò frigescunt, ut cogantur atque concrescant, quomodo pinguedo, oleum, & ipsa aqua frigore densantur & congelantur. Humore radicali sic indurato, calido innato suum deficit alimentum: adde quod externum frigus spiritus devios ad interiora pellit. Tum verò natura novos spiritus, parti affectæ subsidiarios mittit, qui quidem malè compositam partis harmoniam nacti, illicò ad suam originem recurrunt: atque ita pars affecta calido proprio destituta interit. Idem usu venit hyeme iter facientibus per nivem, glaciem, & aquam frigidam; maximè in regionibus algidis, Alpibus inquam, Islandia, Norvegia, Livonia, & cæteris Septentrionalibus, quippe iis in locis frequens, ut *Olaus Magnus* & alij testantur, hyeme mortuorum ex frigore occursus. Plurimis extrema concidunt aurium, narium & digitorum.

Iul. C. Scaliger loco antea citato.

Hîc memini, me Anno 1588. mense Decembri cum Clarissimo, & longè celeberrimo Viro Dn. Jano Antonio Saraceno Medico Regio, curasse Comitem Mansfeldium, cui Gangræna ex frigore utrumque pedem invaserat; unde & digiti aliquot perierunt: attamen brevi persanatus est. Curabam quoque tum temporis supra quinquaginta Equites & milites Germanos, hoc ipso morbo, ex eadem causa contracto, laborantes: ex quibus complures restituti, nec tamen sine tibiarum aut pedum, manuumve detrimento. Eo tempore (proh dolor!) dissipatas magnas illas Germanorum nostrorum in Gallia copias, hostis in Sabaudiam usque ita persequebatur, ut pleriq; miseri è natatis amnibus, aliisque locis nivosis superatis, vitam fugâ redimere cogerentur. Eadem ex causa paulò post obierunt plurimi Lipothymia, Syncope ac sudoribus frigidissimis; alii verò Gangræna & Sphacelo correpti. Hos interim boni Genevenses (quod commemorare juvat) benignè & Christianè amplexi sunt, nonnullos Xenodochio suo, alios privatis ædibus excipientes, iisque liberaliter Medicos & Chirurgos suos adhibentes, ac inter cæteros præstantissimos Viros, Janum Antonium Saracenum Med. Doct. & Johannem Griffonium Chirurgum longè præstantissimum: Sed & plerisque sanitati restitutis, & in patriam remigrantibus suppeditavere tum pecuniam, tum etiam vestimenta, quoniam spoliati nudatique venerant.

Medicamenta Narcotica, velut Opium, Cicuta, Hyoscíamus, Mandragora, temerè inflammationibus adhibita, videntur cogere humorem radicalem, ipsumque adeò innatum calidum extinguere, quod & ipsius aquæ frigore usu venire observavi. Siquidem Anno 1591. sub Canicula Hildenæ in patria puella, Sophia nomine, laborans febri continuâ, eâque ardentissima, dum die Critico sudore & calore summo æstuat, deducitur ab imperita quadam fœmina è lecto ad puteū: hinc haustâ situlâ frigidissimæ (qualis est ferè puteorum id temporis) immersisque manibus ad frigus captandum, statim exortus est dolor, quâcunque aqua attigerat, cum tumore, cui paulatim successit livor. Propinqui neglectis remediis initiò salutaribus, post octavum demùm diem, me consuluêre: tum deprehendi dextram puellæ ad carpum usque vesicis lividis extuberantem, extrema digitorum arida, & ferè syderata: adhibitis tamen scarificationibus aliisque idoneis remediis tantum effeci, DEO sic favente, ut tota propemodum manus conservata fuerit, exceptâ primâ digitorum articulatione. Altera verò manus initio quidem tumore doloreque affecta fuerat, sed postmodum omnem malignitatem in dextram quasi deposuerat. Vixit puella usque ad añum 1607. mensem Augustū: obiit peste Hildenæ apud Rev. Virum *Dn. Ioh Klée Sleidanum*, ejus loci verbi divini Ministrum fidelissimum, cujus per annum integrum fuerat ancilla. Is mihi affirmavit, illam omnia opificia rusticana quàm optimè & absque impedimento peragere, imò & nere potuisse.

Etsi qualitas humida patiens potiùs est, quàm agens: tamen (ut supra cap. 3. attigi) spiritus insiti humorque radicalis, & cum his innatum

tum calidum, possunt ab ea suffocari. Itaque quoties pars aliqua corporis, ac potissimum tibiæ, & pudenda insigni aliqua intemperie frigidâ & humidâ, eaque diuturna, conflictantur, facilè possunt Gangrænâ & Sphacelo prehendi. Verùm hæc Gangrænæ species vix aliis accidit, quàm qui diutiùs morbo aliquo laboraverint, velut hydrope aut alio quopiam gravissimo partium internarum affectu. Neque verò existimandum, solam per se id genus intemperiem, partem extimam occupantem, inibi Gangrænam efficere: at præcipua causa innati calidi, spirituum item & alimenti penuriæ adscribenda. Ista enim morbi diuturnitate & acerbitate plurimùm imminuuntur, maxime in partibus intimis, & organicis; adeò ut partes remotas iis tandem destitutas necesse sit interire, ut sæpiùs hydropicis accidisse memini; præcipuè si adfuerit scirhosus tumor in hepate. *Is enim*, ut rectè docet Valleriola, *Vasa delationis sanguinis occludit, ita ut sanguis bonus ad partes inferiores deferri minimè possit. Vnde fit tandem, ut insigniter refrigerata parte Gangræna enascatur.*

Sic & pudenda cùm sint vicina hepatis emunctoriis, prætereaque suapte natura, rara & mollia, facilè imbuuntur humoribus serosis, quibus redundantibus suffocatur innatum calidũ, haud secùs, ut exigua flamma aquâ copiosâ injecta facilè restinguitur. Quod si quis imperitus admoverit Emplastrica, ut fit interdum, tantò citiùs accidit ipsa suffocatio.

Ex eadem causa Gangræna in ore infantiũ oritur, quotiescunque humor serosus ex capite copiosè extillat, & gingivas palatumq; occupat, uti accidit iis, qui cerebrum præter modũ humidum habent, aut hydrocephalo tenentur.

Etsi sicca difficilè corrumpuntur, est tamen Gangrænæ species, quæ non nisi ad intemperiem siccam revocari potest: & nihil est aliud, quàm absumptio humoris radicalis atque exsiccatio, & quasi marcor venarum & arteriarum, ex eo contigens, quod nullum accipiant à partibus organicis sanguinem: hinc enim fit, ut cùm innatum calidum, & spiritus insiti non alantur & foveantur ampliùs sanguine naturali & vitali, nececesse sit partem sensim emori, quomodo lucerna oleo aut ignis ligno deficiente restinguitur. Hæc Gangræna solis corporis extremis partibus videtur accidere, præsertim digitis, tibiis, & pedibus eorum, qui morborum vi extenuantur, & contabescunt; verbi gratiâ, febriũ tam acutarum, quàm diuturnarum, atrophiæ, phthiseos, & similium internorum affectuum. Idem senio, aut longâ diuturnaq; fame confectis evenit. Nam & his partes intimæ, & organicæ cùm extremis sufficientem sanguinẽ & spiritus suppeditare nequeant, non vasa modò, sed & ipsas integras partes exiccari necessum est. Sed & partibus destitutis humore radicali innatoq; calido, sensim accenditur calor præter naturam, qui quidem eas corrumpit & putrefacit.

Majorum item articulationum, puta scapularum aut coxendicum luxationibus (sive à causa externa & violenta, sive ratione affluxus humidorum & viscosorum humorum fuerint) malè restitutis, sequitur atrophia, & macies brachii, aut tibiæ: cùm quia mucoris copia frigiditate sua obstructionem parit, atque adeò impedit, ne nutrimentum illuc deferatur, tum etjam, quòd caput ossis suo loco motum comprimat ipsa vasa, prohibeatque, quò minùs sanguis & spiritus ad partes subjectas deferantur, unde atrophia. Quod si hujusmodi ægri ad senilem ætatem pervenerint, aut longiori morbo conflictentur, tandem ferè in Gangrænæ discrimen incurrunt. Idem accidit obstructâ venâ cavâ, ut ante aliquot annos observavi. Quidam alioqui bono temperamento præditus, & ætate integra, incidit in Gangrænam utriusque tibiæ, latente causa, nisi quod antea tibiæ & pedes assiduè frigebant, ingravescebant, & quasi stupore tenebantur. Ut ut sit, illi supervenit Gangræna, nulla præcedente febri, aut causâ externâ: ita paulò post obiit, oborto ad usque genua Sphacelo. Aperto cadavere, invenimus tumorem scirrhosum circa venam cavam descendentem, nempe intra renes, ubi hæc vena ad utramque tibiam bifurcatur. Scirrhus in magnitudinem auctus, ita constrinxerat venam cavam & arteriam, descendentes, ut nullus sanguis ad crura nutrienda & vivificanda permeare posset. Hæ igitur duæ posteriores Gangrænæ species possunt quoque ad spirituum interceptionem, ceu causam referri. Brevitati studens taceo cætera similis Gangrænæ exempla, quæ habeo. Ex superiorib[us] autẽ omnibus colligo omnẽ intemperiẽ posse esse causam Gangrænæ: nec ita tamẽ, ut omnis intẽperies necessariò in Gangrænam degeneret, sed ea tantùm, quæ & vehemens est, & diuturna, aut contra artis præcepta tractatur.

Cap. 4. & 5. Hipp. lib. 6 Aph. 60.

Observat.

Cap. V.

Secunda particularis causa Gangrænæ, nempe alteratio vehemens ex qualitate occulta.

Suprà de Gangrænis, quæ oriuntur ex qualitate manifesta, hoc est, ex in temperie aut calida, aut frigida, aut humida, aut sicca: sub quibus etiam compositas complectimur; quando rarò sola & simplex intemperies occurrit, ut annotat *Galenus*. Nunc tradenda est altera causa, qualitas videlicet occulta, ideò sic dicta, quod non agat in corpore calefactione, refrigeratione, humectatione, aut exsicatione manifesta, quemadmodum superiores intemperies, sed modo quodam occulto, & mentibus nostris imperuestigabili, subitò corrumpat corporum substantiam, ut fit in Gangrænis compluribus. Unde intelligimus, quàm sapienter *Hippocrates* divinum quiddam inesse morbis pluribus, dixerit. Quamvis autem in Gangræna à medicamentis septicis, aut à morsu ictúve venenato, potest plerumque notari causa aliqua manifesta, nempe intemperies: est tamen præterea quiddam aliud peculiare, & supra naturam ac mentes humanas quod vel mediocriter in Chirurgia excercitatis licet animadvertete: Quib[us] optimè cognitũ est, quàm sævissima symptomata ex minima portione Arsenici, aut Mercurii sublimati, vix granum hordei adæquante, ulceri alicui in crure, pedibus, manibus, aut digitis imposita,

Gal. de inæquali intemperie.

Prædictiion. lib. 1. Gal. com. 1. prædiction. Hip.

De malignitate Arsenici.

Cap. 5.

posita, non rarò suboriri, omnesq; partes corporis, inprimis principes, commovere atque alterare soleant. Ita enim partes nobiles petit, ut in cerebro delirium, in corde lipothymiam excitet: calefactâ deinde à venenosa ipsius quatate massâ sanguinis, intemperies calida in toto corpore & Febris, quin etiam nausea & cibi fastidium, eructationes, aliaque symptomata suboriuntur, ut *capite* 13. fusiùs declarabimus.

Materia venenata aut in corpore innascitur, aut extrinsecus illi accedit. Ioh. Fernel de abdit. rer. caus. lib. 2 cap. 25. Observat. de Gangr. ex qualitate occulta.

Porrò materia hujusmodi malignitate comitata, aut corpori innascitur, aut extrinsecus advenit, ex morsu actúve virulenti animalis, aut ex adhibitis septicis. Ingenita causa dici potest, verbi gratiâ, cùm grumus aliquis sanguinis extravenatus, aut alia quævis materia corruptione tantam venenositatem & malignitatem adsciscit; ut postea, si naturæ vires tulerint, in extremitates excussa & translata, inibi suffocet innatum calidum, adeoq; brevi partes eas perdat atque corrumpat. Tale quid observavi in rustica puella, ad Dusseldorpium. Huic enim peste antea conflictatæ, cùm persanata videretur ab omnibus suis symptomatibus, puta bubonibus, carbunculis, febri, &c. subitò tantus exortus est dolor in utriusq; pedis digitis, ut syderati fuerint ilicò; adeoq; ad ultimam usque articulationem amputandi fuerint. Quo facto, & adhibitis remediis, tãdem convaluit. Verisimile, reliquam illi fuisse à pestilentia materiam quampiam malignam, quam velut per crisin natura in extremitates excusserit.

Idem vidimus in morbis minùs malignis, ut in Variolis, naturâ criticè exonerante materiam penitùs malignam in extremitates & articulos: unde & ipsa ossa cariosa evaserant. Hujus rei exemplum singulare videre licet Observ. mearum Chirurgicarum 80. Centuriæ primæ. Vidi in sævissima pestilentia, queNovisiamGermaniæ, & quidem Archiepiscopatus Coloniensis Oppidum infestavit, aliquot Anthraces, qui, si quam partem carnosam invaserant, uti clunes, femora, scapulas, mammas, muliebres, ejus bonam partem intra horas 24. ita stupefacerent primùm, ac deinde etiam planè corrumperent, ut tandem pars tota excideret. Age, quis valeat tantæ malignitatis causam reddere? Et verò omnes pestilentes carbunculi, quoniam momento partis, quam occupant, nativum calorem extinguunt, malignitatem abditam & occultam, quæ totâ substantiâ agit, in sese continent. Nonnunquam in fine morbi alicujus acuti materia quædam venenosa & maligna ad pedem descendit, ibique calorem innatum extinguit, harmoniam partis destruit, & Gangrænam inducit, cujus rei exemplum mihi communicavit Clarissimus & doctissimus Vir Dn. Janus de Burgo, Medicus celeberrimus, uti lector videre poterit. *Observat. 3. Cent. 3.*

Observat. de peste gravissima Novisiensi.

Observat.

Anno 1587. Nobili cuidam Orbati Helvetiorum Dn. Johanni Tomaceto, Viro Genere & Virtute, inprimis verò pietate verè Nobili, & mihi familiari, idem accidisse memini. Is enim, cùm ex febre continua & acuta curatus esset, & paulatim vires suas recolligeret, post duos menses dolore acutissimo in ipsa planta pedis sinistri correptus fuit, cui mox inflammatio, Gangræna, & Sphacelus sequebantur. Dn. Jacobo Auberto, & Dn. Abrahamo Marello, apud Lausanenses Medicinæ Doctoribus longè celeberrimis, in consilium adhibitis, & ad poplitem amputato crure, brevi convaluit, & ad hunc usque annum 1616. optima valetudine fruitur. Ex ligno autem grallam in formam cruris tam elegantem effingi atque fabricari curavit, ut ab altero crure vix discerni possit, tibialibus enim & caligis grallam illam quoque induit, imò & ocreis quando equum conscendere animus est. Post Dysenteriam puero cuidam idem accidisse, lector in 4. Centuria Observationum nostrarum videre poterit.

Ad hanc quoque causam revocanda Gangræna ex morsu & ictu bestiarum venenatarum. Quanquam enim quarundam venenum est calidum, puta viperæ & pastinacæ Marinæ, quippe quod calidam intemperiem istæ parti imprimat: aliarum verò frigidum, proindeq; sanguinem in venis congelans, uti Scorpii & Aspidis venenum, habent tamen particularem quandam & occultam vim putrefaciendorum humorum, & inficiendorum spirituum. Idem constat ex rabidi canis morsu. Equi & leonis morsus nonnullis venenatus creditur, ob gravissima, quæ ciet, symptomata: sed dixerim potiùs has belluas ceu longè robustissimas, vi sua contundere, & contere musculos, venas ac nervos, imò & ipsa ossa interdum: unde acutissimus dolor & inflammatio, ac tandem Gangræna & Sphacelus, ex vehementissima (uti credo) contusione, non quod venenum ullum latere comperiatur. Si enim morsus horum animalium per se venenosi essent, tùm parva vulnera, nõ minùs ac magna, essent periculosa, quemadmodum in morsu canis rabidi fieri videmus; ubi minimum quidem vulnus, si neglectum fuerit, mortem infert. Contrà verò in prædictorum animalium morsibus, vulnera ingentia, præcipuè ubi ossa simul sunt fracta, tantummodò periculosa, exitiosaque esse, & aliquãdo in Gangrænam degenerare, experientia testatur: idque præcipuè si fracturæ nimis arctè ligatæ fuerint, ut sequens historia fidem facit. Cuidam in Belgio brachium ab Equo morsum fuit, cum maxima contusione, & ossium fractione. Fractura à barbitonsore repositâ & arctè nimis ligatâ, post paucos dies brachium inflammatione & Gangrænâ correptum fuit, ut in nostris Observationibus fusiùs declaravimus.

Luporum morsus venenatos tradit *Carolus Stephanus* in venatione luporum, quia quæ momorderint animantia ægrè sanentur, ac sæpenumero demorsæ partes computrescant. Hanc opinionem etsi aliàs in dubium vocaverim, rationi tamen consentaneam esse, & morsus hujus feræ aliquid venenosi vulneri inprimere, ac post se relinquere, ante annos aliquot experientia me edocuit, quemadmodum in quarta Centuria Observationum mearũ exemplo quodam memorabili demonstrabo. Deinde septica inprimis, Arsenicum,

cum, Sandaracha, Asiæ petreæ flos, aqua fortis, ol. vitrioli, & hujusmodi, temerè admota locis calidis & humidis, verbi gratiâ, ori, emunctoriis, pudendis, & infantium carni molliculæ, fœminarum itidem & eorum, qui in otio degunt, aut sedentariam vitam agunt, creant interdum Gangrænam & Sphacelum. His enim occulta vis ex tota sui substantia liquandæ & putrefaciendæ carnis, cujus vapor dum ad partes principes fertur, spiritus inficit. Memini, ut antea quoq; monui, cùm vix granum Arsenici, quantumvis aliorum mistione correctum, applicatum esset ulceri tibiæ, subinde accidisse deliquia, Syncopen, febrim, delirium, & inquietem, ex quibus symptomatis facilè erat cōjicere, tres partes corporis primarias, cerebrū, cor & jecur labem aliquam sensisse, transmisâ nimirùm Pharmaci malignitate per arterias, venas & nervos. Sic mihi retulit Clarissimus Dn. Janus Antonius Sarazenus Medicus Regius, Genevæ intra paucos dies sublatum robustissimum Helvetium, cui, cùm tumore cancroso ad carpum laboraret, Chirurgus quidam alioqui doctus, & in arte sua versatus, pulverem ad cancrum, qui recipiebat Arsenici tantillum, quoque aliàs in ulceribus putridis & malignis, non tamen cancrosis, feliciter usus, adhibuerat. Liquefactâ enim, & putrefactâ carne vi arsenici, venenum simul & vapores putridi & maligni à carne liquata & putrida per arteriam, quæ in carpo est, ad cor adscendere facilè potuerunt. Monitos etenim velim Chirurgos, ne hujusmodi medicamentis septicis & venenosis, nisi summa cum prudentia & moderatione utantur.

Cap. VI.

Tertia & ultima causa particularis Gangrænæ, nimirum interceptio spirituum.

Tertia & ultima causa particularis Gangrænæ est interceptio spirituum, sanguinis & alimenti, quoties videlicet arteriæ ac venæ quacunque ex causa obstruuntur, ita quidem, ut spiritus illi & sanguis nequeant permeare, fovendo partium humori radicali, & innato calido; unde necesse sit eas interire. Tale quid nimium frequenter accidit, dum Empirici, & cæteri improvidi homines, arctiùs luxatos artus ossáve fracta constringunt. Sic enim dupliciter peccant: Primò, quia majore copia, quàm par sit, sanguis & reliqui humores ad locum affectum attrahuntur, quemadmodum videre licet in venarum sectione, nisi enim arcta atque stricta ligatura injecta fuerit, sanguis vix adfluet effluétque. Secundò constringuntur vasa, puto venæ & arteriæ inprimis per istam ligaturam, hinc fit, quòd nihil humoris aut sanguinis in partem affectam influere aut effluere possit. Necesse itaque est, ut sanguis, sive extravenatus, sive quovis alio modo corruptus, aut alteratus fuerit, in parte affecta inclusus atque incarceratus, remanere cogatur. Ideò *Hippocrates* aliique veteres non solùm vetant, in his curationibus tam arctis vinculis fasciisve constringere partem affectam, sed & ferulas ante septimum aut undecimum diem apponere. Hoc tempore enim dislocationes & fracturæ ossium, affluxu humorum, dolore, inflammatione, aliisque symytomatis inprimis sunt obnoxiæ. Prohibetur quoque spirituum & alimenti ad partem quampiam læsam transitus, quoties luxata pars superior perperam restituta est. Tum enim os, quod ex sua sede naturali excidit, vasa veluti venas & arterias comprimit, impeditque, quò minus spiritus vitalis, sanguis item pro nutritione permeare possint, sequiturque atrophia, extenuatio, ac sæpissimè Gangræna, atque mortificatio. Idem accidit quotiescunque scirrhosi tumores circa vasa magna indurescunt, eaque vasa constringunt. Multò verò faciliùs pars aliqua Gangrænâ atque Sphacelo corripitur, si vas aliquod insigne, veluti arteria, aut vena, per transversum abscissum fuerit. Immoderato quoque usu adstringentium, quæ practicis Defensiva dicuntur, interdum adeò constringuntur vasa, ut inhibeantur, arceantúrque spiritus & alimentum; refrigeranturque simul & semel insiti parti affectæ spiritus, ut elanguida tandem fiat, & sæpè occupetur Gangrænâ & Sphacelo.

Gal. meth med. lib. 6 Paulus Aegin. lib. 6. c. 102.

Hipp. l. 6. aphor. 60. Gub. Fallop. de tumoribus cap. 26.

Gangræna ex immoderato usu defensivorum.

Ex interceptione spirituum animalium *Avicenna* Gangrænam oriri statuit. Hunc sequuti neotericorum nonnulli, Gangrænam paralyticorum ex interceptione spiritus animalis provenire arbitrantur. Verùm Gangrænam hanc ex interceptione spiritus animalis simpliciter non fieri, in ipsis paralyticis apparet, quos indies videmus paralysi corripi, ac per multos annos laborare, Gangrænam tamen inde non subsequi. Gangrænam enim & Spacelum ex alimenti, & spirituum vitalium penuria, interceptione, corruptione, suffocatione, &c. fieri, luce meridiana clarius est: At alimentum hoc, & spiritus vitalis, à corde & hepate per arterias & venas, non autem à cerebro per nervos partibus influit. Potest itaque pars aliqua corporis vivere, & calore suo naturali prædita esse, interim tamen sensu, & motu, aut utroque carere; quemadmodum in paralysi fieri cernimus. Quomodo autem in paralyticis fiant Gangræna & Sphacelus, ex sequenti observatione facilè colligere licet: quæ etsi in Observationibus nostris commemorata fuit; non erit tamen contra scopum, si eam hîc summatim recensuero. Jurgen von Bonsuel vir robustus, altitudine sedecim pedum in terram cadens, paralysi ab umbilico ad pedes ipso momento correptus fuit. Ego tertio die morbi vocatus, invenio ipsum maximis doloribus ventris affectum, quòd à principio morbi neque urinam neque alvum exonerasset. Exhibitis suppositoriis & clisteribus, urinam reddidit, & alvum exoneravit, dolor cessavit, sed urina guttatim exstillavit, nec excrementa retinere potuit. Ego ex consilio D. *Cosmi Slotani* Illustrissimi Clivensium, Iuliacensium Montensium, &c. Principis Archichirurgi illam, quam potui, diligētiam adhibui: nihilominus tandem Gangræna nates invasit, quas necesse fuit dissecari, ita ut 25. die à morbo contracto è vita discesserit. Causam autem hujus Gangrænæ non paralysin, sed decubitum, & exstillatio-

Gāgræna ex interceptione spirituum animaliū. lib. 4. fen. 3. tr. 1. c. 25

Observ. 3. Cent. 1.

Cap. 6.

stillationem urinæ fuisse, rationi consentaneum est. Urina enim, quæ guttatim effluebat, & quæ propter decubitum in dorsum excalefacta & acris reddita fuit, cutem exulceravit, hinc secuta est inflammatio, atque affluxus humorum. At quia corpus à lumbis usque ad pedes, suo spiritu animali, ac proinde facultate sentiendi destitutum erat, redditum fuit grave & immobile, hinc propter decubitum in dorsum, & molem corporis, nates continuò compressæ, excalefactæ & ab urina & excrementis humectatæ fuerunt, inde Gangræna & Sphalcelus; quod mirum nemini videri debet. Vidimus enim sæpissimè in diuturnis morbis, coccygem non solùm ulcerari, verùm etiam Gangrænâ corripi, ut *Observatione 3. centur. 1.* fusiùs, etque exemplo declaravimus.

Gãgrana ex hernia intestinorum.

In Enterocele sive hernia intestinorum fit quoque Gangræna, interceptis spiritibus & nutrimento, cùm intestini pars aliquantisper intra scrotum continetur, quæ flatuum & excrementorum copia plurimùm distenditur, in ipsis autem rupti peritonæi relaxati angustiis ita arctè comprimitur, ut spiritus & alimentum intercludantur; sic enim necesse locum Gangrænâ & Sphacelo prehendi, quemadmodum sæpissimè mihi videre contigit, præcipuè in Nobili matrona Margarita de Gleresse, quæ septendecim annorum spatio insigni hernia laboraverat, Anno 1597. verò torminibus maximis correpta, intestinum in abdominis relaxationem cum doloribus maximis, inflammatione, febre aliisque gravissimis Symptomatibus impulsum est. Ego tandem vocatus, inveni dextrum inguen Gangræna affectum: adhibitis tamen remediis convenientibus, caro putrida, & callositas rupturæ exciderunt. Excrementa quoque intestinorum per ulcus excernebantur circiter menses duos; ægra tamen divino favore, mirantibus adstantibus, tum ab ulcere, tum etiam à ruptura optimè sanata fuit, nullâ relictâ fistulâ, ut *Obs. 55. Cent. 1.* declaravimus. Recensuimus & alia exempla *Observ. 72. ejusdem Cent.* quæ Lector ibi videre poterit.

Observat.

Corripit & talum Gangræna, qualem nuper observavimus in Ornatissimo Viro Dn. *Henrico Balbani.* Quoties enim propter fracturam, vulnus ulcusque tibiæ pes diutiùs erectus insistit talo, inde talus contunditur & comprimitur, atque ex ista contusione & compressione, tandem oritur primò inflammatio, dolor, & affluxus humorum; secundò comprimuntur ex ista situatione tibiæ, venæ atque arteriæ, quæ ipsum crus & tibiæ pulpam decurrunt, ita ut spiritus & sanguis nequeant liberè ad talum penetrare. Huc quoque facit assidua tibiæ extensio, per quam distensis etiam vasis innatum calidum, & sanguis nequeunt descendere in partem affectam, unde tandem ea frigescit & interit. Eâ porrò distensione vasorum posse frigescere partem affectam ex eo intelligitur, quod equitando per frigidam tempestatem, si pedes diutiùs intra fulcra pedum equestria contineantur, frigent impensissimè: sin extra fulcra propendeant, per se ocyus incalescũt Sanguis enim & calor nativus patentibus ipsis vasis, illicò ad pedes recurrunt, Videat itaque Chirurgus, ne tibias cõfractas aut vulneratas diutiùs talo insistere permittat; sed nunc in hanc nũc in illam partem disponat.

Nota de extensione tibiarum fractarum.

CAP. VII.

Signa Gangrænæ ex intemperie.

VErissima est sẽtentia ab *Hippocrate* prolata: Medicus si quidem suffecerit ad cognoscẽdum, sufficiet etiam ad sanandum. Tanta enim cognitionis morbi est necessitas, ut sine ea methodica curatio institui non possit. Si enim prima curandi indicatio à morbi natura sumenda, Medicus ut morbi notitiam habeat, necessariò sequitur: id quod passim *Galenus* in libris meth. med. aliisque in locis fusiùs demonstrat. Quicunque verò Medici aut Chirurgi in hac parte Medicinæ non satis sunt edocti, atq; exercitati, multos gravissimosque circa ægros committunt errores, ut in observationibus nostris de quibusdã Chirurgis, qui tumorem cancrosum à Phlegmate, & cicatricẽ ad pupillam cum ungula non distinguebant, aut potiùs inter se non cognoscebant, annotavimus. Sic accidit D. *Eliæ Banqueto*, Paterniacensi Senatori, is inflammatione hepatis cum maximis doloribus & torminibus ventris correptus, incidit in manus pharmacopolæ, qui eum colicâ laborare arbitrabatur, quapropter furfures avenamque in sartagine calefactam, & in sacculum projectam loco dolenti applicuit: hinc dolores, febris, vigiliæ, aliaq; symptomata adeò aucta sunt, ut de vita periclitaretur. Quibus verò remediis Dei singulari beneficio sanatus sit, lector *ex 2, centur. observat. 48. Chirurgic.* videre poterit. Recensere hasce historias breviter visum est, ut iis tyrones ad studiũ Simejoticum invitarem. Ut itaque hujus tam magni tamque gravissimi morbi Chirurgus pleniorem notitiam habeat, signa ordine recensebimus & quidem à Gangræna ex intemperie calida, ut quæ omnium est frequẽtissima, incipiemus.

Signa autem Gangrænæ ex inflammatione sive intẽperie calida sunt hæc: dolor pulsans, qui præcessit cum inflamatione, multo remissior est; Mutaturq; rubicundus inflammationis color in pallidum, fuscum, & livescentem. Exoriuntur & pustulæ grandiores plenæ ichore, loturæ carnium simili. Hæc autem omnia contingunt, quod locus affectus tendat ad mortificationem, sanguisque & calor partim recurrant ad centrum & originem suam, cor & jecur, partim corrumpantur. Inde enim pallor in parte affecta, remittitque dolor pulsatilis, qui ante extitit, ex elevatis propter conflictum innati calidi cum calido, præter naturam vaporibus humorum putrescere incipientium. Nisi verò superetur præsenti remedio morbus, revocato innato calido ad partem affectam, & expulso eo calore, qui est præter naturam, evacuatisque simul & semel humoribus jam corruptis, tum quoque desinit arteriarum pulsus, quia spiritus non transmittitur, aut si transmittitur, invenit partem tam malè affectã, ut ab ea recipi nequeat. Sic deficiente spiritu vitali, pars oppletur excrementis & humoribus, unde ea mollescit & relaxatur, atq; adeò si comprimas, remanet impressum vestigium, ceu à compresso

presso œdemate; Quod tamen vestigium difficulter, & nonnisi tractu temporis propter spirituum & caloris nativi penuriam in altum elevatur. Denique sensus nervorum minuitur, ut tandem secari, vellicari & uri possit locus, absque ægroti sensu, aut perceptione distincta. Hujusmodi res accidit Nobili fœminæ Coloniensi, cujus tibiæ Gangrænâ affectę tria aut quatuor cauteria actualia applicui, corã Clarissimis Medicinæ Doctoribus D. D. Heinrice Bottero Illustrissimi Pricipis Juliacensis, Clivensis, Montensis, &c. & Illustr. Landgravii Medico, & D. D. Joh. Kuenio Bridbachio. Tantum verò abest, ut conquereretur de cauteriorum ustione, ut contra subinde exprobraret, à nobis applicatam nivem, glaciem aut frigidissimum quippiam; Erat enim tempore hyemali. Hæc privatio sensus non Gangrænæ tantùm, sed & Sphaceli, adeoque imminentis mortis signum est longè certissimum; Eo quòd putredo tanta venis, arteriis & nervis concepta est, ut inde non minima portio ad partes principes deferatur. Hanc quoque ob causam febris acutissima cum syncope, dolor capitis, delirium, vomitus eructationesque, aliaque & pessima & graviora symptomata, & oriuntur & augentur.

Signa Gangrænæ ex flava bile ortæ, à superioribus non multùm discrepant, nisi quod in his inflatio aut tumor non æquè ac in phlegmone sit magnus. Pustulæ quoque minores sunt, sed plures in numero, ex quibus aqua, quæ effluit, multò subtilior, magisque flavescens, quàm in pustulis ex phlegmone ortis, cernitur.

Gangrænæ ex frigore facile est indicium. Ex frigore enim subitò magnus dolor oritur pungẽs & mordax, ac initio rubor scintillans, eo quod cutis meatibus, frigore constrictis, calor adundè concurrit, atque in ipsa parte retinetur: at paulò post locus ex rubeo fit lividus & frigidissimus, frigore depellente sanguinem, & innatum calidum, adeoque refrigeratis & dissipatis insitis spiritibus. Itaque pars privatur motu & sensu, accedente horrore, sive tremore, qualis solet quartanã præcedere. Præterea ex ipso ægro scire poteris, utrúmne nives, aut aquas frigidiores trajecerit, ex quibus frigus contraxerit. At si tam diuturnum sit frigus, ut loci innatum calidum nequeat amplius resistere, superveniet Sphacelus, & omnimoda mortificatio. Frigidum enim ossibus, dentibus, nervis, cerebro, spinali medullæ (utpote quæ sint aut ex semine, aut exiguo calore præditæ) adeoque vitæ nostræ, quæ quidem in calido humidoque temperatis consistit, adversissimum & inimicum esse, nos docet *Hippocrates*.

Signa Gangrænæ ex intemperie humida sũt hęc: Locus jampridem affectus fuit ingenti tumore, aquis & humoribus serosis, ac œdematosis referto, ita ut compresso digito, relictum sit vestigium atque fovea, quæ tamen paulatim denuo in pristinam altitudinem elevata fuit. Æger præterea est debilis, macilentus, cachecticus, imò etiam plerumque hydropicus. Talis ferè Gangræna pudendis & tibiis accidit, nullum tamen antea dolorem magnum passus est æger. Neque enim humida intemperies dolorem gignit, nisi extensione ob ingentem humorum copiam. At-tamen membro extinctioni proximo, dolores acerbissimi, non secùs ac in aliis Gangrænæ speciebus, ut plurimum supervenire solent: tum quia humores illicò ex corpore ad partem affectã confluunt, atque sensus organa, membranas scilicet, nervos & tendines distendunt; Tum quia propter putredinem maximam, calor præter naturam exoritur, ex quo dolor augetur. Postremò arteriarum pulsus desinit, livescitque locus, ac sensus paulatim imminuitur, deperditurque. Malum hoc, si faucibus & gingivis acciderit, quemadmodum aliquoties in pueris evenisse observavi, tunc genæ antea simili tumore œdematoso affectæ fuerunt. Puer ut plurimum cachecticus est, aut hydrocephalo laborat.

Cap. 7.

Signa Gãgrænæ ex intemperie sicca I.

Gangræna ex intemperie sicca, deficiente videlicet alimento, eò primùm cognoscitur, quod nullus adsit dolor, inflammatio tumórve ab initio, deficiente nimirùm affluxu sive copia sanguinis, aliorúmve humorum, inflammationi conficiendæ paratorum. *II.* Deinde hæc Gangrænæ species accidit corporibus macilentis, infirmis, & extenuatis, sive senio, sive diuturno & gravi morbo quorum vires elanguidæ, alimentumque absumptum est. *III.* Tertiò, pars statim à principio refrigeratur, ac stupefit, eò quòd spiritus animales, vitales, & nativi in ea minimè vigeant. *IV.* Quartò, hæc Gangræna extremis accidit, puta tibiis & pedum digitis plurimùm, aliàs etiam manuum digitis, extremo naso, & auriculis. Interim æger morbum vix sentit: at ubi tandem exoriuntur pustulæ, aut bullæ aquâ rufâ plenæ, quarum ima pars, si exciderit, conspicitur livida, nullo aut exili sensu, cum acutissimi dolores, febris aliaque symptomata utplurimum superveniunt, arteriarumque motus & pulsatio sistitur: ut plurimum, inquam; Aliquando enim totum ferè crus, in hac specie Gangrænæ, quæ ex intemperie frigida & sicca, sive penuriâ alimenti & spirituum, ortum habet, absque dolore emortuum fuisse observavi; Præcipuè autem in Dn. Jacobo Marquardo, Archigrammateo Moratensi, huic cùm in decrepita ætate frigus molestum, & stupor in crure sinistro exortus esset; Gangræna secuta est. Ego cùm tandem Anno 1611. 5. die Septembris advocatus essem, tum crus in ipsam suram usq; Sphacelatum, & instar carbonis nigrum, frigidum item & rigidum inveni: dolor tamen nullus, neque aderat, neque ab initio morbi ad illud usque tempus adfuerat: & vix alteratio in pulsu percipi potuit, uti fusiùs *in 4. cent. Observationum mearum Chirurgicarum* declarabitur. Henricus Smetius Comitis Palatini ad Rhenum, & Electoris Medicus ordinarius, ac longè celeberrimus, mihique familiaris, hac de re observationem singularem in suis miscellaneis habet, quam hîc in gratiam lectoris adscribere placuit. Wesaliæ in principatu Clevensi, inquit, coriarii cujusdam Galli uxor, alterum pedem aridum, nigrum, absque tumore emortuum, nempe syderatum, aut sphacelatum, sine ullo motu, aut sensu aliquandiu gestaverat, absque separatione à parte sana, quam tamen multò post factam intellexi, & speciem linguæ bovillæ, fumo induratæ, præ se tulisse.

Observatio singularis de Gãgrænæ ex intemperie sicca.

Hen. Smet miscel. lib 10. sub tit An. 1567.

CAP. VIII.

Cap. 8. & 9.

CAP. VIII.

Signa secundæ speciei Gangrænæ, nempe ex qualitate occulta.

QUantum ad Gangrænas ex qualitate occulta, videat Chirurgus, ut eas diligenter, & accuratè distinguat à Gangræna ex frigore aut intemperie sicca: quia, ut dictum est, si intemperies in causa est, symptomata interna, puta febris, syncope, deliria &c. obscura erunt, nec priùs sese patefacient, quàm pars extima corruptionem capessat: At si qualitas occulta, materia videlicet maligna corpori ingenita, quam ab intimo corpore ad extimas partes depellat natura, tum erit ingens naturæ cum morbi causa conflictus: unde etiam subitò febris, alteratio, syncope, nausea, eructationes. Postea verò pars extima, in quam humor malignus atque pestiferus decubuit, primò livida, postea nigra fiet, tandemque emorietur.

Signa Gangrænæ ex ictu aut morsu bestiæ venenatæ.

Sin Gangræna fuerit ex morsu, aut ictu bestiæ venenatæ, aut carbunculo pestilenti, aut septici alicujus applicatione; Id per se facilè & ægri, & adstantium sermone intelligi potest. Et ut paucis multa comprehendam. Si Gangrænæ materies innata sit corpori, symptomata interna apparebunt primò, antequam Gangræna sese patefaciat: sin extrinsecùs aliunde advenerit venenata materies, contra eveniet.

CAP. IX.

Signa tertiæ & ultimæ speciei Gangrænæ, ex interceptione spirituum.

SIgna Gangrænæ ex spirituum interceptione, maximè ex arctiore ligatura in fracturis & luxationibus hæc sunt: Pars prætumida est, dura & distenta, nempe quia constrictione illa plurimus sanguis, aliiq; humores evocantur, qui vehementes dolores faciunt, & inflammationem. Exoriuntur etiam bullæ majusculæ, ichoris plenæ, loturam carnium repræsentantes. Præterea pars affecta ingravescit, & fit immobilis, quia deficiunt spiritus: ex eadem etiam causa impressi digiti vestigium in ipsa parte remanet, ipsaque cutis à carne diduci videtur. Distenditur & nonnunquam pars flatibus, ita ut si contrectes, non aliter crepitet, quàm vitulina caro, quam lanius suo flatu impleverit. Si pungas scalpello, exit flatus, cum humore pauco stridens, haud secùs atq; cùm ex ferventis ollæ angusto foramine quidpiam effunditur. Hæc omnia sigillatim Coloniæ Agrippinæ observata Anno 1595. cùm à me ipso, tum à clarissimo & celeberrimo Viro Dom. JOHANNE KUENIO BREIDBACHIO Med Doct. in famulo ornatissimi Dn. GUALTERII à PRATO, p. m. compatris mei longè charissimi. Denique ex ægro ipso etiam poterit resciri, num quod ingens vulnus acceperit, ex quo vasa, arteriæ nimirum & venæ, per transversum secta fuerint: aut num luxatio malè fuerit restituta, utrumve adstringentia emplastra diu gestaverit.

CAP. X.

Signa Sphaceli.

TRibus præcedentibus capitibus signa Gangrænæ diversa notavimus, prout ex causis quoque diversis orta erat: at Sphaceli quantumvis è diversis orti causis, illa planè eadem. Nam sive ex calida, sive ex frigida, sive ex humida, sive ex sicca deniq; intemperie, aut ex ipsa spirituum interceptione oriantur Sphaceli, omnes sunt inter se simillimi, hoc uno excepto, quod in Sphacelo ex qualitate occulta, graviora cernūtur symptomata, febris, inquam, syncope, delirium, &c. quàm ex causa manifestâ, sive fuerit intemperies, sive interceptio spirituum.

Sphaceli autem signa sunt. 1. Pars affecta multò quam ante gravior est, ita ut æger etiam vix, aut omninò nihil possit movere; idque propterea, quod spiritus, sanguis, & cum eo calor nativus & vita, non ampliùs in partem affectam influant. 2. Rubor & genuinus color depereūt, fitque pars livida, atra, graveolens, instar cadaveris. 3. Pars antea, dum viguerat Gangræna, mollis, per Sphacelum exiccatur. 4. Cutis apprehensa & digitis in altum sublata videtur à carne deduci. 5. Sensus exquisitus & perfectus nullus ampliùs adest: ita ut facilè sit secare, ligare, urere, & quamlibet operationem moliri, citra sensum ægri. Quod si quid æger sentire videatur, id profectò non aliundè accidit, quàm ex prioris doloris phantasia, aut ex operationum, quæ fieri debent, apprehensione. Præcedentis enim doloris tanta apud ægros est efficacia, ut non solùm ante abscissionem membri, quantumvis jam planè emortui, & revera omni sensu destituti, verùm etiam per multos menses, imò annos post abscissionem, ingentes pati dolores sibi imaginentur, cujus rei exempla Lector in secūda Centuria Observationum mearum videre poterit.

Quod ad motum extremorum, qui diutissime perstat, prudens Chirurgus propter eum non differet amputationem. Cùm enim musculi caput movetur, ejus cauda nempe tendo motum eum sequitur: Sic cùm moventur tibiæ musculi, pedis in motu sequuntur digiti, quamvis fortè ante quatriduum mortui sint digiti. Prudenter igitur hac in parte ut agat Chirurgus, atque tum saluti ægri, tum existimationi suæ consulat, necesse est. Quapropter quamprimum cognoverit digitos pedum, & manuum emortuos esse, præsentibus adstantibus & familiaribus, ægro tamen inscio, emortuas particulas, novaculâ undique pungere & secare debet, ut nullam ampliùs adesse vitam, amputationémque pernecessariam esse, cuncti adstantium agnoscere possint. Porrò etsi Sphaceli signa quædam cum Gangræna sint communia, veluti color lividus, gravitas, sensus depravatio &c. ea tamen in Sphacelo, quàm in Gangræna evidentiora, & longè vehementiora visuntur.

Cap. XI.

Prognostica Gangrænæ & Sphaceli.

COgnitâ Gangrænâ & Sphacelo, antequam Chirurgus curationem aggrediatur, prospicere debet, quis morbi futurus sit exitus, utrúmne sanabilis sit, an etiam diuturnus futurus. Omnes enim morbos sanare impossibile, teste *Hippocrate* quamvis illud optabilius foret, quàm præsagire inposterum eventura. Atque id, cùm fieri nequeat, Medicus ut utatur providentiâ necesse est. Significare itaque Chirurgum oportet ægri familiaribus, quis futurus sit morbi eventus. Quia autem malum hoc adeò grave, ut plerumque de recuperandâ valetudine, nulla ampliùs supersit spes, quæstio est, sint ne desperati attingendi, necne? Nonnulli ex antiquis, quibus nomen divinum retrusum, absconditumq; fuit, desperatos relinquendos esse voluerunt: idque illam ob causam, ne infamentur præsidia, quæ multis aliis profuerunt néve videatur Medicus eum occidisse, quem sors peremit. Ego verò Christianam charitatem aliud nos jubere, planeque inhumanum esse, ægrum sine artis auxilio derelinquere, assero. Quod si tamen Chirurgus adfectum planè insanabilem esse cognoverit, cavere debet, ne ea, quæ præstare non potest, promittat. Hoc enim faciunt non viri boni, artisque periti homines; sed Empirici, atq; impostores, quilucrum proprium potiùs, quàm salutem ægrorum quærunt. De periculo itaq; ac immedicabili malo admonitis amicis, atque adstantibus ægro, si illi rogent, invocato priùs auxilio divino, suscipienda est curatio, talis quidem, quæ si morbum tollere non queat, ejusdem tamen acerbitatem atque tyrannidem, quantum quidem fieri potest, refrenet, doloresq; leniat, demulceatque: Idq; præcipuè in eum finem, quò æger in ipsis quoque mortis angustiis Deum Creatorem, atque Jesum Christum Salvatorem suum acclamare, peccata quin etiam sua, & anteactum vitæ suæ miserrimum statum, simul & mysteria salutis suæ, rectè perpendere, tandemque vitæ suæ finem piè imponere possit. Quis enim hominum hæc præstare poterit, quis peccata sua enumerabit, si corpus doloribus acerbissimis extorqueatur, si vigiliis, inquietudinibus, nauseis, æstu febrili, aliisque gravissimis symptomatibus, quæ dolorem veluti umbra consequuntur, vires prosternantur, mensque simul & intellectus invertantur? Atque hæc prima & præcipua est causa, cur desperati minimè relinquendi. Accedit & alia causa, nimirùm quòd sæpissimè observatum sit, derelictos, & pro deploratis habitos, adhibitâ diligentiâ Medici, in integrũ restitutos fuisse. Tertiam causam addit Amplissimus ac Doctissimus Vir, Dn. Petrus Pavius Anatomicus & Botanicus longè celeberrimus, amicus meus singularis. *Nam vel hoc*, inquit, *mortem accelerare ægro posit, à Medico ac Chirurgo se deseri si animadvertat.* Sunt itaque attingendi non autem relinquendi desperati; de eminenti tamen periculo, ut antea quoque monui, prius factâ prognosticatione; quæ hîc simul & in omnibus morbis gravissimis necessaria est: quandoquidem quæ ex arte fiunt præsagia, primò Medicum, ut docet *Galenus*, à mortis crimine vindicant. Tanta enim est impudentia, ne dicam impietas, apud indoctũ vulgus, ut si quando res pro voto non successerit, & mala, ut *Hippocratis* verbis utar, malis necessariò super accidant, omnem culpam, imò & causam mortis in Medicum transferant. Si verò prædixerit Chirurgus, quæ superveniunt ægro, tum nihil illi ab ægro aut adstantium turba, utpote qui ex arte omnia, quæ supervenerunt, prædixerit, imponi poterit, omnique prorsus culpâ vacabit. Secundò, reddunt præsagia ægros obtemperantiores, & magis atque libentiùs, ut *Hippocrates* docet, se concedunt Medico. Percipiunt enim ægri Medicum penitùs agnoscere naturam morbi, ac proinde symptomatibus, quæ ventura sunt, atque periculis obviam ire posse confidunt.

Cap. 11. Prognosticatio ad quid necessaria sit medico. Gal. lib. de constitutione artis. Hipp. lib. 5. de morbis. Prænot. lib. 1.

Porrò benè prædicturus, atque prognosticaturus Chirurgus, tria consideret; primò Essentiam atque naturam morbi, hoc est, gravis sit, an levis; secundò vires ægri, aut vegetas, aut imbecilles: tertiò partem ægram. Nam si levis est morbus, & quidem in membro à partibus principibus remoto, veluti in brachiis, aut tibiis, vires autem vegetæ & firmæ, facilè sanabitur. Sin omnes hæ conditiones, aut earum pars contra sint, æger in vitæ, aut diuturnioris morbi periculo, versabitur. Verùm hæc fusiùs & accuratiùs declarantur hunc in modum. Gangrænam, authore *Celso*, si nondum planè tenet, sed adhuc incipit, curare non difficilimum est, præcipuè in corpore juvenili. Attamen summa diligentia & industria desideratur; corpus itidem vegetum, ac robustum esse par est; alioquin frustra nitente Chirurgo desinet Gangræna in Sphacelum, & eum quidem insanabilem, authore *Paulo Aegineta*, nisi tota pars vitiata amputetur, atque separetur.

Tria ad prognosin necessaria. Lib. 5. Lib. 4. c. 19

Gangræna in partibus humidis, gingivis, palato, naribus, pudendis, osculo uteri, & intestino recto, rarò sanabilis: in Sphacelum autem degenerans insanabilis: propterea quod partes illæ sunt calidæ & humidæ, raræ, spongiosæ, adeoque plurimis humoribus, & excrementis suscipiendis oportunæ. Præterea verò ipsum innatum calidum, cùm facilè succumbat in illis partibus, eo etiam citiùs suffocatur.

Gangræna partium internarum, jecoris, lienis, renum, &c. non solùm periculosa, verùm etiam lethalis est, quemadmodum quarto capite exemplis nonnullis declaravimus. *Quibus cerebrum Sphacelatum est, intra triduum pereunt: Si verò hoc superaverint, sani fiunt*, inquit, *Hipprocrates.* Tum enim sperandum est morbum declinare, & vires esse validas, quæ corruptionem vincere possint. Attamen *Galenus* in commentario istius aphorismi negat, *Hippocratem* intellexisse, quem nos Sphacelum vocamus, sed Gangrænam potiùs, aut ingentem aliquam inflammatio-

Sphacelus cerebri. Aphor. 50 lib. 7.

Cap. 11.

mationem: atque ita Sphaceli nomine priscis Græcis dictam interdum Gangrænam testatur. Si enim, inquit *Galenus, Sphacelus est corruptio partis cujusq; quam is occupat, insanabilis est*: at *Hippocratis* Sphacelus sanabilis est nonnunquam. Non est ergo verisimile eo loco proprio significato accipi Sphacelum, sed pro Gangræna potius verè dicta, quæ est quasi via ad Sphacelum, & illius velut anteambulo.

Gãgrana hydropicorum.

Gangræna hydropicorum tibiis superveniens, rarò sanabilis, sæpiusque in Sphacelum degenerat. Quod si relevetur æger, restabit tamen ulcus, non nisi longo tempore sanandũ; teste *Hippocrate*. Cùm enim non senentur ulcera, nisi exactè prius desiccata, quod in hydropicis fieri nequit, propter nimiam humiditatis copiam, necesse est hydropicorum ulcera difficilè sanari, quamdiu saltem eorum corpora ita affecta sunt.

Aphor. 8. lib. 6. Itẽ lib. de ulceribus.

Perniciosa est tali Gangræna, propter symptomata, quæ secum invehit, ratione magni tendinis, acutissimo sensu præditi. Quod si os tali corrumpitur, ut plurimum æger pedis actionibus privatur: tum quia corruptio ea non nisi difficilimè corrigi potest: (Os quippe molle & spongiosum cùm sit, facilè humores allicit, & combibit, qui cariem augent ac fovent:) tum quod tendo ille à talo veluti solvitur, atque ita divellitur, ut ipsius pedis motum deperdi necesse sit.

Gãgrana tali.

Sphacelus à pede, aut tibia ortus, indeque genu ipsum transcendens, lethalis ut plurimum: pars enim illa femoris carnosa, putredo facilè serpit, & in musculos ita sese insinuat, ut nequeat penitus tolli, quantumvis tibia ipsa amputetur.

Gangrænæ ex causâ primitiva, puta contusione, ustione fracturâ, &c. ferè sanabiliores, & minùs periculosæ, quàm quæ ex antecedente causa ortum ducunt. Hujusmodi enim Gangræna interna viscera testatur adeò malè affecta, ut medicamentis vix ullus sit locus.

Benivenius de abdit. ac mir. morb causis c. 71 Remb. Dodon. med. observat. c. 27. & 53. Meth. med. lib. 7

Gangræna ex siccitate, & atrophia, difficilè & tardè sanabilis: in Sphacelum verò desinens penitùs insanabilis est & lethalis; maximè si æger sit provectioris ætatis, debilis, & macilentus, morbus autem in tibiis sit, & pedum digitis. Id enim extremam siccitatem arguit, quæ insanabilis est, teste *Galeno*.

Gangræna ex qualitate occulta perniciosissima, ac plurimum deplorata & lethalis, præcipuè si in Sphacelum transeat: siquidem ex partibus Sphacelo affectis virus, sive vapor quidam venenatus attollitur, qui partes nobiles planè inficit.

Gangrænæ ex prohibitione ac interceptione spirituum vitalium, & naturalium, ac potissimum quæ luxationibus malè restitutis superveniunt, ut & quæ à vasis transversis sectis proficiscuntur, difficilimè sanantur; in Sphacelum verò degenerantes, lethales. Rei causam præcedentibus capitibus declaravimus.

Gãgrana æstate superveniẽs periculo-

Gangræna quoque, uti & alia vulnera quemadmodum doctè ostendit clarissimus Dn. D. *Pavius*. loco præallegato, pag. 63.) æstate superveniens, periculosior, quàm quæ hyeme. Primò, quòd innatus calor alacrior & plus possit hyeme quàm æstate. Secundò, æstivi aëris nos ambientis æstas evocat, dissipatque nativum corporis calorem. Tertiò minus periculi est à calamitosis, quæ æstivo tempore supervenire solent, symptomatibus.

Ulcus in Gangræna & Sphacelo considerandùm quoque diligenter. Nam si sit lividum & aridum, aut nigrum & aridum, parum aut nihil egerens materiæ, pro magnitudinis ratione, inclinent autem ægri vires, certa mors intra paucos dies expectanda: quippe adeò immutatur altrix facultas, ut nequeat ampliùs transmittere sanguinem, aut alimentum parti affectæ, sed eam siccari sinat, Quod si qua fortè materies corrupta inerat corpori, antea evacuari solita per ulcus, cùm sit facultas expultrix infirmior, quàm ut valeat transmittere, & propellere ad partes remotiores, ea manet in corpore, & partes primarias lædit: unde interim & ipsum quoque ulcus siccum & aridum conspicitur.

Ex Gangræna, & inprimis ex Sphacelo moribundis, plurimùm adest frigus sudor universalis: sive quia totum corpus ita abundat humoribus frigidis, ut neque nativo, neque febrili calore possint incalescere; sive quia natura vel juxta *Hippocratem*, perquam imbecille est. Accidunt quoque syncope & cordis palpitationes, exhalatis ad cor vaporibus putridis. Interim pulsus obscurissimus & vermiculans est, propterea quòd arteriis vaporum copia oppletis prohibentur diastole, & systole. Adsunt quoque delivia, & paraphrenitides propter vapores copiosos sublatos ad caput, & cerebrum offendentes. Ut autem Gangrænæ variæ sunt causæ, ita & varius est ex ea morientium status. Alij enim veluti sopiti moriuntur, alij etiam inter loquendum: plerosque tamen comitantur acutissimi dolores, spasmus, deliria, &c. Quibus enim Gangræna orta ex intemperie sicca, aut quibus ætas grandior, & extenuatio multa, hos ferè mors opprimit loquentes. Quibus autem Gãgræna ex intemperie calida, ferè morte violenta perimuntur, quam comitantur febris, syncope, deliria, paraphrenitides & spasmi; præsertim si juvenis, & robustus æger fuerit. Contra quibus intempeties humida in causa est, hi somnolenti, & sopiti pereunt. Hujus rei exemplum Anno 1604. Paterniaci in sexagenario Viro Dn. *Philiberto Rucrat* ibidem Patricio, & Senatore Prudentissimo, mihi videre contigit. Is enim desperata hydrope laborans, cùm suo & adstantium desiderio, atque efflagitatione maxima, crura (non tamen sine prognosticatione de futuro atque præsenti periculo) scarificassem, ad tempus quidem levamen aliquot percepit, quin etiam tussicula, quâ antea laboraverat, multùm immutata fuit, tandem nihilominus Gangrænâ correpta fuerunt crura, ex qua 12. Novemb. Anno 1604. quasi somno & sopore correptus, placidissimè & piè, naturæ satisfecit.

CAP. XII.

Cap. XII.

Gangrænæ curatio universalis

PRobè cognitâ Gangrænâ, ac de ea prudenter prognosticatione factâ, ad curationem deveniendum est, ea verò in remediis tum universalibus, hoc est, Gangrænæ, cum aliis morbis communibus, tum particularibus consistit. Universalia sunt; verbi gratiâ, diæta, evacuatio corporis adhibitis purgationibus, phlebotomia, cucurbitulis, frictionibus, &c. Particularia traduntur scarificationes, cauteria, sive potentialia, sive actualia, & quæcunque hujusmodi putredini & malignitati repugnant, caloremque nativum, ac humidum radicale refocillant; atq; instaurant, de quibus *infrà* fusiùs. In administrandis remediis universalibus accuratè perquirenda est causa antecedens sive interna; ut ab ea sumatur prima curationis indicatio. Nam si Gangræna proficiscitur ab influxu humorum calidorum, & humidorum, oportet diætam, & sex rerum non naturalium usum tendere ad refrigerandum, & exsiccandum: sin verò adfuerit febris (rarò autem occurrit Gangræna, quæ non sibi adjunctam habeat febrim) tum diæta paulò humidior præcipienda est ægro, juxta illud *Hippocratis*: Victus humidus, adde & frigidus febricitantibus ut contrarius confert, præsertim pueris, & qui tali victu uti consueverunt, consuetudo enim consimilibus indiget, naturam imitans. Eadem quoque victus ratio convenit, si materia calida & sicca fuerit. Purgatio siquidem erit necessaria, perficietur Cholagogis, uti electuariis Diasebesten, Diaptunis, solutivo Mesuæ, de succo rosarum, syrupo rosato, solutivo simplici, & compos. cum rhabarbaro, agarico, & sena, cassia, manna, & similibus, Phlebotomia, & cucurbitulæ, hirudinumque applicatio conducibilis, cùm ad revulsionem, & derivationem, tum ad humoris peccantis evacuationem, præsertim in Gangræna ex affluxu sanguinis. Venæ sectionem enim, ut docent celeberrimi Medici, præscribimus, ut morborum incrementum impediamus, inflammationes vitemus, meatus aperiamus, transpirationem liberam reddamus, peccantem materiam minuamus, corpusque refrigeremus. Illa autem vena secanda est, ut *Galenus* docet, quæ ab ipsa affecta particula sanguinem celeriter avertat: inprimis si præter affectum externum interna inflammatio quoque adfuerit. Cæterùm etsi nonnulli etiam in non plethoricis, non secus ac in plethoricis corporibus, venam secare jubent, in ægris tamen Gangrænâ laborantibus, cautè hac in re agendum est. Si enim Gangræna ex intemperie frigida & humida, veluti in hydropicis acciderit, venæ sectio vix locum habebit. Multò minùs adhibere convenit, si Gangræna ex intemperie frigida & sicca, aut propter penuriam alimenti vel etiam propter senectutem decrepitam, originem traxerit. Sin mera bilis flava, hoc est humor cholericus præ aliis abundaverit, phlebotomiæ parcendum est: quippe sanguis veluti frenum humoris biliosi est. Hinc fit, quod *Galenus* in erysipelate & herpete venam minimè secandam, sed corpus à flavabile potiùs purgandum esse doceat. In erysipelate tamen phlegmonoso venæ sectionem rationabiliter adhiberi posse *Tagaultius*, & alij testantur. Sed quia hac de re apud classicos auctores variæ sunt opiniones, nec cuivis Chirurgo datum, ut possit distinguere, an sola bilis prædominetur, an verò alios sibi adjunctos habeat humores, perquam necesse est, ut Medicum in consilium quoque adhibeat æger, quo omnia ritè & cum præmeditatione adhibeantur. Unum tamen ut sciat Chirurgus (non enim semper sibi adjunctum potest habere Medicum) necesse est: nimirùm si in facie fuerit erysipelas, & suffocationis periculum, sanguinē detrahēdum esse. Cùm enim erysipelas nō tantum ratione qualitatis humoris & sanguinis, verùm etiam suæ qualitatis, vehementissimas inflammatiores excitet, insignem refrigerationem requirit. At refrigeratio illa, quàm periculosa sit in facie, etiam tyrohibus notum est; quandoquidem refrigerantium, & repellentium vi, materia ad partes nobiles, inprimis ad cerebrum, protruditur. Quapropter non solùm Topicis, verùm etiam victus ratione, internisque medicamentis corpus refrigerandum est, & enemate exoneratâ alvo, sanguis ex bracchio lateris dolentis detrahendus; & quidem copiosè, ne inflammatio in Gangrænam transeat. Id enim cuidam fœminæ 24. circiter annorum ætatis, in pago Puilli propè Lausannam habitanti, quin advenerit, parum abfuit. Huic cum anno 1615. mense Aprili materia quædam catarrhosa in dextram partem faciei decubuisset, & circa labium superius pustula cum ingenti dolore exorta fuisset, octava die morbi me accersivit. Tum totam faciem, imò & ipsam linguam & collum adeò intumefacta inveni, ut vix cibum, aut potum deglutire posset. Febris aderat continua, nausea, & capitis dolor. Inflammatio erat maxima, cum quadam lividitate, & ita quidem, ut nihil aliud, quàm Gangrænam in proximis esse, & de vita periclitari ægram vererer. Curationem porrò sic institui, laxatâ alvo, venam in cubito dextro pertudi, & ad uncias decem (erat enim plethorica) sanguinis extraxi, mox sequens cataplasma applicui,

Cap. 12. Gal. lib. 2. ad Glauc. cap. 2. & meth. med. lib. ultimo cap. 2. Ioh. Tagault. Instit. Chir. libr. 1.

Observat. de ingenti inflammatione faciei.

Curatio inflamm. faciei.

R. Semper vivi minoris
Geranei ana M. j.
Farinæ hordei ℥ iiij.

Commisceantur diligentissimè in mortario, fiatque cataplasma, addendo aquæ rosarum q. s. applicetur tepidè. Eâdem nocte meliùs habuit: postera die corpus cholagogo expurgavi, tenuissimamque victus rationem præscripsi, Primam potiunculam propter colluviem pravorum humorum in ventriculo collectorum, cùm evomuisset, sequenti die illam iteravi; idque maximo cum successu. Intra paucos dies enim summa cum admiratione adstantium pristinæ sanitati restituta fuit.

Cap. 12.

In Gangr. ex qualitate occulta, vena non secanda.

In Gangræna ex qualitate occulta venæ sectio vix locum habebit. Verendum enim esset, ne maligna illa qualitas ab externis partibus, ad partes nobiles raperetur, mortemque accelararet. Quapropter sanguis præcipuè in plethoricis, scarificationibus, sanguisugis, cucurbitulisque ex parte affecta potiùs, quàm alibi incisâ venâ, evacuandus est. Quod si Gangræna jam in Sphacelum abierit, maximaque putredo adfuerit, eandem ob causam venæ sectionem vix administrare licebit, quemadmodum capite 18. declarabimus.

Syderum aspectus an in venæ sectione observandus.

De venæ sect. lib. 8. cap. 19.

Guid. tra. 7. doct. 1. cap. 1.

Centiloq. sent. 20.

Cornel. Scylander Medic. Astrol. part. 4. cap. 2.

Ioh. Carvinus de sanguine Dialog. lib. de curat. per sanguinis miss.

Leonh. Fuchsius com 20. in Gal. lib. de curat. per sang. miss.

Porrò syderum adspectus, an in venæsectione observandus, inter se discrepant Medici. *Alii enim*, inquit *Horatius Augenius*, *dies quosdam infaustos & infelices observant, tum propurgatione, tum etiam pro venæ sectione.* Quam opinionē ab Ægyptiis proditam fuisse, idem *Augenius*, post *Guidonem* & alios, testatur: & *Ptolomaus* hæc habet verba: *Membrum* inquit *ferro ne percutito, cùm luna signum, quod ei membro dominatur, obtinet. Hæc enim totum corpus humectat, præcipuè verò membrum signo subjectum, quod tunc ipsa percurrit, cujus profectò largiore humectatione magnum illi nocumentum adferatur, si ferro tunc ictum fuerit.* Hæc *Ptolomaus*, cui & nonnulli ex neotericis adstipulantur. Apud *Hippocratem* verò & *Galenum* ne verbum quidem de hisce observationibus Astrologicis me legisse memini. Legimus apud *Galenum* suo tempore vixisse Medicos, qui ante tertium diem morbi venam non secabant. Non quidem ratione syderum, sed ut dignotionem aliquam haberent, qualis sit forma & morbus, totaque suâ naturâ morbus. Hi Diatritarii appellabantur contra quos *Galenus* disputat, loco præallegato, tandemq; hæc addit verba. Quoniam verò, inquit, temporis progressu in plurimis morbis virtus exolvitur, ideò mittendi sanguinis occasio dierum numero amittitur. Hæc si quis ad observationes Astrologicas quoq; referre velit, meo quidem judicio à via recta minimè aberrabit. Dum enim benignum vultum syderum expectamus, occasionem, quæ præceps est, amittimus. Quapropter non immeritò *Horatius Augenius* loco antea citato hæc protulit verba: *Ego*, inquit, *nihil conferre ejuscemodi observationes non rarò sum expertus, & meritò quidem. Primùm quia cœlum universalis est causa, quæ non agit, nisi causæ particulares bene dispositæ fuerint: tùm etiam deinde quæ Astrologiæ judicia plurimùm incerta sunt, varia, ambigua, suosq; opifices illudentia, ob diversitatem proximarum causarum. Idcircò in ægroto homine temerè eam admittimus, cùm plurimum urgeat occasio.* Hactenus *Augenius*. Hujus quoque sententiæ fuisse insignem illum Philosophū ac Medicum, *Levinum Lemnium*, patet ex libro ejus 4. de occultis naturæ miraculis cap. 15. ubi hæc habet verba: *Cæterùm cum lunæ decursus magnâ ex parte damna ac detrimenta corporibus infirmis & valetudinariis inferat, in controversiam, ac disputationem vocari posit: An in ea parte, qua consistit ac moratur luna incidenda? nam in hac re pleriq; meticulosi sunt, nec tale quiddam tentare audent, etiamsi morbus urgeat atq; hujusmodi præsidium confestim exposcat. Ego verò intrepidè, magnaq; subsidii, morbiq; propulsandi fiducia, maturè id aggrediendum judico: acuti enim celeresq; morbi, nullas admittunt inducias nullas moras, aut deliberandi spacia: sed ut hostis in bello, ut incendium in ædibus, pestis in urbe, in agro ac segete rubigo & de populatio grassantur atq; in perniciem properant. Nec quis etjam deterreri debet, aut ab incepto desistere, etiamsi adverso, aut maligno sydere id tentari videatur. Sic in pleuritide, angina, pulmonis atq; hepatis inflammatione, neglecta astrorum anxia observatione, ac syderum adspectu, maturè ad venæsectionem properandum, etiam in ea membri parte, quam luna occupat.* Plura hac de re lector videre poterit apud *Arnoldum de Villa nova*, *Guidonem*, *Ioubertum*, & alios.

Horatius Augen. de observ. Astrolog. sententia.

Lev. Lemn de Observ. Astrol. in vena sect. opinio.

In extirpatione morborum Gangræna affectorum, cum imperitis de electione signorum cœlestium, non rarò mihi certare quoque opus fuit; etiamsi periculum quàm maximum in mora esset. Sed laus sit Deo, qui semper mihi suâ gratiâ ita adstitit, ut etiam ingravissimis operationibus, & in diebus in faustis (ut loquitur vulgus) imò & in ipsissimo membro, cujus signum tunc Luna obtinebat, administratis, omnia tamen ad votum successerint. Et sincerè dico, minimam quidem alterationem post venæ sectionem, aliasque operationes contra regulas Astrologicas factas, unquam secutam in tota praxi mea me observare potuisse. Videant igitur tyrones, ne ab instituto facilè deterreantur. Si enim præclara illa lumina *Hippocrates*, *Galenus*, & *alii*, quos citavimus, observationes illas; Astrologicas floccifecére in venæ sectione: quanto, quæso, minùs in aliis quamplurimis gravissimis periculosissimisque operationibus, ubi minimè procrastinandum, & benignus aspectus syderum exspectandus, locum habebunt? In peracutis enim morbis vel purgandi, vel venam secandi oportunitatem à cælo petendam non esse, docent viri docti.

A vino quoque, cerevisiâ generosâ, & calidis omnibus, abstineat æger: bibat verò Ptisanam, cui sint incocti. Tamarindi, Oxalis, addito syrupo citriorum, aut de succo limonum, de acetosa, aurantiorum acetosorum, granatorum, & similium, Aut utatur de cocto Agrimoniæ & veronicæ cum suprà dictis syrupis, emulsiones seminum frigidorum, & lac amygdalarum, hîc summopere conveniunt.

Sin ex causa frigida & humida sit morbus, diæta, & sex rerum non naturalium usus vergent ad mediocrem calorem & siccitatem. Quamobrem addantur in cibis rosmarinus, hysopus, thymus, majorana, cinnamomum, macis, crocus, & similia. Apozemata quoque alterantia, & obstructiones aperientia exhibenda sunt. Postea pituita purganda electuario Indico majore, & minore, diaturbith, diaphænico; diacarrhamo & similibus, pro ratione ægri, ætatis & virium. Tandem quavis arte corpus à pravis humoribus evacuandum, & ex ficcandum. Partes item nobiles, imprimis jecur, trochiscis de rhabarbaro de

de eupatorio, diarrhod. Abbatis, confectione alkermes, & similibus roborandæ sunt. Venæ sectionem quoque nisi particularis aliqua occasio intervenerit, non usque adeò hîc, propter hepatis ut plurimum imbecillitatem approbare possum.

Prædominante humore melancholico, sive atra bili, abstineat quoque æger à cibariis crassioribus, & concoctu difficilibus, salitis & fumo exsiccatis carnibus, piscibus, aromatis, leguminibus, ferinâ, avibus aquatilibus & similibus. Ac ubi præparatus fuerit humor syrupis de epithymo, de fumaria, & lupulorum, sumptis cum aquis distillatis, aut decocto earundem herbarum, purgetur. diasenna lenit. pulv. sennæ præpar. confect. Hamech. aut pilulis de fumo terræ. Dissolventur isthæc electuaria in decoctione fumariæ, epithymi, rad. polypodii, lappat. acuti, & corticum radicum frangulæ.

Si Gangræna proficiscatur ex siccitate, & ex atrophia; erunt internæ partes humectandæ bono alimento, veluti jusculis carnium, recentium pullorum, gallinarum, caponum castratorum & similium. Totam item corpus oleo amygdalarum dulcium, liliorum alborum, violarum, pingued. gallinæ, & similibus, ut calor nativus conservetur, inunguendum est. In hac Gangrænæ specie nocet venæsectio, itemque frictiones, & cucurbitæ: nisi fortè ipsi parti affectæ adhibeantur, alliciendorum gratiâ spirituum & sanguinis, quo ipsa alatur. Ætas quoque, temperies corporis, sexus, regio, & anni tempestas indicant, quid facto sit opus. Amplius enim refrigerantia desiderantur in habitu bilioso, æstuosa regione, tempore, & anni tempestate itidem calida, quàm si omnia secus habuerint.

In topicorum quoque usu habenda erit ratio, nempe 1. causæ. 2. ætatis. 3. sexus. 4. virium. 5. partis affectæ. 6. omnium verò maximè vehementiæ, & magnitudinis morbi. A causa morbi, quemadmodum ab initio hujus capitis quoque monstravimus, præcipua & prima sumitur indicatio. Nam si fuerit affluxus phlegmonicus, potentiùs refrigerandum est, & evacuandum, quàm si causa in humore pituitoso consistat. Præterea humores arcendi sunt defensivis. Sin verò causa Gangrænæ intemperies sicca, & defectus nutrimenti, atque sanguinis fuerit, quocunque modo id fieri poterit, ad partem affectam nutrimentum atque sanguis attrahendus est. Evacuationes quoque corporis, venæ item sectio, & usus cucurbitularum, atque defensivorum hîc minimè conveniunt. Rursum si causa sit arctior ligatura, ea solvenda, & medicamen adhibendum incidendis, abstergendis, & desiccandis humoribus retentis circa ligaturam, quò pateat spiritibus via. Si erit luxatio, aut ossium eminentia, suo quoque loco restitui oportet, quo ad fieri poterit. Tumores scirrhosi, aliaque præter naturalia, si circa vasa magna induruerint, sanguinique & spiritibus, ne perfluant, impedimento fuerint, emolliendi, & discutiendi sunt.

Secunda indicatio ab ætate desumitur. Nã juveni ægroto caro, & partes omnes molliculæ: sunt proinde medicamenta adhibenda minùs efficacia, quàm quæ provectioribus. Horum enim caro & partes duriores, ac solidiores, verbi gratiâ, agricolarum, nautarum, venatorum, bajulorum, & aliorum ejusmodi laboriosam vitam agentium. Et ut verbo dicam: necesse est, ut medicamentum cum natura, ætate, ac viribus ægri suam habeat proportionem.

Cap. 12. Galen. de arte curativ. ad Glaucon. lib. 2. c. 9.

A sexu itidem indicatio. Ferè namque delicatiùs tractanda mulier, aut puella, quàm vir quispiam, aut habilior adolescens: similiter & molliùs otiosi, ac delicati omnes: Itémque Eunuchi, quàm superiores illi agricolæ aliique id genus.

3. Indicatio à sexu.

Ab ægri quoque viribus quarta sumitur indicatio. Nam si firmæ fuerint, Chirurgo integrum erit applicare valentia remedia, & necessarias operationes exequi. Sin morbo jam dejectæ vires, vix præstari poterunt, quæ alioqui necessaria forent. Est itaque prudentis hominis, quemadmodum Celsus docet, eum, qui servari non potest, non attingere, ne videatur occidisse, quem sors ipsius peremit.

4. Indicatio ab ægri viribus.

Quinta indicatio petitur à parte affecta. Nam oculi, os, pudenda, uterus, anus, articuli, vertebræ, & alia id genus, itemq; partes exquisito sensu præditæ, sunt molliùs tractandæ, quàm quæ sunt musculosæ, uti brachiũ, tibia, &c. Ita sese gerat Chirurgus, quo ad ejus fieri poterit pro ratione indicationum, quæ sese offerunt.

5. Indicatio à parte affecta.

Sexta & postrema superest indicatio, quæ propemodum omnia subvertit, nempe morbi magnitudo. Itaque si recens est morbus, & putredo tantummodò superficiaria, sat est, leviter sacrificare partem affectam, & adhibere Ægyptiacum nostrum suo loco descriptum, vel simplex, vel melle rosaceo temperatum, pro partis affectæ natura, proque ætatis & sexus ratione. Sin gravis sit morbus, mineturque Sphacelum, sacrificanda, & incidenda est pars altiùs, apponendumque Ægyptiacum, aut ruptoria, & cauteria potentialia: aut ipso actuali cauterio, siquidem fieri potest, auferendum quicquid corruptum est. Nihil enim in tam diro morbo, in quo non solùm de parte aliqua, verùm etiam de toto corpore agitur, clementer agendum; maximè cum degenerat in Sphacelum. Quapropter si superiores indicationes vel tantillam spem faciunt, protinus adhibendum est extremum remedium, juxta Hyppocratis Aphorismum: *Extremis morbis & maximis, quales sunt peracuti, à quibus periculum impendet, extrema remedia, ut est victus tenuissimus, & alia præsidia maxima, sunt adhibenda.* Interim tamen nihil temerè sed omnia secundùm rationem, & non nisi factâ prognosticatione, coram adstantibus facienda sunt. Non enim agitur hic de corio boum, sed de homine, ad imaginem Dei facto. Attamen remedium simul & operatio si cum morbo Analogiam habuerint, non possunt

6. Indicatio à morbi magnitudine.

Lib. 6. aphor. 6.

Inter morbum & remediũ debet esse analogia.

Cap. 12.

non esse utiles, quantumvis violenta fuerint. Sic Helvetio illi in capite vulnerato, cujus capite quarto mentionem fecimus, vidi præstantissimum Virum Dn. *Iohannem Griffonium* Chirurgum longè excellentissimum feliciter adhibuisse supra duram matrem syrupum ex unguento Ægyptiaco, liquitissimam scilicet ipsius unguenti partem, quæ pulveribus subsidentibus innatabat: unde statim cohibita est putredo, quæ duram matrem occuparat: alioquin remedio imbecilli nihil fuisse effectum, erat verisimile: Sicque extremus morbus extremo curatus fuit remedio. At Ægyptiacum hîc valentissimum, aut extremum appello remedium, habitâ partis ratione, cui apponebatur, quod alioquin extremum dici non possit. Monitos interim velim Chirurgos, ne hæc aliáve id genus valentia remedia adhibeant, cerebri membranis, nisi manifestâ putredine seu corruptione tentatis qualis in illo Helvetio cernebatur, in qua medicamentum suas operationes cum fructu perficere potuit. Deinde ut iis parcè utantur, ac cùm primum vehementia morbi inhibita fuerit, ab iis desistant. Bis itaque aut ad summum ter membranis cerebri imposito syrupo isto Ung. Ægyptiaci, & quidem in maximis putredinibus, sufficit. Deinde, mitiora applicanda sunt. Filamentis autem nequaquam applicandum est medicamentum hoc, modum enim excederet, & ad partes sanas deflueret, maximaque symptomata excitaret: sed penicillo minimo pictoris, prædicto syrupo intincto superficies membranæ parcè, uti dixi, leviterque illinenda est. Est enim medicamentum summè acre, respectu membranarum cerebri, quæ exquisitissimo sensu sunt præditæ. Quapropter graviter errant barbitonsores nonnulli, quorum nomina studio hîc supprimo, qui oxymel in vulneribus capitis, & quidem detectis membranis, copiosè applicant. Propter acrimoniam enim aceti gravissima excitat symptomata, præcipuè autem dolorem ingentem, ac maximum, quem è vestigio membranarum inflammatio, febris, delirium, spasmus, paralysis, tandemque mors sequuntur. Quapropter ego in detectis membranis cerebri vix melle rosaceo per se, nisi cum aliis mixto, uti ausus sum. Meninges enim cerebri, quia exquisitissimo sensu sunt præditæ, nihil acre sufferre possunt.

Admonitio Cautiones in applicatione Aegyptiaci cerebri membranis.

Nota.

Oxymel membranis cerebri adversissimum esse ostenditur.

Porrò, quia omnis in universum Gangræna & Sphacelus, putrefactionis ratione, veneni plus minúsve particeps est, pro ratione morbi majoris minorisve, conservandæ, firmandæque partes primariæ, cerebrum cor & jecur, ut ne vaporibus & exhalationibus, à putredine ista subortis tententur, idq; remediis tum internis, tum externis.

Lapis Bezoar.

Cor omnesque partes nobiles egregiè corroborat, easque à vaporibus malignis tuetur lapis Bezoar, cum aqua aliqua appropriata, veluti buglossæ, borrhaginis, cardui benedicti, aut melissæ exhibitus. Ego ut plurimum nonnihil confectionis Alkermes, & aquæ cinnamomi destillatæ sine vino, addo; non solùm, quod cor partesq; nobiles roborant, verùm etiam ut sint veluti vehiculum lapidis, qui alioquin tardè operatur. De Dosi hujus lapidis authores inter se non conveniunt, cùm alii magnam probent, alii verò ipsum in exigua quantitate exhibeant, de quo vide Dn. *Casparum Bauhinum*. Ego à granis quatuor ad sex vel octo exhibeo. Sequens quoque pulvis cor partesque nobiles mirum in modum roborat.

Casp. Bauhinus de lap. Bezoar cap. ... Pulv. ... lexiteri... bus.

R. Lapidis Bezoar
Ossis de corde cervi ana ℈j.
Margaritar. præparat. ℈ij.
Cornu cervi usti præpatat.
Terræ sigillatæ ana ʒj.
Sacchari candi ʒiiij.

Misce, fiat pulvis, de quo drachma una, cum aqua appropriata, ut dictum est, exhibeatur.

Os de corde ce...

Os quod in corde cervi reperitur, insignem habere vim corroborandi cor hominis, in dubium vocare minimè contendam: sed quia in corde boum hujusmodi ossa quoq; reperiuntur, & plerumque à Pharmacopolis pro ossibus de corde cervi substituuntur; Videat Medicus ne decipiatur. Ego expertus loquor, pharmacopolam enim & aromatarium quendam celebrem familiariter cognovi, qui quotquot laniones mactabant boves, eorum corda sibi adferenda curabat: è quibus extracta ossa, pharmacopolis in nondinis pro ossibus de corde cervi vendebat. An autem crudum, aut potius ustum & præparatum exhibendum sit, postea dicam. Quibus non suppetit Bezoar, per intervalla scrupulus terræ sigillatæ, aut boli Armenæ aut cornu monocerotis exhibendus: huic tamen, ut testantur viri docti, cervi cornu haud multum cedit contra venena, & venenatos morbos: à malignis enim vaporibus cor defendit, & ut *Gregorius Horstius* testatur, viscositatem humorum incidit, internorum viscerum obstructiones aperit & vi sua penetrandi putrescentibus humoribus resistit, adeoque Balsamica quadam virtute malignitatem humorum corrigit: unde *Iouberto* maximè Cardiacum dicitur.

Ianton... zen... de pe... Chri... Ana... in O... tria... de co... bus. ... Ami... Par... cap... Prob... med... quas...

Trac... peste...

Calcinatum autem & præparatum, teste *Horstio*, loco ante citato, non crudum exhibendum est, cùm crudum propinatum frequenter eodem modo, ut fuit exhibitum, per alvum, sine omni alteratione, reddatur. Spirituosa enim substantia, omnes actionis causa, per fœculentam materiam additam, colligata, impeditur, quo minùs virtutes suas exercere possit, ita ut in crudo vis illa quasi sepulta jaceat: imò sal etiam balsami sui vires exercere nequit, nisi terrestribus suis vinculis expediatur. *Cùm igitur vis illa diaphoretica* inquit idem *Horstius*, *quæ propter salem fixum inest huic remedio, una cum aliis qualitatibus ab impedimentis suis post calcinationem, & præparationem maximè liberata sit: ideò concludimus, magis conveniens esse cornu cervi ustum & præparatum, quàm crudum, imò tam tutum & jucundum in gravißimis quoque morbis hoc medicamentum est, ut omni ætati, ipsis etiam recens natis commodißimè, neceßitate urgente præbeatur.* Hactenus *Horstius*.

An cervi... dum... prap... tum... prafe... dum...

Eâdem

Eâdem quoq; methodo in exhibitione ossis de corde cervi (quod hominis cor, ut testatur *Quercetanus*, quadam substantiæ similitudine roborat, & ad cardiacam affectionem, sycopemque inprimis usile est) procedendum esse existimo. Illud enim nisi priùs calcinatum, & præparatum fuerit, propter suprà dictas causas veluti inutile esse, & vires suas minimè exercere posse, sed cum excrementis sine omni alteratione per alvum excerni, quis quæso in dubium vocare poterit?

Hîc autem negligentia, aut potius imperitia quorundam Pharmacopœorum notanda est, qui cornu cervinum non in catillis fusoriis, aliisque vasis ad præparationem medicamentorum aptis, sed simpliciter inter carbones comburunt: præparatio profectò, uti compendiosa, & Pharmacopœis facilis, ita etiam sordida ægrisque exitiosa est. Quandoquidem carbones malignum & pestiferum in se continere vaporem, inde manifestum fit, quod accensi in loco aliquo occluso dolorem capitis, nauseam, & lipothymiam excitent, mortemque aliquando immaturam accelerent, uti Coloniæ Agrippinę circa annum 1593. duobus accidisse memini: qui cùm noctu in platea, die Klocker Gasse appellata, vigilias agerent, & in domuncula quadam ad id extructa, carbones ligneos incendissent, mortui reperti fuere: tertius verò etiamsi velut in agone versaretur, ad aërem tamen deportatus, adhibitisque ipsi, quæ adhibere debuerunt, pristinæ sanitati restitutus fuit. Cæterùm cornu cervinum, dum in carbonibus istis comburitur, cineresque undique ipsi adhærent, facilè aliquid malignitatis ab ipsis carbonibus retinere posse, ratio suadet.

Succus citriorum cum saccharo, & ptisana, aut decocto agrimoniæ & veronicæ, in eundem usum efficacissimus. Theriaca, & Mithridatium laudantur, si solvantur aquâ, aut decoctione cardui benedicti, & ægro præbeantur à scrupulo uno ad drachmam unam. Sunt quoque conservæ rosarum, violarum, buglossi, & nenupharis utilissimæ. Et si vehementior sit febris, cordialibus (theriacæ, & Mithridatio) addendum est aliquantum throchiscorum de camphora. Camphora enim inter fortissima alexiteria non immeritò à viris doctis numeratur: putredini enim mirum in modum resistit. Quapropter non solùm vapores, qui ex corrupto & putrefacto membro versus cor ascendunt, repellit; verùm etiam maximum illum calorem internarum partium temperat. In magnis tamen capitis & ventriculi doloribus hâc cautè utendum esse monet *Mindererus*: *Licèt*, inquit, *extrinsecus frontis embrochis, splenis & perfusionibus indita, semper nobis visa sit plurimum profuisse.* Sequens itaque potiuncula per intervalla ægro exhibenda est:

R. Theriacæ optimæ ℈ ij.
Cornu cervi usti & præparati ʒ ß.
Syrup. de succo citronum ℥j.
Trochiscor. de camphor ʒ ß.
Cum aq. card. bened. Fiat potiuncula.

Pueris delicatulis, qui præscriptam potionem propter saporis gravitatem bibere non possunt, detur sequens potiuncula.

Cap. 12.

R. Lapidis Bezoardici.
Margarit. præpar. ana gr. iiij.
Cornu Cervi usti & præpar. ℈ß.
Syrup. de succo citronum ℥ ß.
Cum decocto agrimoniæ & veronicæ, fiat potiuncula.

Confectio Alkermes.

Confectio Alkermes quoque per se cor partesque nobiles roborat, & malignos vapores repellit, præcipuè si scrupulum unum, aut alterum cornu cervi usti & præparati admiscueris.

Epithema

Extrinsecus applicandum est sequens epithema:

R. Aquarum rosarum.
Buglossæ.
Borraginis ana ℥ ij.
Vini Malvatici ℥ j.
Aceti ℥ß.
Specierum diamagar. frigidi.
Ligni Aloës.
Corticum citri.
Rasuræ eboris ana ℈ß.
Croci gr. vj.

Misce, fiat epithema, applicetur tepidum cordis regioni, cum panno purpureo.

In pauperiorum gratiam æstate accipitur borrago, acetosa, & melissa; contundantur in mortario cum cyatho vini albi, & pauxillo aceti rosati; expressioni addatur cinnamomum & crocus, pulverisata, dein applicabuntur, ut suprà.

Calor hepatis quomodo tẽperandus.

Contemperandus quoque vehemens jecoris calor, idque exhibito ægrotanti syrupo citriorum, granatorum, acetosæ, violarum, oxalidis, de agresta, aut de ribes, cum aqua buglossæ, borraginis, aut acetosæ; Aut dentur cum decocto agrimoniæ, veronicæ vel cum ptisana. Poterit quoque parum specierum diamargariti frigidi admisceri. Interim à vino aliisque calidis prorsus abstineat æger. Extrinsecus jecori sequens epithema tepidè applicetur.

Epithema pro hepate.

R. Aquarum endiviæ,
Agrimoniæ,
Cichorii,
Lactucæ,
Absinthii an. ℥ij.
Aceti ℥ ß.
Specierum diarrhod. Abb. ʒj.
Sandali rubri ʒ. ß. Misce.

Si fueris ruri, desintque aquæ destillatæ, harum loco herbæ illæ aut omnes, vel pleræque omnes usurpentur: succus exprimatur, aut fiat earundem decoctio, deinde addito pauxillo aceti, & caphuræ, applicetur tepidè jecori cum panno rubro.

Si capitis dolor vehemens sit, nec æger somnum capiat, vapores clysteribus & suppositoriis revellantur: inungantur tempora, & frons unguento populeo, vel sequente.

Unguentum in dolore capitis.

R. Ol. rosarum,
Nenupharis an. ʒ. ß.
Caphuræ,
Opii dissoluti in aqua betonicæ an. gr. vj.
Misce, fiat linimentum.

In eundem usum applicato frontalę ejusmodi
R. Aq. Rosarum

Cap. 12. & 13.

Betonicæ ana ℥ij.
Aceti.
Ol. Rosacei.
Misce, applicetur tepidè.

Si dolor capitis, vigiliæ, & inquietudines maximæ fuerint, detur ægro aliquid laudani, aut tripheræ magn. cum opio.

Æger, uti dictum est, abstineat è vino & cæteris rebus calidis, aut concoctu difficilibus, quippe ex his vapores ad cerebrum copiosi transmittuntur: quos ut inhibeas, post cibum sumere poteris aliquantum ex miva cydoniorum sine speciebus, è conserva rosarum, rob de ribes aut berberis, & similibus.

Defensiva loco affecto applicata impediunt quoque, ne vapores ad caput ascendant, sed cautè eis uti licet. Ex immoderato enim usu adstringentium, aliquando Gangrænam fieri *cap. 6.* declaratum fuit.

CAP. XIII.

Curatio Gangrænæ particularis, nempe ejus, quæ ex alteratione vehementi per qualitatem manifestam ortum ducit.

Curatio Gãgrænæ ex inflammatione & phlegmone.

IAm proximo *præcedente capite* attigimus, quæ in genere ad curationem Gangrænæ pertinent: sed cùm non veniat in Chirurgi manus gravior, aut difficilior morbus, haud erit abs re, eundem paulò fusiùs persequi. Ubi igitur ex ante commemoratis signis perspexeris, oriri Gangrænam ex intempestivo affluxu, & inflammatione sanguinis perpendendum est, sistaturne materia, an verò adhuc defluat in partem affectam. Materiã autem defluere judicabis, si dolor ingens, inflammatio item magna, ac vehemens febris fuerit, axillarumque, aut ilium glandulæ subtumidæ sint ac dolorificæ. Tum quavis arte primò inhibenda est defluxio; deinde eadem alio derivanda: tertiò & evacuandum, quod in loco affecto jam congestum est.

Curatio tribus intentionibus perficitur.

1. Intentio

Primum illum scopum assequemur adstringentibus, sive defensivis, quibus defluxio potest arceri à parte affecta. Chirurgus itaque statim ab initio post præscriptam victus rationem, qualis antea proposita est, applicet loco affecto defensivum sequens.

Defensivum ex Antonio Chalmet. lib. 1. c. 3.

♃. Boli armeni ℥iiij.
Terræ sigillatæ ℥ij.
Cornu cervi usti &
Rasur. eboris an. ʒij.
Caphuræ ʒiij.
Ceræ ℥iij.
Ol. rosati ℔j.
Aceti ℥iiij.
Aquæ rosar. ℥ij.
Album. ovorum num. ij.

Misce, fiat unguentum, quod diu servari potest. Aut quod parabilius est, impensæque minoris.

Defensivum authoris.

♃. Farinæ hordei ℥iiij.
Boli armeni albi ℥ij.
Pulv. gallarum virid.
Nucum cupressi
Corticum granatorum an. ʒj. ſ.
Caphuræ ʒj.
Cum oxymelite, fiat cataplasma.

Oleosa pinguia cur Gangrænæ minus usu danda.

Alterutro in eundem usum promiscuè, aut alio quopiam ad arbitrium uti potest Chirurgus: mihi posterius usitatum est. Oleosa enim mihi omnia, aut quovis modo pinguia suspecta sunt in Gangræna: poros enim obstruendo, transpirationem inhibent, & vapores putridos in parte affecta retinent. Cessante defluxione, possunt defensiva intermitti, ut innatum calidum minore negotio penetrare queat in partem affectam. Sin aliquod corruptionis principium sese patefaciet, tum erunt continuanda defensiva, ad arcendos vapores, qui ex putredine ad partes primarias attolluntur.

2. Intentio

Alter scopus est alio revellere, & derivare humores in partem affectam affluentes, idque quàm citissimè, adhibitis purgationibus, phlebotomia, cucurbitis, hirudinibus, aliisque id genus remediis. Corpus purgandum medicamentis lenientibus, puta bolo sequenti:

Bolus

♃. Cassiæ recens extractæ ʒij.
Elect. diacathol. ℥. ß.
Cum sacch. fiat bolus.

Aut dissolvendo in aqua buglossæ, aut decocto indiviæ lupul. scabiosæ, cichorii, & florum cordialium, fiat potio. Alvus laxa servanda: lubrica reddetur quoad ejus fieri poterit usu seu clysterium & balanorum, seu etiam prunorum dulcium decoctorum in infusione sennæ, mechoacan. & rhabarb. si animus est, purgare validiùs.

De vena secanda.

Secanda vena, nisi ætas, tempus, aliudve quippiam obstiterit. & multum sanguinis extrahendum, sumptâ indicatione à magnitudine morbi, & virium ægrotantis. Vena aperiatur, quæ consensum habeat cum parte affecta, observatâ interim fibrarum rectitudine.

Hîc quoque utiles cucurbitæ, iis præsertim, qui phlebotomiam ferè nequeunt: Sic & hirudines ano adhibitæ, ad evacuandum humorem atrabilarium Arctior quoque ligatura remotarum partium utilis: at frictiones, quæ fiunt manu, & linteis calidis, noxiæ, sanguinem enim & humores subtiliores & acriores reddunt.

Frictiones in ... noxiæ. 3. Intentio

Tertius scopus est, ut pars in pristinum, ac naturalem statum restituatur. Id fiet evacuato accuratè sanguine, & cæteris humoribus parti affectæ impactis, ac in ea conclusis. Itaque quãprimum prospiciendum est, quid facto sit opus, & scalpelli acie tentandum, sit ne Gangræna profundior, an superficiaria: tum pro diversitatis ratione scarificationes leviùs aut altiùs imprimendæ: dein satis magna sanguinis quantitas sinenda effluere. Quin etiam si qua sit in parte affecta grandior insigniorque vena, ea audacter, & sine mora incidenda: sic enim sanguis & humores exonerantur, pars affecta refrigeratur, & aperitur pororum obstructio, quæ arteriarum systolen & diastolen inhibeat. Id tamen nequaquam aggrediendum, nisi morbus gravissimus, & æger juvenis, & vires firmæ fuerint. Nervos autem majores, tendines & arterias, nefas attingere, nisi maxima & insignis adfuerit corruptio: alioquin metuendum à convulsione, motus deperditione, dolori-

[margin: ...ap. 13. ...st scarificationẽ ...id faciendum. ...vicen. lib. 4. ...n. 3. tr. 1. ...p. 16. ...udo ...actat. 2. ...ct. 1. c. 2. ...b. de V... lib. 2. ...p. 17. ...pp. de ...quidorũ ...su, & de ...ata lib. ...Gal. de ...tenuá... victus ...tione.]

doloribus acutissimis, sanguinis profluvio, & spirituum vitalium resolutione, syncope, imò & morte.

Præter scarificationes Avicenna & alii scriptores jubent apponere hirudines, quo plus depleatur sanguinis & humorum: id quod & ipse soleo facere, quoties potissimum sanguis parcus educitur scarificatione. Si desint hirudines, aut si æger eas respuat, soleo tres, aut quatuor cucurbitulas minores applicare: majores enim cucurbitæ vehementiùs attrahunt. Hirudines tamen aptiores, proposito convenientiores. Evacuato sanguine abluenda pars aceto, & sale marino simul liquatis: hæc enim putrefactioni plurimùm repugnant: At si profundior fuerit Gangræna, efficacior adhibenda lotio, qualis ea est, quæ sequitur.

R. Lixivii fortissimi
Aceti optimi ana ℔iij.
Scordii utriusque
Absinthii
Rutæ
Lupinorum contusorum ana M. ß.
Rad. Aristoloch. rotund.
Vincetoxici ana ℥ß.
Salis marini ℥iiij.

Coquantur ad consumptionem tertiæ partis, in colatura dissolve
Aloës
Myrrhæ ana ʒß.
Aq. Vitæ ℥ij.
Camphoræ ʒß.

Quoties remedia permutare necesse fuerit, lavare oportebit partem fotu illo tepido: nam præterquam quod plurimum resisti putredini, etiam revocat innatum calidum, resolvit & exsiccat corruptos humores inibi conclusos. Insuper toti parti affectæ scarificatæ imponendũ unguẽtum Ægyptiacum Mesues, quod componitur hũc in modum.

[margin: ...gyptiacum Mes.]

R. Æruginis ℥v.
Mellis optimi ℥xiiij.
Aceti ℥vij.

Coquantur omnia simul donec fiat unguẽtum spissum, & purpureum.

[margin: ...gyptiacum au...]

Quod si corruptio major est, soleo idem unguentum sic componere
R. Æruginis ℥v.
Mellis optimi ℥xiiij.
Aceti ℥vij.

Coquantur omnia simul donec fiat unguentum spissum, & purpureum.

Quod si corruptio major est, soleo idem unguentum sic componere
R. Æruginis ℥iiij.
Mellis optimi, & cum decocto absinthii, & scordii despumati ℥xvj.
Aceti scillitici ℥vj.
Aluminis rochæ
Salis ammoniaci ana ℥j.
Succi rutæ
Scordii utriusque &
Alliariæ ana ℥iij.

Coquantur ad spissitudinem mellis, deinde admisce

Theriacæ optimæ
Mithridatii ana ℥iiij.
Camphoræ (plurimum enim penetrat, & putredinem inhibet) ℥j.

[margin: Cap. 13.]

Sic præparatum unguentum non solùm resistit putrefactioni; sed & temperat, ac minuit vaporum malignitatem, qui perpetuò attolluntur à parte obsessa Gangræna, & lædunt principes. Breviter Ægyptiacum præstantissimum & primarium est in Gangrænæ remediis, separatque mortuam carnem à viva & laudabili, gignens escharam. Ubi tota pars Ægyptiaco contecta fuerit, insuper applicandum cataplasma sequens, quod & ipsum resistit putredini, exiccat humores excrementitios, doloresque sedat.

[margin: Ioh. Fernel. meth. med. lib. 11. cap. 5. & lib. 22. c. 24. Ioh. Mesue de antidot. lib. 3. Ioh. de Vigo lib. 2. c. 17. Leõ. Fuchsius de med. morbis lib. 5. cap. 5. Ambros. Par. lib. 12 cap. 27. Marianus sanct. Barolit. in comp. Chirurg. Cataplasma.]

R. Farinæ lupinorum
Lentium
Fabarum
Lolii
Salis marini an. ℥iij.
Pulv. Summitat. absinth.
Scordii utriusque
Alliariæ
Rutæ ana ℥j.

Coquantur in oxymelite simplici, & fiat cataplasma. Refrigerato adde
Aloës
Myrrhæ ana ℥j.
Aq. Vitæ ℥iij.
Misce.

Prædictæ autem farinæ, inprimis lupinorum, mirum in modum in Gangræna, aliisque putridis ulceribus conveniunt: exsiccant enim, discutiunt, & putredini adversantur; Quemadmodum *Dioscorides, Galenus*, & alij testantur. In præparatione autem & usu farinæ; sive lupinorum, sive lentium, aut fabarum fuerit, diligenter prospiciendum est, ne diu cum reliquis pulveribus coquantur. Fieret enim nimis viscosum, glutinosumque. ac proinde inutile cataplasma. Viscosa enim omnia, quia poros obstruunt, vaporesque putridos in parte affecta retinent, in Gangræna, omnibusque ulceribus venenosis ac putridis exitiosa esse, aliàs quoque monui. Atq; ego hanc autumo causam esse, cur *Nicolaus Goddinus* in Chirurgia militari has repudiat, utpote ad Gangrænam inutiles: siquidem emplastricas putat. Quamobrem levissimè tantùm excoquendæ cum pulveribus. Hæc autem remedia omnia, ablutio, cataplasma, &c. tepidè sunt admovenda, linteisque præterea calidis obvolvenda pars affecta; etiamsi Gangræna orta sit ex inflammatione. Sic enim penè exstinctũ, & intermortuum innatum calidum, revocatur, & quasi rursum accenditur in parte affecta.

[margin: Diosc. lib. 2. c. 103. Gal. de simpl. med. fac. lib. 6. Avicenna cap. de lupinis. Plinius lib. 20. cap. 25. Mathiolus in Diosc. lib. & c. citato. Ioh. de Vigo lib. 2 c. 17. Iacob Sylvius de med. simpl. nat. lib. 1. Ioh. Kuenius Breidenb. Zodiac. med. lib. 4 cap. de lupinis. Locus Nicol. Goddoni explicatur. Ambros. Par. lib. 12 cap. 26.]

Chirurgus, quoties ad ægrum accedet, his remediis ex citatæ escharæ summam partem tollere conabitur, aut scalpelli acie incidet, usque ad partem sanam, quo detur medicamento quacunque penetrandi via, ad corrigendum, quicquid depravatum, & corruptum est: nec aliâ procedet methodo, donec videat morbum superatum, & exictum. Id verò ex eo deprehendet, quòd malum non latiùs serpet: & circa ipsum apparebit circulus exactè rubens, & exquisiti sensus: Separatio-

[margin: Signa quibus Gangrænam superatã esse cognoscitur.]

Cap. 13. parationem enim carnis mortuæ à vivâ naturæ & medicamentorum beneficio fieri indicat: præterea in isto circulo rubro, materia spissa & alba repetitur. Corriguntur etiam corruptio & caro emortua cauterio, tum potentiali, tum actuali Pro cauterio potentiali *Iohan. de Vigo*, & quidam alii utuntur arsenico, & sublimato, aut per se, aut cũ unguento Ægyptiaco misto, in hunc modum:

De Cauterio potentiali. Ioh. de Vigo libr. 8. c. 13. item cap. Chir. lib. 2. cap. de curatione Gangranæ. Theodoricus, lib. 3. c. 9. Guido tract. 2. doctrina 1. c. 2. Fallopius lib. de tumorib. cap 16.

R. Floris æris
Aluminis,
Mellis,
Aceti ana ℥ij.
Arsenici pulverisati ℥ij.
Sublimati ℥j.

Bulliant omnia simul, priùs pulverisandis pulverisatis, usque ad spissitudinem.

De Arsenico. Gal. de compos. medic. secundum loca lib. 4. De simpl. med. fac. lib. 5. c. 14. Paulus Aegin. de re medica lib. 7. c. 3. Oribas. medicinal. collect. l. 15. c. de metallis item de virtutibus simplicium lib. 2. c. 1. Avicenna libr. 2. tract. 1. cap. 4.

Sed videamus nunc, an arsenicum sive purum, & in pulverem reductum, ut docet *Fallopius*, loco allegato, sive unguento Ægyptiaco permixtum tutò in Gangræna applicari possit? Censetur autem Arsenicum in numero medicamentorum, quæ à *Galeno* & aliis septica dicuntur, hoc est, putrefacientia, & ustoriam vim habentia: Colliquare enim, ut *Galenus* loco proximè allegato addit, sunt nata, & potissimum carnem tenellam. Hujus quoque sententiæ fuisse *Avicennam*, ipsius scripta testantur, his verbis: Putrefactiva verò est illa, videlicet medicina, cujus proprietas est, ut corrumpat complexionem spiritus, pervenientis ad membrum, & complexionem humiditatis membri ejus cum resolutione, ita quod non est conveniens, ut sint pars illius membri, & non pervenit ad hoc, ut adurat ipsum, & corrodat, & resolvat humiditatem ejus: imò dimittit in ipso humiditatem corruptam, in qua agit aliud à caliditate naturali, quare putrefit. Et hujusmodi quidem exemplum est Arsenicum. Hactenus *Avicenna*. Quibus verbis quid de Arsenico censendum, & quàm periculosus ipsius usus sit in Gangræna, satis superque docet. Gangræna enim cùm nihil aliud sit, quàm putrefactionis principium, quæ ex calido & humido gignitur, ac similia similibus conserventur, augeanturque, ut *Galenus* multis in locis testatur: non video, quomodo arsenicum, cùm putrefaciens sit, & humiditatem corruptam, ut *Avicenna* testatur *loco præallegato*, in membro relinquat, quicquam laudabile hîc efficere possit, cùm sit potiùs putrefactionem promoturum. Ex his apparet, *Fallopium*, aliàs virum de Chirurgia optimè meritum, sibi ipsi contradicere: Libro enim *de tumorib. cap. 26.* hæc habet verba: *Fit quintò*, inquit, *Gangræna, cùm medicamentum erodens parti applicatur, ut risagallum & similia, cùm sine ratione applicantur, tunc introducitur intemperies calida, destruens caliditatem naturalem partis.* Hoc in loco applicationem risagalli, hoc est, arsenici, veluti causam Gangrænæ posuit. At paulò post & quidem *eodem capite* jubet in Gangræna arsenico, & sublimato pari pondere pulverisatis, & commixtis scissuras explere, imò & secundò iterare, & si prima vice non satis operatum fuerit.

Andreas Vesalius institutionum Chirurgicarum *lib. 5. de tumoribus cap. 12.* eadem habet verba. Verùm opinionem illam non genuinam, & *Vesalio Prospero à Burgarutio* falsò adscriptam esse existimo. Utut autem sit, non video, quomodo Arsenicum, si membro alicui corporis, Gangrænâ minimè obsesso, applicatur, Gangrænam procreare, eamque introducere, & ècontra Gangrænam jamfactam evincere atque extirpare possit. Præterea practici, qui ulceribus, scrophulis, & fistulis applicuerunt unguenta & trochiscos ex Arsenico paratos, facilè potuerunt observare, quàm gravia exoriantur ab eo symptomata, nempe dolor ingens viginti quatuor horis ad minimum perseverans, febris delirium, deliquia, & syncope. Hæc autem symptomata ex eo sunt omnia, quod Arsenicum transmittat vapores suos malignos ad partes principes, liquatâ prius carne in materiam corruptam, quæ illi pro vehiculo est, ad deferendam illius qualitatem malignam, ad eas partes primarias, & quamvis ulcera sint remota à partibus primariis, ejus tamen malignitas ad eas facilè pervadit per medias venas, nervos, & arterias: cujus rei exemplum lector circa finem quinti capitis videre poterit. Hinc intelligimus, Arsenicum nihil ad Gangrænam conferre: Quapropter *Paracelsus* hujusmodi caustica ex Mercurio sublimato, & similibus parata, artes carnificum appellare consuevit. Itaque si quando applicanda sunt cauteria potentialia, feliciùs & tutiùs mihi usurpari posse videntur caustica, parata ex fortissimo lixivio, è cineribus sarmentorum, & calce viva. Hujusmodi enim ruptoria operantur præsentissimè, & levi cum dolore; quippe vix ad horulæ spacium perseverat: contra Arsenico excruciatur æger ad viginti quatuor horas, imò & totum biduum cum symptomatis longè gravissimis. Ad hæc cùm Arsenico dissolvatur, liqueturq; caro, ruptiora contra extenuent, desiccent, & dissipent humores superfluos: item cùm maligna & venenosa qualitas soleat pervadere ad partes principes, ut dictum est, ruptoria, cùm sint crassioris substantiæ, in ea tantum agunt, quæ proximè contingunt. In applicatione autem causticorum sive ruptoriorum, magnitudo quoq; morbi diligenter perpendenda, & pro ipsius ratione ruptorium aut parcè, aut copiosè applicandum est; quapropter Gangræna an profunda, an superficiaria sit inprimis acie scalpelli pervestigare convenit. Factâ escharâ excidenda est ipsius superficies, ut carnem vivam proximè attingit, sin nondum satis profundaverit ruptorium, denuò illud applicare convenit. Deinde medicamenta, quæ escharam aufferunt, applicanda sunt, de quibus postea dicemus.

De [illegible] tion[illegible] cera[illegible] tra[illegible] hi p[illegible]

Sequitur nunc cauterium actuale, nempe ferrum ignitum, quod uti supremum remedium, ita quoque maximum putatur, quapropter non immeritò in curatione Gangrænæ & Sphaceli potentiali, ab authoribus classicis, dignitate videlicet & præstantia præponitur. Primò, quia potentia ignis, testante *Albucasi*, simplex, & omnis alienæ qualitatis expers est: quapropter nihil aliud præterquam calorem, & empyreuma post se relinquit: cùm potentiale è contra, inprimis arsenicum, sublimatum, & hujusmodi, venenatam & malignam qualitatem habeant, & post se in parte

De [illegible] rio [illegible] li. Cau[illegible] cau[illegible] actu[illegible] rent[illegible] sit p[illegible] nend[illegible] Alb[illegible] lib. Petra[illegible]

parte affecta relinquant. Secundò, quia ignis actionem habet determinatam; quapropter ferrum candens non ultra arbitrium Medici operatur: cauterii potentialis verò operatio, nequaquam in potestate Medici, sed in ipsa proprietate medicamenti sita est. Tertiò, præfertur cauterium actuale potentiali, quia propter ignis vehementiam è momento operatur: Potentiale verò, quia ipsius vis atque urendi facultas in potentia tantùm sita est, tardè. At cùm Gangræna sit morbus peracutus, quique non dat inducias, promptissimum quoque remedium celeriter, & abjectâ cunctatione secundùm *Hippocratem*, adhibendum est: tale autem est ferrum candens. Quartò, cùm ut plurimum in Gangræna, & Sphacelo sit humorum excrementitiorum abundantia, medicamentum in summo gradu calidum requiritur: At tale est ferrum ignitum, non autem cauterium potentiale, præcipuè arsenicum. Etiamsi enim calidum sit, relinquit tamen post se humiditatem corruptam, ut *Avicenna* loquitur. Quintò, cùm pars, quæ Gangrænâ laborat, supra modum sit debilis, & propter excrementitiorum humorum abundantiam, laxa, ut corroboretur, & exsiccetur necesse est. Corroborat autem & exsiccat cauterium actuale, humectat, & debilitat, uti dictum est, potentiale, cùm, quia loco affecto malignam infligit qualitatem, tum etiam, quia ipsius operatio tarda est simul & dolorosa: hinc fit, ut humores ratione doloris copiosiùs affluant, partemque magis magisque laxam ac debilem efficiant. Dolor verò cauterii actualis momentaneus est: quamprimum enim ferrum candens amovetur, desinit, præcipuè si anodynum aliquod applicetur. Quid plura? *Cauterizatio* (*Avicennæ* verbis lib. 1. fen. 4. cap. 29. mihi pag. 156. utor) *est medicamen valde utile, juvans ad prohibendum, ne corruptio spargatur & ad confortandum membrum, cujus complexio est frigida, & ad restringendum sanguinus fluxum.* His verbis quatuor utilitates, in curatione Gangrænæ maximè necessarias, ex cauterio provenire testatur *Avicenna*. Docet enim, 1. cauterium prohibere ne corruptio vicinas partes invadat, 2. ipsum confortare membrum, cujus complexio frigida est. At in Gangræna, etiamsi ex in temperie calida orta fuerit, constitutio tamen partis affectæ frigida est, propter caloris innati defectum atque imbecillitatem. 3. resolvere materias corruptas in membro contentas. 4. & ultimò docet cauterium actuale sistere sanguinis fluorem. Atque hæc omnia in curatione Gangrænæ summoperè sunt necessaria. Ex quibus error simul & inscitia *Felicis Wirtzii* luce meridianâ clariùs apparet: Libro enim 1. cap. 4. de hoc à tot seculis, & à tot viris in arte Chirurgica eruditis, approbatissimo remedio loquens, ad illam usque impudentiam devenit, ut illud à carnificibus inventum fuisse, & non nisi latronibus adhibendum esse, scriptum reliquerit. Nullam tamen aliam causam adfert, quàm quod nervi à cauterio actuali lædantur, contrahanturque: quasi Chirurgus rationalis, & in operibus artis exercitatus, confusè, & absque judicio & ratione operaretur, neque discrimen illum inter nervos, aut nervosas partes, & venas aut arterias faceret. Venæ & arteriæ ut anatomicis notum est, cuti proximè, nervi verò multò altiùs jacent: quomodo igitur cauterizando venam, aut arteriam nervi læderentur. Deinde non utimur cauterio actuali ad sanguinem sistendum, nisi maximâ urgente necessitate, & ubi reliqua medicamenta frustra adhibentur, & æger de vita periclitatur. Sed & ex duobus malis; ut sonat proverbium, minus semper eligendum: Si itaque contractio aliqua nervorum pertimescenda esset, nonne tamen præstaret incommodum hoc, quàm mortem subire? Desinant itaque *Wirtzii* Avorum nostrorum divinam scientiam, quâ tot ægri conservati fuerunt, stultè irridere, desinant inquam, remedium hocce, cujus efficacia talis est, quemadmodum divinus *Hippocrates* docet, ut quæcunque ulcera putrida ab ipso non sanantur, insanabilia putare oporteat, contemnere, & ludibrio afficere.

Lib. 8. aphor. 8.

Cautiones in applicatione Cauterii.

In Gangræna tamen ex intemperie calida sine affluxu, uti quoque in illa, quæ ex siccitate, & penuria alimenti existit, cauterium actuale mihi suspectum est, ut suo loco fusiùs declarabitur. Escharâ his remediis factâ, curandum quàmprimùm excidat. Id tamen fieri non debet remediis, applicari solitis ad relaxandum Escharam, puta butyro recenti, basilico, oleo dulci, adipe suis, anseris, caponis, & cæteris id genus; quæ cùm sint calida & humida, possunt novam generare putredinem, simulque ulcus sordidum reddere. Itaque ex *Galeni* sententia applicandus est succus porrorum cum sale; hic enim penetrat & exsiccat plurimùm, sicque putrefactioni repugnat. Adde quod relaxat, & adjuvat Escharæ casum humectatione sua, ut testatur *Hippocrates*.

Eschara quibus remediis aufferenda.

Galen. de arte curandi ad Glaucon. lib. 1. c. 9.

De diæta lib. 2.

Morbi vi superatâ, Paulus Ægineta vult applicari farinam hordeaceam decoctam in hydroleo, aut, (quod magis probatur) farinam orobi cum melle. Utile quoq; ad Escharæ casum unguentum sequens, itemque ad ulcus abstergendum, & mundificandum.

R. Farinæ ervi
Rad. Aristoch. rotundæ
Iridis Florentiæ
Vincetoxici
Angelicæ ana ℥ß.
Theriaces ʒij.
Cum s. q. mellis rosati, fiat unguentum.

Veruntamen hic meminisse oportet eorum, quæ supra monuimus, videlicet non expectandum, dum naturæ beneficio, aut medicaminis ope Eschara separetur. Natura enim cùm sit debilis, tardior esset, ac interim posset regigni nova putredo sub Eschara. Adde quod Eschara, cùm non debeat humectari oleis, pinguedine, & similibus, exiccatur, ac proinde contrahitur & corrugatur, idq; non sine dolore.

Cura Gãgrænæ ex erysipelate malè curato.

Si fuerit Gangræna ex erysipelate malè curato, aut ex proprio partis calore incenso, diæta præcipiatur frigida & humida, exhibeanturque sæpè hordeacea aliqua juscula; ex vervecina, aut volatilium carne, incoctis lactucis, portulaca, acetosa, boragine & similibus. Corpus quoque sic purgandum.

R. Ca-

Cap. 13. Purgatio.

R. Catholici ℥ vj.
Rhabarbari in ℥iiij. aquæ endiviæ cum paululo cinnamomi & anisi infusi ℥j.
Syrupi rosati solutivi compositi cum Rhabarbaro, agarico & senna ℥ j.
Misce, fiat potio.

Pars affecta scarificetur ad vivum, exin lavetur decoctione sequenti

Cataplasma.

R. Aquarum indiviæ
Lactucæ an. ℔j.
Aceti ℔ ß.
Lupinorum ℥ji
Rutæ
Scordii utriusque
Salis an. M ſ.

Coquantur lento igne ad consumptionem tertiæ partis. Parti ad hunc modum lotæ applicandum Ægyptiacum nostrum, deinde cataplasma sequens

R. Farinæ fabarum
Lupinorum
Hordei an. ℥iij.
Scordii pulverisati ℥ij.
Cum oxymelite q.s. fiat cataplasma.

Sin propter doloris, reliquorumq; symptomatum violentiam, ac continuationem pars affecta repletur humoribus, quantumvis prima causa fuerit humor biliosus, aut inflammatio sine affluxu, nempe ex proprio partis calore, ad valentiora remedia progrediendum est, nempe cauteria actualia, vel potentialia: Escharæ item casus procurandus ad modum ante propositum. In cauterii actualis tamen applicatione cautè hîc procedendum, ac non nisi summa urgente necessitate applicandum est. Biliosæ enim inflammationes, cùm suapte natura sint calidæ & siccæ, eas cauterium magis magisque desiccat, & maligniores reddit. Sin autem, quemadmodum antea quoque dixi, propter doloris vehementiam sanguis & humores copiosè effluxerint, putredinemque procreârint, tunc cauterium actuale locum hîc quoq; habere poterit.

Cauteriū in biliosis inflammationibus.

Curatio Gãgrænæ ex congelatione.

Si ex congelatione sit Gangræna, propter universalia (quæ judicabit necessaria Chirurgus) videndum est accuratè, incipiatne tantum affectus, an jam aliquantisper perseverarit: id autem ab ægro, & adstantibus simul ex sequentibus signis promptum est rescire. Morbus enim potest intelligi incipiens duntaxat, si pars eximio rubore scintillet, dolor autem sit vehementissimus, punctorius & exurens. Sin verò utcunque inveteratus est morbus, pars erit livida & frigida, uti *cap.7.* diximus. Ergo si incipiat tantùm morbus, non statim admovendus ignis, aut calida quælibet apponenda: quin potius aquâ frigidissimâ irriganda est pars, aut nive perfricandâ: sic enim ea poterit restitui, & paulatim incalescere. Hoc ipsum quilibet facilè hyeme experitur, si manus frigore propè congelatas fricet nive, aut aquâ gelidâ: sic enim subitò incalescent; at igni admotæ magnum sentient dolorem eumq; punctorium. Præterea si quis poma aut rapas congelatas injiciat in aquam frigidissimam, videbis ipsum gelu internum foràs quasi allici, ita ut fructus illi redeant ad suam naturam pristinam. Sin verò demergantur in aquam calidam, aut tepidam, confestim flaccescent, & paulò post nigrore contracto computrescent. Istiusmodi porrò curatio Livoniæ, Irlandiæ, Norvvegiæ, & cæterarum Septentrionalium plagarum incolis usitatissima est. Neque enim vesperi ingrediuntur in diversorium, aut ad ignem, vel vaporarium accedunt, nisi egregiè perfricatis priùs manibus, extremo naso, & auriculis plurimâ nive. Quod si cui vecto trahâ, pro regionis ritu manus pedesq; probè congelati fuerint, cùm primùm diversorium ingressus est, non dubitant ilicò immergere partes gelidas in aquam frigidam, aut nivem, & sic eum refovent frigore enim, quod inest aquę vel nivi, per antiperistasin repellente, & cogente in unum, quod reliquum est calidi innati in partibus affectis, ipsum innatum calidum ita invalescit, ut frigus ceu adversarium expellat. Generosus Vir *Dn. Bernhardus ab Hatzvelt, Dominus in Wildenberg* Vir pius & fide dignus narravit, se, cùm eas regiones peragraret, incidisse aliquando in viatorem secundùm viam frigore rigidum, ac penè mortuum: quem plaustro suo impositum, cùm deduxisset in diversorium, hospes illicò demersit in frigidam: quo facto undiquaque erupit gelu, ut ipsius corpus glacie ceu ferro contectum consiceretur. Tum quoque propinatum illi, ajebat, cyathum ampliorem hydromelitis, quo illi ceu potu ordinario utuntur, addito pulvere cinnamomi caryophillorum, & macis, unde sudor in lecto provocatus est: atque ita ægrum ad se rediisse, & convaluisse, amissis duntaxat manuum, & pedum extremis articulis. Hinc intelligimus, hanc methodum sanandi congelatos veram & tutam esse, ac eam etiam probant summi Philosoqhi, & Medici, inprimis verò *Avicenna & Levinus Lemnius*, qui regiones illas frequentavit. Sic enim scribit *Avicenna*: *Sunt præterea*, inquit, *hominum quidam, qui ponunt in aqua frigida & faciunt utilitatem*, ac si *nocumentum ab eis removeretur, quemadmodum fructibus accidit congelatis. Cùm enim in aquam projiciuntur frigidam, fiunt quemadmodum si ab eis extraheretur congelatio & ab eis labitur, & leniuntur, & æquantur; & si igni applicantur, corrumpuntur.* Hactenus *Avicenna. Levinus Lemnius* verò de hac re sic scribit: *Partes quoque sic affectæ modò ne prorsus frigore rigescant, ac nonnullus sanguis subsit, aqua gelida immersæ, eâque subinde irrigatæ, in pristinum vigorem restituuntur, ac sensim incalescere incipiunt.* Et paulò post: *Sic poma congelata in aquam frigidam demersa ad naturam suam redeunt.* Hæc tamen distinctio diligenter observanda est, nimirùm ut statim ab initio adhibeantur hujusmodi frigida, neve frigore prorsus rigescant partes, ac nonnullus calor subsit. Nam si innatum calidum exstinctum, aut exstinctioni proximum sit, tum aqua frigida nunquam revocabit, imò vix etiam medicamentum ullum: Quamvis tamen ratione illiciendum erit in partem affectam frictionibus & cæteris, quæ paulò post in medium afferentur.

Levin. Lemnius de occultis naturæ miraculis lib.4. c.12. Ambros. Par. lib.12 cap. 24.

Conjiciens autem Chirurgus ex sedato dolore pungente, ipsam quoque congelationem magna ex parte mitigatam, missam faciet, aquam

quam frigidam, aut nivem, & lenes frictiones adhibebit: deinde fotus è lacte dulci, cui lauri baccæ, rosmarinus, salvia, lavendula, & similia calida incocta fuerint. Jus è capite, pedibus, & intestinis vervecinis, incoctis herbis iisdem, aptissimum est alliciendo sanguini, partique affectæ in pristinum vigorem restituendæ. Raparum decoctio, aut eædem rapæ coctæ, & cum butyro recenti, Ol. Rosac, & vitello ovi in mortario plumbeo contusæ, plurimum juvant, teste *Vigone*. His peractis, componendus æger in lecto, probeque contegendus, circumponendæq; partibus congelatis vesicæ, plenæ jure illo, modò dicto aut lacte dulci. Deinde per os exhibendum, quod calidum innatum, & sanguinem vitalem partium intimarum ad extimas impellat. In eum verò usum laudatissima theriaca electa, in vino albo, eoque generoso, dissoluta, cui nonnihil conf. Alkermes, lap. Bezoar, & & cornu cervi, addi poterunt. Perendie continuandi fotus ex jure intestinorum, & herbarum suprà dictarum. Dein illinenda pars affecta Ol. de lateribus, de therebinthina, de cera, semine urticæ, nasturtii, &c. Quin & aliquoties theriacæ usus ex vino iterabitur. Sin frigore vehementissimo & diuturno planè suffocatum sit innatum calidum, ipsaque Gangræna multùm invaluerit, tum adhibenda est scarificatio, aliaque ante proposita remedia.

In Gangræna ex congelatione, defensiva ab initio morbi locum non habent: nulla enim adest affluxio humorũ. Sin repletio sive ad vasa, sive vires in ægro adfuerit, tandemque propter doloris vehementiam affluxio humorum, & inflammatio supervenerint, tunc non tam ad præcedentem causam, quàm ad præsentem affectum respiciendum est. Poterunt itaque tunc quoque applicari defensiva ad repellendos humores, qui affluunt. Interim tamen calidum innatum partis malè affectæ, quia ex præcedenti frigore, & congelatione mirum in modum labefactatum, conservandum & refocillandum est, adhibitis assiduò vesicis, plenis sequenti decoctione.

℞. Fol. Lauri
Melissæ
Rosmarini
Rutæ
Origani
Scordii utriusque
Absinthii ana M. ß.
Rad. Vincetoxici
Angelicæ ana ℥ij.

Coquantur in vino albo ad consumptionem tertiæ partis.

Quoniam in Gangræna ex intemperie frigida & humida, morbi origo ut plurimum consistit in partibus intimis, hepate, splene & cæteris, habenda est inprimis ratio harum partium, & præcipienda diæta, purgationes & cætera, pro ut earundem dispositio postulabit. Hîc autem consulendus est doctus Medicus; Gravissimus enim est morbus, & ut plurimùm lethalis, quemadmodum ex eis, quæ antea dicta fuêre, satis colligere licet.

Quoad remedia topica, si adsit magnus humorum pituitosorum affluxus, applicandum est defensivum: non tamen ex simplicibus frigidis & siccis, uti in affectibus calidis, sed ex eis, quæ mediocriter calefaciunt, & propter vim suam adstrictoriam, partes roborant, compositum. Ab *Avicenna*, *Vigone*, & aliis varia proponuntur, ego sequenti utor.

Avicen. lib. 1. fen. 4. c. 25. Ioh. de Vigo l. 8. cap. 2. Defensivum in affluxu humorum pituitosorum.

℞. Fol. Rosar. rub.
Absinthii vulgaris
Schænanti
Stœchados ana M. ß.
Scordii M. j.
Baccarum myrtillorum & juniperi an. ℥j.
Sampsuchi
Anthos ana ℥j.
Nucum cupressi
Aluminis an. ℥j.
Salis marini ℥ij.

Incidantur & contundantur omnia grosso modo: deinde bulliant omnia cum vini & lixivii barbitonsoris æquis partibus, addito pauco aceto, ad consumptionem tertiæ partis: deinde colentur. Tandem

Accipe farinæ fabarum
Lupinorum
Lentium
Hordei an. ℥iij.

Misce, fiat cum præscripto decocto cataplasma, addendo in fine pulveris cinnamomi opt. ℥. ß. croci ʒ. ß.

Iohannes de Vigo præscripto emplastro oleum rosaceum, chamomelinum & spicæ addit: Verùm oleosa & pinguia, quia poros obstruunt, & perspirationem impediunt, non sine maxima necessitate, quemadmodum ante quoque monui, in Gangræna usurpanda sunt.

Sin affluxus nullus, nihil defensivo opus, nisi putrefactio plurimùm progressa fuerit, parsq; Sphacelo sit proxima: tum enim defensivo cohibendi vapores putridi, quo minùs ad partes principes pervadant. Applicato defensivo, quavis ratione desiccãda est humorum copia ingens, loco affecto inclusa, exhalandusque calor extraneus, qui putrefactionis fuit in causa. Itaq; scarificatis locis omnibus suspectis, sive altiùs, sive superficietenùs, pro ut malum magis minusve altas radices egerit, fovenda est & lavanda calidè pars affecta decoctione sequente.

Decoctum

℞. Lixivii barbitonsoris ℔viij.
Calcis vivæ, ℔j.
Coquantur parùm
In colatura iterùm coque Lupin. M. j.
Scordii utriusque
Absinthii
Rutæ
Salis marini an M. ß.

Tandem coquantur ad consumptionem tertiæ partis. Colaturæ fortiter expressæ admisce

Cap. 13.

Aquæ vitæ
Aceti scillitici an. ℥iij.
Aloës
Myrrhæ an. ℥ij.

Postea ubique applicandum Ægyptiacum nostrum antea descriptum, aut etiam ruptorium, si sit necesse escharam profundiorem excitare, ac tandem inducenda pars sequenti cataplasmate:

Cataplasma.

R. Farinæ lupinorum &
Lolii an. ℥iiij.
Summitatum absinth.
Scordii utriusque
Rutæ an. M. j.
Radic. vincetoxici
Angelicæ an. ℥ij.

Omnia in pulverem redigantur, leviterq; cum lixivio jam præscripto coquantur: deinde cùm penè refrixerit, admisce

Aloës
Myrrhæ an. ℥. ß.
Aquæ vitæ ℥iiij.

Misce, fiat cataplasma.

Pars sic curata calida est in lecto continenda; in idque plurimum laudo fragmenta lapidis molaris calefacta, & parti circumposita. Is enim lapis, præterquam quod calidum innatum revocat, exsiccat quoque & resolvit plurimùm. Chirurgus dum cataplasma detrahet, conabitur scalpelli acie, aut separatoriis, ad calcem hujus capitis adumbratis, escharam unguento Ægyptiaco, vel ruptoriis, aut quovis alio modo inductam, separare, deinde abluet denuò partem ante dicto fotu, adhibebitque Ægyptiacum & cataplasma, ut ante: nec aliter se geret, donec sisti malum animadverterit. Tandem nitetur separare escharam pharmacis ante commemoratis: continuando interim cataplasma, quod putrefactioni repugnet. Quod si Ægyptiacum, aut ruptoria non satis valeant contra vim putredinis; adhibendus erit cauter actualis, qui mihi in hoc Gangrænæ genere probatur, propterea quod egregiè desiccat, resolvit & roborat partem affectam, ejusque calor agens penetrat altiùs quovis remedio.

Curatio Gangrænæ ex intemperie sicca.

In Gangræna ex intemperie sicca, nimirùm ex atrophia, & penuria alimenti, quavis ratione humectandum est corpus, tum commodo victu, tum his, quæ sequuntur. Igitur est necesse diætam ægri & aërem, in quo moratur, tendere ad calorem & humiditatem: debet ergo cibis uti, sanguinem & alimentum plurimum gignentibus, concoctu facilibus, & juribus collatitiis, & restaurantibus, aliisque bonis jusculis, è vervecina, gallinaceis, pullis & capis: hordeo item mundato, bene cocto, dein colato, muliebri quoque lacte, vel si desit, asinino. Lac autem summo mane recens emulctum cum pauco sacchara & sale bibendum est, & quidem jejuno stomacho.

De usu lactis.

Necesse quoque est, ut æger per horas ad minimum tres post sumptum lac, neque bibat, neq; comedat quicquam. Dum utitur lacte, ab omnibus acidis veluti aceto, succo citronum, aurantiorum, & similibus abstineat æger, ne lac in stomacho coaguletur, putrescatque. Cubiculum meridiem spectet: in summa, humectandum est corpus, vitatis, quæ exsiccant, qualia sunt vehementer purgantia, sudorifera, & diuretica omnia.

Extrinsecus inungendum corpus oleo amygdalarum dulcium, liliorum alborum & violarum: ut hoc modo comprimantur pori, & innatum calidum intus conservetur. Partes, quæ sunt supra affectam partem, puta totam tibiam, ad femur usque, si pes æger sit, inungendæ sunt succo lumbricorum terrestrium, ad eũ modum parato, qui ad finenm hujus capitis describetur. Succus ille longè optimus est, quia calefacit & humectat, aperitque simul & semel vasorum obstructiones, ut eò liberiùs sanguis & spiritus à corde & epate ad locum laborantem permeare possint.

Quod ad partem affectam, videndum est, num intemperies sicca, veluti causa futuræ Gangrænæ, solummodò adsit; an verò Gangræna ipsa jam invaserit? Si nihil aliud præter intemperiem siccam adfuerit, quavis ratione humectanda est pars affecta, & alliciendum alimentum in partem ægram. Quare fovenda jure tepido intestinorum; capitis & pedum vervecis; quod si manipulum unum aut alterum lumbricorum terrestrium aquâ lotorum, & incisorum admiscueris, majorem efficaciam habebit decoctum. Postquam per quadrantem horæ pars affecta, prædicto decocto ita fota fuerit, cucurbitulæ nonnullæ applicandæ sunt, citra tamen scarificationem. Interim autem, dum adhærent, tegendus est locus linteo dupplicato, spongiâ, aut filtro intincto in jure ante dicto; his continuatis, usque dum locus incipiat rubescere, illicò demendæ sunt cucurbitulæ, simulq; lintea calentia, ne resolvatur & evacuetur, quod attractum fuerit: dein inungenda pars sequenti unguento.

R. Ol. amygdalarum amararum
Ol. synapi ana ℥ ij.
Succi lumbricorum terrestr. ℥ iiij.

Misce, & applicetur tepidè. Deinde sequens emplastrum applicandum est.

R. Picis liquidæ ℥ vj.
Farinæ lolii, &
Lupinorum quantum satis erit ad inspissandum.

Sin Gangræna jam invaserit, & putredinem concipiat locus, duplex aut triplex sumenda erit indicatio, prout erit morborum & symptomatum complicatio. Enimverò, quia totius morbi causa est atrophia, alimentum quavis ratione attrahendum est, frictionibus mediocribus (asperæ enim protinus desiccant, & evacuant, quod attractum est) vel linteis calidis, vel manu inuncta oleis supra memoratis cucurbitulis, &c. Quia etiam jam adest putredo, hæc evacuanda est, sive scarificationibus, sive hirudinibus, & Ægyptiaco applicato: deinde applicandum cataplasma sequens, putredini obsistens simul & nonnihil attrahens.

R. Farinæ lupinorum,
Lolii ana ℥ iiij.

Sum-

Summit absinth.
Scordii utriusque
Folior. rutæ an. M. j.
Rad. vincetoxici &
Angelicæ ana ℥ ß.

Misce, fiatque omnium pulvis, cui admisce picis liquidæ, quantum sufficit ad figendum emplastrum.

Cauterem actualem hic ex *Albucasis* doctrina improbamus. Cùm enim maxima adsit extenuatio & siccitas, ac cauter mirum in modum desiccet, non video, quomodo prodesse possit, nisi quando ad amputationem membri deveniendum est: tunc enim cauterio carere non possumus, ut postea dicemus. Cùm autem subitò inducenda est eschara, applicanda erunt ruptoria: vel novaculâ resecandum est, quicquid corruptum est: deindeque apponendum Ægyptiacum, & procurandus escharæ casus, velut ante monuimus.

Hæc Gangrænæ species planè abhorret à defensivis, siquidem defensiva adstrictione sua prohibent spiritus & alimentum à parte affecta. In desperata tamen Gangræna, quæ in Sphacelum degeneravit, ubi nulla ampliùs spes est, ut membrum conservari possit, etiam locum habent defensiva, in eum finem, ut vapores putredinis arceantur à partibus principibus. Amputato verò membro, non ampliùs conveniunt, nisi de novo symptoma aliquod, quod ea requirat, suboriatur.

Antequam autem pars amputetur, necesse habet Chirurgus ventura pericula prædicere, eaque palàm commemorare apud ægri amicos, & adstantes omnes. Nam etsi amputetur altiùs pars affecta, in ipsa quoque carne viva, tamen malum, ut plurimum truncum iterum invadit atque occupat. Cujus rei lector exemplum habet Observation. 89. Centuriæ 2. item Observat.... Centuriæ 4. de sene quodam *Iacobo Marcuardo* nomine. Atque ut paucis dicam, Gangræna omnis ex siccitate, ut plurimum lethalis est, ut ante dictum undecimo capite. Idque revera mirum nemini videri debet, morbi enim ex siccitate & humidi primigenii absumptione, insanabiles sunt, quod & ipsemet *Hippocrates* testatur, cùm dicit, convulsionem ex helleboro lethalem esse. Indicat enim, humidum radicale à pharmaco absumptum esse: At longum tempus exigitur, ut *Galenus* docet, ad siccitatem nervorum removendam, morbi autem acerbitas tempus non expectat: quin citò vires dissolvit, & subitò exitium adfert: Quæ omnia ad hanc speciem Gangrænæ optimè adaptari possunt.

Sedata Gangræna, mundificandum & incarnandum est ulcus, mundificativo nostro, de succo apii infra cap. 18. describendo, aut melle rosato, addito pauxillo aquæ vitæ, & theriacæ, idque citra pinguedinem ullam. Tandem incarnandum & cicatrice obducendum sequenti pulvere.

R. Radicum iridis flor.
Aristoloch. rotund.
Angelicæ ana ʒ ij.
Foliorum scordii ʒß.
Olibani
Masticis ana ℈ ij.
Lapidis Bezoardici.
Croci ana ℈j.
Cornu cervi usti & præp. ʒj.

Misce, fiat pulvis tenuissimus, qui ulceri inspergatur. Si ad cicatricem inducendam majore exsiccatione opus fuerit, addatur parum tutiæ, cerussæ, lithargyrii aurei, alumnis usti, lapidis calaminaris, & cornu cervi usti, & præparati.

Succus lumbricorum terrestrium, *suprà* memoratus, variè componitur. *Iohannes Wierus in tractat. de Scorbuto*, lumbricos usurpat cœmiteriorum pinguissimos, quos aquâ primùm, deinde vino apprimè lotos, minutim incidit, & phialæ indit, pastâ obvolutæ: hanc furno inserit cum alio pane, hocque cocto phialam simul extrahit pastâ obvolutam, ac ubi refrixit, mergit in aqua, hincque mollescente pasta, ac phialam deserente, lumbrici resoluti in liquorem sese offerunt: percolatus liquor reservetur ad usum, sed alterno quoque die renovandus est; citò enim corrumpitur, præcipuè æstatis tempore. *Nicolaus de Metri* eodem modo liquorem illum præparat, nisi quòd nonnihil olei olivarum vermibus affundit. *Cosmas Slotanus* Illustriss. Juliacensium, Clevensium, & Montensium, &c. Principis Archichirurgus, usurus hoc succo ad atrophiam, & extenuationes particulares, aut ad Gangrænam ex sicca intemperiè, sumebat eosdem lumbricos, eosque, ut *suprà* mundatos, collocabat in magno recipiente: deinde sat copiosum oleum amygdalarum dulcium & violarum affundebat: demum super cineres calentes resolvebat in liquorem, quo post fortem expressionem colato, utebatur.

Hæc autem mihi longè præstantissima compositio videtur, in siccitate particulari: quoniam hoc modo integrè servatur utraque facultas, & olei & lumbricorum. Succus lumbricorum propriâ & peculiari vi penetrat ilicò, permeatque ad nervos, & nervosa omnia, ipsasque adeò venas & arterias, quarum tunicæ nervosâ constant substantiâ, & eas quidem partes succus ille roborat, alit & calefacit mediocriter, tollendo, quæ in iis sunt, obstructiones. Inest præterea compositioni huic qualitas viscosa ab oleis, cujus ratione statim atque succus penetravit, oleum poros claudit & obstruit, atque ita cohibetur innatum calidum; & intra partem affectam veluti concluditur.


Cap. 14.

Præparatio succi lumbricorum ex VViero.

Nicolaus Metri mihi pag. 9.

Ejusdem succi præparatio ex Cosmâ Slotano.

Cap. 14. *Delineatio cultellorum & hamulorum ad separandas escharas.*



CAP. XIV.

Curatio secundæ speciei Gangrænæ, ex alteratione videlicet vehementi, per qualitatem occultam.

Capite 5. diximus, esse Gangrænæ speciem, quæ quidem ortum non ducit ex causis manifestis, intemperie videlicet calida, frigida, humida aut sicca; verùm ex qualitate & malignitate occulta, nostrisque mentibus impervestigabili, unde sequitur, non esse instituendam curationem solis pharmacis operantibus per qualitates manifestas, sed illis etiam, quæ occultis agunt qualitatibus, sive ore sumantur; sive foris adhibeantur. In his autem excellunt Theriaca, Mithridatium, Bezoardicus lapis, dictamnus Cretensis, scordium, radices vincetoxici, angelicæ, & succus citriorum. In hac autem Gangræna summâ vigilantiâ opus est, quia plurimùm lethalis: quippe ilicò appetit, læditque partes principes. Quamobrem Chirurgus aggrediens ad curandam id genus Gangrænam, nec plenè compertam habens, ut sibi à calumnia præcaveat, faciatque, quæ decent, suæ eruditioni diffidens, consulat præstantissimum aliquem Medicum, aliósve doctos, in arte Chirurgica plurimùm exercitatos.

Ubi autem Chirurgus ex signis istis, cap. 8. enumeratis, cognoverit, Gangrænam ex qualitate occulta ortam, ilicò infundat ægroto, si stipata est alvus, clysterem lenitivum, aut suppositoria subdat, factâ eorum operatione, sequentem potum propinet.

R. Radic. angelicæ
Vincetoxici ana ℥ iiij.
Scordii utriusque.
Rutæ.
Dictamni Creticiana p. j.

Coquantur in s. q. aquæ buglossæ, & cardui benedicti, ut colatura redeat ad uncias duas, in quibus dissolve

Theriacæ opt. ʒj.
Succi citri ℥ß.

Misce, fiat potiuncula; detur calidè.

Pro pueris & delicatulis, qui prædictam potionem propter saporis injucunditatem bibere non possunt, præparetur sequens:

R. Lapidis Bezoardici gr. vj.
Cornu cervi usti & præp. ℈. jß.
Syrupi de succo citronum ℥ß.

Cum aqua cardui benedicti, fiat potiuncula.

Poterit & aliquid confectionis Alkermes, & aquæ cinnamomi admisceri, hunc in modum:

R. Lapid. Bezoard. gr. vj.
Cornu cervi usti & præp. ℈j.
Margaritarum præp. ℈ß.
Confect. Alkermes. ℈j.
Aquæ cinnamomi ℥ß.

Cum aqua cardui benedicti, aut decocto suo, pro potu ordinario, cujus descriptio mox sequetur, fiat potio.

Æger sumpto potu tegatur aliquantisper, dum promoveatur sudor, ut hoc modo materia maligna à partibus principibus arceatur. Foris etiam applicetur cordi epithema, quale capite 12. descripsimus: Iterentur item præscriptæ potiones auctâ imminutáve ingredientium dosi pro ægri ætate & habitudine. Quamvis autem ad singulos haustus non procedat sudor, minimè tamen is utilis esse desinet. Quippe hujus ope materia maligna, si qua fuerit corpori ingenita, foràs ad extrema detruditur procul à corde, & cæteris primariis partibus: Sin verò extrinsecus propter morsum, aut ictum bestiarum venenatarum adveniat, corroborat etjam ac tuetur partes primarias, dum ab illis malignitatem arcet. Hîc vehementes purgationes minimè conveniunt, uti nec phlebotomia, aut somnus diuturnior, ne fortè retrahatur venenum ad partes primarias.

Quod ad victus rationem spectat; vitet æger cuncta difficilia, salita, & piperata, aut alioqui acria: sorbeat cremorem hordei ritè cocti, aut jus cula vervecina; pullis gallinaceis vescatur, aut caponibus, incoctâ copiosâ boragine & acetosa. Loco vini bibat ptisanam, in qua acetosa, pruna, aut tamarindi cocti sint, aut sequens decoctum.

R. Herbarum agrimoniæ M. j.
Veronicæ M. ß.
Rasuræ cornu cervi crudi ℥iij.

Coqua-

Coquantur in ℔ xij. aquæ, donec quarta pars sit absumpta: aromatizetur cinnamomo & saccharo.

Utatur frequenter succo citri, tum in ptisana, tum etiam in jurulentis. Hujus succi loco potest etiam usurpari syrupus ex eodem succo, item ex succo acetosæ, granatorum, acetosorum, & berberorum.

Quod ad topica, Chirurgus summo studio debet extrahere & evacuare materiam malignam. Itaq; scarificabit profundiùs, quæcunque videtur obrepere Gangræna, & quantum satis sit sanguinis effluere sinet: vel adhibebit hirudines, vel cucurbitulas: prætereaque abluet partem decoctione sequenti.

R. Radicum angelicæ.
Vincetoxici.
Lupinorum ana ℥j.
Herb. Scordii utriusque.
Absintii.
Dictamni Cretensis.
Rutæ ana M. j.

Coquantur in lixivio barbitonsoris ad consumptionem tertiæ partis, in ℔ ij. colaturæ dissolve

theriacæ ℥ ß.
succi citri ℥ j.

Hac decoctione calidè diligenter ablotis scarificationum vestigiis, & unguento Ægyptiaco nostro, præcedenti capite descripto, applicetur cataplasma sequens calidiusculum.

℞ farinæ lupinorum,
fermenti acris.
alliorum sub prunis coctorum ana ℥ ij.
Pulv. foliorum rutæ.
scordii. dictamni cretensis.
Rad. angelicæ.
vincetoxici ana ℥ ß.
theriacæ optimæ
mithridatii ana ℥ j.
Cum decocto scordii, fiat emplastrum in mortario.

Exinde pergens Chirurgus in ægri curatione, auferat escharam, si adsit, deinde scarificet denuò partem affectam, ad educendum sanguinem: & applicet cucurbitas, ac hirudines: locum abluat, & applicet Ægyptiacum cum cataplasmate, & in iis perseveret, donec malum superatum fuerit.

Tandem nitatur escharam removere succo porrorum, vel (quod magis placet) novacula, aut cultellis ante delineatis. Exin ulcus diu apertum teneat, quò materia maligna continuò effluere possit. Ex intervallis quoque ægro præbetur theriaca, Mithridatium, terra sigillata, cornu cervi ust. & præp. cornu monocerotis, Bezoar, confect. Alkermes, aqua cinnamomi, aliaque, quæ partes nobiles corroborant, & à venenatis vaporibus defendunt.

Cùm verò Gangræna oriunda est ex materia extra corpus genita, velut à morsu venenato, aut septicis adhibitis, unde periculum, ne malignitas communicetur partibus principibus, necesse est cauterii actualis ope urere & absumere subitò, quicquid ejus malignitatis est particeps: aut etiam, (quod magis probatur) abradi potest novacula aut cultellis separatoriis, quicquid suspectum est: Et cum sanguis pro virium tolerantia effluxerit, adhibendum est Cauterium actuale. Demum abluendum erit ulcus decocto suprà scripto: tandemque unguentum Ægyptiacum nostrum, & cataplasma præscriptum applicandum. Forti quoque defensivo arcendi sunt vapores maligni à partibus principibus. Sin verò Gangræna orta fuerit ex materia maligna, corpori ingenita, quæ ad partes externas feratur, defensivo, aut quibusvis adstringentibus nullus est locus.

Cap. 15.

Cautiones in applicatione defensivi.

Sedatâ Gangrænâ, superest ut mundificetur, & incarnetur ulcus mundificativo nostro de succo apii, aut melle rosato, mixto cum pauxillo aquæ vitæ & theriacæ. Deinde incarnetur pulvere sarcotico, ad finem præcedentis capitis descripto, & cicatrice obducatur.

Cap. XV.

Curatio tertiæ & ultimæ speciei Gangrænæ, ex spirituum interceptione.

In hujus Gangrænæ curatione, præscriptis universalibus, nempe diæta, sive usu sex rerum non naturalium, ut & phlebotomia, purgationibus, & cæteris, pro morbi ratione, & ægroti viribus, diligenter inquirenda erit causa, ob quam spiritus arceantur à parte affecta, eaq; si fieri possit, statim tollenda. Itaque si arctior sit ligatura, laxanda est: deinde adhibenda pharmaca resolventia, exsiccantia, & incidentia quicquid ligaturâ illâ attractum est. Tale est cataplasma sequens:

R. Farinæ lupinorum.
Fabarum.
Lentium ana ℥ ij.
Pulv. Summitat. absinth.
Scordii.
Flor. Chamomillæ ann ℥ ß.

Cum oximelite, aut syrupo de succo acetosæ, fiat cataplasma.

Si invalescat nihilominus ægritudo, statim scarificandus locus, & apponendæ hirudines, Ægyptiacum nostrum, aliaque remedia, uti dictum est, cap 13. in curatione Gangrænæ ex intemperie calidâ & humidâ.

Si in causa sit defensivum adstringens, aut emplastrica adhibita, hæc pariter protinus auferenda sunt: deinde frictionibus moderatis & calidis revocandum innatum calidum, aut locus fovendus forti lixivio, cui incoquantur lupini, scordium, & folium rutæ cum pauxillo aceti, sub finem addito, ut hoc modo rursum aperiantur pori, & detergatur ab emplastrico medicamento inducta viscositas.

Si sint humores scirrhosi, circa majores arterias, venas, & cætera vasa, qui spiritus ipsos arceant & inhibeant, emolliantur ii hoc vel simili unguento:

R. Ping. Gallinæ.
Anatis.
Ursi ana ℥ j.

Cap. 15.

Ol. Liliorum alborum ℥ ß.
Succi Lumbricorum ℥ ij. Misce.

Deinde applicetur emplastrum ex mucilaginibus, aut ex ammoniaco dissoluto in aceto. At si tumor in quapiam parte sit, in qua tutò possit operatio perfici, præstiterit incidere cutim, deinde separare tumorem, usque ad ipsius radicem, quâ ligatâ filo reduplicato, abscindendus est tumor, ut expeditior spiritibus sit via. Hîc autem diligenter cavendum, ne attingantur, aut transversim secentur vasa: id enim aut subitam mortem, aut Gangrænam insatiabilem adferre posset. Verùm ut hujusmodi operationes tutiùs exsequi possit Chirurgus, summopere necesse est, ut in Anatomicis eruditus sit. Anatomia enim, ut *Galenus* scriptum reliquit, nos docet accuratissimè proprietatem essentiæ uniuscujusq; partis. Quapropter Chirurgus, qui hujus scientiæ penitùs ignarus fuerit, non nisi summo cum periculo hujusmodi operationes administrare poterit, ut ex sequentibus historiis videre licet.

Anatomia Chirurgo necessaria. De locis affect. lib. 1.

Anno 1596. unà cum Clarissimo Viro Dn. D. *Iano Antoni Saraceno* puellam strumâ laborantem vidi. Strumam verò hanc cùm asperæ arteriæ, nervis recurrentibus, & venis jugularibus adhærentem cognovissem, manum adhibere nolui, etiamsi mater maximoperè id à me efflagitaret. Non diu post, temerarius operator, cùm advocatus esset, & strumam exstirpare vellet, puella, in ipsa operatione animam; mater verò, quia hanc unicam prolem tantummodò habebat, in longum tempus lachrymas, & quidem copiosè effudit.

Observat. Integram hist. vide observ. 35. Cent. 3.

Illustri cuidam Germano, cùm temerarius Empiricus, & rerum anatomicarum planè ignarus, tumorem scirrhosum ex interna parte femoris exscindere vellet, & novaculam nimis audacter, nimisque altè infixisset, ramumque istum venæ cavæ, qui ad poplitem descendit, abscidisset, in ipsa operatione, propter ingentem hæmorrhagiam, & penuriam cauterii igniti, ab hac luce subtractus fuit, ut *in 3. Cent. Observ. 82.* fusiùs declaratur.

Alia Observatio.

Sin Gangræna ex retentione, & obstructione spirituum animalium fuerit, ut in paralysi & spasmo accidit, spina dorsi, veluti origo nervorum, simul cum ipsa parte affecta sequenti linimento inungatur:

Linimentum.


℞. Succi Lumbricorum ℥ iij.
Ol. Costini ℥ j.
Ol. Terebinth.
Ol. Ceræ &
De lateribus ana ℥ ß. Misce.

Ante inunctionem autem origo nervorum, simul & pars affecta decocto florum chamomillæ, salviæ, betonicæ, primulæ veris, lavendulæ, baccarum juniperi, & similium, vino coctorum calidè fovenda est.

Quod si Gangræna accidat coccygi, aut clunibus, æger decumbet modò in sinistrum latus, ad levandam partem affectam. Est & in tali Gangræna, sive ex alia quapiam causa, pes ita locandus, & ad latus reclinandus, ut ne talus offendatur.

Si sit paralysis in vesica, & guttatim stillet lotium, id diligenter excipiendum est: comparatum in id vasculum, à nobis excogitatum & hîc adumbratum. Nam si tibiæ simul & semel cum vesica fuerint resolutæ, ita ut æger in lecto decumbere cogatur, incalescet lotium, tandemque exulcerabit coccygem, quid deinde proclivis erit in Gangrænam, uti sæpiùs accidisse memini, quemadmodum *cap. 6. hujus libri, & Observ. 3. Cent. 1.* declaravimus.

Vasculum ex stanno aut argento fabricatum, ad urinam involuntariè effluentem excipiendam, aptissimum.



Præcedentis Figuræ explicatio.

A. A. Capacitas hujus vasculi est, quæ tanta esse debet, ut libram circiter contineat: Posterior pars autem D. notat, obtusa est, paulatimque in acutum desinit, quò meliùs inter clunes intrudi & limbus ille C. notatus, parumq; elevatus perinæum immediatè attingere, & urina per foramen ipsum B. notatum in vasculum instillare possit.

D. Manubrium est, cujus beneficio vasculum intruditur in clunes, iterumque pro necessitate extrahitur.

In viris sat est, si membrum virile in foramen B. notatum propenderit. In fœminis verò, ut limbus C. notatus perinæum attingat necesse est.

Cæterùm si causa Gangrænæ sit luxatio, ea restinenda est, & os in suo loco fasciis & ptygmatiis sive pulvillis exstupis, aut linteis reduplicatis factis, continendum. In locum suum reposito osse adstringentia parcè adhibenda sunt, ac potiùs inunguenda pars affecta succo lumbri-

Gangr. ex luxatio.

lumbricorum terrestrium, cui tantillum olei rosati, aut myrtillorum pro corroboratione partis & dolore leniendo addi poterit. Si autem pars infra luxationem sit præsicca, macillenta, & extenuata, ea fricanda, & cætera necessaria peragenda, quæ *cap. 13.* dum de Gangrænæ ex intemperie sicca curatione egimus, commemorata sunt. Conveniunt quoque scarificationes; vehementer enim attrahunt, ut *Galenus* testatur. Priùs verò fovenda est pars jure tepido intestinorum, capitis, & pedum vervecis, quemadmodum *cap. 13.* diximus. Ante scarificationem tamen perpendendum est totúmne corpus siccum atque extenuatum sit, an verò pars affecta tantùm. Si totum corpus extenuatum fuerit, frustra erunt scarificationes, sin succulentum utilissimæ.

CAP. XVI.

Sphaceli curatio.

SI quantumvis sedulam Chirurgi vigilantiam & adhibita remedia natura morbo succumbens, ita eludat, ut desinat Gangræna in Sphacelum, sive mortificationem perfectam, tunc non erit ampliùs sumenda indicatio à causis antecedentibus, aut pro illarum ratione & varietate mutanda remedia. Sive enim Gangræna orta fuerit ex intemperie calida, sive frigida, humida, aut sicca, Sphacelus semper est idem, nempe extinctio caloris nativi, destructio humidi innasi, ac proinde mortificatio ejus partis, quam occupat.

Cùm igitur Sphacelus (uti sæpiùs dictum) sit perfecta mortificatio substantiæ partis affectæ, ut loquitur *Galenus*, quæ quidem partes vicinas sensim inficit, & corrumpit, fieri nequit, ut ei, quod plenè mortuum est, vita restituatur. Unica igitur hæc erit curandi Sphaceli ratio, nimirum ut pars sincera & sana conservetur. Id autem fit primò applicatis defensivis, quæ impediunt, ne mortificatio altiùs serpat, partesq; sanas occupet; Secundò extirpato eo omni, quod corruptum est: Ergò paulo supra, aut circa partem jam emortuam applicandum erit defensivum, quale supra *cap. 13.* præscripsimus. Et quamvis nonnunquam nulla detur spes conservandi partem sanam (sæpissimè enim Sphacelus adeò vehemens est, ut nullo remedio quantumvis ex arte præscripto, & adhibito cedat) nihilominùs tamen defensiva sedulò sunt applicanda; ut hoc modo vapores ex putredine exhalantes arceantur à partibus principibus, veluti à corde, cerebro & hepate.

Cæterùm, corrupti extirpatio variis fit modis. Nonnulli scarificationi altiùs factæ inter sanam partem, & mortuam, inspergunt pulverem ex arsenico, vel unguentum Ægyptiacum induunt, arsenico fortificatum. At nos jam antea docuimus arsenicum in medicamentis septicis censeri, atque dira & periculosa inferre symptomata, ac proinde alienum esse ab hujus morbi curatione.

Loco arsenici mirè placent ruptoria facta ex cinere sarmentorum & calce vivâ: quippe ilicò, & ferè sine dolore profundam gignunt escharam, & cùm nullâ qualitate maligna sint prædita, nequaquam partes principes, veluti cor, cerebrum, & hepar lædunt, ut facit arsenicum.

Ruptoria autem prope carnem sanam applicanda sunt, nec opus est, prius scarificare carnem; per se enim satis valida sunt, & altè penetrant. Escharâ verò factâ, non est ejus casus exspectandus naturæ, aut medicamentorum ope; sed removenda, separandaque est novaculâ, aliove instrumento idoneo. Tandem, si videat Chirurgus carnem mortuam nondum penitùs exstirpatam, denuò applicabit, ut antè, ruptoria, eaq; reiterabit, quoad quicquid est putre, à sana separatum sit.

2. Modus exstirpandi carnē mortuam. Alter modus exstirpandi, quod corruptum est, cauterio actuali perficitur, dum uritur, quicquid infectum, & corruptum est, & removetur eschara novaculâ vel pharmacis, veluti succo porrorum, aliisq; ante *cap. 13.* propositis.

3. Modus. Tertio modo resecamus primùm una eademque vice novaculâ quicquid corruptum & mortuum est; idque quàm proximè accedentes ad sanam & sinceram carnem: deinde cautere actuali vulnus inurimus, tum sistendi sanguinis gratiâ, tum etiam siccandarum, & absumendarum reliquarum sanguinis & humorum corruptorum in parte affecta: postmodum aggrediemur, ad removendam, ut antè escharam.

Veruntamen si insit parti vas aliquod, veluti arteria, aut vena, operatio tantò erit periculosior, quantò hæ grandiores fuerint. Itaq; si metus est hæmorrhagiæ, præstabit cautere potentiali & actuali operationem exsequi, quàm novaculâ (præcipuè si æger exsanguis & imbecillus fuerit) quamvis hæc ratio tutior, & securior est, tum quia, dum amputatur caro emortua, fit simul & semel sanguinis, & corruptorum humorum evacuatio; unde pars nonnisi plurimùm levati potest, tum quia, dum primùm resecatur portio carnis corruptæ, cauter actualis altiùs penetrat, adeoq; exsiccat potentiùs corruptionis reliquias: contra verò si relinquatur caro mortua, cauter subitò gignet escharam durissimam, sub qua putredo manebit conclusa, citra perspirationem ullam: itaq; res erit loco, quàm ante, pejore.

Hæ operationes possũt exerceri, cùm Sphacelus inest parti corporis, quam non sit necesse, aut possibile totam exstirpare, verbi gratiâ femori, clunibus, & cæteris id genus partibus. At si sit in manu, pede, brachio, tibia, totumq; membrum occupet, id unum restat extremum nimirùm remedium: hoc est, ut non solùm partes carnosæ, sed ipsum os, totumque membrum exstirpetur. Verùm antequam declaremus operationis modum, videamus, quo loco tutiùs, & commodiùs ea possit institui.

CAP. XVII.

De Amputationis loco.

DIcturis de loco, in quo amputatio facienda est, consideranda occurrit partis affectæ differentia. Quare si Sphacelus sit in pede, aut tibia, operatio facienda est quatuor quinqueve digitis

Cap. 17.

gitis infra genu, nempe sub poplite. Etsi enim Chirurgus tenetur, quantum potest, corpus quàm integerrimum conservare, amputatio tamen nullo alio in loco, quam prope genu, uti diximus, fieri debet. Sic enim æger commodiùs utetur ligneâ tibiâ, firmiusque incedet, alioquin reliquus tibiæ truncus impedit, & ita quidem, ut nonnulli, quemadmodum testatur *Paræus*, iterùm subire periculum, reliquamq; partem trunci ad poplitem sibi amputandam curare coacti fuerint. At si Sphacelus genu superarit, quàmminimum sinceri resecandum, quoad ejus fieri poterit. Primò, quia operatio tanto periculosior, quantò trunco corporis est proximior, propter vasorum, venarum scilicet, & arteriarum amplitudinem. Secundò, quia lignea tibia difficulter adaptari potest, si crus supra genu abscissum fuerit. Idem de manu judicium: in qua operatio commodè fiet ad carpi articulationem, ut tantum è brachio conservetur, quantum commodè alligandæ & aptandæ manui ferreæ sufficiat.

Libr. 11. cap. 29.

Membra non esse scalpris abscindẽda, ostenditur.

Cæterùm monitos velim Chirurgos rationales fideles, ne in abscissione manuum & digitorum eos (nisi maxima urgente necessitate ut postea c. 19. fusius dicam) sequantur, qui membrum in scamnum collocant, & apposito scalpro, aut securi, ictu mallei carnem & ossa simul & semel maximâ cum vehementia, maximoque cum impetu abscindunt. Est enim operatio nimis violenta & crudelis, ac proinde rationali Chirurgo indigna: ægris verò planè exitiosa, propter maxima, quæ ipsam sequuntur, symptomata. Non solùm enim hac operatione partes nervosæ, & musculosæ supra modum contunduntur, & conquassantur, verùm etiam ossa ipsa ad proximam articulationem usque, ut plurimum finduntur: hinc etsi ossa nullum habeant sensum, ratione tamen periostii dolores gravissimi, inquietudines, vigiliæ, inflammationes, convulsiones aliaque pessima symptomata sequuntur, imò & nonnunquam Gangræna de novo suboritur, ægrumque perimit. Sin verò hujusmodi symptomata omnia non supervenerint, ulcus tamen, & non nisi maxima cum difficultate ad cicatricem perducitur, idque propter maximam confractionem, & comminutionem ossium, quæ hinc & inde per partes musculosas remanent, & ad tempus periostio adhærent, tandem verò paulatim beneficio naturæ rejiciuntur, atque expelluntur, cujus rei exemplum memorabile hîc in gratiam tyronum inserere non gravabor.

Obserùat.

Anno 1578. juveni cuidam propè Novisiam, in Episcopatu Coloniensi, cum crepitu bombardæ sinistra perfracta fuisset, Magistro *N. Clout*, barbitonsori Novisiensi, se curandum commisit. Is (ad imitationem Leonhardi Botalli,) in scamnum collocatâ manu, securim, quâ rustici findunt ligna, parti, ubi abscindenda erat manus, apposuit. Deinde quendam cordatum hominem ex adstantibus jussit, ut ponderoso quodam malleo ligneo, quo rustici ad findenda ligna utuntur, tergum securis fortissimo ictu percuteret: quod quidem ita ad votum successit, ut manus primo ictu abscissa fuerit. Ab initio gravissimi quidem dolores, vigiliæ, aliaq; suprà commemorata symptomata supervenerunt: post longum tempus tamen, & ingentes dolores evasit, corporeque convaluit. Ulcus verò difficulter ad cicatricem perduci potuit, propter ossiculorum fractorum & comminutorum abundantiam, quæ menstruales ferè molestias, novaque symptomata ægro paraverunt.

Ex his manifestum fit, quàm ineptus, quamque periculosus sit modus abscindendi membra, quem Johannes Schentzius observationum medicinalium *libr. 5. mihi pag. 791.* Ex Leonhardo Botallo lib de vulneribus scolpetorum proponit, his verbis: Cæterùm inquit, major cura est adhibenda in magnis membris amputandis, quàm si digitus tantum sit: nam hic facilè demitur: collocatur aut super banco, filtro, aut exiguo pulvillo ex gossipio submisso, mox illi acies gladii, vel scalpelli plani ac lati optimè acuminati, quasi ad perpendiculum aptatur, & instar cunei ligneo malleo adigitur, ut unico ictu opus peragat.

Pro magnis verò membris alius est modus excogitatus: nempe cultri duo lati, quorum unus intra duas columnas ligneas cippo infixus est, aciem sursum producens, alter verò intra easdem columnas superiore loco ponitur, qui ad amussim descendat, ut aciem acie fricet. Hic autem quo minus labatur, sulco in utraque columna facto recipitur, ut quasi fistuca sursum deorsumque liberè ferri possit, non ultrò citroque: & quò suo solo descensu ac pondere totum membrum detruncet, cippo vel plumbo onerãdus est, quantum satis esse videbitur, vel ipse quoque cædendus est ingenti & gravi malleo ligneo, ut unica illisione absolvatur opus: sed melius est si instar fistucæ cadat. Modus autem hic, eo qui serrâ efficitur, multò tutior est, facilior & celerior, imò etiam fermè citra dolorem: adeò ut Regius Chirurgus Magister Jac. Cognomine, Vir in arte suâ cum doctrinâ, tum experientiâ exercitatissimus, fateatur, suâ operâ vivere nonnullos, simili instrumento crure mutilatos, qui putabant ex lychnio ignis scintillam super pedem incidisse, cum detruncatum membrum est: quod non evenit, nisi actionis ejusdem instrumenti celeritate, quæ quantum commodum ferat, solummodò prudens artifex novit, & qui in talem calamitatem incidit. Nam præter id, quod dolor exiguus & momentaneus est, ex arbitrio etiam artificis illicò arteria & vena occluduntur: quod non pauci est momenti. Imò quidem ex iis, qui à cæsis membris intereunt, plures ob effusum sanguinem occidunt, quàm ob aliam causam. Nam intereà dum serrâ ossa secantur (præter id quod & plærumque multas nervosas partes à novacula relictas hæc miserè lacerat) perpetuò sanguinem & spiritus fundunt sectæ venæ & arteriæ, quare non possum non vehementer hoc loco serram vituperare, & ex adverso cultros laudare ac commendare. Sed qui vel animi prudentiâ, vel stupore, vel artis imperitiâ non facilè ad insueta transeunt, statim opponunt ossium confractionem, vel carnosæ partis contusionem, vel operis crudelitatem. Ast hæc nulla prorsus est, si cum eâ, quæ serram consequitur, conferatur: & contusio nulla fit, si cultri acies, prout licet, fuerit adducta:

ducta: nullius etiam momenti est ossium confractio, cum facilè fragmenta hoc loco arte deducantur, vel à natura rejiciantur. Cum igitur negotium ipsum obeundum est, candentia cauteria habenda sunt præstò: apponenda ad axillam, vel inguen repellentia, aures obturandæ, oculi avertendi, & membrum, pro ut dictum, est ligandum, postea sic inter utramque est collocandum, ut (si intra cubitum vel genu sectio fiat) ambo ossa æqualiter inferiori aciei insistant, non autem unum alteri supersistat, (non idem observandum est, si supra genu vel cubitum secare expediat, quod unicum tantum os sit) deinde repente à sano segregandum, mox ad cauteria deveniendum est, quibus arteriæ & venæ cohibentur: incepto opere ab arteria: nam sanguinis aliquid effluere utile est: deinde protinus tenuis crusta inducenda, perinde atque alibi jussum est: inde vincula solvenda, & totum ulcus cum adjacentibus partibus obtegendum medicamento confecto ex rosaceo, ovo, & bolo armeno, quod tepidum applicetur: usurpetur hoc biduum. Hæc Botallus, quæ quidem mi candide lector, non adscribo, ut modum ac methodum illam approbem, quin potius ut tyrones, quibus methodus illa facilis esse videbitur, admoneam, ut diligenter sibi ab ea caveant. Causam, ut multis verbis exponam, supervacaneum esse existimo; Unicum enim illud exemplum, superius commemoratum, de juvene, cui Magister Clout, Barbitonsor Novisiensis, manum abscidit, tibi sufficiet. Ego operationi non interfui: eram enim tunc temporis adhuc juvenis, quæ verò recensui, ex viris fide dignis habeo, partim quoq; propriis oculis vidi, ægrumque cum in istis miseriis esset, cognovi. Nunc iterum ad institutum nostrum.

Alii membrum, inprimis verò digitos, tenaculâ incisoriâ, & ad id aptatâ abscindere tentant. Quæ quidem operatio absque maxima contusione, & dilaceratione nervosarum partium, ossiumque comminutione, ac periculo ægri fieri non potest; Hujusmodi enim tenaculi ferrus & similisque materia dura, potiùs & faciliùs, quam nervus, aut nervosum quid abscindi potest: quod diligens Chirurgus etiam in brutis experiri facilè poterit. In extractione fœtus mortui, aliquando ut brachia in ipso humero abscindantur, necesse esse, sciunt practici. Ab initio itaque cum operationem illam administrarem, & abscissionem novaculâ, non nisi summo cum periculo fieri posse perpenderem, ad tenaculam incisoriam confugi, eaque parvo cum negotio abscissionem brachii perficere me posse sperabam: Verùm fefellit me opinio, aliaq; instrumenta ad operationem illam exsequendam excogitare coactus fui. Quid plura? cùm contusa vulnera, ut experientia docet, reliquis semper sint periculosiora, suadeo, ut Chirurgus ab hujusmodi operationibus ineptis atque periculosis, ne dicam crudelibus, abstineat. Qumodo autem membra sint abscindenda, posthac declarabimus.

Porrò docent nonnulli ex neotericis, & quidem magni nominis Medici, partem resecari in ipsa carne mortua, ac corrupti etiam nonnihil relinqui, ad vitandam hæmorrhagiam, dolorem, & convulsionem: ac nihilominus censent, quicquid putredinis reliquum est, absumendum cauterio actuali. *Andræas Vesalius* Institutionum Chirurgicarum *lib. 5. c. 14.* eadem habet verba. Quam tamen opinionem falsò *Vesalio* adscriptam fuisse, vel solus ipse stylus testis est. Non enim *Vesalius* illo in loco loquitur, sed alius, magni tamen nominis Medicus, ex quo *Dn. Prosperum Borgarutium* qui Chirurgiam *Vesalii*, ipso defuncto, in lucem edidit, locum illum de verbo ad verbum transcripsisse, vix unâ voculâ imutatâ, facilè animadvertet, qui verba unius atque alterius authoris inter se conferre velit.

Cap. 17. amputandum nec ne? perquiritur.

Iohannes Riolanus in Chir. sua cap. 11 de Gangrana & Sphacelo.

Opinionem autem hanc ex *Iohanne Vigone* decerptam fuisse, verisimile mihi videtur: *libro* enim 4. *cap. ult.* jubet, ut de carne putrida atque corrupta, propter causas antea recitatas, nonnihil relinquatur. Verùm locum istum inscitiâ amanuensis, aut forsan ipsius typographi depravatum esse, neque hanc fuisse mentem *Vigonis*, scripta ipsius luculenter ostendunt. Sic enim scribit *lib. 2. cap. 17, de cura Gangrana, aschachilos & estiomeni*; *Vltimò*, inquit, *loco, si ista corruptio transire videtur ad estiomeni dispositionem quæ (ut superiùs diximus) corrumpit membrum, in quo talis reperitur indispositio, in tantum, quod ossa etiam dicuntur vitiari; Tunc statim pro ejus curatione succurrendum est, sequestrando à sano* totam partẽ corruptam, *novaculâ bene incidente; Deinde os serrâ secandum est*, &c. Ubi dictiones *totam partem corruptam* notandę sunt: nullam enim in se continent exceptionem. In compendio verò suo *lib. 2. cap. de curatione Gangrana mihi pag* 851. Etiamsi ipsummet *Vigonem* aliter sentire videatur, cùm membrum corruptum in carne mortua, & putrefacta amputandum esse refert: attamen quia *eodem capite*, uti & *capite* 13. *lib.* 8. doctrinam suam authoritate *Celsi* probat, atque stabilire nititur, certum est, ipsum cum *Celso* consentire; Alioqui in quem, quæso, finem ipsius authoritatem protulisset? At *Celsus* potiùs de parte sana aliquid exscindendum quàm de ægra & corrupta quicquam relinquendum esse, postea addit. Hinc ita argumentari potest: *Celsus* post *Galenum* membrum Sphacelatum inter carnem sanam & corruptam abscindendum esse docet; Ita tamen, ut potiùs de carne sana nonnihil exscindatur, quàm de corrupta quicquam relinquatur.

Lib. 7. c. 33

Vigo opinionem suam, de abscissione membri Sphacelati, authoritate *Celsi* duobus in locis confirmat.

Lib. 4. cap. ultimo lib. 8. c. 13.

Vigonem itaque cum *Celso* consentire, aç membrum potiùs in parte sana, quàm in carne mortua amputandum esse, sequitur. Hæc propterea adscribo, ne aliquis celeberrimum, atque de Chirurgia optimè meritum virum Dn. D. *Vigonem* hujus controversiæ primum fuisse authorem existimet.

Quod ad *Galeni* doctrinam attinet, ea videtur pugnare cum *Celsi*, & complurium antiquorum, & recentiorum usurpata praxi: sic enim scribit: *Etenim cùm ita membrum affectum est mortuum, ut nec punctionem, nec sectionem, nec etiam ustionem sentiat, statim ipsum rescindere oportet*, quà vicinam

Membrũ putrefactum non esse in carne mortua abscindẽdum, ex Galeno demõstratur.

Cap.17.

vicinam sanam partem attingit. Verùm intelligendum est, *Galenum* spectasse, quod præcipuum est potiùs, hoc est, ad radicem mali, quàm quæ ex eo consequuntur. Quia ergò putredo semper altior est in imâ parte, ceu calidiore & humidiore, ut postea fusiùs dicam, noluit *Galenus* inchoari amputationé extrinsecus à mali radice, ita ut relinquatur præcipua radix & putredo in ima parte, nimirùm inter musculos, & vasa; Ibi enim vera putrefactionis radix, non item foris in cute; ut igitur tollatur radix illa, necesse est sinceri aliquid resecari, idque extrinsecus, quemadmodum *Celsus* & alii docent.

Ad Glaucon. lib.2. cap. 8.

Est præterea modus loquendi passim à *Galeno* aliis quoque in locis usurpatus. Sic enim scribit, de arte curativa ad Glauconem *lib. 2. cap. 10.* ubi de excisione cancri ait: *At Scopus*, inquit, *in hujusmodi curatione est, totum r, qui circumstat tumorem præter naturam, quâ partibus sanis adhæret, abscindere:* quibus verbis *Galenus* tumorem propè carnem sanam exscindendum esse docet. Alibi verò, nimirùm Methodo Medendi lib. 14. hæc habet verba. *Ubi verò quod vitiatum est, prorsus excideris sic ut nulla superstit radix, sines effluere sanguinem, &c.* Et libro de atra bile: *Omnes*, inquit, *exulcerationes ab atra bile, sunt insanabiles, nisi quis sanationem appellet, ut affecta pars tota circumquaq; ad partem sanam abscindatur.* Hinc manifestum fit, *Galenum* cum *Celso* consentire; Ac proinde membrum potiùs in parte sana, quàm demortua abscindendum esse. Atque hanc fuisse opinionem atque mentem *Galeni, Aëtius* disertè testatur. Cùm enim curationem Gangrænæ & Sphaceli ex *Galeno* operi suo inseruit, hæc habet verba. *Proinde*, inquit, *partem mortificatam celerrimè resecare oportet, quatenus contingit vicinam sanam, ita, ut nihil prorsus putridi ac cariosi relinquatur. Bartholomæus Maggius* sententiam *Galeni* & *Pauli* in excisione non totius membri, sed partis alicujus corruptæ, intelligendam esse, testatur, & membrum Sphacelatum in parte sana amputandum esse, docet.

Aëtius Galeni mentem explicat. Tetrab. 4. serm. 2. cap. 56. Lib. de vuln. sclopet. cap. de membri Sphacelo affecti, & corrupti excisione.

Sed redeamus nunc unde digressi fuimus, & videamus, an operatio illa, quæ fit in carne mortua & putrida, secundùm tria illa præcepta *Galeni*, quæ lib. 4. cap. 13. meth. med. protulit, fieri possit: ubi operationes *citò, tutò, & jucundè*, hoc est, absque dolore fieri debere præcipit.

Operationes omnes citò, tutò & jucundè fieri debent.

Extirpationem membri, quæ fit in carne mortuâ, citò fieri non posse, ut demonstrem, illud *Galeni*, Sphacelum scilicet corruptionem esse substantiæ partis, quam ipse occupat, ita, ut etiam ossa ipsa labem sentiant, iterùm in memoriam revocandum est. Inde enim apparet, quicquid putridum est, absumendnm esse; At non video, quomodo extirpatio illa citò fieri possit, si toties iteranda erit operatio. Ad carnem enim putridam ad os usque incidendam: deinde eandem ad vivam carnem usque cauteriis multis ignitis absumendam, & os serrâ abscindendum, profectò tempus longum requiritur. Et quia hujusmodi operatio etiamsi in carne mortua fiat, dolorosa, ut postea demonstrabo, ac interim æger ingenti horrore perstringatur, dejiciuntur vires, si longa fuerit operatio. Abscissio verò quæ fit in carne viva, præcipuè si Chirurgus diligens, & manu promptus fuerit, ferè1 ut ita dicã, momentanea est, uno enim ictu caro ad os usque inciditur. Quod si Chirurgus ad carnem incidendam cauterio cultellari, ut postea dicam, uti voluerit, vasa quoque simul constringet, & hæmorrhagiam impediet. Sin novaculâ carnem absciderit, facilè tamen, & parvo temporis spacio, vasa aut ligabit, aut cauterio actuali claudet. Hæc non ex conjectura scribo, sed expertus loquor. Citò itaque abscissio membri, quæ fit in carne corrupta, fieri non potest.

Amputationem in parte putrida citò fieri non posse, ostéditur. Comm. 56 lib. 6. aph. Hippocr.

Nunc an tutò fieri possit, videndum est, ubi verba proxima ex Galeno allegata, iterùm sunt perpendenda. Si enim Sphacelus partem, quam occupat, ita corrumpit, ut etiam ossa ipsa labem sentiant, non sat est extrinsecus cutem conspicari, sed quousque pervadat malum attendere, ut tota pars affecta exirpetur: alioquin futura est inutilis operatio: nempe quia corruptio ossi impressa denuò inficiet partem sanam. Advertendum præterea, quò calidiores & humidiores sunt partes, eò faciliùs eas putrescere. Est autem certum, musculos & vasa in intimis sita partibus, multò calidiora & humidiora esse, quàm sit cutis extima, ac proinde putredini & corruptioni magis obnoxia. Hinc sequitur, corruptionem & putredinem altiorem esse sæpè numero in ima parte, quàm foris in summa cute apparet. Itaq; si juxta id, quod apparet, operationem tuam administraveris, frustra ægrum cruciabis, dum carnis emortuæ plurimum in ima parte relinques; Quemadmodum ex sequentibus historiis manifestum fit. Anno 1586. cum præstantissimo illo Chirurgo, Dn. *Iohan. Griffonio* Genevâ in Sabaudiam ad virum quendam juvenem, robustum Gãgrænâ in tibia laborantem, profectus fui. Gangræna ad poplitem usque ascenderat. Ut igitur genu conservare possemus, tibiam ad ipsam radicem mali abscidimus: deinde truncum diligenter, quoad fieri potuit, ferro candenti decoximus, ut si quid forsan reliquum esset putredinis, id Cauterio absumeremus. Verùm frustrà languens æger excruciatus fuit. Abscisâ enim tibiâ, sub genu, ubi vasa magna descendunt, & propè os Gangræna jam multò altiùs, quàm in cute apparebat, ascenderat. Alind & quidem recens exemplum satis memorabile addam. Juvenis quidam duodecim annorum ætatis, Coppeti ad Lacum Lemannum, cùm ex Dysenteria curatus esset, Gangræna in dextro pede exorta est, quæ in Sphacelum degenerans, totum crus invasit. Naturæ autem beneficio per se in ipso genu substitit, ibique in fœtidissimum ulcus degeneravit, ligamenta erosit, ipsamque juncturam disjunxit. Ego cum ultima die Januarii Anno 1614. accersitus essem, crus supra genu, & quidem in ipsa carne viva ad duos digitos in latitudine positos abscidi. Alterâ die cùm truncum denudassem, os ante carnem prominentem, & musculos versus coxam retractos, & longè altiùs, quàm extra in cute apparuerat, ab ipso osse separatos esse reperi. Sphacelus enim etsi miro beneficio naturæ in ipso genu, ut dixi, substiterit: putre linem tamen ulceris longè altiùs in centro partis affectæ, hoc est, circum

circum circa os serpsisse, ipsumque os carie contaminasse, postea manifestè apparuit, quemadmodum in Centuria quarta Observationum mearum fusiùs dixi. Simile videmus in pomis & pyris, in quibus nonnunquam extra in cortice macula solummodò nigra conspicitur, cùm tamen intra ad nucleum usque, aut etiam ulteriùs, putrida cariosaque sint.

Nunc, quid de hæmorrhagia censendum, & an illa tantoperè in amputatione membri formidanda sit, investigandum est. Ubi constitutio ægri perpendenda est. Æger enim si supra modum debilis, atque extenuatus fuerit, quemadmodum juvenis ille Copeti, cujus jamjam mentionem feci, sanguis, quoad fieri potest, conservandus est. Conservatur autem, si caro ad os, cauterio actuali, & in formam cultri fabricato, abscindatur, & vasa cauterio obturata fuerint. Hæmorrhagiam quoque impedies, si arctissimè constringas lorum, quod superligatur parti, cui serra adigenda est: Sic enim venarum & arteriarum vasa ita constringuntur, ut vix tres quatuorve sanguinis unciæ in amputandâ tibiâ pereant, modò Chirurgus industrium sese gesserit. Tamen etiamsi paulò plus pereat, non est existimandum, supernè omnem prodire, sed partem etiam ex ipsa parte amputata manare, quæ quidē quicquid continebatur sanguinis effundit. Sin verò æger juvenis, robustus, & plethoricus fuerit, tantum abest, ut hæmorrhagia sit evitanda, quin potius ex præstantissimorum Medicorum atq; Chirurgorum sententia, operatione factâ, sanguinis quantitas aliqua sinenda effluere, neque absque re. Enimverò sanguis putredini, sive carni mortuæ contiguus, cum jam quodammodo corruptionem conceperit, nonnisi nocere potest, quàm diu in parte moratur: imò nisi sufficienter evacuatus fuerit, paucis post operationem diebus, Gangræna rursus truncum invadet, aut saltem inflammatio phlegmoneve, aut dolor, & cætera gravia symptomata supervenient; quapropter nōnihil sanguis ut effluat, necesse est, habitâ tamen ratione virium.

Porrò, an operatio in carne mortua facta, jucundè, hoc est, absque dolore, ut illi existimāt, fieri possit, nunc quoque perquirendum est; Excitatur dolor in amputatione membri Sphacelati, ratione nervorum, membranarum, & periostii. Quòd si itaque volueris operationem absque dolore fieri, hæ partes ut planè sint corruptæ & emortuæ, necesse est. At verò nervi & nervosæ partes propter suam siccitatem, multò tardiùs carne corrumpuntur: ubi iterùm apparet, aut multum relinquendum esse carnis putridæ, aut operationem dolorosam esse, etiamsi in carne mortua fiat. Sæpissimè enim, etiamsi cutis & caro sint emortuæ, nulloque sensu præditæ, interim tamen nervi majores, & periostium sensu nondum destituti sunt. Quapropter cum os serrâ resecandum venit, tum acutissimi percipiuntur dolores, non quidem ossis ratione, quod insensibile est, sed ipsius periostii, quod acutissimo sensu præditum. Ut igitur operatio fieret citra dolorem, necesse foret totam partem ita corruptam esse, ut illi etiam membranæ corruptio communicaretur: Id, si ita se haberet, annon, quæso, & ipsum os tali imbutum esset corruptione, & caro ossi adhærens itidem corrupta, putris & emortua multò profundiùs, quàm extimam cutem spectanti videretur? cùm caro illa ossi vicina proclivior sit ad corruptionem, quàm quæ cute proxima, sicut ante quoque monuimus. Sic autem inutilis foret operatio, cùm reliqua corruptio nūquam possit cautere corrigi.

Cap. 17. tutò fieri non posse iterum ostenditur.

Isti autem, dum vitare dolorem nituntur, eundem duplo videntur augere. Ubi enim tantum emortuæ carnis absumendum est, quantum relinqui volunt, vix satisfacient duo, tresve cauteres, imò etiam quinque, sexve cum ardentissimo igne desiderabuntur, usque dum, inquam, eos percipiat æger: alioquin irritus labor. Cæterùm summo cauteriorum ardore liquantur adeps, ac reliqui humores, imò & effervescunt, atque ita uruntur, & immodicè calescunt partes sentientes, quales sunt nervi, tendines, & panniculi, unde acutissimus dolor, inflammatio, vigiliæ, febris, convulsiones, aliaque gravissima symptomata. Hinc *Avicenna* monet; *Cauterizator*, inquit, *sibi cavere debet, ne fortitudo cauterizationis ipsius ad nervos perveniat, neque ad chordas, neque ad ligamenta: quod si propter sanguinem, qui fluit, cauterizaverit, oportebit, ut cauterizatio sit fortis, ideò ut crusta grossitiem habeat, & spissitudinem, & citò cadat, &c.* Alterum præterea, ex fortissima illa cauterizatione fit incommodum; nimirum quod eschara illa, sive crusta durissima & densa malignorum & putridorum vaporum exhalationem inhibeat, unde fit verisimile, eas ad partes principes ferri. Neque sic possunt omnia cautere exsiccari, quin remaneat aliquantum novæ quasi corruptionis fermentum, dum eschara putrescit. Præterea carne mortuâ sic absumptâ, cutèque cauterum vi contractâ, magna ossis eminentia relinquitur, ac fortè talis, quæ serræ opus denuò efflagitet. At si perpetuò incidenda pars in carne mortua, quid fiet in pedis Sphacelo? nunquid magna tibiæ portio tibi relinquenda erit; aut exspectandum, dum corruptio aut putredo altiùs pervaserit? Hoc autem ægro erit periculosissimum, illud eidem molestum, ac laboriosum. Sed & arcta ligatura Chirurgis usitata spiritum animalem impedit, quò minus vigeat in parte affecta, adeò, ut veluti obstupescat, proptereaque novaculâ optima sectio prius absolvitur, quàm ipsam vix animadvertit. Non potest itaque fieri operatio in carne mortua *citò*, multò verò minus *tutò & jucundè*, hoc est, absque dolore. Præterea cum ars Medica sit nobilis, subjectū verò Medicinæ nobilissimum, æquum est, operationes cum ornatu & splendore quodam fieri. At verò in operatione ista, quæ fit in carne mortua, ubi primò caro & os inciduntur, deinde cauteria ignita toties iterantur, ut non solùm domus, verùm etiam platea, tetro isto odore impleantur; quemadmodum *Fallopius* de quodam scribit, & ægri in longum tempus mirum in modum tormentis lacerantur, nullum ornatum, nullumque splendorem video. Operatio verò, quæ fit in carne viva, veluti momentanea, securissimaque est, fitque sine magno dolore.

Amputationem in parte mortua absq; dolore fieri non posse ostēditur.

Lib. 1. fen. 4. cap. 29. mihi pag. 156.

Operationes Chirurgicæ cum ornatu & splendore fieri debent.

Lib. de tumore præter natur. cap. 26.

Sed

Cap. 17. De convulsione.

Sed videamus nunc, quid de convulsione censendum sit, anque illâ factâ amputatione in parte viva potiùs metuenda, quàm si in parte corrupta fieret? Convulsionem fieri aut à repletione, aut ab inanitione, *Hippocrates & Galenus* docent. Neoterici etiamsi multas statuant causas, omnes ad prædictas illas duas, ab *Hippocrate* traditas, referri possũt. Verùm in amputatione alicujus membri, si convulsio supervenerit, illa erit vel propter immodicam hæmorrhagiam, aut ingentem dolorem, vel denique ex materia aliqua maligna, ex parte affecta ad cerebrum ascendente. Si ex nimia hæmorrhagia fuerit, periculosa erit, testante *Hippocrate*: fit enim ex siccitate: quapropter Chirurgus, ut sanguis conservetur, diligens esse debet, præcipuè in delicatulis, aut quovis modo extenuatis corporibus. In robustioribus & plethoricis verò, ut aliquid sanguinis post amputationem membri effluat, necesse esse, antea demonstravimus.

Hippoc. 6. Aphor. 39. Gal. de loc affect. lib. 3. cap. 3. Item lib. 6. cap. 5. lib. 2. c. 2.

Lib. 5. Aphor. 3.

Impediet autem Chirurgus hemorrhagiam, si loco novaculæ cauterio cultellari, ac benè ignito utatur, diligens, & manu proruptus fuerit. Anno 1600. Paterniaci brachium ad humerum, præsente reverendo Viro Dn. *Ioh. Merula*, verbi divini ministro, & Dn. *Petro Freuderich*, ibidem Oeconomo, abscidi: in qua operatione vix unciæ duæ sanguinis emanarunt. Anno 1614. Coppeti similiter tibiam in ipso femore abscidi, ubi similiter vix uncias tres sanguinis amisimus. Erant autem hi supra modum extenuati & debiles, alioquin non soleo tantoperè esse sollicitus, etjamsi aliquid sanguinis post operationem effluat.

Observat.

Quomodo dolor convulsionem excitet. method. med. lib. 5 & lib. de sangu. missione. De compos. med. secund. gen. lib. Hippocr. lib. 5. aph. 2.

Ratione doloris supervenit convulsio, cùm nihil sit, ut testatur *Galenus*, quod magis profluvium excitet, sanguinemque attrahat, quàm ipse dolor: hinc inflammatio, & convulsio sequuntur, quæ quidem, ut *Hippocrates* docet, lethalis. Non quidem tanquam ex immensitate, ut addit *Galenus* in comment. sed tanquam adeò crebro. At operationem illam in carne viva factam, ferè absque dolore fieri, ante demonstratum est: est enim dolor ille, ut ita dicam, momentaneus, respectu doloris, qui fit, si in carne mortua abscissio facta fuerit. Adde quoque post operationem dolorem illum, medicamentis mediocriter refrigerantibus, & repellentibus, facilè leniri posse. Nervi enim in ipso momento, quo abscinduntur, sursum retrahuntur, & à carne teguntur: factâ verò abscissione in parte mortua, etiamsi nervi versus originem retrahantur, propter cauteriorum tamen numerum, & ignis violentiam liquantur, & effervescunt humores in ipsa parte affecta, & circa nervos, nervosasque partes, ac proinde maximos dolores inferunt, quemadmodum antea quoque demonstravi.

De convulsione à maligno vapore. Lib. 3. c. 16.

A maligno vapore fieri convulsionem, sciunt practici. Interdum, *inquit Ioh. de Vigo, putrefiunt nervi, ex qua putrefactione materia venenosa elevatur in fumum, & per nervos rapitur ad cerebrum: quamobrem necessariò cerebrum, sentiens nocumentum venenositatis materiæ, quæ causat notionem cerebri, compassione movetur, ad expellendum nocumentum veneni.* Hactenus Vigo. Cæterùm in parte viva abscisso membro, quomodo quæso superveniet convulsio ex malignis vaporibus, ad cerebrum elevatis? cùm quicquid putridi est, abscissum sit. Contrà in parte mortua factâ amputatione, remanet tamen pars aliqua putredinis circa nervos, imò & in ipsis venis & arteriis: quæ etiamsi à cauterio exsiccetur ex parte; non tamen omninò absumitur, sed ratione ignis effervescit acriorque efficitur. Post dies itaque aliquot affluentibus humoribus, magis magisque incalescit pars affecta, & quia eschara illa spissa, ne effluat materia illa acris, & putrida, obest, malignitatem acquirit, ex qua postea malignus & pestiferus vapor ad partes nobiles ascendit per nervos ad cerebrum, ubi nunc convulsiones, nunc vigilias, inquietudines & delirium procreat; per arterias adscendendo ad cor, spiritus vitales inficit, & lipothymias, viriũmque prostrationes excitat. Per venas verò majores ad hepar si pervenerit maligna illa qualitas, massam sanguineam inficiet, intemperiemque calidam cordi, totique corpori inducet. Hinc videmus, convulsionem potiùs supervenire posse, si membrum in parte putrida abscindatur, quàm si in carne viva facta fuerit operatio. Ego multa abscidi membra, eaque omnia in carne viva; nunquam tamen (Deo opt. max. sit laus atque gloria.) convulsionem ægris meis supervenisse, Deus testis est.

Est itaque amputatio illa, quæ fit in parte viva, securissima, certa, ac vera, nec non à *Galeno & Celso* approbata. Hujus quoque opinionis fuisse *Avicennam*, hæc ipsius verba fidem faciunt. *Cùm autem*, inquit, *confirmatur corruptio in carne, tunc necessarium est, accipere totum ipsius.* Aetium similiter cum *Celso* consentire, & mentem *Galeni* explicare, ante demonstratum est. *Albucasis* verò de hac controversia sic scriptum reliquit. *Si ergo*, inquit, *corruptio, aut percussio est in extremitate digiti, tunc incide digitum, & non des spatium corruptioni, ut perveniat usq; ad reliquam manum. Et similiter si accidit in manu, tunc incide eam ex radice, nihil de corruptâ parte relinquens, &c.* Hujus quoque sententiæ fuisse *Theodoricum*, *Bertapalliam*, *Guilhelmum de Saliceto*, *Guidonem de Cauliaco*, & neotericos ferè omnes, ipsorum scripta luculenter fidem faciunt. Sic enim *Theodoricus*, de Sphacelo loquens, scribit: *Vnde mox, ut sanatio evenerit, ferro secari debet usq; ad vivum, & usq; ad locum sanum, ita ut nihil de mortua carne remaneat, &c.* & eodem cap. *Si necesse fuerit amputari, aut secari aliquod membrum corporis, usq; ad loca sana abscindas, ita ut nihil carnis putridæ derelinquas, sed magis de viva, aut sana carne aliquid auferas: sic enim meliùs & citiùs curabis. Bertapallia & Guilhelmus de Saliceto* eadem habent verba. Uti & Rulandus *lib. 3. cap. 31.* de cancris & fistulis, & aliis pustulis in genitalibus consurgentibus. *Theodoricus lib. 3. cap. 10. Bertapallia de Apostematibus c. 7. Guilhelmus de Saliceto, c. 58. Guido de Cauliaco tract. 6. doctr. 1. c. 8. Gualterus H. Reyf, in Chirurgia sua magna parte sexta. Felix Platerus tract. 2. cap. 17. de curatione doloris superficiei corporis. Angelus Bologninus lib. de cura ulcerum c. 16. Bartholomæus Maggius lib de vulneribus Sclopetorum cap. de membris Sphacelo affectis &*

Li... fen... D... Sp... 131 cap... cap

corru-

corrupti excisione. *Iohannes Guinterus Andernacus de medicina veteri & nova cognoscenda commentario 1. dialog. 8. Paulus Offredus in quadam Epistola ad me scripta, & Centuriæ 4. Observationum mearum inserenda quæ sic incipit: Non sine voluptate tuas perlegi, &c. Antonius Bussennius comment. in Galeni librum de inæquali intemperie. Antonius Chalmiteus Enchiridio Cheirurg. lib. 1. cap. 4. S. Ambrosius Paræus lib. 12. cap. 29. Iosephus Quercetanus lib. de Sclopetor. vulnerib. cap. 5. Petrus Francus lib. de Herniis cap. 95. & 103. Iohannes Iessenius à Iessen Institut. Cheirurg. cap. 21. Iohannes Andreas à Cruce lib. 1. tract. 3. cap. 10. Stephanus Gormelienus lib. 2. cap. de Eccope. Iohannes Tagautius Instit. Cheirurg. lib. 1. cap. 10. Laurentius Ioubertus lib. de Sclopetor. vulnerib. mihi pag. 113. Leonhardus Bottallus de vulnerib. Sclopet. cap. 22. Petrus Pigry lib. 1. c. 9. Iacobus Guillemius lib. 10. cap. 4. Sebastianus Franciscus Ranchinus Tract. de morbis subitaneis cap. 29. Cortilion Instit. Cheirurg. lib. 1. c. 3. Iohannes Emberiza à Chotieborzen Bohemus Probl. Therapeut. decad. 3. quæst. 10. Rodericus à Castro Lusitanus de Medico Politico l. 3. cap. 18. Iean Vegierensa Cheirurgie des ulcerres chap 52. Claude Dariot in versione Gallica Cheirurgie Paracelsi lib. 1. tract. 3. cap. 12. Petrus* von der Stille / im andern Theil seines Handbuchs der Wundarzeney im ersten *tractat. cap. 4.* wie auch im ersten Theil *quæst. 23.*

Concludemus itaque ex prædictorum Medicorum, atque Cheirurgorum sententia, operationem administrandam esse in parte sana: cùm satius sit syncerum aliquid resecare, quàm emortuum quippiam relinqui. Neque *quicquam interest*, ait Celsus, *an satis tutum sit remedium, quod unicum est.* Et cùm morbus sit extremus, quis non fateatur adhibendum extremum remedium? Denique si tutò opereris, feliciorem sperabis eventum, quàm si secus feceris. Nullo verò modo tuta operatio est, quæ fit in carne mortua, quoniam mali radix relinquitur. Quid plura?

Cuncta priùs tentanda, sed immedicabile vulnus
Ense recidendum est, ne pars syncera trahatur.

Quod spectat ad eam quæstionem, quæ proponitur: Liceatne membra Sphacelo affecta in ipsa articulatione amputare, nec ne? Scio quosdam, & quidem magni nominis Medicos esse, qui illam minimè admittunt. Primò, inquiunt, propterea, quod vulnera articulorum periculosa, imò & mortalia esse solent, propter gravissima quæ ea sequuntur symptomata, cùm sint partes nervosæ, ac proinde exquisitissimo sensu præditæ. Deinde, quia ossa circa articulos lata ac magna, caro verò exigua, ac calor nativus imbecillis, difficulter iterum ad cicatricem perduci possunt. Ego verò cum *Guidone*, *Laurentio Iouberto*, *& aliis* sentio, membrum in ipsa articulatione minori cum difficultate, & citra periculum amputari posse; idque sæpissimè expertus sum. Minore cum difficultate fit amputatio in ipsa articulatione: quia uno ictu novaculâ optimè cædente, præcipuè si promptus manu fuerit Chirurgus, fieri potest: nec opus est serrâ, aut quovis alio instrumento; quapropter dolor non usque adeò magnus: nunquam enim tam præcisè amputes & separes nervorum & membranarum portiones, quin aliquatenus serra in eas incidat, easque divellat, cum vehementissimo ægri cruciatu. Citra periculum verò, quia nervi & tendines penitus abscissi sursum contrahuntur, eosque caro operit, unde nec spasmi, nec alius symptomatis metus est. Deinde, quia juncturæ carne destitutæ, ac venæ magis conspicuæ, faciliùs sanguis supprimitur. De cicatrice inducenda nulla est difficultas, satis enim circa articulos est carnis, & calor nativus ad cicatricem inducendam satis vegetus est. At hîc rursum pro partis affectæ differentiâ administranda operatio. Nam si malum sit in pede, aut tibia, incisio facienda circa poplitem, ut eo commodiùs aptetur ægro lignea tibia. Sin Sphacelus poplitem superarit, in ipsâ genu articulatione incisio facienda veniet. Quod si malum totum digitum occupaverit, ad metacarpum in ipsa articulatione abscindendus est. Hanc operationem cùm aliàs, tum præcipuè Anno 1581 Düsseldorpii in Viro robusto triginta circiter annorum ætatis, *Rutgero Pistore*, ex voto successisse observavi. Hunc enim cum bombarda dissiliendo sinistram mirum in modum lacerasset, *Dn. Cosmas Slotanus* Chirurgus præstantissimus, præsente Viro Clarissimo atq; Doctissimo *Dn. Galeno Wiero* Illustriss. Principis Juliacens. Clev. & Mont. Doctore Medico, aliisque Viris doctis, manum in ipso carpo feliciter abscidit. Nullum supervenit symptoma molestum, & brevi sanitati restitus fuit.

Cap. 17. & 18. thol. Maggium de vuln. Sclopet. curatione cap. de membri Sphacelo affecti & corrupti excisione.

Quid in amputatione mēbri in ipso articulo observandum.

Historia.

Cap. XVIII.

Quomodo corpus ante operationem sit præparandum?

Exploratis ac satis designato loco amputationis membri corrupti, statim ad operationem perveniendum esset. Verùm unum obstat, præparatio nimirum corporis ægri. Id enim, nisi probè, & ut decet, ad operationem præparatum fuerit, non video, quomodo operatio ad votum succedere possit. Pravi enim humores, quibus corpus oneratum, ratione doloris ad locum affectum, veluti ad ad cloacam confluunt, ac gravissima symptomata excitant. Videmus id quotidie in praxi Empiricorum, artisque imperitorum hominum, qui (cùm lucrum proprium potiùs, quàm salutem ægrorum quærunt, & vix inter ligna lapidesque ac corpus humanum distinctionem faciunt) tot ægros ad summam miseriam redigunt.

In præparatione autem corporis, iterum indicatio ab essentia & magnitudine morbi sumenda est. Si enim morbus peracutus fuerit, & corruptio partes sanas celeriter invaserit non dantur induciæ, ut corpus ante operationem, prout necessitas postulat, expurgetur: ab eo enim, quod magis urget, semper inchoandum est. Clystere itaq; exoneratâ alvo jusculo & ovo sorbili, nec non haustu vini, exhibitis, & epithemate regioni cordis & carpis applicato, protinus membrum amputandum est. Post operationem

Cap. 18. verò corpus clementer purgandum est: non tamen secundo, aut tertio die, ne propter motum & agitationem corporis, & præcipuè internorum viscerum, hæmorrhagia de novo excitetur. Interim tamen alvus enematibus, aut suppositoriis lubrica retinenda est. Sin morbus mitior, præstat ante operationem illud præparare, hoc est victus rationem præscribere, pravos humores educere, vires reficere cor partesque nobiles corroborare, reliquaque, quæ necessaria sunt, ex arte administrare.

Victus ratio. In victus ratione à viribus sumenda est indicatio; Si enim æger juvenis, robustus, & plethoricus, morbus verò acutus fuerit, victus ratio tenuis instituenda est, juxta illud *Hippocratis: Ubi morbus peracutus est, statim extremos habet labores & extremè tenuissimo victu utendum est.* *Lib. 1. Aphor. 7.* Corpus aliquoties à pravis humoribus mannâ, cassiâ rhabarbaro, electuario lenitivo, diacatholico, de succo rosarum, syrupo rosato solutivo, composito cum rhabarbaro, agarico & senna, & similibus expurgandum. Si plethora maxima adfuerit, diminuendus est sanguis, ne factâ operatione intempestivè ad locum affectum fluat: circumspectè tamen hac in re agendum est. Nisi enim magna fuerit plethora, missio sanguinis ante operationem locum non habet; sed deperditio illa sanguinis, quæ in ipsa operatione sequitur, sufficit. In Gangræna ex qualitate aliqua occulta, vel ubi putredo jam majora vasa occupaverit, phlebotomia quoque minimè convenit, putredo enim ad partes traheretur. In his sanguis, ut post amputationem membri, si vires adfuerint, effluat, summoperè necesse est.

Si verò æger senex, aut ratione morbi imbecillis fuerit, cibis boni succi, cujusmodi sunt juscula carnium recentium, veluti caponum, gallinarum & similium, ante & post operationem reficiendus est, ut ante suo loco diximus. In his purgationes fortes minimè conveniunt, corpus nihilominus medicamento aliquo lenitivo, nisi vehementia morbi obfuerit, ante operationem expurgandum est: Id si fieri nequit, alvus clystere lubrica reddenda est. In his venæ sectio quoque minimè convenit.

Omnibus autem, quibus membrum aliquod amputandum est, per dies aliquot (si maturè advocatus fuerit Chirurgus) ante operationem, ut epithemata regioni cordis & corporis quotidie ter quaterve applicentur tepidè, necesse est. Quotidie bis terve nonnihil de sequenti cardiaco exhibendum est.

Potio cardialis.

R. Lapidis Bezoardici
Oss. de corde cervi præp. an. gr. vj.
Cornu cervi præp. ℈ij.
Margaritar. præp. ℈j.
Confect. Alkermes ℈j. ß.
Aquæ cinnamomi ℥j.
Buglossæ &
Calendulæ an. ℥j. ß.
Syr. de succo citronum ℥j.
Misce.

Fiat potiuncula, de qua detur bis aut ter in die ad ℥j. plus aut minus, ad libitum Medici.

Ea die, qua operatio fieri debet, paulò ante operationem jusculum, item ovum recens & sorbile, nec non haustus vini offerendus est. Tandem domesticis & amicis convocatis, & flexis genibus, & ad cœlum elevatis cordibus, Deus pro felici successu operationis (quod & in aliis magnis operationibus soleo facere) suppliciter invocandus est. Deinde iterùm factâ prognosticatione de periculo, & an amici & parentes omnes ad operationem consentiant, postquam perquisitum ac iterato epithemate, operatio eâ, quâ fieri potest, dexteritate exequenda est.

Q[illegible] ante operationem [illegible]. Cæterùm in exhibitione cibi & potus, diligenter prospiciendum est, primò, ut cibus, qui ante operationem exhibetur, concoctu sit facilis: deinde, ut paucus sit, & per horam unam, aut alteram ad minimum ante operationem offeratur, idque in eum finem, ut tempore operationis ventriculus sit vacuus: Ventriculo enim cibis onerato, vomitus vehemens (qui partes omnes, cùm internas, tum externas concutit) syncopen, viriumque prostrationem excitat, & hæmorrhagiam adauget. Ventriculus enim oneratus hepar simul & venam cavam comprimit, sanguinemque exprimit. Cujus rei exemplum Anno 1609. 31. Maii Paterniaci mihi observare contigit. Fœminæ enim cuidam *Tomace* nomine, quadraginta circiter annorum ætatis, cùm propter ulcus inveteratum & incurabile, tibiam ad poplitem feliciter amputassem; interim dum ego in sistendo sanguine, & deligando trunco occupatus eram, in tantum animi deliquium incidit, ut adstantes mecum nihil aliud, quàm ipsam mortem obiisse putarent. Sanguis quoque, etiamsi carnem cauterio cultellari & maximè ignito abscidissem, adeò copiosè effluere cœpit, ut nisi alia cauteria in promptu habuissem, de ipsa actum fuisset. Restrictâ hæmorrhagiâ, fasciisque involuto trunco, ac ægrâ veluti mortuâ in grabatum positâ, sequétem potiunculam, quæ in promptu erat, exhibui.

R. Confect. Alkermes ℈ij.
Aq. cinnamomi destillatæ sine vino ℥j.
Aq. calendulæ
Buglossæ an. ℥. ß. Misce.

Potiuncula hæc quamprimum ad ventriculum pervenisset, vomitus adeò copiosè secutus est, ut pulvim cibo indigesto, quem me absente atque inscio devoraverat, adimpleret. Ventriculo satis exonerato, cùm iterùm nonnihil de præscripta potiuncula sumpsisset, vires recollegit, & ad hunc annum 1616. quo hæc scripsi, vivit, optimeque valet.

Præterea, quæ in & post operationem necessaria esse possent (ne aliquid desit in operatione) ante præparanda sunt. Primò prædicta potiuncula ex confectione Alkermes, & aquis destillatis, ut in triplo aut quadruplo in promptu sit, necesse est; Serræ item duæ, sed ejusdem spissitudinis, ut, si forsan in ipsa operatione una frãgeretur, alia ad manus esset, & cōmodè in tramitem prioris serræ intromitti possit. Ne forsan accidat tibi, quod negligenti cuidam tonsori Neocomi Helvetiorum accidisse memini. Illi enim, cùm tibiam ad

ad poplitem amputaret, in ipsa operatione rumpitur serra: ita ut ad Arcularium M. Pierre sans fin nomine, alioquin Roscium in sua arte, excurrere, & aliam repetere necessum habuerit. Accurrit Arcularius ipse, & exprobrando Barbitonsori negligentiam, ipsemet sectionem ossis absolvit, ægrumque ex tantâ hæmorrhagiâ languidum & penè exanimem feliciter liberat. Hæc non solùm ex ingeniosissimo Arculario, amico meo singulari, verùm etiam ex ore aliorum virorum fide dignissimorum habeo. Serra autem, quod quoque notandum, si membrum aliquod magnum, veluti tibia, aut brachium, amputandum est, magna esse debet; Parva, si parvum fuerit membrum veluti digitus, aut tibia, vel brachium infantulorum. Novaculæ, forcipes, cauteria ignita, pulvis ad sistendum sanguinem, tenacula ad liganda vasa, defensiva, fasciæ madefactæ oxycrato, pulvilli, stuppæ albumini ovi intinctæ, & pulvere ad sistendum sanguinem adspersæ, vesicæ bovinæ, & si quæ alia in opere necessaria esse videbuntur, ante erunt diligenter præparanda.

Instrumenta simul & medicamenta ita sunt collocanda, & ordine disponenda, ut in ipsa operatione, unum alteri minimè sit impedimento, quemadmodum cuidam Cheirurgo, cujus meminit Dn. D. *Michael Doringius* accidit: ille enim, dum crus Sphacelo contaminatum abscinderet, & in medio esset opere, serra fasciæ (quâ cutem & carnem sursum reduxerat) ita involuta fuit, ut ab opere aliquandiu desistere cogeretur, dum serram è fascia iterùm extricaret.


Cap. XIX.

Amputandi membrum ratio.

Corpore omnibusque ad operationem necessariis (uti in præcedente capite declaravimus) præparatis, & ordine dispositis, ad operationem perveniendum est. Quapropter, si tibia amputanda occurrit, collocandus æger supra scamnum, quò firmior maneat tibia. Tum Cheirurgus sursum retrahet musculos, & cutim, arctissimoque vinculo partem sanam constringet, paulò supra locum amputandum: erit id vinculum è tenui redimiculo, cujusmodi illud est, quo mulieres ad religandos, nodandosque suos crines uti consueverunt. Usus ligaturæ duplex. Primùm enim ita comprimet venas & arterias, ut nõ usque adeò metuenda sit hæmorrhagia. Deinde compressione sua inhibebit spiritum animalem, quò minùs per nervos deferatur; Unde reddetur pars quasi stupida, adeoque incisionem faciliùs perferet. *Guido* vult vinculum alterum adhiberi parti emortuæ, ut inter duo illa fiat incisio: nec malè fortassis. Cùm enim adstantes terreantur hæmorrhagiâ, seu sanguinis eruptione, quæ sæpiùs Cheirurgum calumniãdi occasionem præbet, hujusmodi ligaturâ coërcetur sanguis intra vasa partis emortuæ, ne tam copiosè diffluat. Alii supra genu vinculum adhibent, si sit amputanda tibia, circa poplitem, at sub cubito, si sit incidenda manus ad carpum, ut sit, inquiunt, obscurior sensus. At præterquam quod nervi ibi sint profundiùs siti, quàm ut eos ligatura valeat comprimere, contunduntur sæpiùs istiusmodi compressione partes musculosæ, & nova fit spirituum interceptio.

Cap. 19.

Arctâ ligaturâ sic factâ, Cheirurgus ad extremum scamnum locabit tibiam, ita ut illius extremitas perveniat infra genu, & ferè ad locum illum, in quo amputatio fieri debet: tum fasciâ alligabis genu scamno, ne quâ fortè demoveatur. Femur autem & genu, ut scamno commodè annecti possint, necesse est, ut extremitas scamni ex utraque parte aliquantulum excavata sit, quemadmodum sequens figura indicat.




Genu scamno diligenter fasciâ annexo, in promptu sit manica, ex aluta aptata, hunc in modum. Longa sit circiter spithamam unam, lata verò, ut tibiam ea in parte, quâ amputanda est, præcingere possit. Ex utraque parte aperta esse debet, ita tamen ut anterior pars *A.* notata, ad formam crumenæ duplici funiculo claudatur: quẽadmodum sequens figura denotat. Funiculus autem ut lubricus sit, & in actu faciliùs constringi possit, rotundus, & oleo inunctus esse debet. Superior pars hujus manicæ, quæ *A. B. C.* notata est, aperta esse debet; Nisi quod in utraque extremitate, uti & in medio, simplici filo connexa sit, quò abscisso osse, celeriter forfice dissolvi & abjici possit.

Usus autem hujus manicæ triplex est. Primò enim sanguinis impetum cohibet, ita ut Chirurgus multò meliùs videre possit, quonam in loco apponenda sit serra. Secundò æqualiter, & parvo quidem cum negotio, musculos & cutem sursum trahit, quæ facta operatione iterũ descẽdit, extremitatesq; ossium cooperit, atq; ut truncus faciliùs cicatrice obduci possit, efficit. Tertiò, ne serra carnem attingat, atq; dilaceret, impedit.

Usus prædictæ manicæ.

Figura autem hujus manicæ hæc est:




Guido & *alii* loco hujus manicæ carnem linteo cooperiunt: præstat tamen manicâ uti; ut enim caro ad os incisa, linteis obtegatur, longum requiritur tempus: deinde facilimè serra in ipsa operatione linteo ita involvitur, ut difficulter extricari possit: quemadmodum cuidam accidisse, ad finem superioris capitis ex Dn. D. *Doringio* declaravimus. Manicæ verò longè alia est ratio: celeriter enim mediantibus funiculis, undiq; circa os constringitur, cutemq; simul & musculos æqualiter in altum, uti dixi, trahit.



Sin verò Chirurgus præscriptâ manicâ uti noluerit, vinculo præscripto superiori ex utraque parte tibiæ laqueus adaptandus est, quemadmodum proximè præcedens Figura indicat: idque in eum finem, ut minister, qui genu tenet, indice & medio laqueos illos apprehendere, & factâ incisione carnis usque ad os, illam horum laqueorum beneficio in altum trahere possit. Hoc modo aliquot membra feliciter abscidi, neque manicam, multò minùs lintea, secundùm mentem *Guidonis* adhibui. Genu scamno, uti dixi, annexo, inducenda est manica, ita ut inferior pars *B.* notata, genu cooperiat; altera verò, quæ in modum crumenæ constringitur, ad superius vinculum ita colliganda est; ut factâ incisione carnis usque ad os, minister, qui genu tenet, illam protinus vulneri imponere, & circa os constringere possit. Pars autem illa, quæ aperta & A. B. notata est, ut ex superiori parte tibiæ sit, necesse est; idque eam ob causam, ut factâ amputatione, prædicta fila ex utraq; parte, simul & funiculi, forcipe protinus abscindi, & manica abjici possit.

Ita, ut dixi, indutâ atque adornatâ manicâ, aliud scabellum, quod cum priori scamno ejusdem sit altitudinis, pedi tibiæque supponendum, & fascia alliganda est. Tandem adsint tres cordati ministri, quorum unus ad scapulas, alter ut pedem cum scabello contineat, tertius verò ad genu collocandus est, firmiterque teneat ægrum, ne in operatione in hanc vel illam partem vacillet. Qui autem ad genu tenendum constitutus est, ut indicibus, & mediis digitis funiculos manicæ, aut vinculi superius adumbrati apprehendat, pollicibus verò & reliquis digitis, ut annexa figura indicat, genu amplectatur, necesse est.

Quod



Quod si nervi ita retracti, & genu adeò incurvatum fuerit, ut æger illud extendere non possit, in solum conclavis collocandus est æger, tibia verò ita in altum elevanda, ut scamno, eo in loco, quo excavatum est, annecti possit, quemadmodum sequens figura indicat.



Processus autem ille, meo quidem judicio, minimè spernendus est. Primò enim tibia, cùm jam sit mortua, aut quovis alio modo corrupta, arctissimè scamno absq; periculo alligari potest: At sciunt Practici, quantò arctiùs membrum, quod abscindendum est, scamno alligatur, tantò minori cum difficultate fieri amputationem. Secundò, hoc modo institutâ operatione, æger in dorso decumbit, ac proinde lypothymiæ minùs obnoxius est. Tertiò, minùs metuenda est hæmorrhagia, cùm tibia in altum sit elevata. Vinculum tamen sub genu cum suis laqueis non est omittendum; Et ut minister in ipsa operatione carnem & cutem in altum trahat, prospiciendum.

Cæterum


Cap. 17. *Admonitio.*

Cæterùm videat minister ille, qui scapulas tenet, ne brachiis suis ægrum amplectatur, aut quovis modo pectus aut ventrem comprimat: si enim pectus compresserit, respirationem impediet; Sin ventrem amplectendo, stomachum hepar, cæterasque partes contentas, augetur hœmorrhagia propter compressionem venæ cavæ, satius itaque erit, si scapulas & brachia tenuerit.

Monitos autem velim Cheirurgus, ne operationem hanc, in lecto decumbente ægro, incipiant, nisi fortè eo modo, à nobis in proxima præcedenti figura proposito, collocatus fuerit: aut brachium vel manus amputanda sit. Membrum enim, quod amputandum, inprimis femur & genu, nisi firmiter scamno annexum fuerit, operatio vix dextrè fieri poterit. Ante annos aliquot unà cum clarissimis viris D. D. *Iano Antonio Saraceno, & Georgio Ienischio* Medicinæ Doctoribus, ad ægrum, cui tibia amputanda erat, vocatus fui. Illum cùm Cheirurgus in lecto decumbentem reliquisset, & tibiam scabello solùm annexisset, femur verò simul & genu omninò libera essent, multum & quidem in longum tempus sustulit æger. Præ dolore enim, cùm ex una in alteram partem sese projicere coactus esset, serra hinc & inde, & quidem aliquoties osse implicata fuit.

Observat.

Si verò æger propter imbecillitatem lectum egredi minimè poterit, asserculum spondæ annectendum est, deinde æger ita collocandus, ut totum corpus præter tibiam inter pulvinaria in lecto conquiescat, femur verò & genu prædicto asserculo firmiter annexa sint. Brachium similiter, aut manus, si amputanda occurrunt, æger inter culcitras manere poterit, brachium verò aut manum extendere, quæ scabello, aut asserculo aliquo spondæ annexo fasciâ alliganda est. Ut autem sive tibia, sive brachium, quod abscindendum, eò firmiùs scamno annecti possit, neque ex una in alteram partem vacillet, sequens instrumentum excavatum, scamno annectendum & infigendum est.





Femore & genu scamno, uti dictum est, annexo, ministris constitutis, omnibusque, sive medicamenta fuerint, sive alia ad operationem necessaria, ordine dispositis, novaculâ probè exacutâ, aut alio quovis cultro incurvato, & ex utraq; parte acuto, incidat carnem usque ad os, separans simul & semel periostium, quoad fieri poterit: Si duo sint ossa parellela, veluti infra genu & supra carpum, cultro incurvo & acuminato separanda est caro intermedia, ne quod serræ obstaculũ occurrat.

Incisio autem carnis ex superiori parte ossis tibiæ, & ad latera incipienda, ibique periostium diligenter ab osse separandum est, semel enim absque impedimento si serra apposita fuerit, postea non facilè à levi aliquo obstaculo remorari potest. Inferior verò pars tibiæ, sive sura, postremò incidenda, & ab osse separanda est. Ea enim in parte cum majora vasa venarum & arteriarum descendant, si primò incideretur, multum deperderetur sanguinis interim, dum cutis & caro in superiori parte separaretur. Omnia tamen quàm celerrimè, festinanterq; & tutò perficienda sunt.

Qua parte incisio incipienda.


Delineatio






Cùm primùm caro ad os usq; abscissa fuerit, videat minister, qui genu tenet, ut protinus limbum manicæ incisioni imponat, funiculorumque beneficio circumcirca os constringat, carnemque æqualiter in altum trahat, ut Cheirurgus os altiùs carne amputare, cicatricemque firmiorem, & temporiùs inducere possit. Tandem serra resecabit os, quantâ poterit agilitate & dexteritate. Abscissó osse, protinus forcipe separanda, & abjicienda est manica, incisis funiculis A. B. notatis, superiùs in delineatione manicæ

Adumbratio serræ.




Deinde ubi sanguinem effluere siverit, pro ratione plenitudinis, & virium ægri, cauteriis vasa inuret ad sistendum sanguinem, ipsumque etiam os, quò citiùs excidant ejus fragmenta.

Cauterium advenas & arterias inurendas.



Cauterium ad extremitates ossis inurendas.



Cap. 17.

Restincto sanguine, solvet vinculũ, quod est supra incisionem, & applicabit ptygmation è stupis, intinctum priùs Oxycrato, dein ovorum albuminibus, & adspersum pulvere sequenti plurimo.

Pulvis ad sistendum sanguinis profluvium.

R. Farin. volat. ℥vj.
Sanguinis draconis
Thuris an. ℥j.
Boli armen. orient.
Terræ sigillat. an. ℥. ß.
Gypsi ℥j. ß.
Ranarum aquatilium præparatarum (mirificè enim & proprietate quâdam occultâ sanguinem sistunt) ℥ij.
Musci cranii humani ℥j.
Pil. lepor. minutissime incisorum ʒij.
Pulv. albuminum ovorum sole caniculari exsiccatorum.
Spumæ maris
Spongiæ novæ torrefactæ an. ℥j.
Misce, fiatque pulvis subtilissimus.

Ranæ autem quomodo præparandæ, lector ad finem hujus capitis videre poterit.

Postea defensivo applicato, ac trunco vesicâ bovinâ involuto, revinciet omnia fasciis, intinctis in oxycrato, nec mutabit hunc apparatum ante secundum diem, si ęstas fuerit, aut tertium, si hyems. Defensivum tale sit, quale descriptũ est capite 13. aut etiam hujusmodi.

Defensivum.

♃ Boli armeni albi
Sang. draconis
Masticis
Gypsi ana ℥j.
Ol. Rosacei &
Myrtini ana ℥j ß.
Albumina ovorum num. ij.
Aceti q. s. Fiat unguentum in mortario.

Nota de defensivo

Defensivum autem non circa ipsum truncum, sed supra genu, si tibia ad poplitem; aut circa cubitum, si manus abscissa fuerit, applicandum est. Impedit enim defensivum, quò minùs vesicæ trunco commodè adaptari possit. Deinde singulis diebus iterandum est defensivum, quod fieri nequiret, si circa truncum applicandum fuerit.

Vesica bovina quomodo adaptanda.

Inferior autem pars vesicæ bovinæ madida, superior verò ubi aperta est, sicca esse debet: sicca inquam, ut extensa & aperta remaneat, & faciliùs, celeriùsque trunco indui possit: madida tamen ex inferiore parte; ut æqualiter ac firmiter stupas cum pulvere contineat.

Error quorundam notatur.

Nonnulli, quò securiùs præcaveatur hæmorrhagia, ligaturæ, aut vinculi, ex superiori parte incisionis, solutionem differunt in secundum apparatum. At hoc non nisi cum ægri damno fieri potest, quoniam vinculum illud magnos excitat dolores, attractationemque promovet sanguinis, atque humorum, qui accensi tandem in parte suppurantur; unde nova pravorum symptomatum occasio.

Cauterio lato non esse utendum ostenditur.

Alii unico tantummodò cauterio, eoque adeò lato, ut totum truncum obtegere possit, utuntur, eoque vasa omnia venarum & arteriarum corrugare tentant: Verùm incerta, ne dicam, inepta est operatio. Venæ enim simul & arteriæ cum primum abscissæ fuerint, sursum retrahuntur, ita ut cauterium illud latum illas, propter eminentiam ossis, attingere non possit. Interim cutis propter vehementiam ignis comburitur & contrahitur, curationemque difficiliorem, ac cicatricem imbecillem reddit. Præstat itaq; ad vasa cõstringenda cauterio Sphærico, ad os verò lato ac plano, qualia antè depinxim⁹, uti.

Cauteria cur sine manubriis.

Cauteria autem absque manubriis, non sine causa depinxi. Cauteria enim dum calefiunt, relaxantur manubria, ita ut in operatione hinc & inde vacillent, & difficiliorem efficiant operationem: quapropter extremitates cauteriorum stupis involvo, quas interim dum ignescunt, unus ex ministris continuò aquâ frigidâ irrorat.

Profluvium sanguinis cohibendum.

Porrò ante operationem vires ægri perpendendæ sunt. Si enim æger debilis & extenuatus fuerit, & putredo locum amputationis nondum attigerit, eâ, quâ fieri potest, diligentiâ profusio sanguinis cohibenda est, ne unà cum sanguine spiritus dissipentur, viresque dissolvantur, & æger periculosa syncope corripiatur. Quapropter majora vasa cauterio actuali corruganda sunt, neque pulveri ulli ad sanguinem sistendum, quantumvis probatissimo, fidendum. Impetus enim sanguinis medicamentum repellit, impeditque, quò minùs ad vasa aperta pervenire possit, ut ibi vires suas exerceat. Graviter itaque errant Cheirurgi, qui præstantissimum hocce remedium in abscissione membrorum, aliisque magnis operationibus, in perniciem ægri rejiciunt; illudque præter omnem rationem vituperare, & maledico dente carpere non verentur. Interim verò, dum suis pulveribus in sanguine sistendo occupati sunt, multum sanguinis deperditur, sæpiusque æger in ipsa operatione extinguitur; quemadmodum ante cap. 15. & Centuriæ tertiæ Observ. 82. de Illustri quodam Germano fusiùs declaravimus. Quapropter cùm partes animantis non solùm ex sanguine alantur, sed & calor nativus mansionem ex sanguine obtineat, perinde atque ignis, qui in foco est ex lignis, ad ardendum idoneis, à quo totas ædes calefactas conspicimus, summo studio, & quantum quidem fieri potest, conservandus est. Quod si tamen corruptio atque mortificatio ad locum, ubi amputatio instituta est, pervenerit, necesse est, ut nonnihil sanguinis effluat, ne sanguine corrupto in vasis relicto, de novo putredo truncum occupet: sensim tamen ut profluat, danda est opera, idque optimè fiet cauterio ignito, si vasis leniter leviterque tantisper admovetur, usque dum nonnihil sanguinis effluxerit. Tandem verò, ut sanguis omninò sistatur, cauterium fortiter admovendum est. Ne autem interim, dum vas unum cauterio clauditur, ex altero sanguis nimis copiosè profluat, soleo duobus cauteriis, uno dextrâ, altero sinistrâ apprehenso, uno eodemque tempore operari; idque aliàs quàm sæpissimè, tum non ita dudùm in puero Copeti ad Lacum Lemannum, cujus antea mentio facta fuit, feliciter mihi successit. Cheirurgus itaque ut ambidexter sit, necesse est.


Galen. de ... 5. &

De cauterio ...

Cæterùm ad impediendam hæmorrhagiam, aut ad minimum ipsius impetum veluti fræno com-

no compescendum, Cheirurgi cauterium cultellare excogitarunt, quo & ego multoties maximo cum fuctu ægrorum usus sum: quandoquidem incidendo carnem usque ad os, venas quoque & arterias simul comburendo corrugat. Dorsum autem hujus cauterii, ut pollicis spissitudinem superet, necesse est, alioquin non satis diu calorem suum conservare posset. Ut autem caro, quæ est inter utrumque os, eo quoque abscindi possit, acuminatum esse debet, quemadmodum sequens figura indicat.

Figura cauterii cultellaris.



Quod si præter spem atque opinionem, etiamsi cutis & caro cauterio actuali abscissa fuerint, sanguis, uti sæpissimè mihi accidit, profluxerit, protinus cauteriis sphæricis sistendus, tandemque os serrâ abscindendum est, inprimis si æger extenuatus ac debilis fuerit.

Porrò excellentiam hujus cauterii non satis extollere possum. Primùm enim, ne sanguis impetuosè profluat, ac spiritus dissipentur, impedit. Secundò, minus dolorosa est operatio, quàm si novaculâ cutis carnisque amputatio fieret, imò tota curatio minori cum dolore absolvitur, quemadmodum eventus in multis me edocuit. Hujus autem rei causa hæc mihi videtur, quòd nervi partesque nervosæ, inprimis periostium, cùm primum ferrum ignitum sentiunt, protinus sursum retrahantur, & ita quidem, ut serra illas non attingat. Novaculâ verò, quomodo periostium exactè, & ita quidem, ut serra liberam inveniat viam, separari possit, nondum video. Serra itaque undique offendens periostiū, maximos excitat dolores, vigilias, febres, phlegmones, aliaque gravissima symptomata: idque præcipuè propter dilacerationem periostii membranæ, exquisitissimo sensu præditæ. Accedunt præterea & alia, quæ malum adaugent. Cùm enim calor nativus in parte affecta maximè sit labefactatus, eum, si caro & nervi cultro frigido incidantur, & postea medicamenta frigida ad repellendos affluentes humores applicentur, magis magisque debilitari, & dolores insuperabiles, juxta illud *Hippocratis*; *Frigidum ulceribus mordax*, &c. procreari, quis, quæso, in controversiam vocare poterit? Cauterio verò cultellari periostium, uti dixi, omninò separatur. Cùm primum enim ignem persentit, veluti pars nervosa sursum deorsumque retrahitur, & serra tramitem à partibus nervosis liberum invenit. Deinde mediante calore isto simplicissimo, & elementari ignis, refocillatur calor nativus, in parte affecta labefactatus, ac veluti prostratus. Et quia calidum, ut idem *Hippocrates* docet, ulceribus, ossibus denudatis, nervis, ac omnibus partibus nervosis amicum, doloremque lenit, sequitur mox digestio vulneris, ita ut omnia salva sint. Expertus loquor: multis enim hac methodo membra amputavi, iterumque truncum sanitati restitui, ut vix de dolore conquererentur, multò minus intumefactio aliqua circa truncum appareret. Sed videtur obstare locus *Hippocratis*, qui habetur *libro de articulis*, ubi ignem nervis inimicum esse, scriptum reliquit. Sed loquitur *Hippocrates* eo in loco de nervis, non abscissis, aut malè affectis, sed adhuc integris & sanis, quibus revera ignis, ut qui omnium calidissimus & tenuissimus, ac minimo negotio ad illos penetrat, adversissimus, illosque contrahit, & dolores excitat. De nervis verò malè affectis alia est ratio. Cùm enim multa ignis commercio reddantur meliora, ut *Galenus* docet, ignisque omnia dissolvat, ut idem *Galenus* author est; quis, quæso, non videt, cauterium in tanta putredine circa nervos collecta, multum prodesse posse? Hæc etiamsi ita se habeant, non sequitur tamen, methodum illam amputandi membrum in parte mortua, reliquamque putridam carnem cauterio comburendi approbandam esse. Ex maxima enim combustione illa, non solùm nervi supra modum incalescunt, verùm etiam (quia adhuc in parte demortua hærent, ita ut quantumvis abscissi, minimè tamen sursum retrahi possint) vi ignis ita comburuntur, contrahunturque, ut maximi dolores, vigiliæ, aliaq; symptomata inde sequantur. Effervescunt præterea in parte affecta adeps, cæterique humores, & continuò urendo, de novo affluxum excitant, quemadmodum cap. 17. diximus. Alioquin calidum nervis maximè convenit, doloresque sedat, ut antea ex *Hippocrate* demonstratum est: Cujus rei exemplum non vulgare ante annos aliquot mihi observare licuit. Matrona Paterniacensis à cane rabido in digitum medium morsa fuit: circa septimum dolor acutissimus exortus est: cùm verò balsamum abietinum calidè vulneri instillassem, ac ægra maximum levamen inde persen-

Cap. 17.

Lib. 5. Aphor. 20.

Lib. 5. Aphor. 22.

Ignis an, & quomodo nervis noceat.

Gal. de simpl. med. fac. lib. 1. c. 11. De theriaca ad Pisonem cap. 32. lib. de plenitudine.

Observat.

Cap. 19.

persensissiet, petiit, ut parum calidiùs illud infunderem; Tandem eò usque, rogante ægrâ, gradum caloris auxi, ut ferventi balsamo vulnus adimplerem, quo facto dolor intra paucos dies remisit. Integram historiam pete ex Centur. 2. Obs. 98.

In quibus sanguis post amputationẽ non illicò sistendus.

Si verò æger juvenis, robustus, & plethoricus fuerit, viresque constiterint, putredo quin etiam ad locum ferè amputationis pervenerit, necesse est, ut factâ amputatione membri, nonnihil sanguinis effluat: hinc enim totum corpus aliquo modo refrigeratur, & veluti onere quodam gravi deposito allevatur, viresque iterùm colligit, omniaque symptomata imminuuntur. In hujusmodi ægris amputato membro, pulvere meo præscripto aliquoties hæmorrhagiam absq; cauterio actuali cohibui. Interim tamen ut Cheirurgus cauteria in promptu & quidem ignita habeat, suadeo: ut si forsan propter impetum hæmorrhagiæ pulvis non sufficeret, ad cauterium confugere possit.

Cautio in applicatione pulveris ad sistendum sanguinẽ.


Pulvis autem non unico pulvillo magno ex stupis præparato, ut nonnulli facere consuevêre, sed variis applicandus est. Unico enim applicato ad vasa, quæ statim post amputationem sursum retrahuntur, cùm vix pervenire possit, veluti inutilis est; impetus enim sanguinis pulverem repellit & abluit. Habeat itaque Chirurgus multos pulvillos parvos, spissos, benè compactos, albumine ovi madefactos, & pulvere nostro ad sanguinem sistendum copiosè adspersos; quos ad ora venarum & arteriarum trudat, unum post alterum, donec truncus undiq; sit coopertus pulvillis. Habeat deinde pulvillum ejus magnitudinis, ut totum truncum obtegere possit, qui similiter ovi albumine imbutus, & pulvere adspersus esse debet, quo applicato, protinus omnia vesicâ bovinâ, ut dictum est, madefactâ, obtegenda sunt: deinde fasciis oxycrato madefactis diligenter deliganda, ut pulvis circa ora venarum & arteriarum remaneat.

Modus sistendi sanguinem per vasorum ligationem. Gal. meth med. lib. 5. c. 3. Avicen. lib. 4. fen. 4. tr. 2. cap. 17. Celsus lib. 5. cap. 26. Guido tr. 3. doct. 1. c. 3. Vesalius inst. Cheirurg. lib. 3. c. 4. Ambros. Paraus lib. 12. c. 3.

Galenus, & post ipsum *Avicenna*, *Celsus*, & alii, aliam Methodum sistendi sanguinem, & quidem aptissimam excogitarunt, vasorum scilicet ligationem. Convenit autem præcipuè in robustioribus & plethoricis corporibus, & in eis, in quibus hæmorrhagia non usque adeò pertimescenda est. Ad liganda enim vasa, unum post alterum (nisi Cheirurgus manu promptissimus fuerit) tempus requiritur: atquia sanguis interim profluit, ac deperditur, non nisi in plethoricis & robustioribus tentanda est: In delicatulis verò & extenuatis, absque periculo administrari non potest: in his enim sanguis propter causas, quas antea recensui, protinus sistendus est. Quod si necessariò membrum circa ipsam radicem carnis putridæ abscindere coacti fuerimus, methodus hæc sistendi sanguinem locum quoque non habet: Cauterio enim actuali, ut corruptio illa castigetur, necesse est. Convenit præterea & in eis, qui animo sunt pusilli, ac ferrum ignitum supra modum metuunt.

Modus ligandi vasa

Cùmprimùm itaq; os serrâ abscissum fuerit; apprehendat Cheirurgus forcipe hic adumbratâ, vas, quod reliquorum erit maximum, & cùm aliquantulum illud ad se attraxerit, protinus minister vinculum, ex filo canabino factum & *A.* notatum, vasi injiciat, illudque arctè constringat. Interim autem, dum Cheirurgus & minister vas unum, uti dixi amplectuntur, atque constringunt; tertius quidam digitis reliqua vasa obturet, impetumque hæmorhagiæ, quantum fieri potest, impediat, & si forsan nonnihil carnis unà cum vena, aut arteria apprehenderit, nihil nocere potest, & faciliùs obturabitur vas. Vinculis ita diligenter vasis injectis, ad majorem securitatem pulvilli ex pilis leporinis, aut gossipio facti, ovi albumine madefacti, & pulvere ad sistendum sanguinem adspersi, ad ora vasorum, quemadmodum superiùs diximus, imponendi: deinde omnia vesicâ bovinâ, fasciisque diligenter vincienda atque deliganda sunt.




A. Laqueus est ex filo canabino reduplicato, & interlaqueato, quorum Cheirurgus quinque aut sex paratos, & in promptu habere debet. Ad ipsam autem forficem adaptari debent, quẽadmodum ex delineatione videre est, idque in eum finem, ut cum primùm Cheirurgus vas aliquod apprehenderit, minister eò faciliùs laqueum ad ipsum vas usque detrudere, nodumque conficere possit.

B. Plectrum est, quod forcipem apertam tenet.

Sin

Sin verò vena aut arteria sursum retracta fuerit, ita ut præcedenti forcipe, quia lata & in formam rostri anseris fabricata, apprehendi non possit, sequentem forcipem, in formam rostri ciconiæ factam, in promptu habeat.



Nonnulli resecto membro, & restricto sanguine, acu oblongâ, & filo æquali ac levi, quale est sericum, labia vulneris decussatim, quantum fieri potest, contrahunt: Verùm methodus illa mihi non probatur. Cùm enim truncus post operationem intumescat, sutura hæc dolores mirum in modum adauget, filum quoque hoc, intumescente carne, cutem abrumpit, quapropter sutura relaxatur, ita ut planè inutilis sit. Impedit præterea sutura hæc, quò minùs pulvilli ad ora vasorum commodè applicari possint, si forsan de novo hæmorrhagia supervenitet. Præstat itaque, loco suturæ glutino uti, quemadmodum postea dicam.

Restricto sanguine, fasciisque deligato trunco, in tertium usque diem (nisi dolor obsuerit, quemadmodum *cap. 24.* dicturus sum) relinquendus est primns apparatus, propter metum hæmorrhagiæ. Interim tamen totum femur, aut brachium, quotidie bis oleo rosaceo, aut myrtillorum inungere, defensivum quin etiam singulis diebus iterare convenit. Postea cùm proximum apparatum abjicere voluerit Cheirurgus, iterum tres, aut quatuor pulvillos parvos ex stupis, aut gossipio paratos, albumine quin etiã ovi madefactos, & pulvere nostro ad sistendum sanguinem adspersos, in promptu habeat. Omnia clementer admovenda sunt, pulvilli tamen, qui in primo apparatu vasis impositi fuere, si aliquo modo, quantumvis levissimè adhæserint, propter metum hæmorrhagiæ, in sequentem usque diem relinquendi sunt. Sin verò facilè, & veluti per se deciderint, recentes vasis imponere convenit, ossi-filamenta sicca, reliquo vulneri sequens digestivum applicetur.

Cap. 19.

Digestivũ

R. Therebinth, lotæ in aqua plantaginis ℥iij.
Ol. Rosacei.
amygdalarum dulcium ana ℥ j.
Gummi Elemi dissoluti cum prædictis oleis, & colati ℥ ß.
Croci ℈j. Misce, fiat unguentum, addendo vitellum unius ovi.

Neque verò mutabuntur hæc remedia ante digestionem factam; in primis defensivum; adspergaturque vasis pulvis noster ad sistendum sanguinem, quoad non sit ampliùs ab hæmorrhagia periculum; Tum remoto digestivo detergebitur ulcus mundificativo nostro de succo apii, cujusmodi infra extremo hoc capite, aut etjam sequente.

Mundificativum.

R. Therebinth. lotæ in vino ℥iij.
Pulv. rad. aristolochiæ rotundæ
iridis florent.
farinæ hordei ana ʒiiij.
mellis rosacei ℥j.
aquæ vitæ ℥ß.
theriac. optimæ ʒij.
Misce, & fiat mundificativum.

Interim nitendum deorsum trahere cutem, ac musculos, qui sursum attracti fuerant, ut paulatim denuò contegant ossium incisorum extrema, utque post cicatricem inductam cutis ea, & ipsi musculi pulvini instar extremis illis ossibus substernantur. Quamobrem solent nonnulli decussatim ipsa vulneris labia suere, statim ab ipsa operatione, sicque cutem & carnem appropinquant. Qui modus mihi non probatur propter incommoda, quæ inde sequuntur, quemadmodum antea ostensum est. Placet itaque loco suturæ, quæ fit in carne & cute, uti pulvillis, spleniis, fasciisque, aut glutino ad id apto, & sequenti modo applicato.

Glutino quomodo utendum.

Digesto vulnere, & inflammationis expertte, linteum, ejus longitudinis, ut totum truncum ambire possit, induco sequente emplastro, aut glutino, & ad labia vulneris applico; Ita tamen, ut labia minimè attingat, sed spatium minimi ferè digiti sit inter labia vulneris & emplastrum. Posterâ die siccato emplastro, & tenacissimè hærente, acum filo trajectam insero, sicque vulneris labra haud aliter conjungo, quàm si ipsam cutem & carnem perforassem. Glutini, quo ego utor, descriptio hæc est.

Glutinũ.

R. Farinæ volatilis ℥j.
Masticis
Thuris
Sang. draconis
Pulv. Rosar. rub.
Gummi tragacant. ana ʒij.

Misce, fiatque pulvis tenuissimus, cui adde albumen unius ovi, aquæ rosarum q. s. ut crassitiem

Cap. 19. tiem mellis adipiscatur glutinum. Maneant in infusione per noctem: sequenti die si nimis spissum fuerit medicamentum, iterùm affunde aquæ rosarum, aut plantaginis quantum satis est: deinde utere quemadmodum dictum est.

Loco glutinis utimur emplastro de pelle arietis, aut aliquo alio ex pice navali, colophonia, & similibus confecto.

Relaxatur autem aliquando glutinum, aut propter abundantiam puris, aut quia Cheirurgus medicamentum aliquod humidum applicat. Si propter abundantiam puris acciderit, inspergatur vulneri sequens pulvis, qui exsiccat absque mordicatione, & casum extremorum ossium procurat.

Pulvis catagmaticus.

R. Rad. Aristoloch rotundæ.
Peucedani
Iridis Florentiæ
Corticum pini
Ligni Guajaci ana ℥ ß.

Misce, fiatque pulvis tenuissimus, qui ulceri quotidie semel, aut bis inspergatur.

Linteum glutino obductum si deciderit, novum applicandum est, idque toties, quoties opus fuerit. Est enim tutissimum remedium, minimè dolorosum, & periculi expers, quo in omnibus vulneribus, quæ suturâ indigent, uti possumus.

Os denudatum quomodo sit tractãdum.

Tandem dum curatur vulnus, procurandus casus extremorum ossium, quæ aëris & serræ contactu alterata fuerunt, aspersis pulveribus catagmaticis, cujusmodi est iste, paulò antè descriptus.

Ab omnibus autem humidis & oleaginosis in denudatis ossibus, in quacunque parte corporis fuerint, planè ut abstineat Chirurgus necesse est. Quapropter statim ab operatione filamentis siccis, nec non pulveribus catagmaticis ossa diligenter tegenda, ac munienda sunt. Accelerat quoque casum ossis, si post amputationem cauterium actuale, ut suo loco diximus, ossi leniter leviterque applicatum fuerit. Etenim actualis ignis procul dubio, quod potentialis non potest, absumet, ossi robur addet, & plura alia dabit cõmoda, ut eruditè monet Amplissimus ac Doctissimus Anatomicus & Botanicus Dn. PETRUS PAVIUS. Leviter autem ossa cauterio actuali tractanda; Primò quia nulla adest caries; Sed solummodò alteratio quædam à serra, & aëre externo contracta. Secundò ne medulla vehementiâ ignis nimiùm incalescat, ac novam inflammationẽ excitet. Euphorbium quoque (etsi ut verisimile est genuino & legitimo *Dioscoridis* caremus) separat & deturbat ossium cariosorum fragmenta, quemadmodum Observ. 92. Centur. 2. fusiùs demonstravimus: velut & emplastrum de betonica.

In comment. ad priora quatuor capita lib. 8. de re medica. Cornel. Celsi pag. 79. Dioscorid. lib. 3. cap. 8.

Ab initio autem, ut antea quoque monui, diligenter filamentis os denudatum obtegendũ est, donec natura carne aliqua spongiosa id obtexerit, quod circa decimum, aut decimum quartum diem post amputationem fieri consuevit. Cùm enim aër ossibus denudatis sit adversissimus, ea statim carne aliqua fungosa tegit natura, sub qua nihilominus partem illum ossis ab aëre, aut medicamentis, vel etiam à serrâ alteratam, paulatim separet, & per carnem illam fungosam expellit: os verò carne solidâ, & laudabili regit. Itaque non satis rectè, nec prudenter faciunt nõnulli, qui in ossibus denudatis quotidiè ferè (ut ego apud quosdam vidi) scalpris os abradunt; Aut carnem istam fungosam causticis absumunt. Hinc multoties ex recenti vulnere fiunt ulcera maligna atque diuturna. Extrema autem fragmentave ossis minimè vi sunt extrahenda; Sed interdum concutienda & commovenda leviter, reliquum naturæ & pharmacis permittendum. Non est interim expectandus horum casus ante trigesimum vel quadragesimum diem ab amputatione. Est & excrescens in trunco ipso caro coërcenda pulvere aluminis usti, aut sequente.

Caro fungosa in ossibus denudatis, quo in quem...

R. Aluminis usti ℨij.
Lapidis calaminaris
Plumbi usti
Cerussæ ana ℨj,
Vitrioli calcinaii ℨß.
Misce, fiat pulvis tenuissimus.

Deinde inducenda est cicatrix emplastro palmeo; de cerussa cocta, unguento desiccativo rubro, diapompholygos & similibus.

Manus quomodo amputanda.

Manus si sola contaminata fuerit, in ipso carpo amputanda est sequenti modo. Cutis versus cubitum reducenda fortiterque liganda est; Quemadmodum de abscissione tibiæ diximus: Postea circumcirca juncturam linea atramento ducenda est. Tandem minister aliquis cordatus brachium firmiter teneat; Cheirurgus verò sinistrâ manum, quæ amputanda, apprehendat, dextrâ autem cutem & carnem secundùm lineam atramento inductam, cultro ante delineato incidat, parumque manum deprimat, sic enim articulus protinus disjungitur & novacula absq; ullo obstaculo, & celeriter quidem operationem absolvit. Truncus postea curandus est, quemadmodum de tibia diximus.

Brachium quomodo amputandum.


Sin verò brachium extra articulum amputandum est, cutis & caro usque ad os incidenda est, aut cauterio cultellari ante depicto, aut aliis cultris. Deinde os non scalpris, aut securi, ut nonnulli artis imperiti homines facere cõsuevẽre, sed serrâ præcidere convenit. Operatio autem ut dextrè perficiatur, brachium scamno annectendũ est, quemadmodum de tibia diximus, Quod si chirurgo libuerit, poterit quoque applicare & uti manicâ, antè in abscissione tibiæ descriptâ & depictâ.

De amputatione digitorum.

Digiti, ut capite 17. fusius diximus non forcipe incisoriâ, ut vulgus Chirurgorum facit, aut scalpris, sed novaculâ, vel serrâ amputandi sunt. Novaculâ quidem parvâ, & acuminatâ, si in ipso articulo facienda est operatio: serrâ verò si extra articulationem. Minister itaque brachium & manum teneat, Chirurgus verò forcipe apicem digiti, apprehendat, firmiterque sinistrâ teneat, tandem serrâ minimâ os abscindat. Operatio hæc cum aliâs, tum Anno 1591. in puella quadam Hildenæ, cui omnes digitos dextæ manus abscidi feliciter successit, de qua vide historiam capite quarto. Præterea in peregrino quodam Gallo, qui Anno 1600. Roma rediens, & in monte S. Bernhardi à via deflectens, & inter nives per noctans


Observ.

noctans, tantum frigus passus fuit, ut extremitates omnium digitorum dextræ manus (extinctis in istis calore nativo) Gangræna correptæ sint: quemadmodum in 2. Cent. Obs. 87. fusiùs declaravimus. Porrò in abscissione digitorum, talis observandus est ordo, videlicet, si apex pollicis, apud Vesalium, de corporis humani fabrica *Lib. 1. cap. 25. fig 1.* C. notatus, abscindendus fuerit, fiet id in prima articulatione, & quidem non forcipe aut scalpro, sed novaculâ. Si verò putredo primam articulationem transgressa fuerit, proximamque, in eâdem figurâ T. notatam, nondum contaminaverit in medio, ubi B. notatus, abscindendus est digitus; caro quidem ac reliquæ partes molliores novaculâ, os verò serrâ exiguâ. Quod si dimidia illa pars ossis B. notati, reservari quoque non posset, abscindatur in ipso articulo, T. notato. Si pars illa pollicis in prædicta figura A. notata, reservari quoque non potest, non tamen in medio, ubi os in prædicta figura A. notatum est (id enim Chirurgo in operatione perquam difficile, ægro verò molestum esset, & deformitatem pareret) sed ad quintum brachialis os P. notatum, abscindendus est pollex, sequenti modo. Adsit minister cordatus, teneatque firmiter sinistrâ suâ (si abscindendus est pollex, aut alius digitus dextræ manus) brachium ad Carpum, dextrâ verò digitos omnes arripiat, leviterque ad se trahat. Dum Chirurgus sinistrâ suâ pollicem apprehendat, & nonnihil ad se trahendo, videlicet pollice, incisionem ad ipsum articulum T. notatum, novaculâ benè acuminatâ inchoet, & rectâ ad quintum os brachialis ducet, sic ad se trahendo pollice, primo vel altero ictu ipsum facilè abscindet. Si verò pollex sinistræ manus abscindendus est, minister dextrâ suâ brachium ad carpum, sinistrâ verò digitos teneat, eodemque modo, uti jamjam dixi, procedat. Si corruptio, aut caries indicem occupaverit, prædicta methodus non est mutanda, facillimèque ad metacarpum, sive post brachiale os, in 1. & 2. figura I. notatum, hoc est, in tertia articulatione abscinditur, quemadmodum ego in aliquibus expertus sum. In abscissione minimi digiti eodem modo procedendum est: potest tamen ad brachiale os, ubi in prædictis figuris N. notatus est digitus, parvo cum negotio quoque abscindi. In abscissione medii, atque annularis digiti, si corruptio aut caries eo usque pervenerit, ut ad tertiam articulationem, sive post brachiale os, abscissio instituēda necessariò fuerit, hactenus non exigua fuit difficultas: Idq; propter septum digitorum. Tertiò enim iterandus fuit ictus scalpri, vel novaculæ, ut ex adjuncta figura facilè colligitur. Primus ictus digitum in postrema articulatione à metacarpo separabat. Secundus, & tertius septum digitorum, ex una atque altera parte digiti, incidebat, ut sequens figura indicat.



Cap. 19.

Per septum autem digitorum intelligo, partem illam carneam, quæ sita est inter tertiam sive postremam juncturam digitorum, & secundum articulum versus, uti videre licet, & figura 2. cap. 25. lib. 1. Vesalii, à littera R. ad D. Porrò in hac operatione ac tertiò repetito ictu scalpri, in uno aut altero angulo, a & b notato, facillimè carnosum aut membranosum quid à scalpro intactum remanere, & operationem difficiliorem, longioremq; reddere poterit. Hæc apud me perpendens, & quomodo hac in re, tum ægris, tum etiam Chirurgis succurrere possem, nervos intendens, sequens instrumentum excogitavi, quo digitus in extrema articulatione, unà cum septo, ex una atque altera parte, unico ictu facillimè & sine difficultate abscinditur. In abscissione digitorum pedum eodem modo procedendum est. Est autem scalprum peracuminatum, & alatum, cujus postica pars A. notata semicircularis, ejusq; est magnitudinis, ut cum osse, quod amputandum, justam habeat proportionem. Alæ B. & C. notatæ, pollicem cum dimidio sint longæ, acuminatæque, ut ex sequenti figura, ad vivum depicta videre est.



Cap. 19.

Operatio autem sequenti modo instituenda est, præparato corpore, manus in scamnum aut tabulam collocanda, & à Viro cordato tenenda est: deinde articulus, in quo amputatio peragenda, diligenter atramento notandus est, & apposito scalpro, malleo id tam validè percutiendum, ut unico ictu digitus abscindatur. Mox quæ sanguinis fluxum cohibent, & dolorem leniunt, applicanda sunt, de quibus suo loco fusius.

Cæterùm Candide Lector, etsi antea cap. 17. usum scalpri & tenaculæ in abscissione membrorum improbaverim, in hoc tamen casu, quia aliter fieri nequit, ex duobus malis minus eligendum, & extremum remedium potiùs adhibendum, quàm ægrum, in periculo constitutum, derelinquendum esse existimo. Cæterùm quomodo post curationem lignea tibia, aut ferrea manus adaptanda sit, Lector apud Ambrosium Paræum *lib. 23.* videre poterit.

De Soporiferis. Guido de Gauliaco tr. 6. doct. 1. c. 8. Ioh. de Vigo lib. 4. tr. 7. cap. ultimo. Petrus Pigray lib. 1. cap. 9.

Sunt præterea, qui ægro ante operationem soporiferum aliquod præbent, ut minùs sentiat dolorem. At nos ex boni *Guidonis de Cauliaco* sententia abstinebimus: Quippe ista narcotica perquàm periculosa sunt, propter gravissima, quæ inducunt, symptomata, imò & mortem: quemadmodum posthac *cap. 24.* exemplo quodam demonstrabimus. Quare de iis agere supersedebo.

Mundificativum nostrum de succo apii, ad mundificanda & incarnanda Gangrænæ ulcera, aliaque sordida & maligna, sic præparatur:

Mundificativum de succo apii.

R. Succi apii.
Scordii.
Arnoglossæ majoris.
Rutæ ana ℥ iiij.
Mellis rosati ℔. j.

Coquantur ad consistentiam syrupi, tum admisce

Farinæ lupinorum.
Pulv. rad. Aristoloch. rotundæ.
Angelicæ.
Vincetoxici.
Theriaces ana ℥ß.
Aqua vitæ ℥j.

Misce, fiat unguentum, quod servetur in vase vitreo.

Præparatio ranarum.

Ranas, quarum antè in descriptione pulveris nostri ad sistendum sanguinem memini, sic præparo. Accipio ranas aquatiles, suspendo illas in cucurbitam, ita tamen, ut fundum non attingant, ne in carbones comburantur, & aqua, quæ exstillat, odorem gravem acquirat. Accenso igne aquam in arena clementer extraho, & ad usum reservo. Est enim preciosa in ulceribus malignis & cancrosis, item in polypo, ozena, aliisque pudendorum & sedis ulceribus: inflammationem exstinguit & malignitatem corrigit. Ignem non exstinguo, usque dum omninò exsiccatæ fuerint ranæ, nec ulla ampliùs exstillet aqua. Illam tamen, quæ circa finem exstillat, separatim colligo; odorem enim aliquo modo graviorem habet, & in ulceribus oris & narium minùs grata est. Ranas ita exsiccatas in catillum fusorium projicio, ac in albissimos cineres comburo. Valent non solùm ad sistendum sanguinem, verùm etiam in omnibus ulceribus malignis, & sordidis, si eis inspergantur, mundificant, abstergunt, & malignitatem corrigunt.

Aqua ranarum facultas.

Cinerum ranarum facultas.

CAP. XX.

De symptomatibus, quæ post amputationem membri supervenire solent, deque eorum causis.

Cæterùm, etiamsi Medicus & Cheirurgus summam adhibuerint diligentiam, corpúsque ante operationem ritè præparaverint: æger tamen non semper à symptomatibus immunis esse potest. Primò, quia Medico non obtemperat, & in victus ratione peccat: aut quia adstantes officio suo minimè funguntur. Est enim verissimum, quod *Hippocrates* scriptum reliquit: nimirùm non sufficere, si Medicus officium suum circa ægros fecerit, omniaque summâ cum diligentiâ adhibuerit ad morbi oppugnationem, nisi æger ipse, & qui circa ipsum constituti sunt, officio suo quoque fungantur: & quæ à Medico præscribuntur, diligenter observent. Primò itaque, ut æger obediens sit, & in omnibus Medici consilium sequatur, necesse est. Secundò ministros, qui ægro inserviunt, diligentes & vigilantes esse convenit. Tertiò exteriora quoque, veluti aër secundùm morbi naturam, victus ratio, & habitatio commoda, requiruntur. Sin verò æger morosus & inobediens, habitatio ægri incommoda, & victus ratio prava fuerint; rarissimè scopum suum attinget Medicus, etiamsi diligentissimus fuerit.

Pri[...] cau[...] sym[...] ma[...] Lib[...] aph[...]

Secundò superveniunt symptomata post operationem, quotiescunque corpus pravis humoribus, sanguineque oneratum est. Cum impetu enim ad truncum confluunt, aut symptoma aliquod molestum in corpore excitant.

2. C[...] sym[...] ma[...]

Tertia causa symptomatum ad morbi magnitudinem referenda est. Si enim membrum aliquod magnum, veluti femur, aut brachium, abscindendum est, aut in vulneribus capitis membranæ læsæ fuerint, quis quæso à gravioribus symptomatibus securus esse poterit? Tandem imperitia & negligentia Cheirurgi sæpissimè multorum gravissimorum symptomatum causa est: nonnunquam enim affectum, causas & symptomata, propter imperitiam non satis agnoscunt: at quis symptomata præcavebit, nisi morbi habuerit notitiam? Alii ab initio affectum negligunt, & flocci faciunt, ac interim dum corpus ægri expurgare, victus rationem præscribere, aliaq; ad præcavenda symptomata, administrare debeant, ventri & voluptatibus dediti sunt. Hinc occasionem, quæ ut rectè *Hippocrates* docet, præceps est, negligunt, fitque aliquando ex levissimo aliquo vulnere gravissimus affectus, qui ægrum aut extinguit, aut ad summum periculum perducit, maximaque incommoda post se relinquit.

4. C[...] sym[...] ma[...]

Vulnus simplex facilè curatur, imò natura, quæ, teste *Hippocrate*, morborum est medica, per

Hip[...] Epi[...] Gal[...] art[...] dica[...] cap[...]

per se & absque medio aut Cheirurgo, sæpissimè vulnera consolidat: symptomata verò cùm supervenerint, omnes naturales operationes invertunt, maximasque molestias, ac ingentes labores aliquando Medico pariunt. Ut autem Cheirurgus symptomata, quæ vulneribus aliquando accidere solent, præscire, præcavere, vel etiam ex arte curare possit, non satis est, ut nudam solummodò habeat experientiam: ratio (ut rectè monet *Galenus*) atque doctrina quoq; requiruntur. Sed proh dolor, quorsum nunc devenit ars Cheirurgica! jacet profectò, & priscus ipsius splendor apud multos veluti caligine quadam sepultus est. Multos circumforaneos, barbitonsores & castratores cognosco, quos vulgus ad cœlum usque extollit; quorum tamen nonnulli maternam linguam legere & scribere ignorant, malvam, aut parietariam vix cognoscunt. Hi nullâ habitâ ratione corporis ægri, herniosis testiculos evellunt, calculos extrahunt, aliasque gravissimas operationes, non purgato corpore, maximo cum detrimento ægrorum perficiunt. Factâ enim operatione, humores ratione doloris, veluti ad cloacam, circa locum affectum confluunt, gravissimaque quandoque symptomata excitant. Illa autem, quia non rarò totum negocium invertere, majoresq; molestias ac labores, quàm ipse morbus procreare solent; necesse est, ut Cheirurgus rationem subjecti sui habeat, morbum, ipsiusque causas, naturam ægri, simul & facultates atque vires medicamentorum rectè agnoscat, eaque ex arte præparare, & adhibere sciat: quæ omnia ex ipsa scaturigine artis, nimirùm ex *Hippocratis & Galeni, Avicennæ, Celsi*, aliorumque antiquorum, ac neotericorum Medicorum atque Cheirurgorum scriptis potissimùm haurienda, & ita collocanda sunt, ut ratio & experientia simul conjungantur. Deinde, & quidem potissimùm, quia omnia bona dona à Deo proveniunt, quemadmodum divus Apostolus monet, item quia Medicina à Deo creata & data est, & absque benedictione Creatoris nihil operatur, videat Chirurgus, ut in omnibus suis actionibus& operationibus Deum invocet, & quantum fieri potest, piè & Christianè vivat. Circa ægros vigilans sit, summamque diligentiam adhibeat. Et quia, ut antea quoque monui, symptomata sæpissimè totam curationem prioris morbi invertunt, ideoq; quomodo illa removenda, hic in gratiam tyronum annectere visum est. Symptomata autem, quæ post operationem potissimùm supervenire solent, hæc sunt: Syncope, & virium prostratio, hæmorrhagia, febris, dolor, inflammatio, phlegmone, vigiliæ, phrenesis, convulsiones, atque Gangræna & Sphacelus denovo. De quibus omnibus ordine & sigillatim, breviter tamen dicturus sum, præter de Gangræna & Sphacelo, quæ si denuò superavenint, præcedens curatio iterùm adhibenda est.

Cap. XXI.

De syncope, & quomodo ea præcavenda & removenda sit?

Cap. 21.

Syncope, quæ præceps virium lapsus est, & in hujusmodi gravioribus operationibus non rarò accidere solet, periculo non vacat: nonnullos enim in ea exstinctos fuisse, observatum est. Videat itaque Cheirurgus, ut ante operationem eis omnibus, quæ in syncope requiruntur, instructus sit.

Lipothymia causa.

Multis variisque de causis præceps virium prostratio oritur, de quibus Lector *Galenum*, aliosque authores videre poterit. In gravissimis verò operationibus has potissimùm ob causas accidit. Primò, propter maximam dissipationem & deperditionem spirituum vitalium. Hinc enim cor aliquo modo refrigeratur, ac prosternitur, donec cætera viscera iterùm novum præsidium ad ipsum miserint. Hujusmodi autem lipothymiæ supervenire solent, quotiescunque Cheirurgus in gravissimis operationibus cauterium actuale improbat, & in sistẽdo sanguine aut negligens, aut tardus fuerit. Cum sanguine enim spiritus simul effluunt, atque dissipantur. Cujus rei exemplum Lector *cap. 15.* de illustri Germano videre poterit.

2. Lipothymiæ causa. Arist. 10. problemat.

Altera causa est, quando sanguis & spiritus repentè & nimis copiosè, sive sit propter iram, timorem, vel aliam aliquam causam, circa cor confluunt, spiritusque vitales veluti suffocant.

3. Causa.

Tertiò supervenit lipothymia, quotiescunque vapor putridus & malignus ex trunco per arterias ad cor adscendit, spiritusque vitales inficit. Quapropter quotiescunque membrum aliquod putridum in parte mortua abscinditur, & quod reliquũ est carnis putridæ, cauteriis actualibus in escharã comburitur, lipothymiæ gravissimæ & mortales pertimescendæ sunt. Vapores enim putridi, vi ignis excalefacti, subtiles& acres facti, facilimè per arterias ad cor adscendunt.

4. Causa.

Quibus orificium ventriculi exquisitissimo sensu præditum est, facilimè syncope corripiuntur, si bilis flava, aut aliquis alius humor acris sursum regurgitaverit: Uti accidisse memini, cum Empirici, & imperiti barbitonsores hujusmodi, aliasque operationes non purgato corpore administrant. Civi cuidam Bernensi, *Hieronymo Zobel* nomine, cum Anno 1614. Aventici venam non purgato corpore in sinistro cubito incideret barbitonsor, cardialgiâ primò, mox quoque epilepsiâ correptus fuit: finito paroxismo epileptico, imprudens barbitonsor protinus venam in dextra manu incidit, multumque sanguinis extrahit. Quid fit? iterum cardialgiâ, mox quoque epilepsiâ gravissimâ & periculosa correptus fuit; uti lector *in 4. Cent. Observ. nostrarum* fusiùs videbit. Corpus itaque antequam vena incidatur, aut membrum aliquod abscindatur, ab excrementitiis humoribus ut evacuetur, plus quàm necesse est.

Observat.

Signa.

Ubi lipothymiæ invadunt, pulsus languidus, & ita obscurus fit, ut quandoque difficulter percipi possit: Sudor frigidus in facie, aliquando quoque circa pectus erumpit: Nausea, non rarò quoque vomitus superveniunt, frequenterque oscitat æger: Sanguis ex toto corpore ad cor confluit: quapropter extremæ partes frigent; faciei nitor

Cap. 21. Nota. nitor & color vividus aufertur; nasus acutus & oculi cavi apparent. Sanguinis quoque fluor ut plurimum, fluente ad interna sanguine, remittit, nonnunquam, rarissimè tamen, augetur propter retentricis facultatis labefactationem, atq; summam prostrationem: quod & eis, quibus vena secta, & sanguis nimis copiosè extractus fuit, accidisse memini. Corpus, ut semel dicam, prostratum, & sine motu ac sensu jacet, nec quicquam videt, neque audit æger eorum, quæ circa ipsum fiunt.

Cum autem remedia secundum causam morbi sint mutanda, & adhibenda, necesse est, ut Cheirurgus ex sequentibus signis ediscat, an syncope propter dissipationem spirituum, vel ex eorundem oppressione proveniat? idque primò ex pulsu cognoscere licet. Solutæ enim vires inquit *Galenus*, parvum, languidum, ac valdè frequentem pulsum efficiunt: pressæ verò pulsus mutant, cùm in reliquam omnem inæqualitatem, & ordinis confusionem, tum in eam, quæ in vehementia spectatur & magnitudine. Nam inæqualitates hæ oppressarum virium maximè propriæ existunt. Secundò, virium lapsus propter dissipationem spirituum semper post intempestivam hæmorrhagiam accidit. Ex oppressione verò spirituum etiam ab initio operationis, & antequam sanguis profluxerit, supervenire consuevit. Si syncope circa finem operationis, aut etiam absolutâ operatione pervenerit, haud difficulter ex sanguinis, qui effluxit, quantitate conjiciet Cheirurgus, syncope, an ex spirituum vitalium dissipatione fuerit, nec ne? Tertiò, in syncope ex retentione spirituum, item ex magna crudorum humorum copia, præcordia inflantur, & totum corpus majorem naturali molem habet: & color aliis ad albidiorem, & aquosiorem speciem mutatur; aliis ad nigridiorem, ac lividiorem. Quartò, æger, si optimo corporis habitu præditus, cordatus & animosus, nihilominùs tamen lipothymiâ correptus fuerit, verisimile est, malum propter dissipationem spirituum accidere: propterea quod æger ante operationem intempestivè per alvum, aut sudores expurgatus fuerit, aut in ipsa operatione multum sanguinis profuderit. Sin verò æger delicatulus fuerit, stomachum debilem habuerit, intempestivè expurgatus non fuerit, neque hæmorrhagia usque adeò magna supervenerit, certum est, lipothymiam propter retentionem & suffocationem spirituum accidere: propterea quod aut ratione timoris, aut aliquam aliam ob causam, sanguis, humores, & cum ipsis spiritus intempestivè confluxerit. Ignosce, candide Lector, si in enumeratione signorum prolixus fuerim. Id enim eam ob causam feci, quò tyrones, junioresque Cheirurgi hujus affectus plenissimam notitiam habere possint. Quàm grave enim & periculosum sit symptoma, Medicis in confesso est, & sequentes observationes fidem faciunt. Duo ex domesticis serenissimi Principis ac Domini, Dn. JANUTII à RADZEVIL Lituaniæ, &c. Ducis, cùm in decertatione unus ex illis gladio parùm supra genu vulneratus fuisset, protinus in lipothymiam incidit, vitamq; posuit, antequam Cheirurgus Principis accurreret: etiamsi nulla supervenisset hæmorrhagia, & vulnus non usque adeò profundum esset. Hæc ex relatione serenissimi Principis habeo.

1. Galen. introduct. in pulsus. 2. 3. Paul. Aeginet. l. 2. cap. 37. 4. Observat.

Gersheimensis quidam barbitosor, *Wilhelmus Fix* nomine, cùm velitando cum Duseldorpensi quodam in via, haud procul ab ipso oppido, circa carpum (si rectè memini) sinistrum, vulnus exiguum recepisset, protinusque syncopè correptus fuisset, in ipsa extinctus fuit, etiamsi nulla supervenisset hæmorrhagia. Ambos autem istos viros propter conceptam iram extinctos fuisse, verisimile esse mihi videtur. Dolor enim iraque, ut Pontanus refert, mentem præcipitant: Sanguis enim, & spiritus cum impetu ad cor confluunt, caloremque vitalem extinguunt, quemadmodum videmus flammam in lampade extingui, si nimium olei affunditur. Adde quoque conturbationis proprium esse, ut idem *Pontanus* docet, mentem labefactare: at altercatio illa absque conturbatione fieri non potuit. Honesta quædam matrona Hildenæ, cùm Anno 1602. 4. Septembris per totam diem in administratione rerum domesticarum occupatissima, ac proinde defessa fuisset, & post cœnam ad focum sederet, periculosissimâ lipothymiâ correpta fuit: quemadmodum lector in tractatu de combustionibus fusiùs videre poterit.

Quàmprimum itaque Cheirurgus ex supradictis signis cognoverit, lipothymiam in propinquis esse, protinus ut secundùm causas adhibeat remedia, necesse est. Quapropter ne in ipsa operatione longos dolores patiatur æger; aut multum sanguinis profundatur, viresque dissolvantur; cordatum & manu promptissimum convenit esse Cheirurgum. Habeat præterea in promptu pulveres, ad sanguinem sistendum exquisitissimos, simul & cauteria ignita; ut venas simul & arterias protinus obturare possit. Adsint etiam ægro Ministri divini, qui consolationibus piis ipsi animum erigere possint. Sin verò virium lapsus, propter spirituum circa cor collectorum copiam acciderit, non usque adeò opus est, confestim restinguere sanguinem, imò expedit, ut sanguis & spiritus iterùm ex interioribus ad exteriora, beneficio hæmorrhagiæ, & arctissimis ligaturis evocentur. Verùm enim vero in his omnibus virium inprimis habenda est ratio. Cùm primùm autem supervenerit lipothymia, ægrum protinus in dorsum collocare convenit, ita tamẽ, ut caput & pectus aliquo modo elevata sint, ne membra nutritioni inservientia, veluti ventriculus & hepar, diaphragma reprimant, pectusq; coarctent. Hanc quoque ob causam vestimenta, & quæcunque circa pectus & ventrem sunt, protinus relaxare convenit: quò membra respirationi inservientia libera esse possint.

Porrò si lipothymia propter dissipationem spirituum fuerit; exteriùs adhibenda sunt ejusmodi, quæ poros obturare, sanguinem quinetiã caloremque nativum simul & spiritus iterùm ad interiora propellere valeant. Quapropter facies, tempora, & carpi, aquâ rosarum, plantaginis & aceto rosaceo sunt irroranda: Sin prædictæ aquæ minimè in promptu fuerint, aqua communis, acetum item commune substituendum est. Aqua

autem

autem (quod notandum) cum impetu, & ægro nesciente, in faciem projicienda est: sic enim spiritus veluti sopiti excitantur, & ad fontem vitæ recurrunt. Os præterea & nares digitis comprimantur, quo inspiratus aër versus interiora recurrens, excalefactusque cor calefaciat, & spiritus reficiat. Protinus quoque parum vini, aut vini Malvatici, vel nonnihil aquæ cinnamomi, in qua aliquid confectionis Alkermes dissolutum sit, ægro propinandum est: Crines trahendi, & spiritus circa cor sopiti, vociferationibus excitandi sunt. Cùm primùm lipothymia nonnihil remiserit, bucella panis vino aut vino Malvatico madefacta, ovum item sorbile, & jusculum ex optima carne, haustusque vini ægro offerendus est. Sin febris ardens adfuerit, vinum ptisanâ, aut decocto agrimoniæ diluendum est. Sequens quoque epithema regioni cordis, temporibus item & arteriis brachiorum applicetur.

R. Aquarum rosarum.
Buglossæ.
Borraginis.
Acetosæ.
Aceti rosarum ana ℥j.
Coralliior. præpar.
Sandalorum omnium.
Specierum diamargariti frigidi ana ʒj.
Confect. Alkermes ℈ij.
Ossis de corde cervi.
Caphuræ.
Croci ana ℈ß.

Misce, fiat epithema, ut dictum: Ori præterea & naribus continuò linteum aut spongia epithemate isto intuccata admovenda est. Odores enim suavissimi, ut postea dicam, vires quoque reficiunt, instaurantque.

Quod si syncope propter sanguinis copiã, aut ex putridis & malignis vaporibus, ex membro putrefacto ad cor elevatis advenerit, sanguis, ut post amputationem membri nonnihil fluat (secundùm tamen virium tolerantiam) necesse est. Sic enim vapores putridi iterùm ex partibus nobilibus ad truncum trahuntur. Hanc quoque ob causam ut vinculum illud paulò supra locum amputationis, protinus solvatur, non usque adeò est necesse: sed poterit per quadrantem horæ relinqui, ab interioribus enim ad exteriora quoque trahit. Quapropter in maximis & periculosis lipothymiis, brachia & crura arctè ligare solemus. In dorsum similiter collocandus est æger, & pectus à vestimentis liberandum. Facies vino, in quo flores spicæ macerati fuerint, aut etiam aqua spicæ: labia verò & lingua theriacâ confricanda sunt: parumq; theriacæ vino malvatico dissolutæ, ex cochleari exhibeatur. Aut

R. Aquæ cinamomi
Buglossæ ana ℥ß.
Confect. Alkermes ℈ j.
Lapidis Bezoar. gr. vj.
Misce, fiat potiuncula.

Naribus suaviter redolentia, veluti aqua cinnamomi, in qua confectio Alkermes dissoluta, aut storax, Benzoi, ambra, moschus, crocus & similia macerata fuerint, admovenda sunt. Hujusmodi enim spiritus recreant, viresque, ut *Galenus* & alii docent, instaurant. Sin autem lipothymia propter vitium aliquod matricis acciderit, aut ægra hysterica fuerit, naribus non suffitus ex odoratis, sed fœtidis, veluti asa fœtida, fumus item plumarum perdicum combustarum, aut cornu caprarum, aut solearum calceamentorum, corticum cæparum, & id genus aliorum; pudendis verò odorata adhibeantur. Ita etiam, si capitis dolor ingens ac magnus adfuerit, suffitus aromatum naribus admotos minimè convenire, nos docet *Hippocrates* his verbis: *Suffitus aromatum, & ex odoramentis, muliebria ducit.* Sæpiùs verò ad alia utilis esset, utpote ad omnia frigida & humida corporis, uteri præsertim mala; nisi capitis faceret gravitatem, quippe vapores suffitu, utpote tenuiores, ad caput feruntur, idque complentes, gravitatem ejusdem efficiunt. Quod si syncope adeò gravis & vehemens fuerit, ut de vita periclitetur æger, extremitatibus, veluti brachiis & cruribus vincula dolorosa protinus injicienda sunt. Naribus pennâ pipere confricatâ, inditâ, aut nonnihil pulveris piperis albi calamo inspirati, sternutamenta cienda sunt; quo spiritus sopiti excitari possint. Hanc quoque ob causam pennâ oleo communi inunctâ, & œsophago intrusâ, vomitus provocare convenit. Nonnunquam enim ob crudorum humorum, vel etiam cibi copiam, in hujusmodi operationibus lipothymia gravissima accidere solet, quemadmodũ *cap. 18.* exemplo de gulosa quadam ostendimus. Interim autem, dũ Cheirurgus sternutaměta evocat, aut vomitum excutit, diligentissimè ut prospiciat, plusquàm necesse est. Quapropter hujusmodi præsidia non nisi maximâ urgente necessitate, adhibenda sunt. Cordi sequens epithema applicetur.

R. Aquarum Borraginis.
Buglossæ ana ℥j.
Melissæ ℥ ij.
Vini Malvatici ℥iij.
Electuarii de gemmis ʒj.
Croci ℈ j.
Misce, fiat epithema.

Sequens elixir vitæ quoq; mirum in modum in lipothymia, & virium lapsu convenit: quandoquidem cerebrum, cor, ventriculum, omnésque partes internas roborat, spiritus recreat, ac humidum radicale instaurat, noxiosq; vapores à partibus nobilioribus ad ignobiliora expellit. Detur à drachmis duabus ad unciam semis, per se, aut pauco saccharo, vel confectione Alkermes dulcorata.

R. Aquarum rosarum odoriferarum.
Melissæ.
Buglossæ ana ℔ j.
Aq. Cinnamomi ℔ iij.
Garyophyllorũ confractorum.
Nucis Muschat.
Macis.
Benzoini.
Storacis calamitæ.
Cortic. Citronum.
Aurantiorum ana ℥ j.

Cap. 21.

Gal. lib. 2. aph. Hipp. com. 11. Paul. Aegin. lib. 6. c. 40. Nicolaus Massa lib. de morbo gallico tr. 3. c. 7. & tr. 4. cap. 4.

Lib. 5. aph 28. Iohan. Lygaeus in com.

Admonitio.

Epithema

Elixir vitæ.

Cap. 21. & 22.

Florum anthos.
Salviæ.
Betoncæ.
Primulæ veris.
Buglossæ.
Borraginis.
Violarum.
Summitatum majoranæ ana M.ß.

Incidantur & contundantur, quæ contundenda, deinde cum aquis commisceantur, & digerantur in Sole per dies 24. vase diligenter cerâ obturato. Tandem per alembicum vitrum in balneo Mariæ, lento igne destillentur. Aqua excipiatur ampullâ vitreâ. Ex remanentia s. a. extrahatur Sal, & admisceatur aquæ, item.

Moschi ℈ß.
Ambræ gr. vj.
Croci ℈jß.

Misceantur omnia, & reserventur in ampulla diligenter clausâ ad usum. Præstans est, ut dixi, si ex cochleari exhibeatur, naribus quin etiam, fronti, & arteriis brachiorum admoveatur.

Sequens quoque pulvis summopere convenit in lipohtymia, naribus & ori calamo inditus.

℞. Rosarum odoriferarum ℥ß.
Storacis calamitæ
Benzoini ana ʒ ij.
Mosci &
Ambræ ana gr. vj.

Misce, fiat omnium pulvis subtilissimus: reservetur in vase vitreo, cerâ diligenter obturato.

CAP. XXII.

Qualisnam victus ratio ægro post operationem præscribenda sit.

PEractâ operatione, & remotâ lipothymiâ, si forsan supervenit, victus ratio talis, quæ reliqua symptomata partim removere, partim quoque præcavere possit, præscribenda est: ubi iterùm essentia & magnitudo morbi, simul & vires ægri perpendendæ.

Porrò Gangræna cùm sit ex numero gravissimorum morborum, extrema & exquisita remedia, juxta *Hippocratem*, convenire, omnibus in confesso est: Victus itaque tenuissimus præscribendus esset ægro, nisi vires ut plurimum contrarium suaderent. Humidum enim radicale cùm propter morbi violentiam, dolorem gravissimum, & sanguinis deperditionem, sit absumptum, & spiritus vitales dissipati, omnésque actiones corporis prostratæ, pleniori victus ratione iterùm ut instaurentur, reficianturque, perquàm necesse est. Major enim error, ut testatur *Hippocrates*, in tenui victu intempestivè adhibito fit, & graviùs vires læduntur, quàm in paulò pleniore victu, præsertim ubi vires prostratæ fuerint. Quâ victus verò ratione id fieri debeat, alibi nos docet *Hippocrates*, his verbis: Victus humidus aut frigidus actu, aut potentiâ talis, febricitantibus confert; at in hujusmodi gravissimis periculosissimisque operationibus, semper adest febris: quapropter cibis boni succi, qui humectando simul refrigerant, æger nutriendus est. Hujusmodi cibus autem est, jusculum carnium recentium, caponum inprimis, gallinarum, & castratorum, hordei mundati, & avenæ decorticatæ, & similia: conveniunt & panatellæ, ut vocant, emulsiones seminum frigidorum, amygdalata, & ova recentia. Cum carne coquendæ sunt herbæ refrigerantes, veluti borrago, buglossa, acetosa, lactuca, cichorium, spinacia, cerefolium, & flores calendulæ. Spiritus enim vitales recreant. Conveniunt quoque pruna damascena, & uvæ passulæ, aquâ & saccharo coctæ. Aromata, præcipuè piper, zingiber, garyophilli, item allia, cæpæ, raphanus, sinapi, & hujusmodi omnia, quæ insigniter excalefaciunt, summoperè nocent. Ab initio vinum, omniaque potulenta calida, omninò interdicenda sunt, nisi vires planè prostratæ, lipothymiæ frequentes adfuerint, tunc enim per intervalla vinum aquâ dilutum exhibere convenit, alioquin bibat ptisanam, in quâ pruna, aut tamarindi incoctæ fuerint: vel detur decoctum agrimoniæ & veronicæ, saccharo dulcoratum, & cinamomo aromatizatum, vel lac amygdalatum. Ptisanæ quoque & decocta agrimoniæ admisceri poterunt, syrupus citronum, de limonibus, de succo acetosæ, de agresta, de succo berberorum & similia. Loco Syruporum succi quoque conveniunt. Si verò tussis adfuerit, aut æger vitio aliquo pectoris laboraverit, ab omnibus acidis ut ab stineat æger, necesse est: præcipuè ab initio morbi, ne auctâ tussi propter concussionem corporis, sanguis circa truncum iterùm erumpat.

Lib. 1. Aphor. 6.

Lib. 1. Aphor. 5.

Lib. 1. Aphor. 6.

Alvus ut lubrica sit, prospicere oportet, ubi enemata lenientia, suppositoria, & pruna aquâ & saccharo cocta conveniunt. Ira præterea, tristitia, omnesque affectiones animi vitandæ sunt. Gaudium mediocre, uti spiritui recreando convenit; Sic risus inprimis immoderatus supra modum nocet: Ridendo enim cor totumque nervosum genus maximo cum impetu moveri, atque ex una in alteram partem ferri, *Centuriæ prima Observat.* 23. annotavimus. Hinc perspicuum fit, duabus de causis risum nocere eis, quibus mẽbrum aliquod amputatum est. Primò, quia ridendo nervi contrahuntur, unde dolor, & convulsiones: secundò, quia ex maxima illa concussione, & agitatione corporis & musculorum, venæ quoq; & arteriæ agitantur & commoventur, ac proinde sanguis iterùm erumpit, quemadmodum loco jam jam allegato fusiùs monstravimus & exemplo non vulgari in Nobilissimo & Strenuo viro Dn. *Imberto à Diesbach*, Domino ad S. Christophorum observato, confirmavimus. Prædicta victus ratio non solùm amissas vires instaurat; Verum etiam quàmplurima symptomata, quæ ægris insidias parare solebant, avertit.

CAP.

CAP. XXIII.

Quomodo hæmorrhagia, si post primum apparatum iterum supervenerit, prohibenda & compescenda.

OMnium symptomatum, quæ vulneribus superveniunt, hæmorrhagia meritò periculosissimum est censendum, præcipuè autem, si arteria aliqua aperta fuerit. Ex arteriis enim sanguis longè impetuosiùs, quàm ex venis prosilit; Et propter continuum motum earum, densam duplicemque tunicam, difficulter obturari possunt. Hinc æger in vitæ discrimine versatur. Cum sanguine enim spiritus dissipantur, vires dissolvuntur, humidumque radicale exhauritur: hinc partes nobiles adeò labefactantur, ut sæpissimè obstructiones gravissimæ viscerum, ictericia, & hydrops sequantur. Quòd si singultus supervenerit, de ægro actum est. Ubi enim sanguis plurimus effluxerit, à quovis loco, sive à naribus, sive ab ore, thorace, ventriculo, utero, hæmorrhoidibus, singultus, qui ventriculi depravatus motus est, aut convulsio superveniens, malum. Fit enim hujusmodi singultus ex inanitione & absumptione humidi radicalis, quapropter ut plurimum lethalis est, ut *Hippocrates* & experientia docent. Hanc ob causam prospiciat Cheirurgus, ut diligentes & fideles ministros ægro adjungat, qui omnia, quæcunque necessaria videbuntur, adhibeant: Inprimis autem manu madefacta oxycrato, stupas cum pulvere continuò per vices continuare debent, ne sanguis erumpat. Prospiciant præterea, ne multùm se commoveat æger, sternutet, vociferetur, tussiat, rideat, aut corpus culcitris multùm oneret. Quid plura? quæcunque corpus commovent, aut quovis modo excalefaciunt, vitanda sunt.

Monitos autem hîc velim juniores Chirurgos, ut interim dum æger dormit, vigilans & diligens ipsi adsit minister, ne æger propter falsas imaginationes, quæ aliquando supervenire solent, truncum commoveat, iterumque sanguis erumpat, quemadmodum cuidam ægrotorum meorum in agro Paterniacensi accidit. Huic cùm brachium ad cubitum amputassem, ille verò tertio die, me absente, brachium, (quod minimè sibi amputatum esse persuadebat) extendere, & manu, nescio quid, apprehendere vellet; denuò apertâ venâ, hæmorrhagia magna & virium prostratio secuta est, ita ut paucos post dies è vita discesserit. De hujusmodi falsis imaginationibus videat Lector *Observ. 14. & 15. Cent. 3.* item *Laurentii Iouberti* tractatum *de vulneribus Sclopetorum.*

Quod si hæmorrhagia supervenerit, non ilicò tamen amovendus est primus apparatus, sed priùs tentandum, an aliis remediis retineri possit. Protinus itaque unus ex ministris manu stupas cum pulveribus contineat, fortiterque contra oscula venarum reprimat. Ne autem incalescat manus, sæpissimè oxycrato immergenda est. Alius præterea adsit minister, qui superiorem partem trunci, linteis oxycrato madefactis involvat.

Si amputatum fuerit crus, brachia ad cubitum arctissimo vinculo constringenda sunt, erit id vinculum è tenui redimiculo, cujusmodi illud est, quo mulieres ad ligandos nodandosque suos crines uti consueverunt. Sin amputatum fuerit brachium, crura ad poplitem constringere convenit: Ligatura enim hæc sanguinem protinus attrahit, & hæmorrhagiam sæpissimè impedit. Ad eandem intentionem summoperè quoq; convenit venæ sectio, in opposita parte facta: hoc est, si crus dextrum amputatum fuerit, in cubito dextro secanda est vena: si verò brachium abscissum, venam in poplite secare convenit. Quod si vena in poplite non apparuerit, in pede secanda est, dum modò id absque immersione pedis in aquam calidam fieri poterit. Quandoquidem in his frigido, frigidâque aquâ utendum, unde fluit sanguis, aut fluxurus est. Immersis enim pedibus manibusque in aquam calidam, totus sanguis incalescit, adeoque effervescit, ut difficulter restingui possit. Quapropter etiam frictiones eis, quibus sanguis fluit, aut fluxurus est, minimè convenire, rationi consentaneum est. Evacuatio autem hæc non solùm in hæmorrhagia convenit; verùm etiam reliqua symptomata, veluti febrem, dolorem, inflammationem, & similia arcet atq; impedit.

Venâ quandò post amputationē secanda.

Hipp. l. 5. aph. 23.

Notá.

Ante venæ sectionem autem diligentissimè perpendere debet Chirurgus, án æger sit plethoricus, juvenis & robustus. Si enim cacochymicus, senex, aut multùm imbecillis fuerit, minimè aut in paucissima saltem quantitate detrahendus est sanguis.

Quæ antè venæ sectionem perpendenda.

Si intemperies maxima hepatis adfuerit, sequens epithema tepidè applicare convenit regioni hepatis.

Epithema

R. Aquar. endiviæ.
Cichorii.
Lactucæ.
Absinthii an. ℥ij.
Aceti rosacei ℥.ß.
Specier. diarrhod. abbatis
Diatrion. sandalon. an. ℈ij.
Caphuræ ℈.ß.


Misce, & applicetur, ut dictum, cum filtro aut spongia, vel etiam linteo reduplicato.

Aër, in quo æger versatur, frigidus ut sit, necesse est: quapropter, si tempus calidissimum fuerit, cubiculum aquâ frigidâ aspergendum & foliis plantaginis, salicis, quercinis, rosarum, gramine, & similibus hinc inde sparsis, calor attemperandus est.

Aër qualis esse debeat.

His adhibitis remediis, si sanguinis fluxus non sistitur, fascias, vesicam, reliquaque omnia clementer solvere & amovere, iterumque renovare necesse est. Quod si vena, ex qua sanguis profluit, in conspectum venerit, forcipe apprehendenda, & filo reduplicato liganda est, quemadmodum superiùs dixi. Si verò impetuosè profluxerit sanguis, ita ut de vita periclitetur æger, sequenti cauterio candente compescendus & restinguendus est.

Cap.24.



Tandem stupæ cum pulvere ad sanguinis fluorem sistendum, vesica item, ac reliqua, quemadmodum *cap.16.* declaravimus, applicanda sunt. Addi quoque minister, qui manu oxycrato madefactâ, stupas cum pulveribus ad oscula venarum reprimat.

Cap. XXIV.

De dolore, inflammatione, & intumefactione, & quomodo hujusmodi symptomatibus occurrendum.

POst hæmorrhagiam omnium symptomatum periculosissimum dolor meritò censendus est, cum sit mater, ex qua quàm plurima mala generantur. Quapropter non sine gravissima causa monet *Galenus*, vulnera blandè esse tractanda, ne dolor suboriatur. Etiamsi enim corpus ante operationem eâ, quâ fieri potest, diligentiâ expurgatum sit, attrahit nihilominus dolor, maximo cum impetu, sanguinem & humores ex toto corpore ad truncum, iterumque inflammatio, intumefactio, phlegmone, convulsiones, aliaque symptomata suboriuntur. Ratione item doloris vigiliæ, inquietudines, phrenesis, lipothymiæ, prostratio appetitus viriumque consequuntur. Digestio quoque non tantùm ventriculi, verùm etiam vulneris impeditur, ita quidem, ut sæpissimè Gangræna iterùm circa truncum suboriatur. Monitos itaque velim juniores Cheirurgos, ut in omnibus operationibus illam adhibeant diligentiam, quò omnia, quantum quidem fieri potest, absque dolore perficiant: Id enim vult *Galenus*, cum operationes jucundè fieri debere præcipit. Quapropter omnes meritò vituperandi sunt, qui ægros nulla urgente necessitate, doloribus ac tormentis lacerant.

Method. med.l.5.5.

Admonitio.

Cap [illegible]

Met. med. 14. [illegible]


Dolor autem præcavetur internis, externisque remediis. Internis, quæ affluentes humores, & sanguinem, sive is qualitate sive quantitate peccaverit, evacuant: Externis, quæ eosdem humores sanguinemque à parte affecta repellunt, alterántve. Quod si circa truncum aliquid dolorificum à Cheirurgo commissum fuerit, hoc est, si medicamentum aliquod acre applicuerit, aut vinculum (uti nonnulli faciunt) ad truncum reliquerit, id protinus quoque corrigendum & removendum est.

Dolo[illegible] *mod*[illegible] *cave*[illegible]

Cæterùm sedatur dolor tribus modis, 1. auferendo causam, 2. corrigendo intemperiem, quæ partem læsam afficit, 3. stupefaciendo & sensum partis hebetando. Quapropter si dolor ex affluxu humorum acciderit, corpus iterùm secundum humoris prædominantis naturam expurgandum est. Id tamen, nisi violentia morbi obfuerit, ante operationem fieri debet: quo facta operatione corpus purum sit, ne forsan ex motu isto sanguis iterùm erumpat. Sin verò corpus ante operationem expurgatum non fuerit, & dolor ac inflammatio supervenerint, post operationem (si vires permiserint) clementer expurgandum est. Ne autem, dum æger è lecto ad exonerandam alvum egredi cogitur, hæmorrhagia iterum superveniat sequens vasculum ad excipienda excrementa aptissimum ipsi supponatur.

Dolo[illegible] *bus* [illegible] *seda*[illegible]

Vasculum autem illud ex cupro, aut stanno fabricatum, & rotundum esse convenit, latum pollices 13. altitudo pollices quatuor nō excedat. In superiori parte foramen habeat rotundum, & pollices septem longum, cujus limbus aliquo modo depressus sit; quemadmodum sequens figura indicat.



A.A. Va-

A. A. Vacuum sive ventrem vasculi denotant.
B. Foramen rotundum, in superiori parte pollices septem longum, adumbrat.
C. Limbus est vasculi, nonnihil impressus, idque in illum finem, ne æger ab ipso lædatur, sed commodè ei insidere possit.
D. Operculum fistulæ E. notatæ, per quam pelvis mundatur, denotat. Est quoque loco manubrii, quo vasculum sub ægrum intruditur iterumque extrahitur.

Quò lector figuram vasculi, & inprimis limbi depressionem, eò meliùs intelligere queat, apposita est figura altera; quæ vasculum per medium dissectum repræsentat.

Interim autem, dum æger alvum exonerare nititur, minister, ut manu posca madefacta pulvillos, fasciam & pulveres ad sanguinem sistendum, versus vasa reprimat, necesse est. Clementer tamen omnia facienda sunt, ne dolor excitetur. Victus ratio talis præscribenda est, qualem *c. 22.* & alibi fusiùs indicavimus. Si plethora maxima adfuerit, & sanguis in partem læsam confluxerit, doloremq; excitaverit, incidenda est vena, dummodò vires consentiant, & æger sit juvenis, neque in ipsa operatione multum sanguinis profusum fuerit: Quandoquidem venæ sectio in omnibus doloribus, præcipuè qui ex plenitudine sanguinis proficiscuntur, singulare præsidium est.

Solent nonnulli Chirurgorum vinculum ex superiori parte amputationis, in secundum apparatum relinquere: idque in eum finem, ut oscula venarum, simul & arteriarum constringantur: Sed perperam profectò faciunt. Vinculum enim hoc maximos atque continuos dolores, ingentesque cruciatus excitat. Hinc inflammationes, febres, vigiliæ, aliaque Symptomata suboriuntur. Attrahit enim cum impetu sanguinem, atque humores ex toto corpore ad partem læsam. Hanc quoque ob causam primus apparatus, si ullo modo fieri possit, aut ad summum secundo, aut tertio die removendus est. [Fasciæ enim & vesica bovina, cùm circumcirca truncum exsiccantur, doloresque non spernendos excitare solent. Nonnulli ab initio linteaminibus, ac culcitris calidis ita solent obvolvere truncum, ut inde (maximo ægrorum damno) præter modum incalescat, atque ratione suæ caliditatis, sanguinem humoresque ex corpore attrahat. Hæc, si causa doloris fuerint, corrigenda quoq; erunt.

Unica superest causa doloris, quæ removeri non potest, nimirùm, quæ propter puris præparationem accidit, ac præcipuè tertio, quarto, ac quinto die ægrum infestare solet. Pus enim, *Hippocrate* teste, dum conficitur, dolores fiunt, ratione quâ materia circumstantes partes intendit, ob ipsius fusionem, & spirituum dissolutioné. Febres item accidunt magis corde jam concalefacto, quàm jam confecto pure: quippe materia tum attenuata est, & multum spirituum exhalavit, putrida denique concocta sunt, atque effluunt. Hoc itaque tempore æger blandè & circumspectè tractandus est, omniaque, quæ dolorem excitare solebant, evitanda, atque removenda sunt.

Cap. 24. 2. Modus sedandi dolorem

Secundò sedatur dolor, corrigendo intemperiem partis affectæ. Ratione enim solutionis continui, pro plenitudine & cacochymia corporis, humores in partem affectam plus minusque confluunt, & excalefaciendo, ac partes nervosas extendendo & alterando, dolorem atque intumefactionem excitant. Itaque statim ab initio, quemadmodum antea quoque monui, repellentia applicare cõvenit. Quapropter totum membrum bis aut ter in die oleo rosaceo & myrtillorum ut inungatur, & defensivum applicetur, necesse est. Pulvilli item & fasciæ oxycrato imbuendę sunt. Hæc omnia enim non solùm affluentes humores repellunt, verùm etiam calorem partis affectæ ad temperiem reducunt.

Etsi autem hujusmodi frigida parti affectæ applicare necesse sit; Ipsū tamen vulnus, ut temperatè sit calidum, prospicere debet Cheirurgus. Quamobrem digestivum utcunque copiosè filamentis & pulvillis applicandum, & ne oxycratū aliaque frigida ad ipsum vulnus perveniant, danda est opera. Frigidum enim, inquit *Hippocrates*, ulceribus mordax, non quidem erodendo, quod continuum est; Sed potiùs divellendo cutem obdurat, substantiam ejus densans & constringens, dolorem importabilem facit, eò quod nativum calorem, qui suppurationis causa est, exstinguat, livorem obducit, & denigrat, rigores febriles, convulsiones, distentiones creat, non quidem per se, ut rectè docet *Lygæus*, sed ex accidente: Nam conclusis corporis meatibus putredinem, & subinde febrem excitari, necesse est. Summa ut verbo dicam, pars affecta ad temperiem, quantum quidem fieri potest, reducenda est: hoc est, ut neque nimis sit calida, frigida, humida, aut sicca: Quandoquidem, nisi pars affecta quàm optimè fuerit temperata, minimè curari posse, *Hippocrates*, & experientia fidem faciunt. Sin verò materia affluens pituitosa fuerit, victus ratio utcunque calida & sicca instituenda est, uti *cap. 12.* in victus ratione, in causa frigida & humida, fusiùs declaravimus. Trunco non frigida, sed temperatè calida, veluti unguentum basiliconis, aureum cataplasma, item ex farina fabarum, lupinorum, baccarum lauri, floribus chamomillæ, sambuci, meliloto, rosarum, & summitatum absinthii, omnibus vino rubro coctis, applicanda sunt. Truncus quin etiam linteis & stupis calidis involvatur, & digestio vulneris celeriter promovenda est. Venæ sectio hîc vix locum habebit, quin potius corpus à pravis humoribus expurgare expediet.

Lib. 5. Aphor. 20.

Lib. 5. Aphor. Hip. comm. 17.

Hipp. lib. de ulceribus. Gal. method. med. lib. 3. cap. 8. & lib. 4. cap. 2.

Vena sectio.

His, uti dixi, adhibitis, si præter spem atq; exspectationem dolor, inflammatio, affluxus humorum & febris iterùm supervenerint, denuò corpus secundùm humoris prædominantis modum expurgare, venam secare, & defensiva applicare, & truncum, totumq; membrum sequenti linimento calidè inungere necesse est.

℞. Ol. rosarum.
Myrtillorum.
Anethi.
Lumbricorum an ℥j. Misce.

Interim tamen etsi inflammatio aliqua adsit, vulneri tamen, ut omnia tepidè applicentur necesse

Cap. 24. Lib. 5. Aphor. 22.

necesse est. Calidum enim, ut *Hippocrates* testatur, pus movet, cutem emollit, dolorem sedat, rigores, convulsiones, & distensiones mitigat. In hunc itaq; finem sequens digestivum vulneri filamentis copiosè imponendum est.

Digestivum.

R. Therebinth. claræ, & aqua betonicæ, aut Veronicæ lotæ ℥ j ß.
Ol. Rosacei &
de vitellis ovorum ana ℥i.
Gummi Elemi &
Ceræ novæ ana ʒ vj.
Dissolvantur lentissimo igne, & percolentur: postea admisce
Croci ℈ j ß.
Vitellos ovorum num. ij.

Misce, fiat unguentum, quod filamentis tepidè applicetur, & emplastro basilicone cooperiatur. Aut applica sequens cataplasma, quod dolorem mirum in modum mitigat:

Cataplasma.

R. Medullæ panis ℔. j.
Coquatur cum lacte vaccino, ad formam cataplasmatis; Deinde admisce
Ol. Amygdalarum dulcium.
de vitellis ovorum ana ℥ j.
Butyri recentis ℥ij.
Croci ℈j.
Vitellos ovorum num. ij.
Misce, & applica calidè.

Error quorundam seplasiariorum in expreßione olei de vitellis ovorum notatur.

Oleum autem de vitellis ovorum, & amygdalarum dulcium, quod diligenter notandum & observandum, non ex vitellis aut amygdalis combustis (quemadmodum nonnulli seplasiariorum, quo oleum copiosiùs & minori cum labore extrahere possint, facere consueverunt) sed leviter calefactis, eâ, quâ par est diligentiâ, extrahẽdum est. Combustis enim vitellis amygdalisve oleum quidem facilè, sed sordidum, fœtidum, & ad sedandos dolores ineptissimum elicitur.

Sequens item fomentum dolorem lenit:

Fomentũ anodynũ.

R. Flor. Chamomillæ.
Meliloti.
Rosarum rubearum.
Absinthii ana M. ß.
Rad. Altheæ ℥ j.
Sem Anisi.
Fœnigræc. ana ℥ ß.

Incidantur omnia in minutissimas partes, & coquantur in lacte vaccino, in quo spongiâ aut filtro madefacto calidè applicetur loco dolenti, & cùm primùm refrigeratum fuerit, iterùm prædicto lacti calido intingatur.

Tertius modus sedandi dolorem.

His si non sedatur dolor, ad narcotica transeundum est: à levioribus tamen incipere convenit, hunc in modum:

R. Syr. de papavere ℥ j.
Aq. Lactucæ
Papaveris albi, &
Buglossæ
Aq. Cinnamomi ana ℥ ß.
Confect. Alkermes ℈ j. Misce, fiat potiuncula, detur duabus horis post cœnam.

Si ad fortiora transire necesse fuerit, detur Philonium Romanum, Triphera magna cum opio, aut Laudanum *Paracelsi*. Vulneri emplastrum ex hyoscyamo, floribus nenupharis, sem. papav. albi, opio, & similibus applicetur. Cautus tamen hac in re ut sit Chirurgus, necesse est, præsertim in exhibitione *Laudani*: quamvis enim sit medicamentum præstantissimum, quendam tamen, cùm eo abuteretur, mortem sibimet intulisse observavi. Fuit is Nobilis, haud procul à Coloniâ habitans, & quinquaginta circiter annorum ætatis: Is cùm dolore Nephritico, simul & Arthritico mirum in modum excruciaretur, Coloniam ad Medicum mittit, auxiliumque ejus exposcit. Præparat Medicus doses aliquot *Laudani*, & ad ægrum transferendas tradit tabellario, cum instructione, quomodo medicamento isto uti deberet. Servus ad Nobilem suum reversus, medicamentum quidem tradit, schedam verò in via amiserat: Æger præ maximo dolore cum veluti prostratus esset, neque ut famulus Coloniam rediret, iterumque instructionem Medici exposceret, expectare posset, medicamentum, quod pro aliquot dosibus miserat Medicus, unâ vice deglutiit. Dolores ita sedati fuêre, somnoq; tam profundo correptus fuit æger, ut dormiendo inter homines esse desierit. Basileæ in duobus ægris idem accidisse, ex relatione *Dom. D. Caspari Bauhini*, habeo. Hasce adscribere volui historias, non in eum finem, ut medicamenta hæcce præstantissima utilissimaq; improbare velim, quin potiùs juniores Chirurgos admonerem, ut circumspectè & prudenter ea exhibeant. Ante exhibitionem tamen *Laudani*, aut cujusvis medicamenti arte chymica præparati, prospiciendum est, ut fideliter & ab exercitato artifice sint præparata. Et quia in præparatione maxima difficultas sita (uti alibi fusiùs demonstravimus) caveat sibi Chirurgus, ne facilè præscribat medicamenta chymica, nisi ipsemet, aut exercitatus & peritus pharmacopæus illa præpararit: cautiones præterea, quæ apud *Dn D. Osvvaldum Crollium*, & alios leguntur, in eorum exhibitione diligentissimè observandæ sunt. Atque hæc sunt præsidia, quibus dolores sedentur, inflammatio extinguatur, & intumefactio partis malè affectæ consumatur. Quod si inflammatio in abscessum abierit, sequenti cataplasmate procuranda & accelerandа est suppuratio.

R. Medullæ panis albi ℥vj.
Radicum altheæ ℥ij.
Pulv. seminis lini, &
fœnigræci an. ℥j.
Ficuum num. vj.

Cum decocto radic. altheæ, fiat s. a. cataplasma, addendo in fine butyri recentis.
Axung. porcin. recent. an. ℥j. ß.
Vitellos ovorum n. ij.
Croci ℈ j ß.

Misce, fiat cataplasma, quod calidè applicetur: lenit dolores, & suppurationem accelerat.

Rupto abscessu, mundificandum & incarnandum est ulcus, ut artis est. Sin verò inflammatio de novo in Gangrænam terminaverit, remedia, quæ in curatione Gangrænæ tradita sunt, iterùm admovere convenit.

CAP.

Cap. XXV.

De immoderatis vigiliis, inquietudinibus, & mentis alienatione.

Vigiliæ inquietudinesque, ex numero quoq; sunt gravissimorum symptomatum, quæ post operationem ægros torquere solent. Ratione enim vigiliarum, & inquietudinum, digestio stomachi simul & supputatio vulneris, impediuntur retardanturque, vires quoque prosternuntur, & humidum radicale absumitur: cujus loco viscera pravis humoribus gravantur. Moxque febris oritur, tandemque mentis alienatio, & quandoque phrenitis, symptoma longè periculosissimum sequitur. Maturè itaque ægris prædictis symptomatibus correptis succurrendum est. Inprimis autem, quàm diligentissimè perquirere convenit, quæ vigiliarum sit causa, eaque auferenda est. Ea si fuerit dolor, sedandus est, quemadmodum in præcedenti capite fusiùs declaravimus. Si febris adfuerit, purgandus est æger; vena item (dummodò vires adfuerint) secanda, & victus ratio præscribenda, de quibus omnibus ante satis prolixè dictum fuit.

Animi perturbationes, inprimis mœrores, apud hujusmodi ægros, quibus membrum aliquod amputatum est, vigiliarum & inquietudinum non rarò in causa esse solent. Quaptopter, ut gratissimi amici ægrum adeant, ipsumq; blandè alloquantur, animumq; ipsius à sollicitudine abducant, perquàm necesse est.

Ira similiter summopetè vitanda: impedit enim non solùm somnum, & quietem, verùm etiam sanguinem & humores ita incendit, ut febris inde, alienatio mentis, & nonnunquam mors sequantur. Quòd si splendor Solis quietem retardaverit, linteis nigris fenestras obscurare, lumenque recludere convenit. Quandoque fluxus alvi ægro adeò est molestus, ut somnum capere non possit: quapropter restinguendus est; Cibus quin etiam talis exhibendus, qui non solùm facilè concoquatur, multumque nutriat, verùm etiam humectet, somnumque conciliet. Cum carne itaque lactuca, folia violarum, borrago, buglossa, portulaca, item hordeum decorticatum, & hujusmodi coquenda sunt. Aut exhibeantur emulsiones sem. frigidorum, & sem. papaveris albi. Mitissimum & optimum remedium, quod potest dari cum debilitate viriū, est tale hordeum mundatum refrigerans.

℞. Hordei mundati, diutissimè cocti ℥iij.
Amygdalarum dulcium infus. in aq. frig. & rosarum tantundem.
quatuor sem. frig. majorum mund. ana ʒß.
Sem. Papav. albi ʒj.
Sacchari rosati q. s.

Fiat hordeum mundum, contundendo omnia simul, & coquendo parùm post impositionem sacchari rosati; Detur post cœnam in introitu lecti, nec sit spissa sorbitio. Conciliat somnū humectando & refrigerando, & vires imbecilles reparat.

Sequens quoque potio intemperiem calidā internarum partium mitigat, somnumque provocat.

℞. Fol. Lactucæ.
Portulacæ ana M. j.
Flor. Nenuphar. &
Violarum ana M. ß.
quatuor sem. frig. major. ana ʒij.
Papaveris albi ʒj.
Liquiritiæ &
Passularum ana ℥ ß.

Fiat decoctio in aqua ad consumptionem tertiæ partis. In ℔ j. colaturæ dissolve syrupi de papavere, & nenuphapharis an. ℥j. ß. Misce, fiat potio, de qua bibat æger bis, aut ter in die, jejuno scilicet stomacho, & duabus horis post sumptam cœnam, ad ℥iiij. pro dosi. Si recentes herbæ in promptu minimè fuerint, sumendæ sunt aquæ destillatæ cum syrupis.

Laudanum quoque opiatum, triphera item cum opio, philonium Roman. & requies Nicolai, somnum provocant, intemperiemque calidam internarum partium mitigant, sed cum judicio hæc omnia exhibenda sunt, quemadmodū *præcedente capite* juniores Chirurgos monui.

Sequens enema somnum quoque provocat, incendiumq; renum mitigat.

℞. Hordei mundati ℥ ij.
herbar. plantaginis.
Violarum
Portulacæ ana M j.
Quatuor sem. frig. maj. ana ℥ij.
Sem papav. albi ʒj.

Fiat decoctio in aqua ad consumptionem tertiæ partis in ℔ j. colaturæ dissolve.
Ol. Violarum &
Nenupharis ana ℥jß.
Caphuræ ℈ß.
Misce, fiat clyster.

Si maximus tamen capitis & ventriculi fuerit dolor, caphurā cautè utendum esse, monet Dn. D. *Raymundus Mindererus*; quapropter medicamentis sive per os exhibitis, sive per alvum infusis, aut exteriùs admotis, camphoram, si dolor capitis adfuerit, minimè admiscere soleo.

Frons & tempora bis aut ter in die sequenti linimento inungere quoque convenit.

℞. Ol. rosacei &
Nenupharis ana ℥j.
Opii dissoluti in aqua rosacea
Caphuræ ana ℈j.
Aceti rosacei ℥ß.
Misce.

Tempore æstatis nodulus ex sequentibus herbis fieri, & naribus admoveri poterit.

℞. Florum, aut folior. papaveris.
Folior. hyoscyami.
Mandragoræ ana M. ß.
Caphuræ.
Opii ana ℈ ß.
Aceti parum. Incidantur & contundantur simul in mortario ad usum.

Uno vel altero prædictorum medicamentorum exhibito, fronte item & temporibus inunctis, & nodulo naribus admoto, fenestræ obscurandæ sunt, & ut omnia placidè, & suspenso gradu

Cap. 25.

Enema.

Cautio in usu caphura. Lib. de peste c. 15.

Cap. 25. gradu circa ægros agantur, adstantibus injungendum est.

Phrenitis. Si phrenitis causa vigiliarum fuerit, injecto priùs enemate, & sectâ venâ in cubito, si vires constiterint, iterùm corpus Cholagogo aliquo medicamento, veluti ex rhabarbaro, electuario de succo rosarum, syrupo rosato solutivo, cum aqua cichorii & lactucæ dissoluto expurgare, cucurbitulasque scapulis & nuchæ applicare convenit. Victus frigidus ac humidus præscribendus est. A vino omninò abstineat æger, cujus loco ptisanam, aut decoctum agrimoniæ, cum succo berberorum, citronum, granatorum, & syrupo violaceo, & de succo acetosæ bibat. Potio somnifera, reliquaq; omnia superiùs commemorata, hîc quoque conveniunt. Topica ab initio sint frigida, & repercutientia. Abrasis itaque crinibus inungatur caput unguento populeonis recenti, antiquum enim calefacit. Deinde.

R. Aquæ rosarum.
Nympheæ.
Solani.
Betonicæ ana ℥ ij.
Aceti rosacei ℥ j.

Misce, & applica tepidè cum panno. Tempore æstatis contusis herbis exprimatur succus, & cum pauco aceto applicetur. Ad somnum conciliandum adde capita papaveris albi, aut eorundem stillatitium liquorem. In augmento morbi multis repellentibus pauca resolventia addenda sunt, ut:

R. Ol. violarum &
Rosarum ana ℥j.
Ol. chamom. ℥ß.
succi aut aquæ betonicæ ℥j.
Misce, pro linimento.

Vigiliæ quàmprimum remiserint, & phrenitis in declinatione fuerit, ab omnibus medicamentis, quæ opium, mandragoram, papaver, & hujusmodi recipiunt, abstinendum est, ne temperamentum cerebri, quod frigidum & humidũ est, destruatur. In declinatione itaque cùm resolvendum est, catulus aut columba per medium dissecta, & calida applicata, summoperè conveniunt: uti quoq; pulmo arietis calidè applicatus. Hæc verò quàmprimum refrigerata fuerint, auferenda sunt. Pulmonem tamen aquâ, in qua betonica, rosmarinus, rosæ, & flores chamomillæ incoxerint, iterùm excalefacere soleo. Sequens quoque pulvis capiti inspergatur.

Pulvis capiti inspergendus.

R. Flor. Betonicæ.
Anthos.
Salviæ
Rosarum odoriferarum ana p. ij.
Rad. Iridis florentiæ.
Caryophyllatæ ana ℥iiij.
Styracis calamitæ ℥j.
Misce, fiat pulvis.

Cap. XXVI.

De Spasmo.

Spasmus quoque nonnunquam ægrum post operationem non tantùm excruciare, verùm etiam non rarò trucidare solet: quapropter ipsius curatio minimè hîc omittenda.

Spasmus autem sive Convulsio, ut docet *Galenus*, est qui nervos & musculos in eum cogit affectum, in quem ab animali facultate, cùm naturalem habitum servarent, ducebantur. In hoc enim malo nervi & musculi in eas partes attrahuntur, quibus innascuntur, verùm id motu quodam violento, ac præter voluntatem ægri fit.

Convulsio duplex. Convulsio est aut universalis, aut particularis. Universalis triplex est: aut enim caput, totumq; corpus in pectus contrahitur, aut caput cervixque ac reliquum corpus ad posteriora, & dorsum convellitur; Aut corpus immobile manet neutramque in partem inflectitur, sed recta in utramque partem intenditur. Convulsio particularis est, quæ partem aliquam corporis saltem occupat. Fit autem hic morbus vel expletione, vel exinanitione, aut propter consensum dolorificum, vel propter putridos & malignos vapores, ad cerebrum & originem nervorum elevatos, de quibus vide supra *cap. 17.*

Prognostica. Omnis convulsio periculosa est, præsertim ea, quæ fit ab inanitione. Nervi enim post immoderatas purgationes, vomitum, hæmorrhagiam intempestivam, & febrem ardentem exsiccati, non facilè humectari possunt, ita quidem, ut morbi acerbitas vires exsolvat, exitiumque afferat, priusquàm nervi iterùm humectentur, & ad temperiem reducantur. Quapropter convulsionem ex helleboro lethalem, rectè pronunciavit *Hippocrates*, fit enim, propter immodicam evacuationem, quam sequitur siccitas incurabilis. Convulsionem ex vulnere lethalem esse, docet *Hippocrates*, accidit enim propter nervosarum partium læsionem, & inflammationem, quibus de causis dolor ingens oritur, qui propter consensum cerebrum gravissimè afficit. Convulsio ex malignis vaporibus non minùs periculosa est. Vapor enim malignus non solùm cerebrum afficit, verùm etiam per arterias ad cor ascendit, spiritusque vitales inficit.

Curatio convulsionis ex repletione. In curatione causa morbi diligentissimè perquirenda est. Si ex repletione fuerit convulsio, evacuationem requirit, docente *Hippocrate*. Quapropter victus tenuis instituendus, corpus expurgandum, & vena secanda, parsque affecta, totaq; spina dorsi sequenti linimento inungenda est.

R. Ol. Lumbricorum.
Vulpini ana ℥ij.
Ol. Therebinth.
Ceræ.
de castoreo ana ℥ ß.
Axungiæ humanæ ℥iij.
Succi lumbricorum ℥j.
Misce, applicetur calidè.

Si verò confusio ex inanitione & siccitate fuerit, nequaquam purgantia, aut sectio venæ adhibenda, quin potiùs corpus, quantum fieri potest, cibis euchymis nutriendum, & humectandum est: de quibus abundè *cap. 13.* ubi de curatione Gangrænæ ex intemperie sicca, & penuria

nuria alimenti egimus. Si sitis magna fuerit, sequens potio exhibenda est.

R. Aquar. buglossæ.
Rosarum &
Violarum ana ℥ iiij.
Syrup. violacei ℥ iiij.

Misce, fiatque julapium, de quo sumat æger quotiescunque sibi libuerit.

Emulsiones sem. frigidorum, & lac amygdalatum quoque conveniunt, uti quoque conserva violarum, florum nenupharis & borraginis.

Alvus si non responderit, clyster injiciendus est. Sit autem emolliens simul & nutriens, veluti ex decocto carnis vervecinæ, caponis, & gallinæ cum vitellis ovorum parumque pulveris croci, macis, & aquæ cinnamomi.

Pars affecta, totaque spina dorsi sequenti linimento inungenda est.

R. Pinguedinis humanæ.
Ol. violarum &
Amygdalarum dulcium ana ℥ ij.
Succi lumbricorum Wieri ℥ iij.

Misce, & applica calidè.

Si convulsio propter consensum, hoc est, ratione doloris, inflammationis & intumefactionis trunci fuerit; dolor sedandus, inflammatio extinguenda, & intumefactio membri resolvenda, ac dissipanda est. Quo in casu sequens linimentum mirum in modum convenit.

R. Ol. Salviæ.
Anethini.
Chamomil.
Vulpini.
Succi lumbricorum terrestr. Wieri.
Pinguedinis humanæ ana ℥ ij.
Ol. terebinth.
Aquæ vitæ ana ℥ j.
Croci ʒ j.

Misce, fiat linimentum.

Ambrosius Paræus Cheirurgus æternâ laude longè dignissimus, sequens linimentum in affectibus nervorum præcipuè ex causa frigida ortis summoperè laudat.

R. Salviæ.
Chamæpityos.
Majoranæ.
Rosmarini.
Rutæ.
Lavendulæ ana M. j.
Flor. Chamomil.
Meliloti.
Anethi.
Hyperici ana patt. ij.
Baccat. lauri &
Juniperi ana ℥ ij.
Radic. piretri ʒ ij.
Masticis.
Assæ odoratæ ana ℥ j. ß.
Terebinth. Venetæ ℔. j.
Ol. Lumbricorum.
Anethi.
Catellorum ana ℥ vj.
Ol. Terebinth. ℥ iij.
Axungiæ humanæ ℥ ij.
Croci ʒ j.
Vini albi odoriferi ℔ j. ß.
Ceræ q. s.

Contundenda contundantur, pulverisanda pulverisentur; postea coquantur cum oleis & axungia prædict. in vase duplici, fiat linimentum secundum artem. Adde in fine aquæ vitæ ℥ iij.

Quod si convulsio ex pravis & malignis vaporibus, ad cerebrum aliasque partes nobiles ex trunco elevatis, fuerit, acceleranda est digestio & suppuratio vulneris. Defensiva aliaque frigida circa truncum applicata, etiamsi elevationem vaporum impediant, quia tamen suppurationem vulneris retardant, nervisque nocent, non sine maximo judicio eis in spasmo uti licet. Accelleranda itaque est digestio, uti jam jam dixi, ut cum pure unà quoque vapores maligni exhalare possint. Id autem fit calidis & humidis temperatis, de quibus suo loco abundè dictum est. Saltem hoc addo; Linimentis, quæ vulneri imponuntur, semper nonnihil theriacæ, Mitridatii & lapidis Bezoar addendum esse. Mithridatium quoque, theriaca, Bezoar, cornu cervi, aliaque alexipharmaca, de quibus *in præcedentibus* diximus, per os exhibita, summoperè conveniunt. Regioni cordis, uti quoque carpis, epithema applicandum est.

Cap. XXVII.

Ægri à præcedente curatione victus ratio.

NEque verò in curatione tantùm cauta esse debet ægri diæta; verùm etiam, si favente Deo liberatus fuerit à tam dira & funesta lue, aliquantisper sibi temperabit, laudabili victu contentus, omnem intemperantiam, seu in potu, seu etiam in cibo vitabit, multò magis, quàm antehac, sobrietati sturebit, quandoquidem imminuto corpore non tantum alimenti desideratur. Si fuerit juvenis quispiam robustus, & sanguine copioso præditus, purgabitur interdum & venam ad minimùm bis in anno, præcipuè autem in Vere tundendam curabit. Venas autem malleoli præ cæteris incidere convenit. Plurimùm enim, quibus amputatum est brachium vel crus, accidit, ut dum natura de more transmittit sanguinem alimentarium, ut antè solebat, is obstructâ viâ, cogatur sursum regurgitare, & inflammare partes intimas, hepar nimirùm, pulmones, diaphragma, & cæteras id genus partes.

Cuidam ex militibus Germanis, quorum *cap. 4.* mentionem fecimus, cum utramque tibiam ad poplitem amputassemus, trunci quin etjam cicatrice obducti essent, ac æger nihil aliud quàm tempus vernum, quo ad suos se conferre posset, expectaret, circa principium mensis Aprilis dolore torminibusque maximis ventris, febre continuâ, ac tandem Dysenteriâ quoque correptus, à qua quinto die morbi extinctus fuit. Causam hujus morbi, regurgitationem sanguinis ad partes Nobiles, hepar inprimis, fuisse, Medici mecum suspicabantur. Cùm enim propter lautam victus rationem, & constitutio-

Cap. 26. & 27.

Curatio convulsionis ex malignis vaporibus.

Observat.

Cap. 27.

nem temporis, sanguis in hepate auctus esset, eúmque natura deorsum ad crura alenda mitteret, sursum regurgitasse, & in ipso hepate, & vena cava propter sui copiam inflammatū fuisse, & acrimoniam contraxisse, rationi consentaneum esse mihi videtur. Humorem porrò illum cùm vesicula fellea ex officio copiosè attraxisset, & ad intestina effudisset, secutus est dolor maximus, tandemque dysenteria. Quapropter omnes, quibus membrum aliquod magnum amputatum est, admonitos velim, ut in victus ratione omnem excessum, vitamque desidiosam, & quæ viscera interna sanguinemque excalefaciunt, evitent: Econtrà verò iis, quæ viscera sanguinemque aliquomodo refrigerant; veluti sunt syrupus granatorum, de succo limonum, acetosæ, violarum, rosarum, de succo berberorum, & de agresta, utantur. Corpus per intervalla syrupo rosato solutivo, rhabarbaro, electuario de succo rosarum, lenitivo & similibus expurgandum est, venæ item poplitis, aut malleolorum incidendæ. Si verò utrumq; crus amputatum fuerit, venæ brachiorum pertundendæ sunt.

Andr. Laurentius lib. 2. cap. 10.

Admonitio.

Venus maximè nocua, in ipsa quidem curatione lethalis, & multos etiam post dies planè periculosa. Ejusce rei fidem faciet historia memorabilis Nobilis cujusdam, cui *Cosmas Slotanus* experientissimus Cheirurgus, Valentiæ lævam amputarat, ex ictu Sclopeti contusam. Ægrotanti juveni voluptatibus dedito, disertè interdictus erat cum uxore congressus: at is vulnere propemodùm persanato, & sedatis symptomatibus omnibus, eam interpellavit, quâ renuente propter seria *Slotani* monita, ipse emisit sperma citra coitum, atque hinc recidit protinus in febrim, deliria, spasmos, aliaque gravia symptomata; tandemque obiit quarta post die. Ex his intelligimus, quàm infesta sit Venus nervis & nervorum vulneribus, æquè ac capitis & articulorum affectibus. In aliis quoque morbis acutis nocentissimam esse Venerem, cùm aliàs, tum in Coloniensi quodam observavi. Is enim ex pleuritide fere liberatus, cùm decima die morbi uxorem amplexus fuisset, iterùm in febrem incidit, & decimo tertio naturæ satisfecit, uti lector *in 4. nostrarum Observationum Centuria* videbit.

Cap.

Obs.

Obs.

NOTA.

De Chamædri altera (Bauhino botrys Chamædryodes dicta) & Alliaria, quarum sæpissimè in hoc libro de Gangræna & Sphacelo facta fuit mentio, ne excusa in superioribus hic denuò recudere necesse sit, consulere poterit Lector literas ad Clarissimos D. D. Georgium Ienischium, & Casparum Bauhinum, de his herbis, earumq; viribus & usu, datas & acceptas, supra in Centuria secunda Observationum Chirurgicarum excusas. Vale.

FINIS.

GUIL-

GUILHELMI FABRICII HILDANI,

Illustriss. Marchionis Badensis & Hachbergensis, &c. nec non Inclytæ Reipublicæ Bernensis Helvet. Medico-Chirurgi Ordinarii

De

ICHORE ET MELICERIA ACRI CELSI,

SIVE

HYDRARTHRO,

AUT HYDROPE ARTIculorum: Germanicè

Glied-Wassersucht/

TRACTATUS NOVUS.

In quo

DE HUJUS AFFECTIBUS,

origine, causis, signis, prognosticis, & curatione methodica, breviter & perspicuè agitur, & Empiricorum medicamenta examinantur.

Cap. I.

Caput Primum.

Quid sit Ichor & Meliceria, aut Hydrarthros, & quomodo inter se differant.

Ichor acris antiquis Medicis & Chirurgis incognitus.

QUia affectum, de quo in hoc libro scripturus sum, antiquis & rationalibus Medicis & Cheirurgis, imò & qui superiori seculo floruerunt, incognitum fuisse, inde nobis conjicere licet, quod apud Hippocratem, Galenum, Avicennam, Paulum Æginetam, Oribasium, Ætiū, Albucasin, Lanfrancum, Theodoricum, Rogerium, Guidonem, Vigonem, Tagantium, imò ne quidem apud Ambrosium Paræum, quem tamen diligentissimum scriptorem, & longè præstantissimum & exercitatissimum Cheirurgum fuisse scimus, nihil de ipso legimus, quare ut rectè intelligatur, primò quid sit Ichor in corpore humano, dicemus, eumque duplicem, Mitem videlicet & Acrem esse, ostendemus. Postea quid Ichor & Meliceria acris, sive Hydrarthros sit, differemus, causas præterea, signa, prognostica, & curationem, tum Empiricam, tum Methodicam addemus. Tandem quoque quomodo symptomatibus, quæ subsequuntur, occurrendum sit, adjiciemus, & sparsim Medicamenta empirica, & quæ in hoc affectu præter rationem applicantur, refutabimus, Omniaque observationibus, exemplis, & historiis utilissimis illustrabimus.

Divisio & ordo libri.

Ichor quid sit.

Ichor autem, sive, ut loquitur Hippocrates, serosum recrementum in corpore humano (ut post Aristotelem testatur doctissimus Casparus Hofmannus, libro de Ichoribus) est sanguis crudus, aut quia nondum concoctus est, aut quia seruit. Et alibi, Ichor est aquosum scilicet sanguinis, sive id fiat, quod sanguis nondum perfectè sit coctus, sive quod post coctionem corruptus sit. Ex quibus colligere licet, duplicem esse Ichorem sive serum in corpore humano, Mitem videlicet & acrem.

Ichor duplex.

Ichor mitis quid.

Ichor mitis, est excrementum serosum chyli, ab hepate ex venis lacteis attracti, ad nutritionem quidem corporis destinatum, sed à calore nostro innato nondum satis coctum, & in sanguinem conversum. Converteretur tamen paulatim in sanguinem, nisi suum quoque haberet usum, & diutius moram in hepate traheret. A summo itaque Architecto hujus Microcosmi, in hepate à sanguine segregatur, hoc modo, ut quicquid crassum & viscidum est, ad renes & vias urinarias descendat, & excrementitios humores hepatis secum vehat. Hinc plærumque in morbis urinas spissas, turbulentas, multisque excrementis refertas profluere videmus. Subtilissima verò & purissima pars hujus Ichoris, sanguini permiscetur, & ex hepate per venas in totum corpus spargitur, in hunc finem, ut sit veluti vehiculum sanguinis, qui alioquin ad venas capillares, præsertim minutissimas, permeare non posset: in nutrimentum tamen corporis non transit, sed tandem ut excrementum per sudorem exhalat evacuaturque. Est & serum biliosum, amarum & acre, quod in hepate à sanguine segregatur, & in vesicula fellea congregatur, in hunc usum, ut ad intestina descendat, & quotidie excretionem alvi promoveat. Est etiam quartum genus Ichoris, qui in splene, à sanguine, pro nutritione splenis destinato, veluti excrementum (non tamen planè inutile) per vas breve ad ventriculum mittitur. Estque frigidus & austerus, ad appetentiam ventriculi excitandam.

Ichorum utilitas.

Ichor pituitosus.

Ich[illegible]

Ich[illegible] bilios[illegible]

Ex his perspicuum fit, ichorem sive serum (loquor autem de ichore miti, sive mansueto) quamvis sit excrementum sanguinis, ad conservandam tamen optimam valetudinem, non exiguum usum habere. Si verò acrimoniam, aut qualitatem aliquam malignam adeptus fuerit ichor ille, harmoniam istius partis, in qua decumbit, destruit. Verbi gratia, si ichor crassus & pituitosus, propter intemperiem aliquam præter modum calidam hepatis, & admixtionem bilis, acrimoniam contraxerit, sequitur incontinentia & stillicidium urinæ, cum maximo ardore & dolore, nonnunquam quoque ulcera renum & vesicæ procreat. Si ichor ille subtilis & purissimus, qui cum sanguine ad venas capillares fluit, acrimoniam & malignitatem aliquam acquisiverit, sequuntur ulcera, scabies, & hujus generis vitia in externis partibus corporis, in quorum numero quoque affectus, de quo in sequentibus acturus sum, collocandus est. Non tamen ubivis corpus infestat, sed articulos nervosasque partes saltem, propter causas, quas post hac recensebo, occupat.

Ichor [illegible] quo[illegible]

Est autem Ichor & Meliceria Celsi, seri acris ad læsos, & dolore magno & inflammatione tentatos articulos, ex reliquo corpore copiosa affluxio, & cum ingentibus doloribus, inquietudinibus, febre, viriumque prostratione effluxio, aliorumque

De[illegible] Ich[illegible] Me[illegible] Ce[illegible]

rumque symptomatum scaturigo. Dixi ab initio, affectum huncce antiquis incognitum fuisse, Celsum tamen, quem meritò Hippocratem Latinum appellamus, ejus notitiam aliquam habuisse ex libr. suo 5. cap. 26. sub titulo de sanguine & sanie & pure, & eorum speciebus, quando meliora deteriorave sint, colligere est, hæc enim habet verba. Est, inquit, quædam sanies, quæ vel Ichor vel Meliceria nominatur. Et paulò post, Ichor tenuis subalbidus ex malo ulcere exit, maximeq; ubi nervo læso, inflammatio sequuta est. Meliceria crassior, & glutinosior, subalbida mellique albo subsimilis fertur. Hæc quoque ex malis ulceribus, ubi nervi circa articulos læsi sunt. Et inter hæc loca maximè ex genubus &c. hactenus Celsus. Hæc quia ad institutum nostrum faciũt, & affectum huncce Celso cognitum fuisse indicant, placuit illum Celso adscribere, & Ichorem & Meliceriam Celsi appellare.

Apud Germanos, quia frequens est affectus in articulorum vulneribus, Chirurgi nonnulli de eo scripserunt, inprimis Paracelsus, Felix Wirtzius, Hans von Geisdorf genandt Schilhans/ Petrus von der Stille/ Christoph. Wirsung. Iohan. Colerus, forsan & alii, qui mihi ad manus non venerunt, sed pace eorum sit dictum, haud appositè rem tetigerunt, ut posthac fusiùs ostendemus. Cur autem symptoma hoc antiquis & etiamnum rationalibus Medico-Chirurgis veluti incognitum (nullus enim ex professo quicquam de hoc quod sciam scripsit) Lector posthac videre poterit.

Diximus superius, Ichorem & Meliceriam Celsi, serosum, crudum, indigestum esse serum, testatur id Celsus, loco præallegato, & ipsa experientia fidem quoque facit. Est præterea acris Ichor iste, propter doloris vehementiam, inquietudinem & internorum viscerum intemperiem calidam, calor nativus adeò debilitatur, ut serosum huncce humorem in pus laudabile concoqui non possit. Quapropter ab intemperie illa calida acrimoniam acquirit, nervos, ligamenta, imò & plerumq; ossa ipsa erodit, & cuniculosa ulcera hinc & inde perfodit. Læsis præterea articulis sequitur Ichor acris, tum propter nervorum abundantiam & exquisitissimum sensum, quo præditi sunt, tum etiam propter caloris nativi imbecillitatem, & sanguinis penuriam, quæ omnia ad concoctionem ichoris desiderantur. Non omnes autem læsi articuli Ichore, & Meliceria acri tentantur, sed hi tantum, in quibus dolor maximus, & inflammatio supervenit: nisi enim superveniret dolor, nulla fieret attractio humorum excrementitiorum & sanguinis, & proinde nulla subsequeretur inflammatio, aut membri læsi intumefactio, multò minùs copiosa illa ichoris profluxio. Calor enim nativus partis læsæ sufficiens esset, ad concoquendum ichorem, qui ab initio mitis est, & cum vulnere proportionem habet. Quia autem propter inflammationem partis affectæ, & totius corporis intemperiem calidam, propter doloris item vehementiam, vigilias, aliaque gravissima symptomata, calor nativus destruitur, & quodammodo extinguitur, ideò affluens ichor in pus converti non potest, sed crudus & indigestus affluit, sed & propter maximam inflammationem acrimoniam acquirit, ex qua symptomata omnia ingravescunt, & plerumque non tantùm partem læsam, sed totum corpus destruunt. Dixi antea, læsis articulis symptomata hæc præsertim supervenire, vulnera enim, & contusiones carnosarum partium, propter nervorum paucitatem, minus sunt dolorosa, & proinde affluxui humorum, & inflammationibus minus obnoxia. Abundant præterea his in partibus, sanguis & spiritus vitalis & naturalis, simul & humidum radicale, quorum beneficio mox ab initio, nisi error in curatione à Medico & Chirurgo commissus fuerit, affluens ichor in pus laudabile convertitur.

Vulnera propter nervorum paucitatẽ minus sũt dolorosa.

Ex toto præterea corpore ad articulum læsum Ichorem sive serum hoc confluere dixi, contra falsam & ineptam barbitonsorum & Anatomiæ imperitorum hominum opinionem, qui ichorem illum articulo læso ingenitum esse, & nequaquam aliunde profluere statuunt, hancq; ob causam ineptissimo, ut Ioh. Langius Epistolarum Medicinalium lib. 1. Epist. 3. & alibi testatur, vocabulo, Das Gliedwasser/ hoc est, aquam articulorum appellant, & esse arbitrantur. Quod tamen falsissimum esse, etiam mediocriter in dissectionibus Anatomicis versatis medicis atq; chirurgis, notum est. Sciunt enim, in omnibus articulis totius corporis, non tantum humoris serosi contineri, quantum ex digito uno vulnerato nõnunquam una die & nocte profluere videmus. Addam exemplum unum aut alterum.

Error barbitonsorũ, qui Ichorẽ articulo læso ingenitum esse putant.

Nobilissimus & Prudentissimus Vir, Dn. Iohannes à Watenuuil, Inclytæ civitatis & Reipublicæ Bernensis, Consul prudentissimus, Patronus & Amicus meus observandus, felicissimæ memoriæ, cùm vulnus quamvis exiguum in digitum medium recepisset, illudve à barbitonsore malè curatum fuisset, exorto dolore, ichor extillare cœpit, & quidem tam copiosè, ut intra paucos dies plus quam mensuram integram Bernensem effluxisse sæpissimè mihi affirmaverit: idque tanto cum dolore, febre, virium prostratione, aliisque gravissimis symptomatibus, ut parum abfuerit, quin vitam amitteret. Tandem quidem convaluit, sed articulus sauciatus suo motu destitutus fuit: uti hisce meis non rarò vidi oculis: reliqua ex relatione nobilissimi ægri habeo.

Observat. De Ichore acri in digito.

Ante annos aliquot, cùm Lausannæ Equestrium Medicinam & Chirurgiam facerem, in suburbio Marteres, civem quendam quadragenarium Claudium nomine, dolearium, curandum habui. Ille findendo ligna sibimetipsi vulnus ad rotulam dextram secure inflixerat. Id cùm ab initio non usque adeò magni momenti esse arbitraretur, & proinde expertos Chirurgos non adhiberet, sed nescio quo balsamo semetipsum curare vellet, & labia vulneris intra dies quindecim uniret, collectus fuit ichor in profundo vulneris, quapropter exorto dolore intensissimo me advocare jussit. Tum totum crus supra modum intumefactum inveni, inprimis genu, quod & inflammatione adeò erat obsessum, ut Gangrænam in proximis esse, mihi videretur. Aderat præterea febris continua & ardentissima, capitis & lumbo-

Observat. De gravissimo Ichore & meliceria acri in genu.

Symptomata, quæ Ichorẽ & Meliceriã sequũtur.

Cap. 1.

rum dolor maximus, sitis inexhausta, nausea, eructationes, cibi fastidium, Inquietudines, Vigiliæ, Lipothymiæ, & tanta virium prostratio, ut sibi vix in alterum diem usque vitam transigere posse putaret, parumque superesset spei. Ex ipso autem vulnere caro fungosa & livida, ad magnitudiné ovi gallinæ excreverat, quæ pelliculo obducta esse videbatur: In illam cum stylum exploratoriū im̄isissem, (quod facilè & sine ulla violentia præstiti) Ichor tam copiosè effluxit, ut prima illa vice ultra sequilibrā in scutellam colligerem, sequentibus quoque diebus continuò & sine intermissione exstillavit, ita ut sanctè affirmare possim, intra paucos dies ad multas libras effluxisse. Tandem summa à me adhibita diligentia utcunque convaluit, utcunque inquam, genu enim suo motu privatum fuit, totumque corpus propter morbi violentiam & diuturnitatem cacochymicum, languidum, & ad vitæ suæ finem imbecille remansit.

Exempla hæc (quorum nisi Lectori tædiosum esset, infinita habeo) adscribere placuit, ut barbitonsores eorum ineptiam ex eis videant, continent quidem articuli in se humorem viscosum, & veluti mucilagineum, à natura (ut docet Hippocrates lib. de locis in homine, & libro de fracturis ossium) in hunc finem procreatum, ne continuo motu excrescerent, sed lubrica persisterent: verùm tantam copiam, ut plerumque effluere videmus, in se continere posse, absurdum est dicere. Secundò, ut indigitarem, Ichorem hunc ex reliquo corpore ad articulum læsum cōfluere. Quod & post Damocratem testatur Langius, loco superius allegato, his verbis. Quamvis, inquit, bona pars Medicorum causam phlegmonis vulnerum, in corporis Cacochymiam referunt, Damocrites tamen (me judice) rectius in dolorem refert, qui ex musculorum nervis & tendinibus vulneratis, oboritur circa articulos, sensus & arbitrii motus organa: quæ cum ferè nulla carne sint cooperta, acutius sentiunt, & ob id majori dolore quàm Epigastrii musculi carnosi affliguntur: qui velut cucurbitula omnifariam humorum aluviem ad vulnus pellicit, quod tandem vulnus intumescens, tertio aut ad plurimum quinto die phlegmone & aliis symptomatibus corripitur. De his videat Lector plura apud doctissimum Langium loco citato, & in epistola ad Lectorem libri primi Epistolarum. Tertiò patet ex prædictis observationibus & historiis, affectum huncce scaturiginem esse quamplurimorum gravissimorum symptomatum, uti sunt Cacochymia, icteritia, Atrophia, hydrops, & infinita alia, de quibus in fine hujus libri sigillatim & fusius agemus.

Humores in articulis à natura viscosi.

Vis doloris attractiva.

Ichor gravissimorū symptomatum procreatrix.

Meliceria acris.

Distinguit quidem Celsus loco citatō affectum huncce in Ichorem & Meliceriam, sed distinctio hæc solummodo in colore & consistentia materiæ, quæ effluit, consistit, nec usq; adeò magni momenti esse arbitror. Si quis tamen accuratum observatorem, & diligentem Chirurgum se præbere voluerit, videbit materiam, quæ ab initio morbi effluit, verum & subtilissimum Ichorem & plerumque instar aquæ limpidissimæ esse, tandem verò in Meliceriam abire, & crassiorem & glutinosiorem fieri. Mutatio illa materiæ effluentis, optimum signum est, & naturam circa concoctionem ichoris occupatam esse, & in victricem morbi evadere posse, spem facit.

Est & alius affectus Meliceris dictus, de quo Galenus libro de tumoribus præter naturam, sed cum ichore & Meliceria Celsi nullam habet affinitatem. Est enim abscessus mollis, flaccidus, & indolens, ex materia frigida, melli albo non absimilis, & membrana inclusa, genitus. De quo institutum nostrum non est hîc tractare.

CAPUT II.

De causis Ichoris & Meliceriæ Celsi.

HActenus quid sit ichor acris, sive hydrops articulorum, breviter exposui, sequuntur nunc causæ. Sunt illæ externæ & internæ; adeò tamen concurrunt, ut una sine altera vix reperiatur. Externa est vulnus aut contusio, fractura vel dislocatio. Interna est Cacochymia, & redundantia pravorum humorum: plerumq; etiam plethora. Paracelsus tertiam addit causam, videlicet negligentiam vel potius inscitiam Chirurgi, quam ego causæ internæ præfero. Etiamsi enim corpus Cacochymicum, vel etiam plethoricum fuerit, raró tamen Ichorem consequi videmus, si vulnus à rationali Medico aut Chirurgo ex arte curatum fuerit, uti postea fusius dicam.

Non autem omne vulnus hujus mali causa existit, sed illud præcipuè, quod aut in ipso articulo aut propè ipsum infixum est: id que propter sequentes causas, Nervi, qui, ut testatur Galenus de usu partium lib. 12. corpori motum & sensum largiuntur, hinc inde per musculos dispersi, in ipso articulo tam copiosè concurrunt, ut vix detur vulnus in articulo, ubi non sit læsus nervus, aut nervosum quid. Hinc protinus sequitur ingens dolor, dolorem (quia humores ex vicinis locis ut cucurbita ad se trahit, ut idem Galenus docet) sequitur inflammatio, quæ calorem ejus partis ita debilitat, ut influentium humorum impetui resistere non satis sit potens: quapropter tanto cum impetu, tantaque in copia circa vulnus confluunt, ut cum beneficio naturæ in pus laudabile converti non possint humores isti, ut indigesti & crudi effluunt, necesse est. Ichor ille propter maximam intemperiem calidam partis læsæ, mox acrimoniam acquirit, partesq; nervosas pungit & erodit: hinc dolor magis magisq; exacerbatur, morbusq; augetur, donec dolor sedatur.

Sunt præterea juncturæ respectu aliarum partium propter carnis, venarum item & arteriarum penuriam imbecilles, & frigidiores, & proinde minus idoneæ ad digerendos serosos hosce humores. De contusionibus & fracturis, quæ circa juncturas fiunt, idem statuendum est. In his enim si error in curatione commissus fuerit,

rit, doolor, affluxus humorum, & inflammatio supervenerit, facilè hydrarthros sequetur, ut postea exemplis ostendam.

Non sufficit autem externa sive primitiva illa causa, nisi interna, quam Medici antecedentem vocant, concurrat. Si enim repletio sive ad vires, sive ad vasa, non adfuerit in ægro, non facilè vulnus inflammatione tentabitur. Non facilè meritò adscribendum est: nonnunquam enim affectum huncce in corporibus robustissimis, sanis, & puris accidisse memini: addam exemplum unum aut alterum.

Rusticus quidam sanus optimoq; corporis habitu præditus **Hans Schlichter** nomine subditus Nobilissimi Viri Dn. Petri à Watenvuil Domini in Weil &c. Cum Anno 1617. ab alio quodam rustico in conflictu, ad secundum articulum medii digiti manus sinistræ morsus fuisset, & ab inexperto quodã barbitonsore curari posse, credidisset, non diu post sequutus est dolor, maximus, inflammatio & tantus affluxus humorum serosorum, ut vix credibile sit. Tandem exesis & putrefactis ligamentis & appendicibus, à me, divino aspirante auxilio feliciter restitutus fuit, nisi quòd junctura illa rigida & immobilis permanserit, quemadmodũ prolixè dictè dictum fuit in quarta Cent. Observ. 87.

Anno 1583. Mercatori cuidã in Langenberg, prope Dusseldorpium, Girhard Munch nomine, post morsum hominis in dextrũ indicem idem accidisse memini. Is quamvis esset Vir juvenis, robustus, & optimo corporis habitu præditus, nihilominus tamen, exorto prius dolore, tanta sequuta est humorum affluxio & inflammatio, ut Chirurgi, quibus curatio commissa fuit, manum ad carpum amputare decreverant. Industria tamen & arte Viri præstantissimi, Dn. Cosmi Slotani p. m. (apud quem ego tunc temporis artem meam exercebum) non tantùm manus, verùm etiam digitus conservatus fuit. Propter erosionem tamen tendinum & ligamentorum primus & secundus articuli rigidi permanserunt. Longa quidem ac laboriosa fuit curatio hæc, adeò tamen ad votum successit, ut in toto isto tractu, tam à nobilib⁹ quàm plebeis, laudibus veluti ad cœlum extolleretur Dn. Slotanus.

Hæc in eum finem scribo, ut manifestum fiat, tantam doloris attrahendi esse potentiam, ut etiam serum & veluti nutrimentum ipsum pro nutritione constitutum, ex toto corpore ad se trahere, & in excrementum convertere possit. Hinc sequitur atrophia illa maxima, quam plærumque hydrarthrum sequitur. Vidi id plenius Novisiæ in Belgio in puella quadam sana, & optimo corporis habitu prædita, Magistri Anthonii **bey dem Kay.** p. m. barbitonsoris filia. Illa die quodam deambulando per urbem, pedem sibi aliquantum contorsit: verùm cum dislocationem nullam adesse, mater, rerum Chirurgicarum non ignara, cognovisset, non usque adeò hac de re sollicita fuit. Post dies aliquot cum pes intumuisset, & dolor accrevisset, accedit ad ipsam barbitonsor quidam, qui antea artem suam apud prædictum M. Anthonium didicerat. Is ultrò se offert, se velle & posse intra paucos dies pedem in pristinum statum restituere. Mater itaque concedit, filia patitur, barbitonsor ex parte vino oneratus, crudeliter pedem extendit, & hinc inde detorquet: quid fit? Exoritur dolor immanis, & longè acerbissimus, ut sincere & veluti testis ocularis affirmare ausus sim, intra paucos dies ad multas libras aquæ aut Ichoris ex pede, multis in locis exulcerato, effluxisse; at quis non videt ichorem aut humorem huncce serosum & indigestum ex toto corpore, doloris vehementia attractum fuisse? Reliqua enim membra intra paucos dies ita exaruerunt, ut ossa vix cute obtegerentur. Statim quoque post crudelem ac nullo modo necessariam illam extensionem, febris, lipothymiæ, nausea, inquietudines, deliriũ aliaq; gravissima symptoma supervenerunt. Tandem post infinitos dolores, arte & industria Domini Iohannis Dumgens, ejus urbis Chirurgi nõ vulgaris, utcunque restituta fuit, utcunq; inquã. Ligamenta enim, cartilagines & appendices articuli, quia ab humore illo acri erosæ fuerant, rigida & immobilis permansit junctura, ita ut per totam vitam claudicaret. Anno 1622. simile exemplum vidi Bernæ in juvene quodam, cujus historiam vide circa finem hujus libri cap. 29. de ulcere cum osse carioso.

Duplicem autem esse materiam effluentem ex articulo hydrarthro obsesso, suo loco dicetur, nimirum aut tenuis aut subtilis, quæ propriè Ichor dicitur, aut aliquantum spissior, & Meliceria appellatur, quæ diversitas ratione humoris, in corpore redundantis, accidit. Si enim pituitosus fuerit æger, materia quæ effluit, ichorosa, alba & veluti serum lactis existet: nonnunquam quoque aliquomodo viscida, glutinosa, ac si albumen ovi concussum permixtum esset, effluit. Si biliosum fuerit corpus, aliquantum flavescet, sin atrabilaris, obscurus erit. Rubescet verò, & cruenta erit, si æger plethoricus, aut vena aliqua capillaris erosa fuerit.

Secundum portò caloris innati partis affectæ conditionem, & humoris effluentis copiam, ichor, qui affluit, nunc subtilissimus, nunc verò aliquo modo spissior erit. Si enim ad summam imbecillitatem redactus fuerit calor innatus, tum partis affectæ, tum totius corporis, serum, quod effluit, subtilissimum erit, præsertim si in copia effluxerit. Quantum vero prædictus calor robustior fuerit, tantùm ichor erit spissior. Calor enim nativus virulentam illam materiam digerit, concoquit, & paulatim in pus convertit. Hinc evenit, quòd in hydrarthro ichor primò subtilissimus effluit, post impetum verò morbi, & sedatis doloribus, cum natura vires suas recolligit, paulatim incrassatur materia illa acris, fitque instar mellis albi: deinde quoq; oleaginosa, donec vi naturæ in optimum pus redacta fuerit.

Tertiam causam hydropis articulorum, ignorantiam Chirurgi esse, ab initio hujus capitis diximus. Paracelsus hujus quoque fuisse sententiæ, & synoviam suam sæpissimè propter incuriam & inscitiam Chirurgi accidisse, diversis in locis testatur, Bartheoneæ lib. 1. cap. 7. mihi tomo. 3. pag. 347. inter alia hæc habet verba, **Wann das Gliedwasser gehet/ so ist es ein Zeichen eines** **vnverstãn-**

Cap. 2.

Ichor ex doloris vehementia attractum.

Diversitas materiæ effluentis ex vulnere unde.

Ichor pro naturæ qualitate duplex. subtilis nunc, nunc spissior.

De tertia causa ichoris.

Cap. 2.

Ignorantia Chirurgi hydropis articulorũ causa.

vnverständigen Arztes: hoc est, quando aqua articulorum fluit, ignorantiam Medici denotat. Fatetur Paracelsus, ignorantium Chirurgi quidem esse causam, interim tamẽ quomodo aliquis huic malo præcavere, vel methodicè illud amovere & curare possit, suos non ex arte instruere, ex eis, quæ in scriptis suis continentur, satis apparet.

In vulnerum curando, providendum, ne phlegmone æger corripiatur.

Theoriam Chirurgo neccessariã esse ostenditur.

Joh. Langius lib. 1. Epistolar. Medicinalium Epistola 3. de ineptis & ineruditis Chirurgis scribens, rem veluti acu tetigit, his verbis. *Quum* inquit, *teste Galeno in curando vulnerum nihil sit prius, providere ne phlegmone corripiatur, hi* (videlicet barbitonsores) *non modò quid phlegmone sit, ignorant, sed nec musculorum aut tendinum, aut articulorum compaginem, aut situm noverunt.* &c. Quibus verbis magnius ille vir, præcipuũ illud, quod in Chirurgo rationali desideratur, Theoriam videlicet, sive fundamenta artis Chirurgicæ, comprehendit, ut enim fidelis ac diligens architectus primò fundamentum ponit, deinde superædificat, ita etiam vult Langius, ut Chirurgus primò imbutus sit Theoria, hoc est cognitionem habeat principiorum artis. Ubi enim Theoria deficit, praxis incerta & labilis est, omniaque experimenta Empiricorum periculosa sunt, attestante Hippocrate lib. 1. aph. 1. Contra, si Chirurgus ingeniosus & diligens in Theoria versatus fuerit, facilè in excellentissimum practicum evadet, in gravissimis quin etiam affectibus, quæ facienda, facilè cognoscet.

Praxis sine theoria labilis & periculosa.

Theoria in Chirurgia requisita.

Theoria autem in se comprehendit cognitionem subjecti Chirurgiæ, hoc est, structuram corporis humani, notitiam item morborum, eorumque causarum, accidentium, & hujusmodi. At quia hæc plærumq; in Chirurgis Germanis, proh dolor, desiderantur, ut quorum major pars studiorum, quibus fundamenta artis acquiruntur, contemptores, mirum non est, si symptoma hoc inter ipsos tam frequens est, & vix reperiatur barbitonsor, cui non sit notissimum. Qua methodo verò sit evitãdum, aut quibus remediis curandũ, ipsos ignorare, fidem facit quotidiana experiẽtia, imò & remedia ipsa, ut cap. 12. fusius ostendam.

Vult præterea Langius in prædicto loco, Chirurgus notitiam habeat structuræ corporis humani, & meritò. Quemadmodum enim nullus artifex, quamvis rudis, in sua arte perfectus esse potest, nisi habeat notitiam subjecti suæ artis, ita etiam nemo perfectus esse Chirurgus, nisi Anatomiæ scientiam aliquam habuerit. Præcipuum autem in curatione vulnerum est, scire, quænam pars sit læsa, inde enim quænam symptomata exspectanda, facilè conjiciet Chirurgus. Si enim venæ aut arteriæ sectę fuerint, hæmorrhagia exspectanda est, nervo verò aliisq; nervosis partibus læsis, dolor ingens, inflammatio, convulsio & hujusmodi symptomata metuenda sunt: quibus omnibus diligens & in Theoria versatus Chirurgus, tam victus ratione, quàm evacuationibus, aliisque præsidiis maturè resistere potest, hæc verò quia puri Empirici ignorant, mirum nõ est, si vulnerati etiam ex minimis vulneribus gravissimo hocce symptomate corripiuntur, Paracelsum quin etiam ignorantiam & inscitiam Chirurgi synoviæ causam esse, statuisse.

Præter prædictos errores, alios quoq; nonnullos vulgus Chirurgorum, propter inscitiam committit, dum alii decocto vulnerario, alii Emplastro stictico, sive fodicationum Paracelsi, vel balsamis quibusdam, vulnera omnia, sine distinctione statim ab initio, protinus occludere, & ad cicatricem perducere tentant. In vulneribus carnosarum partium, ubi neque nervus, neque nervosum quid sauciatum, neque contusio adest, etsi id locum habere posse videatur, quia tamen periculo non vacat methodus illa Empirica & irrationalis, & doctrinæ Galeni adversatur, ideò à rationalibus Medicis non probatur, sed ut periculosa & incerta rejicitur. Non enim sufficit, ut citò curemus ægrotum, nisi id tutò quoque & jucundè, hoc est, sine dolore fiat. At hujusmodi medicamentis, quæ vulnus protinus claudunt, sine periculo ab initio uti nos non posse, docent quotidiana exempla & ratio ipsa. Dum enim superficies vulneris, quæ carnosa, calida humidaq; est, & sanguine abundat, citò coalescit. Nervosæ verò partes, quæ frigidæ & siccæ, paucoq; sanguine præditæ sunt, confestim ac simul consolidari nequeunt, colligitur materia serosa in profundo vulneris, quæ mox acrimoniam acquirit, nervos nervosasque partes pungit & vellicat, hinc dolor gravissimus, & plerumque hydrarthros sequitur, sed de his pleniùs suo loco dicturus sum, Rectè itaque dicit Seneca: *In morbis nihil magis periculosum esse, quàm immatura Medicina,* Vidi id Anno 1620. Mense Iunio in juvene quodam Bernensi, 12. circiter annorum, & Magistri Matthis Keller Arcularii filio. Is sibi ipsimet cultro infligens vulnus in sinistri indicis articulum, qui medius est in ordine, ubi sola cutis in transversum incisa fuit. Superficiem vulneris decocto vulnerario, intra paucos dies consolidavit. Verùm collecta materia in profundo vulneris, digitus totaque manus mirum in modum intumuerunt, dolor maximus exortus, & hydrarthros sequutus est, ut capite 7. fusiùs dicam. Quæ incommoda & horrenda symptomata ex Emplastro stiptico, & balsamis ab idiotis & theoriæ artis imperitis, applicatis, sequuta fuêre, Lector suo loco quoque videre poterit. Hinc curationes hujusmodi, quæ citò fiunt, tutò tamen, sed & multò minùs jucundè, fieri non posse, videmus. Quapropter doctrinam, quam magnus Hippocrates lib. 1. Aphor. 22. de internis Medicationibus nobis reliquit, ad externa vulnera haud ineptè & malè quoque referre, & accommodare posse mihi videtur, de quo plura *cap. 6.* Deo dante.

Alium & gravissimum profectò errorem Fælix Wirtz, Chirurgus Basiliensis, alioquin diligens, sed in theorica arte parum versatus, inter Chirurgos Germanos introduxit, qui & plerumque Ichorem & Meliceriam provocat, dum in digitorum & manuum vulneribus, usum turundarum improbat. Hinc cutis, quia membranosa est, protinus contrahitur, vulnusq; clauditur. Natura enim partes nobiliores, veluti venas, arterias, nervos, nervosaque omnia, cute ab injuria aëris vindicare studet. Porrò caro, multò magis membranæ, partesque nervosæ, quia tam citò coalescere nequeunt, colligitur materia in

fundo

fundo vulneris, (præsertim si angustum fuerit) incalescit, & dolorem, inflammationemque primò, deinde quoque hydropem in articulo sauciato procreat, uti lector videre poterit in quarta Centuria observationum nostrarum, Observ. 76. ubi errorem Wirtzii paulò prolixius refutavimus.

Inter Empiricos, & theoriæ artis imperitos barbitonsores, & hujus farinæ homines, maximo in pretio habetur unguentum, quod vocant armarium, eoque cultrum aut gladium, quo vulnus inflictum fuit, inungunt, sed ut plurimùm parùm feliciter, dum enim gladii aut cultri curam habent, vulnus verò negligunt, contrahuntur ipsius labia, gravissimaq; subsequuntur symptomata, uti capite 10. prolixè scripsi.

Nonnulli inter Empiricos & Theoriæ ignaros, ulterius & magis ad Diabolica progrediuntur, & vulnera hi caracteribus & signaturis, alii conjurationibus diabolicis, aliisque mediis, Christianis illicitis, sanare student, & justissimâ Dei iram provocant, ægrosque suos plærumq; in maximum periculum deducunt. His omnibus consideratis & ponderatis, quis quæso non videt, ignorantiam barbitonsorum, aliorumq; imperitorum Empiricorum hominum, ut rectè Paracelsus scriptum reliquit, præcipuam esse causam hydropis articulorum, sive synoviæ.

CAP. III.

De nomine hujus morbi.

Apud Methodicos & rationales Medicos Ichorem & Meliceriam rarum quid esse, imò & antiquis Medicis, præter Celsum, incognitum fuisse morbum, capite primo ostendi. Ut igitur essentia morbi rectè intelligatur, visum est adscribere nomina, quæ Germani Chirurgi ipsi imposuerunt. Paracelsus variis in locis hujus affectus mentionem facit, eumque synoviam & Glidwasser appellat. Felix Wirtz eisdem vocabulis utitur. Vulgus quoque Chirurgorum Germanorum, dictionem Glidwasser/ aut, ut aliis placet, Glutwasser retinuerunt.

Videtur autem Paracelsum appellationem suam ab ovo deducere voluisse, Cum enim Ichorosa materia, quæ ex læsis articulis fluit, albumini ovi non multùm sit absimilis, synoviam ex Græco vocabulo syn & genitivo ovi, formare voluisse (similitudinem quasi cum ovi albumine habentem) verisimile est. Sic enim alio in loco affectum huncce definit: Glidwasser / inquit, ist/ wann der Klar deß Geäders außrinnet/ zähe wie ein geschlagen Eyerklar hoc est, synovia est, quando humidum nervorum viscidum, veluti albumen ovi concussum, effluit. Utitur quoque Paracelsus vocabulo isto Synovia in alia significatione, sed de hac institutum nostrum non est hoc loco agere. Videat Lector Scholia sua in libris Pargraphorum, Commentariū de Gutta, mihi tom. 2. pag. 189.

Nonnullos affectum huncce Glutwasser appellare diximus, & rectè quidem. Vocabulum enim hocce à prunis & carbonibus accensis Germanicè Glut/ & aqua Germ. Wasser/ deductum est. Quemadmodum enim prunæ corpus nostrum adurunt, dolorem maximum pariunt, partemque, nisi maturè amoveahtur, destruunt; ita etiam ingentibus doloribus & tormentis affliguntur hi, quibus ichor acris, sive aqua illa corrosiva ex vulneratis articulis profluit. Deinde quemadmodum Carbones igniti, insigniter exsiccant, omniaq; comburunt, ita etiam ichor iste, propter acrimoniam, quam habet, non tantùm humidum radicale exsiccat, verùm etiam ut plurimùm venas, arterias, nervos, ipsaque ligamenta & ossa erodit, & sæpissimè calorem nativum penitus exstinguit; ita ut Sphacelus, in quo pars affecta nigra, veluti carbo cernitur, subsequatur. Præterea uti ex corbonibus ignitis, vapores calidissimi sursum tendunt; ita etiam in hoc morbo ex parte affecta vapores calidissimi exsurgunt, partesq; nobiles, inprimis hepar, cor & cerebrum feriunt; gravissimaq; symptomata excitant, de quibus in sequentibus fusiùs.

Cap. 3. Gluthwasser. unde nomē suum sortitum. Comparatio Ichoris acris cum prunis. Comparatio cum carbonibus.

Cæterùm quantum ad appellationem Germanicam Glidwasser/ hoc est, aqua articulorum, si simpliciter & in ea significatione ponitur, in qua vulgus Chirurgorum illam sumit, ineptissimum vocabulum esse, cum Joh. Langlo, *libr. 1. Epist. 3.* sentio. Volunt enim, aquam hancce in articulis naturaliter contentam esse, id verò falsissimum esse, in præcedentibus ostendi. Non potest enim vox illa Glidwasser/ quicquam aliud, quam naturalem articulo insitam aquam significare. Adjuncto verò vocabulo Germanico sucht/ perbellè ad hunc morbum accommodari posse existimo. Appellarem itaque affectum huncce Germanicè Glidwasser-sucht/ hoc est, morbosa articulorum aqua. Vocabulum enim sucht/ dispositionem morbosam denotat. Sic rectè dicitur Germanicè Wassersucht/ Geelsucht/ Fallendesucht/ Lungensucht/ rc. Latinè unico vocabulo eleganter appellamus affectum huncce hydrarthrum, hoc est, hydropem articulorum. Etiamsi enim in ipsis juncturis tanta copia aquæ naturaliter non contineatur, ut antea demonstratum est, in ipso tamen articulo læso recipitur, colligiturque. Sic quoq; dicimus, hydrocephalus, hydrocardia, hydrops uterinus, quando aqua in capite, circa cor, aut in matrice, præter naturam copiosè colligitur. Hujus sententiæ quoque fuisse Dn. Johan. Langium, ex epistola paulò antea allegatā apparet. Ubicunque enim Celsus (loquor autem de editionibus Dn. Heinrici Stephani, & Dn. Ioh. Furnesii, quæ mihi ad manus sunt) Ichorem scribit, Langius hydropem ponit. Adscribam verba Langii, multum enim ad curationem vulnerum rectè instituendam, & hydrarthrum præcavendum faciunt. *Quum* inquit (*teste Galeno*) *in curando vulnere nihil sit prius, quàm providere, ne phlegmone corripiatur: hi (videlicet imperiti barbitonsores) non modo quid phlegmone sit ignorant, sed nec musculorum & tendinum, aut articulorum compaginem & situm noverunt. Nec principio nervorum, ne spasmo corripiatur provident: nec febris, qua totum*

Glied-wasser.

Ichorem in articulis naturaliter contineri ab imperitis Chirurgis falso creditur. Glied-wasser-sucht.

Hydrarthrum.

Ichor & hydrops pro uno eodemq; sumuntur.

Galenus Meth. medendi l. 6.

Quid phlegmo sit imperiti barbitonsores ignorant.

Cap. 3.

totum corpus tabescit, rationem habent, quum vulneratis merum bibere vinum, cibariisq; aromatum conditura præparatis, liberè vesci permittant: nec vulneris apostemationem agnoscunt, donec pro sanie benè cocta, liquorem fæculentum, oleagineum, & instar seri lactis tenuem, ubertim emanare viderint, quem Democrates perbellè appellat ichorem, trigodynlepton, Cornelius verò Celsus hydropem & Meliceriam appellat. Est inquit, quædam sanies, quæ vel hydrops tenuis, subalbidus, ex malo ulcere exit, maximè ubi nervo læso, inflammatio subsecuta est. Hactenus Langius.

Convenientia vocabuli hydrarthros cum germanico Gliedwassersucht.

Non malè autem vocabulum hoc hydrarthros, sive hydrops articulorum, Et Germanicè Glidwaßersucht / huic morbo, propter sequentes rationes, convenire mihi videtur. 1. Quemadmodum in hydrope aqua in partibus carnosis totius corporis, ut in Anasarca, vel in abdomine, scroto, & cruribus tantum, ut in Ascite, colligitur, ita in hydrarthro in hanc vel illam juncturã læsam confluit. 2. Quando calor nativus hepatis ita languescit, ut chylus in sanguinem converti non possit, generatur hydrops, ita quoque ubi in articulis propter doloris vehementiam, inflãmationem, & abundantiam humorum excremẽtitiorum, calor nativus veluti suffocatus, prosternitur, aqua ita concoqui non potest, sed cruda & indigesta effluit. 3. Quotiescunque insignes obstructiones viscerum, præsertim hepatis, adsũt, hydrops plerumq; oriri consuevit. Si in articulis vulneratis, Medicamenta quæ insigniter exsiccãt, constringunt, & poros claudunt, uti sunt, pili capreolarum, de quibus vide Langium loco citato, aut pulvis Ostreorum, Cranei adusti, Ossis sepiæ, spodii &c. applicas, aut vulneris labia protinus, & antequam vulnus probè sit digestum, & mundificatum balsamis, potionibus vulnerariis, aut emplastro Stictico, sive fodicationũ Paracelsi, claudis, Ichorem acrem sive hydrarthrum excitabis. Clauso enim vulnere in superficie, & putrescente materia in profundo, incalescit, fitq; acris, dolorem excitat, & serosos humores ex proximis adjacentibus partibus, vel etiam ex toto corpore attrahit, sequiturque hydrarthros periculosissimus, quemadmodum capite primo de cive Lausannensi dictum fuit.

1. Ratio. 2. Ratio. 3. Ratio.

Paracelsus pral. de vulneribus pag. 560.

CAP. IV.

De signis Ichoris & Meliceriæ Celsi, hoc est hydropis articulorum.

Etiamsi inter Germanos adeò frequens sit hydrops articulorum, ut etiam plebeis hominibus, & ipsis barbitonsorum tyronibus sit notissimum, antea dictum fuit, & proinde ut de signis aliquid scriberem, superfluum esse videatur. In gratiam tamen aliorum, quibus affectus ille adhuc incognitus, observationem singularem, ex qua omnia ferè signa hujus affectus colligi possunt, adscribam.

Observatio Signa ferè omnia Meliceriæ comprehendens.

Anno 1616. patricio cuidam Bernensi Dn. PHILIPPO KILCHBERGER nomine, in conflictu vulnus ad sinistrum carpum ense inflictum fuit, ubi vix cutis ad ligamentum obliquum usq; sauciatum. Advocat, ut Chirurgus, qui suo more vulnus curat, & ut parvum, parvo quoque spacio temporis cicatricem obducere tentat. Ab initio quidem ex voto successere omnia, & nullum adfuit symptoma, præterquam quod in digito annulari & auriculari de stupore quodam molesto conquereretur æger, quod in vulneribus nervosarum partium, brachiorum videlicet ac manuum, crurum item pedumq;, veluti symptoma inseparabile esse consuevit. Dum enim illicò post ictum humores circa partem læsam confluũt, facilè impeditur spiritus animalis, quo minus liberè ad extremitates confluere possit. Ex hoc porro stupore (quod monendum est, antequam ulterius progredior) facilè cognoscet diligens Medicus & Chirurgus, non solùm quæ pars sit læsa, verùm etiam læsionis magnitudinem. Nervum enim aut nervosum quid læsum esse denotat; & prout major fuerit stupor, eò majorem quoq; nervosarum partium esse læsionem, argumentum est. At si nervus omninò fuerit abscissus, non stupor tantùm, verùm etiam sensus & motus abolitio sequitur. Sed hæc obiter. Redeo nunc unde paulisper digressus eram. Diximus, vulnus tam exiguum fuisse, ut ligamentum obliquum vix læsum, quapropter ab initio neglectũ, & tum in victus ratione, tum in reliquis omnibus erratum est. Porrò circa terium diem morbi, cùm æger ipse simul & Chirurgus omnia jam in tuto esse arbitrarentur, paulatim exortus est dolor, qui intra horas 24. ita adauctus fuit, ut incredibile sit dictu. Ego quinta die morbi advocatus, ægrum præ summo dolore ejulantem, & alta voce exclamantem inveni. Febris maxima, ardens & continua, cum linguæ ariditate, capitis dolore continuo, & sitis inexhausta aderat. Vigiliis quoque, inquietudinibus, nausea, eructationibus, cibi fastidio & vomitu vexabatur, & lipothymiæ frequenter superveniebant cum ventris constipatione, renum & lumborum dolore intensissimo. Manus simul & brachium mirum in modum erant tumefacta, & inflammatione obsessa. Vulnus carne spongiosa, & aliquo modo livida, aut ex pallido livescens, repletum: ex quo non pus coctum, sed humor turbidus, & veluti serum lactis copiosissimè extillavit. Hæc etsi gravissima essent symptomata, cum bono Deo tamen feliciter à me restitutus fuit, nullo remanente manus incommodo.

Cap... Admo[ni]tio. Dige[ssio]. Effe[ctus]... Prim[um] signu[m] hydr[opis] artic[ulo]rum. Not[a].

Cæterùm etsi ex prædicta historia signa omnia hujus symptomatis colligere possint, in gratiam tamen tyronum paulò prolixiùs ea explicare visum est. Primum itaque signum est, quod non pus, sed Ichor, hoc est, serosa & viscida materia ex vulnere effluat, ab initiò quidem parcè, paulatim tamen copiosior. Sed hic notandum est, in omnibus ferè vulneribus nervosarum partium, ab initio serosum & crudum quid effluere, etiamsi omnia rectè & ad votum succedant, quapropter ex solo isto signo, aquam articulorum ut ita dicam, fluere, nondum est judicandum, donec & alia advenerint symptomata.

2. Circa tertium & quartum diem, pars affecta in-

cta intumescit, ex reliquo enim corpore humores circa vulnus confluunt.

3. Eodem quoque tempore propter affluentium humorum copiam, inflamatio subsequetur, & æger vapores quosdam calidos, (fliegende Hitz) ex ipsa parte læsa sursum ascendentes, percipit.

4. Oritur dolor intensissimus. Materia enim in parte affecta collecta at actis reddita, nervos nervosasque partes pungit, atque vellicat.

5. Labia vulneris in aliquibus contrahuntur, ut plurimùm tamen, & ferè in omnibus, elevantur & intumescunt, & vulnus carne quadam spõgiosa, & ex pallido livescente, repletum conspicitur; Quæ omnia ex serosi humoris abundantia & malignitate, nec non caloris nativi ejus partis labefactatione procedunt.

6. Febris adest continua, quæ in aliquibus ardens, in nonnullis remissior existit, prout dolor intensus aut remissior, & abundantia humorum in corpore adfuerit. Ex febre postea linguæ asperitas, sitis, capitis, lumborumque dolor, inquietudines, & vigiliæ, nausea, & cibi fastidium, vomitus, alvi constipatio, aliaque symptomata supervenire consueverunt. Hæc breviter de signis; Quæ præterea symptomata exspectanda, lector ex sequenti capite colligere poterit.

Cap. V.

De Prognosticis Ichoris, sive Meliceriæ.

Quid sit hydrops articulorum, ipsiusq; causas & signa breviter exposuimus, nunc quæ ante curationem perpendenda, & ægro adstantibusque prædicenda, paucis ut annectam, ordo tractationis postulat. Inprimis autem scire expedit, omnem Hydropem articulorum, gravem atque periculosum esse affectum, etiamsi in minimo fuerit digito. Talem enim esse morbum, ut omnes partes principes ab ipso alterentur, sæpissimè vidi. Idque præcipuè fit ratione doloris. Dolor enim quotiescunque partem aliquam infestat, humores ex toto corpore cum violentia, & veluti cucurbitula ad se trahit: testatur id Galenus multis in locis, & ipsa experientia fidem facit. Inde cacoëthem, ut testatúr Gal. meth. medendi lib. 5. statim fieri, quæcunque in articulis accepta vulnera sunt, omnes ferè sciunt. Humores enim serosi, qui ex toto corpore ad articulum confluunt, incalescunt, putrefiunt, maligni & acres fiunt, tandemque ligamenta, appendices, cartilagines, nonnunquam & ipsa ossa erodunt. Porrò cum omnes partes corporis arteriis, venis, & nervis præditæ sint, propter doloris vehementiam, & in parte affecta collectam materiam acrem & malignam, per venas, hepar, per arterias cor, inficiũtur & incalescunt, & hepar quidem propter venarũ multitudinem & magnitudinem primò, mox quoque cor mediantibus arteriis, sic febris, sitis inexhausta, dolor capitis & lumborum, multaque alia symptomata, quæ febres comitari solent, oriuntur. Si dolor diu duraverit, Lipothymiæ quoque superveniunt, primò quia dolor vires dissolvit, deinde etiam quia vapor putridus & malignus ex ipsa parte affecta per arterias ad cor ascendit. Delirium quoque nonnunquam supervenire consuevit; Idque tam propter consensum, quem cerebrum cum parte affecta, mediantibus nervis habet, tum etiam, quia vapores multi calidi & sicci, sive biliosi & putridi, ad caput ascendunt. At si delirium diu infestaverit ægrum, phrenisis quoque periculosa consequi solet. Diu durante dolore, spasmus tandem invadit ægrum. Accidit ille ut plurimùm aut propter Sympathiam sive consensum, quem pars læsa cum cerebro & spinali medulla habet, aut quia vehementiâ doloris & continuis vigiliis, nervi præter modum exsiccati & arefacti fuerunt, tum etiam quod præter maximam copiam serosorum humorum, qui ex vulnere effluxerunt, totum corpus, & per consequens nervi extenuati & exsiccati sint.

Cap. 5. Lipothymiæ. Delirium. Phrenisis. Spasmus.

Gangrænam in aliquibus consequutam fuisse hydropem articulorum, observavi. Johan. Langius Epist. 3. lib. 1. id quoque testatur. Accidit illa propter ingentem inflammationem, præcipuè si frigida medicamenta, uti mos est quorundam barbitonsorum, applicantur, ulceribus enim frigidum frigidaque mordax cutem obdurat, substantiam ejus densans & constringens. Dolorem insupportabilem facit, eò quod nativũ calorem, qui suppurationis causa est, extinguat, livorem obducit, & denigrat, rigores febriles, convulsiones, distensiones creat. Hæc faciunt frigida medicamenta, præcipuè in vulneribus nervosarum partium, ut alibi testatur Hippocrates. Est igitur summo studio procuranda & acceleranda suppuratio, sive digestio vulneris, quæ quidem in aliquibus citò, in aliis tardè perficitur, ut cap. 6. susius dicemus.

Gãgrana, quæ ex ingentibus inflammationibus.

Frigida medicamenta acutissimi doloris causa.

Ut plurimùm autem sic in copia, uti sæpissimè antea dictum fuit, affluentibus humoribus (qui propter intensissimam intemperiem calidã partis affectæ, acrimoniam, & quidem malignam acquirunt) ligamenta & appendices articuli corroduntur, quibus exesis, ossa, mediante callo validissimo connectuntur, & junctura fit rigida atque immobilis, nec ulla arte aut industria (quod tyronibus artis diligenter notandum est, ne inconsideratè ea, quæ nemo præstare potest, ægris aut adstantibus promittant) restitui potest, quod ego in multis observavi, etiam in nobilissimo viro Dom. Johanne à Wattenvvil, cujus mentio facta fuit cap. 1. & in rustico quodam, cujus memini cap. 2. Habeo inter rara mea anatomica, ossa brachii sinistri, in sepulchro quodam reperta, quę in ipso cubito validissimo callo, & quidem tam eleganter sunt connexa, ut an antea ibi fuerit junctura, vix appareat. Accidit id procul dubio propter hydropem istius articuli. Os enim humeri supra cubitum fractum fuisse, etiamnunc ex callo evidentissimè apparet. Hinc conjicio, fracturam non satis rectè curatam, inflammationem & affluxum humorum ad cubitum, ejusque hydropem sequutum fuisse. Hominem autem huncce multos annos cum hoc affectu vixisse, nec unquam brachium sursum elevare potuisse, & ad pectus semper gestasse, ex capite cubiti apparet: illud

Ligamenta & appendices articulorum humoribus affluentibus utplurimùm corodũtur

Admonitio.

Cap. 5.

illud enim non sphæricam habet figuram, sed obtusum & depressum est.

Os fœmoris sinistri invētum, in quo caput hujus cum capsula sua callo arctè cohæret.

Anno 1618. Basileæ in Cœmiterio ad S. Elisabetam os femoris sinistri inveni, quod in Musæo meo etiamnunc reservo. In hoc osse caput femoris cum capsula sua callo tam arctè & validè cohæret, ac si unicum esset os, vixque apparet, juncturam ibi fuisse. Vulnus autem globulo plumbeo vel sagittâ ossi ipso femoris infixum fuisse, non longè à capite femoris in osse perbellè apparet, sed de his plura cap. 25. Placuit exempla hæc addere, ut ex eis juniores Chirurgi & Medici discant, se oleum & operam perdituros, quotiescunq; post hydropem articulorum, amissum motum articuli restituere student.

Sæpè ex doloris vehementia nervorū & tendinum retractio.

Sæpissimè quoq; in ipsa curatione propter doloris vehementiam & inflammationem, nervi & tendones retrahuntur, & incurvatur membrū, illæsis tamen ligamentis, & appendicibus, quo in casu adhuc aliqua spes restitutionis superest, quemadmodum postea dicemus cap. 26. Cacochymiam quoque, uti & icteritiam & Ascitem, post Meliceriam sequutam fuisse, observavi, fit id præcipuè, quando malum inferiores articulos, veluti pedes, genua & coxas occupat. Tunc enim dolor vehemens est, & ægrum ut plurimùm per multos menses vigiliis & inquietudinibus mirum in modum excruciat, vires prosternit, omnesque actiones corporis impedit retardatque. Dormiendo enim concoctiones omnes perficiuntur. Contrà si somnus doloribus & inquietudinibus interrumpitur, tunc chylus ex ventriculo & venis mesaraicis semicoctus & veluti crudus ad hepar pervenit. Hinc obstructiones, & labefactatio caloris nativi, & gravissimi morbi sequuntur. Si verò hydrops articulorū manus aut brachia occupaverit, minus est periculū: humores enim in tanta copia, uti ad crura, non adfluunt, & æger postquam impetus mali cessaverit, deabulando corpus exercet, calorem innatum excitat, & concoctionem promovet. Contrarium fit in affectibus crurum, in quibus propter diuturnum decubitum in dorso, renes, præcipuè autem sanguis in vena cava & hepate incalescit, inde internarum partium perpetua intemperies calida, febricula, sitis, vigiliæ, tandemque icteritia & hydrops sequuntur, renum quoque & vesicæ calculi generantur. Interna quoque viscera & ipse sanguis in vena cava & hepate quando ita æstuant, vapores multos ad caput mandant, fitque inde catarrhis obnoxium.

Cacochymia, icteritia, ascites post Meliceriam nonnunquam sequuntur.

Insomnia vigiliæ, obstructionum; labefactationis caloris nativi, & aliorum morborū causa.

Æger natura cacochymicus difficulter sanatur.

Si æger natura cacochymicus fuerit, aut illā in morbo ipso contraxerit, difficulter sanabitur, præcipuè si humores acres ad ligamenta & ossa pervenerint, eaque carie contaminaverint. Hydrops articulorum (uti & alia gravissima vulnera, quemadmodū Clarissimus ac doctissimus Vir Dn. Petrus Pavius Anatomicus & Botanicus longè celeberrimus p. m. amicus meus sincerus ostendit) æstate superveniens, periculosior est, quàm qui hyeme, innatus enim calor alacrior, & plus potest hyeme quam æstate, morbo resistere, siquidem æstivi aëris nos ambientis æstus, evocat dissipatque nativum corporis calorem.

Vide commentar. in Hippoc. de vuln. capit. mihi pag. 63.

In vulneribus ma-

Porrò cum in vulneribus magnis & pravis ut tumor adsit, natura ipsa postulat, sequitur, evanescente tumore, protinus circa vulnera articulorum convulsionem, & delirium in proximis esse, uti docet Hippocrates lib. 5. aphor. 65. & 66. Quippe, uti testatur Galenus, indicium est, humores noxios ad principes partes transmitti, qui tamen propter dolorem, quem prava & magna ulcera sequi par est, ad vulnera ipsa potius confluere deberent. Quippe dolor attrahit, & fluxiones concitat. Sæpissimè quoque meliceria in ulcus magnum & insanabile degenerat, quando videlicet ligamenta eroduntur, & caries in osse consequitur. Propter doloris vehementiam & diuturnitatem, propter vigilias item & appetitus prostrationem, in nonnullis vires ita dissolvuntur, & humidum radicale adeò absumitur, ut etiam animam efflant. In iis autem qui morituri sunt, ulcus ante mortem lividum & aridum, aut nigrum & aridum fit, parum aut nihil egerens materiæ. Id autem accidit propter summam alteratricis & expultricis facultatum labefactationem & imbecillitatem. De quo vide Hippocratem prænotitionum *libr. 1. cap. 8.* & tractatum nostrum de Gangræna & Sphacelo *cap. 11.*

CAPUT VI.

De curatione vulnerum in genere, ubi ab initio vulnus cruentum digerendum & suppurandum esse, ostenditur.

Debebam nunc rectà ad curationem methodicam Ichoris acris, sive hydropis articulorum progredi, sed quia multi Chirurgorum decocto vulnerario, balsamis, emplastro stictico, aut unguento armario, aliisque medicamentis, præter rationem adhibitis, gravissimum hocce symptoma plerumque excitant provocantque, operæ pretium esse duxi, nonnulla de curatione vulnerum in genere, & quibus intentionibus incipienda & absolvenda sit curatio, præponere. Addam quoque suo loco, quid de prædictis Medicamentis sit censendum, & quomodo eis cum fructu & secundum rationem utendum.

Omnem autem solutionem continuitatis, unitionem requirere, etiam idiotis notum est, & post Galenum, Guidonem, omnesque qui de re Chirurgica scripsère, docent. Vnitio autem hæc, sive consolidatio vulneris, à natura tanquam à principali agente, à Medico verò veluti Naturæ instrumento & ministro perficitur. Natura enim illa est, quæ per se sufficit consolidare vulnera, modò Medicus obstacula, quæ illam in suis operationibus impediunt atque retardant, auferat. Impeditur autem natura consolidare vulnus, si ossa fracta, & à periostio penitus separata fuerint, si telum, globulus plumbeus, ferrum, lignum, aut simile quid extranei, vulneri inhæserit.

Summa itaque diligentia in hoc laborandum, primò ut sanguis, si profluxerit, sistatur: quia enim thesaurus vitæ est, multos ex ipsius profusione animam simul profundere, videmus. Deinde diligentia adhibenda, ut quicquid extraneum vulneri inhæret, dum adhuc cruentum est,

extra-

extrahatur. Ossa confracta in locum reponantur, vel si à periostio separata fuerint, extrahatur. Impeditur quoque natura, & sanatio sive unitio vulneris retardatur; Si dolor, tumor, vel inflammatio, aut affluxus humorum supervenerint, & partem læsam infestaverint. Hæc omnia diligens ac exercitatus Medicus & Chirurgus facilè avertet, si optimam victus rationem instituerit, corpus à pravis humoribus expurgaverit, venam, si plæthora adfuerit, & vires permiserint, inciderit. Sed nec illa omnia sufficiunt, nisi topica ex arte quoque adhibita fuerint.

Porrò doctrinam, quam Magnus Hippocrates de Medicationibus internis, nobis reliquit, ad externa vulnera haud ineptè quoque referri atq; accommodari posse, mihi videtur. *Concocta*, inquit, *Medicamento purgare ac movere oportet, non cruda neq; ineunte morbo, nisi materia turgeat, plurimùm verò non turget.* Vult Hippocrates in hoc aphorismo, materiam peccantem primò concoquendam & digerendam, deinde movendam atque expurgandam esse, non tamen ab initio, dum adhuc cruda & indigesta est. Quandoquidem nihil crudi, in quacunque parte corporis id latuerit, commodè evacuari posse, experientia fidem facit. Hæc quoque in vulnerum curationibus locum habere, Exemplis monstrabo.

Anno 1620. Mense Majo Reverendi & doctissimi Dn. Stephani Fabricii, Ecclesiæ Bernensis Ministri primarii filius, decem circiter annorum, vulnus cõtusum ad dextram palbebram recepit. Chirurgus, cui curatio vulneris demandata fuit, cum digestionis vulneris curam nullam haberet, decocto suo vulnerario & insigniter constringente, vulnus intra paucos dies cicatrice obduxit. Cùm verò durities & tuberculum scirrhosum & deforme remansisset, advocatus fui, purgato prius corpore, ea quæ insigniter emolliunt, primò per dies aliquot, deinde quæ dissolvunt & discutiunt, simul applicui, quibus & quàm optimè restitus fuit. Quàm infelix fuerit usus decocti vulnerarii in puella quadam, ad cilium dextrum vulnerata, Lector posthac cap. 7. videre poterit.

In tumoribus præter naturam, si quis materiam peccantem, crudam adhuc, nec satis concoctam & emollitam, in halitum resolvere, & per insensibilem transpirationem, ut loquuntur Medici, evacuare studet, is profectò subtiliores partes quidem resolvet, reliquum autem in scirrhum coagulabit, Addam exemplum. Nobilis quædam puella in arce serenissimi Principis mei, Guilhelmi, Ducis Juliacensium Clivensium & Montensium &c. felicissimæ memoriæ cùm ab adolescente in transitu ictum digiti ad papillam sinistram accepisset, & exinde dolor, postea quoque intumefactio totius mammæ exorta fuisset, ac puella propter verecundiam malum celasset, & illa ipsamet, quæ inflammationem exstinguunt & insigniter repellunt & discutiunt, nequaquam tamen digerunt, sibi applicuisset, resolutis subtilioribus partibus materię peccantis, crassa in scirrhum concrevit. Ego literis nobilissimæ matronæ, Dominæ ab Hal, Architriclinæ Illustrissimæ Principissæ, Hildenâ Dusseldorpium accersitus Anno 1590. scirrhum durissimum, dolorosum & cancrosum, magnitudinem nucis juglandis non multum excedentem, ad latus papillæ, versus Sternum inveni. Consului, ut præparato satis corpore, cutis superficietenus (non enim in profundo latebat scirrhus ille) secundum longitudinem incideretur, & scirrhus cum sua membrana extraheretur, vulnusque, ut artis est, curaretur. Cum verò manualem hancce curationem, longè facilem & securissimam, respuerent, cùm ipsa ægra, tùm etiã adstantes, nihil cùm ipsa tentare volui, sed ad meos me contuli. Post meum abitum cum alius quidam, ipsam absque manuali operatione sanare vellet, & primò emollientia, deinde erodẽtia applicuisset, in horrendum cancrum degeneratus est scirrhus ille, ex quo tandẽ miserè periit puella illa. Quod si ab initio morbi, materia circa papillam confluxa, digesta, postea, ut artis est, resoluta fuisset, procul dubio gravissimum hocce malum non supervenisset.

Chirurgi ignorantia factũ, ut scirrhus in horrendũ cancrum degenerarit.

Redeo nunc ad Aphorismum Hippocratis, ex quo Methodica & artificiosa vulnerum curatio quoque colligitur. *Concocta* inquit, *medicare atq; movere oportet*, quasi diceret, si tu materiam peccantem probè concoquis, postea moves atque evacuas, omnia, quæ circa ægrum facienda sunt, præstabis, & natura, quæ præterea requiruntur, facilè perficiet. Cæterùm etsi ad vulnerum curationem hæc quatuor requirantur, digestio videlicet, mundificatio, carnis generatio, & cicatricis procreatio, priores tamen duo præcipuè arte, posteriores naturæ beneficio fiunt. Vulnus si statim ab initio probè digestum, deinde mundificatum fuerit, natura facilè per se carnem generat, & cicatricem inducit, Modò Medicus illa, quę naturam in suis operationibus, ut antea quoque dixi, impediunt, amoveat.

Quæ ad vulnerũ curationẽ requiruntur.

In abscessibus eodem ordine procedendum est, ante omnia enim materia in parte affecta contenta, emollientibus & anodynis digerenda & cõcoquenda est, tum vomica aperienda, & pus evacuandum. Tandem mundificatis sinuositatibus (dummodò Orificium abscessus turundis apertum retineatur, symptomata quin etiam, si supervenerint, removeantur) natura per se sinuositates carne adimplebit, tandemque cicatricem inducet. A digestione itaque, secundum doctrinam Hippocratis, Curatio inchoanda est.

Eadem curandi ratio in abscessibus.

Porrò cum omne vulnus ab initio sit crudum & indigestum, & ex se, præcipuè vulnera nervosarum partium, materiam serosam emittere scimus, statim secundum mentem Hippocratis digerendum est; Digesto enim vulnere, & optimo ex se emittente pure, non facilè symptoma aliquod ægrum molestabit, nisi error vel à Chirurgo vel ægro comissus fuerit. Quandoquidem humores, qui propter solutionem continuitatis, subitamque mutationem, ad partem læsam decumbunt, & symptomata excitant, digesto vulnere effluunt, non digesto verò, in parte læsa retinentur, pessimaque symptomata excitant. Deinde perpendendum est, vix occurrere vulnus, etiamsi instrumento scindenti factum fuerit, in quo non aliquid sit contusionis, Ecchymosis, quæ sæpissimè in ambitu vulnerum ense factorum conspicitur, satis superque

Digesto vulnere non facilè symptoma aliquod ægrum molestabit.

Cap. 6. perque fidem facit. Cùm itaque caro contusa, docente Hippocrate, ut putrescat, & in pus convertatur, necesse sit, iterum manifestum fit, curationem vulnerum ab eorum digestione auspicandam esse. Nisi enim venæ capillares, & meatus in ambitu vulneris, qui statim ab initio propter affluentium humorum copiam occluduntur & adimplentur, reserati fuerint, & materia præternaturalis, in ipsis contenta, digeratur & concoquatur, putrescit in ipsis vasis, & acrimoniam acquirit. Ex qua sequuntur extensiones vasorum, intumefactio, dolor, aliaque commemorata symptomata. Ex quibus satis superq; apparet, quàm periculosa sit eorum methodus, qui decoctionibus vulnerariis, balsamis, aliisque similibus medicamentis, vulnera statim ab initio, & antequam digesta fuerint, occludere tentant. De quibus suo loco fusius.

Remedia, quæ ad evitanda symptomata, adhibenda. Ut igitur symptomata evitentur, ab initio relaxantia, emollientia & mediocriter calefacientia sunt adhibenda, vulneribusque imponenda, Hujusmodi autem sunt unguenta à practicis Digestiva appellata. Præparantur illa ex Cera, Therebintina, Colophonia, Gummi Elemi, oleo rosaceo, amygdalarum dulcium, liliorum alborum, ol. de vitellis ovorum, butyro recentissimo, croco, & similibus, ut suo loco dicetur. In universalibus quoque nihil omittatur, & quæ affluentes humores reprimunt, calorem innatum conservant, præter digestiva, loco affecto applicentur.

Nihil certi de tempore, quo digestio vulneris perficitur, statui posse. Cæterùm, antequam hujus capitis finem faciam, monitos esse velim tyrones, de tempore, quo digestio vulneris perficitur, nihil certi statui posse. Vulnerum enim hæc citò, illa verò tardè suppurantur, idque secundum conditionem vulneris, ac naturam partis læsæ, constitutionemque ægri; Citiùs suppurantur vulnera, instrumento benè scindenti facta, confusa verò tardè; in illis enim vasa omnia ita sunt aperta, ut materia absque impedimento effluere possit: in his verò, propter contusionem, sanguis extravenatus, & humores, qui affluunt, diutius retinentur, & propter contusionem putrescunt, hinc calor innatus, cujus beneficio digestio perficitur, aliquo modo prosternitur. Citò digeruntur & suppurantur vulnera carnosarum partium, propter sanguinis & caloris nativi abundantiam: tardè verò in juncturis & partibus nervosis succedit suppuratio, propter caloris nativi eis in locis penuriam, & dolorem, qui sequitur, actionesque naturales retardat, dum humores noxios ex universo corpore ad se trahit. Quapropter sæpissimè ex vulneribus articulorum ulcera cacoëthica fieri, Galenus ipsaque experientia testantur. Citò suppurantur & consolidantur vulnera, quæ in corporibus puris, & optimo succo refertis, occurrunt, tardè verò cacochymicorum, propter caloris nativi imbecillitatem, & humidi radicalis defectum.

Admonitio ad tyrones. Hæc, candide Lector, non sine gravissima causa adscribo. Vidi enim Chirurgos non vulgares, qui sibi certum tempus ac dierum numerum, ad digestionem perficiendam, fingebant. Elapso hoc tempore, ad mundificantia & abstergentia transierunt, etiamsi vulnus non satis digestum & suppuratum esset, idque maximo ægrorum cum damno. Non enim in omnibus subjectis æquabiliter perficitur digestio, ut jam jam dixi, sed in his citò, in illis verò tardè: Si itaque ante perfectam digestionem vulneris, & symptomatum remissionem, mundificantia & abstergentia (quæ acrimonia quadam prædita sunt) applicueris, vulnus irritabis, dolorem excitabis, de novo affluxum humorum ad partem læsam provocabis, tandemq; naturam in suis operationibus ita perturbabis, ut ex simplici vulnere fiet vulcus cacoëthicum & malignum, Hanc ob causam digerentibus & dolorem sedantibus, plerumque ad finem usque curationis feliciter procedo, præsertim in vulneribus nervosarum partium. Hoc modo enim ab omnibus symptomatibus, modò in universalibus nihil omissum fuerit, securus sum.

CAP. VII.

De decocto Traumatico, sive vulnerario, & an ab initio in vulneribus articulorum conveniat, nec ne?

Quia per multos atque gravissimos errores, magnaque symptomata, & præcipuè hydropem articulorum, ex usu decocti traumatici sive vulnerarii, quotidie consequi, in præcedentibus dictum fuit, necesse est investigare, an symptomata illa ratione decocti, an potius propter imperitiam barbitonsorum, aliorumque theoriæ artis Chirurgicæ imperitorum hominum, superveniant, nec ne? Omne vulnus cruentum crudum esse, & digestione sive supperatione requirere, primam & præcipuam intentionem in curatione vulnerum esse, proximo præcedenti capite demonstratum fuit. Suppurationem quoque medicamentis, quæ modicè calefaciunt & humectant fieri, diximus, quapropter nunc investigandum est, an decoctum vulnerarium hasce habeat facultates, anq; digestio ulla vulnerum ex ipso petenda aut exspectanda sit? id verò ut commodè & rectè fiat, ipsius ingredientia examinanda sunt. Decoctum autem Halvvilianum, & plerumq; omnia, præcipuè ex pyrola, sanicula, consolida, saracenica, Artemisia (quam rothe Bockeln/ appellant) vinca pervinca (Halvvilianis streiten vocatur) Alchimilla & fragaria præparantur. Addunt sabinam, si aliquid præter naturam, spinæ videlicet, vestucæ, fragmenta ossis, globulus plumbeus, aut simile quid corpori inhæserit, Herbas primò in umbra, dein in clibano exsiccatas, in pulverem redigunt, unamquamque seorsim. Postea æquali pondere simul commiscent, & ad usum reservant. Hujus pulveris accipiunt cochleare plenum (sic enim habet eorum recipe) quem in mensura una vini optimi tam diu coquunt, quantum ad ova duriusculè coquenda requiritur temporis. De hoc decocto, unà cum incocto pulvere prædictarū herbarum, ter in die ægro exhibent.

Adultis

Adultis ciatum unum, hoc est, ad quinque aut sex uncias, pueris verò & delicatioribus minus. Linteum quin etiam in ipso madefactum vulneri applicant. Hoc solo medicamento, neglectis omnibus aliis remediis, imò & universalibus, vulnera omnia, quantumvis maxima & periculo plena, sanari posse, sibi persuadent, sed eventus plerumque contrarium ostendit, uti ex eis, quæ sequuntur, videre est. Sed videamus nunc ordine ingredientia omnia. Pyrola exsiccat, astringit, & agglutinat, *Matthiolus in Dioscor. lib. 4. cap. 16. Hieron. Tragus libr. 2. cap. 53.* Collocatur autem in tertio gradu siccitatis, *Fuchsius plantarum historia cap. 176. Tabernemontanus tom. 2. sect. 11. cap. 39.*

Sanicula non est simplicis naturæ, sed ut indicio est gustus, astringit, simul & amara est, ut hoc nomine calefactoriam & exsiccatoriam esse, nulli dubium sit. Statuunt autem calidam & siccam ordine secundo, *Fuchsius plantarum historiæ cap. 261. Tragus lib. 1. cap. 173.* Sanicula refrigerat & siccat, cohibet, reprimit, glutinat & roborat. *Matthiol. in Discor. lib. 4. c. 38.*

Consolida saracenica, sive consolida aurea. Germ. Heydnisch Wundkraut / exsiccat. *Tragus lib. 1. cap. 164.* Constringendi vim quoque habere Tabernemontanus testatur, *Tom. 2. sect. 6. cap. 18.*

Artemisia calefacit, & modicè desiccat, quod ad calefactionem attinet, ordins secundi, quod verò ad resiccationem, aut primi intensi, aut secundi remissi, est etiam modicè tenuium partium. *Galenus de simplicium med. facultatibus lib. 6. Dioscor. & Matthiol. in commentariis lib. 3. cap. 111. Fuchsius histor. plantar. cap. 13. Hieron. Tragus lib. 1. capite 113.*

Vinca pervinca sive Clematis, alvi profluviis & Dysentericis prodesse, *Dioscorides lib. 4. cap. 6. Galen. de simp. medicamentorum facult.* testantur. Refrigerat, Matthioli verbis utor, *siccat, roborat, cohibet, sed siccitas prævalere reliquis qualitatibus, ex Paulo Aegineta recenset Fuchsius Histor. plantar. cap. 135.*

Beta vitrosæ facultatis est particeps, qua tum digerit, tum extergit, & per nares expurgat, cæterùm cocta nitrositatem exuit, evaditque leniter digerens, ad detergendum tamen digerendumq; calidior est beta alba. *Galenus de simp. medic. facult. lib. 8.* Nigram verò, sive rubram, adjunctum habere astrictionis quippiam testatur *Matthiolus in Dioscor. lib. 2. cap. 116.*

Alchimilla exsiccat, cohibet atque conglutinat, *Matthiol. in Discor. lib. 4. cap. 115.* Folia & radix adstrictione vehementi participant, atque adeo exsiccant. Recentiores idipsum in secundo efficere ordine tradunt. *Leonhard. Fuchsius historiæ plantarum cap. 234.*

Sabina tertii est ordinis excalefacientium & desiccantium, & ex numero eorum, quæ vel maximè tenuium sunt partium *Gal. lib. 6. de simp. medicam. facultatibus. Fuchsius historiæ plantarum capite 54.*

Fragaria refrigerat ordine primo, siccat secundo *Matthiol. lib. 4. cap. 38. in Dioscor.* Radices & folia astringunt. *Cordus historiæ plantarum lib. 2. cap. 186. Fuchsius historiæ plant. cap. 328.*

Cap. 7. Vinum.

Vinum nostrates eligunt generosum, quale est Valdensium aut Equestrium, de la couste appellant, Germani vino Rhenali aut Neccarino utuntur. Sunt illa plerumque omnia calida & sicca in secundo gradu. Quod si admodum vetus fuerit vinū, ex tertio ordine calefacientium & siccantium erit. Ut *Galen. de simplic. medicam. facultatibus lib. 8.* testatur.

Facultates decocti vulnerarii.

Ex his luce meridiana clariùs elucet, decoctum vulnerarium insignem exsiccandi, constringendi, & agglutinandi facultatem ex præscriptis herbis acquirere, calefacit quoque propter saniculam, Artemisiam, & in primis propter sabinā, quæ in tertio ordine excalefacientium & siccantium, ut antea dictum fuit, collocatur. Vinum præterea calefactoriam vim adauget, estque veluti vehiculum, quo reliquæ facultates ad viscera vehuntur. Non promovet itaque digestionem aut suppurationem vulnerum, sed eam impedit retardatque. Deinde quoque, quia calidum est, uti ex ingredientibus videre licet, sanguinem & humores incendit, & symptomata omnia inprimis verò dolores & inflammationes excitat.

Decoctum vulnerarium sanguinem incendit, inflammationes & alia symptomata excitat.

Digesto verò & satis supputato vulnere, nec non ab omnibus symptomatibus liberato, cùm intentio Medici est abstergere, mundificare & consolidare, insigne & longè excellentissimum esse medicamentum, omnibus rationalibus Medicis in confesso est. Hinc videmus, non esse, propriè loquendo, decoctum vulnerarium per se, quod dolores, inflammationes, & hydropem articulorum excitat, sed inscitia atque ignorantia barbitonsorum, aliorumque hujus farinæ hominum, illotis, ut dicitur, manibus, sacrosancta Dei dona sine methodo & contra naturæ ordinem tractare, & ut Plinius loquitur, *experimenta per mortes ducere non erubescunt.* Quàm infeliciter autem hæc aliaque plerumq; succedant, exemplis nonnullis declarabo.

Observat.

Anno 1616. gladiator quidem Bernæ, M. Conradus nomine, gladio acuto in brachium sinistrum inter carpum & cubitum vulneratus fuit. Restricta hæmorrhagia, decoctum Halvvilianū ter in die bibit, eoq; per barbitonsorem vulnus abluere jussit. Ab initio curatio ad votum successit, circa tertium verò exorta est inflammatio, dolor ingens, febris, nausea, & appetitus prostratio. Ego cum in consilium vocatus essem, manus totumque brachium intumefactū, & ad cubitum usque inflammatum reperi, musculi quoque pectoris per consensum afficiebantur, hinc quoque de angustia pectoris conquerebatur, propter vapores quoque ex inflammato brachio ascendentes, cor nonnunquam veluti lipothymia afficiebatur, vulnus exterius veluti crusta obductum & clausum erat. Accepto stylo exploratorio, cum anguem in herba latentem detegere vellem, ecce adstantes, qui criminari me incipiunt, meque admonent, ne tale quid tentarem, ne vulnus refricarem, cutem enim superficietenus tantùmmodò scissam esse, ægrumque decoctum vulnerarium ab initio bibisse. Imaginantur enim sibi nostrates homines, decoctum hoc consolidationem externam vulnerum non concedere, nisi ipsa concavitate prius consolida-

 ta;

Cap. 7. ta. Immisso stylo exploratorio cum vulnus spithamam ferè profundum esse, & versus cubitum ipsum penetrans vidissent, obstupuerunt ferè, & supra modum admirati fuerunt. Quibus remediis autem ipsum curaverim, Lector in quarta Centuria Obs. 83. videre poterit.

Observat. Anno 1619. Nobilissimi ac strenui viri, Dn. Nicolai à Mullinen, inclytæ Reipublicæ Bernensis Consiliarii prudentissimi, & Ducis exercitus apud Rhætos fortissimi, ancilla, cùm vulnusculum contusum ad Cilium inferius dextrum recepisset, illudve intra paucos dies nulla præcedente suppuratione aut digestione vulneris, decocto Halvviliano consolidatum fuisset, iterum in profundo collectum fuit pus. Ego cum advocatus essem, oculum insigni inflammatione tentatum inveni. Dolor capitis aderat maximus, simul & Febris atque vigiliæ. Suppurativis & pus moventibus per diem unum aut alterum applicatis, in ipsa cicatrice vomicam scalpello incidi, deinde abstergentibus & mundificantibus per dies aliquot adhibitis, ulcus feliciter consolidavi, nulla relicta oculi aut visus læsione.

Observat. Anno 1620. Juvenis quidam 13. circiter annorum ætatis, & Magistri Matthis Keller, arcularii filius, cum sibi ipsimet vulnusculum in sinistri indicis articulum, qui medius est in ordine (ubi sola cutis in transversum incisa fuerat) inflígisset, & decocto travmatico vulnus, ut videbatur, catrice obduxisset, iterum collecta fuit materia in imò vulneris, quapropter exorto dolore intensissimo & acutissimo, in consilium me adhibuerunt parentes. Tum juveni manum & brachium ad cubitum usque intumefactum, febris quoque aliaque cap. 4. commemorata symptomata aderant, in primis verò Lipothymiæ, quàm primùm vulnus obligare vellem, ipsum infestabant. Dolores adeò erant magni, ut nullis fere anodynis sedari possent, tandemque propter vigiliarum vehementiam ad soporifera mihi confugiendum fuit. Ex quibus quàm maligna & acris sit materia, in parte hoc morbo affecta contenta, apparet, dum enim non tantum partes nobiles, veluti cor, hepar, & cerebrum, malignis suis vaporibus afficit, verùm etiam proximas adiacentes partes erodendo invadit. Vidi id in hoc puero, in quo quamvis nihil eorum, quæ facienda erant, prætermitterem, obstare tamen non potui, quin materia sinum, versus postremum articulum & metacarpum, sibi faceret, Tandem nihilominus feliciter sanitati restitutus fuit, & ita quidem, ut digitus suo motu nullatenus privatus fuerit.

Potiones vulneraria quibus noceant. Porrò quemadmodum tempus morbi, quo decocto traumatico usurpari convenit, perpendendum, ita etiam subjectum ipsum, hoc est, corpus ægri, ipsiusque constitutio, diligenter examinanda & investiganda est. Cùm enim insigniter astringant & exsiccant, ut antea quoque dixi, & ex temperamentis ingredíetium videre licet. Omnibus qui obstructionibus viscerum, veluti hepatis, lienis, & venarum lactearum laborant, adversissimum esse medicamentum, nullus in controversiam vocare poterit. Quandoquidem constringendo & exsiccando excrementitios humores in visceribus retinent. Hinc dolores, tormina hypochondriorum, inflationes, scirrhi viscerum, tandemque virium & appetitus prostratio, aliaque incommoda sequuntur, quemadmodum ego in diversis ægris observavi. In primis autem in nobilissimo viro Dom. Jacobo Wallier, qui cùm à teneris añis obstructionibus viscerum obnoxius fuisset, & anno 1609. propter gravissima ulcera decocto Halvviliano usus fuisset, omnia illa incommoda, quæ recensui, ex usu decocti prædicti in se expertus est. De his videat lector observationem & curationem singularē, de vulnere gravissimo sclopeti, à nobis editam.

Obs. Nobilis quidam prope Lausañam cacochymicus, & obstructionibus viscerum, simul & ulcere circa costas laborans, cum ex consilio imperitorum hominum decocto vulnerario uteretur, in tertianam incidit, quâ diu periculosè laboravit.

Admonitio ... Videat itaque Chirurgus primò, ne decoctum adhibeat nisi vulnus sit digestum, suppuratum, & ab omnibus symptomatibus liberum. Nō enim solummodò impedit digestionem & suppurationem vulneris, verùmetiam dolores & inflammationes adauget, dum propter vini aliarumque herbarum, quæ ingrediuntur calidarum, sanguinem & humores incendit, calidamque intemperiem in visceribus inducit. Deinde prospiciat, ne viscera excrementitiis humoribus sint referta, aut obstructionibus obnoxia. Decoctum enim vulnerarium astringendo & siccando meatus obstruit, transpiratione prohibet, & proinde putredinem inducit, ex qua cachexia, febris, icteritia, & hujusmodi gravissimi morbi subsequuntur. *Quæ enim perspiratione carent*, inquit, Galenus, *facilè putrescunt.* Quapropter ante usum decocti, & dum eis utitur æger, corpus diligenter ab omnibus humoribus excrementitiis expurgandum, & vena, si plethora adfuerit, & vires permiserint, incidenda, optimaq; victus ratio observanda est. Hæc verò quia vulgus barbitonsorum, propter inscitiam theoriæ, non observat, quis quæso non videt, eorum ignorantiam, non autem medicamentum, hydropis articulorum, aliorumq; gravissimorum symptomatum causam esse præcipuam. Est itaque verissimum divinum oraculum à Galeno prolatum. *Auxiliorum nimium dextrum usum partem artis esse præcipuam.* Plura qui de decocto Vulnerario videre cupit, illudque ad Vulnera Externarum partium pervenire non posse, & proinde vulneribus non prodesse internis verò visceribus mirum in modum obesse, scire desiderat, is doctissimum virum Dom. D. Johannem Matthæum, quæstionum nobilium, quæst. 30. legat.

CAP. VIII.

De Balsamis, tam naturalibus, quàm artificialibus, num & quando in vulneribus articulorum conveniant?

QUum ob omni œvo Balsamum veluti singulare donum Dei extiterit, & ad plerosque, tam

tam internarum quàm externarum partium corporis morbos sanandos, medicamentum fuerit laudatissimum, ne dicam planè divinum, factum est, ut eo quoque abutantur empirici & irrationales Chirurgi, quasi medicamentum adeò universale esse possit, ut in omnibus morbis, in omnibus quinetiam ægris, ætatibus, naturis, & temporibus anni aut morbi, tutò & sine ulla distinctione applicari possit. Hinc ex hoc tam optimo & pretioso medicamento, tot tamque gravissima symptomata, & ipsum hydropem articulorum, consequi videmus. Habent morbi interni, ut Medicis notum est, sua tempora; ut vocant. Principium videlicet, augmentum, statum & declinationem. At quis unquam fuit tam insulsus Medicus, ex uno eodemque medicamento per totum cursum morbi uteretur? De vulneribus eadem est ratio. Habent vulnera sua quoque tempora, secundum quæ medicamenta sunt mutanda. In principio sanguis est sistendus, & quæ res extraneæ, veluti plumbum, ferrum, lignum, festucæ, ad ossa planè separata, vulneri inhæserint, extrahenda sunt. Hæc disertè quoq; docet Hippocrates lib. 2. aphor. 29. inquiens: *dum morbi inchoant, si quid monendum videtur, mone, dum verò consistunt & vigent, melius est quietem habere.* In angmento cum propter solutionem continui, subitamque mutationem, humores ex toto corpore, veluti cum impetu affluunt, dolores, inflammationes, aliaque gravissima symptomata excitant, eis, quæ repellunt refrigerant & astringunt, ad alia loca repellendus est humor affluens, & ex parte affecta repellendus, dolor leniendus & inflammatio sedanda est, id verò ut commodè & ex arte fiat, digerendum est vulnus, quemadmodum capite 6. demonstravimus, in statu, hoc est, non amplius affluẽtibus humoribus, sedato item dolore, & remissa inflammatione, optimèq; digesto vulnere, clementer abstergendum & carne implendum est. Materia quin etiam in parte affecta collecta, emollientibus & resolventibus discutienda est. In declinatione cicatricem inducere, & partem affectam, propter solutionem cõtinui labefactatam, corroborare convenit. At quia scioli, ac ineptissimi barbitonsores, de una eademq; fidelia omnes volunt curare ægros, mirum non est, si gravissimos errores circa ægros committent. Hæc autem ut dilucidiora evadant temperamentum ac facultates balsamorum consideremus.

Balsamum hodie habemus duplex, naturale, & artificiale, naturale est aut veterum aut recentiorum. Naturale veterum, cujus *Dioscorides lib. 1. cap. 17. Galenus de simplicium medicament. facult. lib. 6. Plinius lib. 12. cap. 25. Avicenna libr. 2. Tractatu 2. Paulus, Aegineta Oribasius & Aetius* meminare. Olim, ut testatur Dioscorides, in Iudæa & Ægypto nascebatur. Hodie an arbores, ex quibus profluebat liquor iste, exstant, & si exstãt, an liquor iste ad nos advehatur, multi dubitant, utut sit, scimus, ex præscriptis aliisque probatissimis authoribus Balsamum antiquorum summè calidum fuisse medicamentum. Sic enim habet Dioscorides, *Efficacissima*, inquit, *vis inest ferro, & quàm maximè calfaciens*: Galenus Balsamum desiccare & excalfacere in secundo gradu & tenuiũ esse partium scribit. Avicenna verò balsamum in principio tertii gradus esse calidum testatur.

Cap. 8. cap. 4. 15. & 22. Item lib. 15. in litera B. Aetius Tet. 1. sermo 1. in lit. B.

De Balsamo recentiorum.

Balsamum recentiorum quadruplex est, Iudicum, Americam, Balsamum nonum ex insula Hispaniola, & Tolutanum. I. Iudicum seu Occidentale, quod ex Occidentali India in Hispaniam adfertur liquor est arboris, Indis Xilo dictæ, punica malo majoris foliis urticæ similibus serratis, & tenuibus, cujus cortice, qui tenuis est, vulnerato, liquor tenax subalbidus, paucus, quem incolæ sibi reservant, effluit. Sed ex ramis & truncis assulatim & minatim concisis, & cum aqua in lebete decoctis, ubi refrixerit, concchis oleum supernatans colligunt, quod ex nigro rubet, odoris suavissimi, gustus acuti & aliquantum amari, calidum & siccum est gradu secundo, sumitur in corpus, foris illinitur, & Chirurgicis remediis permiscetur. II. Balsamum Americanum, quod ex Americæ sive novi orbis continente adfertur, seu Peruvianum, liquor est arboris nastæ magnitudinis, ad radicem ramosis, duplicique cortice, quo vulnerato ex medio spacio alba, lympidissima & odoratissima lachryma effluit. III. Balsamum nonum, quod ex Insula Hispaniola adfertur, succus est, plantæ sponte nascentis, arboris magnitudine ad duorum hominum proceritatem interdum assurgente, caulibus cinereis, foliis supernè viridioribus, acutis, costa permedium diversis, foliis sex digitorum longis, quatuor cum dimidio latis, pediculis rubescentibus, fructu racemoso longo, acinis, rubentibus, ex asparagis & summitatibus, ut etiam racemis, expressus succus in aqua ad medias coquitur, ad mellis crassitudinem, quod ad ulcera & vulnera utuntur balsamo, efficacius. Plura apud authorem generalis Iudiorum historiæ. IV. Tolutanum, quod ex continentis quadam provincia inter Chartaginem & Nomen Dei sita, Tolu ab Indis appellata, liquor est arboris pumilæ pinosimilis, ramosæ, foliis instar Ceratiæ perpetuò virentibus, cujus cortice inciso, arboris veluti quibusdam cochlearibus è terra nigra confectis, adnexis, liquor colligitur ex rubro ad aureum tendẽs, dulcis, odore limonum fragãtiam referens, quod præstantius eo, quod ex nova Hispania adfertur, & ad omnia ad quæ & Balsamum Ægyptiam efficax. Plura vide apud Bauhinum, Nicolaum Monardem, & in appendice historiæ Lugdunẽsis.

Iudicum. Casparus Bauhinus in 1. lib. Dioscor. cap. com. 18. Nicolaus Monardis de simpl. medicamentorum ex novo orbe delatorũ historia.

Americanum.

Novum.

Tolutanum.

Cæterùm etsi balsamum sit Medicamẽtum laudatissimum, & in vulneribus approbatissimũ, quemadmodum ab initio hujus capitis diximus, & ego ipsemet à multis ab hinc annis in ægris meis expertus sum, & indies experior, quin tamen adeò universale censeri non potest, ut in omnibus vulneribus & quovis etiam tempore tutò applicari possit. Videndum primò, in quibus vulneribus conveniant balsama; deinde etiam quo tempore sint applicanda. Conveniunt autẽ in simplicissimis vulneribus, hoc est ubi nullum symptoma, veluti dolor, inflammatio, affluxio humorum, aut simile quid concurrit testatur id quoque Nicolaus Monardis, in sua, quam de Medicamentis ex nono orbe delatis, scripsit historia. Cum enim calidum sit medicamentum, quẽ-

In quibus Balsamo conveniant.

Cap. 8.

admodum antea dixi, inflammationem & affluxum humorum, & proinde dolorem adauget, gravissimaque symptomata excitat. Conveniunt prætereà, ubi nihil extraneum vulneri inhæret. Quia enim balsamorum vis atque potentia est, protinus labia vulneris contrahere, consolidationemque accelerare, remanente re aliqua extranea & pure in profundo vulneris, suboriuntur mox symptomata gravissima. Sunt itaq; in vulneribus carnosarum partium, si simplices & à re incidente facta fuerint, uti etiam in ulceribus, post eorum mundificationem adhibenda. In vulneribus autem contusis non tutum est eis uti, nisi digesto, & satis suppurato & mundificato vulnere. In vulneribus faciei à re incidenti factis, excellentissimum est medicamentum, præcipuè Balsamum Tolutanum, quod mihi familiarissimum est, nullam enim ferè cicatricem post se relinquit. In aliis verò capitis vulneribus nonnisi cautè in applicatione balsamorum procedendum est. Cranium enim si læsum, aut contusio & concussio aliqua cerebri adfuerit, ab initio morbi ab eis abstinendum est; ne propter immaturam consolidationem vulneris, & retentionem sanguinis extravenati aut puris, grave aliquod symptoma incidat. Eadem est ratio, cur in vulneribus juncturarum mihi semper suspectus fuit usus balsamorum, quemadmodum postea, cum de balsamis artificialibus dixero, agam fusiùs. Si quis tamen à principio Balsamo Tolutano (cujus ego præcipuè experientiam habeo, quòd & hodiè præ reliquis ad nos affertur) cum fructu in articulorum vulneribus uti voluerit, ut in universalibus nihil prætermittat, necesse est, deinde etiam ut vulnus, ne ipsius labia protinus contrahantur coalescantque, pulvillis duriusculis ex filamentis paratis, adimpleat, res ipsa postulat.

Vis & potētia Balsamorum.

In vulneribus contusis Balsama non semper tuta.

Nota. De Balsamo Tolutano in vulneribus faciei Cautè in applicatione Balsamorū procedendū.

Sequitur nunc, quo tempore morbi sint applicanda balsama? Nullum enim medicamentum, quod planè sit universale, exstare. Medicis notum est, vulnera quin etiam sua habere tempora, non minus ac morbi interni, ab initio hujus capitis diximus. Deinde quidnam in unoquoq; tempore circa vulnus moliendum sit, adscripsimus, ex quibus satis superque apparet, balsamum neque ab initio, neque in augmento applicādum esse, nisi vulnus fuerit simplex, & in parte planè carnosa. In augmento enim, ut dixi, suppurandum est vulnus & pus movendū, suppuratio autem fit calidis & humidis medicamentis, veluti sunt unguenta digestiva, de quibus suo loco, non autem calidis & siccis, ut sunt balsama. Sciunt præterea practici, vulnera ab initio affluxu humorum, doloribus, inflammationibusque esse obnoxia, quapropter medicamenta lenientia & anodina sunt adhibenda, non autem quæ acrimoniam aliquam obtinent, ut sunt balsama. Quantum ad vulnera articulorum, in quibus tantoperè celebrantur balsama, vix reperies quod planè sit simplex, propter exquisitissimum enim sensum, quibus juncturæ sunt præditæ, statim exoritur dolor, dolorem sequitur affluxus humorum; quandoquidem dolor veluti cucurbitula ad se trahit ex toto corpore humores, & sanguinem, hinc inflammatio, abscessus & hydrops articulorum, aliaque gravissima mala. Sed estne in causa Balsamum? Nequaquam. Est enim medicamentum planè divinum, ut antea dixi. Sed in causa est inscitia & ineptia barbitonsorum, aliorumque artis Medicinæ imperitissimorum hominum, qui illud indifferenter & absque judicio in omnibus vulneribus, veluti panacæam applicant. Concludemus itaque, Balsamum in principio & augmento ex arte applicari non posse, nisi vulnera fuerint simplicissima, & nullius ferè momenti. Digesto autem & satis suppurato vulnere, excellentissimum esse medicamentum. Mundificat enim, abstergit, carnem generat, humidum radicale adauget, calidumque innatum refocillat, & partem affectam, propter solutionem continui labefactatam, corroborat, cicatrices quin etiam planas & pulchras efficit. Ossa cariosa & confracta balsamo extrahere volunt aliqui, quod ego tamen non observavi, nec videtur mihi rationi consentaneum esse, medicamentum quod insigniter conglutinat, labiaque vulneris contrahit conjungitque, simul quoque ossa (nisi forsan id facultate quadam occulta fieret) extrahere posse, cum ad ossis excretionem vulnus apertum ac hians requiratur. Hactenus de Balsamis naturalibus, sequitur nunc de artificialibus.

Quo tempore morbi sint applicanda Balsama.

In augmēto vulnus suppurandum.

Non [...] sed [...] tem[...] inj[...] mu[...] mo[...] can[...]

Fru[...] & [...] tat[...] jan[...] ex [...] app[...] ru[...]

Quum à multis jam annis, ut testantur viri docti, Balsamum illud, quod ex Judæa & Ægypto olim proveniebat, perierit, & Balsamum recentiorum nonnisi superiori seculo ad nos, ex regionibus istis à Christophoro Columbo, Americo Vesputio, Magelano, Francisco, Pizardo, Frācisco Draco, Thoma Candiso, & aliis noviter inventis, allatum, ac tanto pretio à Mercatoribus æstimatum venditumque sit, ut nonnisi locupletissimi homines eo uti possint, cogitare cœperunt viri docti, quidnam ipsius loco substitui possit? Nec inutilis, profectò, fuit ipsorum labor atque industria. Exstant enim balsama artificialia, quæ balsamis naturalibus tam in internarum quàm externarum partium morbis, haud multùm cedere videntur. De quibus lector videre poterit Iohannem de Vigo, Andernacum, Gesnerum, Euonymum, Fallopium, Weckerum, Quercetanum, Paracelsum, & alios, apud quos varias & diversas compositiones inueniet. Parantur autem Balsama aut ex vegetabilibus, veluti ex radicibus, herbis, floribus, seminibus, corticibus, succis, ex gummis item, Resinis, Therebinthina, Cera & aliis. Aut ex mineralibus, ut Mercurio, Marte, sulphure &c. De quibus vide Quercetanum & alios, qui artem Chymicam excoluerunt. Nos, ne quid hic desiderare posset lector, compositionem unam aut alteram ex vegetabilibus, ex Johanne Vigone, Chirurgo præclarissimo, & æterna laude dignissimo, qui sub Julio secundo Pontifice Max. circa annum 1503. Romæ floruit, hîc ad scripsimus, plura qui videre cupit, præscriptos authores consulat. Descriptio quæ exstat lib. 8. cap. 19. sic habet.

De [...] mi[...] fici[...]

R. Ol.

R. Ol. Omphacini ℔ ij.
Styracis calamitæ.
Laudani.
Croci.
Olybani.
Gummi Arabici.
Rubeæ tinctorum.
Gummi hederæ.
Aloes.
Masticis.
Gariophylli.
Galangæ.
Cinamomi.
Nucis muscatæ.
Cubebæ an. ʒ ij.
Gummi Elemi ℔ j.
Mirrhæ.
Bdelli an. ʒ j ſ.
Galbani ℥ vj.
Spicæ.
Ligni Aloes. an. ℥ j.
Serapini.
Amoniaci.
Opoponacis. an. ℥ x.

Omnia pulverisanda pulverisentur, & permisceantur cum dicto oleo: deinde ponantur in alembicum cum suo capello & recipienti, & arte & igne elambicentur, & omnia sint benè inlutata & obturata luto sapientiæ. In principio per horas duodecim ponendo alembicum ad ignem lentum, & ipsum meliorando in sex horas; donec elambicatum fuerit, quo facto, statim residuum specierum iterum pulverisetur, & cum prædicto oleo elambicato, iterum ordine ante dicto per tres vices reiterando elambicetur, & tandem habebis oleum, quod verè est sicut balsamũ, stat enim ad omnem balsami probationē.

Valet autem (ut idem Vigo testatur sequentibus verbis) *oleum hocce benedictum sive Balsamum, ad multas corporis passiones, videlicet contra spasmum de repletione, contra paralysin, contra juncturarum dolores, a materia mixta causatos, facta universali purgatione, & valet etiam contra discrasiam cerebri, facta à materia frigida. Et propterea cerebrum frigefactum confortat. Valet quoque contra morbum caducum, unctum parum supra coronalem commissuram. Valet præterea contra fistulas desiccandas, facta prius mundificatione cum medicamine forti. Valet insuper ad magnas plagas recentes sanandas, Catarrhum etiam frigidum, & omnem cerebri humiditatem extraneam destruit, & spiritus cerebri confortat, aperit venas opilatas, causa humorum frigidorum. Et si in aure cum bombice imponatur gutta una, auditum devastatum emendat; præsertim quando à causa frigida causatur. Item pannum rosatum madefactum cum dicto oleo, & applicatum temporibus, dolorem emicraneum & vertiginosum tollit, & scothomiam, & venæ opilationem cerebri multum juvat. Et si bibatur de dicto oleo uncia semis cum modico vini odoriferi, in aurora per tres dies, animam, cor, pulmonemque renovando mirabiliter confortat. Item adversus quartanarios, si sumatur cum modico vini odoriferi, mirum in modum valet, & sit ad quantitatem cochlearii. & hic ordo per quatuor terminos servandus est, sumendo quotidie prædictum oleum per horam ante diem, in diebus, in quibus non exspectatur paroxismus, item sumptum per triginta dies cum modico vini, & parum peoniæ, ad quantitatem jam dictam, morbum caducum sanat; item adversus unamquamque animalium morsuram venenosam mirabiliter valet, denique ad omnem debilitatem nervorum (crede mihi) magna est Medicina. Vlterius adversus dolores morbi Gallici, est præsentaneum remedium. & istud oleum est sicut Balsamum, & tantæ virtutis & potentiæ super jam dictas ægritudines, quod nec Auro nec Argento emi posset.* Hactenus Vigo.

Cap. 8.

Præparatio hujus balsami digestio potius quam distillatio dicenda. Porrò cum in præparatione hujus balsami aliquo modo obscurus sit author, sciant tyrones, non esse, propriè loquendo, distillationem, de quo loquitur, sed potius fermentationem sive digestionem. Oleum enim Omphacinum, multò minus gummata, per alembicum simplicem, de quo hic utitur Vigo, ascendere non posse, sed remanere in fundo alembici, cum reliquis ingredientibus, & nihil præter phlegma, ut vocant, extillare, eis, qui in arte distillatoria versati sunt, notum est. *Objectio.* Ad quid igitur, inquies, labor iste? Respondeo, ipsum summoperè necessarium esse. In hac enim distillatione, quæ veluti fermentatio, maceratio, aut digestio est, beneficio caloris activi partes subtiliores à crassis & excrementitiis separantur, & utile ab inutili, ut dicunt, ita segregatur, ut postea diversæ qualitates ingredientium sensim ita inter se commisceantur, ut inde fiat medicamentum temperatum, & ad prædictas operationes aptũ. *Medicamentum temperatum ex diversis ingredientium qualitatibus.* Vt enim in ventriculo, beneficio caloris nativi, & facultatis concoctricis, ex diversis, & quidem facultate inter se contrariis, ciborum generibus chylus, pro nutritione corporis aptus, conficitur, ita & in hac distillatione. Rectè itaque ab initio per duodecim horas lento igne procedit. *Comparatio.* Quemadmodum enim violentus corporis motus, statim post sumptum cibum digestionem destruit retardatque: ita quoque violentus ignis, ab initio admotus, ne diversa corpora probè ad invicem copulari atque conjungi possint, impedit. Tandem verò augendus est ignis, ut vi caloris tota vis ex medicamento extrahatur.

Modus, qui prima distillatione facta, circa alẽbicum observãdus. Cæterùm absoluta prima distillatione, quæ spacio 18. horarum perficitur, non protinus aperiendum est alembicum, ne inclusi spiritus evanescant, & in halitum abeant; sed exspectandũ usque dum omnia ferè sint refrigefacta, ferè inquam. Oleum enim dum adhuc tepidum, percolandum, fortiterque exprimendum est. Residuum quod in colatorio remanet, contusum, denuò in alembicum projiciatur, & affundendo oleo percolato, & plegmate exstillato, reiteranda est distillatio & expressio, eodem planè modo, ut ab initio, idque tertiò repetendum est. Tandem percolatum & expressum oleum in vasis vitreis diligenter clausis, seu balsamum pretiosum reponendum & conservandum est. Atque hanc esse mentem Vigonis, existimo. Si quis tamen non tantum phlegma, imò & ipsum oleum exstillare voluerit, ille ut loco alembici, de quo loquitur Vigo, retortam accipiat, necesse est, sed balsamũ erit acre, insigniterque calidum, ut vix in internis affectibus usurpari possit.

Cap. 8.

Alia Balsami descriptio.

Aliam descriptionem balsami in vulneribus, ulceribus, aliisque externis affectibus nervorum, ex causa frigida ortis, efficacissimi eodem libro & capite describit Vigo hunc in modum.

R. Therebinthinæ ℔j.
Thuris albi
Laudani an. ℥iiij.
Masticis
Galangæ
Gariophylli
Cinamomi
Zedoariæ
Nucis muscatæ
Cubebæ
Ligni aloes an. ℥ij.
Gummi elemi ʒvj.
Olei rosati Omphacini ℔.ſ.
Olei masticini ℥ij. ſ.
Vermium terrestrium lotorum cum vino ℥iiij.

Omnia simul misceantur & elabicentur in vase vitreo, more jam dicto in superioribus receptis. Hæc Vigo.

Præsentissimum ex sola therebinthina & gummi Elemi medicamentum.

Ego ex sola therebinthina & gummi elemi conficio Balsamum longè excellentissimum, cujus præparatio exigui laboris est, interim tamen in vulneribus, post ipsorum suppurationem & digestionem: in ulceribus & fistulis, post ipsarũ mundificationem, præstantissimum est medicamentum.

Fundo libras tres therebinthinæ purissimæ in retortam vitream, diligenter lutatam, eamq; in fornacem aptam impositam. Primò oleum (sive ut vocant spiritum) limpidissimum lentissimo igne, sex circiter horarum spatio, quem separatim reservo. Deinde parum adaucto igne, oleum rubicundum, & veluti rubinus lapis, pellucidum profluit. Tandem ad summum ferè gradum accenso igne, oleum ad mellis circiter spissitudinem exstillat. Primo oleo, sive spiritu, in internis affectibus utor, secundum & tertium oleum in affectibus nervorum, à causa frigida ortis, prestantissimum est, si partes malè affectæ eo inungantur, sive id per se fuerit, sive cum aliis oleis, veluti lumbricorum, vulpino, & similibus mixtum, Postremo, quod veluti balsamum est, in vulneribus & ulceribus utor hoc modo. Accipio hujus olei sive balsami ℥iij. Gummi Elemi purissimi & pinguis ʒß commisceo ambo in sartagine, lentissimo igne, donec gummi dissolutum sit, tunc percolo, & in vase vitreo reservo. Quod si nimis spissum fuerit balsamum, addo parum de tertio oleo. Etsi autem Balsama præscripta artificialia, uti quotidiana experientia docet, præstantissima sint, cautè tamen in vulneribus juncturarum cum eis procedendum est, & omnia, quæ de Balsamis naturalibus scripsimus, in applicatione eorum observanda sunt. Nequaquam autem, nisi vulnus probè digestum fuerit, conveniunt. Si enim ab initio morbi applicentur, gravissimum hocce symptoma, Hydropem videlicet articulorum, excitare solent. Vidi id in cive Lausanensi, Claudius nomine, de quo lector videat historiam Capite primo. Possem & alia exempla in medium proferre, nisi id forsan lectori esset tædiosum. Omnia itaq; secundum rationem sunt facienda, quemadmodum docet Hippocrates.

Balsamũ therebin-

Admonitio.

CAP. IX.

De Emplastro Stictico, sive fodicatiorem, an & quo tempore in vulneribus articulorũ conveniat?

Liberales artes omnes, imò & Mechanicæ, in Germania ad summum gradum perfectionis & splendoris pervenisse, omnibus notum est. Chirurgia tamen succumbit & planè vilescit. In causa est, quòd illa imperitis, & plerunque in theoria indoctis barbitonsoribus, sive contradictione, & examine à Principibus & Magistratu, maximo mortalium damno, concreditur. Hinc fit, ut theoriam nõ tantum spernant, verùm etiam ne ipsa versatos medicos atq; chirurgos contemnare & flocci facere non erubescant. At quia Magistratus amplissimus illis non interdicit, quin potius connivet & hujusmodi gærrulos & inflatos superbulos præ aliis nonunquam promovet, mirum non est, si omnia in deterius ruant, & nobilissima ars eò perveniat, ut etiam *in multis locis* plærique locorum in Germania (horribile dictu) ipsam carnifices exerceant. Ad hunc autem contemptum artis, & ignorantiam barbitonsorum propagandã & augendam, ansam dederunt nonnulli, qui superiori seculo multa variaque remedia Empirica, in mediam attulerunt, quibus (spreta theoria) mirabilia, ne dicam impossibilia, se præstare affirmant. Hinc fit, ut cum illi decocto vulnerario, si balsamo aut Emplastro aliquo, vel unguento armario, omnia curare posse sibi imaginentur, ut studium theoriæ negligant, ac juvenilem ætatem in puerilibus ac futilibus rebus cõsumant.

Porrò inter Medicamenta empirica, à modernis & præcipuè à Paracelso aliisque Germanis inventa, non postremum locum obtinet Emplastrum Sticticum sive fodicationum (Stichpflaster) quo nihil præstantius in rerum natura exstare, nonnulli affirmant, inter quos etiam fuit *Osvvaldus Crollius*, alioquin in arte Chymica vir excellens & præclarus. In praxi verò Chirurgica ipsum haud multum versatum fuisse, ex eis, quæ Emplastro suo Stictico adscribit, satis superque apparet. Scribit enim in Basilica sua Chymica, mihi pagina 269. *Vires sui emplastri Stictici innumeras esse, nec sub lunari globo reperiri efficacius.* Præstantissimum esse emplastrum Sticticum Crollii, uti & alia emplastra Stictica, quæ à Paracelso in Chyrurgia sua, à Felice item Wirtzio & aliis proponuntur, in controversiam non voco. Sed tantum hoc dico: sæpissimè quoque affectum, de quo hîc agitur, Ichorem videlicet acrem, hoc emplastro excitari. Non quòd emplastrum per se causa sit, sed quia sine ratione applicatur. Est enim certa, & firmissima regula, ut suo loco dicam, nullum esse remedium adeò generale, ut in omnibus morbis, omnibusque ægris, & per totum cursum morbi applicari possit. Sed aliud in principio morbi, aliud in augmento, aut Statu & delinatione applicandum esse. Quapropter dum

Chirurgi


Ca[p.] *Ar[tes] Ger[ma]nia ... Chir[urgia] vile[scit]* *Theo[ria] artis tem[pore] culpa ... Chir[urgia] ... exerce[nt]* *Emp[irica] ...* *Emp[lastri] stictici vires ... Crolli* *Empl[astrum] stictic[um] sæpe ca[usa] Ich[oris] acerr[imi]*

Cap. 9.

Chirurgi suo emplastro Stictico, ab initio vulnerum nervosarum partium, & ad finem usque curationis utuntur, gravissima symptomata excitant. Addam exemplum unum aut alterum. Aulicus quidã Illustrissimi Principis Iuliacensium, Clivensium, & Montensium &c. circa annum 1580. vulnus circa cubitum accepit, ubi axillaris vena, & nervi nonnulli abscissi fuerunt. Incidit in manus empirici, qui hoc solo emplastro (acriter tamen dissuadente Cosma Slotano, ejusdem Principis Medico Chirurgo primario, Præceptore meo plurimùm honorando) vulnus se feliciter curare posse, gloriabatur. Brevi quidem cicatrice obductum est vulnus, sed brachium mox intumuit ac doluit, tandemque exorta est febris, hinc affluxus & inflammatio nova, & collectum fuit pus in profundo vulneris, ex illo demum putrefactio. Exesâ & denuò apertâ venâ, tanta sequuta est hæmorrhagia, ut vulneratus interierit. Idem & in aliis advenisse observavi. Iuvenis quidam robustissimus prope Hildenam, in duello vulnus cultro ad dextram spinæ dorsi partem, circa quartam vertebram lumborum recepit. Incidit in manus barbitonsoris, qui cùm vulnus solo emplastro Stictico curare vellet, brevi ex vulnere satis lato facta est fistula angustissima, profunda, & summè dolorifica

Anno 1591. & biennio post acceptum vulnus, venit ad me Hildenam, ubi tunc Chirurgiam faciebam. Immisso Stylo exploratorio, in profundo vulneris corpus quoddam durum sese obtulit; cùm verò lateret, an pars esset cultri, an verò os ipsum, stylum exploratorium fabricandũ curavi, cujus cuspis fabricata est in forma torcularis. Instrumentum hoc ad fundum usque vulneris leniter immisso & circumducto, cùm illud corpori isti præduro infigere non possem, ægro audacter dixi, cultri cuspidem vulneri adhuc inhærere. Si enim pars vertebræ sese obtulisset Stylo exploratorio sine dubio torcular admisisset. Præparato corpore, tum optima victus ratione, tum purgationibus, & venæ sectione, dilatatâ fistulâ, spongiis præparatis, & radicibus gentianæ, aliisque convenientibus remediis, in ima ulceris parte cuspidem cultri inveni, cujus longitudinẽ & formam depictam lector in prima Centuria Observat. 62. videre poterit.

Delineatio Styli exploratorii, in forma torcularis fabricati, cujus beneficio exploramus, an ferrum, lignum, plumbum, aut ossa vulneri inhæreant, quæ omnia torcular excipit, præter ferrum.



De infelici successu emplastri Stictici aliam historiam, annotatione dignissimã, Lector videre poterit in tertia Centuria Obs. 24. de juvene quodam, qui gladio (non tamen districto) in sinistrã maxillam prope nasum graviter vulneratus fuit; adeoque ut illum ipsum gladium tanta vi faciei infixum, manubrio atque nodo in terram delapsis, sibi ipsimet ambabus manibus totisq; viribus tandem extrahere coactus fuerit. Quo facto & extracto, nullum planè vaginæ vinculum, sed nudum tantummodò gladii mucronem conspicere licuit. Hic quum Chirurgus, qui hoc vulnus solo emplastro nigro, sive fodicationis (Germanicè Stichpflaster) nullis injectis turundis, spatio sex septimanarum cicatrice obduxisset, sequutus est affectus longè gravissimus, qui ægrum in quartum usque annum mirum in modum excruciavit, uti lector prolixè videre poterit loco præallegato.

Cæterùm quum emplastra Stictica suum quoque usum habeant in praxi Chirurgica, maximarumque virium sint, si rectè & methodicè adhibita fuerint, visum fuit hic inserere ea; quæ post Paracelsum *Osvvaldus Crollius* de suo emplastro Stictico scriptum reliquit, simul & descriptionem suam, quæ mihi inter reliquas compositiones præstantior esse videtur. *In cujusvis,* inquit Crollius, *salutaris emplastri Stictici compositione, secundum Paracelsum, quatuor diversorum generum ingredientia consideranda veniunt.*

Quatuor diversorũ generum ingredientia Emplastri Stictici.

1. Sanatio, quæ fit ratione Ceræ & Colophoniæ. 2. Accidentia, quæ tolluntur & impediuntur beneficio gummatum, scilicet Opopon. Galb. Sagap. Bdell. Ammon. Elemi. 3. Putredo (quodlibet enim vulnus, etiam sine accidenti, putredini est obnoxium, generat vermes, & carnis malæ excrescentiam) quæ tollitur & præcavetur ope magnorum consolidativorum, Mastiche scilicet, Myrrha & similibus. 4. Vt præservet à mucore, scabie, aridura, contractura, Synovia, & similibus accidentibus, quod fit per mineralia, scilicet, lithargyrum, Minium, Antimonium, Cerussam, Marcasitam, Calaminarem, & similia.

Vulnerum Vlcerumq; telo inflictorum, Sticticum emplastrum præstantissimum.

Emplastri Stictici descriptio.

1. R. Minii
Calaminaris
Lithargyrii auri & argenti an ℥iij.
Ol. Lini.
Olivarum an ℔. i. ß.
Laurini ℔. ß.
Ceræ
Colophoniæ an ℔. i.
Vernicis
Terebinth an ℔. ß.
2. R. Opoponacis
Galbani
Serapini
Ammoniaci
Bdellii an ℥iij.
Carabe citrini

Oliban

Cap. 9.

Olibani
Myrrhæ Alexandrinæ
Aloe epaticæ
Utriusque Aristologiæ, longæ & rotundæ an ℥j.
Mumiæ Transmarinæ
Magnetis
Hæmatitis an ℥j. ſ.
Corallorum alborum & rubeorum
Matris perlarum
Sanguinis Draconis
Terræ Medicatæ Strigensis
Vitrioli albi an ℥j.
Flor. Antimonii ʒij.
Croci Martis tantundem
Camphoræ ℥j.

Modum parandi talem servavi.

Emplastri stictici præparandi modus. 1. Gummata quinque in aceto macerata & cocta exprimantur per linteum crassum, bis repetendo cocturam (dosis gummatum potest augeri, propter fæces ab expressione remanentes & abjiciendas) postea super lentum calorem in munda sartagine usque ad consistentiam mediocrem inspissentur.

2. 2. Oleum lini & olivarum imponatur alteri sartagini, & addatur lithargyrium auri & argenti, coquantur agitando, donec oleum coloretur, postea addatur Calaminaris, & paulò post Minium, Omnia illa agitando ferè per duas horas coquantur simul, ad sufficientiam, cujus proba est, si supra unguem gutta concrescat & condensetur, necamplius diffluat.

3. 3. Tandem etiam addatur circa finem vernix, oleum laurinum, Cera, Colophonia, omnibus benè invicem mistis & liquefactis, & ab igne sepositis, postea da operam, ut sartago cum gummatibus paulatim calefiat, & successivè affunde liquorem è secunda sartagine, gummatibus diligentissima agitatione incorporando supra lentissimum calorem (cave ne bulliat, alioquin gummata in grumos coeunt, & oleo difficulter miscentur) postea agitando addantur pulveres, & diligenter per horam omnia agitentur. Ultimò, Camphora resoluta in oleo juniperino addatur; Si fortè nimis durum esset, addatur adhuc aliquid Ceræ & Colophoniæ.

Decoctionis proba. Proba justæ decoctionis hæc est; bacillo intincto guttulas aliquot in aquam stillare sinito, si digitis adhæserit materia mollis, coquatur diutius, donec durescat. Tum demum ab igne deponatur, & in magnam pelvim aquâ plenam infundatur, ac manibus (Oleo Camomelino, Rosarũ, juniperino, lumbricorum, Hypericonis ana q. sufficit, mixto) perunctis pinsere, ac instar malagmatis subigere convenit, horis tribus vel quatuor, servetur ad usum, efformatis inde prius magdaleonibus alutæ includendis.

Vires hujus emplastri, inquit Crollius, sunt innumeræ, sub Lunari globo non reperitur efficacius.

Innumeræ secundum Crollium Emplastri Stictici vires. 1. Contra inveterata ulcera, nec non recentia vulnera, & ictus, ubicunque sunt in corpore, etiam in capite.

2. Siccat & mundificat vulnera, carnem bonam producit, consolidat, ac sanat unâ septimana efficacius, quàm aliud mense integro.

3. Putrescere non sinit bonum, insuper corruptionem, malæque carnis excrescentiam impedit.

4. Nervis truncatis aut contusis optimum est remedium.

5. Ferrum, lignum, plumbum, & alia quæq; de vulneribus extrahit, superpositum eis tãtùm.

6. Venenosorum animalium curat morsus ictusq; attrahit enim venenum.

7. Maturescere facit apostemata cuncta, superpositione sola.

8. Contra cancrum, fistulam, scrophulas, ignem persicum, est remedium excellens.

9. Mitigat omnes dolores cujuscunq; vulneris, aut ictus.

10. Contra rupturam.

11. Vbi caput inflatum est, radantur capilli, & imponatur emplastrum.

12. Dolores dorsi, impositione tollit.

13. Ficus cutis extra & intra sanat imponendo.

Mira ... bonitas efficacia hujus emplastri. Vires suas servat integras annos quinquaginta, quo tempore æquè efficax est ac recẽs compositum. Eadem ferè verba habet Paracelsus in fragmentis de morbo Gallico, mihi pag. 673. Atque hæc sunt quæ Osvvaldus Crollius de suo emplastro Stictico scripta reliquit. Paracelsus & alii, sua non minus ad cœlum usque extollunt. Sed quia nudo, hoc est, solo emplastro ista omnia adscribunt, & universalia negligunt, caveant sibi tyrones, ne splendidissimis istis encommiis, & laudibus hujus emplastri seducantur. *Admonitio.* Si enim tantis virtutibus præditum esset hoc emplastrũ, tunc ars Chirurgica non amplius esset ars, imò unusquisq; idiota, etiam subulcus hoc emplastro instructus, optimus esset Chirurgus. Olim impudentissimus *Thessalus*, ut refert Galenus, Method. medendi lib. 1. se totam artem medicam sex tantùm mensium curriculo traditurum pollicebatur, citra ullam aliarum artium institutionem. *Comparatio doctrinæ Thessali cum ... dicuntur ... Empiricis.* At si illa omnia, quæ huic emplastro adscribuntur, vera essent, non menses sex, imò ne quidem dies sex, ad discendam artem Chirurgicam requirerentur; sed quemadmodum doctrina Thessali olim in pernicem humani generis cessit, ita fit & hodie cum hujusmodi medicamentis empiricis, & præter rationem adhibitis; dum enim horum medicamentorum facilitate alliciuntur barbitõsores, Theoriæ artem respuunt, negliguntque. *Gravissimi errores ... medicamentis empiricis.* At cum nullus commodè curare potest, nisi prius naturam corporis universi perspexerit, ut docet Galenus loco præallegato, mirum non est, si hi, qui nudis istis medicamentis empiricis procedunt, gravissimos committant errores.

Porrò omissis reliquis proprietatibus hujus emplastri, videamus, an in vulneribus articulorum, nervisque truncatis & confusis, optimum & securum sit remedium? Ubi illa omnia, quæ in præcedentibus, de Balsamis, & decoctis traumaticis sive vulneratiis, in medium adduximus, in memoriam revocanda sunt. *Circa curationem vulnerum ac internarum partium morbos quatuor ...* Nimirum circa curationem vulnerum, non minus ac circa internarum partium morbos, quatuor consideranda esse tempora. Diximus præterea, in augmento vulnera affluxui humorum, & inde nascentibus inflammationibus, maximè obnoxia esse. Etenim

nim in incipientibus inflammationibus, referente Galeno libro de venæ sectione, avertere, quod influit, expedit: idque ut alibi docet Galenus, commodè astringentibus & refrigerantibus fieri posse, omnibus in confesso est. Sed videamus nunc, an gummata illa, Opoponax videlicet, Galbanum, Sagapenum, Bdellium, & Ammoniacum, illam habeant facultatem, ut affluentes humores, qui omnium symptomatum causæ sũt, repellere, partemque affectam ab accidentibus, ut Crollius, & alii volunt, vindicare possint? Id verò ut commodè fiat, ea quæ Dioscorides & alii de ipsorum facultatibus scripta nobis reliquerũt, ordine perpendemus.

Opoponax, inquit Galenus, de simplicium medicam. facult. lib. 8. tum mollit, tum digerit. At calefacit quidem in tertio ordine, in secundo autem siccat.

Galbanum, docente Dioscoride lib. 3. cap. 81. excalefacit, urit, extrahit, discutit, menses ac partus trahit, appositu vel suffitu. Galenus Galbanum ordine tertio incipiente, aut secundo cõpleto excalefacere, siccare verò secundo ordine incipiente testatur, de simp. med. facultatibus l. 8.

Serapinum Officinis, sive Sagapenum, ut Dioscorides lib. 3. cap. 79. ferulaciæ herbæ succus est, quæ in Media nascitur, gustu acri. Calidum & tenuium esse partium, Galenus quoque de simplic. Med. facult. lib. 8. testatur.

Ammoniacum tantam vim calefaciendi & attrahendi habet, ut etiam partus extrahat, testatur Dioscorides lib. 3. cap. 82.

Bdellium Lachryma est Saracenicæ arboris, calefacit & emollit, partum quoque extrahit, Dioscorides lib. 1. cap. 69.

Cum itaque prædicta gummata sint calida, & ut jam jam demonstravimus, facultate attrahendi prædita, tantum abest, ut in principio & augmento applicata, partem læsam ab accidentibus vindicare possint, ut potius partem affectam excalefaciendo, & humores copiosè attrahendo, symptomata omnia vehementiora & periculosiora efficiant. Hæc evidenter testatur lumen illud Chirurgiæ, Ioh. de Vigo, cùm emplastrum oxicroceum in fracturis ossium rejicit, illudque propter accidentia, quæ excitare solet, Diabolicum appellat, *Sunt enim*, inquit, *aliqua ingredientia, quæ virtutem habent attrahendi materiam ad locum, cum mollificatione non parva, veluti sunt Ammoniacum & Galbanum* Hæc Vigo. Sunt & alia ingredientia hujus emplastri, quæ ipsius facultatem calefaciendi adaugent, Therebintina nimirum, ol. Laurinum, lini, colophonia &c. Ex quibus perspicuum fit, emplastrum hoc ab initio, & in augmento, è diametro contrarium esse in articulorum vulneribus, quæ quia propter exquisitissimum sensum partis læsæ, doloribus & affluxui humorum maximè obnoxia, potius anodyna requirunt.

Inprimis autem, ad evitanda symptomata, vulnera ab initio digerenda esse, antea ostensum fuit. Digestio autem & suppuratio non calidis & siccis, veluti gummata prædicta, aut frigidis & siccis, uti minium, lapis calaminaris, lithargyrium, sanguis draconis, terra strigentis, & quædam alia, sed calidis & humidis perficitur. Ceram quidem & oleum olivarum, lini, & Therebinthinem, vim digerendi, & pus movendi habere scio, sed eorum vis à reliquis ingredientibus, videlicet calidis & siccis, simul & frigidis & siccis, obtunditur. Alius præterea committitur error circa vulnera, cujus erroris autor fuit Paracelsus, & ipsius sectatores, inprimis Felix wirtz, dum usum turundarum in vulneribus rejiciunt, non sine maximo damno ægrotum. Vulnus enim nisi turundis munitum fuerit, contrahuntur ipsius labia (membranosa enim omnia facilè, & naturaliter quidem, contrahuntur) gravissimaque symptomata inde sequuntur. Pus enim in profundo vulneris colligitur, incalescit, putrescit, ac inflammationes, apostemata, spasmum, gangrænas, aliaque ulcera insanabilia excitat. De quibus lector exempla & observationes singulares, in quarta Centuria observationum nostrarum 66. videre poterit. Hæc verò omnia facilè evitabit rationalis Chirurgus, si turundis aut filamentis contortis, secundum vulneris conditionem, apertum illud conservaverit. Ex his omnibus manifestum fit, emplastrum hoc ab initio & augmento applicatum, symptoma, hydropem videlicet articulorum, provocare posse. Circa finem verò status, uti quoque in declinatione, remissis symptomatibus omnibus, præstantissimum esse medicamentum reor. Partem enim affectã ex vulnere labefactatam corroborat, & si quid humoris præter naturam, aut durities aliqua in ipsa remanserit, emollit, resolvit, carnis generationem promovet, tandemq; cicatricem inducit.

Cap. 9. & 10.

De turundis. Prælectionum Chirurg. c. 9. mihi pag. 470. & 564.

Effectus emplastri Stictici.

Quando symptomatũ causa, quando eorundem medicamentum, Emplastrũ Sticticum.

Cap. X.

De Unguento armario, ejusdemque authore, & quomodo Ichorem & Meliceriam procreet?

Huc usq; de abusu & vero usu decocti traumatici, de Balsamis item naturalib⁹ & artificialib⁹, uti quoq; de emplastro Stictico, quantũ ad institutum nostrum necesse esse videbatur, egimus, ubi quoque demonstratum fuit, errores & symptomata, quæ ex usu prædictorum medicamentorũ sequuntur, illa non medicamentis, quæ suâ naturâ optima sunt, sed ignorantiæ potius & inscitiæ Chirurgi adscribenda esse. Sequitur nunc de unguento Armario, quod & stellatum, & sympatheticum, Germanicè Waffensalb vocant. Plerunque enim non solùm affectum, de quo in hoc libro agitur, verùm etiam alia quàm plurima symptomata gravissima excitat, optimamque valetudinem corporis destruit, Conscientiæ quin etiam maculam inurit. Hæc autem ut rectè intelligantur, ejus inventorem & propagatores eorundem, item compositiones & usum, ordine & paucis hîc inseram.

Inventorem hujus unguenti esse Diabolum, testantur viri Doctissimi, in primis *Petrus Holtzemius*, Medicus doctissimus, & in Academia Coloniensi Professor Celeberrimus, libro

Transgressio.

Vnguentũ Armarium.

Vnguenti Armarii author Diabolus.

de

Cap. 10. de essentia Ellebori Extracta Capite 2. *Iohannes Georgius Godelmannus*, de Sagis & Veneficis lib. 1. cap. 8. *Ioh. quoq; Robertus*, in eis, quæ de hoc unguento contra Goclenium scripsit, diversis in locis, præsertim sectione undecima, id manifestè ostendit.

In officina porrò Diaboli unguentum hoc pestiferum nocumentum, non medicamentum, cusum, ex scripto Empirici cujusdam, Germanorum celeberrimi, liquidum est, qui de hujus unguenti compositione, usu, atque præstantia scribens, insaniâ & impietate summâ ductus, docere non erubescit, quomodo quis unguento hoc adhibito, ægrum suum possit tormentis, doloribus, ac cruciatibus, lacerare, & eundem ab iisdem liberare vicissim. O hominis inaudita impietas! ô sæva inhumanitas! Diaboli autem instinctu à Paracelso superiori seculo introductum fuisse, nemo negare potest. Quod & ipsemet in libro quodam de Podagra fatetur, his verbis. *Hoc verum est*, inquit, *Multæ sunt in Medicina artes, quæ à Diabolo, & spiritibus patefactæ sunt. Vides*, addit Erastus, *quem habeat suæ Medicinæ authorem?* Vox auditu impia, quæ & sacro S. Scripturæ è directo repugnat. *Omne enim munus bonum, & omne donum perfectum*, inquit Divus Iacobus, *supernè est, descendens à Patre luminum.* Diabolum quoque aliquando per præstigiatores & incātatores, homines & bestias sanare videmus. Fit hoc permittente Deo, *Alioquin* (Libavii verbis, libro de Impostor. vulnerum, per unguentū armarium curatione, utor) *qui malus est, & malorum effectuum causa, aliquid boni per se produceret?* Si quem curat, ad confirmandam de se opinionem curat, id profectò longè pejus est, sublato enim corporis vulnere, animæ inuritur morbus gravissimus, & plerumque extremum interitum afferens. Morbum autem levem, graviore inducto curare, bonum esse nequit.

Diaboli instinctu Paracelsus primus unguenti armarii author.

Diabolus, sed nō nisi Deo permittēte, aliquando homines & bestias sanat.

Cæterùm cum virtus eorum, quæ cultro, telo, aut alio aliquo instrumento, quod sauciavit, insperguntur, aut applicantur, naturaliter ad vulnus pervenire non possit, cum inter agens & patiens mutuus contactus requiratur. Et proinde neque vulnus curare, multò minùs dilacerare, aut ægrum doloribus excruciare possint, necesse est, id arte & industria Diaboli fieri, qui cum artifex sit longè astutissimus acutissimusq;, & jam à primis seculis exercitatissimus, id perficere difficile sibi non est, ubi apud doctos & fide dignos viros exemplum notatu dignissimum habemus, quod quia ad institutum nostrum magnoperè facere video, hîc annectendum duxi. Sic enim Godelmannus post Hectorem Boetium & Cardanum de Duffo Scotorum Rege. *Duffus Scotorum Rex novo affligebatur genere morbi, ita ut quotidie sub primam vigiliam, lecto decumbens, insignes cruciatus per universum corpus sentiret, & in sudorem resolveretur, vigilq; totam noctē anxius peragebat, sine ullo aliquo signo, vel febris vel vitiosorum humorum; Interdiu vero à sudore liber quiescebat, & ita sensim quasi tabe consumebatur; plurimis quidem à variis Medicis exhibitis remediis, nihil prorsus juvabatur, tandem populari rumore, incerto tamen authore, increbuit. Regem in Moravia, Regione Scotiæ apud Forres, à Veneficis mulierculis ita torqueri & cruciari. Distabant autem Forres quinquaginta miliaribus à regia sede. Hæc cum ad Regis aures pervenissent, misit Rex clancularios exploratores, si quæ mulierculæ veneficis aut incantationibus essent suspectæ, quæ ubi ex diligenti inquisitione præfecti Ferrorum essent exploratæ, noctu circumdatis ædibus cujusdam vetulæ, fores eruperūt, ac vetulam cum meretricula filia ad ignem sedentes, & ceream imaginem Regis Duffi veru circumligatam, ac ad ignem circumvolventes invenerunt, ac comprehenderunt. Altero die tortura subjectæ mulierculæ, confessæ sunt, Regis mortem, nisi fuissent raptæ, paucos post dies, sensim torrendo ejus imaginem, continuò subsequuturam fuisse. Vt enim imago ejus certis carminibus admurmurata, ab igne quotidie liquefieret, ita ipsum Regem quotidie tabe consumptum fuisse. Exustis his veneficis, unà cum cerea, imagine Regis, protinus Rex pristinæ sanitati restitutus est.* Hactenus Boetius. Si cerea imagine, quæ prorsus nihil commune cum Rege habuit, arte diabolicâ hîc affectus sequutus, quantò magis id fit cultro, aut instrumento, quo vulnus inflictum. Cum vulnere enim consortii aliquid habet, cum sanguine id aut ichore, ex vulnere profluente, illinitum maculatumque sit. Verùm detestanda impietas est, docere, quomodo æger sit torquendus & doloribus afficiendus, cum Medici boni officium sit, ægrum à dolore levare, non excruciare. Vulnus sanare, non novis symptomatibus dilacerare. Dolorem enim vulneri supervenientem, omnium gravissimum esse symptoma, & Ichoris causam primā, jam sæpius ostensum est, itaque mirum non est, si superstitiosam hancce magneticam curationem plerumque sequatur, ut postea fusius. Hæc de inventore ac præcipuo authore unguenti armarii, quod postea industriâ Paracelsi primò propagatum & à superstitiosis hominibus Diaboli instinctu arreptum. Ante Paracelsum enim unguentum hoc inventum non fuisse, ostendit *Iohannes Robertus* in libro suo de Ungu. Armario contra Goclenium sectione 8. & sect. 11. Post. Paracelsum *Osvvaldus Crollius*, *Iohannes Ernestus*, *Burggravius*, & nonnulli alii, miris modis hoc extulerunt. Variæ hujus unguenti apud authores descriptiones. Paracelsus Tom. 2. in Archidoxis Magicis, libro primo, mihi pagina 549. hanc posteritati reliquit.

Inter agēs & patiens mutuus cōtactus requiritur.

Mira Godelmanni de Duffo Scotorum Rege historia.

R. Musci cranii humani ℥ij.
Mumiæ ℥ß.
Pinguedinis humanæ ℥ij.
Sanguinis humani ℥ß.
Ol. lini ʒij.
Ol. rosarum. ℥j.
Boli Armeni ℥j.
Misceantur in Mortario, & agitentur tam diu, donec redigantur in unguentum.

Eadem pagina aliam habet descriptionem, ubi præcedenti compositioni addit Mellis ℥j.
Sævi bovis ℥j.

Rudol.

Rudol. Goclenius hujus Curationis Magneticæ hanc habet descriptionem.

R. Usneæ concretæ in calvaria furis suspensi, & in aëre derelicti.
Mumiæ veræ,
Sanguinis humani adhuc calentis singulorum unciam unam
Adipis humani uncias duas
Ol. lini.
Terebinthin,
Boli Armeni sing. ℥ ij.
Misceantur omnia simul in mortario, serventurque in vitro, vel urna oblonga & angusta.
Alii, addit, recipiunt usneam abrasam à cranio hominis, violenta morte perempti, duarum avellanarum pondere.
Adipis verris aprugni,
Ursini sing. Uncias vj.
Lumbricorum terrestrium ex vino lotorum, inque pistoris fornace olla tecta terrefactorum (non adustorum) uncias iij. horum in pulverem redactorum unciæ uni adjiciunt.
Cerebri aprugni siccati.

Santali rubri odorati, Mumiæ, & hæmatitis, singulorum unciam j. omnibusque mixtis cum adipe faciunt unguentum. *Hæc*, inquit, *descriptio optima esset, si succo & nervis, hoc est sanguine & adipe humano (in quibus maximè dominatur spiritus ille vitalis, vegetabilis, & balsamicus) non careret. Itaq; in vera hujus unguenti compositione, sanguis & adeps humanus non sunt omittenda, quo etiam modo confectū apud me quovis ut tempore possit haberi (quoniam Chirurgi sæpe vel non sunt præsentes, vel etiam à vulneratis remotiores) nunc operam quantum possum impendo.* Conficiendum autem est, *inquit Goclenius, sole existente in libra, Usnea verò colligetur cum Luna crescente, inq; Veneris existente Domo, si fieri potest, non Martis aut Saturni. Si in Veneris domo locum habere luna non potest, diligenter attende, ut poßit abradi usnea, luna versante in piscibus, hoc enim signum est omnium convenientissimum. Propter Iovis domicilium, & Veneris exaltationem, proximum huic est taurus & libra.* Hactenus Goclenius.

Hæ, quantumvis sufficere possent, descriptiones & compositiones unguenti armarii. Quia tamen *Crollius* maximus habetur patronus Magneticæ hujus curationis, ejus descriptionem, quæ in sua basilica chymica, mihi pag. 278. exstat, quoq; hîc apponam.

R. Adipis Verris aprugni
Vrsini ana lotones octo.

Quo seniora animalia, eo melior adeps. Vtriusque animalis adeps prius in vino rubro per dimidiam horam lento igne bulliat, postea effunditur super aquam frigidam & cochleari colligitur pinguedo innatans, quicquid fundum petit, abjiciatur.

Postea recipe lumbricorum ex vino vel aqua lotorum sextarios duos, torrefiant in olla tecta in fornace pistoris, cavendum tamen, ne adurantur, postea terantur in pulverem.

R. hujus pulveris,
Cerebri Aprugni siccati.
Sandali rubri odoriferi,
Mumiæ
Hœmatitis ana unciam unam

Demum accipe usneæ è Cranio hominis, violenta morte perempti, abrasæ, lunâ crescente, & in bona domo existente, Veneris, si fieri poßit, non Martis aut Saturni, ad pondus duarum avellanarum circiter. Ex omnibus tritis & invicem mixtis, cum adipe secundum artem unguentum fiat, in vitro clauso, vel pixide, diligenter ad suos usus reservandum.

Si forsan temporis successu unguentum exsiccaretur, dicto adipe vel melle virgineo humectari & emolliri de novo poterit. Paretur unguentum sole in libra existente; Hæc Crollius. Proprias quoque suas descriptiones & deliramenta habet *Iohannes Colerus* lib. 18. cap. 154.

De viribus ac usu hujus unguenti *Goclenius, Crollius* & alii, hæc habent, *sanantur* inquit Goclenius, *hoc unguento sic confecto, omnia vulnera, quæ ferro, ictu, vel jactu infliguntur. Excipiuntur tamen illa vulnera quæ fiunt in arteriis, & uno è membris principalioribus, ut corde, cerebro &c. Modò telum aut instrumentum, quod sauciavit, haberi poßit, etiamsi patiens multis miliaribus à nobis absit.*

Usum hujus unguenti docent *Goclenius, Crollius*, & alii, his verbis: *Immergendum ferrum seu telum est, quod sauciavit (vel in hujus defectu lignum, seu ramus salignus in apertura cruenta madefactus) in unguentum, & ita relinquendum: æger quotidiè suâ urinâ vel purâ aquâ vulnus eluat, deligatq; mundo panno lineo, semper pus extergendo, vulnusq; aurora mundificando, & absq; ullo dolore sanabitur. Hoc Maximilianum Imp. comprobasse, in confesso est. Si instrumentum, quo vulnus inflictum est, haberi nequit, aliud ducatur per vulnus, & loco veriteli id innunge utroq; latere, reponatur loco mundo & temperato. Si enim aëri vel frigori nimio exponatur, excitabitur dolor. Attendendum est etiam, cœsim ne an punctim factum sit vulnus. In punctura enim telum inungendum est à cuspide Capulam versus, in Cæsura ab acie versus tergum. Meminisse præterea oportet obligare tela. Si non apparet quam altè sint infixa, tota sunt inungenda, sin apparet, pars illa tantùm, quæ fuit in vulnere. Citò sanaturus sæpè illinc (presertim verò si vulnus est magnum & profundum) si maturatione opus non est, neceßitasq; non urget, intermitti quidam dies poterunt, imo sufficit, si senis diebus id fiat bis, vel ad summum ter, semper tamen vulnus mane abluendo, extergendo, iterumq; deligando.* Hactenus Goclenius. Crollius & nonnulli alii eisdem ferè utuntur verbis: quæ quidem prolixè, & ut apud ipsum leguntur, ad scribere volui, non in eum finem, ut Chirurgos in Magica atque superstitiosa curatione erudire aut instruere, meus animus sit, atque intentio mea, quin potius ut cognoscant, à Diabolo esse inventam & ab hominibus superstitionibus addictis, propagatam, & proinde homini Christiano nullo modo licitam. Præterquam enim quod conscientiam piam ac Christianam offendit læditque, cum neglectis naturalibus, & à multis seculis approbatis remediis, ad superna-

Cap. 10. *Alia hujus a uthoris descriptio.*

Iohannes Colerus de unguento armario l. 18 c. 154.

Quæ vulnera unguēto armario sanantur, quæ non.

Vsus hujus unguenti ex Goclenio, Crollio, & aliis.

Instrumēto, quo vulnus inflictum, deficiēte, quomodo hoc curandū. Quid in punctura quid in cæsura observandū.

Cap. 10.

turalia & superstitiosa transeamus, etiam periculo non vacat, quicquid dicant *Goclenius*, *Crollius* & alii, uti sequens Exemplum observatione dignissimum fidem facit. Genere & virtute nobilissima matrona, ANNA SIDONIA BREMSERINA de Rödesheim, Nobilissimi ac Strenui Viri Dn. HERMANNI à CRONBERG conjunx, cum Anno 1613. feliciter peperisset, nescio quonam infortunio factum, quod decima die post partum, vulnus ad latus papillæ acceperit. Vulnus etsi non usque adeò profundum esset, sanguis tamen copiosè effluxit. Tentarunt quidam sanguinis fluxum beneficio unguenti armarii cohibere, sed frustrà. A Chirurgo itaque restricto sanguine, non vulnus, sed cultrum, quo inflictum fuerat, summâ diligentiâ curabant & tractabant cotitidie; cito quidem & sine dolore ferè curatum fuit vulnus, verùm vix inducta cicatrice, obtuso in profundo oborto dolore, febre cum rigore, aliisque symptomatibus correpta fuit, & mamma cum tanto dolore intumuit, ut dies noctesque ejulare coacta esset ægra. Tandem 19. Aprilis 1613. cùm ego Wormatiâ (ubi tunc ad Generosum ac strenuum virum, Dominum Eberhardum Kemerer von Wormbs/genandt von Dalberg/vocatus fueram) ad ipsam Oppenhemium accersitus essem, in maximis angustiis ipsam inveni. Mamma enim supra modum tumefacta & indurata fuit. Dolor maximus & pungitivus, & febris ardentissima, nausea, eructationes, & Lipothymiæ aderant, cicatrix tamen præcedentis vulneris vix apparebat. Circa papillam livida erat cutis, ita tamen mollis, ut fluctuatio puris facilè deprehendi posset, quapropter suasi, ut incideretur vomica, id cum à me factum esset, dolor reliquaque symptomata remiserunt, pristinæq; sanitati restituta fuit, & per multos annos supervixit. Integram historiam vide Centur. 3. Observat. 25.

Observat. singularis de nobilissima matrona, quæ nō unguēto armario, quo prius usa, sed licitis postea medijs sanata fuit.

Frustrà sāguinis fluxū unguēto armario cohibere, tentatum.

Symptomata ex imperita curatione.

Objectio.

Sed objiciet aliquis, quidnam in causa fuerit, cur matrona hæcce curata non fuerit, cum tamen multi alii ex eadem pixide, & ab eodem vulnerario præstigioso curati fuerant? Causa in promptu est. Erat matrona illa pia, fidelis & superstitionibus minimè addicta, ideoque fidem, quæ unà cum fortissima imaginatione in hujusmodi & similibus curationibus (ut multis in locis testatur Paracelsus) requiritur, non habebat: hinc Diabolus, qui potens est in infidelibus, in illa operari, curationemque absolvere nō potuit. Contractis itaque & conglutinatis labiis vulneris, pus, quod evacuandum erat, in profundo vulneris collectum fuit.

Vnguenti armarii usus periculosus.

Intentiones quæ à medico in vulnerum curatione requiruntur.

Ex hac historia patet, quàm periculosus sit usus hujus unguenti, quomodo autem hydrarthros sive hydrops articulorum ex ipsius usu consequi possit, paucis dicam. In curatione vulnerum diversas intentiones ut habeat Medicus, necesse est, videlicet. 1. Ut fluxus sanguinis sistatur, 2. ut affluxus humorum & inflammatio arceantur, & dolor evitetur. 3. ut labia vulneris, si magnoperè inter se disjuncta fuerint, ad mutuū contactum deducantur, relicto tamen foramine, per quod pus commodè evacuari possit. 4. ut vulnus, si profundum simul & angustum fuerit, apertum retineatur, usque dum satis digestum, & à pure mundificatum sit. 5. ut pus bonum generetur. 6. ut malignitas vel venenum, si quod vulneri simul illatum, uti fit in morsuris & ictibus bestiarum, extrahatur. 7. ut caro restituatur & generetur. 8. ut vulnus cicatrice obducatur.

Porrò ut uno eodemque medicamento omnibus istis intentionibus satisfacere possit Medicus, absurdum & ridiculosum est dicere; Ad sanguinis enim fluxum cohibendum frigida & sicca requiruntur. Talia quidem sunt usnea, hæmatitis, bolus Armenus, & santalum, verùm hæc qualitates suas in mixtione amittere, doctè ac evidenter ostēdit *Ioannes Matthæus* Quæstione 29. Id quoque verissimum esse, prædicta matrona experta fuit, ut ex præcedentibus videre licet. Affluxus præterea humorum ut impediatur, quæ restringunt & repellunt, vulneri sunt applicanda, quæque frigida, ut portulcca, sempervivum, lactuca, albumen ovi, acetum, bolus Armenus, terra sigillata, rosæ, & alia quamplurima. Tertia porrò & quarta intentio manum Chirurgi experti requirunt. Id verò quia in nobilissima illa matrona neglectum, vulnus protinus clausum, iterumque pus in profundo collectum fuit, inde dolor ille gravissimus, reliquaque sympromata. Quòd si in articulo aliquo extitisset vulnus, procul dubio hydrarthros sequutus fuisset. Quintò, ut vulnus digeratur, & pus optimum generetur, sua quoque requirit medicamenta particularia, ea autem modicè sint calida & humida, veluti, cera, colophonia, therebinthina, crocus, oleum Amygdalarum dulcium, vitellum ovi, & ejus oleum, de quibus suo loco plura; Sextæ indicationi ut satisfiat, ea quæ virus potenter extrahūt, & vulneris labia hiantia servāt, applicanda sunt, ubi cepæ, allium, sal, dictamnus, ruta, Theriaca, Methridatium, radices gentianæ, Angelicæ, & hujusmodi conveniunt. Septimò, ut caro restituatur & generetur, danda est opera, idque fit sarcoticis, hoc est quæ modicè detergunt & siccant, uti sunt Aloes, Thus & Aristologia rotunda, ex quibus cum cera, therebinthina, & gummi Elemi, fit unguentum præstantissimum, addito parum olei rosacei. Octava & ultima intentio est, ut cicatrix inducatur, fitque eis, quæ refrigerant & siccant, ut galla immatura, Tutia, Alumen ustum, lapis calaminaris, cerussa, & hujusmodi. Hæc sunt, quæ rationales Medici in curatione vulnerum observant: idque maximo cum fructu ægri. Qui verò aliter faciunt, & prædictis intentionibus omnibus spretis, hocce unico unguento Armario satisfacere putant, ægrum in maximum periculum adducunt, propter ingentia symptomata, quæ empiricam hancce curationem ut plurimùm sequuntur, præsertim in vulneribus magnis, profundis, angustis, & quæ circa articulos sunt. Ludibrio præterea piis & bonis sese exponit Medicus, qui neglectis medicamentis, à Deo hominibus concessis, & à majoribus nostris longo usu comprobatis, & ad præstigiosa

Cap [cut off]

Frig... sicca... sang... flux... hibe... apta. [cut off]

Terti... quar... tent... requ... [cut off]

Med... mēt... ticu... ad v... diger... [cut off]

Ad v... nū t... hend... facie... [cut off]

Ad ca... restit... nem... bēda... modi... tergu... siccan... [cut off]

Refri... rante... siccan... ad ci... tricē... ducen... apta. [cut off]

stigiosa à Diabolo inventa & introducta confugit.

Sed objiciet aliquis, jam olim experientia & exemplis comprobatum, multa vulnera, tam in brutis quam in hominibus, hoc unguento sanata fuisse; Nihil horum inficior, multa vulnera, præsertim in corporibus sanis, optimoq; succo præditis, & in partibus musculosis existentibus, per se, & sine medicamento, si quotidie, ut jubet *Goclenius*, pus panno mundo abstergatur, persanantur. Diabolus autem, ut astutissimus & fraudulentissimus, per suos vulnerarios semper dolo malo agit. Quotidie enim vulnus, ut docet *Goclenius*, vel urina ægri, vel aquâ purâ abluunt, mundoque panno lineo pus abstergunt, deligantque. Porrò urinam extergendi, mundificandi, & consolidandi vim obtinere, præter experientiam testantur *Galenus lib. 10. de simplic. Medicam. facultatibus.* Ubi inter cætera hæc quoque habet. *Nonnulli*, inquit, *Medici, eâ, videlicet urinâ, psoras & lepras detergunt, perfunduntque ulcera præhumida & sordida: multoque magis computrescentia.* Aqua præterea, propter facultatem suam frigidam, cum in nonnullis vulneratis affluentes humores repellere, vulnusq; à pravis symptomatibus vindicare sufficiens sit, ac vindicat, natura per se vulnus consolidat: hæc de unguento armario. Plura qui cupit, legat tractatum Clarissimi & Doctissimi Viri Dn. Andr. Libavii, de Impostoria vulnerum per unguentum armarium sanatione.

Cap. XI.

De dolore, & quibusnam præsidiis sit tollendus; ubi de anodynis in genere; & quibus facultatibus ea prædita esse debeant, agitur.

Dolorem, qui vulneratis articulis supervenit, præcipuâ esse causam Ichoris & Meliceriæ acris, antea persæpe demonstratum fuit; quapropter quàm citissimè tollendus & sedandus est; sic enim ablata causa tollitur quoque effectus ipse. Variis autem præsidiis sedatur dolor, quæ aut interna sunt, aut externa & topica. Internis veluti eis, quæ humores ad partem læsam fluentes per alias vias evacuant, & à membro læso avertant, sive id per alvum, aut per vomitum, sudorem, vel vias urinarias, aut alia loca convenientia, fiat, uti sunt venæ sectio, scarificatio, sanguisugæ. Sedatur præterea dolor per ea, quæ acrimoniam humoris peccantis ex corpore ad locum affectum fluentis temperant atque refrenant. Deinde etiam quæ vires à dolore prostratas instaurant. Nisi enim vires adfuerint, parum aut nihil efficient medicamenta, etiamsi ex arte præscripta & adhibita fuerint. Sunt enim vires, quæ medicamentum ex potentia in actum convertunt. Hæc tamen, propriè loquendo, verè anodyna non sunt, testante Galeno de simpl. medicamentor. facult. lib. 5. cap. 18. quandoquidem universalia sunt, & in omnibus morbis particularibus externarum partium, à Medicis & Chirurgis rationalibus topicis præmittuntur.

Cap. 11. De Externis medicamentis dolorem lenientibus.

Externa remedia, dolorem lenientia, duplicia sunt: alia enim verè sunt anodyna, alia impropriè ita dicuntur. Sunt illa, referente Galeno, loco præallegato, quæ suo ingente frigore partem stupefaciunt, ipsiusque sensum imminuunt, veluti papaver, Solanum, Mandragora, Hyosciamus. Opium, ex quibus unguenta, olea, cataplasmata, & hujusmodi præparantur, de quibus institutum nostrum non est, hoc loco agere. Monitos tamen velim esse tyrones, ut sibi caveant, ne hujusmodi medicamentis narcoticis, facilè, & nonnisi maxima urgente necessitate utantur: quandoquidem summa eorum frigiditate calorem nativum mirum in modum debilitant.

Verè anodyna quibus facultatibus prædita esse debeant.

Vera anodyna, ut docent Galenus, Avicenna, & alii, temperatè calida & humida ut sint, necesse est. Sic enim habet Galenus de simplic. Medicam. facultatibus lib. 5. cap. 18. *Quæ itaq;* inquit, *reverà sunt anodyna, partium sunt tenuium, & calidiora quam symmetra sunt, est necesse, ut scilicet evacuent, digerant, rarefaciant, extenuent, concoquant, & æquabile reddant, quicquid partibus doloris est causa. Quare nihil prorsus astrictionis habeant oportet. Astringentia siquidem*, ut alibi docet Galenus, *& contrahunt, constipantq;, & condensant substantiam nostram*, hæc Galenus. Debent itaque anodyna esse calida, propterea quod calor temperatus naturæ nostræ familiarissimus, & calorem nostrum innatum similitudine quadam fovet, & demulcet. Humida præterea ut sint, necesse est, ut partes propter inflammationem aut affluxum humorum extensæ, relaxentur, denique ut facultas medicamenti altius penetrare, & ad nervos pervenire possit. Varia autem anodyna ab authoribus ponuntur, Ego sequentibus in meliceria maximo cum fructu utor, ex quibus diversa conficio medicamenta, uti lector postea capite de Curatione videbit.

Anodyna ut & calida & humida sint necesse est.

Rad. Altheæ, liliorum alborum
Malvæ
Herb. Altheæ, Betonicæ, Origani, Calaminthi.
Malvæ
Anethi folior. violarum.
Flor. Chamomillæ, betonicæ, primulæ veris, salviæ
Meliloti, croci.
Sambuci
Rosæ.
Sem. Lini
Fænigræci
Anethi
Cydoniorum
Sem. Meliloti
Ol. Liliorum alborum
Anethi, chamomillæ
Lumbricorum
De vitellis ovorum, Vitellum item ovi,
Croci, Rosarum.
Oleum ex floribus Slotani. Oleum de Ranis.
Ping. Humana
Ursi

Cap. 11. & 12.

Caponis, anseris.
Canis, felis, muris alpini
Butyrum recens, non salitum.

Gummata & similia.
Cera
Therebinthina.
Colophonia
Gummi Elemi.

Farinæ.
Tritici
Hordei
Fabarum
Lupinorum
Mica panis

Liquores.
Aqua simplex
Lac muliebre
Vaccineum
Caprinum
Asininum.

Ex his confici possunt Emplastra, Unguenta, Linimenta, Cataplasmata, & fomenta, uti Lector suo loco videbit. Nunc ut curationem Empiricam, quâ Paracelsus & vulgus Barbitonsorum in Ichore vel Synovia utitur, videamus, ordo tractationis postulat.

CAP. XII.

De Curatione Empirica Ichoris & Meliceriæ, inter barbitonsores Germanos usitata, ubi eorum Medicamenta examinantur.

INscitiam barbitonsorum, aliorumque theoriæ artis Medicæ imperitorū hominum, præcipuam esse causam Ichoris sive hydropis articulorum, testatur Paracelsus, uti capite secundo & alibi dictum fuit; quibus præterea Medicamentis præcipuè id perficiant, adscripsimus. Sunt illa veluti decoctum traumaticum, balsama, Emplastrum Sticticum sive fodicationum, & similia, perperam & sine ratione Empiricorum more adhibita, de quibus cap. 7. 8. & 9. prolixè. Videamus nunc, quibus medicamentis intempestivum maximumque illum confluxum crudorum & indigestorum humorum compescere, ac gravissimum illud symptoma removere, nervos intendant: quicquid præterea de eorum medicamentis, quibus in Ichore & Meliceria utuntur, censendum sit, anq; tutò adhiberi possint, paucis quoque aperiam.

De Curatione vulnerū tr. 1. c. 5. mihi pag. 479. eadem habet verba.

Paracelsus *lib. 1. Tract. 2. cap. 5.* Chirurgiæ suæ magnæ, mihi pag. 6. Meliceriam (das Glidwasser) Emplastro Stictico, & aceto rosaceo calido, curandam esse docet. Prælectionum Chirurgicarum de vulneribus *cap. 7.* mihi in Chirurgia magna *pag. 160. & 466.* inter alia hæc quoq; proponit medicamenta.

R. Ostreorum ℥j.
Cranei adusti
Ossis sepiæ
Mandibulæ lucis ustæ an. ʒij.
Spodii
Terræ Sigillatæ an. ʒj. ſ. fiat pulvis. *tollit*, inquit, *aquam articulorum ex imperitia Medici. Stercus porci, si coquatur cum sanguine ex vulnere, & superponatur, tollit aquam articulorum. Item Cochleæ, ut faciunt rasores.* Hæc & quædam alia hujus farinæ medicamenta, hinc inde à Paracelso præscribuntur.

Felix Wirtz Basiliensis, unguentum suum fuscum (sein braunes Sälblein) pro summo secreto in Meliceria habet, nec quicquam præstantius inveniri posse, ausus est affirmare. Videat lector lib. suum Chirurgicum, in quarto editum parte 3. cap. 5. & 6. item parte 4. cap. 1. Conficitur autem unguentum hoc ex aceto, in quo per dies octo macerata fuerint sequentia, nimirum radices scrophulariæ, centinodia, Chelidonium, & Veronica. Hujus aceti unciis tribus addit vitrioli calcinati, ad rubedinem, & præparati ℥ij. phlegmatis vitrioli tantundem, Mellis despumati ℥vj. florum ceris ℥j. ſ. Omnia simul coquit lento igne ad spissitudinem Electuarii.

Hans von Gerßdorff genandt Schylhans/ Chirurgiam Castrensem Germanica Lingua in lucem dedit, in qua Gualteri Ryffii Argentinensis Doct. Medici longè celeberrimi nomen præfixit. In hoc libro mihi pagina 35. Meliceriam sequentibus curari posse asserit.

R. Alumen, Cineres Isatidis & lithargyrium, combure omnia simul, pulverisa & insperge vulneri, postea de eodem pulvere cum albumine ovi commisce, & vulneri superpone.

Aliud.

R. Vitrioli, hoc est, aquæ vitrioli, coque cum pauco alumine, parumq; sulphuris, fiat lavamentum, quo vulnus abluatur.

R. Sandaracam adulterinam, lithargyrium, & acetum, coque omnia simul.

Aliud.

Accipe micam panis siliginis, vinum, mel, & rasuram cornu bovis, coquantur omnia simul in olla nova, extendantur super linteum, & applicentur more cataplasmatis.

Aliud.

Accipe mel, farinam volatilem & fuliginem, ex his confice emplastrum, & applica, cum oleum vulneri instillatum fuerit. Oleum sic confice.

Accipe Olei lini ℔. ſ. *adde flores verbasci, expone oleum ad radios solares dies 14. postea adde pinguedinis toxi ad ovi magnitudinem, & vulneri calidè impone, gossipio oleo madefacto.*

Petrus von der Stille/ alioquin Chirurgus non ineruditus, in Ichore & Meliceria hæc proponit remedia.

Accipe Albumen ovi, parumque croci, concute, & commisce omnia, addendo aluminis ad magnitudinem nucis avellanæ, & cum filamentis vulneri impone.

Aliud.

R. Olibani, sanguinis Draconis, Boli electi. Terræ sigillatæ an. ʒij. *fiat omnium pulvis tenuissimus, qui cum albumine ovi mixtus, filamentis applicetur vulneri.*

Aliud ejusdem Authoris.

R. Oleum olivarum, & therebinthinam, misceantur in sartagine lento igne, postea adde farina lentium

tium exsiccatarum q. sufficit, ut formam unguenti acquirat, quod filamentis vulneri applicetur.

Atque hæc sunt præcipua arcana, quibus barbitonsores gravissimum hocce symptoma debellare tentant. Hisce tamen si curatio ad votum non successerit, suadet M. Hans von Gerßdorff / loco antea allegato ex consilio cujusdam Korn. Jacobs nomine, nervos & venas causticis erodendas, aut cauterio actuali comburendas esse. Ille omni procul dubio à Paracelso edoctus fuerat, qui tractatu secundo cap. 10. mihi pag. 497. Curationem Ichoris sive Synoviæ (die heilung des Glidwassers) cum hæmorrhagia eandem esse statuit, eademque adhibenda esse remedia docet. In hunc quoque finem stercus porcinum præscribit Paracelsus in meliceria. Illud enim vim sistendi sanguinem habere, *Christophorus Landreus* / Medicus Gallus asserit, si cum sanguine ex nare aut vulnere coquatur, & ab ægro devoratur. Sed videant Iuniores Chirurgi, ne splendidis ac fastuosis istis Encomiis hujus stercoris à Landreo proditis, nimium confidant. Memini enim, olim invitrico meo, *Petro Krantzio*, cùm hæmorrhagia narium periculosè laboraret, medicamentum hoc ex stercore porcino frustrà adhibitum fuisse.

Christophorus Wirsung, ne curatio hujus morbi gravissimi, in libro suo desideraretur, maluit ex aliis Empiricis quædam inserere, quàm planè tacere. Idem de Johanne Colero affirmare possum, qui farraginem medicamentorum Empiricorum, nec ullo modo ad morbum huncce debellandum accommodatorum, compilavit, & Calendario suo perpetuo lib. 18. cap. 172. inseruit. Imò ad illam quoque impudentiam devenit, ut fluxum hujus Ichoris spacio quadrantis unius horæ se restringere posse, ausus sit affirmare, his verbis: Das Glidwasser in einer viertelstunde zustillen. R. Ein new gebacken Brodt/die jnnerliche krümme darauß / vnd wann einem das Glidwasser so gewaltig gehet/so nim ein tröpfflein oder drey blut von dem Menschen/ dem das Glidwasser gehet/ laß das Blut in die krümme trieffen / vnd gib jhm dasselbe zu essen/so verstellet sichs bald/Hoc est, *ut aqua articulorum spacio quadrantis horæ sistatur R. medullam panis recentis, & si alicui aqua articulorum cum impetu fluit, accipe guttulam unam vel tres sanguinis, hominis istius, cui aqua profluit, easq; pani affunde, ægroq; comedendum exhibe, & statim sistetur.* At quis quæso non videt, hæc deliramenta esse, hominemque nullam habuisse notitiam morbi, sed ex aliis absurda sua compilasse, & sibi adscripsisse. Hæc in eum finem scribo, ut videant Chirurgi, ne Empiricorum scriptis seducantur.

Porrò gravissimè Paracelsum à via recta aberrare, cùm curationem Meliceriæ cum restrictione sanguinis eandem esse docet, eademq; requirere remedia, scribit, manifestum fiet, si negotium paulò exactiùs examinaverimus & consideraverimus. In hæmorrhagia unicam intentionem habere Medicum, nimirum ut oscula venarum & arteriarum occludantur; Quibus autem remediis, id commodè fiet, docet Hippocrates inquiens. *In his frigido uti oportet unde sanguis copiosè profluit, aut profluxurus est.* Quæ enim refrigerant, sanguinem crassiorem adeoque ad profluendum minus idoneum reddunt. Præterea, quæ egregiè exsiccant absque mordicatione, si apertis venarum & arteriarum osculis inspergantur, sanguinem sistunt. At hæc omnia si in Ichore & Meliceria adhibita fuerint, malum adaugere, ex præcedentibus facilè colliget rationalis Chirurgus. Quæ enim exsiccant & astringunt, dolorem non leniunt, quin potius ipsum exasperant: dum materiam in parte affecta confluxam retinent includūtque. In periculosa hæmorrhagia oscula nervorum & arteriarum (nisi vulnus fuerit prope membrum nobile) causticis, aut etiam ferro candenti obturari posse, Medicis notum est, sed quid quæso hæc in Meliceria efficient? In hæmorrhagia corrigent causam mali, videlicet apertionem vasorum, Meliceriæ verò causam, dolorem nimirum, adaugent.

Cap. 12. Quæ in hæmorrhagia remedia adhibenda.

Hæmorrhagia & Meliceriæ effectus.

Præterea in hæmorrhagia vulnerum nihil præter solutionem continui, & fluxum sanguinis, considerat Medicus. At in Meliceria diversa concurrunt symptomata, quæ omnia quàm accuratè consideranda sunt. Non solùm enim adest solutio continui & affluxus crudorum humorum, verùm etiam febris, inflammatio, dolor maximus, labefactatio virium, nausea, vigiliæ, & hujusmodi, quæ omnia diversa requirunt medicamenta, quorum in hæmorrhagia nullum adest. In hæmorrhagia applicamus quidem frigida, juxta doctrinam Hippocratis, non tamen supra ipsas partes, unde profluit, sed juxta ipsas. *Frigidum enim, ut alibi docet, ulceribus mordax, cutem obdurat, & dolorem insupportabilem facit.* At Paracelsus ad eam quoque insaniam devenit, ut in Ichore & Meliceria, in qua tot tantaque graviora symptomata, quibus frigida sunt inimicissima, concurrunt, ulceribus ipsis acetum rosaceum applicat, & quia insignis adest inflammatio & intumefactio in Meliceria, propter copiam humorum, qui ad partem læsam confluunt, ideò exiguus ille calor innatus facilè à medicamentis istis frigidis ac siccis, uti sunt acetum, Ostrea, Terra sigillata, bolus, albumen ovi, lithargyrium, & similia, à Paracelso ejusque sectatoribus præscriptis, facilè suffocatur: quapropter Gangræna nonnunquam consequitur Meliceriam, ut testatur Langius Epist. 3. lib. 1. Sequuntur quoque ulcera maligna & insanabilia, propter erosionem ligamentorum & cariem ossium, quæ à materia illa acri contaminantur.

Quid in hæmorrhagia, quid in meliceria considerandū.

Libr. 5. aph. 20.

Paracelsi insania in curatione Meliceriæ.

Mala quæ Meliceriā sequūntur.

Cæterùm ut ad institutum revertar. Dolorem præcipuam esse causam Meliceriæ, antea persæpè demonstravimus. Est igitur tollendus. Id præterea anodynis, hoc est medicamentis, quæ temperatè calida & humida sunt, fieri debere, ab initio hujus capitis demonstravimus.

Dolor præcipua Meliceriæ causa.

Videamus itaque, an medicamenta à Paracelso aliisque prodita, hasce habeant facultates, ut dolorem huncce tam gravissimum lenire possint.

Inter Medicamenta à Paracelso in Ichore & Meliceria celebrata, primum locum obtinet emplastrum Sticticum, sive fodicationum. At nos illud ipsum emplastrum Meliceriam provocare posse, capite nono rationibus & exemplis demonstravimus. In ipso enim, quæ insigniter excalefaciunt,

De Emplastro Stictico.

Cap. 12. faciunt, & proinde attrahunt, uti sunt Oppoponax, Galbanum, Amoniacum, Bdellium, Colophonia, Ol. Laurinum & hujusmodi, aliisq; ingredientibus præcellunt.

De Aceto. Diosc. l. 5. c. 21. Gal. meth. med. l. 10. de simpl. med facul lib. 1. cap. 24. de madic. secund. genera l. 3. Libr. 3. Fen. 2. c. 4.

Acetum refrigerare & astringere, tenuiumque esse partium, docent Dioscorides, Galenus & alii, acre quoque est, & proinde ulcera vellicat, mordet, doloremq. excitat, Ex quibus videmus, acetum in Meliceria adversissimum esse. Testatur id quoque Avicenna inquiens, *Acetum est ex iis, quæ nervis sunt nocibiliores.* Nervi enim, ut partes spermaticæ, cum frigidi sint, calida requirunt. Si enim aqua frigida ulceribus inimica & mordax, ut testatur Hippocrates lib. 5. Aphor. 20. ac proinde dolorem excitat, quantò magis id faciet acetum, cùm sit non solùm frigidum, sed & acrimoniâ quadam præditum. Astringit præterea; at anodyna, ut nihil adstrictionis habeant, necesse est, quemadmodum antea ex Galeno lib. 5. de medic. facult. cap. 18. demonstravimus, Gravissimè itaque hallucinatur Paracelsus, dum acetum in Ichore & Meliceria applicat.

De Ostreis

Ostrea, etiamsi ulceribus canis, fistulosis, & humidis conveniant, ut testatur Galenus de simplicium medic. facultatibus lib. 11. Inde tamen non sequitur, in Meliceria quoque ex usu posse. Loquitur enim Galenus de ulceribus, ubi sola intentio est exsiccare, quod Ostrea præstare possunt. At in Meliceria prius tollendus est dolor, quàm curatio vulneris instituenda.

Os sepiæ.

Os sepiæ cum Ostreis easdem habere facultates, Dioscorid. lib. 2. cap. 23. & Galenus de simp. Med. facultatibus lib. 11. testantur.

Mandibula lucei

Mandibulæ lucei, uti reliqua ossa combusta, vim digerendi & exsiccandi habere, quis dubitat?

Spodium.

Spodium, ut docet Cordus in Dioscoridon lib. 5. cap. 81. nihil aliud est quàm extinctæ metallorum favillæ, quæ propter pondus rursus decidunt, & circa fornacem ejusque pavimentum colliguntur, Spodium autem easdem habere facultates cum pompholyge, medicamento omnium, quæ citra morsum exsiccant, præstantissimo, Galenus de simplicium Medicamentorum facultatibus lib. 9. testatur.

Terra Sigillata.

De siccandi vim quamvis terram possidere, testatur Galenus, de simplicium medicamentorũ facultatibus lib. 9. Ergò & terra sigillata, & bolus Armenus desiccant, & proinde ex numero Medicamentorum, quæ in Meliceria adhibētur, meritò excluduntur.

Vitriolum alumen.

Quid dicam de vitriolo, alumine, cineribus Isatidis & sulphura, quibus nonnulli in Meliceria quoque utuntur, affectumque adaugent. Hujusmodi enim acrioribus, dolores magis magisq; excitant, affluxionemque humorum ad partem læsam.

De Vngu. fusco VVirtzii, dz braune Sälblein.

Felix Wirtz, Basiliensis Chirurgus, unguentum suum fuscum (sein braunes Sälblein) in Meliceria mirum in modum extollit. Conficitur illud ex aceto, vitriolo, ipsiusque phlegmate, melle & floribus æris, uti antea dictum fuit. At hæc omnia, ut acria, in hoc affectu dolores exacerbare, & proinde pernitiosa esse, quis non videt? Etiamsi enim in aliis ulceribus putridis & sordidis suum quoque habeat usum prædictum unguentum, in ulceribus tamen articulorum, inprimis tantis doloribus obsessis, propter acetum, vitriolum, & mel, quæ omnia acria sunt, meritò rejiciendum est. Morbi enim curantur non eis, qui ipsius causam adaugent, sed qui ipsam tollunt, at dolor causa est Meliceriæ. Ergo eis, quæ ipsum leniunt, est curanda. Atque hæc sunt Medicamenta, quibus morbum huncce tam gravissimum Paracelsus, & post ipsum barbitonsores, & empirici in Germania, debellare volunt. Interim tamen de causa antecedenti, ut vocant Medici, de victus ratione, de evacuationibus per pharmaca & venæ sectionem, multisq; aliis symptomatibus removendis, de quibus postea fusiùs nihil adscribunt, præter decocta nonnulla, veluti sequens à Iohanne von Gerßdorff genant Schilhans/ præscriptum, loco præallegato.

R. Centaurii
Origani
Radices Gariophillatæ
Pimpinellæ
Auriculæ muris
Summitatum Canabis
Brassicæ
Tanaceti
Panthaphili an Mj. Coquantur in vino & melle. Hujus decocti exhibent ægro cochleare unum, bis in die, mane videlicet, & vesperi. *Si decoctum*, addit. Dn. Schylhanns/ *in corpore remanet. nec per urinam aut vulnus effluit, signum est, ægrum vix evasurum.*

Gers... fit a... cia... tur...

Portò non possum silentio hîc præter audaciam Gersdorffii aut Schylhans, qui ausus fuit Chirurgiæ suæ Castrensi, in qua inepta hæcce quoque habentur, nomen istius viri tam celeberrimi, tamque docti Dn. Gualtherii Ryffii præfigere, procul dubio in eum finem ut libro suo splendorem offerret, eumque vendibiliorem redderet. Cùm tamen verisimile sit, Dn. Ryffium de hujusmodi nugis atq; ineptiis ne quidem cogitasse. Cognoscet id facilè, qui reliqua ipsius scripta perlegerit. Ex eis enim manifestum fit, ipsum fuisse Medicum & Chirurgum rationalem, & in arte Medica versatissimum. Sed & fucum facilè deprehendet, qui librum Gersdorffii, cum opere illo magno Chirurgico, Dn. Ryffii, ex Guidone & Tagantio excerpto, & Germanico idiomate impresso Francofurti partim Anno 1545. partim quoque 1562. conferre voluerit. De his vectorem admonere volui, quia ego ipsemet in hac fui opinione, prædictas nugas à Dn. Ryffio prolatas fuisse, tandem verò ex præfatione Gersdorfii Chirurgiæ suæ Castrensi, & collatione Chirurgiæ magnæ Dn. Ryffii, fallaciam cognovi. Simile delictum in Vesalium, Anatomicorum Principem, commisit olim quidam, *Prosperus Borgarutius*, nomine. Ille enim cum mortuo Vesalio, ipsius scripta Chirurgica in lucem emittere vellet, ea, quæ Vesalius propter insperatam & inopinatam mortem nondum absolverat ex Falopio adscripsit, præcipue ex libro de humoribus præter naturam ex quo multa de verbo ad verbum descripsisse Borgarutium facilè videbit,

debit, qui unius atque alterius librum perlustrare voluerit. Inter alia quoque, ut Lector in tractatu meo de Gangræna cap. 17. videre poterit, Vesalio adscribit longè perniciosissimam illam opinionem, nimirum, Membrum sphacelatum in parte mortua esse abscindendum. Error qui omni procul dubio vesalio nunquam in mentem venit, & cui acerrimè se opposuisset, si ipso vivente tale quid de ipso prolatum sparsumque fuisset. Borgarutium præterea hæc ex Fallopio decerpsisse, & Vesalio adscripsisse, stylus ipse luculenter indicat.

Non absimile furtum Gallus quidam, Medicus, *Anthoine du Four Perrotin* nomine, in Excellentissimum ac longè humanissimum Virum Dn. Iacobum Aubertum Vindonem, apud Lausanenses Medicinæ doctorem longè celeberrimum, amicum & præceptorem meum æternùm honorandum, perpetravit. Is enim libellum Gallicum de Peste Lausannæ in 80. impressum, Anno 1571. defuncto D. Auberto de verbo ad verbum descripsit, & Anno 1588. Lugduni sub suo nomine in quarto excudi curavit, syndicisque & consiliariis Cameriacensibus in Sabudia dedicavit, quibus (vide impudentiam hominis) Epistolam ipsam dedicatoriam, quam Dn. Aubertus Consuli ac Senatoribus, Lausanensibus inscripsit, paucis immutatis voculis sibi accommodavit. Hæc profectò & similia furta homini docto, præcipuè Christiano, planè indigna, à Magistratu meritò mulctanda essent.

Cæterùm antequam finem faciam hujus capitis, ineptia & inscitia illa Gersdorffii tribus verbis refutanda est. Sunt hæc ipsius verba pagin. 35. Und bleibt der Tranck bey dem Krancken / und nicht durch den Harn oder die Wunden herauß gehet / so ist es ein böß Zuversicht / daß er lebendig bleibt / ist offt bewehrt / Hoc est: *Si decoctum* (videlicet andea ex centaurio, Origano, Rad. Gariophillatæ &c. præscriptum) *in corpore remanserit, nec per urinam aut vulnus effluxerit, signum est, ægrum vix evasurum.* Porrò exhibet singulis diebus cochlearia duo sui decocti, unum mane, alterum vesperi. At quisquæso observare poterit, an exigua illa quantitas cum urina aut ex vulnere effluat?

In Meliceria enim serosi humores tam copiosè per vulnus effluunt, ut is lynceis oculis opus haberet, qui videre noluerit sit ne decoctum, aut aliquis alius humor excrementitius, qui per vulnus aut vias urinarias effluit. Per vulnus enim, uti & per vias urinarias, nihil effluit, nisi prius in ventriculo fuerit cōcoctum, in intestinis quin etiam segregatum, ut si quid excrementitii adfuerit, per alvum evacuatur, parum verò per venas mesaraicas & portem ad hepar deferatur. In hepate præterea iterum fit concoctio atque segregatio, ut inutilis & serosus humor per renes viasque urinarias effluat, utilis verò & laudabilis, qui est sanguis ipse, per venas in totum corpus abeat. Ubi demum tertia & ultima fit concoctio atq; segregatio. Purus enim sanguis, admiranda atque singulari naturæ industria, in nutritionem partium corporis cedit, excrementum verò per sudores, nec non insensibilem trāspirationem evacuatur. Peracta itaque tertia concoctione, saltem ad vulnus perveniet decoctum. Iudica itaque, dico iterum, an decoctum sit, quod per vulnus effluit, an aliquis alius humor? Sed respexit Gersdorffius ad eventum eorum, quæ fieri solent, magis quam ad causam ipsam. Vlcera enim eorum, qui morituri sunt, ut testatur Hippocrates prænotitionum lib. 1. ante mortem livida & sicca, aut etiam pallida & sicca fiunt. Facultas enim expultrix adeò est infirma, ut materiam antea per ulcus evacuari solitam, ad partes remotiores propellere non sit potens, remanet itaque in corpore, & partes primarias magis magisque lædit. Hinc ipsum vulnus siccum & aridum conspicitur. Etiamsi hujusmodi, aliaque decocta copiosissimè sorbserit æger.

Gersdorffii error inde quod ad eventum magis quam ad causam respicit.

Cæterùm cum *de mortuis*, ut prudenter monet Solon. *Nil nisi bonum*, vitio forsan aliquis mihi vertet animadversiones hasce in Paracelsum Gersdorffium & alios. Is si perpenderit Errores, qui in perniciem humani generis cedunt; detegendos potius, magisq; utilitati viventium, quàm famæ defunctorum consulendum & prospiciendum esse, facilè mihi condonabit.

Errores, qui in humani generis perniciem cadunt detegendi

Cap. XIII.

Cap. 13.

De curatione methodica Ichoris, sive hydropis articulorum, & primò de victus ratione, quæ prima est intentio.

Cum varia atque diversa symptomata, & quidem gravissima Ichorem & Meliceriam comitentur, quemadmodum in præcedentibus obiter quoque monui, & posthac capite 16. fusius dicam, necesse est, ut Medicus aut Chirurgus rationalis summam adhibeat diligentiam in curatione, eamque sic instituat, ut omnia ex arte expurgare possit, Inprimis autem sciat lector, totum negotium curationis Meliceriæ in hoc consistere, ut dolor sedatur, Est enim præcipua & principalis causa omnium reliquorum symptomatum, quemadmodum sæpius dictum fuit. Sic itaque instituenda est curatio. Primò præscribenda est victus ratio. 2. Prospiciendum, ut humor peccans concoquatur & expurgetur. 3. ut topica convenientia applicentur. 4. ut symptomata corrigantur: de his ordine & succinctè dicam.

Dolor reliquorum omnium symptomatum causa.

Circa victus rationem considerandum est subjectum, hoc est ægri constitutio, si enim fuerit juvenis, & optimo corporis habitu præditus, atque robustus, morbusque gravis, & symptomata peracuta, victus, docente Hippocrate lib. 1. aphor. 7. tenuis & exquisitus convenit. Sin fuerit senex & imbecillis, aliquo modo plenior esse convenit victus ratio, ut vires simul & humidum radicale, quod facilimè doloris vehementia absumitur, conservari possit, sit præterea frigidus & humidus: talis enim febricitantibus, uti sunt, qui ichore aut Melicerio laborant, convenit, ut testatur Hippocrates, talis præterea victus ratio acrimoniam humorum ad partem læsam fluentium obtundit, eosque mansuetiores efficit. Aër sit temperatus ad calorem vergens, frigidus verò diligenter

Diversa debet esse victus ratio, pro ut diversum est subjectum.

Hipp. l. 1. aphor. 16.

De aëre.

Cap. 13. diligenter vitandus, frigidum enim cum nervis sit inimicum, facilimè exacerbatur dolor, si vulnus aëri frigido expositum, aut in loco aliquo frigido detectum & curatum fuerit. Quapropter aëre existente frigido, interim dum vulnus curo, sartaginem prunis repletam, à ministro è regione vulneris, aut supra illud ipsum tenendam jubeo. In vulneribus capitis, præcipuè ubi cerebrum detectum est, idem facio. Hoc modo enim aer corrigitur, Frigus præterea digestionem vulnerum, in Meliceria tantoperè necessariam, retardat atque impedit. Aer præterea intensè calidus fugiendus est, Æstus enim ambientis nos aeris, calorem nativum corporis nostri evocat dissipatque. Hepar quoque & massam sanguinis, ipsosque spiritus incendit. Hinc humores, qui ad partem læsam fluunt, omniaque symptomata graviora reddunt. Quapropter cubiculum ægri aquâ frigidâ sæpissimè aspergendum, & herbis frigidis, veluti foliis quercinis, salicis, rosis, & similibus, sternendum est.

Aer intensè calidus fugiendus.

Cibus sit subtilis & concoctu facilis, pane ex optimo tritico benè fermentato & probè cocto, non calido, neque nimis duro & sicco utatur. Facilè concoquitur caro castratorum, agnina, gallinarum, caponum, perdicum, turdorum, columbarum, avium in arboribus degentium, item ova recentia, aliaque quàm plurima edulia, quæ ex prædictis carnibus & ovis cum butyro parantur. Cum carne coquantur lactuca, portulaca, acetosa, cichorium, endivia, & similia, quæ vim humectandi & nutriendi habent. Ex prædictis quoque herbis, cum aqua parumq; butyro & sale parata juscula, summoperè conveniunt, uti quoque ea, quæ ex avena & hordeo decordicato fiunt. Ab eis, quæ difficulter concoquuntur, abstineat æger, sunt illa, veluti caro bubula, procina, ferina, & in genere quicquid sale conditum & fumo exsiccatum est, sive caro aut pisces fuerint. Legumina, veluti lentes, fabæ, pisa, & phasioli, quia difficulter digeruntur, ventriculum gravant, & obstructiones viscerum pariunt, fugienda sunt. Brodio tamen, in quo lentes & pisa incoxerint, quia abstergit, urinam ducit & obstructiones viscerum tollit, uti poterit æger. Usus piscium rarus sit atque paucus. Eligendi sunt saxatiles & mediocres, veluti trutæ, lucii parvi, percæ, & hujusmodi. Caseus quoque, quia difficilè concoquitur, & ventriculum gravat, fugiendus, uti quoque fructus horarii (citò enim putrescunt & in bilem cõvertuntur) acetaria & similia. Ab omnibus, quæ insigniter excalefaciunt viscera, sanguinem comburunt, & humorem biliosum augent, abstineat æger, sunt illa veluti aromata, in primis piper, Zinziber, gariophilli, cardamomum, allium, sinapi, raphanus, cæpæ, salsa omnia, & fumo exsiccata, atque hujus generis alia; Cinamomo tamen, croco, nucibus muscatis, & mace, uti poterit æger in cibis.

Edulia ad facilè digestionem facientia.

Durioris concoctionis cibi, à quibus æger abstineat.

Legumina.

Pisces.

Caseus.

Aromata.

De Potu.

Quantum ad potum, necesse est, ut interim dum morbus in suo vigore consistit, hoc est, dum Ichor fluit, febris & dolor adest, à vino planè abstineat æger. Vinum enim, præterquam quod naturâ suâ nervis inimicum, etiam interna viscera excalefacit, incendit, & dolores adauget, quapropter ab eo cavendum est, ut monet Galenus ubi phlegmonis suspicio adest. Loco itaque vini utatur æger Cerevisia simplicissima, lacte amygdalarum dulcium, aut sequenti decocto.

R. Florum & foliorum betonicæ
Agrimoniæ
Veronicæ an. p. ij Liquiritiæ mundatæ & concisæ ℥.ß.
Mellis despumati ℥ij.

Coquantur cum libris sex aquę ad consumptionem tertiæ partis, Decoctum adhuc fervidum in poculum stanneum affundatur, & addatur Cinamomi minutissimè confracti ℥.ß. quàm diligenter cooperto & tecto poculo relinquatur, donec per se refrigeratum fuerit. De hoc decocto bibat æger ad libitum, & quidem dum dolor est ingens & magnus per se, præcipuè si fuerit juvenis, senes verò quamprimum febris, dolores, inflammationesque remiserint, & vulnus ad optimam digestionem pervenerit, aliquid vini admiscere poterunt. Sitis verò, si ingens & maxima fuerit, ad ea, quæ magis refrigerant, & fervorem humoris biliosi effrenant, transeundum est, de quibus postea capite 16.

Porrò quum morbus in suo vigore consistit, maximique dolores adsunt, diligenter prospiciendum est, ne nimis gravetur corpus cibis, ubi enim morbus peracutus est, statim extremos habet labores, & extremè tenuissimo victu utendum est, inquit Hippocrates lib. 1. aphor. 7. *Melius enim est*, addit Galenus in commentario, *naturam permittere vacare circa morbi coctionẽ, quàm distrahere ipsam ad cibos recenter assumptos conficiendos.* Nutriatur itaque æger, quamdiu dolores fuerint acerbissimi, tantum jusculis ex prædictis herbis paratis, cremore hordei, & avenæ decorticatæ, panatellis, & eis, quæ facilè concoquuntur. Si æger juvenis, robustus, & nondum à morbo absumptus fuerit, imperetur ipsi inedia, juxta illud Hippocr. *extremis morbis extrema conveniunt remedia.* Sin contrario modo omnia sese habuerint, paulò plenior ut sit victus ratio, necesse est, quò vires conservari possint.

Passiones præterea animi sunt fugiendæ, præcipuè ira. In ira enim sanguis & spiritus in ipsis visceribus excalefactis, veluti cum impetu ad externas partes, & præcipuè ad membrum læsum effunduntur. Humores præterea in ira & excandescentia acres & fluidiores efficiuntur; quapropter cum impetu ad vulnus ruunt, doloresreliquaque symptomata omnia adaugent. De his poterit lector videre observationes singulares in Centuriis nostris. Diligenter quoque prospicere convenit, ut alvus quotidie semel suo fungatur officio. Ex retentis enim excrementis symptomata omnia ingravescunt, ut capite 19. fusiùs dicemus. Hæc de prima intentione, victus videlicet ratione.

Cap. XIV.

Quomodo in Ichore corpus à pravis humoribus sit expurgandum, quæ altera est intentio.

Quia propter doloris vehementiam humores ad partem affectam trahuntur confluuntq; necesse est, eos per alias vias educere, & à vulnerato membro avertere. Fiet id quamprimum & & statim ab initio, quum Chirurgus ad ægrum convocatus fuerit, & quidem antequam vires à doloris vehementia prostrentur, nervosque & ligamenta putrilagine contaminata fuerint. Evacuantur autem humores noxii per pharmaca laxativa, per venæ sectionem, cucurbitulas, Menses, hæmorrhoides, & sudorem, de quibus ordine. Et primò de purgatione, prius tamen præparato & concocto humore peccante, Concocta enim medicanda atque movenda sunt, non cruda, ut docet Hippoc. Ante omnia autem alvus si constipata fuerit, movenda est, fiet id suppositoriis, aut clystere. Si æger ab usu clysterum alienus fuerit, dentur ipsi pruna Laxativa, aut sequens minorativum.

R. Rhabarbari electi ʒj.
Fol. Sennæ ʒj. s.
Flor. Tartari
Sem. Anisi an ℥ ß.

Infundantur in aqua Cinamomi sine vino distillata, & aqua Cichorii ana q. s. Colaturæ fortiter expressæ adde syrupi rosati solutivi simplicis ʒj. Misce, fiat potio. Sic purgatis primis viis præparetur humor peccans sequenti apozemate.

R. Rad. Cichorii,
Polypodii
Lapatii acuti
Corticum interiorum
Rad. Frangulæ
Asparagi an ℥j.
Fol. & Flor. Betonicæ
Primulæ Veris,
Scabiosæ
Agrimoniæ
Veronicæ
Acetosæ, an Mj.
Trium florum cordialium &
Genistæ Hisp. an p. I.
Sem. Anisi & fœniculi an ʒij.
Liquiritiæ mundatæ
Uvarum passularũ exacinatarũ an. ℥j

Coquantur in s. q. aquæ ad consumptionem tertiæ partis. De hoc apozemate accipiet æger semel aut bis in die ad uncias tres, quibus admisce unciam unam syrupi de succo acetosę, citronum, granatorum, aut berberorum. Vel detur sequens Julepus

R. Aq. Cichorii
Acetosæ
Endiviæ
Primulæ veris
Ivæ artheticæ an ℥j.
Syrupi de succo citronum & acetosæ ana ʒj.
Syrupi de succo berberorum ℥ß.

Misce, fiat Julapium pro tribus dosib.

Cap. 14.

Sic præparatis humoribus
Accipe de prædicto apozemate ℥iiij.
Foliorum sennæ ʒij.
Seminis anisi ℥j.

Coquatur ut colatura redeat ad uncias duas, in quibus infunde.

Rhabarbari electi ʒj.
Cinamomi optimi &
Florum tartari an. ℈j.

Maneant in infusione per noctem, & quidem in loco tepido, facta expressione fortissima admisce elect. de succo rosarum ʒj.

Syrupi de Cichorio cum rhabarb. ℥ß.

Potio purgans.

Misce, fiat potio, detur in aurora cum custodia. Aut detur in forma boli, sequenti modo.

R. Pulveris de hermodactilis
Pulv. sennæ Bressavoli an. ℈ij.
Electuarii de succo rosarum ʒj. s. cum

Bolus.

suff. q. Syr. de Cichorio cum Rhabarb. fiat bolus, involvendus saccharo. Solus quoque pulvis de hermodactilis mirificè confert in Meliceria affectibusque articulorum, sive cum syrupo de Cichorio aut rosarum in forma boli, sive cum liquore aliquo convenienti exhibitus. Ego sequenti modo ipsum præparare soleo.

Pulvis ex hermodactilis.

R. Hermodactilorum
Thurbith ana ʒvj.
Diagridii & florum tartari
Foliorum sennæ mundat. an. ʒij.
Zinziberis
Cinamomi
Masticis an. ʒj
Sacchari ʒvj.

Misceantur fiatque s. a. pulvis tenuissimus, cujus dosis est à ʒj. ad ʒj. & s.

Sic purgato corpore reiteretur apozema per dies aliquot: iterumque expurgetur corpus, si opus fuerit. Frequenter autem propter ingentes dolores, quibus corpus ægri & præsens atque futurum periculum, quo animus extorquetur, etiam flava bilis in atram convertitur. Hanc ob causam quæ humorem atrabilarium respiciunt, præscriptis admiscere convenit; sunt illa veluti fumaria, Tamariscus, scolopendrium, lingua cervina, herbæ capillares, cortic. capparorum, summitates lupuli, cuscuta, epithymum, Syrupus de fumaria, de epithymo, de polypodio, syr. de pomis, capilli veneris, de bizantiis, conf. Hamech. Electuar. diacatholici, pilul. item de fumaria, de lapide lazuli, aggregativarum, de harmodactylis, Extractum quoque corticum Esulæ arborescentis, Ellebori nigri, & hujusmodi infinita alia conveniunt.

Causa propter quam flava bilis in atram convertitur.

Remedia contra humorem atrabilarium.

Phlebotomia & cucurbitulæ hirudinumque applicatio conducibilis, cum ad revulsionem & derivationem, tum ad humoris peccantis evacuationem, præsertim si affluxus sanguinis ad articulum vulneratum magnus fuerit. Venæ sectionem enim, ut docent celeberrimi Medici, præscribimus, ut morborum incrementum impediamus, inflammationes vitemus, meatum aperiamus, transpirationem liberam reddamus, peccantem materiam minuamus, corpusq; refrigeremus. Illa autem vena secanda est, ut Galenus

Cap. 14. & 15.

nus docet, quæ ab ipsa affecta particula sanguinem celeriter avertat, inprimis si præter affectum externum interna inflammatio quoque adfuerit. Rectitudo autem fibrarum in venæ sectione observanda; quapropter si affectus in brachio aut manu fuerit, vena in poplite, aut pede, ejusdem lateris, secanda est. sin pes aut genu vulneratum, venam in cubito secamus; sanguis autem secundum magnitudinem morbi & virium tolerantiam extrahendus est, ubi necesse, ut Chirurgus Medici alicujus eruditi consilio utatur. Vti etiam in reliquis, quæ ad internas medicationes spectant. Cum enim gravissimus sit affectus, temerarius esset Chirurgus sibimetipsi adeo fidere, ut Medici consilia aspernetur. Plura de venæ sectione, hîc quoque scitu necessaria, videat lector in tractatu nostro de Gangræna, postrema editione in quarto.

Rectitudo fibrarum, in venæ sectione observanda.

De Cucurbitulis

Usus cucurbitularum quoq; in hoc affectu minimè aspernendus est. Si enim humor peccans ad partem aliquam cum impetu fluit, cucurbitulis ad alias partes commodè trahitur. De mensibus atque hæmorrhoidibus idem intelligendum est, ubi enim hujusmodi purgationes naturales supprimuntur, vulnera simul & ulcera externarũ partium contumacissima efficiuntur: quemadmodum ego sæpissimè in praxi expertus sum, imò & quandoque insanabilia evadunt. Sunt itaque, si fieri potest, provocandæ hujusmodi purgationes suppressæ. Per sudores & frictiones quoque etiamsi evacuuntur humores superflui, In Meliceria tamen non temerè sunt provocandi. Cùm enim id fieri nequeat, nisi excalefactis visceribus simul ac massa sanguinea ineanditur acriorque fit humor biliosus, omniaque symptomata adaugentur: Quapropter in vigore morbi eos nunquam provocare ausus fui. in fine verò si symptoma aliquod remanserit, in quo sudor proficuus esse possit, audacter provocandus est, de quibus posthac.

In Meliceria humores non temerè provocandi.

CAP. XV.

De topicis medicamentis in Ichore adhibendis, tanquam tertia intentione.

Etiamsi curationem Meliceriæ, diversis capitibus cõprehensi fuerimus, non propterea tamen mens est, præsidium unum post alterum adhibere, hoc modo enim curatio in longum tempus protraheretur, & occasio, quæ præceps est, amitteretur, uno itaque tempore præcipua præsidia simul præscribenda sunt, ut periculum quod ex mora provenire posset evitemus. Quapropter cum primum Chirurgus ad ægrum Meliceriâ laborantem vocatus fuerit, eodem tempore dum victus rationem præscribit, de reliquis quoque præsidiis administrandis, sollicitus ut sit, necesse est, ideoque ut humorem peccantem concoquit, evacuat & ad alias partes tam per pharmaca, quàm etiam per venæ sectionem & cucurbitulas trahit: ita quoque in topicorum medicamentorum applicatione nihil prætermittet.

In curanda Meliceria quid observandum.

In usu autem horum medicamentorum hæc præcipuè sunt observanda. 1. ut medicamenta, quæ vulneri ipsique parti affectæ (quamdiu dolor infestat) applicantur, omnia sint anodyna & dolorem sedantia. Dolor enim cum præcipuum & principale sit symptoma, inprimis sedandus est. 2. ut intemperiem partis affectæ corrigamus. 3. ut materiam ad partem læsam cum impetu fluentem, repellamus. 4. ut confluxam evacuemus, & ulcus mundificemus. 5. ut id carne adimpleamus, tandemque cicatrice obducamus. De quibus omnibus hoc capite breviter disseremus. Et primò de anodynis. Cum primùm itaque ad ægrum hoc symptomate laborantem vocatus fuerit Chirurgus, vulneri sequens unguentum filamentis tepidè imponet.

R. Ceræ novæ
Colophoniæ ana ℥j.
Gummi Elemi.
Therebinthinæ Venetæ ana ʒiiij.
Ol. lumbricorum
Amygdalarum dulcium
Ol. de vitellis ovorum,
Rosarum ana ʒvj.

Misceantur lentissimo igne in sartagine, & per pannum percolentur, postea admisce pulv. lumbricorum terrstrium tenuissimi ʒij. Croci ʒj. Misceantur, reserveturque unguentum in vase vitreo aut vitreato. Ad uncias duas hujus unguenti admisce vitellum unius ovi, & magis fiet anodynum, Deinde Emplastro basilicone tege vulnus, toti verò membro malè affecto sequens cataplasma anodynum applica.

R. Farinæ hordei
Fabarum an. ℥iij.
Pulv. florum chamomillæ, betonicæ, Ivæ artheticæ.
Meliloti
Rosarum an. ℥. ß.
Croci ʒ. ß.

Coquantur cum lacte recens emulcto ad formam cataplasmatis, tum admisce
Vitellos ovorum numero duos
Ol. rosacei &
Butyri recentis an. ℥j. ß. Misce & applica calidè, Aut

R. Micæ panis albi ℥vj.
Pulveris florum betonicæ
Rosarum
Ivæ artheticæ an. ʒiij.
Pulv. fœnigræci
Seminis cydoniorum, anethi,
Et Meliloti an ʒij.
Pulveris lumbricorum exsiccatorũ ʒ. ß.
Croci ℈ij.
Butyri recentis & ol. lumbricorum
Ol. rosarum ℥j.

Cum lacte vaccino aut caprino recẽs emulcto, fiat cataplasma, addendo vitellos ovorum numero duos, applicetur calidè. In maximis & ingentibus doloribus Ichoris & Meliceriæ sequenti sacculo aliquando cum fructu usus sum.

R. Radicum altheæ
Et malvæ an. ℥j.

Foliorum

Foliorum altheæ
Florum chamomillæ
Meliloti
Sambuci
Hypericonis
Ivæ artheticæ
Rosarum rubearum
Lumbricorum recentium an. M.j.
Foliorum malvæ M.ß.
Seminis anethi ℥j.
Lini &
Fœnigræci an. ℥.ß.

Incidantur & contundantur omnia grosso modo, pro sacculis ejus magnitudinis, ut totam partem affectam cooperire queant. Coquantur in aqua, vel, si dolor ingens fuerit, in lacte vaccino, applicentur calidè, & iterentur quotiescunq; necesse esse videbitur. Ante applicationem autem cataplasmatis aut sacculi, totum membrum oleo lumbricorum & rosarum inungendum est. Aut

R. Ol. rosacei ℥j.
Ol. lumbricorum
Amygdalarum dulcium
De vitellis ovorum
Pinguedinis humanæ an. ℥.ß.

Misce fiat linimentum, quo tepide inungatur pars affecta. Quòd si inflammatio aliqua ingens partem affectam infestaverit, olea & pinguia non temerè sunt applicanda, inflammationibus enim sunt adversissima easque adaugent, herpetes & exulcerationes excitant, ut testatur Galenus de simplic. Medicamentorum facultatibus lib. 2. cap. 21.

Ad intemperiem itaque calidam corrigendam præter universalia sequens applica cataplasma.

R. Farinæ hordei ℥iiij.
Pulveris florum & foliorum betonicæ
Rosarum rubearum
Myrtillorum
Balaustriorum an. ʒij. Croci ℈j.

Cum decocto betonicæ, Ivæ artheticæ & rosarum fiat cataplasma, addendo sub finem vitellos ovorum numero duos, applicetur calidè, aut præparetur cataplasma ex mica panis hoc modo:

R. Micæ panis albi ℔.ß.
Pulveris rosarum
Myrtillorum
Balaustriorum an. ʒij.
Seminis cydoniorum
Fœnigræci
Anethi &
Meliloti an. ʒj.
Pulv. lumbricorum exsiccatorum ℥.ß.
Croci ℈j.

Cum aqua betonicæ & lactucæ, vel harum herbarum decocto, fiat cataplasma, applicetur calidè. Si adfuerit herpes miliaris, uti sæpissimè fit in maximis inflammationibus, & post intempestivum usum olei, & pinguedinum, poterunt pustulæ inungi unguento albo Rasis cum camphora. Aut

R. Seminis cydoniorum subtilissimè pulverisati. ʒj. ß.
Aquæ rosarum
Plantaginis an. ʒij.
Aquæ betonicæ ℥iij.
Cornu cervi usti & præparati
Cerussæ lotæ
Lapidis calaminaris an. ʒij.

Misce, fiat instar collyrii, quod linteis eo intinctis pustulis calidè applicetur, & reiteretur ter aut quater in die, ne exsiccatis pannis præter modum incalescant & majorem copiam humorum ad se trahant. Interim medicamenta, quæ ipsi vulneri imponuntur, quæque superius à nobis præscripta fuêre, uti est unguentum ex cera, colophonia, gummi Elemi &c. Item emplastrum Basiliconis, mutanda non sunt, usque dum dolor omninò remiserit, & vulnus quàm optimè digestum fuerit, sed de his posthac prolixiùs.

Cap. 15.

Tertiò in usu topicorum observandum est, ut materiam, quæ ex corpore ad partem læsam fluit, aut potius doloris vehementia trahitur, in aliam partem repellamus. A patiente autem loco, inquit Galenus in arte medicinali cap. 19. astringendo atque refrigerando humores affluentes repellemus. Repellentia autem sunt vel frigida & humida, vel frigida & sicca; frigida & humida aqueæ substantiæ sunt succi, & aquæ destillatæ, veluti

3. Quomodo affluentes humores repellendi.

Lactucæ, succus granatorum
Portulacæ
Sempervivi
Solani
Plantaginis
Rosarum
Equiseti
Acetum, aqua frigida simplex
Albumen ovi, & infinita alia.

Repellentia frig. & humida.

Frigida verò & sicca terræ substantiæ sunt, veluti
Terra sigillata
Bolus armenus
Sanguis draconis
Balaustriæ
Nuces cupressi
Cortices granatorum
Rad. Bistortæ
Tormentillæ
Tutia
Alumen, & similia. Ex quibus varia ac diversa componuntur medicamenta, hodie à practicis Defensiva appellata.

Repellentia frigida & sicca.

Non autem ipsi vulneri applicanda sunt repellentia, aut defensiva, sed regioni suprapositæ ulceri, testatur id quoquè Galenus de compos. medic. secundum genera lib. 2. Ulceribus enim sunt inimicissima; primò quia frigida, quandoquidem ulceribus frigida mordax, & dolorem facit, inquit Hippocrates. Frigus præterea condensat contrahitque cutem, quæ in meliceria emollienda atque relaxanda est. Quapropter si vulnus in pede fuerit, totum pedem quidem & tibiam oleo rosaceo & lumbricorum inunges, defensivum verò ad poplitem applicabis. Sin genu vulneratum, ad inguen usque crus prædictis oleis inungendum, sed defensivum in medio ferè inter genu & coxam applicandum. Idem etiam de digitis, carpo, cubito, & humero intelligendum

Defensiva medicamenta ulcerib. inimica. Libr. 5. aphor. 20.

Cap. 15. Defens. Anton. Chalmet. lib. 1. c. 3.

dum est. Applicetur, itaque sequens defensivum.

R. Boli Armeni ℥iiij
Terræ sigillatæ ℥ij.
Cornu cervi usti, &
Rasuræ eboris an ℥ij.
Caphuræ ʒ iij.
Ceræ ℥iij.
Ol. Rosacei ℔ j.
Aceti ℥iiij.
Aq. Rosar. ℥ij.
Album ovorum numero 2.

Misce, fiat unguentum, quod diu servari potest.

Ego sequenti frequenter utor, parabilius est, & minoris pretii, efficax tamen.

R. Farinæ hordei ℥iiij.
Boli Armeni albi ℥j ß.
Corticum granatorum
Pulv. Rosarum
Balaustriorum
Rad. Bistortæ an ℥ij.

In castris quæ medicamenta conveniunt.

Cum posca fiat defensivum in forma cataplasmatis, applicetur tepidè. In castris si prædicta medicamenta in promptu non fuerint, Expressus succus sempervivi, portulacæ, plantaginis, foliorum salicis, querci, lactucæ, & similia, aut eorum decocta summoperè conveniunt, si parum aceti, & albumen ovi admixtum fuerit. Linteum autem reduplicatum prædictis succis intingatur, & tepidè applicetur.

Quomodo affluxus humorum repellendi

Si affluxus humorum maximus, æger juvenis & robustus, quinetiam corpus probè expurgatum fuerit, in decocto prædictarum herbarum, vel earũ succo aut aqua destillata & aceto, fasciam intingere, & membrum ad truncum corporis ferè involvere soleo. Hoc enim modo affluxus humorũ quàm maximè impeditur. Vulnus tamen ipsaque pars affecta unguentis, emplastris, cataplasmate diligenter munienda atque involvenda est, ne humiditas fasciæ vulnus aut ipsius circumferentiam attingat. Acetum enim omniaque frigida hujusmodi vulneribus adversissima esse, antea ostensum fuit. Interim autem dum circa repellentia occupati sumus, corpus, etiamsi ab initio expurgatum fuerit, alvus tamen ut quotidie respondeat, necesse est.

In ægrotis diligens viriũ habenda ratio.

Virium præterea diligenter habenda est ratio, Si enim imbecillis, senex aut decrepitus fuerit æger, in usu repellentium prospiciendum est, ne modus excedatur, neve calor nativus intempestivo usu refrigerantium ita labefactetur, ut ex vulnere sequatur ulcus malignum & incurabile.

Defensivũ in affluxu materiæ pituitosæ.

Quapropter prædictis, calida nonnunquam, præcipuè si humor, qui affluit, ex parte pituitosus fuerit, addamus hoc modo.

R. Farinæ hordei
Lupinorum ana ℥ij.
Pulv. rosarum rubearum
Absinthii
Scordii an. ʒij.
Radicum torment. &
Bistortæ an. ʒj.
Salis marini ℥j. cum decocto betonicæ, salviæ, parumque aceti, fiat cataplasma. Cum primum autem affluxus humorum remiserit, ab usu repellentium desistendum est, quo calor nativus liberè affluere, digestionemque ulceris ac curationem promovere possit.

Quartò in usu medicamentorum localium observandum est, ut omnia eò dirigantur, quò materia præter naturam post usum repellentiũ in ipsa parte affecta relicta, collecta, & impacta, evacuari possit. Idque duobus efficitur modis. Primò medicamentis vulneri impositis, quæ non tantum mundificant, verum etiam proprietate quadam specifica, materiam circa articulum partesque nervosas collectam, attrahunt, & sensibiliter, ut vocãt Medici, evacuant. At secundò, quæ materiam circa vulnus impactam resolvunt, in halitum convertunt, & insensibiliter per poros evacuant. De illis primò, de reliquis postea. Hæc tamen simul eodemque tempore applicantur remedia. Illa videlicet vulneri imponuntur, hæc verò toti membro malè affecto applicantur, sive id in forma cataplasmatis, sive fotus &c. fuerit. Diligenter tamen prospicere convenit, ne præposterè, sed decenter & oportunè id fiat. Quapropter in memoriam revocanda sunt ea, quæ capite 8. monuimus, videlicet vulnera non minus ac morbi interni, sua quoque habere tempora, principiũ nimirum, augmentum, Statum & declinationem. Circa finem itaque Status abstergentia & mundificantia sunt admovenda, hoc est, non amplius affluentibus humoribus, sedato item dolore & quàm exquisitissimè digesto vulnere, reliquisque remissis symptomatibus pravis, febre nimirum, vigiliis, inquietudinibus, nausea & similibus, antea commemoratis. Abstergentia autem & mundificantia sunt calida, & plerumque amara & nonnihil acria, quapropter in vulneribus ac ulceribus sordes potenter ad se trahunt, expurgantque.

Ne tamen dolores excitent, semper aliquid quod dolorẽ lenit, uti est crocus, Ol. de vitellis ovorum, & hujusmodi addendum est. Johannes de Vigo, Chirurgus longè celeberrimus, sequens mundificativum præscribit in vulneribus capitis, quo etiam in vulneribus articulorum maximo cum fructu utimur.

R. Terebinthinæ claræ ℥ij.
Mellis rosati
Succi Apii ℥ß.

Bulliant simul parum. Deinde addatur vitellum unius ovi, farinæ hordei benè cribellatæ ℥ß croci parum. Et si in prædicta formula, inquit Vigo, adderentur Mirrhæ ℥ij. & tantundem Aloes hepaticæ, parumq; sarcocollæ, esset hujusmodi vulneris optimum incarnativum. Legendum autem esse existimo, drachmæ duæ Mirrhæ & tantũdem Aloes, non unciæ, alioquin Mirrha & Aloes pondus reliquorum omnium excederet, nec sufficerent terebinthina & mel Rosarum, ut medicamentum consistentiam acquireret requisitam. Si præter modum sordidum fuerit ulcus, ex usu esse poterit mundificativum nostrum de succo Apii, cujus sequens est præparatio.

R. Succi Apii
Scordii

Arno-

Arnoglossæ majoris
Rutæ an ℥iiij
Mellis rosati ℔j

Coquantur ad consistentiam Syrupi, tum admisce farinæ lupinorum
Pulv. radic. Aristoloch. rotundæ
Angelicæ
Vincetoxici
Theriaces an ℥ß
Aquæ vitę ℥j

Misce, fiat unguentũ, quod servetur in vase vitreo. Applicetur per se, vel Unguento Anodyno, ab initio hujus capitis descripto, mixtum.

Pulvis præcipitatus, diligenter præparatus & rectificatus præstantissimum esse Medicamentum in vuleribus Articulorum, sæpissimè expertus sum, non solum enim mundificat, verùm etiam materiam viscosam & circa partes nervosas collectam, specifica quadam facultate ex profundo ad præcavendum dolorem ad se trahit, clemẽter tamen & sine dolore. Meteriam præterea Ichorosam & subtilem inspissat, tandemque carnem laudabilem procreat, & ita quidem ut frequenter eo ad finem usq; curationis usus fuerim. Non autem ab initio inspergendus est pulvis, sed circa finem status morbi, quemadmodum de reliquis mundificativis paulò ante quoque monui. Poterit autem pulvis ille aut per se inspergi, aut aliis medicamentis permisceri hunc in modum:

R. Unguenti ex cera, colophonia, gummi Elemi, &c. ab initio hujus capitis descripti, unciam 1. pulveris præcipitati ʒj ß. Misce & ulceri filamentis impone.

Atque hæc de iis, quæ materiam circa articulum collectam sensibiliter evacuant, sequitur nunc de reliquis.

Interim autem dum hujusmodi mundificativa & viscosam materiam ex profundo attrahentia ulceri imponuntur, Cataplasmata quoque & sacculi, qui dolores leniunt, nervos roborant, materiamque circa partes nervosas collectam resolvunt, applicare licet. Ubi sequens Cataplasma convenit.

R. Farinæ fabarum
Lentium an. ℥ iij.
Pul. rosarum
Camomillæ
Absinthii
Baccarum lauri
Foliorum & florum salviæ
Primulę veris
Ivæ artheticæ
Sem. Anisi an. ʒ iiij.
Pul. lumbricorum ℥j.
Fimi caprini pulverisati ℥ ij.

Cum decocto betonicæ, Ivæ Artheticæ & florum Camomillæ q. s. fiat Cataplasma, sub finem adde olei rosati & lumbricorum an. ℥ j. applicetur calidè. Aut fiat sequens sacculus.

R. Fol. & flor. betonicæ
Salviæ
Rosmarini
Ivæ Artheticæ
Primulæ veris
Origani
Hyperici an. M. ß.
Flor. Camomillæ
Meliloti
Sambuci an. M. j.
Sem. Anisi
Fœniculi
Carui an. ℥ j.

Cap. 15.

Incidantur & contundantur omnia grosso modo pro sacculis ejus magnitudinis, ut partem affectam cooperire possint. Coquantur in aqua fontis & applicentur calidè, prius tamen tecto vulnere emplastro aliquo appropriato, veluti est emplastrum de Ranis sive Mercurio, aut Emplastrum Diapalmii, vel (quo ego utor) Emplastrum Slotani, cujus descriptionem postea adscribam.

Emplastrũ Slotani.

Antequam autem Cataplasma aut sacculus applicetur, totum membrum malè affectum inungendum est oleis, quæ nervos corroborant & materiam impactam resolvunt, qualia sunt ol. & succus lumbricorum, ol. vulpini, ol. betonicæ, de Ranis, ol. ex floribus Slotani, & hujusmodi. Si durities aliqua insignis circa nervos adfuerit, addatur pinguedo humana, caponis, Ursi, felis, ungu. de althea, ol. liliorum alborum ol. amygdalarum dulcium, & similia, de quibus sequenti capite fusiùs.

Sic satis mundificato ulcere carne implendum, & cicatrice obducendum est. Etsi autem generatio carnis opus sit naturæ, Chirurgus tamen sua industria auffert ea, quæ naturam in suis actionibus impediunt retardantque. Sarcotica autem, inquit Galenus, detergendi vim, sed sine erosione possident. Prospiciendum tamen, ne eorum vis detergendi & siccãdi primum gradum excedat, alioquin excitaretur dolor, & de novo suboriretur affluxus humorum & inflammatio. Ego, uti antea dixi, sæpissimè ad finem curationis pulvere præcipitato, diligenter præparato & rectificato, ad finem curationis usus fui, diversas enim facultates in se continere pulverem istum sæpissimè expertus sum, dum sordidum ulcus mundificat primò, deinde quoque carne implet. Vnguento quoque anodyno, ab initio hujus capitis descripto, frequenter usque ad finem curationis usus sum, aut per se, aut pauco pulvere præcipitato admixto. Nonnunquam quoque ad unciã unam prædicti unguenti, myrrhæ & sarcocollæ an. ʒj. admisceo. & addo vitellum ovi, estq; sarcoticum optimum; egregiè quoque hujusmodi ulcera, ex meliceria relicta incarnant, plenissimeque consolidant balsama, tum naturalia tum etiam artificialia, de quibus superius capite octavo satis dictum fuit. Plura qui videre voluerit, legat Galenum, Aetium, Guidonem, Vigonem, Hollerium & alios, Ego enim nihil præter ea quibus cum successu usus fui, hic in medium proferre constitui.

5. Quomodo ulcus incarnãdum & cicatrice obducendũ. *Galenus de compo sit. Medicamẽt. secundum genera lib. 2.* *Facultates pulveris præcipitati.* *Vnguentũ anodynũ sarcoticũ optimum.*

Cicatricem generat natura per se, nisi humiditas ulceris obfuerit. Tollatur itaque eis, quæ insigniter exsiccant, sine mordicatione tamen, Hujusmodi sunt Alumen ustum per se, aut cerussa lota, calx decies lota, lapis calaminaris, litargyrium, plumbum ustum, cornu cervi ustum, tutia, corallis præparatis, & similibus mixtum, & ulceri inspersum. Inter unguenta conveniunt ung. album

Cicatricẽ inducẽtia medicamenta.

Cap. 16. album Rasis, camphoratum, unguentum pompholigos, unguentum de minio, unguentum de cerussa coctum, & diapalma; sequens quoque aqua insigniter exsiccat, & cicatricem inducit, præcipuè si intemperies aliqua calida partem læsam occupaverit.

R. Aq. Plantaginis
Rosarum
Caudæ equinæ an ℥ij.
Tutiæ præparatæ, calcis decies lotæ
Cornu cervi usti & præparati
Lapidis calaminaris an ʒj.

Misceantur in mortario & linteis reduplicatis, & in ea madefactis applicetur tepidè.

Medicamēta pro iis, qui castra sequuntur. Qui in castris, medicamentis destituti, degunt, sequenti decocto uti poterunt.

R. Fol. & Rad. Plantaginis
Fol. Salicis Querci
Pruni silvestris
Caudæ equinæ an Mj.

Incidantur in minutissimas partes, & cum ℔iij. aquæ coquantur ad consumptionē tertiæ partis, applicetur tepidè linteis eo madefactis.

CAP. XVI.

De symptomatibus Ichoris & Meliceriæ corrigendis, & primò de Febri.

Meliceria affectus gravissimus. Meliceria cum affectus sit adeò gravis, ut plerumque symptomata plus negotii facessant medico, quàm morbus ipse, operæ pretium esse duxi, si de eorum curatione in gratiam tyronum & præcipuè eorum, qui in locis à Medicis remotis vivunt, aliquid hic annecterem. Inter symptomata autem nonnulla sunt acuta, reliqua minus acuta & veluti Chronica, & morbum ipsum comitantur, subsequuntur. Comitantur morbum dolor ingens, inflammatio, febris, vigiliæ, lipothymiæ, constipatio alvi, aut ipsius relaxatio immodica, ardor urinæ, & cacochymia. Externa sunt, veluti fungus ex læso articulo erumpens, atrophia totius corporis, vel partis læsæ, retractio nervorum, ulcera sordida, vel etiam cum carie ossis, labefactatio & imbecillitas partis affectæ, de quibus omnibus ordine & succinctè dicam, & primò de febri, dolor enim quomodo sedandus & inflammationes compescendæ sint, capite undecimo & decimo quinto ostensum fuit. *Quomodo dolor in Meliceria sedandus, & inflammationes compescēdæ agit c. 11. & 15.* Accidit febris præcipuè propter vehementiam atq; diuturnitatem doloris, propter vigilias item, & quæ dolorem sequuntur, inquitudines, quibus de causis paulatim spiritus & humores circa cor incalescunt, intemperiemque calidam & præternaturalem in universo corpore, mediantibus arteriis & venis, excitant. *De Febri.* Ex his facilè videre est, quomodo febri sit occurrendum, nimirum si causa ipsius tollatur & dolor sedetur. *Quomodo febri occurrendū.* Sed ut decenti ordine fiant omnia, victus illa ratio capite 13. præscripta, exactè observanda est, corpus quin etiam à pravis humoribus expurgandum, & si plethora adfuerit, venam secare licet, de quibus quia capite 14. satis superque dictum fuit, ne actum agam, nihil hîc addam. *Victus ratio & requisita alia ad febrem compescendā.* A vino, uti in præcedentibus sæpius monuimus, abstineat æger, & bibat propotu ordinario lac amygdalarum, aut decoctum Agrimoniæ & Veronicæ, Saccharo & Cinamomo aromatisato, sequenti quoque Julepio ardor febrilis arcetur,

R. Aquæ boraginis
Buglossæ
Acetosæ ana ℥ij
Syrupi de succo Citronum, &
Granatorum ana ℥j.

Misceantur pro duabus dosibus, addendo spirit. Vitrioli guttul. duodecim; in castris loco prædictarum aquarum.

Accipe Agrimoniæ
Veronicæ
Acetosæ an Mj.
Florum boraginis &
Buglossæ, si haberi poterunt, ana p. j.
Mellis ℥j.

Coquantur in libris VI. aquæ ad consumptionem tertiæ partis, Colaturæ adde succi berberorum ad saporis aciditatem. De hoc Julapio sumat æger bis terve in die. Quod si tussis aut angustia pectoris adfuerint, acidis abstinendum est, præcipuè à spiritu vitrioli, bibat itaq; lac amygdalarum, aut sequens decoctum.

R. Agrimoniæ
Veronicæ ana Mß.
Flor. scabiosæ &
Tussilaginis ana p. j.
Liquiritiæ ʒiiij.
Mellis despumati ℥j.

Coquantur in ℔. 6. aquæ fontanæ ad consumptionem tertiæ partis. Colatura aromatizetur drachmis tribus Cinamomi contusi. Carpis applicetur sequens epithema

R. Aquæ buglossæ
Boraginis.
Melissæ
Rosarum ana ℥j.
Aceti rosacei ℥jß.
Specierum diatrion santali. ʒj.

Caphuræ ℈j. Misce, & linteis reduplicatis & madefactis applica. In castris accipe buglossam, boraginem, portulacam, lactucam & hujusmodi herbas refrigerantes, ex quibus prius cum aceto contusis, succum extrahe, & loco prædicti epithematis carpis applica.

Regio hepatis & renum inungenda est sequenti linimento.

R. Ol. Nymphææ.
Rosarum ana ℥j.
Cerati sandalici ℥jß.
Caphuræ dissol. in aceto rosac. ℈ß.
Misce.

CAPUT XVII.

De vigiliis & capitis dolore.

Solent quoque ægri capitis dolore, & vigiliis torqueri, propter maximum enim æstum febrilem, vapores, qui ad caput ascendunt, membranas cerebri vellicant, dolores excitant, & somnum maximo ægri cum damno impediunt. Vigiliæ enim, ut testatur Hippocrates, si modū excesserint, malum. • Quandoquidem intempestivæ

pestivæ vigiliæ concoctionem impediunt, cerebrum siccant, mentem & ingenium perturbant, & debilitant, nativum calorem humidumque radicalem consumunt, & nonnunquam morbos peracutos veluti delirium, phrenesin, mortem quinetiam inducunt. Quapropter summo studio in hoc laborandum est, ut causæ vigiliarum quamprimum tollantur Ablata enim causa, tollitur etiam affectus, sunt autem illæ inprimis dolor, uti etiam ardor febrilis & acrimonia vaporum. Dolor quomodo sedandus, & costus febrilis arcendus, antea satis dictum fuit, sequitur nunc quomodo vapores benigniores & mãsuetiores reddantur, & deorsum trahantur. Fiet id tam internis quàm externis præsidiis. Internis veluti victus ratione & purgatione humoris peccantis, de quibus in præcedentibus. Vapores præterea benigniores reddunt & incrassant somnumq; clementer provocant sequentia.

R. Aquæ lactucæ
Et portulacæ ana ℥j.
Syrupi papaveris &
Syrupi de succo acetosæ ℥ß.
Specierum Diamargar. frigidi ℈j.

Misce, fiat potio, detur per duas horas post Cœnam. Aut.

R. Aquæ Nymphææ
Cichorii ana ℥j.
Laudani grana tria
Conf. Alkermes ℈j.
Syrupi papaveris Erratici ℥ß.

Misce, fiat potiuncula detur ut dictum. Acrimoniam quoque humoris peccantis obtundunt & somnum conciliant lac amygdalarum & emultiones ex seminibus frigidis addito sem. papaveris albi. Item sequens Electuarium

R. Conservæ flor. Nymphææ
Buglossæ, Boraginis violarum an. ℥j.
Seminis papaveris albi
Portulacæ an. ʒß.
Diamargariti frigidi &
Confect. Alkermes an. ℈ij.
Margar. præparatarum ℈j.

Misceantur & cum s.q. Syrupi de papavere fiat S. a. Electuarium quo æger sæpe utatur ad castaneæ magnitudinẽ, & superbibat de suo decocto ex agrimonia & Veronica vel lacte amygdalarum. Enematibus præterea & suppositoriis vapores qui ad caput ascendunt, deorsum trahendi sunt, ubi sequens Clyster cõvenit.

R. Foliorum Malvæ
Betæ
Lactucæ
Helixines ana M.j.
Hordei mundati ℥ij.
Sem. anethi &
Anisi
Fœni græci an. ʒij.

Coquantur in s. q. aquæ ad consumptionem tertiæ partis in ℔.1. colaturæ dissolve.

Elect. Diacatholici ℥j.
Vitallos ovorum numero duos
Salis ʒij. Oleum violarum ℥ij.

Misce, & fiat Enema. In castris ubi Elect. Diacatholiconis in promptu non est, augetur dosis salis, loco quoq; Ol. violarum butyrum recens substituatur. Suppositoria fiant ex melle cocto cum sale aut sapone. Hæc de internis. Si internis istis præsidiis dolor capitis & vigiliæ non remiserint, externa quoq; sunt adhibenda, inter quæ venæ sectio, cucurbitulæ & sanguissugæ numerantur. Quapropter si vires permiserint, & plethora adfuerit, secanda est vena, hæmorrhoides & menses si præter naturam suppressi fuerint, provocandi. Scapulis & applicentur cucurbitulæ primò siccæ, ut vocant, deinde etjam cum scarificatione. Ne id tamen fiat in Laconico prospiciendum est. Ad divertendam materiam ad caput ascendentem adhibent nonnulli frictiones, sed malè meo quidem judicio. Sanguis enim & humores, ex frictionibus magis magisq; incalescunt, & acriores redduntur. His si dolor capitis non remiserit, inungenda sunt tempora & frons, Oleo Rosaceo. Aut.

Cap. 18. Castrensia præsidia.

De externis præsidiis in dolore capitis & vigiliis.

Malè ad capitis dolores & vigilias removendas, frictiones adhibentur.

R. Unguenti popoleonis
Olei rosacei ana ℥ß.
Opii dissoluti in aceto gran. iiij. Misce.

Cap. XVIII.
De Lipothymia.

Accidit lipothymia sive deliquium animi in Ichore & Meliceria, propter doloris vehementiam atq; diuturnitatem: propter vigilias item & inquietudines. Hæc enim spiritus vitales, humidumq; innatum absumunt, facultatemque cordis prosternunt. Accidit & nonnunquã lipothymia propter vaporem aliquem malignũ & putridum ex parte affecta per arterias ad cor ascendentem facultatemq; vitalem labefactantem, vidi id in multis, præcipuè juvene, quodam Bernensi Filio Dn. Matthæüs Keller, cujus mentio facta fuit capite septimo.

Vigiliæ & capitis dolor lipothymiæ causa.

Curationem quod attinet in primis instituenda est victus ratio ex cibis enchymis & plurimùm nutrientibus, uti sunt juscula ex vitellis ovorum, cum pauco vini albi & generosi, nisi febris vehemens fuerit, Item dentur juscula carnium recentium, caponum, gallinarum, & pullorum cum quibus coquantur flores buglossæ, boraginis aut calendulæ, Cinamomum, Macis & hujusmodi. Si propter Cacochymiam totius, vapores putridi ad cor ascenderint, clementer expurgandum est corpus, quibus remediis id fieri debeat, in præcedentibus satis superque dictum fuit. Exhibenda quoq; sunt medicamenta quæ cor partesque nobiles roborant, & à malignis vaporibus defendunt, qualia sunt lapis Bezoar, cornu cervi usti & præparati, coralli & margaritæ, confectio Alkermes, de hyacintho, Theriaca, Metridatium, aqua Cinamomi & similia. Aut paretur sequens potiuncula, de qua exhibetur frequenter ex cochleari

De victus ratione in curanda lipothymia.

Medicamenta cor, reliquasque nobiliores partes corroborantia.

Potio cordialis.

R. Aquæ Buglossæ
Melissæ
Rosarum an. ℥j.
Aq. Cinamomi sine vino distillatæ ℥ß.
Confect. Alkermes ℈ij.
Cornu cervi usti & præparati ʒj.

Cap. 18. Syrupi papaveris Erratici, (mirum enim in modum vitales spiritus recreat)

Syrupi de succo citronum ana ℥j.

Misce, fiat potio. Carpis sequens applicetur Epithema

Epithema ℞. Aquarum Calendulæ
Boraginis
Melissæ
Rosarum an. ℥jß.
Aceti rosacei, &
Vini Malvatici an. ℥ j.
Spec. Diatrion santal.
Diamargariti frigidi an. ʒß.
Caphuæ &
Croci an. ℈ß.

Misce, fiat epithema.

Cautio in applicatione epithematũ. Libentius enim Epithemata carpis quam regioni cordis applico. Quandoquidem facultas medicamenti carpis applicati, facilius per per arterias ad cor pervenit, quàm si regioni cordis, ubi vasa satis sunt exigua, admotum fuerit. Deinde frequenter ex incuria adstantium linteamina Epithemate madefacta refrigescunt, maximo cum damno ægri: præsertim in peste, aliisque morbis venenosis. Frigus enim illud externum præterquam quod pectori adversissimum, etiam materiam acrem, & vapores malignos, ad perspirationem paratos, retrorsum pellit, fontemque caloris facultatisque vitalis destruit. Labia quoque, nares, & tempora eodem Epithemate fricentur. In maximis præterea & frequentibus vitalium spirituum labefactationibus, Regioni cordis & ventriculi sequens Emplastrum applicari poterit.

Frigus pectori inimicum, & morborum aliorum causa.

Emplastr. contra labefactationes spirituum vitalium.

℞. Micæ panis triticei ℥iij.
Pistaciarum &
Amygdalarum dulcium an. ℥j.
Specierum Lætificantis Galeni
Et diamoschi dulcis an. ℈ij.
Croci ℈j.

Misceantur, & probè pistentur in mortario, addendo aquæ Cinamomi & aquæ rosarum ℥j. jusculi caponis q. s. fiat pasta, quæ extendatur super alutam & applicetur tepidè.

Qui in castris artem exercent, & medicamentis destituti sunt, Æstatis tempore sequens Epithema præparare poterunt.

Epithema ℞. Foliorum & Florum boraginis
Buglossæ

Melissæ ana quantum volueris. Incidantur & pistentur, addendo parum aceti & aquæ rosacei, si in promptu est. Exprimantur validè, Colaturæ adde parum Cinamomi & nonnihil croci, Applicetur tepidè carpis.

CAP. XIX.

De Alvi constipatione.

Alvi constipatio ex diuturno in dorso decubitu, æstu febrili, &c. ALvus constipatur in Ichore & Meliceria laborantibus, tum propter diuturnum decubitum in dorso, & æstum febrilem, tum etiam propter facultatis expultricis imbecillitatem, quæ sæpissimè in hujusmodi ægris concurrere solebant. Propter decubitum enim & calorem maximum febrilem non solum excrementa exsiccantur, verùm etiam facultas expultrix ita labefactatur, ut suo officio fungi non possit. Porrò cum ex hujusmodi constipatione alvi reliqua symptomata, veluti febris, dolor capitis, vigiliæ, delirium, nausea, cibi fastidium, & hujusmodi, mirum in modum exacerbantur, propterea quod viscera, hepar inprimis, & sanguis in ipsis venis incalescit, & proinde vapores ex infimo ventre sursum elevantur, partesque nobiles feriunt, videat Chirurgus, ut aluus sit lubrica, conveniunt itaque juscula, in quibus spinachia, atriplex, beta, folia rhabarbari monachorum, mercurialis, & similia coxerint, quibus butyrum recens, & sal q. s. addantur. Aut accipe pruna Damascena numero sex, coquantur in aqua admixto saccharo ad libitum ægri, inter coquendum adde foliorum sennæ in linteo mundo ligatorum drachmam unam, cremoris tartari, & sem. anisi an. ℈j. sumantur cum jusculo suo duabus horis ante prandium. Conveniunt quoque suppositoria ex melle & sale, aut sapone Veneto, vel infundatur Enema sequens.

℞. Radicum & foliorum altheæ
Malvæ
Violarum
Mercurialis an. M. ß.
Florum Chamomillæ
Meliloti
Sambuci an. p. j.
Seminis anisi
Fœniculi
Lini an. ʒß.

Coquantur in aqua ad consumptionem tertiæ partis in ℔. j. Colaturæ dissolvæ Elect. diacathol. & sacchari rubri ana ℥j.

Vitellos ovorum numero duos
Ol. Chamomill. Et
Anethini an ℥ij. Misce, fiat enema, quod iteretur quotiescunque necesse videbitur.

In castris, ubi plerumque medicamenta omnia deficiunt, præsertim hyemali tempore,

℞. Decocti brassicæ subrubræ ℔. j.
Butyri aut ejus loco axungiæ porcinæ vel Ol. nucum aut raparum ℥ij.
Salis pugillum unum.

Vitellos ovorum numero duos. Hoc enemate sæpissimè ruri maximo cum fructu usus fui. Quòd si nonnulla ex supra dictis, veluti flores aut semina carminativa, in promptu fuerint, addantur quoque, & præstantius erit medicamentum. Ubique itaque locorum, imò quovis etiam tempore, Deus suppeditat medicamenta, quo urgente necessitate ægris opem ferre possimus. Sed nonnunquam instrumentum, quo infundi possit Clyster, desideratur. Uti aliquando mihi contigit. Ubi tamen parvo cum negotio ex ligno sambucino, aut nuceo, mihi cannulam paravi, & vesicæ bovinæ aut porcinæ alligavi.

CAP. XX.

De immodico alvi fluore.

PRopter vehementiam symtomatum, quæ ægros excruciare solent, inter quæ præcipuũ &

& omnium maximum est dolor, quemadmodũ antea persæpè dictum fuit, viscera omnia, & inter alia quoque nutritioni inservientia, nonnunquam ita labefactantur, ut cibum, usq; dum à calore innato & facultate concoctrice probè sit coctum, retinere non possint, sequiturque fluxus alvi immodicus, qui plerumque in Lienteriam, nonnunquam quoque in Dysenteriam periculosam transit. Propter Febris enim vehementiam, maximamque intemperiem calidam hepatis, major pars sanguinis in flavam bilem convertitur, & singularem acrimoniam acquirit. Si itaque hujusmodi bilis ad intestina decumbit, facultatem expultricem præter modum irritat, intestina quin etiam nonnunquam erodit, & dysenteriam procreat.

Si ab initio morbi, cum vires adhuc constant, fluxus alvi supervenerit, non ilicò, nisi in dysenteriam transierit, sistendus est. Hoc enim modo multi humores pravi simul evacuantur, maximo cum fructu ægri. Si verò in statu aut quovis alio tempore, cum vires propter doloris vehementiam & diuturnitatem sunt prostratæ, & humidum radicale à calore febrili exhaustum, supervenerit, periculo non vacat; vires enim magis magisque absumuntur, tandemque planè prosternuntur, præcipuè si febris quoque adfuerit. Digestio præterea & consolidatio vulneris retardatur, omniaque symptomata ingravescunt, & ut plurimùm cachexia, Icteritia, vel etiam hydrops sequuntur. Diligentia itaque adhibenda est, ut fluxus ille immodicus sistatur. Fiet id si Principalis, dolor videlicet, ablatus, victus quin etiam ratio conveniens, ac reliqua omnia debito modo adhibita fuerint. Dolor quibus sedandus, capite 15. & alibi satis superque dictum fuit. In victus ratione præter ea, quæ cap. 13. tradidi, hæc sunt observanda; videlicet, si tormina & dolores intestinorum ingentes fuerint, uti fit, si fluxus alvi in Dysenteriam transit, eum sedandum esse addito jusculo butyro recenti, & oleo amygdalarum dulcium, aut pinguedine castratorum liquefacta, lumbricos terrestres, lotos & concisos, cumque carne castratorum coctos; si ægro eorundem juscula exhibita fuerint, mirum in modum dolores & tormina ventris, præcipuè dysentericorum compescere, sæpissimè expertus sum, de quibus videat lector tractatum nostrum de Dysenteria cap. 7. Poterunt quoque cum carne coqui radices tormentillæ, bistortæ vel eringii marini. Pro potu bibat lac amygdalatum, aut ptisanam, in qua radices tormentillæ, aut bistortæ coxerint, vel.

℞. Agrimoniæ M. j.
Veronicæ M. ß.
Rad. Bistortæ Liquiritiæ &
Rasuræ cornu cervi ana ℥ß.

Coquantur in ℔. 9. aquæ fontanæ, donec tertia pars sit absumpta, idque fortissimo igne & in vase aperto. Herbæ autem & radices ut sint exsiccatæ, necesse est. Recentes enim decoctum reddunt ingratum. Decoctum aromatizetur Cinamomo, in poculo stanneo, quemadmodum dictum fuit cap. 13 Post pastum utetur æger conservâ rosarum antiquâ, aut Miva Cidoniorũ pro corroboratione ventriculi, & partium nutritioni inservientium, aut paretur sequens Electuarium.

Cap. 20. & 21.

Electuarium pro corroboratione ventriculi.

℞. Conservæ rosarum.
Consolidæ majoris ana ℥j.
Cornu cervi usti & præp.
Corallorum præparatorum an. ʒj.
Tormentillæ subtilissimè pulv. ℈j.

Confectionis Alkermes, mirificè enim partes omnes nobiles roborat, & vires instaurat ʒjß. Misceantur in mortario, addendo syrupi de rosis siccis q. s. fiat conditum, de quo sumat æger frequenter ad nucis juglandis magnitudinem. Cum jusculis exhiberi poterit sequens pulvis.

Pulvis partibus nobilioribus inserviens, & fluxum alvi compescẽs.

℞. Terræ sigillatæ
Cornu cervi usti & præparati
Corallorum præparatorum
Radicum bistortæ ana. ʒj.
Genitale Cervi exsiccatum, & scalpro aut lima abrasum & comminutum ʒij.

Misceantur, fiatque pulvis, de quo detur à scrupulo uno ad drachmam, vel drachmam unam & semis.

Si vires permiserint, & fluxus alvi ex materia acri ad intestina delapsa originem traxerit, expurgandus est ante omnia. Ubi sequens potiuncula ex usu esse poterit.

Potiuncula purgãs.

℞. Rhabarbari Electi ℈ij.
Myrobalanorum Citrinorum ℈ij.
Syrupi de Cottoneis ℥j.
Aquæ Cinamomi ℥ij.

Cum decocto radicum & foliorum plantaginis fiat potiuncula.

Si verò fluxus alvi ex prostratione virium, & facultatis retetricis imbecillitate fuerit, purgantia nullum habebunt locum. Dolor ventris si magnus fuerit, emulsiones seminis papaveris albi, & amygdalarum dulcium, syrupus quin etiam de papavere, Laudanum & hujusmodi conveniunt, Venter inungendus est oleo Cydoniorum, rosarum, aut Myrtillorum. Plura videat Lector in Tractatu nostro de Dysenteria.

Quomodo ventris dolori occurrendum?

Cap. XXI.

De Ardore urinæ.

Ex maxima illa intemperie calida hepatis, multum humoris biliosi in hepate generari, præcedenti capite dictum fuit. Ille si per Cholodochum ad intestina defluit, fluxum alvi excitat, sin cum sero ad renes & vesicam pervenerit, ardor urinæ, sive mixtio ardens sequitur, quæ intollerabiles quandoque cruciatus, & inter mingendum præcipuè, excitat, & ita quidem, ut febris, vigiliæ, inquietudines, reliquaque symptomata omnia inde adaugeantur; summa itaque adhibenda diligentia, ut ardori isti protinus occurratur. Fiet id tam internis quàm externis medicamentis,

Ardor urinæ unde, & quæ inde symptomata alia.

Cap. 21. Remedia contra urinæ ardorem interna, externa.

De medicamentis internis.

dicamentis. Interna sunt, veluti victus ratio, evacuantia, & alterantia, de quibus ordine. In victus ratione omnia illa, quæ cap. 13. commemorata fuerunt, hîc quoque diligenter sunt observanda. Inprimis autem cremor hordei, avena decorticata. Iuscula item carnium recentium, in quibus alterantia & refrigerantia, veluti acetosa, borago, buglossa, folia violarum & malvæ, portulaca, lactuca, cichorium, agrimonia, & similia, cum butyro recenti, aut oleo amygdalino incoxerint, summoperè conveniunt. Interea quę ardorem urinæ leniunt, vitellum ovi, non infimum locum obtinet, quapropter jusculis admisceri convenit. A vino planè abstineat, cujus loco lac amygdalinum, ptisanam, aut decoctum betonicæ, agrimoniæ, veronicæ & liquiritiæ, antea capite 13. præscriptum, bibat, loco tamen mellis nonnihil syrupi de althea Fernelii admisceri poterit; serum lactis quoque convenit, humorem enim biliosum contemperat & hepar refrigerat. Aër sit temperatus. Frigidus enim etsi in hoc symptomate convenire videatur, vulneribus tamen nervorum, ut superius quoq; dictum fuit, mirum in modum obest. Interim tamen ab aere calido, omnibus quæ corpus, humores & sanguinem vehementer possunt accendere, uti & à vehementi motu corporis, omnibusque accidentibus sive perturbationibus animi, & inprimis ira, abstineat æger. Propter iram enim, calor qui juxta cor est, ut testatur Galenus lib. de causis morborum, & proinde sanguis ipse in venis, effervescit, acrimoniam acquirit, & cum impetu ad partem exulceratam, veluti debiliorem, & proinde defluxionibus magis obnoxiam decumbit. Vidi id Anno 1623. Mense Januario, in Generoso quodam 40. circiter annorum ætatis, constitutione planè bilioso, & ulcere fistuloso in perinæo à longo tempore laborante, cui (cum in tota præscripta victus ratione peccasset) bilis adeò ad vias urinarias defluxit, ut cum ipsi venam in cubito secuissem, & ad uncias sex aut septem sanguinis extraxissem, ne guttula quidem bilis in sanguine conspecta fuerit. Dolor erat maximus, qui inter mingendum incœpit, & ad duas circiter horas post mictionem continuavit, deinde ad proximam usque mictionem nullus ferè erat dolor. Tandem ex infima parte scroti rupta interius vomica, & per priorem fistulam copiosè evacuata materia purulenta, plenissimè cõvaluit, præter fistulam, cujus consolidationem non exposcit. Cum urina enim quotidie multi humores excrementitii, ex superioribus partibus maximo ipsius commodo evacuantur.

Vinum urinæ ardori inimicum.

Effectus iræ.

Observat. singularis de ardore urinæ.

Nota.

Duo autem in hoc casu annotatione digna occurrerunt. Primò, quod diutius, quam in ardenti mictione fieri solebat, urinam retinere potuit, ipsamque nonnisi bis in die, videlicet circa sextam matutinam & quintam vespertinam excernebat. Deinde quoque, quod neque doloris vehementia, neque puris generatione in perinæo ulla excitata fuerit febris.

Porrò evacuantia omnia leviora esse debent, fortiora enim purgantia, uti sunt, qui ex copioso scamonio, colocinthide, & hujusmodi præparantur, quia viscera & humores inflammant, malum exacerbare solent. Laudatur Cassia, reliquisq; medicamentis in ardore urinæ à practicis præfertur; verùm propter vim diureticam, qua prædita est, persæpe dolorem augeri, ab ægris observatum est. Retulit mihi aliquoties Illustris ac Generosus *Dn. Zacharias Geitzcoffler* à Geilenbach &c. p.m. cum Anno 1610. Haunsheimii in extractione calculi operam meam ipsi præberem, se persæpe Cassiam in affectu suo sumpsisse, sed nũquam cum fructu. Testatur id quoque in epistola quadam ad me scripta, & Centuriæ primæ Epistolarum mearum inserta. *Petrus Pigray* Chirurgus Regius, Vir eruditione & experientia insignis, idem de Cassia observasse, ex capite quarto lib. 7. Chirurgiæ suæ apparet, ubi Cassiam calculosis adversissimam esse scribit, loco itaq; Cassię ægro sequens potiuncula exhiberi poterit.

R. Radicum polypodii, Acetosæ,
Liquiritiæ an. ʒij.
Passularum enucleatarum ℥ ß.
Prunorum numero 6.
Trium florum cordialium an. p. j.
Seminis anisi ʒj.
Foliorum sennæ ʒij.
Hordei p. j.

Coquantur in aqua, donec colatura redeat ad uncias tres, in quibus infundantur & macerentur per noctem

Rhabarbari electi ʒj.
Turbith Electi &
Cinamomi an. ℈ij.

Mane post unicam aut alteram ebullitionẽ fortiter exprimantur, addaturque syr. rosati solutivi simpl. ℥j. Misce, fiat potio. Aut

R. Radicum Cichorii, corticum interiorum radicum frangulæ an. ℥ß.
Foliorum Agrimoniæ
Lactucæ
Cichorii an. p. j.
Tamarindorum &
Passularum enucleatarum an. ℥ß.
Foliorum sennæ ʒij.
Sem. Anisi, &
Sem. Carthami an. ʒj.

Coquantur in aqua, ut colatura redeat ad uncias duas, in quibus infunde Rhabarbari ʒ. ß. Cinamomi & cremoris tartari ℈j. maneant in infusione horas octo, expressione fortiter facta, adde Syrupi de cichorio cum rhabarbaro ʒj.

Pueris & delicatioribus detur syrupus rosatus solutivus, compositus cum rhabarbaro, agarico & senna per se, aut addito scrupulo uno Electuarii de succo rosarum.

Aut

R. Mannæ Electæ ʒvi.
Elect. de succo rosarum ℈ij.
Syrupi de Cichorio cum rhabarbaro ℥ ß.
cum jusculo carnis rec. fiat potiuncula s. a.

Aut

R. Guttæ Gamand. à granis quatuor usque ad octo, secundum tolerantiam ægri, cremoris tartari subtilissimè pulverisati ʒß. coquantur parum in jusculo carnis, aut aquæ lactucæ & cichorii, & fiat potiuncula, addendo parum syrupi rosati solutivi simplicis, ad libitum ægri. Convenit quoque

que vomitus, præsertim eis, qui ad vomendum parati sunt, potenter enim bilem ad superiora repellit. Provocetur itaque aqua tepida, cum oleo vel butyro, & gulæ immisso digito vel penna.

Aut

R. Decoctionis radicum raphani ℥x
Syrupi acetosi simplicis ℥j. Misce fiat vomitorium, sumatur tepidè & provocetur vomitus, gulæ immisso digito, ut dictum.

Aliud

R. Rad. Asari ʒj.
Agarici ℈j ß.
Decoquantur parum in aquæ hordei ℥x.

Colaturæ adde oxymelitis simp. ℥j. Sumatur ut dictum.

Prodest etiam venæ sectio, si vires adfuerint. Hippocrates in dysuria interiores venas malleoli incidere jubet. Illud tamen, inquit Vazandæus lib. de affect. Renum & vesicæ cap. 7. fit potius vacuationis particularis causa, ex parte jam inflammata, quam refrigerationis totius corporis, & revulsionis, quæ hîc valdè est necessaria, fitque ex vena cubiti dextri, propter situm hepatis. Hæmorrhoides quoque in consuetis provocandas esse, suadet Platerus Tractatu 3, cap. 10 mihi pag. 851

Purgato corpore alterantia, quæ refrigerando intemperiem calidam hepatis, & acrimoniam humoris biliosi ad renes viasque urinarias defluentis, corrigunt, propinanda sunt.

Laudatur ab aliquibus lac recens emulctũ, admodum enim lenit, & si excoriatio aliqua facta sit ab urina, eam sanat. Diligenter tamen in exhibitione lactis observandæ sunt regulæ, quæ Hippocrates nobis reliquit lib. 5. Aphorismo 64 sic inquiens. Lac dare caput dolentibus, malum; malum verò & febricitantibus, & quibus hypochondria suspensa murmurant, & siticulosis, &c. Facilè enim acescit & corrumpitur in ventriculo promptèque in bilem vertitur, & caput ferit. Præstat itaque exhibere lac amygdalarum & seminum frigidorum majorum, quibus addatur sem. papaveris albi. Dolorem enim & ardorem urinæ compescit. Aut.

R. Aq Lactucæ,
Portulacæ
Cichorii an ℥j ß
Syr. de papavere, &
Syr. de althea an ℥j. Misce, fiat julapium pro duabus dosibus, in aurora, & duabus horis post cœnam sumendis.

Aliud

R. Fol. Agrimoniæ
Veronicæ an M ß
Flor. Cordialium an. p. j.
Fol. Violarum
Malvæ, &
Altheæ an. pij.
Coquatur in sero lactis optimè depurato, ad tertiæ partis consumptionem. In libra una colaturæ dissolve syrupi violarum,
Syr. de Althea &,
de Papavere an. ℥j. Misce, fiat Julapium, de quo æger bibat frequenter & quidem ad libitum, in maximo ardore urinæ, ubi dolor intensus est, sępissimè ad narcotica confugere coactus est Medicus, ut

Narcoticum.

R. Laudani grana tria
Syr. d. Althea ℥ ß
Confectionis Alkermes (spiritus vitales, propter doloris vehementiam labefactatos, instaurat) ℈j. Cum s. q. aquæ lactucæ fiat potiuncula, detur duabus horis post cœnam.

Regio renum ac lumbi inungantur ol. rosaceo, violatum, amygdalarum dulcium, Nympheę, ungu. rosato & similibus, Aut

Linimentum pro regione renum.

R. Ol. Violacei &
Nympheę an ℥j ß.
Ung. Rosacei ℥j.
Mucilag. sem. Cydoniorum, extr. aq. rosac. ℥ ß
Caphurę dissolutę in aceto rosaceo ℈j.
Misceantur in mortario fiatq; unguentum, quo regio hepatis & renum inungatur. In maximo ardore hepatis.

R. Aquæ Agrimoniæ
Veronicæ
Cichorii an ℥ij.
Aquæ Absinthii
Aceti an. ℥j.
Specierum Diamargariti frigidi &
Diatrion santali an. ʒj.
Caphuræ dissolutæ in aceto rosaceo ℈j
Misce, fiat epithema, quòd tepidè regioni hepatis applicetur linteis in eo madefactis. Carpis quoque, ad temperandum cordis calorem, simul applicari poterit.

Epithema pro regione hepatis

In maximo ardore urinæ & cruciatu inter mingendum, ardorem compescit, & dolorem lenit insessio, sive semicupium hunc in modum factum.

Semicupium.

R. Radicum & foliorum malvæ, altheæ,
Violarum, florum Chamomillæ,
Meliloti an. m. j.
Sem. lini,
Fœnigræci,
Anethi an. ℥j.
Incidantur, contundantur & coquantur in aqua pro semicupio.

Cap. XXII.

De Cacochymia, & ejus curatione.

In Meliceria symptomata acuta, cronica.

Duplicia esse symptomata in Ichore vel Meliceria, videlicet acuta & chronica, antea cap. 6 dictum fuit. Acuta morbum comitantur: subsequuntur Chronica. De illis in præcedentibus breviter dictum fuit, sequitur nunc de reliquis, inter quæ cacochymia primum occurrit, Quæ nihil aliud est, quàm vitiosa humorũ qualitas. Testatur id Galenus lib. 13. Meth Med. c. 6. Ubi cacochymiam ita describit, ubi inquit, flava bile, vel nigra, vel pituita, vel serosis humoribus refertum corpus est, eum habitum cacochymiam vocant. Non solùm autem in quantitate humores isti in cacochymia abundare, verùm etiam in qualitate, iterum docet Galenus lib. 3. de temperamentis, cùm in multis cacochymiam ex pravis

Cacochymia quid.

Cap. 22. pravis & vitiosis cibis, aliis ex corruptela & putredine fieri scribit.

Causa cacochymiæ. Causa primaria & principalis hujus mali, est ventriculi summa imbecillitas, item viscerum naturalium, hepatis, lienis, & venarum mesaraicarum obstructio, atque labefactatio, quæ omnia ægro accidunt, in Meliceria præcipuè, propter doloris vehementiam atq; diuturnitatem, & inprimis si malum partes corporis quæ sub umbilico sunt, occupaverit, quemadmodum capite quinto dixi. Propter doloris enim vehementiam non tantum vigiliæ, & inquietudines superveniunt, verùm etiam operationes omnes naturales, quæ dormiendo perficiuntur, retardantur, *Somni effectus & utilitas.* Somnum enim ad concoctionem plurimùm conferre, testatur Galenus multis in locis, præcipuè lib. 1. de alimentis cap. de tritico, ubi hæc habet verba. Quod autem eorum plerique, qui se cōfecerunt laboribus, minus à pravis cibis læduntur, in causa est, quod iis somni sunt profundiores, quæ res ad coctiones multum ipsis adfert momenti. Et lib. 4. de tuenda sanitate. Nihil æquè concoquit, aut malos succos discutit, ut somnus, inter dormiendum itaque non solùm cibus in ventriculo concoquitur, & in chylum convertitur, verùm etiam fit separatio & transmissio chyli ad hepar. Ubi secunda perficitur concoctio, segregatio item excrementorum & ad omnes partes corporis sanguinis distributio. In quibus demum fit tertia & ultima concoctio & segregatio, ita ut optimus sanguis in nutrimentum partium cedat, excrementitius verò humor veluti excrementum, per poros, emunctoria, aliaqua ad id destinata loca expellatur. Ex his manifestum fit, dolorem præcipuam esse causam, *In ægris Meliceria laborantibus pravorum humorū causa præcipua dolor.* cur pravi humores in ægris, Ichore laborantibus generantur. Cùm enim propter ipsius violentiam, & vigiliarum diuturnitatem, concoctiones, segregationes & distributiones non perficiantur, corrumpitur cibus in ventriculo, & Chylus semicoctus ad venas mesaraicas, & hepar pervenit, hinc primò ventriculus labefactatur, venæ verò mesaraicæ, & hepar ipsum à chylo isto crudo, crasso & semicocto obstruuntur, inde febres, scirrhi hepatis, & lienis, calculi renum, vesicæ, aliarumq; corporis partium, icteritia item & hydrops subsequuntur.

Cacochymiam quoque procreat & adauget prava victus ratio. Inprimis autem adversissima sunt omnia, quę difficulter concoquuntur, *Cibus viscosus causa cacochymiæ.* & chylum viscosum reddunt, qualia sunt extremitates animalium, caro salita & fumo exsiccata, legumina, caseus & similia. Cacochymiam quoque adaugent decocta traumatica sive vulneraria; *Decocta traumatica cacochymiam adaugent.* propter insignem enim vim exsiccandi, quâ prędita sunt, materiam viscidam in visceribus exsiccant & indurescunt, uti cap. 7. fusius dictum fuit.

Signa. Cacochymia autem semper pręcedit cachexiam, de qua Cœlius Aurelianus lib. 3. de morb. *Cachexia nomen unde.* Chron. cap. 6. hęc habet verba. Cachexia nomen sumpsit à corporis habitu malo, Cacian enim vitium vel vexationem Gręci vocaverunt, hexin habitudinem. Quum enim viscera naturalia ut antea dixi, officio suo fungi non possunt, sanguinem quinetiam ad nutritionem aptum, procreare non possunt, fit ut excrementa & superfluitates quamplurimę generentur, sequiturque primò Cacochymia hoc est humorum vitiosa qualitas, quæ si non tollatur, in cachexiam transit, quæ sic cognoscitur. Color cutis subalbidus, aliquando etiam plumbeus est, tardus ac piger fit motus corporis, cum inflatione inani. Aliquibus etiam ventris fluor cum febricula latente, quæ circa vesperam magis augetur, supervenit, pulsus creber ac densus, angustia pectoris & cibi fastidium adest, & plerumque omnes à carne recenti abhorrere solent. Nonnulli vinum, alii magis aquam puram appetunt. Urinę ut plurimum crudæ conspiciuntur.

Porrò quum cacochymia principium sit gravissimorum morborum, & plerumque in icteritiam & hydropem transeat, uti superius dictum fuit, videat Chirurgus, ne quicquam eorum, quæ necessaria sunt, intermittat, ut itaque Medicum aliquem doctum, & in operibus Medicis exercitatum, in consilium advocet, etiam atque etiam necesse est. Id tamen quia ubique locorum & præsertim in castris fieri non potest, in gratiam & ægrorum & Chirurgorum pauca hæc adscribere volui, quæ ut benevolus lector benignè interpretari velit, summoperè rogo.

A victus cutem ratione curatio inchoanda est, quæ talis esse convenit, ut non solùm corpus nutrire, verùm etiam loco medicamenti inservire possit. Aer, si fieri potest, temperatus sit, ad calorem & siccitatem aliquo modo vergens, adversissimus est frigidus, non solum enim poros claudit, & perspirationem impedit, sed & membrum, nervosaq; omnia, quæ antea ab Ichore excruciata fuêre, debilitat. Præcipuè si ulcera adfuerint. Testatur id Hippocrates multis in locis, præcipuè lib. 5. aph. 17. 18. & 20. Aer præterea summè calidus quia sanguinem & humores acres efficit, & insitas facultates & vires partium dissolvit, viscidamque materiam visceribus inclusam exsiccat, obstructionesque magismagisq; adauget, vitandus est. Quo ad cibum, perpendendum est primò, ventriculum, omniaque viscera nutritioni inservientia propter præcedentes dolores, vigilias, & æstum febrilem, ad summam labefactationem & imbecillitatem redacta esse. Abstineat itaque æger ab omnibus, quæ difficulter concoquuntur & succum crudum crassumq; generant, qualis est panis sine fermento, omniaque in sartagine, butyro aut oleo frixa. Noxia quoque est caro bubula & porcina sale condita & in fumo siccata, caro item ferina pręcipuè leporina, Cervina, Ursina, aprina, & avium in aqua viventium, caseus item, lac & lacticinia omnia, præter butyrum. Pisces salsi, & qui in stagnis & limo vivūt. Adversissima sunt legumina omnia, jure tamen lentium & pisorum uti poterit æger, ut postea dicam. Ab acetariis quoque & fructibus crudis & hortariis abstineat. Nutrimenti enim nihil, multùm verò excrementi procreant.

Secundò abstineat æger ab omnibus, quæ insigniter & præter modum sanguinem & humores excalefaciunt & adurunt, hujusmodi enim, sive medicamenta sive alimenta fuerint, non solùm alvum siccam reddunt, verùm etiam humores

res viscosos in venis mesaraicis, & hepate infarctos exsiccant, omniumq; viscerum obstructiones magis magisque adaugent. Sunt autem illa inprimis salsaméta omnia, uti quoquæ aromata, & præcipuè calida usque in tertium & quartum gradum, qualia sunt piper, zinziber, gariophilli, cardamomum, piper ut vocát Hispanicū, allium quoque, porrum, cepæ, raphanus, & sinapi, nisi in exigua quantitate fuerint sumpta, nocent, inter aromata conveniunt cinamomum, macis, nux moschata, & crocus.

Tertiò consultè caveat æger, ne glutinosis utatur cibis, ex viscosis enim cibis viscosus provenit chylus, qui postea venis tam Lacteis, quam hepatis includitur, omniumque viscerum obstructiones adauget. Extremitates itaq; & intestina animalium omnium, uti quoque caro vitulina & agnina (mucilaginoso enim succo prædita sunt) pisces absque squammis, aut qui in stagnis vivunt, caseus, lac & lacticinia, præter butyrum in omnibus morbis longis, minimè conveniunt. Quapropter non video, quomodo hujusmodi alimenta viscosa, præcipuè extremitates animalium, absque insigni detrimento in fracturis ossium ægris offerri possint. Ex eis enim chylus viscosus generatur, qui venas Mesaraicas & hepar ipsum obstruit. Sanguis verò, qui ex ipso producitur, quia viscosus est, nonnisi cum difficultate pro nutritone partium distribuitur, imminuto itaque calore nativo propter penuriam alimenti, sanguis ille viscosus in venis putrescit, variaque symptomata procreat. Cujus rei exemplum annotatione dignum vidi. Nobili cuidam Iuveni, & optimo corporis habitu prædito, ex familia Helvetica haud obscura oriundo, cum anno 1608. in Galliis os femoris in medio confractum & communitum fuisset, cum ingenti contusione & dilaceratione musculorum, per multos menses lecto affixus permansit. Interim à Medico quodam docto, Chirurgo quin etiam doctrina & experientia claro, curatus fuit, & quidem ex arte, & eà quâ potuit, diligentia. Interim tamen, ut de gravissimis symptomatibus, quæ ab initio morbi supervenerunt, taceam, post multos etiam menses, ne dicam annos, propter obstructiones gravissimas hepatis & lienis, quas in morbo contraxerat, diversis & gravissimis affectibus, scirthis videlicet hepatis & lienis, febribus tertianis & quartanis, icteritia & similibus excruciatus fuit. Ego tandem cum in consilium adhibitus fuissem, & multa tam externa quàm interna præsidia adhibuissem, & thermis pipertnis aliquoties usus fuisset æger, restitutus fuit, & in hunc usq; annum 1630. bona valetudine fruitur. Præcipuam autem causam obstructionis viscerum tantorumq; gravissimorum symptomatum, ad usum alimentorum viscosorum referendum esse arbitror. Per menses enim novem & decem quotidie cibis viscosis usus fuerat. Quapropter ægris meis nutrimentis viscosis semper interdixi, nihilominus tamen fracturas multas & quidem maximas; etiam in magnatibus, feliciter, & cum laude curavi. Hæc obiter, & præter institutum, in gratiam tyronum monere visum fuit. Plura videat Lector Obs. 92. Cent. 1.

Cap. 22.

IV.

Quartò videat æger, ut ab omnibus cibis, facilè putrescentibus abstineat, uti sunt fructus hortarii videlicet Cerasa dulcia, pruna recentia, persica poma, cucurbitæ, melones, uvæ recentes mustum, & hujusmodi, qui concoctionem ventriculi impediunt, calorem nativum debilitant & imminuunt, succumque crudum & putridum procreant.

Cerasa dulcia, pruna recentia, & putrescétia alia.

V.

Postremò danda est opera, ne cibus aut potus cacochymicorum sit astringens & exsiccans, hujusmodi enim non solum alvum siccam reddūt, verùm etiam vias constringendo, materiamque viscidā in visceribus exsiccando, obstructiones adaugent, hujusmodi autem sunt legumina, caro ferina, de quibus in prima classe quoque dictum fuit, Nuces quin etiam, amygdalæ, castaneæ, mespila, Corna pruna sylvestria, sorba, uvæ, & fructus omnis immaturus. Farina quoque avenacea, apud nos usitatissima, propter torrefactionem, quia insigniter exsiccat, minimè convenit. Cotonea autem etsi astringunt, post pastum tamen sumpta summoperè conveniunt, Ventriculum enim corroborant, & digestionem promovent. Utatur itaque æger cibis, quæ facilè concoquuntur, succum quin etiam laudabilem procreant, neque excrementorum provèntum faciant. Hujusmodi sunt carnes recentes, veluti bovina, vervecina, item caro Gallinarum, pullorum, alaudarum, columbarum, perdicum, ficedularum & avium in arboribus degentium. Conveniunt quoque ova recentia & ex ipsis præparata edulia. Cum carne coquendæ sunt herbæ, quæ intemperiem hepatis corrigunt. Quapropter si intemperies internarum partium adfuerit calida, tunc lactuca, endivia, Cichorium, spinachia, Cerefolium, & portulaca conveniunt. Sin calor nativus viscerum propter vehementiam ac diuturnitatem morbi prostratus fuerit, refocillandus est eis, quæ mediocriter calefaciunt, quapropter salvia, rosmarinus, Majorana, folia, & baccæ lauri, mentha, betonica, & hujusmodi cum carne cocta, conveniunt. Macis quoque, Crocus, Cinamomum, nux moschata, cortices arantiorum & citronum cibis additę, calorem innatum refocillāt. Instaurant quoque calorem innatum, & humidum radicale adaugent Vitella ovorum, si in jusculo carnis dissolvantur. Etiamsi legumina nutrimentum crassum reddant, jusculo tamen pisorum & lentium, cum butyro recenti, sale, & nonnihil macis vel croci, cocto, uti poterit æger, uti quoque cremore hordei, & avenæ decorticatæ. Conveniunt & sorbitiunculæ ex vitellis ovorum, cum vino & aquæ præparatæ, addito saccharo, Cinamomo & croco; tempore Veris holuscula herbarum recentium, veluti Cerefolii, fœniculi, spinachiæ, betonicæ, foliorum urticæ, & summitatum sambuci, præparata maximo cum fructu ægro in prima mensa aut (quod magis mihi probatur) per horam unam aut alteram ante prandium exhiberi poterunt. Diuretica enim sine damno cibis vix permisceri posse, alibi demonstravimus. Summoperè quoque convenit succus, qui ex perna vervecina, in veru percocta, & cultro hinc inde pertusa & compressa, effluit. Vires enim labefactatas instaurat, & humidum radi-

Potus & edulia astringentia & exsiccantia.

Fructus immaturi.

Prosunt.

Cotonea.

Caro bovina & alia.

Ova recentia & ex ipsis edulia.

Lactuca, endivia, & herbarum genera alia.

Nota.

Succus ex perna vervecina in veru percocta.

Cap. 22. radicale adauget, præcipuè si nonnihil vini parumque aquæ Cinamomi sine vino distillatæ, admiscueris.

Si æger magnoperè acetaria appetit, poterit per intervalla uti cichorio, cerefolio, fœniculo, asparago, lupulo, mentha, gemmis genistæ conditis, & capparibus. Ab eis verò quæ insigniter refrigerant veluti sunt lactuca, portulaca, & cucumeres & melones abstineat.

De potu. Bibat vinum album, tenue & quàm optimè defecatum. Si generosum fuerit diluatur aquâ aliquâ appropriatâ, aut quod efficatiùs, decocto veronicæ, sacchạro, & Cinamomo aromatizato. Si Cerevisia uti voluerit, aut eis in locis, in quibus nihil præter Cerevisia pro potu utuntur, cōstitutus fuerit æger, videat ut illa sit benè cocta & defœcata, nō nimis generosa, vetusta vel acida. *Cervisia bene cocta & defæcata.* Vinum secundarium uti quoq; potus qui ex prunis & pomis sylvestribus uvis immaturis, & gravis oxyocanthæ fit, propter astrictionem mirum in modum nocet, si sitis maximè & vires prostratæ fuerint bibat æger lac amygdalarum, non tantum enim sitim restinguit, verùm etiam viscera humectat & egregiè nutrit, *Lac amygdalarū.* Renerus Solinander Magni nominis Medicus in consilio 6. sect. 3. pro cachextico, vult ut quarta vel quinta vel etiam sexta pars amygdalarum sit amara, & rectè quidem ita enim lac magis fiet medicamentosum quandoquidem abstergit & mundificat pręcipuè si ut suadet Solinander, cum jure furfurum macrorum pręparatum fuerit. In fine mensę pomis aut pitis coctis & saccharo, aniso, aut fænicu- *Poma & pira cocta* lo aspersis, uti poterit. Conveniunt quoq; Cydonia cocta, & saccharo parumque Cinamomo aromatisato aut Mina Cydoniorum sine speciebus, vel sumat cochleare unum pulveris nostri peptici statim à pastu

Pulvis pepticus.

R. Panis albi tosti ℥ij.
Pulpæ Cydoniorum exsiccatorum
Cinamomi optimi
Pellicularum interiorum ventric. gallinarum
Seminis anisi &
Coriantri præparati an. ʒij.

Misce, & fiat pulvis. Hæc de cibo & potu. *De Exercitio.* Porrò quia exercitatio digestionem promovet, exiguos meatus expurgat, & excrementa expellit, utilius est, teste Galeno de tuenda valetudine lib. 2. eam ante cibum administrare, dummodo mediocris sit, nec laboriosa. Vult autem Galenus duplicam concoctionem, videlicet eam quæ fit in ventriculo, & eam quæ fit in vasis sanguinis peractam esse, ac denuo tempus cibandi instare. Post pastum tamen modicè quoque corpus exercere convenit. Modica enim exercitatio, post sumptum cibum calorem nativum excitat, & adauget, & concoctionem promovet. *De frictionibus.* Si verò æger propter debilitationum partium, corpus deambulando aut equitando exercere non potest, frictiones sunt administrandæ. *De somno & vigiliis* In somno & vigiliis modus quoq; est servandus. Intempestivæ enim vigiliæ concoctiones omnes impediunt, cerebrum siccant, mentem perturbant, & humidum radicale absumunt. Contra somnus immoderatus calorem nativum obtundit, & multos humores crudos gignit, corpusque ignavum reddit. Passiones animi quoque veluti sunt ira, metus & mœstitia æger quantum fieri potest, vitabit. Præter hæc operam quoque dabit, ut alvus quotidie ad minimum semel respondeat, id si naturæ & ciborum beneficio non fiat, sollicitanda est prunis laxativis vel clystere lenitivo cap. 19. præscripto. Vel imponatur suppositorium ex melle & sale coctum. Summoperè quoque conveniunt pilulæ sequētes. Partes enim nobilies corroborant, obstructiones viscerum tollunt, materiam viscidam incidunt, attenuant & alvum lubricam reddunt.

R. Aloes purissimæ & ter aut quater succo gratiolæ impręgnatæ iterumque ex siccatæ ℥ j.
Rhabarbari Electi ʒ ij.
Turbith. gummosi
Cremoris tartari an. ʒ j.
Gummi Amoniaci purissimi & dissoluti in aqua cinamomi ʒ iiij.
Confect. Alkermes ʒ j.
Ol. Cinamomi ℈ ß.

Syrupi rosati sobatini compositi cum Rhabarbaro, Agarico & henna q. s. Misce fiatque massa, de qua æger (si tantummodo aluum duram lubricam reddere cupit) sumat à granis 12. usque ad ℈ j. aut drachmam semis, per duas horas post cœnam. Sin ampliorem evacuationem habere cupit, ad ℈ ij. aut ʒ j. deglutiet, ut postea dicetur. Hæc de victus ratione.

Sic instituta optima victus ratione corpus quantum fieri potest à pravis humoribus expurgandum est, verùm enimvero quia materia peccans in cacochymia tenacissimè visceribus inhæret, difficulterque suo loco movetur juxta mentem Hippocratis *lib. 1. Aphorismo 22.* loquenda & præparanda est, apozemate aliquo convenienti, ante omnia tamen vias communes sequenti lenitivo expurgabis.

R. Radicum polypodii q. Liquiritiæ
Cichorii an. ʒ ß.
Corticum interiorum radicum frangulæ ʒ j.
Veronicæ
Florium cordialium an. p. ß.
Sem. Anisi ℈ ij.
Foliorum sennæ ʒ j. ß.

Incidantur, contundantur, coquanturque in aqua, ut colatura redeat ad uncias duas in quibus dissolve

Elect. diacarthami, &
Diaphænici cum Rhabarb. an. ℈ ij.
Cremoris tartari ℈ j. ß.
Syr. de cichorio cum Rhabarbaro ℥s.

Misce fiat potio, detur in crepusculo matutino, cum custodia. Postridie, aut tertio die à purgatione si plethora adfuerit, & vires permiserint vena incidenda est, idque ex cubito ejusdem lateris de quo æger præcipuè conqueritur. Si menses, aut hæmorrhoides suppressæ fuerint, venæ ad maliolos incidendæ aut applicentur sanguisugæ venis hæmorrhoidalibus. Sin tamen maxima adfuerit virium omnium prostratio atque imbe-

22. imbecillitas, venæ sectio omittenda, & ad humorum concoctionem progrediendum est, ubi sequens convenit apozema.

R. Corticum interiorum, & flavarum
Radicum frangulæ ℥j.
Radicum polipodii q. Liquiritiæ
Lappatii acuti an. ʒiij.
Asparagi
Cichorii
Fœniculi, & petroselini an. ʒij.
Herbarum & florum betonicæ
Veronicæ, Cuscutæ, scabiosæ an. M.ß.
Trium florum cordialium &
Genistæ an. p. j.
Seminis anisi
Fœniculi an. ʒij.

Coquantur in s. q. aquæ purissimæ, ut Colatura redeat ad ℔.iij. Clarificetur & dulcoretur Syrupo de quinque radicibus q. s. hujus apozematis bibat æger per dies tres ad uncias duas in aurora, totidemque per horas duas ante cœnam.

Postea accipe de eodem apozemate ℥xij. In quibus infundantur, macerentur & coquantur s. a. sequentia.

Foliorum sennæ ℥j.
Rhabarbari ʒiij.
Agarici recent. trociscati
Cremoris tartari ʒj. ß.
Cinamomi electi ℈ij.

Maneant in infusione & loco tepido per horas xii. deinde post unicam aut alteram ebullitionem fortiter exprimantur, addanturque.

Syrupi de Cichorio cum rhabarb. ℥ij.
Aquæ Cinamomi sine vino destillatæ ʒj.

Misce fiat potio purgans pro quatuor dosibus in aurora sumendis, cum custodia. Si primus haustus sufficienter operatus fuerit, alternis saltem diebus medicamentum sumatur, aut dosis diminuatur, ut vires cõservari possint. Quod si nimis segniter successerit operatio, postrema dosis acuenda est drachma una Diacarthami, aut Diaphœnicone cum rhabarbaro. Sic satis purgato corpore, poterit æger per dies aliquot quiescere, post pastum tamen nonnihil de suo pulvere peptico sumere, deinde apozema præscriptum iterandum est. Quod si apozema ingratum fuerit ęgro soleo sequens pręparare jusculum. Quod propter singulares operationes tum in morbo regio, tum in reliquis omnibus obstructionibus viscerum Jusculum Regium appello.

R. Rad. Apii ʒij
Rad. Petroselini
Fœniculi an ʒiiij
Passularum exacinatarum ℥j
Croci ℈j.
Macis ℈ß Incidantur omnia & caponi aut Gallinæ, cui collum pedes & alæ abscissæ sunt, infarcientur. Coquatur in aqua, donec caro ab ossibus separata, & jusculum ad doses sex consumptum fuerit. Caro cum suo farcimento fortiter exprimatur, & Colatura in loco addito sale, quantum satis est, sumat æger per duas horas ante prandium, quantum libuerit, Addo quoque nonnunquã nonnihil Cremoris tartari, aut salis nostri deopilativi, ex Cichorio, fœniculo, petroselino, Hypericone, Eupatorio, & similibus herbis & radicibus aperitivis confecti. Si subacidus sapor ægro gratus fuerit, nonnihil vini, aut aceti sambucini admisceri poterit. Si prostratio virium fuerit maxima, addatur nonnihil aquæ Cinamomi sine vino distillatæ. Jusculum hoc Excellentissimum est medicamentum, simul & nutrimentum in cacochymicis, quo ego sæpissimè maximo cum fructu ægrorum usus fui. Sin ægro vinum aliquod aperitivum gratius fuerit, sequenti uti poterit.

Cap. 22.

Vinum Aperitivum.

R. Rad. Asparagi
Brusci
Ebuli
Fœniculi an ℥j.
Cinamomi Electi ʒij.
Macis ℈j.
Herb. Betonicæ
Agrimoniæ &
Veronicæ an M ß.
Centaurii minoris,
Absinth.
Pontici,
Card. benedicti an p. j. Incidantur & contundantur fiatque nodulus, cui affunde vini albi & optimè depurati ℔iij. De hoc vino bibat æger ad uncias tres aut quatuor, tribus horis ante prandium. Interim autem dum æger utitur aperitivis prædictis, subinde leniter leviterque expurgandum est corpus. Ubi syrupum è Rhabarbaro à Solinandro tantoperè celebratum, convenire, sæpissimè vidi.

Syrupus à rhabarbaro Solinandri.

R. Rhabarbari optimi ʒvi.
Fol. Sennæ Alexandrinæ drach. 10.
Mechoacan. albiss. ℥ß
Flor. Violarum recentium,
Flor. Prunorum sylvestrium, haberi possunt, si vel cotoneorum an p. ß.
Cinamomi acuti interioris ʒj.
Zinziberis albi ℈ij ß.
Aq. Betonicæ
Cichorii
Buglossæ distillatæ in balneo Marię an ℥4
Rhabarb. Et Mechoac. pulveribus irroratis aqua Cinamomi, infundantur omnia s. a. per noctem. Manè ebullitione & expressione facta, colentur & cum sacchari albissimi ℥ quinque vel sex Syrupi rosar. solut. ℥ij. Misce fiat s. artem syrupus. Detur ad uncias duas in exiguo haustu juris pulli, non pinguis, cui paucę passulę demptis gigartis, pauca folia rosmarini & macis tantillum incocta sint, bibat.

Cæterùm præter victus rationem & purgationem pravorum humorum, partes nobiles summo studio corroborandas esse, ratio ipsa suadet. Quia enim in præcedenti morbo propter vehementiam & diuturnitatem doloris, æstum item febrilem, vigilias & decubitum, humidum radicale absumptum, calor quin etiam nativus prostratus, & proinde facultates omnes mirum in modum imminutæ fuerunt, nisi refocillentur, frustra medicamenta adhibentur. Est enim robur naturæ, quod medicamentum ex potentia in actum vertit. Corroborabis autem inprimis viscera,

3. Intentio de corroborantibus.

Cap. 22. scera, si præscriptam optimam victus rationem, observaveris, & pravos noxiosque humores (ex quibus continuò putridi vapores ascendunt, facultatesque omnes afficiunt) uti antea satis dictum fuit, evacuaveris: sine quibus corroborantia omnia nullius erunt momenti. Corroborat ventriculum & viscera nutritioni inservientia pulvis pepticus, antea præscriptus, Aut.

Tabellæ pro corroboratione hepatis & ventriculi.

R. Diacurcumæ
Diarrhodonis Abbatis
Aromatici rosati an ʒj.
Sacchari dissoluti in aqua Cichorii ℥iiij.

Misce, fiantq; tabellæ addendo ol. Cinamomi ℈ß. de quibus utatur æger aliquoties in die, præcipuè ante & post prandium & cœnam, ad drachmam unam aut duas. Aut detur sequens Electuarium.

Electuarium pro ventriculo & hepate.

R. Spec. Aromat. rosati.
Diacurcumæ an ʒj.
Cinamomi Electi ʒj. ß
Corticum Citronum &
Rad. Cichorii conditarum an ℥j.

Cum s. q. Syrupi conservæ Corticum Citronum, fiat Electuarium, de quo sumat æger ad magnitudinem nucis juglandis, ter aut quater in die,

Aut:

Pro capite

R. Conservæ florum betonicæ
Rosmarini
Salviæ,
Majoranæ an ℥ß.
Specierum Dianthos ℈iiij. cum Syrupo de betonica fiat Electuarium.

Aut

R. Spec. de gemmis

Pro pede.

Lætificantis Galeni an ℈ij
Confectionis Alkermes &
De hyacinto an ʒj.
Conservæ florum buglossæ
Borraginis & Melissæ an ℥ß
Cum Syrupo Conservæ Corticum Citronum fiat Electuarium. Sumatur ut præcedentia. Hæc de Internis. Nec omittenda sunt externa; ideò si propter dolorem & vigilias caput labefactatum & defluxionibus obnoxium factum fuerit, præter optimam victus rationem & purgantia, etiam per intervalla cucurbitulę scapulis applicentur. Quod si catarrhus ut sæpissimè fit, cum impetu ad oculos aut pulmones defluxerit, setaceum in Vertice, aut fonticuli in brachiis efformandi sunt, Cucupha quoque ex sequentibus parari poterit.

Pulv. pro cucupha.

R. Rad. Iridis
Florentinæ ʒij.
Styracis
Calamitæ,
Benzoini,
Masticis,
Olibani an ʒj.
Rosarum rubrarum,
Summitatum Majoranæ &
Flor. Betonicæ, an ℈ij
Moschi ℈ ß.

Incidantur & contundantur omnia grosso modo pro cucupha intertexta, ut artis est.

Corroborat sequens linimentum, si carpi, & regio cordis eo inungantur.

Linimentum pro regione cordis.

R. Ol. Rosacei flagrantissimi ℥ ß.
Ol. Cinamomi ℈ ß.
Ol. Corticum Citronum ℈j. Misce. Aut.

R. Aq. Boraginis
Buglossæ, rosarum & Melissæ
Aq. Cinamomi an ℥j.
Aceti rosacei ℥ ß.
Confect. Alkermes,
Spec. Diamoschi dulcis an ʒj.
Croci &
Caphurę an ℈j. Misceantur, fiatque Epithema, Carpis autem tantummodò in eo imbutis pulvillis, applicetur tepidè. Mediantibus enim arteriis, vis ipsius facilè ad cor perveniet. Si quis tamen de hoc epithemate regioni cordis applicare voluerit, non errabit, videat tamen, ut linteis calidis cooperiatur, frigus enim pectori & spiritibus vitalibus nocentissimum esse, omnes sciunt practici. Ventriculum roborat & concoctionem promovet sequens linimentum.

R. Olei masticis, & menthæ an. ʒvi.
Gummi tacamaacæ ʒij.

Terantur lentissimo igne & percolentur, Postea admisce olei nucis Muschatæ per expressionem ʒj. ß.
Ol. Gariophillorum ℈j.

Misce, fiat linimentum, quo regio ventriculi usque ad umbilicum quotidie bis inungatur, & linteum calidum apponatur, aut applicetur sequens emplastrum supra alutam extensum.

R. Gummi Tacamaacæ ℥j.
Ol. menthæ & masticis an. ℥ß.

Dissolvantur lentissimo igne, & per linteū colentur, postea admisce pulv. nucis muscatæ ʒij.
Gariophillorum,
Macis an. ʒj.

Misceantur & cum cera nova q. s. fiat ceratum, applicetur ut dictum est.

Hepar corroborat, obstructionesq; insigniter tollit sequens linimentum.

R. Unguenti deopilativi Fœsii, Ol. lumbricorum an. ℥j. Misceantur, fiatque linimentum, quo regio hepatis, totusq; venter præter regionem ventriculi inungatur bis in die. Secundam enim concoctionem mirum in modum promovet. Unguentum deopilativum Fœsii sequenti modo præparatur.

Capit. succi Apii,
Endiviæ,
Menthæ,
Absinthii,
Petroselini vulgaris,
Valerianæ an. ℥. ß.
Olei absinthii,
Menthæ ana semilibram, Ceræ citrinæ quantum satis sit. Misce, & ad ignem fiat unguentum s. a. Viscerum obstructiones liberat, eoque crebrò in jecorariis utimur, additur quandoque pulveris calami Aromatici, spicæ nardi, sing. drachma una & olei capparum aliquid.

Sunt qui hoc modo etiam parant:

Succi Ebuli ℥viij.
Succi Apii,
Petroselini sing. ℥iiij.
Succi Absinthii, &

Iridis

Iridis singul. ℥ v.
Ol. Communis selibram,
Ol. liliorum alborum ℥ x.
Ol. Absinth. &
Chamomelini sing. ℥ vi.
Axungiæ anatis, &
Gallinæ sing. ℥ ij.

Ferveſiant omnia ſimul ad conſumptionem ſuccorum. Poſtea colentur, & cum cera alba & pauxillo aceti paretur unguentum. Hæc Fœſius de unguento ſuo aperitivo, quæ hic inſerere libuit, tum (expertus loquor) propter medicamenti præſtantiam, tum etiam quod optimus ille vir & de re medica tam benè meritus, olim mihi cognitus fuerit. Ego ceram non addo ut facilius altiuſque ad ſubjectas partes penetrare poſſit.

Lien, ſi propter vehementiam atque diuturnitatem morbi labefactatum, & obſtructum fuerit, hypochondrium ſiniſtrum inungendum eſt ſequentibus

R. Ol. de capparibus &
Rutacei an. ʒ vi.
Ol. amygdal. dulcium ℥ j.
Miſceantur.

Aut

R. Succi cochleariæ &
Naſturtii aquatici an. ℥ ij.
Ol. liliorum amygd. amararũ an. ℥ ij.
Pinguedinis caponis & urſi an. ℥.

Coquantur lentiſſimo igne ad conſumptionem ferè ſucci, in colatura diſſolve Amoniaci puriſſimi, & aceto ſcillino diſſoluti ʒ vi. Ol. nucis Moſchatæ ℥ ß. Miſce; ſi in temperies calida renum adfuerit, inungantur lumbi, os ſacrum, & regio renum linimento, antea capite de ardore urinæ deſcripto. Hæc de cacochymia, de qua nonnihil prolixè agere nolui. Eſt enim veluti ſcaturigo, ex qua Icteritia, febres erraticæ, quartanæ, & quamplurima alia ſymptomata profluunt, de quibus omnibus ſi ſigillatim agere vellem, opuſculum hocce meum in immenſum opus excreſceret, & multa jam antea dicta, repetenda eſſent, quod lectori ingratum foret. Itaq; ubi diligenter quis curaverit cacochymiam, reliqua ſymptomata facilè evitabit. Quod ſi tamen advenerint, Medicus conſulendus eſt.

CAP. XXIII.

De fungis in vulneribus articulorum creſcentibus.

Hactenus de ſymptomatibus internis, tam acutis quàm minus acutis agimus. Nunc de externis aliquid quoque annectam, inter quæ fungus inprimis ſeſe offert, plerunque enim in ipſo vigore morbi accidere ſolet. Eſtque corpus carnoſum, laxum, & ferè indolens, ex ipſo fundo vulneris erumpens. Bruno affectum huncce Nactam, Theodoricus Naptam, & Bertapalia Nattam appellat. Ego, cum Galeno *lib.* 1. de locis affectis, & 3. Epidem affectum huncce fungum rectè appellari poſſe, exiſtimo. Quemadmodum enim fungi ut plurimum una nocte ex terra prorumpere ſolent, ita etiam excreſcentia hæc ſubitò, imò etiam plerumque una nocte ex ipſo vulnere propullulant atq; excreſcunt. Præterea quemadmodum fungi ſunt laxi, molles & poroſi, veluti ſpongia, ita etiam excreſcentia hæc mollis eſt & laxa veluti ſpongia. Fungi propter maximam humiditatem terræ creſcunt, ita etiam excreſcentia hæc carnea, propter ingentem affluxum humorum ex toto corpore ad partem læſam ſubitò propullulat, & quidem in tantam molem, ut plerumque non tantùm totum vulnus adimplere, verùm etiam ipſius labia & margines obtegere ſolent, uti ego in aliquibus vidi. In hoc tamen differunt, quod fungi ex putridis & & corruptis terræ excrementis, hæc verò excreſcentia ex benignis ut plurimùm humoribus naſcantur, quemadmodum fuſiùs dixi obſervatione 36. Centur. 2. Porrò naſcuntur fungi in vulneribus articulorum, propter maximum quidem confluxum humorum, ex toto corpore, ſed ſumma naturæ providentiâ & beneficio Dei. Cum enim nihil magis inimicum ſit nervis, quàm injuria aëris is, præſertim frigidi, natura, quæ ſemper ſtudet, ut conſervare poſſit ſuum individuum, excreſcentiâ hacce nervos, aliaſque partes nervoſas ſauciatas & detectas, veluti culcitrâ plumeâ tegit atque cooperit, ne videlicet nervi, uti dixi, tum ab aëre, tum etiam inter curandum & abſtergendum vulnus, lædantur. Idem in vulneribus capitis, ubi membranæ cerebri detectæ ſunt, ſæpiſſimè accidiſſè memini, ut lector videre poterit. Obſ. 14. & 15. Cent. 1. Solent autem fungos hoſce comitari dolores ingentes, inflammationes & plura alia ſymptomata, de quibus antea cap. 4. dictum fuit. Hinc Chirurgi nonnulli commoti (exiſtimantes excreſcentias haſce cauſas eſſe ſymptomatum) eas forficibus, aut novaculâ abſcindére, vel cauſticis abrodére, non ſine ingenti damno & periculo ægri. Adaucta enim fuerunt ſymptomata omnia, præcipuè ab erodentibus, quorum acrimonia fungoſam hancce ſubſtantiam ad nervoſas partes detectas, facilè penetrare, eàſque lædere potuit. Ab initio itaque horum fungorum præſcripta Methodus, ratione hujus fungi, non eſt mutanda. Sed in debellandis reliquis ſymptomatibus, veluti ſunt dolor, inflammatio &c. progrediendum. Cum enim, ut ex præcedentibus colligitur, ſummo naturæ beneficio excreſcentia hæcce in cōmodum ægri fit procreata, non eſt abſumenda ab initio, donec nervi parteſq; nervoſæ carne ſatis fuerint tectæ, ut amplius ab externis injuriis lædi non poſſint. Sedato dolore, remiſſaque inflamatione, reliquiſq; ſymptomatibus, ſi fungoſa excreſcentia non remiſerit, eis quæ exſiccant, deprimenda eſt, à lenioribus tamen incipiendum. Primò itaq; ſequens pulvis, qui exſiccat, citra omnem tamen mordicationem, inſpergendus eſt,

R. Rad. Iridis, Florent.
Angelicæ an. ʒ iiij.
Ariſtolog. rotundæ, &
Corticum ligni guajaci an. ʒ ij.

Miſce, & in copia fungo inſperge, poſtea ſequens applica cataplaſma.

R. Farinæ fabarũ & Lupinorum an ℥ iiij
Fimi columbini ℥ ij.
Pulv. Roſarum rubearum
Myrtillorum

Cap. 23. bus cum fungis ex terra veſcentibus.

Differentia fungorum ex putridis excrementis cum fungis in vulneribus naſcētibus.

Injuria aeris inimica nervis.

Symptomata fungos comitantia.

Quando fungi in vulneribus abſcindendi.

Pulvis fungo inſpergēdus.

Cataplaſma.

Cap. 23. & 24.

Balaustriorum
Absinthii an ℥ij
Salis Marini ℥ij. Cum lixivio simplici, fiat cataplasma, applicetur calidè bis in die, inspersо prius pulvere prædicto, & filamentis adeò contecto, ut nihil humiditatis à Cataplasmate ad fungũ pervenire possit, ne propter acrimoniam Cataplasmatis fungus irritetur. Hoc per dies aliquot applicato pulvere, si fungus non flaccessit atque imminuitur, accipe prędicti pulveris ℥j. cui admisce Aluminis usti ℈j. vitrioli usti, & pulv. Mercurii præcipitati, rectificati, & loti an ℈ ß. Misce & insperge, uti dictum, cum applicatione Cataplasmatis. His remediis semper fungos in articulorũ vulneribus feliciter sanavi. Quomodo verò in fungis cerebri sit procedendum, videat lector Obser. 15. Centur. primę.

Admonitio.

Monitos autem velim esse Juniores Chirurgos, fungos in articulis, uti etiam qui ex denudatis meningibus cerebri prorumpere solent, etiãsi non illicò & subitò, sed pedetentim retrocedant, nequaquam tamen erodentia, multò minus septica applicanda esse, ea enim in vulneribus capitis mortem accelerarent. In vulneribus verò articulorum, dolores, inflammationes, aliaque gravissima symptomata de novo excitarent, curationemque retardarent.

CAP. XXIV.

De atrophia post Ichorem aut Meliceriam acrem articulorum exulceratorum, ejusq; curatione.

QUia plerumque Ichorem & Meliceriam acrem articulorum exulceratorum, atrophiam sequi videmus, non abs re esse duxi, si in gratiam tyronum Chirurgiæ, de ea hîc quoque aliquid annecterem. Est autem Atrophia, ut docet Galenus, de symptomatum causis libr. 3. privatio circa nutritoriam actionem, ac deficiens nutritio. Estque vel universalis vel particularis. *Universalis* est, quando totum corpus contabescit, extenuatur & absumitur: *particularis*, quando aliqua saltem pars ita afficitur: utramq; post Ichorem accidere posse, sæpissimè mihi in praxi videre contigit, uti postea exemplis demonstrabo. Fit autem quando vel totum corpus, vel saltem pars aliqua, sanguine succo & spiritibus ad sui nutritionem & vitam requisitis privatur, idque in Ichore acri, ex articulis profluente, hoc modo fit. Quotiescunq; propter doloris vehemẽtiam ac diuturnitatem, propter vigilias item, inquietudines & febris vehementiam, interna viscera, intemperie calida vehementer diu (uti sæpissimè fit in hoc morbo) molestantur, afficiunturque, ventriculus, hepar, lien, ac reliquæ partes, concoctioni primæ inservientes, imbecilles fiunt, ita etiam, ut plerumque propter diuturnitatem morbi & prædictorum symptomatum vehementiam, mesenterium, hepar ac lien, non solùm imbecilles fiant, verùm etiam plerumque in scirrum indurescant. Ex imbecillo itaque ventriculo chylus semicoctus, crassus & imperfectus sequitur, is cum ad venas meseraicas & hepar pervenerit, obstructiones sanguinemque crassum, viscosum, & ad nutritionem partium ineptum gignit, propter crassitiem enim & viscositatem, quam habet, ad vias illas angustissimas, venas capillares, & partes extimas & musculosas permeare non potest; contabescunt itaque partes, sequiturque atrophia universalis, uti videmus accidere tum in morbis Chronicis, tum etiam in acutis, & Ichore acri articulorum, si in longum tempus profluxerit. Vidi id in quadragenario quodam cive Lausannensi, Claudius nomine, cujus mentionem quoque feci capite primo. Ille enim cum ab initio morbum neglexisset, tandem propter doloris reliquorumque symptomatũ vehementiam in maximam cacochymiam incidit. Inde sequuta est atrophia universalis, ita ut ossa vix cute obtegerẽtur. Ex qua nunquã perfectè sanari potuit. Erat enim pauper, non habens unde requisitam victus rationem observare potuisset. Vixit quidem per annos aliquot, sed miserè claudicans per totam vitam.

Atrophia quid?

Atrophia duplex.

Causa.

Ex imbecillo ventriculo chylus

Anno 1622. juvenem Bernensem 12. annorum, Jacobum, Dn. Jacobi Habreuteri p. m. Filium, Ichore acri circa talum tam graviter laborantem, ut barbitonsor, cui curatio demandata fuerat, ipsum pro deplorato reliquerat, curandum habui. Ille similiter propter symptomatum vehementiam in tantam atrophiam incidit, ut corpusculum suum universum potiùs sceleton, quàm vivum corpus præ se ferret. Maximo cum labore tandem à me sanitati restitutus fuit. Ex atrophia quoque propter juvenilem ætatem, optimamque, quam observare potuit, victus rationem, convaluit, & nunc sine ulla ferè claudicatione incedit, currit ac saltat. Quid non potest juvenilis ætas? sed de hoc ægro alibi fusius. Fit quoque atrophia universalis quando pancreas indurescit. Impedit enim quo minus chylus ex mesenterio per venam portam ad hepar pertransire possit, uti Lector videre potest. Obs. 70. Cent. 1.

Atrophia particularis propter defectum atque penuriam sanguinis & alimenti, membro quoq; alicui peculiari accidere potest, reliquo corpore existente integro, varias ob causas, in primis verò si dislocationes circa magnas juncturas, veluti coxas & humores, sive ex causa interna, sive externa acciderint, & in situm naturalem repositæ non fuerint. Tunc enim caput ossis, extra locum suum delapsum, venas, per quas sanguis defluere solebat, comprimit, inde brachium aut crus, nutrimento suo destituitur & contabescit. Si tuberculi duri, aut scirrhi circa majora vasa, vel si inflicto vulnere ab scissa aut præter modum arctè ligata fuerint, idem accidere solet. Atrophia verò post Ichorem acrẽ articulorum accidit, non quidem ob dislocatiõnẽ, sed primò, quia vena aliqua magna ab ichore isto acri, ex vulnere circa coxam aut humerũ effluxo, erosa fuerit. Secundò, quando serosa illa materia ex corpore ad genua, pedes aut manus, cum impetu & in copia fluit, fit plerumq; ut subtiliores partes ultrò ad pedes, vel manus perfluant, quicquid autẽ crassum, vel viscosum est, circa

Ca... ju... a...

Atr... par... lar...

Cau... trop... post... rem Mel... acr...

circa humores ant coxas remaneat, viasque, per quas alimentum fluere solet, obstruat. Tertiò fit atrophia post Ichorem acrem, quando pars affecta propter summam imbecillitatem nutrimentum non attrahit, attractum non satis rectè concoquit, minus in nutrimentum convertit. Quartò accidit atrophia, quando pars aliqua corporis, puto brachium, aut crus, uti sæpissimè fit hoc morbo, diu nō movetur, motu enim partes corporis inpinguescunt. Testatur id Hippocrates lib. de Artic. his verbis: *Omnia quæ in corpore ad usum facta sunt, si quis moderatè ipsis utatur, & in his laboribus exerceat, ad quos singula sunt assueta, sic quidē sana sunt, & augescunt, & probè consenescunt, si verò quis non utatur, sed quiescat, morbosiora fiunt, & non augescunt, & citò consenescunt.*

De signis ut quicquam commemorem, supervacaneum est, Morbus enim per se satis manifestus, omnibusque cognitus est, minimè tamen negligendus, præsertim si atrophia universalis fuerit. Arguit enim, ut ex præcedentibus manifestum fit, internorū viscerum, præsertim venticuli, partiumq; concoctioni inservientiū, hepatisque (quod officina & scaturigo & sanguinis & alimenti, quo totum corpus nutritur) summam adesse imbecillitatem atque labefactationē, imò tantā, dico, adesse labefactationem, ut sanguinē pro nutritione corporis sufficienter generare, multò minus ad partes longinquas mittere, minus sit potens. Si senex post Ichorem acrē fit claudus, vix ab atrophia curabitur, præsertim si victus rationē exactè non observaverit, uti ex præcedenti historia de Lausanensi, colligere est. In juvenib⁹ verò non ita est periculosa.

Atrophia ex inveterata dislocatione in senibus incurabilis est, in juvenibus non item. Vasa enim ab osse compressa, qui nondum induruerunt, paulatim aliquo modo prolongantur, ita quidem, ut sanguis ac spiritus pro nutritione partis commodè perfluere possit.

Atrophia si propter majorū vasorum arteriarum videlicet & venarum erosionem, uti sæpissimè fit in Ichore, fuerit, insanabilis est. Sin propter tumores duros & scirrhosos vel deniq; propter retentam aliquam materiam crassam & viscosam circumcirca vasa majora, aut in ipsismet vasis fuerit, nonnisi maxima cum difficultate sanabitur: præsertim in senibus.

In curatione atrophiæ tam universalis quā particularis, semper ad causam respiciendū est. Ablata enim causa, tollitur quoq; effectus. Si itaque propter obstructionem atq; labefactationē viscerum, & appetentiam prostratam, fuerit atrophia, uti sæpissimè fit post Ichorē acrem articulorū, viscera sunt reseranda & corroboranda, idq; fit medicamentis, tum per os sumptis, tum etiam exterius adhibitis, non neglecta victus ratione, de quibus omnibus capite præcedenti satis dictū fuit, superest itaq; de cibis insigniter nutrientibus, qui in hoc affectu magnopere requiruntur, aliquid adscribam. Ante omnia autē sciant juniores Medici & Chirurgi, dandam esse operam, ut corpus, quantum fieri potest, sit mūdum. Impura enim corpora, à cibis etiā optimis & insigniter nutrientibus, non nutriuntur, sed magis magisq; pravis humorib⁹ replentur. Quicquid enim boni ingeritur id à pravis & vitiosis humoribus, visceribus inclusis, corrumpitur. Testatur id Hippocr. lib. 2. aphor. 10. quibus autem medicamentis corpus leniter sit expurgandum, capite de cacochymia dictum fuit. Nutrimenta omnia sint talia, quæ concoquantur digeranturq; facile, & bonum succum procreant, quò natura eis substantiam corporis exsiccatam atq; extenuatam partes etiam procul à fonte caloris nativi sitas, sine magno negotio irrorare, humectare atq; reficere possit. Inprimis conveniunt juscula carnis boum juniorum, vervecum, gallinarum, caponū, perdicum, columbarum & similium, in quibus vitella ovorū dissolvantur, poterunt quoq; cum prædictis jusculis amygdalæ aut pistaciæ dissolvi, & veluti amygdalatū exhiberi, hujusmodi juscula facilè concoquuntur, & in nutrimentum transeunt. Cavendum tamen, ne extremitates animaliū, sive fuerint quadrupedum, sive volatiliū, addantur. Continent enim in se succum ac nutrimentum nimis viscosum, quod obstructiones parit. Capite de cacochymia jusculum, quod Regiū appello, præscripsi, quo ego sæpissimè maximo cum fructu in eis, qui propter cacochymiā vel hydropem extenuati erant, usus sum, quod & hîc sūmopere convenit; non tantùm n. nutrit, verùm etiam obstructiones simul aperit, & proinde chylus atque nutrimentū, quod ex eo provenit, facilè etiam ad longinquas partes corporis pervenit. Insigniter nutriunt cremor hordei, & avenæ decorticatæ: præsertim si gallinam, caponem, aut frustū carnis vervecis jusculo simul incoxeris. Cavendum tame, nne præter modum coquatur hordeū aut avena, ne nimis viscosum reddatur jusculum. Convenit quoq; usus lactis in atrophia, inprimis autem lac muliebre, uti & vaccinum, ovium, & asininū. An. 1597. matronam 63. annorū curādam habui, illam, quū propter herniam intestinalem, in gangrænā degeneratā, præter modū extenuata & emaciata fuisset, remissa febre, beneficio lactis muliebris post Deum in integrū restitui, & in 15. usq; annum post curationem supervixit. De gravissimo hocce affectu vidat Lector. Observ. 55. Cent. 1. Singulis autē matutinis, absoluto somno, maximū haustū lactis ex juvencula, & optimo corporis habitu prædita, rustica, ad lectū ægræ emulctū, ægræ propinavi. Deinde circa decimā prandebat. Aliud habeo exemplū memorabile de præstantia lactis muliebris. Dn. Jacobi de Tribus Paterniacensis filiolus, quatuor annorum ætatis, post Dysenteriam gravissimam Lyenteria correptus fuit, quam secuta est periculosa atrophia, ita ut ossa vix cute obtegerentur. Juscula & quicquid assumebat, indigestè iterum per secessum excernebat. Suasi ut mater infantem semestrem, quem lactabat, nutrici alicui committeret, periculumque faceret, an atrophiam hancce ac summam extenuationem corporis, cum labefactatione viriū, lacte suo reficere posset. Mater consilium, infans verò papillas celeriter arripuit, & cum

Cap. 24.

Nutrimēta ad concoctionem facientia, & succum bonum procreantia.

Extremitates animalium in obstructionibus perniciosæ.

Jusculum Regium.

Observātia de præstantia lactis muliebris.

Observ. alia de præstātia lactis Vide Obs. 47. Centur. 2.

Cap. 25. aviditate exsuxit, omnemque cibum in posterum respuit. Hæc cum ego viderem, & de salute ægri spem aliquã conciperem, singulis diebus regionem ventriculi, totumque abdomen sequenti unguento bis calidè inungere jussi.

Linimentum pro ventriculo.

R. Ol masticis &
Menthæ an. ℥j.
Ol. nucis Muscat.
Gummi Tacamaacæ pinguissimi ℨj.

Terantur omnia lentissimo igne, percolentur & reserventur in vase vitreo. Hisce præsidiis convaluit, & permultos annos supervixit; Egregiè quoq; nutriunt vitella ovorum, & quæ ex eis conficiuntur edulia, modò ne sint dura cocta. *Instaurativum.* Instaurativum longè excellentissimum hoc modo præparo, ægrisque ex morbo præter modum extenuatis, maximo cum fructu exhibeo. Accipio caponem, vel eo deficiente gallum aut gallinam exenteratam, extremitatibusque abscissis, carnem ossaque nonnihil contundo, postea in vas stagneum amplum atq; spaciosum projicio, addo nonnihil cinamomi, & si in promptu est, perdicem. Poculum sive vas stagneum, vesica bovina madefacta, linteove forti diligenter claudo, & in duplici vase coquo per horas sex; per se refrigerato ferè poculo, sive vase, carnem per pannum colo, succumque carnis ægro exhibeo· *Instaurativum nutrimẽtum præstantissimum.* Est enim præstantissimum nutrimentum. Adjiciunt nonnulli aurum, corallia, lapidèsque pretiosos. Id unicuique integrum est, ea vel adjicere vel omittere. Ego cum doctissimo D. Sennerto & aliis sic sentio, ea ita fixa & compacta esse, ut eorum vis hoc modo extrahi nullo modo possit. *Aquam ex carne distillatã parum nutrire ostenditur.* Nonnulli quoque carnes, adjectis coralliis, margaritis & auro per alembicum distillant, sed revera parũ nutrire aquam, quæ exstillat, expertus sum. Nam alimentosa pars carnium viscosa & stabilis est, difficulterque transpirat, ut Galenus lib. de Marcore cap. 9. scribit, quapropter addit Sennertus, glutinis instar habet, seu ut Chymici loquuntur, minus volatilis, sed fixior est, quàm ut calore balnei in altum attolli possit. Quicquid verò in altum balnei illo calore elevatur, maxima ex parte vapores aquei sunt, qui nullam nutriendi vim habent.

Aliud instaurativum. Aliud instaurativum longè excellentissimũ phthisicis extenuatis, & atrophia laborãtib⁹, hoc modo conficere soleo; Accipio carnem illam musculosam, quæ sternum caponis vel gallinæ opplet, probè coctam, & minutim concisam, projicio illam in mortarium, & adjectis nucleis pinearum, pistacearum, & amygdalar. dulc. ana ℨß. Omnia pistillo contundo, cum jure caponis, quantum satis, addo nonnunquam aliquid sacchari, vitellum unum aut alterum ovi, parumque aquæ rosaceæ, & inter duos catillos super carbones coquo ad consistentiam pultis. Nutrit quoque plurimùm caro perdicum, turdorum, & avium nemoralium, caro gallinaginis sive rusticulæ, non tantùm nutrit, verùm & in obstructionibus convenit. *Quibus per intervalla piscibus vesci liceat.* Pisces parum nutriunt, si quis tamen per intervalla eis uti voluerit, saxatiles, veluti trutam, percam, salmonẽ lucium; item carnem caudarum & chelarum, gammarorum, & hujusmodi eligat.

Pro potu utatur æger lacte amygdalarum dulcium, aut emulsionibus pistacearum, & pinearum, vel decocto hordei, Liquiritiæ, & uvarum passularum exacinatarum, sacchero vel quod melius est, melle despumato, parumque Cinamomi, aromatizato; Vinum, si æger bibere voluerit, subdulce, album, benè defæcatum, vetus, minimèque generosum sit. Qui cerevisia utuntur, eligant sibi cerevisiam quàm optimè defæcatam, benè coctam, nec nimis recentem, crassam item & spissam. Crassa enim cerevisia quia plurimum frumenti habet, plurimùm quoque nutrit. Hæc de cibo ac potu. Quoad exercitium, sit illud modicum; Sin verò propter imbecillitatem corporis deambulando aut equitando æger sese exercere non poterit, fiant frictiones, primò cum linteis calidis, postea cum succo lumbricorum, cujus modum præparandi petat Lector ex tractatu meo de Gangræna & sphacelo capite 13. in fine. Frictiones bis in die fiant, præcipuè tempore matutino, antequam æger Lecto egrediatur. Tunc enim quia pori sunt aperti, medicamentum facilius penetrat. Aër sit temperatus, calidus & humidus; somnus & vigiliæ mediocres conveniunt.

In Atrophia particulari, commemorata omnia, videlicet victus ratio, exercitia & frictiones, inprimis verò succus lumbricorum, & oleum nostrum de ranis, uti & aqua, quæ in præparatione colligitur, mirum in modum conveniunt. Oleum meum de ranis sequenti modo præparo.

R. Ranarum viventium num. XII.
Lumbricorum in aqua lotorum M. iij.
Florum & foliorum betonicæ
Ivæ artheticæ an. M. ij.
Rosmarini
Majoranæ
Florum primulæ Veris
Lavendulæ
Salviæ
Chamomillæ
Meliloti an. M. j.

Omnia cum ranis & lumbricis incidantur, & in mortario conquassentur, projectis postea in curbitam affunde

Aquæ Juniperi sine vino distillatæ ℔. vj.
Olei olivarum ℔. vij.
Axung. humanæ
Felis
Canis &
Muris Alpini an. ℥ij.

Maneant in infusione horas 24. postea cucurbita suo capitello tecta, ponatur in arenam, & tam diu coquatur, donec tota ferè aqua sit exstillata. Oleum adhuc tepidum per prælum exprimatur, & reservetur ad usum. Odor, qui aliquantum gravis est, additione nunc olei salviæ, nunc Olei gravorum Juniperi, spicæ, vel ol. ex floribus Slotani, emendari poterit. A-

quæ, quæ exstillavit, & in ampulla spaciosa collecta fuit. sequentia adde.

Cinamomi optimi
Gariophillorum
Nucis Muscatæ
Zinziberis.
Curcumæ
Macis
Cardamomi
Piperis ana ʒj.
Croci ʒß.

Contundantur grosso modo, misceantur fiatq; infusio in prædicta ampulla, per Mensem integrum. Aqua hæc per inclinationem & expressionem separata, prestantissima est in affectibus nervorum & nervosarum partium: dummodò inflammatio aut intemperies calida non adfuerit. Manifestè enim corroborat, & circa nervos & articulos humores frigidos absumit. Odor ipsius aliquo modo gravis additione aquæ granorum Juniperi, spicæ, aut Cinamomi castigatur. Oleum similiter, ut dixi, coctum, postea per prælum expressum, in articulorum nervosarumque partium doloribus, & proinde in Ichore & Meliceria Celsi summũ est remedium.

In præparatione autem & coctione hujus olei id observandum est, totam illam aquam Juniperi, quæ herbis affusa, simul & succum ranarum & lumbricorum nequaquam elici posse. Oleum enim, quod aquæ supernatat, & in opere spatula in alembico deturbari & agitari non potuit, impedit, quo minus tota aqua exstillet. Post distillationem itaque expressum oleum à subsidentia separandum, & seorsum conservandum est. Idem de subsidentia Olei intelligo, quæ separatim quoque in ampulla per annos aliquot conservari potest, dummodò oleum commune sit affusum; Subsidentia hac utor in cataplasmatibus, linimentis, aliisque medicamentis dolorem sedantibus, discutientibus, & resolventibus. Propter succum enim ranarum & lumbricorum, præstantissimum est medicamentum, quapropter etiam in colicis doloribus, uti & in Dysenteria utiliter Clysteribus admiscetur.

Si oleum de ranis in promptu non fuerit, paretur sequens linimentum.

R. Ol. lumbricorum ℥ij.
De piberibus de Euphorbio
Castorij an. ℥j.
Ol. granorum Juniperi ʒij.
Misceantur, vel
R. Axungiæ Equi Ramschmaltz
Axungiæ humanæ
Vrsi
Muris Alpini an. ʒj.

Misceantur & addantur Lumbricorum exsiccatorum, & subtilissimè pulv. ℥j.

Euphorbii
Piperis longi
Pyretri an. ʒj.

Misceantur, fiatque linimentum, quo tota pars affecta quotidie bis calidè inungatur, donec ruborem concipiat.

Cap. 25.

Si durities aliquo in loco partis affectæ adfuerit, & transitum nutrimenti & spirituum retardaverit emolliendæ & resolvenda est sequenti fomento.

Sacculus emolliens

R. Radicum altheæ
Liliorum alborum
Brioniæ &
Ebuli ana ℥ß.
Foliorum altheæ
Malvæ
Betonicæ
Florum Chamomillæ
Meliloti
Sambuci ana M. ß.
Seminis lini
Fœni græci an. ʒiij.
Anisi. ℥j.


Incidantur & contundantur omnia grosso modo pro sacculo intersuto, qui aqua coquẽdus & calidè applicandus est, ter quaterve in die; post fotum inuncto loco affecto oleo lumbricorum, liliorum alborum & ungu. de althea, emplastrum de Mucilaginibus, vel Osypi Philagrii aut de ranis sive Mercurio; convenit & emplastrum de Cicuta, mirum enim in modum emollit & resolvit.

CAP. XXV.

De rigidis & in unum concretis articulis, post curatum Ichorem & Meliceriam.

Frequenter post curationem Ichoris & Meliceriæ, juncturam adeò rigidam & induratam remanere videmus, ut neque in hanc, neq; in alteram partem deflecti possit. Hic plerumq; in longum tempus Chirurgos diu multumq; laborare vidi, quo juncturam, nervos & ligamenta emollire possint, sed oleum atque operam perdiderunt. Ichor enim ille, qui ex toto corpore ad articulum vulneratum fluit, & ut antea dixi, acrimoniam contrahit, primò ligamenta & vincula, quæ articulum cingunt, deinde etiam cartilagines, quib⁹ junctura incrustata est, erodit & absumit. Hinc fit, ut ossa à suis cartilaginibus & vinculis denudata, inter se per callum (quod ante me nullus, quod sciam, observavit) tam firmiter coalescant, ac si nunquam ea in parte fuisset articulus. Hoc multis paradoxum esse videbitur. Ego verò expertus loquor. Habeo enim in Musæo meo ossa in Cæmiteriis & ossuariis reperta, in quibus, id evidenter apparet: & primò ossa brachij sinistri, hominis consistentis ætatis, quæ in cubito mediante callo tam firmiter & eleganter sunt connexa atque concreta, ac si continuum esset os, ac nunquam adfuisset junctura. Hoc quia, ut dixi, à Medicis nondum, quod sciam, observatum fuit, figuram horum ossium annectere placuit.

Observatio nova authoris.




Hujus connexionis ossium in cubito causam fuisse fracturam ossis brachii, & fracturam non satis rectè repositam fuisse, extuberantiæ, & prominentiæ Calli A. & B. notatæ, fidem faciũt. Propter asperitatem itaque & prominentiam fragmentorum ossis fracti, sequutum fuisse dolorem maximum, inflammationem & affluxum ingentem humorum cubitum versus, verisimile est, inde in cubito hydrarthros ortus fuit, à quo primò erosa fuerunt ligamenta & vincula, quæ articulum cingunt, ita ut humor ille lentus ac viscidus, qui articulis naturaliter inest, affluxerit. Postea à prædicto Ichore acri crustulæ illæ cartilagineæ, quæ appendices ossium tegunt, erosæ quoq; fuerunt, & ita quidem, ut partes spongiosæ apophisium tam ossis humori, quàm etiam radii minoris, & focilis majoris invicem attingerent: inde factum est, ut ex nutrimento, ad utrumq; os dilato, callus productus fuerit. De miranda hacce concretione ossium videat lector Obs. 77. Cent. 3. & Epistol. ad Dom. D. Pavium Anatomicum celeberrimum.

Dolor, inflammatio, humorum afsluxus ex fragmentorum ossis fracti asperitate.

Habeo præterea in Musæo meo os ilei, hominis ætate provecti, in ossuario repertum. In hoc osse caput femoris suo acetabulo tam firmiter simul & eleganter innatum est, ac si cum osse coxendicis unum & quidem continuum esset os, ita ut an unquam ibi fuerit junctura, non nisi artis peritis notum sit, uti ex annexa figura apparet. In qua partem sanam ægræ opposui, ut affectus eò melius cognoscatnr.

✲



Ex oculari autem inspectione etiamnunc manifestũ fit, femur à majore, sive exteriore processu, usque ad interiorem, sive minorem, ubi os ✲ signatum est, olim glande plumbea trajectum, mirumque in modum confractum, & quamplurima ossicula extracta fuisse, hinc femur brevius altero evasit, ut ex figura apparet. Globulum autem plumbeum prædicto modo os perforasse, inde conjicere licet, quod foramen in osse circa processum majorem parvum, ex adversa verò parte ✲ notata, magnum exstat. Experientia enim docet, globulũ in suo ingressu parvum, in egressu verò magnum relinquere foramen. Porrò cũ femur tam prope juncturam perforatũ, mirumque

que in modum fractum comminutumque fuisset, dolores ingentes, & affluxus humorum supervenissent, erosa fuerunt ligamenta & cartilagines, ita ut caput femoris cum suo acetabulo mirando quodammodo in unum concreverint. Vidi id quoque in aliis corporis juncturis& præsertim in digitis. Habeo præterea in Musæo meo crus integrum, hominis consistentis ætatis, in quo femur cum osse tibiæ in genu ipso tam eleganter connexum est, ut ne Vestigium quidem juncturæ appareat. Imò & rotula ipsa, mediante callo tam arctè annexa est genu, ut nullo modo separari possit, sed ita incurvatum genu ut certum sit illum grallâ incessisse. Addidissem effigiem hujus cruris, sed vereor lectori odiosum esse, librum figuris minus necessariis onerare. Mirum autem, verissimum tamen est, plerumque ex connexione hacce ossium, membrum, non debilius, sed robustius, quàm non fuit antea, evadere, dummodò in curatione, membrum, ut postea dicam, insitum aptum collocatum fuerit. Exempla vidi primum in rustico quodam in agro Bernensi, de quo vide Cap. 2. hujus tract. Item Cent. 4. Observ. 88. Ille enim aliquoties sanctè mihi affirmavit, se in hac manu post curationem plus roboris, quàm antea habere. Aliud exemplum annotatione dignissimum vidi Coloniæ Agrippinæ, in nobilissimo quodam viro, ad quem unà cum Clarissimo & doctissimo viro Dom. *Henrico Stapedio*, Medicinæ Doctore celeberrimo, & *Renero Slotano*, pharmacopæo Excellentissimo, vocatus fui Anno 1612. 6. Septembris. Ille ante aliquot annos ad dextrum cubitum vulnus ense receperat. Ex quo gravissima symptomata orta fuere, tandem quoque Ichor gravissimus, ossiumque in cubito connexio sequuta est, & ita quidem, ut junctura rigida & immobilis facta fuerit. Infinitorum propemodum Medicorum, Chirurgorum, atque agirtarum, consilio usus fuerat, sed frustrà. In hunc itaque finem accersitus fui, ut ex me intelligeret, an Medicamento aliquo apto atque idoneo, durities atque rigiditas illa articuli tolli, ac membrum in integrum restitui possit. Quum verò ipsi significarem, ossa ipsa in cubito per callum connexa esse, non tantum ipse æger, verùmetiam adstantes omnes non parùm admirati fuerunt & de hac connexione articulorum, se nunquam audivisse, neque apud authores legisse, affirmarunt. Commemoratione autem dignum est, nobilem huncce virum hoc brachio aliquantum incurvato, tam robustum, tamque validum fuisse, ut cuivis etiam robustissimo viro, in certationibus par propemodum fuisset. Ante omnia autem necesse est, ut Chirurgus perpendat, an articulum prædicto modo coaluerit nec ne? Si enim per callum connexus fuerit, frustrà erunt omnia, quæ adhibebit. Vidi id anno 1618. in Basiliensi quodam viro juveni, cui propter Ichorem & Meliceriam cubitus connexus, & ita concretus fuit, ut junctura nullo modo moveri, flecti, aut extendi posset. Ego cùm, unà cum clarissimo & doctissimo viro Dom. *Ioh. Friderico Wartenbergio*, Doctore Medico Celeberrimo, in cõsilium vocatus essem, & coalitionem hancce juncturæ observassem, etsi omnia frustra futura prædixerimus, rogarunt tamen parentes, ut tentativam, ut vocant, curationem institueremus. Corpus itaque purgavimus, fomenta, olea, emplastra, & Cataplasmata Emollientia per mensem ferè integrum applicuimus. Deinde ad Instrumenta sequenti capite delineata pervenimus, omnia quę tentari potuissent, tentavimus, verùm laboris nostri fructu & industria privati fuimus. In hujusmodi itaque affectibus nihil aliud tentandum est, quàm ut membrum corroboretur, de quibus posthac capite 30. dicturus sum.

Cap. 25.

Admonitio ad tyrones.

Interim autem dum Chirurgus circa articulos, hoc morbo affectos, occupatus est, si de concretione ac coalitione juncturæ dubitaverit, necesse est, ut maturè perpendat, quisnam situs mẽbri aptior commodiorve futurus sit ęgro? Si enim brachium in cubito malè affectum fuerit, præstat ut si incurvatum potius, quam rectum & extensum. Idem de digitis censendum est. Sciat tamen Chirurgus, digitos hoc modo affectos, non semper incurvari posse. Si enim ulcus ex interna parte digiti; & nervi digitum flectentes erosi & putrefacti fuerint, digitum verò extendentes illæsi permanserint, vix fieri potest, ut digitus incurvetur, Sin verò nervus digitum extendens erosus fuerit, facilè incurvabis digitum. Cum crure verò longè alia est ratio: si enim malum genu, aut coxam infestaverit, longè commodius erit ægro, si crus extensum, quàm si incurvatum fuerit. In curvato enim crure, ęger absque gralla vix incedere potest, uti ego in aliquibus vidi. Apparet id quoque ex præcedenti figura, ubi caput femoris non solùm acetabulo suo adhæret, sed & in transversum detorsum est, ita ut ægrum nunquam incedere imò nec gralla uti potuisse, ex situosis satis appareat. Videat quoque Chirurgus ut ossa, interim dum per callum connectuntur, rectè se attingant ne unum ad latus alterius extuberantiam deformitatemque faciat, & imbecillitas perpetua istius membri sequatur.

NB.

Cap. XXVI.

De retractis nervis, & incurvatis juncturis, post Ichorem & Meliceriam.

Retrahuntur plerumq; nervi in hoc affectu, & incurvantur juncturæ, sine coalitione tamen ossium. Cum enim, propter dolorem maximum ac diuturnum, æger membrum extendere non potest, retrahantur nervi, & à calore isto præternaturali ac inflam̃atione, quæ membrum læsum infestat, exsiccantur, & aridi fiunt, ita ut postea non nisi maxima cum difficultate extendi possunt.

Diligenter autem hic affectus cum præcedenti distenguendus est, ne error in curatione committatur; si enim articulus per callum concretus fuerit, frustra adhibebuntur omnia, sin minus, curatio sequenti modo instituatur. Primò observanda est optima victus ratio. 2. Corpus clementer expurgandũ, de quibus in præcedentibus abundè dictum fuit. Tertiò, omnibus modis humectandi & emolliendi sunt nervi, partesque nervosæ, ubi sequens convenit fomentum.

Curatio.

Cap. 26.

Fomentũ emolliens & corroborans.

R. Radicum altææ
Liliorum alborum
Brioniæ &
Ebuli an. ℥ ß.
Foliorum & florum betonicæ
Ivæ arthriticæ
Rosmarini
Majoranæ an. M. ß.
Florum chamomillæ
Meliloti
Sambuci an. M. j.
Seminis lini
Fænigræci an. ℥. j.
Anisi &
Anethi an. ℥ ij.

Incidantur & contundantur omnia grosso modo, coquanturque in jure capitis & pedum vituli aut vervecis; in hoc decoctum immergatur membrum malè affectum bis aut ter in die, per horam unam aut alteram, prout ægro libuerit. Aut fiat sacculus ex præscriptis herbis, qui in prædicto iusculo coquatur, calidè applicetur, & per noctem relinquatur. Abstracto sacculo, & linteis calidis absterso membro, inungatur sequenti linimento calefacto.

Linimentum emolliens & corroborans.

R. Olei nostri de ranis cujus descriptionem habes cap. 24.
Ol. ex floribus an ℥j.
Ol. Lumbricorum
Vulpini
Amygdalarum dulcium
Pinguedinis Muris Alpini an ℥ß. Misce.

Aut

Aliud.

R. Ungu. de althea ℥j
Pinguedinis humanæ
Anseris & caponis an ℥ ß
Ol. Lumbricorum ℥j
Ol. Granorum juniperi ʒij. Misce.

Emplastra quæ post inunctionem applicanda.


Post inunctionem applicetur emplastrum aliquod insigniter Emolliens, uti est Empl. de Meliloto, de Mucilaginibus cum gummis, vel Emp. Oesypi Philagrii. Hoc modo bis in die curãdus est affectus, donec satis emolliti fuerint nervi, & junctura ipsa. Tum adaptandum est membro unum ex sequentibus instrumentis, stupis, gossipio, linteisque munitum, quod dies noctesque relinquatur, & pro arbitrio, & secundum tolerantiam ægri extendatur & incurvetur. Singulis tamen vel alternis diebus instrumentum amovendum, membrum inungendum, Emplastrum quinetiam renovandum est. Horum instrumentorum beneficio membrum incurvatum extendatur, lentè tamen, ne dolores oriantur, & gravissima symptomata de novo subsequantur.

Omne violentum periculosum.

Omne violentum enim periculosum. Interim autem dum genu appositum est instrumentum, deambulando blandè se se, si ullo modo fieri potest, exerceat æger. Sin brachium incurvatum fuerit, nunc autor sum, nunc retrorsum, sursum aut deorsum moveatur.


Cubitos incurvatos nonnunquam, sine prędicto instrumento, in pristinum statum reduxi hoc modo: Iussi ægro, ut pręter prædicta Emollientia singulis horis manu ponderosum quid, veluti ahenam lapidibus oneratam, arriperet, & deambulando hinc inde portaret. Est quidem extemporaneum sed non spernendum præsidium, quo in multis felici cum successu usus sum, etiam hoc anno 1632. in filio nobilissimi ac strenui viri Dom. Iodoci à Diesbach &c.

Instrumenta ad cubitos & genua incurvata, ex magna Chirurgia Gualtheri Riff *deprompta.*



Aut utere sequenti Instrumento, ex nostra inventione, quod quivis parvo cum negotio & & sumptu habere, & tam ad genua, quàm cubitos incurvatos, adaptare potest:

Instru-



Instrumenti præfigurati
Explicatio.

Capsulam ex ligno fabricatam, tam in prima, quam in secunda figura denotat.

Annulus est ex lamina ferrea, ejus latitudinis, ut genu totum possit amplecti, fabricatum. Is autem in prima figura apertus, in altera verò clausus,& genu amplectens conspicitur. Ut autem eò melius adaptari possit, pars illa,quæ rotulam respicit, aliquantum excavata sit, necesse est.

Torcular existit,beneficio cujus annulus capsulam versus trahitur, aut quantam opus est, in altum elevatur.

Tam in primæ quàm secundæ figuræ parte una claviculum, altera verò foramina denotat, quorum beneficio annulus tantum,quantum necesse est, constringitur vel laxatur.

In prima figura cardines, quibus annulus clauditur aperiturque,denotat. Aperto itaque annulo, collocataque tibia in capsulam, annulus circumcirca genu adaptandus est,stupisque undiquaque & linteis muniendus: postea clavis & foraminibus, D.D.D. notatis claudendus. Habet præterea fibulas duas, F.F.F.F. denotatas, & lora duo G.G.G.G. signata, quorum beneficio tibia capsulæ alligatur. Circumducto præterea torculari C.C. notato à dextra in sinistram,annulus, simulq; genu,capsulam versus trahitur, extenditurque tibia tantum, quantum Chirurgo opus esse videbitur. Porrò torcular ut liberè in annulo circumvolvatur, necesse est; ideoque ex interiori sua parte nodum habet H. notatum.

I. Lamina est ferrea, quæ capsulæ mediantibus duabus claviculis firmiter annexa est, ut in ea torcular commodè circumvolvatur.

CAP. XXVII.

De ulcere sordido, post Ichorem & Meliceriam, ejusdemque curatione.

GRavia sunt symptomata præcedentia, quæ verò sequuntur, videlicet ulcus sordidum, putridum, & cum osse corrupto, periculo quoq; non vacant; plerumque enim hominem vel interimunt, vel per totum vitæ suæ cursum miserè affligunt. De ulcere sordido, de quo in hoc capite acturus sum, exemplum singulare habeo.

Vlcera sordida mortifera & plurimum.

Nobilis quidam in Ducatu Brunsvvicensi, *Conradus à Steinberch*, Vir juvenis, robustus, optimoque corporis habitu præditus, cum in Belgio militaret, & quadam die in acie contra hostem strenuè pugnaret, ictu sclopeti ad sinistram rotulam vulnus recepit. In proximam urbem quidem conductus, ibidemque à Medicis & Chirurgis curatus fuit. Interim tamen propter doloris vehementiam atque diuturnitatem hydrarthros sequutus est, quapropter in patriam deportatus fuit. Ubi per multos annos ingentes dolores & cruciatus perpessus est. Ichor enim acris cùm ad tempus fluxisset, in sordidissimum ulcus degeneravit, cum tanto dolore, ut vix suffulcris incedere posset. Tandem Anno 1582. Dn. Cosmas Slotanus Medico-Chirurgus longè præstantissimus, præceptor meus æternùm honorandus (apud quem tunc temporis artem meam exercebam) in arcem *Bodenberg* in ducatu Brunsvvicensi, prope *Hildeshemium*, ad prædictum nobilissimum Virum vocatus fuit, ad quem cum pervenissemus,genu mirum in modum intumefactum reliquum verò crus extenuatum invenimus. Genu variis in locis ulceribus sordidis scatebat,cum ossibus cariosis, & doloribus maximis, qui dies noctesque ipsum exercebant. Hinc viscera omnia

Observatio singularis de ulcere sordido.

Hydrarthros ex doloris vehementia.

Cap. 27. nia interna mirum in modum labefactata & obstructa fuerant. Mansit Dominus Slotanus apud ægrum in arce Bodenberg per menses aliquot, ubi illam adhibuit diligentiam, ut æger non parum sublevatus fuerit, omniaque ad optatum scopum tendere videbantur, quapropter ut in curatione progredi vellet Slotanus, sedulò contendebat æger. Cùm verò Dn. Slotanus à Principe suo Dusseldorpium vocatus esset, nec ægro amplius adesse posset, camerato vehiculo Dusseldorpium se vehi curavit, ubi per menses aliquot in ædibus Dn. Slotani decubuit, interim à tribus istis præstantissimis Medicis, videlicet Dn. Renero Solinandro, Dn. Galeno Wiero, ac prædicto Dn. Slotano, ea qua fieri potuisset, diligentia curatus quidem, non tamen sanatus fuit. Propter maximam enim obstructionem labefactationemque internarum partium, tandem, & quidem in ipsis vigiliis Divi Michaelis, piè placidèque obdormivit. Anno 1582. Squenti die, cùm coram prædictis Medicis, item Dn. Hermanno Hagio, Med. Candidato, & Dn. Wilhelmo Flodorpio, cadaver apperuisset Slotanus, interiora viscera omnia, præsertim hepar, mirum in modum à naturali statu decessisse vidimus, & in vesica fellea lapidem nucis muscatæ magnitudine & figura invenimus. Genu cum inspexissemus, ligamenta, cartilagines ipsaque ossa putrilagine infecta & consumpta erant. Cadaver Dusseldorpiæ à nobis conditum, & ad suos in patriam deportatum fuit. Hujus lapidis in vesica fellea reperti, meminit *Renerus Solinander* Consiliorum Medicinalium sect. 5. Consil. 16.

Lapis in vesica fellea repertus.

Historiam hancce non tantum in memoriã optimi ac nobilissimi hujus Viri Dn. Conradi à Steinberch adscribere volui, verùmetiam, ut Chirurgus magnitudinem hujus morbi inde videat, eumque præcavere edisćat. Si enim ab initio recta ac Methodica curatio à Medicis & Chirurgis instituta fuisset, tam gravia symptomata procul dubio non supervenissent. Hydropem enim articulorum, sive Synoviam, ut Paracelsus testatur, ex ignorantia Medici aut Chirurgi provenire, ab initio Cap. secundo demonstratum est, Ichor enim acris non fluit, nisi error in curatione, sive à Medico, sive ab ipso ægro commissus fuerit. Ego jam in quinquagesimum annum ferè usque praxin Chirurgicam exerceo, ac interim sæpissimè articulos sauciatos curandos habui, per Dei tamen gratiam, nunquã symptoma hoc ægris meis supervenit, benedictus sit Iehova. Apud Dom. Slotanum quoque, cui in sextum annum inservivi, neque apud alios rationales Medico-Chirurgos, illud vulneratis supervenisse memini. Nunc, quomodo instituenda sit curatio, annectam.

Synovia sæpe ex ignorantia Medici.

Ante omnia præscribenda est optima victus ratio, expurgandumq; corpus secundum humoris peccantis naturam, partes quin etiam nobiles corroborandæ sunt, de quibus *cap. 22.* de Cacochymia satis superque dictum fuit. Post hæc ulcus diligenter explorandum est, si enim angustum fuerit, inprimis dilatare operę pretium est, idque fit turundis, vel ex spongiis præparatis, vel radicibus gentianæ factis, & mundificativo aliquo inunctis. Aut si citra periculum fieri potest, caustico ex solo capitello facto, cautè tamen agendum est, ne nervi partesque nervosæ lædantur, & dolores de novo excitentur. Satis aperto atque dilatato ulcere, si sordidum saltem & sine carie ossis fuerit, non usque adeò laboriosa erit curatio, imponatur itaque sequens mundificativum.

Modus curandi.

Remediũ pro ulcere angusto.

R. Mellis rosacei ℥ j.
Therebint. non lotæ ℥. ß.
Pulv. radicum aristologiæ rotundæ
Mirrhæ
Aloes
Thuris an. ʒ j. ß.

Misceantur in mortario, addendo Croci ℈j. Vitellum unius ovi, ad sedandos dolores, si supervenerint.

Aut

R. Pulveris radicum gentianæ
Iridis Florentinæ
Ligni Guajaci &
Farinæ Lupinorum an. ʒ ij.
Summitates centaurij, hyperici, &
Scordii an. ʒ j.
Therebinth. non lotæ ℥ ß.

Mellis rosacei q. s. fiat in mortario unguẽt. Mercurium præcipitatum præstantissimum esse medicamentum in omnibus ulceribus, indies experior; Inspergo ipsum per se, vel hoc modo in forma unguenti filamentis impono,

R. Mercurii præcipitati, rectificati, & aqua rosocea & plantaginis loti ʒ ij.
Unguenti rosati. Mes. ℥ j.
Ceræ ʒ j.

Misceantur diligenter in vase vitreo, spatulâ ligneâ. Mundificant quoque ulcera sordida ac putrida, unguentum Ægyptiacum nostrum, in tractatu de Gangræna & sphacelo descriptum, uti & ungu. Apostolorum, & Mundificat. de succo Apij. Præter pulverem autem vel unguentum, quod ulceri imponatur, sequens quoque applicatur Cataplasma.

R. Farinæ fabarum
Lupinorum
Hordei an. ℥ ij.
Pulveris florum betonicæ
Ivæ artheticæ,
Origani
Hyperici
Centaurii
Rosarum odoriferar. an. ʒ ij.
Salis commun. ℥ iiij.

Coquantur cum decocto salviæ, Absinthii Vulgaris, & granorum Juniperi, fiatque Cataplasma addendo sub finem sapæ ℥ iiij. vel, in ejus penuriam, mellis tantundem. Applicetur calidè.

Aliud.

R. Farinæ lentium
Lolii, an. ℥ iij.
Fimi caprini ℥ iiij.
Pulveris florum Chamomillæ,
Sambuci, betonicæ an. ℥ ß.
Ligni Guajaci ℥ j.
Salis Marini ℥ ß.

Cum Lixivio tonsorum fiat Cataplasma, addendo sapæ, vel mellis ℥ iiij. Cataplasmata

hæ

hæc corroborant, & insigniter exsiccant, quapropter diligenter perpendat Chirurgus, adsit ne dutities aliqua præterer naturam circa nervos, vel in ipso articulo? tale enim quid si adfuerit, plerumque autem adest, non pura exsiccantia, sed quæ simul emolliunt, ex usu sunt, uti est sequens Cataplasma,

R. Farinæ tritici
Fabarum
Hordei an. ℥ ij.
Pulv. florum & foliorum betonicæ
Ivæ artheticæ,
Origani, &
Rosarum an. ʒ ij.
Florum Chamomillæ
Meliloti
Sambuci
Radicum altheæ an. ℥ iij.
Farinæ fœnigræci
Lini an. ℥ ß.

Coquantur cum decocto radicum & foliorum malvæ, fiatque Cataplasma, addendo ol. liliorum alb. & lumbricorum ana ℥j. vitellos ovor. num. 2. Aut applicetur Emplastrum ex Mucilaginibus vel de meliloto, aut Oesypi Philagrii. Præscriptis remediis plerumque usque ad finem curationis usus sum. Commemorata enim unguenta non solùm mundificant ulcera sordida, verùm etiam incarnant, & cicatricem inducunt. Quod si tamen circa finem caro aliqua laxa atque spongiosa excreverit, alumen ustum inspergito, & Emplastrum Diapalmeum, aut Slotani, vel de cerussa cocta, de minio, vel simile quid, applicato.

Caput XXVIII.

De ulcere putrido & sphacelato, post Ichorem & Meliceriam.

Inter ulcus sordidum & putridum aut sphacelatum, maximum est discrimen; In ulcere enim putrido, calor nativus, (qui concoctionis humorum in corpore, & digestionis saniei in vulneribus opifex est) propter doloris vehementiam ac diuturnitatem, propter affluentis item humoris serosi copiam, vel ex toto, vel ex parte exstinguitur, humiduinque innatum absumitur. Si ex toto exstinguitur, de membro actum est, ut videre licet ex historia, quam postea ex Johanne Langio annectam. Si verò ex parte exstinctus fuerit, pars saltem aliqua membri morietur, & in escharam abscedet. Secus accidit in sordidis ulceribus, in quibus calor nativus quidem ad maximũ languorem ac imbecillitatem redactus est, non tamen exstinctus. Humidum quin etiam innatum in sordido ulcere, non absumptum, sed aliis pravis humoribus inquinatum ac depravatum est; hinc fit, ut quum operationes naturales circa ulcus segniter perficiantur, excrementitii verò humores (qui sine intermissione affluunt) propter partis læsæ labefactationem, excipiantur, ut ulcus præhumidum ac sordidum sequatur.

De ulcere putrido & sphacelato, post Ichorem & Meliceriam sequuto, exemplum nullum me vidisse memini, facilè tamen membrum Ichore & Meliceride affectum in sphacelum transire posse, non absurdum est dicere, uti quoq; in tractatu nostro de Gangræna & Sphacelo cap. 4. demonstratum est. Johannes Langius lib. 1. Epistola. 3. de Ichore vel hydrope articulorum loquens, exemplum singulare habet; illud, quia commemoratione dignum esse censeo, hic annectere non gravabor. *Audi, inquit, obsecro illorum,* videlicet Chirurgorum, *dementiam. Ne talis Ichor, quem ipsi congenitum articulis humorem arbitrantur, effluat incassum: pilis capreolarum, quibus Ephippia Equorum infarciuntur, osculum vulneris, apposito splenitorum fasciculo obstruunt, quo fit, cum sanies illa effluere non possit, ut subtercutanea totum perreptet membrum, tandum hoc semiputridum, obstructis vitalis spiritus meatibus, sphacelo emoritur. Dicere me pudet, sed dicam quod hisce oculis vidi. Ambergæ Chirurgum unguentum populeonis in patella fervefactum, bulliens adhuc, vulneris osculo infundentem, à quo cum remedii rationem sciscitarer, malis mala curari oportere, respondit; tum patiens effusis lachrymis: Certè inquit, tua remedia non mala tantum, sed pessima esse sentio; cui ego post biduum abscisso serra brachio medebar.* Hactenus Langius. Ex quibus colligere est, dolorem omnium esse gravissimum symptoma, & hujus morbi causam præcipuam.

Superesset nunc, ut de curatione quoq; aliquid adderem; perficitur illa optima victus ratione, evacuationibus, tum per pharmaca, tum etiã per venæ sectionem, & topicorum administrationem; de quibus omnibus quia in tractatu nostro de Gangræna & Sphacelo satis superque dictum fuit, illa ut hic repetam, supervacaneum esse existimo. Vnum tamen lectorem commonefacere volui, videlicet, ut mollius tractet hujusmodi ulcera, quam si in aliqua parte musculosa essent; ne aucto dolore vires penitus prosternantur.

Cap. 28. & 29.

Ioh. Langius de ulcere Sphacelato post Ichorem.

Dolor symptoma gravissimum, & putridi ulceris causa præcipua.

Quomodo morbi hujus curatio instituenda, ex tractatu de Gãgræna petendum.

Cap. XXIX.

De ulcere cum osse carioso, ejusdemq; curatione historica.

Tanta est Ichoris, qui ex læsis articulis fluit, acrimonia, ut non tantum carnem partesq; molles, verùm etiam cartilagines & ipsa ossa erodat atque contaminet, ut in nobilissimo ac strenuo viro Dom. *Conrado à Steinberch*, & in aliis vidi. Longè præterea latèque serpit, & ulcera subcutanea & cuniculosa fodit, uti ex sequenti historia videre licet, quam in gratiam tyronum hîc inserere volui. Est enim veluti compendium atque exemplar totius curationis hujus affectus.

Anno 1622. decima Augusti Juvenis quidam Bernensis 14. annorum, Reverendi & doctissimi viri Dn: *Iacobi Habereuteri* p. m. quondam hujus urbis verbi divini Ministri filius, cum inter deambulandum pedem dextrũ leviter contorsisset, & ab initio malum neglectum fuisset, post dies aliquot exorto dolore, barbitonsor vocatus fuit, qui dislocationem adesse, constanter asseruit; Id tamen falsum fuisse, inde apparet, quod æger in tertium & quartum diem per urbem ambulaverit, scholam visitaverit, & cum condiscipulis suis currendo & saltando se exhilaraverit.

Ichoris, qui ex læsis articulis fluit, effectus.

Observatio singularis de gravissimo Ichore.

Cap. 29.

Quid fit? temerarius ille tonsor, nulla habita ratione doloris, aut inflammationis, dislocationem à se falso fictam reponere tentat, pedem violenter extendit, & ex una in alteram partem detorquet, ac miserè ægrum excruciat. Hinc aucta fuit inflammatio, auctus quoque fuit dolor, ita ut dies noctesque ejulare coactus esset. Febris quoque ardentissima, sitis inexhausta, lipothymiæ, eructationes, ci bi fastidium, urinæ ardor, omniaque symptomata, quæ affectum huncce comitari solent, supervenerunt. In mortis itaque agonem ferè cum redactus, & à barbitonsore suo cum pro deplorato derelictus esset æger, ac ego in consilium vocatus essem, pedem totumq; crus ad coxam usque mirum in modum intumefactum, omniaque symptomata, quæ capite quarto recensui, adesse observavi. Pes in suo ambitu octo habebat ulcera, sordidissima, quorum nonnulla in ipsam juncturam penetrabant. Ex quibus ichorosa materia tam copiosè effluebat, ut mirum sit, unde in corpore extenuato ac debili, tanta colluvies humorum provenire potuerit. In medio tibiæ ulcus erat profundissimũ, & cuniculosum. Ex una enim parte ad poplitem & versus flexuram ferè genu ascendebat: ex altera verò parte ad talum & articulum pedis descendebat.

Symptomata ichoris & Meliceriæ

Vlcera in Ichore quomodo cuniculosa efficiatur.

Vix autem (quod annotatione dignum est) reperitur ulcus in hoc affectu, quod non sit cuniculosum, & maximè circa vasa venarum & arteriarum. Sanguis enim & humores, qui doloris vehementia ad locum affectum trahuntur, propter ingentem inflammationem incalescunt, & in ipsis vasis acres fiunt, proximasque partes erodunt: quemadmodum itaque prædicta vasa in diversas partes sparguntur, ita etiam ulcera cuniculosa efficiuntur. Hæc diligens Chirurgus diligenter observare, & cuniculosa hæcce ulcera maturè detegere debet: ne materia in eis retineatur, & adjacentes partes devastentur.

Curatio Ichoris in Juvene.

Victus ratio.

Curationem à victus ratione (quam imperitus & temerarius ille tonsor neglexerat) inchoavi, illamque propter summam imbecillitatem atque extenuationem corporis, insigniter nutrientem, ratione febris aliquo modo refrigerantem institui. Et quia alvus non respondebat, suppositorio ipsam laxavi. Eadem quoque die, circa decimam noctis sequentem potiunculam exhibui.

Potio cordialis.

R. Mæconii calore solis præparati ℈ ß.
Confectionis Alkermes ℈j.
Syr. de pomis ℥j.
De succo citri ℥ ß.
Aq. Cinamomi sine vino distillatæ ℥ij.
Aq. Buglossæ & boraginis q. s. Misceantur, fiatque potio. Carpis Epithema hoc modo præparatum applicui.

Epithema pro carpis.

R. Aq. Rosarum
Buglossę,
Boraginis
Acetosę an ℥ij
Aceti rosacei, &
Aq. Cinamomi sine vino distillatæ an ℥j.
Confectionis Alkermes ℈j.
Caphuræ ℈j.

Misce, fiatque Epithema. Applicetur carpis, & singulis horis renovetur.

Eadem quoque vespera totum crus à genu usque ad coxam sequenti linimento inunxi, pedem verò ac tibiam propter maximam inflammationem inungere ausus non fui.

R. Ol. Rosarum
Violarum, &
Amygdalarum dulcium an ℥j
Ol. ex floribus ℥ ß.
Misceantur

Tibiam & pedem, ut dixi, non inunxi. Pinguia enim inflammationibus adversissima esse, Galenus docet, & experientia fidem facit. Ulceribus, quorum novem, omniaq; angusta erant, ut postea dicam, sequens unguentum anodynum filamentis imposui.


R. Ceræ novæ ℥j
Colophoniæ
Gummi Elemi an ʒvj
Therebinth.
Aq. Betonicæ lotæ ℥ ß
Ol. Lumbricorum
Amygdalarum dulcium
Ol. de vitellis ovorum
Rosarum an ℥ ß.

Misceantur lentissimo igne & percolentur; Postea admisce croci pulverisati ℈j. Vitellos ovorum num. 2. Pedi ac tibiæ usque ad genu sequens cataplasma calidè applicui.

R. Farinæ hordei, &
Micæ panis albi an ℥iiij
Pulveris radicum Altheæ &
Sem. Fœni græci an ℥ ß.
Sem. Cydoniorum
Anethi &
Meliloti an ʒj.

Cum lacte vaccino fiat cataplasma addendo, ol. Lumbricorum. butyri recentissimi an ℥j. Croci ʒ ß. vitellos ovorum no. 3. servetur in vase vitreato, benè clauso, applicеturq; calidè. Hic error Chirurgorum quorundam notandus est, qui cataplasma, quotiescunque illud applicant, in sartagine ad ebullitionem ferè calefaciunt, sed perperam: dum enim illud secundo vel etiam tertio ebulliunt, virtus ipsius evanescit, aut saltem multum imminuitur. Hæc cum ego in juventute mea perpenderem, aliam institui methodum. Antequam enim fascias solvo, & vulnus aut ulcus detego, omnia prius pręparo medicamenta necessaria. Cataplasma supra linteum extendo, turundas, aut pulvillos adapto, & unguento inungo. Tandem fascias solvo, Medicamenta abstraho, protinusque ulcera abstergo, non tamen tela, ut vulgus Chirurgorum, sed penicillis ex spongiis, hunc in modum bacillis annexis.

Tela



Tela enim plerumque aspera est, nec sordes ulcerum, uti facit spongia, excipit. Absterso vulnere aut ulcere, protinus turundam aut pulvillam appono, partemque, si opus est, inungo. Interim dum hæc facio, cataplama impositum typhoro cum prunis sensim & ad libitum calefit, Typhorum si in promptu non fuerit; tegulam vel rutabulum calefacere jubeo, eoque cataplasma impono. Hæc autem eapropter sic instituo, ut vulnus ilicò claudatur. Aer enim, præsertim si frigidus fuerit, vulneribus & ulceribus omnibus, in primis capitis, pectoris, & partibus nervosis, adversissimum esse, docet experientia. Methodum hancce in omnibus ægris meis observo, quam in gratiam tyronum artis, simul & ægrorum, hic annectere visum fuit. Nunc iterum ad institutum.

Prędicta Medicamenta bis in die, epithema verò singulis horis iteratum, renovatumque fuit, & sequens nox quietior exstitit, quapropter cum prædictis medicamentis in decimum quartum usque diem processi, singulis quin etiam, vel alternis diebus, aut de tertio in tertium diem, præscriptā potiunculam cordialem ex Mæconio &c. post cœnam propinavi. Hisce remediis dolor intra paucos dies sedatus fuit, & ulcera ad optimam digestionem pervenerunt: vires quin etiam recolligere cæpit. Erat enim adolescens vividus, & optimo corporis habitu prædituș: quapropter sequenti potiunculā clementer ipsum purgavi.

℞. Pulveris nostri Laxativi ℈ j.

Syrupi rosati solutivi compositi ℥ ß.

Cum decocto pectorali fiat potio, quam in crepusculo matutino sumpsit, & clementer expurgatus fuit. Symptomata quoque ab eo tempore paulatim remiserunt.

Statim autem ab initio (quod notandum, & in omnibus ulceribus ichorosis, si angusta, sinuosa, & cuniculosa fuerint, observandum) superficies ulcerum nonnihil dilatavi, clementer tamen, ne dolores excitarem; Dolor enim cum sit causa hujus morbi, ut antea persæpe dixi, evitandus est, Vlcus verò, ut ichor ille acris, indigestus, & corrosivus, effluere possit, dilatandum. Dilatatio porrò hæc turundis, jam ex carbaso, jam ex spongiis præparatis, & suprascripto digestivo inunctis, facta fuit.

Impetum mali, cum jam devictum esse viderem, & Stylo argenteo ulcera explorarem, bone Deus quot ductus cuniculosos, sinuositates, imò & in ipsam juncturam usque penetrantes inveni? Ex interna parte tibiæ in medio, inter genu & talum, circa ramum venæ cavæ descendentem, ulcus erat sordidum, quod ex una parte ad genu ascendebat, ex altera ad talum & juncturam descendebat, circum circa juncturam pedis ulcera octo angusta, & ad juncturā penetrantia erant. Hæc omnia spongiis præparatis, & nunc digestivo, antea descripto, nunc mundificativo ex pulvere præcipitato illinitis, paulatim dilatavi.

Os calcis perforatū reperitur.

Dilatatis ulceribus, membranas & ligamenta putrida inveni, quæ quum paulatim beneficio naturæ à partibus sanis separata essent, os calcis ex utraque parte non saltem cariosum, verùm etjam (quod dicam admiratione non vacat) ex uno in alterum latus perforatum inveni, non aliter ac si aliquis terebello hujus ○ magnitudinis illud perforasset. Foramen hoc non statim ab initio, sed successu temporis cùm detectum esset, funem sericum mundificativo, capite de ulcere sordido, ex radicibus gentianæ, Iridis florent, ligno Guajaco &c. præscripto, insuccatum, ex una parte pedis ad alteram per ipsum os Calcis perforatum traduxi. Quod & multi, etiam Medici nostri, & *Dn. D. Ioh. Burgavver*, Medicus celeberrimus, qui tunc temporis comensalis meus fuit. non sine admiratione aliquoties viderunt. Funiculis enim istis per multos dies, ne dicam septimanas, ad perfectam ulceris mundificationem usus fui. Tandem squamma ossis in forma tubuli excidit, foramenque ossis callo, & ulcus cicatrice obductum est.

De perforatione ossis. Exempl. I.

Cæterùm quia perforatio hæcce rata, forsan & à paucis observata, reliqua quæ exempla habeo, hîc annectere non gravabor. In tribus autem diversis ægris illam vidi. Primus fuit æger noster, de quo hîc agitur. Secundò illam vidi in quadragenario quodam Genevensi, *Stephano Iuvenonio*. Ille cum Anno 1602. undecima Decembris, in acie adversus hostem pro patria acriter pugnâret, vulnus ictu sclopeti ad humerum dextrum recœpit. Chirurgus cum ab initio glandem plumbeā ad sinistram homoplatam, ubi cuti erat proxima, excidisset, & nescio quo balsamo artificiali empiricorum more vulnus curare vellet, & intra paucos dies labia vulneris contracta essent, in gravissimum affectum evasit. Vlcus hocce quū in decimum mensem usque Genevæ curatum fuisset, & pro deplorato ac in sanabili haberetur, venit ad me Paterniacum, ubi tunc temporis Medico-Chirurgus ordinarius eram, ubi ipsum feliciter, per Dei gratiam, sanitati restitui. Laboriosa quidem ac longa fuit curatio, in qua & varia annotatione digna occurrerunt, & inter alia furculam in medio ferè ex una in alteram partem perforatam inveni; ex hoc foramine squammam ossis quoque in forma tubuli suo tempore extraxi, res profectò mira, cum sit unum ex ossibus totius corporis durissimum.

Exempl. 2.

Tertium exemplum vidi Paterniaci Anno 1605.


Cap. 29.

1605. in puero quodam novem annorum, *Iohanne Dom.* N. Pennini, verbi divini ministri in præfectura Ebrodunensi, filio, qui mihi ex ædibus parentis Paterniacum adductus fuit. Laborabat autem puer iste ulcere fistuloso & inveterato ex interna parte tibiæ dextræ. Illud quum spongiis præparatis dilatarem, (exterius enim angustum, interius verò cavum & cuniculosum erat) & mundificarem, foramen rotundum ac magnum, ad medullam usque penetrans, in focile majori inveni. In hoc foramine, & quidem in ipsa medulla motum arteriarum, quotiescunq; ulcus curabam, observare potui. Curatio quamvis laboriosa & longa fuerit, multa enim ossa cariosa extraxi, ad optatū tamen finem ipsam per Dei misericordiam reduxi: neque ab eo tempore usq; ad annū 1629. circa festū divi Martini, quo me Bernæ invisit, de hoc malo amplius conquestus est.

Motus arteriarum in ipsa medulla ossis tibiæ conspicitur.

Curatio autem hujus ulceris eapropter laboriosa, longa ac difficilis fuit, quod prope talum extabat. Et proinde ulcus & circumjacentes partes inter deambulandum, currendum & saltandum (puer enim præter modum vividus erat) continuò contrahebantur. Venit mihi tunc in mentem curatio, cujus fit mentio Cent. 1. Obs. 38. quapropter ut pedem immobilem facerem, capsulam inferius depictam ex ligno fabricavi, in quam pedem tibiamque ad genu usque linteis stupis ac fasciis tam concinnè adaptavi, & tam arctè inclusi, ut pedem neque in hanc, neque in illam partem movere posset. Etiamsi propter ipsius vivacitatem, suffulcris incedendo continuò corpus exerceret. Capsulam hancce per menses aliquot dies noctesq; gestavit. Interim ulcus ab ossibus cariosis mundificatum & cicatrice obductum fuit. Ex his videat Chirurgus diligens, quàm nocivus sit motus in vulneribus & ulceribus, articulis proximis.

Motus sanationem ulcerum impedit.



A. Foramen est in fundo capsulæ excavatum, ad excipiendum calcaneum

B. Asserculus capsulæ è regione ulceris parū excisus, ne ulcus comprimatur.

Tria hæcce Exempla, uti dixi, in ægris meis vidi. Habeo quoque in Musæo meo ossa nonnulla tibiarum, quæ olim in ossuariis inveni, quę eodem modo perforata sunt. Ex quibus perspicuum fit, ossa in ulceribus propter Ichoris acrimoniam sæpissimè perforari. Mirum itaq; non est, plerumq; ulcera ad finem vitæ durare, quando videlicet foramina hæcce cariosa à Chirurgo non deteguntur. Sed hæc obiter, nunc ad institutum.

Dilatatis ulceribus, quæ sordida erant, mūdificativo ex Mercurio præcipitato & unguento rosato, Capite de Ulcere sordido descripto, vel etiam pulvere ipso præcipitato, parcè insperso, mundificavi. Ubi verò os cariosum & denudatum fuit, jam pulverem Euphorbii per se, jam verò sequentem inspersi.

Pulv. catagmaticus.

℞. Rad. Aristologiæ rotundæ
Angelicæ
Iridis Florent an ℥ij.
Ligni Guajaci &
Corticum ejusdem an ℥j ß.

Misce, fiatque pulvis tenuissimus, qui ossibus cariosis copiosissimè inspergatur. Interim tamen danda est opera, ne labia ulcerum concidant, & ulcera claudantur, quapropter spongiis præparatis diligenter aperta sunt conservanda, donec ossa cariosa naturæ beneficio excidant, nullo enim modo vi sunt extrahenda, quemadmodum sæpissimè juniores Chirurgos in scriptis meis monui. Caro si in ulceribus præter modum excreverit, pulvis præcipitatus, rectificatus & lotus, carni inspergendus est; Luxuriantem enim carnem reprimit, & malignitatem ulceris corrigit. Circumcirca juncturam Cataplasma corroborans, ex farina fabarum, lupinorum, hordei, betonicæ & similibus, Capite de ulcere sordido descriptum, applicui. Et hoc modo ad finem usque curationis processi. Longa fuit ac laboriosa curatio, & per aliquot menses duravit, ita ut numerus turundarum, tam ex spōgiis præparatis, quàm ex carbaso præparatarum, & [illegible] sum adhibitarum (ut æger ipse diligenter observavit, notavit, & etiam heri 20. Septembris 1630. coram me & aliis constanter affirmavit) numerum mille & quingentas excedat: officula quoq; multa extracta fuerunt, interim tamen ita convaluit, ut incedendo, deambulando, vix claudicatio ulla appareat. Calcaneus tamen nonnihil retractus est, & junctura pedis planè coaluit, & per callum eodem planè modo, ut antea Capite 25. de coalitione cubiti & coxæ dictum, concrevit. Hac methodo ac Medicamentis in ulceribus cum osse corrupto procedendum est.

Excr[...] car[...] ben[...]

Nonnulli

Nonnulli ossi carioso oleum vitrioli, vel aquam, quâ aurum ab argento separatur, quam vulgus *fortem* appellat, applicant. Maximam enim exsiccandi vim habere, referunt; Quod quidem verum. Cariem tamen ossis non corrigere, sed adjacentes partes sanas destruere, in juventute mea apud practicos observavi; Præsertim Dusseldorpii in nobili quodam viro, cui in levissima & superficiali carie ossis tibiæ, à Chirurgo suo applicatum fuerat oleum vitrioli, hinc tanta sequuta fuit caries in osse, ut Dom. D. *Galenus Wierus*, Medicus longè celeberrimus, illā vix tribus cauteriis benè ignitis castigare atque emendare potuerit, cujus rei ego sum testis ocularis; Quapropter caveant sibi Chirurgi, ne hujusmodi Medicamenta ossi applicent, sunt enim subtilissimarum partium, ita ut ad proximas partes longè lateque perfluant, & quæ sana sunt, destruant. Requirit quidem os cariosum medicamentū, quod insigniter exsiccet, sed necesse est, ut simul sit crassarum partium, tale autem est Euphorbiū, quod cariem ossis, ut alibi dixi, & in multis meorum ęgris vidi, corrigit, Carnem tamen, ut hactenus practici voluerunt, non adurit, aut inflammationes excitat, quapropter eo etiā in pueris uti possumus.

Pharmacopœi autem, quod notandum, quādo Euphorbium in pulverem redigunt, guttulam unam aut alteram olei affundunt, ne eorum nares feriat, aut exulceret, sed malè; oleum enim ossibus denudatis adversissimum esse, sciunt practici, & facultatem exsiccandi Euphorbii infringit. Loco itaque olei, Euphorbium spiritu vini irrorare convenit. Hæc de ulcere cum osse corrupto, videlicet quando superficietenus cariosum est.

Si verò corruptio, aut caries ossis in ipso articulo fuerit, ita ut Euphorbium ad cariem pervenire non possit, de salute tamen ægri desperandum non est. In prædicto enim ægro non ubique ossibus cariosis Euphorbium inspergere mihi licuit, nihilominus tamen feliciter sanatus fuit. Ulcera enim beneficio turundarum ex spongiis preparatis aut radicibus gentianæ, aperta retinui, & mundificativum sequens quotidiè imposui.

R. Corticum ligni Guajaci
Sassafras
Rad. Angelicæ
Rad. Aristologiæ rotundæ an ʒj ß
Mirrhæ
Aloes an ʒj. fiat omnium pulvis tenuissimus, in mortario admisce extracti scordii ℥j. Mellis rosacei quantum sufficit. Misceantur, fiatque mundificativum, quod præstantissimum est in omnibus ulceribus sordidis, putridis, & cum ossibus corruptis, quo & in nostro ægro tanto cum fructu usus fui, ut natura ligamenta, vincula & cartilagines putridas paulatim ejecerit, & juncturam per callum connexerit, eodem planè modo, ut antea de cubitu & coxa dictum fuit. Interim autem dum circa ulcera, ut illa aperta retinerem, mundificarem, & ossa cariosa extraherem, occupatus eram, in universalibus nihil omissum quoque fuit: optimam victus rationem observavit, corpus per intervalla blandè expurgavi, & ne dolor excitaretur, operam dedi.

Prædicta Methodo & Medicamentis ita restitutus fuit pes, ut inter deambulandum per urbem vix claudicatio observari posset, ulcera etiā clausa permanserint; quapropter scholam iterum frequentavit, tandemque artificium Mechanicum didicit, idque exercendi gratia, post annos aliquot ad exteras regiones profectus est. Quum verò Anno 1629. in ipsis turbis bellicis in Germania opificium suum exerceret, multosque labores & molestias sufferret, cibis quinetjam sale conditis, & fumo exsiccatis vesceretur, & corpus ab eo tempore, quo Bernā discesserat, purgatum non fuisset, usum quinetiam fasciarum neglexisset, humores iterum ad pedem defluxerunt, & inflammationes, pruritum, aliaque incommoda, quæ ulceribus præcedere consueverunt, excitârunt. Hæc cum iterum flocci faceret, ad utrumque talum exortum est ulcus, cum quibus denuò per menses aliquot occupatus fui, iterum tamen, laus sit Deo, convaluit.

Cap. 29. & 30. Medicamenta quibus pes restitutus.

Incommoda quæ ex incuria & victus ratione neglecta sequuta.

Cap. XXX.

Quomodo pars affecta post curationem Ichoris & Meliceriæ, corroboranda?

Postremum quidem, sed non minimum symptoma Ichoris, est labefactatio & imbecillitas partis læsæ, post curationem ulceris; inde fit, ut plerumque haud paucas ægro pariat molestias. Propter imbecillitatem enim pars affecta defluxionibus fit obnoxia, præsertim si malum in pede fuerit: humores enim ad locum decliviorem facilè decumbunt, facilimè verò propter summam imbecillitatem partis malè affectæ recipiuntur.

Imbecillitas autem hæc propter caloris nativi ac humidi innati diminutionem procedit. Quandoquidem intemperies illa maxima & calida, quæ partem læsam non rarò per dies multos, ne dicam septimanas, aut menses, infestat, calorem innatum, & humidum radicale absumit imminuitque, ita ut ad repellendos humores, qui affluunt, non satis sit valida: & præsertim si vasa arteriarum & venarum erosa fuerint, uti in adolescente illo, cujus cap. proximo de ulcere cum osse corrupto memini, accidit. Hinc fit, ut plærumque (si æger de conservanda valetudine non satis sollicitus fuerit) ulcera circa talum sequantur, quæ & difficulter sanantur. Uti in prædicto adolescente vidi. Ille enim quum in quartum annum post curationem Bernæ in patria substitisset, ac ego totum illud tempus de ipsius valetudine sollicitus fuissem, sana ac integra permansit tibia: quum vero ad externas regiones profectus fuisset, molestias atque labores multos sustinuisset, in victus quinetiam ratione peccâsset, & corpus in quartum annum purgatum non fuisset, humores frequenter ad tibiam defluxerunt, ac ulcera circa talos excitârunt, quæ mihi, cùm An. 1630. Mense Septembri Bernam reversus esset, denuò labores multos procreârunt, ut in fine præcedentis capitis dictum est.

Imbecillitas ex caloris nativi diminutione.

Observat.

Ponamus itaque casum, pedem Ichore fuisse

Cap. 30.

fuisse affectum, juncturam quinetiam per callum (ut in præcedenti juvene accidit) coaluisse, hæc ægro observanda sunt. Primò, utatur cibis benè nutrientibus, & optimum succum ac sanguinem procreantibus, à salsis & piperatis abstineat, ne excalefacto hepate, sanguis incalescat, & ad tibiam præter modum debilitatam defluat. 2. Corpus per intervalla pharmaco aliquo benigno evacuandum est. 3. Si plæthora adfuerit, venam quoque brachii incidere convenit, de quibus in præcedentibus suo loco abundè dictum fuit. Superest igitur ut de topicis, quæ calorem nativum corroborant & fovent, aliquid adscribam. Eorum autem nonnulla ex cap. 24. de atrophia, uti est succus lumbricorum, oleum item & aqua ranarum, petenda sunt. Aut fiat sequens aqua:

Aegro quæ observanda.

Aqua arthritica.

R. Flor. & Fol. Betonicæ
Ivæ artheticæ
Flor. Primulæ Veris
Granorum juniperi an. M.iiij.
Lavendulæ
Origani
Hyperici
Calamenti
Rosmarini
Majoranæ an. M. ij.
Oculorum populi arboris ℔. j.

Incidantur & contundantur omnia grosso modo, quibus affunde aquæ betonicæ, ut supernatet quatuor digitos. Maneant in infusione dies quatuor aut quinque, postea distillentur per vesicam s. artem. Aqua hæc præstantissima est in affectibus nervorum ac nervosarum partium, etiam in defluxionibus ad articulos; Modò intemperies calida non adfuerit. Succus lumbricorum si cum prædicta aqua præparatus fuerit, præstantissimus erit. Totum autem crus ad dorsum usq; prædictâ aquâ aut succo lumbricorum inungatur. Articulo malè affecto Emplastrum Slotani (cujus descriptioné alibi in scriptis meis habes) applica, Aut.

Empl. præstantissimum ad nervos & juncturas corroborandas.

R. Empl. Diapalmei ℥iiij.
Ceræ novæ ℥ij.
Gummi Elemi, &
Tacamaacæ an ℥j.
Masticis,
Olibani an ʒx.
Pulv. Lumbricorum terrest ℥j ß.
Pulv. Rosarum odoriferatum
Myrtillorum,
Balaustriorum
Ivæ artheticæ, &
Flor. Hyperici an ʒij.

Dissolvantur gummata lentissimo igne, cũ Ol. lumbricorum q. s. & percolentur per linteum. Postea commisceantur omnia cum Emplastro prædicto & cerâ liquefactâ, fiatque massa, addendo nonnihil ol. granorum juniperi, aut spicæ. Emplastrum hoc præstantissimum est in affectibus juncturarum & nervosarum partium, si intemperies calida non adfuerit.

Tibia quomodo fascia involvenda.

Tibia à digitis pedum usq; ad genu fascia ex tela semitrita & suavi singulis matutinis involvenda est, ne sanguis & humores cum impetu ad pedem defluant. Fascia hæc, ut majoris sit efficaciei, cerâ hoc modo præparatâ imbuenda est.

R. Ceræ novæ ℥vj.
Gummi elemi pinguis. ℥ij.
Pulv. Masticis,
Olibani, an ℥j.
Olei rosacei q. s. Misceantur lentissimo igne in sartagine

Si verò affluxus humorum vehemens fuerit, fasciam singulis matutinis, antequam æger è lecto surgat, sequenti decocto insuccare cõvenit.

R. Foliorum & florum betonicæ
Ivæ artheticæ
Salviæ
Absinthii vulgaris
Rosarum rubearum
Florum chamomillæ &
Sambuci an. m. ß.
Salis comm. ℥. ß.

Cum ℔viij. fiat decoctio usque ad consumptionem quartæ partis. Fasciâ hac decocto insuccata utimur interdiu, quando necessitas maximè urget, & cœlum est calidum, aut æger lecto vel hypocausto non egreditur. Si verò tempus frigidum fuerit, fasciâ humidâ nonnisi noctu utor, interdiu verò siccam applico. Modus ille, fasciis ligandi tibias, mihi frequens est & usitatissimus, eoque maximo cum successu in ulceribus tibiarum utor. Affluentes enim humores retinet, partemque affectam exsiccat corroboratque.

Vulgus, etiam multi ex Chirurgis vulgaribus, methodum hancce improbant, nulloq; modo humores ex corpore ad ulcera tibiarum fluentes (quos pravos & corruptos esse dicunt) fasciâ repellendos, retardandosque esse volunt. Si enim, inquiunt, in corpore retinentur, quidnam exspectandum, quàm totius interitum? Respondeo, humorem, qui ad ulcera fluit, duplicem esse, naturalem & excrementitium. Natura enim sagax atque prudens, etiamsi individuum suum ut conservetur, semper occupata atque sollicita, fieri tamen non potest, quin unà cum excrementitiis humoribus laudabile quid ad ulcera fluat, facit id loci malè affecti declivitas & imbecillitas, quapropter excrementitios simul & bonos recipit, qui cum reliquis in parte affecta corrumpuntur, non aliter ac si in dolium humore aliquo putrido imbutum, generosum vinum infuderis. Sed ponamus casum, partem aliquam humoris excrementitii propter ligaturam in partibus supra genu sitis retineri, id tamen sine ullo incommodo ægri fieri, & quotidiana experientia fidem facit, & ars ipsa medica docet. In partibus enim istis musculosis, supra genu positis, calor nativus vegetus est & fortis, quapropter si quid excremẽtitii humoris in partibus istis remanserit, non tamen in corpus remeat, sed beneficio caloris nativi corrigitur, & per insensibilem transpirationem evacuatur. Habes candide lector, meam de gravissimo hocce affectu sententiam, quam ut candidè interpretari, & ad DEI Opt. Max. gloriam, commodumque ægrorum, in usum convertere ti velis, ex corde opto.

FINIS.

EPISTOLA
De nova, rara & admiranda
HERNIÆ UTERINÆ, ATQUE
hanc justo tempore subsequentis
PARTUS CÆSAREI
HISTORIA.

Cum aliis nonnullis scitu utilibus

Scripta ad

GVILHELMVM FABRICIVM HILDANVM,
Medicum & Cheirurgum clarissimum,

à

MICHAELE DÖRINGIO, BRESLAVIENSI
Philosophiæ ac Medicinæ Doctore.

Annus elapsus est, volvitur modò alter: ex quo, clarissime Fabrici, *pro more ab aliquot annis continuato, literas invicem permutavimus nullas. Vltimæ enim fuerunt tuæ, quas die 10. Aprilis anni præteriti 1611. ad me perscripsisti. Vltimæ verò meæ, quas eodem ejusdem anni mense ad te exaravi. Eas num unquam videris, legeris, vel saltem de iisdem quicquam huc usq; inaudiveris, ego equidem sum nescius. Neq; enim ad ipsas responsi aliquid à te accepi. Respondissem ipse etiam dudum ad tuas ultimas: nisi superiore Autumno certissima spes mihi facta fuisset, quod è Patria rediens Giessam transiturus, nosq; inibi invisurus esses. Quod ipsum si nobis effectum dedisses, na tuus adventus nobis jucundissimus pariter fuisset, & gratissimus: Et mihi quidē præ aliis, quàm exoptatus advenisses, tute ex amore, quo te hucusq; colui sanctissimè, non difficulter æstimabis. Aestimabis verò vel ex eo etiam, quod ob tantam, quâ jam disjungimur, locorum intercapedinem, omnis propè tecum in posterum unquam colloquendi occasio mihi erepta ac præcisa esse videtur. Quæ res quam acerbè animum vellicet meum, hîc non eloquar. Feram interim patienter, quod mutari vix licet prudenter. Neq; enim dubito, quin graves causæ te detinuerint, quo minus tam tuæ illi quali quali promissioni, quam seriæ nostræ exspectationi tunc temporis satisfaceres. Ipse igitur postquam ob causas multas & ponderosas resignato munere, quo hactenus Giessæ per Dei gratiam functus fui, Professorio, atque humilimè impetrata ab* Illustrissimo & Celsissimo Principe ac Domino *Dn. Ludovico* Hassiæ Landgravio, Comite in Catzenellenbogen, Dietz, Ziegenheim & Nidda, &c, Domino meo clementissimo, *clementissima dimissione, superatisq; itineris satis longinqui non exiguis molestiis feliciter tandem ductu & auspiciis divinis in Patriam dilectissimam appuli: nihil mihi visum fuit antiquius, quam si amoris nostri igniculos, qui ob intermissam nonnihil literarum communionem semisopiti quasi fuerunt, redintegrato scribendi officio suscitarem. Cogitanti verò mihi attentius de idoneo literarum argumento: ecce occurrit, ut nova, ita rara* Herniæ uterinæ, & hanc subsequentis partus Cæsarei *Historia.* Novam *dixi: ut quæ vix decurso biennio accidit.* Raram, & quidem verè raram: *ut quæ vix simile exemplum in mundo unquam habuit. Rectè itaq; mihi facere visus sum, si eam pro præsentis epistolæ argumento non seligerem solum, sed & constanter retinerem.*

Epistolæ argumentum.

Sed quæres tu ex me, quid causæ habuerim, quod typis publicis exscriptam publicè ipsam tibi nunc inscribam? Dicam brevissimè: & dicam simul planissimè, Amor erga alios non nostri tantum, sed ordinis literati, rerum atq; observationum novarum & rararum cupidi homines, in universum istam scribendi qualemcunq; sive licentiam dicas, sive audaciam, excusssit. Amor quidem erga te meus, ut qui jam à sexennio cœpit, & ad hunc usq; temporis articulum illibatus permansit. Amor verò erga alios, ut quos tam mirabile Dei opus diutius latere nolui. Accesserunt deinceps & aliæ, sed meo judicio aliquantò leviores causæ, inter quas ista non immeritò princeps dici potest, ut scilicet præsentis epistolæ editione pro secundæ tuarum Observat. Cheirurg. Centuriæ Observationis 21. quæ est, De uvulæ relaxatæ curatione, *publicâ inscriptione, publicum aliquod (quamquam leve & tuis in me meritis non satis congruum) gratitudinis statue-*

Causæ editæ epistolæ.

rem monumentum. Ad quam observationem me jam dudum respondere debuisse confiteor. Ast intervenerunt subinde alia eaq; non contemnenda, de quibus tecum per litteras colloqui hactenus placuit. IV. *Invitavit me deinde ad ejusdem epistolæ editionem, loci,* V. *quo invicem nunc discernimur, partim longinquitas, partim ejus in quo jam forte subsistas, incertitudo, quod igitur scriptam duntaxat, non verò impressam ad te misissem: facilè profectò evenire potuisset, ut alicubi intercidisset, nec ad tuasmet manus pervenisset, quod quam crebrò fieri soleat, præsertim in tanta locorum distantia, exempla nos docent quotidiana.* VI. *Addo superpondii loco causam adhuc geminam: una est, ut me apud meos lectores, propter suspensam* tertii de Medicina & Medicis libri residui *publicationem, aliquomodo excusarem: Tametsi enim in votis nihil habebam prius, nihil etiam posterius: quam ut fidem publicè datam publicè quamprimum solverem: tamen nescio, quæ non impedimenta (quorum partem non omninò levem è modo dictis prudentes Lectores non difficulter colligent) hactenus mihi objecta fuerunt, ut promissis stare non potuerim. Moram ergo istam quantulamcunq; æquo ferte animo* Lectores æquissimi. *Exsolvam enim me bono cum Deo ocyssimè & exolvam quidem cum fœnore: posteaquam aliquanto rectius atq; etiam nunc res meas disposuero* VII. *Altera est, ut lectoribus tenue quoddam specimen exhiberem, ex quo de subsecuturis epistolarum, à nobis bono item cum Deo suo tempore edendarum libris, nonnihil judicare possent, quid ipsis porrò in eis exspectandum sit.*

Respondetur quorundam cavillationibus.

Nec moror, *quas in me à sciolis nonnullis ac nasutulis sparsum iri certò provideo, sinistras cavillationes: dum me vana scriptitandi libidine teneri, actum agere: & per id quod ab aliis dudum publicatum fuit, leviculam famæ popularis auram, captitare vel plenis buccis publicè clamitabunt, vel clanculū saltem hinc inde mussitabunt.* I. *Atq; istis quidem ut hoc in loco operosius respondeam, opus non est. Quis enim clancularios istos hostes & insidiosos diffamatores, securus alio atq; imperterrito animo non contemnat, rideat, spernat? Namq; non raro usu venire videmus, ut, qui aliorum famam se depressuros autumant, de propria non parum periclitentur, atq; adeò per eadem, per quæ peccant, ipsimet justissime puniantur.* Apertè rem agunt, qui probi, qui candidi, qui ingenui sunt. *Reliqui audeant & ipsi aliquid, ac meliora proferant, si viri sunt, nec noctuarum instar lucem fugiant, & in tenebris circumvolitando, ac bonos viros iniquè traducendo, oberrent.* II. *Illis verò paucula responsionis ergo reponere libet. Fateor enim, non ita pridem* clarissimum atque excellentissimum virum *Dn. D. Danielem Sennertum* in Illustri Witteberga Professorem publicum & Affinem nostrum honorandum, *hanc ipsam Historiam suarum Medicinæ institutionum opere diligenter descripsisse. At forsan multi sunt, qui tam insigne opus (cui in hoc genere par mihi quidem hactenus oblatum est nullum) non dicam non legerunt, sed ne oculis etiam suis usurpaverunt unquam. Quare ut istis utcunq; gratificarer, facere non potui, quin eandem Historiam è prænominato* Sennerti *institutionum opere tansscriberem, eamque seorsim publicis typis exscriptam publici juris facerem, ac cum plurimis communicarem: præsertim cum exempla exstent aliorum virorum celebrium, qui in similibus argumentis idem præstiterunt.* Tu sol meus *Sennerte*, Affinis colende, *lumen tuum paulisper mihi, quæso, fœnera, & ut cum bona tua pace historiam, sæpiculè citatam, & è* splendidissimi institutionum tuarum operis lib. 2. part. 1. cap. 9. *mutuatam, tui ipsius verbis describere patere. Sic enim non solum me tibi reddes devinctissimum, verum etiam ita omnibus ad quos forsitan epistola hæc perventura est, mereberis, ut ipsis procul omni dubio commendatissimus in posterum sis futurus.*

Ergo Ursula *uxor* Martini Opitz *vietoris, cum maritum in incurvanda pertica ex qua vinculū vasis parandum erat, juvaret: fortè ab eodem reciprocante ad sinistrum inguen percussa est, ruptumq; seu laxatū potius (quantum quidem ego ex sectione judicare potui) est peritoneum. Paulò post enim tumor ad sinistrum inguen oboritur, qui brevi tempore tantū incrementum sumpsit, ut nullo modo intra abdomen recondi posset; etsi verò de utero prolapso suspicio incideret, tamen nec ipsa, nec aliæ fœminæ id facilè crediderūt, donec tandem res ipsa atq; eventus omnem dubitationē sustulit. Nam uterus conceptu gravidus, ita indies aucto fœtu dilatatus, simulq; cum eo cutis inguinis sinistri, qua uterus prolapsus erat, extensa est, ut utero & cute conclusus fœtus instar sacci ferè aut cucurbitæ oblōgæ majoris modo propenderet: motusq; infantis tandē & tactu & visu perciperetur. Quæ res cum ipsam, maritum, cognatosq; perturbaret, Collegium nostrum in consilium adhibuerunt. Cum autem ob fœtum jam maturum de utero in abdomen reponendo, atq; adeo partu naturali, nullam spem superesse videremus, si naturæ res relinqueretur, & fœtum, & matrem de vita tandem periclitaturos, nullaq; alia re, quam sectione auxilium exspectari posse, ostendimus. Quod cum & ipsa, atq; maritus, cognatiq; facilè intelligerent, atq; spem vitæ in angusto esse facilè animadverterent: ut sectio fieret, omnes petierunt. Cum igitur die 21. Aprilis Anno 1610. partus tempus adveniret, doloresq; parturientem apprehenderent, Deo inprimis in auxilium vocato, præsentibus mecum* Dn. D. Ernesto Hettenbachio *&* Dn. D. Tobia Tandlero, *Colleg. M. item* Henr. Silbermanno *Ecclesiæ nostræ Archidiacono, duabus obstetricibus atq; aliquot honestis fœminis, hora 8. matutina sectionem instituit cheirurgus* Jeremias Trautmann / *ministrante & altero chirurgo* Christoph. Seesth. *I. secta est cutis & peritonæum, hoc enim quantum ego quidem visu dijudicare potui, cuti integrum adhuc suberat & in sectione à cute manifestè distingui poterat. Hinc & ipse, qui jam extra cutem facilè prorumpebat, uterus apertus hæmorrhagia non adeò insigni, neq; etiam acerbo dolore, quod ipsa postea fassa est. Vtero secundum longitudinem aperto infans facilè cum secundina extractus est: imò quasi suopte motu, cum via facta esset, exitum quæsivit, & quidem Dei beneficio, salvus & incolumis.*

De utero verò intra abdomen reponendo, cum ob ejus magnitudinem nulla spes esset, cutis, sanguine convenientе decocto prius absterso, ipsi inducta & consuta est: ipse verò uterus non consutus. Qui etsi aliqua insigni inflammatione non corriperetur, tamen quia extra abdomen propenderet, & ab externi aëris incursu in curatione vulneris defendi non posset: membrana quasi purulenta circa labia vulneris obducta est, quæ tamen pòst adhibitis idoneis medicamentis sublata est uterusq; iterum purus evasit, & naturalem faciem ac habitum circa diem 14. ostendit, atq; in dies magis in

se

se contractus, ad naturalem magnitudinem rediit, Verum post dies aliquot labia vulneris nigrescere, cum tangerentur facilè sanguinem fundere, atq; adeò gangræna suboriri cœpit: ut ferro sine sensu particulæ de labiis vulneris demi possent: sed cum idonea medicamenta adhiberentur, omne illud malum cessavit, & caro circa labia vulneris ad pristinum colorem & statum planè rediit, vulnusq; indies angustius evasit: adeò ut intra paucos dies coalitum vulneris speraremus, & vix ullum de recuperanda integra sanitate dubium superesset. Verum enim verò cum illa 16. Maji horâ quarta pomeridiana, extra lectum aliquandiu cõsedisset, atq; iterum in lectum sese reciperet, lipothymia suboriri cœpit, & præter omnem spem intra dimidiam horam, procul dubio ab adstantibus, cum esset paupercula, non rectè in lipothymia tractata, vitam cum morte commutavit. Ipsa mortua ut planè sciamus, an in utero omnia salva fuissent, an verò aliqua latens putredo lipothymiæ, & subitaneæ huic morti causam præbuisset; Vterum aperuimus. Verum omnia salva in eo invenimus. Infans etiamnum vivit salvus & incolumis, Dei beneficio. Huic enim soli, & ipsa mater acceptum ferebat, quod toto gestationis tempore, à variis & periculosis motibus nihil damni percepisset. Etsi enim uterum extra abdomen pendulum in fascia gestaret, tamen in obeundis domesticis negotiis, quæ ipsimet ob rem familiarem angustam expedienda erant, uterum cum fœtu nunc in fœmore, nunc in hoc nunc in illo loco, prout usus & res expediendæ exigebant, reponere necesse habebat. Ita mirabilia sunt opera Domini. huc usq; Sennertus.

Infantem bimulum jam præsentis anni 1612. mense Majo Witteberga in ædibus Domini D. Sennerti ipse vidi. Virium is erat satis vegetarum; Staturæ tamen pro ætatis ratione paulo brevioris, quemadmodum & corporis habitus aliquanto tenuioris. In fronte elatiore parte supra oculum alterum cicatricem quandam habebat: quæ vulneris in ipso partu Cæsareo accepto exigui index dicebatur.

Hic autem, Fabrici clarissime, non tecum agam de partus Cæsarei necessitate, difficultate, administrãdi ratione, & aliis, quæ in genere circa ipsum aliàs moveri solent. Hoc enim si attentarem, justos epistolæ limites facilimè transilirem, & sunt ea ut plurimum talia: de quibus eruditi hoc temporis parum amplius controversantur. Quippe multijuga experientia illa omnia dudum reddita sunt certa atq; indubitata. Ad propositum casum me potius converto, & quæ in eo inquisitione discussioneq; potissimũ digna sint; attendo.

Lubet ergo primum ex te quærere; Ruptione vel dilatato saltem peritonæo Herniam istam uterinam censeas accidisse? Quæ enim utrinq; adferri possunt, non sunt fortassis planè nulla.

Dilatato saltem sive laxato peritonæo factam, si quid aliud, certè evidentissime evincit; quod id in sectione à reliqua cute manifestè discerni potuerit. Et quidni peritonæum ex altera parte in tantum laxari potuerit: cum in Hydropicis secundum omnes ferè dimensiones totum abdomen in immensam propè molem extendi, sæpenumero observatum sit? Ipsemet superiori Anno 1611. Giessæ *Typothetam, cui scrotum ad capitis magnitudinem ab aqua illapsa distentum erat, citra sectionem Dei beneficio sanavi. Quid? quod mulier quædam Germana nomine* Dorothea, *quæ in Italia gemino partu filios viginti edidisse traditur, altero quidem novem, undecim altero, ob ingens pondus tumidam alvum & ad genua usq; propendentem, fascia collo & humeris appensa sublevare solita est; Vt post* Iohan. Franciscum Mirandulanum *Principem, &* Lycosthenem *author est* Schenckius *lib. 4. obs. 162. Solidiores multò durioresq; quam peritonæum, ipsæ sunt arteriæ. Ast hæ in aneurismate ad ovi anserini magnitudinem quandoq; laxari deprehensæ sunt. Quin aneurisma Bernæ Helvetiorum Anno 1605. à te visum, ceu Soloduro ante trienniũ ad me perscripsisti; Quod totam pectoris partem sinistram à sterno ad collum usq; occupavit. Solidissimum est cranium in hydrocephalis, tamen quantoperè id nonnunquam distendatur, pluries docuit experientia.*

Alia. *Alia.*

Rupto autem peritonæo Herniam fuisse productam, inde quis forsan arguere posset; quod plagam à pertica reciprocante inflictam subsecuta fuit. Quæ ratio num satis solida sit, tute Fabrici clarissime, judicabis. Mihi ob rationes antea adductas dubia nonnihil videtur Etsi enim vel maximè concedatur interiorem peritonæi tunicam pertica illisu fuisse diruptam, exteriorem tamen permansisse salvam atq; integram, sectionis administratæ Historia superior fidem facit luculentam. Nec refert, si quis prætendat, membranam illam, quæ post cutis dissectionem in conspectum venit, fuisse musculi transversi laxatum tendinem. Nam ut alia multa, quæ in contrarium adduci possent, præteream, unicum istud loco omnium duntaxat adferre placet; Nempe musculorum transversorum tendines non in viris tantum prope os pubis ad vasorum seminalium præparantium ad testes descensum, indeq; ejaculatoriorum ad glandulas prostatas, quæ vesicæ cervici appositæ sunt ascensum; Sed in mulieribus, etiam ad duorum processuum nervosorum ab utero prodeuntiũ & in summam partem pudendi muliebris pervenientium, transitum perforari. Vnde mulieres cum bubonocele laborarent, cum sectione sanari posse, eruditè monet Casparus Bauhinus *lib. 2. Theatr. Anatom. c. 8. Per foramen igitur tale ictu perticæ laxius redditum, uterus integra peritonæi tunica exteriore excidit, atque herniam uterinam produxit. Sed de his pro accurato tuo judicio rectius ipse statues; sufficiet me de iisdem meam sententiam qualitercunq; tibi nunc delineasse.*

Neg. *Decisio.* *Objectionis solutio* *Mulieres cur Bubonocele corripiantur*

Deinde & hoc mihi respondeas velim. Num fœminam prius quam plagam acciperet, gravidã fuisse, vel posterius demum gravidam evasisse, existimes? *Cui quæstioni etsi nemo ipsa ægrotante aptius olim satisfacere potuisset; tamen conjecturando de eadem nunc dici posse confidam, paucis exponam. Non fuisse prius gravidam ex eo quis forsan demonstrare posset, quod post plagam vehementem à pertica reciprocante acceptam nec 1. inguen sinistrum intumuit, nec 2. abortus etiam obortus fuit. Ex adverso, posterius quoque gravidam vix evasisse: Vteri dislocatio à perticæ ictu procul omni dubio excitata, docere posse videtur; nisi forsan evenerit, ut uterus non statim à plaga, sed tandem post factam impragnationem suo loco primum pulsus sit. Quod ipsum à vero non est usque adeo alienum; præsertim cum (uti habet historia) non statim ab ictu, sed paulo post tumor in inguine sinistro apparere incœperit. Tu utrum tibi probabilius videatur, defini. Ego hic ἐπέχω.*

Quæst. 2. *Negat. 1. quæst. part.* *Negat. 2.*

Illud potius tertio loco ex te quæro, Annon putes, tumore in iguine oboriente, fascia ali-

Quæst. 3.

qua competente, uterũ contineri, ac ne longius extra abdomen excideret, prohiberi potuisse: *Mihi quidem, quin hoc ab initio fieri potuerit, prorsus dubium non est; qui novi, quantum utilitatis fasciæ convenientes in aliis herniis adferre soleant.*

Quæst.4. Illud quoque doceas: Cur hernia figuræ oblongæ, non autem (*cujusmodi aliàs gravidarum abdomen esse solet*) rotundæ fuerit? *Num quod utero foràs extra abdomen prolapso, & contentorum pondere ad inferiora depresso, superiores herniæ partes acuminatæ sunt? An quod fœtus plano & erecto, non autem in globum contorto situ in utero concludebatur?*

Quæst.5. *Quin & istud mihi expedias*, num spes ulla superesse potuerit partus naturalis? *Mihi quidem Medici Wittebergenses rectè conclusisse videntur, spem planè superfuisse nullam. Cum enim utero in proprio loco constituto, non raro fœtus naturaliter educi non potuerit, ob causas in Medicorum observationibus hinc inde annotatas, atque inprimis in libello* Rosleti *de partu Cæsareo sect.1. cap.3. diligenter collectas: qua quæso ratione in præsenti casu extrahi valuisset? Annon contigisset facilimè, ut in medio & tamen irrito uterum in consuetum ac naturalem locum unà cum fœtu per tam angustas vias reponẽdi conatu, fœtus suffocaretur, materque ipsa præ dolorum acerbitate simul extingueretur? Quamobrem cum viderent, quod parturienti alia ad salutem via præclusa esset omnis, excepta una eaque dubia & periculi plena per sectionem Cæsaream, necessarium esse arbitrati sunt, ut ea periculo adversi irent. Id quod in talibus casibus fieri voluit Galenus lib. 10. Methodo med. cap.10. Nam ut Aëtius scribit Tetr. 4. sermon.1. cap.120. in fine de Elephantiasi; humanum & plenum benevolentiæ signum in extremis etiam malis usq; ad experimentum procedere, ad difficultatem affectionis compescendam.*

Extremis morbis, extrema competũt remedia 1. Aphor. 6

Quæst. 6. 7. 8. Non quæro jam de sutura uteri. *Num illa ea institui vel potuerit, vel debuerit?* non de causa membranæ, *super labiis vulneris uteri nata*; non de Gangræna *superveniente: de quibus singulis quid sentias, aperire aliquando poteris.*

Quæst.9. De illo *saltem colophonis loco quærere placet; quid causæ subfuisse arbitreris, quod cum vix ullum de recuperanda integra sanitate dubium superesse videretur, ægra lipothymia ex improviso correpta & paulò post extincta? Num virus aliquod atque occulta malignitas in vasis, (in cavitate enim omnia salva sunt inventa) uteri genita delituit? quæ ut è prædictis nonnulla, sic & lipothymiam & cum lipothymia mortem ipsam ex insperato invexit.* Atque hactenus de historia præsente.

Nunc ob argumenti affinitatem aliam non minus raram, sed priore multò antiquiorem, utpote quæ Anno 1531. Decembris die nono contigit, subjungere placet; cujus quidem nuperrimè pressiùs meminit in suo Hemerologio Silesiaco Nicolaus Polius *sub mense Decembris die citato; fusius verò ac per circumstantias descripsit* Samuel Meigerius *in sui historiarum Nuclei classe 1. cap. 4. eam nos è Germanico in latinum sermonem ita transtulimus.*

Historia alia. Niessæ, *quæ urbs est Silesiæ satis celebris, vixit paupercula; quæ quindecim annis viro suo cohabitavit & novem libros enixa fuit. Accidit autem ut in primo partu propter summam impatientiam & morositatem ab obstetricibus & aliis fœminis præsentibus deserta, sola sibi consulere, & solo Deo obstetricante, eniti cogeretur. Hinc etsi mali aliquid in abdomine sibi evenisse sentiret, nihilominus tamen ex ordine octies porrò naturaliter & feliciter citra ullam noxam per Dei gratiam peperit. Non multò autem post malum in primo partu acceptum, circa inguen sinistrum sæpiusculè sensit, ac sub cute extra abdomen mediocris quantitatis quippiam sibi excidere animadvertit. Anxia igitur casu isto reddita, rem primò ad maritum, mox ad fœminas, ob fidem sibi dudum probè exploratas detulit: ab illis verò consilii solatiive aliud retulit nihil, quam DEO Opt. Max. totum negotium esse committendum. Quod dum fecit, ecce tumor indies in majorem magnitudinem increvit, ut tandem vesicæ bubulæ spiritu distentæ ac gravidæ formam repræsentare videretur. Quin id magnitudinis longitudinisq; demum acquisivit, ut ad genua usque propenderet. Vnde aliis accedentibus indiciis non arduum fuit concludere, in vesica ista fœtum contineri vivum. Interea verò magnos dolores fœmina perpessa est, sive cubare, sive sedere conaretur. Namque non sine multo & dolore, & ejulatu, onus istud instar sacci alicujus penduli hinc inde levare, ac reponere cogebatur. Verumenim verò cum pariendi tempus appropinquaret, senatus Niessenus, (quod paupercula esset) curam ipsius suscepit, & prædictum casum cum Medico-Chirurgis & obstetricibus peritis, aliisque fœminis honestis communicavit, atque re diu multumque deliberata & accuratissimè pensiculata, deprehendit spem partus naturalis reliquam esse nullam, nec alia via cum matri, tum fœtui succurri posse, quam sola tumoris apertione; tametsi omnes simile quid se nec vidisse unquam nec audivisse testarentur. Prægnanti itaque consilium hoc tandem aperuerunt, quod ipsa lubenti animo acceptavit, atque se totam divinæ protectioni seriò commendavit, cum se unà cum fœtu aliter liberatum non iri ipsamet facilè intelligeret. Postquam verò in tam periculoso rerum statu constitutæ animum crebris adhortationibus & consolationibus propinqui obsirmassent, Medicus, Chirurgi, obstetrices, aliæque fœminæ honestæ definito tempore convenerunt, & divino auxilio implorato, tumorem descecuerunt, fœtumque post multos labores, & solicitudines satis vegetum denique extraxerunt. Quem cum matri adstantes gratulabundi consolabundique obtulissent, oculis duntaxat aspectum auferri & in cunas reponi, manuum indicio jussit. Is Christo per lavacrum sacratissimum initiatus, sesquiannum superstes vixit: mater tertio à sectione die post multos dolores & cruciatus piè in DEO obdormivit.*

Quæst. Hic de uno saltem, mî Fabrici, *tuum judicium exponas, rogo,* qui scilicet fieri potuerit, ut post, sive rupturam sive laxationem peritonæi, in primo partu acceptam, nec bubonocele, nec hysterocele fœmina illa protinus correpta sit? & quod admirationem adauget, octies sine noxa feliciter pepererit. *Num censes, noxam peritonæi non adeò fuisse magnam, quæ intestinum elabi permitteret? An putas temporis diuturnitate emendatam, & totaliter obliteratam; postea verò forsan alia aliqua de causa, in historia quidem neglecta & prætermissa, redintegratam? ego utram in partem magis inclinem, non satis video. Et tantum de hac etiam historia. Ex his igitur, mî* Fabrici, *constare confido, quod non temerè argumentum hujus epistolæ, ut novam, ita raram historiam appellaveris. Tibi si tertium aliquod exemplum*

plum vel in artis usu occurrit, vel lectione aliquando innotuit, ne id me celes, oro.

Iam antequam finem epistolæ faciam, de alio, prioribus ut opinor, tibi non minus accepto, pauca quædam auctarii loco adjiciam. Ad quod quidem me largiter invitavit jucunda illa, qua ante quinquennium per semestre fruiti invicem sumus, conversatio. Cujus quoties recordor (recordor autē sæpissimè) non possum non opere dolere maximo, quod ipsam ob causas tibi dudum notissimas nō licuerit esse diuturniorē. Quippe non dies abiit, quo vel ex mutuis colloquiis, vel operarum tuarum inspectione non evaserim doctior. Etsi igitur de multis aliis in præsentia ad te scribere potuissem, iis tamen modò sepositis, & ad aliam occasionem commodiorem reservatis, de Mercurii *in medicina usu nonnulla exarare tantùm placet. Illum enim quantum tu æstimes, hîc prolixè non dicam. Istud nihilominus quin dicam, nec ipse prohibebis, neque ego committere ausim, nempe te crudo unguentis & emplastris permixto, non solùm ad tumores alios scirrhosos, tophos venereos, sive è Gallica lue contractos & gonorrhæas; sed ipsum etiam morbum Neapolitan. dexterrime felicissimèq; uti. Vti verò æquè feliciter ipso, veluti communiter appellatur præcipitato; cum intra, tum extra corpus, ad ulcera sordida & contumacia persananda, cujus rei specimina non apud te tantùm vidi aliqua multa, verum etiam in praxi mea, quantumvis tenui, quam* per DEI gratiam *hactenus exercui, ipse observavi nonnulla. Quod olim etsi secreto etiam servare mihi soli potuissem, tamen cum me non lateant sinistra, imò fatua quorundam præstantissimi hujus medicamenti osorum, atque aliorum malè sanarum opinionum mancipiorum præjudicia; Tuaque in communicandis etiam secretissimis facilitas ac liberalitas, ejusdem in mei* de Medicina & Medicis *libro primo, part. 2. section. 5. class. 3. cap. 6. quæst. 4. distinct. 7. §. 2. sub tuo nomine meminisse volui. Quod ut cum pace tua fecerim, precor.*

Quamquam verò Chymici è Mercurio *varia remediorum genera, scopis variis accommodata elaborent, de illis tamen hoc in loco adferam nihil,* de Mercurio Sublimato Dulci *duntaxat quædam scribam, quem unum è præstantissimis catharticis rectè appellavit* Crollius *in sua Basilica Chymica mihi pag. 130. primæ editionis; utpote quod per se vel cum aliis catapotiis in usu medico exhibitus, omnia noxia è corpore humano radicaliter expellat. Ejus præparandi ratio diu hactenus fuit occulta, & à* Crollio *per terminum* Artificii Homogenei *quodammodò adumbrata & designata, planius ipsam descripsit Quercetanus in pestu Alexiaco cap. 7. pag. 411. editionis Lipsiensis: post hunc* Author Tyrocinii Chymici; *& novissimè* Sennertus *meus* Institutionum medicarum *lib. 5. part. 3. sect. 3. cap. 17. in qua ipsa libri citati parte; tam multa tamq; egregia medicamenta chymica idē meus Sennertus describit, qualia in aliorum libris, titulo ad fastum composito superbientibus, vix invenias:*

Præparandi autem ratio talis est.

R. *Mercurii vivi ℥vj.*

Mercurii sublimati ℥viij.

Terantur vel levigentur super marmore, aut misceantur in mortario ligneo, vitreove, donec probè uniuntur, nec quicquam de Mercurio vivo supersit. Massam nigrescentem nonnulli aqua distillata lavant, dum omnes sordes auferantur, fiat postea s. a. sublimatio ex arena. Peracta sublimatione, quod sublimatum est, gusta. Nam nisi cretæ instar insipidum deprehenderis, sublimatio tibi reiteranda erit; Ea quidem lege, ut id quod in fundo vasis post præcedentem sublimationē restitit, abjicias, & sublimato novi Mercurii vivi nonnihil admisceas, ut prius. Breviter: *sublimatio toties à te repetenda est, quoties sublimatum acrimoniæ aliquam speciem gustui tuo exhibuerit.* Nota: *quod si inter sublimandum Mercurij vivi quicquam ascenderit; à sublimato id diligenter sequestrabis.*

Tutus usus. *Blandè purgat, & sine noxa ullius metu usurpari potest; Quod satis docet usus ipsius passim notissimus.* *Dosis.* *Datur Iunioribus à gran. quindecim ad viginti. Adultioribus à viginti ad quadraginta usq; cum conserva rosarum vel aliqua alia, pomo assato, aut ratione simili. Crustulo quoq; subvolvitur; Aut cum mucilagine gummi Arabici vel Tragacanthi, addito oleo aliquo distillato, in pilulam unam, duas, tresve &c. redigitur, pro scribentis voto, & usurpantis voluntate.* *Appellationes.* *Appellatur à nonnullis* Mercurius dulcis, *ab aliis* Mercurius vitæ, *à quibusdam* Panchymago, *aquila* cœlestis. *Operandi virtus.* *Dicitur per vices plures exhibitus eò usq; saltem purgare, dum nihil peccantis materiæ in corpore residuum sit. Hoc sanè certum est: quod ab eadem ipsius dosi, alij largius, alij parcius purgentur. Verum idem in aliis quoq; purgantibus videre licet. Creditur esse specificum purgans in* Hydrope. *Ascitici cura.* *Tali quippe ratione quidam Asciticus restitutus perhibetur. Nimirum primò purgatus* Mercurii dulcis *granis triginta quinq; per vices aliquot. Secundò singulis diebus bibit aquæ Ivæ Arthetica cum oleo vitrioli rubicūdo acidulæ facta, terna cochlearia. Tertiò singulo mane, & singula vespera sub ingressum lecti duodecim grana Croci Martis saccharini, cum cochleari aquæ hepaticæ potavit.*

Oleum vitrioli. *Oleum vitrioli rubicundum qua ratione parandum sit, è vulgatis Chymicorum libellis constat.*

Crocus Martis Saccharinus. *Crocus verò Martis Saccharinus ita conficiēdus.*

R. *Laminas è ferro vel chalybe puro ductas. Has obline oleo sulphuris per campanam facto; aut si hoc desit, vitrioli oleo oblitas colloca in cellam, & adnascetur crocus: qui derasus dulce nonnihil sapit. Obline laminas, Crocumq; collige eò usq; dum laminæ totæ corrodantur, nec Croci quicquam amplius reddere queant.*

Vsus. *Hunc Crocum verum Hepatis vocant instaurativum. Tu* Fabrici *præstantissimè periculi faciēdi gratia infecto alicui lue Gallica Mercurium prædictum, data occasione exhibe; ac quid in eâ abigenda possit, experire. Neq; enim dubito; quin egregiarum in hoc morbi genere averruncando virium futurus sit. Quod ubi feceris, de successu me quamprimū, quæso, erudito.*

Sed manum tandem de tabula: vereor enim, nè dudum epistolæ metas prolixitate ista transgressus sim: Quas si forte transgressus sum; spero tamen, me ob hoc qualecunq; etiam erratum veniam apud Te, & alios præterea omnes, ad quorum manus eadem epistola fortassis perveniet, facilè meriturū esse: cum non ex inanibus & nugatoriis, sed utilibus ac seriis rebus, me quidem judice, ipsam contexuerim. Tu mi Fabrici, cum tota familia æternum vale; vosq; mi lectores amantissimi sospites vivite; ac mihi meisq; laboribus porrò benè precamini. Dabam Breslæ è Musæo meo Calendis Augusti 1612.

GUIL-

GUILHELMI FABRICII HILDANI

Ad

EPISTOLAM

Clarissimi ac longè celeberrimi viri

DN. MICHAELIS DORINGII,

Breslaviensis, Philosophiæ & Medicinæ Doctoris multis nominibus excellentissimi,

De

Nova, Rara & admiranda Herniæ Uterinæ, atq; hanc justo tempore subsequentis

PARTUS CÆSAREI HISTORIA,

Responsio Epistolica,

In qua

Multa variaque de affectibus Uterinis, extractione fœtus mortui, Mercurio & Antimonio, recensentur.

QUemadmodum plantæ tenellæ, *Vir amplissime, & multis nominibus mihi charissime*, nisi radices ipsarum per intervalla irroratæ fuerint, citò perire solent: & olim ignis Vestalis, nisi refocillaretur continuò, extinguebatur, ita & amicitia, (quæ si vera & sincera fuerit, nescio quid Divini amoris, post lapsum hominis, in homine remansisse denotat, & plantas omnes, imò & gemmas quantumvis preciosas, longè præcellit) nisi sæpissimè mutuis officiis, aut ad minimũ colloquiis & literis exculta fuerit, flaccescit, paulatimque refrigescit, extinguiturque: imò & inter Christianos tam languida & imbecillis est inter ipsos in hoc ulceratissimo seculo Christiana charitas. Verum enim verò in T. Exc. jam pridem, & quidem sæpissimè, contrarium mihi observare licuit. Etiamsi enim propter locorũ intercapedinem, amicitiam inter nos ante sexennium (cum propter singularem tuum erga me amorem atq; studium, etiam ex longinquis regionibus, me invisendi causa, Te in Helvetiam contulisti, atque exiguam familiam meam pro hospitio tibi elegisti) contractã coràm nunquam, scriptis verò rarò fovere concedatur, nihilominus tamen fruticulos illos amicitiæ nostræ, non flaccescere, sed potius in altum excrescere, frondesque suas longè lateque expandere video. Cujus causa, profectò, non ex meritis erga te meis, sed ex præclara humanitate, simul & benevolentia tua proficiscitur. Assentator non sum: quandoquidem non tantum privata ad me scripta tua, & laboriosum simul & utilissimum opus tuum, *de Medicina & Medicis*, in quo tam honorificè mei mentionem facis, verum etjam publica & impressa epistola illa, *de nova, rara & admiranda Herniæ Vterinæ atq; hanc justo tempore subsequentis partus cæsarei historia*, luculenter fidem faciunt. Etsi porrò te illam ad me misisse minimè dubitem, interceptum tamen, aut potius deperditum illius in via fuisse fasciculũ, arbitror; quandoquidem ad manus meas hactenus nondum pervenit: & unicum tantummodò exemplar mihi videre licuit. Illud autem *clarissimus ac doctissimus vir Dn. Georgius Faber, Castri Imperialis Fridbergensis Medicus ordinarius, ac longè celeberrimus*, amicus noster communis, mihi communicavit. Quod verò epistolam illam meo nomini inscripseris, gratias ago habeoque maximas: & candidam illam in me humanitatem Tuam, quoad vixero, celebrare non desinam. Maturius rescripsissem, & gratias egissem: sed varia intervenêre impedimenta. Cum enim ex Patria domum reversus essem, Cheirurgia Castrensis Germanica ad prælum mihi describenda fuit. Illam vix cum absolvissem, *Wormatium ad Generosum ac Strenuum Virum* D. Ebertum Kämmerer von Wormbs/ genandt von Dalberg/ vocatus fui, apud quem per tres integros menses mihi commorandũ fuit, Redeundo in Helvetiam, Basileæ, Bernæ, & nonnullis aliis in locis quoq; paulisper detentus fui & demum 29. Augusti Lausannam reversus sum. Ne itaq; ægrè feras morem, obnixè rogo. Quæ adversa quoque, & luctuosa mihi post reditum meum Lausannam advenere, ex Dn. D. Horstio, aut Dn. D. Fabro Te intellexisse, non dubito.

Cæterum ex patria ad meos redii 13. Decembr. anni elapsi: iter quidem longum & laboriosum fuit, non tamen (Laus sit Deo) usque adeò molestum, etiamsi enim in patria morbis bis corre-

correptus fuerim, humanitas tamen illa atque benevolentia, qua cum PRINCIPES Patriæ, & alii, COMITES item & NOBILES, cum etiam undique viri docti me prosequuti sunt, veluti *Panacea* mihi fuit. Quantum enim morbi, & labores itineris, corpus affecerunt, tantum humanitas atque familiaritas horum, mentem simul & animum recrearunt atque refocillarunt. Quod Tuam Excellent. GIESSÆ non offenderim, etiamnunc ex animo doleo: nihil enim optatius mihi accidere potuisset, quam si illam ambabus ulnis amplecti mihi licuisset. Amplissimus simul & humanissimus Vir DN. GREGORIUS HORSTIUS, communis noster amicus, infinitis honoribus me affecit: & GIESSA HEIDELBERGAM usque deduxit, & quod magis est, in causa fuit, quod DARMSTADII in aula *Illustrißimi & Celsißimi Principis ac Domini* DN. LUDOVICI *Haßiæ Landgravii, Comitis in Catzenellenbogen, Dietz, Ziegenheim & Nidda, &c.* clementissimè simul & humanissimè exceptus, & per dies aliquot detentus fuerim. Quod cum tuis feliciter in Patriam appuleris, gaudeo: Præpotens ille Deus, fons misericordiæ & clementiæ, qui te in Patriam, me verò ex laborioso & sic satis longo itinere (quandoquidem Belgium, & præcipuè Hollandiam quoq; eadem opera perlustravi) extra Patriam ad meos reduxit, & ut in posterum nos in hac valle miseriarum spiritu suo sancto ducere, sed inprimis omnibus donis spiritualibus benedicere atque ornare, tandemque propter meritum filii sui unigeniti JESU CHRISTI, *in Patriam cœlestem,* cum omnibus fidelibus introducere velit, ambabus ad cœlum elevatis manibus, Deum Ter Opt. Max. submissè ac humilimè imploro atque efflagito.

Porrò historiam illam quod attinet, rectè profectò raram & admirandam illam inscribis: vix enim unquã simile quid observatum fuisse, tecũ mihi fatendum est: quapropter, quicquid dicant invidiosi, prudenter fecisti, quod opus hocce divinum publici juris feceris. *Verè inquam Divinum,* quomodo enim fœtus extra uterum, aëri, eique frigidissimo, qualis fuit tum temporis, cum utero gestaret, expositus, à calore verò materno & vasis cotyledonibus remotus, ad perfectionem & maturitatẽ pervenire potuerit, hominis captum superat. Mirabilia itaque opera Dei etiamsi in omnibus rebus à Deo creatis appareant, in Medicina tamen, præcipuè in morbis sese patefacere, historia illa tua luculenter ostendit. Ideoque minimè erat à te omittenda, etiamsi à clarissimo ac longè celeberrimo Viro Dn. D. SENNERTO, antea evulgata quoque fuerit. Non enim, ut tu quoque rectè addis, liber iste omnium ad manus pervenit, & ut de aliis quamplurimis regionibus taceam, profectò hujusmodi scripta aut tardè aut nunquam ad nos perveniunt. Observationes quoque de affectibus uterinis habeo plurimas, historiæ tamen tuæ minimè æquiparandas. Interim tamen nonnullas earum nunc (ut par pari referam) tibi communicare non gravabor. Verùm antequam ad earum narrationem me conferam, ad quæstiones, quas ex prædicto casu proponis, pro tenuitate ingenii mei, paucis respondere conabor.

Quæris primò: *Ruptumne an dilatatum fuerit peritonæum?* Ego minimè illud ruptum dilaceratumque fuisse, tecum sentio. Etiamsi enim ictus à pertica factus, & gravis, & magnus fuerit, cutem tamen & musculos vix læserat multominus igitur peritonæum? quod, ut testantur anatomici, firmissimum validumque intestinorum & ventriculi tegumentum sit: substantia membranosum & molle, Potius itaque extenditur & relaxatur, quam dilaceratur, præcipuè in fœminis, in quibus ab umbilico ad pubem usque validissimum est. At cum in hac matrona ne cutis quidem aut musculi abdominis (quantum quidem ex historia colligere possum) insigniter læsi fuerant; multo igitur minus peritonæum, quod, uti dixi, validissimum est, musculisque quinetiam subjacet? Interim tamen duo incommoda ex ictu perticæ oborta fuisse, non dubito. Relaxationem nimirum aliquam peritonæi: & contusionem musculorum abdominis, simul & dolorem. Ille porrò, quum, ut Galenus & experientia fidem faciunt, attrahat, sequutus est concursus humorum in partem læsam. Hi verò quia pauci, & propter constitutionem subjecti, pituitosi & viscidi essent, ut inflammationem aut abscessum procrearent, minimè fuerunt apti. Remanserunt itaque in partibus musculosis, & quidem circa peritonæum, illudq; paulatim laxum ac lubricum reddiderunt: imò etiam ita debilitarunt partem illam, ut cum utero gestaret fæmina, facilimè relaxaretur, atque in saccum extenderetur. Illam porrò relaxationem atque extensionem peritonæi, circa foramina illa, circa quæ bubonocele fiunt in mulieribus, accidisse, tecum censeo.

Sed quid sentis, quæso, de herniosis, nonne in ipsis peritonæum disruptum esse putas? Multos quidem id asserere scio, verùm ego ipsis subscribere non possum. Si enim disrumpitur, id ut circa foramina illa abdominis (quæ tamen verius, Laurentii verbis utor, productiones dixeris instar canalis elongati) fiat, necesse est: alioquin nunquam neque omentum, neque intestina in scrotum descenderent. At rupto ea in parte peritonæo, frustra fieret in sectione herniarum ligatura atque constrictio vaginæ, simul & abscissio testiculi. Peritonæum enim cum sit corpus, ut dixi, membranosum, nonne disrupto illo, partes disruptas ita retrahi, ut amplius conjungi, & filo ligari minimè possint, existimas? Deinde in herniosis peritonæum dilatari, non autem disrũpi, ipsa ocularis inspectio fidem facit. Aliquoties enim in herniosis post obitum, præcipuè in sene illo, cujus fit mentio obs. 65. Cent. 2. (qui insigni hernia intestinali per multos annos laboraverat) ea qua fieri potuit diligentia, locum affectum perlustravi, nunquam tamen quicquam aliud, præter dilatationem peritonæi, observare & reperire potui. Venæ nonne unica, eaque tenuissima membrana constant? attamen aliquando in monstrosam magnitudinem dilatantur; Varix cujus ego in præcedentibus meis ad te memini literis (quæ crassitiem brachii mei ad carpum excedebat) testis est; Nec est ut aliquis venam ruptam fuisse, existimet. Sanguis enim, ut Hipp. docet,

In herniosis peritonæum dilatatum, non ruptũ esse ostenditur.

De varice mõstrosa.

docet, quam primum in ventrem, hoc est, extra vasa sua profunditur, putrescat necesse est; At in viro isto nunquam computruit, ergo sequitur, venam non disruptam sed dilatatam fuisse. Concludo itaque, in fœmina ista peritonæum dilatatum non disruptum fuisse. Si enim in hydrocephalis cranium dilatatur, non autem disrumpitur, quemadmodum ex Observat. Cent. 1. & ex ipso cranio, quod tu in Musæo meo vidisti, apparet, quanto minus in hac fœmina peritonæum, quod forsan jam antea aliquoties in gestatione uteri distentum dilatatumque fuerat, disruptum fuisse, verisimile est? Peritonæum autem aliquando monstrosè extendi atque dilatari, sequens historia fidem quoque facit.

In hydrocephalis cranium non disrumpitur sed dilatatur.

Anno 1607. Bernæ Helvetiorum quadragenariam mulierem obesam & pinguem (cui & præsidia nonnulla præscripsi) invisi. Illa in difficili partu relaxationem umbilici contraxerat, ex qua paulatim distento atque relaxato peritonæo exomphalos monstrosa sequuta fuerat. Umbilicus enim veluti saccus ingens extra abdomen propendebat: cum venter tamen suam debitam servaret proportionem. In capacitatem ventris retrocedebat nunquam. Interim tamen illa tam valido erat corpore, ut rem familiarem sine impedimento administraret. Hæc obiter: integram enim historiam habes apud *clarissimum Virum* Dn. D. GREGORIUM HORSTIUM. Ante menses aliquot similem affectum in Germania, in nobilissima quadam ac singulari virtute prædita matrona, vidi. In illa tamen non umbilicus ipse, sed paulò supra ipsum peritonæum, veluti in saccum dilatatum conspicitur: in quo non solum omentum, sed & intestinum aliquod continetur. Aliquando enim murmur in ipso percipit, indeque dolorem quoque sentit. Affectum hæc quoque in partu contraxit. Plura non addo: exempla enim, quæ tu ipsemet in medium adfers, tuam, meamque opinionem stabiliunt.

Exomphalos monstrosa.

Secundò quæris: *Gravidane fuerit, nec ne, cum ictum exciperet?* Ego etsi hac in re nihil certi constituere queam, attamen ipsam tunc temporis nondum concepisse, verisimile mihi videtur. Si enim utero gestasset, proculdubio propter perturbationem animi, & imaginationem vehementiorem, ut in gravidis fieri consuevit, abortum fecisset. Exempla sunt in promptu: quorum nonnulla recensebo.

Ad secundam quæstionem responsio.

Superiori æstate, in oppido Essen, in Marchia, matrona gravida cum casu ictum bombardæ in coxam dextram, non quidem globo, sed charta madefacta, & dentibus masticata, reciperet, protinus doloribus partus correpta fuit: & aqua, quæ fœtum comitari solet, paulò post effluxit. Sequenti die fœtum non tantum mortuum, verum etiam nigrum, quasi pulvere tormentario infectus fuisset, edidit. Historiam integram, & quomodo à me divino aspirante numine, à gravissimis, quæ supervenerant, symptomatibus, restituta fuerit, posthac in observationibus meis videbis.

Gravida ex ictu bombardæ in coxam accepto, abortum facit.

Mense Julio Wormatiâ Lausannam rediens, cum Bingæ Brisgoviorum, propter certas causas, apud Nobilissimum ac strenuum Virum, Dn. Franciscum Conradum à Sickingen, Serenissimi Principis ac Domini Dom. Maximiliani Archiducis Austriæ, &c. consiliarium prudentissimum, & Satrapam in Stauffen vigilantissimum, per dies aliquot hæsissem, matronam quandam honestam, D. Pauli Hartmanni, Nobilissimi ac strenui viri Dn. Christophori von Amprin-gen œconomi uxorem, ibidem vidi. Illa cum gravida, quadam die vicini sui infantulum ex alto quodam muro in terram corruere videret, supra modum perterrefacta atq; commota fuit: nihil aliud sibi persuadens, quam infantulum istum omnia sua confregisse membra: & aut in ipso casu, aut paulò post vitæ suæ finem facturum: cum tamen ne minimam quidem læsionem ex casu isto, quantumvis periculi pleno, receperit, & etiam nunc in vivis sit. Mansit gravida ista in istis angustiis & animi perturbationibus per aliquot septimanas. Tandem verò non absque maxima difficultate fœtum edidit: sed mortuum: habens omnia sua membra veluti confracta: & mirum in modum contorta. Sed, quod summoperè admirandum, indutus fuerat infantulus prænominatus, cùm ex alto delaberetur, veste quadam alba, undique fimbriis rubris adornata: quæ rubræ etiam fimbriæ in fœtu isto mortuo evidentissimè apparebant. Post infelicem tamen hunce partum, bis, si rectè memini, feliciter peperit. Hæc ex relatione ipsius mariti Dn. Pauli Hartmanni accepi.

Gravida videns infantulum ca- [...]

Aliud exemplum, non minus memorabile, mihi communicavit Dn. D. Dan. Daniel, apud Dusbergenses Clivorum Medicus longè celeberrimus, amicus meus singularis, hunc in modum se habens. Matrona gravida, cum duos inter se confligentes videret, & ex eis unus gladio perfoderetur, nec non mortuus in terram corrueret, supra modum perterrefacta & perturbata, (exclamando, & nomen Domini, pro eo qui cecidit, invocando) manu dextra oculos obvelavit. Eadem die doloribus partus correpta fœtum mortuum, cui caput ab oculo ipso, ad occipitium usque perfossum erat, edidit.

Giessæ matronam gravidam propter incendium obortum perterrefactam, post triduum infantem vivum, sed undique maculis igneis contaminatum edidisse, Dn. Horstius ad me scripsit. Plura hujus rei exempla, ex quibus ictum perticæ, absque abortu vix fieri potuisse, videre liceret, quamvis autem plura in medium producere possem: Ne autem prolixior sim, his contentus ero, ex quibus quantum & quid in prægnantibus efficere possit perturbatio animi, fortisque imaginatio, satis superque apparet. Post actum itaq; ipsam cōcepisse, credibile est. Deinde accrescente fœtu, quum uterus de die in diem gravior fieret, & partem illā abdominis, à pertica læsam, præ cæteris debilem, & (propter affluxum & concursum humorum pituitosorum viscidorumve) lubricam ac laxam reperiret, totus in partem læsam debilioremque decubuit, & peritonæum magis magisque distendit. Herniosis, etiamsi intestina semper eandem ferè servent constitutionem, neque quemadmodum uterus gravidus, accrescant, idem tamē accidere, quotidie observamus.

Quando

Quandoquidem ex minima relaxatione peritonæi, tota moles intestinorum in partem illam decumbit; herniamque aliquando monstrosam procreat.

Tertiò *extuberantiam illam in inguine, ne longius extra abdomen excideret, ab initio fascia apta, prohibere potuisse, sæpissimè in matronis, bubonocele laborantibus expertus sum*: imo & aliquando uterum ipsum, ne excideret, fascia prohibui. Ante annum à nobili quadam matrona in consilium adhibitus fui: huic continuò ferè, inprimis ambulando uterus ante ostium propendebat. Ego instrumentum adaptavi: quo collo matricis imposito uteris ita in loco suo retinetur, ut sive pedes incedere, sive curru vehi, sive quovis alio modo corpus movere velit, id sine molestia & difficultate perficere facile possit. *Fuit autem hernia illa uterina oblonga hanc ob causam*, 1. quia fœtus (ut tu quoque doces) non in globum contortus, sed erectè in utero continebatur, 2. quia foramen, per quod uterus prolapsus fuerat, angustum. In herniosis utplurimùm idem accidere solet. Quam diu enim foramen angustum est, hernia figura oblongâ propendet: insigniter verò dilatata productione peritonæi, sive vagina, in rotundum adeò extenditur scrotum ut membrũ virile aliquando appareat. In matronis verò sanis, cum utero gerunt, venter rotundus est: peritonæum enim undiq; æqualiter extenditur.

Rectè simul & prudenter, absque omni contradictione, fecerunt Medici Wittebergenses, quod sectionem Cæsaream instituerint. Uterum enim extra abdomen prolapsum, à fœtu quinetiam dilatatum atque extensum per foramen. Illud angustum, in ventrem nunquam retrudi potuisse, quis est qui ambiget. Si enim in herniosis aliquando intestina in ventrem, ut ego aliquoties observavi, reponi nequeunt, quantominus in hac matrona uterus, cum ut habet historia, post sectionem, & extractionem fœtus, solus ob ejus magnitudinẽ in ventrem reponi non potuerit? Prius itaque dilatandum fuisset foramen abdominis: quemadmodum nonnunquam in herniosis, si intestina in scroto intumuerint fieri solet. Verum & dilatationem illam, tum propter dolorem, tum etiam propter hæmorrhagiam aliasq; causas absque maximo periculo matris, simul & infantis, fieri minimè potuisse arbitror. Deinde quia uterus per tot menses, unà cum fœtu extra abdomen propenderat, non erat ad ipsum excipiendum locus satis aptus, & capax in ipso ventre. Per totum enim tempus gestationis, omnia, quæ ad uterum, & fœtum excipiendum sunt necessaria paulatim adaptantur disponunturque. Intestina crescente fœtu, & dilatato utero, retrocedunt; Hepar, lien & ventriculus, versus diaphragma blandè reprimuntur; peritonæum simul & musculi abdominis, prout fœtus accrescit, sensim extenduntur, dilatanturque omnia ad partum naturalem, natura, divino quodam instinctu præparat atque disponit; idque sine periculo, quia sensim fit, & absque violentia. Cum violentia verò absque læsione prædictarum partium reponi non potuit. Sed ponamus casum, abdomen absque insigni periculo dilatatum, uterum quin etiam & in ipso contentum fœtum, feliciter in ventrem repositum fuisse, partus tamen naturalis, quomodo consequi potuisset, non video. Ut enim de reliquis impedimentis, quæ adesse potuerunt taceam, hoc unicum, nimirum incisio musculorum abdominis ad partem naturalem impediendum, sufficiens erat. Quantum enim compressio musculorum abdominis in partu sit necessaria, sciunt medici, at hic ratione vulneris, fieri non potuisset.

Ad sextã quæstionẽ responsio.

Medici, quod post partum Cæsareum uterum sutura non conjunxerint meo quidem judicio prudenter fecerunt. Utero enim à contentis evacuato, labia vulneris per se facilè, ut Roussetus de partu Cæsareo testatur concidunt, & arctè conjunguntur. Deinde, post partum ut sanguis & quicquid præternaturale in utero superest, ut paulatim evacuetur, perquam necesse est. At quia in hac fœmina (ut verisimile est) naturalis via occlusa fuit, non erat occludenda via illa præternaturalis & arte facta. Cutim verò quod consuerint, rectè fecerunt; Alioquin uterus, aëri expositus, protinus alterationem & putredinem aliquam contraxisset ægramque mox è medio sustulisset.

Sed aliquis forsan partem illam uteri, quæ per tot menses extra abdomen propenderat, filo ligasset & abscidisset; Neque omnino rejicienda fuisset operatio hæc, gangræna enim, quæ postea supervenit, ut verisimile est, hoc modo evitari potuit. Deinde mulierem absque utero vivere, imo & ad coitũ aptam esse, multis exemplis & observationibus demonstrant Avenzoar l. 2. tract. 5. cap. 4. Franciscus Roussetus lib. de partu Cæsareo. Casparus Bauhinus in Appendice libri Rousseti. Verùm operatio, & abscissio hæc, ut tutò fieret, hæc obstabant. Primò quia reliqua pars uteri, in ventre abscondita, ut necesse erat expurgari non potuisset. Via enim ad id à natura destinata, ut antea quoque dixi, procul dubio occlusa fuit: hinc retento sanguine, gravissima symptomata & mors consequuta fuissent. Deinde quia inposterum ad procreationẽ inutilis fuisset fœmina illa. Totus enim ferè uterus decidisset. Potuisset quidem concipere; Ea enim omnia quæ ad conceptionem necessaria sunt remansissent integra; Emisissent insuper semen, non minus ac fœmina illa, cujus meminit Dn. Bauhinus in suo in lib. Roussoti Appendice, sed an fœtum usque dum maturus fuisset, gestare potuisset, vix credibile est. Nimis enim angustus fuisset locus, nec unquam uterus propter partem ablatam, sese satis extendere & dilatare potuisset, & proinde abortum maximo cum vitæ discrimine fecisset. In partu enim nisi uterus, prout fœtus sese ex una in alteram partem projicit & circumvolvit, extendatur ut plurimum parturiens simul & fœtus ipse, versantur in periculo vitæ. Quapropter qui scirrho uteri laborant vix parere posse observavi, cujus rei veritatem ex sequenti historia videre poteris. Illam etsi clarissimo atque doctissimo viro Dn. Andreæ Weickio Medicinæ Doctori, amico meo singulari inscripserim, & quartæ Centuriæ observationum mearum inserere cõstituerim, attamen quia hoc loco ad institutum nostrum quadrat,

Uterus nõ est ad vitam necessarius.

Qui scirrho uteri laborant sine periculo parere non possunt.

drat, illam hîc subjungendam esse, visum est: sic autem habet.

Mulier scirrho matricis laborans una cum fœtu moritur.

Anno 1611. Dn. Andreæ Morge, Arcis Mõs dicta (quæ inter radicem montis Jurati & lacum Lemannum sita est) Oeconomi uxor, matrona pia atque honesta, cum quinto utero gestaret, & finem noni mensis impraegnationis attigisset, doloribus partus correpta fuit 24. Maji circa horam decimam matutinam, cum pro more, & quidem cum voluptate & appetitu pransa fuisset. Dolores parturientium tam acerbos & motus fœtus tam vehementes ac impetuosos fuisse, ut vix unquam simile quid observatum fuerit, adstantes matronæ referebant: quapropter vires ilicò mirum in modum prostratæ fuerunt. Circa horam tertiam pomeridianam lipothymia & horrores maximi supervenerunt: quo tempore fœtum in utero matris animam reddidisse verisimile esse mihi videtur. Dolores enim & conatus ad parturiendum ab eo tempore cessarunt, nec fœtus sese movebat amplius. Ego accersitus, circa undecimam noctis ad ipsam perveni, tum pulsus ferè nullus, extremitates frigidæ erant, & sudor frigidissimus totius corporis aderat, brachium quoq; dextrum fœtus extra vulvam propendebat; Quapropter mortem in propinquo esse, prædixeram. Ne itaq; inventionem meam, extrahendi fœtum mortuum, quæ hactenus in multis & quidem in deploratis, per Dei misericordiam feliciter mihi successit, apud vulgus & imperitos odiosam atq; suspectam redderem, manum adhibere nolui. Adstantium tamen, & ipsius ægræ precibus commotus, statim nonnihil confectionis Alkermes, aqua cinamomi, parumque vini dissolutæ, propinavi. Postea quia genitalia refrigerata, & veluti arida erant (quandoquidem ne gutta quidẽ sanguinis, aut humoris profluebat) sacculum ex radicibus, herbis, floribus & seminibus emollientibus, relaxantibus & dolorem lenientibus calidè applicui; Unguento quinetiam emolliente imum ventris, coxas, os sacrum & genitalia inunxi. Tandem eodem unguento inuncta manu, situm fœtus expiscari cœpi: qui etsi omninò præternaturalis esset, ut postea dicam, & brachium dextrum extra collum matricis propenderet, caput tamen, quod pectori incumbebat, (prius inuncto, & clementer intruso brachio infantis) versus ostium uteri adduxi. Verum quum uterus, & ipsius collum propter virium & expultricis facultatis summam imbecillitatem, supra modum clauderetur, adeoque constringeretur, ut manus mea compressionem sufferre non posset, ab opere desistere coactus fui. Brachium mox iterum spõte excidit, & sequenti die, circa horam decimam matutinam naturæ satisfecit.

Quæ in dissectione reperta.

Ego admiratione captus, quænam causa esse potuerit, quod fœmina illa, alioquin sana, tam citò extincta fuisset. Suasi ut cadaver incideretur, & causa mortis investigaretur. Aperto itaque ventre, vacuum ipsius sanguine seroso repletum reperi. Propter ingentes enim dolores, & violentum motum fœtus, venæ nonnullæ in parenchimate hepatis, & circa os sacrum ruptæ fuerant; atque ex ista profusione sanguinis, mortem subsequutam fuisse in controversiam revocari non potest. Porrò situs fœtus talis erat. Caput collo matricis proximè adjacebat, brachium dextrum, quod lividum extra collum matricis propendebat. Crura versus pectus, & caput infantis ita reflectebantur, ut pedes in vertice conjungerentur. Brachium sinistrum hypochondrio dextro ita erat impositum, ut crura in ipso poplite amplecteretur. Exempto fœtu scirrum durissimum, qui magnitudinem capitis infantis ferè adæquabat, inveni. Ille autem, utero non simpliciter adhærebat, sed ipsum corpus uteri in scirrhum concretum, atque induratum fuerat. Porrò scirrhum huncce causam mortis fuisse, nemo abnuere potest. Quandoquidem uterus ratione hujus scirrhi, ita angustus fuerat, ut tempore partus sese extendere non posset. Et quia fœtus maturus & vegetus, talem impetum fecerat, ut venæ rumperentur, & hæmorrhagia sequeretur, simile ferè exemplum habes observ. 67. Cent. prim.

Membranam illam, quæ obductus fuit uterus, rectè nominat Dn. D. Sennertus *purulentam.* Non enim fuit membrana vera, & recenter procreata, sunt enim membranæ partes spermaticæ, nec facilè regenerantur; Sed fuit aliquid præternaturale, ex viscida materia, à natura procreatum, idq; in eum finem, ut subjectæ partes tegerentur, & ab injuria aëris vindicarentur. In hunc quoque finem natura in vulneribus capitis fungos producit. Cum enim aër præcipuè frigidus, Ut Hippocrates & experientia testantur, cerebro & proinde omnibus partibus nervosis, sit inimicus, talis est naturæ (dummodo fuerit valida) industria atque providentia, ut partes nervosas, si denudatæ fuerint; Tegumento aliquo munire studeat; Hinc fiunt in vulneribus capitis, in quibus cerebrum insigniter detectum est, fungi; De quibus vide observationem 15. Cent. 1. Item obser. 36. Cent. 2.

In vulneribus juncturarum idem me vidisse memini: Anno enim 1585. cum adhuc tyro essem in arte cheirurgica, & Hildenæ parentes inviserem, perque dies aliquot apud ipsos moram traherem, ad cauponem quendam ibi in vicinia habitantem accersitus fui. Is sibi vulnus & magnum & profundum securi ipsi juncturæ pedis inflexerat; Ex quo post dies aliquot fungus carnosus exortus est. Is partibus nervosis denudatis ita adjacebat, ut aër illas offendere non posset.

Simile quid ante paucos annos mihi observare contigit. Paterniacensis quidem Adamus Perinus nomine, cum ingentem & nodosum truncum arboris, pulvere tormentario findere vellet, & nimis imprudenter ad truncum appropinquaret, junctura ipsius pedis dextri, ab ipso trunco (cum in partes dissiliret) per medium ferè dissecta fuit; Cum ingenti contusione, & sanguinis profusione. Ego protinus advocatus. quæ sanguinem sistunt, humores repellunt, & dolorem leniunt ab initio applicui, & statim enema exhibui: quo rejecto, venam ejusdem brachii incidi; Eamque victus rationem quæ in magnis & nervosarum partium vulneribus convenit, institui. Post cœnam ratione doloris nonnihil laudani exhibui: quo facto utcunque quievit ea nocte. Sequenti

quenti die pharmaco corpus à pravis humoribus exoneravi. Dolores etsi usque ad quartum satis acuti essent, paulatim tamen remiserunt, & brevi vulnus ad suppurationem Pervenit. Circa septimum porrò diem morbi fungus carnosus adeò magnus, ut totum vulnus adimpleret, subjectasq; partes omnes nervosas cooperiret, ipsisque veluti pulvinar adjaceret, in ipso vulnere exortus est. Ego interea institutam methodum minimè mutavi; Sed præcipuè in hoc laboravi, ut adfluentes humores repellerem, doloresque lenirem; Reliqua omnia usq; ad diem decimum quintum naturæ commisi. Elapso decimo & quinto die, ea quæ mediocriter exsiccant, absq; tamen acrimonia applicui. Curatio ita ad votum successit, ut divino aspirante numine, intra hebdomadas quinque, pristinæ sanitati restitutus fuerit: ita quidem ut deinceps absque baculo per annos ferè octo, usque dum Deus illum peste ex hac vita evocaret, incederet. Historiã hãc recensere volui, ut juniores cheirurgi ex illa ediscant, hujusmodi fungos summo naturæ beneficio & quidem, uti dixi in eum finẽ, ut subjectæ partes ab injuria aëris vindicentur procreari; Et propterea non temerè auferendos esse.

In ossibus denudatis, eadem est naturæ industria. Cum enim aër ossibus denudatis sit adversissimus, ea statim carne aliqua fungosa tegit natura; sub qua nihilominus partem illam ossis, ab aëre aut medicamentis, vel etiam à serra, veluti in abscissione membrorum, alteram, paulatim separat & per carnem illam fungosam expellit: os verò carne solida & laudabili tegit. Itaq; non satis rectè nec prudenter faciunt nonnulli, qui in ossibus denudatis quotidiè ferè (ut ego apud nonnullos vidi) scalpris os abradunt. Hinc multoties ex recenti vulnere fiunt ulcera maligna, atque diuturna. Hæc ego perpendens nunquam in ossibus denudatis (nisi caries profunda fuerit, veluti in lue venerea) utor scalpris, sed pulverem aliquem contagmaticum, aut euphorbium pulverisatum, quod in ossibus denudatis, uti observatione 92. Cent. 2. demonstravimus, præstantissimum & absque omni periculo applicari potest, quotidie inspergo; neque ab usu horum medicamentorum desisto, donec os squamam abjecerit. Interim quoque, ne labia vulneris conjungantur, & ante casum ossis coalescant; quantum quidem possum, radicibus gentianæ, spongiis præpartis, & similibus impedio. Sed & ossa carne & periostio suo denuata, non semper, uti existimant practici quamplurimi, ab aëre alterari, & squamam abjicere, suo quoque tempore, in observationibus meis exemplis declarabo.

Gangrænam illam, quæ tandem supervenit, ex interceptione spirituum, & penuria alimenti ortam fuisse, verisimile mihi videtur. Abdomen enim simul & ea pars uteri, quæ extra abdomen prolapsa fuerat, perexiguas habet venas atque arterias: hæ autem quum tempore gestationis supra modum elongatæ, extensæ & proinde veluti aridæ factæ essent, non potuit spiritus & alimentum per tam angustas vias, post partum satis copiosè descendere, partesque longinquas nutrire. Etinctus itaque paulatim fuit calor nativus, & supervenit gangræna, quæ arte prohiberi non potuit. Sed objicies forsan. Cur extinctio illa caloris nativi, tempore gestationis, aut paulò post partum non acciderit? Respondeo, sanguinem & nutrimentum tempore gestationis, motu quodam naturali, pro nutritione fœtus, copiosè ad partes illas defluxisse; post partum verò, motum illum naturæ paulatim cessasse; & sanguinem illum qui antea ad uterum fluebat, ad mammillas aliasque partes destinatas, retrocessisse.

Objectio.

Solutio.

Lipothymiam quæ ex improviso supervenit, & mortem intulit, imò & eo ipso tempore cum vix ulla amplius de recuperanda integra sanitate spes superesset, ex occulta quadam malignitate, ex præcedente gangræna progenita & in vasis contenta, ortam fuisse, tecum arbitror: simile enim quid ut sequens historia fidem facit, mihi observare licuit.

Ad quæstionem nonam responsio.

Anno 1609. 16. Februarii Nobilis quædam matrona, sed in primis pia, & singulari virtute prædita, Dn. Maria Peliseria, excellentissimi atq; doctissimi Viri Dn. Samuelis Weis, Inclytæ Reipubl. Bernensis Commissarii generalis conjunx Bernæ Helvetiorum circa octavam matutinam puellam feliciter peperit. Post partum sanguis quidem copiosè effluxit, secundina verò remansit in utero. Illam quum obstetrix manu non extraxisset, multa variaque medicamenta ad ipsam expellendum, eaque omnia calida, veluti de coctum sabinæ, pulegii, rutæ, aristolochiæ, & similium, adstantes matronæ exhibuerunt; sed frustra omnia. Remansit enim secundina in utero, ad decimum octavum ejus mensis diem; dum circa horam decimam noctis natura illam sponte, sed putridam fœtidamq; expelleret. Ego una cum clarissimo Viro Domino Paulo Lentulo, ejus Reipub. Doct. Medico celeberrimo, piæ memoriæ accersitus, ipsam febri continua & ardenti laborantem invenimus, lipothymiæ, angustia pectoris, vigiliæ & inquietudines tales aderant, ut ab eo tempore, quo doloribus partus correpta fuerat, somnum capere minimè potuerit. Cæterum etsi secundina, si adstantibus credendum est, integra elapsa esset, nihilominus tamen materia, veluti sanguis corruptus & putridus, sed ita fœtidus, ut suo fœtore totum conclave adimpleret, per putenda extillavit continuò; quæ porrò materia & fœtor, internam aliquam putredinem arguebant. Aderat præterea & fluxus alvi, proculdubio propter imbecillitatem retentricis facultatis. Nos eâ, qua fieri potuit diligentia, symptomata ita debellavimus, ut omnia ferè salva viderentur, sed fefellit nos opinio, quarta enim Martii, qui fuit decimus septimus morbi, cum præcedens nox utcunq; quieta fuisset, & circa septimam matutinam, jusculum sumpsisset & haustum vini bibisset, per horam quinetiam ferè integram mecum, de morbo suo, infantulis & rebus domesticis confabulata fuisset, ancillas, ut lectum sternerent, advocandas jussit. Quæ cum è lecto illam elevarent & in sedem collocarent, in lipothymiam incidit, & protinus imò & in eo ipso momento, & antequam ego ex proximo cubiculo accurrerem, vitam cum morte commutavit. Utinam igitur obstetrices omnes illam ha-

Ex secundina retenta tandem mors sequuta.

berent;

berent industriam, ut secundinam (quod tamen facilè & absque periculo fieri posse, sæpissimè me edocuit experientia) manu, antequam ostium uteri claudatur, extrahere possent. Sæpissimè enim parturiens in excludendo fœtu vires adeò consumit, ut postea secundinam expellere non possit: præsertim in abortu. Abortiones enim, inquit Hippocrates, majorem molestiam quam partiones afferre solent. Neque enim citra violentiam abortio contingit, sive ex medicamento, sive potione vel cibo, vel subdititiis medicamentis, vel ex re alia quapiam contingat. Ut enim (quemadmodum *Dn. Hector Schlanovius* Reip. Wormatiensis D. Medicus, amicus meus singularis, libro de vasis umbilicalibus, & alii scribunt) poma matura de arboribus sponte sua decidunt, cruda verò & immatura, nonnisi magno labore, aut ventorum impetu à suis pediculis avelluntur, ita cum secundinis accidit; quæ tempore partus maturo & legitimo, sponte sua & facilè natura à vasis uteri, quibus cum interventu cotyledonum per contiguitatem connectebantur, divelluntur. In abortu verò & partu præmaturo, non nisi magno molimine disrumpuntur.

De morbis mulier. l. 1. sect. 5.

NB.

Secundina duobus modis educitur.

Duobus autem modis secundina, post partum retenta educitur; manu scilicet, & medicamentis; sed videamus nunc, quænam sit tutior via. Quantum ad medicamenta illa, nisi beneficio naturæ de potentia in actum redacta fuerint, operari non possunt. Deficiente enim natura, frustrà laborat Medicus; frustraque exhibet medicamenta. Sed & antequam natura, præcedentibus doloribus prostrata, novum robur acquirere possit, requiritur tempus. Interim ostium uteri contrahitur & clauditur, putrescitq; secundina, & putredine sua adjacentes partes inficit, corrumpit, viresque magis magisq; prosternit, uti ex præallegata historia videre licet. Deinde, quia medicamenta, quæ fœtum mortuum & secundinam expellunt, plærumq; (præter pauca, quæ id proprietate quadam occulta & specifica perficere posse, à Domino D. Schlanovio & aliis proponuntur) calida, imò calidissima, partes internas supra modum excalefaciunt; hinc febris, inquietudines, vigiliæ, aliaque symptomata accrescunt, atque utplurimùm mors ipsa sequitur, præstat itaque illam manu extrahere; Idq; statim post partum, & antequam ostium uteri claudatur, faciendum est.

Obstetrix loco secundinæ uterum extrahit.

In illa autem operatione, ut circumspectè & prudenter procedat cheirurgus, aut obstetrix, ne loco secundinæ uterum accipiant, extrahantq; necesse est. Id enim ante paucos annos in Belgio evenisse Dn. D. Henricus Stapedius, Medicus longè celeberrimus, & amicus meus plurimum honorandus, superiori anno Coloniæ Agrippinæ mihi retulit; obstetrix enim cum post partū secundinam extrahere vellet, & ipsius loco uterum arripuisset, extraxissetque, tandem quoq; abscidisset, eadem die perperam naturæ satisfecisse, mihi aliquoties affirmavit. Quapropter magistratum, cui salus subditorum à Deo commissa est, moneo atque adhortor, ut neque Cheirurgis, neque obstetricibus hujusmodi operationes, tam magni momenti, exercendas concedat, nisi à Medicis eruditis, sed inprimis in hac operatione exercitatis, prius edocti, examinatique fuerint.

Ad quæstionem illam, quam ex secunda historia tua proponis, jam paucis respondeo. Nimirum peritonæum in primo partu procul dubio aliquo modo læsum fuisse; non tamen usque adeò, ut bubonocele inde sequeretur. Quum autem toties utero gestaret, & pars illa peritonæi, in primo partu malè affecta, continuò ferè propter imprægnationes frequentes afficeretur, paulatim adeò debilitatum fuisse, ut affluentes humores facilè recipere, verisimile esse mihi videtur. Illi autem, quia (uti antea quoque demonstratum fuit) ratione subjecti, pituitosi, viscidi & lenti essent, peritonæum tandem adeò laxum & lubricum reddiderunt, ut cum ab utero gravido premeretur, facilimè cederet, & in saccum illum relaxaretur. Atq; hæ sunt, clarissime atq; doctissime mi *Dn. D. Doringi*, quæ ad quæsita Tua, ex duabus istis historiis admirandis atq; raris, pro tenuitate ingenii mei respondere potui, Tu ut omnia amicè, de quo tamen minimè dubito, interpretari velis, plurimùm rogo. Porrò ut par pari referam, observationes nonnullas singulares, de extractione fœtus mortui, T. Exc. communicare visum est. In primis autem quàm feliciter uxori meæ charissimæ inventio mea, extrahendi fœtum mortuum succedat, triū matronarum exemplis, quas intra annum, per singularem Dei Misericordiam atque clementiam, ex evidentissimo mortis naufragio, ad vitam revocavit, recensebo.

Maria, Jacobi Clerici Civis Lausannensis uxor, matrona tenella, constitutione corporis sicca, cum novies utero gestaret, & ad legitimū pariendi tempus usque pervenisset, fœtum tamen excludere non posset, uxor mea advocata fuit. Illa quum fœtum mortuum esse, certis indiciis cognovisset, manum, ut situm fœtus exploraret, adhibuit. Situs autem planè præternaturalis erat. Venter enim simul & vasa umbilicalia, (quæ veluti in globum obvoluta contortaque erant) sese ante ostium uteri offerebant, pedes, brachia, & caput retrorsum ita reflectebantur, ut ferè conjungerentur. Dolores & conatus ad parturiendum aderant maximi; vires tamen adhuc constabant. Injunctis genitalibus, ventre, atq; coxis oleo liliorum alborum, & amygdalarum dulcium, pinguedine gallinæ & anseris, manu quoq; eodem unguento inuncta, atq; in uterum immissa, fœtum paulatim ita volvebat, ut caput sensim ad ostium uteri adduceret; quo facto ipsum feliciter extraxit, sed mortuum. Mater brevi convaluit, & huc usq; optima sanitate fruitur,

Anna, Petri Belleti Civis Lausannensis uxor, corpore utcunque valida, cum tertiò concepisset, doloribus partus correpta fuit 26. Novem: Anno 1612. Aqua quæ fœtum comitari solet, statim effluxit, & dolores quam maximi & continui supervenerunt; obstetrices accersentur plurimæ; sed frustra, Tandem per dies

noyem

novem doloribus istis gravissimis debilitata, & cum uxor mea in ipsius subsidiũ vocata fuisset, misellam illam veluti in mortis agone reperit. Propter ingentes enim, longosque dolores, vires ita erant prostratæ, ut pulsus vix persentiri posset. Inquietudines aderant maximæ, vigiliæ, sitis inexhausta; lypothymiæ item frequentes, propter fœtum semiputridum supervenerunt. Implorato itaque prius Numine Divino, & de præsenti periculo facto prognostico, operationem sequenti Methodo aggressa est. Primò alvum, quæ constipata fuerat, enemate communi subduxit. Mox potiunculam ex confectione Alkermes, aquâ cinamomi, buglossæ & boraginis dissoluta, exhibuit. Et quia genitalia veluti arida & refrigerata, (aqua enim, quæ fœtum comitari, & ostium uteri lubricum reddere consuevit, ab initio effluxerat) sacculum ex radicibus, herbis, floribus, & seminibus emollientibus, & dolorem lenientibus, calidè applicuit: ventremq;, coxas, os sacrum, & ostium uteri linimento, in præcedenti operatione præscripto inunxit. Tandem inuncta manu, eâque clementer in uterum immissa, situm fœtus exploravit, Is autem præcedenti ferè contrarius erat, Lumbi enim ante ostium uteri sese offerebant. Caput & pedes sursum versus diaphragma reflectebantur. Brachia verò deorsum: & ita quidem, ut è regione ossis sacri conjungerentur, & extra collum matricis propenderent. Obstetrices enim adeò protraxerant manus, ut brachia mirũ in modum prolongata essent. Vasa umbilicalia crura bis obvolvebant. Operatio quidem difficillima & laboriosa fuit: nihilominus tamen feliciter successit: & brevi absoluta fuit. Et quamvis fœtus, ut antea dixi, semiputrid⁹ esset, & procul dubio putredine sua, tam uterum, quam partes nobiles mirum in modum læserat, puerpera tamen per Dei misericordiam brevi convaluit, & ad hanc usque diem 3. Mens. Decemb. anni 1613. quo hæc scripsi, apud nos vivit, & quidem feliciter.

Cæterùm præstantiam lapidis Bezoardici, in hac ægra evidentissimè observavimus. Secunda enim die post partum quum propter putredinem præcedentem, & errorem in victus ratione commissum, febris aliaq; symptomata adaugerentur, & lypothymiæ iterum supervenirent, ad grana octo lapidis subtilissimè pulverisati, parumque confectionis alkermes, ex aqua cinamomi, sine vino distillata, exhibuit. Post paucas horas à sumpto medicamento sudor copiosè erupit: atque eadem die insignis mutatio morbi sequuta est. Subsequentibus diebus eandem potiunculam, non minori cum fructu exhibuit. Ego quid in memetipso de præstantia lapidis bezoardici observaverim, hic prætereundum non dico. Ante annos enim duos, cum autumni tempore quartanâ continuâ, eaq; periculosâ laborarem, & quadam die (prius tamen aliquoties rhabarbaro, sena, agarico, polypodio, & similibus expurgato corpore) ad grana 8. lapidis bezoardici, confectione Alkermes, & aqua cinamomi distillata sine vino, mixti, sumpsissem, eadem die, etsi non curata fuerit febris, ita tamen ejus symptomata mutata fuère, ut ex continua facta sit intermittens, deinceps de quarto in quartum diem tantummodò me infestaret. Deinde iterum melanagogis expurgato corpore, & aliquoties iteratâ potione ex lapide bezoardico, paulatim restitutus fui. Addo autem confectionem Alkermes, & aquam cinamomi, non solum quod cor, partesque nobiles roborant, verum etiam ut sint veluti vehiculum lapidis, qui alioquin tardè operatur.

De extractione fœtus mortui. Observ. 8.

Hoc anno 9. Januarii, similis casus hic Lausannæ accidit: quem paucis tibi recensebo. Anna Bergeri M. Johan. Quebay uxor, matrona pia atque honesta, ætat. suæ 50. circiter annorũ corpore tenella, cum 3. utero gestaret, 6. mense imprægnationis, sanguis ex collo matricis ipsi profluere cœpit, & quidem continuò. Quum autem nullum adhiberet remedium, paulatim copiosior prosiliit sanguis nihilominus tamẽ (quæ res admiratione non vacat) fœtum ad constitutum terminum usq; gestavit. Tum parturientiũ doloribus & quidem maximis, simul & vomitu correpta fuit. Sanguis quoq; tam copiosè perfluebat, ut post partum in pavimento cubiculi ipsum catillo colligere necesse esset. Hinc vires adeò prostratæ fuerunt, ut adstantes omnes ut & ipsa obstetrix, de recuperanda valetudine desponderent animum. Suasu itaq; & consilio Reverendi ac doctissimi viri Dn. *Iohannis Guibaudi* civis & Ecclesiæ Lausannensis verbi divini ministri fidelissimi, ejusdem parturientis cognati, periculum præsens animadvertentis, uxor mea advocata, ipsam veluti in agone mortis invenit. Sudor enim frigidus totius corporis aderat, extremitates frigidæ erant: mens ita commota atque perturbata, ut ferè ratione atq; intelligentia privaretur. Porrò etiamsi mors in propinquis esse videbatur, attamen quia nostrates legem illam Regiam, quâ cautum erat, prægnantẽ mortuam, nisi prius excisus esset fœtus, sepelire, ut plurimum observant, petierunt parentes & ipse maritus, ut an fœtum, (qui alioquin post obitũ excidendus erat) dum viveret extrahere posset, tentaret. Adhibita itaque manu feliciter illum nullo adhibito instrumento, sed sola manu eduxit: mortuum tamen. Curatio quoq; adeò ad votum successit, ut puerpera maxima cum admiratione omniũ brevi convaluerit, & ad hunc usq; diem 4. Decemb. 1613. quo hæc scripsi optimè sese habeat. Situs omninò præternaturalis erat, & hepar uterinum (quod notandum) ab ipso utero separatum, ad ipsumq; ostium uteri usq; propendens, repertum fuit: hinc hæmorrhagiam illam insignem, in ipsis parturientium doloribus ortam, provenisse, certum est.

Dig. lib. 11. tom. 8. de mort. infer. & sepul. adif.

Prægnans mortua an cum fœtu sit sepelienda.

Cæterùm antequam ulterius progrediar; quorundam diffamatorum atque insidiosorum hominum impudentia, simul atque inscitia notanda est. Illi enim, si Medicus aut Cheirurgus abdomen prægnantis mortuæ inciderit fœtumque extraxerit, rem crudelem simul & inhumanam esse exclamant, quod dicere profectò insulsum, parumque modestum est, quasi verò

verò Medicus fidelis, crudelis censeri debeat. Hoc sanè genus hominum, si finem medici recté perpenderent, nihil crudelitatis, nihilq; inhumanitatis, in hac operatione invenirent, quin potius illam non solum necessariam & licitam, sed ab ipsis quoque Ethnicis, ut postea dicam, approbatam & sancitam esse, Christianamque insuper charitatem eam à nobis requirere intelligerent, perciperentque.

Duabus de causis abdomen prægnātis mortuæ inciditur.

Duo autem in hac operatione quærit Medicus aut Cheirurgus. Primò ut situm fœtus in utero exactè annotare possit. Id enim quam Medicis simul & Cheirurgis, in extractione fœtus mortui sit necessarium, omnibus qui hanc operationem aliquando administrarunt satis superque cognitum est. Et quia varii, imo infiniti penè (ego, qui hanc operationem toties administravi, expertus loquor) reperiuntur situs fœtuum mortuorum, non potest aliquis in perfectum operatorium evadere, nisi extincta matre abdomen inciderit, situmque fœtus diligentissimè observaverit. Nec video quomodo Medicus aut Cheirurgus, ineptissimas plerumque istas obstetrices, (quas ut plurimum Magistratus nullo prægresso examine ad provinciam hancce, tam magni momenti, & humano generi tantopere necessariam administrandam, admittit) instruere possint, nisi prius ipsimet negotium intelligant. Secundo inciditur abdomen prægnantis mortuæ, ut infans conservari possit. Sæpissimè enim prægnans propter caussam aliquam aut morbũ, veluti hæmorrhagiam, lypothymiam, apoplexiam, aliosque morbos acutos, vita subitò privatur, infans verò etiamsi ita debilis sit, ut interim dum prægnans in agone versatur, in utero sese movere nequeat, potest ad tempus vivere. Hæc perpendens antiquitas, ne fœtus, extincta matre & ipse suffocaretur, simulque periret, prudenter & optimè constituit, ut extincta matre per apertionem abdominis extraheretur.

Lex Regia.

Hujus porrò legis hæc sunt verba, loco prius adducto obvia: *Negat lex Regia mulierem, quæ prægnans mortua sit humari, antequam partus ei excidatur.* Legem autem hanc non solum per excellentiam *Regiam* appellant Jurisconsulti, verum etiam, quia à Numa Pompilio secundo Romanorũ Rege, sancitam fuisse creditur. Quæ si à Christianis ubivis observaretur multi procul dubio infantuli, qui nunc, extincta matre, miserè in utero suffocantur, conservarentur: multiq; parentes quietiorem conscientiam conservarent. Non enim immeritò author ejus legis addit. *Qui contra fecerit, spem animantis cum gravida peremisse videtur.* Non video itaq; quomodo quis operationem hanc crudelem atq; inhumanam dicere ausit. Multoties enim infantulos, mortua matre, vivos excisos fuisse, exempla apud authores inveniuntur multa. Sed quod sumopere admirandum, refert Valerius 1. *c. ult.* *Gorgiam* quendam Epirotam in funere matris suæ, utero elapsum, & inopinato vagitu suo, lectum ferentes, consistere coëgisse, & ita matrem fato functam peperisse, Gorgiamque ante elatum, quam natum fuisse.

Gorgia defuncta matre nascitur.

Gr[avida] susp[ensa] ge[mellos] pep[erit].

Anno 1567. die 14. Junii inter Daventriã & Sutphaniam ab Hispanis, maritus cum uxore gravida suspenduntur. Uxor quum pependisset per horas 4. gemellos vivos jam mortua peperit. Historiam hanc describunt Paulus Eberus in calendario historico, Diomedes Cornarius serenissimi Principis Maximiliani Archiducis Austriæ, &c. Medicus celeberrimus, Historiarum admirandarum Histor. 14. Gregorius Horstius, *Illustrißimi & Celsißimi Principis ac* Domini Dn. Ludovici *Landgravii Hassiæ* Medicus, multis nominibus clarissimus in Marcelli Donati lib. 7.

Idem Diomedes Cornarius, historiarum admir. hist. 15. & Gregorius Horstius loco præallegato, sequentem quoque habent historiam. In Hispania Madricii, quædam matrona ex familia Dn. Francisci Lasso oriunda, postquam per triduum in mortis agone decubuisset, existimantibus cognatis eam mortuam esse, deportata est in locum sepulturæ destinatum, quem Græci κρύπτην appellant ubi pro more sola relicta fuit occlusa. Post aliquot menses aperto loco, repertum est hoc cadaver in eodem loco, in quem repositum fuerat, habens in dextro brachio infantem mortuum. Hinc apparet ipsam tum temporis quando sepulta fuit: nondum obiisse, sed postmodum peperisse infantem, qui una cum matre miserrimè clam sub terra obiit. Hanc historiam (addit Cornarius) ex fide dignorum & avthenticorum virorum relationibus certissimis percepi, quorum nomina postulante necessitate subjungere facilè possem.

Similem ferè casum Coloniæ Agrippinæ accidisse, Dn. D. Henricus Stapedius, Medicus Coloniensis longè celeberrimus, amicus meus singularis, superiore æstate, cum Coloniæ essem mihi retulit. Matrona enim gravida ex morbo acuto mortua & loculo imposita, cum sequenti die inhumanda esset, & loculus ab obstetrice, (ut si forsan aliquid cruoris effluxisset, illum spongiã exciperet) inspiceretur, fœtus inter fœmora extra matricem repertus fuit, sed mortuus.

Ex his porrò historiis videre est, fœtum non semper in eo ipso temporis articulo, quo anima ex matre emigrat, mortem obire, sed nonnunquam ad tempus in ipso utero materno supervivere posse. Ideoque minimè audiendi sunt illi, qui fœtum extincta matre, e vestigio quoq; animam efflare autumant, ac propterea sectionem inutilem, frustraneam, & quod majus, crudelem esse, clamitant, Medicosque simul ac Cheirurgos, qui aliquando sectionem illam administrant, deridere atque contemnere non erubescunt.

Notatu quoque dignum est, fœtum maturum tempore partus aliquando per diem unum aut alterum in utero materno ita quiescere, ut ipsum extinctum esse, cuncti existiment, quod & ego aliquoties observavi, Cujus rei exemplum unum adscribam. Anno 1605. Iudica Metta Uxor Mag. Iohannis Schœr, civis Moratensis, cum in diem 6. usque partus doloribus, & iis quidem maximis

maximis, afflicta fuisset, fœtum tamen alioquin maturum, validum, & egredi ex utero conantem excludere non posset, ad ipsam vocatus fui 4. Septemb. Situs autem fœtus etiamsi non usque adeò præternaturalis esset, (caput enim ferè ad ostium uteri sese offerebat) genitalia tamen adeò erant angusta, ut vix manum meam admitterent, mulier erat 30. annos nata, constitutione corporis sicca, neque prius unquam utero gestaverat. Quapropter sacculum emollientem, & relaxantem per horas aliquot calidè applicui. Ventrem quinetiam, genitalia, coxas, & os sacrum linimento emollienti inunxi: & ut prostratas vires reficerem, aliquid confectionis Alkermes in aqua cinamomi distillata sive vino, dissoluta, propinavi. Interim autem, dum hæc adhiberem, eâ qua potui diligentiâ pervestigavi, num fœtus mortuus esset nec ne, Adstantes matronæ simul & ipsa parturiens, ipsum ante horas 24. animam reddidisse existimabant, quibus ego libenter subscripsi. Primò quia parturiens præcedenti die rigore maximo correpta fuerat & deinceps neque ipsamet, neque obstetrices aut adstantes matronæ, motum ullum infantis persenserunt. Secundò, quia frigoris quendam sensum in inferiori ventre se percipere ajebat. Tertiò, quia post applicationem sacculi prædicti, & exhibitionem confectionis Alkermes, motum nullum (quod tamen ut plurimum, si fœtus adhuc in vivis est, accidere solet) circa fœtum percipiebat prægnans, multò minus adstantes. Quartò, quia vertex infantis, cum paulatim caput ad ostiũ uteri adduxissem, sphacelatus, cum fœtore quodam, conspiciebatur. Ex his, & nonnullis aliis signis, fœtum ante horas 24. extinctum fuisse, judicavimus, sed malè. Tandem enim præter spem & opinionem adstantium, per singularem Dei misericordiam, ipsum præsẽte Reverendo viro Dn. Iohanne de Losia, ejus loci verbi divini ministro multisq; aliis, cum viris, tum etiam matronis, vivum extraxi: verũ ita imbecillem, ut vix refici posset. Nonnihil tamen confectionis Alkermes, aquæ buglossæ dissolutæ, & ori instillatæ: regioni quinetiam cordis, temporibus, & naribus admotæ paulatim viros recolligere cœpit. Sed quia vires propter vehementissimum motum, & calcitrationem prostratæ, & caput, quod per dies aliquot ante ostium uteri mirum in modum compressum fuerat, & proinde intumefactum, & sphacelatũ esset, tertio post die, accepto S. S. Baptismo è vita discessit, mater verò pristinæ sanitati brevi restituta fuit, & ad hunc usq; diem 28. Augusti 1613. quo hæc scripsi satis commodè vivit. Ab eo quinetiam tempore 4. liberos duos filios & totidem filias feliciter peperit: qui etiam nunc vivunt. Ex historiis, jam commemoratis, luce meridiana clarius apparet, medicos & cheirurgos qui prægnantibus demortuis, fœtum quantumvis mortuum excidunt crudelitatem nullam in proximum exercere, crudelis enim est, simul & inhumanus, qui ut cadaveri parcat infantem adhuc vivum in utero materno, suffocari sinit, sed respondent: fœtus vitam incertam esse. Aperi igitur abdomen, & mox videbis quomodo se habeat. Etiamsi enim non semper, extincta matre, in vivis sit infans, potest tamen sæpissimè accidere ut vivus reperiatur, quemadmodum ex præcitatis historiis apparet. Præstat itaque centum catavera prægnantium frustra incidere, quam semel permittere fœtum vivum in utero materno tam miserè perire atque suffocari, hoc perfectò esset crudelem atque inhumanum sese erga proximum exhibere, imò & justissimam iram divinam in genus humanum provocare. Dum hæc scribo ex Burgundia à Dn. Claudio Chapusio, Cheirurgo longè celeberrimo, amico meo singulari literas accipio in quibus historiam raram simul & admirandam perscripserat. Quum igitur illam à viris fide dignissimis, & ab ipso quoque magistratu approbatam esse, & nostro instituto inservire viderem, hanc ex Gallico exemplari, Lugduni Anno 1611. impresso in Latinum sermonem transtuli, & hic annectare volui, quæ sic se habet.

Historia Memorabilis.

De Matrona quadam Burgunda, cui Anno millesimo sexcentesimo nono, fœtus putridus per umbilicum excisus fuit, opera & diligentia.

IOHANNIS MARCHANDETI,
Cheirurgi Salinensis.

SI verum est, candide Lector, quod Cicero libro 1. officiorum ex Plantone prodidit, his verbis: Non solum nobis nati sumus, ortusque nostri partem Patria vendicat, partem parentes, partem amici, atque (ut placet Stoicis) quæ in terris gignuntur ad usum hominum omnia creari, homines autem hominum causa esse genitos, ut ipsi inter se alii aliis prodesse possent. Hæc, inquam, si vera sunt, profectò, ut unusquisque nostrum, quæcunq; rara & observatione digna in arte medica occurrunt, conscribat, & posteritati relinquat, rationi consentaneum esse mihi videtur.

Quùm igitur perpenderem divini Hippocratis dictum, Aphorismo primo, libri primi: *Vitam* videlicet *hominis esse brevem, artem verò longam*, item ea, quæ à Plinio in Procemio libri 7. traduntur: nimirum *Hominem nihil scire, sine doctrina, non fari, non ingredi, non vesci, breviter non aliud natura sponte quàm flere.* Non abs re fore mihi visum est, si ea, quæ in curatione cujusdam rusticæ mulieris observavi rara & annotatione digna, publici juris facerem: Idque eam præcipue ob causam, quod per hujusmodi rara, & admiranda, ad laudandum Deum conditorem omnium rerum, ejusque nomen celebrandum, opera verò naturæ (quæ ut se conservet, semper, est solicita) stupenda invitamur.

Natura porrò, quantumvis cum ratione non operetur: neque in suis effectibus, & actionibus utatur judicio, nihilominus tamen urgente necessitate, & quidem in maximis, & præsentissimis periculis, media occulta, & nobis incognitas

cognitas vias, (quarum Medicus, quantumvis eruditus, rationem reddere non potest) ut sese cõservet, excogitat, invenitque. Per quos quæso ductus, & vias manifestas, pituita illa inter ventriculum & diaphragma inclusa atque contenta, nec non dolores acerbissimos excitans, fluit? nihilominus tamen Hippocratem illam notasse, atque observasse, certum est, sic enim scribit lib. 7. Aphorismo 54. *Quibus inter ventriculum & septum transversum pituita reposita est, & dolorem affert, non habens exitum neque ad alterum ventrem: his per venas ad vesicam pituita versa solvitur morbus.* Addo insuper, providentiam naturæ in magnis & periculosis affectibus, tam magnam esse, ut ne ossa quidem, quantumvis durissima, densa & spissa, excludat. Legimus enim apud Hipp. duobus in locis, nimirum epidemiorum lib. 2. & lib. 6. abscessus etiam fieri in ipsis ossibus: hinc naturam optimum esse Medicum, Hippocrates sectione quinta libri sexti Epidemiorum, ingenuè fassus est. Hujus quoque sententiæ fuisse Galenum, ex libro 6. de locis affectis, & alibi apud ipsum videre licet. Naturam itaque in suis operationibus admirandam esse, amplius in controversiam vocari nõ potest; quotidiana enim exempla fidem faciunt. Albucasis inter Arabes Medicus & Chirurgus excellens, lib. 2. cap. 76. historiam ab illa, quam mox subjungemus, non multum dissimilem recitat, his verbis.

Historia admiranda de fœtu mortuo in utero, ex Albucasi.

Vidi ego mulierem, in cujus ventre mortuus erat fœtus, & nihilominus imprægnata, postea mortuus fœtus etiam secundò conceptus. Accidit ergo ei post tempus longum, apostema in umbilico suo, & inflatum est, donec apertum, cœpit emittere pus; vocatus sum ego ad curationem ejus & medicatus sum ei tempore longo: & non consolidatum est vulnus. Posui ergo super ipsum ex quibusdam Emplastris fortis attractionis, & exivit ex loco os: deinde post dies aliquot exivit & aliud os, miratus sum ergo, cum in ventre non sit os. Causam diligenter expendens, & mecum per omnia putans, deprehendi, quod erant ex ossibus fœtus mortui. Causa itaque morbi certò cognita, medendique rationem hinc consecutus, extraxi ossa multa, muliere existente in melioribus dispositionibus & diu postea vixit mulier illa: ex ulcere autem semper puris nonnihil fluxit. Hactenus Albucasis.

Historia de fœtu mortuo in utero ex Alexãdro Benedicto

ALEXANDER BENEDICTUS, Veronẽsis Medicus & Philosophus multis nominibus clarissimus, lib. 25. cap. 33. similem historiam raram & admirandam excitat, hunc in modum. Mirum obiter naturæ exemplum referam, cujusdam Venetæ matronæ, quæ cum partum legitimum exclusisset, alter inclusus intra ventrem mansit mortuus, qui in magnis puerperæ difficultatibus tabefactus, fluore quodam profluit, ex naturalibus oris; demum ortis in ventre tribus fistulis, ex una, quæ omnium maxima erat, integra infantis calvaria extracta est, cunctis mirantibus: deinde singulis diebus reliqua ossa desumpta sunt. Unde mirabili naturæ ope sanitati restituta est. Hactenus Alexander Benedictus.

Porrò sequens historia præcedentibus non minus rara, quam admiratione digna est. Casum enim gravissimum de quadam matrona, Johanna Barbet nomine, 45. circiter annorum ætatis, & Anatoilii Boutonis in vico Pagnoz dicto, habitantis uxore, continet. Est autem matrona illa corpore robusta, optimè temperata, hilaris, sed inprimis in omnibus suis actionibus operosissima, actuosissimaque. Ex hac autem historia symptoma, cujus postea fiet mentio, etiam absq; superfœtatione, & gemellis, accidere posse, satis superque apparet. Hæc autem quum 11. utero gestasset, constituto quin etiam tempore semper feliciter peperisset, & jam 12. partus excludendus esset, res multo aliter successit. Cum enim ad statutum tempus pervenisset, & felicem partum exspectaret, dolores infinitos maximosque & conatus ad parturiendum irritos sustinuit. Fœtus enim ad partum paratus, in utero veluti intricatus & ita inclusus, remansit, ut amplius sese non moveret, neque se vivere, signum ullum ederet. Id ad infinita symptomata atque incommoda excitanda sufficiens erat. Si enim ex sola retentione secundinæ febris ardens & continua, spasmus, syncope, aliaq; gravissima symptomata, tandemque mors ipsa sequuntur, nonne multò magis ex fœtu mortuo, & in utero retento, illa omnia provenire potuissent? Verùm aliis hanc rem dijudicandam relinquo, & quæ præterea acciderunt, paucis significabo.

Ab ipsa itaque decima quinta Junii Anni 1608. qua die primò partus doloribus correpta fuit, usque ad ultimam Octobris Anni 1609. (menses circiter sedecim cum dimidio faciunt) quum continuis, maximisque atque inauditis doloribus, conatu & tormentis defatigaretur, tumor ingens è regione umbilici paulatim exortus est. Ego prima Novembri ejusdem anni ad curationem accersitus, jam cutem aliquomodo, naturæ beneficio contaminatam, & ratione ossis scapulæ (quod sibi exitum parabat) exulceratam esse, reperi. Quum verò naturæ opem ferre necesse esset, cutem ex sinistra parte umbilici, ad lõgitudinẽ quatuor digitorum in transversum positorum incidi, donec fœtum adeò corruptum, putridumq; invenirem, ut aliquibus in locis nihil præter ossa eaque carne denudata superesset; Quæ potius sceleton, quam quicquam aliud repræsentabant. Inde satis perspicuum est, partes molles item intestina, omniaque viscera interna, paulatim in pus conversa, per pudenda effluxisse, Quandoquidem nihil carnis repertum fuit; præterquam quod manus, brachia, pedes & crura, musculis nonnullis, sed lividis, semiputridis, fœtidissimisque investita essent. Incisione, uti dictum, factâ, os scapulæ, quod primò sese obtulerat, carne denudatum, siccum & ab ipso humero separatum, extraxi. Postea de die in diem, ut reliqua ossa, unum post alterum extraherem, omnem diligentiam adhibui. Intra Octiduum itaq; truncum fœtus, qui nondum membranis, quantumvis putridis, omninò destitutus erat, extraxi. Quum verò ulterius progrederer, cranium, pericranio denudatum reperi; Quod cum extrahere vellem, in partes quinque aut sex disjunctum erat. Vertebræ omnes tam colli, quam metaphreni & lumborum, carne & ligamentis denudatæ, omnes

omnesque separatæ confusè inveniebantur, uti quoque costæ & sternum. Demum neque brachia, neque tibiæ hujus putredinis expertes erat. In istis tamen partibus nondum ad ossa penetraverat corruptio illa; ita ut adhuc carne, quamvis semiputrida, investitæ essent, & trunco corporis adhærerent. Quapropter cum aliter illas extrahere non possem, minutatim illas ut inciderem, necesse fuit; Sicque extractioni fœtus finem imposui.

Post extractionem, quum ex ossibus, quæ extraxeram, nihil amplius præternaturale respectu ossium, in corpore superesse, cognovissem; partibus à fœtu mirum in modum dilaceratis, veluti matrici, peritonæo, musculis epigastrii, prospiciendum esse duxi. Primò itaque ulcus illud profundum, ut convenientibus remediis, veluti injectionibus abstergentibus, desiccantibus & putredini resistentibus ablueretur, necesse esse, mihi videbatur. Ab initio itaque, quamdiu putredinem adesse sentiebam, prædictis medicamentis maximo cum fructu usus sum. Eorum porrò beneficio ablata putredine, ad sarcotica perveni; Tandemq; cicatricem induxi: Idque intra paucos dies tam feliciter factum fuit, ut ægra, per singularem misericordiam atque clementiam Dei integram valetudinem recuperaverit, optimeque hucusque valeat.

Hinc, Lector candide, quam diligens sit natura ad individui conservationem, perspicuum fit. Et quamvis nunquam ab artifice edocta fuerit, nihilominus tamen, oblata occasione, maximo utitur artificio: media quinetiam infinita, quibus ex maximis & gravissimis periculis sese extricare possit, excogitat atque invenit. Præcipuè autem si aliquo modo artificio medici (qui minister est naturæ; Illamque imitari debet) resocillata atque conservata fuerit. Et quanto periculosior, qui ipsam infestat morbus, sese exhibet, tanto magis quoque insurgit, operationes quinetiam curationesque admirandas facit.

PRÆCEDENTIS CURATIONIS & sanationis testimonii, à Magistratu concessi summa.

NOs, major Capitaneus, Beulenta, Senatusq; civitatis Salinensis, omnibus notum facimus, supplicem coram nobis comparuisse, honorabilem virum, Iohannem Marchandetum, unū ex nostris Cheirurgis, exponentem, se ante paucos dies mulierem gravidam, ex vico Pagnoz dicto, prope Salinam civitatem, ad duo miliaria tractasse; Quæ cum statuto tempore infantem non pareret, spacio viginti quinque mensium cum dimidio ipsum in utero gestasse. Tandem verò (quum per viam naturalem ipsum excludere nō posset) ad umbilicum mulieris incisionem se fecisse, & per eam membra, officulaque infantis extraxisse.

Idque tali cum successu, ut in præsentia, per singularem Dei misericordiam, eo usque sanitati restituta sit fœmina illa, ut partim hic Salinæ, partim etiam alibi eo, quo antequam prædicto morbo laboraret, modo cum omnibus denuò cōversari possit.

Nos itaque ut hujus rei veritatem exploraremus, Virum nobilem Dn. Danielem Romanet J. U. Doctorem, & hujus civitatis Beuleutam. Honorabilem item Dn. Philippum Pernet, Syndicum constituimus, quibus hoc negotium committeremus, idque in eum finem, ut in omnia, quæ in prædicto scripto continentur sollicitè studioseque inquirerent, nobisque rei veritatem referrent, exponerentque. Facto itaque debito examine, ea omnia quæ acciderant, nobis fideliter retulerunt, uti & clarissimi atque doctissimi Viri Dn. Quanteal, & Dom. Mathon, Medicinæ Doctores, & hujus civitatis Senatores, hujus rei locupletissimi testes esse possunt, quibus supplicatio prædicti Marchandeti, ut & copia examinis exhibita fuit: *Testamur itaque, quæ in præcedenti scripto recensentur, vera esse omnia.* In testimonium rei verissimæ, hoc nostrum testimonium ut à Secretario nostro subsignaretur, & sigillum nostrum apponeretur, constituimus. Actum quarta die mense Novembris: Anno millesimo sexcentesimo decimo.

Reviderunt
PERNET Syndicus
D. REMANET
subscripsit GERNIER Secretarius.

RAra profectò, imò & verè admiranda præcedens est historia; & meo quidem judicio, verè digna, quæ etiam posteris innotescat. Addam & ejusdem argumenti duas, ex Diomedis Cornarii, Serenissimi Principis Maximiliani Archiducis Austriæ, &c. olim Medici, multis nominibus clarissimi, observationibus Medicis, idque in eum finem, ut hujusmodi exemplis & operationibus rarissimis admonerem Chirurgos, ne ab ejusmodi operationibus, quantumvis gravissimis, manus penitus abstrahant; sed invocato semper ante omnia nomine Domini, potius aliquid cum periculo tentent, quam ægrum in evidentissimo mortis periculo relinquant. Sic autem habet historia prima, quæ apud Cornarium VI. est in ordine, Marcellus Donatus libro 4. cap. 22. eandem uti & alias ejusdem argumenti habet historias.

De gestatione fœtus mortui, in utero ultra annos quatuor.

Anno Christi 1545. quædam concivis Viennensis, nomine Margareta, filia Wolfgangi Karlinger civis Viennensis, uxor verò Georgii Volczer, hospitis eo tempore ad ædes rubri cancri appellatas Viennæ, postquam antea quoque enixa esset aliquot liberos, concepit anno ætatis suæ vigesimo quinto, omnia denique habuit signa felicis imprægnationis, fœtum insuper temporis progressu sensit. Ante festum D. Bartholomæi eodem anno valentem, & strenuè sese moventem, usque ad festum D. Luciæ sacrum, Quo sanè illi tempore supervenerunt partus dolores, adeò vehementes, ut antea experta jam sæpius ipsa jamjam se crederet enixuram. Statim igitur advocari jussit matrem, & unam ex suis sororibus, acciri etiam obstetricem confestim præcipit. Quæ cum advenisset, statim re animadversa, jussit omnia ad manus esse parturienti necessaria; hæc verba adjiciens: statim, Deo volente, puellum habe-

habebimus, & quemadmodum postea eventus comprobavit, vera vates extitit. Interea prægnas in sede parturientium consedit, & quum constanter admodum à circumstantibus admoneretur, urgeretur etiam ab obstetrice, omnibus nisibus elaboravit ab parturiendum, in quibus heu nimium vehementibus conatibus fragor quidam increpuit satis sonorus: quique non temerè argueret magnam vim, vel fœtui, vel matri illatam fuisse, vel certè conquassatum infantis caput in partes discessisse. Ab eo fragore vivacitas fœtus deprehendi amplius nullis argumentis potuit.

Gravida inde majorem in modum cœpit ægrotare, ac propterea in lectulum suum reducta & reposita est. Interim lac accurrens, quod parturientib⁹ usu venit, ubertim ubera replevit, adeò ut stillatim etiam à papillis gliscentibus colostra deflueret, spectantibus multis & iis honestis ac prudentibus mulieribus: quæ dies noctesque adsistentes præstolabantur felicem partum.

Dum verò res ita protraheretur, semperque major difficultas, minor verò spes elucesceret, deliberatum est ab omnibus, quæ tum præstò erant, & itum in eam sententiam, ut plures obstetrices accerserentur in rem præsentem, aliquod fortè salubrius allaturæ consilium.

Sed ex harum etiam adventu nil miseræ adminiculi accessit; neque quicquam ab his in mediū dici potuit, vel consuli salutare, præterquam quod una ex iis judicatum habebat, (& fortasse non malè) rem nimis festinatam fuisse, os sacrum nondum satis hiasse. Nihil itaque etiam tum affectum & datum est, gestansque uterum mulier tandem per multas septimanas gravissimè decubuit, ventris tumore, duritie, fluxu, qui supervenerant, doloribus nihil remittentibus. Quæ omnia continuæ denique corporis graves afflictiones, animi percussiones ad summam desperationem miseram videbantur compellere; Effeceruntque, ut ad tentanda omnia, omnium consilia animum adverteret, ad usurpandas omnium medelas, doctorum & indoctorum, Christianorum & Iudæorum, quæ tamen ne quicquam adhibitæ, auxilii nihil, plurimum mœroris & desperationis (cum res difficilis ad impossibilitatem videretur vergere) attulêre. Hisce periculorum & ærumnarum acervis circumventa, atroci insuper ventris ac inevitabili onere summè implicita mulier, per quadriennium, usque ad annum Domini 1549. semiviva perduravit. Sed quod prætereundum hoc loco non est, propter has enumeratas à nobis difficiles calamitates, misella insuper adflicta est defluxu continuè putrilaginoso, qui per locum muliebrem perrumpens, totum hoc quadrienne tempus duravit, ita tamen ut aliquando parcius, aliquando copiosius profluens, dispari ratione mulierem affligeret, cessaret tamen nunquam.

Cruciatibus igitur hisce ac gravedinibus diu perstantibus, tandem natura (quæ semper individuum conservare contendit) acore, & copia putridi humoris non evicta sed compulsa (utpote cui inferna humoris subductio non sufficeret) ad umbilicum matricem ipsam, totum denique abdomen multis alioquin partibus munitū perfodit. Foramen igitur factum est primo Anno Domini 1548. in loco prædicto; Ex quo multum saniosi fœtidique mucoris profluxit. Successu deinde temporis post aliquot menses, adhibitis externis emplastrorum adminiculis apertio coaluit, posteaquam (ut videtur) colluvies humorum nocivorum abundè excreta esset; vel aliquātisper pro necessitate evacuationis diminuta. Sed quod efflictim observandum est, paulò post Anno Domini 1549. Mense Iunio, quum scilicet multa putrida superfluitas omni conatu mox per naturam expellenda iterum collecta esset, natura denuò eodem consilio & via, proximo in loco non ita procul à priore apertione distante, per ventrē iterum perrupit, & affatim eduxit necessario evacuandam purulentiam.

In hoc foraminulo exhibebatur omnium conspectui & tactui os quoddam, quod eventus postea (resecta alvo & matrice) comprobavit, infantis fibulam sinistri brachii fuisse. Duravit iterum hæc apertio, eodem statu & effluxu, cum magna fœminæ in utero habentis viriū prostratione, ad menses aliquot. Cum autem periculi magnitudo, dolorum, fœtorisque intolerantia indies magis ac magis ingravescerent, viderentq; omnia ad interitum spectare, ipsaque miserrima quæ cruciatibus immensis, animi crebris deliquiis jamjam crederet sibi exitum imminere, denuò iniit consilium asciscendi Medicos, si fortasse ex singulari DEI misericordia, felix horula salubris consilii elucesceret, si denique forte fortuna Deo ita disponente, in hora contingeret, quod non contigisset in annis. Vocati igitur sunt Chirurgi tres; Aulæ Regiæ Chirurgus, Sixtus Wirt, Paulus Dirlewang, urbis Viennensis ordinarius Chirurgus; & Petrus Winckler: qui cum advenissent, rem omnem intuiti, atrox periculum prę oculis esse animadverterunt, simulque moderatè omnes unanimes responderunt, majus esse negotium hoc, quam ut ipsi quicquam certi in hoc casu statuere, vel debeant, vel possint; accersendos esse Medicinæ aliquot Doctores, quorum consilia meritò accedere debeant, & si quid in re tam ardua faciendum superesset, sibi consultum videri, ut id ex eorum matura deliberatione proficiscatur. Acciti igitur sunt Doctores duo Johannes Enzianer & Matthias Cornax, alter vir senex, & revera miles (quod dicitur) emeritus, hic publicus Medicinæ in Viennensi Gymnasio ordinarius Professor. Qui cum venissent aliquoties post crebram inspectionem ægræ, virium explorationem, circumstantiarum diligentem inquisitionem, nihil aliud videbant superesse consilii, quam ut ad sententiam Hippocratis *Extremis morbis, extrema adhiberentur remedia* quantumvis periculosa. Decretum itaque ab iis est, de alvo aperienda. A Cheirurgis etiam in eandem itum sententiam. Quod cum certò constitutum esset, etiam fœminæ ejusq; marito, & propinquis Medicorum consultum indicatum est, à quibus omnibus assensum. Statuta tandem dies est decima mensis Novembris, Anni 1549. hora duodecima pomeridiana; Christi igitur Domini Auspiciis, cum tempus statutum advenisset, rebus ritè auxiliaribus, denique paratis & dispositis præsidiis, si quid

Lib. ... pho...

si quid fortè gravius contingeret, præsentibus Doctoribus nominatis, & Chirurgis sectio cum summa diligentia peracta est.

Linea autem sectionis ex mea designatione ducta est, ab apertione ea inchoata (quæ paulò supra umbilicum à natura, ut diximus facta erat in latere dextro) rectè deorsum per tractum musculi recti, abdomini incumbentis, longitudine plus minus octo unciarum, hoc est semipedis antiqui, & duorum pollicum, qua facta incisione, propter necessitatem & intolerabilem fœtorem, subito contentum in utero à Cheirurgis undique liberatum est, & exemptus frustratim fœtus masculus, jamdudum emortuus & semiputridus. Secutus est hanc extractionem fœtor incredibilis, adeò enim putredo invaluerat, ut bona pars membrorum pueri consumpta appareret; Caput verò totum confractum, & ossa cranei dispersa extraherentur, cerebri verò videretur nihil nimirum quod totum putredine diuturna consumptum esset. Absoluta hac sectione ex summa Dei Opt. Max. misericordia feliciter mulier debita ratione, infarctis laceris & rugosis uteri cavitatibus ligata & curata est; Illique de rebus necessariis quam optimè prospectum à medicis & cheirurgis. In omni autem ista administratione, misella quæ resecabatur, nullum est passa animi deliquium, sed forti & sedato animo omnia pertulit, adeò ut Deus & natura ipsa in cõservanda hac inopi & ignobili fœmina, contendisse videantur. Successu deinde temporis, cum omnia ex singulari nutu Dei feliciter procederent sine ulla sutura, rugis (detumescẽte ventre ob exinanitum uterum) coëuntibus, postliminio venter ab onere putrido liberatus, peroptimè coaluit: & fœmina præter omnem exspectationem curata est; Et uterus ipse una cum abdomine, & ejus partibus planè consolidatus, quinetiam ita matrice probè restituta, menses bono ordine & modo rediêre, ut spem aliquam conceperimus, membro quantumvis sensibili & spermatico ita persanato, mulierem denuò concepturam, & fortasse fœtus edituram. Quod tamen postremum, ut valdè & multis rationibus est ambiguum, ita incertum, divinæ omnipotentiæ relinquimus determinandum.

In hunc modum se habet hæc rata quidem & admiratu digna, sed vera historia, quam ideo in literas referendam non dubitavi, ut omnes homines animadverterent, summam Dei erga gravidas fœminas benignitatem, utque hæc historia esset consolationi omnibus prægnantibus fœminis, quum videam Deo se adeo curæ esse, suamq; imbecillitatem tanta perferre posse. Postremo ut hac nostra scriptione admonerem Cheirurgos, ne ab ejusmodi gravissimis aggrediendis potius impigrè, & alacriter, quam expavescendis casibus manus suas abstraherent. Longè enim præstantius ac laudabilius est, aliquid cum periculo aggredi, quam cum certa pernicie cessare: Et decentius est aliquid lethale etiam cõmittere, modo spes aliqua salutis prorogandæ supersit, quam omninò certæ & præsenti se comittere morti, quæ procul dubio huic gravidæ mulieri jamjam imminebat, nisi relatis à nobis præsidiis ex Dei singulari voluntate evasisset. Quare laus sit DEO summo, qui fecit, facitque mirabilia, qui sit benedictus & superexaltatus, in secula seculorum, Amen.

Quod eadem fœmina denuò conceperit, & gestavit fœtum vivum, perfectum, masculum, ad legitimum pariendi tempus, quodq; ex post habita sectione, mater una cum puella interierit.

Posteaquam supernè à nobis descripta Margaretha, ex sanctissimi opificis Dei voluntate convaluisse, convixissetque denique sano marito annum plus minus integrum, satis frugaliter, denuò concepit & gestabit puerum benè valentem & ritè succrescentem, usque ad secundum diem mensis Junii Anno Domini 1551. quod erat legitimum tempus pariendi. Ea dies cum manè eluxisset, & bellè se haberent omnia, infans robustus strenuè palpitravit, & elaboravit ad egressum uteri, mater mœsta omnibus nervis ad expellendum fœtum incubuit, præsentibus multis mulieribus, sed in casum omnes conatus cessere. Quapropter vocatus est Paulus Dirlewang Cheirurgus Viennensis, qui antea illam secaverat, ut in medium consuleret. Ille verò præ oculis cernens grave discrimen consuluit, me etiam esse vocandum. Adveniens itaque & ego cum perlustrassem ventrem enitentis, vidissemque fœtum validum, mater autem omnibus viribus, quæ ad certamen enitendi requirebantur, destitutam; cicatricem præterea veterem, quasi per rimam longam hiscere, omninoque impossibile esse, ut conatus fœminæ, tam lacero utero incisis per longum musculis & abdomine, tanti esse possent, qui in utero contentum quantumvis viribus præstans & sese adjutans, per os sacrum possent expellere, suasi evestigio, utendum ferro, ut prius resecandum esse. Firmavit meam opinionem & hoc, quod rimula sectionis pristinæ laxata pellucens madebat, & per se discessionem parietum cicatricis minitabatur. Hisce perurgentibus rationibus, nos compulsi, & commemoratione prioris felicis eventus animati, sectionem iterum instituendam censuimus, acquiescebat consiliis nostris alioquin moritura puerpera. Verumenimverò mater ejus, & reliquæ aliquot præsentes fœminæ assentiri nullo pacto voluerunt. Interim ego ordinatis quibusdam præsidiis confortantibus, consolatus afflictam discessi, & paulò post reversus, acriter instisti, iterum peragendæ Cæsareæ. Sed perperam tum obtinuit matris affectis, quæ cum cæteris fœminis in ea perseveraverat sententia, ut Deo omnia committerentur, relicta periculosa sectione, quæ tum etiam satis tempestivè adhiberi posset, cum extremum anhelitum mater spiraret. Exspectatum igitur usque ad horam decimam noctis, quo tempore infelix, cum frustra diù & strenuè luctata esset, viribus omnibus exhaustis, cruciatibus oppressa animam exhalavit. Quod cum factum esset, subitò Chirurgus prædictus vocatus est, & citissimè ventrem aperuit, statimq; infantem perfectum, masculum, omnibus numeris perfectum, exemit. Ibi videre erat (superveneram enim & ego) certamen adniten-

nitentium puello vitam, quæ paulò ante abierat, revocare, & sufflando omnia tentare spiracula, sed perperam & frustra omnia fiebant. In promptu causa est eruditis, & anatomiæ peritis, siquidem in confesso est, vitam & motum cordis in infante, à duabus arteriis vitalibus matris per umbilicum fœtui ceu per insitionem insertis dependere, quæ vasa natura pro cordis refrigeratione fabricavit. Quare cum arteriarum motus in matre cesset, earundem etiam motum evestigio in infante cessare necessum est, siquidem fieri minimè potest, ut puer ante præcisionem umbilici, in ipso denique utero involutus tunicis spiritum per os attrahat.

Præterea esto, quod continuatio umbilici fœtus à matrice sit libera, ruptis cotylidonibus partus tempore, tamen nihilominus umbilicus secundina adhæret, necessario ab obstetrice præcidendus; vel etiamsi à secundina, in utero existente puello umbilicus solutus esset, tamen respirare per os non posset infans, panniculis involutus; uteri præterea parietibus inclusus, mucoribus denique, & aquositatibus circumfusus, quæ certè res sæpè solutos infantes hærentes tamen diutius in angustiis faucibus ossis sacri, enecat suffocando. Cum ex prædictis itaq; necessarium sit, vita & motu puerperarum cessante, cessare etiam infantis in utero contenti vitam & motum impossibile est, tam immediatè excindi infantem posse, in eo ictu temporis, quo anima ex matre migrat; quæ si semel evolaverit, certè revocari humanis præsidiis nullo modo potest. Si autem fortè fortuna exemptio infantis contigerit, in agone puerperæ, aut in animi deliquiis, Præsentibus adhuc spiritibus vitalibus, tum censemus omnino, supervivere infantem posse, quemadmodum sine dubio de Julio Cæsere contigit.

Ex his igitur omnibus à nobis enumeratis, luce meridiana clarius liquet: Primò ut supra descripsimus, hanc *Margaretam* per quadriennium fœtum mortuum in utero gestasse, eundem exsectum esse membratim, per abdomen: & quod ipse prognosticatus sum dubitativè, hoc Deum præstitisse re ipsa, ut quod fœmina ita lacero, sed restituo utcunque utero, progressu temporis tandem concipere posset, & nostram hanc denuò concepisse & gestasse usque ad legitimum tempus partus, bene formatum & perfectum infantem, qui si etiam exsectus fuisset tempestivè, sine dubio supervixisset: cum tam robustus, tam bene habitus, tam absolutus (ut ipse diligenter coram intuitus sum) fuerit, ita ut plane nihil in eo desideraretur, præter vitam. Cujus rei testes multæ personæ utriusq; sexus esse possunt, quæ frequens eo confluebant, hoc, miraculum conspecturi. Quare nemo deinceps dubitare debet, hanc historiam verissimam esse siquidem *Apud Deum non est impossibile omne verbū*, cui sit laus & gloria & benedictio in secula, Amen.

De muliere, quæ annis tredecim in utero gestavit sceletum fœtus mortui, quod tactu cum ab ipsa matre, tum ab omnibus illi præsentibus percipitur, hujus rei historia scripta est ad Matthiam Cornacem ab Ægidio Hertogio Medico, in Enchiridio Medicæ consultationis Matthiæ Cornacis, fol. 214.

CAtarina quædam uxor Michaelis de Menne, viri ruralis & pauperis, annis duodecim utero gerit fœtum mortuum, vel potius sceletum fœtus mortui, res penitus monstrosa, ac miraculo digna dici potest: ita tamen res habet, sicut ipso tactu unicuiq; fuerit manifestissima. Mulieris enim ventrem inferiorem propriis manibus attrectavi, non bis terve, sed pluries. Idem quoque egere cum viri, tum mulieres illustrissimæ, non sine omnium admiratione maxima, quos omnes honoris gratia præterimus. At vel unius viri hac in re testimonium oculare sufficere poterit, puta excellentissimi Dn. Henrici Cornelii Matthisii, qui quondam Carolo ejus nomine Quinto Augusto, Medicus fuit domesticus. Hic inquam cum stantem, & supinè decumbentem dictam mulierem crebrius attrectasset, omniaque ossa fœtus mortui ipso tactu optimè deprehendisset, præ stupore nimio, cum admiratione summa dicebat.

Deo & naturæ nihil impossibile.

Anno igitur Domini 1549. eadem Catharina, posteaquam antea enixa esset duos liberos concepit mense Martio, omnia signa habens felicis imprægnationis, fœtum insuper temporis progressu, à quarto mense conceptus sensit valentem, & strenuè se moventem, usque ad festum Divo Andreæ sacrum, eodem anno quo sanè illi supervenêre dolores partus adeo vehementes, ut jamjam crederet se enixuram. Uterus quoque mirum in modum prominebat, uberaque lacte copiosissimo turgebant, idque magis instante jam partu quam multis diebus antea. At cum ad parturiendum nulla amplius mora exspectaretur, accidit, ut vetula quædam malefica & præstigiatrix ventrem huic utero gerenti attigerit, in aures susurrarit & in faciem sufflarit, aliaque peregerit: quæ quoniam parū ad rem nostram facere existimo, pluribus non persequor: illius tamen meminisse placuit, Nam in vetulam mulier culpam omnem rejicere videtur, quod illi res tam infeliciter successerit. Ut autem parturientium dolores, cum in ventre inferiore, tum in lumbis sensit, statim acciri obstetricem, & mulieres vicinas jubet, quæ dies noctesque aliquot partum præstolabantur: nullum tamen partus brevi futuri signum observat obstetrix: præter illos dolores qui toto biduo increscebant. Quare discedit, reversura, si ita res postulaverit. Quid multis? dolores nihil interim remittuntur, sed diebus totis quadraginta, & die, & nocte illam sævissimè affligere non desinunt, ut totum id temporis misella ista insomnis egerit. Ab utero quippiam interea fluxisse, nunquam animadversum fuit. Fœtus vehementissimè semper movebatur, ac calcitrabat, ita ut manifeste illius motus ab adstantibus observari posset, toto isto dolorum tempore sudoribus quoque copiosissimis madebat.

Lac præterea è mamillis uberius fluebat: quod quia acrius, tum plus justo biliosum erat, omnes ferè partes vicinæ, quas defluens attigit, exulcerabantur. Quadragesimo demum secundo, & quarto dolorum die fœtus tam validè amplius moveri destitit. Dictu profectò mirū, quod tanto tempore subsistere potuerit incolumis, tādem conatu vehementissimo ita fœtus movebatur, ut inde transversim in utero revolutum mater narraret. Dolores ab illo impetu fœtus multò mitiores evasêre, & paulò post planè recesserunt. Post verò dies quatuor, vel sex, cruenta quædam ac nigra per alvum dejicere cœpit, illis similia (ut illa inquit) excrementis, quæ pueruli jam in lucem editi, primū excernere solent, cujusmodi excrementa egerebat diebus ad sex libras. Cúmque antea nullus in utero collisionis ossium sensus voluntarius perciperetur, hic tandem putans misella, se ab omnibus ærumnis liberam, unicuiq; tangenti uterum, sese prodere cœpit, ut etiam illam non lateat ossiū fœtus mortui situs, quippe cū digito monstret: hic caput, illic costas, hic humeros, illic fœmora contineri. Quod ego & alii cōplures, me monitore deprehenderunt.

Cadaver istud seu sceletum in utero matris jacet transversim, capite & cruribus introrsum, dorso verò extrorsum prominente. Sub ilio dextro caput reconditur, quod cum profundiùs quam matris spinam dorsi respiciat, non sine ratione tactus nostri judicium refugit, ibi tamen ossis humeri, caput superius contineri, manifestò constat. Sub ilio sinistro sunt crura & pedes, sed introrsum reflexi, ut attingi minimè possint: conjectura tamen artificiali & anatomica; ita esse, judicare non est difficile, tum ex situ reliquo corporis, tum quia ibi os fœmoris apertissimè deprehenditur. In medio ventre dorsum evidentissimè cognoscitur vertebræq; omnes facilimè distinguuntur, Costæ quoq; majori ex parte, tam superiores quam inferiores, dinumerantur, turget venter maternus tumore oblongo, qui in pudendum desinit, elevat totam istam molem sursum, eandemq; pro animi arbitrio deprimit, non sine adstantium summa admiratione. Ossa vero sic satis induruisse sentiuntur: ita ut validiori compressioni difficulter cedere videantur. Venter maternus interea dum attrectatur, nullo dolore angitur, ni id plus, quam par est, fiat diutius. Valet sic satis ista mulier, omniaque sua munia, tam domi, quam in agris unà cū marito suo optimè peragit: hilaris est, prudens materfamilias, & utcunq; faceta, annū nunc temporis ætatis suæ agens quadragesimum quintū, corpore gracilis, nec habitu illaudabili. Menses cum annis quatuor essent detenti, potiunculis nonnullis illos promoventibus usa, rursus manare cœperunt, in hunc usq; diem; at mensibus singulis, dum eorum terminus instat, venter inferius intumescit, illamq; dolores invadunt vehementissimi, haut aliter quam si nunc nūc esset enixura, nec antea cessant, ni menses omninò eruperint. Quod si mulierem morbo aliquo laborare contingat, iisdem planè doloribus ad integrum morbi terminum corripitur. Aliud præterea notatu dignum refert, quintum nunc esse annum, ex quo natura quodamodò istius sceleti expulsionem tentarit. Vteri enim osculum hiasse, & inde aliquot ossicula fuisse egressa, qua de causa è vestigio accersitur obstetrix: at cum satis imperita, vel potius rei novitate perculsa nullum remediū ferre se posse indicaret, omni ope humana hanc multis modis longè infelicissimā destituens, recessit. Ipsa verò interim nihilominus intrepido fortiq; animo, ossicula illa, ut in proprium locū retrò cederent, propriis manibus allaboravit, sic ut in pristinum redierint. Ab isto verò tempore, uti nec antea, hujusmodi quid sinistri illi accidit. Mirum deniq; quantoperè rustica illa flagitet, summisq; precibus contendat, ut abdomen ei manu medica aperiatur, sceletumque ab utero eximatur, sic enim seipsam sanitati pristinæ restitui posse confidit. At quo minus id tentatum hactenus sit, adhuc sub judice lis est.

De medicamentis chymicis.

Cæterum nunc ad alteram partem epistolæ tuæ quoq; respondere deberem, nisi jam dudum illius metas transgressus fuissem. Vt tamē exspectationi tuæ aliquo modo satisfacerem, libenter fateor, multum apud me valere Mercurium, & alia nonnulla medicamenta, arte Chymica præparata; tum quia (ut tu quoq; scribis lib. 1. de Medicina & Medicis sect. 5. Class. 3. quæst. 2.) palato grata, tum etiam quia in minori dosi exhibeantur; in primis verò propter egregias, quæ inde sequuntur, operationes. Verum enim verò cautè iis uti licet; neq; indifferenter, ut faciunt empirici, omnibus & in omnibus morbis, ut tu quoq; mones libro præallegato, quæst. 3. exhibenda sunt. Deinde ut diligentissimè, ac fideliter, ab expertissimo, & fidelissimo artifice sint præparata, neq; in exhibitione quicquā peccetur, plus quam necesse est. His enim neglectis, & temerè exhibitis, periculo sanè maximo non vacant, uti ex sequentibus exemplis videre licet.

Princeps Elleboro nigro à Pharmacopola interficitur.

Paulus Renealmus celebris quidam Medicus Gallus, in præfatione observationum suarum, Principem hausto pharmaco, ex elleboro nigro præparato; & contra intentionem Medici à Pharmacopola exhibito, interfectum fuisse, refert. Apothecarius profectò ille ex eorum, de quibus monet Agrippa, erat numero, ex eorum inquam numero, qui dum aliud pro alio propinant, aut putridum inveteratumve & evanidum pharmacum miscent, sæpè mortiferam potionem, pro salutifera propinant. Medicum quendam magni nominis, matronam morbo cōtumaci laborante curandam habuisse memini; huic multa variaque cum ex arte exhibuisset pharmaca, tandem quoque pilulas capitales, quibus nonnihil extracti ellebori nigri admiscuerat, præscripsit. Illæ quum à pharmacopola paratæ, & ab adstantibus exhibitæ essent, intra horas sex debitum naturæ persolvit. Res profectò mira: cum aliàs corpore satis valida esset, & medicamentum vix per vomitum & alvum bis operatum fuisset. Quapropter culpam non omninò in medicamentum rejicere possum: nisi, (ut aliquando fit in officinis, quando famulis imperitis hujusmodi præparationes committuntur) in præparatione error commissus fuerit. Ideoq; nunquam hactenus

lib. de incertitudine, & Vanitate scientiarum, c. 84.

nus medicamentum, arte chymica præparatum, in officinis præscribere ausus fui. Ante annos aliquot in officina quadã medicamentũ purgans, quod semidrachma extracti corticũ esulæ, præter alia purgantia ingrediebatur, à Medico quodam docto præscriptum vidi. Mihi admiranti respondit Pharmacopola, id vix sufficere: eundemq; Medicum aliquando ad scrupulos duos, imo & drachmam integram istius extracti, ægris suis præscribere, & feliciter exhibere.

Celebris quidam Medicus nobili cuidam medicamentum, quod scammonium, menstruo quodam convenienti infusum & præparatum, ingrediebatur, præscripserat; Negotium mihi commissum, & ut diligenter in officina præpararetur medicamentum, curam haberem, injunctum fuit. Postero die cum ex pharmacopola inquirerem, quomodo succederet præparatio, respondit, optimè: jam enim ter supernatantem aquam abjeci. Exinde vides, quàm periculosum sit, tale quid in officinis præscribere? veram enim scammonii tincturam rejiciebat, excrementum verò pro medicamento reservabat: quid, quæso, ex hujusmodi medicamentis boni exspectare possumus? Atque eo usque mi Dn Döringi ars nostra tandem devenit. Quærunt & eligunt sibi Magnates Medicos quandoque apud exteras regiones: volunt ut sint docti, modesti, pii, circumspecti, usumq. rerum atque experientiam habeant: & rectè quidem ac prudenter faciunt. Sed quid fit? Medico natura ægri, essentia morbi, & quæ præterea necessaria, rectè & ea, qua fieri potest diligentia examinatis, ex arte præscribit medicamenta, quorum præparatio postea aliquando imperito pharmacopæo, aut negligenti famulo ut& tyroni alicui, aut novitio in officina cõmittitur.

Extract. ellebori nigri, in quartana præstantissimum.

Sed iterum ad extractum ellebori nigri redeo: illud quantumvis in duobus supra dictis ægris ad votum non successerit, tamen, si diligenter & fideliter præparatum fuerit, præstantissimũ esse medicamentum, ante annos duos in memetipso, cum quartana laborarem, & deinceps in aliis felicissimo cum successu expertus sum. Quantum præterea in cutaneis affectibus, ex humoribus adustis ortis, valeat, superiori anno Hildenæ in puella quadam, fœda scabie laborante, evidentissimè mihi observare licuit.

Ext. Ellebori Nigri in cutaneis affectibus præstantissimum.

De mercurio crudo.

Mercurio crudo in lue Venerea, aliisque externis affectibus, exterius applicato, utor cum fructu. Interim tamen cautè cum ipso agendum esse, aliàs exemplis demonstrabo prolixius: addam tamen & nunc unum aut alterum. Quidam dolore articulorum, propter defatigationem corporis ex longo itinere, fame, & inopia laborans, quum Lausannæ, ab empirico & planè inexperto barbitonsore ungueto ex mercurio inunctus fuisset, paulò post planè extenuatus, naturæ concessit. Ego cadaver præsente Medico dissecui: & ipsius pulmones lividos, & pituitosis humoribus imbutos, cor verò molle, flaccidum, & exangue inveni.

De infelici successu unguenti ex Mercurio.

Alia Observatio de infelici successu unguenti ex Mercurio crudo.

Nobilis quidam in ditione Reip. Freiburgensis Helvetiorum, cum nodosa podagra simul & scabie ex pituita salsa laboraret, & ab empirico, more empiricorum, præter rationem prædicto unguento inunctus fuisset, pituita tam copiose ad gingivas confluxit, ut gangræna oris primò, mox verò & mors sequuta sint. De pulvere meo ex Mercurio, quo utor in externis affectibus, nihil addo: tu enim ipsemet ipsius usum apud me vidisti. Intra corpus tamen non facilè ipsum exhibeo: propter gravissima, quæ inde sequuntur, symptomata.

Mercurio *dulcificato*, aut, si velis, *vitæ* appellato, nonnullos cum fructu uti, sat scio: contrarium tamen aliquoties observare mihi licuit: cujus rei exempla aliquot addam. Empiricus quidam Bernæ Helvetiorum vixit: is pulverem quẽdam albissimum (*Mercurium vitæ* ipsum appellabat) in paucissima quantitate, (non enim põdus quatuor granorum excedebat) in variis affectibus propinabat: in multis tamen cum vitæ discrimine: Ego expertus loquor. Ante annos enim aliquot ad matronam nobilem Bernensem, unà cum Dn. Paulo Lentulo, ejus Reipublicæ Medico longè celeberrimo, piæ memoriæ vocatus fui. Huic matronæ empiricus ille vix ad grana tria, (coram marito enim ponderaverat medicamentum) sui pulveris exhibuerat: quam symptomata adeò sæva sequuta fuerant, ut illam vix restituere possimus. Vomitus enim maximus & continuus aderat. Lipothymiæ, item sudores frigidi, simul & viriũ prostratio supervenerant, ita ut per dies aliquot in vitæ discrimine versaret: tandẽ nihilominus per Dei misericordiam sanitati restituta fuit.

Matronam Solodurensem asthmaticam, & decrepitam *Dn. Barbaram Greders*, uxorem Domini *Wilhelmi Kallenbergs* Patricii & Senatoris Solodurensis, cum de hoc pulvere, ab eodem empirico exhibito, sumpsisset; eadem die extinctam fuisse, à viris fide dignis Soluduri mihi sæpius relatum est. *Mercurius* itaque, sive crudus, sive in *Mercuriũ vitæ* transformatus fuerit, aut negligenter præparatus, aut eis, quibus non convenit, empiricorum more, & absque ratione exhibitus, imò & exterius admotus, in *Mercurium mortis* plerumq; evadit, recteque illum *Mercurium vitæ æternæ* appellare possum.

De Antimonio & croco metallorum idem affirmare non difficile est. Ante annos enim quatuordecim Dn. Eleasar Perialdus, Vir doctus, & in schola Lausañensi Philosophiæ Professor, cum sibimet, præter consilium Dn. D. Alberti Roscii, Medici celeberrimi, simul & meiipsius, bolum ex Antimonio (quod paulò ante se Lutetiã attulisse, ibidemque à Dn. D. Quercetano paratum fuisse, ajebat) parasset, & sumpsisset, parum abfuit, quin eadem die animam unà cum excrementis evomeret: tam vehemens & impetuosa, per superiora simul & inferiora, sequuta est operatio, quæ per totam diem duravit. Sequenti nocte doloribus maximis brachiorum & crurum, simul & convulsionibus (propter evacuationem maximam, & siccitatem nervosarum partium) lipothymia, & virium prostratione, propter defectum spirituum vitalium, & humidi radicalis, correptus fuit. Ego cum prædicto Medico circa horam secundam noctis accersitus cum essem, protinus sequẽtem potiunculam exhibuimus.

R. Confect. Alkermes ʒ. ß.
Theriacæ opt. ℈j.

Corn-

Cornu cervi usti & præp. ℈.ß.
Aquæ Cinamomi ℥j.
Buglossæ ℥ij. Misce, fiat potio,

Juscula caponum, & carnis vervecinæ, nec non alia, quæ partes nobiles corroborant, & humidum radicale, spiritusque vitales instaurant, præscripsimus.

Brachia, crura, simul & spinam dorsi, sequēti linimento calidè inunximus.

R. Ol. amygdalarum dulcium,
Liliorum alborum,
Violarum an. ℥j.
Ol. lumbricorum, Vulpini,
Pinguedinis humanæ & ursi an. ℥ij.
Misce.

Hoc linimento de hora in horam prædictis partibus inunctis, remiserunt quidem dolores, nihilominus tamē intra paucos dies animam Deo piè placidèque reddidit. Tum quia humidum radicale violentia medicamenti ita absumptum & evacuatum erat, ut refici nō posset, tum etiam quia propter violentam attractionem medicamenti à circumferentia ad centrum, inflammatio in hepate oborta fuerat.

Trutinarius quidam Coloniæ Agrippinæ, magister Brun nomine, Vir pius, probus, mihiq; amicitia junctus, cum ante annos septendecim potiunculam ex antimonio ab empirico, & rerū medicarum imperitissimo homine paratam sumpsisset, tam vehementer & impetuosè agitatus & commotus ipsius fuit ventriculus, ut herniam vētriculi inde contraxerit, qua etiamnunc non sine maxima molestia laborat; uti ego, cum superiori anno Coloniæ essem, ipsumq; aliquando inviserē, ipsemet vidi. Quotiescunq; enim corpus inflectit, ventriculus non sine molestia, veluti in saccum excidit.

Ante menses aliquot cū Wormatiæ & Herrensheimii, apud Generosum & strenuum Virū, Dn. Eberhardum Kämmerer von Wormbs / genant von Dalberg moram facerem, Wormatiensis quidam civis, Petrus Daling von der Burg / nomine, in consilium me advocari jussit. Laborat ille herniâ intestinali, quam ante annos quatuor, quum medicamentum chymicum, ab empirico sibi exhibitum (antimonium fuisse arbitror) sumpsisset, eadem die, qua medicamentum hauserat, contraxerit, tam vehemens fuerat inprimis per superiora ipsius operatio.

Possem hoc loco unum atq; alterum exemplum inserere (uti ab amico fide digno accepi) de infelici successu, adeoque præpostero usu atq; abusu *Mercurij vitæ, & Croci Metallorum*, à Medico quodam viro sexagenario, & primario cujusdam Principis consiliario, temerè & precipitanter exhibitorum, quorum alter post assumptionem croci metallorū, alter verò mercurii vitę, post multa gravissima inde sequuta symptomata, paulò post vitæ finem fecerunt.

Ante annos viginti, Medicus quidam natione Italus & D. *Sterpinus* nomine, Tononæ in Sabaudia, ad lacum Lemannum medicinam faciens, cum calculoso cuidam nobili Dom. du Fou medicamentum chymicū ad calculū conterendū & expellendum exhibere vellet; Æger verò à medicamentis chymicis omninò alienus, id recusaret, postridie in dupla quantitate id adfert medicus; & ut æger majori cum fiducia eo uteretur medicamento, partem unam ipsemet medicus sumpsit, alteram ægro suo obtulit. Ambo cum hausissent, simul etiam intra paucos dies vitam cum morte commutārunt. Accersiti quidem fuerunt Genevâ viri Clarissimi, Dom. D. Janus Antonius Saracenus. & D. Iohann. Griffonius, sed frustra. Itaque *Crollium*, ne medicamenta acuta calculosis, & qui aliàs sunt valetudinarii, exhibeantur, in sua Basilica chymia, mihi pagina 247. rectè prudenterque monuisse, videmus.

Medicamenta acuta calculosis nō conveniunt.

Quàm præstans medicamentum sit Laudanum, eis qui egregias ipsius operationes aliquando viderunt, notum est. Nobilem tamen cum eo abuteretur, mortem sibimet intulisse observavi. Basileę in duobus ęgris idem accidisse, clarissimus ac longè celeberrimus vir, Dn. D. *Casparus Bauhinus* non ita pridem, pręsente clarissimo ac doctissimo viro, Dn. D. *Thoma Plattero*, Soloduri, ubi ad ęgrum simul vocati fuimus, mihi retulit.

Ex abusu Laudani nobilis quidam vita finē facit.

Porrò, clarissime mi Dn. D. Doringi, medicamenta escharotica, ex mineralibus conflata, nonne ad chymica referenda esse putas? sed & illa, quomodo in externis affectibus, nisi ab exercitato & circumspecto Medico aut cheirurgo; tutò applicari possint, nondum video. De eorum abusu exempla habeo nonnulla, quorum primum est de viro isto, cui pulvis, qui ad cranium curandum, tantoperè laudibus extollebatur, ad carpum applicatus fuit; uti in tractatu meo de Gangręna & sphacelo, & alibi videre poteris. Occurrit etiam exemplum in prima Centuria observat. mear. de pharmacopęo, qui sibimet causticum non satis aptè applicuit. Is profectò alioquin in sua arte experientissimus, si hujus medicamenti plenam notitiam habuisset, errorem huncce proculdubio in sui ipsius detrimentum non commisisset. Verùm bonū istum virum, (cujus memoria propter eam, quę inter nos fuit, amicitiam, quoad vixero, chara mihi erit) inscius pręterq; spem atq; opinionem in scyllam huncce incidisse, existimo. Erat enim circa ęgros diligens & circumspectus; Neq; ex eorum numero, qui, quum singulare quid à medico docto, aut cheirurgo erudito viderint, id protinus eadē dexteritate quoq; se præstare posse apud imperitos gloriantur.

De abusu medicamentorū escharoticorum.

Ante annos circiter undecim venit Coloniam Agrippinam, circumforaneus quidam, cujus nomen studio supprimo. Is enterocelas absq; excisione testiculi, & læsione vasorum spermaticorum sanare se posse, gloriabatur. Maximus quidem fuit accursus hominum, neminem tamen aut perpaucos ab ipso restitutos fuisse, ante annum, cum essem Coloniæ, mihi à viris fide dignis relatum fuit. Hoc modo autem curationem (processus enim ipsius à Dn. *Gottschalcko Monhemio* Pharmacopœo Excellentissimo, qui ipsemet aliquando interfuerat, mihi comunicatus fuit) instituebat. Primò caustico cutem exulcerabat. Sublata eschara, productionem peritonæi, sive, ut vocant dydimum, oleo quodam arte chymica præparato, (quale fuerit, propter abusum non adscribo) ad os pubis usq; erodere tētabat, idq; tantis cum doloribus

loribus (hæc ex relatione Dn. N. *Schuanii* Coloniensis, viri fide dignissimi, qui omnia in proprio suo corpore expertus est, adscribo) ut vix fando illos exprimere aliquis possit; Et iis quidem, ut ægri potius mortẽ appetere, quam hujusmodi tormentis diutius excruciari velint. Vivit etiam nũc in ditione Reipub. Bernensis nobilis quidam, mihi optimè cognitus. Is ab eodem Empirico ante annos 16. Lutetiæ frustrà excruciatus fuit, & etiam nũc herniâ non sine maxima molestia laborat.

Hasce, Clarissime mi Dn. D. *Doringi*, de abusu medicamentorũ chymicorum, recensere volui historias; Non quidem in eum finem, ut medicamenta chymica improbare, & rejicere sit animus. Etiamsi enim apud me, uti tu quoq; ipsemet vidisti, præcipuè mineralia, non usq; adeò sint in usu ipsa tamen maximum in Medicina, præcipuè in morbis chronicis contumacibusq; habere usũ me non latet: sed hæc potius exempla recensere volui, ut ex hujusmodi juniores medici & cheirurgi, quàm prudenter ac circumspectè chymica tractare convenit, perspiciant: ægri verò moneãtur, ne cuivis circumforaneo & garrulo agyrtæ fidem adhibeant. Neq; me cõmovet, quod nõnulli objicere solent, nimirum metallica illa venenosas in se continere qualitates. Quod etsi verum sit, videmus tamen, ut rectè scribit *Crollius*, mihi p. 261. plærumq; in natura apud sumum venenum latere etiam Medicinam, uti evidentissimè in carne viperina & in quibusdam aliis animalibus venenosis apparet. Verùm enim vero ante exhibitionem medicamentorum chymicorum hæc præcipuè sunt perpendenda. Primò, an diligenter, fideliter, & ab exercitato artifice præparata sint. Maxima enim difficultas in præparatione sita est; uti exemplo de extracto corticum esulæ superius allegato, demonstratum est. Quis enim, quæso, extracti hujus, rectè, & ut decet præparati, ad semidrachmam exhibere ausus esset? adulterina itaq; prædicti extracti fuit præparatio; aut forsan quid pro quo, ut dicitur, (pharmacopola enim ipsemet illud non præparaverat, sed nescio ubinã in nundinis sibi comparaverat,) datum fuerat. De Mercurio vitæ idem observavi. Nonnulli enim veluti empiricus ille Bernensis, cujus antea memini, nũquam ultra grana quatuor, de suo Mercurio exhibebat. Ego, cùm ante annos tres, cuidam magni nominis viro, unà cum viris Clarissimis Dn. *Felice Plattero*, & Dn. *Martino Chmielecio*, medicis longè celeberrimis in magno periculosissimoq; morbo adessẽ, ipsi aliquoties ad grana quatuordecim Panchymagogi Quercetani & ab ipso Quercetano præparati, præscripsi atq; exhibui. Alii ad grana 18. aut viginti imo & quadraginta, ut tu quoq; doces, ascendunt. Multifaria itaq; est ipsius præparatio; Illam porrò diversitatem præparationis, cùm nullus alius præter illam solum, qui medicamentum præparavit, scire, aut cognoscere possit, non video quomodo quis medicamentis chymicis, ab ignotis præparatis, securè & bona cum conscientia uti queat. Hæc in eum finem dico, ut caveant sibi medici, ne medicamenta chymica, in officinis (quæ non ipsemet pharmacopola, & quidem præsente aut consentiente medico paravit, sed nescio ũde nam apportavit) facilè præscribãt. Secundò perpendendum est, an morbo, qui curandus est, hoc, an verò illud medicamentum cõveniat, & ad eundẽ profligandum appropriatum aptumq; sit? Tertiò an corpus ægri ita sit dispositum, ut hoc vel illud medicamentum, absq; damno sufferre possit? Sæpenumero enim morbus hoc vel illud medicamentum requirit, sed constitutio corporis & viscerum, ætas, aliaq; reclamant. Ne itaq; error committatur, cautè & circumspectè procedendum est, cautionesq; quæ apud *Crollium* & alios leguntur, quam diligentissimè observandæ sunt. Quid plura? in exhibitione & applicatione medicamentorum chymicorum, ut ex præscriptis exemplis apparet, lynceis profectò oculis opus est, & medicos eruditos, circumspectos, imò & pios requirunt. Ideoq; cum cuivis garrulo circumforaneo, Judæo aut Monacho, qui vix fornacem coustruere, aut ignem accendere, multò minus genera morborum, naturam ægri, & quæ præterea scitu necessaria sunt, noverit, fides adhibenda est. Utinam igitur Reges & Principes, quos Deus veluti patresfamilias constituit, impostores istos imperitissimos, qui ubiq; ferè tam arroganter impudenterq; ludunt de corio humano, ex officio reprimant; Ex officio inquam, quemadmodum enim paterfamilias, infantulis suis, ut ignem & venena tractent, non permittit; Ne sibimetipsis & aliis damnum inferant, sic quoq; hujusmodi impostores, & imperiti homines, qui suam ipsorum animam, & salutem, aliorum verò corpora, & sanitatem tot periculis exponunt, in Republica benè constituta, minimè tolerandi essent. Neq; unicuiq; (quod nonnulli objicere solent) licitum esse deberet, corium suum cuicunque libuerit, venale offerre. Hic enim non de corio boum, sed de vita & valetudine hominum, de quibus Magistratus curam quoque habere debet, agitur. Adderem quædam alia, nisi epistola in magnam nimium molem excresceret; Quapropter (præstantIssIMe VIr aC faVtor honoranDe) Vale, & Deo, Reipublicæ, tuis & amicis, in omne ævum felicissimè vive, meque præclara humanitate tua, amare perge. Uxor mea charissima, Te, tuamque uxorem lectissimam, unà mecum peramanter salutat. Iterum vale & millies.

GVIL-

GUILHELMI FABRICII
HILDANI,
Illustriss. Marchionis Badensis & Hachbergensis, &c.
Nec non Inclytæ Reipublicæ Bernensis Helvetiorum Medico-Chirurgi Ordinarii;

DE COMBUSTIONIBUS,

QUÆ OLEO ET AQUA FERVIDA, ferro candente, pulvere tormentario, fulmine, & quavis alia materiâ ignitâ fiunt

LIBELLUS:

In QUO DIFFERENTIÆ, SIGNA, PROGNOstica, & Curatio, tùm ipsarum combustionum, tùm omniumferè Accidentium, perspicuè describuntur.

Editio Secunda,

Ab Authore Revisa & Aucta.

PETRI PAVII

Medici longè celeberrimi & in Illustri Academia Lugdunensi Battavorum olim Anatomicæ & Botanicæ facultatis Professoris Clarissimi, de hoc tractatu de combustionibus, in epistola quadam ad authorem scripta

JUDICIUM.

PETRUS PAVIUS

GUILHELMO FABRICIO HILDANO, S. P. D.

Gratum fuit, vir Clarissime, intelligere, meas Tibi redditas, gratissimum, quod id ipsum intelligebam, Tibi non ingratum: ita namque testantur tuæ 29. Martii Coloniâ missæ, quibus junctum de Combustionibus tractatum amplexus non solùm sum, verùm sine mora avidè legi & perlegi. Dico sine assentatione, nihil me unquam in illa materia legisse, quod cum tuo doctissimo scripto comparari possit, sive methodum spectes, acuratum judicium, sive (quod maximè me affecit) singularia, quæ traduntur, remedia: Vulgare ibi nihil est. In pretio mihi futurus est is libellus, quemq; Chirurgis nostris ita commendabo, ut certus sim, non paucis id maximo futurum emolumento. Fateor itaq; ego, me Tibi, Vir Clarissime, multis nominibus debere, futurumq; apud me nomen tuum sanctum, dum superest Lachesis, quo torqueat, non solùm etenim verbis amicitiam offers, verùm insuper muneribus (quibus referendis par esse nequeo) me afficis; & quod omnium maximum, solaris in hac familiæ meæ ærumna &c. vide Epistolarum Centuria I. Epistol. 89.

DEFINITIO, ET CAUSÆ COMBUSTIONUM.

Caput Primum.

QUANQUAM Combustio sit affectus omnibus notissimus, attamen clarioris doctrinæ gratiâ, antequàm ulteriùs progrediamur, eum sic describemus.

Definitio combustionis. Combustio est solutio continui Epidermidis, & Cutis ut plurimum, nonnunquàm etiam carnis musculosæ, Venarum, Arteriarum, Nervorum, &c. vi ignis impressa. Hanc autem combustionem sequuntur mox dolor acerbissimus, inflammatio, pustulæ: & si combustio profunda, corpusque cacochymicum fuerit, facillimè degenerat in ulcus fœtidissimum & malignum, quamprimum enim ignis, aut res ignita, cutem attigerit, ratione caliditatis & siccitatis ignis, humidum radicale, ex parte illicò exiccatur: hinc cutis indurescit, & contrahitur: quod reliquum est humoris in cute, & proximis partibus, supra modum incalescit, & acquirit naturam ignis. Porrò durities illa cutis (quia circumjacentes partes contrahit) item ebullitio humorum, & solutio continuitatis, protinùs acerbissimum excitant dolorem, ille verò ex proximis partibus ad se attrahit multos humores, qui (si combustio levis fuerit) sub Epidermide concurrunt, eamque, quia vi ignis induruit, nec transpirationem admittit, in altum elevant, hinc fiunt pustulæ. Si autem combustio insignis fuerit, ita ut vera cutis simul læsa, in escharam indurata fuerit, tunc humores innati, & quicquid continuò ratione doloris adfluit, retinentur, & incarcerantur sub cute illa indurata, inde non solùm augetur eorum caliditas, quam ab igni acceperunt, verùm etiam

quicquid sanguinis & humorum ex corpore, & proximis partibus adfluit, simul incalescit, effervescit, & acrimoniam quandam acquirit, hinc fit, ut humores illi locum affectum erodant, & ulcus magnum efficiant.

Cæterùm notandum est, quemadmodum multiplices & diversæ occurrunt materiæ, quibus ignis vim & qualitatem suam imprimit, quæ, ut substantiâ differunt, sic etiam una multò vehementiùs urit, quàm altera. Itaque quantò durius & solidius existit lignum, aut metallum aliquod, tantò vehementiorem in se quoque retinet calorem. Calor item olei, pinguedinis, ceræ, picis, sapæ ad consistentiam coctæ, uti postea declarabimus exemplo, & eorum, quæ facilè adhærent, multò est vehementior calore aquæ fervidæ; quandoquidem experientia docuit, plumbum & stannum in oleo fervido liquefieri, id quod nunquam fiet in aqua, quantumvis in summo gradu caliditatis fuerit. Quando calx extinguitur, tunc adeò incalescit, ut non solùm cutem & carnem urat & exulceret, verùm etiam cutem, nervos & juncturas violenter contrahat. Ignis verò omnium vehementissimus & periculosissimus est ignis cælestis, sive fulminis, continet namque in se quasdam facultates supernaturales, quemadmodum suo loco exponemus.

Gradus & distributio combustionum in tres species, item ex quibus Indicationes curativæ petendæ.

CAPUT II.

Quamvis autem combustio à diversis fiat materiis, metallis & liquoribus, quemadmodum diximus, nihil tamen, vel parùm id facit ad curationem. Quandoquidenm combustio ferro candenti facta, similis est combustioni Auro aut argento candenti factæ. Sic & combustiones sive oleo fervido, cerâ, pice, &c. factæ fuerint, inter se (quantum ad materiam) non differunt, neque particularé requirunt curandi methodum. Quémadmodum clariss. Dn. D. Laurentius Joubertus Vir eximius & de Chirurgia benè meritus, testatur. Nulla igitur sumenda est indicatio curativa ex materia ignita, sed potiùs ab effectu, quem impressit. Ut autem curatio rectè instituatur, distribuemus combustiones omnes, à quacunque fuerint factæ materiâ ignitâ, in tres gradus seu species, nempè in levissimam, mediocrem & insignam. Si enim materia, quæ urit, non usque adeò diu adhæserit corpori nostro, ut levis fuerit, quemadmodum stramen, linum, stupæ, aut lignum aliquod leve, vel aqua, quæ cito defluit, tunc tantummodò elevantur pustulæ, estq; hic primus gradus seu species. Si verò materia paulò diutius adhæserit, aut violentiore calore prædita fuerit, tunc non solùm elevantur pustulæ, verùm etiam cutis vera suo humido radicali ex parte destituitur, & aliquo modo exiccatur & contrahitur, nondum tamen facta est eschara. Tertiò si res ignita diutissimè adhæserit, & violentissimum calorem in se continuerit, tunc non solùm cutis, verùm etiam caro, venæ, arteriæ, nervi, &c. comburuntur, contrahuntur, & in Escharam siccantur: quandoquidem humidum innatum vi ignis exiccatum & consumptum est. Sunt itaq; medicamenta mutanda & applicanda secundùm has differentias, quemadmodum posteà declarabimus. Secunda Indicatio sumitur à parte affecta: non enim unum idemq; medicamentum simul convenit oculo, membro virili, nervo, juncturis, carni musculosæ, &c. Mulieres item, pueri, & qui exquisito sensu præditi sunt, debiliora requirunt medicamenta; contrà verò fortiora, qui duram habent carnem, & robustiores sunt homines, ut Galenus rectè admonuit: Ex hac descriptione & distributione combustionum facilè apparet curandi methodus, quam nos posteà tribus capitibus, prout combustiones in tres species distribuimus, Deo dante declarabimus.

[margin: 1. Indicatio ex effectu.] [margin: 2. Indicatio.] [margin: De arte curat. ad Glaucon. lib. 2. c. 9.]

Signa, quibus tres illi gradus combustionum cognoscendi & distinguendi.

CAPUT III.

Quia combustiones in tres divisimus species vel gradus, ac deinceps ad uniscujusq; speciem propria præscripturi simus remedia, necesse est, ut quomodo eæ signis & notis distinguendæ sint, declaremus. Signa itaque primæ speciei, sive levissimæ combustionis hæc sunt: cutis rubicunda, dolor acerbissimus & pungitivus, non aliter, ac si cutis semine urticæ fricata esset. Mox, (nisi citissimè occurratur ægro remediis aptis) inflatur locus, & elevantur pustulæ, in quibus aqua clara & alba continetur, tandem quoque Epidermis separatur. Ex circumstantiis quoque cognoscitur combustio levis, nimirùm rem ignitam levem fuisse, quemadmodum stramen, linum, stupæ, & similia: aut statim defluxisse, ut aqua fervida, vel corpus exiguo momento attigisse. Contrà verò in altera specie, res ignita aliquandiù corpus attigit, vel vehementiorem in se habuit calorem, quemadmodum ferrum ignitũ, aut metallum aliquod liquefactum, lignum durissimum, pix, oleum, cera, vel simile quid. Hinc fit ut pars illicò inflетur, rubescat, doleat, urat, & ipso momento pustulæ eleventur, in quibus continetur aqua subtilis & flavescens, ægerque de tensione cutis conqueritur: est enim vi ignis contracta atque densa. In ultima verò specie, ipso quoq; momento, dùm res ignita adhæret corpori, elevantur pustulæ, sed illicò denuò concidunt; eo præcipuè loco, in quo combustio insignis & vehemens est: subjecta verò cutis nigra, vel saltem livida conspicitur, & obtusè sentit, si scalpello pungatur; est enim dura & exiccata crusta, ea cùm deciderit, remanet ulcus profundum & putridum. Ex natura quoq; rei ignitæ, & spacio, quo corpori adhæsit, combustio insignis cognosci potest.

[margin: Signa primæ speciei combustionum.] [margin: Signa secundæ speciei.] [margin: Signa tertiæ speciei.]

Porrò quamprimùm Chirurgo occurrit combustio, inquirat ad quamnam speciem sit referenda, hoc est, an levis, mediocris, vel insi-

Cap. 4.

gnis fuerit; si levis, impediat remediis, sequenti 6. cap. declarandis, ne pustulæ eleventur: si verò mediocris, ad septimum caput confugiat: Si enormis & magna, procedat, quemadmodum capite octavo declarabimus.

Prognostica Combustionum.

CAPUT IV.

Combustio levis, ubi cutis tantummodò læsa est, quantumvis dolorifica, facilè tamen & brevi curatur, & vix apparebit cicatrix, si modò recta & methodica instituta fuerit curatio. Contra verò difficilè sanatur combustio insignis & magna, quæ turpem & rugosam post se relinquit cicatricem, propter cutis deperditionem & contractionem. Si pustulæ in principio non aperiantur, tunc multi humores concurrunt ad partem læsam, qui putrescunt, & acrimoniam acquirunt, ita ut cutem & carnem profundiùs erodant, ulcus putridum, & tandem cicatricem turpissimam efficiant. Sunt itaque pustulæ statim ab initio incidendæ, ut aqua acris & fervida effluere queat.

Pustulæ cur à principio aperiendæ.

Facilè & parvo negotio sanescit combustio in corporibus sanis, & benè temperatis. Contra difficilimè in corporibus cacochymicis & plethoricis, facileq; degenerat in ulcus putridum: dolor enim continuò ad se attrahit ex corpore humores & sanguinem, hinc pars affecta incalescit, & inflatur, variaque & pessima symptomata sequuntur.

Combustiones capitis & faciei.

Combustiones capitis & faciei, si magnæ & profundæ fuerint, glabras post se relinquũt cicatrices, quandoquidem cutis adeò arefacta & contracta est ab igne, porique clausi, ut pili postea erumpere nequeant.

Combustiones membranarum oculi.

Combustio ad oculos, præcipuè ciliorum & membranarum Adnatæ & Corneæ, quantumvis levissima sit, periculosa est, & facilimè visus depravatio, aut ad minimum imbecillitas sequitur, & palpebræ invertũtur. Si unicum saltem granum pulveris tormentarii pupillæ infixum fuerit, utplurimùm de visu actum est: uti ego vidi aliquoties, præcipuè in Dn. *Iohanne Blescheretto*, civitatis Lausannensis Quæstore fidelissimo, quem honoris causa, & propter mutuam nostram amicitiam nomino. Huic cum Lausannæ in lustratione exercitus bombarda ex improviso in faciẽ explosa esset, & granum unum tantummodò pulveris tormentarii pupillam attigisset, sequuta est cicatrix livida, & visus abolitio, quem ego, post menses aliquot advocatus, arte restituere non potui.

Observatio.

Combustiones inguinum.

Periculosæ item sunt combustiones Inguinum, & difficilimè curantur: sunt enim hujusmodi membra per se humida, imbecilla & affluxui humorum obnoxia.

Combustio ventris.

Combustio Ventris semper periculosa est, difficilimèque curatur: sunt enim musculi abdominis propter inspirationem, & expirationem, extensionem, quæ fit mediante cibo & potu, excrementorum excretionem, risum & clamores, in perpetuo motu, quemadmodum Anno 1582. Hildenæ in patria in quodam puero trium annorum ætatis, observavi: is enim combustione periculosa ventris affectus, ultra menses octo mihi & aliis multum negotii facessit.

Observ.

Si verò Intestina aliqua in parte simul combusta fuerint, lethale est. Est & Combustio Fulminis mortalis, uti suo loco dicetur. Ex maxima combustione sterilitatem in Viro quodam consequutam fuisse, Lector ex observationibus nostris colligere quoq; poterit.

Combustio ad magna vasa Arteriarum & Venarum periculosa est, præcipuè si profunda fuerit: calor enim contrahit, & vasa claudit, hinc spiritus & sanguis ad vivificandum & nutriendum, non satis perfluere possunt: & tandem sequitur Atrophia, nonnunquam & Gangræna, quemadmodum in Tractatu nostro de Gangræna & Sphacelo ostendimus. Combustiones item ad nervos & articulos facilimè contrahunt juncturas, ideoque ut Chirurgus in hujusmodi combustionibus summam diligentiam adhibeat, & statim ab initio medicamentis aptis duritiem & rugositatem cutis emollire, & calorem ab igne impressum extrahere & dissipare studeat, necesse est. Combustiones itaque ad oculos, ventris item, inguinum & juncturarum difficiles sunt & periculosæ, omniũ verò periculosissima est combustio totius corporis, inprimis si magna fuerit, quemadmodum in 2. Cent. Observationum Chirurg. de cerevisiario declaravimus.

De duplici methodo combustionum curandarum.

CAPUT V.

Quamvis passim infinita ad combustiones apud Practicos & plebejos in usu sint remedia, sive ea Emplastra, Unguenta, Succi aut Aquæ distillatæ fuerint, nihilominus tamen omnia ad hũc finem tendunt, nimirùm ut Empyreuma sive calorem ab igne in parte affecta relictum, aut suffocent, aut resolvant & dissipent. Suffocatio autem Empyreumatis, fit aut frigidis & humidis medicamentis, veluti succis & aquis sempervivi, Lactucæ, Hyoscyami, Solatri, & similibus: aut frigidis & siccis, quemadmodum sunt bolus armenus, terra sigillata, cerussa, argilla fornacum, & hujusmodi Emplastica, quæ poros occludunt. Ita ut calor extraneus ab igne relictus, non aliter ac ignis in loco occluso, intus suffocetur & extinguatur.

Altera via extinguendi empyreuma in hoc consistit, ut cal[or e]xtraneus, & humores acres resolvantur & dissipentur, quemadmodum vidimus prunas extingui, si huc illudq; dissipentur. Id verò fit calidis medicamentis, ut sequenti capite declarabimus. Nunc operæ pretium est, inquirere, quænam methodus sit eligenda?

Qui primam methodum sequuntur, hoc axiomate Hippocratis; Contraria contrariorum sunt remedia, se fulciri putant. Cùm enim combustio sit accidens calidum, suo contrario, nempè frigidis, empyreuma & incendium ab igne relictum, extinguere conantur. Verissimum quidem esse

esse recitatum Axioma Medicorum, fateor, sed refrigerationem in combustionibus per accidens fieri debere, sentio. Ex prima enim curandi methodo, cùm varia utplurimùm oriantur symptomata, quemadmodum postea declarabimus, meritò rejicienda est. Non enim solùm Empyreumate occurrere sufficit, sed præcipuè aliis quamplurimis accidentibus, ut sunt dolor, retractio & rugositas cutis, stipatio pororum, &c. prospiciendum est, quæ omnia calida requirunt medicamenta. Hæc autem, ut penitùs intelligantur, videamus primò proprietates frigoris. Eas autem Hippocrates describit his verbis. *Vlceribus frigidum mordax, cutem obdurat, dolorem intolerabilem facit, denigrat, rigores febriles, convulsiones & distentiones creat.* Et Galenus: *Subjectam materiam contrahere condensareque, frigidi semper est proprium.* Id quoque perspicuum fit in oleo, pinguedine aliisq; rebus, quæ frigore densantur & indurescunt. Ex quibus perspicuum fit, frigida combustionibus planè adversari, & varia pessimaque accidentia procreare: Cutis enim ab igne indurata & contracta, magis ab usu frigidorum medicamentorum indurescit, & dolor augetur, hinc concurrunt humores, qui sub cute indurata non solùm retinentur, imò ab usu frigidorum Medicamentorum in profundum repelluntur, ibique magis magisq; incalescunt, & summam acrimoniam & malignitatem acquirunt. Hinc tandem fit inflammatio, Abscessus, & nonnunquam Gangræna. Inclusus enim humor, quia perspiratione caret, illicò putrescit, ut Galenus testatur: vel quia calor adventitius, dum in parte læsa inclusus est, exiccavit humidum radicale, in quo consistit calor nativus, quemadmodum in Tractatu de Gangræna ostendimus. Hanc quoq; ob causam monuit Hippocrates, Erysipelas ab exterioribus ad interiora verti, non esse bonum. Sequitur & nonnunquam si combustiones magnæ frigidis Medicamentis tractentur, Herpes exedens; humores enim sub cute inclusi acrimoniam & malignitatem acquirunt. Anno 1594. venit ad me Coloniam juvenis, cui ex simplici Combustione Herpes totam tibiam à pede usque ad coxam invaserat, ita ut nonnulli tibiam abscidissent, si malum tantummodò sub genu fuisset. Hunc quâ methodo, & quibus medicamentis curaverim, Lector ex meis observationibus Chirurgicis intelligere poterit. Quum igitur animadverterem, quemadmodum prunas, si cineribus diligenter cooperiantur, calorem suum diu conservare, sic etiam Empyreuma, & humores, qui in combustionibus ad locum affectum confluunt, ab usu frigidorum medicamentorum intus retineri, alteram potiùs methodum mihi selegi, quam hactenus etiam maximo cum fructu ægrotantium exercui. Quemadmodum enim pruna citò refrigescit, si dispersa dissipataque fuerit: Sic citò refrigescunt, (per accidens tamen, ut Galenus testatur) calida medicamenta discutiendo & extrahendo Empyreuma: Quandoquidem calor, ut Hippocr. scriptum reliquit, cutem emollit, extenuat, dolorem sedat, rigores, convulsiones mitigat, & ulcera ad suppurationem præparat, ideoque etiam iis partibus, quæ phlegmone infestantur, ejusmodi applicantur medicamenta, à moderato calore tamen, humores liquefieri, vias ac poros dilatari, idem Galenus testatur. Frigida item turpem, rugosam & lividam post se relinquunt cicatricem, ut ex Hippocrate ostendimus: calida verò non item.

Ut autem recta & methodica instituatur curatio combustionum, diligenter examinandi & inspiciendi sunt omnes effectus & accidentia combustionum, ut secundùm earum naturam remedia mutentur & applicentur, imprimis autem, quia propter solutionem continui, & subitam mutationem dolor subsequitur, qui violenter ad se attrahit ex corpore humores & sanguinem, necesse est repellentibus medicamentis, defensivis nimirùm, & fasciis, in oxycrato intinctis impedire, ne hujusmodi humores & sanguis in partem læsam confluant. Mox victus ratione, purgationibus, venæ sectione, cucurbitulis, aliisque revulsionibus imminuantur, & ad alias partes trahuntur & evacuentur humores & sanguis. Quantum ad topica attinet, in prima specie combustionum, si nondum elevatæ fuerint pustulæ, evocetur empyreuma, & humores acres, unguento ex cæpis & hujusmodi: si verò cutis combusta, contracta & indurata fuerit, diligentia abhibenda est, ut ea emolliatur, & lubrica efficiatur. Id autem fit medicamentis calidis & humidis, ut sequentibus capitibus fusiùs declarabimus.

Cap. 5. & 6. Gal. meth med. lib. 4. Method. med. lib. 11. Gal. meth med. lib. 12. Method. med. lib. 3. & 5.

Curatio primi gradus Combustionum.

CAPUT VI.

PRimum & præcipuum negotium in combustionibus est, ut Chirurgus impediat, ne pustulæ oriantur, si enim id fieri possit, non est quod æger posteà ullam molestiam vereatur. Itaque quàm primùm quis igne, aqua, aut oleo fervido, aut simili quapiam re combustus, ac combustio levis fuerit, illicò locus ambustus aquâ, aut proprio sputo madefiat, & ad ignem admoveatur, ut incalescat, quantùm ferre poterit, vel in aquam calidam immergat locum ambustum: aut si id fieri nequit, intingatur spongia aut linteum reduplicatum in aqua calida & applicetur loco ambusto: calor enim ille externus Empyreuma, hoc est, calorem ab igne in parte combusta relictam ad se attrahit, ut Aristoteles, & experientia testantur. Method. med. estque ignis teste Fernel. proprli *lib. 6. cap. 20.* inusti mali alexiterium. Quemadmodm enim contusus scorpio ictui suo impositus, venenum proprium ad se attrahit, sic calor calorem. Hinc cæpæ in mortario cum sale contusæ, & illico loco combusto applicatæ, empireumata extrahunt, nec sinunt ut pustulæ eleventur. Possunt & in taleolas scindi, & loco ambusto imponi, unus ad alterum, donec tota pars combusta sit cooperta. Sequens quoque unguentum empyreuma potenter extrahit, nec sinit pustulas elevari.

℞. Cæpæ crudæ ℥j.ß.
Salis
Saponis albi veneti an. ℥j.

Vnguentum.

Misceanwith

Cap. 6.

Misceantur in mortario, fiatq; unguentum cum ol. rosac. & amygdalar. dulc.

Historia.

Anno 1604. cùm dulcissima mea conjunx sapam in magno aheno coqueret ac ipsam spatula agitare vellet, ex improviso dextram ad carpũ usque in sapam ebullientem immittit, ea autem manui tanto tenaciùs adhærebat, quãto magis ad cõsistentiam ac spissitudinem cocta erat. Ideoq; illicò exortus est dolor vehementissimus, non solùm in ipsa manu, verùm etiam toto brachio. Sapâ ablotâ calidâ aquâ, unguentum jamjam præscriptũ (quod opportunè tùm temporis in promptu mihi erat) applicui, totum brachium oleo rosaceo inunxi, & fasciâ poscâ intinctâ involvi, sæpiusque omnia illa reiteravi. Hinc divino favore, ex tanta combustione nulla sequuta est cutis exulceratio, præter duas parvas pustulas una in pollice, altera in indice digito, quæ tamen parvo negotio unguento Basilicone curatæ fuere.

In combustionibus verò universalibus procedatur, quemadmodum sequenti exemplo declaratur.

Alia Historia cõbustionis universalis.

Anno 1605. Paterniaci tinctoris cujusdam Magistri Joachimi nomine, famulus, in ahenum tincturâ calidâ plenum incidit. Hinc totius quidem corporis combustio sequuta est, sed quia tinctura non omninò fervida, illæ potissimùm partes corporis, quæ fœcibus tincturæ in fundo aheni, præcipuè serraturæ ligni quercini, quibus adhuc calor maximus inerat, inhæserant, veluti brachia & facies, combustæ fuerunt. Accersitus illicò totum corpus, facie exceptâ, hoc unguento inunxi.

Vnguentum.

R. Saponis liquidi ℔.ß.
Cæpæ crudæ ℥ij.
Salis ℥j. ß.
Ol. de vitellis ovorum ℥j.
Ol. rosac. &
Amygdalar. dulc. an. ℥iij.
Mucilag. sem. cydonior. ℥ij. Misce,
Fiat unguentum.

Oculis sequens instillavi Collyrium anodynum:

Collyriũ.

R. Aquæ rosar. ℥iij.
Aquæ plantag.
Sem. cydonior. &
Fœnograeci an. ʒ.ß. Misce.

Maneant in infusione supra cineres calidos per horam, deinde exprimantur, addaturque parum lactis muliebris, & oculis calidè instilletur. Reliquis verò partibus faciei unguentum quoq; ex Sapone, solidum tamen & spissum, ne ad oculos perflueret, eosque læderet, applicui. Hujus autem unguenti talis est descriptio.

Vnguentum.

R. Gummi elemi ℥j.
Ol. de vitell. ovor. Rosar. an. ℥iij.
Saponis albi & Veneti ℥ij.

Dissolvatur gummi cum oleis, omnia in mortario diligenter commisceantur, fiatque unguentum, quod super linteum extensum, applicetur toti faciei, & de quatuor in 4. horas reiterentur emplastra, collyrium verò singulis horis. Eodem quoque die, exonerata priùs alvo suppositorii beneficio, basilicam dextram incidi, & sanguinem ad uncias decem extraxi; erat enim Vir robustus & plethoricus. Alterâ verò die sequens exhibui pharmacum.

R. Electuar. diacathol. ʒvj.
Electuar. de succo rosar. ʒij.
Syrupi rosati solut. ℥j.

Cum aqua cichorii & buglossæ, fiat potio, detur hora matutina cum custodia, & optimâ victus ratione.

Alterâ quoque & tertiâ die, simili unguento corpus totum bis inunxi, & faciei unguentum, quod præscripsi, applicui, oculisque collyrium frequentissimè instillavi. Sed quia quibusdam in locis, præcipuè in brachiis combustio in profundum penetrârat, necesse fuit iisdem in locis, eandem, quam 7. & 8. cap. declarabimus, curandi methodum sequi. His divino favore intra dies quatuordecim ex tanta combustione plenissimè sanatus fuit.

Porrò combustionibus faciei unguentum ex cæpis minimè convenit: ex iis enim oculi damnum atque jacturam non exiguam contrahunt. Itaque loco ipsius unguenti, sequens præparatur.

R. Saponis Veneti ℥j.
Ol. Rosar. &
Amygdalar. dulcium ana ℥ß.

Misce, fiat unguentum in mortario, addendo parùm mucilaginis seminis cydoniorum, extractæ cum aqua rosar. Notandum est, Saponem mollem, quamvis in combustionibus minimè rejiciendus sit, in facie tamen non applicandum esse, liquefit enim, penetrat & offendit oculos, hanc quoque ob causam prospiciendum est, ne præscriptum unguentum nimis sit liquidum. Nonnulli ut impediant, ne pustulæ eleventur, linteum vernice intinctum applicant illicò. Alii taleolis ex larido locum ambustum cooperiunt. Paulus Ægineta suadet linteum reduplicatum muriâ intingere, & applicare. Lixivium item & aqua, in qua calx extincta fuit, idem efficiunt, sed hujusmodi remedia sæpiùs sunt iteranda, & tepidè applicanda, ne linteamina siccata in loco affecto dolorem excitent.

Si Facies pulvere bombardico combusta, & grana pulveris cuti infixa fuerint, illicò extrahendus est pulvis, quantum fieri poterit, idque acu aut aliquo alio instrumento acuto. Postea expectandum est, ut pustulæ eleventur. Sic enim quod reliquum est pulveris in cute, parvo negotio extrahi, & cutis mundificari poterit. Si verò Chirurgus in principio non advocatus fuerit, ita ut cutis jam cicatrizata, maculæ verò nigræ ex pulvere relictæ fuerint, necesse est denuò exulcerare cutem; id autem commodè fiet sequenti vesicatorio.

R. Canthatidum num. vj.
Fermenti ℥ß.

Misce in mortario cum gutta una aut altera aceti, fiatque unguenti instar, de quo fiant parva emplastra, quæ maculis applicentur. Sed diligenter prospiciendum, ne ad oculos perveniat unguentum hoc. Cumprimùm pustulę fuerint elevatæ, incidendæ sunt forficibus, postea acu aut aliquo alio instrumento acuto eximendus est pulvis, tandemque applicandum est sequens unguentum.

R. Bu-

R. Butyri sine sale ℥j.
Unguenti Basilic.
Olei lilior. albor.
De vitell. ovor. ana ℥ij. Misce, fiat unguentum.

Quotiescunque Chirurgus tractat ulcera, prospiciat ut nigredinem pulveris diligenter abstergat, aut cum decocto fœnograeci, & florum meliloti abluat, posteà applicet præscriptum unguentum, atque ita procedat, donec ulcera satis sint mundificata. Ego hoc in casu aliquoties usus sum pulvere præcipitati, idque maximo cum fructu ægrotantium. Circumcirca verò ulcera, doloris leniendi gratiâ, sequens applicetur unguentum anodynnum.

R. Olei amygdal. dulc.
Rosacei
Ceræ albæ an. ℥j.

Liquefiant, & misceantur, postea adde caphuræ ℈j. mucilaginis sem. cydonior. parum. Misce, fiat unguentum.

Si verò pulvis in oculos impulsus fuerit, abluendi sunt lacte muliebri, aut aquâ rosac. tepidâ. Inprimis autem diligentia adhibenda est, ut affluxus humorum impediatur, & dolor leniatur, ut capite undecimo declarabimus.

Si verò pulvis in cutẽ impulsus non fuerit, sed cutis tantummodò ex flamma pulveris combusta, tunc illicò unguentum superius præscriptum ex Sapone, oleo, amygdal. dulc. & rosaceo applicetur. Interim dum affectus ita tractatur, diminuendi & per alia loca educendi sunt humores noxii & sanguis, ne ratione solutionis continui, & doloris in partem læsam confluant, inflammationemq; & alia graviora symptomata excitent. Id autem commodè fiet victus ratione, purgationibus, venæ sectione, cucurbitulis & defensivis, ut suo loco declarabimus.

Curatio secundi gradus Combustionum.

CAPUT VII.

Porrò si Combustio altiùs penetraverit, ita ut non solùm pustulæ eleventur, verùm etiam cutis combusta, siccata, & contracta fuerit, tunc neque cæpæ, sapo, sal, & quæ ex hujusmodi fiunt medicamenta, multò minùs etiam superiùs enarrata frigida & sicca, sed quæ cutem emolliunt, & lubricam reddunt, erunt applicanda; Ea autem sunt temperata, calida scilicet & humida. Itaque hoc modo procedendum.

Imprimis pustulæ omnes forficibus incidātur, quò aqua acris & calida effluere possit, epidermis item ubicunque separata est, abstrahatur, ne sub ipsa pus colligatur. Et quia illicò humores & sanguis ad locum affectum affluunt, necesse est ut affluxui illi humorum defensivis adversetur. Applicetur itaque unum ex sequentibus defensivis, ad latitudinem palmi minoris, supra locum ambustum.

R. Pulv. Boli armeni
Sang. Drac.
Gallar.
Croci Martis
Acaciæ ana ℥ß.
Ol. Rosac. ℥iij.
Ceræ novæ ℥j. ß.

Fiat unguentum secundùm artem, addendo parùm aceti: Vel

R. Farinæ hordei
Argillæ fornac. ana ℥ij.

Aliud defensivum. Coquantur cum aceto, & aqua ad formam Cataplasmatis, in fine admisce albumina ovor. num. ij. Hoc defensivum singulis diebus bis aut ter reiteretur, ne in parte affecta exiccetur, & dolorem excitet.

Toti verò loco ābusto imponatur sequens unguentum.

Unguentum.

R. Ung. Basilicon. ℥j.
Ol. Rosacei &
Lilior. albor. ana ℥ß.
Vitell. ovor. num. ij. Misce.

Sequens quoque unguentum combustionibus summoperè convenit, dolores mitigat, cutem emollit, & humores affluxos resolvit.

Aliud.

R. Butyri recent. sine sale
Pinguedinis gallinæ recent. ana ℥j.
Ceræ novæ,
Ol. Liliorum alborum ana ℥ß. Liquefiant simul, posteà admisce croci ℈j. mucilaginis sem. cydonior. ℥j. Misceantur in mortario fiatque Unguentum.

Si verò dolor adeò vehemens fuerit, ut æger nihil, aut parùm dormire possit, admisceatur prædicto unguento opii dissoluti ℈ß.

Unguentum.

Aut R. Butyri recent. ℥ij.
Ol. Amygdalar. dulc.
De vitellis ovor. ana ℥ß.
Croci, opii ana ℈. ß.
Caphoræ ℈j.
Mucilaginis sem. cydonior. ℥j.
Misce, Fiat unguentum, & applicetur.

Applicato defensivo, & uno ex præscriptis unguentis, pars affecta involvenda est fasciâ in oxycrato madefactâ. Et quidem brachio aut crure laborante, ab infima parte incipiendum, hoc enim modo reprimuntur humores, qui jam in partem læsam influendam præparati sunt. Si verò combustio aliqua in parte fuerit, quæ fascia amplecti non possit, intingendum est linteum reduplicatum in oxycrato, & applicandum singulis diebus ter aut quater. Aqua item in qua caules conservantur (quæ ex aceto, aqua, & sale) si in ea intincta fuerint linteamina, & applicata, mirum in modum humores reprimit, dolorem lenit, & empyreumati adversatur. In facie tamen hujusmodi medicamenta, ubi acetum & sal ingreditur, propter oculos, non sunt applicanda. Emollitâ & satis lubricâ factâ cute, doloreque lenito, nonnulli exiccantibus medicamentis, veluti unguento ex calce lota, diapompholygos, albo Rhasis, & similibus, cicatricem inducendam esse volunt. Verùm enimverò, quia hujusmodi exiccantia cutem contrahunt, & cicatrices turpes efficiunt, usus eorum medicamentorum mihi non probatur.

Utor igitur utplurimùm emollientibus usque ad finem curationis. Præparo quoque unguentum ad omnes combustiones præstantissimū, hunc in modum.

R. Bu-

Unguentũ ad omnes cõbustiones præstantissimum.

R. Butyri recent. & loti in aq. rosac. ℥iij.
Ol. Violacei
De vitellis ovor.
Amygdalar. dulc. ana ℥ß.
Farinæ hordei ℥ j. ß.
Croci ℈ j.
Mucilaginis sem. cydonior. ℥j.
Ceræ q. s. F. unguentum in mortario.

Hoc unguentum emollit, dolorem lenit, & paulatim cicatricem inducit. Sed quia combustiones, imprimis quæ in cutis sunt superficie, vehementissimo sensu sunt præditæ, videant Chirurgi, ut blandè ulcera abstergant. Ego ne abstergendo ulcera excitem dolores, tela subtilissima, qualis est Cambriacensis, aut syndone cooperio totam partem ambustam, nec illam amoveo, donec ulcera sint sanata, perhanc telam pus facilimè effluit, & virtus medicamentorum ad ulcera pervenit.

Dum verò locus ambustus, uti dictum est, curatur, victus ratio, purgatio humorum, & venæ sectio, minimè erit negligenda. A salsis omnibus vehementer calidis, & acribus, & quæ difficilis concretionis sunt, abstineat. Utatur jusculis carnium recentium, in quibus Acetosa, Endivia, Lactuca & Borrago coxerint. Bibat ptisanam, aut cerevisiam minimè generosam. Si plenitudo adest, incidatur Basilica, aut Mediana, extrahaturq; sanguis, prout vires consentiunt. Si purgare necesse est, purgetur secundùm humoris prædominantis naturam, de quibus Medicus consulendus est. Si combustio in facie fuerit, cucurbitulæ scapulis erunt applicandæ, ut sanguis & humores retrorsum trahantur.

Curatio tertii & ultimi gradus Combustionum.

CAPUT VIII.

Tertius gradus cõbustionũ periculosus tribus potiss. de causis.

Periculosus est tertius & ultimus hic gradus combustionum, propterea quòd nonnunquam degenerat in Gangrænam & Sphacelum. Primò enim ratione caloris vehementiæ, exiccatur & consumitur humidum radicale, & innatum calidum. Secundò exiccantur & contrahuntur Cutis, Caro musculosa, venæ & arteriæ, ut sanguis per eas in partem læsam influere minimè possit. Tertiò concurrunt ratione doloris & solutionis continui, humores & sanguis, augentque incendium. Hinc ex penuria alimenti, & suffocatione caloris nativi, emoritur pars affecta, quémadmodum in Tractatu de Gangræna & Sphacelo monstravimus. Anno 1592. Hildenæ incidit in manus honestissima matrona, illa propter negotia domestica defatigata, sola ad focum sedens, & syncope correpta, in terram decidit, dextrum verò crus in prunas projectum est, hinc sura ita combusta fuit, ut paulò post, quia corpore crassa & cacochymica erat, Gangræna & Sphacelo correpta fuerit, separata tamen eschara, & applicatis quæ ad Gangrænam pertinent, sanitatem recuperavit.

Historia.

Imprimis igitur pustulæ omnes sunt incidendæ, & aqua ratione combustionis confluxa, spongiâ vel linteo exiccanda. Posteà eschara leniter est separanda, aut ad minimum in diversis locis ferè ad carnem usq; incidenda, quò humor acris sub crusta retentus effluere, medicamenta penetrare, & quicquid à calore induratum, emolliri possit. Separatio autem illa escharæ primo aut secundo die fieri debet, antequam pars affecta infletur: sequens quoque unguentum statim ab initio est applicandum.

R. Butyri rec. & loti in aq. ros. ℥ iij.
Unguenti basiliconis ℥ j. ß.
Ol. lilior. albor.
Amygdal. dulc. ana. ℥ ß.
Vitellũ unius ovi. Misce & applica.

Posteà linteum reduplicatum in sequenti emulsione intinctum, tepidè applicetur. Sedat enim dolores, emollit, & affluxionem humorum reprimit.

R. Medullæ sem. cucurb. ℥ ij.
Sem. cydonior.
Fœnogr. ana ʒ j.

Contundantur in mortario, & cum ℔ vj. aquæ puræ colentur, fiatque Emulsio, in qua dissolve Saponis Veneti albi ℥ ß. Si verò combustio in facie fuerit, sapo minimè est addendus, propter oculos, sed ejus loco addatur parum aq. rosar. & plantaginis.

Defensiva statim ab initio sunt applicanda, & fasciæ in posca intingendæ, ut impetus affluxus humorum impediatur. Si verò pars affecta jam inflata fuerit, præcipuè verò si venæ & arteriæ ab igne sunt contractæ, non usque adeò probantur defensiva, nisi aliquid, quod vim habeat resolvendi, cujusmodi sunt farina fabarum, lupinorum, lollii & pulvis flor. chamom, &c. iis admixtum fuerit. Utatur æger victu tenuissimo, purgentur item humores noxii cathartico, secundùm humoris prædominantis naturam. Incidatur vena, & cucurbitulæ applicentur, de quare Medicus consulendus.

Cumprimùm autem affluxus humorum & sanguinis ex parte remiserit, ab usu defensivorum desistendum est, quò spiritus & nutrimentum eò meliùs possint in partem læsam influere, escharamque digerere, atque separare, ubi Chirurgus, minister naturæ, singulis diebus, quantum absq; dolore fieri potest, aliquid ab eschara excidere debet, posteà præscriptum unguentum ex butyro recenti, &c. imponere. Sequens quoque fomentum non habet exiguam vim sedandi dolorem, cutem emolliendi, & digestionem promovendi.

R. Radicum altheæ ℥ ij.
Semin. cydonior.
Fœnogræci ana ℥ ß.
Flor. Chamom.
Meliloti ana M. j.

Coquantur in aqua, aut si dolor vehemens fuerit, in lacte vaccino, deinde spongiâ madefacta in decocto, applicetur calidè: potest & admisceri aliquid olei lilior. alborum. Si verò combustio adeò magna fuerit, ut in Gangrænã & Sphacelum degeneret, tunc curatio Gangrænæ, ex Tractatu nostro de Gangræna est petenda. Sed quia hujusmodi combustiones, quemadmodum diximus, sæpissimè in Gangrænam degenerant, ideo-

ideoque cautè & cum judicio in iis procedẽdum est, & semper aliquid applicandum, quod putredini adversetur.

In pueris mihi aliquoties acciderunt combustiones manuum & pedum, in quibus extremitates digitorum planè combustæ fuerunt. In his autem diligentia adhibenda est, ut quicquid ita combustum, maturè separetur, ne putredo partes sanas invadat. Itaque si caro & os usque ad articulum adeò combusta fuerint, ita ut conservari non possint, incidendum est os novaculâ in ipso articulo, non autem tenaculis, ut nonnulli voluerunt. Si articulus ipse quoq; affectus fuerit, retrò articulum caro novaculâ, os verò minutissimâ serrâ incidatur. Cur autem abscissio hæc scalpellis fieri non debeat, in Tractatu nostro de Gangræna declaravimus, ubi etiam modum abscindendi digitos monstravimus. Quamprimùm autem eschara separata fuerit, operæ pretium est primò mundificare ulcus, quapropter si putridũ ac fœtidum fuerit, æger robustus & affectus in parte non usque adeò sensibili, solebam applicare Ægyptiacum. Si verò æger delicatulus, & affectus in loco sensibili, temperandum est unguentum prædictum melle rosac. Pulvis item præcipitati, lotus in aqua rosac. præstantissimum est medicamentum ad omnia ulcera putrida. Aut

R. Pulv. Præcipitati
Rad. Aristoloch. rot.
Farinæ hordei ana ℨj.

Cum melle rosac. parumque therebinth. lotæ, fiatque unguentum. Si combustio in capite aut facie fuerit, addatur parum gumi Elemii in oleo ros. dissoluti. Mundificativum item nostrum de succo Apii, mirum in modum mundificat ulcera putrida, uti & mel rosar. cum aqua vitæ mixtum & applicatum: Hujusmodi autem medicamenta xylone aut filamentis suavibus ulceribus imposita, linteaminibus suavibus reduplicatis, aut spongia molli inevolvenda est pars affecta; Attrahunt enim hujusmodi linteamina & spongia humores serosos, qui consolidationem impediunt. Mundificatis ulceribus, incarnantibus uti convenit, quale est unguentum aureum Nicotianæ, aut sequens pulvis.

R. Pulv. Aloes
Sarcocollæ
Myrrhæ ana ℨij. Misce. F. Pulvis.

Sequens quoque viscus mirum in modum mundificat, & incarnat quæcunque fuerint ulcera putrida.

R. Herb. Centaurii & Hyperici cum toto.
Diapensiæ,
Alchymillæ
Betæ sylvest.
Fol. Arnoglossæ majoris ana M. iiij.
Rad. Tormentillæ
Aristolochiæ longæ ana ℥ iij.

Incidantur & contundantur omnia, postea in vas vitreum projecta, superinfundatur vini tantum, ut supernatet, digeranturque in sole per dies tres, deinde coquantur lento igne, donec tertia pars sit consumpta, colaturam cum fortissima expressione infunde in alembicum vitreum, & in Balneo Mariæ fiat viscus.

Cap. 8. & 9.

Tandem inducenda est cicatrix, non autem iis quæ vehementer exiccant, qualib[us] in aliis ulceribus Chirurgi uti consueverunt; Vehementer enim exiccantia in combustionibus, cicatricem rugosam ac turpem efficiunt. Applicetur igitur sequens unguentum.

Unguentum.

R. Emplastri palmei ℥ij.
Pingued. Gall.
Et anser. ana ℥ ß.
Liquefiant simul; Deinde admisce
Aluminis usti
Saturni calcinati
Lythargyrii aurei
Lapidis calaminaris ana ℨ j.

Et in mortario plumbeo F. unguentum, addendo mucilag. sem. cydonior. & fœnograeci, quantum excipere possit, fiatque unguentum, quod in omnibus combustionibus præstantissimum est Unguento Alabastrino quoq; hoc in casu sæpissimè usus sum, magno cum fructu, cujus est descriptio.

R. Lapidis Alabastritis calcionati ℥j. ß.
Pumicis albi calcionati ℥ ß.
Aluminis usti ℨij.
Fiat omnium tenuissimus pulvis. Postea

Unguenti Alabastrini descriptio

R. Ceræ albæ
Sevi cervini
Ol. amygdalar. dulc.
Lilior. albor. an. ℥j.
Ol. de vitell. ovor. ℥. ß.

Fiat unguentum s. a. Hoc unguentum emollit, dolorem lenit, & cicatricem pulchram inducit.

Si combustio ad supercilia, labia, aut in digitis fuerit, diligentia adhibenda est, ne hujusmodi partes contrahantur, & ad invicem conglutinentur. Itaque linteamina & filamenta, aut laminæ plumbeæ subtilissimæ fabricatæ, partibus, ubi cõglutinationis est periculum, sunt interponendæ. In magnis combustionibus ad magna vasa arteriarum & venarum, ubi Atrophiæ ex penuria alimenti metus adest, tota pars affecta primis quidem diebus oleo rosac. ad reprimendos humores, postea verò sequenti unguento inungenda est.

Unguentum.

R. Succi lumbricor. ℥ij.
Pingued. humanæ
Gallinæ
Ursi ana ℥j.
Aquæ vitæ ℨij.

Misce. Hoc unguentum emollit, resolvit, corroborat, & aperit, si quæ venæ & arteriæ propter violentiam ignis contractæ & opilatæ fuerint, atque proinde Atrophiam impedit.

De combustionibus ad oculos.

CAPUT IX.

Quantò nobilior corporis nostri pars aliqua existit, tantò major adhibenda est diligentia cùm malè afficitur. Oculus itaque quia nobilissimum est membrum, & valdè sensibile, particularem quandam requirit curationem. Inprimis autem Chirurgus in toto hoc laboret negotio, ut dolori & affluxui humorũ & sanguinis resistat.

Cap. 9. Ideoque statim ab initio defensiva fronti & temporibus applicare, & pustulas omnes incidere debet, quò aqua acris & calida effluere possit. Oculis verò tepidè instillet continuò lac muliebre cum aqua rosac. mixtum, in qua parum croci integri maceratum fuerit. Linteum item reduplicatum, & in hoc lacte madefactum, oculis tepidè applicet, & reiteret quotiescunque siccum fuerit. Aut,

Collyriũ.
R. Aq. rosac. ℥iij.
Sem. cydonior. &
Fœnogr. ana ʒ.ß.
Croci iniegri ℈.ß. Misceantur.

Maneant in infusione horas 4. deinde exprimantur. Huic mucilagini admisceatur parùm lactis muliebris, deinde tepidè oculis instilletur, & linteis reduplicatis applicetur oculis. Si dolor magnus est, addantur grana tria aut quatuor opii dissoluti in aqua rosac. sanguis item columbinus calidè oculis instillatus, dolorem lenit. Tandem applicetur sequens Cataplasma.

Cataplasma.
R. Pulpæ malor. dulc. sub prunis decoctorum ℥ij.
Farinæ fœnogr. ʒij.
Hordei ℥j.

Coquantur in lacte vaccino ad formam cataplasmatis. In fine admisceantur Croci ℈ ß. vitellum unius ovi, parumque olei rosac. & calidè applicetur. Circumcirca tamen oculos si combustio levis adsit, applicari potest Unguentum aliquod ex sapone, quod tamen solidum satis sit, ne liquando oculos offendat.

Hic processus non est mutandus, donec ab inflammatione & dolore tutus sit æger, posteà applicetur sequens collyrium, ad majorem exiccationem, & visus corroborationem.

Collyriũ.
R. Aq. Euphrasiæ
Fœniculi
Rosarum ana ℥j.
Tutiæ præparat.
Sief albi sine opio ana ʒj.
Misce. Fiat Collyrium.

Admonitio.
Sciat autem Lector, Collyria, in quibus ingreditur lac muliebre, æstate singulis, Hyeme verò alternis diebus mutãda esse: facilè enim acescit lac, & acrimoniam acquirit, tunc dolorem non lenit, sed excitat. Hanc quoque ob causam acria illa, quæ in reliquis combustionibus præscripsimus, qualia sunt lixivium, muria, &c. in combustionibus faciei non sunt applicanda.

A narcoticis item, nisi dolor magnus adfuerit, quantum fieri poterit, abstinendum est; Quãdoquidem illa propter summam suam frigiditatem incrassant ac condensant humores & spiritus visivos oculorum. Si verò cutis ad oculos indurata fuerit, emollienda & lubrica facienda est, idque superiùs enarratis unguentis. Adhibenda tamen est diligentia, ne unguenta aut pinguia intrent in oculos, excitant enim dolorem. Interim dum cutis emollitur unguentis & oleis, instillentur collyria, & applicetur cataplasma, quemadmodum diximus. Quamprimùm crusta abscesserit, consolidanda sunt ulcera, quemadmodum præcedenti capite declaravimus, id tãtum addo, unguentis ad oculorum & capitis ulcera semper aliquid gummi Elemii commiscendum esse, est enim præstantissimum medicamentum ad hujusmodi partium vulnera. Diligentia quoque adhibenda est inter curandum, ne palpebræ retrahantur, id enim maximam deformitatem adferret. Ideoque tota facies inungenda est unguento quodam emolliente, veluti hoc.

R. Gummi Elemi ʒj.
Ol. Lilior. albor.
Pingued. ursi ana ℥j.
Mucilag. sem. fœnograeci ʒij.

Liquefiant lento igne, colentur & fiat unguẽtum. Sequens quoq; fomentum ad idem valet.

Fom.
R. Fol. & Rad. Altheæ
Malvæ
Brancæ ursinæ
Flor. Meliloti ana M. ß.
Sem. Fœnogræci &
Lini ana ℥ ß.

Coquantur in aqua spongia madefacta, calidè applicetur, postea inungatur facies superiori unguento. Fomentatã & inunctã facie, paulatim cutis extendatur ambabus manibus, non secus ac pelliones pelles extendere solent.

Quantum ad universalia, inprimis utatur æger victu acutissimo, tum ab omnibus calidis, salitis, pipere, zingibere, gariophyllis, alliis, cæpis, raphanis & similibus, sale conditis, tum quæ difficilis sunt digestionis, abstineat. Vinum item & cervisia generosa nocent. Bibat Ptisanam, in qua aliquid seminis coriandri præparati, sem. anisi coxerit. Si æger à vino propter ætatem abstinere non possit, eligat sibi vinum album, & minùs generosum. Cum jusculis coquantur herbæ, quæ refrigerant, & bilem reprimunt, quales sunt Acetosa, Borrago, Cichorium, Cerefol. radic. petrosel. fœniculi, Majorana, Rosmarin. & Euphrasia. Post pastum sumat æger parùm mivæ cydoniorum simplicis, aut conservæ rosarum antiquæ, ut elevatio vaporum ad caput impediatur. Si sitis urgeat, utatur decocto suo hordeaceo, in quo dissolutus sit Syrupus de succo Acetosæ, aut Limonum vel Granatorum. Cerasa item condita, rob. de ribes, de Berberis & alia hujus generis simplicia conveniunt; corpus purgetur Electuariis lenitivis, cassiâ, manna, Syrupo rosato solutivo, & similibus. Clysteres item & suppositoria, quia materiam deorsum trahunt, summoperè conveniunt. Incidatur Cephalica in brachio, applicentur ventosæ scapulis, & vesicatoria post aures, somnus summoperè convenit oculorum morbis. Contrà verò vigiliæ & splendor Solis nocent, ideoq; cubiculum ut tenebrosum sit, operæ pretium existit. Porrò antequam huic capiti finem imponam, in gratiam tyronum exemplum Combustionum non adeò vulgare, in medium adferam.

Hist.
Puella duorum annorum ætatis suæ, aut circiter, filia Domini Samuelis Gaillardi Ludimagistri apud Neocomenses vigilantissimi, compatris mei plurimùm honorandi, ad focum sedens, in prunas decidit, unde non solum frons circa oculos, verùm etiam tota ferè facies, potissimum ex una parte, graviter combusta fuit.

Ego

Ego momento ipso accersitus, illicò sequens unguentum in linteum extensum toti fermè faciei, in formam emplastri, applicui.

R. Saponis Veneti ℥j.
Ol. dt vitell. ovor. &
Amygdalarum dulc. ana ʒij.
Gummi elemi dissoluti cum oleis ʒj.

Misce. Fiat unguentum, addendo parùm mucilaginis seminis cydoniorum.

Oculis verò Collyrium ex lacte muliebri, parumque aquæ rosar. continuò tepidè instillare, & linteis suavibus reduplicatis applicare jussi. Primâ die singulis horis quatuor emplastra renovavi, hinc major empyreumatis pars evocata fuit. Die secundâ, pulveris radicum mechoacæ ℈ j. ex jusculo carnis recentis exhibui, parti verò affectæ, sequens applicui unguentum.

R. Ol. de vitellis ovorum
Ol. Amygdalar. dulc.
Pinguedinis ursi, &
Pingued. humanæ ana ℥ ß.
Gummi Elemi, dissoluti cum oleis ʒij.
Ceræ novæ ℥ j.
Croci ℈ j.

Misce, fiat unguentum, quo solo curationem ferè absolvi, nisi quòd circa finem curationis eidem unguento aliquantum farinæ lentium majoris exicationis gratiâ, admiscuerim, totamque etiam partem ambustam aliquando sequenti Unguento emolliente inunxi.

R. Gummi Elem. ʒ ß.
Ol. de vitell. ovorum &
Liliorum albor. ana ℥ ß.
Pingued. humanæ ʒ ij.
Misce.

Interim dum cutem ita emollirem, sæpissimè illam ambabus manibus extendebam, quemadmodum pelliones pelles, dum illas adornant, extendere solent. Sic divino favore curata fuit, ita quidem ut nullum relictum sit vestigium cõbustionis, nisi minimum in superiori labello, quo in loco medicamenta, propter impatientiam pueri, contineri non potuerant.

De Combustionibus Inguinum.

CAPUT X.

Inguina, quia membra sunt rara, laxa, humida, & fluxionibus obnoxia, atque ita facilè putrescentia, patricularem quoque diligentiam & methodum curandi requirunt. Inprimis autem, quia propter vicinitatem Emunctoriorum ibi humores illicò concurrunt, applicandum est statim ab initio defensivum ad imum ventris supra combustionem, vena in cubito incidatur, & vomitus si fieri potest, provocetur; sin minus per inferiora leviter purgetur æger, & victus tenuissimus instituatur: A vino generoso, & à cibis calidis & acribus abstineat, quemadmodum superiori capite declaravimus. Topica inguinum, quia membra sunt rara, laxa, humida & corruptioni obnoxia, ut magis, quàm in aliis combustionibus exicent, & putredini adversentur, necesse est. Itaq; si pustulæ nondum elevatæ fuerint, applicetur illicò unguentum aliquod ex sapone, & cæpis præparatum: si verò jam elevatæ fuerint, incidantur, quo aqua acris effluere possit. Postea applicetur sequens unguentum.

Cap. 10. & 11.

Unguentum.

R. Ung. Rosati ℥ j. ß.
Ol. De vitell. ovor. &
Amygdal. dulc. ana ℥ ß.
Liquefiant, quibus admisce
Myrrhæ
Aloës ana ʒ j. Misce & applica cum filamentis, posteà cooperiatur tota pars affecta sequenti cataplasmate.

Cataplasma.

R. Farinæ hord. &
Fabar. ana ℥ iij.
Pulv. Rosar. rub. ℥ ß. cum oxymellite fiat cataplasma, quod calidè applicetur.

Si autem combustio insignis fuerit, ita ut inducta sit crusta, separanda est paulatim scalpello, aut ad minimum ubique scarificanda, posteà applicetur sequens unguentum ad casum Escharæ.

Unguentum.

R. Superioris unguenti ℥ ij.
Pulv. Scordii ʒ j.
Ung. Ægyptiaci ʒ ij. plus aut minus prout putrefactio magna, & æger robustus, aut debilis fuerit. Misce & applica cum filamentis, posteà

Cataplasma.

R. Farinæ lupinor.
Fabarum
Lolii ana ℥ j. ß.
Coquantur cum lixivio barbitonsor. Tandem admisce;
Pulv. Scordii
Aloës
Myrrhę ana ℥ ß.

Misce fiat cataplasma, quod calidè applicetur. Post escharę casum, mundificetur, incarnetur, & cicatrisetur ulcus, quemadmodum capite octavo declaravimus.

De Combustionibus juncturarum.

CAPUT XI.

Iuncturis, quia partes sunt nervosæ, & maximo sensu præditæ, statim ab initio defensiva applicanda, corpus purgandum; vena incidenda; & victus ratio instituenda est, quemadmodum superioribus capitibus de Combustionibus oculorum & inguinum declaravimus: medicamenta ex sapone, cæpis & hujusmodi acrioribus (nisi combustio levis fuerit) minimè sunt applicanda, sed emollientibus, lenientibus & anodynis tractanda est pars affecta. In magnis autem Iuncturarum combustionibus diligenter prospiciẽdum est, ne nervi retrahantur & juncturæ incurventur ideoque totum membrum bis in die inungẽdum est oleo lumbricorum, anethi, liliorum albor. axungiæ humanæ, ursi, gallinarum, caponum, unguento dialtheæ & similibus, ut quæcunq; indurata, lubrica reddantur, atque retineantur. Interim quoque ferulæ, aliaque instrumenta apta, ex ligno fabricata, circumcirca juncturas ponenda sunt, ut retractio nervorum impediatur. Blandè tamen omnia agenda, ne dolor excitetur, qui si supervenerit, protinꝰ sedãdus est iis, quæ sequẽti capite

Cap. 12. capite describuntur remediis, reliqua ex superioribus petenda sunt.

De dolore ejusq; curatione.

CAPUT XII.

GRavissimum symptoma dolor est, tum in combustionibus, tum in omnibus aliis affectibus: dissipat enim & absumit spiritus vitales, inquietudines & febres excitat, hinc sequuntur animi deliquia, fluxiones attrahit, inde inflammatio, phlegmone, convulsio, aliaque graviora symptomata oriuntur; est igitur, quantum fieri potest, leniendus. Generalis autem curatio doloris est ablatio ejus causæ. At quia in combustionibus binæ concurrunt causæ; nimirùm subita alteratio, & solutio continui, duplex quoque erit curandi scopus: primò ut empyreuma ab igne relictum, eliciatur, & pars affecta refrigeretur, & ad temperiē suam revocetur, quemadmodum antea satis declaravimus. Secundò, ut quicquid disjunctum aut combustum est, uniatur & consolidetur. Sed quia empyreuma exhalari, multò minùs pustulæ & ulcera sanari minimè possint, nisi priùs indurata & contracta cutis, emollita & lubrica reddita fuerit, necesse est ut Cheirurgus totus in hoc incumbat, ut superioribus recitatis medicamentis calidis & humidis, cutem lubricam & mollem reddat, quò humores acres & subtiles possint per poros exhalari, & absumi. At quamvis hujusmodi medicamenta calida sint, refrigerant nihilominùs, per accidens tamen, hoc est, ut Galenus testatur, resolvendo & dissipando humores acres. Itaque si dolor magnus fuerit, atque iis, quæ cap. 7. & 8. præscripsimus, non sedetur, necesse est, (purgato tamen priùs corpore, & venâ incisâ si ætas, aliaque permittant) sequens applicare fomentum.

Fomentum.

R. Radicum altheæ ℥j.
Florum chamomil.
Meliloti
Rosarum
Absynthij ana M. ß.
Sem. fœnogr.
Anethi ana ℥ß.
Ol. violar. ℥ iij.

Coquantur in lacte vaccino, in quo spongia intincta, aut linteum reduplicatum sæpius calidè interdiu loco dolenti applicetur. Sequens quoque cataplasma mirum in modum dolorem lenit.

R. Micarum panis albi ℔ß.

Cataplasma.

Coquatur in lacte vaccino, ad formam pultis, posteà admisce olei amygdalar. dulc. butyri rec. ana ℥j. ol. de vitellis ovor. ℥ß. croci ℈ j. vitellum unius ovi. Misce, Fiat cataplasma, quod calidè applicetur, ter aut quater in die, fomentato tamen priùs loco affecto, superiori fomentatione. Si pinguedo humana in promptu sit, poterit ejusdem aliquid admisceri, est enim singulare anodynum.

Defensiva quoque sunt applicanda; victus tenuis instituendus, & corpus purgandum est, secundùm humoris prædominantis naturam, vena item incidenda; & cucurbitulæ applicandæ. Si verò dolores hisce non mitigentur, ad Narcotica transeundum est; ea autem, quia frigida sunt ad quartum gradum usque, non immeritò suspecta habentur, applicata tamen cum ratione & prudentia, periculo vacant, præcipuè in externis partibus, à levioribus tamen incipiendum, ideoq;

R. Florum Nymphex
Folior. hyoscyami &
Papaveris, ana quantum volueris.

Involvantur herbæ panno madefacto, & sub cineribus calidis parum coctæ, pistentur in mortario, addēdo parum olei rosacei, nymphex, unguenti populeonis, & applicentur loco dolenti, sint tamen ulcera vel crustæ priùs copertæ unguento quodam ad casum escharæ, ne natura hujusmodi frigidis in separanda eschara, & digerendis ulceribus, remoret. Aliud cataplasma narcoticum.

R. Micarum panis albi ℔ ß. Coquatur in lacte vaccino ad formam cataplasmatis, cui admisce opii dissoluti in aqua papav. albi ℈ ij. croci & castorii ana ℈ j. vel

R. Herbar. cicutæ,
Solatri
Hyosciami
Papav. ana M. j.

Coquantur in lacte vaccino, posteà pistentur in mortario, coquanturque parum cum ℥ ij. farinæ hord. ad formam cataplasmatis, cui admisce opii dissoluti in aq. papav. ʒ j. croci ℈ j. Misce & applica tepidè.

De Imbecillitate visus.

CAPUT XIII.

QUia sæpissimè post combustiones faciei, imbecillitas visus, & lachrymatio oculorum sequuntur, ideò operæ pretium est, paucis declarare, quomodo eis sit occurrendum, ne in fistulas lachrymales, ophtalmiam & suffusiones degenerent, aut visum planè aufferant. Curatio autem his tribus intentionibus, diætâ scilicet, purgationibus, & Topicis medicamentis, perficitur. Et quia in lachrymationibus oculorum, cerebrum humores mittit, oculi verò eosdem recipiunt, necesse est, ut omni modo prohibeatur, nō tantùm, ne humores pravi in corpore & cerebro generentur, verùm etiam ut qui jam generati sunt, & ad oculos defluunt, exiccentur, atque deorsum trahantur. Interim quoq; oculi corroborandi sunt, ne fluxionem excipiant.

Quantum ad Diætam, imprimis eligendus est aër temperatus: calidus enim humores in capite liquescit, excalefacit, subtiles, acres, & ad fluxionem aptiores efficit: frigidus verò poros claudit, exhalationemque impedit, sed imprimis cerebrum comprimit, hinc vehementes fiunt fluxiones. Quemadmodum enim spongia imbuta aquâ, si manu comprimatur, vi quadam aquam emittit. Sic excrementitii humores è cerebro frigore compresso, erumpunt. Ideoq; si anni tempus frigidum

frigidum fuerit, calefaciendum est cubiculum, sin calidum, inspersâ aquâ frigidâ, & substratis frondibus, herbis & folijs, refrigerandum. Australis item, & Aquilonaris ventus nocent: ille enim præ sua humiditate, cerebrum implet humoribus, hic frigiditate cerebrum comprimit, & exhalationem impedit.

In cibi administratione tria hæc, Quantitas nimir. Qualitas & usus observanda sunt. Primò enim excessus omnis, tum cibi, tum potus vitandus est. Secundò, quia fluxiones oculorum semper fiunt ex superfluis homoribus, ut cibus habeat qualitatem & vim exiccandi, necesse est. Quod si fluxus ex humoribus frigidis fuerit, cibus nonnihil calefacere, si ex calidis & acribus, refrigerare debet. In genere autem nocent, quæcunque sunt difficilis concoctionis, & sale, aromatibus, cæpis, alliis, raphano, synapi & similibus condita, & cocta, item quæcunq; flatus procreant, & caput vaporibus implent. Tertiò observandum est, nunquam edendum esse, nisi prior cibus probè concoctus fuerit, naturalis appetitus adfuerit, varia quoquè ciborum genera, quæ substantia aut qualitate differunt, uno pastu conjungi non debent, panis sit ex optimo tritico bene fermentatus & coctus. A carne salita & infumata abstineat, præsertim à porcina. Convenit recens caro boum castratorum, Caponum, & avium in arboribus viventium. Cum carne aliisque jusculis coquantur hyssopus, maiorana, salvia, rosmarinus, euphrasia, radix petroselini, pimpinellæ, & similia. Si autem defluxus ex humore subtili & acri fuerit, coquatur cum carne & jusculis Bortago, buglossa, acetosa, cerefolium, calendula, euphrasia, radix fœniculi & petroselini.

Reliqua olera, ut sunt lactuca, portulaca, caules, item cucurbitæ, melones, cæpe, porrum, allium, sinapi, raphanus, in defluxionibus oculorum, summoperè nocent, uti & piper, Zingiber, garyophilli, legumina, & lacticinia propter butyrum.

Vinum generosum, uti & Cerevisia generosa nocent, utatur cerevisiâ minimè generosâ, sed benè coctâ, aut ptisanâ, in qua agrimonia, euphrasia & pruna coxerint, posteà aliquantum dulcoretur Saccharo, & aromatizetur cinamomo. Siverò æger ratione ætatis, aut imbecillitatis ventriculi à vino abstinere non possit, eligat sibi vinum aliquod album vetus, & minùs generosum. Somnus & quies summoperè conveniunt in oculorum morbis: vigiliæ verò & studia, præcipuè statim à cibo, nocent, uti & actus venereus.

Secundò digeratur, præparetur, & evacuetur humor noxius, qui ad oculos defluit, ideoque si defluxio ex humore acri & calido fuerit, digeratur sequenti Iulapio.

R. Aquar. betonicæ
Euphrasiæ
Borraginis
Acetosæ ana ℥ j ß.
Syrupi de Nymphæa
Violatij &
de cichorio ana ℥ ß.

Misce, fiat Iulapium pro duobus matutinis, posteà purgetur sequenti potiuncula.

Potiuncula purgativa.

R. Electuar. diacathol. ʒ iv.
Diaphœnic. ʒ ij.
Syrupi ros. solut. cum rhabarbaro & agarico ℥ ij. Cum aqua aut decocto betonicæ & euphras. Fiat potiuncula.

Vel dentur pillulæ sequentes.

Pillulæ.

R. Massæ pillular. de quinq; generibus Myrobalanorum,
Pillular. aggregativar. ana ʒ ſ.
Diagridij grana iv.

Cum aqua euphrasiæ formentur pillulæ quinq;. pueris exhibeatur à ʒ j. usque ad ʒ ij. vel ʒ iij. prout ætas & vires fuerint, Electuarij de succo rosar. in tabellis, dissoluti in aqua betonicæ vel euphrasiæ. Qui verò tabellis uti non possunt, purgentur mannâ aut pulvere radicum mechoacæ. Purgato corpore, utatur sequenti Electuario.

Electuarium.

R. Conservæ flor. betonicæ,
Euphrasiæ &
Rosarum ana ℥ j. Misce.

Si defluxus ex humoribus frigidis fuerit, digeratur primò sequenti potione.

Potio digestiva.

R. Aquar. betonicæ
Euphrasiæ
Fœniculi ana ℥ iij.
Mellis rosati colati,
Syrupi de Stœchade ana ℥ j. Misce.

Fiat Iulapium pro duobus matutinis; posteà purgetur sequenti potione.

Potio purgans.

R. Electuarii Indi majoris ʒ iv.
Benedictæ laxativæ ʒ ij.

Cum decocto betonicæ, euphrasiæ, passularum & seminis anisi, fiat potiuncula. Aut dentur sequentes pillulæ.

Pillulæ.

R. Pillular. cochiar.
Lucis major. ana ʒ ß.
Diagridii grana vj. cum syrupo de Stœchade formentur pillulæ quinq;

Pueris detur drachma una aut altera Electuarii diacarthami in tabellis, aut diaphænici cum rhabarbaro, prout ætas fert. Purgato corpore, utatur sequenti Electuario, pro corroboratione cerebri, & exiccatione humorum.

Electuarium.

R. Conservæ florum betonicæ &
Euphrasiæ ana ℥ ij.
Salviæ &
Rosmarini ana ℥ j. Misc.

Hujus Electuarii sumat æger jejuno stomacho magnitudine castaneæ. Decoctum Guajaci, radicum Chinæ, Salsæ parillæ, sassaphras, summoperè conveniunt: exiccando enim humores noxios, visum quoque corroborant.

Stomacho quoque propter ipsius cum cerebro consensum, prospiciendum est. Debilis enim stomachus ad cerebrum multos mittit vapores, qui posteà ad oculos descendunt. Abstineat igitur æger ab omnibus iis, quibus stomachus gravatur, & quæ difficilis sunt digestionis, sumat

Cap. 13. quoque semel aut bis in hebdomade ʒ j. hujus massę.

Massa pillular.

R. Pillular. hierę picrę simplicis Galeni
Massę pillurar. Assaieret
Rhabarb. opt. triti
Pulv. Senę ana ℈ j.
Garyophillor.
Macis
Cinamomi ana ℈ß. cum syrupo rosato solutivo fiat massa pillular.

Utatur quoq; ęger semper post pastum aliquo medicamento quod stomachum corroboret, & elevationem vaporum impediat, qualia sunt miva cydoniorum simplex, conserva rosar. coriandrum pręparatum, & sem. anisi & fœniculi, aut sequens pulvis.

Pulvis.

R. Sem. Coriandri pręparati
Sem. Anisi ana ℥ j.
Flor. Betonicæ
Rosar. rubr.
Euphrasiæ ana ℥ ß.
Cinamomi electi
Macis ana ʒ ij.
Pellicular. interior. ventriculi Gallinarum ℥ ß.
Sacchari rosati ad pondus omnium.
Misce. Fiat pulvis.

Sequitur tertia intentio, quæ in Topicis & Chirurgicis consistit. Itaque si dolor magnus, & Inflammatio adsit, applicetur fronti defensivum aliquod, ex cap. 7. Oculis verò instilletur sequens Collyrium, & linteis reduplicatis in eo intinctis, applicetur.

Tertia intentio.

Collyrium.

R. Aq. Plantaginis
Rosarum
Euphrasiæ ana ℥ j.
Cerussæ lotæ
Tutiæ præparatæ
Olibani subtilissimè pulverisati ana ʒ j
Misce. Si verò defluxus oculorum ex frigidis humoribus fuerit, applicetur sequens Collyrium.

Aliud Collyrium.

R. Aq. Euphrasiæ
Fœniculi
Rutæ ana ℥ ij.
Olibani
Masticis
Myrrhæ
Aloës
Tutiæ præparatæ
Sarcocollæ ana ʒ j. Fiat Collyrium secundùm artem.

Si defluxio ex sanguine & humoribus calidis fuerit, incidatur cæphalica in brachio, si ætas & vires concedant. Ego in defluxionibus oculor. sæpissimè magno cum fructu venas jugulares externas incidi, verùm sectio harum venarum requirit Chirurgum expertum; Est enim periculosa. Pueris loco phlebotomiæ hirudines applico, aut ad venam cæphalicam in brachio, aut in collo ad venas jugulares. Cucurbitulæ item magnæ cum flamma magna applicentur scapulis, cū scarificatione.

Sectio jugularium venarum in morbis oculorum utilissima.

Applicetur item sequens vesicatorium post aures.

Vesicatorium.

R. Cantharidum in pulver. redactarum num. 6.
Fermenti acris ℥. ß.
Misce cum guttula una aut altera aceti. Cortex interior fruticis vitis nigræ contusa & applicata eandem vim habet.

Utatur quoq; æger bis aut ter in hebdomade ieiuno stomacho, sequenti masticatorio.

Masticatorium.

R. Masticis
Radic. pyretri
Summitat. maioranæ
Nucis muscatæ ana ʒ. j. Fiant in mortario cum melle trochisci, magnitudine lupini.

Mastiche item per se masticata, & diu in ore retenta, multas ex capite trahit humiditates. Passulæ item, aut pruna damascena, oleo fœniculi inuncta, & masticata, non tantùm ex capite trahunt humores, verùm etiam cerebrum & visum corroborant.

Sternutatoria in morbis oculorum non probo: humores enim ad nasum trahendo, nervos opticos simul adimplent, & visum debilitant, quemadmodum in observatione 24. declaravi. Sequens quoque pulvis capiti inspergendus est, ex quo etiam cucufa parari potest.

Sternutatoria in morbis oculorum perniciosa.

Pulvis.

R. Flor. rorismarini
Salviæ
Betonicæ
Stœchados
Rosar. rubr.
Summitatum maioranæ ana M. ß.
Coriandri præparat. ʒ j.
Ligni aloës
Masticis
Thuris
Diamoschi dulcis
Nucis moscatæ
Granor. Alkermes ana ʒ ß.
Incidantur & contundantur omnia s. a.

Si visus ex continua, & longa defluxione debilis factus sit, corroboretur aquâ sequenti destillatâ.

Aqua visum corroborans.

R. Euphrasiæ cum toto
Anagallidis flore purpureo,
Herbar. fœniculi ana. M. xij.
Rutæ M. vj. Incidantur.

Posteà superinfunde aq. rosac. ℔ ij. digerantur in sole, in vase vitreo, & benè clauso, per diem, posteà lento igne destillentur in balneo Mariæ, serveturque aqua ad usum, est enim præstantissima ad corroborandos ocolos.

Si defluxio & lachrymatio oculorum his non sedetur, & æger de visu periclitetur, applicandum est Setaceum ad tertiam aut quartam vertebram colli, non tamen ferro candente, sed acu argenteâ, quemadmodum observatione 40. fusiùs declaravimus. Adultis Setacei loco causticum ad secundam vertebram potest applicari, ut inde fiat fontanella. Pueris tamen perniciosa est fontanella in vertice, ut in observatione 42. demonstravimus: Fontanellæ item in brachio sinistro, & crure dextro, non exiguam vim habent in defluxionibus oculorum, ut experientia indies docet.

De Cicatricum Turpitudine, earundemque ablatione.

CAPUX XIV.

PRæcipuæ causæ turpitudinis cicatricum post combustionum curationes sunt, primò, quòd cutis, caro, venæ, &c. vi ignis contrahuntur & indurantur; secundò, quòd humidum radicale (cujus beneficio vulnera, & ulcera omnia cicatrizantur) vi ignis exiccatum, consumptumque est, inde fit, ut quemadmodum siccus & aridus ager spinas tortuosas, zizania, & omnia imperfecta, ager verò pinguis & humidus, omnia perfecta producit: Ita etiam ex caloris innati, & humidi radicalis defectu cicatrices fiunt turpissimæ. Usus quoque medicamentorum frigidorum turpem gignit cicatricem; quemadmodum Hippocrates his verbis testatur: Ulceribus frigidum mordax, cutem obdurat, dolorem insupportabilem facit, denigrat, &c. Ut autem hoc incommodum evitemus, ab initio usque ad finem curationis emollientia sunt applicanda, quemadmodum anteà monuimus. Quantum ad curationem, imprimis durities cicatricum emollienda, & lubrica facienda est, pinguedine ursi, gallinarum, caponum, oleo liliorum, & de vitellis ovorum, ant sequenti unguento.

R. Pinguedinis gallinæ,
Ursi,
Piscis thymali
Liliorum
De vitellis ovorum ana ℥ ij.
Ol. myrrhæ ℥ j.
Succi lumbricor. ℥ ß.

Misce, fiat unguentum, quo singulis diebus bis aut ter cicatrix, & circumjacentes partes sunt inungendæ.


Postea applicanda est lamina plumbea spissa, inuncta Mercurio. Sed antequam inungatur pars affecta superiori unguento, abluenda est aqua, in qua furfures, & nonnihil myrrhæ incoxerunt. Si verò cicatrices adeò duræ & elevatæ fuerint, ut majorem emollitionem requirant, fovetur locus priùs sequenti decocto:

R. Radicum altheæ cum toto
Radicum bryoniæ, &
Liliot. alborum ana ℥ j.
Flor. chamomillæ
Meliloti ana Mj.
Sem. fœnograeci
Lini ana ℥ ß.

Coquantur in aqua aut decocto pedum & capitis vervecis, applicetur q; cum spongiis aut filtris, in eo intinctis. Post fotum inungatur superiori unguento, appliceturq; ceratum Oesyppi, Philagrii, aut emylastrum de Ranis cum Mercurio, idque tantisper faciendum, & singulis diebus bis reiterandum, donec cicatrix satis sit emollita, ut possit à lamina plumbea deprimi.

Quotiescunq; autem Chirurgus cicatrices inunxerit, ambabus manibus cutem induratam contractamq; extédere tentabit, quemadmodum pelliones solent extendere pelles.

Si verò cicatrix adeò elevata, contracta, & indurata fuerit, ut inde maxima turpitudo & deformitas faciei sequatur, excidenda est (si æger consentiat, & pars affecta admittat) lineâ in rectum, quantum fieri poterit, diductâ. Postea vulnus, quod antea contractum fuit, dilatandum erit, id autem fiet mediantibus linteaminibus, illinitis glutine, ut sequens figura indicat.



A. Cicatricis excisæ vulnus est.

B.B.B.B. Quatuor sunt lintea oblinita glutino, quorum ad utrumq; latus vulneris duo erunt ponenda, ita tamen, ut spacium aliquod inter utrumq; remaneat, ut ex figura apparet.

C.C.C.C.C.C. Fibulæ sunt sex, plus aut minus secundùm magnitudinem vulneris. Porrò quam primùm gluten siccatum fuerit, ita ut lintea cuti firmiter adhæreant, quod spacio quatuor aut quinque horarum fit, aut ad summum diei dimidiæ, constringendæ sunt fibulæ: sic enim contrahitur & constringitur cutis, quæ est inter lintea, vulnus autem dilatatur. Interim incarnatio & cicatrizatio vulneris, quantum fieri potest, accelerãda est, nec amovenda lintea, donec vulnus sit curatum. Glutinum conficitur ex adstringentibus viscosis & emplastricis medicamentis, ut

Glutinũ.

R. Farinæ volatilis ℥ j.
Masticis
Rosar. rubr.
Sanguinis drac. ana ℥ ij. Fiat omnium pulvis subtilissimus, qui albuminibus ovorum & mucilagine gummi tragacanthi, ad mellis consistentiam miscendus.

Notã.

Illud tamen notandum; applicationem hujus glutinis non nisi post factam digestionem vulneris fieri debere. Dum enim fit digestio, doloresadsunt; & labia vulneris intumescunt, ideoque glutino dolor non est augendus, factâ digestione aliquando vulnus abluendum est aquâ vitæ; facit enim pulchras cicatrices; loco quoque emplastri potest applicari lamina plumbea, inuncta mercurio. Curato vulnere, applicanda sunt, quæ faciem dealbescunt, qualia sunt aqua liliorum alborum, aqua florum fabarum, sudor item ovorum, aut aqua destillata ex testis ovorum, illa enim pretiosissima est ad cicatrices dealbandas.

Cap. 15.

De retractis nervis & incurvatis juncturis, post combustiones.

CAPUT XV.

IN maximis combustionibus ad articulos, solent nonnunquam nervi retrahi, & juncturæ incurvari, idque præcipuè si Chirurgus circa initia non satis diligens fuerit, nec ferulas, aliaque instrumenta, de quibus monuimus capite 11. adhibuerit. Est igitur nova instituenda curatio. Sed priùs purgandum est corpus, secundùm humoris prædominantis naturam. Inprimis autem conveniunt pilulæ aggregativæ, item Electuarium Indum majus, & benedicta laxativa. Si plethora adest, incidatur vena, extrahaturque sanguis secundùm virium magnitudinem, de quibus omnibus consulendus est Medicus.

Purgato jam & præparato corpore, uti modò diximus, pars affecta sequenti decocto emolliendà lubricaque facienda est.

Decoctum emolliens.

R. Radicum altheæ cum toto
Radic. bryoniæ
Liliorum albor.
Malvarum ana ℥ ij.
Fol. violarum
Flor. chamomillæ
Meliothi
Hyperici
Chamæpythidis
Chamædrios ana M. j.
Sem. fœnogræci
Lini ana ℥ j.

Coquantur in jusculo pedum & capitis vervecis aut vituli pro fotu. Posteà inungatur totum membrum sequenti unguento.

Unguentũ

R. Unguenti dialtheæ ℥ ij.
Axungiæ humanæ,
Gallinarum
Anseris
Ursi ana ℥ ſ.
Succi lumbricorum ℥ j.
Aquæ vitæ ℥ ß. Misce, fiat unguentum.

Posteà applicetur emplastrum ex mucilaginibus, vel, Emplastrum Oesyppi, Philagrij, aut de meliloto, extensum supra alutâ. Nervis his & ligamentis juncturæ satis emollitis, ad extensionem transeundum est, ea autem commodè sine dolore & periculo fieri potest, instrumentis ad hoc negotium accommodatis. Si vitium est in genu aut cubito, aptissima sunt instrumenta, quæ á Gualthero Reyff in sua Chirurgia depinguntur. Quæ uti & alia, in tractatu de Ichore & meliceria, acri Celsi capite 26. adumbrata, videre poteris.

Si verò combustio in digitis fuerit, ingeniosi & industrii Chirurgi erit, instrumenta ad id apta & commoda, prout affectus requirit, excogitare. Ego sequentibus medicamentis & instrumentis, digitos omnes manus dextræ, excepto pollice, ex combustione in externam manus partem retractos, ibiq; conglutinatos, restitui. Quæ curatio, etsi jam anteà in Observationibus nostris proposita sit, attamen ne quid hoc loco desideraretur, quod ad hanc materiam spectare posset, denuò illam hîc annectere placuit, tu lector omnia benevolè consule.

Anno 1596. Isaacus Gotteran de Perroy, adduxit ad me Lausannam filium suum Michaële, 14. menses natum. Is autem sexto mense ætatis, manu dextra in prunas ceciderat: Hinc index, medius, annularis, & auricularis unà cum externa metacarpi parte, adeò combusti fuerunt, ut apices horum digitorum usq; ad primam articulationem deciderint. At quia pater curationem imperitis commiserat, digiti omnes (excepto pollice) cum cute metacarpi quasi in globum (ut sequens figura ostendit) conglutinati fuerant.



Septimo mense post absolutam curationem adducunt ad me puerum parentes Lausannam, auxiliumque meum implorant. Purgato itaque corpore, mannâ ex jusculo exhibitâ, topica & chirurgica sic institui. Primò sequenti decocto emollienti & unguento, per dies aliquot usus sum.

R. Rad. Althææ cum toto
Rad. Bryoniæ
Liliorum albor. ana ℥ j.
Flor. Chamomil.
Meliloti
Chamædr. ana M. j.
Sem. Fœnogræci
Lini ana ℥ j.

Coquantur in jusculo pedum & capitis vervecis aut vituli pro fotu. Postea inunxi totam manum & brachium sequenti unguento.

R. Ung. Dialthææ ℥ j.
Axungiæ humanæ
Gallinarum
Anseris
Ursi
Succi lumbricorum ℥ ß.
Misce, fiat unguentum.


Tandem manum involvi emplastro de mucilaginibus. His nervi & callositas ex corrugata cute metacarpi, & digitorum in externa parte manus

conce-

 concretâ, satis emollita: inde callum illum inter digitos & metacarpum novacula excidi, digitos item separavi. Deinde inspersi pulverem meum ad sanguinem sistendum, & albumina ovorum mixta cum aqua rosac. & plantaginis, oleoque rosac. applicui. Defensivum quoque ad carpum adhibui, & totum brachium oleo rosaceo, myrtillorum & lumbricorum inunxi. Postero die sequens digestivum filamentis suavibus supra incisiones posui, & brachium, ut antea suprà dictis oleis inunxi.

℞. Therebinth. lotæ in aq. rosac. & plantag. ℥j.
Ol. Rosac. & de
Vitellis ovorum ana ʒ ij.
Croci ℈ ß.
Vitellum unius ovi. Misce.

Quinto die apposui sequens instrumentum ex ligno fabricatum, & incœpi paulatim digitos ad naturalem situm attrahere.



A. Ferula est lata tribus digitis in latitudine positis, ejus longitudinis, ut à carpo ad cubitum ferè usque pertingat.

B. Baculus est rotundus, pollicis crassitie, qui ferulæ firmiter affixus est: è medio autem hujus baculi exurgunt clavi quatuor rotundi, & ex ligno fabricati C. C. C. C. notati. Habet item ferula fibulas duas D. D. notatas, & lora duo E. E. signata, quorum beneficio instrumentum brachio alligatur: ut ex figura satis apparet.

Alligato itaque instrumento, & undique linteis, stupis aut gossipio benè munito; Habui in promptu digitalia ex pelle fabricata, quę extremitatibus digitorum apposui. Deinde filo, quod eis appendet, digitos deorsum attraxi, & clavis C. C. C. C. notatis, alligavi, atque singulis diebus magis magisque incurvavi. Id autem ut eò melius fieret, brachium & manum superiori unguento, quotiescunque vulnera tractabam, inunxi. Ne autem digiti denuò conglutinarentur, laminas plumbeas digitis interponebã. His paulatim digiti ad naturalem situm reducti fuerunt. Interim vulnera quoque consolidavi & cicatrizavi, non quidem iis, quę valdè exiccant, sed iis, quę simul emolliendi vim habent, medicamentis: quemadmodum in hoc tractatu ostendimus. Atq; sic divino favore manus in integrum restituta fuit.

De Fulmine, & quomodo eis qui ab eo læsi, sit succurrendum?

CAPUT XVI.

Quia ignis cœlestis omnium vehementissimus & periculosissimus, ac in se contineat quasdam facultates supernaturales, quibus homo protinus extinguitur, cunctandum non est, quid faciendum sit. Hanc ob causam, in gratiam tyronum, Chirurgorum castra sequentium, breviter declarare placuit, quomodo eis, qui à fulmine læsi, occurrendũ sit: omnibus tamen Chirurgis ad hujusmodi ægrotos accersitis, suadeo ut operam dent, quò possint sibi adjunctum habere Medicũ.

Quamvis autem ignis ille cœlestis, ut experientia docet, in se facultates quasdam supernaturales, & hominis ingenio planè abditas, contineat, id tamen perspicuum est, ignem illum adjunctam habere qualitatem, & materiam mirum in modum malignam atq; venenosam; idq; satis denotat teter ille & pestiferus odor, qui tum ex hominibus, tum animalibus, arboribusq; à fulmine ictis erumpit. Hinc fit ut ursi, vulpes, cuniculi aliaque animalia, iis in locis fulmine ictis, degentia (ut viri nonnulli docti testantur) propter hujus odoris sævitiam, in eorum speluncis morari non possint. Canes item de carne animalium à fulmine interfectorum non gustant. Ex his perspicuum fit, quàm periculosum sit, uti herbis iis in locis collectis: conspicitur enim quãdoque, ut Olaus Magnus Hist. Septentrionaliũ lib. 1. cap. 12. testatur, terra quasi sulphure conspersa. Mirum igitur nemini videri debet, aliquãdo homines subitò, & sine manifesta causa mori.

Est autem ignis ille, quemadmodum Seneca testatur, triplex. Primùm enim subtilissimus est, hinc fit ut inanimata, veluti arbores & similia illæsa pervolet. Secundò præter subtilitatem illam, materiam quandam continet siccissimam, & magis terrestrem: hinc fit, ut partes corporis molles, illæsas penetret, duriora verò, quemadmodum ossa, rumpat, id verò non solùm animatis, verùm etiam in inanimatis accidere observavi. Superiori anno 1604. cùm ligna pro usu culinæ advehenda curassem, occurrit ingens quercus, quæ ante annos aliquot à fulmine icta fuerat, quod quidem ex fissura, quæ in exteriori parte corticis à summitate ad radicem usque conspiciebatur, manifestum erat. Extrinsecùs tamen pulchra & virescens erat quercus illa. Fisso trunco inventa est medulla, quæ in querceis arboribus

Cap. 16.

bus durissima, à summitate usq; ad radicem planè cariosa. Tertiò materiam habet adhuc magis terrestrē & crassam, quamobrem non usque adeò penetrat, uti de aliis diximus, sed incendit ea, quæ primùm obvia veniunt, quemadmodum videmus civitates, templa, aliaq; ædificia à fulmine incendi, & in cineres redigi.

Id autem fit partim propter ignis vehementiam, partim quoque, quod humores utplurimùm ad defensionem & extinctionem ignis negligentes sint, ac tardi. Communis enim opinio est, ædificia fulgure incensa, non posse aquâ restingui. Mihi verò contrarium videre contigit. Anno enim 1592. Hildenæ in patria, turrim templi, altam satis, & lapidibus tectam, fulminis ictu adeò incensam vidi, ut ex una parte flagrare cœperit, trabesque nonnullæ ingentes ab ictu illo fissæ fuerint, quod tandem incendium postmodum aquâ restinctum fuerat. Sic etiam inurit hæc species ignis corpus humanum, ac post se relinquit vestigia satis manifesta, quemadmodum pustulas, maculas nigras, & fractiones ossium. Subtilis autem & abdita illa penetrabilis qualitas prioris ignis, venenum illicò secum ducit ad cor & cerebrum, moriturque animal ipso momento. Secunda quoque hujus ignis species, quia subtilis est, statim officit partibus nobilibus, sed quia conjunctam secum habet materiam magis terrestrem, quemadmodum dixi, ossa etiam & vasa abrumpit, atque protinus extinguit animal, aut ipso momento, aut paulò post. Tertia verò species, quia (ut dixi) ipsius materia terrestris est, & crassa, minùs erit periculosa;

Ex his facilè apparet, qualis nam methodus curandi sit instituenda. Illa enim in hoc consistit, ut cor partesq; nobiles corroborentur & à vaporibus malignis & venenosis defendantur. Ideoque illicò exuendæ & abjiciendæ sunt vestes, non solùm, ut inspirationi & expirationi pulmonis consulatur, verùm etiam ne malignus ille vapor fulminis, qui vestibus inhæret, partes nobiles planè suffocet. Exutis suffumigata baccis Iuniperinis, radicibus angelicæ, foliis lauri & rutę, exhibenda illi sunt lapidis Bezoardici in subtilissimum pulverem redacti grana 6. aut 8. cum aqua buglossæ, cardui benedicti aut melissæ dissoluta, provocandusq; est sudor, quò natura venenum ad exteriora propellere possit. Si lapis ille in promptu non fuerit, exhibenda est theriaca ad ʒj. plùs aut minùs, prout ætas fuerit. Labia, lingua, nares, tempora, frons & arteriæ ad carpum inungendæ sunt vino malvatico, in quo theriaca sit dissoluta. Cordi applicetur sequens Epithema.

R. Aquarum buglossæ & Melissæ an. ℥ij. Vini malvatici ℥j.ß. Aquæ cinamomi ℥j. Electuar. de gemmis ʒj. Conf. Alkermes ʒß. Croci ℈j. Mixtis omnibus cordi tepidè applicetur.

Brachia & crura fortiter sunt liganda, linteisque asperis & calidis fricanda, ut venenum ad exteriora attrahatur. Si pustulæ, vulnera, aut maculæ adsint, applicentur protinùs cæpæ cum sale, foliis rutæ & theriaca, quassatæ, applicenturque cucurbitulæ, hirudines, incisis priùs vesicis. Putrefacientia & Escharam relaxantia hîc locum non habent. Excidatur igitur Eschara scalpello, & forficibus, posteà ulcera sequenti unguento sunt mundificanda.

Cap. [...]

Vngu[...]

R. Mellis rosacei ℥ij. Pulveris radic. vincetonici & Angelicæ ana ʒß. Fol. rutæ cum pulveribus quassator. p. ij. Theriacæ ʒij. Aquæ vitæ ℥ß. Misce.

Fiat Mundificativū. Mundificatis ulceribus, inspergendus est sequens pulvis sarcoticus.

Pulv[...] sarco[...]

R. Pulveris radicum Vincetoxici & Angelicæ ana ℥j.
Myrrhæ, Masticis, Olibani,
Fol. Scordij ana ʒiv.

Fiat omnium tenvissimus pulvis, ex quo cum sufficiente quantitate succi Nicotianæ, Saniculæ vel pyrulæ fiant trochisci, qui in umbra exiccentur, iterumq; in pulverem redigantur. Is pulvis pretiosissimus est, & in hujusmodi, aliisq; ulceribus putridis & venenosis, veluti in Anthrace, Gangræna, & Cancro: mundificat enim, & putredini adversatur: admixto parùm aluminis usti, cicatricem quoque inducit. Si quâ ossa fracta fuerint, reponēda sūt, sed prospiciat Chirurgus, ne Emplastica astringentia & refrigerantia, ut in fracturis fieri solet, applicet, his etenim expiratio & evaporatio veneni impeditur, applicetur itaque sequens cataplasma.

Cata[...] ma.

R. Farinæ fabar. Lupinor ana ℥j.ß.
Pulv. radicum vincetoxici &
Angelicæ ana ℥ß.
Fnlior. Rutæ M. ℥.

Coquantur cum oxymellite ad formam cataplasmatis. Pesteà admisceatur theriacæ, aut Mithridatij ℥j. Fractura singulis diebus semel deliganda, & cataplasma renovandum est, membro priùs vino, in quo radices vincetoxici & angelicæ coxerint, & theriaca parumq; aceti rosacei dissoluta fuerit, abluto. Idq; tantisper, dum metus veneni adest, faciendum. Defensivum ad latitudinem palmi minoris supra fracturam applicetur, ut elevatio veneni ad partes nobiles impediatur.

Interim autem dum externa, uti dixi, adhibentur, Cor, partesque nobiles roborandæ sunt, non tantùm suprascripto Epithemate, verùm etiam conservis & Electuarijs, veluti conservâ florum buglossæ, calendulæ, rosmarini, melissæ, corticum citronum. Diamargarito frigido, Lætificante Galeni, Confectione Alkermes, aquâ Cinamomi & similibus.

Victu[...] tu.

Utatur jusculis carnium recentium, in quibus borrago, buglossum, candula, ucetosa, rosmarinus, majorana, macis, crocus, cinamomum, & similia coxerint. Ab omnibus, quæ difficilis sunt digestionis, abstineat. Prospiciendum est quoque, ut alvus semper sit lubrica, idq; si naturaliter nequeat, fiat Suppositorijs aut Enemantibus lenetivis. A purgantibus & venæ sectione abstinēdum est, nisi aliqua adfuerit occasio particularis, ubi consulendus est Medicus.

FINIS.

GUILHELMI FABRICII HILDANI &c.

DE

VULNERE QUODAM GRAVISSIMO, ICTU SCLOPETI INFLICTO,

Observatio & Curatio singularis,

In qua multa lectione digna, & Cheirurgiæ studiosis utilissima recensentur, & instrumenta ab Authore inventa adumbrantur.

NON immeritò fingit Poëta, Actæonem in cervum conversū, à propriis suis canibus dilaceratum fuisse. Sæpissimè enim accidit, ut qui venationi addicti, nec satis circumspectè ac prudenter in hoc, alioquin generoso & utili (teste Eusebio) corporis exercitio sese gerant, etiam à familiaribus, imò & ab amicis ipsis graviter lædantur. Exemplum non minus memorabile, & annotatione dignum, quàm funestum & lamentabile Nobilissimus Vir Dn. *Iacobus Wallier*, nobis exhibuit. Casum, quia gravissimus, & annotatione dignissimus, in gratiam artis Cheirurgicæ studiosorum, ordine recensere visum est:

Fuerat autem nobilis iste, qui tunc temporis, cùm vulnus, uti mox dicam, reciperet, vigesimum tertium annum ætatis prætergressus, erat per annos aliquot Burgi Segusianorum in subsidio Regio: ubi sub Generoso & strenuo Viro Dn. Petro de Boysse, Barone in Pardaliari, &c. ibidem nomine Henrici Magni Regis Christianissimi Gubernatore, signiferum egit.

Porrò vigesima prima Mensis Julii An. 1608. prædictus Dn. De Boysse, cùm ad venationem apri eques exspaciari vellet, voluit ut Dn. Wallier, simul & quidā ex officiatis propugnaculi ipsum comitarentur. Circa septimam itaq; horam matutinam ad sylvam, quæ horæ unius itinere aut circiter ab oppido & propugnaculo Bourg distat, perveniunt.

Descendunt, ac aprum hinc & inde quærunt. Quum autem omnes dispersi essent, ac unus hic, alter illic aprum inter dumos exspectaret, accidit ut prædictus officiarius (audito cane in aprum latrante) hinc inde perspiciens, ante se in dumo quodam, nescio quid submovere viderit.

Quum verò nihil aliud cogitaret, quàm aprum ibidem latitare, sclopetum explodit. Sed proh dolor, loco apri, nobilis iste Wallier ictum in coxam sinistram recepit, protinusq; in terram cecidit.

Bombarda autem tribus globulis, quorum unusquisque drachmas septem & duos scrupulos pondere æquabat, onerata fuerat. Horum unus bombardam nobilis ægri perfregit: Alter ad coxam caligas, illæsa tamen cute, trajecit.

Tertius verò globulus cùm externam partē femoris intrasset, ac os femoris in medio offendisset, illud omninò cōfregit, cum maxima musculorum & vasorum dilaceratione, & conquassatione. Interim tamen etsi vulnus maximum esset, attamen nulla ferè, uti ab ipso ægro, Medico, & cheirurgis mihi relatum fuit, supervenit hæmorrhagia. Ab initio enim, inquit præstantissimus vir Dom. *Ambrosius Paraus*, ex hujusmodi vulneribus parum effluit sanguinis, idque cum propter maximam contusionem, quam adfert globulus, tùm etiam propter ingentem agitationem commotionemque aëris, qui spiritus ad internas & circumjacentes partes vulneris repellit: Uti manifestè in illis, quibus membrum aliquod integrum, globulo tormentario bellico amputatum est, apparet.

Porrò in nobili nostro ægro, impetus ictus, & allisio globuli ad os, adeò vehemens ac magna fuerat, ut globulus ipse, (uti egomet vidi) medius, non secus ac si cultro dissectus fuisset, ruptus fuerit. Quapropter ipsius vis atque impetus, quum

lib. 11. c. 10

quum adeò interruptus atq; abolitus esset, ut ulterius progredi non posset, inter cutem & musculos remansit.

Quum verò, & quidem non sine maxima difficultate, ad propugnaculum pervenisset, clarissimus atque doctissimus vir *Ianus de Burgo*, Philosophus insignis, & Medicus celeberrimus, Magister item *Antonius Scaly* Cheirurgus, in consilium vocati, coxam totumq; crus, ad tibiam supra modum intumefactam deprehenderunt, globulum verò ex interna parte femoris, prope cutem repererunt.

Eum porrò, quum incisa prius cute, absque difficultate & hæmorrhagia extraxissent, ac cum alio quodam globulo ejusdem bombardæ in trutinam projecissent, & vix dimidium pondus alterius globuli ponderare animadvertissent, attoniti fuerunt. Post quatuor tamen dies, ad latus vulneris, quod ex interna parte femoris novacula fecerant, reliqua pars globuli sese in conspectū exhibere cœpit, ibique facta incisione, extracta fuit.

Quomodo autem globulus, ita uti dixi, in duas partes fissus fuerit, admiratione non vacat: Cum id in plumbo, propter sui mollitiem difficulter fieri posse, omnibus in confesso sit. Sed tantus fuerat impetus, & contra os allisio globuli, ossis quinetiam perfractio atq; contritio, ut globulus, proculdubio, in ipso ictu à fragmento quodam acuto ossis, in duas partes fissus ac divisus fuerit.

Hæc propterea adscribo, ut maxima illa ac ingens fractura & comminutio ossis, carnisque & vasorum dilaceratio atque contritio, inde eò magis in notescat, appareatque.

Eadem autem die *Dom. Claudius Chapusius* cheirurgus insignis, ex vicino oppido S. Amour, protinus quoq; accersitus sub vesperā appulit.

Tum congregatis cum ipso *Dom. D. de Burgo* Medico & Mag. *Antonio* cheirurgo, & solutis fasciis, principium gangrænæ, quæ se ad inguen ferè usque extendebat, jam adesse repererunt: idque præcipuè ex interna parte femoris. Quamobrem Dom. Chapusius reliquorum cum consensu, quicquid ipsis suspectum videbatur, novacula scarificavit, medicamenta quinetiam, quæ in gangræna requiruntur, applicuit.

Gangrana.

Gangrænam autem hanc, ex maxima illa contusione carnis & vasorum, ossis quinetiam fractione, & sanguinis extravenati abundantia, accidisse, verisimile est. Sanguis enim, ut Hippocrates scriptum reliquit. atque experientia docet, si in ventrem præter naturam effunditur, necesse est suppurari. Quod extra venas ei multis nominibus accidit.

lib. 6. Aph.

Primò quod locum nativum deseruit, qui locati vires fovet, ut extraneus variat, & corrumpit.

Ioh. Lang. libr. 2. epist. 31.

Deinde, quod calor ei congenitus difflletur, & lotii salsugine, quæ sanguinis coagulationem moratur & prohibet, etiam destituatur: computrescat igitur necesse est, & pro ratione loci affecti, gravissima veneni symptomata parturiat.

Ad gangrænæ quoq; procreationem summa illa ægri imbecillitas non parum faciebat. Ita enim vires, statim ab initio, & ut ita dicam, in ipso momento, prostratæ fuerunt, ut excrementa omnia involuntariè redderet. Quod autem gangræna tam citò, nimirum eadem die supervenerit, admiratione non vacat. Ego illam propter summam humiditatem loci affecti, affluxum maximum humorum, ingentemque aëris calorem, & caloris nativi in ægro imbecillitatem supervenisse, arbitror. Superverant quoque statim ab initio dolores ingentes, febris continua, inquietudines maximæ, ac vigilæ.

Excr... involuntaria excrementorum.

Etsi verò adstantes de recuperanda valetudine penè desperarent. Medicus tamen & cheirurgi, ut symptomatis omnibus rectè & methodicè prospicerent, omnes intendebant nervos. Victus rationem optimam & convenientem præscribebant, potiones cordiales corroborantes, refrigerantes exhibebant, Regioni cordis epithemata admovebant: corpus quinetiam à pravis humoribus expurgabant.

Loco verò affecto unguenta, cataplasmata, inunctiones, & similia, quæ dolorem leniunt, pus promovent, & putredini adversantur, applicabant. Interim nihilominus gangræna ita progrediebatur, ut quarta die morbi, iterum de novo scarificare, & fortiora medicamenta applicare coacti fuerint: quibus Deus Opt. Max. ita benedixit, ut gangræna omninò cessaverit: etiamsi reliqua symptomata indies accrescerent.

Alia quoque symptomata molesta & laboriosa, calcanei scilicet, & è regione coccygis, inflammatio atque exulceratio supervenerunt. Illa autem procul dubio propter continuum decubitum, & quod corpus propter virium labefactationem & imminutionem spirituum, grave redditum fuerat, advenerunt. Symptomata hæc Medico atque cheirurgis multum negotii facessebant. Quàm periculosæ enim sint inflammationes prædictarum partium, sciunt practici, & ex libro Hippocrat. de fracturis. Paræo lib. 15. cap. 27. & tractatu meo de gangræna & sphacelo scire licet.

Cal... & c... inflammatio.

Tandem nihilominus post multos ac indefessos labores medici, & cheirurgorum, sed inprimis per singularem clementiam Divinam, symptomata circa talum & coccygem, ad optatum finem pervenerunt.

Circa vulnrea autem & fracturam in femore, quum symptomata indies accrescerent; Generoso viro *Dn. de Boyse* Gubernatori propugnaculi ob singularem suam in ægrum benevolentiam & amorem visum fuit, ut Medici & Cheirurgi convocarentur, & de morbo inter se conferrent. Præter prædictum itaq; Dom. Doctorem *Ianum de Burgo*, *Chapusium* & Mag. *Antonium Chaly*, tertius quoque Cheirurgus, Vir uti senex ita quoque usu longaque rerum Cheirurgicarum experientia insignis practicus, accersitus fuit. In ista porrò consultatione tertius ille Cheirurgus proposuit: tres faciendas esse incisiones circum circa fracturam, unam in externa, alteram ex interna

terna parte femoris, ubi globulus duobus in locis jam excisus fuerat: tertiam denique ex anteriori parte. Incisiones autem istas ad os usque, & spithamam longas faciendas esse, volebat.

Idque in eum finem, ut fragmenta omnia ossis simul ac semel eximi, extrahique possint: & curatio brevis ac facilis efficeretur. Clarissimus verò Dn. de Burgo, Dn. Chapusius & Mag. Antonius operationem hanc, propter metum hæmorrhagiæ mortisque discrimen, non esse administrandam, proponebant. Quapropter etiamsi tertius ille Chirurgus, ad undecimum usq; diem apud ægrum commoraretur, lapidemq; huncce quotidiè ferè moveret, & nonnulli ex adstantibus, & quidem ex primariis, hujus quoq; essent sententiæ, nihil tamen hac in re tentatum fuit. Dominus enim de Burgo planè sibi (& rectè quidem) persuasum habebat, non sufficere, citò velle curare, nisi id simul tutò & jucundè fieret.

Cæterùm hujusmodi operationes tutò & absque extremo dolore, & periculo vitæ, fieri nõ posse, etiam eis, qui mediocriter in Anatomicis versati sunt, notissimum sit, in artis tamen cheirurgicæ studiosorum gratiam, antequam in narratione historiæ ulterius progrediar, id paucis exponere non abs re esse duxi.

Quicunque operationem aliquam cheirurgicam cum fructu instituere cupit, is ut ea quæ sequuntur, perpendat, examinetq; necesse est. Vires nimirum, locum affectum, & necessitatem operationis.

Vires autem inprimis & ante omnia sunt examinandæ, præcipuè in magnis & periculosis operationibus. Nisi enim validæ fuerint, vix ægrum evadere posse, certum est. Ubi enim vires deficiunt, frustra laborat medicus, quapropter potius ab operatione desistere convenit, quam nomen mali Medici sibi comparare. Quales autem in hoc nostro ægro fuerint vires, ex eis quæ dicta sunt, apparet. Tunc temporis enim vires, propter doloris vehementiam supra modum, & ita quidem erant prostratæ, ut excrementa involuntariè profluerent: & nihil aliud præter mortem in propinquis esse exspectarent adstantes. Quandoquidem febris continua, inquietudines maximæ, lipothymiæ, cibi fastidium, aliaq; gravissima symptomata aderant.

Itaque quomodo in ista operatione, tamq; dolorosa, ipsum persistere, & tantam effusionem sanguinis, & spirituũ sufferre potuisse, nõ video.

Præterea locus affectus diligenter examinandus est, & an in ipso operatio tutò fieri possit, perpendendum. Nonnunquam enim operatio aliqua facienda est, sed locus affectus illam non admittit: etiamsi vires validæ fuerint, & necessitas illam requirat. Sed videamus nunc, an in hoc nostro ægro operatio illa proposita, ratione loci affecti, tutò fieri potuisset Tres, ut dixi, faciendas esse incisiones volebat, ex utraq; scilicet parte femoris unam; tertiam verò ex anteriori parte. Quantum ad illam, in externa parte femoris, quartus, quintus, & octavus femur moventium musculi, qui jam ab ictu & globulo mirum in modum dilacerati fuerant, de novo incidendi fuissent.

In anteriori verò parte femoris, præcipuè octavus, ac nonus tibiam moventes musculi, qui unà cum septimo tibiam moventium musculo, in validissimum ac amplum tendinem, qui patellam, sive rotulam apprehendit, ac anteriori parte tibiæ inseritur, conservari minimè potuissent.

Quæ autem ex ista operatione sequuta fuissent symptomata, si quis compositionem, & structuram horũ musculorum examinet, (vasa enim multa venarum & arteriarum, membranas item exquisitissimo sensu præditas continent) facilè scire poterit.

Præter hæmorrhagiam itaque inevitabilem dolor ingens, spasmus, inflammatio, febris, vigiliæ, aliqua pessima symptomata exspectanda erant. Idque non solùm propter incisionum magnitudinem, verum etiam quia corpus pravis humoribus oneratũ, obstructionibusq; quinetiam viscerum affectum erat.

Incisio præterea ex interna parte femoris, vix illam (ut de musculorum & nervosarum partium læsione taceam) absque abscisione magnæ illius crus petentis venę propaginis fieri potuisse, tam certum est, quam quod certissimum.

Hinc de hæmorrhagia maxima spirituum dissipatio, & subita mors sequuta fuissent. Exempla non desunt. Cuidam enim Germano & magni nominis viro cum temerarius empiricus, tumorem scirrhosum ex interna parte femoris, ubi prædictus ramus descendit, excidere vellet, ac ramum istum novacula offendisset, sequuta est hæmorrhagia adeò magna, ut unà cum sanguine, etiam animam è momento efflaret, uti in tertia Centuria & alibi fusius dicemus.


Observat.

Sed ponamus, casum insignẽ aliquem anatomicum & Chirurgum, incisiones hasce omnes absque periculo (quod tamen fieri non potuit) perfecisse, quid tamen utilitatis ægro inde advenisset, nondum video. Ossicula enim omnia, quæ propter violentiam ictus, hinc & inde per partes musculosas dispersa fuerant, invenire minimè potuisset. Videmus id in carne animalium, etiamsi enim coquus diligens ossicula quam diligentissimè ex carne extraxerit, fieri tamen nunquam potest, quin post cocturam inter masticandum, (præcipuè si os aliquod magnum, & in parte musculosa perfractũ fuerit) fragmentum aliquod, inveniatur. At sciunt practici, minimum quandoque fragmentum ossis, non minora, ac si magnum esset, facessere negotia: curationemque in longum tempus protrahere.

Tertiò necessitas operationis perpendẽda.

Tertiò necessitas perpendenda est, hoc est, an hæc vel illa operatio requiratur? Si enim necessitas urget, vires & pars affecta consentiant, minimè procrastinanda erit operatio; Sin minus, ad quid prodest ægrum tormentis excruciare? Sed videamus nũc, an proposita operatio in ægro nostro requirebatur, anq; utilis fuisset? Ego planè persuasum mihi habeo, omnia illa ossicula, quæ ab ictu perfracta, & contrita fuerant, minimè extrahi debuisse. Pars enim ossium fractorum, dum callus generatur, denuò coalescit, atque reliquis ossibus, mediante callo, agglutinatur. Hæc autem ita fieri, non ex simplici cõjectura scribo; Sed

rem ita sese habere ipsa experientia, & ocularis inspectio me edocuit. Habeo enim in Musæo meo ossa plurima, olim graviter confracta, & cōminuta, ac denuò per callū conglutinata; In quibus etiamnum veritas eorum, quæ jam jam dixi, videre licet. Varia enim fragmenta in transversum, & obliquum posita, in eis visuntur. Tam sagax & provida est natura, in generatione calli, & ossium agglutinatione. Inter reliqua autem ossa, duas habeo costas, quæ cum ambæ ita perfractæ essent, ut fragmenta ad invicem sese attingerent, per callum in medio tam eleganter, ac fortiter conglutinati fuerunt, us potius ad latus quā in ipso callo disrumpere possint. Id autem, si in costis, quæ se invicem, ratione musculorum intercostalium, non attingunt, accidit, cur quæso in magnis ossibus, in quibus proprium alimentum, ex quo, ut Galenus testatur, callus generatur, superabundat, non fieret? Delineationem autem harum costarum hîc apponere placuit.




Sed ut paucis absolvam, quemadmodum nō omnis caro confusa, uti indies in praxi videmus, putrescit, & in pus convertitur, sed ea tantumōdo quæ ita contusa est, ut nullum amplius in se contineat vas integrum, per quod spiritus, & sanguis in partem læsam influere possint, sic quoque de ossibus æstimandum est. Quandoquidem eaquæ nondum penitus à periostio suo separata sūt, per callum denuò agglutinari facile possunt. Illa porro officula si quis vi extrahere, & à periostio, membrana exquisitissimo sensu præditâ, abrumpere vellet, graviter à via recta aberraret, & infinita symptomata, veluti dolorem, inflammationes delirium, convulsiones, & hujusmodi excitaret.

Arant in lib. Hipp. de vuln. capitis mihi pag.

Exspectandum enim (ut recte monent Medici) est naturæ auxilium, donec ipsa ossa veluti ad maturationem perducat, & à sua membrana separet; Et propellere incipiat, hinc Avicenna (loquens de frustis ossium, in ulceribus relictis) rectè scribit. *Illud,* inquit, *quod est melius, est ut non festinetur in extractione eorum: imo dimittantur naturæ & adjuventur; Et illud cum attractione pauca eorum quæ extrahunt in spacio, & non festino, &c.* Et paulo post. *Nam cum tu properas & extrahis ea violenter, tunc est in eis timor spasmi & permixtionis, & febrium. Theodoricus* lib. 2. cap. 27. eadem habet verba. Rectè itaque Medicus simul & cheirurgi fecerunt, quod ab initio morbi extractionem fragmentorum ossium non tentaverint. Hæc tamen in calvaria fracta, ubi ossa membranas cerebri pungunt, minime intelligenda esse, censeo. Illa enim, ut Hippocrates, lib. de vulneribus capitis docet, protinus, & ante tertium, aut quartum diem, sunt extrahenda. Si enim fragmenta, quæ membranas pungunt, diutius relinquantur, spes in angusto posita est.

Cæterum in hoc nostro ægro, omnia ossa, quæ ob violentiam ictus perfracta fuerant, non excidisse, ex magnitudine calli cognoscere licet. Callus enim ultra spithamam longus, bellè apparet, & per totam sui vitam apparebit: Hinc fracturam ejus fuisse magnitudinis, satis superq; liquet: ubi enim fractura non adest, ibi quoque non generatur callus. Deinde, etiamsi maxima fuerit fractura, atque contritio ossis, non tamen pro magnitudine fracturæ exciderunt. Numero enim viginti circiter quatuor fragmenta tantummodo exempta fuere, inter quæ hæc quatuor, que Burgæ, non tamen ab initio morbi, sed post aliquot menses, naturæ beneficio exciderunt, (præter ea quæ ego tandem extraxi, & quorum delineationem postea quoque addam) majora sunt: reliqua crassitiem pisæ, aut lentis nō exciderunt.

Delineatio quatuor fragmentorum ossium Burgio extractorum.



Inter omnia autem fragmenta, quæ exciderunt, quæque æger veluti res pretiosas conservat, nullum occurrit os, quod altera possit adjungi, atque adaptari, ut aliquis dicere possit, hæc, vel illa

illa duo fragmenta; antea fuisse conjuncta. Quæ autem, quæso, hujus rei est causa? profectò nulla alia, quam quod major pars fragmentorum remanserit, & per callum agglutinata fuerit.

Minimè itaque utile atque consultum fuisset, si ab initio fragmenta omnia, quæ ab ictu fracta, & veluti separata erant, extraxissent. Quum enim, ut sciunt practici, necesse sit, ut ambo extremitates ossis fracti, quæ conjungi debent, sese attingant, antequam callus generari possit, ac fractura in nostro ægro spithamam longa erat, mirum in modum retractum, & depravatum fuisset femur, si quicquid confractum extraxissent. *Magnum enim (Hippocratis verbis utor) dedecus est, ac detrimentum, femur brevius efficere. Nam si quidem manus brevior fiat, & occultari poterit, & non est magnus error. At crus si brevior fiat claudum hominem efficiet. Sanum enim crus longius est, & id redarguit, &c.* Cæterum quia major pars fragmentorum remanserit, ut antea ostendi, factum est ut callus factus sit validus, & magnus, neque femur vltra longitudinem trium digitorum, in latitudinem positorum, brevius existet. Ex quibus absurditas consilii cujusdam cheirurgi Rheti, qui callum post decem menses iterum medicamentis emolliendum, ac frangendum, ipsiusque eminentias forcipe, & scalpris abrumpendas esse, ægro, cum in thermis Piperinis esset, suadebat. Callus enim tunc quoque temporis ita confirmatus, roboratusque erat, ut femoris os potius ad latera calli, quam in ipso callo fractum fuisset. Nec video quomodo id, quod ita induruit, medicamentis iterum emolliri potuisset.

Os quoddam fractum, & mirum in modum contritum, post menses tres, ab accepta fractura, ad manus meas pervenit. In ipso cùm decoctionibus & fomentationibus, oleis & similibus emolientibus, reperiri vellem, an callus emolliri posset, multum, sed frustra laboravi. Nullus n. quantumvis robustissimus, hactenus callum hujus ossis, ambabus manibus frangere potuit; Reservo illud huc usq; iu Musæo meo, in quo hinc vide fragmenta ossis, decussatim posita, ac callo connexa, agglutinataq; conspiciuntur. Vana itaq; & frivola est jactantia quorundam Empiricorum, circum foraneorumq; qui se in ossibus fractis, & male, aut incurvatè curatis, callum post longum quoque tempus, medicamentis emollire ac denuo refrangere, ossaque in pristinam sedem reponere posse glorientur. Cujus operationis ne verbum quidem apud Hippocratem, aut Galenum habemus. Contra Hippocrates libro de fracturis hunc in modum scribit. *At verò, inquit, si femoris os fractum fuerit, extensionem præ omnibus facere oportet, ita ut ne defectuosus fiat. Magnum enim dedecus est ac detrimentum, femur brevius efficere, &c.*

Et paulò post. *Quare utilis fuerit, ut si quis male curandus sit, ambo potius crura fracta habeat, quam alterum tantum, æquilibris enim ipse sibi ipsi fuerit hoc modo.* Hic de emollitione & fractione calli, ne jota quidem habet Hippocrates. In principio tamen morbi, & antequam induratus fuerit callus, si ossa non satis rectè reposita fuerint, callum denuo medicamentis emolliendum, ossaque reponenda esse, cum Paræo libro 15. cap. 29. concedo. Eâ tamen distinctione, ut neque tumor, neque inflammatio ad sit: quæ si adfuerint, ante operationem removenda sunt. Verum si jam occaluerit, & in lapideam naturam versus sit, *Vesalii* verbis utor, attrectandum nullo ꝓ sus pacto esse arbitror. *Id n. & dolores acerbos, & inflammationes excitat.* Et nonnunquam etiam mortem; Paræus & Jassenius eadem fere habent verba. Neque hæc est doctrina Neotericorum solummodo, verum & Guidonis; & Avicennæ; qui sic scriptum reliquit. *Quandoque*, inquit, *fracturæ est restaurata non secundum quod oportet: & est necessarium, ut iteretur eius fractura, quare oportet ut restaurator sciat dispositionem alrosboth, qui restauravit os. Quod si fuerit magnus, fortis, non vadat ad frangendum ipsum secundo, fortasse enim non possibileut frangatur ex loco fracturæ prima, propter fortitudinem alrosboth, quare frangetur in aliæ parte loci. Et Albucasis; Tortuositas*, inquit, *quando accidit membro post sanntionem eius, & eminentia ossis fracto, aut nodatio, & fœdatur per illud forma membri, tamen membrum non prohibetur ab operatione sua naturali: Cave stolidorum medicorum exemplo, denuo membrum loco suo & sanitati restitutum, frangas. Nam inventi sunt adeo amentes, qui hoc fecerunt, quod temerarium & insanum factum, perdit sæpe aliquod membrum, nonnunquam totum hominem perdit.* Hujus quoque opinionis sunt *Bruno* & alii. Non potuit itaque hujusmodi operatio à Cheirurgo Rheto proposita, absque mortis discrimine administrari, præcipuè in hoc nostro ægro, qui naturâ non usque adeò validus ac robustus est. Atque hæc de factione calli, in gratiam tyronum adscribere placuit.

Institutionum Chirurg. lib. 2. cap. 10.

Paræus loco jam citato, Iessen. Institutionum Chir cap.

Guido Tractat. 5. Doct. 1. cap 1.

Avicenna lib. 4. Ien. 5. tractat. 2. cap. 10.

Albucas. l. 3. cap. 22

Bruno lib. 1. c. 18. Theodoric lib. 2. c. 23.

Sed redeamus nunc unde digressi fuimus, diximus, ab initio excretionem involuntariam excrementorum, propter summam vitium labefactationem ac prostrationem, supervenisse. Excretio porro ista, in fluxum veluti hepaticum conversa fuit, & per dies nonnullos continuavit, neque absque molestia, magnâ cum utilitate tamen ægri. Quandoquidem hoc modo, corpus jam antea per annos aliquot obstructionibus viscerum, hepatis, scilicet splenis, & venarum mesaricarum obnoxium, à pravis istis, atque excrementitiis humoribus exoneratum, febris quinetiam continua, ex parte imminuta fuit. Interim tamen femur malè affectum, propter abundandantiam humorum, qui simul deorsum fluebant, non exiguum damnum inde recepit. Adeò enim copiosè humores excrementitii in partem affectam descendebant, ut maxima inde dolorosa, nec non periculosa sequuta sit totius cruris, sed præcipuè circa genu intumefactio. Quamobrem ne propter abundantiam illam humorem excrementitiorum, calor nativus extingueretur, quin potius serosi isti humores evacuarentur, quatuor cauteria potentialia applicuit, Dn. Chapusius, nimirum duo ad latera rotulæ; reliqua ad poplitem, unum videlicet ex interna, alterum verò in externa parte suræ. Ex illis porrò fonticulis, materia ita copiosè effluxit, ut intu-

Fluxum hepaticus.

Cauteria potentialia circa genu applicatur.

Quæ symptomata ex applicatione cauteriorum ad genu sequuta.

intumefactio totius cruris insigniter multumque inde imminuta fuerit. Cùm autem omnes de morbo benè sperarent, ac symptomata omnia aliquo modo imminuta esse viderentur; Ecce novus insurgit hostis. Quarta enim die, post cauteriorum applicationem, quum natura sese per ea magis magisque exonerare vellet, via tamen nondum satis pateret, ita in corpore commoti fuerunt humores, ut exorto prius dolore vehementissimo totius cruris, denuò aucta sit febris, humores quinetiam de novo tam copiosè affluerent, ut cuncti nihil aliud quam gangrænam proximam esse, timerent. Medicus ac cheirurgi iterum omne studium, omnemque diligentiam ac laborem, ad profliganda symptomata, fideliter impendebant. Corpus itaque semel atque iterum rhabarbaro, sena, syrupo rosato solutivo composito, mannâ, cassiâ, & similibus, à pravis humoribus expurgabant: venam in brachio secabant. Coxam scarificabant: medicamenta quinetiam topica, prout necessitas imperabat, & diversa symptomata requirebant, applicabant: quibus Deus Opt. Max. ita benedixit, ut æger à gravissimis istis symptomatibus, inflammatione scilicet, dolore, & principio gangrænæ, liberatus fuerit. Postea ad primam curandi Methodum redierunt. Cauteria potentialia quod attinet, anque in eorum applicatione error, uti nonnulli arbitrati sunt commissus fuerit, deinceps suo loco fusius declarabitur: nunc autem, quæ præterea advenerunt symptomata, notanda sunt.

Iterum Gangræna propinqua est.

Ab initio morbi usque ad 20. diem Mensis Aprilis, nimirum novem mensium spacio, rarissimè absq; febre fuit æger. Illa autem ab initio per dies multos continua, postea verò tertiana, jam simplex, jam duplex fuit. Febris illa etsi aliquando propter sedulam diligentiam *Dn. D. de Burgo* Medici, optimamque, ac exquisitam victus rationem, quam æger observabat, per dies aliquot, aut hebdomadam unam, aut ad summum alteram, intermitteret, revertebatur tamen mox, ægrumq; iterum extorquebat. Quum autem ita uti dixi, febre, doloribus inquietudinibusque, vigiliis, atque infinitis aliis symptomatibus exerceretur æger, novo, nec non gravo quodam morbo, fame, scilicet insatiabili fere, cum maximo oris ventriculi morsu & rosione, Mense Novembri correptus fuit. Appetitus adeò erat vehemens, ut difficulter obsaturari posset æger. Etiamsi n. singulis viginti quatuor horis cibum ad minimum quinquies, & quidem satis lautè assumeret, vix tamen mensa mensam exspectare potuit. Potum contra, non usque adeò appetebat. Cibum retinebat, neq; illum indigestum per alvum rejiciebat; nec vomitus ullus aderat. Posteaquam morbo hocce gravissimo per mensem integrum laborasset, & summa cum difficultate, magnisque laboribus, & diligentia *Dn. D de Burgo* Medici vix curatus esset, iterum in febrim tertianam incidit. Febris hæc cum vomitu vehementi ipsum invasit. Superveniebant & deliria, vigiliæ, inquietudinesque maximæ. Febris hæc duorum mensium

Fames insatiabilis.

In febrim tertianam incidit æger

spacio ægrum mirum in modum excruciavit; interim tamen appetitum istum immoderatum ita delevit abstulitq;, ut deinceps ne minimum quidem istius vestigium senserit. Finita febri, fragmenta ossium sese offerre, & excidere incipiebant.

Porrò famem hance insatiabilem non solum ægris, & ex morbis convalescentibus, verum etiam aliquando eis, qui optimâ sanitate frui videntur, accidere observavi. Addam exemplum unum. Anno 1594. Cùm Coloniâ Reinbachium ad Nobilissimum ac Strenuum Virum *Dn. D. de Brembt*, Reverendissimi Episcopi Coloniensis Consiliarium prudentissimum, & Satrapam in Reinbach vigilantissimum, morbo gravissimo laborantem, vocatus essem; & per mensem ferè integrum apud ipsum moram traherem, Presbyterum ejus Oppidi, hominem quadraginta circiter annorum ætatis, robustissimum, & optimo corporis habitu præditum, familiariter cognovi. Is bona fide mihi retulit, se septem annorum spacio, fame veluti insatiabili, tam vehementer laborasse, ut sæpissimè in agris (non habens penes se cibum) humi sese projicere, gramina & herbas abscindere, ac crudè devorare coactus esset. Usus autem fuerat medicamentis quamplurimis, sed absque successu. Tandem verò anno septimo morbi, nescio quâ evacuatione criticâ factâ, à morbo isto feliciter liberatus fuit; & postea per multos annos sanus & incolumis vixit.

Quum verò morbus ita in longum tempus protraheretur, Nobilissimus vir *Dn. Wallier*, ægroti parens, Paterniaco ad S. Albinum me advocari jussit; & ut Burgum proficiscerer, filiumq; suum inviserem, opem quinetiam, ac consilium sibi communicarem, & quidnam in posterum faciendum, indicarem, à me postulabat. Burgum itaq; quarta Aprilis perveni, ægrumq; adhuc in grabato decumbentem inveni. Propter summam enim imbecillitatem femoris, & febrem (quæ ex levissima etiam occasione eum invadebat) è grabato surgere, & suffulcris sese inniti, ausus nondum fuerat; imo ne corpus quidem tantum sublevare potuerat, ut ministri excrementa pelvi aliqua excipere possent. Ulcera aderant tria, unum quidem ex interna, reliqua duo in externa parte femoris; quorum unum globulus, ubi intraverat, alterum verò natura, ad expellenda ossium fragmenta, fecerat. In omnibus autem istis ulceribus, immisso stylo exploratorio, ossa denudata inveniebatur. Genu quasi immobile, & pes versus talum internum incurvatus erat.

Post dies aliquot, Clarissimo atque Doctissimo viro *Dn. D. Iano de Burgo* Medico celeberrimo. *Dn. Claudio Chapusio*, nec non *M. Antonio Chaly* mecum congregatis, (ut quid inposterũ agendum esset, consultaremus) deliberatũ fuit. Primò ut æger aërem mutaret. Cum enim Burgi, & præcipuè in propugnaculo, propter stagnorum copiam, aër adeò sit humidus atq; insalubris, ut pauci inter extraneos eo absque insigni damno uti possint, non exiguum commodum atque utilitatem

tilitatem ex mutatione ista, ægrum capessurum, sperabamus. Secundò ut in patria potionibus, electuarii, & similibus, ad reserandas obstructiones viscerum, corroborandasque partes nobiles, uteretur. In eum finem Dn.D. de Burgo, quæ sequuntur remedia, præscripsit.

R. Succorum fumariæ,
Agrimoniæ,
Cichorii agrestis, ana ℥iiij.
Succi limonum depurati ℥vj.

In quibus macera horis viginti quatuor foliorum senæ mundatorum.
Epithymi ana ℥j.ß.
Agarici trociscati,
Rhabarbari electi ana ℥iiij.
Cinamomi optimi ℈ij.
Fœniculi dulcis ʒj.

Facta infusione, & postea leni ebullitione, fiat colatura, cui adde syrupi Rosati laxativi ℥iij. fiant tres doses, horis quatuor ante cibum, tertio quoque die sumenda. Sic purgato corpore.

R. Radicum quinq; aperitivarum ℥j.
Corticum radicum capparis, &
Tamarisci ana ʒvj.

Macerentur supra calidos cineres, horis octo, in ℥iiij. oxymelitis simplicis, deinde in vase fictili vitreato coquantur in aqua ℔iiij. adjecto.
Cichorii, Betonicæ, Chamedrios,
Agrimoniæ,
Summitatum lupulorum, &
Herbarum capillarium ana M.j.
Absinthii vulgaris,
Marrubii albi,
Endiviæ,
Buglossæ ana M.ß.
Passularum exacinatarum,
Liquiritiæ rasæ an. ℥j.
Spicæ nardi,
Scœnanthos ana ʒj. ß.
Florum Cichorii,
Buglossæ &
Violarum ana p.j.
In ℔j. ß. colaturæ dissolve
Syrupi de Endivia compositi,
Syr. de bizantiis &
Acetosæ simplicis ana ℥j. ß.

Sacchari q. s. fiat apozema clarificatum, & aromatizatum ʒj.pulv. Diarrhodonis Abbatis, pro quatuor dosibus matutinis.

Ab usu ejusmodi apozematis redeat ad usum syrupi purgantis, & sic vicissim circuitu repetito, utatur tum apozemate tum syrupo laxante. Finito tum apozemate, tum syrupo laxante, fiat eorum nova compositio, nec eis uti antea desinat, quàm duodecim saltem dierum spacium ab initio ad finem usq; intercesserit.

Si contumaciores obstructiones his non cedant, utatur sequentibus syrupis.

R. Agrimonii,
Absynthii vulgaris,
Prassii albi,
Chelidonii majoris ana M.ij.

Contundantur in pila marmorea, sensim affundendo vini albi ℔.ß. expressus succus sinatur residere. Fiat colatura, in qua dissolve sacchari quantum opus, factaque leni ebullitione dentur ℥iij. pro dosi, mane jejuno stomacho.

R. Radicum chynæ ponderosæ & non foraminibus perviæ
Cort. Tamarisci ana ℥j.
Rad. graminis ℥ij.
Ceterach. M.j.ß.
Aquæ fontanæ ℔.vj.

Fiat decoctio ad sextæ partis consumptionem, de colatuta diluat vinum in potu, quod quidem sit album & tenuium partium,

Universali & epicratica purgatione administrata, utatur sequenti electuario.

R. Confectionis dialaccæ ʒiij.
Trociscorum de Rhabarbaro &
De capparibus an. ʒj.
Mithridatii veteris ʒ.j ß.
Lumbricorum terrestrium præpar. &
Cochlearum limacum tenuissimè pulverisatarum an. ʒij.
Pulv. Diarrhodonis Abbatis ℈ij
Conservæ florum calendulæ an. ℥.ß.

Cum syrupo de succo cichorii fiat electarium, utatur alternis diebus mane ad quantitatem unius avellanæ: superepoto pauculo vino albo, aqua cichorii diluto.

Si quandoque superioribus uti pigeat, parētur illi juscula ex pullis gallinaceis, farcitis floribus genistis, capparibus, uvis corinthiacis, incoctis præterea radicibus fœniculi, petroselini, ab interiore matrice mundatis; itemq; ciceribus rubris, & præterea buglosso, boragine, endivia & cæteris ejusmodi, condiantur itaque sale communi, etsi multò melius esset ea, illius loco absinthii sale, aut cremore tartari condiri.

R. Aloes succotrini, in succo rosarum Pallidarum dissoluti, & denuò coagulati ℥. ß.
Gummiammoniaci in aceto rosato dissoluti, & per setacceum trajecti ʒij.
Myrrhæ ʒj.ß.
Radicis Gentianæ ℈ij.
Specierum diatrion. santal. ʒj.
Salis absinthii ℈iiij. Croci ʒ.ß.

Cum melle rosato & succo cichorii fiat massa, è cujus singulis drachmis formentur pilulæ sex, capiat pilulam unam, paulò ante cibum. Foveantur & hypochondria sequenti modo.

R. Radicis Altheæ ℔.ß.
Radicis bryoniæ &
Cucumeris agrestis an. ʒiij.
Radicis apii, petroselini an. ʒij.
Corticum radicum cappar. &
Tamarisci an. ℥j.
Foliorum hederæ & Sambuci an. M.ij.
Ceterach M.j.
Seminis agni casti, & Abrotani an. ʒß.
Florum genistæ,
Camomillæ & Meliloti an. p.j. ß.

Fiat decoctio, quâ foveantur hypochōdria utraq; vel excipiantur hæc sacculis lineis, qui benè expressi applicentur hypochondriis.

R. Ol. de capparibus, &
Amygdalarum amararum an. ℥j. ß.

Margin notes: ...opus purgans. — Apozema. — Syrupus magistralis. — Decoctum ad diluendum vinum. — Electuarium. — Pilulæ. — Fometum pro Hypochondriis. — Linimentum.

Ol. Tartari ℥ j.
Bdellii &
Ammoniaci sa. dissoluti in aceto scyllitico an. ʒ. vj.

Ceræ tantillum, fiat linimentum, quo calidè post fomentationem liniantur hypochondria.

Caveat ab usu ciborum omnium pituitosi, crassi, ac feculenti succi promotum facientium. Quod autem ad crus affectum spectat, hîc prætermitto, quod nobilis æger prudenti admodum viro, doctissimoque cheirurgo *Dom. Guilhelmo Fabricio Hildano* committatur, illique negotium totum, & meritò quidem concredatur. Atque hæc sunt, quæ à viro clarissimo & doctissimo Dn. D. Jano de Burgo Medico longè celeberrimo, Burgi præscripta fuere. Cætarùm interim dum æger sese ad iter præparat, tempusq; commodum exspectaret. Lugdunum me contuli, idque in eum finem, ut ibidem quoque præstantissimorum Medicorum opinionem atque sententiam, de hocce tam gravissimo affectu intelligerem. Convocatis itaque viris clarissimis atque doctissimis, Dom. Jacobo Pons, & Dom. Philiberto Saraceno, Medicinæ Doctoribus longè celeberrimis, ipsis morbum, cum omnibus circumstantiis & symptomatibus, quantum potui, delineavi. Illa quin etiam, quæ Burgi inter nos deliberata fuere, exposui. Hi omnibus illis, quæ Burgi inter nos deliberata fuere, subscripserunt: & cum mutationem aëris, tum etiam usum thermarum, & acidularum approbavere. Lugdunoquum Burgum reversus essem, ægrumq; in lecticam posuissem, in viam nos dedimus, vigesima die Aprilis 1609. stylo novo: ubi notandum, altera quoq; die mutationem quandam in melius, in ægro apparuisse: ita quidem, ut deinceps de die in diem appetit us, simul & vires mirum in mod um accrescerent: tam efficax in nobis est optima & salubris constitutio aëris: 25. ejusdem mensis Neocomum feliciter pervenimus: ibiq; quia æger aliquo modo ex itinere defagitatus erat, per dies aliquot moram fecimus. Deinde per lacum Neocomensem, Biellensem & Arulam fluvium Solodurum contendimus: ubi, ut æger quotidie innixus suffulcris ambulando sese exerceret, operam dedi. Res nobis ita ad votum successit, ut paulò post eques quoque hinc & inde deambulare, & paulatim unico baculo incedere posset. Suasi ut interim dum tempus ad thermas aut acidulas invisendas commodum expectaret, apozematis aperitivis, reliquisque medicamentis Burgi, communi consensu à Medico præscriptis, uteretur. Verùm quum æger decocto quodam vulnerario (quod nobilis quidam ipsi præscripserat, quodq; ad expellenda ossa, aliaq; mira præstanda, nostrates supra modum extollunt) ex sanicula, alchimilla, pyrola, prunella, sabina & similibus, vino coctis, ex consilio & consensu parentis uteretur, totum negotium barbitonsori domestico, & famulis commisi, & purgato iterum ægro, domum me contuli. De præscripto decocto vulnerario, ter in die haustum bibebat: eodemque decocto ulcera abluebant, & linteum reduplicatum, nec non decocto madefactum, iterumque expressum, calidè applicabant adstantes. Ab usu tamen hujus decocti, quia (uti ego ante meum abitum ipsi prædixeram) summoperè lædi, maximumque incommodum inde persentiret, non ultra dies viginti eo uti potuit. Sunt enim hujusmodi potiones (quod notandum) eis, qui obstructionibus viscerum, veluti hepatis, lienis, & venarum mesaraicarum laborant, propter eorum vim astringentem & exsiccantem adversissimæ. Quandoquidem constringendo & exsicando, excrementitios humores in visceribus retinent. Hinc dolores, tormina, hypochondriorum inflationes, scirrhos viscerum, tandemque virium & appetitus prostratio, alique incommoda sequûtur. Et quia nobilis noster æger à teneris ferè unguiculis obstructionibus obnoxius fuerat, & ex diuturno concubitu partes nobiles labefactatæ essent, incommoda illa omnia, quæ recensui, ex usu decocti in se expertus est.

De decocto vulneratio.

Potio vulneraria quibus [...]ant.

Infelicem illum successum decoctorum vulnerariorum, in aliis quoque observavi, præcipuè in nobili quodam Viro, Cacochymico, propè Lausannam. Is cum propter ulcus circa costas mendosas decocto vulnerario, ex consilio imperiti hominis uteretur, in tertianam periculosam incidit.

Obs[...] tio d[...] felic[...] cessu[...] cocti [...] nera[...]

Anno 1615. Mense Februario, Generosus quidam, cujus nomini parco, exulceratione glandularũ prostatarum, & caruncul is in meatu urinario, (quarum curationem mihi commiserat) laborans, à quodam, præter meum consensum ac voluntatem, inductus fuit, ut decocto vulnerario Halviliano, ut vocant, uteretur, paruit, ac bibit secundùm præscriptum, verùm non sine damno. Etiamsi enim antea corpus à me ex arte purgatum, vena quinetiam secta fuisset, non diu tamen post febri cum maximis rigoribus correptus fuit, qua & per dies aliquot laboravit, præsertim de tertio in tertium diem. Erat autem Generosus hic noster, cacochymicus, & obstructionibus à longo tempore obnoxius. De hoc decocto plura videat Lector in tractatu nostro de Ichore & Meliceria Celsi cap. 7, Quapropter videat cheirurgus, ne temerè decocta vulneria cacochymicis, qualis eo tempore nobilis noster æger fuit, exhibeat.

Admo[...] tio a[...] rone[...] Alia[...] serva[...] d: in[...] ci suc[...] decoc[...] vulne[...] rii in[...] cocym[...]

Post meum abitum, quia præscriptis potionibus, absque insigni damno, ultra dies viginti uti non potuerat, & thermas invisere vellet, iterum ad me scripsit, ut quasnam sibi eligere deberet, ex me intelligeret. Ego ut Piperinis uteretur, suasi: duplicem enim fructum ex ipsis exspectabam. Quandoquidem non solum ad obstructiones reserandas, partesque nobiles corroborandas, mirum in modum conveniunt, verum etiam nervos & nervosas partes corroborant, emolliuntque. Et ut verbo dicam, mirandas habent facultates, egregiasque ex se edunt operationes, uti nobilis noster æger in se expertus est, quemadmodum post hac, si Deus Opt. Max. vitam concesserit, fusius declarabo.

De the[...] mis Pi[...] rinu[...]

Nunc


Nunc perpendendum est, quænam causa esse possit, quod genu adeò difficulter moveatur: anque hæc, uti nonnulli voluerunt, cauteriis potentialibus ad rotulam, ut antea dixi, applicatis, adscribi possit? Item cur æger ab usu thermarum tam exiguum fructum in crure & genu perceperit? Motui juncturarum inserviunt nervi, musculi, tendones, ligamenta, & humor viscidus, in ipsis articulis contentus. Hæc omnia donec secundum naturam sese habent, movetur articulus contrà, si malè fuerint affecta, motus aut depravatur, aut omninò aboletur, secundum affectus magnitudinem. Si enim ligamenta, quæ articulum firmant stabiliuntque, aut etiam appendices ossium erosæ fuerint, & humor ille viscidus, qui articulis inhæret effluxerit, articulus omninò suo motu privatur. Sin nervi & musculi, qui motui inserviunt, lædantur, motus quidem depravatur, non tamen semper aboletur. In hoc autem ægro nostro, neque ligamenta erosa fuisse, neque humorem viscidum ex articulo effluxisse, nunc quia nullus adest tumor, ac omnia circa genu secundum naturam ferè sese habent, apparet. Cauteria potentialia quod attinet, perpendendum est, (quemadmodum & antea dixi) ea ipso tempore, quo genu supra modum intumefactum fuit, applicata fuisse. Quapropter quum hoc tempore extensa & elevata esset cutis, eorum vis atq; urendi facultas, ad ligamenta & nervosas partes usque pervenire non potuisse, rationi consentaneum est. Affectus itaque ille in genu, & depravatio motus, partim ad callum, partim quoque ad musculos referri debet. Ad callum, quia supra modum præcipuè antrorsum extuberat, & veluti arcum in osse efficit. Ad musculos, quia ea in parte septimus & octavus tibiam moventium musculi descendunt, & unà cum nervis, à callo extuberante in altum elevantur, inflexionem genu non admittunt: adde quoque, quod musculi & nervi à globulo, & ossis fragmentis dilacerati fuerint. Mirum itaque non est, ægrum tam exiguum fructum, cùm ex tot inunctionibus emollientibus, resolventibus, & corroborantibus, tum etiam ex thermis ipsis Piperinis percepisse. Si enim causa, scilicet extuberantia calli & ossis, tolli non potest, quis, quæso, affectum tollere poterit? In ipsa tamen curatione, quia mirum in modum, uti postea dicam, imminutus fuit callus, sequitur quoq; quod æger nunc multò melius, quā antea genu inflectere, & circūagere possit. Quod autem ægrum à thermis exiguum fructum percepisse dixerim, id de expulsione fragmentorum ossis, inflexione & motu genu intelligo: quandoquidem ne minimum quidem ossiculum, beneficio thermarum, natura rejecerat. Verùm quantum ad roborationem nervosarum partium, tam efficaces fuerant, ut æger, qui in lectica, & quidem cum difficultate ad thermas conductus fuerat, eques reversus sit.

Nunc verò unde digressus fui, redeundum est. Dixi anteà, Thermas Piperinas ægro præscriptas fuisse. Circa principium itaque mensis Julii lecticâ Tigurum, inde in pagum Valens, thermis proximum, conductus fuit. Tiguri medicamenta purgantia, ibidem à Medico præscripta, secum acceperat: Stomachus tamen ea (forsan propter defatigationem ex itinere) retinere non potuit. Descendit itaque vallum, & in antrum ad thermas pervenit. Quas ingressus, statim commota fuit natura, alvumque per dies aliquot, maxima cum utilitate ægri, subduxit. Fuit autem in thermis dies 21. Prima die horas tres, secunda septem, tertia decem, & sic ascendendo usque ad horas sedecim, quotidie balneavit. Nonnunquam quoque spatio viginti quatuor horarum thermis non egrediebatur, sed cibum in ipsis sumebat, & sedendo dormiebat. Totum tempus tum ante usum thermarum, tum etiam interim dum ipsis uteretur, ac deinceps cum domum reversus esset, optimam observabat victus rationem, & per intervalla nonnihil confectionis alkermes, cum aqua cinamomi, ad partes nobiles roborandas, jejuno stomacho assumebat.

Interim dum thermis uteretur, Cheirurgum ex oppido quodam, thermis proximo, in consilium advocari jussit. Suasit ille, ut ex utraque parte femoris, os, aut ferro ignito, aut novacula detegeretur, iterum frangeretur, callusq; scalpris abraderetur, aliaque inepta & absurda proponebat: sed occurrebant tunc ægro ea, quæ de periculo istarum operationum, sæpius ex *Dn. D. De Burgo*, *Dn. Chapusio* & ex me intellexerat, quapropter hac in re temerè, & absque consilio, nihil tentare voluit. Dimisit itaq; Chirurgum istum, & suo consilio uti noluit. De absurda hacce solutione antea quo dictum fuit.

Reversus cum esset Soludurum, iterum per literas accersitus fui: undecima itaque Septemb. stylo novo, Soludurum perveni, ægrumque quantum quidem ad partes nobiles spectat, veluti sanum, ut ita dicam, reperi. In femore tamen & circum circa callum quatuor erant ulcera fistulosa, angusta, & callosa: quapropter mirum non est, fragmenta ossis, beneficio thermarum minimè fuisse expulsa, ulcera enim prius dilatari & callositates absumi debebant. Id, quia medicamentis antequam thermas ingrederetur, factum non fuerat, & beneficio thermarum fieri non potuit, frustra negotium hocce naturæ committebatur. In istis autem omnibus ulceribus, immisso stylo exploratorio ossa denudata percipiebantur. Ulcus unum ex interna parte femoris, reliqua tria in externa parte erant, hujus formæ & magnitudinis.

Cur fragmenta ossis à thermis rejecta non fuerint.



Distantia

Distantia à litera A. ad B. pollicem unum cum dimidio, à B. verò ad C. pollices quatuor continebat.

Curationem, ut sequitur, institui. Primò corpus sequenti potiuncula expurgavi.

Purgatio purgans.

R. Herbarum Agrimoniæ,
Veronicæ,
Cuscutæ,
Ceterach,
Scabiosæ an. M.ß.
Trium florum cordialium,
Genistæ, &
Sambuci an. p.j.
Liquiritiæ, &
Uvarum passularum exacinatarum an. ℥ß.
Seminis anisi &
Foliorum senæ mundat. an. ʒiij.

Coquantur in aqua, ut colatura redeat ad ℥iiij. In quibus infundantur & macerentur per noctem.

Rhabarbari electi ʒij.
Agarici recenter trociscati ʒj.ß.

In expressione dissolve syrupi rosati solutivi compositi cum Rhabarb. Agaric. & sena, aquæ cinamomi distillatæ sine vino an. ℥j.

Misce, fiat potiuncula, detur quatuor horis ante prandium. Postridie, qui fuit 13. Septemb. venam in cubito incidi, & uncias circiter quinque sanguinis extraxi. Decima quarta à litera A. usque ad B. causticum meum applicui. Facta eschará, digestivum sequẽs quotidie bis imposui.


Digestivũ.

R. Ceræ novæ ℥.ß.
Therebinth, lotæ in aqua rosar.
Ol. rosarum,
Amygdalar. dulcium, &
De vitellis ovorum an. ℥j.
Gummi elemi ʒij.

Dissolventur lentissimo igne, & per linteum colentur. Deinde admisce

Croci subtiliss. pulverisati ℈ij.
Vitellum unius ovi,
Misce, fiatq; unguentum.

16. Escharam scalpello excidi, & fragmentum ossis detexi: quod quum magnum, & sese ad ulcus C. notatum usq; extendere animadvertissem, post dies aliquot causticum à B. usque ad C. applicui. Ubi notandum, cutem & carnem, quæ fragmento ossis adjacebat, adeò duram & callosam fuisse, ut causticum, quantumvis copiosè applicatum, sæpiusque iteratum, vix penetrare posset. Interim tamen etsi causticum propter carnis callositatem vix penetraret, naturæ tamen & medicamentorum beneficio, fragmentum ossis de die in diem, magis magisque relaxabatur, tandem incœpi singulis diebus semel aut bis os, ubi in sequenti figura A. notatum est, forcipe apprehendere, & aliquantum & quidem clementer agitare. Id quum per dies aliquot fecissem, adeò relaxatum fuit, ut vigesima tertia Septembris illud absque dolore & violentia extraxerim. Figuram autem & magnitudinem ejus ossis hic adumbrare libuit.



A. A. Pars ossis est, quæ coxam versus respiciebat.

B. Pars ossis est, quæ medullam versus vergebat, undique aspera & inæqualis.


C. Pars ossis est externa, aliquibus in locis glabra, sed majori ex parte aspera.

D. D. Pars ossis est versus genu.

Ex motione autem atque agitatione ossis (quod minimè erat omittendum) dolores adeò vehementes superveniebant, ut famuli, qui pedẽ tenebant, motum atque agitationem quandam tremulentam nervorumcirca talum perciperent. Primis quidem quidem diebus non ultra genu se extendebat dolor iste, tandem verò ad talum & digitos pedum usque perveniebat: ita quidem ut nulla violentia inter movendum & agitandum os uti auderem. Verebar enim, ne spasmo aut aliquo alio gravi symptomate corriperetur æger: adeò natura est tenellus, & exquisitissimo sensu præditus. Non video itaque, quomodo cheirurgi isti, quorum antea mentio facta fuit, violentas istas & dolorosas operationes, absque mortis discrimine, administrare potuissent.

Extracto osse ab ulcere B. usque ad C. sinus quidam cuniculosus, & substantia quadam callosa tectus, in quo & officula nonnulla latitabant, repertus fuit. Callositas porrò illa, quum cauterio potentiali nonnisi maxima cum difficultate prodere posse, actuale verò aut novaculam ægrũ non facilè admittere velle viderem, aliud medium excogitare cœpi, & quomodo carnem illam callosam filo abscindere, sinumque illum detegere possem, inveni. Stylum itaque exploratorium ex argento fabricatum & incurvatum, cui filum aliquoties reduplicatum, añexum fuit, per ulcus in sequenti figura C. notatum, immisi, filumque traduxi. Id verò ut clementer fieret, neque stylus carnem compungeret doloremque excitaret, ex una parte stylum, cui filum erat alligatum, ex altera verò parte stylum excavatum sive ut vocant ducto-

ductorem, quo alterum stylum excipere posset, uti sequens figura demonstrat, immisi. Absque hujus enim ductoris beneficio, stylum exploratorium, propter anfractuositatem ulceris traducere antea nonpotueram: etiamsi summam adhibuissem diligentiam.



Superioris figuræ explicatio.

A. Inferior pars est ulceris versus genu.

D. Superior pars ulceris versus coxam.

F. Stylus, cui filum annexum est: stylus autem ille, quo facilè inflecti possit, exilis, & ex argento fabricatus esse debet.


G. Stylus excavatus, sive ductor.

à Superficie autem ulceris usque ad

E. E. Ulcus duos pollices erat profundum.

C.B. Ulcera sunt fistulosa, in sinum istum anfractuosum & cuniculosum penetrantia.

Per ulcus C. usque ad ulcus B. notatum, traducto filo, quodtidie (ut carnem abscinderet) constringendum erat: id verò ut paulatim, & absque dolore fieret, sequens instrumentum excogitavi, & 27. ejusdem mensis applicui.



Præcedentis Instumenti declaratio.

A. A. Lamina est argentea, non usque adeò spissa, quò, uti situs & figura partis affectæ expostulat, detorqueri atque incurvari possit.

B. Trabs est quadrata, in medio prædictæ laminæ posita; Illa autem sex habet foramina, ex his duo filum excipiunt, reliqua circumductioni trabis inserviunt.

C.C. Duo

C.C. Duo sunt suffulcra, quæ trabem excipiunt, atque sustinent.

D. Rota est, prædictæ trabi inserta.

E. Plectrum, ex chalybe fabricatum, quod, circumvolvendo trabem, dentibus rotæ, uni post alterum inseritur. Impedit autem rotula illa, cum plectro, ne trabs præter voluntatem Cheirurgi circumvolvatur, & filum relaxetur.

F.F. Stylum, quo trabs circumducitur, denotat.

G. Filum reduplicatum indicat; quo posito iu ulcere, ita collocandum est, ut in medio figuram X. constituat. Et pars fili K. notata foramen I. Altera verò pars fili H. designata, foramen 2. ingrediatur, trabique inseratur. Decussatio autem hujus fili maximè est necessaria, subter lamina enim veluti seminodum efficit; ipsiusque beneficio carnem multò citius abscindit.

L.L. Foramina sunt quorum beneficio ex utraque parte fasciæ.

M.M. Designatæ, instrumento annectuntur.

N. Foramina sunt, qui lorum

O. Notatum excipiunt.

Ita, ut dixi, applicato instrumento, & prædictis fasciis M. M. notatis parti affectæ alligato, quotidie ter, aut quater, trabem circumvolvi; sic enim filum, carnem paulatim contraxit, arcteque constrinxit, tandemque sine dolore abscidit. Interim autem dum utebar prædicto instrumento, digestivum, antea præscriptum, filamentis, ulceri imposui, & Emplastrum Divinum applicui. Totum femur & os sacrum sequentibus oleis calidè bis in die, inunxi.

Linimentum, anodynum.

R. Ol. lumbricorum,
Vulpini,
Anethini,
Rosarum ana ℥ j.
Ol. de vitellis ovorum,
& Amygdalarum dulcium
Pinguedinis humanæ ana ℥ j. ß.
Misce fiat linimentum

Cataplasma anodynum.

Quadam die cum dolor supervenisset, sequens applicui cataplasma.

R. Farinæ fabarum ℥ iiij.
Farinæ fœnigræci &
Seminis lini ana ʒ iiij.
Pulv. sem. cydoniorum ʒ ij.
Pulv. rosarum.
Chamomillæ,
Meliloti ana ℥ ß.


Coquantur cum decocto radicum altheæ, fiatque cataplasma, cui in fine admisce;

Butyri recentis,
Ol. rosacei ana ℥ j.
Vitellos ovorum num. 2.
Croci pulverisati. ℈ ij.


Misce fiatque cataplasma, quod calidè applicetur.

Trigesima die Septembris, cum filum totam istam carnem callosam abscidisset, iterum fragmenta ossis in profundo ulceris stylo exploratorio reperi: quapropter pulverem catagmaticum, qui materiam, & si quid extranei ulceribus inest, ex profundo trahit, inspergere cœpi, & Emplastrum Divinum applicui. Circa principium mensis Octobris quum æger beneficio diarrhææ, à pravis humoribus evacuatus fuisset, venam brachii sinistri, ad sanguinem melancholicum diminuendum, maximo cum fructu, incidi.

Porrò quia ingressus ille ad ossicula, quæ specillo reperiebantur, adeò angustus esset, ut fragmenta inde extrahi non possent, ac proinde dilatatione indigeret, 8. 9. & 10. ejusdem mensis unguentum escharoticum applicui, cujus beneficio facta eschara, iterum digestivum, superius descriptum, aliaque anodyna, ad casum usque escharæ, applicui. Decima quinta fragmentum ossis, hujus figuræ & magnitudinis extraxi; deinde spongiam emplastro de betonica præparatam, ne labia ulceris coalescerent, imposui.



Eâdem die sub vesperam, iterum ossiculum hujus figuræ & magnitudinis extraxi.




Hactenus ulcus ex interna parte femoris existens, planè me neglexisse videtur; &, ut ingenue fatear, ex parte neglectum fuit. Quia enim fragmentum ossis, quod stylo exploratorio persentiebatur, maximum, (ut postea ex ipsius delineatione apparebit) esset, & profundè latitaret, tenaciterque inhæreret, contra verò ulcus angustum, profundum, & fistulosum, non potuit extrahi fragmentum hoc, nisi prius dilatatum esset ulcus. At dilatatio illa, propter ramum istum insignem venæ cavæ, ulceri proximùm, absque summo periculo fieri non potuit. Hæc cum æger & adstantes ex me intellexissent, deliberatum fuit, in curatione reliquorum ulcerum eâ quâ fieri potuit diligẽtiâ procedere, huic verò ulceri curationem palliativam adhibere, totumque negotium potius naturæ committere, quàm cum summo, imò & mortis periculo, aliquid tentare. Attamen ne pus circa prædictum os colligeretur, & grave aliquod symptoma excitaret, quotidie turundam pulvere catagmatico aspersum infixi, & Emplastrum Divinum applicui.

Cæterùm, quùm ossiculum jamjam delineatum extraxissem, atque non procul ab ossiculo illo in ulcere, ex interna parte femoris latitante abesse, apud me perpendissem, iterum nonnihil unguẽti escharotici, circa fundum ulceris (quod jam profundissimum) filamentis imposui; Quod verò reliquum erat ulceris, spongiis præparatis, & unguentis anodynis illinitis, adimplevi. Factâ escharâ, digestivum, donec ipsa ablata esset, imposui. Deinde iterum unguentum escharoticum applicui. Idque toties iteravi, donec ossicula illa, quæ in interno ulcere stylo exploratorio persentiebantur, in ulcere externo nobis in conspectum venirent. Interim totum crus coxam & os sacrum


factum oleis anodynis, antea descriptis, inunxi, & cataplasma anodynum applicui. Sequenti quoque Electuario pro corroboratione internarum partium, sæpissimè jejuno stomacho, & per horam unam aut alteram post cœnam æger utebatur.

R. Conservæ florum betonicæ,
Salviæ,
Absynthii Pontici,
Rad. Cichorii cond. ana ℥ß.
Confect. Alkermes ʒ vj.
Spec. Aromatici rosati,
Diarrhodonis Abbatis ana ʒ j.
Misce, & cum s. q. syrupi conser. corticum citri, fiat electuarium.

Detectis ossiculis, quotidie turundam pulvere catagmatico aspersam, subter os elementer intrudi: idque in eum finem, ut beneficio spongiæ, os paulatim in altum elevaretur, expelleretur, quo tandem forcipe aliqua aut hamulo postea delineato apprehendi possit. Vigesima itaque prima, post cœnam cum ulcus curarem, duo fragmenta sed valdè exigua extraxi: deinde turundas ex spongiis præparatis factas, & prædicto pulvere aspersas infixi. Vigesima secūda paulò ante prandium, præsentibus viris nobilissimis Dn. *Io. à Rosle, Dn. Philippo Stafiaco Dn. In Molondins & Dn. Ludovico Gerbardo*, & nonnullis aliis maximum fragmentum ossis feliciter, & fere sine dolore, extraxi. Hujus autem ossis figuræ & magnitudo hæc est.



Atque hoc erat fragmentum ossis, quod in ulcere, ex interna parte femoris existente percipiebatur. Idque inde videre licet, quod eâdem die, quo extractum fuit quum post cœnam stylum exploratorium immisissem, neque fragmentum ossis, neque obstaculum ullum percipi potuerit: quapropter ab eo tempore funem, ex serico rubro, interlaqueatum, & pulvere catagmatico aspersum nec non stylo annexum ab ulcere in extrema parte femoris existente, per internum usque, parvo cum negotio trajeci. Funis autem iste, primis quidem diebus crassitiem pennæ anseris adæquabat: mundificato verò ulcere, ipsum paulatim imminuere cœpi: ad mensem tamen Februarium ferè usque, fune isto usus sum. Callositates enim & concavitates sordidæ aderant: ideoque ut ulcera per menses aliquot aperta manerent, omnem adhibui diligentiam, imposito quotidie pulvere catagmatico sic enim callositates ulceris absumebantur, sordes expurgebantur, callus quinetiam qui ab initio non solùm magnus, & deformis erat, verùm etiam propter sui extuberantiam flexionem genu impediebat, mirum in modum, & ita quidem imminutus fuit, ut æger paulò post absque baculo incederet: genu quin etiam multò facilius, quam antea, inflectere posset. In extractione autem ossium sequenti hamulo, & forcipe usus sum.



Interim autem dum in extrahendis ossibus, uti dixi, laborarem, ulcus quinetiam ut ex præcedenti delineatione apparet, maximum esset, & ossa adjacentes partes, præcipuè ambulando, & equitando, compungerent, exercitiaq; corporis, ægro tantoperè necessaria, impedirent. Instrumentum ex cupro, in formam tegumenti testudinis, excavatum, & oblongum fabricandum curavi. Illud ex interna parte gossipio, & tela cooperto & munito, vulneri super imposui, & ita adaptavi, ut absque difficultate ambulare, & equitare posset.

Post extractionem prædicti ossis, incepimus totum crus, simul & os sacrum, aquâ theriacali, pro roboratione partium nervosarum inungere. Parti verò læsæ sequentem sacculum corroborantem, quotidie bis calidè applicui.

R. Foliorum & florum betonicæ,
Salviæ, Rosmarini,
Majoranæ,
Ivæ arthericæ,
Primulæ Veris,
Absinthii vulgaris,
Origani,
Hyperici,
Centaurii minoris.
Florum chamomillæ,
Meliloti,
Rosarum odoriferarum ana M. ß.
Baulaustiorum,
Nucum cupressi,
Gallarum,
Corticum granatorum ana ℥ ß.
Aluminis &
Seminis anisi ana ℥ j.

Incidantur, & contundantur grosso modo; indanturq;, sacculo ejus magnitudinis, ut femur ferè totum usq; ad genu cooperire possit: quo intersuto, vinoq; rubro cocto. calidè uti dictum est, applicetur, ulceri verò balsamum instillavi, & Empl. Divinum applicui.

Nona

Nona Novembris sequenti potiunculâ corpus iterum expurgavi.

Purgatio purgans.

R. Agrimoniæ, Cuscutæ,
Veronicæ an. M. ß. Sem. anisi,
Foliorum senæ Alexa. mund. ana ℥ iij.
Coquantur in aqua, ut colatura redeat ad ℥ iiij. in quibus dissolve.
Pulv. senæ laxat. ℈. ij.
Syrupi rosati solutivi compositi cum Rhabarbaro, Agarico & sena,
Aquæ cinamomi distillatæ sine vino ana ℥ j. Misce, fiat potio.

Purgato corpore, cum per dies octo (propter obstructiones viscerum) aqua quadam diuretica usus esset, cauterio potentiali, fonticulum in brachio sinistro efformavi; idq; in eum finem, ut humor, qui deorsum ad femur affectum defluere assuefactus fuerat, diverteretur. Ulcera tamen ad mensem usque Iunium aperta remansere; idque maximo suo commodo, propter extuberantiam calli, qui fluentibus ulceribus, magis magisque, uti antea dictum fuit, absumebatur. Interim quoque ossicula aliquot, tria aut quatuor, si rectè memini, cum pure eruperunt, tandemque vlcera omninò coaluerunt; & ita Divino favore restitutus fuit æger, ut per duos integros annos, non solum absque baculo incederet, saltaret, & choreas duceret, verùm etiam ad omnia exercitia nobilia pedes equesque exercenda, aptissimus atque promptissimus esset. Quum autem superiori anno 1612. Æstatis tempore, dum ego in Belgio essem, ossiculum aliquod, (quemadmodum sæpissimè, in hujusmodi fracturis, etiam post multos annos accidere solet) sese offerret, ad cheirurgum quendam adductus fuit, ubi ipsum de novo multis ingentibusque doloribus, & quidem in longum tempus affectum fuisse, non ita pridem ex Nobilissimo & singulari virtute prædito viro *Dn. Philippo à Stafiaco Dn. in Molondins &c.* & aliis viris fide dignis Soloduri intellexi, & quidem cum dolore.

Admonitio ad Tyrones.

Cæterum antequam præsenti historiæ finē imponam, monitos velim Juniores cheirurgos, utplurimùm in hujusmodi fracturis, in quibus ossa, quemadmodum in hoc nostro ægro, contrita & comminuta sunt, post multos quoq; annos, uti ego sæpissimè in gravissimis istis bellis, inferioris Germaniæ, observavi, ossicula nonnulla erumpere; ex impetu enim globuli, per partes musculosas disparguntur plurima; Alia circa callum quidem remanent, sed propter obstaculum aliquod ipsi annecti non possunt: & quia natura nihil tale in corpore nostro suffert, paulatim in conspectum veniunt. Id autem quia fit naturæ beneficio, opus non est, ut hac de re usque adeò solicitus sit æger. Cheirurgus verò prospicere debet, ne extrahendo ossicula, quemadmodum antea quoque monui, violentia utatur. Sed præcipuum negotium naturæ committat. Interim tamen obstacula, quæ naturam in suis operationibus remorantur, veluti angustia & callositates ulcerum, excrescentia carnis, dolores, & similia, removeat.

Porrò expulsio illa ossium, vel etiam globuli, si aliqua in parte corporis diu delituerit, etiamsi naturæ beneficio fieri dixerim, semper tamen commotionem aliquam corporis adesse, sat scio: quapropter Medicus aut Cheirurgus, qui naturæ minister est, ut symptomata, quantum fieri potest, removeat, diligens esse debet. Quotiescunque itaque natura ad globulum, aut ossiculum aliquod expellendum, sese accingit, primum quod supervenit symptoma dolor est, cui mox affluxus humorum, inflammatio & abscessus in parte affecta sequuntur. Supervenit & ut plurimum febris, sed symptomatica et & ephemera. Et si autem hujusmodi symtomata gravissima & acutissima esse videantur, non propterea tamen ad ferrum & ignem (quæ uti extrema remedia, sic quoque extremis morbis conveniunt, confugiendum est. Non enim prava materia à parte ignobili ad partem principem, cujus partis officio vita carere nequit, effunditur, sed contra, ex partibus nobilibus ad ignobiles expellitur. Et quia hujusmodi affectus, inducias dant satis longas, opus non est, quicquam præcipitanter, sed omnia cum præmeditatione, præcipuè in delicatulis & valetudinariis, quemadmodum est nobilis noster æger, agenda atq; administranda sunt. Quomodo autem ego aliquoties in hujusmodi affectibus processerim, hunc in gratiam tyronum adscribere, & exemplo declarare non gravabor.

Obs[...]

Ante annos circiter octodecim, cùm Nobilissimus ac strenuus Vir, Dn. Petrus ab Erlach Dominus in Bioley &c. in Galliis, sub Christianissimo Rege Henrico Magno, exercitū duceret, in conflictu militum, vulnus ictu bombardæ, circa pedem, si rectè memini, dextrum recepit. Vulnus quidem curatum fuit, globulus verò circa articulum ipsum remansit. Post annos aliquot, cùm Friburgum Helvetiorum, ad suos reversus esset, ac quadam die in venatione sese nimis violenter exercuisset, dolor adeò vehemens circa pedem exortus est, ut dies noctesque ejulare coactus esset. Ego accersitus, quum ad ipsum pervenissem, alta voce exclamare cœpit. Utinam mi Fabrici, tecum attulisses serram. Mallem enim amputari pedem, quam hujusmodi doloribus diutius excruciari, totum crus, inprimis pes intumefactus erat, & inflammatio circa cicatricem prioris vulneris & febris aderat.

Curationem porrò sic institui, victum tenuem præscripsi: eademq; die, paulò ante cœnam alvum enemate laxavi. Cicatrici, quæ elevata, emplastrum Basiliconis, toti pedi verò sequens cataplasma anodynum applicui.

Cata[...] ma[...] dyn[...]

R. Micæ panis albi ℔ ß.
Pulveris seminis fœnograeci ℥ j.
Sem. meliloti, & cydoniorum an. ʒ ij.
Coquātur cum lacte vaccino recens emulcto ad formā cataplasmatis, admisce in fine croci ℈ j.
Ol. amygdalarum dulcium ℥ j.
Vitellos ovorum numero 2.
Misce, fiatq; s. a. cataplasma, quod calidè applicetur. Genu & femur sequenti linimento inunxi.

Lin[...]

R. Ol. rosacei, Amygdal. dulc. an. ℥ j.
Ol. de vitellis ovor. ℥ ß. Misce.

Eadem

Eadem die, post cœnam nonnihil Nepentis exhibui: hinc dolor multum imminutus fuit, ita ut sequenti nocte benè quieverit. Postero die corpus sequenti potiuncula expurgavi.

R. Herbarum agrimoniæ, Veronicæ an. p. j.
Rad. lapatii acuti, Acetosæ an. ℥. ß.
Trium florum cordial. an. p. j.
Seminis anisi, Foliorum senæ an. ʒii.

Coquantur in s. q. aquæ cichorii & acetosæ, ut colatura redeat ad ℥iiij. in quibus infundantur per noctem.

Rhabarbari electi ʒij. Cinamomi ℈ij.
Tartari albi ℈j. ß. In colatura dissolve
Electuarii de succo rosarum ʒj.
Syrup. ros. solut ex multis infusionibus ℥j.

Misce, fiat potio, detur quatuor horis ante prandium.

Purgato corpore, venam in cubito, ejusdem lateris, incidi: loco verò affecto præscriptum cataplasma applicui, & femur bis in die, uti dictum est, inunxi. Tertia die post meum adventum, in pede rupta fuit vomica, idque eodem in loco, in quo globulus absconditus atque inclusus jacebat. Pus copiosè mox effluxit, totusque dolor evanuit, omniaque symptomata paulatim remiserunt. Globulus etsi non usque adeò profundè circa articulum stylo exploratorio persentiretur, ulcus tamen quia angustum, & dilatationem ipsius æger admittere nollet, cicatricem iterum obducere coactus fuit. Remansit itaque globulus, neq; huc usque molestiam ægro peperit.

Cum fragmentis tamen ossium alia est ratio. Plumbum enim, quia Alfonso Ferreo testante, similitudinem atque familiaritatem quādam cum corpore nostro habet, etiam per multos annos, & quidem ad finem usque vitæ, in parte aliqua corporis delituisse, sæpissimè observatū fuit.

Exemplum memorabile hac de re Lector in secunda Centuria Observationum mearum Chirurgicarum, de globulo cerebro incluso videre poterit. Ossa verò penitus separata, ferrum item, lignum & similia, naturæ adeò sunt inimica, ut nihil tale in corpore sufferre possit. Exempla qui habere cupit, videat in prima Centuria Observationem de cultro, lumbis infixo. Item in tertia Centuria, Observationem de gravissimo vulnere faciei inflicto. Si itaque officulum aliquod sese obtulerit, clementer dilatandum est ulcus, idque turundis, ex spongiis præparatis aut radicicibus gentianæ, factis. Ego spongiis utor, minus enim dolorificæ sunt: illasque emplastro de betonica præparato: officula enim attrahit, & summoperè in hujusmodi ulceribus, in quacunque corporis parte ea fuerit, convenit, præcipuè si aliquid gummi elemi admixtum fuerit. Ulcus si profundum, callosum & non satis latum fuerit, unguento aliquo escharotico dilatandum est: Deinde pulvis qui ex alto ad se trahit, quotidie inspergendus, aut turundis, saliva madefactis, nec non pulvere prædicto immersis, imponendus est. Ossicula, quamprimum in conspectū veniunt, quotidiè leniter agitanda sunt, donec omninò separata sint, & absque dolore extrahi possint. Vi enim ossa, ut antea quoque monui, nunquam sunt extrahenda, nisi cum in calvaria fracta, membranas cerebri pupugerint. Cariè autem si os contaminatum fuerit, pulvis euphorbii quotidie inspersus, summoperè convenit. Cariem enim corrigit, & ossa separat: neque ipsius urendi facultas metuenda est: quemadmodum in secunda Centuria Observ. suo loco monstravimus. Hæc omnia autem ut leniter, & absque dolore, inprimis si æger natura est tenellus, fiant, perquam necesse est. Dolor enim omnium symptomatum, quæ vulneribus & ulceribus supervenire possint, (exceptā hæmorrhagia) præcipuum, & periculosissimum est symptoma: ideoq; quantum fieri potest evitandus. Imprudenter itaque faciunt chirurgi, qui ægrorum corpora absq; insigni necessitate tormentis lacerant. Si enim dolor partem aliquam externam corporis diu infestaverit, debilitatur non solùm pars illa malè affecta, propter concursum humorum, qui existit à dolore (dolor enim humores & sanguinem, attestante Galeno, attrahit) verùm etiam interiora omnia inde labefactantur. Deinde propter continuos dolores, vigilias, & inquietudines, intemperies calida internorum viscerum suboritur, sanguis in venis incenditur, appetitus prostratur: nec proba fit concoctio stomachi, multò minus sanguificatio in hepate. Inde multi pravi humores in corpore procreantur, quos tandem obstructiones viscerum, labefactatio & prostratio virium, calorisque nativi, qui omnia vivifica concoquit, & vitæ nostræ veluti fomes est, diminutio, humidi radicalis absumptio, aliaque gravissima symptomata sequuntur. Hæc cùm ego apud me perpenderem, circa nobilem ægrum eam adhibui diligentiam atque industriam, ut non solùm prædictas operationes omnes absq; dolore ferè perfecerim, ossaque, quæ reperire potui, extraxerim, verùm etiam carnem causticis, ab externo ad internum usque ulcus femoris, eroserim, callositatesque absumpserim: uti in præcedenti narratione fusius declaravimus.

Observ. 62

Dolor symptomatum omnium periculosissimum.

Dolorem, quæ incommoda sequātur.

Interim autem dum hujusmodi operationes circa ulcera externa administrantur, optima victus ratio observanda est, corpus per intervalla, à pravis humoribus evacuandum: partesque nobiles corroborandæ sunt, de quibus omnibus, quia superius dictum est, hîc subsisto, finemque historiæ facio.

FINIS.

Tractatus Sclopetariæ curationis

GUILHELMI FABRICII HILDANI

Illustriss. Marchionis Badensis & Hachbergensis, &c.
Inclytæ item Reipublicæ Bernensis Medico-Cheirurgi
Ordinarii &c.

SEU

Vulnerum sclopetorum ictibus inflictorum Curatio.

Recens à Discipulo Commensaliq; suo

JOHAN-HENRICO LAVATERO, latina facta.

Caput Primum.

Cap. 1.

MAgna viros inter literatos atque illiteratos existit contentio: utrum videlicet empyreuma vulneribus ictu sclopetorum inducatur, nec ne? Dicunt alii, glandé in cañam tormentario pulvere, aerisq; pulsu adeò incalescere vehementer, vulnera ut ad adurant: unde tot tamq; varia ad empyreuma restinguendum sunt inventa atq; excogitata remedia. Firmis autem argumentis, certisq; non minus experimentis evincere possem, nullum glandi prorsus inesse calorem, tormentariiq; pulveris flammam rarissimè ad usq; vulnera pertingere. Quia verò disputationibus hisce repetendis æquo forem prolixior: Lector autores hac de re fusius scribentes consulere ne gravetur. Alii dicunt, etiam vulnera pyrium propter pulverem evadere venenosa: id quod falsissimum. Experientia namq; docet, omnia pulveris ingredientia, sulphur puta, nitrum, tiliæ carbones, spiritumq; vini, citra vitæ discrimé in corpus assumi posse. Quin imò ipsum plumbum experientiâ magistrâ, sine noxa multos per annos in mortalium corporibus retineri. Vnde colligitur, vulnera, nec propter plumbum, neq; propter pulverem existere venenata. Glandes autem veneno infici posse, facilè concedo, idque diligenter ut observent, chirurgos monitos volo. Vnde igitur, dixerit quis, vulnera hæc, nequaquam cùm sint adusta, tam vehementer inflammantur, doloreque afficiuntur? Respondetur, id primum à vulnere plurimum contuso, laceratisque in ejus circumferentuis venis fieri, cum sanguis his è vulneribus raró exstillet: cogitur enim contusa caro atque extravenatus sanguis putrescere, in pusque converti, id quod citra inflammationem doloremq; maximum accidere non posse, omnibus Medicinam dextrè facientibus exploratum est.

Cap.

Dein inflammationem hanc Cheirurgorum medicamentis nonnunquam, minus aptis impositis, suscitari: Cùm enim creditam vulnerum adustionem frigidis restinguere conantur, naturam ad vulneris suppurationem maturandam impediunt: Applicatis ergo frigidis cum pori claudantur, vaporesque maligni contusi vulneris intercipiantur, inflammatio magis magisque augetur, ut in Tractatu de Gangræna & Sphacelo monumus. Vera ergò methodicaque curatio sequentibus nititur membris. Primùm cum magna carnis contusio sit facta, venarumque laceratio, imò & nonnunquam ossium fractio, summâ confestim diligentiâ vulneris maturanda suppuratio fuerit: Omnis enim contusa caro, paulo antè ut positum, teste Hippocrate atq; experientia, suppuretur ac putrescat, necesse est. Dein cùm actutim humores & sanguis ex vicinis atq; adeò nonunquam totius corporis venis cõfluant, quibus dolor, tumor, cæteraq; symptomata fovẽtur singula, ii humores evacuandi, repellendi, divertendiq; veniunt, eorumq; affluxus ad partem affectã impediendus. Tertiò quoniam contusis ex vulneribus maligni per

per arterias ad cor eleventur vapores, iisque etiam Chirurgus tam externis quam internis medeatur necessum est.

Ad primum quod attinet curationis membrum, Cheirurgus, primùm si quod os ictu glandis fuerit fractum, id suo loco componat, omniaque aliena vulneribus inhærentia, glandes videlicet, ossium fragmenta & similia, quantum fieri potest, eximat, dolorem interim quoad potest, præcaveat.

Instrumenta ad globulos extrahendos idonea, Centuriæ primæ observatione 88. delineantur.

Quod si globulum, ossiumque fragmenta prima vice educere nequeat, ea die altero tertione extrahere conetur: postmodum verò cùm ista vulneris exploratio, summo conjuncta cruciatu sit, dolorque omnium periculosissimum sit symptoma, scrutinio supersedeat, pusque vulneris moveat, quod de die in diem, num quid extranei lateat, patefaciet, propelletque. Si qua præsens hæmorrhagia, eam ante omnia pulvere ad sistendum sanguinem, in Tractatu de Gangræna & Sphacelo, capite. 18. descripto, cohibeat: Quâ suppressâ, subsequens unguentum affatim vulneribus imponat, & turundas illinat. Ex eodem etiam, vel ex unguento Basilico emplastrum ad vulnus tegendum conficiat.

R. Ceræ,
Colophoniæ,
Therebinthinæ, singulorum ℥j.
Ol. Lini,
Amygdalarum dulcium, de vitellis ovorum,
Rosarum,
Butyri recentis sine sale, singulorũ ℥ ß.

Quibus omnibus simul liquatis & percolatis addatur vitellus unius ovi
Croci ℨj.
Theriacæ Venetæ ℨij.
Cornu cervini usti & præparati ℨj.

Affectæ quoque partis circumferentia, aut crure vel brachio sauciato ad usque corpus, sex vel septem primis diebus oleo rosaceo, vel infra posito est illinenda unguento.

R. Ol. Rosacei.
Myrtini, singulorum ℥j.
Lumbricorum terrestrium ℥ ß.
Aceti Rosacei cochleare unum.
Misceantur & adhibeantur ut dictum.

Dein tota pars affecta calidè sequenti cataplasmate primis quinque vel sex foveatur diebus
R. Farinæ hordei ℥vj.
Rosarum rubrarum,
Mirtillorum, singulorum subtilissimè tritorum ℥ ß.

Decoquantur poscâ ad consistentiam cataplasmatis. Cocto jam addantur ovorum duorũ albumina cum vitellis.

Dolore autem justo vehementiore cruciante, adjiciatur seminis fœnograeci pulverisati ℥ ß.
Cydoniorum ℨij.

Vel totum membrum consequenti inungatur unguento.

R. Ol. Lumbricorum terrestrium, de vitellis ovorum,
Amygdalarum dulcium,
Sem. Lini,
Pinguedinis humanę, singulorum ℥j.
Croci exquisitè triti ℨj.
Mucilaginis
Sem. Cydoniorum
Aq. Rosarum extractæ ℥j. Misceantur calideque adhibeantur.

Postea sequens cataplasma parti affectæ calidè admoveatur.

R. Medullæ triticei panis ℔ j.
Butyri recentis sine sale ℥ij.
Sem. Fœnigræci ℥ ß.
Cydoniorum ℨij.

Coquantur recenti lacte ad pultis consistẽtiam, deinde addatur croci ℨj. vitelli ovorũ cũ albumine num. duo.

Tum pars affecta fasciis poscâ imbutis obvolvatur (aut crure vel brachio sauciatis ad corpus usque) quæ fasciæ impetum sanguinis, humorumque membrum in affectum incumbentium, arcent. Quo fine sequens defensivum, spithamâ vulnere superius, adhibeatur.

R. Farinæ hordei ℥ij.
Rosarum rubearum,
Gallarum,
Boli albi
Nucis cupressi, singulorum tritorum ℨij.
Succi sylvestrium prunorum immaturorum exsiccati, denuoque dissoluti ℥ ß.

Coquantur aquâ & aceto, addanturque olei rosacei ℥ij. quod uti memoratum est, applicetur.

Quòd si verò globus integrum trajecerit membrum, non ex utraque parte (multi quod consuevere) turundæ vulneri immittantur: verùm specillo omni cura transmisso, funiculus, quem ego ex filo conficio serico, prædictoque unguento illino, trajiciatur. Cujus longitudo crassitiesque vulneri sit adæquata, qui singulis diebus minimùm semel renovetur, ita tamen, ut specillum vulneri non immittatur, sed exeunti funiculo recens annexus succedat. Qui funiculus tam diu adhibebitur, donec vulnus fuerit mundificatum: tunc utraque quoque ex parte turunda inseratur, ut vulnus in medio sensim coalescat. Usus hujus funiculi haud est cõtemnendus: Vulnus enim servat apertum, aërique expositum, & si quid alieni in vulnere recondatur, id ipsum natura ejus funiculi medio paulatim expellit. Periculosus contrà turundarum profundis istis in vulneribus usus est: Vulnus enim inflammatur, in medioque coalescit, unde extranea à glande introducta, crines videlicet, chartæ, linteamina, vestiumve particulæ, citra magnam difficultatem dolorem & periculum extrahi nequeunt.

Hinc recens cietur inflammatio, tumor, immoderata puris copia, quin imò & nervorum ossiumque corruptio. Vulnus autem si Gangrænam vel Sphacelum minatur, funiculus unguento nostro Ægyptiaco, in Tractatu de Gangræna & Sphacelo cap. 13. descripto, fuerit illinendus, atq; adeò procedendum, ut in allegato Tractatu fusius

Cap. I. sius explicatum est. In promptu autem Ægyptiacum nostrum si non fuerit,

R. Ægyptiaci Vulgaris ℥j.
Aloës,
Myrrhæ, sing. ʒj.
Camphoræ ℈j.
Theriacæ Venetæ ʒij.

Misceantur cum s. q. rosacei mellis. Dein subsequens cataplasma calidè applicetur.

R. Farinæ lupinorum
Lentium singulorum ℥ ij.

In aquâ paululo aceti, cochlearique mellis aliquantum bulliant: Dein addatur
Absinthii,
Cardui benedicti,
Scordii singulorum subtilissimè tritorum ℥ ß.

Denuò post unam vel alteram ebullitionem admisce
Aloës,
Mirrhæ sing. ʒ ij.
Theriacæ ℥ ß.

Atque ita calidè applicetur. Vulnere jam satis digesto, dolore, tumore, inflammationeque levatis, funiculus sequenti oblinatur unguento.

R. Rad. Aristolochiæ rotundæ,
Iridis florentinæ,
Caryophyllatæ,
Angelicæ, sing. optimè pulverisatorum ʒ ij.

Quibus admisce Therebinthinæ ℥j.
Theriacæ Venetæ ʒ ij.
Præcipitati pulveris,
Magnetis,
Succini, sing. ʒ j ß.
Mellis rosacei q. s.
Vitellum unius ovi.

Misceantur in mortario ad formam ungueti. Quo ad finem usque curationis utendum: Vulnus enim abstergit, ac quicquid latet extranei, prædictum unguentum educit.

Cùm exploratum habueris, nihil alieni absconditum esse, funiculum extrahas, ex utraque parte turundam immittas, vulnusque cicatrice obducas. Digesto ut jam dictum est vulnere, doloreque sedato, usu Emplastri basilici, similiumve abstineas, ejusque loco diapalmeum, Divinum, de Cerussa, vel consequens substituas cataplasma.

R. Farinæ fabarum,
Lentium, sing. ℥jv.
Rosarum rubr.
Absinthii,
Flor. Chamomillæ,
Sambuci,
Fol. Rosmarini,
Salviæ, sing. exquisitè tritorum ʒij.
Salis ℥iiij.

Coquantur vino rubro ad consistentiam cataplasmatis, addendo sapæ ℥iij. ejus verò defectu, tantundem mellis, vel inspissati pyrorum acidorum succi, quibus tamen sapa præstat.

Hoc cataplasma multò corroborãdo cæteris efficacius emplastris, ideoque longè præstat, quoad curationis usque consumptionem continues. Si autem vulnus præter voluntatem & antequam ab alienis indidem extractis fuerit mundificatum, coalescere occipiat, id etiam atque etiam impedias, apertumque teneas: Id quod turundis ex Rad. Gentianæ, præparatisve spongiis, adornatis, unguentoque ex radicibus Aristolochiæ rotundæ illitis, aut præcipitato pulvere conspersis, commodè fiet. Fragmenta quoque semifractorum ossium si præstò fuerint, vi non sunt extrahenda, verùm medicamentorum, naturæque operatio expectanda. Et tantum de primo dictum sufficiat curationis membro.

Superius fuit positum his è vulneribus sauciorum sanguinem, humoresque evacuandos, repellendos ac divertendos esse, ne partem in affectam incumbant: Id quod primò optimâ fit victus ratione: Cùm ex superfluo victu copiosior sanguis creetur, indeque inflammatio consequatur. Saucius primis decem vel duodecim diebus, imò necessitate cogente diutius, tenuiter, quantum ejus fieri potest, pascatur. Inprimis verò ei cibus concoctu difficilis, sanguinemque calefaciens, uti sunt aromata, cæpæ, porra, allia, raphani, sinapi, singulaque benè salita, uti caro bovina, & suilla salita, caseus, pisces, fugiendi. Cibandus contrà hordeo, decorticatâque avena, butyro recenti præparata, vel cum carne bovina, aut ovina, coctâ: Dictæ quoque carnes, ut & pulli gallinacei acetosâ, lactucâ, borragine, buglossa, cerifolio, spinachio, calendula, similibusque sativis herbis coquantur, cum jusculisque comedantur. Primis quatuordecim diebus à vino, fortique cerevisia abstinendum, ejusque loco cerevisia tenuis, probè tamen cocta, vel ptisana, sequésve decoctum substituendum.

R. Hordei,
Fol. Agrimoniæ, sing. Mij.
Veronicæ Mj.

Coquantur aquæ mensuris vj. ad usque hordei ruptionem.

Hoc decoctum saucio, quantum ejus & quotiescunque petierit, propinandum, cui quoque acetosæ manipulus unus, tantundemque prunorum, aciditatis conciliandæ gratiâ adjiciendum. Huc etiam quadrat Syrupus acetosæ, violarum, de Ribes, berberorum, citronum, limonum, Granatorum. Sauciato verò potum præoptanti dulcem, addantur Radices liquiritiæ drachmę octo vel duodecim. Juvenes, Robustique Viri sero lactis citra noxam uti possunt, lacte verò nequaquam. Quòd si verò saucius ætate confectus, naturâ morbosus, debilitatoque stomacho fuerit affectus: Cibi salviâ, Roremarino, Majoranâ, mace, croco, Cinamomo condiendi. Præscripto decocto aquam Cinamomi, vel vinũ album pro arbitrio misceri poterit. Ex usu quoque saucio fuerit emulsio amygdalarum dulciũ, seminisque melonum & cucurbitarum, siq; dolor vehemens atque inquietudo infestent, semen papaveris albi adjiciatur, Medicus autem secundùm saucii constitutionem, ætatem, annique cursum, singula isthæc, prout in Tractatu de Gangræna & Sphacelo fusius explicuimus, administrabit.

Idem & de aëre sentiendũ: In denso namque æstatis fervore, diebus videlicet canicu-

 laribus, saucii cubiculum sæpenumerò frigidâ irrorandum, gramine foliisq; salignis conspergendum. Contrà frigido, humidoque cælo temperandum. Veneri omnibusque impudicis cogitationibus valedicendum: Quàm noxia namque ea sit, exemplo memorabili, in observationibus Tractatuque meo de Gangræna & Sphacelo, doceris. Sic & ab ira, cogitationibus vindictæ cupidis, cum ea bilem moveant, sanguinemque inflamment, sauciatus abstineat. Somnus quoque sauciis non commodus duntaxat, verùm pernecessarius existit: Vigiliis enim & inquietudine humores accenduntur, vulnerumque suppuratio, quin imò & cæteræ naturæ operationes impediuntur. Quare sauciato dolore summo, nimiâque insomniâ laboranti succurrendum. Quo fine vesperi duas post pastum horas, emulsionem ex semine papaveris albi, aquâ lactucæ, modicoque sacchara præparatam eidem exhibeas. Syrupus quin etiam seminis prædicti ad ℥j. vel ℥jß. Aquâ lactucæ vel endiviæ dissolutus, plurimùm conducit.

Tempore verò æstivo propinetur ejusmodi potus.

℞. Seminis papaveris albi, capita 4. vel 5.
fol: Lactucæ,
Borraginis,
Portulacæ, sing. M j.

Concidantur, contundantur & coquantur aquæ ℔ iij. ad consumptionem tertiæ partis, addito, si libet, paulo sacharo.

Frontem, temporaque unguento populeonis illinas, cujus ℥j. si sex vel octo grana opii, aqua rosˌ dissoluti admisceas, efficacius somnum conciliaverit. Quo etiam faciet phylonium, Triphera, & Laudanum, quod summâ tamen prudentiâ, quemadmodum in Tractatu de Gangræna monui, adhibendum.

Secundò, humores sanguisque superfluus, magno cum periculo ad sauciatum membrum fluentes, statim ab initio veniunt evacuandi, alioque unde minus metuendum periculi, divertendi. Quare sauciato juveni robusto, plethoricoq; existenti, eodem protinus die venam seces, secundumque vires illius sanguinem subducas. Alvo tamen prius clystere, vel suppositorio ex melle & sale præparato, solutâ. Quæ sectio si primo die administrari nequeat, posteriore tentanda. Dein corpus Electuarii de succo rosarum ℥ß. vel Electuarii Diacatolici ℥j. secundum saucii constitutionem, ut alibi fusius dixi, leniter purges. Ægro verò potiùs cacochymico, quàm existente plethorico, præstat eum Electuarii diacarthami, vel diaphænici ℥j. antæ venæ sectionem purgare. Non autem sufficit, ægrum semel iterumve purgare: verùm Cheirurgo secundum saucii constitutionem, humorumque repletionem procedendum. Idem in sanguinis missione sequendum. Si enim sauciatus sit ætate juvenis, sanguineque plenus, nec non symptomata, dolor nimirum, inflammatio, febrisque extiterint magna; tum venæ sectio bis terve repetenda. Capite verò læso, inprimis facie sclopetario pulvere adustâ & maculatâ, cucurbitas humeris, occipitique aliquoties applicare cōduxerit: Humores enim affectæ parti incumbentes divertunt. Recensitis hisce remediis, sanguis humoresque vulneratam infestantes inflammationem, aliaque cientes symptomata, impediuntur, evacuantur, divertunturque. Huc quoque Defensiva, fasciæque poscâ imbutæ, de quibus in primo curationis membro dictum, spectant. Sanguine verò atque humoribus affectam partem cum impetu obruentibus, membra quoque sana, quoad perferre saucius queat, humoribus divertendis, liganda.

Tertiò cùm plerumque propter vulnerum contusionem, fractis præsertim ossibus, majoribusque simul contusis musculis, maligni vapores ad cor eleventur, ibique syncopen causent: Cheirurgus summo primùm studio præscriptis remediis, turundisque contusorum suppurationem maturet, illudque pus sanis à partibus removeat: Quod quidem non soli naturæ duntaxat & medicamentis committendū: verùm nonunquam diligenti Cheirurgo, contusa quæ sunt, forfice vel aliis idoneis instrumētis Separatoriis, citra ullum tamen dolorem recidenda. Dein unguentis vulneri imponendis semper cardiaca, cujus generis sunt, theriaca Veneta, Lapis Bezoar, cornu cervi ustum & præparatum, admisceat. Interdum quoque mane saucio jejuno ex cardiacis præallegatis cum aliquantula cardui benedicti aquâ propinet. Syncopis verò, aliisque cordis infirmitatibus præsentibus, ad potiones cordiales, epithemataq; confugiat, & qemadmodum fusius in Tractatu de De Gangræna & Sphacelo cap. 20. explicui, procedat.

Quomodo vulnera, venenatis globis inflicta, sint tractanda.

CAPUT II.

Diabolus autem inauditis olim, humanoque generi perniciosissimis tormētorum armis, improborum hominum operâ repertis, non acquievit: Verùm novis cottidiè inventionibus malas istas artes cumulare pergit: quo fit, ut teste experientia, nonnulli detestandi homines pernicioso lethalique veneno globos inficiant, adeò ut minima quoq; vulnera evadant lethalia.

Quamobrem Medicus vel Cheirurgus ab imperitis atpue improbis hominibus per calumniam imperitiæ arguitur, conviciisque proscinditur. Quare diligens Cheirurgus id etiam atque etiam quàm diligentissimè attendat, neque minorem honoris existimationisq; suæ, quàm alienæ salutis rationem habeat. Quamvis autem quidam venenum hoc adeò præparare, Diaboli instinctu, sciant, ei ut nemo valeat resistere: Atque adeò vulneratus, vel parvo vulnere accepto, solâ nimirum epidermide læsa interimatur: Nihilominùs officio suo Chirurgum fungi, omnemque diligentiam salutis præstandæ adhibere oportet. Quemadmodū enim varia venenorum, proprietatibus atque operationibus differentium, genera reperiuntur: Sic quoque aliud alii tum ipsa vi, tum celeritate præcellit. Fusiorem cujus maleficii explicationem, gloriæ DEI cum adversetur, nec ex usu proximi sit, missam facio, lectoremq; monitum

Cap. 2. monitum volo omnibus in vulneribus sclopeto inflictis, id attendat, ac si quid præternaturale circa vulnera hujusmodi notet atq; animadvertat, tempestivè de adhibendis cogitet antidotis. Iam verò hujus generis venenum non semper crassâ solum coporeâque constat substantiâ atque materiâ: sed potissimam partem spirituali, subtili, venenosoque vapore. Ac quemadmodum prius istud virus, corporatâ prædictum substantiâ, servit in vulneribus, aliquotque post diebus suam exerit vim atque efficacitatem: ita hoc posterius statim à principio intra circaque nobiliores corporis partes, cor puta, cerebrum, atque hepar, venenatam suam indolem expromit atque violentiam. Unde experimur, alios confestim à vulneratione: alios demum multis post diebus gravissimis corripi symptomatibus, lethaliterq; affici. Multis parvo ac tantummodò superficiali vulnere, per venenatum sclopeti globũ inflicto, mors infertur. Nonnullis quorum corpus, principesq; partes trajiciuntur globo non infecto, nihilominus salus affertur. Qui parvo ex vulnere, minus autem per se periculoso, magnis symptomatibus, videlicet syncope, cordis debilitatione, cibi nauseâ, vomitu, febri, phrenitide, capitis lumborumque dolore, urinæ ardore, atque adeò retentione tentantur, illi de vita periclitantur. Symptomata namque hæc significant, venenum illud in spirituoso maximè consistere vapore, extemploque per venas, arterias & nervos tribus partibus nobilioribus, cordi nimirum, hepati cerebroq; communicari, non autem crassâ corporeâq; ratione efficax esse. Cùm ergò fieri nequeat, ut Medicus sciat, utrum veneno globum infecerit Sclopetarius: Prædicta symptomata circa vulnera verberatione Sclopetorum inflicta, considerate animadvertat, omniaq; insolita symptomata occurrentia arceat, omnibus modis venenum impediat, ne partes internæ nobiliores, cor nimirum, cerebrum & hepar afficiantur: id quod fit medicamentis tum internis tum externis. Interna sunt generis illius, quæ cor cæterasque partes internas roborant, venenumque expellunt. Cujus generis theriaca Veneta melioris notæ, vel præcipuum est existimandum, cujus drachmam unum vel unam cum dimidia, aquâ Cardui benedicti, vel angelicæ dissolutam, saucio quamprimum pripinabis, eique sudorem ciebis. Non minus de præcioso lapide orientali Bezoar grana decem vel duodecim, sudori provocando exhibita, ut & de genuino unicornu gr. ij. perplurimum conduxerint. Aquis vero distillatis deficientibus, sequentem decoquas potionem, eis efficaciorem, in qua theriacam vel lapidem Bezoar exhibeas.

R. Fol. Cardui benedicti,
Scordii ana Mi.
Rad. Angelicæ
Caryophyllatæ,
Vincetoxici ana ℥ ß.

Coquantur vini albi Mens. ß. ad consumptionem tertiæ partis. Hujus decocti accipiatur q. s. in eoque præscripta dissolvantur. Saucioque ad sudorem movendum calidè propinentur.

Sequens quoque potiuncula hoc in casu vehementer expedit: cor enim cæterasque partes internas roborat, iisque venenum defendit.

R. Præscripti è Carduo benedicto & Rad. angelicæ, decocti ℥ iv.
Confectionis Alkermes. ʒ j.
Lapidis Bezoar orientalis grana X.
Usti cornu cervi & præparati ʒ ß.
Aq. Cinamomi ℥ ß.

Misceatur, saucioque, ut memoratum est, exhibeantur. Sauciati cubiculum baccis iuniperinis, storace, Calamitha, ligno aloës, & similibus veneno resistentibus, corroborantibusque sine intermissione, frigido præsertim aëre suffumigetur. Intenso vero æstu nonnunquam cubile rosarum irroretur aquâ, vel

R. Aq. Ros. Mens. s. & infunde ollæ vitreatæ, addendo corticum citronum pauxillum incis. ℥ j.
Rad. angelicæ,
Caryophyllatæ ana ℥ ß.
Aceti rosacei ℥ iiij.

Obturetur olla membranâ minutatim perforatâ, imponaturque foculo dum bulliat, sic preciosum & odoratum, qui singulis in venenosis affectibus magno usui est, emittet vaporem.

Cibis incoquantur acetosa, borago, calendula, buglossum, melissa, pomorum aureorum, citreorumque cortices, cinnamomum, macis crocus, reliqua verò aromata, piper nimirum, Zingiber, caryophylli, cardamomi, nec non sinapi, cæpæ, alliæ, raphani, cæteraque acrimoniâ suâ linguam sanguinemque calefacientia, saucio vitanda. Quare & vino malvatico atque omni potu generoso abstinendum, ejusque loco, ptissana, prunis atque acetosæ foliis, radicibusque cocta, substituenda: Sique mala citrea in promptu fuerint, eorum succi nonnihil admisceatur: Mirificum enim is est veneni antidotum & corroborativum, sequens quoque potiuncula haud est contemnenda.

R. Agrimoniæ,
Veronicæ,
Buglossæ,
Acetosæ ana Mi.

Coquantur aq. font. Mens. iv. ad consumptionem tertiæ partis, quæ pro lubitu ægro propinetur, admisceanturque pro ægri arbitrio syrupi vel succi malorum citrinorum acetosæ, limonum, granatorum, & berberorum. Arteriis ad carpum calidé applicetur pannus sequenti epithemate imbutus.

R. Aq. Melissæ,
Rosarum,
Boraginis,
Buglossæ
Malvatici vini, sing. ℥ iij.
Aq. Cinamomi ℥ ij.
Aceti ros. &
Sclareæ sing. ℥j. ß.
Croci ʒ ß.
Confectionis Alkermes ʒ j.
Usti cornu cervi ʒij.
Spec. de gemmis ʒ j.

Miscean-

Misceantur & applicentur, ut dictum.

In defectu verò aquarum distillatarum, prædictas herbas, si non omnes, earum species saltem aliquot contundas, iisque vinum vel acetum affundas, percolesque, addendo crocum, aq. Cinnam. ejus loco tritum Cinnamomum, cum confectione Alkermes: unde pretiosum omnibus in cordis debilitationibus corroborativum perficies. Remediis Catharticis sanguinisque missione his in vulneribus Cheirurgus supersedeat, nisi consilio Medici periti, præsertim in morbi principio, & antequam venenum vulneri fuerit exemtum: Quia dum iis sanguis & humores externis è venis partibusque ad internas revocantur, venenum eò promptius cor, cæterasque nominatas nobiliores infestaret partes; Nihilominùs si alvus constipata fuerit, ea blandis clysteribus vel suppositoriis venit solvenda. Consultum quoque fuerit, somnum fugere immoderatum, præsertim in initio. Mediante namque somno haud parum caloris innati, sanguinis, spirituumq; ad cor & reliquas nobiles recurrit partes, easque veneno implet. Hac de causa etiam animi passiones, præcipuè ira, fugiendæ.

Et hæc de prima curationis parte, id est, de remediorum internorum usu, dicta sufficiant. Restat altera in topicis consistens remediis, manualique operatione.

Oblatis ergò hujusmodi vulneribus, globoque iis adhuc inhærente, Cheirurgus summo studio eum idoneis ad id instrumẽtis eximere conetur, etiamsi aliquid sanguinis ad vulneris scrutationẽ effluxerit, spem tamen non abjiciat, cùm id & commodum sit, & necessarium, quandoquidem unà cum sanguine simul veneni quid, venis jam adorti, poterit exstillare. Cùm autem saucius multum jam perfuderit sauguinem, Cheirurgũ pro re nata convenit procedere. Extracto verò globo, circumferentiam profundè phlebotomo incidas, magnasque cucurbitas, quantas vulneratæ partes admittent, flammâ haud parvâ admoveas, & sic venenum per vim attrahas. Quas cucurbitulas non semel tantùm, verùm aliquoties, primo, secundo, tertiove die repetas: Postmodùm verò iis abstineas, ne vulneris suppuratio retardetur. Quamvis etiam doloris aliquantulum inducatur, nihil retulerit, cum & is attrahat. Vulneri subscriptum illicò impones unguentum.

R. Theriacæ Venetæ ℥ ß.
Adusti Cornu cervi & præparati
Rad. Angelicæ,
Caryophyllatæ,
Gentianæ sing. ʒj.
Fol. Rutæ,
Scordii, sing. siccatorum & trit. ʒ ß.
Bezoar grana xx.

Misceantur extracto cardui benedicti, paucoq; spiritu vini ad formam unguenti; Quod affatim vulneri imponatur, dein Cataplasma superinjiciatur, quod habet,

Fermenti ℥iiij.
Cæparum parumper in cineribus assatarum ℥iß.
Fol. Rutæ recentium & contusorũ Mj.
Rad. Angelicæ,
Gentianæ, sing. tritorum ʒij.
Theriacæ,
Mithridat. sing. ʒß.

Exactè misceantur succo Rutæ & Cardui benedicti q. s. calideque admoveatur, uti & cætera remedia: Frigus enim inprimis hisce noxiũ est vulneribus. Vulnus quoque singulis diebus bis vel ter, idque semper linteamentis mundis, unguentisque renovatis obliges, id autem ne cataplasmatibus semel jam applicatis, multi ut consuevere, rursus tegas: Consultum enim non est, cum veneni quid jam attraxerint, quin ne linteamina quidem eadem, nisi benè mundata, adhibenda. Defensivum, proximo superiore capite memoratũ, binas ternasve palmas latum, vulneri superiùs admoveatur, eoque veneni, quantulum fieri potest, adscensus inhibeatur; Fasciæ verò poscâ imbutę, hoc loco nequaquam conveniunt. Eæ enim summâ cum saucii noxâ venenum ad cor repellerent. Ac si magnus quoque eum exercuerit dolor, circumferentiam vulneris oleo scorpionis, pauxillo rosacei admixto, oblinas. Alias olea, omniaque pinguia & viscosa huic malò non sunt admovenda, etsi magnam propter contusionem ex usu forent; iis enim intercluduntur pori, venenique exhalatio retardatur, inprimis autem cùm venenum illud spirituosum extiterit. Si verò venenum crasso corporeoque vigore suam exsereret vim atque efficacitatem: tunc primò omnium symptomata, dolor nimirum magnus, tumor & inflammatio vulneri contingunt: quæ mox excipiunt febris, inquietudines, capitis dolor, lipothymiæ, cibi nausea, ructus & similia. Cùm autem elapsis demum aliquot diebus isthæc symptomata sauciũ infestant, argumento sunt, venenum hoc priori minus existere periculosum: globumque materiam in vulnere reliquisse corrodentem. Quare digestiva, olea & similia, nec non cathartica medicamenta, sanguinisq; missio, hoc loco haud planè sunt respuenda, medium tamen secundum veneni naturam ac proprietatem teneatur: & Cheirurgus quo ad ejus fieri potest, Medicum doctum ac peritũ in consilium adhibeat.

De faciei, pulvere Sclopetario adustæ maculatæque, curatione.

CAPUT III.

Facies duobus pulverem per nitratum læditur atque aduritur modis. Primum à pulveris flamma, quippe quæ propè hominem accenditur, vultumque contingit, secundum citra flammam ipsomet à pulvere, qui dum in faciem è canna prospergitur, cutem vi trajicit, & nigras infligit maculas atque vibices, ut adeò facies fœdum in modum deformetur. Persæpè namque grana pulveris integra profundè in cute latent, quæ non exempta maculas istas pariunt nigellas. Atque id quidem, Candide Lector, integra nimirum pulveris grana (experientiâ liquidò docente) cuti impingi, probè notes. Si enim pulvis tanto ardore flammaque Sclopeto displosus, ex parte tantùm, non

Cap. 3. non totus accendatur, undenam globus tantum acquiret calorem, quem ei haud pauci attribuũt, carnem cæteraque contacta ut adurat. Quod quidem argumentum id ipsum etiam, quod jam in fronte hujus Tractatus posui, confirmat. Cum autem Cheirurgis disputationes hæ non sint ex usu, iis missis factis, protinus harum plagarum curationem adgrediar. Ante omnia verò vultu sive flammâ, sive pulvere oblæso, victus rationi, hujus Tractatus initio præscriptæ, saucius est obstringendus. Catharticis quoq; utendum, ac juveni robusto existenti, plethoricoque vena secanda, majoresq; cucurbitæ scapulis atque occipiti sunt admovendæ, quibus sanguis & humores in faciẽ confluentes retrahantur, nec non dolor, tumor atque inflammatio, quæ faciem tentare possent, præcaveantur, & præpediantur. Quo fine Defensivum fronti, verùm non adfectæ, applicetur. Postmodum ubi adustio à flamma tantum extiterit, nihilque pulveris cutem trajecerit, omnes jam factæ vesicæ forfice sunt incidendæ, humor acris ut emanet. Cùm autem plurimùm intersit oculorum, summa conservando visui diligentia est adhibenda. Quare sæpius, imò singulis horis lac muliebre recens, pauxillo aquæ ros. mixtum, oculis instilletur, eoque linteamentum duplicatum, vel triplicatum imbuatur, atque oculis imponatur. Magno autem dolore ægrum stimulante, parum integri croci ros. aquâ lacteque maceretur. Aqua verò hæc singulis diebus propter lac renovetur. Acidum enimverò lac oculis valdè noxium est. Subscriptum quoque collyrium est præsentissimum.

R. Aq. Rос. ℥iiij.
Aq. Albuminis ovi diu conquassati
Sem. Cydoniorum, ℈j.
Dolore præsente tantundem sem. fœnigræci,
Croci gr. x.

Macerentur per quatuor vel quinque horas, colenturque, atque ad usum serventur supra dictum.

Cruciante verò dolore sequens oculis admoveatur cataplasma,

R. Pulpæ pomorum 3. aut 4. acidorum, in cineribus assatorum ℥ij.
Sem. Fœnigræci triti ʒij.
Far. Hordei ℥j.

Misceantur lacte recenti ad consistentiam cataplasmatis, addito pauco croco, vitello unius ovi atque aliquantulo ros. ol. Misceantur, oculis cæterisque flammâ vel pulvere partibus oblæsis applicentur.

Subjectum etiam unguentum his affectibus perplurimùm medetur: dolorem enim lenit, cutem calore induratam emollit, & cicatrices impedit.

R. Gummi elemi pinguissimi ʒj.
Ol. Amygdal. dulc.
de vitellis ovorum,
Pinguedinis ursinæ,
humanæ, sing. ℥ß.
Mucilaginis seminis cydoniorum aq. ros. extractæ ʒij.

Misceantur, quo tota facies illinatur.

Cavendum tamen, ne quid ejus in oculos influat, quia pinguia in iis dolorem cient. Dicto hoc unguento ad curationis consummationem continuandum. Phlegmone verò existente, illo abstinendum, quæque siquidem pinguia inflammationibus infesta sunt. Quare sequens præparetur collyrium, oculis præstantissimum, exsiccans, visumque corroborans.

R. Aq. Euphrasiæ,
Fœniculi,
Rosarum, sing. ℥j.
Tutiæ benè præparatæ,
Sief albi sine opio,
Cornu cervini adusti sing. ʒj.

Quo linteamina subtilia imbuenda, & tantisper admovenda, usque dum inflammatio sedetur. Dein unguento præscripto rursus ad cutis emollitionem utendum, id quod non hoc solùm in affectu, verùm in singulis faciei notandũ est adustionibus. Valdè namque siccantia, indurantia, cutemque contrahentia, deformes relinquunt cicatrices. Quare cutis, uti dictum est, emollienda. De his plura in Tractatu meo de adustis cap. 9. Si verò nitratus pulvis cuti fuerit infixus, confestim is acu aliove acuminato instrumento, quantum fieri poterit, eximendus: Quodque illis instrumentis aufferri nequit, id spongiâ aquâ calidâ madefactâ eluendum, neque priusquam pulverem omninò omnem exterseris, desistendum. Præcipitatus pulvis hoc loco haud est cõtemnendus, quo quidem sæpenumero magno cum successu sum usus: is vulneribus inspergendus: residuum enim pulveris extrahit. Facies præscripto ex Gummi Elemi, oleoque amygd. dulc. unguento illinenda. Quod si quis dolor sit molestus, linteamentum aquâ ros. & plantaginis, in quibus parùm seminis Cydoniorum sit maceratum, imbutum, calidè applicandum. Oculi, necessitate sic postulante, calido muliebri lacte sæpissimè humectandi, cataplasmaque illud, ex pomis acidis compositum, imponendum. Pulvis item oculis inspersus diligenter quoq; parvâ spongiâ, lacte calido madefactâ, eluendus: Quâ irritâ ablutione acquiescendum, omniq; alio vel aciculæ, vel cæterorum hujusmodi instrumentorum effossiorum usu, cui extra oculos locus est, prorsus supersedendum, ne vel saucius in visus, vel tu ipse in existimationis discrimen præcipiteris. Ut plurimùm enimverò, si pulvis pupillæ fuerit infixus, saucius de visu periclitatur.

Si in principio vocatus non fueris, & jam cutis rursus coaluerit, pulvere in vulnere relicto: Saucius verò se maculis illis nigricantibus liberatum velit, maculosis illis partibus crusta causticis blandè inducatur, pulvisque quantum fieri potest, aufferatur, postmodum pulvis præcipitatus inspergatur ad usque omnimodam mundificationem. Crusta verò sequenti fit unguento.

R. Cantharides num vj.
Fermenti ℥ß.

Misceantur aceti guttulis aliquot in mortario, ad formam unguenti: Ex quo formentur minuta emplastra, maculam non excedentia: sique primum emplastrum nullas moveat pustulas, ad usque vesicationem recentia imponantur. Summo tamen studio cavendum, ne oculi materiâ istâ lædantur,

dantur. Ruptoria quoque hac in parte adhibeo mea, citra dolorem crustam cuti inducentia, quæ tamen in facie, propter corrosivam eorum facultatem, summum requirunt studium. Quod si verò iis, aliisve tibi libeat uti, singulis maculis non amplius grano sinapi imponas, adglutinanteq; emplastro, cavendo effluxui, tegas.

Cathartica quoque remedia hoc in affectu, sanguinis nec non missio, scarificatio, victusque ratio, non fuerint insuper habenda.

FINIS.

GVIL.

GUILHELMI FABRICII HILDANI

Inclytæ Reipublicæ Bernensium Helvetiorum Medico-Chirurgi Ordinarii &c.

EPISTOLARUM AD AMICOS, EORUNDEMque ad ipsum

CENTURIA UNA,

In quibus passim Medica, Chirurgica, aliaque lectione digna continentur.

Epist. I.

EPISTOLA I.

Amplissimo viro

Dn. ÆMILIO PORTO,

Francisci Porti Cretensis F. in Academia Heidelbergensi Græcæ linguæ Professori celeberrimo.

Guilhelmus Fabricius Hildanus S.P.D.

MAgno sanè & ultra meritum me afficis honore, Vir amplissime, qui tam amicè & candidè ad me scribis, & fructum studiorum tuorum ad me mittis. Utinam liberalem illam animi tui significationem aliquo modo compensare possem. Nunc tibi verbis tantummodò gratias agere coactus sum, teipsa me aliquo modo gratū exhibebo, cum prima Centuria mea Observationum & Curationum Chirurgicarum in lucem prodierit. Fiet id (si Deus Opt. Max. cœptis faveat) proxima æstate. Librum tuum de prisca Græcorum compotatione, moralem simul & Theologicum, exosculor, & cupidis ulnis amplector. Faxit Deus, ut reliqua, quæ promittis, in communē Reipublicæ utilitatem, in lucem prodire possint. Orationem tuam doctissimam de Ira, maxima cum voluptate legi, nec immeritò. Est enim omnibus Christianis lectu dignissima, imò summè necessaria: Quandoquidem, ut ingenuè fatear, & tuis verbis utar, nulla est perturbatio animi, in qua homines ita peccent, atque in ira. Impetus enim irascentis nihil, aut parum ab insania, vel à furore differt, ut Galenus libro de cognoscendis, curandisq; animi affectibus testatur. Hinc spiritum (ut alibi Galenus docet) in corde & arteriis inflammat, in venis sanguinem concitat, cerebrum concutit, nervos convellit, humores exagitat, calorem innatum labefactat, valetudinem vitiat, morbosque inducit lethales. Ego juvenem, cui caput vulneratum cum clarissimo Dn. D. Iano Antonio Sarazeno Medico Regio, & Dn. Iohanne Griffonio Chirurgo præstantissimo, Genevæ curandum habui: Is ab omni periculo liberatus, ex sola ira in febrem incidit, & brevi post è vita decessit. De effectibus iræ superiori æstate Lausannæ miserrimum habuimus exemplum. Arcularius in duello vulnus cultro inflictum, ad cubitum recepit, is ab omni mortis, & accidentium periculo liberatus, cum per fenestram eum, qui vulnus inflixerat, transeuntem ex improviso vidisset, adeò perturbatus atque commotus est ira, ut denuò apertâ in vulnere venâ hæmorrhagia adeò magna sequuta sit, ut à Chirurgis restingui non potuerit, ita ut post paucos dies è vita discesserit. Anno 1585. simile quid Hildenæ in patria accidisse memini. Quidam Conradus zu Karnap nomine, in sinistrum bregma in duello vulneratus fuit, vulnere jam digesto, quadam die, cum adversarius ipsius ex improviso cubiculum ægri ingressus, eamque ob caussam æger vehementissima iracundia permotus fuisset, arteria sopotalis iterum rupta est, ex qua sanguis tam copiosè effluxit, ut ipsum nonnisi maxima cum difficultate reprimere, atque sistere potuerim. Multos item propter vehementiam iræ, apoplexia, paralysi, febri continua, aliisque morbis gravissimis correptos fuisse observavi. Meritò igitur omnes Christiani hanc materiam de Ira attentè legant, ut quomodo hanc animi

animi perturbationem frœnare, atque reprimere possint, addiscant. Quandoquidem (ut Basilius monet) nihil est, quod Christiano possit vitio verti magis, quam quod ad ulciscendum promptus sit, atque modis omnibus det operam, par pari referre iis, à quibus injuriam acceperit. Faxit Deus ter Opt. Max. ut quotiescunque irasci nobis acciderit, nequaquam tamen peccemus, quemadmodum Divus Paulus monet. Cæterùm Coloniâ Heidelbergam quidam, Matthias Quadus nomine, familiam suam forsan ducturus est brevi: id si fecerit, & ad vos pervenerit, etiam atq; etiam rogo, ut ipsum commendatum habeas. Est Vir probus, pius, & bonis literis summoperè deditus, familia tamen oneratus. His vale Vir clarissime, cum honestissima tua conjuge, quam mecum salutat uxor mea, Deumq; supplicamus, ut te quam diutissimè incolumem conservare velit. Paterniaci 16. Iunii Anno 1604.

EPISTOLA II.

DN. AMANDUS POLANVS

à Polansdorf, præstantissimo, optimoq; Viro Dn. Medico & Chirurgo Paterniacensi, Amico bonæ fidei

Guilhelmus Fabricius Hildanus, S. P. D.

Maximas ago gratias tibi, præstantissime Dn. Fabrici, qui de mea valetudine tam es solicitus, ut etiam oleum ad deoppilandas obstructiones optimum, liberalissimè mihi communicaveris. Fuit illud gratissimum, utque vicissim tibi, tuisve occasione data aliqua gratia respondere possim, operam dabo sedulò. De balsamo parum mihi restat, quaso aliquid iterum transmitte, pretium adscribe, bona fide persolvam. Cæterùm amicissimè te rogo, ut, si tantùm suffurari temporis poteris, de sequentibus quæstionibus Chirurgicis, de quibus inquirendi ansam nuper in nuptiis mihi præbuit unus ex proceribus nostræ civitatis, tuam exponas sententiam. [Quæstio I.] *Prima hæc est: An sanguinis guttula è corpore sub patellam in genu delabi possit, quæ non solùm motum & incessum per aliquot annos impediat, sed etiam suppurationem efficiat, & post usum thermarum Pfefferensium copiosissimum pus effundat: cum tamen antea præter dolorem neque tumor, neq; inflammatio, neque ulcus in genu extiterit?* [Quæstio II] *Secundo quæritur: An morbus Arthriticus in corpore juvenili, exempli gratiâ viginti annorum, curari, quibusque remediis possit? Alius etiam mihi amicissimus, author fuit, ut de cutaneis affectibus, quibus Chirurgi non rarò Medicis magis occupantur, quærerem. Quibus balneis artificialibus furfures cutis, ac inprimis capitis detergi commodè, atque curari possint? Hisce te cum conjuge dulcissima, quam saluto millies, divinæ protectioni commendo. Basileæ 18. Septemb. 1616.*

EPISTOLA III.

AMANDO PALANO à

Polansdorff S. S. Theologiæ Doctori,

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

Maturius quidem respondissem, Vir amplissime & perpetuò mihi reverende, nisi tota ferè familia mea dysenteriâ graviter affecta fuisset; Quæ tamen nunc Dei singulari beneficio cōvaluit. [Epist. 3.] Ad quæstiones, quas mihi discutiendas proponis, quid vis ut ego, tardioris naturâ ingenii, respondeam, vel noctuas Athenas adferam? Quia tamen responsum exposcis, dicam paucis, quid sentiam.

Ad primam quod attinet quæstionem, vox illa aut phrasis loquēdi Blutstropffen / adeò barbara & apud Medicos inusitata existit; Ut nunquam apud Practicos quicquam me de illa legisse meminerim. [Blutstropffen quid sint?] Quid verò vulgus appellet Blutstropffen / satis mihi cognitum est. Quotiescunque enim dolore aliquo, absque caussa manifesta aliquo in loco, præcipuè circa articulos corripiūtur, illicò guttam sanguinis eò defluxisse dicunt. Falsum verò id esse, hinc apparet, quod defluxiones, quæ ex sanguine fiunt, calidæ sint, ac phlegmonem excitent. Ac quamvis pars phlegmone obsessa non statim ab initio (quemadmodum Galenus docet libro de tumoribus præter naturam) sit immodicè calida: quia tamen sanguis ibi inclusus necessariò putrescit, sequitur mox inflammatio: siquidem (ut idem Galenus refert) corpora simul calida & humida, in calidum locum coacta, promptè putrescunt. Cæterùm quia in illo viro, cujus mentionem fecisti, motus genu per aliquot annos impeditus fuit, absque tamen rubore & inflammatione loci, non ex sanguine fuisse hanc influxionem, tam certum est, ut nihil certius. Fuit igitur ex frigidis & viscidis humoribus, qui nonnunquam ad annos multos circa juncturas delitescere solent, priusquam erūpant. Id ego Coloniæ in viro quodam observavi: [Observat.] is propter dolorē quantumvis levissimum circa genu sinistrum, per annos quatuordecim claudicaverat. Tandem anno 1595. ex interna parte juncturæ ad latus rotulæ, cum tumor apparuisset, me in consilium adhibuit. Purgato itaque aliquoties corpore, discutientibus & resolventibus curam aggressus sum, sed frustra. Tandem enim ad suppurationem pervenit, & primis quidem diebus aqua, seri lactis instar, postea verò materia quædam tenax, quasi lac coagulatum, aut veluti caseus recens, quæ ossi (quod cariosum inveniebamus) adhærescebat, effluxit.

Porrò hujusmodi affectus, quos vulgus Blutstropffen appellat, si à caussa frigida originē trahant, fiunt aut per affluxionem aut per congestionem. Per affluxionem, quotiescunque ex capite materia aliqua ad nervum, aut partem aliquam nervosam veluti juncturas, aut membranas musculorum, vel tendines defluit, & tunc oritur statim dolor, quātumvis exterius neque rubedo appareat. Materia enim, quia parva quantitate existit, tumorem non efficit, neque inflammationem, cum frigida sit. [Observatio de catharro in dextrum brachium delabēte.] Superiori anno cum cuidā Paterniacensi hujusmodi catarrhus in dextrum humerum ac brachium decidisset, ac ingentem dolorem excitasset, me advocari curavit: Nullus aderat tumor, nullaque inflammatio, Videns itaque materiam adhuc in motu esse, statim nonnihil extracti corticum esulæ, cum decocto betonicæ, salviæ, rosmarini & majoranæ exhibui. Istud enim extractum, dummodò fideliter præparatum

Epist. 3.

paratum fuerit, vehementer ex Juncturis & longinquis partibus absque tamen periculo trahit. Partem verò affectam prima die bis aut ter oleo rosaceo, cui guttula una, aut altera aceti admixta erat, secunda verò die aqua mea arthritica inunxi. His intra dies tres divino favore plenissimè convaluit, nec postea unquam tale quid sensit. *Observat.* Nunc iterum civem quendam hujus oppidi curandum habeo, cui ante dies decem hujusmodi Blutstropffen in sinistram coxam non procul à junctura femoris defluxit, qui mihi non paucos fecit labores: nunc tamen, laus Deo, convaluit. Nonnunquam tamen etsi materia per se frigida fuerit, nisi ab initio cura, atque diligentia adhibeatur, tandem & tumor, & inflammatio, aliaq; symptomata calida oriuntur. Doloris enim vi humores ex corpore ad partem affectam, quasi cucurbitulâ trahuntur.

Congestionis caussa. Per congestionem verò fiunt hujusmodi affectus, aut propter errorem facultatis alteratricis: quando scilicet membrum suæ debilitatis caussa nutrimentum dirigere non potest, tunc enim id corrumpitur, & paulatim generatur abscessus: Aut propter expultricis imbecillitatem, ita ut in ipso membro superfluitates retineantur atq; corrumpantur. Ad hanc itaque caussam refero affectum istius Coloniensis, cujus mentionem feci. Huc quoq; referri poterit istius viri, cujus tu meministi affectus, Blutstropffen / (si ita appellare licet) dictus. Materia enim, quæ aliunde defluit, cum aliquid plane præternaturale sit, si nervosas partes petat, veluti sunt juncturæ, tendines membranæ musculorum, dolores maximos excitat. Nutrimentum verò proprium, etiamsi propter supra dictas caussas corrumpatur: tales tamen dolores non infert; Habet enim adhuc cũ parte familiaritatem, atque sympathiam quandam. Paulatim tamen in unum congeritur, & in spacium aliquod ad juncturam defluit, ita ut quamplurimum temporis progressu tunica quadam obducatur, in qua postea non modò humores, verùm etiam corpora solida, unguibus, pilis, ossibus; Et lapidibus similia inveniuntur, teste Galeno Meth. Med. lib. 14. *Observatio de abscessu ad carpum.* Et superiori anno Bernensem matronam, quæ ex hujusmodi abscessu per annos quatuor ad carpum dextrum laboraverat, curandam habui: in quo abscessu materiam larido non absimilem, membrana inclusam inveni, quæ aëri per dimidiam horam exposita, in lapides induruit.

Thermarum piperinarum facultas. Cæterum cum thermæ Piperinæ, præter infinitas propemodum, quas habent facultates, etiã juncturis, & nervis malè affectis mirificè prosint, facilè fieri potuit, ut earum usu corroborato calore nativo, & vi facultatis expultricis juncturæ, materia postea, quæ sub rotula per annos aliquot detenta fuerat, motumque impedierat, partim in halitum resoluta, partim verò in pus conversa, naturâ, & vi facultatis expultricis ad cutem expulsa sit.

Ad 2. quæstionem responsio. Articulorum morbi curatu difficiles. Ad secundam quàm proponis quæstionem, quæ est, *An Arthriticus morbus in juvene viginti annorum ætatis sit sanabilis*, & quibus remediis? nihil certi respondere possum. Cum enim morbi omnes articulorum, sive ulcera, sive vulnera fuerint sint difficiles curatu: morbus tamen, quem practici (spretis omnibus aliis) propter ipsius violentiam, & pertinaciam tantummodo Arthriticum vocãt, omnium est curatu difficilimus: præcipuè si hæreditario jure, uti frequenter accidere solet, supervenerit: subest enim virulenta quædam materia, & caussa hominis ingenio nondum satis cognita. Quia tamen suas quoque habet causas manifestas & cognitas, hæ inprimis mihi essent inquirendæ, constitutio item, & natura ægri consideranda, antequam aliquid certi de morbi eventu, atque an sanabilis sit nec ne? prædicere possem. Veruntamen in hac ætate non omninò insanabilem esse existimo, dummodò æger obtemperare velit, neque nodi in articulis comparuerint. Remedia autem cum secundum caussas, accidentia, & constitutionem ægri mutentur, & adhibeantur, ea in absentia ægri recensere atq; præscribere mihi impossibile est.

Ad 3. quæstionem responsio. Quibus balneis cutis pitis furfures curentur. Nunc ad tertiam quæstionem, nimirum, *quibus balneis artificialibus furfures cutis & inprimis capitis possint detergi, atq; curari, pervenio.* Hic verò inprimis considerare convenit, hujusmodi furfures ex vaporibus corruptis, qui ex phlegmate salso, aut sanguine corrupto, cholera, aut melancholia adusta elevantur, originem trahere, ac maximam siccitatem cutis arguere. Hinc necesse est, ut balnea ista partim ex emollientibus & humectantibus, partim etiam ex abstergentibus & exsiccantibus præparentur. Humectatione enim propter siccitatem maximam cutis; exsiccatione verò propter superfluos humores, qui sub cute retinentur, opus est. *Balneum artificiale ad furfures.* Rectè igitur balneum, ex foliis & radicibus malvæ, betæ, scabiosæ, fumariæ, semine fœnigræci, radicibus Lapatii acuti, scrophulariæ, ellebori nigri, bryoniæ, sulphure, nitro, sale marino, tartaro, furfuribus, staphiagria præscribi potest. Hæc verò, aut pars eorum in lixivio, addito parum aceti, coqui convenit. Post balneum, cute linteo abstersa, unguento enulato, aut oleo, sive liquore tartari (cujus successum sæpius expertus sum) inungatur. Sed quia iste affectus suas quoque habet caussas internas, atque ut antea dixi corruptionem, & adustionem humorum quoque arguat, haud sufficient topica. Præscribenda itaque erit ægro optima victus ratio; purgatio item humoris peccantis, phlebotomia & similia secundum exigentiam morbi: Sic enim non solùm curabitur hic affectus; verùm etiam alia mala, quæ nonnunquam sequi solent, evitabuntur. Atq; hæc sunt, Vir amplissime, quæ ad quæstiones tuas respondere potui, quæ quamvis non ita polita atq; exquisita, quemadmodum decebat, sint, tamen ut ea æqui bonique consulere, & amicè interpretari velis, obnixè rogo.

Nunc vicissim, nisi molestum tibi fuerit, dubium hoc, quod interdum me valdè conturbat, proponam. Quandoquidem quia hîc & in vicinia sępissimè ad difficiles partus accersor, adeò, ut fœtus mortuos manibus extrahere cogar, occurrit mihi superiori anno inter cætera matrona quædam honesta Murati, *Iudica* nomine, & uxor M. Hans Schör / illa per dies sex parturientium doloribus laboraverat, signaq; nonnulla, fœtum *Signa fœtus mortui in utero.* in ute-

in utero mortuum esse, aderant. Praecedente enim die cum rigore quodam matris fœtus moveri cessaverat, ita ut postea neque parturiens ipsa, neque obstetrices, & adstantes matronæ, motum ullum perceperint. Vertex quoque capitis hujus fœtus, cum paulatim in conspectum sese dedisset, sphacelatus conspectus erat: Fœtor quoq; aderat. Ex his & nonnullis aliis signis fœtum mortuum esse conclusimus, sed malè: vivum enim tandem eum extraxi. Sed quia caput per dies aliquot propter angustiam genitalium (erat enim triginta annorum ætatis, constitutione corporis sicca, nec antea utero gestaverat) graviter compressum, atq; ex illa compressione, inflammatio atque corruptio sequuta fuerat, tertio post die è vita discessit. Mater verò convaluit brevi, & usque nunc bona valetudine fruitur. Nunc quæstio est, nimirum cum signa nonnulla, fœtum in utero mortuum esse, adsint, & in vitæ periculo parturiens versetur, ego si manum adhibuero, & instrumentis, vel quocunq; modo fœtum, sine periculo tamen matris extrahere, & parturientium divino auxilio liberare conatus fuero, si forsan fœtum adhuc vivum in utero existentem in operatione læderem, an id salva conscientia, & absque damno salutis meæ fieri possit, nec ne? De hac dubia quæstione quid sentias, mihi mentem tuam aperire non graveris. Mitto momentum de balsamo meo, utere eo, quemadmodum significavi coràm. Utere quoque vino medicato, quod superiori anno præscripsi, & per intervalla hepatis regionem oleo meo deoppilativo, quod per *Dn. Vrstisium* ad te misi, inunge. Ex his Deo volente non exiguum fructum percipies, dummodò corpus quoque per intervalla clementer expurgatum fuerit. Ego Deum Opt. Max. suppliciter oro, ut remediis benedicat, ut diu ad Dei gloriam, & ædificationem Ecclesiæ vivere possis. Vale vir maxime, & me, ut facis, ama. Paterniaci Aventicorum 6. Decembris. 1616.

EPISTOLA IV.

AMANDUS POLANUS à Polansdorff,

GUILHELMO FABRITIO HILDANO S. P. D.

Binas tuas literas accepi, præstantissime Dn. Fabrici, amice plurimùm mihi honorande, in quarũ prioribus respondes ad mea interrogata, & simul quæstionem mihi proponis decidendam. Quod illum attinet, cui Chirurgus quidam dicebat, sanguinis guttam in genu decidisse, interea ex hac vita vocatus est, postquam ossa pedis & tibiarum carie corupta fuissent, & ipse miserè cruciatibus gravissimis excarnificatus, optimi patris, mihique charissimi, bonus filius. Sæpè optavi, tuum consilium ut adhiberetur: nam indocti isti Chirurgi, quales sunt nonnulli, quantum ægrotantibus noceant, experientia testatur. Quæstionis mihi propositæ decisio facilis est. Quæ ratio est Medici periti, purgans medicamentum exhibentis, vel sectionem venæ suadentis, eadem est Chirurgi circumspecti, opera artis suæ exercentis. Iam autem sæpè usu venit, ut Medicus peritus purgans remedium præbeat, aut sectionem venæ consulat ægrotanti, qui post usum sectionis venæ, aut medicinæ, pejus habet, & moritur: Cujus mortis causa nequaquam est Medicus, qui regulas artis sequens, sanare voluit ægrotantem, nõ necare. Idem etiam statuendũ de Chirurgo fœtum ex utero materno extrahente cum dexteritate, & circumspectione debita, qualis quidem in artificem cadere potest, si vel in ipsa extractione fœtus moriatur, mortis culpam ipsi non posse, nec debere imputari; quum & matri, & fœtui succurrere voluerit, non autem perniciem adferre. Modus & finis actionum variant de iis judicia. Actio peracta modo legitimo, & fine bono, conscientia bona peracta est, etiamsi eventus optatus non responderit. Non est igitur, quod conscientiæ tuæ scrupulum injiciat, si operationi tuæ Chirurgicæ exitus felix non consensit. Operatio ex præscripto artis peragitur à Medico & Chirurgo: eventus seu exitus in manu Dei, omnia pro sancta atque justa voluntate sua ordinantis, & dirigentis, positus est.

> Epist. 4. & 5. Medicus secundum rationem agens etjamsi eventus optatus nõ respondeat, culpandus non est.

Quid diceres de consiliariis, seu Magistratibus politicis, qui in causa justissima suadent, vel suscipiunt bellum, quod justam causam habentibus sæpe est funestum, & luctuosum? Nonne Israëlitæ, qui bellum inferebant Beniamitis, bonam habebant causam, & Dei jussu bellum inferebant? & tamen uno die ex Israëlitis interierunt viginti duo millia virorum, altero die octodecim millia. Num igitur illi conscientiam læserunt, qui bellum consuluerunt? nequaquam. Iam bone Deus quam longe distat mors infantis unius à tot millium cæde? Stat igitur fixum firmumq; Chirurgum rectè operantem, bonam conscientiam servare; etiamsi exitus non responderit ex voto.

Ad posteriores literas paucis respondeo, quia M. Urstisius, quid à me dictum, vel factum sit, quod ad tractatum de combustionibus, & lacrymas in obitum Dn. Utenhovii spectat, exponet. Epistolium carminibus seu Lachrymis illis adjunxi, quo institutum tuum probo. De titulo sententiam meam dixi, relicta tamen ea in re libertate D. Zuingero statuendi quicquid videretur ipsi. In præfatione quod mutarem, non vidi: rectè illa habet, meo judicio. Valdè opto, ut ex volunte Dei convenire possimus, ut tecum tanquam cum artifice de hernia agam. Vale prosperrimè cum conjuge tua lectissima, & feliciter age. Basileæ die 26. Febr. Anno Da nobIs paCeM IehoVa.

EPISTOLA V.

IDEM AD EUNDEM.

Mi amicissime Dn. Fabrici, à Francofurtensi itinere me avocarunt partim occupationes officii mei, partim pestis, quæ Heidelbergæ, Wormaciæ, Moguntiæ, Francofurti, in Hassia, & vicinis Comitatibus grassari dicitur, unà cum dysenteria. Interea nihilominus negotium illud, tibi cognitum, curæ fuit mihi, & erit: ubi aliquid certi habuero, per hominem certum tecũ communicabo. Ne epistola hæc sit vacua, adscribere placuit electuarium cydonia tum laxativum, mirè gratum, & tutum, quo ipse usus sum aliquoties. E tribus unciis scammonii extrahitur tinctura cum optimo spiritu vini, tamdiu reiterando laborem, quousq; nullus novus spiritus affusus tingatur: tinctus Spiritus mistus servetur. Postea ad libras tres pharmacopolarum cydoniati (id est, cydoniorum, & sacchari debitè

> Electuarium cydoniatũ laxativum.

Epist. 6. *bitè mistorum & coctorum) cum jam incipit inspissescere, affunditur paulatim spiritus vini tinctus, movendo & agitando spatula, donec omnis affusus sit spiritus, qui inter movendum & supra ignem evanescit, remanente vi purgante scammonii. Vltimò aliquid aquæ cinnamomi optimi affunditur, & parum rursus decoquitur: tandem in scatulas effunditur. Electuarium sit pellucidum, & valde gratum gustu, & suaviter purgans. Dosis à drachmis tribus ad 6. pro ratione personæ, & ægrotantis virium.*

Virum præstantißimum Dn. Jacobum Gutlinum, *qui cum Generosis duobus Genevā tendit, commendatum tibi esse cupio, & conjugē tuam, fœminam honestißimam, &* M. Urstisium *plurima salute impertior. Vale feliciter & salve. Basileæ die 18. Septembris 1607.*

EPISTOLA VI.

ANTONIUS FAYUS,

Ornatißimo & clarißimo viro

Dn. GUILHELMO FABRICIO
Hildano suo. S.P.D.

De gravißimo vulnere capitis, membranarūque & cerebri læsione. Ex hac epistola epigramma. quod legitur Obs. 13. cent. 1. & Observ. 2. Centur. 2. corrigendum. Vulnus cerebri.

C*Larißime vir, Domine & amice charißime, pro novo munere, quod mihi tuo nomine exhibuit* Dn. M. Urstisius *gratias ago maximas, nova est ad tua erga me merita accesßio. Perge porrò de hominum genere bene mereri, & à Deo fausta omnia expecta. In epigrammate, quod nuper de milite vulnerato ad te misi, si fortè illud es editurus, muta* (pars quoque cæsa fuit *) pro eo quod est:* pársque recisa fuit, *ne quis putet, amputatam portionem cerebri, siquidem vulneratus fuit cæsim, cranio, utraq; menynge & ipsa cerebri substantia tacta, ad profunditatem spißitudinis Talleri, longitudo autem vulneris in ipsa cerebri substantia erat æqualis extremæ articulationi minimi digiti, cùm vulnus totum æquaret digitum medium longitudine, occupans frontis partem cameratam. Vale vir optime & peritißime. Te tuosq; omnes Deo commendo. Genevæ No. Iunii 1607.*

EPISTOLA VII.

Clarißimo atq; excellentißimo viro

Dn. D. ARNOLDO MANLIO,

Medicinæ Professori in Academia Coloniensi primario, amico ac promotori suo æternùm colendo.

Guilhelmus Fabricius Hildanus
S. P. D.

INter omnes, quos in diversis locis, diversisque temporibus, habui præceptores, Vir amplissime, Domine, amice ac mœcenas in perpetuum honorande, tu revera unus ex fidelissimis, mihique semper charissimis extitisti, ut qui non solum in prælectionibus tuis doctissimis, verùm et jam in privatis colloquiis suavissimis atque humanissimis me erudire nunquam sis gravatus. Quapropter quantum tibi debeo, apud me quidem sentio, quomodo verò tantam in me exhibitam humanitatem compensare possim, nondū video. Amore quidem & reverentia, quoad vixero, quantum quidem Deus Opt. Max. dederit virium, te prosequi conabor, utinam beneficiis officiisque simul id præstare possem. Ubicunque tamen tibi inservire potero, nunquam deero officio meo. Prælectiones tuas undiquaq; doctissimas in Hippocratis aphorismos, sperabam aliquando in lucem prodituras, maximóque cum desiderio ipsas hactenus expectavi, ac etiamnum expecto. Nec dubito, eas non solum pergratas, verum etiam longè utilissimas Æsculapiadeæ fore familiæ: cui hac in parte ut aliquando gratificari velis, summoperè rogo, atque efflagito. Ego commentaria nonnulla ex prælectionibus istis exceperam, sed in peregrinationibus meis, proh dolor, mihi nescio quomodo distracta, atque deperdita fuêre. Porrò mitto ad te primam centuriam observationum Chirurgicarum, unà cum tractatu de combustionibus, & dysenteria, vehementer rogans, ut omnia æqui bonique facere velis. Nunc secundam centuriam præ manibus habeo, quæ si Deus vitam extenderit, & alia negotia permiserint, posthac quoque prodibit. Vale vir amplissime. Raptim Paterniaci Aventicorum 12. Junii 1608.

EPISTOLA VIII.

Clarissimo viro, Medico & Chymico celeberrimo

Dn. D. BERNHARDO G. PENOTO à Portu S. Mariæ *Aquitano*

Guilh. Fabricius Hildanus, S. P. D.

MAturiùs ad te misissem, vir clarissime, tractatum meum de Dysenteria: sed ad quid, noctuas Athenas ferre? interim tamen quia cum videre expetis, en ad te mitto exemplar, quod ut æqui bonique consulas, etiam atque etiam rogo. Cum *Castellano Masseto* Hydropico vestro, vereor rem deploratam esse, ac paracentesin ei parum prodesse, quandoquidem senex est, & debilis, & vix alimentis uti potest. Sunt & partes nobiles, inprimis verò hepar & lien, ex intemperata victus ratione, multisque doloribus Arthriticis, quos passus est, labefactatæ, tumefactæ, & induratæ. Et quamnis totum abdomen adeò in tumorem elevatum & extensum sit, ut prædicta membra palpitari non possint: attamen ea indurata & tumefacta esse, indicat color obscurus & flavus faciei & oculorum, respirandi difficultas, tussicula sicca, paucitas urinæ, tumor œdematosus crurum &c. In tumore abdominis aliquid particulare observavi, quod hepatis & lienis tumorem indicat: nimirum ventrem ab umbilico deorsum multo depressiorem esse superiore; sunt enim regiones hepatis, ventriculi & lienis, à xiphoide & postremis costarum veratum, usque ad umbilicum valdè elevatæ, & tumefactæ, At tumorem illum ex duritie & inflatione hepatis & lienis fieri, certissimum est; quandoquidem aqua semper deorsum tendit, & imum ventris præcipuè extendit.

tendit. Adest igitur manifesta & insignis intemperies, durities, & obstructio viscerum, quæ morbum hunc in senibus præcipuè incurabilem reddunt. Quantum ad paracentesin; non est illa vera curatio, tollitur enim tantummodò caussa conjuncta, nempe aqua; quæ & facilimè regeneratur, nisi prius ablata fuerit caussa antecedens, seu efficiens, nimirum durities & intemperies viscerum: sed existimo, illam tantam esse, ut vix tolli possit. At quomodo tolleretur, quandoquidem adeò aversatur medicamenta, ut ne syrupum quidem rosaceum, mannam, & rhabarbarum sumere possit. An possit aqua illa destillata, quam præscripsimus ex radicibus, herbis, floribus, &c. aperientibus, & corroborantibus, uti, brevi videbis, & nobis successum indicabis. Si utitur aqua illa, & reliquis medicamentis externis, atque optima victus ratione, tum post aliquot dies poterimus facere paracentesin, & paulatim extrahere aquam, sin minus, profectò laterem lavabimus: quantum enim hodie extrahemus, cras regenerabitur. Ego absente ægro loquor, tu præsens omnia multò diligentius annotare potes. De successu præscriptorum medicamentorum fac nos certiores: ut quid posthac faciendum sit, maturè deliberemus. Vale vir clarissime, & te amantem ama. Paterniaci 18. Augusti 1603.

EPISTOLA IX.

BERNHARDUS G PENOTUS à Portu S. Mariæ Aquitanus *Medicinæ Doct.*

Guilhelmo Fabricio Hildano S. P. D.

T*Vas, simul & literas clarissimi viri Dn. D.* Jacobi Zuingeri *accepi, charissime mi Dn.* Fabrici, *responsum ad literas D. D.* Zuingeri *ad te mitto, fac quæso, ut ad ipsum perveniat. Cæterùm officium meum hic resignavi, & domum mihi Genevæ conduxi. Si maturius literas tuas accepissem, prolixius respondissem. Interim tamen quantum ad plantam, quam tu cum* Fuchsio *saniculam fœminam appellas, paucis dicam quid sentiam. Est illa verus Elleborus Hippocratis, Epipactis Dioscoridis, & Elleborine Matthioli. E radicibus ipsius purificatis, & spacio 24. horarum aqua maceratis, postea per alembicum vitreum in cineribus destillatis aqua extrahitur, cum supernatante oleo croceo, suavissimo odore prædito, aqua similiter suavissimum habet odorem, nec facilè corrumpitur. Mitto ad te parum hujus aquæ: illa etiamsi ante annos quinque destillata, ampulla quinetiam haud diligenter obturata fuerit, odorem tamen, simul & gustum retinuit: De ea, ut periculum facerem, nunquam sese occasio obtulit. Extractum quoque ex radicibus feci, sed nunquam exhibui: interim tamen ipsum melancholicis prodesse, ex odore colligitur. Fœtor olei cornu cervi per retortam extracti aufertur, si oleum Colchotar vitrioli rectificatum fuerit, reiterando laborem, donec nullus amplius percipiatur fœtor. Aqua cornu cervi odorem non habet gravem, ac insigne est anodynum. Tibi ad quid ex usu sit, nescio, nisi fortè in podagra ex caussa frigida, sed de his aliàs plura. Vale raptim Ebroduni 5. Iunij 1608.*

EPISTOLA X.

Epist. 10. & 11.

CAROLUS UTENHOVIUS Ornatissimo Viro, & ἰατροχειρουργῶν τῶν ἐν τῇ τῶν ἐβίων ἀποικίᾳ solertissimo; Amico neutiquam plebejo,

Guilhelmo Fabricio Hildano;

S. P. D.

*V*Iolentius nullum esse tormenti genus,
Quàm quod vias obturat urinæ, scias;
Hâc nocte me expertum fuisse FABRICI,
Crebroq; opem implorasse in illo me tuam, at
Frustra: Proinde licet Alexipharmacum
BOTTERUS, atq; MANLIUS præsens, mihi
Persæpe detulerint, tamen quia plurimi
Te facio, amoq; plurimùm, mi FABRICI,
Tuo idq; merito (quippe qui FLODROPIAM, &
Filiolam adoptivam ANNAM ab Orci faucibus,
KAROLIQUE familiam UTENHOVI integram, hâc
Eruere non gravatus æstate es, DEO
Iuvante) Te unum, Te inquam ego instar omnium
In urbe Medicorum, atq; Chirurgorum ego
Deinceps volo esse, atq; unicum. Proinde Te ac-
Celerare gressum huc jubeo, chare FABRICI, &
Valere MARIA Colineteâ cum tuâ
Consorte thalami, dulcibusq; liberis.

Coloniæ 1599. 8. Septembris Stilo novato.

ΣΑ'ΡΔ Ο'ΛΘΣ 'ΩΝ Σ'Τ ΘΕ'Ν ΓΑΤΡΟΤ
Α'ΝΕΤ 'Ο-ΒΙ'ΟΣ.

EPISTOLA XI.

Viro amplissimo, clarissimoque

Dn. D. CASPARO BAUHINO, Anatomico & Botanico longè celeberrimo, Basiliensi Archiatro meritissimo, ejusdemque Academiæ Medicinæ Professori primario, & Illustr. Wirtembergici Ducis Medico felicissimo;

Guilhelmus Fabricius Hildanus,

S. P. D.

De Trissagine sive Chamædrŷ

QVæ de fungis, quos miseram, communicasti, Vir amplissime, per grata mihi fuere. Trissaginis sive chamedrys plantam exsiccatã, & chartæ agglutinatam, ad te mitto. *Dn. D. Georgius Ienischius* piæ memoriæ illam alteram Botrydem esse statuebat. Ego cum propter rationes, quas in literis ad *Dn. Ienischium* datis, & quarum apographum nuperrimè ad te misi, recensui, tum & propter singulares virtutes, quas cum scordio communes obtinere, sæpissime usu atque experientia expertus sum, scordii potius illam speciem appellandam esse censeo. Tua verò quæ hac de re sit sententia, scire vehementer aveo. De Euphorbio quoque judicium tuum expecto. De lapide Bezoardico quæcunque singularia observavi, doctissimo *Dn. D. Michaeli Döringio* Convictori meo amantissimo, communicavi: qui quia hac de re atque materia & doctè, & prolixè ad te scribit, nihil repetam hic. Lapides, quos habeo, parvi sunt, sed tamen boni, uti ego non rarò expertus sum. Ante annos aliquot inter manus *Dn. Mahueti*, tum in Gymnasio Lausannensi Hebraicæ

Epist. 11. & 12.

linguæ Professoris, lapidem, quem ipse Bezoardicum fuisse affirmabat, vidi, qui magnitudinem ovi gallinacei adæquabat. Sed in istis magnis potius fucum & dolum, quam in parvis reperiri, quidam pharmacopola Coloniensis, amicus meus singularis, aliquando monuit: Quod & ego verum esse expertus sum. Prima data occasione ad illum scribam pharmacopæum, & petam, ut si quid singulare circa hosce lapides observaverit, nobis comunicare non gravetur. Singulis enim annis ipsos in copia in Belgio sibi comparat, atq; hinc inde distribuit. Vale Vir amplissime, & Æsculapiadeæ familiæ lumen æternùm cum tuis omnibus, quos tecum ego, & uxor mea demissè salutamus. Raptim Paterniaci Avent. 9. Februar. 1608.

EPISTOLA XII.

Virtute, doctrina, eruditione præstantissimo Viro

DN. CASPARO DORNAVIO,
Philosophiæ & Medicinæ Doctori Amico suo perpetuò honoarndo,
Guilhelmus Fabricius Hildanus,
S. P. D.

NOn possum satis exosculari, Vir clarissime, ingentem illam in me tuam benevolentiam & liberalem animi tui significationem, quam antequam nos coràm vidimus, plenissimè mihi exhibuisti, dum observationes meas Chirurgicas carmine eleganti honorare dignatus es. Utinam tales essent, ut tanti viri encomio dignæ censeri possint. Interim tales, quales sunt, mitto ad Te exemplar unum, cui addere libuit tractatum de dysenteria. Tu Vir humanissime, pro tua humanitate omnia excipe, & æqui boniq; consule. Doleo, quod tot, tamque absurdis mendis, propter incuriam Typographi scateant observationes: non enim manuscriptum exemplar correctius dari poterat. Cæterùm post tuum à nobis discessum Chirurgica nonnulla rara mihi occurrerunt: inprimis verò in quatuor puerperiis difficilimis adhibitus fui. Primò Lausannæ 7. Septembris: sed parturientem in mortis agone inveni, atque in illa ipsa hora, in qua ad ipsam accessi, è vita discessit. Post mortem aperto ventre, præsente clarissimo viro Dn. D. *Rheterio*, fœtus semiputridus, uterus verò dilaceratus conspectus est. Secundò Murati 10. Septembris, ubi ex parturiente fœtum semi mortuum, præsente reverendo Dn. *Iohanne de l' Ozea*, ejus loci verbi divini ministro extraxi. Fœtus post dies aliquot obiit, mater verò pristinæ sanitati restituta fuit. Tertiò in eodem Muratensi agro 27. Septembris, præsente nobili viro Dn. *Nicolao à VVattenville*, quem honoris, & erga ipsius Manes observantiæ caussa hic nomino, fœtum semiputridum extraxi, puerpera similiter convaluit. In hac præterea civitate habemus matronam honestam, quæ per tres integros menses fœtum mortuum in utero gestavit. Ego quidem in consilium adhibitus fui, sed uxor mea 20. Octobris fœtum extraxit. Matrona illa nunc, laus Deo, bellè se habet. His vale vir clarissime & amicissime, & aliquando ad nos rescribe. Paterniaci Aventicorum 27. Novembris Anno 1605.

Partus difficiles.

EPISTOLA XIII.

CASPARUS DORNAVIUS,
Medicinæ Doct.
Clarissimo, præstantissimoque
DN. GUILHELMO FABRICIO,
Medico-Chirurgo peritissimo.
S. P. D.

CLarissime, & præstantissime mi Dn. Fabrici, *amice colende; eadem ego memoriæ tenacitate summæ tuæ in me humanitatis & amicitiæ mecum circumfero imaginem, atq; tu præsentis mei recordaris alloquii, & voto nostro brevioris conversationis. Quis enim tam ferrei foret pectoris, tam caperatæ frontis, qui non te redamet, sic amantem? non magnificaret generi humano & Asclepiadeæ familiæ tam fructuosè commodantem? Quod verò honorario me tuo, insigni illo, & multis nominibus exoptabili, adspicere dignatus es, fecisti, ut animo meo anxium negotium facessam, quibus modis hoc beneficii gravida aliqua gratia rependere possim. At non possum pari Talione. Hoc spondeo tibi lubens, hoc voveo volens, animo me interim gratum futurum, donec & hic reipsa in aliquod gratitudinis monumentũ sese exerat, quod tibi tam certè persuadeas velim, quam me tibi communis Aesculapii societate addictum. Observationes illæ tuæ de fœtuum extractione, ut lectu dignæ, ita scitu jucundæ! Macte mi Fabrici hac tua dexteritate. Videris mihi hoc pacto brevi collecturus aliam observationum centuriam, & eam in humani generis solatiũ, publici juris usuq; facturus. Ita ne autem & uxor tua Chirurgicas jam administrat* ἐγχειρήσεις*? Bone Deus quanti est virtus, scientia, peritia! quæ quiescere non potest, quin spe etiam, & modo insolentiori vim suam diffundat, non secus atq; Sol supra horizontem nostrum elevatus, non potest non hoc universum naturæ theatrum illustrare. Expectas tu fortasis, ut tuas observationes meis compensem? Falleris totus, si hanc concepisti opinionem: siquidem nondum tantoperè messis mea, ut dicitur, in herba est. Laborem equidem tibi, si placet, objiciam lubens, & temporis inferam dispendium: quod tu tamen pro initi nostri amoris, amicitiæq; sacro, non tanti æstimabis. Dicam quid velim. Adolescens quidam floridæ temperaturæ, carnosæ, benæ, & commodæ, ante octennium lapsu quodam dextrũ luxavit brachium: quod ab eo tempore atrophia & macie confici cœpit: adeò quidem, ut jam magis, magisq; cœteris membris ob corporis augmentum increscentibus, minuatur, decrescat, macrescat. Accedit, quod in intrinseca cubiti flexura tensio quædam percipiatur, ut in justam longitudinem ac rectitudinem brachium projicere nequeat: sed incurvatum ferè in modum falcatæ Lunæ, citra tamen doloris vim, gestare cogatur. De caussa non disputabo prolixius. Vnum monebo: videri mihi à primo reluxati, postmodumq; repositi tempore, errorem in ipsa repositi commissum fuisse, & in ipso articulationis spacio vel ex adfluxu humoris, vel alimenti, callosi quippiam succrevisse. Hoc ut conjiciam, facit, quod tota extrinseca cubiti articulatio, ejusq; processus protuberare plus videatur, quàm*

Luxatio brachii lapsu.

quàm secundùm naturam sese habere debeat: & inæqualitas quædam simul dictorum humeri & cubiti processuum, licet vel sub aspectum vel tactum corpus aliquod seu callus præter naturam non veniat. Usus est, ut audio, ante annum, imò ante complures annos remediis quibusdam, ex adipe humano, & nonnullis oleis: sed citra notabile quodpiam adjumentum. Nunc cum & malum vires assumat, & tempus accedat, quo vel pugillatui, vel aliis equestribus exercitiis nonnunquam vacare debeat, brachium verò decurtatum, & incurvatum non admittat, accuratiori cura opus est. Tu mi præstantissime Dn. Fabrici, consule quæso in medium, quid tibi & doctrina & experientia cognitum, in hoc affectu salubri cum successu, aut saltem illius spe, adhibendum videatur. Dabo operam, ut hoc benevolentiæ genus aliis amicitiæ officiis & studiis promereri queam. Rogo itaq; vehementer, expectationi meæ ne desis: & quamprimum fieri potest, sententiam tuam mihi rescribas. Fieri enim potest, ut primo Vere Musas nostras hinc in alias regiones transferamus. Vale vir clarissime, amice exoptatissime, & me ama. Heidelbergæ Eidibus Ianuarii CIↃ IↃC VI.

EPISTOLA XIV.

Ad eundem Virum Præstantissimum,

DN. CASPARUM DORNAVIUM

Med. Doct. cui,

Guil. Fabricius Hildanus, S.P.D.

OB solam inspectionem literarum tuarum, Vir virtute & doctrina verè præstantissime, & amicorum longè charissime, crede mihi, præ gaudio exilii; tum quia te rectè valere, & nostri memorem esse, nec mente à nobis alienari, etsi excelsissimi montes nos jam segregant: Tum etiam quod velitationes nostras literarias gratas tibi fuisse, probè intelleximus. Perge quæso mi Dornavi in eadem amicitiæ constantia, nec sine eam vel temporis injuria, vel locorum intervallo evanescere. Ego vicissim quoad vixero, Deo dante, sincerè & religiosè eam erga te conservabo: idque ubicunque, & quandocunq; sese obtulerit occasio, re ipsâ pro virili declarabo. Porrò visum nonnullis ex amicis meis, memoriam celebrare Karoli illius Magni Utenhovii; p.m. quam Dn. Rhetherio ad calcem præfationis observationum adjicere libuit, aliqui ad me miserunt Epitaphia, nonnulli verò promiserunt, quæ suo quoque tempore prodibunt. Quod si simile quid in memoriam hujus Viri tam pii, tam docti, & erga quosvis humanissimi, canere, & ad me mittere libuerit, pergratum mihi feceris. Multum enim ipsi propter incomparabilem ipsius in me benevolentiam debui, ac etiam nunc ipsius familiæ debeo. Casus, quem proponis, gravis est, inveteratus, & vix curabilis: id quod ante annum in juvene satis expertus sum. Is dislocato cubito sinistro, in manus imperiti empirici incidit: qui juncturam nec satis benè reposuit, multo verò minus à dolore, & humorum affluxu vindicavit. Post menses aliquot ad me veniens, illius brachium decurtatum, incurvatumq; valdè, & juncturam propter concretam illam materiam circumcirca planè immobilem deprehendi: aderantque dolores & maximi, & continui. Ego divino favore, maximisque & longis laboribus, tum universalibus, tum topicis medicamẽtis dolores sedavi, affluxum humorum amovi, affluxos discussi, tantumque effeci, ut nunc, Laus Deo, majori ex parte brachium suum officium faciat, & rusticana negocia ferè omnia peragere possit. In integrum verò propter callosam circumcirca juncturam concretam materiam restitui minimè potuit. Hodie denuò, præsente Dn. Urstisio (qui te salutat plurimùm) puerum invisi, qui eodem plane affectu, ut ille, de quo scribis, laborat, sed vix admovebo manum. Ex his intelligere licet, Vir amplissime, quid de eventu casus illius, quem mihi depingis, cogitare atque expectare liceat. Atrophia enim brachii hinc evenit, quod ex malè repositis, atque extuberantibus ossibus, vel etiam propter concretam in intrinseca cubiti flexura materiam, venæ atque arteriæ comprimantur, ita ut alimentum & spiritus non facilè permeare, nec ubique partes brachii irrorare possint. Atq; atrophia illa utplurimùm incurabilis censetur, nisi prius ossa in naturalem situm reposita fuerint: Id quod hic, quia morbus inveteratus est, frustra tentaretur. Suaderem tamen, ut prius purgato corpore, singulis horis matutinis, antequam lecto egrederetur, æger totum brachium, manum & nucham inungere curaret succo lumbricorum, cui admixtum sit parum olei amygdalarum dulcium. Atque ut deinde in maximis laboribus & exercitiis brachiorum sese exerceret: & nonnunquam gravissima pondera manu sublevare tentaret. Sic enim fiet, ut nervi extendantur, parsque affecta mediocriter incalescat, sanguinem, atque nutrimentum motu illo violento attrahat. Præparationem succi poteris petere ex tractatu meo Germanico de Gangræna & Sphacelo cap. 13. pag. 205. Deinde apponerem ceratũ Oesypi Philagrii. His si non penitus curatus affectus, maximum tamen inde juvamentum ipsum percepturum confido. Ego Deum optimum maximum suppliciter oro, ut iis benedicat, & te unà cum generoso Barone (quem dimissè saluta) totoque sodalitio vestro, quàm diutissimè incolumem conservare velit, quò peregrinationem vestram feliciter absolvere possitis. Vale Vir amplissime, & amicorum optimè, meq; amare perge. Paterniaci Aventicorum 27. Martii 1606.

Epist. 14. & 15.

Atrophia ex vasorũ compressione.

EPISTOLA XV.

Viro Clarissimo atque Doctissimo,

Dom. D. CASPARO HELBLINO,

in Illustri Academia Freiburgensi Brisgoviorum Medicinæ Professori celeberrimo,

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

UT tandem fidem meam liberarem, clarissime atque amantissime mi Dn. D. Helbline, en ad te mitto structuram oculi, quam ut hilari fronti excipere velis, obnixè rogo. In separatione ne quid disrumpatur, circumspectè procedendum est. Prima quæ occurrit membrana, adnata, sive conjunctiva est, deinde quod sequitur obtegumentum album, crassumve, pinguedinem repræsen-

Structura oculi artificialis.

Epist. 15. præsentat. Illud cum abstraxeris, musculi sex, quatuor recti, duo obliqui, simul & nervus motorius per omnes musculos dispersus & expansus, in conspectum veniunt. Sequuntur deinde membranæ, innominata nimirum, cornea, & uvea, in medio separatæ ut essent, necesse fuit, alioquin quæ præterea in oculo continentur, minimè conspici potuissent. Superior autem pars uveæ, ubi perforata est, in superiori parte ipsius corneæ abscondita est, poteris illam facillimè acicula, aut acie scalpelli apprehendere, extrahere, iterumque pro arbitrio reponere, postea sequuntur retiformis, & membrana vitrea, per crassam autem portiunculam illam albam, humorem vitreum repræsento, in cujus centro humor crystallinus, simul & membrana arachnoidea resident. Quod si globulos istos crystallinos, quos promiseras, misisses, attificiosius forsan humorem istum crystallinum, cum sua tunica arachnoidea repræsentassem. Possum enim arachnoideam tunicam ita efformare, ut sit rotunda, undique clausa, & instar telæ araneæ contexta, quo humor crystallinus in medio collocatus conspici possit. Verùm ut globulus ex utraque parte foramen habeat, quo stylum ferreum excipere possit, necesse est. Omninò tamen, ut perforatus sit, non expedit, sic enim splendorem suum ex parte amitteret. Clarissimus Vir Dn. D. Mezius communis noster amicus, quem ante dies aliquot Basileâ veniens, in via offendi, significavit mihi, te globulos istos paratos habere: si ita est, mitte quæso illos per huncce famulum meum, aut alium fidelem nuncium: Quamprimum enim ad Musæum meum reversus fuero, operam dabo, ut tunicam illam cum suo humore crystallino de novo exstruam & ad te mittam. Sed rescribe obsecro, an modum illum adumbrandi tunicam illam, quem jamjam proposui, approbes, & quid præterea in structura illa oculi, præter humorem aqueum, quem nullo artificio adumbrare potui, desiderari possit. Hæc festinanter ad te, Vir clarissime, scribo: quapropter ut tumultuanti calamo ignoscere velis, plurimùm rogo. Inclusum fasciculum literarum mitte quæso per tabellarium, ut vocant, ordinarium, ad Dn. de Bry, ille jam tertiam Centuriam Observationum mearum, & quædã alia sub prælo habet. Vale Vir amicissime, & æternùm vive cũ tuis omnibus, quos tecum saluto. Saluta obsecro meo nomine amplissimum ac longè doctissimum Virum Dn. D. Mockium, clarissimos item, atque doctissimos Viros Dn. D. Faustium, & Dn. D. Mezium, uti quoque præstantissimum Virum Dn. Federerum, quos ut Deus Opt. Max. diu conservare velit, ex corde opto. Raptim Bingæ 17. Iulii 1614.

EPISTOLA XVI.

JOH. CASPARUS HELBLINUS, Med. Doct. experientissimo Viro, DN. GUILHELMO FABRICIO HILDANO, S. P. D.

Respondetur præcedenti epistola.

Oculum mira arte & industria elaboratum, quem antehac clarißimus Vir, amicus omni observantia colendus, promiserat, non sine maxima voluptate hodie à præsentium latore accepi, idque propterea quod singularem tuam erga me benevolentiam, & animi candorem intelligerem, tum quod symbolum ab Amico singulari ac raro, necessitudinis initæ perpetuum obtinerem, tum etiam quod ornamentum esset maximum eorum, quæ jam ab aliquo tempore non sine studio & labore perquisivi. Quare tibi, ut amicissimo Amico gratias ago & habeo maximas, meque hujus fore gratum & memorem, candidè polliceor. Vtq; hujus initium videat, en globulos, quos pro humore crystallino reponere soles, transmitto: misissem citius, si occasionem ad te scribendi nactus fuissem: quod si hac forma placuerint; me fide quoque mea liberatum existimabo: sin minus, curabo, ut ad nutum conficiantur, si Bingæ ad dies aliquot permanseris, adamantem convenienti instrumento exceptum procurabo. Quid verò de hac eleganti & laboriosa oculi structura, & de deficiente humore aqueo, qua ratione is etiam addendus, sentiam, alio tempore commodiore significabo. Hisce vale, atq; ut cœpisti, me amare perge. Datum raptim Freiburgi 19. Iulii 1614.

EPISTOLA XVII.

Viro Clarissimo, atq; doctissimo

DN. JOHANN. CASPARO HELBLINO, in illustri Academia Freiburgensi Brisgoviorum Medicinæ Professori longè celeberrimo, Amico singulari.

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

Resp. ad ... [illegible]

Munusculum quod misi, tibi gratum fuisse, vir clarissime, & amice æternùm honorande, vehementer gaudeo & syncerè dico, majorem esse necessitudinem nostram, quàm ut pro hoc officiolo tantoperè mihi gratias agere debuisses. Globulos crystallinos, quos misisti, accepi, & vicissim gratias, ut debeo, tibi ago immortales. Ex eis autem tres, qui omnium minimi, & ex utraq; parte aliquo modo depressi, humorem crystallinum quàm elegantissimè repræsentant. Utinam reliqui essent similes, & exigua valdè haberent foramina, quò illos absque colla annectere possem: tentabo tamen, an aliquo artificio illos potero adaptare, & membranæ arachnoideæ ita inserere, ut ex utraque parte conspici possint, & genuinum splendorem retineant. Id si ex voto successerit, mittam ad te, ut in præcedentibus meis promisi, specimen, sin minus, monebo, & ut alio modo elaborentur, à clarissimo viro contendam. Per dies, ut arbitror, quatuor aut quinque hic mihi adhuc commorandum erit; Interim, si Adamantem procurare poteris, rem gratissimam mihi feceris: & libentissimè restituam, quicquid expenderis, & quidem cum usura. His vale vir clarissime, & me tui amantissimum vicissim ama. Iterum meo nomine saluta amicos, quorum in præcedentibus meis ad te literis memini. Raptim Bingæ 28. Julii 1614.

EPISTOLA XVIII.

CLAUDIUS DEODATUS

Reverendissimi & Illustrissimi Episcopi Basiliensis Medicus ordinarius,

Guilhelmo Fabricio Hildano S. P. D.

INsignem profectò, vir excellentissime, & apprimè necessariam de dysenteria tam præservanda, quam methodice per sananda, suscepisti provinciam, cum sit affectus, qui quavis ferè anni tempestate, & senes, & juvenes, & utriusq; sexus homines invadat, totasq; quandoq; regiones & provincias depopuletur, quamvis hoc ratum sit, quod ut sunt anni tempestates, sic & humorum, hunc affectum excitantium Ideæ: Et ut humorum sunt ideæ, ita & hujus affectus formæ: inter alvina tamen symptomata, quæ humoris acerbitate & excretione laboriosa sunt, dysenteria ferè primatum tenet: Cum enim omnis sanguinis profusio, sive sursum sive deorsum facta, tam ob ipsam fluxionẽ, quàm profluvii caussam suspecta sit, fit, ut dysenteria ob sanguinis per alvũ eruptionem terrifica sit: terrentur enim ægri viso sanguine; Quamvis subinde, & Medicum & ægrum spe salutis soletur, præsertim si humoris morbifici copia salva nutritionis œconomia excitetur: vel si alvus excrementis figuratis, mollibus, modica bile perfusis & cibi ingesti copiæ respondentibus feratur, & debito tẽpore: vel cum est Critica, & quæ Lienosis supervenit & senibus hæmorrhagiæ loco. Tales autem dysenteriæ fugaces, in quibus excrementa ad tempus saltem cruore tinguntur, dicuntur. Quod si excrementa humida sint, alba viridia, vitellina, meraca, multaq; bile tincta ferantur, si vel sæpè & multum, vel sæpè & paucum & cum stridore excernantur tales sanè dejectiones & symptomaticæ sunt, & partibus, per quas feruntur, calamitatem inferunt, maximè si ab atra bile, quæ prænuncium habuit bilis vomitum, quæ tormina induxit, ortus sui caussam agnoscat: Talis enim dysenteria insanabilis carcinomatis Ideam præ se fert, tum propter materiæ feritatem, tum propter ulceris malignitatem.

Quod si caussas examinemus, apparebit, Dysenteriam propriè usurpatam, non esse intestinorum difficultatem, cum sine hac sæpè fiat dysenteria, sed esse cruoris per intestina ad alvum manantis dejectionem, ad fluxus hæmorrhoidalis differentiam, qui ab alvo duntaxat emanat. Cruoris autem dysenterici dejectio ab intestinis & per intestina manans, vel è partibus superioribus, vel à toto corpore, vel intestinis exulceratis manat. Si feratur per intestina cruor, & loturam carnium recens mactatarum referat, hepatis resolutionem & imbecillitatem arguit. Inde fluxus ille hepaticus, qui non raro cum magno ægrotantium malo pro dysenterico habetur. Quod si & cruenta, & multa, & naturæ virtute fiat dejectio, à Galeno lib. 4. de art. αἱματώδης dicitur, & talis quandoq; ob ulcus malè sanatum, dysenteriam αἱματώδην excitat, quæ tamen lethalis non est, sed fugax sanguinis exclusio: & hac ratione fit, ut quandoq; a cubiti ulcere alvus cruentis excrementis feratur, quia corpus est permeabile.

Dysenteria verò propriè dicta ab intestinorum ulcere nascitur, cum scilicet intestina crassiora, vel superiora & tenuiora torminibus ab atra bile, aliisve acribus, salsis, arsenicalibus, aeruginosis, vitriolatisq; humoribus ulcerantur pro humorum scilicet idea, quorum dominatu corpora tenentur, sed de his pauca ista sufficiant.

Epist. 18.

De phlebotomia in dysenteria.

In curatione quæsitum, an in dysenteria conveniat phlebotomia? Sanè si cruoris ab intestino exulcerato manantis exclusio ægrum damnis augeat, à sanguinis detractione minimè abhorrerem: sic, si patiens sit æstuosus, hepar bile accensum excandescat, dejiciendi finem non faciat sit dejectio cruoris ab intestino manantis, & nec jactatio, nec incendium quiescat, quis non venæsectionem procurabit, ut perennitas à calore & intestini incendio dependens extinguatur, præsertim si virium robur adsit?

De purgatione in dysenteria.

Quod si purgatione opus sit, nullum præstantius pharmacum rhabarbaro excogitari potest, eo quod & fluxionem sistat, partem roboret, ulcus sua adstrictione & moderata siccitate curet: Ast non prius, quàm pars ulcerata consolidationem perceperit, clysteribus, potionibus, medicamentis lenientibus, non autem ulcere aut inflammatione affecto hepate. Graviter enim mihi peccare videntur, qui sine doloris levatione, ulcere non mansuefacto, nec materia morbifica mitificata catharctica dysentericis exhibent; Ulcus enim medendo ægrescit.

Catharctica in dysenteria quando non exhibenda.

Quod si dysenteria epidemica fuerit, ea nulla ratione prius supprimi debet, superstite totius perennitate, sed exhauriri & confirmari debet, parte prius purgata. Porrò cum initio dysenteriæ adstringentibus utendum non sit, eo quod dejectio, quæ ἀναδρομὴν & non ἀναγωγὴν habet, pleuritidem, peripneumoniam faciat, & dysenterias, aliaq; sævia symptomata inferat, meritò quæritur, an in hujus affectus curatione aquæ chalybeatæ usus admitti possit?

De usu aquæ chalybeatæ in dysenteria.

Cum variæ sint ferri differentiæ, & unum aliis præstet, pro interno Medico usu semper præstantius eligendum, quale est vel Persicum, Indicum, Chinesium aut Damascenum, idq; recens, nec sæpius in officina conflatoria ignibus exercitatum. Tale igitur sumitur ferrum, probè candefactum, & in vino, aqua, cerevisia tenui, lactis sero, aliove congruo liquore extinguitur, semel atq; iterum duntaxat: & huic extinctioni meliores Practici, ut & Mercatus lib. 2. de affectibus mulierum cap. 18. vim tribuunt purgandi & repurgandi non levem. Nec injuria sanè. Cum enim apertis vi ignis, & reseratis ferri compaginibus, inexistens Halonitrum, & chalcanthi, seu atramenti quædam species cum sulphure quodam metallico, artis spagyricæ beneficio colligi poterit, quibus meritò laxandi, penetrandi, detergendi, & obstructiones reserandi facultas inest; fit ut fractâ, vi ignis, ferri compage, vis illa prædictis liquoribus propter actuatum in iis Halonitrum & Chaltanthum communicetur. Factâ enim vi ignis resolutione, liquores illi spiritibus nitrosis ac atramentosis, quorum est penetrare, detergere, aperire, naturam ad excretionem stimulare, impragnantur. Quod si ferrum vetustius, pluriesq; vim ignis expertum, & spiritibus illis nitrosis atque atramentosis ferè exhaustum, sæpius candefiat & extinguatur, poterit tunc procul dubio lientericis, cœliacis, dysentericis, cæterisq; morbis resolutis conferre, cùm vim inde sortiantur illi liquores exsiccandi, roborandi atque adstringendi, eò quod ob frequentem, & sæpius repetitam exstinctionem, corpore duntaxat ferri substantia in liquorem transferatur, exhaustis pridem nitrosis & atramentosis spiritibus. Ergo cùm in dysenteria animus fuerit, aquam fluxionibus sistendis ex chalybe præ-

Aqua chalybeata, quomodo præparanda.

Epist. 19. parare, meritò secundum Mercatum & alios prima exstinstionis aqua, utpote spiritibus nitrosis & purgantibus impregnata, abjicienda, reservata illa, in quibus sæpius ferrum nitrosis & spiritibus pridem exhaustum, fuit extinctum. Et hæc sunt, quæ pro quæstione tua, Vir peritissime, Masonopoli mihi proposita, pro temporis brevitate, & occupationum frequentia, paucis respondere volui. Vale & tuum Deodatum amare perge. Data Buntruti 6. Ianuarii 1616.

EPISTOLA XIX.

Viro amplissimo, atque doctissimo

Dn. CLAUDIO DEODATO,

reverendissimi & illustrissimi Episcopi Basiliensis Doctori Medico ordinario atque celeberrimo

Guilhelmus Fabricius Hildanus, S. P. D.

Responsum ad epistolam præcedentem de dysenteria.

Literæ tuæ vir, amplissime, ac æternùm mihi observande, mirificam mihi attulerunt voluptatem: non solum quia insignem tuam erga me benevolentiam testantur; verum ètiam quia integram ferè dysenteriam curandi methodum continent, & controversiam illam de usu aquæ chalybeatæ in dysenteria accuratè explicant. Quòd autem addis ab initio, & antequam materia morbifica fuerit mitificata, catharctica minimè esse exhibenda, nondum sententiæ tuæ (nisi scammoneata, & quæ vehementer purgant, intelligere velis) subscribere possum, juxta illud divini *Hippocratis* dictum, *Morbi cum inchoant, si quid movendum videtur, move &c.* Circa initia enim morborum illorum, in quibus speratur ægrotus convaliturus, inquit *Galenus*, tentanda sunt majora remedia, nimirum venæsectio, & purgatio: quorum neutrum, addit idem *Galenus*, oportet morbo jam consistente adhibere: idque non immeritò. Ab initio enim morbi symptomata adhuc sunt levia, & virtus valida, progressu verò temporis omnia contrà se habent. Deinde dolor, qui in dysentericis acerbissimus est, non potest sedari, nisi ablata ipsius caussa: at caussa doloris materia est acris, in intestinis collecta, quæ nisi maturè evacuata fuerit, ingravescit morbus, & virtus prosternitur. Id verò rhabarbaro fieri debere, tecum sentio: addo myrobalanos citrinas, quæ præter evacuandi facultatem partes quoque roborant, & ulcus exsiccant: addo & syrupum rosarum, violarum, & de cotoneis, ad leniendos dolores, & materiam morbificam mitigandam. Ab acrioribus verò catharcticis & scammoneatis, quia ulcus exasperant, & materiam ad locum affectum copiosè attrahunt, in dysentericis planè abstinendum esse arbitror, de quibus omnibus plura in tractatu meo de dysenteria.

Purgationes in dysenteria quare ab initio statim adhibenda. Lib. 2. Aphor. 26.


Catharctica acriora in dysenteria vitanda.

De aqua Chalybeata.

Accuratam tuam distinctionem in præparatione & exhibitione aquæ chalybeatæ, approbo quidem: quia tamen adstantes sæpissimè, sive id propter negligentiam, sive ignorantiam illorũ acciderit, in exhibitione ordinem ac methodum Medici, non sine maximo periculo ægrotantis immutare solent, usum aquæ chalybeatæ in dysenteria, cum *Cratone* meritò improbandam esse existimo, præcipuè cum multa eaq; egregia approbataque remedia, quæ ipsius loco substitui possunt, nobis non desint. Hæc ad amplissimum virum non contradicendi, sed discendi, studio scribo.

Sententiam & opinionem tuam de aqua chalybeata libro meo de dysenteria inseruissem: sed manuscriptum exemplar jam Basileâ Francofurtum miseram, antequam tuas accepi: ut tamen posthac suum quoque locum in opusculis meis habeat epistola tua, operam dabo. Pro carmine doctissimo, quo librum meũ de dysenteria decorasti gratias immensas ago, & habeo, referrem libenter, si occasio aliqua sese offerret: Ne tamen in præsentiarum omninò ingratus videar, en ad te mitto opuscula mea omnia latina, præter tractatum de gangræna, & sphacelo, qui non amplius reperitur. Habeo illum præ manibus, & si Deo ita visum fuerit, aliquando iterum prodibit. Interim accipe tractatum illum Germanicè scriptum, observationibus & inventionibus novis auctum & illustratum. Mitto quoq; carmen Gallicum, pium, ingeniosissiméque factum, quod nomine authoris hic excudendum curavi. Accipe quoque flores sulphuris nativos, quos promisi, quibus in morbis pectoralibus maximo cum fructu utor, quosque ego eis, qui arte fiunt, longè præferendos esse existimo. Cæterùm cum Ensesheimio Masonopolim reversus essem, iterum ad illustrem virum *de Bollweil*, &c. accersitus fui, ubi setaceũ communi inter nos consensu præscriptũ paulò post applicui: quapropter per dies octo apud ipsum persistendum mihi fuit. Interim circa reverendam Canonissam illam, quam potui, diligentiam adhibui. Instrumentum, cujus delineationem hic annexi, fabricare jussi, cujus beneficio tam commodè bibit, ut vix guttula per ulcus illud ex sinistra parte maxillæ effluat. Deus pro sua misericordia affatim benedicat remediis, quò tandem pristinam sanitatem, si nõ integrè, ex parte tamen recuperare possit. Vale vir amplissime humanissimeque, & *Fabricium*, qui tuus est, quod facis, amare perge. Raptim Bernæ 12. Januarii 1616.

Ad



Ad eundem Virum amplissimum, Dom. D. Claudium Deodatum *postscriptum.*

Dum nuncium commodum, qui præcedentes literas ad te, Vir amplissime, perferret, expecto, iterum tuas 16. Ian. stylo novo datas accipio, in quibus ut negotium lib. Dn. D. Penoti de præparatione & usu medicamentorum chymicorum urgerem, suades. Tractavi hac de re cum Dom. Regio Basiliensi, quique librum illum jam prælo suo commisit, ita ut brevi lucem, ut spero, videre possit. De pharmacopoeia sua spagyrica nihil unquam ab ipso intellexi, etiamsi mihi à multis annis fuerit familiarissimus. Nunc quia ætatem decrepitam attigit (nonagesimum enim septimum annum ætatis ingressus est) & repuerascit, nec studiis amplius incumbere potest, nihil in posterum ab ipso expectandum esse arbitror. Hodiè literas à D.D. Crafftio accepi, quibus Neocomum ad nobilem quendam accersor, cum ad ipsum pervenero, procurabo, ut radices, quas ab ipso exspectas, accipere possis. Iterum vale, & millies. Raptim Bernæ 17. Januarij, stylo veteri. Anno 1616.

EPISTOLA XX.

CLAUDIUS DEODATUS,

Reverendissimi & Illustrissimi Episcopi Basiliensis Medicus ordinarius,

Excellentissimo peritissimóq; Viro Dn.

GUILHELMO FABRICIO Hildano, Medico & Chirurgo Bernensi, Dn. & amico singulari.

*E*XCELLENTISSIME & *charissime Dn.* Fabrici, *literas tuas & amoris & doctrinæ plenissimas, unà cum observationibus Chirurgicis, tam Latino, quam Germanico idiomate in Reipublica Medicæ utilitatem evulgatis, accepi; gratias habeo maximas, æternúmque habebo.*

Libenter admodum tuam in propinandis in affectu dysenterico purgantibus opinionem, meæ, ut opinaris, sententiæ è diametro contrariam intellexi: Verùm ut res ipsa paulò clarius elucescat, lubet exercendi ingenii gratia, hoc argumentum fusius explicare. Licet tam apud Hippocratem, *quam* Galenum, *dysenteriæ nomen non solùm ad intestini ulcus, sed etjam ad quamvis cruentam dejectionem per intestina factam, referri possit, ut paulò post ex caussarum enumeratione demonstrabo: Scripseram tamen, nisi mea me fallit memoria, in dysenteria propriè dicta, primigenia, ab effero humoris morbifici affluxu, intestinorum ulcus excitante nata, graviter illos peccare, qui sine dodoloris levatione, ulcere prius non mansuefacto, nec mitificatâ prius materiâ morbificâ, purgantia exhibent; tum quia ulcus medendo ægrescat, sicq; afflicto addatur afflictio; tum quia mitificata materia & pharmaco tentata, ea liquefaciat, quæ sui naturâ morbo resistunt, sicq; morbum reddant crudeliorem; tum demum, quod attracti pharmaco ad locum affectum humores, ulcus efficiant insanabile, &c. Tu contra ingeniosè admodum pro tuæ sententiæ confirmatione* Hippocratis *aphorismum 29. sect. 2. adducis, &* Galeni *interpretationem; qui tum aphorismus intelligendus venit, de prima morbi incursione seu principio universalis temporis morbi, cum adhuc cruda sunt omnia, & efferus humor ipsam intestinorum substantiam nondum exedendo invasit, quo tempore (modò non reclamet* Hippocrates *aphoris. 22.) possunt leniter evacuantia præmitti: At rarenter morborum initiis vocantur Medici, sed plerunq; humore morbifico*

In dysenteria interdum ab initio non purgandum.

sua

Epist. 20.

sua feritate intestina depascente, quod effluente sanguine innotescit, jam aut anastomosin, aut diapedesin, aut diaresin subesse, ubi magis urgenti ulceris scilicet mansuefactioni occurrendum. Nam licet ineunte morbo naturæ vis sit firma, ut doctè & sapienter scribis, plus tamen sæpè valet materiæ morbificæ vis efferа, ad avocandum Medicum ab exhibitione purgantis medicamenti, quàm valeat & invitet naturæ robur ad ejusdem exhibitionem: Ideò ex Hipocrate *scribit* Seneca: *Nihil est periculosum magis, quàm immatura Medicina: &* Livius *Medicos plus quiete, quàm agendo & movendo proficere. Hinc præceptor noster* Hippocrates *libro* περὶ παθῶν *talem proponit curationem. Si quem dysenteriæ vis occuparit, huic toto ventre dolor est atq; tormentum, ac bilem, pituitam & sanguinem ipsis permixtum egerit: Huic pharmacum potui dato, quod pituitam sursum expurget: postea alvum lacte cocto (clysteribus scilicet malacticis) prolue, dolor si adsit, calidâ multâ partes foveto, &c. Ecce* Hippocrates *in dysenteriæ curatione vomitorium ad materiæ antecedentis per superiora evacuationem exhibet, quo minus exhibito pharmaco dejectorio, materiam morbificam per inferiora trahente, intestini ulcus, & inflammationem augeat. Idem & tu, tacitè quidem in literis fateri videris, dum purgationis loco lenientia, dolorem mitigantia, & ulcus mansuefacientia præfers, syrupum scilicet rosatum, violatum, cotoneatum, myrobalanos, &c. quæ non tam purgationem, quàm mitificationem & mansuefactionem, prout mea est sententia, respiciunt.*

Caussæ dysenteriæ.

Sed ex causarum dysentericarum recensione, quarum nec una est ratio, nec modus unus, res adhuc clarior evadet. Caussas ego reperio varias, hepatis ἀτονίαν, εὐτονίαν; *vacuationem periodicam, & expulsionem symptomaticam: horum egestio vel fit sine intestini ulcere, cum scilicet primum fit, vel fit cum ulcere, quando scilicet tam illuc confluentia, quam illac effluentia excrementa abradendo & exasperando molesta sunt, sive ea sunt febrium tabificarum colliquamenta, aut febrium acutarum periptomata, flava vel atra bilis, pituita salsa, & putris, sive dysenterica spleneticorum, &c. Iam verò in dysenteria ab hepatis* ἀτονίᾳ *excitata, cum egerendi ratio & facilis sit, & sine morsu & intestini tormine fiat, nec lenientibus, nec clysteribus anodynis factam consolationem requirit, nisi forsan temporis progressu tandem intestinis esset molesta, sed ibi utendum remediis hepar confortantibus, tam foris, quàm intra adhibitis, non autem purgantibus. Sic si in dysenteria ob hepatis* εὐτονίαν *sanguis per intestina fortiter, liberaliterque prorumpat, cum ea sit salutaris & periodica, atque ipsius naturæ, non morbi meritò accidat, qualis est dysenteria vernalis epheborum, ob retentam narium hæmorrhagiam, aut eorum, qui altero crure sunt mutili &c. in ejusmodi, inquam, dysenteria nulla quoque tentanda evacuatio artificialis, cum naturæ lege contingat. Quod si dysenteria ab intestini ulcere contingat, propter concitatum rheuma, ut febrium tabificarum colliquamentum, aut criticam febrium acutarum excretionem, aut lienosorum expulsionem itidem criticam, si simplex & critica sit excretio, & bonis ægri rebus eat, nulla quoq; purgatione opus habebit. Sin verò putrilaginem connexam habeat exulceratio, non longa erit ejusmodi dysenteria, sed post materiæ morificæ mitificationem demum purgatione opus erit, ad materiæ antecedentis ablationem. Si demum dysenteria non alterius morbi succedanea, sed primigenia, ulceris scilicet, consectaria fuerit, haud dubiè ea curari non poterit, nisi causa prius ablata, quæ est ulcus. At ulcus, ut ulcus, non requirit purgationem (emota enim per purgationem humorum sentina, & ad locum affectum viam inflectens, magis lædit) sed sui detersionem, mundificationem, impletionem, agglutinationemq; indicat, non alvi subductionem. Addo, quod omnis fluor sanguinis, sive per anastomosin, diæresin, aut per diapedesin contingat, nec lenientia, nec purgantia, sed unientia, & condensantia medicamenta indicat.*

Vlcus purgationem non requirit, quatenus ulcus.

Sed infers, syllogisticas ulceris indicationes Medicum nunquam assecuturum, nisi vacuatis prius humoribus acribus, salsis, ulcus ipsum propter perennem affluxum & generantibus, & voventibus, &c. Non inficior, in legitima & regia omnium ferè morborũ internorum curatione tum lenientibus, præparantibus, tum etiam purgantibus, & maximè morborum initiis (febres si excipias, quarum materia morbifica præviam semper requirit mitificationem) opus esse, sed de ulcere dysenterico agimus, quod quatenus tale, proprie & per se non evacuationem, sed syneurosin, & syssarcosin requirit.

De rhabarbari usu in dysenteria.

Coronidis loco addiderim, etsi rhabarbarum in dysenteriæ curatione primatum habere videatur, tum quod fluxiones sistat, tum quod partes affectas roboret, & ulcus sua adstrictione, & moderata siccitate sanet: attendere tamen debere Medicum, num præsente hepatis æstu & excandescentia, ejus usus non sit suspectus, præsertim si, ut moris est, torreatur? tostione enim acrimoniam requirit, unde abradendo molestum esse potest. Vnde cum in dysenteria purgare animus est, rhabarbarum in taleolos sectum, in aqua endiviæ infundo, cum adstringere, in pulverem redactum cum aqua cichorii, aut agrimoniæ propino, omissa tostione.

De clysteribus.

Hoc in affectu magnifacio clysteres primum mollientes & epicerausticos, ut ulcus mansuescat, & humoris morbifici feritas infringatur: mox iis clysteribus utor, qui propriè ulceris syneurosin & syssarcosin respiciant.

Aquæ mastichinæ usus in dysenteria.

Aquæ chalybeatæ usus, cum tibi ob caussas allatas sit suspectus, loco illius maximè convenit usus aquæ mastichinæ, cum sit stomachica, vel pluvialis, tinctura rosarum impræ gnatæ; sic enim maximè adstringit, viscera confirmat & hepatis æstum demulcet &c. Hac sunt, Vir præstantissime, quæ non disputandi, non contradicendi, sed ingenii exercendi gratia, doctissimis tuis literis amicè & candidè respondere volui. Quid enim vetat, nocetve, cum Amico amicè confabulari. Vale & tuum Deodatum amare, & literis recreare perge. Datum Bruntruti, stylo novo 16. Martii 1616.

EPISTOLA XXI.

Viro amplissimo, atq; doctissimo,

Dn. CLAUDIO DEODATO,

reverendissimi & illustrissimi Episcopi Basileensis Doctori Medico ordinario, atque celeberrimo.

Guilh. Fabricius Hildanus S. P. D.

DOctissimas, quas de dysenteria ad me dedisti literas, vir amplissime, fautor & amice æ-

ternùm

ternum honorande, accepi; Nec sine voluptate & fructu legi. Nonnulla enim, quæ ego in tractatu meo veluti extremis digitis attigi, tu fusius explicas, nec ullam inter nos hac de re video esse cõtroversiam. Dolorem ab initio potius leniendũ, quàm ulcus exasperandum esse, tecum sentio: ideo capite 7. & 9. pinguedinem castratorum, lumbricos terrestres, lac muliebre, vaccinum, amygdalarum dulcium, aliaque anodyna præscribo. Interim materiam conjunctam & acrem, in intestinis collectã, rhabarbaro cum fructu evacuo. Rhabarbarum enim in substantia sumptum evacuat quidem, quæ in intestinis sunt humores: propter facultatem, tamen, quam habet adstrictoriam, vias claudit, impeditque ne ex longinquis locis affluat materia peccans. Assationem rhabarbari tecum post *Rondeletium* improbo, præcipuè ab initio morbi, propter caussas, quas tu quoque adfers. Vomitum approbo cap. 8. prius tamen clystere, aut leni aliquo medicamento expurgato corpore: ne acris & maligna materia ad ventriculum trahatur, fastidiumque cibi, aliaque gravissima symptomata inducat, uti fusius in tractatu meo de dysenteria videbis. Illum nondum Francofurto accepi, nec ipsum ante proximum mercatum exspecto, alioquin ipsum nunc ad te misissem. Impressus quidem est, cum verò præfatio aliquandiu in via retenta fuisset, & serò Francofurtum pervenisset, Typographus tractatum Catalogo inseruit, exemplaria quin etiam imperfecta vendidit. Nunc tractatum Dn. D. *Penoti* de vera præparatione & usu medicamentorũ Chymicorum ad te mitto, accipe quæso illum hilari fronte. Dolores circa setaceum, quod illustri Baronissæ applicui, non propterea, quòd absque igne adhibitũ fuit, sed propter affluxum humorum acrium, accidunt. Idem & ego cum fonticulis, quos in brachiis, & crure dextro habeo, sæpissimè experior. Verùm inuncto loco dolenti oleo amygdalarum dulcium, nonnuquam & rosaceo, dolor cessat, & materia copiosius effluit. Dn. D. Crafftium radices, quas promiserat, jamdudum ad te misisse, non dubito. Ante menses enim duos, cum Neocomum ad ægrum vocatus fuissem, iterum ipsum monui. Herba, qua tu uteris in herniosis, est ne pulmonaria illa tertia, quæ hoc tempore in opacis locis florescit, quamque habet Bauhinus in postrema editione Matthioli lib. 4. cap. 48. mihi pag. 733. Hæc propter occupationes festinanti calamo, cui ut ignoscere, & Fabricium tuum, ut facis, amare, velis, etiam atque etiam rogo. Vale Vir amplissime, & cum tuis omnibus felicissimè vive diu. Bernæ Helvetiorum 20. Aprilis 1616.

EPISTOLA XXII.

Idem CLAUDIUS DEODATUS, &c.
GUILHELMO FABRICIO HILDANO,
S. P. D.

Epist. 22.

NOn citra animi mei mœrorem intellexi, duo illa præclara Chymiæ lumina, Andream Libavium, & Doctorem Mosanum, extincta esse, non sine Hermeticæ familiæ dispendio, modò tamen citra eorum & famæ jacturam. Nam etsi Libavius multa egregia & laude digna in Rempublicam Medicam suis monumentis & indefessis laboribus retulerit: cum tamen sibi circa Medicinam & Chymiam utrinq; dijudicandam Dictaturam sumpserit, aliorumque tum Philosophorum, tum Medicorum & Chymicorum labores & conatus non arroserit duntaxat, sed & quibusdam severus nimium Criticus, aliis nimium Logicus, non paucis Sophista quoque visus sit, ut constat ex iis, quæ nuper contra Manes tam Guiberti Lottaringi, quam Crollii, Paracelsi, contra item Scheunemannum, Iohannem Hartmannum, & Rosatæ Crucis occultos fratres, nescio quàm maturo consilio & judicio scripsit, etiam atque etiam verendum, ne cum vivens multis fuerit terribilis, mortui scripta terribiles multos expertura sint.

De Mosano.

Mosanum quidem nec scriptis, nec facietenus novi unquam, auditione tamen accepi, eum in pervestigandis abditioris naturæ mysteriis, in reserandis Hermetici Lycæi arcanis, tam versatũ, tamque industrium fuisse, ut non rarenter Dianam nudam Vulcani solertiâ viderit. Hic si supervixisset, haud dubiè facili negotio intricatum illum Gordonii nodum, de vero aquæ chalybeatæ usu in dysentericis enodasset. Si enim Chymicorum monumenta evolvas, audies, legesq; illos omnia posse, nil ignorare.

Me quod concernit, pro singulari, quo te prosequor amore, libenter ea in medium proferam, quæ partim sedula auctorum lectione, partim quotidiano usu hac de re comperta habeo.

De aqua chalybeata, & an dysentericis conveniat.

De variis ferri chalybisve, & magisteriis, extinctionibusve, & solutionibus atque liquoribus poculentis, (ut nunc hujus metalli arte paratos pulveres, calces, crocos, extracta, essentias, tincturas, sales, crystallinos, olea, &c. silentio involvam) non solùm Dogmatici, sed & Hermetici Medici multa comperta & comprobata habẽt, in iisque elaborandis tam feliciter insudant, ut tam internis, quam externis usibus idonea nanciscantur medicamenta, quibus & hepaticis & hydropicis, cachecticis, lienosis, empyicis, cœliacis, lientericis, dysentericis, imò & melancholicis insignem suppeditant opem. Et mirum certè, quod Medici hodiè in omnium metallorum vilissimo Marte, in cujus solutionibus acria admodum mineralia continentur, tantas operas impendant, relicto sole & luna, è quorum solutionibus, quantumvis laboriosis, longè tamen nobiliora medicamenta elicere possent;

Quale ferrum adhibendũ ad aquam chalybeatam.

Scripseram non ita pridem ad te, varias dari ferri differentias, & unum cæteris præstare, ideoque in interno usu semper præstantius esse sumendum, quale est id vel Persicum, vel Indicum, Chynesium, aut Damascenum, aut horum defectu chalybem ipsum, vel nativum ex propria vena, vel arte conflatum, ferri scilicet nucleum, purissimam, eleboratissimamq; ejus partem, Idem autem ad internos usus recens sit oportet, non sæpius in officina conflatoria igne exercitatum (quod enim diu multumque ignem, aliasque injurias patitur, id sublato, recondito succo radicali, seipso siccius, & ad opus Medicum minus idoneum redditur.) Ejusmodi ergo sumitur ferrum, vel

Epist. 22.

vel laminatum, vel in bacillos redactum, vel etiam secundum Avicennam acuum Hispanicatum limaturæ, & ex iis probè candentibus, paucis vel pluribus extinctionibus in aqua, vino, tenui cerevisia, lactis sero, emulsionibus, aliisve liquoribus, tam simplicibus, quàm compositis, pro morbi exigentis necessitate, paratur magisterium Martis, vel etiam aqua, vinumq; chalybeatum.

Si pluribus extinctionibus paretur (quæ enim lebetibus, ollisve ferreis diuturna coctione parantur, cum perniciosæ ac virosæ ferè sint, non moror) prima & secunda extinctione prius abjecta, ceu vi laxandi prædita in variis morborum generibus, præsertim ventriculi atonia, intestinorum, hepatis, lienisque imbecillitatibus, in omni demum & matricis, & ventris fluxuum genere, insigne habebis medicamentum, non tam adstrictione, quàm extersione, exsiccatione, & viscerum confirmatione juvans.

Hoc ipsum pulchre docent, qui harmonicam Microcosmi ad Megalocosmum analogiam pervestigant, & Martem Microcosmicum cum Marte metallico Megalocosmi, ceu partium illarum custode cõferunt, inter quos Nicolaus Nanzelius cęteris ansam præripere videtur.

Aqua chalybeata purgans.

Quod si ex recenti chalybe nondum multos ignes exaperto, paucioribus extinctionibus paretur, vel serum lactis chalybeatum, vel aqua, cerevisia tenuis, vinum, aliusve liquor appropriatus, tunc teste Ludovico Mercato, lib. 2. muliebr. 18. vim habet non levem alvum turbandi, repurgandi, obstructaq; reserandi. Hinc veterum Medicorum non pauci, uti & Nicolaus Myrepsius, ex ferri, chalybisque structuris & squammulis, quædam confecerunt remedia, quibus alvum purgarunt, atque calculosis, nephriticis hydropicis, lienosis, cœliacis, imò & asthmaticis eximium, extergendo, obstructiones expediendo, & exiccando, emolumentum præstiterunt, cautè tamen, prudenter & peritè exhibitis.

Nec mirum! Si enim vivam, & interiorem anatomiam Martis, mentis oculis intueamur, apertis spagyrica clave ferri compagibus, ex fatiscentis Martis solutionibus halonitrum, & chalcanthi seu atramenti quandam speciem, cum sulphure quodam metallico colligemus. Halonitrum autem purgare, extergere, obstructiones reserare, exsiccare & roborare, nullus in artis operibus vel mediocriter versatus, ignorat. Unde fracta vi ignis ferri compage, vel eo magna ignis violentia candente, actuantur illius reconditi succi nitrosi, ex profundo per ignitionem ad superficiem attracti, qui immerso in aquam aliosve liquores fervente ferro, iisdem communicantur, & sic spiritibus nitrosis & chalcanthosis impræ- gnantur, quorum est penetrare, detergere, attenuare, aperire, naturamque ad excernendum stimulare, consumere, exsiccare, & roborare tandem, idque eò felicius, quò magis spumosa substantia in liquorem transfertur. Dissipatis è contra multis ignitionibus hisce spiritibus, tollitur quoque vis illa purgatrix, tuncque lientericis, dysentericis, cæterisque morbis resolutis conveniet talis aqua chalybeata, vim sortita exsiccandi, roborandi, & etiam adstringendi, eò quod ex multis ignitionibus corporea dentaxat ferri substantia in liquorem transierit, exhaustis vi ignis nitrosis spiritibus.

Sed & eandem confirmant sententiam aquę minerales ferratæ, nitrosæ, vitriolatæ &c. quas acidulas vocamus, quasque solers natura variis in tractibus abundè profundit, ejusmodi mineralium spiritibus, essentiis, tincturis ne impragnatas, quarum debito usu admirandos experimur effectus, modò per sudorem, modò per urinam, modò per alvum, non quia graves sint ejusmodi aquæ, aut quod magnâ copiâ hauriantur, alioquin & cæteræ aquæ tum ponderis, tum quantitatis ratione, idem præstarent, sed quia spiritibus reconditis nitrosis, chalcanthosis, ac vitriolatis abundè ditatæ sint.

Idem quoque evenit in plantis quibusdam nitrosis, ut rhabarbaro, scammonea, helleboro, peplio, &c. quæ non à tota substantia, aut formæ proprietate, vel substantiæ similitudine, hunc vel illum humorem trahere & expurgare; sed quatenus mineralium spiritibus & tincturis, nitrosis, vitriolatis, antimoniatis, vel etiam Mercuriatis abundant, illas evacuationes expedire videntur. Admirabilis enim est in rerum natura omnium tam mineralium, quàm vegetabilium & animalium conspiratio & consensus; ita ut levi negotio natura mineralis in vegetabilem, & hæc in animalem transire possit.

Quare, ut tandem finem faciam, si in dysenteria parare velis aquam chalybeatam, fluxibus sistendis opportunam, ferri recentis bracteolas, seu bacillos probè candentes, aquâ fontis extingue, primæ & secundæ extinctionis aquam abjice, utpote spiritibus nitrosis purgantibus inprægnatam, postmodum sumptâ novâ aquâ aliquoties in ea cãdentes bacillos extingue, & paratum habebis tuo scopo liquorem.

Hæc sunt, Vir clarissime, quæ pro temporis angustia de hac re scribere potui. Vale & me amare perge. Dabantur Bruntruti Calendis Majis Anno 1617.

EPISTOLA XXIII.

Clarissimo Viro,

Dn. D. CLAUDIO DEODATO, &c.

Guilhelmus Fabriceus Hildanus,
S. P. D.

Plurimum profectò tibi debeo, clarissime, amicissimeque mi *Dn. D. Deodate*, qui in mei gratiam quæstionẽ de usu aquæ chalybeatæ itegrum ad manus suscepisti, eamque fusius enucleasti, Placet summopere scriptio atque discursus tuus, non solùm quia te cum clarissimo Viro *Dn. D. Iacobo Mosano* piæ memoriæ, (qui opinionem suam hac de re ante annos aliquot verbotenus mihi communicavit) perquàm bellè consentire video, verumetiam quod tu rationibus firmissimis & ex natura & facultate ipsius ferri depromptis, approbas ea, quæ ego experientiâ vera esse, in praxi observavi. Quod si vixero, velitationes nostras litera-

literarias de dysenteria & aqua chalybeata publici juris libenter faciam, dummodò hoc tibi molestum non fuerit. Scio enim, studiosis artis Medicæ illas non tantùm gratas, verumetiam fore utilissimas: Quam periculosus enim sit aquæ chalybeatæ usus in dysenteria, non rarò circa ægros observavi. Multum itaque tibi pro ista tua liberali communicatione debebit familia Medica, & ego quidem inprimis non possum non exosculari satis candidissimam istam erga me liberalis animi significationem, qua in perpetuum tibi obstringor quàm arctissimè. *Iohannes Hartmannus*, contra quem scripsit *Libavius*, nonne is est insignis ille Chymicus, & Professor in Academia Marpurgensi? nescio an ipsius infortunium ad aures tuas pervenerit. Ante menses enim aliquot, cum medicamentum quoddam Chymicum præpararet, atque ex incuria & improvidentia famuli instrumentum dissiluisset, famulus alterum oculum amisit, ipse verò *Dn. D. Hartmannus* etiam nunc de visu periclitatur. Vides, quàm periculosum sit, improvidos & negligentes secum habere famulos: interim ipsorum vices vehementer doleo. Vale Vir amplissime, & *Fabricium* tuum amare perge. Dabam Bernæ.

EPISTOLA XXIV.

Idem

CLAUDIUS DEODATUS,

Guilhelmo Fabricio Hildano,

S. P. D.

Clarissime, atque doctissime *Dn. Fabrici*, literas tuas omni doctrinarum genere plenissimas accepi, nec citra animi oblectamentum avidè perlegi: laudo indefessos tuos conatus, & ferventem in augmentanda & exornanda re Medica laborem. Quartam observationum Chirurgico-Medicarum Centuriam videbo perlibenter; quam utinam meis studiis & laboribus, quantumvis tenuibus, pro debito exornare possem: Verùm vino vendibili suspensa hedera non opus.

Quod de leprosi examine mones, paucis & cursim præstabo, ea tamen lege: ut in studiosorum gratiam, & ignavorum Chirurgorum, illotis manibus ad ejusmodi examina accedentium utilitatem, rem ipsam fusè nervoseque tractare, & omnia, quæ ad exactum leprosorum examen facere videbuntur, in medium proferre velis.

Non ita pridem ad cujusdam Viri, de lepra non suspecti duntaxat, sed tertiùm jam à Chirurgis lepræ adjudicati, examen, Magistratus jussu vocatus, cum viderem, bonum virum nil minus quam lepra laborare; licet octo jam annorum curriculis leprosis cohabitare fuerit coactus; jussi, ut prædicti illi Chirurgi suam de hoc leproso prolatam sententiam signis Syllogisticis, & rationibus instructam, in medium proferrent. Hi vultu quodam superciliosi, & fastu, ut ferè fit, plusquam ampulloso, illum lepra laborare instabant, tum quod nativus faciei color in lividum & fuscum desineret, tum quod visus hebetudine & vocis raucedine laboraret, tum quod maximo anhelitus fœtore, & mephiti obvios quosque deterreret, tum quod in crure fœdum aliquod ulcus habuerit; tum demum, quod ante aliquot annos ejusdem filiam lepræ adjudicarint, quæ tandem etiam leprosa mortua fuerit. Hisce machinis & argutiis tantum apud Magistratum effecerant, ut bonus Vir communi hominum societate exclusus, & leprosis adscriptus fuerit, quibus jã octo annis convixit, circa ullam tamen veræ lepræ signaturam.

Quæ cum audivissem, ipsique Chirurgi nil ulterius de lepræ natura, essentia, causis, differentiis, signis Syllogisticis, seu Pathognomonicis, in medium proferrent, statim intellexi, illos lepræ essentiam ignorare, nec inter lepram & non lepram distinguere, nec ullam differentiam inter lepram Græcorum, quam Psoram perversam vocamus, & veram lepram Arabum, seu Elephantiasin, facere posse, unde nec mirum, si incautiores & imperiores isti Chirurgi in cœco hoc examine decepti, cœcam quoque tulerint sententiam.

Paucis igitur, quæ sit inter lepram Græcorum seu Psoram, & lepram Arabum, seu morbũ Elephanticum, quem & Elephantiasin, Leontiasin, seu Satyriasin, & Tyriasin vocant, differentiã illis aperui, & bonum hunc virum nullis horum affectuum characteristicis signis laborare, demõstravi.

Cum enim hoc subjectum nulla feræ & siccæ scabiei species turpiter defœdet, nullisq; nec tenuioribus, nec crassioribus squammis obducatur, sed universum corpus incolume, sanum, & nitidum, pilosæ tum capitis, tum superciliorum partes puræ, firmiterque fixæ hæreant, conclusi, bonum virum à Græcorum lepra immunem & salvum esse.

Eundem quoq; nec Arabum lepra, seu vera Elephantiasi laborare, ex absentia omnium signaturarũ characteristicarum aut signorum pathognomonicorum defectu convici. Cum enim hic affectus sit contagiosus, sæpè hæreditarius, maligna & perniciosa sua qualitate, plurimumq; vitiorum congerie corpus defœdans, atq; membranea solum aliqua involucra, & cutem præsertim inficiens, si tali affectu laboraret bonus vir, haud dubiè octo jam evolutis annis, sese aliquod vitium in apertum dedisset, cum tamen ex sex illis signis Syllogisticis nullum hactenus fuerit observatum: Nec enim unquam in cute vel faciei, vel frontis, vel genarum, cubiti, femorum, manuum, pedumve tubercula facilè mobilia, indolentia, & ex livore ad rubedinem tendentia, horridumque aspectum præbentia, epullularunt.

Nunquam in eo visa sunt oris tubercula, quæ ore hiante, linguaque depressâ in palato, & faucibus circa linguæ radicem, nunc flavescentia, nunc sublivida, vel visa vel reperta fuêre. Nunquam item vel in pedum digitorum interstitiis, vel in plãtis, in crassa præsertim & dura illius parte, vel in manibus juxta cubiti articulum, præsertim in acutiore illius sede, aliisve artuum locis, ulcera effloruerunt. Cum enim ejusmodi ulcera & fissuræ veram cutim penetrent, lata sint, & raren-

Epist. 24.

Leproso examinato.

Signa lepræ Græcorum.

Signa elephanthiasis veræ.

1.

2.

3.

Epist. 24. rarenter ulterius serpant, labiis callosis, ac prætumidis constent, atque læsa facilè cruentent, indolentia sint licet, si talia vel adessent, vel adfuissent, facilè quoque videri potuissent, & ex iis firmum aliquod judicium ferri. Nunquam insuper in eo visa sunt narium ulcera, earum septum, fungos, & ossa seu cartilaginem depascentia, naso turpiter delabente, palatum columellamque depopulantia. Nunquam præterea in eo observati tumores, non tumidæ in aurium ambitu pinnæ, non crassescentes auriculæ, non plus justo auctæ, aut dilatatæ narium alæ, non palpebræ, non labia, non pedes, manusve inflatæ aut tumidæ. Nunquam demum in oculis juxta majorem canthum nata pellicula, sensim accrescens, quæ sanè si prædictis jam signaturis accederet, magno argumento haberetur.

Cum igitur Pathognomonica hæc sex signa nunquam in hoc subjecto apparuerint, quis illud leprâ correptum dixerit? Cætera autem signa ab illis Chirurgis allata, quemadmodum & alia, quæ addi possent, uti cutis scabrities in pilosa capitis parte, cum squammis & furfuribus, fissuræ item cutis pedum, manuumque & unguium; pilorum item defluvia, sanguinis quoque detracti livor, crassities, cum arenosis seu granulosis quibusdam arenulis; Cachectica corporis constitutio, frons cornu instar splendescens, formicatio ac titillatio faciei, palati, linguæ, totiusque corporis sensuum stupor; Hæc, inquam, & similia non moror, eò quod aliis etiam morbis consectaria atque communia esse possint, quamvis nec & ipsa in hoc nostro subjecto reperiantur, vel si quædam adsint, tanti tamen momenti non sunt, quin durissimos labores noctuque dieque familiæ sustentandæ caussa obire possit.

Filiam quod concernit, quam leprâ mortuam putabant Chirurgi, falsâ morbi specie decepti fuerunt. Dum enim rem ipsam diligenter investigarem, cognovi tandem, ipsam non leprâ, sed inveterato morbo Gallico correptam obiisse. Et, quod notatu dignum est, dum cum leprosis octo annis versaretur bonus vir, prolem ab uxore sana sanissimam accepit; Unde si infectus fuisset pater, haud dubiè jure contagii & hæreditario vel prolem, vel matrem, vel utrumque infecisset.

Ex hac historia apparet, Vir excellentissime, quantum intersit, veram habere veræ lepræ cognitionem; Et cum res sit magni momenti, hominem sui natura sociabilem, à communi cæterorum hominum societate defalcare, te etiam atque etiam rogo, ut pro tuæ doctrinæ præstantia, & certa in artis operibus experientia, in studiosæ juventutis, & imperitorum Chirurgorum gratiam, veram, certam, apodicticamque cognoscendæ & examinandæ veræ lepræ methodum aperire non graveris. Vale, & tuum *Deodatum* amare perge.

EPISTOLA XXV.

Idem ad eundem.

CLarissime experientissimeque Dn. *Fabrici*, ad literas tuas nuper ad me datas, pro temporis angustia, & negotiorum vacatione respondi, quam potui brevissimè: placuit historia & observatio tua, cui aliam quoque subjunxi, addidi quinetiam observationem aliam de leproso male examinato, meam insuper sententiam de aquæ chalybeatæ in dysentericis usu aperui, & quæ hactenus de nostra Canonissa observatione digna videbantur, adduxi. Quæ omnia, si ita tibi visum fuerit, & observationes tuas longè doctissimas aliqua ratione exornare queant, licet res sint parvi momenti, poteris illa tuis annectere, vel omittere, prout tibi visum. Ego sanè omni studio & labore te tuaque pro voto juvare, promovere, extollere, & (uti mereris) omnibus admirabilem reddere conor. Quæso D. nostrum *Krafftium* meo nomine millies salutabis, cui sæpius jam per occasioné scripsi, at hactenus responsi nihil.

Quę de helleboro nigro mones, perplacet, nec ignem ignoro, Medicos incautiores hac in parte insigniter decipi, quibus quandoque etjam Aconiti radices (helleborinis non absimiles) obtruduntur. Ego hactenus hellebori nigri quatuor species observavi, 1. floribus virescentibus & fœtentibus, 2. floribus virescentibus quidem, at benè olentibus, 3. floribus luteis, 4. floribus tum Veris initio, tum Septembri fine purpureis, ad album vergentibus, & quandoq; sub nivibus erumpentibus. Et hunc helleborum ego magnifacio, è quo arte spagyrica insigne balsamum, spiritusque longè præstantissimus elicitur, qui debito tempore, loco & colore vitro inclusus, tandem crystallos ponit lucidissimos, ad fallendos nauseabundos purgandorum animos, longè excellentissimus. Vale amicissimi Dn. Fabrici, & tuum Deodatum amare perge, eique sæpius scribe. Datum Bruntruti Calendis Maiis 1617.

EPISTOLA XXVI.

Idem ad eundem.

PRæteritis diebus Mazopolim ad Dominas Canonissas, purgandorum corporum caussâ profectus, inter cæteras inveni Dominam nostram Canonissam satis commodè habere, si universam corporis Oeconomiam consideres; At quoad antiquas illas faciei & colli plagas, non item. Præteritâ quadragesimâ Chirurgus ordinarius utramque maxillam per vices, at frustratim extraxit: Interim dum hæc lento gressu fierent (nec enim natura festinationem permittebat) ulcerum illorum labia indurari, callo, cuteq; obduci cœperunt; ita ut jam evulsis quantumvis omnibus ossibus seu maxillis (in quarum vicem succenturiatam quandam duram cartilaginem substituit natura) quantumvis etiam affixo pridem ad nucham setone, humoribusque plerisque à parte affecta revulsis, plagæ tamen ipsæ nec conjungi nec carne repleri, nec cicatrice obobduci sese permittunt. Quò fit, ut major esculentorum & poculentorum pars, non sine magno ægrotantis fastidio, per illas plagas, potissimum per illam, quæ sub mento latet, effluat.

Multa

Hellebori nigri ... (margin, cut off)

Crystalli ex ... (margin, cut off)

Epist. 27. & 28.

Multa hactenus tentavit Chirurgus suis sarcoticis, glutinantibus, tum oleis tum balsamis, & pulveribus, ceratis, sticticis emplastris, &c. sed omnia frustra. Ideo majora tentaturus, in procinctu erat duriorum labiorum, & cutis sectionem moliri, postea ad suturam devenire, ut scilicet acu per utrumque labium trajectâ, ad mutuum contactum filo mediante labia adduceret. Verùm dubia mihi & anceps visa hæc operatio, tum quod sectio citra doloris acerbitatem, & magnam hæmorrhagiam vix fieri possit, tum quod sutura illa citra novam inflammationem partium, novumque humorum affluxum non perficeretur, & facta ob carnis duritiem & ineptitudinem, hæsura non esset. Ideoq; absenti Chirurgo scripsi, ut sublata prius cute, levi aliquo caustico, non acri & nimis erodente, statim de forti aliquo glutine cogitaret, facto, verbi gratia, ex sanguine draconis, sanguine humano, sarcocolla, thure, mastiche, coralliis, croco Martis, cum ovorum albumine. Suasi etiam, ut uteretur unguento illo Felicis Wirtz, cujus mentionem in sua Chirurgia facit, & mirabilem vim eidem tribuit, ob ingredientium mineralium quorundam efficaciam: Suasi demum usum balsemi sulphuris Penoti, addito croco Martis, cæterisque glutinantibus & sarcoticis.

Hæc sunt, quæ hactenus in difficilimo hoc casu contigére: Te nunc rogo, ut data prima occasione mihi scribas, quid in hac difficili re facto opus judices, quibus remediis utendum? Vix enim Chirurgus jam dictis utetur, vel quod ad manus non sint, vel quod suis uti malit, licet hactenus nihil effecerint. Vale & me ama.

EPISTOLA XXVII.

Clarissimo atq; doctissimo viro
Dn. M. CONRADO PFISTERO
in inclyta Academia Basileensi Professori publico
Guilhelmus Fabricius Hildanus
S. P. D.

Ea quæ promisi, præstantissime atque doctissime Dn. *Pfistere*, nimirum centuriam 2. observationum, & Usneam cranii humani, nunc ad te mitto. De lucubrationibus clarissimi, ac æterna laude dignissimi viri Dn. *Iacobi Zvvingeri*, in *Ioh. Fernelium*, ad Dn. *Gregorium Horstium*, illustriss. Landgravii Hassiæ Archiatrum, quemadmodum tibi promisi, prolixè scripsi, ut ex adjuncta scheda videre poteris. Si aliquo alio modo negotium hoc promovere possum, operam meam non denegabo. Tu interim quæso vide, ne lucubrationes illæ diu supprimantur.

Cæterùm, Usneam illam cranii humani, in illum finem ad te mitto, ut ex ipsa pulverem ad hæmorrhagiam narium sistendam tibi præpares. Quàm noxia enim tibi sit immoderata illa hæmorrhagia, te non latet. Usnea autem, quam mitto, vera est atque legitima. Cum enim ante menses quatuor in Belgio essem, ipsemet in angulo quodam cœmeterii, in quo ossa humana conservabantur, copiosè illam inveni, & veluti margaritas collegi: rarissimè namque invenitur. Volunt autem nonulli, Usneam craniorum suspensorum eligendam esse: nec parvi ponderis sunt argumenta, quæ hac de re insignis ille Philosophus simul & Medicus, *Rudolphus Goclenius*, in medium adducit. Ego libenter ipsi subscriberem, nisi an Usnea in craniis suspensorum inveniatur, adhuc incertus essem: Quandoquidem ego intra annos triginta octo, à quibus praxi chirurgicæ incubui, nunquam illam reperire, nec videre potui. Ideoque craniis suspensorum Usneam adnasci, vix mihi persuadere possum. Generatur enim muscus, si humiditas quædam externa, veluti pluviarum, cum innata illa humiditate, atque calore elementari ejus rei, cui annasci debet, conjuncta fuerit. Porrò craniis suspensorum Usneam adnasci non posse, hæc me movent argumenta, primò, quia humidum illud elementale, in ipsis contentum, jam ab ardore solis exsiccatur, jam à frigore aëris condensatur: Secundò deficit caussa efficiens, nimirum humiditas illa externa pluviarum: etiamsi enim aëri sint exposita hujusmodi crania, imò & quotidiè pluviis irrorentur: quia tamen humiditas illa statim à sole & aëre exsiccatur, nihil generari potest. Non enim sufficiens est humiditas elementalis in cranio contenta: sed ut terræ quoque adhæreat, & continuò lentorem aliquem ex ipsa attrahat, imò & in loco umbroso expositum sit, necesse est. Et ut verbo dicam, in patibulo jam ardor solis, jam rigidissimum frigus, imò & grandines, nives, imbres, ventus impetuosus, & similia, generationem Usneæ impediunt. Verùm hac de re tuam quoque opinionem intelligere percuperem. Est autem Usnea illa, in pulverem redacta (ut ego multoties expertus sum) in hæmorrhagia narium præstantissima, per se, aut nonnullis aliis, veluti terra sigillata, pulvere ranarum præparatarum, & similibus mixta, applicata. Vale mi præstantissime Dn. *Pfistere*. Raptim Lausannæ 24. Decembris 1612.

Usnea qualis eligenda.

In craniis suspensorum Usnea non generatur.

Usnea in Hæmorrhagia narium præstantissima.

EPISTOLA XXVIII.

EMANUEL URSTISIUS
Medicus Biennensis,
GUILHELMO FABRICIO HILDANO
S. P. D.

Retulit mihi, Vir clarissime, D. Erhardus Rulbmannus verbi divini minister Biennæ, se præterita hebdomade Bernam profectum, tuoq; consilio in suo affectu usum fuisse, teq; cupivisse, ut processum, quo ego in affectu illo curando usus sum, ad te perscriberem Quocirca omnibus aliis circumstantiis omissis, de ejus affectu opinionem meam, simulq; remedia illa, quæ ei adhibui, brevibus perstringam. Existimo ego, affectū ejus à defluxione in interiores musculos thoracis procedere: Laborat enim ille dolore lateris, & difficultate respirationis, non tamen continuò, sed saltem tum temporis, cum corpus nimium movet, sive id fiat peregrè eundo, vel montem conscendendo, vel alio exercitii genere violento: ex quibus ego colligo, humorem quendā excrementitium cum flatu, intra dictos musculos & pleuram se insinuasse, qui dum vehementi corporis exercitio

Pleuritis notha.

Epist. 28. & 29.

ercitio commotus, exasperatur, dolorem ejusmodi caussat, respirationemq; lædit. Quoad hujus affectus curationem, sequentibus remediis usus sum. Primò, quo humor pituitosus præparetur, præscripsi apozema, humoremq; sic præparatum pilulis capitalibus expurgavi, cerebrumq; tabellis corroboravi, non interim neglecta scarificatione. Secundò, specialibus pro parte affecta usus fui, unguento dialtheâ, cum oleo chamomil. lilior. amygdal. dulc. mixto, quo latus inungeret; Quin etiam sacculo ex floribus chamomil. melilot. scabiosæ, fol. malvæ, semine lini, fœnugræci constante, quem continuò in latere affecto gestaret. Vltimò decocto pectorali, cui nonnullæ guttæ olei anisi commixtæ erant, ut aliquot matutinis uteretur, suasi. Hisce præscriptis remediis sic usus, affectus nihil omninò remisit, sed in eodem statu adhuc permanet. Tu igitur, Vir clarissime, quid de hujus affectus caussa sentias, quibusq; remediis propellenda, ad nos, quæso, perscribas. Ad observationem tuam, quam de affectu sutoris illius ad me perscripsisti, respondi, sed num illas, quas misi, literas acceperis, ignoro. Vale clarissime vir, meq; amore & benevolentia tua solita ut prosequaris, rogo. Biennæ 21. Ianuar. 1615.

EPISTOLA XXIX.

Dn. EMANUELI VRSTISIO,

Medico Biennesi celeberrimo, amico singulari,

Guilhelmus Fabricius Hildanus,

S. P. D.

Responsio ad præcedentem epistolam.

DE caussa morbi Domini *Erhardi Rulbmanni*, doctissime atque amantissime mi Domine *Vrstisi*, meo quidem judicio rectè sentis, & materiam illam, quæ ad musculos respirationi inservientes sinistri lateris decumbit, ex capite defluere non dubito. Methodum quoque curandi, quam instituisti, non improbo; sed quod infructuosa fuerit, non medicamentis adscribendum est, quemadmodum ægro coràm fusiùs significavi. Cum enim caussa morbi sit humor lentus, crassus & viscidus, non facilè hoc anni tempore medicamentis expellitur; præsertim cum in partibus musculosis sit contentus, & nonnihil bilis atræ sibi quoque adjunctum habeat. Suadeo itaque, ut curatio in mensem Martium usque differatur: tunc humores isti iterum præparandi, attenuandi, & cum per alvum, tum etiam per sudores expurgandi erunt. Fonticulus quoque ad evacuandam derivandamq; materiã ex capite defluẽtem, mirum in modum conveniet. Plura nunc adscribere nõ licet, præter occupationes enim, in praxi jamjam mihi ad *Dn. D. Sarazanum* Lugdunensem Medicum, & *Dn. D. Paulum Offredum* scribendum est. Septima hujus mensis die hic juveni cuidam brachium dextrum, gangræna ex inepta venæsectione contracta, contaminatum, ad humerum abscidi. Operatio, laus sit Deo, feliciter successit. Cum primùm exemplaria centuriæ tertiæ accepero, tuum quoque à me expectabis. Responsum tuum ad observationem de morbo sutoris accepi, & observationibus adjunxi. Vale clarissime mi *Dn. Vrstisi*, amicorum optime. Raptim Bernæ 23. Januar. 1615.

EPISTOLA XXX.

Amplissimo ac clarissimo Viro

Dn. D. FELICI PLATERO,

Basileensium Archiatro felicissimo, & Professori Primario

Guilhelmus Fabricius Hildanus

S. P. D.

EA quæ misisti, Vir amplissime, & toti orbi notissime, gratissima fuere: quandoquidem ego talibus, & similibus valdè oblector. Mihi si rari quid ad manus pervenerit, vicissim communicabo libenter. Nunc ad te numisma *Alexandri Magni*, uti quoque frustum pavimenti tesserati, ex antiquissimo ruderato agro hîc in vicinia effossum, mitto: quæ omnia ut hilari fronte excipere velis, obnixè rogo. Maturiùs scripsissem, & gratias egissem, nisi tota ferè familia mea gravissimè ægrotasset. Uxor mea, & liberorum duo, famulus item, & famula dysenteria, minor verò natu puerorum meorum febre continua laboraverũt, nunc tamen omnes, Dei singulari beneficio, convaluerunt.

Aqua chalybeata dysentericis improbatur.

Dum hæc scribo, venit mihi in mentem, quæ apud *Iohannem Cratonem* in Consilio CCI. de dysenteria, pro quodam Magnifico Domino de potu chalybeato legi. Illo enim in loco potum chalybeatum contra opinionem omnium, quos mihi de hac materia legere licuit, planè improbat, his verbis. In recta, inquit, victus ratione, nihil prætermittatur; nec detur potus chalybeatus, ut fieri solet. Non enim is adstringit, ut falsò existimant Medici, sed turbat alvum. Serum autem lactis, in quo chalybs extinguitur, per clysterem injiciatur, quod alvum sistit, hoc tamen secunda die morbi non faciendum.

Cæterùm etsi rationes non addat: vix tamen crederem, virum istum tam eruditum, tamque magni nominis hæc divulgasse, nisi rem ita sese habere, usu atque experientia comprobasset. Quicquid tamen sit, postquam potum chalybeatum in controversiam & disceptationem à tanto viro vocatum animadverti; ægrotis meis illum præscribere ausus non fui. Fieri enim potest, ut aqua illa, in qua chalybs ignitus extinctus, acrimoniam aliquam ab igne, non minus ac frigida omnia, si comburantur, sibi retineat. Quandoquidem, ut *Galeni* de simplic. Medic. facultatibus lib. 9. verbis utar, combustorum nullum planè est frigidum. Relinquitur enim in illis velut ἐμπύρευμα sive ignitio quædam. Extinctio autem illa chalybis, aut ferri igniti, videtur esse quædam combustio aquæ, eamque metallicam quandam acrimoniam retinere.

Decoctum loco chalybeatæ in dysenteria exhibitum.

Loco itaque aquæ chalybeatæ ægris meis decoctum agrimoniæ, veronicæ, & radicum eryngii marini (de quibus radicibus singulare quid in dysenteria, & intestinorum morbis observavi) maximo cum fructu hactenus præscripsi. Imò non solum pro potu ordinario exhibui; Verumetiam cum ipso juscula, emulsiones, & lac amygdalarum præparare, operam dedi. Sed quis doctorum hominum hujus seculi te, ut qui

non

non solum in theoricis; verumetiam in praxi, haud ulli secundus, hæc meliùs aut certius docere, atque nodum hunc solvere poterit? Quæ igitur hac de re tua sit sententia, & an Cratonis tibi probabilis videatur opinio: ut uno aut altero verbo significare velis, etiam atque etiam rogo. Vale vir amplissime, & tum nomine, tum re ipsa Dei singulari beneficio felicissime, feliciter vive diu, idque ad Dei gloriam, & emolumentum Æsculapiadeæ familiæ. Paterniaci Aventicorum 26. Novembr. 1606.

EPISTOLA XXXI.

FELIX PLATERUS

Med. D. Archiatros Basileensis, clarissimo atque expertissimo Domino

Guilhelmo Fabricio Hildano

Medico & Chirurgo peritissimo, Amico suo

S. P. D.

Clarissime, atq; amicissime Dn. Fabrici, *denuò admonitus per Urstisium nostrum, ut ad certas quæstiones, quarum unam Anno 1604. alteram præcedenti anno, mihi scriptis proposuisti, meumq; judicium expetivisti, tibi responderem; Quod hactenus à me minimè factum fuisse, negociis meis, & ætati jam declinanti attribues: Quâ tamen adeò adhuc in tertia parte praxeos meæ absolvenda, dies noctesq; laboro, ut pleraq; alia seponam.*

Quod casum attinet cujusdam Jurgen von Bonsfeld / *cujus nates ex decubitu longo, easq; ob molem corporis premente, atq; excoriante, acedente urinæ, quæ eo continuò fluebat, acrimonia, locum affectum accensum ulterius irritante, atq; putredinem in eo excitante, quemadmodum ob hanc caussam sæpè gangrænam supervenire, te sæpè observasse ipse fateris, sic & ego fateor, hoc quam frequentissimè contingere ex solo etiã decubitu diuturno, circa ossa dorsi ad coccygem usq; primum cutem excoriari, & nisi sedulò unctione linteaminum, vel loci affecti huic obviam eatur, mox carnem ipsam subjectam inflammari, & nõ solum suppurari, sed & putrescere, nigerrimamq; quã citißime fieri, atq; in gangrænam converti, nisi putredo illa subitò auferatur. Quod cum citra aliam irritationem, quam eam, quæ ex compreßione partis læsæ accidit, fieri poßit, quanto citius hoc fiet, si urina defluens amplius hanc partem irritet. Quam non tantum, quod salsa, & biliosa sua, quam in se habet materia, partem vellicando inflammet, hoc molliri, sed maximè, quod mox corrumpatur, & putrescens malitiam, quæ putredinem similem in partibus inducat, acquirat, id efficere, hoc inprimis comprobare videtur, quod è pedibus hydropicorum exstillans serum, nisi omni studio aliò divertatur, in fasciis hærens, & pedes madefaciens, ocyus inflammationem, quæ subito in gangrænam abiit, progignat: quod centies accidisse, nullamq; gangrænam frequentiorem esse, quam hãc in pedibus hydropicorum, Asciticorum, accidentem, mortemq; ipsis accelerantem, meis oculis vidi; Et proinde in opere meo Practico adeò exactè illius mentionẽ feci.*

Causam autem omnis gangrænæ non simplicem putredinem, sed corruptionem omnimodam ex mortificatione partis, ob calorem illius nativum in spiritu vitali, singulis partibus insito consistentem, extinctum, natam statuimus. Extingui autem calorem nativum pabulo illius substantifico, in ea parte insidente, radicitus absumpto; Idq; plerumq; ab inflammatione præcedente, tantopere aucta vel in putredinem degenerãte, vel summa extrinsecus illata refrigeratione, quod tamen rarius accidit. Ab interceptione nutrimenti hoc vix dum evenire potest; Cum etiam extremâ atrophiâ laborantia membra, nondum tamen gangrænam patiantur: & cum plures venæ partem implicent, etsi aliquæ interceptæ sint, à quibusdam tamen, si vel minimum alimenti accedat, pars nihilominus ali poßit atq; consistere.

Multò minus ob spiritus animalis privationem hoc poterit accidere; Cum is non omnibus partibus conferatur, & præcipua viscera hoc destituta, sensu motuq; proin carentia, tamen vivant. Verùm intercepto penitus spiritu vitali influẽte, qui per arterias partibus indesinenter communicatur, spiritumq; vitalem insitum fovet, illiq; materiam præbet, caloremq; nativum excitat, cum ille tunc quoque extinguatur, nisi novo affluente continuò suscitetur, eas tunc mortificari, uti dictum, necesse est: Eoq; citius, si ob ligaturas, aut præcisiones, aut abscectas arterias, unde hæc potißimum subsequuntur, venæ simul, quæ arterias undiq; comitantur, & cum illis copulantur, eodem modo affectæ nutrimentum quoque partibus illis distribuere nequeant. Quæ tamen caussa gangrænæ, cum arteriæ in profundo corporis lateant, rara est; vixque nisi à vulnere profundo, magnas arterias abscecante, proficiscitur.

Hæc subitò, præterquam constitueram, exarare volui: ut animum meum deditißimum tibi cognosceres: quæ, ut boni consulas, rogo. Et si quid numismatum antiquorum occurrit, quæso, ut mei sis memor: persolvam ea, vel permutabo ad placitum. Vale Vir expertißime cum tuis, quos Deus incolumes servet. Basileæ 26. Februar. 1607. Vrstisium nostrum tibi commendatum habeas deinceps quoque, uti hactenus te fecisse ipsemet narrat, obtestor.

Alterum dubium de aqua chalybeata, cujus mẽtio in exordio fit, de eo in tractatu nostro de dysenteria cap. 7. pag. 62. agitur.

EPISTOLA XXXII.

Ad eundem Virum celeberrimum,

Dn. D. FELICEM PLATERUM,

Archiatrum Basiliensem, cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus,

S. P. D.

Pro doctißimis & eruditißimis tuis solutionibus, Vir amplißime & toti orbi notißime, quibus ad dubia mea proposita respondere placuit; & quibus non solùm oblector maxime, sed etiam multum proficio, gratias ingentes habeo. Vtinam aliquando pro tanta in me tua benevolentia gratum me exhibere possem. Rari, quod ad te mittam, in præsens nihil habeo; præterquam fragmenta nonnulla porphyritis, aliorumq; similium lapidum, quos ego non ita pridem in agro Aventicensi, præsente Dn. Hans von Willading *ibidem præfecto & antiquitatis studioso, collegi. Non videntur*

Margin notes: Epist. 30. 31. — Epist. 31. & 32. — Respõd ad obj. 3. & 1. — Gangræna ex longo decubitu. — Gangræna pedum hydropicorum. — Causa gangrænæ. — Ab interceptione nutrimẽti gangræna oriri non potest. — Ob spiritus animalis privationẽ gangræna accidere nõ potest. — Fragmenta quædã porphyritis in agro Aventicensi inventa.

Epist. 32. & 33.

tur esse magni momenti; denotant tamen aliquo modo magnificentiam antiquorum. Omnia enim fragmenta, quorum prædictus præfectus multa sibi reservavit, ex utraque parte egregiè & æqualiter perpolita sunt, non aliter, ac si arcularius hasce laminas ex ligno, aut alia quavis materia simili scidisset & perpolivisset. Mitto præterea frustum corii, quod qualeque sit, ornatißimus atque doctißimus Dn. Vrstisius coram indicabit. Si quando catalogum numismatum tuorum, & quænam in duplo habeas, ad me mittere placuerit, permutabo libenter ea, quæ bis habeo: interim quoque si rari quid mihi occurrit, non invitus communicabo. Vale Vir amplißime, & Aesculapiadeæ familiæ lumen splendidißimum. Paterniaci Aventicorum 29. Iunii Anno 1607.

EPISTOLA XXXIII.

Reverendo, doctißimoque Viro

DN. FRIDERICO COELOCOMO,

verbi divini Ministro,

Guilhelmus Fabricius Hildanus

S. P. D.

SUmmoperè doleo, Vir clarissime, & amice integerrime, de morbo uxoris tuæ, præcipuè autem quod scribis, ipsam à medicamentis adeò alienam esse, ut vix ea gustare possit: & in principio morbi non adhibita fuisse remedia: Audio enim, ipsam jam tribus ab hinc septimanis confectam esse morbo. Res tamen, quia nondum planè desperata est, suadeo, ut in alimentorum præparatione summa adhibeatur diligentia, quo medicamentorum vice esse possint. Et quia scribis febrem esse ardentem, capitis, & renum dolorem magnum, necesse est, ut ab omnibus, quæ difficilis sunt coctionis, abstineat. Hæc autem sunt caro bovina, porcina, ferina, sale condita, & fumo exsiccata, pisces, lacticinia omnia præter butyrum, aromata item intensè calida, veluti piper, zinziber, caryophylli, cardamomum, raphanus, sinapi, & similia. Cinnamomo tamen, croco & macis aliquando uti poterit in jusculis: corroborant enim partes nobiles, neque vehementer calefaciunt, vinum quoque interim dum febris est magna, nisi aqua, aut (quod melius) decocto agrimoniæ & veronicæ dilutum fuerit, non concederem. Utatur igitur jusculis carnium recentium, castratorum, gallinarum, aut carnis bovinæ, in quibus acetosa, borrago, buglossa, calendula, lactuca & radices petroselini coxerint. Hordeum quoque mundatum, & avena decorticata cum aqua, parumque butyri cocta, summoperè conveniunt, uti & emulsiones seminum frigidorum majorum, & lac amygdalatum. Donec febris est ardens, utatur loco vini decocto sequenti.

In febre ardente cōsilium. Victus ratio.

Decoctum propotu, loco vini.

R. Hordei integri
Herb. Agrimoniæ
Veronicæ.
Rad. & foliorum acetosæ ana M.s.
Tamarindorum ℥ j.

Coquantur in ℔. XII. aquæ purissimæ, ad consumptionem tertiæ partis, colaturæ quotiescunque bibere voluerit, addatur parum syrupi de succo acetosæ, de agresta, & citronum: aut ejus loco succi citronum, aut arantiorum acetosorum, dulcoreturque aliquantum saccharo, ne tormina ventris excitet. Tussis tamen si adest, ab hujusmodi & omnibus aliis acidis abstinendum est. Sequens quoque julapium summoperè convenit, bis aut ter in die sumptum.

Iulapium.

R. Aq. Acetosæ,
Fragariæ
Borraginis
Lactucæ ana ℥j.
Syr. de succo acetosæ, aut
Citronum ℥ j. ß.
Misce.

Si inquietudines magnæ fuerint, ita ut dormire non possit, exhibeatur ei sequens julapium.

Ad somnum consilium.

R. Aq. Lactucæ.
Papaveris albi.
Borraginis ana ℥j.
Syr. de papavere ℥ j. s.
Misce pro duabus dosibus, deturque tribus horis post cœnam.

Emulsiones item seminum frigidorum majorum, & seminis papaveris albi, somnum conciliant. Tempora & frons inungantur unguento populeonis. Applicentur item scapulis cucurbitæ magnæ cum flamma, & scarificatione. Renes inungantur bis aut ter in die unguento rosato, & refrigerante Galeni, aut præparetur ei sequens linimentum.

Linimentum renum calorem temperandum.

R. Ung. Rosati,
Ol. Nymphææ ana ℥ j.
Caphuræ ℈s.
Albumen unius ovi.
Parumque aceti
Misce, fiat unguentum in mortario.

Si deliquia animi advenerint, applicetur regioni cordis sequens epithema.

Epithema.

R. Aq. Borraginis.
Buglossæ. Melissæ.
Rosarum.
Vini malvatici ana ℥ij.
Aceti rosacei ℥ j.
Croci.
Caphuræ ana ℈j.
Diamargariti frigidi.
Cinnamomi electi ana ʒj.
Misce, & applicetur tepidè.

Si alvus non satis lubrica fuerit, utatur clysteribus lenitivis, qualis est sequens.

Clyster.

R. Herb. Malv.
Bismalvæ. Violar.
Mercurial.
Flor. Chamomillæ.
Meliloti ana Mj.
Sem. Anisi &
Fœnograeci ana ℥j.

Coquatur in aqua ad consumptionem tertiæ partis, in ℔j. colatura dissolve.
Electuarii lenitivi ℥j.
Vitellum unius ovi.
Salis p. j.
Ol. Chamom. &
Anethi ana ℥j.
Misce, fiat clyster.

Si

Si clysteribus uti noluerit, exhibeantur ad minimum suppositoria ex melle & sale præparata, & utatur prunis Damascenis coctis in aqua, parumque saccharo. De medicamentis purgantibus nihil scribo, tum quia ipsam ab eis planè alienam esse scio: tum etiam, quod nimis debilem ipsam esse vereor. Hæc sunt, vir clarissime, quæ in præsens necessaria mihi visa sunt, si aliquid aliud intervenerit, rescribe, & vale cum honestissima tua conjuge, quam ut Deus Opt. Max. pristinæ sanitati restituat, ex corde precor. Datum Coloniæ 10. Novembris 1598.

EPISTOLA XXXIV.

ZACHARIAS GEITZCOFLER à Geilenbach, &c. Eques, Clarissimo & doctissimo Viro Dn. GUILHELMO FABRICIO HILDANO, inclytæ Reipub. Bernensis Medico, Paterniaci commoranti, Domino & Amico suo colendo, S. P. D.

Descriptionem affectus gravissimi, Vir clarissime, atque doctissime, hisce tibi transmitto: expende quæso diligenter casum hunc difficilimum, tuoque nobis maturè consilio succurre; quod diu desideratum, per hunc ipsum expectabimus tabellarium: Tu vide ne frustra. Adjunctæ quoque literæ, obnixè rogo des operam, ut ad Generosum Dn. de Gorgier quam primum perferantur, multum enim interest. In utroque officium mihi facies gratissimum, quod pro re nata vicissim promereri studebo. Raptim 18. Martii 1609.

Morbi descriptio.

Nobilissimus & Generosus Dominus, qui ob adversam valetudinem consilium petit Medicum, annorum nunc est quadraginta septem, brevi corporis statura, & ejus habitu graciliori præditus. Quoad vitalia, & animalia, (excepto motu crurum) optimè valet, animosus est & cordatus, ac ingenio singulari, judicio, si quis alius, acerrimo, & memoria firma pollens. Partium verò nutritioni dicatarum δυσκρασίᾳ inæquali, ventriculi scilicet frigiditate & humiditate, hepatis contra ac renum caliditate non nihil excedente, siccitate juncta, laborat. Appetitu interim cùm quoad cibum, tum potum, integerrimo manente. Inde accedentibus ab extra variis ac continuis in victu, reliquisque rebus non naturalibus appellatis, ob vitæ conditionē privatam primùm, literisque deditam, aulicam deinde, ac militarem præter voluntatem erratis, magnam cùm pituitæ crudorumque humorum, tum bilis copiam aliquot ab annis coacervavit. Qui redundantes, & contrarii humores à robustioribus partibus ad debiliores propulsi, renes, ac pedum primùm, deinde etiam manuum articulos, multis laboribus, & frequentissimis celerrimisque per equos dispositos dies noctesque equitationibus: præ aliis membris debilitatos, tandem obsedere, in eosque deinceps, quoties eorum copia, vel qualitate viscera gravabantur, aut proprio ad inferiora motu irritabantur, expulsi defluere soliti sunt. Hinc mirum non est, suam magnificentiam ab eo tempore podagra & cheiragra, ut & nephritide sæpius ac graviter fuisse afflictam. Ab arthritide post usum thermarum ferinarum in Ducatu Wirtenbergico sitarum, per sesquiannum ferè liber fuit & immunis, qui tamen dolores ante paucos menses pedes pariter ac manus iterum invaserunt, & ex animi quodam subitaneo affectu, ob triste allatum nuncium, subitò quoque evanuerunt, impotentia ad incedendum in cruribus ob eorum calidi nativi imminutionem relicta, ita ut vix incedere in loco etiam plano possit, nisi habeat, cui eundo innatur. Nephritici verò dolores licet sæpius molestissimi, & calculi ac arenulę plurimæ excretæ fuerint: per id tempus tamē gravius & deterius affligebant, & post diuturnam ponderis lumbis incumbentis molestiam, ac denique multos perpessos dolores, tandem mense Novembri, anni sexti seculi inchoati, Calculum renalem, quam unquam aliàs, majorem excrevit. A quo tempore accedente intempestivo alicujus diuretici usu, quoties surgit, stat, ambulat, vel alia quacunque ratione commovetur, ad urinæ excretionem, citra ipsius tamen remoram, continuò irritatur, modò mitius, modò majori cum ardore. Urina tincta & biliosa semper est, & asperum, pituitosos etiam sæpius, ac crudos humores sabulo supernatātes, vel mixtos continet. Gravis, quando hoc malum urget, tunc etiam mictio est frequentior, urina parcior, à citrino ad subviridem colorem tendens, ac sabulo ferè carens, cum ardore quodam ad sphyncterem musculum, & in glande pruritu. Perinæum interdum tumet, qui tamen tumor digito prementi facilè cedit, & à compressione urina ac sabulum copiosius excernitur. Hi posteriores, qui circa vasa urinaria consistunt, affectus, ut Generoso Domino molessimi sunt, eorumque potissimum gratiâ consilium & auxilium petitur, ita de eorum essentia non sine ratione dubitatum hactenus est. Omnia in vesicæ retentricis imbecillitatem, ac humiditatis viscosæ in glandulis ad collum vesicæ naturaliter pro illis partibus adversus urinæ morsum muniendis, contentæ privationem, urinæ denique ob bilis permistionem, sabulique asperitatem & acrimoniam referenda videbantur.

Curru etiam pensili cum Generosus Dominus vehitur, tum urinam, quam primò, absque tamen impedimēto reddit, interdum cruenta est, aut subturbida, crassa & rubens, veluti si cerevisiæ fæces permistæ essent; Ob venas fortè, quæ renes perreptant, imbecilliores, & ob violentiorem corporis concussionem hiantes, singuinemque cum urina, absque manifesto tamen circa renes dolore, fundentes.

Nulla hic signa sunt, quę anguem latere in herba, & λιθίασιν seu vesicę subesse calculum, certò indicare possunt. Nullum percipitur pondus pubem & perinęum aggravans: nullus motus rei alicujus de uno latere in alterum, non illapsus in in collum vesicę, non vagus & oberrans dolor, nō intercipitur inter mingendum urina, nec stillatim effluit. Quia verò in opere Medico compertum

Epist. 33. 34.

Epist. 34.

Arthritici dolores.

Nephritici dolores.

[...]ulus [...]ica.

Signa calculi vesica.

Epist 34. tum sit, λιθιάσεως signa incerta esse, ac sæpissimè fallere. pruritus etiam in glande post mictionem à G. D. percipiatur, & ad peringum titillatio, alvi item excrementa interdum exeant, dum cum conatu quodam ob ardorem lotium reddit: Ideo ad explorationem, quę fit cum cathetere in vesicam immisso, deventum est: vocati duo, sed diversis temporibus Lithotomi, uterque lapidem magnitudine ovi columbini in vesica adesse, liberum, ac mobilem primus, alter vesicę nonnihil tunicis adherentem affirmat. Medicus pręsens allisionem Catheteris in lapidem propria manu percepit, & quendam quasi attritum ipsemet Generosus Dominus animadvertit.

Calculo itaque deprehenso, quem in renibus rudimentum accepisse, & demum in vesicam per ureterem delapsum, nec tempestivè expulsum, ob adhæsionem arenularum, & lenti phlegmatis increvisse, conjectura non parva oborta est: atque de curatione ejus tuta cogitari cœptum, dubitari verò, medicamentisne, an sectione sit auferendus?

Medicamenta tutiora, & magis optanda videbantur: ideo nonnulla priusquam ad incisionem veniretur, experiri placuit. *Medicamenta calculum frangentia.* Præmissâ idcirco universali corporis, & legitima evacuatione (in qua ventriculum debiliorem etiam leviora pharmaca difficulter ferre, & à cassia ob vim diureticam ardorem augeri, observatum est) pulvis asellorum præparatorum frequenti experimento ab *Augenio* inprimis comendatus, cum liquoribus diureticis à drachma una ad quatuor scrupulos exhibitus fuit: sed majori damno, quàm commodo. Urinæ enim destinatas partes ne quidem attigit, ventriculum verò summoperè debilitavit, nauseam, dolorem, & alia symptomata excitando, neque capiti omninò pepercit. Quo factum, ut ab ejus usu Medici destiterint, de curatione hujus mali per pharmaciam fermè desperantes. Etsi enim sint, qui varia jactant experimenta, ut leporis, cicadarũ, & scorpionũ cineres, sãguinem hirci, ibicis cervi, capreolorum, menstruum, liquorem crystalli lapidis, arte chymica solerter præparatum, troglodytem passerem, λιθονθρυπτικὸν *Rhasis*, oleum scorpionum, lixivium Zoroastii Tinelli de stipulis fabarum, succos acidos, & sexcenta alia: nonnulli etiam (inter recentiores *Augenius & Tullianus* in Buliatria) gloriantur, se lapides vesicæ tali remediorum genere, absque incisione ademisse. *Calculus vesicæ sola Chirurgia curatur.* Sunt tamen altera ex parte historiæ curatorum admodum incertæ, & rationes satis probabiles, quæ hujusmodi præsidia dubia reddunt: quas apud *Erastum, Montanum*, & alios videre licet. *Galenus* etiam scribit, nullam suo tempore fuisse inventam materiam præsidii calculum vesicæ frangentis, sed solâ Cheirurgiâ, seu incisione curari posse. Idem alii recentiores, & præstantissimi Medici liberè fatentur.

Vident enim omnes, nullum esse morbum, in quo majora, ac copiosiora decantentur auxilia, & magis extollantur, in quo tamen minus effectum optatum, & quem tituli promittunt, præstent, quam in λιθιάσει. Quapropter rebus sic stantibus, generosus, & magnificus Dominus de valetudine sua admodum solicitus, & sanitatis pristinæ ob ardua, gravissimaque, quæ ipsi incumbunt negocia, cupidus, rem totam diligentissimè ponderari ac deliberari, & ad subsequentes quæstiones sibi quamprimùm responderi summoperè cupit.

Quæstiones. I. Quid de symptomatibus, quæ supra sunt posita; statuendum: num insufficientia sint ad λιθίασιν demonstrandam: & utrum lithotomorũ, quos sæpiùs deceptos fuisse, quotidiana experientia testatur, explorationi fidendum?

II. Posito, lapidem vesicæ urinariæ certò adesse, quæritur. Utrum is tutò in hoc corpore medicamentis λιθονθρυπτικοῖς auferri possit: & si sic, certa, & experta sibi fideliter communicari, eorumque legittimum usum describi petit.

III. Ad sectionem si fuerit deveniendum, cùm certum sit, incisionem calculo vesicæ tunicis adhærente factam, periculosam, & plerumque lethalem esse: quibus remedis lapis à vesica ante incisionem separari debeat generosus Dominus primùm scire desiderat. 2. Num peracta sectione verriculis opus sit, quæ vesicam ab arenis sanguine grumoso, & aliis, quæ subesse solent corpusculis, expurgare possint? 3. Num per plagam fistula, seu tubulus more aliàs solito in vesicam demittendus ad aliquot dies, donec vulneris sanies omnis, universæque in vesica collectæ & concretæ sordes expurgentur? an verò ut labra vulneris statim concidant, permittendum; exemplo cujusdam nostratis lithotomi, eo in opore aliás satis exercitati, qui affirmat, illas reliquias omnes per urethram seu penem sua sponte facilimè evacuari? 4. Utrum arenulæ subinde per plagam à renibus transeuntes, inibique fortè hærentes, consolidationem non impedire possint?

IV. Incisione feliciter peracta, & vulnere consolidato, qua ratione à calculo deinceps præservari possit?

V. Deinq; quibus modis imbecillitas crurum tolli, ac podagra præcaveri possit: & quid de vinaceis in tali casu sperandum?

Dolor quiescendo vel pulvinari molli insidendo, adeò magnus vel intolerabilis non est; nisi cibo vel potu nimium frigefaciente sumpto, vel pedibus, qui semper fere frigidi, frigore affectis. Nunc pruritus continuus, & frequentissima existit mictio: urina alba, vel virescens magis, quàm tincta: Omnis motus dolorem auget, & tum urina aliquo modo cruenta pro qualitate motus, & plerumque instar lixivii. In capite glandis verò urinâ redditâ, semper pruritus & ardor.

EPISTOLA XXXV.

Generoso ac strenuo Viro

Dn. ZACHARIÆ GEITZCOFLERÒ Geitenbach Domino in Haunsheim/ Stauffen/ Moß & Wesenburen/ Equiti aurato Sac. Cæsar. Majestatis & Regis Hungariæ, nec non Ducum Austriæ Consiliario prudentissimo, Dn. suo benignissimo,

Guilhel-

Epist. 35.

Guilhelmus Fabricius Hildanus,
S. P. D.

DOctissimum, quod de affectu tuo misisti scriptum, illustrissime atque generose Domine, ante paucos dies accepi: utinam in artis Medicæ operibus istam haberem notitiam, dexteritatemque, ut Tuæ G. ad valetudinem suam recuperandam multum prodesse possem. Sum huic Reipublicæ propter salarium obstrictus, itaque an veniam impetrare, & T. G. pro sua expectatione plenius satisfacere, & præsens adesse queam, certò promittere, non omninò est in mea potestate. Interim ad quæstiones, quas proponit, pro ingenii mei tenuitate libenter aliquid respondebo.

Quæritur primò, quid de enarratis in scripto transmisso symptomatis sit statuendum, anque calculum vesicæ adesse, demonstrare sufficientia esse possint? Ego planè sentio, lithotomos minimè hac in re deceptos fuisse. Ut enim de reliquis, quæ ex scripto tuo elici possunt signis, calculum adesse, taceam, quodnam, quæso, certius dari poterit, quàm ipsa allisio catheteris in calculum, cum à Tua ipsamet G. tum etiam à præsente Medico percepta? cujus verò magnitudinis, non usque adeò rectè cathetere explorare licet, indice autem immisso ano facilius.

Quæritur secundò, an lapis vesicæ urinariæ in T. G. medicamentis tutò auferri possit? Hac in re *Galenus* & alii tam antiqui, quàm etiam neoterici Medici, multum nobis promittunt: ego tamen, ut ingenuè fatear, perquam paucos, imò neminem, calculo vesicæ, præcipuè magno laborantem, absque Chirurgia curatos fuisse vidi. Quod & idem *Galenus in lib. 6.* Eidem. *Hippocr. comment. 5. & Aretæus* de signis, & curatione diuturnorum morborum *libr. 2. cap. 4.* testantur. Loquor autem de his, qui ætatem consistentem habent. In pueris enim, quibus calor nativus est validus, viæque laxæ existunt, aliquando calculum vesicæ (intellige incipientem) medicamentorum beneficio curavi. Occurrit præterea in Tua G. alia difficultas, nimirum ventriculi imbecillitas, quam ob caussam medicamenta, quantumvis leviora, difficulter suffert. At si quis calculum in vesica medicamentis conterere & expellere tentare velit, primò ut multa variaq; cùm interna, tum etiam externa medicamenta adhibeat, necesse est. Secundò, indiget lapis vesicæ (*Avicennæ libr. 3. fen. 19. tract. 1. cap. 6.* verbis utor) medicinis fortibus, quoniam ipsa est frigidior, & quia est longinquior, & quoniam lapis ejus est vehementiùs confirmatus, ex vehementia coagulationis. Hæc verò quomodo in Tua G. quam, ut dixi, debilioris ventriculi, & calidioris hepatis atque renum esse intelligo, tutò & absque periculo fieri possit, nondum video. Quum enim ex usu cassiæ (quam in ardore urinæ exhibent Medici) ardor urinæ hactenus in te auctus fuerit, quid de reliquis medicamentis ad conterendum calculum, quæ pleraque omnia sunt calida, ut *Galenus* de compositione medicam. secund. loca *lib. 10.* docet, sperandum est? profectò nihil aliud præter summam hepatis & renum excalefactionem, aliaque incommoda. Amittunt deinde medicaméta maximam partem suarum facultatum & virium, antequam ad vesicam perveniant.

Tertiò, lapides nonnunquam vesicæ adhærere, neq; absq; maximo periculo separari posse, certũ est, ut non nisi manu & instrumentis separétur, atq; in ista operatione, & separatione calculi, vesica graviter lædatur. In Tua a. G. calculũ adhærere, vix crederim; adhæret n. mediante membrana, qua obductus est, atq; tunc immisso cathetere, nulla percipitur allisio. Sin verò ex una tantummodo parte vesicæ annatus fuerit, quod tamen perquam raro accidit (ut plurimum enim aut omninò adhæret, aut planè liber est) non usque adeò difficilis, nec periculosa erit ipsius separatio, præcipuè si parvus est, quemadmodum lithotomi sperant: & cum totum corpus, tum etjam pars affecta, ante operationem probè præparata fuerit. Hoc tempore tamen propter frigus, quod partibus nervosis, ac proinde etiam vesicæ obest, operatio, nisi maxima urgente necessitate, non erit tentanda: sed in primum ver usque differenda. Ver enim, ut *Celsus lib. 7. cap. 26.* & experiétia testatur, ad hanc operationem cũ fructu faciendam, aptissimum est. Neque etiam tunc temerè, & empiricorum more operatio est tentanda, exhibendaque: pars affecta præparanda: magnitudo quinetiam calculi exploranda, & an absque mortis discrimine extrahi possit, investigandum. Præstaret enim curationem palliativam adhibere, & aliquo modo miserè vivere, interim tamen Deo & patriæ inservire, quàm evidentissimo mortis periculo T. G. periclitari.

Post extractionem calculi verriculis omninò opus est, magis tamen ad explorandum, an alius aliquis adsit lapis insignis, quàm ad arenulas & sanguinem grumosum expurgandum. Hujusmodi enim facilimè post operationem naturæ beneficio expelluntur, præcipuè si vulnus apertum fuerit conservatum; quemadmodum mox dicam. Perquisitio itaque ista, quæ fit verriculo, clementer fieri debet, & si secundus lapis, aut fragmenta aliqua magna inveniuntur, extrahantur, sin minus, de arenulis, & sanguine grumoso extrahendo, non usq; adeò est laborandum. Ego non raro per aliquot dies ab operatione fragméta & lapillos, qui etiam magnitudinem phaseoli ferè adæquabant, naturæ beneficio extrusos, atq; rejectos fuisse, meis vidi oculis

Porrò ut arenulæ, sordes, sanguisque grumosus, post extractionem lapidis eò melius effluere possit, tubulus aliquantum incurvatus in vulnus intromittendus, vulnusque ad tempus summo studio apertum est conservandum. Non enim intentio Medici est, solummodò morbum curare, verùmetiam recidivam præcavere. Ne itaque de novo materia aliqua colligatur, patens sit vulnus, donec renes & vesica ab omnibus excrementis probè sese expurgaverint. Idque per vulnus facilimè, per ductum verò urinarium sive penem propter ipsius longitudinem, angustiam anfractuositatem, vix fieri potest. Hæc Tuæ G. aliquo modo erunt molesta, multum tamen ad integram sanitatem recuperandam, conservandamque conducent, & efficient, ne recidiva facile sit ve-

Margin notes (left, partly cut off): [Pri]mæ [quæ]stioni [responsio]. — [Co]gnitu calculi [quo]modo [habe]atur. — [Ad] 2. quæstionem [resp]onsio. [Calcu]lus [vesicæ] manu solà [Chir]urgiâ [cura]tur. — [Cas]siæ [usu]s auc[tus] fuit [ardor] u[rinæ].

Margin notes (right): *Ad 3. quæstionem responsio. Calculus quomodo vesicæ adhæreat.* — *Nota.* — *Quid post extractionem calculi faciendum.*

Epist. 35.

sit verenda: quæ multò magis est timenda, quàm fistula. Hæc enim suo tempore cum partes internæ satis expurgatæ fuerint, non usque adeò difficulter cōsolidari poterit, illa verò novos cruciatus, & forsan majores adferret. Ante annos quindecim cum cuidam viro virtute & pietate præstantissimo, Dn. *Gualtero del Prato*, Coloniæ fistula in perinæo propter similem ferè caussam curata esset: post menses sex ego cum aliis Medicis in consilium adhibitus, propter gravissima, quæ superveniebant symptomata, illam iterum aperire coactus fui. Convaluit, & per annos quatuordecim supervixit, septuagesimumque septimum annum ætatis prætergressus est.

Observat.

Ad 4. quæstione responsio.

Quartò, extracto calculo, ne novus renascatur, prospicere convenit. Idque Tua G. præstabit, evitando in victus ratione omnia quæ generationem calculi promovere possunt: sive suppeditando materiam, humores nimirum crassos & viscidos; sive suscitando caussam efficientem, intemperiem scilicet calidam hepatis & renum: purgando item per intervalla corpus. Quæ omnia hic particulatim recensere supervacaneum duxi, cum quia Tua G. hac in re, proh dolor, ipsamet facta est Medicus passivus, tum etiam quia ex præsenti Medico, si opus esset, fusiùs edoceri poterit. Saltem id repeto, quod & antea monui, vulnus non ilicò consolidandum esse, propter caussas, quas jam supra cōmemoravi. Vomitus si per intervalla provocetur, singulare est præservativum tam in calculosis, quam podagricis affectibus, præcipuè si Tua Gen. ad vomendum facilis fuerit?

Vomitus præservat à podagra & calculo.

De acidulis.

Ad præservationem quoque calculi non exiguam vim habent acidulæ Griesbachenses & Langenschvvalbachenses. Ventriculo enim gratum est medicamentum, ipsumque simul, ac omnes partes internas roborat, obstructiones viscerum reserat, renes item & vesicam abluit, mirumque in modum expurgat, & si quæ in istis partibus sunt arenulæ, expellit. Usus earundem quoque acidularum, inprimis Langenschvvalbachensium, Tuæ G. in podagra multum prodesse poterit. Sed hoc tempore ferè inutiles sunt acidulæ.

De vinaceis. Vnguentum ad imbecillitatem membrorum post podagrā.

Postremò quærit Tua G. quomodo imbecillitas crurum sit tollenda, quidve de vinaceis sperandum? Ad imbecillitatem membrorum post podagram tollendam, cùm aliàs multoties, tum superiori æstate in Generoso quodam maximo cum fructu hoc unguentum expertus sum, purgato tamen prius corpore.

℞. Salis marini diligenter in furno exsiccati, & tenuissimè pulverisati ℥ij.
Ol. lumbricorum, &
vulpini ana ℥iij.

Misceantur diligenter in mortario marmoreo, fiatque unguentum, quo partes affectæ inungi debent, tribus horis ante prandium, & antequam æger lecto egrediatur. Eidem unguento aliquando maximo cum successu addo aliquantum olei salviæ, aut rosmarini, arte chymica extracti. Ante inunctionem poterit applicari fomentum aliquod ex salvia, betonica, absinthio, Iva Arthetica, baccis & ligno juniperino, rosis, floribus primulæ veris, rosmarino, majorana, alumine, & hujusmodi, vino rubro incoctis. Cataplasmata item ex iisdem herbis & floribus pulverisatis, & cum farina fabarum, vino rubro, atque sapa coctis, & post fomentationem, atque inunctionem applicata, summoperè conveniunt.

Fomentum.

Usus vinaceorum in podagra.

Usus vinaceorum mihi hac in re summoperè probatur: inter optima enim remedia & tutissima, quæ partes etiam affectas roborant, & calorem innatum fovent, à Cratone in hoc affectu ponuntur. Tempore vindemiarum pedes nonnunquam & totum corpus, si morbus universalis est, eis calidè immergatur. Extra tempus verò vindemiarum solitus sum ea vino rubro ac aqua incoquere, & juncturis applicare: inter coquendum verò betonicam, salviam, ivam artheticam, flores primulæ veris, & hujusmodi flores & herbas, quas antea recensuimus, addo. Si dolor adest, adjicio quoque manipulum unum aut alterum lumbricorum terrestrium, aquâ solummodò lotorum. Hujusmodi medicamentis si juncturæ & nervi roborati fuerint, minus defluxiones excipient. Interim tamen ne materia peccās in corpore colligatur, & ad articulos expellatur, summoperè prospicere convenit. Optima itaq; victus ratio observanda est, corpusque per intervalla expurgandum: quæ omnia prudentiæ præsentis Medici committo.

Hæc sunt, Vir Generose, quæ pro temporis angustia ad propositas quæstiones respondere licuit: quæ omnia, ut Tua G. æqui bonique consulat, rogo. Dum hasce absolvo, à Generoso Domino Barone de Gorsier, simul & à nobili Viro Dn. Ludovico à Wattenville accipio literas, quos omnes de Tua adversa valetudine summoperè solicitos esse percipio. Ego, quia Tuæ G. in præsens propius adesse, & coràm officia mea minimè præstare possum, simul cum illis illum, qui fons est omnium bonorum, per unigenitum filium suum Iesum Christum Salvatorem nostrum, suppliciter oro, ut Tuam G. ex hoc gravi morbo liberare, in pristinam optimamque valetudinem reducere, in eaque diu conservare dignetur. Vale Paterniaci Aventicorum 24. Novemb. 1608.

EPISTOLA XXXVI.

Ad eundem Virum Generosum,

DN. ZACHARIAM GEITZCOFLER, &c. cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus
S. P. D.

Quod ad quæstiones propositas mihi responsum, illustris, atque generose Domine, Tuam G. jamdudum accepisse, atque ex eo sententiam meam percepisse, spero: itaque de iis hic nihil repetam. Cæterùm generosus Dn. Baro à Wattenville hisce diebus ad se me vocare jussit: sed quia Freiburgi apud nobilem quendam occupatus fui, adventum meum per aliquot dies in Burgundia expectavit, ubi ipsum hodie conveni. De morbo Tuæ G. fusiùs inter nos collocuti sumus, ut ex ipso intelliget. Ne operatio ante mensem

sem Aprilem tentetur, iterum suadeo. Operationi etiamsi difficulter interesse queam (tam procul enim abesse familiæ meæ, valdè mihi erit incommodum) quia tamen Tuam G. præsentiam meam valdè desiderare exoptareve video, libenter parebo; dummodò licentiam à Magistratu meo impetrare potero. Quod si G. Tuam convenire mihi non cõcedatur, ut corpus ante operatiotionẽ à præsenti Medico diligenter præparetur, neque vulnus ilicò cicatrice obducatur, iterum moneo, propter causas, quas in præcedentibus meis literis recensui, quasque Generoso Domino Baroni à Wattenville corãm fusius exposui. Vale illustris ac generose Dn. & me tuum cense. Raptim Usiers Burgund. 8. Februarii stylo novo Anno 1609.

EPISTOLA XXXVII.

IDEM AD EUNDEM.

PAulò tardius, quam sperabam, Illustris, atq; Generose Domine, ea, quæ promiseram, mitto, idque negligentiæ meæ causa minime factum est. Radices enim Eryngii Marini ad lacum Lemanum eruendæ, postea in umbra exsiccandæ erant, ubi tempus requirebatur: Quapropter ne Tua G. moram ægrè ferat, demissè rogo. Nunc illas mitto, faxit clementissimus Pater cœlestis, ut G. tua maximum fructum inde capessere possit Mitto & instrumenta pro enematibus exhibendis: item lib. de inedia Appoloniæ Schreieræ: illa etiamnunc vivit, uti Dn. D. Lentulus ante paucos dies ad me scripsit. Hæc ut G. tua eo animo, quo à me proficiscuntur, accipere velit, obsecro. Successum curationis post meum abitum avidè intelligere cupio, penitus tamen Tuam G. nunc convaluisse, spero. Circa serenissimum principem Dn. Ianutium Radzivilium adhuc, unà cum clarissimis Viris Dn. D. Platero & Chimeletio Medicinæ Doctoribus, occupatissimus sum. Me absente Empiricus ad ipsum adductus fuit, qui Mercurialia nonulla, aliaq;, quæ parum conveniebant, adhibuit. Corpus mirum in modum extenuatum est, & indies magis magisque extabescit. Nutrimenta pauca, & non nisi invitus sumit. In inguine dextro ruptus est abscessus ingens, ex quo ultra libras decem puris effluxit, & adhuc continuò effluit. Est & alius abscessus, ingens profectò, in clune dextra aperiendus. Omnipotens Deus, summusque Medicus, ut divina sua gratia per unigenitum filium suum ipsi adesse, omniaque ad ipsius salutem cum corporis, tum etiam animæ necessaria, benignè elargiri velit, ex corde precor. Vale Illustris, atque generose Domine, unà cum genere, & virtute ferè nobilissima tua Relingera, Uxore charissima, filioque dilectissimo, totaque familia longè nobilissima, quam ut Deus Opt. Max. tecum in multa secula conservare, spiritualibus, temporalibusq; quin etiam donis ditare dignetur, etiam atque etiam ex corde precor. Raptim Basileæ Raurac. 2. Iulii 1610.

[margin: ...ns abs... ...ius in ...uine.]

EPISTOLA XXXVIII.

ZACHARIAS GEITZKOFLER à Geisenbach/ &c. Eques

Guilhelmo Fabricio Hildano S. P. D.

HÆret adhuc alta mente repostum, vir clarissime, atq; doctissime, Amice charissime; tum illud fideli quondam promptitudine, & prompta fidelitate mihi præstitum auxilium tuum, cum in extremis constitutus angustiis, periculosissimam corporis mei sectionem in arce mea Haunsheim tuæ dexteritati administrandam commisi: quamobrem & immensas tibi gratias semper agam, referamq;. Cum autem præter alia tum temporis etiam intellexerim, Te raras quasdam in affectibus mulierum, & secretas habere medicinas: & verò una ex consanguineis meis difficillimo ejusmodi, nescio quo, vehementissimè hactenus conflictetur morbo: accuratiorem hujus affectus descriptionem Tibi hisce communicare volui: officiosè rogans, ut casum hunc non solum diligentissimè, de quo dubium mihi nullum, examines atq; perpendas: sed etiam prudentissimum tuum consilium hac de re nobis exponas, illudq; prima data occasione Augustam Vindelicorum Dn. Martino Zobelio *transmittas. Facies hac in parte gratum mihi & acceptum, atq; vicissim honesto laboris tui præmio gaudeas, operam dabimus sedulò. Vxor mea charissima filiusq; salutem tuæ Excellentiæ plurimam per me dictam volunt. Hisce vale Vir clarissime, & feliciter vive diu. Datum Pragæ 16. Februarii 1617.*

Descriptio morbi illustris cujusdã Mattronæ, literis præcedentibus conjuncta.

Illustris Domina quædam, ætatis annorum triginta unius, habitus totius humidioris, pinguis multum; maximè circa ventrem inferiorem, hepatis calidioris, bonum generans sanguinem, coloris optimi, ventriculi verò frigidioris & cum lienis aliqua notabili duritie: Huic elapsis annis, & etiam ante conjugium, menses fluxerunt inordinati, ut plurimum pauci, nec sine doloris sensu. Cum anno 1614. Thermis quibusdam Sulphureis per dies quadraginta balneando, mense Iulio & Augusto usa fuisset, per menses tres vel quatuor ordinatum singulis quatuor septimanis mensium cursum, & in quantitate mediocrem acquisivit. Mense demum Decembri signa quædam ingravidationis apparere cœperunt, vomitus quidam materiæ pituitosæ, inappetentia ad cibum, decolorati menses, qui tamen nunquam substiterunt, quin nisi ob gravidationis dubium medicamentis retenti fuissent, fortè copiosiores consueto fluxissent; mammæ tumidiores solito, sine lacte tamen: accessit & mulierum hac in re peritarum confirmatio, quæ prægnantem persuadebant: auctus est venter paulatim: verum nullus unquam fœtus motus animadversus est, (licet ipsa motum quendam interdum persentiscere assevetaret) quod assistentibus Medicis falsæ ingravidationis suspicionem præbuit, ut revera evenit. Elapso per menses aliquot partus tempore, coli dolores vehementissimi eam & apprehenderunt, cum febre continua & animi deliquiis, à quibus aliquot dierum spacio nonnullis evacuationibus, sed potissimum

[margin: Affectus uterinus.]

[margin: Falsæ ingravidationis suspicio.]

Epist. 38. Libræ 30. vitreæ pituitæ dejectæ.

tissimum enematibus liberata est. In quorum administratione hoc notabile fuit; clysterum usu spacio dierum viginti ad libras triginta vitreæ pituitæ subtractas fuisse; ventrisque moles in circuitu spithamæ longitudine minor effecta, agiliorq; in motu reddita est, cum prius difficulter moveretur. Sequenti tempore sæpius purgata est, tum medicamentis per os assumptis, tum per alvum injectis, & semper ingens vitreæ pituitæ copia educta est. Sanguis sæpius vena secta notabili emolumento missus est: verùm alvi tumor increscere visus est, corporisque gravitas augeri, usque adeò, ut ferè semper sedentaria degeret, & ob ventris molem in lecto etiam minimè commodè jacere posset. Menses paulatim pauciores visi sunt, nec benè colorati sed potius muco similes: à duodecim septimanis ex toto substitêre, quo tempore omnia graviora reddita: quin & interdum uteri præfocationes, cordisque palpitationes molestare cœperunt. Quorum accidentium occasione advocati Medici dum ventrem contingunt, invenerunt in regione uteri rem quandam ad tactum duram, à dextra in sinistram transversim se extendentem, longitudinis spithamæ unius cum dimidia, in crassitie verò in sinistra quidem parte limonium pomum, vel aliquid majus referentem, in dextra autem multò majorem, sed mobilem, quæ si ab una parte manu prematur, in opposita parte dolor sentitur.

De cætero venter licet pinguis, mollis tamen est, nî flatibus (quod aliquando evenit) distendatur. In reliquis nec lumbi, nec inguina, nec partes circa umbilicum dolent: dum in lecto vertitur, nullum sentit gravis materiæ ab una parte in alteram notabilem prolapsum: stans autem circa pubem pondus grave incumbit. Motus interdum quidam circa uterum ab ea persentitur, sed non qualem fœtus edere solent. Lac in mammis nullum, nec tumidiores solito: corpus non emaciatur, color optimus perseverat, in cibo & potu se benè habet.

His sic stantibus, cum à principio hujus affectus aliquot elapsi sint menses, petitur ab excellentissimis ac experientissimis Viris

1. *An hæc mola censenda sit, an affectus alius?*
2. *Si mola judicetur, cum una & grandis videatur, an provocanda sit?* Hippocrate *dicente*, si mola una caro fiat, mulier perit, neque enim fieri potest, ut superstes maneat.
3. *Quibus remediis tutò & cum minori molestia ea abigenda sit?*
4. *Et ultimò, stante mola, an aquis thermalibus sulphureis & nitrosis, quæ & potu & balneo adhiberi consueverunt, tutò uti liceat?*

Ad hæc rogamus excellentissimos Viros nobis quàm citius fieri possit, communicare sua consilia velint.

EPISTOLA XXXIX.

Generoso ac strenuo viro
Dn. ZACHARIÆ Geizkofler à Geilenbach / Dn. in Haunsheim / Stauffen / Moß vnd Wesenburen/ &c. Equiti aurato, Sacræ Cæsareæ Majestatis, nec non Ducum Austriæ Consiliario prudentissimo, Domino suo benignissimo,
Guilh. Fabricius Hildanus, S. P. D.

Literæ, quas ad me dedisti, Generose ac strenue Domine, quia domesticis meis, interim dum ego Lausannæ circa infantem Generosi cujusdam occupatus fui, traditæ fuerunt, celerius ad eas respondere mihi non licuit, ne igitur Tua Generos. moram ægrè ferat, demissè rogo. Sola autem profectò literarum G.V. inspectio vehementer me exhilaravit, idque eam solam ob caussam, quod G. T. vivere, & rectè valere, ex eis intellexerim. Idem à Generoso quodam, qui ante menses aliquot Haunshemio veniens, transiens hac, & in Galliam properans me invisit, nunciatum mihi fuit. Faxit clementissimus Deus Pater cœlestis, ut G. T. optima ista valetudine in multos annos ad Dei gloriam, utilitatemque Patriæ frui possit.

Illustris autem Dominę, de qua T. G. scribit, vices doleo, Deumque ter Opt. Max. suppliciter oro, ut Medicorum laboribus & remediis benedicat, eamq; & patientiâ & constantia Christianâ adornet, tandemque benignè restituat. Tandem, inquam: Sunt enim profectò morbi uterini, ut omnes testantur Medici, & ipsa experientia docet, longi & difficiles.

Morbi uterini longi & difficiles. Responsio ad primum quæsitum.

Porrò cum ipsam minimè gravidam esse, extra controversiam sit, quærit G. T. primò, sit ne mola in utero, nec ne? Ego ex signis & indiciis, quæ proponuntur, nihil aliud concludere possũ, quàm illustrem ægram molam gestare, etiamsi signa nonnulla, quæ contrarium suadent, adsint: inprimis mensium fluor. Quibus enim menses fluunt, in iis molam generari minimè posse, statuunt Medici. *Ambrosius Paræus* tamen lib. 24. cap. 41. Mulierem molam gerentem menstruis laborasse observavit, quod & ego in nobili quadam ac pia Matrona Bernensi, robusta, & plethorica, ante annos aliquot advenisse vidi. Illa etsi molam ejus magnitudinis gestaret, ut adstantes tractando ventrem, facilè ipsam persentire possent, quam molam etiam erigendo se & ambulando, ponderis alicujus, & globi magni instar, ad os uteri delabi sentiebat: (hæc non ex relatione aliorum habeo) singulis tamen mensibus suas habuit purgationes menstruales, sed in minori quantitate, idque ad finem usque vitæ suæ, etiamsi à mola liberata non fuerit. Potest itaque mulier molâ laborare, imò & fœtum gestare, interim tamen suas habere purgationes menstruales, sed in minore quantitate. Non omnibus tamen mola laborantibus id accidere, sat scio, sed paucissimis, & iis tantummodò, quibus habitus totius corporis humidus, & hepar temperatum est, quæque sanguine abundant, quemadmodum illustrẽ illam Dominam illo abundare, intelligo.

An fluxus ... molam uterum ... esse ... Observatio.

Id præterea observavi, molam nonnisi sensim accrescere, si menstrua simul fluxerint: fluentibus enim menstruis nutrimentum molæ distrahitur. Eis autem, quæ fœtum, aut molam gerunt, ut insignis vir Dn. *Ambrosius Paræus* lib. 24. cap. 65. refert, non ex ipso utero profluunt menses, sed per ramos venæ & arteriæ hypogastricæ, quæ rejiciuntur, & sparguntur in uteri cervicem.

Non ... nes ... gere ... extr ... scun ...

Molam prætereà gerentem tabescere, ac membra mollescere, observarunt practici: at in illustri domina contrarium observatur. Corpus enim, ut ex narratione morbi ejus intelligo, non emaciatur, sed color optimus perseverat, in

cibo quinetiam, & potu bene se habet. Non omnes igitur molam gestantes extabescunt: quod & ego in Matrona illa Bernensi, cujus antea memini, observavi, quæ per multos annos molam gestavit, interim tamen menses suos habuit, & corpore robusta fuit. Anno 1612. Hildenâ Coloniam ad quadragenariam vocatus fui; gestaverat illa molam per multos annos: interim tamen corpore valida, & facie benè colorata semper fuerat: tandem febre continua correpta, & exorto dolore circa pudenda, cum muliebria, ac ventrem tractarem, molam ad struthii ovi magnitudinem inveni, quæ & versus os uteri ita propendebat, ut manu facilè apprehendi posset: Cotyledonibus nihilominus, quemadmodum & illa, de qua Obs. 52. Cent. 2. mentionem habui, ita adhærebat, ut absque ingenti dolore vix commoveri posset. Interim tamen cum ipsam præsente excellentissimo, ac pio Viro Dn. Iodoco Iuliciis pharmacopœo Coloniensi, aliquoties & manu, & instrumentis tractassem, medicamenta quinetiam nonnulla, ut postea dicam, applicuissem, tandem feliciter ipsam enixa est, & pristinæ sanitati restituta fuit. Hæc propterea adscribo, si forsan illustri Dominæ in curatione molæ suæ usui esse possint. Potest itaque mulier molam gestare, interim tamen menses suos habere, corpore quinetiam valida, robusta, ac facie benè colorata esse.

Secundò quærit T. G. si mola judicetur, cum una & grandis videatur, an provocanda sit? cum juxta *Hippocratem* libro de sterilibus, mulier, quæ unicam gerit molam, si expellatur, perit. Diligenter hîc perpendendus est locus *Hippocratis*, & cum eis, quæ quotidie in praxi occurrunt, conferendus. *Hippocrates* enim & aliis in locis ita loqui consuevit; quemadmodum lib. 6. aphoris. 18. ubi vulnera vesicæ, cerebri, cordis, intestinorum, & ventriculi lethalia esse pronunciavit. At hujusmodi vulnera sæpissimè sanari, experientia docet. Verùm *Galenus* in commentario hujus aphorismi mentem *Hippocratis* penitus explicat his verbis: Hoc verbum, inquit, lethale, sæpius dixit in aliis, & in hoc ipso libro de iis, qui ex necessitate morituri: sæpius autem & de iis, qui magna ex parte. Hæc *Galenus*. Ita etiam de verbis *Hippocratis* hoc loco censendum esse arbitror: non enim mulier, cui unica expellitur mola, ex necessitate perit, etiam si id aliquando contingat. Observatum enim sæpissimè fuit, molas prægrandes & unicas sine mortis discrimine medicamentis expulsas, imò & manu extractas fuisse. Extat exemplum singulare in 2. centur. observationum mearum observat. 52. de mola, quæ magnitudinem capitis infantis ferè adæquabat: quam tamen ea dexteritate extraxi, ut non solùm convaluerit ægra, & per aliquot annos supervixerit; verumetiam infantes tres procreaverit, cujus rei testis maritus ipse, & alii quamplurimi, etiamnunc Lausannæ esse possunt. Alia præterea extant exempla observat. 54. ejusd. centuriæ. Et quadragenaria illa Coloniensis, cujus antea mentionem feci, à mola unica & etiam satis magna, quam felicissimè liberata fuit. Non perit itaque mulier, quæ unicam edit molam ex necessitate, sicuti illi necessitate moriuntur (ut *Galenus* l. 6. aphoris. comment. 18. & experientia docet) quibus cor aut cerebrum ad ventriculos usque vulneratum: sed tunc inprimis, cùm nimis violenter expulsa fuerit, & hæmorrhagia magna supervenerit.

Epist. 39.

His omnibus benè consideratis, nihil video, quod obstare possit, quo minus curatio non sit tentanda: præcipuè cum illustris ægra adhuc sit juvenis & optimo corporis habitu prædita.

Responsio ad 3. quæstionem.

Quærit G. T. tertiò, quibus remediis tutò, & minori cum molestia mola illa sit abigenda; proponam remedia tuta, quibus & ego in quadragenaria illa Coloniensi, & in aliis cum fructu usus sum. Interim tamen Illustris Domina monenda est, morbum huncce, uti quoque ab initio dixi, & longum & difficilimum esse, imò curationem non semper adoptatum finem perduci posse, etiamsi Medicus summam adhibuerit diligentiam. Sæpissimè enim tam tenaciter utero adhæret, ut non nisi post longum tempus excerni possit: imò & cum ægra consenescat, hoc est, ad finem usque vitæ perduret: idque inprimis accidit, quotiescunque (uti ego in aliquibus observavi) uterus ipse unà cum mola unicum inter se constituunt corpus. Hujusmodi molâ matrona illa Bernensis, cujus ab initio memini, ad finem usque vitæ suæ laboravit, absque magna tamen molestia.

Curatio molæ.

Curatio autem tribus subsequentibus intentionibus perficitur. Primò, ut victus ratio, quæ calida & humida esse debet, instituatur, ac quam diligentissimè observetur: Secundò, ut corpus à pravis humoribus expurgetur, & vena, si plethora adfuerit, incidatur. Tertiò, ut medicamenta molam expellentia intus exhibeantur: ventri quinetiam provocantia exterius admoveantur. Purgato itaque corpore, primò emollientia, veluti sequens enema per aliquot dies adhibere convenit.

Enema emolliens.

R. Radicum althææ
  Lilior. albor. ana ℥ j.
Fol. Althææ
  Malvæ
  Parietariæ
  Violarum
  Brancæ ursinæ
Flor. Chamomill.
  Meliloti
  Violarum ana M. j.
Sem. Fenugræci
  Lini ana ℥ j.
  Anisi
  Fœniculi ana ℥ j. ß.

Coquantur in decocto capitis & pedum vituli, ad consumptionem tertiæ partis. In ℔. j. colaturæ dissolve.

Butyri recentis,
Olei Amygdalarum dulcium &
  Liliorum alborum ana ℥ j.

Misce, fiatque enema, quod iteretur quotidie semel aut bis, idque per dies aliquot. Necesse

Epist. 39. cesse enim est ut mola, imò & ipse uterus, partésque omnes, quæ in excretione molæ extenduntur, emolliantur ac lubricæ reddantur.

Ex præscriptis herbis, radicibus, floribus & seminibus præparetur quoque sacculus triangularis, ejus magnitudinis, ut imum ventris & pudenda cooperire possit: is aqua aut brodio capitis & pedum vituli coctus, calidè applicetur, per horam unam aut alteram, idque bis aut ter in die. Post fotum venter, pudenda, os sacrum & coxæ sequenti linimento inungere convenit. *Linimentum.*

℞. Olei Liliorum alborum
Lumbricorum
Amygdalarum dulcium
De vitellis ovorum ana ℥ ß.
Pinguedinis caponis
Ursi
Anseris ana ℥ j. Misce.

Quæ partes ad molam excludendam necessarias relaxant ac lubricas efficiunt, per os quoque exhiberi poterunt. Detur itaque oleum amygdalarum dulcium, & butyrum recens, cum decocto foliorum althææ, malvæ, & violarum, seminis althææ, malvæ & meliloti, ac pauco sale, ne nauseam excitet: poterit addi pullus, aut frustum carnis castrati, ut eo magis nutriat, corroboretque. Prædictum jusculum poterit quoque syrupo de althæa Fernelii dulcorari & exhiberi. Hisce in sextum, septimum aut octavum diem, prout præsenti Medico consultum esse videbitur, adhibitis, ac iterum expurgato corpore, & saphenâ incisâ, ad ea, quæ facultatem expultricem excitant, transeundum est. Ubi enemata iterum conveniunt; quapropter *Enema.*

℞. Radic. Aristoloch. rotundæ &
Longæ
Gentianæ ana ℥ ß.
Radic. Bryoniæ
Asari
Ellebori albi ana ʒ j.
Herbar. Dictamni
Rutæ
Sabinæ
Centauri minoris
Artemisiæ
Melissæ
Matricariæ
Pulegii
Origani
Malvæ
Althææ ana M. ß.
Flor. Chamomill.
Meliloti
Sambuci ana M. j.
Sem. Carui, Sesel.
Petroselini ana ℥ j.
Fœnugræci
Lini ana ℥ ß.
Coquantur in aqua, ut colatura redeat ad ℔. ij.
In ℔. j. colaturæ dissolvæ Hieræ Picræ ℥ j.
Trochiscorum de myrrha ℥ ß.
Olei rutacei ℥ ij. Misce.

Ex supradictis radicibus, herbis, &c. præparetur quoque sacculus triangularis, qui aquæ incoctus, ventri calidè applicetur. Interim autem dum enemate & sacculo utitur, sequens quoque pessarium adhibere convenit. *Pessarium.*

℞. Galbani
Bdellii
Opoponacis dissolut. in vino generos. an. ʒ ij.
Rad. Cyclaminis &
Hellebori albi ana ʒ j.
Trochiscorum de myrrha ʒ iij.
Misceantur, & cum succo rutæ, quantum satis, fiat pessarium.

Per os detur sequens potiuncula.

℞. Confectionis alkermes ℈ ij.
Trochiscorum de myrrha ʒ ß.
Salis artemisiæ
Olei sabinæ ana ℈ ß.

Cum decocto artemisiæ, melissæ, radicum aristolochiæ longæ & rotundæ, fiat potiuncula: dulcoretur syrupo de artemisia.

His dum illustris ægra utitur medicamentis, motus naturæ diligenter observandus est: quamprimum enim virtus expultrix commota fuerit, necesse est, ut ægra in modum parturientis decumbat, in lecto tamen (ut vires conservêtur) & eo planè modo quemadmodum monstravi in secunda centuria pag 186. Deinde obstetrix manum inunctam superiori linimento clementer in collum uteri immittat, parturientiúmque dolores & conatus, quantum fieri potest, excitet. Illustris quoque ægra ipsimet operam dabit, ut expultricem facultatem, & conatus parturientium stimulet; Quo tandem obstetrix manum suam in ipsum uterum immittere, molamque apprehendere possit. Sin mola rotunda & lubrica fuerit, ita ut obstetrix ipsam digitis apprehendere non queat, habeat forcipem & hamulum, cujus ego dedi delineationem in secunda centuria observat. 52. *Quo modo mola extrahenda.*

Dum autem hæc aliaque administrantur, imò per totum tempus curationis, virium diligenter habenda est ratio, & quæ ipsas conservant, atque instaurant, exhibenda, & regioni cordis, & carpis applicanda sunt. Interim tamen quæ corpus clementer excalefaciunt, sanguinemque attenuant, parcè sunt exhibenda, ne extractâ molâ vehemens & periculosa subsequatur hæmorrhagia: & quia mola semper utero adhæret, diligenter prospiciat obstetrix, ne ipsam impetuosè ac festinâter, sed pedetentim ac lentè separet, extrahatque. Ego in separatione molæ, cujus fit mentio observ. 52. cent. 2. postquam ad ipsius radicê A notatam manu pervenissem, dimidiam ferè horam impendi, absque ullo tamen dolore, aut molestia ægrotantis. *Mola lentè extrahenda.*

Extractâ molâ, ut hæmorrhagia larga evitari possit, in promptu sint electuaria, syrupi, aquæ destillatæ, decoctiones, & ex eis paratæ potiunculæ, reliquaque omnia, quæ excalefactum corpus refrigerare, & attenuatum sanguinem inspissare; Viresque instaurare queant. De quibus omnibus

nibus præsens Medicus pro sua prudentia providebit.

Extractâ molâ ventri sequens Cataplasma protinus applicare convenit.

R. Rad. & Fol. Plantaginis
Bursæ pastoris
Fol. Prunorum sylvestrium
Rosarum rubearum ana M. j
Coquantur in aqua ad cõsumptionem tertiæ partis.

Postea R. Farinæ hordei & volatilis ana ℥iij.
Pulv. Rosar. rubear.
Myrtillorum
Nucum cupressi
Balaustior.
Corticum granatorum
Ranarũ combustarum ana ℥ j.
Terræ sigillatæ
Sanguinis draconis ana ℥ ß.

Cum prædicto decocto, parumque aceti, fiat Cataplasma, quod imo ventri pudendisque tepidè applicetur.

Hæmorrhagia si impetuosa fuerit, arctè ligentur brachia, & cucurbitulæ sub mamis affigantur. Vena item in cubito, si vires permiserint, incidatur.

Imponatur quoque sequens pessarium: Fiat turunda ex stupis suavibus justæ magnitudinis, quæ superiori decocto madefacta, sequenti pulvere involvenda est.

R. Farinæ volatilis ℥ij.
Terræ sigillatæ
Sanguinis Draconis
Gypsi.
Cinerum ranarum aquatilium ana ʒiij
Musci cranii humani ʒj
Misce fiat pulvis subtilissimus.

Hisce & similibus remediis hemorrhagiam cum in Lausannensi matrona, & Coloniensi, tum etiam in aliis feliciter per Dei misericordiam cõpescui.

Non volo autem illustrem ęgram, adstantesque Medicos non monere, in prima curatione rem non semper ex voto succedere, sed post dies aliquot aut mensem iterum omnia reiteranda esse, idque ego in quadragenaria illa Coloniensi, cujus jam antea facta fuit mentio, edidici. Huic enim cum omnia; quæ recensui, adhibuissem, collumque uteri adeò (sine violentia tamen & dolore magno) dilatassem, ut molam manu mea tractare, forcipe quinetiam facilè apprehendere possem, ipsam tamen extrahere, minimè ausus fui; quotiescunque enim illam apprehendebam, & instrumentis (manu enim non facilè extrahitur mola) extrahere conabar, tanti circa lumbos superveniebant dolores, ut ab opere desistere coactus fuerim: quapropter totum negocium ad dies quindecim protraxi. Interim ut vires instaurarem, dolores lenirem, intemperiem calidam internarum partium temperarem, omnes nervos intendi. Tandem cum præcedentem curationem secundò iterassem, ex voto successit, convaluitque ægra.

Quartò & ultimo quærit Tua G. an aquis thermalibus sulphureis, & nitrosis tuto uti possit illustris ægra? Sulphur cum teste Galeno de simpl. Medic. facult. lib. 9. calidum, tenueque sit, & nitrum insignem exsiccandi facultatem obtineat, non video (salvo tamen aliorum Virorum, quibus facultas thermarum, quas illustris ægra forsan invisere constituit, nota est) quomodo in hoc casu convenire possint. Thermæ verò piperinæ in Rhætia, etiamsi quoque nonnihil sulphuris, ut Fuchsius, Rulandus, & alii scribunt, in se cõtineant, multum tamen in hoc affectu conducere posse existimo: Sunt enim temperatissimæ, nullamq; intemperiem calidã visceribus infert aqua hæc: etiamsi aliquis in ipsa scaturigine insederit: quin potius internas partes adeò humectat, ut (quod observatione dignum) si sitibundus aliquis has ingressus fuerit thermas, sitis in ipso mox exstinguatur. Obstructiones viscerum, hepatis, venarum, mesaraicarum, & lienis ad miraculum ferè usque tollunt: idque non tantum in serenissimo Principe Ianutio à Ratzevil, &c. verumetiã in nobilissimo Viro D. Iacobo Wallier observavi. Huic enim cum in diuturno morbo suo splen in scirrhum induruisset, beneficio harum thermarum restitutus fuit: uti ex observatione de vulnere quodam gravissimo, & periculoso, ictu sclopeti inflicto, Oppenheimii separatim edita (quæ totam historiam continet) videre licet. Cum ergo illustris Domina quoque de obstructione, & duritie lienis conqueratur, non saltem eo nomine hasce thermas piperinas ei prodesse posse existimo: sed vel maximè propter principalem illum uterrinum morbum, idque duplici ratione. Primò quia thermæ istæ ad omnes uterinos affectus, varios, & inveteratos à Fuchsio, Rulando, Thurnisero & aliis singulariter commendantur, unde & in hoc affectu emolumentum ex iisdem nobis promitterre possumus. Deinde quia mulieribus uterum gerentibus valdè noxiæ esse dicuntur ab iisdem Authoribus; idque sine dubio propter metũ abortus, qui facilè propter insignem & internarum & externarum partium humectationem, & relaxationem supervenire posset. Ergo cum nihil magis in Illustri Domina præter abortum, ut ita loquar, hoc est, molæ exclusionem, desideretur, omninò ad hanc provocandam erunt accommodatissimæ.

Atque hæc sunt Generose Domine, quæ ad quæsita respondere potui: Faxit Deus Opt. Max. ut G. Tuæ grata, illustri verò ægræ salutaria esse possint. Si qua alia in re G. Tuæ inservire possum meo, uti par est, nunquam deero officio. Uxorem lectissimam, uti & filium dilectum, unà cum conjuge, genere, virtute & pietate verè nobiles ea, qua par est reverentia mecum salutat uxor mea. Raptim Bernæ Helvetiorum 1. Maii 1617.

Epist. 39. Responsio ad 4. quæstionem.

Thermæ piperinæ in Rhetia, quas vires habeant.

Thermæ piperinæ commendantur ad uterinos affectus.

EPISTOLA XL.

Amplissimis atq; doctissimis Viris

Dn. Dn. Doctoribus & Chirurgis GENEVENSIBUS,

Dominis & Patronis suis perpetuò colendis.

Epist. 40.

Guilhelmus Fabricius Hildanus
S. P. D.

De cancro exulcerato.

QUi has offert literas, Viri amplissimi ac undiquaque doctissimi, civis Lausannensis & mihi familiaris, non ita dudum petiit, ut ipsius uxorem graviter laborantem inviserem, atque remediis ei subvenirem: sed quia morbum difficilem atque vix curabilem esse animadverti, nolui quicquam tentare, nisi morbus prius communicatus fuisset collegio vestro. Itaque cum maritus statuisset ad vos migrare, ut judicium vestrum expiscaretur, & auxilium collegii vestri imploraret; petiit denuò, ut hæc paucula ad humanitatem vestram scriberem, atque vobis morbum ante oculos depingerem; idque ipsi propter communem nostram amicitiam denegare nec potui, nec debui.

Morbus autem, de quo conqueritur, tumor est durissimus & inæqualis, è regione papillæ mammæ sinistræ, non omnino rotundus, sed triangularis figuræ: Cuspis axillam versus tendit. Tumor non multum elevatus est, videturque periostio costarum aliquo modo cohærere, quandoquidem ferè immobilis est, præcipuè ea parte, quæ axillam respicit. Multæ præterea lividæ & atro sanguine turgentes venulæ circa tumorem conspiciuntur: item glandulæ nonnullæ, tum in circumferentia tumoris, tum etiam sub axilla. Tumor lividus & nonnihil inflammatus: cutis verò in circumferentia plumbei aut cineritii coloris est. In medio tumoris circumcirca papillam scilicet ulcuscula nonnulla apparent, ex quibus manat Ichor flavi coloris. Dolor continuus adest non tamen adeò acerbus: Et, ut verbo dicam, omnia ferè signa cancri in hoc tumore conspiciuntur; quem ego non occultum amplius, sed exulceratum appellandum fore existimo: ad extremam tamen malitiam nondum pervenisse certum est. Idque ex eo apparet, quod dolor non adeò acerbus sit, nec labia ulceris prætumida & horrenda sint, quemadmodum solent esse in cancris exulceratis, cum ad summam malitiam pervenerint. Ulcera præterea nondum serpunt ad vicinas partes, neque tetrum reddunt odorem: Faxit Deus, ut etiam ad illam malitiã nunquam perveniat morbus. Vereor tamen vix rectè curari posse: quandoquidem veram & legitimam curam (quæ integram exstirpationem tumoris requirit, sive id igne, ferro aut medicamentis erodentibus fiat) vix suaderem adhibere, ratione nobilitatis partis affectæ. Pallativam verò, quam vocant, curam, dolores lenire, & incremento morbi ad tempus saltem obsistere, tandem verò non sufficere, vobis omnibus Viri amplissimi notum est.

Quibus verò medicamentis usa sit hactenus, planè ignoro: Maritus particularia indicabit vobis. Ego nihil præscripsi, sed ab Empiricis & tonsoribus tractata fuit. Et quia petiit, ut opinionem meam, de mediis curandi hũc affectum, vobis non celarem, dicam quoque paucis, hac de re quid sentiam.

De cancri curatione

Scitis Viri amplissimi *Galenum* lib. 2. ad Glauconem cap. 10. cancri curandi rationem duplicem statuisse: quarum prima perficitur medicamentis, humores atrabilares expurgantibus: altera consistit in extirpatione tumoris. Quantum attinet ad primam curandi rationem, nisi statim ab initio administrata fuerit, parum aut nihil ad integram sanitatem posse, certum est, quãdoquidem jam materia ita compacta atque indurata est ut medicamentis purgantibus non cedat. Ad materiam tamen antecedentem imminuendam, non solum utilia, verumetiam necessaria esse medicamenta, humores atrabilarios expurgantia, ideoque in cura palliativa necessariò administranda, nullus est Medicorum, qui dubitet.

Cauterium actuale improbatur in scirrhosis tumoribus.

Altera via à *Galeno* præscripta, est extirpatio tumoris: hanc autem extirpationem nonnulli ferro candente, alii medicamentis erodentibus, reliqui verò cultro incisorio perficiunt. Quantum ad cauterium actuale, illud cum *Albucasi* in scirrhosis, & cancrosis tumoribus, atque ulceribus suspectum habeo, quandoquidem vi ignis, qui in summo gradu caloris & siccitatis agit, magis indurescit materia atrabilaris, fitq; malignior. Præterea usu cauterii facilè posset oriri incendium vicinarum partium, pleuræ, cordis, & pulmonis scilicet, ut ipse *Galenus* testatur.

Porrò extirpatio, quæ fit medicamentis escharoticis aut septicis, sive quovis simili medicamento erodente, mihi quoque propter nobilitatem partis affectæ, suspecta est. Adde experientiam docuisse, cancrosa ulcera hujusmodi medicamentis exacerbari, atque pejora fieri.

Extirpatio cum ... manu ...

Superest extirpatio, quæ manu & instrumẽtis incidentibus fit, quam ego præ aliis eligerem, nisi animadverterẽ difficultates non paucas, quæ eam quoque incertam faciunt: hæ autem præcipuè sunt, primò cacochymia corporis: secundò labefactatio, & summa imbecillitas partis laborantis: Eam autem non solum ex hoc morbo cõtraxit, verùmetiam à teneris annis, sæpissimè ex hac parte laboravit, quandoquidem ei adhuc puellæ combusta fuit papilla. Postmodum in matrimonio ter vel quater lac in mamã concrevit. Ratione enim combustionis papilla contracta, & ipsius pori indurati fuerunt. Concretio lactis nonnunquam, & apostemata excitavit, quæ an methodicè curata fuerint, nescio: ex relatione autem mariti id fusius intelligetis. Tertium argumentum, quod extirpationem incertam esse mihi persuadet, est, tum tumorem adeò adhærere costis, ut vix moveri possit, tum etiam sub axilla glandulas multas esse, quæ veluti radices hujus mali sunt, extirpari tamẽ minimè posse Ex his duobus malis, iisque evidentissimis periculis, quæ tum palliativam, tum veram curam comitari recensuimus, quodnam eligendum sit amplissimo collegio vestro remitto. Ego cùm ætatem jam provectam, cacochymiam corporis & imbecillitatem partis affectæ, atque glandulas sub axilla (quæ veluti radices hujus mali sunt) animadverto, mallem potiùs eligere curam palliativam, quam ægrotum evidentissimo, & inevitabili mortis periculo exponere. Vos pro vestra summa prudentia atque eruditione, singula examinabitis, & si quid à me imprudenter in medium adductum fuerit, id ut pro vestra summa humani-

manitate atque clementia, quam huc usque mihi largiti estis, in bonam partem interpretemini, etiam atque etiam rogo vos omnes Viri amplissimi. Benè & feliciter valete in Domino. Lausannæ 15. Septembris 1596.

EPISTOLA XLI.

Viro Clarissimo Doctissimoq;

Dn. GEORGIO FABRO,

Castri Imperialis Fridbergensis Doctori Medico celeberrimo.

Guilhelmus Fabricius Hildanus,
S. P. D.

Decima quinta die mensis præteriti, feliciter Bernam reversus sum, clarissime, atque amantissime mi Dn. Doctor, meosque quinetiam benè valentes, laus sit Deo Opt. Max. inveni. Interim dum ego apud vos, & in Hassia absui, febris quædam maligna, & contagiosa hic grassata est, multosque egregios viros è medio abstulit. Invasit autem cum maximis doloribus capitis, linguæ ariditate, & faucium inflammatione. Nonnulli sopore, alii deliriis maximis correpti fuêre, & furibundi animam reddidêre. Hic tamen nunc, laus sit Deo, morbus iste cessat: sed Lausannæ, alliisque in oppidis ibi in vicinia adhuc grassatur. Deus misereatur nostrûm, suamque iram justissimam à nobis avertat. Verendum enim est, ne proxima æstate febris ista maligna in pestem desinat. Observationes tuas raras, de usu & abusu fumi Tabaci avidè à te exspecto. Ego quod ad te scribam nunc nihil singulare habeo; præterquam quod matrona quædam honesta, & vidua. Dn. *Adami Stösz* civis hujus urbis, cum superiori anno medicamentum à Carnifice nostro sumsisset, eadem die visum planè amiserit, neque huc usque recuperaverit. Ante annos tres à Morse ad lacum Lemannum matrona sumpto medicamento ab Agyrta præparato, & exhibito intra triduum non solum visum, verumetiam vitam, maximis, ne dicam impatibilibus doloribus amisisse, alias, si rectè memini, ad te scripsi. Nudius tertius civis quidam Burgdorffensis uxorem suam viginti circiter annorum ætatis ad me adduxit: illa ante annum, dolore capitis laborans, cum medicamentum per superiora simul, & inferiora purgans, ab imperito barbitonsore sumsisset, paulò post ipsius facies totumque caput supra modum intumuit: hinc oculi ita debilitati fuêre, ut etiamnum de visu periclitetur.

Superiori æstate Solodurensis Matrona, cum medicamentum per superiora cum violentia purgans, Antomonium fuisse existimo, sumpsisset, ad insipientiam redacta fuit. In hac fœmina multa annotatione digna occurrerunt, uti forsan in quarta Centuria videbis. Vides mi Dn. Doctor, quanto in honore apud nos sit ars Medica inquam quæ etiam apud ipsos Ethnicos sacra habebatur, quamque Reges, & Principes olim tractabant: illa nunc à Christianis Principibus sordidissimis, atque nequissimis illis nebulonibus aliisque imperitissimis hominibus, qui pro arbitrio de corio humano ludunt, committitur. Pro arbitrio, inquam, Magistratus enim, quibus Deus salutem non tantum animarum, verumetiam corporum subditorum commisit, hic aliisque in locis silet, mussitatque, nec hujusmodi impostoribus, ne dicam latronibus, interdicit: cujus negligentiæ rationem coram sublimi tribunali Filii Dei daturus est. Interim infiniti homines ubique ab hujusmodi impostoribus truncidantur. Clarissimum virum Dn. Dn. *Horstium* meis verbis saluta quæso plurimū, ipsique significa, me nihil suarum literarum apud Dn. D. *Saltzmannum*, uti promiserat, invenisse, suasque observationes me avidissimè exspectare, Statum familiæ tuæ per hunc Mercatum Francofurtensem, si me amas, significa: sollicitus enim sum vehementer de adversa valetudine tuorum. Radices cyclaminis, uti promiseram, misissem, sed tanta apud nos fuit copia nivium, ut etiam nunc non solum montes, verū etiam urbs ipsa nivi cooperiatur. Vale, & *Fabricium*, qui tuus est, ama. Uxor mea charissima mecum te tuamque uxorem, filiasque ex corde salutat, & pro aureo dono misso uxori tuæ gratias agit immortales. Saluto *Christinolam* tuam lepidissimam & optimam, quæ ut tibi chara sit, jubeo, pollet enim ingenio, tibique & uxori solatio futura est. Iterum vale. Raptim Bernæ 28. Februarii 1618.

Nobilissimum virum Dn. *Rideselium*, totamque istam illustrem familiam meo nomine demissè, & ea, qua par est reverentia, saluta, & quomodo ipsius nobilitas valeat, quam primùm rescribe.

EPISTOLA XLII.

Clarissimo atque doctissimo Viro

Dn. GEORGIO JENISCHIO,

Medicinæ Doctori.

Guilhelmus Fabricius Hildanus,
S. P. D.

Quemadmodum qui in naufragio sunt, Vir clarissime & amice perpetuò honorande, sic de gravissimo morbo tuo anxius fui hactenus Jam gaudio magno afficior, & Deo. Opt. Max. gratias ago, quod te mihi, & toti Reipublicæ servaverit, & in pristinam sanitatem remiserit. Ego quia molestissimum negotium meum tibi satis notum, tandem absolvi, & de tua sanitate jam certior factus sum, ex naufragio me ad litus pervenisse arbitror: quapropter posthac Deo dante jucundiorem vivam vitam, & in studio meo Chirurgico progrediar: faxit Deus Opt. Max. ut omnia sint ad sui gloriam & utilitatem proximi.

Theses tuas doctissimas de dolore colico, quas misisti, accepi & perlegi: multum placent. Utinam tandem petionibus meis aliorumque amicorum obtemperare, & hanc materiam fu-

Epist. 42. & 43.

fius tractandā suscipere velis: Est materia maximi momenti: & neminem scio, qui ad eam tractādam aptior sit: quandoquidem cum tu ipsemet ante annos aliquot eo morbo gravissimè laborares, multa notatu digna de essentia & curatione hujus morbi te observasse & annotasse scio. *Iohannes Fiennius*, Medicus clarissimus commentarium de flatibus edidit, in quo flatuum naturam caussas & symptomata, uti & eorum remedia describit, vellem, ut ipsum videres: Si ipsum non habes, mittam tibi exemplar meum, cumprimùm indicaveris: Sed de paralysi ex dolore colico ne verbo quidem mentionem fecit. Ego nonnulla de colico dolore observavi, quæ si ad illustrandum opus tuum tibi utilia esse possint, libenter communicabo. Cæterùm gratias ago maximas (immortales vellem, si possem) pro tua in me benevolentia, quam cum aliàs, tum jam præcipuè cum apud *Proceres Polonienses* honorificè mei mentionem habuisti, satis superque palàm fecisti. Magno sanè honore me afficiunt, cum te suadente me à Magnatibus in Poloniam vocari, & stipendio ordinario honorari student. Sed mi charissime *Ienischi*, scis me à familia & valetudine non satis valida, impediri ad hoc longissimum iter suscipiendum, alioquin esset mihi gratissima & optata conditio, & libenter parerem Nolissimis illis Proceribus, & *Dn. D. Iohanni Ampliæ*, quem scribis in hoc negotio laborare: Demissè eum meo nomine saluta, & me brevi, Deo dante, ad ipsum hac de re scripturum indica. Vale mi *Ienischi*, & animæ dimidium meæ, & cum nobilissimo Viro *Iohanne Amplia* reliquisq; amicis diu vive felix. Lausannæ 6. April. Anno 1597.

EPISTOLA XLIII.

Amplissimo atq; clarissimo Viro

DN. GREGORIO HORSTIO,

Illustrissimi ac Celsissimi Principis ac Domini Dn. LUDOVICI Landgravii Hassiæ &c. Archiatro, & in Academia Giessensi Medicinæ Professori primario ac longè celeberrimo,

Guilhelmus Fabricius Hildanus,

S. P. D.

Problemata tua doctissima, amplissime atque charissime *Dn. Horsti*, gratissima mihi fuêre, multumque eorum lectio me oblectavit. Perge, quæso, sic familiam Medicam scriptis ornare, & facies rem multis gratissimam atq; utilissimam. Quod in iis honorificam mei mentionem fecisti, immortales ago gratias; inde humanitatem & in me benevolentiam tuam agnosco. Ad nonnulla horum problematum libenter exempla tibi communicarem, sed occupationes nunc longas scribere epistolas non concedunt: dabitur forsan posthac ocium atq; occasio, addam tamen unum aut alterum.

Quæstione 5. decad. primæ rectè quidem distinguis, quibus in febre ardente potio frigidæ sit utilis, & quibus minimè; item in quo tempore morbi offerenda. Ad hanc quæstionem non extra propositum erit sequens exemplum. Quidam hic in vicinia, ardentissima febre laborans, cum maximum haustum, & quantum anhelitus sufferre potuit, aquæ frigidæ bibisset, eadem die extinctus est, ut ex observationibus meis, quæ prodibunt, videbis. *Benivenius* idem advenisse observavit. Quæstione 1 decad. quintæ non absque gravissimis caussis in syncope acetum cum distinctione admovendum, rectè scribis: & tecum consentio: sed mirum forsan tibi videbitur, quod nunc subnectam. Matronam piam atque honestam cognosco Lausannæ, viduam *Dn. Ioachimi Rohaut*, olim pharmacopœi, quæ acetum adeò aversatur, ut ex solo odore in lipothymiam & syncopen incidat; ideoque ex ipsius culina acetum planè proscriptum est. In lipothymia cum ex resolutione spirituum, tum eorundem oppressione, sal præstantissimum esse remedium, si labia eo fricentur, aut æger id masticaverit, ausus sum affirmare: millies enim id in his, quibus vena incidenda, aut incisa fuerat, cum fructu observavi, neque ullum hactenus remedium inveni, quod citius effectus suos edat. Cæterùm admiratione non vacat, quod sæpissimè hi, qui adstant, cum alicui vena inciditur, lipothymia & syncope corripiantur. Imò & nonnullos vidi homines, qui ex sola imaginatione atque cogitatione alicujus horrendi facinoris, lipothymia correpti sunt. Exemplum unum non vulgare annectam. Anno 1588. Genevâ in Subaudiam ad nobilem quendam vocatus, cum in via famulus ipsius nobilis, qui me conducebat, eques ad latus mihi esset, ac ego de miserrimo ac deplorando statu militum Germanorum, quorum mentio fit in tractatu de Gangræna & Sphacelo, narrarem, & eorum vulnera & ulcera describerem, ex sola narratione historiæ lipothymia correptus fuit: ita ut parum abfuerit, quin ex equo in terram prosterneretur. Ego apprehenso freno conductoris mei semimortui, equos ambos retinui, & anxius animo cum nullum mihi ad manus esset medicamentum, urinam propriam manu excepi, eamq; in faciem ipsius projeci, quinetiam labia eâ fricavi: hinc paulatim recollegit vires, & mecum ad nobilem suum pervenit, ubi, cum quid in via acciderat, narrassem, mirum in modum ipsum deriserunt domestici. Plura non licet. Clarissimum Dn. D. Lentulum tuo nomine salutavi, qui te vicissim ex animo salutat, & omnia humanitatis officia tibi offert. Apollonia Schreiera adhuc in eodem statu, ut tu illam vidisti, vivit, nec ulla intervenit mutatio. Responsum ad observationem, quam superiori anno ad te misi, expecto, inseram illud secundæ centuriæ. De ancyoglosso quodam, si detur otium, posthac observationem ad te scribam, & tertiæ centuriæ inseram, secunda enim nunc completa est. Vale Vir amplissime, & feliciter vive diu, meque ut facis ama.

Paterniaci Aventicorum 20. Iulii 1608.

Epist.

Epist. 44. & 45.

EPISTOLA XLIV.

Idem ad eundem.

HAc ipsa hora suvissimas tuas, vir amplissime, ac æternùm mihi summâ observantiâ colende; accepi literas, quas exosculatus sum. O utinam scriptorem earum, simul & parvulum tuum *Horstium* (cui felicissima omnia ex corde opto) ante abitum meum ambabus ulnis amplecti possem. Sed festinare, iterumque ad meos me conferre cogor. Sperabam te Lauterbachium ad nuptias venturum, & heri, ut de adventu tuo certior fierem, certum nuncium misi, sed fefellit opinio. O quàm libenter dissectioni anatomicæ, quam brevi te administraturū scribis, interessem: sed detineor hîc propter setaceum, quod nobilissimo viro Dn. *Riedeselio* præsente Dn. D. *Georgio Fabro* applicui: Certis enim indiciis cōstat, multum humoris peccantis ex capite ad locum affectum, tibi notum, defluere. Ad Dn. *Fabrum* hodie scribam, ipsique quæ expetis, significabo. Dn. D. *Beyerus* non adest, cum Francofurtum pervenero, salutabo ipsum tuo nomine. De impressione centuriæ meæ quartæ quæris, & nonnulla rara, & observatione digna te mihi communicaturum scribis: erunt mihi profectò longè gratissima, mihique veluti stimulus ad perficienda nonnulla, quæ præ manibus habeo. Alioquin mea mihi magis magisque displicent, & nisi à te, aliisque viris piis ac eruditis, pro vestra humanitate summa tolerentur, jam dudum nihil prodidissem, nec in publicum amplius proderem quicquam. Vis ut caussas tibi exponam? facerem quidem, si id tibi mihique hoc exulceratissimo seculo aliquid prodesse posset. In quarta centuria progredior, finemque appropinquo, eamque hac hyeme ad prælum præparassem, nisi diversis occupationibus in praxi, & peregrinationibus impeditus fuissem hactenus.

Superiori æstate jussu quorundam ex Magistratu nostro amplissimo, thermas invisendi caussa in Valesiam profectus sum, ubi inaccessibilem montem Gemium pedes ascendere, descendereque coactus fui: hinc ita defatigatus domum redii, ut per mensem vix lecto egredi potuerim. Accesserunt & alia, quæ centuriam illam retardarunt, inprimis liber Germanicus de miseria hominis, qui & aliquando forsan prodibit. Singulare nunc, quod ad te scribam, nihil habeo, nisi casum quendam de admirabilibus prægnantis in fœtum effectibus. Vivit apud nos Bernæ matrona quædam honesta, quæ ante annos decem, cum utero gestaret, ac quodam die cum alia quadam muliere in arenam descendisset, strenueque inter se linguis concertassent, ac prægnans ira supra modum commota esset, puellam postea peperit, quæ etiamnunc vivit. Animum quidem habet heroicum, sed pedes manusque contractæ sunt, totumq; corpus veluti in continuo motu est, ita ut quasi saltando, totoque corpore tremendo, ut solent irati, incedat, & domestica negotia perficiat. Hæc festinanter ad te scribo. De maculis infantium ex imaginatione matrum, à me sanatis, in quarta centuriâ exemplum unum aut alterum quoque videbis. Ignosce, quod tractatum meum de gangræna & sphacelo nondum ad te miserim, fiet id quamprimùm Oppenhemium pervenero. Dominus *Penotus*, amicus meus singularis circa finem Augusti piè naturæ satisfecit, cum annum nonagesimum octavum ingressus esset. Obiit in Nosocomio, & quidem in paupertate. Illustrissimus & celsissimus Princeps ac Dominus Dn. *Mauritius* Landgravius Hassiæ ipsi stipendium annuale superiori æstate (cum de ipsius miseria certior factus esset) benignè donavit: ex quo si vixisset, in posterum lautius agere potuisset: sed Deo aliter visum fuit, ipsumque æterno non stipendio, sed hæreditate beavit. Dn. *Philippum Stammium* ex gravissimo affectu suo convaluisse, ipsique consilium meum profuisse, ex corde gaudeo, & ut ipsum meo nomine salutes, vehementer rogo. Cogor adhuc per dies quindecim ad minimum hîc moram trahere: interim si rara illa, quæ promittis, pro quarta centuria, ad Dn. D. *Georgium Fabrum* (ut illa in transitu invenire possem) mittere tibi placuerit, gratum: Si verò aliquo in loco commodè convenire possemus, gratissimum mihi foret. His vale vir amplissime, & cum uxore lectissima, *Horstioloq;* tuo in omne ævum felicissime vive. Raptim Eisenbachii 28. Octob. 1617.

EPISTOLA XLV.

HENNINGUS ARNISÆUS

Med. D. clarissimo & celeberrimo Viro Dn. GUILHELMO FABRICIO HILDANO, Chirurgo ac Medico Paterniacensi *S. P. D.*

NOn ita pridem est, clarissime Dn. Fabrici, *quod ab* Utilio *civitatis hujus Chirurgo, qui tum iter Bernam, & ad vos meditabatur, invitatus, literas quasdam ad te dederam, quas tamen nescio an acceperis, cum ipse iter hoc ingredi. & ut promiserat, præsens tibi meas offerre prohibitus fuerit. Tum etiam dubitavi, an mei adhuc tibi memoria superstes esset, quippe, qui cum præterito autumno ad te hac una de caussa, uti te cognoscerem, Genevâ venissem, meum tibi nomen non declaraverim, quam suspicionem auxit amicus meus* Slezerus, *qui mihi nullam tibi mei memoriam superesse retulit. Ejus tamen literæ effecerunt, ut de integro ad te scribere auderē, quippe quod sollicitè mihi injunxerit, ut has suas ad te procurarem literas, responsumq; tuum sibi remitterem Lugdunum, ubi commorabitur, responsionem tuam expectaturus. Iam si tibi rescribere quicquam placet, maturè id fiat oportet, quoniam & ipse abitum meditor propediem, ideoq; meas conjungere volui, ut te de hoc admonerem. Tres tamen adhuc septimanas hic, credo, subsistam, & si quid rescriptum ad* Slezerum *volueris, interim ad me mittes, ego diligenter procurabo. De cætero nihil scio, quod ad te perscriptum velim; nisi ut te rogem, me, priusquam hinc abeam, doceas, qua methodo Parenchyma hepatis à venis separare soleas. Dn. Fajus consi-*

Parenchyma hepatis quomodo a venis separādū.

Epist. 45. consilium dedit, ut cum aqua saponis tentem, & jam hepar fœminæ in ea putrescit: experiar, quantum sit effectura. In hac fœmina, quam occiduo, postquam pepererat, secuimus, invenimus ossa pubis non tantum ab invicem, sed & ossa Ilij ab osse sacro distracta, quod hucusq; non credideram fieri posse. Nam quanquam multas secui in Germania meretrices, tamen moris illic est, ut ante sex septimanas post partum supplicio non tradantur: unde fit, ut Medici & Anatomici Germani, excepto Bauhino, hoc non observarint. Quia tamen non dubito, quin & hujus rei observationem quangam habeas, rogo mihi eam communicari. Peculiare nihil in hac fœmina fuit, præter vermium copiam, ad extremum sinistrum cornu matricis innatorum. Quatuor etiam in manu musculos notavi, ab aliis non descriptos, qui ad excavandum metacarpium serviunt; Sed hos in omnibus observavi, ita ut peculiare nihil habeant. Vnum tamen à posteriore costa scapulæ musculum in primam & secundam costam, satis validum, quanquam brevem observavi, cujus nemo Anatomicorum mentionem fecit. Quia verò ex uno singulari inductio fieri nequit, & ego tam diligenter in reliquis non inquisivi, nihil temerè affirmo. Vnũ adhuc operæpretium erit, ut ad te scribam, quod in juvenculo quodam fure reperimus, Anastomoses scilicet venæ cavæ, & Arteriæ venosæ; item canalem ex arteria magna ad venam arteriosam, quæ omnia magũ fuerunt conspicua, quàm in infante recens edito, quem etiam nuper secui. In hoc infante & de urachio periculum fecimus, quem ego semper putavi cum Paræo ad diducendam urinam non servire, tum quia non hiat in Amnion, in quam urinam effundere debebat, tum quia perforatus non est, quod vel ex inflatione vesicæ patere potest. Hoc ego jam quinquies in fœtu humano expertus sum, & propè est, ut inductionem facere audeam, modò tuum judicium consentiat, quod ego in hac re habeo instar multorum argumentorum, quippe cum tibi id genus multa experiri quotidie detur. Scriberem de rebus multis aliis Anatomicis, nisi te occupatissimum ulterius occupare erubescerem; & nisi vererer, ne minus bonam apud te inirem gratiam. Dn. Offredus ad proximas etiam suas tuam expectat responsionem, & ego unà cum ipso scire desidero, num puella illa, quæ tam diu somno & cibo abstinet, adhuc vitam trahat? Vale Vir clarissime, meæq; ignosce temeritati, qui quamvis penè incognitus tam audacter ad te scribo. Sed ita jus esse inter homines doctos ab initio didici, ut quibus cum coràm amicitiam conflare non possint, tot tamen per literas sibi conciliare non prohibeantur; imò hoc literatorum privilegium quam maximum esse puto; nisi fortasse in eo erro, quod alios ex meo æstimem ingenio; quippe qui nihil mihi prius unquam duxi, quam doctissimorum virorum, quibus te merito tuo annumero, familiaritatem & amicitiam per literas alere. Vale iterum. Scriptum Genevæ die 5. Aprilis Anno 1607.

Ossa Ilei ab osse sacro distracta in puerpera.

Anastomoses venæ cavæ, & arteriæ venosæ, in cadavere adulti admodum conspicua. Vrachi usus.

EPISTOLA XLVI.

Clarissimo & præstantissimo Viro

Dn. HENNINGO ARNISÆO,

Medic. Doctor.

Guilh. Fabricius Hildanus, S. P. D.

Respondetur epistolæ præcedenti.

NUllas à te accepi literas, Vir clarissime, præter eas, quas quinta Aprilis Genevæ dedisti, quæque decima nona hujus mensis ad me pervenerunt. Ad Dn. Slezeri literas, quas simul ad me misisti, hodie per amicum quendam, qui Lugdunum iter suum instituit, respondi: quocirca hac de re ne sis solicitus velim. Quæ communicasti Anatomica, mirum in modum arrident, multumque diligentiam tuam laudo. Quod autem ex me scire appetis, quomodo Parenchyma hepatis, aliorumque viscerum, quæ in musæo meo vidisti, separaverim, ut tandem vasa omnia nuda conspiciantur, scias me multis variisque modis separationem hanc hactenus tentasse: atq; nunc aquam saponis, nunc aquam, in qua calx viva extincta fuerat, adhibuisse, sed parvo cum fructu. Tandem alium inveni modum. Macerato enim viscere aliquo per horam in aqua calida, baculo ipsum aliquantum concutio, parenchymaque contero: postea scalpello, aliisque instrumentis ad hoc negotium aptis, parenchyma undique à vasis blandè abrado; quæ postea, ut in umbra exsiccentur paulatim, repono.

Disjunctionem ossis pubis mihi hucusque observare non licuit, etiamsi sæpissimè in laborissimis difficilimisque partubus adhibeor, & eâ, quâ possum diligentiâ omnia explorare, annotaréve studeo. Ossa verò Ilei ab osse sacro in difficili partu aliquantum distrahi, facilè concedo: quia verò Autopsia omnium rerum certissimus judex existit, neque clarissimi Dn. D. Bauhini, neq; tuas hac de re observationes in dubium voco: rarissimè tamen hancce disjunctionem accidere, ausus sum affirmare.

Quod ad Urachum attinet, planè cum Arantio & Baubino sentio, illum in fœtu humano non esse pervium; sed ligamentum tantum, cujus beneficio vesica peritonæo alligatur, atque suspenditur. Ego hactenus in multis & diversarum ætatum embryonum cadaveribus summâ diligentiâ urachum perlustravi, sed nunquam perforatum reperi. Paræus libr. 3. cap. 35. hujus quoque est sententiæ: libro tamen de generatione hominis videtur sibi ipsemet contradicere. Sic enim scribit cap. 12. Infans materno alvo conclusus, urinam cum primum partium integram conformationem adeptus est, reddere incipit per umbilici ductum, seu urachum. At instante partus tempore, occluditur urachus, tumque masculus per penem, fœmella verò per uteri cervicem urinam deponit. Hæc Paræus. Ego tamen in cadaveribus embryonum, & duorum & trium quatuórve mensium veritatem hujus opinionis observare non potui. Scio quidem Dn. Bartholomæum Cabrollium Chirurgum celebrem maxima cum dexteritate puellam, cui collum vesicæ clausum erat, quæque urinam per umbecillum (qui instar cristæ galli Indiani propendebat) quotidie excrevit, sanitati restituisse, atque inde forsan occasionem urachum pervium constituendi, sumpsisse: sed ex uno particulari exemplo nihil concluditur. Ludit enim aliquando natura, ordinémque invertit. Sed de his aliàs plura. Vale vir clarissime, & feliciter vive diu. Raptim Paternaci Avent. 24. Aprilis 1607.

EPI-

47. ## EPISTOLA XLVII.

HERMANNUS LIGNARIDUS,

S. S. Theologiæ in Gymnasio Bernensi Professor ordinarius, viro pietate, doctrina, & rerum usu ornatissimo

Dn. GUILHELMO FABRICIO HILDANO, populari, & Amico dignissimo.

S. P. D.

Historia admirandæ sanationis, quam perscribi ad te sæpius petiisti, amicissime, præstantissimeq; D. Fabrici *ita se habet: Decumbebat fortè in urbe Electorali, tetricus, ac maledicus quidam podagrâ laborans; Qui una cum corporis morbo, animi vitia retinens, quantumvis lecto affixus, maledicentia tamen incurrebat in omnes.*

Sensit id quidam homo festivus, qui & ipse podagrici petulante lingua tæsus fuerat: proinde sub crepusculum vespertinnm, cum fortè ægrotus à familia solus esset relictus, clam ædes ipsius larvatus AEthiopis instar ingreditur: gradus conscendit, cubiculum aperit; Graduq; suspenso ad decumbentis lectulum accedit. Hinc ægrotus forma insolita, solitudine, crepusculo ipso perterritus, voce contentiori, quis sit, cur, & unde veniat, quærit. Alter nihil respondens, pede silenti, tardoq; lectulum propius accedit: tum brachiis, quæ & ipsa morbo nodoso laborabant arreptum, dorso injicit, atque ita pendentem, vociferantemque extra cubiculum effert, pedes illius gradibus, per quos descensus erat, identidem illidens. Vbi in areæ pavimentum ventum esset; ibi onere deposito, hominem sistit in pedes, nihil locutus, tantum intuens. Mox accurrit, quasi correpturus denuo; atque extra domum elaturus. Ibi, qui prius pedibus insistere præ morbo non poterat, nec in plano quidem ambulare, nedum per gradus ascendere, gradus cursu repetit, superat, ad cubile condentit, & per fenestras clamore totam viciniam excitat. Accurritur ille anhelus, & metu pene exanimatus commemorat, à spectro se lectulo extractum, extra cubile elatum, tractatum miserrimè: nisi nomen Iesu ingeminasset, de se actum omninò fuisse. Factum mirantur omnes; maximè quomodo, qui prius usu pedum privatus fuerat. iisdem insistere, ac per gradus evadere potuerit? Quid fit? qui prius Podagricus, inde convalescit; nec unquam postea Podagra fuit tentatus. Res certa, atque explorata, at non perinde certum quænam sanationis hujus proxima & per se causa sit: nisi fortaßis dicere libeat illud vestrorum, contraria contrariis, *ideoque sic doloribus metuque Arthritidem propelli, quemadmodum gaudio intemperato, voluptatibusque vocatur. Dolores dico, qui non sunt ipse morbus. Sed quid ego talia, quæ spartæ meæ non sunt, & quidem ad* Fabricium, *qui & in hac & aliis similibus causis scrutandis judicio accurato, & pene singulari est Vale mi popularis, & amice nosq; quod facis ama. Bernæ 4. Decemb. 1607.*

EPISTOLA XLVIII.

Reverendo atque clarißimo viro

Dn. HERMANNO LIGNARIDO,

SS. Theologiæ D. atque Professori in Gymnasio Bernensi.

Guilhelmus Fabricius Hildanus,

S. P. D.

Epist. 48.

Respondetur epistolæ præcedenti.

QUæ misisti vir Reverende, Domine & amice perpetuo colende, rectè accepi omnia. Historia quam communicare libuit, mirum in modum placet: est etiam rara, nec admiratione vacat: neque facilè quæ Arthtiditis hujus fuerit sanationis caussa, investigare licet. Dicam tamen postea, quid sentiam. *Ancello* Commissario Lausannensi idem ferè accidisse memini. Ante annos enim aliquot, cum noctu, nescio qua de caussa Campanâ ad arma vocatum esset, omnesq; concurrerent, ille Ancellus, qui prius propter dolores Arthriticos vix pedes movere poterat, protinus è grabato surgit, & pedes arcem, veluti refugium petit. Postea tamen morbus rediit, qui & ad finem vitæ suæ ipsum comitatus est.

Observat.

Timor atque formidatio mortis hic in caussa esse potuit: sæpè enim mihi observare licuit, ut hi quibus membrum aliquot amputandum aut dens extrahendus erat, ante, & in ipsa operatione dolorem vix perciperent: Quandoquidem mens hominis à timore adeò afficitur, ut dolorem minimè discernat. Duobus inquit *Hippocrates* doloribus simul, nec eundem locum occupantibus, vehementior alterum obfuscat. Vis enim sensibilis tota, teste *Galeno*, ad vehementiorem abducitur, distrahiturque. Nam (addit *Galenus*) & hoc nobis in mœroribus solet accideri, qui sunt & ipsi veluti dolores quidam, solius animi sine corpore. Mens itaque sive interna facultas in iis, qui maximo aliquo timore, ac metu corripiuntur, aliquomodo laborat; mirum itaque nemini videri debet, si dolor in externis partibus hinc obscuretur, & ferè non sentiatur: quod idem *Hippocrates* lib. 2. aphor. 6. *Quicunq; inquit, parte aliqua corporis dolentes, dolorem ferè non sentiunt, iis mens ægrotat.* In meticulosis tamen, cum timor transit, doloris sensus paulatim redit.

Libr. 2. aphor. 46. Com. 46. lib. 2. aph. Hippocr.

In historia verò, quam communicasti, præter timorem, violenta quoque intervenit articulorum extensio, agitatio, atque dilatatio. Cæterùm quia propter timorem spiritus, & sanguis, ut *Galenus* de symptomatum causis lib. 2. docet, intus sese recipiunt, facilè fieri potuit, ut postea copiose ad articulorum acetabula, jam antea propter concussionem, agitationem dilatata, confluxerint, ibique materiam morbificam, quia nondum in tophos compacta fuerat, evacuaverint: Eodem modo, ut eos, quorum observatione 79. Cent. 1. fit mentio, tortura violenta, ab Arthritide curatos fuisse, arbitror.

Porrò pro reticulo sive calantica transmissa gratias ingentes ago, oblata occasione, ut gratum me præbeam, operam dabo. Est profectò res apud nos rara. Filum enim ex quo contexta, non sericum, multominus Carbasus est; Sed ex corticibus cujusdam arboris apud Indianos, præcipuè in Insula Zebut crescentis, & eorum idiomate Cocos appellatæ, confectum esse planè sentio. Filum hoc si prunis injiciatur, odorem aromaticum ex se reddit, quod neque sericum, neq; carbasus, minus lana faciunt. Varia, atque inter se contraria (ut *Salustius Gomara*, item *Iohann. Hugonis* in itinerario suo cap. 56. referunt) omnia tamen

De arbore in India Cocos dicta.

Epist. 48. & 49.

tamen incolis summè necessaria & saluberrima ex arbore ista præparantur. Ex uno enim eodemque fructu, uno eodemque tempore nunc oleum nunc saccharum, aut acetum, prout incolis libet, atque diversas præparationes adhibent, provenit. Quinetiam arbor ista, si ad radicem perforata fuerit, liquor inde effluit pretiosissimus & saluberrimus, quo incolæ loco vini utuntur. Ex corticibus præterea cõbustis, & in pollinem redactis, medicamenta ad profligandos morbos saluberrima, iisdem autem corticibus contusis filum inde, cannabino fortiorum conficiunt. Quid plura? videtur arbor ista naturæ esse miraculum, & Creatoris tale opificium, ut illa sola ad sustentationem vitæ humanæ sufficeret. Vale vir reverende, & perpetuò mihi honorande, cum lectissima tua conjuge, totaque familia, quam tecum ego, & uxor mea salutamus peramanter. Paterniaci Avent. 14. Januarii 1608.

EPISTOLA XLIX.

Viro reverendo ac doctissimo

Dn. HERMANNO PHRYGIONI, verbi divini ministro fidelissimo.

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D,

EPistola tua, reverende mi Dn. frater mœrore maximo me affecit, non tantum illam ob causam, quod de adversa tua valetudine me certiorem fecerit, verumentiam, quod loca nos adeo sejungant, ut debitum officium meum tibi præstare non possim. Utinam huc venire, & ad tempus apud nos mroari velles: nec dubito, quin mutatio illa aëris multum ad sanitatem recuperandam tibi conduceret: quandoquidem te in salubriori aëre Germanico educatum, maritimis illis locis, vix sine noxa uti posse, sat scio. Habes hic amicos quãplurimos, inprimis optimum, & charissimum parentem tuum: quid ei gratius & optatius accidere posset, quam si huc venires? Veni igitur mi frater, gratificare amicis, & consule sanitati tuæ. Interim autem dum te expectamus, quid de morbo tuo sentiam, & qua methodo in ipso procedendum erit (quia id à me expetis) paucis aperiam. Primò autem, quia morbus, quemadmodum ex literis tuis percipio, defluxus est humorum acrium, qui continuò à capite ad pectus defluunt, illi ut ad alia loca divertantur inprimis necesse erit. Secundò cerebrum, quod debile, & humidum habes, corroborandum. Tertiò ventriculo prospiciendum quandoquidem humiditas illa cerebri ex parte propter consensum stomachi cum cerebro tibi accidit. Quia n. in coquendis cibis non satis validus, cibum diutius, quàm deberet, retinet: hinc multæ procreantur cruditates, quæ propter hepatis tui intemperiem calidam facilè ad caput elevantur. Inprimis itaque ne ventriculus, cibo ac potu gravetur, danda est opera. Sumantur ergo cibi, qui facilè concoquantur, multumque nutriant, & pauca excrementa procreent, qualis est caro recens castratorum, boum, & avium in arboribus degentium. Caro verò ferina, porcina, boum; sale condita, & fumo exsiccata, pisces item & avium aquatilium caro, summoperè tibi nocent. In jusculis carnium recentium coquantur hordeum mundatum, avena decorticata, flores, & folia rosmarini, salviæ, majoranæ, thymi, & similia. Conveniunt & ova recentia & sorbilia. Aromata veluti piper, zingiber, cardamomum, cary ophylli, sinapi, omniaque, quæ insigniter calefaciunt, propter hepatis tui intemperiem calidam nocent. Cinnamomo tamen, nuce muscata, mace, quia partes nobiles roborant, neque nimis calefaciunt, aliquando uti poteris. Omnia cruda legumina, caseus & lacticinia omnia, præter butyrum, nocent. Vinum sit album purum antiquum, neque nimis generosum, quale est Rhenale: reliqua, quale est vinum Hispanicum & Gallicum, non usque adeo conveniunt, sunt enim nimis vaporosa. Cerevisia quoque nimis generosa nocet: mediocris itaque bene cocta, quæ tamen neque nimis antiqua, neque acida, est eligenda. Acida enim omnia pectus coarctant, expuitionemq; impediunt. Mulsum quoque, in quo prassium, hyssopus, scabiosa, agrimonia, veronica, & botrys coxerint, mirum in modum tibi convenit. A cibo ea, quæ stomachum corroborant, & os ventriculi constringunt, sumantur: hujusmodi autem sunt miva cydoniorum sine speciebus, conserva rosarum ãtiqua, coriandri præparati, & pulvis pepticus, cujus hanc meam descriptionem hic adscribere placuit.

Distillationis ad pectus curatio. *Victus ratio.* *Ventriculum [roborantia].* *Pulvis pepticus.*

R. Panis albi tosti ℥ ij.
Pulpæ cydoniorum exsiccatorum
Cinnamomi optimi
Ventricul. gallinarum
Seminis anisi &
Coriandri præparati ana ℥ ij.
Sacchari ad pondus omnium
Misce & fiat pulvis crassiusculus.
Sumatur cochlear statim à pastu.

Intemperies hepatis, quomodo temperanda. Expectorantia.

Intemperiem hepatis temperandi gratia poteris aliquando uti tabellis Diarhodonis Abbatis, & inungere regionem hepatis unguento Sandalino. Ut autem humores, qui in pectus labuntur possint concoqui & expui, necesse est, ut continuo aliquid, quod humores acres incrassat, sputumque facilitat in ore teneas: hujusmodi autem sunt syrupus de liquiritia, de hyssopo, de polytricho, Loch sanum & expertum, Loch de pulmone vulpis, & similia, quæ à Medico vestro præscribi poterunt. Loch botryos in pectoris affectibus præstantissimum est, ideoque ejus descriptionem tibi comunicare non gravabor.

Loch botryos.

R. Succi botryos
Scabiosæ
Veronicæ
Tussilaginis ana ℔ ß.
Cremoris hordei ℥ iij.
Sacchari miscellanei ℔ ß
Coquantur ad consistentiam syrupi: adde deinde.
Specierum diaireos simpl. ℥ ß.

Pulve-

Pulveris seminis Anisi tenuissimè cribrati ℥ ij.
Sulphuris benè præparati, aut florum sulph ℥ j.
Misce, fiat eclegma.

In usu autem horum medicamentorum hæc observare oportet: nimirum ut supino jacente corpore, paulatim lambendo deglutiantur. Corpore enim supino jacente, gula clauditur, aspera verò arteria retegitur, & medicamentum facilius ad pulmonem pervenit.

Pectus quoque singulis diebus ad minimum bis sequenti unguento inungendum est.

R. Unguenti Dialthææ ℥ ij.
Ol. Amygdalar. dulc.
Lilior. alborum
Pinguedinis caponis &
Humanæ ana ℨ ß.
Croci ℈ j.
Misce, fiat Unguentum

De purgantibus medicamentis nihil addo, sed præsentis Medici Dn. D. *Hermanni Hagij* judicio relinquo. Interim tamen seriò te admoneo, medicamenta purgantia tibi non usque adeò cōvenire. Corpus enim tuum jam à morbo extenuatum debilitatumque, ab usu purgantium medicamentorum magis debilitaretur.

Quod si alvus aliquando nimis constricta fuerit, exhibeatur enema, aut suppositorium, vel ad uncias duas mannæ in decocto pectorali, aut jusculo carnis dissolutæ: convenit & ℥j syrupi rosati solutivi compositi cum rhabarbaro, agarico, & sena, in decocto pectorali dissoluti.

Porrò quia cerebrum tuum propter multas vigilias, labores, studia & frequentem aëris mutationem debile redditum, vapores, qui ex stomacho elevantur, facilè excipit, corroborandum est. Corroboratio autem illa tum ex victus ratione, tum ex admotis medicamentis, sed præcipuè ex diversione quadam catharrhi petenda est. De victus ratione antea dictum est. Corroborant quoque cerebrum conserva florum betonicæ, salviæ, majoranæ, rosmarini, pœoniæ & similia. Cucupham quoque pro capitis corroboratione ex herbis capitalibus, mastyce, styrace, calamita, benzoin, & similibus præparari jubeo.

Diversionem catarrhi in te præcipuè fonticulis fieri convenit, quos & in tuo affectu non satis laudare possum: quandoquidem eorum beneficio semi phthisicos, qui sanguinem simul & pus exspuebant, sanatos fuisse, his meis vidi oculis. Humor enim acris, qui ex capite ad pectus defluit commodè per eos evacuatur. Suadeo igitur, ut duo cauteria potentialia tibi applicari cures. Primum apponatur brachio sinistro, ad finem musculi brachium attollentis, quem alii Deltoidem appellant, & à Vesalio prima musculorum tabula K. notatur. Hic fonticulus ex cerebro præcipuè, simul & nonnihil ex pectore evacuabit. Eo enim in loco musculus ille prædictus deltoides, & musculus brachium pectori adducens, ideoq; pectoralis dictus, & in prima musculorum tabula L. in tertia verò Δ à Vesalio notatus, concurrunt. Ramus præterea venæ cavæ, quem vocant, cephalicam venam, eo in loco, non procul abest.

Epist. 49.

Est & alia ratio, cur locus ille ad fonticulos sit aptissimus, nimirum quia musculus anterior cubitum flectentium, qui à quibusdam biceps appellatur, & à Vesalio prima musculorum tabula. Q. notatur, cum subter pectoralem musculum ad latus deltoidis adscendit, depressionem, aut veluti foveam quandam in brachio efficit, cujus beneficio ea, quæ fonticulo apponuntur fasciâ, parvo cum negotio retinentur.

Cæterùm etiamsi locus prædictus sit aptissimus, habitus tamen corpusculi tui perpendendus est: Si enim, uti olim te cognovi, extenuatus fueris, causticum non eo, quo dixi, loco apponendum est. Deltoides enim musculus, uti quoque pectoralis ibi desinunt, partemque valde sensilem efficiunt: Paulò itaque infra foveam, aut depressionem prædictam, quæ est in superiori parte brachii, nimirum in anteriorem cubitum flectentium musculum, quem antea cum aliis bicipitem vocavi, quique apud Vesalium musculorum tabula prima Q. notatur, apponendum est causticum; ita tamen, ut è regione depressionis prædictæ fiat, ne fasciæ facilè decidant.

Fonticulus in crure ubi applicādus.

Alterum cauterium sub genu dextro, & sexto quidem tibiam moventium musculo, à Vesalio tabula prima musculorum Z. notato, apponatur, trium digitorum in latitudine positorum spatio infra genu: ubi cavendum, ne coarticulatio fibulæ, cum tibiæ osse tangatur: enascuntur enim illo in loco musculus ille sextus, simul & quartus, qui & circa eorum exortum commune habent ligamentum validum, & nervosum, quod caustico minimè tangendum: propter varia, quæ inde possint oriri, symptomata. Fonticulus ille humores noxios evacuando, hepar rectificabit, intemperiemque ipsius calidam corriget. Ea enim in parte insignis ramus venæ cavæ ad tibiam descendit. Olim cum Genevæ tua familiaritate utebar, sæpissimè de scabie & ulceribus tibiarum conquerebaris. Iam audio crura tua jamdudum fuisse curata: putasne excrementa, quæ olim ad crura descendebant, jam ad alia loca verti? Fonticulus igitur hic in tibia excrementa ex hepate evacuabit: hinc hepar aliquo modo refrigeratum minus mittet vapores ad cerebrum. Ne autem quicquam in hoc negotio tibi desit: en ad te mitto nonnihil de caustico meo indolorifico & specifico, cujus ad magnitudinem pisi brachio, totidemque cruri, jejuno stomacho, instrumento argenteo, quod simul mitto, incluso applicari, & emplastro aliquo tegi, fasciaque ligari curabis. Operationem quatuor horarum spacio sine periculo, imò & sine dolore atque molestia perficiet, escharamque inurent, quæ postea applicatione butyri recentis, aut unguenti basiliconis per se excidet. Aut

Fonticulus in tibia dextra ex hepate evacuat.

Unguentū ad casum eschra.

R. Butyri recentis ℥ij.
Ol. amygdalar. dulcium ℨj.
de vitellis ovorum ℥ij.
Mucilaginis seminis cydoniorum
Aqua rosacea extractæ ℨ. ß.
Croci ℈j.
Vitellum unius ovi
Misce, fiat linimentum.

Quod si centrum escharæ secundo aut tertio

Epist. 49. & 50. tio die scalpello exscinderetur, maximè esset consultum: solent enim nonnunquam humores affluentes, nisi eschara excisa fuerit, dolorem excitare.

Fonticuli quomodo aperti tenendi. Post casum escharæ singulis matutinis, fonticulis imponi debet pisum, & applicato folio hederæ arboreæ, linteamini, aut chartæ bibulæ involuto, fascia amplectendum est membrum: sic apertos tenebis fonticulos, quam diu volueris. Eja igitur, mi frater dilectissime, sis animo forti, & hanc viam & curandi methodum suscipe; si id feceris, sanitatem, Deo dante, recuperabis. Ego Deum Opt. Max. oro, ut remediis benedicat, quò brevi amissam sanitatem recuperare possis. Vale & ad nos propera. Coloniæ 4. Novemb. 1598.

EPISTOLA L.

HERMANNUS PHRYGIO, clarissimo Chirurgo & Medico fidelissimo Dn. GUILHELMO FABRICIO HILDANO, amico veteri S. P. D.

Clarissime mihiq; amicissime Vir, ago tibi gratias maximas pro officiis, donis, consiliis & benevolentia in me tua singulari & summa, quam literæ tuæ humanissimæ testantur admodum luculenter, imò res ipsa. Meum porrò est, ubi ubi occasio sese dederit, & voluntati facultas non defuerit, etiam cum fœnore, quam debeo referre gratiam. Annuat modò votis summus ille Pater. Cæterum de morbo meo rectè divinasti, & rem, ut dicitur, acu mihi tetigisse videris. Planè persuasus sum, Deum Opt. Max. qui post longam bonitatis suæ tolerantiam tandem in peccata mea clementer voluit animadvertere, immisisse mihi nuncios iræ suæ ineunte hyeme, vel sub finem autumni, flatus noxios, qui cerebrum meum naturâ humidum supra consuetudinem ferirent, atq; inde molestissimum hunc & periculosissimum defluxum in pulmones extare. Iam tu suades defluxionem catarrhi in partes corporis minus periculo obnoxias. Vtinam id jam pridem factum esset. Sed serò, ut vulgò ajunt, sapiunt Phryges. Sed sunt alia, quæ me premunt mala, corpusculi agnati imbecillitas aucta per ataxian, & intemperantiam vitæ à teneris unguiculis; Vnde quia mores abeunt in naturam, ne nunc quidem servare possum præcisè illam, quam tu & Medicus noster præscribitis diætam & victus rationem. Taceo alia incommoda, quæ mihi proveniunt ex solitario hoc meo cælibatus statu, ex anni tẽpore adverso, ex habitatione minus propitia, præter ea, quæ me latent. Literas ego tuas, ut & libros scientiæ atq; καλλορθωμάτων *tuorum monumenta cum Doctore nostro Medico communicavi, quem in singulas horas exspecto. Est is Dn. Carolo Utẽhovio notus, ex familia* Wierorum *Vir bonus & pius suamque artem feliciter exercens, mihique haud parum addictus,* Hermanno Hagio *nomen est. Sed mea hactenus potius factum est desidentia, quàm ipsius desidia, & incuria, quod non sum curatus. Spero Deum pro sua misericordia me respecturum, & quomodo vel per invia viam reperturum, ad caussas morbi mei tollendas, ut effectus cessent. Interea ut rectè admones, serviunt hæ castigationes, mortificando veteri nostro Adam, qui mirum cogitatu, quam latè & profunde serpit, per omnem hominis vitam. Discamus mori, & humiliter sapere in Domino, mundoque renunciare, & nobis ipsis: Hæc verò certissima nostra erit vita, victoria, & gloria triumphalis in æternum, virtute spiritus Domini nostri Iesu Christi, cui ego te, mi frater charissime, cum tuis omnibus unicè commendo. Salutem etiam adscribo Dn. Vtenhovio, Dunckio, Quado, aliisq; bonis Viris, & communibus amicis. Festinanti calamo 4. Ianuarii 1599.*

EPISTOLA LI.

Ornatissimo Viro, DOM. JACOBO GUY Pharmacopœo apud Neocomenses experientissimo, Amico singulari,

Guilhelmus Fabricius Hildanus, S. P. D.

Literæ tuæ, præstantissime Dn. Guy amicorum optime, gratissimæ fuere. Casus quem communicasti, reverà admiratione non vacat, cum maximæ pulmonis istius facultatis attractricis indicium existat. Incidi nuperrimè in Chirurgiam cujusdam Parisiensis Chirurgi celeberrimi Pierre Pigray nomine, qui non absimilem recitat casum, quem quia forsan non vidisti, brevibus recensebo. Miles quidam, inquit, ictu Sclopeti in thoracem vulneratus, post tres, aut quatuor menses à curatione, fragmentum costæ crassum satis, & tres digitos longum per asperam arteriam rejecit. Convaluit, neque ullo deinde symptomate conflictatus fuit. Hactenus Pigray.

Ego superiori anno Genevensem Estiene Juvenon nomine, ulcere sinuoso, & putrido, circa scapulam, humerumque dextrum laborantem, curandum habui, cui in sinu quodam ulceris turundas duas ex spongiis præparatis factas (procul dubio propter motum musculorum pectoris eò attractas) inveni. Sed de casu isto, brevi fusiùs ad te scribam, nunc non vacat. Raptim Paterniaci Aventicorum 10 Febr. 1605.

EPISTOLA LII.

Idem ad eundem.

Gratæ mihi fuerunt literæ tuæ, vir ornatissime, propter subjectum, quod tractant. Rarus enim est, & gravis casus ille, quem describis: Pulmonem namque vulneratum fuisse, non est, quod dubites: id enim symptomata, quæ commemoras, satis denotant: hinc turundæ, quia capitatæ non erant, nec filo annexæ, facile ad pulmonem pervenire potuerunt. Tanta enim est pulmonis attrahendi vis, ut injectam in pectus mulsam propter abscessum, & cariem ossium ad se attrahere, & per sputum excernere posse, *Galenus* observarit. Refert *Ambrosius Paræus*, cum in quodam in thorace vulnerato, injectione ex aqua hordei, qua centauriũ Absinthium, & Aloë incoxerat, usus fuisset, inde maximam amaritudinem oris, & faucium ortam esse. Memini, me præsente clarissimo viro Dn. D. *Esaja Colladone*, apud Genevenses Medico celeberrimo, in privata dissectione

Resp. ad obs. 46. c. I. *Historia admiranda.* *Observ.* *Turundæ duæ ... ...* *Pulmo læsus.* *Meth. Med. lib. 10. Observ. Ossicula vertebr. ... in pulmone reperta.*

one officula quamplurima vertebrarum cariosarum in media substantia pulmonis invenisse. Res profectò miranda: Quamvis enim pulmo membrum sit molle, laxum ac spongiosnm, officula verò undique aspera, propterea facilè adhærere possint, eo usque tamen propter continuam attractionem pulmonis, in Diastole pervenerunt. Sic etiam pulmo vulneratus turundas ad se per ipsum vulnus paulatim ad ductum aliquem asperæ arteriæ attrahere, & per tussim ejicere potuit. Musculos quoque ad respirationem servientes illa facultate attrahendi non omnino carere, superiori anno in quodam Genevensi, *Stephano Iuvenonio* nomine observavi. Is deploratis, sinuosis, & cuniculosis, (ut vocant) ad dextram claviculam, & homoplatam, ex ictu sclopeti ortis ulceribus laborans, ad me venit Paterniacum. Immisso stylo exploratorio turundas duas ex spongiis præparatis confectas in profundo ulcerum (ubi ultra menses duos delituerant) inveni, & præsente reverendo D. *Merula* hujus Ecclesiæ Pastore fidelissimo extraxi: Chirurgus enim quia filum eis non annexerat, ut solemus in magnis & cavis ulceribus, facilè propter motum musculorum pectoris, in sinum ulcerū delabi potuerunt. postea ossibus nonnullis cariosis exemptis, & mūdificatis ulceribus, Dei beneficio, optimè convaluit. Id præterea in hac curatione notatu dignum occurrebat, primò quod ichor ille fœtidissimus, qui ante perfectam mundificationem ulcerum effluebat, adeò acris, & malignus esset, ut ubicunq; instrumenta mea argentea attingeret, ea nigra efficeret. Deinde quotiescunque æger sibi dentiscalpio dentes purgare & expolire vellet, dentiscalpium non aliter, ac si atramento intinctum fuisset, inficiebatur. Idque ego hinc evenisse arbitror, quod pulmo continuò ex ulceribus & spongiis iis inclusis aliquid virus illius acris & maligni attraxerat, quod postea per asperā arteriam & os expirando, gingivis, & dentibus inhæserat. Fœtor enim ingens oris similis erat fœtori ulcerum. Mundificatis ulceribus, purgatoque corpore, fœtor oris, & ulcerum simul cessarunt. Præterea retulit nobis, Chirurgum, qui eum antequam ad me veniret, per menses novem curandū habuerat, aliquoties aquam acerrimam & causticam, maximo cum dolore & cruciatu ulceribus infudisse: illa quia procul dubio ex vitriolo, alumine, viridi æris, aceto & similibus confecta fuerat, haud difficulter à musculis thoracis absorberi, & à pulmone attrahi, posteaque per arteriam asperam ad gingivas, dentesque pervenire, & dentiscalpium inficere potuit. Ex his facilimè videre est, quomodo turundæ ad pulmonem, & deinde ad os pervenerint. His vale vir ornatissime, & amicorum optime, & me tuum cense, Paterniaci Aventicorum 22. Febr. 1605.

EPISTOLA LIII.

Amplissimo atq; doctissimo

Dn. D. JACOBO MOCKIO

in Academia Freiburgensi Medicinæ Professori longè celeberrimo & Primario,

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

Epist. 53.

ANte dies quindecim tuas, Vir amplissime, accepi literas: sed quia eadem die Solodurū ad illustrem ac Generosum Dominum *Eustachium de Refuge* Legatū Regium vocatus eram, & quem à me expectas librum Domini *Penoti* ad manus minimè habebam, ad tuas respondere maturius non potui. Nunc verò oblata occasione tractatum istum Domini *Penoti* viri pii, & inter Chymistas magni nominis, mihique amici, dono ad te mitto. Si qua alia in re tibi inservire possum, aut potero posthac, audacter ut imperes, velim atque obsecro. Clarissimus Dn. D. *Ianus Antonius Sarazenus* Medicus Regius, qui mihi familiarissimus fuit, quemque adhuc superstitem esse putas, proh dolor, ante annos sex piè in Christo obdormivit, maximo cum familiæ Medicæ totiusque rei literariæ dispendio. Quantum præstiterit in *Dioscoridis* castigatione, vidisti procul dubio. Perierunt cum ipso, ut ego quidem vereor, præclara nonnulla scripta. Liberos reliquit plurimos, ex quibus secundo natus, *Philibertus* nomine, Medicinam Lugduni maxima cum laude exercet: ille, si vellet, ex scriptis paternis multa utilia atque bona in lucem dare posset: idque, ut faciat, ego quantum potero, ipsum monebo. Eundem *Sarazenum* de chorea S. Viti lib. de peste cap. 1. scripsisse, rectè annotasti; Sed de hoc affectu Dn. D. *Felix Platerus* libro suo praxeos capite (si rectè recordor) quarto, de mentis alienatione multò prolixius agit. Dn. *Griffonius* similiter ante annos tres Lutetiæ obiit: fuit is Chirurgus longè excellentissimus. Ante annos viginti familiariter cum ipso vixi quatuor circiter annorum spacio, fuitque mihi in re Chirurgica Præceptor fidelissimus. Descriptionem unguenti, cujus mentionem facis, non vidi. *Sinovia* unde deducta sit vox, ignoro. *Iosquinus Dalhemius Ostofrancus*, qui *Paracelsum* latinè reddidit, primæ partis Chirurgiæ magnæ tract. 2. c. 11. & *Felix Wirtz*, olim Chirurgus Basiliensis sub ea voce das Gliedwasser intelligunt. Idem *Paracelsus* Chirurgiæ suæ magnæ lib. 6. & *Felix Wirtz* in Germanico quodam libro Basileæ impresso, vocabulo *Oppodeltoch* utuntur, & sub ea voce emplastrum, cujus apud ipsos quoque extat descriptio, intelligunt. De Spagirico, ut monuisti, apud seniores nostros inquisivi. Fuit is Medicus Paterniacensis *Vignerius* nomine, qui postea in Galliam revocatus, & Historiographus Regius factus, rem historicam scriptis nonnullis ornavit. Ipsi hic in officio successit Dn. *Sterpinus*, insignis quoque Chirurgus, qui tandem Lausannæ è vita discessit. Plura nūc non licet propter occupationes circa illustrem ac generosum Dn. Legatum. Vale itaque Vir amplissime, & feliciter vive diu. Soloduri raptissimè 24. Aprilis 1608.

Sinovia quid?

EPISTOLA LIV.

Præstantissimo Viro,

DN. JACOBO PROBO

Pharmacopolæ apud Viviacenses vigilantissimo atq; exercitatissimo.

Epist 54. & 55.

Guilhelmus Fabricius Hildanus,
S. P. D.

GRatæ mihi fuerunt literæ tuæ, Vir ornatissime, sed pergratus fuit allator Clarissimus Dn. D. Aubertus, Medicus vester celeberrimus. Hactenus eum de nomine tantùm cognoveram, & ipsius familiaritatem mihi optaveram: jam tuo beneficio eum de facie agnosco. De morte, & mortis genere honestissimæ matronæ N.N. vicinæ vestræ summoperè doleo. Audivi enim ex Dn. D. Auberto, ipsam totos sex dies parturientem, ac tandem fœtum in ipso utero mortuum imò semiputridum fuisse. Profectò genus mortis miserrimum, & dolorificum: sed Deo ita visum est. Mirarer, quod maritus me non accersiverit, cum sciat, me in extractione fœtus mortui aliquam habere experientiam, & cum Lausannæ, tum in vicinia cum honore & fructu ægrotantiũ hanc operationem fecisse; mirarer, inquam, nisi eum hominem rusticum avarum, & scientiarum contemptorem cognoscerem. Ego expertus loquor, quomodo enim ante biennium, cum eandem ipsius uxorem ex periculosissimo vulnere capitis, cum cerebri concussione laborantem, & gemellis prægnantem divino favore sanitati restituissem, sese mecum gesserit, & quantas mihi fecerit molestias, tibi satis cognitum est. Est præterea homo arrogans, & tumidus, qui maluit uxorem periclitari, quam votum suum revocare: quandoquidem cum Bernæ mercedis meæ caussa contenderem cum ipso, præsente Tribuno nostro Iohann. Bondu, & aliis honestis Viris, junctis manibus Deum precatus est, ne sineret illum denuò incidere in meas manus: Exprobratio, quam à Viro honesto in Virum honestum proferre non licet: Ita enim ego de ipso sum benè meritus, ut jurè ipsi semper commendatus, non autem suis convitiis affectus esse deberem: quandoquidem vitam (Dei beneficio, & arte mea, multisq; laboribus) matris & gemellorum servavi: sed

Omninò pertusum ingratus homuncio vas est:
Quicquid in hoc fundis, perfluit, inde perit.

Ego tamen, si me accersivisset, officium meum in tanta calamitate ipsi non denegassem. Plura non licet, propter nuncii festinationem. Vale cum nobilissima & honestissima tua conjuge, & liberis, quos ego meaque uxor salutamus peramanter. Raptim Paterniaci 3. Septemb. 1605.

EPISTOLA LV.

Clarissimo & experientissimo Viro,
DOM. D. IACOBO ZWINGERO,
Basileæ patriæ Medico, ejusdemque Academiæ Professori celeberrimo,

Guilhelmus Fabricius Hildanus,
S. P. D.

LIteras tuas, Vir amplissime, accepi: in quibus ultra meritum me afficis honore, & veluti stimulo quodam ad perficiendas observationes impellis. Utinam facultates & eruditio voluntati, & propenso animo meo, cum ad gratificandum tibi, tum ad illustrandam aliquo modo artem Chirurgicam, respondere possint. Quicquid tamen sit, tibi inprimis vinculo adamantino (ut sic dicam) me obstrictum profiteor. In observationibus, Deo Opt. Max. duce, progredior. Delineationes instrumentorum ante menses duos ad typographum misi; an incidantur, nescio: ab eo enim tempore nihil literarum ab ipso accepi. Cæterùm si affectum illum, de quo scribis, videre (summoperè enim in hujusmodi affectibus requiritur ocularis inspectio) & manu mihi tractare liceret, sedem ipsius invenire, non usque adeò esset laboriosum, ut arbitror. Quicquid tamen ex illa, quam ad me misisti, descriptione, conjicio, libenter dicam. Tumorem hunc ex caussa primitiva originem traxisse, rationi cõsentaneum est: quandoquidem equo dejecta, facilè potuit inde sequi contusio, confluxus humorum, tandemque tumor: qui quia tactu durus est, & doloris expers, forsan aliquid de natura scirrhi contraxit. Ad scirrhi tamen generationem longum requiritur tempus: ideoque si recens est morbus (de tempore enim, quo hoc morbi genere laborat, nullam fecisti mentionem) vix scirrhosis tumoribus erit annumerandus. Sæpissimè mihi occurrunt tumores rotundi, tactu diri, & doloris expertes, in quibus nihil reperitur, præter aquam, quæ durissima membrana continetur. Horum tumorum 8 hujus mensis unum ex abdomine puellæ 9. annorum hic Paterniaci excidi; quæ, laus Deo, convaluit. Oriuntur item tumores ex pituitosis humoribus, qui nihilominus tactu sunt duri. Superiori æstate in matrona Bernensi tumorem ex contusione ortum ad carpum dextrum curavi, qui adeò durus erat, ut ab omnibus scirrhus exquisitus judicaretur. Aperto tumore humorem lardo non absimilem ex eo extraximus, qui aëri expositus intra 24. horas in lapillos concretus est. Membranam quoque postea extraximus densissimam. In hujusmodi autem tumoribus membrana extenditur humore, non secus ac inflata vesica, quæ & tactu dura percipitur, quamvis nihil præter flatum contineat.

De sede autem tumoris, de quo scribis, nihil certi ausus statuere, cum ad id (ut antea dixi) ocularis inspectio sit necessaria. Quia tamen in externa parte abdominis tactu percipitur, & ipsius magnitudo facilè, ut audio, circumscribi potest, utero vix inhærere existimo. Uterus enim dorso incumbit, ossi item sacro, & lumbis annectitur; adeoque intestinis obtegitur, ut in ipso tumores & scirrhi, nisi in maximã magnitudinem excreverint, exterius percipi non possint. Ego in dissectionib⁹ aliquoties scirrhos satis grandes in utero inveni, qui tamen cum in vivis essent, exterius non percipiebantur. De mesenterio idem statuendum. Neque si in vesica lateret tumor ille, facilè perciperetur tactu. Vesica enim mole viscerum intestinorumque sub osse pubis deprimitur; Adeò, ut in ipsa tumores & calculi, quãtumvis magni fuerint, in externa parte ventris nõ appareant, nec manu apprehendi possint. Idq; ego in illa matrona, de qua in observatione ad te scripta, mentionem habui, præsente Dn. D. *Roscio* Medico celeberrimo, diligenter annotavi. Sed & excernendo urinam, maximam pariunt difficulta-

cultatem tumores in vesica: At in illa virgine nulla, aut saltem exigua est difficultas, : ergo nec in vesica statuendus est tumor. In omento scirrhos nunquam, phlegmones aliquoties mihi videre contigit. In ipso tamen omnium generum tumores posse oriri, non dubito; sed exterius vix percipientur. Ante annos quatuor venit Lausannam mulier 30. annos nata, tumore, & magnitudine capitis infantis in sinistro latere sub umbilico laborans, rotundus erat ille, & facilè ex una in alteram partem ducebatur. De hoc tumore multæ variæque fuerunt opiniones. Tandem mortua, per dissectionem à me adhibitam, veritas innotuit. Invenimus enim lienem adeò magnum, ut inferior pars ipsius (quæ in tumorem rotundum indurata erat) ad os pubis ferè propenderet. Vidi quoque tumores, & abscessus inter abdominis musculos, quorum exemplũ unum aut alterum tibi communicare non pigebit. Ante annos aliquot cum clarissimo Dn. D. *Iacobo Auberto* Vindone, Medico celeberrimo, ad matronam, quæ de dolore magno è regione ventriculi aliquantum ad latus dextrum conquerebatur, vocatus fui. Ego tactu tumorem ad latus lineæ albæ sub musculo recto apprehendi, quamvis exterius nihil appareret. Suadebat mecum Medicus, ut cutis & musculus usque ad abscessũ incideretur. Ægrâ verò, & adstantibus, spernentibus consilium nostrum, propterea, quod nullum indicium abscessus ipsis conspicuũ esset, non diu post ad interiora ruptus est abscessus. In vacuum ventris defluxo humore, de novo exorta est febris, lipothymia, & dolor magnus sub umbilico, ita ut paucis post diebus è vita discesserit. Anno 1597. venit Lausannam Sabaudus quidam quadragenarius & robustus, & qui ex contusione tumorem sub regione hepatis contraxerat. Ego & clarissimus Dn. D. Roscius Medicus celeberrimus in consilium vocati, invenimus ipsum febre ardore magno, nausea, aliisque gravissimis symptomatibus laborantem. Summam quidem, sed frustra adhibuimus diligentiam, ut in halitum resolveretur materia. Tandem inter peritonæum & musculos abdominis materia confluxit, & abscessum excitavit, qui exterius vix percipi poterat. Ego præsente Dn. D. Roscio, abscessum incidi: pus fœtidum effluxit: Ulcus per menses aliquot apertum servavi, donec tandem sanitatem recuperaverit. Ex hujusmodi autem tumoribus abdominis difficultatem aliquam in excernendo urinam consequi posse, rationi consentaneum est Quantum enim ad expulsionem urinæ faciant musculi abdominis, omnes sciunt anatomici. Vale Vir amplissime, ac ignosce, si tuis plenius satisfacere non potui. Si amicos, inprimis autem reverendum Dn. D Polanum, Dn. Dd. item Platerum & Bauhinum meo nomine salutare placuerit, gratissimum mihi feceris. Iterum vale, & millies. Paterniaci Aventicorum 23. Decembris Anno 1604.

Epist. 56.

EPISTOLA LVI.

Clarissimo summaq; doctrina, & pietate præstantissimo Viro

DN. IOHANNI BRANTIO,

Scholæ Vesaliensis Rectori dignissimo, amico plurimùm honorando.

Guilhelmus Fabricius Hildanus,

S. P. D.

De Catarrho ad oculos.

Summoperè doleo, vir pietate, & doctrina præstantissime, de adversa tua valetudine: non solum propter illam, quæ inter Christianos debet esse sympathiam: verumetiam quod olim tu mihi de facie fueris cognitus. Memini enim me ante annos viginti aliquoties, duce *Cosma Slotano*, viro pio, & in arte Chirurgica celebri, te invisisse: sed & multa de tua pietate, & virtute, relata mihi fuerunt à *Balthasaro Glauschristiano*, qui jam in Rhetia vivit. Nescio quo nam infortunio literæ tuæ, 1. Septembris datæ, tandem heri 26. Februarii à nepote tuo mihi redditæ fuerint. At quia instant nundinæ Francofurtenses, quo tempore multa mihi scribenda occurrunt, prolixius ad tuas respondere non potui. Ut tamen petitionibus tuis aliquo modo satisfaciam, scribam summatim, quidnam de cura (palliativa potius, quam vera) sentiam: morbum enim tuum adeò inveteratum esse, ut ex toto eradicari non possit, arbitror. Diligentia tamen perfici potest, ne malum invalescat, & cœcitas inducatur. Quia autem in defluxionib. ad oculos cerebrum humores mittit, oculi verò recipiunt, necessariò prohibeatur, non tantum ne humores pravi in corpore, & cerebro generentur, verumetiam, ut qui jam generati sunt, & ad oculos defluunt, exsiccentur, atque ad partes minus nobiles trahantur. Interim quoque oculi & visus jam multis abhinc annis à catarrho debilitati, corroborandi sunt, ne fluxionem excipiant. Hæc autem omnia diæta, purgationibus, cerebrum item, & stomachum roborantibus medicamentis, ac tandem topicis perficiantur.

Curatio catarrhi ad oculos.

Victus ratio.

In diæta aër eligendus est temperatus; calidus enim humores in capite liquefacit, subtiles & acres efficit: frigidus verò poros claudit, exhalationemque impedit: sed inprimis cerebrum comprimit: hinc vehementes fiunt fluxiones. Quemadmodum enim spongia manibus compressa vi quadam aquam expuit: sic excrementitii humores è cerebro, frigore compresso erumpunt. In cibo & potu excessus vitandus: qualitas secundum humorum prædominantium naturam, & usus legitimus observandus: quæ omnia nisi diuturnitas morbi, & variorum Doctorum consilia in his te satis edocuerint, præsenti Medico clarissimo, Dn. D. *Keuchenio* (qui de nomine mihi optimè cognitus) pro sua prudentia instituenda relinquo. Alvus semper sit lubrica, id si naturaliter nequit, fiat suppositoriis, clysteribus, vel prunis præparatis, cum infusione senæ, rhabarbari, agarici: ex decocto agrimo-

Epist. 56. grimoniæ, veronicæ, betonicæ, euphrasiæ. Quanquam autem frequentes purgationes violentæ, ratione ætatis tuæ, mihi non usque adeo probantur; sub initio tamen veris, & autumni, ac quotiescunque insignis aliqua intervenerit occasio, purgatione aliqua utendum est, veluti pilulis lucis majoris, cocchiis, aureis, aut infusione senæ, rhabarbari, & agarici.

Stomacho etiam propter ipsius cum cerebro consensum prospiciendum est. Debilis enim stomachus ad cerebrum multos mittit vapores, qui in humorem conversi, ad oculos descendunt; ideoque ab omnibus quibus gravatur stomachus, & vaporosis abstinendum est. Interim quoque electuariis, aut pulvere aliquo peptico corrobetetur, & elevatio vaporum ad caput miva cydoniorum sine speciebus, aut conserva rosarum antiqua, &c. statim à pastu sumptis, prohibeatur, Ad hæc autem perficienda, sequens pulvis mihi valdè probatur.

Pulvis pepticus.

R. Panis albi tosti ℥ ij.
Pulpæ cydoniorum exsiccatorum
Pellicularum interiorum ventriculi
Gallinarum ana ℥ j.
Coriandri præparati
Cinamomi optimi
Sem. Fœniculi ana ʒ ij.
Florum betonicæ
Rosmarini
Salviæ
Summitatum majoranæ &
Euphrasiæ ana p. ij.
Sacchari ad pondus omnium.

Misce, fiat pulvis: de quo sumatur cochlear ab omni pastu & horâ matutinâ, si libet: aut cum sufficiente quantitate mellis despumati, præparetur ex eo electuarium, de quo sumatur castaneæ magnitudine.

Solet nonnunquam in hujusmodi catarrhis intemperies hepatis adesse; quemadmodum enim ex subjecto calore alembici vapores in altum elevantur, sic ex calido hepate vapores è ventriculo ad caput. Illa autem, si in te fuerit intemperies, tum victus ratione, tum diarhodone Abbat. & unguento sandalino, temperanda est. In topicis summo studio prospiciendum, ne inflammationem oculorum temperandi gratia, nimis frigida (ut solet aliquoties fieri) applicentur: horum enim frequens usus spiritum visivum, humores item oculorum, tum & ipsam membranam corneam, condensat; inde visus hebetatio. Ideoque quotiescunque dolor, & inflammatio oculorum adsunt, tepidè instilletur oculis lac muliebre recens emulctum, in quo aliquid croci integri maceratum, & tutiæ præparatæ, & cornu cervi usti & præparati dissolutum fuerit. Linteamen quoque reduplicatum in eo lacte intinctum applicetur calidè oculis: singulis tamen diebus reiterandum est lac, ne acescat, & acre efficiatur, ac proinde dolorem adaugeat. Sequens quoque cataplasma dolores lenit, & inflammationem arcet.

Nimis frigida oculis non applicanda.

Cataplasma dolorē leniens.

R. Medullæ panis albi ℔ ß.
Pulv. seminis fœnugræci &
Cydoniorum ana ℥ ß.
Coquantur in lacte vaccino ad consistentiam cataplasmatis.
Postea admisce vitellos ovorum n. ij.
Croci ℈ j. Misce & applica calide.

Aut foveantur oculi hoc decocto anodyno:

R. Radicum & foliorum malvarum
Flor. Meliloti ana M. j.
Sem. Fœnugræci & lini ana ℥ ß.
Coquantur in Aqua pro fotu.

Si vehemens advenerit defluxus ad oculos, purgetur ilicò corpus; fronti item, & venis jugularibus applicetur defensivum aliquod, ad fluxum intercipiendum, interim quoque cucurbitulæ magnæ cum flamma, scapulis cum scarifitione applicentur, & vesicatorium post aures admoveatur, purgato tamen prius corpore, uti dictum. Sequenti quoque masticatorio poteris aliquando uti, jejuno stomacho, ut paulatim materiam ad oculos defluentem, per fauces extrahat.

Vehe[menti] defl[uxui] ad oc[ulos] quo[modo] [o]ccurr[endum].

R. Masticis
Radicum pyrethri
Summitatum majoranæ
Nucis muscatæ ana ʒ j.
Ol. Fœniculi ℈ ß.

Ma[stica]tori[um].

Cum mucilagine gummi tragacanti trocisci magnitudine lupini.

Sternutatoria in morbis oculorum mihi non probantur: trahendo enim humores ad nasum, nervos opticos adimplent, visumque debilitant, quemadmodum in observationibus meis Chirurgicis exemplo declaravi.

Ster[nuta]tori[a in] morb[is o]culo[rum] non [pro]ban[tur].

Porro quia sæpenumero in literatis cerebrum propter vigilias, labores & studia debile redditum, vapores, qui ad ipsum elevantur, facilè excipit, corroborandum est. Corroboratio autem illa, tum ex optima victus ratione, tum, quæ caput leviter purgant, & foris admoventur, & diversione aliqua catarrhi petenda est. De victus ratione & purgationibus antea. Interea, quæ exterius admoventur, sequens pulvis inspersus capiti, aut ex eo, præparata cucupha & pileolus optimus est.

Corro[bo]ratio [cere]bri.

R. Flor. Rosmarini
Salviæ
Stœchados
Rosarum rubearum
Summitatum majoranæ ana M. ß.
Sem. Coriandri ʒ j.
Lignialoës
Masticis
Thuris
Diamosci dulcis
Styracis calamitæ
Nucis muscat.
Granorum alkermes ana ʒ ß.
Incidantur, & contundantur secundum artem.

Intrinsecus sumpta corroborant cerebrum & visum, Conserva florum betonicæ, euphrasiæ, rosmarini, salviæ, pœoniæ, summitatum majoranæ, & seminis fœniculi nondum penitus maturi. Euphrasiam quocunque modo sumptam

tam oculis prodesse, experientia docet. Visum verò corroborant, & acuũt aqua fœniculi, rutæ, euphrasiæ, chelidoniæ majoris, & anagallidis flore purpureo. His cerebrum & oculi corroborantur. Sed quia catarrhus ad oculos destillat continuò, continua, ut inveniatur diversio aliqua, necesse est, alioquin reliqua omnia frustra adhiberentur. Nulla autem diversio præstantior, nulla utilior, imò & securior inveniri potest, setaceo, & fontanellis, ut ego sæpissimè & in multis expertus sum, & indies experior. Quantum enim effeci setaceo in morbis deploratis oculorum & capitis, fidem mihi facient honestissimi viri, *Simon Engelgraff & Andreas Polster*, Colonienses (quos ego honoris gratia nomino) & quamplurimi alii ibi cives. Humor enim, qui ad oculos destillat, commodissimè per setaceum evacuatur. Sed requirit Chirurgum in ea operatione expertum, aut alioquin ingeniosum; qualem ego Dn. *Iohannem Tac* esse non dubito. De loco autem & applicandi modo, in observationibus meis Chirurgicis disseritur, quem locum poteris consulere. Nollem enim applicare ferro candente, ut solent Chirurgi, propter rationes, quas loco jam citato adduximus.

Si hepatis intemperies adest, suaderem applicari causticum sub genu dextro, inter quartum, & quintum tibiam moventium, musculum, trium digitorum in latitudine positorum ab anteriori sede coarticulationes fibulæ, cum tibiæ osse, ut inde fiat fontanella. Illa enim humores noxios ex hepate evacuabit: descendit namque per eam partem insignis ramus venæ cavæ. Hæc si ritè adhibita, & setaceum, atque fontanella ad tempus aperta retenta fuerint, magnum inde fructum, Deo dante, percipies, quandoquidem non tantum catarrhus, qui continuò ad oculos destillat, per partes minus nobiles evacuabitur, atque hinc inde dolor, & rubedo oculorum remittent, verumetiã visus paulatim acutior fiet. Plura non licet, propter temporis angustiam. Deus pro sua misericordia benedicat remediis, ac tibi adsit suo sancto Spiritu, quo possis amissam sanitatem aliquo modo (ex toto enim non sperandum) recuperare, & constanter in omnibus rebus adversis cursum tuum absolvere, & ad scopum, ad quem omnes Christiani aspirant, pervenire. Quod ego toto pectore precor. Vale vir clarissime, & meo nomine plurimùm saluta clarissimum Dn. D. *Iohannem Tac*, olim mihi cognitum, quod si ad me scribere ipsi libuerit, gratissimum mihi fecerit. Paterniaci Aventicorum 27. Februarii 1604.

Nepos tuus ante dies aliquod Bernæ ad me venit: propter injuriam temporis ipsum apud me retineo: sed operam dabo, ut brevi conditionem Genevæ inveniat. Scribe, quisnam clarissimo Dn. D. *Iunio* successerit. Academia Lausannensis superiori autumno clarissimum Dn. D. *Guilhelmum Bucanum* Theologiæ præclarum lumen, non fine magnâ jacturâ amisit. Clarissimus D. *Beza* vivit & valet pro ætate sua, jam enim agit 85. annum, ut ex ipsius literis non ita dudum ad me datis, colligo. Deus pro sua misericordia hoc suæ Ecclesiæ summum lumen diu nobis conservet.

Epist. 57.

EPISTOLA LVII.
JOHANNES BRANTIUS
Clarissimo, expertissimoq; Medico. Dn. GUILHELMO FABRICIO Hildano Reipublicæ Paterniacensis Archiatro dignissimo.

S. P. D.

Responsio ad epistolam præcedentẽ.

NUnc verè video vir clarissime, & toto orbe notissime, rectè sensisse Stoicos, virum bonum commune bonum esse. Ita enim rebus meis afflictis afficeris, quam si privata essent, & in medium consulis ea, quæ profutura judicas, quam si curæ tuæ viverem commendatus. Habeo tibi pro Christiana ista symphathia, & paterna providaq; cura, & pio, & salutari consilio, immortalem gratiam, habeboq; semper, quandiu spiritus hos reget artus. Sed quis ego sum, cum nulla necessitudinis usu tibi neque junctus, neque ullo beneficii genere id promeritus, quem tam propenso animo complectare? Vis me in æternum tibi obstrictum vivere, & quoad in hominum contubernio agis animam tibi debere. Ecce ergo totum me tibi do, dico, & condico, Deumq; eadem opera rogo, ut te quàm diutissimè florentem conservatum, cœlesti ac terrena benedictione locupletet. Sed non fuit mihi datum ab eo tempore, quo doctissima tua consilia mihi reddita, de afflictissima mea valetudine cum clarissimo Medico nostro D. Keuchenio *propter diutinam ipsius a nobis absentiam, & publica negotia, quibus in his ruderibus patriæ nostræ irretitus tenetur, in medium consulere. Dedi verò illi obtuliq; ante paucos dies legendas doctissimas tuas literas, ad quas ejus responsum in horas expecto. Est ille vir acri judicio, liberalissima eruditione, & insigni pietate præditus, scholarcha scholæ nostræ, & mihi peramicus: sed qui pro sagacitate sua & singulari judicio tecum facit, sentitq;, perantiquum & inveteratum malum minimè movendum, sed retundendum potius, & coërcendum, ne latius serpat. Utor ergo ex ejus consilio singulis septimanis, cum nescio qua antipathia à justis purgationibus abhorream, pilulis sine cura: atque his vacillantem, & nutantem valetudinem, quamdiu Deo visum est, sustento. Interim verò Deus in hunc usque diem; cujus nutu & arbitratu in hanc laboriosissimam stationem descendi, suffecit illud robur, & vires, quæ in tam catenata, & asiduæ provincia requiruntur, nisi quod ante septimanas tres gravius malum ex improvisò me inundarit, calculus scilicet renum, sed qui me tantum ad horas aliquot gravissimè infestarit, nunc pro more meo, & corporis conditione divina gratia, mediocriter habeo, & ipsi sileo, dum ipsi visum sit, exemptum me his vitæ ærumnis, quietiore sede collocare, & abstersis peccati reliquiis, eorumq; effectis, cœlestibus gaudiis donare. Eam cum horam metamque attigero, Deo mihiq; vivam, qui dum superstes fui, commune vixi bonum omnibus.*

Sed non video, quomodo tam longo intervallo à te seclusus, benevolentissimum animi tui studium; ulla grata, significatione remunerer. Sed ignoscet mihi, spero, tua pietas, & propensissimus in omnes literatos amor: ne tamen nihil reponam, misto brevem delineationem eorum, quæ in Flandria gesta sunt, à reverendo Willi-

Epist. 57. & 58.

Willichio nostro auspicatam, quam velim aqui boniq; consulas, & festinationi meæ ignoscas. Vale ac salve clarissime expertissimeq; vir, Domine reverenter colende, à me, clarissimo Medico nostro Doct. Keuchenio, & consule Budræensi Johanne Tackio, nec gravatim meis ὁμηρότατον clarissimum Bezam, verbis peramicè saluta, & Wilhelmum nostrum, ut salutare fiat Reipublicæ organum, re, consilio, & opera adjuva, & ab eo mercedem expecta, qui se haustum frigidæ suis impensum, remuneraturum condixit. Dabam admodum subitò 21. Iunii, Anno postremi seculi 1604. Vesaliâ Clivorum.

EPISTOLA LVIII.

JOHAN. GREGORIUS GOBELIUS Medicinæ Doct. & serenissimi Principis ALBERTI Ducis Bavariæ Medicus ordinarius, GUILHELMO FABRICIO HILDANO S. P. D.

De thermis Piperinis.

QUæ Oppenhemii de balneis Piperinis in reficiendis tabidorum corporibus inter nos contulimus, clarissime & expertissime mi Dn. Fabrici, nondum exciderunt animo meo: sed quod rationes, quibus aërem thermarum phthisicis salutarem adstruere posse putavi, ad te non perscripserim, discessus tuus celerior, atq; illo tempore assiduæ meæ profectiones obstiterunt. Interea temporis non dubito te, pro singulari tua industria locum Galeni, qui tabidos mittebat ad Tabias, ubi aër ab incendio Vesuvij montis temperabatur, legisse, atq; ideo cum magis serium negocium tibi expediendum à Domino quodam summæ Nobilitatis acceperim, hac vice id singulari modo aliis curis posthabitis tibi commendare, operæ precium duxi.

De affectu quodam gravissimo oculorum.

Est autem affectus oculorum, qui ad longum in his conjunctis literis expositus tibi perpendendus transmittitur. Da operam, Clarissime vir, quatenus quæ adhuc affectũ perfectè cognoscendũ faciunt, quid sperandum, & quibus auxiliis præsens defectus corrigi, & deinceps oculis, qui magnam intemperiem contraxerunt, à gravioribus præservari possint, fideliter, & diligentissime perscribas. Et si fortè tuam desiderabunt præsentiam, significa, ubi offendi possis. Magna me spes habet, te pro illa, quam circa oculorum affectus habes experientiã, non difficulter ex narratione transmissa prognosticum facturum, & quid rectè adhiberi vel omitti posse putes, declaraturum. Circa oculi pupillam hactenus ne minimum apparet vestigium alicujus mutationis ad obscuritatem vel nebulam; sed pura & lucida cum perfecta imaguncula apparet pupilla integra. Hoc observat Nobilissimus Dominus, si ad latus oculum extrorsum obliquet, quod tunc introrsum paululum melius videat. Præcesserit non diu ante hanc celerrimæ visionis imminutionem capitis quædam vertiginositas, quæ cathartico accepto cessavit: aliquot tamen noctibus solito profundiores observavit somnos. Cætera in addita narratione habes omnia. Laborum tuorum compensationem, si per tabellarium, qui has tibi reddet, non acceperis, citra dubium ex Mercatu Francofurtensi per Genevenses, vel Lugdunenses Typographos, qui Lausannam transeunt, repræsentabitur. Bonam in partem accipe liberum hoc per literas alloquium, quia ex brevi illa inter nos habita communicatione animi tui candorem, ut cui noviter introducta blandiendi formula non accepta, cognovi, cujus me item ingenii esse, ut tibi persuadeas, velim, atque si occasio ferat, ut tibi vel tuis operam meam commodare possim, reipsa, quod verbis promitto, præstabo. Vale cum tuis feliciter, & de ætate tua nisi grave sit, certiorem me facere velis, quia in effigie operibus tuis Oppenhemii præfixa, posuerunt 52. ego verò te 62. excedere suspicor, utut sit; optima est ætas quæ honestis laboribus & factis accrevit. Monachii in Bavaria 28. Novemb. Anno 1615.

Descriptio morbi.

Consilium petitur à viris in arte medica longo usu & doctrina præstantibus, pro nobilissimo Viro, ætatis 43. annorum, cætera sic satis sano, neque morbis alicujus momenti aliàs obnoxio, si destillationes ad dentes & vertiginem ab aliquo tempore (si præsertim stomachus cruditate, & mesenterium biliosa impuritate laborans, vapores capiti submittant, & eosdem cerebrum calidi alioqui temperamenti, curis, assidua lectione, & similibus amplius calefactum, ad se trahat) molestum excipias, aliàs in diæta satis frugalis, & parcus.

Affectus oculorum.

Is, quod à puero assueverit in visus & oculorum functione solum ferè dextrum oculum adhibere, & ad procul dissita unico conspicillo concavo uti, cum in propinquis distinctissimè conspiciendis visu esset perspicacissimo, ita ut sinister oculus quasi otio esset, videret autem dextro oculo non rectâ lineâ, sed semper pupillam obliquè ad interiorem angulum contorquendo, ubi & conspicillum admovebat; accidit, ut jam ante decennium spectra quædam seu phãtasmata instar linearum globulis quibusdam nigricantibus appensarum, & hinc inde ad oculi motum obvolitantium, nata, & oborta fuerint, in dextro oculo in multa luce & aëre aperto clariora, in obscuro aëre minora, quæ tamen ante pupillam vel externis objectis affixa, nisi in sublime, magno apposito labore, intueretur minimè hærebant, ac proinde visum & obtutum neque hebetabant neque caligine obfuscabant. Et licet metu gravioris mali, in quod spectra seu idola hæc commigrare solent, varia tunc consilia Medicorum famâ celebrium conquisita fuerint, spesq; non vana esset, cum visa hæc longa assuetudine neque Nobilissimo viro molesta essent, neque pupilla tanto temporis spacio conturbaretur, fore ut paulatim nimia visus acie ætatis decursu hebescente, planè abolerentur, accidit tamen præter spem, ut nuper 17. nempe Novembris die, subitò visio obtenebrari, & pleraque per nebulam, ac fenestram cerni, quædã etiam penitus obscurari cœperint è regione dextri oculi, magis in luce majori, oculis adfenestram obversis, melius enim & distinctius omnia in luce obscuriori videt, obrepũt etiam, vesperi præsertim, scintillantes oculo fulgores, & alieni colores veris coloribus mixti in diversis objectorum partibus, literas quasdam in scriptura legit, reliquis planè obtutum fugientibus. Et quod valdè molestum accidit nobilissimo viro, ita sinistro oculo, in quo jam olim spectra quoque, licet minora observavit, difficulter, ob desuetudinem videt, ut ob consensum dextri malè affecti, ad omnem illius motum, præsertim in majori luce, perturbari, ac malè affici videatur.

Et licet pupilla dextri oculi nihil hucusque (quod notari à plurimis inspicientibus, tàm Medicis, quàm Chirurgis queat) a sua naturali constitutione & lucidate, seu colore & nigredine, dimota aut conturbata appareat, cum imago inspicientis æquè ac in altero oculo clarè conspiciatur, non immeritò tamen

suspicio

suspicio Medicos tenet futuræ suffusionis, paulatim & sensim aspectabilis & manifestè cognoscibilis, ni Deus & remedia tempestiva malum avertant, eventuræ, cum hactenus materialis illius caussa, seu corpus opacum, lumini externo speciebus visibilibus instructo, impedimentum obiiciens, magis retro in albugineo humore latitare, nec dum pupillæ marginibus & corneæ, qui verus suffusionis seu cataractæ est locus, affixum esse videatur.

Interim dum virorum doctissimorum judicia & consilia super hoc casu, cum particulari remediorum tam intus, quàm extra exhibendorum descriptione, nobis adveniant, quod unicè in tanta, & loci affecti, & morbificæ caussæ generationis obscuritate optamus, Medici nobilissimi viri totius provisioni, purgatione corporis repetita, interjectis præparantibus, ac phlebotomiâ dextri brachii, rarò aliàs fieri solitâ, nec non aliis revulsoriis & roborantibus auxiliis operam hoc tempore dederunt; cupiuntq; intelligere à viris præcellentissimis, an in hoc dubio statu, & metu suffusionis futuræ, topica citra inflammationem, aut vim siccandi magnam, attenuantia & dissolventia locum habere possint, & tutò adhiberi? An potius certior factæ suffusionis cognitio & maturatio expectanda, quæ suo tempore manuali operâ curetur & extirpetur. Etsi magna opinionum de hoc affectu sit diversitas, aliis ἀμαύρωσιν ex nervi optici aliquali obstructione hîc conjicientibus, nec futurum hypochyma timentibus, quam rectè, aliorum esto judicium.

EPISTOLA LIX.

Viro amplissimo atque doctissimo,

Dn. JOHANNI-GREGORIO GOBELIO Serenissimi Principis ALBERTI Ducis Bavariæ, &c. Doctori Medico ordinario atque celeberrimo.

Guilhelmus Fabricius Hildanus,
S. P. D.

SAlve multum à Christo Jesu salutis nostræ authore. Te vivere, & rectè valere, Vir amplissime, imò & novis honoribus ornatum, & à tanto Principe vocatum fuisse, maximo cum gaudio ex tuis, qua heri sub vesperam accepi, intellexi, tibique gratulor, & ut sempiternæ laudi tibi sit vocatio illa, Deum Opt. Max. suppliciter oro. Me quod attinet, ab eo tempore, quo Oppenhemii apud nobilissimum Virum Dominum de *Kronberg* convenimus, tot, tantisque molestiis & curis veluti submersus jacui, ut quæ de thermis Piperinis præ manibus habueram, minimè absolvere, imò ab eo tempore ne quidem adversaria inspicere potuerim. Oppenhemio enim domum rediens, uxorem meam lectissimam, & partem domesticorum meorum, peste gravissimè laborantes reperi. Convaluit quidem uxor mea, sed duæ ex filiabus meis, ancilla item & famulus debitum naturæ persolverunt: ita ut ædes meæ ultra menses quatuor, more Gallico, maximo meo incommodo occlusæ fuerint. Quæ præterea ab eo tempore adversa, tristiave mihi evenerunt, ut recenseam, vulneraque nondũ coalita refricem, supervacaneum esse censeo. Superiori æstate Senatus P. Q. hujus urbis me vocavit, & in Medico Chirurgum recepit. Faxit Deus Opt. Max. ut migratio illa feliciter, inprimis ad Dei gloriam & emolumentum proximi succendere possit. Ego verò ut quod reliquum mihi temporis à Deo constitutum est (quinquagesimum enim quintum annum ætatis superiori mense Julio ingressus sum) piè absolvam.

Epist. 57.

Affectus oculorum, de quo sententiam meam expetis, ut video inveteratus, ac proinde gravis est: Quod enim à juventute non nisi sinistro clauso oculo, & dextro unico admoto perspicillo procul res objectas discernere potuerit, summam imbecillitatem spirituum arguit. Illam an ex parentibus contraxerit, literæ tuæ non indicant: utut autem sit, humorem aliquem præternaturalem continuò quoq; ad oculos defluxisse, certissimum est: quod & destillationes ad dentes, & vertigo ipsa, quæ ab aliquo tempore ægrum molestant, satis superque indicant. Adest itaque summa imbecillitas, imò & paucitas spirituum: quæ quidem imbecillitas partim, ut arbitror, naturalis apud illum est, partim quoque, ut dixi, propter affluentes humores accidit. At quia à diuturno splendore pars spirituum visivorum dissipatur, accidit, ut in luce obscuriori, collectis scilicet spiritibus melius, ac distinctius videat res oblatas. Imagines seu phantasmata & spectra, quæ ante oculos apparent, vapores crassos hinc inde per humorem albugineum atque ante pupillam vagari, indicant. Illæ quid portendant, suffusiones nimirum; Avicenna, omnesque qui in medicina claruerunt, testantur, & experientia, uti tibi Viro, doctrina rerumque usu in arte medica versatissimo, satis superque notum, fidem facit. Illæ autem, nimirum suffusiones, ut præcaveri possint, primò conveniens victus ratio observanda est: Et quia malum meo quidem judicio præcipuè à stomacho originem trahit (quandoquidem si tribus quatuorve mensibus, Galeni verbis utor, suffusionis accidentia apparuerint, pupilla autem pura splẽdidaque cernatur, ab ore ventriculi nasci affectum ne dubita) illius diligenter habenda est ratio, & ut membro mandanti prospiciatur, recipiens verò corroboretur, danda est opera. Stomacho optimè prospicietur, si convenientem victus rationem observaverit æger, & eis, quæ stomachum corroborant, aliquando utatur: quæ omnia Tuæ Excell. uti Medico ordinario & ægro familiari pro sua prudentia præscribenda, relinquo: unum tamen reticere non possum, nimirum ut euphrasiæ usus ægro sit familiarissimus. Tãta enim euphrasię in imbecillitate visus vis est atque efficacia, ut ejus usu septuagenarios quosdam (propter vigilias, & studia plurima) amissum visum, in decrepita ista ætate recuperasse observaverim. Varia autem ex herba ista præparare, & potui, ac cibis, ut medicamentosi efficiantur, admiscere solitus sum. Quapropter in umbra exsiccatam, & in subtilissimum pollinem redactam, pastæ aliquando, unà cum fermento permiscere jubeo, hoc modo panis fit medicamentosus, & ex ipso procreatus chylus, cùm ad omnes cor-

Imbecillitas spirituum visivorum.

Phantasmata ante oculos, quid portendant.

Suffusiones quomodo præcavenda.

De locis affectis libr. 4. pag. 749.

Euphrasia usus in effectibus oculorum

Epist. 59. corporis partes alendas distribuitur, etiam ad cerebrum pervenit, spiritus quinetiam visivos rectificat, corroborat & adauget. Panem præterea biscoctum, quo æger in fine pastus utatur, ex euphrasia, floribus betonicæ, sacchato, & semine fœniculi præparo. Poterit & cum carne, alisque eduliis incoqui. Quod si æger pro potu suo ordinario nihil aliud quam vino, aut cerevisia, in qua euphrasia macerata fuerit, uteretur, multum cõduceret. Post pastum uti quoq; poterit sequenti Tragea, quæ mirum in, modũ visum corroborat.

Tragea ad visum corroborandum.

R. Euphrasiæ subtilissimè tritæ ℥j.ß.
Seminis fœniculi
Cinnamomi optimi an. ℥j.
Pellicularum interiorum ventriculorũ gallinarum ℥.ß.
Sacchari ℥vj. Misce, fiat pulvis:

De quo sumat cochlear statim ab omni pastu.

Cæterum membra recipientia, sive locum affectum corroborabis, si humores, vaporesve ad ipsum affluentes ad alia loca traxeris. Fiet id primò reiteratis purgationibus, veluti pilulis lucis, aureis, fœtidis, & sine quibus, aut infusione rhabarbati, agarici, foliorum senæ, cum aqua betonicæ & euphrasiæ, addito syrupo rosato solutivo quantum satis. Secundò venæsectione in cubito, & cucurbitulis scapulis & nuchæ applicatis. Tertiò humores & vapores ad oculos affluentes fonticulis ad partes minus nobiles perbellè revocabis: sed quia malum utrumq; oculum occupat, ac proinde utroque brachio causticum applicare necesse esset: suaderem potius setaceum, cum quia minus erit molestum, quam duo fonticuli, tum etiam quia major per illud fiet à capite & præcipuè ab oculis evacuatio humoris peccantis: vapores quinetiam, qui ad oculos elevantur, beneficio setacei à nervis opticis ad nucham revocabis. In applicatione autem setacei prospiciendum, tum ut locus diligenter eligatur, tum etiam ut multum cutis contineat. Punctio enim si nimis superficialis fuerit, paucissima per eam fiet evacuatio humoris peccantis, & maturè nimis erumpet funiculus. Ante annos decem, nobilis quidam Freiburgensis Dn. Antonius Meister, Dominus in Meiieres, nomine, cum propter diuturnum catarrhum ad oculos defluentem, visum ferè amisisset, & ego tandem in consilium adhibitus fuissem, purgato corpore, adhibitis quinetiã cucurbitulis, setaceum nuchæ applicui, quo etiã nunc absque magna molestia utitur; visus quoq; ita restitutus fuit, ut nunc sexagesimum annum ætatis prætergressus, absque perspicillis, & legere, & scribere possit.

Setacei præstãtia.

Observat.

Solet quoque in hujusmodi affectibus hepar plus justo & calidius esse, quod & in nobili ægro vestro adesse non dubito. Hinc vapores multi à centro corporis ad cerebrum elevantur, malumque adaugent, quapropter prospiciendũ est, ut quantum quidem fieri possit, ad temperiẽ reducatur hepar; fiet id optima victus ratione, reiteratis quinetiam purgationibus, ex rhabarbaro, syrupo rosato solutivo, de cichoreo cum rhabarbaro, & similibus. In affectibus quoque hepatis non exiguum fructum adferre fonticulum ad dextrum poplitem factum, non rarò observavi. Est enim via satis apta, per quam hepar se exonerare facilè potest.

Cæterùm quæris, an in hoc dubio statu, & metu suffusionis futuræ topica citra inflammationem, aut vim siccandi magnam, attenuantia & dissolventia locum habere possint, & tuto adhiberi? an potius certior factæ suffusionis cognitio, & maturatio expectanda, quæ suo tempore manuali operatione curetur & extirpetur? Respondeo ex *Hippocrate*: Morbi cum inchoant, si quid movendum videtur, move, &c. neque donec suffusio, quæ etiam nunc in fieri est, omninò sit facta, expectandum esse. Futurum enim malum retardare, & quantum fieri potest præcavere, Medici officium est. Deinde major obstructio nervorum opticorum ex cunctatione illa verenda, atque exspectanda esset. Quapropter præter victus rationem, purgantium medicamentorum usum, & applicationem fonticulorum, etiam topica non improbarem; Inprimis si nulla intemperies calida circa oculos observetur. Cum enim caussa mali sit vapor lentus ac crassus, vim attenuandi, incidendi, & nonnihil excalefaciendi, ut medicamenta habeant, necesse est. Non rejicerem itaq; purgato prius corpore usum aquæ Euphrasiæ, fœniculi, rutæ, chelidoniæ, imò etiam aquæ vitæ, sed parcissimè, & nonnisi per intervalla, reliquis admixtæ. Extractum chelidoniæ non solum in externis nubeculis, verumetiam in incipiente suffusione præstantissimum esse & ipsius generationem retardare expertus sum, incidit enim attenuatque crassos istos humores, qui visum obfuscare solebant: sed quia utcunque acre est, non ultra magnitudinem capitis aciculæ pro vice, oculo imponendum est, idque fiet hora matutina, antequam æger lecto egrediatur. Hoc tempore hyemali, si collyrio ex præscriptis, aut similibus aquis uti noluerit æger, præstaret id, cum quieti se tradit, quàm quovis alio tempore, applicare. Frigus enim cum in hujusmodi affectibus sit inimicissimum, verendum esset, ne humectatio illa interdiu facta propter frigiditatem aëris, noxia esset, nisi per intervalla guttulam unam aut alteram collyrii calidè oculis instillare volueris. Noctu verò aquas præscriptas non tantum oculis instillarem, verumetiam linteum reduplicatum & aquis istis madefactum, oculis simul calidè applicarem: Deinde frontem, oculosque linteis suavibus involverem. Atque hæc sunt vir amplissime, quæ hoc tempore, cum negotiis obruor, & Masonopolim ad reverendam quandam, ac nobilem Canonissam, gravissimo affectu oris, post extractionem dentis, laborantem, proficisci cogor, ad tuas respondere potui. Tu, ut omnia amicè interpretari velis, multum rogo. Si quid ad me rescribere volueris, literas Basileam ad amplissimum virum Dn. Doctorem *Bauhinum*, qui intimus meus est, mitte. Scribis ægrum forsan posthac præsentiam meam desiderare, id si advenerit, quia huic Reipublicæ adstrictus sum, cõsultum esset, ut ad Senatum hujus urbis scriberet, quo eò faciliùs licentiã impetrare possem. Hisce vale vir amplissime, & cum tuis omnibus feliciter vive diu. Raptim Bernæ Helvetiorum 30. Novembris 1615.

EPI-

EPISTOLA LX.

JOHAN. GREGORIUS GOBELIUS
Med. Doctor, &c.

Guilhelmo Fabricio Hildano,
S. P. D.

CLarißime & expertißime Dn. amice colende, propter accuratè scriptum consilium accipe 8. florenos Vngaricos, quos mercator Augustanus curabit Bernæ tibi in auro numerari: eo nomine cupio, mihi per te recognitionem, ut vocant acceptæ pecuniæ perscribi. Optassem munus amplius sed fortè dabitur occasio aliàs ampliore honorario te onerandi, quod faciam libenter, ubi res exiget. Consilium tuum omnibus valdè probatum est. in hoc solùm movebat aliquid difficultatis, cum vitio ventriculi oritur hebetudo & obscuritas visionis, quare in nostro subjecto solùm dexter oculus affectus sit; Cum nulla sit potior ratio, ventriculi vapores exhalantes magis dextrum, quàm sinistrũ latus occupare.

Habeo hîc tres tuam opinionem desiderantes, unus præclarus sanè vir laborat tumore in dextra tibia à sex mensibus, judicant esse steatoma, ego hæsito: morbi Gallici nulla est omnino suspicio: Interim indies tumor altius surgit, nisi lamina plumbea reprimatur. Accedunt Sciatici & Gonagrici dolores. adolescentulus laboravit destillationibus ad oculos, maximè dextrum. Aliæ sunt mulieres, una polypo incipiente, altera confirmato affecta est cum fœtore. De modo, quomodo huc vocari possis, laboro, merces te digna certe præstabitur. Præsenti sub manu cresc et opus, & opes: quæ tua sit sententia, expecto. Interim cum uxore & liberis vale feliciter. Salutem dico & ascribo Domino Weis Reipublicæ vestræ Syndico. Cursim Monachij postridie Kalend. Iulij 1616.

EPISTOLA LXI.

Ad Virum amplißimum
Dn. JOH. GREGORIUM GOBELIUM &c
Cui
Guilhelmus Fabricius Hildanus
S. P. D.

ANte paucos dies, Vir amplissime, fautor & Amice æternùm observande, Lausannâ, ubi ad ægros quosdam vocatus fueram, domum rediens, tuas unà cum honorario transmisso, domi meæ inveni, cujus nomine, sed inprimis pro præclara tua in me benevolentia, gratias, quas possum, ago, habeoque maximas. Literas, quas cõjunx mea, me absente ad te dedit, te jam dudum accepisse non dubito. Caussam, quam ex me intelligere cupis, cur dexter oculus potius sinistro afficiatur, hanc esse existimo; nimirum quod nobilissimus æger à juventute, ut ex præcedentibus tuis colligo, adsuefactus fuerit, in visu, & oculorum functione solum ferè dextrum oculum adhibere, clauso sinistro, dextroque adhibito perspicillo. Sinister itaque oculus, cum continuò, ut ita dicam, in otio esset, dexter verò in motu, nullum est dubium, oculum paulatim debilem & fluxionibus obnoxium redditum fuisse. Sunt & nonnunquam caussæ internæ, cur una pars alterâ potius lædatur, quæ Medicum latent. Quis enim, quæso, caussam, cur paralysis in uno dextrum, in altero verò sinistrum latus occupet; Aut quod calculus nunc in dextro potiùs, quàm in sinistro rene concrescat, excogitabit? In empyricis aliquando alteram partem pulmonis, veluti sanã, alteram putredine penè exesam, reperi.

Affectus in dextra tibia, de quo scribis; an sit steatoma, ex tuis non satis colligere possum. Steatoma autem, ut *Galenus* meth. medendi lib. 14. & *Paulus AEgineta* lib. 6. cap. 36. testantur; tumor est, in quo materia sevo similis, continetur; utplurimùm nullus adest dolor, neque adeò durus est tumor ille. Quicquid sit, verisimile est, materiam illam, quæ olim ex capite ad oculum dextrum decumbebat, nunc ad coxam & tibiam defluere. Rectè igitur faceres, meo quidem judicio, si prius purgato corpore, revulsionis gratia cauterium potentiale brachio dextro applicares, & fonticulum fabricares. Laminam plumbeam non improbo: solitus sum eam Mercurio vivo inungere, sic enim magis digerit, concoquit, incidit, ac resolvit materiam illam viscosam. Convenit quoq; emplastrum de ranis cum Mercurio. His si materia contenta in halitum revocari non potest, ad majora remedia transeundum est, de quibus vide *Galenum*, *Paulum AEginetam*, *Celsum*, & alios. In apertione tamen, aut excisione diligenter prospiciendum est, ne aliquid maligni subsit: hoc enim aliquando evenisse, atque hujusmodi tumores in maligna ulcera transiisse, memini. Quod si vas aliquod magnum, veluti venam aut arteriam in se continuerit, hæmorrhagiæ in operatione diligenter habenda est ratio.

De duobus Polypis, inveterato nimirum, & incipiente scribis. Polypus, si inveteratus fuerit, & in sordidum ulcus degeneraverit, difficilè curatur, & nonnunquam cartilagines ipsas erodit: habes hac de re, observationem singularem in 2. centuria observat. 22. In hujusmodi ulceribus aquis, & cineribus ranarum & gammarorum, Saturno item calcinato aut dulcificato, croco Martis & similibus, maximo cum fructu utor. Sed derivatio per setaceum in hujusmodi affectibus inprimis necessaria est. Incipienti polypo, aliquando ad radicem illius beneficio instrumenti, vinculum injeci, feliciterque ipsum filo abscidi: postea per dies aliquot exsiccatibus adhibitis medicamentis æger convaluit. Sed de topicis tantùm scribo, & quidem Laconicè, propter temporis angustiam, jamjam enim Basileam ad ægrum mihi descendendum; De reliquis, cur ego noctuas Athenas ferrem? Libenter tractatum meum de dysenteria ad te misissem; Sed ignosce, non licet nunc: fiet alias. Vale Vir amplissime, & æternùm quam felicissimè vive cum tuis omnibus. Ocyus Bernæ Helvetiorum die 8. Augusti 1616.

EPISTOLA LXII.

Ornatißimo ac Celeberrimo Viro
Dn. JOHANNI GRIFFONIO
apud Bruxellenses Medico-Chirurgo excellentissimo, Domino, & Amico suo colendo

Guil-

Margin notes: Epist. 60. & 61. — Responde... epistolæ præcedenti. — Tumor in dextra tibia. — Responsio epistolæ præcedentem. — Epist. 61. & 62. — Steatoma quid? — Curatio. — De Polypo — Curatio Polypi.

Epist. 62.

Guilhelmus Fabricius Hildanus,
S. P. D.

Literas tuas, vir clarissime, 15. Novembris Bruxellæ datas, proximè elapsi Januarii die 12 accepi, quæ mihi multis de caussis fuerunt gratissimæ, præcipuè verò, quod te vivere & valere, imò semimortuum resuscitatum, deinde etiam nostri memorem esse, nos certiores fecerint. Anxius enim fui vehementer, & graviter ferebam tam diuturnum silentium tuum. Scripsi ad te sæpius, inquisivi de te per amicos: sed agitur jam sextus annus, ex quo nihil literarum à te accepi, præter illas, quas jam recensui. Jam gaudeo (& Deo Opt Max. gratias ago) te vivere, te valere, tuumque in me amorem continuare. Ego curabo, si Deus vitam dederit, ut quanti te faciam & amem, posthac intelligas, ubicunque enim sese obtulerit occasio, honorificè nominis tui mentionem sum facturus, ut etiam videbis in tractatu meo Germanico de gangræna, qui his nundinis in lucem prodit, in quo ad minimum te quinquies citavi, & admirandam tuam dexteritatem, & experientiam extuli, modestè tamen, ne videar nimis affectare. Vellem tibi aliis in rebus gratificari, sed nullæ mihi sunt facultates; quibus animum meum benevolum, & observantiam erga te possim testatam facere: tu omnia æqui boniq; consule. Cæterùm quàm ægrè, & graviter casum tuum tulerim, & quousque contristatus fuerim, verbis non satis explicare possum, & tibi ex animo condoleo. Interim tamen ad patientiam, & constantiam te adhortor, quandoquidem nobis necessariæ, & utiles sunt in hac vita afflictiones, ut à Lethargo peccatorum nostrorum expergiscamus, nosmet agnoscamus, atque voluptates, & animi passiones calcare discamus, tandemque ad Deum confugiamus. Ille enim fidelis est, nec sinit nos tentari supra id, quod possimus, sed præstabit unà cum tentatione etiam evasionem, ut possimus sufferre. Precor itaque Patrem cœlestem, ut nos in rebus omnibus adversis muniat suo Spiritu, & per fluctuosum hujus mundi oceanum tandem nos ad vitam æternam perducat. Mihi quoque non pauca advenerunt incommoda, & indies adveniunt, ut aliàs ad te scripsi. Et ut verbo dicam, vita nostra ærumnosa, & miseriarum plena est, quibus Deus tandem cum ipsi placuerit, finem dabit. Sed calamitates & afflictiones corporis, atq; rerum caducarum parvi sunt momenti, videamus & Deum invocemus, ut salvam nobis conservet conscientiam, nosque suo Spiritu corroboret, ne sub cruce succumbamus, aut à veritate declinemus.

1. Cor. 10.

Hortor te, imò & obsecro, ut animum tuum ad studium Chirurgicum vertas, ex hoc enim studii genere multas percipies utilitates, quarum præcipua est Dei gloria, & propagatio ipsius omnipotentiæ: ad quam admirandæ illæ operationes & curationes, quas fecisti, ut meis his oculis me vidisse testor, sunt referendæ. Ne sinas igitur talentum, quod à Domino accepisti, in terram sepeliri teque inter servos inutiles numerari. Promovebis item bonum publicum, tibique decus & famam immortalem parabis. Interim quoque dum animus intentus est ad studia, quæ occurrunt adversa in rebus externis, facilius obliviisceris, & sic vitam hilariorem vives. Ego si hac in re tibi aliquid officii præstare possum, meo, uti par est, nunquam deero officio. Scribis, te specimen observationum tuarum Chirurgicarum ad me missurum: nescio, quid hac de re scribere debeam. Recusare mihi non licet: tam benè enim de me meritus es, ut quomodo tibi testimonium aliquod gratitudinis meæ erga te exhibere possim, nondum videam. Persuadere præterea vix audeo, quandoquidem me hebetis & tardioris ingenii, ac in bonis literis parum versatum, tanti viri scripta revolvere, magna esset temeritas. Veruntamen si qua huc ad me mittere tibi placuerit non minorem adhibebo diligentiam, ac si essent mea propria, atque sub tuo nomine in lucem dabo: neque me gravabit labor iste. Eorum scriptorum, quæ mittis, apographum tibi reservare suadeo: sæpè enim scripta in itinere intercipiuntur atque deperduntur. Poteris ea Coloniam ad Dn. *Gotschalcum Monhemium* Pharmacopolam in Campana aurea, in platea Baven Mawren dicta, mitteris; mihi amicitia junctus est, & diligentiam adhibebit, ut ea accipiam. Si qua occurrunt instrumenta nova, & à te inventa, vellem, ut curares illa diligenter delineari: nihil enim, ut scis, magis ferè desideratur in operationibus Chirurgicis, quàm inventiones optimorum instrumentorum, quibus non rarò operationes, quantumvis difficilimæ, facilimæ efficiuntur. Te hac in parte, ut in reliquis Chirurgicis exactissimum & ingeniosissimum esse scio: idque inter plura alia testatur egregia illa operatio & restauratio nasi deperditi, quam ante annos aliquot Lausannæ in puella magna cum laude & admiratione omnium perfecisti, ubi jam vix licet cicatricem conspicere: Illa ante annum nupsit viro. Quæso igitur, ut cures delineari instrumenta á te inventa, ne tecum moriantur. Ego nonnulla rara, & summè utilia excogitavi, quæ publicæ utilitatis gratia, si Deus vitam extenderit, in lucem dabo. Si delineationes eorum, quæ invenisti, cum instructione, quomodo eis utendum, ad me miseris, curabo, ut sub tuo nomine meis addantur. Superiori autumno habuimus hic dysenteriam popularem, ideo de hoc morbo tractatum edidi Gallicum: libenter ad te misissem exemplar: sed mercatores hoc transeunt, non facilè se onerant magnis fasciculis literarum. Succinctus est, sed quantum fieri potuit methodicus, tu poteris à vestris Bibliopolis tibi comparare, examinare atq; censuram & judicium tuum rescribere. Si hujus argumenti rara aliqua observaveris, rogo, ut ea Reipublicæ utilitatis gratiâ communicare nõ graveris, ut in secunda editione tuo nomine quoque illustratum sit opusculum. His vale Vir præstantissime, & Chirurgorum decus, & vive in Domino. Paterniaci Martii die 20. Anno 1603.

Nasi perditi restitutio.

EPISTOLA LXIII.

Reverendo ac Doctissimo Viro,

DN. IOH. IACOBO GRASSERO
Verbi Divini ministro,

Guil-

Guilhelmus Fabricius Hildanus
S. P. D.

QUæ Genevâ misisti, clarissime atque Doctissime Dn. Grassere, amicorum optime, mirum in modum grata mihi fuêre omnia, præsertim doctissima Dissertatio tua de Antiquitatibus Nemausensibus, quam non sine maximâ oblectatione perlegi. Cæterùm post tuum à nobis abitum singularia nonnulla in re antiquaria mihi observare licuit, quæ tibi harum rerum inprimis studiosissimo, communicare non gravabor.

Ebrodunum enim ad nobilissimi Dn. Bartholomæi Mey, ibidem pro tempore præfecti prudentissimi uxorem, morbo gravi laborantem vocatus, cum ibi per dies aliquot subsistere coactus essem, succisivis horis de antiquitatibus inquirendis aliquãdo solicitus eram: Oppidum enim hoc olim fuisse locum celebrem & amœnissimum, historici, & numismata, quæ ibi reperiuntur, fidem faciunt. Porrò cum nobilissimus Dn. Præfectus circa antiquitates me studiosum esse observasset, in pagum quendam Ursin nomine, per filium suum & Dn. Nicolaum à Graffenried, patricium Bernensem, me conducere curavit. Distat autem pagus iste Ebroduno Lausannam versus, duarum horarum, & in colle, atque amœnissimo loco situs est.

Primò ductum ibi subterraneum, testudineatum, & eleganter extractum vidimus: latus est quatuor circiter pedes: profundus verò: ut homo aliquomodo incurvatus commodè per eũ perambulare possit. Tendit ductus ille Sacellum (quod in altiore loco pagi situm) versus. In sacello præterea & cœmeterio murus antiquus, & spissus, fragmenta item marmorea (quæ splendidum ibi & egregium aliquod olim fuisse ædificium, fidem faciunt) conspiciuntur. Inde nos Ionas Ottonin, unus ex primariis ejus loci, extra pagum centum circiter passus in agrum suum conduxit, ibique per rusticos sepulturas ad minimum septem, aut octo detegi curavit. Locus iste petrosus est, sterilis, & ante paucos annos dumetum fuit. Sepulturæ autem in ipsam petram, quę non admodum dura, sed arenosa Sandstein appellant, excavatæ, & insculptæ sunt, nec admodum profundæ, neque nisi terra arenosa coopertæ. Etsi enim olim iisdem lapidibus tectas fuisse, verisimile est, propter temporis tamen diuturnitatem, & lapidis mollitiem omnia facilè à pluviis potuisse collabi existimo. Quatuor autem ex his sepulturis vacuæ erant, forsan quia puerorum, aut juvenum cadavera ibi deposita fuerant. In reliquis præcipuè ossa cadaevrum, cranium nimirum, ossa brachiorum, coxarum, tibiarumq; & eo quidem modo, ac ordine, quo olim cadavera imposita fuerant, invenimus. Ossa verò parva ac tenera, veluti costæ, ossa digitorum, & hujusmodi non inveniebantur. Cadavera omnia Orientem versus respiciebant, nec brachia, nec manus Christianorum more pectori imposita erant, sed ad latera & coxas decumbebant. In duobus horum monumentorum arma, eaque ad sinistrum latus cadaveris posita invenimus: in uno scilicet gladium, qui latitudine pollices duos cum dimidio, longitudine verò viginti continet, ex una tantum parte scindentem, planè eo modo fabricatum, ut olim apud Romanos milites in usu fuisse, numismata, & marmorea monumenta antiqua fidem faciunt. In altero porrò monumento sicam invenimus: omnia tamen rubigine penè exesa sunt, ut videbis, quando ad nos reversus fueris. Laminam præterea ferream, & chrysographatam nacti sumus; videtur fuisse pars scuti. Hinc conjicio modum illum adornandi ferrum, quem nostri Damasquiner nominant, nostro seculo, ut nonnulli volunt minimè inventam fuisse. De scutis enim chrysographatis apud Trebellium Pollionem in vita Claudii Gotici me legisse memini. Collegimus & inter rusticos numismata nonnulla cuprea, inter quæ Augusti, Faustinæ, Claudii Gotici, Galieni, Constantini M. & Iuliani Apostatæ tantum agnoscere potuimus, reliqua rubigine exesa erant. Ex his Magnates ibi inhumatos; & eo tempore, quo Romanum Imperium floruit, Ebrodunum celebrem fuisse locum, perspicuum fit: Quinetiam Gothos ibi habuisse sedem, testantur eorum numismata, quę in agro Ebrodunensi reperiuntur, quorum mihi nonnulla argentea ab amicis communicata, fuerunt. In quodam autem prædictorum monumẽtorum Sceleton magnæ staturæ, & ferè integrum præter ossa digitorum & pedum, invenimus. Hujus cranium præter modum magnum erat, & quod mirandum, dentes omnes & inferioris & superioris maxillæ integri, tamque sani & illæsi erant, ut nihil supra. Cranium tamen hoc, cum ego id integrum è terra evellere, & mecum auferre, solicitus essem, frustatim concidit, præter verticem & bregmata, quæ in musæolo meo conservo: in ista autem parte cranii hæc notatu digna conspiciuntur. Primò spissitudo, quæ duplo quovis alio cranio humano crassior est: Deinde nulla apparet sutura, ut mirum sit, quomodo homo iste ad illam ætatem pervenerit, dentesq; tam sanos habuerit: quandoquidem qui suturis carent, fluxionibus obnoxii, & dentes exesos habere solent, ut ego hactenus in multis observavi.

In alio præterea quodam pago in agro Ebrodunensi Yuorne, & Mordagne nomine, ad lacum sito, pavimentum tesseratum conspicitur, cujus antea quidem frustula nonnulla ad mé pervenerant: nunc verò ejus quoque ocularem inspectionem habui. Est id in horto cujusdam rustici; terrâ tectum, circiter tres pedes, & artificiosè extructum, ut ex frustulo, quod mitto, videre poteris. Plura non licet. Vale Vir doctissime & humanissime, & me, ut facis, ama. Raptim Paterniaci Aventicorum 29. Augusti 1608.

[Margin: ...quitates Ebrodunenses.]

[Margin: Sepultura antiquam in agro Ebrodunensi reperta.]

[Margin: Sceleton ingentis magnitudinis in agro Ebrodunensi repertum.]

EPISTOLA LXIV.

Clarissimo atque Doctissimo Viro,

DN. JOHANNI KÜFFERO,

Doctori Medico Argentinensi celeberrimo, Amico singulari.

Guilh. Fabricius Hildanus S. P. D.

REsponsum tuum ad observationem meam, Vir clarissime juxta ac doctissime; quod te misisse scribis, non accepi: quapropter ut id iterate

rate

Epist. 64. & 65.

Cauteriũ pro fonticulis quomodo applicandũ.

rate velis, rogo. Illustrissimus Princeps, tibi notus, me absente Lausannam transit: alioquin quæ scribis, libenter præstitissem. Mitto, quod petis cauterium meum potentiale, pro fonticulis faciendis. Magnitudo parvi pisi, instrumento illo argenteo, quod mitto, inclusa, sufficit. Emplastro autem aliquo tenaciter adhærente, cooperire convenit instrumentum hoc, ne loco suo amoveatur: Pulvillus quoque ex linteo reduplicato superimponendus, & fascia arctè ligandus est, ne cauterium cum liquescit, circumjacentes partes contaminet. Ita procedendo, & cauteriũ per horas sex, aut octo, vel etiam decem in durioribus corporibus relinquendo, escharam habebis non latam satis, tamen profundam: quæ duabus de caussis mihi summopere probatur. Primò quia absque dolore ferè perficies totum negotiũ, præcipue si scalpello, aut acie novaculæ secundo, aut tertio die (ne materia cum affluit, retineatur) centrum escharæ penitus emortuum exsciderís. Secundò quia venas capillares in ambitu fonticuli, per quas affluentes humores exstillare debēt, conservabis: eschara enim si lata, & nimis profunda fuerit, coalescente ulcere, oscula harum venarum callo obducuntur, minusque commodus & aptus fuit fonticulus.

Cauterium autem ut cito liquescat, locus cui imponendum saliva humectandus est. Hæc tibi reservabis.

Cæterum uxor tua lectissima, quomodo valet? quomodo ipsi successit ante annos duos suscepta curatio: Rescribe, si me amas, & nobilem nostrum ægrum; uti quoque clarissimum Virum Dn. D. Saltzmannus, meis verbis quam officiòsè saluta. Salutat te Dn. Iohannes Durenheimius, Notarius Cæsareus, qui te iterum rogat, ut bulbos aliquot tuliparum, & coronæ imperialis, & si aliquid seminis rarioris pro excolendis hortis habueris, mittas, & precium pro eis à nostris pharmacopolis prælertim à Dn. Iohann. Melchiore Schurmeistero ipsius nomine repetas: ipsemet tibi scripsisset, nisi negociorum mole distractus fuisset. Vale & feliciter vive diu cum lectissima tua conjuge. Raptim Bernæ 15. Iunii 1615.

EPISTOLA LXV.

Idem ad eundem.

De morbo Epidemico Anno 1617. Bernæ, & in vicinia grassante.

Silbertinâ Bernam reversus, clarissime amicissimeque mi Dn. Doctor, tot occupationibus distractus fui, ut maturius ad te scribere non potuerim. Hactenus enim morbus iste Epidemicus ex Italia à militibus nostris allatus, hîc grassatus est: cessat tamen nunc, laus sit Deo Optimo Maximo. Contagiosus fuit, & multos viros egregios è medio abstulit, quorum major pars phrenesi obierunt: alii sopore correpti placidè animam reddidêre: alii post dies aliquot veluti ex somno profundissimo expergefacti, paulatim convaluerunt. Hi de dolore capitis non usque adeò conquesti sunt, uti multi, qui propter maximos capitis cruciatus ita delirarunt, ut sibimetipsis vitam exhausissent, nisi adstantium diligentia obfuisset. Etiamnunc nobilissimum juvenem ex familia Erlachiorum curandum habeo: is ante meum adventum ex morbo quidem isto convaluit: loquela tamen & auditus, imò etiam ingenium ipsum ex parte depravatum est. Cæterùm, quæ promisi, nunc ad te mitto, primò Osteocollam, sive lapidem sabulosum, quem ego ipsemet cum Anno 1613. in Germanam vocatus essem, collegi: præparationem & usum ex centuriis meis colligere poteris. Mitto quoque ossa aliquot triangularia, quæ ad epilepsiam debellandam singularem vim habere expertus sum. Ante sexennium ultra centum horum ossium habui, inter quæ, quod notandum, vix duo reperiebantur, quæ sibi invicem magnitudine & figura respondebant. Dn. Iacobus Probus Pharmacopœus ille Viviacensis, cui ego inprimis præparationem unguenti de Arthanita, quod à me exigis, fidere statueram, ante mēses aliquot epidemica quoque ista lue ex hac luce subtractus fuit. Doleo profectò: fuit enī vix pius, & in sua arte excellens ac fidelis: qui & propter vicinos montes unguentum hocce præparandi commoditates omnes habebat. Quantum mihi hujus unguenti superest, tibi communico, mediamque partem mitto: misissem libenter plus: sed crede mihi, ne umbram quidem hujus unguenti apud seplasiarios nostros invenire potui. Vides quomodo floreat apud nos ars medica. Quamprimum montes nostri propter nives aditum per miserint, & hujus unguenti simplicia in vigore fuerint, nec sumptibus, nec laboribus parcam, donec ego ipsemet ingredientia recuperare, ac compositionem meam specialem præparare possem: cujus tunc te quoque, si Deus Optimus vitam concesserit, participem faciam. Ad observationem meam 38. Centuriæ 3. tibi inscriptam, nullum à te accepi respõsum: quapropter ipsum aut in via deperditum, aut à te neglectum fuisse, certum est: quicquid tamen sit, tu defectum facilè resarcire potes. Superiori æstate aliam tibi inscripsi observationem, de inepta & periculosa applicatione caustici: sed propter peregrinationes varias, & occupationes continuas, missa non fuit; illam nunc benignè excipe, amicè interpretare, & si occupationes permiserint, ad ipsam ocyus responde: præ manibus enim habeo nunc Centuriam quartam observationum, cui etiam illam inseram. Ad excellentissimum Virum Dn. Iohannem Bregenserum prolixè scripsi, & quidem Germanicè, quo conjunx etiam ipsius sciat, quæ circa maritum agenda, aut omittenda erunt. Supervacaneum quidem esse scio, cum tu quotidie ipsi sis præsens: sed quia ita voluisti, & mihi injunxisti, libenter parui. Utinam tibi & ægro satisfecissem. De aliis quoque duabus matronis quid sentiam, Germanicè ad te scribo, quo possis, si ita tibi visum fuerit, ipsis literas meas prælegere. His Vir clarissime ter, quaterve vale, imò cum tuis omnibus, quos tecum ego & uxor mea peramanter salutamus, æternùm quàm felicissimè vive. Clarissimum atque doctissimum Virum Dn. D. Rixingerum uti quoque clarissimum Virum Dn. D. Saltzmannum meo nomine, quæso, saluta plurimum. Dabam Bernæ 16. Februarii. 1618.

Ossa triangularia ad epilepsiam.

EPISTOLA LXVI.

JOHANNES LEPORINUS

Med. D.

Guilhelmo Fabricio Hildano

S. P. D.

Literæ tuæ, clarissime excellentissimeq́; Dn. Fabrici, *amice & fautor colendissime, ad Dn. D.* Küefferum *exaratæ 20. Ianuarij me quidem præsente ipsi exhibitæ sunt: ex quibus tum valetudinis tuæ, (de qua tamen valdè dubitavimus hactenus, quamobrem quod dũ superiori Vere Basileæ viverem D.D.D.D.* Plattero *&* Bauhino *sinistri quid relatum de ea cognoverim) tum omnium rerum statum prosperrimũ intelleximus, de quibus omnibus ex animo tibi gratulamur, nobis vehementer gaudemus: præter enim spem omnem Deus nobis ipse reddidit* Fabricium *nostrum, quem fata nobis acerba eripuisse, dudum satis conquesti sumus hactenus: ô faxit Deus, ut & nobis & multis aliis vigeat, & vivat in longos annos. Si quid de nostris scire desideras, breviter sic habe. Setaceum quod imposuisti Dn.* Antistiti, Johanni Bregenzero, *haud sine effectu abijt, is siquidem pristinæ valetudini ita restitutus est, ut dum materia catarrhosa per factum emunctorium derivata, pulmones non amplius infestaret, illi convaluerint, & ea, quæ ferè consumpta erat musculorum caro, jam iterum florida appareat, corpus vegetum sit, & vigeant artus, exq́; bona illa crasi & temperatura cerebrum etiam novum acquisivit robur, ita ut cuncta, Deo Opt. Max. sit laus in perpetuum, ex voto successerint, unico saltem adhuc relicto symptomate, eo nimirum, quod clara voce ea, quæ vult, proferre non possit prædictus Dominus, ad quam molestiam tollendam, si modum aliquem excogitatum haberes, eoq́; nobis succurreres, magnum profectò quid præstares, illeq́; satis abundè compensaret. Ossa quidem, fateor, tenuia, lata, ex palato exempta ipsi sunt ante duos (si rectè memini) annos, verùm foramen nares versus nullum apparet: ita ut existimare prorsus non possim, inde illud malum, sed potius ex exesa laryngis particula inferiori, arteriæq́; parte superiore ortum traxisse.*

Me quod attinet, superiori ego æstate, postquam Basileæ Doctoris gradu ornatus essem, Galliam adii, in quo itinere perquam libenter te visitassem, verùm tristi rumore, qui tamen non nisi vanus, Deo gratia, fuit, deterritus, per Burgundiam Lutetiam versus me contuli: postmodum Aureliæ aliquandiu, ut & Blæsiis commoratus, familiaritate doctissimi Medici Dn. D. Pauli Renealmi, *& aliorum usus sum. Adventante verò hyeme Argentinam iterum me contuli, quam feliciter ante paucas septimanas de novo ingressus, ibidem usque ad tempus vernum, Deo volente, subsistere constitui. Vnicum est, quod solicitis à te rogo precibus, hoc namque, ut consilio mihi in subsequenti casu adsis. Amicum habeo, qui jam per annum laboravit suffusione oculorum, humore namque crasso & viscido, inter crystallinum humorem & uveam incluso, incœpit primum dextri oculi acies hebescere, donec sensim, & sensim visus ejusdem omnimodè perierit: idem postmodum cum sinistro accidit, ut jam nihil, præterquam exiguam lucem, ac eam vix quidem mane cum surgit, sentiat. Cum verò is sit temperamento melancholico, & corpore valdè sicco, nihilq́; in eo animadverti possit, quod ad defluxionem capitis faciat, inutilem putavi setacei impositionem, licet sciam, Tuam Excell. in oculorum affectibus eodem feliciter aliquoties usam fuisse. Rogo igitur Excell. Tuam summoperè, ut mihi quid in hoc casu faciendum esse censeat, haud gravatim significare velit, an commodum fore putet, humorem talem vel per interna medicamenta digerendum, & evacuandum, ut nicotiana & similibus, vel per externa aliquid absque periculo erosionis tunicarum oculi, tentandum: Sic quidem Aquapendens in lectionibus Chirurgicis proposuit. Hac in re si benevolum ego sentiam experientissimum Dn.* Fabricium, *& summè penè mihi gratulabor, & ipsi omni officiorum genere devinctum me agnoscam. Benè valeat Excell. Tua cum omnibus suis, & officiosam salutem accipiat à Dn. D.* Saltzmanno, *& me etiam, ut & Dn. D.* Küfferi *uxore, ipsum ad manus habere non potui, nec expectandi tempus ulterius datum est tabellione: Ipsa Tua Excell. uxorem honorificentissimè salutare jussit. Argentinæ 27, Ianuarii 1613.*

[margin: Catarrhus ad pulmones setacei beneficio curatus.]

[margin: Suffusio oculorum.]

EPISTOLA LXVII.

Doctissimo atque præstantissimo viro

Dn. JOHANNI LEPORINO,

Medicinæ Doctori.

Guilhelmus Fabricius Hildanus,

S. P. D.

Literas tuas suavissimas, & theses doctissimas, charissime atque doctissime Dn. *Leporine*, accepi, ex quibus te Doctoris titulo ornatum esse animadverti, atque didici. Ex animo tibi congratulor, Deumque suppliciter oro, ut Spiritu suo sancto tibi adesse, studia quinetiam tua ita dirigere velit, ut cùm tibi, tuisque, tum etiam infinitis aliis prodesse possint: inprimis verò, ut per ea gloria Dei amplificetur, utilitas proximi procuretur, & familia Æsculapiadea illustretur.

Nobilem nostrum ægrum Dn. *Iohannem Bregenzerum* ex morbo suo gravissimo per Dei misericordiam cõvaluisse, maximo cum gaudio ex tuis intellexi literis. Vocem tamen etiam nunc aliquo modo depravatam esse, mirum non est. Ex diuturno enim ad asperam arteriam defluente catarrho, organa vocis mirum in modum labefactata, & nonnulla forsan erosa fuisse, nullum est dubium. Verùm quia absque oculari inspectione difficulter hac in re aliquid certi definire possum, summoperè doleo, quod in reditu meo ex Belgio Argentinam pertransire, & optimum istum virum invisere mihi non licuerit.

Ad casum illum de suffusione, quem proponis, propter occupationes, & tabellarii festinationem paucis respondere cogor. Quæris, an setaceum in suffusione prodesse possit? Respondeo, nunquam illud in hoc casu obfuisse, non semper tamen profuisse, hactenus me observasse. In principio enim morbi, cum materia adhuc in motu est, & ad oculos fluit, hoc genus remedii maximi est momenti, materiamque, ne ad oculos fluat, impedit. In confirmata verò suffusione semper veluti inutile fuisse setaceum,

[margin: Epist. 66. & 67.]

[margin: De suffusione. Setaceum an in suffusione conveniat.]

Epist. 67. & 68.

ceum, in multis observavi. Quandoquidem materia illa crassa, viscidaque oculo inclusa, quomodo setacei, imò & medicamentorum beneficio evacuari possit, non video. Confirmatam enim suffusionem nonnisi manuali operatione, acu scilicet auferri posse, experientia me edocuit. Hujus sententiæ quoque *Galenum* de symptomatum caussis l. 1. *Avicennam* lib. 3. fen. 3. tractat. 4. cap. 20. *Celsum* lib. 6. cap. 6. *Guidon* tract. 6. doctr. 2. cap. 2. *Petrum Francum* libro de herniis cap. 52. & 53. *Petrum Pygrium* lib. 2. cap. 2. & alios fuisse, eorum scripta fidem faciunt. Setaceum itaque, quia tuo ægro parum prodesse posse existimo, illud ut applices, non suadeo. Præsidium enim hoc, quod in quamplurimis capitis & oculorum morbis multis profuit, in desperatis morbis apud vulgus odiosum & suspectum reddere non licet. Clarissimus vir Dn. D. *Felix Platerus* setaceum in suffusione omnino improbat: suffusionem enim contra opinionem omnium ex affluxu humorum fieri negat.

Confirmata suffusio nonnisi manuali operatione curari potest.

Plateri de suffusione opinio.

Usum Nicotianæ in hoc affectu non omninò improbo; quandoquidem, teste *Manardo*, calefacit, resolvit, mundificat, & aliquantulum adstringit: corpus tamen ut prius evacuatum sit, necesse est. Fumus enim Nicotianæ materiã non solùm ad fauces, verùm & ad ossa cribrosa & nares trahit: hinc in impuro corpore magis magisq; obstruuntur nervi optici. Deinde quia æger tuus temperamento, ut intelligo, est melancholico, & corpore valdè sicco, rarò ut utatur fumo isto Nicotianæ, suadeo. Conveniunt & mastycatoria ex pyrethro, staphisagria, majorana, mastice & similibus, uti & cucurbitulæ scapulis adhibitæ. Oculis collyrium ex aqua fœniculi, chelidoniæ, rutæ & euphrasiæ instillarem. Aquam autem fœniculi (quod notandum) non ex semine, nimis enim acris est, sed ex herba destillatam esse convenit. Poteris & parum mucilaginis seminis cydoniorum admiscere, ut aliquo modo inspissetur collyrium, neque cnm lachrymis tam citò effluat. Nonnulli saccharum, fel piscium, & perdicum, aliaque cria addunt: quæ quidem in incipiente suffusione non semper spenenda: in confirmata verò absque fructu ægrum macerant; non enim ad locum affectum usque, propter crassitiem corneæ membranæ, & quod lacrhrymis protinus abluantur, penetrare possunt. Restat igitur manualis operatio, quæ exercitatum requirit Cheirurgũ. Vale vir clarissime atq; doctissime, & saluta meo & uxoris meæ nomine celeberrimũ Virum Dn. D. *Küfferum* & lectissimã ipsiu s conjugem. Raptim Lausannæ 8. Februar. 1613.

Nicotiana an in suffusione cõveniat.

Cautio in aqua fæniculi pro collyriis.

EPISTOLA LXVIII.

Clarissimo variarumque scientiarum & linguarum peritissimo Viro

Dn. JOHANNI RHETERIO,

Linguæ sanctæ in Academia Lausannensi Professori dignissimo, Domino & Compatri summè honorando.

Guilhelmus Fabricius Hildanus

S. P. D,

DEntes in utero matris formari, Virun diquaque doctissime, *Hippocrates* & experientia testantur, quod & ego sæpius in dissectionibus abortuum, qui nondum quartũ mensem attigerunt, observavi, sed latent obducti gingivis in alveolis maxillarum, usque ad quintum aut sextum mensem ætatis, vel ultra, prout calor nativus vividus aut imbecillus fuerit. Idque Deus ita injunxit naturæ, ne papillæ matris & lingua infantulorum dilacerentur. Quinto verò hujus mensis Martii, uxor Dn. *Ionæ Merulæ* Pastoris in *Reffudens* puellam peperit, cum dente extra gingivas apparente. Ego heri cum reverendo Dn. *Iohanne Merula* Pastore nostro, socero tuo, hujus rei lustrandæ gtatia, in pagum *Reffudens* profectus sum, ac dentem non solùm vidi; imò (quia papillam matris, & linguam infantis offendebat) extraxi. Fuit autem incisorius ille inferioris maxillæ, qui medius est ordine. Non minus extra gingivam prominebat, ac si infans secundum annum ætatis jam attigisset, & alveolo firmiter satis inhærebat. Durus & acutus est, radicem latam, & aliquo modo excavatam habet. Ex ipso dente ligamentum prominebat robustissimùm, quoal veolo adeò alligatus fuit, ut filo (quemadmodum solemus in pueris) ipsum extrahere mihi non licuerit. Mater tam bono temperamẽto cerebri prædita est, ut nunquam ex dentibus laboraverit: id quoque satis rarum est: Utinam tu & ego possimus de hoc optimo temperamento gloriari. Relatum enim est mihi, non ita pridem à Ludimagistro nostro, defluxiones tuas ad dentes continuare, maximisque te lacerari tormentis. Olim quinque aut sex annorum spatio defluxiones & dolor dentium me ita excruciarunt, ut coactus fuerim partem molarium curare extrahendam, nonnulli quoque carie exesi, sponte exciderunt. Jam verò, quia primis defluxionibus dilatatæ sunt viæ, dolor (laus Deo) ab aliquot annis cessavit. Quæso, ut generationis hujus dentis inquiras caussas naturales, est enim Philosopho digna quæstio. Porrò nudiustertius D. Tribunus me jussit totius Senatus, & suo quoque nomine tibi gratias agere, pro honorifico epigrammate, quod in honorem hujus civitatis armorum conscripsisti, & tractatui meo de dysenteria adjunxisti: oblata occasione, se non ingratum erga te futurum ajebat. His vale Vir doctissime, cum tua conjuge & liberis, quos ego & uxor mea salutamus peramanter. Paterniaci die 12. Mart. 1603.

EPISTOLA LXIX.

Idem ad eundem.

TAndem 23. hujus mensis, vir undiquaque doctissime, & compater plurimùm honorande, tractatum meum germanicum de Gangræna & Sphacelo Principibus nostris obtuli: qui iis omnibus (ut reipsa expertus sum) fuit gratis-

gratissimus. Clarissimum Dn. D. D. *Lignaridum*, *Lentulum*, reliquosque viros doctos tuo nomine salutavi: illi te vicissim salutant plurimùm. Discedens Bernam cum clarissimo viro Dn. D. *Paulo Lentulo* D. *Antonio à Graffenried* & nonnullis aliis ad *Apolloniam Schreiers* puellam in *Galtz*, quæ jam ultra annos duos vitam sine ullo cibo & potu transegit, profectus sum. Illa adhuc in eodem statu permanet, & videtur mihi aliquantum carnosior, quàm fuit superiori anno, cum ipsam cum Præfecto hujus civitatis invisi, præcipuè circa partes pectoris. Mammillas nutricis instar habet: Costæ vix conspici possunt: Vultus item brachia & crura carnosiora sunt, uti & reliquæ corporis partes omnes, excepto ventre, qui dorso planè adhæret, Ingenium habet firmum, visum, olfactum & auditum acutissimum. Sensus in partibus externis videtur aliquomodo depravatus, quandoquidem pulices & muscas non senit. Ego tamen cum in tibiis vellem acie scalpelli explorare, an sanguis adesset, statim alta voce exclamabat, expavescebatque ita, ut ulterius tentare nihil auderem. Injecta tamen ligatura ad carpum dextrum, venæ in manibus sauguine satis turgidæ nobis apparuerunt. Vidimus quoque sudodorem circa nasum, & in fronte erumpentem, & lachrymas (postquam ipsam phlebotomo tetigi) effluentes. Anidmaverti item pustulas nonnullas in manibus, quas præsente Dn. D. *Lentulo & Graffenredio* acu aperui, ex quibus cruor emanabat: inde satis apparet, ipsam nutriri, sed unde? Deus scit: nos cœci sumus omnes hoc in casu; dolus tamen nullus subest. Pictorem nobiscum duximus; qui illam ad vivum adumbrabit. Clarissimus Dn. D. *Lentulus* nobis quoque promisit, se in lucem daturum, quæcunque hactenus hac in re annotavit: illisque effigiem puellæ forsan addet, habent enim jam Bernæ sculptorem non ineruditum. *Thomas* noster (proh dolor) nondum repertus est: scripsimus ad clarissimum Dn. D. *Herculem Saxoniam*, Medicum & Professorem Patavinum, ut ibi de ipso apud illustrem nationem Germanicam inquirat: responsum avidè exspecto. Patrem ipsius mœrore præterito mense Februarii objisse, lachrymantibus literis Matris ipsius *Thomæ* certior factus sum. Cæterùm quantum ad res meas domesticas attinet, omnia, Laus Deo, benè se habent: Uxor mea 26. hujus mensis sub hora undecima noctis, filium mihi dedit, qui unà cum matre, divino favore, optimè valet. Faxit Deus ut ipsum in pietate ad Dei gloriam, & proximi utilitatem educare queam. His vale vir clarissime, & Professionis tuæ decus. Paterniaci 29. Junii 1603.

EPISTOLA LXX.

Idem ad eundem.

Epist. 70. & 71.

TUas, Vir clarissime, & compater perpetuò honorande, unà cum testudine accepi, cujus nomine gratias ago maximas: oblata occasione tuam in me liberalitatem & benevolentiam Deo adante compensabo. Typographus Genevensis, quem tuo & clarissimi *Dn. Goulartii* nomine mihi commendasti, incipit meliusculè se habere: ego nihil eorum omnium, quæ ad humanitatem, & ipsius valetudinem recuperandam pertinent, prætermittã. Sed casus gravis est, & difficilis: quãdoquidẽ ea erat malignitas ulcerum, & ubicunq; pus (quod fœtidissimũ erat) attingeret instrumẽta mea argentea, ea efficeret nigra non secus, ac si atramento intincta fuissent. Jam verò, laus Deo, & fœtor, & malignitas illa ulcerum cessarunt. E regione anteriore ossis furculæ, aut claviculæ, ea in parte, ubi incurvata est, ductum inveni, quem priores Chirurgi non animadverterunt. Is per medium furculæ (quæ carie perforata) retro versus spinam dorsi penetrat, ibique sinum efficit maximum; ex quo 15. hujus, præsente Reverendo Domino *Merula* socero tuo, duas turundas ex spongia factas, & ante duos menses ibi infixas, extraxi: 18. denuò turundam unam ex spongia quoque in eodem sinu inveni. Nunc clavicula nobis apparet, sed cariosa, & quod mirandum, conspicitur ea in parte furculæ, ubi denudata est, foramen rotundum, & ejus magnitudinis, ut hic depinxi. ◯ Caries illa ossis furculæ maximam nobis faciet molestiam, spero nihilominus ipsum pristinam sanitatem recuperaturum. Reliqua enim ulcera tum adjuncturam humeri, tum ad spinam dorsi & è regione homoplatæ, mundificata sunt, & ad consolidationem sese præparant. Literarum clarissimi *D. Goulartii* nihil accepi: Si ad ipsum scribis, poteris ipsi significare, quæ de Typographo scripsi: est enim, ut scio, de ipsius sanitate solicitus.

Vlcus malignum.

Cæterùm cum *Elia* tuo curavi, quod petiisti. In legenda Germanica lingua tyro est: loquitur tamen pro ætate sua satis congruè: sed facilimè omnia defluent, nisi continua intervenerit exercitatio. His vale Vir clarissime, & professionis tuæ (judice *Vtenhovio*) decus. Paterniaci 22. Septembr. 1603.

EPISTOLA LXXI.

Idem ad eundem

GRatias agimus Deo Opt. Max. vir reverende, & compater charissime, quod sanus & incolumis Dio perveneris. Hinc spem & fiduciam tibi nobiscum nancisci licet, hanc vocationem ad Dei gloriam, & ad ædificationem Ecclesiæ suæ profuturam. Nos Deum Opt. Max. suppliciter rogamus, ut faciat quoque ad commodum & emolumentum tuum. De morbo filioli tui summoperè doleo: utinam & tibi, & illi hac in re officium aliquod præstare possem, sed impedit nos infelix distantia locorum. Interim tamen prospiciendum, ne negligatur morbus: Solent enim hujusmodi tumores glandulosi circumcirca collum frequenter indurescere, & malignitatem acquirere, ita quidem, ut postea (præcipuè si erumpunt) curatu difficilimi efficiantur. Inprimis verò pueris, qui naturâ tenelli, & medicamenta acria minimè sufferre possunt. Utatur itaque optima victus ratione, caveat sibi tum ab aëre frigido & humido, tum à cibis frigidis & humi-

Tumores glandulosi in collo.

Victus ratio.

Epist. 71. humidis. Panis sit optimus, benè fermentatus & furfurosus, id est, non omninò furfuribus depuratus. Caro non sit nimis humida, uti nec sicca, inprimis verò porcina, ferina & avium, quæ in aquis degunt, illi adversantur, omnis quoque caro, qualiscunque fuerit, salita, & fumo exsiccata. Sit igitur sicca veluti avium nemoralium, ovium, taurorum, & similium, potius assata, quàm elixa. Ferculis parum utatur, nisi fuerint jusculа carnium, quibus salvia, rosmarinum, majorana, & satureia incocta fuerint. Legumina omnia, olera, fructus etiam horarii, id est, qui facilè corrumpuntur, quemadmodum pruna, cerasa & hujusmodi, pisces quoque & lacticinia omnia, excepto butyro, non conveniunt. Vinum bibat album, sed minimè generosum, quod decocto agrimoniæ, parumque veronicæ utiliter dilui poterit. Corpus ut per intervalla expurgetur, summoperè necesse est. Id quia pilulis capitalibus in pueris fieri nequit, tabellæ diacarthami vel per se, aut in jusculo carnis dissolutæ, exhibendæ sunt ad drachmas usque duas. Aut detur specierum electuarii indi minoris ℨ ß. cum jusculo. Mechoacæ quoque radicum pulvis aliquando exhibitus, non abs re fuerit. Deinde utatur cerebrū corroborantibus & exsiccantibus, tum sumtis, tū admotis. Sumat itaque singulis horis matutinis parum conservæ florum betonicæ, salviæ, vel majoranæ, aut

Cerebrum exsiccantia & corroborātia.

R. Conserv. flor. Betonicæ
Salviæ
Summitat. maioranæ ana ℥ j.
Spec. Aromatici rosati
Diarrhod. Abbat. an. ℨ j.

Cum sufficiente quantitate syrupi de betonica fiat electuarium.

Post pastum utatur miva cydoniorum simplici, aut semine anisi & coriandri præparati. Mirum quoque in modum convenit in hujusmodi affectibus decoctum ligni sassafras, hoc modo præparatum & exhibitum: Corroborat enim & exsiccat cerebrum.

Decoctum ligni sassafras.

R. Ligni sassafras optimi, minutim dissecti ℥ j.
Florum betonicæ p. j.
Herbar. agrimoniæ
Veronicæ ana M. ß.

Macerentur per horas 20. in aqua fontis tepidæ lib. iiij. Deinde coquantur lento igne, & vase benè clauso, usque ad consumptionem tertiæ partis. De colatura moderatè calida, & saccharo parum dulcorata capiat ℥ iij. hora sexta matutina: super dormiat, si possit, aut quiescat per duas horas, nec cogatur, meo quidem judicio, ad sudorem. Caussa enim horum humorum, quam vocant conjunctam, cum materia sit crassa, frigida, & viscida, usu sudoris facilè in scirrhos concrescit. Sat igitur erit, caussam antecedentem, sive fomitem morbi, id est, humorem phlegmaticū in corpore decocto præscripto absumere: interim verò tumores medicamentis exterius adhibitis emollire, discutere & in halitum convertere. Continеatur igitur puer in loco mediocriter calido, cum optima victus ratione, utcunque exsiccante, vitando jusculа & fructus humidos: quorum loco utatur uvis, passulis, & amygdalis, & pane bis cocto. Bibat hoc decoctum per dies viginti, aut per mensem integrum; & purgetur decimo quoque die. Ex residuo decocti prædicti, adjectâ aquâ, parumque passularum, & liquiritiæ, præparetur decoctum secundum, ut vocant: quo utatur in cibis loco vini: aromatizetur pauco coriandro præparato & cinnamomo. Capiti inspergendus est sequens pulvis, ex quo cucupha quoque præparari poterit:

R. Fl. Betonicæ
Stœchados
Rosarum rubearum
Rosmarini
Summitat. majoranæ ana M. j.
Coriandri præparati ℨ ij.
Ligni aloës ℨ j.
Masticis
Thuris ana ℨ j. ß.
Storacis calamitæ
Benzoin
Charyophyll. ana ℨ j.
Moschi grana vj.

Misce, & contundantur secundùm artem, serventurque in vase vitreo benè clauso.

Satis purgato corpore, ad topica perveniendum: illa omnia debent esse emollientia, incidentia, discutientia, parumque exsiccantia. Aplicetur itaque sequens fotus.

R. Rad. Althææ
Bryoniæ
Scrophulariæ majoris &
Ebuli ana ℥ j.
Flor. Chamomil.
Melilot.
Sambuci, ebuli ana M. j.
Sem. Anisi, & fœnugræci ana ℥ ß.

Coquantur in aqua ad consumptionem tertiæ partis: postea madefactâ spongiâ, aut filtro in decocto præscripto calidè applicetur, foveaturque locus per mediam horam, idque bis in in die. Post fotum inungatur collum sequenti unguento.

R. Unguenti dialthææ ℨ ij.
Ol. Lilior. albor.
Pinguedinis gallinæ, anseris, ursi & humanæ ana ℥ ß.
Aquæ vitæ ℨ ij. Misce, fiat linimentū.

Deinde scrophulæ ex consilio *Avicennæ* fortiter digitis comprimendæ sunt. Tandem applicetur emplastrum diachylon cum gummis, cui admixtum sit parum emplastri de ranis. Hac methodo per dies 14. procedendum est: postea decocto pro fomento, linimento item jamjam præscripto parum aceti scyllitici addatur, & loco emplastri diachylonis, gummi ammoniacum aceto scyllitico dissolutum, aut emplastrum nostrum de cicuta, quod in hujusmodi tumoribus præstantissimum esse reperies, applicetur.

Hæc sunt, mi Compater charissime, quæ pro temporis angustia ad te scribere potui. Deus, qui solus author est Medicinæ, benedicat medicamentis, teque pro utilitate Ecclesiæ quàm diutissimè incolumem conservet. Vale Paterniaci Aventicorum 6. die Augusti Anno 1606.

EPI-

EPISTOLA LXXII.

Dn. JOHAN. RUDOLPHO HUBERO
Reipublicæ Bernensis Helvetiorum consiliario prudentissimo

Guilh. Fabricius Hildanus, S. P. D.

TUas, vir præstantissime, atque doctissime primo Januarii Bernæ datas, ante triduum accepi, & affectum tuum gravissimum pedum ex eis intellexi, idque non sine mœrore. Utinam ante annum, cum dolores isti, ut scribis, vehemẽtissimi, pedes infestabant, tibi adfuissem, & dolorem istum aliquomodo lenire potuissem, idque divino adspirante Numine facilè fieri potuisse, persuasum mihi habeo; quandoquidem morbus nondum inveteratus, & natura satis valida est. Id verò quia hactenus omissum fuit, admoneo te, simul & adhortor, ne Idiotis, aut potius summorum Dei in hominem beneficiorum contemptoribus (*qui in Podagra nullum adhibendum esse remedium suadent*) fidem adhibeas.

Dolor enim si articulos, partesque nervosas diu infestaverit, debilitantur non solum membra illa externa, propter concursum humorum, qui ratione doloris affluunt, uti in temetipso expertus es: verumetiam interiora omnia inde labefactantur. Propter continuos enim dolores, vigilias, inquietudinesque intemperies calida circa viscera externa oboritur, sanguis in venis ac visceribus inceditur, appetitus prostratur, nec proba fit concoctio stomachi, multominus sanguificatio in hepate. Inde augetur humor pituitosus, simul & caussa morbi, multique vapores sursum ad caput ascendunt, & obstructiones hinc & inde in visceribus procreantur, quibus tandem varia symptomata, inprimis labefactatio virium, & caloris nativi, qui omnia digerit, concoquit, & vitæ nostræ veluti fomes est, diminutio, humidi radicalis absumptio, aliaque gravissima symptomata insequuntur. Dolor autem, si protinus sedatus fuerit, non usque adeò pertimescenda erunt hujusmodi symptomata. Ego expertus loquor, quandoquidem multos, qui etiamnunc in vivis sunt, ex doloribus podagricis ita restitui, ut deinceps ad longum tempus, imò aliquando annos aliquot à doloribus istis vehementissimis immunes vixerint. Verùm quia parum prodest vulnus, subsistam, & quæ in posterum agenda, tribus verbis significabo: Ubi hæc observanda: Primò ut generatio caussæ morbi impediatur: impeditur autem optima & exquisitissima victus ratione. Secundò, ut partes nobiles corroborentur, calidum innatum refocilletur, & humidum radicale adaugeatur: id similiter fit partim optima victus ratione, partim quoque medicamentis. Tertiò, ut humores, qui ad juncturas defluunt, per appropriata medicamenta per intervalla evacuentur, & beneficio fonticulorum revellantur. Quartò, juncturas, partesque nervosas, ne affluentes humores facilè excipiant, corroborare convenit. Quintò, diligentia adhibenda est, ut dolor, si supervenerit, protinus sedetur. Sed de his omnibus sigillatim disserere, tempus & occasiones, quibus me intricatum video, nunc non ferunt, sufficit mihi in præsens ad quæsita tua respondisse, & de reliquis summatim monuisse. De cæteris posthac, aut per literas, aut si datur occasio, coràm prolixè inter nos, Deo volente, conferemus, & quomodo pedibus succurrendum sit, videbimus. Vale Vir præstantissime, & felicissimè vive. Raptim Lausannæ 9. Iunii 1613.

EPISTOLA LXXIII.

Clarissimo atque experientissimo Viro,

Dn. D. JOSEPHO PLAUNERO,
Medico Bernensi,

Guilhelmus Fabricius Hildanus,
S. P. D.

MIrum in modum, Vir clarissime atque amice plurimùm honorande, de morbo tuo tecum condoleo; idque eò magis, quia gravis est & difficilis, præsertim cum te usum medicamentorum valdè adversari, & nauseam inde maximam contrahere sciam. Quoniam tamen nondum desperatus est morbus, tempus quoque instat optimum aptumve, suadeo, imò obsecro, ut tu, qui tot aliis manum salutiferam in gravissimis desperatisque morbis tam feliciter, maximaque cum laude hactenus adhibuisti, nunc tibi ipsi succurrere non cesses: ego, si hac in re consilio, aut quovis alio modo tibi inservire possum, non deero officio meo. Quod à me petiisti, extractum cardui benedicti, mitto, utinam inde maximum fructum capere possis. Mitto quoque parum extracti juniperi, quod tum in pectoralibus morbis, tum obstructionibus viscerum præstantissimum est remedium, neque ingratum, ita ut facilè eo uti poteris. Fac, ut maturè usum vini aperitivi & laxativi incipias, quo materia visceribus infarcta educi possit. Huic vino ut aliquantum extracti veronicæ (quod similiter mitto, addas, suadeo: summoperè enim convenit obstructionibus hepatis, & si quid visceri illi infarctum est materiæ, per urinam expellit. In pectoralibus quinetiam morbis maximo cum fructu non rarò eo usus sum. Ego Deum Opt. Max. suppliciter oro, ut maximum quoque fructum inde habere possis. Et si qua alia in re tibi inservire possum, non invitus faciam. Vale & me tuum cense. Paterniaci Aventicorum 11. April. 1608.

EPISTOLA LXXIV.

Clarissimo atq; celeberrimo viro

Dn. D. IOSEPHO QUERCETANO
Medico Regio

Guilhelmus Fabricius Hildanus,
S. P. D.

STatui aliquando ad te scribere, vir clarissime, & undiquaque doctissime, & amicitiam olim Genevæ inchoatam tecum fovere, sed tuæ, quas scio, seriæ occupationes, & studia non minus gravia, quàm Reipub. utilia, me ab instituto avocarunt.

Margin notes: Epist. 72. & 73. — Extracti juniperi vires. — Extracti veronicæ vires. — [left margin, partly cut off:] ...res ...grici ...itio ...sunt ...gẽdi.

Epist. 74. & 75.

runt. Nunc tamen humanitas tua me audacem reddidit, ad te scribere. Audio communem nostrum amicum *Iohannem Griffonium*, Chirurgum præstantissimum atque ingeniosissimum apud vos Parisiis diem suum obiisse. Doleo non tantùm ob ipsius in me benevolentiam, atque amorem, sed inprimis ob Reipub. jacturam: vereor enim, ne præclara quædam scripta Chirurgica cũ ipso intereant: Quandoquidem ante annos aliquot incæperat colligere, & concinnare observationes suas Chirurgicas, quas ego Bisantiis apud ipsum vidi: in lucem verò nondum prodiêre. Superiori anno ad me scripsit Bruxellâ & nonnullas ex suis observationibus ad me missurum promisit: sed hactenus ad me nondum pervenerunt. Cum itaque mecum de medio, & homine apto aliquo, qui hoc damnum publicum resarcire posset, cogitarem, tu in mentem venisti. Obsecro, ut Reipublicæ utilitatis gratiâ hunc laborem suscipere, & apud hæredes, an ipsius manuscripta haberi possint, tentare non graveris. Id si facis, & rariora atque digniora in lucem uti spero, mittis, multum tibi devincies posteritatem, & honorem tibi apud omnes literatos parabis. Præterea quia homo fuit ingeniosissimus, instrumẽta Chirurgica excogitavit multa, eaq; utilissima, utinam delineationes in ipsi⁹ adversariis invenirentur, spero tamen, ipsum in eorum delineationibus, & descriptionibus laborasse hactenus: Quandoquidem adhortatus sum ipsum, ne sineret pulcherrimas & utilissimas suas inventiones instrumentorum, secum sepeliri. Hæ delineationes, si suis observationibus insererentur, Chirurgis utilissimæ forent, & opus mirum in modum illustrarent. Multum enim ad operationes dextrè & securè exercendas faciunt instrumenta apta, quod ego etiam indies experior. Pluribus non utor, vereor enim ne te offendam. Vale itaq; vir maxime, & in bonum publicum vive diu. Paterniaci Aventicorum 10. Junii 1604.

Griffonii Observationes.

EPISTOLA LXXV.

Clarissimo & excellentissimo viro

Dn. D. MARTINO RULANDO

Cæsareæ Majestatis Consiliario, & Medico ordinario atq; celeberrimo,

Guilh. Fabricius Hildanus, S. P. D.

Meritò, Vir clarissime, importunitatem meã mihi tanquam ignoto tibi exprobrabis. Sed ignosce quæso: humanitas enim, quæ heri à Viro clarissimo Dn. D. Valentino Rulando, Medico Palatino, Lavingæ mihi exhibita fuit, in caussa est. Accedit & tua erga me benevolentia, quàm inde cognovi, quod tuo jussu problemata Medico-Physica (quæ mihi tam grata, quam quæ gratissima, inprimis quia in iis Chirurgica plurima eaque pulchra continentur, acciderunt) mihi obtulerit. Utinam aliquid ad manus haberem, quo tibi vicissim gratificari, teque pro dignitate remunerare possim. Posthac tamen & quidem cum secunda Centuria Observationum mearum prodibit, ne ingratus sim, operam dabo. Interim tibi operam meam, atque amicitiam offero. Ante dies quatuordecim in Haunsheim perveni, ubi extractioni calculi vesicæ generosi ac strenui Viri Dn. Zachariæ Geitzkofleri (qui nunc ferè, laus sit Creatori, restitutus est) interfui. Operatio ad votum successit. Calculi inventi fuerunt duo durissimi, & rubri coloris: quorum unus drachmas tredecim, alter unam cum semisse pendet. Vale Vir clarissime, & me ut albo amicorum tuorum inscribere digneris, etiam atq; etiam rogo. Ex arce Haunsheimiana 24. Maii 1610.

EPISTOLA LXXVI.

MARTINUS RULANDUS D.

& Cæsareæ Majestatis personæ S. S. Medicus,

Clarissimo & Ornatissimo Dn.

GUILHELMO FABRICIO HILDANO, Medicinæ-Chirurgicę Doctori prętantissimo Dn. & Amico suo amando.

Gratæ mihi, Vir clarissime, fuêre literæ tuæ, mense Majo Lavingæ exaratæ, sed hoc die demum mihi redditæ. Significatio animi tui erga me, ignotum licet, amice affecti, gratissima. Nimirum solidæ eruditionis symbolum. Nescio enim, quid de Stoicis illis censeam nimis sibi placentibus, qui literatorum amicitiam fastidiunt omnem, detractum multum de doctrina, cujus inani duntaxat persuasione ducuntur, sua putantes, ubi in consortium bonos & eruditiores recipere rogantur. Iam olim tuo de Gangræna oblato libello, conatus fui in tuam ire familiaritatem, sed partim loci intercapidene longiori, partim negotiorũ multitudine impeditus, voti compos fieri haud potui. Nunc auspicium hoc esto felix nostræ inter nos amicitiæ, & jacta ejus prima fundamenta. Lithotomiam benè successisse illustrißimi Dn. Geitzkofleri, vobiscum lætor: & non tam patienti, quam vobis, & arti gratulor. Vulnus mihi videbatur semper immedicabile fore; quod æger, si non cachecticus, attamen cacochymicus, & corpus effœtum, nihil laudabilis succi ad illius coalitum suppeditare, pote sit, quemadmodum noster Hippocrates hydropicorum ulcera curatu difficilima pronunciat. Si coalescit, ut Deo, ita & tuæ industriæ, jam omnibus doctis Medicis probatæ acceptum ferendum. Sed vale, & deinceps si nunciaris, per quos meas curem, ponderosiores ex me expectato. Vale iterum meque ama. Ex musæo Pragæ 13. Iulii 1610.

Resp...

EPISTOLA LXXVII.

Eidem Viro clarißimo

Dn. D. MARTINO RULANDO, &c.

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

Summa tua humanitas, vir undiquaq; doctissime, quam ex literis tuis 13. Iulii Pragæ datis percepi, ita mihi auxit animum, ut te in gravissimis tuis occupationibus, scriptis lacessere veritus minimè fuerim. Habebis, si placet, gratam, acceptamque meam in te propensitatem, quæ non aliunde, quam ex ipsis virtutis tuæ fontibus derivatur. Literæ autem, quas 13. Julii ad me scri-

me scripsisti, tandem 14. Februarii ad me pervenerunt. Vides quanta tabellariorum sit negligentia. Pro tua in eis oblata humanitate, gratias habeo immortales, & vicissim sacratissimæ amicitiæ nostræ jura tam ritè colam, ut nihil officiorum, nullaq; grati animi erga te testimonia in me desiderare possis, & literis deinceps aliquando tibi adero. De usu aquæ chalybeatæ in dysenteria quid sentias, intelligere percuperem. Celeberrimus enim, & æterna laude dignissimus vir Dn. D. *Crato* consil. 201. illam dysentericis non concedit, alvumque turbare scribit. Caussam etsi non addat, opinionem tamen hanc non omninò rejiciendam esse, superioribus annis in meis ægris observavi. Puella hic in vicinia *Apollonia Schreiera*, quæ per decem ferè integros annos vitam sine cibo & potu transegit (uti procul dubio ex tractatu à clarissimo viro Dn. D. *Paulo Lentulo* hac de re in lucem edito, vidisti) nunc iterum comedit, & bibit, excrementa excernit, ambulat, dormit, & insomnia habet suavia. Vale vir clarissime, & utere eo, qui tuus est. Raptim Lausannæ 24. Februarii 1611.

[In]edia [Ap]olonia [Sch]reiera.

EPISTOLA LXXVIII.


Præstantißimo atque doctißimo viro

Dn. MATTHÆO QUADO,

GUILHELMUS FABRICIUS Hildanus S. P. D.

PRæterito 10. Januarii binas à te accepi literas, clarissime amantissimeque mi Dn. Compater, unas 18. Junii, alteras 12. Octobris Coloniæ datas, quibus adjuncta erat tabula urbis Hierusalem, ænigmata item, & canticum encomiasticum, cujus nomine gratias ago maximas, pretium tabulæ, & reliquorum, si indicasses, misissem jam pecuniam, fiet id brevi, Deo dante. Præteritis nundinis Argentoratensibus ad te scripsi, & munusculum pro filiola mea à baptismo misi: scribe, an id ad manus tuas pervenerit. Nono Septembris, hora nona noctis, conspectus est ubique in hac regione cometa horrendus, cujus delineationem ad te mitto.

Theologus quidam, & insignis Mathematicus, mihi amicitia junctus Dn. *Elias Mollierius*, de hoc Meteoro scriptum non spernendum in lucem dedit, Scribe quæso, an apud vos conspectus sit, & quo tempore. D. *Casparus Ens*, quid agit (audio ipsum adhuc apud vos vivere Saluta eum quæso meis verbis, ipsumque admoneto, ut ad ea, de quibus in postremis meis ad ipsum scripsi, maturè respondeat. Mitto carmina Gallica, á quodam amico, viro docto in tabula, quam in arce Vicradiana (scis probè qualem intelligo) sculpsisti, conscripta, quibus & mea Germanica addidi, si libet, poteris illa typographo tradere, ut excudantur, & tabulæ adjungantur: Id si fiet, mitte quæso singulis exemplar unum aut alterum. Vale amicorum optimè, & feliciter vive diu cum tota tua familia, quam ego & uxor mea salutamus peramanter. Paterniaci Aventicorum 1. Martii 1604.



Cometa An. 1603. 9. Septembris in Helvetia conspectus.

EPISTOLA LXXIX.

MICHAEL DORINGIUS

Med. D. Clarissimo & præstantissimo viro Dn. GUILHELMO FABRICIO HILDANO, Medico & Chirurgo excellenti S. P. D.

REsponsum tuum die 24. Aprilis anni præcedentis Bernæ ad meas illas, quas præcedentis anni 1610. die 20. Augusti ad te perscripserã, missum, sub Augusti initum anni 1611. accepi: è quo non solum tuum de transmisso casu judicium, sed & de erutis inde problematibus quatuor, sententiã abundè intellexi: in quarum explicatione talem te gessisti, ut inde judicii Tui acumen nulli non patere poßit, neque ego quod amplius desiderare queam, ferè quidquam inveniam; nisi fortaßis in humoris defluxi natura explicatione. Quamquam enim humorem illum tenuem è capite ad calcem defluxum, pituitosum fuisse tibi concedere possem: quæro tamen adhuc, cujus speciei fuerit? Ego ad salsum referendum existimo: & quidem nitrosam pituitam fuisse suspicor: hac enim & tenuis esse, & frigoris sensum imprimere potest. Posterius docebit Nitrum præparatum, id enim contactu linguam frigoris specie imbuere solet: quamob causam in ardentißimis febribus, de gravißimorum Medicorum consilio, & experientiæ testimonio ad restinguendum calorem utilißimè usurpatur: quippe exhalationes sulphureas comprimit, ac compescit. Interim non negem, tumorem illum etiam occultæ nonnullius qualitatis fuisse participem.

Est responsio ad epistolã cent. 3. Obs. 46.

De fotibus & inunctionibus non malè sentis. Quæritur tamen, an non præmißis universalibus, ex eorundem usu aliquid utilitatis sperandum fuerit? Nam quod nihil juvisse visa sunt, id universalium neglectui adscribendum puto. Quomodo autem materia illa è parte affecta aliter quam per fotus & inunctiones evacuari potuerit, non video. Si igitur his remediis

Nitri præparati usus in febribus.

Epist. 79.

Olea per infusione parata poros obstruunt.

dius è parte evacuanda fuerit; quaro porrò, quas remediorum materias eligendas fuisse sentias? Etsi verò olea per infusionem parata, propter unctuositatem cuti illita poros ipsius obstruere videantur: tamen huic rei fotus mederi possunt, qui ante inunctiones usurpandi, uti & illa, quae penetrationem ipsorum adjuvare possunt: qualia pro affectus diversitate diversa esse convenit.

Venæsectionem plenissimè incommodam, & nullo tempore usurpandam fuisse, non solum propter rationem à te adductam censeo: sed etiam quod materia morbifica non per venas, sed alias vias defluxerit ad profundiores pedis partes. Vias si scire desideras, Hippocratis illud tibi perpendendum produco, σύμπνοια μία καὶ σύρροια μία, scilicet omnia in corpore nostro perspirabilia esse, & permeabilia, ipsaq; natura per vias nostro sensui occultas materiam quampiam ejicere novit: cujus rei testimonia quotidie suggerit experientia.

De coalitu & apertione vulnusculorum rectè disseruisti: Atq; hæc sunt, quæ ad priora illa problemata addere placuit: Tuum jam erit, de iis judicare, & judicium prima occasione communicare.

Casus uterq; cujus meministi, notatu dignissimus: prioris tamen origo ex subita contrariorum, ignei veluti caloris, & aqueæ frigiditatis pugna pependit. Ab hac enim corporis calor mirè prostratus fuit, & miror hominem ex ista pugna non subitò extinctum fuisse. Posterioris verò originem pituitæ acri adscribis. Quid si de malo Venereo quippiam subfuisset? id enim tales affectus, si cerebrum summamq; corporis arcem obsideat, excitare Fernel *lib. 2. de abditis rerum causis cap. 14. circa medium prodidit.*

Cæterùm cum de gangræna, & sphacelo nobis sermo fuerit, placet alium casum ad te perscribere, qui consonat illis, qui à te centuria prima observat. 84. propositi sunt. Dum enim superioris anni 1611. mense Iunio Merlavium vocarer, vir ille, qui mihi tunc comes erat itineris, ante annos plus minus quinq; in pago quodam circa Alfeldiam sito, rusticos duos meretriculam (si rectè etiamnunc memini) eandem ambientes mutua dissidia fovisse, cumq; aliquando in caupona eadem convenissent, atq; alter cum meretricula choreas duceret, alter indignabundus ipsum securi, vel sica manuaria (quales rustici utplurimum gestare solent) insecutus est, atq; sicam illam in hypochondrium dextrum, quoad fieri potuit, inflixit. Quem ictum, ut primum sauciatus animadvertit, ignarus adhuc vulneris tam profundi, lædentem adoritur, pugnis malè tractat, ac morsum in unum digitorum infligit: sed animi deliquio correptus, à conflictu abstinere cogitur. Reliqui sicam è latere postea extrahunt. Quid fit? Sauciatus pro moribundo habetur: Vocatur Chirurgus, alter se subducit. Vbi verò post aliquot dies ægrum in salutis portu quodammodo versari inaudivisset, revertitur: reversus de mercede cum Chirurgo paciscenda admonetur: at ipse omnia renuit, & nescio quas tergiversationes prætendit. Interim morsum neglexit, digitus inflammatur, inflammatio iterum negligitur, neglecta in gangrænam abit: Gangræna præsens, quin in sphacelum abiret, Chirurgus prohibere non potuit. Vnde evenit, ut gangræna & sphacelo latius subinde serpente, brachium ad cubitum usq; abscindi ipsi necessarium fuerit. Hic postea adversarium suum de sumptuum, & damni recompensatione accusavit: Verùm alter rectè negavit, partim quòd hic ipse propriâ culpâ hoc malū incurrerit, partim quod sumptuum refusionem sibi itidem antea denegaverit. Alter Chirurgi ope plenè restitutus, tunc temporis rectè vivere dicebatur. Quærebam è viro illo, itineris comite, nunquid non audivisset, viscerum vel intestinorum aliquod per ictum illum læsum fuisse? sed ipse de hac re nihil referre potuit.

Vulnus in hypochondrio dextro.

Ex morsu humano neglecto gangræna & sphacelus.

Observationum tuarum Chirurgicarum Centuriam 2. tandem lucem aspexisse gaudeo: pro exemplari dono dato, gratias officiosas ago.

Ipse etiam libros duos de Medicina & Medicis, adversus Iatromastigas, & Pseudiatros ante annum edidi, in quibus non solum generatim de Medicinæ origine, progressu, dignitate, & Medici officio; Sed etiam particulatim, tam Hippocraticæ & Galenicæ præstantia, quam Empiricæ, Magicæ, Methodicæ, & Paracelsicæ usu, atq; abusu, dissero. Misissem quoq; exemplar, si qua ratione id commodè ad te perferri posset, scivissem: ita enim utplurimum fieri solet, ut vix nudæ literæ rectè tradantur; Quod si per occasionem ad manus tuas pervenerint, in mei quæso gratiam lectioni ipsorum pauxillum temporis tribue, Et non ipse tantum tuum de ipsis judicium mihi aperta fronte expone: sed & in aliorum censuram commodè inquire. Quod si præstiteris, magno certè beneficio me tibi obstrinxeris, Vale & per occasionem primam responde. Saluta à nobis tuos omnes, uti & Dn. D. Lentulum, *ac* Saracenum, *& ut meis illis literis respondere dignentur, meo nomine officiosè roga. Dabantur Bressæ calendis Octobris 1612.*

EPISTOLA LXXX.

Viro clarissimo atque doctissimo

Dn. MICHAELI DÖRINGIO,

apud Breslavienses Doctori Medico longè celeberrimo, Domino & amico meo plurimùm honorando.

Guilhelmus Fabricius Hildanus,

S. P. D.

Respondetur epistolæ præcedenti.

ANte dies octo, vir amplissime, ex patria ad meos in Helvetiam properans, Giessenam perveni; ubi Magnificus Dn. D. *Horstius* Rector Universitatis, simul & alii viri docti humanissimè me exceperunt. Quod te ibi non repererim, summoperè doleo: nihil enim jucundius mihi accidere potuisset, quàm si tua præsentia per horam unam, aut alteram frui licuisset. Diutius, quàm animus erat, in Patria moram traxi: impedimenta enim varia intervenerunt: inprimis verò morbi, & quidem gravissimi, quibus bis confectus, nunc tamen, laus sit Creatori, plenissimè convalui. Detineor hic in arce Haseleck apud nobilissimū virum Dn. *Wolffgangum Adamum Schwalbachium* propter affectum tibi satis notum. Magnificus Dn. D. *Horstius*, simul & clarissimus vir Dn. D. *Faber* in consilium vocati fuêre. Adhibuimus setaceum, reliquaque, quæ ad curationem palliativam spectant, præscripsimus.

Cæterùm binas hic à te accepi epistolas: quarum prima, quæ impressa est à Dn. D. *Fabro*, altera calendis Octobris Bressæ data, à Dn. D.

Epist. 80. Horstio mihi tradita fuit. Ex utraque quantum erga me animatus sis, satis superque apparet. Utinam æternum illud benevolentiæ in me tuæ symbolum, æterno aliquo munere compensare possem. Ne tamen omninò ingratus sim, operam dabo, & quoad vixero, amicitiam nostram scriptis fovere non desinam.

Ad primam epistolā respondere non possum, donec ad Musas meas pervenero: de affectibus enim uterinis varias habeo observationes, quas Deo dante, tibi communicabo: & aut seorsim publici juris faciam; aut tertiæ Centuriæ observationum, (quam præ manibus habeo) inseram: addam forsan & nonnulla de Mercurio vitæ. In altera epistola proponis nonnulla, ad quæ respondere deberem: sed ignosce quæso: non enim omnia, quæ in postremis meis ad te literis scripsi, nunc occurrunt. Historia, quam communicasti, opinionem meam, nimirum morsum hominis aliquid malignitatis in se continere, confirmat. Hinc cum neglectum esset malum, in gangrænam transiisse, mirum non est.

Observat. Gangræna ex levissima caussa orta. De gangræna autem ex levissima caussa progenita (ne planè nudam ad te mitterem epistolam) exemplum unum aut alterum hic adscribere visum est. Ante annos aliquot generosus quidam in Burgundia, ex familia *Wattenvillorum* senex, sed tamen optimo corporis habitu præditus, cum quadam die in digito pedis (si rectè memini) minimo, dolore arthritico graviter laboraret, ipsemet scalpello tuberculum in ipso digito existens perforavit. Cùm verò altè nimis infixisset scalpellum, & fortassis partes nervosas attigisset, auctus est dolor. Mox inflammatio, gangræna sphacelusque cùm supervenisset, præter Medicum ac Chirurgum suum ordinarium, etiam ex proximis provinciis viros eruditos advocare jussit æger. Conveniunt, extremumque remedium adhibent: abscissa quidem ad poplitem fuit tibia, non diu tamen post operationem vitam cum morte commutavit. Ego operationi non interfui, sed totam historiam ante annos duos generosa domina in Gorsier, filia ægri, mihi communicavit.

Rusticus quidam in pago propè Lausannam, cum in agris occupatus esset, spinâ talum aliquo modo sibi punxit. Ab initio malum neglexit: tandem exorta inflammatione, naturæ satisfecit. Ante annos 20. matronæ cuidam Hildenæ idem accidit: cum enim spinâ indicem dextrum sibi punxisset, supervenit dolor ingens, inflammatio, tandemque gangræna atq; sphacelus. Ego eum in consilium adhibitus essem, & digitum in ipso metacarpo amputassem, brevi convaluit. Verùm hujusmodi non usque adeò rara sunt, & utplurimum propter errorem, aut ab ipso ægro aut Chirurgo commissum, accidere solent. Sed & aliquando ex sola fricatione acri inflammationem & mortem supervenisse, exempla habes in prima Cent. Obs. 96.

Ad observationem de uvulæ relaxatione te respondisse, ex Dn. D. Horstio intellexi, sed literæ non ad me pervenerunt. Libros tuos de Medicina & Medicis, primò Fridburgi vidi: placent summoperè; & ut tertium quoque librum maturè in lucem mittere velis, te etiam atque etiam adhortor. Vale mi Dn. Döringi cum tuis omnibus, quos tecum peramanter saluto, inprimis lectissimam tuam conjugem. Raptim ex arce Hasleck 24. Octob. 1612.

Epist. 81.

EPISTOLA LXXXI.

Clarissimo atque Doctissimo Viro,

Dn. D. PAULO LENTULO,

Illustrissimæ Reipublicæ Bernensis Archiatro,

Guilhelmus Fabricius Hildanus,

S. P. D.

Literas tuas, Vir clarissime, per civem quendā hujus civitatis accepi, qui mihi quoque conjugem suam confecto morbo monstravit. Ac quia tuum quoque antea auxilium imploravit, morbum verò non satis declaravit, petiit, ut illum tibi describerem, tum etiam de curatione intentionem meam declararem, quod ipsi denegare non potui. Morbus itaque (ut tu rectè opinatus es) Chronicus est: sex enim abhinc annis, dum in matrimonio vixit, non integra valetudine fruitur. Hujus autem in dispositionis caussa præcipua (aut saltem una ex præcipuis) meo judicio est, eam immaturam nupsisse: statim enim ineunte anno decimo quarto ætatis nupsit. Ac illa, quia à teneris annis valdè tenella, & corporis statura mediocri fuit, existimo tum ex concubitu (qui in hac ætate sine violentia fieri non potuit) tum ex bino partu, partes nobiles labefactatas ac offensas fuisse. Ut enim à cerebro incipiam, illud valdè esse debile, defluxiones continuæ ad pectus & saliva acris denotant: hinc tussi continua, sed præcipuè noctu vexatur. Caput quoque utplurimum grave est & doloribus obnoxium. Hepatis & splenis durities, & oppilationes, denotant tum dolor gravis hypochondriorum, tum durities ipsa, quæ tactu percipitur. Stomachi porrò imbecillitatem arguunt tum dolor è regione stomachi, tum ructus & appetitus depravatio, inde multæ generantur cruditates; quæ tamen à natura non satis expurgantur, quandoquidem utplurimum alvus constipata est, & urina cruda.

Habes itaque, Vir clarissime, succinctam descriptionem morbi. De curatione quid sentiam, nunc paucis aperiam. Existimo ego, obstructiones viscerum naturalium, hepatis scilicet, splenis, venarum mesaraicarum, & renum, præcipuam esse caussam reliquorum accidentium. Itaq; vellem apozematibus aperientibus, & leniter purgantibus, obstructiones, quantum fieri possit, tollere, & humores noxios educere. Interim quoq; partes laborantes cum internis, tum etiam externis medicamentis corroborare, & emplastris atq; oleis, vel unguentis ad id aptis duritiem hepatis & splenis emollire. Reliqua tuo judicio atque summæ prudentiæ relinquo, ac ea quæ præscribes, ut sedulò exhibeantur, operam dabo. Interim dum responsum à te expectamus, victus rationem, prout morbus requirit, ac eclegma; simul & unguentum pectorale præscripsi. Quamprimum

Cerebri debilitatis signa. Obstructionis viscerum curatio.

Epist. 82. & 83.

primum Scordium eruperit, ad te mittam plantas, prout promisi. Post festum Paschatos spero me te invisurum: interim si cista Castelbergii aperiatur, quæso ut libros meos retinere velis. His vale Vir clarissime cum genere, & virtute nobilissima tua conjuge, & liberis, quos ego & uxor mea salutamus demissè. Salutamus & clarissimũ Dn. D. Lignaridum, & Hibenerum. Iterum vale Paterniaci 2 Aprilis 1603.

EPISTOLA LXXXII.

Idem ad eundem.

Dolor Nephriticus.

NUdius tertius, Vir clarissime, & amicorum optime, reverendus D. Merula Pastor noster fidelissimus, vehementissimo dolore colico simul & nephritico (ex flatuum & excrementorum in intestinis, & arenularum, atque viscosorum humorum in renibus, & ureteribus retentione) correptus fuit. Ego summo mane vocatus, ilicò clysterem anodynum, & flatum discutientem exhibui: ex quo non parum levati fuêre dolores. Eodem die sub vesperam, quia dolores ingravescebant, denuò coactus fui reiterare clysterem, & applicare loco dolenti fomentationem anodynã. Heri infusione rhabarbari, & syrupo rosato solutivo clementer ipsum purgavi. Multum pituitæ vitreæ ejecit, sed tanta adhuc restat colluvies humorum viscosorum, adeòque flatus tenaciter intestinis inhærent, ut etiamnunc dolor acerbior sit, & vehementior, præcipuè in sinistro latere. Quapropter te etiam atque etiam rogamus, ut consilium tuum communicare, aut si commodũ erit, tibive liceat, huc te conferre non graveris. Interim dum te expectamus, studiosissimè omnem meam curam, operam atque industriam ad sanitatem ipsi restituendam adhibebo: jam jam enim clysteres reiterabo, & balneum ipsi præparabo. Faxit Deus Opt. Max. ut his, & quæ à te expectamus remediis, & consilio, hunc Reverendum, & pium Virum pristinæ sanitati restituere possimus. Vale Vir clarissime cum nobilissima tua conjuge, quam ego & uxor mea salutamus peramanter. Raptim Paterniaci Aventicorum 17. Iunii 1604.

EPISTOLA LXXXIII.

PAULUS LENTULUS
Medic. Doct.

Ornatissimo viro
Dn. GUILHELMO FABRICIO HILDANO,
Chirurgo rationali, Domino & Amico
S. P. D.

HAEc pauca nunc ad te, vir ornatissime, atq; amice plurimum colende, per Oeconomum vestrum. Ego & uxor mea in magno sumus mœrore, propter filiolæ nostræ obitum, & propter infirmam valetudinem filij, & nuper natæ filiolæ: adeò, ut uxori meæ infelicius puerperium accidere non potuerit. Interea & onus totum rei domesticæ administrandæ mihi incumbit, & operi meo de prodigiosis mediis vacandum etiam fuit. Ipse considera, quàm commodè. Tandem tamen priorem partem absolvi, alteram proximis nundinis, Deo favente, emissurus. Exemplar primæ hujus partis ad te mitto, quod ut boni consulas, rogo. Cæterùm est, quod te moneam, Danielem Episcopum electum fuisse in Oeconomum Insulæ. Eligendus est alter, qui in ejus locum succedat. Competitores sunt plurimi: ex Magistratu pars huic, pars illi favet. Concursitationes plurimæ. Mihi sanè ad hanc usq; diem neminem compellare licuit, propter caussam, quam supra dixi. Hac septimana dabitur occasio aliquos alloquendi. Sed interim tu ipse dispice, quid tibi animi sit, & quid nos facere velis. Ex Oeconomo, quali in loco sit hujus rei negocium, facilè intelliges. Tua præsentia non esset inutilis. Pharmacopœus Johann Melchior *mecum hac de re loquutus est: & tibi aliquid esse indicandum censuimus. Fortasse & ipse ad te literas dabit. Vale vir ornatissime & amice singularis. Bernâ raptim 16. Augusti 1604.*

EPISTOLA LXXXIV.

PETRUS KIRSTENIUS
Philosophiæ & Medicinæ Doctor

Viro clarissimo, ac celeberrimo
Dn. GUILHELMO FABRICIO
Medico, & Chirurgo Paterniacensi primario
S. P. D.

NUnciarunt mihi salutem tuam doctissimi & amicissimi mihi duo viri Iuvenes, Medici, Iohannes Creutzman, & Andreas weickius, *quorum hic nomini nostro theses suas inaugurales Medicas inscribere voluit, quo facto mutuam nostram animorum conjunctionem adumbrare voluisse videtur. Ille verbis tuis epistola sua, benevolentiam nostram mutuam, & amicitiam primus plantavit. Meritò itaq; mihi hoc nobile par juvenum, quoad vixero, commendatum erit, idem ut abs te fiat, unicè peto.*

Quia verò intellexi, te librum primum Gramaticæ meæ Arabicæ Bibliothecæ tuæ inseruisse, volui adjectum hoc levidense, primi mei in restituendo Avicenna *laboris exemplar transmittere, etiam atq; etiam rogans, ut hoc æqui boniq; consulere, & Germanum, ac syncerum de hoc meo instituto, ac conatibus judicium liberè proxima occasione communicare velis. Hoc facto, eò confidentius tecum de quibusdam casibus Chirurgicis scripto agam. Statui enim, suo tempore non pauca in arte nostra hac divina, ad Principem hunc nostrum annotare, quæ certè in praxi quotidiana minus hactenus rectè observata sunt. Vale dabam 27. February Anno 1610. Breslæ.*

EPISTOLA LXXXV.

Clarissimo ac æterna laude dignissimo Viro
Dn. D. PETRO KIRSTENIO
Philosopho & Medico summo atque doctissimo, nec non Arabicæ linguæ lumini celeberrimo,
Guilhelmus Fabricius Hildanus,
S. P. D.

Respondetur ... dem

QUum nunquam mihi magis in votis fuerit, Vir amplissime, quàm ut ubique inter literatos ac pios viros amicos mihi adjungerem, meritò sanè literæ tuæ (quas ante paucos dies hic Basileæ, ubi nunc per mensem integrũ apud illustrem quendam ægrum detineor) non mediocriter

Epist. 85.

ter me exhilarare debuerunt. Et quomodo non exhilatassent? quandoquidem in iis non solùm amicitiam tuam ultrò mihi offers, verumetiam eandem non fictam aut larvatam, sed veram atque candidam esse splendido, mihique gratissimo dono, transmisso *Avicenna* scilicet tuo (quomodo enim tuum non appellem, cui pristinum suum splendorem restituis?) confirmas. Ex his omnibus veritatem eorum, quæ clarissimi ac doctissimi viri, Dn. D. *Andreas Weickius & Iohannes Creutzmannus* toties prædicarunt, summam scilicet doctrinam, eruditionem, diligentiam, ingentemq; tuam humanitatē, facilè mihi cognoscere licuit. Nunc quidem officii mei esset, vicissim gratitudinem animi mei munere aliquo erga te declarare: quid autem, quod tibi condignū sit, offerre possim, non video. Ignosce itaque, quæso, si Antidorum in aliud tempus differre coactus sum. Interim tamen inchoatam amicitiam nostram, quoad vixero, sanctè & religiosè conservare, ac fovere conabor, mihique inter tot amicos, quos Deus mihi in Silesia vestra suscitavit, non postremum locum obtinebis. Cæterùm quantum ad institutum tuum circa restaurationem *Avicennæ*, meum non est, de his, quæ captum ingenii mei multum excedunt, judicare. Quia tamen me provocas, & quid de conatibus tuis censeam, ex me intelligere cupis, syncerè dico, Deumque testor, non satis admirari me posse labores, quos circa collationem variorum exemplorum suscipis, nec non multas alias molestias, quas circa hujusmodi labores quotidie occurrere scio, sustines; Quinetiam expensa maxima, quæ hac de re facis. Utinam Principi aut Regi alicui regius hicce labor cordi esset, qui tot labores, totque expensa benignitate aliqua remunerare, atque hoc medio ac erga rem literariā liberaltate, perpetuam gloriam sibi comparare vellet. Sed hoc exulceratissimo seculo viget Mars, jacetque contemptus Apollo. Ab instituto tamen ne desistas, quæso: est enim labor non tantùm utilissimus, verumetiam maximè necessarius, ex quo ad Æsculapiadeam familiam maximus fructus proveniet: tibi verò nomen famamque perennem parabis. Hoc tamen vereor, quia opus, ut video, in multa volumina excrescet, & nonnisi multis numeratis pecuniis comparari poterit, ne mox aliquis ex ipso medullam, ut dici solet, exugat, laboresque ac vigilias tuas in suum commodum, tuumque detrimentum convertat: Uti Dn. *Henrico Stephano* piæ memoriæ, cum suo thesauro linguæ Græcæ olim accidisse memini. Sed fortassis privilegia Imperatorum, aliorumque Regum & Principum hæc impedire poterunt. Et quia vitam unius hominis ad præstanda omnia ea, quæ in hoc Authore, tam ad correctionem textus Arabici, quam etiam versionem Latinam, & quidem elegantiorem & correctiorem desiderantur, vix sufficere video, præstaret forsan, ante omnia Authorem huncce in elegantiorem linguam Latinam vertere, & à tot mendis, tantisque gravissimis erroribus repurgare. Poteris & hinc inde, ubi controversiæ occurrunt, ex collatione diversarum lectionum textus Atabici, pro tua prudentia, summaq; eruditione, genuinam mentē authoris proferre; Hoc profectò esset, meo quidem judicio, opus utilissimum, & ab omnibus acceptissimum. Sed quia ego, ut cœcus de coloribus loquor, obnixè rogo, ut hancce audaciam meam amicè intelligere, atque interpretari velis. Præpotens Deus Pater cælestis, propter filium suum, te superstitem in multa provehat secula, & Spiritu suo sancto corroboret, faciatque ut labores tui indefessi Rebuspublicis, tibique ac tuis utiles sint, ac salutares. Vale vir amplissime, meque amare perge. Basileæ 2. Maji 1610.

Epist. 86. & 87.

EPISTOLA LXXXVI.

Viro amplissimo atque Doctissimo,

DN. D. PETRO PAVIO,

Anatomicæ & botanicæ Professori longè celeberrimo, in inclyta Academia Lugdunensi Batavorum, Amico meo plurimùm honorando,

Guilhelmus Fabricius Hildanus,

S. P. D.

SImilitudine studiorum, Vir amplissime, non rarò procreari amicitiam, in te expertus sum. Quandoquidem ego Anatomicæ scientiæ studiosus, jam à multis annis animum ad te, Anatomicum longè celeberrimum adjeci, & ut aliquando amicitiam atque benevolentiam tuam colligere possem, sæpius exoptavi, eamque præcipuè ob caussam superiori autumno iter meum Coloniā Lugdunum institui. Porrò te vicissim optimè erga me animatum esse, humanitas illa, qua me excepisti, testis est. Itaque ut inceptam inter nos amicitiam conservare, atque fovere possim, omnes nervos meos, quoad vixero, meritò intendam, teque, nisi id ægrè feras, aliquando Deo volente, literis invisam. Ante paucos dies ad Dom. D. Bauhinum scripsi, eumque tuo nomine salutavi: ante mensem enim Martium Basileam & ad meos vix me recipere potero. Interim si quid ad me rescribere placuerit, literas Amstelrodamum ad Dn. Wilhelmum Geilenbach transmittere poteris: ille enim mihi amicitiā junctus est, & literæ ut ad me perveniant, libenter operam dabit. Mitto munusculum, primam scilicet Centuriam Observationum mearum: utinam tale esse scriptum, ut voluptatem aliquam ex ipsius lectione capere posses. Interim tamen, ut gratum acceptumque tibi sit: inprimis autem, ut omnia amicè interpretari velis, etiam atque etiam rogo. Vale Vir amplissime, & Anatomicæ scientiæ lumen longè celeberrimum. Raptim Coloniæ 16. Ianuarii 1612.

EPISTOLA LXXXVII.

PETRUS PAVIUS

Med. Doct. in illustri Academia Lugdunensi Batavorum Medicinæ Professor.

Clarissimo, doctissimoq; viro

DN. GUILHELMO FABRICIO HILDANO Medico, Anatomico, & Chirurgo celeberrimo, Amico honorando

S. P. D.

Verißi-

Epist. 87. VEriſſimè veteres, Hildane clariſſime. Magnes amoris amor. *Ab eo tempore, quo tu ſingulari humanitate, me conveniſti, neſcis, quam me cœperit tui deſiderium; quanti te fecerim, quam exoptarim te ſalutare; cum ecce ultro tu pulſas amicitiæ fores, quod cum ita tibi viſum, crede mihi, habebis nos ſæpius hoſpites. Mitto haſce Coloniam, ſi grave non ſit, occaſione data, & ubi per occupationes licuerit, ſignificare, qua ratione commodè ad vos literas mittere potero, oſtendam quanti faciam ſingularem tuam eruditionem, cum inſigni illa modeſtia, ac humanitate conjunctam.*

Tu interim rogo benigniorem partem interpretare (quod pro innata tua humanitate ac prudentia te facturum confido) neglectam à me hîc cum eſſes officioſitatem: tribue id quæſo domeſticis meis curis. Animus æger erat, afflictus, imò proſtratus conſortis chariſſimæ, tam diuturno fataliq; decubitu: illam ſummus Deus ex hac lacrymarum valle in meliores ſedes evocavit. Si aliquando res veſtræ ita ferunt, ut hæc loca inviſere, aut è tuis aliquem huc mittere placuerit, volo (imò pro inita noſtra amicitia jubeo) ædes meæ hoſpitii loco vobis ſint: experiemini, nos hiſce locis, ſi non reipſa, conatu tamen animoq; quoad amicitiæ culturam nemini cedere. Conatu dico: quis namq; vobis hac in parte par eſſe poſſit? accedis non ſolum ultrò amicè compellas, offerens amicitiam, ſed & inſuper primus ſcribis, jungis munus non contemnendum. Fateor non illubenter, deſpero de redhoſtimento, id tamen mihi animum addit, quod te ſperem virium noſtrarum defectum, humanitate & in nos benevolentia tua ſuppleturum. Hac confidentia amicè, & officioſè te ſaluto, offeroq; me, meaq;. Vtere, fruere vir optime, nihil petes, aut imperabis, cujus non ſedulum experturus es exſequutorem: Magnum Bauhinum *à me ſaluta.*

De valvula inteſtinali. *quam nos hic laboramus in inteſtinali illa valvula, diligentiſſime licet, ac accuratè locum illum non ſemel examinaverim, omnia examinaverim, omnia excuſſerim: tamen præter circulum, ſive annulum limbo conſpicuo prominentem, invenire potui nihil. Vult* Piccolhomineus *tres ibi eſſe valvulas, ſimiles valvulis cordis:* Varolus, Laurentius, *& ex quo ſua hi habent,* Bauhinus *unam. Næ ego me felicem judicarem, ſi modum rationemq; hanc rem inveniendi doceri poſſem. Tu non parum in hoc negocio poteris, vir amice, (ut autem velis rogo) utpote præterquam, quod clariſſimo* Bauhino *familiaris ſis, ipſe in re Anatomica (quod excellentiſſima tua ſcripta teſtantur) verſatiſſimus. Fac quæſo, ut aliquando per te certior hac de re factus, non ſolum Academiæ noſtræ, verùm univerſæ Europæ innoteſcat, quantum in ſtudio Anatomico per vos profecerimus: non illubenter namq; verum publico ſcripto meum, quo hactenus laboravi defectum, veſtramq; benevolentiam celebrabo. Vale vir Doctiſſime, ſummus Deus te tuis, nobis, Reipublicæq; literariæ diu ſervet incolumem, quod veris votis opto. Lugduni Batavorum* 8. *Martii* 1612.

EPISTOLA. LXXXVIII.

PETRO PAVIO PHILOSOPHIÆ ac Medicinæ Doctori excellentiſſimo, & in Inclyta Academia Lugdunenſi Anatomico, & Botanico ordinario, & longè celeberrimo.

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

Reſpondetur epiſtolæ præcedenti. LIteras tuas humaniſſimas, & tuæ erga me benevolentię plenas, Vir ampliſſime, accepi: ex quibus quantum clariſſimo viro, qui tam promptè, imò & in ipſo luctu, & inter lachrymas, ad meas reſcripſit, & ultrò omnia humanitatis officia obtulit, obſtrictus ſum, facilè agnoſco: Utinam clariſſimo viro officiis reſpondere poſſem: Interim tamen oblatâ occaſſione, ne omnino ingratus videar, operam dabo. Mitto tractatum meum de Combuſtionibus, aliud quod mitterem, nunc nihil habeo. Structuram oculi (in qua omnes ferê partes oculi ad vivum adumbrantur) quam promiſi, mittere non poſſum, priuſquam ad muſæolum meum reverſus fuero. Sed & ad finem menſis Maji uſque forſan hic, & in vicinia mihi perſiſtendum erit. Varia enim occurrunt, quæ retardant: inprimis verò morbus graviſſimus chariſſimæ matris meæ, quæ nunc 79. annum ætatis ferè abſolvit, & hydrope laborat.

De obitu conjugis chariſſimæ tecũ ex corde condoleo: utinam familiæ tuæ diutius præeſſe, tibique ſolatio eſſe potuiſſet. Verum, quia Deo Optimo Maximo aliter viſum fuit, patienter viſitatio illa divina ferenda eſt. Et meritò quidem. E turbis enim, atque miſeriis hujus vitæ ipſam ad meliorem, ad quam nos quoque adſpiramus, advocavit. Olim in hac lachrymarum valle, veluti in Oceano à fluctibus, hoc eſt, miſeriis, quibus vita noſtra obnoxia eſt, hinc & inde agitabatur: Nunc verò quieſcit, & æternis gaudiis cum omnibus fidelibus fruitur. Quapropter rectè & piè cecinit Poëta:

Munde vale, nulla hic eſt conſtans patria; cœlum
Per te Chriſte datur patria firma piis.

Quamprimum Baſileam pervenero, de valvula, Deo dante, cum Dn. D. *Bauhino* loquar, illamque inveniendi rationem, & modum, quo ille utitur, ex ipſo inquiram, & clariſſimo viro ſignificabo. Ego cum aliàs, tum præcipuè Anno 1595. Genevæ, & anno 1601. Lauſannæ in publica diſſectione illam parvo cum negotio inveni. Per inteſtinum enim rectum infuſâ aquâ, ne guttula quidem permeabat valvulã, imò & folle inflato inteſtino, flatus ipſe ante valvulam retinebatur, etiamſi vi comprimerem inteſtinum. Contrario autem modo infuſâ aquâ, aut inflato inteſtino, nihil quod obſtaret, obſervare potui. Sed de his aliàs plura. Literæ tuæ ut tuto ad me perveniant, in poſtremis meis ad clariſſimum virum literis commodiſſimam oſtendi viam. Vale vir ampliſſime & Anatomicæ ſcientiæ ornamentum æterna laude digniſſimum. Raptim Coloniæ 29. Martii 1612.

Ratio inveniendi valvulam illam inteſtinalem.

EPISTOLA LXXXIX.

PETRUS PAVIUS Med Doctor GUILHELMO FABRICIO Hildano, Medico & Anatomico celeberrimo S. P. D.

Reſpondetur epiſtolæ præcedenti. G*Ratum fuit, Vir clariſſime, intelligere meas tibi redditas, gratiſſimum, quod idipſum intelligebam. tibi*

tibi non ingratum: ita namque testantur tuæ 29. Martii Coloniâ missæ, quibus junctum de combustionibus tractatum, amplexus non solum sum, verùm sine mora avidè legi & perlegi. Dico, sine assentatione, nihil me unquam in illa materia legisse, quod cum tuo doctissimo scripto comparari posit, sive methodum spectes, accuratum judicium, sive (quod maximè me affecit) singularia, quæ traduntur remedia: Vulgare ibi nihil est. In precio mihi futurus es is libellus, quemq; Chirurgis nostris ita commendabo, ut certus sim, non paucis id maximo futurum emolumento. Fateor itaque ego, me tibi vir clarissime multis nominibus debere, futurumq; apud me nomen tuum sanctum, dum superest Lachesis quod torqueat, non solum etenim verbis amicitiam offers, verùm insuper muneribus (quibus referendis par esse nequeo) me afficis: & quod omnium maximum, solaris in hac familiæ ærumna. Amplector, iterum dico, hunc tuum probitatis humanitatisq; plenum in me affectum, ac animum, polliceorq; me nullam prætermissurum occasionem, de te, tuisq; bene merendi, quoties occasio se obtulerit. Gratum fuerit, si occasione data, nostro nomine officiose salutaveris celeberrimum Bauhinum: à quo si doceri possemus aliquando exactè modum rationemq; inveniendi intestinalem valvulam, ne nos beaveris. Pudet me stupiditatis nostræ in adsequenda tam singulari observatione, quamq; adeò dilucidè & describit, & pictura exprimit vir clarissimus: eoq; magis me tenet desiderium intelligendi, qua in re hallucinatio nostra consistat. Post tuum à nobis abitum in duobus subjectis magnâ adhibitâ curâ, ne dicam molestiâ (nam inquisivi in hanc rem in intestino fæcibus adhuc repleto, ne locus violaretur) in negotium hoc incubui, descriptionem picturamq; Bauhiniam adhibui: verum membranosæ valvulæ ne vestigium quidem deprehendere potuimus, licet jam aliquot annis observatum, à me, annulum, sive circulum prominente limbo exstantem spectatoribus conspicuè exhibuerim. Si intestina à mesenterio non separentur, infundaturque per rectum aqua aut flatus subsistent, nec transibunt, ubi ad circulum pervenerint, verùm illud facit brevis intestini dicto loco gyratio, & in se contractio potius, quam impedimentum aliquod, aut repagulum membranosum. Etenim ita cum mesenterio aperto intestino, si hic locus examinetur, nihil se unquam operculi valvulosi nobis exhibuit. Tanto teneor desiderio semel cognoscendi hanc rem, ut ne quidem precio, ac sumptibus parcere velim; eo magis, quod non deesse videam, qui plures hoc loco statuant valvulas: quod videatur clarissimi Bauchini pictura inversum habere situm, si illa exprimi debeat valvula, talis namque si existeret, chyli descensum impeditura videretur potius, quam fœdum refluxum. Quæso ex hoc labyrintho nos educito, & cum tuis diu vivito, salutatus officiosè à tui nominis cultore observantissimo. Lugduni Batavorum 18. Aprilis 1612.

EPISTOLA XC.

Clarissimo atque Doctissimo Viro,

DN. D. PETRO UFFENBACHIO, Illustrissimi Principis, ac Dn. D. LUDOVICI Landgravii Hassiæ, &c. & inclytæ, Reipub. Francofurtensis Medico ordinario, Amico singulari,

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

Miraberis procul dubio clarissime, & charissime mi Dn. D. Uffenbachi amicorum optime, qui fiat, quod præteritis nundinis Francofurtensibus nullas ad te dederim literas, sed pro summa humanitate, atque in me benevolentia ignosce, quæso, mihi. Non enim licuit fidem meam liberare: quandoquidem superiori mense Decembri 12. die Francofurto à vobis discedens, & nonnihil à via recta, ut nobilissimum quendã Virum in Ducatû Wittenbergico inviserem, deflectens, in via catarrhus satis vehemens ad pulmones mihi delapsus est; is iter meum aliquantum retardavit: Argentinæ enim & Basileæ ad dies aliquot mihi persistendum. Tandem cum 15. Ianuarii per Dei gratiam feliciter ad meos (uti forsan ex clarissimo Viro Dn. D. Ioh. Hartmanno Beyero communi nostro amico, ad quem ante mensem scripsi, intelligere potuisti) reversus essem, multis, continuisque negotiis à studiis distractus fui. Deinde in quarta Centuria observationum, quam nunc ad prælum adorno, laborandum mihi fuit. Hinc fit, ut quæ in Albucasin promisi, nondum præstare potuerim; sed & an omnia præstare potero, multum dubito: negotiorum enim multitudine impedior, multa prætere in hoc Authore adeò obscura occurrunt, ut nisi aliquis in Arabica lingua versatus sit, aut Avicennam, aliosque Arabes diligenter legerit, vix sese extricare poterit. Sequenti tamen hyeme, si Deus Opt. Max. vitam concesserit, periculum facere conabor, & si quid hac in re præstare potero, in bonum publicum, pro virili faciam, quàm libentissimè.

Cæterùm dum hæc scribo, & generosos tuos conatus ac indefessos labores, quos circa scripta majorum, ac parentum nostrorum in re Medica suscipis, perpendo. Aurea illa Isocratis occurrit sententia, qua olim hi, qui sepulchra parentum, ac eorum, à quibus beneficia acceperant, non ornaverunt, veluti ingrati, ac impii reprobabantur, & ad munia publica veluti indigni non admittebantur. Superiori seculo perpendentes hæc Carolus hujus nominis V. Roman. Imperator, & Franciscus I. Rex Christianissimus, non laboribus, non sumptibus pepercerunt, quo antiquorum scripta, penè deperdita, & mucore, ac tineis ferè exesa, ad pristinum splendorem revocare possent. Qua in re non minorem gloriam, ac sempiternam memoriam, magnumque ac memorabile nomen, quàm heroicis ab ipsis rebus gestis sibi comparaverunt. Tibi quoque, ne quis vitiũ ingratitudinis exprobrare possit, antiquorum, & quidem præclarissimorum præceptorum nostrorum, qui nobis, ut divinus monet Hippocrates loco parentum esse debent, scripta è tenebris ad lucem revocare studes. Vidi id superiori anno, non tantum cum Gordonii opus à te prodiret, verumetiam cùm in Musæo tuo opus illud Cheirurgicum ex Bruno, Lanfranco, Rogerio, Bertapalia, Guilhelmo de Saliceto, Guidone, aliisque divinæ artis nostræ antistitibus conflatum mihi monstrares, & quibusdam floribus fragrantibus horum Virorum, de Chirurgia optimè meritorũ, monu-

Epist. 90. monumenta adornare studeas, simul quoque indicares. Rectè profectò facis, charissime mi Dn. Doctor, & ut in ea, quam ingressus es, via strenuè progrediaris, authoresque illos ex cymba Charontis revoces, sedulò te adhortor: non amplius enim illos venales extare pro certo scio: Quandoquidem Venetiis, & Parisiis per Amicos, Lugduni verò, Coloniæ, Augustæ, Basileæ, Francofurti, aliisque in locis frustra illos ipsemet perquisivi aliquoties, quapropter per multos annos opus hocce non, nisi ab amicis mutuò habui: donec tandem excellentissimus ac doctissimus Vir Dn. M. Conradus Pfisterus Basileensis, ejusdemq; inclytæ Academiæ Professor celeberrimus, amicus meus singularis, propter mutuam nostram amicitiam, in meum commodum, suumque incommodum, suam spoliavit bibliothecam, meamque hoc opere ditavit.

De Bruno, Lanfranco, Guidone cæterorum antiquorum Chirurgorũ opinio.

Authores porrò istos quod attinet, etiamsi eorum stylus atque elocutio impolita sit; (nonnulli enim eorum ante trecentos sexaginta annos, cum artes liberales propter bella ad maximam barbariem redactæ, floruerunt) doctrina tamen eorum adeò est perspicua, ut quid amplius ad studium Chirurgicum rectè instituendum, ac praxin cum laude & ægrorum commodo exercendam desiderari possit, nondum videam. Ex ipsissimis enim & limpidissimis fontibus Hippocratis, Galeni, Pauli Æginetæ, Avicennæ & Dioscoridis scriptis, doctrinam, quam proponunt, hauserunt, collegeruntque. Deinde quæ apud prædictos authores confusè traduntur, magno cum labore in ordinem certasque classes redegerunt; ac proinde Chirurgiam (quæ ipsorum temporibus, sub & post Fridericum II. propter bella quibus universa ferè Europa arsit, præcipuè Italia, propter factiones Gibellinorum & Guelphorum, floruit, magnoque in honore habita fuit) mirum in modum illustrarunt, ac famam laudemq; immortalem meruerunt. Ab eorum prætereà temporibus, etsi Deus Opt. Max. sæpissimè ingenia divina suscitaverit, quæ artem mirum in modum illustrarunt, inter quæ lumen illud Italicum Iohannes Andreas à Cruce, ac maximus Ambrosius Paræus non infima: nullus tamen sanæ mentis propter barbarum stylum eos contemnet; multò magis veluti Præceptores fidelissimos, honoribus afficiet: quandoquidem, ut Celsus refert, *Morbi non eloquentia, sed remediis curantur.*

Antiqui authores propter stylum non contẽnendi.

Scio equidem superiori seculo quendam extitisse; qui nescio quonam Spiritu ductus, non tantùm in Hippocratem Medicinæ verè parentem, Galenum, item & Avicennam; verumetiam Lanfrancum, Brunum, Rulandum, Guidonem, Vigonem cæteraque præclarissima lumina, ubique latrare conatus est, eorumque scripta leoninis dentibus dilacerare totum suum studium convertit. Interim tamen ipsum nihil nobis, unde quis Chirurgicam artem ex fundamentis ediscere, & in perfectum practicum evadere possit, reliquisse video: etiamsi & ipse & ipsius discipuli sua ad cœlum usque extollant, reliquaque improbent omnia. Sed dum ipsi aurea Hippocratis, Galeni, Avicennæ, cæterorumque rationalium scripta explodere, & ad Orcum detrudere student: optandum esset, ut id potius solidis rationibus, quàm stolidis convitiis, injuriosissimisque ac iniquissimis calumniis facerent; nec non præstantiora in commodum studiosorum Chirurgicæ artis, simul & commoditatem ægrorum in medium producerent: non autem ingenia tenella, judicio experimentisque nondum satis confirmata, ambiguis suis scriptis in studiis retardarent, imò & intricarent. Intricarent, inquam; qualisnam, quæso, est modus ille scribendi & docendi, passim à Dn. Felice Wirtzio usurpatus; quo non solum antiquorum scripta, nunc tacitè, nunc expressissimis verbis mordere studet: verumetiam nonnunquam unum eundemque processum chirurgicum nunc improbat; mox iterum approbat? Exemplum unum aut alterum, ex quibus veluti ex ungue leonem cognosces, proferam. Parte prima c. 4. de cauterio actuali loquens, eò usque devenit, ut illud à carnificibus inventum fuisse, (nota, hîc tacitè antiquissimos atque præclarissimos Medicos atque Chirurgos mordet) & latronibus tantùm adhibendum scripserit; Sordida profectò, & honesto Viro indigna oratio. Sed vide, quæso, inconstantiam hominis, cum mox addit; Quemadmodum restrictionem sanguinis in genere, uti dictum est, non improbo: ita quoque restrictionem sanguinis, quæ fit ferro candenti non omnino improbo: sed dico ipsum singularem utilitatem, usumque habere in Chirurgia, veluti in abscisione membrorum, & excisione excrescẽtiarũ. Vides, quomodo id, quod veluti crudele & inhumanum ad inferos usque, ut ita dicam, detrusit, è momento iterum approbat, & ut singulare auxilium extollit. Parte 2. cap. 1. vult, ut Chirurgus Anatomiæ optimam habeat cognitionem & rectè quidẽ. At paulò post sibi ipsi contradicit, ipsiusq; plenissimam cognitionẽ Chirurgo minimè necessariá esse scribit. Quib⁹ verbis juniores Chirurgos à studio Anatomico, cui aliás multi, præcipuè inter Germanos, nõ usque adeò sunt dediti, maximo ipsorum, simul & ægrorum damno, avocat: cum tamen Chirurgo scientia Anatomiæ magis, quàm Medico sit necessaria. Medicus enim ingeniosus & doctus, qui tantùm circa internos morbos versatur, facilè ex lectione optimorum authorum, etiamsi ipsemet in dissectionibus manum non adhibuerit, quæ sibi necessaria sunt ad praxin, ediscet. At Chirurgus, qui circa fracturas & dislocationes operatur, excrescentias quoque nonnunquam exscindit, vix aliquid boni præstabit, nisi Anatomiæ notitiam habuerit. Sed & plerunque in cadaveribus Magnatum & aliorum accidit, ut abditorum morborum caussas investigare necesse sit. At quomodo, quæso, Anatomiæ imperitus barbitonsor ex arte cadaver dissecabit, caussasque morbi latentes investigabit? Quid plura? quemadmodum nullus in artium liberalium Magistrum evadere potest; nisi in primis scientiarum elementis eruditus fuerit, & ipsum Alphabetum, ut vocant, didicerit: sic nullus perfectus potest esse Chirurgus, nisi in Anatomicis fuerit versatus. At bone Deus, quorsum devenit nobilissima hæc ars? Interim enim dum juniores Chirurgi studio Anatomico incumbere deberent, instrumentis Musi-

cis,

cis, lectione Eulenspiegelii, Amadisii, Baccho, Venereque & aliis futilibus exercitiis, quibus officinas suas exornare se posse credunt, oblectantur, tempusque, cujus jacturâ nihil perniciosius, miserè consumunt. Hinc tot tamque gravissimi indies ab imperitis circumforaneis ac barbitonsoribus in pernicem generis humani committuntur errores. Exempla habes in tractatu meo de Gangræna & Sphacelo cap. 15. Item Cent. 3. Obs. 35. Accidit & hîc ante paucos annos casus annotatione dignus, ex quo eruditio barbitonsorum nostrorum in Anatomicis apparet. Arcularius quidam M. Johann Kießling in lustratione exercitus fortefortuna ictum sclopeti in latus, sed solo pulvere tormentario recepit; ex quo ipsa cutis usque ad costas dilacerata fuit. Advocatus barbitonsor Anatomiæ imperitissimus, videns costam denudatam, forsicibus illam apprehendit, ipsamque vi, maximoque conatu extrahere tentat: planè enim sibi persuasum habebat, frustum esse bacilli, quo onerentur sclopeta. Cum ægrum ita excruciat, quidam ex vicinis vulnerati, Chirurgiæ quamvis ignarus, rerum tamen bellicarum peritus, qui & in castris multoties circa vulneratos fuerat, accurrit: Is, ut par erat, exprobrando ignorantiam, barbitonsorem repellit, ipseque primum apparatum applicat. Ab initio periclitatus quidem, tandem nihilominus feliciter curatus fuit, & in hunc usq; diem vivit.

Ante annos tres in Alsatiam ad puellam decem circiter annorum ætatis, atrophia cruris per annos aliquot laborantem, vocatus fui. Circa puellam hanc diversi barbitonsores occupati fuerant, omnemque lapidem moverant, ut extenuationem illam partium musculosarum, ac claudicationem corrigerent. Ego cum primum denudatum crus inspexissem, dislocationem coxæ reperi, indeq; Atrophiam propter compressionem vasorum, venarum inprimis, & arteriarum provenire, parentibus indicavi, & quid circa affectũ huncce tentandum, aut præterea de eventu expectandum, simul significavi.

Ante dies 15. hic ad puellam duodecim annorum claudicantem, & atrophia cruris laborantem, vocatus fui. Hanc barbitonsores nostri per menses tres in Xenodochio curandam habuerunt: circa genu quidem, ubi sedem mali esse arbitrabantur, multa adhibuerunt medicamenta, sed frustra. Nec immeritò; quandoquidem dislocatio in coxa, quam barbitonsores nunquam observarunt, & claudicationis, & atrophiæ sola caussa erat. Hæc facit ignorantia artis Anatomicæ, simul & sordida negligentia.

Sed redeo nunc unde paululum digressus ad ambigua Dn. Wirtzii scripta. Parte 2. cap. 6 docet; Chirurgum de impressione cranii non usque adeò sollicitum esse debere: sed totum negocium naturæ potius committendum, parumque referre, an impressio cranii remaneat; id enim cerebri motum, propter vacuum, quod est inter meningem, & cranium, minimè impedire. At bone Deus, quantus error? quanta absurditas! quam pestifera opinio! vult tamen, ut Chirurgus caveat, ne pessima superveniant symptomata. At in hujusmodi affectibus gravissima symptomata non aliunde, quam ex impressione cranii provenire, tam certum est, quam quod certissimum: uti ego exemplis quibusdam observatione 3. Centur. 2. Item Observ. 21. Centur. 3. monstravi. Quibuscunque enim, inquit Hippocrates, cerebrum aliqua ex caussa concussum fuerit, nimirum ob causam ex alto loco, ac ictũ capitis, necesse est statim mutos fieri, vocemque amittere, adeoque omnes alios motus voluntarios. At impressionem cranii, nisi valdè fuerit exigua, absque concussione cerebri, accidere non posse, sciunt Medici. Quomodo igitur Chirurgus affectum curabit, stante ipsius caussa?

Parte quoque 2. cap. 11. turundas in vulneribus pectoris penetrantibus rejicit; sanguinem, ac purulentam materiam per urinas, alvum atq; sudorem evacuari posse, præter rationem profert.

VVirtzii de vulneribus pectoris penetrantibus absurda opinio.

Item cap. 14. in vulneribus digitorum, & manuum turundas quoque absque ulla distinctione improbat. Hæc doctrina quàm sit periculosa, in quarta Centuria, quæ, Deo dante, brevi excudetur, quibusdam exemplis declarabo.

Hæc de Dn. Wirtzio adscribere visum fuit, non calumniandi, aut mordendi caussa; continet enim liber ejus multa bona; deinde ex viris fide dignis habeo, ipsum fuisse Virum probum, pium, & in suâ vocatione mirum in modum diligentem: sed ut demonstrem, ipsius librum cum judicio esse legendum, nec omnia approbanda: Deinde quàm perniciosum sit, antiquorum scripta negligere. Etiamsi enim eorum temporibus, ut antea quoque dixi, ars Medica, præcipuè pharmaceutica, rudis, neque uti hodie exculta fuerit: fundamentum tamen posuerunt; super quod quisquis ingeniosus artifex postea facilè ædificare potuit. Quod si D. Wirtzius theoriam ex prędictis authoribus excerpsisset, suasque inventiones atque experimenta addidisset; procul dubio longè utilissimum post se reliquisset opus. Sic enim videmus post Brunum & Lanfrancum (quorum ille Anno Christi 1252. hic verò circa añum 1296. floruit) præclara illa lumina Guidonem de Cauliaco (qui scripsit Anno 1363.) ac deinceps Iohannem de Vigo, Iulii II. Pontificis Romani Chirurgum longè celeberrimum, Tagautium, item Fallopium, & insigne lumen Venerum Ioh. Andream à Cruce, & Hieron. Fabricium ab Aquapendente, fecisse. Hos omnes fundamento à prædictis viris posito, super ædificasse, & antiquorum monumenta novis, nec non pulcherrimis inventionibus adornasse, eorum scripta fidẽ faciunt. Fundamento quoque marmoreo à prædictis viris ex Hippocrate, Galeno, Paulo Ægineta, Avicenna, Albucasi, aliorumque Antistitum divinæ artis nostræ jacto, tandem quoq; insignis ille Chirurgus Dn. Ambrosius Paræus ædificium suum aureum superædificavit, & extruxit, ex quibus satis perspicuum fit, neminem eorum, qui horum authorum scripta spernit aut negligit, in optimum, ac perfectum evadere posse Chirurgũ. Dum enim juniores Chirurgi antiquos, optimosque authores negligunt, neque ex eorum scriptis theoriam, artisque præcepta, & fundamentum colligunt, fit (quemadmodum doctissimus ille, & Arabicæ linguæ decus Dn. D. Petrus Kirstenius amicus

VVirtzii liber Chirurgicus multa bona continet.

Qui antiquorum scripta spernit in perfectum Chirurgũ evadere nõ potest.

Epist. 90. amicus meus singularis in præfatione sui Avicennæ refert) ut postea in praxi dubii fiant & cõfundantur, & quam sequantur viam, planè ignorent: imò pro rationalibus artificibus stolidi fiant empirici. Hinc tot, tamque gravissimi, & humano generi exitiosissimi errores in re Medica, atque Chirurgica ab imperitis, ne dicam sceleratis hominibus committuntur: quemadmodum hoc tempore multis fit in locis, etiam hic & in vicinis Rebuspublicis splendidissimis, ubi nõ solum imperitissimis circumforaneis & agyrtis, verumetiam ipsis carnificibus, nobilissimâ hancce artem pro arbitrio exercendi, totque homines devastandi, conceditur potestate. Hoc porrò incommodum evitabimus optimè, si ab antiqua ipsa ratione, & multorum seculorum verâ experientiâ comprobatâ viâ regiâ, ne latum quidem unguen, ad avia declinaverimus: & Magistratus amplissimus ubique (ut aliquibus fit in locis) hác artem exercendi nemini concederet licentiam, nisi prius examinatus fuerit, suæque artis rationem dederit, specimenq; aliquod exhibuerit.

Etsi autem prædicti authores inter se, unus ex altero, multa de verbo ad verbum descripserunt: non semper tamen in opinionibus conveniunt. Exempli gratia, *Brunus, Lanfrancus & Guido* volunt, ut nervi in transversum dissecti consuantur: *Theodoricus* tamen contrariũ docet, & quantum potest, suturam nervi improbat, opinionemque suam authoritate *Hugonis* (qui celeberrimus fuit Chirurgus) probat. *Rulandus* vult, ut ambo capita nervi concisi ferro candente cauterisentur reliqui verò authores de hac cauterisatione ne verbum quidem prodiderunt. Sed quid in hac diversitate opinionum faciet juvenis Chirurgus? si hac de re in ambiguo est, facilè ipsi solvent nodum loca, quæ extant apud Hippocratem lib. 1. de morbis, ubi inquit: *Nervus præcisus ac dissectus, non coalescit*: & *Galenum* lib. de constitutione artis Med. *Nervus aut ligamentum dissectum refici non potest.* Si enim nervus præcisus ac dissectus non coalescit, ad quid quæso proderit, ægrum incautè periclitari? consulat quoque hac de re celeberrimum Medico-Chirurgum Dn. *Iohan. Andream à Cruce*, qui controversiam hanc doctè, perspicuè, simul & succinctè enucleavit. Adderem nonnulla alia, nisi limites epistolæ jam prætergressus essem. Unum tamen pro conclusione repetere cogor, nimirum junioribus Medicis & Chirurgis lectionem antiquorum authorum necessariam esse, ac proinde præstare antiquos authores, ut tu facere statuisti, potius è tenebris eruere, ipsosque fontes partim injuria temporis dirutos, partim quoque amanuensium, & typographorum inscitia, & negligentia miserè conculcatos & turbatos reædificare; Et ex ipsis purissimam potius, quàm ex rivolis pulvere conspurcatam haurire aquam, totque libros novos, quos faciendi, ut Ecclesiastes cap. ultimo testatur, nullus est finis: conscribere: præcipuè cum nunc vix aliquid dici, aut scribi possit, quod non dictum, aut scriptum sit prius. Quapropter perge vir clarissime, nec ab instituto, quæso, desiste: facies rem Chirurgiæ studiosis utilissimam, omnibusq; probis viris acceptissimã. Guidonem autem, ut scis, castigavit, & annotationibus illustravit Dn. D. *Laurentius Ioubertus* P. M. hanc editionem præ cæteris eligendam, nec annotationes ejusdem authoris omittendas esse arbitror. Et quia exemplaria Chirurgiæ *Iohann. Vigonis* distracta: consultum esse mihi videtur, ut postremam editionem castigatam, & Anno 1582. Lugduni impressam quoque adjungas. *Matthias Narvatius* Aragonensis, sententias & Aphorismos præcipuos ad Chirurgiam spectantes, ex omnibus libris *Hippocratis* collegit: libellus profectò non spernendus, illum si adjungere tibi placuerit (suadeo autem ut adjungatur) libenter exemplar, quod habeo tibi communicabo. Et si quid aliud quod in hoc negocio tibi usui esse possit, penes me fuerit, per quam libenter te participem faciam. Quæ in *Guidone* tuo circa finem desiderantur, de verbo ad verbum describenda curavi, eaque ad te mitto. Galenus Græcus in Bibliotheca Dn. Dn. nostrorum, uti tibi coràm dixi, in triplo extat; An verò exemplar pro te habere possim, ex bibliothecario nondum intelligere potui: non enim in ipsius potestate est, absolutè quicquam hac in re disponere: negocium tamẽ quantum potero, urgebo. Basileæ exemplar Græcum venale habetur: sed æstimatur quadraginta florens in albo. Si Galenus meus Græcus integer esset, libenter eum tecum contra alios authores permutarem, sed habeo tantum quatuor partes priores, reliquæ desunt. Superiori hyeme ex Germania rediens, & Basileam transiens Dn. M. *Conradum Pfisterum* conveni, virum in Græcis literis solidè doctum, qui mihi significavit, se habere in sua bibliotheca librum Galeni de ossibus Græcè, ut & fragmenta nonnulla alia, quæ in editione Basileensi, & Veneta desiderantur, sed à *Iohanne Cajo* Anglo edita in quarto. De his te quoque admonere volui, si forsan ad institutum tuum tibi prodesse possent. His vale vir clarissime, & æternùm quam felicissimè cum tuis omnibus vive. Saluta quæso meo nomine amplissimum, ac doctissimum virum Dn. D. *Iohannem Hartmannum Beyerum*, reliquosque apud vos Medicos. Bernæ Helvetiorum 20. Maji 1618.

Nervos dissectos esse consuendos.

EPISTOLA XCI.

Amplissimo atq; excellentissimo viro

Dn. PHILIBERTO SARAZENO,

Doctori Medico Lugdunensi celeberrimo.

Guilhelmus Fabricius Hildanus

S. P. D.

Postremas, quas ad te scripsi literas, vir amplissime, fautor & amice æternùm honorande, sub finem mensis Augusti proximè elapsi, Wormatiâ rediens, & Solodurum transiens, inter manus illustris virum Dn. de *Casteilles*, Legati Regii, reliqui; ad quas tamen responsum nullum, minus verò viperas, aut trociscos è viperis, quos cupiebam habere, accepi. Ab eo tempore quanta luctuosa, quantaque tristia & adversa mihi advenêre, vix tibi exprimere possum. Pestis enim, quæ Lausannam agrumque Lausannensem ferè depopulata est, non solùm multos ex amicis, verumetiam nonnullos ex domesticis meis è medio abstulit.

tulit. Uxor mea & ambo filii gravissimè laboraverunt, per singularem tamen misericordiam Dei convaluerunt: ambæ verò filiæ meæ, simul & ancilla unà extinctæ fuerunt, idque diversis temporibus, & ita quidem, ut familia mea ultra menses quatuor perclusa fuerit. Ego eâdem clementiâ Dei hucusque conservatus fui.

Ante dies 14. Bellicum ad Dn. Claudium Monteilletum procuratorem vocatus fui, & etiamnunc apud ipsum hæreo. Laborabat ille ulcere sordido, putrido, profundo & maligno ad ipsam radicem linguæ lateris sinistri. Multa adhibuimus medicamenta, tam interna, quam externa, à nobilissimo atque doctissimo viro Dn. *Marco Offredo*, item à Dn. D. *Petro Robino* & à me communi consensu præscripta, quib. Deus Opt. Max. ita benedixit, ut malignitas morbi nunc remiserit, & ulcus iterum carne impleatur. Ante dies aliquot sinum quendam sordidum ex fundo ulceris ad ipsos musculos laryngis & œsophagum penetrantem reperi: materiam itaque aliam circa prædictas partes collectam fuisse, hinc mihi colligere licet, quod vox jam liberior sit, & cibum minori cum difficultate deglutiat, & dolor ille maximus auris sinistræ, tussicula item sicca, quâ vexabatur antea, remiserint. Quanta enim inter musculos laryngis, & aures sit sympathia, aliàs in dissectionibus nervi quintæ conjungationis observavi. Sinus porrò iste molestiam quandam nobis parit; quia enim sordidus, gargarismate siphone injecto sæpissimmè illum abluere, & turundas medicamentis abstergentibus & mundificantibus obductas, insigere coactus sum, idque absque maxima difficultate eo in loco fieri nequit. Plura hac de re nunc non scribo, cum affectum antehac vidisse sciam. Quendam, *Bernhardinus Dias* nomine, de morte repentina librum scripsisse intellexi: rescribe, quæso, qualis sit liber, ubi excusus, & an lectione dignus. Literas ad clarissimum & consultissimum virum Dn. *Sarazenum* F. Genevam mitte: Illum enim Lausannâ rediens, in transitu invisere constitui. Quod si drachmam saltem unam trociscorum de vipera electissimorum simul miseris, gratissimum mihi feceris; Et libenter, ut par est, quicquid expenderis, persolvam. Vale vir amplissime cum tuis omnibus, quos tecum peramanter saluto. Raptim Bellicii 6. Martii 1614. stylo novo.

EPISTOLA XCII.

Idem ad eundem.

Etiamsi ante paucos dies ad te scripserim, vir amplissime, inopinanter tamen oblata occasione ad te scribendi, significare volui confectionē Alkermes quam misisti, rectè me accepisse, & pretium, quod indicasti, per mercatorem Solodurensem misisse. Pro habito labore, ago habeoque ingentes gratias: quod si vicissim tibi potero gratificari, impera & jube, quæso, audacter. Responsum tuum ad observationem meam de admirando vomitu, ante annum, si rectè recordor, ad te missam, avidè expecto. Cupio enim observationem illam, simul & responsum tuum, si ita tibi placuerit, centuriæ quartæ, quam nunc pro prælo describo, & brevi Oppenhemium missurus sum, inserere: matura itaque quæso responsum, & festinanter mitte ea, quæ missurus es.

Cæterùm ne nuda esset epistola hæc, en casum omnibus modis rarissimum, in quem heri vesperi revolvendo adversaria mea, fortè fortuna incidi. Anno 16 07. 15. Aprilis illustris vir Dn. *Eustachius de Refuge*, Christianismi Regis Henrici Magni apud Helvetios legatus prudentissimus mihi narravit, se ante annos aliquot, cùm esset adhuc juvenis, quodam die, propter negotia publica, & quidem magni momenti, cursum velocissimum, & veluti fulmineum, si ita cum Poëta loqui liceat, ad horas quadraginta octo facere coactum fuisse: Optatam porrò cum cursu attigisset metam, & quieti se reddere vellet, palpebras cum inferiores, tum etiam superiores, imò nec ipsos oculos contrahere, aut movere se potuisse, & ad tempus aliquot apertis & fixis oculis (quod profectò mirum, & vix unquam observatum) sibi dormiendum fuisse: collum præterea ex ista equitatione vehementi adeò induruisse, ut ipsum nullo modo movere, multo minus caput circumagere potuerit: beneficio tamen medicamentorum quorundam emollientium & corroborantium, à Medico quodam docto præscriptorum, & adhibitorum, intra paucos dies plenissimè restitutum fuisse.

Vides, vir amplissime, quid in nobis possit exercicium violentum, præcipuè in eis qui nondum assuefacti sunt; Quemadmodum Illustris ille Dominus eo fuit tempore. Quæ enim ex longo tempore consueta sunt, & penè in naturam transierunt, etsi deteriora sunt, & haud quaquā naturâ bona, insuetis, naturâ innocuis, minus molestare solent, & nocere: Oportet igitur non repentè sed paulatim ad insueta permutari, idq; in juventute maximè fieri debet. Ego planè existimo, cursum illum, aliosque plurimos, quos illustris ille vir, & in juventute, & consistente ætate confecerat, non postremam fuisse caussam sui morbi tam gravis, atque difficilis. Si enim in hoc cursu Pegasario, ut ita dicam, caput, & proinde oculi, nervi, & musculi oculis, palpebris & collo inservientes adeò læsi fuerunt, ut rigidi & immobiles remanserint, an non multo magis partes proximiores, veluti collum vesicæ, sphincter, nates, adjacentesque partes inde labefactatas, nec non ad recipiendos humores excremētitios aptiores redditas fuisse existimas? statueram aliquando historiā morbi ejus una cum curatione quartæ Centuriæ inserere; sed hoc an ipsi gratum esset, dubitavi hactenus, fiet forsan cum quinta prodierit: si Deus vitam concesserit.

Porrò motus ille violentus in his qui minimè sunt assuefacti, quàm noxius sit, ante annum hic quoque observare mihi contigit. Aurifaber quidam Maistre *Pierre Durant* nomine, natione Gallus, cum ligna ad culinam & fornacem ipsemet conficeret, finderetque, ac per diem integrū huic operi strenuè incumberet, membra ipsius, & inprimis dorsum ita defatigata fuere, ut in quartum aut quintum diem se vix movere posset: sed præ dolore maximo in grabato decumbere coactus

Epist. 92.

Ex nimia celerrimaque equitatione, quæ incommoda sequuta.

Hippocrates libr. 2. aphor. 50.

Observatio Motus violentius noxius.

Epist. 92. & 93.

ctus esset, febris quoque, appetitus prostratio, & inquietudines subsequutæ sunt. Ego vocatus, corpus expurgavi, venam in brachio incidi, totũque ferè corpus oleis & linimentis anodynis inungere jussi, quibus feliciter sanitati restitutus fuit. Utinam igitur unusquisque provinciam sibi à Deo commissam fideliter administraret, nec in alienam messem falcem suam immitteret. Aurifaber debebat tractare aurũ, argentum, & gemmas, non putrida & cariosa ligna. Sed quid quæso dices de iis hominibus, qui ad istam, nescio quam imprudentiam dicam an negligentiam deveniunt, ut etiam hic, & in vicinis Rebuspublicis splendidissimis, non tantum imperitissimis ineptissimisque hominibus, verumetiam sordidissimis ipsis carnificibus concedant artem Medicã & Chirurgicam exercere, ægris liberè, & absque ulla contradictione, & interna & externa exhibere remedia. Inspiciunt urinas, præscribunt & præparant medicamenta, imò ad intima conclavia ægrorum ingredi non verentur, etiam ipse carnifex. Ille ante menses sex cuidam matronæ hujus civitatis, & viduæ *Adami Stöß* potiunculã præparavit, qua sumpta, eadem die visum amisit, eumque nondum recuperavit, & forsan nunquã recuperabit. Maximis præterea doloribus capitis affligitur, ad quos tollendos (visum enim quod recuperare possit, nulla spes est) nonnulla adhibui medicamenta, sed quia setaceum respuit, vereor ne frustra adhibeantur cætera. Vides mi Dn. *Sarazene*, quàm potens sit Princeps tenebrarum, ut etiam oculos mentis eorum, qui omnibus prælucent, obcœcare possit: & ita quidem, ut videndo non tamen videant, sacras illas gemmas à sordidis istis porcis pedibus conculcari, nõ videant, inquam, ipsis tandem coram tribunali Dei non minus de salute corporum, quàm animarum subditorum, rationem esse reddendam. Princeps enim cum sit imago Dei, ut *Nazianzenus* Orat. 18. rectè scribit, & imaginem Dei gubernet, prospicere debet, ut id non inverso, sed recto, & à Deo instituto ordine fiat; Præcipuè his in rebus, quæ animam ipsiusque domicilium, corpus nimirum concernunt. De his aliquando Magnates admonui, admonuerunt & præclari viri publicis monumentis, non ducti invidia, sed quod acerbissimè affligebantur, imaginem Dei à sceleratis & imperitissimis hujusmodi hominibus destrui, splendoremque artis nostræ longè nobilissimæ fuligine sordidissima horum hominum obscurari: sed ut mihi videtur, hactenus in aëre piscati fuere omnes. His vale vir amplissime, & æternùm vive. Raptim Bernæ 15. Aprilis Anno 1618.

Observat. Ex sumpta potiũcula purgante, visus amissio.

EPISTOLA XCIII.

Clarißimo atque doctißimo Viro

Dn. D. SEBASTIANO MEYERO,

Medico Freiburgensi &c.

Guilh. Fabricius Hildanus S. P. D.

CUm præstantissimus Dn. M. *Vrstisius* te invisendi & salutandi gratiâ, clarissime atque amantissime Dn. D. *Meyere*, ad vos iter suum instituisset, sine meis ad te literis eum dimittere nefas quidem putavi. Obsecro autem, ut jure amicitiæ nostræ virum huncce pium ac doctum, ut amicum tibi adjungere non dedigneris. Cæterùm avidè abs te intelligere cupio, qualisnam fuerit progressus & eventus istius gravidæ, quã nuper, cum apud vos essem, simul invisimus: & quæso, ut per eundem Dn. *Vrstisium* hac de re verbum unum aut alterum ad me rescribere non graveris. Quod ad objectionem tuam, nimirum an in morsu canis rabidi, necessaria, ex mente *Galeni*, sit carnis laniatæ amputatio, unà cum ustione, dicam liberè, rectam & tutissimam esse methodum à *Galeno* propositam. Duo enim, quæ in hujusmodi affectibus conveniunt ac desiderantur, simul efficit. Primò, ut effluat sanguis, & cum eo virus, à morsu in parte affecti relictum: Secundò, ut vulnus efficiatur magnum & rotundum; ac proinde diutius apertum maneat. Porrò etsi excisio rationaliter administrari possit, pars tamen affecta eam non semper admittit; veluti si morsus est in loco aliquo nervoso, ut in fœmina illa, de qua in postrema ad te observatione, aut in talo, ut in puella, cujus quoque in eadem observatione mentionem feci. Deinde esset hoc duplice dolore ægrum afficere, ac facilimè (quia cuncti sibi persuasum habent, solum cauterium sufficere) nomen crudelis Medici sibi comparare. Sed videamus nunc, an methodus, quam ego in observationibus meis proposui, sufficere possit? Requiritur primò, ut aliquid sanguinis effluat; ideoque scarificationem, & applicationem cucurbitularum atque sanguisugarum adhibeo; quibus sanguinem absque dolore extraho. Secundò vult *Galenus*, ut ulcus sit rotundum, utque diu apertum manere possit. Rotundum autem illud facilimè una eademque opera cauterio rotundo efficio. Deinde ut ad longum tempus apertum reservetur, spongias præparatas, radices gentianæ, fabas, aut pisa impono: sicque ulcera, si vellem, ad annum integrum aperta retinere possem. Concludo, itaque excisionem carnis à *Galeno* propositam, minimè necessariam esse, & solis scarificationibus, cauteriisque, tum ad sanguinẽ, & virus venenosum extrahendum, tũ ulcus rotundum efficiendum sufficere. Hinc videmus *Dioscoridem*, cum de excisione carnis laniatæ loquitur, ustionis non meminisse, & contra, quando ustionem proponit, excisionem carnis omisisse, quasi unum eorum præsidiorum absque altero sufficere posse, innuere vellet. Ustionem tamen excisioni præfert, nec immeritò. Quæcunque enim ignis non sanat, incurabilia, inquit *Hippocrates*, sunt censenda. Quamobrem videmus, insignes practicos sola scarificatione, & inustione cauterii actualis contentos esse, ut apud *Avicennam* lib. 4. fen. 6. tract. 4. c. 9. *Gordonium* partic. 1. cap. 17. *Franciscum Valleriolam* lib. 3. observat. 3. *Ambrosium Paræum* lib. 21. cap. 13. *Andream Baccium* lib. de venenis & antidotis, videre est.

Mo[rsus] can[is ra]bid[i] ... ran...

Vst[io] ... fer[tur] ... ni...

Pro epigrammate tuo doctissimo gratias habeo maximas, & si qua in re vicissim tibi gratificari

[...]st. 94.

tificari possum, non invitus faciam omnia, quæcunque amicum decent. Vale vir clarissime cum conjuge suavissima, quam tecum ego, & uxor mea salutamus peramanter. Paterniaci 14. Septembris 1608.

EPISTOLA XCIV.
Idem ad eundem.

TUæ, clarissime Dn. D. *Meyere*, amicorum optime, 20. Decembris scriptæ, heri solummodò à quodam puero mihi traditæ fuerunt: ubi tam diu hæserint, ignoro. Quod nobilis iste æger pharmaca non nisi cum difficultate sumit, doleo: est tamen monendus, ut cordatus sit, atque animosus. Si enim miles generosus pro vana quadam gloria consequenda, infinitis periculis sese exponit, & in aciem hostis intrepidè irruit, quis quæso ad amissam sanitatem recuperandam, haustulum unum aut alterum medicamenti, quãtumvis ingrati, recusare velit? Pro corroboratione crurum, juncturarum, & nervorum oleum castorei compositum mihi valdè probatur: adderem nonnihil olei Lumbricorum, parumque olei juniperi: poterit quoque in eodem oleo parum gummi Elemi dissolvi, mirum enim in modum nervosis partibus convenit, inprimis ubi suspicio aliqua luis venereæ adest. Linimentum itaque hoc modo præscriberem.

[...]orum [...]obora-

℞. Olei De castoreo compos. ℥ ij.
Gummi elemi dissoluti in prædicto oleo lumbricorum ʒ ij.
Aquæ juniperi ℥ j.
Theriacæ optimæ ʒ ij.
Misceantur omnia diligenter in mortario.

[...]mentū

Castoreum quoque per os exhibitum, non inconveniens est remedium: sed prospiciendum est diligenter, ut sit purum atque optimum: adulterinum enim aliquando, ut *Avicenna* lib. 2. tract. 2. cap. 125. monet, adeò est venenosum, ut etiam una die interficiat. Loco auri, quod admiscendum esse putas, adderem parum confectionis alkermes, præterquam enim quod aurum recipit, etiam partes nobiles mirificè corroborat. Si aqua, quam præscripsimus, siphone loco affecto applicari non potest, peniculus ex spongia, eo modo, qualis est iste, quem simul ad te mitto, fabricatus, aqua ista imbuendus, & naribus admovendus, convenit. Sed necesse est, ut aqua ista aliquomodo sit mucilaginosa, atque spissa, quò melius undique adhærere possit, idque commodè fiet, addendo parumper mucilaginis seminis cydoniorum. Soleo ex plumbo linimentum, in hujusmodi affectibus preciosissimum, hoc modo conficere. Projicio in mortarium plumbeum olei rosacei ℥ ij. lythargyrii auri, cornu cervi usti & præparati, tutiæ præparatæ, plumbi usti ana ʒ ij. cum pistillo plumbeo tam diu in mortario agitentur, donec formam linimenti acquirant, poterit & parum succi geranii admisceri. Sed si malum altius in naribus existit, ut nobilis æger existimat, tunc difficulter unguentum hoc applicari potest.

[...]mentū [...]umbo [...]enā.

Epist. 94. & 95.

Quæris, annon possit caussa conjuncta, adhibitis prius universalibus, apophlegmatismis, venæ item sectione sub lingua, & similibus per palatum educi? Hæc mihi reverà aliquomodo sunt suspecta: vereor enim, ne hoc modo evacuando caussam conjunctam, nova quædam ex capite copiosè attrahatur materia. Omnibus itaqua modis caussa antecedens deorsum erit expurganda, cucurbitulis, item vesicatoriis, setaceo, & similibus, ut tu quoque rectè sentis, erit ad contraria loca trahenda atque revellenda. Interim quoque bis, tèrve interdiu exterius loco affecto, ut eò minus affluentes humores excipiat, spongiolam aut linteum reduplicatum, & decocto aliquo roborante, veluti betonicæ, salviæ, rosmarini, rosarum & similium, vino rubro & austero coctorum, intinctum applicare, partemque fovere convenit. Parte affecta ita corroborata, & defluxione ad contraria loca revulsa, ozena facilè sanabitur. Quod ut fiat, Deum Opt. Max. suppliciter oro. De aqua mea ad hujusmodi ulcera parum mitto: poteris illam per se, aut cum aliis, quas nuper recensui, aquis mixtam applicare. De precio nulla est difficultas, paratus enim sum in nobilissimum Dominum ægrum officia omnia mea conferre. Circa gravidam, quæ accidunt annotatione digna, quæso, diligenter observa, & nos, si placet, participes facito. Doctissimum virum Dn. *Techtermannum*, Senatorem Reipublicæ vestræ prudentissimum, meo nomine saluta plurimùm. Mitto tandem observationum mearum exemplar; quod ut hilari fronte à me excipere velis, rogo. Vale vir clarissime cum lectissima tua conjuge, quam tecum ego & Colinetæa mea charissima, nec non Dn. M. *Vrstisius* plurimùm salutamus. Paterniaci Aventicorum 20. Decemb. stylo antiquo 1608.

EPISTOLA XCV.
Idem ad eundem.

INclusas, quas nunc ad te mitto literas, vir clarissime, ante menses tres ad te scripseram: cum verò (nescio quo infortunio id acciderit) per dies aliquot retentæ fuissent, ac interim ego Bellicium ad egregium Virum Dn. *Claudium Monteilletum* ibidem Procuratorem, vocatus fuissem, in reditu meo ante dies quatuor iterum ad manus meas pervenerunt. Vides, quanta tabellionum sit negligentia? Interim ne longum silentium meum ægrè feras, obnixè rogo.

In isto autem itinere nonnulla annotatione digna, & quidem ad materiam, quam antehac inter nos tractavimus, spectantia, occurrerunt, de quibus Deo volente posthac tecum agam: Nũc tamen ne nudas planè mitterem literas, hunc in praxi utilissimum, & annotatione dignissimum accipe casum.

Observat. De vulnere ex ictu sclopeti.

Strenuus quidam, & generoso animo præditus miles, *Petrus Gautier* nomine, cum ante annos viginti in Galliis exercitum duceret, in obsidione, & aggressu oppidi cujusdam, ictum sclopeti recepit. Globulus autem in ipsa regione hepatis, & quidem ad latus musculi recti, latitudine cir-

Epist. 95. ne circiter sex digitorum in latitudine positorũ supra umbilicum, intraverat, & trajecto musculo obliquo, simul & transverso abdominis (illæsis tamen visceribus internis) superficiem ossis Ilei propè os sacrum perforavit, ubi ad ipsam cutem remansit globulus: altera tamen die levi à Chirurgo facta incisione cutis, extractus fuit: Ab initio etsi gravissima nonnulla supervenirẽt symptomata, vulnus tamen è regione hepatis existens brevi consolidatum fuit, neque ab eo tempore incommodum ullum ægro peperit. Alterum verò ulcus in ipsa superficie ossis Ilei, etsi Chirurgus illud ab initio, & methodicè, & ea, qua fieri potuit diligentia curasset, & officula nonnulla ex illo extraxisset, tandemque quoque ad cicatricem perduxisset, post annos tamen circiter duos, cum febre, maximisque rigoribus, & bubone in inguine correptus fuisset, iterum dolor ingens, inflammatio insignis, atque intumefactio in loco ptioris vulneris, exorta est. Iterum advocatus Chirurgus, illam adhibuit diligentiam, ut tumor ille circa cicatricem ossis Ilei, paulò post ad maturationem pervenerit, quo rupto, multum puris inde effluxit, officula quoque nonnulla, quæ sese, ultrò offerebant à Chirurgo absque violentia extracta fuerunt, ac brevi iterum consolidato vulnere, æger convaluit. Ab eo tempore; Etsi aliquoties iisdem symptomatibus corriperetur æger, & diversorum, & quidem in artis operibus exercitatissimorum Medicorum atque Chirurgorum, præcipuè Dn. *Iohan. Griffonii* Cheirurgi celeberrimi curis sese submitteret, hactenus tamen nullus, ut ferrum & ignis adhiberentur, suasit. Ante mensem verò postquam ulcus iterum plus quàm per integrum annum clausum fuisset, ac eisdem symptomatibus corriperetur, & denuò apertum fuisset ulcus, nec non multum puris effluxisset, Bellicium se contulit, meque in consilium adhibuit. Immisso stylo exploratorio, fragmentum ossis statim sese obtulit: Suasi ut adhibitis universalibus ulcus clementer, & absque dolore dilataretur, donec ossa confracta, & quidem illa, quæ stylo inveniebantur, extrahi possent. Quid verò factum sit, & an consilio meo obtemperabit, nescio: Etiamsi enim prædicta symptomata per intervalla recurrant, malumque iterum recrudescat, & officulum aliquod ejiciatur, non usque adeò tamen sibi molestum esse, ac per se iterum coalescere, æger mihi retulit. Est nihilominus vir robustissimus, & optimo corporis habitu præditus, morbisq; parum obnoxius. Hæc in eum finem ad te scribo, ut inde videas, quam imprudenter, & incircumspectè Cheirurgus ille Lucernensis, circa affectum nobilissimi & optimi istius viri Dn. *Walleriȷ* processerit. Ille autem quomodo nunc se habeat, ut ex nobilissimo viro Dn. *Philippo à Staphiaco* Dn. in Molondins expiscari, & ad me rescribere velis, plurimum rogo. De literis ad Dn. *Döringium*, quarum in superioribus meis ad te literis mentionem feci, ne sis solicitus, illas enim per aliam commoditatem misi. Vale vir clarissime cum tuis omnibus, quos tecum saluto. Raptim Lausannæ 18. Martii 1614.

EPISTOLA XCVI.

Viro clarißimo atque doctißimo

DN. SIMONI AUBERTO,

apud Viviacenses Doct. Med. celeberrimo,

Guilhelmus Fabricius Hildanus,

S. P. D.

Debuissem jam dudum Vir clarissime, & amice plurimum honorande promissis satisfecisse, sed obstiterunt negocia. Quod de bufonibus observavi, paucis aperiam: eorum duo sunt genera, aquatilia & terrestria; utraque venenosa, præcipuè terrestria, in peste tamen aliquoties nõ sine fructu usus sum bufonibus nunc integris, nũc in pulverem redactis. Accipio autem bufones terrestres, eosque aëri suspensos & sole ventoque exsiccatos, ac postea in tegulam calidam collocatos, ut exsiccentur, eos in pulverem redigo, ante tamen mortarium, & pistillum oleo scorpionum inungo, ne inter pistendum pulvis nares, ferat, & cerebrum venenosa sua qualitate offendat. Hujus pulveris accipio ℥j. fermenti acris ℥iiij. Theriacæ optimæ ℥j. foliorum rutæ viridium M.j. Hæc omnia diligenter in mortario cum sufficiente quantitate mellis commisceo, & buboni, aut anthraci applico, bis, aut ter in die. Emplastrum hoc mirum in modum venenum ex corpore ad se rapit. Integer bufo sole & aëri exsiccatus, si buboni pestifero applicatus fuerit, venenum pestis mirum in modum ad se trahere, experientia docet. Affluxu enim humoris è corpore ita intumescit bufo, ut reviviscere videatur, & tum abjiciendus novusque applicandus est, donec venenum satis extractum fuerit. Nonnunquam quoque in ipso loco affecto magis exsiccatur bufo, idque pessimum est indicium: naturam enim jam a morbo prostratam, labefactatamque esse indicatur. In exsiccatione autem bufonum diligenter observandum est, ne venter ipsorum lædatur; illo enim læso, non amplius venenum pestis ad se trahunt, forsan quia læso ventre venenum ipsorum, cujus beneficio venenum pestis ad se trahunt, ex ipsis effluit.

Conficiuntur & amuleta ex pulvere bufonum, inter quæ sequens ab Adriano sexto Pontifice Romano (qui natione Belga fuit) magna in æstimatione habitum, & tempore pestis ab ipso gestatum fuit.

R. Pulv. bufonum s.a. exsiccatorum ℥ij.
Arsenici crystallini ʒ.ß.
Radicum diptamni
Tormentillæ ana ʒij.
Margaritarum non perforatarum ʒj.
Corallorum
Hyacinthi
Smaragdi ana ʒ ß.

Fiat omnium pulvis, deinde cum mucilagine gummi tragacanti formentur pastilli, obducantur syndone rubra, & supra regionem cordis portentur, supra camisiam.


Cosmas Slotanus Illustrissimi Ducis Cliviæ, &c. Chirurgus longè celeberrimus, olim Præceptor

Bufo præparandi modus. Emplastrum bufonum. Adversus pestilentiam. Amuleta.

ptor meus perpetuò honorandus, amuleta hæc, minoris quidem precii, sed non operationis hoc modo composuit.

R. Pulveris bufonum prius in sole, deinde in tegulis calidis exsiccatorum ℥j.
Arsenici crystallini &
Flavi sive auripigmenti ana ℥ ß.
Radic. diptamni albi
Tormentillæ
Gummi euphorbii ana ʒij.
Croci ʒj.
Caphuræ ʒ ß.

Redigantur in pulverem & cum mucilagine gummi tragacanti fiat pasta, ex qua formentur massulæ hujus figuræ magnitudinis.



Suspendantur è regione cordis, & continuò gestentur, ita tamen ne cutem attingāt, alioquin vesicas excitare solent, præcipuè si corpus incaluerit. Amuleta hæc os, qui quemadmodum dixi, gestant, à peste præservare, observavi: quod & multi Viri docti testantur: idque sive abdita quadam facultate atque antipathia, per quam venenum horum simplicium aërem pestiferum & venenosum repellit, sive quod natura nostra paulatim venenis adsueta, aëris venenatam qualitatem retundit atque repellit.

Bufonis item lapis, quem crapundinam vocant præstantissimum in peste, aliisque à venenosis animalibus, illatis affectibus, remedium esse, Levinus Lemnius, Ianus Sarazenus & alii testantur. Tanta enim hujus lapidis in putridis affectibus vis est & efficacia, ut puerorum appensus collo, teste Renero Solinandro, olim illustrissimi Ducis Cliviæ, &c. Doctore Medico longè celeberrimo, Amico meo familiarissimo, lumbricos expellere sit potens. Lapidem tamen huncce nasci in capitibus bufonum negant Gesnerus & Ambrosius Paræus: nec ego unquam lapidem hunc in bufonibus inveni.

Cæterùm in internis affectibus nunquam mihi ex usu fuerunt bufones: mortale enim esse venenum, ex Lemnio, Gesnero, Ambrosio Paræo, aliisque Viris doctis edoctus fui. Recitat Paræus historiam admiratione dignam, Mercatores, inquit, duo in diversorium publicum ad prandium ingressi, & in horto hospitis sibi folia salviæ collecta illota vino imponunt, & macerari permittunt. Verùm inter prandendum vertigine, spasmo, syncope, sudore frigido, vomitu aliisque gravissimis symptomatibus correpti, protinus obierunt. Hospite cum domesticis suis de exhibito veneno à magistratu accusatis & in carcerem projectis, se cum mercatoribus de iisdem cibis comedisse, constanter affirmarunt, de vino tamē in quo salvia macerarant, non bibisse. Quapropter tandem ex consilio Medici effossa salvia, bufones quamplurimi ad radicem salviæ inventi sunt, quibus salvia infecta atque intoxicata fuerat. Retulit tamen mihi clarissimus Dn. D. *Solinander* casum, quem postea quoque consiliis suis inseruit, observatione non indignum. Mulier quædam, inquit, habens maritum hydropicum, quæ expenderat in eo sanādo omnia ferè sua, nec profecit quicquam, ut etiam mori statuens, quotidie mortem inclamaret: Uxor ejus sperans moriturum, accepit bufonem, & redactum in pulverem, propinabat ei ex vino, quo facto statim incœpit profluere urina, & venter aquam reddere: & sic sanitati præter spem restitutus, &, quem moriturum ex veneno sperabat, convaluit. Hactenus *Solinander*. Porrò admiratione non vacat, quod *Paræus* lib. 25 cap. 18. scriptum reliquit: nimirum se in medio lapidis durissimi invenisse inclusum vivum bufonem. In lapide item præduro, & magno tempore *Martini* V. Pontificis Romani serpentem inventum fuisse, *Paræus ex Baptista Leone* refert. Quomodo autem animalia hæc in corpore tam sicco, tamque solido procreata & nutrita fuerint, & vivere potuerint, tuis speculationibus non indigna est quæstio. Vale vir amplissime, & me, ut facis, ama. Paterniaci 15. Octobris 1607.

Epist. 96. & 97.

Consil. 15. sect. 5. observat. 19. Hydrops quomodo curatus.

EPISTOLA XCVII.

SIMON TŒLMANNUS J. V. D.
Reipublicæ Augustanæ vindelicorum advocatus,
Clarissimo, & doctissimo viro
DN. GUILHEL. FABRICIO HILDANO
Medico, & Chirurgo ordinario apud Paterniacenses, per celebri
S. P. D.

Clarissime & doctissime vir Dn. & amice honorande, accepi superioribus mensibus ab eo, qui has tibi traditurus est, observationum & curationum tuarum Chirurgicarum libellum, quem dono mihi fuit gratius, atq; jucũdius, quoniam & pristinæ tuæ erga me benevolentiæ indicium præbet & cum nobilissimi, & longè celeberrimi viri Dn. Caroli Utenhovii, *parentis & amici nostri æterna vita ac laude dignissimi, honorifica mentione conjunctum est. Non enim potest bonis omnibus, ac literatis non sancta, & accepta esse tanti viri memoria, quo nihil perfectius Græca, Latinæ ac Hebraicæ literæ (ne quid de aliarum complurum linguarum notitia dicam, quibus hodie Europa utitur) multis seculis viderunt; Nihil boni mores candidius, nihil omes quibus unquam notus, fuit, humanius. Cujus ego encomia nolim humili sermone deterere; Quia nec indigent præconio meo, & genus omne laudationis superant. Dedi autem legendum istud opus tuum clarissimo hujus Reipublicæ Medico, & totius Collegij Seniori Dn. D.* Adolpho Occoni *viro publicis monumentis celebri, & jam tertium & octuagesimum ætatis annum agenti, amico meo non vulgari; qui valdè probavit doctrinam, atq; industriam tuam, & te licet hactenus sibi ignotum, officiosè salu-*

Epist. 97. & 98.

salutari petiit. Verùm ne ingratus sim, rogo ut certiorem me facias, an præceptiones Medicas, quibus hæc Respublica in suis Nosocomiis utitur, desideres, quarum idem Dn. D. Occo author est. & mittam earum exemplum ad spectatissimum, mihiq; amicissimum virum Dn. Antonium Mauclerum, civem nũc Francofurtensem (quem in Vbiis puto tibi notum fuisse ob communem cum Dn. Vtenhovio familiaritatem) à quo per mercatorem aliquem vestratem hisce nundinis autumnalibus petere poteris. Aut si hunc librum jam habes, operam dabo, ut quid alind tibi rependam. Vale, & salve vir clarissime, & si qua in re putabis, me tibi tuisve usui esse posse, audacter impera. Datum Augustæ Vindelicorum die 2. Iulij 1606.

EPISTOLA XCVIII.

Idem ad eundem.

CLarissime & doctissime vir, Domine & amice colende, miraris procul dubio diuturni silentij mei caussam, & quod dudum promissam, & destinatam tibi pharmacopœjam Reipublicæ nostræ, à doctissimo Dn. D. Adolpho Occone Medico primario (qui diem suum hic obijt 28. Septembris 1606. hora 3. matutina anno ætatis 82.) adornatam, hactenus mittere distulerim. Sed profectò neq; ulla animum meum oblivio, aut negligentia occupavit, neq; omnino temerè procrastinatione usus sum. Cùm enim summopere placeret mihi studium, atq; officium tuum, erga nobilissimi, & æterna celebratione dignissimi viri, Dn. Caroli Utenhovii manes: putavi ad meam quoq; curam pertinere, ut tanti viri memoria, & totius vitæ cursus posteritati commendaretur. Vixit etenim non tantum in Vbiis & Menapiis ætate ingravescente, ubi nobis innotescere cœpit, posteaquam sacris & ferè Ebrais tantum literis sese mancipasset: verumetiam antea apud Britannos ac Gallos: & potissimum Lutetiæ multos annos magna cum laude & admiratione omnium exegit, & Turnebo, Lambino, Aurato, aliisq; præstantissimis viris familiariter conjunctus fuit, quod vel ipsorum monumenta publicè testantur. Sed quia mihi occasio, qua in Galliam venerit, & quamobrem tãdiu illic hæserit cum quibusdam aliis ad vitam illius illustrandam, pertinentibus circumstantiis, non satis cognita sunt, rogaveram dudum & amicos, qui Agrippinæ vivunt, & eos, qui Francofurti domicilium habent, ut de iis rebus aliquid certi inquirerent, & ad me perscriberent, quorum hactenus responsum frustra expectavi: Quapropter non ita pridem, cum per literas intellexissem, filiam Dn. D. Jacobi Utenhovii, Medici quondam Francofurtensis, Gandavum, in Flandriam, patriam suam, hæreditatis capessendæ gratiâ, profecturam esse: summopere petii, ut Patruo Dn. Carolo nostro bene merito hunc honorem haberet, & omnia ista quàm diligentissimè investigaret, quod eam aut jam fecisse, aut adhuc facturam spero: cujus reditum amici ad proximas nundinas Francofurti præstolantur: unde si quid relatu dignum accepero, vobis promptè communicabo. Vale & salve vir clarissime.

Datum Augustæ Vindelicorum 28. Iunij 1608.

EPISTOLA XCIX.

Amplissimo atq; doctissimo Viro

Dn. THEODORO de MAYERNE,

Serenissimi atque potentissimi Regis Magnæ Britanniæ Doctori Medico ordinario, atq; celeberrimo,

Guilhelmus Fabricius Hildanus,

S. P. D.

CUm fama de præclara eruditione tua in re Medica, vir amplissime juxta ac doctissime, ad aures Generosi cujusdam pervenisset, jussit, ut ad te, quamvis de facie nobis ignotum, scriberem affectumque ejus qui gravis, & veluti inveteratus est, adumbrarem: Tuum enim consilium audire, multum desiderat.

Generosus autem iste optimo corporis habitu præditus, robustus & jam 37. annum ætatis prætergressus, naturâ calidus & siccus est. Cum ante annos 12. ex immoderato ac nimis violento coitu gonorrhœam contraxisset, eaque aliquandiu laborasset, quadam nocte sanguinem purum in coitu, loco seminis copiosè effluxisse refert. Ab initio, & quidem per multos annos, cum propter verecundiam morbum celasset, penitusque neglexisset, paulatim difficultas urinæ sequuta est, quæ tamen secundùm victus rationem, & exercitiorum violentiam, nunc vehementior, nunc verò remissior fuit: interim tamen è multis annis urinam vix unquam liberè, & sine aliquo conatu & ardore excernere potuit æger. Inter mingendum quoque dolores per totam ferè virgam persentit, & furfures sæpissimè in urina apparuerunt, atque etiamnunc apparent. Lotium non rectâ, sed nunc in hanc, nunc verò in illam partem excrevit. A multis quoque annis materia quædam purulenta continuò per membrum virile exstillavit, sed absque dolore, & nonnunquam quamvis rarò, post excretionem urinæ guttula una, atque altera sanguinis sequuta est. In coitu etsi voluptas minor esset solito, liberos tamen multos ex uxore sua suscepit.

Cæterùm cum superiori æstate, propter negocia publica, & quidem magni momenti, maximum iter celeriter eques expediret, pars malè affecta adeò concussa, contritaque, malum quinetiam adeò exacerbatum fuit, ut symptomata omnia, quæ recensui, mirum in modum adaucta fuerint. Quapropter circa finem mensis Septembris, cum ad ipsum accersitus essem, corpusque semel atque iterum cholagogis expurgassem, semicupio usus est æger, syrupum quinetiam violarum & de Althea, cum aqua radicum aperitivarum (ut esset veluti vehiculum syruporum) per intervalla exhibui, perinæumque linimento anodyno, renes verò unguento refrigerante, quotidie bis terve inungere jussi: Quæ quidem medicamenta non sine fructu adhibita fuère: Remisit enim dolor, & vesicam minori cum difficultate exonerare ægrotus cœpit. Cum itaque omnia salva esse (de caruncula enim & inveterato morbo mihi adhuc nihil constabat) sperare, ad meos me contuli, & quæ præterea agenda, ægro ipsi atq; domesticis peragenda, reliqui.

Non

Epist. 99.

Non diu post meum abitum, quum morbus iterum recrudescere cœpisset, alius quidem Medicus in consilium quoque adhibitus fuit. Is corpus iterum cholagogis expurgavit, syrupum violaceum & de althea cum aqua petroselini, emulsiones quinetiam seminum frigidorum majorum, & amygdalarum dulcium, maximo cum successu exhibuit. Perseverante dolore, cum iterum advocatus fuissem, & æger morbum inveteratum esse, nobis aperuisset, inter nos constitutum fuit, ut quid mali subesset, stylo exploratorio cathetereque explorarem. Quapropter corpore medicamento cholagogo ex syrupo rosato solutivo composito, nec non electuario de succo rosarum conflato, iterum expurgato & cathetere immisso, caruncula diversis in locis reperi, præcipuè versus sinistrum latus ductus urinarii: quæ carunculæ etiamnunc adeò obstant, adeoq; sunt dolorosæ, ut in hoc usque tempus ulterius, quam media pars penis censeri possit, neque cathetere, neque siphone, aut candelis cereis explorare potuerit æger, qui instrumenta & medicamenta ipsemet hactenus applicare voluit. Ulterius itaque usque nunc medicamentis pervenire non potui; etiamsi in prostatis non leve malū subesse, imò radicem mali in ipsis delitescere non dubitem. Si enim ex diuturna ista gonorrhœa, ductus urinarius exulceratus fuit, indeque carunculæ excreverunt, quanto magis de glandularum istarum vitio, atque exulceratione suspicari nobis licebit? Dolor præterea (quamvis obscurus) quem generosus æger ante menses circiter duos, ut postea dicam, circa podicem sensit, malum aliquod ibi subesse denotat: quandoquidem ubi dolor, ibi & morbum esse, Hippocrates, & experientia fidem faciunt. Urina quoque superiori autumno aliquoties involuntariè, imò & inter dormiendum effluxit, procul dubio propter sphyncteris, qui glandulis istis proximè adjacet, labefactationem, & quam cum prostratis habet, sympathian, maximumque dolorem, quem æger antea passus fuerat.

...ulus ...ynus.

Explorato meatu urinario, & repertis carunculis, sacculum ex radicibus, herbis, floribus, & seminibus emollientibus, resolventibus, & dolorem lenientibus, calidè applicuimus, totumq; perinæum linimento anodyno, & emolliente inunximus; decoctum quinetiam emolliens, siphone in ductum urinarium injecimus. Verùm quemadmodum antea quoque dixi, rostrum siphunculi, ratione doloris, nunquam satis profundè immitti potuit: nihilominus tamen curationem ad votum nobis succedere sperabamus, sed frustra. Cum enim per dies aliquot corpus violento quodam exercitio iterum commovisset æger, morbus novum insultum præbuit, cujus caussa non tantum affectus in meatu urinario exacerbatus fuit, verùm etiam tertiana ægrum invasit: quapropter inceptam curationem carunculularum ad tempus negligere coacti fuimus. Iterum corpus præscriptis medicamentis cholagogis expurgavimus, venam in cubito dextro secuimus, optimam victus rationem, refrigerantem scilicet & humectantem instituimus, & quæ acrimoniam urinæ, ebullitionemque flavæ bilis refrenare solent, propinavimus: lumbos, quinetiam regionem hepatis unguento refrigerante unximus.

In ductum verò urinarium collyrium ex mucilagine seminis Cydoniorum, aqua rosacea & plantaginis extracta, cum cerussa lota, tutia præparata, cornu cervi usto & præparato siphunculo injecimus. Hisce per dies aliquot adhibitis remediis, cum febris, & dolor ille acutus in meatu urinario remisissent, de dolore quodam obscuro circa podicem, & è regione prostatarum conquestus est æger: sed applicato sacculo ex floribus chamomillæ, meliloti, sambuci, rosis, absinthio, & similibus, dolor iste paulatim quoque remisit. Tandem candelam ceream Emplastro de ranis cum Mercurio obductam, in meatum urinarium tam profundè, quantum æger sufferre potuit, ipse immisit, idque in eum finem, ut explorarem, an hoc modo carunculæ emolliri, atque discuti possent. Fortiora enim medicamenta, propter exquisitissimum sensum, quo æger præditus est, nondum adhibere ausus fui. Candelæ autem, quod minimè reticendum, quotiescunque eas extraxi; undique materia purulenta & viscida obductæ fuere. Ex quibus conjicio, meatum urinarium variis in locis exulceratum esse, quod etiam Generosus æger, dum rostrum siphunculi, aut candelam ceream immittit, facilè percipit. Atque hæc sunt, Vir amplissime, quæ hactenus circa affectum huncce à me observata fuere una cum enarratione medicamētorum adhibitorum.

Dolor circa podicē.

Quæritur nunc I. *An furfures* quæ hactenus in urina apparuerunt, *scabiem vesicæ*, ut voluit *Hippocrates* in Generoso nostro ægro *denotent?* Ego, salvo tamen judicio tuo, furfures non ex vesica, sed ex ductu urinario provenire existimo. Vesica enim scabie laborante, subsidentiam urinæ non solum furfurosam, verumetiam urinam ipsam crassam esse, idem Hippocrates testatur. At in hoc ægro urina non crassa, sed semper (præter quam cum febre laboravit) naturalis fuit, & furfures in admodum exigua quantitate excrevit. Furfures itaque nihil aliud, quam crustulas ex materia purulenta, & viscida concretas, à natura in illum finem procreatas, ut essent veluti tegumenta ulcerum in meatu urinario existentium, esse verisimile est: quas tamen crustulas urina cum effluit, emollit, ab osculis ulcerum separat, & secum educit.

Quæstio 1. libr. 4. aphor. 77. Scabiei vesicæ signa.

II. *An medicamentis quibusdam per os sumptis, absque topicis carunculæ extirpari, & ulcera in meatu urinario sanari possint?* Nos id frustra tentari Generoso ægro semper indicavimus.

III. Si topica adhibenda, an ea, quæ recensui, sufficere possint, an verò fortiora, ab *Andrææ, Lucana, Alfonso, Ferreo*, & aliis commemorata, in hoc subjecto, tali sensu prædito, ut vix candelam ceream, emplastro de ranis uti dixi, obductam, sufferre possit, adhibenda? Dubitamus.

IV. *An in prostatis malum aliquod subsit, nec ne?* De hoc enim æger semper, nos verò nunquam dubitavimus: idque propter caussas superius commemoratas.

V. *An materia aliqua purulenta, qua per tot annos per*

 nos per penem exstillavit, purum fuerit semen, nec ne? Ego planè sentio, non semen, sed vitiosam materiam, ex superioribus partibus corporis eo dalapsam, fuisse. Ex diuturna enim gonorrhœa, imò etiam ex imoderato coitu calidum innatum exstingui, humidum radicale absumi, corpusque humanum contabescere, sciunt Medici. Id verò quia in Generoso nostro ægro (qui semper robustus & optimo corporis habitu præditus fuit) minimè accidit, non semen purum, sed vitiosos humores effluxisse sequitur. Hæc propterea adscribo, ut demonstrem, malum aliquod in prostatis delitescere, materiamq; illam suppeditare. Ex renibus enim & vesica minimè defluere materiam illam, urina, quæ semper ferè pura, & utplurimùm digesta, & laudabilis (præterquam quod furfures in ipsa apparuerint, uti dixi) fuit, fidem facit. Unum tamen objicit æger, nimirum, se antehac nullum percepisse dolorem circa podicem, ac proinde nullum ibi fuisse antea malum. Respondeo cum Hippocrate, duobus doloribus simul, nec tamen in eodem loco corporis existentibus, vehementiorem minorem obscurare. Cum itaque caput penis propter concursum nervorum, exquisitissimo sensu sit præditum, mirum non est, si dolor isto in loco (antequam anodyna, injectiones, & consolidantia adhibuimus) vehemens, alterum circa prostatas (quarum sensus non usque adeò exquisitus) obscuraverit. Ex quibus perspicuum fit, collyria, reliquaq; medicamenta, non absque fructu adhibita fuisse, multumq; de eis sperandum esse, si profundius immitterentur.

VI. Cum antehac aliquoties Therebinthina, pulvere liquiritiæ involuta cum fructu usus fuerit æger, quæritur: *poßitne Spiritus quoque Terebinthinæ in corpore hocce, alioquin valdè bilioso, tuto exhiberi?*

VII. *An solo usu acidularum, hoc est, sine topicis, affectus, cum in Prostatis, tum etiam in ductu urinario sanari poßit?* Nos semper dubitavimus. Etsi enim acidulæ vias urinarias valdè abstergant, carunculas tamen minimè absumere posse existimamus.

Acidulæ carunculas absumere non possunt.

VIII. An fomenta illa emollientia anodyna, viasque urinarias relaxantia, secundum rationem adhibita fuerint? an verò ex eorum usu carunculæ magis accreverint, uti quidam ægro persuadere voluit: etiamsi effectus contrarium nobis demonstraverit?

De hisce omnibus, Vir amplissime, judicium tuum, tuam sententiam avidè expectamus & in curatione tantisper subsistemus, donec responsum tuum acceperimus. Id si maturè ad nos remiseris generosum ægrum, meque simul in perpetuum tibi devincies. Vale Vir amplissime, & in bonum publicum feliciter vive diu. Dabam 23. Februarii 1615.

EPISTOLA C.

Viro Ornatißimo, Dn.
GUILHELMO FABRICIO HILDANO,
Cheirurgo experientißimo,

THEODORICUS de MAYERNE,
Serenissimi JACOBI I. Magni Britanniæ
Regis ἀρχίατρος
S. P. D.

RESponsionem ad tuas, ante annum ad me datas vel cudere, vel mittere supersedi hactenus, Vir doctißime, quod Nobilis & Generosus ille, in cujus gratiam scriptæ illæ fuerant, de suo ad nos adventu, spem diu fecerit nobis, eamque non irritam tandem præstito eventu confirmarit. Quocirca cum in erudito tuo scripto totam recenseres morbi, quo ipse conflictabatur, historiam, & à me longa locorum intercapedine dißito, peteres de agendis consilium, vanum duxi, ea scribere, quæ dato ad manus subjecto reipsa facere, atque in ægri compendium præstare satius fuit. Quid igitur in Britannico nostro solo passus sit, quid cum ipso egerimus, accipe. Εὐπτεροσαρκώστως *in urethra latentis mictionis difficultas, & mejendi modus, cum suspicionem injicerent, cereolo exploratum deprehendi malum, cujus caussam, gemino (ut ajunt) ab ovo retexens, quindecennalis istius carunculæ primordia gonorrhœæ tribuenda inveni, in cujus inflammatoria tentigine, rupta per coitum, ut vulgus vocat, chorda, vel ut magis artificiosè, fissa membrana urethræ, inflammationis & tumoris vi contracta ac brevioris, post largam hæmorrhagiam (qualis ad istos conatus, & violentia* ἀποσπάσματα *consequi solet) remansit ulcus, ex quo paulatim succrevit fungus, tumor videlicet præter naturam, atque in meatu morbus, nulla alia ratione, quàm superflui per exæretica sublatione tutò citòve averruncandus.*

Solent spongiosi isti thymi purulentam sudare saniem, quæ minus accuratè hujus affectus penetralia rimantibus sub specie Gonorrhœæ plerumque imponere consuevit. Hinc puris filamenta per urinas fluctuantia primo intuitu utrique nostrûm apparuerunt, cujus materiæ partem à prostatis etiam defluere tecum arbitror, quas malè mulctavit, & per longißimum tempus affluxit intemperies malignitate non carens, caloris nativi destructrix, actionum omnium labefactatrix.

Perpensis sedulò singulis difficultatibus, præsertim verò delicatißima ægri natura, cujus exquisitißimus sensus, vel levißima Cheirurgiæ præsidia, pro sævißimis tormentis habet, manum admovi operi, & præmißis universalibus, sæpius iterata blandi Catheretici per cereolum applicatione, totam absumpsi carunculam, exiguo sanè cum dolore, in minus molli verruca dimidiam ferè meatus urinarii longitudinem, cujus dimensionem vix tres digiti latitudine sua adæquassent. Non leve movit negotium colli vesicæ proximitas, cum ad finem ventum est, inprimis autem exiguum illud tuberculum, quod osculo dehiscens viam dat semini in urethram, cujus moles tumore aucta ab humorum affluxu minus perito artifici fecisset fucum, atq; exedentium longiorem suasisset usum.

Carun-la ca...

Verum (mi Fabrici) hoc tibi sit à me in carunculæ curatione secretum, plus cunctando, quàm festinando promoveri. Quotiescunque ulceris labia remediis irritata intumescunt, ea si lenientibus mulceantur, subsidunt, & (mirum dictu) pertinacißimi obices intra paucißimos dies per se evanescunt.

Ita contigit Generoso nostro ægro, qui nunc Dei Optimi Maximi beneficio tam immunis est à Chronico, &

 com, & ja penè in habitum converso morbo, quàm fuit unquam; Patet regia seminis & urinæ via, atq; amplo, continuo, recto filo redditur lotium, quod nuperrimè stillatim, magno etiam conamine exprimebatur.

Dempto superfluo, restitit ulcus oblongum, respectu partis magnum, caussa verò utcunque malignum, quod usque & usque detersum, desiccare atque ad cicatricem perducere indesinenti labore hactenus moliti sumus. Vnicum est, post ferruminationem, soliditatem atque duritiem cicatrice procurare, id quod nec levibus, nec paucis vel medicamentis, vel diebus perfici potest, in parte quam urina torrens quotidiano flumine alluit. Si per publica negocia licuisset ægro diutius apud nos commorari, curationi addidissemus Colophonem. Defert tamen in ista discessus sui necessitate remedia & consilia secum, quibus absentiæ nostræ jacturam resarciat.

Confirmationis ergò, atq; ut quicquid glandulis inhæserit, tollatur radicitus, & succidatur ansa novæ infirmitati, suasi, ut repurgato ex arte corpore, proximo vere diætam sudorificam aggrediatur, qua nihil utilius autumo, cum ad universalis caussæ correctionem, tum ad partis roborandæ utiq; & validè desiccandæ restitutionem in integrum. Diæta.

Cæteras consilij mei minutias videbis in prolixo scripto, atq; in arena decernes quid primum, quid postremum præsens rerum facies suaserit. Curationum animæ sunt temporum opportunitates, quas sectari, earumve momenta arripere absenti denegatum.

Ex ipsius Generosi ore intelliges, quibus artibus utar in debellando pernicioso hoste: qua providentia sævissimorum symptomatum eludam carnificinam, qua sedulitate eorundem præsentium ferociam mitigem.

Epistola excresceret in volumen, si vellem cuncta persequi. Ne tamen publico bono invideam, meam in hac artis particula solertiam, si quando ab aulicis curis respirare mihi licuerit, luci tradam meos de caruncula commentariolos, quos informes fœtus politioribus ingeniis, & peritioribus, atq; in artis operibus magis exercitatis lambendos tradam lubens. Neq; enim mearum lucubrationum amore ardeo, nec meis majora vel meliora accudi non posse credo

Vt facias Exæretici nostri periculum, ejusdem tantillum mitto, quod tamen sit ad quatuor ingentes carunculas penetrandas & exæquandas satis.

Si tardius opus perfecerit, animum ne despondeas Tutò & jucundè operari satius, quàm citò, & cum periculo. Vanus nunquam medicamenti erit effectus: quem tamen accelerabis pro libitu Mercurij præcipitati additione. Sed quid ego noctuas Athenas? istud habeto benevolentiæ meæ symbolum, si majus & solidius desideraveris, neq; id tibi denegatum iri scito.

Ad quæstiones tuas nihil respondeo, si meum postulas de iis, quæ generoso ægro vel suasisti olim, vel administrasti, testimonium, quicunq; te calumniantur, discant peritis in arte esse credendum, & me secundum artem abs te præstita omnia asseverare. Tu vale & me nomini tuo atq; existimationi non infimis faventē suffragiis, & felicitatis tuæ amantissimum redama. Datum Londini 5. Calend. Februar. 1616.

FINIS.

GUILHELMI FABRICII HILDANI,

Illustriss. Marchionis Badensis & Hachbergensis, &c. nec non Inclytæ Reipublicæ Bernensis, Medico-Chirurgi ordinarii,

CISTA MILITARIS:

H. E.

Designatio præcipuorum Medicamentorum, tàm internorum, quàm externorum, uti etiam Instrumentorum maximè necessariorum, quibus rationalem Medicum & Chirurgum castrensem instructum esse convenit:

In classes viginti distributa, quas sequentes paginæ exhibent.

Accessère aliquot Medicamentorum selectorum, ab Authore sæpiùs approbatorum, descriptiones.

AD LECTOREM.

QUOMODO Principes ac Duces Christiani erga milites suos ægrotos & vulneratos se gerere debeant, candide LECTOR, id Centurio ille Ethnicus, de quo divus Matthæus *cap. 8. vers. 5.* & Lucas *cap. 7. v. 3.* scribunt, suo exemplo præclaro docet. Cùm enim servus ejus graviter laborâsset, & de adventu Christi audivisset, ad eum Seniores Judæorum misit, (se-ipsum enim, ut Christum interpellaret, indignum esse dicebat) ut pro servo suo intercederent, quò ipsũ à morbo curare vellet: quod & è vestigio factum fuit. Præclarus profectò ac maximus fuit amor ille Domini erga Servum suum, ita ut ipsum quoque puerum suum appellaret. Domine, inquit, puer meus projectus est domi paralyticus, vehementer vexatus, &c. Quibus verbis Spiritus Sanctus per Ethnicum illum innuere voluit, Principes ac Duces exercitus esse veluti Patresfamiliâs, ac se erga milites, ut pater erga suos infantes, genere debere. Et meritò quidem: miles enim fidelis, quia quotidiè vitam suam pro salute Capitanei sui exponit, famem, frigus, ac infinita alia mala sustinet, & in omnibus mandatis se obedientem præbet, impium profectò esset, si Dux belli aut Capitaneus vicissim non redamaret ipsum.

Ducis e… ercitus … ficium e… ga mili… tes suo…

Dux itaque exercitus *primò* operam det, *ut milites habeant ministros fideles, qui ipsos in pietate erudiant*: pietas enim, cùm ad omnia utilis sit, etiam in milite requiritur. In quibus verò rebus ipsos instituere debeant, id sanctus Iohannes Baptista paucis verbis docet, Luc. cap. 3. v. 14. De quibus plura vide in Speculo meo Germanico de miseriâ Vitæ humanæ, parte secundâ.

Prospiciat *deinde* Dux exercitûs, *ut habeant unde vivere possint.* Si enim milites, uti Divus Iohannes docet, nemini obesse debeant, necesse est, ut stipendium recipiant; alioquin mirum non est, si subditi & innocentes pauperes ab ipsis spolientur, Urbes quinetiam ac Regiones devastentur.

Tertiò perquam necesse est, *ut Dux exercitus fideles, pios, atq; expertos Medicos & Chirurgos habeat, ne, propter inscitiam, negligentiam, aut temulentiam Medici vel Chirurgi, milites pereant*: quod plerumq; fieri, exempla non desunt.

His omnibus Dux & Caput, quod & Patrem-

tremfamiliâs sui exercitûs esse antea diximus, prospicere, neminemque ex militibus, ne minimum quidem, cõtemnere, Christiana jubet charitas. Ut enim plerumque unius, aut saltem paucorum militum industriâ ac magnanimitate hostium acies disrumpitur, & in fugam profligatur, urbes, propugnacula, & arces occupantur; ita etiam nonnunquam paucorum interitus toti exercitui maximum damnum intulisse, observatum est.

Dux itaque Exercitus, si inexpertos Medicos & Chirurgos habuerit, non solùm milites, verùm etiam semetipsum periculo committit. Deus etiam sanguinem eorum, quòd ipsius negligentiâ pereant, ab ipsius manibus requiret. Hanc ob causam apud antiquos Duces exercitum, Methridatem nimirum, Lysimachum, Alexandrum Magnum, Iulium Cæsarem, & alios, se in arte Medicâ oblectâsse, historiæ fidem faciunt.

Non sufficit autem, doctos, fideles atque expertos habere Medicos atque Chirurgos, nisi Medicamenta simul & instrumenta in promptu fuerint, sine quibus nullus commodè mederi potest.

Videant itaque Principes, Duces, Centuriones, cæterique, qui clavum exercitus tenent, ut, dum reliqua ad bellum faciendum necessaria præparant, Cistam quoque militarem minimè negligant. Non enim quivis Medicus & Chirurgus facultatem habet, talem apparatum & thesaurum Medicamentorum, qualis hic requiritur, sibi comparare. Et quia persæpè eis, qui castra sequuntur, viæ intercluduntur, quò minùs sine vitæ periculo ad Urbes & Myropolia pervenire possint, ideò, ut omnia in promptu sint, necesse est.

Cista militari Illustriss. Auraici Principis Herois Mauritii

Anno 2612. cùm in Belgium profectus essem, & in urbe Mörß amicos quosdam adivissem, multisque honoribus à Nobilissimo ac Strenuo Viro, D. Alexandro de Schweichel/arcis & propugnaculi Gubernatore, quem honoris causâ hic nomino, exceptus essem, præter reliqua, quæ visenda erant, etiam Cistam militarem Illustrissimi Herois *Mauritij*, Principis Auraici, Comitis Nassoviæ, &c. mihi monstravit, in quâ non solùm Medicamenta & Instrumenta, verùm etiam linteamina, fasciæ, & similia, parata, nondum tamen cistis ad id fabricatis inclusa, sed adhuc in conclavi ordine disposita erant; idque in eum finem, ut non solùm subsidiariis militibus, quæ eis necessaria, succurreretur, sed &, si quæ deficerent, aut obsolescerent, maturè reficerentur. Insigne & præclarum profectò hujus Principis ac Herois, pietatis, prudentiæ ac vigilantiæ de suis militibus fuit signum atque indicium! Cista hæc, quotiescunque necessitas postulavit, castra sequebatur. In maximis & periculosis affectibus milites quidem ab initio ex illa sublevabantur, mox tamen ad proximas Urbes vehebantur, & Illustrium & Præpotentum Ordinum sumptu à Medicis curabantur. Et si forsan pauper aliquis miles claudus, mancus aut impotens membrorum suorum remansit, is Illustrium & Præpotentum Ordinum sumptibus sublevatus, & annuali stipendio muneratus fuit. Pia atque Christiana constitutio hæc milites audaces, intrepidos, atque animosos reddidit.

Ut itaque Duces exercitus sciant, quibúsnam rebus Cistam adornare conveniat, visum mihi fuit, consignare præcipua tùm Medicamenta, tùm Instrumenta, quibus Medicus aut Chirurgus castrensis instructus esse debeat; si quid prætereà opus ipsi fuerit, id bonâ suâ cum commoditate ex proximis Myropoliis nancisci poterit.

Cista autem ita per classes & ordines extruenda & adornanda est, ut omnis confusio, & Medicamentorum inter se commixtio evitetur, & singulorum virtus atque proprietas conservetur. Idcirco in classes viginti illam divisi.

In prima *Purgantia simplicia* contineantur: illa autem omnia sacculis coriaceis sunt includenda, exceptâ mannâ & cassiâ extractâ, quæ in vasis figulinis commodè conservari possunt. Prædicti sacculi scatulæ includantur, cum hac inscriptione majusculis litteris, *Purgantia simplicia.*

In secunda classe sint *Electuaria purgantia, vasculis figulinis inclusa*, cum hac inscriptione, *Purgantia composita.* Idem de reliquis intelligendum.

Syrupum rosatum solutivum, uti & *reliquos Syrupos, & Aquas destillatas*, ampullis vitreis, vel figulinis, cũ angustis orificiis inclusas, subere & vesicâ bovinâ clausis, separatim in classe servare convenit. Quæ & ita adaptanda & collocanda sunt, ut se invicem ampullæ non attingant, ne frangantur. Itaque, ut una post alteram singulatim classe suâ panno munita imponatur, necesse est.

Massæ pilularum corio albo, oleo amygdalarum dulcium illinito, involvantur.

De pulveribus & Electuariis cordialibus.

Pulveres cordiales, uti etiam *Electuaria*, cor, partesque nobiles corroborantia, & cum purgantibus commercium nullum habentia, sacculis coriaceis includito, & in classem separatam collocato.

De radicibus, herbis, floribus, seminibus.

Radices, herbæ, flores, & semina, sacculis quoque, si non ex corio, saltem ex tela, includenda, & per classes ita distribuenda sunt, ut *radices* primam, *herbæ* secundam, *flores* tertiam, & *semina* quartam occupent.

De oleis & balsamis.

Olea & balsama communia in lagenis, stanneis operculis torculatis, *Olea* verò *pretiosa*, veluti *cinamomi, caryophyllorum, macis, nucis moschatæ, anisi, fœniculi*, & hujusmodi, in ampullis cerâ vel subere obturatis conservari debent: horum verò *balsama* vasis vitreis aut argenteis, stanneisque includimus.

De unguentis & pinguedinibus.

Unguenta & pinguedines quàm optimè in vasis figulinis vel stanneis circumferri possunt, dummodò diligenter obturentur, & separatim in classem collocentur. Ad hanc classem quoque pertinet *therebinthina.*

De emplastris & gummi.

Emplastra, gummi, cera, sevum cervi, vaccæ, hirci, & similia, quæ consistentiam habent solidam, vesicâ bovinâ, chartâ tectâ, sunt involvenda.

De metallis.

Metallica & subterranea medicamenta, puto *vitriolum, alumen, lithargyrium, bolum*, & similia, uti etiam *farinas*, sacculis coriaceis includere oportet:

portet: *Tutia verò præparata, sief album, osteocolla*, & si quid simile occurrit, quo in collyriis & affectibus internis utimur, sacculis coriaceis includantur, & cum cordialibus reserventur. *Sacculi* filo validissimo sunt claudendi, & ligandi, ne in via propter continuam agitationem aperiantur, & simplicia inter se commisceantur. *Omnes* præterea *sacculi*, ut confusio evitetur, majusculis litteris singulatim sunt notandi.

Arsenicum, Auripigmentum. Mercurium crudum sublimatum præcipitatumq́; lapidem causticum, & medicamentosum, *trochiscos* item *de minio Vigonis, spiritum vitrioli, aquam fortem, & hujusmodi septica atque erodentia*, cave, ne cistæ tuæ includas, & ex eis fractâ ampullâ unâ, reliqua omnia devastentur atque corrumpantur medicamina, ægri quin etiam interficiantur. Præstat itaque illa omnia cistulæ separatim includere.

Cum *Instrumentis* talis servandus est ordo, videlicet, *ut scindentia*, uti sunt *novaculæ, forfices, scalpella* & hujusmodi, *suas habeant vaginas*, *reliqua* verò *chartâ involvantur*.

Hisce præparatis & adornatis, *catalogus* tibi est *conscribendus*, quò statim, & sine difficultate, quæcunque tibi necessaria sunt, reperire possis.

Quemadmodum autem cista tua per classes divisa, ita etiam catalogus ut sit, necesse est.

Præterea, quotiescunq; simplex aut compositum Medicamentum aliquod deficit, ad marginem catalogi id notabis, quò defectum resarcire possis.

De his, mi candide Lector, te ante omnia monitum esse volui. Sequuntur nunc classes ordine.

Classis 1. & 2.

CLASSIS. I.
In qua Purgantia simplicia continentur.

Agaricum,
Aloë,
Rhabarbarum,
Cassia,

Crocus metallorum: cujus infuso nonnunquam in juvenibus robustissimis & pituitosis corporibus, & quidem cum fructu utimur; imbecillioribus verò & extenuatis hominibus sine periculo exhiberi non potest, præsertim in substantia:

Colocynthis,
Diagrydium,
Folia senæ,
Hermodactyli,
Manna,
Mechoacana,
Myrobalani,
Succus rosarum pallidarum,
Trochsci Alhandal.
Turbithi

CLASSIS II.
Purgantia composita.

Benedicta laxativa,
Confectio Hamech,
Diacarthamum,
Diacatholicum,
Diaphœnicum,
Diaturbith cum Rhabarbaro,
Electuarium de succo rosarum,
Electuarium lenitivum,
Pulvis senæ præparatus Brassavoli.

Syrupus rosatus solutivus, qui vel simplex, h. e. ex multis infusionibus, vel cum agarico, rhabarbaro & sena compositus est:

Pilulæ { Aggregativæ,
Aureæ,
Cochiæ,
De Agarico,
Lucis majores.

Species ad Suppositoria.

Pulvis Passavanti, cujus descriptionem, quia non vulgaris est, hîc adscribere visum fuit.

R. Fol. Senæ expurgatorum ℥ iij.
Turbith gummosi ʒ ij
Rhabarbari electi ʒ j.
Liquiritiæ,
Seminis anisi,
Fœniculi an. ʒ ß.

Spicæ Indicæ gran. viij. Fiat omnium pulvis tenuissimus, detur à scrupulis duobus ad quatuor.

CLASSIS III.
Electuaria & Pulveres, cor, partesque nobiles corroborantes.

Aromaticum rosatum,
Bolus orientalis,
Camphora,
Confectio { Alkermes,
De Hyacyntho,
Coralli præparati,
Cornu cervi usti & præparati,
Cremor Tartari,
Diaireos,
Diamargaritum fridigum,

Diarho-

3. & 6.

Diarrhodon Abbatis,
Diatragacanth. frigidum,
Diatrion santal.
Flores sulphuris,
Lapis Bezoar,
Margaritæ præparatæ,
Mithridatium,
Meconium,
Opium,
Laudanum opiatum,
Osteocolla præparata, ut per os sumi possit,
Philonium Romanum,
Pulvis ad Epithemata cordis,
Rasura cornu cervi,
Sal prunellæ,
Tartarum vitriolatum,
Terra sigillata & strigensis,
Theriaca.

Classis. IV.

Aromata.

Calamus aromaticus,
Caryophylli,
Cinamomum,
Crocus,
Galanga,
Macis,
Nux moschata,
Piper,
Saccharum,
Zingiber.

Classis V.

Aquæ destillatæ, & similia.

Aectosæ,
Anisi,
Borraginis,
Buglossæ,
Calendulæ,
Cinamomi, sine vino destillat.
Melissæ,
Plantaginis,
Rosarum,
Aqua vitæ,
Succus Berberorum,
Citronum,
Granatorum,
Acetum rosaceum,
Acetum commune vini & cerevisiæ.

In penuria aceti utimur omphacio ex uvis vel pomis immaturis, præsertim in affectibus externis.

Classis VI.

Syrupi.

Classis 6. 7. & 8.

Acetosæ,
De Agresta,
De succo Berberorum,
De succo Buglossæ,
Ce succo Citri,
Cydoniorum,
Granatorum,
De Limonibus,
Liquiritiæ,
De Papavere,
Rosatus simplex, h. e. non laxativus,
De Rosis siccis,
Violarum.

Classis VII.

Radices.

Altheæ,
Angelicæ,
Aristolochiæ longæ & rotundæ,
Bistortæ,
Bryoniæ,
Caryophyllatæ,
Cœpæ,
Cichorii,
Consolidæ majoris,
Cyclaminis,
Enulæ campanæ,
Eryngii marini,
Fœniculi,
Gentianæ,
Hirundinariæ, sive Vincetoxici,
Iridis Florent.
Liliorum alborum,
Liquiritiæ,
Petroselini,
Pimpinellæ,
Plantaginis,
Polypodii,
Squillæ,
Tormentillæ,

Classis IIX.

Herbæ.

Absinthium vulgare & Ponticum,
Agrimonia,
Alchimilla,
Alliaria,
Altheæ folia, flores & summitates,
Betonica,
Carduus benedictus,
Centaurium,
Centumnodinum,
Cuscuta,
Dictamnus Cretensis,
Equisetum, sive Cauda equina,
Euphrasia,
Fumaria,
Hypericum,
Majorana,
Melissa,
Mentha,
Mercurialis,

Classis 8. 9. & 10.

Nepeta,
Origanum,
Plantago,
Prunella,
Pyrola,
Quinq; nervia, *est species plantaginis.*
Rosmarinus,
Ruta,
Salvia,
Sanicula,
Scabiosa,
Scordium: quod duplex est, quemadmodum ad calcem Tractatûs mei *de Gangrana & Sphacelo* abundè dixi. Deficiente itaque vero scordio, altero, vel etiam alliariâ, ejus loco utimur, sed in duplo vel triplo. Ego tempore Veris succum ex Alliaria per prælum extrahere, & in ampullis, superfuso oleo communi, per annum integrum, & ampliùs, conservare soleo. Succus ille in penuria Scordii, quod non ubique crescit, in Gangrænis & sordidis Ulceribus præstantissimum est medicamentum.

Nota De succo Alliariæ.

Virga aurea.

Classis IX.

Flores.

Anethi flores & summitates,
Betonicæ,
Borraginis,
Buglossæ,
Calendulæ,
Chamomillæ,
Granatorum,
Meliloti,
Primulæ Veris,
Rosarum,
Rosmarini,
Salviæ;
Sambuci,
Verbasci.
Violarum.

Classis. X.

Semina,

Anethi,
Anisi,
Carui,
Coriandri præparati,
Cumini,
Cydoniorum,
Fœnugræci,
Hordei integri & decorticati,
Lini,
Petroselini,
Plantaginis,
Raphani,
Sinapi.

Clas. &

Classis XI.

Fructus,

Amygdalæ,
Baccæ lauri,
Caliculi glandium,
Caricæ,
Cerasa condita,
Cydonia,
Gallæ,
Glandes,
Limones,
Lupini,
Mala arantia,
Mala punica, seu Granata,
Myrtilli peregrini,
Nuces cupressi,
Peculi Rosarum,
Pruna Damascena Ungarica,
Tamarindi,
Uvæ passulæ.

Classis XII.

Olea,

Amygdalarum dulcium & amararum,
Anethi,
Anisi,
Balsamum Indicum, sive Tolutanum,
Balsamum Vigonis, cujus descriptionem mox adscribam,
Carui,
Cariophyllorum,
Ceræ,
Chamomillæ,
Cinamomi,
Cydoniorum,
Fœniculi,
Hyperici,
Iuniperi,
Liliorum alborum,
Lumbricorum,
Mastiches,
Menthæ,
Myrtillorum,
Nucis moschatæ
Olivarum,
Rosarum,
Scorpionum,
Terebinthinæ,
Violarum,
De vitellis Ovorum,
Vulpinum,

Balsamum Dn. D. Iohannis Vigonis in vulneribus post eorum digestionem præstantissimũ, extat apud prædictum Authorem *lib. 8. cap. 19.* & sic habet.

R. Olei Omphacini ℔ij.
Styracis calamithæ,
Laudani,
Croci,
Olibani,

Gummi

Clas. 12, 13.

Gummi Arabici,
Rubiæ tinctorum,
Gummi hederæ,
Mastiches,
Caryophyllorum,
Galangæ,
Cinamomi,
Aloës succotrinæ,
Cubebarum an. ℥ij.
Gummi Elemi ℔j.
Myrrhæ,
Bdellii an. ℥j. ß.
Galbani ℥vj.
Spicæ,
Ligni aloës an. ℥j.
Serapini,
Ammoniaci,
Opoponacis an. ℥j.

Omnia pulverisanda pulverisentur, & permisceantur cum dicto oleo, deinde ponantur in alembicum cum suo capello & recipienti, & arte & igne elambicetur, & omnia sint benè inlutata & obturata luto Sapientiæ, in principio per horas duodecim ponendo alembicum ad ignem lentum, & ipsum immetiorando in sex horas, donec elambicatum fuerit: quo facto, statim residuum specierum iterum pulverisetur, & cum prædicto oleo elambicato, iterum ordine ante dicto per tres vices reiterando elambicetur, & tandem habebis oleum, quod ferè est sicut balsamum; stat enim ad omnem balsami probationem.

Balsamo prædicto Vigo etiam in internis affectibus utitur, ut *loco præallegato* Lector videre poterit.

Classis XIII.

Unguenta,

Ægyptiacum, cujus descriptionem vide in Tractatu meo *de Gangræna & Sphacelo, c.13.*
Album Rhasis,
Apostolorum,
Aureum,
De Minio camphoratum,
Defensivum Chalmetei, cujus descriptionem vide apud prædictum Authorem *lib. 1. cap. 3.*
Dialtheæ,
Diapompholigos,

Digestivum in omnibus vulneribus tùm contusis, tùm instrumentis scindentibus factis, imò etiam in sclopetorum vulneribus præstantissimum, cujus hæc nostra est descriptio.

R. Ceræ novæ ℥j. ß.
Gummi Elemi pinguissimi,
Terebinthinæ claræ an. ℥j.
Colophoniæ ℥. ß.
Ol. Amygd. dulc.
Rosarum,
De vitellis Ovorum lento calore ignis per prælum extractum an. ℥j. Dissolvantur lento igne & percolentur. Colaturæ admisce croci subtilissimè pulverisati ℥j.

Clas. 13. 14. & 15.

Hujus unguenti accipe ℥j. cui admisce vitellum unius ovi, olei rosacei q. s. ut formam liquidam acquirat,
Nicotianæ,
Nutritum,
Populeon,
Rosatum.

Unguentum ad ambusta, ex quacunq; materia ignita facta fuerint, præstantissimum. Empyreuma enim potenter extrahit, nec sinit pustulas elevari: uti ego multoties expertus sum, de quo vide Tractatum nostrum *de Combustionibus, cap. 6.*

R. Cœpæ crudæ ℥j. ß.
Salis,
Saponis albi Veneti an. ℥j.

Misceantur in mortario, fiatque *Unguentum cum oleo rosaceo, & amygd. dulcium* q. s.

Extracto empyreumate, si subjecta cutis & caro combusta fuerit, sequens applicetur Unguentum.

R. Unguenti Basiliconis ℥j.
Ol. Rosacei,
Liliorum alborum an. ℥. ß.
Vitellos ovorum N. ij.
Misceantur,

Aliud in maximo dolore.

Si dolor adeò vehemens fuerit, ut æger nihil, aut parum quiescere possit, applicetur sequẽs Unguentum.

R. Butyri recentissimi non saliti ℥ij.
Ol amygd. dulc.
de vitellis ovorum an. ℥. ß.
Croci pulverisati,
Opii dissoluti in prædictis oleis an. ℈ß.
Camphoræ ℈j.
Mucilaginis seminis cydoniorum ℥j.
Misceantur.

Plura qui de Combustionibus videre cupit, & quomodo facies, à pulvere tormentario commaculata, sit purganda, videat Tractatum nostrũ *de Combustionibus*.

Classis XIV.

Pinguedines,

Anseris,
Bovis,
Capi,
Cervi,
Hirci,
Hominis,
Gallinæ,
Porci,
Ursi.

Classis XV.

Emplastra,

Apostolicum,
Basilicum,
De Betonica,
Diapalmeum,
Diachylon simplex & compositum,

Class. 15.

De Meliloto,
De Mucilaginibus,
Oxycroceum,
De Ranis.

Sticticum sive fodicationum, Germanicè Stichpflaster/ Vigonis, ad fracturas ossium, quia præstantissimum esse scio, ejus descriptionem ex Vigone *l.8.c.16.* in gratiam Lectoris hîc adscribere volui: cùm Oxicroceum, quo vulgus in fracturis & dislocationibus utitur, periculosum & damnosum sit, ut idem Vigo docet *loco præallegato*.

R. Olei myrthini,
Rosacei,
Omphacini an. ℔ß.
Succi rad. altheæ ℔ ij.
Radicum fraxini & foliorum ejus,
Radicum consolidæ minoris & foliorum ipsius,
Myrtillorum & foliorum ejus,
Foliorum salicis an. M.j.

Bulliant omnia, priùs aliquantulum contusa, cum vino nigro, & tantundem aquæ, usque ad consumptionem medietatis cum ℥ ß. Myrrhæ, & tantundem Thuris: deinde fortiter colentur, cui colaturæ addantur.

Sevi hircini liquefacti ℔.ß.
Therebinthinæ clarissimæ ℥ij.
Mastiches ℥j.

& iterum cum prædictis oleis bulliant usque ad consumptionem prædictæ decoctionis, postmodùm colentur, addendo

Lithargyrii auri & argenti an. ℥iij.
Boli armeni subtiliter triturati,
Terræ sigillatæ an. ℥ij.
Minii ℥j.

& iterum ad ignem baculo semper agitando, lento igne, cum cera nova sufficienti, fiat ceratũ, ad modum sparadrapi.

Ego jam à multis annis, magno cum successu, sequenti utor Emplastro in fracturis.

R. Emplastri Slotani (cujus descriptionem vide in consilio de conservanda Valetudine, in Epistola ad D.D. Paulum Croquerum) ℥ vj.
Ceræ novæ ℥ij.
Colophoniæ,
Gummi Elemi puinguissimi an. ℥j.

Dissolvantur lentissimo igne, postea insperge sequentes pulveres,

Rad. consolidæ majoris,
Balaustiorum,
Nucum cupressi,
Rosarum an. ʒj.
Mastiches,
Olibani an. ʒij.

Misceantur, addendo *olei rosacei* q. s. ut fiat ceratum. In adultis & extenuatis ad unciam unam *hujus Emplastri osteocollæ præparatæ* admisceo; singulis quoque diebus manè tres ante pastum horas de eodem lapide cum jusculo carnis, vel vino albo exhibeo: multùm enim curationem lapis ille accelerat. In juvenibus verò, qui & optimâ corporis sanitate fruuntur, lapidem illum, sive per os datum, sive exteriùs adhibitum, minimè convenire, Lector *ex Observatione 91. Centuriæ primæ Observationum mearum*, videre poterit.

Class. 16. Admonitio.

Non autem statim à principio, neque primis diebus, applicanda sunt prædicta emplastra, multò minus oxicroceum, ne affluxus humorum ad partem læsam sequatur, pessimaque symptomata suscitent. Ab initio itaque, postquàm os fractum in situm suum repositum est, sequens applico Cataplasma.

Pulvis cataplasmatis fracturæ ossium.

R. Rad. consolidæ majoris,
Tormentillæ,
Bistortæ an. ℥.ß.
Boli (sed albi, non rubri) ℥j.
Balaustiorum ʒj.
Nucum cupressi,
Gallarum,
Rosarum rubr. an. ʒij.

Fiat omnium pulvis tenuissimus, cui admisce *farinæ hordei* ℥vj. servetur in sacculo coriaceo: pertinet ad *classem 18.* Hujus pulveris accipe quantum opus est, pro membri fracti magnitudine, ex quo cum posca formetur Cataplasma in mortario, vel alio vase sine calore ignis, addendo vitellum ovi cum albumine, parumque olei rosacei. Applicetur membro fracto, & renovetur ab initio tertio, vel ad summum quarto quoque die, donec symptomata non ampliùs sunt metuenda, tunc Emplastrum Vigonis, vel meum, applicari, & de sexto vel decimo in decimum diem reiterari poterit.

CLASSIS XVI.

Gummi, & similia,

Ammoniacum,
Benzoinum,
Cera alba & flava,
Colophonia,
Elemi,
Euphorbium,
Mastiche,
Myrrha,
Olibanum,
Pix navalis,
Stirax calamitha,
Terebinthina,
Tragacanthum.

CLASSIS XVII.

Metalla, & eorum affinia.

Alumen crudum & ustum,
Antimonium crudum ad ulcera: *de præparato vide* suprà:
Arsenicum,
Calx lota,
Cerussa,
Crocus Martis
Gypsum,
Lapis calaminaris,
Causticus,
Medicamentosus Crollii,
Sabulosus, vide Osteocolla: de cujus præparatione & usu vide Cent.1. Obs.90.91.

Item

S. 17. & 19. Item Cent. 3. Observ. 90. Detur in ossium fracturis per os, & cum reliquis medicamentis loco affecto applicetur. Præparatus ad *classem tertiam* pertinet.

Lithargyrium aureum & argenteum,
Mercurius { Crudus, Sublimatus, Præcipitatus,
Nihil præparatum,
Nitrum crudum & præparatum,
Plumbum ustum,
Realgar,
Sief album,
Sulphur,
Tutia præparata,
Vitriolum crudum & ustum,

Classis XVIII.

Farinæ,

Baccarum lauri,
Fabarum,
Hordei,
Lentium,
Lolii,
Lupinorum,
Siliginis,
Tritici,
Volatilis.

Pulvis pro Cataplasmatis ad fracturas ossium: cujus descriptionem vide *classe 15*.

Pulvis ad sistendum sanguinem: cujus variæ apud Medicos extant descriptiones; mea verò, à multis annis comprobata, hæc est.

R. Farin. volatilis ℥vj.
Sanguinis draconis,
Thuris an. ℥j.
Boli armeni orientalis,
Terræ sigillatæ an. ℥. ß.
Gypsi ℥j ß.
Ranarum aquatilium præparatarum (mirificè enim, proprietateque quâdam occultâ sanguinem sistunt) ℥ij.
Musci cranii humani ℥j.
Pil. leporum minutissimè incisorum ℥. ij.
Pulveris albuminum ovorum, sole caniculari exsiccatorum,
Spumæ maris,
Spongiæ novæ torrefactæ an. ℥j.

Misce, fiatque pulvis subtilissimus, quo in omnibus vulneribus etiam capitis, & detectis membranis, uti & in hæmorrhagia narium, cum fructu uti poteris.

Classis XIX.

Instrumenta.

Præter Medicamenta prædicta, plus quàm necesse est, ut Chirurgus Instrumentis necessariis quoque instructus sit, sine quibus officio suo rectè fungi non potest. In duas autem partes distribuat Instrumenta sua, ita ut nonnulla continuò secum, thecâ Instrumentorum inclusâ, in pera circumferre possit: hæc verò parva & exilia, ne ipsum onerent, & ægrum deterreant, esse convenit. Reliqua Cistæ militari includantur, &, donec necessitas urget, reserventur. Ego ægros meos sine theca Instrumentorũ nunquàm accedo: in ea autem sequentia continentur; *Class. 19.*

Novacula:
Forfices;
Scalpella duo:
Phlebotoma quatuor, *ad venas incidendas:*

Scalpellum incurvatum, ad abscessus aperiendos:

Stylus ex una parte nonnihil incurvatus, & veluti scalpellum acuminatus, ad gingivas in dentium dolore incidendas: ex altera parte *Volsella* est, ad res extraneas ex vulneribus extrahendas:

Forceps parva, Germ. Kornzänglin/ ad eundem usum:

Acus, ad suenda magna vulnera, quarum aliæ *parvæ*, aliæ *magnæ*, vel *mediocres* esse debent:

Cannula fenestrata, quâ in suendis vulneribus utimur. Illa autem ejus sit longitudinis, ut loco vaginæ ad acus conservandas tibi inservire possit. Vulnera autem musculosarum partium solùm suenda sunt; nervosarum verò nequaquàm. In vulneribus faciei acu nunquàm utor, sed suturam, ut vocant, siccam adhibeo:

Spatula parva & magna:
Styli exploratorii ex argento fabricati:

Speculum oris simplex, quo unâ parte in faucium & gutturis affectibus lingua deprimitur, alterâ verò lingua abraditur:

Cochleare exile, ad inspergendum pulverem vulneribus & ulceribus:

Hamulus, ex una parte *simplex*, ex altera verò *duplex*:

Coticula, ad scalpella &c. acuminanda. Ego quidem prædicta Instrumenta & quamplurima alia ab excellenti Artifice ex argento fabricata habeo, quibus intra mœnia utor: ægri enim minùs ab eis, quàm à ferreis, abhorrent. In castris tamen ut Chirurgus argenteis Instrumentis instructus sit, non semper tutum est, ideòque omnia ex ferro & chalybe fabricata esse debent, præter stylos exploratorios, qui ex plumbo, cupro, aut orichalco constare debent.

Hæc sunt Instrumenta, quibus Chirurgum continuò instructum esse decet.

Habeat præterea apud se pyxidem unguentariam, sex classibus distinctam, quarum primam *unguento Basilico*; secundam *Aureo*; tertiam *Apostolorum*; quartam *Nutrito*; quintam *albo Rhasis*; sextam *exiccativo rubro, sive de minio*, adimpleat. Sit autem ex cornu, vel ligno aliquo solidissimo, veluti Ebeno, Guajaco, aut buxo fabricata: melius enim in ligno, quàm in argento, cupro, aut orichalco conservantur unguenta.

Lagenulam stanneam, oleo rosaceo impletam, & operculo torculato munitam, ut Chirurgus quoque continuò secum ferat, necesse est, ut circumferentia vulnerũm inungi possit: lenit enim

Clas. 19. enim dolorem, partemque læsam corroborat, & à pravis symptomatibus vindicat.

Pro Digestivo, pyxidem stanneam, cum suo operculo torculato, habeat.

Hæc de Instrumentis, quæ Chirurgus continuò secum circumferre debet.

Sequitur nunc de reliquis, & primò de iis, quibus circa caput utimur.

Ea autem sunt primò *Trepana*, quando in magnis contusionibus, propter sanguinem extravenatum & concretum, nec non in capite collectum, cranium perforandum est.

2. *Elevatoria seu vectes*, ad cranium impressum elevandum.

3. *Scalpra*, ad cranium cariosum radendum.

4. *Speculum oris integrum*, quo in magnis faucium & linguæ inflammationibus, veluti in angina, lingua deprimitur.

5. *Aliud speculum oris*, ad aperiendum os, quando videlicet in spasmo, ut ego aliquoties vidi, adeò clauditur, ut ne guttula quidem jusculi ægro infundi possit.

6. *Instrumenta varia*, ad evellendos dentes.

7. Quia nonnunquam inter comedendum, ossiculum, spina piscis, vel simile quid œsophago infigitur, ægrumque suffocat, ideò necesse quidem esset Chirurgo, habere in Cista sua Instrumentum, quale ego *in prima Centuria obs. 36.* depinxi. Id verò si ad manus non habuerit, protinùs *spongiolam* extremitati catheteris annectat, & gulæ immittat.

8. *Instrumenta* ad extrahendos globulos plumbeos è vulneribus sclopetorum, quorum varia ab Authoribus traduntur. Ego aptissimum habeo, cujus descriptionem & delineationem vide *Cent. prima obs. 88.*

9. *Serra magna*, ad magna abscindēda membra apta, & ab experto arculario diligenter acuminata.

10. *Parva item serra*, ad digitos tùm manuum, tùm pedum abscindendos: scalpris enim eos abscindere, rationalem Chirurgum minimè decet, uti *in libro meo de Gangrana & Sphacelo, cap. 17.* fusiùs ostendi.

11. Quia in abscissione membrorum major pars Chirurgorum cultro utitur, ideò habeas *novaculam benè acuminatam, & manubrio firmiter insertam.*

12. *Cultrum incurvatum:* hujus delineationem vide *in prædicto libro de Gangrana.*

13. Ego in amputatione membrorum, loco novaculæ, *cauterio cultellari, benè ignito*, utor, cujus delineationem quoque vide *in libro præallegato.* Parata quoque habeas & *alia nonnulla cauteria ignita, magna, parva, mediocria, acuta & rotunda*, ad sistendum Sanguinem, sive post amputationem membrorum, sive in aliis hæmorrhagiis maximis atque periculosis.

14. Et quia plerumque inter milites, propter impurum coitum, *gonorrhæa, caruncula, & suppreßio urinæ* grassatur, necesse est, ut Chirurgus *catheteribus ex argento vel orichalco* quoque instructus sit. Habeat & *siphones aliquot.*

15. Ad ossa fracta, luxataque reponenda, varia ab Hippocrate, Oribasio, aliisque Authoribus proponuntur Instrumenta. Ego *trochleatum instrumentum Ambrosii Parei* aptissimum esse, in praxi mea semper expertus fui: præsertim si *Cingulum*, & *Remoram* ex *Centuria mea quinta observ. 36.* adjunxeris. Aptissimum autem non solùm, verùm etiam commodissimum est Instrumentum hoc: ad omnes enim fracturas & dislocationes, præter digitorum, furcularum, costarum, & mandibularum, (quæ solâ manu reponuntur) accommodari potest. Est præterea parvum & ad circumferendum commodum.

16. Habeat quoque Chirurgus *ferulas varias*, videlicet *parvas, magnas, & mediocres*, secundùm magnitudinem membri fracti, ex ligno aliquo levi, veluti salicis, tiliæ aut abietis paratas. Necessitate quoque urgente *vaginâ gladii*, loco ferularum, uti poterit. Nonnulli, loco ferularum, *recentes cortices arborum*, veluti salicis viburni, aut quercus, membro fracto apponunt. Id verò citra damnum ægri, & infamiam Chirurgi fieri non posse, Lector *ex obs. 98. Cent. 4.* colligere poterit.

Post repositionem membri fracti (loquor autem de *tibia*, vel *crure*) in promptu tibi sit *capsula* hunc in modum fabricata.

Asserculi tres, secundùm membri, malè affecti, longitudinem ac spissitudinem, adaptentur, & ex superna atque inferna parte filo cannabino, fortissimo & reduplicato ita connectantur, ut quàm facillimè deligari, iterumque ad se invicem conjungi atque constringi possint. Horum asserculorum qui fundum capsulæ facit, ex inferiori sua parte, quò calcem excipere possit, nonnihil excisus sit, ne calx à capsula lædatur. Alius insuper asserculus fundo capsulæ filo reduplicato, ex duabus partibus annexus est. Asserculi laterales duobus in locis, ex superna videlicet parte, quæ genu respicit & pedem versùs foramina oblonga, sicuti hîc sunt delineata , habeant, per quæ tæniæ traducantur, quarum beneficio capsula clauditur, & secundùm libitum Chirurgi, constringitur. Asserculus, cui planta pedis insistit, ex superiori quoque parte duobus in locis foramina habet, quò tænias excipere, & lateralibus asserculis annecti possit. Asserculus præterea ille, ut digitos pedis semispithamam excedat, necesse est: hic enim pedis à culcitris ac lodicibus compressionem impedit. Omnia præterea gossypio, stuppis, ac linteaminibus sunt munienda, atque infarcienda. Hoc modo in capsulam accommodatâ tibiâ fractâ, & diligenter repositâ, ægrum non solùm ex grabato uno in alterum, verùm etiam per multa milliaria facilè & sine magno incommodo circumferri posse, aliquoties in praxi mea vidi. Exemplum habes *in observ. 98. Cent. quarta.*

Habeas quoque in promptu *mortarium unum, aut alterum, cribra* item & *sartagines*, ad coquenda cataplasmata, & commiscenda unguenta: rarò enim apud rusticos hujusmodi utensilia, imò ne quidem apud paganos ipsos reperies.

Et quia

Claß. 20.

Et quia plerumque in Angina, vulneribus Capitis, aliisque morbis acutis, Clysteres exhibendi sunt, idcirco ut Chirurgus instrumento quoque instructus sit necesse est; ejus autem delineationem in Tractatu nostro *de Dysenteria* videre poteris.

Reliquorum Instrumentorum, ad cranium perforandum, abradendum, elevandum, apertas item venas inurendas, incurvata membra extendenda, & si quæ alia sunt, adumbrationes, apud *Ambrosium Pareum, Ioh. Andream à Cruce*, ut & *in Magna Chirurgia Gualteri Riffii*, invenies.

CLASSIS XX.

Linteamina, Fasciæ, & similia.

NOn potest autem Cista tua ex omni parte esse perfecta, si linteamina, & quæ ex eis fiūt adminicula, in applicatione Medicamentorum defuerint. Quid enim Medicamenta, quamvis præstantissima, prodierint, si linteamina defuerint præsertim in maximis atque periculosis hæmorrhagiis, fracturis & dislocationibus ossium, aliisque affectibus, ubi periculum est in mora? In promptu itaque habeas.

Fascias magnas, parvas, & mediocres:

Linteamina reduplicata (*quæ* compressas *vocant*) magna, parva, & mediocria:

Hapsos, ex stupis suavibus, & benè mundatis, paratos:

Filamenta, ex tela benè munda excerpta, quibus in vulneribus ad medicamenta retinenda, & labia, ne præter rationem ad invicem conjungantur, impedienda utimur.

Turundæ quoque, ex tela, spongiis præparatis, radicibus Gentianæ, & similibus, quarum aliæ *magnæ*, aliæ *mediocris*, aut *parvæ*, vel etiam *minimæ* ad āgustissima vulnera paratæ sint necesse est. Hæ maturè & successivis horis parentur, ut urgente necessitate paratæ sint.

Habeat quoque *spongias & bovinas vesicas aliquot*, ad ampullas claudendas, & post amputationem membrorum trunco applicandas.

Medicus vel Chirurgus castrensis si prædictis instructus fuerit, famulosque fideles, vigilantes & expertos habuerit, toti exercitui prodesse poterit, infinitosque vulneratos conservabit, & à mortis discrimine liberabit.

In designatione autem Medicamentorum, reliquorumve, mi candide Lector, aliquo modo prolixus fui, idque in eum finem, ut Ducibus exercituum Cistam ex omni parte perfectam proponerem atque describerem. Tu verò, si propriis tuis sumptibus Cistam militarem erigere atque adornare volueris, præcipua & magis necessaria ex præscriptis pro arbitrio atque experientiâ tuâ seligere poteris. Interim tamen vide atq; etiam vide, ut Medicamentis, reliquisque ita sis instructus, ut ægris, prout necessitas postulat, succurrere possis. Hic enim non de corio bovino, sed humano; non de gemmis aut lapidibus pretiosis, sed de homine, pro quibus Filius Dei sanguinem suum pretiosum in Cruce effudit; imò & de salute animæ tuæ agitur. Medicus enim si aliquid circa ægrum neglexerit, coram Deo, suo quoque tempore, rationem redditurus est.

Admonitio.

***FINIS** totius Operis.*

INDEX

INDEX
COPIOSISSIMUS OMNIUM AFFECTUUM OPERATIONUM CHYRURGICARUM, INSTRUMENTORUM ET MEDICAMENTORUM
praecipuorum in hoc Opere contentorum.

A.

Ampu-

B.

D.

Disjun-

E.

F.

G.

H.

Hydro-

M.

N.

O.

Palpe-

P.

R.

S.

T.

V.

FINIS.









MARCI AURELII
SEVERINI THARSIENSIS


IN

REGIA SCHOLA NEAPOLITANA ANATOMES ET CHIRVRGIÆ PROFESSORIS SINGVLARIS,

DE

EFFICACI MEDICINA

LIB. III.



FRANCOFVRTI ad Mœnum,

Apud Joannem Beyerum.

ANNO

M. DC. XLVI.







MARCI AURELII SEVERINI
CRATHIGENÆ THARSIENSIS

In

Regia Schola Neapolitana Anatomes & Chirurgiæ Professoris singularis,

DE

EFFICACI MEDICINA

LIBRI III.

QVA HERCULEA QVASI MANU, FERRI IGNISQUE VIRIBUS ARMATA, CUNCTA, SIVE EXTERNA SIVE INTERNA, TETRIORA ET CONTUMACIORA MALA COLLIDUNTUR, PROTERUNTUR, EXTINGUUNTUR;

ADJUVANTIBUS ÆQUE

PRAGMATIAS EXPERIMENTO, METHODI FULCIMENTO, AUCTORITATIS COMPLEMENTO.

Opus

Ante hac in arte desideratum, nunc primùm in lucem datum.

FRANCOFURTI,

Sumptibus Joannis Beyeri, Typis verò Antonij Hummij.

M. DC. XLVI.

Hieronymus à Montibus Marchio Conclanensium Illustrissimus, de Marco Aurelio Severino tempestatis suæ Chirone ad Parthenopen alumnam suam.

AVrea subvexo micuit, quæ lingua palato,
Attica Beroo munus habere dedit.
Iamque Severino quid non ponatur imago,
Aurea cui niteat Parthenopæa manus?
Munere quanquam uno quid utrosque ornaveris æque;
Præstitit is verbis præstat at iste manu.

Hieronymi Jovini U. J. D. ingeniosissimi
Anagramma purum.
Marcus Aurelius Severinus
En minus re juvas, lues curas.
Aliud
Verus & in cura mirus vales.

IGnoti nova forma viri, venerandoque cultu;
Sic oculos, sic ille manus, sic ore ferebat,
Omnia Mercurio similis, vocemque, coloremque,
Argutumque supercilium: qui spiritus illi,
Qui vultus, vocisque sonus, qui gressus eunti,
Eloquar, an sileam? Nec vox, nec verba sequuntur.
Si verò tristi languebunt corpora morbo;
Cum furit, atque artus depascitur arida febris,
Huc tandem concede; hæc ara tuebitur omnes.
Ac dum prima lues udo sublapsa veneno
Pertentat sensus, atque ossibus implicat ignem.
Jamque aderit Phœbo ante alios dilectus Japis
Pœonium in morem senior succinctus amictu,
Ausus & afflictis melius confidere rebus:
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.
Est vapor, & toto descendit corpore pestis,
Angustæque ferunt fauces, aditusque maligni
Suppliciter tristes & tunsæ pectora palmis
Concurrunt: hæret pede pes, densusque viro vir;
Ille regit dictis animos & pectora mulcet;
Succedunt matres, ac templum thure vaporant:
Thura calent aræ, sertisque recentibus halant.

Habitus & species corporis totius.
Provisio perspicax internorũ.
Curator praproperus externorum.
Confugium in Padanchone populare. Deo summo litatio suprema.

Ad sua genitis Viros Studiosos
è Virgilio Centonem Joh. Georgius Volckamerus Norimberg. Med. D. de Cl. Viri specie sibi primùm cognitâ venerabundus sic alludebat.

Aliud.

VEdi il buon Marco d' ogni lode d' egno
Bien di filosofia la lingua e'l pelto
Posto; ha chi chirurgia l' ultimo segno.

AUrelI mihi chare senex quas Itala laudes
Lingua tibi tribuit; ressonet has Latium:
Marcus adest Sophiæ sic linguâ ut pectore dives,
Auspice quo Cheiron, ultima signa tenet.

Venerando seni seros dies apprecatus posuit
Joannes Guilielmus Hochstatt Phil. & Med. Doctor, Poliater Mœno-Francofurtanus.

GVILI-

GVILIELMVS ERNESTVS SCHEFFERVS
Philosophus & Medicus Francofurtensis
Candido Lectori P. S.

PRæclarè Sapientissimi Veteres locuti sunt: *Non minoris felicitatis esse incidere in bonum Manuscriptum quàm thesaurum invenire.* Verissimum hoc esse ad unum omnes literati mecum fatentur, non ignari, quanta hominis perfectio inde exurgat. Quapropter destinato ad me ab ipso Autore aureo hocce manuscripto de EFFICACI MEDICINA, eoq; viso & relecto preciosas me divitias & quidem ære digniores perenniores q; confecisse, mihi videor. Eius mehercule ob summam utilitatem, humanissime lector, quàm magno studio & avidis ulnis excipi debeat, si nunc tibi nō explicârim, haut mihimet, & meo muneri satisfecerim. Ne igitur eius tam ingenti fructu, quantum ego maximum puto, minimè perspecto, adeoq; non percepto careas, simul ac jussu & consensu Autoris, sumptibus & laboribus haut exiguis Industrii viri Dn. Joannis Beyeri publici juris facere decrevi. Qui lubens meritoq; hac in re sese facilem præbuit, non ignorans, & ornamento pariter & emolumento sibi fore hanc excusionem, expertus certo loquitur, quid publicatione accuratissimi Tractatus de Recondita Abscessuum natura Autori præstiterit.

Quid enim aut doctrina rerum aut usu minus præstabiles futuræ credantur commentationes & Scriptiones Severini? quē in omni Philosophia & medicina bonisq; aliis disciplinis versatum tam bene, ut quàm optimè sciunt omnes. Ab his eductū atq; emeritum sub præceptoribus primum Latino Tancredo, dein Julio Solino ac Nicolao Antonio Stelliola laudatissimis ætatis nostræ professoribus Virum legendi multa atq; eadem à gravissimis scriptoribus prodita, atque item experiendi cupidissimum: exercitum: & docendo & scribendo & disputando, tum in re sua, tum quoq; multa cum laude semper in palæstra potiorum Academiarum, quas Neapolis aluit, atq; alit: quibus omnibus suis studiis atq; exercitationibus factum est, ut neq; ad docendum rem Medicam Regia Schola neq; ad eandem exercendam Regium & peramplum, Incurabilium Nosocomiū, hoc est, qui administrationem eiusdem gerunt, carendum hoc sibi viro commiserint, sed non aspernandâ mercede eundem

 condu-

conduxerint. In quibus utrisque muneribus, quos fructus & quæ experimenta suæq; facultatis indicia præbuerit, nemo est qui nesciat. Has igitur ob causas omnes licet cognoscere, quæ aut qualia sint ex hoc autore expectanda commentaria, licet & ex argumentis, quæ tractata sunt ab illo, & gravia & multa, ex commentariis, inquam, omnibus, quorum mentio facta est initio operis de Abscessibus ab hoc eodem autore conscriptis: licet deniq; cognoscere ex hoc Efficacis Medicinæ tractatu: quæ res profectò nova atq; ardua & ab aliis intentata ad hunc usque diem fuit. In quibus libris quid egatur, si placet ex otio tibi breviter repetere; scire licet abunde monstratum, qua ratione quæsiti plurimum à medendo, vel quum minimè quoad humanitùs licet fallentes operum exitus obtineri queant. Qua una re quid optatius? quid præstantius? quid Medico atq; arti suæ honestius? quid laborantibus miseris antiquius? neq; tamen hic vir vana promittit; sed quæ à ratione dictata, ab optimis autoribus Græcis, Latinis, Arabibus præscripta, ab ipso denique Severino scriptore nostro, longo artis usu atque experimentis comprobata fuêre. Habes jam aliquot enarratas causas, per quas confidere conatui nostro debeas. Sed quæ propius ex hoc ipso opere confirmationes adferre possum plane indubitatas, singularia sunt plurima, quæ tum excogitata tum re ipsa feliciter probata Severinus noster hisce tribus voluminibus protulit. Quæ, ingenue lector, si tibi arridere inq; rem tuam fore perspexero, efficiam, ut alius Thesauri precio hoc non inferioris à nunquam satis laudato nostro Severino, mihi promissi Chirurgiæ nimirum inermis, atque Chirurgiæ Illustratæ & Restitutæ propediem fias particeps. Vale.

Com-

Compendiosa totius operis Sciagraphia.

EFFICACIS MEDICINÆ LIBR. I. PART. PRIMÆ

Præambulatoriæ

CHIRURGIÆ EFFICACIS PARS II. ENARRATORIA. DE ANGIOLOGIA.

SCARIFICATIO. 69

DE PARACENTESIBUS.

DE SECTIONIBUS.

Cap.

CHIRVRGIÆ QVÆ AD OSSA PERTINET.

PYROTECHNIA CHIRVRGICA LIBRI I.

LIBRI PRIORIS PYROTECHNIÆ Chirurgicæ partis secundæ

LIB. PRIORIS PYROTECHNIÆ Part. tert.

DE CUCURBITULIS.

PYROTECHNIÆ CHIRURGICÆ LIBRI posterioris. De usu ignis ad privatos partium singularum affectus medendos, administrandi.

DE USTIONE AD AVERTENDUM quæsita per ulcera emissaria fonticulos vulgò dictos.

DE SETACEIS.

EXOPYRIÆ, SIVE DE IGNEIS ADministrationibus ad vitia corporis externa.

(o)

INDEX AUTORUM.

F. Faber

Pantinus

EFFI-

EFFICACIS MEDICINÆ, LIBRI PRIMI, PARS PRIMA.

Quæ est doctrina præambula ac præparatoria certis capitibus comprehensa;

Marco Aurelio Severino Autore.

Præfatio,

In qua proponitur huius operis aggressus, qualis, & qua de causa susceptus.

INstitutionem chirurgicam, qualis quidem à Galeno comprimo de officina medici requisita videtur; non autem qualis à neotericis falso est inscripta; nunquã hactenus ab ullo, præterquam ab uno Hippocrate in eodem officinæ opere adumbratam commentariis aliquot aliis exposuimus. Post hæc vero his, qui succedunt, commentariis, chirurgiam ipsam conscribemus, idest, strenuam quandam & præpotentem medendi rationem ac viam; qua una morbos corporis graves & contumaces, tum internos, tũ externos aliis medicinæ instrumentis non superatos superare, quantum humanitus licet, deliberatus & generosus medicus conetur. At dixi equidem quantum licet, conetur; nam nec promittimus quidem omnium omnino salutem (propositum quippe hominis insolentis, ac pollicitum aspernatũ dignum) sed quod recipiunt causidici, militum duces, naviumque rectores, in suo sibi munere faciendum; nimirũ instituenda quam prudentissime omnia, nullaque, quæ in rem accipi possint, præsidia relinquenda, quoad persuadeantur iudices, vincantur hostes, conducatur incolume navigium: quod si contrariis rerum casibus infeliciter evenerit, studium, & vigilantiam adhuc in laude esse, hominem in culpa non esse; illud & nos pariter ex nostra hac medendi methodo contendimus: nimirum homines ex morbis perituros gnaviter servare, quoad eius fieri potest, quantumque licet per difficultates rerum, quæ offenduntur, perque discrimina, quæ transuersim obiecta medentium artem oppugnant & labefactant; visum autem est nobis chirurgica opera primordio conscribentibus de una efficacis facultate præcipere, propterea, quod hodierna die tam modice curatur hæc, ut fermè interciderit, ac nulla sint chirurgiæ bonæ effecta, qualia frequenter à principibus nostris autoribus memorantur ac enarrantur; verum præsidiis nescio quibus levissimis ac perdebilibus agitur, quibus satius est rem non attrectari, quam detrectari, & cum morbo prope colludi; Perinde ut non ad serio medendum & propugnandum, sed ad ludificandum invecta chirurgia videatur: sed de huius mira corruptione latius alibi.

Huic igitur medicinæ casui, qui consuleret, hactenus nemo fuit. recordatus igitur Hippocratici præcepti, quod principio proposueram, id est eius, quod arti debeo: cæpi de hac re meditari, mihi ipsi memorans & suadens, si priscos non assequi, & certe imitari ac sequi liceret, restituere itaque revocareque horum doctrinam & usus medendi, quantum licuit, aggressus sum, processique eò, veterum eorundem observatione, indagatrice ratione, & experimenti conformatione usus, ut volumen iustum & de re conscripserim, qui noster conatus bene favente numine (abscede φιλαυτία) & arti nostræ incremento, & miseris, cum ægrotant, mortalibus, subsidio futurus sit certe confido. Interim si qui me damnet difficiles, graves, verendas chirurgias proponentem & exequentem, homines scilicet qui vulgariter in re medica instituti, non frugiferam & legitimam, sed levem ac muliebrem chirurgiam amant: damnent hi simul oportet maiores nostros, qui autores harum primi fuere. Nil equidem istorum, vel pauca mea minerva protuli: accessique superiorum scriptorum traditiones, non tam soluturus, quam completurus, exoletas autem aut duras ubi arguant has operas; equidem contra, non tam destitutas ipsas tormenti gravitate contenderim, quam nostra leviter exercitatorum hominum inertiâ, qui nil insigne spectamus aut meditamur: neque tam temporum aut corporum, si has allegent, immutationes factæ sunt, quam disciplinæ imminutiones. Nos igitur, qui medicinæ & chirurgiæ incrementis iam diu pro virili studemus, labori, aut dispendio nulli parcentes, quo restituantur reiectæ quædam a iunioribus, sed traditæ tamen à veteribus chirurgiæ, teterrima quæpiam & exitiosa mala tollentes; eas omnes, quæ ferro & igni factitantur exponemus. Quod si difficile, relictam veteremque medendi rationem posse restitui, noster ad extremum scopus fuit, ut nisi cunctas, quæ propositæ fuerint, curationes exequantur nostri: certe lectis hisce omnibus, quæ autoritate, ratione, experimentis abunde firmatæ sunt, assuescant interdum efficacium chirurgiarum

Ad eos qui acerbitatis hanc medendi rationem insimulant.

Ad eos qui volent arduum nostrum conatum.

giarum meditationi, sinantque se ipsos à rerum necessitate ac veritate, non à ritu vulgari vinci trahique; habes iam nostrum institutum, ac scopum: nunc de tradendi ratione pauca, quæ præterquam singulari quodam & maxime accommodato constructa est ordine, cæterum, & traditarum rerum firmitudine atq; constantia comperietur apprime præstabilis.

Tribus porrò unaquæque pars fabricæ columnis stabilis est; primum enim universa ferè doctrina ductu speculationis & rationis illustrabitur; adhæc optimorum auctorum testimoniis confirmata, ac tertio observationum historiarumque appendiculis corroborata.

Tribus columnis fulta universa nostra doctrina.

Inciderit igitur argumentum præstantius? quam quod est de tractandis efficaciter curationibus, ad quas vere chirurgia nata primumque excogitata fuit; non qualem infructuosè tenuiter ac leviter exercent hodie plurimi; cæterum enim non existimavi conducibile nostris hominibus componere disputationes, quæ sunt de tumoribus; de ulceribus, de fractis luxatisque ossibus, & hoc genus: quemadmodum à plurimis nostræ tempestatis hominibus fieri consuevit; satis hęc & in quotidianis scholis pertractavimus, atque si eadem etiam aliquando amaverint addiscentes, alio volumine tyronibus propriè dicato, legent; Iam autem ex hoc alio docendi genere (quod promittere possumus) primum amplissima professoribus commoditas futura est, & defungendi sua ipsorum arte legitimè & quod ex utrisq; consequitur, gloriam demerendi, qualem non omnibus ex communi ratione fas est. Præterea perquam frugiferum eisdem futurum est hoc opus, tum remediorum variorum crebritate, tum etiam rerum novitate, quarum altera ad medendi promptitudinem, altera ad dignitatem autoritatemq; comparandam præclare facit: sed & arti atque ægrotantibus illud ex hisce commentariis operæ pretium accedit, quod errores quamplurimi, qui medendo committi solent, ad unguem adnotantur, atq; censentur: adeo ut rectam medendi normam vendicatum iri spes sit, si hanc opifices amplecti velint.

Utilitates præsentis instituti.

Professoribus.

Arti & ægrotantibus

Quid ni autem amplectantur? quam vere dogmaticam atque Hippocrati rationique consentaneam luce meridiana clarius cognoscant? Jam vero quod ad censuram errorum modo significatam spectat: quid aliqui non admittant, illegitimas curationes hominum in has minime advertentium adverti? Porro nostro hoc seculo, sicut & de suo conquesti sunt Albucasis, & Avenzoar, corrupta est & depravata plurima sui parte res chirurgica: cuius nos rei causas ex professo in sermone proprio, qui est de causis corruptæ chirurgiæ retulimus. Sed neque erit ea propter odio prosequendum officium meum, si obductis veluti oculis communes aliquando multorum detegam lapsus; quinimo, qui viam alio ducentem, quàm quo peregimus instituit, ostendit; amandus est ob id, ac multis quoque gratiis excolendus, non invidendus profecto, vel in juriis proscindendus, oriatur autem ex laudabili aliquo curandi cogitato derisus? expectem ob adhibita propter commune bonum opera calumniam? Timeam ab adiumento vere præstito contumeliam; quin potius laudandus animus est, & labor æqui boniq; faciendus; quippe quod ad nostrum in hac re studium, atq; industriam attinet, adnixum me graviter in eiusmodi spartam affirmo. Invenire enim huiusmodi multa, varii generis in unum res cogere ac disponere sic, ut consona omnia fierent; eloqui sic cuncta, ut plene, nec sine venustate exprimerentur: vides ipse per te, quam multum industriæ, vigiliarum, contentionisque animi negotium fuerit. Tu te igitur, si gratum exhibes hisce cunctis, & respondebis cum studio nobis, & ubi satis aliqua non perplaceant, eadem hæc æquo difficultatis novitatis nomine excusabis. Qualem ipsum in me meumque munus si te fuisse senserim: expectabis etiam ex mea officina cudendum universum systema, sive ut cum Columella dicam, corpus integrum chirurgiæ: quod his ego membris eoque ordine, atque harmonia contexui. Prima pars est studiorum ordinatoria; futurique professoris præparatoria, quam de constitutione artis chirurgicæ inscripsi, pertinens ad auditores, qui nondum ad adyta chirurgiæ admissi, de necessariis lucubrationibus, deque suis futuris rebus consulunt. Secunda est chirurgia Scholastica, ex optimis quibusque autoribus collecta, quæ ordine compositivo nempe facillimo tyronibus qui in auditoria iam introducti sunt, materias & argumenta omnia, quæ in Scholis disputari iam diu consueverunt, tradit, scilicet de tumoribus, de ulceribus, de vulneribus, de fractis deque luxatis ossibus.

Amplexanda nostra doctrina.

Nil candide ab aliis animadversum iniquè habendum.

Corrupta plurima sui parte chirurgia.

Ex beneficio iniuria non expectanda.

Tertia pars operis pertinet ad iam eductos è scholis, & ad medendum emissos, huic nos de efficaci medicina titulum fecimus, quam ipsam usus amplitudine præcipuam, primum edere volumus; Atque hæc quidem sic descripta chirurgia per ferramentorum est usum, cæterum est altera per instrumenta ingenita, quæ sunt, manus, spiritus, &c. Accedunt ad hæc auxilia atque instrumenta adscititia non propria, quæ duo sunt, sc. ratio victus, & medicamenta. Subsidiariam hanc doctrinam & priorem alteram nostræ Chirurgiæ partem modo memoratam uno complexi nomine, inermem appellavimus. Ab his duo genera sunt traditionis uberioris; Alterum in quo doctrinæ ad medicinam externam attinentes, à principibus & antiquissimis autoribus nostris traditæ enarrantur; res, quæ ad eos, qui docentur, non incongruunt, maximè vero doctis atque doctoribus usui sunt.

Alterum, quod separatim sub titulo Zootomiæ Democritęæ jam simul typis Endnerianis prodiit, quoniam à Chirurgia non seiungitur, opus erit, nostris quidem ad exercendas administrationes, physicis verò ad contemplandum utilissimum.

Hic omnibus partibus restitutæ chirurgiæ nostræ constans ædificium esto, taleque quod in præsens tibi tuisq; usibus offero opus, æqui bonique benevole lector consule.

Vniversæ chirurgiæ per nos ordinata Synopsis.

Chirurgia duplex: altera quæ ad internos affectus

ctus curandos adhibetur, altera quæ externis vitiis finiendis peculiariter exercetur.

Prior utraq; vel incisoria est, vel ustoria. Quæ ad internos affectus est, incisoria, vel in mollibus, utpote cute, carnibus, vasis; vel in duris, id est ossibus & cartilaginibus exolvendis factitatur.

Cutis quidem scarificatio, ultra verò hanc sectio vasorum duplicium, apertio, præcisio, quæ Græcis dictæ phlebotomia, arteriotomia. Venæ aperiuntur, præciduntur que vel integra vena, exempli gratia frontis & temporum, vel præter naturam affectæ, quales varices sunt, venæ medeni Arabum, venæ in arthriticis & podagricis extumescentes, aneurysma, &c.

Quod ad ossa pertinet cute capitis dissecta, caluam excindimus ad interiora caluariæ cerebriq; mala persananda.

Chirurgia ustoria duplex, evacuatoria in empyicis & suppuratis usitata, & aversoria per vocatos vulgo fonticulos & ulcera emissaria.

EFFICACIS MEDICINÆ LIBRI PRIMI PARTIS PRIMÆ CAPVT I.

Studium amoremque artis ante omnia proponenda ei, qui proficere in ipsa velit.

Hippocrates, qui communi sapientû omnium suffragio medicorum Deus existimatus est, quique suum aliquod erratum confiteri maluit, quam aut verum dissimulare, aut utiles observationes posteros celare, aut alios utcunque falli permittere: vir ad extremum ut in hac facultate summus, ita religiosissimus, inæstimabili medicam artem studio atque amore mirifico complexus est, id quod pluribus argumentis deprehenditur, verùm inter cætera primum illud memorabo, quod in vestibulo suorum operum acceptam hanc Deo refert & adscribit, à Deo profectam & sacram tantum non appellatam; sacris tantum hominibus demonstrandam, prophanis verò ne fas quidem, prius quam scientiæ orgiis initientur, professus est. In quam rem facit, quod cunctas cum hac arte pias virtutes. i. multam erga Deum reverentiam, deque Deo scientiam & sermonem, notitiam item utilium & necessariarum vitæ purificationum, recessum à superstitione, præeminentiaq; divinam coniungi scripsit. Deinde, quod artem & vitam, quæ sua verba sunt, sanctè sibi administrandam, conservandamque iureiurando se obstrinxit, quem piæ mentis sensum & D. Chrysostomus admiratus est. Præterea quod eiusdem medicæ rei causam contra vituperatores, qui nullam, & fortuitò morbos curantem insane arguebant; acerrime & quantum usquam sollicitè lectum non est; & scripto nominatim, cui de arte titulum fecit & aliis plerisque locis testatus est. Quid ni autem quando res à Deo autorata est medicina, & sanctæ cuiusquam numinis potestati relata: prætere quam quod subtilior alia ratio persuadet; quod medicina nil aliud demum est, si rectè inspexeris, quam naturæ, quæ nos genuit, intrinsecus alentis & conservantis & à morborum insultibus variis tuentis & vendicantis, observatio, cultus, & ad summum imitatio. Quas ob res, qui benignitatem vigilemque circa nos providentiam naturæ veneratur & suspicit (suspicere autem ac venerari quisque sapiens consuevit) artem etiam, quæ cum ipsa coniungitur, augusto loco habeat, oportet. Qua summa sua in artem propensione non contentus homo pientissimus: cæterum & in aliis eandem mentem desiderasse; idemque studium nostris omnium sensibus inseruisse visus est; quod lib. de decenti ornatu sæpissime ab eo factum apparet; sed nusquam apertius, quam loco de præceptionibus, in quo conceptis verbis ait; si occasio ferendæ opis se obtulerit & peregrino & egeno; maximè talibus opituleris: si enim affuerit erga homines amor, aderit etiam erga artem; Hæc ille.

[margin: ...decen...at.] [margin: ...loc. in ...ne.] [margin: Naturæ vigilatio circa procurat & corporis pie colenda & minime temeranda]

Adeo scil. cognatam & necessariam cum arte coniunctionem artificum animo statuerat idem vir & verò statuerat alicubi serio: quandoquidem enucleatè medicum artis coniunctione socium eiusdem appellavit. Atque inde factum est etiam, ut initio libri de arte protestatus hæc fuerit. Mihi quidem invenire aliquid eorum, quæ non inventa sunt, quod ipsum notum, quam occultum esse præstet: scientiæ votum ac opus esse videtur: Similiter & semiperfecta ad finem perducere atque absolvere; & in eandem fere sententiam L. de ratione victus in acut. ait; videntur autem mihi digna esse, quæ scribuntur maximè hæc; quæ ignorantur à medicis maxime scitu commoda, & quæ magnas utilitates aut magna detrimenta afferunt. Ex his igitur omnibus incomparabili artis amore inflammatum, atque ad eam exornandam ampliandamq; mire paratum optimum nostrum præceptorem cognoscitis. Quod si ita est amici, professores & collegæ omnes mei, quid est, quod pientissimi gravissimique primi dictatoris institutorisque nostri, bonorumque omnium, quod Galenus ait, auctoris exemplo non commovemur? non accendimur? non inflammamur? mandantique & rectum iustumque reposcenti continuò non morem gerimus, cultum hunc observantiamque artis perpetua cum vita foturi? Ager is est certe medicina, cuius si rectè cultum exequamur, & feracitatem allaboremus: infinitos utilitatis, delectationis, ornamenti, gloriæ, immortalitatis thesauros relaturi sumus: quales & ipse Hippocrates suaque omnis successio reportarunt: At dixi equidem, si rectè, nam minus, quam par est, secundum suam amplitudinem & facultatem exercetur hoc nostro tempore medicina. Quod si non videtur, fallorque ipse; qui verbum hoc effutii: rem quæso, si placet, accuratius, & è composito advertamus, Hippocratem in hoc etiam sequuti, qui alicubi præmonuit, maxime sibi placere, ut in universam artem mentem adhibeamus, res igitur has nostras à primordio perquiramus, ut si quid aliud ad hoc tempus placeat, aut displiceat, illud restituere, hoc castigare possimus.

[margin: L. de præcept.] [margin: L. de ratione victus in acut. P.]

CAPVT II.

De vario Chirurgiæ statu.

INter alias de re chirurgica quæstiones, quæ prima hac operis parte tractandas se obtulere: de vario Chirurgiæ statu disputatio visa est non minime conducibilis, qua legitima eiusdem condi-

conditio plurima parte cognosceretur. Nos igitur, quos eius rei curiosos fecit primum naturalis in id propensio, tum, huius disciplinæ pulchritudo, ac denique ad eam restituendam, quæ propemodum obscurata est sollicitudo: non dubitabimus à primo artis exortu ad hanc usque diem variam eiusdem sortem repetere, omnem, quam assequi licet, scriptorũ memoriam pervestigantes. Triplex ad summam Chirurgiæ status, à quo tempore primum extitit, mihi semper visus est. Ferramentarius, qui legitimus; medicamentarius, qui suppositìtius; & mistus ex his, qui plus quidem medicamentarius, quam ferramentarius est. Qui modi omnes variè nunc inter hanc, nunc inter illam nationem exculti exercitique, pro variis istorum studiis, proque vario dominatu fuerunt. Incipiam ab heroico tempore, sub quo simplicior vivendi ratio minorque regnandi cupido exstitit, tum vixit Chiron inter omnes mortales sui seculi moribus & virtute clarissimus qui natum se, ut quemcunque hominem (fabulosè enim semi virum dixêre) cognoscens, ut cæteros sive consilio, sive opera iuvaret: duplicem hanc rationem instituit, ut quoniam anima constamus & corpore: utrumque bene beateque procurandum regendumque doceret, atque adeo multis, qui uno civitatis cætu continentur iusti rectique vias ostenderet ac suaderet, singulorum vero curam, quæ ad integritatem bonamque valetudinem pertinet, pari pacto susciperet per accommodata medicinæ adiumenta. Huius autem quoniam præcipua maximeque necessaria, atque evidentissima pars chirurgia est, hanc potissimum exercuit.

Iam igitur Chironem primum iustitiæ cultorem ac chirurgiæ magistrum, cum illi prisci sapientissimique viri celebrarint; quæ qualisque hæc duorum animi habituum coniunctio in uno eodemque homine fuerit, non nullam exhibet sive admirandi sive inquirendi causam: equidem hoc sapientissime factum adverto; nempe sicut iustitia ex hac quidem iniqua, nocentia, superflua demit; utilia verò necessaria deficentiaque reparat: Sic & chirurgica facultas ad unguem superflua corporis, inutilia, detrimentosa & omnia aliena revellit; contra, quæ optata quæq; consentanea sunt hæc naturæ restituit. Rursus quemadmodũ iustitiæ sedulitas nunquam conquiescit donec exterminati mali restitutiq; in integrũ boni fuerint: pari studio chirurgia, donec abscissa putrida sint & impedientia subtracta, non consistit: itemq; dum non sint coalita necessaria.

Hanc æquitatis chirurgicæ subtilitatem cum comprehendisset servavissetque opere, Chiron: iure chirurgus maximus æstimatus est. Ad quam virtutem, qui maxime accesserit, eo maiorem est in arte laudem consequuturus. Hauserunt ex inclito viro disciplinam alii quamplurimi. Primus Achilles Pelei Tethidisque filius: quod omnes uno historici calculo retulêre: deinde Machaon & Podalirius; ut Aristides prodidit, à præceptore Aesculapio oblati. quinimo ipse Aesculapius, ut Pindarus testatur in Pythiorum ode. 3. itemque Philostratus in heroicis: qui viri Telamonem, & Peleum, & Thesem, & Herculem, & Palamedem, & Ajacem, & Aristæum Arcadiæ Regẽ operam Chironi dedisse, consuetudinemque cum hoc habuisse, tum ipse, tum Euripides nos certos fecêre. Jasonem etiam ex hoc numero fuisse docet tum Pindar⁹ in Pythiorũ quarta, tum etiam nomẽ eius ostendit à medendo impositum.

Ad hos Eribotes Teleonsis filius Oilei vulnus à Stymphalibidibus inflictum sanavit; ut Orphæus est autor in Argonauticis. Ad summam Argonautas omnes cum Chirone convixisse legimus apud Apollonium in Argonauticis. Exposui autem tum in Physico chirurgico, tum in Pyrotechnia, tum in demonstrationibus chirurgicis, tum in idæa chirurgiæ, quæ plurimorum heroum fuerint in re chirurgica bene facta: præsertim vero, quæ Hercules præstiterit atque alii: quorum omnium porrò fuit chirurgica disciplina propterea, quod coniuncta erat cum militari, quo necessario ac fere cognito munere delectabantur. Verum enimvero, quæ qualisue Chironia fuerit functio, Pindarus explicavit ode illa per hæc; Quotquot venerunt ad ipsum sponte natorum ulcerum participes, aut corrusco ferro membra sauciati; aut saxo eminus misso vel quibus æstivus ignis depopulabatur corpus, aut frigus, liberans alium aliis doloribus eripuit: quosdam mollibus incantationib⁹ tractans, quosdam verò lenia bibentes, aut membris circumponens undique pharmaca, quosdam etiam sectionibus stare fecit rectos.

Itaq; fuit omnis Chironia medicatio tum manu, tum verbis & herbis per externa internaq; adhibitis ad morbos omnes sive occulta, sive evidenti causa productos. Quamquam vero non meminit auctor luxatorum, hos tamen Nicomacho Gorgasoq; Machaonis filiis curatos refert Pausanias in Messanicis. Præter hæc autem singulares operas ab eiusmodi medicis factas apud alios legimus: apud Ciceronem quidem loc. de nat. deorũ Aesculapius dentes vulsit, ac vulnera deligavit, apud Nicolaũ v. Tomæum. l. variæ historiæ Bodalirius Smyrnam puellam Damethis Regis filiam ab excelso tecti fastigio delapsam concusso corpore periculose se habetem incisâ ex utroque brachio venâ sanguineque inde emisso mirificè curasse traditus est.

Hic quidem chirurgiæ primus & heroicus status fuit ad bellũ usq; Troianum, ut ego arbitror, quo tempore quid ex hac re opis attulerint Machaon, Podalirius, Achilles, Patroclus Achillis discipulus, Vlysses, Hecameda, Polydamna, Pæõ, & si qui sunt alii, præclarè legitur tum apud Homerum, tum apud Q. Calabrum & huiusmodi scriptores: apud quos ipsos legitur & Deos ipsos chirurgicam rem expertos priscis illis temporibus: inter quos præsertim Apollo recensendus est, qui & hanc facultatem novit Aristide autore: ocularíam autem peculiariter tractavit, ut Hyginus literis prodidit. Cibeles autem Deorum mater pueris in cuna male habentibus succurrere fuit perita. Obstetricariam in pariendo fratre Diana fecit; Mercurius Hysterochotomiã, id est, cæsaream uteri excisionem in Coronide Æsculapii matre exercuit. Venus Diomedis mariti & Aeneæ filii vulnera curavit.

Successit Heroico status Hippocratæus, id est, sub tota huius familiæ serie. Porrò nonnulli fuerunt

runt Hipp. nomine clari. Magnus autem Hipp. Cous ad Herculem atq; Aesculapium observatâ generis sui origine, ab altero quidem XX. ab altere XIX. se numerabat; qui universam chirurgiam peculiaribus voluminibus complexus quam plurimos ad priorum inventa, tum sectionum tum ustionum modos, tum nudæ manus curatricis operas addidit & excoluit: quas equidem omnes in hoc opere atque in altero Inermis chirurgiæ secundum genera morborum & secundum partes ordinatè recitavi. Mira autem & communia functionis chirurgicæ præcepta reliquit, in opere κατ' ἰητρεῖον inscripto: Quod nos officinam medici nuncupare consuevim⁹. Itaq; vir magnus, quemadmodum totam medicinam, ita & Chirurgiam absolvit, ut autem is artem optime tenuit, ita etiam explicatè filiis legavit normam, ut ad artem quàm exquisitissimè colendam Geometriam coniungerent. Etenim ad Thessalum ait Geometriæ cognitio, quæ multiformis ac varia est & omnia cum demonstratione transigit, utilis erit & ad ossium situs & ad exarticulationes reliquumque membrorum ordinem. Nam ad multiplicem horum affectionem & articulorum luxatorum repositionem ossiumque contritorum resectionem ac perforationem, compositionem & exemptionem, ut & reliquam curationem, maiore industria utetur quisquis noverit, qualis est locus & quale est os, quod ex eo eluxatum est.

Posthæc Hippocrati succedentes alii ut atrembolon, id est, reponendorum ossium rationem non infelici cura excoluerint, apparet ex L. de machinamentis Oribasii: nihilominus cæteras artis partes non legimus qui paribus vestigiis sequuti professiq; fuerint. Verum huius filii Draco & Thessalus, quem admirabilem vocat Gal. nepotesq; item Polybus ac Dexippus Cous discipulus literis mandasse credunt pleraq;, quæ Hippocratis nomine leguntur, & Diocles qui Hippocrati secundus ætate famaq; extitit Plinio l.26.c.2. Hipp. iunior dictus est Hollerio in Hipp. vita, instrumenta quædam chirurgica commentus est. Nec defuerunt alii, qui Hippocratismū aliquandiu conservavêre, donec omnia labefactante immutanteq; longinquo tempore rebusque græcorum assiduè declinantibus, secta hæc quoque decrevit. Nisi quod studia literarum & doctorum monumenta foventibus Ægypti Regibus in Alexandrina schola multis florentibus Medicis res chirurgica suos amplificatores & cultores nacta est. Vnde credo multæ novæ prodiêre formæ curandi: quippe in qua anatomica peritia loca & sedes corporis aperuerit. Ab horum fortasse traditionibus præter eas quas apud Hipp. legerat, L. 7. conflavit Celsus, quod suadetur profectò, quia plerumq; eiusmodi viros nominare consuevit. E quibus fortassis Herophilus fuit & Herodotus medicus, qui libri Isagoges & libri definitionum creditus autor, pleraq; chirurgica ab Hippocrate non tacta proposuit præsertim cap. 19. Isagogici, Arteriotomiam, inquam, hypospathismum, periscyphismum & operas quasdam alias. Quod si Galenus is credatur autor, hic, qui ad Alexandriam etiam peregrinatus est & eos doctores audivit, inde etiam arteriotomen & alias quasdam à Hipp. novas operas hausisse potuit. Aretæus autem, qui eandem hanc operam novit, ut multi volunt, Galeno prior, unde id transtulerit, incertum est. Incertum quoq; unde Aetius & Aegineta doctrinam hanc omnem didicerint, aut rectius hi, quos multi citant, rerum istarum scriptores ac professores. Omnibus ergo modis vagus hic posteriorum Græcorum status fuit.

Qua interdum factione desiente, dum Mansor Bocharæ Rex in Persis studia literarum ab Europæis, bella Barbarorū atq; incendia passis fugientia instaurat: sub hoc auspicata est Arabum secta: quæ sicut & alias artes, sic rem medicam & chirurgicam excoluit.

Verumtamen omnia de græcis autoribus excerpsere nil novum ferentes, sed omnia, qui barbarorū est mos detrectantes ac perperā interpretantes, atq; illud, inquam, citra theoriam. Cæterum circa operarū usum atq; administrationem & infelicior hic ordo fuit, quod cognoscitur ex plerisq; doctorum Arabum testimoniis, qui conquesti sunt deficientem ac neglectam usibus in necessariis artis factitandæ rationem.

Primus profertur Albucasis, quo non extat in hac natione clarior aut maior: sed primas in hac re communi omnium consensu tenet. Is præfatione operis scripsit hæc: Quæ nos aliquando nostra ecphrasi sic reddidim⁹. Chirurgica functio per hoc ætatis absoleta est in ditione nostra & ut verius dicam, propè deleta, adeo scil. cassa eiusdem est scientia, adeo sunt obscura prætergressę professionis vestigia. Quod si fortasse confugeris ad veterum libros, qui scientiarum solent esse thesauri: in his profectò nihil inveneris nisi formulas medicamentorum perpaucas, quas etiamnum corrupêre notarii sic, ut ex his potius, quam disciplina, pariatur legentibus error & hæsitatio. Itaq; neq; ex descriptionibus utendi consilia apparent: indicata vero si quæ ex his administraveris usu comperies inefficacia. Qui idem Albucasis & l. 3. in præfatione ait, Scitote filii, quod iactant se de hac doctrina stolidi medici vulgi, & qui nō inspexerunt unquam antiquorum libros, neq; legerunt ex eis quicquam propter quam causam fit, ut iste modus scientiis in terra nostra sit ablatus. Cui malo non occurri equidem aliā ratione, neq; aliquid boni sum adeptus, nisi propter longam lectionem librorum antiquorum, & studium super intellectum eorum, donec extraxerim scientiam ex eis, deinde ad hęc experimento & studio per totam longitudinem vitæ meæ. At Razes ad Mansorem alicubi ait, pleriq; eorum, qui hanc artem exercent & dicuntur restauratores, non bene exercent eam, neq; sapienter, neq; sub certa radice, ad quam reditio fiat: imo maior pars eorum casu operatur, & sicut ab aliis fuerunt edocti & raro invenies aliquem eorum, qui huius artis libros legerit, aut qui eam audiverit ex magistro, qui noverit literas, id est scientiam chirurgiæ didicerit: imò qui eam maximè exercent, sunt idiotæ rustici & stolidi. Idem quod Razes perhibuit & Avenzoar l. p. tr. 2. quæ brevitatis causa non recito. Quid enim ad unum non omnia contraho? Porro testatus est Auerrhoes l. 7 maiorum partem huius artis amissam suo tempore: & rursus eiusdem libri c. 76. ait, non extitisse inter suos, qui calvariæ perforatum administrare

Albucasis l. 3.

Razes.

Avenzoar

Averrhoes.

posset: Tam multa scilicet chirurgiæ ignoratio, tam insolens huius tractatio fuit. Quibus omnibus priscus Arabũ chirurgiæ status patefactus est.

Ab his deducti sunt Arabistæ quos vocat Joannes Sylvius; id est, qui in alio quidem omni præterquam in Arabico solo nati, Arabum tamen aut placita sunt secuti, aut doctrinam interpretati; qui quæso te potiores fuerint, quam magistri? quin vero si hos omnes in unum coëgeris; non uni Haliabbati vel Albucasi longis parasangis inveneris pares. Magnus quidem & è tot multis celebratissimus autor fuit Guido Cauliacensis: veruntamen magis physicochirurgus quàm absolute, chirurgus homo fuit: id est magis causarũ ac rerum advertendarũ quam operarũ præceptione probatus; in hac excolenda secta postremus quidem ordine sed dignitate primus & summus. Constitit igitur in his Arabisticus omnis status.

A quo deinceps tempore, reductis & quasi postliminio reversis in Italiam Pontificum, & Principum Medicæorum patrocinio literis græcis medicorumq; græcorũ codicibus horũ subinde gustatis melioribus frugibus, glandes barbarorũ contemni, & viam ipsorum deseri cæperunt. Itaque Vidus Vidius primus quasi chirurgorum Antesignanus Chirurgiam Hipp. & Galeni interpretis è Græco in Latinum convertit & aliqua parte enarratam picturis illustravit; quo non contentus chirurgiam è suo græcorum doctrinæ consentientem 4. libris exposuit, multis interdum adversis atq; correctis, quæ in hodierna docendi ratione sunt explodenda. Quo tempore & Stephanus Gurmelæus è græcorum sententia Syntaxin chirurgicam contexuit. Neq; longe Ioannes Tagaultius Guidonis Chirurgiam in latiniorem formam redditam publicavit; & Gabriel Fallopius tractatus aliquot chirurgiæ expositorios Scholastico ritu prodidit: quem ritum & alii inter hos And. Vesalius, Ambr. Paræus & Hieronymus Fabricius retinuêre: licet hic & chirurgicarum operationum nobilius mea sententia volumen edidit. Inter hæc & Theophrastus Paracelsus medicamentariam quandam chirurgiæ formam protulit de qua post hæc etiam dicemus. Cui quidem medicamentariæ curandi rationi hæ sit iam à multis seculis nostra ętas germana & antiqua semper abacta sic, ut propemodum sit obsoleta inter nostros. Iam igitur numerũ ad summam revocantibus apparet sex fuisse conversiones omnes & status chirurgiæ. Heroicus primus Hippocraticus. 2. Græcanicus. 3. Arabicus. 4. Arabisticus & Latinobarbarus. 5. ex Græco Arabico & Latino mistus. 6. erit novissimus & ad antiquam Græcorum idæam instauratus & à superis quidem exorandus, ac à nobis omni, quo licet, studio allaborandus, id est suscitandus, & promovendus, si tantum è nostris conatibus expectandum est. Sed Deus opt. max. quando decreverit, ut animũ, ita & vires suggerere satis pro sua benignitate potest.

CAPUT III.

De varia ratione modoq; tractandi chirurgiam plerisque gentibus & populis.

Exercendæ quidem ad varios humanæ vitę casus chirurgię modus unus nõ est, videris enim aliter Ægyptiis atq; Arabibus Maurisue, quã Grecis, aliterq; his, quam Romanis, aliterq; etiam his omnibus, quam Germanis gentibusq; aliis quibusdam tractatam: sic varie sunt omnes naturã mortales ad recipiendam chirurgiæ acerbitatem affecti, sic multiplex semper fuit instrumentorũ, & modorum medicinæ delectus. Quæ multiplex utendi ratio per Deum hoc loco prætereunda nõ est, sed composite perpendenda & distinguenda. Namq; facient monstratæ rei chirurgices; usus multiplices & differentiæ, ut quam orsuri sumus doctrinam quam lucidissimè ac rite primitus intelligatur. Tres quantum ergo arbitror, sunt universim chirurgię tractandæ rationes: unus modus est eorum; qui chirurgiam amant liberè secundantem atq; indulgentem placitis ægrotantium: talis autem blanda est & lenis partim exiguo ferramenti partim multo medicamentorum usu. Alter eorum, qui asperam quidem, sed necessariam excolunt ferri atq; ignis administratione potissimâ prævalentem. Tertius est eorum, qui mediũ quasi istarum, aut neutrum tuentur; porro medicamenta etiã toleratu gravia, communi hominum sensu lenia præ ferramẽtis habentur. Atqui vera & legitima chirurgiæ illa nobis ponitur, vera & legitima chirurgia quæ medicamentis & victu, sed manus opera atque instrumentis perficitur. Hæc autem plerumq; ferramentis utitur, licet interdum machinis, vinculis & alio rerum istarum apparatu. Quanto igitur sævior, quæ ferramentis utitur chirurgia est, tanto levior ex adverso est, quæ medicamentis expugnat morbos. Extremæ quidem hæ sunt rationes curandi, cæterum istarum & media & neutra via esse potest. Illa quidem si coniunctis utrisque, hæc vero si neutris utatur, sed nulla, ut dixi, erit chirurgia, quæ reiectis omnibus ferramentis, atq; id genus instrumentis, sola medicaminum ope contenta sit. Porro singula contemplemur, ab acerbiore, sed necessaria facto principio. Hac Asclepiadæ delectati sunt & Gręci Alex. vero post hos prisci chirurgi, qui sicut è Celsi scriptis elicimus, non aliam tenuisse videntur medendi rationem, quam quæ probata est græcis, quorum mos fuit, vitiis, quibus tollendis, victuum modi vel medicamenta non sufficerent, ferramentis & sæviore manu succurrere, nimirũ ad hoc parata chirurgia videtur, ut quæ levi medicinæ beneficio curari vitia nõ possunt, hæc violẽta manus opera, sed necessaria & certa leventur.

Jam vero Græcorum & Alexan. medendi formam proximè sequuti sunt Mauri atque Arabes, qui primum ab eo tempore quo Schola Mansoris eisdem floruit, sicut medicinam universam, ita etiam chirurgiam non aliam habuere, quam usitatam græcis. Itaq; ut late monstravit Albucasis Princeps Arabum chirurgus, tam ferramento quam igni in debellandis difficillimis corporum vitiis, uti consueverunt hæ gentes. Quoniã autem apud totam Arabum nationem, non alia est, quam quæ ab hoc eodem scriptore traditur, chirurgia: hæc ferme (sicut aliquando patebit è nostris in Albucasin, commentariis) parum ab ea dissensit, quam Paulus Ægineta conscripsit in suo medicinę volumine. Hanc iam descriptam odisse maximè mihi videntur Romani, quando scilicet in Archagathum eandem impune tractantem, etiam cum nece animadverterunt iidem, utram autem amplexi plausibilem alterã, aut mediam dubium est, ex hac

Getos apud quat tr...

Statu rie ch gia.

Tres chiru tract modi

Chir lenior sævio medi dus t tus.

Albuca

Archa thus a secand rendiq exosus interem ptus à mano pulo.

ex hac enim medicamentaria, ex hac permista delectati apparet. Et medicamentariæ quidē favisse istos conjicere facilè possumus; quando non aliam intellexisse, aut definisse visus est Scribonius in libro de compos. medicament.

At verò Chirurgiæ operas parum tractatas eo tempore potest docere Celsus per id, quod scripsit Julio Callisto; Timidum mortalium genus inter initia non facilè ferro ignique se committebat, quod etiam natura pleriq; faciunt, ne dicam omnes, & si magna compulsi necessitate ipsius salutis, non patiuntur sibi fieri, quæ sanis vix toleranda sunt.

Cæterum, & quæ ferramentis exercetur, admisisse aliquando populum Romanum, ostenditur ex sectione varicum administrata in C. Mario Imperatore, quam tolerasse quidem in altero crure, in altero recusasse, principem virum legimus: Itemque illud docemur ex præcisione mariscarū, quam peragi solitam inter istos significat Juvenalis in eo satis:

Ceduntur tumidæ medico ridente mariscæ.

Quamquam autem multo aliam chirurgiam fuisse Quiritibus proposuisse nobis videtur Celsus Latinæ Medicinæ scriptorū facilè princeps, hanc tamen ad græcorum conscripsisse sententiam certum est; ac propterea voluisse etiam, chirurgus ut foret immisericors; illud tantum spectans, ut medicationis adimplerentur perfectæ normæ, non ut omissę silerent. Hoc autē maximè recipient hi, qui opinantur, non tam conscripsisse de re medica Cornelium, quod hanc factitarit, quam quod legendo, & transscribēdo professus fuerit; Sed de hac re alibi latius. Accedere autem ad Romanorum morem fortasse videntur hoc nostro seculo Germani, qui sunt ita molles, teste Conrado Tigurino l. de scriptorib. Chirurgiæ & Renerio Solenandro cons. 24. sect. 4. ut cauteriorum usum neque etiam in destitutis spe vitæ patiantur.

Ambiguam viam tenuisse videntur Ægyptii, neq; quo sint ex ordine medentium est facile decerni, qui, sicuti retulit oculata fide Prosper Alpinus, qui peregrinatus ad hæc loca medicorum curationibus studiosè interfuit; internè offerendis pharmacis non nihil student palato; & gratiæ laborantium: ut appareat jam, non horridam & insuavem, sed plausibilem, & per placentem parare hos velle medicinam egentibus. Sed tamen in re chirurgica crebris locorum corporis scarificatibus & excisionibus quibusdam, ac suturis non parcunt, utuntur quoq; ustionibus partium quarundam & capitis; ut libris pyrotechniæ monstrabimus.

CAPUT IV.

De effitacis Chirurgiæ necessitate, atque usu.

Jam verò chirurgiæ verè præstantis (efficacem appellari placuit) necessitatem audire si quis expetat; duo aut tria eius rei præcipua argumenta proferre possim. Primum ab etymo nominis, quod acutè impositum à maioribus cognoscitur, quod manuum & operam una in voce commemorantibus, quibus duobus, quid solidius, firmius, certius, oculatius in humana tota functione inveneris, prorsus est nihil; quandoquidem utrumque semper adagiali quodam exemplo aut argumento cōpertæ comprobatæque rei cuiuslibet antiquitus habebant Ægyptii: itemq; habemus & nos quotidiano usu jam celebri. Itaque quod hæc duo præfert chirurgia; monemur subinde nos, ut per eam medicinæ partem in quæsitum rei votum, quæ sanitas ipsa est, niti quidem, sed efficaciter & fructuosè debeamus si tantum energetica & verè prestante ad obtinendum facultate ad rem minus efficiendam non abutamur? nimirum quantum ex una parte gravis secando atque urendo facultas est chirurgica; tantundem etiam ex altera rerum difficilium superatrix, malorumq; deploratorum est victrix, usu.

Hactenus hac una valentis operæ Chirurgicæ confirmatio fuit; alterius vero ab antiquis magistris indicatæ eadem necessitas est; quod postremum hoc instrumentum fecere medicina. Notum enim est primam simplicitate inventionisq; ordine cibi potusque præceptionem esse; posteriorem medicamentorum rem; tertiam, atq; ultimam medicinæ speciem, quasi sacram anchoram manus esse operam; quo spectans aliquando Hipp. enunciavit; quæ medicamenta non sanant, ea ferrum sanat, & quæ ferrum non sanat, ea ignis sanat &c. quasi dixerit (ut cum Hieron. Fabricio argumentemur) quæ medicamentis non sanantur ea chirurgia sanari, vel præter hanc arte nullā quo spectans etiā Georgius Dordonus medicus Placentinus non contemnendus Scriptor de morbi Gallici curatione chirurgiam ultimum medicinæ instrumentum interpretatus est, quasi omnes alias partes medicinæ præsupponens usu prægressas. Itaq; quod in postremum locum rejecta fuerit chirurgia: id peculiaris eius facultas, & conditio fecit; quæ est; ut quod aliæ medicinæ partes assequi nequiverint, ipsa perficiat obtineatque: non aliter quam quo pertingere lapis manu jactus nequeat, & quod assequi feriendo funda non possit; tormentum igniarium possit: & quod prior militia non obtinuit, triarii postremo consequantur.

Simile.

Has ob res, & absolutè & ad cæteras medendi partes comparata maximè præstans & necessaria chirurgiæ opportunitas apparet; Quam ipsius præstantiā generaliter ubi pervidimus, eiusdem efficaciter operantis privatos usus sequitur, ut cognoscamus: quam quidem in rem sic disserendum puto.

Ab autoritate.

Consenserunt omnes Asclepiadi docenti medicatus optimi tres esse virtutes, ut tuto, ut cito, ut quam minimo cum dolore tractetur is, qui curatur. His rebus concluditur omnis medendi perfectio, quas herclè omnes una explet Chirurgica industria. Quod enim attinet ad primam conditionem, cū tuta medela tria requirat, ut cum absolvatur homo vitio, tum si id nō licet, alio transferatur tum, ut repullulans non recurrat: singula hæc exequitur efficax chirurgia. Primum enim operis absolutionem, &, ut ne redeat, mali abolitionem atque revulsum; quæ medicinæ ratio magis attingat, quam quæ ferrum igneque tractat, valentissima omnium præsidia? transferendo vero vitio quæ sit potior medicina, quam quæ derivandi, divertendi, intercipiendi,

cipiendi, per vincula, fractiones, cucurbitulas, setamina, fonticulos, scarificatus, sectiones, ustiones, peculiarem & primã habet facultatem? Taceo nunc innumera commenta atq; adiumenta, quæ polydædala facultas amplivago suo sinu condit, ac promit, ad unamquamque rem efficiendam accommodate.

Post hæc, ut secunda conditio perpendatur festinatio, si quod aliud, in miseris, gravib⁹ & dubiis languentium casibus est sane quam necessaria, nimirum putredo carnium assimilis est putredini vini jam ineunti: cui celeriter medicato vitio si succurratur, cedet illa cõtinuo, sin minus acescet & corrumpetur id ipsum. Ast celeriter non videtur agi res posse nostrâ medendi ratione, quæ uno semel incisu, excisu, præcisu, scalpriq; administrationibus aliis & ignis vividi usu celebratur? Quam ob rem & brevi medicus suo munere functus optato potietur fine, i.e. beneficentiæ, mercedis, gloriæ, & cito etiam integritate ac libertate gaudebit languens, suas per se res & familiam curaturus, subtractus inertiæ longo decubitu, morbi tyrannidi, sumptibus medicinalibus, detrimentis denique omnibus corporis, facultatum, fortunarum & munerum suorum. Ad hunc modum apparet, & tuto, & cito suis officiis perfuncturum nostrum chirurgum, sola nunc superest doloris difficultas quem inseparabilem à re nostra nemo non asseret. Ita sane, sed ingenuum & æquum omnem arbitrum considerare oportet, compendium esse dolorum perpetuo sub morbi decursu ingravescentiũ, uno semel & brevi transituro dolore nocturnas atq; diurnos alios omnes finiri; quam rem equidem explicarem uberius in præsenti, sed disputatum hoc est à nobis tum in confutatione adversus obtrectatores paulo posterius exponenda; tum etiam in demonstratione chirurgica secunda, quæ patrocinium inscripta fuit.

Tertium efficacis Chirurgiæ firmamentum esse potest usus, qui, quamdiu felix & in precio perstitit ars, non alius certe fuit, quam, qui dictus est. Rem à primis horum temporibus adusque Asclepiadas & horum amicos repetamus; ab his unis autoribus dignè exercitam; citra vero Scholam istorum & placita, certum est exerceri probatè non posse. Ad summam autẽ, ut inventores & amplificatores artis isti fuerunt; ita vera & legitima ab eisdem norma petenda.

Principio igitur Chiron, qui plurimum usu medendi valuit, creditus admiranda fecisse, sectiones ustionesque tractavit perpetuas; Si Pindaro credimus in Pythiorum ode tertia, itemque Achilles eiusdem discipulus & alumnus ab hac eadem via non recessit; quod vero Apolline præmonstrante, in oraculis, autore dicto Cretense secundo historiæ Troianæ primus Achilles, post vero Machaon & Podalirius fistulæ pervetustæ zelephi demum sanandæ præficerentur: propterea factum interpretor, quod Achilles prius sectione, quæ Scholæ Chironiorum fuit propria, rem auspicatus est, accedentes vero Asclepiadæ suis medicamentis vulnus fovêre. Sed Hercules Chironis hospes & amicus Alexicatus à pellendis morbis cognominatus, qui divinitatis nomen est meritus; ferrum & ignem exercendo secundum meliorem hominum & Hieronymi Aleandri imò & ipsius Hippocratis ad aram orantis sententiam, monstra vere non domuit, sed morbos efferos, septemplices fistulas, immanes phagedenas & voratrices corporum nomas. Homerus autem, neque primam hanc medici laudem tacuit, cum ait: Est inter cunctos medicus præstantior unus, qui secat, & sectis blandissimâ pharmaca fundit. Jason quoque Phereses, vel ut alii dicunt, Thessalus Protheus, apertâ per hostem vomicâ pectoris, sanatus est facile, qui restitui medicamentis haud poterat. Quid autem vulnera vulneribus casu fortuito curata, quam debitam ac necessariam à principio novam dissectionem fuisse? quam autem (illud nos certo credo voluissent admonitos antiqui) studiose factæ sectiones præstent ulceribus? quando temerario casu illatæ tam benefaciunt? quibus unis & uni exemplo ne dubites credendum; Legeris apud Galenum l. de therapia per phlebotomen, arteriotomiâ fortuitâ in crure eius, qui coxendice languebat, mire solutum morbum. Item extremè cæcutientes, surdos, epilepticos, maniacos & melancholicos, strumosos seu gibbos, hydropicos & asciticos, luxatos, vulneratos quoque novo vulnere, ulceratu, ambustu, casu de sublimi, allisu, diruptu atq; percussu persæpe fuisse sanatos monstrat Joann. Schenckius in suis observationibus cumulatè. Quanto igitur cum artis nostræ detrimento ac dedecore fit, nil elevari morbos, qui nobis curandi committuntur, temerario vero & inconsulto fortunæ casu feliciter finiri? Sed obiter hæc ego, sermonis occasione tractus.

Ad monstratores primos artis bonę jam redeo, legisti credo Dionysium Siciliæ Tyrannum, dum medicæ rei navaret operam, sectiones atq; ustiones & hoc genus operas factitasse. Quod cum scriptis retulit Aelianus l. scil. 11. an non memorabilem & imitabilem rem putas voluisse? quando vir & Platonis consuetudine, & sua ipsius virtute clarissimus id ex tota medicina maximè necessarium cognoverit & legerit? Sed hæc quidem de his qui medicinam tantum exercuêre, ceterum ex his qui scripta de his præcepta reliquêre. Quid de Hipp. dicam? qui, quod Chirurgiam efficacem medicinæ partem unice amasset, exercuissetque propter hanc imagines eius capite obvelato fuisse refert Suidas more chirurgico. Post autem Hippocratem, tum Græci alii, tum Latini non aliam tenuere viam, quam hanc. E Græcis dignioribus, quorũ scripta ad nos pervenêre Galenum & Paulum nomino. E Latinis unus est Celsus, qui cũ in medicamentorũ delectu lenior fuerit, quã Græci (Hieron. Mercuriali Autore l. de morbis curan.) Chirurgia tamẽ semper utendũ voluit necessaria sic, ut immisericordem in agendo requisiverit chirurgum. Quid autem si Alexandrinos Galeni tempore medicos, & eorum omnem scholam perquiras? testis est idem Celsus præstantes & generosos hos Chirurgiæ nostræ fuisse cultores, adeò, ut non aliam appareat chirurgicam doctrinam à Cornelio conscriptam, quam istorum. A quibus subinde viris bonæ chirurgiæ placita ad populos

Ordo medendi ab oraculo indicatus.

M. Hi... an... *Ho...* *Schenck. obs.* *Dion. Sicul. chiru. vere. tus.* *Hipp. velato ... pite ... stus. Galenus Paulus Celsus ...* *Hieron. Mercur. de cur. morb.*

populos eius plagæ Ægyptios fluxisse testis est Prosper Alpinus in l.p. de medic. Ægyptiorum & alibi: Hi porro frequentibus & variis corporis loca scarificatibus tentant, palpebris vero cum caruncululis turgent, excisionibus & suturis non parcunt. Quid autem de Arabibus credendum sit, ad quos plurima bona proficisci à traditione suorum gentilium potuere? Hos equidem & Turcas & Turcogræcos Chirurgica virtute non destitutos audio. Sed & alii populi complures à Græcis non deducti chirurgicum scarificatum & in carnosis partibus exaniatus exercent. Americios sanguinem in lumbis & tibiarum pulpis comminuere testis est rudimentorum cosmographicorum scriptor vulgatus. Cotusas vero verberibus suras incidere Syros consuevisse refert Jac. Mannus in l. de Scarific. qui & malleolorũ scarificatum à veteribus græcis usitatum, à græcis, qui nunc sunt, Peloponneso, item Bizantii, in Palæstina terra, Judæa & aliis conterminis regionibus factitari prodidit idem. Pleuriticos impositis ante cucurbitis altè scarificant Armeni; quod adnotavit Laur. Joubertus in tract. de pleurit. prior vero Alexander Trallianus l. 6. c. 1. in Asia, Syria, Media præstantissimos ocularios medicos, qui ferro caput & frontem Græcorum more cõcidant, his nostris temporibus esse, narravit Alexand. Benedictus l. 3. de morb. cur. c. 9. qua una re quid maius audias non reperio. Abdaritas populos præsbyteros Joannis vocatos, virgunculis & puellis clitorin carunculam ad venerẽ extimulandam inter alas pudendi prominentẽ, exscindere consuetos narrat Andreas Vesalius in examine anatomico. Hæ multarum gentium dissectoriæ sunt chirurgiæ, quo loco silentio sunt prætermissi quam multi populi tum antiqui, tum ad hanc diem extantes qui chirurgicis & urendi rationibus utantur; Homadas inquã, Pænos, Scythas, Sauromatas antiquæ memoriæ Gallos, Musitanos, Persas, Armenas, Græcos, Latinos, Afros, Mauros, Thraces, Arabes, Indos, Æthiopes, Abyssinos, Ægyptios, deniq; nationes Orientalis plagæ omnes, quas initio pyrotechniẹ medicẹ paulo posterius adnotatas leges. Itaque si ævum omne perlustres, si cunctarum gentium annales, monumenta repetas, si memorias omnes perquiras, nusquã nõ usitatissimus, antiquissimus; antiquitate vero ipsa commendatissimus germanus hic, quem promovemus & chirurgiæ usus apparebit. Sola nostra secula nostriq; homines (causas corrupti ritus referam alibi) tantas eiusdem virtutes tantamq; necessitatem & dignitatem non cognovere, quin assueti semper tritissimis & inefficacibus medendi rationibus propugnatores alios morborum efficaces atrocitatis ac temeritatis insimulant; Sed quã ta iniuria, cognosces, porro Hipp. in lib. de locis in hom. textu exponentium 132. paucis multa complexus, remedia sunt, inquit, omnia, quẹ præsentem statum transmovent: tanquam quidem addidissent, inquam, non imbecilla nec invalida: & Aetius lib. secundi ser. 2. c. 3. quid opus est diu, multumq; laboribus defatigari, cum ex maximo auxilio maximam medelam consequi licet. Et Aretæus apud Paulum l. 4. c. 1. vim remediorũ majorẽ esse ipsis morbis oportere brevi pronunciato nos docuit. Accommodatissimè quoque in hanc rem, Joseph. Quercetanus in pharmacop. restit. c. 16. quod est de vomitoriis, ait, Naturæ adulatores tantum sunt, qui imbecillibus nimis atq; invalidis præsidiis tam frustra propugnare conantur, nec potentibus satis armis illius hostem ferocissimum adoriri cogitant, qui interim velut invictus cuncta illorum blanda atq; adulantia ridet ac despicit: quibus elusis vix secundo ad eadem, auxilia confugere audent. Hæc quidem isti viri de universo comuniter medicinæ facultate & usu legitimo qualis etiam chirurgia, quæ vehementior audaciorque est, sentiunt? His triplicibus argumentis omnibus jam clare apparet efficacem tum quidem natura, tum usu per nos exerceri chirurgiam oportere. Superest nunc, vt de his, quæ tam utilem facultatem deiecere, deiectamq; quotidie conservant, dicamus, quod fiet utique monstratis causis & vitiis & abusibus qui ad ipsam exercendam pertinent.

[margin: ...a efficacis chir. ...oret ...nia. ...cr.] *[margin: Iosephus Quercetanus.]*

CAPVT V.

De causis neglectæ destitutæq; chirurgiæ per nos efficacis vocatæ.

SIc igitur cum eiusmodi sit, qualis depicta nuper à nobis est, chirurgia: quæri potest, quid tam multum neglecta destitutaq; sit à medentibus talis eiusdem forma; quam rem, ut quantum mihi pro virili portione licet, expediam: præter quæ repeti possunt ex nostra dissertatione de causis corruptæ chirurgiæ; ad hæc privatas causas addo alias comprehendentes omnes primum aliqua methodo ac partitione generali; quæ fuerit hæc: Quoniam artis labefactatæ professores & administri sunt arguendi; tum primi sc. qui abusiones illius invexẽre, tum qui easdẽ conservavẽre, tũ qui ad hanc diem retinent & non abjiciunt: horũ omnium culpa, vel ad corruptũ animi institutum, vel ad rei falsam intelligentiam est referenda, ad quas utrasq; suæ quædã succenturiatæ pertinent, atque aliquo quasi circuitu redeunt quanquam quædam absolutiores, ac nõ tantopere dependẽtes à superioribus erunt: quæque per se separatim quoquo pacto sunt erroris adiumenta. De hoc universo genere dicturus prius explicabo prioris ordinis capita. Ex omnibus causa prima, primaq; origo visa mihi semper schisma medicorũ in physicos & chirurgos, de qua re omni inter plurimas sane detrimentosa, cum uno physicochirurgi volumine pertractarim: non est, quod in præsenti multis agam: Illud ad summam memorasse sufficiet, omnem morbi curationem rectissimè instituendam atq; explendã, à sua lapsus dignotione, secundum omnes causas exactè ordiendam; nec sine optima curãdi methodo absolvi posse. Conjunctas autem vicissim & inseparabiles utrasque res esse patet, quod altera ad alteram arctissima necessitudine spectet & ordinetur velut idea & opus. Jam vero ideam maxime spectant physici, operam chirurgi. Jam igitur si coniunctissimas utrasq; partes casus insolens diviserit distraxeritq. his quidẽ morbis, idest intrinsecis ad unã, extrinsecis vero ad alteram facultatẽ delatis: vides ipse, quam parum bona medendi ratio cõstare possit.

[margin: Causa neglecta efficacis chirurgiæ.] *[margin: I.]*

Ab hac prima mali radice proximè fluxit altera propago: quæ fuit scilicet manca & fallens doctrina

[margin: II.]

doctrina magistrorum; hi enim non perfectâ, sicut oportebat instructi notitiâ, quomodo, amabo te, perfectè alios instituere potuerunt? quin ex mala semente malaq; satione malum & ipsum satum; & ex malo coruo mala ova. Recte igitur Hippocrates in lege, quã futuro medico indixit, inter cætera adjumenta ad disciplinæ profectum necessariam doctrinã non postremo loco posuit.

III. Tertia his accedit causa, quæ est neglectus autorum principum & optimorum, & maxime Hippocratis, Cornelii, Pauli, Albucasis, quos minime consulentes neque observantes nostri, ne mirum quidē est; si à bona medendi norma deflexerint; unde enim exemplũ aut curandi leges receperint? quando memorati scriptores sint unici, qui verã exercendæ Chirurgiæ rationē tradiderint, præter quos vix alii restant. At hos lectitare mos nō est, aut si legunt etiam: cum aut sectionis aut ustionis autores illi meminerint, narrasse fabulas, aliena tractasse ac desipuisse creduntur, sic bonis institutis insueti sunt, sic fascinati communi vulgarium opinione tenentur nostri.

Verum admiranda res est, hos homines apud Hippocratem veteresque magistros primam medicinæ maiestatem ideamq; optimam agnoscere profiterique verbis; deinde hanc ex ipsis non discere neq; exercere, vel partem huius aliquam accipere, aliquam negligere: id est quæ facilia factu ac lenia videantur exequi; quæ vero laborantib⁹ injucũda sint, rejicere. Hem igitur quid istud est, nisi secundum suum ipsorum sensum atque arbitrium medicinæ leges facere, non autem præjudicatæ fidei autoribus adhærere.

IV. Ludovicus Duretus. Quarta causa anatomes est imperitia, quæ tanta est hodiernis chirurgiæ cultoribus, Ludovico Dureto adnotante in Hollerium c. de arthritide, ut neq; etiam venam pollicis invenire pertundereq; norint; & Hieron. Fabricius in l. de operat. chirurgicis ait; His nostris temporibus obsoletæ sunt omnes operationes chirurgiæ effatu dignæ: *Hieronym. Fabricius.* puto ego, quia non reperiuntur eximii chirurgi, sicut deceret, qui calleãt anatomen, ac tuto noverint perforare, atque id genus omnes operationes tuto moliri: sed formidolosi sunt: Animadversũ hoc autē memini ab Hippocrate l. de ratione vict⁹ vide quam disertè; communiter contendunt & luctãtur homines, cũ aliqua necessitas impulerit, & qui didicerũt, & qui nō studuerunt: sed statim ipsis motibus comprobantur hi quid didicerunt, maxime si facere non recusant, simili modo medicinam quamplurimi tractant: Ita quidem divinus homo de hac re. Sed Matthæus Curtius in *Matthæus Curtius.* præfatione ad anatomen Mundini; illud, inquit, ꝑmirũ accidit, nostrates medicos anatomē nihili pendere, atq; ideo dũ hæc contemnitur, haud facile videre contingit mediocrē quidē chirurgũ.

V. Quinta causa post hanc est *ἀδυνία* timor & hæsitatio qui necessarios efficacis medicinæ modos moratur. Atq; inde est, quod germanam istam, ꝗ prædicamus chirurgiam perpauci hodie tenent, namq; ubi aut per se ipsos, aut per librorũ lectiones docti quidam faciendas præclaras operas viderint judicarintq; tamen aggredientibus deficit is animus ac metu retrahuntur, generosorũ facinorũ peste: cuius exempla nonnulla, quæ formi- *Timor inclitorum facinorum hostis.*

dolosorum chirurgorũ & medicorũ aperta sunt dedecora & vapulamenta, legeris apud Petrum Bayrum l. 6. & cap. 6. & c. 9. & l. 20. c. 4. atq; apud Anton. Brasavolam in 4. de ratione victus sect. 35. apud Jo. Schenckium l. 3. c. de calcul. vesicæ p. 543. & l. 4. tit. de uteri ectomia p. 715. & apud Fabricium Hildanum atq; alios, quorum aliquot eiusmodi narrationes nō pigebit referre, nempe Brunus Longoburgensis chirur. magnæ l. 2. c. 8. professus est ingenuè, se natam in humero cuiusdam pulvinaris magnitudine pendulam periculi metu diffisum attrectare, quam mox obscuri nominis chirurg. feliciter execuit: quod idem evenisse sibi narravit Theod. l. 3. chir. c. 2. Similiter & natã in fronte vetustam præsectã ab empyrico feliciter, ꝗ medici plurimi neutiquã attrectare ausi fuerant, sed maximo timore caverãt, prodidit Amatus Lusitan⁹ cēt. 7. curat. ult. Inanis quoq; timor Ambr. Paræi in excindendo ganglio seu lupia, quam alii chir. procurarunt, historia narrata per Hollerium obs. 22. Ad hæc narravit Ant. Benivenius se strumam execuisse sexaginta librarum, quam omnes exhorruerant chirurgi de qua etiam re Jo. Schenckius l. 5. c. de iliis, & inguin. p. 737. Sed ne excidet Alex. Massaria, qui l. 3. pract. methodi narravit de cive suo Frider. Corsico, qui dolore simul & fluore venarum sedis acerbè pressus, cum varia multorũ medicamenta tum interna tum externa nequicquam expertus fuisset; medicis Patavinis nec sectionis nec ustionis chirurgiã suadentibus Æger tamen Fabricio, cuidam chirurgo Neapolit. se cōmisit; à quo viro utramq; chirurgiã exequuto sanitatem recepit. Sed omnium istorum maximum id est, ꝙ retulit Albucasis lib. chir. se metu mortis inferendæ homini sphacelo tactam eidem manũ abstinuisse abscindere; quæ res ab alio medico postmodũ tractata feliciter evenit, qui languens, ait, marcoris vi pressus liquido periisset, nō maturè præsectus. Possum autem & ego testari in Nosocomio Incurabilium quendam emortua manu decumbentē, destitutum à medicis aliis facta per nos exectione servatum: quod autem ex morbis plerisque conclamatos restituerim equidem referre multitudine non sat possum. Sed sunt hæc omnino negatę sectionis exēpla. Cæterũ & parce factæ vitiũ meminit Hippocr. l. 6. epid. P. per hęc; Huic si ampla sectio facta fuisset, aut altera & tēpestiva servari potuisset. Atq; hęc quidem de parcitate sectionis; cæterum de tempore & l. 5. eiusdē operis memoriæ prodidit de Cyrenio in Omylo, qui suppuratus infernũ ventrem ustus est triginta diebus tardius, quã oportebat, ac mortuus. In quem locum Franc. Valles. protulit hæc; ad omnes suppuratos, sive in thorace, sive in alvi regione p⁹ collegissent, utebatur Hippocr. ustione; atq; cum inustiones non erant satis, ad sectionem penetrantē veniebat & sane mihi persuadeo, hanc curationem futurã multis utilissimã, si tempestive administraretur: nunc verò pauci, aut vix ullis est auxilio: quia aut non fit, aut omnino tardius multo quam oportet, partim, quia ipsi medici, quasi magna hæc sint, reformidant; partim quia ægroti nolunt obedire, nisi cum se mori aperte jam vident, tunc verò serò obediunt.

Petr. Bayrus. Anton. Brasavola. Io. Schenckius. Fabricius Hildanus.

Sed ostendam adhuc vanum multorum hominum *De v...*

mimum

minum timorem; qui sæpe esse non debet, nempe lithotomia, quæ cane peius & angue perosa, declinataque fuerat quondã ab Asclepiadis & magnis illis medicinæ proceribus; sic ut horum primus Hippocrates in operum suorum vestibulo publicitus & jurejurando se obligarit, nunquam hanc operam aggressurũ, propterea, quod funesta laborantibus, ignominiosa medentib⁹ explorate futura esset: quæ eadem certe tempestate nostra per homines omnis literaturæ, nedum medicinæ nescios, confidenter æq; ac feliciter exercetur, adeo, ut laudem hanc præreptam optimis & heroicis medicinæ coryphæis per agyrtas, & medicabula quędã jure conqueratur Durantes Scacchus in opere, quod inscripsit subsidium medicinæ. Retulit autẽ mihi peregrinatus ad nos Henricus Blacuodæus medicus excellens professorque Regis Gallorum Parisiis & in universo illo regno, sic factitari frequenter hanc operam & laudatè, ut nihil magis. Inscitos igitur & inertes voco medicos quosdam nostros, qui Joannem Baptistam Severinum spectatissimæ vitæ patricium Neapolitanum, quod lithotomo insigni (qui Horatius erat Hursinus à Hieron. Fabricio celebratus) se cõmisisset; suo periculo affirmaverant obstinatè moriturum, miserũ autem virum si clamosas totas noctes diesq; diutius duxisset, qui dolore angoreq; uno dispendia tot cruciatuum brevi redemit. Præter autem lithotomiam & gastrotomia facilior jampridem Francisci Russeti studio atq; industria reddita est; quam explorate discriminosam enunciaverat Hippocrates, qui l. de morb. mul. n. 8. tuberculo ad inguen à vulgaribus medicis insecto, fæminas in periculum dicit actas, attamen vivum valentemq; educi fœtum integris omnibus eiusdem rebus, utero nimirũ ad alterutrum umbilici latus dissecto testificatus est Mauritius Gordæus Hippocratis interpres; quin imò addidit & exectas easdem fœminas rursus etiam concepisse, quam ipse rem vidit, ac velut oculatus testis exposuit: ergo (concludit) ꝙ tantopere visũ insolẽs fuit summo artis dictatori, in usũ tandẽ & consuetudinẽ trahetur longe melioribus mullercularũ rebus: ut & permagno posteritatis cõmodo, hoc est, in securiorem parentũ valetudinẽ & auctiorem generis humani propagationem.

Sexta causa est insuetudo & inexperientia, qua nihil audent attentare nõ consuetum usuq; protritum, unde profecto fuit, quod conquestus est Averrhoes l. 7. collig. cap. 76. quod inter suos nõ esset, qui cranii perforatum administratione nosset. E Junioribus vero Ludovicus Duretus, Joannes Nicolaus Riolanus, Joannes Zechius in consiliis & Alexander Massaria l. de venæ sectione desiderarunt, qui poplitæam venam elideret; & qui empyicos secaret, & qui venas crurium aperirent ad menses morantes. Lazarus verò Sotus in anim. medic: pract. c. 4. §. 62. & Ludovicus Mercatus l. 1. de curandis morbis & Hieronymus Fabricius in lib. de operationibus chirurgicis; & novissime Alexander Alexius Patavinus cons. 6. declamarunt, quod non esset qui arteriotomiam exerceret & Petrus Vasco Lusitanus, qui Laryngotomiam, in angina strangulatoria faceret, causatus est in theorica practicaq; morborum methodo. Sed ubi reliqui Gabrielem Fallopium, qui ad demoliendum hydrocephalum inexercitatos sectionis atque ustionis accusat recentiores; exercitationis & usus commendat priores. Aliam utendorum empyicorum ac secandorum hydropicorum insuetudinem deflet Hieronymus Mercurialis in 27. Aph. l. 6. per hæc; Porro si forent chirurgi præstantes atque experti, remedia adhiberentur & plane spectarentur quoque nostris temporibus iidem effectus, qui videbantur tempore veterum, atque ab hisce postmodum animati chirurgi frequentius auderent experiri; ita ut causa omnium sit metus & imperitia chirurgorum, &c. Verum & difficilimas hasce operas quid memoro? nam neque scarificatus in extumescente amplè colli parte anteriore τὴν δέρην Græci vocant & loco sub mento alte turgente à multis ante nos seculis est tractatus: quam rem Hieronymus Capivaccius l. 1. pract. c. 54. quod est de angina, notavit his verbis; Galeno quidem com. 37. lib. 6. aph. bonum est, si materia ad circumferentiam attrahatur; ego in hoc casu nihil dico de sectione illius partis; quia his temporibus desiderantur, qui sciant operari.

Mercurialis.

Ad hunc quidem modum artis admonitores hi magni, sed interim nostri homines quo culpam suam inexcusabilem reddant, & se planius apud sapientes viros condemnent; aspernantur abominanturque nosocomia publica, quasi hæc rectam medendi rationem corrumpant, medicos vero, qui chirurgiam in his locis factitant, aversandos curant à civibus invisosq; reddunt, quod impunè medentes inopibus, crudeliores sint oportet. 1. ad consectum promptiores, miseri, qui quod magis abjiciunt refugiuntque, deberent amplecti. Enimvero campus amplior aut arena, in quo languorum vitiorumque genera observari curariq; possint, præter unum militiæ campũ, aut valetudinaria non est; argumento autem est, quod eiusmodi palæstras perlibenter excoluerunt viri in medicina selectissimi. Razes inquam, Avenzoar, Guliermus Placentinus, Marcus Gatinaria, Nicolaus Massa, Gabriel Fallopius, Philippus Ingrassia, Ambrosius Paræus, Jacobus Guillemæus regis Parisiensis chirurgus & chirurgiæ scriptor. Petrus Andreas Matthiolus, Bartholomæus Eustachius, Leonardus Fioravantus, Theophrastus Paracelsus, Hercules Saxonia, Ludovicus Septalius, Rodericus Fonseca, Lazarus Sotus, Joannes Fragosus, Julius Cæsar Arantius, Caspar Tagliacotius. Nominandi quoq; cum his Petrus Castellus & Joannes Maria Castellanus & Nicolaus Larchæus Gallus, professores urbani celeberrimi. Quid autem tacui, quod Baldus Angelus Abbatius l. de viperæ nat. c. 23. percupiit ad experimẽta medicus aliquãdo nosodochii esse? Sed interim nostri dothienas & furũculos, jonthos & varos mulierculis Neapolitanis curent, & recte quidẽ hæc curent: quãdo nodos ab Avicenna vocatos, aut abscessulos cũ cysti, atq; id gen⁹ tubercula curanda nõ audent suscipere sæpe credentes effera & maligna, quæ sunt natura permitia. Memini multis ab hinc añis Lucã de Sorgo civẽ perillustrẽ Ragusiensẽ vrbes Italię clariores peragrasse, sicubi medicũ adinveniret, qui pisiformẽ nodum eleganti

Contra eos qui nosocomiorũ medelam & medicos aspernatur.

In militaribus expeditionibus & Nosocomiis amplis. Chir. factitandi commoditates.

Avicenna.

Historia.

eleganti filiolæ septem annos natæ media frontis supercilia deturbantem eximeret. Quam rem, qui faceret, ullo non invento, tristis ad suos reversus est. Porro mihi, qui sectione atque excisione revellere tuberculũ animus erat, adversati multi medici tum physici tum chirurgi, solum in non agendo magni operam præripuêre, quam rem etiam fecerunt medicorũ indocta plebs in steatomate, quod sexennio gestaverat in epigastrio filius Decii Cataneí aurifabri, cuius mentionẽ fecimus alibi. Illud autem mihi cũ summa nostrorum & artis ignominia fieri videtur (id quod etiã questus est Gal. l. de atrabile c. 6.) plura & difficiliora empiricos morborum curatores assequi sæpius, quam dogmaticos legitimosque putatos medicos, quodque etiam longe fædius est, superat nos in plerisque multis barbarorum industria; nempe turcogræcum hominem quendam medicum navibus longis Salucij Januensis mancipatum (cui Ametho nomen) licuit vidisse Neapoli Anno 1615. ex insuperabilibus putatis malis plurimos liberasse: quibus experimentis etiam maiora consuevisse gentis suæ medicos referebat, neque aliam ob causam, quam quod exercitatiores essent in re chirurgica. Refert autem Prosper Alpinus empicos sic curari feliciter ustione per Ægyptios, ut ipse, qui interveniens aliquando vidisset, mirum in modum fuerit admiratus.

Galenus.

Ægyptiis medicis empyemata feliciter curari soliti Prosper Alpinus.

VII.

Septima causa est usus inveterati conservatio, à quo discedere nemo audet: tum ingenii, quod infæcundius sentiat defectu; tum diffidentia facultatis; tum quia plurima pars hominum, qui magistrorum exemplo medicinam faciunt, hæc transilire nec volunt nec possunt inventionis inopia. Itaque modis omnibus aliorum vestigiis inhærent, damnantque eos, qui vel latum quidẽ unguem maiorum ritum excesserint: Sed servum pecus, qui alienis addicti legibus alieno & ore loquuntur, & alienis manibus operantur inertes inglorii, contenti tantum eo, quod obtulit primus casus & prima fors.

Imbecillum & sterile ingenium hominis autoritati moriq; alieno mancipat.

VIII.

Octava causa duplex est, uno tamen fine, id est indolentiæ studio consentiens, utraque prior mollities ac teneritudo nostræ gentis, qui cum in morbum corporis incurrunt, pari animi ægritudine languescentes, & duriusculis sensu rebus, quantumvis salutaribus offenduntur, & quæ suo (ut dici solet) palato non perplacent, facile rejiciunt. Jam autem (ad istos loquar) qui sibimet ipsis digitum veneno tinctum amputarint, quod fecit Rusticus, qui sibimet à vipera demorsum pollicem falce præcidit 2. de loc. aff. c. 7. quando neque etiam à salutari medici manu paucum semel exaniatum, aut summæ cutis scarificatum tam vehementer exhorrent. Ad hæc ut colubrorum demorsibus, quos incurrere timeant, eludendis; cutem capitis usque ad calvariam incisam, diluto euphorbii liquore in vulnus infuso consuii sibi patiantur; quod ab aliquibus fieri scripsit Dioscorides l. 3. c. 87. quando & præsens, quod jam offensat atque urget, corruptionis & emortuæ carnis vitium adimi rescindique nulla sibi suasione permittunt, & illa quidem ad viros: ad fœminas vero, quin sibi mammas ad vitæ commodum, id est ad robur, & ad bellandi commoditatem more modoque Amazonum & amputarent & urerent; quando & ad defendendam tuendamque salutem puncturam ex phlebotomo in suppurata jam & putrida mamma refugiunt.

Huic hominum imbecillitati concordavit medentium tam nimium affectata quam frigida lenitas in pertractandis corporibus, quam tamen tanti faciunt cives nostri, ut hi, qui medentur minime virtutis amici, quippe qui populi gratiam habere consueverunt in lucro; lucrumque & mercimoniam ex blandimentis atque adulatione facere: primum illud student spectantque, dum secundent plusquam honestum; nedum plusquam est utile decumbentibus. Itaque manus agilitatem præ se ferentes quidam, indetersos sinus atque ulcerum prærupta relinquunt, & quod cachinnis est exprimendum, quasi particulas ulceris studiosè detergant, tamen illud ementientes actis extra penicilis & suspensis, ne attingunt quidem: tanta est hominum impudentia, tanta judicantium hallucinatio. Jure igitur dubitavit Stephanus Gurmæleus in syntaxi chirurgica, utrum chirurgorum negligentiâ, an ægrotantium mollitie factum sit, ut causticorum usus invaluerit, ferramentorum vero ignitorum nisi in ossium affectibus & sanguinis post amputata membra profluviis pene jam exoleverit, cum tamen ignis actio præcellentior ac multo salubrior tutiorque sit. In hanc autem sententiam, ea, quæ Franciscus Vallesius proposuit lib. 6. epid. sect. 7. partic. 9. non pigebit adscribere. Hoc, ait, tempore merito sectionis & ustionis in hydropicis & tabescentibus usus dimissus est, quia vel ob ægrotantium mollitiem, vel quod non valemus autoritate apud eos, ut veteres illi medici nunquam horum quidpiam jubenti obtemperatur, usque dum morbus omninò vivit, nunc postulant nonnulli id sibi fieri velut in re desperata; quo tempore nil aliud fit, quam ut, quæ tempestiva suscepta contulissent, suscepta serius, infamentur auxilia. Quapropter satius sit medicos nisi tempestive voluerint ægroti parere, intempestive nil facere. Hactenus Vallesius. Atque hæc in medendo multorum mollitudo est & fœminea blandities.

Cur [illegible] lenit[illegible]

Ex quibus tamen blandimentis laudatos eximie vidi persæpe nobiles moriones, qui plus omnino male, quam benefacere solent ignorantibus miseris; Quid autem his addam elegantes & ad spectaculum comparatas, sed nihil juvantes deligaturas apparatusque alios mire concinnos, qui cum onerosi sint ægrotantibus, ut Hippocrates monuit in l. de medico; graviora quoque facta sunt honesta colentibus, his quippe omnibus quanto plus moschi zibetique additur, hoc est, compositionis & elegantiæ, tanto magis putida & intoleranda sunt emunctæ naris hominibus.

Mu[illegible] & [illegible] quo[illegible] chiru[illegible]

Huic modo narratæ causæ potest addi reverentia cum in splendida persona periclitari conjectura sua nolit homo; ut occidisse nisi servaverit, videatur, quod exemplum narrat Cornelius Celsus de quodam illustri viro, qui ex naturalibus partibus carne prolapsa & arente intra paucas horas expiravit, nihil remedii in hoc mali genere

Corne[illegible]sus.

genere tentantibus nobilissimis medicis urbis Romæ. Veri tamen simile est (inquit autor) detracta tali verecundia & fortasse responsurum fuisse id, quod aliquis esset expertus. Simile exemplum narravit Quintus Curtius de Critobulo Alexandri Macedonum Regis chirurgo, qui, cum dominum suum ex hamato spiculo præcordiis hærente cerneret in discrimine magno positum, verebatur telum extrahere atque infrenabili sanguinis profluvio languentem subdere: donec trepidantem atque hæsitantem coëgit Rex auxilium belulciæ periclitari: quo succedente feliciùs, licet non sine sanguinis effluvio servatus est Rex. Porro quamvis hæc causa maxime omnium sit honesta, tamen, haud tantũ impertiri debet licentiæ, ut homo inter inertiam jaceat, sed eo proposito necessariis, quod, ut difficillimus casus est, ita etiam omnis conatus periculosus, tamẽ cum satius sit anceps experiri consilium, quam nullum, debet audenter periculis adversus ire, movereque omnem lapidem, quo tueatur miserum extrema morbi vi perditum. Hunc enim ex arte adiuvanti si ex voto successerit (verbis utor Hippocratis in libro de locis in homine) sanum facies: sin minus, quod etiam alias futurum erat, id ipsum perpetietur, cuius & tu jam prænunciator præmonitorque fuisti.

Nona causa est argenti cupido; quæ sic transversos istos homines agit, ut non videant quid rectum, quid honestum, quid dignum officio suo sit, itaq;, quæ ad semet exornandum per efficacis medicinæ fructus faciunt, vilipendunt: quæ vero ad salutem ægrotantium conducunt, perfunctoriè exequuntur: quid dicam autem, quo loco dignitatem habeant artis, quam tam abiectè tamq; seviter exercent? enim vero si dolosi spes refulserit nummi, ad hunc unum quotidianos suos labores dirigunt, ad hunc sensus omnes studiumque convertunt; nam eo quidem assidui totã urbe circuitus; cum popularibus consuetudo multiplex magnatum ambitus frequens, matutinę vespertinęque salutationes, & ad noctem longam confabulationes & collusiones, quibus quidem omnibus otii temporisq; dispendiis satius adhærescere putant, quam rationem sequi sapientiæ, quæ solitudinem, quietem, liberumq; à curis animũ, studium deniq; proficiendi cum modica necessariorum facultate poscit: Sed neq; aliter occupari nos medicinæ scientia finisque requirit, ut cum casus tulerit & gravis ægrotantium sors, his quasi divinitus succurri queat.

Decima causa servilis est adulatio: siquidem ex chirurgica facultate dum plurima ad restituendã efficaciter valetudinem facientia refugiuntur exploduntúrq; ministeria per homines alioqui molles, & huiusmodi aliqua nõ expertos: sic nacta est medentium avaritia, qui questum rebus omnibus anteponunt dexteram oportunitatem: ut sine ferro sineque asperitate curantes infirmos & horum benevolentiam aucuparentur & succedentia gratificationum commoda lucrifaceret, dum eosdem interim in perpetua spe bene valendi, quemadmodum in languore detinent. Audi vero quæ Prosper Alpinus in lib. 3. de medic. Aegypt. c. 1. conscripsit; adulatores medicos Aegyptus habet, sed non minus multa Italiæ loca, in quibus multi ignari homines eos optimis quibusq; medicis ea causa præferunt, quod obsequantur sibi: idque tantam vim ad capiendos ęgrotorum animos habet; ut plurimi sæpe ab ignavis atque adulatoribus medicis usque ad exitium sint perducti: neq; tam grandes illorum in medendo errores agnoscantur, neq; etiã si agnoscantur, ab his discedere velint; Hæc ille: Quorum id quod postremo dixit, pluribus quidem exemplis comprobare possem: verum una suffecerit historia notissima de Livia Gesualda primæ nobilitatis fœmina, quæ cum nonimestri abscessu mammæ laboraret, coalitum ulceris cognoscens longum, spe dubia maluit sub blando suo curatore manere quam sanitatem ab altero non adulante recipere, qui compertis experimentis illam liquido restituisset: prius autem ad XI. morbi mensem vitæ cessit, quam efficaci alterius curationi se permiserit.

Animadversio de adulatoribus medicis.

Sed ad chirurgici Lenocinii fructus revertor porro blandimentorum eiusmodi gustatis in dies fructibus tũ per decumbentes, qui leniter tractari vellent, tum per medentes, qui gratificari non renuerent, ceptum est tum primum parci scalpellis amandariq; rationem omnem inferendi quantulicunq; doloris etiam impensè necessarii. Interim vero dolor, qui morbi vi affligeret cum ulcere vel abscessu coniunctus, discuti leniriq; ceratis & vnguentis liparisq; applicamẽtis suetus est, administratoribus nil sollicitis, si quid leniter instituta curatio peccet, aut detrimenti quidpiam allatura sit. Sic suis chirurgiæ muniis, quæ ferro & igne cõclusa sunt, perpetuo depositis, ac prætermissis, aliena quædam irrepsẽre vocata medicamẽta, quę quod præstabilia, qualia quidem isti velle videntur, non sint, inde perspicitur, quod his curatrix medicina non expletur, sed manca sub his & mutila restat: nam complementum è chirurgia est, quæ constans usu manus ferro instructæ, propterea est instituta, ut quod medicamenta non valerent, ipsa perficeret.

Impudens & inhumana inefficaciter medentium chirurgia.

Undecima causa est quidam astus & cautela, ne medicinam asperiorem exercendo, Carnificis i. e. crudelis medici subeant nomen, quã nominis jacturam ob id pluris faciunt, ne mercaturam suam imminuto devotorũ ac fiducialium numero deteriorẽ faciant, imminui autem & abalienari clientes pro comperto credunt medendi aspritudine, quam quisq; refugit & exhorret naturã. Huic & alia similis est cautela, ne fallente curatione aut inprospere cedente sibi, qui curaverãt maiorem vim admolitis exitus imputetur, quam sane rem egregius Prosper Martianus notavit suis in librũ Hipp. de decenti ornatu scholiis per hæc verba: calum niam ut devitent complures medicorũ existimationem pluris facientes, quam ęgrotantium salutem, nullũ magnę efficacię præsidiũ, aut quod sinisterius iniquiusvè adnotari possit, præscribũt,

XI.

Prosper Martian.

Postrema sed potestate maxima causa contemptus est gloriæ quæ neque leviter nostrorum hominum attigit sensus, antiquitus omni consilio prior. Audieris autem huc oportune Marcellum Virgilium, qui Comm. 4. super Dioscor. c. de Polemonia ad hunc modum effatus est.

XII. & postremo.

Certaverunt quondã inter se pro humano genere

nere beneficiis reges: nec quod potentiori utilius foret, gloriosū sibi existimaverūt, sed, quod Deus monet, mortalē mortales juvare, vnā hanc sibi ad æternitatis gloriam viam aperientes, quæsierunt: non in gentium suarum fortunis augendis & ornandis tantum occupati, sed in excolenda ad sanitatem hominum vita quotidie laborantes, honestissimoque certamine inventi remedii alicuius gloriam sibi invicem auferentes; & si opus esset bella etiam ob id gerentes, dum vult humani beneficii autor solus primusve hic aut ille esse: Hinc Gentiana, Lysimachia, eupatorium, pluresq; aliæ plantæ sunt autoribus suis cognomines & inter alias polemonia hæc servato sibi à certamine & bello nomine; quod antiquissimi reges inter se certarunt, dum inventionis eius gloriam sibi ambo vendicarent. O temporum & gentium illarū felicitatem, quibus pro salute omnium cunctis postea seculis bella fierent, nō ut imperii sui, alienæ vero servitutis causa, tam multa virūm sub signis millia ducta una dies daret exitio, perirentq; simul gentes & cum gentibus bonæ artes. Quarū continua ex multo tempore jactura antiqui illius studii & ingenii vix idolon & spectrum aliquod nostra ætate nobis reliquit: Hæc ille. Quæ nos quidē multo gravius hodierna die lamentari possumus, quo tempore & nullus professorum nostrorum animis generosæ functionis sensus est, & inertiæ plena sunt omnia. Quem enim vel famosissimum artis nostrę virū ex ritu præscripto (praxim dicunt vulgo) medentem cætera omnia remedia licet egregia, cum inusitata sunt, negligentē non videris? quemvé ad antiquorum inclitā normam medendo intuentem adverteris? Nullum hercle, nullū usq; adeò, ut culpæ loco sit magnis, sed vulgo non cognitis assuescere. Atq; hoc quidem quod nullum ex se studium aut industriā in gravioribus atque arduis adhibere velint, hodie cuncti, verum naturam singulis hominū casibus satagentem atque adminiculantem causantur, attenduntq; oscitantes, dum moliatur gubernatrix nostra contra vincendum morbum; qui interim nunquam ociatus unaque inclementi putredine semper nixus naturam proxime sit oppressurus. Sed quantanam, quæso te, sit illa fatuitas, incerto bello pariterq; valentibus hisce duobus hostibus, persæpe autē gravioribus morbi momentis, procuratrici corporis magis confidi, quam ab insidiante altero metui? Quamquam etiam ubi fiducia subsit, nec causa cesserimus, agentes adiuvari Divinitus antiquissima prudentium est enunciatio: qua docemur, ne inani sub spe venturi cœlitus auxilii desides usque maneamus. Præclarissimus autem huc Virgilii locus, qui 1. Georg. legitur:

Alitur vitium crescitq; medendo
Dum medicas adhibere manus ad vulnera pastor
Abnegat, & meliora Deos sedet omina poscens.

Similiter & apud Terentium Mitio, quærit ab adolescente an credat speratas nuptias dormienti sibi confecturos Deos: ex his porro cognoscit quilibet si velit, quam ridiculus, quamvé inscitus homo sit, qui cœlestis auxilii fiducia temeraria, interim ipse male feriatus nil industrium adnitatur, nil cogitet gloriosum. Cæterum cum suūm ipsorum decus & ornamentum tam mirè despiciant hi: quo loco columen artis habere possint reputare per se ipsum quisque potest, nimirum inclinet hæc vel extollatur; deteratur, vel illustretur; pessum eat, vel conservetur nihil ad eos pertinet? verum nos miseros! quando præcipuum monitum hoc fuit nostri dictatoris tum in juramento, tum l. de arte, ipso vestibulo, ut commendata nobis artis dignitas & amplitudo cumprimis foret & bonus Mesvæus curationem docens apoplexiæ studiosè cavit, ne deficiens ars unquam remediorum penuria videretur, quare difficillimis etiam casibus præsidia modis omnibus conquirenda suasit, quippe sicut nos professores hæc dignitate decorat; ita nos vicissim hanc exornare perpetuo debemus, sospes autem ne sit honos noster, medentium non incolumi eo, qui ad artem pertinet?

Dixi jam quantum hi homines in consequenda nominis claritate deficiant: audi jam quantum in eodem frigidè retinenda superbiant. Porro detrimentum existimationis suæ magnamq; ducunt ignominiam usitatam suam medendi rationem, licet falsam & illegitimam abjici; novam vero & probatam ab aliis accipere atq; addiscere; tanquam non possit aut non debeat, cum resipere datur, aliquem se corrigere; aut nō præstet officio recte defungi, quam aliorum inanes voces exaudisse; aut tanquam reponenda nominis existimatio sit in opinione vulgi, non doctorum hominum judicio; aut non sit potius nunquam interituræ veræ que gloriæ consulere, quam pręsenti falsæ & momentaneæ; tanquam denique non sit homine libero dignius secundum conscientiā, quam secundum aliorum opinionem facere. O perversos igitur hominum mores! o insolentiam! ad quod plane decet, decorum non respicere; quod vero non decet, tam mire magnifacere.

Hæ quidem aut similes amissæ chirurgiæ sunt causæ, quas omnes eatenus recitavimus, quatenus admoniti boni professores studium in amplexanda retinendaq; meliore disciplina ponant, causas vero ejusdem deterendę longe propellant è pectore deleantque. Ad hunc modum perfecta germanaq; chirurgia nostros lares reversura est, quæ ad longe divisos & barbaros gentes visa est transfugisse.

CAPUT VI.

In quo demonstratur esse aliquem medicinæ & chirurgiæ modum ac formam efficacem, quæ hoc ævo minus cognita neque exercita sit.

AFfectionum, quæ bonæ valetudini corporis adversantur, eximendarum summa duo sunt principia atq; adiumenta. Alterum quidem natura, alterum ars: quæ tum quidem separatim, tum coniunctim rem præstant, prout nimirum utriusvis in rem accommodatior est facultas. Natura quidem vel concoctione, & huic respondente opera nititur, vel expulsione. Ars vero vel ista in utroque adiuvat, vel nisi hoc successerit, per se seorsim molitur; pro qualitate sc. & modo morborum vitiorumque omnium qui se curandos offerunt. Horum porrò modus varius multiplicem etiam medicinam fecit; accommodavit autem se curatio vel ad leves vel ad mediocres, vel ad con-

ad contumaces atque inseparabiles, & facilibus quidem sanatu ciborum apposita ratio satis fuit; gravioris affectus medicamentorum cura fuit victus; extremis reservata chirurgia est, utpote quæ cunctarum medicinæ partium, ac rationum valentissima est. Ita autem eiusmodi malis deputata manus opera fuit, ut postrema hæc accesserit, factumque postremum auxilium, vel, ut dicunt, instrumentum medicinæ. Postremum, inquam, tum ordine facultatum curandi maximarum quas dixi, id est, cùm natura parum aut minimè valeat, succedente protinus artis adminiculo; tum postrema dicitur ordine partium adiumentorumque medicinæ; nempe cum diæteticum ac pharmaceuticum medicę rei præsidium, sive quidem experimenti jam capti comprobatione, sive Judicii non fallentis æstimatione, invalida appaurerât: continuo chirurgia suam exhibet opem: quæ per sectionem & ustionem est; non aliæ. Quippe falluntur ac totam chirurgiæ vim naturamque ignorant, qui chirurgiam medicamentorum usu, atque applicitu faciunt præstabilem. Quoniam enim supra quam pharmaca valere debuerat, post hæc delecta chirurgiæ virtus; certum est quod alia ratione oppugnatura vires erat morbi firmissimas. Etenim etsi quandoque valentia fuerint adhibita medicamenta: tamen quæ aut qualia collatione ad chirurgicam rationem; quæ ferro & igne supremis omnium præsidiis nititur, quæque rescissa liberat, vel uno & subito eius, quod alienum est, exhaustu. Itaque valida modis omnibus atque efficax apparet chirurgiæ opera, atque eiusmodi etiam semper & utendo & profitendo veteres hanc censuerunt Areteus, Oribasius, Paulus, Aëtius, Cœlius, Aurelianus, Octavius Horatianus, & hos imitati Arabes: quorum facile princeps est Albucasis, Isaac Hali-Abbas, Razes, & si qui sunt ex hac factione alii. Inter cæteros vero Hippocrates qui rem omnem suam exegit, & scripto luculenter edocuit, qui com. 3. de artic. ait, quæ ad singula efficacissima sunt omnia quæque scire convenit, atque ea ubique adhiberi, quæ accommodata videbuntur: accommodata autem, quę sint, explicavit ipse alibi, ubi dixit, extremis morbis extrema exquisitè remedia optima. Hæc autem non alia κατ' ἐξοχὴν, quàm sectio atque ustio: nempe quæ non sanat medicamen, hæc ferrum sanat, & quæ ferrum nō sanat &c. quasi dixisset his duobus præsidiis plurimam & maximam medicinæ partem contineri, quatenus strenua & efficax illa est. Quare sic statutâ Hippocratis enunciatū tam profunde animo sedit, ut dicere solitus sim; insanabilem quidem nullum affectum esse sensus, qui vim ignis non senserit; adeo magnum & unicum est huius præsidii experimentum. Hippocrati & suo placito consentaneam rem prodidit Galenus, qui Com. de ratione victus. in acutis chirurgiam his finibus conclusit. Chirurgia ductus est quidam medendi per sectiones & ustiones & alias eiusmodi operas; quod, quid est aliud, si rectè perspicis, quam discretis primo medicinæ partibus lenioribus tertiam chirurgiam quæ postremo loco constitit efficacissimam ponere? Adeo scilicet per omnes confessa veritas est, inter cæteros medicinæ modos unum esse aliquem efficacem, quæ chirurgia dicitur: quod si casu quopiam, aut malo corrumpentium instituto, non ad eum quem dixi modum, sed medicamentarium ac palliatum exerceatur, jam non magis per Jovem chirurgia, quam cacurgia dicetur.

Cacurgia.

CAPVT VII.

Vbi proponitur quam detrimentosus arti, & toti hominum generi sit abusus medendi, gravissimis in malis absolutè medicamentorius.

DUplex in universum omnis remedii facultas est: altera quæ potestatis, altera, quæ dicitur actus. Sunt autem hæ naturæ conditionibus seclusæ, quod potentialis haud per semetipsam solam consumatur, affectuque exerit; sed calidi sub partem recipientem insiti provocatione, & quasi accensione opus attingit perinde, ut triticum, quod satum, ut germinet, terræ fomento, & fermentatione opus habet: sed actualis sic comparata est, ut quotiescunque exposcitur perpetuò ad præstandam rem prompta sit: ut ignis qui præsens tantummodò sit, continuo calefacit aut exurit; porro de tribus medicinæ vocatis instrumentis, duo, diæteticum sc. & pharmaceuticum alieno, id est, naturæ excitantes & evocantis pendent auxilio, ut vim suam expromant. Sola chirurgia suæ spontis est, ad operas peragendas tracta. Quid ni autem sit eiusmodi, quæ secando, atque urendo, & hoc genus alia peragendo sua re defungitur. Scire autem licet pro chirurgica functione multis ab hinc seculis successisse medicamentorum applicatum: ita ut hæc pro illa satisfacere posse videatur, quod non sine injuria & cōfusione partium rationumque medendi factum est, reclamantibus præterea dogmatibus & omni schola veterum græcorum: ipsa vero chirurgia leuiculis quidem casibus exiliter, in gravioribus verò neq; etiam attentatur, vel causticis ad summam agitur, ne ferrum aut ignis capiatur, unde graves dolores, humorum ad particulam confluxus, inflammatio & interdum gangrenæ, vigiliæ, febris, & quæ non symptomata mala subsequi queant? quod si minora his medicamenta sumantur, sunt item detrimenta non pauca nec parva; conservato nimirum intus vitio, effluxuque non dato neque aliter humore absumpto, serpit virus intrinsecus, & ulteriores mittens radices, sinus producit & fistulas ossium, si in hæc loca incidit, teredines, annua mala, dirupta ulcera, & ex curabilibus denique Incurabilia vitia: quod tantopere cavit admonuitque nos Hipp. Comm. 3. de artic. 68. qui etiam, ut dicam cum Galeno l. 4. meth. med. c. 4. tabefaciunt homines in morbis, à quibus utique liberari facilè potuissent, & cum sanari paucissimis diebus ulcus contumax incipiens posset id Thessalii homines in annum aut etiam in longius tempus excurrere faciunt. Ad hæc amplius visa mihi est semper istorum hominum medicatio infinita & infinitorum malorum satrix, utinam autem, quod insensum animi cecidit, valeam eloqui verbis, nec maximam istorum culpam faciam, equidem impotens exprimendi

mendi minorem. Dicam tamen utcumq; per exempla: etenim ex levi ad ulcus aut vulnus affluxu, adiunctaque intemperie, vel si collisio, & ecchymoma fuit, humore illo non discusso; quoniam vitia sub incongrua medela vires ultrò capessunt; ex illo quidem in promptu succedit inflammatio, ex hac malè prævisus abscessus, ab hoc vero sinus, callus, fistula, cuniculi, pervasio in ventrem interiorem: unde statim febris, roboris vitalis & naturalis œconomię detrimenta, & inde tabes, & postrema non consistentis vitæ decessio; quæ cùm in uno vel pluribus mors absolutè dicatur, innumeris profectò clades erunt, non alia, quam istorum culpa profectæ; quid dicam autem quam inutilis & invalida tum ad externos, tum ad internos omnes contumaces morbos hodierna chirurgia, quos expugnare nihilominus medicamentis confidit? Quid autem absurdius, quid risu dignius? quàm strenuo inimico debilem objicere? quæ tandem est hominum imperitia, ne dicam amentia, difficillimis vitiis impariа medicamenta paria facere? utinam molles herbæ atque harum radices tantum facultatis tantumque felicitatis haberent, quæ maximis vitæ periculis succurrere semper possent. Verum enim verò sopita, lenta, imbecillis, inefficax, fallens ut plurimum est ipsorum vis & natura, usque adeo ut inventa & comparata minoribus moliminibus, non ut extremis casibus occurrant; magnis utique discriminibus, aut ad hæc ducentibus, gravissimis morborum Symptomatis, una reservata chirurgia est, quæ magnificis & prævalidis ferri, ignisque præsidiis herculeâ velut manu ferina corporis immaniaque vitia, quæ miseros mortales devorant cominus invadit, comprimit, disjicit, dissipat, fomitem omnem & spem renascendi adimit & extinguit. Nunc igitur rem medicamentariam cum chirurgica componas opera: infirmum videlicet hominem cum strenuo; languidum cum valente; mutilum cum integro; præpotentem cum inerte; generosum cum degenere; inefficacem denique cum efficaci. Miseros igitur & maleferiatos eos homines, qui perversâ hâc & incongruâ medicina (dixissem certe verius mendacina) curantur ad hunc modum apparet, quam perniciosa laborantibus hæc medicinæ species sit, quam autem arti & professoribus detrimentosa, non est ostendi difficile, primum arti si propositum sit, morborum extremorum curationes non naturæ sed artis esse: qua tandem deficiente maximum, quod erat medendi decus, obscuratum est ipsum; & quo hærebat dignitas fundamento collapsum est totum. Etenim alicubi demonstravi medicinam, ut quæ conjecturalis est, plurima parte evidenti altera curandi facultate, quæ chirurgia est maxime confirmat fulcitque, ne suam autoritatem amittat. Porro medicinæ pars vitalis est chirurgia, id est firmamentum, columen, & primus vigor; expende autem & vide postquam medicamentarius usus invaluit, ut tota in deterius mutata est eius forma, nimirum pro magna & ampla paucifera & angusta; pro deliberata, anceps; pro virili mulíebris; pro heroica vanorum timens; & pro efficaci invalida & ἄπρακτος reddita est. Videas autem ad summam, quam infinita mutatio, quando de una specie transit in aliam: id est de actuosa in potentialem, &, ut dicam verè, de chirurgica in pharmaceuticam. O, quæ, Deum immortalem! metamorphosis Pythagoreâ & Ovidianâ quâlibet portentosior & absurdior! Heu igitur medicinæ tam solerter excogitatæ, tam studiosè traditæ, tam fortiter elaboratæ virtutem! Eheu paratos ad artis conceptum labores, eheu postremum afflictatorum hominum præsidium! eheu sacram Anchoram & asylum! Eheu præstandi res magnas Hermathenam atque thesaurum.

CAPUT VIII.

De Paracelsæa Chirurgiæ Suffiguratione.

AD hunc quidem modum efficacem nostram chirurgiam contra vulgarem medentium morem tutati, medicamentariam explodere cœpimus: alter nunc labor non dissimulandus, sed necessariò suscipiendus est adversus alios & meliores autores, qui medicamentariam quandam, & ardua, ne dicam, impossibilia pollicentem chirurgiam, ex professo foventes instituto nostro tacitè quidem, sed non mediocriter adversantur. Porro maiorum nostrorum memoria extitit, Theophrastus Paracelsus, vir Germanus ingenio libero vastoque; qui, ut totam penè medicinam immutavit; ita etiam chirurgiam è veteri suo statu divellere conatus est: nimirum hanc non usu atque opera ferramentorum, sed medicaminum interiorum exteriorumque administratione conclusit sic, ut jam non chirurgia verè, atque instrumentaria pars medicinæ sed pharmaco-chirurgia dici sua sententia possit. Scilicet in huius decreto perpetuum hoc est; consulendum semper in omnibus sensum naturæ, nullamque genio quantum est in medico intentandam, ne dum inferendam offensionem: itaque totam huius curam & functionem esse in adhibendis medicamentis, quæ naturam adjuvent, conserventque præsidia partium, quæ balsamum & mumiam ipse vocat, explicata satis à se ipso in chirurgia minore, quam vise. Remedia interim ad has operas profitetur, docetque ignis arte secreta subtiliter extorta, salutaria, vivifica ac cuncti-potentia, quæ cum asserit, medicamentariam chirurgiam faciens, convenit aliqua parte vir Helvetius cum Romano Scribonio, qui non aliam ahirurgiam esse voluit: quam medicamentorum utilium usu valentem. Quam suam sententiam, ut scripto prodidit novator homo: ita etiam opere studiosè coluit. Nec dubium est (quoniam egregia multa super plerisque vitiis corporis excogitavit polychymicus artifex) quin plurimum ex hac re adiumenti medicinæ contulerit. Sed rectè, inquam, medicinæ: quando planè patere potest, exulasse per hunc auctorem, nostram in integrum chirurgiam. Quæ res homini nimium suæ laudis amico, græcæque factionis inimico, nedum non insolens visa est, sed tum necessaria tum gloriosa. Consentaneum igitur, huic nostræ disputationi maximè videtur formam

Paracel. medica[...] mentar[...] totam [...] indolo[...] riam c[...] rurgiam [...] professu[...] est.

Paracel. per chy[...] cam m[...] dendi [...] tionem [...] rimam [...] dicina [...] tulit.

mam huius, quæ ab ipso traditur, disciplinæ, brevi sermonis compendio perstringamus; mox ad examen referamus: ut appareat, si quando recipere, aut refutare chirurgices hanc rationem debeamus. Igitur hanc nobis Theophrastus Chirurgię formam reliquit, exercendamque cõmendavit, quã nos hoc brevi delineabimus. Primum ferè morbis, qui ad chirurgum pertinent, sic divisis; ut alii sint quibus adiunctum corpori vitiũ insit, aliis quibus non insit, (has vulnera & fracturas, illas ulcera, & abscessus dixit) utrorumque legitimum curatorem non esse alium, quam naturam. Medicus si quid præstet, id fieri, quo ducem naturam sequens eandem adjuvet, impedimenta subtrahens quæcunque illius primò curantis opem remorantur, & interturbant; sive quidem in vitiatis negotietur sive in his, quæ citra vitium sunt; & in prioribus quidem utiles, à medico suppetiæ sunt, occurrente causis effectricibus, ac fotricibus vitiorum simul; & accidentium quæ vitiis subsunt: in posterioribus verò, ut insitum parti salutare, humorem expediat conculcatum à recrementitis, ac prolectet ab externis ambientis injuriis compressum. Totum ergò medici munus in eo positum est, ut naturæ primum agitanti celebrantique sanitatis officia, serviat, atque opem ferat: ipse nil principaliter præstans; quodcumq; autem facit, id medicamento cominus adhibito facit: nam, neque suturam aut sectionem, ustionem, aut corrasionem, aut aliam quampiam loco patienti vim inferre debet propterea, quod hostili quadam ratione videbitur nova mala inducere, naturamq; miseram rursus violare, quæ sic comparata est, ut jucundam, & quę sine dolore est, curationem desideret. Hæc si secus fecerit medicus, non regi ipsum à natura, sed hanc se regere velle videbitur: quæ res, quam sit absurda, quam fœda, nemo non novit, inquit Theophrastus. Quæ cũ multis confirmet, nostrum non est in præsenti cuncta repetere; sed satisfuerit, quod instituimus; rem hanc, ordine expendere, ut ad initio conceptum opus, nostrum expedite transire queamus.

...alii ...ab ...men... ...cul... ...expe... ...s. ...rgici ...atis ...uto.

...rain... ...iam ...io... ...petit.

CAP. IX.

In quo Paracelsææ chirurgiæ expensio, animadversioque.

VIdebitur hæc philosophandi ratio Paracelsi, præcipue si subductis ab eo rationibus sit firmata, plerisque non improbabilis: nimirum quod commoda futura sit hæc medicina laborantibus, & gloriam administrantibus. Verum tamen est, quod in pluribus censeri possit, ante descripta excogitatio, quam rem equidem non propterea disputo, quod adversari sic eiusdem invento velim (equidem hominis ingenium non parvi facere solitus sum) sed, quod dirimere quæcunque aliena sunt, nobisque officiunt, oporteat. Has igitur velitationes patitur eiusmodi decretum. Primum statui oportet, hominem cum ægrotat, duplici medicationis beneficio sublevari posse, & naturæ & artis: quæ vel coniunctim vel divisim possunt, adesse curando. Divisim quidem natura sanat, ut in criticis, sanat vero ars divisim, ut in amputatione sexti digiti. Sanant autem ambæ coniunctim, vel æquè, vel inæqualiter agentes æquè, ut in ossibus fractis & in catharei corporis: in qua re medicamento trahente, ac natura expellente fit humoris vitiosi repurgatio; ut decretum est à Galeno, in 1. aph. 22. Cum vero inæqualiter conferunt, alteri, quæ curat principaliter, servit altera: Scilicet arti natura, in chirurgia currorum, naturæ vero ars, ut in cavo ulcere carne replenti. Tametsi igitur aliquando accidit, ut aut sola, aut princeps sit sanitatis opifex, chirurgia: plurimum tamen ut sanet ipsa naturæ serviat, oportet. Cum autem servit, rara huius operis est, necessitas, (sermo est de ea, quæ proprie dicitur Chirurgia,) ut suendi, urendi, amputandi ac simpliciter secandi, tamen quantum absumitur hac rarius, tantum ex adverso comparatur gravius. Quotiescunque enim illa exigitur, sic necessaria medicis ad utendũ videtur; ut prorsus omitti nequeat, nisi fortasse cum gravi corporis incommodo, ac nexu. Sanes igitur pharmacia, si possis ancyloblepharum, pterygium aut unguem oculi, suffusionem, erosos ab radice dentes, glandem, anum, vulvã, aures, nares imperforatas, palpebras & labia digitosq; natura coalitus, gangrænas sphacelosvé, ἀποσκήμματα, quæ greci dicunt, nos verò profundiores frigidos abscessus? in extrahendis sagittis, telisvé, infixisq; aliis, in ossium carie, & aliis sexcentis huiusmodi adhibeas, medicamentum? administres horum, quod libeat? præter unam manum & ferramenta, poteris ne unquam quid proficere? nihil sane minus. Quid ergo Chirurgiam tollis Theophraste? id autem si negas, velle: aio, quid chirurgia sit, te non intelligere: quæ non medicamentorum & victus usu constat, sed manus opera cum ferramentis. Occurret his Theophrastus dicens, quæcunque alii manu & ferramentis contendunt, posse se medicamentorum opera conficere. Verùm ô bone! en Rhodus en Saltus! hæc, quæ promittis nobis Theophraste, perfice; enimverò apparebit, & quod non illa præstare, & quod non æque per medicamenta possis, sicuti per chirurgiam. Deinde confessum est, inter omnes, debere medicum, quamcumque tandem corporis partem curando tractet, tuto, celeriter atq; minimo cum patientis dolore rem conficere; ita dicetur absolutissime mederi, ita de laborantibus mereri quam optime; quæ res quidem, cum difficilis paratu sit in chirurgia; certe non minus laboriosa atque ardua erit in medendi genere per pharmaciam, si per hanc noxas & vitia curaturi simus, quæ structurã conformatumque corporis manifeste labefactant atque dissolvunt. Eiusmodi sunt ea, quæ nominavi nuper quàm plurimi, quæ Cornelius Celsus, Paulus Aegineta atque Albucasis dicatis huic rei voluminibus tradidere. In his quidem inefficax medicamentum omne est, quod simplex natura paravit; compositum ars concinnavit; contra vero proficuum & non fallens auxilium esse solet, quod est è manu armata, quandoq; ferramento, quandoq; inermi. nimirum eruditos homines scire licet medi-

...phra... ...aracelsi ...conte... ...nda ...menta.

Natura quando sanat hominem sola, quando ars sola, & quando cũ eadem ars coniuncta & mutuus auxiliatur.

Defensio Theophrasti & nostra cõtra hunc instantia.

Alia argumento.

C. Celsus, Paulus Aegineta, Albucasis. Chir. efficax suis in operis & natura obtentrix. Medicamentum lente agens & per naturã commotum,

medicamentum quantumvis strenuum, id quod agit, virtute agere, hoc est, potestate quadã agendi, existente primum in ipso debili, ac sopita, mox vero corroboranda, suscitandaque per adjectum calorem animalis. Hæc itaq; effectum suum non affatim, aut conatu uno parit; sed etiam atque etiam multis. Servatur enim & constat concretione primorum corporum calore primum, ac frigore præpotentium, mox vero una ipsorum, commistione confractorum. Atque inde est profecto, quod ignis hic, quo mortales in terris utimur, effectum suum, quod est urere, cum exerit, promitque in corpore humano, protinus id plene perfecteque agit cum appulsus est proxime. Quare & chirurgus, cum eundem adhibet, sive membris urendis putridis, sive aperiendis non putridis: Item sanguinis fluxus reprimendo, superfluis abolendis, ossis teredini castigandæ, & id genus aliis: Statim profecto exequitur, quod principio desiderabatur, quando ab hac intervallo distat sane medicamentum? quod hebes, quod languidum, quod prope mortuum ad illum dici potest; & hoc tamen de chirurgi instructu est, atque officina. Si ignem autem non ministret, (exurantem autem & absumentem intelligo) qui omnia longe superat; suscipiet aliâs ferramentum, per quod & diducta coniungere, coalita discindere, emortua rescindere, putrida repurgare, superflua demere, impedientia atque impedita expedire, ac liberare, nocentia evellere, atque infixa eximere valebit, simul ac semel voluerit. An hæc ergo medicamenta, sic cito, sic expedite profecerint? haud sane per Deum: deinde neque ita tuto, namque, ut sunt medicamenta omnia per exuperantem calorem, aut frigus vincentia; fieri non potest, quin iidem excessus alienam affectionem imprimant corpori: quam quidem postea sine gravi labore removere, castigarève vix possit, peritus medendi opifex: Sed Albucasim de his leges initio chirurgiæ; maiora habebis.

Chirurgia & medicamenti administratorū parallelus.

Nec cito nec tuto medicamentum agit.

Jam vero quis non videt post exagitatas atque irritatas longa medicamenti mora virtutes sensusque partis; post dissipatam propriam eiusdem temperiem; post distractam calore nimio; post compressam frigore texturam eiusdem; post inductam denique alienam diathesim, & constitutionem, ne posse quidem hominem doloris aculeos, malas vigilias membrique labores effugere. Ita sane videtur, diuturnas ac dolore & periculo non vacuas, medicamentorum esse curationes; contra quam fortasse opinatur chirurgiæ reiectator iniquus. Hæc enim si usurpata dolore non vacant, item non vacant efficaci curandi necessitate.

Medicamēti Pyrotici detrimenta.

Certum enim sit, non inferendam gratis esse vim aut molestiam naturæ; Item non impunè conflictandos ægrotos, neque aggerandas vexationes vexationibus, aut calamitatem calamitate: Verum cum omnibus compertum sit, non aliam esse succurrendi viam; dic sodes, non mortem unius, aut mortis periculum oportune redemeris brevi finituro, dolore? Quas ob res mittat, mittat hæc Paracelsus, si sapiat, sinatque necessariam orbi facultatem suo gaudere loco.

Necessitas inevitabilis chirurgia.

CAP. X.

De frigida medentium in non agendo prudentia & cautela.

INstituimus quæcumque nostram efficacem Chirurgiam offendunt, atque oppugnant, in hæc è vestigiò animadvertere cavendasque docere. Quoniam autem adverti extare duos hostes, quos soleo equidem dicere frigidam tum operam, tum cautelam: de his etiam in præsenti statui docere: veraque vitia sunt medendi, quorum hoc quidem in non agendo simpliciter est; alterum in agendo quidem, sed invalenter & irritè: & hoc quidem non plus extenditur, quam ad modicitatem, illud verò latius patet peccata comprehendens in eo, quod, quid, & quale & quantum, & vbi, & quando, & per quæ, & in agendis modis aliis, quæ singula postmodum enarrando apparebunt. Interim verò eius naturam aperiam, de ista prius in hunc modum dicens.

Prudentia, quæ non tam à pervidendo, id est, subtilius inspiciendo, quàm à providendo, id est, quæ futura sunt, quasi ante cernendo & quæ incommodatura undique sunt, circumspiciendo, dicta est; Virtus est, quæ consulit sinistris rerum casibus longè præcognitis & anteversis; Quã unâ si careat Medicus, nil plus proficiet, quàm clavi gubernaculo destituta navis inter circumcursantes fluctus, cingentes scopulos, jactantes ventos in alto portum contendendo: uno itaque verbo, Ariston, id est, optimum inter omnes res allas huius instructum professus est Hippocrates, qui vir autore Macrobio nunquam fallere, neque falli potuit. Enimverò cum ictibus insidiantis morbi variis subestet, homo qui curatur hunc quidem haud tuere servareque poterit ab insultibus, nisi sit oculatus, velut Argus defensor Asclepiada: sic vindici morborum nil potius aut verius apparet convenire, quam prudentiam. Verum quantum hæc Medici propria, & præcipua virtus est: tam minimè à plerisque medentibus agnoscitur atque exercetur eadem: verum pro hac impostura ac frigida quædam providentia successère: quarum utra damnosior sit non est facilè decerni; enimverò utraeque pestiferæ sunt & deterrimæ, nam astus, inquam, unde appareat cuiquam benefacere, cum plerumque, omissa oportunitate noceat & meditatio quædam, quæ cum ordiatur præstabile quid efficere, nil tamen præstet, per quæ cautela frigida æmulatur quidem, & confingit prudentiam, ita ut adumbrata fucataque quædam depereuntis hominis sollicitudo videatur. Dum verò ab agendo abstinent, timor est causa, imperitia verò timoris & cautionis auctor est, ut notavit Areteus l. 1. de curat. morb. acut. cap. 3. & ante hunc Hipp. in lege sed nos tamen causarum inquisitione diligenti prætermissâ de eo, quod efficaci medicinæ incommodat, & adversatur, dicemus, exempla rerum aliqua producturi

ut

ut per hæc intellectum hominum asininum cave re miseri languentes, turpedinem verò, ac fæditatem ostensam, ac patefactam boni professores abominari debeant.

Accedam nunc ad rem propius atque, ut demonstrationem hanc totam luculenter exerceam, ante omnia morem hominum & institutum aperiendum arbitror. Igitur quod à deliberata & ut nos dicimus, efficaci Chirurgia plerumque abstineant, hæ causæ atque hæc concilia retrahunt homines ne principiis, quæ dicunt, naturalibus vim inferant, aut detrimentum, neque non naturalibus aliis suffragentur : hoc est causis morbificis morbis ipsis & symptomatis excitandis, aut promovendis opitulentur.

Quod autem ad priorem partem attinet, cùm homo contumaci duroque ulcere, vel tumore vexatur, credunt hi vitæ consuli, si non extirpata vitia lenius tractentur & sine dolore non curandam curentur: sed ego aliter sentio: si chirurgiam ferre possit homo, expedire semel, ut dolor citò finiatur, & perpetuâ quiete atque incolumitate commutetur. Porro dolores omnes diuturnos, nocturnos, tum morbi tum curationis longæ tædio sentiendos uno licet maiore redimet. Quis autem non imprudens hac commutatione non sit contentus? Quis humanus verè medicus & misericors suum in hanc sortem ægrotum non impellat? etenim frugiferus, licet acerbus sit plerumque dolor: quod si honestatis & laudis ergo sustinetur à forti viro quæque tormenta; quid non utilitatis, sanitatis, integritatis & vitæ gratia? Sed de hac re alias, ubi de purgatione doloris, nam nunc ad caput alterum, id est, ad referendas promovendorū, aut suscitandorum malorum causas, isti astruunt; veniendum est.

Promoveri quidem hæc possunt accersita doloris, fluxionis, inflammationis: nam neque alio modo potest planè Chirurgius mox affectiones affectionumque causas adagere atque facessere. Harum igitur metu fistulas, quas malè medentes induxerunt, incuratas relinquunt: præterea emortua, non scarificant, non secant abscessus, præterquam discoctos, non urunt præter putrida, non tentant corpus aliqua parte ferro, at neque cuniculos specillo, non emundant superfluis & alienis ulcera, subcava non deducunt: hiantia suis emmotis non fovent displici curam non adhibent, ac ne sensum permovent quidem, solum in id comparati videntur, ut tum frigida non agendi prudentia tum medicamentaria delecta chirurgia, non tam ægris auxilientur, quam adulentur. Quantum igitur à recto aberrent paucis circa singula illa tria capita expensis vide. Dolorem quidem refricare cavent, sed causas eiusdem non elevant, quare sinus non exprimunt ac perennem in eis saniem relinquunt: At verò nos, quo dolor magis cognoscitur, eo magis suspiciosum habemus vitium, nimirum ubi dolor, ibi morbus morbique vigor insistit. Itaque vel reluctantibus ægris, ut ad extremum benefaciamus eluviem hinc magis educi studemus: Attractionum humorem ex inducto dolore causantur: at audiant Thadeum Florentinum autorem nobilem in l. 3. microtechnes tex. 159. dicentem: Videtur enim quod dolor non plus attrahat quam incisio evacuet: humor enim qui attrahitur propter dolorem, succedit loco eius qui evacuatur per incisionē: quare non potest esse amplior eo: essent enim duo corpora in eodem loco.

Fluxionem item attexunt avertendam; assentior: At comparata, non hæc ficta sit oportet, neque ad omnem usum si diis placet, accommodata & promptè excogitata. Enimverò nil frequentius fluxione sermone omnium medentium sic, ut uno quoque verbo fluat hæc mentio, quippè quæ ad commentandas quasque opiniones, confirmandas quoque curandi rationes, excusandos curationum infelicium eventus, coarguendas sodalium sententias, ad astruendum denique & adagendum nil maius vel amplius velis hac materia & hoc prompto subsidio. Itaque ut frequentissima est usu fluxis, sic plerumque vana & futilis eius omnis allegatio: estque (mihi videtur) hæc ut Æropica fortuna, quæ longè plurimum quotidie accusatur, quam peccet: ut autem de fluxione diximus, sic est etiam inflammatio, quæ cum ab uno fluxione materiæ vitium habeat, facile sæpè etiam deductione superventura figuratur. Hactenus, quæ de frigida multorum in tribus hisce Symptomatis sit prudentia, breviter est demonstratum, quantum etiam ab hac cavere debeat Medicus probatus adversum.

CAPUT XI.

De frigidis & inutilibus medentium chirurgorum operibus.

Consueverunt hoc seculo factitari frigidi quidam & nil operantes chirurgiæ modi, atque actus artis falsò adscripti atque alieni; qui quoniam adversantur atque diametro pugnant nostris omnibus efficacibus operis, quas docemus: has quidem sparsim alicubi per hunc librum, atque aliud agens non potui non indicasse. Nunc nominatim ut rem hanc plenè cognoscat auditor privato sermone, qui summam rei omnem comprehendat, has institui pertractare, similiter ut in proximo naturam huius vitii primum, mox exempla complexus. Philosophi recentiores, inquit communis latinorum lexarius, operationem pro eo accipiunt, quod Græci energiam vocant. Est autem frigido adiunctum actus aut vacantis aut lenti significatio, quem expressit Marcus Cicero ad Q. Fratrem 323. cum ait; accusator frigidus, id est, nihil aut parum operans in accusando. Simili nos ratione frigidas appellamus operas medentium quæ adversus morbos & languores adhibita vix aut ne vix interdum etiam sublevant; Non est autem eiusmodi chirurgia: verum ut alias ostendi suapte natura efficax utpote, quæ rationes & instrumenta medendi nacta fuerit liquido efficaces, adimas enim & separes à scalpro & igne

τὴν ἐνέργειαν? Imo proprium hoc inter omnes maximè partes & species medicinæ vel oraculo ipsius Hippocratis, qui pronunciavit; quod medicamentum non sanat, ferrum sanat, & quæ ferrum non sanat, hæc ignis sanat: & quæ ignis non sanat ea insanabilia χρὴ νομίζειν decerni oportet: & sane tam energeticæ sunt chirurgicæ functiones, seu quidem sanandi, seu urendi, ut malum bonumque effectum semel exprommant, si in particulas corporis ἀσύμφυτας, nervos, chordas, vincula, venas, membranas incidant; cognoveris autem hoc planius ab omni specie chirurgiæ: nam neque divisiva solum, sed & compositiva atq; extractiva suum continuò effectum reddunt itemq; istarum subiectæ species, si per has discurreris; similiter & in ossibus ac cartilaginibus, quæ medicinæ pars efficaciter operetur, præter chirurgiam invenies nullam. Non enim hęc potestate & lente sed actu ac semel operatur, itaq; vino & lucernis medusacinacis immane quantũ discrepat, quod Horatius lusit, tantum à diætetica & pharmaceutica functione dissidet chirurgia. Acris hæc quippe & acuta, obtusæ ac lentæ illæ, ab his raro quidem, à chirurgia verò continuo promptus effectus. Expectes igitur, ut ab hac ita etiam ab eis duabus incurabilium morborum curationem festinatam & brevem; metiarisque tempus cum tempore, vim cum vi, rationem cum ratione; quam dispar enim sopitus à vigili; obscurus ab evidenti, debilis à robusto, mutilus ab integro, à morticinio vividus, talis ab internis medicinis externę chirurgices est effectus. Nonnullo autem firmamento relatarum rerum est, quod ab effectrice ac superatrice difficilium cunctorum manu dictam hanc facultatem voluerint veteres; quando etiam artes aliæ plurimæ sint è manu: quasi quidem in huius manu reservatam & constitutam desperatorum in morbis hominum voluerint salutem. Ita plane constat requiri semper in operis omnibus chirurgicis efficaciam: quam nihilominus aut non agnoscent, aut minimè servant hodierna die medentes, sed aliquot eiusmodi operas referamus.

Inefficacia quidem in chirurgia duplex, si aut falso medicamentum pro chirurgia, aut si hanc debiliter exerceant; de priore genere posterius sermone peculiari dicemus; de posteriore nunc igitur.

Vitia quidem in chirurgia sunt, si hæc omnino non conficiatur, cum debeat; ut cum ulcera putredine hypersarcosi callosa, ostracosa, caruncul is, tuberibus, dolore, cuniculis, & de pastu vexant, non attingunt scalpro sivè igne, sed vel linamentis vel hirudinibus exugendum & exhauriendũ confidunt; aut pannis lineis mundis sunt contenti, ut in cancro; in abscessibus verò sectione & ustione escharoticis utuntur: quam inter cæteras damnavit Hieronymus Cardanus in I. de error. medentium.

Deinde cum utuntur quidem scalpro & chirurgia in abscessibus videlicet: sed pro sectione myrtiformi triangula, quadrangula & quæ cum excisione est & composita, utuntur simplici, nec sufficienti quidem & lunata, quæ per Syringotomum fieri consuevit, sed exilima atq; per phlebotomum tantummodo perpungantur, aut cum pro scarificationibus in gangræna profundis & crebris; tantũ paucis & vix cutem attingentibus muneri se suo credunt satisfacere: aut cum abscessus cysticos punctione rentur excussisse: aut cum excisionem calli summatim facta arbitrantur opus absolvisse, vitiumq; sustulisse: aut cum inurendo vix attingunt locum, vixque epidermis exilit, ut manare sanies possit.

Quid multa? chirurgiam quæ hac quidem manu scalprum gestat, altera ignem, sic quotidie factitant umbratilem, ut suo quidem medendi ritui mulieres & pueri & delicatuli homines levibus medicamentis, non dicam autem manibus, quæ semper vacant, tractari plaudant: morborum verò perpetua vi lacessiti noctu diuque crucientur: quorum quidem omnium exempla, & demonstrationes in hoc opere passim offendes.

CAPUT XII.

Quod purgationem sive defensionem crudelitatis in chirurgia efficaci continet.

HActenus vitiosæ quædam chirurgiæ species & falsæ formæ detectæ fuerunt: post has legitimas, quas provehimus, offensiones, hominumq; vulgarium obtrectationes eluamus; gravissimum autem primum & in quo status cardoq; ferè totius nostræ causæ versatur, agitandum est negotium, nempe non desunt, qui medicinam hanc, quam efficacem à propria præstantia (credo congruè) nuncupavimus, explodendam atq; abalienandam contendant. Quos autem, præter vulgares oppugnatores offendimus, ex universo scriptorum numero, sunt duo proximè superioris seculi viri non incelebres, Hieronymus inquã Fabricius ab Aquapendente & Casparus Taliacotius Bononiensis, quorum is partim magistrorum, quos noverat, institutum conservans & ne latum quidem ungvem prætergredi confidens, partim etiam vulgari hominum sensui morem gerens & nil industriæ contradicens in oper. chirurgiæ posterius edito volumine se lectas ex omnibus lenes chirurgias tradens, graviores ac maiores reiecit. Alter qui Casparus est, ut suæ de curtis reparandis arti studium animus à non necessaria carnificina alienis conciliaret, elegantissimam atq; optabilem hanc chirurgiã faciens, cæteras alias omnes, ut par erat, teterrimas & immanes argumentatus est: Summa autem confutationis utrorumq; est, quod chirurgicæ nostræ operæ sua ipsorũ natura crudeles atq; exosæ: quod vero ad sustinentes attinet, plenæ dolorum ac discriminosæ, sæpe etiam exitiales fuère, deniq; exercentibus ignominiosæ atque infames, proinde multis ab hinc seculis exoletæ ad hunc diem: his nos omnibus obtrectationum vituperationumq; capitibus respondere necessario iure debebimus, si paratas utique traditiones omnes nostros amamus, velitationesq; adversantiũ nõ dissimulam'. Quod si facio, desiderarim huc equidem nonnullam dicendi vim ac familiarem claris oratoribus argutiam, quã carens dubito, nę in re alioquin

nova

nova & difficili contra prævalentem plurimorum hominum consensum, nostra causa, inferior labefactando reddatur; Ast, qui vero praees immutabili Deus, studium hoc humanitatis fovens, ne pessum eat, supplicanti res aperi, stylum instrue, rationem ostende, siquidē hacce spe tutus iam in arenam descendo.

Crudelem cum isti homines chirurgiam eiusmodi quam dixi, nominant; credo equidem, ut verum fatear; modum accusare, cuius fines ars audacior laborantes homines nimium premendo excedat, atque exorbitet; nam neque fieri potest, ut omnis chirurgiæ vis adimatur; quæ suapte natura vulnifica atq; afflictatrix est, si finis amans est sui; sed requisitum hunc à veteribus modum & moderationem in his, quas nos ubique volumus, chirurgiis retineri, conservarique non est ostensu difficile. Profecto ut sanitatis vasta latitudo est, ita & morborum pari pacto: fortassis autem nostris hominum sensibus amplior morbus est, quod & Averroë placuit, quando plura sunt peccata quam simplex victus: in malum enim infinita est abitio; sed hæc obiter; ad inceptum sermonem redeo. Morbis singulis triplex occurrendi via est constituta; una quidem victitandi ratio, altera medicamentorum usus, tertia quæ manibus est adiutrix. Porro cuiq; corpori & naturæ lapsui primitus expenso gradata per hæc est oppugnatio; levissima quippe noxa victus ratione corrigitur; gravior vario medicamento committitur, gravissima per manum plurimum est medicabilis: sed & singularum triplicium morbi rationum, quasi iudicavimus, adhuc plurimi, ne dicam infiniti, sunt modi, quos tamen iam venatos contemplatur medicus suis ipsorum nominibus, aut certis notis prodere non valet: his igitur & sui respondens congrui medicatus, quos prudens atque exercitatus medendi opifex discernit.

Iam igitur ades, quicunque veterem chirurgiam convellis, nempe si quod Galenus tam sæpe tamq; accurate vetuit, non uno calopodio calceandos omnes velis ipse, quæ chirurgicæ tractationis vitia sunt, promiscuis attentare præsidiis omnia? an gravissima gravissimis ut par hostis pari, atq; adeo victoriæ spes esse possit, deq; maximis delictis maxima supplicia sumantur, porrò antiquitas, qui prudentissimi fuerunt hominum, Chironem & iustissimum eundem virum & chirurgum maximum faciens, aliud me iudice non indicavit quàm quod cum chirurgia artium sanctissima probeq; exercita, iustitia atque æquitas, quam rectissimè coniungantur. Quippe sicut iustitia, quod suum est, unicuiq; tribuit; id est, ex hac quidam cives violentos atq; extra legum orbitam erumpentes compescit, quiq; nocentes & seditiosi sunt, hos è civitate rescindit: ex hac verò tuetur bonos & remuneratur, ademptasque his opes & facultates restaurat: ita propè chirurgia, quæ excedunt è corpore, suntq; aliena, revellit; ad reparandas verò carnes & ossa, cunctasq; partes industriè collaborat, atq; huc fortasse spectavit Hipp. dum lib. de fract. com. 1. t. 99. iustam χειρίξιν, id est, chirurgiam, interprete Gal. nominavit.

[illegible] gia [illegible] s cor- [illegible] tia.

Itaq; ut ad rem nostram proximè deveniam, non possunt sæva mala nisi sævè tractari: sunt autem illa, ut pleraq; numerem, Herpetes, æsthiomeni, phagadenæ, nomæ, theriomata, telephia, chironicaq; ulcera, fistulæ multiplices, vastæ testudines & strumæ, venenati ferarum discerptus, fortuitæ ignium absumptiones, bellicis tormentis casibusque de sublimi contracta contritaque membra, putredines, gangrenæ, sideratæ penitus è sphacelis in istum carnes, tum ossa; monstrosi fœdique conformatus, informes naturæ corporis eversus, artuumq; mutilatus atque perversus situs; fœtus in utero mortuus, vel hic vivens parente mortuo, instans ex angina mortifera strangulatus, pestilentes & contagiosæ veneres, depopulatus corporum, cæcitates, mentis emotiones & stupores; atque alia id genus plura, quæ ipsa qualia quanta ve sint, nunc mecum expende.

Nempe vitam ipsam omni re chariorem insultant, iam iamq; variè exagitatam opprimunt, cordis præsidium & lætificum huius nectar interimentia. Veruntamen quamvis incomparabiliter torqueant, neque lucis usuram semper adimunt, sed ita proterunt & conturbant, ut odibilem eandem reddant. Quod autem longe maioris est momenti, sub cruciatibus & tormentis Christianos beneferendi virtutes & constantiam omnem adimunt sic, ut desperationem inducant; ex adverso Medicus suoptè munere salutis hominum amicus ac studiosus est ferè sic, ut rei propriæ: qua illa constante constat eiusdem laus ac dignitas, qua cadente cadit: nimirum quæ nostra medicorum est calamitas, morbo non abripitur æger quispiam absque curantis ignominia, id est, opinantibus hominibus è vulgo cunctos servandos è morbis oportere: Atque decori suo tam sollicitè, tamq; impensè studet Medicus ingenuus & probatus, ut mortem ægrotantis suis facultatibus omnibus si daretur redimeret. Deinde sic aliorum ægritudinū ac languorum miseret pigetq;, ut hos primum cognitos propemodum suum in caput reponat: ut autem non mentiar, facit Hipp. qui princip. l. de flatibus, à Constantino Lascare latinè redditi, medicus ait, visu tactuque malorum molestia afficitur, & ex alienis calamitatibus proprios dolores colligit; cum quo viro consentiens Soranus Ephesius isagoges medicinalis initio; fortis ait sit candidatus, ut possit per dies labores sustinere, quoniā undique horrenda & tanquā insuavia & alienosq; casus suas facit esse tristitias. Hæc isti. Vin' autem maius? male medici semper audiêre sordidissimis quibusdam à se tractatis ac degustatis, σκατοφάγοι dictis; Aesculapius, tum Hippocrates ab Aristophane in Pluto; neq; alio nomine, quemadmodum interpretatur Andreas Tiraquellus in lib. de nobilitate c. 3. quam quod hominum mortalium calamitatibus, cruciatibus, angoribus, mortibus subvenire student. Iam igitur, quod aliis tam mire satagens medicus nulli vel labori vel industriæ parcit sāitatis vindex, dum Chironiis adiumentis quotidie vitia corporis putria extirpat, atq; ad has operas ferrū ignemq; præsidiorū efficacissima certa hæc & immutabilis opitulatur; fit inde, ut imprudentibus ac stultis sævire videatur: nihilo tamē minus haud in suę fidei comendatos furit, verū adversus inimicos istos corpo-

Commendatissima medenti languentium est sanitas.

Hippocratis.

Soranus Ephesius.

corporis tortores, qui corrupta valetudine vitas hominũ perdunt: Næ igitur eo spectat illud Pindari, Chironem alicubi vocantis θῆρα ἀγρότην ἀνθρώπων φίλον, feram agrestẽ hominũ amicam: nimirum ut facies manusque effera in corruptores istos morbos, non in naturam feratur. Quæso enim te qualem curatorem hominem dicas, qui digitum à vipera demorsum confestim amputet, ne virus exitiale cor petat? crudelemne an misericordem? enim verò misericordem, nam crudelem dixeris cum valens certissimum auxilium afferre non tulerit; misericordiam autem in amputando vel inde cognoveris, quod Rusticus apud Gal. l. 3. de loc. aff. amissi digiti sorte suis ipsiusmet manibus illata contentus fuit potius, quam eo servato discrimen vitæ subire: est igitur eiusmodi crudelitas æquitas verius & heroica beneficentia, essetque si aliter, fieret humanitas immanitas, & misericordia immisericordia. Maior utiq; ac sine comparatione malor mea quidem opinione crudelitas oviculam aut bovem aratorem ruri, domi verò gallinam, columbas nostris usibus quotidie fœtificantes iugulare cultellis, quam corruptrices corruptas carnes excarnificare scalpellis. Crudelitas quoque est, in vulneribus simplicibus & vitio nullo vallatis, quæ calore nativo perparum tentato præsente & medicamentis enæmis tuto, cito & indolenter conglutinari possent, digitis ac specillis huc illucq; productis contundi, scalpris ad novum ampliatum discindi, farctis penicillis abducta labia conservari, duris intentisq; penicillis mane vesperique pertundi & importunis tum medicamentis, tum medicatibus manuũ detrectari istę quidẽ maximę naturę sunt offensę, ut in Traumatica restituta fuse monstravimus. Verum ubi & crudelitatis vim, quam in monstrosa mala totam effundimus, in homines identidem uti volunt, cadat, possit amabo te quilibet quæstor impune ac sine crudelitatis nota detestabilia multa tormentorũ commenta & excogitare ipse in supplices, & lictoribus in ipsos omnem torquendi potestatem dare, sive ut reum, sive ut qualitatem criminis deprehendat, in crucẽ meritos acturus? possint item hostes ampliandorum finium gratiâ trucidari? non possit medicus obtortos ab ãnuis noctu diuq; cruciatibus ægros interdum aliqua parte corrupta violare, ut liberet eosdem semel? ad hæc plagas à latronibus illatas fovere consolari possumus, illas vero, quas medicus vitio corporis requirente inducit, excusare non possumus, & reprehendimus tamquam sit medicus latrone peior atque indignior, qui cuncta nobis mala, si mala sunt, salutis studio facit?

Audi autem hac de re sacros doctores primum *Augustinus* Augustinum, qui ait; Tu nequaquam medico irasci debes, si ex membris hæc incidit, illa urit, illa corpore omnino separat, sed valde lucrifacis & servatorem eum vocas, quod in parva corporis parte morbum curet priusquam ad totum corpus morbus transcurrat. Itemque in Psal. 33. Medicus crudelis est, qui exaudit hominem, & parcit vulneri & putredini. matres quando fricãt filios in balneis ad salutem, hi clamant inter manus earum. Illæ ergo crudeles sint, quod non parcant & non exaudiant lacrymas? Item Hieronymum in epistola ad Amandum: Putridæ carnes ferro indigent & cauterio, nec est medicinæ culpa, sed vulneris, cum clementi crudelitate non parcit medicus, ut parcat; sævit ut misereatur. Et D. Ambrosius in Psal. 61. Frustra cicatricem curaveris, si serpant interiora contagia, imò exacerbatur vulnus, si foris clauditur, cum internè virus exæstuat; eandem ad ungvem sententiam habuit Gregor. l. 7. moral. c. 26. cum ait, vulnera clausa plus cruciant, quia cum putredo, quæ intrinsecus fervet, eiicitur: ad salutem dolor aperitur. Compendiosius ad hos omnes, si moralem Senecam ames, epist. 78. nulla, inquit, dura videri debet curatio, cuius salutaris expectatur effectus.

Hæc sancti viri de malè intellecta maleque interpretata medentis corruptoriis in affectibus crudelitate, quæsita, ubi minimè quæri debet, eiusdem humanitate. Cæterum ad nostros auctores, qui lenes chirurgiæ medendi modos induxerunt, atq; ad horum examen veniamus: luserant ad desipuerant Hipp. atque Asclepiadæ omnes cum tota græcorum posteritate, ut sæva atque atrocia curationum genera per ferramenta perq; ignem invexerint; qui potuerant medicamentis contenti esse, has verò nostras curationes pro crudelibus barbaris atq; immanibus damnare: quid est aliud planè, quam assertores earum & professores crudelitatis, barbariei atq; immanitatis damnare? Barbarorum iuventa pleraque, ac medendi modos noverunt & recenserunt Grgci: nil tamen damnatos aut reprẹhensos, imò receptos, nec sine laude propositos enarrat Aetius serm. 6. c. 10. ad cephalæam barbarorum chirurgiam quam hi faciunt dissectione ad partem capitis anteriorem supra frontem à dextra ad sinistram aurem ducta, pericranioq; exoluto, cranioq; ad os eraso: atq; inquit & non potest temere assumpta esse, videriq; his, qui mali difficilem vexationẽ noverunt propter quam neq; talia auxilia maiora, quam opus est, existũt. Similiter & Paulus Aegineta barbaras huiusmodi dissectiones & probat & tuetur: itemq; Celsus l. 4. & l. 7. c. 7. F.

CAPUT XIII.

Ubi defenditur doloris accusatio.

Doloris nunc conficienda purgatio est: at nõ tam quidem eo nomine, quod nos illum impune moveamus, hæc quippe culpa satis ẽ superioribus deleta est, magis id obeundum, quod pertinet ad eos, qui difficile vel nomen doloris ferendo faciunt sic, ut invidiosa sit inde chirurgia quod exulceret, molestiasq; refricet. Itaq; recriminabitur in impatientes hoc vitium, ostendemusq; quam vere debent hi, qui medela egent, acerbitatẽ quamlibet animo nõ iniquo perferre; prius autem hoc simpliciter monstrandum propterea, quod malum non sit dolor; deinde quod bonum his, qui salutem corporis inde recipiant. Recitabit autem hos usus disputatio: tum, ut per hæc confirmetur quàm maximè nostra ratio, tum ut homines imbecilles prodita necessitate, atque eò, quod expedit, ad fortitudinem amplexandam adhortemur: vel rectius ut medentes semel omnes admoneant loca & rationes, quibus condocefactos suos decumbentes

bentes ad dolores necessarios sustinendos suadere possunt accommodatè. Incipiam autem à priore propositi nostri parte, quæ suasura est, dolorem non esse tam summum malum, ut ipsius vacuitas atque fuga honestatis aut utilitatis bono præferenda sint: nam nullum porro bonum quod non honestum aut rectum, nullumque adeò malum, quod non turpe aut vitiosum sit, iure censetur. Sed enim Epicuro & hominibus mollibus concedam dolorem asperum contra naturam, difficile perpessu, triste, durum & huiusmodi: sed non propterea non tolerabilem, vel non tolerandum eundem esse quippe, si perpetuo prævalere debeat, cum vita nostra omnis subdita doloribus solicitudinibusque sit: neque virtus ulla neque beatitudo prorsus erit; virtus inquam nulla constare poterit, si dolori sit cedendum: non prudentia quidem, cuius speculi luce non poterit quod rectum, quodque honestum est non videri, mollis autem homo & abiectus facile ab hoc aberrat. Deinde neq; temperantia quæ moderationem præcipit semper, an enim quia doloribus angi nos pariter, an moderationi consentiat? Justitia autem & ipsa absistit ab homine, qui vi doloris & patrata enunciat & conscios prodens non perstat in officio sed fortitudinem quid necesse sit exponi de generibus animis contrariam? imò & omnes compares aliæ virtutes longe diffugient: quæ sunt magnitudo animi, gravitas, patientia, rerum humanarum despicientia, & si quæ sunt aliæ. Itemque beatitudo nulla futura est, tum deletis omnibus virtutibus, tum quod nullus non miser, non modo tunc cum premeretur summis doloribus, siquidem in his est summum malum: sed etiam cum sciet id sibi posse venire. Præterea si dedecoris, si flagitii, si turpitudinis indignitatem expenderis ut hæc effugias: quis non modo non recusandus, sed ultro appetendus, subeundus, excipiendusque dolor, atque si turpitudo peius est vitium quam dolor; nihil est plane dolor: id est, nullius prope momenti ac potestatis ad virtutem, quæ dictat omnia potius supplicia subeunda, quam indignitatem gemendi, eiulandi, lamentandi, plangendi, debilitandi, atque angendi committendam. Certus autem esto, si firmo fueris animo, nullam aut paucam futuram vim doloris, quod institutio, disciplina, robur animi, exercitatio, consuetudo & commentatio facile te docebunt. Lycurgi quidem institutis legisti sic eruditam Lacædemoniam iuventutem, ut venando, currendo, exurendo, sitiendo, algendo, æstuando, nullum istorum magnifacerent: Spartani verò pueri sic ad aram verberibus cedebantur, ut multo è plagis exeunte sanguine & ad necem etiam productis flagris, neque tamen exclamarent ac ne ingemiscerent quidem. Ad hæc Spartiatæ Lacenæ atq; Eurotæ fœminæ corpora firmarunt laboribus, sole, pulvere, frigore, palæstra, militia & nulla nō alia vitæ duritie: quibus quidem omnibus & dolor intercurrit quidem, sed quia callum lacertis obductum invenit, nil affecit. Sed C. Marius cum varicum exectionem laturus esset, neque vinciri se passus est, neque secando quidquam commotus. Post hanc gentem recensebo studia plerorumque hominum prim; ò militum, qui soles, frigora, subdiales pernoctationes, decubitus duros, vigilias, famem, sitim & cæteras, quam campus occasioque belli solent exhibere, molestias & armorum pondera diurna atque nocturna tam placide perferunt, quantum admirari possunt rusticani, nedum otiosi & urbani, quid autem cum vulnera profusionesque sanguinis in mediis belli conflictibus non sentiunt: nempe, quod ait antiquissimus Fudius, virescit vulnere virtus: & Lucanus saucia maiores animos dant pectora.

Simul autem de venatoribus dicam, qui sub Jove frigido inter spinas & periculosa præcipitiis & feris loca manere diu cum delectatione possunt, itemque in alta nive per brumam algescere, per æstatem verò in montibus uri; Ad hos pugiles gestibus contriti ne signum quidem dant sensus molesti: cum quibus memorandi veniunt & gladiatores, quorum nudo corpore deprælantium in publico iuditio quis non exhorreat inclementes crebrosque percursus usque ad musculorum dilaniatus, viscerumque patefactus cum riguo totius corporis imbri? at hi tamen sub his neque vultum mutare, neque animum demittere consueverunt. Atque hactenus de dolore, qui sic volente more hominum & consuetudine nullus est, rationum firmamenta nunc ad hæc addamus.

Compertum est inter omnes doctos Literarum æque & indoctos virorum esse fortium, magnanimorum, patientium & humana vincentium dolorem toleranter pati: nec quisquam ad hanc ætatem extitit, qui tales homines non admiraretur, atque suspiceret. Quod igitur tam mire ab omnibus laudantur dolores, aut præsentes referre aut futuros non exhorrere, quid turpe nos non putemus?

Neque verò dixeris fortium duntaxat hominum & electorum hoc esse. Vide quæso ne fallaris: nam nos omnes natura viros esse voluit, id est, à virtute appellatos, id est, à fortitudine, cuius unius est dolorem mortemque contemnere. Audisti quidem nuper, pueros constanter & in silentio dolores verberum pertulisse gloria ductos, pudore coactos, alios verò metu dura passos legisti. Vereamur igitur quod tam multi gloriosè faciunt natura, nobis vetari? Illa verò non modo non prohibet, sed etiam exigit. quid enim magis quam laudem, dignitatem, decus exquirat? contra verò nil tam abhorret, tam tetrum tamque indignum quam turpitudinem habet. Alterius fugiendi, aut prosequendi nescio, an Zeno Elæates perpessus sit omnia, potius quam conscios delendæ tyrannidis indicaret. Ante Marium nemo varicosus sectus est, vinclis solutus: post ipsum alii etiam non soluti tantum sc. autoritas potest: similiter ex improviso multi dolores ferre possunt, præmeditati non possunt? ergo nōscis, non tam naturæ malum esse dolorem fugere quàm opinionem. Totum igitur in arbitrio & deliberatione situm est victoria: neque intolerabilem aliquam acerbitatem facit, nisi vel mollities vel nullus sensus virtutis offendatur, sed &

vitæ

vitæ studium doloribus imperium posuit, ut iam ante dicta demonstrarunt.

Hactenus ostendi dolorem sua ipsius natura ferendum, deinceps quod magis ad rem nostram pertinet, monstrabo integritatis & incolumitatis gratia eundem etiam complectendum.

Scire licet hos, qui pessime sunt affecti sic, ut chirurgicum molimen desiderent; aut in doloribus iam nunc versari, aut incommoda doloribus maiora manere, quæ sunt videlicet aut motus partium, sensus alicuius abolitio & depravatio, mutilatio membrorum, deformatio, marcor, sanguinis effluvia, continui catarrhi suffocatus, distentiones, paralysis, imbecillitas summa corporis, excretionis ademptus, sterilitas atque alia quę sunt hominum detrimenta interdum præsentia, interdum imminentia, quæ vides an doloribus curationem redimi debeant? Plurimum autem doloribus nec diu nec noctu finientibus hi, qui chirurgos celebriores implorant, vexantur. Vtrum igitur satius est afflictari molestiis, quæ sibi dulcedinem omnem vitæ adimant vitamq; reddant morti similem, aut semel finituro dolore tot omnes abscindere atque abolere? proprium quidem non est vivere sed valere vita: amens igitur aut stultus, qui tam plane generum hæc discrimina non discernat, ipse igitur si prudens consilium sapientis exaudias,

ut corpus redimas ferrum patieris & ignem.

Alterum quod his obiici maximè velim, illud est: Chirurgia antiquitus & à græcis & à barbaris exercita ferro semper & igne suas exegit operas. Itaque quasi armata auxiliatrix altera scalprum, altera faculam prætendit. Afflictatrix ergo & violatrix corporum ipsa est ad sanitatem natura, quam ob rem à superiorum sæculorum hominibus perferri sustinerique potuit, à nostris huiusce ætatis hominibus non potest? Præterea si Hipp. Scytharum in exurendis articulis morem & memorat & non explodit. lib. de aere, aqua & loc. Duriora priorum teneriora nostrorum corpora causantur? Varia sunt hæc effugia medentium, qui in multitudine adulantes atque indulgentes intemperantiæ hominum, hos etiamnum in mollitie atque in errore nutriunt & conservant. Sed bonas istas medendi vias atque utriusq; placiti experimenta rerum eventus iudicet: nobis cum occurrerint postremo tentantes, quis ista patietur, aut quis admittet hominum decumbentium? Afflictati morbis responderim & hi, qui sustinere valebunt, ac hi, qui liberari volent, qui verò nolet, multã, quam ipse sibi constituit, utilitate præsidii destituetur & damno, quod vitium minatur ultro subiicietur. Possunt sæpe equidem cogitavi, populi quidam barbari, ut benevolentiam ab amasiis concilient, longum artubus ignis inhæsum carniumque per ferrum insculptũ & hoc genus tormenta vano mentis proposito sustinere? non poterunt culta gens hominum pro sanitate corporis & sospitate modicum eiusdem usum aut ferrum tolerare? ex manu præsertim artificis periti ac boni, qui cuncta consulto atque accurate pro multo in ægros studio ac voluntate administrat? si se non comparent languentes homines ad sanandum, cui rei se comparent, aut quodnã sanitatis poterit esse principium, si primi ipsi non quærant aut præbentibus refragetur; ob id admodum recte Seneca admonuit, primum sanitatis initium est velle sanari. Verum enim verò dices, audii quod contemnendus sit amplexandusq; dolor, atque his equidem assentior: tantùm opus est animi firmitudine & ratione, qua illam interdũ comparem. Hæc igitur vis est ostendenda, cui ego non gravatè sed gratuito etiam sum satisfacturus ad hunc modũ: primò rem non difficilem sed in se ipso positam docens, nam potentia, Pythagoras ait, in aureo carmine, iuxta necessitatem habitat: & Hierocles in enarratione confirmat id experimento, quod maiora quam quisque arbitratur præstare deprehenditur, quæ mentis necessitas cùm apud omnes sit valida, apud eos, qui recte sapient est multo valentissima, ut ait Hierocles.

Necess. durum telum.

Declaratur & hoc historia Q. Metelli per Val. Max. 1. & 2. descripta. Is cum apud Trebiam res generetur, collocatus à se in quadam statione quinque cohortes atque ex ea viribus hostium depulsas, repetere eandem stationem è vestigio iussit: non quod speraret ab iis amissum locum recuperari posse, sed ut præteritæ culpam pugnæ insequestris certaminis manifesto puniret. Edictio etiam, ut si quis ex his fugiens castra petiisset, pro hoste interficeretur: qua severitate compressi milites, corporibus fatigatis & animis desperatione vitæ implicatis, loci tamen inequitatem, multitudinemque hostium superarunt, humanæ igitur imbecillitatis efficacissimum duramentum est necessitas.

Ad hunc quidem modum non adstruet quis impotentem se ad dolorem ferendum: necessitatis enim vis ea est, quæ te valentem reddere possit. Cæterum, ut definitè comparare te valeas ad omnem dolorem sustinendum idoneum, tradam equidem & normam, qua si innitaris, fortissimũ ad omnia te parabis. Est autem quam primus Cicero monstrauit hæc,

Scire licet, esse nos natura studiosissimos appetentissimosq; honestatis: cuius si lumen aliquod affulserit, hoc ut potiamur nihil est, quod parati non simus quantumvis durum perpeti & amplecti. Quanquam ex adverso est in animis hominum natura molle quiddam demissum, humile, enervatum quodammodo, & languidum, quod si dominaretur quidem nihil esset homine deformius: porro discissus ac distractus in partes duas videtur animus noster, quarum altera rationis est particeps: altera expers. hæc voluptuosa omnia licet abiecta, illa nobilia omnia: licet gravia consequitur. Verum enim verò ex vtrisq; ut portio ratione utens utque natura superior ipsa est, quæ imperare, altera verò parere nata est, velut parenti filius, domino servus, imperatori miles. Ergo necessum est, ut homo qui meliorem suam conditionem sequitur & doloribus perturbationibusq; superior esse studet, imperet sibimet ipsi & sensus mollitudinis elidat. Quoniam autem hęc sũma, hęc conatus vis & operę pretiũ est: ut doceam' planius oportet, quid homo sit acturus, ut fortitudinem hanc comparet; ergo intelliges dolori obsistere pugnam quandam esse, in hostili autem

pugna nosti, quid sæpe accidat, miles iners ac vilis simul ut hostis stricto gladio occurrit, abiecto scuto vertit pedem inter suos se inserens, ob eamq; rem perit, interdũ etiam integro corpore cum alter, qui steterit in prœlio, sospes restet: Sic, qui doloris speciem ferre non possunt, abjiciunt se atque ita afflicti & examinati iacent, qui verò restiterunt, discedunt sæpissime superiores. Vidisti sæpe contenta corpora facilius onera ferre, remissa eisdem opprimi: ad hunc modum puta intentione, qui quidem humanum animum irruentibus, malorum ponderibus sustinendis suspicere, remissum verò succumbere, nec quicquam ferendo posse valere. Similiter & qui saliunt, & qui currunt iaculatores, pugiles, athletæ, atque omnes, quo magis quippiam adpoliunt, retento spiritu, spiritus ipsos & vires solẽt intendere. Ad hæc qui vehementius inclamare meditantur, non satis habent pectoris & vocis organa omnia cum vi ciere, ni & toto corpore vocem exprimant, sed & inanimatis etiam contentionis energia necessaria, vt absoluta sit horum effectio, arcus inquam & balistæ, sphæræ, rotæ, tormenta à torquendo dicta, & quæ sunt huius generis omnia, quo contentionem vehementiorem acceperunt, eò maiorem ictum vibrare ac reddere valuerunt. Vis autem quod ad rem nostram maximè facit? Sæpenumero in omni tormento, quod medetæ gratia suscipitur, consueuerunt omnes fere dentibus arreptum linteum, valentissime perinde ut attrituri dentibus opprimere, ut neruoseò contendant, illamque cruciatus acerbitatem sustineant fortius. Quoniam autem sunt quædam animi similitudines cum corpore, cognoscis jam credo satis & hanc corporum contentionem in animum transferendam. Est autem animi contentio, vt huius vires omnes, quæ sunt firma deliberatio, fortitudo, tolerantia, grauitas, magnitudo, spes meliorum, & fiducia, studium item necessariæ conseruationis & imperium erga corpus & huius illecebras & mollitiem: has inquam omnes virtutes, & si quæ sunt huius ordinis aliæ, quæ cogas simul & construas; vt vim quæ te manet acerbitatis vel nullam prorsus facias vel minorem: neque enim est credibile quam multa futura est huius apparatus virtus, quæ certe futura est tanta, ut metum omnem ante conceptum postea riseris. Hæc ego tibi monita & hæc remedia aduersus acerbam omnem chirurgiæ sustinendæ expectationem tradere breui potui, quæ tu rursus cum Christianis aliis virtutibus absolutè confirmes volo.

CAPVT XIV.

Purgatio eius accusationis quæ discriminosam atque ignominiæ plenam facit medendi rationem extremam.

HActenus jam multiplex, quæ ad ipsam chirurgiæ nostræ rationem pertinet incommoditas à nonnullis adscripta friguit & nulli deprehensa est, adhuc verò duæ, quarum altera ad ægrorum vitam, altera ad medẽtes refertur, sunt discutiendi, quippe discriminosi & ignominiæ pleni rerum istiusmodi aggressus apparent multis, quam nos vtramque, sed vitæ pericula potissime memorantem obiectionem sic commodè diluendã arbitramur; si prius illud expediatur nũ periculosis difficillimisq; morbis omnib⁹ manus sit admolienda, cuius rei nobis hic esto tractationis modus. Haud equidem dignosco satis an vlla magis ambigua quęstio possit occurrere, quam isthæc: in qua sive partem aientem sequatur quis, siue negantem, vtrobique de misericordia contenditur pariter. Enim verò Plato nec non Pausanias Phliostonactis filius existimarunt præstabilem morem illorum medentium, qui non sinerent ægrotos à morbis sævius affligentibus extabescere, sed quam primum sepelirent, habet scriptura: quam ego vocem interpretor; sed omne graue experirentur etiam cum salutis vel sepulturæ discrimine, ad hunc porro modum gens Indorum (Iohannes Aubanus refert) ægrotos maximè caros in libitinam impune adigunt, ne videant pessimè discruciatos, hoc placito fit, vt cum languens quis aut cephalea, aut cæcitate aut empyemate, aut hydrope, aut suffocante angina, aut cancro, aut depascente vllo affectu vel dolore pessum it; non difficile probentur extremæ hæ chirurgiæ, quæ ferro & igne membris acerbè sentientibus tractari consueuerunt. Verum è diuerso Theophrastus Paracelsus & aliquot hunc secuti viri non ignobiles lanienam hanc æstimatam modis omnibus exploserunt à medicina, inter quos Hieronymus Fabricius medicus ætatis nostræ celebratissimus in lib. quem edidit, chirurgicarum operationum emolliter nimis & inexpectatò chirurgicas has omnes operas crudeles, barbaras & humanis medicis indignas nominauit: præsertim autem cap. de iecoris vstione nixus est dicto cuiusdam Nicolai Nouocomensis medici Veneti sui præceptoris, quo affirmatur satius esse languentes mori sinere, quàm occidere: quæ certe res non multum distat ab eo, quod nostri quidam asserũt, expedire, vt languentes miseros Deus occidat potius, quàm medicus. Quorum hominum sententiam dum diu multumq; perpendo in eorum consensum accedere non possum. Porro si principium opinionis istorum aperire fas est, ex ignaviæ solius & inertiæ sensu videntur hoc expromere, quod fouent Mesvæi pronunciato, monentis medicos, vt abstineant à difficilimis quibusque curationibus, ne malè his cedentibus, mali medici nomen incurrant. Adversionem quidem, quæ paruis ingenijs hominibusque desidibus perplaceat; enimverò grauibus quibusdam aggressibus & laboriosis abstinendis, excusationem paratam inueniunt hocce pacto. Verum è diuerso viris generosis & magnis invidiosa tantundem hæc institutio esse debet, quæ benefaciendi multis & acquirendæ gloriæ præripit honestissimam ansam. Itaq; non humanum hoc aut homine Christiano dignum institutum apparet; quandoquidem ad priuatum sui solius bonum conseruandum, non ad communem erga miseros charitatem amplexandam spectat: Estque lex hæc non beneficientiam suadens, sed contrariam speciem, quam politicam quidem vulgato loquendi more dicerent multi, sed mihi pseu-

Indorum mos.

Hieronymi Fabricij notata inertia.

pseudopolitica potius appellanda videtur. Quam ob rem neque Mesuæum ob eam rẽ laudo; quin verò probo potius eos, qui contra sanciuerit. Atq; adeo prosperum Martianum, quem alibi etiam eodem nomine commendaui, nunc etiam atque etiam exorno, qui singulariter enunciauit, medicum, qui suo plus decori, quam ægrotorum vtilitati seruit, iniquum esse, suadetque suimet existimationem periclitandam detrimentumq; honoris subeundum potius quam humanitatem & officium in arte deserendum. Sententia quidem ignoro num digne deprædicem: vt vox, quæ à nostris omnibus mirè colatur & suspiciatur. Decrescent alioquin difficilia, qui seruiunt quæstui, quique vulgarem medicinam faciunt, non qui christianam & sanctam, non qui gloriosam & inclitam pari pacto delinquunt & contra humanam societatem peccant hi, qui postquam diu medicati fuerint dum morbi lentè processerint, mox conuersis in exitium eisdem ægrotantes destituunt & mortis arbitrio relinquunt, in quam rem etiam animaduertit Hieronymus Rubeus in Celsi commentariis, quamuis autem his faueat illud Galeni, quod deploratus non oportet attingere, sed euentu necessariis pronunciato discedere, tamen est illa vilis & diffidentis hominis cautio non animi magni propositum, fortasse autem contra illud euentu prẹnunciato discedere, satius & honestius esset, euentu prẹnunciato consistere, more scilicet magnorum virorum & magnam rerum fiduciam habentium, qui cum multum habeant nihil sibi detrahunt Iam igitur nos medici tum Hippocraticis tum Christianis institutis imbuti miserabiliter afflictatos omnes, quibus aliqua spes affulget, ac tantum non eos, qui cum morbo commorituri sunt apertissimè cum nostrarum etiam rerum detrimento idem cum famæ periculo suscipiendos, & quoad officii nostri fieri potest gnauiter defendendos volumus, itaque, vt contra nitentium argumentis occursum sit, nil veremur homines aggredi medendos, quos curando fieri possit, vt videamur occidisse, dummodo non occiderimus, sed ad seruandum tutati fuerim⁹. Posthæc verò pars ferat errorẽ eorũ, qui dicunt præstare, vt occidat Deus, quam nos, hi porro perinde vt hi, qui suis de gladiis confodiunt, non vident eosdem, quos dicunt à Deo magis occidi à casu & fortuna: imò verò à medico negligente atque cessante nimirum hic, qui cum afflictatis præest, hos à casu & fortuna permittit, iugulandos itaque hos ipse videtur iugulare. Audi Cardanũ in 2. Aphor. lib. 6. monentem vbi medicamenta suppuratis aut hydropicis non contulerint, statim Hippocrates vult, vt ad sectionem vel vstionem properemus, nec expectemus vires extremè labefactari, ac ventrem immodicè excreuisse: quæ ambo cum medici nostri temporis minimè exequuntur, præterquam quod maximè curando aberrant, ægros manifestè iugulasse coargui possunt. Adde quod Auerrhoe in 7. colliget 31. & Auicenna 4. 41. tract. 2. cap. 10. consentientibus scripsit idem Cardanus in consilio de difficult. spirandi, persæpe, imò maiore ex parte contingere in morbis multum contumacibus, vt salus peruenerit, vnde minus iure desperandum erat.

Atque ita quidem decretum esto cum certiore aliqua ratione succurri laborantibus potest: cæterum si dubia sit sanatio, nonne citra charitatis christianæ studium sit illud, non attrectari medicâ ope gentes; itemque non curari ne dolorum impatientia sic insaniant in fine vitæ decumbentes, vt Christianam in obeunda morte fortitudinem externæque vitæ spem abiiciant; Nam huc quæso commemoretur miserabilis casus Episcopi Braticensis in Calabris, qui cum coactus in dies centies micturire cum immani nec satis vnquam explicabili cruciatu 40. iam diebus omnem prorsus somnum ac requiem eripiente, post cassa omnia interna atque externa medicamenta, omnem spem auxilii deposuisset, & à medicis omnibus destitutus festino iam exitio destinatus esset, anne sectionem sub vesicæ collum, quæ mictus incendia præuerteret experiri debuerat, vt luctificos dolores & certam mortem redimeret? etsi verò fatiscentibus iam viribus & ægro febre non vacuo manifestum homicidium pro chirurgia committi plerisque videretur; nihilo tamen minus ad depositæ spei ægrum quid esset reliquum, quam vt omnino defenderetur, nullam sperare salutem.

Porro sic alterutrâ contradictionis sorte disserere quis posset ita; vel indubiè moriturus est homo vi morbi, vel non moriturus est indubiè, vita dum manet morti proxima, si moriturus est quidem tantam morbi vim omnibus modis anteuertere medendo, certè non solum est præstabile, sed etiam necessarium: id quod in lib. de loc. in homine primus omnium aduertisse videtur Hippocrates in curatione hydropis, vstione propositâ; nam in periculosissimis inquit periclitari oportet; si successerit sanum facies; sin minus etiam quod alias futurum erat, id ipsum patietur homo. Hæc ille suis verbis. Cuius etiam rei exemplum aliud illustre proposuit Ludouicus Duretus in lib. de morbis internis cap. de hernia per hæc; Cum in scrotum prolapsum ileon intestinum, chyli stercorisque vomitum incuitabilia mortis indicia produxerit Gal. teste lib. de loc. affect. cap. 3. huic si qua occurrendi spes affulget, illa est vna vt statim dividatur ligamentum seu vinculum inguini, quo sc. cum inguine peritonæi tunica coniungitur, vel etiam testiculus eiusdem lateris exercetur. Quamquam autem id non fit sine periculo, dubia tamen salus certa desperatione potior esse debet. Si hominem (disputat secum ille) certè est desperatio, sin ei opitulor, crudelitatem remedii pertimesco; sed quia tamen remedio spes est aliqua vitæ probabilis, prẹstat ægrotanti opitulari dubia cum salute, quam certa cum desperatione hominem destituere. Hæc ille: cuius viri sententiam vt non approbes? Siquidem humanus homo sis, sique tuo, qui mederis officio, rite perfungi velis, si non ex professo patiaris ex morbo miseros extabescere, si non cedas continuò morbis, his, quantum possint sæuire, permissis.

Audisti jam de illa hypothesi, cum vi morbi moriturus est homo: cæterum cum dubium est illud

illud interim ærumnosa manente vitâ: adhuc etiam satius est anceps experiri consilium quam nullum, Cornelio teste lib.2.cap.10. quam rem & Marcus Tullius in oratione pro Cluentio cognouit, cum ait; medici leuiter ægrotantes leuiter curant, grauioribus morbis periculosas & ancipites curationes adhibent. Quod si contradixeris, morietur homo, si tractes; equidem occurram cum Celso.

Quid enim si semel abrepta vitæ defensio dum cunctamur irremeabili fati cōditione redimi amplius non possit.

Hactenus ostentum est grauiter & consulto neque aliter quam duce ratione & experimento ferendam opem morbo vexatis: quid verò si dicam confìcto quandoq; remedio neque ad constitutam medendi normam exacto, succurri morbis deterrimis licere. Sed hoc à viris scribendo gravissimis etiam affirmatum est: Aetius enim tetrabl.2. cap.16. quod est de apoplexia, monitos nos reliquit affectum interdum permittere cogereque medentes aliquid temerè periclitari, atque hoc viro prior Aurelius Cornelius Celsus lib.3.cap.97. scripsit; vbi ratio non præstat, temeritas adiuuat, sunt enim auxilia quædam, verba sunt Ludouici Mercati lib. de curat. morb. in curat. cephalææ, quæ temeraria primo accessu & difficilia videntur. Verum si quis prudens iis vtatur, salubria ac tuta procul dubio faciet: & Hieronymus Cardanus vir in omni doctrinæ genere consultissimus in Aphor.43.lib.7. semper ait, in deploratis casibus quamlibet rationem quamuis non tutam modo in ea spes aliqua sit, tentandam esse præstat, quam certæ morti ægrum destinare.

Sic mihi chirurgiam facienti in sacro valetudinario Neapoli morbis incurabilibus curandis dicato, plus semel Deo auspice sanare licuit desperatos affectus, quos insania fuerat, vel placabiles credere, vel non curandos sub prognostico vt è vestigio interimerent, relinquere, itaq; graviter alludens Marius Schipanus, acerrimi iudicii vir ad amicos ait sæpe; Seuerinus quidem morbos incurabiles, fecit vnus curabiles. Quod si forte multis audaciæ meræ videretur, tam ardua me conari, statim in memoriam subibat, allaborantes adiuvat Deus, quo Franciscus Rosetus sect.3. de partu cæsareo cap.3. tali ait necessitate fieri, vt docti, industrii & prudentes eiusmodi difficilia & grauia auxilia inueniant benedictione diuina in tanto charitatis opere adiuti, deinde occurrebat & illud Alexandri Benedicti in lib. de peste, cap.24. quod maxima medicinæ pars audaciâ constet, audentes autem plurimum con sueuit fortuna iuuare: quò factum est vt præter ingentem audaciam mihi duras operas aggredienti bonam fortunam attribuerint multi: tanquam non ex arte quidem sed arcano quodam impulsu succederent omnia feliciter. Sed ego tamen comparaui me sponsoribus nauigationum secundarum gentis ad Septentrionem positæ, qui, vt est apud Olaum Magnum ex astronomica scientia, non temeraria diuinatione vadimonium dant felicium nauigationum. Taceo quàm apposite faciant in mei defensionem ea, quę pro arte aduersus obtrectatores obtrudit Hippocrates lib. de arte veteri, sed referam huc quoque rem documenti dignitate memorabilem & auditu iucundam. Inuidi, sed simulati quidam amici quod amare se gloriam meam præferrent, quotidiè me adhortabantur, & assiduè suadebant in res arduas & periculo plenissimas, quas operâ meâ atque animi magnitudine dignas dicerent; nimirum vt his improsperè succedentibus famæ laudem in perpetuum amitterem; quæ me tamen singula aggrediente curauit Deus optimus maximus, qui res bonas secundat vt felicissimè cesserint, euenitque sanè mihi vt Perseo, cui conjecto per patruum invidentem in ardua & discriminosa pleraque facinora, hæc felici fine perducta tanto maiorem gloriam peperêre, quantò minus superabilia & detrimentosa magis credita fuêre. Iam igitur hæc esto ratio, hoc exemplum singulare, quibus cognoscant homines nostri tam cauti, gloriam potius an ignominiam sit illatura cunctis exercentibus hęc medendi ratio, simulq; quam in periculosis vitæ casibus minime periculosa sit eadem.

Sed jam vtriusque, id est ægrotantis, qui in discrimine tractandus est, & eius, qui tractat pericula remedium aliquod referamus: Illud autem con sistit in tentiua quadam ratione.

In arduis curationibus tentatiua est attendenda ratio.

Tentatiuam curationem videris facilè probatam atque exercitam à maximis quibusdam magistris, horum autem qui modò memoratus est producitor idem Cardanus, qui cons. illo loco statim subdidit & ob id soleo equidem omnia moderatè experiri, vt nemo à multis annis de me conquestus sit. Approbauit autem & viam in obscuris & ancipitibus tentativam Arnoldus Villonovanus in eo libello, quem edidit de morbis ignotis qualibet ratione curandis.

Sed aliqua etiam de re hac Aetius Tetrabl.4. ser.2. c.40. sed clarius Cornelius Celsus c. v. c.28. qua de carcinomate, optimè autem & primus omnium Hipp. l. de loc. in homine n.20. Semper non sanitatem variare oportet modum, & si quidem pejus reddiderit malum ad contrarium te conuerte; si verò ad sanitatem tendat, omnino nihil ab his, quæ adhibentur auferre oportet, neque quicquam aliud addere, aut opponere, & idem n.36. & alibi.

Morbum si quis non cognoscat, medicamentum præbeat non forte. Si itaque leuior inde fiat, demonstrata via gracilitatem inducendo curandus est: si verò non levior reddatur, sed vti prius habeat, contraria facienda sunt. Si non profuerit gracilem facere, tumidum facere conducet & frequenter permutare: & l. de ratione victus in morbis acutis Com. 11. prodidit lateris dolorem, siue is per exordia fuerit, siue postea obortus sit, tentare calidis fomentis non absre existit. Hoc idem experimentum sequitur Gal. l.6., aph. 31. quam dubitatur, num pleuritis in statu, vel alio tempore sit. Qui idem ipse Galenus & veteres omnes, vt l. 4. aph. 38. scriptum est, propinaturi cuipiam vomitorium pharmacum,

cum, num facilis vomendo esset, experimentum capiebant. Atque hactenus ostensa ratio tentatrix est per varia instrumenta, quod experimentum à me dicitur partis, postquam & altera simpliciter dicta tentatrix est exponenda, quæ quia desperatos attingit, atque est de vna ipsa salute semel recuperanda, aut obijcienda multò generosior & nostro proposito congruentior videtur, cuius quidem præ omnibus clarissimus est ille locus l. de loc. in homine descriptus & ante recitatus de hydropico, à lienis vitio, puero, quem (quia Gal. 2. de crurib. 8. quæ vtilia sunt, sæpius repetere vsu venit) non dubitabo rursus, inquisitionis tuæ compendio consulens recitare.

Verum enim vero summum hoc & postremum dices experimentum, vel ad vitæ salutem, vel ad necem. Vtique inquam, sed periculum à natura medicinæ separari nō potest, quod etiam Hipp. oraculorum suorum initio præfatus est, experimentum periculosum & propterea latini (quod adnotauit prædicto loco Hieron. Mercurialis) volentes experimentum significare, dixerint periculum facere, quod si permiscere accidit in alijs rebus, quæ minimè sunt comparabiles dignitati corporis humani, quantò magis in hoc ipsi comprobabitur verum? Id quidem non inficiamur nos, verum in discriminosis discrimina sunt amanda, & sequenda, omnino enim, vt rectè cap. de vuln. capitis, Vidius Florentinus melius est incertum periculum, quam certa desperatio, & Cardanus in cons. de Dispnæa, præstat tentare quàm certo exitio nihil agendo rem dimittere. Quæ tanta est ratio, vt etiam frustra tentanda sequutus fuerit Hipp. nempe in Anconomo perforationem caluariæ administrauit die XV. quo tempore jam homo vexabatur, & conuulsionibus in vtraque manu, indicia, quæ pernunciauit lethalia in aphor. 2. l. 5. & in l. etiam de vulneribus capitis ipso. Argumento igitur confesso est; quod dum præsidia restant artes, nulli parcere debeamus.

Tentare igitur, periclitari, lapidem omnem movere oportet, quo quis ab insanabili putato vti orestituatur. Hoc mihi artis operæ pretiū videtur; hæc mascula, vt ita dicam, chirurgia hæc, quam Deus de sapientiæ suæ fluente nostris animis inseuit, ardua & perfectissima videtur medicina.

Mascula. Chirurgia quid?

Verum tamen est casus, quando non vti debeamus præsidio medendi, cuius rei exemplum dedit Hipp. in Com. 3. de fract. cer. 50. deliberans de ardua repositione ossis. Quare talia (si quis modo facere id honestè potest) præcipuè fugienda sunt cum & spes paucæ subsint, & pericula multa impendeant, & si non reponas, imperitus artis existimeris, si reponas, propius ad mortē quā ad salutē hominē deductus sis. Hæc Hipp. de reponēdo osse dissuasio, videtur auditu primo nonnulla parte labefactare nostram opinionem: nihilo, haud re vera labefactāt, quando superatā etiam difficultate res cessura sit propius ad mortem, quam ad salutem: itaque quæ est insania, cū deteriore actionis sorte quicquam agere, ac ne tentare quidem: quinimo prudentis est abstinere, quando interim vita conseruatur.

Sed prosequimur interim institutum sermonem, narraturi præterea quam magna & grauia sint in experimento emolumenta; primum igitur erit quod judicauit idem Hippocrates l. de artic. sect. 3. 215. dicens: In experimentum assumpta si successu caruerunt pulchrum est dicere, atque hoc equidem, inquam, si non eueniat res; quod si eueniat, quàm suaves ex opere fructus, quando eo, quod tentasti, potitus fueris. Accidit hoc quidem mihi, qui nihil de scarificatione, de arteriotomia, aut de cyrsatomia, aut de phlebotome venarum jugularium, aut de sectionibus, exectionibusue quibusdam & exustionibus quot & quales descripti compertum habens, operis scil. hoc nostro sæculo nulli cognitis, aut peractis: ipse nihilominus à libris doctus, tum vsus magnos, tum administrationes has exequi ausus, aliquem ex his fructum non retulisse non potui: vix enim duos, aut tres in singulis hisce generibus euentus vidi, cùm agendi certitudinem consequutus, nempè experimento vno vel altero, fit exinde iudicium de vniuersali Galeno sic docente in libro XI. de simpl. medic. facult. Adeò scil. repēdit homini fructus continuos exercitum experimentum, adeò quæsitam tentando extundit artem, industria: Sola ignauia inertem suum semper comperit & frigidum focum. Nonne igitur nostros medicos arguerimus, qui contenti solummodo syrupis longis, aut decoctis sparti parilis, aut assiduis sudationibus, aut si vitium externum sit, Cerato viridi aut Ægyptiaco, aut præcipitato & hoc genus: cæterum efficacis medicinæ adjumenta, & præsidia negligunt & decrescunt, immemores & inconsulti eius, ꝗ statutū nobis & perpetuo commēdatum reliquit Hippocrates admirando illo super omnes aphorismo, quod quæ medicamentum non sanat, ea ferrum sanat; quæ verò ferrum non sanat: hæc ignis sanat. Et rursus: Extremis morbis extrema remedia, addidit autem exquisitè extrema sunt optima, quasi dicat, paria paribus exquisitè, imò viribus superiora, vt victoria super morbo sequatur, secus enim haud aliqua parte remittetur vigens & inexcussa à suo statu. Atque nostrates omne quasi mollibus incantamentis confidunt oleo mucato, & saccharatis condimentis fatuarum stirpium: ita sunt infatuati ipsi, atque ita adulatorum Magicorum suorum præstigiis fascinati, atque incantati. Ad hunc quippe modum liceat per hos perpetuò constare morbos contumaces, & insanabiles, inquam, non tam quidem suā naturā, quā istorū opera. Sic medicina careat efficaciā, sic chirurgia non sit. Sic abijciatur continuò spes ægris quā cū natura nequeūt expelli morbi à medica manu. Heu quò peruenit medicinæ imbecillitas Asclepiadarum? heu quò miseria nostrorum temporum & ægrotantium omnium, qui sua ope, quam Deus reliquit, destituti, morborum & mortis arbitrio relinquuntur. Sed hic consisto, ne quibus in satyra videar nimis acer & vltra legem tendere opus.

CAPVT XV.

Purgatio eius accusationis quæ exoletam chirurgiam nostram facit.

SVperest nunc destitutæ vsu chirurgiæ calumnias eluamus: neque enim, quod exoletæ sint eiusmodi operæ, propterea suspectæ aut minus præstabiles haberi debent; sic plane quantum hominum posteriorum iudicio, qui sunt indigni, deferretur, tantum etiam veterum cœlitus conceptorum autoritati derogaretur. Quis autem tam insanus sit, qui vilitatem hominum recentium cum antiquorum dignitate commutet? sed comparatione non comparandorum generum omissa, cæterum ad examen institutæ rei pergamus. Contendit quis illustria hæc medendi placita propterea, quod exoleta non recipienda, quasi verò possit dissuetudo plus quam rectum valere. Traham huc equidem faciens apophthegma Antistenis à Diogene Laertio relatum libro sexto capite primo, quod est vulgus hominum ea tantum probat, quibus assuescit, ab exoticis abhorret, non quia per se mala sunt, sed quia peregrina. At sapienti nil peregrinum, nisi quod cum vitio coniunctum; neque enim ideo temulentia detestanda, quod alicubi non sit in vsu: sed quod per se turpis, sed neque consuetudo quod rectum facit, nisi sit talis natura; rectè Petrus Merenda Brixianus in libro secundo de recta vacuandi ratione? de arteriotomia, tametsi præsentaneum istud remedium in desuetudinem venerit, nihilominus, vt prudentis officium est, à consuetis interdum maximè, quando prava fuerint, deflectere: Sic non minoris esse laudis opinor ab aliis per incuriam omissa, ad lucem & vsum reuocare. Acutius verò Theophrastus Paracelsus in chirurg. magn. parte secunda, tractatu primo, capite decimoquarto. Subsannavit omnes: qui obtrudunt illegitimi moris antiquitatem, per hæc, stultitia tam est antiqua quam prudentia, ergo non reijcienda, quis non rideat: porrò vetustas nihil ad virum sapientem pertinet, & frigidum hoc argumentum est, cum antiquitate errores excusantur, filius anne sequatur parentum fatuitatem?

Verum hæc ex aliorum confirmatione sint vtrumque traducta: nunc ego cum his congredior, & rogabo primum causam, si norint, aut proferre velint, vnde primum & quo authore desuetudinem nacta sint ista: deinde quæram, quis hic, & cuius rei vsus. Tertiò cùm primum desiêre, vtrum longius tempus vsitatorum an intermissorum fuit. 4. Ad hæc an quæ semel desiêre credant non amplius reuocanda, si quid egregiè validum non obsistat? Denique si reuocentur, an dubitent infeliciter cessura: quamobrem vnam anxii contradidant. His equidem singulis ordine discussis condocefaciam, desuetudinem nihil obstare, quominus efficax chirurgia tradatur, & multa ex his esse quæ faueant, quatenus in continuo sit vsu medentibus.

Ad primum quidem quæsitum difficile responderint, si verum fateri velint: etenim nullis detrimentorum causis repertis, necesse est referant & temporum succedentium corruptelas, & vitia, sub quibus & mollitudo corporum & medicorum adulatio, & auri cupido, & artium multarum & anatomes ignoratio, & legendorum autorum optimorum, & gloriæ contemptus, adulatio & inexercitatio & ab his diffidentes maiorum moliminum animi timore constrictis, cumque hoc frigida suæ famæ ratio, & aliqua istorum alia; quæ partim in oratione de causis corruptæ chirurgiæ partim etiam supra capite de causis efficacis chirurgię neglectę recitauimus. Itaq; nō ars sed inertia, non vsus hic aliquis, sed abusus, non norma sed depravatio, non constitutio sed destructio, non species aliqua sed monstrum, non bonum aliquod mortalium graue, sed malum vere definiendum & habendum est hoc, quidquid sit nouitatis, sed quo claro autore? Ignobili & secundum omnem nationis, generis, propriæ factionis notionem obscuro & nullo fortasse alio nisi cacodæmone atque humanæ naturæ hoste. Accedimus ad quæsitum tertium, quo expediendo necesse est temporum supputationes sequamur, aut eos, qui has postvidere. Dubium autem ad quod usque tempus antiqua & efficax chirurgia consistit, omnibus autem modis certum est, ad Græciæ, Italiæque rerum casum postremum, & ab eo tempore lapsum, quo homines & morum & doctrinæ soliditate descilcere à maioribus consueuêre. Coniectatur postremum medicinæ casum Ludouicus Viues libro primo de corrupt. artium causis ab incursu barbarico Gothorum & Vandalorum in Italiam: & lib 5. ejusdem operis ad linguarum casum atque obscuritatem medicinæ bonæ cladem atrocissimam illatam opinatur. Sed hæc generaliter corruptarum artium chronologia videtur. Vidus quidem Florentinus chirur. nouæ libro primo capite primo quingentis ab hinc annis facta medicorum in physicos & chirurgos diuisione meliorem medicinæ statum immutatum supputat, quæ res nobis apprime probabilis videtur: Iam igitur à Chirone ac primis chirurgiæ legitimæ inuentoribus ad vsque hæc nostra tempora tria annorum millia circiter excessêre, cum illegitimæ circiter quingentum hucusque fuerint elapsi, adeò patet sextuplo: temporis constantiorem veterem chirurgiam novâ istâ fuisse, &, si temporum atque hominum tuenium autoritatatem conferas, incomparabilem antiquorum, ad recentem morem, præstantiam comperies, propterea longam & dignissimam antiquæ conseruationem, breuissimam & inaustorata istorum desuetudinem infinitè potiorem. Pudeat autem sedulis & industriis heroici temporis viris temerarios istos homines per

per inertiam atque ignauiam contradicere: liberent autem si possint à paralysi, distentione rigoreque corporis, epilepsia, diuturnâ cephaleâ, vertigine, catarrho contumaci, hæmoptise, suppuratione, hydrope, ileo, arthritide, cancro, cæterisque aliis insuperabilibus affectibus, sophisticis rationibus verbosisque consultationibus inutiliter innitentes; dum Paracelsistæ, dum quisque è nostris tonsoribus & administris apud nos chironiam chirurgiam quotidiè exercentes assueti, miras morborum curationes ferramentis & igne usi consequuntur.

Expensio novi placiti in via recepta & veteri.

Dubitent nunc num de revocanda magna hac chirurgia profiteri viro prudenti conveniat? quando jam alteram viam populo placentem ac jam constabilitam cuncti professores sequantur, ipsamque hanc exercere tractareque non aliam norint. Impedit ergo novitas & assuetudo contraria. Verum cum deficiens hæc, & detrimentosa ratio medendi cognoscas, dediscant hanc & alteri assuescant tum medici tum etiam gens omnis oportet; hæc quidem, ut suos auxilii fructus & utilitates miseris in rebus nanciscatur; illi verò ut quæsita officii sui laude ac fine defungantur. Quæso, quare, quibus alio tempore imminutam primùm è veteri statu chirurgiam acceptare licuit, nunc integratæ ac restitutæ meliorem speciem admittant? Difficilius hoc dicent, quoniam ejus, quod tentatur, displicentius hominibus est argumentum: sed nolim equidem, ut continenter & cum vi tententur omnia. Contentus equidem sum & si cognitâ primùm hâc, quæ tenetur viâ manca & fallenti, cæterum, alteram animo conceptam aveant inducere, mox lenibus, ut datur, modis, inferant: post hæc, ut initis fundamentis ædificium occipiant raptim & fallenter aliquando promoveant: demum arridente aliquoties fortuna plenioribus operis contendent: reliqua Deus adnitentes adjuvans complebit.

An nostra hac medendi ratio sit compendiosior alterâ.

Sed postremo superest quæsito satisfacere. Dubitant, num hâc nostrâ viâ facilius & compendiosius & certius, quam sua languentes è morbis homines ad sospitatem deducat: facilius hoc quidem cernere, quam quæ meridiana luce ad pedes habemus, tamen haud me pigebit brevissima serie & quam lucidissimis argumentis id ostendere. Constitutum à nobis alicubi fuit duplicem chirurgiam omnem esse: alteram quæ medicamentorum utilium est applicatrix; alteram quæ sectionis & ustionis administratrix est. Hâc nos, illâ vulgus medicorum uti consuevit, quæ binæ rationes tam multum & natura & facultate differunt: ut chironiam. i. ferro igneque medentem chirurgiam veram & legitimam faciamus; medicamentariam verò præterquam abusu & per accidens non existentem agnoscamus; quippe seclusæ & dissitæ medendi sint rationes per pharmaca & per chirurgiam. Sed utcumque, cum hæc illius opponitur præstantiæ collatio certè mihi tam videtur insipiens & inconsulta, quam amaricini & suis; quandoquidem medicamentum non nisi lentè, & parcè & per particulas succedente operâ valet: chirurgia verò ut quæ ferro & igne nititur continuò atque uno semel actu defungitur. Quamobrem efficax hæc, impotens illa cognoscitur: commeditata autem à prudente & ab exercitato opificis manu factitata, quas non eximias & mirificas corporum malè habitorum sanationes assequitur? Sic à dolorum pressuris, à perpetui decubitus compedibus; à ganioso corporis diffluxu & putredine, à tabe, à putore, à periculorum & mortis angustiis, à morte ipsa liberat & tuetur: Crede, si liceret proferre, possem innumeros ante conclamatos ac depositos, quos impossibile videbatur, hac sola ratione restitutos; quasi tamen omnes curationes hoc eodem opere personarum, sive laborantium, sive adstantium, locorum, temporum, modorum, instrumentorum, & administrationum fide contestatas leges, quibus subinde operibus (neque enim affirmare dubitem) plane magnus & incredibilis arti & instituto nostro factus est accessus.

Hactenus oppugnantibus institutum hoc nostrum difficultatibus quantum quidem virili nostræ licuit, satisfactum puto.

CAP. XVI.

De incommodis tum aspera, tum indulgentis Chirurgia.

ANtequam verò ad speciales chirurgiæ rationes descendam, necessarium judico primùm, ut aliqua præmittantur totius futuræ disciplinæ communia: quorum præcipua facio normam ac modum chirurgiæ. Nempe cum hæc ferramento utatur, quo corpus exulceret vitiosa resecando atque urendo: inter hæc termini sunt ponendi, quibus inspectis neque nimium indulgendo parcat ferro medicus; nimirum ne inefficacibus unis confidens medendi præsidiis; & diu frustra decumbentem torqueat & longè à fine aberret suo: Contra verè neque utendo nimium excedat numerum, magnitudinem, tempus & necessitatem agendi, ne, quod dixit aliquando Marius Imperator, morbo gravior & incongrua sit medicina: aut ne quod alius quispiam effatus est, morbum quidem cures, hominem verò jugules simul. Porro non miror culpa est ultra lineam, quam citra transcurrere: hoc est non minus prompta atrocitas, quam misericordia facilis, aliena est

na est: hæc vitii nutrimentum, illa doloris casusque virtutis provocamentum quoddam est. Quod vt vitiosum & malum utrumque est, ita etiam utrumque oportet fugere, rem nos, si placet, comprobatis rerum eventibus ostendamus.

Primum ex fide atque auctoritate summi in re nostra viri Hippocratis hic lib. 5. epidem. scribit: Eupolemum coxendicis morbo malè affectum, multis magnisque inustionibus supra coxam inductis interiisse, & subdit mortis causam fuisse à nimietate ulcerum, viriumque imbecillitate, quæ morbo admodum dejectæ tam graue remedium perferre minimè valuerunt.

Quo ipso libro idem Hippocr. interprete Vallesio Scamandrum Laryssæum ex Sphacelo coxendicis & osse diu luxato laborantem, sectum sectione magna & ad os usque pertinente, simulq; vstum, occubuisse, non ex veteri morbo, sed ex curatione lacessitum; quamquam enim hic non poterat alia ratione curari, quam sectione atque vstione, qui corruptionem iam ossis pateretur, satius tamen fuisset omnino non curari. Nihil enim refert curare vt morbus poscit, nisi eam ipsam curationem possit homo sustinere.

Similiter inconsulta curatio fuit hæmorrhoidum apud eundem Hippocratem libro quinto epidem. 20. ex qua intempestivè facta mortuus est homo. Præter hæc proposita prolapsæ vuluæ gangrænodis & cum pudore gravi abscedentis medicaminum vi restitutæ monuit in appendice ad Rusetum de partu Cæsareo Ioan. Bauhinus, ne temerè ad sectionis aut vstionis extrema remedia, leuioribus aliis neglectis accedant Chirurgi Hippocratici decreti memores, quod medicamentis primùm attentatis, postquam non præstiterint sic exequenda & ferri & ignis administratio: nempe, necesse est auxilia magna, si non iuvent, lædant, Francisco Vallesio autore in 5. epidem. text. 15.

Accedit & in eiusdem demonstrationem historia Arthagathi, qui ex Peloponeso primus Chirurgiæ opifex cognitus Romæ L. Æmilio & M. Lucio Coss. anno vrbis DXXXV. (refert Plinius in procemio XXIX) cum jure Quiritum primum donatus fuisset, mirèque gratus initio aduenisset; mox sæuitia secandi urendique & carnificis nomen retulit, & in tædium artem atque omnes medicos transire fecit, nec conquierunt odia, donec actus in iram populus aliquando collecta manu in hominem irruerunt & neci dederunt. Iam autem cum Cato & assecla sæuitiam medicorum ad hostilem quendam Græcorum animum referrent, qui Barbaros omnes oderunt, puto equidem suspicionem hanc simplicem fuisse, quod Græci eo Chirurgiæ genere utpote efficaci delectarentur: quod tamen Romanis videbatur asperrimum. Appatet autem, quod Cornelius Celsus non aliam chirurgiam edidit, quam græcanicam, atque hæc ferro & igni plurima absolvitur. Quod igitur Argagathus ex excellenti chirurgia exitium passus est: id fecit excessus diritatis, qualis est nimirum ab expertis Romanis existimata. Ast verò antiquiorem & à Chirone primùm cognitam & usitatam hanc rationem opinor contrariam medendi. Germani, quæ gens ob mollitiem (ut refert Cor. Gesn. L. de præstantia Chirurgiæ) longiore morbo potius diu confici, quam semel vel brevissimo tempore dolere fortiter & liberari malunt, sic & cauteriorum emissaria in nullo pene habent usu, quibus Italia atque aliæ nationes extimæ frequenter ac feliciter utuntur, multis iisdemque magnis ac difficilibus morbis longè propellendis atque antevertendis. Hæc ille: hujus item placiti sunt Paracellæi & chymici quidam, inter quos omnes præcipuus est Leonardus Fioravantus, aliâs à nobis huic proposito commemoratus, qui professus est naturam, id est corpus, quod natura gubernatur, nullâ ratione violandum neque lacessendum ferramento aut organo percellenti alio, sed adjuvandum esse medicamentis ac rebus quibusque reparantibus vires naturales. Ab hoc instituto non longè recedunt & nostri medici Parthenopæi, in qua urbe deliciarum & genialium omnium supra cæteras nationes amica aluntur, hi magis, qui suaviores & obsequentiores ægris se exhibent; perinde ut medici debeant esse, qui medendos sequantur, non autem medendi, qui medicis obtemperare debeant. Verum enimverò tam mira tamque vulgata mollium hominum est importunitas, ut tamquam abblandientes Syrenæ bonos etiam, sed minus fortes medicos corrumpant suis lenociniis, nam ne possunt hi quidem improsperum, aut injucundum aliquid prædicare, quatenus vel ab ignominia sinistri cujuspiam eventu liberent se medentes, vel cautiores temperatioresque à delictis faciant ægrotantes. Nam quot honoratissimi medici propter displicentes, sed necessarias hujusmodi prædictiones infaustos aves, per injuriam, & somniatores coram nominari se audierunt: Si verò neque verbo significari dubia & futura queant ob suam ægrotantium restitutionem ac salutem, quid attentari quæso quidpiam ingratius & magis insuave debeat? Adeò multa teneritudo est hominum nostrorum, adeò præpotens est atque intempestiva lascivientium postulatio, vt mirum non sit, magistros nostros olim præclari nominis medicos etiam perverso gentis more, ac libidine traductos fuisse, ut cum efficaci Græcorum Chirurgia fructuosius uti scirent, eam tamen, quæ maximè placeret hominibus, amplexi fuerint. Itaque nullum abscessum perrumpere, nisi cute extabescente atque confecta, non callosa exscindere, non vetera vitia renovare, non secundum scalpros plurima facere; neque adaperire voluerunt, quid ergo inurere? qua opera neque

Cor. Gesn.

Leonardus Fioravantus.

Parthenope medicorum abblandientium amica.

Et bonos etiam medicos corrumpit decumbentium mollities.

Medici exosi propter infaustas prædictiones.

Nostri magistri chirurgiam indulgentē amplexi.

Iuniorum chirurgorū inertia.

que etiam in fonticulis excitandis, nisi coacti atque vt dici solet, per capillos pertracti defungebatur: Adeò ad suaviora lenioraque erat animus. Qua dulcissima tractandi sua ratione ac maiore etiam, quam ego depingere non potui, sic obligauit sibi, se committentium hominum animos, tam claram ex hac re gloriam comparauit: vt incomparabilis præstantiæ fuerit habitus. Tamen vt nihil posteros, quod eorum vsui sit, celem. (si concedant hoc interim manes) plerumquè ex his annuæ curationes, caries ossium per saniei longas moras; aut masculorum carnes conteri & fistulari, aut malum insanabile relinqui: quod multi mecum medici, qui cognouerunt nunc viventes testari veraciter possunt; admirati semper, quantum in medendo valeat indulgentia atque adulatio: quum, vt inquit Plinius, sit periculum in nullo mendacio maius: non tamen illud intuemur: adeò blanda est sperandi per se cuique dulcedo. Quæ cum ægrotantibus incommoda perniciosaque sint, arti quoque non minus iniuriæ detrimentoque sunt: nam diminutâ industriâ professorum gestorumque etiam fructu minuatur artis existimatio necesse est. Dum enim plurimis atque optimi reiectis operis ex Chirurgia, quas antiqui tutas ac familiares habebant; excusant se nostri vel quòd robustiora fuerant superiorum hominum corpora, vel quod alia priorum à nostris erant tempora, insula quidem, vt mihi videtur est defensio, nec nisi à stultis & vulgaribus, allegatur istarum rerum diuersitas. Mutatum est sane studium rerum difficilimum & magnorum, nec nisi planissima quæque consequimur. Alii principes minimè fouentes optima causantur: Alii vitæ breuitatem; nonnulli syderum variè positorum impressus; nonnulli præcisas in studiis proficiendi occasiones, quarum meminit magnus Hippocrates in lege. Sed nihilominus industriæ virtus est, vna pro cunctis, quam vnicuique pro complendis arduis reliquit natura: neque abnegatam quisquam dolere potest: Sic autē interpretor. Hanc ego incuriam hoc seculo semper accuso, per cujus industriæ abjectionem factum est, vt medici primum in physicos vocatos medicos & chirurgicos abstraxerint, deinde, quod physicis ignauiâ victi rem anatomicam abiecerint in Chirurgicos; rem herbariam detulerint in vadiciscas; simplicium compositionem reliquerint seplasiariis & Pharmacopœis, gyneciorum peritiam obstetricibus; temporum notitiam Astronomicam ephemeridum conflatoribus & nautis; Chirurgicam venarum aperiendarum peritiam, tonsoribus, oculorum variè laborantium dignotionem & curationem transtulerint in ocularios; ossium siue fractorum siue luxatorum reparatricem partem permiserint, reconcinatoribus; cosmeticam strumarum tinearumque, quam vocant curam, relegauerint fœmellis; ramices & alia multa empiricis & agyrtis. Itaque paucam & faciliorem agendorum partem sibi reseruarunt, quam cum exercent adulantes ægris morbosque fucantes, dubium faciunt, prosint hominibus magis an obsint: ita perperam quidem, ita peruersè rem gerunt. Sed binis cæteri nocentiores, hi quos lenes prædiximus, an quibus sanguinaria Chirurgia placet; ex quorum functionibus vel cruciatus acerbi, vel sanguinis effluvia, vel virium lapsus & animi deliquia, vel inflammationis putredinisque irritamenta, refrigeratio partium maximè exanguium, febriculæ, turpes cicatrices, ad motum imbecillitas. Iudicium profectò non ita facile; sed tamen, nisi sit temeraria feritas, quæ pericula moueat viresque vtilium effusione labefactet, defendi posset, quod propius ad naturam artis accedit, quæ immisericordem amat opificem. Vnde illud iconicum (Chirurgus misericors) sed malè deinde audit ars imprudentis carnificinæ ergo; quæ, quod auersos homines faciet, abusu eiusdem repudianda pariter videtur. Iam igitur, quod tum hæc, tum illa incommoda est, ac vitiosa Chirurgica ratio futurum è re nostra arbitror, si modus inueniatur, quo temperamentum & æquilibritas reddatur arti, id porro non dubium est, quod fiat mediocritate, tamen huius inueniendæ ratio perdifficilis est, quam nos venari deinceps adnitemur.

Lenioris medicinæ affecta.

Plinius.

Quibus nominibus excusent se nostri leniorũ chirurgiæ modum amplexi.

Causæ diminutarũ disciplinarum falsæ.

Hipp.

Superare omnes difficultates virtus vna.

Nil ad virtutem amplectendam homini denegatum est natura.

Ex vna profitentiũ in curia multa & magna medicinæ detrimenta.

Mul... om... mea... mun... rejec... dici... ma... pars... bi pa... re se... runt.

CAP. XVII.

De media Chirurgiæ via discernenda ac retinend.

Chirurgiæ, quam nos propriè dicimus excessus, sunt, ex hac quidem, quam minimè vtendo, ex hac supra quam oportet, vtendo etiam quam minimè quidem vtendi peccata sunt vnum quidpiam pro altero sumendo, & confundendo: confunduntur autem, aut genera, aut alii his non mutatis, modi genera confunduntur cum medicamen nō satis est; Chirurgię verò singularis aut necessarius vsus est., confunduntur quoque res, vt, cùm pro actione vera actio debilior ac iucundior, scilicet, cum expressione contentus est homo, vbi necessaria est dissectio; aut vbi contentus est compressione per plumbum, cum recisio necessaria est aut vstio.

Confunduntur verò modi, capiendo operarum magnitudinem pro magnitudine, moram pro mora, formam pro forma, locum pro loco, instrumentum pro instrumento, numerum pro numero, &c. & vt summariam dicamus, inefficax & iucundum pro efficaci licet ingrato, Hæc chirurgiæ leuius administratæ sunt peccata.

Severius verò & vltra finem transcurrentis hæc sunt perperam patrata, pro medicamento scalprum, pro scalpro ignem adhibere, pro igne verò πὶ ἄκρον ελατῆιν, membrum cum igne resectum, in hydrophobia cauterium pro scalpro, Chirurgię speciem pro specie, magnitudinē pro magnitudine, moram pro mora, formam pro forma, locum pro loco, instrumentum pro instrumento, numeum pro numero, & hoc quidem

Chi... mise... iron...

Aspe... chir... inco...

Exc... sunt... cult... chir...

Gene... in ch... gia co...

opera... confu...

Modo... confu...

dem singula ad duriorem modum exercendo.

His sic distinctis adhuc in memoriam reuocandum est, chirurgiæ proprium usum esse, vbi medicamentum non proficiat, cetero verò tempore quiescere, cui rei additur, & illud à prudentissimo Galeno lib. 2. de compos. med. κατ' τόπ. cap. 2. F. & ab ipsa prope modum ratione dictatum; non statim à principio efficacissima adhibere, cõuenire, sed à debilioribus auspicandum. Itaque quod tolli pharmaco debet, sectione tractari vel crudele, vel importunum est; si cui verò chirurgiæ debeatur, ab omnibus ægri rebus indicata, auxilium medicamenti pro ciuibus procuret: hæc vel insciti, vel meticulosi, vel negligentis, vel adulari volentis, vel leuiter cõmiserantis hominis est: omnib. autẽ modis chirurgia hæc non chirurgia vera, sed indulgẽtiæ quoddam genus erit, quod extremũ vnum posuimus.

Tertiũ, quod ab his notari velim; cum q. hanc normam exercetur chirurgia, & si durior videatur sentiaturue; non tamen propterea probanda etiam aut eliminanda est: Sed quod quæsita coactaque à vitio conclamato talis sit, per hoc etiam clemens ac perhumana dicenda. Id certè affirmare possum, ob dolorem haud fugiendam vlcerũ dissectionem, vtpote quæ compendium dolorum omnium patiendorum est. Itaq; vt nodum jam resoluam, inculpata ac minimè vitiosa tum demum chirurgia erit, cum id, quod perficere medicamenta generosiora, sive sæpius adhibita siue non fallenti judicio æstimata nequeant, ipsa enim hæc ineuitabilis curationis lex est, quam arbitra natura rebus imposuit. In quam ipsam inspiciens Gal. 5. meth. med. c. 15. in quibus (ait) periculosum non impendet (vera ea opinio est) à paucis incipiendum auxilijs, at vbi moriendum ægro prorsus est, alienissimum à ratione est ex minoribus inchoasse, nam sicuti reliqua omnia ab Hippocrate tradita, ita illa quoq; sẽtentia rectè est dicta. Ad extremos morbos extrema prorsus remedia maximè valere. Itaque profundiorem ac tantum non vlteriorem venenatis inustionem deberi, citeriorem nocere præstantis viri more nos admonuit Nicolaus Florentinus serm. 7. sum. 2. tract. 5. cap. 32.

Veruntamen hoc de grauissimis quibusdam vitijs & manifestè improbis relatum accipe: nam in his, quæ dubiam magis habent curandi difficultatem; liberior est locus exercendæ clementiæ. In quibus casibus primum incipiendum est diligenter, num saluis medendi legibus gratificari laborantium mollitudini possimus: quorum placitis cum certum constitutumque est, non esse indulgendũ per medicos: tum aut graui oratione mollius facere futurum supplicium, hoc est animum patientis ad fortitudinem præparare, demissumq; erigere debebimus, sic, ut homo cõtentũ se dicat sorte chirurgica, aut nisi sic informari laborantis animus possit, artificium omne nostrum esse debebit, vt operatione interim dissimulatâ & impercepto apparatu, & ad amussim ordinatis omnibus, præsertim accomodatissimis & subtilissimis ad rem ferramentis, hanc celeriter peragamus: expectatione enim mali, cum æger tortus non fuerit, solatij loco videbitur breui tormento perfunctum esse.

Hactenus a de his, in quibus non sit indulgendum; vbi verò parci chirurgiæ aliquo pacto, possit & vitia corporis, & habitus & vitæ studia, & ætates, & sexus, & loca, & regiones, & ritus gẽtium sunt distinguenda. Etenim ea vitia per quæ prorogare curationem licet, homines naturæ tenerioris minusq; assueti rebus asperioribus, pueri, senes, femellæ, genus illud vniuersum, quod facile linquitur animo, cujusque assuetudo his repugnat, æquius benigniusq; est tractandũ: quæ lenitas, quæue temperatio sic exercenda est. Primum cũ in abscessu magno exhorret homo vstionem per spathi formę ferramentum, poterit hoc chirurgus in sectionem per acutum scalprum immutare. Nã neq; perpetua debet esse lex, vt hoc genus abscessuum cãdenti ferramento aperiatur, immodica enim sępe est sectionis administratio sicut vsu compertum est mihi. Sed si vtũtur semper ferro Chirurgi, fit hoc, quod diffidunt certitudini operæ concreduntque hanc omnem igni. Ad hæc igne abstinentes chirurgiam inermem substituere debemus, eo casu, quem proponit ingeniosus homo Ambrosius Paræus lib. de chirurgia XI. c. 20. & 24. Id est, cum amputatũ propter necrosin est membrum, super vacuo, & crudelitatis vitio obsita est chirurgia per ignem. Satius humaniusque, & multo cum laborantis bono compendiosius est, extractas forcipe venas atque arterias arctissimè colligare plagamque cruentam, vt moris est, curare.

Deinde sanguinarijs ferramentis parcere possumus & causticis vti per abscessuũ anomalorum & id genus apertiones, quod vt optabile quidem est, ita non difficile quemadmodum à nobis factitatum sæpe aliàs notauimus. 2. cum medicamentum sectioni præponitur, vt cum pauca puris portio in suppurata particula contenta sit, expedit autore Galeno lib. 13. meth. c. 5. medicamẽtis agere discutientibus potius quam apertionem administrare. Expedit quoque interdum hydro picorum effundendis aquis apertionem abdominis pyrotico medicamento facere, quã rem in plærisque à chirurgis suo tempori factitatam testatus est Lud. Duretus in Hollerium c. de hydrope. 3. cùm setaceum dictam pertusionem imperante morbi natura, exhorret homo candens ferramentum: hoc potest in non candens & frigidum commutari, quale profecto vsitasse professus est Fabricius Hildanus obser. 404. cũ obstracosæ callosæq; vlceris oræ sunt, quæ coalitum vlceris impediunt, est ægri animus consui. Aliqui enim vt Celsus lib. 6. c. 27. & Gal. ait lib. 4. ejusdẽ operis c. 2. longiore tempore curari citra sectionem malunt: aliqui verò quoduis subire, dummodo citius sanentur, sunt parati; Quam rem non ignorasse videtur Torquatus Tassus Poeta, qui libro XI. de Hierosolymæ liberatione percussum ex infixa cruri sagitta Goffredum exercitus Imperatorem inducit ita decernentem ex Æn. 12. translatis:

Et la uia pui vicina & pui spedita,
Ala cura di lui vuol, che si prenda.
Apriti ogni letebra à la ferita
Et largamente si risechi & fenda.

Res multas discreueris indulgentibus chirurgia modis usurus.

Exercenda lenioris chirurgiæ modi.

Abscessus vasti perpetuum non est, vt igne aperiantur.

Amputatũ ob necrosin membrum quomodo tractandũ.

Abscessum suppuratũ causticis medicamentis quo pacto aperiri licet.

Galenus l. 13 meth. c. 5.

Fab. Hildanus.

Celsus. Galenus.

Torquatus Tassus.

Simi-

Alexandri Macedonis electio fortis

Simili consilio Alexander M. ex Cydni Cyliciæ fluminis lauacro lethali ęgritudine oppressus citum, validum & anceps remedium potius, quam tardum ac tutum peroptauit. Quinto cum magnitudinem sectionis pro magnitudine, formam pro forma, locum pro loco, aut situm pro situ permutamus gratificantes ægris in eo, quod possumus: vt, cum vino ampliore vergente ad ima corporis exiccantibus frustra adhibitis, cogimur effluxum saniei sectione parare, cum Gal. docente lib. 3. meth. c. vltimo, & lib. 2. ad Glauconem c. 8. aliquando per dissectionem totius sinus possumus foramem in fundo excitare, quanquam in hoc casu (quod Gal. omisit) pro chirurgia, medicamentum accipere licet, & pro sectione, causticum imponere, qua permutatione, & aliâs poterimus vti: sicubi vel puer, vel pusilli animi homo, ac mulier occurrit: quod etiam G. Fallopio visum est in lib. de cum. C. de abscess. Item vbi rotundius ampliusue osculum desideratur quod ferre commodè fieri non potest. Illud vnum tamen requiritur, vt pyroticum, quod imponitur, sit quam minimè inflammatorium atque doloriferum, qualia non sunt sæpe cognita multis: Quam ob rem vt professores in hac re iuventur, medicamentum, quo feliciter vti consueuimus, in pharmaco Chirurgico communicauimus. Ita quidem in vitiatis putredine partibus adhuc verò in his, quæ nihil istiusmodi sensere, vt in hypospadicis, id est his, quibus sub inferiori glandis loco mictus foramen obortum est; quorum expediendo meatui voluit quidem Albucasis lib 2. c. 55. instar calami scriptorii exsecrandum extremum esse: verum cum duces satis, vt scalpro tenuiore, (spatham acutam nominat Celsus) primùm tantum in rectitudinem vltra descindas quantum æquare simplex sectio per recisionem possit, mox plagam seu plumbeo clauo seu spongiola diductum conserves ad cicatricem vsque. Sexto licebit esse pro chirurgia medicamentum accipere, cum faciendam pro extrahendo educendoque infixo quopiam Chirurgiam non facimus, sed attrahentibus idoneis utimur, quorsum aliqua nos in Pharmaco-Chirurgico c. de attrahentib. exposuimus.

Galenus.

Vbi opportune causticum præfertur deligere licet.

Causticum esto minimè inflammatorium.

Secretum nostrū pyroticum.

Admonitio

Sicut autem de noxis in promptu infestantibus dixi: ita per Chirurgiam velim ne euellere curet ea vitia, quæ in præsentia non molestent, licet poterint aliquando molestare, sicut in calculo; nisi tamen difficile aut vix reparari in tempus futurum possit, quod iam comminatur, quo casu si precibus multorum vrgeatur, aut cum præmonitu acerbi medicatus, poterit eandem aggredi Chirurgiam, id quod velim etiam obseruees in his, quæ decoris gratia poscunt ex nobis aliqui: quibus illud primum ex Cornelio respondebitur, turpe esse decoris gratia dolorem & medicinam sustinere. Referuntur ad hæc postrema castrationes & notarum in facie, seruis impressiones, impressorumque explanationes, & si quæ sunt alia huiusmodi, quæ cum non sint ad medicinam, sed ad alium finem nequaquam velim administret noster Chirurgus, etiamsi tradita per nostros eadem inueniantur. Veruntamen vnum ex his eximi fortasse licet, quod ad castrationem pertinet hac ad elephantiasin, finiendam vti non alienum esse, quando, & ipsam permisisse videtur. Aetius tetrablibl. 4. ser. 5. c. 122. & 125. quod non temerè inductū, at ex eo probabile dicebat Archigenes, quod nullus aliquis testibus captus, vt neque & mulierem inuenire sit elephantiasi correptam. Approbat & hanc quoque ab eventu Chirurgiam Valescus è Taranta cap. proprio, cuius rei rationem illam producit Ambrosius Paræus l. 19. sui operis c. vlt. quod euitari homines in morbum proni in fæmineam propè degenerant naturam, atque hepatis sanguinem assantis ardore restincto, humidi frigidique quæ Galeni est doctrina l. 1. de seruin. c. 15. euadunt, quę temperies elephanticorum intemperiei calidæ ac siccæ toto est genere contraria, quanquam & aliam rationem commentus est Nicolaus Piso l. 3. de cur. morb. int. c. vlt. Vim remedii adstruens quod retenta materia spermatica abundat, qua partes solidæ fruuntur & tumescūt, vnde assimulationis deprauatio tollitur. Alias præterea rationes opinione quidem Hieron. Mercurialis in 3. Var. lect. commentus est Aetius in memorato C. 125. quas cum ad rhombum accommodare nequiuerit Foroliuiensis homo, mire tortus, virum Amidenum grauium duorum lapsuum insimulauit. Sed vanæ ac ridiculæ censoris apparebunt argutationes, si alio spectasse authorē illum liquido demonstrauero. Porro illud statuit prima assertione coitus elephātiasi laborātib. infensissim⁹ est. Deinde signo eius rei & fundamento disputationis futuræ producto; Etenim, ait, nō repericis vnū aliquem temerè, qui erect⁹ ab elephantiasi apprehendatur, neque etiam facile mulierem; subdidit rationes assumpti forte ob id &c. Hæc inquam, quæ postremo reticui, Veneris elephantiasi affectis detrimentosæ, non autem vtilis castrationis est demonstratio. Cæterum hæc essent, & alia super hac re expendenda: verum quod ea non exequar loci angustia faci. Interim legas licet, quæ Fel. Platerus Prax. c. 3. tit. defædationis 44. habet dum ait, castratio non inutilis epilepsiæ vetustæ ac pertinacis, cuius rei meminit Ludou. Mercat. l. 1. morb. int. c. 17. quod tamen imitari licuit ex Aureliano, qui eius rei meminit l. 1. chron. c. 4. Iam vero quod ad me pertinet equidem chirurgiam hanc nec laudo nec vitupero, medicum ex hoc vsu tantum proposui; eximam vero certius resectum copiosarum adipum ad leuandum immobili onere corpus, quod de L. Apronico consularis viri filio scripsit Plinius l. XI. nat. histor. c. 3 Hæc, atq; alia huiusmodi licita sunt parcere nobis volentibus Chirurgiis, atque hæc temperatia via est, qua & leges medendi seruare & æqui nomen opificis in Chirurgia mereri debeat. Ad ipsam iam artis doctrinam veniamus.

CAP. XVIII.

Partitio summa chirurgiæ & circa exequendas eiusdem partes nostrum propositum.

Chirurgia vniuersim & modis omnibus est encheireisis, id est manuum admotio solers: quæ

quæ vel ad partes ipsas corporis, quantum ad ipsas attinet, procurandas & medendas adhibentur: vel ad ea quæ inciderunt, incommodantia, ac nocentia quæ aliena dici possunt, detrahenda: Curantur membra, si diducta sunt & dissita restituta naturali sua compagine atque vnitate; vel si præter constitutam naturæ legem, & præter id quod oportunitas exigit, sint coacta: diuidantur diducanturque eadem. Ita triplex est omnis species chirurgiæ compositiva, divisiva, extractiua: quæ synthesis, diæresis & exæresis græcè dictæ sunt ab autore Isagoges medicæ, qui Galenus ab his, Herophilus ab aliis est creditus. In his omnibus & singularum speciebus sui finis compos & impos operatio chirurgica potest esse: nempe vitium & virtus perpetuo sunt circa idem subjectum. Cum autem in omnibus hisce partibus efficax chirurgia sit: nihilominus in diæresi maximam dignitatem suam locauit: quam nos nimirum hoc opere consectabimur. Quæ divisiva chirurgia tum in mollibus, tum duris corporis nostri partibus exercetur. Vtramque nos exsequemur, primum dicturi de sectione mollium, cuius hæ sunt species: Angiologia, siue potius angiotomia, quæ vasorum est apertio, eaque duplex: phlebotomia quæ venarum, & arteriotomia, quæ arteriarum omnium, privatim verò temporum & frontis.

Hypospathismus, quæ subiectio est frontis: Perischyphismus, quæ ad occiput sectio est. Lithotomia, quę ad vesicæ vrinarię calculum eximendum, permæi sectio est. Hæ tres postremæ privatæ partium sunt incisiones; Reliquæ sunt indefinitæ atque vniuerso corpori communes.s

Scarificatio est diæresis species, qua cutis vel leuibus incisuris adaperitur, vel paulo altioribus plagis insecatur, huius vsus est præcipuus tensis partibus & emortuis. Huic accedit paracentesis græcè, latinè punctio, quæ quod minor sit insectura, ab hoc genere tamen non recedit. Sutura, etiam si diuisoria sit actu suo, tamen compositiui finis nomine ad synthesin ab aliquibus est relata, quos viros item sequi nobis commodum fuit.

Aplotomia perficitur recta linea simplici secundum membri vel rugarum cutis rectitudinem, nisi forte aliud transuersum, obliquam sectionem fieri suadeat. Hæc maximè in vulgari phlebotomia & in arteriotomia quæ punctim fit, & in paruis abscessibus fieri consuevit.

Circumsectio diuisionis est species, quâ cutis pluribus sectionibus angulatam plagam efficientibus exciditur, vsitata magnis in inguinum, axillarum & ani suppurationibus tum propter puris multitudinem tum propter magnam partium corruptionem, ut in 13. meth. c. 5.

Eccope, id est, excisio species est sectionis, qua quòd paulatim emoritur, vel omnino corruptum & emortuum iam est, vel inutile ac superfluum, vel in corpore adnatum, vel quod supra naturæ modum accreuit, abscinditur. Has omnes diæresis species tractaturi, exordiemur à simplicioribus procedentes ad compositiones, & exercebimus, has quidem omnes in efficaci hac tota nostra medicina. Verum tamen quæ tum in entotherapeutica, tum exotherapeutica dabuntur species, has trademus

CAP. XIX

De ratione doctrinæ nostræ Chirurgicæ, & quantum cæteris aliorum omnibus præstet.

POst hæc autem requiri videor de ratione viaque tractandi, cui quidem parti non illibenter satisfaciam, si prius excultarum ab aliis rationum meminerim, eam ob causam præcipuè, quod harum collatione clarescet ac nobilitabitur, vt confido, plurimum nostra methodus Tres in universum aut quatuor ad nostra tempora traditas rei chirurgicæ rationes legim⁹. Prima est Cornelii Celsi, opinor, vetustissima, vt quæ videtur ex priscis Alexandriæ magistris, quos ipse Celsus persępe citat, profecta. Quam è Græcis, quorum scripta nunc extant, retinuit vnus Paulus Ægineta: quippe ante hunc nemo chirurgiam ab aliis medicinæ instrumentis seiunctam, atq; in unum quasi locum sepositam conscripsit. Huic successit Albucasis Arabs, qui licet multa adinvenerit, priorem tamen viam non est transgressus. Novissimè & recenti quasi vestigio semitam hanc trivit Hieronymus Fabricius in lib. operat. chir. qui (quod nouum huic studio præstitit) præterquam quod ordinem aliqvem partium curandarum secundum genera seruauit dictos ternos autores sua interposita sententia sæpe consuluit, multosque eorundem locos haud plane claros explicauit. Sed à Rogerii Salernitæ & 4. magistrorum, qui sunt hunc sequuti & Bruni Calabri Longoburgensis placito deducti Petrus Argillata Bononiensis, & Guido Cauliacensis (priores alios minoris famæ scriptores non nomino) chirurgicam suam doctrinam disposuerunt secundum tractatus cognoscendorum curandorumq; tumorum, vlcerum, vulnerum, luxatorum, fractorumque ossium, interserentes & his, quæ chirurgiæ adminiculantur alia duo medica instrumenta. Horum instituto multis argumentis reprobato suum prætulit Vidus Vidius in nouæ chirurgiæ libris, quod opus à se nec immerito, nec satis pro merito commendatum, tamen incelebre mansit, & minimè multis vt evenisse debebat acceptum.

Ab huius placito non longè recessit Stephan⁹ Gurmelæus in syntaxi (sic enim appositè nominanda videtur) sua chirurgica qui vel Vidio suppar, vel paulo superior fuit, vt ego supputo neutro vnquam alterum memorante. Vtriq; autem, à se invicem, quibus in rebus discrepent, enarrabo, si prius quid differant, barbarolatinorum & Vidii schola discernam. Principes quidem illi viri primores seiunctam totam ab aliis instrumentis curatricis, sed implicatam locis atq; affectibus edidêre. Chirurgiam Barbarolatini disquisitionibus morborum & causarum illustratam coniunxerunt cum instrumentis medicinæ communibus, atque ad affectos locos, licet non ita semper extendere. Ab his vtrisq; longe fuit Vidius Florentinus, qui neq; cum partib. medicinæ neq; cũ instrumentis eiusdẽ, neq; cum affectib. neque cũ locis operas omnes chirurgię pręcepit, sed per se ipsas cõstãtes, ministeriis, verò, & agẽdi modis quãtitate, qualitate, ordine, loco, numero, figura tem-

Chirurgica Cornelij Celsi traditio ab Alexandrinis medicis profecta.

Æginetæ. Albucasis.

Hieron. Fabricii tradendi ratio.

Petrus Argillata. Guido Cauliacensis.

Vidus Vidius.

Stephanus Gurmelæus

Vidianæ methodi ab altera latinorum & barbarolatinorum discrimen.

Collata Vidii cum Gurmelæi altera methodo.

tempore, situ, ordine discretas tradidit singulas. Ab hac Vidii ratione nõ discrepat altera Stephani Gurmelęi nisi quod hęc magis ad veterũ normam redigi videtur, vtpote quæ affectus, maximè autem locos comprehendit. Sed distat à veteribus quod diligenti methodo subtiliter est ordinata, singula ad sua genera retulerit. Verum inordinata est altera priscorum, nec ad methodi normas disposita. Hic quidem singularum omnium descriptio, & hæc similitudo est, atq; discrimen.

Gurmelæi syntaxis qua in re differat ab antiquorum methodo.

Methodus authoris.

Sed nos quidem, cum selectam quandam chirurgiam docemus, nouâ sed necessariâ ratione sic eam disponimus, vt expositis prius duobus adminiculatoriis, diæticâ sc. & pharmaceuticâ generatim, chirurgia demum exerceatur per genera perque species affectuum operarumque omnium tum diuisiuæ, tum compositiuæ, tum extractiuæ functionis, siue etiam instrumentis, quę nobis indidit natura persoluendorum, siue arte comparata: materijs interim, quæ quibuslibet vsibus exiguntur non indictis neque exclusis: itemque productis agendi rationibus, quæ sunt vbiq; plurimæ: neque adeo vt nihil è necessariis defuturum statuerimus ad absolutam chirurgiam. Hæc nostræ traditionis erit series, & hic ordo: quæ vbi non exactè exequar, placitura tamen est excogitatio, quam quis ingenio superans doctius teneat scribendo. Etenim si vera licet profiteri, sique me meorum amor non fallit, cunctarum rectissimè videtur, hæc tradendi ratio, quæ simplex & ab ordine rerum producta, quamobrem perspicua, itemque ampla atque ordinata reperitur, supra quam vetusta Græcorum illa fuit. Quæ (dicam equidem quod sentio) cum secundum affectus sit, ordine partium à supremis ad infimas deducto, hæc quidem historica methodus, vulgarior proinde ac minus perfecta videtur. Multo etiam commodior, quam altera barbaro latinorum, quorum doctrinæ ea est inordinatio, vt legentium ingenia perturbent onerentque repetita sæpius rerum argumenta. Videris in Guidone librum sextum inscriptum de omnibus ægritudinibus, quæ non propriè apostemata, nec vulnera, nec vlcera, nec ossium passione, &c. Hic de contusione, casu, distorsione, combustione, de superfluis amputandis, verrucis, porris, corniculis resecandis, de fistula lachrymali, de suffusione, de hordeolo, & grandine palpebrarum, de illapsis in aurem, de sarcomate aurem oppilante, de polypo narium, de carne sub lingua, de freno eiusdem sermonem impediente, de carie dentium, de putridorum evulsione, de columellæ vitio, de infixis in fauces, de agglutinatione digitorum, de sedigitis, de exomphalo, de variis ramicibus, de suppressa vrina, de periphymosi, de coalito ano & vulva, de extractione fætus, secundarum, molæ, de prolapsu matricis & ani, de mariscis thymis, ficis, condylomatis, de varicibus & aliis quam plurimis, quæ cum extra genus, & certum locum ab his hominibus pertractentur, à nobis suo in loco reposita reperies certè sic, vt non te fallat locus, quocunque libeat, aut occurrant, invenientem. Imo & aliud commodi erit auditori per hanc viam procedendi, quod suas quasque

Taxatus Guidonis ordo.

chirurgiæ partes suis generibus reddere persacile assuescet, quod multis aliàs est difficile. Præmonstrauit autem hanc rationem nisi fallor Galenus in lib. ad medicinam introductoriæ sub finem ac Paulus Ægineta, lib. 6. Quod autem ad Vidii pertractationem, est huius quidem non tantum non contemnenda, sed maximi facienda solertia. Verum quod plausores multos non habuerint excogitata hominis, sed fastidierint multi & neglecta fuerint: Nimirum puto, quod cum tota sit in modis administratione constantibus qui minuti sunt, & vulgaris notitiæ velut effectorii, ac mechanici: sentit unusquisq; maxime si exercitatus in arte sit, non deficere sibi adhæc ingenium, quod si invitatus sit apud curatores magistros, hæc se singula observaturum confidit quas ob causas interim tradita spernit, & negligit neq; approbat sicut ego judico. Magis effecisset, ut arbitror Gurmelęus, nisi crebro græcismo se reddidisset obscurum, siq; non generales tantum affectus sed minutiores addidisset, qua utraq; conditione opus H. Fabricii meliuscule placuit, licet etiam non tantopere, quia chirurgicorum usibus tantummodo serviit, ut boni vir judicii collega noster Antonius Santorellus existimat. Ita sunt scil. inexpectati monumentorum & scriptorum exitus, ita diversi sunt hominum sensus atque iudicia, ita studiorum libido varia. Proinde rectè videtur is statuisse, qui dixit: victurus genium debet habere liber: qua cum forte vtinam prodeat, inceptusque fuerit noster hic labor, optatusque iuvandorum hominum fructus consequamur aliquando, sed satis esse debet ingenuo viro suum omne studium & operam & conatus adhibuisse ac ritè rectèque non instituisse. Porro nos vbi nil singulare præstiterimus hoc opere nostro, illud certè commodissimum erit, quod cùm seiuncta instrumentorum traditio placuit veteribus, coniuncta hæc equidem amavère posteriores, nostra hæc tradenda ratio vtriusque instituti complexu videtur absolutissima: nam & non desiderantur, cui sunt optatæ rerum istarum disciplinæ, & suo, quod alii maluerint, loco dispositas semotas habere licet. Taceo autem & quam multum physiatris vocatis medicis & chirurgicis sit æquè communis tres omnes medendi rationes complexa. Taceo etiam quàm plenè confirmata sunt quæcunque proponimus & veterum Græcorum atque Arabum, Arabicæque factionis autorum, & qui successerunt ætati omniusque nostram, testimoniis & nostris etiam demonstrationibus & adstipulantibus obseruationibus & historiis & experimentis & alio genere comprobationum, id est, opportunitatum, instrumentorum, materiarum, vsuum agendi, modorum, temporum, cæterumque euentuum, personarum, tum laborantium, tum adstantium enarratione & contestatione. Itaque denegari fides addubitare vel controuerti quicquam non sit facile cuipiam, si rusticus solum aut proteruus homo non sit.

CAP. XX.

Apud quos nostros autores efficacis medicinæ studium excolendum comprobandumque sit nobis.

Effica-

Efficacis medicinæ studium etiamsi vetustissimum est atque optimum, quo nulla rei medicæ pars antiquior aut præstantior extat: nihilominus, quoniam non omnibus datum est ire Corynthum, neque unumquodque cuiusque palato sapit; sic ista pro suavi & plausibili, i.e. adulatorio medicinæ modo, plerique neglexerunt; tantum abest, ut alii tradiderint suaserintque. Nos igitur, qui necessariam huius facultatem iam sentimus atque instituimus; illud quoque conducibile futurum existimamus, si apud quos condiscendum venandumque hoc studium exponamus. Sunt igitur apud quos perficere in hac re possis omnium maximè, primus Hippocrates, secundus Cornelius Celsus illius eiusdem inter omnes summus & fidissimus æmulator. Deinde Oribasius & Aetius & super hos maximè Paulus, qui tamen omnes ab Herodoto, Antylo, Archigene, Leonida, Severo atque aliis antiquioribus transcripsere. Galenum equidem inprimis non nominavi, ut qui sectiones & ustiones perparum sive scribendo sive medendo attigit, operarum aliquot numeri quos alibi retuli vix exigua facta mentione: accusandus autem propterea, quod cum Hippocraticam disciplinam admiratus unicè professusque fuisset, huius nihilominus chirurgicas operas aut dissimulavit aut neglexit: expectandum autem erat ab eo, ut has maximè sequutus amplexatusque fuisset; quin etiam, nedum ut has imitaretur, oportebat; sed ut studiosè promovisset, ampliasset, novis ubique rationibus auctitasset ac locupletasset, quod si fecisset, utique non dubito, efficax medicina stetisset & non intercidisset; nimirum propterea, quod receptâ & præiudicatâ iam huius autoritate permoti omnes rationem hanc subinde retinuissent. Sed ille sive temporum sive gentis non consentiente conditione, sive res istas distrahentibus assidua contemplatione librorumque scriptione non expertus, sive genio non ductus, sive Romanorum medicorum medendo mollium contage infectus, sive quomodolibet aliter comparatus & affectus, videtur ab hisce rebus abhorruisse: quod uno illo argumento cognosces, quando tapsia & columbi fimo pyroticis hercle medicamentis potius, quam roborante igne nobilem Romanam fæminam defluxu acri capitis laborantem curasse professus est: quæ res ab Alexandro Tralliano, viro, qui divinissimum illum appellaverat, est manifestè reprehensa, neque satis à Galeni amicis & asseclis defensa. Iam igitur id quod advertere debemus, est, ut non propterea, quod istorum plurima minime tractavit Galenus, neque exequutus fuerit: ob eam rem huic medicinæ fidem detrectemus, quin verò, quod Hippocratem imitari desierit, culpa notandus est idem, atque Hippocrates magis, quam hic spectandus. Etenim si vera fateri, quæque sentimus animo, verbis, exprimere velimus, propter hanc inter cæteras maximè causam retro multum medicinam sublapsam, multis ad nos iam sæculis arbitror; quod Hippocraticæ medicinæ lectio, observatio, imitatio, subtiliore quidem sed non solidiore neque absolutiore retento in omnibus Galeno, desiit ac recessit, non debebat autem potius, quam fons, captari rivus, aut præ autographo, exemplari, id est, præ magistro, auditor, aut autore, interpres. Verum oportebat agnosci primas dictantis leges, primaque placita viri vere divini, qualem & idemmet Galenus agnovit & ubique scriptorum suorum facile prædicavit: non plus autem experimentorum & observationum copia, non inventarum rerum conditione præstitit Hippocrate Galenus; sed ab uno illo medicinæ parente bona omnia ad posteros fluxêre; quemadmodum idem ipse Galenus locis plerisque confessus est.

[Margin: ...ns ... effi... Hipp. ...li ...um ...reti... Ga...]

Itemque Soranus Ephesius vir peripateticus, qui isagoges medicæ principio scripta reliquit hæc; medicinam quidem invenit Apollo, amplificavit Aesculapius, perfecit Hippocrates, quem mihi hominis ducem & iudicem omnium causarum & quæstionum oportet accipere, tanquam parentem & inventorem omnium bonorum operum, per quem logica nobis iuxta rationem est facta traditio & tanquam visibilis facta doctrina, ut per eam meliores fiant & acutiores, qui introducuntur ad medicinam. Ampliavit Galenus & pleraque præceptoris asserta dilatavit, ut advertit Franciscus Petrarcha, non auxit eiusdem opes, nisi tamen verba, methodos & subtilitates opponas; dilatasset autem pro more omnia quæcunque strictè scripsit Hippocrates asiaticè Galenus? nec Nestoris anni profecto nec omnes pergamenæ satis fuissent. Itaque si quamplurima pars scriptorum Hippocratis interpretanda est: ipse interim omnino legendus Hippocrates & sua in omnibus mens audienda; quæ si vera sunt, ut sunt certe verissima; quid uno & potissimo Galeno adhæsum est, concreditum delatumque omne iudicium, vix aliquando & quasi in secundis memorato Hippocrate? Sed enim est hoc vitium nostrorum temporum, qui prius quam Aristotelem & Platonem, novellos philosophos & sophistas legimus; pro Ptolemæo Alchabitium, pro Euclide & huius ordinis viris mathematicis; practicos geometras, pro Prisciano, Grammaticos, nescio quos aut quales; pro Cicerone observatores, pro Virgilio atque Flacco poetastros è Pegasi fimo iam recentissimè exortos, sic porro corrupta est exquisita disciplinarum & summa dignitas; sæcula illa felicia viros protulere tantum imitabiles, non superabiles, semper autem à primo illo splendore desitum est, sic autem maxime conservatus fuisset, si prima autorum observatio imitatioque stetisset: Quibus & alia subnecterem pro confirmatione: sed longior equidem in hac re nolim esse, vel huius argumenti disputator accessisse. Contineo captantem plura stylum & ad institutum nostrum sermonem redeo. Auxit modo narratam altera calamitas, quod pro Galeno receptus est Avicenna, proque Paulo, Albucasis & Arabica factio successit, qua amplius à primo splendore medicina degener reddita est. Concedo equidem, quod abiectis barbarorum institutis, quæ iam Gothorum in Italiam incursionibus invaluerant, incrementa maxima rei nostræ per primum Leonicenum, Montanum & horum auditores & æmulatores fuisse allata retextis scil.

D methodis

methodis & ipsa græcorum lectione atque eruditione recuperatâ. Verum enimvero deficientibus eiusmodi viris & hac schola (id quod sane rebus & institutis bonis omnibus accidit) in deterius delabente: pro methodis doctorum hominum successere subinde frigida subtilitas & inaudita sophismata; confictæ quædam philosophandi rationes & opiniones & ambagum plenæ disputationes; quæ tum in Scholis, tum in consessibus & consultationibus in dies, ut multa cum pompa, sic sine fructu languentium audiuntur. Sed quæso quæ de his mirus sensiit Hippocrates, audi; quicquid artificiosè dictum non aut factum methodi inartificialis demonstrativum existit; Nam putare quidem non autem facere ignorantiæ & inartificialitatis signum est; Et idem vir alibi: His quæ ex sola ratione perficiuntur, frui non datur; verum his, quæ ex operis indicatione: fallax enim & ad errorem proclivis affirmatio, quæ fit cum garrulitate; qua propter his quæ fiunt, inhærere oportet & circa hæc vel maximè versari, si quis facilem ac minime delinquentem habitum, quam sane medicinam appellamus, sibi comparare valet; Valde enim magnam utilitatem afferent tum ægrotanti tum artificibus; hæc Hippocrates. Quo sic audito ac deprædicato, peroramus iam & constituimus ei qui volet, non ex aliis, quam ex hoc ipso & principiò memoratis viris efficacem medicinam hauriendam & depromendam esse. Nunc autem quoniam incidit Hippocratis & Galeni autorum summè veneratorum collatio, qua didicimus longis parasangis præstabilem virum Coum, ut illud etiam plenius confirmemus, nosque omni suspicionis culpâ eximamus; visum è re ista fuit, si nostrum, quem de utrisque parallelum aliquando conscripsimus, hisce annecteremus, quod sequenti capite à nobis præstitum.

CAPUT XXI.

Parallelus Hippocratis & Galeni.

Si quis exactè res Hippocratis & Galeni discutiat & convenisse simul & discrepasse non parum virorum principum doctrinam rite comperiet. Convenerunt, inquam, his primum, quod utrique magno vastoque ingenio complexi sunt naturam præsertim humanam subtiliter ac profundè: indagatores ambo industrii, tum quidem studio, tum peregrinationibus indefessis, veritatis plusquam opum & facultatum civilium amici, medicinæ cultores incomparabiles & autores, quemadmodum ex historia de vitis utriusque constat. Præter ingenii verò solertiam, institutum atque industriam, contigerunt & his ambobus accommodatissimæ ad hæc eadem medicinæ studia & locorum profectus exoptatissimæ occasiones; externæ educationis & institutionis præparatio, doctrinæ absolutio, gymnasiorum commoditas & sæculi fælicitas. Ad summam hi concordarunt ingenii præstantiâ, disciplinæ studio & studendi fælicibus adiumentis; sed discreparunt scribendi ac profitendi more styloque, tum usu medendi.

Scriptio quidem Hippocratis concisa & compendiosa, obscura & pressa quam maxime. Contra Galeni stylus uber, explicatus & fusus, præteritorum commemorator & recapitulator, futurorum vero præparator & anticipator; quorum utriusque discrimina diversas agnoscunt causas, nimirum styli proprietas sive character, rei medicæ statum & tempestatem aut ocii angustiam propter usus medendi causatur. Porrò Hippocrates medicinam invenerat rudem & incultam velut agrum inopem quam quidem excolere atque ampliare instituerat; deinde medicorum etiam inopiâ seu raritate cunctæ Græciæ tutamen sustinere cogebatur, summæ atque incomparabilis vir autoritatis. Has ob res factum est, ut res consequendæ & curationum modi, comminiscendi & elaborandi sibi ipsi fuerint. Adde quod tam multi sophistæ ac dialectica procacitas per ea tempora non vigebant. Quæ certè non extiterunt omnia pro causa Galeni, qui seculo venerat sophistarum & rhetorum refertissimo medicinam compararat iam ample satam & consitam: itaque opus habebat culturâ; hoc est, cum dictator obscura & difficilia rerum omnium capita summamque proposuisset; hic operæ pretium duxit, si panderet abstrusa, distingueret ambigua, explicaret involuta, mutila integraret, sensa enarraret, indemonstrata demonstraret, imperfecta perficeret atque compleret, quæ confusa essent & inordinata ordini redderet; plurimis difficultatem tolleret & ad summam verba & sententias senis breves & concisas dilataret atque extenderet, homo scil. Asiaticus & in Platonis lectione diexotica exercitatus, ac proinde scribendi characteris uberioris amicus, cognovit utrorumque rationes Franciscus Petrarcha, qui in triumpho famæ tertio scripsit hæc;

E qual di Coo che fe via miglior l' opra;
Se ben intesi fosser gli aforismi.
Apollo, & Esculapio si non sopra;
Chiusi ch' appena il viso gli comprende:
Si par ch' i nomi il tempo limi & copra:
Vn di Pergamo il segue & da lui pende
L' arte guasta fra noi, all' hor non uile
Ma breve, è oscura, ei la dichiara & stende.

Ego vero, ut Zeno rethoricam à dialectica discrevit, hanc comparans manui compressæ; illam vero reclusæ: ita Hippocratis doctrinam dixerim conclusam & convolutam; Galeni verò pansam atque apertam & hoc quidem discrimen primum est; alterum quod senis nostri medicina visa est utens (erit ad significandum logicorum vocabulum maxime accommodatum) & ad res spectans: Galeni verò traditio, ferme tota est docens & ad methodos ostendendas accommodata; quod enim genera morborum proposuit Hippocrates complicata. Galenus explicita docuit, id est, intemperiei conformationis, unitatis solutæ, vitia multiplicia, quæ non est huius loci enarrare. Item principia naturalia & non naturalia constitutionis & sanitatis humanæ; partes medicinæ varias & multiplices & hoc genus.

Tertium discrimen est, quod Hippocratis diligentia plurimum observatione constat, vacans plerum-

plerumque demonstratione; Galeni verò tota demonstratrix est dissertatio: Hippocrates porro logicam à nullo magistro didicerat; suo per se ingenio comprehensam: Galenus vero ingentem operam dialecticæ dedit, ut 14. de demonstratione libri ab eo conscripti satis declarant.

Quartum discrimen est, quod Hippocratis medicina plurima parte curativa potius quam contemplativa: Galenica verò contra se habet; neque si curationes prosequitur singulares atque minutos earum modos exponit contra quam Hippocrates.

Quintum discrimen proximo consentiens Hippocratis medicina maxime cum chirurgia complexa est; minime verò illa, quæ Galeno placuit. Denique summa duorum & principum autorum illa est diversitas; quod maior Hippocratis simplicitas, gravitas & maiestas; Clarior Galeni pompa, splendor & fastus est.

His iam expensis si recte iudicare norimus aut velimus; neque nos à vulgari hominum sensu vinci trahique gratis patimur; haud fas æquumque est Hippocratem pro Galeno deserere; quin contra: deficit enim & deflectit ab Hippocratis tramite plerumque Galenus, ut singulari cum iudicio parique cum animi libertate professus est alicubi Prosper Martianus: cum quo viro quum ego sentiam, facile cum ipso cecinerim:

Praef. com. in 22. aphor.

Quisquis es, ô Lector magni si arcana parentis
Hippocratis penetrare optas ac discere leges,
Vt rudis accedas, atque omnis nescius artis,
Affer purgatas alieno dogmate mentes,
Tum tot doctorum varios procul abiice sensus;
Hippocratesque tibi sit solus doctor & autor.
In nostros acsi iudex cupis esse labores,
Despice Pergameas, Mauritanasque catervas,
Quarum dicta tenent Coæ contraria sectæ,
Sintque tibi tantum Coi præcepta magistri,
Qui, fateor, nunquam consuevit dicere falsum.
Hinc falsus nunquam, potuit nos fallere nunquam.

CHIRURGIÆ EFFICACIS,
PARS SECVNDA
Enarratoria.
De Angiologia, id est vasorum dissectione,
Præfatio.

NOstri corporis vasa cum sint duplicia, venæ inquam & arteriæ angiologia quæ has atque illas una complectitur, duplex etiam nomen est nacta, id est, phlebotomia atque arteriotomia, quæ utraque duplex: alterum genus, quo vasculum totum descinditur, alterum, quo tantum aperitur. Sive secundum longitudinem sive transversim, sive oblique quæ utraque insecandi ratio differunt usu: nempe quod adapertum duntaxat spectat, usitatur phlebotomia ad putrescentis sanguinis vacuatum; arteriotomia vero ad ignei spirituosique nimium sanguinis attemperatum & castigatum. Dissectus vero humori præterfluenti viam intercludit, ne posthac infestet unquam duriore cicatrice ad præcisuram inducta, quemadmodum explicavit Gal. l. 13. meth. cap. 22. Sed usus præsidii iam enarremus, expositurí prius arteriotomiam utpote cuius efficax omnino visitur administratio.

DE ARTERIOTOMIA.

MAgna salutarium quarumlibet artium adiumenta non sine magno mortalium incommodo ac detrimento negliguntur, at in medicina cum pleraque celebrentur præsidia vitæ nostræ tuendæ ex his non infima & celeritate iuvandi maxima est arteriotomia, cuius, quæcunque tum à Galeno tum ab aliis omnibus referuntur, ee semper in arduis & admirandæ fuere curationes. Ad has autem proferemus & nos recentissime nostras neque ignobiles neque paucas: quibus iam semel incomparabilis arteriotomiæ præstantia virtusque appareat: quo autem hæc clarior cognoscitur eo maior etiam crescit admiratio, nec ulla ratio satisfacit inquirenti; quamobrem inter nostros medentes desierit eiusdem usus. Difficultates enim si quæ prætexuntur, ab inertibus, inquam, aut rem perperam intelligentibus; hæ tanti non sunt, ut generoso Asclepiadeque medico imponere debeant, facereque, ut tam eximio singularique præsidio renunciaverit. Difficultates, inquam, non aliæ, quam aneurismatis aut sanguinis fluxus irrefrenabilis dispendium. At has quidem cum meminit Gale. lib. de sang. missione. F. putarunt inconsulti quidam, communes has fecisse omnibus arteriis, sed nihilominus de maioribus vasis loquutus cognoscitur, dum rationem exposuit, ob quam magnas arterias non secuerit ulli. Deinde compertum est usu ab Aegyptiis hodierna die, testante, qui vidit Prospero Alpino in l. de illius gentis medicina, compertum quoque à nobis has sectiones quotidie factitantibus, quod ad hæmorrhagiam spectat, hanc & per se nullam, siquidem hæc vascula tantum aperiantur & siquidem præcidantur multo etiam amplius evenisset, ut prono capite

capite detinendos homines censuerimus ad supremum usque sanguinis eductum. Aneurismatis vero dubitatio nulla est, quale enim ab exili sanguinis arteriosi defluxu parique & qui vix aliquando percipitur, pulsu fiat? Quod si tamen accedat inpromptu arteriola præsecta, vel vinculo tollitur.

Jure igitur Antonius Maria Beccus Bononiensis professor nobilis in comm. 4. fen. 1. Canonis Auicennæ, cap. 20. re bene perspectâ conceptis verbis enunciavit: ad summum in arteriis aperiendis medici nostrâ tempestate plus quam decet, sunt formidolosi. Eiusdemque etiam inscitiæ coarguit nostros homines Prosper Alpinus, qui capitis arterias usu quotidiano secari vidit ab Ægyptiis, atque etiam Ambrosius Paræus adnotandis postmodũ locis atq; alii? O Fatuos igitur & bardos omnes homines! qui tam liquido mentis errore, tam insulso & vano apparentis rei per somnium timore teneantur.

Contra Horat. Augen & alios arteriotomiæ falsos iudices.

Inprimis autem Horatium Augenium, qui l. 9. de sangv. miss. cap. 12. professus est, se nunquam arteriam vidisse conglutinatam; propterea suo iudicio multò satius esse ab hoc opere abstinere, quam temerario ausu aggredi! Sed quas rogo arterias conglutinatas non vidit Augenius! præsectas, sc. à tonsoribus aut per vulnera. O magnum igitur virum, qui magnas cum parvis arterias confudit & non discrevit, neque Galeni discrimen intellexisse & comprehendisse potuit, quod l. de sang. miss. loco supra adnotato descripsit.

Gratias egi Deo maximas agamq; perpetuo, quod hanc aliis tam difficilem operâ sæpe nullo in terris prẹmonstratore aut doctore confecerim. Nimirum extiterunt ante nos viri modis omnibus præclarissimi qui necessariam hanc in plerisque morbis vacuationem cognoscentes & requisiverunt à chirurgis & frustra desiderarunt. Inter omnes unum Joh. Heunium medicinæ flosculum & ocellum referam, qui aphor. 23. l. 1. scripsit, Anno 72. supra M. D. manabat quibusdam in febre hungarica sanguinis substillum è naribus exiguum. Verum illud erat purpureum roseoq; fulgore micans, metus namque is sanguis erat arterialis nimia flamma incandescens: ita illi evadebant. Vnde sæpe mecum cogitavi, num salutariter in his arteria aperiri posset. Sed quis audeat? Doctiores quæso hac de re cogitent. Hæc ille: per quæ vides & bene cognitam & neutiquam exercitam arteriotomiæ virtutem esse.

Age igitur nos sicut rem manibus feliciter sæpe peregimus, multosque difficilioribus morbis prægravatos liberavimus, ita scriptis etiam rationem omnem, quæ ad hanc rem pertinet, exponamus; fortasse fiet, ut multos, qui veteri desuetudinis more contenti fuerant, pudeat hac medela, cognita iam frugifera atque honorifica, non uti: longe verò plures, qui vividiore sunt ingenio, etiam ultro & lætabundi revocatum hoc medicinæ subsidium amplectantur, sed nos interim aggressi tractationem ab arteriotomes generalibus & primis eiusdem usibus exordiamur.

Arteriotomia cu[m] affectib. fervid[i] sanguinis perfecti[o] utilitas.

Primum de huius ad certos finiendos morbos secandi oportunitate generale præscriptum fuit Gal. 13. meth. cap. 22. & l. de therap. per phlebot. c. ult. atque omnes hunc secuti græci scriptores & Razes aphor. portia. 14. & 15. contin. capite ultimo statuerunt morbis plerisque internis à calidiori, ac tenui multamque expirationem ac flatum continente sanguine natis ac dolore cuilibet pulsatili ab arteriarum æstu concluso arteriarum sectarum præsidium semper felix.

Est autem tenuis & halituitosi sanguinis argumentum, quod dolor quidam pungens sentitur certâ quâdam sede tanquam affecti loci centro fixus, qui sensim expanditur & in partes centro circumstantes cum tensionis sensu undique diffunditur: unde commodè proxima arteria inciditur. Attigit autem causam indiciaque Hipp. l. 2. de morb. num. 4. qui est de supervomitu venarum, his verbis; verum super vomere videntur, quum ad venas bilis aut pituita ingressa fuerit, elevantur enim venæ & pulsant & dolor per totum caput dispergitur & aures sonitum percipiunt & nihil audiunt & sonitum quidem percipiunt, utpote venis pulsantibus & palpitantibus: tunc enim sonitus est in capite. Hæc Hippocrates; Quæ recitavi equidem eo libentius, ut appareat & in supervomitus arteriarum causa, protinus esse has phlebotomo pertundendas, ubicunque pulsare animadversæ fuerint.

Arteriotomiam mani[am] ... Aurel[ia]nus ...

Has ob res, quod inmania præcipiti mentis furore damnavit hoc idem Aurelianus l. primo Chronicor. cap. 5. non video. Sed ipse tamen ullius fundamenti inops, rationem sententiæ suæ nullam adscripsit. Verum enim vero confidere nos arteriotomiæ tum vere debemus, ubi per exteriores ductus spirituosi sanguinis est excursus, quo tempore, quave occasione & forte fortuna factas harum concisiones profuisse legimus.

Prodidit enim Mengus Faventinus nob. ætatis suæ philosophus ac medicus l. de ægrit. c. de cephalæa, dum fœminæ veteri dolore capitis afflictatæ (Mariæ de Leucis nomen) per scarificatum partis medetur, arteriam forte discissam & plurimo effuso sanguine certam opem attulisse. Verum enimvero ubi per intima vasa decurrit idem, nil ferme fructus exhibet ea sectio Galeno in oculorum laborantium curationem id confirmante & loco proxime memorato & 3. de loc. aff. cap. 8. privatim ad vertiginem, quam interdum proprie curari per has sectiones non posse testatus est, quod altior est materia, quam ut per has vacuationes attingi queat; nimirum conclusa in vasis maioribus, quæ ex cerebro ascendentia in retiformem plexum coëunt & consistunt. Ad hunc quidem modum conficit Galenus, ad interna sanguinis æstuosi peccata delenda, externam arteriarum sectionem, usui non esse. Quanquam non desunt, qui aliter sentiant, adstruentes in ophthalmia, quæ causam interiorem habet, in scabie difficili & malis congeneribus arteriæ sectionem convenire, si quidem facto foramine exhalat noxius humor & è conservato

vaso purgatur. Adduntque diminuto alimento, partem fluxioni obnoxiam coquere posse residuum sanguinis, qui per interna vasa descendit, ut minus supersit fluxionis incremento: id, quod experimento comprobat. Verum ad hæc Thomas à Veiga Com. 3. in l. Gal. de loc. affect. sect. 4. paulo post huius initia dicit, ut ostendunt quidem dicta iuvari nonnullos, ita artificiosam esse in illis curationem & non temerariam non suadent, oportet enim remedia frequenter curare, præsertim quæ dispendio chirurgico vacant. Sed hâc missâ controversiâ, ad ineptum sermonem redeo, sunt per arterias exteriores euntes fervidi vaporis notæ & pulsus & æstus externe molestans. Quod si per interiores spiritus ille flammeus feratur, eædem hæ, sed interius prævalentes indicabunt notæ. Jam vero rationem dignoscendi mechanicam tradidit Alexander Benedictus l. 3. cap. 9. quæ est hæc: Raso capite ea medicamenta, quæ in lippitudine epiphoras cohibent, à superciliis usque ad verticem illini debent, si sicci oculi esse cœperint; apparet per eas venas, quæ sub cute sunt, procul dubio oculos irrigari, quod si nihilominus hi madent, manifestum est humorem sub osse defluere; est autem memorata mistura rheumatismos suspendens ab eodem viro experta ea, quam cap. 8. descripserat ex Galeno, hæc; farinæ similaginis, thuris mannæ, cum ovi albumine, aut ex eadem farina & thuris manna p. 11. calchanthi, alum. sciss. an. p. 5. ex ovi albumine fronti & temporibus ex linteolo imponitur. Jam igitur ubi exterior cognoscitur causa mali, tum arterias pertundi, aut præscindi percutique aut exscindi licet. Est & autor anatomiæ vivorum, qui distractu dirumpit. Porro apertio omnium simplicissima levioribus quibusdam affectibus convenit, neque recurrentibus malis proficit. Præcisio perutilis est profundendo sanguini & aneurismati declinandis: à quibusdam omnia tuta quærentibus eligi solet.

Vstio cunctis optatis satisfacit, nam & pericula memorata præcludit & efficacissime vitii causam absumit, altius & latius se porrigendo: roborat deinde & confirmat tum partem ipsam inustam tum proximas; excisio, (quantum equidem maiorum consilium interpretor) cumulatius refrigeret; quippe quantum vasis conceptantis abscinditur, tantundem etiam fomenti vitalis deperit parti: meminit autem excindendorum vasorum Galenus. l. de therap. per sanguinis miss. cap. 10. cap. 9. 22. & 23. ex omnibus autem ustio atque excisio transgredienti, qui peccat, sanguini, atque omni recursui viam præcludit; præsertim si utrâque capitis parte fiat præsectio. Sed iam singularum arteriarum, quæ sectu probantur, proprias utilitates exponamus.

De arteria frontis.

FRontis arteriæ pertundendæ pauci ex his, quos legimus meminêre; sive quod hanc cum venis temporum confuderint, sive quod difficile legitur. Ex omnibus Aegyptii, qui frequenter hac Angiologia delectantur, arteriam eam, epilepsiæ medentes, secare consuevere: quod Prosper Alpinus Marosticensis in l. 10. de medicina methodica cap. 7. testatus est, ad dolores quoque capitis vetustos eandem hanc arteriam feliciter ab iisdem Aegyptiis aperiri solitam confirmat idem l. 9. eiusdem operis c. 7. huius autem unius beneficio à decennali cephalæa liberatus est R. P. Minutulus Jesuita. Jacobus vero Fontanus l. 1. pract. medic. cap. 16. has etiam in curatione vertiginis elidit.

Prosper Alpinus. *Iac. Fontanus.*

Arteriæ temporum sectio.

PRo capitis affectibus omnibus medendis arterias has incidi recte docuit Avicenna l. 3. fen. 1. tr. 1. cap. 33. & prima 3. tr. 5. cap. 3. Pro mania vero finienda capitis arteriam non nominatam incidit Gariopontus, l. 2. de curat. morborum primo cap. 9. Hemitraniæ recidivam omnem abstulit sibimet ipsi chirurgus per temporalis arteriæ transversum discissum: cuius rei memoriam scripto prodidit scientissimus omnium Conradus Gesnerus l. 3. epist. medic. cap. 96. plenius verò Thadæus Dunus miscellaneorum cap. 12. amplam quoque remedii ad idem morbi utilitatem & in seipso & in Principe Rupensium testatus est tum administrator Ambrosius Paræus lib. 16. cap. 4. tum præsens Ludovicus Duretus in Hollerii praxin. cap. de hemitrania & hos sequutus Jacobus Fontanus Medic. pract. lib. 1. c. 2. & cons. 13. ac Rodericus Fonseca tom. 2. cons. de hemicrania quod est num. 64. c. 13. qui viri didicerunt, rem facilem vel ex superioribus Græcis vel ex Arnoldo Villanovano, qui lib. de consider. operis medic. distinctione 2. par. 2. cap. 1. remedium in hoc morbo curando tradidit; ex usu futurum. Idem vero Fontanus lib. 1. pract. medic. cap. 16. & vertigini hâc medetur. Sed Paræus perculso sive commoto cerebro per idem remediis succurrit lib. 9. sui operis cap. 23. Ophthalmiæ per commodam proposuit Zapata L. de secretis rei medicæ: Ad hæc temporum sectæ Arteriæ Isaaco auctore lib. 9. pract. cap. 6. nec non Constantino Africano, lib. de remediis ægritudinum cap. 3. curant hemicraniam, ophthalmiam, calidum, & acutum catarrhum & apostemata sub lacertis temporum oborta, præterea oculorum phlegmoni, arterias temporum sectas benefacere testatus est Galenus lib. 13. meth. fine, nec non Joan. Mesuæus lib. 2. Grabad. C. de ophthalmia & cap. de Lacrym. involuntariis, quem virum virè iunioribus Bertrutius Bononiensis solidioris experientiæ tr. 3. sect. 2. c. 2. & Antonius Cermisonus celebris suæ tempestatis medicus in cons. 10. & Jac. Hollerius & Lud. Duretus lib. de curat. morb. int. c. 19. ubi Duretus & in cataracta ineunte arterias, quæ in propinquo sunt, secat, docuerat autem hoc prior Razes 9. ad Mansorem c. p. F. in quem locum leges enarrationem Gerardi de Solo aliorumq; complurium eandem rem confirmantium.

Avicenna. *Gariopont.* *Gesnerus* *Thadæus Dunus* *Paræus* *Duretus* *Fontanus* *Arnoldus Villanovanus.* *Zapata* *Isaac* *Constant. Africanus* *Galenus* *Mesue* *Bertrutius* *Ant. Cermisonus* *Iac. Hollerius* *Duretus* *Razes.*

De arteriis ad angulos oculorum exteriores.

ARteriarum quæ pone angulos oculorum exteriores superciliis rectâ respondentium hactenus nemo, quantum equidem legi scriptorum veterum tum recentiorum sectionem commeminit. Opinor autem & verè credo consimilem hunc qui est arteriarum temporalium, usum citatum esse. Temporariæ igitur ubi vel non appareant, vel aliâ quâlibet causâ tentari non debeant, hæ substitui facile possunt: Itemque pro his malis fervidioribus, ad quæ venas ad angulos oculi spectantes, aperiri præceptum fuit.

Arteriarum post aures sectio.

ARterias, quę posticis auribus assistunt, vertigini medendæ dissecat, Galenus l. de terap. pre phlebot. c. ultimo & Paulus l. 3. c. 12. quam sectionem approbat eidem rei Cælius, lib. 1. tard. pass. cap. 1. pag. 259. Secantur autem vasa circa aures & frontem, quum oppleta tument, quod adnotavit Johan. Heurnius lib. de morb. cap. 20. Serapion vero prior tract. 1. cap. 13. requisivit, ut arteriæ post aures, flatu nimio pulsare, videantur, & tangantur, cui eidem morbo finiendo arterias item, quæ pone aures micant, cauterio discindit, Leonardus Fuchsius scholæ Tubingensis professor lib. 1. de cur. morb. int. cap. 19. itemque Jacobus Hollerius, in eo, quod practices cap. 5. subiecit, scholio: quod etiam cap. 1. & pro hac affectione & pro cephalæa curandis, cum enarratore Dureto comprobarunt c. 4. ad vertiginem vero medendam meminit huius remedii Nicol. Piso. lib. 1. de cur. morb. cap. 1. & Lazarus Sotus in adversionum medicinæ practicæ §. 96. & è nuperrimis Epiphanius Ferdinandus in historiarum medic. 34. In vertigine quoque ac dolore capitis contumaci arteriotomiam hanc eventu probatam testificatus est, autopsiæ fide Ioachimus Camerarius in observationibus, approbavit verò ante hunc remedii vim ad huius eiusdem vitii debellatum Constantinus Africanus lib. de remediis & æg. itudinibus cap. 3. qui idem vir imitans ex Magistro Isaaco lib. 9. Pract. cap. 6. excisione arteriarum, post auriculas pulsantium capitis scabiem, ophthamiam, diuturnam hemicraniam & stuporem dixit curari.

Verum, ut nihil dissimulem post tot tantosq; scriptores omnes, solus Ludovicus Mercatus arteriotomiâ post aures offensus est, l. 1. de curandis morbis int. cap. de vertigine; nimirum quod hæc dissectio sterilem hominem reddat Hippocrate autore lib. de aëre, aquis, & locis & lib. de locis in homine, quod dubium & Constantino fuit, lib. chirurgiæ cap. 3. Verum hanc hominum male Hippocratem interpretantium, opinionem multis argumentis & anatomicâ demonstratione plenè convellit Andreas Laurentius, in lib. Historiæ anatomicæ quæst. 4. quamquam eo retulit Thomas à Veiga comm. 3. in lib. Galen. de loc. aff. sect. & Lazarus Sotus in comm. ad lib. Hippocrat. de locis in hom. text. 16. Ioan. Vallesius 2. Controv. 7. quod præsectis hisce ductibus cerebrum in fluxu spirituum privatum debilius redditur. Addidit insuper, Sotus quod influxu spirituum animalium privantur & genitales particulæ propterea, quod præscinditur etiam simul cum his vasis nervulus quidam à sexta coniugatione delatus in vasa seminaria, & usque ad testes ut advertit Andreas Vesalius? At Ludovicus Mercatus, lib. 3. de mulier. aff. cap. 5. autore fretus Aristotele in secundo de gener. animal. dictanti, quod semen habeat quidpiam cum cerebro commune: præcipuam sterilitatis rationem refert ad ingentem frigiditatem atque invaliditatem, quâ totum corpus ex copiosa sanguinis profusione afficitur, ex omnibus vero partibus, cerebrum maximè. Quod si ab hoc non decidat semen verè, nihilominus vim genitabilem & semen & testes recipiunt, quâ vi sanè sublatâ vel diminutâ, ne mirum quidem est, infœcunditatem pari?

Hæc isti omnes. Verum illud equidem ab iisdem libens rescirem, quomodo apertum vel exectum lateris alterius vasculum tam magno posit esse offensamento, quum restet integrum & compar. Confirmatur autē quod tanti valere nequeat exectio, siquidem ligato arte testiculo altero nequaquam impediatur generatio, testimonio vel eiusdem Aristotelis & omnium. Adde quod is sectis etiam utrisq; testibus compertum est etiamnum hominem generasse. Quod si inquam privatorū & principum genitalium organorū læsione non inhibetur procreatio, quantominus exectis longinquis & alienis vasculis? Recte igitur opinati fuerimus nos, ex aliorum fide & narratione, dictum illud ab Hippocrate: vel sentiamus cum Dino Florentino in 4. fen. p. 1. Quæst. 60. p. 105. ex uno vel altero rei experimento professum hoc à bono viro, cui sanè primo inventori cuncta complere haud fas erat, est autem & Avicenna d. loco, qui asserit & rem hanc, ut evenire queat, à Galeno negatam. Interim autem Dini mentio facta est, hunc c. isto 20. quæst: 54. 55. 56. 58. de arteriotomia, legito.

Epiphoras, id est, diuturnas ad oculos fluxiones, sectis utrisque arteriis, quæ post aures existunt, curandas præcipit Razes, lib. quem inscripsit, Divisionum cap. 26. idem noluit Avicenna lib. 3. fen. 3. tract. 1. cap. 9. atque hunc imitatus Michael Savanorola tract. 6. c. 3. rubr. 33. ad antevertendam suffusionē idem illud decrevit, nec non Arnoldus Villanovanus lib. de considerat. operis medic. distinctione 2. part. 2. cap. 1. ex his quoque est Gabriel. Rondeletius lib. de curat. mor. inter. c. 55. qui summū id ad hos rei remediū professus est, post hos & Iulius Cæsar Arantius Bononiensis, lib. de tumor. cap. 6. quod est, de ophthalmia autore usus Paulo, Itemque Ioannes Heurnius lib. de morb. ocul. cap. 3. Felix vero Platerus & oculorum dolori approbat tom. 2. praxeos p. 289. & 293. & Ludovicus Mercatus, l. 2. de curat. mor. int. c. 22. sed & proptisin (procidentiam) oculorum & staphylomata, id est, eorundem vocatam uvam eodem in hoc numero malorum, quæ sectis his arteriis curarentur, posuit Aetius ser. 7. c. 90.

Margin notes: Galenus. Paulus Celius · Heurnius · Serapion · Fuchsius · Hollerius · N. Piso. Lazarus Sotus epiph. Ferdinand. · Constantinus. Isaacus. · Mercatus · Hippoc. · Laurentius · Thomas à Veiga · Laz. Sotus · Vallesi[us] · Vesaliu[s] · Merca[tus] · Aristot[eles] · Razes · Avic[enna] · Savan[arola] · Arnol[dus] Villan[ovanus] · Rondel[etius] · Aran[tius] · Heurn[ius] · Felix [Pla]terus · L. Me[rcatus] · Aetius

Hactenus ad oculorum vitia succurrit arteriotome dentibus etiam (difficile ne sit) calidiores ob humorem incursus afflictatis sectas arterias, quæ sub auribus pulsare præsentiuntur, auxilio esse primus ex his quos legi providit, Jo. Actuarius c. 3. meth. med. c. 2.

Enarratio arteriotomiæ post aures à veteribus tradita.

OFfendimus apud primos arteriotomiæ præceptores non nulla, quæ & opinandi & agendi difficultatem maximam pariunt: quæ nos & adnotata expendemus, & quid de his judicandum visum fuerit, referemus. De chirurgiæ huius administratione scripsere duntaxat tres eximiè probati autores; Albucasis, qui ex Paulo transscripsit; hic vero & Aetius ex Severo, sicut Joann. Gorræus notavit. Consenserunt autem ad invicem Græci volentes coniungendam cum hac arteriotome derasionem ossis subjecti: cuius rei non meminit Arabs, non sine nostri qui Primi rem observavimus admiratione propterea, quod hic in tradendo diligens, & Pauli maximus imitator fuit. Aetius autem & Paulus quamvis in calvaria deradenda concordarint: tamen in aliquot ministerii partibus magnopere discreparunt. Quorum nos omnium rationem ab ipsis autoribus non expressam, rationabili via conabimur eruere. Consilium nunc deradendæ calvariæ explicabo: quæ difficile quidem æstimare quorsum evadat in vasis præsectione superioris. Verum si finem spectamus arteriotomiæ, quæ ad æstum interiorem cerebri comprimendum instituta est: profecto eventum hunc adjuvante derasu propterea quod transpirare potest inde fervidus vapor. Itaque maniæ dissipandæ probatum hoc ab Arnaldo & viris aliis plerisque prudentibus. Fit inde ut eidem attemperandi scopo calvariæ perruptio præsertim cum sanguinis evacuatione referenda commode videatur. Illud autem eo fit probabilius, quod consentiat vapidi fervoris interni transpiratus oportet, quando & his vasis solet etiam affectus causa consistere.

Cognoscetur autem id eo clarius, quod in consimili cæcitatis imminentis affectu & pro Hippocr. l. de visu & post hunc Paulus l. 6. c. periscyphismum etiam eum cranii de rasu conficiendum præcepit.

Hunc ita commeditatum atque ordinatum à Græcis doctoribus scopum non intelligens Albucasis, veluti supervacuam & onerosam, fortassis autem & detrimentosam calvariæ derasionem omisit, cæteris omnibus, quæ priores illi proposuerant ad amussim servatis. Verum enimvero dum recedit ab his homo Arabs non advertit, quam varie peccarit. Primum enim perhibeat quorsum pericranii dissectio; aut quorsum ad os usque dissectio, aut quid, si primum non concisa fuerit satis pericranii portio, plenam huius excisionem postea requiri? Nimirum si præcidenda solum erat arteria; jam satis fuerat, quod dixerat submisso ad vas scalpro, vix attrectata membrana hoc faciendum videtur: ergo, ut superflua vel deficiens Albucasis doctrina taxanda. superflua inquam, quod exuperantem pericranii concisum instituat; deficiens vero quod ordinatum eundem ad derasum cranii non præceperit. Repetamus nunc in quibus variarint aut discreparint Aetius atque Paulus. Ille enim membranam pericraniam exactissime deradit: id est, ut equidem interpretor ab osse distrahit, ac divellit; ad commode sc. & sine offensa transigendum ossis derasum. Tertio vero die soluto vulnere deradit os & post hæc etiam ossis rasura utitur: & hoc facit usque ad 4. aut 5. dies donec sanguinem emiserit, hoc enim, ait, signum sufficientis rasuræ. Tempora hæc & dies haud discrevit Aegineta ac tanquam de una semel operarum administratione cuncta per se tradita videtur: licet non credam equidem id voluisse; sed supposuisse, quia non liceat prima Arteriotomes die fieri derasum profluentis sanguinis causa, ob quam etiam ad triduum non est deligatio solvenda: proinde ab illo deinceps tempore derasum conficiendum. Sed enim desideratur à Paulo ut hæc exactius explicasset. At vero quam diserte docuit hæc Aetius, tam concise involvit eadem Paulus.

Aliud autem est quod apud hunc ambiguitatem præbuit non paucam in fine capitis propositum. εἰ δὲ ἐπιμένει καν ταῦτα ψιλὸν τὸ ὀστέον ὁμοίως καὶ τῷ τούτῳ ξύσει χρησόμεθα, id est, si remaneat hoc os lene, similiter id scalpro deradendum. Dubium sane num per τὸ ψιλὸν leve vel nudum sit accipiendum. Utrumvis autem rationem agendi continet diversam. Levitas enim ossis, ut vulgo credunt adhæsui carnis obstat: quapropter hoc ipsi scalpro at nuditas ossis sui ipsius ab occursante aëre vitiosam immutationem manet; quare derasum iri commodum idem ait, perinde ut hanc operam non æstus medendi, sed coalitus juvandi studio suadeat Paulus. Verum enimvero quid adusque os scalprum imprimere? Plane apparet haud quidem ad transpiratum sed ad curationem ulceris hæc spectare contra quam Aetius, qui ad transpiratum instituit, studiose membranam pericraniam ad hoc opus amplians ac diducens. Verum, quod ad curationem plagæ per derasum attinet, mirum etiam atque etiam videtur diffisum conglutinationi præter derasus adjumenta Paulum, quando non pauca medentium sint experimenta nudum sed non vitiatum à collidentibus & huiusmodi causis os obductum sæpe fuisse: quod nos præterquam in filia Fabii Pharmacopolæ, & in filio Andreæ Peregrini Bibliopolæ pueris, ad hæc in adultis vidimus & statæ ætatis hominibus præsertim adhibitis balsamelæis ænemis aut eiusmodi medicamentis, ut in Dom. Petro Picolomino teli sedem amplam in sincipite passo citra verò hæc adiumenta in Francisco Augustino Casertano ornatissimo viro, qui exostosin in fronte passus fuerat, mirum sine desquamatione ossis obductum ulceris vidimus.

Hæ sunt ambiguitates si Andernaci lectio retineatur. Cæterum alia se offert non minor, si adhæserimus Cornario, qui vertit; si vero etiam his nudum os permiserit, veluti si dixisset, si ossis nudati membrana competens latitudo permiserit, derasum eiusdem feceris. Vt si locus scilicet pateat, agenda sit derasio; sin minus abstinenda, quasi ab eventu capienda sit consultatio non autem certa definitaque sit eadem, quo casu quavè hypothesi derasione interdum reiecta, videtur ossis, quod detectum modice fuit, obducendi spem non despondisse Paulus; qui contrarius est sensus superioris.

Præter hæc autem si (τὸ ἴσιον similiter, ut Andernacus interpretatur, est legendum, Oedipo aut Delio natatore opus habet, qui ad verum sensum referat & coaptet, qui coaptari cum nullo posse videtur. Puto autem æqualiter, id est quantum ossis nuditas extenditur, plana: unde quocunque forma deradendum, ex his omnibus quis sit Aeginetæ sensus prorsus non apparet: dubiusque fui sæpe an Codicis menda vel lacuna, an multa orationis brevitas & concisio tantam obscuritatem peperit: id quod fortassis Albucasin dignum excusatione facit, qui derasioni renunciavit, & nova circa partem apprime debilem opera abstinuit.

Jam igitur tanta rerum istarum obscuritas tanta perplexitas cum sit: ad extremum opinor certam eiusdem sententiam fuisse illam, ut pro præcidendo exploratæ arteriæ vase tum ob crassitiem cutis, tum ob eiusdem exiguitatem, tum ob sanguinem ab insecto loco diffluentem inventu difficili, voluisse ut propterea deliberata ad os usque fieret dissectio: quo vulnere constante difficultas aliqua est, ne difficilè conclusum iri plaga debeat ni nudatum os provisum accurate fuerit, quæ maxime curatio in ossis negotium facessentis derasione reperitur. Itaque secundam hanc operam ad prioris detrimenta redimenda provide desiderat Paulus. atque in hoc cardine versatur, ut opinor, præcipuum derasionis consilium.

Arteriæ ante aures sectio.

ARterias quæ anteriores medias aures proxime spectant, jugularium & carotidum ascendentes propagines hactenus nemo vel scripto vel scalpro attigit: quæ nihilominus apertæ morbos æstuantis thoracis & ardentes febres nonnihil attemperare valuerint. Fortassis autem has non attrectarunt priores, quod hoc loco subsunt mastoidis musculi fines. Verum quid quod ad temporarios musculos & vulnerata feliciter à nobis hæc sæpe fuit, & ab antiquis vulnerari præcepta? Sed neq; felix in hisce plagis casus nos animare vel docere potuit. Est igitur animus mihi tuto faciendæ administrationis modum & tradere & exercere ipse si quando accidat. Porro ad hoc tempus non accidit. Nihil autem ambiguitatis fuerit sive aperire sive percutere vas volenti, si dissecta prius cute detectum vas percutias.

Arteriæ in nasi radice sectio.

QUæ ad primum nasi jugum utrinque pulsat arteriam vertigini finiendæ secat Aretæus, lib. primo de curandis diutur. affect. cap. 2. & 3. sed & oculorum phlegmonis arteriam hanc concidi commodè licere jam diu meditor, favetque quod Aetius tetrabl. 2. serm. 3. cap. 48. ophthalmiæ levandæ venam, quæ maiorem oculi canthum occupat, ferit. Secat & hanc Paulus Aegineta l. tertio cap. 22. partic. de obscuritate, atque hebetudine; nec non l. 6. cap. 40. atque Auctor. l. de anat. vivorum. cap. de venis manus; Avicen. l. primo fen. 3. tract. primo cap. 9. & l. 3. fen. 3. tractato primo cap. 5. F. & hunc sequutus Michaël Savanorola tract. 7. cap. 3. rubr. 31. Haliabbas 9. serm. part. secundæ, theisis eisdem in malis venas eiusdem loci pertundi solitas affirmat; quem & Guido atque alii juniores professores sunt sequuti. Midriasi vero arterias angulorum oculi tum secat Alexand. Benedictus lib. 3. de cur. morb. 32. tum etiam inuri approbat.

Manus arteriæ sectio.

QVa parte Jecur diaphragmati proximum est, dolore infestante; arteriam, quæ inter pollicem atque indicem excurrit: Galenus aperiit lib. de curandi ratione per sanguinis missionem, quam rem, non dubito, transtulit Avicenna l. 1. fen. 4. do. 5. cap. 20. atque Arnaldus l. de consid. operationis medic. distinctione 2. par. 1. cap. 2. quam eandem arteriæ sectionem ad omnes internorum viscerum dolores atque inflammationes excutiendas usitatam Ægyptiis hodierna die scribit Prosper Alpinus, l. 3. de medicina Ægyptiorum c. 12. Verum Galenus etiam in summa manu laterali morbo medendo & omni membranatum dolori punctorio sectionem felicem hanc se fecisse perhibet. Eodem vero loco Galenum imitatus fortasse Ludovicus Septalius in sexto lib. animadvers. medic. 122. palpitationi medendæ cordis arterias, quæ per digitos excurrunt, aperiendas fidenter judicavit. Sed Avicenna l. 3. fen. 12. tract. 1. cap. 2. ad inflammationem cordis prævertendam, arteriam inferioris corporis, secat. Itaque nos rectam arteriam, quæ Gal. teste 3. de anat. admin. vlt. ad 2. digitum pedis, post maximum sita est, aperiemus.

Occipitii arteriarum sectio.

MEminit occipitii arteriarum dissectus ad finiendam tum cephalæam, tum vertiginem, utilis Vidus Vidius Florentinus l. 2. chirurg. cap. 6. cuius sectionis administrandæ ratio potest esse ea, quam communiter capitis vasis tradidit. Hoc est, ut præradatur primo capillus, deinde, ut infletur tendaturve arteria ad collum vinculo, frictione fomentoque utendum: Tum arteria plene turgens ferienda, vel pertundenda, vel excindenda est, quemadmodum alio loco audisti.

Docue-

Docuerunt autem & nos vulnera vividas arterias extare in cornubus appellatis capitis, quæ pone verticem eminentiæ sunt, ascendentes à jugularibus arteriis.

Arteriæ Cubiti præsectio.

CArdiacæ affectioni, quæ pone cubitum est, arteriam aperiendam proponit Joannes à Ketham in fasciculo medicinæ Auctore usus, opinor, Arnaldo Villanovano, qui in libro tertio Breviarii capite sexto in curationem peripneumoniæ venam pulsatilem, cuius ritus est juxta grabatum (cubitum interpretor) insecat.

Arteriæ dorsi sectio.

QUoniam arteriæ quædam per dorsum prope spinam excurrentes micant, ut adnotavit Avic. l. 3. fen. 13. tr. 1. cap. 1. non alienum à ratione videtur, ut hæ aperiantur, in his hominibus, quibus atrabilis flatuosusque sanguis longe plurimum redundat ac fervet, ex his, porro licuit vidisse Sacerdotem (nomen Antonio Lombardo) cui arteria magno cum dissultu ad ventris infimi regionem appositam manum pulsabat, dolores hæmorrhoidarum veluti flammeos atque exustorios multos jam annos passo. In his igitur, quis ambigat dorsalem pro æstu illo levando arteriam hanc pertundi. Verumtamen apparere ut vas possit, sit homo secundum abdomen extenuatus requirit Petrus Jacobus Stecce in comm. ad l. 2. epid. Hipp. sect. 1.

Post aures Temporum & Malleoli arteriarum præsectio.

HÆ sunt utilitates arteriæ tantum apertæ, ad quas exponendæ sunt etiam transversæ dissectiones. Galenus eas, quæ sunt post aures pro epiphorarum remedio dissecat l. 13. meth. cap. 20. & pro vertigine l. 4. de locis. cap. 8. Aetius vero cephalææ finiendæ arterias parotidas & temporarias præsecat tetrabl. 2. ser. 2. cap. 50. Albuc. vero l. 2. cap. 2. de fluxibus ad oculos atque ad pectus immedicabilibus abolendis, inhibendisque ex toto defluxibus humorum ad oculos, subjectasque partes certissima valere nos docuit Paulus l. 6. cap. 5. & 6. & 7. quam ob rem hemicranicis, & oculorum epiphoris calidisque harum doloribus discissum superiorum arteriarum statuit tum ipse, tum Mesvæus cap. de ophth. & post hos Gerardus & Areulanus libro ad Mansorem cap. 15. volens ut alimentum præcludat; Vertigini medendæ capitis arterias truncat Alex. Bened. l. 11. de cur. morb. cap. 8. qui & opththalmiæ arterias aut venas quæ sunt post aures præcidit l. 3. cap. 6. sed epiphoris, tum isthæc vasa parotida, tum etiam temporalia præsecat. Arterias vero capitis quæ emicuerint sub cæcitate imminente præscindit & urit Bapt. à Montagn. cons. 58. Arteriarum vero excisarum innominatæ (credo autem earum quæ sunt post aures ad vertiginem finiendam meminit Vidius l. 4. chirurg. C. X. Matthæus vero è Gradi de præscindendis dumtaxat mentionem fecit cons. 10. sed arteria tota ad malleolum dissecta, oculorum dolori vetusto atque inflammatione succurrit, teste Joanne Mesvæo Grabad. c. illius rei proprio nec non ampliatæ pupillæ, eodem autore. Duncanus vero venas Malleoli pertundendas in doloribus coxendicis censuit. Jam vero non licet id præterire vetustissimo medico Antylo apud Oribas. l. 7. cap. 13. arteriam, quæ sub vertice ad occiput excurrens media est, inter tendines perdifficile consectu visam esse adeo, ut pro hac alteram quæ secundum aures est, vel eas quæ in utroque verticis latere ad sinciput sunt, subroget. Ego vero palpitantem eam cum extrema molestia corpore supino jacente juveni cuidam Samnici mea manu præsectam monstravi Joann. Baptistæ Ferrario Vergianensi medico solertissimo atque aliis multis, qui ad visendum convenerant, in nostro Incurabilium Nosocomio. Ratio autem administrandi fuit hæc: qua & tibi cum factitando occurrerit, uti licebit. Subsunt arteriæ tendinibus dexteris & sinistris musculorum verticis secundum longitudinem extensæ, è sexto ramo arteriæ carotidis mastoidis musculi toto ore accedentes ad posteriora auricularum. Hæ de rasis exacte locis pulsu prodentur: quibus jam tactu compertis alterutri istarum discindendæ primum acum aliquantulum recurvam incumbentem in cutem trajicies, super qua media sic relicta scalpro cutem transfissam, dissecabis, advertens ne arteriam eo tempore convulneres, quo facto sanguine quod prodit exiccato crebro per spongiam arteriam hamo subiecto sublevabis, quam primam apertam post sufficientem sanguinis effusionem demum execabis, atque adductas plagæ oras consues, aut etiam sine sutura adductas conglutinabis.

Nostra sectionis arteriarum experimenta.

ATque hi quidem morbi per veteres medicos arteriotomia curari consueverunt: verum, & mania nonnullos ex his quæ in nosocomio nostro Incurabilium aluntur, hac ratione liberasse, memini, inter cæteros adolescentem quendam Bononiensem, qui sanus redditus expeditionem Hispanam in Vercellensi bello sequutus est. Locuples autem testis ejusce Curationis perillustris vir Eustorgius Agnesius laudatissimus tum piæ domus præfectus, Anno 1625. quam eiusdem morbi exsectam temporali arteriam curationem à Petro Joanne Fabro expertam & probatam in curat. suarum prima anno 1602. vulgatarum pergratum fuit.

Eadem curatio atque exitus fuit anno 1630. Dominico Portio Sacerdoti sacrarum ædium incurabilium quem ex pôto pharmaco dicebant insaniisse.

Sed plerasque omnes superans fuit observatio

Duncanus.

Dementia.

vatio in Justina Zurula sacrarum Virginum Cœnobii Jesu, Neapolis una. Insana erat hæc ita ut assidue flagitaret sacro se fonte lustrandam, interminans alioqui acuta ac stridula voce reas dirarum Christi cunctas esse, tum primam antistitem, tum sodales, in primo quoque tempore, se ipsam expiandam curarent, quando jam liceret atque adhuc integrum esset. Adjurare ac protestari, quo superis conciliarent nec aversam ab his adeo tenerent, quæ cum diceret ac sentiret, nullis vel monitis vel argumentis, neque alia ratione aut vi, vel adhibitis etiam medicamentis, proposito revocabilis, una semel arteriotomia temporũ, per me & excogitata & administrata (dicam constanter) quasi divinitus ordinata mentem recepit. Quid maius in tota re medica, quid admirabilius dici potest?

Non minori tamen admiratione censendus est casus, qui accidit Beatrici Paduanæ unicè sacris virginibus D. Mariæ Constantinopolitanæ dicatis, quæ XXX. annum nata, fœmina virili pene pectore voceque denso nigroque capillo, sylvoso supercilio, sanguinosis genis, habito plusquam mediocriter, compactoque corpore, ut quæ in Pompeiano nata adultaque non cum ignavia foret, melancholica exuperantia, duobus ab hinc annis recurrentes graves capitis dolores passa, post hæc melancholiæ morbi cerebro assidui, phantasmata & illusiones experta est ad hunc modum. Primum quacunque oculos in solum mane surgens è lecto converteret, protinus ad id loci apparere cum atra caligine terræ hiatus & vorago profunda, quam exhorrescens confestim oculos claudere & in stratum territa se recipere cogebatur. Deinde sentire internis auriculis varie confractos nunc exsibilatus, nunc tinnitus, circumque has & tempora pulsatoria dolores, & intimo capite multum æstum ab ollulis, ut affirmabat ægra, ferventibus: Unde & omnem ignis flammæque conspectum sustinere & perpetuum quendam partim lamentabilem, partim commiseratorium suum sermonem intermittere à sodalibus admonita, velut ebra nequiret. Dies itaque solidas verbosa profusione consumere, noctes perpetuas evigilare, spectris ingratis interdum exagitari, nunquam à doloribus & æstu conquiescere. Hæc dum continuo fiunt, postea quam ordinaria remedia intus forisque sine fructu adhibita sunt omnia; pro comperto medicis & sacris sodalibus fuit, ni tutelaris Diva præsens adiuvisset, immaniorem aliquem casum aut subitum exitium eventurum. Itaque ad subsidium acciti Marius Schipanus clarissimus urbis nostræ medicus & Agnellus Pecorellius designatus eius sodalitii curator decrevere me vocandum, qui arteriotomiam, quam alias in hisce casibus feliciter exercuisse compererat, administrarem. Affui, & quod imminens periculum viderem, rem non distuli, præcisaque arteriæ portiuncula sanguinem ad selibram detraxi. Res mira, & maiorem in modum observanda, atque notanda: Redinatæ post deligationem, totæque aliquandiu fœminæ non simplex neque mediocris visa est ex tempore metamorphosis. obtusu, effatu, sensu, habitu, actuque omni sedata sic & integra reddita est, ut deinceps nil præter aliquam & necessariam excecti vasculi molestiam conquesta fuerit. Itaque velut injecta in ignem aqua, sic ad æstuantem cerebri noxam eius remedii fructus fuit. Ita verum est illud quod extremis morbis extrema exquisita remedia optima sunt. De qua salute sexcenti Deo hymni, multaque thura adolita fuere. Res autem Neapoli nota, quam præter eos, quos nominavi medicos, Joann. Hieronymus Thomasius medicus è collegio Neapolitano gravissimus & Dominicus Coccia & Joannes Thomas Jovinus & Hieronymus Fortunatus Philosophi medicique solertissimi, & J. U. D. Hieronymus Hacharella vigilantissimus & de sacris istis ædibus ut de plerisque aliis benemerentissimus præfectus & Donnus Matthæus germanus eiusdem frater Canonicus Salerni prius mox Neapoli spectatissimus, atque alii quam plurimi, tum narrantium sacrarum virginum relatione, tum celebri rei magnæ rumore novere.

Epilep[sia] Deinde & epilepsiam hac via quoties usus sum ad rariora intervalla levata, equidem comperi. Primum enim Davidem Milonem tenuis fortunæ juvenem 25. annos natum, morbo hoc sacro singulis mensibus invadi suetu arteria, temporum altera per me secta, jam 4. lunis immunem spes erat absolutum iri, cum ipse meri potu, quo fuerat nimium, diu coercitus sibi perdelectabili liberius in dies usus morbum collato quasi fomite revocavit. Testis ad eam rem mihi Joannes Jacobus Sclanus Neapolitanus medicus plane solers, fuit & similis eventus curati per me Thomæ de Angelis Iserniatis 43. annum nati hominis ex nostro Valetudinarii famulatu, qui se frequentes hos comitialis insultus sentire suetum cum oris contorsione ac lateris dextri distensione sublata, ab infima respondente manu ad supremum usque frontem aura referebat. Cui ego morbiferæ halituosæ causæ facta conjectura propterea, quod πυῤῥοτρίχης rufus, & impendio vinosus homo esset, arteriam frontis secui detracto sanguinis plus triente. Sed vinculo, quod injeceram, per hominis stultitiam resoluto sub vesperam, donec socius manum adhibuisset, sanguis manavit abunde multus: à qua tamen fortuita vacuatione post longos dies belle sic valuit, ut liber à morbo videretur, non sine hominum, qui rem observabant, admiratione. Cum nimium recuperatæ valetudini confisus ad Bacchi sui delicias impune rediens pristini morbi, licet rarioribus injuriis se subiecit, argumentamur ex binis hisce casibus vinosam effumationem magno cum primis alimentum atque initium. esse hercule affectioni. Tertius quem ex eadem quoque affectione curavi: fuit Alphonsus Pedulla Calaber Jeracensis, homo per omnia melancholicus, qui vel ab ineunte ætate noveno aut quindeno, denis vicenis, trigenisque diebus morbi vim sustinebat

bat levis cuiusdam auræ modo, ex infimo brachio lente se tollentis ad superiora. Plurimum autem resectis venis in fronte micantibus levatus, quam rem cognovit Marcus Antonius Galerius nostræ Scholæ professor & Medicus peritissimus, cum quo viro fueram ad curandum hominem accersitus. Habes jam nostra per arteriæ sectionem ad curandam epilepsiam experimenta.

Nixa est autem hæc nostra excogitatio in opinione principium virorum: H. Cardani videlicet in Aphor. lib. Hippocrat. H. Brassavolæ in Aphor. 42. l. 2. Jacobi Hollerii, & Ludovici Dureti, in lib. primum de curat. morb. int. cap. 15. Guliermi Rondeletii in methodo practicæ. cap. 36. Joannis Fernelii, 2. de abd. rerum causis, Leonardi Jacchini in 9. Razæ ad Mansorem, Hieronym. Capivacc. in curat. epileps. Thomæ à Viega in comm. 3. lib. de locis affectis, in calce sectionis 3. Marcelli Donati lib. 2 Mirab. hist. medicæ cap. 4. Josephi Quercetan. in Tetrad. cap. 11. Thomæ Erasti part. 4. disput. contra Paracelsum Averrhoi lib. 3. Coll. cap. 1. in primis vero Hippocrat. qui ex professo in lib. de flatib. & de morb. sacro spiritum horum causam fecit. Quod vero ad Galenum secundum ab Hippocrate dictatorem, in medicina pertinet; neque Baptista Sylvatius, qui doctrinam eiusdem ubique retinuit lib controversiarum medicinalium 54. rem hanc inficiari potuit, ex eiusdem Galeni sententia. Deinde vero confirmationes istius rei tam multæ magnæque sunt, ut frustra sit facturus, qui has convellere conetur. Jam vero quid quæsita longius adiumenta ad placiti nostri confirmationem emendico? satis ad hanc rem erit, quod conceptis verbis Aurelianus libro primo cap. 4. ad epilepsiam medendam arteriotomiæ comminiscit. Itemque Octavius Horatianus lib. 2. ad Euporistum, cap. 2. & qui longe potissimus est omnium, propterea, quod dogmaticus est probatissimus, Aretæus in primo Therapeutico Chronicorum morborum cap. 4. pro morbo comitiali curando, apertis verbis arterias omnes & ante & post aures incidendas decrevit. Itemque approbat Avicenna lib. 3. fen. prima tract. 5. c. 11. Ratio vero, qua tantopere benefacere valeat, hanc puto ad arterias, quæ cum venis discurrentes per cava cerebri loca (sinus & ventriculos vocant) plexum retiformem complicant, per arterias inferiores, atque exteriores cervicis fertur tetra vitiosi humoris ἀναθυμίασις late implens spiritus animales, ut ait Ludovic. Duretus, cap. de vertigine. Plenitudo igitur ista fuliginum dum cerebrum quassat, & in motus præter naturales obstructu rapit nervos, & inde musculos, si per dictas arterias cervicis exteriores minuatur; quid miri sit, siquidem de morbo detrahat?

Dixi jam quantum epilepsiæ curandæ commodam arteriotomiam invenerim. Cæterum & gravitati capitis simul & oculorum dolori ustorio quanto cum fructu cesserit hæc exponam. Illud enim mali cum passa fuisset plusculos annos Olympia Acontia fervidioris temperaturæ fœmina, ut pote quæ cum voce virili mystacis & barbæ signaturam habet, sacra Deo in templo Incurabilium Neapoli virago medicamentis, nil unquam levata (testis est mihi locuples peritissimus eius loci Medicus Sebastianus Vechionus) ad tempus arteriotomiâ libera fuit. Qua ratione ex iisdem quoque malis liberatus à nobis fuit Constantinus Cappella Siculus Cataniensis illustrissimi eius urbis episcopi homo familiaris quem Româ miserat ad me curandum Josephus Trullerius gentis nunc Pontificiæ olim regiæ apud suos medicus eruditissimus.

Ad enarrata morborum interiorum arteriotomes experimenta addimus vitiorum externorum curationes, primas autem faciemus eas, quæ sunt oculorum abunde testificaturæ remedii summam opem, in phlegmonis quippe multos varie lippientes, ut cæcutientes non dicam homines quorum nomina ad notare non adverti tam graviter afflictatos, ut ne palpebras quidem aperire possent, facta semel arteriotomia in temporibus, sic è vestigio levatos vidimus, ut magna quasi sarcina liberatos se cognoscerent, & oculos expeditissimos haberent. Testes ad hanc rem mihi Franciscus Antonius Valia Hipponiata, Josephus Pandella Salensis, Leonardus Cyminus Neapolitanus, Josephus Benincasa Neapolitanus, studiosi professores omnes rei Chirurgicæ. Eadem arteriotomiæ felicitatem Chæmosis magno discrimine conflictatus sensit Josephus Blancus Januensis non incelebris proxeneta: sensit & Joannes Cyminus homo subalpinus quam promptissimam.

Idem ad unguem evenit Benedicto de Martinis opifici funario in foro vocato ulmi, itemque Joanni Carolo Valdrisio Triventano præsentibus ad eam rem Alexandro Alexio, & Donato Donna medicis & philosophis Neapolitanis plane solertissimis. Dignaque perpetuo monumento visa res est; quod ad alterum oculum novo XX. post diebus facto defluxu (siquidem inops homo sub ardente sole per aprica loca æstate frequens itare cogeretur) cum illo temporum latere rursus administrata micantis venæ sectio fuisset; in promptu gravitas omnis capitis, lacrymarum defluxus, tunicarum inflammatio noxæque aliæ quæ inerant discussi fuere: præsente ad eam rem Donno Josepho Gryllo Calabro Longobursense medico Veneto peritissimo; qui rerum aliquot suarum curandarum gratia Neapoli hospitatus apud nos fuerat. quo item viro alias præsente liberatus est dolore oculorum acerrimo Donnus Mutius Anastasius Calaber Scyllacensis, qui Puteolos ad assas sudationes ire jussus fuerat à nostris aliis; Carivaria quoque id est capitis gravitate longa levatus est, Cæsar Amatus Crotoniata vir probus spectante rem à principio clarissimo viro Horatio Lumbisano medico Neapolitano.

Post expositam autem inflammationem oculorum addi licet curationes alias narium, nempe Petro Antonio longo Mario Avenionensi lichen narium (volaticum ignem sylvestrem & juttam roseam ab affectu apparenti alias nominatam) facta temporum arteriotome visa est plurimum elevari,

levari, quæ nullis medendi rationibus poterat comprimi. Novissimum post hæc omnia experimentum illud fuit, quod modo referam. Venerat Neapolim gravissimâ cephalæâ tortus Horatius Gagliardus Calaber Scyllaciensis opem venatus à gravissimis omnibus medicis huius urbis, quam cum nullis aut nostratibus aut peregrinis medicamentis, rite recteque adhibitis assequi quivisset, languebat miser omni spe destitutus, Divis, si forte forent irati, se modis omnibus expians. Cum placuit etiam placato numini, ut conveniet Marium Schipanum, qui ut arteriotomiæ per nos exercitæ conscius ad me curandum hominem remisit. Erat autem is coacto corpusculo duroque habitu item sicco ac pilosiore, angusta fronte & nulla cum proiectura tempori bus, circa quæ & lichenibus fuerat ante tentatus, palpitationem vero molestam aliquandiu præcordiis & corde tenus expertus. Extumescebant autem nonnihil crotaphitæ arteriæ. Itaque visum jure fuit, non alienam exactionem sinistri vasis, experiri brevibus, hac peracta cum se libræ fere sanguinis detractione, ab ea die se sensit homo liberatum, & cum equidem principio prædixissem nisi lateris unius arteriotomæ malum cessisset, alteram necessariam futuram, certe unica profuit. Affuerunt autem huic operæ viri quam plurimi, qui sunt Mutius Capalbus Bisidianensis, Joannes Baptista Ferrarius Rogianensis, Franciscus Maria Parnasus Castrovillensis, Thurini omnes medici curiosi, Auditores Schipani & mei magno numero & non tacendus qui librum artis phlebotomicæ à me conscriptum emisit, Tyberius Malphius Tonsor Neapolitanus, non vulgaris, atque alii.

De arteriarum ustione.

UStionem etsi generatim, ac speciatim longis aliis sermonibus exposuerim: nihilominus vendicat hic sibi locus proprium arteriarum inurendarum tractatum: quod faciendum tamen est brevi; & ut intelligat auditor antiquissimum hoc remedium solutarum arteriarum fuisse, & neque Hipp. ignotum qui l. de locis in homine n. 23. si in visum in humorem purum cruentus aliquis humor ingrediatur, venas visum prementes exurere oportet, quæ videlicet semper pulsant & inter aures ac tempora constituunt & l. 2. de morbis n. 12. In morbis capitis diuturnis capite purgato medicamento deorsum purgante exhibito crustas octo capiti inurito duas circa aures, duas in occipitio, hinc ad cervicis duas: in naso circa angulos oculorum venæ aut circa aures urendæ sunt donec pulsare desinant. His locis vides de arteriis sermonem esse huic autori; nimirum cuius seculo non adhuc extabat arteriæ, præter quam asperæ trasciæ dictæ vocabulum.

Rerum observationes atque administrandi præceptiones.

SEd necessarium est ad extremum observationes aliquot ad agendum pertinentes in re tam nova, licet haud juxta difficili, ut existimant omnes, exponere. At difficilius id profecto est, quod sparsim strictimque ac minime quantum oportebat, præceptione hac per maiores nostros tradita, pleraque nos ingenio nostro venari necessum fuit. Ex his igitur, quæ necessaria sunt, colligemus nos summam, & brevi rerum compendio, quantum licet, auditori satisfaciemus rem per omne causarum genus ordinantes ad hunc modum. Primum usus est spectandus, qui triplex est in advertendam fluxionem generalissimus: alter ad evacuandas cum sanguine fervido fuligines. Tertius compositus ex his tum ad revellendum tum vacuandum. Quartus ad attemperandum ferventem eumdem sanguinem ad intercludendum finiendumq; effluxum atque etiam mortiferum arteriosi sanguinis effluxum. Hoc transversa vasis excisione fit: reliquis vero simplex apertio facit satis.

Apertio fit scalpello, vel phlebotomo delineato ab Andrea Crucis in oper. chir. edit. Zilettil. 7. pag. 2. est autem inter hos permultum discriminis. quippe Vidio scalpellus est gladiolus utrinque acutus, myrti figuram examussim referens, phlebotomus verò est eadem particula processu non nihil recedente ab acutie fossorium Albucasis c. 3. cuius acie obversa & in venam applicata ad digiti indicis expollice resilientis vi percussum (talitrum latine Zingardulam vulgo dicunt) vulnerata vena sanguinem fundit.

At vero pro phlebotomis vulgares lanceolas pingit Crucius sed si capiuntur hi, sunt firmiores ad scissionem arteriarum, ut cartilagineam harum substantiam penetrare nec dirumpi queant. Hanc ob causam puto falli Dinum Florentinum, qui phlebotomum pilum habentem ab Avicenna lib. 1. fen. 4. c. 20. memoratum tenuissimum interpretatur, instar pili rectius fortasse. Gentilis Fulginâs qui credidit pilum esse circumductam laminam aut circulum, qui liberiorem acuti ferri processum remoretur, sed de hac re vise Baptistæ Sylvatici epistolam de secanda vena.

Rectius item fuerit, ut sentit Vidius (contra vero quam sentit de acutioribus Prosper Alpinus lib. 2. de medic. Ægypt. c. 12.) suo phlebotomo scindi arterias tum ne chordæ convulnerentur, tum quod accommodatus hic unice scalpellus: contra & punctim adhibitis periculum ne partes aliæ convulnerentur, & tractim administratis ut vas duriusculum caperiatur, plurimam vim incuti necesse est, verum enimvero hactenus ego scalpello sum usus non infeliciter.

Devenio nunc ad excisionem arterię, quę multiplex est quam docuit Antylus apud Oribas. li. 7. coll. medicorum c. 14. admodum sc. varicis detecta sub universam cutem vena & deinde præsecta. verum illud apposite admonet Auctor, ut detectum haud statim præsecemus, sed volsella submissa incidamus non multum sed particulatim. quam rem credo suaderi nobis eo consilio, ne truncæ arteriæ capitib. sub carnem revulsis sanguinis minus quam opus sit defluat.

Altera ratio est Albucasis & lib. 2. cap. 2. & lib. 3. cap. 97. ut sub lata per digitos cute sub arteriam defigatur scalpellas, & hoc ad superiora converso discindatur, trajecta caro. Id autem

cum

cum sit arbitror quidem non rectis scalpris sed curuis scolopomacheriis requiri, ut discissio cōmoda non laboriosa sit, ut facta latiore plagula arteriæ quantum duos digitos latos expleat, procidetur: quod & Paulus lib. 6. & Albuca: l. 2. c. 2. proposuere, verum uterque addidit, ut discissio pericranii fiat ne orta extensione inflammatio consequatur; post hæc & os deradatur. Quam erasionem & Antilus præcepit, ut caro sub osse subpullulet & per eius medium oscula arteriis excipiantur. Sed enim, ut derasus expresse præcipiatur à Græcis hisce viris, eius tamen haud meminit Albucasis, atque illud quidem si digitis tentata facile se prodat arteria. Cæterum si minime appareant, incidendum aiunt tum Paulus, tum Albucas. circiter trium digitorum intervallo atque tum manus injicienda sic, ut arteriæ transversim dissecentur. Scire autem licet, de arteriis, quæ sunt post aures eum esse sermonem.

Quarta ratio est ab Albucasis indicata lib. 2. ca. 3. ad arteriæ sectionem, quæ est temporum. Hæ enim arteriæ si fuerint magnæ, vincitis his filo serico firmo hinc atque hinc; illud, quod interjacet est præscindendum, licet autem, inquit, & inuri usque ad os impresso cauterio, quo cauterio ut ad transpirationem os dissiliat usus est. Idem, profluvii vero sanguinis cautione utendum voluit Actuarius lib. 3. meth. medend. c. 2. & ante hunc Paulus lib. 6. cap. 2. & Haliab. lib. 9. practicæ cap. 69.

Jam autem præcisum hunc liberius faciendum periculo, quod est sanguinis infrenabilis profusione imminet è medio tollendo; necessarium faciunt. Cui sententiæ libenter adhæret Actuarius, ut ante notavi. quin etiam eiusdem periculi cautione candentibus ferramentis usque ad os findenda hæc vasa magis approbat. cum autem ex ustoriis potestate medicamentis assentitur; hic homo nonnullam admirandi causam præbet, sed hanc per caustica, credo equidem septica; excisionem compluribus experimentis probatam refert Joachimus Camerarius in observationibus. Verum enimvero ferro & non caustieis opus est, in scalpro diffidentiam & inanem metum (nam neque Ignis huc exiccando confert,) exurendi electio arguit in chirurgo nullum in arteria per frigidum ferrum incidendi periculum; si tantum administrare rem homo calleat, evincit autem id plene Ambros. Paræus lib. 16. cap. 24.

Quinta ratio singularis est, ab Auctore anatome vivorum proposito, §. ni fallor de venis manus: in quo loco meminit is excisionis arteriarum per distractum atque per vulsum, credo autem id de arteriis exilibus propositum.

Hi sunt arteriæ secandæ diversi modi à veteribus propositi vel usitati, cum his etiam spectandi sunt arteriæ loci, qui incidi consuevere. De his Antylus apud Oribas. memorato loco compendiose: qui ait, arteriam secamus, si fieri possit, quæ sub vertice ad occiput & media inter tendines, sin secus etiam, quæ secundum aures est, vel eas quæ in utroque verticis latere ad sinciput sunt, pertinent enim ad coronalem & meapiam futuram, quæ etiam à temporibus ad frontem pertinent, &c.

Præter hos, qui certi sunt loci partium, universalem & indefinitum quempiam indicavit, Galen. lib. de venæ sectione, cum ait. Ubi enim calidus flatuosusque sanguis in arteriis collectus infestat, illic communibus affectæ partis sectis arteriis est opus: verum, quia sanguis fluxus difficulter comprimitur, arterias secare medici non audent: atque etiam cum ad cicatricem perducitur, aneurisma afficitur, idcirco maiusculas arterias medici ob hanc causam refugiunt: quamquam & ipsæ quoque nonnunquam non mediocre commodum attulisse visæ sunt, & cicatrix etiam eis absque aneurismate fuit abducta.

Loci igitur Capitis, cum sint anteriores, posteriores, & laterum; distinguendi sunt singuli nempe propriam administrationem requirunt; iidem posteriores primo tractemus; qui ad revellendas materias inutiles plurimum assumantur propterea, quod principia sunt quædam eorum, quæ circa superficiem capitis sunt, vasorum: quam ob rem sectio adversus magnos dolores earum partium staphylomata prolapsusque oculorum, & hoc genus sic valent, ut mirum sit sane quemadmodum statim ex ea re laborantes leventur.

Similiter & anteriores secturæ ad revellendum à posterioribus plano negotio sunt paratæ. Sed quæ ad cætera descripti sunt ab Antylo has ad derivandum accommodatas esse, itemque tum ad revellendum, tum ad evacuandum, quæ fit in temporibus ad ophthalmiam verbi causa levandam sectio.

Verum enim vero subtilius de his disputare non est plane necessarium; quando scilicet antiqui & locos unde facienda sit sanguinis detractio, & affectus omnes, ad quos levandos finiendosve conferant, suas sectiones præscripsere: qui loci certe omnes, & affectus à nobis ad unguem fuere recensiti.

Satius igitur erit ut patefactis jam generatim usibus, & formis variis Arteriotomes itemque instrumentis ad hanc faciendam accommodatis, cæterum hunc apparatum atque administratum tradamus: id quod facientes eum, qui ad apertionem pertinet, prius explicabimus.

Preparatio atque administratio sectionis.

Jam igitur ubi rem administras, præradendus est locus primo; & evocata arteria calidis aquæ fomentis, ut placet Constantino Chirurgiæ cap. 7. pullus exquisite per tactum notandus: spatium autem dimetiendum ab auribus trium digitorum ad calvam posteriorem appellatam. Secandum autem aut obliquo ictu aut transverso ad usque ossis occursum: & exhausto sanguine quantus conveniat viribus, ætati, temperaturæ, naturæ, & cæteris indicantibus (plurimus autem est detrahendus, cum aut dolor vehemens est, aut compactum est maxime corpus) tunc pulverisata aloë & thus cum pilis ex interfemineo leporis tenuissimis digitis affricabis, mox panniculum aut stupam lini in conquassato ovi albumine tinctam superimpones &

respondenti plagæ loco nummum parvulum aut turundulam osseam ex laminula colligabis fascia transversim ad tempora inducta & ad alterutram auriculam religatis occursatibus capitibus, hæc deinde flexa deorsum sub mentum hic aut ad genam renodabis; ita complebitur deligatio; quæ præterquam ad biduum non solvetur.

Cæterum, ubi difficile se prodit arteria, pulsusve eiusdem; homine secundum caput, de lecti margine propendente, partem fricare ac digiti indicis à medio pollice oppresso violenter & expeditè vibrato ferire, (talitrum id dixere quidam ex Suetonio in vita Tyberii) & quomodolibet alio lacessere ne desinas ipse, donec acurrente propter dolorem spiritu copiosiore se patefaciat. Virtus quoque fomenti & circa fauces vinculum non parum eam rem adjuvabit: legitur quidem apud Aretæum libro diut. morb. cap. 2. antitrochen ad prodendas arterias, quæ sunt post aures, productum instrumentum quoddam ab interprete Junio Crasso & creditum & præter codicis fidem quasi ferramentum aut æramentum nuncupatum: verum enimvero fasciæ genus tum mihi, tum Mario Schipano castigatissimi judicii viro videtur, quæ à temporibus ad occipitium deducta adverso nodo quasi contra cursum arteriæ devincitur, qualis à Galeno comm 2. de officina medic. particula 13. depingitur ex occipitio ad frontem attractam; ubi autem ἀπάγονται, potius ἀπά-γονται, in medium profertur, crediderim legendum, nam quo singularis numerus nomini non neutro plurium numero elatus? Loco vasis comperto, siquidem apertio facienda, nequaquam percutiendum ubi desinit dissultans ictus (multos id fallit) sed centrum, unde progrediuntur dissultus micatusque spirituosi sanguinis attentè spectabis, hic enim ferire oportebit; Sed transversi non obliquo ictu, atque ictu etiamnum profundiusculo; illud sciens vas feriisse, cum quasi cartilaginis duritiem ac stridorem vulnerans videaris offendisse.

Jam autem de præcisione restat agendum, quæ longe difficilior laboriosiorque res est; hanc autem ita exequeris. deligendum in capitis malis vas in fronte aut temporibus, aut post aures micans & maxime exæstuans & rubens, & quâ calor cumulatior est: ita verè decernente Galen. lib. 6. de sanitate tuenda cap. 9. & 13. meth. medendi cap. 22. & libro de sanguinis missione cap. 22.

Repertâ jam per pulsum docentem perque monstratas alias rationes arteriâ, cutem latitudine digiti dissecandam pari linea notabis; prius vero, quam inseces, atramento inducto digitis levæ primoribus amplè diductis ad latus arteriæ deduces cutem, quam sic retractam incides scalpro, faciesque demum ita ut minime violatum vas, quod subest, appareat: Liberatum autem hoc à cute atque membrana vossellâ vel hamulo retuso subtus demisso paululum levabis, quam phlebotomo particulatim, ut Antylus præceperat, aperies, deinde sanguine quantum volueris effuso, per submissum supinum syringotomum scalprum recurvum, Paulo autore; totam dissecabis, mox Cuneolum adoptabis, congruum ex linamentis, aut gossypium ex posca expressum vel ovi aquato per multum conquassato & in spumam acto, pulvere adstringente tincto, tertio panniculum complicatum, qui nummum in medio abscondat, (Emplastrum quidam picis imponunt) denique vinculum per frontem & genas utrasque reductum quemadmodum audisti superius, arctè, quantum est satis, adstringes, sectura autem locum haud quaquam solutum postridie madefacies æneleo quod tertio, si dolor exigit, & quarto facies: quo tempore vincula sunt resolvenda, ossis autem rasuram si facturus es; tertia vel quarta vel quinta die conficere licebit. Terminus autem rasuræ sufficientis esto tibi sanguinis effusio; quo tempore sarcotica primum humidiora, mox cephalica sicciora sunt imponenda; atque hæc in posticis arteriæ præsectio esto. In temporibus vero & post aures est conficienda, ut cyrsotomia; aut in communi vasorum consectione quam Aetius l. 7. c. 93. pertractavit.

Cæterum administrationem Antyli libet expendere, cuius 1. quidem arteriam particulatim incidentis mox discindentis consilium illud fuit, ne præcisis vasis capitibus sub cutem retractis sanguinis exitus præcluderetur, id quod sc. sistendæ profusioni sanguinis ab apertis casu arteriis faciendum docuit Galenus in v. meth. Verum enimvero scias velim haud necessariam hanc providentiam. Equidem ut effluat sanguis leni talitro, id est, percussu, qui ungue impingitur, semel aut amplius circum inflicto facile curavi, siquidem lente procederet etiam recisis ad plagæ longitudinem arteriæ capitibus. Quod autem ad reliquum corporis procuratum & victû pertinet, monet Actuarius à copia cibi potusque præcipuè calidioris, à vociferatione, venere, omnique motu vehementiori abstinendum esse; nam levi qualibet occasione dirumperentur arteriæ: metusque est profluvii, qui ne facile quidem sisti queat.

Illud nunc mihi liceat petere ab æquis lectoribus huius tractatus, hâc nostrâ arteriotomes enarratione, si quid desiderent à nobis, sive consulto sive imprudenter omissum. Paulum, Aëtium, Albucasin nostros doctores adeant. Interim unum hic pro coronide adiungere non gravabor, & ad conservandam arteriotomiæ dignitatem, & ad obtinendum superandorum hâc ratione morborum votum, maximè pertinens experimentum Joachimi Camerarii relatum ab eo in privatis observationibus: Cùm forte fortuna redit capiti affectio vel dolor quem arteriotomia semel sopivit, vel cùm hæc semel (addo equidem) parum feliciter cessit, tentanda & altera parte capitis est sectio, sic plane finietur noxa.

Varios in medicina fieri monstra, variosque artisque chirurgicæ esse effectus si negare quispiam,

spiam audeat, dementiæ eundem quis non accusabit? qui cùm sint evidentissimi, ut etiam barbari, qui quasi ratione orbi hanc Medicinæ partem avidissimè colant, rarum aliquod exemplum hisce adjungendum perutile duxi, in medium offeram non solum propositionis meæ confirmandæ causâ, verùm etiam, ut inde posteritas pro viribus animum studiis intendat. Nam quis diffitetur virtutis messem nusquam non opimam? Cuius hodie fructus si non collegeris, cras uberiores collecturus sis: Euge ergo! Vulneratur Jacobus ætatis suæ annorum septendecim, vel circiter, biliosæ complexionis Satellitum Ducis Campaniæ filius ictu sclopeti unico globulo muniti in crure dextro, vulnere ab inguine octo transversis digitis distante, & ad oppositam partem penetrante. Cuius ingressus, ab intercapedine musculorum videlicet recti, gracilis & vasti externi; exitus verò ad musculum tricipitem aderat. Vulnus non extitit sine ingenti partium dilaceratione, & præsertim arteriæ maioris: Unde subsecuta est non mediocris sanguinis arteriosi hæmorrhagia; Ad quod curandum advocatus est Dominus Joannes Trullus insignis lithotomista & Chirurgus, qui cùm advenisset, jam vulnus à barbitonsore procuratum reperit, eoque modo intactum ad sequentem diem reliquit, quâ accedens (solutis fasciis) coërcita hæmorrhagia partem extra modum tumentem simul & pulsantem contemplatur, ita ut ambas manus tumori impositus pulsatio attolleret; quare suspicatus statim est de vulnerata aliqua arteria, remque arduam & periculo plenam indicavit, propterea voluit sibi à parentibus alium associari peritum, Dominum Ferrantem videlicet, qui itidem de vulnere malè sentiit. Vnanimes refrigerantia & astringentia admoverunt; imperatâ ægroto quiete vulnus ad multos intactum dies dimisêre, etiamsi aliquando sanguis per se ad uncias 3. aut 4. erumperet; & statim sponte suâ compesceretur, soluentes tandem eundem tumorem & pulsationem, quam prius invenerunt, augescentibus in diem febre, dolore & pulsatione, præterriti in auxilium alios accersivêre chirurgos, ut consulentes sensum ægro proficuum afferrent. Multi multa sed tamen eorum maior pars tempori & naturæ opus committebant, excepto Domino Joanne Trullo Verulano, qui vulnus dilatari consulebat ad arteriam perquirendam, quam opinionem reprobârunt. Iterum igitur iisdem ut supra adhibitis remediis & fasciis, vulnere obducto ad alios dies distulerunt donec ad 17. pervenerint, in quo ut prius sanguis erumpens sum advocatus, ut una cum aliis, quid de casu sentirem libenter & ingenuè exponerem. Relatis igitur à dictis Dominis ea omnia, quæ acta & transacta fuerant, antequam quicquam concinnè & opportunè effutirem, vulnus deteximus, omni intemperie carens, tumore & pulsatione remissis, quemadmodum non tantum prædicti Domini verùm etiam assistentes & potissimum quidam barbitonsor Hieronymus nomine, qui continuò aderat, ut præstò esset compescendo sanguini ubi opus esset, asseruêre; quo viso simul & confirmato omnes unanimi consensu non esse immutandum ordinem, qui ad sanitatem conferebat, pronuntiamus, & sic iisdem quibus antea vulneri usum fuit præsidiis, præterquam quòd ut constantes persisterent vires liberalius in potu vinum esse propinandum. Ita coërcitus sanguis ad tredecim dies constitit, à quibus deinde de more fluebat & sponte coercebatur. Trigesimo itaque detecto vulnere deprehendimus tumorem emollitum quem suppuratum, suppuratione enim factâ, carnem regenerari & læsum vas subnascenti resarciri, ut crebrò contingit, sperabamus, spem tamen eventus fefellit.

Nam cum in dies vires deficerent, febris recrudesceret; facies ut & cæteræ partes contabescerent, rem deploratam habuimus, nec aliunde specimen salutis (si quod tamen esset) sperandum erat, nisi ex dilatatione vulneris, ut arteria vel consueretur, vel alligaretur, vel pyrotico aduretur, vel quovis alio modo sanguis sisteretur, ad hoc itaque exequendum, parentem advocamus, & jam dubiam salutem inevitabili morte proximâ illi significamus, unicum veruntamen superesse remedium, anceps tamen ac incertum, non modò executâ operatione, verùm in ipsomet operationis actu elimatis jam ac prostratis viribus certâque futurâ hæmorrhagiâ. His auditis genitor à nobis tristis recessit, & quasi, ut dicitur, tacitus annuit. Paratis itaque omnibus ad opus necessariis rem aggredimur. Inventâ tactu digiti arteriâ circa inguen, ipsam paulò inferiùs inguine prosequendo, injecto in eam duro spleni fortiq; ligaturâ, femur astringimus, more eorum, qui aliquam partem amputare solent, ut pressurâ angustius redditum vas minorem sanguinis quantitatem in operatione funderet, postea partem cutis aperiendam atramento signavimus & signatam secuit D. Joannes; Statimque sese obtulit ingens grumosi sanguinis moles, quæ librarum sex, facillimè pondus æquabat, quam ego propriis manibus abstuli unà cum sanguinis arteriosi copia, qui recens ab arteria saliebat, quique sublatâ mole grumosi sanguinis iter indicavit ad arteriam inveniendam, quâ repertâ, forti digitorum compressione sanguis coërcitus est, fortiter in inguine comprimente D. Joanne Trullo, arteriamq; conspicuam habuimus, quam à proxima vena separavi & alligavi parte prius superiori, deinde inferiori; adhibitis iisdem cautionibus quæ in varicibus adhibentur, hæc non erat ad dimidiam partem lacera, veruntamen ad tertiam unâ duntaxat remanente, quæ postera die à ligatura resecta est à D. Joann. Trullo, ne forsan partem antequam putresceret contraheret. Reliquo curationis processu tanquam vulnus simplex, quod per sex hebdomadas absolutè curatum est, præsente D. Ferrante Serrone & multis aliis.

Multa equidem in hoc casu sunt admiranda, tria tamen omnem admirationem superant, quorum primum, quòd intervallo 40. dierum sanguis extra vas citra insignem putredinem potuerit conservari: II. quòd ita sanguis musculos ab invicem

vicem divulserat, ut eodem grumoso extracto; statim obvia nobis fuit arteria; ac si arte musculi separati fuissent, qui operandi commoditatem mirum præbuerunt; unde hoc casu edoctus, omnibus non esse statim ad operationem confugiendum consulo, sed post adhibitam omnem industriam, imo tardius quam serius, nisi hæmorrhagia ad manus cogat. III. & ultimum quod natura post alligatam arteriam eodem modo partem aluit, ac si ab integra arteria irrigata fuisset ut nec minor mole aut altera debilior robore remanserit.

De arteriis extremarum corporis partium.

DE arteriotomia, quæ hactenus accepisti, noster auditor omnia tum veterum auctoritate tum multis aliorumq; experimentis sunt præposita: nunc, si quid mihi pro coronide restat advertendum, illud est, quod pericula secandi cavit tantoperè Galenus in l. de venæ sectione quodque tantum in universa; sed injuriâ (non quid ostendi) arteriotomia verentur omnes; illa me hercules in magnis mediorumque artuum arteriis sunt timenda: Cæterum in his, quæ partes corporis extremas occupant, omnibus, minime sunt expavescenda; sed, si tantum se pulsu prodiderint, aperiri discindique licet omnes: nimirum in extremis corporis hisce particulis, non exilia vascula non esse possunt. Illa tamen interea res constet velim, ut quod juvandi gratia principio fuit consilium, idem non imprudenter attigeris.

Phlebotomiæ
CAP. I.
De venis Capitis.

VEnas capitis, jugularium externarum propagines, haud equidem omitti dignas puto, quas privatim etiam utiles apertu nominavit Razes in l. 7. ad Mansorem cap. XXI. utiles, inquam, ad medendum sahapha, id est salsas nitrosasvé pustulas, & ad ulcuscula, quæ cutem exasperant. Dubites autem facile, quo locorum substent hæ venæ & an legendæ peculiariter, an vero, sententia sit huius autoris, cum caput hâc parte crebrius cruentatur, sic has incerte pertundi. Ambiguitatem hanc equidem credo communem venis occipitii, quas aliquot morborum curationi sectas mederi ex sententia principum doctorum referemus suo loco. Quoniam autem eo sermone rem disputavimus, ibidem hanc legito. Interim illud habeto, cum studio tuo exstabunt, licere percuti; ubi non appareant, promiscuè feriendum.

CAPUT II.
De vena puppis & aliis occipitij venis.

VEnam quidem puppis, quæ supra lambdoidem suturam sita est, post sectam principio cephalicam, commoto per ictum cerebro succurrendo, propter eam, quæ illi est cum venis cerebri communionem, perquam utilem insectu judicat Ambrosius Paræus l. 9. cap. 22. Venarum vero occipitii secandarum ad oculorum inflammationes ex humorum defluxione medendas meminit Galen. 13. meth. cap. 19. & l. 5. aphor. 59. & 2. de comp. med. part. 2. quo & Archigenem auctorem citat: sunt autem & alii de Arabum Schola, qui de eadem re præceperunt ex quibus est Giraldus de Solo in commentario l. 9. Rasis ad Mansorem cap. 1. quod est de cephalæa; verùm illud difficultatem facit, quod neque tactu, neque visu percipiuntur hæ venæ; eò igitur sententiæ venit Hieronym. Fabricius l. de op. chirurg. tit. de capitis chirurg. ut diceret; haud quidem ad secandum phlebotomo propositas venas; sed satis esse; si locus aut scalpro concidatur; vel cucurbitulis aut hirudinibus exhauriatur. Verum enimvero si anatome facem præferat; si vinculorum in cervicibus adiumenta, si deraso capiti laxantia fomenta; si evocantes frictiones adhibeantur; si capite deraso pendente homo spiritum aliquando contineat; cogat & comprimat: pro certo fidendum est, ut eiusmodi vasa demum apparere debeant. Porrò citrà omnem diligentiam interdum memini Sodalibus Benedictinis, qui ritu monastico cum calido fotu deradendum sibi caput curant, & has & alias item venas extumuisse. Quod idem laborantibus interiore vitio capitis hominibus inducto calido stillicidio evenisse comperimus.

CAP. III.
De venis in [illegible] Græcè.

PRæter has vasorum apertiones & venarum nocræ ad cephalææ curationem meminit Joann. Arculanus in comm. l. 9. ad Mansorem cap. 1. & ad polypum cap. 45. docuit autem has extare ubi cervix capiti committitur & ad ophthalmiam cap. 18. quam dicit inter omnes phlebotomas præstantissimam, deinde venarum quæ sunt post aures deinde venarum aut arteriarum temporum, deinde venarum frontis, deinde venarum quæ sunt ad angulos oculorum interiores; istæ enim omnes exhauriunt causam morbi coniunctam inquit Ad Sebel, item venarum oculi plicam, has venas tentat Arculanus c. 2[illegible].

Vinacræ.

CAP. IV.
De venis post aures discurrentibus.

PRoficiscentur venæ parotides ab exteriore jugulari de cervicibus adscendente ac de vertice, ut Hippocr. l. de loc. in homine statuit, descendente summis aurium pinnis oppositæ; sub auris posteriore lacuna, ubi pulsus arteriarum sentitur, apparentes; maxime autem cum gula constringitur, quemadmodum notavit Arnaldus l. de reg. sanit. cap. 37. Harum sectionem Martinus

tinus Rulandus, qui plurimas eiusdem utilitates peculiaribus phlebotomiæ tabulis complexus auxiliari dixit: Et quidem vitiis capitis externis; tineæ, ulceribus aurium, postici capitis, & cervicum, faciei vitiis cutaneis, dentium doloribus atque aliis, ex affectibus vero internis, hemicraniæ, memoriæ detrimento, catarrho vetusto, & cætera quorum plurima præmonstraverat Arnaldus citato loco. Cephalalgiam etiam eâ sectione levari feliciter scripsit Jac. Hollerius in perioche 2. operis de comp. medic. per loca. & l. 1. de curand. morb. intern. c. 7. Ad cephalæam tentat has venas Jo. Arculatus in prax. c. proprio & ad Sebel. c. 22. Summum quoque medendæ vertiginis adjumentum phlebotomen hanc perhibuit Razes l. 9. ad Mansorem cap. 2. & Avicenna l. 3. fen. 1. tract. 5. cap. 3. & Alfarabius tract. 1. c. 7. & Arnald. c. 1. breviar. ca. 27. & Johan. Matth. de Gradi cons. X. & Theophrastus Paracelsus manuali 2. & postremus omnium Michaël Paschalius Practicæ meth. cur. morb. cap. 8. certis profectus narratis experimentis: unde credo profectum, ut Patavii mulieres medicæ ab ullis fortasse professoribus interdum edoctæ venas istas scalpro tentent, ut refert Hercules Saxonia l. 3. cap. 36. qui idem vir l. 1. cap. 3. & ad vertiginem phlebotomen hanc approbat, quam cum præceperit extra insultum Johan. Matthæus de Gradi, arguit hunc Hercules, quòd, tunc venæ capitis non extumescant, ni corpori plethora sit, ad hæc autem, sectâ tunc venâ, trahitur ad caput humor; enimvero minores has phlebotomos probat Galen. l. de therapia per sang. missionem cap. 19. cùm universalis evacuatio præcesserit. Secanda igitur inquit, prius vena communis, aut cephalica. Præter hæc, epilepsiæ Alfarabius tractat. 1. sect. 2. cap 3. itemque Sebel delendo tract. 4. sect. 2. cap. 1. Apoplexiæ vero Joannes Heurnius l. de capitis morb. 23. passionib. v. dentium tum ipse l. de morb. dentium c. XI. tum prior Alex. Bened. l. 8. de morb. curand. Et rectè quidem, quoniam constat anatome, Bartholomæique Eustachii l. de dentib. F. Ambrosii Paræi l. 6. chirurg. cap. 25. recitatis observationibus hâc parte venam, arteriam & nervos excurrere ad dentium usque radices: atque adeò vesicante medicamento tum modò nominati duo autores, tum idem Heurnius partem hanc ad idem rei tentavêre. Sed Alex. Benedictus ophthalmiam hac sectione mitescere testatus est l. 5. anat. cap. 5. itemque Gerardus in 9. Razis ca. isto & Ludovicus Mercatus l. 2. de cur. morb. cap. 22. Auditus vero hebetudini medendæ sectas has venas auxilio fuisse docuit Oetheus apud Joan. Schenckium in obser. medic. Præter hæc & lepræ levandæ phlebotomen hanc usui esse notavit Halyabbas in fen. 4. partic. 1. operis dispositionis regalis.

Ad lienis etiam languores assistentes auris sinistræ venam cum multa sanguinis detractione aperit Gariopontus l. 3. rei medicæ cap. 1. postremus autem ex omnibus Hieronymus Fabritius ab Aquapendente l. oper. Chirurg. tit. de capitis chirurgiis testatus est venarum post aures apertionem & oculorum vitiis, & delirio & sopori & aliis huius generis capitis affectibus, qui ex plenitudine proficiscuntur, belle conducere, horum autem plurima transtulit ex Albucasi l. 2. cap. 97. in quo loco & hæc tradita phlebotomes administratio est. *Albucasis. Modus secandi.* Ante omnia deraso capite hominis, locus occipitii prope aures depressior perfricetur aspero panno valenter, deinde collum vinculo linteo constringatur ita, ut se proferant venæ duæ reptantes sub loco memorato; digito has inventas & atramento scriptorio notatas ferret chirurgus phlebotomo cultelliformi; hoc inducto sub cutem adeò ut os offenderit, mox tollet manum ad exteriora tractam sic, ut disciderit duorum digitorum transversorum spatium aut circiter, sanguine jam effuso; qui satis fuerit, secturam offarciat peniculis, & ita, donec agglutinet, relinquat.

CAP. V.

De vena in auris exteriore Concha.

Interioris auriculæ venam non inutiliter secari & ad tremorem capitis, & ad tinnitum aurium, & ad novellam surditatem medendam tradidit ex Avicenna Joann. à Kethan in summula venarum: quam venam & dolori dentium abolendo ad effusionem aliquam sanguinis incidit, licet etiam mox inurat Arnald. l. 2. brev. cap. 34. ad oculorum vero defluxus eluendos venulam, quæ fertur ad aures, qua parte maxilla inferior cum superiore committitur in media auriculæ cartilagine, quæ scaphula per similitudinem dicta est, à peritis chirurgis non inutiliter secari meminit Lazarus Sotus in comm. l. de loc. in homine contextu XV.

Tremori capitis. Tinnitus aurium. Surditati. Avicenna. Dolori dentium. Arnald.

CAP. VI.

De Venula in auriculæ pinna.

Cuidam mulieri jam aliquot annos passæ dolores frontis & superciliorum tandem homo quispiam perfricuit ac vellicavit laxiorem partem auriculæ, quò ad appareret venula, quæ per squamulam scilicet lapidis, ex quo excutitur ignis, incisa perfudit sanguinem atrum, quâ vacuatione liberata doloribus est mulier. Hæc Renerius Solenander cons. 15. sect. 5. quod remedium tam multo precio valens sileri non oportuit.

CAP. VII.

De Venis frontis aperiendis.

Venam frontis, quæ jugularis & externæ ramus consuevere nostri medentes aperire ad internos omnes capitis inflammationes & ad vetustas eiusdem affectus, ut placet Aretæo l. 1. morborum diutur. cap. 4. Razi l. 7. ad Mansorem t. 1. Constant. Afro in viatico & Actuario l. 3. meth. cap. 1. Itemque capitis dolori, & alienationi phrenitidique, ut explicat Soranus

Inflammationi capitis & vetustis eiusdem malis. Aretæus. Actuarius. Capitis dolori. Soranus.

Hippocr.

Isagoges medic. cap. 21. itemque cephalalgiæ ac vertigini, quod præcepit Hippocr. l. de affect. 2. Cui adstipulatur Lazarus Sotus in adversion. medicin. pract. §. 96. Ad dolorem vero Capitis privatè venas, & temporum & frontis aperit Jacobus Hollerius perioche secundâ operis de comp. med. loc. Ad Epilepsiam Razes l. 9. ad Mansorem c. XI. Rondel. vero & lethargo venam hanc sauciat l. 1. cur. morb. cap. 1. & 18. apoplexiæ quoque secandum hanc venam non nulli volunt ut eo lib. cap. 22. Ad melancholiam pertinacem non parcit huic secandæ Ant. Vainerius Com. 1. tr. 13. cap. 6. & Gualt. Bruel. l. prax. c. isto.

Rondeletius. Lethargo. Apoplexiæ. Vainerius.

Ad vertiginis curationem has etiam utiliter aperiri sentiit Jacobus Fontanus l. 1. pract. medic. c. 16. Ad rheumatismum vero & oris ulcera Syphilia venam hanc aperit Eustachius Rudius l. 5. de morb. occultis. cap. 13. Venam frontis in pilosi silacase vocato, id est, aspretudine palpebræ sauciat Avic. l. 3. fen. 3. tract. 3. cap. 4. Sed & lepræ levandæ venam hanc elidit Haliabbas in opere disposit. regal. fen. 4. particul. ep. primæ.

Razes.

Ad nyctalopem venas duas cephalicas secat Razes l. 9. ad Mansorem cap. 28. & pruriginem lacrymalium angulorum venas tum has tum angulares ipsas aperit lib. eodem. cap. 20. Sed equidem in ophthalmia longa, in chæmosi, defluxibus oculorum usque ad cæcitatem ducentibus tum venæ frontis, tum temporum consectum unicè utilem expertus sum auctore Cornelio in l. 6. cap. 7. titulo qui inscriptus est de suffusione oculorum. Ad ophthalmiam vero Ludov. Mercatus l. 2. meth. pract. cap. 22. ad venarum in oculo plexum; Alsarabius tract. 4. sect. 2. cap. 1. ad ophthalmiam item è junioribus Petrus Pigræus l. 2. chirurg. cap. 3. ad oculorum vero dolorem Felix Platerus tom 2. Prax. medic. titulo eodem p. 293. Sed Arnaldus lib. de regen. bene sanit. cap. 37. venæ frontis apertionem usu commodam dixit & ad vetusta vitia faciei, ad turpia ulcera & ad dolorem postici capitis, gravitatem oculorum & stuporem mentis voluit etiam Avicenna l. 1. fen. 4. d. 1. cap. 2. Ad hæc capitis vitiis externis & alopeciæ venam hanc insecat Joan. Heur. de morb. cap. 2. faucium vero dolori tr. eod. p. 386. autor autem imitandæ rei potuit esse Archigenes & Asclepiades, qui ad anginæ curationem eam venam icière. Administrandæ huius phlebotomes rationem discere licet ex Albucasi l. 2. chirurgiæ cap. 97.

Experimẽ in auctoris. Celsus.

Avicenn. Oculorum gravitati mentisque hebetudini. Alopecia. Io. Heurnius. Albucasis.

CAP. VIII.

De venis temporum.

VEnarum temporum jugularium externarum ramos profuit incidere aliquibus, licet defluxio per interiores venas etiam fiat: verba sunt Guliermi Rondel. lib. 1. meth. curand. morb. cap. 45. descripta, quæ equidem eo retuli, ut amplam huius phlebotomes utilitatem docuerim multos, quibus secundum communem plurimorum sententiam videatur, ubi per interiora vasa decurrit vitiosus humor, exteriora nequicquam attingere. Porrò quàm plurimis interioris capitis affectibus abolendis propositas à gravissimis autoribus & usitatas has venarum sectiones comperimus, an propterea scilicet, quòd consentiunt interna externis? vel fortè quòd potest etiam vitium vicino partis exhaustu levari. Omnibus modis cerebri, nervorum, membranarum ac partium istius malis, videas has venæ sectione succurri; cuius etiam rei veteres nostri testimonia præceptaque nonnulla reliquêre: primum enim ad apoplexiam experitur aperiendas Alsar. lib. prac. tr. 1. cap. 18. deinde etiam ad hemicraniam & vehementes capitis dolores & ad ophthalmiam Razes lib. 7. ad Mansorem cap. XXI. ad phrenitin & ad lacrymas voluntarias Gulielmus Brixiensis in opere practico c. proprio & ad graviores oculorum affectus, qui ex inflammatione oriuntur. Cor. lib. 6. cap. 6. Avicenn. vero l. 1. fen. do. 1. cap. 20. sectionem venarum temporum flexuosam dixit utilem cephaleæ hemicraniæ ophthalmiæ vetustæ epiphoris, nictalopiæ, nephelio, psorophthalmiæ, pustulis oculorum atque aliis id genus Mesvæus l. 2. Grabad. 8. cap. 13. oculi uvæ procidenti utilem fecit. Interius vero & suffusioni prævertendæ percellit hæc vasa Guliermus Rondeletius methodi suæ curativæ loco citato. Sed & ad pterygium & Sebel oculi autore Raze & Arculano &c. Item oculorum dolori sauciantur utiliter hæ venæ, quam rem probavit Felix Plater. tom. 2. prax. p. 293. & Petrus Pigræus lib. 2. chirurg. cap. 3. Ad omnia promiscuè oculorum mala videtur hanc probasse Alex. Benedictus l. 5. anat. cap. 5. Rondeletius alopeciæ proficuam temporum venarum apertionem tradidit lib. eodem cap. 1. adeò, ut venarum frontis phlebotome prætulerit. Ad ophthalmium nominat Ludovicus Mercatus operis pract. l. 2. cap. 21. inter hos omnes plurimos eiusdem usus complexus est Arnoldus à Villanova de regenda bene sanit. cap. 37. id est, medendis doloribus capitis vetustis & phlegmaticis, tum exteriorum palpebrarum, tum oculorum & ad omnia horum vitia ex humorum defluxibus. Amaurosi, id est, guttæ serenæ vocatæ privatim Epiph. Ferdinandus histor. medic. 18. qui eidem affectui venas angulorum aperit. Elephantiasi vero Gulierm. Rondel. l. 3. prax. C. 87. quod si vel difficile vel mirum videtur propterea fieri decet, quod sanguis ater in habitu corporis per harum venarum extremitatem vacuatur: ut in quartana venam, quæ inter annularem, & minimum digitum excurrit aperire consuevimus similiter, & ad defluxum pituitæ salsæ ad nares venas easdem utiliter pertundi docuit Barthol. Montagnana in Cons. 78.

Singu... Rond... opini... quisi...

Oculo... affecti... inflam... toriis. Corn... sus. Avice... Caph... hemic... epipho... Nicta... nephel... psoroph... talmia... pustuli... culoru... Oculor... dolori. Felix P... terus. Alopec...

Lud. M... catus. Arnold... Dolorib... capitis ... tustis. Phlegm... ticis. Palpebr... rum.

Elephan... tiasin in... vare u... huius se... possit.

Defluxi... ad nares... salsa.

CAPUT

CAPVT IX.

De Venis ad Angulos oculorum positis.

VEnas ad angulos oculorum positas iugularis externæ ramos, ut lib. de loc. in hom. scriptū est è vertice rectâ, qua supercilia clauduntur, huc delapsos in eorum hypopiis offuscatione mydriasi atque aliis compluribus affectionibus secat Aetius tetr. 2. ser. 3. Ad amaurosin, id est obscuritatem Paulus lib. 3. cap. 22. Gerardus vero de Solo in lib. 9. ad Mansorem. c. 15. ad ophthalmiam, ad Sebel Arculanus tr. 1. cap. 22. Actuario vero auctore lib. 3. meth. med. cap. 1. quæ in magno oculi cantho; sectæ fuerunt, sæpe mali impetum dentes infestantem fregerunt, atque faciei papulis, quas exanthemata vocant, potissimum in secundis opem tulerunt. Probavit hanc quoque phlebotomen Gal. l. 4. de comp. med. per. loc. cap. 3. ad gutturis angustiam ob extumescentes nimirum tonsillas; itemque ad ophthalmiæ inveteratæ reliquias mirificæ finiendas l. de cur. ratione per sanguinis missionem cap. 19. atque hunc fortasse sequutus Aetius in Tetrab. 2. serm. 4. cap. 47. Ad pruritum lacrymalium glandularum abolendum Razes ad Mansor. cap. 24. Ad cynanches verò præfocatus idem remedii præcipit Aurelianus lib. 3. morb. acut. cap. 4. Proptasi, id est, procidentiæ uvæ oculi Mesuęus 2. Grab. cap. proprio & nyctalopæ cap. proxime sequenti, cui quidem nyctalopæ & Avic. id probavit l. 3. fen. tr. 4. cap. 6. Ad sebel, id est, reticulatum venularum in adnata oculi tunica plexum venas in oculorum extremis secat Alsarab. tr. 4. sect. 2. cap. 1. Ad oculorum lippitudinem & scabiem Isaacus lib. 9. pract. cap. 2. Albucasis vero lib. 2. chir. cap. 97. Ad oculis scabiem, ruborem, sebel & ad faciei vitia, antevertendæ quoque fistulæ lachrymali sectionem hanc conducibilem tradidit Arnal. l. de reg. sang. cap. 37. itemque ad guttam vocatam roseam abolendam l. de consid. operis med. dist. 2. par. 1. c. 2. Ad dolorem capitis, ad Lacrymas involuntarias, ad scabiem palpebrarum & pannum tunicæ Joannes à Ketham in tabula phlebotomiæ in fasciculo medicinæ: sed Marcus Rulandus in suis de phlebotomia tabulis factam ad angulum oculi minorem, qui secatur Paulo super extuberantiam ossis iugularis phlebotomen tradidit mederi cephalicâ prius apertâ, iisdem, quos modo dixi capitis oculorumque affectibus. Lacrymales vero sectas venas, id est, angulorum maiorum, ut credo & dilatationi pupillæ & scabiei palpebrarum: obscuritati quoque ophthalmiæ privatim insecat & Jac. Holler. perioche 4. ad Gal. l. de med. per loc. & Nic. Piso cap. 37. Ludovicus Mercatus l. 2. de cur. morb. inter. cap. 22. quin facere oculorum vitiis Jo. Heurn. l. de morb. ocul. cap. 7. confirmavit exemplo capræ, quæ cum prudentissima sit brutarum auctore Geoponico ad iuncas se vertit acutos, ut canthorum venas aperiat, unde visus hebes acuatur. Idem vir & mydriasi venas canthi maioris pertundit l. eodem. c. 7. in hac eadem venas has aut temporum incisas probat. Alex. Bened. l. 3. de cur. morb. cap. 32. venam, quæ in summitate narium hemicraniæ mederi dixit Arnal. Breu. l. 1. cap. 8. capitis vero gravitati & oculorum defluxibus Jo. à Vigo lib. 4. chir. c. 2.

Observationes pro administranda harum venarum sectione.

Cæterum administrandæ huius phlebotomes rationem prætermittere non licet, cuius singulares aliquot Albucasis lib. 2. cap. 97. sunt observationes in hunc ferè modum præcipientis; constringatur, quantum est satis, linteo collum, tum ipse chirurgus post homine capite eminens longam venam transversim phlebotomo parvo quidem, sed latiusculo incidat, angustioris scalpri tenuis acies periculum est ne disrumpatur in loco nimirum, qui ex carnis & osseus est, ita quidem hic vir: sed quid est, quod citato loco Avicenna atque auctor lib. anat. vivorum timent monentque, ne adactus altius scalpellus det causam fistulæ, cuius rei nil meminit Albucasis, verum audacior fortasse firmius ferramentum requirit, dicam, nil contradicere hunc hominem, dum cavet tenuiorem phlebotomum, imò, concordat certè cum aliis advertens ex carnem osseumque locum, quasi ne offendatur monens quod è scalpro periculum esset fistulæ.

CAPVT X.

De venulis oculi tunicarum.

VEnæ oculi tunicæ sub vehementi ophthalmia sic extumescunt interdum, ut evidenter pateant, similiter & in panniculi concremento, quam Sebel Arabes vocarunt, adeo extant, ut præcurvā acum filo serico vel capillo mulieris submisso constrictas ad marcorem usque detineat Felix Platerus l. 1. prax. medicæ tit. de visus læsione pag. 279. qui & venulas easdem turgentes repetito secat, ut sangvinis vis opplens exeat, quā re perfectā exiccantia medicamenta adhibet.

Felix Plat.

CAP. XI.

De venis narium interiorum.

PRoficiscuntur venæ narium à iugularibus externis, & à ramo verticis rectâ discurrente, ut placuit Hipp. l. de loc. in homine, quarum apertionem sanguine quantum videtur effuso, cephaleæ, ac vertigini levandæ & summus Magister Hippocrates l. de affect. 2. & Cels. l. 4. cap. 2. & Gal. lib. 1. de med. per loc. cap. 2. commendarunt & Octavius Horatianus 2. ad Euporistum c. 1. sectæ rectius ad capitis gravitatem & ad cephaleam quoque levandam utilem hanc sectionem professus est Aretæus l. 2. curand. morb. c. 2. Soranus Ephesius Isagoges medic. cap. 21. & Razes tr. 7. cap. 71. qui idem & apoplexiæ levandæ remedium hoc laudavit lib. 9. ad Mansorem cap. 4 Velim autem in huius rei confirmationem & declarationem commentarium Geraldi de Solo legas. Inflammato verò cerebro levando non vulgare hoc item remedium proposuit Petrus Salius in Altimarum c. 1.

Levanda vertigini & Cephalea.

Capitis gravitate.

Inflammato cerebro.

Heurnius. Paulus. Cerebro inflammat. Celsus. *Mesuaus.* *Perturbationi oculorum sarcomati & polypo narium lentigini. Auditioni iuvandæ.* *Albucasis. Febribus acutis Cephalææ, facieiq; vitiis. Arnoldus* *Capitis ulceribus, phrenitidi facieique rubori.*

Hemicraniæ, Alexand. Benedic. lib. 1. cap. 14. vertigini quoque consulentem dixit Heurnius lib. de morb. cap. 22. Paulus quoque lib. 3. cap. 5. ad cerebri inflammationem dixit utilem lib. eod. cap. 7. sed Celsus lib. 4. cap. 2. ad eundem affectum sanguinem de naribus extrahit & lib. 6. cap. 6. §. de suffusione, huic affectui convenire scripsit; Nyctalopæ Mæsuæus lib. 1. Grabad: cap. isto. Sed Avicenna lib. 1. fen. 4. doc. 1. c. 20. benefacientem hanc eand. in docuit perturbationi oculorum, Sarcomatis, sive bothor, ut ipse vocat, nasi polypo (narium hæmorrhoidas princeps vocat) & lentigini defædanti faciem, capiti vero levando & auditui iuvando addit Joannes à Kethan in tabula venarum particularium, auditui quoque amisso recuperando venas narium pertundit Joannes à Vigo lib. 9. cap. 12. quod non dubito traductum ex Arabibus, ex quibus unus Albucasis l. 2. chir. cap. 97. Febribus acutis, cephalææ vehementi, id est huius dimidiæ dolori & rubori antiquis remedium hoc fecit, cuius viri sententiam sequutus est & Arnald. lib. de reg. san. cap. 37. deprehenduntur autem hæ venæ, quod digito compressæ dum tument in duos surculos dirimuntur. Incertum autem an has easdem etiam an superiores & externas ad suffusionem medendam incidendas voluerit Cornel. eod. de suff. ocul. Præterea phrenitidem ita curat Nic. Piso. lib. 1. cap. X. & Gulielmus Brixiensis in opere practico capite XX. ad faciei ruborem vetustum & narium abscessus & febres acutas adnotavit M. Rulandus in suis de phlebotomia tabellis, Joannes vero Heurnius apoplexiam adnumerat lib. de morb. cap. 23. atque etiam Ludovicus Mercatus lib. 1. de Cur. morbis int. cap. 13. qui & ad ophthalmiam commendavit lib. 2. de morb. cur. cap. 22. E nuperrimis Alexander Alexius Patavinus vertigini sopiendæ etiam per scalprum venas hasce aperit cons. 6. Ad Pulmonis denique tumorem laudatam hanc ab Hippocrate phlebotomen adnotavit Mauritius Cordæus in comm. lib. 1. de morb. mulier. initio.

Huius phlebotomes administrandæ ratio est hæc Albucasi, homini per linteum obstricto collo quantum est satis & naso per lævæ manus digitos prehenso, phlebotomum longiusculum & prætenuem defiget medicus in septum nasi delectum: etsi enim conspicua nulla vena se prodit, effluet nihilominus è venenoso loco sanguis,, quantus ad levandam valetudinem necessarius est.

CAPVT XII.

De venis interiorum labiorum & gingivarum.

Inveteratis dentium vitiis.

Nonnulli inveteratis dentium vitiis, quando superiores ex æquo humoris acris affluxus infestat, venas intra labia & gingivas inciderunt & Actuarius in lib. 2. meth. med. capit. primo & Avicenna lib. 2. fen. 4. do. 5. cap. 20. qui professus est utilem hanc sectionem ulceribus oris, doloribus & phymatis gingivarum, nec non laxitati, ulceribus, fissuris, ac fistulis earum, in languore gingivarum has concidit Alsarab. tract. 7. pract. cap. 2. in oris apostematis universim Jo. à S. Amando in comment. in antid. Nicolai ad narium affectus medendos has easdem venas exhauriendas tradidit Jacobus Hollerius perioche 3. ad lib. Gal. de componendis med. secundum loca. & Razes in lib. 7. ad Mansorem cap. XXI. Albucas. lib. 2. chir. cap. 97. utilem hanc phlebotomiam & alcolæ oris corruptis gingivis ulceribus malis, fissurisque labiorum item ulceribus malis nasi & circumstantium particularum professus, administrandi rationem proposuit, quæ sine colli constrictu aliquo non est, atque eo iam facto attractoque ad inferiora labio ad mentum spectante venulam à dextera atque à sinistra labii parte convulnerat: quas quidem ater magis color monstrabit, sunt porro & aliæ ibidem minores etiam nigræ apparentes venæ sed tu maiusculas feries, inquit. Similis quidem opera & in superioris labii venis est, verum facit longus medentium usus, ut inferiores libentius secemus.

Lax... & ph... gingivarum... fissuris... oris... sibus... *Raz. Alb.*

CAP. XIII.

De Venis Palati.

Palati venarum exteriorum in vitiis capitis & faciei maxillarum, dentium, gutturis & oris aperiendarum meminerunt nonnulli, unus ex his Joan. à Ketham in fasciculo medicinæ, verum fluxui rheumatis ad dentes medendo Joannes à sancto Amando in commentario ad antidotarium Nicolai §. quæ venæ sint phlebotomandæ conscripsit historiam de muliere, quæ dolores acerbos dentium perpessa, medicamentis repellentibus, adstringentibus, concoquentibus atque aliis nullis adiuta tandem hac phlebotome mirabiliter est levata. Sunt autem, inquit, hæ venæ manifestæ, quæ tamen præmissâ cephalicæ sectione ac materiâ iam digestâ, non verò crudâ, sunt aperiendæ.

Vitiis... ma... dent... gutt... & o... Io. à... Hist...

CAP. XIV.

De Venis Linguæ.

Venas quidem hypoglottides anginosis succurrentes medici pertundere vulgo consuevere: Verum ad certos quosdam usus, quos bona medicina reperit, frugiferos non item. Primum enim cephalææ præcipit hanc Hippocrates libro 3. de morbis titulo ipso de cephalæa. Quam rem observavit & Mauritius Cordæus comm. l. 1. de mor. mulier. initio: qui & eundem autorem in pulmonis tumore mittendum ex hac vena sanguinem præcepisse adnotavit, è iunioribus vero nostris Gulielmus Rondeletius lib. 1. cur. morb. cap. 7. cephalæa sub biliosarum syndrome, ne bilis frenum, qui sanguis est, adimatur, has venas aperit; quas etiam utiliter in eodem affectu percussas refert Conrad. Gesnerus in obser. apud Schenkium. Similiter hemicranicis hanc elidit Roder. Fonseca to. 2. cons. 64

Ceph...

Epile-

Epilepsiam hac phlebotome curari testatur Theodoricus lib. 4. Chirurgiæ cap. 9. & Jo. Heurnius lib. de morb. capitis 22. & Andreas Cæsalpinus l. 5. art. med. cap. 30. & Jac. Fontanus lib. 1. pract. medic. cap. 17. & ante hos omnes Avicenna lib. 3. fen. 1. tr. 5. cap. XI. & Razes in l. 9. ad Mansorem. cap. XI. E Græcis vero recentioribus Nonnus lib. rei med. cap. 36. qui χλωρὰς, id est, virides istas venas designat. Similiter & apoplexiæ remedium illud posuit nescio quo autore Martinus Rulandus suis de phlebotomia tabellis. tit. isto. quod utile censuit & Gulielmus Rondeletius lib. 1. de morb. curand. c. 7. & Vertigini gravius affligenti Ludovicus l. 1. de meden. morb. inter. cap. 9. Sed & fervidis eiusdem capitis morbis occurrit hæc venæ sectio. 1. inflammationis cerebri, quod tradens Petrus Salius lib. de partium affect. in Altimarum cap. 7. didicit arbitror ex Paulo lib. 3. cap. 7. mirum autem, quod phrenitidi sedandæ salsam ac superstitiosam, tum etiam, quod caput impleat & effluxus sisti non possit, incommodam hanc sanguinis detractionem contra Dioclem asseveret Aurelianus l. 1. acutorum morb. cap. XII. mirum, inquam, nisi suspiciosa in redarguendo libido interim foret in accusatore, qui nulli ac neque etiam Hippocrati pepercit. Verum defenditur Diocles, quod haud primam hanc vacuationem laudavit; verum post factitatas alias ex venis maximis & longe positis, nimirum his peractis revulsionibus proxima derivatio perquam opportuna fuerit? quæ & partem affectam levat ac viribus detrimentum nullum aut paulo minus, quam minimum affert. Illud etiam phrenitidi remedium utile scripsit Bertrucius Bononiens. tr. primo sect. 1. cap. 4. cum quo est etiam Jac. Hollerius lib. 1. de med. morb. int. cap. 6. Scholio & Nicolaus Piso lib. 1. therap. cap. 10. & Jac. Fontanus lib. 1. pract. medic. cap. 16. Maniæ Avic. Sequitur Heurnius lib. de morb. cap. XII. Ad percussionem quoque celebri, quæ commotio est easdem aperiendas commovet Ambros. Paræus lib. 9. cap. 23. His interni capitis affectibus hypoglottidum apertio debetur & vitiis vero externis Erysipelæ proficuam hanc decrevit Alsabius lib. pract. tract. 1. cap. 8. Ad guttam vero vocatam roseam, qui igni sacer est, nasi venam eandem pertundi præcipit Rodericus Fonseca in consult. Ad aurium tinnitum Theophrastus Paracelsus apud Dornæum in fasciculo medicinæ p. 71. Ad oris distorsionem Aetius lib. 2. ser. 2. cap. 30. & Ludovicus Mercatus lib. 1. de cur. morb. int. cap. 15. Ad Paralysin omnem eius meminit Jacobus Hollerius lib. 1. de curand. morb. cap. X. & Ludov. Mercatus lib. 1. pract. cap. 14. sed ad paralysin linguæ privatim Paulus Aegineta lib. 3. cap. 18. & Gul. Rondeletius lib. 1. cap. 24. ad sanguineam vero hanc explicate Autonius Rainerius comm. 1. tract. X. cap. 8. secuit & ad linguæ paralysin eas venas Hercules Saxonia lib. 1. Panthei medicinalis & cap. 10. Eustachius Rudius comprofessor. To. 1. de cur. morb. cap. isto. testificatus est, se mulieri cuidam linguæ paralysi laboranti sectis iisdem venis detraxisse sanguinis lib. 10. non sine fructu, quod sane mirandum est. Ad eiusdem vero tumore subditas ipsi venas elidendas censuit Joannes Arculanus comm. ad 9. Rasis ad Mansorem cap. 64. Verum cum præ tumore difficile sit phlebotomen administrare; suaserim ego ut iugulares ferias ampliore certioreque eum fructu. De quorum vatorum pertundendorum ratione scriptum leges inferius suo loco. Ad oculorum dolorem Felix Platerius lib. 2. prax. med. p. 293.

Rheumati oris vitiis & dentium.

Ad Rheumata capitis omnia, quæ in os ac dentes incidunt Soranus Ephes. lib. Isagog. cap. 2. Ad raucedinem Jac. Fontanus cap. 2. pract. medic. cap. 15. & Gul. Rondeletius tum ad oris vitiis generatim lib. 2. medici operis cap. 5. tum & ulceribus syphiliis l. de morbo Italico. Ad extumescentia labia reprimenda Jo. à Ketham tract. de vulner. p. 293. Ad passiones dentium Jo. Heurnius lib. de curandis dentium vitiis cap. X. Ad Bubonem pestilentem mento subnatum Jacob. Hollerius libr. de peste.

Ictero nigro proficua Hipp. glottidum apertio.

Præter hæc omnia, quod insolens & mirabile videtur, elidi voluit has Hippocrates ad icterum nigrum lib. 2. de morb. num. 1. Verum enimvero curationem quidem ad symptoma & ad effectum iam factum spectare, non ad causam, quæ bilis est nigræ proventus in venis amplioribus redundans, professus est modo nominatus Petrus Salius eius operis enarrator, verum hæc cum iugularis externæ sit productio quæ super claviæ ac deinde cavæ ascendentis est ramus, quid prohibet multum exhausta, quo minus de maiori sanguinis fonte tangere, haurireque postremo debeat; quin multum etiam hæc ipsa malum levabit, quandoquidem & propius & celerius, quam venæ brachiorum evacuat.

Ægyptii eadem aperiunt inflammationibus capitis, oculorum affectibus, rubori faciei, febrili phrenitidi, vigiliis, febribus acutis.

At Ægyptii tam multum huic phlebotomæ confidunt, ut pro arcano habeant eadem uti ad inflammationes quaslibet capitis, atque oculorum affectus, ruborem faciei, febrilem phrenitidem, vigilias, febres acutas, dum die critico natura crisin hæmorrhagiæ moratur, tertianis quoque febribus levamento esse Jacobus de partibus testificatus est.

CAP. XV.

De venis Faucium.

Quibus vitiis utiles.

VEnarum, quæ fauces rigant, pertundendarum ad scabiem capitis, ad pustulas, quæ ab assaphati producuntur, ad dentium maxillarumque dolores, ad gravitatem capitis, ad gutturis orisque vitia, præcepta tulit ex his, quos equidem legi, Joannes à Vigo lib. 9. chirurgiæ c. 2.

CAPUT

CAPVT XVI.

De Venis iugularibus.

Strangulationum periculis Cephalea, apoplexia, cataphora, cynanche. Raucedini asthmati, speciebus acutis. Peripneumonia pleuritidi, splenis dolori, lepra.

IVgularium venarum, quæ rami superclavii sunt propagines, apertio principum auctorum testimonio succurrunt, cuius suffocationis periculo, dolori Capitis contumaci & maligno, apoplexiæ, cataphoræ, præfocatoriæ anginæ, raucedini insolenti, dispnææ, asthmati acuto, peripneumoniæ, pleuritidi, splenico dolori, Lepræ incipienti, impetigini, herpeti esthiomeno atque aliis: ita, inquam & Razes & Avicenna, & Haliabbas & Albucasis & auctor lib. de anat. vivorum constituêre. Sed è Græcis Al. Trallianus in curatione cynanches usu felicissimam hanc phlebotomen, cum venas linguæ subiectas non invenisset, expertum se fuisse testatus est lib. 4. cap. 1. particulà de venæ sectione: quam eandem remedii felicitatem perhibuit ab experto Prosper Alpinus lib. 2. de med. Ægypt. cap. 9. citat autem & ex Hippocrate hanc sententiam Andreas Cæsalpinus lib. 6. art. medic. cap. 3. præter hos auctores etiam de venis iugularibus loquutus Soranus Ephesius Isagog. medic. cap. 21. cum ait, secandas colli venas duas propter abundantiam humorum in capite vel oculis aut gingivis. De his etiam multo certius tradidisse videtur Actuarius cum lib. 3. meth. meden. cap. 1. ait; Sunt, qui venas colli incidunt, verisimileque est eas iuvare, cum sanguis copiosior ad caput confluit, atque idcirco inflammationem in cerebro excitat, aut sensus veluti detinet, κατοχὴ nominatur: verum eas plures devitant, quod sanguinis fluxus ægrè compesci possit, attamen necessitas nihil non exigit atque ob has causas, & Mesuæus idem remedium eidem operę proposuit sermone huius rei proprio.

Has quoque sub phrenitidis inflammatione venas aperit Bertrucius Bononiensis tract. 1. sect. 1. cap. 4. torpori membrorum Alexand. Benedictus libr. 2. cap. 33. Apoplexiæ vero idem libr. 2. cap. 35. & libr. 5. anat. cap. 5. præclarius item Petrus Forestus capite de apoplexia & Johan. Heurnius lib. de morb. capitis 23. & Jo. Riolanus in meth. meden. part. cap. de apopl. & Jac. Fontanus lib. 1. pract. medic. cap. 22. Sed & de fluxibus oculorum magno cum fructu iugulares venas incidi testatus est Gulielmus Fabricius Hildanus in Libello de combust. cap. 13. & iure merito scilicet, quando ab externis hisce iugularibus & carotidibus venæ in coniunctiva tunica oriuntur; ut recte advertit idem observatione primâ. Præter istos omnes auctores est Andreas Cæsalpinus, qui lib. 2. quæst. medic. 12. demonstravit, suffocationem in angina fieri magis oppletis venis iugularibus quam clauso Laryngis osculo: quod si verum est, ut equidem puto, verissimum apertè cognoscitur necessarium plurimum in angina suffocante hanc esse phlebotomen. Vtilem autem facile putat J. Riolanus in meth. medic. particul. cap. isto. quam utique vacuationem, si usitassent in pestilente angina nostri medentes, non tot millia puerorum fortasse missi fuissent ad orcum. Ad hos omnes, qui venarum istarum apertione tolluntur, morbos adnumeravit & Martinus Rulandus in suis de phlebotomia tabellis, Maxillarum scil. & mammarum tumores, cancrum corrosivum, & noli me tangere, atque alia quædam vitia, quæ prius annotaverat Arnoldus lib. de reg. san. cap. 37. Verum enimvero & hoc nostro tempore & aliquanto superiori factum est, ut & abhorreant professores ab hac vasorum sectura & damnatam perpetuo silentio reliquerint, perinde ut ne sit aliud id quidem facere, quam iugulare homines velle, tum discriminibus, quæ antecedunt, tum quo consequi possunt, perhibitis; antecedunt quidem difficultates secandi, quod sub tangentibus digitis dissiliunt non innixæ carni subiacenti; quemadmodum aliæ multæ, sed glandulis mollibus lubricisque incumbunt. Ac neque arteriæ, nervique sunt ab his dissiti; quas ob res periculum est, ne & hi convulnerentur. Deinde ubi sectio probe successerit, fieri non potest, ut sanguis effluens reprimatur citra firmiorem deligaturam, quæ in collo facta suffocationis periculo non caret. Postremo & illud periculum est, ad caput sublevandum pertinens, quod ex plenitudinis causa cephalæam, apoplexiam patitur: nam collum ante sectionem fricare ac ligare expedit, ut venæ tumore ac tensione se prodant, quæ res cerebrum magis replet affectumque auget, ita Jac. Sylvius in meth. pract. cap. de apoplexia sanguinea vel rectius Marcus Gatinaria, ex quo viro hic homo transtulit. Hæc incommoda omnia iugularium venarum apertionem quasi condemnant & dissuadent; verum tanti non sunt eadem, ut prorsus abstinendam ac reiiciendam hanc Phlebotomiam faciant, missis tot tantisque subsidiis ac beneficiis, quæ singulariter ex his eveniunt. Nam quod ad illud Sylvii spectat, respondet idem emolumentum maius evacuatione, quam incommodum esse, præsertim cum etiam in vena frontis secanda collum sit stringendum, sed tunc minor superest copia, deinde quod ad pericula, quæ oboriuntur, spectat, diligenti hominis industria haud difficile occurri potest observationibus & cautionibus servatis, quas in secaturo Chirurgo proposuit Jac. Carpensis in Isagog. anatom. tum Jac. Hollerius in scholio de cur. apop. tum Laurentius Jubertus in adnot. ad Guil. tr. de Læpra pag. 884. & Josephus Quercetanus tetr. 122. prima est præparatio venæ per frictionem frontis & deligaturam colli convenientis asserculis utrinque ad collum alligatis supra iugulares à claviculis ad aures & à sterno ad mentum, ne prohibeatur libera respiratio, quod in cane se dixit expertum Hollerius exectis pilis. Sed Jacobus Carpensis vinculo colli omisso, vult, venter inferior medio iliis & hypochondriis interstitio, vinculo quantum fatis est

Opinio de suffocante angina singularis.

Anginæ suffocanti iugularium venarum apertio perquam utilis

Diffi... tes a... dari... gula... vena...

Dilu... phleb... mol... diffi... tes ra...

In can... Holler... experi... tum. Iacobi ... pensis hac re... cepta.

tis est constringatur, interim vero clauso æger ore spiritum comprimat in sese, mox collum surrectum ad partem utramlibet, quam fieri potest maximè distorqueat, atque hoc tum, ut extumescens optimè compareat vena, tum ut vinculo post vacuationem competentem resoluto colloque medium suum in situm redacto venæ plagula à redeunte cute, quæ vulnerata proximè non fuit, integratur, interim per forcipulam aut simili quopiam instrumento apprehensa vena per phlebotomum immersilem, id est, cum supercilio rotundo febrefactum phlebotomo pilum habente, id est, pili instar acuto utitur Avicenna lib. 4. d. 5. cap. 20. quamquam vult Dinus in eodem loco exiguâ sectura in supremo colli loco secundum obliquum (per transversum isti dicunt) aperiatur, postremò Galeni pulvere adstringente atque agglutinante utitur imposito super panniculo ex posca expresso & ovi albi spuma diluto: Sunt & qui (Gallici nempe scriptores) picis emplastrum præferant, cum mediocri pressu vinculum inducatum, at capite sublimiori collocetur æger, qui situs est conservandus cum optima diæta per plusculos dies. Hæc phlebotomiæ iugularium administratio secundum Carpensem erit. Cæterum & hanc Prosper Alpinus lib. 2. de med. Ægypt. cap. 10. & huius gentis consuetudine descripsit, quæ à priori discriminis illud habet, quod in hac vena per rectitudinem scinditur, quod etiam Albucasis l. 3. chir. c. 97. fuit præceptum. Nuperrimè verò Petrus Paulus Magnus lib. de phleb. cap. 10. aut quicunque ministro medicus eruditior locum indicavit perperam, usus testimonio Galeni qui cap. 6. lib. 2. de decretis Hippocratis & Platonis de iugularibus anatomica experimentia præcidendis loquutus est, antequam ineunda sectura sit, vinciendum locum autumat tum superne, tum inferne; nimirum ne sanguinis profluvii sit periculum, inquit, tum vena in medio vinculorum colo pertundenda.

Dictum iam est ex multorum scribentium opinione, quantum apoplexiæ conveniat sphagitidum insectio: verum nemo melius Gul. Rondeletio, qui & mirum in modum hanc approbavit & ab aliorum improbatione tutatus est his verbis; qui sectionem hanc damnant, quod, ut solet brachium, sic collum ligari nec possit nec debeat in tam magna difficultate respirandi, hi non intelligunt ligare brachium, ut venæ sint conspicuæ: satis vero sunt conspicuæ iugulares in apoplexia, siquidem sanguine fluente in caput multis vaporibus implentur ac turgent, qui autem hanc rationem vituperant, quoniam à Guidone atque aliis proditum est, accepta vulnera in collo esse lethalia, quod sectis iugularibus sanguinis erumpentis impetus non possit cohiberi, nec advertunt verum esse, si omnino dissectæ sint, sed licet chirurgo eas modice aperire & cum satis sanguinis exierit medicamento Galeni & pilis Leporis, aloë, thure atque albumine ovi sangvinem cohibere: quapropter id remedium præstantissimum censeo. Ad eos omnes Ludovicus Mercatus lib. de int. mor. cur. cap. 13. quod est de apoplexia, hæc de re ista scripsit, pauci vero audent, rustico quodam timore perterriti, iugulares venas discindere, tum ob timorem suffocationis ex deligatura, tum propter defluxum difficulter compescibilem. Verum has secare urgente necessitate maxime cum consensu alterius viri docti tutum est, si scissio minima sit & nullâ factâ ligaturâ, quod venæ conspicuæ sint & ea non egeant, nam promptius per has venas sese exonerat caput, quam per quasvis aliarum. Obstat huic viro, & aliis plerisque Albucasis lib. 2. chir. cap. 97. sectionem præcipiens aliquantulum amplam & conglutinari plagam facilè dixit; quamobrem vides exercitatis professoribus non tantum huius phlebotomiæ timorem esse, quantum aliqui adstruunt. Quid autem, quod sub hæmorrhagiæ periculo facile constringi transuto filo possunt hæ venæ? quod & in arteria capitis fortuitò aperta fecit Ambrosiut Paræus lib. 9. cap. 4.

Ludovicus Mercatus.

Albucasis.

Sed omnibus modis minimè verenda phlebotome hæc apparet; quandoquidem in valetudinario sæpenumero feliciter hanc & tutò sum expertus, qualem interdum à Donato Donno & Francisco Auletta doctoribus medicis spectari obtigit in Petro Corvino Neapolitano, cui carcinoma nasi curabatur mea manu confectum, & in Olitoris uxore à Synanche propemodum strangulata à Vincentio Lembo medico item Neapolitano atque aliis. Dici autem non potest, quam mirè levatos se senserint utriq; ex sangvinis vacuatione ista. Nuperrimè autem quasi miraculo quodam à mortifera cynanche, quæ cibum potumque quatriduo intercluserat liberasse visa est militem quendã nostris valetudinarii lectis decumbentem; res omnibus eiusdem loci medicis sive Physicis sive Chirurgis nota.

Historia An. 1630.

CAPUT XVII.

De vena Dorsi & de vena sterni.

SUnt venæ quędam, quantum quidem ad usum secandi pertinet, ignotæ tantundem & ad tuendos servandosque homines eodem vacuationis nomine proficuæ; quid violentâ & rapidâ, ut ita dicam, convulsione gravius? quid cephaleâ exitiosius? quid oculorum vexationibus detestabilius? quid Epilepsiâ, quam nostri sacrum & Herculeum, id est, immanem & præpotentem morbum dixêre, funestius? at his omnibustamen unica vena sub imam cervicem aperta succurrit, quam eius rei primus Gulielmus Rondel. præter cumulatam aliarum rerum scientiam anatomes, ut mihi semper visum est, intelligentissimus in primo meth. curand. morb. capit. 37. fen. in observatione, quam addidit ad superiora sua cap. de convulsione descripsit his ipsis verbis, sanguinis missionem nullus scriptor præscribit; inteta-

Dorsi venæ sectio convulsionibus concussis.

Epilepsia.

in tetano tamen aliisque colli convulsionibus, ut & in epilepsia secta prodest vena non omnibus cognita, quæ in prima dorsi vertebra conspicitur elata & per summum vertebrarum spinæ ad os usque sacrum dorsum perreptat: & paulo supra primam eam dorsi vertebrã in spinam subiens occulitur. Veruntamen si sanguis addidit, derivatione à collo deducitur & una cum sanguine quidquid humoris pituitosi musculos colli perfundit atque induit; aut si nusquam ea apparet, eo in loco sunt affigendæ cum scarificatione cucurbitulæ: hæc Rondeletius, quæ tam multi momenti visa sunt Ludovico Mercato, ut lib. 1. de cur. mor. c. 18. ad convulsionem idem remedii præscripserit. Cæterum & de quibusdam aliis affectibus hac venæ sectione medendi hæc tradidit idem Rondeletius l. eodem c. 49. quod de ophthalmia non vera fuit inscriptum; Fiat sanguinis missio, si pauca sit quantitas materiæ de vena, quæ est inter spathulas: confert enim in dolore capitis cum est in anteriore eius parte & in oculorum affectibus, quia divertitur humorum fluxus. Sed oculorum doloribus privatim hanc probavit Felix Platerus tom. 2. prax. med. tit. prop. p. 293. confirmatur autem phlebotomes hic usus auctore M. Hippocrate, qui libro de visu, Codice pleniore Anutii Foesiii ad tuendum sub imminente cæcitate visum, venas has peculiariter exurit, pungit & hanc venam hæmorrhagiæ comprimendæ Alexander Benedictus l. de cur. morb. c. 5. quod ipsum ad idem symptoma remedium proposuit, Marcus item Gatinaria Comm. in 9. Razis cap. isto traductum à primo Gentili Fulginate in l. de cur. febr. cap. de hæmorrhagia & cap. de somni profunditate, quo loco venam hanc crassam dicit, habes iam nobiles & singulares de nova phlebotome observationes.

CAPUT XIIX.

Tabi avertenda.

TAbis de fluxionibus avertendis venam, quæ in osse pectoris apparet, sauciandam primus ex omnibus, quos legi, censuit Ioannes Marinellus in consilio pro phthisica puella quod excusum extat apud Curtium Marinellum nepotem lib. de mulier. ornam. F. id quod omissum pro rei novitate nolui.

De vena Axillari.

ACciditinterdum, ut axillaris id est interius ab axilla exurgens vena in brachio superiore sit incidenda: quod fit scilicet aut brachii flexu, luxatione, ulcere, abscessu, vitio denique quovis interius oblæso; aut minime apparentibus, aut ob plurimam superiorum temporum secturam occæcatis callo vasibus, aut repugnante homine, qui tractatur; aut etiam, ut sanguis à superioribus partibus quam proximè detrahatur. Difficili autem huic phebotomiæ, propter adiunctam arteriam tutam secandi rationem excogitavit tradiditque nobis Oribas. l. 7. collect. c. 6. qui, duo, inquit, consideranda erunt, ut eam ligemus quam maximè parte pulsus arteriæ nobis indicat. Quod ubi fecerimus videamus an locus ulla ex parte infletur: sique infletur, vinculum statim solvendum & quod inflatum est, ad æqualitatem redigendum & iterum ligandum initio deligationis in primo loco, ubi arteria sub interius brachii caput est sita, conandumque est ut venam inferius incidamus, quia eo in loco disiuncta ab arteria est per venam medicam, cui nullum vas subiicitur: sed nervus est ut ante dixi, notabilis in medio flexu, quem ne tangamus, diligenter est animadvertendum.

CAPUT XIX.

De venis manus indefinite.

Erysip. pulm.

VEnas manus innomitatè pulmonis Erysipelati sedandæ pertundendas meminit Hippocr. lib. 2. de morb. cap. de Erysipelate pulmonis inscripto. In qua commentarii particula Petrus Salius advertit phlebotomen hanc à morbi vigore factitandam; nam & ita plurimam morbo resolutionem, ac laborantibus levamen evenisse scribit.

CAPUT XX.

De vena pollicis manus.

NEscio equidem ad hoc tempus, quem dicturus sum, phlebotomes usum, an multi norint, an non etiam usitarunt. Porro septum transversum dolore infestante arteriam, quæ inter pollicem atque indicem excurrit, aperuit Galenus l. de cur. per sang. miss. cap. 22. & Soranus Ephesius supra pollicem venam incidit propter inflammationem pulmonis, venasque in manibus pertundit. Avicenna vero & post hunc Bertrucius Bononiensis hanc in Letharge aperiunt viribus vitæ sustinentibus. Ex quibus autoribus transtulit & Ludovicus Mercatus ad Ophthalmiam medendam venam ex manu recte opposita pertundendam vult Razes in opere de divisionibus, quem sequutus videtur Ludovicus Mercatus lib 2. de cur. morb. cap. 22. in ophthalmiæ diuturnæ & contumacis curatione. Ad corneæ quoque tunicæ tubercula bothor arabicè vocata venas manus dissecat Alfarabius tr. 4. sect. 3. c. 3. & exasperatæ eidem cornæ c. 7. Insaniæ vero Alex. Benedictus l. 2. c. 29. hancquoque & aliis morbis secuère neoterici, dolori oculorum Felix Platerus to. 2. prax. med. p. 293. quod credo legerat apud Gabrielem Zerbum l. de anat. ex auctoritate Alconomasi id tradentem. Ad extremum hæc venę sectio mirifica est sic in allevando capite atq; oculis laborantibus, ut cæphalæam ocularem appellarit Guido: atque illud fit, inquit Iac. Carpius in anatomica enarratione Mundini c. de vena cava, quia ramus est coniunctus cum funi vocato, brachii vena. Ita quidem nos de hac re: quamquam aliter alibi.

Dolor ... transv... convu...

CAPUT XXI.

De Vena Seylen Arabibus dicta, nostris Salvatella.

Ad voc... detrimo... oris ... chi ... Cordis ... lorem, ... ritiam, ...

DIscurrit inter digitum auricularem atque annularem, magis autem ad annularem spectat vena non ignobilis, quæ Seylen ab Arabibus, salvatella vero à nostris medicis appellatur, inter pollicem atque indicem aliorum opinione reperienda,

rienda; cuius apertè Martinus Rulandus in suis de phlebotomia tabellis complures recitat utilitates, cunctas in diuturnis morbis experiendas. Verum quas optatiores ac probatiores hic homo præterit, ex doctis aliis plerisque repetam, nempe melancholiæ, Gualter. Bruel. & Nicol. Piso l. 1. de cur. morb. int. cap. 23 impetigini & volaticæ vulgo dictæ de brachio tollendæ, venæ huius apertionem maxime facere scripsit Nicol. Florentinus ser. 7. tract. 6. sum. 1. cap. 9. & ad elephantiasin & quartanam Gul. Rondel. lib. 3. pract. c. 87. itemque ad bubonem pestiferum mento subnatum utiliter aperiri tradit Jac. Holler. lib. 2. de peste cap. de bubone; sanguinis per os eiectationi per utilem statuit Aretæus lib. 2. morb. diuturn. cap. 2. & Arnoldus lib. 2. Breviarii cap. 8. qui & respondentem huius manus loco venam pedis etiam utiliter secari docuit. Quem sequutus est & Heurnius l. de morb. pect. cap. 6. & Nicol. Piso lib. 2. de cur. morb. int. cap. 6. Jo. verò Mesuæus lib. 2. Grabad. cap. de phtisi & eidem usui venam hanc aperuit. Et hunc imitatus ad sanguinis sputum Guliel. Brixiensis, oper. pract. cap. de sputo sangvinis. Hæmorrhoidibus revocandis venam hanc quam tum lienariam, tum iecorariam vocat, vulnerandam consulit Alexand. Bened. l. 22. de morb. cur. c. 10. & 14 ad hæmorrhoidas vero, quæ fluxu molestat, bis in anno venam hanc pulsandam censuit Rodericus à Fonseca lib. 1. cons. 27. qui & eandem ad cancrum mammæ sauciat cons. 43. tom. eiusdem: Salvatellam item manus aut pedis in diducta rotula genu pungit Guil. Salicetus lib. c. 26. Arabes sicut recitat Jac. Holler. lib. 6. de cur. morb. inter. cap. 63. & arthriditi secandam voluêre: quo loco atque etiam l. de iecoris inflammatione suspectum superstitionis remedium cum habet Ludovic. Duretus, huic nos nihilominus occurremus & antiquam phlebotomes celebritatem obstare, nec non auctoritatem præter principum, quos dixi, virorum, etiam summi Hippocratis, qui l. 1. de morb. 10. ad phthoen 2. verò eiusdem operis 53. ad pulmonum oppressum, & libro de locis in homine, quemadmodum advertit in libro de febrib. Joannes Manelphus medicus Romanus & lib. de sterilibus num. 24. in fæminis, phlebotomen hanc non obscurè probavit, sed & Franciscus Vallesius gravissimus Hippocratis observator lib. 7. Contr. cap. 5. & Guliel. Rondeletius lib. 3. pract. meth. cap. 8. & Petrus Vascus exer. medic. tr. 4. cap. 6. diff. 2. Salvatellas utrasque sectas respondentibus & hepati aut lieni sympathiâ conferentes esse, quippe, quod externæ partes internarum sint emunctoria, decrevêre. Ad extremum autem non iniuria præstabilem hanc phlebotomen credes, quæ sine virium detrimento semper evacuat (unde salubris dicta est ipsa) in morbis alioqui non mediocriter gravibus: omnino autem hanc aperiri licet vice basilicæ, hac non se proferente, ut suasus est Arnoldus l. de reg. san. cap. 37. Itaque Avicenna lib. 4. fen. 3. tr. 3. cap. 3. cum venas magnas aperiri sub his affectibus malum iudicet venis parcens aliis, manus frontis & narium tutas apertu testificatur. Itemque & Marsilius Ficinus lib. epidemic. antidot. cap. 8. siquidem circa brachium vel latus sinistrum pestilens nota apparuit, Salvatellam inter dextræ manus minimum & annularem digitos existentem venam aperit; si vero in brachio vel latere dextero papula se prodiderit, inter medium & annularem eiusdem lateris, digitos reptantem venam pulmonis dictam, pertundit. Si post aures extiterit mittitur, inquit, sanguis ex cephalica eiusdem lateris; quod si hæc haud facilè comprehendi possit, mittatur ex communi: quæ si neque ipsa pateat, secetur in manu vena, quæ inter pollicem transcurrit & indicem. Hæc ille: Cæterum autem, ut de administratione iam aliquid dicamus, cum non adinodum se prodit, transversim inscanda, quod notavit Gabriel Zerbius in anatome salvatellæ.

CAPUT XXII.

De vena inter annularem & minimum digitum reptantem.

PAuci quidem scriptores phlebotomes ex intervallo annularis & minimi digitorum meminerunt: cum tamen æqua ratio sit huius vacui pollicis loci feriendi: Surculi quippe sunt cephalicæ descendentis, quem funem brachii vocavere posteriores ex Arabistis anatomici. Illum quem legi usum huius venæ tentandæ prodidit Jacobus Hollerius in lib. 1. de curand. inter. morb. cap. 63. qui est ad arthritidem, citat autem auctores Arabes haud descriptis locis: disserte quoque meminit eius rei autor libri quod inscriptum & præsagium experientiâ confirmatum cap. de sang. detractione.

CAPUT XXIII.

De venis abdominis & scroti.

VEnas abdominis priscis incidi consuetas testatur Avicenna lib. 1. fen. 4. do. 5. c. 20. atque e iunioribus Syluaticus in controversiis. Venas scroti crassissimæ superioris venæ pudendi surculos ad levandos prægravatos renes copiosos humorum ichores lieni refundentes & ad hydropem primus aperiri docuit Hippocrates in l. de inter. affect. num. quæ res multa cum ratione proposita videtur, quando defluxus istos in hydropicis sentire frequentissimè solitum sit scrotum; atque id quidem fit, quia pudenda vena sic appellata, siquidem ad hæc loca dirimitur ramus, iliaci descendentis & hic cavæ venæ, in qua una peccantis eiusce sanguinis est proventus, præterquam quod cum præcisè dicat Hipp. fieri morbum hunc à sinistra vena, porro à renali sinistra notum est venire ad testem, spermaticam: in qua & vasis deferentibus & parastatis virulentâ ganorrhæâ suppressis, scimus in scrota sæpissime excitari tumorem inflammatorium non mediocrem: tam magna scilicet istarum partium est, communitas. Quas ob causas cum superiores partes deliquerint, inferiores has, quæ consentiunt exhaustum in multo cum interiorum levamento prorsus apparet. Sed ipsum scrotum alto tumore distentum, elisis & exultantibus huius venis com-

Hipp.

nis comprimi levarique consuevit; quod equidem in Michaele Angelo Patere Calabro Rossanensi, feliciter expertus sum.

CAPUT XXIV.

De vena superiori & inferiori præputii item de venis assistentibus.

SEctam hanc superioris præputii venam remedio esse tumoribus, atque inflammationibus testium, ac vitiis omnibus vesicæ, arenulis, calculo & hoc genus malis retulit ex Avicenna Joannes Ketham in summula venarum, quæ pertundi consuevere.

Venæ verò, præputio quæ subest, sectionem Hydropicis & aliis ventris tumorib⁹ probe facere scripsit ex Avicenna Joannes Ketham in summula venarum, quæ medicos in usus secantur.

Adiectas insuper duas hinc, atque hinc, præputii venas, secando utiles esse tumoribus testium, ac dolori renum & sphyncteris scripsit ex Avicenna Joannes Ketham in Compendio phlebotomiæ.

CAP. XXV.

De venis secus genua positis.

VEnarum, quæ secus genua sunt positæ, sectione & inflammationes & dolores renum & lumborum, coxarum & vesicæ, arthriticas denique affectiones mirabiliter curari notavit ex Avicenna Joannes à Ketham in summula venarum. Ego vero vas interioris genu Barnabæ de Palma Neapolitano, qui tumore totius tibiæ suræque phlegmonode torquebatur præsentaneo fructu pertudi præsente Galeatio Foucano diligente medico civique Arianensi, qui multam nostram in agendo fiduciam ac dexteritatem admiratus est.

Io. à Keth. Historia An. 1630.

CAP. XXVI.

De vena poplitæa.

DEsierunt iam nimium diu pertundi vena poplitis atque ischias maior, imperitia, equidem non dubito, primum anatomes, deinde incuria atque neglectu: quæ res detrimentose non esse nequit salutaris medicæ operæ indigentibus, atque liberavit una sæpe detracti sanguinis opportunitas à gravissimis morbis occubituros, aut misere victuros mortales, quo non sit ulli mirum: ad hunc modum refert *Galenus lib. de ther. per sang. mis. cap. 18. quod refert & Rabi Moses* ischiadas sive coxendicis noxas uno die facta ex crure vacuatione curatas, quæ ad hanc rem, venæ malleoli sectione commodior est. *quo eodem lib. itemque alio de rigor. trem. & palpit.* perspicua est eiusdem sententia, venis poplitis apertis, propterea quod superioribus magis propinquant: inter omnes maximè menses morantes provocare. Cui placito & *Avicenna consensit lib. 1. fen. 4. cap. 20. sed Gabriel Zerbus in anatome poplitææ,* demonstravit huius venæ sectionem in succurrendis uteri hæmorrhoidumque vitiis longe præstantiorem esse saphenâ, propterea quod amplius est vas poplitis, quam in talo atque etiam superioribus propinquior, quare & sanguinem uberius vacuat & crassiorem expedite magis trahit. E iunioribus vero *Felix Platerus anatomicus plane nobilis To. 1. praxeos medicæ tit. de mentis consternatione p. 70.* apoplexiæ tam multum utilem hanc fecit, ut humerariæ sectioni prætulerit: quapropter & epilepsiæ medendæ pariter conveniet, quod & *Nicolao Pisoni visum est lib. 1. curand. morb. cap. 19. & Alexand. Benedicto lib. 2. de cur. morb. cap. 37.* visum est. Similiter *Iulius Cæsar Arantius l. de tumor.* anginæ ferens remedium tam multum poplitææ & malleoli sectioni favit, ut detrimentosam initio morbi superiorum venarum sectionem, perutilem vero ac necessariam istarum fecerit. *Qui idem vir hoc ipso lib. cap. 37.* aneurysmati, quod in iugularibus excitatum est, succurri per eam vacuationem, cæteris ex cubito fluxionem ad affectum locum ducturis diserte professus est. Illud igitur præsidii hoc nostro seculo cur iaceat exoletum, ubi principum & probatissimorum virorum auctoritas, qui frequentissimè nobis phlebotomen hanc veluti per quam frugiferam commendarunt? quos ipsos unum certum est acrius inspexisse dormitantes, quam nostri quidem omnes vigilantes omni cum adiecto studio atque animadversione possit advertere. Jam igitur quod nostro & superioribus aliquot seculis saphena libentius quam poplitæa solita sit incidi, factum id arbitror, quia tum propiore situ & maiore vasis affluvio potest adiuvare; tum etiam inventu facilius est vas illud: adeoque promptè apparens in excarni loco, ut propterea saphena quasi σαφὴς id est oculis aspectabilis dicta sit græcis. Ita quidem Ischiadis dolori finiendo poplitæam potius, quam Ischiadem venam aperiendam voluit autor libri de vivorum anatome, quemadmodum *Gabriel Zerbus in anatome poplitææ & saphenæ demonstravit*, & quemadmodum *ex Avicenna Ioannes à Ketham in venarum secandarum summula notavit.*

Galenus

Platerus.

Nic. Iul. Cæsar Ar.

Anat.

Ab. viri.

Cruralis autem rami cum utraque vena sint surculi; utrius, rogo, magis, superioribus concedere possit evacuatio proximi ne, an remotissimi? quod non tantum vicinitate principii, beneficium est sectæ venæ, sed quod largius etiam effundere de maiori caudice sanguinem exuperantem possit. Has ob causas igitur nos, quos genius in efficacem exercendam & scribendam medicinam impulit, accuratè rem hanc scriptis nostris asseremus. Porro boni professoris officium, cum primum vitium in arte exercitum adverterit, protinus in illud non negligenter animadvertere. Iam igitur ad rem devenio. Ad erysipelas capitis accommodatam hanc dixit *I. Cæsar Arantius lib. de tumor. cap. 4.* Ad chrenitidem verò *autor libri, qui vocatur præsagium experient. confirmat.* qui vir illud etiam addidit à nobis minime contemnendum quin sedulo servandum documentum; ut superioribus quidem partibus sanguis ex internis cubiti venis detractus proficit: ita & inferioribus ex poplite vel talo derivatus.

I. Cæs. Arant.

Item ad columellæ phlegmonem *cap. 35.* & ad Anginam *c. 34.* ad gravem auditum *Ioannes Zecchius consultissimus medicus Romanus in consultatione 43.* Præter autem partis animalis vitia, quibus hæc venæ sectio succurrit, esset ditionis eius, quam dicunt, vitalis, partes affectas tentata eadẽ, iuvare

Ioan. Zecchius.

iuvare solet, quando etiam in Pleuritide cum fructu secari sestatus est *Gal. in lib. quod inscriptum est præsag. experientia confirmatum & alibi.*

Rationem verò declaravit *Gabriel Fallopius in opere observat. anatom. pag. veneta 80.* Quod cum vena sine pari costas irriget, huius surculi plurimum coniunguntur his omnibus quod infra umbilicum sunt: quam ob causam deliberat vir Mutinensis non leve ad pleuritidem personandam adiumentum futurum si poplitæa secetur. Inde etiam in pestilenti calamitate ducendum ea parte sangvinem utile censuit *H. Mercurialis lib. de pestilent. cap. 26. Thomas Iordanus tract. 3. de peste cap. 6.* nec non ille de quo retulit medicus Vtinensis, dignus qui nominetur, Propertius è Simeonibus qui simul ac se bubone tentari sentiit, cum magister phlebotomus non esset, ipse sibimet ratus est, expedire, ut vim inferret.

Quin ipse etiam *Hipp. lib. de ossium natura 12. & lib. de nat. hum. num. 20. & 21.* ne dum inferiorum partium, id est, lumborum, coxendicum, testium, vel & dorsi doloribus poplitææ sectiones faciendas præcipit: itemque & *Avicenna, qui fortasse & hunc locum legerat. lib. 3. fen. 22. tr. 2. c. 3.* Sed & tussiculosis ex usu fore poplitis hunc exhaustum statuit *Petrus Vasco exerc. med. tr. 2. cap. 8. diff. 1.* Phthoæ vero *Gul. Rondeletius etiam citato lib. 3. pract. cap. 7.* & hunc sequutus Jacob. Pons. in Isagoge medica. palpitationi denique cordis præsertim, quæ fœminis ex defectu mensium accedit, *Io. Heurnius lib. de morb. pect. cap. 8.* in recurrente vero pleuritide viris, quidem ex defectis hæmorrhoidibus, fœminis vero & suppressis mensibus idem auxilii fecit *Petrus Vasco Lusitanus tract. 5. cap. 12. diff. 12.* Jam autem quod ad regionem naturalem spectat ex *Avicenna Ioannes à Ketham in summula venarum* probavit ad abscessus doloresque renum & lumborum, coxarum, vesicæ & arthriticas affectiones; *Gulielmus Rondeletius lib. 3. meth. curand. morb. cap. 7. & Iacobus Hollerius lib. 1. de cur. morb. intern. cap. 63.*

Ad vomitum sangvinis bonam fecit, qui & in uteri cancri curatione poplitæam aperuit lib. 3. cap. 74. itemque urinæ ardori, qui ex commoto in coitu semine & mox retento proficiscitur *li. 5. cap. 49.* hac phlebotome profitetur citissime curari: at *Gal. lib. de venæ sect. quem citat Solenander cons. 20. s. 4.* & Avicenna loco paulo antea citato tradidit hac eadem phlebotomia & ani dolores & hæmorrhoidas levari: ad cuius ani cum inflammatione prolapsum retrudendum & hanc venam aperit *Nic. Piso lib. 3. de cur. morb. inter. c. 19.* Ad hæmorrhoidas vero levandas *Iulius Cas. Arantius lib. de tumoribus p. n. cap. 56.* Ad hæmorrhoidas etiam hanc aperiit *Alexand. Benedictus lib. 22. cap. 10.* & ad præpurgandas menstruas puerperii superfluitates *lib. 27. cap. ult.* & ad nephriticos dolores demulcendos *lib. 23. cap. 18. & cap. 63.* & hos utrosque viros sequutus *Nicolaus Piso lib. 2. de cur. morb. int. c. isto, ac Renerius Solenander cons. 15. sect. 1.* & ante hos *Gabriel Zerbus in anatome saphenæ, Galenum citans autorem in l. de vena sectione,* qui tamen omnes ex uno id *Hippoc. 6. epid. sect. 1. part. 5.* in dolore renis aperiendam docente didicerunt: ad quam nephritidem etiam mirifice commendavit *Iac. Hollerius cum Lud. Dureto lib. 1. de cur. morb. inter. & de nephr.* atque etiam *perioche 8. operis de comp. med. loc.* quibus viris omnibus auctor est *Hippocr. lib. 6. epid. sect. 7. tex. 5. & lib. de ossium natura 12.* licet lumborum dolores hic vere nominet, non nephritidem. Consensit vero Hippocrati *Galenus in commentario 2. de natura humana particula.* 4. Deniq; laborantes omnes partes, quæ sunt infra renes, levamen sectione recipere suadetur multis *Galeni locis, qui sunt cap. 18. lib. de therap. per sanguinis miss. c. 11. meth. lib. 13. 36. aphor. l. 6. & c.* quamobrem rectè ad vesicæ inflammationem hoc usus est *Epiph. Ferdinandus in histor. med. 19.* Satyriasi quoque in hist. 26.

Inflammat vesicæ.

Atque hæc quidem per medicos phlebotomes approbatio fuit internis potissimum affectibus; cæterum externis non nihil & illa proficit, qua & coxendicos certissime sanari scripsit *Andreas Cæsalpinus art. med. lib. 3. c. 20. Felix Platerus tem. 2. tit. de habitus corporis dolore p. 715. & Petrus Vasco Lusitanus exerc. medic. tract. 2. cap. 8. diff. 1.* sequuti ut arbitror *Hippocratem lib. de ossium natura 12. & lib. de loc. in homine 34. & lib. de int. affect. F. & l. de genit. F.* aut etiam sequuti *Razen l. divisionum cap. 13. circa finem.* Cum autem & in talo, morbis, qui ab hepate proficiscuntur, venam hanc pertundi liceat, *auctore Gal. con. 36. aph. 6.* iuvabit certe coxendicos loci propinquitate magis subgenu, quam ad talum aperta. Præter coxendicem & ad dolorem ossis coccygis præsentaneum hoc remedium comprobatum usu retulit *Petrus Paulus Placentinus l. phlebot. cap. 16.* qui ut ad evocandam extrorsum & patefaciendam venam, quæ aliquando sub cutem condita est, oblongam, utilis est hæc phlebotome tumori rubori & infirmitati pedum, ut notat *Rulandus tr. de phlebot.* sed necessitate rei iam cognitâ sectionis administrandæ rationem tandem aperire vocamur quæ certe plurima inveniendo in vase consistit: ut igitur invenire facile possit, quod in carnosa latitat loco, sæpe deligatura facit, sed non sine per spongias fomento, multoties etiam immersu in aqua calente, quam Cubitalis cupa recipiet, quod usitatum à se perhibuit *L. Paulus Placentinus in lib. phlebot. cap. 16.*

Coxendicis
And. Cæs.
Hippoc.
Razes.
Petrus Paulus Placentinus.

Additur & ad certiorem operam aliquando creber ad partem per arundinem verberatus. Sed de ligatura sic ordinabitur ἀναλογῶς accepta ex autore lib. de anatom. vivorum capite de anatome venarum manus iniecto vinculo quam bene longam tam etiam minime lato, prope inguen ad inferiores perpetuo partes cohærentibus semper & arctioribus circuitionibus demittetur, usq; dum ad locum popliti attiguum perventum sit, tum pede vel recto stante, quod Placentius, vel suspenso ad lignum quod Zerbus, vel ad ansulam mortarii, quod *Razes lib. 9. ad Mansorem* docuit: vinculum ex chorda inferne sicut in brachio constringente porrectam bene venam tundere licebit.

CAP. XXVII.

De venis Crurum.

VEnas binas coxarum totidemque in tibiis adversus dolores eorundem, artuum & utriusque pedis, apertas valere testatus est *ex Avicenna Iohannes à Ketham in phlebotomia summula.* Meminit etiam harum venarum ad revellendos derivandosque varios humorum influxus morbiferos *Felix Platerus lib. 1. Prax. med. tit. qui est vitalis motus pag. 167. Iacobus autem Hollerius ac Ludovicus Duretus in 1. pract. meth.* quos sequitur *Nic. Piso*: plerisque uteri malis & inflammationi per hoc succurrere: mulierum quoq; defectis mensibus revocandis multæ efficiæ vacuationem hanc tradidit *Lazarus Sotus in lib. 1. cap. 4. §. 61.* quam & medicis Lusitanis perfamiliarem dicit: mensibus item & Hæmorrhoidis stato tempore deficientibus, qui linguæ paralysin intulerint, hasce venas aperit *Hercules Saxonia lib. 1. Panthei medicinalis cap. 10.* Sed & ulceribus crurium, quorum hominum maximam partem in valetudinario nostro curamus, potissime rheumaticis, cacoëthis, dysepulotis & omnino diuturnis, quæ sub medicamentis omnibus nil unquam profecere, nullam non opem medendo quæsitam quotidie afferre consuevimus, continuo sentientibus & deprædicantibus vel ipsis ægris utilitatem.

Io. à Ketha. *Felix Plat.* *Iac. Hollerius* *Lud. Duretus.* *Nic. Piso.* *Laz. Sotus.* *H. Saxonia*

Præter hos autem omnes homines vulgares est nobilis Antonius Pulcher ex Aloysii Parochi Sanctæ Sophiæ Germanus frater, qui œdematosa tibiæ inflammatione magnopere doluerat diuque vexatus fuerat venâ nigricante, quæ tibiam oblique conscendebat, apertâ, levatus est. Itemque curatus Jo. Victorius de Furco Sacerdos ædis sacræ Incurabilium recidivis tibiarū ulcusculis diu vexatus, factum autem hoc à nobis suasu *Galeni lib. 2. Therapeut. ad Glauc. & consilio Benedicti Victorii 26.*

CAP. XXIIX.

De vena Saphena.

SAphenæ equidem oportunè percussæ cum multæ sint salubres utilitates, ex his paucæ non admodum celebratæ nec omnibus cognitæ faciunt, ut de his repetere velim brevi, præterquam enim in mulierum morbis pertundi promptè & propemodum impunè consuevit: ad hæc in genitalium pudendarumque in viris partium affectibus collectionibusq; inguinum malignis non sine fructu feritur: internè vero in his omnibus, qui sunt infra iecur, atque adeo renum & vesicæ malis atque osculis hæmorrhoidum aperiendis benefacit. *Amatus quoque Lusitanus* colicam biliosam hac vacuatione curavit. *cent. 1. cur. 2.* Intelligendum autem est maxime ad revellendum à capite partibusque omnibus superioribus usus probatissimi phlebotomen hanc esse, denique ad affectus melancholicos, præcipue verò ex sanguine crasso profectis licet hinc detrahere commodè, quod *Iac. Fontanus lib. 1. medic. pract. cap. 28.* præcepit. Verum eius rei gratia transversim ut secetur, requirit *Gabriel Zerbis in anatome*: ex quo viro & priore *Avicenna 21. fen. 31. atque Gal. de venæ sectione* sunt hæc accepta. Illam autem adversionem addidit *Marcus Gatinaria Comm. in 9. Razis* in curatione ophthalmiæ veræ, atq; etiam alibi, vas hoc tunc optimo consilio primum depleri, cum corporis plenitudo summa est: ab hoc enim vena ante omnes tentata, alias etiam mox tum brachiorum tum supremas esse feriendas. Quo credo equidem consilio & Razes magnus magister Saphenam in apoplexiæ principio pertundendam præcepit. lib. 9. ad Mansorem cap. 4. & lib. 7. eiusdem operis capite 21. communem hanc & poplitææ propositionem fecerat. Zosterem ignis sacri speciem, parum hodie notam; Zonæ modo cingentem, unde Zona dicta est latinè, venis utriusque tali discissis in Comite Palatino Otthenrico restinctum testatur Joannes Langius epist. tomi 1. p. 32.

Gabriel Zerbus. *Avic. Marc. Gatin.* *Zoster stinct. storia*

CAP. XXIX.

De Ischiade Vena.

QVoniam quidem præcipuus sectionis huius venæ usus est Ischiadis languori succurrere; ab ea quoque parte nacta est appellationem; maior autem cognominata est eadem, vel quod longius excurrat extremis usque pedibus communicata, à ramo crurali profecta, perque suræ musculos delata infernè antequam provoluta ad calcem in digitos dispescatur in malleolum externum (*Sylvestrem hunc vocat auctor anat. viv:*) divertit; ibi hanc invenire debebis ut adnotandis mox affectibus possis occurrere: Coxendicis doloribus *Hippoc. l. de genitur. circa F. & Avicenna loco superius memorato*: qui & podagram sanguineam addidit, Elephantiasi, varicibus & podagræ, *Avicenna lib. 1. fen. 4. cap. 20. & Autor libri de anat. vivorum*: qui cum ramus superior non reperitur, eum, qui inter minimum & attiguum digitum excurrit, incidendum præcipit. Renum & articulorum dolori *Io. à Ketham in summula venarum*, vesicæ doloribus, dysuriæ, testium ulceribus *Martinus Rulandus in phlebotomia tabulis.* Cæterum administratur vasis huius apertio non aliter quam in Saphena factitari consuevit. Ad evocandum vero forinsecus venam autor anatomæ vivorum deligaturam descripsit, quę est ex longa & angustiori fascia à summa coxa ad malleolum usque deducta.

Ischia vena scrip. *Ischia* *Podag.* *Varic. & elep tiasi.* *Deligatio ratio.*

Vnum nunc superest quæsitu non inutile, propterea quod Galenus Saphenæ sectionem est testatus, coxendico dolore sic unicè celeriterque benefacere, ut incantamenti cuiusdam loco plerisque fit visum: an huius apertioni ischiadicæ, quam potissimè prædicant *Arabes & Avicenna l. 1. fen. 22. tr. 2. c. 25.* sit præferenda. *Amatus Lusitanus*, qui rem hanc ex professo tractavit *Cent. 6. cur. 55.* sic decretam hanc rem reliquit. Ex eodem venæ cruralis interioris trunco proficisci & interiorem Saphenam & exteriorem Ischiadem; quod testatus est & *Gal. lib. 10. καὶ τόπους cap. 2.* Rectiorem quidem rectè respondentem vacuationem esse: verum si quæ recto decursu ischiadis est, vena non appareat, promptum est comparem saphenam pertundi. Eiusdem prope sententiæ

tentiæ videtur fuisse *Io. Fragossus in anat. sua cap.* 59. licet verè professus omnes æquè venas pedis superiorum partium malis occurrere, proinde eos errare, qui exteriorem interiorem, poplitæam aliter pollicarem, renalem seu digitis minimi aut aliam in pede quamlibet religiosè deligunt huic vel illi morbo medendo.

Aliam distinctionem in medium protulit ipse Avicenna, qui ait, phlebotomia venæ Ischiadicę magis est iuvativa in Ischiadica, quam phlebotomia Saphenæ plurimum, nisi sit dolor levior extensus in sylvestri: qui tamen descendat versus domesticum, imo & quod sit humor purus rubeus, id est, sanguineus, cuius extensio fit ex domestico & ad domesticum, quare erit, ut saphena magis conferat quam Ischiadica, quamvis ipsæ ambæ sint duo rami venæ unius: communis hæc sententia fuit & *Razis* 11. autore Galeno continentis scripta reliquit hæc. Vidi dolores excitatos in coxa & tibia cum caliditate inventa secundum tactum ipsorum locorum: & hoc accidit in convalescentib⁹ magis: & confert illis, si fuerint interiores, id est, in parte domestica minutio Saphenæ & si fuerint exteriores, id est, in parte sylvestri, minutio Ischiadicæ.

CAP. XXX.

De venis Malleoli promiscuè.

TAli proiectura ut duplex est utrilibet pedi, ita & per utramq; particulā perreptat vena, quo ab eiusdē situ interiore vel exteriore nomen accepit: interior quidem vena saphenæ processus est; ischiadis vero alter exterior: qui tamen ambo cruralis unius stipitis sunt diremptus, malleolares nominatas venas in renis dolore pertundendas docuit *Hippoc. epid.* 6. *in ancilla Stimargi*, quas easdem *Fulgentius* Placiades dixit, ad renum, femorum atq; virilium rationem pertinere & ad ischiadicos & ad obtinendos partus (conceptus intelligo rectius) quod posterius cum asserit aperte contradicit *Hippocrati qui lib. de locis in homine* prodidit eisdem sectis venis infæcundum hominem reddi. Hieronymus vero Cardanus, qui nobilis fuit Hippocratis observator utriusque tali vasa convulnerat epilepsiæ dissolvendæ: quod adnotavit *Hieron. Montuus l.* 1. *anasceu. cap.* 16. Meminit & eiusdem tum ad epilepsiam tum ad apoplexiam venæ cæsuræ *Razes l. ad Mansorem c. propriis*. Hactenus de venis utrisque promiscue; discretim nunc de utraque parte dicemus.

[margin:] vena ...les.

CAPUT XXXI.

De venis Malleoli interioris atq; exterioris.

VEnam sub talo consueverunt hodie quidam aperire mulieribus, quibus menstrua non proveniunt & conceptio non fit, verum & ischiadicæ & podagræ & affectioni nephriticæ secat hanc *Soranus Ephesius l. isag. med. c.* 21. interiores has debere vult *Ioannes à Ketham in summula venarum*: qui & arenularum affectui & calculo pertundi non inutiliter eadem scripsit; sed & podagram & nephritidem eandem iuvare testatus est *Ioannes Ephesius lib. isag. cap.* 21. qui quod ad lumbos pertinet imitatus est id ex *Hippocrate lib. de genit. circa f.* tradente & ad lumbos & ad testes ex dolore iuvandos sectionem huius venæ conferre, ad crurum vero dolores elidendam hanc suadebat Benedictus Victorius in cons. 25. Ego verò ad herpetica contumacia partium istarum ulcera vas hoc elidere consuevi: nullus aut esset scribendi finis, si curatos ea ratione vellem adnotare cunctos quibus hæc eadem est incisa. Hactenus hæ sectę venæ tali interiores sive saphenæ sunt utilitates, externam verò alteram ad dolores coxendicos, ad tumores, inflammationesque testium discutiendas sectu perutilem exposuit *ex Avicenna Ioannes à Ketham in summula venarum.*

[margin:] ...us ...ethā. ...sf. ...itidi. ...ra. ...er.

CAP. XXXII.

De vena pollicis pedis.

VEnam, quæ est sub digito pollicis pedum à tarso venientem poplitæam à quibusdam & Joanne Fragoso vocatam propter indignationem testiculorum aperit *Soranus Ephesius l. isagog. medic. c.* 21. quem sequutus videtur *Arnaldus Villan. lib. de phlebotomia.* Epilepsiæ vero medendæ, cum è visceribus attollitur materia, pertundit eandem *Razes Heurnio referente lib. de capitis morb. c.* 22. quam eandem maniæ dividit *Mesuaus lib.* 2. *Grabad. de cura mania & melanch.* eandem etiam vesicæ vitiis, ophthalmię oculorum, rubori faciei, maculis, cancro, varicibus tibiarum utiliter aperiri proposuit *Rulandus in tract. phlebotomia.* Sed in peste si in inguinibus vel sinistro latere nota veneni apparuerit; ex ea, quæ inter pollicem & proximum digitum excurrit vena paralytica dicta sanguinem detrahit *Marsilius Ficinus lib. epidemic. antid. c.* 8.

[margin:] *Soranus Ephesius. Arnoldus Villan. Epilepsia. Razes. Mesuaus. Mania. Rulandus.*

CAP. XXXIII.

De venis digiti minimi pedis.

VEna, quæ inter minimum & annularem digitum pedis excurrit, venæ saphenæ soboles est *Gabriel. Zerbo auctore*, licet hanc renalem è venis ad tibiam descendentibus vocarit *Guido Cauliacus in anatome*, quę & suas ad multa utilitates habet has; nempe ad reiectatum sanguinis ex ore sauciat *Arnald. Villanou. l.* 2. *Breu. c.* 8. Ischiadicis verò medens *Avicenna l.* 1. *fen.* 22. *tr.* 2. *c.* 25. priusquam ischiadicam venam tentet, eam, quæ inter minimum & huic proximum digitum pedis excurrit aperiendam decernit atque illud opinione Razis de iuncturis consultum propterea quod in divertendo vena illa tenuior præstat magis; utpote quæ remotior; quemadmodum apertio Salvatellæ conducibilior est quam basilicæ in adiuvando iecore vel liene: ad psialogiam sive rectius ad psælogiam, id est, pseadicos aperit *Gariopontus l.* 3. *c.* 2. ad renum vero vitia gravitatem & lassitudinem membrorum, apoplexiam, paralysin, epilepsiam non infructuosè probatis ex auctoribus scripsit *Martinus Rulandus in phlebotomia tabulis.* Nos sectæ eiusdem venæ beneficium experti sumus in doloribus hæmorrhoidum sopiendis, quibus & implacidos dies, ac insomnes noctes permultas duxerat legum Doctor honorabili Jo. Salonus. Surculum interioris saphenæ, qui inter pollicem proximumque digitum pedis, excurrit aperiri feliciter in hisce malis testatus etiam ab

[margin:] *Gab. Zerbo. Guido Cauliacus. Arnaldus Villan. Renum vitiis, membrorum gravit. Apoplexia, paralysi, epilepsia. Mart. Ruland. Hamorrhoidis dolentibus. Historia*

Arnoldus Villanou.

experto est *Arnoldus Villanou. lib. de consid. oper. medic. distinct. 2. part. 1. cap. 2.* ad brachiorum inflammationes & abscessus in principio levandas vacuationem sanguinis ex hac particula non ignobilem posuit *Ioannes à Ketham in fasciculo medicinæ tract. de vulneribus.*

CAPUT XXXIV.

De exscindendis venis crurium in arthritidis & podagræ affluxu extumescentibus.

SÆpe fit, ut copioso ad podagram humore affluente distendantur in tibiis venæ non sine rubore atque inflatione circumfusis, doloris autem non memini, nam hic fere consectarius est. Excisionem igitur eo rerum statu approbat *Rufus apud Aetium ser. 12. cap. 24.* & è neotericis *Felix Platerus tom. 2. prax. med. p. 717.* exscindantur verò ad eum videlicet modum, qui usitatissimus est in varicibus, pari enim pacto fieri poterit, ut intercilus sanguis multus, qui ad partem influere consueverat, desinat. Quæ cum communis coxendici atque aliis articulorũ defluxibus ratio sit, si venæ in his secundum longitudinem producta conscindantur: similiter his res utilis conficietur. Tantum id requiritur, ut elatæ venæ propter humoris multitudinem appareant & non obscuro tramite sint invehiendæ & cum carne conscindendæ. Hanc ego venarum excisionem ad arthritidem & podagram cum primis proposuerim utilem; cæterum scire te velim, lector & ad ulcera vetustissima latissimaq; exiccanda finiendaque perquam à me semper repertam esse. Solum adverteris ne collectio tumorq; suboriatur, antè igitur caput inferioris vasis diligenter exprimendum & medicamentis absorbentibus naturamque partis confirmantibus tractandum, sed neque anacollematis alienum est uti quousque desluere desuescat humor. Vise autem & quæ de his *Theophrastus Paracelsus Chirurg. magnæ Part. 2. tract. 3. cap. 5.* neque enim hic homo, qui consuetudinarios Chirurgiæ consectus ubique convellit, parcendum huic existimavit. Tam scilicet unicum ac necessarium rheumaticorum hoc est remedium.

Aetius. Felix Platerus.

Quid in excitione, observandum.

Paracelsi in hanc rem consensus.

CAPUT XXXV.

Venarum quarundam in extremis corporis partibus incidendarum utilitates in unum collecta.

ETsi celebratæ semper à maioribus nostris non ad huc tamen à iunioribus adversæ neq; ut pareat, adnotatę sunt phlebotomiæ vasorum extremorum corporis, sive quidem in artus, sive etiam in alium quocunque locum finiantur: nam quid est quæso, quod *Hippocrates* ad iterum nigrum, ad lienis vero languores *Gariopontus* venas sub lingua conditas aperit? neq; minari cum fiducia *Soranus Ephesius*, venam, quæ supra pollicem est, incidendam memorat inflammationi pulmonis interstinguendæ, lethargo *Avicenna*, Insaniæ *Alexand. Benedictus*, Oculorum plerisq; malis & *Guido Cauliacensis & Gabriel Zerbus* & ante hos *Alsarabius & Razes*; Itemque tum allevandis tum hisce partibus tum omni capiti *Iacobus Carpensis in Anatomen Mundini Bononiensis.* Sed & pollicis vena secta Principum virorum Testimonio succurrit epilepsiæ, Melancholiæ, Maniæ, vitiis oculorum, maculis faciei, cancro vesicæ, testiumque malis, pestilentiæ, pestiferoque buboni, varicibus tibiarum & cæteris aliis quibusdam.

Ad hæc vena digiti minimi pedis aperta subvenit epilepsiæ, apoplexiæ, paralysi, sputo sanguineo, brachiorum inflammationibus atque abscessibus, renum affectibus, psæadicis, lassitudini membrorum, hæmorrhoidis dolentibus, atq; aliis nonnullis.

Sed superat omnium præstantiam vena Seylem sive salvatella, cuius & optimo virorum experimento communi consenserunt ad oculorum & faciei pallorem, ophthalmiam ad vocis detrimenta, Cordis dolores, febres omnes, phthoën, peripneumoniam, pestem, longas pectoris obstructiones. Ad stomachi noxas & inappetentiam, melancholiam hypochondriis subnascentem, icterum, iecoris lienisq; mala, sterilitatem, hæmorrhoidas, arthritidem & ad alias quam plurimas affectiones; Quarum facultatum omnium causas & abstrusæ rationis enodationem ubi quæras; hanc in promptu tradimus quam brevissimis.

Certum est, ad avertendum ac revellendum has omnes phlebotomas non institui. Itaq; cum *Guliel. Rondeletio sentio, qui l. 3. practicæ meth. cap. 89.* partes extremas omnes internarum emunctoria statuit. Confirmatur autem, *quod Avicenna lib. 4. fen. 3. tr. 3. cap. 3.* cum venas magnas aperire non expedit, parvulos aquæ ductus frontis manuum & narium salutares apertu testificatur. Præterquam quod experimento quotidiano constat oportune plerunque secari venulas eiusmodi, si naturales partium coordinationes & sympathias introspexerit & discreverit sedulus medicinæ dictator.

CAP. XXXVI.

De venis ad partes vitiatas extumescentibus.

IN tota observatione medica nil est celebrius quam male valentes omnes partes tumore tentatas cognoscere, adeoq; finitimus & consentaneus est vitio cuiq; tumor, ut nullo citius, quam hoc ipso latens noxa declaretur. Illud autem partim fit, quia suggestum in dies alimentum pars semel intemperata & debilis in seipsam commutare & concorporare non valet, quam ob causam deses & ignava demum restat materia: partim etiam fit quod dolor affidens fomesq; mali, sanguinem & humores undiq; convocat è proxima vicinia, vel hunc natura verius, ut 13. *meth. med. Galenus explicavit* cæco studio succurrendi ministrat partibus seu fracturam luxatumq; ossis, seu vulnus, seu, puncturam ictumve receperint, seu sponte ruptum quodcunq; ulcus, seu tuberculũ senserint. Jam autem cum tumore isto tum supra tum circa loca, quæ foveant vitium extollunt plenos suos tubulos interdũ venæ sic ut disrumpi appareant: adeoq; nos ipsæ docent suadentq; ut inducto scalpri perpunctu depleantur, quod

factum

factum à nobis ipsis felici non semel usu compe-rimus; si tantum universalia vocata præsidia cæterum corpus exinanierint. Quæ cum præstantis alioquin facultatis & censeantur & sint: nihilominus haud curationi satis interdum facere possunt, si partis plenitudo restet. Quam ob rem *Hippocrates lib. de ulceribus* firma semper sententia vetusta ulcera circum scarificat & varices assistentes aperit, quod consilium & *Galenus l. 4. de compos. medic. per genera sequutus est: qui idem l. artis medica c. 90. & ipsos tumores exhausit.* Sic etiam Hippocrates l. de artic. calcem ictu pressum concidit, & hoc exemplo *Corn. Celsus* luxatis artubus non parcit. Prætereaque concussiones atque inflammationes parti omnium & tumores securè pertundent autores plerique, quos *l. de Scarificatu* ad externa vitia faciendo notavi.

Sed si carnes inquam sauciamus, quanto satius & de venis quæ in afflicta particula extumescunt, factitandus hic est exhaustus? qui largior, accommodatior, promptior, facilior, tutior, indolentiorque est. Itaque ego ad deglabratum tinea caput & circa alas, & inguina, ut mala subteriora curarem, venas extantes ferii, nec non in brachiis & cruribus & omnibus communiter membris. Sed & in mammis feminarum carcinomate non ulcerato prehensis idem consueti, ex quo genere nominabitur hic à me juvenis Mugnani pagi Neapolitani incola, quem eo malo laborante adduxerat ad me Donatus Donna: qui remedium hoc nulli notum aut exercitum non mediocriter probavit, vir & ipse ingenii vividitate morumq; suavitate probandus.

CAP. XXXVII.

De Venarum præcisione; primum autem venarum frontis & post aures, mox aliarum.

HActenus ostensa simplex harum venarum sectio fuit. Cæterum & earundem abruptio ad pleraque utilis est genera decurrentis humoris intercipiendi. Primum autem defluxus malignos, qui sunt ad nares præsectio venæ frontis unicè tollit; experimento in nonnullis facto. Inter cæteros nominare subit Petrum Antonium longum Samnitem Avenionensem, cui præsecta hâc venâ velut succendiculis igne subtractis, lichenem malignam semel finivimus, quam non crebræ venarum sectiones, non purgationes corporis, non diuturnæ victus observationes, nô decocta longarum descriptionium, non deniq; brachiorum emissaria sedare valuerant: quô fit, ut nô mirer antiquos medicos, & inter hos *Rogerium apprime nobilem l. 1. suæ Chirurgiæ c. 24. Itemq; Arnoldum Villanovanum l. 1. Breviar. c. 14. & c. 17.* quê utrumq; sequitur & *Io. à Vigo. l. 9. copiosè c. 2.* deliberatê decrevisse, ut cum oculi malis affectibus rubent, collacrymantur, pilorumque ornatum amittunt, vena, quæ fronte attollitur, quæque per tempora visuntur, præscindatur scalpro subtus aciê transadacto. Prior autem his omnibus *Aet. l. 7. c. 93.* perpetuis oculorum lacrymis & hemicraniis doloribus finiendis venas discidit frontis. At vero venas, quæ sunt post aures vertigini delendæ diffecat Halyabb. *c. isto.*

Sed & partium aliarum, quæ nominatim definiri non possunt venarum excisiones utiles sunt, ulceribus difficilibus & vetustis semel finiendis: quod amplè confirmabit testimonium atque experimentum *Aetii serm. 14. c. 40. dicentis*; neq; vero malignis crurium aut surarum tantùm ulceribus ea curatio debetur, sed manuum quoq; ac reliquarũ corporis partium, nam cuidam adolescenti diuturnum ulcus ad radicê manus habenti venam ad ulcus supernè elatam excidi atque intra paucos dies hominem sanavi, qui per quinquennium eâ affectione laboraverat.

Quomodo administranda. Jam vero administratio sic ordinanda est, ut primum appareat vena consueta ad apertionem arte; mox acu recurva ferrea vel argentea transfixa subtus & attracta vena scalpro falcato ad eandem profunditatem impresso discindenda est, & usitato ad phlebotomen alteram vulgarem modo, sanguis est detrahendus, plerunque autem sic vas exstat in gracili tenuiq; cute, ut aciculæ transfixus necessarius nô sit, sed sola scalpri, quàm maximè ad mucronem recurvi administratio. Porro nos hac atq; illâ ratione chirurgiam hanc factitare quotidie consuevimus.

CYRSOTOMIA SEU DE VARICIBUS APERIENDIS.

VArix venę dilatatio est à copioso atro sanguine etiam atq; etiam distendente, aliquando in temporibus; aliquãdo in ima ventris parte sub umbilico; nonnunquã & circa testiculos, sed maximè in cruribus, in quibus actionum sustentandi ferendique corporis continuarum causa graves & curatu difficiles sunt eædem; ubi vero cum ulcere per has partes coniunguntur molestissimæ sunt, usq; adeò, ut chirurgicam opem ne dum expostulent, sed urgeant. *Curatio duplex.* Quæ chirurgica tractatio duplex est: altera per puncturam quandam apertio ut aplotomia, qualis & venarum naturâ comparatarum est: altera cum discissu vasis aut portionis etiam excisu. De singulis dicemus ordine & primò de simplicissima chirurgia, varicum autê apertionê exequimur, ut levamen saltem nanciscantur ab his afflictati homines, dum exhorrent harum excisum aut præcisum tum hi, tum medentes. Tunc, inquã, phlebotomo sunt pungendæ, de qua opera Principes auctores decrevêre; *Hippocrat.* Hipp. quidem ad hunc modum *in l. de ulc. n. 16.* ubi varix est tibiæ aut conspicua aut in carne & tibia est nigra, videturque opus habere sanguine ab ipsa defluente, talia nequaquã pertundere oportet: plerumque enim magna ulcera ex fissuris fiunt, propter varicis influxum verum varicem ipsam aliâs atque aliâs compungere, oportet; ubi opportunum visum fuerit &c. *Enarratus Hippocrat.* quorum omnium brevissimus sensus est, ut ne promiscuè quidem quocunque loco tumor est, incidatur scalpello, sed varix ipsa pluribus in locis, ubi turget velut per capitula feriendus, sc. per sufficientem sanguinis detractionem: hæc ferè Hipp. *Galenus.* *Gal. vero 4. de comp. medicamentorum generalibus cap. 3.* varicem ulceri diuturno & caçoethi assistentê scarificandã prius in longum jubet, quam cætera curatio tractetur. Meminit & huius rei post Galen. *Aetius l. 4. ser. 2. c. 84. Avicenna verò l. 3. fen. 22. c. 18.* procuratâ prius œconomiâ corporis per victus rationem

rationem commodam, per sanguinis detractionẽ è venis manus, & per cathartica; adhibitis ante perfusionibus calidis commodaq; confectâ, deligatione ab infimo pede ad summã surã, vel superius, si opus est, præcipit, ut varix aperiatur, & mox sanguis totus coacervatus exprimatur. *At Albucasis l.2.c.92.* faciendam ad hunc modum varicũ dissectionem præcepit.: Foveatur crus, inquit (nam de hoc prima est hypothesis) calente aquâ deligeturq; coxa supernè deorsum usq; ad genu per victam, i.e. angustam fasciolam: sub his vena insecanda est uno, aut duobus aut tribus scalpelli ictibus expresso tum supernè tum infernè per manus utrasq; sanguine quantũ libuerit, aut satis esse visum fuerit, comprimatur plaga, atq; homo circa cætera benè curatur: Convenit & cum hoc viro de triplici varicũ sectione *Alsarau.tr.28.c.10.* Tradit & de his *Rhazes 12. continentis c. peculiari*, quod vise. Post hos autem omnes vetustæ ætatis auctores *Alex. Benedictus l.2. de cur. morb. c. 29.* varices crurium insanis apertas magno esse remedio cõscripsit; propinquior vero nobis *Ambr. Paræus* & hunc simul attestatus est operam in se pluries factitatam ægris evenisse felicissimam: quod idem in melancholia curanda professus est *Guliel. Brixiensis in opere practico.*

Albucasis.

Curatio per excisionem.

Hæc de varicum apertione, de excisione nunc aliqua: De cuius utilitate ac necessitate exquisitissimè omnium pertractavit *Gabriel Fallopius in l. de ulcer. c.16.* cuius sententiam, tum quod distinctionem rerũ, tum quod deliberationem agendi continet summam recitabo libentissimè. Aliquæ, inquit, varices tutò sanari possunt & cogimur eas sanare: aliquæ nõ possunt tutò sanari nec cogimur ipsas sanare: aliquæ non possunt totò sanari cogimur tamen ipsas sanare. Si itaq; tuta sit sanatio & non cogamini ab ulcere, debetis varices sanare, si autem non sit tuta sanatio, nec cogamini, nõ sunt sanandæ. At si non tuta sanatio sit, attamen cogamini à varice & ab ulcere tentanda est sanatio. Tuta autem est sanatio in corpore non cacochymo; varicibus non existentibus intortis; quando principium ipsarum non est in inguine, ægerq; est obediens; quando etiam non est timor à plenitudine, qua fiat nova dilatatio; in his casibus tutò suscipitur curatio. Aliquando licet non sit tuta sanatio, tamen cogimur ipsam tentare: cogimur inquam aliquandò ab ulcere, quod est maximè dolorosum; vel occupat totum crus; vel corrumpit os, vel est malignum, vel aliud simile quid est, aliquando cogimur à varicibus ipsis, quæ sunt interdum magnæ ac turgidæ sic, ut disrumpantur, nisi intercipiantur, & factâ magnâ sanguinis effusione interficiunt; ex qua causa jam duos vidi mortuos. Quoties ergo videritis ita turgentes varices, tentate sanationem; alioqui sanguis ille erodet cutem, & varices disrumpentur.

Tuta varicum sanatio quando

Ad hunc modum ille: Quo viro confirmante *Galenoq; in l. 3. meth. therap. c. 4. & l. 2. pharm. per genera c. 2. & Aet. ser. 14. c. 4.* monentibus quòd si varices adiunctæ sint ulceri coalitum hoc iri nequicquam, adhibito quocunq; labore, speraverimus: hominum valetudinarii nostri ulcera bima, quadrina, septennalia, decennalia aut etiam diuturniora varicibus, quæ circum obsistebant excisis, feliciter præter omnium opinionem vidimus sanata; has herclè operas Neapoli primi omnium sumus experti; passi tamen principio præsertim, à medicis aliis nõnullas criminationes apud Nosocomii Oeconomos & præfectos, quòd istis chir. in aperta languentes conjicerentur pericula. Sed Deo opt. max. bonos conatus & à bono studio profectas semper promovente facile post aliquot optatos operâ eventus os aut invidis aut perperã intelligentibus obturârunt. Ex his autem omnibus hominibus, qui curati sunt nominis alioquin obscuri quem maximè nominare possim, is est religiosus minorita ex provincia Romana, frater Antonius Cavensis, quicũ ulcus in talo paruum quidem, sed obstinatè molestum 12. jam annos insanabile pertulisset; discissa per nos incumbente variculã sanatus est Anno 1625. M. Septembri. Alter ex ulcere simili, itemque curatus & sanatus Dominicus Ferrarius An. 1629. Mirũ autem est, ut infestatis maximo dolore locis, quæ in imo sunt nil mali restet, ubi varices multo superiores excisæ fuerint. Atq; etiã admirari licet, quod ex tumescentia partium inferiorum evanescat omnis, reprimaturq; ad naturalem modum locus, simulac intercisæ fuerint tortuosæ illæ vites, non aliter sanè, quàm si subducto rivo arescant plantæ.

Auct. nullo... ptoris... empt... ctus... cum... rurg... exeq... est N...

Exem...

Liber... dolor... varic... oport... dissec... Cadu... varic... sectio... more...

Aliud notatu dignum est, quod in homine varicoso comperimus non sine animi voluptate observatum. Erant huic glomeratæ superiori genu interiori venæ, sicut in unum quasi colliculũ assurgerent omnes; quæ ad inguen excurrentes paulatim ex tubere declinabant. In hoc igitur loco factâ varicis excisione, sanguinem ex inferiori cætera portione ex illo tubere quantum licuit expressimus, amplè per initia affluente humore; sed nihil juvante industriâ, factus in loco abscessus est ulcere secturæ jam puro. Illud igitur quod adverto est sanguinem in complicatis illis forulis stagnantem refrigeratũ, jam ex denegato confluxu fontis superioris sua in systasi manere nequivisse, atq; adeo computruisse: Quodq; admirabilis est, computruerunt & ipsæ venæ. Verũ tamen deterso post aliquod tempus ulcere sanatus est homo. Præter has omnes, quæ sunt artuum cyrsotomiæ, quæ privata est scroti tam exoleta hoc nostro seculo, ut insolens ac temerarium videatur has attingere nihilominus ego in nosocomio nonnullos curavi; extra vero locum hunc me auspice per Jo. Dominicum Moschium adiutorem meum curatus est Augustinus Pharensis è Sodalibus B. Horatii Gambacurtorum in cœnobio D. Mariæ Gratiarum Neapoli, licet difficiles hasce curationes perhibet *Aetius Tetrabl. 4. serm. 2. cap. penult.*

Obser... nostri... va.

Obser... tio.

Venæ pu... scentes... dissecti... varici...

Alias item eiusmodi curationes quam plurimos enarrare possem, nisi hæc ad comprobationem satis esse putarem. Illud nunc ambiguitatis, ex uno Lancfranci chirurgi fortassis exemplo, *exhibuit Curtius Marinellus* non contemnendus plane homo, sed qui licenter contra maiorum omnium decreta videtur ausus *lib. 4. de mul. ornam. cap. 2.* dicens, varicibus exectis membrum exarescere. Verum equidem huic contradicere facile possum, cui plurimas præscindere consueto nunquam in ullo id detrimentum

Doct. 3. 3. c. 14.

tum observari contigit: Enimvero quid unius venæ defectu cesset ali pars, ad quam & aliæ complures irrigando commeant? atque ita mecum etiam asserit *Marcus Gatinaria l. Practicæ Curat. cap. isto.* Enimvero narrat historiam eius adolescentis pulcherrimi Alemanni, cui ab exectis per empiricos varicibus, successit quartana pestilens, nihilo tamen minus in promptu medentem empiricum accusavit, nulla præmissa corporis perpurgatione &c. eam ob rem monet, ut *Hippocr. præceptum 6. aph.* propositum prætergredi temere non audeamus &c. Illud tamen ad juniorem disciplinam inficiari non possum, sæpe sub aut supra defectu ræ locum abscessum nasci; quod fit sc. sanguine alicubi commoriente propter solutam continuitatem. Sed nihilominus si supra infraque foveatur per dies primos, pars & principio plurimum sanguinis expresseris, tutus ab abscessu locus redditur. Tutiorem quoq; curatione futuram puto si dissecta extrema cautere ignito præsertim aureo percoquatur: & eo amplius quod & per lati digiti spatiũ cauteria vatis adhibet *Aetius serm. 14. c. 84.*

His compositis ad administrationem venio quam *Paulus Aegineta, l. posuit hanc*; loto homini funiculum superiori femoris regioni circumdamus, jubemusq; ut inambulet, inde repletã venam atramẽto scriptorio aut collyrio notabimus juxta varicis situm trium digitorũ, aut paulo ampliori spatio interposito, decumbente ægro cruribus extensis, alterum funiculum supra genu injiciemus. Elatam autem in tumorem vena, scalpellum adigimus, quà atramenti nota est, tam altè, ut cutem duntaxat scalpellum penetret nec venã dividamus. Ubi oras vulneris hamulis diduxerimus & membranas cultro inflexo ad ramicem aquosum accomodo excoriaverimus, vena detecta & undiquaq; explicata femoris ligamenta solvemus, vase per cæcum hamum suspenso, acum duplex linum trahentem subjiciemus, plexumq; lini amputabimus & divisâ scalpello per medium venâ, detrahemus sanguinis quantũ usus postulat: deinde funiculo superiorem vasis partem cõstringentes, erectumque crus elevantes manuum expressũ, sanguinem qui in crure est evacuabim⁹: deinde infrà rursus vas devincientes, vel id venæ, quod inter vincula est, abscissum tollemus, aut manere id sinemus usq; dum suâ sponte cum funibus excidat, & vulnere siccis linamentis oppleto, splenium vino & oleo madens, iniectum quod linteolis illinatur persanabimus. Novi autem veteres nonnullos, (funibus non usos:) alios inde vas denudatum exscindere: alios altè ipsum elevatum cum violentia extrahere abrumpentes. Verum omnium tutissimus chirurgiæ modus est, quem supra diximus. Porrò varices in imo ventris suborientes consimiliter tractabimus, item eas quæ tempora infestant, quemadmodum in Angiologia comprehensum est.

Tradidit & huius operæ administrationem *Aetius l. 4. ser. 2. c. 84.* è Latinis *Cornelius l. 7. & 31.* & ex Arabibus *Albucasis lib. 2. chir. c. 92.*

DE SCARIFICATIONE.

Scarificatum quidem multo confidentius ac frequentius exercebant antiqui, quàm nos, qui eiusdem usum non aliis in casibus, quàm in privata quadam cucurbitularum administratione, & in gangrænarum curatione cognovimus; imperiti sc. & inertes, atque, ut doctus vir quidam ait, omnia tuta timentes, qui ditissimam opis artem & auxiliorum plenissimam in pauca & rara contraximus, quæ nihilominus levia sunt & inefficacia; prompti semper causari, quod veteres homines erant natura firmi & gravia ferre valentes; nostrorum verò temporum invalidi & imbecilli sunt omnes; verum enimvero mea quidem opinione vel corpus est nobis sine pectore, vel pectus sine animis; degeneres autem nos pathognomonicus timor arguit. Ita fit, ut plurimi sint, qui vereantur ad patientes locos insecare attractionis, quam dicunt, metu: sed continuo refellit hos *Prosper Alpinus* eventu, qui felix & vacuus fere semper novæ refusionis esse solet. *In antithesibus autem operis paradoxologici doctus vir Sebastianus Travus Professor Taurinensis* Oribasii totam de scarificatione sententiam tutam decernit, si ad statum deversarit fluxio, etiam si dictum morbi vigorem consequuta fuerit acris accessio; quod idem ferè censuit & *Hieron. Montuus in compendio therapeutices §. de scarificatu.* Proferemus autem & nos posterius locupletissimas omnium doctorum confirmationes quibus magna dignitatis accessio scarificationi futura sit; sed enim nos, quibus licuit sub plerisq; languorib⁹ corporis in publicis incurabillum valetudinariis hanc frequentissimè factitare; testificari nostrâ fide possumus neminem fuisse hominum, qui aut inutilem senserit, aut improsperam reclamarit; quâ fiduciâ & hâc de re scripturi nunc accessimus, etiam si videamus chirurgicam hanc operam multis ab hinc sæculis inter nostros ab usu recessisse.

Ambrosius Paræus lib. 16. c. 4.

Contracta medicinæ opes nostra medentium inertia.

Futilis quadam multorum hominum argumentatio, quod firmior natura primitus, quam hodie nostris.

Contra eos qui de scarificatu faciendo metuunt.

Sebastian. Trauus Professor Taurinensis excellens.

CAP. I.

Definitionem, summosq; eiusdem usus ac modos complectens.

Scarificatio est cutis & subiectæ etiam carnis per scalpellum dissectio multis foraminibus facta. Ita Jo. Gorræus l. defini. med. suo loco; sed Sebastiano Trauo nuper memorato scriptore diligentissimo definita scarificatio est minuta incisio in aliqua parte corporis ad educendum nocentẽ sanguinem multis ictibus per æquales ordines facta. Scire autem licet à Galeno plerisq; multis in locis omnibus humorum defluxibus ex plenitudine vel cacochymia profectis, binos universim usus scarificationis propositos: alterum, qui spectet ad partem mittentem superiorem aut finitimam pro eo avertendo confluxu, quem scarificatum revulsorium appellavit; alterum ad partem recipientem evacuandi gratia, & vacuatorium, quam rursus duplicem fecit; quorum alter serviret vel deplendo toti corpori, vel determinatæ certæque parti. De vacuatoria quidem totius corporis in plerisque locis disseruit idem *Gal. lib. de vena sectione c. 11. l. 2. aph 17. l. 4. de tuenda valet. c. 4. atq; aliis plerisq; locis.* De partis verò vacuatoria scarificatione meminit *in l. proprio de scarificatu*, quos nos locos posterius referemus Revulsoriam exposuit cum *13. meth. c. 5.* dicebat laborante manu scarificabis crura, & malè affectis locis superioribus

Scarificatio duplex.

Revulsoria Evacuatoria, quæ itidem duplex.

rioribus incidenda sunt inferiora; vel contra: ut cùm naribus sanguine profundentibus spatulas concidimus, aut cùm capite male affecto suppungimus crura. Sub hoc quoque genere & derivatoria comprehenditur; cuius exemplum esto cum crura sub hydropem exsaniantur.

Derivatoria scarificatio.

Præstantia. Gal. & Avic. conciliantur.

Universam hanc sanguinis vacuationem minus exolvere vires tradidit *Galenus lib. de scarificatione & hirud. apud Oribasium lib. 7. coll. c. 19.* atque etiam *Apollonius apud eundem in Collect.* Contra maiori hanc esse dispendio credidit *Avicenna quarta quarti.* Sed conciliantur, quòd de modica vel exigua detractione dictum voluit ille, de copiosa verò atque ubere professus est alter.

Scarificationis autem omnis modus est triplex apud *Galenum l. 2. ad Glauconem*; superficiarius, profundus, medius: administrandi, verò ratio duplex est κατὰ ἄνεμον, id est, per tractum & cæsim & κατὰ πληγὴν, id est, per verberatum & punctim: superficiarius quidem modus punctim; cæteri verò duo non punctim, sed cæsim conficiendos arbitratur ab Oribasio doctus Joannes Gorræus in defin. medic. propterea, quod ita minus doloris inferatur. Atque hi quidem termini sunt & modi sectionis. Porro Galeni monito *l. 13. meth. med. c. 5.* necessarium est rite recteque expurgato corpore finitaq; jam fluxione scalpro tentare particulas atque hoc tempore nec mulieribus nec pueris, qui vel ad solam punctionis leviculæ mentionem exhorrent, parcere; quamquam, quæ minus doloris moveat, rectius est ineunda. Deinde, ut *Hippocrates l. de vlceribus & lib. de med.* monuit; scalpellis tenuioribus atque acutis facienda: licet recurvos ac admodum tenues interpretatur *Stephanus Gurmelaus l. 2. chirurgia cap. de scarificatu.* Aliud etiam advertes, scarificatus leviores quidem particulis ex carnibus, altiores verò carnosis omnibus deberi; sic statuente *Galeno lib. qui inscriptus est præsag. experient. confirm. cap. penult.* Denique tum ut dolor quantum fieri potest, levetur, tum ut sanguinis uberior effusio adiuvetur, debebis & fomentis uti: quod peculiari adversione præceperunt antiqui: Quippe sic & uberius influet sanguis, & certius suum sequetur beneficium. Cæteras de hac re traditiones *Vidus Vidius in l. 2. chir. c. 7.* & post hunc *Iacobus Mannus l. de malleolorum scarificatione* tractarunt.

Tempus & conditio, qua recte utamur scarificatu.

Scalpri quales.

Pro natura partium scarificationis delectus.

Administrandi ratio.

CAP. II.

De Vacuatoriæ scarificationis utilitatibus corpori communibus.

Vacuatoriam scarificationem in febribus putridis, acutis, malignis, pestilentibus, præsertim puerorum quas etiam deliria & vigiliæ, sævaque circa sensus symptomata sequuta fuerint ad miraculum efficax & præsentaneam remedium ex professo prædicarunt *Amatus Lusitanus cent. 1. Cur. 18. & cent. 2. cur. 58.* quos legas velim, & *Prosper Alpinus in 3. de med. meth. c. 7. & Iacobus Nannus in l. de scarif. malleolorum, & Iacob. Hollerius l. de peste & Michaël Gavasset. in epist. postremus* verò *Epiphanius Ferdinandus* non illaudatus ætatis nostræ scriptor, qui manè ac vesperi vult remedium factitandum; quanquam hanc medendi rationem *prior l. de peste Tusca* ac in omnibus auctor fuit *Gal. in l. qui dicitur præsag. exper. conf. Oribasius expressit l. de scarif. c. 17. & 20. & lib. ad Iulianum 1. cap. 2.* Quoniam autem puerorum meminimus admirari subit, & plerosq; arguere, quid binulos aut trieńes pueros perinde ac grandes atque adultos homines, quod Gal. tantopere cavit, venarum magnarum detracto sanguine curent; Scarificatum verò in pulpis crurium non efficiant: quo superari nos scilicet medendi prudentiâ videamur ab Arabibus, Ægyptiis, Barbarisque aliis; quas perspicientissimos in hoc utendo remedio retulit idem *Prosper Alp. l. 3. meth. medic. c. 7. & Ioann. Iacobus Mannus in lib. de malleol. scarif.* Sed neq; barbari solum & exteri scarificatum in puerorum affectibus gravissimis probarunt; verum etiam dogmatici remedium amplexati videntur, è quibus unus occurrit in præsenti *Lazar. Sotus non contemnendus auctor Hispanus, qui in animadversionibus med. pract. c. 4. §. 59.* tum quidem crurium in febribus, tum brachiorũ in pleuritide vel anginæ & hoc ex Oribasio fortasse scarificatũ in pueris magnopere cõmendavit, commendavit quoq; & in fœminis vetulis ubi aliqua corporis molestia conflictantur: Commendavit etiam morem hunc apud eosdem Hispanos populos maximo cum fructu *Diomedes Amicius autor operis de morb. Sporaditis l. 3.* quanquam autem adversetur huic pragmateiæ *nobilis vir Andreas Lacuna in Commentariis ad Dioscoridem; qua de hirudinibus est sermo*; nihilominus tamen & hic in pueris adultioribus, quibus præ exilitate multa venæ non apparent, scarificatus leniores non dubitat concedere. Acquievit & huic placito ex Italis *Alex. Massarias l. de Venæ sect. circa Finem.*

Scarificatio utilis feb. acutis, malign. pestilentibus & pesti ipsi. Amatus Lusitanus. Prosper Alpinus. Io. Iacobus Mannus. Michael Gavasset. Epiphan.

Maximè quoque laudatus hic est in morbis ex influxu humorum exuperante tum ad interiora corporis atq; abdita, tum ad exteriora atque conspicua: quæ res neq; barbaros nationes latuit. Ad hos enim utroque usus hanc tantopere valentem confidunt Ægyptii medici, ut eum suras crurium crebris ictibus scalpello pertuderint, nil habeant ulterius, nempe vacuationem hanc venarum maiorum sectioni substituunt & succedaneam faciunt, non aliter profectò, quàm nos cucurbitas cum scarificatu substituimus venæ sectioni, quam ferre nequeunt imbecilles, vel minus firmâ ætate, crescente videlicet nuper aut declinante homines: qui verò à morbo difficili suam in habitudinem redeunt, his nil æquè ad id conducit, quã sanguinis per scarificationem exhaustus *Oribas. id tradente l. de scarif. c. 20.* porrò communis venarum sectionis & scarificationis magna est affinitas, nam rami venarum crassiores hâc ratione secantur *eod. auctore Gal. 2. aphor. 17. & 4. de tuend. val. 4.* usq; adeo, ut venæ sectioni vicariam scarificationem fecerit idem auctor. Atque hæc de universali ad vacuandũ corpus scarificationis usu.

CAP. III.

De particularibus scarificationis utilitatibus secundum Ægyptios.

Scarificatus particularis nunc est enarranda commoditas, quã neq; Ægyptii modo memorati ignorarant: Sed ad tonsillas, quæ per epidemias extumescunt, & circa pudenda inflammationes,

tiones, aut alia quæcumque mala, ex multa humorum putredine ortum labentia auricularum scarificatum succurrunt intra vel extra confecto, dum has manibus confricârint atq; aquâ calente foverint, collumq; aliquantulum adacto vinculo ad tumefactum venarum superiorum compresserint: id quod omni partium supremarum scarificatui commune est etiam, quæ fortassis vacuatio spernenda per dogmaticos non est, quando & *Hipp. l. 6. Epid. com. 5. tex. 22.* scripsit cum adsunt œdemata, id est diuturnæ ad articulos fluxiones, venas auribus posteriores findendas esse, ex qua re credo fluxisse, ut Sarraceni, quod refert *Franc. Valles. in eod. com.* plures in curandis morbis scarificent, in pueris ad hæc, & cuiusq; ætatis hominibus, qui inflammatione aliqua circa caput aut oculos, quiq; faciei nasiq; ruboribus, (guttas roseas dicunt) vexantur, narium cava plusculis incisuris aperiunt: qui narium internarum cruentatus tā frugiferas etiam visus est *Amato Lusitano in 3. Cent.* ut glorietur, se primum sectionem hisce partibus faciendarum usum induxisse. Ita quidem Ægyptii in externis vitiis, sed ex interno erumpentium humorum influxu productis morbis & febribus nō minor est scarificatus apud eosdē administratio, de qua re Prosper Alpinus legitur suo loco.

CAP. IV.

De scarificatus ad interna medenda vitia secundum dogmaticos utilitatibus.

Aliæ sunt scarificatus secundum dogmaticos utilitates, principio privatis inflammationibus internis atq; externis. Ex internis, inquam cephaleæ finiendæ nil operantibus medic. cutem scalpello pertundit *Corn. Celsus, l. 4. c. 2.* quam rem credo didicerat ex *Hipp. l. de affect. 2.* licet hoc etiam vertigini abolendæ commune præceptū fecerit idē vir; cuius ipsius norma proposita *in 5. aph. 68.* dolente syncipite occiput exulcerat scalpro *Gal. l. 2. med. part. c. 2.* qui idem vir vetustos cap. dolores scarificatoriis consectionem dissolvit *in l. qui inscribitur præsagium exper. conf.* Hos autem omnes antiquos vivos credo sequutus est *Herc. Saxonia l. 1. Panthei medic. c. 2.* cum totius cutis capitis cōcisum, tum suo, tum aliorum experimento commodam laudavit *Aret. 1. therap. morb. diut. 2.* proposuit intimarum narium scarificatum per anserinā pinnam in nervoso extremo sic incisam, ut serræ sit instar, quale autem à compunctis naribus auxilium dixi, non minus & à saucitatis auriculis interdum evenit, legeris enim id, quod scriptis prodidit *Renerius Solenander sect. 5. cons. 15.* mulierum quandam passam dolores frontis & superciliorum per aliquot annos, tandem ex Vellicatu laxioris partis auriculæ venaq; quę appareret, aculento silice percussa, factâ sanguinis atri profusione sanatam. Similiter hemicranio dolori laudatissimus ab Oribasio fuit scarificatus, qui scapulis & occipiti fit. Sed epilepsiæ ad occiput incisuras, & juxta talum ex utroque crure paululum sanguinis mittendum ultimum auxilium professus est *Cornelius l. 3. c. 23.* & hunc equidem credo facile sequutus *Hier. Cardanus referente Hieronymo Montuo c. 16. l. 1. anasceu. morborum.* Rursus verò *Celsus* occipitii scalpro pertundendi meminit *l. 3. c. 3. Sed Cælius Aurelianus l. 1. chron. c. 4.* collum, verticem & tempora scarificat licet nō sine cucurbitulis. Lethargo resolvendo caput prærasum sauciat *l. 2. pass. acut. c. 6.* catalepticis verò tempora & occipitium & cogentibus causis alia capitis loca convulnerat *l. 2. eiusdem operis c. 11.* Phrenitidi vero medendæ si vel præcordia vel vesicæ partes extumuerint, has concidit l. 1. eiusdem operis c. 11. E junioribus verò nostris Felix Platerus venarum ascendentium anatome doctus, qua jugulares assurgunt appositis cucurbitulis carnes pertundit *Tomo 1. prax. med. tit. de mentis consternatione pag. 60.* qui vir & in paraphrenitide idem remedii factitandum voluit *tom. eodem p. 162.* In Apoplexiæ quoq; & memoriæ detrimento cutem propè cervicem scarificat *Martin. Rulandus curat. empeir. 100. Centur. 5.* Melancholiæ vero verticem ad multā sanguinis effusionem concidit *Rodericus à Fonseca Consf. 69. tom. prioris.* Quod si cruentatum capitis ab antiquis in hocce morbo factitatum comprobavit *Alex. Trallian. l. 1. rei medic. c. 16. §. de balneo:* propterea, quod caput intemperatius sicciusque reddit: nihilominus faciendum mox concessit, ubi materia violenter ad cerebrum profecta & ad crassitudinem impacta fuerit sic, ut aliis ea de re medicamentis repugnet. Sed enim alio nomine prudenter facit *Rodericus Fonseca*, qui circa posticas & duriores capitis partes eiusmodi concisuras infligit. In vertigine sauciat occiput *Oribas. l. de scarif. c. & lib. 8. Synopseos ad Eustachium cap. 5.* sub poplite, genuque crura atque aurium cartilagines scarificat *Matthæus è Gradi consil. 50.* qui vir scarificatum aurium didicit ex *Mesvæo Grabadim l. 2. cap. de phrenitide*, cui morbo & auriculas perpungit. *Hollerius l. pract. c. 6.* à quo transtulerant & *Nicolaus Piso l. 1. de morb. cur. c. 10. Io. Heurnius l. de morb. ocul. c. 3.* Vertiginem quoque curans caput scarificat *Guliel. Brixiensis in opere pract. c. isto.* qui & ad phrenitidem manus, pedes & crura similiter cruentat. *Felix vero Platerus* in eadem curatione inter medium pollici atq; indici locum nec non carpum minutè incidit *to. 2. prax. tit. de cap. dolore pag. 27.* Sed ante hos omnes *Cælius l. 1. cap. 11. p. 27.* circa verticem, bregma, occipitium, itemque collum & vicinas partes exulcerat, ac si in præcordiis tumor fuerit; erunt inquit, ipsa prius scarificanda: sic etiam vesicæ partes, vel huius proximæ.

Visus quoq; Læsioni, quæ cum vertigine coniuncta est, loca jugularium venarum insecat *Plat. to. 1. tit. eod. p. 241.* Dolori vero oculorum occurrentes colli latera quo jugulares venæ spectant insectum eiusmodi commendat *Idem tom. eod. p. 293.* itemque auriculas respondentis oculo lateris punctione pertentat paulò inferius à memorato loco. Ophthalmiæ vero nominatim perutilem in occipitio scarificatum testati sunt & *Ludovicus Mercatus l. 2. de cur. morb. inter. cap. 22. & Ambrosius Paræus lib. 16. cap. 12.* qui & mydriasi, quæ ab affluente atque incurrente ad eum locum humore fit, benefacientem hanc posuit. Homini vero ab incessabili & longa ad oculos fluxione infestato & nullo unquā ex medicis præsidiis adiuto, hoc vero subvenisse refert *Oribas. & Io. Iac. Mannus in libello de malleolorum scarifi-*

Aurelian. — Felix Platerus. — Paraphrenitidi. — Apoplexia & memoria detrimento — Rulandus. — Melancholia. — Vertigini. — Io. Mesvaus — Io. Hollerius. — Io. Heurnius. — Fel. Platerus. — Oculorum affectio. — Platerus. — Ludovic. Mercatus. — Ambr. Paraus — Mydriasi. — Epiphoris. — Oribasius.

Nyctalopis. Auricularum dolori. scarificatione. Sed & Nyctalopis cervicis quàm maximè scarificat *Hipp. l. de visu.* Auricularum dolori ad ipsarum lacunam, vel posteriora loca scarificat *Aurelianus l. 2. chron. morb. curat. c. 3. Felix vero Platerus* scalprum carpo eiusdem lateris inprimit *tom. 1. tit. de auris læsione.*

Dentium dolori. Dentium dolori gingivas scalpit *idem l. 2. eiusdem operis c. 4. p. 340.* *Angina. Galenus.* Ad hæc utilis scarificatus est anginæ testante id *Galeno in lib. de scarificatu, & lib. qui inscribitur præsagium experient. confirmatum*: *Ioachimus Camerar.* E junioribus *Ioachimus Camerarius refert in suis observationibus* incisâ decussatim linguâ per acutum scalprum perniciosam anginam brevi sanatam. *Laurentius Ioubertus.* At *Laurentius Ioubertus* eidem malo curando usque suras scarificat *in tr. de angina,* qui ambo viri sunt, hoc credo equidem, imitati ex Aureliano, qui chirurgiam hanc luculenter exposuit. *Faucium vitiis.* Ad hæc anginæ & faucium morbis cum vitæ discrimine procedentibus ultimum præsidium incidere satis altis plagis sub maxillis ipsis supra collum & in palato citra uvam, vel eos venas, quæ sub lingua sunt pronunciavit *Aurelius Celsus in l. 4.* *Celsus. Hollerius.* quem sequitur *Iacobus Hollerius in opere de morb. intern. cur. c. de angina,* qui & venas linguæ cultello scarificat, ne dum aperit, aliâs verò sub maxillis, sub mento, & collo ad effluxum saniei concidit. *Antonius Benivenius.* At *Antonius Benivenius vir plane doctus lib. de abditis,* memoriæ prodidit Nicolao Rotæ strangulato propemodum à cynanche, cũ nullum auxilii genus opportunum fuisset, spesque omnis salutis adempta esset, insolenti hâc insolenti, hâc incisurâ vitam, quæ conclamata erat, evestigio restitutam: *E strangulante angina scarificatum mirè liberatus homo. Historia.* cuius rei meminit & *Hercules Saxonia l. 1. Panthei medicinalis c. ult. F.*

Admonitio. Illud tamen unum obseruo, quò & ab afflicto homine dolor, & ignominiosum medenti crudelitatis nomen, quantum fieri potest avertatur; imponendas prius hisce partibus cucurbitulas cum multa flamma per acres adeo, ut stupefacto plurima parte sensu liceat altas concisuras facere, quod *cap. de cucur.* adnotasse memini. Quibus in anginæ periculis & linguam ipsam scarificandam, si propensior forâs cum tumore appareat, *Paulus.* censuit *Paulus l. 3.* quem virum sequutus est è junioribus *Nicolaus Piso l. 2. de morb. inter. cap. 2.* Simpliciter vero linguam simul & fauces & palatum tenui ac longiore phlebotomo scarificat *Cælius l. 3. morb. acut. c. 3.* *Cælius.* etenim inquit, locali sanguinis detractione tumentia relaxantur. Ad hæc 2. & 3. scarificationem adhibet non solum gutturi vel tonsillarum viciniæ, quam græci anthereona vocant, sed etiam occipitio & homoplatis & interscapulæ, quod græci metaphrenum vocant, & pectori. *Paracynancha.* At in paracynanche, tacebimusne, quod *Hippocrates l. 3. de morb.* venam, quæ sub mammis est pertundit? *Cõtra Hippocratem. Aurelian.* Porro damnat hoc *Aurelianus l. 4. cap. 3.* tum quod noxium propter ea, quod excarnificatus multus sit necessarius ad retegendam venam, tum putidum & gratis factum videtur hoc supplicii, quando ad sanguinem deplendum commodam se præbeat humeraria vena. *Defenditur Hippocrat.* Ita quidem ille; sed non videt id, quod & infra subdit Hippocrates; agendum hoc, ut æstus plurimus ille pulmonis parte conceptus ventiletur. Thorax vero (*quod P. Salius adnotavit*) spirandi difficultate laborans, laxetur. Hoc unum quidem agendi consilium fuit: Altera ratio est, ut humor, qui sursum influit, tum retractu doloris cum inanitionis & vi vacui revellatur: quod cognovit Mesvæus *lib. 2. Grabadim. c. isto.* Adeo quidem apparet difficiles & duras, quantumlibet à sene pronunciatas sententias, consultissimas tamen esse rationique consentaneas. Neque vero desunt è posterioribus, qui illud factitarint, atque opere comprobarint: nempe in hac sententia fuit *Michaël Savanorola medicus perquam experientissimus tr. 6. cap. 9. rubr. 10.* qui Mesvæum fortasse sequutus est. Verum ut de Cælio super angina sermonem finiam, hic eidem morbo *l. 3. acut. pass. cap. 3. p. 167. & 170. & 171. M. & 172. P.* collo tenus, quæ loca anthereona græci dicant, incidit. Item cervicem, sive nervos maiores, quos tenontas appellant. Præterea sub utraque parte, sub aurium lacunis, quibus in locis faucium positio esse perspicitur. At si maior fuerit tumor, ipsam quoque linguam scarificat & fauces, & palatum tenui ac longiore phlebotomo. Universim quoque thoracis affectibus perficuum hoc remedium dixit tum *Oribasius l. 1. Synops. cap. 14.* tum ipse etiam *Galenus l. de scarificatu,* qui Oribasius, & strangulatoriâ circa pulmonem angustiâ vexatum senem eâ ratione levatum scripsit. Catarrho diuturno scalpturam ad cervices utilem fecit *Aurelianus c. 12. chron. c. 7.* Phthoæ vero *l. 2. tard. passionum c. 13. p. 377. m. parte non nominatâ in eius curatione*: Venarum jugularium loca concidit è junioribus *Felix Platerus to. 3. tit. qui est expuitionis pag. 781.* Empyicis verò, si pudenda & femora intumerint, confidenter hęc vulnusculis impactis pertundenda jussit *Hippocrates l. de int. affect. 25.* in acuto vero morbo dorsali venæ & arteriæ magnæ, ubi vasorum est transitio atque inter scapulas post impositas cucurbitulas liberiores incisuras minutas facit *Aretæus l. 1. morb. diut. curat. c. 7.* Pleuritidi, in qua rectissimè post factitatas sanguinis detractiones, ex vasis maioribus, utriusque scilicet brachii, factisque inanitionibus aliis communissimis pergente ad huc affectu, ne communicetur internæ membranæ pleuræ, possunt incisuræ super affecto loco fieri, cucurbitulæque, si copia succorum exegerit, insuper affigi. Huius certè sententiæ fuit & *Io. Heurnius l. de morb. pect. cap. 2. & Laurentius Ioubertus lib. de thor. affectionibus, c. 8. & Fortunatus Fidelis & Lazarus Sotus in lib. de Hipp. de locis in homine*: quem Prosper Alpinus usitatum ab Ægyptiis medendi morem laudat, *3. de med. Ægypt. c. 11.* Sed primus è latinis *Cornelius hoc docuit l. 4. cap. 6.* è Græcis vero *Aëtius l. 2. ser. 4. c. 67.* huic vero utrique autor primus huius præcepti fuit *Galenus apud Oribasium lib. de scarificatu cap. 20.* Sed Alexander Trallianus & locum altè scarificat, & cucurbitulam imponit. Aretæus quoque cucurbitula magna & lata cum ampla flamma imposita ad sanguinis effusionem copiosam confidentissimè scarificat. Natibus & scapulis hoc ipso, quem dico, ordine faciendas incisuras probavit *Laurentius Ioubertus in cap. de pleuritide.* Ita spes est ac fiducia certissima brevi morbum finiturum. Enimvero proxima ad affe-

affectum evacuatio magni semper momenti fuit ad partem, quæ patitur exonerandam. Inflammato, medicamentis nil proficientibus, jecori scarificatum à cucurbitula decernit *Ludovicus Mercatus l. 4. pract. c. 2.* qui idem vir, & ad melancholiam hypochondriorum, deficientibus jam consuetis hæmorrhoidis, si venæ aliquæ extimæ ventriculi regioni extumescant livescentes, has cucurbitulâ impositâ circum scarificat *l. eodem. c. ille,* quod idem inferiis repetiit comprobatum usu remedium testatus: Illud autem ex Galeno fortassis est imitatum, qui ad hemorrhoidas suppressas idem remedii fecit *4. de tuenda valetudine.* in satyriasi pubem crebrò concidit *Nic. Piso l. 3. curatorio c. 46.*

Ad hæc elephanticorum tuberosæ cutis ulceratum approbat *Aretæus lib. 1. diut. morb. c. 13. & Aurelianus 4. chron. pass. c. 1.* quo corpus, inquit, exhumoretur, neque &c. Mensibus quoque deficientibus crurium malleorumque scarificatio, ut quæ naturalis excretionis modum imitatur, pro multum efficaci commendata vacuatio est *à Gal. in l. de therapia per sanguinis missionem cap. 18. & l. de sang. miss. contra Erasistratum cap. 3.* approbata etiam *à Cornelio l. 4. cap. 4.* sed inguinibus admotâ simul cucurbitâ, atque ab aliis quibusdam, qui rem ab experto compererunt atque viderunt. Inter alios *Prosper Alpinus in lib. 2. de medic. Ægyptiorum*: verumtamen in albidioribus, & uberioribus præsertim remedium hoc contendit *Alexander Massarias in l. 4. operis de cur. morb. c.* de suppressis mensibus *ex Galeno lib. de sang. missione c. 17.* atque etiam *ex Avicenna lib. 1. fen. 4. c. 21.* siquidem huius naturæ fœminis exiguæ venæ vix apparent; in nigrioribus vero extant insignius. Nec tantum his mulieribus quæ mensem unum desiderant, hanc expurgationem crurium scarificatio revocat, sed & illis, quibus longo tempore suppressi fuêre, nam continua in inferiores partes sanguinis educti inclinationem viamque ipsi præbet: sed, quæ vulvæ morbo dolent, his apte congruunt coxis admotæ cucurbitulæ cute incisâ, *sicut ait Celsus l. 4. c. 20.* At quibus non dolor, sed purgatio nimia nocet, remedia sunt & cucurbitulæ cute incisâ inguinibus eiusdem viri sententiâ, quod etiam remedium administrandum *c. 5. lib. eiusdem* voluerat fœminæ, cui suppressis menstruis sanguinis ex ore fit reiectatio. Similiter hæmorrhoidum in viris abruptis excretionibus scarificatum crurium fotorum prius aquâ calente per spongiam auxilio esse scripsit *idem Galenus in eod. libello*; cuius uterque usus, quod exolevit tum à veteribus usitatus, eumque in precio habitus, quæ alia causa fuit, quam medentium inertia atque ad effæminatos homines adulatio? Porro nullus propemodum hoc sæculo vir remedium admitteret, neque medicus facile proponeret, quo fæmellas ætate provectas, quibus jam pridem nil menstrui ferebatur, ubi corporeâ aliquâ molestiâ conflictarentur, quas auctor hic modo citatus promptè sublevabat. Amplius & Gal. notavit in pueris Eunuchis & mulieribus, qui tenuiorem habent sanguinem sic emitti; Si autem smilion scalpellum aut exhorrent homines, aut veremur administrare medentes: quid est, quod hirudines neque cum Galen. applicamus? Sed nulla licet, nisi quæ sunt lævia, & more Partenopæo quesita, ast de his quidem alibi dictum fuit. Præterea cachexiæ perutilis crurium est scarificatus: quo remedio malum corporis habitum sæpius curasse conceptis verbis testatus est *Christoph. à Vega l. 3. art. medic. sect. 8. c. 13.* Hydropi vero asciti, femorum, crurium & ventris, scroti, talorumque non mediocriter probarunt primum *Hippocrates l. de int. affect. n. 24. & 25.* in quo loco pungendum scrotum pudendum & femora docet, *& lib. de loc. in homine n. 30.* Deinde *Archigenes* expertum se professo, & huic astipulans *Galenus l. 9. med. loc. cap. 3. & Celsus l. 3. c. 21. Paulus Aegineta lib. 6. cap 50. Aetius ex Leonida atque Archigene lib. 10. c. 30. ex Asclepiadis, Leonidis, Archigenis, & Hipp. sententia*: E Latinis vero *Oct. Horatianus lib. 2. ad Euporistum cap. 19. & Cælius Aurelianus l. 5. morborum diuturnorum cap. 1. pag. 506. Gariopontus l. 5. medicæ cap. 12.* pedes superne concidendo præcepit. Ex Arabibus vero *Avicenna, Albucasis*, atque *omnes antiqui.* Ex posterioribus autem, *Alexander Benedictus lib. 5. c. 40. Tho. Erastus par. 4. disput. contra Parac. Christophorus à Vega in artis medic. l. 3. sect. 8. cap. 13.* qui & malo corporis habitu homines ad eum modum curasse retulit: Novissimè verò *Iac. Fontanus l. 3. pract. c. 21. & Hier. Fabricius l. de operat. chirurg. cap. isto.* Ad extremum tam competens extuberanti hydropicorum aquæ perpunctio est, ut hanc etiam fortuito casu factam insperato subsidio fuisse referant: *& Michaël Savanarola, & Michaël Paschalius lib. 1. practica methodi cap. 44. & Franciscus Russetus lib. de partu Cæsareo sect. 3. c. 3. & Amatus Lusitanus Centur. 5. cur. 37. & Vidius Florentinus iunior l. 10. de cur. membratim cap. 10. & Felix Platerus Archiater, & Professor Basiliens. tom. 3. prax. tit. de extuberantia p. 317.* quamquam ab *Alexandro Massaria in oper. de cur. morb. c. de hydrope*, quantum experimentis & ratione comprobatur scarificatus scroti, tantundem iisdem firmamentorum generibus exploditur crurium incisio. Sed contra est *Prosper Alpinus in 3. de medic. Ægypt. cap. 13.* atque alii. Quibus vero contraria sunt experimentum & operæ eventus quæ se abunde comprobant remedii felicitatem. Enimverò si mihi fides habeatur, imò verò si medicis, qui rem viderunt; Victo inquam Jacobo Ferraiolo medico primario valetudinarii Divæ virginis Annunciatæ Neapolis, Itemque Nicolao Angelo Elisæo scriptori medico Neapolitano non incelebri; Jo. Angelus Pandolphus familiaris Illustrissimi Principis Hostilianensium, cùm ex ascite desperatæ salutis jam esset apud Medicos urbis plerosque: crebro crurium concisu singulariter levatus est, & orco ad hanc diem præreptus. Nimirum stillarunt quatriduo limpidam aquam vulnera, unde ventris tumor omnis penè consedit. Id quod etiamnum in nostri nosocomii Languezibus quotidie ferè monstramus.

Jam vero & in vulvuli tormento locos ubi dolor infigitur alte scarificat *Aetius. lib. 3. ser. 1. cap. 27.* atque ita etiam *Aurelianus lib. 3. pass. acut. c. 17. pag. 214.*

Mos medendi Parthenopæus. *Christophorus à Vega.* *Hydropi.* *Hippocrat.* *Archigenes* *Celsus.* *Paulus Aegineta.* *Aetius.* *Octavius Horatian.* *Cælius Aurelianus.* *Avicenna.* *Albucasis.* *Alexander Bened.* *Tho. Erastus.* *Christ. à Vega.* *Hieron Fabricius.* *Michael Savanarola.* *Michael Paschalius.* *Franciscus Russetus.* *Amatus Lusitanus.* *Vidius Florentinus.* *Felix Platerus.* *Alex. Massaria.* *Prosper Alpinus.* *Volvulo.* *Aetius.* *Aurelian.*

CAP. V.

Ad exteriorum affectuum curationem scarificationis usus summi.

AD externos verò partium affectus rectè curandos generales & summos scarificationis usus complexus videtur unicè *Galen. in ipso de scarificatione c. 4.* per hæc; corporis partes scarificandę sunt, quę phlegmone vel duritie urgentur, quæ vel tensæ fuerint, vel dolore aliquo affliguntur, quæque fluxionibus vexantur, ubi ipsæ fluxiones desierint, aut cum acrem materiam subesse viderimus, seu vis aliqua venenosa extrinsecus illata fuerit. Pręterea, si ab altera ad alterā partē deducere materiam volumus; sicuti scarificatis cruribus affecto capiti medemur, &c. Præterea sanguinis ex locis affectis detractiones in affectibus inveteratis *in lib. 2. de medicam. sec. loca cap. 12.* convenire professus est: *& l. 13. meth. med. cap. 5.* divinus vir inquit, ubi distentæ vehementer glandulæ sunt, aut alia denique particula, quam phlegmone premit, cogimur toto corpore prius evacuato ipsam scarificare. Qua Galeni doctrina solitus sum equidem extumescentes in ulcerato bubone glandulas perpungere, quo exaniatu fit, ut gracilescant affatim ipsæ reddanturque cum ulcere minores ac sicciores. Rem quidem, quam non admodum approbant nostri; sed satis tamen est nobis, ut dexter eventus comprobet & commendet; Similiter omnia ficosa, verrucosa, ostracosa tubercula & concrementa, sive quæ per se, sive quæ exulceratā cute extant, qualia quidem in capite, facie, cervicibus, manibus, digitis, obscænis & laxis omnibus partibus extumescunt, persæpe ad eum modum tractare solitus sum non sine operæ precio. Sed neque apud Hippocratem scarificatus desunt exempla: aversionis enim gratia in œdematis, id est, ut Galenus & Erotianus interpretantur, chronicis ad articulos affluxionibus venas, quæ sunt post aures secat *l. 6. epid. comm. 5. tex. 22.* vacuationi vero studens tumores ipsos crurium male valentium incidit *l. de ulcerib. prope finem.* Verum enimvero illud admoneo interim, ne quis inconsultius inscitiusvé huic præcepto confisus tumores crurium promiscue pertundat; enimvero cachecticorum œdemata non sunt attentanda; quod præclarè docuit *Ioannes Zechius in cons. 20.*

Duplex scarificandi ratio. Ad hæc cum scarificatio sit omnis tum prophylactica, tum therapeutica: prioris generis illud erit exemplum, quod scriptum nobis reliquit *Celsus l. 7. c. 2.* suppurationi enim prohibendæ priusquam indurescat abscessus, hoc est sub primis tumoris initiis, cutim incidit & cucurbitulam accommodat, quæ, quicquid illuc malæ corruptæque materiæ coiit, extrahat, idque iterum tertioque rectè fieri perhibet, donec omne indicium inflammationis excidat. Approbat hanc sententiam *Hieronymus Fabricius l. de oper. chirurg. c. de carnis chirurgia*; sed tamen aut purum aut cathartico purgatum hominis corpus ante requirit; quam rem ex Galeno didicisse potuit *l. 13. meth. cap. 5. & l. 2. ad Glauc. cap. 2.* doctrinam hanc professo. *Interioribus rupturis.* Itemque ne rupturæ interiores inflammationem aut abscessum invehant; scarificatum externè conficit tum *Hippocrates l. epidem.* tum *Paulus Aegineta lib. 6. cap. 107. & Avicenna 4. fen. 4.* Ex Neotericis vero *Iacobus Hollerius Hippocraticæ disciplinæ cultor egregius, observ. 27.* tumorem inflammatorium venenosamque pene qualitatem præseferentem, scarificandum & cauterio potentiali perurendum contra professorem imperitum contendisse professus est, ne quid amplius inferret mali: quæ provisiones omnes & anteversiones sunt futurorum. Cæterum, quæ præsentium curandorum per scarificationem sint exempla, & omnibus sunt obvia, & nuper sunt à me tradita, suntque mox tradenda. *Histor.* Illam nunc accipe memorabilem historiam, quam idem *Hollerius prodidit comm. ad aphor. 39. l. 4.* Cuidam, inquit, planta pedis adeo incaluerat ut sibi deuri pars videretur, caloris nullis remediis poterat placari; siquidem opinor ob cutis densitatem nil exhalare posset, sed scarificatu & transpiratione faciliore tandem evasit: ad summam enim *Galenus in microtech. exponentium textu 9. præcepit*, efficacem ex parte ipsa tumente superantis humoris exhaustum.

CAP. VI.

De scarificatione concisionéve in exteriorum affectuum generibus, primùm autem in tumoribus non suppuratoriis.

NUnc privati usus chirurgiarum exempla proferamus, exorsi primum à vitiis confirmationis; speciatim vero ab his, quæ sunt in magnitudine superante, id est in tumoribus atq; abscessibus. Tumores voco collectiones duntaxat extumescentes sine suppuratione. Abscessus vero tumores dico suppuratos, aut suppurationes, ut solitus est cum occurrit nominare *Cornel. Celsus.* *Celsi... Delic... lus m... di mo... strorū... rurgor...* In his nisi ad gangrænam labentibus non consuevêre medici nostri temporis ferro & scalpello uti: quippe timidissimum genus, ut notavi superius, ne per somnium quidem concipiunt detrahere sanguinem; nam quæ insania aut doloribus afflictare hominem, aut inflammationem ac noxam aggerare. Sed nos tamen, & à veteribus docti, & ab usus quotidiani experimento confirmati in quàm plurimis concisionem & scarificatum administrare sæpissimè confisi sumus, & in tumoribus item non mediocriter.

Auctoritas autem, quā persuasos nos diximus; est summi dictatoris: qui in compluribus commentariorum suorum locis luculentam nobis eius rei doctrinam reliquit. *Primum autem in lib. de ulc. 16.* inquit; sin minus pertundere tumores oportet, profundioribus ac frequentioribus vulnusculis impactis, sed & in aliis omnibus, quæ pertundis: atque hoc acutissimis & tenuissimis ferramentis sic facere oportet, *& l. 7. epidem. n. 38.* perniones inquit pertundere oportet &c. de qua re nos contra Francisci Vallesii versionem inter omnes singularem, ex professo disputavimus *in oper. de abscessibus tractatione pernionum propriâ.*

CAP.

CAP. VII.

De scarificatione multiplici in vitiis inflammatoriis.

PRæterea scarificatus est usui curandorum affectuum tum in quibus sanguis fervet & quasi flammam concepit, tum etiam, in quibus flammam non concepit, neque fervet; atque ut priorum exempla exequar, rectè adhibetur hæc chirurgia tensis, & calidâ humorum affluxione tentatis membris; quæ diserta Galeni est doctrina *in 2. ad Glauconem c. 7. & 13. meth. med. c. 5. & l. de tum. c. 2.* & denique *l. de scarif. c. 4.* atque *Oribasi. l. 1. synopseos c. 14. ex Apollonii sententia.* itemq; ex Arabibus *Avic. l. 4. fen. 3. tr. 1. c. 3.* ex Latinis verò *Celsus l. 7. cap. 2.* Mirum autem, ut confestim suis quasi fomitibus ex materia subtractis explurimo suo renixu laxentur particulæ.

Ad hæc phlegmoniæ atq; Erysipelati in summo fervore positis: item carboni sive anthraci sententia *Rabbi Mosis particula, is; Galeni verò lib. 2. ad Glauconem c. 1. & 14 meth. c. 10.* & hunc fidelem sequente *Bened. Victorio cons. 26.* Igni quoque sacro sic subvenit *Horatianus l. 1. ad Euporistum c. 21.* quibus etiam tum autoribus, tum *Petro à Tussignano in l. de peste,* confidenter est ictus inferendus bubonibus pestilentibus, & omnibus ejusmodi tuberculis.

Proficit & scarificatus inflammationibus circa caput aut oculos, aut faciem, itemque nasi ruboribus, quas guttas roseas vocant. Verumtamen non ex ipsis partibus afflictis, sed ex venis post aures, & cavarum narium sanguinem eliciunt Ægyptii *teste Prospero Alpino l. 2. de medicina Ægyptiorum*; atque hoc etiam à me peractum, feliciter evenisse compertum est multis. Ex oculorum vero vitiis primæ ophthalmiæ debetur, exasperatio palpebrarum interna, præcipuè superiorum *ex Orib. 8. syn. cap. 38.* sed gingivas in dentium dolore scarificare per pastinacæ radicem conducibilem apprimè rem scripsit *Plinius lib. 32. cap. 10. & Dioscor. l. 2. met. med. cap. 19.* Per scalprum vero profundius incidit *Mesvæus l. 2. Grabadim. capite isto,* atque *auctor l. de remed. facile parab. c. 17.*

Ad extremum perultus hæc medendi ratio fuit, quando etiam huius utilitas cognita methodicis apparet. Hos nempe laxi & adstricti duntaxat indicationes sequentes, partium verò privatas medelas nil profitentes, *apud Gal. l. de sect. 8.* coarguunt empirici, quod hi crurium quidem inflammationes scalpello concidere atque oleo perfundere consueverint, oculos vero aureśque inflammatas non item. Sed hæc apud autorem suum dissertius.

Jam verò quando vitiorum in oculis inflammatione carentium meminimus, venit in mentem dicere de non inflammatoriis, quorum unum est ectropium: hoc enim & scarificatu sæpe sustulimus videlicet Marco Ant. Græco procuratori Jo. Ant. Tabassio Presbytero Sulmonensi, & Capucino Religioso cuidam, cui Salvatorii nomen 1639.

CAP. VIII.

De tonsillis scarificandis.

INusitatum est nostris ferro tractare Tonsillas, quæ alto tubere sic interdum extumescunt, ut invicem coaptatæ atque appressæ difficultatem deglutiendi faciant, quantum autem molestiarũ inferant, ipse reputaveris; sub qua distentis atque agitare se se non valentibus faucium musculis percurrens spiritus laborat. Ubi igitur huiusmodi tubercula offenderis, nihil certe melius agere potueris, quàm incidere. Quòd si difficile videtur; necessarium æque cogita, & à prioribus omnibus nostris autoribus factitatum, quorum primus est *Hippocr. 2. de morb. n. 10. & l. de affect. n. 4.* remedii genus hoc apertis verbis proponens: quem equidem credo sequutus est *Cornelius Celsus lib. 6. rei medicæ capite 10*; imitatus verò & *Aurelianus, qui lib. 3. morb. acut. cap. 4.* & uvam in synanche scarificat: Ad hos *Oribas. l. de scarificat. cap. 20. & Isaacus 9 pract. cap. 41.* & hunc sectatus *Constantinus Afer. Chir. c. 38. & Gariopontus lib. 1. cap. 23.* qui & palatum concidit: post quos omnes *Hieronymus Mercurialis l. 2. de morb. puer. c. 12.* Hæc tanti momenti visa sunt mihi ab aliis contempta aut neglecta; ut peculiarem super ea re sermonem instituendum duxerim hoc tempore in quo epidemica tonsilla perditè lævit & infesta est. Quibus ego tonsillis occurri frequens hocce præsidio, *quemadmodum in libello, cui nomen est Pædanchone, narravi.* Referam autem & hic historiam sane memorabilem de tonsillis contumacibus brevi discussis hac ratione. Extabant alto tubere tonsillæ nescio quo defluxu equiti cuidam, quæ tonsillæ sic contumaces fuerant biennio, ut nullis vel internis vel externis medicamentis, ac neque etiam fonticulis aboleri potuerint. Verum audi rem miram, quam nunquam satis laudavit laudatissimus J. C. Neapolitanus Alexander Romanellus Civis Tarentinus, fuerunt hæ semel nostro scarificatu, quasi per incantamentum sublatæ.

Aurelian. *Isaacus.* *Historia.*

CAP. IX.

Genera noxarum frigidiorum, quibus à scarificatione remedium est.

NUnc vero de minus fervidis collectionibus explicabo. Benefacit cum primis scarificatio phlegmoni & Erisypelati quæ vel ad scirrhum, vel ad gangrænam finitum iri periculum est; intelliges autem eam operationem nõ tantum proponi faciendam circa jam apparens pelioma, & ad necrosim transitum; verum etiam longius hæc providere maturiusque antevertere morbum advenientem debebit perspicax legitimusq; medicus: ac tum ad sanguinem effundendum exercere tumorem, cum alte turgens, abunde flammeus & ad renixum intentus est; in loco præsertim exangui ac debili cum cætera syndrome imbecilliũ attestationum quæ suspicionem dederunt aliquã sinistræ permutationis: satius autem est pauci diffusi sanguinis, dolorisq; dispendiũ etiam frustra fecisse quam laboranti plenis jam partis emortuæ periculis eniti sine fructu succurrere. Convenit & scarificatio Sphacelo vel ipso Hippocrate autore,

Phlegmonis & Erisipelis in livorem, & gangrænam transmigrantibus.

tore, *qui l. 2. epid. sect. 5. scriptum reliquit*; Quæcunque sphacelo corripiuntur, interceptâ venâ exulcerare ac sanare.

Convenit item phlegmoni, erisypelati atque scirrho, *ut Gal. est auctor l. de scarificat. c. 18. & l. de melanchol. & post hunc Io. Fernelius l. 2. meth. c. 19.* Gangrænis verò perfectis suo quasi jure debetur scarificatio; eo quidem efficacior futura *Gal. teste in l. qui inscribitur præsagium experientia confirmatum*, quo profundiores fuerint incisuræ. Exerceri verò tales possunt in locis carnosis, quales sunt nates, femora, crura, pectus, ac spatulæ. Sub eodem censu livor est *auctore Paulo lib. 6. c. 109.* sive, qui fuerit ab ictu. Itemq; livor, aut nigror, qui ulceribus assistit nempe Galeni testimonio in *4. meth. c. 5.* nequaquam potest ulcus curari nisi sublatæ fuerint ex ambitu quæcunque affectiones alienæ; sapienter itaq; *Vidius Florentinus l. 2. Chir. c. 7. doctus ab Hipp.* ulceribus vetusto livore vallatis cutem crebris incisuris circum exasperat, sic enim inquit, & cruor educitur ater, & bonus succedit. Sic etiam tractanda sunt hyposphagmata, & ecchymomata si partes ferant, siq; curationem expeditiorem adhiberi sibi, qui egent, velint. *auctor Gal. l. 4. c. 30. & Oribas. l. 7. ad Eustach. cap. 14. Aetius ser. 14. c. 68. & Actuar. l. 4. metho. med. cap. 16. & Io. à Vigo l. 3. copiosa c. 5.* sic ego R. P. Jo. B. Sirsalem è Soc. Jesu Sacerdotem ex improviso collisum curavi *præter Aetii serm. 14. cap. 50. præclarum sanè testimonium & Vidius op. de cur. gen. p. 2. sect. 2. l. 6. c. 14.* Simili curâ levanda sunt tubercula quædam, quæ suo quasi viru exasperata forinsecus, ac prope discocta apparent.

Livori ab ictu. Paulus. Livori ulcerum.

Hyposphagmatis. Ecchymomatis.

Præter vero tumores providus incisuras ne differas ulceribus aut cacoëthicis, aut herpeticis, callosis, aut ostracosis, aut circumglabris, aut pruriginosis, aut intemperatis & tetris, & his omnino, quæ difficile cicatricem admittunt, his quippe omnibus admirabile compertum est exaniatus auxilium: quod & Ægyptii medici experientia docti factitare feliciter consuevere; quemadmodũ adnotavit *Prosper Alpinus lib 3. de med. Ægypt. c. 11.*

Vlceribus cacoëthis, Herpeticis, ostracosis, circumglabris, pruriginosis, intemperatis dysepuloticis.

Sed jam affectus aliorum per plerosque partes perquiramus. Primum docti viri tubercula verrucosa, maximè verò maligna obnascentia capiti, fronti, naribus, auribus, labiis, alis, manibus, digitis, obscænis corporis locis, atq; extremis omnibus, cum exscindere non licet, exaniare nõ dubitarunt: itemq; maculas cutis & defædationes omnes, sicut adnotavit *Lud. Mercatus l. de ind. med. c. isto.* Vitiligini vero nominatim scarificatum approbavit *Eustach. Rudius 2. de symptom. externis c. 2.* deinde vero, & impetigini *libro eod. cap. proprio.* sed in impetigine sive lichene post aures felicem hanc curationem expertus equidem sum in Petro Paulo Torres, viro nobili Parmensi; quam vacuationem & commendabilem alopeciæ atq; ophiasi fecit *Cornelius l. 6. ca. 4.* & vitiliginis speciebus *lib. 1. c. 18. & Nicolaus Florentinus ser. 7. tr. 6. sum. p. c. 9.* Alopeciæ quoque vitio, quo capillorum amictus tollitur. *Gal. l. 1. de med. per loc. & lib. isagog. cap. 18.* Ante quos omnes *Hipp. l. 2. de morbis nota Marinelli 13. enarratoris vero Salii text. 22.* capiti ulcerato crebras fissuras incussit: ad factas autem alopecię concissuras corniculorũ impositum adiecit *Nic. Piso l. 1. de curand. morb. cap. 7.* tineam quoq; sic puncticulatione crebrâ tractavit *Guliel. è Saliceto l. 1. Chir. c. 3.* & post hunc *Guido tr. 6. doc. 2. c. 1.* Tineam pariter & malum mortuum *Gabriel Fallopius tom. 2. tr. 2. c. 10.* Crassas affuso humore palpebras internè concidit *Alsarab. tract. 4. sect. 2. c. 2. mox vero & c. 13.* alselac, quos derbiosos, impetiginosósvé oculos vocavit Oct. Horatianus *l. 1. ad Eupor. c. 10.* Sed & labiorum nodos scalpro tentavit *Albucas. l. 2. c. 27.* Ex oris vero vitiis interioribus dentem commotum curans radices eius scarificat *Gariopontus lib. 1. curan. morb. c. 17.* Dentium quoq; dolori levando tum gingivas convulnerat *Georgius Phædron. in Iatrochymicis* tum cartilaginem auriculæ percutit *Petrus Pigræus l. 8. chir. c. 17.* Collectioni verò lentæq; suppurationi linguæ ex Rufi sententia locum, qui est inter salivæ fontem & dentes concidit *Io. Mesvæus l. 2. Grabad. sect. p. part. p sum 8. ca. 12.* Ranulam, batrachium sub lingua nascens tuberculum scarificatione & vehementi cum metallicis fricatione repressit *Michaël Savanarola tr. 6. c. 6. rub. 10.* qui & putres exasperavit gingivas *eod. tr. c. 8. rub. 4.* Id fortasse doctus *ab Alsarabio*; qui tumentes dolentesq; gingivas sauciat *tr. 7. c. 2.* aut à *Barthol. Montagnana*, qui rubescentes & lividas, tumentesq; gingivas ad eductum aliquẽ sanguinis cruentat *cons. 19.* Confirmavit autẽ scarificationis necessitatem *Barthol. Eustachius l. de dentibus. c. postremo* per hæc; Si cõsumptæ ac imminutæ gingivæ à dentibus recesserint, callusq; aut cuticula, quâ eos spectant, obduxerint, nisi dentes quoquo versum ductis lineis scalpro prius exasperes; deinde gingivas vulneres & cruentas reddas; medicamentis eas augere ac dentibus agglutinare nõ minùs frustra tentaveris, quàm indicem cũ medio digito &c. Verùm, quod ad gingivas pertinet illud singulariter advertendũ est; quas nullo levare remedio licuit, leviter scalpro concisas hirudinibus exhauriendas præcepisse *Io. Heurn. l. de morb. dent. c. 11.*

Tuberculis verrucosis.

Maculis vitiisque cutaneis.

Historia A. 1628.

Gulielmus Salicetus.

Batrachium.

Gingivis. Semip...

Ab his vero partibus descendentibus nobis ad cervices istarum scirrhosas adenas, quas strumas vocant, primum concidunt quidam *Hieron. Fabricio autore*, mox allium cum sale contritum inserunt, ut cutim eximant. Convenit item incisura mentulæ præputio & cuti citra inflammationem altè turgenti scirrhosamque affectionem referenti. Ita equidem excrescentes has partes multo tubere compressi, tum in multis Nosocomii hominibus, tum aliis, & in rhedario quodam. Ita etiam Sarcocelen tumoresque omnes præduros repressi doctus *à Gabriele Fallopio to. 3.* Nec scroto pepercit *Galenus*: ut neque parcendum monuit *Prosper Alpinus l. 3. de medic. Ægypt. c. 13. p. 102.* Idem meo consilio fecerisad Psoriasin scroti duritiem cum intensa prurigine, quandoque & cum exulceratione, qualem Galenus definiit in definitionum medicarum fine. Equidem, quod ab experto testari possum; moniali cuidam vetulæ Parthenophylacii Spiritus sancti Neapoli, cui sorori Camillæ nomen; pruriginem manuum psorodem, qua sibi jam duos annos rabioso propemodum unguium scalptu dilaniare consueverat; nullis his tum internis tum externis medicamentis lenitam, solis crebris incisuris compe-

Cervicis glandulis.

Scirrhosis tumoribus partium genitalium.

Sarcocele.

Psoriasi scroti.

Historia.

compescui. Denique benefacit incisura roseolis à Vulgo & à *Philippo Ingrassia* vocatis satariciis, septiriciis mihi rectius, id est corrupticiis, namque ultro corrumpuntur. In his *Avicenna fen. 20. l. 3. c.* scarificandam posuit & Elephantiasin, quam non universi quidem corporis, ut Græci, sed crurium tantum & pedum fecere Arabes. Similiter & perniones rectè concidüntur *autore Alsarabio tract. 29. c. 22.* qui tamen in aqua calida pertusum scalpro pedem vult demittendum. Conciduntur & bubones *Cardano lib. de error. medicorum p. 40.*

Jam autem, ut ad summam rem omnem contraham *Actuarius est autor l. 3. c. 3.* scarificatum omnibus in locis, & in totidem usus adhiberi, quibus & hirudines institui notum est. At hæc quidem perpauca sunt loca, quibus admoveri non possunt.

Sed torpentis membri summam cutem exasperat *Cornelius Celsus lib. 3. c. 27.* Ad distensionem verò idem remedii præcepit *Hippocrates l. 6. epid. sect. 5.* per hæc: in convulsione digitorum manus scarificare, ni doleant capite; sin, aquam calidam infundere. Linguæ verò palpebrarumque paralysin earundem scarificatu curat *Aurelianus l. 2. morb. diutur. c. 1.* Similiter & ad paralysin vesicæ clunes & circa veretri initium circulati scarificat idē autor *l. 5. eiusdem operis c. 4.* Ischiadicos *Archigenes apud Aetium l. 9. c. proprio* cucurbitulâ quam amplissimâ impositâ jubet altius exulcerari ita *Paulus l. 3. c. 57.* ita etiam *Paracelsus, l. 3. chir. c. 57.*

Postremo & podagricis ad cubitos juxta carpos & talos prope locum affectum progressum sudationibus, magno remedio esse scarificatus historiis aliquot curatorum testatus est *Hieronymus Cardanus lib. artis paru. p. 113.* In podagra quoque tum & chiragra facta, sectione partis extumescentis serosum humorem educit *Felix Platerus lib. 2. prax. medic. tit. de habitus corporis dolore pag. 717.* quam rem ex Hippocratis sententia dicit esse Scarificationem convulsis vehementer partibus, quæ cucurbitulis fotæ fuerunt necessarias ex Avicenna sententia monstrat *M. Gatinaria l. prax. c. de spasmo*, propterea, quod materiâ multâ attractâ discrimen induceretur inflammationis & abscessus. Hactenus hæc nos de scarificatus plerisque in morbis usus comprehendimus: cæterum de modo & ratione scarificandæ cutis est tibi liber *Leonardi Botalli*, quem à nomenclatore medicorum citatum mihi legisse non obtigit neque visus est.

CAP. X.

De scarificatione in ulceribus.

PRoximis ulcerum partibus atq; oris, cum jam diutius insederit humor illapsus, vel cum alius quislibet frigidior, ac lentior accesserit affectus, qui coalitum vetent, ulcusque reddant dyspuloticum, tunc conducibilis est cum primis perpunctio, atque exsaniatio, quod *Gal. l. 4. de comp. medic. per generat. c. 2. & 4.* quodque *meth. med. cap. 15.* dilucidè ostendit ex Hippocratis sententia, qui *l. de ulcerib.* sanguinis exhaustum approbasse visus est; tum in ulcere recenti; *quod Celsus etiam imitatus est in l. 5. cap. 28. §. qui est de inflammatione*; tum in vetusto, sicut legit Galenus, & hunc sequutus Vidus Vidius: effusum, inquam, sanguinis commendavit senex & sponte & arte procuratum, & ab ipso ulcere, & à partibus circumsitis cuiusque loci, præterquam in ventre & per omnia vasa, per minora quidem & exilia, incisione, punctura, scarificatu, sanguisugis & quâvis alia ratione, quæ opportuna visa fuerit, quemadmodum nos in commentario ad illud operis exposuimus. Vtilitatem autem concidendorum circum ulcerum explicavit idem met autor inquiens, sanguine defluente, gracilescentia, sicciora fiunt & minora: prohibet enim hoc maximè talia ulcera humectari: enimverò in omnibus putredo plerumque ex sanguinis transmutatione fit. Vides jam quanto propè cum studio scarificatum in ulceribus legarit & commendarit nobis Hippocrates. A quo magistro equidem edoctus (in Italis quantum agnovi obsoletam hanc rem luget *Cæsar Magatus in l. de vulneribus*) præter communem nostrorum omnium medicorum morem, qui per hoc attractum humoris indiscretè timet, Ego mala ulcera cutans scalpro non peperci, perpetuumque inde & magnum fructum retuli: quam rem equidem dum quotidie in valetudinario nostro factitare sum consuetus, frequentes observatores & spectatores curiosi, qui fama tracti ex universa urbe accurrunt, testificari verè possunt. Quod quidem meum testimonium & quam narrationem non tam mea (sic me Deus amat) causa, quàm ut præsidii utilissimi, qualis scarificatio est, diu intermissi studium & amorem excitem, chirurgis & medicis omnibus producta volui.

De scarificatus amplo fructu testificatio.

Jam autem cum ulceribus generatim proficuam scarificationem dixerim; dyspuloticis apprimè utilem affirmo; quòd cum in compluribus comprobatum enarrare possem; ulcus coalitu difficillimum recitabo Scipionis Piccioli Sulmonensis; cui ulcus interna cubiti flexura ab ictu profectum, latum, collatum, inversis oris cinereo colore tinctum & squalens ab aliis quibusdam medicis sine fructu diu tractatum, mihi verò postremo curandum ferme incurabile oblatus, repetito jam plusculos dies scarificatu atque exasperatu (quam rem ad spasmum periculosam alii chirurgi videntes certò crediderant) feliciter & brevi restitui.

Historia.

CAP. XI.

De scarificatu atque exaniatu in plagis ac noxis aliis extrinsecus factis.

AN ne verò sicut de spontaneis abscessibus dictum est; ita & his quæ factæ sunt extrinsecus noxis, incisura competit? ab hac quidem, & opinione, & medendi ratione non parum abhorret hodierna die medicorum vulgus, nec non aliqui viri professores medicinæ lenioris amici, quos tum in Idea chirur. tum in huius operis initio judicavi. Verum non ita Hipp. qui in *lib. de ulcerib.* scriptum reliquit; omni recens facto vulneri convenit sanguinem fluere facere; cuius sui consi-

consilii rationem plane necessariam subdidit inquiens; sanguine enim defluente gracilescentes partes fiunt siccæ ac minores. Atqui verò quid illud sit aut quomodo interpretandum fluere facere, nisi medicus operâ suâ faciat effluere per defricatus & scalptus scilicet, atque incisuras; quæ proximæ sunt & necessariæ sanguinis educendi causæ. Deinde quid cavere, ne sanguinis in ventrem fiat delapsus? Ad hæc in collisis corporis partibus nemo est, qui non videat utilem esse sanguinis ab iisdem ipsis detractionem: & de his, etiamnum intelligere similiter, ut de incisis potuit is auctor, *Paulus lib. 4. cap. 30. & Aetius serm. 4. cap. 69. & Razes l. 13. contin. cap. 8. ante M. & Avicen. l. 4. fen. 4. tract. 2. cap. 3.* quod etiam tradiderat *lib. 1. fen. 4. doctr. 5. cap. 27.* Demum, quod hæmaphobi, quales nos hodie medentes sumus, non fuerant antiquitus heroës illi; sed sanguinis materiam cognoscentes anxiferam hanc promptè detrahebant, quid autem admirabilius, quàm luxatis modo hominibus incisuras crebras in eodem loco facere? at hoc ipsum tamen instituit *Corn. Celsus lib. 7. cap. 1.* quàm primùm agendum, si rectè legimus. Sed desinet mirari quispiam si inspexerit factum, ut succurratur futuræ inflammationi, & huius causæ, qui sanguinis effluxus est collisa, quam ob causam & *Hippocr. lib. de fract. sect. 2. n. 64.* fracto calci præcavens inflammationem, cutem, quæ adjacet, ut relaxetur, incidit pluribus lineis scalpello in superficiem ductis. *Cornelius* verò vulneribus etiam plagisque scarificatum imperavit *lib. 5. cap. 26. §. 29.* conceptis verbis; quam sententiam secutus est & *Paulus lib. 6. cap. 107.* Denique veneratis omnibus ferarum ictibus perutilis est scarificatio, de qua re *Cornelius lib. 5. cap. 27. & Aetius lib. 4. ser. 1. cap. 7. atque alii.* Ecchymoma capitis item curat *Io. à Vigo lib. 3. copiosæ cap. 5.* utilis etiam ecchymomatibus, quæ dolorosa sunt & gestatu diuturno gravia. Eiusmodi nos multa plurimis circumfactis incisuris multos curavimus in nosocomio Incurabilium. Vnus autem est; cuius nomen hæsit memoriæ Jo. Dominicus Buloctus adolescens Calaber Hipponiata pede saucius. Digitum autem spinæ dolore ac tumore malè affectum scalpello concidit *Amatus Lusitanus Centur. 5. curat. 90.* His jam constat utilissimas esse has de gravatis partibus evacuationes: ut nemo, qui sub Hipp. Duce militet, debeat has negligere vel aversari. Consule autem, & quæ de scarificatus in hisce malis utilitatibus conscripsit *Philippus Ingrassia lib. 1. Iatropologia c. 3.*

Celsus.

Digito spina confixo.

CAPVT XII.

Ad dolores omnes exteriores scarificatus utilitates.

AD levandos quidem dolores omnes, qui partem extimam corporis occupârunt, usui mirifico scarificatum esse, ipse, qui comperi, meâ fide testificari possum. Quorum experimentorum si plenam narrationem contexere velim aut me memoria deficiet, aut tædium exponendo præoccupabit. Verumtamen è tot multis narrabo pauca, quæ huic plane satisfecisse videantur. Illud primum esto, quod in Raimundo Fabrarolo Gallo pictore sum expertus, dolores cruris syphilios, qui noctu diuque longos menses afflictaverant atque hominem confecerant nullis medicamentis emoti, soli scarificationis operæ cessisse, quam in valetudinario rem confectam omnes seu physici seu chirurgi ordinis medentes aut ministrantes novêre. Secundus, cui summotum os cranii, multis ante diebus fuerat ortus circa bregina dolor acerrimus, eâdem ratione levatus est. 3. fuit sutor calceolarius, cui gravem in perinæo dolorem etiam scalpro discussimus. 4. baiulus obsoniarius, qui secundum pedis plantam graviter afflictus fuerat. 5. Sodalis Lucas è Societate Jesu, quem ex digito pedis jam multos menses irrequietè dolentem nullumque ex aliis subsidium nanciscentem, hâc eâdem ope levavimus sic, ut exinde nunquam acerbitas illa recurrerit. 6. Josephus Favilla, cui sit discussus in perinæo dolor, qui periculum apostematis indubie minabatur. 7. homo fuit, qui secundum lumbos dolens, & miserabiliter eiulans in valetudinarii nostri lectis sentiit ex hac ipsa re per opportunum levamen.

CAP. XIII.

Præparatorii, ad alios quoque perplures, usus scarificationis.

POst hos omnes, qui absoluti & per se sunt usus scarificationis, adnotandi sunt & alii servientes aliis: primum *Hieron. Fabricii, l. de chir. operat. c. de hæmorrh.* adversio est traducta ex *Cornelio Celso lib. 7. cap. 30.* capitula venarum sedis, quæ sunt abolenda primum adstringi lino pressu firmiori, mox exulcerari capitulum supra nodum debere, ut educto sanguine ac spiritu, quo aluntur, celerius id, quod constrictum fuit emoriatur, ac decidat: quod nisi factum sit, magni dolores subsequuntur: interdum etiam urinæ difficultas accedit. Deinde etiam ordinari potest scarificatus causticis in actum deducendis. Porro genus hoc medicamenti nil valere potest, cùm durities subest corporis. Quam ob causam partibus inferri multa vulnuscula necessum esse docuit *Thomas Fienus l. 3. de cauteriis c. 13.* 3. Scarificatus & attrahendo sanguini valet: etenim ad cicatrices, quæ cavitate displicent, explendas, frequenter has concidere non dubitat *Julius Cæsar Claudinus l. 2. de ingr. medic. ad infir. cap. 19.* Cui simile illud est, quod ad smegmata præparanda efficacioraque reddenda eâdem operâ utitur *Oribas. l. 10. collect. c. 21.* ad sanguisugas vero afficiendas *l. 7. eiusdem operis c. 21.*

Cau... celeri... juva...

DE PARACENTESIBUS.

CAP. I.

Paracentesis sive suppunctio cutis capitis.

AD punctionis nunc documenta pergamus, quæ tumoribus tum maioribus, tum minutis debentur; cuius ut minimè plurima sunt exempla ita memoratu sunt dignissima. Exordietibus igitur

tur nobis à capite, cutem huius areis & alopeciâ dehonestatam crebris acicularum puncturis exhausit, *Nicol. Piso l. p. de morb. inter. c. 1.* æquipollet autem hæc scarificationi, sicut ipse notavit, quam rem inter omnes primus docuit *Galenus lib. 1. de compositione medicamentorum secundum loca cap. 1. pag.* 122. H. Sic igitur punctionem genuum in Arthritide probavit *Zephiriel Thomas Bovius.*

CAPVT II.

De perpungenda dura membrana cerebri cum suffundi sub hac alienum humorem probabile sit.

FRancisus Vertunianus nobilis enarrator lib. de vuln. cap. Hippocratici ex Ambrosii Paræi sententia, & *Gabriel Ferrarius* etsi non magni nominis auctor, tamen in artis operis non minime exercitatus *l. 1. sylvæ chirurgicæ, adversione prima,* ubi suffusum ab ictu sanguinem, aut saniem aut pus sub crassa cerebri menynge probabilis opinio est, excisâ iam calvariâ suasêre, ut scalpro derasorio (rectius fortasse incilorio) tunicam incidere non dubitemus: est autem mea sententia consecturæ modus obliquè faciend⁹, ut qui tutos medentes faciat, ne tenuis membrana convulneretur.

CAP. III.

Hydatidis compunctio.

EX hoc quoque genere est perpunctio Hydatidis & palpebrarũ; chalozii, quod utrumque necessarium est remedium; illi quidem vitio, quo resideat tumor & exiccetur; posteriori verò, ut subtracto extraneo coalescere possit cavitas. Ad Hydatidem quidem instrumentum est acus ex purissimo auro confecta, si audimus *Iulium Cæsarem Arantium l. de tum. c. 16.*

CAP. IV.

De Ptilosis perpunctione.

PTillosis est palpebrarum crassities callosa, rubicunda, *ut Paulus auctor est in l. 3. cap. 22.* quibus accidit sæpe pilorum defluvium à Principe *Avicenna in lib. 3. fen. tr. 2. cap. 32. vocata.* Silaci vitium certè non parum contumax & diuturnum; quod ego exterioris palpebræ, quæ venulis, quasi in varicem assurgentibus tumet; punctione curari felix semel beneficium expertus & alios plurimos, qui se obtulerunt semper hac ratione sanavi. Inter cæteros Religiosum concionatorem Capuccinum Dominicũ à S. Maria Capuanum, qui sex iam menses nullis medicamentis adiutus sic brevi liberatus est: nec non Rev. P. F. Bernardum à Fontanarosa item Capucinum, qui suorum impulsu graviter habens ad nos accesserat. Cui chirurgiæ forte fortuna affuit Joannes Georgius Volcamerus Norimbergensis ingenio ac iudicio probatissimus medicus.

CAP. V.

De hypopyi suppunctione.

EST hypopyum, ut aliqua parte nomen indicat, pus, interdum etiam humor liquidior suffusus inter corneam & uvam intrinsecus atque extrinsecus profectum, impediens interiectu pervasuros spiritus visiles, sic, ut impediantur, quod impedimentum, ut eximerent providi professores, post tentata diu multa & magna præsidia sine fructu, punctionem sunt moliti atque utilem professi. Prior, ut mea fert sententia, *Celsus lib. 6. cap. 6. §. 2.* qui inscriptionem habet Nilei Collyrium. Itemque *Galenus lib. 14. meth. cap. ultimo ait;* Hæc autem punctione ad præsens discutiuntur, interposito tamen haud longo spatio, aut limus quidem deorsum fertur; *at Aetius serm. 7. c.* 29. docet administrationem, itemque *Albucasis lib. 2. chirurg. cap. 22. Isaac. lib. 9. pract. cap. 32. Constantinus Africanus in Chirurg. cap. 29. sed Guido tr. 2. do. 1. cap. 2.* citato consilio Jesus Alcoatim inter pupillam & albam tunicam per spathomilen discindit. Atque idem vult *Michael Savanarola tr. 6. cap. 3. rub. 16. & Alexander Bened. in lib. 3. de curand. sing. corp. morb. cap. 16. Gualter. Bruel. Ioan. à Vigo & Ambros. Paræus lib. 16. cap.* 17. apertâ ad iridem cornea felicem hunc puris eductum expertus est; non refragatus & huic operæ fuit *Hieronymus Fabricius ab Aquapendente lib. de operat. chir. c. proprio* E novissimis verò exercitatissimus quidem, quamquam minoris nominis Chirurgus *Gabriel Ferrarius in 1. l. sylvæ chirurgiæ adversione 19.* sed illa tamen observanda sunt. Primum obliquo phlebotomo fiat apertio; deinde, ut si panniculus humorem continens per cæsuram prodierit levi forfice resecetur, 3. ut complusculis diebus in opaco loco à curis omnibus semotus decumbat æger, mox verò cum confirmatus oculus sentietur; paulatim & sensim assuescat luci. Illud non tacebo, quod *ab Henrico Blacuodao viro gallo, medico, professoreque regio præclarissimo,* accepi, esse Parrhisiis, qui duplici aut dextra levaque agitatis quam dexterrimè suffusum concrementum oculi deponant: tam exerciti sc. in ea re tamque experti sunt in hoc usu medici ocularii, verum enimvero ex omnibus *Durantes Stacthus in 1. subsid. medic. c. 20.* cum operam hanc propter certum albuginei humoris effluxum improbasset; nihilominus demum expertis inutilibus aliis remediis faciundam dixit. Sed ante hos omnes viros *Guliel. Rondeletius in pract. meth. cur. morborum cap. de pure sub cornea,* puncturam hanc faciendam voluit, quemadmodum consuevêre in transpositione panniculi facti ex suffusione atque insuper ita, ut identidem acu immissâ atque extractâ, tandem aliquid puris educatur, neque oportet, inquit, nos esse tam sollicitos, ut totum pus extrahatur, id n. fieri non posset citra evacuationem aquei humoris, qui præterquam in iuvenibus, non regeneratur. Jam autem id, quod remanet, modo pupillam non impediat, ne turbare nos quidem debet: quippe sensim exiccari licebit, aut etiam exhauriri suctu submissâ prius acutâ in extremo duntaxat acicula fistulari; Hæc ille.

Galenus. Aetius. Albucasis. Constantinus Afer. Guido. Savanarola. A. Paræus.

CAPVT VI.

Suppurati, qui prociderat, oculi suppunctio.

Ὑπόπυον.

AD oculi procidentiam, si supparatio se ostendit, ab eo angulo, qui propior tempori est, incidi oculos debet, ut effuso pure & inflammatio & dolor finiatur & intus tunicæ residant, quo minus fœda postea facies sit. *Celsus lib. 6. c. 6. §. quod Nilei Collirium inscriptum est.* Hunc item sequutus, ut videtur, *Durantes Scacchius l. de affect. oculor. c. 21.* quamquam hic & exectum quandoque addi licere proposuit.

CAP. VII.

Laborum auricularum compunctio.

AVriculæ lobi suppunctio proposita est *à Theophrasto Paracelso in lib. à Dornæo edito medicinæ restitutæ praxeos utriusque princ. ad surditatem credo equidem incipientem.*

CAP. VIII.

De hæmorrhoidibus nasi.

INtra nares ad imam cartilaginem obortum tuberculum aliquando se obtulit; quod polypum aliis vocari placuit, at non mihi propterea, quod rubicundius & carnulentius minime pendulum, aut loco mobile, sed confixum cartilagini, extansque in ipsa velut naricula lauri baccæ semissis magnitudine; omnibus autem modis Arabum medicorum hæmorrhoides suspicari licuit: licet non diversas has à polypo faciat Fallopius; nam quæ diversitas affectuum solo colore differentium? verum has sive hæmorrhoidas, sive polypum attrectare ferro cum medici nostri nō auderent; punctione per scalprum ego repressi; quam punctionem cum primum exhorruisset diuque refugisset mulier (fuit enim monialis templi Incurabilium) facta mox securior à levamento percepto non levi post primam incisionem: ultro deinde ipsa ad alteras puncturas novusque exaniatus me compulit; quibus in dies factis perpetuò recedens, abolitus est tumor omnis.

Historia.

CAP. IX.

De polypi compunctione.

SVnt qui, ut fama est, tres acus prælongas simul deligent & inverso capite tantisper aculeorum mucronibus lancinent, dum omne vitium punctim exemptum extabescat, deinde oleo protinus eluunt, hoc idem sequentibus diebus tentant, donec pristinæ valetudini restituant hominem. *Hæc Hierocles rei veterinariæ scriptor nobilis l. eius operis 1. c. 2.* quæ levis opera nostris hominum polypis quid vetat, quominus accommodari queat? equidem, quod meâ experimenti fide testari possim, recens ortum eiusdem tuberculum religiosæ cuidam fœminæ sacri cœnobii Incurabilium solo phlebotomia adactu multoties experto, facta nonnulla sanguinis effusione discussi, quod alio etiam huius operis loco narrasse memini.

CAPVT X.

De strumis.

SEd strumarum quoque tubercula tametsi contumacia curatu sint: nihilominus invenit hominum prudentiorum industria, ut compunctione curentur: nempè osse quod in cauda gestat rana piscatrix suppunctas istas discuti prodidit Plinius: Verum cum nullum habeat os in cauda Piscatrix, dictum id de rana putat *Rondeletius in 2. meth. cur. morborum c. 1. qui idem vir ibidem testatus est,* strumas pastinacæ radio punctas & curari cum sunt & ingruentes prohiberi.

CAPVT XI.

De intestini & abdominis transfossi plagæ lapsi suppunctione.

INtestinum quodcunq; præcipuè vero crassum unum quodlibet ex abdomine percusso elapsū flatu sic turgidum extat, ut intromitti vel medicamentis discutientibus vel manuum vi, vel dexteritate nequeat. Ampliatio autem vulneris, vel mala est, vel à viribus non toleratur. Quas ob causas in ancipiti atq; difficili continuò res est apud medentem. An igitur aliquid est demum, quod succurrere valeat? Vnus est *Petrus Pigræus,* si quid aliud non esset; hac una re magnifaciendus, qui punctiunculam inflatæ particulæ per aciculæ mucronem proposuit tutam & nullo periculo vel offensione verendam: cui equidem sententiæ lubens accedo atq; etiam addo sic clanculū ac dextere medenti licere chirurgiam hanc facere, ut admirabili cuidam divinæque curationi relaturi sint omnes non sine chirurgiæ nostræ, præter id, quod medentem tangit, ornamento.

CAP. XII.


De ventris & tibiarum in hydropicis compunctione.

GVlielmus Rondeletius medicus, ut plane appareat, experientissimus *in l. de insectis & Zoophytis particula aliqua magni operis de piscibus,* docuit hydropicorum ventrem ac tibias cute tenus acu perforari summa cum utilitate, si spongiæ superimponantur. Sic enim facilè per carnis inania spacia aqua effluit & sensim exhauritur.

CAP. XIII.

Novum genus curationis ad enterocelas atq; epiplocelas à nobis primo proditum.

ACus firmior paranda est, in quo filum ex serico crudo validissimo inferendum est pedalis longitudinis ac tessella eburnea vel cornea sub hac Figura paranda est, pollicis latitudine: cataplasmata item, reliquaq; cerotaria ad sint, mane æger supinus collocetur subductis intestinis; Locus prius ante radendus est & tum extento scroto, ut cutis inguinis intenta sit, æger spiritum leviter contineat sine clamore. Medicus manu sinistrâ sumisso intestino tunicâ arte contineat, ne id deorsum devolvatur, dextrâ manu, vena seminaria ad testiculum perquirenda est, præter hanc universa tunica apprehendi cum cuti debet atq; iuxta venam acus demittenda est, audacter oleo tincta filumq; deducendū, extracto acu minister filum comprehendat & tessella intra filum posita firmo modo includenda est, ita, ut cutim plano contingat alterutrâ scroti parte illæsâ & geminis testibus nodo exclusis, tum semel aut bis tessella



intra

intra filum posita singulis diebus torquenda est, tum paulatim filum arctius undique summam cutim & tunicam astringendo erodit, foramenq; versus testiculum non sine pure dilatatatque una pariter laxatum vulnus super dato medicamine, solidescit, ita ut paulatim plaga aperiatur & simul oræ utrumque cohæreant, nam filum circumquaque arctius datum decimo die vel decimo quinto, cum plurimam partem, quam comprehendit penitus abscindit, tum cicatrix colenda est & callo firmanda & maior custodia adhibenda est, ne pars recenter violata laxetur & intestinum ruat. Hâc ratione venarum profluvium non timemus, neq; ullam inflammationem, sed statum vinum à punctione cum rosaceo pro cataplasmate infundimus, mox lenticulam cum melle, vel uino mixto, in quo malicorium incoctum sit, deinde sedata inflammatione triticeam farinam, pinea resina adiecta, imponimus, pus paulatim abstergimus & cerato imposito ad cicatricem vulnus deducimus, ac in hac curatione victus is necessarius est, qui in alio vulnerum genere præcipitur, tota igitur pars illa, quæ comprehenditur, præcidatur, ac pariter persanatur, suborto enim callo (ut vidimus) foramine peritonæi obstructo descendenti vel intestino vel omento exitus præcluditur. Vidimus plures eo modo sanatos à quodam Hispano, qui immani precio curationis lenitatem ut unica punctione sanarentur, atque firmitudinem pariter promittebat & plures mortalium in sese circumagebat. Hæc Alexander Benedictus in l. 35. c. 37.

CAPVT XIV.

De hydroceles sive herniæ aquosæ paracentesi ac punctione.

Hydroceles per ignitum cauterium curandæ suo loco memini: nunc de eadem per nudũ scalpellum pungenda tractabo peculiariter eo nomine, quod equidem expertus sum commodissimum hanc operam, si pertusæ pelliculæ, testiculorum mediæ tinctum unguento laqueum transuamus, porro via ista diu conservata paratissimum effluxum habere licebit, quo superiora viscera mali scaturigine leventur. Instrumento phlebotomus firmior satis esse potest, sectio vero, si audimus Amato Lusitano in curat. 84. cent. 2. hæc tractanti, in quam maxime proclivi scroti laxitate administrabitur. Ita enim fiet, ut minime reditura sit affectio. Præter setaceum autem, quod transmittit, libet & hic referre duplicem sectionem, quam factam è se narrat idem Amatus cent. 4. cur. 84. in scroto videlicet scalpello ancipiti ab eius medio incipientem iuxta longitudinem ad pubem fere, non multum à linea scrotum ipsum per medium secante distantes. Ita tunica erythroides inciditur & aquæ multum effunditur.

CAP. XV.

De hydrocele præputii.

Præter memorata tubercula, quæ sine controversia nemo non agnoverit, punctionis curatione egentia tractandum est & aliud genus, cuius nullus scriptorum meminit; tantum abest, ut medendum hoc modo curationis expresserit. Qua propter huius loci erit illam retexisse. Ex venerea lue sic labefactantur interdum & internæ genitalium partes & externæ; ut pro succis alibilibus, horum ichores congerantur; qui ab interioribus ad exteriora vi secretrice depulsi, tumorem in præputio procreant aquosum, quem affinitate rerum consuevi equidem hydrocelem præputii nominare; Quippe modis omnibus testium hydrocelem refert, si magnitudinem demas, quæ hydrotico tumori præputii non est tanta, huiusmodi tumorem, quem pellucidum adversa luce adverteris phlebotomo tardus non eris uno aut pluribus ictibus aperire post aliquantulum cruoris, qui è secta cute manabit, deinceps effundi videbis, liquidum humorem atque aquam. Experta mihi res est in quampluri-mis, sed quorum nomina meminisse singulariter obtigit, in duobus Bononiensibus adolescentibus Franc. Baratto, & Joanne Vitriano, quos utrosque longe per medicamenta curationis pertæsos hâc viâ solâ brevi, sanavi. Itemque Ferrandum Pontium virum Neapoli clarum, itemque alios.

Hydroceles præputii causa & generationis modi.

CAPVT XVI.

De vulvæ prolapsæ compunctione.

Antiqui veterinorum medici, qui & ipsi cum Chirone centauro curandam hominum salutem suscepêre; sedem, colem, vulvam, procidúas, adactis summatim aculeis tenuibus, interdum etiam urticis viridibus compunctas acri mox aceto perluebant. Sic enim in nativa loca se reconditum hasce partes iri certa fiducia est. Ad hunc modum *Absyrtus & Hierocles lib. 1. c. 48.* docuêre: Quam rem & in nostris hominibus tentare quid vetat? præsertim quando vulnusculis illis cæcis peractis & causam elabendi nonnullâ parte præcidimus exhausto mucido culpatove sanguine.

CAP. XVII.

De hæmorrhoidibus.

Hæmorrhoides compungi multi sanguinis affluxu distentas novum non est, sed sæpe tum à peritis medicis, tum à vulgaribus usitatum. E doctis autem præcipuus est *Alex. Massaria qui tum in opere de mor. cur. tum in l. de scop. mitt. sang.* ferro magis quam hirudinibus aperiendas statuit. *Itemque Iacobus Sylvius in meth. curativa morborum & ante hos Petrus Argellata qua de hæmorrhoidibus* licet hoc non placeat *Cæsari Magato l. 1. de cur. vulner. c. 57.* sic, ubi scalprum asperius videatur præsertim pueris, mulieribus, uno verbo molli huic toti generi: tum omisso ferro capietur hamulosum pericarpium dypsaci cardui illius, quem vulgo nominant Cardo, Septemb. mense collectum, (Jaceam luteam in historia plantarum pinxit huic rei commodam Carolus Clusius) ad illud globuli plumbi frustulum accommodatis, quo certius impelli possit, sic particulam feries humore quanto sit opus, exhausto, tuto autem modicam hanc rem inferri testificatus experimento fuit Rever. Sacerdos Ant. Lombardus, qui non alio sane modo multis ab hinc annis turgentium hæmorrhoidum dolorem sibimetipse lenire consuevit.

CAP.

CAP. XIIX.

De condylomatis.

SVnt aliquæ hominum naturæ, quibus & facile succrescunt condylomata (tubercula ani à nodis digitorum similibus dicta) & venientibus superne salsi serosique, sanguinis affluxibus irritantur & indolescunt. Quibus molestiis eximendis expertus equidem sum, nil melius opportuniusque esse, quam facto suppunctu vacuationem humoris, possumque narrare de quodam vinitore (cui Dominico Ferrario nomen) homine melancholico gracilis habitus, sed proceri: cui sæpe accedentibus his doloribus præsentaneum ac paratum fuit remedium horum tuberculorum scalpro perpunctio. Paulò aliter *Celsus lib. 6. cap. de hæmorrh.* has primum caustico tractatas, postridie compungit.

Hippocr.

CAP. XIX.

De varicum compunctione.

VArices etsi docuimus alias præcisione sanari: nihilotamen minus, ubi id non liceat, perpungi commodum est, ait *Aemylius Campolongus in tract. de arthritide*, propterea quod inductæ quam plurimis varicularum plagulis cicatrices, quæ callosa quædam est durities, vasculi tunicas eisdem partibus adstringant etiam suffragio *Galeni in lib. 13. meth. meden. cap. ultimo.* Quam compungendi operam eo libentius approbat Campolongus: quod plerique ambigunt admonitu *Avicenna lib. 3. fen. 22. tract. 1. cap. 5.* ne per intercisum vasorum deferentium alimentum pes extabescat & suo genio fraudetur. Ita quidem isti: sed nos tamen quid ea de re sentiendum sit, tractatur de Cyrsotome demonstravimus.

CAPVT XX.

De pungendis bullis ambustorum & erysipelatum, item hydatidis phlictenis & pustulis.

NOn inter omnes constat an ambustorum vesiculæ aquâ plenæ, sint perpungendæ; *Aetius lib. 14. c. 64. cavit*, ne protinus aperiamus, sed huic operæ ad longa usque tempora supersedeamus. Cui placito plurima pars hominum nostratium acquiescit, quanquam omnes promiscuè bullas quacumque ex causa profectas attingere vulgus maxime veretur. Sed *Gabriel Fallopius tract. de ambustis* spretâ Aetii admonitione censuit etiam principio suppungendum, illo etiam addito, ut loco ad effluxum humoris proclivi sit cuspis adigendus. Quæ opera & nobis placet, sed tamen, ut hominum vulgus assentiatur, acu aurea vel argentea rem administrari malim, quod autem de ambustis tradidi, idem etiam servare velim in erysipeladum hydatidis, quæ vi succorum ichorumque acrium & fervidorum erumpere consueverunt. Hæc de vesicularum istarum perpunctione. Verum enimvero & illud obiter scire licet, has non suppungi leviter, sed etiam forfice rescindi, quo nihil relinquatur eius ichoris, qui folliculo retentus particulam contactu labefactare queat. Quam rem equidem cum fructu facere consuetus didici cum ex Dino Florentino in fen. quarta quarti tr. 2. tum *ex Guidone tract. 6. tr. 1. c. 6.*

Pustulas quoque, ubi sub varis ortæ in tumorem assurgunt & interdum gravem dolorem inferunt, acutâ aciculâ perrumpit, collectumque humorem effundit; Ita fere Galenus in comm. 3. l. de fractur. particula 43.

Variolas item suppuratas tametsi pleriq; cum fæminis dubitent pungendas; nihilominus *Thomas Minadous lib. de variol. cap. de chirur.* deinde *Franciscus Portus lib. de peste, & Aemilius Campolongus lib. de variolis*, atque alii ex Avicennæ Razis atque Arabum complurium sententia statuerunt, nullam esse ambiguitatem de fœditate cicatricis atque alia noxa; verum eiusdem turpis cicatricis vitandæ nomine ex retentæ diu saniei alienæ detrimento; non cunctandam punctionem, ubi maturitate canduerint illæ. Neq; alius sententiæ *Galenus fuit qui com. 3. de fract. content. 43.* pustulas, ait, à variis causis productas & interdum gravem dolorem afferentes, acutâ acu aperio, ut exitum habeant, collectoque ibi humore leviter expresso superiectam cutem relinquo: quæ deinde cum iterum implentur, præcluso foramine, impletas eodem modo aperio, humoreque expresso cutis ad carnem compellitur, servaturque, dum, quod sub ea exulceratum est, ad cicatricem perveniat.

Sed & phlictænis & suppuratis iam paronychiis & id genus, punctio similiter convenit: licet aliquibus placeat, per forficulas apice tenus exectio, ut liberior scilicet exitus saniei paretur.

CAP. XXI.

De perpungendis alphis & leuce intimioribus cutis maculis & cicatricibus.

MAculæ quoque cutem præsertim aspectabilibus locis inficientes, punguntur, tum ad effundendum quantum fieri potest, vitiosum sanguinem, tum etiam, ut sanationis experimentum capiatur, si enim humor lacteus fuerit is, qui prodit, nullus est medicinæ locus; si vero sanguinis forma manet, medicinam morbus admittit; quod adnotatum reliquit *Hieronymus Mercurialis, l. 2. de morb. curan. c. 2.*

Atque hæc quidem ad dignotionem est opera, cæterum ad exhaustum eius, qui peccat, succi; & alphos compungit *Paulus l. 4. c. 5. & Avicenna l. 4. fen. 7. tr. 2. c. 11.* quod est demorphæa, alguada & baras arabicè appellatis: sequuntur & hanc quoque sententiam, *Rugerius & Rulandus chirurgi veteres, itemque Nicolaus Florentinus in chir. ser. 7. tr. 6. c. 14.* quo loco & verrucas, quas septico calcis vividæ medicamento curat, prius acu circumpungit, ut felicius sc. agat septicon.

CAP. XXII.

Punctio tuberculorum.

VErum & in aliis quibusdã non difficulter sicut arbitror, factitare punctioné possumus; nimirum

nimiru in tuberculis partium in corpore conspicuaru suppuratoriis, quo minime sc. suppuratio compleatur, aut si parte aliquâ sequuta est, discutiatur atque aboleatur: nempe prius acu crebrò suppungere, sanguine, quod satis est, detracto licebit; mox emplastrum ex his, quæ absorbentia in pharmaco chirurgico nostro vocavimus, imponere ad hunc quippe modum experientes præcise medicos (empiricos vocant) equidem vidi tubercula non nullâ parte suppuratâ in fronte dissipasse, quam rem quidem dedignentur eruditi dogmaticique medici facere? Pleraque ex hoc opificum genere, addiscenda sanxit *Hippocrates l. de præcep. & alibi*; quamquam quid empiricos nomino? cum etiam Galenus, sive quicunque fuit Auctor ille græcus à doctis perlectus, *lib. de rebus fac. parab. cap. 13.* percuratis prius nitri affricatu, terebinthinæque impositu stygmatibus semel ad 5. dies, mox acuto specillo hæc perforat, ac thuris nitri mellisque medicamento cerati modo fovet & curat: sic item curata stygmata & quinque post dies resoluta pungenti acu penetrato *Aetius tetrabl. 2. ser. 4. c. 12.* cuius viri curationem & chirurgiæ administrationem integram apud ipsum lege.

CAPVT XXIII.

Punctio passarum ecchymomata partium.

PLerumq; cum colliduntur partes carnosæ venisque præditæ; effusio sub cutem fit sanguinis & livor consequitur, florido non manente eodem, qui extra vasa spiritum amittit vivificum: quam ob causam bene sentit vulgus, qui vitium hoc appellat sanguinis mortui. Qui affectus cum profundius carnem occupat, cucurbitulis & scarificatu crebro tractatur à *Galeno, lib. 4. meth. med. c. 5. & ab Avicenna l. 4. tract. 2. c. 2.* Verum, cum exterior est, quò citius exolvatur, punctione particulæ livescentis exhauritur. Ad hunc modum idem Avicenna referente *Nicolao Florent. in serm. 7. tract. 6. num. 1. c. 12.* medicamenta dissipantia validiora, quale vinum est, adhibet primum, mox emplastrum gummi albo tiu arctè alligat, sex diebus, deinde locum ablutum compungit acubus sic, ut effundatur abunde sanguis, posthæc sexto ab hinc die confricat sale & media ab hinc hora medicamentum imponit nitri calcis & thuris, quæ mel & cera liquata exceperint, ternis, quaternis, quinisue diebus immutandum. Ita quidem hi viri ad graviora ecchimomata; sed equidem in his livoribus, quod ægrè per faciem ab urbanis hominibus deferuntur, ne diutius insideat nota, verberum rogantibus, punctionem acutâ aciculâ aut ex phlebotomo si permiserint, compungo, quo sic exhausto sanguine brevi livor abscedit.

DE SECTIONIBVS.

CAP. I.

De secanda cute iam integra pro subiectæ partis vitio curando.

AD rectam quidem medendi rationem efficax chirurgia maximo iure vocabitur subiectæ partis proximæ providendæ gratiâ. Quas omnes partes ordine à supremis ad infimas deducto perquiremus. Porrò cutem integram capite percusso, passæ caluariæ procurandæ; per pluribus casibus incidi necessarium decrevit *Celsus lib. 8. cap. 4.* Prima autem eius hypothesis fuit hæc; solet etiam evenire ut alterâ parte fuerit ictus & os altera fiderit. Itaque si graviter aliquis aut percussus est, si mala indicia subsequuta sunt, neque eâ parte, quâ cutis discissa est, rima reperitur; non incommodum est parte alterâ considerare, num quis locus mollior sit ac tumeat, eumque aperire, siquidem ibi fissum os reperitur, nec tamen magno negotio cutis sanescit, etiam si cutis frustra desecta est. Os fractũ, nisi ei succussum sit, gravib⁹ inflamationibus afficit, difficiliusq; postea tractatur. Præterea sub his statim & alterũ idem autor discindendæ similiter cutis exemplum posuit, quod est, ubi evenit, ut os quidem totum integrum maneat; intus verò ex ictu vena aliqua in cerebri membrana rupta aliquid sanguinis mittat, ibiq; concretus magnos dolores moveat & oculos quibusdam occæcet; sed ferè contra id dolor est & eo loco cute incisâ pallidum os reperitur. Hæc ille. Quorum equidem non dissimulabo varias fuisse hominum interpretationes & intellectus, id est, quod annuerunt aut plus minusq; addubitarunt, obtraxerunt, pertraxerunt, contorserunt: sed hæc nihilominus, quę multa & controversa sunt ad nostrum hoc negotiũ haud puto pertinere, in commentario, quod super hunc autorem edemus aliquando discutientur. Interim si placet, *tum Iacobi Carpensis, tum etiam Io. Baptistæ Carcani, tum Io. Petri Passeri disquisitiones super ea re lege.* Adhæc fractura calvariæ iam constante evenit interdum, ut integra sit & tamen alicuius rei gratiâ secanda; quod quando facere cogamur *in restituta chirurg. tract. de vuln. capitis* discretum est: similiter & aliorum ossium factis fragmentis pluribus integra cutis respondente loco debet incidi, quod ad acuta iuguli fragmenta, quæ carnem vulnerant, ut retundi scalpro possint; faciendum præcipit *Celsus lib. 8. cap. 8.*

De cutis incisione ad procurandas internas capitis ex ictu lasiones Celsi Hypothesis.

Secunda Celsi hypothesis.

Hactenus hæ chirurgiæ sunt, cum vitium integrâ cute subest fracti ossis non corrupti: cæterum cum putredinem sensit calvaria sive profectum ex communi causa, ut in talparia (sub hac Lanfrancus usque ad detectum membranarum corrosum os vidit) Item in atheromate ac testudine, quam ad meliceriam retulit Tagaultius; sive ex causa privata, quam dedit venerea contages, ut in gummis atque exostosi luis eiusdem; est autem & Hippocrates, *qui lib. 2. de morb.* similem capitis tumorem insecat, ut os deradat usque ad secundam laminam. In his quidem omnibus ubi certa per sensus cum interiores tum exteriores indicia, notæque hæcticam ossis intemperiem, exasperatum remollitum, aut (summatim dicam) ineuntem iam aut perfectum abscessum inesse docuerint, per acutum scalprum inversâ manu cutim incumbentem ne dubites aperire sive simplici rectâ lineâ, sive duabus se subsecantibus ad eam magnitudinem, quæ vitio in integrum denudando, commodeque tractando satis esse videatur.

Ossi teredinoso & putri medendo.

Lanfrancus.

Hectici in osse vitii nota.

Post

Post hæc autem, quę curandorum ossium sunt exempla, non desunt & alia eiusdem generis, quæ alio loco pertractabo; in hoc verò produci foret superfluum: quemadmodum etiam necessarium non est proferri sectiones, quæ cute nil peccante fieri consueverunt in belulcia pilularũ plumbearum, quas ad cutem sive ignei sclopi sive naturalis expultrix pepulit; nec non quæ in cælotomia, id est, ramicum incisuris; nec quæ in arteriotome, nec quę in Cyrsotomia, id est, varicum excisione, de quibus singulis & huiusmodi plerisque aliis privatim est traditum. Justius adiiciam duplicem gingivarum incisum: alter est, quem primus adnotavit *Andreas Vesalius lib. 1. de humani Corporis fabrica cap. 11.* ad erumpentes genuinos dentes ultimos molares τοὺς φρονιστῆρας Græcè dictos, post pubertatem homini iam grandi nascentes & magnopere cruciantes: quem concisum tam mire suadet utilem ut nullum eò remedium præsentius reperiri possit; alter est quem imitatus Vesalium fortasse *Paræus chirur. item experientissimus lib. 6. cap. 23.* extendit ad dentes omnes difficile prodeuntes, infantibus qui ex ortu dentium novellorum discrimina malorum multa & magna subeunt, interdum etiam debiles morte opprimuntur; quippe gingivarum tam contumax est durities, ut impar huic pervadendæ sit imbecillis eius ætatulæ propultrix facultas. Ita denique suos filios ab hisce periculis redemisse perhibet ibidem Paræus. Præter hæc taceo qui transmissus funiculorum fiunt in scroto atque in partibus aliis languentibus aut dolentibus pro subterius levandis eisdem & procurandis. Postremò unum nostris hominibus novum, quod antiquis nihilominus consuetum apperet efficaci nostræ medicinæ nonincongruum memorabo libens; *Hippocratem lib. de int. affect.* 44. tumentia genua, quæ suppurari nõ potuêre; impositâ prius cucurbitulâ τῇ ἀκίδι τριγώνῳ [acu triangula] perpunxisse, neque enim non verenda veretur, contra, quam nostri quotidie factitent. Rursus autem & illud consideratione dignum est; quod spintere triangulo plagam facit: quod eâ nimirum figurâ confectum vulnus difficile coalescens facit hiatu suo diuturno, ut vitiata pars plenius exhauriatur: Adeò scilicet Hippocratis consulta & firma sunt omnia.

Dentibus genuinis difficile erumpentibus.


Hippocratis locus enodatus.

CAP. II.

Certi quidem casus, in quibus cutem capitis aperiri expedit, etiamnum integram.

CVtis quidem habitu etiam naturali circum tegentis carnem aut ossa, quæ vel vitium certe concepere vel concepti solum aut accessuri metum dedêre, sectionem ut administret chirurgus persæpe usu venit. In apoplexia minus exquisita aut verius sphacelo sicut interpretatur à *Cæsalp. lib. 5. prax. cap. 35. dissecuit Hippocr. 2. de morb. 23. & 25.* Meminit & idem vir *l. eodem 18.* super vomitus cuiusdam venarum sic abeo primum appellati; Vbi sc. sangvis ex venis extra calvariam consistentibus adapertis, harum osculis erumperit in spatia capitis inania. Cui affectui præcepit, ut deraso capite frontem, quâ capillus desinit, à capite findatur, cui fissuræ prius diductæ cum sanguis effluxerit; sal inspergatur; sutura adhibeatur; splenium ex pice & cera inducatur, postremò cum sordida lana super imposita deligatio concludatur. Quorum singulorum sua est ratio; quemadmodum *P. Salius enarravit in lib. 3. eiusdem operis n. 3.* Epilepsiæ quoque medendæ occipitium incidit & cucurbitulas admovit *lib. 3. cap. 25.* sed cephalææ *Aretæus lib. 1. Chron. cap. 2.* remedia, inquit (de scarificatione loquitur) ad ossa usque penetrantia cephalæam iuvant. Ad maniam vidi medicum Empiricum, qui ad locum suturæ coronalis & sagittalis medium derasam cutem scalpro obverso diffideret, dum os occurreret & conservato diu ulcere nonnullos liberavit. Ad sanguinem, ex auribus erumpentem iam diu utraque capitis cornua, id est, tubera naturalia incidit *Gariopontus lib. 1. rei medicæ cap. 16.* In oculorum quoque defluxibus & inflammationibus Hipp. *l. de loc. in homine n. 23.* caput secat, donec ad os pervenerit, non superficialibus neque transversis aut obliquis fissuris incussis; usque dum os pertigerit. Frequenter autem inquit, secare oportet, ut compactus humor citius prodeat & simul ut frequentes sectiones extensionem carnis ad os faciant; sed etiam *lib. de visu* eandem fere habuit sententiam. Antiquissima quoque ad hoc mali genus est per Chiasmum, id est, ad figuram x. facta sectio in occipitio quatuor ab auribus digitorum mensura usque ad os facienda; quemadmodum declaravit nobis *Soranus Ephesius lib. Isagoges medicæ cap. 22.* cuius etiam rei meminit è præstantium auctoritate virorum *Cechius Aurelianus lib. 1. Chron. cap. 4.*

Ad tenuis item pituitæ defluxus unde nunquam siccescant oculi, sed semper humore madeant, quæ res aspritudinem continuat, ex levibus momentis inflammationes ac lippitudines excitat, totamq; denique vitam hominis infestat, plurimas idem *Corn. l. 7. c. 7.* cutis capitis sectiones gentibus plerisq; celebres proponit. E nuperioribus verò nostris auctoribus *Alex. Benedictus l. 3. cap. 9.* fuere, inquit, ex chirurgis, qui capitis cutem novem lineis inciderent, duabus in occipitio rectis, una super ea transversa, dein duabus super aures, una item inter eas transversa, tribus inter verticem & frontem rectis; & reperti sunt (addit) qui à capite rectè eas lineas ad tempora diducerent leviter cutim incidentes, ne musculos læderent. Venas ipsas retusis hamis legunt & obligant serico filo, easque præcidentes linamenta ita inserunt, ut cicatrix latior increscat, neve cutis antiqui fines de cætero committantur.

Sed Aetius in ser. 7. c. 92. frontis per submissum scalpellum figurâ quidem sectionum, *sicut Lazarus Sotus super Hippocr. lib. de locis in homine* declaravit, servatis circum musculis temporum huic simili . Idemque quoq; *Paulus l. 6. c. 6.* & post omnes *Constan. Afer Isaaci compilator.*

His ego magnorum virorum observationibus ac decretis confirmatus, ausus sum primus Neapoli rem conficere in homine Florentino baiulo Dn. Tyberii Caraffæ, Principis Scyllacensium excellentiss. Nomen homini Paschali à Ponte à

Siecce.

Si ecce, qui perenni iam tres annos ophthalmia cum oculorum usu nullo, crassitudinem gestabat horridam palpebrarum: quæ ipsæ consectâ 4. digitos cute sincipitis resedere non serius, quàm quartadecima. Ex quo sic oculos mucore longo semimarcidos exprōptos licuit medicamentis suis foveri. Nullum autem unquam è secta ad os usque cute incommodum, vero basilico cerato curata sponte sua coacta in angustum atque obducta est sine aliqua ossis assulæ abscessu, quod multis etiam admirabile fuit.

CAPVT III.

De catarrho ad oculos descendente.

DEscendente ad oculos catarrho sentiuntur quasi formicæ per frontem & tempora deambulantes, & assiduè rubet facies, in hac igitur ægritudine rasis temporibus & fronte, ut lacerti temporum appareant inferiores, genæ moveantur, excitatisque lacertis in tribus locis usque ad ossa cutis findatur æqualiter, & rectè. Incisiones autem duarum unciarum longitudinem habeant, tribusque unciis inter se distent. Hoc autem facto de incisione ad incisionem inter ossa, & cutem ferrum ducatur, ferri acumine ad cutem converso, & quicquid arteriarum & venarum ibidem repertum fuerit, incidatur, ac remanente cute integrâ, sanguis abundanter exire demittatur: & ut nihil ibi eius remaneat, cutis exprimatur, locus autem tergitur panno, oleo & vino infuso impletus, similisque intinctus desuper apponatur & alius super lacertos temporum sandalis rhodostagmate infusus mittatur. Quibus tertia die resolutis, ut alia vulnera curentur. Hæc Paulus.

CAP. IV.

De frontis incisione.

FRons incisa per latitudinem hic valet, quibus per multas venas humores ad oculos perfluunt, cujus ægritudinis significatio hæc est, oculi manci, eorūq; anguli corrosi, visus defectio, & calor cum nimiis lachrymis palpebrarū pili cadunt, acutum dolorem cum profunditate capitis sentiunt continuò. His itaque visis caput infirmi radatur, at lacerti temporum caveantur, deinde frons à dextro latere usque ad sinistrum incidatur, incisio autem adeò profunda fiat, ut caro appareat, deinde arteriarum atque venarum extremitates dividantur & pannum lineum vino & oleo infusum desuper apponatur, secunda autem die si capite resoluto tumorem non videris minoratum, quo usque minoretur, religabis & post hæc unâ quâque die ossa radens, cū creari ceperit caro medicinā apponas creativam carnis, caro autem crescens in his locis cuti conjungetur, & dura fiet, sicque catarrhum solitum ad oculos venire repelles.

Hos partim Græcos omnes, partim quoque Arabas auctores imitatus fortasse *Brunus noster in 2. Chir. Mag. C. & rubr.* primis curans Epiphoras, sive, ut ipse loquitur, lachrymas oculorum, quæ fiunt per venas majusculas exteriores, illud indicante uno quodam velut ambulantium formicarum sensu: chirurgiam & sectionem hanc instituit, raso primùm capite colloque per vinculum molle ac latum constricto, sicut vena frontis plene appareat, transuatur acu, filum tenue firmumque ducatur sub venam ità, ut hæc non violetur, deinde intervallo trium digitorum transversim transadigatur, acus cum filo similiter sub inoffensa vena; post hæc in medio linorum interstitio concidatur scalpro vas, & sinatur effluere sanguis quantus sufficere judicetur, quâ factâ vocatione connectatur extrema fila factis adstrictioribus utrobique nodis, & ex ovi aquato discusso plaga curetur, deinceps verò, ut in omnibus communiter vulneribus fieri solitum est, similem rationem & inversis temporum servare licet. Sed alterutram dissecare satis est, si alterutra peccet, influxione illâ. Quæ chirugiæ si crudeliores videntur, quàm ut in mollioribus & minutioris animi hominibus, quales nostro hoc seculo plurimi sunt, exerceri queant, in rusticis certè ac durioribus quibusdam periculo cæcitatis magno præsertim exigente: nil cunctaberis ad eam exequendam. Porro quantum hæ sectiones oculorum affectibus benefaciant, fortuitis duobus casibus ostenditur. Narrat enim *Alex. Benedict. lib. 2. c. 1.* nonagenarium hominem super frontem accepto vulnere cæcitate liberatum. Narrat quoque ex *Andernaco Thomas Craulinus l. de observationibus propriis*, famulum illius plagâ in frontem gladio furientis inflicto, visum, qui cataractâ laboraverat integrè recepisse.

Hanc igitur chirurgiam cum modis omnibus efficacem invenerint viri præclari, non est, quod huic, ut sævæ damnatū præposuerit aut composuerit *Hier. Fabr. setacei* remedium: quod atrox nedum est, sed inutile cassumque putatum Fernelio atque aliis quibusdam, licet hoc per omnia non affirmarim equidem, sed de Hieronymo admiror summopere, qui cum doctus alioquin fuerit Anatomicus professorque chirurgicus, in legendis veterum medicorum scriptis diu versatus; horum nihilominus instituto ac medendi efficaci ratione imbui nō potuerit, levem potius & inefficacem tergiversantium morem sequutus, atque adeò istorum chirurgias dignatus illorum aspernatus magnanimè professus sit *in op. Chirurg. c. de tonsillis*, suasque præceptiones instituisse sic, ut omnem chirurgiæ violentiam sit semper eliminaturus, quasi possit vis adimi chirurgiæ, quæ suâpte naturâ sit violenta, quemadmodum abunde *in l. de idea chir.* monstravimus; enimverò nimium diu est & multo ante Fabricii tempora, & apud majores servatum institutum, ut lenior culta sit chirurgia usque adeò, ut à factione Arabica ineunte videas deductū vitium, sed de his alibi fusè. Jam autem ut sermonem meum, quem incepi finiam, necessaria est & cutis capitis dissectio ad exhauriendum hydrocephalum, quam cum vereretur aliquando aggredi Gul. Placentinus descripsit *in primo chirurgiæ capite primo*, metum postmodum comprobavit inanem chirurgiamq; utilem & salubrem, quod post hunc virum *Ambr. Paraus. l. 7. c. 1. & Petrus Forerus schol. ad obs. 30. l. 8. atque alii.*

Incidendi hydrocephali metus inanis.

CAP. V.

De certis quibusdam corporis locis ad graves ac desperatos aliquot affectus finiendos consectione.

PRæter has verò, reliqua est sectio, quæ cõmunissima dicitur, quę non solum ad Chyriatriæ commoditates non inutilis est, sed sæpe etiam necessaria: exemplo sit primum dolor pertinax & implacabilis capitis, in quo sæpe sanies subest inter cranium & pericranium, in hoc igitur molliter digito contingendus est locus, ut si quid illic sit puris, intelligatur, multo magis, si fixus illic dolor, est aperiendus locus, nam sæpe sanies apto loco defluit ac liberatur, atq; inde metus, ne corrumpatur: si quæ verò illic vena est, aperiri vel ferro rescindi debet, nisi admodum sit insignis. Hæc ex *Iacobo Hollerio libello suarum observ.* 3. qui & epilepsiæ medendæ locum in brachio medium inter axillarem ferro aperit & plagam continet ne coëat, ut hac perpetuo excurrat materia morbi. Alterum est quod advertit notavitque *Vesalius l. 1. p. de fab. humani corp. c.* 11. gingivis acerbo dolore conflictatis, qui geminis difficulter prodeuntibus excitatur, medicamentis internis atq; externis inani curâ tractatur, concisus unice facit: quod observationibus atq; anatomicis multis experimentis exquisitè demonstravit idem ductor, cui operæ videtur etiã assensus *Iac. Fontanus Med. pra. l. 1. F. & Paulus Bagellardus in l. de morb. pue. c. 9.* quâ etiam ratione atq; consilio super molari dente, qui prudẽtiæ vulgo vocatur, cùm multorum dierum ac noctiũ intolerabiles ferè dolores in ducit, consuevit cutem scalpro concidere, ut eâ facta via dens erumpere sine offensione possit. Accessit ad hanc, de Chirurgia adhibenda, sententiam *Alexander Benedictus cum l. 7. de cur. morb. c.* 18. meminit Veronensium suorum, qui vitro crenis exasperato gingivas infantium quæ sub exceptione dentium languent & afflictantur, atterere consuevere.

Tertium est, quod scriptum reliquit *Avicenna l. 7. sen. 4. doct. 5. c. 25.* parotidas adhuc crudas maturatione simul & sectione agere sequutus, ut credidit Costæus, Archigenis juxta sententiam, quam *libro 3. de comp. med. sect. loc. c. 2. retulit Galenus*: Etsi verò 2. *ad Glauc. c. 2.* decretum sit, non nullum è sectione inflãmationis malũ cieri, nihilominus in abscessibus frigidioribus & criticis, & ad emunctoria procreatis, quæ periculum est, ne recurrant, consultum magis videtur, parti principi potius subvenire quàm viliori.

Quartum exemplum sit anginæ suppuratæ phlegmaticæ, quæ totã i. e. internè atq; externè, gulam occupet, ita, ut ne transglutire quicquã ac ne loqui posset homo, atque in dies in deterius in strangulatum ultimum facesseret, quem strangulatum adeo verebatur idem, ut decumbere ad summum non auderet, quo somni & cibi usu exilierat pene langvẽs. Tum igitur accedens Lanfrancus Mediolanensis celebris chirurgus, ut ipse narrat *chir. maior. do. 2. tr. 3. c. 5.* loco prætacto & suppuratione in profundo deprehensa agnoscens ante suffocaturam, quam dirumpendam anginam hanc inter mentum & epiglottidin vitatis vasis aperiit sic; ut sanies scalpro occurreret & multa effunderetur: at non omnis tamen syncopes, & mortis cautela, ut nosti.

Quintum exemplum sit herniæ conjunctus ileus morbus, qui tormentum acutum ab Aureliano, à vulgo, miserere mei, per antonomasiam appellatur, cujus Eugenomenon mortale signũ est chyli stercorisq; vomitio, tum maximè discriminosum ac pravum, cùm in scrotum prolapsum est ileon intestinum, à quo prolapsu qui sospes evaserit, Hippocrates vidit neminem: Quod si aliqua sit hujus curandi ratio (*Ludovicus Duretus ait in s. de morb. int. Holler. c. de hernia*) hæc una tantum est, ut, simulatq; sinistre lateris scroti doloris acerbitas, nausea, vomitio, cæteraq; ejusmodi opinionem tibi fecerint prolapsi ilei intestini: tum sine mora eodem die novacula discindatur ligamentum seu vinculũ inguinis, quo sc. peritonæum cum inguine tunica conjungitur, vel etiã testiculus ejusdẽ lateris execetur. Quamquam id non sit absq; periculo, sed dubia salus potior sit certa desperatione: si hominem enim relinquo, certa est desperatio: sin ei opitulor, crudelitatẽ remedii pertimesco, quia tamen à remedio spes est aliqua vitæ probabilis, præstat ægro opitulari cum dubia salute, quàm cerea cum desperatione hominem relinquere, &c. Hæc ille. Quam de secando sententiam licet aliter ordinato opere, sequutus est *Paræus in lib. 7. c. 15.* quem vise.

Meminit & hujus operæ chirurgiæ *Franciscus Quartus in l. de partu Cæsareo sect. 3. c. 3.* quâ feliciter quoties incidisset viros illustres quosdam sua tempestate chirurgos, quos nominatim protulit testificatus est. Adversus quam sententiam & chirurgiam cum *Henrico Vaca autore libri*, qui inscriptus est, Propositio chirurgica, & censura judiciosa c. 1. adstruit ileosos aperiri rem inhumanam esse, atq; etiam exitiorem: quia si pertundãtur intestina, ægrè jugulantur: Verum quidem est Praxagoras, qui Cælii Aureliani tempore floruit, & cujus celeberrimam semper mentionem fecit Galenus, ubi alia remedia nõ prosunt, laudat, ut pertundatur peritonæum prope pubem, atque eo pertuso simul etiam perforetur intestina, & deinceps intestina, & peritonæũ consuantur, quæ refert *Hier. Mercurialis in l. 3. de cur. mor. c.* 2. Verum, adversus hunc sunt experimenta pleraq; felicia clarorum opificũ plurimorum, quos nominavit *Fr. Rusettus l. de partu Cæsa. sect. 3. c. 3.* Similem autem chirurgiam narrasse visus est Felix Platerus his verbis descriptam inter suas observationes, quã cum recitet Schenckius, & mihi transtulisse licuerit, Mercatori cuidam, taurus impetu in eum facto, cornibus abdomen in latere umbilici perfoderat, post convalescentiam exiguus tumor rupto sc. illic peritonæo, remansit: quem cum negligeret, tandem sensim è peritonæi cavitate emergentibus intestinis, tumor in immensum excrevit, ipseque, & febre acutâ, & stercoris evomitione adeo periculosè & extremè laborare cepit, ut de illius salute penè desperantes, ad sectionem, reponẽdaq; intestina, tanquam extremum remedium con-

confugeremus. Qua, in cute illius loci, tentatâ, licet difficulter foramen peritonæi rapti digito investigaretur, eo tamen invento sensimque intrusis intestinis mox sanitati restituens, tumorem nunc vinculis coercet. Ad hæc autem illud M. Gatinariæ non silendum est, qui particulam, ex qua epileptica surgit aura, & excoriat; & quærit, quo malus humor exitum inveniat, quæ confirmata res est ab ipso per experimentum, cujus rei producit historiam, &c.

CAP. VI.

De tuberculis ad thoracem & ad renes suppuratoriis.

Hipp. L. d. int. aff. n. 15. renum morbos disertè posuit, quorum primus numeratus est is, qui ex dolore acuto tum istos tum lumbos aggresso, cum fluxione ad omnem regionem propter genitum ex pituita calculum, demum hæc pars intumuit intentaque est, sic, ut suppuratus speciem dederit; quartus ordine morbus fuit, qui à pituita simul & bile circa lateris mollitudinem lumbos lumborumque musculos annuum dolorem cum nephritidis aliis quibusdam symptomatis perpesso homine, tandem suppurato ad interiora loca tumore, abscessum ad lumbos internos defigentem radices & ad externos verti paremque apparere, ac ad regionem usque renis ascendentem scripsit *Petrus Pigræus l. 2. chirur. c. 3.* Non aliter profecto, quàm *l. 2. de morb. 55. & 3. eiusdem operis 26. & l. De int. affect* 18. de tuberculo pulmonis ad latus abscedente professus est idem, quare neque aliter curando tractari voluit, quod ut etiã advertas adnotavimus. In quibus his utrisque renum casibus jubet Hipp. ut qua maximè pars tumuerit, adigatur scalper educaturque pus, nempe sic evadendi spes est, sin minus cum morbo commoritur homo. Res hæc, & opera non tam antiqui usus fuit, ut nostri seculi professoribus non fuerit cognita: Nam & I. *Dalechampius*, quem citat *Fran. Rosetus, & Rosetus ipse L. de part. Cæsar. sect. 3. c. 7. Franciscus Valleriola. l. 6. obs. 1. Petrus Bayrus. l. 20. c. 4.* nonnullos recensuêre qui sectione sunt ex hoc morbo liberati, *Petrus etiam Pigræus l. 2. chir. c. 33.* Iam verò, *& Serapion pract. tract. 4. c. 22. & Avicenna canonum lib. 3. fen. 18. & Ioannes Bacchanellus opere de cons. med. l. 3. c. de renum & vesicæ calculo*, periculosæ plenum opus aleæ, atrox, & à prudentibus perpetuò detestandum decrevêre: Veruntamen citra tumorem externum, & citra suppuratum istorum fuit hypothesis cum abscessu pars contabuit, hanc seca, in qua re minimum aut non tam multum periculi vides.

CAP. VII

De Pleuritide.

DVos pleuritidis modos fecêre observatores medici. Alter est mitior, in quo concoctio materiæ expectatur & expectoratur: Alter malignior, & mortiferus suâ naturâ, qualem se comperisse in Provincia Galliæ inferioris tractus refert *Iacobus Fontanus lib. 2. pract. medic. c. 4.* quod genus, inquit, conflatum ex humore tenui virescente, sive in latere collecto, sive huc defluente ex aliis partibus; quæ sunt utraque comprehensa è sectis industriè cadaveribus, in quibus reperta est vomica plena liquidi virescentis humoris. Hujusmodi pleuritico abscessui vnicum & singulare remedium est sectio; quippe cum in eo τῦ πεπασμῦ, id est, concoctionis & maturationis spes nulla subsit, facta vitii apertione virus elidatur manando necesse est. Ad hunc ferè modum is autor; Verum enim vero cum sectionis modum aut ille non explicet, aut per scalprum indicet; mea est opinio, consultius futurum, si per ignitum ferrum ea conficiatur: tum quod hæc non est cruenta, tum quod ad concoctionem, quæ tantoperè hic expetitur, accommodatior & factu commodior citiorque videtur. Cujus ipsius & optimorum autoritate internorum pyrotechniæ commemini.

Ad hæc verò, quæ proposuit *Anonymus autor Gallus l. de cucurbitulis, audi*: In pleuritide latus interdum configitur, nam si neque fotu neque detracto sanguine, neque aliis auxiliis æger liberetur; atque alioqui desperata res, post septimum diem ex Archigene atque Aetio; post 14. ex Paulo latus inciditur, cucurbitula conjungitur, vuln⁹ ne coeat prohibetur injecto linteolo, quod oleum imbiberit: postridie cucurbitula iteratur, primo die sanguis, secundo sanies effluet singulari remedio. Id verò nostra memoria vix tentatur, quia videlicet auxilium crudelius est, quamquam humanius videri possit, quam si certæ alioquin eidemque atrocissimæ morti deploratus æger relinquatur.

CAP. VIII.

De hepatis vlcere.

Historia curati jecoris exulcerati.

PAtavii quidam deplorato jecoris ulcere laboravit, homo robustus alias & nauticis laboribus addictus. Huic medicus tum temporis Venetus clarissimus præter reliquorum medicorum consilia curavit abdominis partem in regione jecoris novacula adaperiri; ut plurimum puris per vulnus efflueret, unde postmodum bene curato vulnere superstes homo mansit ac triennio post saltavit ac laboravit nihil sentiens incommodi. *Hæc Hieron. Capivaccius l. 3. practicæ c. 3.*

CAP. IX.

De curanda vesica inflammata per sectionem.

VErùm quid inflammata vesica, quo membro acutior quam renibus est dolor, interitusque celerrimus, nervus enim hic latus est: renes concrementum sanguinis jecoris speciem habent, *ut ait Aretæus l. 2. acut. c. 9.* huic atroci malo protinus ita succurrendum vult, ut ventris ea pars laxa, quàm κενεῶνα Græci dicunt, incidendenda sit multoque oleo cum ruta & anetho irriganda.

CAP. X.

De sectione cutis, quæ pertinet ad fracta ossa curanda.

POst hæc, & quod ad ossa pertinet, tacendum non videtur, quod scriptum ab *Isaaco l. 9. pract. c. 104.* puncturam velut acus homine sentiente

circa diaphragma ex ossis nimirum perfracti aculeis: descindenda non tardè cutis est & summissa cortice testudinis spatula (Sebel lucidum vocat) ut eleventur fragmenta, hæc volsellis prehensa, detrahenda, & quo aptata fractura, ut moris est percuranda. Eandem hanc in curandis perfractis spondyliis dorsi subtrahendisq; fragmentis rationem tenendam docuit idem Vir. c.101.

CAP. XI.

De Paracentesi hydropicorum.

PAracentesin, id est, punctionē hydropis ascitis approbârunt viri gravissimi permulti: E dogmatibus nostris autoribus **Hipp.** *primus l. de loc. in hom. & l. de affect. interiorib.* 23. Deinde Galenus *l. Isagogico c.* 18. *Paulus in l.* 6. *c.* 50. Ex Arabibus *Avic. l.* 3. *fen.* 14. *tract.* 4. *c.* 13. *Albuc. l.* 2. *chir. c.* 54. E Latinis **Cornel.** *in l.* 7. *c.* 15. E methodicis *Aurelianus l.* 3. *chron. c.* 8. Iuniores ex hac sententia longè complures sunt, quàm ut adnumerari sine fastidio liceat. Attingam paucos, qui vel luculentius vel ab experto rem confirmarunt. Ex his nominari dignus est *Lazarus Sotus in comm. lib. de locis in hom. tex.* 30. *atq; alibi, itē Barth. Capreolius sive Cabrolius observationum quæ ad tabulas anatomicas sunt adiecta* 25. Sed nemo meliꝰ *Ludov. Dureto, qui in Theorematibus Theropeuticis ita decrevit*; si hydrops sit perrennis, si alterius morbi consecutione paracentesi non utendum, sed si ex aquarum collectione, hydropi soli à suppressione salutaris esse potest suppunctio. Discrevisse rem aliter videtur Franciscus Vallesius qui l. 5. epidem. 65. statuit ineuntem quidem hydropem punctione tractandam, firmatiorem verò & diu moratā non ita. Iam autem locum quo scalper adigi debet descripsêre nobis è Græcis tum Aetius, tum Paulus: è Latinis Cornelius Celsus. Præter hunc autem, qui in anteriori est abdomine, & circa umbilicū sive dextera sive sinistra. Hippocr. & retro juxta lumbos aperit *l. de affect.* Communiorem verò sectionis administrandæ rationem aperuit *Avic.* cujus sententia est hæc. Homini sedenti quadratè vel etiam sellæ cuipiam rectè stanti, compressis utrinque per ministros aliis & ad inferiora pulsis tribus sub umbilico digitis deorsum tractam cutem circa hepar, si hujus vitio profecta sit hydrops vel circa lienem, si hic primò deliquerit: insecari oportet, abdomine secreto modice per scalprum à peritonæo, hoc pertūdi licebit, ita, ut sit inferius foramen peritonæi foramine abdominis: nimirum, ut adeptâ fistulâ, quæ ad educendam aquam immittitur excludatur, sectura & cohibeatur aqua: hoc enim, competentibus viribus, modo detracta, vacuationi parcendum est, atq; æger in strato molli collocandus, & quod ad victum attinet, roborandus & firmis cibis alendus.

Tutiorem omnino viam esse planiorem feliciorem que, si semper daretur, tenuit *Andreas Laurentius in historia anatomica*, propositā, quæ est hæc ferè; In ascite cùm umbilicus protuberat inspectis servatisque omnibus, quæ per enarratores medendorum, morborum pragmaticorū admonentur, inter cæteras verò leges illa nedum per sectionem sanitas tentatur collapsis viribus frustra quæratur; sed juniore morbo atque homine visceribus integris sub temporato, quantum fieri potest, cœlo resupinato in ventrem languente umbilicum quem læva manu primoribus extremis digitis apprehenderis, dextera leviter per latiusculum phlebotomum aperies. Aquam autem fluere pro modo virium roboris & secundum præscriptam à scriptoribus mensuram, (locus hic non est omnia perscribendi) permittes.

Ita ego ad sententiam Laurentii nostro in Nosocomio præsentibus Adamo Marchio physico præstantissimo & nostris aliis collegis omnib. sodalitii Capucino & chirurgiæ perito fratre nominato Seraphino à Mercuriano Capucino, atque aliis quàm plurimis, qui famâ operæ convenerat Iacobum Picinoccam Pelignum hominem 45. annos natum secui; qui ex hac quidem vacuatione videbatur levatus, vigesimo jam die ad salutem bellè procedens. Verum intolerantia sitis frigidâ liberalius ebibitâ retro continenter agi cœpit atque labascere. Illud autem quod accidit è sectione non tacebo, nempe coalescebat plaga indies sic, ut necesse foret unguibus divellii commoditas sc. apprimè optabilis in re ista, ne quando sc. invitis nobis humor effluat, atque hominem dejiciat.

Adamo Marchio medico Neapolitano. [margin, partly cut off]

Observ. [margin, partly cut off]

Longe diversam puncturæ operam proposuit *Io. Arculanus in praxi c.* 99. & *Mich. Savanarola operis practici tract.* 6. *c.* 14. *rubr.* 10. quæ fit ex multis in aciem dispositis & colligatis aciculis in ventrē altius infixis, ꝙ quia non recedit à placito **Hipp.** *l. de int. affect. n.* 24. & 25. imitatumque est *ex Avic. q. l.* 3. *fen. c.* 4. *tr.* 4. *c.* 13. testes aquâ turgētes multis acubus perpungit, confidentius exerceri fas est.

Priori, quam ad hydropem hepatis aut lienis sectionem conscripsimus, parem aut analogam in hydromphalo retinebis.

Hydromphali sectio. [margin, partly cut off]

CAP. XII.

De sectione ad eliciendam morantem urinam necessaria.

NEque medicamentis omnib. neque cathreterismis interdū obtinetur, ut lotium, quod urinarii meatus vitio multos usq; dies moratum sit, elici possit, homine ad obitum cōtinuò properante. Difficile ne igitur tibi videtur fortasse si ad collum vesicæ, quâ lichotomia conficitur, per scalpellum angusto foramine cæsurâ dextrâ incidatur: sed hanc ipsam quam dixi curationem ineundam tradidit *Ioannes Arculanus* autor ejus rei quantum equidem primus in comm. *ad q. Razis ad Mansorem cap.* 103. Quam ego rem in extremis & hominis ægri aliorumque præsidiorum nil præstantium casibus non refutandam, aut detractandam admonere volui.

CAP. XIII.

De sectione, quæ debetur abscessibus.

DE sectione, quæ suppuratis jam tumoribus convenit, hæc habeto. Abscessus, qui suppurationē inierunt, vel paucā hanc continent & dissipabilem industriā, paucitate, vel secus. *Gal. in l.* 13 *meth. c.* 5. minimè statim aperiendum abscessum voluit, sed si spes sit dissipandæ materiæ tentandam discussionem proposuit, cui consentiens **Hieronymus Fabricius in lib.** *de tumor. p.* 14. scripsit; scarificatio ei tantum inflammationi suppuratæ convenit, qui diaphoreticis dissipari nequit, ob

Hier. Fabricius [margin, partly cut off]

puris copiam, quâ medicamentorum vis obruitur. Ita quidem si discussio satis sit: Sin minus abscessus multiplices sunt ad secandum usus, atque modi. Alii dimensioni & ambitu magni sunt, alii parvi. Alii cum cute superjecta computruêre, quæ dicuntur rhæodes, id est, in modum panni detriti. Alii cum eadem cute sunt semiputri duntaxat. Alii denique subjecta latè corrupta carne ad exteriorem habitum vitium non extendêre. Porro in magnis cum putrida cute & subjecta circum corrupta carne abscessibus, talis figuræ aut tantæ magnitudinis aut numeri fieri sectio, ut satisfactum necessitati videatur. Neque enim simplex, & parva probatur, qualis nostris vulgò medentibus fieri consuevit, qui pactè & trepidè sæpe etiam perfunctoriè, id est, quo confecisse rem appareant, hanc eandem absolvunt. Illud non inficior ne latiorem quidem & majorem faciendam plagam, quam oporteat. Talis quippe & dolorem solutionemque gratuitò & turpem inducit cicatricem. Verum tamen æqua debet esse sectio malo, sicut pœna peccato. Itaque si parva est vomica, simplici rectoque sectu (Aplotomia græcè dicitur) esto contentus; si verò magnus est, amplus est abscessus, comparito indiget, quæ multiplex est, in orbem, quadrangularis, & ex his variè mixta; de quibus singulis proximè dicemus. Interim si cutis crassior sit, quàm ut longius produci secantis manus tractum concedat, consueverunt nostrates medici differre rem in tempus, quo cutis vi putrescentis humoris extenuata fuerit. Verùm quàm rectè videant boni judices, nempe detrimentosum esse solet: occupante, verbi causa abscessu perinæum, anum, juncturas, ventrem & partes principi proximas, de quibus *Paulus lib.6. cap.34 & Celsus in 8.c.10.§.* de gingivarum tuberculi, denique *Hipp. lib. de fistulis* & ubi altè latèque divagatum vitium & putredo multam membri partem nervos, carnem & musculos tabefacere paratum est. Atque id proposuit *Hippocrates de externis tuberculis l. de med. n. 8.* nos de profundioribus hæc dicta volumus: quo casu plus est periculi perpetuo. Itaque vel ferramento audacius est transadigenda cutis, vel eodem candente inurenda. Id quod etiam dictum volumus de criticis tumoribus veluti parotidis, ac de bubonibus syphiliis & pestiferis, quorum exacta concoctio non expectanda est. Per abscessum mediastini sectum Realdo Columbo Sternum leges apud *Ioannem Schenckium in opere observationum & curationum medicarum suo loco.*

CAP. XIV

De sectione secundum duas aut plures lineas.

Hydrocephalo. Galenus.

IN abscessibus secundum unam simplicem lineam chirurgi fermè omnes consuevêre, sed pluribus scalpri tractibus, aut nulli aut paucissimi: cum veteres ictum geminasse tertioque confecisse præclara sint testimonia: In hydrocephalo quippe Galenus introductorii *cap. 18.* scripsit pericraniam usque duobus aut tribus lineis concidi solitum, quas tres lineas *Paulus lib.6.cap.3.* ad H figuram disponendas voluit. At Cornelius Celsus alicubi suppurata sic insecat, ut residuæ detrahantur habenulæ, planius verò *in l.2.cap.2.f* inquit, majores sinus latius interdum etiam duabus aut pluribus lineis incidendi sunt. In alios etiam usus habenulas Celsus rescindit in ani fistulis & in rupto peritonæo. Sed hæ sectiones hujus loci non sunt. Spectat & ad hunc locum sectio cruciatim, qua frequenter utimur in noxis capitis, sive collisi præsertim osse calvariæ passo, sive suppurati, sive tales verè sint, sive dictante opinione de rasuris nobis, aut pertusuris. *Ita Paraus lib.9.cap.4.* Utimur quoque in nervi punctura præcepto *Galeni lib.3. de med. per genera. cap.4. & 14. meth. c.9.* & in vitiis, sub quibus cutis præalta est subtusque amplum est vitium. *Albucasis lib.6. cap. 45.* tubercula constantia ex duris contentis in crucem secat atque ita strumas & glandulas cum folliculo apprehensas & circumsectas abstrahit. Jamiam testudines tractant *Rulandus & Rogerius in suis locis.* Et ex his discens *Hieronymus Fabricius l. de operat. chir. c. de carnis chir.* Casparus verò Wolffius imperforatam vulvam decussatim secat, observatione apud Schenckium recitatâ. *Sed Brunus Calaber lib.2. chir. mag. c.2. rubr. 4.* secundum figuram T literæ similem hydrocephalum discindit *Albucasis lib.2. cap.1.* Duabus aut tribus diversis secturis contentus est *Constantinus Afer. chir. cap. 20.* & hujus *Dux Isaacus lib. 9. practica c.21.*

Paulus. Celsus.

Sectio cruciata quibus in vitiis facianda.

Rulandus. Rogerius.

Brunus Calaber.

Albucasis. Constantinus. Isaacus.

CAP. XV.

De sectione in orbem.

SEcunda est sectio in orbem sive rotunda, de qua paucos video locutos, nullos verè sermocinatos. Credo equidem ob id, quod celebris omnium ore sit vox, ulcera, plagasque rotundas difficulter conglutinari, cujus rei illa traditur ratio quod in hac figura vulneris oræ nimium à se ipsis distant. Atqui ea, quæ debent agglutinari proximè se habeant, necesse est. Verum, neque si vera & constans sit, sileri atque intermitti debet rotunda sectio, quàm expressè proposuit & *Hippocr. l. de Vlcerib. per hæc ipsa verba*; Ex ulceribus rotunda si sub cava fuerunt excidere oportet; undique in orbem ea, quæ discesserunt aut omnia aut ex dimidio circuli secundum longitudinem naturæ hominis, & Galenus hunc imitatus idem indicavit *l. 4. meth. med. c.5. F.* in vulneribus etiam idem senex orbiculatam sectionem minimè damnavit, sed faciendam medici manu præcepit *lib. de vulnerib. c. ubi ait.* Orbiculatoria ulcera & plurimum subcava, ea quoque resecare oportet circulo divisim inciso secundum longitudinem pro hominis natura, &c. Idemque ab ipso sancitum est, ubi os capitis fuerit nudatum carne subcava autem fuerint ulcera in obliquum, cavitatem quàm plurimum resecare, ubi scilicet non facile est medicamentis quocunque pervenire. Quod autem *Avic. l.4. fen.4. tr.3. c. propr.* professus sit ulcera infantium rotunda perniciosa, dictum hoc interpretare ex profunditate conjuncta,

Communis omnium ratio cur orbiculata ulcera minimè conglutinentur.

Hippocr.

Galenus.

Ad Avic. pronunciatum.

juncta, cujus pravitatis occasione proficiscentes in horam dolores non perferentes puelli succumbunt. Declarat autem rem satis quod traducta hæc est sententia *de vi epid. com. 1. tex. 19.* qui locus apertè secundum nostram enarrationem enunciat. Falsum item apparet, non coalescere rotunda ulcera siquidem experientia constat coalita ex his multa.

Falsa hominum sententia quod non conglutinêt rotunda ulcera. Hipp.

Quæ res bene potest evenire, atque evenit: quia quemadmodum observamus, sanescens omne ulcus siccescit *Hipp. autore princ. lib. de ulcerib.* quæ siccatio pari pacto fit semper in angularibus, quam in rotundis: Jam verò quod ad præpositionem spectat, hanc quidem admittimus libenter. Quippe agglutinatio ejus est naturæ, ut labia atq; oras agglutinando requitat proximas. Verum si rectè spectas coalitus est hic vulneris simplicis, in quo caro nulla parte desideratur. At verò latorum ulcerum obductio (sanatio τὸ ὑλλιος dicta fuit ab *Hipp. dicti lib. vestibulo*) latius nomē est, quæ plenis jam carne ulceribus solum exiccatu partis callique fit inductu, mirumque est; ut attrahatur in se ipsā lentè caro ulceris: magis autem id apparet in marginibus, quę complicatis quasi fibris, supercilio quodam assurgūt. Jam igitur ex his factum est planū, diversos naturæ esse cōglutinatum ulcerum simplicium & latorū obductū.

Quæsita rei discussio.

Admirāda cutis sanescente jam ulcere contracta.

Sed enim illud, quod argutantur tum vulgata multorum tum Aristotelis propositionē, rotundas plagas difficile coagmentari: puto equidem id evenire non tam distantia partium, quam ulceris amplitudine. Dant enim capacissimam ac latissimam esse circularem figuram. Utcunque non est obliviscenda, neque exilio mandanda rotunda sectio, siquidem est sæpe necessaria. Primò secundum hanc figuram putrescente tendine, cartilagine vel osse, cum his verò & superjecta carne: deinde hac etiam putrescente per se ipsam sine alterius subjectæ partis vitio: Quo casu haud aliam sequemur figuram sectionis quam rotundam, quippe circulari vitio circularis recisio congruit. Aliter in angulo relictum vitium serperet ulterius, & sanis communicaretur. Præterea commoda est rotunda sectio his abscessibus, qui sublatis in tumorem inferioribus glandulis turgent ut phygethlis Venereæ luis videlicet ut patente latè viā circumquaque curari queant quod si difficile & longo tempore sanescit: circularis plaga etiam non putrida in orbem carne, debet in orbem rescindi quando diuturniorem ac tardiorem unitatem è composito quærimus. Quo consilio *Galenus lib. de theriaco ad Pison.* 164. à rabioso cane morsu demorsam partem non alia quam orbiculari figurā resecandam prȩcepit 40. saltem diebus conservandam. Atque hoc quidem ad diuturniorem partis expurgationem, ut in bubone venereo, strumis & virulentis aliis abscessibus; Itemque parotidibus & frigidis aliquot collectionibus. Quoniam autem abscessuum cum adenibus subjectio meminimus; illud insuper adnotandum est: cum rescissa hæc secundum summum glandulȩ fastigium (plerunque hæc oviformis est) orbiculatum sinum circumquoque fovent: hunc convenientibus 4. oppositis incisuris esse resolvendum. Ita enim & virulenta sanies effluere per se ipsam & extergi procurariq; cōmodè medētis manu poterit pars.

Ad vulgatum illud pernunciatum de difficultate sanescentiū ulcerum rotundorū

Retinenda sectio in orbem.

Primus usus orbiculatæ sectionis.

Secundus usus.

In orbem sectio necessaria: ubi est composita quæritur tarda ulceris sanatio.

Sed & tubercula & phymata sic putria, ut cute substent nimitum extenuatæ solitus equidem sum tantum nō orbiculari figurā præcidere subducto sc, alterutrinque scalpro ancipiti & acuto sed latiore, qui utrinque discindens rem conficiat præsertim si læva pendulam unam partem apprehendens adjuverit postremum.

Ratio ... cidend... in orbe... phyma... matur...

CAP. XVI.

De circumsectione laciniata.

AD circulatam modo traditam concisionē referre licet & circumsectionē crebrā atq; minutam, quam altioribus & eversis extrorsum oris ulcerū equidē parallelis quasi lineis, & ordinate facere consuevi: unde laciniata & fimbriata propemodū cōcisura vestium extremarum in morē appareat, quam secturam de scarificatus genere, propterea non confeci; quod excedentior hæc videatur, quæ cutem quantâvis carne duplatam consecat & discindit; Scarificatus verò cutem tantum attingit, aut vix ultra. Rarior autem aut crebrior fiet ejusmodi circumsectio pro modo crassitudinis ejusdem cutis. Nempe in tenuibus ulceris fimbriis confertior; in crassis verò & præaltis parcior incisurarum numerus desideratur. Instrumentum autem aptissimum erit scolopomachærion, id est scalper inflexus, sanguinem exire permittens vel quantum vires pertulerint, si sit imbecillior. Omnibus autē modis mirum apparebit sane, quantū hujus aliqua defluxio levaverit, labra depresserit ulcusve cōtraxerit. Nimirum (quod Hippocratis oraculum fuit) istiusmodi exhaustu gracilescentia minora & sicciora ulcera redduntur. Itaque Hippocratæam nostram hanc rationem putes oportet, ac velut germano ejusdem præcepto uti

CAP. XVII.

De quadrangula sectione.

TRiangulę quadranguleve non rara est necessitas, accersita multiplicibus & variis, ut equidem observo, causi, scilicet una, & si volueris prima ubi computruerit caro secundum modum istis figuris analogum: quare, & consonæ utrius figuræ petit sectionem, deinde est ictus recens, id est morsus feræ collisusq; rei gravis & duræ nec non dispulsi τύπεος βαλλομένου projecti quadranguli tormentarii, sic in percusso tempore alterutro capitis sectionē hanc haud quidem in isto ipso loco spasmum cave, secus aliquam eo confecisse narrat *Ambrosius Paræus in l. 9. c. 20.* 3. in vetusto syphilidis aut corruptivo vitio, quod sternum occuparit, quā eâdem loci conditione in Talparia capitis puerorum abscessu Gabriel. Fallopius administrandum quadrata figura voluit sectionem sed fassus est tamen *qui l. de tumor. c. de abscessu*, sectionē in crucē & secundū lineas rectas se intersecantes dixit quadratam figurā quemadmodum etiam *Nicolaus Florentinus* sectione ad T literæ formā triangularē vocavit *ser. 7. sum. 2. tr. 4. c. 54.* sed Fallopius longe gravius falsus est, qui trigonā à *Paulo cōmemoratā l. 6. c. 34.* credidit esse sectionē quę fit 1. una sectione simplici mox altera vulneris parte transversim incisa. An igitur triangulam

Hallucinatio Fallo... prima.

Lapsus ... ter Fallop...

gulam figuram ignoravit Fallopius? Porro est tum hæc, tum quadrata non sine excisione quam rem explicatè nos docuit inter cæteras *Aetius ex sermone 16. cap. 96.* quod est de utero inperforato. Sed utebantur quadrangulâ veteres in abscessibus magnis, in quibus opus erat vacuatione copiosâ: cutem prætenuem duabus descripris scalpello lineis medicam, quæ inter has est habenulam discindentes. Hac utendum vult Albucasis *lib. 2. cap. 41. & 45.* in steatomatis & atheromatis, præduris, & omnibus ab Arabica schola vocatis nodis. Sectum in crucem verticem homini apoplectico per Ludovicum à sancto Mauricio Gallum medicum precellentem nõ sine fructu narravit mihi Joannes Furnet Burgundus rei medicæ studiosus.

CAP. XVIII.

De triangula sectione.

Dicamus nunc privatim de triangula sectione. Hæc *Aetio teste serm. 7. c. 86.* fuit usui per anchilopas ad commodam puris effusionem, basi quidem superiori, sed cuspide inferiore: quemadmodum ex ejusdem *Aetii lib. 2. c. 22. sentit Gabriel Fallopius.* Verum contra *Iacobus Hollerius in perioche 4. tit. de Ægylope*, sic constituendum vult triangulum, ut hujus apex versus radicem nasi, litera vero & basis ad oculum vergant. Hac eadem forma sectionis in eversis palpebris utendum statuit idem *Aetius serm. c. 22.* nempe Δ. græcæ literæ figura ad triangulum accedit. Utendum hac quoque voluit *Albucasis lib. 2. chir. 40.* in abscessibus amplis abundè suppuratis, ut ego interpretor, & *Gulielmus Salicetus in Topinaria* dicto vitiis capitis, atque in his omnibus vitio, quæ myrtiformem exigunt; simplices enim hæ figuræ sunt & usu. Utuntur & ipsâ quidam Gulielmo Placentino auctore in hydrocephalo puerorum quod & *Sebastianus Austrius adnotavit lib. de morbis puerorum, cap. 3.* utitur & triangula incisura *Lanfrancus Mediolanensis Chirurgus* in calvaria percussa usque ad interiora non concisa cute, quam ipse sectionem & cruciatæ prætulit *lib. 2. suæ chir. tract. 2. cap. 2.* quartam partem crucis satis esse putans, ut liquidioribus medicamentis pateat aditus ad fracturá. Jam verò cautio illa morientium, ne pars nervosa, arteriosa, venosa, convulneretur, eatenus accipi servarique debet, quatenus locus is est verè, cui cautela conveniat; nec si cervicibus, sub alis, in guinibus, poplitibus & in locis multæ farcturæ præcepti quid datur, periculosa sic est absolutè sectio, ut non etiam tutissima sit, si locorum peritus & in his operis exercitatus & perspicax homo sit, nimirum altitudinem crassitudinemque vitii bene æstimata, sic secundum suos terminos tutum erit discindi. Hâc ratione non fallente neque te fallet sectio. Præter hæc probata est triangula sectio in curanda insita phymosi non vulgariter à *Io. Hucherio primò de sterilit. c. isto.* qui curatur, inquit, præputii incisione simplici, vel si angustius sit, duplici ab oris ejus exterius ad glandis coronam figura triangulari perducta juxta caninum vinculum, ut referat æquum anhelosum naribus (habet codex dilutis) sed diductis equidem credo rectius legendum. Fuit autem hujus in phymosi faciendæ sectionis autor primus *Cornelius Celsus in l. 7. cap. 25. §. 2.*

Correctus Heurnii codex.

CAP. XIX.

De sectione myrtiformi.


Hactenus de simplicibus secandi rationibus diximus, par itaque est, ut etiam quippiam dicamus de compositis & primum quidem de myrtiformi, cum itaque bene putris ultra, quàm maturus abscessus erit, non dubitabis cutem rescindere vel myrtifolii modo vel simili. Quam secandi formam primus proposuit *Galenus in l. de medico.* Quam hominis sententiam cum non satis ad hanc diem intellectam videam, cum primis intelligendos auctorum sensus, & ad rectè medendum conducibilem, declarare quantum licet, in præsens tentabo.

Sectiones compositæ. *Galenus.*


Multæ sunt apud juniores authores sectionis myrtiformis expositiones: quas verò quaternario comprehendit *Hieronymus Fabricius in lib. operat. chir. cap de carnischir:* alias autem & nos interseremus deductas omnes à modo ac ratione secandi: quarum aliæ sunt linea simplici contentæ, aliæ verò compositæ & cum excisione conjuncta.

Sectionis myrtiformis enarrationes. Hieron. Fabricius.

I. Priores ordine enarremus una creditur esse hujusmodi, ut producta per simplicem lineam sectio sit adeò, ut hianti post hæc vulnere figura myrtiformis excitetur ad hunc modum.




II. Secunda est etiam per simplicem lineam, quo facto vulnere recipiant utrinque labia transversam incisuram multo minorem; sic productis in summa lineis transversis, ut si per extrema 4. puncta lineæ circumducantur; figura myrtiformis restet ad hunc modum. Hanc autem adeò




contempsit *Andreas Vesalius lib. de tumor. 7.* ut Galenum & veteres omnes & nostros qui ejusdem usum approbarint, facile damnârit.

III. Tertia est, ut fastigiato leviter abscessui opposita linea sic ducatur secando, ut per extima hujus summa & levis incisio, circum medium profundior extendatur, sic enim occulta produci videtur hæc figura.



IV. Quarta sic exponitur, ut non insectæ partes, sed instrumentum, quo fit dissectio, lanceola vulgo dicta, referatur figura.

V. Quinta mea fuit quondam opinio sectionem myrtiformam fuisse veteribus per lineam

recurvam quæ uno duntaxat latere myrtini formam folii refert ita,  quam opinionem & *Iacobus Dalechampius in Chirur. galli. è conscripta sequutus est*.

Atque hæc quidem omnes sine excisione sunt apertiones abscessuum: quarum hæ per rectam, hæ per curvam lineam fierent, & utrarumque rursus aliæ simplices essent, aliæ compositæ.

VI. Gabriel Fallopius. Hier. Fabricius.

Sexta sequitur cum excisione sed aliter administranda atq; aliter interpretata Gabrieli Fallopio, aliter Hier. Fabricio, aliter à Guidone atq; à nobis *Gabriel Mutinẽsis l. de tumor. c. de abscessu, quod est ordine septimum, opinatus est*, fieri solitam hanc sectionem ab antiquis administrationis ictibus & instrumentis duobus, hoc est, ut primò pars incidatur novaculâ, deinde forcipibus ac utraque ora sic rescinderetur, ut myrtifolii figuram referret, sed *Aquapendens quamvis in l. de tumoribus. c. 6.* statuit sectionem hanc esse simplicem, verum adeò longam, ut labia diducta à se ipsis propter sectionem repræsentent os hians myrtinique folii speciem; tamen in *lib. chirurg. operat.* voluit unico scalpello faciendas sectiones duas, recurvas secundum cavum æquè sibi respondentes ad hunc modum ( ) Ita etiam *Stephanus Gurmelaus 2. Syntax. chir. c. de periaresi.*

Aquapendens

Stephanus Gurmelaus

Propositi quæsiti disquisitio.

Nunc operæ pretium facturi sumus, si singulis istorum expensis opinionibus veram sententiam proferamus; principio propondituri ea, quæ requisivisse, aut saltem explicuisse veteres videntur in facienda aut facta sectione myrtiformi; quorum omnium alia spectant ad abscessus & partes, alia ad chirurgiæ divisivæ speciem, alia ad finem atq; consilium ejusmodi discissionis, alia ad instrumentorum utrumque numerum, alia ad operationis felicitatem. Requisiverunt igitur & meminerunt cum *Celsus in lib. 2. c. 2. tum Paulus in 6. c. 34. tum Aetius in ser. 2. c. 33.* I. ut abscessus sint fastigiati tenues, & extriti, II. Ut exscindatur portio cutis. III. Voluerunt usitandam ejusmodi sectionem peculiariter ad effusionem promptam ac facilem saniei, atque adeò proposita est, eadem potissimum in alis & inguinibus in quibus locis difficilior ad excutiendas superfluitates est collocatio. IV. Quod advertit Aquapendens sectionis hujusce proprium fuit apud antiquos, ut fiat citò & facile & quàm minimo cum dolore. V. Vt administretur unico instrumento atque ictu. VI. Vt similitudinem myrtifolii apertè referat & repræsentet.

Requisita in facienda aut facta sectione myrtiformi. Celsus. Paulus. Aetius.

Porro quæ cuncta hæc expleverit sectio, illa demum myrtiformis erit. Quare prima illa & postrema ex his, quæ citra excisionem sunt, admitti nõ possunt, propterea, quod simplici linea sunt cõfectæ. Secunda verò & sexta doloris displicentia facile se condemnant atque odibile reddunt; simul etiam, quod diuturnæ atque impeditæ sunt; illa verò priorum celeriter & expedite fiebat. Sed tertia contra evidentiam myrtiformis peccat & omnino commentitia videtur, qualis & quanta est, propalam. Quas ob causas longe alia & diversa mea est opinio de myrtiformis, & cum excisione cutis & effluxionis commodo semel, simul facile atque unico instrumento cum paucissimo dolore fit, utpote, quæ in fastigiatis ac putridis extritisve abscessibus per nos visitari consuevit. Itaque ad hæc omnia collimaturam sententiam hanc nostram facilè judico. Est autem hæc ejusdem administrandæ ratio. Cutis, ut dixi, suppuratione jam tenuis, & assurgens manus levæ digitis tribus aut forcipe ligneo summis prehenditur, & quantum permittit, in sublime attrahitur tum autem manu dextera per scalprum aut novaculam acutam obliquo adactu festinè rescinditur, ita ut ad extremæ sectæ partis acuti restant anguli & in medio ventrosus myrtifolii cylindrus.

Certum hujus rei decretum.

Sectio myrtiformis administratio.

Hanc mihi sententiam profitenti consentit unus *Guido Cauliacus*, qui *tract. 2. do. 1. c. 4. quod est de glandulis, scrofulis, &c.* apprehendit supernè cutem & forficibus pro quantitate tuberculi ad formam folii myrti, quod superest, de cute rescindit: quam per forfices secturam didicisse potuit ex Aetio, qui ad epulidas suppuratas eâdem usus est serm. 8. c. 25. Ita quidem Guido: sed mea sententia commodior est rescissio per novaculam, quam per forfices, per illud enim instrumentum, quod simplex est & acutius obsequenti usque sectio fit expeditior & indolentior. Cognovit & hanc exscindendi rationem *Gabriel Fallopius, propositam in exectione abscessuum cysticorum tom. 3 tract. de tumorib. c. 15.* quam rem tamen ad veram myrtiformis exectus explicationem accommodare visus est aliâs ignorasse.

Guido commun. opin. consent.

Corr. aliquid te Guido administrat.

CAP. XX.

De semilunata sectione.

Sectioni myrtiformi semilunata est proxima, de cujus tum nomine tum forma nonnulla scriptorum est dissensio. Stephanus Gurmelæus non admittit lunatam figuram eam verè dici, quæ una constat simplici linea: curvilinea hæc vere dicenda: Sed semilunata est, quæ secturis constat duabus, quarum unius convexu, alterius cavo incumbit alueo depresso cornubusque ad superiora spectantibus. Ita quidem iste. Sed *Celsus* (quod minimè vidisse videtur Gurmelæus) *lib. 7. cap. 7.* lunatam etiam nominavit, quæ flexæ lineæ fit ductu. Subtilitas autem fuit hæc nimia Gurmelæi, res istas arduè distinguentis. Nobis satis videtur, ut cum utraque lunata dicenda sit & simplex & composita: notæ tamen distinctionis, cum accipi singulas usu venit, addantur.

De lunata sectione forma Stephani Gurm.

Porro simplici nos uti consuevimus, ubi vel crassior est cutis, quam ut rescindi possit, itemque ubi abscessus est magnus, atque ita quidem hydrocephalum puerorum ad modum lunæ crescentis dissecat Joannes à Vigo, aut ubi globosa est pars secanda. Sic istâ usus est *Albucasis l. 2. c. 40.* quas & ultra naturã extumescentes hac figurâ dissecat *Brunus c. 2. chir. magn. c. 8.* aut ubi in cavis lacunis abscessus: ita suppuratũ alæ tumorem disse-

Albucasis

dissecat *Albucasis l.2.c.48.& Gal.13.meth.c.5.* tum in ala, tum in inguine aut ubi saniem abunde de abscessu vacuare animus est; quo nimirum consilio **Cauliacus Guido** *in tr. 2. do. 2. c. 7.* abscessus ani, non alia, quam lunata figurâ vult inurendos: aut ubi obsistentior est æger, quam ut compositam ullam sectionem permittat omnibus modis hanc succedaneam ac veluti vicariam priori sufficere licet: cujus rei sunt commoda, & quod effluxum saniei parat ampliorem ac paratiorem; presertim si reclinet ad latera laborans homo: id, quod sedulo contemplari potest facile patere. Hoc certè judicio *Apsyrtus veterinariæ scriptor antiquus* (ita celebris semper omnibus fuit hujusmodi sectionis usus:) *parotidas secans l. 1. c. 16.* in ima parte lunata plaga corniculis sursum spectantibus rescindit, quo velut emissario conceptus humor profundatur. Deinde medicationi universæ percommodum exhibet se osculum, sive inspiciendum intro sis, sive lavandum & quovis modo medendum. Sed (quod magis approbaturus est æger) minus etiam doloris medicando sic est experturus. Præferimus igitur hanc semper rectæ sectioni, si modo non sit ita exilis vomica, ut superflua sit, & impar ejusmodi sectio Hanc porro *Cornelius Celsus l. 8. sui operis c. 6.* in suppuratione: circa aures. *Galenus verò 2. sect. ad Glauconem c. 8.* in magnis abscessibus videntur proposuisse; Ad abscessus verò & qui sunt in sede *Guido Cauliacus tr. 2. do. 2. c. 15.* Rationem verò conceptis verbis addidit, ut humores facilius educantur, & non aggregentur in eo loco, fiantque fistulæ, qui idem Guido atque Albucasis utuntur sectione lunatâ in auris non tam abscessu quàm, ut ne abscessus procreetur, ob illapsæ rei, quæ nulla ratione potest eximi, molestiam & læsionem. Porro dolorem acerbum, auris inflammatio, convulsio, extremumque exitium subsequi posse, testatum reliquit **Hippoc.** *3. prognost. & Gal. in comm. 26.* Hæc quidem est in secandi ratio sub abscessibus regularibus, id est, in his, quibus pertinax, & rebelle vitium non est, & quibus cum minimè conjuncta viscida est, germinans, qualem in anomalis dicemus materia.

CAP. XXI

Observationes in secando.

ALiquas nunc adjiciam in secandi normas non sine aliquot errorum, qui vulgo circa hæc committi solent, animadversionibus: quarum prima fuerit adversus eos, qui licet ampli, tenus cute fastigiati & in locis affluxui minime paratis extent abscessus: Unicâ semper & simplici sectione sunt contenti, pluribus & compositâ abstinentes; quasi non suus esse modus debeat singulis, ut magni quidem, & parvi, ut emortui discoctive, ut exporrectâ cute fastigiatique abscessus æque sint tractandi, neque meminerimus aut Celsi aut Pauli, aut Avicennæ, qui varios variis dissectionis modos statuerunt, & necessarios ostenderunt.

Secunda notatio fuerit inscitæ quorũdam importunitatis, qui adstruunt naturam partium gaudere proprio tegumẽto, quod si detrahatur, non ita suas vires, conservaturus est calor. Hujus hercle superstitiosæ providentiæ sic ostenditur vanitas. Nempe verum est, naturam satagere servandis involucro partibus: sed cum istæ sanæ atque integræ fuerint, porro istarum est conservatio non corruptarum. Cortex enim putridi pomi punici etiamnum integer putridam omnẽ medullam & grana contegit & conservat. An autem, ut vitium augeatur, huic usui cortex integer servatur, & nihil discinditur aut aperitur? Amabitur ergo corticis salus propter totius pomi corruptionem? haud aliter (quadrat enim adunguem comparatio) si cutem pro contegendo vitio non attingimus scalpris, & ipsum nutrimus, dum non aperimus: Sic equidem in Nomocosiis ulcerosorum chirurgiam faciens sæpissime sub detectis recenter ulceribus automatis, quæ vix affatu digna videbantur comperi tendines putrescentes, & abscedentes. Quod argumento esse debet cum primum mollescit vitio cutis, insecandum esse medicamentisque rei accomodatis fovendum. Quam igitur aptè Virgilius:

Simile.

Nec tamen ulla magis præsens fortuna laborum est,
Quam si quis ferro potuit rescindere summum
Vlceris os: alitur vitium, vivitque tegendo,
Dum modicas adhibere manus ad vulnera Pastor,
Abnegat, & meliora D. os sedet omnia poscens)
&inferius.
Continuo culpam ferro compesce, priusquam
Dira per incautum serpat contagia vulnus.

Observatio.

De nervosis partibus putrefactis adhuc integra cute.

Virgilius.

Per hęc igitur non tam secandi abscessus sinusq; ipsorũ, verum etiam audenter, confidenter & maturè sunt pertundendi: Audenter, inquam, & confidenter: nam nil indignius aut damnosius est timore in chirurgia, quæ (*cum Alex. Benedicto l. de peste dicam*) plurima parte audacia constat. Narrat se trepidasse in abscessu magno Fabricius Hildanus, sed cognita vana formidine factâ discissione sanavit hominem. Similiter vasta mole panus, qui medentes potuisset à dissectu deterrere, animosè ac deliberatè dissectus, paucis est diebus ad integritatem restitutus, sed de his quidem in hujus operis parascevastica parte latius; monet Aquapendẽs ne vomica in secãda sectionẽ sic amplã faciamus, ut deinde possit cutis subjectis musculis agglutinari & ob hanc difficilis musculorum motus eveniat? Hæc ille. Verum aut nulla est hæc animadversio, aut sensum illum habet, ut non musculos etiam attingat sectio. Ita enim fieri posset, ut simul cum cute coalescerent sanescendo. Verum utcunque non ita certus esset musculorum motus. Enimvero cedit semper cutis, quare timidior in secando videtur hic auctor, cum anatomicus alioquin fuerit non vulgari sicut & superstitiosus fuit in bubonis venerei curatione, quando monet, ne ferrum altius immittatur, quod ictis glandulis mors è vestigio consequeretur &c. equidem haud illud ajo, ut fiat dilaniatus; sed, ut ne punctio alioqui fiat, neque etiam placet. Multis id evenit si quidem ampli sinus perfunctoriè fuerint cæsi; quod scribit **Hippocr.** *6. epid. 1. P.* de languente ob sinus ulceris mortuo; huic si ampla sectio facta fuisset aut altera, & tempestiva servari potuisset.

De audacia in re chirurgica necessitate. Fabr. Hildanus.

Hieronymus Fabricius Aquapendens lenitatis taxatur.

Rursus contra Hieroymũ Fabricium.

Favet nobis Hipp.

Neque

Contra causticorum usum.

Neque illorum etiam laudo consilium, qui frigida animi moderatione causticis rem agunt. At multa sunt, quæ in his damnari possunt. Prima est incommoditas, quòd ne dum quidem secundum membri longitudinem & quæsitam formam apertionis extenditur pyroticorum furor & vis; sed præterea latum amat excursum; Unde est etiam, (res à medente summo studio vitanda) quòd dolores acerbos & sævam inflammationem concitat partibus, tum quibus medemur tum proximis augent affectus affectibus. Post hæc longiori escharæ casu, seràque partium detractatarum restitutione minimè felicem suam proferunt opem. At sectio si nacta sit administratorem peritum & minus breviusque affligit, & suam statim affert opem optatam; & secundum lineam exarans cutem, hinc atque hinc noxam aliquam non inducit. His atque aliis multis commodis superat semper septica scalper. Quas ob causas opinor, *Columella 6. Agriculturæ. c. 19. proloquutus est*: Suppuratio melius ferro rescinditur, quam medicamento: & tamen traditum hoc hominis est præceptum in bestiis, in quibus à dolore & inflammatione noxæ minor est sollicitudo. Hactenus duæ sunt sectiones rectæ vel animadversiones vel virtutes. Tertia est ejusdem opportunitas & maturatio, siquidem in plerisque festinata & ab impendente periculo vendicat & cito liberat; non obscuram autem ejus rei *Galenus memoriam fecit in 1. anatom. admin. c. 3 è iunioribus verò Prosper Alpinus, è methodicorum sententia l. 8. de med. meth. c. 16. & Fabricius Hildanus in Cent 1. obser. chirurgiæ 39. & Steph. Gurmelaus in 2. syntaxis chirur. §. de aplotomia vomicarum*: quid autem Hipp. non nominavi primum *in l. de fiscos. & alibi* rem hanc docentem: *Solus Aurelius Celsus lib. 7. c. 2.* consensum hunc aliquo pacto conturbavit, qui ait, inter nervos ultima expectãda maturitas est, eique pus jungat, quo propius aperiatur, quæ adverso repugnat uni, quam *Arnoldus proposuit do. 1. id para c. 18. aph. 7.* sc. non satisfacit Gurmeleo spectanti tenuioris materię naturam, quæ nervos alioqui debiles corrumpere queat. Sed Celsus ibidem cavet ne crudiori sub vitio consectus & violentus ictus distentionem, aut inflammationem inferat membro, ita pus desiderat extenuatæ jam cuti junctum, & propius repertũ *Gal. l. 2. ad Glauc. & l. 13. meth.* non nisi jam albescente, & extenuato tumoris cacumine conscindendum permisit: ubi verò aliud aliter nos non cogat. Hæc una interpretandi ratio est; altera, quã dicemus expectandam ultimam maturitatem inter nervos quidem, sed qui duriores aut firmiores sint, quos proprio nomine consuevimus vocare tendines. Ambiguitas hæc quamquã tã plenè gravis est, attamẽ vides, nõ cõmentis scribẽtium, sed se ipsa factã, simq; equidem in ea seriò implicitus, dum tuberculum crudum hominis sub cavitate genu supposita caro. Hinc enim affecti loci ratio, & distentionis cautio, hinc motus membri debilitas & longinquitas curationis suadebat, quod per se faceret, vicit autẽ immobilitatis & infirmitatis. Nos enim ejus quod sæpe observavimus testes locupletes esse possum⁹. Inprimis autem maturæ in putridis apertionis meminerimus: nempe in parthenophylacio Spiritus Sancti Neapoli, Iosephæ Manfredoniensi puellæ 12. annos natæ. Item alteri puellæ ejusdem loci, & Baptistæ Persio & Carolo Rosapani Neapolitanis pueris, & Iustinæ olitoris uxori æ singulis abscessus lentos passis apposito per me inculpabili caustico detectoque postridie vitio reperta caruncula est fibrosa, veluti putris ejusmodi, quem Celsus alicubi vocavit ventriculum: circa quam facta remotius compressionis tenuis sanies è medio ferè articulo erupit, qui humor in dies excernebatur. Verisimile fit igitur mihi pravo articuli alimento fieri vitium, quod nisi maturius auferatur; periculum est ne serpat & loca ista, quæ naturali imbecillitate minimè tueri se possint, conterat eadem motumq; partis, si non fortasse vitam intercidat. Quod autem ad motus noxam ex dilata nimium abscessus apertione sequutam attinet: ejus exemplum referre possum, quod in adolescente quodam Gallo comperi. Cui cùm suppuratum anno jam cubitũ ad spontaneum usq; diruptũ distulisset medicus quidam articuli lædendi timore, sicipsum deniq; læsit, ut & homini brachium totum contabuerit, & motus omnis utilis facultas abrupta fuerit, & longo post decubitu marcidus occubuerit. Non meminit porro medicus, aut non legerat etiam, quod monuerat nos *Avicenna l. 4 fen. 3. tract. 6. c. 27.* maturè, id est, ante maturitatem perfectam aperiẽdos in articulis abscessus. Aliud quid simile referre possum, quod accidit honestæ fœminæ cui Clementis Anastasiæ nomen, natum huic sub dextera bucca tuberculum, sic inconsideratè curavit quidã, ut jam rhacodes præterquam cerati pittaciis non tractarit, qua medendi forma factũ est, ut & fistula in dentes penetrans remanserit, & perpetuum oris aperiendi detrimentum: dum etiam integra cute compertum est mihi serpisse latè in subjectas partes & musculos non sine horum offensa. Veterib. medicis quale horum fuerit nomeu haud plane compertum est mihi ni sint, quos Galenus appellavit ἀποσχήματα. Hos igitur ne lentus aperito, si criminandam ullo tempore tuam curationem caveris. Rectè igitur *Herm. Cardanus in arte pau cap. 2. s. 1.* Exteriores abscessus qui communicant interioribus, antequam suppurent sunt secandi, minus enim periculum est cum difficultate sanationis exterioris ulceris, quam corruptionem viscerum à sanie.

Incommoda causticorũ.

I. Columella.

Tertia sectionis virtus.

Galenus. Prosper Alpinus. Fabricius Hildanus

Histor...

In ab... bus len... & sen... tribus runcu... mipur...

Histor... prima Anno...

Histor... Anno...

Advertas autem oportet, tumores, qui lente suppurantur, non fastigiari, neque extrorsum exporrigi. Horum igitur ad incisuram acumen ne expectato, sed & gummosas venereæ luis exostoses, quæ cute jam integrâ conteguntur, hac nondum etiam attenuatâ nec humore suppurato, convenit incidi, potissimum si in capite sint, incisuram autem decussatim vel in orbem, vel lanatam ad minimum confici, ampla enim requiritur sectio, quo vel os inurere, vel deradere, vel perforare atque exscindere, vel exitum ossi abscessuro parare liceat.

Tumor... qui len... suppur... tur mi... mè fas... giari.

Matur... concidi... exostos... syphili... cas in... cute.

Hæc quidem cum in membris exterioribus corporis proposuerim: cæterum aliorum, quibus cavitas subjecta est, non deerunt exempla: & abdominis quidem in nostro physico-chirurgo: multa

In abd... ne abs... matur... perion...

multa ejusmodi protuli, in thorace verò similes eventus concipi possunt, de his vero, quod Guido Cauliacus exposuit non omittam huc transferre. In apostematis parietum (sic ille loquitur) pectoris ne longa expectetur maturatio, ne pus ad intrinseca derivando penetrantem fistulam pariat, scriptum enim est ab Hippocr. 1. prognost. quæ externè introrsum irrumpunt, mala sunt.

Hactenus hæc quidem de sectionibus opportune non omittendis. Ex adverso scire licet in sinubus tibiarum & partium musculis maximè munitarum discissa commodè cute, quo saniei commodus effluxus paretur fieri per sæpe, ut coalescere difficile possit ulcus, motus perennis ipsorum lacertorum causâ: quam rem equidem evenisse memini in servo barbaro Principi Illustrissimi Tarsiensium nostrorum, & in viro ornatissimo Ant. Pulcherello Aloysii Parochi fratre, & in Antonino Pescio sodale Iesuita, quibus per priores alios medicos perperā tractatis succurrere vix potui. Eandem animadversionem curator habeat oportet in juncturis & locis omnibus, qui flexus & extensus motibus sunt cōparati, aut enim parcior in his dissectus requiritur inspecta difficultate conglutinationis, aut secundum membri longitudinem faciendum est vulnus, & hoc quidem in ambitu duplex, si latè fusus atq; rotundus offeratur abscessus.

Ad has nostras de magnitudine dissectus observationes, plures addere libet ex Celso qui l. 7. c. 7. super omnes nostras autores disertissime sic de his decrevit. Semper autem ubi scalpellus admovetur, id agendum est, ut quàm minimę & quàm parcissimæ plagæ sint, cum eo tamen ut necessitati succurramus, & in modo & in numero. Nam majores sinus latius interdum etiam duabus aut pluribus lineis incidendi sunt. Dandaq; opera ut imus sinus exitum habeat, ne quis humor intus subsideat, qui proxima & ad huc sana sinuet. Est etiam in rerum natura, ut cutis latius excindēda sit, nam ubi post longos morbos totus corporis habitus vitiatus est lateque se sinus diffudit, & in eo pars cutis pallet: scire licet eam jam emortuam esse aut utile non futuram. Ideoque excindere commodius est maximè, si circa articulos majores id evenit, cubantemque ægrum fluens alius exercuit, neq; per alimenta quicquam corpori accedit: Reliqua quę non licet hic repetere, fac apud ipsum, & *Galenum in libro 13. meth. med. c. 5. legas.*

CAP. XXII.

Sinus, cui sedes est inferior, tollendi Chirurgia.

SVnt hi sinus curatu maximè difficiles quibus saniei sedes, & conceptaculū inferius est. Decrevit autem *in l. 2. ad Glauconem c. 8. providentissimè Galenus* duarum alteram necessariam esse hos absolvendi viam, videlicet vel ut cavitas tota dissecetur, vel ut foramen in fundo paretur. Posterius hoc sæpius eligendum contigit, cū ægrotantis arbitrio, lenioris ac tutioris medelæ studio quę tutior, inquam, est sectio plerumque quod periculosum esset aut multam cum intolerabili dolore carnem discindere, aut in loco nervoso musculosove spasmum inducere aut venis arteriisque substantibus sanguinis profusionem excitare, sic igitur altera secandi ratio præstat. Veruntamen, quod ad hoc attinet, duę sæpe se offerunt difficultates. Altera est, quod cutis sinui incumbens longè, late & nimium extrita est, quam quidem haud spes est cum carne subjecta coalituram: Sed ipsa se tenuitate, colore, tota habitudine declarat haud complexui carni accōmodatam: ex qua re medicus monetur, ut provisam hanc difficultatem scalpro submoveat, ad hunc modum memini equidem Illustri viro Federico Carraffę magnum abscessum sub ala cum acclivi sinu quatuor jam menses inexhaustâ sanie manantem cutis jam arrosæ & exuccæ facta primum secundum longitudinem lateris per forficem incisione, mox secundum latum rotundūq; reliquum sinum excisione succursum cute remanente rescissa ad figuram marsupii nummarii. Quam rem Salerni actam viderunt plerique doctores ejus collegii nullis quidem ex Italiæ laudatissimis secundi. Altera difficultas est hæc. Interdum sinus altitudine perdifficilis inventu locus, in quo sinui respondente fiat dissectio. In promptu igitur est inflexa fistula, inclusum recipiens acum ancipiti, vel triquetra acie per quam fistulam anteriore extremo cerâ obductam & ab osculo ulceris ad fundum usque demissam impulsa de superioribus acu denique caro trajicietur fundusque sinus recludetur. Ita quidem pro adverso perforatu: cęterum ad totius dissectum hoc usu possunt esse antiquorum falculæ syringotomi dicti fine extremo sphærulato, qui cum globulo cerę imposito demittuntur & quum carnem pertunderint, attrahuntur. Vtrislibet modis ampliato quantum oportet foramine, abscessus exiccari, conglutinarique concessum erit. Alius erit casus in quo minime videatur amplū factum orificium inferius, sed tum per acum, quę cuspide tenus forata funiculum ducat, hunc foras attrahere licebit, cujus utrisque colligatis hinc atq. inde depēdētibus extremis exhaurietur sensim humor inutilis & conglutinabitur ulcus.

Audisti jam faciendæ sectionis modos & rationes pleraq; cōmodas: excipies, post hæc præscriptos casus, sub quibus eandē abstinere debes quam rem chirurgi mediciq; nostri temporis nō agnoscunt, effatū est ab *Hipp. l. de medico. n. 8.* tubercula quidē deprehendere ac dissolvere posse maximè artificiosam haber, itēque collectiones ipsorum impedire. Consequens est ea in conspicuum & quam brevissimum locū contrahere, & compagem ipsorum ęqualem per totum tuberculum facere: cum enim inæqualiter se habuerit, periculū est, ut sumptus, & ulcus ægre curabile reddat. Exæquare itaq. oportet similiterq. totū maturū facere, & neq. pri⁹ deducere, neque sine vi te rumpat: quæ vero maturū facere æqualiter possint, in aliis libris relata sunt. Videtur, quam sollicitè provideque caveat Hippocr. ne prius adaperiunt suppurata quævis, quam tota ex æquo matura se offerant. hoc autem præscriptum

omnino foramen in fundo sinus quam dissectio.

Historia A. 1618.

Salerni medici fama clarissimi.


Difficilis interdum inventu locus fundi.

Instrumentum discindendo commodum.

Alter casus

1. Syringotomus capitulatus.

2. Syringotomus non capitulatus



ptú, cum in omnibus communiter abscessibus amplexãdũ sit: speciatim etiã in crudis & cancrosis contemnendum non est, quib. cruditas assidua cum sit, si quo naturæ beneficio suppurescat, est puris proventus & optabilis, conservandum verò & minimè effundendum est ipsum, sed continendum & industriè supprimendum propterea, quod suppuratum crudis adhuc particulis promovet, unde æqualis undique maturitas, & crudæ portionis liquatio fit, atque adeò non est, quod pus contineat, sit aperiendum, quippe quæcunque concoqui oportet, conclusa esse convenit, contra verò siccare & aperta esse: quæ verba sunt *Hippocr. lib. 6. epid. sect. 2. & Avic. lib. 4. fen. 3. cap. 2.* Hoc videre licuit in Aureliæ ab Alexandro cancro, qui ex sanguine exustiore natus cum aliquando in suppurationem abscessisset, & citò medici nostrates incidissent, prærepta est optima occasio, qua fortassis à viru malo se liberasset honestissima fœmina, sed pano illo propere dirupto & exiccato mansit subjecta partibus cruditas, quam ad naturæ modum deinceps pertrahere nulla medicina valuit.

CAP. XXIIII.

De sinu bifido.

Hinc atque hinc pervium ulcus ut conglutinatu difficile sit.

SAniei sibi viam acri nitrosaque qualitate parantis opera fit sæpe, ut abscessus, ulcus, fistula, duplici vel etiam triplici pateat osculo. Quod genus ulceris multa cum industria conglutinari vix licet, tum quod coalescens unum ex orificiis alterum ampliet distrahatque tum quod inter utrumque osculum & hiatum sæpe fornix intenditur callosæ carnis aut cutis. Quod ulcus nihilominus irrito labore diu conantur vi medicamentorum obducere plerique nostrorum, alii etiam si difficultatem cognoscant; neque huic occurrere norunt. Interim ad longa tempora protractum fit istorum curatione ἀσύμφυτον, & ut dicunt inconsolidabile, quod suâ naturâ tamen est curatu facile, si chirurgiâ tractetur propriè dictâ. Equidem haud dissimulo negove perseptica medicamenta licere sinus intercapedinem disrumpere, verum non sine magno vel dispendio doloris, vel inflammationis incommodo, quemadmodum initio nostræ pyrotechniæ medicæ monstravimus, sectio porro expeditur tutiorque est perpetuò, solum requiritur, ut ne medicus aut ægrotus, aut uterque observantis mali specie terreatur. Falsum, inquam, malum: nam quo sæpe trepidant pseudochirurgi scalprorum aliquid adhibere: nos Dei munere fidentiores nil periculorum experti sumus, neque hoc semel in uno, sed in sexcentis. Ex quorum tam multorum numero sat erit, si aliquot paucos in hac civitate notos homines, quibus id accidit in medium pro confirmandis, si fieri licet, animis medentium producamus. Primus esto Perillustris D. Casparus Benemaria, primogenitus Regis Fes, cui sub perinæo magno intervallo repondentia per communem sinum duo ulcera discidimus. Itemque Andreæ Mascambruno scribæ criminum Neapolitano, qui postea mihi ingratè respondit: qualis & in me fuit Flavius ab Alexandro, quem abscessibus multifariam respondentibus in toto fœmore ac superiori parte tibiæ multiplicibus etiam factis discissionibus integritati restitui. Munificentissimus autem in me fuit Franc. Albertinus, cui pro fistula curanda sectionem in musculis thoracis anterioris auspicato fecimus. Ad hos Paulus Cytharella, cui bicipitem ani fistulam aliâs hoc opere descriptam, sectione unâ sanavi. Similis ad unguem curatio fistulæ ani & Mutio Blasio Mensuracensi & Franc. Chiericæ Octavii sartoris Nea-

Per de... ca di... longè... sectis...

Medic... vitet æ... groto... pidat... sectura... trimo... tosa.

Histor...

Neapolitano filio memoratis à me alibi viris confecta fuit. Aethiopi servo nobilis medici Sebastiani Vecchioni memorabilem in capitis cute sectuiram profundâ trienni fætidâ propter cariosum fistulâ atque alteram in tibia secundum longitudinem etiam pro osse teredinoso curando feliciter confecimus. Antonio Saccataro à Castello Abbatis nepoti D. Eligii (credo rectius Aloysii) Virginum Abbatissæ magnas in inguinis cavo iam putri dissectiones fecimus: cui loco glutinans emplastrum famatissim⁹ quidam Chirurgus Neapolitanus cuniculis parum cognitis imposuerat. Sed filium Federici de Rosa Consiliarii Regii Vargas spectabilissimi Sororii præterire non debeo; cui puero iam anno uno callosum biforumque ulcus habenti diffisi fuerant, opem afferre clariores urbis nostræ Chirurgi, quem improvisâ & dexterâ sectione unâ restituimus. Ac de re ista iam satis.

CAPVT XXIV.

De abscessibus κατ' δάρσιν appellatis græce.

ADvenit nudatis carne partibus velut genu & articulis abscessuum quoddam genus, quod κατὰ δάρσιν appellavit. *Galen. lib. 3. de compos. med. sec. genera*: abstractam cutem nos latinè dicemus. In his sæpe numero fit, ut aperta sponte angusto atque exiguo quodam osculo vix oculis pateant, quos curant omnes vulgò ceratis duntaxat impositis nil ultra providentes aut facientes. Sub qua ipsa curatione sic proficitur, ut & nimium diu protrahatur ulceris obductus & sæpe etiam vitium serpat. Eas ob res expedit semel certam, quæ ad finem evadat, curationem insequi, quæ meo quidem iudicio non est alia, quam ut cutis, quâ foramen extat, secundum rectos angulos insecatur, atque ampliatur sic ulcus, ut medicamentorum digerentium atque expurgantium sua sit via. Ita equidem in Nosocomio sanavi plurimos, qui coaliturum in dies ulcus exile sperantes, eius tamen rei progressum aut initium nullum unquam viderant.

CAP. XXV.

De ineunte abscessu.

IAm autem ubi permulta commoda sectionis factæ locis extumescentibus hocce tractatu notavi: illud in præsenti missum non faciam, quod est ad inchoatum iam abscessu antevertendum. Hic enim prohibere ne maturescat & compleatur, persæpe loci natura nervosi musculosique poscit, quominus sc. motui incommodetur, aut corruptionis, ulcerisque insanabilis discrimen videatur. Illud autem quod in hac re comperi narrabo, obtulit in nosocomio se nobis adolescens (Laurentii Juliani cui nomen) iam alias abscessus vocatos frigidos, quos cicatrices amplæ testatæ sunt, feminibus & cruribus passus; qui iam ex phymate in posteriore tibia supra malleolum augescente mirum in modum torquebatur auxiliis impositis linimentorum & pharmacorum, quæ cum ritè allata cum diæta & phlebotome parum levassent, consilium succurrendi fuit abscessus præsertim vitandi genera, ferro crudum tuberem adaperire, quod cum confidenter facio altâ & secundum longitudinem corporis inflictâ plagâ; primum quidem mediocriter doluit, mox vero non pauco effuso sanguine conquiescere visus est sic, ut melius ipse per se sperare ceperit & nos tumore doloreque sublato, ulcus brevi, Deum & medicinam homini laudanti obduxerimus, non sine peritorum hominum, qui viderant, admiratione: inter cæteros verò Alexii Aloniæ & I. Bapt. Ferrarii peritissimorum medicorum, qui satis prædicare se rem non posse confessi sunt. Quam quidem rem libentius narravi propter vanum timorem attractionis è secando, quam tantopere causantur aversanturque nostri.

CAPVT XXVI.

De tuberculis pestiferis & malignis.

SI qui tumores extranei neglectâ cruditate concidi debent: tubercula pestilentialia & maligna impunè ad hæc supplicia vocantur. Ita quidem Mauritius Cordæus vir, qui qualis sit ex commentatione Hippocratica cognoscitur, in homine peste correpto crus sauciavit non leviter ut omne virus extraheret, adiectâ insuper exuctus operâ, cuius & in spiritali chirurgia capitem de exuctu memini: Ita etiam *Petrus Bayrus vir in medicina factitandâ laudatiss. in lib. 20. cap. 8.* retulit bubonem pestiferum adhuc crudum insecuisse cum salutari operæ successu & alibi etiam testatus est, cacoëthe paronychium à chirurgo vix compunctum ad os usq; perfodisse, quæ fuit item homini fælix curatio, qua sine non difficile discrimen subire vitæ potuisset.

CAPVT XXVII.

De ecchymomate sive de sanguine per collisum inter carnes expresso.

SÆpe videris è collisi ad carnosa corporis loca facto, ad intercapedines horum è vasis expressum abunde sanguinem, quem digitorum adversorũ; contrectatu fluctuantem suppurationũ instar facile discreveris: unde cogitandum est, qua ratione exhauseris abscessus non semper eventus prosperi materiam: Discutientibus quidem longum opus & absorbentibus vocatis medicamentis etiamnum difficile; efficaci verò festinæque Chirurgiæ facile. Hoc est si scalprum aut interdum etiam phlebotomum latioris cuspidis in cutem defixeris, sic enim & expressu aliquo adiecto fiet, ut grumosus sanguis mirum quendam in modum exiliat. Quæ res (ut experimentum addam) evenit mihi explorate in Domini Antonii Carminiani primarii viri patricii auriga, qui ex calce mulæ sugillatum atque extumescens ac dolens impensè brachium superius medendum obtulerat, fine curationis felicissimo, ut noverunt Fælix Marcotorella & Franc. Romanus chirurgi in nosocomio nostro exercitati. Vtitur autem & sectione Curans ecchymoma. *Ioan: à Vigo lib. 3. Copulæ C. S. nec non Petrus Ioannes Faber in Chir. spag. sect. 2. cap. 4.*

Historia Anno 1629.

Petrus Ioannes Faber

CAP. XXVIII.

De sectione in semicontrita corporis parte.

SOlet etiam colliso corpore exiguâ parte findi cutis, quod ubi incidit non alienum est, scalpello latius aperire, nisi musculi nervique iuxta sint, quos incidi non expedit. Vbi satis diductum medicamentum imponendum est: Hæc quidem *Cornelius Celsus lib. 5. suæ medicinæ cap. 26. §. de glutinat. vulnerum.* Ex quo loco docemur non quantum hiat locus duntaxat aperiendum, verum latius etiam & quatenus semi contritum patet, ut & melius manu curari & citius liquari & instaurari pars possit. Verum adversus hanc Celsi sententiam est *Gabriel Fallopius qui in lib. de vuln. cap.* 10. arguit eos, quod consueverunt contusam cutem capitis sive quidem exiguâ sive maiore rupturâ primum, ab ictu factâ magis ampliare, damnat inquam hoc propterea quod cutis servit tegmenti usu; producitq; testimonium *Galeni in com. 3. de fract. tex. 43. perhibentis non unum*, experimentum de agglutinata incredibiliter etiam nigricante cute. Hæc ille. Verum enimvero equidem inquam aliud & longe diversum est cutem semilaceram & aliquo modo diruptam discindere, ut melius sc. resarciri possit, aliud est contegentem os abstrahere: atque aliud etiam est capitis, aliud aliarum communiter partium cutem dissecare. Quippe caput ut quod cavum & imbecille, mirè subiacet externis iniuriis, alia vero membra non item.

CAP. XXIX.

De sectione festina cutis, cui subest exostosis aut gummi ossis.

OSsa tumorem abscessumque subire novum non est: cognitam rem etiam ab *Hippocrate lib. 2. epidem. initio nedum à Galeno comm. 7. aph.* 57. quibus vtrisque viris & tota medicorum cohors assentiit, præter unum Serapionem perperam intelligentem, de qua fusè *Philippus Ingrassia lib. de tumor.*

Procreatur autem ad hunc modum, ut arbitror, affectio: Vitiosus succus qui alendo fuerat præbitus ossi concorporatus putredine, quam velit, velut fermento dilatante attollitur, atq; hâc inflante rarescit atque gybbescit. Interim verò non ociatus humor putris contractum longo remollitam ossis duritiem conterit & exasperat, ut arrosi speciem exhibeat cum forte exscinditur.

Est autem vitio mos, ut lentè serpens ossis substantiam conficiat priusquam conceptum auctumque vitium in attiguas partes & carnem excurrat abscessumque inferat. Porro spectat eiusmodi putredo peculiariter os, ad hoc habens antipatheiam atque analogiam sive humoris similitudine, sive summa partis imbecillitate, sive occultâ denique proprietate. Sed enim in pueris, qui venenosæ spinæ vitium perperi consueverunt, ab inexpurgatis parentum seminalis inquinamentis; in syphiliis vero, à putri quod symbolizat excremento spermatico. Sed hæc ut subtilius disputentur, non huius loci sunt angustissimi. Ad curationem igitur venio, quæ primum id sibi proponit faciendum, ut ne incrementa vitii promoveantur, sed quantum artis valet studium, inhibeantur. Cui quidem operi præcipua quidem è medicamentis omnibus sunt absorbentia: verum his longe valentior atque efficacior est chirurgia sive hæc ustione nitatur sive sectione. Sed mihi quidem usu commodior experta sectio propterea, quod sanguine partes exhaurit & dolorem felicius levat. Cuius rei nobile fuit experimentum in Francisco Donnurso adolescente Neapolitano, cui cum frons modicum extumesceret, mirum & alienum fortasse visum est quibusdam postea nominandis, quod scalpro profundius insecarem usq; dum os detegere, mox verò post dies aliquot igne tentarem mucori partium dissipando: sed non excessere dies 7. ab exectu primo quando protusum se prodidit os, & 12. frustulum huius sequax volsella eductum est prærosum totum. Rem ut dixi non creditam paradoxam, quam tum & oculis viderunt & manib. contrectaverunt viri intelligentes, Jo. Bapt. Ferrarius Petrus Agnellus Costa, atque alii rerum nostrarum observatores accurati.

CAPVT XXX.

De Vulneribus thoracis penetrantibus, quibus ob situm superiorem, saniei non est effluxus.

SÆpe numero usu venit, ut penetrantibus in cava thoracis vulneribus copiosus in huius fundum sanguis effundatur, qui minimè ad superiorem corporis situm eductus membranosum corpus, deinde pulmonem comprimit & putredine conceptâ cordi refusâ febrem continentem movet; qui plerumque die decimo est letiferus: quam rem non considerantes neque animadvertentes ætatis nostræ chirurgi maximo languentes remedio defraudant. Itaque cum in huiusmodi penetrans vulnus incideris: protinus inquires, num sanguis in septum transversum descenderit: quam cum cognoveris exspirandi difficultate, spiritus graveolentia, ex genis item vapore sublato putrescentis sanguinis rubentibus, denique ex ægro id disces referente, se commotum corpore sanguinem utroque latere persentire, itemque quod indolescens alterutro latere, quod sanguinem recepit, atque ideo, quod cruor altè pulmonem & septum comprimit, his igitur sic expensis indiciis de excitando saniei effluxu cogitabis, locus autem erit inter quartam & quintam costam sex digitos transversos à spina sectione deductâ. Ad hæc scalper deligendus est subtilior & bene acutus, quo paulatim & sensim insecandum manu semper ad inferiora reflexa, quando venæ nervique ad hæc loca delati superiora semper petunt, quo foramine iam facto singulos in medicatus quinæ senæve unciæ sunt, exhauriendæ plus minus pro robore atque ætate eius, qui curatur. Interim vero potiones, quas vulnerarias non tam ab affectu, quam ab effectu dictas in Pharmaco-chirurgico descripsimus confidenter offerendæ.

Reten[illegible] thora[illegible] niei [illegible] menti.

Incur[illegible] chiru[illegible]

Affusa [illegible] rii ind[illegible]

Necessa[illegible] perfora[illegible] lateris [illegible] filium.

Admini[illegible] strandi[illegible] tio.

Advers[illegible]

Cautio[illegible]

Quanti[illegible] educend[illegible] materia[illegible]

Potionu[illegible] vulnera[illegible] um usu[illegible]

Hac

Hac ratione testatus est Nicolaus Gaudinus Gallus, vir medicus in hisce rebus exercitatus anno uno quatuor thorace confossos à morte indubitata redemisse. In quodam vero nomine Lupo eundem operæ felicis eventum narrat *Mich. Paschal. lib. 1. cap. 29.* Quam curandi rationem approbavit & *Nicolaus Florentinus tr. 4. sum. 2. ser. 7. cap. 58. Guliel. Placentinus lib. 2. cap. 12. Guido tr. 3. dom. 2. cap. 1. & tr. 4. doct. 2. cap. 2. & tr. 3. doct. 2. cap. 5.* è iunioribus vero Nicolaus Massa epist. 11. *Amatus Lusitanus cent. 2. cur. 85.* Approbavit & *Andreas à Cruce lib. 2. chirur. tr. 4. cap. de 4. indicatione Ludovicus Mercatus Institut. chirurgic. lib. 1. cap. ult. quod est de vulner. chor. & Ioannes Fragosus in glossa de vuln. Argenter. 6. aphor. 27. & 7. aph. 45.* Sed quid posteriores nomino, quando & *Hippocrates lib. 3. de morb. tex. 67. confirm.* enarratore Petro Salio rem hanc apertè docuit, *& Galenus lib. 5. method. c. 8.* professus est, rheumate putri os excidisse. *Avicenna vero lib. 11. fen. 20. tr. 5. cap. 4.* mandat aperire latus in dolore pleuritico putato, &c.

Ad hos omnes comprobatam experimento felici sectionem inter. 4. & 5. vertebras factam memoriæ mandavit *Iac. Haller. lib. observa. 18.* cuius experimenti meminit *Ioannes Michael Paschalius l. c. de cur. morb. cap. 29.* Eandem inquam narrat historiam Amatus Lusitanus *cent. 2. curat. 85.* de milite secundum thoracem professo, cuius loci cavitas in cruore multo suffusa, ut exhauriretur ad 3. & 4. cartarum spacium apertionem molitus chirurgus hominem servavit.

Tam etsi verò Halyab. ser. 9. 2. prioris l. dispositionis regalis suspectam incisionem atque etiam ustionem habet fistulæ, discriminisque vitæ formidine, nihilominus inde cognoscitur pusillus eiusdem animus, quandoquidem Aristolochiæ radice & oleo quam serventissimo perurit. Quam nos tamen sectionem ab optimis tot viris commendatam & confirmatam indolentiorem & à sanguinis profluentis incommodo tutiorem & omnino feliciorem putamus futuram, si quintam costam factâ prius incisurâ transversos duos digitos longo terebro perfores, sic, ut inde profluere possit, sanies; quæ sectio libentius est acceptanda, quod autore Hippoc. *in l. de inter. affect. num. 25.* qui ad empyicos in quinta Galenus costa usus est. *Aliter 4. epid.* in Aristemone Philidis filio *& l prænot. 6. & 6. aphor. 27. & 7. aphor. 45.* ad empyicos; quos ipsos etiam quid vetat, ni trepidat animus iners sub pectore, quo minus musculos διαφράγματος, id est, costis interiectos sub 6. & 7. costis discindamus, viamque humori putrido faciamus, quemadmodum auctor nobis idem est *Hippocr. 2. de morb. & Galenus com. 27. lib. aph. & Isagog. cap. 18.* quos utrosque viros sequitur *Paulus lib. 6. cap. 44. & Aetius lib. 10. cap. 30.* & Avicenna 10. 12. tr. cap. 5. Hanc, ut dixi, sectionem à doctis plerisque viris factitatam comprobatam, & à recta ratione indicatam non possum equidem non acceptare. Verum si meministi proposita per nos est & alia ratio sine dissectu in chirur. spiritali, quæ tutior & ægris optatior sine controversia fuerit.

Tertia tamen est *Ludovici Mercati l. 1. chirurg. institut. tract. de vuln. cap. 7.* volentis, ægri non bene valentibus viribus pleuram pertingi scalpro sat esse cæterum discindi non oportere. Ita enim futurum vel pus paulatim exudet, vel ut naturæ sponte forulus aperiatur; unde saniei commodus pateat exitus.

CAPVT XXXI.

De vulneribus generatim.

Evenit sæpe vulneribus, ut non satis hostilis plaga sit, nisi & medicæ manus adveniat nova præcisio. In omnibus, inquam, communiter, sed in his, quæ nervis inflicta sunt peculiariter, quæ cum angusto vulnere saniem inferne provenientem retineant nullâ extante viâ effluxus; huncin primis necessarium erit festinè parare. Ita quidem *Galenus in 3. meth. med. cap. 2. Ita Vidius in 2. chir. c. 5.*

Itemque chirurgi probati omnes & è physiatris *Iacobus Fontanus l. 1. pract. medic. cap. 25.* ut ne distentionem, ac phlegmonem inferat inclusa sanies; quam ob causam interiisse sutorem in Pithio quidam soleas veteramentarios suens, pupugit se ipse supra genu in femur & ferro longum digitum immerso nullo effuso sanguine, ac vulnere in totum clauso narrat *Hippocr. l. 5. epid. num. 19.* & contra sanatus est, qui oculo percusso secundum palpebram cum acus alte penetrasset genu extumescente sectâ palpebrâ fuit *ut eod. 5. epid. n. 21.* in quem locum *Franc. Vallesius* erudite scripsit hæc, puncturæ profundæ nulla ratione melius curantur quam discissâ parte, ut pro punctura longum ulcus patensque fiat, porro in vulneribus recentibus nil magis est ex usu, quam ut sanguis effluat, *ut lib. de ulcerib. Hippocr.* Hæc quidem secundū dogmatum antiquorum rationem, enarravimus. Quamquam in nostra traumatica secundum novam chymicamque medicamentorum applicationem aliam & compendiosam rationem approbaverimus.

Convenit etiam hæc ampliatio vulneribus venenatis, sive per tela & inanima omnia toxico oblita, sive per feras omnes, quæ veneni vim habent, quarum Cornelius in vulnere canis rabiosi scarificatus beneficium accurate proposuit in lib. 2. cap. 27. & hunc sequutus Ioannes Bapt. Codronchius in 2. de hydrophobia. cap. 8. vel sequutus Galenum, qui l. de theriaca ad Pison. cap. 16. vulnus à morsu rabidi canis ampliandum præcepit.

CAP. XXXII.

De Lagophthalmo.

Contractâ per abscessum, ulcus, vulnus, suturam, aut quamcunque distentionem palpebrâ præcipuè superiore dormiunt apertis oculis aliqui, velut lepores, à quorum similitudine dictum est vitium græcè lagophthalmos, leporina passio *Constantino Africano l. chirur. cap. 24. & priori Isaaco Israëlita lib. 9. practicæ cap. 25.* Quod cum se medendum offert, huius chirurgicam curationem edocuit *Cornelius Celsus lib. 7. cap. 7. Paulus Aeginet a l. 7. c. 10. Aetius ser. 11. c. 73. & Ambr. Paræus l. 16. cap. 6.* Alia mihi omnino comperta est per

Galenus *Vidius.* *Celsus.* *Ioannes Baptista Codronchius.* *Lagophthalmus unde nomen.* *Ambr. Paræus.* *Celsus.* *Paulus* *Aetius.*

Nostra curandi ratio. est per alarem in se reductam laminam ferream, cuius administrandam rationem in *chirurgia inermi cap. de abstructu atque reductu dissitarum partium* ostendi. Quod si cicatricis vitio factum sit, ut retracta semel palpebra pro naturæ modo connivere nequeat, en præsto est Rulandus expertissimus chirurgus, *Rulandus.* qui rationem restituendæ palpebræ tradidit in hanc fere sententiam locutus *lib. 1. cap. 6.* cicatricis callo transversim ad faciem præciso plumbea lamella quatuor foraminibus pervia pro modo impedientis vitii ampla cum palpebra vitiosa consuatur, turundula palpebræ vacuo interiiciatur & vinculis accommodatis pellicula ad superiora comprimatur post 9. aut 11. dies lamella resoluta curabitur, ut moris vulgati est, vulnus. Sed illud ad extremum admonet, ut præparatis quaternis acubus ducentibus in capulo lina singulis per foramina laminæ, quæ secundum supercilium procedunt, traiectis cum fasciola connectanda sint extrema fila atque idem ex adverso in altera palpebra faciendum est.

CAPUT XXXIII.

De Ectropio.

Celsus. ECtropium *describente Celso in lib. 6. cap. 6.* vitium est palpebræ, sive superioris, quæ parum descendit ideoque oculum non contegit, sive inferioris, quæ parum sursum attollitur, sed pendet & hiat, neque potest cum superiore committi; fit autem utrumque & affectuum interiorum vitio & cicatrice: id quod non est sine defectu palpebræ, quæ si nimium deest, inquit Cornelius, nulla id restituere curatio potest. Ita quidem ille. Veruntamen ego comperi eversam è curato carbunculo palpebram ita, ut inferior omnis oculi sinus pateret plurimum emendatam concisione circuli deglabratæ palpebræ. *Historia.* Atque illud inquam ad unguem evenit fratri vocato Salvatori Puteolano Capucino, qui desperatam iam per chirurgos nostros omnes oculi concinnitatem nostrâ eiusmodi concisione propemodum integrè recuperavit.

CAP. XXXIV.

De coalitis totis naturâ palpebris.

PAlpebras naturâ coalitas promptum est scalpello dividere, si solum id caveatur, ne subtus oculi convulnerentur. Quæ res ne quando eveniat, omnibus modis, cum insecantur palpebræ, sunt attrahendæ. At hoc ligneæ forsiculæ vel instrumenti ad lagophthalmum producti usus commodus erit, si paulo citerius quam facienda sectio fit, adhibeatur: vel si hæc non placent, pittacia, qualia plagis recentibus adducendis accommodari consueverunt, glutine oblita huic atque illi palpebræ imposita, postquam arefacta materia inhæserit firmiter sic sursum versus utramque attrahat, ut facile sit absque oculi noxa discindere suspensa manu.

CAPUT XXXV.

De commissis ad angulos inter se palpebris & cum oculi tunica.

DEpravata fit sæpe visionis functio, quod palpebræ oculorum tegmenta, quæ reduci atq; adduci naturâ debent, coalitæ sunt vel ipsæ invicem vel cum oculi agnata tunica vel cornea: qui coalitus certè vel facultatis malè conformantis vel ulceris prægressi vitio factus est; palpebræ inter se cohærentes, inquit *Celsus in lib. 7. cap. 7.* non difficulter diducuntur, sed interdum frustra: nam rursus glutinantur experiri tamen oportet, quia bene sæpius cedit. Maior difficultas est in persanando oculi coalitu, atque hæc quidem non tam dissecanda est: distentâ quippe per cæcum hamulum palpebrâ submissoque specilli extremo persalcatum scalprum æquè inter palpebram & oculum exolui carnem licebit, negotii labor est in obtinendo, ne rursus colescant exectæ particulæ: cuius rei superandæ, fiduciam vanam expertum vel eruditissimum megetem auctor est Celsus, *Celsus.* qui ex hoc restitutum neminem se vidisse refert. Verum, quod ad nos spectat, cum de impossibilium genere non sit istiusmodi aliquid; tentanda omnis est via, atque improbè super ea renitendum: succedet aliquando fortasse votum: equidem opinor si sublata superior, demissa inferior palpebra, sic aliquandiu contineantur, vel suppositis speniis iniectu fasciarum vel harum cum palpebris agglutinatu etiam atq; etiam fieri posse, ut restituatur ex ea re quispiam. Cæterum hanc Chirurgiam sic instituendam ac conficiendam præcipit *Isaacus lib. 9. pract. cap. 27. & Constantinus Africanus* Instrumento ferreo inter palpebram & oculum misso unco, apprehensa elevetur pars coalita & tunicis oculi vitatis, causa coniunctionis abscindatur. Hoc facto cyminum & sal commansa in oculos conspuamus & inter oculum & palpebram panno veteri posito pannus ovi vitello inductus superligetur & die 3. resoluta pars albo collyrio procuretur.

CAP. XXXVI.

De conniventibus, paralysis vitio, palpebris.

AFfectis paralysi superciliis & horum musculis iners est palpebra superior sic, ut & nil agitetur & cum inferiore conniveat perpetuo, difficillimum curatu vitium & quod pars ista exili calore participet & quod nervos, venas, arterias admodum constrictas habeat, tum internæ partis refrigeratu, tum potissimum externæ. Huic igitur vitio cum dropaces aut emplastra trahentia ex castoreo euphorbioque aut linimenta, quæ paralysi medendæ sunt ex usu nihil profecerint: tum chirurgia statuitur quæ confectione succurrat. Inducenda, inquam, est plaga oblique ab angulo minore ad maiorem: nimirum facto aliquo detrimento cutis contrahitur, è superioribus palpebra, veruntamen scire licet futurum, ut oculus homini perpetus debeat hiulcus esse: sed satius est semper apertum, quam clausum habere. Ad hunc prope modum *Rondeletius lib. primo cur. morb. cap. 30.* *Rondel.*

CAP. XXXVII.

De amissa nasi figura & ad latus contorsione.

COntorquetur cartilago nasi & sic extuberat ab adversa parte, ut de polypo imponat multis: ni-

tis: nihilominus est conformationis & figuræ vitium, quale accidit Marco Antonio Montileoni germano fratri D. Placidi Terranovensi; quam quidem ego contranitente, nari declinanti, imposito quasi repagulo & fasciâ collectica *Hipp. l. 2. de artic. text. 47.* curare recepi; deinde vero fallentem & imbecillem rationem ex Galeno legens; chirurgiâ dissecandum tuberculum cartilagineum, & in secturam retorquendam arte nasum meditabar; cum significatam sententiam fratres non admisere.

CAP. XXXVIII.

De angulis oris ulcere coalitis.

FIt interdum ulceris aut gangrænæ vitio jam sanescente carneque jam emittente circum angulos oris, ut naturalis hæc incisura coalescat atque ita coangustet oris hiatum; ut manducatus & immissus emissusque rerum omnis commoditas præcludatur. Ergo si quid ejusmodi inciderit, nascitur in promptu consilium discindendi id, quod fieri potest tum quidem per scalprum acutum, tum etiam æneo argenteóve nūmo circa ambitum extenuato & aquâ forti dicta intincto: quod in cancro licere docuit *Hieron. Fabricius ab Aquapendente lib. de operat. chirurg.* Quâ confectâ scissurâ cavendum est præcipuo studio post aliquot dies, ne coalescat ulcus, novumque negotium facessat. Itaque interponenda lamella plumbea vivo argento perlita; quod unum inter omnia coalitum orarum prohibet, si Joanni Heurnio credimus: fotâque quotidie parte diluto adstringente ad obductum usque cicatricis est detinenda. Cum equidem medendi modum tenuisse memini in juvene quodam, qui ex Apulia ad me venerat è composito nativam oris integritatem quærens: quo voto, me, sicut dixi collaborante, ac Deo auspice, potitus est brevi.

CAPVT XXXIX.

De linguæ glandisque fræno, utroque naturæ functionibus incommodante.

SUccedit his immodicum linguæ frænum, quod eloquutionis officijs incommodans vitium nequaquam est sinendum, sed quotis finibus officit, dissoluendum. Veruntamen aut semper scalpro, sicut promiscuè fieri solet; periculo non declinato profusionis nimiæ sanguinis, sed filo serico duplici per acum traiecto ac strictè innodato quantum æger perferre queat; sic sines, ut pars indies filo adstrictori resecetur; aut ita contabescat ut facile sineque ullo sanguinis dispendio scalpro diffindi possit. Ita quidem *Ambr. Paræus l. 16. suorum operum c. 29.* quæ eadem curatio & cani glandis retinaculo curtiori convenire potest. Verum enimuero plerunque fit, ut lini longum adstrictum non ferant, impatiens genus hominum delicatulorum, fœminarum, puerorum, & eunuchorum; his quippe nil incommodius, quam longa dolorum tædia sustinere, satiusque videtur, interdum utcunque dummodo brevi rem absolvi. Tum igitur utendi scalpro fit necessitas. At vero ne dissectionis modo ulterior citeriorque sit; quàm statuisti; præsertim dum is, qui tractatur, se commovet: his occurrens feceris operę precium, si transsutis lini capitibus aliquantulum levâ manu distentis, sic denique discissum eius, quod impedit administres. Sanguinis vero cohibēdi modi sunt plurimi, quos in pharmacochirurgico & hoc etiam operis tomo proposui.

Adversio.

Illud nunc prætermitti nolim animadversione dignū, abusus ergo frequentissimi qui est is. Cum blæsi, trauli, vel sensu vocis utcunque minuti ducuntur à necessarijs de vitio corrigēdo sollicitis, & culpam organi commentis, continuò vulgariū opinio, vulgares nostros medicos possidet sic; ut de præscindendo nil dubitent; & verè præscindant. Enimvero neque causam agnoscunt aliam quàm conformationis malè suspicatam, non intemperaturæ humidioris non viarum & obstructus, non facultatis & imbecillitatis.

Adversio. 2.

Criminosius autem, judico, peccant obstetrices in quas nemo tamen hactenus advertit; quæ protinus natos infantes quotquot inciduni in manus indiscriminatim & vulgo nunc pollice nunc indice propulso sub linguam hujus retinaculum resolvunt, i.e. ut dicam verius dilacerant atque discerpunt. Rectius autem quàm nostræ urbanæ faciunt municipales & exteræ cunctæ, quæ nihil in hanc particulam attingunt; at neque tamen ita tractati pueri minimum elingues evadunt aut trauli, blęsive.

CAP. XL.

De Laryngotomia in suffocante angina.

NUlla crudelior mortis est ratio decūbentibus, quàm strangulante aliquo affectu perire; Quo mali horrore perculsi antiqui Romani Deam Angeronam, cujus numen miseris in hisce casibus implorarent, sibi ipsis constituêre. Quid autem odiosius, quàm plenis etiamnum & integris spiritalium viscerum; officijs, spiritus ipsius usus acerbâ quâdam sorte præoccupato, destitui: veluti nil deficiente vel oleo vel elychnio lumen imposito præfocabulo interstingui, manentibus jam in tenebris, quæ vividâ luce gaudebant. Deinde quid truculentius, quam tantam inferri vim, ut neque tenuissima res aër, qui liberrimè per omnia transcurrit, inhibeatur, quo minus spirabile fomentum exhibeat præcordijs; cordi, inquam, & pulmonibus, qui hauriendis in cassum auris vitalibus remigio alarum sollicito efflictim emicant & diverberantur, distento sic omni thorace, ut jamjam dirumpatur & crepet? Miserrimum igitur fatiscat uno temporis momento, lassa spiritali labore vita, sola aëris fistula, præclusâ, velut injectis à morbo manibus, nec possis succurrere. Ab immedicabili igitur tumefactu viarum & abscessu dum ita obstruitur, tracheiæ janua, vtneque per hanc spiritus, neque per œsophagum, qua transmeare, queat, certo & necessario impendente in horas strangulatu; tum haud fortunæ solius arbitrio, committenda salus est, relinquendusq; sine remedio languens: quin vero lapis omnis est movendus, extundendaque sub misera necessitate ratio aliqua est atq; ars qua

præripi tam immani jugulationi possit homo; veluti si de suspendioso laqueo non expectato humanitus beneficio, abstraheretur quispiam. Divinum quod, inquam, eiusmodi commentum una est laryngotomia, sectio sub capite laryngis ad intercapedinem bronchiarum, ad usque spiritus cavitatem, facta, de qua re peragenda primus tradidit, *autor Isagogici libelli cap. 18. Antylus antiquissimus gravissimusque autor, Paulus Aegineta lib. 6. cap. 33. Azarau. l. pract. tr. 11. cap. 9. Avicenna lib. 3. fen. 9. tr. 1. cap. 11. Albuc. chirur. lib. 2. cap. 43. Isaac. l. 9. pract. cap. 44. & Constantinus Aphricanus libelli de chirurgia, cap. 39. & Michael Savanorola tr. 6. cap. 9. rubr. 6. pract. lib. 1. F.* cumulatissimè vero omnium, *Conciliator differ. 188. pariterque Herc. Saxonia, Iulius Casserius, G. Placentinus, in lib. de voce.* A quo viro dissecandi locum, instrumenta & omnem chirurgiæ rationem repetas velim, nos, quod maxime facere debemus, est, ut extremis casibus pessimè detractatorum hominum, quod non expectant ab adiutrice medicina subsidium afferamus.

Auctor Isagogici. Antylus. Paulus Æginetæ. Albucasis. Isaac Constant. Savanorola. Herc. Saxonia. Iulius Casserius. Gul. Placentinus.

Neque enim illud ita sævum & insolens videri debet, ut cum vis ineluctabilis urget, amplexandum ex animo non sit, idem Iugularium venarum sectionem, arteriotomiam, cyrsotomiam, penetrantem in pectus ustionem, Hypospathismum, periscyphismum, paracentesin, celotomiã, dydimotomiã, nephrotomiam, Cesareã sectionẽ, lithotomiam, si ferre homines possunt, possuntq; quadragenarium agglutinandæ naris curtæ supplicium sustinere: quorum plurimorum remedium intermitti differrique, in meliorem spem potest: Quid quæso laryngotomiam duorum bronchiorum synchondrosi coniunctorum & cutis tenuissimæ decisionem non admittant? Insusitata plus & incelebris est hæc sectio, quam crudelis & potius quidem ignaviâ medicorum quam ægrorum intolerantiâ, exoleta. Periculosam dicunt; sed quale nam maius quæso periculum, quam suffocatus? præsertim si è laxata prima colli vertebra sit angina, quam humanitus nulla ratione superabilẽ aut curabilẽ enunciavit, *Hipp. l. 2. de morbis & Avenzoar. l. 3. p. tract. 3. c. 3.*

A maiori ad minus.

Ad instantiam de discrimine vitæ.

Sed nihilominus in diffidendo firmus, dices ad huc illud est languentem citius, in expiratum impellere, non servare. Sed vidisse debes non adeo discriminosum fecisse veteres & Albucasis inimicâ manu vulneratam sub ea parte ancillam sanatam refert. E nostris verò *Laurentius Ioubertus, l. de thorac. affect. cap. 1.* sanatam eiusdem loci plagam ingentem ait: *& Ludovicus Duretus, in Scholio ad Hollerium cap. de angina* retulit iussisse sibi gurgulionis quendam anginosum finem insecari, absente medico, cum eo tumore suffocaretur, servatumque ea ratione fuisse. Alios item ea parte percussos homines servatos, à se refert *Petrus Pigræus, lib. 4. chirur. cap. 12.* & huius contribulis, *Ambr. Paraus ex professo testatur, lib. 9. cap. 29.* tres homines dire vulneratos ex trachea sua medentis manu restitutos. Quas ob causas ad necessariam arteriæ præcisionem libens & ipse venit *lib. 7. cap. 6.* Idem etiam compluribus evenisse prosperè testificantur. *Gul. Placentinus Chir. lib. 2.* & sua se manu chirurgiam hanc exegisse professus *Hieronymus Brasavolus in Hippocratis opus de ratione victus, in acutis. comm. 4. sect. 35.* Neque ab hac opinione discessit *Desiderius Iacotius, comm. ad aph. 16. lib. 1. sect. 3. coacarum prænot. Hippocratis nec Ioan. Agricola, lib. 2. medic. herbariæ.* Ad hos autem *Leon. Ioachimus com. ad lib. 9. Rasis,* conceptis verbis testatus est, chirurgiam hanc citra periculum obiri: malum enim vel resolvitur prorsus, aut ad suppurationem venit & liberatur homo. *Sed Rodericus quoque Fonseca cons. 22. tr. 1.* meminit cuiusdam, qui in carcere laminâ quâdam ferreâ dissecuit sibi magnam partem annulorum asperæ arteriæ & sanatus est: Similem ad unguem eventum *Io. Schenckius obser. med. l. 3. tit. de gula* narravit de quodam homine qui carceribus detentus sibimet ipsi guttur, qua parte tracheiam arteriã spectat ferro vulneravit, digitoq; vulnus tãto opere ampliavit, ut per ipsum alimẽta & medicamẽta ad os usq; transmitterentur: sanatus tamen hic est paucis diebus.

Historia. Albucasis. Laurent. Iubertus. Lud. Duretus. Guilelmus Placent.

Hier. Brasavolus. Desid. Iacotius. Io. Agricola. Leon. Ioachimus.

Post quos omnes autores & ego testificari possum rem totam urbe pervulgatam: Joannes Petrus Jacynthus, familiaris commendatoris fratris prænominati Julii de Falco, cum ab improbo tonsore barbam deradente auri spe fameque sacra iugulatus & secundum tracheiam confossus esset, nullius hominis fuit spes aut opinio ut evadere posset; nihilominus servatus est & paria patrati à sicario flagitii & saluti suæ argumenta prompta exhibet: Inquirentibus, *abs re igitur Paulus, Avenzoar, Albucasis recitatis locis, item Avicenna lib. 6. 3. fen. 3. tr. 1. cap. 11. quem sequitur Michael Savanorola tr. 6. cap. 9. rubr. 5. Razis 3. continentis, Hali 3. pract. 38. Alsaravius tract. 11. cap. 3. Nicolaus Florentinus, tract. 3. sum. 2. serm. 7. cap. 29. Gabriel Zerbus, in anat. & Alex. Bened. lib. 8. de morb. cur. cap. 22. Io. Hollerius l. cap. 21. Scholio & Vidus Florentinus lib. 4. chirur. c. 6. Io. Riolanus l. 3. rei anat. cap. 4. & Iac. Fontanus lib. 11. pract. cap. 11.* peragendam hanc Chirurgiam indubie confirmasse videntur. Sed Albucasis, inter omnes maxime, qui quasi perorans postremo dixit; hinc ergo dico, quod in sectione laryngis non est metus, excipe autem, nisi sub pulmonis plenitudinem, quod advertit *A. Cæsalpinus lib. 2. quæst. medic. 17.* qui viritem in *l. artis medic. c. 3.* conceptis verbis scripsit; gutture penitus resecto vivere posse hominem, licet sine voce. Has ob res falsus cognoscitur, Aretæus, qui & vulnus in cartilagine causabatur inglutinabile & propter inflammationem incurabile, cuius viri rationibus posterius occurretur; interim necessarias ad versiones & observationes recensebimus, quę sunt hæ. Prima, ut agprediendum confidendumque huic chirurgiæ sit constantibus ægri viribus, solaque strangulatione perituri. Secunda, ut ne suppurata vel cruda etiamnum materia, bronchia & arteriæ omnes cum pulmonibus, infarctæ sint; ut dicit *Hipp. 5. aphor. 10.* ex angina in pulmonem affectio, transmigrarit; præterea consule *Iub. in adnot. Guidonianis tract. de apost. n. 99. 28.* facienda est sectio ad quantitatem foraminis naris vel paulo minor, atque ita, ut cutis vulnus tracheiæ vulneri, nõ respondeat, sed ad eum modum, quo fieri cõsueverit paracentesis, hydropicorum: Aliter

Hist. Ann.

In sect. laryng. non est metus. Aretæus. Observationes in aggred. duæ. Hipp.

ter quàm hic vir habet *Iul. Casserius de forma sectionis*, credo equidem ex *Avenzoare atq; Aetio l. 6. c. 33.* decrevit *Andreas Cæsalpinus, in Art. medic. loco, ubi præcidendum statuit tracheiam* ut portio excidatur, magnitudine lupini. Deniq; procurandus æger sit conclavi calido, quo commoderatus aër, quantum fieri potest, poros & vulnus in thoracis penetralia deducatur. Hâc, & providenti cæterâ curatione servatâ & suffocatoria tussis & inflammationis, pericula cavebuntur, quæ duo maximè verebatur Aretæus: Contra quem virum disputavit & *Iulius Guastavinus Professor clarißimus Pisanus, l. locorũ medic. select. c. 16.* negat enim è præsectura phlegmonem auctã iri, quando per effusum ex affecta proxima parte sanguinẽ inflammationis materiam locus adeo nõ restet fervori. Quod si augeatur, etiam dolore vel plagâ, præstat vel cũ incremento caliditatis incluso aditũ spiritui patefacere, alioquin præpropera imminente morte cum caliditatem incolumi vitâ aliis deinde ingeniis provideri possit. At neq; strangulatus aut tussis incrementũ maius initurus est, inquit, ubi spiritus recurrere liber sit. Hæc atq; alia de laringotomia asserenda, quæ recitare non licet omnia, Guastavinus. His adde quæ *Vidius Florentinus operis de curat. membratim l. 8. c. 5. & Hier. Fabricius, l. citato*, à quo viro pleraq; de administrata re tradita velim legas. Post hos omnes ante memoratos auctores novissime *Petrus Vascus Lusitanus, scriptor apprime Theoreticus, exercit. medicar. ad effectus Thoracis tract. proprio c. 7. diffic. 9.* ad anginã post productas utrasq; laringotomię & facientes & adversantes rationes tandem ad id sententiæ venit; primum suspectum sibi præsidiũ hoc esse propterea, quod Hippocrati Galenoque nusquam locorum memorata, deinde quod ad extremũ facienda sectio est, quo tempore vim inferri collapsis viribus necesse est. Verum quod ad hoc obiectum pertinet, respondere licet; si rem faciendam approbamus, medicum & exitus extremi providentissimũ & opportunitatis amplectẽdæ perspicacẽ esse debere; sed quod ad priorem partem, si deficiente maiorum autoritate retrahimur; quid inquã ego, si viris antiquis incomperta solere hæc chirurgia fuit? quanquam verò Galenum negat hic vir laryngotomiæ meminisse; at non legit, introductorio comm. scriptum c. 16. Asclepiadem in iis qui extremè suffocantur, laryngotomia uti suetum. Hipp. igitur solus non meminit, at quid cum meminire atq; approbavêre tot omnes? Certe si mẽtem abjecimus magnopere delinquim⁹ rem à tot omnibus approbatam, & doctam, suasam non recipere & miseris, cùm licet, ægrotantibus, opportunè non succurrere.

CAP. XLI.
De papillis deficientibus.

PRoli quidem novellæ, in vitam asserendæ, tam necessariæ sunt papillę, ut accuratã his procreandis naturæ providentiã & excogitatam satis admirari non liceat. inter multa, quæ mammarum complectitur opificium. Porro si sanguinis uberrimus sit fons, si lac inde bellè conficiatur, si ubera abunde turgeant, capitulum vero quod comprimentibus labellis exugat puer, si casus vel naturæ vitio nõ extet: nullus est præparatæ materiæ conquisitus usus. Præter autem fætus incommoda, & matris sunt nõ nulla, quippe sanguine plenè semper affluente & conculcato lacteq; quod ex hoc fit, coagulato, suppuratio & abscessus sequitur, & inde febris & noxæ aliæ. Sed quando hæc bene cedant, deformitatem dissimulare fęminæ non possunt, quæ à mutilis mammis, quem admodum à trunco naso resultat. Quapropter quod naturæ deficit reparare ac restituire debet adæquator corporis partium chirurgus; in quam rem cõsentire mulier nõ iniquè debet; nil dolorem aut scalpellum exhorrens, ut sibi natoq; consulat. Ferrũ autem haud citra cutem adigitur: unde & levis molestia manet, & cito finitura. Porro si viri indecoram magnitudinem, quę semper contegitur & ad quos formæ cura non attinet, tamen supplicium excisionis cutisq; extensionis longe crudelissimum ferunt, quid ni & mulieres, cùm usus & pulchritudo, ex una re manent, non sustineant? sed impar virorum sit exemplum. Amazonas fœminas sibimet ob oculos ponat, quæ & sibi ipsis mammas radicitus viriliter amputabãt, amputatasq; identidem inurebant. Sed de animandis fæminis satis: nos de re nostra pergamus dicere. Rationẽ papillæ deficientis restituendæ nemo præter unum Fallopium nobis tradidit, cuius quidem hominis commenta per nos alibi relata, cum imbecilla plurimum & deficientia comperiantur, ne alienum quidẽ & maxime consentaneum rationi fuerit, si hæc tententur. Hos igitur, quantum in re nova datur, rationem aliquam excogitabimus. Erit autem hæc similis Analogismo quodam ei curationi, quam Celsus ad tegendam colis nudam glandem exposuit: cuius nos locum paulo posterius recitabimus.

E deficientibus papillis matris feta incommoda.

Persuasio fœminis.

Fallopius.

CAPVT XLII.
De Exomphalo.

EXomphali omnes, quibus umbilicus extuberat appellantur, differentiã triplici comprehensi. Quidam enim pneumatomphali, quasi qui spiritum sub umbilico collegerint: Alii enteromphali, quibus intestina ad umbilicum procedunt: Reliqui hydromphali, qui aquã sub umbilico gestant. Omnes hi manu sanantur lino duplici per acum immisso & umbilico circumstricto. Ita *Gal. Isag. c. 18. & Albuc. l. 2. c. 52. sed Ambr. Parai consilio*, ut recte res administretur homini, qui tractatur, supino jacenti omentum & intestina digitis ad superiora repelluntur tum acus funiculum tortũ & firmiorem ducens transadigitur; ab his circuminciditur cutis, quo possit certius agglutinari. Ad hęc ter quaterve pro ratione tumentis partis acus trãsfigitur, & adversa parte filo revoluto cutis cõstringitur, ut tandẽ una cum vinculis excidat, vel si maturare rem homo velit stupefactã amputat, & cicatrice vulnus adducit. Resecturę per scalprũ rationem hac instituit *Isaacus l. 9. pract. c. 47.* Homini supino repressis omento & intestinis, dimidioq; exomphalo per filũ constricto resectio fiat, quę digitis capi queat, compressisq; rursus per digitos exultantibus intestinis, vulneris oræ sutura colligantur. Aliquanto autem aliter ordinandum rem tradidit *Petrus Pigræus in l. 2. chirurg. cap. 36.* cuius ea est sententia, paratis duabus aciculis oblongis filum firmum ducentibus homini supino

Galenus. Ambr. Paræus.

no collocato atq; intestino ad interiora compresso atque umbilici parte, quæ extumescit, manu lævâ prehensâ acu una transfixa atque educta filum transverso tuberi strictè obligabis, mox acu alterâ transutâ decussatim, sic, ut ex adverso constrictarum aciarum figura se habeat. Aciam utramque in dies astringes, usque dum caro dissecetur, hæc enim dum fit, interim cōtabescit concisa cutis. Ita quidem execando curatur, exomphalum cæterum, & ustione coëquari scripsit *Alsaravius tract.26.c.27.*

CAP. XLIII.

De transversis in primarium canalem fistulis.

Hypospadiæ qui.

HYpospadiæ sunt, qui jam inde à generatione urinę iter inferius sub glandis vinculo habēt, curantur autem summa glande perforata & canaliculo immisto, *Ita Galen. Isagog. c.18.* sed nos iis, qui per ulcus terebrata sub glandē carne se commingunt, naturalis orificii usu pręoccupato: immisso per utrosque forulos stylo, carnem, quæ interjacet syringotomo discindimus, id quod profecto fecit in Patre Horatio Bononiensi religioso viro, è D. Mariæ omni bonæ servarum servo in sacris ædibus Neapoli atque etiam Vincentio Petrosino pileorum tinctori Neapolitano.

Galenus.

Historia. 1626.

CAPUT XLIV.

De Lypodermo.

LYpodermus auctore Gal. l. definitionū med. dictus est translato ad morbum nomine defectus tegentis glandem pelliculæ adeò, ut distrahi nō amplius queat. Hæc ut reparari restituiq; possit, tradidēre *Gal.14. meth.c.16. Paulus l. 6. c. 53. & Celsus l.7. cap. 25.* cuius postumi autoris hæc ipsa sunt verba. Cutis circa glandem apprehenditur atq; extenditur, donec illam ipsam condat, ibiq; deligatur. Deinde juxta pubem in orbem tergus inciditur, donec coles nudetur, magnâq; cura cavetur, ne vel urinæ iter, vel venæ, quæ ibi sunt incidantur. Eo facto, cutis ad vinculum inclinatur nudaturq; circa pubem, velut circulus, eoque linamenta dantur, ut caro increscat & id impleat, satisq; velamenti supra latitudo plagæ præstat, sed donec cicatrix fit, vinctum esse id debet in medio tantum relicto exiguo urinæ itinere. At in eo, qui circumcisus est, sub circulo glandis scalpello diducenda cutis ab interiore cole est, non ita dolet, quia summo soluto deduci deorsum usque ad pubem manu potest. Neque ideo sanguis profluit. Resoluta autem cutis rursus extenditur, ultra glandem.

Galenus. Paulus. Celsus.

Hanc Celsi chirurgiam explosit *Hieron. Fabritius l. operat. chir. c. isto.* velut inutilem & minimè necessariam eo proposito, quod ad decorem duntaxat spectat curatio, nec morbū aliquā parte respicit: quæ quidem hominis assertio falsa est & anatomico indigna, qui meminisse debuerat naturam opificem rerum dignarum summa arte excogitasse, præputium non ad operimentum glandis solum & ornamentū, sed & ad venereę delectationis & inde etiam ad procreationis fructus, ut perspicax advertit *Fallopius in l. de decoratione c. 9.* quam ob rem neque hoc carere mulieres testatus est *Galen. 2. de sem. c.3.* Has igitur ob causas fit, ut neque inutilis neq; sæva debeat hęc apparere chirurgia, sicut argumentator Hieronymus censuit, sed jure utilem & usu restituendæ deficientis naturalis particulæ necessariam.

Hier. Fabricius.

Contra eundem.

Fallopius.

CAP. XLV.

De phymosi ac paraphymosi, tum in viris tum in mulieribus.

PEnis glans sæpe vel sarcomate tuberculisvé intra ipsam præsertim venerea sub contage succretis, vel cōstricto per cicatricem & callum præputio, sic occulitur ut omni vi facta nudavi nequeat (hanc mutuato à Græcis vocabulo phymosin, dicimus) vel retracto quandoq; isto, tum propter suum circularem callū, tum, quòd glans inflammatione correpta, distenta, est eadem: hæc, si tegumento non gaudet suo, paraphymosis à nobis vocari similiter concedetur. Utrumq; vitium sic emendabimus, in priore casu tum *Cornelii Celsi l.7. rei medicæ c.25.§.2.* tum *Iulij Cæsaris Arantii, l. de tumor.* tum *Ambrosii Paræi, Petri Pigræi, Herc. Saxoniæ* præcepto præputium sic dividimus, ut & sursum deorsumq; recurrere cutis possit & omnis circum noxa curari; hac dissectione facta, sæpe nos in nosocomio glandē exesam, aut thymis teterrimis luxuriantem reperimus; quibus haud licuisset ulla ratione medicamētis occurri, id quod medicos alios ad sectionē minime animatos, spectare fecimus. In id autem adeo concordarunt medici prudentes ut historias eius chirurgiæ non nullas referat *Io. Schenckius.* Cæterum illud curæ debet esse *autore Pigræo*, ut si subsit in glande ulcus, qua parte id est, scalper, qui scolo pomachærion esto; supinus adigatur & attracta ad pecten hominis cute retrahatur; quippe ea re non provisa, longior quàm oporteret, cutis fieret dissectio. Alterum est curandum, ut quotidie retracta contineatur cutis, & cavēda inflammatio ne extumescens pars fluxione rursus præputiū concludatur.

Quid phymosis.

Iulii C. Arantii. Ambrosii Paræi. Petri Pigræi. Herc. S.

Observ.

Jam vero si (quod caput est alterum) callosum præputium extremū circum vallantium vitio fiat, ut detegi glans nequeat, consilium est *Galeni in libro introductorii c.18. & Gabrielis item Fallopii libro de morbo gallico c. 87.* ut summa pellicula quantum licet retracta, calli qui in conspectu prodierit scalpello, per summa vel transversim rescindatur, vel quod *Io. Heucherius l.1. de sterilit.* voluit, distenta eadem hamulis scalpelli subtus admissi acie, tribus aut 4. pari spatio distantibus, inter se vulnusculis diffidatur; Utraq; nos ratione quàm plurimos in nosocomio incurabilium crebrâ sæpe occasione curavimus. Verumenimvero longè præstantior est præcisus quàm concisus, propterea, quod hic tumorem inferre solet eiusmodi, qui glandem & ulcera medenda præcludat. Pandit verò cuncta præsectus, si justam solum & competentem præputii portionem exciderit. Docebo autem rationem qua feliciter & ad votum accommodatè fiat opera. Contrectatā atque æstimatā extrema glandis particula, præputium, quod hanc superat deligandum est arcte victula serica, vel canabino inter crassum & tenuem medio funiculo; secundum quem æquè ductum acuto scalpro dextera dissecabis extensam cutem, quam leva præhenderis. Verum, ut liberior sit amputatus, neque vinculum errando consecari possit; consultum est mea quidem observatione

De callo præputium obsidente.

vatione ac judicio, ut ænea vel argentea virgula sit, quam intorquere debeas, licebit autem & ferream comparare, quâ per fibulam affabrè factam vinctura vinciatur. Habes jam rectissimam operæ administrationem: Cæterum si Hypersarcoma, (aliàs carnis excessus) quod malè curatis neq; satis exiccatis ulceribus, præsertim venereis præputii glandisque expullulaverit, præputium pariter extensum adacto scalpello, densisq; & crebris incisionibus elidendum extirpandumque est; ita tamen, ut deinceps laminæ plumbeæ canaliculo; qui charta sit, obvolutus, iniecto, glans & præputium à mutuo coalitu prohibeantur. Ita *Ioh. Hucherius l. 1. de steril. c. isto.* Atq; hæc satis de conclusa præter naturam glande cæterum de alia præter naturâ reclusa, ita statuimus; præputio, quod ad contegendum non relabitur, circa coronam complicatum transversim esse ulcus, plerumque, quod zonæ modo hostile subtus eandem coronâ circumplectitur. Huius exesæ ac plurimum excavatæ cuti multas circum incisuras facere oportet, aut forficibus sectis ad incidendum accommodatos transversim rescindere. Ad hunc modũ & paulatim recurrere ulcus & deinceps obduci poterit. Hanc ego curationem in multis nosocomii nostri hominibus & in Horatio Terentino Tarentico & in Jo. Andrea Malarbino Calabro Locrensi & in Francisco Aquivivo adolescente Neapolitano 18. annum nato felicẽ usu comperimus, quæ consectio præter reducendæ cutis naturalem utilitatem, ad medicatũ etiam ulceris, & ad curationem tutam ac rectam est necessaria: Verum illud evenire solet postremo, ut obducto jã ulcere propter callosum semicirculum, ad tegendam glandẽ cutis extendi minimè possit, vitiumq; relinquitur haud fermè sanabile. Quod ipsum tamẽ excutiendũ curabis, & calidis fomentis & adipeis ceromatis & hygremplastis, qualia multa nos in pharmaco-chirurgico c. de mollientibus exposuimus.

Hactenus hæc in viris, at in mulieribus; uteri sive cervicis sive sinus, ex obtensâ membrana phymosin curare docuit *Io. Hucherius, l. 2. de steril. c. isto.* ad hunc modum. Membrana in cervicis hostiolo impactâ volsellâ protrahatur, inflectatur, penitusq; tota circumcidatur, Eadem est membranæ in sinu cervicis per dioptram exploratæ & volsellâ apprehensæ præcisio.

CAPVT XLVI.

De Hymene.

HYmenen exterioris fœmineȩi pudendi membranulam, claustrum ne sit uteri naturale vel prȩter naturȩ leges coalitum sepimentum pleriq; medici nobiles disceptavêre req; vel anatomicis haud dum etiam de finitâ eo disputatiō perducta est, ut adhuc sub judice lis sit. Verumtamen consensêre plurima pars, illudq; acriter ostendit *Horatius Augenius in epist.* illegitimam & inconstantẽ hanc membranam esse, cuius & nos sententiæ fuimus. In quam rem & in necessariam alienæ rei chirurgiam, quam nos in præsenti tradimus, extant historiæ memorabiles à *Io. Schenckio l. medic. observ. 5. relatæ*: inter cæteras verò, cuius & *Ambr. Paræus l. 23. c. 43. meminit est hæc*; Refert *Io. Vierus l. 38. lib. de præstig. Dæmonum*: Camburgi virginẽ extitisse, cui obtensâ media in uteri cervice membranâ densa & valida prohibebat, ne menses, cum primum erumpere cœperunt, foras prorumperent, ex eo contigisse, ut suppressâ & refluâ menstrualis materiâ, ingentem in ventre tumorem & tensionem faceret, cum dolorum cruciatu quasi ipsa parturiret: vocatæ obstetrices his, quæ fiebant & apparebãt animadversis, ipsam partus dolores pati unâ voce affirmabant, & si ipsa cõstanter assereret, nunquam sibi rem cum viro fuisse. Se igitur tum vocatum, qui consilii remediiq; inopibus obstetricibus, misellæ illi virgunculæ extremâ tres jam integras septimanas cũ urinæ suppressione, jugibus vigiliis & doloribus, anorexiâ, & fastidio petienti, succurreret: Animadversâ è vestigio parte patiente, visum sibi cervicis uteri orificium, densæ membranæ obiectu obstructũ, atq; repentina sanguinis in uterum uterique vasa, irruptione exitu materiebus denegato, tumorem illum dolorificum exortum. Ea de causa advocato ex tempore Chirurgo, edixisse, ut mediam membranam, quæ currenti sanguini obstruebat, divideret, quo facto sanguinis cõcreti nigri jamq; putrescentis ad octo libras dimanasse; triduoq; post omnis morbi omnisq; doloris expertem virginem evasisse. Id exemplum hic proponendum duximus, quia & notatu jucundum, & utile ad imitandum esse putavimus.

CAPVT XLVII.

De Imperforatis.

HI quibus nullus meatus est ano vel glandi *ἄτρητοι* græcè, imperforati eâ, qua licet, voce dicentur à nobis latinè: Vitium quidem, naturæ perperam formantis, culpâ contingens; ex ulcere vero improvida medentium cu. atione coalito cũ statuit *Paulus l. 6. c. 81.* impossibilem ex alieno eventu clausuram inficiatur *Hieron. Aquapendens*, & quod, neque hoc permittit crebra fæcum eductio: & perpetua superfluitatum alluvies. Omnibus autẽ modis difficilis est ani soliditas, quæ naturæ vitiatâ formatione producta est. Quod deficientis meatus, vitiũ demoliendum præceperunt Paulus & Albucasis discissu per acutum scalprum, ignito ferramento recludendum censet *Hieron. Mercurialis, in l. p. de cur. morb. puer. c. 9.* sed rotundum cauterem requirit tum ani quidem formam naturalem sequens, tum vero maximè providens, ut ulcus difficile aliàs, coalescat. Interim autem tubulus è plumbea lamina commodis medicamentis delinitus paretur, ano congruus, dum cicatrix inducta sit ulceri; quȩ ratio curandi & glandi communis à Mercuriali proponitur & verè est: verum in fœminæ vulvæ conclusa solâ dissectione decussatim factâ contentus fuit Gasparus Wolffius, Vierus, & Dryander observat. à Schenckio proditis. Quæ dissectio, si præfertur, propositum est, *ab Hieron. Mercuriali lib. de morb. muliebr. 4. c. 14.* ut fistula plumbea vel stannea medicamento ampreprimente illita immittatur; in dies autem amplior paretur, quibus denique justus hiatus restet.

Contra Paulum Aquapendens.

CAPVT XLVIII.

De fistulis ani.

MUltas quidem sanandis ani fistulis chirurgias descriptas nobis reliquit M. Hippocrates sed quam nos experti sumus dexteram rationem, illa excisio, quam administrare soleo

cum

Exscindendæ fistulæ sedis administratio.

cum intestinum rectum ad ani margines ita pertusit fistula, ut paulò plus minusve, quàm duos digitorum transversorum in altum exporrigatur specillum extremum per foramen plumbeum transmitto, quantum pertransire potest recurvatum. Tum huius intra intestini cavitatē illapsum volsellā vel forcipe comprehendo atq; extraho, cumq; alteri extremo filum obtortum firmè innodatum sit, deorsum traho, donec egresso stylo subierit fistulam funiculus: hoc per ambas partes prope sedem intento scalpellū falcatum à græcis dictum syringotomum cum ceræ globulo paruo ad mucronem accommodato, immitto ad alterā usq; fistulæ, oram pervadens; si carnem, quæ interjacet, discindo (discissus finalem causam explicavit *Theod. episcopus Cerviensis in libro 3. chirurg. c. 42.* tum per medicamenta curo; quibus diligenter aliquot dies administratis ulcus obducitur: Ita multos ex eo vitio sanavimus; Mutium inquam Blasium Mesuracensem Potentianorum Comitis à negotiis; Franciscum Chiericam mercularium. Monialem sacram, cui nomen Vigna merita Cænobii Incurabilium, Paulum Cytharellam virum Neapoli nobilem, Franciscum Falconium Grammaticum, Gregorium Musitanum, quem mihi virum Jo. Dominicus Malliochus medicus, quē honoris causā nomino, curandū detulit; itemque Petrum Andream Salvatorem Principis Maidensis Architriclinum atq; alios etiā ex Nosocomio quàm plurimos, qui sanandi spem antea deposuerant. Potest & filo traiecto serico sæpius adstricto discindi caro, si hanc excisionem ferro præferant homines. Unum autem de ferramento indictum non velim, quod ad sectoriam curationem non mediocriter commodum experiatur medens. Certum est ad fistulas, quæ intestinum perfoderunt, discindendas recurvum scalprū esse necessarium. Talem autem Syringotomum cùm autores Græci proponunt, opinantur omnes vulgo nostrates medici scalpellum falcatum, quod Arabes Gamaut sua lingua vocant: sed longe falluntur, etiamq; multi, qui scribendo professi sunt ad eundem modum. Enimvero sunt hi, *quos l. 7. delineavit Andreas à Cruce* verè ac proprie Syringotomos à parte affecta nuncupatos; licet & syringotomum rectum id est, minus quàm mediocriter flexum, fecerit *Paulus l. 6. c. 52.* sunt autem horum figuræ nobiliores hæ, quas hic appictas damus.

Historia Ann. 1614. 1615.

An. 1623. A. 1628. A. 1629.

In Syringotomi vocabulo quorundam hominum error.

Syringotomi Capitulati.

Syringotomi non capitulati.

CAP. XLIX.

De fistulis in cole.

SEd & partibus ad colem spectantibus paulo minus quàm ano, intestinoq; difficiles interdū oboriuntur fistulæ; quas non protinus desperare oportet, etiam si multiplices ab uno ore intus exortę, callis altis vallatæ, vetustę atq; in urinę meatum penetrantes cognoscantur. Si patiens verè deliberatus in omni curatu utq; ut rectius dicam, in omni toleratu velit esse: Item si cachexia vel ut Celsus loquitur, corrupto corporis habitu, non laboret, neque cum languore virium se offerat, aut inclinante ætate, sed integro cæteroque sit corpore; me judice non est arduum; quin sanari possint, nam neq; difficile fuit mihi per quas lotium excernebatur, fistulas, item alte callosas duplices, triplices, vetustas omnes sanasse; testis autem est Illustr. D. Casparus Benemariæ Regis Fes primogenitus, qui sub perinæo quinquennalem fistulam sibi post multa, nostrā curā coalitam tantum gavisus est, quantum antea diffisus fuerat. Sed Antonius Ludovisius ex adnotatoribus tabulæ publicæ sacrarum ædium Divi Aloysij Neapoli cum duo devicennalem fistulam quadruplicem habuisset latè discurrentem per hastæ ductū tum rectā tum obliquè, ex qua singulis ferme annis recurrentes sentiebat abscessus, cum interceptu quandoque lotii, quandoque cum laborioso, sed semper cum ardente mictu: sanatus est singulis per nos confidenter scalpro dissectis, At in valetudinario nostro (fides multis experimentis prompta & comperta) quàm plurimas eiusmodi fistulas sub perinæo, hostili toto ac testibus quot & quales nemo non frustra medicaturos nos dixisset, ex toto abolevimus: inter cæteros in mentem venit Bartholomæus de lo Ruscio Appulus juvenis à Barone sancti Johannis oppidi sub Monte sancti Angeli, cui superior hastilis portio secundum longum plus dimidio peresus & pertritus erat.

Quæ abesse, adesseve debeant, ut curari queant vetustæ fistulæ.

Hist.

2. H. 162.

Hist.

CAP. L.

De ulnæ flexura cum superiore brachio coalita propter ulcus.

HIppocrates *in lib. quem inscripsit de medico* quatuor vlcerum esse vias enunciavit. Prima via est in imum: cuius ordinis sunt ulcera tum longa & angusta arundinearum fistularum modo: tum alia multam saniem recondentia; tum deniq; sinuosa & ampliter cava. Altera est eorum, quæ in sublime procedētia carne abundant ignavā. Tertia in latum ducit & huiusmodi sunt serpentia dicta ulcera. Quarta deniq; est, quæ sola motus secundum naturam videtur esse, motum hunc interpretatur coalitum *Io. Heurnius eo loco.* quo coalitu interflexiles partes corporis ulcerosis facto, flexus ipse motusque libertas amittitur, interdum quod vitij curandum cum offertur oportet sectu resolvi. Ita enim inter alias docemur observatione *Benevenij quam l. de abditis c. 82.* annotatā vide.

Via ... quatuor.

CAP. LI.

De Paronychiis.

PAronychium quidem & si tenue pusillumque est mole tumoris: nihilominus vitii vi multū negotii medico discriminisque laboranti persæpe exhibet adeo, ut ad scalprum capessendum curatorem hominem urgeat: cuius rei nobiles observationes & præceptiones sunt *Ambr. Paræi l. 7. sui operis c. 19. & Fabricii Hildani obser. 97. & Ioannis à Vigo tractatu de apostematis primo copiosæ cap. 4. & Guidonis Cauliacensis tractatu 2. doctrina 2. cap. 14. & Petri Bayri l. 20. cap. 9. & omnium primi Albucasis chirurgi excellentissimi,* qui deliberatam & certam huius vitii describit curam *part. 2. cap. 90.* Ad summam autem universis nostris hominibus tam atrox visa est semper hæc noxa, ut & interdum etiam incisu usque ad os subjectum uti voluerint, & igne, ut suo nos loco monstravimus.

Ambrosius Paræus. Fab. Hildanus. Ioannes à Vigo. Guido Cauliacus.

CAP.

CAP. LII.

De ulceribus putrescentibus.

PUtribus ulceribus debetur excisio sic ut inter omnia sit maximè necessaria, propterea, scilicet, ne diffundatur infinite vitium. Quippe ceu pomorum marcor qua primum agnoscitur, si manu providâ præcidatur, nō procedit amplius, si vero sinatur, totum contabefacit ad eum plane modum ulcus, si qua putredo concepta est, scalprum sentiat; exercetur eadem & finitur: si vero manet, exedit & dissolvit quodcunque continuum est.

Ad summam tanta putredinis est vis, tam amplivaga, ut si vel mica residua fuerit, fermenti modo reliquum corrumpat & ignem exposcat curanda. Aliud etiam confirmandæ necessariæ præcisioni sum adversurus: carnes nostras stirpibus & plantis respondere, quæ quo magis putantur plerumque lætius adolescunt. Nimirum rata & indubitabilis est sapientium doctrina, quod communis vegetandi sors est & plantarum & corporum sentientium. Intellexerunt autem, ut mihi quidem videtur, hoc bellè veteres mythologi sub jecore Titii, quod perpetuo à vulture peresum identidem suâ sponte reficitur, commento. Porro vegetandi principium est ipsum Hippocratis & Platonis & nostrorum omnium consensu.

CAP. LIII.

De ulceribus sinuosis.

ULcera rotunda si subcaua fuerint exscindere oportet undequaque in orbem ea, quæ discesserunt aut omnia ex dimidio circuli secundum longitudinem naturæ hominis. *Ita Hipp. l. de ul. n. 5.* quem locum à nobis suo comment. expositum leges.

Cum ulceribus autem subcavis promptum est annumerare quædam, quæ cum nullam extrinsecus speciem eiusmodi ulcerum præseferant: nihilominus sunt, quæ poteris alioqui cognoscere per hæc indicia. 1. colorem suum naturalem cum longe alieno commutarint, nigrum aut lividum plerumque referunt, aut violaceum, aut unū quodlibet ex his. 2. confractum, & pustularum quendam affectum incumbentem habent, cum aliquot forulis caruncnlas in ore præferentibus, dubitesque an tumorem an ulcus nomines. 3. Multis & valentissimis agitatum diu remediis nil profuit. 4. punctoria quædam per intervalla incessit molestia, modis omnibus maius, quàm apparet, effectu se comprobat malum. Quale aliquando ulcus equidem curasse memini U. J. D. Hannibali Cosentino Micholotto cognominato, quod præstantibus virtute medicamentis tentatum vix unquam edomuissem, nisi excisione: apertum autem caruncnlas putres ac pallidas exhibuit male cohærente cute.

CAP. LIV.

De ulceribus conclusis & de alte collisis.

HIs, qui medendis vitiis exterioribus sunt exercitati, sæpe occurrunt ulcera, quæ subtus cutem aliquantulum decolorem & perparum exasperatam latitant perfractâ late unitate; quæ in hominibus alioqui cacochymis aut cachecticis suspicionem sui exhibent dolosorum ac talium, quæ possint aut pervasionis in cavitatem, si is locus sit, aut obsessionis ac teredinis ossium; aut in musculos & nervos putridi lacessitus; & tum si hæc tum articuli subiecti sint, aut detrimenti mutilationisque motus aut imbecillitatis perpetuæ. Quæ quidem omnia prudentis hominis est providere ac longe etiam antevertere, quippe corruptionis admiranda vis est, si diutius insideat vitium; enimvero vidi sub superstite cute, ne dum etiam abscessum non passâ; male curatos glomeres emarcuisse carnis, itemque lacertorum integros toros, tendinum longos funiculos & hoc genus.

Gnome.

Quin etiam solida ossa suum amisisse rigorem, ac nativum quem Hippocr. primus proposuit ex ingenito concretoque sub ipsis adipe, nitorem; alborem denique & universam formam abiecisse. Infinitum autem esset, si quoties & in quibus id observasse acciderit, exponere vellem; cum inter valetudinarii nostri languentes quotidie liceat id videre. Præclara autem eius rei in se ipsis exempla obtulerunt Valentinus Ciampotus homo Marsus M. Aurelii medici germanus frater qui ex hectica febre cum hoc malo coniuncto mortuus est; itemque Felix Nolanus annos duos hâc malâ valetudine pressus. Tertius est Decius à Montefusco Lyciensis, quem ex abscessu musculorum supremi femoris malè habentem detulit mihi curandum Antonius. N. Tonsor cum commendatitiis literis Caroli Brancacii Jurisconsulti nobilis Neapolitani. Quod cum admirabile quidem sit in vitiis exacte putridis; multo admirabilius est in contusionibus & ecchymomatis, quibus siquidem in nervosas partes inciderint, principio non exhaustis, neque absorptis, per medicamenta videlicet propria & qualia equidē in pharmaco chirurgico descripsi; carnibus & vasis aliorumque partium fibris tum contritu languentibus, tū suo effuso succo virosum quidpiam expertis; ossa quæ circumsepiuntur: pusillo calore atque exili suo vigore non defensa, assiduo contagio pariter inficiuntur, temperamentoque suo sensim exuta nigrescunt: quæ absolutæ jam suæ siderationis extremum est indicium & ostensio. Eiusmodi, qualem depinxi, fuit ad unguem casus Jo. Baptistæ Juliani Vrbis Vasti civis, cuius manus ab hero suo baculo contusa cum ecchymoma perperam curatum ab aliis jam in abscessum transmigrans à nobis apertum fuisset; apertam suam latè diffusam putredinem ostendit, magnoq; circum suscitato tumore nonnullum nobis curandi negotium exhibuit, usque dum ossa phalangis nudata & atra comparuissent. Sanatus autem est ab abscessu ossium longo labore. Illud idem evenit nuper homini Pisano aurigæ D. Antonii Barilii, N. N. cui per obtusam & planā spatham secundū caput percusso nō exhausto per longos dies ecchymomate, neq; per incisum aliquē à nostris medicis tractato, totâ subtus cute, carnosaq; membrana per virulentam saniem exesa; post hæc ad calvariam & musculos temporum vitium

vitium propagatum est; cuius causâ febre perpetuo discoquente & viribus attritis eversoque jam alimentorum appetitu mortuus est.

CAPVT LIV.

De herpetis corrosivæ cum suis cuniculis excisione.

TRansmigrat herpes miliaris in æstiomenon persæpe atque in ea transmutatione cuniculos agit, sic ut medicamentorum etiam valentium vim eludat adeò, ut, si quod longis experimentis comperisset profitear; nullum equidem hoc vitio post carcinoma putem insolentius aut obstinacius, ni peculiari suâ limâ peredatur. Dixi autem lima constanter; & multa cum animi adversione; propterea quòd, quemadmodum ad exilia quædam fabrorum scalpmenta non quælibet lima facit, sed compar & minutula: ita etiam ad exterendas & expungendas miculas & segmentula eius cariei latentis & proserpentis (malum igitur vermis non insulse vocant populi quidam) exquisitum & peculiariter desideratur adiumentum, illud autem est unicum in chirurgia repositum; quod cum exscindendo & inurendo sit situm, ignis certe præsidium sine magno partium integrarum incommodo administrari non potest, id quod ab excisione non accidit, quare præferenda hæc est eo nomine. Instrumentum autem non omne satisfacit operæ sub maxima particularum exscindendarum inæqualitate ac varietate.

Placet igitur, quod descriptum nobis reliquit *Avicenna l. 4. fen. 3. tr. 1. cap. 7.* quod est ferramentum cavum calami scriptorii modo rescissum & cuspide acutâ sic, quàm possibile sit, inquit, deglutire formicam. Multa quidem in hac descriptione scalpri suspecta sunt, quæ interpres non bene reddidit. Sed maior est Avicennæ hallucinatio, qui Galenum autorem nominet, nimirum *in Therap. Meth.* sicut puto. qui tamen Galenus ad myrmeciam exscindendã, ut alibi retulimus, eiusmodi fistulam, excogitavit: à myrmecia autem ad herpetem rem transferentis maxima est deceptio; hæc autem facilè contigit, quod myrmecia est item formica; quod nomen Herpeti græcorum posuisse ipsos Arabes vel ex hoc loco clare constare potest. Utcunque commodum est scalpri genus, quo ad delendos herpetis æstiomeni cuniculos & rimas utimur paulo posterius describendo. Interim si delectos aliquot, qui sub mea cura per eam rationem à diuturna lue sunt liberati; referrem, rem credo fecerim multis optabilem & meo instituto consentaneam. Laboraverat Andreas Crispinus spatharum concinnator in foro, quod dicitur ulmi, quinquennii hoc vitio multis frustra tentatis, quæ à medicis plerisque fuerant proposita, præsidiis. Cui aliquando ad me, quod difficilium aggressorem, atque etiam (quoniam id addere licet) extirpatorem fama loqueretur, accedenti, subinde per jocum dixi & quid ad mea remedia confugisset, qui suum abunde præstabile domi haberet; ad id autem subsistenti & cuiusnam auxilii meminissem, quærenti; perfractæ spathæ mucronem respondi. Cui tandem rei ad verum sensum enarratæ post multa, quæ ad confirmandum hominis animum addideram, cùm seriò se per disperationem aliorum assensurum recepisset: postridie sic actâ re non multis post diebus dolore absolutus conquievit, ad summos autem 30. dies ex integro sanatus; qui vivit & testimonium eius rei cum Johanne Baptista Nauclero medico collegiato seniore & celebri viro facere potest. Similiter autem & Januarius Alphanus vestium sericarum veterinator in foro judaico notus homo, liberatus est herpete, quem interno femore duos jam annos pertulerat claudicationem & ingentes alias molestias noctu diuque passus. Tertius est Donnus Hannibal Calaber in ædibus Principis Sanct Agathensium Sacerdos qui externo femore tortuosa ejusmodi & recidiva ulcera tribus annis cum syphiliæ luis opprobrio falsò, correptus hac etiam ratione curatus est; Horatio Lumbisano compatriota meo solertissimo professore & scriptore medico ad eam rem collega. Quartò fuit Thomas Morellus civis Magdalumensis Bibliopola veterator Neapolitanus, qui in genu sesqui annum vix apparentem, sed dolosè in orbem serpentem, partem omnem, quam exsecari permiserat, penitus integram; deuncem vero quam exasperari non sustinuit ad hunc exulceratam habet: quod Matthias Malliochus senior, Donatus Antonius Stella & Bernardus de Magistris medici Neapolitani fide sua testantur. Eademque curatio vitii, quod pulpam suræ sævè devastaverat, evenit Jo. Baptistæ Pulsono Cajetano Fabro Lignario, qui spem sui sanandi deposuerat, itemque Josepho Gyræ Romano Sartori, qui eâdem suræ parte teterrimam ex terminthorum affectu phagedenam expertus fuerat. Illud autem mirum habuit eiusmodi ulc^9, ut facta circum duras oras expressione caruncula foras exultarint præ rosis cartilaginis frustulis non tam albedine ac substantiâ quam duritie pares.

In errore deprehensus Avicenna.

Historia.

Jo. B. Nau. med. Neap. nus.

Sed superat curationes hasce omnes illa, quæ peracta est in Victoria de Aponte Donni Sacerdotis Neapolitani germana sorore, quæ vel 12. annos tota tibia ad fæmoris æqualitatem extumescente & cribri instar pertusâ, febre cum his pusillâ tenebatur dies noctesque dolens sic & languens, ut vix evasuram affirmarent plerique inter omnes Donatus Donnus medicus Neapolitanus, quæ tamen in dies factis & per scalprum & maximè per forfices excisuris nec non abstergentibus medicamentis adhibitis tribus, ni supputatio fallit, non exactis adhuc mensibus personata est.

Donat. Donnu.

CAP. LV.

De ulceribus secundum labia alienatis duris ac vitiatis.

CUm labra tantum ulceris decolorata duráve plusculum fuerint; exscindenda hæc sunt ad sanam usque carnem, ut ex cap. 11. methodi medendi ex 5. Celsi & 1. Hipp. l. de locis in homine aliàs ostendi. Cum vero amplius progressus eiusmodi affectus est, deliberatio incidit, exscinden-

ſcindendumne id omne ſit, quod præter naturam viſitur an ſpatio potius curandum? Proculq; dubio eſt ægri animum hoc tempore conſulendum eſſe. Aliqui enim longiore tempore curari citra ſectionem malunt; aliqui quidvis ſubire, dummodo citius ſanentur ſunt parati, quæ Galeni verba ſunt lib. 4. meth. medendi c. 2. deſcripta. Atque hi ſunt in multis caſus, in quibus pro libitu laborantis agendum aut ſecus decernit medicus. Cæterum eſt & quando ſimpliciter, ſi modo ille permittat, exſcindere debeat margines ulceris cacoëthis cavi, qui ſeu vitium foveant, & cum eo dolores moveant, ſeu contrahendo ſe ipſos in diem; ſinum & mali fomitem intrò concludant. Id quod evenit cancro mammę, Aureliæ Guerræ fæminæ nobilis Ebulitanæ, cui cancro poſt extractam carunculam putrem peramplam, confractas laciniataſque mammas admonui reſcindendas, tũ ut ægra levaretur, tum etiam ne illę poſthæc coalitæ viventem vitii fomitem conſepelirent, quod meum conſilium dum grave videretur & negligeretur, ſequuta eſt ulceris obductio, qualem præmonueram, cum febriculæ inflammationis punctionum & acerbitatum omnium incrementis. Ex hoc diſci poteſt, maturè dum conceditur ulceris cavi, ſordidi, maligni margines eſſe reſecandos, ne vitium aliquando ſubtus alant. Neque mihi objiciant genus hoc vitii teterrimum non conſuetum ferro tractari propterea quod eiuſdem curatio depoſita ſit. Enimvero *Magnus Hipp. l. 1. de morbis*, ſcripta reliquit hæc; dum curas poſſibiles quidem curare; impoſſibiles verò ſcire cur curatu ſint impoſſibiles, & dum curas eos, qui tales habent per curationem quantum eſt poſſibile, opitulari debes. Ex quibus inſuper apparet errare noſtros, qui lepram, elephantiaſin, hæmorrhoidas vetuſtas, fiſtulas, cancrum, ulcera, chironia, telephia, aneuryſma & hoc genus neutiquam attingant: omniaque difficilia curatu apud hos eſſe NOLI ME TANGERE.

...iles ...tiã ...s.

CAP. LVI.

De hyperſarcoſi ulcerum.

NE dum vero calli, qui duritie incommodant ſed etiam hyperſarcoſis, quæ plerumq; lentore atque humore nimio proceſſit; reſecanda eſt autore Galeno loco methodi ſæpe citato; nimirum hæc humentior ex his eſt, quæ moras & impedimenta perpetua innectunt ſanando ulceri; ubi vero hæc circa ulcera emiſſaria fonticulos vulgo vocatos accreverit; dolorem nonnullum rei prægravantis & ad unumquemque occurſatu offendentis affert.

...on... ...ndo ...ę... ...hy... ...ſis.

CAP. LVII.

De ulceribus diſiatis, id eſt, difficile ſanabilibus.

ULcerum quoque quæ diu ſanari differunt oras, cum parte etiam ſanæ carnis, ut cancrorum abſcindi, raſoque & mundato loco uſque ad defectionem ſanguinis educi, ſi modo robuſtior fuerit homo, qui tractatur; præcipit *Conſtantinus Africanus Chirurgiæ c. 18. atque huius perpetuus magiſter & auctor Iſaacus Iſraëlita l. 9. practices c. 19.* Favet autem duum horum virorum ſententiæ *magnus Hippocrates qui lib. de locis in homine*, tum brevibus tum gravibus etiam verbis ait, morbos antiquos primum recentes facere oportet. Hæc illi: mihi vero in univerſum videtur ulcerum oras magis, quam aream procurandas eſſe: à ſuperioribus enim & elatioribus ſemper advenit vitium & inde etiam primum cicatrix coit: quibus inſuper oris exaſperatis atque exectis; & conſentaneum rationi eſt, ut continuo lenteſcat vitium effuſo cruore, virulento, quo vitium alebatur & vigeſcebat; & re ipſa etiam compertum eſt, lenteſcere quandoque non aliter quam humore ſubtracto exareſcunt plantæ. Adeoque fatentur mihi quotidie medenti valetudinarii noſtrates ulceroſi, & dolori veteri ſe levatos, & prope reſtitutos cognoſcere. Quin publicitus ſic ſunt auditi ac ſæpe in dies etiam audiuntur homines, qui quam efflictim exhorruerunt exſectionem, tantundem etiam ore pleno laudarunt ac benedixerunt eandem; addentes quod diu deſperaverant, ſemel comparaſſe levamen.

Noſtra quadam ſententia.

Hiſtoria.

CAP. LVIII.

Ad exſcindendas humiliores quaſdam & ſimas ulcerum partes inſtrumentum commune.

AD exſcindendos autẽ tum ulcerum extantes callos, tum in cavis iiſdem oſtracoſam carnẽ aut ſemiputres glandulas, tum in ſede fungos & condylomata & intra lacunam quamlibet alienã, omne vel ſuperfluum & excreſcens haud ſcalpelli quidem communis uſus, qualis in novacula, phlebotomus vel ſyringotomus, ſunt capiendi. Sunt hi quippe tum agenti, tum homini qui tractatur, incommodi, neque ad cito, vel facile, vel ſine offenſa peragendum idonei: verum ferramentum ſit conformatum ita, vel ut convexum ſit ſecundum longitudinem ad ſuperiora qualis hydrocelicus *ab Andrea Crucio depictus eſt in l. 7.* vel noſtra quidem inventione, ut acies etiam ſi lubeat anceps ſecundum ſui latitudinem ſit reflexa, nõ aliter quam ſi mucro cuſpiſvé gladii, qui ad ilia ſuccingitur vulgo; ſic torqueatur, ut ſupremæ faciei pollicis adaptari congruè poſſit. Ad hunc quidem modum tum cavas tum convexas reſimas, & inæquales ulcerum oras reſecare ſine particulæ ullius offenſione licebit. Accommodatus etiam in hos uſus fuerit anceps ſcalper lanceę vulgaris forma, quali equidem ad minutiores è tuberculis abſceſſibus explanãdis i. e. in planum exæquandis uti ſoleo: præſertim vero terminthis crurium quorum paulo ante memini.

De forma ſcalpri exciſorii ſecum rectũ ſui ductum reflexum.

Inſtrumentũ & ſcalper hydrocelicus dictus.

CAP. LIX.

De calloſis ulceribus & fiſtuloſis.

SI autem omninò putrida, vetuſta, calliſq; altis obducta ſint ulcera: his etiam exciſio, ſi ſapiat homo curator, nõ eſt differenda: convenit autem ſic, ut autore Galeno ſine ipſa non coaleſcant *l. 3. meth. med. c. & l. 4. de compoſ. med. per genera c. 2. & Aëtius ſer. 14. cap. 50.* nimirum quia rorulenti glutinis materiam ad implenda ulcera ſufficientis exudationẽ denſitate ſuâ prohibet. Ergo *Celſus l. 5. c. 27.*

c.27.§. de curatione ulceris conceptis verbis ait, vetus autẽ ulcus scalpello conscindendũ, exscindendęque eius oræ & quicquid super eas liuet, æquè incidendum; si varicula intus est, quæ his sanari prohibet, & ea quoq; inde ubi sanguis emissus est, novatumq; ulcus eadem curatio adhibenda, quæ in recentibus vulneribus exposita est, & methodicus ille apud *Galen. l.4. meth. med.* ait, quæ coitionem fieri vetant, tollito ac locum affectum innovato, postquam simile vulneri recenti feceris; rursus consuetum curato: Hæc isti. cæterum ad hæc illud adjiciendum est, non solum interioris fistulæ callum abjiciendum esse, sed etiam qui extra contenderit, ne duritie possit æqualiter ulcus obduci. quam rem equidem observavi primũ in Octavio Canali adolescẽte Calabro Scyllacensi, cui exusta per nos & expurgata diuturna ægilops neque in coalitum concedere diu visebatur, cui circumstans durior cicatrix assistebat, quâ consectâ properè conclusum est omne ulcus, sed & ulceris arte quæsiti & emissarii callo, qui spem adimat proliciendæ materiæ; nullum maius præsidium inveneris, quam crebrum exaniatũ, huic autem & cucurbitulam adiungit semel aut secundò *Hieron. Capivacc. in libel. de cauter.* contentus solo scarificatu fuit *Michael Cavassetus lib. item de cauter. c.35.* quod si scirrhus sit phlegmonodes etiam scalpro tractandum vult *hic idem autor c. 30.*

Observat.

Hierony. Capivacc.

Michael Cavassetus.

Scirrhus phlegmonodes scarificatu tractandus.

Historia.

Sed novam, quæ venit in mentem callosi ulceris historiam referre non recusabo; occurrit aliquando mihi scorticulum ex his fœminis, quæ incurabilium nosocomio curanda; se offerunt, lecto decumbens, quinque jam menses, cui labia extima pudendi exulcerata sic alto duroque tubere extumescebât, ut canino nostro facile comparasses, quod genus medicamentis omnibus tam diu curatum ab alio quodam medico, nil emotũ fuerat è suo statu, brevi autem & facile me curaturum dixi, si resectum callosæ portionis admitteret mulier, nam quid hanc torqueri quotidiano causticorum usu continentibusque molestiis? quid sacri valetudinarii dispendia longa fieri, si tot incommodis uno semel excisu consuli possit? sed audi postrema curationis eventa, nam diu sic tractato vitio, & in dies alito fomite putredinis & huius excitato fervore proserpere ulcus, & totum exedere cannum, jam ut ad pubem vergeret; donec ad meas manus fortuito recidens fœmina vi coacta ferrum non iniquè sustinuit, & sanata est. Aliud etiam narratu dignum est, quod accidit Felici Amato nobili viro Neapolitano, cum ulcus chironium decem jam annis magno semper cum angore sustinuisset desperatum ab aliis medicis, sed à me promissum, sensit incredibile levamentum neq; aliâ certe operâ quàm excisu prælaltorũ labrorum & circa hæc crebro scarificatu; quam rem testari vere possunt Stephanus Rinaldus medicus & Franciscus Antonius Chirurgus.

Historia.

CAPUT LX.

De excisione cutis pilosæ, quæ, quod intra vulnus retracta est, huius coalitum prohibet.

ACcidit interdum, ut pilosa capitis cutis certo quodam modo, id est, κατὰ τὸ σκεπαρνισμὸν quasi per dedolatum discissa, sanescente post aliquod tempus ulcere contracta eadem in seseq; convoluta, plagæ coalitum & obductum prohibeat, nullâ unquam medelâ proficiente: quod Galenus advertit *lib.3. meth. c.3.* tum igitur nil melius est, quam sublatam hanc partem forficibus aut scalpello præcidere: ita enim expeditum suam ad unitatem brevi procedet ulcus. Huiusmodi impedimentum non negligenter ego cavi semper in tractandis concameratis quibusdam vulneribus capitis. Inter cæteros vero memini Johannis Dominici Bovii bibliopolæ instructissimi Neapolitani & alterius cuiuspiam è Jo. Alfonsi Gulini collegæ nostri famulatu: quibus ulcus alienâ culpâ factum, ob eam causam inconglutinabile restitisset nisi equidem hac ratione occurrissem.

Galenus.

CAPUT LXI.

De cicatricibus cum exaltato callo residuis.

ET de cicatricibus corrigendis sæpe requiritur medicus: neque enim hunc dedecet, ea, quæ formæ incommodant, removere, ac tum etiam maximè, ubi cum immutata forma functionum noxæ coniunguntur: quod in lagophthalmo & coalitis ulcere naribus aut labiis, & hoc genus apparet, non rarò autem & pravas cicatrices detrimenta sequuntur: sed circa hæc vitium depellere callosis è cicatricibus non levis est negotii operæ pretium: ergo est sententia tum *Fel. Plateri to. 3. tit. de extuberantia p. 394. & 395.* tum *Iulii Cæsaris Claudini l.2. de ingress. medic. ad infir. c. 29. & Cæs. Magati c.1. de vulner. F. & alior.* volentium ut scarificetur, callosumque quod extat, omne corpus scalpro circumcidatur, instrumẽto videlicet, quo ad sclerophthalmiam ex Raze descripsimus; post hæc autem medicamenta idonea quale citrinum est ceratum, aut simile quidpiam, inducantur. Ut ne vero exaltata cicatrix medio ex ulcere quasi torum attollat, plumbi reprimentis onus insuper adjiciendum. Atq; hæc quidem brevi de sublimis cicatricis remedio. Sed in cavis exæquandis difficilior est opera, ut quibus supplere deficientem particulam non obtingit facile, tantum resolutio coaliti atq; sectura tentari potest ulcere novo facto; si permittat homo, qui sibi formæ de honestamentum eximi curat. Si verò id non licet, vel eadem hominis repugnantia, vel quia nõ permittit locus: præcipit Hieronymus Fabritius, ut factis creberrimis incisuris sarcotica imponantur; sed hęc meâ quidem sententiâ sint oportet apprimè valentia, id est, plurimâ parte tractoria; recordantibus nobis eius, quod acutè provisum notavit *Hippocr. in lib. de locis in homine his verbis latinè à Cornario redditis*: pharmaca, quæ tumefacere maximè solent, ea pura ulcera astringunt, & paulò inferius & siquidem astringere oporteat ulcus ac implere, tumefacere prodest, etiam si in capite carnem velis. Certè plurima pars hominum τὸ φλεγμαίνειν interpretati sunt tum facere, ut sunt Cornarius, Mercurialis & Anutius Fœsius, quidã etiam ut Caluus; & respondens verbo proprietas est, verè quidem, sed modicè inflammare dixerunt. Utrum vis admittendum fuerit, attrahentia sint oportet, quæ carnem ducunt, & in his maximè, ubi multum illa deficit: Mihi verò si stet decernendi facultas; haud videtur à ratione alienum

Et ... nib ... qua ... com ... viti ... cam

Cica ... cav ... expl ... quib ... proc ... da.

num si suetus ad hanc partem per cornicula adhibeatur; nam fotus non tanti valere judico, quamquam si fuerint ex calidis animantibus, aut horum partibus adhuc calidis, non in efficacia puto. Cæterum ne nos pigeat, quoniam locus patitur, exigitque etiam rationem enarrare, quâ cicatrices justæ proveniant. Igitur scire licet extantes torrescere, ut ita rem explicem, cicatrices ubertate & redundantiâ carnis, quam medicus male providens non comprimit adstringentibus: aut vulneris oram unam alteri oppositam sic agglutinari sinit.

Cava vero remanet cicatrix sanguinis affluxu, vel carnis aggeneratione deficiente, huius autem culpæ censendus est medicus, si importunè victum subtraxerit: sique naturam, partis carunculam admolientem, non adiuvit sarcoticis, vel si maturius, quàm oportuerat, epulotica imposuit. Jam igitur & tempora gignendæ carnis, novellæ pernoscere necessum est, neque non modos concrementi eiusdē, nempe si luxuriet humor, hunc reprimere, si parcius proveniat, hunc excitare, pelliceréque & medicamentis & chirurgiâ oportet.

Atque ita tempestivè providendum est, justa & æqua, ut obducatur ulceri cicatrix.

CAPVT LXII.

De Cicatricaria πωρώσει.

OBservatio Cicatricarii procreatus ut à doctis omnibus ad hanc ætatem minime exculta est: à me tamen nedum non negligenda, sed nulla non consideratione digna semper existimata est; ut quæ plurimum naturæ studium & in obducendo ulcere sollicitudinem præseferre videtur. Præterea non nihil adiumenti continet, quo hanc procurare atque inducere cum sæva est, valeamus. Omnino autem hæc finis & meta est totius medici laboris, qui est ad ulcera eas ob res non alienum à nostris studiis, neque à medica tum speculatione, tum negotio reputavi fore, si de huius natura & modis, potissimum autem de generatione brevi disquirerem capita, quæ inter plurima excellunt, & à nullo hactenus adnotata sunt, strictim percurrens, quod dum exequi paro à rei notitia, quæ per definitionem est incipiam. Cicatrix igitur dicta quasi occæcatrix id est plagæ velatrix, tegumentum ulceris, ex summa carne cute simili, id est, validius exiccata, densata & omnino calli modo dura per naturam & medicamenta reddita. Ita *Gal. l. 3. meth. c. 5. & 14. eiusdem c. 16.* intelligendam autem cicatricem esse, vel ulceris erosi, spontaneivé vel secti, & utriusque vel cavi vel cavitate expertis. Item vulneris, vel secundum longitudinem corporis, vel transversim facti, vel cum amissu substantia vel sine amissu. Porro felicior est cicatrix in vulnere secundum longitudinem fibrarum quàm secundum transversum & cauum. Itemque sine amissu substantiæ, quam cum amissu, felicior etiam in ætate novella, maximè autem in infantibus quàm in aliis. Porro non fit cicatrix sine interventu naturæ; sed hæc materiam & formam illi tribuit judicio *Cæsaris Magati lib. 1. de vuln. cap. 30.* medicamenta verò epulotica dant necessariam & ultimam temperaturam; multo verò difficilior est in ulcere spontaneo cavoque: etenim vitium planè subest in ipso: quem difficultas augetur naturis humidioribus corporum, ætate calente, cacochymiâ, cachexiâ, veneno, contusione & contritione, valentissimâ putredine, gangrænâ, sphacelo, & ut semel quacunque vehementer impressâ naturæ labe.

Quo vitiosior habitudo partis aut corporis eo difficilior turpiorque cicatrix.

Accedimus nunc ad generandi modum: & judicamus ad hunc modum: cicatricem venire bifariam; tum contracta lentè ad medium ulcus cute; tum obduratâ simpliciter ulcerosa carne. contractio potissimum est in vulneribus cavis: id est, quorum labia dissita sunt, sive secundum longitudinem corporis, sive secundum transversum illatorum. Per contractionem equidem evidenter vidi venire in homine Florentino Semicæco, in cuius sincipite factum à me latum vulnus transversum, quod à tempore ad tempus pertingebat: hoc brevi contractum residua ex tam longa plaga vix semiciliari cicatrice. Evenit etiam & ulceribus vetustis; sed non tam feliciter, in his quidem cicatrix, ab extremo initium, postremum in medio desinit & coit.

In ducenda cicatricis ratio.

Hæc enim dum sanescunt, videbis attrahi circumpositam cutem mediam, quasi locum contendentem in hæc, quasi parcs passus itantibus & convenientibus tendique extremis: Opinantur nonnulli, perinde ut ad unitatem, coire extrema; at quâ ratione affirmare hoc quidem possint; nisi grandem intelligentiam impertiamur partibus. Necessarium ergò est, dum inarescit ulcus jam sanescens, hoc tradente Hippocrate, imminui consequenter aream atque ita sequi vicinam cutem. Illud autem ad unguem intellexisse visus est *Galenus, cum lib. 1. pharmac. particul. cap. 1.* scriptum reliquit; mens autem est, Galen. dixisse de contractione. Cæterum neque ita contrahitur ut tota coëat, verum alibi magis, alibi minus relinquit areæ; id est, spatii, in quo caro occalescit. Est autem & quando parum aut nil contrahitur, sed tota obdurescit caro in ulceribus, inquam, vetustissimis, & sæpe diruptis, in quibus scil. aut temperatura parum bona, aut natura minimè valet & cutis arens minime sequax est, ut in vetulis, contra vero in fæmellis, eunuchis, pueris; in quibus propter teneritudinem maximè distenditur cutis: inde autem est, ut adolescente corpore, de loco in locum abeat, & sæpe è fronte inter capillos transmigret & occultetur.

Crescentibus scilicet carnibus, ampliatur identidem cutis, quâ transpositâ cicatricem habente, evadere videtur cicatrix. Dices verò at quomodo mutant in adultis unguium maculæ locum? Sed qui hæc objicit, ut rationem meam priorem coarguat, videtur potius eidem favere; etenim quod statuerim, mutare cicatrices locum propter incrementa corporis, id etiam evenit impuberibus eadem augmenti ratione, si modo tamen augmentum dicere possumus unguium, non additamentum.

Traham nunc contemplationem in aliquem usum

usum atque videtur ex præpositis elici, cognoscique, cum veterem cicatricem ex ulcere reconcinnare, atque in meliorem firmam pertrahere velimus; haud semper licere; ut autem res planè intelligatur, sermonisque compendium fiat, exemplis agamus; fuerit ex igneo ambusta vel ex erodente causam, ulcus in cavo aliquo loco, videlicet oculi angulo interiore, inter extremas nares & infimam genam, gula, ala, poplite, digitorum interstitio, & infinis omnibus locis articulorum demum in loco quolibet mobili cuivis parti proximo.

Ad hunc modum Philippo Leonardo à Ricilliano dum sanescit ulcus confine interioris oculi canthi ad summum nasi depastum, uno plus digito transversum interim attrahitur, ita ut pinna naris ad superiora maximè deformem conspectum reliquerit.

Cogitant plerique posse corrigi deformitatem, si quâ desinit cicatrix, inferiore loco concidatur & ulterius anteriusve resecta cutis extendatur: quatenus vacuo loco completo, turpitudo partis aut deleatur, aut emendetur. Hæc quidem consilia recta; si difficultas ulceris facti non esset; cum solidandi videlicet & uniendi, dum à violento distentum retrahitur: quippe, vel ad interiora vel retrò trahitur cutis; si hoc quidem sit, haud optatior confirmandæ cicatricis finis erit; si vero prius alterum, haud coalescet inducta plaga, ad minimum autem & summum partim hoc, partim illud erit, atque interim opera integra novæ chirurgiæ; ita sc. perspicitur, necessariam cicatricariam prænotionem; & qualis ipsa sit naturæ notitia; quamve multum hæc pertineat ad efficacis chirurgiæ tractationes.

CAPVT LXIII.

De excisione profundiore quàm cutis altitudo sit.

SEd altioris quoque carnis excisioni, sicuti usu venit, non parcimus, cuius primum illud erit exemplum, si se unguis pollicis altius in carnem intruserit, nec medicamenta profecerint dolore urgente impeditorum affectuum, in his ergo ne differas portiunculam, quæ pone digitum excedit, rescissam abripere, ita equidem curatos à me permultos memini. In malignis item ulceribus, & quæ serpunt usque ad sanam partem exscindere peropportunum est. Ita equidem Andream Jonathasium, virum literis & probitate probatum, ab ulcere teterrimo tibiæ; Ita Fabium Columnam virum herbarum peritiam celeberrimum, à perniciosissimo femoris theriomate persanavi, ut alios interim taceam, qui sunt innumeri. Alterum exemplum esto callosi ulceris ac jam fistulosi, quod Hippolito Auriæ, sancto severinati adolescenti, Mutii Pharmacopæi Neapolitani filio, septem jam menses labore irrito, per medicamenta curare tentaverant nobilissimi chirurgi nostri; nos verò excisis latè callis & sinubus adapertis, intra dies 20. conglutinavimus.

CAP. LXIV.

De canis rabidi morsu.

NOn sunt in morsu rabidi canis sic grandia, ut exigua & scarificationibus similia timenda vulnera. Minoribus enim vulneribus multus universusque profluens sanguis veneni secum, (quod in minoribus non fit) partem aliquam educere potest. Auferendæ etiam à maioribus statim vulneribus solutæ à continuitate sua carnes, labraque vulneris acie ferri circum scalpenda, & si coëant, hamo volsellisve secanda sunt. In ambobus etiam contiguæ circumquaque partes profundioribus scarificationibus contodiendæ sunt, ut exiens copiosior sanguinis fluxus, veneni ad interiores partes descensum remoretur. *Hæc Dioscorides in lib. 6. materia medic. cap. 37. & Galenus l. de theriac. cap. 16.* quibus plenissimas suas suppetiat tulit *Eustachius Rudius l. 4. de morb. occult. c. 14.*

CAP. LXV.

De excisione carnium emortuarum.

SIderata jam loca corporis tractare quidam consueverunt hodie leviter ac perinde, ut πελιώματα, livores, simplicesque collectiones & abscessus; quos si loco uno punxerint sic, ut parum humoris effluxerit, satis videtur, voluntque inde periculis omnibus occursum, ut polliceantur salvum hominem futurum. Porro id quod narro æstima evenisse Franc. Bellofilio Neapolitano sacerdoti integerrimo XL. jam annos, nato, cui cum ex hæmorrhoidis parcè fluentibus, abscessus malè provisus & inde necrosis obvenisset natibus & inter fæmineo: peritissimi nostri medici crediderunt exiguâ ad abscessum aperturâ muneri suo satisfecisse. Ego vero cum afforem ad excisionem, utendum aliter scalpro, expediendasque vias omnes, & cum præsectione aliqua carnis integræ contendi sic, ut debuissem videri, convicisse. Nihilominus, ut homines medicinæ ignari gnarique, sunt semper ad lenem chirurgiam paratiores: vicit numerus meum decretum, sed prætergressum ad testes vitium languentem postridie stravit. Atque ita mea sententia comperta verax est, testibus ad eam rem Franc. Imparato, & Josepho Chirico non contemnendæ fidei medicis huius urbis. Ex hac narratione illud equidem velim, excisione & usque ad sanas partes tractandas necroses esse, quod plerique medici vel negligunt, vel non advertunt.

Histo. An.

Franc. Impara. Iosephus Chiric. medici. Admonitio

Ad hunc modum equidem hoc anno seculi nostri 29. qui gangrænarum fuit ferax, viros Illustrissimos Ascanium Carraffam & Hartmannum Pignonum Marchionis Orioli germanum fratrem secundum tibias sideratos, à cæteris omnibus medicis, qui ante me curaverant, destitutos; & à necessariis conclamatos, summa cum civium nostrorum & visentium admiratione restitui, credo equidem à Deo singulariter adjutos: quamquam Pignoni necrosis obstinatior, cò processerat nullis medicamentorum auxiliis revoca-

revocabilis, ut sine τῷ ἀκρωτηριασμῷ servari non potuerit; Judicibus ad eam rem clarissimo viro Mario Schipano, atque aliis plerisque rem contemnendæ fidei medicis.

CAP. LXVI.

De excisione pericranii percussi.

CUm ictus in caput incidens os calvariç pertegerit seu cum apparente fractura, seu cum contusionis latentis vé ruinæ suspicione, consueverunt chirurgi juniores, à Jacobo Carpo credo equidem edocti, quo pateat locus agitandis in ossis excisionem scalpris, pericranium inimico ferro dissectum vi unguium & spathæ millies hinc atque hinc impulsu facto duriore diducere, diductumque conservare, multo confarctu strepitu vé. Id quod non fit sanè, neque fieri potest sine gravi doloris acerbitate atque etiam inflammationis periculo, præsertim circa suturas, propterea quod colligata pericranio crassa cerebri membrana communicatura sit postmodum. Super qua re meditanti jam mihi plus semel, visum est aliquando satisfuturum, si portio, quæ desideratur, ad vacuitatem exsecetur; quod cum facio in vulneratis plerisque omnibus, & tolerabilius, & tutius id comperi. Quam ob rem præceptum id pono, si ægro studeas tuo, sique tuam laudem ames, ut inverto scalpro portiunculam, quæ satis fuerit, rescindas. Porro commoditatem nonnullam, ut expeditè rem conficias, & ne distractum aliquem committas, substrata exhibebit calvariæ durities.

CAP. LXVII.

De caruncula internæ palpebræ.

OCulorum interioris palpebræ laxa caruncula ex immodica pituitosi lentique humoris alimento gignitur non aliter, quam in uliginoso loco luxuriare muscus consuevit: Ad hanc igitur exequandam; quoniam valentia medicamenta prohibentur, quæ acria sunt & oculo propter inflammationem molesta, recisio sola probatur *Hippocrate rem indicante, l. de visu*, quæ res fiet, si notatam atramento partem superfluam eversæ palpebræ scalpro acuto rescindas habenulâ, qualis est, quæ *Vidii Florentini fuit doctrina in lib. 4. chirurg. cap. 10.* deinde adductas digitis oras vulneris acu consues; & medicamento, quod est ex ovi albo & pulverisato thure, oblines, proviso semper, ne subeat inflammatio. Ad hunc propè modum id vitii genus ab Ægyptiis nostro seculo curari retulit; *Prosp. Alpinus l. 3. de med. Ægypt. c. 15.* atq; ita etiam *Isaacus l. 9. pract. c. 26.* & hunc ducem insequens *Constantinus in chir. & Alsaravius Tract. 4. sect. 1. c. 12.* qui & duras palpebras etiam exscindi mandavit, *c. 4.* ut & grandines *cap. 3.* Diversam ab ista curatione protulit inter alios *Albucasis lib. 2. chir. c. 11.* atque illa est ut attracta caro inutilis eversæ, palpebræ duabus assulis, aut arundineis cannis magnitudine, quæ congruit, comprehendatur & constringitur vehementer, quoad tolerare queat homo; quibus sic urgentibus vinculis triduo cutis adstricta jam emortua vel sponte concidet diu morata, vel forfice rescindetur. Aliam & elegantem etiam curandi rationem tenuit *Guil. Placentinus in 1. chir. c. 11.* quæ est; si carunculam eam, cuius vitio fit, ut evertatur palpebra; secundum huius longitudinem acus quadrangula defigatur: quâ acu ad exteriora traductâ, sublatam rescindi, quanta per acum comprehensa fuerit, scalpro licebit; quâ jam reperactâ mox aquati oui spuma, ac trita bolo armenia vulnus curabis; deinceps verò suis aliis medicamentis.

Al- an- casis.

CAP. LXVIII.

De verrucis palpebrarum.

VErrucas palpebrarum medici abblanditores ac lenitores malorum, ne attrectant quidem, ne dum exscindunt. Verum *Iulius Cæsar Arantius l. de tum c. 20.* discindit forfice & aquâ plantaginis alumine tinctâ, ne repullelet atque ut cicatricem citius obducat, madefacit. Concordat autem cum hoc viro *Ioannes Heurnius lib. de morb. ocul. 7.* & chirurgiam & medicamentum per omnia secutus. Ego, quod experimento confirmare possum, verrucam eiusmodi, quæ de superiore palpebra media propendens visus aciem obducto ad pupillam corpore offensabat; acu filum ducente transfissam, & fili ipsius jam traiecti capitibus utrisque leviter tractam scalpro acuto radicitus exectam, sulphuris olei momenta perussi spectatæ vitæ viro Marco Antonio Pectinato, quam 20. jam annos curandam medici dissuaserant gestatam ab hoc homine cum perpetua molestia.

Iul. Cæs. Arantius.

Ioannes Heurnius.

Historia. 1629.

CAP. LXIX.

De Excisione Aegilopis.

DEtrita atque extenuata putrido marcore cutis; & commodi nil operatur, manens & abducta, vitii fomenta minuit, necessariam medenti commoditatem, exhibens. Eam ob rem Aegilopem, cum tabefacta plurimum est pelliculę excisione, per forficulam curare solitus sum, relictâ myrtiformi plagâ, quæ & medicatum omne, & ad effusum saniei percommoda est. Quod si firmior sit cutis interius procreatâ vomicâ, priusquam per se abscessus crepet; vtile consilium fuit *Guidonis Cauliacensis, in tr. 4. doc. 2. cap. 2.* ut providè scalpello aperiatur. Ita etiam hoc viro prior *Aetius Tetr. 2. ser. 3. cap. 85.* Formam autem secturæ proposuit *Iac. Holler. Perioche l. 5. de comp. med. sec. locum,* quæ est, ut dividatur angulus in triangulum sic, ut apex trianguli versus radicem nasi, sedes vero & basis ad oculum vergant; Neq; super acerbitate est hæsitandum Apollonius, ait Galenus in ante notato loco nulla pharmaca ad ægilopas scripsit; Archigenes verò paucis enumeratis deinceps ad curationem ipsarum per chirurgiam progreditur.

CAP. LXX.

De staphylomate, & aliis huiusmodi formis.

STaphyloma, quod Græcè dicitur, nobis est uvi formæ tuberculum; sic dictum, vel ob substantiam uvæ tunicæ, dilaxatâ vel ruptâ corneâ procedentis, vel ex vitii figura, secundum quam parum elapsa Myocephalon, caput muscarum referens tuberculum facit: ubi verò palpebras transiliit, plurimâ factâ concretione μῆλον ψ malum æquivocum producit: quæ diserta Pauli est doctrina *lib. 3. cap. 22. descripta, qui idem vir. cap. 19. l. 6. atq; Aët lib. 2. ser 3. cap. 33. & Celsus lib. 7. cap. 7.* §. 11. rationem hanc curandi staphylomatis proposuêre. Simplicissimam Celsus, quæ est hæc; ad cutis ipsas radices per medium transuere acu duo lina ducente oportet, deinde alterius lini duo capita ex superiori parte, alterius ex inferiore astringere inter se, quæ paulatim secando id excedunt. Differens ab hac est Aetii Paulique curatio, solum in eo, quod acum alteri cum filo transgresso decussatim vel rectius cruciatim inserunt, retinendum, dum sectio per scalprum facta fuerit, atque hoc quidem eo consilio, quo lina tuto prope vitii radicem adstringantur. Quippe huic interdum basis est tenuior, interdum amplior. Priori quidem acus una filum ducens est satis ad basim commodè ad alligandam. Posteriori verò fixæ acus ad angulos rectos dispositæ requiruntur, atque ita rectè tum Cornelius, tum Græci duo chirurgiam hanc tradidêre.

Paulus. Aetius. Celsus.

Discrepantes Aetii Paulique Celsiana administratio.

Conciliati Græci auctores duo cum latino.

Præter hæc autem omitti non oportet, cum maximum staphyloma factum fuerit, ut extra palpebras transgrediatur & induretur ita, ut ipsa cornea circum callosa facta sit, & affectionem constringat: clavum appellari, quod per omnia clavo similis existat: quæ Aetii sunt verba loco ante citato descripta.

Cuius curationem eam proposuit *Celsus loco memorato* §. 12. ut ad imam radicem acu perforemus infraque eam exscindamus curemusq; deinde lenibus medicamentis inunctis.

CAPUT LXXI.

De Leucomate.

EST leucoma græcè, quam albuginem dicimus latinè, cicatrix, quæ ex pustula vel ulcere relicta est in oculi pupilla; quæ cum altius occupet, quam superficiaria νεφέλης, tubercula vulgo medentes inutiliter tentant exterere medicamentis, sed hæc vel imbecilliora, vel valentia sunt, ita, ut humores convocent, atque interdum concrementum acervent. Huic etsi difficile videatur, in oculi bulbo scalpere vel excisum aliene rei tentare: Nihilominus magnanimi nostri medici chirurgique haud veriti sunt aggressum. Ex his *Michael Savanorola tr 3. c. 3. rubr. 15.* rasoriâ novaculâ docet utendum sic, ut suaviter propemodum de charta characterem purges. Alter *Durantes Scacchus homo, ut è suis scriptis apparet, in re chirurgica non leviter exercitatus, lib. 1. subsid. medic. c. 19.* ubi nil alia profecêre, unicum in desperatis, ait, auxilium est, ut scalpro callosum omne concrementum eximatur, hi tamen (acutè videris) ulcere vel vulnere cornea tunica fuerit, tota pervasa vitiataque, quo statu cum non reparari naturam deficiens substantia queat: inepti est prorsus opificis, rem haud aliquo pacto spirabilem, ut succusseram, attentare.

CAPUT LXXII.

De pterygio, sive ungue oculi.

ΠΤερύγιον, sive quod latinè dicitur unguis oculi, concrementum oriens ab angulo, quod nonnunquam ad pupillam quoque pervenit nervosæ cuiusdam membranæ substantia, consuevit hodierna die, per nostros homines medicamentis tractari, atque id quidem plurimum sine fructu, plerumque etiam cum longa afflictatione hominis & oculi inflammatione, præsertim, si maiora tentaverint ex hoc genere. Sed satius chirurgiæ subsidium imploratur, quod & tuto, & cito, & semel finituro dolore rem absolvit. Eam ob rem visum est operæ precium, chirurgicam hic exponere rationem, quæ ex Celso, potissimum est eiusmodi; utrique palpebræ supernè atque infernè habenulæ injicientur, oblitæ secundum extrema capita medico glutine, quale videlicet, faciei plagis invicem colligandis, impingi consueverunt; collam autem casei Principis Avicennæ pro certa sua firmitate judico potiorem; quâ jam materiâ resiccatâ, tum hominis humiliori sellæ adhærentis, capite resupino, tum à sellæ suprema transversa assula, tum à ministri manu sustentato, licebit palpebris habenas alterius adiutoris ope distractis circumscriptos ortum, & fines membranulæ pervidere, quibus cognitis in secando non erres. Interim apprehenso per hamulum ungue, acu recurvâ cum filo tenui, sed firmo retrahente caruncula transues, primum secundum naturæ corporis longitudinem, mox etiam secundum transversum linum alteram trajicies, quibus utrisque ab acu resolutis & simul læva sublatis distentam extra membranulam acuto scalpro circumsecabis, ut ne quid tunicæ velanguli detrahas aut oblædas. Quâ peractâ jam operâ, tum ad destruendas omnes reliquias, tum ne coalescat quippiam: momentum salis in levorem detriti dat pulvisculi Paulus; commansum vero cum sale, cyminum, imponit Avicenna. Sed utriq; insuper ovi medicamentum: sed rosaceum ac violaceum addit, Arabs oleum, ex communi usu nostri lineas fibras aquato ovi delibutas superdant & obligant. Convenit autem ut rectè advertit Cornelius, oculum quotidie diducere cavereque ne cicatrice inter se palpebræ glutinentur. Eâdem ratione tractare licebit & Clavos, quorum curationem idem *Celsus descripsit, l. eodem & cap. sed partic.* 12. Quam ego curandi rationem comperi felicem in Bartholomæo à Calabria Juscaldensi sacerdote literato rem spectante Paulo fratre docto, medico & Antonino Tardino medico curioso, atq; aliis.

Celsus.

Avic. gluten caseo.

Paulus gineta tritum ponit, p[illegible]rygio [illegible]

Celsus.

CAP. LXXIII.

De tuberculo nasi extremi.

NAscitur in extremo naso tuberculum interdum quidem molle & rubellum (huiusmodi quidem

quidem mihi licuit vidisse, sed syphylium in Francisco Santorio Lyciensi) interdum durum & lapidescens, fuscoque colore sic ut aspectu se ipsum quasi referat malignum. Posterius hoc non oportet attingere nisi fortasse igne, prioris generis alterum amputare etiamvero licebit. Atque ea est excisio, quam primus proponit *Albucasis chir. par. 2. cap. 25. quod est de thelul. nasi*, sectæ autem particulæ curatio per repellentia, quæ communis mos imponit; per exiccantia atque adstringentia vult Arabs ille. Sed & Ægyptiis notam atque usu consuetam hanc chirurgiam testatus est *Prosper Alpinus lib. 3. medic. Ægypt. cap. 14.*


CAPVT LXXIV.

De polypo naris internæ tuberculo.

POlypus quidem, narem opplens tuberculum, si cancrosus non sit, rectissime rescinditur; fili quidem adstrictu proposuit *Ambrosius Paræus in l. 6. chir. operis c. 22.* sed non succedit id semper facilè certior expeditiorque vis est scalpri: quo, si uti libeat, illud primum commemorabo de genere ferramenti, quod suasit *Iulius Cæsar Arantius in lib. de tumor. cap. de polypo*; Sunt autem forfices prælongæ, quarum ab ipso non delineatarum forma & pictura poterit esse hæc, *Hieron. verò Fabricius l. chirurg. operat. c. de polypo*, suum quodndam in medium protulit, instrumentum, quod diligenti partium examine cum veterum græcorum organis & administrandi ratione collatum modis omnibus præstantius gloriatur. In qua re duplici nomine reprehenditur, & quod formam eius minimè, quantum satis erat, depinxit, & quod illud sibi attribuit commentum, quod multo antiquius est. Mitto enim, quod Albucasis ad exscindendum polypum meminit tenacularum acutarum, *Græcus autor Moschion l. de passion. mulierum apud Harmon. Gynæciorum, c. 15.* quod est de atretis sive vulvis imperforatis, meminit instrumenti, ad rescindendos polypos, his verbis: Si autem pulpæ fuerint inventæ, in gyrum præscindendæ sunt ferramento illo, quo polypos tollimus, & ita sollicitè secandæ, ne aut vesicæ collum aut longationem tangamus, ne incipiat turpiter aut stercus aut urina exire. Hæc ille. Atqui istud organi, quo prædicta omnia præstari possint, multo diversius, quàm quod proposuit *Paulus lib. 6.* non simplex, inquam, & epatha polypica, quam nominavit Alexander Benedictus alicubi: videtur, sed oppositi scalpri ex duobus ferramentis oblongis fibulâ supra medium sic inter se connexis; ut alterum adduci ad alterum possit & rursus reduci, quorum utrorumque altero extrema acies recurvo interne sibi invicem occurrunt sic, ut

Margin notes: *...nasi.* Albucasis. — *...Al... ...ter* — *...n.* — *Hier. Fabricius.* — *Albucas.* — *Moschion.*

Forfex cannulata aperta.



compressis in imo manubriolis aut ansulis quibus digiti immittuntur, ipsorum extremis, caro, quæ intra dictam utramque aciem intercipitur, præsecetur. Non ignarus huius organi videtur *Nicol. Florent. fuisse, qui l. 7. tr. 3. sum. 2. c. 29.* scripsit hæc. Deinde incide etiam (tonsillam puta putrem) instrumento cuius forma similis est forficibus, veruntamen extremitates eius sunt curvatæ ita, quod orificium utriusque earum est in directò alterius, acutæ valdè, quæ sunt ex ferro Indo, id est calybe: & si non fuerit præsens hoc instrumentum, tunc incide eam cum spachamili acuto à parte una & non acuto à parte altera; Typus autem instrumenti Nicolini nullus alius est, quàm quem in novissimè edito opere chirurgico Fabricii videre licet certaque mihi persuasio est ab ipso Nicolino hunc ipsum ut & alia plurima mutuatum Fabricium.

Hieronymi Fabricii plagium & fraus. Icon.

Altera longe diversa fuerit forma cannulæ sub extremum aciei acutæ, quæ cum carunculam oblongam, circumplexa radices, imasque partes, contigerit, levi contortu licebit exscindere extirpareque, ad quem modum memini superius ex Galeno per quendam suæ tempestatis medicum verrucas atque myrmecias revelli solitas: quemque in modum etiam, nisi fallor, *Avic. lib. 3. fen. 3. tr. 2. c. 6. & c. 11.* planius declarans rasorio ferramento, qualis est embuba, id est, ut credo equidem in extremo acuta fistula: hæmorrhoidas, narium amputari commodè dixit. Ad præscindendos verò polypos forfice cannulatâ, ea sit ex calybe aut ferro; rostrum habeat cannulatum rotundum, in superiori parte hinc inde coopertum; latera omnia operculi, & cannulæ acuta sint, ut præcidant, apprehenditur cannula polypu-, & à superna parte præscinditur, formandum autem pro polyporum crassitudine forfex omnibus extremitatibus cannæ acutus: figuram huius hic appictam damus talem.

Avicenna. Nostra administratio.


Licebit vero si crassior sit caruncula quam ut per fistularem hunc scalprum apprehendi queat ante per acum filum ducentem transui quo filo postmodum leviter attracto sic distenta caro laxa facilius subibit, cannulam per quam filum extra protensum manu continebitur in hunc modum, vide hîc appositam.

Aliud ad incidendum ferramentum invexit idem vir *l. 3. fen. 4. tr. 1. c. 17.* quod est de cura auris obstructæ ex caruncula: vocavit autem cultellum spinosum fortasse eiusmodi quale monstrat pictura; Raspatorium appellavit *Io. Arculanus in 9. Raz. ad Mansorem cap. 45. quod est de polypo.*

Alterum ad polypum instrumentum Avicenna.

Jam vero utrâvis chirurgiâ peractâ, non alienum à negotio fuerit, si ante candens aliquod ferramentum ad rem accommodatum præparaveris, ut si nimius sanguinis fluor coëgerit, imprimatur. Atque hoc interventu fistulæ, de quo genere aliâs dixisse memini.

Chir. privata c. de fistulis & tubulis & in pyrotechnia privata c. de polypo & ozæna.



CAP.

CAP. LXXV.

De nodis labiorum.

NOdos granis erui similes, qui plerisque hominibus sub internis labii increscere consuevêre, scalpro scindere licet, ac trito alumine scissura simplere. Ita enim *Albuc. chirur. par. 2. cap. 27.*

CAP. LXXVI.

De Ranula seu batrachio.

RAnula, Græcè dictum batrachium, tuberculum est sub linguæ vinculo nascens, materiâ constans variâ, siquidem interdum fluxilis & incoctæ substantiæ, coloris indefiniti, interdum hebetior caro inest, nonnunquam & coagulati lactis fortasse, qualis atheromatis est, materiam effluxisse testatus est, *Gesnerus hist. anim. l. 2. p. 51.* Hoc genus abscessus sectione curandum non approbarim, equidem aliâ, quam, quæ ab eodem; ut transfigatur acus primum per totum tuberculum, deinde scalpello vulnus augeatur, lavetur enim calidâ multâ vulnus & deinceps adstringentibus curatu. Meminit huius rei, nisi fallor, *Constantinus Afer. Chirurg. cap. 36. & Iul. Cæsar Arantius l. de tumor. c. 32.* Proposuit & sub mento apertionem *Rembertus Dodonæus lib. observ. propr. cap. 13.* tutissimam confessus eam, quæ intra os fit incisionem. Nihilominus, ubi quid impediat quo minus internè commode fieri queat, scire licet tum, ut sub mento suppungatur, proximum esse. Illo quoque decipi non decet huius generis tuberculis tunicam inesse, ni fallit *Cornelius in l. 7. cap. 12. §. 4.* qui maiori sub lingua nato tuberculo membranulam, inveniri verbis apertissimis est professus. Nimirum ego, quam abscessum sub lingua inscribit, vocatque eo loco latinus auctor, illum ipsum in dubiè puto batrachium; Etenim quod scalpro apertum effuso plenè humore non curatur & recidit sæpe; propterea fit, quod nutricula membrana restitit. Illud igitur eo dictum accipe, ut efficaciter medentis non fallentis & reversoriæ chirurgiæ opifex, atque administrator esse velis.

CAP. LXXVII.

De Glandulis faucium.

JVxta tonsillas carunculæ antiades communiter Græcis σπόγγοι privatim Hippocrati apud *Galenum in l. de glossis*, glandulæ nobis dictæ, si sic excreverint, ut transglutitus perspiratusque difficilis causę sint & pharmaca compressoria, quantumlibet strenua spernant, (concolores tonsillas & citra inflammationem molestam statuo) tum istæ efficacis chirurgiæ præsidio rescindi debent, quod ut percommodè fiat; æger in loco quam maximè sole collustrato, humili quantum oportet sellâ collocatus sic os diducat, ut vitium omne pateat, tum recurvis hamis prehensa glandula scalpro resecetur. Verum ea lege, ut ne funditus extirpetur, satis enim est; ut id, quod superneminet iuxta medium eius, quod præter naturam exercuit, amputetur. Secus enim excisionem altam molienti homini pręsentem sanguinis profusionem expectarem necessum erit. Ad hunc fere modum *Aetius l. 2. ser. 4. c. 48. Cels. l. 7. cap. 12. Avic. l. 3. fen. 9. tr. l. cap. 11. Constantinus Aphricanus Chirurgices cap. 37. & ante hunc Isaacus lib. 9. pract. c. 28.* ante quos omnes Arabas Paulus Aegineta ancylotome instrumento antiadas seu tonsillas exscindendi rationem docuit *l. 6. c. 30.*

CAP. LXXVIII.

De Columella.

HIppocrates *2. prognost. n. 24.* duos nobis columellæ modos descriptos reliquit. Alteram rubescentem rotundam humore veluti fervente suffusam, alteram albidam in longum diductam & pituita hebeti distentam. Illa quantum inflammatione sollicitat, tantum hæc strangulandi metu & vocis deglutionisq; impedimentis viget. Verum illa medicamentis & his refrigerantibus ac repellentibus est procuranda, hæc verò chirurgiâ tractanda, tum eiusdem Hipp. *oraculo lib. de affect. n. 4. & lib. prognostic. & l. 2. de morb. c. 29.* (licet ea de re scripta est contra dict. à Rorario, quam legito) *tum Gal. Isag. c. 18. Aetii ser. 8. c. 41. Pauli l. 6. c. 31. tum Albucasis l. 2. c. 37. tum Avic. l. 3. fen. 9. c. 14. tum Isaaci l. 9. pract. c. 42. & Constantini Aphricani in libello chirurgiæ c. 38. Guidonis Iuberti, Ambrosii Paræi* & quorundam doctissimorum hominum, testimonio. Plures ego prædictæ curationis felices historias conscripsi, *in lib. Physico chirur. c. 12.* curationem & instrumenta cum reliquis observationibus & cautionibus ab Ambrosio edisces & à *Nicolao Godino l. errorum, chirurgicorum.* Illud equidem instrumentum addere possum quod attinet ad forficem polyporũ, quam alibi depictam exhibuimus, mire ad hanc rem accomodatam esse. Cęterum & ustione præcidendâ columellę rationem suo loco posuimus.

CAP. LXXIX.

De digiti, qui vitio subiectæ cicatricis extendi non potest, curatione.

ALiquando accidit, ut altâ super ulcus inductâ cicatrice curvus digitus restet & extendi minime queat, tum igitur, ubi nullo nervi vitio certum est noxam evenisse, sed cutis callosæ nimium renixu, huius primum tota cicatrix exscindenda, deinde rectus digitus ad novam cicatricem producendus, quod ex *Celso ferè didicimus l. 7. c. 32.*

CAP. LXXX.

De enteroceles excisione.

ENteroceles (intestinales ut dicunt Herniæ) chirurgicâ curatione duplex est; altera quæ cum execto teste, altera, quæ eodem incolumi conficitur. Hanc nos posteriorem tradimus ex bonis autoribus propositam; *ex Aetio l. 4. ser. 4. c. 101.* & novissime ab *Hier. Fabr. tum l. chir. operat. tum l. de tumor. c. propriis*, quæ est hæc, locus intestini irruptione extumescens homini stanti, qui spiritum retineat, atramento secundum omnem sui circumscriptionem notatur. Mox super assere strato eidem & deligato, minister imum abdomẽ comprimit: Chirurgus manu lævâ cutem atramento notatam quam maximè licet attractam ac secundum eiusdem prehensæ fines, cum membranis ad vaginalẽ usq;, vasis servatis spermaticis amputat: mox acu firmâ inflexâ limũ item firmũ crassiusq; trahente, cutẽ simul cum membranis & vagina-

[Marginalia: Albucasis. — Ranunculi descriptio. — Gesnerus. — Inversio. — Quamobrem ranula curata redit, & redeat. — Celsus. — Avicenna. Constantinus Afer. Isaacus. — Columella duplex. — Qua medicamentis Columella. Qua chir. tractanda. — Nicolaus Godinus.]

vaginalis seclusis vasis, consuit & constringit, imposito primum ovi glutine cum pulv. sanoticis & terebinthina denique empl. barbaro vel simili finitur in quiete homo ad suum cicatricis inductum, denique ceratum adstringens Arnaldi cum subligaculo gestandum iubet, ad extremam usq; loci firmitudinem.

CAPVT LXXXI.

De adenis putridis inguinum.

ADenas in contagiosis inguinum ulceribus avellanarum è complicatis calicibus extantiũ more turgentes humore multo circum lento plerique medentium consuêre sinere; sic, ut longũ carnis super inductum morentur; sed tædiosa res est, ac multoties morbus ex diuturno decubitu concitat. Quam ob rem si tenui sint pendunculo, maximè si circum virus alluat ab his glandulis altum; consuevi equidem in nostro nosocomio forfice decutere: Nempe si per aliquot eximios professores integriores eædem, quales sub strumis sunt, eximi consuevêre; quantum utique confidentius marcescentes sint detrahendæ? quod si sanguis multus effluxerit, aut si reprimendæ putrilaginis gratiâ sic expedire videbitur: tum non parcemus inustioni, porro sanabitur ita liberius maturiusque homo.

CAP. LXXXII.

De testibus semicorruptis.

OCcupat & testes aliquando putredo seu rectius marcor quidam & sideratio profecta potissimum à causis externis, quæ sunt ictus, contusio, frigoris extremi vis atque alia; ex gangræna quoque scroti detectos testes vidi in perniciem actos; ex quibus omnibus causis homines male affectos curavi incurabilium valetudinario prope innumeros, quorum nunc enarrabo paucos, qui memoriam non fugerunt. Primus Josephus de Tocco monachus idiota montis virginei, alter Franciscus Mansus; Tertius Annibal Politianus ex civitate Tronthi in Samnitibus. 4. Franciscus de Leone Martinensis qui etiam septuagenarius afflictiones istas superavit; quintus auriga quidam Capuanus, quos omnes feliciter excisione servatos noverunt tum medici nosodochii nostri, tũ religiosi Patres assistentes infirmis.

CAPVT LXXXIII.

De calli Lepidoidis excisione.

OB calculum cæsus puer, cum vulnus agglutinari haud potuisset, margines eiusdem calculo occalluerunt, urina se semper inde excreta unde factum est, ut alterius chirurgi industriâ, labiis crustaceis vulneris recruentatis exectisque calculiformibus oris, id ritè postmodum coaluerit atque urina per suum meatum profluxerit, ægro integre restituto. *Ioannes Centimano lib. de calcul. human. corpor. cap. 11.*

CAP. LXXXIV.

De Racosi scroti abscessu.

SVbnascitur scroto tæda quædam & a postemodes cutis eius laxatio, quam Paulo quidem rhacosis, id est, detriti panni modo lacer abscessus, Avicenna v. Mellif. cuius meminit & *Ioannes Manardus l. 7. epist. 2.* Accidit autem affectus, multiplices ob causas ex internis quidem est quælibet Hydropis species, cachexia, inflammatio spontanea partis eiusdem, aut proximus ex inde abscessus, potissimum autem perinæi & vesicæ & huius canalis carunculæ, gonorrhæa suppressa. Eiusmodi quampiam curavi nuper Vincentio Petrosino pileorum opifici concinnatori, cuius Historiam alio loco retuli.

Ex causis autem externis est frigus intensum & in solo decubitus, ex qua causa laborantes plurimos milites regios, qui in arce navali iacuerant ad Verruvianam obsidionẽ mittendos & interim ad valetudinarium nostrum delatos curavi feliciter, Anno ni fallor 1627. Curandi autem ars & providentia est prius, quam omnino denigretur pars omnis, forficibus acutis vitiatam cutem præscindere.

CAPVT LXXXV.

De callo matricis.

CLauditur orificium matricis interdum ex vulnere aut ulcere relictâ cicatrice, interdum ex causis interioribus facto callo: ob quam clausuram mulieres viris usæ, aut semen recipere, aut conceptum infantem parere nequeunt. Cui vitio impedimentoq; tollendo patefacto per dioptram sinu pudendi, callum in medio dividimus & ex utraque parte initio tenente latius proscindimus, ne naturalibus cicatrix curata iterum orificium claudat. Ita ferè *Meschion in Harmonia gynæc. c. 15.*

CAP. LXXXVI.

De pterygomotis & cristis vulvæ.

INterdum ex lento quodam humore affluente in exteriores particulas vulvæ subnascuntur pterygomata, id est, ala, sive ut aliis placet, gallinaceorum cristæ, quæ pudendum uteri sinum sic opplent & obstruunt, ut masculei seminis in coitu necessariam immissionem intercludant. Quam ob causam præscindenda hæc impedimenta, venerisque bonæ offensamenta quisque videt. Forficibus igitur & scalpris præsto fueris & pari curâ, qualis & in aliis hoc genus vitiosis vulvæ concrementis proposita fuit. Meminit autem & huius rei *Renerius Solenander cons. 15. sect. 5.* Historiam ab experto adiungens.

CAP. LXXXVII.

De Thymis, ficis, verrucis, àcrochordonis & hoc genus.

THymos, & ficos & verrucas, atque alia id genus tubercula, tum in vulva, tum in pene, à viscido & lento quodam humore profecta, quoniam præter turpitudinem & fætilitatem, detrimentum etiam aliquod naturalibus functionibus afferunt, prompta manus chirurgica iustam ad naturam omnia redigens eximit excisione, quam rem & *Galenus lib. Isagogico c. 18. F. Albuc. chirur. p. 2. c. 56.* magis autem abscissionem properabis si fici sint cancrosi, quales curasse se perhibet generossimus, si quis alius Chirurgus *Fabricius Hildanus observat. 2.*

Verrucas autem, acrochordonas & hoc genus, ut comprehendi queant, prius circumfodit, mox ferreis forficibus ad hoc factis extrahit *Constantinus chirur. c. 17. & ante hunc Isaacus lib. 9. practices cap. 18.*

CAP.

CAP. LXXXVIII.

De fissuris sedis & condylomatibus.

CVrationes horum primum quidem fiunt per medicamenta, dilatatâ vero curatione dum & indurantur & callosæ fiunt affectiones, chirurgiam adhibere oportet ita, ut in condylomatis quidem æger commodè locetur & ipsum condyloma volsellâ distentum funditus exscindatur, in fissuris autem ut callosa rimæ labia deradantur cuquo supina ac recens ulceratio fiat ad facilem curationem. Post chirurgiam consequens curatio primum est suppuratoria, deinde repurgatoria, postremò ad cicatricem perducens. *Aetius tetrab. 4. ser. 2. cap. 3.*

CAP. LXXXIX.

De rimis in pudendis.

RImæ ac fissuræ in præputii summitate fiunt, quando angusta ea existens violenter reducitur; Ruptis autem corporibus inflammationes succedunt & dolores intenti. In principiis igitur rima dum recens est, cruentatur, antiqua vero callosa fit & rursus cum violenter disparatur rupta rursus cruentatur, proinde ad curam festinare oportet: ubi vero antiquatæ fuerint & callosæ factæ curationem distulerint, nihil proficientibus medicamentis, confert cutem abducere & callosa rimarum labia supino scalpro, quantum eius fieri potest superficiariâ sectione diducere. Resupinatæ enim & recentes factæ rimæ ac fissuræ celerrimè sanantur. *Aetius Tetrabl. 4. serm. 5. cap. 14. ex Leonida ipse.*

CAP. XC.

De alarum pudendi muliebris abscessu.

ADnascitur interdum alis pudendi muliebris tuberculum principio pusillum, deinde magnis incrementis augescens, molle est, concolor, contrectatu modisque omnibus fermè indolens. Quod equidem ex modo dictis indiciis & ex contenta materia ad œdematis genus, in quotquot vidisse licuit, retuli, abscessus nomine; censuit *Aetius l. 16.* incertum autem, suppuratorium an anomalum, seu cysticum quæ nostra est appellatio, noluerit; desiderabatur hæc quidem explicatio, verum ego suppuratorium haud quaquam interpretor, nam sectio in his sublaxis præsertim locis metu fistulæ neque omittenda neque differenda est, sicut nos monuit *Hippocrates & ex eo Paulus lib. 6. c. 34.* atque (quod mirum est) abscessus, cum versus sedem declinarit, vitandam sectionem cavit Aetius. Quare, ut contradictio nulla sit, haud suppuratorium interpetrabimur, verum enimvero cum cæteri generis constituitur abscessus, ex alio difficilis fit sermo his, quod è sectione abscessus, qui ad ani loca declinat, timendam fistulam indicat, verum cum rugosa loca causatur, id ego sic accipio, ut rugositas sit ista ex coalitu membranearum; particularum futuro, vel saltem non sine hac naturalis locorum implicatio sic reminiscenda, confirmatur id amplius, quod cum sectionis culpâ malum maius expectandum sit, abscessus, qui gestatu gravis eâ parte, rescindi negligitur, sed quæ mea fuit observatio referam: Scorticulo propendebat in labio pudendi minoris pineæ magnitudine tuberculum basi minore, quam extremo altero pendulum, qui uno iam anno sic ex parvo extumuerat: fœmina licet trepidans partim metu vastioris incrementi, partim molestia mali præsentis urgebat ad demolitionem; constrictum vinculo die uno ac tantum non stupefactum postridie resecui cute circumplexu crassissima plus media digiti latitudine, internè concrementum maioris aut visci modo pallidum; non admodum multum, memini præputia propendula venereâ lue affectorum insecta vel execta, talia vidisse percuratum de more ulcus coalitum est, infra triginta dierum curriculum.

[margin: ...tii sententia qua... ...rè.]

[margin: ...tii sistu... ...timentis ...io.]

[margin: Historia, atque observ.]

CAPVT XCI.

De moro.

SÆpe genus tuberculi quoddam nascitur à similitudine, morum nominatum; quod excoriare per scalprum oportet & cum succo aliquo usque ad multam sanguinis effusionem fricare, sanguine vero deterso pulvis, quid mechimeo dicitur, superponatur. Deinde butyro bovino mundificatum cum unguento de ærugine æris curetur. Ad hunc modum *Isaacus Israelita l. 9. Practices cap. 34. & huius loci compilator Constantinus Afer l. Chirurg. cap. 31. Meminit & mori per exectum feliciter curati. Phil. Ingrass. l. de tumor. p. 264.*

[margin: Isaac. Constantinus.]

CAP. XCII.

De clavis pedum.

INter minora omnia vitia tædiosissimi sunt clavi pedum, quibus nimirum innitimur perpetuo stantes, sedentes ac ambulantes; hi quidem si emolliri aut discuti possint, medicamenta nos in pharmaco chirurgico proposuimus, ad manum tamen chirurgicam spectat eorundem revulsio, qui tum scalpro rescindantur ut *Felici Platero visum est tr. 3. tit. de extuber. p. 393.* tum si fuerit opus fungo ignito, deurantur; ut placuit *Albucasi chir. parte 2. c. 8. & I. C. Arantio l. de tumor. c. 68.* His addo, si comodiore velis istorum resectura defungi, memineris, ut acu ferrea flexili ac longa primum hos transfigas, deinde attractos ad superiora, sublatos sic exscindas, viâ enim uteris comodissimâ.

CAP. XCIII.

De Nymphotomia.

NYmphotomia Græcis, latinis est præsectio nymphæ particulæ excrescentis è muliebri pudendo. Cuius naturam cum multi nostrorum variè interpretentur & opinentur, est fermè necessarium id rei decerni monstrarique diligenter, ne vel in consilio capiendo vel in opera agenda turpiter aberremus.

Difficile autem inter universos ita multum dissentientes, sive Græcos sive Arabas sive asseclas posteriores legeris; certam assequi sententiam: adeo sc. & rem obscurè ieiuneq; tradiderunt ac diversè rem protulerunt descriptione substantiæ, formæ & figuræ, magnitudinis, usus, ort⁹, loci, &c. Itaq; neq; deliberat Aetius musculosa ne sit, an pelliculosa substantia; utramq; verò vult Hieron: Mercuri-

Mercurialis: Naturæ consentaneam & mulieribus omnibus communem arbitratur G. Fallopius: monstrosam & raram quales Hermaphroditi sunt, censet Andreas Vesalius: sunt qui sinceram & integram, ut Fallopio adhærentes quidam à Schenckio producti; sunt, qui graviolentem & ulceratam, viri perperam Hippocratem interpretantes.

Nonnulli peni cuniculo parem, nonnulli excessu maiore, quique penem virilem æquare æstimant, aliis figurâ columellæ, aliis colli anserini. Plerique in mortuis observari rectè; quidam in obitu vanescentes asserunt. Ad summam de una re ambiguitas est tanta, ut nihil non opinari possis. Nempe (quod de hymene evenit) & in viventibus eiusmodi partim raritate non visere, partim verecundiâ non licere, in mortuis vero abolitas & cassas has partes ut vix vestigia manserint, adstruuntur. Nos, quo ad nostræ virili portioni, licet accurate rem vestigabimus & quæ verior possit esse sententia tum ingenio & ratione, tum scriptis nobiliorum innixi, proferemus. Scripsit inter omnes hac de re plenissimè licet, etiam concisè *Aetius Amidenus Tetr. 4. ser. 4. cap. de vitiis uteri*, sectione carnis pelliculosæ proposita, cuius administratio postea referetur: Accessit proximè ad hanc sententiam *Paulus l. 6. atque Albucas. l. 2. c. 71.* Crescit autem hoc autore adeò caro, ut colem virilem æquet & satyriasin inducat intolerabilem tabefactumque etiam corporis.

Convenerunt isti omnes in exscindenda re non inutili solum & ociosa, sed incommoda & permolesta; ita scilicet alienum & præter naturæ modum incrementum illud carnis æstimarunt. Contraria sententia *Gabrielis est Fallopii obseru. anatom.* non qui de amputando aliquid decreverit, sed qui naturalem hanc partem & sexui fæmineo communem arbitratus fuerit; dissentiente tamen ac repugnante *Andreâ Vesalio, qui in Examine observ. Fallopii, anat.* contendit aut monstrũ aut morbum hunc esse. In qua quidem controversia certe inter omnes momenti maximi dijudicanda, non desunt quidam, qui Fallopio faverint; è quorum numero est Jo. Coiterus & Germanus quidam vir alius, cuius observatio *à Io. Schenckio l. 4. tit. de part. genital. mulierum* est recitata; sed aliquanto plures sunt, qui Vesalio adhæserint; è quibus est *Hieron. Mercurialis, l. 4. de morb. mul. cap. 13.* & hunc imitatus sequutusque suppresso nomine autoris *Ioannes Schenckius indicato iam loco.*

Nobis, si licet id, quod sentimus, liberè pronunciare, statuendum ita videtur quod ad Fallopium, qui rem inter omnes maximè implicavit novâ opinione naturalis clitoridis, structuram huius vix in una aut altera fuisse ad asserendam eandem experimentatam. Mentulæ autem muliebris duplici nervo cavo & spongoide, atro ut in viris sanguine referto, musculo & vasis excurrentibus, glande & præputio constantis molimen, quali quibusvè usibus paratum ad necessaria stantum res semper curante natura? R. Columbus, qui præcipuus item fuit anatomicus cum duriusculum & oblongum hunc processum tactu etiam tractabilem delectationis venereæ sedem retulerit: nihilominus Fallopianas istas particulas haud agnovit. Processit adeò opinata hæc constitutio virilis in mulieribus: ut ad memoratas alias omnes etiamnum testes peni subiectos & spermatizantes crediderit *Alsarabius tr. 25. cap. 19. & 21.* Memorat quoque de tribadis Bassa & Philenide Martialis, de Sappho alii: sed monstrosa sunt hæc & minime naturæ bene ordinatæ consentanea.

Recte igitur Fallopio contradixit Vesalius. Quoniam naturalis nymphæ pars excrescere morbo, quibusdam fæminis meridionali sub plaga cœli natis interdum solet; providentia fuit Ægyptiorum, quemadmodum in masculis infantibus pelliculam hanc, in puellis amputare quam ob causam gentis illius ritu faciendam hanc sectionem docuit Aetius & mutuatus ex eo, ut facile apparet, Paulus Aegineta, cuius sectionis administratio brevissimè descripta, hæc esto fœminâ supinâ decumbente, sic, ut è lecto abductis clunibus diductisque cruribus medenti commodam se offerat, manu læva vel hamulo acuto prehensam nympham, dextera per scalprum rescindes providus hæmorrhagiæ quam alioquin evenientem præparatis ad hanc sistendam medicamentis comprimes; cautus item ne altius secando in vesicæ collo rhyada, provoces. Mirum autem non tractatam hanc tractationem à nostris neotericis qui libros operationum Chirurgicarum reliquêre.

CAP. XCIV.

De cauda vulvæ.

A Nympha modo descripta diversum in vulvæ foribus concrementum Græci fecère τὴν κέρκωσιν, quam nos vocabulo quo licet, indicabimus. Cuius inter omnes primus *Aetius meminit l. 4. serm. 4. c. 104. & post hunc Paulus l. 6. cap. 7.* apud quos viros est ἡ κέρκωσις, carnosa quædam substantia ab uteri osculo prodiens & pudendum muliebre replens, quod aliquando exterius progressum caudæ figuram refert. Tollitur autem Aetio autore, si caruncula prominens forcipe distenta, tota ex basi resecetur, sed hic video desiderari discrimen, quo nympha caudaq; discernantur, ad invicem; quam rem quidem minimè declarârunt antiqui; neoterici vero ad hunc modum distant, *inquit Ioannes Varandæus, lib. 2. de morb. mul.* quod cauda sit germen quoddam penis virilis instar, mediæ crassiorique, particulæ pubis incumbens & ad vesicam è regione spectans; nympha vero excrescentes sunt carunculas circulares & fungosæ, utrinque ad latera pudendi muliebris assidentes statim, utrimam labiorum instar aptius concludant, atque urinam effluentem quodammodo dirigant. Vbi autem nimium excreverint, ac propemodum induruerint suâ importunâ magnitudine, concumbentibus, viris sunt perosæ. Planius vero *Hercules Saxonia lib. 8. Panthei medicinalis cap. 7.* quid sit utrumque definiit; est nympha incrementum præter naturam cuiusdam partis in extremitate superiori pudendi muliebris ex substantia partim

Ioannes Varand.

quidem

quidem membranea & cartilaginea, partim etiam musculosa virilis mentulæ formam referens, habens in extremo glandem, quæ perinde ut viris erigitur augeturq; sic, ut fricatrices hæ mulieres virorum officium subire valeant. Cauda vero est incrementum carnis præternaturam; quod os vulvæ occupat, interdum autem tam multum excrescit, ut caudæ in modum extra promineat. Distinguuntur autem, inquit, hæc inter se, quod cauda universum foramen occupat, est tota carnea, non erigitur, delectionem non affert ac tota est præter naturam; Nympha verò cum parva est, naturalis omnium est, in superiore vulvæ parte interna prope orificium meatus urinarii, ubi alæ invicem committuntur. Aliter utramq; rem discriminatus est *Hieronymus Mercurialis l. 4. de morb. mulier. c. 13.* qui dicit utrumq; morbum esse quidem in aucta magnitudine verū distare locis: porro nympha supra vulvæ alas, ubi pudenda committuntur & quâ meatus extat urinarius, augescit; cauda vero in orificio pudendi concrescit. Deinde alterum inferius, idem vir ait, esse hos quidem affectus in numero & in via, discrepare tamen Symptomatis; nempe sub nympha depravatur coitus functio naturalis; quando videlicet concupiscitur hæc amplius, quam par sit; sub cauda vero impeditur introitus, exitusque seminis naturalis.

CAP. XCV.

De carneo concremento vulvæ osculum præpediente ex Lanfranco chirurgo.

ALiquando mulieribus sive conformationis vitio sive accidente alio fit, ut caruncula obstipet osculum nunc mollis & flavidior nunc membranacea & lacertosa. Posterior hæc ita plerumque increvit, ut & fæminæ sit tædio & concumbenti viro sit offensamento, quo minus rem perficere queat. Reiectam hanc aureo cautere licebit, reprimere leviusculè; carnosa vero & mollis tum ferro tum igne attingetur.

Si admodum solida sit & nervosa, quæ mentulæ virili respondeat, atque etiam contrectatum arrigatur, consultum est ut chirurgiâ minime tentetur. Porro maius fuit naturæ, procreantis erratum, altiusque vitium, quam ut humana cura revelli queat.

CAP. XCVI.

De Caruncula vulvæ aureta.

IN vulvæ lacuna, humore & fluxibus alienis semper scatente, varia sæpe visuntur concrementa, inter cætera carunculæ, de quibus mox dicturi sumus. Primus earum meminit *Hippocr. qui lib. de natura mulierum prodidit* hæc; si in pudendis grave olentia fuerit, columna innascatur & dolor affligat, dolorem quidem sedabit apii semen in vino datum, graveolentiam verò anisium eodem modo. Columnam vero abscindere oportet: Rursus autem *& in l. 2. de morbis mulierum F.* si columella inquit, in pudendis nascatur, dolor obtinet, cuius medela est apii semen. Columellam verò resecare oportet. Hæc quidem Carnarii versio fuit. Cæterum κίων haud columella est Galeno Glossarum Hippocratis expositori, qui ait, κίων Vestiolarum est congregatio, quarum unaquæq; κίων nominatur *in fine lib. de morbis mulierum.* Quæ cum dixit, admirationem fecit & *H. Stephano Thesauri Græcæ literaturæ autori & Anutio Foësio, Oeconomiæ Hippocraticæ scriptori,* quærentibus quo pacto possint hæc Hippocratis sententiæ congruere, quæ maximè dissentanea atque aliena videntur. Itaque prorsus hæc accommodare diffisi mirè respuerunt. Mihi videtur nomen hoc polyremum à Galeno explicari, atq; ubi partem ad bestiolas illas attinentem enarravit, cæterum ubi corporis particulis impositum significatum exponere instituit, loci lacunam esse factam à librario, est autem defectus à postrema dictione (nomen est) supplenda igitur, hæc quoque gurgulioni laxato & pudendi muliebris carunculæ communis. Ad hunc modum perfectus redditur sensus & nullum in Galeni exegesi relinquitur absurdum, aut à glossa Hippocratis alienum. Iustior animadversio esto in *Hieronymum Mercurialem lib. 4. de morb. mulier. cap. 13. & in Ioannem Schenckium in oper. obser. medic. tit. de partib. genit. mulier.* opinatos columellam hanc vulvæ ab Hippocrate descriptam mentulaginem esse muliebrem, de qua disputavimus ante. Verum quid mentulago sit, quæ doleat & grave oleat & quæ medenda per pharmaca Hippocrati videatur? longe diversa hæc & toto cœlo dissita videtur, sed aliorum etiam eius rei historias audiamus. In summitate pudendi, quâ clitoris extat, carunculam spongiosam, cute intectam, venisque obsitam collum anserinum crassitie & longitudine referens radice tenus in pudendo extenuatam indeque ampliatam vidit & scripto prodidit *Felix Platerus apud Ioan. Schenckium.*

Huius quoque vitii parem conscripsit *Phil. Ingrassia l. de tumor. præt. nat. p. 273.* Informis item Carunculæ in vulvæ primo aditu natæ meminit *Mochion in Harmonia Gynæciorum c. 15.* cum inquit, ex orificio matricis carnem quandam emergere & tantum excrescere, ut expleto orificio colloq; Matricis, aliquando & forâs hæc excidat & hæc quoque tribus digitis in initio apprehensa ferramento radicitus tolli potest. Huius quoq; modi videtur fuisse hæmorrhois vulvæ digitali longitudine quam descripsit *Hali Rhodoam comm. in l. 3. microtechnes t. 177.* per hæc verba, vidi mulierem quæ est usque invita, & nata erat intra vulvam suam hæmorrhois longitudine digiti indicis & eius grassitudinem habens, donec prohibuit virum posse coire cum ea & rogavit me inciderem etiam & curarem ipsam & non fuit mihi conveniens facere illud, quoniam ipsa habebat principatum in mundo & censum multum & vir eius est unus Rex hodie, &c. quæ ille perperam autem hanc hæmorrhoidem uteri communem interpretatur *Hieronymus Mercurialis l. de morbis muliebrib. c. 13.* Descriptæ iam apparuêre diversæ carunculæ & concrementa, circa extimam matricem, siquidem igitur eiusmodi aliquid occurrat tibi, fæmina conquerente rem alienam: huic non lentus eris adesse ope chirurgiæ levatrice. Superfluum quidem si vitium concedetur, filo adstricto stupefaciens aut rescindens, sive scalpro celeriore amputans & exstirpans. Vnum caveris & studueris, ne per dissectum profusio præsertim sanguinis consequatur,

ſequatur, cui tamen evenienti; compeſcendæ medicamenta quidem adſtringentia multigena præpotentia ſæpe, ſed ignis explorate ſuccurrit. Dicemus autem & de carneo concremento vulvę oſculum præpediente ſuo loco.

CAP. XCVII.

De utero prolapſo.

IAm vero cum uterus diu prolapſus ac refrigeratus eſt, ita, ut receſſu inemendabili ſpem reſtituendi ſuſtulerit; propoſuerunt experti viri, ut abſcinderetur: ſed hoc vinculo, quod excedentem partem complexu arctè conſtringeret, ita, ut tabefacta portio elaberetur, ita *Franciſcus Roſſetus in l. de part. cæſa. ſect. 4. cap. 5. & Iacobus Hollerius libro primo de morbis, inter. c. §. 7.* quin etiam qui putredinem non inierit, ſed deſperatæ reſtitutionis iam ſit, excidi debet & reſecari ad vivum, addit *Ludovicus Duretus in enarratione,* neque enim, inquit, uterus pars eſt ad vitam tuendam neceſſaria. *Ita etiam Anton. Benivenius lib. de abd. morb. cauſ cap.* 11. *Guil. Brixienſis & Marcus Gatinaria in 9. Razes c. iſto* qui luculentam eius rei narrat hiſtoriam. *Nicol. Florent. ſer. 6. tr. 3. c. 26. Iacob. à Carpo in Iſagoge anatom.* re per ipſum confectâ, quam vidiſſe præſentem teſtatus eſt *Io. Langius tom. 2. epiſt. 39. Iacob. Sylvius l. de menſib. c. de uteri præcipit. Chriſtoph. Vega aph. 18. c. 8. & l. 3 artis medic. ſect. 3. c. 10. Ludov Duretus in Hollerii c. 57. Ambr. Paræus l. de hominis generat. c. 41. Caſparus Bauhinus in append. ad Roſſeti l. de partu Cæſareo. Hieronym. Mercurialis l. 4. gynec. 21. & Laur. Scholzius ſuis in obſervationibus, Andr. à Cruce l. 5. tr 3. c. 4. atque alii adhuc complures. At Andreas Cæſalpinus l. 8. art. medicæ* 24. teſtatur complures, quibus reciſa fuerat hæc pars, non ſolum ſanatas, ſed & concepiſſe & peperiſſe; Reſtant & qui faverint autori, Græci clariſſimi, hique ſunt *Aetius tetrab. 4. ſer 4. c. 26. & Aegineta poſt. hoſce l. 3. c. 72. & l. 6. c. 88. & ex Arabum familia Avenzoar, in l. 2. ſuæ medicinæ cap. 4.*

CAP. XCVIII.

De pedibus cum ulceris quodam genere tuberoſis.

OBſervavi equidem aliquando ab ulceribus diſpepticis, quæ diutius orta ſordem condunt nec exterguntur; illa ſic ali proprio vitio, ut crebro altoque tubere extumeſcat pars, pedes potiſſimum, ad quos proclivi delapſu præcipites irruunt humores graves & craſſi de ſuperioribus expulſi. In his igitur nihil melius, ſive cum diſſectu, ſive ſecus ignis vim experiri, quo quidem uno haurias exiccesue quod curationi obluctatur; Nempe mihi Franciſcum Mæum Calabrum Caſſanenſem ex hoc vitio in noſtro Incurabilium Noſocomio medenti felix hæc curatio obtigit.

Ignis præſtantia ſingularis.

Hiſtoria. Anno 1627. Novembr.

CAP. XCIX.

De calloſo plantarum ulcere ab ambuſtu.

NOn me pigebit memoratu dignam curationem, quam uſu comperi felicem referre, in valetudinario ſe nobis obtulit; Dominicus Sulſeva genere Lycienſis, pedum plantis quà ulceratis & quà obductis, reſiduo adhuc ulcere ſordido carneq; ſubſcalptâ alteque obturatâ, undiq; veluti per callum, cuius multos iam menſes ingreſſum impedientis cauſam retulit homo ſupplicium ignis à quæſtore inflictum. Deſperata à medicis omnibus cicatrice, tum quod adhibita plurima ex arte remedia nil profuerant; tum quod abſumpti nativi caloris humoriſque aperta eſſet conjectura: nihilominus aſtricti nos publici curatoris fidelitati curâ aggreſſi, caruncullas omnes malas duraſq; abſcidimus medicamentiſque fotum ulcus poſt aliquod tempus, illud autem non breve viſum eſt, ad meliorem iremodum. Veruntamen ampliatum eſt demum ſponte ſuâ, quod cum iam obſervaſſem, poſtquam applicitos erodentes pulveres advertiſſem, ſubeſſe vitium intimius; illud eximendum modis omnibus meditatus etiam, ad ſcalprum appuli manum; quare ſectum ad vivam uſq; inculpatamq; carnem operatus, ſic demum reſtitui particulæ ſuam integritatem; non plus hercle quàm menſe expletam quam uno iam anno in dies expectatâ minime attigerat miſer. Hanc te celare curationē profecto nolui, quâ feliciter ad huiuſmodi pleraq; uti poſſis.

CAPVT C.

De flexu pedis alto tubere velut torquato.

CIngulum pedis, qua flectitur, pollicum craſſitudine vidimus in homine ruſtico, qui ſe curandum receperat in ſacrum noſtrum valetudinarium Incurabilium. Tuber quoddam inſolensatq; hactenus à nemine obſervatum aut certè deſcriptū facile iudicaſſes, à longo geſtatu compedum inductum: ſed neq; tamen unquam compertum in his, qui tota vita duras catenas pertrahere conſueverunt. Ortum ſc. ab erumpente pituita craſſa & melancholico ſucco, aſpera autem extimè velut elephanti tumoris cutis ſubnigrūq; apparebat tuber. Hunc nos circumſectum & exuſtum facilè curavimus: Huiuſmodi ad amuſſim tumorem & in alio etiam homine vidi obſervavique, qui chirurgicæ manui ſe committere mordicus eſt obnixus.

CAPVT CI.

De ungue pollicis altè ſe ſub carnem & cum dolore non mediocri defigente.

EX omnibus digitis illud peculiariter accidit pollicibus pedum, ut ungves duriſſimi ſolidiſſimiq; ſecundum latus externum ſic infigantur ſubiectæ carni, ut & graviſſimos dolores moveant & inceſſum adimant, qui ſi reſecentur, neque ſic proficitur, ut denuo accretæ validius non imprimantur; quo caſu cum multa ad inhibendū tentent, quotidie multi lammulas plumbeas, ſpongiolas, linamenta obtorta, atq; alia plurima ſubmittente, tamen infrugiferus eſt omnium conatus, ut in Camillo Caracciolo Principe Abellinatum Illuſtriſſimo vidimus, qui curatione aliorum leniore diu tractatus ante quidē functus eſt vitâ, quam eam moleſtiam abiecerit. Expeditiſſima ratio eſt, ſi portiunculam carnis illius, quæ lædentem ungvem amplectitur, catheræticо aut ferro reſcindat, quorum hoc quidem utilicebit in his, qui duriore ſenſu, aut animoſiores, ac deliberatiores, longas medendi moras, non ferunt, altera vero, quæ eſt cauſtica, contenti erimus, in delicatioribus atq; in fæminis, Ad quem quidem modum curata eſt à me Virgo Deo dicata in cænobio Jeſu Neapoli ſoror vocata Maria Magda-

Irrita hoc ... multi... cura...

Hiſto... Anno...

Magdalena Mormilis, quæ duos jam annos medicamentis à Jasolino præceptore nostro applicitis nihil profecit, nostrâ hâc viâ celeriter est curata. Cæterum medicamenti parandi rationem jam in nostro pharmaco chirurgico produximus. Ita quoq; religiosum virum Cappucinum fratrē dictum Hyppolitum à Torella diuturnis laboribus liberavi. Ita & Hortensium Ventrutum Sacerdotem Hydruntinum virumque in humanis literis excultissimum; ita & Venafranum quendam civem, quem ad me Franciscus Compagnus medicus auditor meus conduxerat, pristinæ pedum integritati restitui. Ad hunc denique modum & Forini Principi, quem triennio malum afflictaverat ab aliis urbis nostræ medicis inexcussum sustuli feliciter.

CAP. CII.

De præcisione, atq; excisione in orbem.

AD efficacem deliberatamq; chirurgiam spectant præcisio tum putridorum artuum; tum necrosi vel veneni contage alienatorum; tum etiam eorum, quæ suadet artis provisio cogitare, mortis evitandæ ratio præsecare; enimvero tam impotenter nos urget necessaria rescissio, ut nemo medicus sit, qui hanc jure negligat, aut detrectet. De singulis ordine dicamus, quod ad primū attinet, ut luculenter, & maxima, qua licet evidētia rem, quæ multis est difficilis ostendamus: id quod observatum à nobis est in sacro Incurabiliū nosocomio breviter exponemus. Homo XL. annos natus (Bartholomæo Chiocchæ nomen) epilepsiæ causa lapsus in ignem, ad quem proximè frigus hybernum depulsurus accerserat; brachiū usq; ad cubitum ita concrematum retulit; ut & carnis portio grandis abscesserit; & vincula, quæ os humeri cum inferioribus ossibus colligāt, disrupta fuerint. Attenuatis undiq; musculis, & alicubi locorum osse humeri, quod adiutorium vocant, apparente; decreveram iniecto vinculo ad removendum sensum adstricto os humeri paulo supra cubitum amputare serrâ, quale enim remedium inveneris discussis vinculis ad continenda ossa, ne divulsu collisuq; ipsorum temerario spasmodes & peracerbus dolor partibus aliis sentientibus & nervis non inferatur. Illud igitur cum mortiferum in dies atq; etiam in horas homini, brachium interiturum ipsum & vitæ damna extrema ferens, rescindi prorsus necessarium visum est, non aliter sanè, quàm malum civem præservanda cunctorum unitate expedit, è medio tollere. Sed enim ægrotus nostrâ deliberatione cognitâ, lachrymis & eiulatu vehementi sic concitavit undiq; turbas, ut delata jam re præfectis, qui tum forte non longe aberant, impetrasset rem ad aliquot dies differri. Interim tormentis ac vigiliis continenter homo vexatus, sic extremo malo propinquaverat, ut pene succumberet. In eo igitur statu quàm maximè poterat obnixè obsecrabat per Deum, ut quod ante hac instituteram jam exequerer: facilè se sortem qualemcumque chirurgiæ laturum. Quas voces vix equidem audieram primum, siquidem perferendo dolori suffecturus minimè videretur. Quare sectione reiectâ, medicamentis curatus eo pervenit, ut ossa nigrorem passa jam abscederent. A quo tempore confisos vidi quosdā è nostris, ut glutinatio successura foret. Verum nullo sustentamento carnem suffulciente; necesse fuit, homini perpetuò adversæ manus officio dilapsurum alioqui sine voluntatis arbitrio brachium substentare. Interim in medio languore virium, & longis tormentis occubuit, non moriturus me judice si primam chirurgiam recepisset, quā rem quidem pro comperto statuerunt ad extremum omnes, qui viderant.

CAP. CIII.

De præcidendo musculo semisecto.

Nervi musculivé præcisio.

POst præcisionem partium semiputrium præsectio, memorabitur, eorum quæ nō sunt quidem putres, id est, nervi musculivé semirecisi: quæ dubium quidem, faciendane sit ante spasmi qui timetur, adventum, an vero non item adveniente jam illo; namq; de hoc clarè pronunciavit *Galenus l.3. meth. med. c.9. & l.3. de compos. med. secundum generat. 4. & Celsus l. 5. c. 26. §. de inflammatione*: percussus, ait, musculus, mortiferus, & præcisus, sanitatem recipit; & hoc quod spectat ad musculum. Quod vero ad nervum etiam solâ punctura violatum, professus est, *Avicenna lib. 4. fen. 4. tr. 4.* multoties necessum esse, truncari nervum integrum: namque eo facto quiescunt prava symptomata, quod ante hunc virum testatus fuerat *Galenus l.3. meth. med. c.6.* Cæterum si videtur difficile, ut prælecetur quidpiam, quod gaudet unitate naturæ: inconsultius certè videtur, pro conservando membro vitam ipsam omnem negligere: quin vero, parte non curatâ sed recisâ tuenda salus est corporis totius, quæ defendi ac servari aliter nequit.

Galenus. Celsus.

Avicenna.

Ad instantiam.

CAP. CIV.

De sexto digito & de coalitis iisdem.

Historia.

DIgitum sextum si articulo non cohæreat, non est quod timeas exscindere. Duos ego anno 1613. infantibus rescissos domi servo ac tertium ademi nuper nato infantulo Francisci Laviani viri in re medica sanè præstantis.

CAP. CV.

De digiti, à venenata fera percussi, præcisione.

PArvula cum pars utpote digitus manus vel pedis à venenosa fera, demorsa est; præstat ipsam perire, quam universam hominis vitam atq; salutem in discrimen adduci. Quam ob rem auctores quiq; celebratissimi commendatam nobis reliquêre particulæ præcisionem. Atq; adeò *Gal. l.3. de loc. aff. cap.7.* dignum narratione suâ fecit rusticum, qui demorsum à vipera pollicem sibimetipsi falce præscidit.

CAP. CVI.

De abrasu per scalprum.

MEminit *Hippoc. l. de Visu*, derasus cuiusdam & per scalprum extenuatus palpebrę, qui oculum ab ineunte suffusione & cæcitatis periculo tueatur, quæ cum à summo viro graviter excogitata sollicitequeproposita sit excisionis ratio ad efficacem nostram chirurgiam pertinens res in usus vitæ commodos tam necessaria dignū nostrâ diligen-


diligentiâ visum est, ut adnotaretur perspiceretur que quod tantus magister faciendum proposuit. Porrò sub imminente cæcitate provisis adhibitisque præsidiis, quæ sunt ad remotiorem abscissum causæ futuri morbi; capitis, inquam, perpurgatione interiore, ustione aversoriâ exteriore, cæterum adhuc maius adsciturauxilium proxima derivatio, qui derasus est palpebrarum atq; etiamnum ustio per nō admodum candentia ferramenta, si & hoc exigere res visa fuerit. Hæc porro & partem vitii cum oculo propè continui confertim absumsit & deinde ulcus reliquit, ex quo prolici reliquium noxæ paulatim queat: illa verò, hoc est, derasio & humorem vitiosum similiter educit palpebræ inhærentem: si quidem eo usq; procedere debet, inquit, rasura, ut post splendidum sanguinem sanies cruenta & aquosa manet; & deinceps etiam viam relinquit sequuturo fluori; Ita apparet occæcaturo vitio prudenter occurri per utramque chirurgiam. Quæ certè crudeles aut insolentes nostris hominibus videri non debent. Gnavi quantum satis ad catharactam suffusionemque pupillæ prævertendam fuerunt antiqui: Secius multo quam nostri, qui ineunti jam ipsi, herbam, hoc est, incrassantia omnia offerunt, ut nutriatur compleaturque, quò perfecta post annos per acum deponi queat: stulti, qui venientem inimicum debilem hospitamur atq; fovemus, ut valentem postea nobiscum factum magnificentius domo excludere valeamus: neq; interim advertimus suspectas semper hostis vires, quæ incertum sit, patiantur se vinci an victuræ sint ipsæ. Meminit & per scalpellum eradendarum palpebrarum in epiphoris *Alex. Bened. l. 3. c. 9.* τῷ βλεφαροξύστρῳ propriè instrumento usi sunt antiqui. Ut est apud *Ioannem Gorræum in def. med.*

Alius per scalprum abrasionis usus est, ad caustica in actum deducenda, siquidem interdum accidit inducta partibus durities, utpote in rusticis hominibus quominus imprimere eam vis medicamenti valeat: quapropter ante corradi per novaculam oportet, parte sic extenuatâ, ut rorida, propemodum & subcruenta appareat: Sic efficienter quæsitam facultatem exeret medicamentum, quod adnotavit diligens homo *Thomas Fienus l. 3. de cauteriis, c. 13.*

CAP. CVII.

De psorophthalmia.

PSorophthalmia id est scabiosa lippitudo, quam chirurgiæ medelam nacta sit, exposuimus in capite de Angiologia, & c. de defricatu exasperatuque. Huic autem & illud addimus quod proponit *Razes Tract. 1. divis. c. 22.* exasperandam atque exulcerandam esse instrumento quod dicitur rosa, ex frondis rosæ nimirum, circulatæ similitudine: nam habet caput, inquit, quale denarius & hoc deraditur, usque quo submoveatur, asperitudo. Non est autem difficile instrumentum esse hoc quod ad oculi ungulæ derasum vulgati apud chirurgos usus fuisse scribit *Arnaldus, Villanovanus l. 1. Breviar. c. 18.* calum ab eo vocatum. Instrumenti autem figuram concavam eam equidem interpretor, quæ secus est hac eadem pagella depicta.



Fortassis autem instrumentum est, quo veteres ad deradendas palpebras usi sunt βλεφαροξύστρῳ nominato; cuius meminit *Thomas Minadous l. 3. de affect. extern. c. 16. quod est de trachomate.*

CAP. CVIII.

De palpebræ cartilagine vitiata, deradenda.

QVicunque verò abscessus palpebræ cartilaginem corruperint, si quidem extrinsecus fuerint, eos possibile est ovo, ac melle purgatos, capitali sicco medicamento incarnare. Si vero intrinsecus fuerint, eversâ palpebrâ, & nudata cartilaginis parte derasa, æs levissime tritum adhibeatur, & supra palpebram ovum cum vino & rosaceo conquassatum imponatur. Hæc & alia pleraque scripsit *Aetius de abscessu in palpebris ex Demosthene tetrab. 2. serm. 3. cap. 79.* ex quibus vides operam cartilaginis in palpebra deradenda novam non alio sane consilio ac ratione faciendam quàm in osse vitiato ut noxa omnis eluatur & substantia nova subnascatur, hanc te chirurgicam operam latere nolui.

CAPVT CIX.

De Leucomate.

EST Leucoma, quam albuginem dicimus latinè, cicatrix, quæ ex pustula vel ulcere relicta est in oculi nigro. Quæ cum altius occupet quàm superficiaria [νεφέλη] nubecula, vulgo medentes inutiliter tentant exterere medicamentis: Sed hæc vel imbecilliora, vel valentia sunt, ita, ut humores convocent, atque interdum concrementum acervent. Quapropter si levi, facilique sit manu chirurgus, sique non sit ex vulnere cicatrix, præstat, ut exquisitissimo scalpello, qualem habent hodie derasoriam novaculam radendo suaviter, ut *ait Savanorola tract. 3. c. 3. rubr. 15.* propemodum ut de charta characterem expungat. Hanc nos rem in Jacobo Miranda Cive Octavianensi nobili non sine fructu sumus experti cum Jo. Jacobo Salvatore ocular io medico non incelebri.

CAP. CX.

De ungium alte collisorum chirurgia.

INterdum tam multum colliduntur ungues ut subtus effuso sanguine & computrefacto patiant abscessum. Quem ita chirurgia tractandum voluêre maiores nostri: *Nicolaus enim chir. totius c. penult.* autoritate Judæi scriptoris atque aliorum quorundam exscindendum acu quadrifida sc. tripani modo voluit, & sanie educta curari. Similiter & *Razes libris divisionum sub curatione paronychii*, quoniam abscessit, perforandam unguis radicem voluit, ita ut omnis sanies effluere queat. *Gal. vero in p. de humor. ut citat. tum idem Nicol. tum Rasis 15. continentis* discindendum unguem 1. cū scalpro acuto transversim mox sublevandū dexterè, quò sanguis

sanguis suffusus aut sanies effluat. Similiter ab aliquo istorum doctus *Ioannes à Vigo. lib. 9. cap. 2.* sanguine sub ungue latè suffuso sic, ut futura suppuratio sit expectanda; protinus unguem discindi scalpro vel terebello accommodato perforari probavit, habitâ tamen ratione carnis ne convulneretur. Ast de hac re *Paulus Aegineta legendus est l. 6. c. 86.*

CAP. CXI.

De clavorum derasu.

CLavum subinde deradere commodissimum est, nam sine ulla vi sic emollescit, ac si sanguinis quoque aliquid emissum est, sæpe emoritur. Tollitur etiam, si quis eum circum purgat, i. e. circumscalpit: deinde imponit resinam, cui miscuit pulveris paulum, quem ex lapide molari contrito fecit. Hæc *Cornelius l. 5. c. 28.*

CAP. CXII.

De unguium aliquo vitio molestantium abrasione.

AD cutis excisionem proximè accedit ea, quæ unguium est præsertim, quæ subjectæ carnis tutela suscipitur. Porro pedum pollicibus sic durus interdum ac vitreus accrescit unguis, scaber aliâs & psorodes, ut carno quocunq; modo compressâ ac veluti allisa dolorem inferat; talis ad unguem res obvenit perillustri ac Reverentiâ multâ dignissimo Acerrensium Episcopo Caracciolo; quam homini molestiam sic eximi jussi: primum ut vitro sive acuto firmoque scalpro continenti abrasu exscinderetur unguis sic, ut rubellus supra carnem pelluceret, ac tenerior redditus appareret. Quâ perfectâ re & humido sale, quemadmodum in pyrotechnia docui, foveretur pars, mox extillato è cera oleo illineretur. Sic factum est ut liber esset homo à dolore, donec rursus obduresceret unguis; sed eâ, quâ dixi ratione detritus desiit & oblædere. Similem ad psorodem unguem chirurgiam proposuit *Nicol. ser. 7. tr. 6. sum. 3. cap. 32. & Celsus lib. 6. F.* à quo fortasse didicit *Hieron. Fabricius in lib. chirurg. oper. c. isto.*

ria' 628.

CAP. CXIII.

De Rhagadis labiorum laxarumq; corporis quarumlibet partium.

ANi rhagades medicamentis nullis edomitæ auctore *Albucasi chirur. p. 2. c. 82.* curantur exaniatu derasuque per scalpra rotundæ videlicet aciei, ne mucrone possint ferire, quo non est animus. Aliarum item partium rhagades, velut labiorum & manuum, pedumq; rebelles sub eadem chirurgia sæpe visum est, eventu bono cessisse. Itaque Aegyptiis ad sanandas labiorum fissuras, labia gingivasque inferiores exsaniare mos est, *Prospero Alpino testante l. 2. de med. Aegyptiorum.*

CAP. CXIV.

De Caruncula colis interni.

COmmunis medentium est ratio Neapoli, statim ac de ischuria per urethræ impedimentum consuluntur; catheterismum, ut maximè detrimentosum admonere prohibereque; quam rationem tam absolutè pronunciare, tam obfirmatè velle non deberent; quandoquidem eandē operam non dissuaserint Celsus, Paulus, Aetius Paul. Albucasis &c. nostri magistri; sed hanc eandem operam ut summè necessariā proposuēre. Deinde & *Hieronymus Cardanus vir si quis alius experientissimus in comm. 43. lib. 7. aphor.* testatus est vidisse perforata cathetere caruncula in Franc Lanzaverta viro patricio, rem optimè cessisse; tametsi sanguinis & saniei multum profluxerit: quæ res & mihi comperta est hoc anno currentis seculi 29. Nardo Imparato tonsori bidui suppressionem curanti, huic enim dum catheterem in renitentem illam carnem imprimo, tum sanguinis primum, tum deinde lotii plurimi facta est effusio, liberumque ad hunc diem se sentit, qui multis ab hinc annis & remediorum quidem multiplicium, sed non minorum dolorum tædio tabefactus fuerat.

Carunculæ insuper quæ ex venereæ contagis defluxu lento nascitur in meatu penis, excisoriam hanc chirurgiam habes *auctore Paræo in l. 18. suorum operum c. 23.* Argenti fistula in extremo fenestrata, qualem ibidem appictam videre licet cum inserta ductili eiusdem materiæ virgula extremo suo rotundo excisoria in canalem demittetur & virgula sic obversatur contingens inutilem carnem, ut crebro allisu fungum atterat & expurgat. Aliter: fistula fenestrata notata litera A. postquam immissa est, adversis ad carunculam prominulis suis incisuris, atque appresso extrinsecus per manum ad illius respondentem locum cole, contorqueatur dexterè sic, ut exscindi superfluum queat.

CAP. CXV.

De scalptu vulnerum ad suturam.

COnsuendis vulneribus & novus ad cruentatum per scalprum labiorum defricatus utilis compertus est, ut promptè coalescant: nimirum ut oræ quæ ab aëre circumfluo in alienum habitum & colorem affectæ fuerint; ita decernente *Petro ab Arelata tract. de vulner. cap. 2.* quin etiam ante hunc *Albucasis in curatione consecti nasi.*

CAP. CXVI.

Modus sistendi profluentis ex vena sanguinis industrius.

INter complures compescendę profusionis sanguinis in vulneribus & morbis aliis Mechanica plerumque requiritur & ingeniosa opera, quam exponere hoc loco pro multorum commodo visum est operæ pretium, quam rem tamen brevi expediam: quæ est, sc. per iniectum in vas hamulum acutum, quo apprehenso sublatoq; aliquantulum vas intorqueas, deinde rescindas paucam carnem, quæ velat & occultat venam, & hac denuo prætegas eandem. In hanc certe sententiam *Avicenna l. 4. fen. 4. tr. 2. cap. 17.* ex quo fortasse

fortasse autore profectum est primò, ut *Gabriel Ferrarius in l. 1. chirurg. adversione* 14. tradiderit ut præparato primùm filo serico, mox volsellis venæ præfectæ capite, prehenso per scalprum acutum dextere spolietur carne: quo loco vas transversum arte vinciatur: quibus exactis operis conclusus conquiescet sanguis. Hæc ille Italica vulgari lingua, quorsum autem quæsieris derasus carnis? equidem opinor pro commodiore vasis astrictu, & firmiori etiam ac leviori, quemadmodum ipse per te cognoscere contemplatus poteris, descendit autem & in huius operæ Avicennæ consensum *Cæsar Magatus lib. 1. de vulner. c. 63.* quare præstabilis hæc visa probatis autoribus ratio apparet.

CAPVT CXVII.

De præscindendis urgente vi musculis, nervis, chordis, arteriis & venis.

INter alios affectuum compositorum ritè medendorum scopos à Galeno propositos *in l. 3. meth. med. c. 10.* gravissimus est unus spectans ad urgentem necessitatem occurrendi morbosæ cuipiam affectioni prævalenti sic, ut ipsa vel prima vel sola cæteris neglectis sit spectanda. Eius autem sortis sunt musculi, qui cum puncti distentionem inferunt, & hæc nullo medicamentorum auxilio tollitur, sunt præscindendi: quod & Celsus affirmavit *lib. 5. cap. 26. §. de inflammatione:* quanquam hic vir de semisecto lacerto, Galenus verò de puncto fecit hypothesin. Omninò autem communis est ratio consiliumque præsecandi propter modo memoratum periculum convulsionis sive præsentis sive imminentis à phlegmone, quæ à dissectis ad integras serpit, sicut eâdem correpti phlegmone tendantur. In eodem quo musculi loco sunt, & nervi iis inserti, qui simili modo læsi & lædentes pariter sunt præscindendi Galeno teste; & interprete *Fabio Pacio Comm. 5. eiusdem operis cap. 3.* Itemque tendines seu chordæ, ut idem Fabius enarravit. Tertiò autem arteriæ venæq; percussæ dum sanguinem uberrimè perfundentes vitæ discrimen minantur, nullâ ratione frenabiles, protinus profluvia finiunt præsectæ: retractæ videlicet in carnes, quæ vulneris oscula occæcant, *ut Galenus explicavit lib. 3. meth. meden. cap. 3.* Qui præsectus omnes cum simpliciter mali sint, & Imbecillitatem cognatis suis partibus inferant; nihilominus boni sunt ob salutis & vitæ manentis commodum, quæ vitæ incolumitas longè præstat quàm partis. Rectè igitur hâc contemptâ, illi consulitur, atque adeò cum hi casus se offerent ut toti serviamus, non parcemus particulæ nos chirurgiæ efficacis amici.

CAP. CXVIII.

De circumsectione præputii & cutis vitiatæ reliqui penis.

EX circumsectionis genere præcipuum exemplum erit præputii morbosi amputatio, nam huic ex humoris inutilis affluxu interdum putredo accidit, ut nisi vitium amputaveris, detrimento & supra quàm ferri queat tædio futura sit, curatio. Illud autem, quod in hac re vidi, dignum utique adversione, non silebo. In nostrum nempe valetudinarium cum multi turgidis altè præputiis adveniunt, hisce præsectis sæpe licuit observare mucidam circumhærentem pituitam adeò crassam ac tenacem, ut nullis unquam medicamentis dissipare confisus esses; quæ tamen brevi & tutò, nec multo cum dolore fuit discussa. Interdum autem, audi tam copiosè ad has partes affluit eiusmodi proluvies, ut in homine quodam præputium circumquaque alte sarcomatis concremento turgens novem librarum pondere dictu mirum execuerim, quam rem in libro de abscessibus plenius enarravi. Interdum etiam eiusmodi mucor, quantum altitudine compressior, tantum acrior & obstinacior, totam veretri cutim obtinet sic, ut & aliorum ulcerum coalitum vetet, & huius eiusdem tumor ac teneritudo quædam putris ad naturę modum exæquari nullis medicamentis possit. Unicum in hoc mihi casu remedium in circumpurgatione, id est, vitiati totius amictus amolitione est: quam cum in plurimis valetudinarii hominibus evenisse feliciter compererim; inter omnes nominabo Philippum Testam Oryzorum Salernitam colonum meæ curationi commissum à Tyberio Galliano Chirurgo Salensi professoreque Salernitano, quem Philippum pluribus mensibus ab ea labe malè habitum ac deterius etiam posthac, nisi succursum opportune fuisset habendum, execturæ solius efficaciâ restituimus.

Histori[a]

CAP. CXIX.

De cutis circa podicem ulceris vitio dissultantis & coalitum impedientis excisione.

OCcurrit aliquando mihi in Nosocomio nostro adolescens cui ab ulcere syphilio sic erat exesa cutis ani, ut umbilicum pomi granati (coronam hanc dicunt) referret huic ut non curaretur, accedebat aliquâ parte callus, qui causticis tractatus neque imminui poterat, loci incommoditate & humidâ colluvie impedientibus. Post aliqua igitur medicamenta ut ægrotanti satisfieret, tentatum à prioribus medicis non est, tandem extantes omnes ut rugosas ulceris oras ferro eximere atque anum coæquare, quod cum fecissem equidem, demum & feliciter & brevi sanatum est ulcus.

CAPVT CXX.

De excisione cutis tenuis & ex carnis circa abscessum.

SÆpe fit, ut dormitantibus circa abscessum aperiendum hominibus, qui dolore non coguntur aut curantium manus refugientibus, tum ob timorem insectus, tum ob remunerandi inopiâ, tum quia opportuna fuerunt opê destituti; deferantur abscessus medico cum extenuata atque ex carni admodum cute sic, ut plerumque colorem piceum alienumq; habeant & rhacodes dictum à Græcis ulcus, id est panni vetusti modo lacerum appareat. Quibus abscessibus incisionem in dubie requirentibus, haud per simplicem rectam lineam

neam hanc, administrare convenit sed cum excisione laciniarum, ita enim *Cornel. lib. 7. cap. 2. &* *Paulus lib. 6. c. 34.* conceptio verbis sin tenuis admodumq; excarnis totam in longitudinem simpliciter dissecabimus & post simplicem divisionem si corpora utrinq; sita, gracilia valdè & non carnosa videantur, ipsa tollemus, quam eandem omnino sententiam habuit *Albucasis, l. 2. c. 90.* ita ut certo credam, eandem ex Ægineta transtulisse, sicut & in aliis plerisq; multis passim fecit: Equidem in furunculis & hoc genus ubi maturuêre sic, ut videatur exprimenda caruncula putris, quam ventriculum appellavit Celsus; tum ut felicius succedat expressio; consvevi equidem summam cutem forficula sublatam, è medio amputare, quam rem etiam commodius experieris, si ad eructandas omnes ventriculi reliquias emplastrum quodpiam extractorium sis impositurus; nudatum quippè summo cortice tuberculum & patens, expeditius vitium omne revomet atque reddet.

CAP. CXXI.

De ulcere rachode.

EStrachos græcè lacer & detritus vetustate ac vitio pannus, cuius variam corrosionem, cum referant ulcera quædam, inde sunt dicta rachodi quasi laciniata. Nascitur autem vitium, quod variè subiens putredo, atque acris saniei purisvé incursus, inæqualem etiam, & hic quidem inceptam, alibi vero perfectam extritionem fecit, cute hîc se servante integram, hîc extenuatâ, atq; depastâ, meminit autem & huius eiusdem aut similis affectus *Hipp. 4. epid. n. 4.* ubi igitur hæc se tibi curanda ulcera offerunt, ut nil te impediant medendo sinus & foruli, tum accepto forfice totam undiq; pelliculam non eris lentus exscindere; explanatum enim circumquaq; ulcus & purgari & impleri facile deinceps poterit: secus relictâ cute, quibuslibet adhibitis medicamentis nullo curationis fine permansurum, aut si tamen obductum fortasse videatur; falso coalitum & facile recursurum vitium experieris aliquo pòst tempore.

CAP. CXXII.

De sutura animadversiones.

NUnc quoniam sectiones excisionesque præcesserunt, reliquum est, ut de hac sutura, quę unitati rectitudine serviat, aliqua proponamus; verùm selecta & singularia, uam in communibus & vulgati ritus observationibus piget operam & calamum terere. Prima igitur animadversio nostra spectans ad cautionem quandam, est suturæ, ante non adhibendam quam intus plaga purgata sit, atque hoc dico cum *auctore Celso in l. 5. c. 26. §. de glutinatione vulnerum*: nimirum, ne quid ibi concreti sanguinis relinquatur; id enim & in pus vertitur & inflammationem movet & glutinari vulnus prohibet. Adeò, inquam, rectè non fit, continuò cum offeruntur, plagas constringi suturâ: quod vulgo medentes omnes consuevêre: verum enimvero grumosi sanguinis incommodum accidit, maximè venosis, aliis vero locis non item. Jam autem ut consuta plaga necessariam saniem indies possit deponere, plerique peniculum super atque infernè immittunt res quæ suturæ adversatur & decorationi incommodat. Secunda observatio, ut paratum funiculum tenuem è gossypio mundo, rhodomelite, aut vulnerario alio liquore tinctum instratum plagæ secundum huius rectitudinem mediâ sui parte componamus, mox super hunc acum cuti confixam trajiciamus cum filo inducto, quod denique innodabimus, id toties facturi, quoties opus novo puncto & suturâ

CAP. CXXIII.

De nervi præcisi sutura facienda.

POstrema nostra & maxima ad agendum spectans adversio est, posse nervos spermatici, quod aiunt, generis particulas transversim dissectos conglutinari, si medentis industria non desideretur, favet autem huic opinioni Princeps, qui *fen. 4. tract. 4. c. 2.* scripsit, si disrumpatur in latitune nervus, tum necessarium est ipsum suere, etiam sinon conglutinetur. Non conglutinatur autem, inquit Guido Cauliacus ob distantiam extremorum. Eiusdem sententiæ fuerunt *Gul. è Saliceto*, *Rogerius l. 3. c. 13. Lanfrancus l. 2. c. 9. doctr. 3. c. 3. & chirur. parvæ c. 4. Nicolaus Florentinus tract. 4. sum. 1. ser. 7. c. 3. F.* Guido vero præter hoc addidit, magnam suturæ commoditatem; namque per hanc nanciscitur nervus, tegumenta cutis & à frigore substantiam calidi dissipante vendicatur. Neq; obstat, quod Galenus alicubi dixisse videtur, nervos metu spasmi non consuendos, hoc quidem non affirmavit ipse, sed quod *6. meth. c. 3.* dixit; discisso toto nervo periculum quidem non est aliquod spasmi; oblæsa vero particula est, curatio autem erit aliis ulceribus communis; per hoc confirmatur maximè nostra sententia & corroborationem evidentem recipit, propterea quod certum est omnia ulcera communiter consui, solita. Taceo, *quod l. 1. de semine c. 2.* nervus, ait, nunquam vel raro visus est renasci in magnis vulneribus, ergo renasci potest, inquam nervus, præsertim si arte magistrâ adjuvetur; quod nos faciendum docemus.

Neque illud obstat, quod minime relevatur particula propterea, quod inductus ulceri porus transitum prohibet spiritus, neque motus vendicatur, porro in pueris servatur functio feliciter, in adultis vero etiamsi non æquè id eveniat, tamen quò maximè sunt coalitæ nervi partes maximè participare possunt spiritus illustratione atque aliis naturæ muneribus; præterquam quod magis compositiæ restant contiguæ particulæ; Confirmatur autem experimento *Ambr. Paræi qui lib 22. c. 10.* compertum à se testatus est nobili cuidam è familia Memorantii gallorum equitũ magistri tendines; qui pollicem erigunt plane præsectos in bello sic ut desperato coalitu præscindendos semel vir strenuus quæsisset; nihilominus conglutinatos ita, ut tractandorum militarium armorum facultas homini nil immutata restituta fuerit.

Curatio nervorum omnibus ulceribus communis.

Præscissi tendines pollicis plenè coaliti.

Jam igitur quando tot commoditates exhibet sutura, neque aliquid vetat, quò minus adimpleatur, quid est, quod administrari atque exerceri desiit ipsa? Administrationis quidem eius ratio illa fuerit, si liberos hos quantum licet factos è complicitis proximis partibus supposito, ubi opus, eburneo (nam hic inter omnes commodissimus, est) auriscalpro, aut lignea forcipula, quæ corpus nervorum lubricum contineat ac firmet digitis quoque summissis aut nostris aut administrorum adiuvantibus; tunicam extimam ipsorum 4. aut etiam pluribus numero punctis ex tortilibus intestinorum fibris, quæ ad musicas testudines intenduntur, prius vino rubro calido remollitis, consuamus; sed sic tamen, ut respondeant in situ primo nervorum fibræ, neque distortæ ullatenus componantur aut consuantur. Ad hunc modum plusculos post dies perbellè cernes conglutinata extrema, quemadmodum experimento comprobasse testatur *Fabius Pacius in com. 6. meth. med. c.3. & Gabr. Ferrar. l.1. sylvæ chir. cap.17.* nostræ quoque & Flaminii Crassi tropiensi chirurgi Neapolitani fuerunt observationes & experimenta felices nervis concisis evenisse suturas. Neque mirabile appareat, quando non miramur, neque diffidimus ferraminatum iri, non dico tenues intestinorum tunicas sed & ossa, quæ maximè inter omnes corporis partes duræ siccæq; & naturâ terrestres sunt.

Fabius Pacius. Gabriel Ferrarius.

A pari.

Neque item alia ratione consuentur ligamenta, quæ professus est constanter Aquapendens per suturas in pueris agglutinari. Ego vero neque etiam in viris dubito successuram agglutinationem, si sutura diligens adhibeatur, quâ quo durius & minus sensile corpus erit, eo confidentius, audentiusque licebit uti; Adeoque ipsum etiam ligamentum trajici quâquâ parte non erit abs re alienum. Tametsi verò veretur à tendinum sutura dolorem & inflammationem *Ambr. Paræus, l.9.c.36.* nihilominus neque hic perpetuus est metus, & utrisque occurri simul potest oleis ceræ vel terebinthinæ stillatitiis, quæ miræ virtutis in hisce casibus equidem comperi. Aliam & longè diversam curationem agglutinandis concisis nervis, instituit *Rulandus, antiquus Chirurgus l. 11. cap. proprio.* quam nos posterius c. de ustione ad nervos carne nudatos referemus.

Hier. Fabricius.

Rolandus.

CAP. CXXIV.

De facienda sub amputatis recens artubus sutura.

AD hos omnes suturæ, quæ ad præsectas simpliciter partes sunt adversiones, unam non omittam postremò, quæ est ad abscissos artus, qui sideratione fuerant correpti. Porro cum hæc chirurgia confecta est, perpetua sequuntur incommoda detrimentaque maxima. Unum continuo consequens & calamitosum quod est, profluentis cum sanguine spiritus ac vitæ; huic sanè periculo vitando usturam plerique factitant; alterum corruptionis; tertium difficilis & longæ conglutinationis. His simul omnibus post articulos scalpro decussos, una occurrere valet cutis per consentaneum attractum inductio: fiet autem, si dum conficitur miserabilis necessariusque præscissus: ministri manu quàm maximè licent, cutis ad superiora trahatur: ut mox abiecto inutili membro rescisso hanc tum reducere pertrahereque ad inferiora possis, perque duas aciculas, firmam aciem ducentes decussatim sic subsuatur cutis, & hâc alia contegas.

Affert & aliud commodum sutura, quod hiantia venarum oscula concluduntur, servaturq; pariter tum utilis humor tum spiritus intrò. Ad hunc sane modum & ignis incommodis, qui dolorificus & absumptivus est, parci licebit & abscessum tum ossis tum partium aliarum exanguiũ præverti. Ita & brevi enarratis omnibus detrimentis occurret, quicunq; velit: porro sic conservatur foveturq; pars omnis proprio tegumento, non aliter quam ova suo putamine, ac poma suo cortice; confirmatur autem experimento Venetorum lictorum, qui facinoroso cuiquam homini manuum pellem eo quo diximus pacto adtrahunt, primum ad superiora, mox præsecta manu contractam cutem laxant, ut diligenter circa iuncturam consuant. Alligant autem ut vitam tueantur, & spasmum antevertant, gallinam, consectam & calentem secundum ventrem, applicatam. Hic ferè *Bartholomæus Magius lib. de vulneribus sclopetorum & Petrus Pigræus lib. 1. chir. c.9.*

CAPUT CXXV.

De sutura labiorum ictu fissorum, & horum, quæ vulgo leporina dicuntur.

CUm labia per ictum fissa vel naturæ vitio divisa, quæ leporina dicuntur, ad conglutinatum comparantur & consuuntur, scire licet mandendi loquendique necessitatem, suturæ generibus omnibus obsistere, quo minus unitas eveniat commodè. Quo fit ut fibulæ singulariter competant, ut consuta extrema possint fideliter contineri: fibulas autem dico ἀγκτῆρας græcè, non quas interpretati sunt quidam, vel unicos hamos vel anacollemata vel innodata partitò recisaque puncta: sunt verò fibulæ, paranturque cum traiecta transversim ad plagam & retenta acu capitulata aenea vel ferrea, per extremum filum obsitum cera novies aut decies hinc atque illinc sursum deorsumque advoluitur & finitur. Tales quidem fibulas sentiit *Vidus Florentinus l. 4. chir. c.1. ac Stephanus Gurmelæus lib. 1. syntax. chirurg. c. de sutura* plenius atque explicatius quoque *Fabius Pacius in com. meth. med. Galen. cap. proprio,* meo quidem judicio sic rectè, ut & omnia, quæ de his antiqui protulerint respondeant, & nulla super his difficultas restat.

Fibulæ verè.

Coalita hâc arte plaga, quæ vino & oleo rosaceo commixtis perpetuo fota fuerit; ad leniendum dolorem, tensionemq; laxandam, sic resolvitur demum vinculum abducto spiculo, ac si necesse videbitur, ad firmandum coalitum, collema, quod genus inermis chirurgiæ inferius explicabitur, utrinque inducetur.

Coalitæ plagæ ratio.

Jam verò, quod ad labia leporina pertinet, sunt horum oræ antequam agglutinari tententur, resecandæ: de qua re perficienda, id est, de admini-

administrationis ratione atq; instrumentis mox dicemus.

Inscinduntur hæc commodè instrumentis peculiaribus, quæ studiosorum gratiâ mihi privata communicare non dubito. Est instrumentum unum ligneum forcipis modo, cuius utrumque caput amplectantur, coaptenturque occurrentia ad invicem secundum faciem planam. Verum eâ lege, ut alterum occursabulum sit latius, alterum sit acutius, quorum illud cum usus agendi est, & labio fisso reconditur sic, ut extremam eius oram aliquantulum excedat; alterum vero supra idem labrum extra incumbens citra hoc aliquantulum consistat. Ubi igitur forfex capulis exterioribus compressus labrum constrinxerit secundum inæqualitatem minoris capituli sive dentis apprehendentis nunc unam labii oram, nunc alteram insecabis prono scalpro.

Interim non omittendum quod advertit *Durantes Scacchius in lib. 3. subsid. medic. cap. 3.* resolvendum aliquâ parte labium à gingivis undique juxta nasum, sic enim ad assutum oræ labiorum utræque commodius & attractæ adducentur, & adductæ conservabuntur, & omnino liberior evadet eius labii motus ad loquelam. Aliud etiam his addere libet memoratu dignum experimentum relatum *ab Olao Magno epit. hist. gentium septentr. lib. 18. cap. 8.* consuetum ab his populis, infantium, ut primum nati sunt labiolis sic defectis particulam pulpæ pectoris pulli tenerrimi recenti concisione calentis & cruenti confestim assuere, porro dicit, insitu illo fieri, ut lacuna partis media bellè reparetur.

CAP. CXXVI.

De linguæ discissæ sutura.

Lingua diffissa in longum aut latum facilè suturâ restituitur, modo fissa pars suo corpori adhuc viventi hæreat, à quo vitæ materiam & formam mutuare queat, ergo corpus linguæ linteo molli & mundo, ne lubricitate sua elabatur, minister sedulus arctè tenebit. Interim dum Chirurgus infernè superneque adactis punctibus consuet, ubi quod satis est suisse visus fuerit, filum quàm proximè nodum execabit, ne si longius sit, in dentium interstitiis inter mandendum implicetur & consutarum partium pernicialem dilacerationem inferat. Hæc *Paraus lib. 9. cap. 27.* quæ cum insuperabili elegantia contexta dum adjicimus angustis suturæ finibus non est visum quaqua parte immutare.

CAP. CXXVII.

De putribus capillis & de palpebrarum pilis oculos irritantibus.

Discretæ nunc magnitudinis vitia prosequamur primum dicturi de his, quæ in capite sunt curanda; primùm autem de capillis radicetenus putrescentibus, quales sunt in tineæ alopeciæque nonnullis formis. Nam quis non videt hasillorum evulsiones sanari? *Vidus porro Florentinus sic suasit lib. 2. chir. cap. 4. & lib. 4. cap. 9.* Sed illud addi debet, ut sedulo repurgandi sint & putri sanie foruli. Illud autem fiet emplastro cantharidum, quod in nostro Pharmaco Chirurgico leges inplerisque feliciter expertum. Ad hæc & reflexos in oculos sic, ut hos infestent, pili palpebrarum revellendarum rationem docuêre nonnulli autores, *inter hos Razes lib. 9. ad Mans. c. 26.*

CAPVT CXXVIII.

De hydatide pingui palpebræ vesicula Celso.

Hydatidis est tuberculum superioris palpebræ sub huius cute vesiculam, in qua pinguis pultaceáve substantia est, continens. Meliceriam hanc Celso esse retur *Aquapendens l. oper. chirur. c. isto.* Incommoda est semper oculo, ut præter gravitatem palpebram attollere non patiatur. Qua propter hanc exscindere consentaneum medendi legibus videtur, Chirurgiam *Celsus l. 7. c. 7. & Paulus l. 6. c. 14. & Avic. l. 3. fen. tr. 3. c. 19.* hanc docuerunt. Primum autem palpebram per duos digitos distentam scalpello secundum lineam transversam inscindit suspensa leviter manu, ne humoris tunicula convulneretur; quam, cùm aperta via proruperit maxime digitis utrinque compressam, tum digitis cum molli linteolo circumquaque commotam abstrahes & imposito thure vulnus conglutinabis, oculo quidem per accommoda medicamenta interdum procurato.

CAP. CXXIX.

De calculis palpebrarum atque chalaziis, &c.

Videris in palpebris concrementa gypseæ pituitæ similia, cui quidem vitio medebimur magna ipsarum discissione, qua diductos ipsos integrè eximemus, ut *Galenus est auctor in Isagog. c. 18.* Magna vero requiritur discissio: qua pateat exitus extrahendis. Quod si grandis fissura facta fuerit, suatur, pulvisq; citrinus imponatur: si vero parva sit, solo pulvere curetur, *inquit Constantinus Afer Chirurg. c. 27.*

CAP. CXXX.

De fistula ad dentem proximum.

Plerumque accidit, ut fistulæ curationem proximus dens eripiat, quam ob rem abundantem hunc nos facimus, & abstrahimus; ita sanatas complures fistulas curans, usu comperi. Auctor autem mihi *Celsus l. 6. c. 13. & Aetius Tetrabl. 2. ser. 4. c. 26. & Guido tr. 4. do. 2. cap. 2. & Antonius Benivenius l. de abditis cap. 22.* Graves autem mihi

mihi testes religiosi viri Ioan. Baptista Garganus Sacerdos ex congregatione assistentium infirmis. Item D. Anastasius Pirrhomus ordinis Cassinensis; excellentissimus item rerum theologicarum doctor & scriptor D. Anton. Fosius ex clericis regularibus, omnes Neapolitani, qui diu passi fistulas in genis curati feliciter & continenter hunc in modum fuere. Porro, si sphacelismus abscessum in gingiva exolvit; quod ait *Hipp. in Coacis prænot. l. 2. c. 7. §. 8.* similiter & eiusdem extractio fiet.

CAP. CXXXI.

De calculo linguæ.

PArtibus omnibus nostri corporis adnasi calculos novum non est: sed plerisque seculis etiam ab Hippocratico compertum, ut prodidit *Ioan. Centimanus l. de lapidib.* atque alii multi apud Schenckium. Pariter autem & dura hæc concrementa experta est lingua: ex qua leviter fissa & aridæ decorticatæ laureæ baccæ forma & magnitudine Principis electoris Vibreini extractum lapillum visum a se narrat idem Centimanus, cum ulceris propero feliciqúe coalitu. Quæ res exemplo tibi proposita esto; ut cum quid eiusmodi oblatum fuerit, similiter licere deliberes.

CAP. CXXXII.

De glandulis.

VIdimus sępe per artus, thorace anteriore, posteriore subque alis & inguine, prorumpentia quasi tubercula, glandulas extare uno eodemque loco confectas: quæ in viscerum impuriorum atq; habitus corrupti hominibus ac pueris limosi pituitosique sanguinis sunt soboles, crudæ, duræ, atq; omnino discussu contumaces: Huiusmodi tubercula equidem plus sexaginta universo corpore dispersas vidi in nostri Valetudinarii vetulo gracilioris habitus homine: quæ medicamentis valentissimis tractatæ nullis cedunt. Itaque ad chirurgiam venire providum Curatorem, non solum interest, sed oportet, *auctore Raze in l. 7. c. 14.* Quam manus operam sic instituit *l. 3. sylvæ chirurgiæ c. 28. Gabriel Ferrarius usus multi nomine probandus auctor.* Summis duobus digitis prioribus è sua sede sublatas, scalpro dividit medias: deinde tantisper separatas à complectente cute excutit. Exemptæ fibris innixæ cyaneis lupinum referunt pleniorem cùm sub terra germen emiserit. Hæc exscindendarum adenum ratio est. Veruntamen, si ferrum non patiatur, sed abhorreat æger, ferramentum æmulante septico rem confici dicit idem auctor: de qua re non est huius loci dicere. Illud pro chirurgicæ operæ confirmatione minime silendum, me Rever. Sacerdoti Octavio Maio Neapolitano glandulam è coxa gallinæ ovo non minorem extraxisse, cui compar in altera coxa jam ulcerata in ulcus cacoethe transmigraverat.

CAP. CXXXIII.

De strumis cervicis.

STrumis quoque, etsi crudi duriq; sunt tumores non parcimus exscindendi ministerio; sed cum nobiles sunt tantum & carni non affixæ ritu steatomatum, & id genus has cute rescissas & scalpro latioris brevisque cuspidis recurui circumsectas, digitis avellimus, suffragio *Galeni in 14. meth. c. 11. & in l. Isagogici c. 18. nec non Aetius serm. 15. & ex Arabibus Raza tract. 1. division. ca. 129. & aphorismorum suorum particula 14. sequuti Galeni sententiam 15. cap. 5.* qui conceptis verbis testati sunt, optimam & compendiosissimam sanabilium strumarum curationem fieri per chirurgiam; cui rei consenserunt & posteriores omnes chirurgi; qui uno artis chirurgicæ volumine circumferuntur, & *Vidus Vidius l. 4. chir. c. 9. & Hier. Fabricius l. de tumor. c. 21.*

Historia.

Sed nos chirurgiam hanc ipsam curandi ratione feliciter in sexcentis experti sumus in nostro morborum Incurabilium nosocomio, & præterea, in Honofrio Ægyptiano adolescente Neapolitano, quæ fuit apud multos impossibilis curatio: Administrandæ sectionis rationem leges apud Albucasin *Part. 2. c. 42. & Constantinum Africanum Chirurgiæ. c. 20. & huius autorem Isaacum l. 9. pract. c. 16.* & plerosq; ex jam nominatis. Tametsi vero *Nicolaus Florent. ser. 7. tr. 8. c. 37.* præ causticis excisionem improbaverit; apparet plane quod de strumis sub nervos & vasa conditis pronunciaverit. Sed & nervorum, qui voci constandæ de putantur, offendendorum, vana quorundam imperitorum & pusillianimi hominum formido est; ni tamen scalper impune ac transversim etiam jugula violans ad exteriorem trachææ faciem penetraverit, qui locus est recurrentium, si nos anatome nostra non fallit. Porro cum *Albucasis lib. 1. princ.* narrat de quodam qui strumarum elisum moliens, nervos istos est emolitus: carnificis profecto cuiusdam & lanii stultitiam ne imperitiam dicam, damnat & ob oculos ponit his Chirurgis, qui disciplinam anatomes negligunt aut contemnunt.

Anatomica periti Chirurgi necessarii.

CAP. CXXXIV.

De cancro mammæ.

CAncrum quidem mammæ duplicem fecerunt autores nostri (inter hos *Laurentius Iubertus in adnotationibus Guidonianis tract. de apost.*) ut alter sit sessilis, id est firmiter hærens parti, velut id, quod quadratè sedeat; alter verò mobilis ad unumquemque impulsum. Quamquam, ut dicam, quod sentio, cancrum eum esse verè non dandum est, qui carni non hæreat, venis altioribus nutritus, cum usus hic sit, è characteribus, quibus notatus est omnium scribentium consensu cancer. Utcumque cum tuberosus & durus dolensque suppressisque ex mensibus creatus est mammæ tumor: nisi cancer sit, ad hunc aliquo temporis decursu transmigrare, non ἀλόγως, neque difficile potest: de qua re & *Ioan. Bauhin. in observ. diario.* Ad quem statum

statum antequam devenias, est providentis medici maturè occurrere, radicesque omnes & fibras vitii accedentis lentius evellere, sive quidem amputandus cum parte mammæ sit, sive servata isthâc & duntaxat apertâ, eximendus.

De priore scripsit eo loco Jubertus verbis, quę recitationi nō parcentibus nobis sunt hæc: Mamma quidem tota amputari potest nullo incommodo; nisi profundiorem partem occupârit, velut sessilis cancer, cui fovendo venæ sunt amplissimæ ab alto procedentes: & suis quoque verbis *Amatus Lusitanus curat. 32. centur. 3.* De altera nunc vitii curatione quam extractionem appello. Huius exemplum singulare in curata fæmina nobis exposuit laudatissimus autor *Aretæus l. 2. de curand. vulner. c. 2.* Cuius suæ observationis & Curationis sententia hæc est. Peractis ex ordine omnibus, quæ ad corporis universi procurationem pertinent, præparatis ex stupa spleniis, gossypio materiisque aliis ad compescendum sanguinem facientibus collocatoque homine, sic ut commodus ad medentem se habeat, cæteris ad summam omnibus ritè comparatis per sinistram manum comprehensâ mammâ cutis acutissimo scalpro secundum longitudinem dissecetur, quantus ad unguem tuberis est dimensus; deinde ex altero cancri latere caro commota abscindatur & separetur, eâ cautione, ne cancer feriatur, quod si sanguis erumpat, globulo ex gossypio plaga opplenda per ministri manum compresso. Tum quoque ex altero latere caro separatur à cancro. In qua tota opera summa manus dexteritas & cum maturitate expeditio requiritur. Ubique autem utrinque cancer detectus est, atque à carne discretus, acu filum ducente medius transfigitur; extrema fili connodantur & capitibus intentè, per ministrum attractis, contrariâ parte, qua chirurgus secat, hic reliquum tuberis exactè subsecabit, ita ut liberetur à tubere mamma. Quibus actis sanguis, qui affluxit, abstergendus ac splenia ovi liquore tincta imponenda sine infarctu atque compressu, ne dolor augeatur, postero die fovendum ulcus & balsamælæo probato atque insuper emplastro basilico in linum inducto, donec impleatur carne vulnus, quo tempore quid agendum sit, nosti. Cæterum ablato hoc vitio providendum est perpetuo, ne succus is vitiosus & adustus subnascatur unquam, subnatusque detrahatur singulos in menses pilulis dictis è fumaria, ex helleboro, ex lapide lazali, ex epithymo, fætidis, aut quæ ex nitro inscripsit Alex. Trallianus. Hac cura diu tutum feceris hominem.

CAPUT CXXXV.

De calculo, qui ad glandem allapsus nulla connixus ac medicamenti vi dejici queat.

SI vero minor est in vesica calculus curante naturâ superfluorum & nocentium expultrice ad glandem extremam deductus, hinc nulla vi nixus aut medicamentorum ope dejici possit; proposuit quidem *Ambrosius Paræus lib. 16. cap. 39.* terebram, quâ pertusus & diffractus lapillus facile excernatur. Hoc suasore quondam usus est Julius Jasolinus in eventu pari Principis collis: sed ea difficultas est, quod adaptus à terebra elabitur, infra calculus, & præ duritie dissultare potest, ob eadem acies, & urethram graviter allidendo pungere; quam ob causam satius est, sectionem facere, ad extrahendum; si medio quidem urethræ inhæsit, eo latere quo magis renititur tumetque calculus, discindi colis debet. Hæc via commodis instrumentis adhibitis sæpius exemisse pertinaces calculos testificatur *Paræus in lib. 16. cap. 40. & semel Amatus Lusitanus Cent. 5. cur. 91.* quam primus omnium quos legimus approbavit *Aretæus lib. 2. morb. diutur. cap. 9. Paulus Aegineta lib. 6. cap. 60. Avic. lib. 3. fen. 19. tr. 1. cap. 6.* & ex neotericis *Gul. Rondeletius lib. 3. pract. meth. cap. 53. Fel. Platerus in obser. 10. Hucherius lib. 1. de steril. cap. de obstruct. urethræ, & R. Fonseca 2. de calce cap. 16.* Illud quoque transtulisse licuit, ex *Albuc. lib. 2. cap. 60.* sed hic quidem prius cognita sede calculi, proximè supra atque infra vincula astringit, quò calculus perstet firmius ad insectum, & non evariet: hunc quoque auctorem imitatus videtur *Stephanus Gurmelæus lib. 2. syntaxeos chir. p. 149.* Ita quidem isti. Veruntamen metu fistulæ, quàm certè dicit eventuram, improbavit infernè secturam, *Aetius lib. 3. ser. 3. cap. 5.* sed & hoc periculi cavere licebit imposito canaliculo longiusculo, sic ut secturæ locum prætervadat, de qua nos, & in tract. de rationibus agendi chirurgicis historiam retulimus eventus, sed citra sectionis atrociam aliud mihi instrumentum extractorium proposuit *Ioannes Germanus* chirurgus & Jatrochymicus sæpius à me licet non satis laudatus, fistulare illud cum ternis in extremo prehensoriis quasi digitalis internè dentatis & modicè simis, recurvisque, qui dum inseritur fistula in cavum penem contracti manserit; postquam intrusus calculi locum attigit; claviculo, qui per cochleam in imo torquetur, dehiscunt & corpusculum alienum apprehendentes rursus coarctantur, rotato cochleari scapo sic, ut revertentes organum extractum calculus sequatur. Ni ad extremam glandem delapsus est ille; inter glandem secare in longum adeo ut extrahi per hamum deinde possit. Id ad unguem evenit Andreæ Verrasio scribæ libellorum criminalium Neapolitano, qui cum hærentem multo maiorem meatui extremo glandis perdoleret; qui lotii viam obstrueret; sectâ per nos inferiore orâ canalis (Chirurgiam edocti *ab Aetio tetrabl. 3. ser. 3. cap. 5.*) minxit, & hamulo nos calculum contraximus, citra vero dissectum, sed solo hamulo calculum nucleiformem ex flacco rubentem & durum eximimus Petro Crochio Lucano Sinisiensi adolescenti, cui jam dies duos delapsus hærebat extremo meatu. Cæterum in Chirurgia inermi ratio spiritalis est exposita; quâ corpusculum illud incommodum forâs educi debeat.

Historia.

Ad extremum glandem allapso calculo chirurgia nostra.

Historia.

CAP.

CAP. CXXXVI.

De grumoso sanguine in urinaria vesica.

SAnguis in vesica conglobatur ex vulnere, vel ictu, lapsis etiam ex alto (ut vidimus) in coxa percussis sanguis in vesicam delabitur, atque ibi inspissatus permansit, Vitio interdum renum Contingens affectio. Signa hæc sunt. Ex sanguine quoquomodo concreto frigus accedit, atque horripilatio, febris, spiritus cum lipopsychiam subducitur, pulsus quoque deficit, sudorque frigidus extrema corripit, nauseæ, perturbant, emisso, ut scribit Paulus, sanguine per urinam, quæ subinde supprimitur. Porro sanguis cum extra venas effunditur, alioquin naturæ proximus, exuto temperamento naturali tantum virus contrahit naturali causarum transitu, Hippocrate autore, ut veneni vires facile subeat|: Cuius virulento vapore vitalia inficiuntur, unde terrentia symptomata oriuntur. Itaque densatum sanguinem natura diu non sustinet, quare dissolvendus, ac protinus extrahendus est. Tum autem, cùm concreti cruoris frusta exeunt, aut cruenti humores, (ut placet Aeginetæ) arthemisiæ decoctum in potu datur. Prodest & Conyze decoctum raphani semen ac laser, apij quoque: singula ex aceto bibuntur, valet & leporis coagulum vel hædinum ex Oxymelite, cinerem quoque cum oleo inter anum & serotum, aut spongias cum muria circumponimus, aut cinerem calidum. Si cruenta conglobata non exeunt, perinæum incidere opus est, ut in vesicæ lapide eximendo, cum conglobatum sanguinem educimus, quos thrombos græci dicunt. Hæc ex Paulo *Alex. Bened. l. 24. de morb. curand. cap. 14.* fuit autem & huius sententiæ universæ *Iacobus Fontanus lib. 3. pract. medic. cap. 36.* Hactenus autem hâc auditâ dissectoriâ chirurgiâ monendus es lector & in chirurgia spiritali rationem expositam fuisse, quâ per inflatum obtineri rei nocentis extractio queat.

Eximendi ratio citra dissectum.

CAP. CXXXVII.

De Tophis Chiragræ, ac Podagræ.

NOdosæ chiragræ ac podagræ tophacea sunt concrementa quædam, quæ perpetuo sunt impedimento commovendis articulis: quapropter expedit, aut dissolvatur si fieri possit, horum materia medicamentis, aut aliis etiam, ruptâ cute, ducantur, quod muria, vetusto caseo, & pyritis usti scobe effecisse se perhibuit. *Io. Scaliger in exercit. 103. p. 3.* materia autem ubi non sequitur, artificio manus educatur, id est, osculo convenienti facto per cyathiscum extremum cochleare specilli detrahatur, omnisque gypsea substantia exhauriatur; si non omnino mundus videatur locus, medicamentis valdè detergentibus depurgetur; quorum nonnulla descripsimus in pharmacochirurgico nostro: Ad hunc nos modum honorato viro Claudio Albano Mediolanensi rem approbāte Collegā nostro Francisco è Curtio Neapolitano multi ingenii medico tophos chiragræ ad ovi usque magnitudinem excrescentes excussimus. Verum usuvenit interdum in uberrimam loci initum exiccatum & roboratum etiamnum ignem advocemus, neque felicius aliter liceat rem perficere. Sunt alia numeri superantis exempla atque historiæ, quas descriptas nobis reliquit *Fabricius Hildanus. obser. 6. 31. 32. 34.* atque has omnes ad hanc rem utile fuerit legisse.

CAP. CXXXVIII.

De Vngue radice tenus putrido.

ET ex syphilide morbo (describente *Antonio Musa Brasavola in lib. de morbo Gallico*) & frigore nimium diu concepto per pedes & ex paronychio, & ex cætero humorum vitio, atque putredine: persæpe fit, ut radice tenus computrescant ungues excitato ulcere, quod nullis unquā remediis exiccari obduciq; possit, quam ob causam nimirum excisione & candentibus ferramentis hanc curat *Paulus l. 6. cap. 85.* Nempe ad pterygium, quod de nomarum genere facit is auctor, referri potest hoc vitii, quod ipsum cum mihi se obtulit, ita curavi, forfice primum unguem in ambitum subtusque præscidi, mox volsellā extraxi, spiritum vini saccharo conditum affudi, & deinceps communibus usus ceratis curavi; hâc ratione sunt sanati nonnulli. Ex quibus omnibus notabo præcipuos; Blasius Tartaronus Julianensis piscator, qui 4. jam annos vitium illud in pollicibus utriusque pedis pro incurabili destitutum fuerat passus, hac una via sanatus est brevi.

Hist

Alterum exemplum est monialis nobilioris in Cænobio Jesu Neapoli; cui nomen fuit sorori Zænobiæ Berlingeriæ, huic ex collisu venerat abscessus sub ungue pollicis dextri pedis quo circūsecto multam saniem detersimus, & ulcus paucos post dies propè curatum reliquimus, ademptā radice unguis, quæ integra processerat. Nihilominus rediit abscessus latens sub tenuissimam procreatam unguem, quā circum amputatā & nova sanies reperta post triduum novam unguis radicem confidenter extraximus, & ita pedem denique sanavimus. Adverte nunc ex his unguem quidem, aut ungueam crustulam in ulcerato supremo digito provenire, verum in eodem nisi sanescente vel sano adhuc non confirmari, neque adgigni.

Ad hos est Philippus à Mari legum peritus, qui cum ex pollicis ungue in sinistro pede diutissime fuisset tortus, plurimis incassum abiectis medicamentis extractionis opem sentiit brevi temporis momento quam fidelissimam.

Histo

CAP. CXXXIX.

De solertia Medici circa morbum simulantis.

DEcet omnino medicum sapientem atque in re sua præstantem stultis quibusdam aut insolentibus qui vel delusus vel commodi sui gratia morbum simulant, posse obstare prudentiā, horum autem hominum proterviæ pervincendæ perpauci fuere è nostris, qui præcepta tradiderint. Inter omnes post primum Galenum *Ambr. Paræus*, cuius scripta magni fecit Jo. Heurnius aliique docti viri de hac ipsa re nonnulla posteris mandavit *observat. dignā libro qui est de monstris*, qui vir quidem pleraq; in tumorum genere cum detege-

detegerit, ulcerum vero ementitorum cum aliquod exemplum tantummodo produxerit; cæterum quæ de vi factis omisit, nostrum est referre. Referam autem primò quod maiorem in modum visu est admirabile. Porro sunt in terris homines, qui, quod non est corpori vitium, sibi concitant, emolumentum aliquod inde captantes. Admirabilis sane socordia, nam quod totis à se viribus arcent alii, sibimetipsis adsciscunt, & sic corruptoria medicamenta parti cuipiam sui corporis inducunt, ut morbum adstruant. Virgo quædam adolescentula in sacro D. Potiti Cænobio, ex his, quæ melioribus ancillantur, cùm operas diurnas, ut fit, ægre sustineret, morbum simulans, septici, quod ex calce, & sapone conflatur non ignara facultatis, hoc sibi facile comparatum pluscculis mammæ particulis imposuit, & Chirurgo se offerens audax curatur velut gangrenæ & phagedenæ subdita: Cuius quidem atque etiam clinici cura per pharmaca nil, ut par erat, proficiente, tertius ego bullas quasdam principio pallentes, mox in atras conversas adverto, quibusdam quasi crustulis pares, quibus per applicita cerata post aliquot dies elapsis rubellæ subtus apparuerunt, areolæ cavæ, quibus diligenter obductis, aliæ paribus initiis atque exitu productæ sunt crustulæ, quibus similiter abiectis ac persanatis subnatæ proximæ sunt aliæ; nec futurus erat finis, ita curante malignâ fœminâ, nisi per imprudentiam hæsisset, corruptitii medicamenti quidquam per me observato, facile fuit, in suspicionem vaframenti venire: tametsi incredibile atque inopinabile visum hoc fuerit in muliere religiosa & medicamentorum eiusmodi imperita, nihilominus institutum vitæ rectum vicit inertia, fraudis vero viam ostendit vulpina quædam observatio; nempe viderat sacras alias sodales septico illo vias ad excitandum fonticulum. Jam igitur imposturæ genere intellecto si quæsieris qui deprehendenda sit illa, memineris suspicionem facere posse genus hominum vile, & egenum, quales sunt servi pacti debito, & operarii, mendici, captivi, suppliciis devoti, & omnino miseri, & quos urget male suada fames, & turpis egestas. E quo quidem ordine postremo nonnullos adverti ex his, qui ad sacra valetudinaria curandi occurrunt, tibias sibi plerisque partibus exulcerasse, quo victum inter decumbentes miserum emendicarunt. His jam paucis sed ferme pro regula præmonitis vilium hominum vaframentis, cæterum ad eludendos vincendosque eos, qui chirurgis sectionem meditantibus obluctantur artis partem reliquam exponamus.

CAPVT CLX.

Sectiones suppuratis ac sinuatis ulcere partibus deluso nolentium ac refragantium timore facere.

FErri formido naturalis est hominum animis: nos verò sæpe medentes experimur ægrotantes nostros, qui secturam prævidering, vel à nobis necessariò revelantibus audierint: comparare se, atque munire, quo minus vel levem plagulam, quam oportet, inferre liceat, quam rem qui cum non molestè ferre non possumus, si laudem ex agendis & ægri salutem amamus. Nimirum sanies, tum quâ participat acrimoniâ putredinis sobole, tum etiam diu subsidens proxima, & adhuc sana rodendo sinuat ut *Celsus ait lib. 7. cap. 2. & Galen. lib. de tum. præter nat. cap. 4.* Itaque nisi paretur celer effluxus vel calli vel fistulæ pertusio intimis plerumque corporis cavitatibus manentur, atque adeo veniendum est omnibus modis ad apertionem. Quod si præter eiusmodi sinuationem aut ex suppuratione detrimentum aut incommodum impedimentumvé curandi sit: & huic occurrendum monuit *Hippocrates lib. de hæmorrhoidis*; etiamnum si liceat dexterè, clam hæc interim, inquit, dum loqueris ægro non animadvertente facito: qui idem vir & anginam dirupturus suppuratam, ferramentum acutum ad digitum alligat *lib. 2. de morb. n. 28.* quo commento si contendas non ad imprudentem hominem usum Hippocr. nos plane si quando accidat ad inconsultos uti licebit. Quod autem ad alios & generales dissectus attinet, quia causticum non expedit, vel quod inflammationes doloresque longos movet vel quod latè se extendit, ac turpes cicatrices relinquit, ob eas res ferri operam plane necessariam exequamur oportet, etiamsi contumax æger recuset inscio ipso. In quam rem *Rabi Moses in fragmentis Galeni.* Cum tibi placet (inquit) incidere, & æger est timidus, fingas te velle tangere aut fricare loca vicina ægritudinis, & tunc incide locum ægro inscio eius rei. Cæterum administrandi doli laudabilis rationem viri chirurgiæ periti nonnullam monstrarunt, *Ambrosius Paræus lib. 6. cap. 10.* exposuit hanc: Scalpelli mucronem per æreum nummum sic adigito, ut defixus stet in medio, hunc tum ne ægro vel astantibus pateat dolus emplastro, vel cataplasmate diligenter operito, quasi medicamento imposito contento puri exitum esses patefacturus. Vbi mucronem latentem eo loci applicaveris, quo tumorem aperiri expedit calculum sic digitis regito, ut tu derepente compellens comprimensque impressionem in tumorem facias, quæ excludendo puri sit satis, eiusmodi machinularum tria hic autor schemata ut his vel maiusculis vel minusculis vel mediocribus pro re nata uti possis, l. c. proposuit. Similiter idem is ipse Ambrosius sæpiforme organum cum inclusa occultò sagitta vibratili nobis delineavit. Potest ex his adnumerari specillum cauum argenteum cum inserta discissoria lamella, quo dissecandæ adversæ tenui cuti carnive licet uti. Referam autem & his usibus forficulam ad vulnera dilatanda deceptoriam *Guidonis in tr. 3. doctr. 1. cap. 1.* descriptæ quam & idem Ambrosius alicubi delineavit. Hucusque utrumque ferramentum aciem habet à parte exteriori includiturque lamina duplici atque ita dimittitur, cumq; ferramenta incisoria ab inferiore parte diducuntur infra fibulam, qua & intra se

Scalpelli mucro nummo insixi descriptio.

& cum lamina connectuntur, diducuntur, item à superiori ac sinum dilatant.

Hæc incisoria ferramenta sunt ad omnes universim suppurationes & abscessus ac sinus, cæterum ad fistulas ani *Vidius Florentinus lib. 4. sua chirurgiæ cap. 10.* descripsit ab Ant. Ponzonello chirurgicum inventum scalpellum, qui septem digitorum longitudinem & semidigiti minimi latitudinem æquat, à superiori parte leviter sulcatus est, à latere interno ab inferiori parte nectitur cum theca per fibulam, laxè tamen adeò ut in ipsam induci cùm res postulat, ut ex eadem educi sine ullo negotio possit. Leviter autem infra fibulam inflexus est, & processum exigit ab extremo latere similitudinem literæ V. cui sinus respondeat in extrema theca. Est autem theca lamina argentea vel ænea duplex, ab interiori latere, quod scalpellum admittit, canalis modo aperta ab exteriori solida, ac perpetua eius longitudinis ac latitudinis, quæ includere ac celare scalpellum possit.

Ab extrema autem parte extremam scalpelli partem admittit, ac per fibulam detinet, infra quam habet theca sinum respondentem processui scalpelli partem admittit quem diximus V. literam imitari. Ergo ubi scalpellus in theca inducitur recedit processus illius, à sinu huius, sed ubi educitur cum eo committitur, arcteque adstringitur. Ubi usus requirit scalpellus theca inclusus inditur in fistulam sine ullo dolore: sed ubi inditus est extremus scalpellus pollice, extrema theca indice comprimitur sic, ut processus illius in sinum huius inseratur, quo fit ut superiori parte scalpellus thecâ excludatur; tunc verò ab inferiori parte prehenditur & vi quâdam receptus subitò fistulam dilatat atque hominem secat, minime opinantem. At ubi volumus scalpellum theca rursus includere eius processum attollimus interim thecæ sinum deprimentes.

Nostra minerva instrumentū cum vaginula immittendū.

Hæc Vidius ad insecandam imprudenti homini sedem. Nos vero, & alium instrumenti modum excogitavimus, uberioris doctrinæ gratiâ non silendum. Parandus scalpellus est, cum manubriolo immobili ferreo, longitudine sesquidigiti aciei tenuissimæ, pariter & exactissimæ, mediocriter secundum aciem inflexus, extremâ cuspide capitulatus, cuius incisorio duntaxat clivo vaginulæ modo tenuissimus coaptetur canaliculus stanneus ad usque manubriolum productus, conglutinabitur hoc equidem modicè cùm plexanda scalpelli acies vel cerâ resinatâ vel alio simile glutine non admodum hærente. Administrationis modus est, ut ante vel gentianæ vel aristolochiæ, vel cyclaminis radice, vel spongia qualem alibi præparandam diximus, amplietur, quantum est satis ulcus; mox cæteris omnibus præparatis, ubi opportunitas est, in ani penetrantem fistulam instrumenta hæc ut dixi compacta, tamquam radiolus, aut specillum immittatur, usque dum contortus scalpellus altera parte promineat, quo tempore retrahenda descripta vaginula foras est, atque ita nudo scalpello relicto conficienda sectio est. Vix aliquid difficultatis futurum est, si norit homo rem omnem ordinare. Alia simpliciorque ratio fuerit per syringotomum Græcorum, unum ex his, quos *in lib. 7. chirurgici operis depinxit Andreas à Cruce*, quò lectorem remittimus, quod ferramenti genus parte anteriore specilli forme, posteriore vero scalpellum est incisorium. Cum igitur utrinque pervius est abscessus aut fistula inspecturo homine, qui laborat aut coniunctissimo necessario tractantem aut instrumentum aut ulcus medium, hic occultata per manum (leva autem erit parte ferri concisoria) cæteram, quæ in specilli modum est fabricata, per utrumque ulceris osculum traiectam ex adverso dextera prehendens ab extremo confestim & violenter attrahit: atque ita scalper, qui subtilissimâ est acie feliciter & indolenter rem perficiet quod optabamus.

Quibus omnibus subjiciam ne rationem, quæ non ad instrumentum quidem ita, ut ad apparatum & ad solertem medici fallaciam atque astum pertinet? Si placet igitur id quod in uno quodam ægroto nostro feliciter obtigit exponam. Hic abscessu frigido laborans nil magis aut timebat aut sibi cavebat exorans quam secari. Quin ut bono animo esset, oportuit persuaderi nequaquam futurum, ut opus sit dissectione, quando jam non tenderet in suppuratum tumor, itaque discutientibus esse tractandum, dissolutum verò iri facilè cucurbitulis, quas admoventes quàm sæpissime repetiremus. Cui nostro consilio cum acquievisset homo, parti cucurbitulas cum multa flamma ac tam crebro inculcavimus, ut plurima parte sensus obstupesceret. Quod cum aliquo vellicatu deprehendissem, parato scalpro facile disscidi vomicam non admodum ipso ægro conquesto.

Histo

Cæterum ad expeditissime & quam minimo cum dolore secandum quod spectat, si quæ est ratio temperandi ferramentum, cum hoc fabricatur, hæc maximè perquirenda est, est autem una quæpiam permultum *à Fallopio commendata lib. 3. de secretis*, quam interea recitare non pigebit. Cum acies ferri temperatur, illud adhuc candens primum in saponem album affrica, hoc enim rubiginem detrahit, mox in oleum quindeni insolatus lumbricorum terrestrium extingue. Temperandorum chirurgicorum scalprorum habes modum usu medendi probatissimum ait auctor, vel quod Mizaldus arcanorum centuriis nos docuit, aqua ex contusis lumbricis per pannum expressa cum succo raphani portionibus æquis commista cum acies ferri cuditur in extingues.

Arsp... di fe... menti... quam... nimo... dolore... riat.

Hocce pacto fabrefaciendum ac temperandum curabis etiam instrumentum usu nullo secandi suspectum, quod tamen ad secandum non incommodum erit; si volsellam, inquam, vulgarem, cuius capitulum frondis oxymyrsines, id est, rusci forma vel paulo minus si malueris, quod ad mucronem attinet extremum acutum ad discissorium utrinque paratum sit, primoribus tribus digitis oblique prehensam obvoluto

crassiuscu-


crassiusculo cerato, quod trito fit usu, delatam in illinentis modum; Interim jucundissimis aut miris quibusdam narrationibus ægro, qui cubat, distento atque ab eo, quod agitur, averso; confestim appellens ad suppurationem, hanc, quam instituisti feries & saniem detrahes. Præterquam quod & anterioribus volsellæ cruriculis seu malis forcipulis ad perpungendum aptè paratis cerato etiam secundum aciem impeditis atque superius constrictis uti licebit. Hoc autem ut de Ambr. Paræo dicam: *cum hic l.23. c.42.* pertusæ peradactas volsellas hymenis conclusæ meminit, incertum est, qualiter paratis id fecerit.

Post has omnes, quæ per ferramentum frigidum sunt improvisæ laborantibus sectiones, restant ex ignito ferro aliæ: quarum unam exempli causa producam propositam ab *Hierony. Fabricio in lib. oper. chirurg. cap. de fontic.* qui ait: Tria sunt incommoda, quæ molestant hominem cui fonticulus efficitur, calor, dolor, & ignis aspectus. Ad hæc tria vitanda, ars excogitavit laminam ferream latam & crassam; in cuius medio fit foramen eius latitudinis, ut admittat cannulam instrumenti quod sinistra manu detinetur, & comprimitur: quæ lamina & inferna parte quæ corpori applicatur circulum habet cum supercilio tenui & quadantenus acuto, & ponitur supra locum fonticuli signatum atramento. Hæc lamina primò refrigerat partem circumstantem, & consequenter calorem ferramenti cand entis; inde dolorem mitigat. Obstupefaciendo sensum quem obstupefacit tùm frigiditate tum compressione magis acuti articuli. Cui postea circulo si supponatur instrumentum, quod ignem abscondit erit plene satisfactum tribus incommodis jam relatis. Habetur enim instrumentum quod aspectum ignis tollit, quod candens ferramentum intrusum & occultatum habet in tubulum aut ligneum aut osseum aut argenteum, quod ex altero extremo orbiculare foramẽ habet, quod parti apponitur, ex altero verò operculum candenti ferro cõiunctum, quod deorsum comprimitur. Hęc ille. Depictam autẽ huiusmodi quandam machinulam dedit *Dominicus Galbanus medic. Estensis in l.2. operis de fontanel. c.8.*

Est & ex hoc genere instrumentum à nobis excogitatum quod recondens vasculo prunas ardentes follis fabrilis vi parti cuilibet admotum hanc exurit depictum superius in chirurgia spirituali capite quod inscriptum est de inurendis ignis halitu vel flamma particulis. Atq; hoc quidem vi spiritus est usus organi: non spirituale autem est aliud ferramentum duplex, alterum quod cavus tubulus recipiat utrinque pervius: alterum quod recipiat deceptorium atque ignis illatorium scapum cuius utriusque hæc esto pictura.

Nostrum ad inurendum organum occultum ignem servans.

Deceptorii cauteris imago picta.



Peroratio atq; ad Lectorem admonitio.

PRæter has omnes agendi rationes selectas è quam plurimis, quas equidem huic libro congerere potuissem, nõnullas alias tum in pyrotechniæ medicæ nostræ libris, tum in chirurgia inermi, tum in variæ materiæ volumine, tum denique toto opere disposuimus suis his locis commodè contextas.

CHIRVRGIAE QVAE AD OSSA PERTINET,

CAP. I.

De pertusione calvariæ pro hydrope capitis curanda.

HYdrocephalum quod extra calvariam consistit; exhauriendo cutim capitis dissecare, quo sequatur effluens aqua, non admodum difficile durumque scio visum his, qui paulò superiore sermone doctorum virorum audivêre confirmationes: verùm, ad educendam, quæ sub calvaria stagnat, aquam idẽ hoc os exscindi debere vix aliquem credo futurum, aut qui admittat, aut qui temerarium non clamitet, dicatq; periculosę plenum opus aleæ: veruntamen si idem homo, qui ad hæc exhorrescit, tam firmus est animo, ut non dubitet Hippocrati contradicere, detrectareque quam autoritatem summi dictatoris, hic jure suo patiatur & voto, quid autem ad huius divini viri decretũ inficiando astruerit aut comminiscatur quilibet? an auctorem operis magnum Hippocratem nõ esse? sed lites præscindamus. Sit Hipp. alterius, sit Thessali filii secundũ Dioscoridis sententiam recitatam à *Gal l.6. ep. sect.1. cõm.19.* sit Polybii quemadmodum per Petrum Salium, perq; Mercurialem licet, certè ex Asclepiadis est legitimis & schola magni Hippocratis, an non satis est plena istorum auctoritas, etiam *Gal. introd. c.18.* & Pauli, qui chirurgorum hanc communem operã approbat? aut ne momẽti maioris est pus aut sanguis ex ictu suffuso membranis cerebri, pro quibus exhauriendis sanxit Hipp. aperiendum craniũ an minoris discriminis est hydrops capitis, quàm aqua, quæ periculum infert visui, diffusa cerebro, quàm cephalęa quam melancholia, quã mania, quàm epilepsia? sed pro his omnibus curandis decreverunt, ut paulo post apparebit medicinæ proceres, perterebrandum caput: perterebrarunt & hoc quoque in talpia *Lusitanus Ama-*

nus Amatus cent. 1. *chirurg.* 76. igitur & pro his hydrocephalo idem licebit decrevit porrò *Io. Baptista Sylvaticus con. oper. f.* si interna capitis læsio abfit & frustrà perforatio fiat à perito ministro, omni periculo vacare gravem operam dices & vetustate temporum obsoletam. Sed superiori seculo *Arnoldus Villanovanus* experientiæ summæ medicus vertigini medendæ exscindendum cranium præcepit, item etiam melancholiæ ac maniæ *Rogerius ac Rulandus, Bernardus Gordonius, Anto. Guainerius, Gulielmus Rondeletius & Iac. Costæus, & novissime autem omnium Arnoldus Weickardus Medicus excellens Francofurtensis. Epilepsiæ autem Gulielmus Rondeletius, Iacobus Hollerius, Ioannes Costæus, Marcellus Donatus, Iulius Cæsar Claudinus.* Cephalææ verò *Iac. Hollerius, Iulius item modò memoratus Claudinus.* Cæcitati quoque ab interno vitio impendenti *Ioannes Costæus*: quorum omnium sententiæ suis locis exponentur. Adversatus & apertè huic operæ Chirurgicæ & Galeno eandem approbanti, *Iul. Cæs. Arantius*, vir alioqui sicut ab edito libro de tumoribus apparet, planè medicamentarius, & medicinæ lenioris amicus; qui & suam hanc sententiam insolentiorem faceret, duas sub unum aspectum complecti visus est, animi contrarias affectiones; pusillum, inquam, animum & in exantlandis discriminosis casibus pavidum & simul audacem, ut autori magno contradiceret & hoc se prævalere confideret. Verum enimverò fit aliquando, ut hydrocephalum ne attrectare quidem expediat: estque is casus nulla hominum dubitatione funestus, qualem equidem narrabo mihi & medicis aliis compertum.

Extumescens monstrosè caput observare accidit An. 1600. in filio magnificæ lectissimæque fæminæ Claricis Caraffæ, nonum jam mensem, nato, cui à quinto natalium mense cœpit inire tumor, qui postmodum auctus est adeo, ut circumductus funiculus non brevior esset; quam duorum palmorum & quinque digitorum transversorum communis mensuræ. Creditus à me tumor est ipsius cerebri substantię, multo humorum excessu turgentis ita ut commissuras omnes ossium & frontis medii apertâ mollitudine teneret amplè distractas, & circa inferiora distentum convulsumque crus dexterum. Item revulsi ad obtutum inferiorem oculi, ex ulcusculis verò in capite spontaneis ad denudationem usque ossis cutis diffissa, quæ quidem ipsa capiti prætenuis; lapsi sponte aliquot dentes. Non sugenti lac infundebatur ex cochleari. Infans hebes & sopitus ferè perpetuo, nil unquam obstrepens, id est ore significans. Morbo succubuit non multis ab aucto morbo diebus.

CAP. II.

Excisio calvariæ in cephalæa intolerabili.

SI tentatis aliis omnibus remediis adhuc cephalæa perseverat; atque æger animosus sit & corporis robur consentiat: approbat *Aretæus 2. diut. theor. cap. 2.* quod nonnulli super frontem ea in parte, ubi sutura est, quæ corona dicitur cutem osse tenus inciderunt, illudque haud extenentes aut exscindentes usque ad meditullium; quod græci diploën nominant, ad carnis repletionem perduxerunt: alii & ossa ad membranam usque perforaverunt. Vidit Aretæi locum hunc atque alium eiusmodi *lib. primo chron. cap. 4.* atque imitatus est *Iacob. Holler.* qui *libello obs. suarum* primo scripsit hæc; In intollerabili cruciatu capitis, qui & assiduus sit, nec aliis cedat remediis, ferro & igne utendum est: frustra enim pharmaca, cucurbitulæ, & topica alia comperta sunt; quia hæctica quædam capitis intemperies atque infirmitas adest & constat quidem permultos melius habuisse in eiusmodi malis, epilepsia, mania, melancholia, hemicrania, terebellis vel cycliscis aperto capite, vel inusto. Hæc Hollerius. Accessit & in hanc sententiam *Iulius Cæsar Claudinus professor Bononiensis in lib. de ingressu med. ad infirmum*: cuius rei proximo cap. meminerimus, ex horum quoque virorum numero videtur fuisse *Petrus Pigræus* non contemnendus auctor *Regii Gallorum medicus lib. 4. chirurg. cap. 4.* sed superat omnes *observatio Amati Lusitani*, qui rem expertus in milite, cui per dolores nullâ ratione placabiles & profundos, à sincipite in reliquam anteriorem partem exteriores oculos elidi videbatur. *centur.* 1. *Cur.* 4. *f.* nobis hæc post multa memoriæ prodidit; protinus ergò accersito chirurgo. Aliam historiam narrat *Herc. Saxonia lib.* 1. *pract. cap.* 2. de religioso viro, cui perterebrato capite repertum est os corruptum & supra menyngem multa pituita. Accedit igitur ad eam sententiam, ut vides, interdum perforati cranii Saxonia.

CAPVT III.

Excisio Calvariæ pro curanda Melancholia atque mania.

REfert *Antonius Guainerius non minimæ autoritatis medicus opere practico cap. isto*, mulieri maniam patienti ad sinciput ulcus magnitudine ducati (nummum argenteum ita vocat) pyrotico excitasse, & calvariam sub lunæ decremento maximo per cerebrum ad usq; membranę crassę conspectum aperuisse; sic per mensem aperto vulnere miseram fæminam bienni morbo liberatam: Approbavit hanc medendi rationem *Io. Costæus mehercules tam exacti judicii, quàm fecundæ doctrinæ medicus l. 2. de ign. med. præsid. c. 6.* sed didicit hanc chirurgiam sicuti mihi videtur Guainerius à *Rogerio Salernitano l.* 1. *chirurgiæ cap.* 21. & à *Rulando Parmensi lib.* 1. *chirurg. cap.* 17. qui curandæ maniæ ac melancholię cruciatim insertâ cute summi capitis calvariam terebrandam volunt modiolis serrulatis cannulatisque cum exerta ligula: quod genus ferramenti luculentissimè descripsit *Celsus l. 8.* Et hos omnes autores ad idem mali medendũ sequutus est *Gualterius Bruelius in opere praxeos medicinalis c. isto, atq; Arnoldus Weickardus medicus apud Francofurtenses Clarissimus in suo verè thesauro pharmaceutico c. de mania.* Atq; hâc arte procuratæ per nostros homines sunt excisiones calvariæ; cæterum, & casu factæ tantundẽ utiles experimẽto complurium pręstantiũ doctrina virorũ compertæ sunt. Porrò narrat *Bernhard. Gordonius in l. de pass. cap. part. 2 c. 19.* melancholicũ diu hominem

diffracto per vulnus cranio restitutum quidem; primum dum plaga etiamnum hiaret; mox ubi primum cicatrice obducta esset, rediisse ad insaniam eundem: quod argumento magno habet Gordonius, diutinam cerebri deiectionem conducibilem interdum esse ad mentis integritatem cui recitatæ sententiæ non contradicit *Alex. Massaria l. 1. re medica cap. 22. & Gul. Rond. in method. cur. morb. cap. 41.* narrat de muliere melancholica & moniaca quæ per casum fortuitum aperto cranio, & ex hoc aquæ portione dilapsâ curata est mirabiliter ex insania, quare addidit, si studio perforetur cranium vaporibus atris aut fuliginibus alienis à cerebro discussis, probabile est recepturos mentem suam homines. Præter hos omnes nostro seculo superiores suasit dudum, & ad maniã abolendam calvariæ percussionem *Epiphanius Ferdinandus hist. 66.* etiam, ubi tentatæ usturæ parum profecerint: exemplo nixus Alberti Magni (credo equidem verius Arnaldi Villanovani) qui retulit factâ cuidam furioso eiusmodi perforatione sanitatem restitutam mentis: idemque approbavit *Iac. Fontanus lib. 1. pract. medic. cap. 28.* & ad melancholiam 24. Nos verò recentiorem referemus historiam, quam certâ fide narrarunt Illustrissimus & omni virtutum maximæ pietatis & literarum genere excultissimus Marchio Carolicanensium in Salentinis, & qui rẽ vidit Matthæus Taphurus, spectatæ vir probitatis, atque adeò apud eundem Marchionem apprimè gratiosus atque probatus. Cæsar Bartholomæus Dominorum Auolos familiæ apud Regem Hispanorum procurator Madriti, cum implacabili dolore capitis affligeretur, nullis ab internis nil & externis remediis, quæ dico adhibuerat levatus, interdum quoniam doloris impatientiâ victus est, consultum iri sibi credidit, si, quâ malum infestabat, & vis scalpri altè defigeretur, donec vitium inveniretur. Qua sic aperturâ cutis & calvariæ confectâ per hominem quem ad eam delegerat, atque enixè persuaserat, nescio quis in cranio tumor & viror, sub ipso vero increscens caruncula fungi modo reperta est; quibus vitiis & putrilagine detersis liberatus à malo vir integrè fuit, ita sæpe non soli qualitatis excessus, & intemperantiæ, cephalæas graves faciunt & conservant, sed vitiosa etiam concrementa, adiicerem his alios eiusmodi casus à plerisque relatos, si probatissimi se auctores obtulissent.

CAPVT IV.

Excisio Calvariæ pro Epilepsia curanda.

EST & epilepsia tam atrox morbus, ut venire medicum providentem etiam ad testæ capitis violatum persæpè cogat. Audi verò Aretæum in 1. Chronic. c. 4. dicentem; ingentibus medicamentis ac valentissimis in morbo comitiali opus est, nam quoties eius in mentem venit non modo laboriosum malum & periculi plenum, sed etiam generis morbi fæditatem & calamitatis opprobrium exhorremus, atque ita existimo, si se mutuò in accessionibus spectantes ægroti quæcunque patiuntur, cernerent non ultimam vitam ducere tolerarent: verum quæ singulis atrocia fædaque insunt, sensus privatio, intuendique sublata facultas abscondit; de inde inferius idem auctor ait: imprimis os perforare usque ad secundam laminam oportet; deinde ceratis cataplasmatisque uti tantisper, donec membrana ab ossibus recesserit, terebrâ nuda ossa circumscindere convenit; ac si paulùm resistant, usque ad spontinam avulsionem, perseverandum, quousque nigra nonnunquam istorum, & crassa membrana inventa fuerit, cumque per putrefactionẽ vel etiam purgationem audacter curante medico vulneri cicatrix inducta fuerit ægrotus morbum evasit: sed neque solus Aretæus huius sententiæ fuit, ut perforandam in epilepsia duceret calvariam; *Themisonem legimus apud Aurelianum lib. 1. chron p. c. 4. f.* hoc idem morbi testæ quod græci βρέγμα appellant terebri perforatione curasse; quam rem cum refellit Cælius, nihil est. Hanc enim approbavit *Hipp. lib. 2. de morb. tit. de morbis à capite finientibus,* præter epilepsiam verò, & cephalææ finiendæ præsidia od ossa usque penetrantia conferre conceptis verbis professus est idem *Aretæus eod. lib. & cap.* Ex junioribus vero nostris faverunt huic operæ chirurgicæ & *Gul. Rond. qui l. 1. de curand. morb. int. c. 41.* in epilepsia, inquit, ab humore melancholico aperiendum est caput; huic vero suppar *Iac. Holl. obs. suarum primâ, ac Prosper Alp. l. 10. med. cap. 7. ac Io. Costæus l. 2. de igneis med. præsid. c. 6. sequutus Guarnerium*, qui maniacam refert hac se ratione sanasse: Meminit quoque cum honore huius chirurgiæ tum ad epilepsiam tum ad cephalæam pertinacem finiendas conducibilis *Iul. Cæsar. Claud. professor Bonon. in opere, quod inscripsit de ign. medic. præsidiis l. 4. cap. 9.* cui rei non refragatus est *Pet. Pigræus l. 4. chir. c. 9. suffragatus verò Prosper Alpinus lib. 10. de medic. method. c. 7.* Confirmavit & eventu rem *Marcellus Donatus, qui lib. 2. mir. histor. med. c. 4.* narrat de viro Gallo, qui profectus de laribus suis ad Italos, ut è tetra epilepsia curaretur: forte fortuna per latronum insultus calvariæ apertione liber est factus, ita falsum non est, neque ludibundum, violatu testæ munientis arcana capitis epilepsiam abire.

Vnde primùm perfectum perforãdi cranii commentum.

Ductam autem pertundendæ calvariæ utilitatem existimavit *Iac. Fontanus lib. 2. pract. med. c. 17.* ex accipitrariis venatoribus qui falcones, quos alunt, epileptico morbo tentatos liberare solent aperto capitis osse prope rostrum inter duos nares ferro candente: per foramen enim manat ichor quidam, quo exhausto vitium omne abjicit accipiter, de qua etiam re lege facundissimum illum virum qui de re accipitraria vernaculâ nostrâ linguâ scripsit.

CAPVT V.

De Exscissione calvariæ pro tuendo visu.

CAlvariæ os exscindi sanum ipsum atque integrum plerumque necessitas cogit; nimirum

pro tuendo visu oculorum, cuius tanta est præstantia ut ad hanc functionem natos homines affirmaverit Anaxagoras; & de quo *Marsilius Ficinus ex Platone in lib. Timæi c. 31.* dixit: oculi divinitus dati sunt ob cœlestiũ cognitionem atq; imitationem & ob philosophiam optimum divinitatis donum, quam ob causam haud difficile accipiendum id, quod Q. Serenus proposuit his verbis:

Summa boni est alacres homini contingere visus,
Quod quasi custodes defensorisq; pericli
Prospiciens summâ natura locavit in arce.

Itaque ad hos cæcitatis discrimine liberandos *Hipp. l. de visu ita pronunciavit*: si cui oculi, dum sani sunt, visum corrumpunt, huic sectione, & insuper excoriatione in sinciput factâ os exscindere & aquam auferre oportet, sicque curare, atque ita sani fiunt. Hippocratis hoc decretum minimè quidem acerbum causare debebunt homines, chirurgiam hanc passuri, neque item facturi; quando jam alluentem super cerebri membranis aquam statuit Hipp. ad faciendum hypochema continenter paratã, ex quo loco deductum arbitror, ut descendentem ad oculum aquã, id quod catharacta dicitur aliâs, vocaverint Arabum schola. Periculum autem cæcitatis radicatum est obscurius per id, si cui oculi, dum sani sunt, visum corrumpant: perinde ac si dictum esset; si cui oculi jam antea semper integri confertim irruentium humorum confluxu derepente occæcari tantum non in integrum videatur, huic &c. Ad hæc vero sic ostenditur probabile consilium, quod Hippocrates proposuit, quod & eventu rerum comprobatum fuit aliquando felix, fecitque etiam casus, ut tenebricantibus ex oculis hominibus factâ in calvaria rupturâ lucis usum reddidisset: Porro narrat *Io. Costaus c. de igne imm. præsid. c. 15.* ex amaurosi vitio, quod ex crassis lentisq; humoribus opticorum est obstructus, Virginem Deo sacram, aliâs plures jam menses occæcatam fortuitò, tegulæ in capitis verticem lapsu, fuisse restitutam. Fracto enim capite usque ad primam calvariæ laminam, dum curatur vulnus, cum eius curatione pristinam eius vim recipit, inquit auctor. Simile huic exemplum memoriæ prodidit *Alex. Bened. l. 3. decur. sing. cor. par. c. 29.* his suis verbis: quibusdam in senectute lumen restitutum est, memorabili exemplo. Germanus quidam Hiadesæ octogenarius visu hebetiori equo abactus currente in terram ex improviso ferè exanimatus in lapidem capite collisus est; confregit frontem. in ea curatione (id enim vidimus) visum recepit obstructis meatibus, per quos effluere solitus erat humor acris intestans.

Licèt aspectu & grave æstimandum hoc tamen leve præsidium necessitate.

Periculum cæcitatis ab Hipp. indicatum.

Sensus verborũ Hipp.

A casu experimentũ.

Historia.

Præter hæc autem fortuita experimenta non desunt & quæ prudenter consultoque factæ pertusiones calvariæ plurimam operæ utilitatem testificantur. Unam autem imprimis nobilem narrabo. Aloysius Brunus Apulus Alsivillensis honestæ familiæ homo 30. circiter annos natus cum gravi suffusione correptus esset, sic, ut nulli oculi essent usui, quam ob rem medicos acciri jubet: qui perplura varii generis irrito fructu facienda curavêre. Cum chirurgus, aut expertus, aut in Hippocrate doctus pertusionem calvariæ proposuisset, damnatâ licet ab aliis operâ, tamen acceptata est ab ægro desperatione lucis, cuius privationem non minoris quam mortis aleam æstimabat. Quâ re peractâ, mirum expediri viæ & recipi visus continuo cœpit, sive quod opaci habitus expirassent, sive quod humor excussus longævus, quod admirabilius est ad centesimum & usque tertium annum vixit. Res Tranensibus civibus nota.

Veruntamen hac in re timorem iniecisse videtur *Aetius, qui lib. 2. ser. 3. cap. 54.* narravit, ex calvariæ incisione ac perforatione, quando sanè etiam ægrè curatur, contingere sæpe maciē oculi. Veruntamen longè distant, multitudinem incumbentem aquæ de cerebro detrahere, atque idem tic utilibus exhaurire, ut hoc etiam ægrè curetur; quemadmodum planè differunt convulsio, quæ fiat ex humoris redundantia, & quæ ducat ortum ex ariditate.

CAP. VI.

De calvariæ ossis corrupti excisione.

Carnosarum partium sub plerisq; vitiis excisionem cum jam explicuerimus, quæ ossium est, aliquam non præteribo; præsertim hoc loco, qui partium tractandarum ordine primus est. Calvariæ ossis cariem sive marcorem experti meminit *Hipp. 2. de morbis*, hisce verbis; cum caries, inquit, facta fuerit in osse dolor ex hoc corripit ipsum os, & progressu temporis attenuatur atque inflatur, & fit in ipso fractura: & si hanc resecueris, comperies ipsum os elevatum & asperum ac fulvum, quibusdam verò etiam ad cerebrum usque corrosum. ubi in hoc modo inscideris, siquidem ultra corrosio fuerit, auferre optimum est: Hæc ille. quod vitium à se descriptum cum apprime insolens sit, & non satis ab ullo cognitum & compertum; cui equidem comparem non habeo, nisi fortasse cariei & exostosi à lue venerea profectæ; licet autem & cum talparia, vitio, quod Neoterici quidam nominavêre: cuius exemplum illustre posuit *Amatus Lusitanus Cent. 2. cur. 76.* quam historiam & curationem ad efficacis Chirurgiæ studium non nihil facientem fac leges.

CAP. VII.

De terebratione costæ ad purulentum exhauriendum thoracem.

Statutum à nobis aliquando fuit, quoniam ex penetrante cava thoracis plaga fit materiæ multa subluvies in ventre isto, quæ & graves dolores, & febrem, & maciem demum tabemq; profert, non valentibus ad hæc tum injectionibus & effusionibus per accommodatos decubitus; tum pyulcorũ extractionibus, tum potionibus vehementer exiccantibus; tum denique adjumentis aliis

Cacoëth. & difficultas suffus. in thorace puris.

aliis, necessarium est, ut facta in declivi loco plagâ procuretur effluxus: cuius sententiæ præclari nonnulli viri inter quos Brasacocus & Valescus Taranta fuêre non discrepantes à consilio *Gal. lib. 2. art. curat ad Glauc. cap. 8. quod est de sinu*: atque apertionem quidem faciendam in costa ipsa equidem statuo, quod ita neque musculi, neque venæ aut arteriæ consecantur, sitque sine dolore & multi profluvii sanguinis dispendio. Docendum autem est, quânam ratione administranda sit perterebratio: primum igitur ratio dignoscendæ sedis, quâ pus continetur, tradenda est, citra quam quidem cognoscendi certitudinem temeraria & cæca esset omnis feriendi actio.

Primum igitur scire licet, discludente pectus in duas partes mediastinâ membranâ dexterum aut sinistrum latus occupare potuisse. Licet etiam fieri potest, ut per utrumque sanies suffusa sit. Dignoscetur ergo locus tumore partis, dolore, calore, pondere puris incumbentis & resonitu. Extuberat scilicet, urgente copiâ fluctuantis humoris, latus eo completum, extimusque habitus eiusdem displicentior est cõtrectatus feruescentis eluviei vaporatu. Tristem autem sensum eâ parte natura non dissimulat: augeturque idem, homine decumbente in sospes latus: sonitũ autem allidentis versato pectore saniei percipere poterit & qui tractat, & qui tractatur maximè: sed gravitatem lateris is, qui patitur declarabit. Hæc nostra & communia scribentium sunt indicia coniecturæque de stabulante pure. Verum *Hippocr. l. de int. aff. n. 25.* cum aquam è tuberculis pulmonis disruptis quo vergat, perdiscit: latus, sub quo magis extumuerit, spectat: quod indicium ubi desideretur, hominem multâ calidâ lavat, atque humeris sublatum concutit, ut utro magis latere fluctuet humor, observet; quo intellecto, cæterum opus perficit. Sed *Celsus l. 8. c. 9.* ut aliâs recitavi, quin etiam *Hippoc. l. 3. de morb.* mollem cretam cimoliam ampiè inducit pectori, atque hâc arefactâ deinde diligenter inquirit, nam quo maximè loco humor in ea perseveraverit & ibi pus proximum erit, eoque uri debebit.

Situ iam cognito collecti puris, præcipit *citato l. de int. affect. Hippoc.* ut mediam costam tertiam scilicet ab ultima numeratam usque ad os secemus: deinde terebrâ caua ultra perforemus, atque ubi perforata fuerit, addit, aquæ parum emittito & ubi emiseris linamentum ex crudo lino indito & spongiam mollem super imponito, deinde ut ne excidat linamentum deligato; emittere autem per 12. dies aquam oportet semel in diem, post duodecimum autem diem sequenti 13. totam aquam emittere & reliquo tempore si subnascatur aqua, hanc emittere & ventrem cibis resiccare. Hæc Hippoc. Porro contemplantibus nobis atque in examen revocantibus Hippoc. decreta; cuncta hæc quàm rectissimè sancita reperimus primum costam ipsam non intercapedinem costarum inter mediam voluit penetrandam, & ne violarentur musculi, & ne sanguinis aliquod defluvium ex convulneratis necessario venis atq; arteriis, alioquin non pusillis, neq; paucis *Gal. 2. d. loc. aff. c. 1.* pateretur homo; quin etiã, ne maiori dolore atq; inflamatione afflictaretur.

Hæc atque alia possunt esse incommoda, primum quod liberius securiusque agitari licet homini rem, neque angusta cura perspiciendus est locus musculis minimè munitus; ut monet *Hieronym. Fabricius l. de chir. oper. cap. de empiicis* Neque nervis, venis, arteriis, *quod Hollerio com. 44. aph. 7. tr. 7.* placuit. Neque verò de instrumento incisorio apposito, id est, altera parte retuso, ne pulmo oblædatur, ex altera verò descindente quidem, sed modico ad cuspidem recurvato multa quæstio intercedit, neque anxia provisio animadversioque requiritur de sectione obliqua, quæ secundum fibras musculorum intercostalium exteriorum progrediatur; nempe plus hi respiciendi, quam interni, quia minores atque exiliores sunt: quæ doctrina est *Aquapend. dicto loco.* Taceo quod ponitur terminus controversiæ Fallopii & Aquapendentis, quorum is infernè, alter supernè secandum voluit. Vide *Roder. Fons. conf. 6. tom. 2.* Ad summam igitur præstat in costa, quam intercostali spatio secturam moliri sic, ut divinum admiremur Hippocratis consilium, qui cuncta hæc providerit, itemque perspicaciam, qui viam hanc singulariter excogitavit. Vsus autem & ipsa terebra caua, non ut sentit Aquapend. ad excipiendam in cavo ferro scobem: nulla huius quippe læsio aut interioribus aut exterioribus: verum ut fieret foramen æquale; per alias quippe terebras foret illud internè angustũ, externè amplum: quod incommodum esset & contrarium eius, quod verè requiritur. Verum enimvero ubi fistulam ossis legi timere quosdam atq; ipsum Fabricium, non potui non admirari, quod non viderint excisum os calvariæ porum induere. Quod si fistula fit ex affusu saniei perpetuò, præstat hunc dum est, educi, quam partem hiantem sanescere: secundo vero ubi verentur, ut ne ferramentis exscindens costam infligat plagam interioribus, potest hoc in fine vitari cyclisco. Verum enimvero de operæ securitate præter *Marcellum Donatum hac in modo citato loco profitentem*, sententiam afferam docti viri *Epiphanii Ferdinandi, qui obser. med. 32.* scripta reliquit hæc; si costæ sint robustæ, latæ, non exiguæ, quales quidem non sunt ætate puerili, sed provectiori, tum ipsam costam perforarum terebella: & hæc esset operatio tutior reliquis: nam vasa, scilicet venæ, arteriæ, nervi, ex inferiori parte costæ orientia nil patiuntur: nam in media costæ parte fieret foramen, & sanies liberè exire poterit, & fistulæ non impenderet periculum: quamvis sanies, per annum integrum educantur: & tandem pulmones & thorax minus ab aëre externo patiantur. Sed minister tum sit valdè expertus & eligat terebellum angustum potius, & sensim penetret, usque ad interna.

Hæc autem felicissima & tutissima est operatio, & sanguis fluxus non timetur, & hanc operam Hippocrates posuit. Assensus & huic terebratus operæ *Am. Lusitanus Cent. 5. cur. 98. F.* videtur. Itaque iam apparet animose, debere nos ubi accidat, empiicis emissarium per costæ pertusionem Hippocraticam infra parare. Vnum addubitarunt *Iac. Holl. & Io. Libautius in Scholiis ad aph. 44. l. 7.* quod Hippocratis seculo proce-

M 4 rioribus

Marginalia (left): ...da ...luxũ ...ga ...fa- | ...scen- ...qui ...cete- ...itio. | ...è ei- ...usus. | ...rrēda ...da co- ...icus & ...ua ad- ...stratio.

Marginalia (right): Excisa costa commoda. | Terebra cava quis usus. | Ad eos qui fistulæ metū rem facien-dam inficiantur. | Ad alteramin stantiam.

rioribus hominibus; ampliores, ideoque excisu commodiores ac tutiores erant costæ, nostro verò tempore non ita: sed maior difficultas est huic Libautii assumpto non ignoranti, quod faveat hoc Virgilii:

Grandiaque effoßis mirabitur ossa sepulchris;

Nihilominus id non facilè admittent peripatetici. Omnibus autem modis, ubi concedatur disparitas ossium; adhuc non deest nostrorum hominum costis latitudo, quæ perforatum ferre possit. Superest nunc videndum, quota ordine costa sit pertundenda? Hipp. eo sub morbo, statuit tertiam, verum generalem thesin facientibus interioribus noxis omnibus ambiguitas non minima subnascetur: aliis nimirum volentibus, faciendam sectionem inter secundam & tertiam ut: *Amatus Lusitanus censuit in cent. 1. curat. 6. & Lud. Mercatus instit. chirur. c. 6* aliis inter hanc & quartam *ut Algazar l. 3. de vuln. thorac. c. 12. Marcellus Donatus 3. mirab. hist. med. c. 9. & Prosperus Alpinus l. 3. de med. Aegypt. cap. 13. & Herc. Saxonia in epistola ad Epiphanium Ferdinandum ab hoc viro citata in histor. med. 32.* qui vir & eandem sententiam amplexus est. *Ludovicus item Mercatus in consult. 11.* in quo loco narrat expertam à se feliciter hanc ustionem fuisse, aliis inter hanc & quintam ut placuit *Guidoni Cauliaco tr. 3. do. 2. c. 1. & Iacobo Hollerio, Hieronymo Capivaccio & Eustachio Rudio in curat. empyem. & Ioanni Heurnio l. de morb. p. c. 3. & multo maximè Nicolao Florentino ser. 7. tr. 4. c. 58.* propterea, quod diaphragma reflectitur usque ad tertiam costam; in quo motu valet saniem cohibere ne effluat, quare nequaquam inter tertiam & quartam facienda est sectio, eius etiam sententiæ est *Ioannes Liebautius in Schol. ad aphor. antea citatum & Michael Paschalius l. de morb. curand. cap. 19 & Andr. Vesalius in cons. pro Duce Terranovæ:* quem virum utiles plerasque & certas observationes agendi complexum velim omnino consulas, consultoque audias. Aliis inter hanc & sextam, è quibus est *Auctor introd. c. 18. Leonidas, Paulusque lib. 6. cap. 44. nec non Andreas Crucius.* Jam vero nemo unus inter primam & secundam aut inter sextam & septimam dixit perforandum esse, *Felix Platerus lib. 3. pract. med. tit. qui est consumpt. pag. 544.* eius fuit sententiæ, ut sectio per scalprum fieret (candente non laudato) in humilima thoracis sede, ubi nulli alii musculi inter costalibus incumbunt: supra duodecimam costam videlicet. Quod decretum tam etsi singulare atq; hæresis sola fuerit unius hominis privati: nihilominus ab anatomico exercitatissimo profecta opinio non est aspernanda, sed alicuius precii æstimanda & probanda propterea, quod musculos omnes vitat, qui inter castalibus incumbunt, satisque est, si quam proxime diaphragmatis fines egressa, quemadmodum ipse præcepit *Hipp. lib. 2. de morb. n. 59. & 3. eiusdem 27.* pus sede infimâ evacuet. Omnibus autem modis puto à postico thorace propositam ab hoc viro dissectionem. Hic scopus hoc consiliũ fuit. Tantum requiritur docta manus & animus firmus, qui opus tractet.

Quota ordine costa sit perforanda.

Scire autem licet primò secturam aliis sublimiorem, aliis humiliorem videri faciendam, termini autem horum situum ii verè poni debent, ut scil. ne nimium imò electo septum transversum convulneretur, verum ne dum eius naturalis situs inspici debet anotomica peritia: sed etiam idem ipsum, quantũ ad superiora assurgat, inspirando videri, deinde etiam adverti debet, ne nimium sublimi factâ lecturâ minimè quantum satis educi materia queat, verum elevari crura caputque demitti necessarium sit, quod & ægro laboriosum, & medico, qui rem tractavit, ignominiosum pariter erit. Tertium est, ut quotisvis tandem costis disseces, esto plaga tres aut quatuor latos digitos à spinæ clivo dissita. Quartum, quod adnotari velim est illud, pertinens etiam ad conciliandas multorum ad invicem contradicentium sententias; alios quidem septenas costas numerare ab infima ad superiores adscendentes; alios vero à suprema exordientes ad infimas descendere. *Porro Hipp. in lib. de int. affect.* priorem *Leonidas vero & Aegineta* posteriorem ordinem servasse sunt visi. Si comprobare sententiam nostram velis, decretum Hippocratis & posteriorum Græcorum Leonidæ atque Aeginetæ confer: tantundem utrumque valebit, nempe inter quintam & sextam spatium idem erit, quod inter secundam & tertiam quod ex Hippocrate bene statuit *Amatus Lusitanus citato loco.* Atque hæc sunt, quæ de exscindenda costa in empyicis proposueram altero duorum Laterum, cæterum autem his addit *Alex. Bened. l. 10. de morb. c. 25.* si in utroque latere vomica fuerit, utrumque in latus, non tamen eodem die perforandum, ab eo autem incipiendum, quod magis tumet.

Tertium sectioris infer...

De conciliandis ... dorum ... sidiis ... sitio.

CAPVT VIII.

De vitiosis dentibus limâ deterendis.

ET rei novitate & vitii curandi necessitate, dignum hîc arbitror, ut inter hæc unum de limando dente caput contexã. Virgini adolescentulæ Parthenophylacii spiritus sancti sacrarũ ædium Neapoli, cum elapsus caninus superioris maxillæ dens septimo, sicut natura comparatum est anno ad vigesimum tertium erupisset, non tamen sua sede, ut diuturnam sc. Lacunam compleret, sed supremo gingiuæ loco, hinc exortus obliquo spiculo labrum interius urgens non sine molestia pergebat ulcerare, ad quam rem equidem medicus eiusdẽ conventus accersitus, re perspecta cognoscens futurum; ut enatus totus dens labium & inconcinnè attolleret & pertunderet: eo primum constituto, quod ab extractu & necessario lancinatu gravis & discriminosus oculo capiti ve dolor evitari non posset; in eam tandem deveni sententiam, ut dens magnis in dies momentis exortus continuo limâ detereretur sic, ut identidem hac naturæ hac artis operâ factâ deniq; cum pleno exortu limatio finiretur. Alter exemplum exuperantiæ dentis est mihi narrandum; quæ evenit seni nostri valetudinarii portitori (Marcello Perello cui nomen) cui dens alter caninus ab ingravescente primum ætate spiculo è superioribus radicibus enato ac sursum eiecto labium interius extendebat: quod nos item limâ coæquavimus. In quod equidem consilium & chirurgiam eò promptius descendi, quod extat similis

ea de

ca de re vel *Hippocratis in l. 2. de prædict. n. 8.* decretum. Quibus in obliqua linguę parte fit ulcus diuturnum, in his dentes cōsiderare oportet, an quis juxta illam ulceris partem acutior sit: quam autē ob rem aut cuius gratiæ considerandum, nisi ut opportunum afferatur auxilium, & illud quidem excisione: excisio autem quæ potior, quàm quæ lenior tutiorq; est. Atq; hæc limatio est una. De qua omni re audi, quæ *Aëtius lib. 2. serm. 4. c. 30. p. 465.* scripta reliquit;

Solent ferè dentes moti ac labantes reliquis esse prominentiores, maximè cum ex verbere hanc affectionem incurrerint. Quare visum est, mihi eos lima atterendos esse, inquantum scilicet præ aliis prominent, ne in loquendo vel etiam manducando eos, qui objiciuntur, offendant. Attestatur autem & experimentum ipsum, quantum sanè ego eius rei periculum feci, ferream namque limulam ad hanc rem apparavi, quo citius ac efficacius res procederet. Nam multæ aggressiones concutiunt dentem, quiete opus habentem, si modo aliquo spes est, moti dentis firmandi. Sit autem caput ipsius limæ obtusum, forma nuclei, & quam levissimum. Itaque aliquando quidem inæquales quædam dentiū eminentiæ apparent, in quibus partes tantum aliquas lima atterere opus est. Aliquando autem æquali planicie extremitates prominent, quare æquali etiam ac planā per limam attritione indigent. Oportet autem molle quoddam linteolum gingivis ipsis usque ad dentium radicem adhibere. Deinde leniter sinistræ manus digitis apprehendere, cauteque ac citra offensionem limam affricare: ne dum limam tolerat dens ipse concutiatur. Quod si omnino dolorem percipiat æger, dum lima adhibetur, aut ob id, quod vehementius digitis dentes apprehendantur, quiescere statim convenit, interimq; collutiones dolorem mitigantes, offerre: deinde rursus, ut dictum est, rem aggredi & paulatim limâ deterere. Atque hoc non primo saltem die bis aut ter conari, verum & secundo repetere: ita ut ægro imperes, ut neque sermone nimium utatur, neque ullum aliquem duriorem cibum assumat. Utatur autem cibis sorbilibus aut pane madefacto. Quòd si citra laxitatem, quibusdam dentes præter morem augescant, eos similiter limâ atterere oportet, ac collutiones eos cohibentes ac densantes offerre. Hæc ille quidem fusè; contractè verò *Paulus Aegineta l. 6. rei medic. c. 28. & Albucas. l. 2. chir. c. 32. & Avic. l. 3. fen. 6. c. 30.* Ad hos vero *Ioannes Andreas à Cruce l. officinæ Chirurgicæ* limarum duplicium typos graphicè depictos exhibuit.

CAP. IX.

De fracta nec diu conglutinata patella.

INcommodi non parum infert fracta vel abducta patella, sine cuius firmitudine & beneficio dissultat genu, nō aliter quam janua dirupto cardine, aut, ut ex eodem animantium genere exemplum petam, non aliter, quam sine unguibus extremi digiti minimè valent: Ad summam retinaculi cuiusdam vices explet patella, quâ pedis imbecillitate, quovè distentus incessusque, maximè verò descendendi ascendendique detrimento laborans Rever. Sacerdos Matthias à sancto Severino Capucinus ex casu fractâ μύλη, neque multis jam mensibus coalitâ, occurrit ad me sollicitus efficacis remedii gratiâ, quod nullum aliud equidem esse respondi, nisi adaperta cute refricarentur oræ fractarum ossis utrarumq; partium ac demum arctè, quod prior medicus minime fecerat, conglutinandæ colligarentur, colligatæque sufficienti tempore detinerentur. Gravem quidē insuperaddens, sed ad recuperādam functionem pedis promptitudinem necessariam curationem, quam ille vir ad primum ver subiturum (bruma enim tum erat) respondit; quam medendi rationem revera quidem à me minimè factitatam; quod Chirurgicis operis interseruerimus; id exemplo efficacis medelæ nō admodum multis noto duximus operæ precium. Sed enim neq; dura nimis aut insolens hæc nostra ratio videri debet; siquidem in perverso fracti ossis vetusto callo voluerunt, *& Paulus l. 6. c. 108. & 109. & Avicenna l. 4. fen. 5. tr. 2. c. 2. & Isaacus Israelita l. 9. practicæ c. 95. & secuti Guido Cauliacus tr. 5. doctr. 1. c. 1. & Vidus Vidius l. 4. chir. c. 2. ibidem* loci secandam prius carnem, deinde scalpro deradendum callum usq; dum utræque ossis oræ resolvantur. Quam equidem curationem in Angelo Ficto Lucano, cui ex igneo sclopo fractum os genæ coalitum in tuber excreverat, exercitam comperi felicem.

[Margin: ...mamenti ...iusdam ...em habet patella. — Curandi ratio. — Nostri consilii comprobatio. — Paulus. — Avicenna. — Isaacus. — Guido. — Vidius. — Historia An. 1629.]

CAP. X.

De tibiarum ossibus fractura exertis serrâ rescindendis.

SUstentabula & firmamenta partium omnium circumsitarum sunt ossa centris locū habentia, non aliter, quàm sunt ad tuguria furcæ, & ad tentoria pali, sicut *Galenus advertit l. 1. de admin. anat. & alibi*: quamobrem ossibus disruptis detrimentum patiantur & alia cohęrentia necessum est. Siquidem autem ossa duplicia fracta fuerint etiam decuplo magis, atque etiam si exerta hæc, est violento casu centuplo magis; quod si illud tibiis acciderit, quæ fulcra basisque sunt totius statuæ corporis ab alto collapsi multo inter omnia maximè, quippe duo sunt incommoda summa. Alterum violatarum partium mollium omnium, ab ingenti suo de loco divulsione, vasorū abruptione, musculorum pertusione, carnium fibrarumq; contritione; quæ non sine caloris ingeniti dissipatu spirituum humorumque effusu, totius denique substantiæ dilapidatu fieri possunt. Unde dolor acerbissimus, sanguinis profusio, putredo, necrosis, & hoc genus alia. Quod autem symptoma malum non expectes à necessario apospasmate, id est, violento lacertorum divulsu? Alterum incommodum est in difficili ossium reductione & compositione. Abripitur enim hæc à doloris acerbitate præsente jam & impendente, à syncope, à metu etiam hęmorrhagię, quam agitatio suscitat; à convulsione, & aliis huiusmodi: quæ adhuc eo magis apparebunt necessaria, si meminerimus eius, quod admonitos nos reliquit *Hipp. l. de fract. com. 3. tex. 40. per hæc*: Ex universis machinationibus, quæ ab hominibus excogitatæ sunt, hæ tres sunt omnium valentissimæ axis versatio, impulsus per vectem & cuneus adactus:

namque

namque homines sine aliquo vel sine omnibus nullum opus, quod maximam vim postulet perficiunt. Quare non parui faciendus est impulsus hic. Si quidem ossa vel hâc viâ vel aliâ nullâ reconduntur. His quidem præclarè Hippocrates repositionis difficultatem exposuit, expertus autem ego sum cum Marco Blasio ἰατροχειριστῇ nostro exertam ulnam ex interiore perrupto carpo tribus etiam valentissimis hominibus extensoribus non potuisse reponi: quam ob causam expedire visum est si quatenus ossis exertio repositurâ prohibet serra leniter exscinderetur: quod ubi factũ est, exacta feliciter est opera & sospes brevi redditus est homo, qui in discrimine convulsionis & vitæ positus fuerat. Eandemque excisi ossis tibiæ de fractura productæ operam optabilem experti sumus in homine Cavensi atque aliis. Quod medendi institutũ cum minimè tenuissent A. 1630. famigeratissimi Chirurgi, qui curaverant Camillum Capycium sancti Joannis equitem Melitensium sodalem; primum quidem à convulsione deinde verò à morte non liberarunt, sed utriusq; rei culpam à doctis Judicibus, & à me denique senserunt. Itaq; cum tibiæ ossium exertarum difficilis est repositio consultissimum illud videtur, ut quota pars ostii sui reductum vetat hæc præsecetur; ulcus vero cæterum non ignave curetur; ad quem modum *Hippocrates l. eodem particula 43. & Stephanus Gurmelaus in syntaxi chirugica cap. de syntetbismo decrevêre.*

CAP. XI.

De alienatis ossibus eximendis.

Ossa esse siccissima, perhibuit *Galenus initio libri de ossibus*; dictum id tamen censemus vi comparationis ad cæteras omnes corporis partes, quę cum molliores sunt, humidiores sint etiam oportet, quandoquidem omnis teneritudo pendet ab humore semper, at suus est etiam humor ossi: nam pręter alimentarium quidem, qui careat primigenio præpingui: cuius interventu angustis suis spatiis subtilissimè suffusi & crematur os & ad inflammationem est habile, quemadmodum *l. 4. physiol. c. 4. præclarus adnotavit Fernelius.* Hunc igitur radicalem humorem ubi deposuit frangente, contundente, violenta omni causâ, saniei, suffusa & crebris aëris offensionibus impetitum; propria temperatura systasique discussa subinde pariter alienatur paulatim, exarescit atque emoritur, quo interim tempore statuq; in dies à natura rejicitur, & à valentis etiam ossis & carnis commercio, separatur, ac cum disclusum est totum, si via patent ulceris efficaci quidem & certo, sed secreto prorsus, atque inexplicabili vecte atq; obliquo quasi nixu abducit à se longius atq; propellit. Quod nisi prodeunti satis pateat osculi modus, hoc manu proximâ debet adiutor medicus ampliare protinus, & expedire factâ quoque versum insectionem. Interim autem ut maturum ossis exitum cognoscit, aliquam artem advertere debet: quæ præter aliquas probabiles conjecturas ab aliis scriptoribus expositas me auctore est, ut & os pulset semel iterum ac tertiò, percussum enim si clangorem & vacui resonitu reddit; apertum de maturitate testimonium dabit: quod cum eodem experimento meo compererim nõ semel: juvabit auditores propterea, si privatum horum aliquod exemplum exponam. Claudius d' Huet à Monteforti Gallus ab equino in fronte accepto calce fuerat quatuor jam menses à nostratibus aliis medicis curatus, patebat autem oculis aurei nummi maioris amplitudine detectum os; cæterum enim quantum duplex auriculæ circulus patebat: quod cum ego volsellæ mele verberans resonare in vacuum comperiissem, factâ commodiore loco sectione cutis, facile extraxi. Hic ergo modus & cognoscendæ maturitatis & extractionis erit.

Obser.

Histor.

CAP. XII.

De exostosi quapiam deradenda.

Tibiæ anticæ clivo atque ossibus plerisque aliis quantum equidem observavi nõ infrequenter accidit, ut sub syphilio gummi vel alio quolibet ulcere perperam curato vel neglecto nascatur exostosis, idest, spongiodis fermè ossis concrementum: quod per certa quædam indicia suspicatus homo solers exectâ carunculâ facile compererit. Huic vitio præter medicamenta nil admoliuntur nostri chirurgi rem suã à natura procurante spectantes ossis abscessionem. Verum hoc equidem inertiæ cuiusdam esse puto: dilationem (quod de amore dixit quidam) nullam fert efficax chirurgia. Itaque consultum & ægri rebus & expectationis longæ tædiis fuerit, si derasorio parato scalpro ad sanam usque partem os deraseris, pulvere deinceps catagmatico curaturus. Hâc equidem ratione quàm plurimos in nostro valetudinario brevi persanavi, qui tum alios medentes diutissimè fatigaverant, tum nos aliosque tantundem exercituri fuissent.

(o)

PYRO-

PYROTECHNIA CHIRURGICA.

LIBRI PRIMI,

PROOEMIUM.

CAPUT I.

De ustionis in medicina necessitate atque virtutibus; itemq́, de remedii antiquitate ac usu populis omnibus ac gentibus communi.

EST quidem ignis usus hominum vitæ & societati felicius conservandæ commodus: sed ad amissam eorundem valetudinem recuperandam inter omnia maximè necessarius: nempe cum vitii materia sive congestu, sive influxu concepta nec repulsu nec derivatu nec evacuatu, maturatu, digestu, detersu, exiccatu; denique nec ullo conatu medicamentorum eximi potest, nec sectione putredo reprimi; tum nil reliquum est, quam ustionis unius experimentum. Quam rem una omnes confessione censuerunt sapientes. Inter omnes maximus Hippocr. omnem auxiliorum vim compendio quasi conferens & facundè significans alibi sic ait; quæcunque non sanant medicamenta, ea sanat ferrum: quæ ferrum non sanat, ea ignis sanat: quæ ignis non sanat; hæc incurabilia reputare oportet. Eodem ut mihi quidem videtur pertinet & illud quod in *l. de arte* adversus medicinæ labefactores prodidit: omnium, quæ in arte medica urunt, ignis maximè adurit; ipso autem minus alia pleraque; at inter leviores quidem morbos, an qui vehementiores sunt, curari possint nec ne, non dum compertum est: eos vero, qui sunt vehementissimis leviores potestne dubitari, quin curationem omnem reputant: etenim si ignis ipse aliqua efficere non potest, quomodo perspicuum non sit, ea, quæ ipsius vi expugnari non possunt aliam artem requirere, quam eam, cuius ignis sit instrumentum. Etiam vides quæcunq; ardua medendo ignis assequi non valet ea nullũ aliud ex adiumentis omnibus assequi valere: ita valentissimum super omnia medicinæ præsidium simpliciter est ignis. Post præceptorem Galenus vim cauterii volens exprimere, rem est brevi complexus *13. meth. med. c. 6.* ustio, inquiens, ex his est præsidiis, quæ totam eius, quod infestat substantiam exinaniunt; quasi diceret Gal. nullum est vitium tam ferreum atque impenetrabile, quod vi ignis domari non queat; præsertim si multiplices eiusdem vires, atq; usus ad amussim intelligantur. Quantum enim restant inexcussi morbi, qui per nos tentati non profligantur; fit hoc, quod omnipotente ignis virtute uti nescimus, est enim hæc ad summam tanta ut quocunque se condiderit, munieritque vitium, totam huius substantiam subire queat.

...est ex ...ua pu- ...n vi- ...um sub- ...iam ...ani-

Vin' plura de igne, etiamnum inspiratum habitum ipsius esse antidotum contra pestem & putredinem experientiâ compertum adnotavit *Iac. Holl. in l. de peste.* Cæterum autem ignes accensi quam mirè profligant eandem monstrarunt historiis, inter cæteras omnes de illa Hippocrates, qui, cum ex Aphricæ Æthiopiæque locis pestifer habitus per medium mare Athenas invectus esset; monuit, ut ignes accenderentur universâ civitate; sic ista brevi & facile lue vendicata est. Idem etiam consilii Græcis Empedolem & Acronem Agrigentinum dedisse legitur. Audi autem & quæ *Plinius lib. 36. F.* est & ipsi igni medica vis. Pestilentiæ enim, quæ solis obscuratione contrahitur, ignis suffitum multiformiter auxiliari certum. Empedocles & Hippocrates id monstravere diversis locis. His adde rem utique maioris admirationis, accensis facibus carbonibusque bene succensis, qui manibus assiduo gestentur ab his, qui pestilentiâ correptos invisent, eosdem tutos à contagine reddi, *Marsilio Ficino autore, epidemicorum antidotorum c. 24.* Ad læthiferos autem venenatarũ ferarum morsus, quam magnificè probata valensque virtus est ignis? Porro *Dioscorides l. 6. c. 38.* post memorata auxilia omnia expeditissima statuit eiusdem facultatem, utpote cum ignis cætera viribus præstet, simul quod virus domet & ferri penitus non patiatur, simul quod pars ignem experta, postea non vulgare fundamentum curationi futuræ præbeat, manente diutius exulceratione. Testificatus autem hoc disertis versibus est *Democrates apud Galenum l. 2. de antid. cap. 6.* qui sunt.

Unus idcirco est omnium curæ modus.
Omnibus carnem virulentam protinus
Scalpello circumcide, & igne computa.

Inde profecto est, sicut Dictes Cretensis in historia Troiano prodidit, percussos ab anguibus mitti solitos in Lemnum Insulam ad Vulcani sacerdotes, velut facile sanaturos beneficio ignis, qui sub Vulcani tutela est, & subterraneus Insulæ plurimus, quare *Gal. teste in 5. simpl.* datus est locus fabulæ, quod lapsus cœlo vulcanus inciderit in eius Insulæ collem, qui, ut ille advertit, combusto similimus est, & natura nullo tempore fertilis. Ita patet efficacem ignis esse usum, addita autem auxiliaris virtus fuit; quod fusilis admodum & permeabilis sit, ut testatus est *Gal. l. 1. de simp. med. fac.* demonstravit autẽ Plato in Timæo: quæ omnia ex minoribus constituta sunt continere maiora; quæ vero ex maioribus minutiora cohibere nullo modo posse, ac propterea ignem cum minutioribus partibus, quam cætera alia constet per aquam, terram, aerem atq; alia quæ ex his componuntur penetrare quodque cum continere valeat, esse nihil. Adde ex *Hippocr. lib. de flat. & Gal. lib. de causis respir. & Theophrasto lib. de igne,* rationem quod flatus quidam ignis, ex flatulenta, hoc est, aërea materia nutribilis, quam proprietatem fortasse inspiciens

ſpiciens Chalcidius in Timæum Platonis acutum: *Dinus verò in Avicenna lib. 1. fen. 4. do. 5. cap. 28.* ſubtilem dixit. Jam autem ſi frigus, cuius natura torpidior manabilis *Lucretio lib. 1.* penetrabilis dictis eſt *Virg. 1. Georg.* non talis etiam ſit ignis, qui vividus & aër eſt totus, imo & penetrabilis etiam dictus eſt *Lucretio lib. 1. qui l. 6.* liquidum vocavit. Eſt autem adeo liquidus & permeabilis ignis, ut alias quidem hanc tenuitatem ſummo calore præditam; alias etiam humidum etiam per ſe ipſum inconſiſtentem fecerit Bernardinus Teleſius, conterraneus noſter nunquam ſatis à noſtris veneratus: cui ſententiæ ex ordinaria philoſophia vir adhæſit *Io. Bapt. Montanus* & aliqua parte *Hieronymus Mercurialis*, ut adnotavit *Antonius Sanctacrucius in expoſitione Hippocraticæ philoſophiæ tex. 10.*

Hactenus iam aliquot ignis virtutes & proprietates abſolutè cognovimus: nunc ad alia comparatas eaſdem exponemus; ad cauſtica, inquam, quæ cum facultate tum uſu ſint conſentanea, atque ſimilia jure cum his collationis utramque ſortem is periclitabitur. Omnibus autem modis ignis uſus cauſticis præſtantior probatiorque videtur; etenim cum triplex cuiusque medela ſit, *Aſclepiade autore apud Gal. meth. c. 4.* ut cito, ut tuto, ut quam minimo cum dolore defungatur, profecto hæc igni triplex eſt virtus: primò enim celer in agendo eſt ita, ut primo quoq; contactu rem expediat, nimirum huius calor affatim ſummeque multus & impromptu valens, quod dictũ in actu, feſtinus ergo veluti puerorum in ventriculo calor, qui cito concoquit itemque acutus gladius aut ſerra, qui brevi præcidunt. Adde quod ſincerus & integer eſt, ad hæc autem particularum ſiccarum frequentiâ coheſu confectuque valentiſſimus, quas res omnes obſervavit *I. C. Scaliger.* Quod ſi conceptaculi ſoliditas denſitaſque accedant, eo pleniore adiumento futura eſt expeditio; licet & in tenui, raraque ſubſtantia ſui etiam modi celerem affectum dabit.

Videris nunc an hæc cuncta inſint potentiali, quem dicunt igni, ſed fractus hic contrariorum oppugnaculo, atque obrutus eorum miſcellâ torpet, ac niſi calor partium nativus excitet, erigat, atque irritet perpetuo ſopitus & deſes manet; ubi vero revocatus eſt, quaſi à perpetuis & ſemper novis compedibus, atque offenſamentis ſe ipſum extricans & expediens vires ſuas tandem exerit omnes & longum effectum promit. Sed hæc ita multum non diſplicent: id quod maximi refert ſpecie ſuâ innocens atque iners quantum lentitudinis indulgentiâ ſub acceſſu primo probatur, tantundem extremo furoris & malignitatis exitu fallit & membri cruciatibus & cordis angoribus & humorum attractionibus ac defluxionibus & vitii laborumq; acceſſibus & periculis etiam vitæ: quam ſæpe enim corruptionem & necroſin intulit gravem, nempe cauterium potentiale, ſicut advertit *Petrus Aponenſis diff. 208.* penetrans magis lædit principatus membrorum, quam actuale; maximè cum fuerit his propinque applicitum & Iure merito quidem, quando diſerta eſt *Galeni doctrina tum 3. tum 5. de comp. med.* quod hoc genus putrefaciendo agat. Opponas autem in medelam venenatis morſibus cauſtica, fovebitur certè virus & amplificabitur perinde ut flamma oleo. Itaque ſuâ utens pravitate latens hic ignis & adhibentis imperio non obſequitur & vitium deterius ſtatu priore reddit. Haud ita ſane ignis Vulcanius, qui quod ægro quidem horribilis aſpectu atque etiam contractu primo inſuavis eſt; tamen & mali nullam acceſſionem parit; quippe terminos uſti ſemel loci non prætergreditur & adiumenti quæſitam opem affert; porro ſimplex & omnis malæ qualitatis expers eſt idem: quin imò, ſi venenatum quippiam offenderit hoc ſive contactu ſive afflatu diſſipat citius multò, quam ſol obiectam ſibi nebulam diſpellit.

Hæc cum principio præſtiterit ignis præſidium amplius ad finem recedens adiumenta ſua non detrahit, porrò quod unum deſiderabatur & partem à ſe violatam roborat & confirmat. Modus latet, ſed ita explico. Eſt utiq; pars, quæcumque una laborat, debilis frigiditate, humiditate, laxitate, putredine cunctis hiſce rationibus infirmas partes una vis ignis accenſi confirmat, frigore quidem extinctas calore revocat humidas ac laxas humore diſcuſſo firmat, putreſcentes languore abducto cohibet & ſuſtentat: ita ſemper roborare compertus eſt ignis, quod bonitati ſubſtantiæ ſuæ refert, tutus ergo, quia iuvat ſuapte naturâ ſed tutus etiam, quia non nocet: quippe non attrahit undequaque neq; inflammationem humorum affluxu concitat. Tantum enim moræ non imponitur, ut humores conturbati dolore devolvantur, ſed velut inconfectâ re, ac vix tentatâ recedit: nimirum, ut benè ſentit Thomas Fienus, attractus hi non fiunt ab his effectoribus, quorum actio transmutatioque perbrevis eſt, ſed ab his etiam vero, qui nimium movendo temporis inſumunt.

Indole[m] ignis [mitem] eſſe.

Similiter autem & quo temporis compendio dictum eſt, attractum humorum minimè fieri ab adhibito igne, eâdem etiam ratione dolorem quam minimum ab eo concitari certum eſt, tum ad moleſtiam, quæ eſt ex cauſticis, collato ipſo; tum etiam abſolutè conſiderato. Accedit aliquando preſſus, qui vim doloris non nihil imminuit, ſi Theophraſto credimus; nempe verucula, quæ candentia vehementius atque arctius impreſſa minus urere conſuevêre & qui per ignem incedunt præter alia, quæ parant iſtud quoque facere prædicant.

Igni ſu[c]ceſſe pr[opter] homin[um] mollitie[m] cauſtic[a].

Has ob cauſas omnes iniuria facta eſt ſincero igni, ut hoc plerumque abiecto inductus ſit compoſitus alter. Arbitror autem non aliud quàm propter mollitiem & ſocordiam puſillianimi hominum ſucceſſiſſe cauſtica atque eatenus uſitari, quatenus indulgeri ſibi homines volunt: itaque ſuccedanea & ſubſtitutа plane commenta ſunt, veri inculpati perfectique auxilii; quod primum natura paratum mox à ſapientibus amplexatum & cultum principio fuit.

Hæc quidem remedii probitas, hæ virtutes cum nullo non ſæculo quibusvis medicorum ſectis probatæ nullam apud gentem etiam barbaram atque agreſtem fuerunt ignotæ; ex his autem plurimas nationes ſi repetamus nõ inutile auditoribus atq; alienã ab hoc ſermone rem fecerimus.

Noma-

Nomades id est pastorales vitæ homines Pœni filiis quadrimis verticem interdum etiam venas temporum lana succida inurunt, eo videlicet, ne pituita officiat, eamq; ob causam ajunt optima omnes frui valetudine, & sunt revera Pœni inter omnes, quos novimus, homines saluberrimo corporis statu &c. scripsit autē & *I. Dalechampius in Chirurg. gallic. c. 7.* solitos Afros ad rheumata capitis oculis infesta, verticē inurere, donec os assulam emittat.

Vsturas è composito paratos eo in precio atque usu habuerunt & Scythæ, ut *Hippocr. l. de aere aquis, locis, retulerit* horum vidisse humores & brachia, & manuum juncturas & pectora & lumbos & coxas ignis cicatricibus notatas, quas quidem usturas ultro sibi adsumendam artubus humiditatem & ad firmanda corpora confecerant quo libro scribit & Sauromatas fœminas puellis adhuc infantibus dexteras exectas mammas igne couerere, ut sagittaturis in bello in dextrum humerum ac brachium vix omnis, ac robur deferatur.

Afri quoque cultiores, quàm animati in hoc eodem auxilio fuerint, testatur *Celsus l. 7. §. ult.* qui & Galliæ comatæ medicos ex hoc etiam ordine fecit, venas in temporibus & superiore capite lectas urere consuetos, Musitanas Indorū populos ulcera suillis carnibus inuere solitos refert *Strabo Geograph. li. 15.*

Arabes ustione sic usi sunt planè, ut arabica ex his ustio nomen receperit, auctore *Dioscor. l. 2. c. 712. & Marcello Virgilio Florentino in eundem locum.* De qua medicina, inquit ille, non est, quod hactenus aliud inuenerimus, aut tradere valeamus nec cur Arabica hæc ustio quondam diceretur, nisi forte à gente id nomen invenerit, & quoniam Arabes sic coxendices urerent, ideo Arabica à veteribus dicta fuerit. Magis etiam, qui Persæ sunt, auctore Suida, refert id remedii *Plinius l. 28. c. 10.* sic inquiens: Huic admiscent (Magi) fimum caprinum, & subdito linteolo unito caua manu, quantum pati possit, feruens sustineri jubent: ita ut si læva pars doleat, hæc medicina in dextra manu fiat, aut è contrario.

Sed & *Hali l. 9. rei med. c. 17.* prodidit, Persas stomacho fluoribus laxato componendo ex spōgia quercina usturas facere inter Armenos refert *Alex. Trallianus l. 6. rei med. c. 1.* pleuriticos non tutiore certiore ve remedio curari, quam affixis ad laborantem partem cucurbitulis sanguine ubertim mox extracto.

Non omittendi, sed omnium fortasse primi memorandi sunt Thessali, ex quo genere Chiron Centaurus, Saturni & Philiris filius humanā Chirurgiā ex curandis equis (sic enim biformis intelligendu) adinventa primus ustione, præterquam sectiones exercuit teste *Pindaro in Pith. ode. 3.* Cujus hospes & fortassis auditor Hercules Alexiacus non alia quàm ustulationis via novem capitibus pullulantem hydram in Lernæa palude truculenter homines infestantem, id est, novemplices fistulas & monstrosa proserpentiaque ulcera, ex lenta & in venis stagnante humorum colluvie miseros mortales depopulantem divinitus sustulit, nam neque novum est Herculem officio fuisse medicum, illud enim & præstanter in Aeneæ tabellæ perantiquę declaratione detexit *Hier. Alexa.* & nos hujus viri confirmationem *in l. de chir. principiis abunde auximus.*

Jam vero Græci Thessalis affines & succedentes, qui bonas artes supra cæteros excoluere atque aliis disertius tradidere, quàm multum huic præsidio tribuerint plena fides est ex his, quæ in entopyria posterius ex horū placito produximus Porro nullus ex internis morbis est gravior, quē remediorū aliorū adhibitione solidum & inexcussum hac via tollendū non instituerint, auctores ejus rei nominatim non recito, cū nemo sit omnino, sive cujus scripta extēt, sive cujus apud alios præcepta de hac re legantur, qui suffragia casibus in arduis igni non dederit. Ex pende autem nū aliqua veterū medicorum secta fuerit, in qua professores de summa vi remedii nō decreverint. De Dogmaticis & Asclepiadis primus ex his, qui scripserant dictator Hippocrates celebre illud oraculum protulit, quæ medicamenta non curant, ea ferrum curat, quæ ferrū non curat ea ignis curat, quæ autem ignis minimè curat, incurabilia haberi oportet. E methodicis vero fuere Themison & Soranus, & hujus compilator Cælius Aurelianus & Asclepiades, ut *Prosper Alpinus l. 10. meth. med. c. 7. & Thomas Fienus l. 10. de cauteriis c. 2.* testantur: ad hos *Archigenes à Gal. l. 3. de cōp. med. lo c. 1.* & Dionysius chirurgus à Scribonio memoratus. Ex empiricis est Acron Agrigentinus, de quo *Cælius Rhodiginus ant. lect. l. 13. c. 22. & Paul. l. 2.* est & Apollonius, cujus *in lib. 1. de comp. med. par.* mentio facta est.

Post græcos latini sunt commemorandi, nec tantum Celsus, & Plinius, ac Theodorus Priscianus, qui frequentius ejus rei meminêre, sed alii quidam minus in hac re celebres, ut Titus Livius, qui dixit tuberculum, quod carbo vocatur carbone exuri, Q. etiam Serenus belle cecinit de podagra:

At cum prima mali sese ostentabit origo,
fervida non timidis tolera cauteria plantis.

Sic qui superioribus seculis usus ignis medicinales fovere populi sunt monstrati.

Jam vero, quod ad præsentem ætatem, majorumq; memoriam pertinet, permultę nationes sunt, quæ ignis remedium ad multa paratissimū habuerunt atq; habent; Primi ponentur Mauri, quos equidem diligenter perscrutatus, tum à stipendiariis militibus, tum à vulnerariis aliquot ejus gentis, qui pro servitio ad manus nostrorū hominum pervenerunt, audii sæpe & secundum caput & pectus, & brachia, & crura vel ad curationem ipsorum vitio quopiam laborantium, & lāguentium, vel ad interceptionem, vel ad aversionem, vel derivationem ferramentis quidem candentibus interdum: sed maximè pessulis ex panno lineo, vel xylino, vel fungo igniario (escam nostri vocant) accensis urere consuevisse. Quam eandem medendi audaciam, & Arabibus, & Turcis esse literis prodidit *Petrus Bellonius l. 13. singul. obser. c. 21.* quo loco & ustionem Arabicam ad hunc diem conservatam capitis dolorem jam septenni mulieri Thessalonicæ in Macedonia sublatum feliciter narrat.

Ad hos & Armenis non infrequens ustio est potissimum per lintea involucra, quod attestatus est *Prosper Albertianus in Comment. libri Hipp. de affect.* cum quibus & omnes alias gentes orientis plagæ subditos connumerat. Armenos etiam igneis cucurbitulis ad pleuriticos liberandos singulariter utentes laudavit *Alexander Trallianus in l. 6. rei med. c. 1.*

Similiter & Indos ex fidei probatissimæ hominibus acceptum refert *Lazarus Sotus in l. de loc. in homine tex. 1. c. 30.* sic frequentibus semper usibus ustiones habere, ut nullo alio auxilio morbos quoslibet extirpare, quàm igne norint. Quin nuper etiã ex Ignatio Conrado spectatiss. societ. Iesu Sacerdote, ac Io. Antonio Herrera à secretis Proregis nostri Ducis Alcalent. illustrissimis viris, qui rem ipsi viderũt, audivi, medicos ejus gẽtis tutissime simul & frequentissimè solitos cultris acutibus crustas inurere brachiis & artub' sideratis, perfrigeratis, & languidis. Modus autẽ est cum summa celeritate alterne per ambas manus vibratis ferramentis rem conficiant. Ex Aethiopibus quoq;, & Abyssinis antiquitùs eâ curandi ratione utentibus defluxisse morem ad Ægyptios, ut hodiernâ die plurimum igne medentes utantur, quos Ægyptios mirum in modũ super omnes populos ignis auxilio medendo cõfidere scripsit *Prosper Alpinus l. 2. de med. Ægyp.* qui idem & plurimas in difficilium morborum sanationes obtinuisse istos autopsiæ fide certos nos fecit, nam qui sunt corporis tortores, atque exanimatores morbi, quos abrumptrice ignis virtute non deleant ipsi sincipite, occipite, vertice, temporibus loco post aures, palpebris, gingivis, dentibus, collo, pectore, stomacho, hypochondriis, umbilico, hepati, lieni, & renibus, urinariæ, vesicæ, matrici, spinæ dorsi, lumbis, articulis, brachiis, cruribus, manibus, pedibusque nulla deniq; parte corporis immuni facta, sic illi notas, qui dominatum diu languorem evicère, vario corpore relictas ostentant, gaudentq; abjecisse genuum juncturarumq. dolores à lentis humoribus, & à flatu profectos, colli, dorsi, lumborum, coxendicum, podagræ, & chiragræ tormenta, destillationes, fluxionesq. de capite ad pectus, quæ rheumata vocant, comitialem morbum atq. attonitum, vertiginem, hemicraniam, amentiam, fatuitatem, lethargum, cephalæam, dolorem oculorum, aurium, dentium, paralysin, stuporem, pulmoniam, asthmatis omnes species phthisin, empyema, stomachi frigidam intemperiem atque imbecillitatem, hydropem, hæpatis, lienisve durities, herniarum prolapsus, tumores frigidos, oedemata, scirrhos, & quod non denique vitii genus internum, externum, acutũ, diuturnum, simplex, compositum congestionis aut fluxionis soboles: quas ob res quis est, ut semel jam finiam, qui usus multiplices & miros ignis effectus non sentiat, ipsum non ut Dei munus admiretur? nationum omnium consensu probatum auxilium validum, & perfectum ad desperatos morbos alexipharmacum singulare, ad cuncta malorum genera præsidium, sacram medicorum anchorã, & asylum deniq. in invitis stratis decumbentium omnium.

Loca quæ inuruntur ab Ægyptiis

Morbi qui ustione tolluntur.

CAPUT II.

In igne secretum omnibus vitiis expugnandis maximum.

ALbucasis Arabs dignus hercle auctor, qui in ignis usu medico tradendo cęteris omnibus anteferatur, operis initio post pauca quædam, nescio quo admirationis ardore, atq. enthusiasmo concisos animi sensus verborumq. ambages (utinam autem ab Amuso interprete feliciter expressas) ad auditores suos protulit has, & si nõ esset, quod non licet huic libro meo afferrem vobis secretum occultum in igne, & in qualitate operationis ejus in corporibus expulsionis suæ operâ expellit ęgritudines sermone philosophico demonstrativo, qui acueretur in mẽtibus vestris, quorum verborum sententia mea, quidem opinione, videtur hæc, argumentorum scribendo propositorum fines conservandi sunt, non autem ambitiosè dilatandi, neq. ea quæ ad subtilitatẽ contemplandi pertinent cũ his, quæ exagendi sunt usu, veluti cæli cum terris sunt confundendi, simplex, ut uno verbo dicam, debet esse omnis, qui de aliqua re instituitur, sermo. De igne quidẽ hic mihi disputationis est orsus, quatenus ad eluendas omnes humani corporis ęgritudines conquisitus est ejusdem usus: quod si enim conditissimas potestates ignis secundum se ipsum considerati, tum ejusdem facultates & agendi rationem hic mihi liceret altè repetere, secretum unum hoc & plenissimum ad omnes profligandos corporis lãguores monstrarem: ita ut audientes vos in excedentem ejus rei cupidinẽ atq. admirationem pertraherem: nempe & præsidii amplitudo appareret longè maxima & efficiendi ratio cognosceretur tam evidens & necessaria, quàm philosophorũ demonstratio est. Ad hunc propemodum ille: nos autem secretũ hoc ignis & hic & aliâs etiam ab ipso hoc sermone deprædicatum, quantum virilis nostra portio patitur, explicantes virtutes ejus & proprietate ordine jam nunc indicato recitabimus.

CAP. III.

Multiplicem ignem esse corporum excipientium formis.

INcomparabilis quidem virtus est ignis in usus medicos & incredibilis ejusdem amplitudo tum excedenti privilegio, tum quod nullus propemodum hoc nostro sæculo divinam ejusdem vim, aut rimando insequatur, aut expertus sit, quam πολυειδῆ alicubi dixit Theophrastus peripateticus, multiplex inquam, tum formis suscipientium corporum, tũ facultatibus atq. affectionibus, & proprietatibus. E subjectis quidem multiplex inde cognoscitur, quod fluxilis, & inconsistens sic est ejus natura, ut omnia mundi corpora, quæ sub cælo sunt subjicere sibi possit, aërem, aquam, terram, & terræ species omnes, metalla, stirpes, stirpiumque partes, etiam animantium omnes, materiam denique omnem aridam, humidam, spirituosam, duram, mollem, liquidam, densam, raram, subtilem, crassam, mobilem, persistentem, arte factã, naturalẽ, ad summum nihil est, quod ignis occu-

Ignis [...] ra.

occupando experiri non possit, neq; aliud secundum meam quidem sententiam, dixit *Heraclitus apud Aristotelem 4 sect prob. 66.* ignem omnia fieri, atque id etiam per Prothæum nobis significatum voluerunt antiqui mythologi, qui commenti sunt, tam versatilem deum nullo ingenio nullisque hominum artibus unquam constringi potuisse, vimq; omnium captantium ad divinanda quædam eluisse. Cui autem divinandi officium magis competat, quam igni, de quo scilicet ait Hippocrates: & videtur sane mihi id, quod calidum vocamus immortale & cuncta intelligere & videre, audire, & scire omnia tum præsentia, tum futura, & cætera multa, quæ mirum in modum ad hanc rem faciunt, neque injuria sentit illud Hippocrates, omnis enim sensus igne, ait *Plutarchus in quæstione de utraque præstantia aquæ, vel ignis*, utpote vitalem ingenerante facultatem communicat, omnium vero maxime visus, quia acutissimus est sensuũ corporis, ignea quædam natura, exiliens cum sit &c. Iam autem quando Cheronæum allegavimus quid non & Platonem commemoramus, qui dialogo, cui titulus est, Protagoras, festiva Promethei fabella, non obscure ostendit ignem unum, à quo universa humana solertia, & civilis disciplina, & orta, & propagata sit, artes vero omnes inventæ. Itaque quod ignis ille πανδοχεάτος varias occupat rerum species: eum prope modum ignis quem in medicinæ usus assumimus, varias contẽperamenti sortes nanciscitur, prout hæc aut illa corpora suscipiunt, hæc aut illa administramenta, flamma, carbone, ex utriusque habitu, ignitione, & quacunque ignis conceptione, etiam in aqua ad summam qualitate ignea conjuncta cum subjecto, vel extra primum subjectum recipiunt, quæ quidem omnia posterius apparebunt, si materiæ prius atque harum differentiæ rerum omnes ritè disserantur atque exponantur. Hæc enim veluti summa fuerit atque operæ pretium hujus universi tractatus.

His sic constantibus, non video equidem, quî factum sit, ut ignis, qui in usus medicos est maxime multiplex, hic tamen à vulgo medicorum sit uniusmodi putetur, velut uni manus digito religata sic omnis tangendi functio, vel unis aliquibus præcisè frugibus hominibus victus, aut certo quodam organo mechanicismus omnis concludatur. Quoniam autem unis metallis definita est universa ustio per hæc tempora, nil miror & exhorreri hujus administratum, & nimium diu varios & legitimos ignis usus latuisse: nimirum extremus & plerunque incongruens hic ignis adhibendi modus est. Itaque si fieri possit, ut quam plurimis præter ferrum modis utilis ignis demonstretur, spes est, ut & hunc recipiant cum medicis desperatæ salutis ægrotantes quilibet, atque ut restitutum iri debeat, quod exoletum erat, id nos operis, si faverit cæptis Deus, sique nos lector expectatione bona animaveris hac operis parte suscipimus, rem quidem, ut à nemine hactenus tentatam, ita ubi vel mediocriter succedat tam frugiferam, quàm creditam nequaquam.

CAP. IV.

Ignis facultates longe plurimas esse quam ut multi vulgo credant, atq; ipsum cunctis qualitatum intemperantiis occurrere.

SEd multo plures, quam formas acquisitas corporum monstravimus, ignis sunt facultates: principio enim primis qualitatum intemperantiis adversatur & frigidas quidem ab eo propelli, à quo calor non sejungitur nemo dubitabit, verum enimvero calidas affectiones remedium ex eo nancisci non detrimentum quis unus dixerit? at nihilominus illud adseverare non est absurdum si calorem & siccitatem, quas ignis propulsare debet, cum materia conjunctas supponamus, nempe duplici quamquam utraque ratione per accidens proficere calidis, siccisque affectibus ignis valet, una autem ratio est, si vaporem aut humorem vitium foventem exhauriat: quo pacto & rhabarbarum & scammonium, & turpetum &c. quædam sive simplicia, sive ex his conflata febrientibus choleræ vel pituitæ detrudendæ offertur: sic etiam Galenus, hunc injuria notante *Tralliano l. 3. meth. c. 13.* fimum columbinum capiti destillationem acutam patienti ad suturam imposuit: sic phrenitidem calidorum adjectu, sic maniam, quod alibi etiam notavi perusto capite curamus: ex ulceribus vero & tuberculis ferventissimus carbunculos, herpetes, cancros & hoc genus peruramus: sic denique ambustis, ne pustulescant, quod & *Theophrastus libro de igne* notavit, & ut empyreuma deponant, ignẽ & calidas cæpas admovere consueverunt: quod duplex experimentum à se probatum testatur *Gabriel Fallopius tr. de ambustis ubi de curatione.* Itaque *Ioannes Fernelius 5. meth. med. l. 6. cap. 20.* ignem proprii mali alexiterium vocavit.

Lege de hac re Hieron. Cardanum in consil. de difficult. spirandi p. 455.

Hactenus accidentarium ignis usum adversas calidas passiones fusius explicavi, brevi nunc alterum expediam, atque is est, cum & humorem stabulantem & particulam foventem torrido eodem adminiculo simul abripimus, qui modus & in cancris, & in malignorum vitiorum amputamentis per medicos servari solitus est, de quo *Gal. meth. cap. ultimo* Aliam præter has rationes addidit Albucasis, nimirum quod collatum hominis corpus & hujus humiditas cum exuperantia excoquentissimi elementi frigidum citra controversiam apparebit. Illud tamen advertit Albucasis non cujusvis opificis esse hujusmodi præsidio uti, sed ejus duntaxat, qui exercitus & consummatus in hoc munere sit, quamquam sciat recte discernere varias & singulas hominum naturas morborumq; constitutiones: tum quod ad ipsos spectat, tum quod ad causas eorum & accidentia; tum denique quod ad tempus, ex quo primum extitere. Ita quidem Arabs, verùm concilliator

ator diff. 208. Operæ pretium & emolumentum ignis calidam siccamque affectionem oppugnãtis in eo reposuit, ut cauterium candere faciat, verba sunt: sui ipsius agens in materiam egentem resolutione ita non interest, si per contrarium in eodem gradu curatione non occuratur. Sed & aliam effectus quæsiti rationem inferius demonstrabo, quam *Thomas Fienus l. de caut. c.* 5. excogitavit, & asseruit: ignis adversus calidam & siccam intemperantiam adjumentum, videlicet in ejusmodi passione corpus universum aut partem principem occupante non impeditur, quo minus per illius contra indicationem probatum in similibus cauterii auxilium liceat experiri, id est, exempli causa præsente febre, atque etiam affectu aliquo calido siccoque non naturali, præterque naturam, dum aliquod symptoma perniciosum & acutum, puta profusionis sanguinis, cæcitas imminens, gangræna, phthoa, phthisis, & destillationes, casus, morsus venenati, furorque urget: tum nulla hæsitatione licet uti cauterio quo casu jam advertis, quòd multi momenti memoratus ignis sit usus, etenim prævalere delectum ejus super affectus calidi cautela, item detrimentum hujus præ ignis adhibiti commoditate nullius rationis esse pretii certe non parvi videri debet.

Hæc ferè ex Albucasi, Lanfranco, Fieno ad communẽ de calida siccaq; partium intemperãtia igne medendis difficultate dicta jam sunto, quibus addere nunc libet ex nostro, ubi de propulsu siccitatis igneo hoc præsidio, castigandę rationes propulsatur inquam, igne siccitas, haud absoluta quidem sui ratione, sed quatenus præsens commodi corporis offensamẽto est, ut callus, exempli causa, in pede dolente, callus in ulcere coalitum vetans, ossa quoq; & cartilaginas nigrore, carie, exostasi alienæ, cauterio pressa excidant, sanasq; partes absolvant, & non coinquinent, dentes vero candente item ferro tentamus erosos quidem, ut ab ulteriore putredine vindicemus, dolentes ut stupore, vel dolore, vel vitio quolibet liberemus, revocari quoq; ad partes squalore contactas, & ad ulcera suum utilem humorem non dubitabit, qui viderit excussa fungea caruncula, vel dura hypersarcasi vividam exulceratu, ad arescentem verò, & paralysi, vel atrophes languore tentatam particulam attractu calido succum exsuscitari, atque hoc novum non est. Ad hęc per excitatum igne ulcus partem continuo humorum irrigatu madescere quis non videt? quis adversus sicca retorrida neget fonticulum agere cum ad biliosam cacochymiam expurgandam institutus est idem. Itaque ad atrophiam redimendam paroptisim imperat *Cælius Aurelianus l 3. tardarum pass. c. 7. p.* 429. Quamquam enim priuativæ sunt hæ, non positivę functiones *Thomæ Fieno in lib. 1. cap.* 14. tamen simpliciter humectare valet ignis, quod liquat, mollit, ut exposuit *Ludovicus Buccaferreus in meteorologicorum* 4. itemque fundit ignis ea, quæ à frigido concreverunt. Ostendit hæc autem panis durus qui modicè assatus tenerescit, nimirum quod aquosa portio nõ modo à farina absorpta per ignem extrahitur, sed frigido etiam concreta calore colliquatur. Quam ob causam credo etiam & obtortas perticas assulasq; ligneas ignis calore flexas in adversum dirigi componiq; quẽadmodum artifex velit. Itaq; perspicitur, quod nostra per ignem sollicitudo corporis humani partibus abscedentibus medetur, exucca ulcerum concrementa subducit, madorem revocat, vitiis ad externam siccitatem tendentibus occurrit, humores ad languida squalidaq; membra derivat, retorridas intimorum superfluitates repurgat: Cognoscitur, item, & humectare & siccos excessus expugnare tectum ejusdem vsum posse.

Cæterum quid de frigefactu, quem igni omnes uno consensu abnegant; & jure quidem quando à calore, quid autem à calidorum omnium summo præterquã calefactio proficisci possit, non igitur refrigeratio; Nihilominus & per accidens id evenire posse non est difficile si spiritus vitalis & cum his calidum nativum expirare faciat; at hoc quidam in annuis fonticulis apparet facile, in quibus temporum longinquitate humoris facta perennis eductio membrum exhaurit atq; extenuat: quam ob rem prudenter videtur præcepisse *Lanfrancus tract. 3. doc. 3. c.* 28. ne ultra duas aut tres menses apertus conservetur fonticulus; siquidem diutiùs hoc protracto, membrum debilitatur, & ne dum humores inutiles, sed probi atque optimi effunduntur. Has ob res sterilitatis esse causas vetusta cauteria sentiit *Lud. Mercatus l. 3. Gynæciorum c. 5. F.* Satis hæc pro isto tempore de demonstratione, quod ignis refrigeret, cęterum hanc ipsam rem in principio tractatus de igne retuso locupletiùs enucleabimus.

Caute[rium] non ul[tra] tres m[enses] protra[hen]dum.

CAP. V.

De vi ignis concoquendi, suppurandi ac molliendi.

DVbium esse cuiquam non debet, & concoquendi facultatem inesse igni, nos autẽ præter communẽ de abdito sub medicamentis igne demonstrationẽ superius productã, ita rem ostendemus, si prius occurramus uni difficultati, qua expedita nil restabit ambiguitatis. Illa autẽ est, quod adjumentũ omne exterius ad concoquendũ, virtutis esse debet contẽperatæ non admodum excellentis & exustivæ, atq; ignis modis suis omnibus torret & assat, & si ad partem aliquam corporis applicetur, crustam in ea ducit, totumq; à se locum destruit, tantum abest, ut maturet & concoquat, sed nihilominus hæc instantia non officit, quominus ignis & hâc gaudeat digerendi facultate, quod autem ignis torrefaciat natura non inficiamur, quippe qui ad suũ modum & formã omnia propinquantia reddere sit aptus natus. Verum enimvero præter quam quòd tortidus etiam ignis quæ recrudescunt omnibus est utilis maximè, ut testatũ reliquit *Hipp Com. 2. de art. tex.* 60. quare ad vulnus frontis ejus usitati meminit 5. *epid. n.* 8. fallitur, quicunq; cogitat nos ad eam rem uti igne velle sic, ut affertur, amplius autem monstraturus sũ infinitas esse rationes detinendi, furores ignis atq; cum lenitate tractãdi, quod cognovit & uno verbo significavit *Petr. ab Apono dif.* 208. frenatur inquam

inquam, præsertim objectaculis mediis inter ipsum & partem corporis inurendam.

Itaque in causa nostra si humectum consistens aut liquidum corpus interponatur præsertim operæ non incommodans, non erit difficile, ut ita contemperata ejusdẽ vis, quemadmodũ vivida calx cũ adipe vel pinguedine omni mista, itemq; ut Balneum Mariæ dictũ edere quæsitũ effectum valeat, sive quidem extra corpus illud positus sit in ignitabulo absolutè ac propriè dicto, quod aridum semper esset, sed tum commoderante humido aliquo adhibetur; sive uno quodã δυνατύρῳ materia multum humidi continente simpliciter exerceatur; utriusq; nos generis exempla indicato loco per nos tradita sunt plurima. Alterutrius nunc satis erunt aliquot pauca, utpote candens ferramentum super sacculum furfuris aut farinæ madefactum aqua comprimatur; vel si panis calidus, aut fermentum, aut ovum, aut cæpa percalfacta ad laborantem partem applicentur, si placentam de ovis de fervida patella jam tum receptam, ad nephritidem sedandam imponi lumbis laudavit Hercules Saxonia in ejus morbi curatione; sic etiam nos sive folium herbæ aloes cortice nudatum ad maturandos tardè veniẽtes abscessus, sic limonii portiunculam ad callos & clavos pedum mitificandos utramq; cineribus calidis extracta imponimus, maximè autem omnium cernem, quæ elixatu percocta est confidam & ipsam crudis tuberculis impositam concoquendi vim allaturam: Quibus omnibus jam constat, per humida ignita corpora posse nudas materias humorum concoqui. De siccis ignis administrationibus homo dubitaverat: sed cucurbitulis ad cruda tubercula impactis suo, de cucurbitulis, sermone ad naturæ parentis normã restitus quoq; docuimus. Ad hæc verò si clematidis caustica vis, ut **Hier. Fabricius** est testis, rigidi genu ancylem duritiemq; deducit empirici hominis applicitu; quid non ignis ἐνεργόπνους, bene docti Medici manibus tractatus atq; exercitus, hæc eadem & majora faciet? ita constat jam igni sapiente adhibito concoquendi esse virtutem.

Jam autem quæ ad concoquendum pertinet, re sic attentâ & constitutâ, cæterum quod igni suppurandi vis insit planè cognosci licet, quando suppuratio crudæ cujusdam materiæ fit abductio in mitiorem modum: quemadmodum videlicet crudum amarumq; pomum igne dulcescit atq; mitescit coæquatis nimirum substantiæ partibus. Hujus ad unguem modi est mitificatio, quàm morborum materiæ prius crudæ, mox à natura agitatæ subactæ & commoderatæ tribuunt medici, & ex his vir singularis *Ludovicus Duretus in enarrat. Coacarum prædict.* Ducta quidem ea vox est non à moris, sed à pomis, de quibus Plinius alicubi. Pomorum velocitas citò mitescentium transvolat. Hęc porro de ea translatione dicta sunto, ut per eadem sic intellecta res instituta pateret. Addo autem & ab experimento confirmationem, quod gummi super ossa concrescentia crudissimos omnium tumores, itemq; ulcera super his, aut id genus excitata sola ignis irritatione visa sunt ad languorem & suppurationem emoveri: quàm autem id admirabilius in gangrænis & squalidis vitiis observatum? Cæterum quòd emolliendo valeat ignis id, quod principio receperam demonstrandum: non pluribus id quidẽ exequar, quàm quod patere potest & judicio, & observatione Amati Lusitani viri quidem in omni re medica consummatissimi; qui etiam ad scirrhum oris ad πυρ διαμάλαξιν revocandum nil æquè valens; ut ignis esse persuasus est *Cent. videlic. 5. cur. 99.* Verba autem ne pigebit quidem recitare, quæ sunt hæc; Tumor hic prædurus cum sit & locus minimè idoneus, ut emollientibus medicamentis & aliis ad curationem facientibus uti liberè possimus, candente uti ferramento summũ in hoc casu remedium duximus: eo enim humorem illum frigidum saxi duritiem præ se ferentem caliditate ignea emolliri, & ea ipsa ad optimam viam exteri credibile erat, proinde ore aperto, instrumento vulgari ad id adaptato tumorem hunc ignito perforo: Hæc ille, quæ ipsa ad amussim sententia fuit, & *Ant. Musa Brasavolæ, qui in l. de morbo gallico quæsito nono professus est* durities & scirrhos, quæ difficulter aut nũquam remolliuntur, posito cauterio & scirrho inde exulcerato, duci facile ad sanitatẽ, ad quam hæ duritiæ nunquam pervenissent. Postremò confirmat amplè nostram hanc thesin **Prosper Alpinus** *l. 3. de medic. Ægypt. c. 12.* testatus est scirrhosa crasso phlegmate nedum œdemata ustione ab his medicis curata feliciter vidisse.

CAP. VI.

De vi ignis attenuandi discutiendique.

Discussio quid sit, & quę discutientia, *pharmaco chirurgico nostro opere l. de med. ext. c. 6.* fusè demonstravimus; Consistit autẽ eo loco discutientium facultatẽ esse, quæ attenuatũ jam humorẽ & rarefactum, velut habitũ à parte continente corporis exprimit & educit, attenuantium verò facultas est, quæ crassam humoris compagem comminuit, & quasi fundit eo non subducto. Est igitur attenuatio gradus quidã ad discussionem, quæ discussio perfectior est actio, utraq; autem à calido principio, nempe frigus crassefacit & conculcat, cogitq;: quò autem intensior acriorq; calor est, eò magis ac plenius rem conficiet. Itaque ignis actuosus, qui medicamentarium alterum longe superat viribus, maximè & fundet simul & discutiet, quod & re ipsa se prodit facere, siquidem particulam uliginosam velut *cum Hipp. l. de artic. atque Aetio* dicam, submucidã, ferramentum candens impressum & fervefactũ materiam liquat & fumum ex ea elevat. Argumento autem est, quod humida portione in vaporem discussã exinde compressa & sicca restat pars: Verumenimvero scire licet duplicem ab igne exhaustum esse, alterum quidem aspectabilem, qualem jam dixi, alterum ratione contemplabilem, non qui applicito, sed remotius, vel per transcursum igne adhibito, vel habitu ipsius, vel lenius ignito, vel rariore corpore, vel interpositis defendiculis etiam candente ignitabulo, vel alia qualibet ratione moderato ac temperato summo ignis fervore quemadmodũ nos posterius in sermone de distinẽdo ignis vi dissertavimus, ex duplici hoc genere cauteriorum discutientium certè rectius dici

videtur illud, quod mitiori terrore madorem partis exiccat pertractum in auras visum fugientes: Is verò exhaustus, qui cum absumptu partium est minus videtur respondere discutientibus medicamentis, quos utrorumque tamen insensiles vacuatus distare in eo vides; quod actuosior atq; efficacior sinceri ignis, debilior ac productior is, qui ex mixtorum corporum calore est. Jam autem is, qui ex igne impermisso est duplex consulto, & cum indulgentia discretarum rerum adhiberi debet. Nempe in emarcidis is, qui carnes violat, permitti potest; illis verò, qui multum substantiæ modò temperiei multitudine obsistunt, maximè congruit, alter modus æquum extremis mediocria vitia propugnari, atque adeò neq; etiam, quæ per halitum evacuant ignitabula sunt protinus attentanda, non ante expertis valentibus medicamentis; quippe quæ medica ratio cavit, ut præmitti semper debeant. Verùm ubi hæc invalida compereris nil deprecari viribus corporis, & partibus naturalibus consentientibus potest, quò minus ignis usus arripiatur.

CAP. VII.

De ignis attrahendi, absorbendi, extrahendi, evocandique facultatibus.

CAlorem omnem attractorium esse naturâ, non adhuc ullo dubitatum est & à physicis omnibus est assertum, quapropter & ignis calore nitens inseparabili & attrahendo valere debebit. Credunt quidem id fieri plerique quod dissolutis ante se aeriis rei particulis, natura, ne vacuum relinquatur, alias inter capedinis loco sufficit: verumenimvero equidem non per accidens, sed energiâ quâdam propriâ hoc effecti præstare ignem arbitror; sive antecedentem aliam ignis impressuram (empyreuma Græci dicunt) ut in ambustis carnibus, quod Theophrastus Eresius, sive alius alterius naturæ rē, quæ aeœa est addita portio. Ad alienas autem res, ꝙ attinet, ut voret has ignis nisi rapiat? ut rapiat nisi refugientia? quia debiliora omnia ad se trahat & complectatur. Adde quod experimento id constat, humorem è linteis madentibus per ignem extrahi, quod adnotavit *Laur. Iubertus Parad. decad.* 8. ceræ, quam panno affixam interjecta charta continenter ad se rapit calfactum ferrum, ubi autem vacuum subinde complens natura? in supplenda vero loco vacuo materia, qui possent à se recisam sui portionem carnes alteri concedere? sed utcunque trahit ad se ignis tenuem aut attenuatam à se materiam, quæ objicitur. Quoniam autem id facere jam cognoscitur, & absorbent tum digerentia tum attrahentia sunt; duabus hisce facultatibus prædictus ignis, & in locis coinquinatis accensus & ore etiam inspiratus ne mirum quidem est, quòd pestis contagia deleat, quod ex Hollerio supra etiam retulimus: qui & candente ferro bubones epidemios & pestilentes, & evocat, & dissipat: Jam autem nedum pestis contagia; sed & putredinem omnem adimit ignis, id quod elicitur *ex Galeni doctrina lib. 2. therap: ad Glauc. c. 9. & l. 3. meth. med. c. 6. & Albucasis lib. 1. ferè omni, sed & Aetius l. 3. c. 14.* & ad extrahendum rubetæ ranæ venenum incalentem furnum hominem immitti jubet. E junioribus verò *Simon Riquinus in epistola de febre epidemica ad unum diem interimente* (sudor anglicus est aliâs appellatus) narrat Germanum quendam ignobilem hominem ex morbo laborantem spretis medicorum regulis, & præceptis temerè in furnum educto jam pane calentem se conjecisse, ac multo excusso sudore liberū evasisse. Mirum autem dictu, qui mox in eo furno cocti sunt panes, manducatos virulentæ rei sensum attulisse; adeò verum est scilicet venenatas materias extrahi per ignem è corporibus.

In pharmaco chirurgico.

CAP. VIII.

Quod ignis aliâs quidem corpora nostra laxet atque aperiat, aliâs adstringat, cogat & excludat.

SEd ad qualitates tertias, quod attinet texturam & poros nostri corporis laxandi atque adstringendi valentem ignem ostendere non est difficile, sed diversis utramque rem modis, laxat quidem, aperit, resolvit, quia scilicet calor, qui conjunctus est semper undique sibi, quia tenuis & penetrabilis est, parans viam, substantiam interim corporis penetrati diducit, interdum etiam sic, ut cavitates corporum conniventes dilatet; ita & gutturis angina conclusi ductum ampliari per ignem cucurbitularum, in suo de his sermone monstravi: frigidi igitur & calidi vires bellè discrevit *Levinus Lemnius lib. 4. de natura mirac. c.* 8. per hæc frigidus aer corpori circumfusus fluxiones sistit ac reprimit, easque maturescere prohibet, calor verò ac fomenta calorifica meatus ac spiramenta recludunt & relaxant, utque se fuligines & vapores proferant, ac discutiantur, efficiunt. Quo mihi non inconsulto facere videntur, qui contracta primùm morbi cōtagione, pestiferoq; halitu corpus igni luculento exponunt; & undique sudore madescant ac diffluant, citra tamen virium defectum aut animi resolutionem ac deliquium, ita quidem Levinus ante quam virum, & ignis fundendi vires prodiderat *Hipp. aphor. 16. & 22. lib. 5. & Aristot. atque etiam Aulus Gellius lib. 18. cap. 4.* propterea quod concretum omne resolvit & gelu constrictum, ut nivem sol: utinam ignis adhæsu prolici crebro docuêre. Narrat ejus ad ischuriam experimenti historiam, Hieronymus ab Aquapendente; quam nos hoc eodem lib. cap. de paroptisi recitavimus. Adstringit verò substantiam idem ignis humiditate discussâ & particulis per crustam quasi cum ruga contractis quam adstrictionis vim in igne cognovit & *Gal. lib. de opt. secta. & huic inhærens Hier. Cardanus in consil. de difficul. spirandi.* Intellexerunt quoque veteres omnes *chir. Paulus Aetius, Celsus, Albucasis*, cum pilis palpebrarum aut aliarum partium ortum præcludentes cauteriolum induxerunt. Intellexit & omnium optimè primus Hippocrates, qui Hæmorrhoidas largitate fluendi pessundantes, & ad cachexiam deducentes non aliis quàm adstringentibus ignis crustis compesci jussit *lib. de hæmorrh.* quod suum adstringendi contrahendique per crustā consilium perspicaciter advertit *Vidus*

dus *Florentinus in l.4. chirurg.c. 11.* sed utrasque simul & laxandi & adstringendi vires intellexit acutè *Virgilius in 1. Georg. cum de cremandis novalibus cecinit.*

Seu plures calor ille vias, & cæca relaxat
Spiramenta, novas veniat, quà succus in herbas,
Seu durat magis, ac venas adstringit hiantes:
Ne tenues pluviæ rapidive potentia solis,
Acrior aut Boreæ penetrabile frigus adurat.

Interim his expensis, ne mox hunc locum mitte, at nota duas alias attributas igni virtutes quarum altera quidem additionis, id est, fæcunditatis, altera detractionis, id est purgationis est, per descriptum jam à nobis absorptum.

CAP. IX.

De roborandi & confirmandi facultate.

Videbitur facile cuipiam, quas ignis partes attigerit, has continuo potestatem habere deterendi labefactandique, spiritu scilicet humoreque insito solidâque substantiâ dissipatis, item quia summis calfaciendi resiccandique functionibus hæret; hunc nostris corporibus occurrentem vim, intemperiemque inferre nemo non credet, ad summam enim comparatus est immutabili naturâ, ut objecta quæquam consumat, valentissimũ omniũ præsidium, hanc & ejusmodi quædam alia persuaserint, pessundandi quidem igni plurimam, sed nullam corroborandi facultatem inesse, sed debilitandi. Argumento autem est, quod concitant ad ustam quampiam particulam humores facile, neq; sine labore, aut studio pręvertitur hâc occasione defluxio. Verumenimverò natum est apud doctos igni roborandi vim inesse; partes nimirum quæ sunt humore laxatæ rursus cogendo, qua frigore stupent, contemperando. Porro frigus alienum naturâ robur partium infringit; humiditas verò nimia mollitie diffluentes, putredinique obnoxias reddit. Robur autem in compagis cujusdam adstrictione fibrarumque firmitate consistit: quæ duo quoniam ignis præstat, propterea roborare confirmareque dicitur, est hæc autem doctrina *Galeni comm.6. aph.60. Aetii lib. 12.c.25. & Amati Lusitani Cent.5. curat.6.* & ob has causas factum est ut antiqui frequentius quam aliis medicamentis omnibus ac remediis in diuturno malo confectis partibus, ignis auxilio confisi fuerint. Quæ duo desiderantur in omni opera, ut sc. vitium eximatur, pars verò firma restet: hęc ad amussim solus & mirus ignis exhibet semper. Ita quidem languores omnes capitis, pectoris, hepatis, splenis, intestinorum, alvi, matricis, vesicæ, musculorum, nervorum, rachitidos, artuum & articulorũ hoc uno curarunt curatosque finierunt iidem. Quid dicam autem quanto hujus usu, vel ulcera putrida, vel ossa teredinosa tractarint? Quarum quidem rerum tum in entopyria, tum exopyria nostra non infrequens est enarratio.

CAP. X.

Igni pertenue ferramentum impresso insecandi facultatem esse.

Non eget multis ut problematis propositi veritatem ostendam, assentientur autem facile multi, qui considerant viam sibi ad durissima ac solidissima quæque ignem facere, qui semper absumat rem, prope abrodat, multo igitur amplius ad carnes & cutem præsertim, quæ facto subtus abscessu extenuata est, pervadet inquam has partes liquidè atque ita ut cavitate perrupta sanies omnis evacuetur; cujus rei meminit *Hipp.* plerisque locis: ut in aperiendo tuberculo pulmonis ęgre ad latus erumpentem & extumescentem *l.2. de morb. c. proprio*: itemque in veteris suppuratis exhauriendis *l. de natura muliebri.* Deinde *Cornelius l.7. rei med. c.2.* aliud igitur cum declarari opus non sit; operæ precium erit nunc, opportunitates in hisce rebus ignis administrati retexere, quæ sunt hæ: prima abscessibus frigidis bellè congruit ignitum ferrum propterea, quod & frigiditatem illam emendat & partem corroborat: Secunda in abscessu, qui occupat loco humidiora, pars à putredine vindicabitur: Tertia in abscessibus, altis, tum qui masculosis locis incubuêre, de quibus illud pronunciatum est ab *Hipp. 6.aph. 41.* quibuscunque suppuratio in corpore existens non innotescit his ob crassationem puris aut loci non innotescit, tum qui magnas corporis cavitates penetrant; sic idem vir porro pectora empyicorum aperuit. Quarta, sub quibus locis conditæ sunt arteriæ, venæ, nervique nobiles. Quinta ad prohibendum profluvium sanguinis, quod è ferri frigidi adactu facilè sequetur. Sexta declinatur quantum fieri potest dolor, qui ex discissu alio longe maximus manet, causa autem est, quod ferrum frigidum imprimens manus, necesse est ut partes consectum producendo distrahat, & vim altè factam discerpat, quæ res non evenit ex ignito ferramento sanè. Septima, ut amplior ad fructuose & commode medendum paretur ulceris hiatus: præterquam enim crassius est semper candens; quam discissorium simpliciter ferramentum, quod utrumque carnem subit. Ad hæc & crusta succedit, qua discussa necesse est vulnus amplius reddi.

Pręter hæc alii scopum alium atq; utilitatẽ ponunt ignis, ut sc. exhorrentibus acutum scalprum miseris ægris gratificemur; ego verò non adnumerandũ hanc puto conditionẽ, tum quod ignis exhorreri consuevit magis; tum quod ignis neq; huic agendi consilio locus est, cũ aliqua ex dictis causa nõ requirat. Atq; hæ quidem ad vacuandũ sunt opportunitates ignis in abscessib. cæterum sunt & aliæ ad venenatos tumores, ad rhagadas diuturnas ad reprimendũ ani exitũ, ad cohibendam putredinem, ad præcludendos vasorũ ductus, ad eximendũ excrescẽtes carũculas, ad imperforata atq; coalita, & si quæ sũt ejusmodi alia.

CAP. XI.

Utilitates ignis adhibiti secundaria.

Utilitas. I Ex inducta crusta.

Sed neq; eas, quæ ab effectib. igne relictis secũdariæ sunt utilitates, omitti convenit, si doctrinæ complementum amamus; illæ sunt tres, ex crusta, ex cicatrice, ex ulcere, primũ de prima cõmentabimur; Crusta quia tosta quædam & pororum expers est portio carnis, transfluentibus omnibus humorib' sive omnino probatis, minusve carnis viam præcludit, obturabulo quodã ad osculum quasi adjecto, doctrina est *Gal. l.5. meth. med. c.3. Aetii serm. 14. c.52. Avic. l.2. tr.1. c.4. Averr. l.7 collect.*

collect. c. 33 atque aliorum. Scire autem licet, quod quantò firmior crusta, tantò conducibilior ac tutior eam ob causam non potentialibus quidem causticis solidissimam procuramus, sed igne. Ast enim ubi potentialibus uti libeat escharotica capienda voluit Gal: ita valentia, ut escharam diu permansuram inducant; hæc enim dum stat, humoris excursu nil impediente natura vigilans carnem instaurat sensim, ut porus suboriatur.

I. Quibus in casibus crustâ utendum.

Nunc verò quib⁹ in casibus crusta ignis uti medicum oporteat, exponemus, primum igitur sanguinis profluviis, cùm & vincula, & intercipientia & interna externaq; omnia medicaméta non profuerunt opportunè subvenit ignis, id est cū disrupta sunt magna vasa přesertim arteriæ, tū ob perennem sui ipsarū metum, tū etiam si sunt inter musculos partium, quæ agitantur, ut in cervicibus, cubitis manus, genuum flexuris, vel in buccis & temporibus, propter commansum, vel in locis humore nimio scatētibus, vel in plagis propter necessitatē medicationis factitandæ corruptionisq; & doloris vitādi: in his inquam omnibus necessarius est ignis extremi usus, deinde cū profusio ista sequitur ab erosione partis & cōtumaci putredine potissimū, quæ occuparunt pudenda, & sedē, sua nimirūm laxitate & circumflua humiditate plurimū hisce malis patentiū & vitiū ingenita sua imbecillitate, & situs proclivitate minimè repellentiū, quoniam igitur tā multiplici difficultati malè occurritur, præstat ad absolutā provisionem & causæ & symptomatis, igne uti.

II. Ex inducta cicatrice.

Non alia quā crustę cicatricis inductę per ignē sunt officia, hæc & valentiore, & numero plures usus habet, proficiscentes tamen omnes ab eo quod firmitudine compaginis ac substantię dēsitate plerisq; elapsibus tū solidarum partiū tum humorū vaporumq; obnititur, firmitudine quidē facit, ut elabentia subtus corpora, sive solida & dura, ut ossa & cartilagines, sive mollia & inania, ut omentū & intestina cohibeantur. Quod autem ad ossa pertinet monstratur exemplo humeri, quē ad inferiora concedentē, ex laxante pituita, cauteriis ad alam adactis restituere suam in sedem nititur *Hipp. l. de art. c. 11. & 12.* itemq; servat *Paulus Æginet a l. 6. c. 42. & Aetius l. 12. c. 25. & Albucasis l. 1. c. 26.* coxā quoque hoc eodem studio perurunt & *Hipp. l. de art. 12. Razes l. 9. c. 90. & Albuc. l. 1. c. 42.* Juvant & cicatrices contractis cutis undiq; fibris curationem gibborū saltē caventes, ne flexus corporis ulterius augescat. Ad hūc modū *Albuc. l. 1. c. 44.* Gibbero inchoante cauterio multifariam circulato perurit; Atque hęc in ossibus: cæterum ad elapsum intestini recti coercendum, eadem ratione *Leonidas apud Aetium serm. 14. c. 7.* eversum idem inurit: *Celsus* item exomphalū ita reprimi licere *docuit l. 7. c. 14.* quam nos rem & ex aliorum traditione suo loco pertractavimus, At Bubonocelem quoque nō efficaciori ratione tollimus, ut eo etiā cap: recitavimus. Sed ad humores sua sede continendas valet non parum ex igne cicatrix: nam & eo nomine antiqui omnes vasa temporū & sincipitis igne tentabant: quemadmodum nos fuse *c. de curando per ustionem catarrho, & c. de fluxibus ad oculos perpetuis* explicavimus. Sedat defluxum capitis, cujus vitio fit hydrops: venas utrasque jugulares tribus excoquit crustis *Hipp. l. de loc. in homine.* Ita quoque *Celsus ex Hipp.* hęmorrhoidum evagatum curari præcepit. 3. Jam autem id, quod dixi de humoribus ad oculos præcludendis, idem & de vaporibus lucem & spiritus infestantibus, ac perturbantibus intelligendum est, ut jam constare possit ex cursibus omnib. intercludēdis utilem ex igne cicatricē esse.

Ex inducto ulcere servatur.

Postremò recensebuntur non postremę commoditates ignis ex inducto ulcere: vide autem per hoc, quod bona tribuantur corpori, etenim evacuatas revellit, intercipit, derivat, fluxiones humorū sistit & provocat, dolorū causas exhaurit. De singulis, aut qui magis ex omnibus requiri videatur explicemus. Primùm evacuat humores, excrementū, saniem, vapores, humores, inquam, naturales, ex secunda cōcoctione omnes, ut singulatim ostendit *Thom. Fienus l. 1. c. propr.* præsertim verò pituitā & ꝙ omnium uberrime affluat ita, ut quotidiè exprompta indeficienter suppetere queat, & quod in sudores crassitudine non abeat, & quod emissaria propria non habet toti corpori communia, & quod hanc natura facile dimittit, quæ causa porro est, ut in pituitosis, hoc est longis & frigidis plurimum affectionibus curandis, id præsidii consueverunt adhibere medici, videlicet capitis, gutturis, spinæ, dorsi, thoracis, ventriculi, jecoris, lienis, renum, alvi, matricis, sedis, & si quæ sunt alia. Sic apparet profectò universalem hunc ulceris utilis esse vacuationem sive communē, ut dixi, humorem diu multumq; alliciat ex maximè patente communicanteq; cū cunctis interioribus via, quæ est habitus exterior & cutis loco venis majusculis propinquo; sive quod indiscriminatim universas corporis partes ducat, præsertim verò publicas & principes exhaurit superfluis, quanquam, ut veritati faveam, id assequitur lentā quadam & successivâ seu consequutoriā ratione. Et lenta quidem evacuatio sit oportet, cum via, qua eructet humor, data nō moraturis, qui attiguus, & gravis est effluere, quem demandata à superioribus rursus alia portio consequitur in horas perpetuo, sic successiva fit & lenta succorum & excremētorum vacuatio, nempe, quòd ad ulcus pervenit humor missus adjumēto particulæ patientis, & ab hoc propter imbecillitatē non concoctus irritus abit in saniē, quā abscedēte natura frustrata nutritur, ne delegat rursum & aliā portiunculā ac tertiò aliam quē sępe servatū motū mox sentientes assidui humores perita, ut documēto proposito cōsequuntur.

Universalis est vacuatio particularis. [margin partly cut off]

Tanto é il valor d' una prescritta usanza.

Quod vetus Hetruscus apposité dixit. Alterum etiam attractionis cauterii signum est, quod humor jam ad unā partem corporis fluere consuetus facit, ut ab ea via desuescat, atq; ad novam aliam viam pertrahit & perducit ita, ut hanc retineat & prioris obliviscatur. Fit igitur ex hoc, ut non sine altera principii distrahentis, quod cauterium est, impressione fiat ejusmodi retractio. Jam autem cum revellant, & avertere derivareque cauteria certum est, quando aversio derivatioque species quædam fit revulsionis: omnes enim institutam humori viam evertunt, aliamq; faciunt. Cùm igitur & revellere, quod in partem

Fien. l. 10. 42.

adver-

adversam extrahere cauterium valeat, profectò & derivare, alioq; & proximè ad locum vertere, quod levius est, valebit, persistet quoque quo ad partem unam inchoatæ fuerant defluxiones, atq; alio in membro provocabit huic minimè detrimentosas neq; graves. Interim dolores sive evellẽdo, sive avertendo, derivãdo, sive quomodolibet vacuãdo, sive intercipiẽdo, sive humores sistẽdo, aut proliciẽdo, sive alterãdo, ꝗ alibi dixi, tollit, quæ primò diximus cauteria facere. Habẽt & cauteriorum ulcera vim intercipiendi, tũ vasis exactè divisis, tũ eschara circũducta cõstrictis dũtaxat, tũ evacuatione sẽper anticipatâ & præoccupatâ loco videlicet medio inter partem mittentem atque recipientem, sit enim utraq; superior aut inferior, prævertitur humor aut vapor, quo minus ad partem destinatam descendere vel adscendere queat; hæc enim est interceptio atq; intercipiendi ratio, quo spectavit certe *Razes cum l. caut.* sectorium utrisq; colli lateribus, per quæ loca jugulares excurrunt, defigit, ut materia petens superiora præripiatur. Revellunt & cauteria tũ dolore, tum calore, quæ duæ sunt potissimæ causę trahendi. Si trahunt autem & revellere possunt contrariis locis posita, quippe revulsio, retractio quædam est ad partem adversam ei, ad quam fluxio fertur. Jam autem quod ustura trahat indicio est, quòd eã repellentibus, id est refrigerantibus atq; adstringentibus ustam continuò munimus.

CAP. XII.

Omnibus affectionum generibus abolendis satisfacere ignem posse.

SI fidem meruerunt omnia, quæ de ignis excellenti præstantia & communibus cum medicamentis facultatibus produximus: difficile non erit profectò, ut & illud nunc admittatur nullum ex omnibus affectum esse, cui mirifico ignis præsidio succurri non possit. Ex causis humores vaporesque sunt, qui generatim corpus nostrum lacessunt, at hi utrique plurimum ignis imperio subjiciuntur qualitates immutandi, vacuandi, revellendi, derivandi, evocandi, concoquendi, dissipandi, absorbendi.

E symptomatis dolores partium ferè omnium isto præsente perinde ut offa præbita sopiuntur, sanguinis item profluvia non aliter, quam fræno imposito, reprimuntur.

Ex morbis sive similaribus, sive organicis, sive solutæ unitatis; quod nam est, quod igni non concedat ac pareat? Jam enim ne dum frigidam atque humidam intemperantiam tum materiæ nescientem, tum huic hærentem corrigit & exæquat: sed & calidam siccamque, quemadmodum antea docuimus: unde & maniam, & melancholiam calidorum humorum soboles oppugnat.

Ex organicis verò, & his, quæ ex auctæ magnitudinis sunt censu succurrit, abscessibus, inquam & varicibus, &c. si autem & alii non essent carbonem bubonemque pestilentes, & cancrum, ac thenioma, medicamentis omnibus insuperabiles, ipse superat. E vitiis numeri, pilos palpebris atque oculis infestos, encanthin, sarcoma gingivarum, strumas & bubonis venerei glandulas evertit.

E vitiis situs, crebro elabi solitum humerum, aut patellam, ad hæc intestini recti extremum, exomphalum, bubonocelem, enterocelem, dentes labantes ac palpebras paralysi languescentes restituit.

E vitiis cavitatis, caruncuias aurium, polypos, & sarcomata nasi repurgat.

E vitiis figuræ, crassas scabrasq; palpebras, nasum verrucosum, labiorum eversam carnulentiam, & buccas distorsione caninâ deformatas ad naturæ modos reflectit.

E vitiis superficiei, lepram, elephantiasin, impetiginem, leucas & utrumque alphum delet.

Præstat solutæ unitatis genus, è quo ulcera & chironia, & telephia, & phagedenas, & nomas, & fistulas, & ossa teredine nigrore, exostosi, vitio demum omni tentata redimit & instaurat. Putas vero recentes plagas excludi? at & nervos carne nudatos, venenatos ferarum morsus, passas ecchymomata partes, præsertim costas, atque alias tormentis igniarius collisas opportunè refovet: Ita nullũ affectionis sævæ genus est, ad quod ritè curandum ignis non sit necessitas, atque adeo monstratum est hoc cap. omni, quod ænygmate quodam in operis vestibulo profitebatur Albucasis, occultum & singulare ad feliciter medendũ administrati scienter ignis esse secretum

CAP. XIII.

Quod ignis doloribus omnibus remedio sit.

JAm igitur nobis priores omnes demonstrationes memoria complexis, quoniam ignis cunctis affectionum intemperantiis occurrit, cõcoquit, attenuat, digerit, resorbet, laxat, & hoc genus omnia facit, si velim equidẽ in præsentiarum ostendere, quod doloribus etiam propellendis usui sit, idem superfluum hunc mihi laborem rectè fuerim confisus, quo me per superiora levarim. Nihilominus ad summam illud repeti commodum est, dolores omnes tum in alterando, tum vacuando finiri, quod disertè declararunt decreveruntq; nostri: atq; duo hæc cumulatissimè per ignem præstari quis à me requirat ostendendum, quod compertissimum est? Porro quod ad inanitionem attinet præclarè hoc testatus est **Hipp.** *q.l.6. eiusdem sect. 6.* paulo post initium inter remedia dolorum pleraq; primã ustionẽ posuit. Licebit autem & de hac re *Franciscum Vallesium enarratorẽ* §. 5. sciscitari, si libet. Dubitet autẽ quis de calore, forma ignis propria, & inseparabili, qui incrementa scilicet exaggeret calidis? sed meminerit ejus quoque, quod **Hipp.** *perbibuit 5. aph. 20.* & herpeticis, qui fervore quidem exuperantissimi sunt affectus privatim ignem convenire: tum verò & aliis communiter omnibus anodynum esse, sed de his disputando perspectis jam satis, nunc operæ precium videtur, ut plurimis comprobatorum eventuum experimentis rem confirmemus: si præmonuerimus interim quod hic latè nobis ignis sit usurpandus, i.e. non retorridus & amburens, sed retusus ac repressus. Talis autem erit, qui transfusus fuerit in corporum primorum, terrea & solida quidem mollius, aut si gravius etiam adhibeantur hęc per interpositum, & alia arte mitificata, si in aquea verò transfusus fuerit, capietur inde fotus embroche,

broche, irrigatus, stillicidium, insessus, balneum & alios omnes hujus generis mensuræ: si in aerẽ vera se exerceat ignis effluxus, sint inde naturales primum ignis subterranei vaporatus & effumatus, deinde varia paroptisis apud Aurelianum vocata, id est ex igne proximo tolerabilis corporis tertor, sitque simplex insolatus heliosis, ab eodem viro nominata, tam etiam per arenas, perq; acervos salis & frumenti, &c. ab his denique sint suffitus, vaporatus, & ignitorum præstinctus, de quibus singulis enucleatè posterius explicabitur. Ad summam talis est omnifaria ignis impressura suavior, quoquo modo corpori excepta, neque solum per omnia maxime corpulenta supposita igni, sed etiam per eam, quæ ab his exsultet, atq; est residua tenuitas. Hæc enim omnia quum activo calore sunt affecta, & de ignis ratione sunt ponenda, quemadmodum nos verè ponimus, quippe qui materiam hanc calidi generis ampliare ac locupletare, quantum licet studemus ac debemus, quando per has vias maxima atque optima, id est, qui noster est scopus, efficax plurimum est medela.

Igni & calidi vocem quàm latè hac operis parte extendamus. Quare tam amplivagum facimus hic nos calidi, calidorumque usum, ut quacunque juvare possint accipiamus: nimirum propterea benefaciunt actu calida etiam si potestate sint, & quadamtenus frigida. Juvant igitur calida, ne dum in affectibus frigidis, id est ambiguis quibusdam, & in quibus inflammationis metu applicant certa & rata curandi ratione medentes omnes frigidâ. *Latissimus atque admodum multiplex usus calidi.* Juvat inquam, calidum in novis recturis chirurgi manu factis, in plagis recentibus, in ulceribus omnibus acerrimè dolentibus, in fractis ossibus maximè nudatis, in articulorum percursionibus ac tormentis, in collisis, præcisis, spasmo correptis, & in plerisque aliis. In his omnibus experti nos sumus calidarum rerũ applicatus ita felices ut invenerimˀ singulariter utiles.

Historia 1. Historias ejus rei recitabo paucas, sed quæ fuerint tamen pro innumeris. Fabio Columnæ viro & generis & literarum nobilitate clarissimo, tuberculum θηριώδης præter id unum, quod febrem non excitavit, carbunculi formam præ se ferens, ex summo femore natum, cùm ego curans non semel qui inerant, & sinus, & oras callo inæquali stipatas rescidissem, doloris acerbitatem, quæ sectis evenire necesse fuit, non alia ratione sopivi, quã torridis laterib. ex panno applicitis & usu calidi. *Historia 2.* Eadem via & Simonem Fraulum Neapolitanum, qui ex resecta sub eadem sideratione & gangrænâ mirum jam modum dolebat, levare solitus sum in singulas medicatus. *Historia 3.* Sed superat hæc experimenta illud, quod comperi in illustri viro Ascanio Germano fratre consil. Regii inter probatos laudatissimi Sanfelicii. Is cum ulcere carcinode obliquo linguæ parte hujus superiore tuberosâ sic acerbè affligeretur, ut neque etiam verbum formare posset, argenteo cochleari igne calfacto per me ad dolentem locum imposito, miraculo quasi quodam, & dolorem omnem continenter abjecit, & liberè perinde, ut solutis vinculis loquutus est. Quamobrem invento sicut apparuit, suo remedio peculiare deinde organum commentus sum, quo commodè lingua foveretur ac suffiretur, cujus nos formam, & utendi modum, suo de retusis Chirurgorum instrumentis describemus.

Jam verò illud omne adjumenti, quod ex adhibito calido subvenit ulceribus partium pertusuris aut recisuris, fit propterea, quod calido nativo, qui corporis œconomiæ procurator & gubernator est, nil accedit propius quàm externum hoc calidum, quo nos utimur, à quo quidẽ tam dissidet frigidũ, ut sit omnino contrarium, quo spectavit opinor *Divinus Hippoc. qui. 5. aph. 22. prodidit,* τὸ θερμὸν φίλιον καὶ κρίμον τὸ δὲ ψυχρὸν πολέμιον καὶ κτεῖον, id est calidum amicum & judicans, frigidum verò inimicum & perimens; sic constitutum & ratione necessaria & Hippocratis oraculo, & nostra experientia, jam est, etiam non frigidis exulcerationibus ac tumoribus calidum probè facere. *etiam frigidis [...] calidum probè [...]* Ad hæc etiam non est difficile, & calidis & à causa calida profectis vitiis prodesse, quando & idem *Hipp. lib. & aph. eodem* conceptis verbis testatus est & ἕρπησιν ἐσθιομένοισιν. Herpetibus excedentibus, qui ut Galenus ibidem docet, ex humore bilioso & calido producuntur & constant, plurimum adesse.

Ad summam quantæ & quales & quotuplices calidi sint utilitates ex eodem *Hippocr. lib. de oraculis.* discere licet. Discere verò, & frigidi incommoda licet, ex juniorum nostræ rei professorum assertione, quorum unus est *Iosephus Quercetanus, qui sclopetarii capite quinto* conceptis verbis de hoc medendi ritu: sed quàm perniciosa sit, inquit, hæc vulgi consuetudo periti omnes judicabunt. *Frigidi incommo[da].* Hæc enim medicamenta emplastica crassæ ac terrenæ sunt substantiæ ac facultatis adstringentis, quæ subito exiccantur, partemque aspectam nimium comprimendo dolores, permagnos cient. Unde majores oriuntur tum defluxiones, tum inflammationes, gravioraque symptomata, quod poros aut meatus cutis obstipent, humoresque cogant, & crassiores faciant, cutique minus spirabili redditâ spiritus oppressi suffocantur, propter retentam malignorum humorum exhalationem. Unde nonnullis gangræna innascitur, partisque totius interitus. En, inquam, quantum & quale incommodum ab hisce medicamentis proficiscitur, plagis & sclopetariis omnibus.

Vidius. Incommoda quoque sunt, sicut & *Vidio placet in comm. ad Hipp. de vul. cap. 87.* alia applicamenta ex frigidis medicamentis, qualia sunt poscæ & aqua, vel rosacea, vel simplex, quibus ex pannis duplicatis utuntur quotidie vulgo. Incommoda, inquam, sunt tum actuoso frigido, tum altero potestatis prodessent utique actu calida, quæ & dolorem simul discutiant, & crudum ulcus veluti concoquant. Quod quasi monens *Hippocr. in l. de humidit. usu,* ubi de calidæ adjumentis dixerat, frigida inquit, doloris exortibus: quare & huic levãdo calidã cõgruit, quemadmodũ & ipse auctor expresserat, *cit. aphor. 22.* præter quem locum, & *l. de loc. in homine* dolor sedandus est, inquit, calfactoriis medicamentis. Jam verò ne in animum inducas tuum calorem levi solum obtineri, ut dolori succursum sit. Cæterum persuaderi debes & a-

& actuoso igni hoc etiam commune: nam & in crudis callosisq;, in proserpentibus sinuosis, inflammatoriisq. ulceribus & nomis dolorem igne levatum memini. Sic Io. Iacobo Persico Sacerdoti doloré ex pedis sycosi excaustico medicamento auctu confestim abstulit ignis ex auro, sic & alios in valetudinario gravatos sedavi quàm plurimos.

Hæc quidem eo libentius produxi, quod hâc nostrâ ętate recitatos jam à nobis affectus & vitiorum molestias curare consueverunt indiscriminatim frigido, hoc est, ex ovi aquato, quod frigidum est & adstringens etiam, quibus utrisque qualitatibus ulceris opportunitati pugnat. Debent nimirum ea, quæ levatura sunt dolorem laxare, atque album ovi modis omnibus adstringit, quare incommodum apparet, tum ipsum, tū omnia frigida, calidum vero omne juvans, & benefaciens, & dolores leniens.

CAP. XIV.
DE
Usu ustionis methodo reperto.

Certa quædam capita certosq; ordines universæustionis usus referre nunc libet, tum aliorum, tum nostra in hac re sententia recitatis. Communis professorum schola cauteriorum apud Hippocratem & Galenum fines censuit esse hos: unus ut vitiosi humores vacuentur, secundus ut pars malè affecta siccetur, vel corroboretur; tertius ut his omnibus satisfiat conjunctim. Evacuationi servit cauterium, ut in hydrope: de qua re *6. aph. 28.* roborationi, ut in suppurato jecore & in paralysi affectis, *ut 7. aph. 45.* desiccationi facit, ut hæmorrhoidis Aegylopæ, ozænæ, & hoc genus sed tribus his usibus servit cauterium, quod administratur coxendicis. Aliquanto plures usus præbuit *Vegetius l. 1 Veterin. c. 28.* qui ait ustio laxata constringit, inflata attenuat, humectat & desiccat, coagulata soluit, farcinonata prę scindit veteres dolores emendat, alienatas corporis partes ex qualitatis causa ad statum suum revocat, super naturam, excrescentia sublata atque adusta crescere non patitur: nam cum candente, inquit, ferro ruperis cutem, vitium omne concoquitur, ac maturatur & beneficio ignis dissolutum per foramina, quæ facta sunt, effluit cum humore: atque ita sanatur passio tolliturquedolor: post quod cicatricibus clausis constrictior, ac robustior redditur locus, ac prope indissolubilis cutis. Accessit ad hanc sententiam nonnulla parte *Vidus Vidius Florentinus, qui l. 4. chi. c. 11.* professus est, ignis usum esse obturandi, adstringendi, aperiendi, calfaciendi, exiccandi, atque humorem absumendi. Sed *Petrus Salius Diversus in 2. l. de morb. tex. 21. & Lazarus Sotus in l. de loc. in homine tex. 31.* fecerunt horum generum tria primum est ad desiccandos humorum influentium incursus emissariis & fontanellis, quas dicunt apertis, ut hâc via gubernatrix natura paulatim educere consuescat humorem, quem alias excernere confertim solita erat: quod ustionis genus obscurum est, num Hippocr. cognitum fuerit & multi, è quorum numero est idem Salius, & Ludovicus Septalius velut illegitimum atq; inutilem refutarunt: secundum est ad laxas humidasq; partes exiccandas, atq; firmandas: tertium est adfluere consuetos humores intercludendos discisso scilicet in integrum vase per ignem & cicatrice obducto. Paulo aliter *Fallopius in libello de cauter.* hæc tum ad absumendam putrilaginem vitiorum, tum ad evacuandos in vetusto ulcere superfluitates, tū ad roborandas affectas partes voluit esse, quæ non dubito equidem ex *conciliatore dif. 209.* translata si solus is addatur usus, qui ab *Aponensi* positus est, cohibendo sanguini. Verum enimvero hîc *ex Avice.* transtulit, *qui l. 1. fen. 4. d. 5. c. 29.* scripta reliquit hæc, Cauterizatio est medicamentum valde utile juvans ad prohibendum, ne corruptio spargatur & ad confortandum membrum, cujus complexione volumus rectificare, & ad resolvendum materias corruptas in membro retextas & ad rę stringendum sanguinem fluentem.

Sed ordinatè *Ioannes Costæus in c. 16. l. 1. de igneis medicinæ præsidiis part. 17.* paratur ustio, dixit, ut effectus occurratur præter naturā, quod est vel morbus, vel causa, vel symptoma. Morbus quidem vel materialis est à medicis dictus, vel immaterialis, id est, intemperiei solius, qui vel excessus frigiditatis vel humiditatis est: hujus quidem per ignem est exiccatio, illius vero recalefactio. Ita morbis intemperiei & solutæ unitatis, id est ulceribus alterans occurrit ignis. Si materialis est, vacuationem ab igne nanciscitur, ut morbus compositionis, & abscessus puris eductione perrupta vomica, aut hydrops aquæ effluxum inciso peritonæo subinde recipit. Sic vacuando & alterando insidiantes omnes partibus morbos eripit ustio, quæ eandem causam morbi respicit, cum hanc avertendam, id est, derivādam, aut revellendam curat: sed symptomatibus occurrit, aut cum dolorem tollit sublata causa, aut per alterationem naturæ modis conciliatā, vel ablato sensu, aut occurrit sanguinis profusioni occluso per crustam osculo.

Hic discursus est omnis Costæi ferè, cæterum *Ludovicus Septalius in 5. lib. super opere Hipp. de aere, aquis & locis, tex. 37. p. 46.* recensuit alios usus, quos ad pręnarratas non est facile referre. Primus ut ex eo retineatur affluentia, quippe ex ustione coarctantur loci, instaurata post ustionem carne solidiore, quemadmodum evenit in enterocele. Alter ad dissipandam materiam in aliqua parte contentam atq; induratam, *de qua rel. de int. af.* Tertius ut callosæ partes exscindantur videlicet in fistulis, quem usum sequitur *Hipp. in l. de fistulis.*

Hos atq; alios usus ustionis cum comprehendi non videam, quærens in ulla partitione, ex recitatis venit in mentem alia ratio, quæ cunctos complecti queat, illa autem est superius indicata, analoga medicamentorum calidorum facultatibus, quas attribuere consuevimus primis secundis & tertiis qualitatibus. Hæc quidē nisi verè insint igni, qui calidissimus est in summo, ipseq; etiam caloris excessus: nihilominus eidem attribui possunt, præsertim quando hujus solius participatione, cætera omnia sunt calida: præterquā quod potest ignis secundum subjectas partes atq; objecta impedimenta varia suiq; ipsius longinqui-

Nova nostra methodus circa hæc.

ginquitate & remotione per artificis industriam quæsita, ita temperari, ut secundum effectus saltem mistorum rationem exequatur. itaq; ignis dicemus calefacit ex primis viribus activis: siccat ex passivis, attenuat, discutit, purefacit, mollit, liquat, ac fundit: ex tertiis aperit: laxat, constringit, attrahit, exprimit: ex quartis, si dantur, vesicas & crustas, pruriginem & mordicationem movet. Hæ vires sunt ignis secundum qualitates; cæterum secundum substantiam habet & alias, videlicet exhaurire, absumere, corrumpere, atque (ut dixit Galenus) totam ejus, quod infestat substantiam exinanire. Itaque hæ quidem essentiales ferè sunt facultates; secundum accidens verò facit, ut effluentia retineantur, fluentesque humores avertantur, aut intercludátur, sanguinem supprimit inductâ crustâ, membrum vicinum roborat viâ perusti loci obstructâ. Ita quidem Amazones, ut humerum roborarent, dexteram subjectam mammam inurebant *Hippocrate auctore lib. de aere, aquis & locis.* Ad hæc dolori occurrit, pus vacuat, &c. Quot igitur medicamentis sunt facultates totidem & ampliores ignis habet, quare & usus totidem facultatibus respondentes retinet, si quidem ipsos homo discernere norit.

Prima qualitates attribuuntur igni.

Ignis opera secundum substantiam.

Ignis effecta secundum accidens.

Amazones.

Præter generales & summos usus, quos brevi recensuimus, innumeri sunt & alii particulares, quos secundum locorum corporis insanabilia vitia provocata hominum industia reperit, de quibus non est hic dicendi locus, toto quem deinceps faciemus, discursu patebunt, usque adeò, ut à capite usque ad extremas plantas non sit pars, quæ ab aliis omnibus sine fructu adjuta, ab hoc optatum levamen non nanciscatur.

Amplitudo usus ignis.

CAP. XV.

De neglecto ignis remedio magnorum virorum querimonia, deque eodem retinendo persuasiones.

JAm igitur cum tam multiplicis, tamque magnæ frugis, & à principum hominum oraculis prædicata, & à medentibus usu comprobatæ reperiatur urendi opera, nescio equidem quo nostro infortunio factum sit, ut locorum inustio propemodum exoleverit, quam rem ne nos quidem, sed alii viri clari sunt admirati atque conquesti. Primus eorum, quos legi *Razes libello de cauter.* protupit in hæc, quod antiquis in more positum fuerat, longe plurima, quàm sua tempestate fieri consueverit, loca vitiaque cauteriis tractari, quando igitur, inquam ego, pauciora numero sunt loca & occasiones, quibus ætate hac ad urendum incitantur nostri, quamve ab antiquioribus annis ad nostras cauterismi sit incomparabile detrimentum. Porro *Lazarus Sotus in l. Hipp. de locis in homine tex.* 31. preteritis, ait, temporibus abolevit propemodum apud medicos ustionum usus, nescis qua ratione traductos, *Sed Mercurialis in Hipp. lib. de morb. n.6.* hæc habet; Veteres medici in morbis omnibus à pituita contumacibus post reliqua præsidia tentata ad ustionem convertebantur, eamque non uno loco faciebant, (ut ferè omnes practicantes hodie agunt) sed plurimis illorum consilium ipse maximè probo: neq; enim videre possum, quomodo magnæ pituitæ copia uno eóque sæpe perpusillo ulcusculo consumi possit: quod quoque nobis documentum esse debet priscos medicos in ferri atque ignis administratione audaciores fuisse, propterea que plures à gravissimis vitiis liberare consuevisse. Et in eundem locum *Petrus Salius Diversus* non diversa scripsit hæc; Octavum est, quod non unicam, aut alteram ut communiter medicinam nostris temporibus facientes agunt, jubet administrandam ustionem sed plures usque ad octo: quod mirum videri potest nostri temporis hominibus. Sed ratio diversitatis hæc est, quoniam prisci Medici in morbis contumacibus, & potissimum in his qui à pituita penderent, potissimam curationis partem in exustione ponebant: has autem faciebant non ut inde ulcera ad perpetuam & continuam evacuationem inducerentur, qualia nunc per cauteria usualia fiunt à Medicis: sed vel ad exiccandam, vel ad evocandam materiam ad partes exteriores, vel ad eam intercipiendam has moliebantur, & ideo illi postea tales inustiones tamquam ambusta curabant cicatricemque re jam obtenta inducebant, qui licet modus dolores atque ægris horrendus existat, tamen non est spernendus, cum hæc patiẽtes à gravissimis morbis vindicare queat: Novissimè autem *Hieronymus Fabricius in suo opere de oper. chirur. c. de carnis chirurgia* scripsit hæc: interdum etiam chirurgi timidi sunt, & abstinent libenter à ferramentis candentibus, quibus ex causis evenit, ut ulcera non curentur sed in diutissimũ tempus protrahuntur. Verum ubi reliqui *Iacobum Hollerium* virum disciplinarum complemento tum Hippocratica observatione maximè inter omnes quas legi physiatros animatum in legitimam chirurgiam. Hic ejus, quam dico sententiæ plurima reliquit testimonia *in libello suarum observationum*, *in quarum prima* prodidit hæc, In intolerabili cruciatu capitis, qui & assiduus sit nec aliis cedat remediis, ferro & igne utendum est: frustra enim pharmaca cucurbitulæ topica, &c. comperta sunt, quia hectica quædam capitis intemperies atque infirmitas adest, & constat quidem, permultas melius habuisse in ejusmodi & epilepsia, mania, melancholia, hemicrania, terebellis, vel eyclissis, aperto capite vel inusto: hæc ibi ille, *qui & in comm. 45. aphor. l.7.* scripta reliquit hæc. Veteres sæpe utebantur sectione atque ustione, quando cætera remedia nihil proficiebant, quia scilicet intelligebant pure vicinas partes corrumpi. Similem sententiam protulit *Io. Costaus lib. 2. de ign: med. cap. 2. quam ex Aretæo lib. 1. Chron. c. ipso de cephalæa aut etiam ab Aureliano lib. 1. chron. pass. cap. 4. quod est de epilepsia F.* translata judico facile: Ab Hollerio conterraneus non recessit *Stephanus Gurmelæus vir auctoritatis non contemnendæ, qui artis chirurgiæ sectionis 2. F.* conceptis verbis ait: utrum chirurgorum negligentia, an verò ægrorum mollicie, ita tandem factum sit, ut caussticorum usus invaluerit; ferramentorum verò ignitorum, nisi in ossium affectibus & in sanguinis post mem-

Potiss... antiq... ratio... partem... exust... fuere

Iac. Ho... rius de...

membri amputationem profluvio penè exoleverit incertum est: cum tamen ignis actio & celebrior & multo salubrior & magis secura sit, & *Ioannes Heurnius l. 1. meth. ad praxin. cap. de pyroticis*, mirum est, ait, hoc ævo præstantis huius remedii silentium, quod minimo ære comparetur, non pro futurum, nisi pluris venierit, quod ferrea hæc secula auro tantum mitescant; vel quod sevitiæ malorum lenioribus blandiri placeat differentibus magis occidionem quam prohibentibus ut voluptati subscribamus. Ad hos & *Iulius Guastavinius l. locorum de medicina selectorum c. 16. quod est de laryngotomia veterum chirurgia retinenda* scripsit hæc: Fuerint sectiones & ustiones magis usitatæ temporibus antiquis; quippe earundem usum, ut credibile est, melius noverant, atque audentiores erant antiqui: secabant enim & urebant non solum hydropicos, pleuriticos & purulentos passim, sed in variis capitis affectionibus summa cum utilitate temporum arterias multasq; alias partes varie ut legere licet, &c.

Similiter & Prosper Alpinus medicus à me plurimi æstimatus eo inter cætera nomine, quod obsoleta pleraque veterum optima placita revocare conatus est: destitutam hanc ignis medicinam, quam ægre sentiret significavit qui operis *de Aegyptiorum medicina vestibulo, & l. III. cap. 12.* ait, præstantissimum & ad miraculum efficax hoc auxilium ad insanabilis multos morbos sanandos antiquis medicis notissimum & pervulgatissimum, ingenti artis medicæ detrimento, gravique languentium malo exoletum.

Complexus est paucis multa *Thomas Fienus l. 1. de cauter. c. 1.* cum de seculi nostri medicis ait, si de cauterio applicando in quæstionem veniat, adeo ex hoc deterrentur, ut de ægro conclamatum esse debere arbitrentur, antequam ad tam magnum remedium perveniri debeat: & rursus *l. 5. c. 1.* videtur, inquit, mihi non minus etiam modernorum medicorum blandities accusanda, quod cum cauteria in morbis magnis & difficilioribus tantum adhibeantur, tamen tam paucis aut tam parcè iis utantur; ego vero iudico id tale remedium esse, quod vim atque utilitatem suam ostendere minimè possit, nisi quâdam multitudine in usum veniat, &c. Præterea quod de tam necessario, tamque magno præsidio nullus ad huc perfectam tradiderit doctrinam, postremus ex omnibus conquestus est idem *l. 1. citato* cui quidem viro sincerè decernenti non assentari nemo non debet, si spectemus in maximo omnium præsidio vendicando, illustrando, ampliando, modis omnibus exornando maximam tantundem scribentium professorum requiri studium ac diligentiam. Post hos viros omnes *Epiphanius Ferdinandus in centur. historiarum medicinal. 7. quæ est de polypo.* conceptis verbis dolet hic ignis remedium adeò antiquis celebre frequens & usitatum ab hodiernis medicis non sine multorum ægrotantium vitæ dispendio derelinqui. Enimvero, quod non sanat medicamentum, sanat ferrum, & quod non sanat ferrũ, sanat ignis, & quod non sanat ignis dimittendum & libitinariis relinquendum. Ego enim (inquit) felicissimo cum successu igne multos morbos curo, illosque desperatos, &c. Ad hos omnes equidem postremus, si de nostro rerum statu deque nostrorum hoc tempore medendi ritu qui ad institutam rem attinet referre velim; nemo est, qui vel ad gangrænas ac nomas membra depascentes ut de aliis affectibus taceam, valentissimo ignis præsidio norit uti. Nota est urbe totâ res de Ascanio Carrafta primariæ nobilitatis viro, quem hoc anno, qui est 29. supra M.D.C. vitio gangrænæ ex locato aut medicato perperam cauterio fatiscentem: cum decrevissent Clinici deurendum, nullus chirurgus fuit, qui vel id exequi nosset, vel instrumenta ad eam rem parata haberet; Cætera autem exitum alibi fortasse satius enarrabo. Illud non omittam quo res maximè declaretur, tam extremo timori ignem esse nostris, ut etiam ad utilia fonticulorum ulcera excitanda deficienter ipsum administrent. Constabit autem una re confirmatio, quod quidem chirurgus è nostris habitus præstantissimus lectissimæ fæminæ cuipiam (ipsam pro historiæ integritate nominabo) coniugi perillustris Domini Georgii Castriotæ sibi cæcitatem unius oculi satagenti dum parat ignito ferro fonticulum occipitio; cutem sic timens non attigit, ut neque ad exasperatum ictus suffecerit, quam ob rem caustico ex calce imposito nobilissimam fœminam in plurimum laborem & male cedente septico, in nonnullum vitæ discrimen adegit. Sic cum ab igne potentiali ad actualem iri solitum sit, mutato rem ordine turpiter & absurdè magnus hic vir exegit. Adeo verum est & usum ignis à cacochirurgis nesciri & ab hoc ipso strenuè timeri. Has ob res omnes igitur, quando tam magna tamque gravia, igni sic neglecto, tot & tanta mortalibus detrimenta quot & quanta cognoscuntur ab eodem abusu eveniunt, sustineamus nos qui & chirurgicæ rei & hominum saluti benè cupimus, cassam abire tantam ab ustione venientem frugem; patiamur quoque tantas abusiones longo iam seculo persistere: quin vero non operam damus, non omnes nervos intendimus, quo generosa Herculea chirurgia morbos omnes domans & superans restituatur, & suo quasi loco restituatur. Vtinam ergo nobis hæc ingenuè conantibus & facultatem suggerat Deus optim. max. & votis, linguis, animis faveant omnes nostri, non erimus autem incusandi, si severior Severinus appareat in usitandis igneis medicinæ præsidiis: venit ab Asclepiadis legitimis: venit, ut credo cælitus hæc medendi ratio; quando in hac sola miseri mortales inveniunt desperatam sub aliis medelis omnibus opem.

Historia 1.

LIBRI PRIORIS PYROTECHNIÆ, PARTIS SECVNDÆ.

CAPVT I.

Pyrotechniæ chirurgicæ universæ categoria.

GEnera nos summa pyrotechniæ, quam instituimus hæc facimus: Prima est materia, cuius tanta varietas ac multitudo est ut nullum sit ex rebus inferioribus corpus ex quo non possit ignis esca parari: quod enim unum ex tot multis sive simplicibus sive mistis non igniri aut non excalfieri queat? Itaque recte *Hieron. Mercurialis in 7. aphor. l. 1.* scripsit hæc: Pro igne intelligendus non simpliciter carbo, vel flamma, sed quidquid vel potest urere, ut sunt cauteria sive caustica medicamenta vocata; vel quæ ignita adhibentur vel ad attrahendum ut cucurbitula, vel aderemandum, aut consumendum, & in hoc genere invenitur tam apud Græcos quam apud Arabes diversa fuisse in usu habita, ut oleum, sal, fungus. His enim omnibus ignitis vel incensis diverso tempore utebantur veteres, pro ut erant diversa corpora, quæ erant inurenda, nam alia natura nervosa lia carnes alia ossa perurere consuevêre, secus quam hodie faciant plerisque ex nostratibus Chirurgis qui ferro ignito ad omnia solent uti: Præter hæc & *l. 8. aph. post. Mercurialis*, sententiam Hipp. indagando, dixit, nomine ustionis intelligit, quodcumq; valde exciccat atq; adstringit & cutem indurat sicut facit ignis post cuius operationem relicta cicatrix coarctat ossa, ne propriâ sede excidant.

Hieron. Mercurialis.

Ad hæc adeo potestatem ignis ampliarunt aliqui, ut ad igneam naturam alia nonnulla extenderint, qui (ex his est *Ioannes Costæus in primo de ign. medic. præsid. 30. Celsus etiam nonnullâ parte qui lib. 4. cap. 4.* sinapi adurendi vim attribuit & hoc cum ferramentorum candentiam censu componit) & igneas stirpes atque bestiolas nominare non dubitarint: Sinapi, inquam, ranunculum, euphorbium, cantharidas, bupreſtas &c. Quod proposuit *Gal. in l. de theriaca ad Pisonem.* Itaque ad igneam etiam naturam referri possunt & thermæ, ut quæ vapores atque exhalationes recipiunt calidas, & cuniculis & scaturigine fossilis cuius piam natura callidi, seu fossile illud in substantia maximâ parte sit sulphur, sal, nitrum, alumen, chalcanthum, bitumen, naphtha, calx, cinis, quarum particulas vel elabuntur vel transcurrentes diluunt & fundunt, vel ferventes subtus abstrahunt & absorbent, vel impressu quomodocumque attrahunt, sed de his alibi sumus explicaturi.

Ab his autem & maiore iure nos calcem & cineres potissimè nuper ab igne residuos & chymicos sales omnes & ficulas quas *Iosephus Quercetanus in pharmacopœa restituta* atq; alis huius scholæ viri descripserunt, igneas omnes atque usturam qua parte inferentes fecerimus: de calce autem primum summo omnium exemplo explicemus primò autem sumo cum *Stephano Roderico in l. 3. de meteor. microc. c. 19. c. f. & cum Bartholomæo Maranta in lib. de aqua ferrea*, atque omnibus tum philosophis tum medicis calcem, eiusque particulas, licet nunc à se solutas servare nativam soliditatem. Quare ignis ibi maximè cohibetur ab exfluxu. Confirmatur autem quod cineres, quorum segmenta minus sunt solida minorem calorem fovent. Idem etiam sentit *Andreas Cæsalpinus in l. de metall. c. 7.* qui inquit nulla res cum arserit, retinet tum vehementer ignis vestigium ut urat, & crustas moveat quam calx: sed progressu temporis amittit vires expirante occulto igne. Sed horum primus *Michael Savanarola l. de balneis c. de calce* brevissimis sententiam hanc aperiit: de lixivio verò calcis, quæ eadem est ratio, sic professus est *Diodorus Euchiontes l. 1. de polychymia cap. 15.* sciendum est, inquit, quodlibet lixivium primo statim die fortissimum esse, secundo verò ab hac bonitate aliquo modo deficere ac propterea siquid experiri libeat, primo statim die id conandum esse. Hæc isti, quæ ferè eadem exposuit prior *Gal. lib. 9. simplic. cap. de calce*, & ante hunc *Theophrastus Peripateticus lib. de igne*, quod idem & gypso in phænicia evenire dixit. Nitrum quoque ustum talem, quod ammodum effodit, potestatem arguere, addidit, infusa quippe calida calefacit ac tactu sensum affert.

Nos igitur calorem lixivii vel thermalis aquæ non demirabimur. Adventante quippe humore ac penetrante omnia liquido emollescunt corpora, atque effluxui viam parant particulis ignis. Restat, inquam cum humido ignis, atque ita lixivia ac thermales quædam aquæ, quamdiu cineribus aut calci commistæ atq; attiguæ fuerint, iuvare homines possunt & è malis vendicare.

Solida urendi materia.

VErum enim verò quando de materiis & substantia cauterismi dici cæptum est, operæ precium fuerit, exprompta bonis ex auctoribus exempla producere: primum autem solida sunt exponenda, quæ triplicis in universum sunt ordinis, quæ ex plantis, quæ ex metallis & quæ ex animantibus, horum quoque singulorum partes usu probantur, tum quæ carbone, tum quæ flamma, tum quæ alia quacumque ignitione, & calore serviunt. Hæc autem sunt tum integrantes ac præcipuæ, tum quæ reiectoriæ sunt corporum particulæ actumque naturâ simpliciter offerunt, tum quæ sunt arte conformata. Nempe

Solida [materia] tri[pli]cu sunt ordinis.

Solida materia in cauteris[mis] flamma, carbone, ignitione, simplici serviunt.

modis

modis hisce omnibus maiores nostri variè pro variis abigendis vitiis sunt usi, quos modos facile, ne mihi curiosior ac superfluus discernendi labor sit, per te ipsum lector aguoveris. Hippoc. nunc spongiâ oleo perfusâ flammâ inductâ perurit, ut libello de visu legitur nunc linum crudum accendit coxendici ac podagræ *lib. de aff. 30. & 32.* & nunc fungis utitur ad inurendum hepar, *n. 19. 20. 28. 31. 33. 56.* aliâs fusos buxeos ferventi oleo tinctos ardentesque imponit *d. l. num. 31. & 57. & morb. text. 21. & 5. epidem 31.* quem imitati fortassis *Aetius l. 12. cap. 3.* & hunc sequutus *Halyabbas serm. 9. par. 2. theisir* pleuriticos Aristolochiæ longæ radice primum oleo tincta mox ignita tractarunt, quâ item radice vel struthii ignem expertis coxendices exulcerabant, quas Dioscor. caprino ignito fimo, ignitis vero ischis Barbari apud Paulum inussêre: apud Aetium vero iisdem accensis tempora pro finiendis diuturnis oculorum fluxionibus exulcerare consueverunt. Sed quod ad Barbaros spectat, narrat *Herodotus in Melpomene*, Nomades Pænos populos antiquissimos filiis quadrimis versicum venas lana inurere consuetos ut frequentissimos istis tenuis pituitæ defluxus interciperent. Et Musitanos, ut alibi retuli, ulcera suillis carnibus inurere scribit *Strabo Geographiæ lib. 15.* sed Aurelianus ad hydropem & ad diuturnos stomachi rheumatismos easdem ischas adhibuit. Sunt autem ischę, *Gabr. Fallopii opinione*, illychinum Tharsense laudatum *à Galeno 13. meth. med. c. 5. & 14.* eiusdem operis *cap. 4. & 3. de temperie & 2. simpl. atque alibi.* Illud quoque ad hæc sileri non patiar quod scripsit *Vegetius l. 2. veterinar. cap. 28.* cauterio plumbeo quadrato calfacto frequenter inustum polypum sanari.

Sed ex Arabibus *Avicenna* Verrucas & cornua ligno accenso conburebat *lib. 4. fen. 3. cap. 13.* quem imitatus est *Guido Cauliacus, tract. 6. doctr. 6. cap. 7.* Albucasis verò pustulas fædas, corrupti humoris eruptiones ramulo siciore myrthi vel Aristolochiæ ignitis ustulat *l. 1. cap. 57. Alsaravius Tract. 29. cap. 4.* aldenul, quem alii credo aldemenul, Græci dothienem, latini furunculum vocavêre, ligello myrti accenso iam ineuntem, nec incrementa adeptum inuri feliciter professus est. E gummi quercus accenso guttatim destillante frigidum humentemque stomachum instaurat, *Isaac. l. 9. pract. c. 85.*

Sed *Mesuæus lib. 2. Grabadim c. de extractione* dentium dolentes hos nucleo nucis, credo equidem pineæ, item quoque & thuris lachrymâ accensâ castigat, è iunioribus verò nostris *Arnaldus Villanovanus l. 2. Breviarii c. 45.* certo experimento professus est quinque aut 6. diebus adoleri verrucas & porros qui accensâ charta Xylina, & calido eiusdem cinere perusti fuerint. Papyro item aut stipite cannabis ex arte sulphurato, quali ad eliciendam flammam utuntur vulgo, item guttula ceræ ex inversa candela decidua, nec non betulæ stipite ignito, verrucas, clavos, & hoc genus tubercula inurit *Felix Platerus lib. 3. praxeos medicæ, titulo de extuberantia p. 399.* plagis vero sanguinem profundentibus sic crustas inducit *lib. eodem tit. de sanguinea excretione pag. 720.* ut vel impositum xylinum accendat & ad extremum combustum retineat, vel pix liquata calens effundatur, aut si extremum aliquod corporis, puta digitus resectus est, hic in ipsam immittatur atque exemptus inde rursus intingatur, quæ res tum commoda erit eo nomine, quod crustam inducit, tum quod adhærens pix concreta frigore, fit operimentum vulneri. *Gulielmus Rondeletius meth therap. cap. 36. & H. Mercurialis lib. de morb. puer. cap. de epilepsia*, pueris comitialibus inium extitione inurit, quod, & *Gabriel Fallopius* ictis per venenatas feras partibus, faciendum statuit *lib. de tum. cap. 6.* Nucali vero testâ volutâ cochleæ atque ovi putamine, postquam ignem conceperint, itemque myrti, ac buxi ramentis exuri licere scripsit *cap. 11.* quod est de pyroticis.

Venenatis ictibus.

Fluida urendi materia.

DAbimus nunc exempla fluidorum: Clavos & verrucas aquâ fervente per infundibulum infusâ perussit *Albuc. lib. 2. cap. 19.* sed tum callos pedum, tum cornua prius excisos, perforatâq; exceptos laminâ proximarum partium defensoria perurebat sulphure liquato *Guido tr. 6. do. 6. c. 7.* per fistulam vero liquatum plumbum ægilopis instillabat *Archigenes apud Galenum lib. 5. de compos. med. sec. loca cap. 2.* liquatâ cerâ simplici aut terebinthina atque oleo commixtis anthracem inurebat *Gulielmus Salicetus lib. 1. cap. 59.* liquato butyro fervente intra coronam lineam syncipiti impositam in melancholiæ morbo perurit *Albucas. lib. 1. c. 12.* eodemque liquore fervente madens gossypium pertusis dentibus infundit *lib. 2. cap. 23.* è butyro verò fervente *Alsarau. tract. 7. cap. 2.* Gingivis ergo corrosis oleo fervente medicatur *Aetius lib. 2. ser. 4. cap. 23.* ex quo viro transtulit *Avicenna lib. 3. fen. 8. cap. 3.* quo eodem fervente quæ corrumpuntur concisa loca perurit *cap. 1. fen. 4. doctr. 5. cap. 28.* isto ipso quoque lana ad specilli extremum obvoluta dentes doloribus exagitatos solatur. *Celsus in lib. 6. cap. 9. & Ioan. à Vigo lib. 6. fine*, quam rem & ad omnes communiter partes extendit *Vidius lib. 4. chirur. cap. 11.* atque ita præsectum sextum digitum oleo perurit. *Idem Vigo l. 9. cap. 31. & Petrus Argillata lib. 5. tract. 12. c. 1. proprio*, qui utrique id didicerunt ex *Avicenna lib. 1. fen. 4. do. 5. cap. 17.* Eodem quoque quam maxime perferri potest fervidos dentium acerbitates sopit *Aurelianus lib. 2. chron. cap. 4. & Avicenna lib. 3. tr. 4.* atque etiam fervido tinctum origani ramulum; aut vicini cauliculum aut staphydis agriæ acuto stylo infixum semen dentibus imponit *Gal. in 5. de med. local. cap. 8.* Porros & clavos sic quoque reprimebat *Gulielmus Salicetus lib. 1. cap. 55.* Amputatos iam articulos oleo fervente recrustavit *Guido tr. 6. do. 1. cap. 8.* quo ipso liquore paronychia graviter afflictantia corrigit *Symphorianus Camperius lib. 5. meth. pract. med.* dolentes verò excisu nervos *Ambrosius Paræus lib. 9. cap. 36.* quam quidem nervi usturam mutuatus est hic vir ex *Nicolao Florentino tr. 4. sum. 1. serm. 7. cap.* de nervis, puncturam licet ferro candente velit inurendam

Clavis Verrucis.

Callis pedu & cornubus.

Aegilopis.

Melancholia.

Pertusis dentibus.

Ex oleo fervente remedium.

Porris & Clavis.

Setis nervis ustura.

rendam *Augerius lib. 2. cap. 2.* & *Rulandus lib. 2. cap. 1.* Oleo quoque fervente Sambucino contusas tormentorum ignitorum globis plagas in coquere consuevimus, licet aliis fervida terebinthina magis placeat post quos viros accensæ candelæ deciduis guttis carbunculum inuri probat *Petrus ab Argillata lib. 1. tract. 1. cap. 20.* citans autorem *Gulielmus à Saliceto.* Hactenus jam de amplissima latissimaque & plusquam vulgo credunt multiplici rerum ad medicos usus materia, cuius rei exempla, & multo plurima in transcursu libri ferè perpetuò sequentur.

Hactenus expositum primum genus fuit: Secundum genus est molis, sive ut aliis dici placet, demensionis multiplicis ignitabulo; quippe aliter amplo ferramento sentienda ferendaque est ustio, quam exili; ac tenui; aliterque etiam solido, quam gracili. Ad hoc ipsum enarratum modo genus redit figura; quando & eodem nomine rotundum & globosum & conoides valentius est acturum, quam acutum; itemque perfectè quadratum & cubum magis; quàm trilaterum: & hoc etiam amplius, quàm planum & in laminas distentum ac conformatum. Præter verò molem, & numerus cauteriorum multiplicium aut simplicium tum quoque & ustionum semel, aut amplius administratorum ad hoc genus accedit. Ad hunc modum Bern. Gordonius ad elevandam apoplexiam, quem primus quidem Razes excogitavit; fervidæ sartaginis ad caput applicitum; multoties repetendum admonuit, dum scilicet vel excitaretur homo, vel mortuum se præberet.

Figura atque eiusmodi tertium genus.

Numerus.

Quartum genus constituet qualitas corporum, id est, densæ vel raræ materiæ; summo utroque gradu vel medio ad summum, plus minusue qualitatibus his affectæ, nempe sic plus minusve etiam energiam ignis communicabunt ac proferent. Similiter & pingues aliæ, quam exuccæ; inflammabiles, quam flammam non emittentes, carbonem relinquentes, quam non relinquentes, & flammam & carbonem diu retinentes, quam eæ, quæ statim extinguuntur, &c.

Quartum genus.

Quintum genus est obiectorum, id est naturarum ac temperamentorum, quippe alius in frigidis, alius in calidis, diversus in humidis, quàm in aridis, alius in obesis quam gracilibus est inurendi modus. Quæ eadem discretio & partium est corporis, nimirum aliam vim ignis substinentem osse aut cartilagine, quam carne; aliam ligamento quam nervo aut membrana; aliam denique parte sensui participe, quam experte. Atque ex organicis maiorem; exempli causâ, in clunibus & carnosis, quam excarnibus maioremque in pectore, quam in articulis & extremis vim imprimi licet. Atque hæc quidem in partibus secundum neutrum valetudinis statum expensis. Cæterum & earum, quæ malè valent sua quoque ex igne tractatio diversa quidem in ulceratis, quàm in integris; alia in vetustis, quàm in recentibus plagis, differens in callosis, quam in mollibus est urendi ratio.

Partium male affectarum expensio.

Sextum.

Sextum genus energiæ facultatisque agendi duplicis, quarum alteram actualem, vulgo actuosam Valleriola vocavit, alteram potestatis faciunt; atque appellant caustica. Posterior hæc medicamentorum est igneâ virtute valentium, illa verò ignis ipsius qui semper in promptu rem exequitur ab administrante quæsitam. Verum enim verò præter hos duos modos & tertius est necessarius, nempe solis, quando & hic ut monstrabimus exurit & impensè calefacit, ita, ut non tantum ex isto, sed ex aliis sub ipso contractis ustionis & concalfactionis modos petiverint antiqui, quippe ex arenis & sabulis, & lutis siccis & ex coriis atque aliis per æstivum tempus ferventibus aquam inter cutem exhaurire consueverunt. Sed caustica variè sic ignem concipiunt, ut alia sit corruptoria alia corrosiva, hæc vesicas, illa crustas ducant, quorum meminit *Galenus lib. 5. simpl. cap. 15.* quæque nos in pharmaco-chirurgico enarramus.

Caus[...] consi[...]

Horum natura etiamsi cum actuoso igne conveniat; non parum tamen superantur ab eodem & agendi certitudine & celeritate; & roborandi, quæ semper optatur, facultate; & benefaciendi securitate, atque agendi demum felicitate. Sed ignis duplex est utendi modus, alter qui firmius in partem incumbendo atque hærendo imprimitur, alter qui transcurrendo, neque tantisper consistendo finitur. Et rursus alter est, qui vehementius imprimendo ac figendo, alter qui leniter attingendo administratur. Exemplis hæc aperiamus. Inhærentis quidem ferramenti frequentissima sunt apud omnes auctores, transcurrentis igitur observationes referam: *Hippocrates* inulceratam sedem inducta fistula ferramentum, quod candens inseritur, iubet frequenter eximendum & *in l. de hæmorrh.* has venas cum urit, candentibus vix contingit. Et *Celsus lib. 7. cap. 12.* labra profundius fissa tenui ferramento spathi formi per transcursum tantum modò, non firma manus perurit. Et gingiuas vitio molles, ac putres ignifero ferramento vix etiam contingit, tam leviter adhibet. Quo lenitatis consilio & *Cælius Aurelianus lib. 5. chron. cap. 1.* Cauteres, inquit longi, atque igniti immittendi, qui quidem cutem tangere minimè debent. Itemque *Aetius tetr. sec. ser. 3. cap. 88.* Rhœadis genera curandi cauterium haud quidem ad usque os apprimit, verum ut cutis & sectura loci solam flammam sentiat. Hordeolum vero nuclei specilli calefacti fomento curat *lib. 2. ser. 3. cap. 81.* similiter, & *Albucasis*, si legeris, alicubi, per inhæsum, alicubi per transeursum adhiberet cauteria. Per transcursum quidem *lib. 1. cap. 16.* in palpebrarum vitio, per inhæsum verò in aliis sæpissimè. Hæc quidem in delicatioribus & cute tenus affectis partibus; illis verò, in durioribus & laborantibus intimè. Jam verò quod ad impressum pertinet *magnus Hippocrates* Ischiadicis profundas escharas infert *lib. de inter. affect.* leviores & exteriores in palpebris *ut l. de vinc. &c.*

Ignis [...] mult[...] felicit[...] commo[...] que c[...] cis.

Duple[...] ignis [...] modu[...]

Admi[...] strati[...] cursu[...] ignis e[...] pla.

Fistula[...]

Gingiv[...] putrib[...]

Rhœadi[...]

Hordio[...]

Septimum genus est modo moderato proximum & affine intensum remissumque spectat ignitionis: Hæc autem utraque tum temporis dispendio, tum igniendi materia discrimen omne nanciscitur. Nempe diutius igni subditum ferramen-

ramentum incandescens validius exurit, à foco verò citò subductum indulgentius id faciet. Sed neq; tamen ultra modum ignitionem intendendi studio produxeris, neque enim ignis, *Arist. lib. 7. polit. 4. autore*, quo plus acervetur, eo magis aquam calfaciet quam à natura sancitum est. Itaque cum excoquentissimam usturam statuisti facere, videris, ne studio candefaciendi plenius ferramenti tamdiu sub prunis id detineas, ut remollescat: voluit porro *Philippus Ingrassias operis de peste parte 4. cap. 27.* ferrum quodpiam ignem diu passum vim urendi amittere. Quam ob causam exacto iudicio opus est, ut tum pridem igni submiseris, quatenus ignito plenè protinus uti liceat. Sed ad exempla gravius aut levius adhibitarum ustionum iam veniamus. *Hippocr.* ossi decutiendo ferramentum imponit *l. 5. de artic. tex. 44.* ad prolabentem sæpe humorum diaphana id est extremè candentia ferramento requirit; sed his non admodum candentibus inutendas palpebras iussit *l. de visu*: sicut etiam neque admodum ignito, sed quam maximè calidum quis pati potest, aëreo ferramento, pernionem inurit *Celsus l. 5. c. 28. §. de ulceribus*, quæ in pedibus ex frigore oriuntur: qua in re & cum *Aristot.* concordavit *sect. 1. problem. 50. 55. 56.* Tali quoque in carcinomatis utendum voluit *Gal. introductorii c. 18.* tali & Paulus *l. 4. c. 7.* ad stygmata, thymos, acrochordanas, verrucas ψυχεριγ ignavo & paucifero, ut ita dicam, cautere utitur, glutinosi videlicet succi tuberculis inhærentis resolvendi duntaxat genera. Sed è Latinis Octavius Horatianus ad carbunculorum vim exprimendam, cauterem item frigidum frequenti usu comprobasse scribit *l. 1. ad Euporistum c. 18.* E iunioribus vero nostris *Hieronymus Fabritius* resectam putrem columellam cyathisco percalfacto excoquit & castigat: quam rem equidem expertus inter omnia inveni perutilem.

Octavum genus est productæ diutius, aut brevius operæ: neque enim parvi refert, quoto pars tempore inuratur, quotque eius ad hoc momenta transcurrant, nempe producit & atterit ample longâ usturâ protractâ; parum & exiliter brevi finita; mediocriter media. Illud igitur est quod *lib. de inter. affect. monebat Hipp.* In aqua inter cutem urentes, ferramentis ut ureremus cum multa cautione atque observatione nec ultra quam par est: *qui idem vir l. de loc. in homine* defluxus malos prohibens, è venis capitis has non exurit ita, ut cicatrix secturæ locum dirimat sed solum ut extra intraque vasa sic inducatur; ut ea, tunicis arefactis ac tostis, constringat, atque admittendo largo influxui coarctet. At *Isaacus in 9. Pract. cap. 85.* urentibus nobis frigidum humentemque stomachum, ut citra peritonæum id faciamus monet.

Nonum genus ad situm pertinet, siquidem interdum prope ad partem ulceratam aut aliter malè valentem interdum longè ab ipsa cauterem manu tenemus. Eo consilio, ut hic quidem parum, ibi multum humoris, qui delinquit, absumamus, partemq; resiccemus, ut necessitas possit. Posterioris capitis exempla complura eius, qui mox sequetur, sermonis fine legentur. Sed priorum exemplum est singulare *Razis qui c. 4. l. ad Mansorem* apoplecticis revocandis sartaginem ferream igne percalfactam capiti sic admovet, ut capilli exurantur; *Hippocrates* vero hæmorrhoidas mori formes sanguinem profundentes, propè quidem admotis non autem desuper applicitis cauteribus reprimit *lib. de hæmorrhoid. 4.*

Decimum genus spectat ad discludentia, id est, cum ignis exuperantem vim profundius latiusvè, quam oportet se ferentem, comprimimus impedientium interpositu corporum, quæ plus minusvè & naturæ proprietate & crassitudine, & quantitate & numero rerum, & qualitate & loco, & situ & tempore & si quæ sunt horum aliis coërcere queunt, de quibus singulis suo loco.

Ignis vim impedientium quotuplicia.

Hactenus pyrotechniæ nostræ chirurgicæ numerata sunt maxima capita: quæ quidem ex categoriarum hausta fontibus, facilè comprehenderis ac memoria servaveris. Istorum autem aliqua, sed notiora commemoravit *Hier. Fabritius in l. de operat. chirurg. c. de carnis chirurgia his verbis*: Vt cunque ferramenta candentia varia sunt ulceribus necessaria, atque ut plurimum crassiora, nonnulla tamen adsunt impedimenta, quæ prohibent. Primum est exquisitus partis sensus, qui non tolerat. Secundum est timor patientis, qui ferrum non permittit. Tertium interdum astantes & consanguinei, interdum etiam chirurgi, qui timidi sunt, abstinent libenter à ferramentis candentibus. Quibus ex causis evenit ut ulcera non curentur, sed in diutissimum tempus protrahantur. Nos autem his impedimentis obsistemus ex iis, quæ aliquot annorum curriculo experimenta observata à nobis sunt, si ulcus in quocunque statu nobis afferatur perspiciemus. In summa ulceribus omnibus incipientes ab iis, quæ exquisitissimo sensu prædita sunt, usque ad ea, quæ aut hebetem aut nullum habent sensum, ita ferrum candens admovebimus & varietate instrumentorum utemur & ferri timorem ab ægrotantibus excutiemus. Siquidem igitur ulcus sit exquisitissimi sensus, quod validâ admodum exiccatione non indigeat ac patiens ferramentum valdè pertimescat ita, ut ferri contactum non toleret, neque tamen à medicamentis curari possit, tunc ferramenta candentia tenuiora usurpanda sunt, quæ supra ulcus admoveantur, ita tamen ut ulcus non contingant, ut præcipit *Hippocr. in hæmorrhoidibus*: quo in casu si de molesto & nimio calore patiens adhuc conqueratur, circumstantes partes refrigerabimus imposito linteo madefacto in vino nigro austero actu frigido, aut posca, ut Turcæ faciunt, uti proditum est, laminâ ferreâ lœvigatam partibus circumstantibus admotâ. Quod si ulcus exquisiti adhuc sensus sit, & patiens ferri timidus & maiori ulcus indigeat exiccatione, in eo casu ferrum candens admovere oportet, ita, ut ne vel ulceratam partem tangat, sed ad timorem ab ægro tollendum, vix primo pars attingenda ferro quod subinde auferendum est, sic enim vis ignea vix persentitur: interea vero æger pavorem deponit & assuefit, & maiorem postea ignis impressionem tolerat. Quod si adhuc ulcus & maius sit & maioribus humiditatibus scateat, maioreque indige-

Genera quædam à maioribus indicata nostris consentanea.

indigeat exiccatione, nec non ferri candentis impressione æger timeat, & sensus partis vigens sit, in eo casu cum eo, quod vix attingi locus debet, uti dictum est, ac statim ferrum eundem attingat locum, sed diversum & longinquum quod ego ferè semper molior: sed si neque ferri pavor neque sensus partis obstat, tunc hoc expedit faciendum potissimumque ferrum crassum & valenter ignitum est imprimendum, cum ulcus squalidum, hebes & valde humidum putridumque est: etenim istiusmodi ulcera solent suâ naturâ esse aut pene insensilia aut hebetis sensus. Jam igitur liquet, quomodo sint ferramenta candentia usurpanda in quocunque statu ulcus offeratur. Hæc ille.

CAPVT II.

De varia materia, quæ in usus urendi venit.

NVnc operæ precium facturi sumus, si primas ignitabulorum materias exponamus, ut has deinde perspectas suis aptè morbis accommodare addiscamus: quam rem nobis iam facere incipientibus, aut hac tantum producere licebit, eos, quæ à medicæ rei magistris usitatas & memoratas legerimus, aut omnes etiam, quæ ex triplici simplicium medicamentorum ordine vegetabili, fossili, animali possumus aptas cognoscere etiamnum extremo, qui nunc requiritur, calore profuturas, enim vero novos alios ignis fomites hac tractatione proponi ex tota rerum natura quæsitos haud videri debet alienum, quod non tam dico studens, ut pyrotechnia nostra locupletur, quam quod modis omnibus utilia possunt esse, quæ prima alioqui fronte non videantur. Etenim opinor unum quodq; igne contactum præterquam crusta, ex empyreumatis insinuatione, afficere posse & insitâ propriâ facultate. Ita fit ut cum nulla medicamenti species suis immutandi viribus destituatur, has & igni subdita retentura, atque expeditius etiam exertura sit eadem. Sed iam ad institutam enarrationem devenio, omnia seriatim dilucidis quasi tabellis expositurus.

Ignis quidem sua natura diffluit: eam ob rem humidus positus est, à Bernardino Telesio, liquidus verò prius à Virgilio atque aliis. Ideo debet vinciri materia recipiente. Hæc quæ simplicissima est aër, aqua, terra; deinde ex his composita, sed singulis istis analoga, & plurimâ parte respondens, quare & ignea quædam exitat materia necesse est. A terrea libet incipere, ut quæ communissima est omnium & traditionis usu latissima. Variæ verò species sunt terrarum, ut argillæ & ex his confecti lateres ac testea, & quæ tornata ex his ad ignem sunt excocta, ex terris est sulphurea, Radebergiana, Ipsea Bauarica, quâ firmissimè in ignibus utuntur. Carbonaria Antuerpiensis ex succis nativis & salibus est omnis fossilis, marinus, lacustris, crassarum singuli partium, tenuium verò & aqua salsa, ex coctis autem flos salis tenuissimus est, *Agricola tradente in 3. de natura fossilium.* Styriæ salium accommodatæ fistulis & cuniculosis ulceribus videntur: ex atramentis est cinereum nativum Neapoli cum sulphure vivo, coloris rubri. Radebergense cum sulphure mistum. E pumicibus omnis fere species & alcyonia. Corporati in lapides rami, folia, fungi, cortices, ligna, carbones, ossa, manicæ, chirothecæ. E fluidioribus est vitrum, atque alia. Silices digitiformes, calculos percalfactos in cavam aurem aquæ, quæ in eam irrepsit, exiccandæ immittit, & *Alsarab. tract. 3. pract. 1. c. 10. & Albuc. Chirur. par. 2. c. 6.* sal petreus, Cadmia, Pompholyx. Aurum & huius fila bracteæ, spuma, recrementa, lapis aurarius; Porro pili ne renascantur, per auream bracteam inustio facit, autor *Felix Platerus Tom. 3. tit. deformationis p. 49.* Argentum in fila ductum, bracteatum, recrementa, spuma, lapis argentarius. Æs cui aurum argentumvè inest, æs ductum in laminas, & in fila, recrementum, lamina aurea vel argentea, vel aurichalchina retorrida, labiorum scissuras exurit, *Gulielmus à Saliceto lib. 1. chirur. cap. 19.* Aeris squama, ferrum, stomoma, squamæ, acus chalybei, minium nativum, cinnabaris arte chymicâ concretum. Plumbum & huius recrementa, plumbum ignis vi resolutum, in cineres, cinis plumbarius chymistarum, plumbum liquatum etiam aliquando venit utendum: usi sunt autem ad perurendum in Aegylope nasi os, *Gal. lib. 5. de med. part. cap. 2. Albucasis lib. 1. c. 19. & Actuarius 6. meth. med. cap. 1.*

In arundineos autem calamos vel in cava femorum ossa vel in fistularia vascula, & lamellis æneis, vel ferreis conformata, vel etiam in fictilia coniicere licebit, quæ diligenter obstructa si tenuissima sint, in fistulas corporis recentiores lentè urendas immitti poterunt, ampliores vero in alios usus torquendas inferius ostendemus; quod si vehementiorem vim ignis exigit vitium, in eadem lamina organa teretia, inguetra, cuneata, vel aliter conformata, prunas cum calido cinere, aut ferream ignitam scobem immitti datur, quibus nunc parti hærentibus, nunc titubante manu distractis uteris.

Ad quem modum vel non dissimilem vase congruo, ex lamella ferrea, vel aënea, supra locum disposita, scobem ferri, vel arenam littoralem insternere, & insuper ardentes prunas iniicere licebit, quid autem prohibet si vivâ calce intra tubulum depressiorem & hoc supra languentem locum imposito calens aqua immittatur, ut ferveat illa locum exulceratura? quod si acrius remedium hoc veremur, pannum simplicem aut duplatum intermittere licebit, liquidam calcem ad coxendicum dolorem curandum adhibet *Aurelianus Chronicorum l. 1. c. 1.* Calcem autem qua ratione credas esse causticam? nisi quod ignis particulæ lapide vel cinere residuæ latitent, ut supra dixi, vnde enim huic virtus accesserit?

Sed ad fossilia prioris generis revertamur, ut sunt cerussa, cadmia, pompholyx, pyrites item pumicosus, & spinosus in quo sulphur nativum inest, fissilis, cuneiformis in marmore metallico, qui continenter exudat acrem succum. Pyrites sterilis, qui igne liquescit, in quo chalcitis, sory, melanteria gignitur, & è quo atramenta continenter efflorescunt. Pyrites aurifer, argentifer, aerifer priorum seorsim & coniunctim ferax, in quo plumbum & æs inest, Smiris Dioscoridis *lib. 5. cap. 24.*

Ex animantium genere.

SUnt qui carnibus assis, ovisque & sordidâ lanâ ex igne extractis subinde pro phœnigmis utantur, *ut Th. Fienus notavit.* Ovorum putamina ad usus etiam inurendi nominavit *Thomas Fienus lib. 2. de cauteriis. c. 3.* ad leviores autem affectus puta; E caprino fimo ad dolores coxendicis finiendos ustionem descripsit *Dioscorides l. 2. c. 37.* quæ est hæc; in eo interstitio, ubi pollex brachiali committitur, cava veluti lacuna subsidet, in qua lana oleo imbuta substernitur, deinde sigillatim ferventes fimi caprilli pillulæ imponuntur, dum vapor per brachium ad coxam sentiatur, pervenisse & coxendicis dolorem mitigasse. Adustio id genus Arabica vocatur, meminit & huius rei locupletissimus autor *Aëtius ser. 12. c. 3. ad Antylum autorem relata. Et Marcell. Virgil. super Diosc. lib. 2. c. 72.* Araneâ telâ stylo obvolutâ & ignitâ pensiles verrucas refert, *Ioannes Costæus*, sic extabefactas, ut has decerpere digitis facile fuerit. Spongiis igni candentibus hydropicorum ventrem inuri docuit *Iac. Hollerius in com. aph. 27. l. 6.*

De Aquea Materia.

SUbtiliorem quàm aliæ materiæ distinctionem requirunt aërea atque aquea, ut quæ ad comitandos adiuvandosque ignis effectus, quos optamus, sunt minus idoneæ. Ea nihilominus & ad hos usus non difficile trahemus; porro constabit, quales superius multiplicis ignis modos exposuimus, eandem insuper commoditatem & ad mediorum elementorum materias, therapeuticis usibus extendi; neque enim est obscurum illud Aristotelis scriptum ab eo *l. de ortu & inter. textu 21. & lib. de spir. c. 5.* Ignis differentias secundum id quod magis ac minus est sumi: & *sectione 3. probl. 5. f.* rationem reddens quamobrem ab arundine, quàm à ligno imbecillior sit ignis, eandem fere sententiam retinuisse visus est; quo fit ut aqua impressus ignei licet imbecilli capax itemque & urendi alicuius facultatis particeps appareat, quas ob causas *Ioannes Gorræus, Gabriel Fallopius & Stephanus Gurmelæus* antiquos per hanc extremè ferventem urendi fuisse usus, quemadmodum & melle & aliis liquoribus testantur. Est autem aqua tum simplex & pura, tum medicata multiplex, quæ qualitates suas insitas urendo transfundere partibus corporis indigentibus, potest. Verum his prudenter utendum.

Aquæ autem medicatæ tum naturalibus suis fontibus haustæ, tum humana industria paratæ sunt hæ: Aqua maris & coctitii salis, aq. calcis, lixivium ex ipsa, lixiviũ fullonum, tonsorũ liquor è virentib. arborum ramis, ignis aut solis viribus expressæ, aqua stagnans in vetustis quercubus cavis, aqua fabrorũ ferrariorum, decocta tinctorũ, opificum grani seu pulveris tormentarii. Lixiviũ commune, acetum, lotium serum, acetum, atramentum scriptorium usuale; aquæ aluminis atq; aliæ chymicorum arte paratæ. Ex naturæ verò præparatu sunt, aquæ ferratæ atque combustorum naturâ cinerũ, pumicum, calcis, sulphureæ, nitreæ, salnitreæ atque aliæ de quibus *Andreas Bavius in opere de Thermis.* Verum expediet semel admirandæ aqueæ ustionis exempla aliquot exponere. Hanc rem *Albucasis lib. 1. chir. proposuit*, duobus modis; alterum *c. 44. & l. 45.* alterum *c. 55.* Posterius est ad clavos & verrucas pedum & manuum potissimum extra cutem elatos fistulâ paratâ ferreâ vel aereâ, in quâ, clavũ exacte amplexâ atq; appressam infusa fervens, aqua diu retineatur, namque ita clavus radicitus eximetur. Alterum est ad Ischiadem interprete Costæo sic ordinandum: duos ferreos circulos paratos esse oportet, quarum alter continetur in altero, duplici uterque pariete, qui altitudine duorum fere digitorum crassitudinem æquet, careat autem fundo uterque circulus, ne quid effluat spatium inter parietes sit latitudinis digiti unius, circulos vero duorum, connecti autem hos ita oportet, ut nullam in partem nutent; id quod fiet traiecto per illos axe, præsertim vero decussatim, organum igitur ita constructum affecto loco admoveri debet, & ministri manu valdè comprimi, nihil ut affluere possit liquoris, quem intra utriusque circuli parietes tepidum affundes: sic per horam & minister comprimere debet & æger medicamenti ferre morsum acrimoniam igni non dissimilem.

Ad Ischiadem inurẽdam organum Ioannes Costæus.

Tertium ex his exemplum erit paronychium, quod vitium, & si per pusillum cum acerbè torqueat, docuit necessitas homines, docuit & instigatrix natura, ut in feruentem aquam vel lixivium vel ut ad singulare neque omnino falsũ rum remedium facto confugio, demitteretur, & inde iterum quam citissimè eximeretur, sic enim & excoquitur vitium, & igne prævalente discutitur omnis doloris fomes, qui succus est certè crudus & semiputris. Illud autem non tam vulgare remedium est, ut non approbatum etiam fuerit *ab Hieron. Fabricio, in lib. de operat. chirurg. cap. de carnis Chirurgia, quæ ad humores pertinet, & à Petro Bayro in lib. 24. cap. 18.* licet hic acetum acre maiori æstimet. Præter hæc, ferventium acoporum, ad Ischiadicos ac psæudicos meminit *Aurelianus l. 5. chron. c. 1.* Habes jam quales & ad quæ vitia corporis ex aqua sint usturæ vel à bonis autoribus propositæ.

Paronychia intinctu ferventis aquæ curatur.

Paronychio digitus affectus in aq. ferventem immissus.

De ignis materia vegetabilis generis.

LAtissima est inter omnes medicos urendi usus stirpea materia, ut quæ & varia per se ipsa est atque ignem cuncta facilè concipit naturâ; Igitur dividemus totum arboreum cauterismum, primum secundum ipsarum stirpium naturas & proprietates, tum secundum modos urendi diversos, tum partes id est radices, cortices, ligna &c.

Quod ad primam stirpium conditionem, hæc non simplex, sed longe multiplex indita est universis, aliæ namque pingues & resinæ vel oleagineæ; qualis sunt pinus, lentiscus & olea. Aliquæ densæ & graves; quales Buxus, Ebenus, quercus. Leves ac raræ sunt; laurus, vitis hedera, palma, ferula, suber. Duræ; buxus, robur, terebinthus Calabricus. Molles vero; sambucus, salix, arundo, & herbaceum genus omne, quæ facile quæque difficile, accensiles, quæ flammæ participes etiam virides: abies, pinus, picea sunt

Plantarum ad urendi usus universa partitio.

sunt ad hunc usum accommodatissimæ, Indicio est, quod ex his Calabri faciunt la deda, levi ut apparet facta literæ similis metastasi, cum latinum vocabulum sit tœda: contra sunt quæ difficile accensiles etiam aridæ: ex his ebenus una est; sunt quæ combustæ carbones relinquunt, ut quercus omnes species; sunt quę non relinquunt, ut herbarum & cremiorum omne genus.

His jam enarratis illud unum adnotabo fructiferas & magnas arbores præter unam lacticinam ficum (caprificum magis commendo) non admodum acribus urendi usibus esse, propterea, quòd vim suam omnem in edules & mites, fructus diffundunt: steriles igitur ni sint palustres opportuniores videntur. Hæ quidem ex terrestribus. Ex marinis non est omittendum corallium, quod adstringendo atque siccando miro potest usui esse. E stirpium partibus sunt, radices, lignum, medulla, cortex tum trunci tum aliarum particularum, nucleus &c.

Ex marinis.
E stirpium partibus.

Quales sunt radices.

Ex radicibus deliguntur potissimum clematidis, centaurii, Aristolochiæ, gentianæ, Cyclaminis, dracontii, Asphodeli, & cucumeris agrestis, struthio inurendas coxendices voluit Aurelianus *lib. 15. c. 1.* Verum enimverò necessarium erit semel edisserere quemadmodum ea ustio cõfici debeat: quod monstrabimus exemplo usi Aristolochiæ *primò per Albucasin* deinde *per Petrum Iacobum Staeuin Com. 2. epid. sect. 3.* propositũ his verbis. Ea radix digitali crassitudine inquiri debet, oleoq; diutius immergenda, quousque satis olei ebiberit: postea igni est accendenda; ac urendæ primum eæ sunt partes, quæ clavicula cum collo connectunt. Rursus duæ aliæ parvæ ustiones, inter costam quintam & sextam. Rursus aliam in medio pectore. Denique aliam super stomachum: quanquam non admodum facere ad rem videatur tot ustionibus urere, nisi vehementem videris fluxionis à capite impetum, alioquin enim sat erit, quo diximus modo, dolentem duntaxat partem superficietenus deurere.

Ligna ligneaque portio. Cauterismus elegans.

Sed de lignea portione cum dici succedit, elegans se offert ratio urendorum istorum in tenerioribus inurendis particulis, referunt enim ignem elici ex attritu mutuo duorum segmentorum ex aridis lignis, ferulæ videlicet ac vitis sylvestris, quæ sublimes in arbores scandit hæderæ ritu; hæderæ item ipsius andrachnes & rhamni meminit *Theophrastus lib. de igne*, ilicis vero ac tiliæ *lib. 5. de plant. cap. 10.* mori quoque meminit *Plinius lib. 16. c. 41.* hæderæ laurique *fautor Seneca 1. quæst. natur.* quod non rara his spiramenta neque hiantes sint & leves. Quod autem ad Theophrastum pertinet cum de his tradidit citatis locis, commentus est & lignei cuiusdam terebri conceptaculique, laudat autem terebri materiam ex lauro imprimis; conceptaculum vero ex andrachna aut ex rhamno. Arbitror autem ex conceptaculo, id est, ligno ad concipiendum commodè ignem subiecto (ἐσχάραν suâ linguâ vocat) & terebro (τρύπανον) ligno altero, manu dextrâ affatim, & diu super descripto conceptaculo corrotando atque atterendo demum ignem cieri, atque hæc Theophrasti mens est, quam facile cuilibet erit eruere, si verba ex opere de plantis hæ sibi proposuerit advertenda. Sed conceptaculum ex hac; terebrum vero ex lauro faciundum censet, non enim ex eodem, quod agit, quodque patitur, sed è diversis accipiantur: & alterum efficiendi, alterum patiendi vim obtineat: naturam protinus exigit. Cæterum vel ex eodem nonnunquam conficiunt, nec desunt, qui nihil referre arbitrentur. Commoda etiam ex rhamno, quæ quidem vel conceptaculum præbere idoneum potest: non enim tantum humore exinanitum arefactumque, sed etiam rarũ esse oportet, ut attritus efficacior esse possit. Terebrum ad patiendum pertinacius esse debet, qua de causa laureum faciunt, id enim pro sua acrimonia valentius resistens, opus commodius expedit: quin etiam rhamno, ilice, tilia, &c.

Præter hæc constat famâ, sicut detulit ad nos non satis laudatus heros nostri seculi Petrus à Valle Patritius Romanus, qui nobiliores Africæ atque Asiæ regiones in exhaustâ discendarum novarum rerum cupidine peragravit, Canoë navigia ex internodiis arundinum indicarum quæ Mambu, patriâ istorum voce dicuntur, compacta ad vehementes ventorum impellentium concussus, aliquando sic attenuari, ut igne concepto accendantur ac propriâ sui ipsorum parte exurantur; Huiusmodi igitur omnium cum igni proxima fiunt attrita, promptum est, eadem nulla facta mora partibus admoveri; moderatissimus plane inter omnes ignis est hic modus.

Histo[ria]

Aliud elegans & suavissimum ex hoc genere nunc occurrit mihi, si rami virides in ardentem ignem injiciantur, ex altero extremo, quod à flamma non attingitur, spumeus exudat humor ab occupante cæterum lignum calore expulsus, qui suæ respondet arboris naturæ, hic calens extractus poscenti peculiariter vitio accommodatur, ut ex fraxino de qua re Quintus Serenus:

Elega[ns] caute[ri]smus.

Cùm sævus teneras dolor, altè sauciat aures
Fraxinea ex flammis, quem fundit talea succum,
Instilles.

Sed tamen carbonis qualitates discernamus. Est Juniperi præstans ignis ad maculas & ad cancrum, & herpetem ęstiomenum, ut *Mesuæus notavit 2. Grabadin.* Vitis viniferæ, ad herpetem miliarem *suffragio Avicennæ lib. 4. fen. 3. tract. 1. c. 7.* Vitis albæ ad gangrænam Cyperi, cypressi, caprifici, hæderæ, palmæ, ulmi, suberis ulceribus, capparis ad collosa & ostracosa, petitâ re *ex Dioscoride lib. 2. cap. 169.* Verrucas ex sarmentis vitium ignitis tentari laudat *Io. Tagautius l. de tumor. cap. 9. & Amatus Lusitanus* famulo suo verrucas per continuos sex dies urens his exæquavit, re proditâ *in Curat. 38. cent. 2.* coxendicem verò dolentem ferulæ stipite vel ligno ficus, tenuis naturæ hominibus inurit *Epiphanius Ferdinandus in histor. medic. 94.*

Cancr[um] herpet[em] esthiom[enum].

Ad ophthalmiam & longos alios oculorum affectus venas temporum & frontis thure, mastiche & laudano in ferventi marmore liquatis & lauri folio impositis & fervidioribus adhuc, quàm æquo animo perferri possit, inurit *Rogerius chirurgus*

Exudan[tia] qua[dam]

chirurgius vetustissimus Salernita lib. 1. cap. 24. In hunc quoque ordinem referri potest linum, gossypium, canapinum, stupa, ex his confecti peniculi, qui omnes in ustionem Hippocraticam & Barbaricam veniunt, de quo nos in calce Pyrotechniæ, quas omnes materias si pice aut hoc genus liquoribus fervefactis extinctas attrectare loca corporis laborantia velis, non incommodos in plerisque vitiis cauterismos feceris.

E corticibus, putamina pinearum levi igne sunt commoda, ut accendendo opportuna: quo loco & nucleum olivæ memoramus cum *Thoma Fieno lib. 2. de cauter. c. 3.*

Olivarum nucleus accensus propterea quòd bellè suscipit servatque ignem accommodatissimus est ad urenda leviter corpora quo ad fonticulum excitandum uti licere curiosum chirurgũ docuit *Iul. Cæsar Claudinus in resp. medic. postremo.*

Ab his sunt partes ἐπιξυλικαί, è quibus galla, visci, lignum, aridi fungi, inter omnes accommodatissimi sunt ex acere, quercu, corylo, ulmo. Isti autem sunt igniarii fomites, qui ex marcescente & veterascente, sunt arboris parte, quæ tum maximè ignem fovebunt ubi sulphure ac nitro fuerint incoctæ vel ex eorum halitu suffumigatæ.

Scire autem licet, quoniam gallæ memini, per hanc igne accensam stomachum vitiosum uri *Isaac. capite, quod inscriptum est de stomachi ustione.* Gummi porrò quercus, quam hic auctor ad urendum proponit, equidem interpretor gallam quæ gummi idest excrementum & eructamentum est quercus.

Aërea Materia.

Materiam aëre jam nostris utendi tradendiq; usibus duplicem facere licet, alteram simpliciorem, id est igne retorridam, ut simul afficere ipsa possit, vel compositam id est aëri, analogam ut ante explicavimus. De priore prius, ut dicamus: Scire licet ignem vividum circumsita corpora perpetuò in sui modum atque affectionem trahere. Quare circumfluus aër ab eo similiter immutabitur; & eo quidem vehementius, quò propior is erit. Jam igitur ubi non ignis ipse, sed attiguus huic aër, partem corporis nostri quampiam adhæsu quidem aliquo non celeri transcursu ferit, inustio parietur ex aëre ignito. Ad quam etiam distantiam propinquitatemque refertur, si ferramentum, quod longius ignis vires ministrat non immobile contineatur, sed in diversa trahatur, atque etiam si per mediam fistulam adhibeatur. Sic *Hippocr. in lib. de fistul.* intestinum per tubulum immisto, ferramento quasi calefacit, sed non applicat firmâ manu retinens, verum nunc immittens nunc retrahens. Horum exempla quædam, quæ succurrunt proponam. Primum quod expositum in chirurgia spiritali, quod exemplum eo loco picturis expressum, licuerit nunc mihi prætermisisse, illuc vero te legavisse.

Alterum erit eius, qui recentem ambustionem curans partem igne tactam, igne tactam, ignis adhæsu medeatur, ut receptus medendi mos est apud nonnullos, & *Theophrastum Eresium libro de igne*, aut si pernionem etiam hoc eodem adhæsu cures, quod factitant etiam pleriq;.

Tertium exemplum erit, si quis igneo vapori aut exhalationi subterraneæ foveæ, quales sunt Puteolis & Aenariæ vel insulæ infantariæ ab *A. Bauio* memoratæ per angustum locum prodeunti manum aut pedem torpidum aut paralysi tactum propinque, sic, ut propemodum excoquat.

Quartum & omnium exactissimum utpote simplicissimum & clarissimum est per ipsum fumum, quo quidem ex igne, affectis aëri propinquis est nullum. Huius autem rei exemplum singulare legimus *apud Aetium lib. 4. serm. 4. cap. 108.* propositum ex Philomeno qui vulvæ verrucis uxori suæ detrahendis origani festucam ad lucernam accensam admovit sic, ut non incenderentur illæ sed solummodò fumum reciperent. Item alterum addi licet *ex Avicenna qui lib. 4. fen. 1. tract. 4. cap. 10.* morbillorum & variolarum pustulis exiccandis è surculis tamarisci fumum admovit.

Hi quidem aëris torridi fuerint utendi modi; cæterum & aërearum materierum erunt, cum fervefacta quædam pinguia corpora in hos usus assumentur. Vt oleum v. g. quo quidem *Aurelianus in lib. 5. chron. p. 509.* ad hydropem usus est hoc pacto; farina aquâ subacta in ambitu loci patientis circumdatur, in medio spatio oleum effunditur, quantum satis, deinde cauteres igniti circumquaque attinguntur: & inferius; alii vero, inquit, cavabulum vel vasis fictilis fundum perforantes labia vel ora pertusuræ, id est patientibus locis affixerunt; supra dicto modo farina conspersa, circumdantes sic oleo cavabulum impleverunt; cætera supradicto ordine gerentes: alii vaporibus, igneis usi sunt. Hæc ille qui & acopa ferventia probavit, *hydropi p. 435. F. 2.* Oleo calente sic, ut ferri queat, paronychium excoquit, *Razes tum lib. continentis, tum lib. divisionum id approbat Nicolaus Florent. lib. 6. tr. 5. sum. 2. cap. 61. Cælius verò lib. 5. chr. c. 1.* hydropem urens cauteribus oleo tinctis interdum usum diminutum prodidit. 3. Olei, quod concreverit in vetusto vasis olearii operculo flamma liquati guttis asproclivi loco deciduis porros & acrochordonas feliciter uri docuit *Curtius Marmellus lib. 4. de mulierum ornam. cap. 2.* Verum equidem illud addiderem monens, ne partes attiguæ, quæ non meruerunt usturam, hanc luant, esse providè defendendas, cereâ placentâ inclusas, quam & alio item loco proposuimus: oleo fervente facultatis in rem accommodatæ nervos punctos perurit *Ambrosius Paræus lib. 9. cap. 36.* licet id non admodum probet *Ludov. Septalius in 8. Animadv. n. 37.* 4. Oleo sambucino ferventi consueverunt nostri medentes percussas ictu tormentorum bellicorum partes inurere: quemadmodum & terebinthinâ resinâ quam ipsam & veneno extrahendo ad ictum locum affundit, fervidam, *Gabriel Fallopius tract. de tumor. cap. de curatione generati*: nos ulceri corrigendo diffusam papyro terebinthinam aut picem aut aliam huiusmodi misturam aliquando accendimus super impositam.

Ad

Ad perniones vero picem calore liquatam applicat *Octavius Horatianus, l.1. ad euporistum cap. 28.*

Huius item loci facere licet usturam ex oleo vermis indici cuius eam vim retulit, *Aelianus. histor. animalium c. 3.* ut sine ullo igne eius infusa hemina, quemcunque lignorum acervum combur at ac si vel hominem velis vel aliud animal exurere, primum ut hoc infuderis funditus statim deflagrabit.

Ad hæc butyro fervido intincta lana dentes frigidâ quâlibet affectione dolentes applicita crebro discoquit, *Albucasis lib. 1. cap. 23.* qualem etiam fervidum sed contemperantem humiditate liquorem squalidum in melancholici caput affundit, *cap. 12. l. eiusdem*, intra lineum quidem aggerem capiti circumdatum hic vir; ex massa vero circa locum margine inducto *Cælius Aurelian. l. 4. chronic. c. 7. Affert ex Plinii lib. 28. c. 13. Marcellus Virgilius Florentinus in suis ad Dioscorid. annotat. l. 2. c. 72.* Magos contra lumborum dolores addentes cæteris remediis fimum Caprinum, jubere etiam subdito linteolo uncto cavâ manu, quantum pati possit, fervens sustineri, ita ut si leva pars doleat, hæc medicina in dextra manu fiat: aut è contrario. Quod ischiadicorum ustioni vel quàm maximè simile est.

Gal. remedium ad vexatos dolore dentes.

Huius item ordinis est cera quâ denti afflictato accommodatâ specilli cuspidem igne per calfactū super imposuit *Gal. in 5. pharm. partic. c. 9.*

Præterea cauteris sævum ulceri, ne contages serpat, per candentem tædam instillat, *Columella lib. 7. cap. 5.* Itemque sævum bubulum aut caprinum per laminam candentem, Absyrtus lib. 1. veterim. cap. 25. Quos autores quamvé medicinam huc productos ut ne miretur homo quispiam morosus; en ad pedum rimas porcinum adipem inveteratum assiduè instillat *Aetius serm. 14. cap. 82.* sed de his omnibus etiam plura *l. huius parte 2. c. 1.* Est & è multis aëriis materiis compositio incensilis, quâ radiolo acceptâ & accensâ, veteres in rhagadias labiorum guttis multis in rhagadias labiorum deciduis veteres utebantur, experimentum est *Ioannis & Antonii de Ianua, fratrum celebrium tempestatis suæ chirurgorum narrat Michaël Savanorola tract. 6. cap. 8. rubr. 8.* recipit autem compositin terebinth. ℥ij laridi interioris derasi ℥j. & ʒij thuris albi triti ʒv. cum cera citrina conficiatur unguentum.

De Ignea præcellenti materia.

PRimum omnium differentiam ignitorum licebit facere ignem affixum & concorporatum atque alterum excorporatum, flammam vocatum, ex his autem omnibus, quæ recipiunt affixum, sunt hæc: Terra carbonaria, quâ pro carbonibus utuntur Antverpiæ, terra Sulphurea Radebergiana, Sulphuris omnis species, præcipuè verò sulphur liquidum candidum Neapolitanū, cui aluminis non nihil admistum est, quod inundante certis temporibus lacu continuò ebullit, in superficie terræ solet colligi atq; ex eo sulphure nativum exprimi oleum, luteum nativum Neapolitanum, in foro vulcani sponte in capillamenta concretum, luteū purum nativum Neapolitanum ignem non expertum. Fossile sui coloris Neap. cum terra subcinerea. Vivum luteum Neap. in atramento cinereo duro. Vivum in candido cinereum glebosum. Cinereum vivum in cortice grisei coloris. Cinereum vivum in cortice cinereo lapidoso. Nigrum vivum cum sulphure albo molli. Caballinum factitium, Sulphur simpliciter dictum, nervorum resolutioni maximè commodum. Oleum Sulphuris simile bitumini, liquidum è sulphure liquido expressum. Oleum sulphuris jacticium Hollerii. Oleum Sulphuris ex Sulphure nativo destillatum. Ellychnia ex Sulphure, quo subducuntur fila aut lignella, his ad miraculum epipleticum excitabis. Terra sulphurosa Neapolitana ex qua excoquitur copiosum sulphur. Flores sulphuris flavi lutei, &c. Lapis colore nigro & rubro, parens sulphuris. Ex his omnibus vaporata lana perutilis est doloribus lateris, sulphurata dicta *per Celsum & approbata l. 4. c. 6.*

Cinis omnis, præcipuè verò ex lapidibus, quæ calx dicitur.

Pulvis, acinusvè, quem tormentarium & nitratum vocant, Funis aquæ nitratæ incoctus & exiccatus.

Ex stirpibus vero ipsis carbones & titiones quibus ad inurendos inio epilepticos utitur, *Rondeletius lib. 1. de cur. morb. int. c. de epilepsia & Mercurialis 2. de morb. puerorum. cap. 3.*

Succi … tractiti…

Ex succis extracticiis, pinguissimi; ut Succini species omnes: hæc ex solidis sunt: è fluidis est omne oleum, tum è sulphure nativo destillatum, tum factitium, tum quodcumque accendi potest, & flammam concipere, quare & aqua vitæ huius census erit.

Aqua… super… medene… accend… da rati…

Vsus verò eiusdem & administratio multiplex. Aliam equidem aliquando eiusdem super vitiis accensionem protuli: nunc illam accipient studiosi. Super locum malè affectum perfrigeratione & algore, languore, resolutione, tumore, contusione, gangrænâ tentatum, tubulum utrinque pervium, seu fictile, seu metallicum, seu ligneum, aut coriacium doloris amplitudini respondentem impones: in quem manu firma compressum & stabilem undique carni hærentem, aquam optimam ardentem, infundes: quæ admota flamma accendatur, & ad extinctum usque sinatur. Igneas has terreasque materias (suus sit honos auctori) *ex Ioannis Centimani tabulis* transtulimus, quas quidem quam non recitare potuimus, uberiores tum pleno cum fructu leges.

CAPVT III.

De miscellis quibusdam materiarum.

HActenus jam de variis materiis urendi simplicibus; compositæ nunc restant aliquâ parte commemorandæ; quam rem in promptu facimus inde exorsi. Quadruplex est omnis materia dictis usibus serviens. Terrea, aquea, aërea, ignea, quas omnes clarioris doctrinæ gratia, propterea quod ignis omnia possidet, igniarii vel escæ nomine, cum res exiget, indigitabimus, ex quo quaterno genere scire licet

igneum

igneum esse præcipuum; ut quæ proxima & accommodatissima est accensioni materia; quippe ignis seorsim existens, natura, & loco proprio seclusus in materiam quadruplicem descriptam descendit, & huic ritæ præparatæ adhærescit; sic, ut inde succendiculum unum quodlibet igniatur. Alterum est quod statui velim ab aëre contineri, reddique virtutem igneam, donec ista inhæserit. Adeo scilicet deponit statim impressum calorem naturâ facilè permutabilis aër. Hâc igitur naturæ proprietate fit, ut præterquam igne contangitur & fovetur; non sit exponenda nobis aërea materia præterquam quæ analoga admodum aëri; annumeres glutinosa scilicet & levia, qualia quidem fecit *Petrus Andreas Matthiolus in præfatione ad 5. Dioscor.* Sic ex inanimis censueris vaporem fontis olei, cuius meminit *Andreas Baccius in opere de thermis*. Itemque, tum quæ ex animantibus, tum ex stirpibus eliciuntur, butyrum, inquam, olea jecinorum piscium, quorum meminit *Rondeletius eo opere*, resinas, & huiusmodi alia. Hæc igitur si connumeres, quadruplex hoc loco est omnis materia, quæ pro mistione consideranda est à nobis: quam per mistionem divisoria methodo nos ita digessimus. Miscentur materiæ triplices, ut plurimum non omnes, quæ planè possunt, nos proferemus. Igni analogos primùm si perquirimus, comperiemus asphaltum, naphtham, camphoram, sulphur, aquam vitæ, pulverem pyrium, adhibito statim igne exardescere: sic cum igneis miscentur. Cum igne vero miscentur & terrea quædam, ex stirpibus quidem, linum & canapinum & gossypinum, ex animantium verò genere, lana, sericum, aranearum tela, &c. tum sulphure, nitro, bitumine, naphtha, & camphora ex solidioribus; ex fluidis verò aqua ardenti imbuta, ad scintillam illapsam ignis flamma correpta exardescunt quo nos pacto ulcera cocoëthe inurere consuevimus; & cucurbitulas accendimus, sic *Hippocr. 2. de morb. mul. F.* effossâ scrobe vinaceâ uvas torret, & cineri in scrobem misso vinoque in hunc odorato & dulci quod & mel inflammabile suffibiléve fecit *Arist. 4. meteoror.* affuso, mulieri circumsedenti fomentum facit. Sed ignea cum aëriis coibunt, si cum oleo sandaracha, id est, vulgari vernice, thure, myrrha, styrace, pice, gummi, denique resinis, stactis, lachrymis guttisvé & incensilibus omnibus & buthyro, sulphur, nitrum, vini spiritus & alia hoc genus conjiciantur. Non diversâ plane ratione ad repurgandum uterum hordeum oleo imbutum suffivit *Hippocr. in lib. de nat. mulier. n. 49. & 98.* ad menses verò ac secundas detrahendas coti ramenta oleo subacta suffivit *n. 98.* stercus bubulum & paleas, & cornu capræ cum oleo *lib. de sterilibus 88.* & cornu bovis ramenta cum bitumine, & spinæ ægyptiæ fructum, & cedri ramenta, & myrti folia cum unguento subacta *lib. 2. de mor. mul. n. 84.* & cupressi ramenta unguento subacta, & cicutam unguento affuso & hordæi paleas cum bitumine, & cupressi radicem oleo perfusam *lib. 2. de morb. mul. n. 72. &c.* hordeum cum bitumine myrrha, & oleo subactum *lib. de steril. 11.* Præter quæ suffimentorum exempla non desunt, si desideres & quæ ad ipsam exustionem sunt alia. Inter cætera singulare illud occurrit, quo jubemur *eodem autore l. de visu pleniore*, *Anutii Foësii codice*, per oleo imbutas spongias dorsi venas ad tuendum sub imminenti cæcitate visum inurere. Ad hæc fusis buxeis ferventi oleo tinctis, & flammâ accensis inurendo turgenti iecinori usus est *Hippocr. lib. de int. affect.* & Aristoloch. rad. oleo tincta ad suppuratam pleuritidem usus est *Isaacus lib. 9. pract. cap. 82.* Ad hunc quidem modum traditis exemplis autores multi. Tibi vero lector solertiam exercenti componere multa non adhuc usitata licebit; ut si candelam ex sevo caprino, vervecino, vaccino vel ex cera cum bitumine, sulphure, aqua vitæ, oleo simplicis aut exquisiti apparatus, terebinthina, gummi, pice, resinisque aliis lachrymis: ex quo genere accensa candela, & deorsum secundum flammam conversa, licebit demitti guttas, partemque vitiatam pustulare; dum satisfactum scopo videatur. Eiusmodi nos candelarum parandarum formulas posterius in tractatu de suffitibus exposuimus.

Isaacus.

Ignis cum aqueis.

Restat cum aqueis ignis usus explicandus cuius alioqui difficilis compositionis, exempla nihilominus non deerunt, si quæ ad retusum ignem, fotum & inextinctum ignitorum pertinent, admiseris. Huiusmodi sunt plurima per nos utroque illo tractatu producta *ex Aureliano, Celso, Plinio, atque alis*, talis humentes sacculos cum igneo percalfactu vel cum retorridis æramentis utendos proponentibus. Ad sudores vero ciendos *Fernelius in cons. 13.* lateres candentes vini instillatu contemperatos plantis pedum submittit. Verum enimvero & ad ipsam ignis inducendum crustum candentissima ferramenta in aceto rosaceo; aut adstringenti vino leviter intingenda ut adstrictioni, vim maiorem crustamque firmiorem imprimant, ex nonnullorum usu censuit *Thomas Fienus lib. 3. de cauter. cap. 10.*

Ad extremum autem resultat ex terreis & aqueis quibusdam igneus calor, cum calci vividæ perfunditur humor, quam rem & in remedium venire alibi diximus.

Hæc de varia ignis materia & miscella satis pro nostro primo adumbratu, qui primi fuimus ad hæc comminiscenda. Dubius autem non sum, simili diligentiâ fieri posse, ut aliqua his adjici liceat, sed aliis concedetur; quibus in eam rem recentius incumbere libuerit.

CAPUT IV.

De moderandis ac temperandis ignis retorridi viribus, ac modis ad opportunos medendi usus & de materiarum delectu.

HActenus multiplex igni tabulorum materia variique eiusdem modi recensiti fuère: deinceps de ratione ac generali quadam ipsis utendi forma dicendum videtur. Verum in aliis & proximè descriptis si studium usui fuit; in hac certe re, faventis afflatum numinis maxime expeto; Utinam placeat ea in re præsto esse. Nos

Ardua pars hæc tractatur.

Nos sic exordimur: Intenditur ignis secundum subiectam materiam densiorem & compactiorem: hac excellunt peculiariter metalla. Durissimum & unum plus omnibus ad omnia commodum est ferrum. Secundum tum precii commoditate, tum alienæ putredinis, ob quod maxime quæritur, compescendæ utilitate, denique substantiæ mediocritate est æs. Tertium lenitate est argentum, quo cum vadit & plumbum, quod cùm, præterquam liquatum, adhiberi non possit (ad urendum os in ægilope usus est Albucasis) probatur nihilominus, licet obscurè refrigerando, aut obtusius inurendo, sed auri virtus singularis est propter temperiem, quam inter omnia exquisitissimam habet *Avicenna teste l. 1. fen. 4. c. 29. & 2. cant. c. de auro, imò Albuc. l. 1. cap. 1.* ab eius usu ait non gigni pus. Rarus vero est eiusdem usus, tum quidem ob excedentis preciii incommoditatem, tum quia, an convenienter satisque sub ardentibus prunis sit ignitum, non est facile dignosci rectè: solum hi qui quotidie recudunt, eius rei sunt periti.

Ferrum. *Argentum. Plumbum.* *Aurum.*

Sequuntur privatorum excrementa, scoriæ græcæ dictæ, peculiares corporum substantias, atque adeo firmius uret lapis, squama, stomoma ferri, quàm argenti sive chrysites, sive argyrites.

Post metalla sunt alia fossilia, quæ medii generis vocant: Ex lapidibus adnotabo paucos. Primus esto Pyrites, qui discussoriæ facultatis est inter primos, adeo, ut *Aëtio referente lib. 1. c. proprio* pus sæpe ac grumosas concretiones in mediis musculorum regionibus consistentes discutiat, eò igitur in his casibus præstabiliorem habe. Alter sit lapis hæmathites, qui ad sistendum sanguinem profluentem singulari gaudet facultate. Tertius erit Phrygius, quo ad putredinosa se profitetur usum *Aetius.* Quarto magnetem ordine loco, qui chiragras ac podagras sedare valet eodem auctore. Quintus est Smiris, qui cava ulcera peculiari quadam vi replebit, sicut eidem placet. Vitrum herpeticis convenire debebit siquidem attriti eiusdem utilitatem bene coniectamus. Ex argillis quidē & latericia massa confecti cauteres variâ multiplicique formâ pro variis quæ requirant vitiis, atque affectibus erunt. Acrochordonas, verrucas, & hoc genus omne tuberculorum sulphure perurit *Fallopius in lib. de tum. part. cap. 38.* Huic enim imposito in juglandis dimidium putamen, quod verrucam acceperit, flammam immittit, ut accensum fossile vitium penetret, & deurat. Pari ratione & ex sale petreo, styriisque ejusdem pro putridis sinibus & fistularum ductibus, quos inurere animus sit, cauteres utiles conformatos paraveris, nempe genus hoc tantoperè non conteret neque occupabit tàm late velut metalla: quod quum dixi quidem his vitiis incomparabiliter præstabit, si amplietur animadversio ad alia eiusinodi quoque plurima. Ad eundem modum secundum varias stirpium species, singularumque partes varia quoque dabit ignis effecta maxima ex his quercus & Ilex, hebenus, lignum guaiacinum: Carpinum etiam, quæ nigra sit & ad meridiem specte, his adnumerat *Fallopius c. 10. l. de cauteriis.* Minora buxus, cornus, juniperus, fraxinus & ulmus; multo minora laurus, olea, lentiscus, pinus, ficus: Huius ligna ad coquenda lenia quædam medicamenta, ne torreantur, delegit *Hipp. lib. de ulcer. 8.* minima salix, sambucus, hedera, populus. Exilissima demum ac tenuissima sunt ab humilimis stirpibus, ferula, canapis, lupini, & dypsaci, seu labri veneris scapis, ex carta nostrate plantas accipitrum podagricorum inurit *Federicus Georgius in arte accipitraria.*

Pyrites. *Hæmathites.* *Smiris. Vitrum.* *Fossilia medii generis.* *Sulphur. Fallopius.* *Sal petreus.*

Ligi ad [...] dicu[...] poer[...]

Sed si partium vires metimur, confertissimæ sunt hæ nodis, hos ad humentem frigidumq; stomachum inurendum, qui ignem diu conservent, delegit *Isaacus l. 9. pract. c. 85.* cor, id est, partem intimam quercus pro parte firmissima densissimaque laudavit *Bernardus Gordonius l. de phlebotomia c. 20.* proximæ conditiones sunt hæ tuberibus ac trunco; leviores radicibus & cortici; longe leviores conis, putaminibus & nucleis; levissimæ medullis & fungis: folia quidem vix adnumeraverint aliqui, sed nihilominus non est; quod in usu non veniant ad succendendam, inquam, ne dum ad impediendam vim ignis. Lauri enim foliis & lentisci, & oleæ, tum ignis per se, tum etiam spiritu vini, aut oleo pinguivè alia re perunctis & loco imposito ignem immittere licet. cui operæ & linum, linteaque, & charta similiter parata succedunt sive in latum disposita, sive obtorta in penicilli modum. Hâc ratione usus est *Hippocr. lib. de inter. affect.* sicut interpretatus est *Hieronymus Fabricius in lib. chirurg. operat. cap. de ustione.* Id quod faciunt & nostro hoc seculo Ægyptii medici, quemadmodum exposuit *Prosper Alpinus lib. de medit. Ægyptiorum,* quem locum ne repetendi labor sit, & ut pleraque horum condiscas, librum illum legas oportet.

Gen[...] part[...] plan[...] scret[...] Isaac[...]

Sed ex animantibus materias, si disquiramus, licet paucæ & raræ sint, has ita distinguimus atque hos earum ordines facimus. Densissimi compactissimique inter omnes animantis partes sunt dentes. Hos nempe *lib. 7. c. 16. refert Plinius* igni subiectos non cinerescere: quia si concipiunt igneum calorem, vehementissimum inter omnia referent eundem. Magis autem dentes minores, quàm elephanti proprios, quos constat non adeo prædensos esse, dissoluta nimirum & dispertita in multam substantiam nodositate, ut ita res exprimatur, vel ut rectius dicam subducente se multâ concrementi materiâ à cogente constringenteq; calore.

Mate[...] anima[...] bus. *Dente[...] flamm[...] domat[...] nius. Elepha[...] dētes e[...] minim[...] sunt co[...] pacti.*

Post dentes sunt cornua, quibus cursu valentium beluarum est substantia pressior. Cum his, & ossa solidiora connumerabo, appendices enim cum tertio, qui succedit, ordine, pono. Ab his sunt ungulæ quæ duriores etiam sunt bifidis cursu valentibus, quam qui hac dote non valent.

Tertii sunt lichenes, cortices, testæ.

Postremæ sunt spongiæ, lanæ, villique, caprillus fimus & hoc genus. Spongiam quidem ad sistenda sanguinis profluvia commendavit Gal. in 11. simplicium his verbis. Utebatur eâ Præceptorum meorum quidam ad sanguinis eruptiones, quæ manuali operâ indigent: in quem semper paratam eam habebat siccam & exarefactam. Cum verò res posceret, bitumine inprimis induebat; si eo, careret, pice. Porro admovebat eam partibus sanguine profluentibus etiamnum ardentem,

ardentem, ut & crusta parti induceretur, & ipsum spongiæ ustæ corpus ceu operculum quoddam acciperet. Ita quidem hæ materiæ dispositæ per nos primos quidem autores sunto.

CAPVT V.

De deligenda materia affectibus congrua, secundum cauterum naturam.

SEd ignitabulorum materia facit, his aut illis habitudinibus prædita, ut modo hæc, modo illa sint deligenda, quæ curandis affectibus aptissimè congruant, haud equidem dico tam pro usturæ rectè adimplendæ officio, quàm ut pars, si fieri possit, adiuvetur aut affectus promptius eximatur. Atqui evenire id posse multi viri clari decrevêre. Certum enim esse debet ignitum unum quodque corpus etiamsi formæ materiæque vires transmutando amiserit. Nihilominus tamen non omnis facultas abit; verum prioris habitudinis nonnihil retinet, servatque sepulchro, ut ille dixit. Indicio id esse clarissimo potest quod è linteis oleo ceræ vel simili pingui liquore perunctis, & flamma perustis, cinis recipitur prioris tincturæ particeps, & longè alius, quàm ex puris linteis elicitur. Itemque fungi μύκητες græcè ex olearis lucernis, ex candelis cereis, sebaceis atque aliis, diversæ materiæ diversos se produnt, substantiâ, qualitatibus, odore: ad hæc & præstinctæ materiæ quælibet & cineres universi peculiares suas affectiones relinquunt his moderationibus. Sapienter igitur *Euonymus in Thesauro remediorum l. priore tit.* de oleis destillatis proposuit: oleum, inquit, lignis omnibus inesse vel cinis ostendit. Omnium enim cinis pinguitudinem suam habet, quam in lixivium deponit, adeo durabile est pingue aëreum, & magis etiam igneum, ut cùm terra comburatur, aqua evaporet, illa remanent partim in fuligine; quanquam in utrisque etiam illis terræ essentia reliqua sit, ut aqua sola absumpta videatur tota. Post hæc lege etiam quæ *Iosephus Quercetanus Medicus & fama & scriptorum dignitate clarißimus de salibus & in tetrad. c. 18. & 28. & in lib. de medic. priscorum materia scripsit.* Narrat verò sibi ex urticæ cineribus in sudum locum subdialem coniectis latentis adhuc in sale (ut Chymistis sermo est) formæ arcanâ virtute novam, nescio quibus lineamentis & fibris, urticam resurrexisse. Sales quoque & fæculas singularum stirpium industriâ chymicâ paratos videmus in dies effecta promere, quæ plantæ integræ præstare haudquaquam poterant; Idque etiam haud credo fabulosè professi sunt antiqui sub phænicis commento. Nimirum ea est rerum omnium opificæ naturâ mistio, eæ sunt compositionis adamanthinæ catenæ, ut quæ soluta appareant, indissolubilia sint neque corrupta sint, quæ corrupta videantur. Verum utcunq; dissoluta, aut in unum coacta, corrupta vel integra mirabiliores post dissolutionem & corruptionem, quàm antequam corrumperentur & solverentur, exerunt facultates. Illud itaque fit ex his omnibus, ut considere debeamus ignitis substantiis, & credere certò servare eas, & retinere vires suas aliquatenus, quas incombustæ habeant, quâ quidem dote indubitatè gaudent metalla singularius. Quas ob res nil est, quod audias Vidium Florentinum qui in variis corporis partibus inurendis delectum metallorum, & aurum interdum præferentes chirurgos deridet, quod fecit & lib. 4. chirurg. c. 11. sed nos de ustulando per metalla dicturi jam, ab auro exordiamur; hoc & medicis, & physicis & chymistis concorditer attestantibus est inter universa fossilia temperatissimum; eo præsertim indicio, quod minimè excrementosum est, eam ob rem cum igne adhibitum temperiem existimatur communicare, & quâ naturæ dote corruptionem, & cariem non sentit, eâdem etiam ab ulcerosa corruptione vindicat & bullas ab inustione non excitat ut neque etiam saniem, conciliatoris testimonio loco mox producendo, atque ulcerum sanitatem citius finit: Ad partes teneriores, quales è multis oculi sunt, nares, aures, ad faciei partes omnes, os, labia, palatum & columellam, pudenda, convenire peculiariter vult *Arnoldus lib. de reg. univ. doctr. 5. cap. 17. aphor. 19. & Petrus Aponensis diff. 208. & Rugerius lib. 2. chirurg. cap. 15.* nempe innoxium & salutare prædicavit *Hieronymus Cardanus lib. 8. operis de variet. cap. 48. qui idem & lib. 5. de subtil.* Vulnus auro factum non inflammatum iri professus est. Aliud experimentum narrant nonnulli: inter hos maximè nomino *Felicem Platerum 3. tom. prax. med. cap. 1. & Thomam Fienum lib. de caut. cap. 21. & lib. 3. cap. 17.* quorum dux credo primus modo memoratus. *Conciliator in loco cit.* cicatrices vulnerum hoc usu præstantissime deleri. Cui rei sua fides esto; si rectè administretur 1. in cicatrice, uno quasi supercilio & clivo elata, neque enim tantopere probarim in cava, deinde illa etiam observatio addenda est, ut quam fieri potest tenuissima vitiosæque parti æquæ respondente cautere suspensâ manu, levique contactu fiat inustio.

Auri lenitati proximè succedit argentum, quod obtusæ pariter & lenis est facultatis, ob id Lanfrancus Chirurgus, argenteo cultro vinculum linguæ breve discindit, & omnes vulgo chirurgi cataractam acu argentea deturbare consueverunt. Obtusius quàm argentum durum stannum, plumbumque sentitur, sed amica carni virtus perhibetur, atque ideo fit, quod innoxia atque hebetia sunt, ut dixi, contactu, quanquam plumbeum stylum in fistulam inditum, & non retractum, per 13. dies hanc sanare perhibet *Iatronices Compilator in lib. 3. p. 159.* Non ita quidem æs, quod energeticum, & effectivum maximè se præbet in ulcera detersorium, quippe illud, & cum aciem eius ex ictu discindentem senserit caro, hæc & minus dolet & citius ad integritatem redit, quàm quæ ferro fuerit fissa, quod docuit *Macrob. 7. Satur. & prior Aristot. sect. problem. 85.* nempe quod æs ac simul fuerit incisum medicamento præsentissimo adest, facitque ut vulnus celerius coëat. Inde fortasse data est occasio poëtis fabulandi de aerea Achillis hasta, quæ una atque eadem violabat atque sanabat, dictante Oraculum

minus timent.

Auri natura & facultates, atque usus.

Quali cicatrici & quo pacto auri cauterium administrandum.

Aes inter omnia metalla vulneribus agglutinandis commodissima.

De æreis Achillis hasta fabulæ sensus.

culum Apollinis: ἰάσεται ὁ τρώσας, id est, ut ille dixit:

Vna eademq; manus vulnus opemq; feret.

Interpretanda quidem hanc benefaciendi virtutem voluerunt aliqui non de ære ipso, sed de recremento id est ærugine. Verum etiam si detergentissima atque ad cohibendas nomas efficacissima sit ista, communes has omnes cum suo metallo virtutes habet. Credita autem est tanta æris abstersio ac depurgatio, cum adstrictione coniuncta, ut ne dum limatum ipsum septies aceto temperatum & sole siccatum, cum æqua portione cochlearum tritaru & ovi albo; quod *Constantinus l. de ægritud. & remed. c. 9.* lippitudini probavit; sed vel servata in æneo vasculo lapsa de cælo aqua belle credatur lippitudinibus, & vitiis ocularibus facere: & quemadmodum *Dioscor. & Aetius* hunc sequutus prodidit in æneo vase pueri decocta urina, qui vir & *l. III. c. 335. & cap. 479.* in ænea pixide medicamenta quædam servare docuit *Galenus* I. & 2. *de medic. partium & alibi* præparandis discussoriis & ocularibus & eiusmodi medicamentis tum vas conservans; tum agitabilem radium æneum multæ facultatis esse credidit. Utriusque autem istorum *primus Hippocrates* medicamenta quæ ad ulcera componuntur, in æneo vase conservanda voluit *l. de hæmorrh. n. 3. de ulcer. 6. & 11. & lib. de visu, & alibi.* Adstrictoriæ quoque & exiccatoriæ facultatis credo factum ut ab antiquis, & *Celso in lib. 5. cap. 28.* laudatum, quàm maximè quis calidum pati possit sit æs ad ulcera, quæ ex frigore in pedibus & manibus oriuntur. Ad abscedentes vero gingivas inurendas probatus est *à Mesuæo* stylus æneus *in l. 2. Grabadin. in sum. 8. cap. 10.* sedè Philosophis Aristoteles etiam ambusta ex ære celeriter sanari statuit *sect. problem. 36.* omnibus autem modis cuprina cauteria plus effectus ad curandum habere quam ferrea scripsit *Vegetius lib. I. Veterinariæ cap. 28.*

Æris in medicinam præcipua virtus abstersio.

Ad extremum inter omnia metalla maximè siccat æs ac proinde nobilissimos in omni re chirurgica habet usus (sed quantum celeritate sanandi præstat æs, tantundem impedimento sanescendi refertur argentum vivum *Ioanne Heurnio teste in methodicæ praxis lib. I. cap. de Cauteriis.*) Atque illud fit, quia liquidum argentum laxat naturâ, lentamque pituitam evocat foris adhibitum; sed hanc quidem laxandi virtutem modicè fixum argentum habet privativam, ut ita loquar, quia destitutum est omni astringendi virtute.

Argentum vivum cur ulcerum unitatem inhibeat.

Jam usus metallorum ignitorum facilè cognoscis fossilia, quę medii generis vocat, quando plurima sunt, non est, quod angusto hoc loco conjiciamus. Nos jam ex his, & aliqua dedimus pyrotechniæ chirurgicæ c. I. & facile rem hanc ex *Dioscor. lib. 5.* & nostris in hunc commentariis, aliquando si Deus concesserit, emittendis intelliges.

De stirpiũ delectu.

Jam vero stirpes, & earum partes cum inurendi usus adhibueris etiamnum memento secundum accommodatas affectibus virtutes deligere, ficum ex cuius humore fumum acrem, propterea quod lacte plurimo suffusa est, dixit *Theophr. l. de igne*, congruam ad inurendas verrucas & huius generis faciemus. Astrictionem autem si expetamus; è ligno quercus, myrti, sarmento vitis: si detersionem; radice gentianæ, helenii, aristolochiæ, asphodeli docet utendum *Thomas Fienus l. 2. de caut. c. 3.* olivæ, veterum autoritate, ligno cancros exulceratos inurere consueverat medicus empiricus *à Roderico Fonseca cons. 43. tom. I.* vel quod mitior ignis ex hac arbore vel adstringens lignea portio ut sapor, & nucleus ostendit *Hippocrates lib. 2. de morb. mul. 79.* fluxibus uteri resiccandis non alium, quàm sarmentorum ignem præscripsit & *Galenus* afflictis inurendis dentibus origani ricini ve surculũ aut staphydem-agriam accommodatas affectui plantas accendit *l. 5. pharmac. local. c. 8.* tithymalus etiam accipi potuisset, cuius in his juvandis proprietatem nulli non probarunt. Sed *Mesvæus* nucis, ut ipse vocat, nucleum accensum adhibuit. *Grabadin. lib. 2. cap. de extract.* qui vir, & juniperum ad cancrum & herpetem esthio mecum videtur laudasse 2. *Antidot.* vitem vero albam ad hypersarcosin *Dioscor. lib. 4. cap. 176.* ex Aristolochiæ radice suppuratos à pleuritide perurit *Isaacus l. 9. practicæ cap. 82.* quâ item radice usus est, & *Haliab. 6. c. 9. pract. cap. 74.* cuius meminit, & *Albuc. lib. I. cap. 3.* Per gummi quercus igne destillans humentem stomachum exiccat *Idem cap. 85.* Per asserculos ilicis accensos hydropicis crustas inducit *idem cap. 86.* ex myrti surculis ignitis attiguas hæmorrhoidum partes pro his reprimendis inurit *idem c. 89.* quorum in usu urendi valentium mentionem fecit, & *Albucasis l. I. c. 56. & Razes lib. divis. c. 124.* Jam vero generali quâdam præceptione capere oportet, Nunc laureũ bacillum aut radicem pro dissolvendo ac dissipando; nunc myrteum aut lentiscinum aut palmeum aut mali punici, pro astringendo; nunc hybiscum pro laxando; aliâs gentianam pro veneno abigendo. Alias buxum atque aristolochiam, pro venenatis ictibus, ut placuit Hollerio; licet autem & posteriore uti pro osse, aut chartilagine desquamanda, hermodactylos pro pedum callis, tithymali aut verrucariæ radicem, pro verrucis; populi & salicis cortices, radices hyberidis, lepidii, pro ischiadicis, symphitum pro gingivis putridis & pro carnoso laxo callo infractis ossibus ferruminando, centaurium pro malignis ulceribus, & hoc genus. Putaminibus nucum aridarum crurium sibi pilos inurere consueverat Augustus, quo teneriores renascerentur: Quibus etiam putaminibus pro tinea capitis discutienda approbat *Dioscor.* E ficus radice pustulosis uteri labris fomentum fecit *Hipp. l. secundo de morb. mul. n. 126.* E gummi quercus accenso languentem hecticâ stomachum roborare resiccareque quæsivit *Isaac lib. 9. pract. cap. illo.* E surculis tamaristi morbillorum ac variolarum pustulis exiccandis fumum paravit *Avicenna l. 4. fen. I. tract. 4. cap. 10.* Atque hæc de stirpibus. De animantium nunc partibus subjiciam: carne, butyro, adipe, larido, & si quæ sunt alia, ferventibus commodum erit callosa & dura vitia contingere, sive quidem in hec illa instillentur, sive ex liquatis his gossypium in specilli extremo intingatur. Caprinus Columbinusque fimus qui ignei per multum sunt, accommo-

Cæsaris August[i] remed[ium] ad pilor[um] mollitie[m] nem cr[uri]bus ind[u]cendam

accommodatissimi fuerint coxendicis doloribus. Huius administrandi modum docuit *Albucasis Chir. parte I. c. 43.* quod est de urendo coxendice. Vaccinus exiccandis absumendisque œdematis & hydrocacis aliis: ovum calfactum tenerioribus particulis & oculis congruentissimum erit, sed caro & epiploon caloris suavitate dolentibus omnibus locis maximè conveniunt, ceræ liquatæ gutta hordeolo & hoc genus tuberculis, leniter dissipandis, antiquum, ut alibi monstratum est remedium, mitiusque excitando fonticulo peridoneum est, sed cum theriaca, compositione multigena & maxima, sermonem finiam, ad dissipandum & dissolvendum hæc summa est, si insuper panis jam nunc è furno extractus secundum suam mollitudinem imponatur; quod anginæ & glandulis facere consueverat *Claudius Ghitonius Chymiater Gallus amicus noster.*

CAPUT VI.

De distribuendis modificandisq; ignium viribus secundum cauteriorum formas.

NOnnullâ etiam parte ad moderandas ignium exuperantias spectandæ sunt formæ cauteriorum, has igitur brevi sic expediemus si prius urendi modos produxerimus, qui pendent iidem ex crassitudine, & profunditate locorum: Interdum enim ustio superficiaria sufficit; interdum usq; ad os & cavitatem penetrant; interdum eligenda media via est. Igitur cauteres præsertim qui ex metallo constant, vel solidi sunt, vel excavati; hos ad lenius, illos ad vehementius inurendum nemo est, qui intelligat; nimirum exceptam vim ignis firmius retinent solida quàm cava. Quapropter densis & solidis ferramentis, olivaribus puta, & nucleiformibus ad profundiores opus est minus gravibus minusque solidis, ut lenticulari v.g. ad superficiarias, mediis ad media spatia ferramentis, ut clavato uteris orbicularis itaque figuræ ferramentum aut ad hanc proximè accedens quadratum confectum exhibet ignem; minus triangulare vehemens erit; debilissimum, planum aut lineare, styliforme aut tenue sentietur, articulare, debilissimum est, quali ad inurendas palpebras, quibus inversi pili subsint, utitur *Razes l. 1. division. c. 30.*

Ad summam autem ut dicam, causa ob quam tales sunt aut non sunt cauteres ad magnitudinem, resolvitur, quæ si tres in dimensus pleni extensa plenè urere, si unus vero istorum desideretur, levius, si duo levissimè sit emoturus. Ita quidem in metallicis maximè dissertum esto, cæterum ex aliis, hoc est, ex vegetalium animaliumq; generi pari ratione constare poterit, quæ cava vel gracilia tenuiaque sint, maiorem ignis vim quam quæ contraria perlatura c. 15.

CAP. VII.

De varianda vi ignis per calefaciendi ignienidvé materias.

PErspicuum est, qualis virtute sit impressor, talem etiam impressum itidemque futurum: quod *Theophr. Peripateticus l. de igne scriptum reliquit*, ut ignis à solidissimis quibusque est: ita maximè calet: & inferius; à laxis & mollibus mollior quoque oritur calor; à duris & densis vehementior. In quo eodem libro illud quoque proponit, artes omnes pro rata portione vehementiore vel leniore uti: quarum enim administratio vehementioris est operis, velut ferrariorum ars, calorem acerrimum desiderant, proinde carbones omnium densissimos terrenosque maximè sumunt ac nõnullos etiam στυπτικοὺς, id est, strictivos reddunt, quo maior vis insit. Contra medici vitice clavos adurũt, cuius calor mollissimus est. Addidit & in hanc rem, quòd non parum facit *Plinius l. 3. c. 50.* Carboni maiorem vim exusto iterumque flagranti esse. Audi autem quæ tantum non in hanc sententiam scripserit *Plutarchus lib. 3. sympos. 10.* Quo aurum fundunt, flamma de paleis succensa cur domant? medici de palmitibus igne facto medicamenta leni igne calefaciunt; flammam ad emoliendum formandumque vitrum esse commodissimam, lignum oleagine cum ustione suâ corporibus commodè calefaciendis inseruit, balneis adversum est eorumque contignationi & fundamentis nocet crematum. Hinc est, quod ædiles sciti non sinunt conductores oleagineis lignis uti, quemadmodum etiã non patiuntur loliginis semen injici suffitibus, exhalantia enim isthæc dolores capiti & caliginem oculis obducunt lavantium: Quid? quod è nostris etiam *Gal. 2. aph. comm. 41.* Exolvuntur, inquit, homines in balneo, cui ligna succenduntur vitiata. Aqua nimirum dum in caldario effervescit maligna lignorum candentium evaporatione inficitur. Huiusmodi autem ligna sunt, inquit *Hier. Montuus c. 4. lib. de salubri tutela*, taxi, buxi, nucis juglandis, & truncus etiam fici ardens fumum reddit acerbissimum, & oleæ tramites in fomentis corpus mirè afficiunt. Requisiverunt in materia succendẽda suas conditiones & qualitates, *Michael Savanarola l. de baln. & And. Bavius lib. 7. de therm.* quos vide. Hæc isti omnes, quæ equidem eo libentius recitavi, quod ad ignis succendicula pro suffitibus & paroptisi frequentius ad sudationes, & ad pestem propulsandam usus adiumentis certus lignorum atque carbonum habendus est delectus. Verum quod ad alios casus *Io. Baptista Montanus* Reginæ Polonorum cephalalgia & destillatione capitis afflictatæ consultus jussit, ut ne ad magnos ignes hyberno tempore accederent, præcipuè de firmioribus lignis, qualis est quercus, ilex, ulmus intelligendus. Cæterum de carbonum & ad hos lignorum accommodata varia natura fusè disseruit *idem Theophrastus l. 5. de plantis cap. 10.* Itaque prout firma aut debilis est materia calefaciendi cauteris, respondens consequitur in his accensionis modus, sic duræ materiæ carbones accensi multam vim imprimient urendi instrumentis: sed lentam hi, qui molles sint mediæ facultatis erunt, qui mediam inter duram & mollem fuerint, nacti substantiam. Ita roboreæ prunæ, & præsertim, quæ ex nodosis partibus fuerint paratæ, validissimæ sunt futuræ; leniores, quæ ex buxo aut corno, multo minores ex fraxino atque ulmo, lenissimæ ex hedera, salice, lauro: Exilissimæ & sambuci ligno veniunt; Tolerabilissimæ ex arundine, è stipitibus ferulæ, tapsiæ, canapis, lupini, dypsaci dabuntur:

Gradus varii pro materia autorum aut rescissorum ignium.

dabuntur: Ex lino & stipulis, incomparabiliter debilis nemo est, qui non videat. Ita pro variis usibus intendi minuivé facilè vires ignitarum licebit.

CAP. VIII.

De coërcendis imminuendisvè ignium modis secundum obiecta corpora atque loca regionum.

ITa quidem enarratæ ignis materiæ natura se habent: Cæterum & secundum obiecta varia, id est, substantiam corporum, horumque partes ac affectiones remittuntur etiam & infringuntur eiusdem vires, frigidiora enim quo fuerint illa cũ magis obluctentur, maiorem exigunt ignitorum vim. Indicio sit, quod per brumæ rigores impensè frigentibus fermeque obstupescentibus manibus possumus innocuè prunas ardentes capore, continereque non indivisibilis temporis spatio; quamquam etiam citra hanc causam quosdam videas nuda manu carbonem ardentem aliquandiu ferre; ob cutis nimirum puritatem ac densitatem sicut adnotavit Laurentius Jubertus in paradoxis; similia propè sunt, & humida lentaque, quæ quantum distant à forte ignis, tantundem eidem obsistunt, etiam indivisibili temporis spatio. Contra calidiora præsertim, quæ talia sunt actu, nec non quæ sicca; quoniam affiniora sunt, non tam acres urendi modos expostulant. Aliud quoque facit, ut altera sustineant vehementiorem impressum, Altera nequaquam, quod acriori sensu prædita sunt hæc, obtusiori illa. Atque ita observatum est à nobis, ad tolerandam vim ignis, tum potestate, tum actu valentem accommodatiores exhibere se senes, quam juvenes. Mulieres quoque dicerem magis, quam viros, nisi, quòd illæ vel ad memoratum, nedum inspectum ignem exhorrent, ac vociferantur, sed & qui gracili tenuique sunt corpore (delicati vulgo vocantur) gravius afficiuntur è prævalida vi ignis, quàm carnoso plenoque habitu homines; item, & qui molles, quàm qui duris laboribus cælique iniuriis externis assuevêre. Mirum est igitur ut germani, qui frigidiori cæli plagæ subiacent ac proinde coactioris sunt habitus, sic abhorrere ab ignis remedio, ut neque etiam fonticulos admittant in necessariis casibus, quod *Cornelius Tigurinus in lib. de script. chirurg.* etiam Germanus homo testatus est: contra Æthiopes, Abyssini, Ægyptiique & Turcæ, Thracesvé & sanitatis gratiâ libenter ustura à medica manu recipiunt, & levi quâdam libidine & studio placendi gratificandique amatis puellis ultro sese brachiis, & pectore tenus multis ictibus conurunt, ut nos & ab his audivimus, & *Hieronym. etiam Fabricius certâ famâ retulit libro chirurg. oper. tit. de chir. capitis.* Quid? quod Nomadas Libiæ populos scythasque tum apud Herodotum, tum apud Hippocratem legi pro propellendis à se morbis nil usitatius habuisse igne: Mirum est, inquam, de adversis utrorumque moribus, quorum quibus magis esset amplectendum, magis est alienum remedium: sed consuetudo facit sæpe, ut quæ sunt insuavia, videantur commoda

Senes magis quàm juvenes ignem nudo corpori adhibitum ferunt.

Germani à fonticuli remedio alieni.

Turcarum amoris æstu proculsorũ mos.

Nomades & Scythæ ignis remedio confidentes.

& quæ incommoda sunt, amica satis videantur & lenia. Itaque consuetudo diversitatem facit. Neque abs re dictum est, ab antiquis consuetudine vivendi & ipsam vinci naturam.

Co[n]d[i]tur[a].

Hactenus & secundum crasim & sensus dotem, ætate & sexus, & habitus corporis, & vitæ genera & consuetudines monstrati sunt ignis transferendi modi. Superest ut partes nunc expenduntur, quæ præcipua quadam, & peculiari ratione sunt consulendæ. Nam pro calidis frigidi, humidi, sicci qualitate & natura; pro duritie ac mollitie, soliditatis, cavitatis, densitatis, raritatis, compacturæ, laxitatis, crassitudinis, tenuitatis; firmitudinis, fluxilitatis; dignitatis, utilitatis, simplicitatis, multiplicitatisque substantiæ; sensus denique atque habitudinis universæ modis; hos aut illos ignis recipiet gradus. Alia, inquam in ossibus & cartilaginibus ustura est, alia glandulis, alia vasis, fistulosisque ductibus debetur. Ad hæc diversa nervi, quàm tendini huic, quàm vinculo carni, quàm cuti: & ut dicam in summa, alia in spermaticis, quàm in sanguineis est inurendi ratio. *Hipp.* sicut observare possum in *lib. de inter. affect. 19. & 56. & passim alibi*, in carnosis quidem partibus ferro; in osseis verò & nervosis fungo; in coxendicum vero dolore sine periculo discutiendo, lino crudo ad inurendum utitur. Quorum ea ratio est (sic adnotante Hier. Mercuriali) quòd caro propterea, quòd est humida, firmior igni, qualis in ferro servari potest, maximè resistit. Os & nervus ab igniti ferramenti impositu exarescerent nimis, facileque suam crasim amitterent. Altera delectæ illius per ignem curæ ratio est fortasse, quòd ossi debilissimo propeque exangui tegumentum proximum est membranæ, quæ vividissimum extremè sensum à natura sunt nactæ, talis autem à principio carnibus non obtigit, quare vehementi in his cautere, obtuso in illis est opus. Ad hæc & pro ratione partium ferramentum variè imprimitur. Hippocrates quippe in urendo humero sponte dilapso sub alam cauterem tantum immittit, quantum cutis duntaxat exulceretur, non ut subiecta corpora contingantur. E junioribus verò *Rugerius ac Rolandus in curatione polypi* cauterium cuti capitis adhibentes leviter inprimunt, admonentes, ne cerebrum ex vicinia calorem concipiat & inflammetur, quam eandem sententiam citat *ex Avic. Theodoricus etiam approbatissimus chirurgus in lib. 3. cap. 45.* quod est de cauteriis. Atque hæc quidem in simplicibus, in organicis verò ut exempla producantur tutius in cute capitis & calce pedis, quàm in superiore ipso pede vel manu; tutiusque in his, quàm ani partiumque proximarum umbilici atque oris interni partibus inuretur. Atque in his etiam omnibus, quàm oculo & id genus. Ad summam pro locis, in quibus est passio & pro pellis æstimatione cauteria vehementius imprimuntur aut levius, inquit *Vegetius lib. I. veterinaria c. 28.* Hi sunt ustionum secundum obiecta corpora moderandorum modi. Habes jam de corporibus, quibus ignis adigitur, demonstrationem; cæterum quod aliquid ad locorum rationem pertinens dicturos nos promisimus; illa pauca tradere possumus,

Par[tium] dis[crimen] ign[is] do.

possumus, quæ *Theophrastus lib. de igne* proposuit; in sole videlicet malignius; parcius, debiliusque quàm in umbra ignem perurere; quod fit propterea, quod rarescit sub luce maxima luminaris; densatur verò in opaco loco virtus ignis utilis nostri.

CAP. IX.

De deferendis ignium modis secundum propriam affectuum omnium rationem.

RECipit, & ignis multam modificationem ex variis morborum generibus ac differentiis; qui tanti sunt ad variandum diligendumque ignem momenti, ut prima & maxima sit ab ipsis deligendi ratio, & huic uni debeant servire cunctæ aliæ dispensandorum ignium rationes; quo non sit mirum in præsenti, si in postremum hunc locum distulerimus hanc enarrationem, tanquam id, quod unum resolvuntur, tendunt & recidunt omnia. In universum igitur affectus corporis, aut vitia, quæ ignem desiderant, quoniam tam extremo calore juvantur, frigidi sint oportet, sive cum materia sint coniuncti, sive simplices & nudi sint, & sive exortu fuerint calidi, de situ vero frigidi, sive frigidi semper extensi ac tales à principio. Secundò, & qui humida quadam intemperie cum humore eiusmodi coniuncto foventaffectus, ignis opem sentire minimè non possunt, sive quòd materiam, cui infixus idem est, educit foràs, sive quòd absumit; sive quòd ulcere relicto commodam ad effluxum viam facit. Qua ratione etiam elevantur hi morbi, qui abdita quadam intemperie dependent, ut lues venerea atque hoc genus excitato ad crus, sive & ad inguen ulcusculo, quod fonticulum vocant, veneni vim, quæ jecori & huius ditionis partibus insidet; facile per illud emissarium exonerat ac deponit. Hi quidem ex intemperiei genere sunt morbi, qui suam recipiunt ab igne opem.

Præter quas & hi sunt, qui in compositione referuntur, ut tumores, qui si suppurati sunt, profundè sic accipiunt saniei vacuationem, si non suppurabiles cum vitiosa continenti causa sint coniuncti, processuri in ulcus proserpens, cohibentur, & vitium omne deponunt atque excutiuntur. Neque aliter ulcera ipsa, quæ vitia sunt solutæ unitatis, sive dysepulota, sive exedentia, sive cacoëthe &c. hâc ipsâ ratione castigantur, depurgantur, carnem & cicatricem induunt & si disrupta sint, ut ramices, inductâ crustâ occallescunt.

Dixi de morbis, causas vero quæ hos produxêre, id est humores malos dubium non est caloris vi, aut attrahi foràs, aut dissolvi, aut si hæc non licet, data exitus viâ sensim exhauriuntur. Postremo symptomata quæ tertium faciunt genus præter naturam neque suo levamento carent, sive dolor sit, qui molestat, sive sanguinis profusio, hæc quidem inductâ vasi crustâ, ille vero sublatâ causâ, vel imminutâ, vel stupefacto sensu. Ita nullum eorum, quæ præter naturam se habent, genus est, quod ignis adhibiti fructus non sentiat. Jam igitur illa, quorum virtute in tractandis hisce affectibus fit ignium immutatio, patent.

CAP. X.

De mitigandis ac modificandis ignium momentis, secundum interiecta impedimenta ac varia eiusdem distinendi commenta.

HÆc quidem aliquanto generalius de moderandis extremis viribus ignis: nunc enucleatius atque exactius de hac eadem exequenda re secundum interiecta impedimenta dicimus; quæ una scilicet sunt, quæ singulariter exuperantes ignium excursus frenare cohibereque possint, adhibitâ rerum discretrice prudentiâ, frenantur autem & maximè cohibentur illi cauteres, qui robustæ & firmæ hærentes materiæ feriunt; secundi sunt hi, qui mediocriter feriunt, sed hi, qui levissimam vim imprimunt etiam si eam ob ipsam causam, quod mitius affligant, deligantur, tamen, quia & vitia exilitate, & partis dignitate, atque acri sensu summa remedii lenitas exoptatur, & suæ sunt quasi benignissimæ imminutiones. Sed cuncta patefaciamus exemplis: quæ spectent quidem primum ad physiatriæ usus, deinde ad privatam chirurgiam.

Si ferrea igitur instrumenta sive ad retinendum diutius conceptum ignem, sive ad vehementiorem huius vim imprimendam deligantur? Cuius tamen applicatus vel parti sit intolerabilis vel difficilis vel periculosus (ignis quippe παμφαγὴς est ab Euripide dictus, ad peccantia & non peccantia semper indiscretè transcurrit) tam multiplex est robusti cauteris coërcendi via. Prima est, ut non admodum incandeat mollioribus submissum prunis. *Idem Hipp. l. de visu* ad inurendas palpebras usitandum voluit & *Albuc. l. 2. c. 27.* in auris caruncula ductum obstruente radium leviter igne contactum immittit. Aurelianus hos vocavit tepidos *lib. 5. chron. c. 1. Paulus vero* frigidos *l. 4. cap. 7.* hoc ad columellam profundè prolapsam & ad callos manuum pedumque verrucas acrochordonosatq; alias huiusmodi eminentias.

Secunda observatio, ut non admodum propè parti admoveatur. Ita *Aurel. lib. 5. chron. c. 1.* psœadicis & ischiadicis vult pustulandos cauteribus longis, quæ cutem tangere minimè debeant. 3. ut ferramentum proximè adhibitum non stabili manu contineatur, sed ultra citraque pertrahatur per transcursum, dicunt. Tali utitur *Celsus* in pilis palpebrarum molestis extirpandis *l. 7. c. 7.* & in gingivis putridis exurendis *l. 7. c. 12.* & in rhagadis labiorum, tum *idem Cornel. l. 7. c. 9.* tum *Albucasis l. 1. c. 26. & c. 20.* Ad hunc quippe modum adhibitus ignis perinde ut interceptus quàm levissimè atttinget. Cuius rei rationem afferens *Theophrastus l. de igne*; flammæ, inquit, trepidatio aliquid mutat; proinde qui in flamma manus movent leviter, non uruntur. Nam celeriter manus agitatio etiam partes transmovendo uri prohibet; non enim urit tantundem non permanenti. Quo fit, ut qui in Sole ambulant, minus urantur sedentibus, & qui currunt etiam ambulantibus minus. Hæc ille aliàs quidem uno in loco professus, cæterum

Marginal notes: *habent igne nō elevantur.* — *Quæ cauteria maximè opus habeant correcta manu, itemq; qua minus.* — *Prima ignis moderandi ratio.* — *2. Ratio.* — *3. Ratio.* — (left margin, cut off:) *...n corpo- ...ffectus ...vitia ...rant ...n. ...rigidi.* — *...umidi.* — *...oidis ...libus ...ratio- ...ndu- ...gnis.* — *...lorbi in ...os. & ...s sup- ...ati.* — *Vitia u- ...tis se-* — *...usa.* — *...llum eo- ...n qua ...ter na- ...am se*

terum in alio, ubi scilicet de multiplicis ignis interitu candentia verucula vehementius atque arctius pressa minus urere dixit: nimirum quòd rũ minori causa maior exitium & tabem affert, tum quòd principium opprimitur & strangulatur. Planius vero pressum ignem effluere non permittit, at qui cum non effluit, parum urit. Ita quidem depressuille, quem neq; nos diffitemur.

4. Ratio.

Verum neque hoc uti partibus in omnibus licet, 4. ut aliquid, proinde ut Soli nubes, interponatur, quæ ratio postmodum exponenda multiplicibus obiectis fit varia. Ita *Hipp. lib. 2. de mor. n.34.* Secundam & quartam polypi speciem à se constitutam fistulâ immissâ (καυτῆρ vocavit *Hippocrates interprete Galeno in libro de glossis*) ferramentis tribus aut quatuor exurit. Quam rem imitatus *Cornelius l. 7. c. 11.* naripatienti ozænam conjectâ fistulâ vel calamo arundineo, qualem rectè videtur interpretatus, Hieronymus Fabritius candens tenue ferramentum immittit. Ita ad decutiendam extinguendamq; hirundinem forte gulę defixam, hanc per immissam fistulam coniecto calido ferramento daturbat *Brunus Longoburgensis conterraneus noster l. 2. c. 9.* quam rem credo accepit *ex Albucasi l. 2. chir. c. 39.* Interim adnotare libet Hipp. ex utraq; hac modo recitata via; 3. inquam & 4. mistam unam confecisse, cùm *l. de fistulis*, ad hoc genus curandum ferramentum, quod candens immittit, inductâ in intestinum fistulâ vult frequenter eximendum. A quo ipso loco fortassis edoctus idem *Fabricius in operat. chirurg. c. de ozæna*, immissum in narem cannulæ terreæ candens ferramentum intrudit, eximitque & reducit sæpe consulta circa id ægri tolerantia.

καυτῆρ Hipp. quid?

Ex arundinis canna ustio.

Jam autem quando cannæ sermo productus est, venit in mentem ratio per longum arundinis internodium urendi partes sine magno incommodo; huius enim extremo uno ad vitium admoto, altero flammam adepto, mollissimus erit, qui resurget, ignis, tum rarioris ignitabuli substantiâ, tum longiore subeuntis ustilaginis intervallo; quæ sane ustura illud etiam commoditatis habet: ut si propinquans carni incendium gravius sit, quàm ut homo tolerare queat, immutari versus & alterum internodium liceat, ac dum sensus tulerit, igne flagrantem detineri.

Sed ad interrumpendas ferramentorum ignitorum intemperantias ex adiectis corporibus rationem nunc ostendimus quę corpora prius sic in species diducimus, facientes alia solida persistentiaque, alia fluida. Ex solidis alia dura, ex quibus metallica, alia mollia, ut lana, laneum, linum, linteum. Gossypium hæmorrhoidis inurendis primum imponit *Hier. Fabric. in operationib. chir. c. isto Thom. verò Fienus l. 3. de caut. c. 8.* retulit esse quosdam sibi cognitos medicos, qui curantes apoplexiam caput pileolis lineis multiplicibus aut gossypio farctis supra caput laborantis positis galeam igne candentem adhibent tantisper dum lintea comburi incipiant. Nempe sic ignis vis obtusa propemodũ ac fracta caput leviter tentat facitq; ne menynges inflammentur. Quibus viris esse dux potuit, *& Albucasis qui l. 1. c. 22.* ut dentem dolenté leviter inurat, xylinum aut lanæ hapsum butyro intinctum prius imponit: cui mox ferramentum ignitum imprimit donec perveniat ignis ad profundiorem civitatem erosi dentis. Nos aliquando carne bubulâ crudâ contactum ac repressum plus minus, ut lubuit, candens ferramẽtum ad vitia percuranda adhibuimus, docti scilicet ex eo, quod imposita cauteris igniti diutulè vim urendi servant. Contactum quoque vel refricatum figulinę, argillæ, vel folio capitatę brassicæ involutum quid prohibet ignitum cauterium admovere? Profectò, & hæc, & alia non pauca comminisci licebit ei, qui curiosius in hanc rem incumbere non gravabitur.

Nost[ra] in[...] igni[...] tion[e]

Hum[...] quib[us] ad in[...] duct[...]

Ex fluidis est aqua, lotium, vinum, mustum, lac, oleum, mel, succi stirpium atque alia pro ratione affectus. His enim ad conceptacula locis dolentibus respondentia atque accommodata coniectis calidis frigentibusvé uti libet. Ad vasorum autem extrema, quæ corpus non tangant, aut lateres aut ferramenta candentia imponemus, quibus diutius vel brevius contectis sic vitii causam ex languida parte excutiemus; horum exemplum illud esse potest, si cyathus expeditus & humilis, aquâ plenus tegulâ candente contectus supra partem dolentem quam diu fuerit opus contineatur. Item si candens crassius ferramentum panno involutum madido non multum statim imponatur. Tale quidem dolenti linguæ cancro memini, me quondam utiliter adhibuisse. Adde, & leviter oleo, lacte, butyro, sanguine, melle, ut sapa intinctum; ni videntur, hæ tamen fotus, potiùs, quàm ustionis modi. Omnibus equidem his rationibus ad exiccanda ulcera vel leviora vitia reprimenda præsertim, quæ locis perdebilibus insunt aut proxima sunt, feliciter sunt uti suetus, ut ulcus aliquod cavum, præsertim amicum sanguinem profundens belle adstringat, crustaque solidiore firmet; prius autem succum quempiam adstringentis herbæ infundit, mox candens ferramentum immittit *Thomas Fienus lib. 11. de cauter. cap. 12.* quâ nos ad leviorem usturam ratione, atque amplius si ignem minus intendi placeat uti quid prohibet? Hæmorrhagiæ porro sistendæ cauterium candens oleo rosato tinctũ confestim adhibetur ad partes quas nervi circumstant *Federicus Georgius in arte accipitraria.*

Cyath[us] exped[itus] humor[...] num te[...] cande[...] conte[...] novu[...] urend[...] iumen[...]

Caute[rium] cande[ns] tinctum humid[...]

Audi vero qui contractis aliquo morbo nervis opituletur per ignem *Celsus l. 2. c. 17.* sal inquit sic linteo excipitur demittiturque in aquam benè calidam, tum super id membrum, quod fovendum est collocatur juxtaque ignem ferramenta duo sunt capitulis paulo latioribus, alterumq; ex his demittitur in eum salem, & aqua super leviter aspergitur, ubi frigere cepit ad ignem refertur, & inde in altero fit, deinde in vicem in utroq;, inter quæ descendit salsus & calidus succus, qui nervis opitulatur. Hunc ipsum salis administratũ intellexisse *Plin. l. 31. c. 9. cum interprete Marcello* volumus. Cum his, ait, colum torminaq;, & coxarum dolores levat in iisdem saccis impositus candens.

Nervis languent[i]bus igni fotu [...] tulatur.

Ex corrigentium quoq; genere compositionẽ licebit facere ex argento vivo & aceto, & ovi albumine restincto, quam *Baptista Portain l. 10. Magiæ naturalis* maximè defendere ab ignis insolenti vi testatus est; cui rei & illicitum ex ovi candido valet,

Qua vim ignis imp[o]sita corpor[a] repriman[t]

valet, si Plinio credimus, quo ipso perfusum lignum non ardere testis est *idem lib. 29. cap. 3.* ex aceto & ovi quoq; albumine compositione valdè igni resistere scripsit *Theophrastus l. de igne*, cuius experimenti rationem reddidit, quod alterum lentore cutem obducit & quasi operculat, alterum; quâ opus est, acrimoniâ penetrat in ignem restinguendum. Idem quoque vir inviscata non uri dixit, nam viscum, inquit, frigidum ac lentum est, ut propter densitatem non recipiat, propter frigus extinguat. Meminit & hunc usum aceti, visci, ovi à *Theophrasto*, ut opinor, *doctus Plinius l. 33. c. 5.* Post hos vero *Io. Costaeus l. 1. de uniu. stirpium natura cap. 28. & l. 2. cap. 24.* multorum hominum experimento testatus ex hybisci radice, portulacae & mercurialis succo illitis liquatum plumbum innoxiè tractari. Ad haec si *dictanti in 3. secretorum Fallopio* credimus, pulchra duo fuerint experimenta, quibus quaesitum ignis beneficium, noxam verò nullam aut exiguam recipiat ustus homo. Vnum est: si epilepticus, apoplecticus, aut lethargo vel alio quocunq; capitis affectu frigido pressus homo expergefaciendus exuscitandusque sit, ex sulphure auri pigmento & oliva facienda mistura est in unguenti modum, quo illinendum caput aut alius locus est, cui admota facula ignis quidem exsultabit amplus, sed incommodum nullum inducet. Alterum est ex semperuivi & malvae succis ac ovi aquato factâ misturâ locus perungitur, ad quam partem insperso sulphure vivido tuto, cum datur ignis, exultabit flamma, nihil inferens mali. Multae quoque ex his leges apud *Iacobum Weckerum opere de secretis lib. 2. tit. de igne: ex magno Alberto p. 45. & 46. & 54. & 55. ex Fallopio pag. 52. ex Baptista Porta p. 55. &c.*

[...]pii ex[...]enta [...]amma [...]a de[...]nda.

At ex fossilium genere sunt alia; ex terris argilla, lutum, cimolia; ex duris alia sunt uno vel ad unitatem compacto corpore; alia minuta sunt & tuta, ut arena cinis & hoc genus. Res additis exemplis explicemus cauterum vis ambiente circumfistulâ metallicâ restringitur, ut in ulceribus intestini recti, quâ ratione usus est Hippocr. ut dictum fuit. Nisi autem in orbem sit ulcus & ulcerosa pars, sed lata & plana, lamello tenuis vel ferrea, aut aënea vel argentea succedit, quae satis ignis fervorem reprimet ac remittet.

E mollibus distinentia ferrum 'perplura sunt apud *Aurelianum cap. 1. l. 5. chron.* exempla, qui Ischiadicis proponit saccellum sale candido plenum, cui primum aquam marinam leviter inspergamus, mox cauteres igneos latos apprimemus ad exudatum & *eodem c.* sed inferius *p. 515.* involutum locum inurit cauteribus: sed ad colicam *lib. 4. cap. 7. pag. 472.* sacculis sale repletis cauteres superponit, & circumvoluit, p. verò 510. Reduplicatum panniculum aquâ madidat, nunc oleo quem admodum p. 511. p. 510. M. Enchrista, id est, unctoria generatim dicta cuti suffundit; verum ubi non sint ex ferro cauteres, sed ex minoribus aliis ad insturas, prunas vas continens congruae magnitudinis docet insternendum *idem Caelius dicto loco 508.* Ad calcem autem, vim impressuram, ceram loco dolenti subiicit *p. 510. vel ut 119.* Oleum farinae massa circumpositâ latè capiente perfundit atque hoc cauteribus ardentibus ad fervorem acto ad locum pustulandum curat. *p. 508. alibi etiam p. 510.* F. madido supposito diplomati tabulae tiliari, quod oleum & concisum struthium accepit, igni immittit, donec materia carbonescat, pustulasq; cutis suscipiat. Atque haec quidem ad actuosos cauteres; caeterum & ad potentiales, quos vocant idem vir & panniculos interponit, sicut videre licet *in modo citato capite prim. lib. 5 p. 509. F.* Hactenus Aurelianus: quem quidem virum subditis è sale sacculis, cauteres scintillantes ferreos imponentem imitatus ut mihi videor, est *Avicen. qui l. 3. fen. 22. tr. 2. c. 17.* ad podagrae segnes humores efficacissime discutiendos locos patientis sale instrato atque oleo superaffuso & panno imposito plures ignitos cauteres inducit atque restinguit. Ita quidem antiquiores viri; caeterum, è iunioribus nostris *Pietrum Argellatam* est legere qui columellae prolapsae revocandae sal candens in linteo ligatum occipitis cavo applicat *l. 5. tract. 10 c. 2.* Jam autem quoniam de prunis dictum est, illud narrabo quod neque etiam paganos homines latet. Isti enim ubi per brumam affliguntur pernionibus, quippe qui quotidie per nivosa loca perambulant, super ardentes prunas cinere vel furfure coniecto pedes quâ dolent, imponunt, nunc attiguas igni, nunc longius nunc proprius continentes. Ita plus semel bis autor repetentes improbas tumoris acerbitates discutiunt: quanquam aliâs nostri (ut experimenta ignis omnia non taceantur) caeparum assarum dissectas secundum longum plures ternas vel quaternas sic calentes statim applicant ut dolorem mitigent. Consueverunt & alii perniores fovere calidis ad huc favillis, & cineribus resperso furni everriculo, qui plurimum ex panno lineo, plerisque verò populis ex foliis arborum aut minorum plantarum colligatis componitur, tum mundulus à mundando illo, tum scopulis à scoparum usu vocatis. Æs quam maxime calidum quis pati potest ad hoc rei probavit *Celsus l. 5. c. 39. §. 6.* *Fallopius* (ut ne curationes empiricas contemnas) *refert l. de tum. c. 6.* dolentes sibimet ex hoc vitio calcaneos illisis ad hos saepe calidis cineribus matre monente persanabat. Possunt quoque & in calcem vivam aquâ accensam medii panniculi vel diplomatis interiectu calcem conicere hi, qui hâc corporis parte dolent, aut plantam hi, quibus importunis callis incessus vetitus est: aut, quemadmodum fecit *Aurelianus l. 5. c. 1. p. 509.* ex calcis, sulphuris, sinapis, aequis ponderibus contritorum & hydraelaei pauci mistura illita linteola, perstrato alio linteolo tenui quo pustulescat locus, imponi docet. Praeter haec, quae solidioris in hanc rem materiae sunt adiumenta, nec fluida quidem minus usui sunt apud autores alios. Nempe *Nicolaus Florentinus serm. 7. tract. 4. sum. 2. c. 64.* perniones probat ut demissi teneantur in aqua calente donec emolliantur. *Razis vero 25.* continentis agens de paronychiis (sunt hi persimiles affectus) ea vulgari ritu in oleum calens infundi non improbat: & in opere divisionum confert (inquit) non ad huc suppurato paronychio

Pernionibus quo pacto pagari homines medicentur.

Aes quam maxime calidum pati potest homo pernionibus utile.

[...]libus [...]m in[...] [...]sorius [...]p. a.

rony chio si digitus demittatur in oleū olivarum, aut in ol. ros. fervefactum, sic ut minimè perurat. Porro confirmatum est *ab Arist. l. primo probl. 50. 55. 56.* genus hoc à calore summo curari, propterea, quod humor concretus dissolutusque dissipatur. Aliud ad hæc taceri nolim; quod non incommodè locus recipit, ad defendendas circumsitas partes; & ad ferramentum stabili manu tenendum, ne vacillet, actio plerumque adhiberi cannulas metallicas intro subeuntibus cauterib', cuius rei exemplum illud proponere possumus ex Savanarola *tract. 6. c. 2. rubr. 6.* si ad exhauriendam, ex aure aquam, quæ illapsa est, candens per tubulum ferramentum admoveatur.

LIBRI PRIORIS PYROTECHNIÆ, PARTIS TERTIÆ,

Introitus.

GEnerales & communes ignis administrandi rationes locosque discussimus, minutiores nunc exponemus, sive quæ ad effectus ignis pertinent per se agentis, id est, per calefactum, discussum, extirpatum, diruptum; sive ad eos, qui ex accidenti eveniunt, crustam, cicatricem, evacuatum, quarum utramque omnium operarum exposita re nil puto equidem huic nostræ doctrinæ desiderandum superesse. Sunt autem adversiones omnes, partim in ipsa opera facienda, partim etiam ubi facta est, exequendæ. Quas suo singulas ordine pertractabo, primum autem agam de percalefaciendarum partium usturæ qualitate idque capite primo sequente.

CAPVT I.

Qualis esse debeat ad percalfactum ustura.

NOn infrequens sanè percalfaciendarum igne partium est necessitas, ad huc, & humoris exiccandi, absumendi, discutiendiq;, qui detentus & immoratis morbum facit, neque huic semper operæ medicamenta satisfacere volent, quod partim his qui studiosè medentur, experimentum prodit, partim etiam monumenta veterum scriptorum si hæc accurate legimus: potissimum vero si meminimus productorum compluriumlocorum & *Razis & Damasceni* ad apoplexiam *Cælii methodici* ad paralyticos, ad afflictatos demas, ad stomachicos, ad hydropicos, ad cachecticos, ad atrophiam, ad colicam, ad lumbricos, ad Ischiadicos & præadicos, ad arthritidem, ad podagram, ad vesicæ passiones, ad polysarciam atque alia quædam. Nos verò annumerare ad hæc possumus & dolores partium universos, perfrictiones, œdemata, emphysemata, gummi, syphilia, phygethla, perniones clavos, & callos pedum ad ambusta, ad squamas ossium cito decutiendas, & ut experta alicubi dixi, difficiles in ulceribus cicatrices. In quorum omnibus aut compluribus ostendam nunc, quod operæ pretium iudico, quodque propositi ignis administrandi rationem eo facto principio.

Constitit aliquando duplicem ignitabulorum omnium esse administratum: alterum ad vitium appressorum, & detentorum; alterum ad longè, sive manu stabili, sive transcurrente admotorum. Prior profectò modus inutilis & alienus est, quippe qui maxima cum vi prolatus præterquam momento imprimi inculcarique non debet. Talis incommodus ad rarefaciendum, laxandum, fundendum; & discutiendum, quæ sanè operæ mediocrem aut lentum caloris modum atque halituum requirunt, non summam vim atque retorridam: enimvero in terrenam crustam, non in halituosam natura succos verti studium est; quantum igitur momentaneus ad perurendum ictus brevi se expedit, tantundem incalefactio diutius exigit temporis; ob eam rem conficitur, ut abstracta manu non ad corpus innixo cauterio peragenda hæc opera sit.

Illum tam adverti debet, licere & manu firmâ vocata per nos ignitabula super membro continerem, si corpora qualia alibi dixi fervorem extremum distinentia interponantur. Vbi verò ambigitur, stabili ne ipsa, an ut dixi percurrente, responderim, ut partis conditio & sensus præsertim; & conformatio popolcerit; inurentibus intestini recti ulcera vel hæmorrhoidas, non aliter quàm discurrendo exusseris; & per fistulam, ut præmonstravit Hippocrates, perniones ut sustinuerit; pedum dolores aut podagrici propriè vel alii forent. Hos porro vidi Turcam indigenum ad moto ad proximas ardentes prunas pede stabili discussisse; quæ res, & ad roborandum atque admodū exiccandum articulos sub mucida colluvie diffluentibus, &c. huiusmodi valere poterunt.

CAPVT II.

Quæ ad exhauriendam partem vitio tactam sit ustura.

EXhauriendæ diu particulæ, quæ vitium senserit, suus item erit usturæ modus, qui tum magnitudine, tum numero discernitur. Itaq; magna & multiplex vacuationi magnæ, brevis & una pauco eiusdem usui deputatur. Et multa vacuatio vel lato planoq; cauterio, vel numero pluribus, & minoribus paratur. Instituitur pauca exili uno ac tenui. Exempla latiusculi cauterii ad maiorem manationis operam; promptum est legere apud Albucasin, quum ad hepaticâ & intemperie frigida malè affectos, & gibbos & ischiadicos, latos ferreos circulos & rhomboides assumit: Similiter ad herniosos, & ad palpebram resolutam & pilis vexatam lunatis & planis ferramentis. Exiguo verò cauterio (quod

(quod nomine puncti radii nos dicemus) ferit dolentes aures ac dentes, atq; alias vitiatas particulas passis. Quod vero ad plures numero cauteres, & in pulmonis hyderis, & in tussim & luxato humero, ambifido trifidoque perurit.

Esset hic quidem locus, quam rem equidem facilè exequerer exercendis competenti numero ustionibus: verum quando singulis in morbis humani corporis, qui tolluntur igne, numerum & modū ustionum ab autoribus omnibus Græcis, Latinis & Barbaris tum veteribus tum iunioribus decretum atque probatum exposuerim in entropyria, non est quod inpræsenti laborē hunc mihi scribendi aut aliis legendi faciam. Nihilominus ubi quispiam ea re delectetur eius rei doctrinam ex *Thoma Fieno l. 4. de cauteriis c. 1.* plenissimam haurire poterit.

CAPUT III.

Ad extirpandum penitus vitium, quæ nam esse debeat Usturæ ratio.

Vitia quæcunq; subdola corporis, nisi funditus evertuntur unâ dūtaxat parte rescissa, velut hydrę capita resurgunt, quā ob rem ut oppugnanda sint eadem, monstrorum eiusmodi domitor Hercules ac celebris de eo fabula docuit: hæc autem *ab Apollodoro l. 2. bibliotheces* exposita est huiusmodi.

Hydra mira corporis magnitudine fuit, novem capitibus munita, quorum octo morti obnoxia fuisse dicuntur. Quod autem omniū mediū erat imortale ferunt. Hercules igitur curru conscenso Jolai aurigæ operâ usus ad Lernam conscendit, quo cum pervehisset equos sistit, Hydram in tumulo quodam nactus præter Amymontes fontes, ubi ea latitare consueverat. Quam cum ignitis sagittis impetisset de latebris exilire cōpulit, egressamq; ipsam manu prehensat, prehensamq; tenet; ea vero pedibus statim circumplicita cohibebatur. Hercules cap. contunderis clavâ, nec quiquā elaborabat; namq; uno contuso, duo subnascebantur insuper, hydræ peruasti corporis cancer admorso Herculis pede opem ferebat. Quo circa interfecto cancro Jolai & ipse opem imploravit, qui cum proximę sylvæ partem succendisset ignitis torrib⁹ renascentia hydræ capita inurens, eum in modum renascentium capitum ortus suboriri prohibebat: victor caput illud morti haud obnoxium recisum defodit eiq; ingentis ponderis lapidem super imposuit secus viam quæ per lernam Elecintem ducit. Hanc ego fabulā dum seriis nostris rebus insero, nō dubito in promptu futuros amusos quosdā & nudos medicastros qui continuo subsanent, verum hos moneo, quæsoque, ne me pri⁹ condemnent, quàm audiant mythologiā undiquaq; rei ineæ correspōdentē brevi cōplexā.

[margin: ...retā... fabula ...dra ab ...ule ...pia. ...bus ...ans]

Est hydræ corporis vastitas à stagnante multo humore qui græcè hydor est, congestum alienæ carnis grande concrementum, est Lernea palus in qua monstrum alebatur, humorum lentorum & longo stagnatu putrium colluvies, est effusa serpentis in agros & pecora devastatio totius penè corporis & triplicis regionis eiusdem in dies aucta subversio. Novem intendit capita numero, qui terna ternarii replicatione cumulatissime resultat. Suntque hæ multiplici cuniculorum circuitu revirescentes fistulæ ac multifariam intimo corpore serpentia ulcera. Octo tamē circumferentia atq; externos habitus morti id est demolitioni subdita. Vnū immortale mediū, quod est ventriculus & viscus nutribile, sanguine intimis è fibris suggesto, hanc curru vectus, i. e. cum sumã festinatione succurrens oppugnat Hercules alexicacus Chironis auditor, i. e. heroicus chironiusq; medicus: sunt autem duo equi disciplinabiles animantes, tum usus, tum intelligentia, quibus absolutus medicus ad extremã omnem chir. ducitur, Iolaus vero, mens, qui utraq; adiuvat & ministrat. Hydram in tumulo propter Amymones fontes, i. e. morbū in sua sede secus integros venarū aquæ ductus iacentem, è latebris, i. e. alveo primum excitat sagittis ignis; id est, circum adactis excisoriis scalpris quos pro cohibendo sanguine candentes volebat antiquitas. Egressum, i. e. circumcisu prędītum vitium manu prehendit & continet. i. e. attractum hamis & forcipibus sublevat. Interim se implicat pedibus hydra i. e. venitur tandem ad id quod difficultates pergenti exhibet. Sed capita, id est, multiplices vitii divaricatus contundit, id est proterit & cōminuit, dum autem uno contrito stipite duo expullulant, gliscentes post aliquod tempus verrucas intelligo. Sed cancer, amphybium animal è palude profectum, strenue pro hydra cum Hercule colluctatus, globosa vitii comprehensio atq; durities est, scirrhosa, latè circumvallata, fistularum expurgationem ac demolitionem tanto difficiliorem reddens, quantisper ipsa præsens est: cancro occiso, idest, glomere mali exciso, ad extremum Jolai, id est, supremi conatus accito auxilio, torres ardentes, è vicina sylva, i. e. candētia ferramenta è proximo foco adhibet atq; hydrę prorumpentia capita succendit novumque ipsorum exortum cohibet. Postremum autem cū victor caput imortale recisum non contentus defodit & saxo super gravi compressum, relinquit: eâ re docetur & eruendū omnino fomitem & ne recidivæ suspicio esse possit perinde ut terris perpetuo cum silentio contumulandū. At quod illud est, quod secus viam, quæ per lernam in Eleuntem ducit? Credo equidem, ut cum misetatione languentis concludendū sit hoc officiū, ita apparet; nam non alia huic exemplo sunt necessaria quàm oculatè & cautè; quàm pertinaciter & absolutè sit peragenda vitii cuiuslibet extirpatio. Exemplū autem eius rei singulare pro coronide nunc habebis translatum ex *Albucasi parte 2. chirur. c. 36.* quod Joannis Schenckii verbis refertur ita: Medicatus sum mulieris apostemati, quod natum erat intra guttur eius, quod apostema erat subnigri coloris paucique sensus, iamq; antequam vocarer ferè clauserat guttur & mulier respirabat difficulter, meatu stricto & iam prohibuerat ei comestionem & potum veneratque ad mortem, & si tantum remansisset uno die aut duobus diebus, & apostema iam ascenderat & emiserat duos ramos super duo foramina nasi, properavi ergo festinanter, & fixi in unum eorum uncinū, deinde traxi ipsū & tractata est ex ipsa portio magna, deinde abscidi eā ubi cōprehendi ex foramine nasi: Mox eodem modo egi cum eo quod præcessit ex forami-

foramine nasi altero, deinde aperui os eius & effluxit ex eo sanguis paucus. Liberatū est ergo guttur mulieris & incepit statim bibere aquam, statimq; potuit etiam cibum deglutire, non ergo cessavi incidere ex illo apostemate paulatim aliquamdiu & apostema aliud succedebat loco eius, quod incidebam & hoc pacto pugnavi diu cum malo amputans hydræ caput. Cum autem animadverterem semper succedere aliam materiam in locum partis amputatæ, cauterizaui apostema intra guttur; quare augeri amplius non potuit post cauterium istinc, postea discessi & nescio quidnam fecerit Deus cum ea post meum discessum.

CAPVT IV.

Quænam abscessuum cautere pertundendorum sit ratio.

APeriendorum igne abscessuum quæ sit necessitas alio iam loco explicui, nunc nec quæ ad rectè administrandam hanc chirurgiam faciunt, aliqua præteribo: rem alioquin multis optabilem. Inter cætera proponam unum à me aliquando compertum & factitatum: Ratio quædam nō extinguendi ferri candentis sub affluxu puris, ubi suppuratū abscessum cute extantem placet ignito ferro discindere latiore quidem plaga ad commodum ex ampliore sinu effluxum: quoniam impressum in vomicam cauterium confestim contactu puris extinguitur, nec prosequi necessarium ulteriorem discissum eâ causâ valet medicus: tum sive sub penuria ferramentorum; sive quia plura caverant primum ægrotus & necessarii, sive ad tuendam quàm maximè fieri potest ustionis lenitatem aut fallendam verius eiusdem acerbitatem; consultum est, ut inducto ad plagæ prioris angulos lamulo retuso intendatur sursum attracta cutis, atque ita quod desiderabatur hinc atque hinc plagam ampliet chirurgus. Similis autem aliquâ parte curatio descripta quædam *ab Aureliano lib. 5. chron. c. 1.* curantis distentas anchristis nervosas partes igne peruadit.

CAPVT V.

Qui ad cohibenda sanguinis profluvia conveniat ignis modus.

EX omnibus ignis auxiliis non postremum licet, postrema necessitate adhibitum ad frenandas terrificas sanguinis profusiones uti consuevimus. Seruit autem crusta, quæ mediis in oris vulneris excitata velut operculum & ostiolum quoddam obstat, quominus sequi & facilè erumpere possit humor: quod si propulset hunc spiritus in venis micantibus contentricibus multò maior est crustæ necessitas firmioris & diuturnioris, quam non est quidpiam, quod igne melius inducere queat, ut explicavit *Avic. l. 4. fer. 4. tr. 2. c. 17.* quippe ignis assatas affatim carnes plenius carbunculat. Verum enimvero hæc ad talem producendā escharam requiruntur auctoribus *Aetio l. 7. c. 20. & Raze l. 7. c. 2.* primum ut diaphanum calorem nactum sit candens ferramentum, secundò *Avicennæ 4. 1. c. 29.* ut productior & firmior fiat impressus, quod si sequens ad huc sanguinis effusio cauterem extinxerit docet *Albuc. 22.* candens aliud cauterium inculcemus. Huius autem in forma sit olivaris, siquidem arteria sit magna, radii vero instar, si minor illa sit; cultri formis, si ex oris vulneris emanet sanguis. Adverti ego sæpe ferrum, ubi eximitur, escharam secum trahere, quare consentaneum rationi fuerit ut antequam immittatur 2. vel 3. albumen ovi cum terræ lemniæ vel armenæ pulvere præmittatur: fortassis ita crustulam maiorem affabricabit atq; relinquet.

CAPVT VI.

De malo ignis ad cicatrices inducendas accommodato.

EST cicatrix ad summam callus exiccatæ nimium carni inductus: ut talis autem firma est; minimè aut porosa aut laxabilis eas ob proprietates multarum rerum exhibet commoditates, primam quidem quatenus occæcat poros, locumq; cui pili inutiles & alieni sunt glabrum reddit, secundo quatenus firma & semper contracta elapsus partium durarum aut mollium coxendicis aut humeri gibberum à sua sede cohibet, idest, exarticulationes & intestinorum in herniis sedisque excessus repellit. Prohibendis & interscindendis ad summam humorum defluxibus non alienus est ut in curandis aut catharri descensu vel ascensu, in oculorum epiphoris in hæmorrhoidis largius fluentibus, &c. Quæ alibi memini distinxisse. Ad hæc igitur facienda emolumenta feliciter assumitur ignis si admodum & candentia sint ferramenta, & si vehementius imprimantur, quatenus vas pertundat, per quæ humor inutilis transcurrit. Locus autem eiusmodi vide ne ferrum adhibitū fallat, id est, ne ulterius aut citerius vel lato ungue prætereatur: Mucronatum autem esto cauteriū tenue, si ad tenue vasculum applicandum; olivare vel dactylare, si maius idem existat. At in elapsibus partium decumbentium corrigendis & repellendis sua instrumentorum figura esto circulata ut *Rasi curanti coxendicem l. 9. c. 90. & Alb. l. 1. c. 42. & huic eidem in gibbis c. 45.* & lunata in rupturis abdominis *c. 47.* ac utis & trifidis in callapso humero *c. 27.* quam rem tum ex *Hipp. l. de articul. & Paulo l. 6. c. 76.* transtulit nuclearis Aetius sedem elapsam restituente *l. eod. &c.* Vrendus autem semper locus ad quem decubitus est & reclinatio, ferramentis etiam candentibus & cute extrorsum attractâ, ne partes subiectæ violentur, intimius autem coxendici inducit *Aetius c. 14. c. 7.* Ad hæc tot locis crustæ sunt inducendæ quod laxitatem castigare valent, atq; adeo tam arctè sunt eædem relinquendæ ut coarctata callis frequentibus cutis cumulatissimè restet firma; ut autem hæc conditio non fallat, non explicanda ipsa per attractū, sed rugosa continenda, dum cicatrizatio contrahitur. Itaq; ne brachiū quidem elevandū aut aperiendum concedit *Isaacus Hipp. imitatus l. 9. pr. c. 81.*

CAP. VII.

De cauteriorum generibus & horum usu atq; administrandi opportunitate.

NVnc de cauteriis rectà cum ratione utendis dicemus. De liquidis autē cum non oporteat neq; de his quæ ex stirpium animatorumq; sunt materia, quæ sparsim hoc opere tradita fuêre: cæterum de solidis & ferramentis tantummodo doceri restat, quorum longè frequentior usus est: quoniam autem & de ignitionis ipsorum & impressionis modis & de istorum aliquot explicatū est ali-

est alibi, nunc de formis ipsorum atq; figuris cum suis ipsarum usibus agemus, Eæ sunt diversis agendi modo & operis affectionibus, affectuumque sedibus, habitibus, corporum partiumque conditionibus, ætatibus & vitæ modis, casibus, usibus deniq; variis accommodatæ. Quas ob res non iniuriâ dixit alicubi noster *Ambr. Paræus*: cauteriorum tantam esse in figura varietatem, ut definiri nequeat, multò minus describi: quæ autem tradere possumus discernicula tum ab eodem Ambrosio tum maximè à Thoma Fieno, qui priores in hoc argumentum incubuêre, proposito sunt hæc. Cauteriorum alia punctim alia cæsim, alia sessili pressaq; formâ, κατάπλατ☉, rotula planas dixit Heurnius, serviunt. Deinde alia sunt quę crasso prætenduntur extremo, alia quæ tenui. Vtraque autem vel capitulata sunt, vel acephala, id est, virgæ aut coni cuiuspiam aut specilli plumbei modo rescissa: Capitulata vero vel globosa exactè, vel glandis, digiti, papillæ, nuclei pinus, aut olivæ baccæ formam sunt nacta. Ad hæc alia quæ pyri, pomique inversi sunt formas, alia quæ calva vocavit Hipp. Alia triangula, alia quadrata polymetra, varieq; pro varia locorum habitudine fabrefacta. Ad hæc sunt & lunata, cuneolata, cava fistulataq;, quæ ipsa efficiunt quidem opus, non autem sunt per quæ cauteria oblonga transmittuntur. Atq; hæc secundum Figuram istorum est partitio: cæterum qualitate, habitu, superficie, alia lenia sunt & tota sibi facie similia, alia nonnullâ parte pertusa: Postremo compositionis ratione alia simplicia, alia pluribus radiis cuneolisque distincta: sic bisulci, trisulciq; extant, sunt denique quæ moram & repagulum habent, & quæ non habent. Est autem repagulũ vel proiectura quædam latior, cum inferiore cauteriolo coniuncta, vel transcursim immissus stylus, qui commenso ad cauterium per fistulam demittendum foramini traducitur. Est autem & quoddam forficis figura, communissima autem accommodatissimaque omnibus figura dactylaris & digiti formis: sed singularum usum exponamus: si partem humentem igne siccare animus sit, rotulis est planis utendum, si loci superficies leviter attingenda videtur, sphæricum capitulo instrumentum est aptissimum, quippe quod puncto ferit duntaxat. Si profundius est immittendus cauter, huic gladii forma convenit. Serviunt qui tenui sunt forma ad usturas angustorum locorum, & foramina ossium teredinosorum, adductus ipsorum medullares, ad arterias venasq; temporum & aliarum partium nervos, ad fistulas & cuniculos, ad poros cutis, ad transfigandam ipsam sive integrã sive initiatam, & sinuatam. At ea quæ cæsim percutiunt administrantur ad suppurationes, intercapidines locorum angustas, ad rhagadas, ad thoracem purulentum, atq; abdomen hydrope distentum aperiendum, ad putridorum ulcerum exequendas reprimendasque oras.

Dicam nunc de lunatis & quæ modioli figuram habent, hæc ubi multum & in orbem putris est locus, adurendum apta sunt ad strumas quoq; adhiberi fistulatas licet, quod ex Albucasi didimus. Sed lunata cauteria in eum usum sunt, ut respondens convexa pars semel inuri queat, palpebras exempli causa, quod fecit Albucasis: usitatum item est lunatum ferramentum ad inurendos amputatos artus: exporrigitur enim plerumque os in retractu cutis amplexu, nec planis ferramentis nisi repetitis ictibus commodè tractari omnia possunt.

Si pertusorum ferramentorum usum audire quæris, hunc brevi sic aperiam. Movet appressus ubiq, cauter fumum, qui & virulentiam expressam secũ ducit & repulsus empyreuma refricat, is igitur ut per inducta spiramenta exiliati præterquam utile non est.

Hæc sunt instrumenta, quorum usus explicationem desiderabat. Cæterum aliorum usus tum ipsa forma declarat, tum exercitati norunt, tum nos *lib.* 2. ex autoritate bonorum ostendimus: quare alia non opus est enarratione.

CAPVT VIII.

Quomodo quælibet partes sua ustione tractandæ.

IMmutat & qualitas affectioq; partis, quæ uritur, omnem agendi modum, defendicula figuramq; cauteriorum, sive præstantiam earundem spectes, sive figuram, sive situm; sive conformationem. Aliter, inquam, pars princeps quam vilissima recondita, quam superficiaria, plana, quàm cava; globosa, carnosa & bene habita, quàm ex carnis & nervis tantum, sanguinisq; ductibus cõsita, quorum quidem singulorum generum exempla & enarrationes, quæ succurrunt, dabimus. Cæterum alia, quæ plenius satisfaciant, hæc partim venari complectiq; animo studiosus quilibet potest, partim etiã nos variis in locis & libro mox exhibendo fortasse plenius exponemus. Interim autem quod ad dignitatem partium attinet, hanc in uno capite tractabimus ad hunc modum, est in hac re controversia non pauca: Quidam igne attingendum eo ipso quod princeps pars est noluêre, alii verò inurendum quidem caput, sed in occipitio, in sincipite verò fas non esse. Alii in his quoq; partis anterioris locis, sed citra suturas voluêre è quorum numero Al. Trallianus est, adstruens, quod è suturarum ustione ex aëris incursibus, etiam inflamandi cerebri periculum, ut ex vulnere timendum est, ac tantum etiam fortasse magis quod valentior est ignis energia, sed nos qui cũ Hipp. & Græcis omnibus efficacẽ retinendam chirurgiam volumus, satis hæc credo diluimus suo loco; nunc ad alia quæ ad institutum pertinent devenimus, nam & alia ambiguitas est de modo ustionis, quæ capiti convenit. Nempe unâ ratione nec altè nec multũ exurendum monuisse videtur *Avicenna l.* 1. *fen.* 4. *c.* 29. Ad hunc modum pleriq; cutem tantum attingentes osse abstinent: itemq; *Aretæus l.* 1. *ther. chron.* 1. *cap.* 2. Contra vero calvaria videtur vehementiores usturas sustinere, quæ dura & compacta est, subiectum verò cerebrum frigidum humidum, id est, igni resistentius est; ad huc & remotius, confessa ab omnibus vacuitate, quæ interest. Quibus spectatis omnibus antiqui & coronalem & lambdoidem & squamosas suturas intrepide perussêrunt; verũ cum aliquo discrimine. Fuerunt enim ex his, qui satis æstimant, si os contingeretur, alii non contenti, cranii extenuationem quærentes, ut liberius expirare posset humor. Qui ustionis modus

nis modus duplex est, unus est is, quo uno, semel candente ferramento cutis & conciditur, & os inuritur profundè, quantum satis; Alter est, ut cute capitis decussatim discissâ cautere os extenuetur. Hic legitur apud *Aret. loco nuper citato & Razen l. de cauter.* Hæc certe ratio quantum quidem cruentatu sævior, tantò etiam non prodicti ignis compendio lenior habetur & pro cerebro tutior. Vlteriorem ante dicto terminum in adurendo tenuerunt alii, qui usq; ad meditullium os excisêre cauterio, cuius rei ante monstrato loco meminit *Aretæus & Isaacus fortasse l. 9. pract. c. 76.* ad os coronæ usitatum. Ad huc alii, quorum *Halyabbas est l. 9. pract. c. 69.* excussâ crustâ & os deradendum censuêre, sin magnus fuerit humorum decursus, rursus exurendum, donec pars tenuis cadat. Meminerunt huiusmodi ustionis, & *Celsus l. 7. c. 7. Aurelianus lib. 1. chron. c. 4. Aetius l. 6. c. 50. Paulus l. 6. c. 2. Albuc. l. 1. c. 2. & c. 48.* His tot omnibus propositis modis quæritur inpræsenti, qui sint factitandi, equidem, qui Thomam Fumum cumulatissimum & prudentissimum huiusce rei scriptorem in plerisq; secutus sum & in hoc ingenue sequar. Inquit is *l. 3. c. 23.* exolevisse quidem has urendi rationes adeò, vix ut summatim cutem osse semper excluso audeant cauterio attingere: sed quænam chirur. abolendæ causa fuit, addit. An quod hodie homines effæminatiores, qui non admittant, aut magis blandi timidique medici, qui non urgeant, an verò quod res periculi plena. Decernit cum *Albucasi Chirur. præceptionis initio*; Vstionẽ ad suturas pro finiendis affectibus internis ad denudatum usq; ossis imprimendam, nimirũ, ut exempto membranæ ante murali, quod tentatam à nobis nocentis humoris effusionem cum irrito ustionis molimine perpetuo cohiberet, vacuetur & non maneat causa mali. Quod vero ad squamæ elisum attinet, esse hanc quidem parum tutam chirurgiam nihilo tamen secius in robustis durisq; exercitatorũ hominum corporibus atq; in aliis, sub quibus redundat cum excessu materia, cum *Aretæo atq; Albucasi* statuit admittendam. Quod si *Celsus, Aetius, Paulus, Isaacus* his contra dicere videantur, hac veluti non suâ ipsorum, sed alienâ sententiâ prolatâ & nil plane explosâ; cæterum his inter sua relatis assentiri probabiliter apparent. Postremo excisum igne os ad effusum quidem humoris maximè necessarium, quippe quod altera manente laminæ densitate illud idem impedimenti exhibet, verum enimvero si eo paratur ustura, ut subiecta membrana quæ *9. de usu part. c. 16* colligata hæret, exarescens avellatur; esse hoc profecto per commodum confirmat *Aretæus loco citato.*

Hactenus iam de principis partis quæ difficillime inter omnes usturam perfert; nunc de his quæ ad eandem se habent æquius, id est, de artubus & hoc genus dicamus.

Quoniam autem de cunctis partibus agere nõ licet; illustrissimum ex omnibus erit paradogma, quod proposuit *Hipp. l. 3. de articul.* Hic nempe vir cum cavum alarum inurit, humero, qui sæpe prolabitur, suam ne sedem firmando tres ante oculos observationes & cautiones habendas posuit. Primum ne sit ustura profundior; cutem autem ut hæc non excedat; deinde voluit; ut eadem digitis prehensa paululum attraheretur 3. ne interim amplius quam oportet intendatur eadem cutis, sed sublaxa teneatur; ad hæc ne brachium oppido sublevetur, sic enim & nervi tendentur. Si vero parum attollatur idem, multum cutis apprehenditur, nervi seorsim latebant extra cutem positi. Quæ declarant omnia cutem à subiectis partibus abstrahendam, quatenus illis ustio non incommodet.

Aliam observationẽ disce ab *Aetio Tetr. 2. ser. 4. c. 5.* qui urens medium claviculæ commissuram, tracheiam anxiè vitat; *idemq; vir Tetr. 2. ser. 4. c. 57.* cauterium adhibens collo secus arterias carotidas summatim exurit. Similiter *Paulus c. 53. l. 8.* idem loci iuxta carotidas urens, attractam digitis cutem cauterio tangit. Qua cautione, ut semel finiam, vetustissimi auctores memorati ab *Aureliano lib. 5. c. 1.* distentas Anchistris nervosas partes non aliter ignibus attrectabant.

CAP. IX.

De adurendi ratione.

De ratione nunc adurendi præter ea multa, quæ sparsim alibi tradidimus, pauca nunc & ex intractatis selecta & probatiora præcepta proponemus. Ea verò fuerint non tam de remedio ipso, neq; vitio, neque per quæ instrumenta iam declarata planaq; facta, qualitatem modumque actionis quærit hic sermo, qui me iudice spectat duo, alterum, ut iuvet partem, quæ vitio premitur, alterum, ut ne noceat aliis, quæ licet proximè nil peccarunt nec peccant: Atqui partes vitiatas igne consulto iuvabimus, si putredinem, venenum, malam quamlibet affectionem detrahamus, id quod fiet, si studebimus efficacem ignem tantum imprimere, quantum ad eximendum malum satis fuerit, non ultra; quantum enim adversus noxum exercitum hoc præsidii bene de obsesso loco meretur, tantundem etiam præter modũ adhibitum mirè officit id, quod inculpatum est tentando: exhaurit enim innato calido spiritum; radicalem dictum humorem dissipat, crasim labefactat atque euertit, omnia in cinerem carbonemq; vertit, & vitam his & homini abripit.

Non omittam ad hæc, quod ad partis dignitatem pertinens narravit *Vidus Vidius Chir. novæ fine:* Florentinum Chirurgum, ut caries ex calvaria mulierculæ adimeretur, adeo candens ferramentum impressisse, ut ad cerebri membranam pervenerit, quare paucis post diebus fæmina interiit. Ex his omnibus & plerisq; aliis, quæ non expressimus, cognoscitur, modos operæ ac terminos esse debere iuxta id Horatii:

Est modus in rebus, sint certi denique fines,
Quos ultra citraq; nequit consistere rectum.

Hos terminos fomitis situs, ac profunditas vitii, magnitudo hominis, partisq; natura ostendent, quæ etiam aliqua parte indicat *Avicenna lib. 2. fen. 4. c. 29.* cum ait. Cauterizator sibi cavere debet, ne fortitudo cauterizationis ipsius ad nervos perveniat, neq; ad chordas, neq; ad ligamenta, quod si propter sanguinem, qui fluit, cauterizaverit, oportet, ut cauterizatio sit fortis, ut crusta grossa fiat, & non facile cadat: & paulo posterius, cum, inquit cauterizaveris, propterea, ut carnem

carnem corruptam proiicias, & terminum sanæ scire volueris, erit, ubi dolet, & fortasse tibi necesse erit cum carne cauterizare os, quod sub ea est, & supra ipsum morari, donec tota ipsius corruptio destruatur. Cum ergo fuerit, quod sicut cranium subtiliter ipsum operare, ita ut cerebrum non ebulliat, neque ipsius panniculi corrugentur, & in alio osse ab ipso non cures perquirere.

Hæc ille, citeriorem potissimum usturæ modum edocens; Cæterum vehementiori opus est ad crustam sanguini coërcendo quæsitam, cæterum vehementiori sitam, secus enim firma & stabilis non erit. In cicatrice molienda dissectorũ vasorum similis est ratio, quippe densior hæc requiritur. Vehemens quoque desideratur in putredine diruenda carnis aut ossis, sed curandum os etiam ad medullam perfoditur. Gangræna liberius excoquitur; demittitur profundè ferrum, quo retrusum altè vitium attingatur. Illud non omittam advertere, cum profundior in carne cienda est ustura, commodius futurum, si loco prius frigido ferro via paretur, quod factitatum à *Socrate chirurgo* propter hydropem tumidos pedes exurente, legimus apud *Cæliũ Chron. l. 1. c. 1.*

Verum enimvero dum urendo nil parcitur interim consulendæ vires laborantis, & natura compactum corpus validos ignis impositus facilius sustinet, molles & delicati homines, pueri, mulieresque inique ferent: similiter, & acri sensu præditæ partes; sed ex his humidæ laxæq; sunt plenius inurendæ, tum quod est, quod in his corrigi possit, tum quod ita elaborentur etiam.

Habes iam ut vitiosæ partes sint tractandæ, cavendæ vero ad quem modum sint integræ, supra plurima parte audivisti, & nunc, si quæ super sunt, paucis accipe.

Caveto ne partes vicinæ noxam contrahant, partim si per impositæ laminæ foramen cauterium demittitur, partim idem faciamus per fistulam, ut cum nares interiores sunt exurendæ, partim ubi nibiliores existunt partes & nervi, cauterẽ haud forti manu imprimimus, sed ultra citraque deducimus, cum transcursu: cuius rei & alibi meminimus; partim denique ferramento, cum adiuncto suspensorio circulo vel distinente suffixo stylo, ne nimium demergatur, utemur.

CAPVT X.

Epilogistica & summa quædam ratio, quâ genus ignitabuli vitio competens inueniri debeat.

QVi trahere in usum, cum oportet hanc facultatem velit, & suis quibusque vitiis secundum omnes modos convenientem ustionem accommodare, ante omnia requiritur, ut materias omnes tum simplices, tum compositas cauteriorum naturamq; singularum, species, & quæ cuiusq; sit vis ac proprietas, exploratè planeque teneat; Hæc quidem ad notitiam loci, quam substantiam fecimus, exactè pertinet. Deinde memoria tenere debet, & locos alios, quos cum prędicto, usque ad decem numero, totidem rerum categoriis respondentes, ordinamus. Secundum enim quotas species specierumq; modos variari pro multis rerum opportunitatibus potest ignis, secundum has omnes inquirere debet artifex, id, quod singulariter convenire medendo desiderat. Inquisitionem autem hanc ut instituat, qui loca non norit singula, per quæ venandum sit unumquodq; remedium? Ad hæc meminisse debet, & quot modis temperari vis ignis, tum secundum materias, tum secundum formas cauterum, tum secundum interiecta impedimenta multiplicia possit. Interea & affectuũ vitiorumq; qui curandi sunt, vim & naturam rectè noverit, oportet, qui occurrere medendo debet. Sed multo maxime perspectas habeat oportet naturas partium male affectarum, ut quem medendi modum postulent, & quem substineant, ritè dispicere queat. Ita si modos ignis & obiectorum suscipientium & susceptorũ rationes & momenta quot & qualia descripsimus, distinxerit homo, atq; inter se ad amussim contulerit, ne difficile fuerit quidem huic id, quod investigat, offendere. Verum enimvero iudicium requiritur & certa quædam discernẽdi perspicacitas, de quibus aliquid, quod magni momenti sit, tradi præcipiuè litteris non potest, maximè naturâ ingeniiq; felicitate contingunt hæ virtutes, parantur autem & confirmantur plurimum exercitatione longa vel usu.

Iudicium in his acre necessariũ.

Natura felicitas rerumq; usus in his maxime desideratur.

CAPVT XI.

De defendendo per medicamenta, qui inurendus aut iam inustus est, loco.

SVbiicitur pars corporis quæ inuritur nonnullis offensis, id est, humorum incursibus, inflammationi, dolori, intemperiei, cunctis ab empyreumate, id est, ignis acrimonia excitatis. Vnus autem his omnibus occurrendi modus est per medicamenta repellẽtia parti adurendæ circumposita, quorum quędam proprię, quędam impropriæ dicuntur. Impropriæ dictæ sunt, quæcunq; affluxus reprimunt aut vias cohibendo aut humores incrassando, aut partes roborando. Propriæ verò repellentia sunt, quæ refrigerant atque adstringunt. Substantiâ terrenâ crassâq; constantia, adversis qualitatibus obsistentia: calorem recens suscitatum una quidem anteperistasi obtundunt rectarum fibrarum adstrictu, viarumque constrictu revocant & reducunt. Porro sunt, quę repellunt, refrigerantia: sunt tamen, quæ duntaxat adstringentia. Quæ utrumq; faciunt, optimè præsertim inflexu, quiiam extat. Frigida quidem commoda sunt magis calidis tenuibus acribusque humoribus depellendis, parte alioquin insigni calore tentatâ. Adstringentia probantur, ubi pars natura laxior, crassorum etiam humorum timetur influxus. Scire licet ustionum modis vehementissimis, levissimis, mediocribus, suas etiã respondere repellendi rationes, quæ usturæ tum genere cauteris & substantiâ tum magnitudine & numero, tum formâ & figurâ, tum impressu & diuturnitate, tum corporum affectibus, habitudinibus, ætatibus, partium robore, tum etiam crasis conditione & sensus proclivitate aut affectione contraria discernuntur. Vt igitur leviculæ postulationi neq; etiam aut vix hæ cautelæ debentur: ita etiam multo maximè requiruntur in vehementibus, tum numero tum facultate tantundem exquisitissimæ, Itaq; *Avicenna* usq; nivea opponit. *l. 3. fen. 3. tr. 2. c. 15. & Aetius l. 7. c. 85.* Adhęc & si partis inurendę sensus exactus sit usq;,

opium admiscet *Thomas Fienus*, qui idem vir exustæ parti anodyno accomodat, quorum series sunt farina, fænumgræcum, medulla panis, aq. rof. madens, muccago sem. Cydon. pylii, ungu. rof. ovi utraque portio, adeps & medul. suilla, vitulina, cervina, atque alia, quæ *nos in pharmaco-chirur. c. de levantibus dolorem exposuimus.* Vt autem ad repellentia, sic regressus hæc tum simplicia tum composita adhibenda, & composita nunc magis refrigerantia, nunc magis adstringentia, nunc æquis modis sunt adhibenda, pro ut usus monstratorum rerum expostulat.

Cæterum & horum atque illorum medicamentorum lectissimas species *in pharmaco-chirurgico opere suo loco descripsimus*: nunc enim succis aut contritis herbis, nunc dilutis interdum aquis & extillatis infusâ spongiâ vel diplomate, interdum ceratis, aliâs linimentis, aliâs cataplasmatis licebit uti. Cæterum & quod *Polyænus l. 6. de stratagematis & Libavius qui de magisteriis scripserunt*, hic missa non faciã: restingui sc. aceto vim ignis.

CAP. XII.

De Igne retuso.

HActenus de igne retorrido, viribusque integris predito, qui solidioribus ac firmioribus terreis corporibus exceptus, cum extrema semper ac dolorifica sentientium corporum immutatione coniungitur: articulatè ac lucide, quantum virilis portio nostra tulit, explicavimus. Nunc de retuso altero molliusque in leves rarasq; materias transfuso sermonem recipimus. Qui ignis quominus quidem valens est, minusque vehemens & etiam usu frequentior ampliorque cognoscitur: quippe qui æquabilior ad omnes medendi rationes, tractatu commodior & tolerabilior, morbisque omnibus, communissimum est remedium, quas ob res plurimam curativæ medicinæ partem occupat hæc curandi methodus per terrea, per aquea, per aërea pyriamata latè patens ac diffusa. Porro res est omnis unico calore comprehensa. Cuius si facultates brevi serie collegerim consentaneam tractationi rem haud dubito me facturum.

Primum igitur perfrigerata liventia & emorientia revocat calore partis, languescente adiuto, 2. calidum tenuat crassa, quæ halitu insensili vel sensili cum sudore quippe vacuantur. Id autem propterea quod tenuat calor, cruda, concoquit & suppurat, id quod & *Hipp. l. 5. aph. 22.* Ob id ne partes sanas nimium colliquet. 3. Liquat funditq; frigido concreta, sic scirrhos fundendo velut sub sole emollit. Ad hunc quidem modum prohibet *Galenus l. 6. meth.* calentis aquæ fotum in nervis mollibus, propterea quod horum substantia à frigido dissoluit: ac prohibet etiam nimium calorem *Hipp. l. 5. aph. 16.* quod nervorum incontinentiam & carnium effæminationem excedenti remolitu inducit. Idem etiam fundendo & liquidiores & admodum promptiores succos reddendo, fluxiones excitat aut geminat, quapropter in febribus balneum non probè vacuato corpore & viscere aliquando imbecillo prohibet *Galenus in lib. 11. F.* nostri vero medici sudatoria Puteolana balneorumque usum damnant in hypochymatis & hoc genus. Tu vero prudenter eodem uteris, cum aut revocare fluxionem ab adversa parte, aut podagram, ut corpus internè leves, provocare opportunum videbitur. Idem fundendo sanguinem, ac meatus dilatando, menses, hæmorrhoidas, sudores, urinasque ciet: quâ eadem ratione laxat tensa & rigida concretione, & quia vacuat laxat etiam tensa plenitudine corpora. 4. Idem ipse calor fusa tenuat si diutius exercet digerendo aut aliter vacuando, tandem siccat, quod declarant corpora hominum, qui secus ignem perpetuum artes, puta vitrariam & fornacariã exercent, & hi qui sub sole victitant & negotiantur. 5. Calidum rarefacit densa, & poros, & meatus omnes, & capacitates, & ora ipsa tam vasorum quam aliarum cavitatum aperit, fistulatque spiritu calido. Hinc viam facturi calculo vel fætui, calorifica apponimus; hinc sudores ab insolatu & balneis, hinc vrinarum mensiumque provocatus. 6. Calidum trahit & foras evocat materiam à se tenuatam per meatus à se apertos, quapropter resoluit ac digerit. 7. Dolores eadem ratione levat à materiæ qualitate, vel quantitate factos, materiâ scil. dolorifica per resolutionem vacuata ac perinde tumores dissipat. Trahere inquam calidum ostenditur his, quod partes nostræ tectæ nimis ob calorem inde collectum immodicè replentur, & caput in æstu cucurbitulæ ritu attrahit, unde coryzæ & catarrhi & fomenta oculorum & viscerũ partes replent. 8. Calor per accidens refrigerat, vacuata ex corpore vel huius parte materiâ calida. Sic medicamenta quamvis potestate calida materiam febrium putrem vacuando refrigerant, licet per se calfaciant, sic phlegmone fotu mitescit, ea tamen lege & cautione ne corpus sit impurum, ut antea dixeram: secus enim nova fluxione excitata dolori repetito vehementior, *aph. 31. lib. 6.* 9. Calor per accidens siccat, resoluta & in vaporem versa substantia vel excrementosa, ut in dictis exemplis, vel etiam partis propria, si diu perseveret fotus, balneum, insolatus, aër calidus, præsertim si paulo valentior sit calor; sed non sic tamen ut vehementissimus sit, qui, quemadmodum supra tractatu de igne retorrido monstravimus, adusta superficie ac densata humidum intro cogit, nec sinit expirare. 10. Calor per accidens humectat fusis his, quæ à frigido concreverunt, sic scirrh⁹ concretione durus calorificis, mollescit atq; humescit. Hæc ex *Iac. Sylvio l. 2. meth. medici composito.* quæ sunt quidem primę 2. 3. calidi facultates: cæterum & 4. attigit *Hippoc. aph. l. 5.* docens eundem esse ἑλκώδης, id est, ulceribus commodum, traumaticum, catagmaticum, acopum, antispasmicum, antitetanum, cephalicũ, ophthalmicũ, arthriticũ, pleuriticũ, stomachicum, nephriticũ, hystericum, rachiticum, entericum, & partium omnium exanguium, ut sedis pudendorum, vesicæ tutatorium, denique tutum ad omnia remedium naturæ amicum & adiutatorium, & quod admirabilius est, nunquam omnino nocens, iuxta communem omnium opinionem, in quam experientia docti & vulgi homines iuerunt.

Satis hi quidem & sui usus omnes in libri transcursu patescent. Interim argumenti partes & singula

gula membra discriminabimus. Genus hoc ignis duplex facientes, id est accensilis & solaris, neq; enim hic silendus aut reiiciendus est, qui plurimum in usus medicos à natura comparatus est, & talis à priscis habitus. Hunc autem & cum nostro congenerem & cognatum facile demonstrat antiqua mythologia Promethei, qui Palladis Deę consilio ductuque ferula in luminare solis adhibita raptum ignem in terras invexit; Ipsius igitur adiumenta & modos postremum in locum secretos exponemus. Sed ignis transfusi leviter in terrea, aquea, aëreaque corpora modi atque administratus meditatis demum & perscrutatis iam nobis hi se offerunt: scilicet, fotus, madefactus, irrigatus, guttulatus, balneatus, cum quo & immersus: & perfusio membri cuiuspiam, privatè verò & insessus comprehenditur, vaporatus item atque suffitus, fotus quidem in terrea & aquea communiter transfusus est ignis; vaporatus vero & suffitus in aërem: sed hic è re sicca, ille ex humida elatus. Reliqui omnes aquei sunt apparatus. De singulis ordine dicturi à fotu exordimur.

CAPUT XIII.

De Fotu.

FOtus vapor *Celso l. 6. c. 8. Cœlio item Aureliano* passim dictus est Graece *πυελία sive πυελιαμα*, propterea quod adhibitus quovis modo calefacit corpus. Sed & cutem laxat, perspirabilemque facit sanguinem, in inflammationibus attenuat ac digerit. Fomenta omnia in humida & sicca discreverunt *Oribasius l. 1. synops. c. 25. & Aetius lib. 1. ser. 3. cap. 175.* mutuati id à *Gal. lib. 11. meth. & comm. 2. in l. Hippocr. de ratione victus in acut. tex. 2.* Vtriusque generis exempla nota sunt, quę explicat *Andernacus in c. 40. l. 2. Paulus Aegineta, qui & 3.* mixtum ex his facit, hordeum ervumque prius contusa aceto & aqua macerata, vel etiam farina simili modo præparata & in sacculis apposita. Ad hæc aliud istorum est discrimen, namque ex his aliæ cum morsu quodam agunt, alia sine morsu; Hæc acribus & mordacibus succis occurrunt, illa crassos frigidosque extenuant. Omnium materia occipitur variè per filtra vulgò dicta, per spongiam, per lapsum lanæ, per linteum, per pannos, per glomos aciæ crudæ, per nodulos, per utriculos, per vesicas, per vas æneum aut fictile, per phacota, id est vasa lenticulata, *πυελιατήρια*, id est, vaporatoria, sicut vocat *Aetius l. 3. ser. 1. c. 28.* per cucurbitam, per arundineas cannas, per pannos calidos, per argillas, per folia frondesque & alia id genus materias, quorum singulorum exempla & speciales administratus, iam nunc exponere paramus.

Per filtra fotus.

FIltri ad fomentorum usus meminit *Avicenna l. 3. fen. 4. tract. 1. c. 8. quod est de dolore auris; Arnoldus Villanovan. l. 1. Breviar. c. 26. quod est de epilepsia Guido tract. 2. doctr. 1. cap. 2. & Antonius Grainer. comm. 3. cap. 57. Fernelius in cons. 49. & Gulielmus Rondeletius, in l. 2. meth. cur. morb. c. 15.* Sed quod ego Aetium non nominavi primum, qui ad inflammatum uterum fovendum, usum laudavit filtri, quod pileos vocat *Aurelianus lib. 2. cap. 7.* pro catarrho medendo, applicat præcordiis & lateribus ex vino calido eductos, & applicitos. Sunt & his confinia ptygmata quorum meminit *Aurelianus lib. 3. chron. pass. cap. 2. p. 402.* quibus oleo tinctis utitur ad stomachicos. est autem ptygma, pannus aliquis duplicato compositus, aut complicatus, quod & diploma aliâs dicitur, quo nos modo & epithema facimus, præponunturque ptygmata spongiis propter levitatem, ait *Aurelianus l. 2. c. eiusdem oper. c. 13.*

Per spongias fotus.

PEr spongias ex aqua calida imbutas suppuratum anginæ provocat *Hippoc. l. 2. de mor. tex.* si per spongiam fomenta ex oleo calido ad faucium morbos & paracynanchen, extrinsecus adhibet *Celsus l 4. c. 4. atque alibi*, ex hydroleo cynanchicis ad hibet *Aurelianus l. 3. acut. pass. cap. 3.* & ex decocto rerum adstringentium expresso istis ad stomachicos utitur. *lib. 3. chron. pass. cap. 2.* sed ad elapsum intestinum infrigidatum ex aqua & vino calido madentes adhibet, *Albucasis in l. 2. chir. c. 82.*

Faucium vitiis.

Elapso intestino.

Per lanam fotus.

EX lana in œneleo tincta, præcordia lateraq; his, qui catarrhum queruntur, fovet *Aurelianus lib. 2. chron. pass. cap. 7.* ex lana quoque circumvolutum auricularium specillum in sulphuris & buthyri portionibus æquis liquatis intingit, ut dolentes correptosque dentes foveat, *Gal. in 5. de medic. per loc. cap. 9.* ex *Critone* dicam & siccum ex lana fotum & pulchrum ex hac re experimentum *Curtii Marinelli qui lib. 3. de mulier. orn. cap. 3.* narrat historiam de quodam homine, à crebris sternutamentorum insultibus mirè vexato, nullisque unquam remediis adiuto; qui cum laneum pulvinar probè percalfactum collo adhibuisset, continuo quievit, stomachum inflammatione tumentem ac dolentem lanâ sulphuratâ curat *Cornelius l. 4. c. 5. & 6.*

Catarrho.

Ad coryzā.

Per lintea, perque panniculos fotus.

PEr linteum quod muscum continet fovit *Hippocrates l. d. ult.* Per panniculum lineum illigatâ hyssopi coma trita, in ferventem aquam demissum fovet oculos suggillatos, *Galenus 4. de med. per loc. cap. 8. tit. præfixo:* ad hæmalopas similiter ex veteri lino illigato, cymini semine ferventi aquæ intincto *in cap. 10. de remed. fac. parab.* & ex linteo, in quo illigati simul opoponacis & peucedani succus, in ferventi oleo liquefacti fuerint, dentem acerbè dolentem fovet *idem Galen. in l. de comp. med. per loc. cap. 9.* ex lolcacea farina torrefacta & posca moraciore incocta fovet in linteo laborantem fluxibus uterum *Hipp. l. de steril. num. 22.* loti vero & cupressi ramentis in uvæ passæ cremore coctis, atque in linteo colligatis virgines ex lapide laborantes fovis *idem vir, lib. de nat. mulier. n. 501.* atque alios ibi fotus ex linteo proposuit, quos lege.

Sugillatis oculorum genis.

Dentiū dolori.

Vteri profluxibus. Hippocr.

Laborantibus calculo.

Sed *Cœlius Aurelianus l. 2. chron. pass. c. 4. p. 340. f.* ad dolore conflictatos dentes thuris triti pulvisculum

lum partium linteolis pluribus, alias & integram mannam illigat, tum eorum singula oleo calido prætincta ægrotanti offert, mordenda dentibus dolore exagitatis: vocarunt autem hoc remedii genus nodulos, nonnulli. Sed idem *Aurelianus* etiam ilei tormenta cineribus calidis, cum coniecta ruta linteolo exceptis curari docet *l. 5. acut. cap.* 17. sed ad uteri morbos varia eiusmodi fomenta ex linteo item adhibenda exposuit *Hippocrates in l. de natura muliebri n.* 101.

Ileitormentis.

Variis uteri morbis.

Per glomos aciæ linoque cinerata, fotus.

PEr glomas aciæ crudæ decoctos in aqua, colico dolori medentur tum alii, tum qui nunc occurrit Arnoldus 2. Breu. 33. & *Michael Sauanorola tract. 6. cap. 16. rub. 21. Eustachius Rud. & Nicol. Piso sed & M. Gatinaria; Iacobus Sylvius in pract. suorum medendi methodo* filum multum crudum, ut nostrates fœminæ vocant, cum cineribus aut lixivio quam maximè calidum ab homine tolerari potest, collo circum datum cynanchæ, ventri verò, pro colicis doloribus medendis, imponunt, frigidis vero flatulentisque passionibus omnibus, & nothæ pleuritidi finiendis decoctos cum cinere quercino manipulos istiusmodi adhibet, vulgari tuscorum more *Reinerius Solenander, con. 27. sect. 3.* Bononiensium vero more præparatos eosdem glomos aliter ad tumores ventosos proposuit *Petrus ab Argillata lib.* 1. *tract. 2. cap. 8. & lib. 5. tract. 20. cap. 3.* qui modus est is, glomeres & manipuli, licet crudi, madentes aquâ, panno inclusi involutique, etiam aquâ modice profusâ sub calidis favillis sepulti sinuntur, usque dum exiccentur; quia panni involucro soluti, loco corporis laboranti imponuntur, mirabile subsidium futurum, ut ait; singultui vero tollendo, cineres in scutella cum lixivio vel vino aromatizato defrixos & linteo inclusos administrat. Ad obduratas volvuli fæces emolliendas glomeres aciæ lineos ex aqua cineri incoctos & quantum perferri possunt calentes, ad hæc loca imponendos docuit *Fallopius lib. de tumorib. cap. de hernia.* Ischiadi canabinos glomeres filatos, cineribus udis immaceratos & aceto quam acerrimo incoctos, applicabat amicus Gesneri *ut est apud Schenckium lib. observ. 5.*

Per utriculos fotus.

EX aqua plenos utriculos ad uteros ægrotantes adhibet Hippoc. *l. de nat. mulier. num. 29.* & ad pulmonem malè affectum *l. 2. de morb. n. 51.* qui idem vir utriculis aquâ tepente repletis ad coxendicis dolores usus est, *l. 5. epid. num. 7. & l. 2. de rat. vict.* 1. ad pleuritim vero & ad articulos induratos, distortos, inflammatos, *l. de hum. usu & l. de nat. mulier. num. 101. & l. de mor. mul. n. 72.* Privatim vero *l. de mor. num. 21.* ad concoquendam pituitam toto capite diffusam utrem plenum aquâ, quantum perferri potest, calidissima circum frontem deligat & cum perfrigeratus hic fuerit, alium calidâ plenum adhibet, ad nervorum verò resolutionem his usus est, *Cornel.*

Vtero.

Coxendicis dolori.
Pleuritidi.
Articulis induratis distortis inflammatis.

l. 3. cap. 27. sed lib. 4. cap. 3. oleo, velut fervidiore materia, plenis utriculis aut vesicis ad cervicis distentionem; ad sudores vero homini provocandos est usus, *lib. 2. cap. 17.* quali ad unguem fomento; ad pleuritim usus est *Aretæus lib. 1. morb. acut. cap. 10. & ad tetanum. cap. 6.*

Per vesicam fotus.

VEsicam aquâ tepente plenam admovet intestino recto inflammato *Hippocr. l. de fistulis n.* 2. & 3. de ratione *vict. part.* 2. tetano vero *lib. 3. de morb. 13.* quem sequitur *Alexand. Bened. lib. 2. cap. 45.* vesiculam vero piscis plenam decocto fœniculi tepide pro fotu ad oculos applicat *Iacob. Holler. lib. de morb. int. cap. 21. sed Aurelianus* cephaleæ levandæ vesicas ex oleo proposuit, *lib. 1. tard. pass. cap. 1. p. 245.* itemque ex oleo ad cynanchen *lib. 3. acut. pass. cap. 3.* ad hæc ex oleo tetanum *cap. 3. eiusdem operis, cap. 5.* & ad Ilium *lib. eod. cap. 17.* & ad spasmum *lib. eodem cap. 8.* admota, ad pleuritidem cataplasmata, quo calida permaneant, oleo calido vesicam bubulam semiplenam frequenter admovendam docuit *Aetius lib. 2. ser. 4. cap. 67.* Ex oleo quoque plenas ad suppressam urinam pubetenus, adhibet *Octavius Horatianus,* qui & ad alia conceptaculi urinarii mala his utitur; Pleuriticis, vero oleo sampsuchino vel rutaceo adiecto vesicam vaporat *lib. 2. ad Eupori. cap. 4. Petrus verò Salius, lib. de partic. affection.* urinæ phreniticis provocandæ, quæ facultatis animalis ignaviâ moratur, vesicam oleo calentem plenam sumini adhibet, Spasmo vero affectos. *lib. eod. cap.* 10. & Hydropicos *lib. eod. cap.* 19. ex decocto medicato semiplenis vesicis bubulis, aut suillis œdemata lenti frigidique humoris inflabula favet *Paræus lib. 6. cap. 16.* sed *Gul. Rondeletius* ad sudores in pulmonia pituoitosa movendos ex vesica oleum recipiente fovit *lib. 2. de cur. morb. cap. 10.* ad quos item sudores in peste movendos Cucurbitis aqua fervente plenis utendum docuit *Philippus Ingraß. opere de peste, par. 4. cap. 30.* quarum binæ sub cervicibus, totidemque subalis, una interfemineo, binæ sub pedum plantis accomodentur.

Ner... reso... Plu...

Ocu...

Cyn...

Te...

Spa...
Hyd...

Per Cucurbitam fotus.

CVcurbitam, cucumerem, melonem, aquâ calidâ infusâ etiamnum ad fomenta usurpavit, *Cæl. Aurel. 3. Chronic. c. 2. p. 402. M. & lib. 3. eiusdem operis cap. 8. p. 437. & l. 3. eiusdem cap. 2. p. 402.*

Per sacculos variâ materia farctos fotus.

PEr sacculos sale & milio torrefactis infarctos pleuriticos fovit *Hipp. lib. 2. de ratione victus in acutis part. 2.* Et uo vero percalefacto plenos eosdem & calida posca tinctos, lethargicis cervicem dorsum pectus fovet, *l. 3. de morb.* per hos etiam aut per sordidos panniculos concalfactos, dentium doloribus externe medetur *Gal. in l. de med. per loc. c. 9.* appositis verò ad buccas sacellis ex pollini-

Dentium dolori.

pollinibus calidis infarctis iisdem *Aurelianus 93. lib. chron. 3. cap. 4.* sacculis item calidis ex tenui pollinedolentes aures fovet idem *Aurelianus l. 2. chronicarum pass. cap. 3.* & ad stomachicos ex cantabro vel polline facit *lib. 3. chron. pass. cap. 2.* spasmum verò per sacculos lini semine vel cantabro torrefacto plenos fervente aquâ vel oleo decoctis curat idem in *lib. 3. passionum, acutarum c. 8.* & ex polline vel lini semine, ex aqua mulsa decoctis & sacculo conclusis, ilei tormenta, mitigat *idem l. 3. pass. acut. cap. 17.* Iisdem ex sale, tosto milioque farctis, hyposarcam discutere nititur *Gariopontus l. 5. c. 11.* sed è solo sale plenos sacculos ad varios morbos usitarunt strenuè nostri; tetanum *Aretæus lib. 1. mor. acut. c. 6.* ad coxendices *Aurelianus lib. 5. chron. c. 1. p. 508.* sale torrido confarctos sacculos lineos partibus patientibus imponit, qui super inspergi aquâ marinâ calidâ attingique cauteribus latis debent. Vaporatum quoque idem *Cælius* ex sale torrido adhibuit tetano *l. 3. acut. pass. l. 8.* & colico dolori *l. 4. chron. pass. c. 7.* & paralysi *lib. 2. chronic. c. 1. p. 325. f.* sed ad faucium morbos & ad anginam *Celsus l. 4. c. 4.* circa mentum & fauces salis succum imponit, quod remedium hunc in modum paratur: sal lineo sacco excipitur, demittiturque in aquam benè calentem, tum super id membrum, quod fovendum est collocatur. Mirum ad podagras salis hoc remedium ait *Nicolaus Cabrunus lib. de podagra cap. 4.* illud fortasse doctus ab Alexandro Tralliano, qui fomentum salis id appellavit *l. 11. cap. 1.* ad œdemata podagricorum adhibitum, *qui & 8. lib. c. 7.* ad alui profluvia quæ διαῤῥοίας Græci dixerunt, mirificè facientes; dixit ex sale atque hordeo, aut milio aut panico, torrefactis, ad suggillata verò laudavit sacculos ex sale *Plinius lib. 31. c. 9.* & ad molestias dentium *Horatianus lib. 1. ad Eup. c. 14.* & ad spleneticos *l. 2. c. 15.* universim vero dolores omnes ex fotu salis sedaretur, *auctore Dioscor. l. 5. c. 85.* porro sacculos ad humidam convulsionem curandam, cum laudavit *Hipp. l. de loc. in homine numerati nota 48.* & ex hac materia paratos probabile fit intellexisse.

Hæc illi; sed è junioribus per sacculos plures præparvos rosis non passis farctos in aq. ros. rubr. vel albarum elixatos, calentes, sicut ferri possint oculis dolentibus subvenit *Arnoldus. I. Breviar. c. 13.* & per sacculum sulphure oppletum calidò vino vel aceto tinctum tenesmo medetur *idem lib. 2. brev. c. 35. Guido vero Cauliacus, tract. 2. doct. 2. c. 4.* ad manus insolentem quandam inflationem carneam & phlegmaticam, sicut ipse vocat, ex sacculo coriaceo fotum paravit ad hunc ferè modum; ex corio vitulino construitur & consuitur arctè chirotheca formâ, quam repræsentet, vulgarem fæmoralium nostratium sacculum; impletur veteri lixivio & cinere ficulneo, vitiumque ac filicis sarmentis, aceto saleque commistis, in id manus conjicitur, & supernè circa caput tumoris extremum constringitur laqueo sic; ut humor effluere nequeat, aquâ calente ex subiecto altero vase concalescit sacculus, ac tam diu detinetur sive homo, donec libens toleret, celebratur verò remedium, hoc ad tot dies, quo ad satisfactum abundè foto videatur huius porro simile commentum, quod fortassis imitatus est Guido, fuit *Nicandri Theriacorum scriptoris antiquissimi*, qui demorsam à fera manum, vel pedem utriculo, vini calentis adalligato fovit. Sunt autem illius hi versus:

Et caprinus uter lenæo munere plenus
Auxilio est sidente manus violata pedesue
Labifico, mersi medio teneantur in illo
Atque arcte utrinis constrinxeris inguina vinclis.

Per sacculos item qui torridum laterem ex vino & oleo di spica irrotatum complexi sint, dolentes auriculas fovet *Michael Savanorola, tract. 6. c. 4. rub. 5.* & sacculis ex milio, furfure, anisi seminibus, & chamæmeli floribus, interpunctis, & supra calidum laterem vino meraco respersum calefactis ventrem, fovet homini, cui ab accepto helleboro dolor, & morsus, & singultus, supervenerit. *Franc. Vallerio. obser. 2. l. 3.* Ex furfuribus vero triticeis cum floribus verbasci & malua sacculo inclusis, vino rubro incoctis, ut loco dolenti calidè admotis, hæmorrhoidum dolorem unius horæ spatio lenitum refert *Io. Finchius in Enchiridio.* Earundem vero hæmorrhoidum fluorem per sacculos calidos ex panno rubro, contritis quercus glandibus vel frondibus, acri aceto decoctis farctos compescit *Martinus Rulandus, cur. emp. 7. cent. p.* ex quibus quoque frontibus quercinis aceto acri decoctis, plenos item sacculos pro dysenteria sedanda sedi applicat *idem Cur. 39. cent. 7.* & ex furfuribus aceto coctis conflatos alios eidem affectioni sub anum aptat, *cur. 18. c. 5. & cur. 25. c. 10.* cui dysenteria iam declinanti finiendæ medicatus etiam est *idem cur. 29. c. 10.* per cinerum calidorum sacculos in ventrem impositos, sed ano prociduo sacculũ ex fimo equino accomodat *cur. empyr. 85. c. 5.* at Tenesmo medendo, sacculum ex verbasco & absynthio in lacte recenti decoctis alternatim & ventri, & ano applicat *idem cur. 38. cap. 10.* Hactenus hos fotus diversos, ad diversos affectus utiles, tradidit *Rulandus*, quorum illum qui ex furfuribus & aceto est, testificari verè possum, maximo ex usu esse doloribus abigendis, ego enim in Illustri viro D. Hartmanno Pignono genu dolorem acerrimum quatuor iam dies noctesque implacabilem, applicito demum hoc remedio, velut incantamento sedavi. De qua ipsa re audi quæ *lib. 2. de therm. c. 20.* memoriæ prodidit, *Andreas Baccius*, vidi, ait, quod in repentinis contractionibus, præsertim ex vulnere ægros quam primum multo furfure ex ferventi aheno superstratum ipsum obruerent, contegerentq; cum sperato successu ex furfure quoque aceto vinoque incocto & sacculo incluso, si sedes in tenesmo foveatur, miro esse remedio testatus *Iac. Fontanus lib. 3. pract. med. cap. 26.*

Aurium dolori.

Hæmorrhoidis dolentibus.

Hemorrhoidu.

Ani procidentia.

Tenesmo.

E furfurib. aceto decoctis fotus quam maximus usus ad dolores sopiendos remedium. Anno 1629. Historia.

Per vasa fictilia alius etiam materiæ fotus.

Hippocrates primus laborantem uterum lenticulatis vasis, testeis fervente aquâ plenis fovit *l. de nat. mul. n. 29.* & Pleuriticos *l. 2. de ratione victus in acutis*: sed ne vapor nares insultet, lanâ vel spongiâ impressâ contegit *And. Cæsalp. l. 6. prax. c. 7.* Doloribus intestinorum sopiendis vas cineribus calidis cum fœniculi semine plenum adhibi-

Fotus per vasa.

adhibitum efficaci esse remedio refert *Eustachius Rudius, lib. 2. de morb. cur. c. 28.* sed & fictilibus vasis oleo plenis, ad similitudinem quas lenticulas vocavit, ad sudores movendos usus est *Cornelius Celsus lib. 2. c. 17.* quem sequutus meo quidem iudicio videtur *Michael Savanarola, tract. 6. c. 14. rubr. 10. & Ambr. Paræus*, qui ad movendos in febribus, quæ tumoribus erysipelatosis superveniunt, sudores, testaceas lagenas aqua calente plenas lateribus & fæmorum interstitio submittit *lib. 6. cap. 15.*

Est ad ischiadem vetustam huius remedii administratio quædam nova à *Iacobo Hollerio* excogitata & inter observationes suas proposita, quam utilitatis gratia non pigebit referre. Resp. maioranæ, calamenthi, ebuli, ivæ arthriticæ, rut. rosmar. beton. ana M. ß. radic. acori ℥j. fol. Lauri P. ij. fiat decoctum in f. q. aq. & vini. Impleatur hoc decocto vasculum, & bene clausum plantis pedum admoveatur, dum calor ad cruris superioris articulos perveniat, eodemque decocto pars foveatur, materia verò cum oleo Laurino subacta articulo apponatur.

Sed è iunioribus nostris vas eiusmodi quod commentus est *Ambrosius Paræus*, non patiar hic sileri, dignum autem ut eius mellita verba fideliter referantur; quæ sunt videlicet, *l. 25. c. 13. quod est de emollientibus, hæc*; Hâc notandum venit partem nonnunquam intemperiei frigidæ tanto excessu teneri, ut calor eius nativus plane langueat, ac medicamentorum vires in actum proferre nequeat, calor vero ille emortuus ut suscitetur, parti æstuarium ferreum admovebitur, in quo longurius ab igne candens concludetur, sic enim diu calor æstuarii conservabitur, typum huius æstuarii vide cit. loc. *Galenus* (si hunc auctorem facimus) *l. de renum affect. dignatione atq; curatione c. 4.* calculo deorsum deturbando fotũ ex aqua in vase testaceo vel æneo frequentandũ præcepit. *Cælius* vero ad Ilei tormenta *l. 3. acut. pass. cap. 17.* locum iussit vaporandum cineribus, mistis in oleo vel quodam laxativo liquore, ex decoctione congruarum materiarum præparato, in vasculum duobus digitis altum, atque ambitu simili loci patientis mittendos dixit suppositis carbonibus, non flammosis, donec liquor insumatur; tum circumtento linteolis vasculo atque parum refricto convertendos vult in linteola ac refundendos cineres colligatoque vasculo fundo tenus & constricto linteo fortiori patientia loca vaporari: Hæc Aurelianus; quæ quidem fovendi ratio non ita vetustate obsoleta est, ut ad nostras quoque fœminas non pervenerit, vocantq; hoc remedium delle scudelle; quamquam non ita muliebre remedium illud est hac tempestate, ut non clarissimi viri etiam de eo præceperint. *Iac. Hollerius in lib. pract. c. de Colica, & Andreas Cæsalpinus l. 7. art. med. c. 7. & Ambr. Paræus l. 17. c. 18.* Qui idem vir ad provocandam sudorum opem, testaceas lagenas rerum tenuium decocto plenas, pedum plantis, lateribus, & femorum interstitio accommodat. Vase figulino cocto igne & percalfacto usos fuisse veteres ad calfacienda perfrigerata corpora, docuit Galenus in expositione linguarum, verum cuius formæ esset, & quomodo uterentur neque ex Galeno, neque ex aliis compertum habeo, nisi fuerit testaceum vas ad formam utris confictum, quod carbonibus ignitis conclusis adhiberent corporibus obtectis; haud secus atq; hodie faciunt, qui sudorem provocare cupiunt. *Hieronymus Mercurialis in adnot. ad 2. Hipp. librum de morbis*; quæ te nolui ignorare diversa ac multiplicia fotus orgaha discentem.

Calculo renum deorsum deturbando.

Remedium vulgare delle scudelle.

Ad sudorem ciendũ antiquorum organum.

De aliis materiebus ad fotum simplicius comparatis: 1. autem è genere metallico.

NOn contemnenda etiam è genere metallico ac subterraneo omni fomenta. Perniones ære quã maximè calfacto, si tamen non ignitũ sit, curari docuit *Cornelius l. 5. c. 28.* Ad tenesmum verò & dysenteriam remediũ à suis popularibus usitatum atq; expertum retulit *Michael Savanarola, tract. 6. c. 16. rubr. 9. & 10.* nempe sublatum & subiecto igne ahenum invertunt in pavimento, ut desuper insideat homo languens.

Ex petreis terreisq; materiis fotus.

ALumen percalefactum rhagadas linguæ dolentes & contumaces sæpius applicitum mire lenit, quod in lectissima fœmina Hippolyta Prato experimentum à se visum admiratus est Petrus Agnellus, Medicus Neapolitanus, collega meus. Et in condylomatis ani Franc. Valia chirurgiæ peritus. Nos item salis petrei nostri calabri platysmata & variè præsecta scuta quid nõ memoram? qui prompto semper usui, consueverunt esse ad finiendos, quoslibet dolores partium perfrigeratarum, præsertim autem à frigidis humorum alluviis, obsessarum, huius loco rusticis, peregrinantibus, & inopibus laterculi possunt esse vino veteri vel huius spiritu respersi. His etiam percalfactis cynicum os resolvit *M. Catinaria c. de oris tortura.* Ad algentes in lypiria febre artus, eadem probat *Andreas Cæsalp. art. med. l. 3. c. 53.* Ad dolores verò uterinos *Rener. Solenander cons. 15 sect. 5.* mutuatum remedium ab *Hipp. l. de nat. mul. n. 29.* Ego dolentes frigidâ causâ plantas pedum, & calcem fictilium testarum calido fotu multis sæpe levare solitus sum. Tegulam calfactum vino bono calente irrigatam helxine & sysimbrio aquatico aut similibus impositis cruri alligat ei, qui urinam non reddit *Iacobus Sylvius in meth. pract. c. de ischuria.* Sed & per argillam ustam comminutam primum mox aceto, acri decoctam anum dissenterici fovet *Martinus Rulandus, cent. 4. curat. empir. 40.* novum autem id non est, quoniam glebam aquâ calidâ perfusam ad fomenta stomachicorum usurpavit *Aurelianus l. 3. chron. c. 2. f. 204. M.* Cui simile est id, quod cimoliâ subassata psæadicos & Ischiadicos fovit *item Cælius lib. 5. chron. c. 1.* per silicem ignitum posca respersum linteis puris involutum lienis dolori sopiendo adhibet *Gariopontus, l. 3. c. 2.* Pleuritidiq; *An. Guainerius com. c. 9.* sed decocto medicato inspergit *tum hoc loco, tum com. 1. tract. 12. cap. 4.* at pedibus applicitum perniciosos valetudinis vapores extrahit *Anton. Guertæus auctor appendicis ad Mizaldi centurias pag. 150.* Iisdem quoque circum omne corpus applicitis utitur ad id rei *Galenus apud Wecker. antid. spec. P.*

Plantæ & calcis frigido dolori.

Ex

Ex arena fotus.

TVmentem ignavis humoribus ventrem exhausturus calidam arenam uxori Boëthi adhibuit, *Gal. & Rodericus Fonseca tom. priore cons 3.* fœminæ cuidam, cui per fluores muliebres extumuerat venter, eodem remedio, feliciter usus est. Arenæ quoque tum naturaliter calidæ tum igne percalefactę aut frixæ in sacculo vel linteo admotæ hydropicis nonnihil proficiunt, quod ex veterum placito est, & ab *Iac. Hollerio adnotatum in curatione Hydropis:* mistas cum furfure frixasque adhibuit *Galenus l 5. de comp. medic. part.* At *Hollerii enarrator, Ludovicus Duretus,* littorales arenas, cum cineribus calfactas eidem usui proposuit, frixas etiam proficuas professus; cæterum de arenæ usibus ex plurium autorum sententia posterior. *cap. de insolatu* dicemus.

Lutum quidem thermalium aquarum medendi usibus commodum non cognovêre, aut certe non memoravêre veteres: nihilominus eundem excellenter medicatum docuêre juniores, qui rem thermariam tractavêre: inter cæteros Andreas Baccius & Julius Jasolinus præceptor meus: sequitur autem suorum fontium & scaturiginis naturam limus. Hactenus jam arenarum medicatarum ostensa vis est. Sed & non medicatæ verum defrictæ sacculus ad dolentes partes adhibitus nõnullo remedio sępe fuit: quod Valentinus Albertus Jesuita in se ipso dixit expertum.

Ex cineribus fotus.

CIneribus calentibus præaltis torpidos ac trementes artus sepeliri remedium nõ contemnendum proponit *Andreas Cæsalpinus in l. 5. artis medicæ c. 39.* calidum cinerẽ pernionibus accommodatum fomentũ aliâs ex Fallopii experimento retuli. Præter quem usum & bronchocelæ discutiendæ, si quædam etiam testarum sc. marinorum piscium trita quoquo pacto devoretur, certissimum erit remedium: panniculus prius quidem lotus, madidus, mox calida foci favillâ conspurcatus sæpe applicitus.

E fructibus fotus.

E fructibus pomum, apium coctum & calens admovet ophthalmiæ *Iacobus Sylvius, in pract. meth.* hæmorrhoidis dolentibus, pomum macianum sub cinere coctum addito sacchаro vel cum sapa coctum adhibet, *Alexand. Benedictus l. 22. c. 11.* Putre vero pomum quodcumq; ruboris reliquiis adhibet *F. Platerus l. 3. prax. tit. de ocul. dol. p. 310.* itemq; *Nicol. Piso l. 8. suæ nosothorapiæ c. 26.* Semiputre verò idem igne fervefactum pernionibus applicant, hodie nostri. Similiter & sectum aurantii vel limonis acerbi pomum, quod cum sale ferbuerit inter prunas, sic calens, quâ secturæ facies est, callis pedum acerbe dolentibus imponimus, & hoc sępe repetito applicatu pedes exequamus atq; levamus. Avellanas nuces assas sic calentes dentibus stupidis adhibet *Guido tr. 6. doct. 2. c. 2. partic. 5.* nucis vero iuglandis nucleum ignitum denti afflictato imponit *Mesvaus l. 2. Grabad. capite isto.* Ad stomachicos fico torrefacto utitur *l. 3. chron. c. 2.* adstringendo quoq; & glandibus aridis quercuum carnes excoqui licet.

Ad pedum callos dissolvendos & in dolore multo molliendos concisi & calidis sub favillis assi limonii fotus percommodus est.

Ex tritico elixo torrefactové fotus.

MEminimus quidem aliâs ex optimorum autorum monumentis, frumenti concalfacti acervum ad sopiendos articulorum & podagræ dolores percommodum esse: nunc & ad eosdem usus & ad sudores movendos utile fomentum ex eodem esse confirmabo *autore Weckerio in synt. medic. l. 1. par. 3. Nota numerali* III. Torrefactum & adhuc calens frumentum impetigini dolendæ admovet *Nicolaus Florentinus, serm. 7. tract. 6. sum. 1. c. 3.* E milio ad fervidam sartaginem torrefacto dolori dentium abolendo maxillam exteriorem fovet *Razes l. 9. ad Mansorem. c. 42.*

Ex pane calido fotus.

AD hæc, & per calidos panes fomenta partiri licet, ut discutiatur delinquens humor: atque huius rei pręclara sunt autorum testimonia; quorum ego sententias repetam servato partium ordine in hunc modũ. Ad hordeolum concoquendum aut dissolvendum usus est *Celsus l. 7. & Aetius l. 7. c. 82. & Avicenna l. 3. fen. 3. tract. 1. c. 16.* qui vir è fermento calente tuberculũ fovit, panis vero remedium, & *Hieron. Fabricius in l. operat. chir.* amplexatus est, *Sed Renerius Solenander Conf. 8. sect. 2.* ad visus hebetudinem emendandam panem hordeaceum medium, cuius interiori mollitudini fæniculi, & carui contusa semina adhæserint, secundum hanc eandem faciem applicat oculo sic, ut fixo intuitu in panem oculi vapore humectentur, ita enim absumpta in ipsis excrementitia humiditate, lentoreq; huius & crassitie attenuatâ atque abstersâ, vaporibus itẽ crassis discussis visum confidit mirum in modum facili remedio recreatum refectumq; iri. Stupori dentium abolendo panem calentem dentibus, qui vitium patiuntur, atterendum docuit *Razes 9. ad Mansorem c. isto.* sed & aures sonitu laborantes, panis cũ carui semine subacti calentisque jam, ut è furno excipitur medietas secundum mollitudinem interiorem applicitus, mire juvat; *Felice Platero autore in tom. 1. prax. medicæ c. 8. c. F.*

Hordeolo.

Ad contusas item auriculas *Alex. Trallianus in l. 2. c. 2.* & eo prior *Galenus l. 3. de compos. med. per loc. c. 1 f.* licet cum melle adhibuit hic auctor *Hipp.* vero ad Anginam *l. 2. de morb. 28. Io.* Verò *Heurnius* ad pleuritidem cum theriaca *l. de morb. pector. c. 2.* Ad stomachicos *Aurelianus l. 3. chron. c. 2.* ad singultum assiduum *Henricus Tromerius Aurbachius apud Io. Schenkium, l. obs. medic. tit. de singultu,* ad dolorem colicum zibetho prius imposito, ad umbilicum *Io. Baptista Porta l. 8. magiæ naturalis tit.* ad colicam: quem panem musto incoctum, & adhuc calentem impositum cataplasmatis modo probat *Galen. l. de rerum affectorum dign. & curat. c. 4.* & hunc sequutus *Aëtius tetrabl. 3. ser. c. 5.* qui & ad inflammatam vesicam polentam calentem in sacculo adhibet iis sermonibus; farinas verò frumentaceas, similiter in sacculis ad colicum dolorem applicat *Alexander Trallianus l. 9. cap. 1.*

Auriculæ contusis. Anginæ. Pleuritidi. Singultui. Colici. Vesicæ inflammationi.

 Ad

Vteris afflictu. Ad panes vero ut redeam hos exsiccatos & semiassatos, ad uterorum fomenta laudat *Hipp. l. de nat. mul. 29.* furfuraceis vero panibus linteis advolutis dolentes uteros fovet *2. de morb. mul. n. 21. & 22.* Ex calido pane, eleomelite item calente tincto dolorem stomachi sedare tradit, *Bertrucius Bononiens. tract. 1. sect. 3. c. 11.* *Stomachi dolore.* Pannorum involucro conservatis calentibus panibus, qui jamjam è furno sunt educti, ad sudores homini eliciendos applicitis utitur *Hercules Saxonia*, & hunc ut apparet secutus, *Rodericus Fonseca consil. tomi prioris 52.*

Hactenus dixi quæ panis ex prima coctura calidi sint appliciti virtutes, multis secus relictis, quæ memorari curiosè potuissent. Intelligas autem velim perpenso eius summo contemperamento & summè commoderatâ naturâ, quòd calori nostro nativo suus alter est maxime congruus & familiaris. Quas ob causas ad multo plura, quàm indicavimus, eius est utilis applicitus atque administratus. Quod si & alia in rem facientia cum pasta commisceantur aut concoquantur, uberior adhuc est expectandus effectus, Vidi (observatio est apud *Schenckium l. 5. tit. de Ischiade*) equitem torquatum coxendico dolore correptum, relevatum ex imposita coxæ placenta, ex frumento secaligineo, cui mixta erant folia cicutæ conscissa composita, cocta in foco sub cineribus calidis, linteis involuta. De panis calidi remedio plus multa.

Ex Vinaceis fotus.

SUnt vinacea exuccæ uvæ ab expresso vino residuæ, quæ cum in multum cumulum exaggeratæ atque immotæ conservatæ fuerint suo ipsius fervore concalefiunt, ad dolores partium, & languores commune remedium, si excavata eorum scrobe corpus obducatur. Porro ad articulorum omnium imbecillitatem tumores ac passiones ad paralysim ad torporem; stuporemque membrorum, ad distensiones & ancylas, ad dolentes artuum fracturas atque luxatus usu solenni sub maturitate vindemiarum expetuntur; de quorum viribus & toto administratu peculiari libello conscripsit *D. Antonius Altimarus & Iulius Cæsar Claudinus, sect. 10. operis de ingressu medici ad infirmos.*

Ex foliis fomenta.

POstremò, & per folia quædam plantarum vulgaris quidem sed minimè aspernandus est usus fovendi laborantes corporis locos: ita dolentes fotu frondium parvæ sambuci calidarum: ita cõfusos folio brassicæ crebrò incalfacto procurant hodie multi. *Dolentibus & contusis corporis locis.* Ad discutiendas verò materias, quæ proximè incommodant, de lachrymantibus oculis, usus est *Rogerius Salernitanus l. 1. chir. c. 24.* hoc medicamento thus, mastiche, laudanum, ferventi marmore liquata, folioque lauri imposita, dum calent, temporibus & venis frontis admoventur; proficit remedium, si, quàm maximè calidum ferri potest, detineatur. Aloës solii tenerior caro sub calidis cineribus ossa, & in callos pedum dolentes imposita mire juvat; quale remedium & ad bronchocelas prædicant alii.

Ex ligneis quibusdam assulis fomenta.

ET ex ligneis quoque assulis foveri languentes dolentesq; corporis partem novum non est. Nempe resonantibus auribus cupressi tabellam, quantum ferri potest, calentem homini dormitum euati, præsertim insperso pulvere origani parat *Felix Platerus tom. 1. c. 8.* & qui prior remedium fortasse docuit, *Bartholom. Montagnana cons. 8.* quidem, & ad distorsionem oris abolendam cervicem & spatulas eâdem tabellâ calidâ fovet. Alii quoque autores atque ex communi ritu, medentes omnes dysenterici & lienterici quiq; tenesmũ patiuntur, super assere abietino, juniperino, cypressino calido sedeant, curant. Ex nuce juglandi etiam probavit *Michaël Savanarola tr. 6. c. 16. rubr.*

Ex carbonibus jam nunc humore restinctis, fotus.

FOmentum, quod fit ex carbonibus, adhibendum est in balnei loco, qui ungendis hominibus sit dicatus iis, qui diuturnis doloribus teneantur, partes autem corporis torreantur, donec difficulter ferre queant. Carbones sunto è balneis sumpti, aut prius madescant, hæc *Oribas. l. 10. c. item*; quæ equidem sic interpretor ut de prunis humore balnei restinctis loquatur. Porro antiquissima hęc medendi ratio videtur, quandoquidem Cornelius Celsus ad fomenta validiora, quæ horrorem febrium pręvertant, extinctas titiones linteis involuit. Vide autem de his omnibus *Ludovic. Mercatum l. de indic. medic. cap. 12.*

Thus igne calefactum dentium doloribus afflictato imponit *Mesvæus l. 2. Grabadin. Part. 1. sect. 2. sum. 8. c. 3.* mastichen verò nigram in aceto coctam ad clavos adhibet *Aetius ser. 14. c. 82.*

Philuras cæpæ sub cineribus coctas atque etiamnum calidas ambustis applicat *Ioannes Langius l. 2. epist. 4.*

Ex animantium materia fotus.

ANimantium pleræq; partes non exiguos afferunt ad fomenta usus, quos omnes cum *in l. de medicina ex-animantibus pharmaco chirur. operis parte* disposuerim, lectori placeat, rogamus, cunctos eo loco perquirere, interim hic aliquot ipsorum alienum non erit attigisse. Sylvestrium quadrupedum carnibus elixatis & caput & buccas hominis cynica distentione correpti foveri jussit *Avicenna l. f. t. c.* quem sequitur *Marcus Gatinaria in opere ordinato secundum Razem ad Mansorem, cap. de oris tortura.* Intellexerunt autem & maiores nostri non vulgarem per assas leviter carnes fomenti usum: ex quibus deductum est, ut mulieres prægnantes ventriculum eâ sibi re foveri curent pro fætu languente confirmando. *Succinium* Antiquis porro & succum, qui bubulis à carnibus, dum torrentur, destillat, atque is etiam qui è semitostis ad prunas eisdem exprimitur, in medicinam utilis habitus est; adeoque hoc posteriore *Galenus, in l. iij. de compos. medic. part. c. 1. lemmate quod est compos. auriculares Asclepiadis*, ad aures dolentes, usus est. Ad earundem vero vermes *lib. de remediis facil. parabil. cap. 6.* Quem locum non omiserim libens.

Ex ovis, fotus.

EX calentibus quoque ovis igne duratis fomenta factitavêre veteres ad diversas partes corporis male affectas, atque dolentes inter cæteros oculi sic curati, chemosi atque ophthalmiâ vexati, hæmorrhoides, condylomata, rhagades, ani atque inflammationes sedis, quem ad modum hoc ipso *pyrotechniæ medic. libello c. de materia ex animantium partibus*, enarratum fuit. Ad laxatam columellam revocandam dimidium recens assatum ovum coronali suturæ imponit *Philippus Müllerus l.5. de myster. Iatrochym. 31.* Bregmati fervens impositum sine cortice aut dimidiatum prætulisse videtur *Alexander Benedictus lib. 8. de morb. cur. c. 6.* luteum igne duratum calens dolentibus dentibus affumicandum memorat *idem l. 8. cap. ult.* expertus approbavit ad ophthalmiæ reliquias, *Nic. Piso. l. de cur. mor. c. 20.* quam rem prior ex *M. Gatinaria tradidit*, *Iac. Sylvius in lib. de med. mor. int* translatum primû rem *ex Archigene apud Galen. lib. 4. de comp. med. loc. cap. 8.* credo, applicat vero ad hæmorrhoidas ac condylomata & ad ani rhagadias columbina ova durata *Cels. lib. 6. cap. 18.* quam rem (crediderim) imitatus est *ex Hippocrate*, qui ad inflammatum sedem ova ex vino nigro dorato cocta jubet imponenda *lib. de fist. n. 3.* ovorum etiam igne duratorum luteum calens, ut caseus assus, dentibus, qui stupore tentantur, præsens remedium esse docuit *Ioan. Mesvæus lib. 2. sect. 1. par. 1. Grabadin. Cap. quod inscripsit de congelatione dentium, & Razes ad Mansorem, c. eodem*, ova integra detracta testa oculo admota ruboris ex ophthalmia reliquias absumunt, *autor Felix Platerus, tom. 3. prax. medica tit. doloris oculor. p. 310.*

Ad hæc omnia non tacebo, quod ex placentula frixorum cum oleo amygdalino ovorum dolorem colicum sibi ipsi sopivit *Rodericus à Fonseca cons. 57. tom. 1.*

E deiectionibus & fimis.

NOn repulerunt sic vilitate atque abominatione manus mentesque hominum fimi bestiarum, ut non applicitus ægrotantium medicatos experirentur, adeo ut videatur non admirabile solum, sed incredibile, quàm variè miseris humanitatis nostræ casibus, succurrerit. Quæ cum fuerint à me peculiari volumine, quod inscripsi de medicina ex animantibus amplè tractata: sunt hæc tam propè innumera ut rem detrectare possim, si pauca seligam. Quam ob rem si qua tibi rerum istarum est sitis, ibi plenius hanc extinguas licet.

Ex cera fomentum.

CEræ portio per ignem decisa hordeolo dissipando laudatissima *Celso l. 7. c. 7. & Gal. l. 4. de comp. medic. partic.* calcem *Aetio l. 7. c. 82.*

Hanc etiam cum cumino trito concorporatam ad hyposphagmata, i. e. ad suffusum oculum sanguine ex percussu discutiendum, quam maximè calidam applicari cum fructu docuit *Constantinus in viatico*; à quo viro mutuatus est *Arnaldus Villanovanus, l. 1. Breviar. c. 15. & c. 22.*

Ex varia re fotus.

NUnc variæ materiæ fotus non tam enarrabimus, quam indicabimus exemplo singulari linguæ, cui maximè genus hoc remedii convenit quam juvare propter adhæsus difficultatem nil potest nisi efficax sit; in fotum adhibitum, modus, is autem per panniculum esto.

Ex ovorum coctorum luteis amygdalisque mundis contritis, & ex pulpa pomorum apiorum in lacte coctorum contusis, & singulis in pitacio rariore inclusis fotus aliquando ad perdolentem cancrum ordinavi; neque id sanè sine fructu; Commentaberis autem & tute per te varia ex omni materia in rem accommodata.

CAP. XIV.

De buccatu fotus aliqua specie.

HI quidem frequentissimi fotus sunt modi; nihilominus & citra has interdum observo fieri posse ut humoris calidi fomentum accedat. Atque is est gargarizatus & buccatus quem ego nomino, id est, haustus qui circa buccas ore clauso continetur, ex oleo autem calido ad dolorem dentium levandum proposuit *Aurelian. l. 2. chron. c. 4. p. 341* & ex aqua calida ad tetanum *l. 3. acut. c. 8.* & ad ileon *l. eod. c. 17.* quam rationem retinuit quoque *Aetius l. 2. ser. 4. c. 20. & 28. tum etiam Alex. Trallianus, l. 3. c. 10.* ad gingivarum verò tubercula, *[illegible]* græcè, calidam aquam laudat *Celsus l. 6. c. 13.* ad dentium vero dolorem lixivium tepefactum, mediocri vult tempore continendum, *Gal. in l. 5. de medic. partium. c. 9. partic. 2.* quo loco tum Colocynth. tum ulmi corticem vino decoctum, (id obiter dixerim) meminit os fovendum. Sed & ad abscessus linguæ, palati, gingivarum, & omnium partium oris, medendos utilis est haustus calens & usque ad fauces gargarizatus.

CAP. XV.

De Embroche.

EMbroche & embregma, Græcis, Madefactus est Latinis, ut vertit *Io. Baptista Rasarius apud Oribas. l. 9. collect. medic. c. 22.* & videtur, etiam interpretatus *Io. Gorræus in definit. medic.* dum in voce Embroche eâdem sententiâ utitur, quæ est *Oribasio citato loco.* Habet autem hæc Sardianus homo, Madefactus minorem vim esse quàm cataplasmatis. Illo autem utimur, quando cataplasmata vel propter tempus his minimè aptum aut propter locum, aut propter eorundem vim devitare oportet; Et temporis quidem ratione in principio madefactiones adhibentur, cû eo tempore cataplasmatum intempestivus est usus. Propter locum vero in capite madefactionibus utimur in iis, qui nô rectè admodum ad cataplasmata sunt affecti. Propter vim denique in gracilibus, cum vires imbecilles cataplasmatum pondus ferre non possunt. Accommodatissimum autem est chamæmelinum oleum capiti evaporationi finê imponit, eamq; quæ in capite est, digerit, aliamque non attrahit, quod nulli præterea medicamento contigit. Vides ex his postremis Antyli verbis summam embroches commoditatem; præterea

præterea fracturis ossium, carniumque contusionibus non mediocrem huius usum addidit, *Aetius in l. 1. ser. 3. c. 174.* qui discrimen meditatus, ab irrigatu illud protulit; quod meditatus, perseverantem ab adhibito auxilio habet utilitatem, nempe lanam aut cinerem humectantes imponimus, partibus affectis post profusionem.

Fervefacto aceto madefacti sugillatus abolentur *autore Galeno in 5. de comp. medic. part. c. 9.* Decoctum vero aceto lupinum ad livida *probavit Dioscorides.*

CAPUT XVI.

De irrigatu.

IRrigatione utimur, ut corpora perspergamus, hoc est, balneorum usum imitantes, cum alia circumstantia impediti balneo, uti nõ possumus: cum autem humectare corpora velimus, id madefactione facere non valemus, cum ea non altè admodum descendat, spongiam verò admovemus, ut sudorem adhærentem abstergamus, sive sanies sit, sive sanguis, sive strigmentum, sive pus concretum sit, sive ipsa medicamenta, sive quæ juncta fuerint, aut ut morsum & pruritum corpus vexantes sedemus. In facie verò, cùm recreare, & robur indere volumus, eiusdem rei causâ aspersione utimur, aspergendum verò caput est in vigiliis & deliriis. Stomachus autem atque hypocondria oleo calido perfunduntur, simili quoque modo costæ spina, vesica oleo calido asperguntur. Itemq; tetanici & ischiadici denique, at crura eorum qui febribus diuturnis & siccis detinentur, si planè cõstiterint, aut post sudores exiccata sint, hydræleo persperguntur, & alio traducendi causâ, crura multâ aquâ, aut hydræleo irrigamus, quod facimus ut errantem materiam in partibus ignobilioribus contineamus, quo tempore calidiore utimur, ad morsum usque, ad finem irrigationis, ruborem & tumorem, constituimus. Jam vero irrigamus ubi inflammationes resolvere in animo habemus, aut ubi abscessus citius ad pus perducere consilium est; aspersione verò utimur ad faciem, atque in febribus ardentibus æstivo tempore aquâ lacteâ; hyberno verò, calidiore, præsertim si caput nullo malo urgeatur, cavenda tamen in diuturnis affectionibus aspersio est; stupefactionis enim & frigiditatis periculosæ initium faceret.

Hæc Antylus apud Oribasium l. 9. collect. med. c. 22. quorum nunc nos præstat aliquot exempla subjicere. 1. capiti laboranti, vitio sicciori cumprimis est accommodus. Quare Archigenes præceptorẽ suum Agathinum (refert *Aetius l. 1. serm. 3. c. 122.*) delirantem vigiliis his confestim liberavit, capite eius multo oleo irrigato.

Præterea in convulsionibus caninis oleo sicyonis calido, aut aliquo consimili caput perfundendum. Item in his, quibus nervi fortiter sunt afflicti. Si vero frigiditas ac tremor ad afflictionem nervorum consequatur, etiam castoreum ad sicyonium admissendum est. Podagram verò marrubio in aqua aut vino irrigamus. Hæc ex Aëtio, qui cùm afflictionis nervorum meminit.

Afflictio nervorum quænam Aetio.

Irrigatu quoque ad extenuatos & fracturarum luxationumque vitio tabefactos artus utendum censuit *Hipp. officina medici text. 15. 16. 17.* ad articulos verò induratos atque ancyle correptos aut distortos *l. de usu humidorum paulo ante F.*

CAPUT XVII.

De stillicidio.

GUttulatus ex antiquis pauci meminerunt, & parcè ex his *unus Galenus, l. 13. meth. med. c. postremo & Cælius Aurelianus l. 1. acut. c. 11. & lib. 2. chron. c. 3.* quo loco cataclysmum: i. e. aquas à sublimi supercadentes, à Græcis appellari dixit, Fortasse autem & sub irrigatus genere rem hanc comprehenderunt antiqui, quod suspicor eò libentius, quòd Archigenem doctori suo irrigato oleo copioso delirium & vigilias excussisse, prodidit Aëtius. Consueverunt autem capiti alto, videlicet calvario obice sublatente affectu perfusum hunc adhibere propterea, quod è sublimi cubitum unum Epistomio & Siphone, demissus humor, ictibus crebris vehementius vim remedii subteriores in partes insinuaret. Defiget autem se facilius ex voto, si virtus accesserit, medicatæ sulphure vel nitro thermalis aquæ. Quanquam & simplicis, dilutæ etiam medicamentis aquæ aliæ sic usitatæ non infeliciter etiam adhibentur. Ad melancholiam porro medendam ex decoctis herbis stillicidium instituit, *Io. Manardus*: Meminerunt autem & alti destillatus alii ad partes alias, præterquam ad caput.

His instillatus usibus posterioribus factum arbitror, ut subinde assueverint Juniores Thermales, Duccias quasi guttulas, corrupto nomine vocatas, partibus male affectis adhibere, promiscuè, adhibent autem ut Andreas Bavius advertit omnino in frigidis morbis, & partibus & naturis. Adiumento autem efficaci morbis contumacibus cerebri nervorum & juncturarum omnibus finiendis. Aqua enim Ducciæ non calefacit, inquit Bavius, aut alterat immediatè caput, sed etiam eliquat sui caliditate actuali, subiacentes humores, siccatq; omnem superfluitatum copiam, penetrans sc. acri qualitate atq; insultu per commissuras calvariæ in intimas cerebri partes, &c. Sed loca corporis, in quæ adhibentur hæ, modum & ordinem administrandi, artificiales denique apparatus Ducciarum *apud hunc virum lib. 2. lege.* Nobis hunc pyrotechniæ locum ad eum modum attigisse, sit satis.

CAP. XVIII.

De Encathismate sive insessu.

SEd insessio encathisma, Græcis est in aqua medicatæ ab imis pedibus vel fæminibus usque ad umbelicum insidere, ita ut supernæ partes non madescant, quo fit ut his præcipue morbis conveniat, qui partes intra peritonæum inclusas infestant. Hæc & peculiarium partium encathismata *Ioan. Gorræus lib. defin. medic.* voce illâ disseruit. Ex oleo simplici parat *Aurelianus ad colicam, lib. 4. chron. pass. cap. 7.* ex decocto vero adstringente ad vomicas, *lib. 1. cap. 8.* ex oleo verò & aqua ad ilæon, *lib. 3. acut. pass. cap. 14.* & ad satyriasin *cap. 18.* ad cervicis rigores *Celsus lib. 4. cap. 3. F.* ex aliis verò compositis rebus

Encathisma qu[...]

rebus paratos morbis peculiaribus insessus describit *Aëtius tetrab. 1. ser. 3. c.* 173. cuius viri de hac re præcepta, cum luculenta, æquè ac utilia in hanc rem sint, visum est operæ pretium his adscribere. Insessiones, inquit, assumimus in partibus inflammatis aut ob balnei penuriam, aut propter virium debilitatem aut ob aliud quoddam impedimentum. Inflammatis igitur renibus utimur decocto fænu-græci, maluæ hortensis, ac sylvestris, seminis lini; in calculosis verò iisdem propter inflammationem, & arthemisiæ decocto, ac rosmarini & petroselini, ac spicæ nardi. Iisdem etiam utendum est in vesica, adiectâ etiam rutâ ad uterum verò arthemisiæ decocto, salviæque ac lauri, &c. Ad colum autem sinonis & panacis decocto, & lauri & similium.

Ad sedem meliloti, caulium, cum papaveris, ac rosarum decocto. Ad fluxiones autem uteri, & hemorrhoidas ani, plantaginis decoctum convenit, & polygoni, malicorii, rosarum rubearum ac similium.

Ad vulnera verò convulsionem denunciantia, aqua & oleum. Omnes igitur illinendi sunt & inducendi usque ad imum umbilicum. Oportet autem, & partes, quæ non madefiunt, prius inungere & præsertim caput, ac tegere; ut ne repleatur.

CAP. XIX.

De Embasi sive solio.

Embasis autem est solium aquæ calidæ, labrum & piscina in qua lavatur aliquis. Hanc ex Hydroleo parat Ischiadicis, & psoadicis *Aurelianus* 1. *499. F.*

Stomachicis verò de oleo simplici *lib. 3. ca.* 2. *pag. 40. sed Razes in tract. de morbis puer.* infantem puerum, cui cum prurigine vesicæ sunt, in ahensi aquâ calidâ plenum conjicit ut vitium evocetur.

CAP. XX.

De balneo.

Restat nunc balneum exponendum quod *autore Io. Gorræo* illud dicitur, quod sudandi, lavandi, detergendiq; corporis usibus est deputatū. Quadruplex erat veteribus, i. e. quatuor domiciliis distinctum; quorum unumquodq; peculiari usu serviebat, triplici etiamnum moderatione temperatum. Primò quidem assuescebant præparabanturque corpora aëri calido sic, ut quasi emollirentur, inde προμαλακτήριον, id est, præmollitorium appellabatur: Aër autem in quo primò versabant lavandi primum tepidus, deinde calidus plenè; abhâc iter erat brevissimum, ad calidarium balneum, aquæ tribus soliis constans, tepido, mediocriter; calido, planè ab hoc transitus erat ad frigidarium tribus etiamnum aquæ soliis varium: nempe 1. aquam exhibebat mediocriter calidam 2. tepidam, tertium frigidam, sed quarta & postremâ balnei parte corporis omnis mador & sordes eximebantur; fricataque diligenter cutis oleo componebatur. Horum omnium ut usus esset frequentissimus, non tamen quasi lege perpetuâ, nullus erat prævaricatus unis aut aliis, interdum plus, interdum minus, pro vario rerum statu uti licebat. Sunt & præter hæc balnea simpliciora ex oleo, hydrelæo, lacte, vino musto ac aliis, de quibus omnibus, & tota hac re *Andreas Bavium l. 7. de thermis; & Ludovicum Mercatum l. 1 de indicat. medica*, late leges; neque de thermis his artefactis; plus multa de naturalibus dixi aliqua superius, de quibus iisdē ad medicationes usque pauca & exilis apud veteres mentio fuit. Veruntamen isthæc *Aurelianus videtur expreßisse in l. 3. chron. c. 6. p. 427. & c. 8. p. 435. sed multò explicatius in 5. c. 20. & 8. p. 531.* quo loco balneorum naturalium, quæ sunt in Italia atque Aenarea, commeminit. Item Oribasius p. 1. synops. c. 29. *& longè disertius in l. 10. collect. medic. c. 3. & c. 5. & ex Archigene Aëtius tetrab. l. 1. ser. 5. c. 167. Paulus etiam l. 4. c.* 1. Aquarum naturalium ad elephantiasin medendam expressè meminit atque hæc de balneis maioribus & universalibus. Cæterum peculiarium, & minorum, quæ nostro hoc seculo sunt usu frequentissimo, exemplis abstinens, quæ sunt prope infinita, quod scriptum reliquit *Oribasius lib. 10. collect. medic. c. 3.* Summam quippe universæ rei absolutissimam & in rem nostram accommodatissimam recitabo; quæ est illa. Lavacra partim ex aquis dulcibus & qualitatis expertibus constant, partim verò ex iis, quæ & qualitate sunt præditæ, & vim habent vehementem atque conspicuam: eaque; in quibus inest qualitas, partim industriâ parata sunt, partim per se ita nascuntur, porrò eorum quæ ex industria fiunt, alia calefaciendi, alia digerendi, alia humectandi, alia refrigerandi, alia astringendi causâ parantur, ac calidis quidem utimur, cùm aut refrigeratos calfacere, aut lassitudinem soluere, aut convulsiones aut dolores mitigare nobis propositum est: sanè his etiam utimur refectionis causa cum alimentum non facilè distribuitur. Calidas autem aquas reddimus, cum pulegium, aut origanum, aut hyssopum, aut thymum, aut satureiam, aut lauri folia, & chamepityos ramulos, & panacis, pyrethriq; radices, & cathry, & alia generis eiusdem incoquimus, oleum quoque in aquam conjicimus; lavacra autem digerentia facimus, cum totum corpus, quod præpingue sit, volumus extenuare, aut tumefactum totum corpus vel membrum aliquod contrahere, idq; sive propter inflammationem, sive ob aliam affectionem fluxione laboret: fiunt autem digerentia; cum vel salem injicimus, vel ipsâ marinâ aquâ utimur, aut vitrum admiscemus: Jam mel quoque admixtum digerendi vim aquæ indit, itemque uva taminia incocta & cinis sarmentorum, & sulfur ignem non expertum, aut baccarum juniperi, aut mercurialis decoctum.

Molliendi verò causâ balneis utimur in corporibus, quæ vel inflammatione laborant, vel indurata sunt, atque ad inflammationes, blanda esse debent & mollia: in iis, quæ obduruerunt, si inflammationis sint expertia, potentia & efficacia quocirca in iis qui inflammatione laborāt malue, & lini seminis, & fænugræci decoctum miscemus; in fluxione vexatis inflammationibus, plantaginem aut herbam sanguinalem, aut malicoriū, aut rosas, aut rubi cimas incoquimus, in iis verò quæ convulsionem minantur, iisdem utimur; quæ adhibemus etiam iis, quæ sunt fluxionis expertes: Præter cætera verò hydrelæum, in quo

malva

malua, aut fænum-græcum incoctum sit, juvat. In duritie autem circa inflammationem balneis eiusdem qualitatis utendum est, quibus ad eos qui digestionis indigebant, utebamur. Cæterum refrigerant & adstringunt balnea, quæ simili modo parata sunt, quo adstringentes refrigerantesque madefactiones, quarum sylva potest in hunc transferri locum.

CAP. XXI.

De ingressu in oleum ex Herodoto apud Oribas. l. 10. Collect. c. 37.

DEscensus in folium ex oleo conveniunt iis, qui diuturnis febribus cum perfrictione cōflictantur iisque qui lassitudine fuerunt oppressi, & iis quibus dum febri jactantur, dolent nervi, qui ossibus sunt admoti. Tempus omne accommodatum est, omnisq; ætas, sed magis senilis, atq; in symptomatis cum febri coniunctis, apti sunt huiusmodi ingressus in declinatione, in quartanis verò, febribus etiam in statu, particularia vero tempora sunt, ut in remissionibus omnibus conveniant: in convulsis verò & dolentibus, & urinæ suppressione, ut festinemus. Cæterum quinta olei pars calfacienda est, reliquum in balnei foliis sit, nam quod in balneis est, neque satis calidum redditur, neque totum ritè ad ignem, califieret: siquidem ad secundum usum inutile redderetur, quando quidem nidorosum, calefieret. Solium verò, in quo oleum sit, ad proportionem ægrotantis magnum esse debebit; Locetur autem in tentorio, aut domo ex omni parte inclusus, esto autem in sella, super qua endromis ponatur perforata per intervalla quaternum digitorum, cuius initia consuta sunt lignis quadratis oblongis: id quod facimus, quia ægroti qui carnis mole sunt onusti, non facile à solio auferentur, dilabuntur enim gestantium manus, quod si cavendum sit, ne fiat; manibus tenaciter, apprehendenda sunt corpora, quæ res carnes tenues & imbecilles contundit: præterea decubitus in nudo solio difficilem actionem, tum sua duritie, tum verò fervore efficit. Æs enim vehementius incalescit, quam etiam ob rem jubemus, & spongias substernant, ut ad mollia corpora ægroti adnitantur, foramina verè adhibentur, ut postquam fuerint deportati, oleum defluat: ergo constitutus æger in sella, caroq; reddita æqualis per mollem & moderatum strictiorem fuerit, resolutis autem lignis in oleum ritè imponatur, revolvantur verò in contrarium ligna, usque dum ægrum in subiectis spongiis statuant, parique ad caput spectans esto sublimior.

Hæc ille: quæ præterquam quod omnino sunt utilia eo etiam libentius recitavi, ut luciseorum, quæ mihi sedulò perquirenti contigit, candidè, sicut decet, auditores meos redderem participes. Nempe pleraque ipsorum cum ab antiqui ritus interiectas res aliquas non sint plana, illud per obscurum est de sella, quam intelligi oportet, non ligneam usu notam, verum ex tempore paratam, quadrangulam compaginem dixit, *Aurelian. l. 3. chron. c. 8. p. 437.* è panno oblongo endromidos, mediâ sui parte per intervalla quaternorum digitorum perforato, cuius à binis hominum manibus, gestandæ capita, consuta lignis duobus transversis, quadratis, oblongis, convoluenda sunt, infernè manu pronâ, dum æger deportatus in solium demittatur, sensim verò contrario motu laxanda eodem mox dum spongias, aheni fundo, superstratos attingat clunibus allapsus homo; Rursus verò cum eximendus est idem è balneo convoluenda, uti prius, donec in plano ferè sit reliquum sellæ. Hic certe sensus videtur, sermonis prænarrati. Jejunè autem hæc omnia & falso sedem perforatam interpretatus est *Ioannes Heurnius*, encheerisin huius balnei proponens, *l. 1. ad pract. methodum.* Scripsit & de insessu in solium ex oleo sec. Galeni sententiam, *Aëtius tetr. 1. ser. 1. c. 169.* brevibus verbis. Aliis quoque usibus quibusdam ingressum in oleo laudat *Andreas Bavius, l. 7. de thermis c. 33.* lege autem & quæ vir hic eodem libro de balneo ex hydreleo, ac vino, sanguine, lacte, materiisque aliis conscripsit.

CAP. XXII.

De merobalineo (quod semicupium quibusdam) sive de demersu membrorum in latices.

FRequentissime accidit, ut membra corporis demergenda sint in comparata medicatarum materierum vascula redimendi ab ulcere, tumore, distensione, punctura, distorsione, collisione, ruptura, quo sc. hæc vitia vel desideant & gracilescant, vel exhauriantur & depurgentur ab inquinamentis, vel resolvantur, vel emolliantur, vel coalescant, vel dolorem & alienum omne deponant. Ad quæ singula facientes aquas thermales, decocta succos, humores, liquores, excipiet cupa pro brachiis quidem & cruribus; cupæ pro manibus pedibusque vascula minora, pro digitis minima, & materiæ quidem medicaminum capientur pro sua cuiusque morbi, partisque laborantis indicatione. Congruit autem huc ferè norma, quæ in irrigatu proposita fuit ante; medicamenta autem vitiis occurrentia in pharmaco-chirurgico, præcipuè verò tractatu de humidorum usu reperies. Interim hic non omiserim singulare merobalnei exemplum *ex Alexandro Tralliano, qui l. 11. c. 1.* retulit, demissis in salis fomentum pedibus, ædematosâ podagrâ turgentem virum clarissimum magnum leuamen sensisse. Historia

CAP. XXIII.

De igneo aëris impressu, primum autem de naturali.

EST jam quando ad igneos aëris impressus devenire debeamus. Horum nempe modi neque pauci neque ignobiles in usum nostrum, si perquiramus, reperientur. Ego autem quid in ea re meditatus sum, attingam brevi. Inter prima corpora duo media, i. e. qualitates extremorum has, aut illas, pro ut accidit recipientia aquam & terram fecit Aristoteles, cum ipsa tamen interim secundum suam substantiam non immutetur. Huius extremam ab igne affectionem cum exurendi officiis aliâs quæsiverimus, calidam nunc assationem, (Cornelii more dicam) expetimus. Quæ quidem & naturalis esse potest, & arte

& arte paratâ. Naturalis est siccus calor (*ut Celsus ait l. 12. c. 18.*) quarundam naturalium exudationum, i. e. expirationum, ubi è terra profusus calidus vapor ædificio includitur, sicut super Baias, (Batas Tarentinas, legit & interpretatur Pantinus) in myrtetis habemus. Huiusmodi sunt & alia duo sudatoria Baiana & unum ad lacum Agnani in Puteolano (fumarolas vocant) & unum in Aenaria. Sulphurarius item campus Puteolis, cinctus collibus, leucogeis, aut Phlegræis, à squalore fragoreque igneo antiquitùs nominatis, quæ naturalia omnia æstuaria cum suis singulorum usibus descripsit graphicè *Andreas Baccius lib. 4. de Thermis, & Iulius Iasolinus, lib. de Balneis Aenarianis.* Ipsos ea de re consule, præ istis eadem & prima per eosdem navata opera, haud ausim quidquam aliter allaborare, vel repetere.

Arte paratæ sudationes sunt clibani Laconici, arenæ calidæ, sicut tradidit *indicato loco Cornelius.* Sed clibani remedium, & hoc genus, sermone proximo declarabimus.

CAP. XXIV.

De Paroptisi tepido corporis terrore.

AB his præsidiis est παρόπτισις, quod quidem nominis ipse, qui primus ex his, quos legimus, protulit, Aurelianus, non reddidit latinè, dicere nos possumus subustionem vel Celsi exemplo, assationem nempe, *eodem Aureliano teste ibidem p. 315. P.* fit paroptisis aut accensis proximè carbonibus, aut parietibus calefactis, aut pavimento, item lapidibus ac testis, balnei fornice seu tholo. Caminum non nominavi, quod antiquos constet nostram camini structuram non cognovisse, sed parietibus tubos immisisse, per quas circumfunderetur calor, quo ima simul & summa foverentur, æqualiter, ut refert *Seneca 14. ad Lucillum*, camini usum suâ memoriâ cœpisse testatur. Clibano item calente à quo recens panis extractus sit, usos nostros maiores legimus. *Aetius* enim ad venenum rubetæ extrahendum, in calidum furnum immittit hominem *l. 13. c. 54.* imo & ex fictili dolio assis ad eam rem exudationibus usum periisse videtur *idem, ibidem loci; quando ait*: Porrò dolium insuper aut furnum igne fervefacito, igneque extracto laterem imponito, atque ægrum immittere multumque ac diu exudare jubeto. Jam autem, quod ante dixerim, dolia fictilia fuisse antiquis novum non est: Etenim *Plinius l. 3. nat. hist. c. 6.* figulinas doliariorum antiquis Pithecusis, quæ nunc dicitur Ischia, fuisse scribit; adeò scilicet multas, ut ab eo nomen nactam autumet insulam. Ut autem ad veneni curationem præstans est furni remedium: ita & pestis hâc ratione sanatæ testimonium est *Simonis Riquini in epistola de febre sudatoria, apud Schenckium*, cuius ea sunt verba; ex sudore anglico laborans quidam ex impedito sæpe sudore de pereuntibus pluribus hominibus medicinalibus ad hanc rem præscriptos, omnibus contemptis audax factus incalentem furnum, unde nuper extracti panes fuerant, nudum se conjecit, ibique cum totus sudoribus destillasset, languidiusculus evasit, ut solent ex hac febre convalescentes. Sed quòd longè admirabilius est, etiam confirmatæ phthisi tam mirè proficuum hoc remedium est interdum, ut fornacariæ cuidam fœminæ pulmonis ulcus occalluisse prodiderit *Nicolaus Piso l. 11. de cur. morb. inter. c. 9.* Meminit autem & ignis ad omnem exiccationem valentis *Hipp. omnium 1. l. 2. de diæta pag. Basiliens. 144.* Meminit & assationis huius ad omnes dolores *Oribas. l. 10. collecti c. 1.* utendum donec difficulter ferri queat. Arthritide vexato sedendum in fovea percalfacta docuit Razes autore usus Simone, ut est apud *Nicolaum Florentinum serm. 7. tract. 2. c. 10.* E posterioribus verò nostris ad frigidos humidosque languores exudatum hunc laudavit *Michael Savanarola l. de baln. c. de balneo sicco igneo. Itemq; Iacobus Sylvius, in opere, quod inscripsit meth. inter curatoriam. c. de hydrope*, salubre docuit, ægrum mensæ incumbentem immitti in furnum extracto pane, tepentem: sic tamen ut caput sit extra præfurnium, ne calido aëre suffocetur quam rem & *Iacobus Pontanus l. 3. pract. medic. c. de ascite probavit.* Meminit & ad stuporem resolutioremque artuum probati huius remedij *Renerius Solenander cons. 15. sect. 5.* Ad cæteras quoque exudationes paroptisim hanc laudat *A. Paræus, l. 25. c. 43.* Cæterum paroptisi primum *Celius* est usus in cephalea, *1. l. 1. tard. pass. c. 1. p. 255. 20.* spasmo atetano *l. 3. acut. pass. c. 8. pag. 193.* paralysi *l. 2. chron. c. 1. p. 325.* phthisi, *l. 2. chron. c. 14. p. 391. 393.* Asthmaticis *l. 3. chron. c. 1. p. 397. l. 3. acut.* Stomachicis *l. 3. chron. c. 2. p. 408.* lumbricis *c. 8. p. 492. M.* Atrophiæ *l. 3. c. 7. p. 429. B.* Colicæ *l. 4. c. 7. p. 481.* Ileo *l. 3. acut. c. 17. 8.* arthritidi. *l. 5. c. 2. p. 5. 17. 9.* Polysarciæ *l. 5. c. 9. p. 152.* Aquæ intercutem *Aetius lib. 3. ser. 4. c. 29. & Horatianus l. 2. ad eupor. c. 19. p. 152.* Convulsioni vero medendæ & ignis admotu usus est *Hipp. in l. de loc. in homine textu exponentium 126. Marinelli nota 48.* & ad illinenda ulceribus exiccantia pharmaca *l. de ulcer. n. 8. sed Cornelius l. 3. c. 27.* dolentibus paresi partibus, prunas lenes inter cætera subjicit: spasmo verò *Horatianus, l. 2. ad Euporist. c. 10.* At ubi Galenum reliqui, qui *l. 1. de med. per loc. & Aetius* alopeciam in sole aut ad ignem illinit. *Avicenna vero l. 4. fen. 7. tract. 4. c. 7.* ad focum luculentum tamarisci morbillis ac variolis defœdatus homo, vult assideat. Ichuriæ puerorum ex resoluta expultrice, propterea, quòd vesicæ tunica transversæq; huius fibræ plenitudine distentæ ad constringendum invalidæ sint redditæ, luculenta ad pubem adhibita calfactio, succurrit, si oleum ex capparibus cum pexa stupa mox imponatur *Hieronymus Fabricius auctor in oper. chirurg. c. de suppressa urina.* Ad quem eundem affectum *Hier. Mercurialis l. 2. de mor. puer. c. 20. f.* cucurbitam aridam, in qua diu conservatum fuerit oleum, immissam in aquam ferventem & extractam mentulæ inserit pueri efficacissimo nec fallente remedio, à quo non admodum dissimile ad hoc vitij est illud à

Furni tepidi oris remedium.

Cephalea.

Spasmo ac tetano.

paralysi.

Stomachicis lumbricis.

Atrophia.

Colica, Ileo

Arthritidi.

Polysarcia.

Aqua intercutem.

cõvulsioni.

Avicenna.

Apoplecticis.

Ichuria.

Iacobo Sylvio in methodo curat. c. de Ischuria, quod est frictio perinæi ad virgæ propaginem, cum tegula calente adhibitum. Jam autem quod ignis adhæsu multorum hominum experimento protuli, cieri lotiũ his, qui difficile illud reddunt, eius est ratio, quam dat Aristoteles recitata ab *A. Gellio. l. 19. noct. att. c. 4. quodl. 15.* τὸ πῦρ διαχαλᾷ τὸ πεπηγὸς ὥσπερ ἥλιος τὴν χιόνα; est huius quoq; generis, quod singultus importunitatem ex calfacti panni solent infantibus adimere, sicut *Leonardus Tubingensis Professor adnotavit, l. 1. de med. morb. c. 11.* Hactenus ad particulares morbos paroptisis recitata sunt, exempla; cæterum hæ non sic halitu juxta recepto utenda intelligitur, ut non etiam adhæsu sit commoda, porro de ea, quæ recipitur, contactu loquutus, videtur *Oribasius l. 10. c. 10.* cum partes, quæ languent pannis lineis obseptas præ calidis parietibus admovendas consulit.

CAP. XXIV.

De Suffitu.

IGnis efficacissima omnium medendi rationum cum sit, ad huius proximè naturam accedit suffitus, editus non dico solùm ex igneis naturâ corporibus & materiis, sulphure, sandaraca, arsenico, & hoc genus, sed etiam quæ præter aquam & aquea sunt omnibus. Illorum sanè effumatio, nidorq; siccus, quòd nemo non videt, singulariter est igneus per se, verùm hâc qualitate neque excluduntur, quæ terræ aërisq; plurimum habent, siquidem igne contacta fuerint. Porro liquida & tenuis huius substantias subtilissimè quaslibet aliorum partes afficit & immutat.

Igni respondentes & analoga materia suffibiles.

Deinde & hoc aliter ostendi potest expositâ naturâ suffitus, hũc triplicẽ fecit *Arist. 4. metereologici*: sub finem, & fumum, qui à lignosis corporibus, & fuliginem, quæ à rebus pinguibus, & nidorem, qui ab unctuosis proficiscitur, sub suffitu comprehendit. Qui nullus istorum modus madefacit, à vapore dissentiens, ut censuit idem philosophus. Quamobrem aquæ cum damnantur, quæ non incenduntur, & cæteris, quæ incenduntur, elicitus spiritus non madefaciet; quare humore, qui ab aëre potest esse, excluso, item frigido, qui est terræ, nimirum ab igne profligato, fit inde ut calor & ignis aura, quæ semper est, conjuncta, dominari debeat: quapropter aer hic vividus, maximè penetrabilis & efficax erit. Has ob causas duo jam constare possunt, & amplexandum exercendumq; in plurimos medendi usus ex fumo rerum adjumentum, & nos qui peculiari studio post reliquam pyrotechniam hæc pertractanda suscepimus ritè rectèq; fecisse, neq; enim ex his esse volumus, aut quantum quidem per nos fieri potest, alios esse patimur, qui suffitus efficaciam ad sola syphilidis vitia debellanda ex cinnabari & hydrargyro conclusam adstringimus. Longè latiores & ampliores eiusdem usus & facultates agnoscimus, quos quidem omnes suo loco posterius exponemus. Interim generales aliquot observationes suffitus enarrabimus. Primæ autem de virtutibus ac proprietatibus erunt, quæ rei naturam exactè demonstrent, præter ea, quæ dicta sunt. Præcipua autem ex his omnibus est, quod nedum calefacit exiccatq; igneâ dimanatione continuâ, verùm etiam materiarum occupatarum medicas alias opes expromtas, extenuatione ac rarefactu corporum subinde dum ducat incensus, explicat & communicat; porrò resolutio quædam & secretio partium halituosarum & tenuior est suffitus atq; ut vapor secundum substantiam est aqua, ita & anathymiatis. ὑπόθεσις ἐστὶ θυμιατὴν αὐτό, ita sulphuratam lanam cinerum & ignitabulorum multiplicium quæ præstinguantur saltem, sicut affectiones atque virtutes transfunduntur in humores contactos: ad eum propè modum decidui effluxus, incensorum vires istorum referunt & conservant. Operæ pretium autem fuerit, istorum aliquot exempla tradere, quibus res planè clarescat. 1. nempe ex acacia & lycio adstrictus erit, 3. ex asphalto & styrace remollitio, 3. ex nitro, & huius omnibus speciebus abstersio. 4. ex aloë & croco apertio. 5. ex sabina, cedria, calce vivida concretorum præter naturam liquatio. 6. è galla, omphatitide, ære, chalcantho, alumine, extumescentium compressio atque addensatio. 7. è sulphure & sale extenuatio. 8. è lapide, pyrite, lateribus & aceto absumptio, exiccatioq;, quem absorptum vocant. 9. è peto & sinapi pituitæ capitis expurgatio. 10. ex auro, myrrha, thure, corroboratio & conservatio. 11. ex ungue odorato, & croco, mensium evocatio. 12. ex osse cranij humani fumigatus ad epilepticos, jure salubrior, quam qui pulveratus ab homine absorptus, ut vulgo fieri solet. Si enim usti potio frigens & torpida *Sylvio teste, 1. de comp. medic.* conducit, quantò citius ac felicius medicamentum actu calore proficiet? Itemq; si bronchocelis discutiendis usui sunt spongiæ superpositæ simpliciter: harum etiam ustarum fumus, multo potior erit: quod remedij genus ad strumas delendas in thesauro chymico proposuit Fidejustus Rinneccerus. Quam rem libentius adverti, ut & similis de fellibus ad oculos & de stercore canis, & de cineribus hirundinis ad mala gutturis, ac de aliis hoc genus adhibendis remediis ratio cognoscatur. Quocirca equidem efficacius hepatis capræ sylvestris assi nidorem oculis haurire, quod alicubi Galenus præcepit, quàm illud ipsum esitare efficacius puto.

Suffitus triplex Aristoteli.

Suffitus naturâ haud madefacere.

Spiritus halitusvè à suffibili materia.

Eductus, non igneus & maximè actuosus.

Contra eos qui suffumigiis in lue duntaxat venerea utuntur.

Virtus prima suffitus.

Halitus semper materiæ cui accendens quibus suffitibus materiæ effecit.

Suffitus per quosdam medicamentorum dos praestantia.

Altera non minor est virtus, quod longè latèque se proferat eiusdẽ vis, insinuetq; se intimius, quod indicavit certè *Hippocrates. qui l. 5. aph. 59. proposuit*, si mulier non concepit, scire autem velis, si conceptura sit; pannis circumtectam de subter suffias, & si odor videatur, per corpus ire ad nares & os, scito, quod ipsa non ex se ipsa sterilis. Pervadere, inquam, ad supremas capitis partes, ut medicamen aliquod possit sine summa tenuitate & vivida qualitate.

Altera virtus penetrat...

Verum enimvero peculiaris est, huius remedij conditio, superiora semper petere, atque ad hunc modum usos eo veteres apparet. Itaq; & ab eius natura & usu licet coniectari, principio excogitatum inventumq; fuisse ad superiores retrusaq; partes corporis medendas.

Conditio remedij propria. Cui b... primũ excogitatum fuerit suffitus.

Ad uteros verò procurandos legimus ab antiquis omnibus, & à summo Hippocrate maximè usitatum; deinde & intestino, superius autem & naribus

naribus, & ori, tum huius mali, tum pectoris eximendis, itemq; auriculis, & ad summam, omni cavitati & conceptaculo, accommodatus est nimirum, in quo recipi non disiectus, & ubertim congeri pro viriliter agendo ac diu multumque fovendo queat. Verumtamen neque oculi à suo suffitus medicatu excluduntur: sed *Cornelius Celsus, Ioannes Mesvæus, Alexander Benedictus, Gulielmus Rondeletius, Ioannes Heurnius, Felix Platerus, atque alij plerique*, eiusdem ad causam meminere, quemadmodum suo de oculis suffiendis loco posterius enarrabo: tantum scilicet abest ut fumus, alios oculis infensus, incommodare debeat. Ad hæc & artus, licet haudquaquam cavi, non eximuntur, nempe *Galenus & l. 13. methodi therapeuticæ c. 5. & l. 2. ad Glauconem, c. 4.* ad dissolvendum scirrhum aceti suffitu, super ignito lapide pyrite aut molari usus est, atque adeò feliciter in multis, ut magicum opus videretur. Addidit & chordas duritie prætensas eâdem medendi ratione fieri, ut lentescant, ut jam possis cognoscere, & ancylas, id est, contracturas, quibus articuli sunt obstipi & inflexiles, hâc quoque viâ nancisci medelam, sed & sudores movere solet unusquisque rerum medicatarum suffitus, ac thus incensum experimento id fecisse vidi.

Præter tumores autem juvat & suffitus ulcera difficilia curanda & cicatrice obducenda: ad quæ duo opera nullum medicamenti genus efficacius comperit equidem, neque item *Io. Renodæus, ut fatetur ipse, Pharmacopeæ c. 8.* Est autem hîc mihi narranda historia non inutilis: Angelica filia Marij de Majo honorati Bibliopolæ Neapolitani, negotiantis ad tabernam librariam, sub signo Europæ, aliquot jam annis nigrores in digitis manus non sine aliqua corruptione & unguium ossiculorũ decessu fuerat passa, quamobrem erant, qui fascinum, erant, & qui diras numinis dicerent, cum pia tamen & integra vitæ scelerisque pura esset virgo: ita sunt leves semper, & inconsultæ vulgi opiniones; Frigidioris hæc conditionis corporis sensusque hebetioris visa est inde mihi, quòd segnis ac torpida testudinis in morem cunctis vitæ muneribus defungeretur; nigrores suffitu peti atque eiusdem ceratu deleti sunt illo anno, mox altero recurrentes vulgaris cinnabari suffumigatu sunt omnino discussi, sic, ut non recurrerent amplius. Ita firmatæ corroboratæque sunt partes eo remedio. Quos eosdem suffitus ore acceptos ad suffocatorios faucium tumores dissolvendos miro esse remedio pro comperto prodidit *Andreas Cæsalpinus art. med. l. 3. c. 8.* ad rhagades item syphilias efficacissimum ex cinnabare, & stibio experimentum testatur *A. Baccius l. de thermis ultimo.*

Sed & alia necessitas est utendi suffitus, ubi scil. non valentibus nostris ægrotantibus proximum rei mordacis admotum sustinere fumigatum eiusdem, qui tolerabilior est, substituimus. Ita equidem in condylomatis sedis ac ficis cum acerbior esset cuipiam adhibita sabina, suffitum ex hac libens concessit. Habes jam universales quasdam suffitus commoditates, exposuit particulares *Antylus apud Oribas. l. 10. collect. medic. c. 19.* quæ sunt hæc; Suffiunt medici mulieres, quæ uteri vitio suffocantur, sive uterus procidat, sive refrigeratus, sive siccatus, sive multo humore perfusus sit. Utuntur quoque suffitu in morbo comitiali, heterocrania, cephalæa, recta cervice spirantibus in asthmaticis, in his qui defluxione vexantur, & in his, qui caninâ convulsione tentantur, in his qui comate opprimuntur, in scotomaticis, &c. vide autem sua, quæ ad singulos affectus ordinavit idem autor, suffumigationum exempla. Collegit & è junioribus genera quædam affectuum & loca corporis *Georg. Bertinus l. 19. rei med. c. 21.* quæ sunt, ut cerebro roborando & frigidis huius affectibus discutiendis, catarrhis compescendis, olfactui conciliando, resonantibus auribus & thoracis pulmonumque morbis medendis. Utero confirmando & mensibus huius tum provitandis, tum reprimendis, dysenteriæ sistendæ, alvo sive adstringendæ sive laxandæ & contagijs aëris pestilentis averruncandis & profligandis.

Sed his jam de usibus ac præstantia suffitus expositis partitionem eiusdem ac species enarremus. Duplex in universum est suffitus, simplex, compositus: Simplex est ubi res una ad suffiendum comparata in ignem conjicitur. Compositus verò est ubi duæ vel plures numero res incenduntur, sive ad medendum, electæ omnes, sive istarum aliqua juvet incensionem rei, non commodè satis ignem admittentis. Rursus autem, ubi simplex est suffitus, incensilis materia vel in carbones igne candentes, vel in vascula aut platysmata fossilia, fictilia, metallica ignita conjicitur; & si in hæc posteriora receptacula vel fluida stillatim diffunditur materia ut ol. mel, vinum dulce & novum, &c. (Alia non addi vult Arist. qui vaporatum ex his facit) vel solida, atque si hæc etiam vel pinguia vel non huiusmodi, tale est bechium, quod ad tussim sic adhibitum præclarè facit *Ioanne Sylvio autore*, retorridas in tegulas conjectum. Si verò in prunas injiciuntur, vel pinguia, vel lignosa, & hæc utraque, lignosa maximè, vel trita, vel ut se offerunt, & integra.

Hîc jam universali & communi suffitus ratione discusâ; cæterum aliquo velut exercitationis modo particularia eorundem paradigmata proferre oportet, id autem commodissimè facturi videmur sumptis ex Hippocrate rerum istarum auctore copiosissimo, & huius amicâ factione nobilioribus exemplis.

Latissima quidem & summe varia apud Hippocratem suffitus omnis fuit, materia ita ut ex universo genere lecta & factitata legantur per ejusdem & aliorum commentaria. Ex animali quidem ordine exempla quàm plurima *in l. de rustica medicina proposui.* Cætera mox pervidebimus, primum autem è genere vegetabili.

E vegetabili genere.

E Linaceis, laciniæ combustæ fumum ad gravedines & destillationes commendat *Paulus Ægineta l. 3. c. 28.* Phtiriasi staphidem agriam, struthium, & gummi pini commoda suffimenta judicavit. *Avicenna l. 4. fen. 7. tract. 4. c. 27.* Epilepsiæ

pæoniam suffumigavit *Mesvæus l. 2. Grabadin.* remedium professus admirabile Melancholiæ præstantissimum; inter omnia suffitū è styrace calamita notat *Iac. Fontanus l. 1. pract. medic. c. 28.* Thus simplex in ignem conjectū oculorum cancro, epiphoris, & phlegmonis ulceribusq; malignis adolevit *Avicenna l. 2. tract. 2. c. 5533.* Auribus dolentibus milium suffumigavit *Galenus libro 3. pharmacorum. particul. c. 1.* Ex alterei semine ad dentes dolentes fumum approbat *Gal. l. 5. pharm. partic. c. 9. & l. de re medij fac. parab. c. 16.* ad causam tamen calidam potissimum id laudavit *Aetius l. 2. serm. 4. c. 27.* sed lotionem ex aq. calida facto suffumigatu præcepit.

Post quos omnes autores mirum est, quàm multi eidem remedio consenserint posteriores medici juniores & usque empirici. Cicuta hæmorrhagiæ narium utiliter suffumigari docuit *Galenus l. de remed. fac. parab. c. 3.* Oris vitijs semina peti cum cera suffivit *Fallopius l. 1. de secretis, & Leon. Fioravantus in physicis.* folio verò simplici eiusdem ubertate mirâ pituitam è naribus & ore prolici scripsit *Io. Heurnius l. 1. meth ad prax. c. de suffitu.* Tonsillis extumescentibus & columellæ succinum incendit *Martinus Rulandus Curat. empir. 97. Cent. 2.* Hirudinibus, quæ gulæ se inseruerint, necandis, fumum incensi marrhubij laudavit apprimè *Avenzoar. l. thesir l. 1. tract. 8. c. 33.* Ad veterem tussim resinam & sandaracam igni subdidit *Dioscorides.* Ferulæ fumum asthmatico accipiendum commendat *Mesvæus l. 2. Grabadin. c. illius rei proprio.* Ad dolorem fluxumq; uteri terebinthinam adolevit *Hipp. l. de morb. nat. n. 72.* Ad dolorem vero simpliciter galbanum & mannam thuris incendit *Hipp. eodem l. n. 87.* multa autem & varia uteri male habentis fomenta scripta reliquit *idem vir. l de natura muliebri num. 101.* quæ hoc loco recitare superfluum videtur. Ad uteri nimios effluxus menstruos sinapi suffumigatum egregiè facere scripsit *Antonius Guertaus in Mizaldi Centurias pag. 223.* Ad alba uteri profluvia grossos hibernos igni conjecit *Hipp. l. 2. de morb. mul. n. 6. & 10.* Obturabula doliorum oleariorum cum sordibus officinæ fullorum ad reprimendos fluxus articulares muliebres suffumigavit *Hippoc. l 2 de morb. 75.* Ad demittendam matricem, quæ descendit asam fætidam suffiunt vulgò medici. Ex cæno verò & funiculo lucernarum extincto in quibus tamen non intutum fuerit. suffivit *Hippocr. l. 2. de morb. muliebr. n. 81.* Vinacea ad uteros male affectos cremavit *l. 2. de morb. mulier. sect. 3. & lib. de natur. mulieb. sect. 2.* Fœtui jam mortuo depellendo folia salicis succendit subtus ab utero recipiendo fumo, *Hipp. l. 1. de morb. mul. n. 109.* Ad secundos expellendas ficos cum nasturtio conjicit igni *Albucac. l. 2. chirur. cap. 78.* Ad callos discutiendos picis fumus apprimè valet.

Ex fossilibus.

AD epilepsiam gagates suffitur *à Galeno l. de remed. pac. parab ad Solonem c. 9.* ex quo etiam venenatis ferrarum ictibus. Cardiacis verò collisisq; mirum hunc accensum è vino extinctum prodidit *Aetius tetr. 1. c. 24.* Ex gagate quoque suffitum venenatis ferarum ictibus, parat *Nicander in theriacis,* cuius hi versus *versore Ioanne Gorræo:*

Aut flammis etiam petram mandare gagatis.
Ardentem rapido quæ non consumitur igni.

Ad epilepsiam quoq; detegendam bitumen succendit *Alsarab. tr. 5. pract. sect. 1. c. 35.*

Bitumen quoque cum myrrha ad dentes dolentes suffumigari jubet *Aurelianus lib. 2. chron. c. 4.* Ad dentis etiam dolentes salem prunis inspersit *Mesvæus l. 2. Grabadim. c. proprio.* Alcyonium verò ad omnem dolorem igni dedit *Autor l. de facil. parab. ad Solonem c. 16.* Ad hystoricosque præfocatus ex castoreo & asphalto in carbones conjectis nares suffumigavit *Octavius Horatianus lib. 4. ad Eusebium.* Ad strangulatus uteri suffitum bitumen præsentaneum remedium testatur etiam *Ioannes Langius epist. libris.* Sulphur vivum ad resolutos incendit *Cornel. lib. 3. c. 27.* Ex hydrargyro suffitu ad syphilidem affectu proponit *Paracelsus apud Dornæum in praxi medicinæ restitutæ.* Ad tenesinum; picem, colophoniam ac thus experimento mirabili conducere testatus est *Arnal. l. 1. Breviar. c. 35.* Intestini verò recti ulceribus ac doloribus baccas vini perinas succendit *Andreas Vesalius in cons. apud Scolzium,* nos usu quotidiano nucis pineæ putamen adolemus. Ad rhagadias & aposyrmata partium à morbo venereo profectas suffitum è surculis lentisci ac sabinæ probavit *Alex. Petronius l. de m. g. c. 13.* Ad Sirones de manibus ac pedibus extimè deturbandos super candente latere vaporat *Erotis antiquus auctor l. de pass. muli.*

CAPUT XXV.

De Vaporatu.

Suffitus tractationi succedit proximè vaporatus, nimirum haud leviter similis illi; sed nihilominus distant *Aristotelis testimonio in l. 4. meteorologicis sum. 2. c. 2.* quod exhalabilia sunt corporum, quæcunque humiditatem habent, quidem, sic autem habent, ut non evaporent seorsim ab ignitis: est enim vapor à calido combustivo in aerem & spiritum concretio ex humido madefactiva. Exhalabilia verò tempore in aerem excernuntur, & hæc quidem evanescentia sicca, hæc autem terra sunt; differt autem hæc excretio, quia neque madefacit neque spiritus fit, est autem spiritus fluxus continuus aeris, ad longitudinem; exhalatio autem est à calido ustivo communis excretio sicci & humidi simul, quapropter non madefacit sed colorat magis. Itaque vaporatus semper ex humido in humidum est mutatio, si philosopho debemus adhærere in hoc negotio, sed debemus utique, siquidem medica physicis non dissentiunt. Verum enimvero medici alias quidem halitus humectantis accessu juvans medium fecère vaporem, aliàs verò cum humido fotu confudère *Celsus, inquam, & Aurelianus,* propterea fortasse quod utrique pariter, madefaciunt: Verum non sic tamen his vocibus usi, ut fuerint obliti quandoque fotum esse madefactum quidem, sed per madida madoremvè includentia conceptacula ad partē ipsam laborantem applicita; vaporatum vero esse madefactum halitus de subjecto humore percalfacto elati, ad hunc modum ergo, quid qualisvè sit vaporatus apparet, similis videlicet cum humido fotu

naturæ

naturæ, si solidorum tamen adjumentorum contactus vim fotui potiorem non addat. Quibus de vaporatus descriptione jam expositis, hunc etiam per suam partitionem ostendamus. Vaporatus quidem omnis duplex est: alter exquisitè madefaciens, alter verò non item exquisite madefaciens est è simplicibus humoribus igne ferue factis, cuius administratio caccabulo vel vasculo ad continendum necessario extrinsecus admotus vel intra injectus, per ignita quælibet corpora, quem posteriorem modum novo quidem sed accommodato ni fallor nomine præstinctum appellare placuit. Est autem & cum imbuta humore rara molliaq; corpora ignita resolida duraq; recalfacimus & in suo calore conservamus, ut inde vapor utilis expiret, qui modus quidam ex utrisq; mixtus aut compositus videtur.

Alter modicè madefaciens & potestate magis exiccans est, candentibus lateribus laminis metallicis & omnigenis platysmatis affuso vino, aceto, succo, decoctisve aliquibus aliis, & omni humore demptis oleo, melle, sapa, suffibilibus, non vaporabilibus materiis, opinione Aristotelis asserentis hoc, propterea, quod inflammabilia illa tria necessario non madefaciunt; debet autem vapor madefacere. Porrò medici nostri nihil hactenus de hac re, quorum aliquibus etiam fortasse dubium sit, utrum ex vino atque aceto candentibus laminis affuso remedium suffitus sit, aut vaporatus censendus, sed vaporatus omnino videbitur, quando ad materias fluidas non ad effecta spectandum sit. Similiter & multo quoque magis, ambigant hi, num in oleo injectis lapidibus aut ferramentis, candentibus, vaporatui vel suffitui referendum sit remedium. Sed dum usus rerum constet, censeo non admodum curandas has differentias, sed his omissis, aliquot vaporatus variè adminihrati exempla nostris ab autoribus petita proferre satius est, quod faciemus eo, quo prælusimus ordine.

E genere terreo.

DIscussas adenas præduras vaporatu prælixi salis, & vocatæ porcellanæ orientalis in aqua maris expertor se dicunt aliqui, si credimus, sed certò credere dignum est, quando discussorias non inefficaces constat has esse materias.

Ex aqua vel hydrelæo vel mitium materiarum laxativæ virtutis decocto.

EJusmodi medicamentis igne percalfactis vaporem aperto ore ad se rapere hominem, qui synanche pressus sit consultum reliquit *Cælius Aurelianus lib. 3. passion. acut. c. 3.* quam rem eo libentius proposui, quod tam insuitatum, quam necessarium ad male vexatos homines hoc cognosco medendi genus.

Ex aqua maris.

VAporatu ad universum quidem corpus hydrope tentatum utendum voluit *Aurelianus l. 3. c. 8.* particularem verò eundem Celsus ad articulorum dolores tradidit. *l. 4. c. 24.* locum per nos suis ipsius verbis alibi recitandum.

Ex urina atq; aceto.

AD aures dolentes levandas *Apollonius apud Galenum lib. 3. de medic. partium c. 1.* urinæ tauri atq; aceti portiones commistas in ollarum testas igne candefactas satis multas infundit.

Sed particularem eundem Celsus tradidit ad articulorum dolores, *l. 4. c. 24.* per nos alibi recitandum suis ipsius verbis. Item *l. 1. de instit. chirur. tit. de cestuariis.*

Ex aceto & vino.

EX aceto in testas candentes irrorato cephalalgiæ medetur *Galenus in l. de compos. medic. particular. 2.*

Ex vino vero *Arnoldus l. 1. Breviarii c. 2.* Ex aceto acerrimo in candentem laminam perfuso cari soporem excuti dixit Nicol. *Piso l. 1. de morb. c. 15.* Aceti arido fomento dolentes auriculas juvari prodidit *Galen. l. 3. de medic. partium. c. 1. §. de medic. Archigenis.* Aceto vaporato hebetem auditum exacui scripsit *Avic. l. 2. tr. 2. c. 27.* Euporistatus quoq; & utilissimus est aceti vapor in candens ferrum vel lapidem marchasitæ vel molarem injecti, naribus & ore exceptus ei, qui gravedinem & catarrhum causatur: ut *Iubertus adnotavit lib. de thor. affect. c. 4.* quam rem imitatus est opinor ex Mesvæo, *qui l. 2. Grabadin.* camphuram ex aceto vaporavit. Ad eruptiones quoq; sanguinis è naribus *Galenus l. 4. de comp. medic. partic. c. 4.* spongiam Africanam aceto incoctam, expressamque ignito lapide frequenter involuit, vaporemq; naribus parat. Ex aceto, in quo raphani concisi ferbuerint vesicam in stranguria suffumigat *Mart. Ruland. cur. 61. cent. 4.* Ex aceto quoq; vaporatus non inefficax est ad scirrhosa quælibet & ad tendinum ligamentorumque induratorum emollitum, si sæpius ignitus pyrites in eo extinguatur, quemadmodum docuerunt *Aetius ser. 15. c. 4. & Paulus l. 4. c. 32. & ante hos Galen. l. 14. meth. med. c. 5. & 2. ad Glauc. c. 5.* ut jam possis cognoscere & ad ancylas, i. e. contracturas, quibus articuli restiterunt obstipi, & inflexiles hâc quoq; viâ nancisci medelam. Ex acri aceto, in quo frondes quercus incoctæ fuerint, vaporatum administrat *Martinus Rulandus Curat. empir. 24. Cent. 4.* Ex aceto vaporatus permultos ex Hipp. adnotavit in suo compendio *Matthæus Pinus.* Ex vino uteros ad medios lumbos progressos vaporatum fecit *Hipp. l. de nat. mul. 14.* Bardanam incoctam vino albo ad hæmorrhoidas dolentes evaporavit *Rogerius chirurgus nisi fallor tam antiquus, quàm academia est Salernitana, in qua ipse professus apparet ex lib. 1. c. 19.* Ex vino in lapidem molarem injecto paralytica membra fovit *Alex. Trallianus l. 1. c. 15. F.* quo eodem ad oculos imbecilles vaporat *Avicenna lib. 3. fen. 4. tract. 1. c. 25.* ad prolapsum intestini utitur *M. Savanarola tr. 6. c. 17.* Ex vino atq; aceto vaporatus alios ex Hippocrate longe plurimos indicavit *Matthæus Pinus in compendio Hippocratico suo.*

CAPUT XXVI.

De ignitorum præstinctu.

ESt è vaporatus genere præstinctus sive inextinctus ignitorum, quod remedium jam exponimus ut quantum hic quoq; medentis usibus valeat, cognoscatur. Dictus autem à nobis est præstinctus, quasi præfocatus quidam ignitorum

Præstinctus quid?

torum accensorumvè corporum, ad deponendum in aqua & aqueis suum vigorem: inventum certè veterum præclarum, quò salis cuiusq; rei vis resoluta transmigrat, in liquida, meministi enim credo eorum, quæ disputata sunt à nobis, ea de re, capite de delectu materiarum *in pyrotechniæ huius l. priore parte secunda*, quapropter antiqui studiosi non vulgariter præstinctus apparebunt si istorum aliqua evolvamus. Ad dentes ex ictu labantes vino, in quo galla candens conjecta fuit, utitur *Celsus l.7. c.121. & Plinius l.3.36 f.* scripsit; ad convulsa viscera aut contusa cinis lixivus potus medetur, lix autem cinis est, inquit, foci ut licet videre gladiatores, cum deluserint, hanc juvari potione. E qua re nos deductum credimus, ut luxatis, fractis, & à sublimi lapsis vinum extinctarum prunarum detur hâc nostrâ ætate ab aliquibus: cuius rei meminit *Iohannes à Ketam in fascic. medic. & Evonymus l. 1. C. de ol. ex semin. p.* 305. sed harum illæ maxime oportunæ fuerint, quæ ex ferulis sunt *Avicennæ & Serapionis opinione*, ad hæc accensam lacrymam thuris, in aqua rosacea inextinguas, vigesimo repetito labore paratum medicamentum habebis quod *Andreas Matthiolus* ad oculorum epiphoras & Lippitudinem promittit, præstantissimum. Sed hæc parandi remedij exempla sunt, ex præstinctu vero nostro desideratur medicaturus præcipuè fumus, ut ex paradigmatis, quæ mox è clarissimis autoribus subjicientur, planè constare poterit.

Præstinctus efficacia unde.

Laxatis dentibus.

Vinum extinctarum prunarum utile convulsis contusisq;.

Dentibus laxatis candente pyrite lapide in acetu acerrimum conjecto vaporem recipiendum affatim vult *Aetius tetrabl. 2. serm. 2. c.26.* ex decocto adstringente in quod galla ignita conjecta est, remedium parat afflictato denti *Cælius lib. 2. chron. 4.* Ad scirrhosas vero & obduratas partes corporis & chordas *Gal. lib. 4. meth. medend. 65. & l. 2 ad Glauconem c.4.*

Dentium imbecillitati.

Ex oleo rosaceo, solea equina ferrea candenti conjecta suffitum per infundibulum transmissum, singulare dolentium aurium, emolumentum assueverat *Martinus Rulandus Curat. empir. 7. Centur. 6.*

Auribus dolentibus.

At *Hipp. l. de sterilib. n.24.* ad uteros, qui humore nimio non concipiunt, exiccandos atque adstringendos aquâ & aceto fovet, quibus specilla fermentaq; candentia sint immissa.

Vteris sola ex humiditate non cõcipientibus

Ad conceptum ex ferri recrementis candentibus veterem calfactam urinam evaporat *l. 1. de morb. mul. n.101. & 2. eiusdem operis n.29.* sterilibus item fornaceas testas coctas in humida fomenta immittit *lib. de steril. n.83.* Rubiginem ferri aut ferrum ipsum multa rubigine oppletum igne candefacit, & in aceto puro aqua dilutum aut vino in his, quibus sensus facile læditur, extinguit ac liquorem ipsum in quo extinctio facta est, ore continendum exhibet; quo eodem suffitu ad dysenteriam proponit *Diosc. l.6. c.13.* è ferri scoria in vinum austerum conjecta elatus vapor dysentericis est salubris, receptus autem eum in modum, quem tradidit *Iac. Sylvius in methodo practica.*

Conceptui procurando.

Sensus detrimento.

Dysenteriæ

Ignitos ad candorem usque translucidum calculos fluviatiles lacti immittit pro cæliacis *Cælius Aurelianus l.4. Chronico c. 5. p.464.* Marinos calculos ignitos in urinam pueri conjectos curandæ podagræ jam prius per impositum allij nucleum exulceratæ adhibet *Alexander Trallianus l. 11. rei medicæ c. 1.*

Spectat huc, quòd aceto albo quàm acerrimo candens ferrum insitum in vasa sanguinem profundentia solent immittere quidam, virtutem stypticam cognoscentes aceti: Sed hoc prius in ulcus injiciendum, per fistulam, mox ferrum ignitum inducendum, potius remedium dicit *Thomas Fienus, l.3. de caut. c.13.*

CAPVT XXVII.

De Vaporariis partium.


PRomiscuus est quidem usus medendorum ductuum corporis naturalium, tum per aridas suffitus, tum per humidas vaporatus, materias. Hactenus nos aliquot, quas licuit commodè, suffitu madendas partes, quæ laborent, discrevimus; nunc alijs quibusdam pariter per vaporatum remedia parabimus; si tamen ex eo non fuerimus accusandi, quòd interdum etiam suffitus medela sit producta, factum id porro cognosces, compendij solius gratiâ: præter quam conjunctæ ac proximæ natura istiusmodi res & argumenta separari ex toto non possunt. Materiæ verò, quæ per una & communia organa administrantur, levi quâdam aridi vel humidi fumi differentiâ discernuntur.

CAPVT XXIIX.

De vasculo vaporario suffitorioq; partibus compluribus medendis communi.

QVando autem ad id devenimus, ut organa suffimibula, pleraq; proponantur, patentioribus nostri corporis sinubus accommodata describam equidè hic unum, quod multis sit commune, quod est hujusmodi; è fictili materia, (parabilis enim hæc maximèq; commoda est) conoidis figuræ vasculum cubiti mensurâ utrinq; pervium cum angusto superioris extremi osculi quantum est pollicis & indicis summorum, apicum sese tangentium spatium, nec noncum ansulis alternè positis, ad commodum apprehensum brevibus figura, ejusmodi est, qualem hæc appictam vides.

Post hæc illud annotari, non plus libet, quàm operæ precium est. Videlicet licere & hoc organo uti ad oculos, male affectos, suffitu medendos, quippe horum suffusionem (ὑπόχυμα Græci dicunt) acribus medicamentis, suffumigandum statuit, *Cornel. l.6. c.6.* qui etiam antiquitus vaporandorum oculorum, ex hircino hepate fuit mos; itemq; ad maculas oculorum sanguineas delendas, sulphur igni dedit, *Octavius Horatianus, l. ad Euporistum c. 10.* è neotericis verò *Alex. Bened. l. 3. c. 6.* ad dolorem *& c.31.* ad tabem oculi ex lapide candente, in vinum amineum conjecto, vaporandos præcipit oculos, similiter & *Rnodeletius, opere pract. l. 1. c.55. & I. Heurnius, l. de morb. ocul. c.4. &*



c.4. & *Felix Platerus, to.1.prax. p.282.* quam quidem rem, quod nunquam observent neque exequantur, cum id vitij genera curant, non tam admirari licet, omnia præclara spernentes, quàm arguere.

CAP. XXIX.

De Vaporatu aurium.

ORganum ad auriculas vaporatu medendas illud esse potest, si ex lamina ferrea, aenea, stannea, paretur veluti infundibulum, quod ampliori basi caliculum, aut pultarium, qui carbones super altiorem asserem, collocandos excipiat, subjectum habet, huic verò ventriculo, quem dixerim fistula inflexa, quæ paulatim circa extrema desuescat, conglutinata sit, cuius ad summam figura est huiusmodi, qualem appinximus.



Ad subsurdas aures illud organi parat *Renerius Solenander conf. sect.* 1. ollæ novæ, in qua cum fimo columbino ferbuerit acetum acre, crustam panis ampli pertusam accommodat. Et in hoc vas infumibuli materia conjecta, fistulam in aurem inducit, ut calentem vaporem excipere commode possit: Aliter *Alexander Benedictus*, qui veteri oleariæ lagenæ, in qua absynthii decoctum calens conservatur, imposita fistula, vaporatum auriculis surdis, parat *l.5. de Curand. morb. c. 30.* ante quem virum *Barthol. Montagnana in conf. 67.* resonantes aures suffiendas voluit ex urceo novo internè incrustato, in quo imposito carbonibus, amurcæ veteris olei ferveat, fistula ex huius orificio, ad aurem composito, & gossypio vel pannis obducto. Ad aures quâcunque affectione dolentes ex olla & fistula, sic ut ne calor expiret, comparatis & conglutinatis organis utitur *Apollonius apud Galenum, lib. 3. de medic. part. c.* 1. interpretatur autem *Hollerius, in perioche. 3.* vas eiusmodi lenticulum, quod vas decocto convenienti plenum, cuius orificium vel pauca lana vel raro linteo, clausum ne vapor præterquam in aurem feratur, auri admovebit: Aliud autem adjumentum in eandem hanc rem addidit idem vir, professus etiamnum, corniculum, auriculare fingi posse, altero extremo latiore, & quale sit satis comprehendendo orificio lenticulæ, altero vero angustiore, quod auri indit (vocat per embotum) sed corniculum cum sit inflexum, commodius est: alioqui vocato emboto utendum erit parabiliori. Per corniculum etiam gravi auditui suffumigia ex cariophyllis, aloës ligno, lauri baccis, juniperi ramentis, rorismarini; & maioranæ foliis siccis parat idem eadem perioche. Usus est suffitorio ad os siccans, aures & uterum, infundibulo *Io. Heurnius l.1. meth. ad prax. c. de suffitu.*


Auriculis dolentibus.

CAP. XXX.

Vaporarium & suffitus ad laborantes nares.

NAres ubi ulcere sicco, utpote ozæna, coriza exulcerante vel simili vitio fatigatas inveneris, quo suam percipiant hæ medelam, humore, quem elegeris, fervefacto, in vas angusti oblongiq; osculi conjecto, illud ad nares alternè admoveto aut nares ad hoc ipsum loco sublimiore collocatum impendeant, meminit eius rei *Vidius Florentinus lib. 2. Chirurg. cap. 4.* & *Iacobus Hollerius in perioch. 3. ad 3. de comp. med. sec. loc.* qui vir dum hâc perioche meminit corniculi, quo pulverem in nares polypo affectas impellamus; huius eiusdem quoque usum proposuerit ad vaporatum aurium; facit, ut eâdem fistulâ corneâ, ad vaporandas intimas nares uti persuadear. Ante quos viros *Bartholomæus Montagnana conf. 71.* parat naribus scirrho affectis fistulam, è vitro tubæ similem, cuius orificium ad anteriora spectans, nasi applicitum etiamnum partes sanas complectatur,

ctatur, alterum vero extremum pultario, in quo utilis materia composita insit, æquè insideat; fistulam autem hanc ob oculos hic tibi positam vo-




luimus. Meminit & vaporatus per fistulam, ad nares pro purganda pituita in paracynanche *Hipp. l.3. de morb. c. de levi angina.* In laminam ferream candentem affuso aceto & rosis siccis aspersis sub catarrho calido suffiri nares docuit *Renerius Solenander, cons.23. sect.3.*

Hactenus de vaporatu: cæterum & suffitus ex eodem corniculo, vel infundibulo parari potest; ego enim ad decutiendas hirudines, quæ ad supremas nares ascenderunt, ex cimicibus illum felici cum experimento interdum feci.

CAP. XXXI.

De Traiectorio materiæ vaporabilis aut suffibilis ad dentes male affectos.

VEteres quidem medicinę antistites ad dolentes stupidos, inflammatos & frigore penè sideratos dentes suffimenta, propria peculiariter adhibeant traiectorio medico infundibulo à *Iohanne Andrea Crucio s. officin. chirur.* memorato atque depicto, cuius usus cum hoc nostro tempore exoletus & oblivioni traditus fuerit; nostrum hoc loco visum est, quo ad nobis licet, revocare. Suffibilis autem materia semen altercum ponitur *à Paulo s.3. c.26. & à Scribonio larg. s. de comp. med. c.54.* quo remedio subducto persæpe apparent concrementa vermiformia, sunt autem & qui vermiculos ipsos putant excussa dentibus, sed *Aurelianus l.2. chron. c.4.* & bitumine & mirrhæ pond. æquis vino conspersis usus est. *Mesvaus vero l.2. Grabadin. capite isto* per traiectorium etiam ipsum, *& Avicenna, & hunc sequutus Savanarola* probarunt porri semen sativi. Instrumento autem conformando has adversiones habendas velim. Una, ut canaliculi extremum compressum aliquantulum sit, quatenus dentis formam sequatur, neq; rotunditate excedat, si dens scilicet qui dolet ex anterioribus sit, sin vero ad molares, teres figura non incommoda est, commodissima inter omnes quadrata, quo satius molares partes, remedio faveantur. Altera observatio nostra est, ut quia confortissimus accedere debet fatus post canaliculum, ovi formis venter, infima vero basis sata substernatur, erit enim instrumentũ eius ad unguẽ formo, quale hic appingere curavim⁹, parum utiq; dissimile ab eo, quod in fundibuli formâ proposuit *Aetius in lib. 2. ser.4.*



CAP. XXXII.

Ad Os vaporarium.


VErum ne dum ad auriculas medendas, sed ad oris interni partes, earundemque gratiâ, licet uti vaporario, quod ex *Raze mutuatus descripsit Andr. Cæsalpinus l.5. artis med. c.49.* sampsuche, stæchade, absynthio, mentastro, origano in aqua elixis, vel origano, hyssopo, lauri baccis, & absynthio in hydromelite decoctis *ut c. 50. viri iidem:* cui simile decoctum per arundineam cannam evaporandum posuit *Curt. Marinell. 2. de morb. part. animal. c.26.*

CAP. XXXIII.

De vaporario linguæ privato, item de faucium & oris communi.

USu venit sæpe ut lingua malè affecta suis opus habeat opitulatorijs instrumentis, quæ semel in dies adhibita præcipuam contulerint opem, quando super ea vix imponi licet aliqua, quæ loquendo, salivando, spuendovè non diffluant, preterquam & grave fit homini quodpiam hâc oris parte continere, neque non medelis omnibus summâ arte excogitatis, multo affluente semper humore, præstabiles esse non licet, quas ob causas suffumigatus & ad hunc usum parata organa singulari usui, secundum quidem meam sententiam esse possunt. Eam ob rem ad dolores, ad suppuratus, qui membra huic ob pituitam perpetuo sunt longi; ad tubercula contumacia, scirrhosa nimirum, & ad vitia, dicam summatim, quæ præter paucissima, difficillima sunt omnia: suffitum super omnia convenire posse cogitavi, cum organo, quod aptissimè servit, eâ formâ quam hic proximè appictam vides.

Lingu... tiis su... migat... accom... datis...



Usus hoc autem equidem fui primum ad Illustrissimi viri Ascanii Sanfelicis cacoëthes, & impensè dolorificum in lingua ulcus, multo certè cum fructu, sive siccas suffibiles materias sive vaporabiles accepissem. Hactenus de privato ad usum hunc organo: cæterum & ad fauces, cum malè valent, sive eodem, sive parum immutato alio uti licebit, porrò ad hirudinem, quæ gutturi forte fortuna adhæsit, decutiendam mandat *Avicenna l.3. fen. 9. tr.1.* in suffitum adhibito per trajectorium, quod Alchaebil, sive alangiel patria sua lingua vocari dixit.

Histo...

Suffumi... bulum t... jectorium ad fauce...

CAP. XXXIV.

Ad Anginam Vaporarium.

AD anginæ quandam speciem à se descriptam *Hipp. l.2. de morb. n.26.* in fumibulo parato ex nitro, origano & nasturtij semine

tritis

tritis cum aceto & oleo dilutis, atque in ollam operculatam, sic ut ne expiret, quæ cannam arundineam recipiat, infuso, suppositis prunis vaporata instruit hianti hominis ori; cavens tamen illud, ne fauces exurantur, quod fiet, si fistulæ caput, in ovum utroque extremo pertusum trajicitur, & ori admoveatur, quod Archigenes facere consueverat, *l. 6. de comp. medic. loc. cap. 3. Aurelianus quoque ex methodicis l. 3. chron. c. 2.* Hippocratis credo præceptum imitatus. Fumo quoque vaporabilium rerum intra os accepto cynanchæ medetur *Aetius, l. 2. ser. 4. c. 47.*

CAP. XXXIV.

Vaporarium ad asthmaticos, &c.

CÆlius *in l. 3 chron. c. 2.* ad asthma vaporarium hoc proposuit conceptis verbis, quæ sunt hæc: Tum etiam adhibemus quædam acriora vel horum exhalationem, ægrotãtes haustu suo hortamur adducto spiritu recipere, quo etiam altiore agitatione medicamentis demutentur. Sumpto igitur fictili vasculo immittimus, poscam tùm admisto nitro, origano, cardamomo, mastichechia carbonibus subjectis decoquimus; sed erit præsertim os vasculi prægypsandum, immisso calamo utraq; ex parte forato, cuius summitate ovi vacuitati imponimus testam ex utroque suo vertice perforatam, cuius altera caverna calamo inseratur, altera vaporem fumet acceptum: tum ægrotanrem jubemus ore aperto supradictam cavernam labijs amplecti sive ore, ut supra diximus, verticem atque ita eius exhalationem excipere: Cuius quidem fervor erit moderandus, ne nimietate partes exurat. Hæc ille; simpliciore vero interdum equidem usus sum illo, quod aliâs exposui.

CAP. XXXV.

Vaporiarum pro Iecinore laborante Bertrucij Bononiensis.

IEcinori, sive scirrho, sive hydropis affectu laboranti, per vaporatum aceti lapidibus & testis candentibus crebro immissis vel ex medicata, per utriusque sambuci radices, atque herbas alias incoctas, aqua docuit ad hunc fere modum administrando *Bertruc. Bononienſ. tr. 2. sec. 2. c. 4.* impositâ super duo fulcra tabulâ ligneâ excisâ, in medio vel perforata decumbens pronus sic se componat æger, ut venientem de subiecto lebete fumum recipere queat, contectus desuper pannis, ut ne dissipetur utilis vapor, contineat se sub his dum ferre valeat, & abunde sudet. Hanc sudandi rationem ad hydropem ascitem usu probatam apud Calabros quosdam populos audio; ipse vero ad exhauriendas aquas perutilem in Angelo Pandolpho familiari Principis Hostilianensium Illustrissimi sum expertus, quam rem vidit ac testari potest Vitus Jacobus Ferraiolus medicus primarius sacri valetudinarij D. Adnunciatæ Neapoli.

CAPVT XXXVI.

De suffumigabulis aliquot partium.

COmmunioribus expositis primis modis suffitus, nunc etiam, si qui definiti sunt magis, tradere non gravabor. Erunt autem arbitror si præterquam materias, compositiones & partes malè affectas, ad quas ordinatæ medelæ sunt, etiamnum instrumenta & rationes plurimas exercitationis absolutissimæ gratia subnectamus. Illud autem omne, quod meditati tuimus, posterioribus capitibus proponemus.

CAPVT XXXVII.

Ad revocandos epilepticos suffumigabulum.

EPileptici cum incidunt hâc ratione revocare licebit. Parata ex ære vel alio quocunque metallo vel fictili fistula unius spithamæ longa sed obtorta tenuioreq; extremo, quod spectat ad anteriora, quatenus in narem deaptari congruè queat, parte verò postremâ exteriore recipiente caliculum, in hunc impositum sulphur accendes, cuius fumum naribus decumbentis alternis accipiendum curabis. Ad hunc equidem multos ob cerebri vitium alte sopitos homines revocavi sulphure nimirum unicè contra morbi causam faciente.

CAP. XXXVIII.

Suffumigabulum oris & palati.

NOvam ætas nostra suffiendi capitis ex arido folio peti comperit rationem, quæ defertur quidem Angliæ populis, sed & Mauris, Æthiopibus, Persis ac Thracibus aliisque hoc genus â nostris moribus vivendi dissitis gentibus, est vere persamiliaris, maximè autem probabili conjectura videtur referendum Indis & Insulæ Tabaci potissimum incolis, in qua primum terra stirps adinventa, plurimoque hoc usu probata, ex portiuncula enim folij succensa ad caliculum sive thecam fictilis fistulæ, cuius alterum extremum hianti ore receptum est, alliciunt exuguntque fumum, quem ad palati lacunam superiorem elatum ac deductum ad nares, per has denique reddunt; quem fumi haustum atque eductum rursus tertio & subinde repetunt, donec multam ore pituitam emiserint. Hæc quidem, quæ vulgo præ servorum barbarorum manibus quotidiè visitur, indica est forma; cæterum, altera est persica, quæ tum ex vitreo vasculo, tum ex metallicis tubulis reflexis, ac rectis atque alijs additamentis constans, graphicè delineata suisque partium notationibus declarata est, *à Ioanne Neandro Doctore Medico eruditissimo in sua Tabacologia tabulis postremis.*

Est autem utrisvis organis factitatum, sed maxime apud eas, quas nos comperimus fictili fistulâ, remedium quidem, ut mea quidem atque expertorum fert sententia, non contemnendum, neque enim quicquam obstat, quod â Barbaris acceptum atque usitatum est, quando jam & viri nobiles utilitate rei comperta non-

nonnihil neq; infrequenter utuntur; utilitatem, inquam, non minimam neque obscuram in sopiendis catharris rheumatibusq; ad pectus perniciosis, & qui suffocationis etiam discrimen inferunt, alijs præterea malis & capitis & thoracis, & ventris infimi membrorumq; omnium subvenit; non fallentibus his, qui referunt primum *Nic. Monardo in historia simpl. med. Indicorum Hercule, Cato in Agriculturæ opere*, universalis historiæ plantarum descriptoribus, maxime vero nuper membrato, *Iohanne Neandro Germano, ac demum Nardo Antonio Recco Lucano in magno stirpium Indicarum opere*, quod Illustrissimus idemque scientissimus Federicus Cæsius Lynceorum Princeps, Naturæ peritis exoptatissimum evulgavit, neque autem injuriâ tam bene de languentibus hisce partibus mereri videbitur is suffitus; siquidem stirpis internam anatomem diligenter inspexeris, quippe sulphuris non modicum ea continet, ideo caput tentat; sopore corripit; pituitam ciet & vomitum; dolores sopit; anhelosis conducit; ventriculi & lienis infarctibus occurrit, suffocatus uteri syncopasq; pellit umbilico & naribus adhibitum, strumas, œdemata, perniones, affictum, curat; venenis obsistit, putria serpentiaque ulcera cohibet, plagis recentibus, idem utile podagræ, arthritidisque remedium, & ad morbos omnis generis panacæa, ad summam calefacit, discutit & celeriter coquit, ad quæ ferè omnia, si rite conferas usui esse sulphur prodidit *Dioscorides in libro materiæ medicæ.*

CAP. XXXIX.

Hirudini de gutture decutiendæ suffumigabulum.

AD guttur, cum forte fortuna irrepsit hirudo fallax, assa fætida suffiendo *Avicenna l. 3. fen. 3. tract. 1. c. 7. & Albucas. l. 2. chirur. c. 39. & Bruno chir. conterraneo nostro l. 2. chir. magnæ c. 3. rubr. 9.* tum ista, tum nigella usus fuit.

CAPVT XL.

Ad asthmaticos & sublato capite spirantes suffumigabulum.

ANhelosis ex morbo, & nonnisi surrecto pectore spirantibus hominibus suffitum ex utili materia in hunc modum accipiendum docuit *Oribas. l. 8. collectan. medicinal. c. 12.* Homo vestibus totus tectus locandus est ita, ut divaricatis cruribus pronâ facie ad utrumque genu decumbat, & os fatiscat, in spatio vero intermedio olla aut lebes ignitos carbones habens statuatur, tum in ignem spargenda est aristolochia ac præsertim, quæ clematidis dicitur, sin minus, quæ dactylitis nominatur, vel sulphur ignem non expertum, aut ladanum, aut tædam, aut ligna persicæ arboris, aut funiculum derasum impones, in quo genere melior est nauticus, qui mari fuerit madefactus, homini postea imperandum, ut ore patulo fumum prompte attrahat, multi enim hoc confecto excreverunt. Hæc quidem Oribasius.

E posterioribus vero *Anton. Musa Brasavola Comment. de ratione victus l. 4.* prodidit, hominem tussi veteri vexatum consilio Nicolai Leoniceni, fumo aridæ tussilaginis hausto per traiectorium cito liberatum eâ molestiâ fuisse.

Illud tamen admonet *Antonius*, oportere suffitum lentius accipi, ne (quod isti homini imprudentius agendi accidit) confarctior actus fumus spiritum prægravatum velut exanimem reddat.

CAP. XLI.

De suffumigabulis uteri propriis.

UTero male habenti diathesi quâvis aut intemperantiæ aut vitiosæ conformationis, aut solutæ unitatis, nullum æquæ remedij genus proficit ac suffitus: quare frequentissimus & creberrimus *Hippocrati libris omnibus gyneciis, tum de morbis mulierum, tum de sterilibus, &c.* ex quibus ipsis, paucas aliquot, sed selectas formas huc transferre libuit.

Prima ponetur ex canistro quam ad conceptũ ineundum *l. 1. de morb. mul. 26. sic ordinat*, Pharmaco à stringenti calido cineri insperso canistrum, aut certè rectius operculum supernè pertusum circumponit, & per arundinem insidenti suffitum parat. Verumtamen id requirit privatim, ut plumbea fistula, quæ uteri osculo excipi debeat adaptetur, opinatur quidem *Gordæus*, adstrictionis ex plumbo contractu parandæ gratiâ; quod quidem haud est difficile, verumtamen plumbi materiali ductilitate quæsitum commodum maximè suspicor.

Secunda ratio suffiendorum uterorum Hippocrati fuit, per phialam *2. de morb. 40.* ad uteri osculi complicati medelam, descriptam quæ est hæc. Phiala argentea, vel ænea, oleo albo ægyptio plena fundotenus igne abducta sic accommodatur, ut insidens orificio mulier fumum recipere possit, ad hunc equidem modũ Hippocratis sententiam interpretor, cum nullam tamen subditi ignis in hac re mentionem fecerit: cæterum enim, quid super re frigida qualis metallica est, insidere, quid contectam bene providere, quid oleum, & sal ignave in vasculis continere? Quæ amentia num odor ad os attollatur, mox spectare? An non hoc solum, i. e. halans substantia rei crassæ, quale oleum est, rem arguit, itaque recte nos sub his rebus suffitum suspicamus.

Tertia ordinatio est per vas fictile, ad uterorum induratorum, ex qua causa non concipiunt, fomentum exequenda sic, ut vinum quàm dulcissimum cum aqua portione, aquæ trium semicongiorum Atticorum mensura, item fœniculi radices & semina quartâ parte, & ung. rosati semihemina in vas indantur, cui pertusum mediâ sui parte operculum accommodetur, huic vero arundinea fistula: porrò imponitur operculum, ne sine hoc ustuletur mulier.

Similiter virginis cui maturi menses non prodeant, suffitum ex mirrhæ, thuris, zeæ fresæ portionibus in amphoram cum carbonibus accensis conjectis, super cuius collo desideat, eadem parari jubet desuper, *tit. 24.*

Quarta suffiendi formula est per cucurbitã, duplex, altera per simplicem, altera per duplicem, i. e. maximè coagmentatã; priorem tradidit urinæ

stillicidio

stillicidio curando, quæ est hæc; cucumeris sive cucurbitæ summam, & infimam partem resecato & subiectâ prunâ cucumerem circumponito & inspersa in ignem myrrhâ, mulierem super cucumerem locato, ita ut summa cucumeris pars quam penitissime in pudendam attollatur. Altera suffitus per cucurbitum simplex forma *l. de steril. 16.* ad menses cito disparentes scripta est, quâ jubetur, ut vasi ex aqua marina cum porro fervente cucurbita vinaria utrinque, quemadmodum de priore diximus, pervia circumponatur, summo huius orificio adaptata lutoque quàm optimè fistulâ obductâ, sic ut eâ parte nil expiret. Tum per sellam quadratam incumbentis assulam sessoriam pertusam transmittatur, duorum digitorum mensurâ excedens, quam fistulæ portionem insidens mulier in pudendi sinum admittat, cavens ne sic ustuletur, sed desideat, dum frigescat fomentum, surgat verò cum perfrigerata est fistula.

Restat per duplicem cucurbitam suffiendi norma, quæ ut auctior est adjumentis, & operosior, ita perceptione obscura est, apud Hipp. ita ut quisque interpres super hac re una aut variarit aut oberrarit. Nos verò tum primum rem ex nostra sententia recitabimus, tum si quod oportere videbitur, ex aliorum opinione productum expendemus, nostrâ quidem interpretatione, rerum apparatus est is.

Cucurbitam hortensem eius generis, quæ latiusculo tubero circa basin extans, cætera quæ ad superiora spectant gracilis est, recens quidem, sed non plenè resiccata, tum fundo, tũ apice summo, qui cole virili sit tenuior, pertusis, vasculo cũ vino odoratissimo ac vetustissimo, quò retorrida molaris lapidis particula inextincta est, supposito, impone mox cucurbitam ex ęre albo congruam, ante descriptã, & ad propositũ ita paratam, ut digitos duos supernè sit brevior collo inferioris: cuius glandiformi extremo sub cunnam indito mulier accommodatè insidens venientem infernè halitum materiæ calentis excipiat; totius autem organi pictura est hæc.



Quinta species ratioq; est per ollã, cuius meminit *idem Hipp. in l. de nat. mulier.* ad perpurgandos uteri loculos, itemq; ad conceptum, ineundum, hac ferè sententia, effossa sub terram scrobe carbonibusq; in hac accensis, superpositam in ollam Tauri urinam trium heminarum mensurâ infusâ contritas in mortario arthemisiam aut parthenium, aut adianthum & laurum viridem adjicies; quibus paratis sellam perforatã circumpone arthemisiâ aut hyssopo, aut origano instratis, mulierem super hæc sedentem, dum sudet, fove; Paulò aliter, *in 2. de morb. 74.* in effossam scrobem cinerem calidum vinaceorum injicit, & vino irrorato jubet ut mulier circumsideat, se ipsam contegens & convolvens. Aliter hanc eandem rem ordinat *Oribasius l. 10. c. 19.* Poculum namque ligneum in ollam conjicit, in medio perforatum, quod labris ollæ conglutinat aut luto figulorum aut pastâ, in foramen verò calamum utrinq; pertusum adaptat, sic ut nulla sit eâ parte perspiratio, alteri verò calami extremo fistulam plumbeam accommodat, cuius lene sit labium, mansuetudinis causâ. Curat verò, calami tanta longitudo sit, ut plumbea fistula calamo adaptata, sellam ad partus accommodatam excedat, quam fistulam ori vulvæ admovet, atque ignem ollæ, suffibilem materiam recipienti subdit, &c. Advertit verò, ut postquam satis fomenti fecerit, adhibitum calamo adhuc viduæ inhærenti subtrahatur ab igne olla, nempe, si calamus prior subducatur, cum vapor ascendens adhuc fervet, sinum mulieris exuret.

Sexta methodus Hippocrateæ modo narratæ similis, sed fistulæ adjumento auctior proposita est, *in l. 12. de morb. mul. 24.* ad curandum occultum cancrum, hoc pacto clementi Cœlo, quoniam ventus non perflet, neque perfrigeret, scrobem effossam, & lignis accensis abundè, & omnibus prunis sublatis, & favillâ calidâ, relictâ, ollam duas sextulas capientem, quæ allium siccum & comminutum cum aqua, quanta tres digitos superet, & phocæ oleo, quod satis sit, receperit, operculatam, lutoq; circum diligenter obsitam, & undiq; conclusam, præterquã in medio operculo, quod pertusum arundinis calamum longitudine cubitalem arctissimè cohærentem amplecti debet, sic ut nil expiret, ollam, inquam, sic paratam conjicies congruenti amplo foco, mox vero fœminam pallâ circumtectam insidere jube cõpositam sic, ut nonnullam fistulæ partem uteri sinu admittat, ac fumum, neque adeo fervidum, neque frigentem sentiat.

Meminit & fistulæ ad uteri suffitus, super escario pusillo, qui carbones recipiat accommodatæ, *Cælius Aurelianus l. 2. chron c. 4.*

Hæ quidem per fictile rationes suffiendi non tam prisci usus sunt, ut non etiam nostrâ ætate factitentur; agnoscit autem & has *Hieron. Fabricius, ad extrahendas relictas in partu secundas l. operat. chirur. c. isto, & Renerius Solenander. Cons. 15. sect. 5.* in suppositam fictilem testam & ignitos carbones, nucibus myristicis, contusis conjectis halitus, qui ex his effertur, per infundibulum impositum utero, qui flatu concepto dolet, respondentem curat, ut à contecta bene muliere recipiatur. Similiter etiam per infundibulum, embotum vulgo vocant, accipit ad id rei *I. C. Claudianus l. 2. de ingressu medic. ad infirmum, c. 29.* quod credo tamen didicit *ex Ambros. Paræo, qui lib. de homin. generat. c. 48.* subjectæ ollæ, quæ materiam suffitus recipit, inversum ore congruum infundibulum adaptat.

CAP.

CAPUT XLII.

Ad hæmorrhoidas dolentes suffumigabulum.

HÆmorrhoidum dolori sopiendo suffitum aloës laudavit *Arnoldus Villanovanus, l.1. Breviarij c.35.* Sed cum adjumentum trajectorij requisivit à se non explicatam, instrumenti, formam atque urendi rationem inquirendam certè nobis reliquit, sentio autem ab organi adhibitu usuq; pendere decretum. Traiectorium enim si sedem contingere debet, hoc longius, ut ne igne conferto sedes ustuletur, itemq; latius sit, necessum est: quale nos commune vaporarium vasculum descripsimus, superiori tractatione de vaporatu, vel non exposcitur ad sedem adhæsio: atque ita fistularis forma succedit cum adglutinata veluti canna, quæ igni materiæq; suffibili superimponi possit, quemadmodum & in alijs plerisque huiusmodi causis fit.

CAPUT XLIII.

Suffumigabulum ad pedum clavos & callos.

UT contumaces, & permolesti sunt pedum calli claviqúe (nodos aliqui appellant) adeò, ut despici sive medendo sive tractando non debeant: quorum curationem & alibi nos, puta in ignifera chirurgia, persolvimus, sed nunc & leviori ignis vi tentandam docebimus, exemplo usi Guliermi Placentini, *qui l.1. chirurgiæ c.57.* scripsit, fumo eius Tithymali, quæ esula dicta, itemq; centaurij radicis per cannam aut calamum sambuccum traducto pedum hos nodos curari.

Hæc nos paucam suffituum artem primi pro nostro modulo paravimus; Cęterum Petrum Castellum medicum & Professorem Romanum audio de suffumigiis commentaria edituturum, à magno viro cumulatissima expectanda: ex hoc igitur viri amicissimi opere, quæ huic nostro defuerit, doctrinam supplebis facile lector.

CAPUT XLIV.

Vaporarium ex aceto ad caruncula urethræ dißipandas.

SUffumigiis hisce proponendis venit in mentem, cuius quidem meminit Hucherius *l. 1. obstr. ureth. p.556.* plenius vero descripsit Ambros. Paræus, *l.18.c.22.* suis ejusdem verbis recitare, quæ sunt; Elige lapidis molaris frustum aliquod, hoc enim utimur pro pyrite veterum, vel crassiores lateres, postquam incanduerint igni, conjiciantur in haud ita magnum lebetem sellæ dejectoriæ suppositum, in sella sedere jusso ægro quasi alvum exoneraturo; effunde in candentes lapides acerrimi aceti & aquæ vitæ optimæ partes æquales circumjectisque undique vestibus nequid frustra exhalet, adscendentem vaporem ano, perinæo, scroto & urethra excipiat, quin etiam, quo remedij vis felicius procedat, ægrum nudum in dolio mox depingendo statuere poteris sic, ut super asserem, quâ parte genitalia subsint, perforatum sedenti inde lebetem candentes lapides continentes, mox per ostiolum in dolio excisum, sicut postea videris, lapides illas liquore commemorato irrigare, & halantem fumum, sic facilè æger partibus laborantibus excipiet, ut nihil eius undiq; ipsi obtecto atq; obvelato depereat, hæc ille: cuius profecto excogitatum non mediocriter placet, tali enim suffitui, sicut idem addidit Galeni sententiâ, vis inest penetrandi, incidendi, liquefaciendi, remolliendi, & digerendi schirrosas duritias, satisfaciunt, inquam, hæc; Verum enimvero, quale Paræus apparat dolium languenti nonnihil esse incommodum; ut primo quidem ad summum cacumen ascendat, mox ab eodem ad fundum descendat: quam ob rem, expeditius & commodius puto futurum, si & humilior paretur aditus intranti homini, & ostiolum, idem lapides irrigantur à ministro. Parandum igitur organum erit ad hunc modum, quo & sudores eliciendos his, qui morbo venereo laborant, puto præstabile, sive prunarum ametur, æstus, sive ferventis humoris. Cæterum hiatus dolij longum atq; rotundum quatenus opus est lectularij mantilibus, obducere licebit.

CAP. XLV.

Vaporarium ad venas sedis evocandas ac sanguine exhauriendas.

AD hæmorrhoidas evocandas atque ab adhibitis hirudinibus exhauriendas vaporamenti genus commenta est ætas nostra descriptum, ab *Hieronymo Fabricio in oper. chirurg. tit. ipso de hæmorrhoidibus*, cuius ordinatio est; ut ægrotans homo, qui tractatur, supra fictile vasculum oblongum aquæ ferventi non contingendæ quidem, sed proximæ desideat: in qua caliculus ad vasis marginem adalligatus innatet sanguinem, emanantem recepturus, sed ad easdem, ubi laborent aliquo vitio curandas *Marcus Gratina ia l. praxeos, c. isto.* ad suppositum caliculum prunis ardentibus instructum inverso super posito infundibulo curatut per fistulam, eiusdem podici atriguam halitus in intestinum transcurrat.

CAP. XLVI.

De aliorum usuum vaporariis.

QVid autem si ad alios quosdam usus præter enarratos excogitata vaporaria producamus. Equidem ex hoc universo genere eorum, quæ sint addiscentibus utilia quicquam non puto rejiciendum.

Iohannes igitur Heurnius l.1. meth. ad praxin. titulo de clysmis pag. 14. torpescenti aluo sua ad officia revocandæ fabrefactum æstuarium quadrangulum oblonga forma, cum pertusa crebriter superiore facie, quod mulieres, ait, pedibus subjiciunt.

Ita quidem is, ego vero quodpiam eiusmodi vaporarium transtulerim etiam facile ad eum usum, quo sc. hi, qui ob affectum cerebri fervidiorem somnum non concipiunt, subdito ad pedes hoc organo nervis subinde madescentibus, & inde cerebro soporis optati sentiant beneficium: quæ somni proliciendi ratio & pragmaticis nostris nobilioribus simplici ad pedes tepentis aquæ perfusione placuit.

CAP. XLVII.

De æstuariis arte paratis variis.

TRaxit nos jam de igneis adjumentis tractatio, ad æstuaria, quorum exempla & usus antequam

quam exponamus, conducibile doctrinæ claritati futurum videtur, ut ante generalem aliquam horum distinctionem, & discernicula præstruamus, quod autem ego meditor, est huiusmodi. Quod sudorem provocat est calor, qui cutem & carnes aperit, diducitq; humores verò tenuat & propemodum fundit ac liquet. Atque calor cum materia conjunctus est, ex qua ad hominem proficiscitur. Materia certe vel sicca tum applicari ad corpus per lateres, lapides, titiones extinctos, & alia hoc genus linteis obvolutos, tum eiusdem halitus proximus, ex camino, hypocausto, furno, vel alio huiusmodi, item ex tubulo ductus hauritur, potest autem & ex flamma idem halitus mitti: potest interdum & ipse accensorum fumus, humida materia, vel aqua est simplex potabilis, ut inquit Hipp. salsaginosa, marina, vel medicata per utiles res incoctas. Horum porro contactum per conceptacula varia appressorum, vel insidens jacensvè percipiet homo, vel circumfusum vaporantium halitum recipiet per foramina doliorum & sellas traiectoria, vas subiectum, aut proximum, mista madentium atque arentium expiramentorum materia erit, si candentes in lateres aut lapides molares, acetum aut vinum aut alius quiscunque humor instilletur. Huius quoque ordinis videri possunt, & aceti simplicis vinique annosi aut vini spiritus vaporatus, horum quippe halitus neq; siccus, qui ex humida materia attollitur, neq; humidus est, qui potestate exiccet.

Habes jam absolutam, ut credo, triplicem narrationem æstuarij illius, quod ad sudorem evocandum paratur. Cæterum si non ad sudorem ejusmodi pyriamata ac θερμάσματα pertineant, sed ad usus alios, etiam ita sunt discernendi sicut de aliis fecimus. Quibus jam omnibus adversis cæterum ad institutam principio æstuariorum, historiam, formasq; varias veniamus, primum de siccis explicaturi.

Laconicum Ioannis Huernij.

Candentes igne silices cupæ immittūtur, supposita lamina, ferrea; sedes ægroti in medio sit. Orbis ligneus aut vimineus præsectus, ut utrinque labro cupæ affigi possit, linteis induatur, quibus arceatur caloris expiratio, & ut caput commodè exerat, ritè admoveatur.

Candelæ medicatæ ad suffitum ingeniosè repertæ.

ID quod pridem in nostra medica Pyrotechnia fuit indicatum, candelas quæ ad suffitum hominum ex ulceribus Luis Venereæ procurandorum accommodatissimè, comparantur jam referemus, medicamentum *describente Alexandro Petronio l.6. de mor. Gallico c.22.* Recipit hoc, minij naturalis, styrac. liquidi, myrrhæ, thuris, ladani, ana ℥ijß ceræ q. s. m. sæpe admiscere licet, inquit, vel Cinnabarin, vel hydrargirum, vel præcipitatum, vel sublimatum. Alia vero ratio fuerit hæc;

Recipe hydrargirij præcipitati, Cinnab. minij naturalis, mirrhæ, thuris, Xylo Aloës, Alyptæ Moschatæ, ana ℥ij. Benzoini, ceræ, q. s. cum elychnio intrato fiant l. a. candelæ, quæ admovendæ sunt ulceribus hominis, de superiori loco accommodatis sic propè, ut ulcerosus suum calorem haurire queat. Illud nunc pro remedij confirmatione addere licet, Rondeletium auctoritatis observandæ virum ulcus narium desperatum, luis venereæ germen accensis in angusto conclavi candelis, è cera rubra sanasse, nimirum fuligo ex his elata, plurimum juvat ulceris exiccationem. Cui sententiæ accessit & *Nicol. Piso Oper. curativi l.1. c.45.*

Quantò autē quæso te potiores nostræ candelæ?




Cortinula plicatilis æstuarii organum.

ACcedit sæpè, ut depellendo morbo venereo opus habeat, aut æstuario aut suffitus remedio, quod undiq; recipiat homo: huic igitur usui & aliis perisq; accommodatissimũ erit organũ, quod commenti nos sumus eiusmodi quale secus hac pagina depictum & scripto monstratum est. Dolii circulata ligna 5. vel plura paribus intervallis ad hominis sedentis amplitudinem, chartâ crassiore glutinatâ sic undiq; comprehenduntur, ut nullâ rimâ sit plicatile organum, & de superiori parte, quâ cælum spectat per funiculum conjectum de laqueari suspenditur, inferiore tenus proximè terram attingens supposito igne sudat aut suffimenti halitus recipit homo. Est autem ignis is, qui concludi debet, non alius, quàm aqua vitæ in pultario ardenti, donec horæ semissis exactum sit, aut etiam suffitus materia, qualis est hic, qui mox describetur: Huius materiæ auctor est, qui ad Mizaldi Centurias appendicem confecit, *Antonius Guertæus*, Qui vero prior hoc homine rem descripsit, *Conradus Tigurinus, in posteriore libro Euonymi sive thesauri chymiatri part.* 4. paulo post initia; cortinulæ autem pultariique picturam hanc damus.

Aestuaria sella doliumq;.


HIs qui lue venereâ sunt infecti ad sudores ubertim eliciendos præpotis sparti indici decoctis, in usu est nobis hic Neap. sella in æstuaria, thalami modo subdito igne hominem includere, quam sellam ad multorum commodum non piguit hic appingere.

A B C D
Vnde est introitus
Locus scamni.



Caldariolum.

Ahenum



Succendicula.

A. B. C. D. quadratum tabulatum in cathedræ modum.
E. Janua, quæ clauditur & reseratur.
F. Anteriores pedes, quibus innititur machinamentum.
G. Anteriores pedes, quibus innititur id ipsum.
I. Foramen per quod permeat ascenditq; calens ignis halitus sive ex prunis,
Sive ex supposita fervente in aheno aqua.
K. Baculi, convoluti plurimi, quib⁹ insternitur, Mantile, suffitus egressum prohibens.
L. Sedile quod ægrum recipit.

Meminit doliaris æstuarij ad hydropicos extenuandos *Galen. in l. de util. respirat.* à Crysippo Gnidio laudati meminit & *Aetius tetra.* 3. *sect.* 11. *cap.* 1. & *Aretæus apud eundem Aetium verbis, quæ in suo codice desiderantur*; hisce optima quidem est, in dolio facta evaporatio ad exudandum, eo morbo, ut caput extra dolium præemineat, frigidumque aerem attrahat, reliquum vero corpus omne calescat. Hoc quoque genus sudationum in dolio, audio, inquit, *And. Bacius l.* 7. *de ther. cap.* 18. quibusdam medicis in Germaniæ locis frequenter usitatum quippe qui in hypocaustis totum annum degunt. Ad aliorum autem observationes, quas equidem addere possim illæ sunt. Una; qui distensionibus tenentur felicius curari humidis, quam siccis exudationibus. Compertum hoc mihi in Johan. Bernardino Peligno Aglaño. Altera quæ Galeno memorato modo loco consentitur, hydropicos hoc exudatu non minimè levari, quod in Ascitico valetudinarij nostri juvene factum vidi:

Tentorium per tria bacula vel forcillas.


COlligatis in sublimi tribus prælongarum hastarum capitibus, restant infernè divaricata altera extrema, non aliter, quàm quibus incerniculum appendunt pistores, his igitur, obvoluto lectuli conopæo subditus homo feliciter exudabit, si vaporarius materiâ conclusâ fuerit secus appositus.

De lectulario canali ad exsudandum parato.

HActenus extra lectum ad desudandũ foci propositi, descripti fuere, nunc aliqu ot qui intra strati stragula super hominem jacentem, aut circa ipsum disponi solent enarremus. Homini supino & rectis cruribus jacenti cameratum imponitur organum eiusmodi, quod secundum corporis longitudinem, capite excluso, contentum ex longis assulis per semicirculatas ligneas laminas elevatis foci capsulam in imo pede conservat, in quem focum simplices ardentes carbones, & in hos medicatos pulveres conjicere licebit, esto autem ad summam organi deformatio, qualem apposita repræsentat pictura.

Jam

Canalis lectularius sudori commovendo paratus. Suprema trabecula ex comparibus V. fulcris.



Jam vero quæ circa corpus hominis jacentis apponuntur vascula, possunt esse, sæpeque sunt ex varia materia lignea, coriacea, vesicis grandium quadrupedum, vitrea, sed hæc humore fervefacto replentur, item fictilia & metallica in quibus ardentes prunæ concluduntur: ex ferro quidem organum arculæ compressæ modo carbones vividos continens, proposuit Ambr. Paræus, longurium appellatum, cuius imaginem apud eundem vide.

Vaporarium per tripodem.

INter hos & alius modus est, ut tripode scamno ligneo constituto, subtusq; æneo vasculo cum cineribus & minutis prunis strato ad has herbæ quædam imponantur aromaticæ, quæ sunt, ruta, laurus, melissa, calamentum, pulegium, hyssopus, thymus, libanotis, citrij pomi cortices, & hoc genus, quibus fumum emittentibus interea scamno consideat æger pannis undique tectus in angusto conclusoq; cõclavi, qui minime ventis perflетur.

Vaporarium æstuariumq; humidum Aurelij Celsi.

HActenus æstuaria recitata sunt sicca, nunc humidi vaporatus describenda sunt quædam, primum autem in medium proferam illud, quod Celsus ad articulorum dolores tradidit, elegantissimis hisce verbis: aquam marinam vel muriam duram fervefacere, deinde in pelvim conjicere, & cum jam homo pati potest, pedes dimittere, superque pallam dare, & vestimento tegere, paulatim deinde juxta labium ipsum ex eadem aqua leviter infundere, ne calor intus destituat; paulo aliter *Vidius l. 2. chir. cap. 4.* si fovere vapore totum corpus oporteat, includitur undique veste, collocaturque sedens homo juxta pelvim, in qua sit idoneus humor, in quem conjicientur silices candentes, ubi verò velis hujusmodi vapore, ad fauces sive pulmonem pervenire, jubebis hominem, ut hic ore ipsum excipiat hanc eandem sudandi formam proposuerunt è junioribus *Ingraßia oper. de peste par. 4. c. 30. Andr. Baccius oper. de ther. l. 4. cap. 18. Rodericus à Fonseca. tom. 1. cons. 2. & 21. & Iohannes Riolanus in meth. medendi par. 1. c. de stupore atque alij.*

Æstuarium humidum Cælij Aureliani.

ADciendum hydropicis sudorem Cælius Aurelianus medicus methodicus ex his, qui extant, absolutissimus, hanc *lib. 3. chron. cap. 8.* rationem exposuit. Implendum est solium aquâ marinâ ferventi, tum quadrangula compago immittenda præligata locis, in qua erit includendus ægrotus. Sed prætegenda compago pelle, ut aquæ prohibeat ingressum, quo exhalatione vaporis calefactus ægrotans in sudorem venire cogatur. Sed erit aqua calefacienda, innovatione frequenti ferri candentis immersione candentium messarum.

Tuguriolum Conoide, Vimineæ cratis æstuarium.

LIcet & ad hominis sedentis altitudinem ex cratibus ligneis tenuissimis invicem viminatorum opificum arte colligatis atque contextis chartaque vulgari contectis, sic, ut aëri via nec vento pateat, conoide tuguriolum parare, non dissimile instrumento, quo igne supposito ad interulas pannosq; alios sub brumæ algoribus excalfaciendos, aut ex humore sudorevè celeriter exiccandos uti nostræ fœminæ consuevêre, quale hic videre datum.

Tuguriolum conoides.



Similis profectò instrumenti meminit *Ludovicus Mercatus l. 1. de morb. gall. c. 9.* Cuius medicæ cupulæ æstuariæ, per commodum felicemque usum, expertus in plerisque testari potest per-

perexcellens medicus, Tyberius Carnevalis, qui & plicatilem, quam dixi cupulam novit usu probatum.

Æstuarium per conopæum sive tentorium.

TUguriolo quod nuper indicavit, conoidi similis est fere tectura, quam ex syndonis stragulisvè simul colligatis at que è sublimi suspensis, ad syphilio morbo correptos homines miseros sudore liberandos, suppositis in igniario vase suffimentis proposuit *Gulielmus Rondeletius l. de morbo Italico §. de suffumigiis.* Disertius verò *Fallopius in primo secretorum*: consutis sydonis in extremo altero colligatis, & de trabe per funiculum suspensis, circulatum dolij vinatij, lignum medijs assuit, & horum peniculam tum extremum pavimento appressum lapidibus adjectis firmat. Quòd si aliquo versus incommissæ restent tentorij partes, providus, altero tegmento concludes hiatum, ne calidus internè aër perspiret. Verumtamen ne æstu nimio vel suffocetur vel laboret homo, qui se tentorio subdidit, idem ipse, quâ pannorum sunt suturæ, his aliquâ parte dissolutis, forulum quantum exerendo capiti satis est, parabit, interim collotenus, ne quid calidi aëris expiret, suis ipsius manibus pannos undique cogens atque coaptans.

Tentorium ad suffitum Antonij Chalmatei.

ÆGer nudus collocabitur, sub conopæo in humili sella, clausis per tenue velamen oculis, ne suffitus acris ascensu lædantur, ijdem tum in vas igniarium ex prunis luculentis conjicientur pastilli cinnabaris, ad ℥j. vel ℥ʒ pro ratione virium ægrotantis. Si fumus valentior fuerit, quàm ut tolerari queat, paululum caput educet homo, deinde reducet. Interim sub his libens exudet, ad horæ quartam partem circiter, quo exacto tempore de æstuario eductus in molli strato reclinetur idem ac rursus sudare conetur. Hæc ferè ille *in Enchiridio chirurgico serm. de lue venerea c.4.*

Suffumigabulum ex oblongo tubulo Rondeletii.

HIs qui diuturnas ex lentis putribusq; succis affectiones altas causantur, accommodatissima est exudatio per hypocausta sicca, syphiliâ lue vexatis illud præscripsit *Gulielmus Rondeletius l. de morbo Italico c. ultimo.* ponantur carbones accensi in olla, in hos conjiciantur, suffumigia atque olla concludatur operculo, ex quo perforato fistula reflexa deducatur inter stragula lecti, ad decumbentis corpus nudum. Quod si odorem atque æstum subditus undique pannis homo proferre nequeat, exerat, licet extra cubile, caput, modo cervix exactè pannis obvolvatur, atque hoc ideò, ne quis fumo per superiora pateat exitus. Hoc commentum nisi fallor imitatus est *Ambrosius Paræus*, *l. c. & Ioannes Heurnius hunc sequutus l. 1. practicæ methodi pag. 37. & 45.*

Æstuarium humidum Michaelis Savanarolæ & Guainerii.

NVnc audias velim; quam rationem utendi vaporatus excogitaverit atque descripserit *Michael Savanarola tract. 6. cap. 14. rubr. 11.* labro scaphulæ cuiusdam forma cum duplici fundo, quorum superior crebro perforatus est, salsæ aquæ calidæ injicitur, quantum est satis, & intra labrum langnentem ex hyposarca hominem collocatum atque instratum, jacere jubet, contectum pannis, usque tenus sudet, assiduè detergendus; huic simile proposuisse videtur *Antonius Guainerius, com. 1. tract. 9. cap. 7.* imitatus & hoc *M Gatinaria. cap. de spasmo*, nisi quod pro aqua candentes lapides molares vino præpotenti irrigatos, aut sulphur, nitrumque accensum substernit, mox hominem subire jubet, non autem decoctum apponi, si medicus id malit, verum enimvero ex omnibus humoribus medicatis thermales tantum aquas non excipit hic vir, quod translatæ longinquæ vires amittant & parum juvant, similem quidem fundi duplicitate & reliqua cupæ constructione, sed alio venientis halitus ductus, nempe per interjectos tubulos circumductos cupam cum adverso lebete pannis ardentibus obsito proposuit *Ambrosius Paræus, l. 25. cap. 43.* quod rei commentum accipere licuit *ex Antonio Guainerio comm. 2. tract. 9. c. 17.* sed ipsam Paræi descriptionem præstabit recitare suis ipsius verbis, quæ hæc: probatur autem ob id peculiariter hic modus, quod intendere calorem, quantum libuerit, in nostra manu erit. Idem *Ambrosius Paræus, lib. 16. cap. 38.* calce è renibus deturbando balneariam sellam construxit cuius apud ipsum depictæ formam videre licebit.

Tran[s]... de na[t]... fonte[s]... males... vires... mittu[nt]

Æstuarium humidum Rondeletij.

ALiud ad paralysin æstuarium proposuit *Gulielmus Rondeletius l. 1. meth. cur. mor. cap. 23.* per hæc decoctio ponatur in vas angusti oris, super quod ponatur embotum, quod sit collo oblongo; fiat foramen in tina, & applicetur embotum foramini, ut fumus seu vapor omnis decoctionis sub ipsa possit manere, cum opus fuerit, parabitur autem hoc modo; infra tinam ponatur assula seu tabula multis foraminibus perforata, inter quam & fundum tinæ sit intervallum, ubi sint lapides calfacti: super illam assulam ponantur herbæ, super quas jaceat æger, donec provocetur sudor.

Vaporarium ex vasculo Prosperi Alpini.

ALiam nunc sudoris exsolvendi rationem exponam *ex Prosp. Alpino qui l. 3. meth. med. c. 13.* retulit hæc Indiæ Gomoræ gentes ad luem gallicam sudore finiunt suffitu ex folio Magneij vulgo herbariorum, aloes fœminæ minutim conciso, atq; in vase vitriato clauso decocto parato, per quam os angusti vasis eius fumo recepto per nudum hominem, qui angusto erectorio conclusus jaceat, sedeatvè, hæc exudandi ratio tametsi

totum

totum corpus permovere possit nihilominus ad privatas laborantes partes, accomodabitur felicius, ut equidem arbitror.

CAP. XLVIII.

De heliosi solis remedio.

Frequens apud antiquos usus fuit heliosis: quod remedium mirarer equidem, quo pacto interciderit his nostris seculis, nisi præcellentium aliorum complurium medicinæ adjumentorũ miserior visus à nobis fuisset casus, adeo ut præclarè dixerit *Hieronymus Mercurialis l. 3. de comp. medic. c. de sinapismis* in deterius quotidie labi res nostras medicas. Sed temporum accusandæ inertiæ parcentes, nihilominus in usus rerum nobilium quantum per nos fieri potest, revocandos allaboremus, fervidarum heliosis medicationum exempla prolaturi, potissimum ex Cælio Aureliano, qui nunc Solis torroris, aut fervoris, nunc solicationis imposito nomine cumulatissima de hac re pręcepta reliquit. Commune autem omnium scribentium, si rectè observo, fuit, torrorem ejusmodi proponere multis modis capiendum, primum vel per se simpliciter vel conceptũ aliis corporibus, coriis, inquã ceromatis, arenis saburrâ, pulvere, siccoluto vel cimolia terra, acervo salis tritici, asio lapide &c. Singula exponamus.

Primum simpliciter, ut se offert, paratum epilepticis adhibet Aurelianus *l. 5. chron. c. 5. p.* 421. Origeni *l. 3. chr. c. 5. p.* 421. quod idem factitatum ab *Archigene legimus apud Galenum in l. 9. de comp. med. per loca. cap.* 9. Stomachicis *Aurelianus l. 3. chron. cap. 2. pag.* 408. Colicæ *l. 4. chron. cap. 6. p.* 481. Atrophiæ *l. 3. chr. cap. 7. p.* 429. Cachexiæ *l. 3. c. 6. p.* 427. elephantiasi *l. 4. chr. cap. 1. pag.* 444. Phthitiasi *l. 4. chr. c. 2. p.* 450. Polysarciæ id est superfluis carnium incrementis *l. 5. chr. c. 9. p.* 552. Arthritidi *l. 5. c. 2. p.* 517. Coxendici *Cornel. Celsus l. 4. c.* 22. Vasis ad insectus commoditatem evocandis *Gale l. de cucur. scarif. hirud. c.* 4. Ad hæc scire licet, heliocamino usos fuisse priscos, teste *Plinio juniore epist.* 2. quæ solaris est fornax, seu vaporarium in aprico situm, ad calorem solis excipiendum.

Sed de posterioribus nostris hominibus *Guido Cauliacus* majoris certe judicii, quàm ut res chirurgicas solas scivisse credatur, in *curatione hydropis* hanc unicè commendavit, *tract. 2. do. 2. c.* 6. nam, inquit, in hoc negotio mirabilis est calor solis, quod si fimo bubulo præliti exponantur, efficax experimentum medici cujusdam sui temporis refert Aetius *l. 6. c.* 115. Hi citra corporum aliorum interventum heliosis sunt usus à nostris auctoribus recensiti.

CAP. XLIX.

De insolatu cum interventu corporum conquisito.

Cæterum meminit Aurelianus ceromatum sole ignitorum, quæ equidem opinor emplastra sicca & lata soli prius exposita mox applicata. Itemq; proposuit quadrupedum coria præuncta, simili modo percalfacta, quæ substrata accipiant ægrotantes, volutatione quadam convertendos, ac defricandos ac mutãdos: voluitq; ut loca, quæ deferbuerint, olea reungenda, ut veniant ferventiora, quippe cùm naturaliter tergora oleo ac sale facile fervescant. sic hydropicos curari præcipit *l. 3. chr. c. 8. p.* 435. Hujus ad solem volutationis ileosis factitandę meminit & *Hipp. l. de inter. affect. n.* 48. affuso ad solem aceto lepram & vitiliginem medenda jussit *l. de humidorum usu n.* 8.

Præter hæc in Asio lapide sole concalfacto volutandos ægros, quos extenuari vellent, præcepisse veteres legimus.

CAP. L.

De arena sole medicata.

Est & ex hoc genere arenatio, si dici licet latinè ϳαμμισμὸς græcè, quam aliquot morbis utilem, inter cæteros hydropi proposuit *Dioscorides l. 5. meth. medic. c.* 124. *& Gal. l 9. de simpl. medic. facult. c. de pyrite. Octav. Horatianus l. 2. ad Euporistum c. 19. Herodotus vero apud Oriba. l.* 10. *collect. c.* 8. fomentum accommodatum facit asthmaticis his, quorum pectus defluxione laborat, cæliacis, podagricis iis, qui per extensionem resolvuntur, iis qui malo sunt corporis habitu, hydropicis & denique omnibus, quos diuturnus morbus vexat, ubi unos infantes exceperis, posthunc *Galenus l. de præsag ad posthumum c.* 8. arena maris calida Boethi uxori diuturno uteri profluvio ob superantem in universo corpore humorem laboranti, auxilium tulit, quo præsidio ad torrorem *Aurelianus* utitur, ad paralysin *l. 2. chron. pass. ca. 1. p.* 323. Cachexiæ *l. 3. c. 6. p.* 427. hydropisi *l. 3. cap. 8. p.* 435. sequitur hunc *Gartoponius l. 3. c. 12. polysarciæ. Aurelianus l. 5. c. 2. p.* 552. M. Colicæ *l. 4. c. 7. pag.* 481. Arthritidi *l. 5. cap. 2. p.* 517. Polysarciæ *l. 5. c. ult. pag.* 552. Huic accedit proxime saburratio, id est in marino sabulo volutatio: quamquam & fluviale atque fossitium non improbatur, præterea & pulveris sericuli sicci, & terræ cimoliæ tenuissimè tritæ commodum est remedium.

CAPVT LI.

De remedio solis ex acervo salis triti.

Extendit etiam medelam *Andreas Baccius l. 2. c.* 19. *pag.* 107. & ad salem tritum, si hujus copia sit, & ad triticum à sole concalfactum, quod arthriticorum absorbendis aquosis extumescentiis mirum dixit *Ludovicus Duretus c. de artrithide*: confirmatam rem antea per *Galenum l. 8. de simp.* Altitudinem autem salis, inquit *Aetius tetrab. p. 1. ser. 3. c.* 9. non minorem oportet esse tribus palmis parvis: si enim altus non fuerit sal, caliditas ipsius facilè difflatur, utpote quæ ex alto emersum & progressum non habeat. Ad insolatum quoque referri licet cumulum tritici vel milii, quotus homini nudo circumquaque obruendo sit satis, hæc enim ardenti diu sole contacta podagricis, auctore *Plinio l. 22. c.* 25. probè facit, siquidem modicè calefaciendi vires habent *Galenus 1. de natur. facult. 1. & 8. simp.* Itemque manuum & parti-

Arthriticorum ad ematis.

Partium aliarum tumoribus, ex lenta atque hebeti pituita profectis, mirum in modum subveniunt. Podagræ quoque doloribus quam mire benefaciat Q. Serenus prodidit his; Non audita mihi sit fas, sed lenta referre: Hoc quidam captus morbo per tempora messis vicino plantas frumenti pressit acervo evasitque gravem casu mediante dolorem. Hujus autem naturalis tritici facultates expendit *Gal. l. 2. memorati operis c. 15.* relata ad attractionem causa confirmataque eadem per agricolas, qui frumenti cumulos seu mole seu pondere auctitantes, vasis aquæ plenis submissis id obtinet. Quod experimentum tum à se tum à grani vectoribus usu comprobatum, retulit Epiphanius Ferdinandus historiarum medicarum suarum 38. Quam obrem, ne cui mirum sit, si & hydropicorum ventres exhaustos alieno humore retulit *Ioannes Forestus in Curat. huius.*

CAP. LII.

De inurendo per radios solis.

NOs qui cum Platone, cumq; Calabris prioribus, qui dicti sunt Italici philosophi, atq; horum postremo Bernardino Telesso, conterraneo nostro, igneum & per se actuosum soli calorem attribuimus, non absurdè fecerimus, hîc siquidem inter ignea quælibet ad chirurgiam adjumenta suum etiam ex sole conquisiverimus atque debebimus: ratio, inquam, est per solem optica, quæ est, cum adverso huic luminari ex membro corporis inurendo, diaphanum quodpiam corpus, puta vitreum, sive solidum, sive aquâ plenum, sed globosum utrumque, interponitur, sic enim coactis in unum confertim radiis Solis adsecundant, producant, fiat ut incendatur esca, ad hunc modum proponit *Baptista Porta* nonnulla vitrea corpuscula, qualis est lenticula crystalli convexa, aut ex eodem pila, aut columniforme organum. Sed medicum in hac re fuisse usum perhibet *Petrus Andreas Matthiolus in 5. Dioscor. c. 16.* quod est de selenitide cum ait: fiebat quondam antiquis è crystallo pila, quam adversus solis radios tantum ad cauterii genus admovebant, qui candente ferro per territi curari reformidabant: sed & nos hujus cauterii periculum fecimus, non sine laborantium atq; cum magna quidem admiratione astantium. Hæc ille. Meminit autem & per pilam crystallinam ustionis *Thomas Fienus l. 2. de cauteriis c. 3.*

De insolatu generatim lege *Oribas. l. 10. c. 3. Aetium l. 1. serm. 3. c. 3. Hieronymum Mercurialem è nostris l. 6. rei gymnaticæ c. 1.*

CAP. I.

De Cucurbitulis, & harum usu plenissimo.

HVic pyrotechniæ parti, ubi non solum de ignea, aquea ac terrea, verum etiam de aerea medendi materia quidpiam dictum, non inconcinnum de cucurbitulis annectendos esse sermones, cum inter alia præclarè ventosarum alterum id nos doceat nomen, judicavimus, quod quidé significantius imposuerunt Arabes post Græcos prudentissimos & simul quod rectissimum vernaculam gentium omnium nomenclaturam retinuit. Eas ob res factum à nobis decenter & accommodatè videbitur, qui complendis hisce sermonibus peculiarem quampiã de cucurbitulis, traditionem addidimus. Quarũ quidem innumeris undique commodis scatentium, accipe nunc primum generales & summas utilitates. Et secreti planè usus, & nobiles facultates sunt cucurbitulis, quas, qui perspicaciori sunt ingenio, hi aut facile norint aut assequentur, quippe cum subtilitate atque animadversione non pauca excogitatæ atque inventæ primum à majoribus nostris videntur, atque id *Hippocr. l. de medico n. 6.* luculenter ostendit, cujus verba paulò posterius recitabimus, quid ni enim seu fuga vacui, re certe omnium subtilissima ac summæ necessitatis plena regatur omnis hæc actio, quemadmodum opinati sunt viri plerique Heron, inquam, proœmio spiritalium *Alexander Aphrodysæus l. 2. probl. 60.* è nostris *Dinus Florentinus in Avicenna librum primum fen. 4. c. 21. quæst. de ventosis 1.* atque alii complures, sive id accedat vi caloris, ut disputavit *Fabius Pacius Comm. 4. ad Methodum medendi c. 4.* ne mirum igitur illud est, quod *Actuarius nobilis scriptor in lib. 3. meth. c. 4.* notavit, ex his, quæ celerrimam opem afferunt, & cucurbitulas: siquidem opportunè admoveantur. nec demirandum est etiam, quod tanta medicis in cucurbitularũ præsidio sit fiducia, nempe, & Heliodorus *Oribasio referente, in 7. Collectaneorum c. 12.* brevi pariter & absolutè cucurbitularum plurimas facultates comprehendit, quæ sunt, materiam, quæ est in capite evacuare, dolorem solvere, inflammationem minuere, inflationes discutere, appetentiam cibi revocare, imbecillum exolutumq; stomachum roborare, animi defectiones submovere, quæ in profundo sunt, ad superficiem trahere, fluxiones siccare, sanguinis eruptiones cohibere, menstruas purgationes provocare, facultates corruptionis effectrices extrahere, rigores sedare, circuitus solvere, à perpensione in somnum excitare, somnum conciliare, gravitates levare, & quæ his similia sunt præstare: quid igitur non magnum & in medicina præstabile non faciunt cucurbitulæ? sed nos selectos earundem usus & rationes non vulgatas, ac protritas recitabimus.

CAP II.

Summaria partitio ac destinctio cucurbitularum.

ANtequam autem aliquid agatur, operæ precium judico, ut methodica quædã cucurbitularũ comprehensio præmittatur, quæ certè erit ejusmodi. Spectantur in cucurbitarum remedio nonnulla prima est materia, ex qua constant, ænea, cornea, fictilis, vitrea. Post hæc spectatur in materia magnitudo, parvitas, aut mediocritas, præter hæc autem figura. Istarum enim aliqua est ob-

est oblongior, quædam osculo ampliore, quædam angustiore, quædam perforatæ, quædam integræ, hæ cum exili foramine, hæ cum majusculo, aliarum labra sunt paululum extrinsecus inflexa, aliarum extrema vasis longitudinem excedunt, & sunt acutiuscula, hæc cum ipsis vasis proxima sunt conjuncta, alia verò sunt exterius posita, sive ad habitum earundem pertinentia, sive ad modos, siquidem aliæ cùm igne, aliæ sine igne, & aliæ cum incisione, aliæ sine incisione, quas Græci leves, nostri quidam siccas dixerunt, administrantur. Denique considerantur in cucurbitulis usus, quorum communissimi sunt, attractatio & dissipatio sive discussio, sed ex attractu consequantur effecta complura, partim quidē in loco, cui cucurbitula defigitur, partim etiā in aliis. Locus cui cucurbita infigitur, sic immutatur: calefit, intumescit, impletur sanguine attracto, recipitque, si quid in vicinia præter naturam retinetur, intestinum, inquam, in inguem prolapsum, calculum quoque vesicæ, collum obstruentem, urinæ iter claudentem, detrahit infra defixa; quoniam autem, & aliis locis, quam in quo est cucurbitula, subvenit, avertit, & ab aliis partibus humorem, qui suo nutu decurrit atque etiam non permittit rem, à parte in qua est aliorsum transferre, quare & sanguinem sistit, & stomachum à vomitu revocat, & laxatum in articulo ligamentum cogit, & coercet ita, ut luxatio non sequatur. Sed de horum distinctione posterius. Interim quæ primo sunt ex ordine referamus.

CAP. III.

Expositio modorum quibus cucurbitula in actum veniunt.

Possent & alia hujusmodi plura congeri, sed præstat, ea, quæ jam instituteramus adjicere. Primæ autem observationes & meditationes nostræ sunt, scire licet cucurbitulas, quæ sicut ante diximus fuga vacui attrahunt, vel caloris vi vel spiritu id facere. Per spiritum quidem corniculis veterum usu vis erat attrahendi. Itaque linguæ paralysi viciatæ ad referandas spiritui vias affigit *Aurelianus chron. c. 7.* Meminit & horum *Gal. l. 13. meth. c. 6.* ex cujus sententia scripsit *Oribasius lib. de cucur. c. 16.* conceptis verbis hæc: cornearum cucurbitarum tractus sine igne, quippe in extremo sunt perforatę, cumq; aptantur, vehementer per foramen, digito cerâve clauditur; Idem quoque usus & perforatis vitreis cucurbitis esse potest, quod notavit *Vidus lib. 8. chir. c. 8.* & ante hunc *Albucas. lib. 2. c. 98.* ex quo loco nobilis quędam Arabis adversio prætereunda in his nostris observationibus non est: sanxit enim legem nobis, ut metu facto moderato non prorogemus adhæsum vasorum, sed alteris cito obstrictis alteras cito inducamus, nimirum ut proliciantur, inquit, ad locum humores accessu æquali, atque hunc provocemus potius impositu novo vasculorum, quam longâ istorum inhæsione. Hoc autem semper iterandum dum & rubere locus, & extumescere apparuerit, rubor autem esto velut suffusi sanguinis, tum autem scarificandum, & sectio rursus leniter repetenda. Cærum habitus, & textura corporis pro suo modo ac toleratu tractandi sanguinis item tenuit aut crassitudo ad concisus requisitos observandi, sed calor is, quem cucurbitulæ recipiunt varius est.

Calor inditus cucurbitulæ varius.

Primo per flammam, cujus etiam varia est materia inter subjecta linum canapinum, xylinum, sericum, linea fila, atque alia quædam, quæ cum flammam non concipiunt rationem demonstrabimus nos, qua facile ad hunc modum etiam ad extrahenda corpuscula, quæ in aures inciderunt, in hanc inducta fistula, partem hujus extremam, quæ foras prominet, infarciunt stupâ, quâ incensa, orificium externum subinde claudunt, cōcipiunt 2. per flammam exiguæ candelæ inhærentis tenui ferro transversim intus imposito cucurbitæ præsertim æneæ. Quod si paratam ad hunc modum cucurbitam & metallica non sit, vitreæ, vel fictili, quæ facile separant ubique, cerei funiculi pauxillum digito compressum ad latus agglutinabit, inflexum supernè sic, ut in vasculi medium flamma exporrigatur, aliud huc etiam adnotandum velim, interdum à me ministris præcipi solitum, ut si situm in omnem quia decumbent, hoc incommodum imponi considereque nummus non possit, tum huic glutinosum aliquid, ut cera terebinthinæ commista, supponi debet per quam cuti inhærescat. 3. Per halitū ignis siccum quo usus est *Aurelianus lib. 3. chron. c. 2.* ad stomachicos, *& lib. 5. eiusdem operis c. p. 457.* ad Cæliacos. 4. Per fumū olearia lucernæ cucurbitæ aliquandiu submissum ut notat *Petrus Paulus Magnus lib. de phlebot. tract. de cucurb. c. 7.* 5. Per solis ferventis calorem coactum sphærulâ crystallina, de qua re dictum est alibi. 6. Per vaporatū, aut ipsius etiam adhæsū calidæ aquæ, aut cujuscunque corporis densi, sinu calorem effundentis vino medicato fervente profusam cucurbitam amplam ad colicum dolorem probavit *Ludovicus Duretus com. de morbis internis, illo ipso capite.*

Stomachi. Cæliacis.

Colica.

Pleuritidi.

Ad pleuritidē vaporatā aut plenā ex calida, vel ex decocto anodino, cucurbitam magnam affigi jubet *Albuc. lib. 2. c. 98.* ex aqua vero tepente simplici plenam ad pleuritim componendam voluit *idem eodem loco*: incertum an per calfactam & vacuam, an aquâ plenam, cui vasi tantum non recto situ humorem continenti latus accedens admoveatur, non illa lateri: nam sic effundi aqua esset necesse.

Ex aquæ verò fervidæ vapore percalfacta cornicula balneatores adhibēt, horum attractū veluti per cucurbitulas volētes quam rē & *anonymus Aureliani Scholiographus lib. 3. tard. pass. c. 2. quod est de stomachicis, adnotavit*, tales peculiariter ad capitis languores adhibendas monuit *Albuc. parte 3. chirurg. c. 98.* vaporatum etiam admovet parotidis *Paulus lib. 3. c. 2.* F. Agglutinatur cucurbita primum per hujus adhibitæ supremum foramen attracto abundè spiritu mox dexterè per ceram occluso eodem octavo loco, quem imposita cucurbita occupavit, intrinsecus primùm vehementer flammâ percalfacto, deinde etiam per aquæ gelidæ impositum perfrigerato, qui duo agglutinationis modi propositi sunt à

Iacobo Forolivienſi ſuper aphor.49.lib.5. ſi rectè ſenſum hominis interpretor. Porro cunctos hos accenſionis modos non omnes materiæ, ex quibus hæc inſtrumenta conſtant, ſuſtinent. Vitrea quippe halitum ignis ſicci & fortaſſe etiam aquæ fervidæ Vaporatum ac thermalium calidiorum non patiuntur, aut ęnea fictilia, lignea, atque alia Illud nunc adnotandum, cucurbitulam cum flamma adhibitam valentius rapere evocareque ſubſiſtentem carni materiam, quod advertens oculate **Felix Platerus**, & pleuritidi flatuoſæ *co. 2. prax. crit quem præfixit doloris pector. pag* 441. Servandum docuit, & bubonibus, parotidiſque panis, & phymis lentè venientibus, evocandis, factitavit *Tom 2. tit. de ſuperficiei corp. dolor. p.* 824. Itaq; diſtinguere materias ſecundum dictarum rerum occaſionem, præterquam ſecundum remedii opportunitatem erit neceſſe. Sic diſtinguenda figura, & magnitudo, & materia eſt quo præfixum attrahendorum ſcopum obtinere liceat.

Delectus accenſionis aut calefactionis.

CAP. IV.

Figuræ ac magnitudinis diſcretus in cucurbitulis.

QUod ad figuram. Primus Hippocrates duplicem utendarum rationem acutè inſpexit cum *lib. de medic. n. 6. ait.*

De figura cucurbitarum & formæ adverſiones.

Cucurbitarum porro duo modi commodi exiſtunt: quando enim fluxus procul ab apparente carne compactus fuerit, circulum ipſius brevem eſſe oportet, ipſumque non ventroſam, ſed prolixam, parte ad manum vergente, non gravem. Quæ enim talis eſt, indirectum trahet, & ſeroſos humores ſemotos ac diſtantes probe ad carnem contrahet, majore autem dolore per carnem diſperſo, in reliquis quidem conſimiles cucurbitas eſſe oportet, ſed circulum magnum: Sic enim ex pluribus partibus id, quod dolorem facit, educere comperies ad locum convenientem, neque enim magnum eſſe circulum putant, ſi non ex pluribus locis caro comprehendatur. At ſi gravis ſit, ad ſupernos locos venit, infernè autem magis detractionem facit, ut ſæpè morbi relinquantur; Lati itaque circuli una cum incumbentibus fluxionibus, & longè diſtantibus à ſupernis locis multa ſimul attrahunt, de alia carne. Contigit igitur humiditatem inde detractam apponi collecto infernè ſub cucurbitam ſeroſo humori, & quæ quidem infeſtant, relinqui, quæ verò nihil moleſtant, detrahi. Magnitudine porro cucurbitæ quæ commoda ſit juxta corporis partes quibus admovere oportuerit, conjectare oportet; ſed quod ad magnitudinem ſpectat, errare medicos conſtat, qui deficientes hâc parte uſus maximos hujus præſidii faciunt minimâ harum quantitate contenti. Unde non tam inclyta præſtare morbis in omnibus iſtos accidit, nimirum magna matula, aut olla mediocris efficaciſſima, & ad finiendos ventre dolores atque ad hyſtericos affectiones, & apoplexiam uſu ipſo comperimus.

Magnitudinem cucurbitarum non diſcernentes noſtri homines taxantur. Doloribus ventris. Affectibus hyſtericis Apoplexia.

CAPUT V.

Monſtrans ſingularium exercitatione cucurbitarum diſcretus.

AD levandos quoque dolores colicos teſtea vaſcula quas Græci ἀμφορεας vocant, quaſi diceres amphoras approbat *Aurelianus l. 3. chron. paſſ. c. 2.* & ad colicum angorem diſcutiendum alias *lib. 4. eiuſdem operis c. 7.* Hæc quidem vaſcula pari & morbis, & virtutis exceſſu valent. Verum dubitare licet quanto majore ambitu circumplectuntur corpus, eo plus vacui reſtare in medio, quod attractus diſcuſſuſque beneficium non ſentiat. Quapropter ea ſuper re meditatus equidem aliquandiu tandem comperi commodius futurum, ubi ante minor cucurbitula vitrea ſive cornea, ſi diruptus timeatur centro dolentis loci defigatur, mox altera major, quantam dictavit Aurelianus. Sed ea lege ut ne ſe impediant, nimirum cucurbita externa quidem faſtigiatior ſit, interna verò depreſſior. His enim artibus, id eſt, utriſque ſimul eodem tempore, & ex centro, & ex peripheria loci dolentis attrahentibus futurum eſt, ut multis feliciſſimè cauſa omnis moleſtiæ diſcutiatur: ſimili profectò ratione colicam curans fuit uſa mulier apud **Ioannem à ſancto Amando exponentem Antidotarium Nicolai** quæ eſt hæc; ollas duas ſe capientes anguſtioris orificii in aheno ſuper ignem impoſito torrebat, puas ſimul complexas interjecto panno, ventri pronas imponebat, quæ carni adhæreſcentes dolorem omnem brevi finiebant. Jam verò ut ad importunos cucurbitarum uſus revertor, delinquunt etiam in eo noſtri temporis medentes quod anguſto ore, ſed oblongo corpore cucurbitulas ad extrahendum evocandumque altius infixos humores corpori nullo uſu habent, ſed nil diſcernentes iſtarum opportunitates promiſcuè mandant miniſtris omnibus affigendas: exemplum ejus rei, quod dixi exhibent ſingulare oculi malè affecti, quibus medendis imponit occipitio, & initio talem, quam dixi, cucurbitulam **Fallop.** *intr. de ulcer.* 15. In capite vero ipſo, ut minus attrahant, cucurbitas humiliores admovet **Oribas.** *2. collect. cap. 16.* In paralyſi quoque ſtrictis oſculis cucurbitas cum igne multo atque exultu vehementi vult affigendas **Avic.** mox verò cum raptu revellendas *lib. 3. fen. 2. tract. 1. cap. 4.* Hos verò tum anguſtis, tum longis cucurbitulis aquâ calente vaporatas ad extrahendum è venis ſanguinem, quem hirudines abunde ſugere nequiverunt uſu quotidiano habemus. Ignitis autem cucurbitulis ni licet uti, ſeu per languentium mollitiem, ſeu per exiliores vires, corneas porro, quæ adducto ſubinde ſpiritu attrahunt, non lentus eris accipere; magnificentior quidem harum adminiſtratio medicis, & placentior ægrotantibus eſt futura, quanquam verò **Galenus** *lib. de cucurb.* de corneis in caput utendis præcipit, tamen nil vetat, & in aliis quoque partibus eodem levitatis nomine medendis corneas accipere. Tales enim cũ exuctu ad attrahendum in arthriticis ſuccum atque calorem utendas voluit **Nicol. Florent.** *ſerm. 7. tract. 2. c. 10.* Oportet quoque & diſcretas

Colicis doloribus.

Cucurbitula minor intra maiorem carnem late dolentem agglutinata noster commentum Aureliani.

Animadverſio negligentiæ medentium.

Oculis malè affectis.

Paralyſi.

Venarum ſec ſanguini detrahendo.

Ignitis cucurbitis ſubſtituenda interdum cornicula, pro ratione languentium. Ad inſtantiam ex Galeno.

tas cucurbitularum partes non incuriosè dispicere, nempe iteris prodidit Galenus: quæ planè habens labra corporibus latitudinem habentibus; quæ vero resima, curvis & gracilibus commodius affigi; quæque acutum os habent; illis competere, in quibus scarificatione quidem non utimur; sed per levium cucurbitularum applicationem vehementer attrahere volumus labrosum tenuitate ad attractionis violentiam conferentem. Quæ verò obtusa habent labra, tum in aliis membris, tum præcipuè in capite utiliter applicavi.

Aliæ de materia cucurbitularum observationes, sed præter usitatas vitreas, quæ ignis usu disrumpi facilè queunt, fictiles, atque æneas, quas ætas nostra dimisit; pluribus usibus commodas cognovimus, si superiore fundo aliquantulum cavæ formantur. Hoc enim quasi acetabulo carbonem ardentem aut cineres calidos excipere commodè poterit. Quos utrosvis, ubi ex calefacta modicè cucurbita fuerit, excuties atque id eius rei gratia, quod compertum, statutumque per nos est, & ulceribus proficuam esse vim ignis per cucurbitulas: sed hæc tamen, quantumvis factâ diligentiâ (renititur enim humidum) nequaquam pelle nudis carnibus hæserint. Horum igitur defectu supplex excavata in fundo cucurbita, sed labijs superciliisve flexis, & latiusculis sit oportet. Quæ jam affixæ vel altera qualibet, quæ latiore base quidpiam in se recipere ponit, si nivem incluserit illo sinu, creditum est, multò vehementius humorem attractum iri. Atque illud certè propterea, quod coacto brevi aëre concluso sequetur ad complendum vacuum alias aër, atque inde fiet ex carnibus attractio valida, simili, sed ad contrarium usum, ratione; si cucurbitulæ difficilè avellantur, ex aqua calida spongiæ circumponuntur *Oribasij doctrinâ lib. 7. collect. cap. 16.* quam refert *Bartholomæus Vic. lib. 2. de off. assistentis cap. 9. & Vidus Vidius lib. 2. chirurg. cap. 8.* ex ære cucurbitam ad ani hæmorrhoidas & ulcera inferiora super alchausos loco, credo super finem caudæ infigendam præcipit *Albucasis lib. 2. chirurg. cap. 98.* quoniam, inquit, locus indiget sectione forti, & fortasse franguntur, ventosæ subtiles: Præter metallicas, & vulgares vitreas: sunt & fictiles, quas superius ex Aureliano atque ex Joanne à sancto Amando memoravi: sunt & ligneæ, quarum meminit & *Dinus, alias à me citato super Avicennam loco.* Ex buxo equidem inter omnia ligna probo, quas aliquando in hunc modum expertus sum. Infunditur hæc per horæ medelam unciolam in aquam calentem, in quam mox extractam & panno detersam, olei flammam ad lichnucham accensâ, sub ipso eodem loco corporis; ad quem cucurbitula adhibenda est, subditam circumlustrabis; & concalfactam ocissime ad carnem agglutinabis urbanis & delicatè viventibus unicè facit hic modus. Aliud inter hæc adnoto, tum his materiis, tum etiam ligneis adaptari, quemadmodum & folliculo lusorio membranam licere, quanquam Ægyptij vitrearum osculis pellicu-lam ad conglutinatum salivâ deliniunt, ut docuit *Prosper Alpinus lib. 2. med. Ægypt. cap. 13.* sed circa hæc opificia corniculis dictarum gentium more uti licet, aliquando figuris per *P. Alpinum in recitato loco descriptis.*

[Margin notes, partly cut off: ...ritium ... in ... bita... for... di... ... dict. | ... quæ ... cōfor... atq. ... ni... cu... ... tula. | ... usu ... calen... ... fa... ... lum ... ctum ... cucur... ... ulas. | ...ea cu... ...itula. | ...neæ cu... ...bitula ... ligneis ...pirato... | P. Alpinus...]

CAP. VI.

Nova in cucurbitulas additamenta.

PRæter hos omnes, & alius est cucurbitæ modus tam novus hactenus, & à nemine productus; quam præstabilis est unus quispiam, ad extrahendam à profundo corporis conceptando saniem aut vitiosos putris humores. Res autem ordinatur ad hunc modum. In longos sinus & cavitates demittetur fistula vitrea, sive recta; sive inflexa, prout exigi videbitur; sub extremum levis, aut glutine vitrario sic obducta, ut incommodare aculeis minimè queat. Immissa ubi humorem latentem contigerit, exteriori osculo multa stupa investire cooptata congruè calens igne, tamdiu detinebitur cucurbita, ut humor advenerit, tum remotâ istâ continuò sequetur fluor. Aliæ quoque cucurbitulæ constructionem, quæ sine igne attrahit, docuit *Heron. lib. spiritualium §. 56.* quæ cum prolixior explicatu sit, expositioni suæ libens supersedebo exactissimam hanc ab Illustrissimo viro Fabio Columna in suo Herone proferendam propediem expecta.

[Margin: Saniei de profundo corpore extrahendæ cucurbitulæ novus modus. | Fabius Columna Lynceus, ut traditur.]

CAPUT VII.

De Esca ignis varia sub cucurbitulis usitanda.

SEd quando jam materias, unde cucurbitulæ conficiuntur, discrevimus; materias atq; escas, unde ignis in his accenditur exponamus. In usu quidem omnium est stupa lini; sed canapis, & gossypij, & lintei, cæspitum etiam nominat *Tho. Fienus* atque aliarum quarundam materiarum etiamsi non accendantur, etiam usus esse potest, si quæ mea est observatio, audiatur. Equidem in perfrigeratis, stupidique partibus paralyticis doloribus à flatu infestantibus; ad summum in affectibus frigidis, & diuturnis solitus fui vel linteum, vel gossij piam, vel sericum filamentum aquâ ardente madefactis, atque impositis ignem subjicere, quibus repetitis bene res cessit. Unum hic cucurbitæ accessorium adjumentum non omittam referre ex *Iac. Hollerio l. de mor. intern. cur. cap. 41.* petitum, Hoc est, quòd colicæ adhibenda magna cucurbitula, quo sit efficacior, imbui circum internè re medicatâ debet idoneâ; talis allij succus, aut quod ex hoc genere accipi licet impendio videtur. Autor verò libri de cucurbita, qui legitur apud Jac. Fontanum anonymus, quem ego vel eundem Hollerium vel Jacobum Sylvium ex stylo puto, & theriacam, aut Mithridatis antidotum inficcat, ubi sub colico cruciatu ventorum inflatio discutitur. Ego verò potissimè probarim illud, in his vasculis quæ maximè possunt infici natura, ut lignea, fictiliaq; & ænea

[Margin: Materia atque esca ignis. | Perfrigeratis stupidisque partibus, paralyticis doloribus flatulentis, &c.]

& ænea fortasse. Alterum etiam quod ad figuram pertinet, minimè tacendum ex Aureliano velim, *qui lib. 3. morborum acutorum c. 17.* meminit cucurbitarum osculo latiore ac labiis flexis: lenius enim, inquit, atque blando tractu arripiunt membra.

CAP. VIII.

Facultatum, & usuum, qui sunt Cucurbitulis inventa coordinatio.

CUcurbitularum omnes usus complexus est *Avicenna princeps, l. 1. fen. 4. c. 20.* Primus cucurbitularum usus, ut materia morbum factura à suo motu retrahatur. Secundus, ut apostema profundum ad exteriora trahatur. Tertius, ut apostema de nobili parte, quàm licet, ad ignobiliorem transferatur, aut quomodolibet divertatur. Quartus, ut pars excalefiat attracto ad ipsam sanguinem. Quintus, ut pars elapsa suum in situm naturalem restituatur, ac ne rursus abscedat prohibeatur. Sextus, ut flatulentum, quod est, dissipetur, aut humor flatulentus modò attenuatus exhauriatur. Septimus, ut dolor levetur. Ad hunc ferè modum Avicenna; quæ quidem enarratio præter quam amethodos est apertè, neque absoluta etiam; ac plurima non includit, quæ nos adjicienda comperimus. Methodus autem nostra est huiusmodi. Quoniam cucurbitula vasculum est virtute ignis inclusi ad obtinenda pleraque multa ordinatum: his quidem ignis, aut huic adjunctus calor, qui principalis effector est, bifariam exequitur, vel per se, vel per accidens. Effectus primus per se calfactio est: cum quo conjungi proficiscivè possunt & alij, idest attemperatio, concoctio, rarefactio, laxatio, discussio, seu mavis, dissipatio & attractatio. Per accidens verò, sive ad vim vacui, sive quoniam hoc multi negârunt, ad vim propriam ipsius ignis sputantes, effectus sunt attractio doloris, levatio, atque inductio, stupefactio, extractio, vacuatio, derivatio, revulsio, translatio, repositio, compressio.

CAPVT IX.

Varia variarum facultatum ac usuum à cucurbitulis promanantium exempla proponens.

NUnc ad exempla veniam exorsurus ab his, quæ sunt per se, & primùm à calfaciendi facultate & huius rei similibus. Vt paralysis solvatur, primam vitij radicem, & ad affectos altissimos nervos cucurbitulas, quæ hos excalfaciant inseri mandant *tum Gal. l. 3. de loc. affect. c. 4. cum Avic. l. 1. fen. 2. tract. 14.*

Concoctoriæ facultatis exempla.

HAbent & cucurbitæ digerendi, vel ut rectius dicatur concoquendi facultatem, si *Theodoro Prisciano* credimus, qui ad id rei cucurbitas phreneticis ad derasum caput accommodat, cutimq; incidit *l. 2. c. 2.* Intellexit autem hanc rem planè *Iac. Hollerius cum enarratore Ludovico Dureto, qui in opere de cuband. morb. inter.* & singultus, & colicæ materiam sic coqui commenti sunt, quanquam etiam rem hanc prior Antonius Vainerius proposuit *Comm. de paßion. stomachi c. 57.*

Quam quidem ex cucurbitarum impositu concoctionem tentati mihi in crudis lentisq; bubonum parotidumq; tuberibus, suasore præsertim *Celso, qui l. 4. c. 6.* non alio, quam suppurandi scopo; quemadmodum *in l. 4. c. 6. F.* interpretatur Mercatus, cucurbitas pleuritidi sentias procedenti adhibuit, atque consequutore *Ioanne à sancto Amando super antidot. Nicolai* non pœnitendum laborem, neq; inutilem exitum excipi fuit. Verum id requiritur tamen, ut cum paucus ignis submittatur vasculis, quo fiat attractio, non attracti dissipatio, cum ut multoties cucurbitulæ apprimantur; sed, & tumoribus principio venientibus ne postmodum materiæ coacervatu distendatur inflammeturq; caro, dicam uno verbo, ut inhibeantur, dissipenturq; congestus, novum cucurbitulæ usum excogitavit *Cor. l. 7. c. 2.* per hæc ergo prius quàm indurescant, cutem incidere, & cucurbitulas accommodare oportet, quæ quidquid illuc malæ corruptæque materiæ coiit, extrahit, idq; iterum tertioq; fit, donec omne judicium inflammationis excedat, neque tamen fas non est nihil cucurbitulâ agere. Novam etiam ad digerendam trementium membrorum materiam in nervis per spinæ vertibula diductis cucurbitularum rationem proposuit *Paulus l. 1. c. 21.* à prima vertebra ad usq; spinam descendentem & lumbos accommodans. Verum cum addidit insuper, particulos prius cum præcordijs nudâ hordei farinâ respergendas, inquisitionem aliquam accersit, quam mihi licebit brevi discutere, diversa opinanti, vel, quod delibutis, quod ante præceperat in summis corporis partibus, violentus istarum raptus declinaretur, vel quod ita commodè agglutinare possent cucurbitulæ, vel si agglutinarentur quidem, sentiens ignem flammamque oleum exardesceret, non sine partium noxa: vel si non pertinet, hoc quidem præceptum ad Chirurgicam operam, pharmaciæ solius est, ex qua concoctionem causæ morbiferæ per illud veluti cataplasma referamus; præter hæc potuit, & oleum usui esse cuti, porisque laxandis, quæ suimet angustiâ possent obsistere. Ad hunc modum *Alb. lib. 2. cap. 98.* antequam cucurbitas adhibet, variis oleis aperiendi, resolvendique facultate præstantibus utitur: Hæc quod pertinet ad hordei farinam: Cæterum quod longâ serie ad usque lumbos cucurbitulæ sunt defixæ, credo equidem, quod nervorum principiis cucurbitularum remedium dari debeat non ad arcus istorum participes; quâ ratione etiam credo fieri, ut ad nates adhibitæ cucurbitulæ ex universo trahant corpore quod professus est *in lib. 1. fen. 4. cap. 21. Avicenna* harum nempe interstitium, & superioribus & inferioribus communicat, si credimus Dino, locum illum explicanti, favere huic quoque decreto videtur Rener. Solenander, qui & sibilo auris præter binas scapulis

Series l[...] ga cucu[...] bitularu[...] secundu[...] spina d[...] cursum[...]

Nati[...] affixa c[...] curbitul[...] ex univ[...] so ferè t[...] hunt co[...] pore.

Dinus[...]

scapulis scarificatas totidem natibus leves *conf.* 4. *sect.* 1. itemque, & intemperatis visceribus naturalibus, & cerebro *conf. eiusdem sect.* 11. & lithiasi *conf.* 26. *sect. eiusdem* adhibendas proponit.

curbitarum u... ad medicamenta ... rato-

Habent & cucurbitulæ ad præparandam medicaminum externorũ efficaciam, nobilem usum nempè in ruptis, & perculsis, quando medicaméta alioquin acria, & incidentia, nihil proficere valeant, cucurbitas præfigit *Aetius* 14. *c.* 69. *& Paul. l.* 4. *c.* 31. at quare hunc *Gal. l.* 4. *meth. c. ult.* Ad penetrandum quoq; hepar, quo superfluentes aquę discutiantur ex hydropis vitio profectæ emplastrum hydragogon proposuêre quidam, quod nihilominus haud semper est effectu felix, ut ego plus semel comperi: Placet igitur ut prius cucurbitæ imponantur, quod actuoso suo externo calore alterum, qui in partibus est, languescentem, & sopitum excitant, simulque etiam humorem attenuant, & vias aperiunt, & flatus adnistos, qui tumorem exaggerant, excutiunt. Quo quidem chirurgiæ præsidio complures refert *Horatius Referius apud Scholzium conf.* 151. quod mox recensebitur medicamento sanatos: ℞ rad. cucum. agrest. benè contus. & in aceto scill. h. 24. maceratorũ lib. 1. mellis despum. lib. ijß. bulliant ad consistentiam, adde sub finem cumini tenuiter pulv. ℥iiij. plusculis diebus utere. Eidem etiam hydropi exhauriendæ sectionem præparare cucurbitæ valent, si rationem quis norit, quæ à Santoro Santorio excogitata, à Roderico verò Fonseca recitata est hæc. Imponitur cucurbitula supra umbilicum ut attrahet aquam ad locum, atq; ita vasa umbilicalia dehiscant, postea perforatur cutis umbilici, medio angusto stylo affixo ad cannulam, & simul perforatur & cannula intromittitur, quæ perforata est infra, & ad latera, supra vero inversa est, & reduplicatur extractâ aquâ, cerâ protinus obscuratur, & alligatur. Hæc Rodericus: fistulam autem huiusmodi extremo cuspide armatam depinxit etiam *Antonius à Cruce Lasitanus in hispanica chirurgia c. de hydrope*: quod tamen instrumentum rectæ est figuræ quale depictum ibidem videre est.

Concoctorij discussoriiq; generis exempla.

Cephalal-

CEphalalgiæ ex morbis acutis à pituita profectæ, nedũ scapulis, sed & brachiis, manibusq; applicat *Io. Heurnius l. de morb. capitis, titulo de Cephalagia*, quemadmodum & paralysi, dorsum & lumbos occupanti cruribus & coxis non solum sed etiam manibus defigit *l. eod. tit. proprio.* Lethargo medendo cucurbitulas ad verticem *Aretæus lib.* 1. *therap. morb. acut. c.* 2. postquam aliquo temporis intervallo purgati sunt homini sensus, agglutinandas imperavit, à quo viro didicit (licet, etiam scarificet) *Ludovicus Mercatus lib.* 1. *de cur. morb. inter. cap.* 12. Contradicit autem *Avicennæ, qui, sermone de ventosis*, dehortatus fuerat. *Nicolaus Piso qui lib.* 1. *cap.* 11. cervicis cavo has defigit, quanquam etiam scapulis, & metaphreno lumbis & cruribus aliâs. Phreniticorum non postremum remedium est cucurbitæ magnæ impositus, quod *prior Hier. Capivacius, mox Vincentius Alzarius, sermone de phrenitide* proposuêre, citantes *Galeni sententiam* 13. *meth. c.* 22. quæ est in phrenitide capiti admota cum scarificatu cucurbitula, quandoque liberavit phreniticum à morte: *sed Gariopontus l.* 1. *rei medicæ c.* 8. *p.* 4. loco capitis, clunibus, & coxis ventosas cufas adhibet. Quod autem ad caput attinet, hunc imitans & quasi explicans *Heurnius lib. cit.* toti capiti præraso cucurbitulas affigit, unam occipitio, alteram medio capiti, quod bregma vocant, alias duas superius à temporibus: sed neque cum multa flamma nec multo tempore hæreant: vehementes nominis caput implent ac turbant, quam ob causam ex aqua calida vaporatas imponere non alienum est. *Aretæus etiam lib.* 1. *morborum acutorum cap.* 2. cucurbitam, quâ illa phlegmone magis extumuit, admovet, & incidit atque hoc quidem primo, mox refectis viribus, alteram vertici capitis affigit, atque item incidit, prius inani cucurbitulâ sub interscapulo agglutinata. Qui idem vir capite subsequenti veternosis apparente sub hypochondriis tumorem cucurbitam imponit; postquam verò aliquo temporis intervallo sensus purgati fuerint, vertici capitis alteram impingit. *Ioannes verò Heurnius lib. de morb. cap. tit. isto*, cucurbitulas affigit lateribus colli pone aures, juxta venas, nimirum iis partibus, quæ syntimoriam, id est, consensum habent cum capite: sic enim promptius aut evacuabunt aut divertent: non ut Arabibus placuit, qui dorso & humeris imponunt, *qui idem vir. lib. eod. c. de comate somnolento & cataphora*, his affectibus depellendis cucurbitas præterquam phlebotomiæ vice vult esse, & coxis, & cervicibus accommodat. Hemicranios lancinatus hic non prætereo, ad quos levandos cucurbitas cum incisura impositas miro esse remedio comprobat *Octavius Horatianus l.* 2. *ad Euporistum c.* 2.

Paralysi.

Lethargo.

Phrenitidi.

Hemicrania.

Et Epilepsiæ paroxysmos nonnihil elevant cucurbitæ, quam vim bene expertus aliâs in aliis *Hieronymus Fracastorius* epilepsia lethali oppressus, nihil valens effati linguâ, nutu manus sæpe in verticem exporrectæ ad movendum spiritale vasculum etiam atque indicasse visus est, persvasumque fuit exinde advertentibus in eam rem amicis, fuisse solum impositum cucurbitulæ remedio salutari casurum. Ad tempora pro rheumatis malo levando cucurbitas imponi voluit *Alzaravius tract.* 2. *pract. c.* Ad Apoplexiam vero sive attonitorum morbum *Aetius tetrabl.* 2. *ver.* 2. *c.* 27. cucurbitas magnas, & vehementes lumbis affigit, & cum multa vi, detrahit, capiti verò ipsi præraso multis partibus cucurbitulas accommodat *Cœlsus Aurelianus lib.* 3. *tard. pass. cap.* 5. Summo vertici sed profundo scarificatus *Iacob. Fontanus l.* 1. *pract. medic* In catoches seu catalepsis curationem cucurbitulas ad latera colli adhibet *Rondeletius lib.* 1. *cap.* 20. *& lib.* 1. *cap.* 22. aut humeris, dorso, fontanellæ, ut Arabes volunt affigendas censuit, nimirum quod ibi nulla est insignis vena quæ in cerebrum perveniat, sed prope jugulares venas etiam glutinandas, & fermè sub mento, si possint inhærere. Sequutus est & hunc auctorem *Io. Heurnius eadem medici curatione itemque Nicol. Piso,*

Epilepsia.

Rheumati.

Apoplexia.

Catocha.

Omnibus affectibus capitis. Piso, qui commentum tam multi fecit in omnibus affectibus capitis, etiamnum frigida, & incrassantia humores remedia phrenitidi ad eam partem applicanda, non ad caput, ne fuliginibus via præcludatur, constituerit *l. 1. de morb. cognosc. atque curandis cap. 10.* Addidit autem eodem sermone Rondeletius quædam (Hollerium puta) cucurbitas hypochondriis imponunt, ut ex capite humores ad inferna detrahant, sed id cum noxa maxima, quandoquidem musculi abdominis intenduntur, respirandique functionem, tum difficilem, adhuc magis lædunt; quod est experientia comprobatum. Hæc ille, sequutus, uti videtur, *Aetium in tetrabl. 2. ser. 2. cap. 27.* Verum enimvero defendere licet hos, qui cucurbitas præcordiis affigunt auctoritate *Pauli Æginetæ*, *qui lib. 3. cap. 18.* hoc in epilepsia pariter ut in apoplexia præcipit: sed ad id rel *Razes lib. 3. aphor. scripta* reliquit hæc. *Historia.* Accidit Hamech Regi filio Hali, ut ægrotans principio curationem apoplexiæ convenientem non habuerit, sed dimiserunt eum medici, sicut se obtulerat, malè valentem; neque enim ullus ex omnibus præceperat aliud auxilii præstandum quam injungi corpus odoratis & suffumigari, quod futurum eidem alicuius adjumenti, equidem non credidi. Verum decrevi cervicibus cucurbitam infigendam, quam solum imposita confestim ab illa valetudine liberatus est. Rex ea scilicet in hac re virtus, tam multæ fiduciæ plenum est adjumentum. Huic experimento tam mirè credidit *Iaso Pratensis cap. de Apoplexia citatus à Lazaro Soto c. 2. Animadver. practic. §. 58.* ut pro secreto rem hanc habuerit. *Spasmo cynico.* Spasmo cynico cucurbitas collo atque occipitio defigit *Aurelianus lib. 3. morb. acut. cap. 7. At Petrus Aponensis* in suppurato operis Mesvæi catarrho inquit, suffocanti post deligaturas, si supremo brachio cucurbitulas magnas cum multo igne calentes ad spatulas, & media cum via suturæ sagittali imposueris, secretum est admirabile, servans à subita morte hominem; & ad cordis veram passionem: confidas, inquit, maximè in ventosa post sinistram spatulam, est enim huius passionis postremum remedium. Ad hæc scire, inquit, debes, quod mundificato corpore si occurrat administratio ventosarum post sinistram spatulam, est res, faciens te securum à morte, & quando res jam est posita in desperatione, in omni cordis passione est medicamen fidele, virtutem facit liberam & spiritus respirationem, & subvenit ægritudinibus diversis? *Libera spiritus efflationi.* *Pleuritidi.* Post hæc verò pleuritidi cucurbitas, alias quidem cum ferro, levamento esse scripsit *Celsus lib. 2. morborum acut. cap. 18.* adeò verò comprobavit easdem *Fortunatus fidelis in contempl. medic. l. 21. c. 6.* quin & longe prior *Alexander Trallianus lib. 6. cap. 1.* ut dixerit mirari licere, quomodo qualiscumque fuerit dolor, etiam vehementissimus, cesset, ut neque indigeat fotu, neque alio præsidio. Hoc idcirco genere auxilij in Armenia medici idiotæ omnes longâ edocti experientiâ utuntur successu felicissimo. Sed *Aretæus* cucurbitulam magnam, atque ex omni parte latam requirit, ut facilem totam sedem affectam circumplectatur, flammam verò sub ipsa copiosam, ut ea non tantum alliciat humorem, sed & calfaciat insigniter ante sui extinctionem, extincto verò igne sacrificandum esse, tantumque sanguinis, quam cum vires permittunt, extrahendum, multò verò plus, quàm si alia de causa de præcordiis sanguinem haurias; nam maximè perspicuum est, quòd in lateris morbo vexatis à cucurbita percipitur adjumentum. Addidit verò Aretæus paulò infra; Cucurbitulæ modus talis esto, fictile vas habendum leve, lateri congruens, lacum, aut æneum, idque pronum in labia dolentibus locis circumposita, flammam verò multam cum oleo subjicito, quo vivens flamma in longum tempus sufficiat. Vasculi autem oras carni ne imprimito; sed ad difflationem transitus aliquis esto, quo minus suffocata extinguatur. Diutius verò illam accendere expedit, nam intra vas illud inclusa caliditas optimum fomentum est, & bona sudoris provocatio. Hactenus Aretæus, quem secutus *Laurentius Iubertus lib. de thor. affect. cap. 8.* adjumento, quò flamma diutius producatur etiam ceræa erit candela, quæ sub cucurbita accensa stupis præstat. Porrò videtur hic vir opinatus, Areteum statuisse perfusam oleo stupam accendendam, sed falsum certè cognoveris græci codicis veritate, qui non (oleo) habet, sed (λίπαϊ) adipe: quem ubi quis fortasse quæsierit, quo accensum loco teneri oporteat: non est difficile intelligere, collocandum in vasculo, qui aut transversis clavis sustentet, aut qui cum cauda, ut ita hæc vocatur, conformatus per hanc ventri inferiori cucurbitæ defigatur. *Peripneumoniæ.* Sed pulmoniæ curandæ neq; cucurbita abstinet *idem Aretæus*, sed, & tergo, & dorso, & præcordiis applicat *c. 11. morb. acut. c. 1.* atq; etiam cardiacis *l. eod. c. 3.* lateribusque *Paulus l. 3. c. 30.* *Thoraci.* thoraci universo indefinitè applicat *Horatidnus l. 2. ad Euporistum c. 5.* *Singultui.* singultui, qui multum infestat, dissipando cucurbitam magnam cum multa flamma præcipit affigendam *Bertrucius tr. 1. sect. 3. c. 8.* itemq; singultui siniendi sub ventrem configit *Anonymus autor lib. de cucurb.* ad dextrum vero latus quà pyloron est, siquidem idem singultus & vomitus biliosus simul sollicitent.

Et ante hunc *Nonnus græcus scriptor in lib. Composit. medic. c. 161.* *Coleræ.* choleræ verò morbo cucurbitas, & inter scapulas, & intra umbilicum agglutinat *idem Aretæus* sæpe has remutans *lib. eod. c. 4.* quem sequutus facilè cognoscitur *Iacobus Hollerius l. 1. de cur. morb. inter. cap. 31.* Qui idem vir, à Marco fortasse Gatinaria, scriptore nobili, transferens singultui morboso vacuatam jam materiam discutiendo primum scapulis, mox pectori & umbilico, postremo & duodecimæ dorsi vertebræ cucurbitas accommodat. *Renibus inflamatis.* At inflammatis, ulceratisvè renibus cucurbitulas ad lumbos accommodat *Perioche 8. operis de comp. med. local.* *Acutis hepatis morbis.* sed acutis hepatis morbis cucurbitam maiorem huic regioni affigit, ita ut omni ex parte hypochondrio circumdetur, mox cutem altius concidit, ut multus sanguis effundatur.

In quo

In quo morbo morante urina, & cucurbitas, ubi renes sunt, secundum os coxendicis aptat *lib. eod. cap.6.* non aliter quidem, quæ in nephritide, cessante mictu præcipit *l. eod. c.6.* sed *c.7.* Dorsalis arteriæ venæque maximarum phlegmone præcordiis, qua vasorum ipsorum est transitio, nec non interscapulio cucurbitas infigit.

At satyriasi, coxæ aut abdomini cucurbitulas accommodat idem *Aretaus lib. eod. c.11.* sed clunibus, & pubetenus imponit *Aurelianus lib.3. morb. acut. c.18.* Non tacendum autem est, quod renes & his vicina loca cucurbitis assiduis fatigat *Horatianus lib.2. ad Euporistum cap.11.* Hæ sunt quidem, quas acutis morbis cucurbitas præcepêre principes auctores. Cæterum quas diuturnis adhibendas voluerunt, ordinatè nunc persequar.

Cephaleæ levandæ derasis ante capillis per circulum, plures cucurbitas, unam occipitio, alteram medio capitis, alias duas superius à temporibus, leviores tamen & breviores affigit *Aurelianus lib. 1. cap. 11.* cucurbitam unam capite præraso defigit liberius, quæ particulis altè concisis cruentat. Alterá verò interscapuleo levem esse vult *Aretaus lib.2. acut. c.2.* quam, & vertigini curationem statuit *sequenti c.3.* Præter omnium verò morem *Cornelius* huic eidem malo cucurbitulas temporibus & occipitio admovet *lib.4. cap.2. Celius verò Aurelianus* tum capiti leves imponit *lib.1. chron. cap.1. p.246.* tum & *p.255.* & cervici, & nervis, quos tenotas Greci vocāt, & dorso, verum has cum magno raptu detrahendas peculiariter advertit.

Sed epilepsiæ *lib. eod. cap.4.* alias easdem leves thoraci & stomacho, & interscapuleo atque præcordiis, alias etiam & collo, & vertici, & temporibus, cum scarificatione, insaniæ verò medendæ *lib. eod.* capiti deraso cucurbitam infigit, deinde primò pręcordiis, mox interscapuleo.

Paralysi *idem lib.2. c. proprio* cucurbitam injungit temporibus, & musculis buccarum, vel sub aurium laminis. Paralysi crurium ad vertebras ac genua ibidem. Quia vertebrarum ductus in caput ossis fæmoris inseritur coxendicis etiam acetabulo, & sic eodem ordine aliis partibus. Posthęc auditui flatibus ichoribusq; præsentib. lęso ad auriculę peripheriā cucurbitulas adglutinat *Felix Platerus tom.1. prax. medic. c.8.* Dentium dolorori levando *Alex. Trallianus lib.2. cap.4.* cucurbitas secundum buccarum musculos ac gingivarum loco immittit, Cæliacis cucurbitam longiorem adaptat idem *l.4. c.3.* & aliam simpliciter locis tumentibus *eod. cap.4.* Melancholiæ verò medendę cucurbitam mediis corporis partibus, & hepati atque ori, cataplasmate prius atque irrigatione laxatis commodat, eod. 1. chron. morborum cap 5. Jam autem, ubi minutas incisuras proposuit, addidit hanc detractionem, multò, quam venæ sectio sit, opportuniorem esse. At & tergo quoque inter scapulas cucurbitas affingendas præcipit: siquidem eo loco stomachus adhærescit. Postremo ubi alimentum vires instauraverit, ægri capiti deraso cucurbitulam admovendam decrevit incubo *Aurelianus l.1. chron. c.3.* cucurbitas ex utraque parte gutturis quam Græci vocant antherema, strumam Latini, submittit. Vertigini, capiti cucurbitas admovet *Avicenna l.3. fen.1. tract.5. cap.3.* in puppi nominatim, & cum secturis, timidius verò, & sine secturis in sutura coronali *Matthaus Gradi consil. 10.* Maniæ verò, cucurbitam summo capiti defixam pro non mediocri remedio laudat *Arnoldus lib.1. Breviar. c.26.*

Hactenus ita subvenire cucurbitæ vitiis internis valent; Cæterum ex externis corporis partibus; Ad alopeciæ vitium exhauriendum cucurbitulas comite scalpro inducendas laudat *Iac. Hollerius Perioche 1. ad quos Gal. de medicamentis partiū quod & Oribas. l.10. collect. c.15. quod est de tonsura.* Sed si lippitudinem annuam, & popularem subjecerint oculi, cucurbitas circa venas affigit *Hipp. l. de visu*, sed & impetigni impositę cucurbitulæ cum scarificatu plurimum conducunt ut tradidit *Rasis 25. continentis.* Ad tinnitum aurium finiendum cucurbitulas post auriculas, accommodat *Theophr. apud Dornæum, in fasciculo medicinæ p.71. B.* si paresin guttur incurrerit, cucurbitas protinus agglutinat mēte *Paulus l.3. cap.17.* Gingivis tumentibus, & sanguine suffuso rubentibus medendis cucurbitas homoplatis, & mente applicat *Razes*, quem sequitur *Heurnius tr. de mor. dens. C.11.* qui idem vir Batavus ophthalmiæ levandæ cucurbitas lateribus colli mentoque adhibet, ubi venæ sunt insignes. Paralysi linguæ cucurbitulam sub mento inducit *Aetius Tetrabl.2. ser.2. c.31.*

Paralysi manus cucurbitam in cubito per triduum juxta manum accommodat *Constantinus Aphricanus, l. chirurgiæ c.9.* similiterque in pedibus, vel in aliis membris voluntarium motum non habentibus observandum pręcipit singulis mensibus semel; simili prope cons. ad tremorem stuporemque brachii discutiendum supra fluxum cubiti inferiori brachio bisterve cucurbitulas adaptat *Renerius Solenander cons.17. sect. 2.* cujus rei visere tibi licet descriptam ab eo rationem anatomicam affinis nervi transcurrentis.

Paralysi menti ab obstructione, cucurbitas temporibus aut buccarum musculis aut sub aurium laminis agglutinat *Lud. Mercatus lib.1. de cur. morb. inter c.14.* qui ad vesicæ paralysin cucurbitis lumbis & ad intestinum rectum resolutum ossi sacro adhibet, natibus verò *Nicolaus Piso l. de curand. morb. inter. c.18.*

Sed si tumor factus sit in genubus, qui in abscessum minimè tendat, cucurbitâ affixâ sanguinem detrahit, puncturâ per acum triangularem factâ, *Hipp. l. de inter. affect. 44.* sed in coxendicum doloribus *Paulus l.3. c.77.* Supra partē ipsam cucurbitulam cum multa flamma cute prius incisa defigit, quam rem è junioribus *Nic. Piso lib.3. de morb. curand. c.61.* proposuit. Vtero flatibus turgenti levando cucurbitas cum multa flamma magnaque vi raptas commendavit *Aetius tetr.4. serm.4. cap.78.* & hunc sequutus *Epiphanius Ferdinandus in Historia medica suarum 83.* Discutiunt, & cucurbitæ, si quod aliud expressum, è venis sub cute sanguinem (ecchymosin Græci voaant) maximè si concisuræ addantur atque illæ imponendo sæpius repetatur.

Marginalia (left column): ...iomo...; ...orum ...ximo... & præ...diorum ...am...tioni.; ...tyriasi.; ...morbis ...turnis ...ha...; ...lepsia.; ...ralysi.; ...uditui ...lato.; ...ntib. do...ib.; ...liacis.; ...lancho...; ...ubo.

Marginalia (right column): Vertigini.; Externis corporis vitiis medendis ut sint cucurbitula usui.; Tinnitum aurium.; Paresi gutturis.; Gingivis extumescentibus.; Ophthalmia.; Paralysi lingua.; Paresi manus.; Paresi menti.; Vesica Paralysi.; Genubus extumescentibus.; Coxendici.; Vtero flatulento.; Ecchymosi.

repetat. Huic certè operæ fuit usus Hipp. l. 4. *epid. cap.* 48. & *Galenus l. 4. meth. med. c.* 5.

Generis dolores levantis exempla.

Dixi jam de discussoriis cucurbitarum usibus, nunc etiã privatũ alium, qui est ad sapiendos varie dolores, explicare instituo. Primum autem quod *super Hippocr. epidemiorum libros commentus est Franciscus Vallesius, referam*, doctrinam sanè maxime facientem ad hanc rem; & perutilem; cujus pars *sectione* 6. *l.* 2. est hæc. Multo familiarior erat Hippocrati usus cucurbitulæ ad dolores omnes, quàm medicis hujus tempestatis, qui etiam adeo timent, ne nominare quidem audeant nisi semimortuo jam ægroto; cum scilicet satius esset agere nihil. Verum Hippocrates (ut videre licet *libro de medico*) multis ad dolores utebatur, & pro dolorum differentia, figura differentibus, ad dolores, scilicet in alto positos; ad magnam aut fortem tractionem opus est angustis ore, ad dolores per cutem veluti effusos amplioribus. Ego certè in doloribus circa quasdam partes consistentibus, rarò non autor cucurbitulis cum scarificatione; aut sine ea, cum dolor non cedit universali vocatæ evacuationi. Hæc mihi Vallesius, rursus vero, & alia in hanc sententiam pulchrè conscripsit *super lib.* 4. *epid. partic.* 43. quæ sunt hæc: Vulgares hujus temporis medici reformidantes cucurbitarum usum neque affigentes, nisi tantũ moribundis & qui revocari nequaquam possunt; fecerunt hoc remedium infame, cum tamen Hippocr. frequenter illis uteretur, ac forrasse nõ rarius quàm venæ scissione, nam, & in doloribus plerisque & in aliis, quos solum vacuare studium est, ut qui ex alto ceciderunt. Sed quid est quod tantopere reformidant? Ne (dicunt) in partem; cui affigitur trahatur humor. At vero Hippocrates dicit affixa cucurbitulà coxæ, ad crus deorsum venisse, habuisse melius. Tam longè abest ut semper trahat ad partem laborantem, cui superponitur: Quid ergo? Numquid cucurbitula inde detrusit materiam? Non certè: Nam qui posset? sed ex alto in cutem trahens ac digerens fecit, ut expeditiori jam articulo natura deturbaret. An parum est cucurbitam ex loco affecto qui in alto positus sit in cutem traheret, nisi etiã in illum undique conuocet? An non potest locus, qui præter naturam erat distentus, vacuari, quin tantundem aliunde recipiat? An non possunt partes subsidere? Falluntur certè quàm maximè: nullum enim in omni magno dolore remedium magis præsentantum, & ut à parte affecta in aliam ignobiliorem materia abscedat sæpè causa est: ut huic evenit. Hæc Vallesius: At *Hipp. lib.* 2. *epid. secti.* 6. *etiam habet.* Ad cutis dolorem cucurbitam affigere oportet. Sed enim nos ad particulares cucurbitularũ applicitas veniamus. Dolori dentium sopiendo cucurbitas sub mento impingit *Alex. Bened. l.* 8. *de cur. morb. c.* 5. Pleuritico dolori post scapulas, & emunctoriis, & inguinibus revulsorias cucurbitas, etiam cum scarificatu proponit *Felix Platerus l.* 2. *part. tit. de dolore pectoris pag.* 422. Ad hæc maximè deprædicatæ sunt doloribus colicis exoluendis, itemque etiam dolori ventris atque matricis, usque adeo, ut incantamenti cujusdam modo hæc præstare videatur, *Galeno teste lib.* 12. *meth. med. cap. ultim. sed Paulus lib.* 3. *cap.* 42. & *Razes* 8. *continentis*, colico dolori cucurbitas quàm maximas cum flamma toti abdomini defigit, quod idem, & in ilei doloribus fecit *cap.* 43. Ad renum dolores admotas clunibus cucurbitulas sępe cum fructu repertum se profitetur. *Vallesius de Taranta in opere practico cap. proprio*, quod fit scilicet, quia venæ eo desinunt, atque ut est in Aphorismo nephritidi supervenire hæmorrhoidas bonum; ut ad ventriculi flatus cucurbitam bonæ magnitudinis, quæ umbilicum undique comprehendat, capere mandat *eodem lib. cap.* 38. requirit autem illud *Petrus Paulus Magnus tract. de ventosis*, ut cucurbita ejusmodi quæ magna est, plane summo fastigio sit perforata, atque illud, ne postremo distractu dolor inferatur, qui amplitudinem vasis sequitur. Ad duodecimum vertebram etiamnum affigere licere tradidit *Iacob Holle. perioche* 4. *de comp. med. local.* Ad hystericos præfocatus levandos finiendosque cucurbitulas leves pectini, inguini, internæ coxæ, suræ, & post accessionem, internæ coxæ cum scarificatu affigit *Iacobus Sylvius, maximus veterũ observator lib. de mulier. mensibus cap. isto.* Ad uteri vero præcipitatum ilibus, umbilico, aut sub mammis, cucurbitulas leves cum multa flamma accommodat, quod si ad latus aliquod præcipitetur uterus, oppositæ parti cucurbitam adhibendam dicit, in eamque decubitum imperandum. Ad hystericos etiam præfocatus cucurbitas inguinibus affigit *Iacob Hollerius perioche* 8. *de medicam. sect. locu cap. isto* & *Io. Hucherus l.* 2. *de sterilitate.* Addidit ad medelam Ilei *l.* 2. *ad Euporistum cap.* 9. *Horatianus*, ut vascula violentius sint revellenda. Retulit autem mihi constanti fide reverendus Jesuita, se dolores colicos discussisse vigesies impositis. Post hæc coxendicum molestias non nihil cucurbitulæ discutiunt, ut autor est *Avicenna loco isto sæpius memorato, nec non Avenzoar l.* 2. *tract.* 7. *cap.* 34.

Cucurbitarum unctio ad locum dolentem

Stupefactorii ac dolores excitatorii cucurbitularum effectus.

Est & alius singularis cucurbitularum usus ad stupefaciendum, imminuendumve acrem sensum ad sectionem, præsertim, quam pusilli animi ægrotãtes minimè pati queunt; ut posterius fortasse nos in sermone deludendis in chirurgia laborãtibus hominibus dicemus. Obstupefiet, inquam, plurima parte sensus ægrotantibus partibus, si crebro impositæ vehementiores cucurbitulæ repetantur. Quam credo rem spectavit *Gariopontus libro rei medicæ* 1. *cap.* 10. cum utramque occipitis partem ad secundam inustionem insecat, & adusque os cucurbitas accommodat.

Dolori excitando plenior attractus Quado studiose excitandus

Præterquam autem stupori, contra etiam dolori concitando quo plenior fiat attractus accersitusve materiæ, cucurbitarũ est usus. Ita *Ioa. Heurnius lib. de morbis pect. c. de palpit. cordis* huic occurrens cucurbitas tibiis agglutinat, præterquam quod magnam unam umbilico adhibet in summo

mo pertusam, ut cùm cubitum iverit, statim decidat. Verum hucusque) quod *l.2.chir.c.8.* notavit Vidius (labris acutioribus cucurbitulæ sint, oportet.

Vtilitas earundem in dilatandis corporis nostri sinubus & meatibus.

JAm auté quis credat dilatãdis quibusdam nostri corporis partibus cucurbitulas ex usu esse. Veruntamen phreniticis si plurimum laxamentum facere voluerimus, totum caput rademus, & per circulum plurimas cucurbitulas affigemus, quæ verba sunt *Cal. l.1.passion. acut. cap.11. quo, & lib.3. eiusdem operis cap.3.* cucurbitas collo tenus, vel gutturis locis, quę anthereoma vocat, idem cervici, sive nervis majoribus tenentis appellatis, accommodat ang ustiæ thoracis in asthmate medendæ, levissimas, ut inquit, raptibus detractas.

Dilatandæ quoque gulæ per anginæ strangulatus applicat *Aretæus lib.1. de curat. morb. acut. cap.4.* Ad cervicis verò commendarunt aliqui: ex his sunt *Guido Cauliacus in tract.7. doctr. 1.cap.1. & Gulielmus Brixiensis in opere de curand. morb.* lic et is non admodum approbet, quoniam non tam dilatum fistulæ quàm deglutitionem requirit. Similiter *Ioann. Arculanus in opere pract. cap.62.* ampliat, inquit, fauces, & guttur, & adjuvat attractionem aeris & expirationem fuliginum, & removet perhibitionem deglutitionis impositã supra spondile cucurbitulã. Est autem pro ista cucurbitularum dilatandi facultate *Mesvæus, qui in l.1. Grab. sect.1. part.2. summ.1.c.5.* professus est, cucurbitulis ad sagittalem, coronalem, & adinion, & ad vertebram secundam colli impositis fauces, & guttur cynanche occupatas dilatari, atque ad ampliorem aeris usuram atque fuliginum expirationem adjuvari, & à deglutitis impedimentis defendi. Idem è junioribus professus est *Felix Platerus lib.10. prax. med. tit. fauc. dolor p.386.* Si anginæ sub initiis cervicis juxta secundam vertebram cucurbitæ affigantur, cum conjuncta scarificatione, sed, & Albucasis renibus ab infarctu succorum de obstruendis, & calculo occupante liberandis, cucurbitulas ad eorum regionem extra imponit *l.1 chir. c.98.*

Vacuatorii cucurbitularum usus.

POst hæc autem evacuatorius fuerit sanguinis, sed is quem phlebotomiæ prætulit Hipp. in collapsis, à sublimi loco hominibus. Illud enim *summus præceptor l.4. popul. mor. partic.44.* scriptum reliquit, qui è ceramico sive fictili equo decidit, cui non ilicò admota est cucurbitula, ustus est intus, & vigesimo recruduit cum sanguinis profluvio fœculenta & erodétia prodierunt; quam viri sententiam enarrans Franc. Vallesius, hęc intulit. Vt nunc ex equo, aut ex edito aliquo loco cadenti venam secamus, ne conturbatus sanguinis in partem contusam aut aliam internam (quod esset multò gravius) incidens affectum aliquem gravem pariat, ita Hippocratis tempore mittebatur sanguis scarificatione cum cucurbitulis, sparsim corpori affixis. Hoc cum omisisset facere, hic ustus est intro, id est febrem incidit exusto intus, qui fundendus fuerat, sanguine, & malum vigesima à casu recruduit: id est exacerbatum, & acciderunt fluxiones sanguinis feculentæ, & exedentes. Est & hujus loci, quod fæminæ, quæ molam animatam gestat, ilia cum cucurbitulis impositis conscidit *Hipp. l.1. de mor. mul. 97.* atque illud quidem ut alimentum ferè detrahatur, quemadmodum recte advertit *Mauritius Cordæus com. Gynec. 6.*

Præter Hippocratem autem, cucurbitas medicas loco phlebotomes confirmantem, sunt & Arabes quidam: *Avicenna scilicet & Albucasis*, quorum hic *in l.2. chirur. c.98.* ille *in l.1. fen.4.c.21.* professus est, cucurbitulas esse vice phlebotomarum singularum brachii: Verum sermocinati sunt rem cum discrimine: nam Avicenna his usibus cucurbitulas affigit aliis partibus, præterquam brachiis, videlicet admotæ inio, vicariæ sunt phlebotomes nigræ, id est, communis venæ, levantes superciliorum & palpebrarum gravitatem, scabiemque oculorum & phrenitidem, oris odorem tollentes adhibitæ, interscapuleo loco sunt basilicæ, subtrahentes dolores humerorum & gulæ, & impressæ alteri duarum venarum, colli posteriorum sunt vicariæ cephalicæ sectionis: Ita quidé *ibi Avicenna, sed l.4. fen.4. tr.3.* sed Albucasis dixit, impositas interioribus duorum ossium cubiti adjumentum imitari triumphlebotomarum brachii: nempe sanguinem attrahentes ex circumsistentibus venulis minutis, quæ subsunt carni subinde, & à majoribus eundem proliciunt, quem convocant venæ minutæ. Itaq; concisæ ille sanguinem reddent, quem exprompturæ fuerant brachii tres venæ. Jam autem quemadmodum dictum est de phlebotomorum brachii vicariis cucurbitulis, ita & quæ cruribus affiguntur, sanguinem attrahunt ex toto corpore, conducuntque doloribus vetustis renum, matricis, vesicæ, tuberculis, & furunculis, suntque loco phlebotomiæ saphenæ. Indicio autem est, quod & quemadmodum illæ justã vacuatione pertrahunt in defectum virium, & in syncopem, ut notat *idem Albucas. & Arnoldus l. de regim. sanit. c.37.* quare has homini pranso monet aperiendas, quod illud est fortasse præceptum, quod præcepit *Hipp. l. de ulcer. ad calcem.* Sed quod incepi, finiam, testimonio etiam *Aetius l.16.c.65.* qui suppressis mulierum mensibus, & pectini, & inguinibus 3. aut 4. cucurbitulas primum leves, deinde si morbus persistit, cum scarificatu affigit, quod imitatus est *N. Piso l.3. de cur. morb. c.48.* Ad hæc, quæ adhibentur malleolis pedum, præstat phlebotomeearum partium, puta ad provocandos menses, ad Ischiadem, & podagram, &c. Ad hunc modum *Arnoldus citato loco*, cucurbitas cruribus affixas, scarificatas videlicet, esse loco phlebotomiæ, proficuas ad dolores veteres matricis, dolores renum, & vesicæ, & ad menstrua provocanda. Similiter, & ileo inflammato cucurbitulas circum scarificat *Nicolaus Piso l.3.c.21.* Non mirandum, inquam, quod hujusmodi remedium tam crebri probatique usus est Ægyptiis, hoc idem pari, quo phlebotome, loco habentibus, quemadmodum *Prosper Albinus l.1. de medic. Ægypt. narravit.*

Et tum ad ulcus corrosivum tum ad putridum exhauriendũ cucurbitas circumponit.

Hactenus quidem est plene monstratum, corpus universum nonnulla parte deplere cucurbitas; cæterum autem & partibus multò amplius: caput autem exemplo esto. Ventosæ (inquit *Razes l.7. ad Mansorem c.22.*) quæ in loco, quod inter capitis cornua ponitur, gravedini ac vanitati, quę in capite existunt, confert, sed sanguis, qui ventosis, quæ in duobus ponitur cornubus, extrahitur, faciem & caput nec non oculos allevat, gravitatique, quæ & in capite, & doloribus, in dentium radicibus fiunt auxiliatur & fortasse prædictas actiones, quantũ phlebotomia adjuvat. Vẽtosa, quæ sub mento ponitur, paucis pustulis, quæ suo in ore & dentibus nocumentũ præbent remedium affert atque gingivarum corruptionis nec non his similibus, quæcunq; in ore fiunt auxiliatur. Sed illa quę in cruris pulpa ponitur, repletionem vehementer minuit, & antiquis doloribus qui in matrice, aut renibus, aut vesica sunt, confert; Corpus plerumque marcescere facit, & provocat menstrua: quibus autem pustulæ & carbunculi accidere solent, auxilium præbent. Hæc ille. Verum enimverò illud ego ministros nostros admonere solitus sum, quod hic omittendum minime duco. Ubi ad concisum locum ab impositis semel cucurbitis has rursus ad uberiorem attrahendum sanguinem accommodare libet, ne sanguis, qui de vulnusculis effundi paratus erat, flamma & calore circumfuso percoquatur, cicatricesque assas occæcet. contraria quæsitæ vacuationis vota unicum do remedium ut prius per digitũ locus illinatur oleo, quod, pręterquam sanguinẽ grumescere prohibet, etiam sanguinis attractum adjuvat atque etiamnum plagam, aspritudinem lenit. Adhæc & cucurbitis denuo adhibitis laneum panniculum hyeme præsertim imponere mando, qui tertiâ horę parte detineatur.

Extractoriæ cucurbitularum operæ.

NOn tantum autem ad præparandum, sed ad complendum etiam aliorum præsidiorum adjumentum percommodæ sunt cucurbitulæ, quare, & sublatis hirudinibus necessarium cucurbitularum impositum fuit *Hieron. Rubeus in 2. Cornelii c.11.* ubi scilicet valentior ex partibus interioribus attractio desideratur. Ast *Avic. lib.1. fen. 4. cap.22.* cucurbitulas hirudinibus adjicit, ut harum impressu carni malitiam, quam accepisse potuit, abjiciat. At *Orib. l.7. collect. c.21.* præcepto, cucurbitula valida agglutinanda, celeriterque avellenda. Quanquã in hirudinibus, quales in officinis hodie tam nimium diu pręparantur haud necessarium id putat *Amatus Lusit. Curat. c.5.* ad extrahendũ verò ab intimis partibus sanguinem has applicat *Aretæus l.2 chron. 6.5.* & hunc fortasse imitatus *Hier. Fabricius l. oper. chir. c de hæmorrhoidib.* Cornicalis nominatis (incertum autem an corniculorum voce usus propriâ, an verò pro cucurbitulis, quas vulgo cornette dicunt) Ad extrahendum educendumque sanguinem, qui scarificatis jam partibus fusit, cucurbitulas impingit *Hip. l. de ulcer. fine.* Administratis jam capiti tineorum incisuris, aut detractis jam sanguine turgentibus hirudinib. corniculã desuper accommodat *Ambros. Paræus l.16. c.2.* Deinde & ad lactis materiam evocandam his, quæ desideratur, cucurbitulas cũ pauco igne inferius claviculis imponendas proposuit *Gulielmus Rondeletius l.2. methodi therapeuticæ c.29.* Sed adversione dignum est id, quod adnotavit *Guido, tractatu de lepra*, cùm operam chirurgicam quampiam prohibent subjecta vasa nerviq; licere cucurbitulis carnem in altum vocare: Itaq; cũ causticum medicamen imponere libet his partibus, quæ sunt exterius, cucucurbitulis priùs impositis, faciet, ut illud promoveri commodè queat. Ab his memorandus est, & alius cucurbitulæ usus, quem ad extrahendas ex aure res illapsas, tum animatas, puta, vermiculos, tum inanimatas, lapillos, & semina, vel aliud quodpiam repetito, imposuimus, quod faciendum voluit primus *Serapio l. de ægritud. 25. & Arnol. l.1. Breviar. c.32.* quorum utrumlibet consequutus videtur *Bertrucius Bononiensis tr.4. sect.1. c.2. & Guido Cauliacus tr.7. doctr.5. c.1. sub fine*: tametsi accommodari super inæquali & variè exscalpto loco cucurbitula posse difficile videtur *Lud. Mercato l.2. de morb. int. cur. c. isto.* non eventurum certius *Franc. Vallesio super Hip. epid. l.2. sect.6.* Commodior impositio videtur ad annum, qua se feliciter usum ad educendã hirudinem in intestino recto illapsam retulit *Zacutus Lusitanus in hist. princ. medicor. l.1. c.4.* Sed & *Guido loco memorato* præterquam ab auriculis, etiam ab ulceribus profundis aliena extrahit per cucurbitulas ad oscula sinuum accommodatas.

Post detusas hirudines cucurbitula.

Hirudinũ impressio virũ absorbendo.

Carni in ext[...] retral[...] dit.

Usus attractorius.

EX attractoriis cucurbitulæ usib. unus aliquis erit calculi renalis ad vesicam depulsorius, nempe studiosæ medentium memoriæ prodidit *Mauritius Cordæus Comm. in 1. Hipp. de mor. mul.* medicum quendam Hispanum renum calculo sic ad inferiora deturbasse quoties affligebatur homo, cucurbitulâ primò admotâ, proximè exordio, deinde in aliis remotis itidemque deorsum gradatim toties repositis, ut tandem longe diuturniorem trahendi moram ferret ipse ad imum ventrem in quo vesica jacet, quam ubivis eandem imponens.

Cucurb[...] larum [...] renalis [...] culi de[...] sorius. Cordæ[...]

Hanc etiam medendi mali rationem retinuisse visus est *Ioannes Zecchius in consultatione 24. & 50 & Ioannes Michael Paschalius medicus Valentinus in l. de cur. mor. c.47. & Rodericus Fonseca lib. de calculo Ludovicus Duretus & Felix Platerus de hac eadem cur.* scribentes. Quibus tamen omnibus viris id rei didicisse licuit, vel quidem ex *Constantino Afr. chir. c.9.* vel quod maximè credendum est ex *Avicen. l.3. fen. 18. tract. 1. c. ult. vel ex Aetio*, vel si is auctor fuit, ex *Galeno lib. de renum affectorum dignotione, ac medicina c.4.* qui necessarias adversiones exposuit has, huc faciunt etiam cucurbitulæ quæ sæpe lapidem celeriter adeò transferunt, ut subitam ejus mali levationem possint comparare, lapide nimirum in locum ampliorem translato; quapropter supra, à renibus initium faciendum est, procedendumque ad inguina per obliquam ilium positionem, quo loco frequenter dolores incedunt, quod ubi institueris, nihil est utiliusq; partes eas in laborantibus prius calfacere, postea cucurbitulas admovere; alioquin lapis sicubi

major fuerit inventus, arctius figitur, cumque violentius urgeatur, nonnumquam periculum haud mediocre ex doloribus accerssit, quare fomentari jam nominatis in sessionibus proderit, si mali communicatio ad pudenda usq; processit. Atque id cum fæno græco, althæa, semine lini, anetho, gummi, & similibus aqua diligenter incoctis, & dulci oleo infusis. Ad hunc quidem modum tam miros depellendi calculi effectus præstant cucurbitulæ nimirum evocant, & è loci angustia convertunt in loci amplitudinem, & sæpenumero tantos afferunt sanitatis fructus, ut eorum effectus miraculi loco habeantur. Debent autem applicari inductu obliquo ipsius aquæductus, quod adnotavit *Lud. Duretus in therapeuticum opus Hollerii c. de nephritide*, & post hunc *Felix Platerus to. 2. Praxeos medic. pag. 582. Vidus verò Vidius lib. chirurg. c. 8.* calculum vesicæ cervicem obstruentem, & urinis iter claudentem inde revocat, datâ ad pectinem cucurbitula, quod & *Gualterus Bruelius* voluisse videtur, nisi qui pluribus oblique cucurbitulis est usus. Cardanus verò *Curat. admir. 14.* Cucurbitas ad natem dolori respondentem defixis, & manu ol. liliaceo prius perunctà, secundum ureteres deducta calculum è rene in vesicam deturbasse in uno quopiam homine testatus est.

Sed longè omnium memoriâ dignissimum est, quod fama est, cucurbitularum usu fecisse *Thomam Campanellam* conterraneum nostrum, qui quâ est ingenii subtilitate ac dexteritate, apud omnes gentes clarissimus, consultus requisitusq; aliquando fuit, à principe viro Germano splēdissimo (nomē memoriâ nō retinui) si facultas aliqua esset, ubi sibi, qui exhærente medullis ossium hydrargiro, quo perunctus ad luem veneream debellandam fuerat, langueret, metallum excutere corpore liceret, certissima futurum id ratione respondit, si aureis cucurbitulis artus per omnes defixis uteretur; quam Germano viro viâ sequēti facile fuit à dolorib. omnibus, ac morbo liberari. At is quidem eventus non abs re fuerat expectandus, nempe si cui vivo argento oblito aureum annulum, vel numisma in ore tenenti, & lingua hinc inde volutanti argentum vivum, quod corpori ex illitu & unguine innatat, ab auro rapitur, atque in annulum devolvitur, sic ut totus argenteus eximatur, nec pristino nitori restituitur nisi igni admotus, quemadmodum retulit *Antonius Mizaldus in cent. 2. n. 4.* quid quæso dicendum sit de aureis & ipsis cucurbitulis, multa cum vi flammaque trahentibus. Profecto refert *Gabr. Fallopius vir experientiâ rerum & observatione clarissimus* aureâ lamellâ etiam ab internodiis elici vivum argentum, quemadmodum & aureo annulo idem ex ore dejici. Verum enimvero cucurbitularum remedium cum approbo ad hydrargyri particulas è corporis penetralibus extrahendas, nolim videri dissimulasse vel ignorasse, quod inficiantur nonnulli, id est, suo ipso corpore ac substantia, sive per illitum, sive per suffitum corpus profundius penetrare, sed viribus duntaxat eousque deduci. Vaframentum hoc impostorum putat & contendit *Felix Platerus lib. 1. Prax. medic. tit. quem adscripsit, motus depravati pag. 411.* At huic nos viro, si quid ad nos attinet, respondemus experimenta hominum eidem objiciendo, quæ tot ac tanta sunt, ut hominis obstinati sit falsa putare. Legatur id quod scriptis prodidit *Alexand. Petronius lib. 5. de morbo Gallico cap. 1. & 5.* & quæ *Gabriel Fallopius in Comm. de fossilibus & metall. cap. de argento vivo: & quæ Herc. Saxonia. tract. de lue venerea, & quæ Io. Schenkius in obs. medic. lib. 7. &c.*

Genus cucurbitularum analepticon sanguinis attractorium.

HActenus quidem, qui sunt plenitudini levandæ discutiendæque, cucurbitularum usus apparuēre: succedūt qui cōplendis sanguine partibus arescentibus valent. *Gal. igitur lib. 1. de comp. medic. per genera cap. 1.* ad evocandum in alopeciis pilorum alimentum cucurbitas deraso capiti affigit, & ad artus paralysi affectos cucurbitas cum pauco igne coaptat sic, ut fiat ad partem attractio, duntaxat non attracti resolutio non dubitat *Guil. Bondelecius lib. 1. meth. curat. morb. cap. 29.* & ante hunc *Nic. Florentinus serm. 7. tract. 6. sum. 1. cap. 2.* Aliud quoque requirit *autor anonymus ubi de cucurbit. qui legitur inter opera Iac. Fontani*, quod est, ut brevibus intervallis figere atq; refigere iteremus ac brevi tempore contineamus.

Meminit, & in hanc rem cucurbitæ *Cælius lib. 2. cap. 1.* quem item cucurbitularum modum, & atrophiâ languentibus membris adhibere non alienum est, siquidem analogia & remedii similitudo non fallit. Porro cubitum extabescentem per cornicula attracto spiritu curavit implendum atque alendum *Fabricius Hildanus obser. 80.* & ex veteribus *Cælius Aurelianus*, languescentesque partes sic refici præcipit *lib. 2. tard. affect. cap. 1. pag. 326.* ejusmodi quoque cucurbitulis attrahēdo in defectas lacte mammas vult utendum *Ludovicus Muret. lib. 4. de morb. mulier. cap. 16.* quas paulò infra jugulum & claviculas aptat *Nic. Piso. lib. 2. operis therapeutici c. 13.*

Attrahunt & cucurbitulæ solidas quasdam corporis partes, sic, ut etiam extrahant. Ad hunc igitur modum *Bertrucius Bononiensis, vir usu medendi nobilis, tractatu 5. sect. 3.* cucurbitulis autē impositis conditas hæmorrhoides curat in apertum, sic ut dolentes ritè curare queat. Eodē attrahendi sanguinis consilio locum hirudinibus præparat *Vidius lib. 2. chir. cap. 9.* nec non ante scarificatam agglutinat eodem *lib. cap. 9.* ad sublevandam lapsam columellam. Has collo infert *Guido tract. 7. doctr. 1. cap. 11.* præter hos omnes habebunt & alium secretum, & pulcrum, ab *Arnaco Lusitano, centuria quinquagesima septima curat. 31.* adversum usum cucurbitulæ, siquidem oblongo angustoque rostro, quale phialarum, brevissimo collo & cæterum amplo ventre conformatæ sint. Hujusmodi enim percalefactæ, quàm maximè tolerari possunt, & mammis fœminarum lactantium, quæ pa-

pillis careant, hac parte admotæ sæpe capitula istarum retrusa evorare valent, potissimum si vaporatu aquæ ferventis teneriores factæ fuerint ante mammillæ. Contentus ad hanc rem usu parvæ cucurbitulæ fuit *Petrus ab Arelata lib. 5. tract. 17. cap. 3.* postremò & in venenatis, lueque affectis partibus medendis nobile præsidium est cucurbitula, nempe ne corrodat venenum, perque sanas corporis partes discurrat, hunc in modum succurrere opus est. In promptu sit ampla cucurbitula, ita ut totam, cum applicatur, plagam ambiat ad carnem integram extensa. Porrò hæc adhibita venenatum ex alio sanguinem extrahit, prohibetque ne intrò recurrat. Ita *Marsilius Ficinus lib. epid. antid. c. 20. & 22. sed aliter idem in consilio adversus pestem ad cives Florentinos lingua patria per ipsum autorem edito.* Nam quod latinè legitur, & alii prodiderunt, docet, ut ante omnia circum notam in orbem continuè scalpello confundatur, mox cucurbitula imponatur. His jam de attrahente cucurbita positis, memini *Paulum Aeginetam lib. 3. capit. 20.* tetano curando cucurbitas μετὰ ἀμυχῶν id est, cum viticibus præcepisse. Fortassis igitur & percussu multo donec oblivesceret pars, ante cucurbitarum agglutinatum veteres uti consuevêre.

Genus evocatorium ac translatorium simul tractata.

Dicemus nunc, quanto, evocandis ad exteriora tuberculis, ad tuendas internas præsertim & principes partes corporis, usui sint cucurbitulæ: Primum hoc studiosè facit *Avicenna lib. 1. fen. 4. cap. 25. & lib. 4. fen. 3. tract. 1. cap. 19.* Estque hoc remedio sæpè servata salus homini ex bubone, carboneve pestifero pereunti, cujus rei præclarum est tibi testimonium à *Petro Bairo viro fidei probatissimo qui lib. 20. cap. 8.* retulit, homini ex tuberculo post aurem pestilenti venenum ad cor delabi sentienti, ac mortem properam præsentienti post repetitas cum scarificatu cucurbitulas fecisse sic, ut ultro fateretur homo, spem bonam se concipere, quando sentiret, planè venenum ex corde recessisse, unde & à præsenti periculo liberatus est idem. Similem huic historiam narrat *Prosper Alpinus lib. 2. de med. Aegypt. cap. ult.* de Georgio Selacco Chirurgo Veneto qui in uxore sæpe recurrentem toties imposita cucurbitula revocabat: Mirum autem quod & delirii symptoma, quod continenter tumor regrediens afferebat, at præsens continuo vasculi medici præsidium submovebat, neque enim semel experimentum ejus rei factum est, sed ter & amplius. Adeo verum erat levamen, quod homo persentiebat à cucurbitarum administratu esse. Intellexit efficacem cucurbitulæ attractionem *Nicander in Theriacis, qui recinit:*

Ærea quinetiam suffixa cucurbita virus
attrahat, & largum fœdata è carne cruorem.

Idem etiam *Dioscor. libe. 6. capit. 37.* ad morsus rabidi canis approbat: Evocant, & mirum in modum cucurbitæ medicæ, lentas recurrentesque parotidas, *Galeno auctore in 3. de compos. med. per loc. ca. 2.* P. itemq; & bubones pestiferos luis venereæ soboles, cujus venenatæ materię regressu, vel ad interitum homines præcipitari, quod frequentissimum est vel pessimè teterrimèq; excarnificari certum est, ut *Leonar. Botallo l. de lue vener. cap. 2.* placuit. Post huc *Hyacintho Alpherio Deliciano in l. 2. de peste c. 31.* Restat nunc tertium, quod est sub ala proprium cordis emissarium, in quo loco cum durius atque abscessu lentius in malis febribus nascitur tuberculum experimentum nostrum est, nil adiuvisse valentius, quam sępius imposita cucurbitula, nimirum & attrahit hæc profundius lentè venientem humorem, & postquam attraxerit ignis intimè se insinuantis vi calorem parti excitat, atq; ad optata nobis opera naturam perducit. Adhuc modum criticis malignorum humorum eruptionibus præstans apparet cucurbitularum opera.

Ad has vero partes principes testium inflammatio tacenda non est, cui prohibendæ ad interiores coxas admotas cucurbitulas maximè conferre tradidit *Avicen. in lib. 1. fen. 4. c. 20.*

Præter hanc, quæ cucurbitulas ad humores & succos evocatio est; adjungenda se subjicit altera species, quæ est ad partes solidas: cujus exemplum illustre reliquit *Zacutus Lusitanus histori. principum medicorũ l. 1. c. 4.* præsidio & adjumento isto proposito, ut venarũ sedis capita ad hirũdinum impositum commodissimè exerantur & quàm promptissimè.

Aversorii retractoriique usus genus.

In hoc usuum genere exordiamur à capite. Phrenitidum præcordiis, tum clunibus, tum pubi applicat *Aurelianus*, ad inguina verò è junioribus *Iacobus Pons in Tyrocinio medico.* Epilepsiæ quæ est ab utero cucurbitulas inguinibus appellit *Nicol. Piso l. 1. de cur. morb. inter. c. 19.* Ad palpebras deglabratas temporibus & medio vertici *Alsaravius tract. 4 sect. 1. c. 10.* temporibus verò solis *c. 14.* Carpæ, quam equidem intelligo pustulam in adnata oculi tunica rubicantem, temporibus & medio capiti, *tract. eod. sect. 2. c. 3.* sub mento quoque defigit ad albaras album & ad rhagadas labiorum, *tract. 6. c. 13.* Ad dentium dolorem cum gingiuarum tumore temporibus & mento *tract. 8. c. 13.* Ad fluxionem ad unam revellendam raso capiti retro cucurbitulas duas imprimit *Hippo. l. de affect. 4.* Ad fluxionem à capite ad œsophagem cohibendam de raso capiti cucurbitam utiliter admoveri testatur *Guilelmus Rondeletius l. 2. c. 3.* Aurium dolori levando post auriculam sinistram quidem levandæ dextræ, post dexteram verò, levandæ sinistræ cucurbitulam inducit Hippocrates *l. de affect. cit. & l. de lo. in homine & huic rei locum eiusdem alterum, qui est 2. epid. sect. 6. producit Ludovicus Mercatus*, miraturque ad aurem imponi jussam cucurbitam, quod certè neutiquam apparet voluisse, sed neque voluit, *interprete Vallesio*, qui humero inprimis, deinde cervici è regione, tertio post aures glandulis ejusdem loci cucurbitas dari jussas decrevit Ægylopi,

quæ accidit, revocandæ, cucurbitas jugularibus affigit *N. Piso l. 1. cap. 39.* Oris phlegmonem curans cucurbitam admovet mẽto *Ioannes Heurnius, libello de morb. oris, & dent. cap.* 11. Civis Tigurinus, referente Conrado Gesnero, cum duos jam menses laborasset lippitudine cum asperitate magna oculorum, quasi arenam inspersam haberet, tandem agglutinavit cucurbitulas post utramque aurem cum incisuris, & mox iisdem detractis inferiore loco imposuit aliam, & sic deinceps, ut prioris cucurbitulæ circulum cuti impressum sequens inferius paulo posita contingeret, &c. donec ad humorem utrumque perventum esset; illud demum postremo scarificavit in balneo, vel prope fornacem: Atque id cum pergeret facere continuando per dies duodecim circiter, decrescente luna, sanatus est. Lippitudini verò annuæ medendæ cucurbitas, circa venas, quæ in superioribus magis emicuerint applicat *Hippocrates in calce libri de visu*, quod efficax quoque remedium in lippitudine simpliciter fecit *Galenus lib. 14. meth. med. Cornelius* verò inflammatoriis omnibus oculorum affectibus cucurbitam inciso vertici accommodat lib. 6. cap. 6. sed ad Aegylopis inflammationem ac defluxionem ad inferiora retrahendam cucurbitulas supra jugulares venas adaptat *Gulielmus Rondeletius lib. 1. meth. cur. morb. cap. 62.* atque extenuendo polypo similiter ad colli latera *lib. eodem cap. 64.* Ad quæ eadem, & ad summum humerum, & ad scapulas brachia que pro levando oculorum dolore agglutinat *Fel. Platerus to. 2. pagin. 293.* Hæmorrhogiæ finiendæ præsentissimum remedium cucurbitam affixam capiti professus est, *Galenus libello de facilè parabilibus ad Solonem c. 13.* ad mammas, & ad hypochondria *Orib. lib. 8. coll. cap. 19. qui idem vir lib. 9. ejusdem operis cap. 21.* normam tradidit hic minime retinendam ubi morbi exoriuntur non ipsis membris laborare incipientibus: sed iis, quæ illis continua sunt, cucurbitæ admoventor revulsionis gratia, sed staltica, id est, reprimentes, ac contrahentes appellavit *Horatianus l. 3. c. 7. quod est de hamorrhoia matricis.*

Alcolæ oris, & corruptioni gingivarum atque aliis hoc genus, quæ nascuntur in ore, vitiis cucurbita sub *Autore Albuc. lib. 2. cap. 98. atque etiam Mesuao lib. 2. Grabadin cap. illo*, mento non aliena est, & pro phlebotome labiorum quæ hisce vitiis solet pręcipi, satisfacere scripsit. Quæ sub mentum injectæ cucurbitæ prosunt & vitiis dentium, gutturis, faciei, expurgantque caput & maxillas *Avicenn. autore li. 1. fen. 4. cap. 21.* quem sequitur in integrum *Arnoldus l. de regim. sanit. c. 39.*

Sed homini misero, qui pene strangulatus est angina, liberando, nil melius nilve præsentius, quàm apposita sub mento & circa fauces cucurbitula, cujus usum & *Corn. Celsus lib. 3. cap. 4. & Galen. in 6. de compos. med. local. cap. 3. & Paulus lib. 3. cap. 27. & Albuc. lib. 2. cap. 98. Avicenn. lib. 1. fen. 4. cap. 22. & Mesue 2. Grabadin. cap. isto* è Junioribus verò *Felix Platerus & Laurentius Ioubertus & Ludovic. Mercatus hoc rei tractatu commendant nos verò cum Carolo Antonio Coppula Callipolita medico solerti* mirum in modum proficuam experti sumus, qualem usu fuisse coronali suturæ vel etiam vertebræ secundæ cucurbitulam admotam scripsit *Michael Savanarola in tract. 6. cap. 9. rubr. 5.* Præter hos, & super, & subtus mentum atque etiam ad suturam coronalem imponere suadet *Ioan. Arculanus in comm. l. 9. Razis ad Mansorem. cap. 64.* Similiter ad prævertenda anginæ incrementa cucurbitam ad vertibulum primum affigit *idem Michael tract. 6. cap. 9. rubr. 6. quod & magister omnium Hippocrat. docuerat lib. 2. de mor. titul. de angina.* quamquam senex deinde capite præraso, & juxta aurem ab utraque parte apponit alteram. Magna quoque cum utilitate in destillatione ad fauces irruente, quæ mulierem quampiam strangulabat, ad sinciput in suturæ coronalis, ac sagittalis confinio impositam cucurbitam testatus est *Hieronymus Rubeus medicus Pontificius eruditissimus in comm. ad lib. 2. Corn. Celsi cap. 22.* Inter cornua id est tubera occipitis (verticem interpretor) cucurbitulam ad anginæ tollendas angustias admovet *Arnoldus lib. de regim sanit. cap. 39.* qui & ad tumores faciei mirabilem hanc usu dixit.

Columellæ suffocanti, quæ medicamentis ullis reprimi nequiverit, cucurbitulas duas capiti deraso postico applicat, & locum abundè cruentat *Hippocrat. lib. de affect. numer. 4.* tum occipitio verò, tum pectori adglutinatam idem vitio medens applicat *Arateus lib. 1. morb. acut. cap. 8.* Contentus ea sola, quę ad cervicẽ impingitur, fuit *Alexand. Benedictus lib. 8. de cur. morb cap. 5.* Ad hæc, & Columellam longè prolapsum valenter attrahit adstringitque impositam coronalem ad suturam, capite deraso, cucurbitula, quam rationem, & columellæ ac tonsillis ad gutturis angustiam extumescentibus probavit *Mesuaus lib. 2. Grabad. cap. isto, quem & Michael Savanarola sequitur in tract. 6. cap. 9. rubr. 6. & Bartholomaus Montagnana in consl. 78.* Ad latera verò colli cucurbitas admovet, & harum perusta loca incidit *Laurentius Iubertus lib. de cur. Thor. affectibus cap. 3.* Syncipiti verò, antequam emplastrum epispasticum imponat, cucurbitam affigit idem. Sed sanguinis eruptionibus retrahendis cucurbitarum opera, ut expendatur, comperietur remedium capiti admotæ, quod testatus est auctor *lib. de remed. fac. parabil. ad Solonem cap. 13. & Galen. 5. meth.* similiter & hepati, si nares fluant dexteræ spleni, si nares madeant sinistræ, censet affigendas *idem Vir capit. 9. item Galen. lib. de cur. ad Glauconem, & 14. methodi. Hippocrat. verò 5. aphor. sect. 2. epidem. section. 6. f.* fluentibus modicè mensibus cucurbitulas magnis advoluit magnam; Guttæ rosaceæ abolendæ ad certum tempus cucurbitulas scarificatas sub mento adhibet, *Nicolaus sermone 7. tract. 6. sum. 2. c. 15.*

Sed *Felix Platerus* revulsorias plerisque vitiis cucurbitulas has proposuit, Paralysi linguæ cucurbitulas sub mento *to.1. tit. quem fecit*, *respirationi defectus p.433.* pro quo eodem affectu cucurbitulas spatulis accommodat *Ioa. Arculanus in c. Razæ ad Manorem c.60.* referés in hanc rem experimentum Avicennæ ac præterea causã addidit commercii nervi quod præter septimæ cõjugationis alios à colli vertebris est ad linguam. Ita quidem ille. Verum enimvero vides super nullo Avicennæ fundamento confictã elicitamq; perperam suam conclusionem. Observatio certè Avicennę sola cucurbitæ retractione ac revulsione confirmari potest. Depravatæ respirationi ac singultui has scapulis, & umbilico primum mox ventriculi sedi ante retroque defigit tom. eodem de depravata respiratione *pag. 476.* Phthoe cucurbitulas hypochondriis affigit *Mesuaus lib. 2. Grabad. cap. isto. quem sequitur Platerus to. 3. prax. tit. de vomitione pag. 816. qui vir*, & ad colli latera & carpo accommodat eidem affectui, *tom. eod. pagin. 680.* & *tit. expuitionis pagin. 781.* Pectoris vero dolori scapulis, emunctoriis inguinibus, præsertim cum scarificatione conjuncta *tom. 2. tit. de dolore pectoris pagin. 422.* Iliaco colicoque dolori cucurbitam inguini scarificatoriam *to. eod. tit. de ventris dolore pagin. 628.* Amplam hanc, quantum abdomen extenditur, requisivit *Duretus in Holler. hac eadem curatione*, hæmorrhoidum cæcarum dolori lumbis, & hypochondriis *idem Platerus tom. eodem tituloque de podic. dolore pagin. 661.* Inflammationi vesicæ atque uteri cucurbitam femori, vel natibus *tom. eodem titu. de ventris dolore pagin. 635.* suppressis mensibus revocandis cucurbitulas pubi, & inguinibus affigi probat *Nicolaus Piso lib. 3. de cur. morb. inter. cap. 48.* Hæmorrhoidis extrahendis ano cucurbitulas affigit *Bartholomeus Montagnana in Cons. 9. §. 1. Donatus vero Antonius Altomarus* ad pubem & cucurbitulas adhibet, & cutem incidit. Quam rem cum reprehendit *Petrus Salius in adnotatione cap. 11.* quod afflictæ particulæ non expediat inducere præsidia, *Galeno sæpemonente, in libris methodi*, metu attractionis, reprehendendus & ipse, qui non viderit confundi sibi vesicam cum pubis tum superiore tum exteriore loco: unde autem facienda retractio, nisi ex propinquo? sexcenti, si recitare vellem aut liceret, loci faventes essent bonorum autorum similes hypoteses proponentium, sed vulgatus nimis est hic attrahendorum humorum modus, cum ego sæpe repererim eundem inanem: neque est aliud hodie medederi quam frigide cavere, quemadmodum alias *in l. de frigidis medentium cautelis* ostendi. Similiter testium phlegmonis binas utrique nati cucurbitas, quæ testium regioni respondeant, imponit, & cutem scarificat *Bened. Favent. in empirica cap. 48. quod est de tum. testium.* Hystericis præfocatibus cucurbitam ingentem cum multa flamma hypogastrio infra umbilicum femorum internæ parti ac pectini defigit *Ambr. Paraus l. 23. cap. 48.*

In hæmorrhagia verò vesicæ lumbis atque iliis, natibus etiam & coxendici exteriori, cucurbitæ feliciter affiguntur, *si Iacobo Hollerio, & hunc sequenti, Ludovico Mercato credimus, in opere practico cap. de mictu sanguinis hac dictantibus*, qui tamen *ex Paulo l. 3. cap. 45. §. de renum hæmorrhagia* id acceperunt: Hæmorrhoidis verò immodicè fluentibus cucurbitulas lumbis, & ventri, sed non sine ferro ad renes applicat *Alex. Bened. autore Galeno, ut dicit lib. 22. de curand. morb. capit. 14.* Præter has vero partes in eodem hoc vitio & ad coxas *Arnol. l. 2. Breu. cap. 37. qui, & lib. de regim. sanit. cap. 39.* coxarum phlegmonis, & scabiei, hæmorrhoidis, podagræ, elephantiasi, pruriginosis dorsi molestiis, & flatulentis affectibus matricis & vesicæ, cucurbitulas ad renum situm accommodat. Privatas vero ad hæmorrhoidas nimium fluentes comprimendas cucurbitas, & dorso, & mammis, & pectini accommodat Avicenna. Sicut autem fluentem modicè sanguinem eum cucurbitulæ compescunt, ita & deficientes provocant, itaque suppressos in muliere menses ventosa sub malleolis affixâ revocare, sub cruribus verò impositas meliores esse, quam phlebotomia sit ex sophena, perhibet *Avicenna l. 1. fen. 4. cap. 20. sed Rondel. l. 3. de cur. mor. cap. 61.* quo menses retenti ad uterum attrahantur, emunctoriis vocatis partibus cucurbitulas agglutinat, quod didicit ex *Galeno 14. method.* Pubi verò vulgo pectini adhibet *Roder. Fonseca conf. 18. & 61. to. 1.* At in uteri strangulatu leves cucurbitulas feminibus, iliis, coxis, inguinibus, attrahendæ vulvæ causa, infigit *Aretaus libr. 2. mor. acut. cap. 10.* quo loco, & vena ad pubem veniens ut scindatur, cum præcipit, servientes nos pudori, sicut honestos medicos decet, ad idem loci succedaneas cucurbitas cum scarificatu positas, fœminarũ manibus admovẽdas jubebimus: Porro & imo ventri, & inguinibus tũ lenes tum etiã cum scarificatu cucurbitulas in hoc affectu applicat *Paulus l. 3. c. 27. & Octavius Horatianus l. 3. qui inscriptus est ad Victoriam filiam c. 2.* sed è junioribus *Martinus Rolandus* cucurbitulam vẽtosã pectini adaptat, *cu. emp. 77. l. 6.* In contracturis crurium, coxis & postremæ vertebræ; manuũ verò distensionibus, dorso & primæ hujus vertebræ, atq; ei, quę humeris superjacet cucurbitulas adhibet *Paul. l. 3. c. 19.* Ad hæc omnia nervo pũcto, phlegmone ut ante vertatur, sive ejecta in auras materia, sive forinsecus evocata cucurbitam affigere desuper haud dubitat *Iacobus Pons, Lugdunensis Medicus eruditus, in Tyrocinio suo medico.* Non defuerunt etiam, inquit *anonymus l. de cucur.* qui plantis pedum annecterent: sit enim è medio corpore fervidum colorem attrahi venenatos spiritus evocariq; pestifera deniq; apostemata transferri posse magno naturæ solatio existimabant. Quo eodem auctore ad spasmum cynicum initio cervicis, quo latus musculus convertitur, vasculum ignis cum spiritu uniendum est: atque in apoplexia sumini, & iliis affigendum, ut ea vi materia de capite in alium rapiatur, deinde quia pharmaca & clisteres vix continẽt sed protinus evomũt hi homines, nisi cõsimili remedio prohibeantur.

Menses retenti. *Vteri strangulatu.* *Cucurbitula plantis pedum affixa.*

Ad ecchymomata item vetera cucurbitularũ impositum *Ioannes Actuarius c.4. meth.c.16. probavit his verbis.* Nec inutilis est hic cucurbitulæ usus: nam si è vestigio tota affectio evacuatur caro dehiscens promptè coalescit: sin vero vetusta evaserit, & sordes succreverint, ruptio in posterum conglutinari coireque nonposse videtur, nam labia tantùm sibi invicem admoventur ita, ut quævis occasio facilè & dirimat, quod spatium medium sanie repleatur, & continua quodammodo effusio & ecchymoma gignatur, similis illi, quę initio ex sanguine constabat.

Vsus Reductorius.

Iam autem an credamus cucurbitularum unũ eum esse posse, qui restituendis elapsis à suo loco particulis serviat? *Hippocrates quidem com. 3. de artic. part.* 51. reprehendit quosdam ętatis suæ medicos, qui luxatas intrò vertebras cucurbitis impositis repositum iri confidebant plus ipsas, hac ratione defigendas intro, quam extrahendas, contendens. Veruntamen *Vidius l. 2. chir. cap.* 8. sæpe deciduum ad inferiora humerum imposita cucurbitula revocat ac firmat, doctus, ut credo equidem à *Galeno, qui l. 10. medic. partic. c.* 2. articulum, luxato vinculo naturali, diduci laxarique solitum superimposita cucurbitulâ firmat, & in sua sede continet, quæ mihi res, & in perillustri viro, Vincētio Acabono idem noxę patiente factitata evenit Felix, quemadmodum Augustinus Saulitus, Petri Archiatri dignus exsorore nepos, familiaris ejusdem clinicus probatus restificari potest. *Constantinus verò Afer Chirur. c.* 9. Costam intrò complicatam imposita cucurbitula extrahit, sed constantiores & certiores in reponendis extra locum lapsis cucurbitularum usus enarremus. Contusam, atque intrusam puerorum calvariam, cujus vi compressum est sæpe cerebrum, nil felicius revocat & reducit, quam imposita multa cum flamma cucurbitula, quod expertum se testatur, *Amatus Lusitanus, in centuria 1. curatione* 19. comprobavit verò *Franciscus Vertusianus in commento ad l. Hipp. de vuln. cap. & Andreas Alcazar medicus Salmanticenus l. de vuln. cap.* 22. *Ambrosius Paræus l. 9. chirurgi operis cap.* 5. qui tamen addidit: requiro, ut obstructis ore & naribus, resolvat ęger ad superiora spiritum, multa cum vi compellens: Sic enim, & cucurbitulę attractu, & aeris infernè impellentis felicius eventurum est, ut restitui pristinum in situm calcaria debeat. Tametsi verò arietatur in hunc cucurbitulę usum, *Iulius Cæsar Arantius, in appendice comm. ad l. Hipp. de vuln: cap.* 1. nihilominus frivola futilisque ex tota hominis argutatio neque in alio reposita præterquam in vano puerorum terrore, quam aut dissimulavit, aut vidit etiam eludi facilè posse. Ad Ileum vero seu volvuli tormenta pręcipit *Gal. l. 2. medic. par. cap.* 27. ut cucurbitulam inguinibus, seu circa hæc etiam cum scarificatu imponantur.

Verum ubi intestinum inguem prolapsum suppositâ etiam cucurbitulâ suum in locum retrahi notavit *Vidius Florentinus lib. 2. chirur. cap 8. sed Leon. Tubingensis professor*, orto ab inflammatione volvulo, cucurbitas affectis partibus in ambitum scarificatis affigit *l. 3.* ventri cucurbitas applicat, intestina sua de sede evoluta recipiantur. Sed & intestinum per vulnus abductum retrahi per ventosam pone plagam, & cucurbitam unius digiti spatio, vel amplius impositam retrahi posse, testatus est *Razes l. de cauteriis. Avicenna l. 1. fen. 4. cap.* 20. testatus est ventosis reponi ramices inguinis, cui rei assensit alicubi Vidius ac Platerus. Illud autem; qua ratione possit evenire dubium non est. At Pinus Florentinus statuit id fieri cucurbitulâ ad sedem imposita; quando tamen hoc Avicennas non explicet, ad quamlibet promiscuè laxitatem has binas faciens. Rectius ego putarim, si dicatur, intestinum in ramice, & urethra, vulnus eductum restitui suum in locum posse; cute, ut *Hippocrat. loco cit.* contractâ & inde impulsu in interiora facto. Præter bubonocelem, & herniam in srcotum factum suo loco reddit admissa ileis, atque summi cucurbitula, quod adnotavit *Anonymus auctor Gallus apud Iacob. Fontanum, libello, de cucurbit. qui idem vir.* & perinæo conserto fluxiones hęmorrhoidum in crura, & herniam revelli scripsit. Itemque cum renes sanguinem mingunt iliis, natibus, coxendicibus impositas, iliis verò ac lumbis cum vesica fundit eundem, castrophis torminibusque intestinorum occurri, dysenteriæ & vomitioni, si ad umbilicum optetur labretenus attigua. Sed & Ileo atque chordapso resolvendo cucurbitula inguinibus aut propè cum scarificatu defigit *Ludovicus Mercatus lib. 3. de cur. morb. cap.* 16. & dorso & coxis *Hieronymus Mercurialis lib. 3. suæ nosotherapiæ capit.* 27. Hippocrates prolapsum uterum revocat ad coxas sive rectius, ad ilia (*quod Andreæ Cæsalpino libr. 8. practic. capit. 24. placuit*) cucurbita defixa, ad umbilicum verò *Aetius Alsaravius tractat. 25. capit.* 7. quos viros imitatus, & *Alexander Bened.* adverso lateri iliis & umbilico, *lib. 28. cap. 25. 26. & Amatus Lusitanus cur. 13. cent. 1. Albertinus Buttonus in lib. de morb. mulierum cap.* 73. præterquam umbilico; & utrisque hypochondriis cum multa flamma vult affigendas: Ejusmodi enim inquit, sursum trahentes vim uteri suspendendi habent, mammis verò, iliis, lumbis, has etiam cum multa flamma defigit *Huccherus lib. 1. de steril. cap. de providentia uteri.* Vterum etiam extra delapsum, suam in sedem restituendam, super ipsa cucurbitulas invertit *Avic. lib. 3. fen. 21 tract. 4. 6. 7.*

Attribuitur, & majus attrahendi officium cucurbitulis, ad costas, inquam, restituendis intro plicatas, ut placuit *Razi 2. continent. tract. 1. capit. 2. §. de costis, sed Avicenna l. 4. fen. 5. tractat. 3. cap.* 7. licet hic subvereatur, ne fiat humoris attractio, sed certior est in hac re *Guido tract. 7. doctr. 1. c. 1.*

Pro-

Marginalia: culo ...nsecus ...to firmando. | ...aria. | ...lvaria ...orum ...usa. | ...testino ...vulnus | elapso revocando. | Volvulo. | Vtero prolapso.

Prolapsis intestinis. Prolapsa quoque deorsum intestina in ventrum admotas cucurbitulas retrahi restituique docet *Io. à Santo Amando, in antidotarium Nicolai, sermone ventosarum proprio & Guido tract. 7. doctr. 1. cap. 1. F.* Intestino recto prolapso ex paralysis vitio cucurbitulam in fine ossis sacri prope caudam accommodat *Nicolaus Pisol. 1. de curand. morb. infern. cap. 18. & Alex. Bened. l. 22. cap. 26.* binas verò *Ioannes Riolanus in meth. meden. partic. cap. de ileosi* ad finem ossis utrinque unam. *Oculi uvæ prolapsæ.* Prolapsæ oculi uvæ, quæ ex corne fit raptura, super occiput admotam cucurbitulam remedio esse scripsit *Avic. loco sæpius cit. 4. fen. 1.* temporibus verò parvas cucurbitas impingit *Alex. Bened. l. 3. cap. 11.* advertendam materiam, quæ dolorem infert auribus infantium, cucurbitas naribus affigit *Mercurialis 2. de morb. puer. c. 11.* sed, & *Vulvæ prolapsa.* vulvæ prolapsæ cucurbitulam levem, quam maximam ad coxendicem affigit, & multo tempore gestare sinit *Hippocr. l. de nat. mul. 5. & l. de morb. mul. 38. & lib. de steril 28. E.* sed *Paulus Ægineta l. 3. cap. 72.* cucurbitulas cum flamma copiosiore umbilico, & utrisque iliis agglutinat. Quod idem proponit *Iacob. Hollerius opere practico*, præterquam, & sumini applicat regioni mammarum, ut explicat *Ludovicus Duretus*, qui & id præterea exigit, ut plus quam semel ac tertiò repetantur cucurbitulæ. Repetendas quoque multoties cucurbitulas seu majusculas seu minorum 3. aut 4. impositas ad hypogasticam sub umbilico eidem affectui curando voluit *Felix Platerus to. 3. tit. de partium procidentia pag. 616.*

Usus cucurbitularum compressorius.

Ne quidem ad expellendum cucurbitularum sunt facultates, verum ad continendum in corpore res utiles, ac partes in naturali suo situ conservandas, interdum etiam valere ipsas, vel hoc argumento constat, quod rejectantem alimenta ventriculum magna ad ejusdem fundum imposita cucurbitula revocavit *Paulus lib. 2. cap. 56.* & hunc imitatus *Rondeletius*, donec cibum conquirit homo languens, detinendas spatio quindecim dierum, industriè curans quemadmodum *l. 3. pract. c. 7.* testatus est, quod idem approbat *Vid. Florent. l. 2. chirur. cap. 85.*

Non aliter quidem stomacho paresi affecto sub ea parte, qua premi vel impeditus videtur, cucurbitam affigit *Aurelianus l. 2. chronic. cap. 1.* atque ita vel paulatim eam detrahit, quo stomachi partes deferendo accipere vel transire faciat illata, vel vacuum officium in memoriam reducat, similiter cibi descensum adjuvans, qui solitis suis locis insertus tenetur in eo, qui per bulimum, corruptam appetentiam, causatur cucurbitam impingit *Cælius Aurelianus l. 3. diu. morb. c. 3.* quo loco, & constrictivæ cucurbitæ meminit quæ primo ori ventris, deinde inter scapulas sive palas, quod metaphrenum græci vocant, & *Cucurbitularum usus stomachi subversi directorius.* aliquam terram inferius à prima convenit adhibere. Stomacho vero dirigendo atque in suum statum redigendo, qui in esse borismo à singultu contractus ac veluti contortus est, proponit *Oribasius l. 8 collect. cap. 6.* certa per totam spinæ longitudinem imponendarum cucurbitularum rationem, ei, quam alias ex *Galeno Pauloque* recitavimus, apprimè similem, quæ est hujusmodi Dorso prius perunctо, cucurbitulam unam sub magni colli vertebra affigemus, eamq; deducemus sensim, & deorsum in spinam trahere conabimur, cumque ad eum locum producta fuerit, ubi ventriculus adjunctus est, aliâ etiam admovebimus prope vertebram, atque ita quemadmodum priorem deducemus: atque ita primam ablatam iterum superius applicabimus. Hanc mihi rationem primum legenti difficile fuit comprehendere, quod sensim deducendam cucurbitulam dixit, quam unam voculam, si in alteram, quæ (gradatim) equidem velim commutes, planior erit sensus ejusmodi. Quod verò ad illitum olei pertinet, ad temperandum cucurbitæ raptum id credo factum esse, quod eodem sane consilio providit *Gariopontus qui l. 11. de re medica cap. 14.* priusquam cucurbitulas appellat stomachicis oleo nardino, colicis vero *l. 3. c. 24.* oleo laurino calido locum inungit.

CAP. X.

Sublatis cucurbitulis, quæ parti curatio debeatur.

Hactenus de cucurbitulis, quæ medendo modis omnibus imponuntur: alienum nunc proposito pro complenda ad extremum hac doctrina non videbitur, si post exempta vasa, quæ locis debetur curatio subnectatur. Autore igitur ad hanc rem utemur *Albucasi qui l. 2. cap. 98. tradidit hac fermè.* Considerandus est hominis habitus & constitutio, namque si laxæ sit corporis texturæ, teneriorisque cutis, tentatus igne locus præluendus est aquâ rosarum, aut aqua frigida aut aqua Solani, aut aqua cucurbitæ, aut aqua portulacę, & hoc genus. Ei verò, cujus sanguis pituitosus & perhumidus existimetur, madefacienda pars est aceto, aut aqua myrthi, rhois, aut similium. Ei denique cui superfluitates inerunt crassæ, tractanda est vino veteri, aut aqua sampsuchi, aut decocto anethi vel chamæmeli. Albucasis quo longè prior *Antillus apud Oribas. l. 7. collect. cap. 16.* cucurbitulis detractis affectæ parti oleum decrevit perfundendum, oleo vero rosaceo aut adipe aliquo delinendum. & ut phlebotomatum locum tractandum decernit *Guido Cauliacus tract. 7. doctr. 1. cap. 1. F.* aqua vero rosacea & vino tincta manus palma loca cucurbitulis ac scarificatibus exercita premit atque componit *Petrus Paulus Magnus tract. de ventos. c. 4.* Hac ratione medicandus est cucurbitulis exercitus locus: quam rem equidem eo libentius exposui, quod abstractis cucurbitulis sive levibus sive cum concisu particulæ protinus hunc destituunt, neque ulla re fovent administri Sed nihilominus excocta tumens, vulnerata, dolens omnino atque exasperata pars immedicata non debet, aut minime procurata manere.

PYROTECHNIÆ CHIRURGICÆ LIBER POSTERIOR, QVI EST DE VSU IGNIS AD PRIVATOS PARTIUM SINGULARUM AFFECTUS MEDENDOS ADMINISTRANDI.

PRÆFATIO

DE remedio ignis quicunque antè nos scri-
pserunt, hi sanè non integram; neque abso-
lutam ejus rei tractationem instituere ac reli-
quere; nempe prætermissa generali doctrina,
quæ complexum universæ rei propemodum per
synopsin addiscentes rudes ut comprehendant;
facit; cæterum practicam curandorum morbo-
rum rationem tradidere: ex qua re quantum in
singulis propositum est, id tantum intelligunt
imperiti. Præterea quæ solum ad interiores
affectiones attinet, colligere; nil sollicit vitio-
rum exteriorum; quæ multo frequentiorem
hanc opem exigunt.

Deniq; præcepta hæc attigêre secundum an-
tiquorum placita, quorum & si magna autoritas
est; nihilominus non ita receptus est ritus ab
his, qui posteriorum usu; medendi sunt addi-
cti. Ita ut, quod apud istos non est, exoletum
atque atrox existimènt. Quibus omnibus
cùm non satisfecerint hactenus qui præcepêre,
nos primi semitam hanc terentes, atq; absolu-
tam cauterismi traditionem animo complectē-
tes rem eandem & generatim & speciatim mem-
bratimque, interno atque externo corporis ha-
bitu tenus exequuti sumus. Cumq; alienos à
permultis chirurgicis operis levium atq; abblā-
ditorum medentium nostratium animos præ-
sentiremus, ad has amplectendas juniorum et-
iam autorum approbationes ac testimonia con-
quisita simul adjecimus, quibus omnibus fermè
persuaderetur & cogeretur unus quislibet adhi-
bendum assensum. Sic ubi cunctis his disci-
plinæ particulis satisfactum à nobis est, nil am-
plius in hac re desideretur, reliquum est: atque
adeo si cunctas hominum petitiones & vota
explevissemus conati sumus; confidimus, ut
cognoscas jam quantum de tuis; honorificè le-
ctor, studiis promeriti sumus. quapropter in-
humaniter agas si vel huic nostro labori non fa-
veris, vel non grato nobis animo responde-
ris; Consultum autem duximus posteriorem
hujus pyrotechnici operis librum bipartitum
proponere, & primum quidem entopyriam,
id est, modum curandorum morborum inter-
norum per ignis efficaciam; tunc huic pro-
ximam; exopyriam, id est, medendi morbis
externis per ignem; rationem;
incipiendo ab entopy-
ria.

CAP. I.

De ustione capitis dolore primigenio partes huius omnes, aut aliquas occupante.

CApitis ustio quantum necessaria; cognosci-
tur in dolore peracerbo, ac toto etiam capi-
te diffuso diuturno recurrente & contumaci sic
ut valentium remediorum vim eluserit, tam mi-
nime etiam debet videri gravis, si res tantis-
per expendatur: primum enim discrimino-
sum adeo non est, ut vulgus opinatur, quan-
do videmus etiamnum quotidie calvariam us-
que ad cerebri detectum modiolis ac terebris,
& perforari, & exscindi multo cum fructu, ni-
mirum invenitur paraturq; inde via tetris va-
poribus, qui cerebrum infestant plenissimè dis-
cutiendis. Deinde cutis sicut nullo periculo
inciditur, ut ait Celsus, ita facili negotio sane-
scit. Solum igitur declinentur musculi tem-
porum, cæterum haud trepida manu cauterium
administrare debet is, qui curam hominis gerit.
Nimirum *Hippocrates omnium primus l. 2. de mor-
bis 12.* & rem luculenter persuasit, & cæteri huic
succedentes omnes medici græci sunt adhortati
*Gal. 2. de comp. med. per loc. c. 2. Aretaus libro 1. de diu-
tur. morb. c. 2.* Aurelianus qui & alios multos au-
ctores venas urentes consuetos citat *1. tard. pas.
cap. 1. Orib. 10. collect. cap. 12. Aetius lib. 6. cap. 50.*
verticem tangens. *Paulus l. 3. cap. 5.* Verùm
è Latinis *Corn. Celsus,* cum hoc remedii pro-
bavit, *l. 4. c. 2.* voluit; quà maximè dolor
urget, ferrum imprimi semel; quo fortassè
nullo definito censuit imprimendum *Hippocrat.
l. de affect. num. 2.* tantum docens usturam faci-
endam in circuitu; id est, interprete pro-
spero Martiano, circum omne caput, & secun-
dum totam huius peripheriam, qua capilli de-
finiunt. Sic enim venis; quæ circumquaque
ambiuntur ustis, cicatriceque obductis, fluxio;
quæ per eas ad caput ferebatur intercipitur. Sed
l. citato de morb. cum circum urendum caput o-
mne præceperit parte anteriore, posteriore;
mediâ. Anteriore, inquam, ad utrasque nā-
res binas crustas faciens, ad mediam verò cir-
ca aures utrasque binas & posteriore etiam bi-
nas ad cervicis nervum: Ex his omnibus
scire licet alias ad exiccandum alienum hu-
morem, alias ad intercipiendum esse. Sex
quidem numero sunt ad priorem usum, id
est, duæ circa aures, totidem circa nares;
totidem circa occipitum, sed quæ restant ex
alte-

Generalis remedii persuasio.

Hipp. de na-stura loci expositio.

arteriis, quæ uruntur ad intercipiendum sunt. Illud autem advertit auctor, ut anticæ & posticæ parti leviores adigantur crustæ, ad oculorum quidem canthos propter ossis tenuitatem, ad nervũ verò cervicis, propter partis exquisitum sensum sed circa aures præcipit primò ut urantur aretriæ, secundò usq; dum pulsare desinant, tertiò instrumentis cunei-formibus, quartò obliquo ductu. Exponit horũ singulorum rationem *Io. Costæus*, & primũ dicit exuri arterias jure merito, quippe in affectu calidis ex causis excitato. At equidem miror, quando de morbis crassis institutum sit Hippocrati agere, descriptus autem & notatus hic morbus est per torporem frequentem, urinæ nunc paucæ, nunc multæ atque albæ, longum mictum, per nares, atque aures aquæ & muci eruptum, per cutem crassefactam, quæ ad tactum cedit: quare frigidum magis quàm calidum dixerim hunc morbum. Verum quòd arterias exurat, id factum puto propter flatum ex lento humorum congestu natum, quo spiritu turgentes arteriæ caput assiduè pulsantes dolorem movent. Eam ob rem pulsatum maximè inspicit & discutere curat, quod non fit quidem nisi discissis ex toto vasculis, quo etiam consilio & cuneiformia optat ferramenta, nimirum, ut etiam inciso pericranio ipsum pertingat. Sed obliqua sectio facit, ut citius coalescant arteriarum extrema, quod ipsum & in simplici arteriotomia observare consueverunt medentes. Subtilitatem hanc incidendi non servavit *idem l. de locis in homine* 49. In quo loco venas duntaxat perurit transuersim: neque illam servavit *Actuarius l. 3. meth. med. c. 2.* sed transversa sectione contentus arterias vel candentibus ferramentis, vel medicamento, quod similem urendi vim obtineat, discidit sed *Albucasis* nunc audiendus est, qui & secundum Hippocratis sententiam ustionis modum explicavit, & rem hanc planè prosequutus est. Is igitur *l. 2. & 3.* ad hunc modum exurit caput, cujus frigidi nimium humidique vitio, & dolor est & humorum defluxus ad oculos, atque aures, inexcitabilis somnus, dentium, & gutturis dolor, paralysis, apoplexia atque epilepsia, cauterium olivare imprimit altius sic, ut ossis facies appareat.

Sed in dolore vetusto, & contumaci capitis universi privatim, cùm prior ustura non juverit, tum sub illa, id est, ad sagittalem vult inurendum, ac deinde in 4. capitis eminentiis, quos cornua vocat: sunt autem binæ in extremitatibus frontis & ossis parietales vulgo dictæ: Sic cauterium infigit ut detegatur os, simulque & fossulam occipitis inurit leniter.

Jam autem si secundum mediam sui partem caput doleat, tum clavilis à se descripti ferramento temporis, quod dolet, mediam tantùm cutem inurit, cavens ex arteria perusta profluvia sanguinis.

Post hos viros omnes simplicissima ustura cõtentus fuit *Mesuæus, qui ad ovum l. 2. Grab. sum. 5. c. 3. sect. 1. part. 90.* crustam excitat coronali suturæ, cujus situm eleganter docet, sed utrumque tuber pro dolore vetusto abigendo pertingit igne *Rhodoricus chir. l. 3. c. 45.* ad suturam ossis capitis lambdoidem sub duobus carnibus occipitii cauterium imprimi vult *Bertrucius Bononiensis tract. 1. sectionis 1. c. l.* at in paragrapho de soda, per accidens curationem ponit empiricã imprimere vertici, aliquis hunc vocat summitatem capitis, cauterium usque ad os, qua sagittalis sutura cum coronali concurrit. Quod meo equidem experimento possum: suturæ coronalis sagittalisque confinio pergusto, Franciscus ab Angelo Castrinovensis ab ingente cephalęa liberatus est.

CAP. II.

De hemicrania.

Efficacior autem obduratæ hemicraniæ perustio hæc est Albucasi, qua dolor est, vitatis musculis & nervis, linea semidigitali cauterium incisorium candens super arteriam imprimitur, sic ut hæc resecta restet atque appareat.

Hem nio vet

Jam verò cùm oculo tenebras aut mydriasim proficisci periculum est ex hemicrania, ustionem arteriarum proponit *Razes l. divis. cap. 4.* quas arterias in dolore capitis vetusto candente ferramento discindit *Hercules Saxonia l. 1. par. med. c. 2.* Verum enimvero cum suturę locus uritur, capiendum est consilium *Hieronymi Fabricii qui l. de oper. chir. c. de fonti.* in sutura coronali voluit haud solido cautere faciendam crustam, satius est multo, cavum & discissorium adhibere, nempe per hoc & citius & indolentius subinde res agitur, quæ duę quidem in capite perurendo maximæ sunt inter omnes exoptandę cauterismi conditiones. Illud igitur pręstantissimi viri pręceptum nolim contemnas, lector. Ad huc verò si vitium non cesserit, consultum est, ut ad coronalis latera duo inducta cauteria globulo cereo postmodum imposito sic curentur ut emissaria quadam. Aliter ab his *Ludovicus Mercatus qui l. 1. de cur. morb. int. cap. 1.* ad dolorem ex materia calida profectum arterias venasque temporum ac frontis urendas decrevit. Cęterum enim ad finiendum eum, qui est à causa frigida, nullum pręstantius neque efficacius præsidium in re medica reperiri testatur, quàm per candens ferrum usturam ejus capitis particulæ, cui maximè dolor infestus est. Illud tamen singulariter admonuit Mercatus ut suturæ declinantur, satis enim, inquit, si in sutura ipsa dolor fuerit, ut circa ipsam inuratur. Cujus etiam sententiæ visus est fuisse *Petrus Salius, qui adnotatione in Altimarum* 11. tum in dolore, tum in aliis vitiis capitis professus est, feliciter per ferrum candens impressisse, haud quidem super suturas, sed ad latera capitis, quidem vir monitos reliquit eos medicos, qui ustiones occipitis tractare verentur, ut quoties sit indicatio, confidenter easdem, re per nonnulla secula certis experimentis confirmata administrent.

strent. Quam urendi certam sententiam si confirmari curem, possum ab experto testari & in suturis ipsis etiam detectis nil nocuisse factam usturam, dummodo sit homo, qui sustinere simpliciter hanc chirurgiam possit. Cæterum hemicranię capitis summitatē perurit *Theod. l. 3. chir. c. 45.* loco etiam in cephalæa citato, sinciput vero ad hanc rem nominat *Nicolaus Piso l. 1. de cur. morb. inter. c. 8. Gariopontus* verò *l. 1. therap. c. 3.* monopagiam à se nominatam curans cauterio perurit venam, quæ in ipsa regione dolore frequenti molestatur; E nuperioribus verò *Rodericus à Fonseca Lusitanus* urendum lino crudo locum, qui dolet, suasit *tomo 1. cons. 34.* hactenus de ustione capitis ut dolore medicamentis insuperabili levetur.

CAPUT III.

De Vertigine.

VErtigini quidem medendæ ustionem ex veteribus Græcis aliquā qui præscripserit haud equidem legi, præter unum *Hippocratem qui libro de affectionibus n. 2.* si diuturnus, inquit, & fortis in capite fuerit morbus, & purgato capite non decedat, huius venas in circuitu inurere oportet &c. Sed ex Arabibus est *Mesvæus qui l. 2. Grab. sect. 1. parte 1. summa 5. c. 2.* coronalis suturæ locum inurit, quem sequutus est & *Bened. Victorius cons. 9. Bertrucius verò Bononiensis*, quâ sutura coronalis sagittalem intersecat ibi vult inurendum *tract. 1. sect. 1. c. 2.* è junioribus nostris est *Michael Paschalius l. 1. c. 7.* summum præsidium scripsit, insanabili vertigini venas post aures exuri. Sed Ludovicus Mercatus vir Hippocratæa doctrina non leviter versatus, desperato jam huic malo deliberatè primum temporum, & frontis exurit, mox hæsitatius ex aliorum more captat, qua dolet, aliquot locis inurendum decernit; Licet etiam huius remedii loco, vel setas chirurgicas occipitio, vel ulcus emissarium fonticuli modo aperiendas statuerit sed ante hunc virum *Iacobus Hollerius in l. de cur. morb. int. c. 5.* arterias post aures inurit, in summitate verò capitis *Gualterius Pruel. prax. medic. c. isto.*

CAPUT IV.

De Mania & phrenitide.

MAniam quidem, non omnes auctores sunt, qui curandam in ustione præceperint, verùm in ea, quæ à frigidiore materia profecta est, hanc à sutura coronali tentat igni *Razes, libello de caut. sed Gariopontus lib. 1. cur. morb. cap. 10.* post omnia, inquit, utræque partes occipitii cauterizentur, usque ad os radatur, donec ex osse carnes sentias abire. E junioribus verò nostris *Andreas Cæsalpinus l. art. medic. cap. 18.* laudat eos, qui sinciput inurunt longis 4. crustulis, quæ formam referant crucis, quam certe rem imitatus est ex *Arnaldo Villanovano, præclaræ auctoritatis Medico, qui lib. 1. Brev. c. 26.* cauterium huic affectui summum & ultimum remedium proposuit duplex, alterum quidem simplex, in summitate capitis, alterum gravius, quod per cultri formia ferramenta paretur cruciatim in summo vertice, quo facto perterebretur calvaria, ut vitiosa subtus materia possit effundi vel expirare: rem certè, quam nemo, præterquam in deploratissimis casibus experiri debebit: idem hæc auxilii proposuit, & testatus est utile factu *Anton. Guacinerius con. 1. tr. 15. cap. 8.* summitatem autem capitis visum est satis igne tentare *Theodorico l. 3. chir. cap. 45.* Non aliter verò quàm declinante jam furore faciundum id monuit *Gulielmus Rondeletius* nimirum, ut quod congestum est, è capite evacuetur. Supra suturam coronalem cauteria excitat, ubi hæc cum sagittali occurrit *Nic. Piso l. 1. de cur. mor. int. cap. 24. & Iacobus Fontanus in libro 1. practicæ medicinæ cap. 29. & Gualt. in prax. med.* cum quibus viris sic sentientibus & è nuperrimis *Epiphanius Ferdinandus in histor. medicinal. suarum 66. at hist. 91.* confirmatā prius principum virorum autoritate, re istâ, post aliquot interiecta: mirum, ait, est, quàm his cauteriis refrigeretur cerebrum & pravi tetrique vapores dissipentur: & licet primis diebus soleant concitare aliquem gradum caloris, tamen maius est emolumentum, quod postmodum inde sequitur, quàm pusillum aliquod damnum ex impresso igne. Nos quandoque quinque, quandoque septem cauteria amentibus admovemus, qui fuēre curati; maximè ubi non viget capitis tanta caliditas; ob quam quidem in hac muliere tantum unum fieri curavimus.

Est & è novissimis *Cæsar Macha* Principum subalpinorum Medicus, *qui cons. 140.* fœminam inde restitutam testatur septem jam menses insanientem. Cæterum & in cervice positum cauterium neque est inutile, quin eo maniacum hominem curatum prodidit *Dodonæus in medicinal. suis observat.*

Cauterizatio locorum manię juxta situm quatuor ventorum cardinalium & motu firmamenti machinata curat Phrenisin opinione ac judicio *Theophrasti Paracelsi Chir. Magna Parte 4. l. 3. F.*

CAP. V.

De Melancholia.

MElancholiæ affectus *Albucasi auctore l. 1. c. 12.* duplices agnoscit causas, id est, aliam, humores corruptos, & phlegma crassum, aliam, humorem analogum, quem nominat superfluitatem nigrum. Si prior ille casus sit, de raso malè valentis hominis capiti medio crustam inuras unam, & super quatuor tubera (cornua dicit capitis) crustas totidem, ac tres ad cervicis vertebras. Quod si causa sit succus niger & corpus sit humidius, tum terebro, per cathartica ritè recteque perpurgato, deraso capiti paratam ex lino coronam qualem imponendis gestandisque sarcinis mulieres substernere, velut aggere compressa hac in medio capite; homine vero qui tractatur quadratè sedente, butyrum ovinum vetus igne percalfactum sic, ut digiti tolerent, intra coronæ orbem infundes, sinesque liquorem, usque dum frigescat; repetas autem medelam hanc oportet septeno quoq; die, corpore interim circa victus rationem exactè procurato, ad usque integram sanitatem, quam ipsâ hâc ratione, Diis volentibus,

es restituturus, licet etiam, ubi velis, puncticulata cauteria moderatâ manu inducere. Inter hæc tamen olfacito languens aliquid bene olens, quod cerebri spiritus reficiat, usturamq; contemperet. Hunc nisi protsus hallucinor chirurgiæ modum instituit *Albucasis*, obscurè scilicet nimium re traditâ literis proposuit, & huic affectioni cauterium secundum crucem formandum *Arnoldus à Villanova*, de qua re proximo capite dictum est. Summitatem capitis dumtaxat igne tentandam censuit *Theodoricus l.3.c.45.* & hunc, ut equidem credo, sequutus *Bertracius Bononiensis juniorum vetustissimus Arabista tract.1.sect.1.c.6.* qui loco ustionem ut excellenter cōducibilem commendavit: itemque *Anton. Guainerius con.1.tr.15.c.8.* *At Gulielmus Rondeletius in practica methodo c.41.* diutius hærere debere ferrum requisivit, ut os ustionem sentiat. In sutura coronali faciendam censet *Gualterius Bruelius, in pract. methodo cap. isto, & Iac. Fontanus l.1. pract. medic. c.28.* at *Ludovicus Mercatus l.1. de int. cur. morb. c.17.* admonuit in morbo per essentiam ex frigidis humidisque causis utique licere cum spe bregma melancholicis inurere. Incertū autem an hos, an alios, indiscretis scilicet casibus intellexerit *Vincentius Alsarius l.2. de morb. cap. lect. 43.* qui fonticulum in sutura coronali proposuit, quanquam non ita certo, qui exploratam utilitatem promitteret: at experimento utilem comprobaverit *Ioach. Camerarius*, qui sanatam hac una ratione fœminam quandam prodidit in observ. Cæterum ad melancholiam è lienis vitio supra huius aut ventriculi regionem sive setaceum, sive cauterium vel ad brevem crustam vel ad diuturnum emissarium excitat.

Adversio.

CAP. VI.

De Epilepsia.

EPilepsiam veteres etiam ustione curarunt, primum nomino *Aretæum qui l.1. de curan. diut. morb. c.4.* præsidium quidem hoc tanquam necessarium laudavit, licet aliqua ad hanc spectantia non explicarit: brevibus quoque chiasmum, id est, ad litteræ X. modum divisuram, & ferro circumscriptam cute capitis usturā, quâ testa squamulis despumatur; alias lamulis desquamatur, proposuit *Aurelian. l.1. tard. pass. c.4. p.216.f.* quam duplicem & secandi, & urendi operam laudasse videtur *Gariopontus cum l.1. curat. meth. c.7.* caput chirurgiâ pertundes & cauterizabis, inquit plenior fuit *Cornelius qui l.3.c.23.* locum notavit occipitium & infra, quia summa vertebra cum capite committitur, duobus locis, ut per ea perniciosus humor evadat. Verum *Albucasis l.1.c.2.* plurimum præfatus, non inurendum, præterquā in epilepsia, quæ pituitam agnoscit, in pueris quidem sex olivari cauterio crustas inducit, sincipiti unam, & 4. capitis tuberibus totidem, & unam occipiti. Huius itidem mentis fuisse Florentinos olim testatus est *Marcellus Virgilius*, qui præservandæ epilepsiæ etiamnum in infantibus, ad hoc morbi genus præcipuè inclinantibus, ab inustionibus his non abstinuêre. Inquit enim non absimilis ustionibus Arabicis ea est, quà in gente nostra circa XL. à partu die infantes candente ferramento, ab aliis in imo occipitio, ab aliis in interscalpio, ab aliis sub posteriore humero passim urunt, vulgoque creditur, sine ea ustione non posse feliciter primæ illius ætatis pericula infantes evadere *lib.2. in Diosc. c.72.*

Quod si firmioribus ætate, ac viribus fuerit homo præter hæc loca vult *Albucasis* inurendas vertebras colli & 4. extremè impressas ad vertebras dorsi, expediens videlicet omnes humori morbifero vias, per quas ipse vel tenuis eiusdem portio perspiret. Hæ sanæ ut videantur blandulis & ferri osoribus quibusdam medicis immanes ac tetræ chirurgiæ: nihilominus *Ludovicus Mercatus vir in medendi palæstra exercitatissimus in 1. de morb. int. cur. c.16. fine* testatus est, in hoc malo primigenio & inveterato ulcuscula in circuitu capitis ferro candenti fieri consulto, nec sine magno laborantium beneficio duas ad occiput crustas inurendas voluit *Andr. Cæsalp. l.1. prax. c.30.* hi quidem viri plures ad medendam Epilepsiam crustas capiti decrevêre, cæterum unam in summitate eiusdem inurendam voluit *Theodoricus lib. 3. chir. c.45.* atque ad coronalem suturam *Antonius Guainerius com. 1. tr.7.c.8.* E junioribus *Gualterus Bruelius l prax. med. c. eodem*; *at Marcellus Donatus l.2. mir. hist. c.4.* vel in occipitio, vel in sutura coronali proponit, utrumlibet epilepsiæ profligandæ singulariter utilem professus. Ad diploen autem usque suturam eandem cauterio pertingit *Iac. Fontanus l.1. pract. medic. c.7. & prior Ioh. Baptista Theodosius epistola 65.*

Sed ad Epilepsiam per consensum, quæ fit translatu quodam auræ venenatæ, partem, unde is effertur, inurendam etiam idem auctor voluit *l.1. de indic. med. c. ult.* modò ad de particulæ natura patiatur, ac si quid veneni latitat igne absumatur. Huius sententiæ primus auctor fuit *Avicenna qui lib.3. fen.1. tr.5. cap.8.* epilepsiam ab aura de pede èlata curandam ustione pedis digitorum & pollicis præcipit, præter hos auctores & alii viri graves ustiones in occipite, & in cervicibus, & locis artuum commendavêre, qui sunt *Ioachimus comm. ad c.14. Razæ, Rondeletius meth. cur. morb. c.36. Montuus anasc. morb. lib.1. cap.16. Montanus consf. 42. & 50. Erastus par. 4. disp. contra Parac. Hier. Mercurial. var. lect. lib.1. cap.2. Nic. Piso op. ther. lib.1. cap.9. L. Duretus in Hollerium cap.15. Iacobus Carpensis Isagog. anat. cap. de anat. extremarum partium*: *Vidius idem Florentinus junior* epilepsiam venerea ex lue profectam, ustione per candens ferramentum procuratam *lib. de cur. memb. c.18.* scripsit, similiter & prophylacticè nad hoc morbi remedium esse cauterium scripsit *Ioannes Crato in epistola* quadam ad Joach. Camerarium. E nuperrimis verò *Epiphanius Ferdinandus in hist. med suarum 24.* quem virum planè non indignum eo libentius hoc passim libro nominabo, quod efficacis in medendo studii homo, idemque etiam experientissimus plerisque nostris, qui medicamentariam & lenem nonnullo cum eiusdem detrimento timidè nimis ac leviter exercent, evincendis & revocandis exemplo quidem huiusce seculi non contemnendo esse possit, ut equidem studium hoc permovens venerer Deum optimum maximum de eo quod

viros eandem viam amplexos ac tuentes nostrarum rerum adiumento dederit.

CAP. VII.

De Apoplexia.

DUbius equidem sum num inter eos, qui apoplexiam igne curarunt *Razen, atque Avizennam* nominem, uterque non tam candentibus instrumentis exussisse videntur, quàm calfactu proximo extenuatum humoris atque discussum contendisse videntur; ferream quippe sartaginem igne candentem *Razes l. 9. ad Mansorem c. 4.* sic adhibet, ut exurantur dumtaxat capilli, sed congruam hanc capiti requirit *Sillanus & Arculanus* in eundem locum, atque ad unguem idem præcipisse faciendum videtur *Avicenna lib. 1. cap. 8. alias lib. 3. cap. ult. & Ioannes Damascenus lib. 36. cap. 24.* in cura apoplexiæ phlegmonicæ, quos omnes viros sequitur *Gulielmus Rondeletius*; non sic autem *Nicolaus Piso qui lib. 1. de cur. morb. int. cap. 16.* sinapismos prætulit, mirum autem quo tergiversatu aut judicii desidia, qui vim liquandi, (quod ipse dixit) humoris crassi cerebrique calfaciendi necessitatem in igneo præsidio fassus est se cognoscere. Hos æmulati quidam è nostris (est autem & qui scriptis hoc prodidit *Iacobus Fontanus lib. 1. pract. medic. cap. 22.*) aquâ ardenti imbutum linteum & capiti raso impositum accendunt, ut attonitos homines excitent: nos cucurbitulam ex stupa, & spiritu vini imbutis, atque accensis sæpe cum fructu imposuimus sed *idem hic Fontanus* factum ad coronalem fonticulum conservari præcepit *ibidem loci.* Verum factitandas capiti sex crustas decrevit, quatuor totidem capitis tuberibus, unam sincipiti, alteram occipiti, postremum fossulæ ventriculi, quam os eiusdem vocat *Aetius verò tetr. 2. serm. 2. cap. 27.* tum ad materiæ dissipatum, tum ut vis sopita excitetur, cauterium suturæ coronali jubet imprimendum. Huic item loco & occipitio *Bertrucius Bononiensis vir è posterioribus Arabistis pragmaticus non contemnendus, tract. 1. sect. 1. cap. 9.* sed è nuperrimis *Epiphanius Ferdinandus* circa suturas ustiones inducit, *hist. med. 71.* at hoc viro prior *Hier. Mercurialis in responso ad Io. Zechii consultationem 18.* unâ ex sincipite crustâ contentus fuit, qui multorum inurendi mos quantum ab antiquorum instituto & à Razæ præcepto discrepet, plane vides.

Hæ definitæ multorum de inurendo capite fuêre præceptiones, cæterum loco non perhibito & huic chirurgiæ consentiit *Fabius Paccius Comm. 5. cap. 13. ad meth. med. Galen.* siquidem spiritus vitio fiat apoplexia.

CAPUT VIII.

De Paralysi.

PAralysin absolutè dictam, igne curare non dubitat *Aëtius l. 3. cap. 18.* cum verò apoplexiæ in paralysin sæpe fit metastasis, eodem videlicet humore, sed extra calvariã in nervos transfuso præbente materiã atq; ortum. Similis igitur curandi ratio per cauteria, additis solum, si gravior sit affectus, viriumque robur homini firmius, tribus ad colli vertebras ustionibus, quæ posteriores firmâ manu sunt imprimendæ, quas locus nimirum æquius pati valet. Ita ferme *Albucasis lib. 1. cap. 10.* sola verò suturæ coronalis ustura contentus fuit *Mesvæus lib. 2. Grabad. sect. 1. par. 1. sum. 5. cap. 2.* Hunc autem sequutus videtur & *Iacob. Fontanus lib. 1. pract. medic. cap. 24.* quem locum haud vidit *Marianus Sanctus Com. de fracta calvariæ curatione pag. 223.* volens indoctè ac perperam adhiberi cauterium in coronalem pro paralysi curanda, quod sagittalis commissuræ ac vertici competit propterea, quod hinc medio capitis loco & à postica cerebri parte nervi propagentur. Rectè igitur capitis utrumque tuber, vel occipitium igne tentat *Theodericus lib. 3. Chirurg. cap. 45.* sed *Ludovicus Mercatus* qui plerumque inter neotericos cauterismo videtur favisse *1. de morb. int. cur. cap. 14. F.* ustionem approbat eius vertebræ, per quam nervus in resolutam partem perreptat, quanquam hoc in ultimum præsidium differendum, ac tentatis antè dropacismis discutientibusque aliis remediis faciendum advertit. Jam verò pueris ex eodem affectu curandis *Hieron. Mercurialis lib. 2. de morb. puer. c. 5.* & partes superiores & inferiores si ætas patitur, cauterio tentandas docuit, præsertim, inquit, locum ad initium medullæ, atque os sacrum, ubicumq; sanè morbus fuerit positus. Hactenus de ustione, quæ ad loca unde derivatur affectus est factitanda, cæterum ad patientes ipsas partes medendas *Paulus l. 3. c. 18.* carnem, inquit, quæ intra musculos est resoluta, ferris oportet candentibus exiguis tenuibusque transmissis adurere, fortassis inustione eiusmodi, quàm setaceum vocamus, meminit per hæc *Aegineta.* Huius autem sententiæ *Bertrucius Bononiensis* cauteria membris intimiùs adigit.

CAP. IX.

De Lethargo.

COnsueverunt ætate nostrâ medentes profundo lethargo soporatos homines, quos tentatis aliis quibusvis medicinæ præsidiis nil adjuverint, ignito ferro curare, appresso vel ad suturam coronalem vel inium. Quam nos quidem ustionem cum silentio præterire noluimus. Verùm haud magnifacit *Ioannes Costerus*, utpote quæ, præterquam excitare hominem potest, nullâ vacuandi ratione juvat: exiccare verò perparum valet. Confirmationi adde, quod *Hipp. 2. de morb. & 3. advertente Andrea Cæsalpino in 5. art. med. c. 13.* non inuri iussit, sed sinciput findit, & ubi sanguis defluxerit labiis compositis curat. Sed aliter alii: *Razes lib. de cauter.* occiput arbitratus est igne feriendum. *Mesvæus l. 2. Grabad.* ad excutiendum soporem sensuumque stuporem suturæ coronalis laudat usturam; quam sententiam ac decretum & eventus confirmat rerum; porro duos propemodum examines hac ustura feliciter restitutos à Ludovico de Leonib. celebri medico, narravit *Ioachimus Camerarius senior l. de privatis observat.* E junioribus Arabistis *Bertrucius Bononiensis trac. 1. sect. 1. c. 5.* cauterium unum vertici, alterum occipiti sub duobus cornibus imprimit.

mit. Ad hos *Hieronymus Mercurialis in responso ad Ioannis Zechii consultationem 18.* crustæ solum unius in sincipite & sutura coronali meminit. *Et Iacob. Pons, medicus Lugdunensis introduct. tyronis medici pag.* 141. meminit: quam inurendi capitis non definito loco *Fabius Pacius in comm.* 15. *ad methodum medendi c.* 13. probavit rationem, si tamen è spiritu proficiscatur lethargus. Accedit & ad hanc sententiam *Alexander Massaria qui l.* 1. *de curand. morb.* de homine lethargico per posticum cauterium excitato narrat historiam. Novissimè verò post hos omnes *Epiphanius Ferdinandus histor. medic.* 31. *ex Albucasis sententia* qui nobis incompertus est locus, circa suturas tres aut 4. crustas voluit inurendas aut sartaginem ignitam inversam admovendam, aut inter primam & secundam vertebram cauterium imprimendum.

CAP. X.

De Memoriæ detrimento.

Albucasis *l.* 2. *c.* 9. quod est de ustione ad læsam memoriam, planè corruptum & per obscurum sic interpretatur definitæ Costæus, ut sutura in sagittali prima fiat inustio, duæ aliæ in occipitii osse recta ad cervicem respondent crustæ; quibus ustionibus siquidem nihil profectum fuerit, primum in medio vertice, mox ad duo cornua posteriora quæ lambdoidis suturæ sunt latera, sit inurendum. Jam autem de huius usturæ utilitate quid experti senserint quidam recitabo. *Epiphanius enim Ferdinandus vir in medendi palæstra consummatissimus, hæc memoriæ prodidit historiarum suarum medicinal.* 47. testor Deum, cauteriis in capite quandoque tribus quandoque quatuor & quinq; factis, ad loca suturarum, curasse annis elapsis socrum magistri Gentilis, cui jam erat memoria abolita & duos alios stolidos & insanientes juvenes, alter qui fuit filius Casparis Guarini, qui septem habuit cauteria, at altera fuit mulier Diluvii, qui ambo sanitati fuere restituti. Idem vir & memoriæ abolitæ recuperandæ plures crustas suturis excitat *histor. medicin.* 80.

CAPVT XI.

De Catarrho.

Catarrho capitis usturam nobis instituentibus dissimulandum non est plerosque viros in aliam ivisse sententiam, quam ut ustionem suturis aut capiti inducendam concesserint. Quorum rationes prius quidem audire conveniet, mox expendere, & cum contrariis disputando conferre, ut inde firmior sententia retineatur. Sunt igitur, quæ hisce cauteriis adversantur, binæ factiones, altera est eorum, qui quælibet capiti imponenda damnant *Hieron. videlicet Cardanus suæ meth. sect. cap.* 50. *& consil. de dispnæa & Ioannes Baptista Montanus cons.* 143. *&* 170. *& Hieronymus Mercurialis tom.* 3. *cons. pro serrante cibo nec non in altero pro Duce Bavariæ & in responso ad Ioannem Zechium cons. apud hunc.* 18. *Petrus quoque Vasco Lusitanus exercit. medic. tract.* 8. *cap.* 7. *different.* 3. non probat cauteria sincipiti defigi, cum ad inion satius ac tutius liceat. Ad hos *Fabius Pacius commentario lib.* 7. *meth. medendi F. &* 5. *eiusdem operis c.* 13. Ex altera verò est *Petrus Salius ad Altimarum* II. *& Lud. Mercatus lib.* 1. *de cur. morb. cap.* 1. qui suturas caventes locis circa ipsas non parcunt. Utrorumque rationes sed maximè, quæ suturas tuentur sunt hæc, damna scilicet & detrimenta ab ustione perducta, id est, nervorum distensio immutatioque ignea cerebri: aggerata item imbecillitas & intemperies, tum ab inportunitate solutionis continui, tum aëris datis incursionibus. Partim frustraneus conatus medendi per chirurgiam qui per exteriora pharmaca compleri potest. Partim initus labor, quia gravis humor ad inferiora discedere potius quàm ad superiora ascendere debeat. Denique præterquam incommoda, non necessaria, & inanis hæc est opera, ad hæc inconsulta & temeraria, quando nulla cum naturæ imitatione, quæ principes partes tuendo, ad inferiora & viliora loca deponit, ut secundo epid. videre licet. Hæc ferè sunt quæ à contradicentibus usturæ hominibus astruuntur.

Ex adverso verò non desunt rationes, quibus apparent esse ex igne remedium multis capitis morbis curandis perutile. 1. quòd absumptio materiæ rheumaticæ necessaria est; hæc autem à nullo absorberi melius quàm ab igne vorace potest.

Deinde non solùm, quæ se obtulit, humoris portionem dissipat vis ignis, sed deinceps etiam facit, ut coacervari cætera nequeat, expedita via per suturas, quæ per halitum transmittitur, idem etiam tenuior & levior redditus ab adhibito cautere.

Præter hæc ubi rheumatis aut prava qualitas, aut multa copia urget periculis pulmonis exulcerandi, phthoes, & phthisis præfocatus discrimine, maneat medicus, & sit deses, nil sollicitus tantorum malorum, qui saluti præfectus est. Quin potius, si quà ratio est, quà via potest, ut inimici insidiis occurratur & huius iniuriæ prævertantur, gnaviter hanc arripere; & ultro non se offerentem inquirere oportet quatenus ab ullo discriminum ægrotantem vendicet suum; Est autem etiam atque etiam succurrendi via, licet enim hæc acerbior & violenta, nihilominus est à summo nostro dictatore sancita & à consensu cunctorum probata lex, ut quibus morbis extrema vis est & contumacia, extremis pariter obluctemur remediis. Quippe fatuum est, adversus valentissimum & ferocissimum hostem debilioribus & minoribus armis pugnare. Vim ignis extremam times, at memineris velim accipitrarios medicos eas aves curando capite laborantes, neque candentibus ferramentis ad has ipsas usturas parcere quod *Franciscus Sforzinus l. de curandis avibus venatoriis tertio posuit.* Jam autem quod Galenus eius præsidii non meminerit in hisce debellandis affectibus, id nos movere non debet, præsertim quando videamus eundem igneis etiam & acerrimis usum medicamentis in muliere Romana: nõ usum verò ipso igne propterea fortasse factũ est, quòd in ea natione molli & graviorum sustinendorũ casuum inimica fas aliter non fuit. Difficile

autem

autem eo nomine rerum immutasse usus non videbitur, ubi recordemur eundem ipsum hominem ad hanc gentem peregrinatũ chirurgiæ ministerium abiecisse, qui 7. jam annos Pergami in sua patria manuariam medicinam & artem vulnerariam exercuerat. Sed cæteris etiam argumentis nos occurramus. Quod enim ad detrimenta pertinet, componit has fusè difficultates *Antonius Fumanellus*, *in controversia peculiari de capitis ustione*, quem legito. Ad hæc & contra meticulosos eiusmodi viros est *Thomas Fienus*, *vir qui sanè laudari potest in l.5. c.1.* professus, liberius capiti, quàm alteri parti principi remedium hoc adhiberi, & quia frigidum & humidum cum sit, minus ab ignis qualitatibus offenditur, & quia ossis ipsum tegentis crassitudo minus patitur, easdem penetrare. *Idem quoque vir l.3. cap. 23.* de suturæ ustione scripta reliquit hæc, verùm, plus utilitatis, quàm damni permanebit, si super futuram cauterium ponatur, nam si non super hanc, non poterunt humores aut vapores morbosi per ipsam evacuari, pericula verò illa non sunt magni momenti, quia vel vitari, vel corrigi possunt, & cum ustio parua sit, & exiguum suturæ spatium comprehendens, nullum convulsionis periculum minatur.

Eiusdem etiam sententiæ fuit *Cæsar Mocha, Principum Subalpinorum Medicus usu medendi consummatissimus*, qui cum ad velitationes Mercurialis & Montani responderit, statim tantum cauterii cuspidem obliquè citra suturam inducendum voluerit. Cæterum & in hæmoptisi *cons. 15. & cons. 130.* idem præsidii probavit. Ita quidem isti; sed *Amatus Lusitanus cur. 1. cent. 2. & cur. 6. cent. 5.* hanc eandem controversiam à se aliter productam ad hunc modum expediit; si causa catharri subsit calida, minimè quod *Tralliano lib. 2. cap. 5. & Aetio ser. 8. cap. 53.* visum est, cauteriis ad caput utendum, quod si illa sit frigida, ad hanc discutiendam summi futurum ignem adiumenti.

[n in ca- ... tum in ... ida ... sa cau- ... um pro- ... Saxo-]

Verum enimvero *Hercules Saxonia lib. 1. panthei med. cap. 2.* tum in frigida, tum in calida affectione contendit ignẽ uti licere. In frigida quidem, tametsi adstruant, inefficax esse cauterium, quod crassus & lentus oportet sit humor, itemque gravis, qui sursum petere potis non sit, 1. frigida respondet materia, cum generetur, ubi densæ membranæ suturæque constrictæ vapores vetant, quo minus possint exhalare; quapropter inibi vapores vertuntur in pituitam, siquidem adsit spiraculum, vapores non concrescent, 2. quia calor nativus semper agit in pituitosam materiam: quanquam autem non valeat crassam expurgare, tamen conversam in tenues vapores expurgat, ideò *Hipp. lib. 2. de morb.* ad dolores antiquos non unam facit ustionem, sed usque octo. Jam verò in calida tantum abest, inquit, ut cauteria calefaciant, ut etiam refrigerent, ustio quippe illa, quamdiu manet, calefacit, sublata verò igne locus exhauritur, & fit frigidior: quia continuò difflatur; unde partes, qua cauteria gestant, si fluxio calida non sit, redduntur frigidiores. Quòd si Hippocratis authoritas producatur, quòd ulcera ad os penetrantia sint periculosa, respondet fieri periculosa, si malè tractentur. Verumtamen concesso, quod sint periculosa, necessitate cogente, & ventilationem cerebri retractionemque humoris salsi postulante, non modò cauterio uno est opus: at ipse Hippocrates usus est pluribus, & terebratione etiam. Necessitate igitur cogente tutò in sutura coronali potest adhiberi cauterium.

Opinio Paparellæ.

Alia de eadem re controversia est, quæ sequitur *Sebastianus enim Paparella lib. 2. cap. 15.* cauterium capiti subcalido probans, in catharro frigido minimè damnavit, propterea, quod gravis suæ materiæ conditione superiora non possit petere, quod ostendit, inquit, *Galen. lib. 9. de usib. par. cap. 1.* professus, naturam pro catarrho crasso expurgando, narium, & oris constituisse meatus, pro tenui verò ac vaporoso, suturas capitis &c. Sed contra scripsit *Horatius Augenius to. 2. epist. lib. 3. cap. 3.* cuius rationes cum longiore sermone colligendæ sint, angusto hoc loco repeti non debent, sed enim utriusque sententia sic conciliatur. De frigidissimo atque humidissimo prorsus catarrho, cui nil ab inferioribus, aut superioribus visceribus vaporum accedat, disputat Paparella; de alio cum quo calidi vapores coniuncti sint, disserit Augenius, quare non discrepant.

Ad hunc modum apparet non incommodum, ut falso putant, esse capiti cauterismum.

Cæterum ad id, quod adstruunt de imbecillitate intemperieque cerebri per longam destillationem productis: responderim, tantum abesse, ut has affectiones augeat ignis, ut etiam corrigere castigareq; valeat, primum enim partem, quæ vitium hospitatur, corroborat sic, ut firmet: Seu quod ut Virgilius advertit,

Omne per ignem
Excoquitur vitium, atq; exudat inutilis humor,
Seu durat magis & venas adstringit hiantes.

Deinde etiamsi calida subsit cerebro intemperies præterquam, quod ostensum ante fuit, & contra sunt, adhiberi rectè cauterium; ad hæc quoniam eiusmodi intemperies expers materiæ non est, ad hanc utique copia motuq; molestam immediatè directus igneus calor intemperaturam illam humiditati immersam non augebit sed commoderabitur potius, quam rem confirmat & *Rusticus Placentinus vir non contemnendus in Canon. Curat. univers. F.* qui & calidis capitis affectibus ignem benefacere dicit.

Post hæc vana est fiducia, quod medicamenta topica valeant occurrere affectibus extremis, qui sub cute dura crassaque subq; cranio peralto latitant, quam profunditatem pervadere singulari ignis energiæ concessum est. Jam verò, quod utilis & accommodata sit via per supremam capitis regionem, non inutilis & frustranea monstratur: quòd igne fit attractio, atque adeo revocatio defluxionis tendentis ad suffocatum, aut ad erosum vasorum pectoris, & ad tabem.

Sed cõtra eos, qui negant, succedere vacuationẽ humoris ob gravitatem ad inferiora tendentis, respondebis, naturam salutis sollicitæ, quę via parata est, nocuos humores transmissuram, præterquam, quod & vapores etiam superiora suopte ingenio

genio petentes educere plerumq; volumus: quo casu sunt cauteria cervicibus inutilia. Compares autē hæc lentè & lensim expurgantia cum usturis emissariisq; supremis, quæ citò & affatim curant.

Si autem eò hæseris, ut naturam per inferiora secernentem materias abscessus memineris, id concesserim equidem de sola proposita vacuatione, sed medentes nos malis capitis & revulsionem quærimus; Quare hæ quidem atque aliæ fortasse rationes visæ sunt tanti nostri autoribus, ut cōfidenter & promptè cauteriis ad morbos capitis usi fuerint. Primum enim utilitatem hanc experti Æthyopes atque Ægyptii Medici, quorum medicinam est verò simile, primum à Græcis fluxisse, *Prospero Alpino confirmante in 2. de med. Ægypt. c. 9.* arterias temporum exurunt. E græcis verò *Hipp. l. 2. de morb.* 12. præter 6. crustas, quas binas circa aures, binas in occipitio hinc atque hinc ad cervicis nervum, duas in supremo naso, circa angulos binas, postremas ad arterias, quæ sunt circa aures imprimit, donec illæ pulsare desinant; advertit scalpris cuneiformibus obliquè pertundendas cauteriis atque ita servari quemcunq; laborantem: E posterioribus Græcis *Paulus* ad rheumata iisdem cuneatis cauteriis verticem inurit *l. 6. c. 2.* atque ita *Celsus l. 3. chron. Ioannes Arculanus in comm. super lib. Razes ad Mansorem, proprio suo capite*, cauterio in commissuram coronalem imposito materiam largam per ulcus semper apertum salubriter vacuat: idemque censuit *Bertrucius Bononiensis tract. 2. c. 1. & Bened. Victorius in cons. 12. autore citato Avenzoar in lib. Theisir.* Suspectum hunc imponendi cauterii locum habent nonnulli, quam ob causam commendarit id, quod *Mesvæus l. Grabad. 2. l. 1. part. 1. c. 4. sum. 8. & sum. 5. c. 2.* proposuit, *Rabbi verò Moses in expositione in 6. epid.* quæ legitur in eiusdem fragmētis, cauterium haud capiti, sed pectori defigendum decernit his verbis: oportet citò cauterizari pectus patientis in ulcere pulmonis, antequam ulcus putrefiat: Ante hunc virum *Isaacus Israëlita* nulla loci explicatione nucleiformi ferramento cutim adurendam præcipit, ad os usque, quod ipsum decernit, & lunatis cyclis ciscis deradendum. Ex qua re plurimum humorem manare videris, necesse est, inquit, ut os exscindatur, donec eschara cadat, ut eiusmodi humida materia per dissoluta loca repurgetur. Verum ad rheumata verticem inurendum expresse potuit *idem cap. 26.* in rheumate quoque capitis anteriorem partem inurendam constituit *Alsaravius tract. 2. prac. c. 2. & Avic. l. 3. fen. 1. tr. 1. cap. 29. cum enarratore Iacobo de partibus*; Suturam coronalem inurunt & rursus alii: *fen. 5. eiusdem 3. c. 13.* alii apertionem post aurem faciunt, quod adnotavit ex *M. Gatinaria Iacobus Sylvius in therap. meth. cap de catarrh.* [illegible]d sive sinciput, sive occiput adurendum laudat [illegible]*lbertus l. de thorac. affect. c. 4.* sinciput tantum, id est, suturam coronalem candente ferro tetigêre præclari duo anatomici, *Hieron.* inquam, *Fabricius. l. chir. oper. c. de strumis, & Felix Platerus tract. 3. prax. med. tit. qui est consumptionis pag. 114. & Io. Heurn. l. 1. meth. ad prax. cap. de caut. & Nic. Piso lib. 1. cap. 25. & Iacobus Fontanus lib. 1. pract. medicin. cap. 30. Ludovic. verò Mercatus lib. 2. de cur. morb. int. cap. 1.* parvas crustas in circumferentia capitis excitat, si modò fluxio ab externis vasis capitis ad eius intima fiat; secus enim gravem & periculo plenam hanc chirurgiam existimat. Post hos omnes si nostra licet exponere experimenta facilè nos hoc ignis usu crebro convicimus vanum in hoc multorum hominum fuisse timorem; præsertim in Matthæo Mauro Lucano qui feram tussi diuturnâ enectus exustâ mediâ suturâ liberatus est morbo. Verum enimvero non dissimulandum hic est quod *in lib. 5. art. med. cap. 41. advertit Andreas Cæsalp.* ne in membranam cerebri cum periculo phrenitidis, aut convulsionis transcurrat ignis exurentis, funiculo accenso, ut in nervosis locis consuevit Hippocrates. Altera necessaria est animadversio *Vincentii Alsarabii medici Romani primarii l. 1. de mor. c. lect. 9.* descripta, ne in catarrho, qui ab hepatis calidiore intemperatura proficiscitur, caput usturæ suppliciumluat, quod non deliquit: adderetur porro continens catarrho materia: deinde perpetuum est *Hippocr. 2. epid. sect. 1. præceptum*, ut infra morbum emissaria procurentur; alterum item requirit *Io. Heurn. lib. de mor. cap. 29.* ut si coronalis igne tractanda est, ex idiopathia cerebrum laboret, ad omnem modum imprimendum sensim, & quasi tentando, ferreum stylum advertit *Ioannes Baptista Montanus cons. 36.* narrans, ægrotos duos ex non desperato catarrho ab importuna ustura periisse. Hactenus ad destillationes plurima cauteria, & horum utilitates & comprobationes audisti: cæterum si ad viscera naturalia & ad hepar fiat defluxus, ut hydropem accersat secundum *Hippocratis placitum in lib. de locis in homine*, præcepit idem vir ad intercipiendum intercludendumq; humorem delabentem, ut caro in cervice inter venas tribus crustis uratur, & ubi una fuerit constringatur, & cicatrices quàm tenuissimę inducantur; cæterum fluxu in nares averso, ratione, quam ipse exposuit: in quam rem lege, quæ commentus est *Lazarus Sotus contextu commentarii 83.*

Historia.

Habes jam cauterii plurimam catarrho commoditatē Complexus autem complures sub hoc auxilio morbos est *Ioannes Mesvæus c. de præservatione* ab ægritudinibus oculorum his verbis. Juvamenta cauterii sunt multa & sublimia & proprie ad ægritudines capitis frigidas & humidas, sicut sodæ à materia frigida & humida, ut ovum, ut scotomia, & vertigo, & gravitas somni, & paralysis, & tortura, & pluralitas catarrhi, ut coryza & lapsus ad oculos, aures, nares, & uvam & fauces, & ad dolorem dentium, & gingivarum, & ad dolorem gutturis, & ad omnem destillationem, & generaliter ad omnes ægritudines ex catarrho frigidas & humidas.

Cæterum si terminum & imprimendi cauterii modum quæras; est tibi Razes, qui quando vas exuratur, eatenus adhibendum cauterium æstimavit, sed *Rusticus Placentinus Canonum universalium curandi capitis ex Avicenna glossator atq; expositor*, qui in operis postremo censuit procedendum ad usque superficiem pericranii. Ego verò cum *Dominico Galbano Estensi med. in l. 3. de Fontanell. c. 6.* imminenti cæcitati medens aliquando nō dubitavi

dubitavi sic ferrum candens cuti defixum continere, dum os pertingeretur, neq; detrimentum capitis ullum aut noxam secutam sensêre isti, id quod dixi equidem admiratus illud *Avicennæ quod posuit 4. fen. 1. c. 29. & tr. 3. eiusdem cap. 30.* cavendum ne ustione cerebrum cum fervescat. Sed enim hic in affectibus capitis calidis est timor: qua mente credo equidem principum hunc virum loquutum: ego enim & suturas coronalem & sagittalem qua committuntur attingere non sum veritus ac neq; incommode sicut in *exopyria c. de exostosi calvariæ sum ostensurus.*

CAPUT XII.

De paralysi palpebræ superioris.

CVm palpebra superior sic oblanguet, ut attolli nequeat: hanc *Albucasis* cauterio versus manubrium lunæ dimidiæ modo inflexo sic, ut palpebræ convexitudini quadret, modicè sic urit, ut transcurrendo vix tangat, deinde si vitii maiorem exiccatum atque ignis operam exigat, supercilii clivum longo tantundem ferramento deurit, declinatis, ut par est, proximis temporalis musculi finibus.

CAPUT XIII.

De fluxibus ad oculos continuis, epiphoris & ophthalmia.

EPiphoras Græci dicunt, quos vulgo lachrymarum defluxus, id est humoris tenuis vel serosi vocant, qui humor cum per venas interiores cerebri membranarum excurrit, ustio utique non est usui: cum verò per exteriores venas calvariæ fluit, huic defluxui intercipiendo *primus omnium Hippocrates l. de locis in homine n. 23.* arterias, quę inter aures ac tempora consistunt exurit, post hunc verò præterquam usturæ locum non attigit, *l. 4. c. 2.* quod fecit item *auctor introd. c. 18. & Gal. 2. de comp. medic. partium ubi de apophlegmatismis, Cornelius verò Celsus lib. 7. c. 7.* tum venas temporum, tum quæ inter frontem & calvariam sunt, adurit. Atque illud etiam subdidit ex Afris, verticem urilicere usque ad os, impresso ferramento, unde & squamma decisa veniat. Proponit quoque ex aliis gentibus cutem in summo vertice incisam aduri solitam: aliter *Paulus l. 6. c. 4.* nucleiformibus cauteriis circa verticem inurit sic, ut crusta sit excisura quæ mox dilapsa & deradit, ut amplior sit humoris nocui perspiratus. Meminit & Paulus sectorum pariter, & ustorum vasorum in temporibus, ubi calidorum atque acrium humorum affluxu tentantur oculi. Sed *Aetius ex Archigenis sententia lib. 6. c. 3. & ex Severo l. 7. c. 88. & ex Leonide l. 7. cap. 93.* fluente humore à fronte & musculis temporum iuxta exteriores oculorum canthos ad superciliorum fines inurit per cauteria nucleiformia. Quod si à sincipite decurvat humor constricto collo, vasa, quæ magis sublevantur, inurit.

Sed è Græcis posterioribus *Actuarius l. 3. meth. med. cap. 2.* de hac ustione sic professus est: oculis verò habentibus eas, quæ in temporibus potissimè, quæ oculos adire videntur, sique in toto capite dolorem genuerunt, eas iuxta coronam supra musculos temporales adurimus, neque ex nervis motui voluntario servientibus oblædamus, & ad os usque cauterium demittimus, ut omnes dissecemus, atque inde opem sentire ægri videntur, quibus caput dolet, ut & illi, quorum oculos vetusta defluxio infestavit. Hæc ille: cum hoc autem viro consentiit, & *Auctor anatomiæ vivorum*, cuius opus cum Galeni voluminibus circumfertur, *qui auctor cap. de anatomia venarum manus* & temporum arterias exurit, ut rheumatismi subtiles constringantur, qui ad oculos feruntur quod idem fecit & *Isaacus lib. 9. pract. cap. 78. & Razes qui lib. 9. cap. 12.* vasa temporum cum discissu perurendas voluit, & *Halyab. 9. pract. cap. 77. qui vir & cap. 76. eiusdem operis* & cutem sincipitis inurit ad detectum usque cranii. Quod si sanie multa scatere sit adversum, ipsum hoc lunatis scalpris exscindendum præcipit, donec eschara resultet: nimirum ut adapertis hisce locis viam expurgandi sui ipsius humor inveniat, quam rem & ipse *Albucasis lib. 1. cap. 2. & Isaacus lib. 9. pract. cap. 76.* docuêre. Ex his etiam est *Avicenna qui lib. 3. fen. 3. tr. cap. 9.* unicâ ustione super verticem contentus fuit, ut retineatur, inquit, catarrhus, atque hoc impresso cautere *lib. 16. cap. 11.* faciendum laudat *Ambrosius Paræus* ad usque ut os squammulam remittat. Simplici usturâ loci contentus fuit *Gualterius Bruelis in prax. med.* similiter ad omnem in oculos defluxum suturæ coronalis usturam laudavit *Mesuæus lib. 2. Grabad. sect. 1. part. 1. sum. 5. cap. 2. & cap. 3. & cap. 10. Arnoldus verò ex Avicennæ doctrina lib. 1. Breviar. cap. 14.* summitatem capitis inurit ad lacrymas. At *Hercules Saxonia lib. 1. panth. med. cap. 19.* pro hypospathismo quem factitarunt in hisce casibus antiqui, libens usturas & concedit, & approbat. Ad summam tam solennis & usu frequens fuit apud antiquos inustio capitis ad oculos fluxione tentatos opportune defendendos, ut & huius necessitatem agnoverit *Philosophus sect. 5. prob. 31.* Aliam urendi rationem apparatu longo verborum proposuêre *Rogerius lib. 1. chir. cap. 27.* quod inscripsit de rubore oculorum, & *Rulandus chirurgus lib. 1. rubr. 4.* similiter inscripta, id est, de ophthalmia, vel chemosi, quorum utraque loca vise. Credo autem hos æmulatos malè, maleque item interpretatos esse *Cornelium qui lib. 7. cap. 6. de fluxu pituitæ ad oculos* ait, quidam autem atramento duas duxêre lineas à media aure ad mediam alteram aurem, deinde à naribus ad verticem tum ubi lineæ committebantur scalpello inciaunt, & post sanguine effuso os ibidem adduxerunt.

Albucasis. E superioribus Græcis viris exemplum capiens *Albucasis*, & in sincipite & in occipitio, & in temporibus, quemadmodum & in suffusione inurit, mox etiam ubi pertinacem affectum hunc senserit, superciliorum extremum, quà temporalis musculus non attigit, tenui ferramento candente perurit. Aliter in hoc affectu medendo synciput insecat, & inurit memorato modo loco *Rulandus.* At *Theodericus l. 3. c. 4.* & caput medium

medium, & duo tempora inurit, si utrique oculi laborent, sin oculus alter, respondens noxæ latus tantum. *Gulielmus vero Rondeletius* tum quidem temporibus, tum vertici, tum etiam post aures usturam imprimit *lib. 1. de cur. mor. int. capite 61. quod est de lacrymis involuntariis*, sed ex recentissimis nostris hominibus *Ludovicus Mercatus* tribus in locis suâ quidem sententiâ decernit inurendũ, si fluxio sit externa, in medio videlicet frontis, quâ parte vena bifurcatur, & in utrisque temporibus. Mirari autem licet de hoc viro parum, quod cum interna fluxio statuitur, setonem occipitio defigit, tanquam ex interioribus venis delinquentibus revellendorum humorum huic remedio sit facultas. Verum enimvero fortasse coniunctum hoc præsidium voluit cum expurgationibus corporis crebris atque exacta victus ratione, sicut ipse explicat. Hactenus hæc nos, cæterum de capitis incurandis oculorum affectibus ustione, tradidit plura complexus *Antonius Fumanellus vir inter doctos celebratissimus*.

Animadversio in Ludovic. Mercatum.

Defenditur Lud.

CAPUT XIII.

De suffusis alieno humore oculis, & de horum obscuritate, atque aliis hoc genus quibusdam affectibus.

STatutum ab *Hippocrate fuerat l. de visu*, cum diutino sensim tempore corrumpuntur oculi colorem aquæ maris induentes (id in specie quadam Hypochysis accidit) ustionem venarum necessariam esse, quæ tamen illæ sint, non exposuit, nisi si palpebram interiorem, quam scalpro prius derasam minimè candentibus ferramentis tangit, libet annumerare, præter quem & venas dorsi spongiis oleo imbutis exurit *codice integriore Anutii Foesii*. Sed *Cor. Celsus* in temporibus deligit verius, ut apparet arterias, quam venas. Post quos utrosque viros *Albucasis* exactius rem explicans & in sincipite, & in occipite, & in tempore quod oculo laboranti proximum est, urendum docuit, atque in tempore sic, ut huius venæ & arteriæ longis impressis cauteriis discindantur omnes, quibus addidit, ut in cervice sub duobus ossibus, id est, ad cavitatem auriculæ posterioris paulò supra, quam ubi maxillæ coniunguntur ultima fiat inustio. Lege autem de inurendis temporum venis *Ioan. Dalechamp, Chir. Gall. c. 7.* De vasis ustione siccandis ita quidem isti, sed *Aetius* unicâ ad occipitium ustoriâ revulsione contentus fuit *ser. 7. cap. 49.* præter id vitii, & in cæteris omnibus, quæ oculos infestent, opinio fuit clarissimorum virorum apud *Laurentium Scholzium*, qui magnum volumen edidit, in consiliis non ut futura coronalis inuratur. Cui sententiæ & *M. Gatinaria in 9. Rasis* antea faverat, mox vero *Ioannes Heurnius est l. de capitis morb. c. 9.* Occipitiũ alii, è quibus est *Gulielmus Rondeletius*, perurunt; sed hoc avertendi gratiâ, non absumendi. Absumendo quidem in dilatata pupilla (platicorian Græci dicunt) arteriarum sive parotidum sive temporum ustionem suadet *Alex. Benedictus l. 3. cur. sing. corp. morb. c. 32.* in ophthalmia quoque desperata venas eorundem locorum inuri non improbat *idem l. 3. cap. 8.* Sed & nyctalopas capite usto curavit *Epiphanius Ferdinandus hist. med. 51.* Ad oculorum vero defluxus compescendos *Lazarus Sotus in com. ad l. Hippoc. de loc. in hominem tex. 15.* non inutiliter inuri scripsit venam in media auriculæ cartilagine, quam scaphulam à similitudine dixêre nostri.

CAPUT XIV.

De imminente cæcitate nervorumque opticorum obstructione.

OBstructioni oculorum, & ei cæcitati, quam vulgus medicorum guttam serenam appellare consuevit, medendæ, ac providè prævertendæ *Ioannes Fernelius vir herclè* tam in re nostra sapiens, quam experiens *in cons. 11.* nigri saponis, & vulgaris salis æquis portionibus imponit, eâ fiduciâ, quod humor sic intercipitur, qui à vena per eum locum excurrentem ad inferiores oculos defertur, quod si verum est, ut sanè anatome comprobat, quid vetat ut leviculus ad hanc partem ignis adhiberi debeat, quod eo libentius fieri licebit, quod *Razes, Mesuæus, & Lanfrancus, M. Gatinaria, Iacobus Sylvius, G. Rondeletius, Theodoricus celebris chirurgus & Ioan. Heurnius* quemadmodum nos in *libello de cauteriis* posterius enarrabimus hunc aperiendi cauterii locum communibus calculis approbarunt. *Qui Ioannes Heurnius lib. de capitis morb. cap. 9. & lib. 1. meth. ad prax.* pro cæcitate curanda coronalem inurit, arterias verò temporum ex *Hippocr. sententiâ in l. de loc. in homine tex. 52. Lazarus Sotus.*

CAP. XV.

De Lacrymis involuntariis.

FLuunt ex oculis lachrymę pręter voluntatem, id est, nulla tristitiæ occasione, sed partis alicuius vitio, cuius causa est vel oculi angulorum laxitas & apertio, vel rhyas, vel palpebrarum ulcus, id est, fistula vulgo dicta lachrymalis, qui defectus est carnis, quæ obturabili cuiusdam loco poros replet & claudit. Concitatur autem defluxus à contentrice debili, vel expultrice valida cerebri, cum oneratum ab aqueo multo humore levat. Huius effectus difficilis est curatio, cum per interiores venas fit defluxio, cæterum eius, quæ per exteriores est, & anacollematis & remediis astringentibus, atque absorbentibus sua est medela, verum efficacissimè finietur morbus per cauteria, quæ crustas excitant vel temporibus, vel locis post aures, vel vertici. Tempora porrò *Alsarab. tr. 4. sect. 1. c. 21.* coronalem etiam inurendam præcipit *Mesuæus l. 2. Grabad. sect. 1. par. 1. sum. 5. c. 10.* & hunc sequutus *Bertrucius Bononiensis tract. 3. sect. 1. c. 2.* qui ad os usque cauterium imprimi voluit, curari autem debet ut aperta ulcera diu maneant, ita enim *Gulielmus Rondeletius l. cur. morb. c. 61.*

Mesuæ

CAPUT XVI.

De Oculi procidentia.

Difficilis & medicamentis omnibus plerumq; est oculi proptosis sive prolapsus, cui medendo aut suturæ coronali cauterium imprimit *Ioan. Mesuæus l. 2. Grab. sect. 1. part. 1 summ. 5. c. 13.* aut arterias temporum inurit.

CAP. XVII.

De parotide maligna.

Universis parotidis tres esse exitus comperimus: aliis enim febre laborantibus suppurantur & effuso pure sanescunt; aliis evanescunt; hoc est, repente atque insperato disparent; aliis neque evanescunt, neque suppurantur sed persistunt, usque dum homo interit, aut ipsis paulatim resolutis liberatur. Ego, quid in huiusmodi ægrotis, quibus per febres malignas parotides oriuntur, facere soleam, dicere hoc loco non gravabor, quandoquidem censeo, multos esse ita servatos, qui alioquin interiissent. Mox ac oriri incipiunt, partem laxante oleo faceo, ut chamæmelino, atque si exire cunctentur, loco ipsi cucurbitam affigo, ne abscessus sit minor, quã ut possit, conferre, ubi autem satis manifestus iam factus sit, si brevi increscat plurimum, mitto rursum sanguinem, ne sit maior, quam possit sustinere: mox verò dum adhuc tumorem, neque ullâ suppuratione expectatâ, ignito ferro aperio, altera quidem in partem, si alteram solum obsederit tumor, in utraque verò, si utramque & cataplasma suppurans appono. Plerumque res cedit bene, nam brevi computrescente post inustã escharam tumore manare pus incipit, & per id orificium caput & reliqua viscera perpurgantur. Neque hoc cuipiam videri debet atrox: pars enim adenosa per se quidem vilis est, quamque ob id licet urere & secare & utrumque contemnere. Hæc *Franciscus Vallesius comm. in l. 7. epidemiorum partic. 42.* quæ quidem omnia propterea, quod efficaci nostræ medicinæ mirè favent, non dubitavimus integre recitare: quemadmodum neq; illa quæ scripta *commentario 6. eiusdem operis partic. 16* sunt hæc. Quanti usus fuerit Hippocrati ustio, sæpe iam animadvertimus: Ego quoque iam in parotidibus, quæ ex morbis aliis non leuibus fiunt, citò vel nullâ expectatâ suppuratione utor in ipso tumore: nullâ enim melius ratione providetur, ne tumor recurrat: sed materia per ipsũ ulcus quod infligitur, expurgetur. Eadem quæ Vallesio sententia, fuit *Ludovico Mercato in l. 7. de febre pestilen. & maligna capite ultimo*: licet fortasse timidius agenti candente auro, vel levi aliquo ferramento eas unico foramine aperit, ut veneni vis aut imodica humorum copia facilius expiret. Quo sanè auxilio plurimos veluti deploratos sanitati fuisse restitutos compertũ est, inquit. Huic ad unguem decreto adhæsit & *Thomas Grossius Professor Ferrariensis primarius in comm. de febribus ubi de parotide pestilenti.*

CAPUT XVIII.

De aurium interiore dolore.

Aures internas, cum inexpugnabilis medicamentis dolor occuparit, atque hoc diu, propterea quod frigidus ac lentus oppido inhæsit humor, discutiendum hunc vult *Albucasis l. 1. c. 6.* cautere punctorio in superiori auriculæ ambitu, decem circiter impressis crustis. Miratus autem est Costæus, cur non interiorem potius partem præceperit inurendam. Verum *Cornelius l. 7. c. 8.* neque hanc in surditate attingi oportere nos monuit, ne distentio nervorum oriatur, ex qua mortis periculum sit. Præter hos verò cuiusquam ad aures defluxus remedium suturæ coronalis ustionem proposuit *Mesuæus l. 2. Grabadin. sect. 1. part. 1. sum. c. 2.*

Adversus Io. Castæũ productus Cor. Celsus

CAP. XIX.

De Oris Distorsione.

Oris distorsio sive fiat paralysi, sive convulsione, dummodo causam agnoscat plenitudinem, decreverunt omnes vitium ustione medendum in parte tamen verè affecta, atque hanc Albucasis sententiam interpretatur *Ioan. Costæus*; unum discrimen intercedit quod cum Razes, Avizenna, Mesuæus supra aures, & in temporibus factitandam ambustionem voluerint; *Albucasis* privatim in connexu maxillarum, ubi scilicet cavum est auris, deinde etiam à temporalis musculi fine ad locum paulò inferius tempori pertracto cauterio. Sed & *Mesuæus l. 2. Grabad. sum. 4. c. 3. & sum. 5. c. 2.* præter id, quod loco post aures crustas inducit, etiam secus colli vertebras unas, binas, aut ternas alternè respondentes usturas fecit. Sequutus Mesuæum est *Bertruccius Bononiensis*, vir iter pragmaticos Arabistas non incelebris, sed parte duntaxat eâ, quâ cauterium post aurem eiusdem lateris vult excitari, verum enim vero præter istorum de inurendo loco opinionem, aut verius enumerationem, quæ mea fuerit observatio dicam, namque arbitror equidem quo loco primum concepta materia fuit, (nempe sub cute plerumque defluit ac repit,) hoc esse defigendum cauterium ut exhauriatur humor, atque huius exitus paretur.

CAP. XX.

De Dentium Dolore.

Dentes plerumque dolore calido ab arteriis superioribus facto defluxu ex *Actuario lib. 3. meth. med. c. 2.* discimus: qui idem vir ob eandem causam arterias, quæ sub aurem feruntur, secat, atque adurit tactu prius sub auriculæ fibram pulsantium deprehenso. Sed *Io. Platearius in pract. meth. cur. morb. c. 3. & Arnaldus l. 2. Breviar. c. 34.* Venam quæ est in aure secat, & parvo sanguine exire permisso per tenue ferramentum calens secturæ locum coquit l. 10. ex qua re primum fluxit opinor, quod & stupori, siderationiq; dentium vetusto & dolori acri dentium usitatum à quodã Hispano (alii Galliæ referunt remedium della Royne nuncupatum) Anthelicis in aure exteriore inustio per ferramentum candens, quod est

Arteriotomia.

acies

Instrumenti forma.

acies concava respōdens convexo particulæ quod ipsum ob longo scapo fabricatum cum commodo manubriolo demittitur per ferream vaginulam quanta poteat satis masculo cauterio. Meminit huius rei *Ioannes Riolanus in Anthropologia l. 4. c. 5. p. 450. Ludovicus Mercatus de med. morb. operis fine.* Verba autẽ Riolani, quoniam adnotatu digna, puto sunt hæc: Notandus diligenter surculus à carotide deductus, qui auris antitragum perreptat, maxillam superiorem irrigaturus, ut singulis dentibus spiritum vitalem suppeditet; per eum ramum fluxionem in dentes fieri puto; quoniam eo resecto miraculi instar sedatam vidi odontalgiam propter commeatum serosi & acris humoris interceptum, erat quidem Parisiis qui ex hac sola apertione magnum quæstum faciebat, hæc ille: cui quidem aliquâ parte concordare videtur *Eustachius l. de dentib. è postremo*, qui cum dentes obfluentium humorum impetum dolent, medicamenta topica ad fluxum intercipiendum post aures admovenda esse proposuit, quia nervi inde & vasa ipsorum proficiscuntur. Explicatius autem hanc aurium cum dentibus syntimoriam attigit *Franc. Vallesius in 4. epid. 26.* per hæc; Communio magna est dentibus cum aure, cum quintæ coniugationis nervorum cerebri pars abeat ad aurem; pars concrescat prope maxillarum articulationem; cum parte tertiæ, quæ mittit surculos in dentes. Cæterum dolores omnes dentium & gingivarum, qui sunt ex defluxu suturæ coronalis, ustione curari docuit *Io. Mesuæus l. 1. grabad. sum. 5. c. 2.* eas verò molestias, quæ à gingivarum sunt putredine, radicibus horum inustis castigat *Gariopontus lib. 1. cap. 17.* sic autem & vermes excuti posse docuit *Alsaravius tractatu 7. cap. 4.*

CAP. XXI.

De privata linguæ paralysi.

SEd linguæ resolutionem *Mesuæus l. 2. Grabad. sect. 1. p. 1. sum. 8. cap. 14.* ignis vi tractandam proposuit ad hunc modum: fiant, inquit, tria cauteria secundum longum in fontanella puppis capitis, quo dicitur lenialis: & duo fiant ex transverso in radice cranii distantia ad mensuram pollicis, & tria hinc, & tria inde lateraliter distincta separantia colli spondylia, ita quidem ille: puto verò lenialis occipitis cavum, unde spinæ medulla habet initium; in quo loco crustam unam 3. aut 4. in vertice, unam ex his in medio capite, tres circum ipsum in fluxuras omnes parat *Aetius tetr. 3. ser. 2. c. 28.*

CAPVT XXII.

De lingua ad loquendum impedimento.

SErvit lingua inter plura suæ conformationis officia promptæ loquelæ, quę cum desideratur in ipsa propter nervos humore nimio suffusos ex multis medendi rationibus, quæ huic vitio consulunt, est una aversoria discussoriaque ad vertebras cervicis, & ex hoc genere optima & efficacissima est ustio, quam triplicem cum feceris, ferreo aureove cautere, olivę nuclei formâ secundum primarum vertebrarum rectitudinem impresso, ad medii eiusdem olivæ nuclei mensuram, prima inquam in inio, id est, in ipsa primæ vertebræ commissura, secundam sub prima statim vertebra, tertia sub cavitatula secundæ, quarta duplicem ad radicem primæ calvariæ, id est, unam atq; alteram hinc, atque hinc à medio clivo dissitam uno pollice. Hanc chirurgiã primus omnium quos legi, proposuit *Io. Arculanus com. ad 9. Razæ ad Mans. 1. c. 59.*

CAP. XXIII.

De ulceribus & vitiis interiorum narium.

COnsuetudinaria ulcera, quę sunt, sicut crustę botorum & asperitas rubei coloris rosarum curantur duobus cauteriis, positis inter labia & gingivas iuxta dentes caninos, ut ascendant hinc inde ad colatoria nasi; ad consolidatum verò confert cauterium in Zuendeg. Hæc *Mesuæus lib. 2. Grabadin. c. de vulnerib. & ulceribus narium*: quem sequitur & *Ioannes Arculanus in com. ad 11. Raz. cap. 40.*

CAPVT XXIV.

De polypo.

POlypi siquidem altior est vitii causa, quam ut ipsum solum sarcoma spectandũ curandumq; sit: sed capite superno proficiscatur contages vel tumorem præstruens, vel incrementa moliens, vel recursum præparans & faciens; huic nos obsisti docebimus per eadem ustionis adiumenta, quæ vel humorem morbiferum absumant vel intercipiant, vel derivent, vel quomodolibet avertant: quæ quidem opera procuranda monstravit autores veteres ad hunc modum. *Albucasis* voluit inurendum tribus inductis crustis, una sincipiti per olivare ferramentum, duabus supra cilia non longè à capillorum confinio, claviformibus cauteriis, quæ clavilia vocat, & picturâ propriâ repræsentat. Post Albucasin verò avertendarum causarum gratiâ suturæ coronalis loco crustas excitat *Ioannes Mesuæus l. 2. Grabad. sect. 1. par. 1. sum. 7. c. 5. & c. 6.* atque omni ad nares defluxui prævertendo *lib. eod. summa quinta cap. 2.* Sed Rulandus l. 1. c. 19. loco, qui supra frontem tres digitos ad ægroti manus dimensis, prout describit *eodem lib. rubrica 4.* cauterium imprimit sic, ut minimè quidem calvaria, sed musculus attingatur. Credendum autem pro musculo carnosam membranam quæ musculum in frontem refert intelligendam. Cæterum ad derivandum nemo è scriptoribus practicis est, qui fonticulum emissarium in brachio excitandum non proposuerit.

CAP. XXV.

De Tonsillis.

TOnsillas eas, quæ inflammatione non tentatæ, tuberis tamen ampliatis finibus negotium haustus anhelitusq; facessunt, ut scalpro vel candente ferramento curare possit ipsas medicus, alibi monstravimus, brevi nunc ut eædem ferro non tactæ, sed aliorum humore, qui delinquit, tracto reprimantur, docebimus, usi auctore *Alexandro Bened. qui lib. de cur. morb. cap. 14,* supra flexum manus exteriorem instrumento inurit,

inurit, ardente nimirum, ut inde diversio procuretur, quod & cucurbitulis cruentis & frictionibus cum dolore quaesitis etiamnum per teretem ligellam, tum idem vir isto ipso loco, tum *Zerbus in anatome* tradidêre, qui Zerbus & interceptionem in hac reposuit, quam equidem puto fieri, quod axillaris portio, quae descendit ad brachia, & iugularis uterque ramus, qui glandulas hasce alit, ex una sunt propagine, ascendentis venae magnae.

CAP. XXVI.

De Rancedine ac spiritus angustia.

VStiones in his affectibus faciendas proposuit *Albucasis l. 1. c. 25.* sub initio gutturis in nocrate per eum appellato loco, quod inion Graecis est, suspensâ manu, neque nimium impresso cautere, deinde in ultima cervicis vertebra extremû adacto ferramento claviformi, ad hunc modum ille. Caeterum gutturis omnes labores suturae coronalis ustione minui docuit nos *Mesuaeus l. 2. Grabad. sect. 1. part. 1. sum. 5. c. 2.*

CAPVT XXVII.

De strumis.

ESt strumae vitium ita contumax, & refractarium, ut unum quodque remedium cogamur in ipso profligando non emittere, quodnam autem igne praestantius? itaque hoc in abscindendo ad partes inferiores deflexu nonnulli utuntur in Hispania, ex Mauris, & Arabibus ut arbitror, delato. Cartilagines enim auricularum cauteriis punticulatis freno quod dentibus superioribus labio subtus appendulo praeciso côurunt, testatusque est *Ioannes Fragosus principum Austriacorum quondam Medicus in Apost. glossa quaest. 63.* expertum se hocce praesidii nobilem opem in ipso reperisse, quod experimentum, factitandum aut secus equidem nolui te celare curiose lector.

CAP. XXVIII.

De Tetano, emprosthotono, opisthotono omnique distentione.

TEtano quidem, id est, cervicibus distentis sic, ut immobiles perstent, faciendam imperavit Cornelius ustionem *l. 4. c. 3.* quod cum facit, intellexisse putandum est ex repletione profectû vitium, non autem ex inanitione. Jam vero cum locum cautere tangendum non expresserit credendum est, inter tendines voluisse, quemadmodum certè *Hipp. l. 3. de morb.* dolenti ceruici medendae proposuit, aut ad primam vertebram, & deinceps ad aliquot alias. Hanc isti viri magni de tetano decreverunt ustionem: Caeterum emprosthotonum patientem, Neapoli vidi quendam senem, cui non tam ob aetatis vitium, quam morbi, non alius esse poterat ingressus, quam incurvo & cernuo corpore, res certè miseranda pariter & mira; ut longè ante pedes ex porrecto capite universum eundo dorsum inflecteret. Contracturam quoque capitis in genua globi cuiusdam modo visam à se in iuvencula, & marito refert *Isaias Messebsmerus lib. de obs. apud Ioannem Schenckium lib. 5. cap. de dorso & spina.* Huic igitur utrique vitio facilè crediderim equidem crustas ad ungulas vertebrarum, intercapedines congruere, propterea, quod exiccans extrorsum ignis necessariò directurus est spinam, sed & episthotono aequè ut tetano ignem adhibendum decernit *Hipp. l. 3. de morb. n. 14.* Ita quidem in viris & natu grandibus, caeterum in pueris etiam lactantibus conducibilem, ad cervicis primas vertebras energeticum cauterium testatus est *Iacobus Pons introductione tyronis medic. atque alii.*

CAP. XXIX.

De cervicis partiumque inferiorum acuto dolore capite coaffecto.

EX humore pituitoso destillante à capite cietur interdum dolor acutus, & capitis, & lumborum, musculorumque, qui istis assident, nec sine tabe corporis. Homini igitur, qui haec patitur, postquam certis quibusdam alimentis, & vivendi rationibus crassior fuerit factus, decernit Hipp. ustorias quam plurimas crustas: in lumborum fossulis, quae ab utraque ipsorum parte spectantur: quatuor, quindecim utrinque ad spinam dorsi, & duas in cervicibus, inter tendines certè ad inaniendum, quo consilio & Scythas apud eundem autorem legimus *l. de aëre, aquis & locis,* membra sibi exurere consuetos, quod si succedit, meâ quidem opinione, licebit etiam nobis in contumaci & multorum annorum venereae luis defluvio, quod falsò gonorrhaeam vocant, lumbos atque eam dorsi partem, quae dolet, inurere, nisi etiam inguina eodem modo tentemus.

De ustione ad gonorrhaeam Syphiliam contumacem nostrae urendi placitum.

CAP. XXX.

De gibbere puerorum.

ACcidit persaepe pueris gibber, latinè strumosos placuit *Alex. Bened. nominare lib. 29.* cui necessarium est occurrere principio, cum verò non liceat medicamentis, expediet uti consilio *Albuc. l. 1. c. 4. & Avicenna l. 3. fen. 22. tr. 2. c. 14.* confirmantium id assequi ferramentis candentibus ex quibus circulare unum erit, quo postremam dorsi vertebram amplectente ad eandem urendam uteris. Alterum instrumentum erit punctiforme, quo ignito duas, aut tres lineas describes circum vertebras, crustulas inducendo. Meminit & cauterii in hanc rem usus *Ioan. Serap. tract. 5. pract. cap. 26.* Verum administrationis & loci urendi quidpiam non explicat; quemadmodum etiam non explicavit *Guil. à Salicetto lib. 5. chir. cap. 2.* ad spinam gibberis cauterium proponens, è nuperrimis *Durantes Scacchius l. 1. subsid. medic.* circulari magno cauterio gibberum tractari voluit, ab Albucasi formam instrumenti, sicut opinor mutuatus.

CAP. XXXI.

De asthmate ac tussi diuturna.

ASthmati ac tussi pertinacibus plerique veterum ustione succurrerunt; quemadmodum testatur *Caelius Aurelianus chron. pass. cap. 1.* Affectui aliquantisper progresso statuit *Paulus lib. 6. cap. 53.* ustionem circa verticem olivaribus ferra-

...torin.

ferramentis adusque os impressis sic, ut crusta sit excisura: quâ postmodum lapsa, & os deradendũ præcipit, quo facilius ex illo hiatu sit humoris subiecti perspiratus. Verum, *Aetius l. 6. cap. 57.* inveterato iam morbo quindecim crustas decernit iuxta mediam compaginem clavicularum utrinque, unam sub mento, duas suspensa manu leves & parvas sub mammillis intra tertiam & quartam costam, duasque inter quintam & sextam in posticis, in medio pectore unam, & ad xyphoidem unam, inter octavam & nonam utrinque unam, in medio dorso unam, & paululum infra hanc duas, utrinque unam: interim cavendum ait, ut ne tum aspera arteria, tum ne sphagitides suis locis offendantur, crustæ verò, quæ intra cervicem inducuntur latæ, sed secundum altitudinem mediocres excitentur; deniq; procurandum, ut ulcera quam diutissimè perdurent aperta. Ad hunc quidem modum Aetius, cuius sententiam in vetusto & contumaci affectu hoc nostro seculo pyrophobo non dubitavit approbare non indiligens veterum observator *Alexander Massarias*, qui & ad caput ipsum inustas crustas non improbavit. *l. 2. de curand. morb. cap. 2.* *Albucasis* duobus cauteriis exulcerat supra claviculam locis inanibus & resimis, deinde in medio pectore inter duas mammas cauterum tricipiti perurit secundum longitudinem corporis: hæc ille, cuius certe sententiam, utcumque licuit, attulimus, quam absurditate rerum & obscuritate verborum nimium excedente diffisus est attrectare. Simplicissimè inter hos omnes *Mesuæus l. 2. Grabad. part. 2. sect. p. sum. 2. cap. 1. & cap. 2.* suturam coronalem inurit. At pectus exurere consueverunt Ægyptii *referente Prospero Alpino in l. 10. med. meth. c. 13.* per panneum involucrum pyramidis formâ secundum basim pectori impositum & accensum, cuius ipsius parandi rationem *lib. tertio de medicina Aegyptiorũ c. 12.* exposuit. Ad hos omnes nõ tacendus est Arnoldus, qui ad crassæ atq; humidæ materiæ asthmata, nodum, utinquit, comissuram ego interiorẽ intelligo, furculæ inurit *l. 2. Breviarii c. 7.* atq; ita etiã sensisse videtur *Theodoricus l. 3. chir. c. 45.* medium vero pectus inurit *Iac. Holl. l. de cur. mor. int. c. 25.* Ita quidem hi omnes asthmati; sed & orthopneæ *Gariopontus l. 2. rei med. c. 13.* thoracem ipsum cauterio ferit: Hactenus producta hæc est omnis chirurgia ad homines promiscuè, cæterum in fœminis privatim, quæ capite coaffecto respirationis defectum pati consuevere, cauterium & suturæ coronali inprimit *Felix Platerus pract. medic. titulo quem præposuit depravatæ respirationis p. 476.* Nos autem & huius omnem apparatum in fine libri diligentius repetemus. Vbi verò *Hieronymus Mercurialis oper. de cur. morb. c. de asthmate pectoris* has usturas non probat; contra est *Epiphanius Ferdinandus in histor. medic. 48.* testatus se felicissimo cum successu complures hoc remedii genere persanasse. At *Hieronymus Fabricius vir cæteroquin à chirurgiis asperioribus alienus l. de oper. chir. cap. de fon.* ad suturam coronalem professus est in memorato modo cauterium, experimentum à se comprobatum proficuum, & asthmati, & phthisi, & empyemati & omnino spirandi difficultati, & ad revellendos humores qui ad thoracem descendunt & partes spiritales oblædunt.

CAP. XXXII.

De phthoë ac phthisi.

AD hæc verò ineuntem iuxta sagittalem suturam caput inurit *l. eod. c. 9.* phthoæ quoque cauterium insigit capiti, *Nic. Piso l. 2. de morb. intern. cur. c. 6.* & è nostris *Epiphanius Ferdinandus, in hist. med. 65. & 74.* ante quem virum *Io. Zechius in suffocationis* cæcitatisq; periculis duntaxat huius loci deustionem admisit, *cons. 1.* homo alioquin, ut videtur, non minimum ignis administrandi timidus, qui talis nihilominus usu ignis ad caput usque ad ossis elisum tutiorem quam alterum sine elisu: sed membranam tangentem fecit metu, scil. ne ista convellatur sed revera melius *Helidæo de Paduanis medico eius temporis experientissimo qui in cons. apud Scholsium 80.* cauterium suturæ coronali usque ad pericranium impressum tam mire pro medendo hoc affectu laudavit, ut super omnia certissimum auxilium statuerit. Ad quam sententiam accessit & *Ioannes Heurnius lib. de mor. pector. c. 7. & Iac. Fontanus l. 1. pract. medic. c. 5.* Verum enim verò præter capitis partes *Celsus etiam l. 3. c. 22.* ferramento candente uno loco sub mento, altero in gutture, duabus ad mammam utramque, item sub imis ossibus scapularum inurit, sed & ipsum thoracem *Gariopontus l. 2. rei medic. c. 5.*

CAPVT XXXIII.

De Pleuritide.

PLeuritidis inurendæ vetustissimũ fuisse usum indicant ea, quæ scripta reliquit *Gal. com. 7. aph. 4.* Evagoræ filius Cynesias è morbo laterali aridus, puris expers calamacea gerens crura, nuncius tabis pluribus escharis corpus inustus prodiit in concionem &c. quas locorum escharas unus ex his quos legerim græcorum explicavit *Aetius*, qui pectus in orbem inussit, quemadmodum in Asthmaticis *tetrab. 2. ser. 4. c. 67.* E Latinis etiam unus *Octavius Horatianus ad Euporistum c. 4.* quod est de pleuritide, ubi multa & ex diætetico & ex pharmaceutico genere proposuit, ad extremum ita decernit; Locis verò impatienter dolentibus etiam ustionem impono, ita enim frequenter ad peripneumoniacorum non permittetur æger vicina pervenire pericula, ex Arabibus postremo fuit *Avic. l. 1. fen. 20. tr. 5. c. 4.* ex Arabistis verò *Nicolaus Florentinus p. suo loco proprio.* Hæc ille de cruda pleuritide: cæterum ad suppuratam commode medendam instrumenta & urendi rationem luculenter exposuit *Ambros. Paræus l. 7. c. 10.* cuius rei administratio sanè alia non est, quam empiycorum, de qua etiam mox dicemus: Assensus & huic operæ videtur *Ioannes Argenterius*, qui *l. 6. aph. 27. & 7. aph. 45.* scriptum reliquit, plerosque pleuriticorum sanatum iri, siquidem inter costarum spacium aperiretur. Cuius sententiæ fuit & *Ioan. Fragosus Glossa 354. vul. quæst. 112. & Fr. Vallesius in lib. epid. sect. 3. p. 140.* E nuperioribus vero scriptoribus *Cæsar Macha*

Principum

Principum Subalpinorum Medicus senior cons. 51. paracentesin non improbat & *cons.* 104. Locum describit, qui est inter 31. & 41. costam, vel inter 4. & 5. numeratis infernè sursum veris duntaxat costis. Hanc nos chirurgiam plus semel experti sumus in Valetudinarii nostri languentibus; felicissimè verò in homine quodam Gallo, qui delirio febre ardenti fermè fuerat exanimatus & à nostris physiatris conclamatus inter 3. & 4. factâ pertusione restitutus est brevi; Rem admirantibus & sacrarum ædium medicis & religiosis assistentibus sacerdotibus, qui visunt ægrotos ac denique studiosis practicæ medicinæ doctissimi viri Marii Schipani, &c.

Verum enimvero longe alia Isaaci Israëlitæ fuit sententia, qui l. 9. pract. c. 82. per ferramenta pectus inuri non patitur metu mortis inferendæ vel fistulæ. Veram ustionem faciendam vult radice aristolochiæ longæ oleo intincta, & accensa, loca autem igne tangenda: prima cathena, ut inquit, gulæ (hic quis locus incertum est, sed claviculæ aut harum confinium credendum) usturæ vero sint binæ mediocres vel magna, una, intercapedini 3. & 4. costæ à superioribus incepto numero secundam, 3. inter 3. & 6. dorsi costam, 4. duæ crustæ circa abscessum ipsum hinc atque hinc, 5. & postrema in medio stomachi loco supensa manu facta ustura.

Hæc quidem isti de pleuritide simpliciter dicta & ut videtur, non epidemica neque maligna: verum de hac sive per ferrum candens sive per frigidum dissecanda, internorum chirurgia memini me dixisse.

CAPVT XXXIV.

De Peripneumonia.

IN pulmonia curanda si principio non affueris, inquit *Hipp. l. de int. aff.* lacte hominem crassefactum in pectore, ac dorso urito, ita enim maximè ex morbo liberari poterit, & paulò posterius in pectoris disruptione statim lacte in potu dato, pectus & dorsum inurendum; nam celerrimè sanantur, ad cuius exemplum *Arnoldus Villanovanus* ad ignem purum sive, ut ipse inquit, fumo incalefacit pectus & dorsum, sed remedium est invalidum inquit *Andreas Cæsalpinus in opere artis medicæ.*

Similiter autẽ ad erysipelatẽ pulmonis exsorbendum, si iunior tantum sit homo, qui curatur, pectus ac dorsum inurit *idem Hippocrates lib. 2. de morb. cap. de erysipelate pulmonis inscripto.*

CAPVT XXXV.

De ruptura in pectore dorsoque.

SVppurationes medio ventre fieri multis ex causis docuit *Hipp. l. 1. de morb.* ex defluxibus scilicet, tum bilis, tum pituitæ ex lethargo & angina, ex pleuritide & peripneumonia, ex vulneribus, è ruptura ex carne contusa, &c. Ex arteria verò aspera bifariam percussa communem unum suppurandi modum posuit Hippocr. Vnus ictus quo arteria plenum conscissum passa est, & sanguis tussiendo reiicitur & fauces sanguine latenter implentur; grumis tantum eiectis cum aliis quibusdam & sputi globosi & bronchiorum pulmonis reiectatricibus, quæ & qualia describit idem *Hipp. l. 2. de morb. c. isto.* Alter ictus est non plenâ arteriæ solutione sed divulsione per quam venis minimis descriptis diffusus in poros sanguis post aliquod tempus in pus vertitur. Gravior autem ab hoc autore pronunciatur prior casus quo sanguis è venis egressus non educitur. Sed per pulmonis substantiam diffusus conservatur, ac demum putrescit, inflammationemque movet. Sed de modis suppurationis obiter ex his omnibus illa nunc à nobis est pervidenda, quæ è vi illata suscipitur, sive anteriore, sive posteriore thorace, quam ob rem de pectore vel dorso rupto propositus est titulus *ab Hippocr. 2. lib. de morb. & l. de int. affect. n. 9.* incertum quidem, quas partes similares ruptas ibi auctor intelligat, ut exinde tantum sequuturum detrimentum timeatur, aut præsens malum sit, ut ignem desideret, ego tum venam, tum carnem contendo; & venam quidem sic rumpi cum *Petro Salio* interpretor, ut non discissa sit omnino, sed soluta sic, ut sanguis manare queat; vel factâ vasis in altum avulsione: utraque ratione fiant tubercula necesse est, in priore quidem casu, quod è confracto vaso exudans sanguis in spatio vasis circumsita suffunditur, qui fervens ac putrescens demum suppuratur: in altero verò casu fiunt tubercula, quod tractis in longum vi partibus erosis, atque ex parte diruptis attenuatisque, sanguis subit irrumpitque, quâ vitiata pars cedit in aliquam extuberantiam, ac fit veluti varicula. Quod autem in vasis dixi, id etiam in carne traditum esto. Igitur si pectus, aut dorsum secundum carnes potissimum, sed & secundum vasa fuerit disruptum cum dolore atque calore, saliva sub tussiendo reiecta cruenta sit, ut pilus veluti sanguis appareat homini, qui manibus, curru, equo fatigatus fuerit; in antico, tum postico thorace crustas complures inuritor. Ad hunc ferè modum *Hipp. 2. de morb. num. 60. & lib. etiam priore eiusdem operis num.* 11. Meminit autem & eiusdem rei vir idem in *lib. de loc. in homine text. eponentium* 63. lege autem & quæ de hac re *Lazarus Sotus* eundem locum interpretatus disputavit. Nos eius rei observationem nostram quampiam, quæ confirmationi dogmatis Hippocratici sit, hanc addere possumus. Antonello Turco Sancti Antymi oppidario viro XL. annos nato, ex ictu ligneæ clavæ duos iam menses accepto, venit ad nos sputa purulenta reiectans macilentus, imbecillis, dispnæa laborans & pene confectus, cum abscessu insuper ad sextam circiter costam thoracis postici prælato: quem abscessum tum ad interni, tum ad externi puris exhaustum continuò candente spatha perussimus. E quo vulnere nonnulla præsentia nec cum sevamento sanies effusa est; sed mirabilius fuit quod ab ustura nullum amplius excrementum ore reiectum est homini, qui deinceps etiam bellè habuit. Adeo verum rarumque est è ruptura & collisione pectoris insigni empyema fieri. Admiratus est quoque rem

Historia. Anno 1630.

mecum Gregorius Scalfatus languentium Prætorii Neapolitani medicus eruditus.

CAPVT XXXVI.

De Empyemate, & Empyicis & quomodocunque suppuratis.

NEgotium hoc de urendis empyicis & si implicatum difficultatibus est; quare disceptationibus exigit plurimum, nihilominus à me tractabitur nunc brevi, propterea quod aliis sectione perficiendum constitui; thoracis ustio duplex fuit antiquis, altera quæ cavitatem, & pus pertingit, altera per crustas duntaxat cutetenus & citra musculos; porrò cum Hippoc. urendos empyicos sæpe professus fuerit *ut lib. 6. epid. & 1. de morb. 11. & 14. & lib. de int. affect. 2. eiusdem operis 45. 57. 58. & l. 4. epid. P.* atque aliis; nullibi tamen utrumuis ustionis modum amplectendum vellet; apertè explicuit; quanquam *l. 3. de morb. 29.* cum præcipit *enarratore Petro Salio text.* 68. ut usque ad 12. diem pus paulatim; non affatim; effluere permittamus à 12. verò die pus quam copiosius, & citius possumus, educamus: constare certè potest de ustione in cavum abdominis penetrante loquutum: deinde & aliud evincit, quod *eodem ipso 3. de morb. 26. 27. 28.* sectionem aut ustionem arbitratu nostro proponit: nisi enim ustio in pertusum thoracis præcipitur, quo quæ substituitur sectio? sit ne fortassis hæc ad cutem duntaxat violandam ex quo usu? Sed semel denique rem hanc evincam *Hippocrate ipso teste qui l. 7. aph.* 44. illud oraculi pertulit, si empyis cum uruntur aut secantur purum & album pus effluat, evadunt; si vero subcruentum feculentum & fœtidum, pereunt. An non enim apertam per hæc cognoscis, thoracis in cavitatum pertusione ab Hippocr. proponi? an subcruenti fæculenti & fætidi puris affectionis cutanei aut subcutanei ulceris esse queant? Dixerint quid senserint, hunc aphorismum interprætati omnes quo equidem pacto præterquam ad nostram sententiam enarrari possit aphorismus non video. Quid autem quod *lib. de affection empyicorum* pus per costam terebro protusam educendum proposuit, quem fortasse autorem secutus *Cornelius Celsus l. 8. c. 9.* suppuratis è fracta costa, qua parte maximè tumens latus demittendum candens, ferramentum donec ad pus pervenerat, decrevit. Huius quoque sententia fuit *H. Cardanus* qui (quod multo admirabilius est) pulmonis partem ulcere tabefactâ non dubitat ferro candente perurere, laudat & thoracis subphthisi exustionem *Hercules Saxonia lib. 2. Panthei cap. 8.* hic ut ustorum ad cavitatem felices narret curationes. Ego quod profiteri possum nonnullam ex aperiendis empyis laudem retuli: præcipuam verò ex ea, quam inter quartam & quintam costam confeci Antonio Mansolillo Sœlensi ex pleuritide suppurato, quem liberatum viderunt clarissimi medici Neapolitani Sebastianus imprimis Vecchionus, Donatus Antonius Stella; Franciscus Imparatus, Augustinus Saulinus & nuper è Gallia reversus doctiss. Paulus Aemilius Ferrillus, &c. His quidem omnibus apparet ignis usum ad suppuratum thoracis esse ad apertionem huius. Offerunt se nunc hi, qui visi sunt ab hac abhorrere, ut est *Aetius & Paulus qui lib. 6. cap. 44.* cum utriusque ignis utendi differentiæ meminit; ustionē ad cavitatem penetrantem minimè probavit atque ita & *Albucasis lib. 1. cap. 3.* utpote qui ex Paulo transcripsit: Falsa autem est huius capitis inscriptio de pleuritide fugida. *Celsus item lib. 3. c. 22.* phthisi laborantes ex capitis destillatione exulcerandos voluit candente ferramento uno loco sub mento altero in gutture duobus ad utramq; mammam itemque subimis ossibus scapularum. Accessit & ad hoc placitum *Georgius Bertinus lib. 20. rei med. cap. 40.* qui concisis verbis, qualis eius omnis est stylus ait; fit ustio multis in locis usque ad thoracem non penetrans inter 6. & 7. costam: siquidem ustio penetrans ad 5. & 6. costam membranâ dissectâ periculum minatur; satagens igitur pleuræ Bertinus, pertusionem eius vereturapprobatâ tamen externâ usturâ. Quæ, quam satis proficere possit in attingente iugula sanie nemo non videt: quippe donec tam exuperantis puris; quod profundum aquæ densitate petit per cutaneam usturam transpiret, interim homo perit; deinde qui metus perforandæ membranæ, qui & indura menynge non est: ut paracentesin hydropis interim taceam. Obstant autem & Bertino experimenta professorum thorace tenus, qui servati plurimi fuêre Phæreus (ait *Plinius lib. 7. c. 50.*) deploratus à medicis vomicæ morbo, cum mortem in acie quæreret, vulnerato pectore medicinam invenit ex hoste: & *Valer. Max. l. 1. c. 16.* prodidit hæc; Divinæ fortunæ vulnus Phæreo Jasoni quidam eius exitii cupidus intulit: nam cum inter insidias eum gladio percussisset; vomicam, quæ à nullo medicorum sanari poterat, rupit, ut hominem pestifero malo liberaret: sed è nostris Hipp. (quâ doctrinâ nihil apertius) *loco memorato de inter. affect.* etiam costæ ad saniei suffusæ promptam vacuationem itemque *aph. 5. c. 8. præcepit:* Vide autem & quæ experimenta *Io. Liebautius in l. 7. Hipp. aph. 44.* scripsit & quæ *Michael Paschal. lib. 1. pract. med. c. 29.* & quæ *Andr. Vesalius in cons. pro Duce Terra nova cum Ingrassia opusc. publicat:* & quæ denique ex hoc numero compilavit *Ioannes Schenkius in medic. observationibus.* Non revocavit autem animo Bertinus, quot homines thorace pertuso sospites ex vario vulnere vidisse contigit? Quod si de ustione arguat se cautelam professum: Sunt, inquam, & de hac de re præceptiones summi. Dictatoris locis ante citatis & plerisque aliis id effati; sunt & memoratorum insigniumque plurimorum virorum historiæ atque experimenta fœlicia; quæ collegit idem *Schenckius l. obs. medicinali.* Jam igitur ad has observationes & historias; ad hæc experimenta; ad testimonia principum virorum, & ad nostras apodicticas rationes, quid responderit quæso Bertinus atque alii? Verum ad alia transeamus.

Hæc de ustione pectoris attigisse sit satis, locum verò faciundę chirurgiæ iam supra cap. de terebranda in empyicis costa fusius enarratum meministi. Quæstionem nunc illam expediam, quam

quam primus ex his, quas equidem legi proposuit Petrus Salius com. 1. in tr. Hipp. de morbis, deinde Petrus Vascus Lusitanus exercit. med. tract. 7. c. 6. aff. 2. pure universum thoracem æque occupante latus dexterum aut sinistrum aperiendum sit, & cum eod. viro decernimus satius ad sinistrum fieri pertusionem, utpote spiritus pleniorem, atque uberiorem præterquam quod est auctoritas Hippocr. lib. 3. de morb. 26. sancientis quod dextras urere, aut secare lethalius sit, tanto enim fortiores morbi in ipsis fiunt.

CAPVT XXXVII.

De resiccata spinæ medulla.

INsolens arescentis medullæ dorsi morbus insolensque curatio, qualis utrosque proposuit *lib. de affect. Hippoc.* ad sui reconditam enarrationem bellè me provocant, Medullæ spinalis arefactio, quæ una tabis est causa quatuor & ipsa suæ originis agnoscit modos, ut *eiusdem lib. num. 13.* constat. Vna vasorum, quæ ad nutricandam illam comparata sunt, obstructio, Alter bilis è capite venientis est affluxus: Tertius veneris est excessus; cuius *lib. 2. de morb. num. 49. meminit idem Hippoc.* Qui communem hisce omnibus censuit ustionem sed multiplicem. In lumbos quidem ab utraque ventriculorum, id est, colliculorum parte crustas 4. in dorsum utrinque & in cervicem denique inter tendines secundum. Est autem admiratione non levi dignum, ut sicco affectui, siccam item ignis immutationem accommodet autor. Verum ad hæc solertissimus homo *Prosper Martianus in commentario* dicit, ignis usum esse tum dissipandis, qui nocent offarctu, siccis, tum si morbum fecerit fluxio, huic eidem intercipiendæ. Venereæ verò tabis remedium est ignis, vias defluentis seminis occludendo; sic morbo causas, & huius per ignem curationem consilia facile dispicis.

CAP. XXXIIX.

De longis stomachi defluxibus.

TItulum hunc fecimus ventriculi lenitatem intelligentes, cui & Celsus Aurelianus *lib. chron. cap. 2. & l. 4. cap. & Paulus Aeginetta l. 6. cap. 47. & Albucasis l. 1. cap. 31.* occurrendum voluerunt ustione, cuiusque administrationem dogmatici scriptores ad hunc modum tradidère. Paulus cauteribus mucronatis tres crustas inducit, unam iuxta cartilaginem ensiformem, alias duas inferius, utrinque unam, sic dispositas, ut trianguli relinquant figuram, pro his, unam alii (subdidit) adhibent ampliorē super os ventriculi, alii quoque sunt, qui adnascentibus ad quercus & corylos fungis siccis, Ischio vocatis adurant, quorum illud peculiare commodum est, quod incoalibilia ulcera diu tenent: verum Albucasis hunc sequutus in loco, & numero, & figura ustionis, ceterū variavit in eo, quod duas tertias cutis transadigendas ferro voluit, quam totam penetrandam decreverat *Aegineta.* Advertit quoq; Arabs, ut sic dissitæ inter se ipsas inferantur crustæ, ut cum suppurando ampliatæ fuerint, mutuo se non contingant; quasi interim statuerit proximas esse oportere. Concordasset quoque in cunctis cum *Paulo Isaacus Israelita pract. lib. 9. cap. 85.* nisi, quod ad inurendum materiam probat gummi è quercu, cuius accensi guttæ destillantes, & stomachi regionem ferientes eius humiditatem excedentem exsuperent, & castigent: adde, quod *Haliab. 9. prac. 77.* caut: quercino, quod est spongiæ similitudine, eundem stomachi languorem curat. Meminit & huic mali curandi *Io. Mesuæus cum l. 2. Grab. sect. 2. par. 3. sum. 5. c. 2.* præcepit, coronalem suturam urendam fore, quo materia fluxura siccetur. E iunioribus verò nostris *Ludovicus Mercatus in l. 3. de cur. mor. int. cap. 10.* ad extremum exhaustum humidæ frigidæque substantiæ, qua extante, nil coquere ventriculus, nil adiuvare minora pharmaciæ præsidia valent, tandem igni spe commissā vel supra ventriculum crustam unam maiorem excitat, vel minusculas in ventris circuitu: sed *Thomas Fienus 5. l. de caut. cap. 1.* stomacho laboranti succurrit in dorso loco cuius eiusdem os respondet, & sub osse pectoris cauteriis adactis.

quo neverit Albucasis ab amplo uli. *Thomas Fienus.*

CAPVT XXXIX.

De alui laxitate nimia & diuturna.

SVperiori modo descriptæ affectioni cæliacæ proximę accedit laxitas alui veniens ex frigore, atque humiditate ipsius retentricem, & concoctricem ventriculi & intestinorum pariter vitians. Homini igitur ita ægrotanti si vires ætasque ferant, consultum est ab *Albuc. l. 1.* ut tum ventriculus inuratur cauterio magno circulari, tum cautere tenui 4. crustis circum umbilicum tum cautere uno, vel duobus mediocribus os sacrum, quod si morbi vis urgeat & vires id patiantur, exuperantem humiditatem discutere licebit ulterioribus crustis impactis; unâ quidem in pectine, aliis utrinque unâ, & duabus parvis ad ventriculum, prope magnam, absolutè inquit *Albuc.* sed tu adde eminentiam.

CAPVT XL.

De Iecoris intemperie frigida.

SEd non item iecur frigore intemperatum ustione tractari crediderim oportere, aut si uratur curationis operæ precium evenire; cum enim hypochondrium dexterum tribus cauteriis, & uno rotundo inurit *Albucasis l. 1. c. 29.* aut citra musculos, & interiecta corpora non pertransit ustura, atque ita non afficitur viscus; aut si pertingitur hoc ipsum, necesse est convulsionem atque ulcera spasmodæa supervenire. Taceo quod neque uno impressu calidi potest restitui temperies, quæ multo tempore fuit procreata. Quas ob res tutius est medicamentis interioribus & balneis naturalibus agere nec in cassum torquere miseros. Quid autem non dixi futurum etiam, ut diminutis tegmentis & solutis in exaniatum

hiatum carnibus refrigerandum sit magis: quare & ad calidum potius fortasse viscus attemperandum opportunum hoc remedium posuerim, tum perspiratu illo, quem diximus, tum extractu prope ignis ad ignem. Sed hoc obiter producta & sub calamum nata accipiant, ut lubet auditores, mihi, qui efficacem chirurgiam tracto satis erit indicasse, minus certam aut felicem frigidi iecoris exteriorem inustionem videris; quæ causa fuit fortasse quo minus ab ullo Græcorum aut Latinorum, præter unum Arabem proposita fuerit hæc chirurgia: in hanc autem usturæ depulsionem quæ scripserit *Hieronymus Fabricius l. de oper. chir. c. de ustionibus iecoris* legas velim; si quando contra veterum atroces chirurgias rectè declamavit iste vir, hic unus fuit locus.

CAPVT XLI.

De Iecoris dolore tumoreque.

HEpatis dolor tumorque cum medicamentis quibusque domitus non est, ustione superatur, porro *Hippoc. l. de int. affect.* 21. fusis buxeis oleo fervente tinctis, aut fungis accensis octo crustas sanxit inurendas. *Ex Celio verò Aureliano* apparet *l. videlicet* 1. *chron. pass. c.* 29. *& l.* 3. *eiusdem operis c.* 4. veteres methodicos frequentiore in usu pro languoribus hepatis curandis habuisse cauteria, ex Arabibus verò *Avicenna l.* 3. *fen.* 16. *tr.* 1. *c.* 7. 5. *aut* 6. crustas inuri præcepit.

CAP. XLII.

De Vomica iecinoris.

SVppurati Jecoris per cauterium radii modò acutum aperienti meminerunt & *Celsus l.* 4. *c.* 8. *& Paulus l.* 6. *cap.* 47. *& Albucasis l.* 1. *cap.* 30. *& Isaacus l.* 9. *prac. cap.* 88. verum, temerarium non erit, si meum proferens sententiam tantum non dehorter potius, quam animatos faciam professores, ad penetranda viscera & transfodienda violandaque igne: Nimis non tuto tot partes, membranos inquam, & musculos, & viscus princeps pro non certa tentanda opera, & si certa hæc sit, quam supplere vel natura vel medicamentum queat: Ad extremum & *Albucasis* ipse, postquam exposuit agendi rationem, postremò nos admonuit atque cavit, dicens, at verò dimittere hanc operam apud me melius est, quod profectò neq; de pertusione thoracis, neque de aliis omnibus memoratum fuit; adeo scilicet super omnes periculosissima est hæc chirurgia. Consentit quoque nobiscum *Cælius Aurelianus qui l.* 3. *chron. c.* 4. Themisonem acriter confutavit, qui tum iecur, tum lienem languentes, cauteriis percellendos voluit.

Quanquam ut verè dicam corrigendus hepatis pure tabescentis periculo timor, & fiducia induenda propterea, quod & *Hippocr. lib.* 7. *aph.* 43. chirurgiam hanc proposuit dicens; Quibus prædurum iecur aduritur si purum pus effluat & album, salui fiunt, in tunica enim ipsius pus continetur: si verò qualis amurca profluat, intereunt. Cæterum bene molle apostema, quod scilicet extrorsum se prodit ad inferiorem partem, pertundit *Gariopontus l.* 2. *rei medica c.* 62.

CAPVT XLIII.

De lienis tumore.

ET lieni malè affecto ignis externè benefacit, nempe tumentem dolentemque hunc, decem per fungos crustis inurit *Hippocr. lib. de int. affect. num.* 33. 34. 37. per ignitum verò ferrum urendi rationem exposuit *Paulus lib.* 7. *cap.* 52. quæ est; ut per hamulos distentæ cuti, quæ spleni superiecta est, cauterium triplex tridentis instar alterâ infixum transuatur, ita enim sex iustæ relinquuntur crustæ. Quam omnem chirurgiam ex *Hippoc. lib. de loc. in homine num.* 36. imitatus videtur *Paulus*, ex hoc verò *Avicenna lib.* 3. *fen.* 18. *tr.* 1. *cap.* 7. *& Albucasis*, qui locum inurendum docuit fore illum, quo cubitus sinister pertingit. Hos autem secutus est & *Theodoricus l.* 3. *cap.* 45. atque ex junioribus etiam *Ludovicus Mercatus lib.* 4. *de cur. morb. int. cap.* 4. Verum enimvero quid, quod ustiones istas lieni nocuas experimento suo damnavit *cons.* 41. *tomi prioris unus Rodericus Fonseca, non nihil alioquin amicus, ut mihi videtur, efficacis medicinæ homo.* Cuius ipsius aliquâ parte studiosus *Hercules Saxonia l.* 3. *Panthei medicinalis cap.* 38. more Hippocratico suadet, ut pars illa duobus aut tribus locis ad distantes duos, tres, aut quatuor digitos exuratur; ante quos omnes *Alexander Benedictus* pro scirrhoso iuvando liene 4. 5. locis una ustione tentandum accommodato ad hanc rem instrumento *dixit l.* 18. *cap.* 19.

CAPVT XLIV.

De Hydrope.

VStionem abdominis in hydrope sic videtur probasse Hippocrates *l. de locis in homine* multis circa umbilicum inductis crustus itemq; *Paulus lib.* 6. qui plerosque retulit hâc ratione magis consanavisse, interim nullam in totum compunctionem, quam paracentesin vocant, expertos, ustione autem dicit antiquos usos super stomachum, jecur, lienem, imum ventrem, & umbilicum crustis impactis atque alios quidem delectatos ferro candente, alios ischio nuncupatis, aut huiusmodi materiâ. Sequutus ut videtur Paulum est *Isaacus Israelita lib.* 9. 86. qui tamen illud unum addidit, placere sibi, ut citra ferramenti, quod acerbius censet, usum ligellis ilicis accensis fiat inustio. Multò plures crustas istis etiam non præteritis locis proposuit *Albucasis lib.* 1. *cap.* 33. nempe circa umbilicum 4. super stomacho unam, super iecinore, unam, super liene unam, ferramento clavi capitulo administrandas omnes, quibus addidit, & duas alias retrorsum in dorso super vertebras, quarum una respondet medio pectori, altera stomacho, Ita quidem isti, sed è iunioribus nostris professoribus *Ludovicus Mercatus operæ pract. num.* 30. *c.* 9. *& lib.* 4. *cap.* 6.

cum variis circum umbilicum per candens ferramentum ustionibus manantia procurat ulcera: quod & *Michael Paschalius l. 1. de cur. morb. int. c.* 44. allatis in id historiis duorum per Agarenum quendam curatorum, tum etiam supra iecur setonem affigit cuti, quem scroto transuit *Paschalius*, aliorum usu probatum remedium. Ad crura quoque excitatas crustas multo semper fuisse usui relatum est à fidelissimis professoribus, quorum unus *Helidæus Paduanus, & alter Casparus Hoffmannus apud Ioannem Schenckium l. 3. c. de hydrope*: retulerunt etiam casu ab incommodis ferramentis factas cruribus ustiones felici remedio duobus hydropicis fuisse. Itemque scroto *Iac. Fontani testimonio lib. 3. pract. medic. cap. 21. §. de ascite F.*

Cum autem de auctorum veterum præsertim ustionis decreto peroravi, venit in mentem id, quod scribit *Ioannes Costæus*, opinatus, antiquis candentia ferramenta, curantibus hydropem, haud eo usu fuisse ut peritonæum perfoderent, ad aquam educendam, sed ad proliciendam duntaxat cutaneo facto ulcere uno vel pluribus. Quæ opinio minus exercitis in lectione Hippocratis firma & recta videri potest, præsertim cum punctio sectione sufficere debeat: nihilominus hydropicorum ustionem antiquis fuisse ad exhauriendum amplè humorem, videlicet ex reclusis apertisq; peritonæi claustris non ad transpiratum transudatumque humoris: Tamen planâ equidem non distractâ nitor Hippocratis sententiâ *qui l. 5. aph.* 27. enunciavit, quicumque empyici aut hydropici uruntur aut secantur, si pus aut aqua universim effluxerit, omnino moriuntur, quæ respondent Græcis ad unguem; neque verò occurrerit *Costæus* dicens, uri quidem respondere empyis, secari hydropicis: pro me *Galenus est*, qui & ustiones etiam hydropicis factitatas apertè testatur, *eodem com.* subinde vero & *Hieron. Mercurialis eodem loco & Thomas Fienus l. 1. c. 9. & l. 3. c. postremo.* Qui etiam idem ipsemet *Hipp. l. 2. Coacarum piæn. c. de hepaticis quod apud Duretū est 18. aph. 6.* habet. Quibus inusto hepate velut amurca prodit, funestum. Vides iam ipse tam planam ad nostram confirmationem Hippocritatis enunciatum, ut interpretari aliter nescias. Verum enimvero quod errare Costæum fecit, illud est; quia in hydropicis paracenteses appellatæ usitatiores sunt medicis, quam ustiones, ut Gal. ait, Hæc plane certa sententia est. Cæterum in hydrope, qui ex defluxu capitis in carnem iuxta vertebras proficiscitur, opinione Hipp. in l. de loc. in homine, caro in callo inter venas crustis tribus uratur, & ubi usseris constringitur, & cicatrices quam tenuisse inducantur iuxta eiusdem auctoris placitum. Vide autem quæ de hac re Lazarus Sotus in eundem locum.

CAPUT XLV.

De Oedematis crurium atque pedum in hydropicis.

QVos perpungere extumescentes crura & pedes consueverant priores; *Albucasis* ustione castigat & reprimit *l. 1. c. 34.* utitur autem cultellaris ferramenti extremo, primum suspensa manu exurens crustam in colliculo pedis, qui eminet inter digitum minimum & annularem, tum in utroque crure secundum longitudinem crustas duas, & unam sub genu utriusque tibiæ & alteram in media utraque tibia: curandum autem, inquit, ut quam diutissimè aperte serventur secturæ, quo perpetuo tenues ichores expirent, defluantque ad levamentum superiorum viscerum turgidorum.

CAP. XLVI.

De renum lumborumque dolore.

REnibus ex concepto frigore crassoque flatu dolentibus, unde & ignavus ad venerem sit homo, superficiarias crustas dexterâ ac sinistrâ ternas inurit *Albucasis l. 1. c. 39.* supremas paulo supra renes infimas infra ipsos media vero ad ipsas proximas, verum ad dolorem lumborum cauterium sub ipsis in fontanella excitat *Theodoricus l. 3. chir. cap. 45.* In spina (parte explicatius non expressa sed circa lumbos credendum) *Guil. à Saliceto. l. 5. chir. c. 2.*

CAPUT XLVII.

De Nephritide.

SIquidem verum est, emulgentem venam infernam posteriore sui parte ramum insignem in lumbos mittere, ad quem venæ uno latere singularis (azygon dicunt) surculus parte sinistrâ producitur, ne leve quidem adiumentum expectari in afflictamento nephritico debet ex oppresso cauterio ad loca renis inflammatione & calculo laborantis, quod primus omnium *Michael Savanarola* proposuit, & post hunc *Io. Riolanus Anthropologiæ l. 2. c. 22.*

CAP. XLVIII.

De paralysi urinariæ vesicæ.

IN resolutione vesicæ ferramento clavi caput referente inurendas *Albucasis lib. 1. cap. 40.* iussit crustas diversis abdominis partibus octo, pectini tres, initio pubis unam, lateribus abdominis utrinque unam, ad lumbarium vertebrarum fines duas, urendi in hoc affectu consilium est, censore *Vidio Florentino in l. 4. chir. cap. 11.* quod ustio adstringit contrahendo partes, siquidem cicatrix, quæ resolutâ crustâ inducitur, locum adeò in unum cogit, ut quod laxum suberat, constringatur & contrahatur.

CAP. XLIX.

De Hæmorrhoidis.

HÆmorrhoidas secundum sui vitium vexantes prius nos quidem in dissectoria *chir. cap. proprio* docuimus, ut igne curentur, nunc brevissimè quod ad earundem causas antecedentes & fluxionem pertinet quam brevissimè sermocinabimur. Nempe ex *Albucas. l. 1. c. 36. atque ex Isaaco l. 9. pract. c. 89. doctus* Theodericus *in l. 3. chir. c.* 45. cauterium triangulatum super infimum spondyle dorsi defigit, sed ipsas hæmorrhoidas inveteratæ laxitatis igne tractat *Bartholomæus Montag. cons. 168.* secundum longitudinem inducto ferramento.

CAP. L.

De crebro ani prolapsum.

ANo, qui sæpe prolabitur, quantum ad ipsum pertinet, curando suas nos ustiones præscripsimus in privata chirurgia, capite de ustionibus ad tumores & ulcera prophylacticam hoc loco curationem indicabimus, propositam à *doctissimo Hieronymo Mercuriali l. 1. de morb. puer. c. 11.* qui laudatis in hac re Arabum sectatoribus, vult, ut inurantur duæ crustæ in calce spinæ dorsi, id est, prope caudam, unam ex una, alteram ex altera parte, quod tamen remedium in pueris tantum adultioribus usitandum consulit non in teneris; in aliis igitur grandiorum ætatibus, ut præceptum hoc sequamur nil vetat.

CAP. LI.

De utero immodico frigore intemperato.

UTerus, cum frigore atque humiditate sic intemperatus est, ut & menstruas purgationes & concipiendi munia iam amiserit, ustione corrigitur *ab Albucasi lib. 1. c. 41.* quæ ustio administratur tum infra dorsum supra lumbos duabus crustis, tum tribus in circuitu umbilici, sicut habet codex, sed cum dissita sit hæc pars ab utero inani, sintque sitû eodem uterus & vesica, suspectum illud verbum sit, ac probabile sane videtur, ut pro umbilico legendum pecten sit, & eo amplius, quod sic urendum, ut in vesica factum est, subdidit Auctor. Rectè igitur & oculatè Costæus noster, qui ita corrigendum putavit. Ad quam sententiam accessisse videtur & *Thomas Fienus vir in Cauteriis iudicandis ut & tradendis castigatissimus qui l. 5. de cauter. c. 1. & ante l. 4. c. 16.* pro utero malè valente adiuvando, in dorso ad os sacrum & ad pubem inurit.

Lectionis in codice Albucasis emendatio.

CAP. LII.

De Artuum stupore.

STupori partium *Albucasis* etiam ustione medetur *lib. 1. c. 50.* cute nimirum eius loci, qui vitium patitur, exustâ, id est, mediocriter impresso cautere: Sicuti verò stupor manus, pedesve apprehenderit, vertebræ dorsi, è quibus nervi deferentes ad has partes sensum descendunt, ignê sentient. Verum enimvero non distinguit hæc (addidit) quispiam sine perfecta nervorum anatomes notitia.

CAP. LIII.

De Tremore.

MEdendo tremori, sive convulsorio, sive secus, materiâ frigidâ discurrente per nervos dorsi, huius ustionem per olivare cauterium quinque intervallis inter vertebras, itemque pectus, & cartilaginem ensiformem præcipit *Albucasis l. 1. c. 56.*

CAPVT LIV.

De Arthritide & Podagra.

ARticulorum doloribus & ad hos influxibus frigidæ atque humidæ præsertim materiæ præsidio ignis uti novum non est. Ita etiamnum necessarium, ut *Hieronymus Fabricius non contemnendus auctor nostri seculi,* qui acerbas, ut ipse vocat, antiquorum chirurgicas operas passim reiectat, hanc anxiè probat, & timidos in hac re chirurgos huius ætatis vituperat *lib. de oper. chir. cap. de art. ustione,* privatim verò addidit *in l. eod. cap. de font. in futura coronali,* si Fernelii retinetur hypothesis, qui statuit materiam excitandæ arthritidis sub cutem & pericranium decurrere, nil melius in eo casu, quam parato per cauterium effluxu. Imbecillitatem enim horum, medicamentis & victus ratione non emendabilem haud tandem aliâ ratione castiges, quam unius usturæ, παντοδυνάμου viribus. Ita enim *Hipp. lib. de affect.* ac veteres alii in humero & coxendice, dorso & gibbo, &c. Dolorem verò genuum inveteratum vix citra ustionem finire licere visum est *Celso lib. 4. c. 33.* Cum quo *Quintus Serenus* ait,

Ignis stan[tibus]

Fervida non timidis tolera cauteria plantis.

At in podagra & *Aetius l. 3. serm. 4. 25.* crustas inurit aliquas quidem paulo altius loco fluxione tentato, alias verò propius, in universum autem, inquit, pedibus fluxu infestatis loco circum utrumque talum forinsecus, intrinsecus inurendi sunt cauteriis iuxta magnas ibidem sitas venas, admotis paulò altius supra talorum locum. Inurendus item locus inter magnum pedis digitum, atque eum qui proximus est, medius, ubi sane venæ magis tumefactæ videantur, præsertim ex eis maximæ. Quibusdam autem & articulos ipsos perurere expedit, quum submucidi valdè conspiciuntur, prius quam durities admodum tophorum in eis generetur. Nodos verò ubi confecti sunt, refert *Aurelianus l. 5. 2. c.* fuisse principes viros, qui inuri vehementer commendarint. *Sed Arabum chirurgicorum Princeps Albucasis l. 1. c. 34.* ei quidem affectui, qui multis ac præstantibus medicamentis non cesserit, igneum subsidium deberi statuit, atq; adeo tres aut quatuor aut etiam plures crustas utrinque ad genu docet inferendos, ferramento clavi capitulo, manu moderata, sic, ut & cutem totam peruras & nervosas partes non attingas. Quod si dolor incesserit, qua cruri pes coniungitur, qui tarsi locus est, inurendus est ferramentis olivaribus; neque nô si gravior affectus urgeat in metatarso, ubi vero & manus doloribus infestari senties, ad carpum cauterio punctorio in duas quasi lineas ordinatis crustis exulcerandum. Ad metacarpum quoque, & ad singulos digitorum primos articulos leviter attingendum est iisdem cauteriis, & in cubitum humerumque, si præcesserit arthritis, illuc quoque & ignita admoveris. Denique & in dorsum, si & hoc afflictabitur. Hæc veteres illi, cæterum hos imitatus *Alexander Benedictus l. 30. de cur. morb. c. 18.* nonnullas proposuit ustiones inter cæteras eam, quæ supra talum est, extrinsecus, ita tamen, ut ne arteria vel nervus offendatur. è recentioribus vero *Hieron. Mercurialis in Consil.* ad articulares à spinali medulla defluxus vertebrarum usturam constantissimè proposuit.

CAPVT LV.

De Coxendice.

AD coxendicis noxam curationis per cauteriŭ à Saracenis usitatæ meminit *Francis. Vallesius, comm. 5. epid. sect. 5. par. 21.* quam & *Ludovicus Mercatus in l. 1. de indic. med. c. 16. & in adnexo consilio pag. 650.* scriptam reliquit, inquit enim in his affectibus articulorum, aliarumque partium doloribus,

loribus, qui nō omnino constituunt articularem affectum, sed ex recrementis partium, aut à parte alia trnasmissis sensim fiunt; in his maxima cum hominum utilitate futurum est, si venæ in medio auris per ferramentum candens inurantur. Illud autem eo promptius admittendum, quod *Hippocrati* consentit, *qui l. 6. epid. par. 5.* loquens de coxariis ait; in defluxionibus ad coxam venas retro aures secato, pari itaque ratione dixerit urito, ac non tantum eas, quæ circum aures sunt venæ, verum & eas, quæ in ipsis sunt mediis, quas ob res neq; alienum à principum virorum sententia recitata jam nunc ustio habenda est; utuntur autem & hâc auriculæ ustione nonnulli ad finiendos dolores dentium de qua re suo loco. Cæterum obfirmatos coxendicis eluxatus atque adeo valentes, ut claudicatem inducere possint, ustione necessariâ tractandos indixit *Hippocrates*. Quod præceptum cum obliti servare sint hodie nostri, unum ignoro autem, si solum è multis inveni *Ioannem Zechium*, qui Illustrissimis Romani adolescentis utriusq; lateris coxendicibus luxatis ignē inferendum decrevit; homo tamen qui in Romana curia leniorem medicinam factitans per parum igne delectatus cognoscitur. Præter quem virum est & *Iulius Cæsar Claudinus*, qui intrabilem huius cauterismi effectus vidisse testatur *in resp. medic. postremo.*

CAP. LVI.

De resolutione crurium.

AD crura paralyseos vitio mutila redimenda crustas aliquot ex lino crudo accenso ad spinam inferiorem utrinque & ad os sacrum excitat *Rodericus à Fonseca vir & doctrina & medendi usu nobilis in cons. 17. to. 1.* quam urendi rationem cur approbem, præterquam, quòd ex Hippocratis imitatione se firmat, alicubi etiam in pyrotechnia chirurgica nostra dixi.

CAP. LVII.

De resolutione Articulorum.

[...]tuum [re]solutioni.

ATq; hæc quidem in articulorum doloribus: cæterum in resolutionibus, si pertinacior sit hæc, carnē, quæ intra articulos resoluta est, attractam ferris candentibus exiguis tenuibusq; transmissis, oportet adurere, ita *Paulus Aegineta. l. 3. c. 18.*

CAP. LVIII.

De ustione per fomitem in complurium morborum curatione.

DUo sunt ignis ferro concepti incommoda atque offensamenta sensu fermè omniū mortalium, potissimum autem delicatè viventium timidiorum fœminarum, puerorum; alterum ut visu confestim exterreat sive vivido terrore, sive flammanti furore; alterum, ut tactu excoquat, peruratque vehementius; utriq; nos difficultati cogitavimus occurri posse, si materia substātię sit primū rara, deinde facta igne, neq; candens appareat, neq; rapida flamma micet neq; fervido carbone scintillet sed pollicari magnitudine imposita pyramis rectè superiore extremo contacta igne exili tantummodo fumo se prodat. Usturæ verò non nisi lentę ac tolerabilium aliquo post tempore sensum afferat; eiusmodi est panniculi gossypini, brevi longitudine obtorti secundū superiorem extremitatem accensi administratio. Verum materiam unde paratur pessulus atq; observationes alias administratus plenius explicemus. Porro nunc simplex xylina tela vetusta, nunc lintea, item vetus, xylino intra commisso assumitur. Interdū equidē spiritu vini madefactam primò, mox exsiccatam capio. Convoluitur victulâ crassitudine, qua opus habes ad crustulam lino crudo *Hipp. est usus l. de affect. & alibi* quod partim stupam, partim tenuem linum interpretatur *Mercur. l. 6. variarum lect. c. 2.* Præter has autem materias excogitati sunt, à me rubi & ferulę gallæ maiores, ac læves in longum excisæ, atq; oleo frixæ, junci & horum folia sicca, equisetum, tritici indici stipites, item fabarū, lupini, cannab. cannarum multiplex ordo, intra se ipsas invicem congrui coaptatas, sive quidem arundinum sive fæniculorum, fabarum, paludopii &c. lignum quodcunq; putre & his similia. Quę genera quo densiore substātiâ fuerint, eo firmiorem ignem inferunt, & quod non facile pernoscatur, ut admirabilius etiam novitate substantiæ non comperta remedium appareat & non vilescat: Cuius rei gratiâ & fallere tincturis popularium oculos animosq; licebit. Atq; hactenus de materia, quod autem attinet ad usturę modū & formam, illam *à Prospero Martiano in comment. l. de affect. nota numerali 36* notatum advertes, Usturā aliquanto latiorem fieri, quàm sit ignitabuli basis. Aliud vero longè dignius adnotabo ustorium; fungorum administratum antiquis fuisse illum, non ut apprehensi digitis vel vosellâ, quâ parte sunt accensi, velut candentis ferri capitulū urendis partibus corporis adhiberetur, verum ut impositi forma, quâ possent insidere particulis, tum parte supremâ applicita facula vel carbone accenderentur; accensiq; & sessiles relinquerentur excremandi ad ultimam usq; favillā, namq; sub extremum cinerem præparata diu crustula complebatur. Confirmationi est *Aurel. qui l. 5. chron. c. 1. p. 150.* descriptam rem reliquit. Ita alii ligneos fungos interius ac superius angustos formantes patientibus apponunt locis, quos summitate accensos sinunt cōcremari, donec cinerescant, ac sponte decidant. Est enim hæc ustio leni penetratione moderata. Quoniam autē plerumq; exigitur, ut altissimè vis ignis penetret, usitatum est ab exteris gentibus, ut 3. post, primum usturam die rursus super eadem crusta novus urendo peniculus imponatur; itemq; 3. post die tertius ut crassissima eschara post aliquod abscessura sit demum, quod temporis spatium duas hebdomadas expectandū erit. Inculcatam hanc usturam ego in venenatis ferarum ictibus maximè approbo, quam Augustino de Judice à cane rabido secundum infimam tibiam demorso factitavi feliciter.

Hunc te fungorum administratum latere non decebat lector, aliâs brevi meminimus, nunc in usus ampliores sermonem etiā repetemus exorsi; ex omnibus cauterii usibus quos antiquitas ad profligandos difficiles humani corporis affectus excogitavit perpauci sunt, qui igne per fomitem (sic enim vocari placet) administrare non queant, si non fallit autem ratio nostra, per quoscunque corporis integros atque oculis expositos locos ustio græca, per obtusum tamen ferramen-

tum adhibetur: per eosdem & barbara ista exerceri potest, in locis vero ulceratis sanie multâ atque humoris affluxu madidis, cavis, fistulosis, concameratis & impeditis ustio per fomitem factitari nequit, exponemus verò, quibus sub casibus & rerum opportunitatibus ipsa uti liceat, enumeratis videlicet cum morborum generibus tum locis corporis, quæ illam admittant, sunt autem mea quidem opinione hæc, 1. est caput, parte scilicet omni, quæ usturæ à veteribus dictatæ subjicitur, anteriore, posteriore bregmatis, utrisque locis temporibus ac tuberibus quaternis, suturis item & vasorum ipsis locis, morbos verò sic curare licet interiores omnes, quibus expellendis communis ignis laudatur, è tumoribus hydrocephalus ac tubercula maligniora, de quibus alias dixi, Cæcilia Mucona Sartoris coniunx lucem oculi, diuturnâ humorum defluxione hanc ad tempus ustionem experta recuperavit.

Ad oculos lippitudine infestatos, quod attinet, à longa quidem, & gravi cæcitate jam Carolum Valdrisium Triventanum juvenem, qui famulatus aliquandiu mihi fuerat; ad angulum capillorum secus tempora positis, his & accensis peniculis restitui sic, ut mirum etiam atque etiam visum fuerit Alexandro Alexio, Donato Donno atque aliis medicis Neapolitanis, & solerti ingenio viris, atque aliis. Similiter autem, & Marcus Gulielmus curatus est, qui remordentem & perpungentem humorem de superiore sincipitis parte ad oculum delabi suetum sentiebat. Curatus est præsente Bernardo de Magistris Medico & Astronomo Neapolitano non ignobili. Ad linguæ tumorem ingentem & diuturnum, quem Michael de Britto Hispanus incurrerat, unicum experimentum fuit hæc quam nos infra maxillam induximus usturam; res toto nosocomio nostro mirabilis. 2. Collum & cervices in quibus strumæ pertinax malum sit tentatæ concoctionis, & medicationis subsidia recipient. Sic curatæ & persanatæ strumæ in gena & gutture fuerunt fœminæ perhonestæ quam F. Vincentius Jesuita proposuit. Bubonocelę quoq; non alienũ sic curavi. 3. Thorax anterior, posterior, dorsi spina &c. Quod igitur ad hunc pertinet, ad pleuritidem spuriã aio, mirificũ hoc experimentũ comprobatum in ægrotantibus nostri valetudinarii, quorum unus quem adnotare vacavit, fuit Petrus Porus Mediolanensis, qui veterinariam apud suos exercuisse retulit, itemque alii pleuritici, quos recensere omnes sine tædio vix possim. Cognovit autem istorum plurimos in nosocomio *R. P. Io. Baptista* ab elephantis, qui ex Religiosis nosodulis charitatis hæc officia exercet sedulo in sacris ædibus. Sub carpo ganglion hoc item adiumẽto sublatum Augustino Saulino medico Neapolitano præstantissimo fuit. Multis ante annis omni topicorũ genere frustra tentatus. Bracchii pone carpum dolorem diutinum, qui luxatus spem faciebat hâc ratione excussi mancipio Principis Forini, quem mihi curandum obtulit Donatus Donna medicus ornatissimus, Agathius etiã Synoposis Scillacensis Sartor ex vetustissimo humeri dolore liberatus. 4. Abdomen omne, & umbilicus hernias & internos viscerum languores patiens.

Historia.

5. Inguen & pubes hernias intestinorum luentes, etenim mirificè pars hâc ratione cogitur adstringiturq;. Quam rem feliciter experti sumus in Alexandro Janathasio Neapol. adolescente studiosissimo atq; in aliis. Adeo autem præstans remedium ut recursum æquæ descendentis ad scrotũ intercipere posse creditum sit ab *Io. Arculano in comm. ad 9. librum Razæ c. 210.* præsertim aliis alicuius virtutis adhibitis medicamentis internis. Sed & aneurysma, quod teterrimus est tumor & insanabilis habitus, hac maximè ratione curari per mẽphiticos medicos, ex horũ uno, qui in Ill. Principis Palacioli domo alitur, audii: quod & I. C. *Claudinus* per ignitum ferramentum, ut cutis multis crustis maximè corrugetur fieri voluit *Cõsilio 67.* 6. Coxendix exterior doloribus malis exercitata, huius usturæ usum etiam approbante *Cælio Aurel. l. 5. chron. c. p. 510.* Ad hunc quippe modum octo dierũ termino redditus est integer Rever. Sacerdos Marius Cannellus Illust. Marchionis Turracusii familiaris, qui dies noctesque tortus ac prope mutilus uno crure 5. jam annos fuerat, valentissimis etiamnum medicamentis curatus itemq; Ant. Scarpetta Lucanus Duracensis faber lignarius, & sculptor vetulus atq; etiam Julius Cæsar Papacius, quem à pangendis carminibus felicitate vocant vulgo poëtam. Maius autẽ, & præter spem omnem felicius advenit Felici de Criscio Laconigrensi, baiulo sellulario, qui coxendicis sed syphilię bienni cruciatu & ad claudicationem usq; noxa imbecillis & mendicus factus; ab hac ipsa continenter ustura liber est factus. In crudis & qui suppurari neutiquam visuntur venereis bubonibus nil experimento meo longo pręstantius quam hâc per igneum halitum usturâ uti: quo & in Alphonso Scoppa pileorum apparatore & in eo quem D. Marcellus Theophilatus eloquentiæ & sapientiæ omnis mirus professor miserat, feliciter usus sum. 7. Humeri Brachia, genua tali, pedes omnes artuum, juncturæ suas, ut arthritidis pressuras deponant, itemq; ut gummi doloresq; syphilios omnes abigat. Hâc porrò ratione curati sunt brevi quàm plurimi nosocomii nostri languentes. Inter cæteros Jo. Baptista Leopardus Calvellensis Adm. Rever. viri Dominici Vittipaldi nostri Parochi legum prælectoris & professoris ornatissimi auditor, qui noctes insomnes sex jam mensibus acerbè supra malleolum vexatus duxerat nullo vel emplastro vel linimento levatus. Ad eundẽ quoq; modum dolores frigidos genuum excussi. Augustino Teortuno Averniensi, famulo Medici nostri Collegæ Adami Marchii ut hic qui remedii efficacias miratus est, testificari verè potest. In carpo verò, ut apospasma perdolens excuteretur impositum cum fructu continuo cõsequente fuit Angelo Vitali Lupiensi, sancti Petrinati præsente ingeniosi pariter ac studiosiss. medico Jo. Georg. Volcamero Norinbergense, qui tunc temporis apud me hospitio fuerat receptus. Hæ sunt corporis partes quę laborantes eâ ratione levari gaudebunt; E vitiis verò præcipua recensebimus hæc, gumi exostosis à venerea lue profectę tubercula quædã frigidiora, ganglia, humerus & patella diduci facilis, costæ, & alia loca corporis graviter collisa, clavi, calli pedum, & perniones

Histor.

Histor. mira 1629.

niones, varices crurium, ulcerum tubera, impetigo, verrucæ grandiores, œdemata, emphisemata, bubones & carbones pestiferi, condylomata & fungi podicis, atq; alia. Ad callos quidē etiam vetustissimos pedum eximium hoc experimentū se prodidit in R. P. Luciano P. Societatis Jesu Sacerdoti, qui spem omnē illius abolendi posuerat: itemque ad Acrochordonem contumacem alius Jesuita. Ad summam ignis per fomitem commoditates sunt omnes, & quas ignitum ferrum urendo exhibet, ad exiccandum scilicet, attenuandum, rarefaciendum, dissolvendum, attrahendū, absorbendum, laxandum, adstringendum corroborandum doloremq; levandum. Præter hæc autem & ad stupefaciendum, atq; incisum partium sine dolore præparandum, opinor equidem, hunc ignem probè facere, quippe videtur ei, qui cucurbitularum est, maximè similis, qua propter ut egentes remedio festivè sciteque allicias, est operæ precium, ut has etiam cucurbitularum nomine dones.

Peroratio & ad Lectorem admonitio.

HActenus ad privatos affectus, ac loca corporis ustiones præscripta breviter tot sunto, qui diligentiæ consiliique veterum in his variè præcipiendis audire cupiverit. *Io. Costæum in l. 2. de igneis medicinæ præsidiis* ad singula istorum capita cumulatissimum enarratorem consulat, & nobis qui compendium libri curavimus, hæc relicta condonet: jam verò præter has ex igne curationes quàm plurimas alias & in privata chirurgia tradidimus, quas eo loco ad discriminanda servandaque genera commodius, & tibi videri debet, nisi sua rerum discretio displicet.

DE USTIONE AD AVERTENDUM
quæsita per ulcera emissaria fonticulos vulgo dictos; Cauterii notio ac definitio.

CAP. I.

COnstitutum jam est alterando, avertendo, vacuando atq; aliis non paucis usibus ustionem conducere, de quorum plerisque, cum ante hac egerimus: aversorius nunc restat enarrandus, qui communi medentium est usu ad laborantes principes & publicas corporis nostri partes longinqua ratione curandas. In quam rem primum incerto auctore sunt excogitatæ fontanellæ, quas vulgo dicunt, propterea quod velut à fonticulo vel rivo quodam manantes corporis aut certæ partes cuiuspiam superfluitates educantur. Alii verò græcanico vocabulo maluerunt appellare cauteria: nomen quod urendi tum actum tum operam arguit, quippe per ustionem principio excitantur hæc emissaria; sunt autem hæc, ut equidem definire soleo, ulcera utilia certis locis igne inducta, ut in longam causæ morbificæ vacuationem, eversionem, interceptionem, derivationē, ventilationem, & quantum fieri potest correctionem manent in dies, secundum præscriptum medici, procurata. Jam verò tot multis rationibus cauteria cum commoda sint vitæ salubrioris usibus, nihilominus non defuêre, qui partim præsidii utilitatem labefactare tentarunt, partim etiā detrimentosum asseverantes, partim quod veterum authoritate atque usu firmatum neutiquam fuerit, improbarunt: nimirum prisci laborantes corporis partes inurere soliti fuêre; nos verò sanas partes, pro tuendis ægrotantibus torrefacimus gratiâ vacuationis? eius sententiæ sunt *Ludov. Septalius in Hipp. l. de aëre, aquis locis. Io. Costæus in Avic. lib. 1. fen. 4. do. 5. c. 29. Petrus Salius in Hipp. l. 2. de morb. tex. 21. Io. Heurnius 1. pract. meth.* 47. contra quos omnes tamen sunt longe plures alii docti viri, & non planè novus medentium usus. Quam utrorumq; controversiam ut simplex ratio veritatis appareat, neq; sit ullus tergiversandi locus, accuratè nos hoc loco discutiemus, exorsuri primum ab his rationibus, quòd damnosum ne dum non utile curationis hoc inventum criminantur, quâ expeditâ re, mox ad alteram partem, de tractandi remedii ratione deflectemus.

Definitio fonticuli.

Qui dignitati cauterii derogārunt.

CAPUT II.
De utilitate Cauterii disceptatio.

QUoniam potissima spectatur in cauterio diversio, atque hæc vel nulla prope sit, ut vel nullus vel minimus & effatu minime dignus usus, cauterii sit habendus. Diversio, inquam, modica monstratur exemplo fonticuli brachii, quod ad divertendam à capite materiam institutum est: in hoc profecto pusillum ulcusculum pusillæ deducuntur venulæ, per quarum cæcos meatus qui fiat unquam digna memoratu derivatio? per ampliores autem & longè maiores neq; facilis est evacuatio, quādo nulla cum his & ulceri est communio præter ante dictas venularum fibras capillorum modo tenues, nobis objiciantur aliqui casus, in quibus licuit ægris ullam ex his utilitatem recipere adversus gravissimorum morborum incursus, quam enim ex cauterio utilitatem certo asserunt, ea vere aliā ratione obtigit. Verum ad hæc recipient defensores confecto cauterio in promptu est membro debilitas & inde etiam ad effluxum superfluitatem habitudo; quamobrem circumflui humores qua data porta, ruunt. certum enim illud, quod *Gal. l. de tumoribus* testatus est, naturam id, quod superfluum est, protinus ad debilem partem transmittere estq; hic opificis consilio sensus inditus partibus, quotquot sunt in animalis Aristocratia, ut cum vitiosa re gravatum quilibet, impunè ad imbecilliorem ac viliorem deponat sarcinam, atq; hæc rursus, si possit, ad aliā, donec in debilissima consistat, malum. Atqui confessum est, tum doloris tum evacuationis perpetuæ causâ nonnullam inde debilitatem loco, cauterium & ulcus passo, atque adeo brachium in proposita hypothesi facilè cedens capiti superflua transmittenti eadem per datum effluxū evacuabit, ut propterea vacuatione utile neq; debilitate damnosum sit existimandum cauterium. At hanc profecto rationem sic evertunt adversarii: Laborat unumquodq; membrum bifariam, vel per essentiam, affectu primario tentata, vel per consensum affectum secundario: per essentiam quidem, ubi pars propriæ intemperiei vitio ipsa sui ratione delinquit, datque ortum morbo: per consensum autem oblanguet, nō sui ipsius vitio, neq; à semetipsa peccante morbus est sed aliunde accidit: porrò dicunt in neutro casu cauterium prodesse, neque enim mittit inaffectu per essentiam pars per se affecta, quippe debilis; & prius debilis

Quod non utile hoc remedium quorundā hominum assertiones.

Depulsio Definitionis.

Accidentaria fonticulorum medicinalium utilitas.

Responsum ad primam superiorem instantiā.

Pars semel affecta ad recipiendū obnoxia.

Aristocratia Corporis humani.

Ratio modusq; quo per cauteria fiat evacuatio.

Eversio superioris rationis & constitutā jam utilitatis cauterij.

Depulsio 3. positionis.

est,

est, quàm pars infossa cauterio: atque ipsa quidem, ubi talis recipit potius ab aliis, quàm ad ulcus cauterii transmittat; neque etiam conducet fonticulus in affectu secundario eadem ratione, namque adeò debilis reddi cauterii pars non potest, ut debilior fiat membro per se affecto, magisque quàm illud recipiat; præsertim, cùm consueverit imperio morbi subditum. Velit nolit materiam alienam recipere.

Constat nunc si debilitatis nomine profuturum cauterium foret, pro futurum certè in affectibus non primariis, sed secundariis, & tamen videtur potius adhibendum affectibus primariis, qui contumaciores sunt, valentioribusq; remediis opus habent.

CAP. III.

Vtrum antiquorum placito consentaneum sit cauterium.

Sententia sequenda fundamentũ.

NUnc autem auditis factionis adversæ persuasionibus, liceat mihi probabile eius rei sententiam verumq; decretum ponere thesi definiente, quod facienda sint cauteria pro materiæ diversione, quemadmodum quotidie factitantur; fundamentum autem illud esto. Consuevêre medentes omnes, dum nõ licet ab afflicta parte peccantem in ea materiam vacuare; proximo eadem loco deducere, nõ alio sane modo, quàm faciunt olitores, qui currentem suo tramite rivum, quo suadet usus irrigationis, inflectunt; hoc igitur, quod olitorum exemplo faciunt medici, diversionem vocant; estq; ea sane perquam multiplex: videlicet frictiones, ligaturę, cucurbitulæ, vesicatoria, lotiones, & quædam alia: His igitur, si quidem ad tempus breve licet uti, cur ad perennẽ diversionem uti cauteriis non liceat. Porro, utraq; istorũ diversio aliud meo quidem judicio discrimen non recipiunt, quàm momentaneæ cuiusdã aut aliquandiu duraturæ operæ; momentaneam quidem, sicut paulo longinquiorem habent vesicatoria; duraturam verò cauteria, licetq; ex vesicatorii inductione facile retinere cauterium si ea administrentur, quę in aperiendo riteq; formando cauteria solent; itaq; cauterium, quo nos utimur nihil aliud est, quam prorogatio & complementum diversionis breviculæ, quæ est in vesicatorio, vesicatorii verò diversio inchoamentum quoddã est duraturę diversionis in cauterio quod ut appareat quã sæpe nos exhorrentibus quibusdam actuale cauterium, potentiale substituimus, atqui vesicatoriũ est aliud quid eiusmodi. Quod igitur majores nostri cauteria non habuerint illo usu, hoc non facit, ut eo nos utentes dissideamus ab ipsis: quinimo ampliantes nos veterum inventa colimus, & quod idem illi sub hisce curationibus instituerunt, amplè præstamus, nõ igitur magni refert, quod veteres huiusmodi cauteriis delectati, quemadmodum nos minimè fuerint; cui firmamento tantopere nitebãtur adversarii, quin imo, si hoc aliquid facit, ut ex veterum traditione administremus hoc remedium, probabo deinceps, & ab antiquis hoc nobis inventũ defluxisse. Refert enim *Plinius*, solitos priscos, cum aliquo noxæ genere laborarent olivæ, ad harum caudicem unum aut plures hiatus terebro vel securi facere consuetos; id quod & hodie vulgo faciunt agrorum cultores, non in olivę solum sed etiam in vitariis, id est; vitium maritis arboribus, ulmo, platano, populo, salice, & cæteris omnibus quæ ramo, talea, clava, surculo, propagine nõ serũtur, ut prodidit *Io. Costæus in l. 2. de stirpium natura c. 57.* Verosimile fit igitur, ut inde traductum sit ad homines hoc inventum: quod enim in arboribus expertum viderunt feliciter, ipsum hoc etiam in homine, qui inversa planta est factu commodum rati sunt posteriores.

Pro materia divertenda verè excitari fonticulos.

Simile.

Ratio approbans usum cauterii.

Vesicatorii & Cauterii discrimen.

Cauterium quasi prorogatio diuturna vesicatorii.

Cauteria partibus affigentes nil dissidemus ab antiquis.

Prima adversariorũ rationis eversio.

Ab antiquis traductum ad nos cauteriorum inventum.

CAP. IV.

Quod antiquis cognitum fuerit aversorium cauterii genus, complurium autorum testimonio.

SEd quid ego coniecturas emendico, quando etiã apud antiquos luculentæ sunt nostri cauterii mentiones & usus. Incipiam à Græcis & 1. *Hipp. omisso, qui in l. de locis in hom. l. de inter. affect. & libris de morb. præs. 2. c. 51. & l. 3. eiusdem oper. c. 27. & 5. epid. in Malico* id quidem videtur voluisse, non tamen verbis aperuit. *Dioscoridis testimonio satius utar qui l. 6. c. 38.* & alibi ad venenatos ferarum ictus facta cauteria, ut hiantia diu teneantur, præcipit; ut admultum, inquit, tempus sordes prorogentur, & materia virulenta effluat. *Aetius ser. 2. c. 28.* paralysi linguæ factis igne ad occiput ulcerib. diu fluidis permanentibus non desperat perfectam curationem *l. 8. cap. 37.* Asthmati vero curando crustas igne excitat in pectore, diuque sinit apertas. *Paulus verò Aegineta l. 3. c. 73. F.* dum coxæ vitium diu protrahitur oblædendo diutius articulum, tribus quatuorvé locis uri, & compluscùlis diebus ulcera adaperta servari voluit. *Idem etiam l. 5. c. 3.* inductæ demorso per rabiosum canem loco crustæ; fluant (inquit) ad minimum 42. diebus, quas easdem demorso item homini rabido crustas 40. aut 60. dies. apertas servandas sanxit *Aëtius l. 6. c. 24. qui ex l. eodem c. 49.* Longis stomachi defluxibus factæ crustæ item ut apertè diu relinquantur, admonuit. Ad hæc *Paulus l. 6. c. 2.* per defluxibus humorem ad oculos & thoracem curandis, caput, ait, supernè urunt & crustã lapsã os attenuant, ut servato diu ulcere humores eo perspiratu dissipentur & evacuentur. Hactenus eius sententiæ græcos autores habes. E Latinis verò primus *Celsus l. 3. c. 21.* ferramentis candentibus pluribus locis hydropici ventri exulcerato servanda diutius ulcera præcipit *& c. 22. eiusdem libri in his*, qui pulmonis ob destillationem ex capite ulcere laborant, crustis inductis sub mento, atque in gutturæ ad utrumque mammam & sub imis ossibus scapularum cavet, ne sanescere ulcera permittuntur, nisi tussi finita; *& l. 4. c. 22.* ad coxendicos medendos ait, eaq; si nulla exulceratio, etiam ipsis coxi, sicut & cæteris partibus adhibenda est. Cùm verò sæpe aliquid exulcerandum candenti ferramento sit, ut materia inutilis evocetur, illud perpetuum est non ut primum fieri potest huius generis ulcera sanare, sed ea trahere, donec id vitium, cui per hæc opitulantur, conquiescat. Ad hæc Themison *auctore Cælio l. Chron. 2. fine*, Phthisi imperat ulcera facienda extrinsecus, atque horum diutissime diffe-

Veteres cauteria suadent.

Usus aversorii cauterii antiquis nostra...

differendam sanitatem, ad aversionem scilicet humoris, internorumque ulcerum exiccationes ut exposuit idem Cęlius, qui & ad inductas hydropicis crustas eandem ab antiquis observationem adhibitam fuisse, ut saniosam proluviem & aquã diutius eructarent, perhibuit *l. 3. chron. c. 4. & l. 2. eiusdem oper. c. ult.* Cui placito adstipulatus est & *Gariopontus l. 3. rei medicæ c. 1. sed Cælius 1. chron. c. 1. & 5. c. 1. p. ij.* post factas cephalæa vexatis, Ischiadicis & psæadicis ustiones, imperat ulcera reservata in saniem provocanda, quę quidem omnia potuerunt fortassis inde trahi, quod ipse *Hipp. 2. prognost. text. 64.* prodidit: quibus inflammati pulmones morbis abscessus circa aures fiunt & suppurantur, aut ad internas partes fistulantur, hi liberantur. Hâc credo observatione factum est, ut aliqui (inter hos *Lazarus Sotus in lib. de locis text. 130.*) professi fuerint, ab Hipp. fonticulum sub fistula compræhensum. Ex Arabibus est *Razis l. 9. rei med. c. 11.* in epilepsia per consensum jubet parti mittenti cauterium inducere, quod diu maneat apertum sive illud hepar sit, sive stomachus. At *Albucasis l. 1. c. 32.* ubi crustas complures hydropicorum ventri decrevit inducere, curandum voluit, ut longiore tempore saniem emittant aut aquam eructent *16. tr. 1. c. 1.* datis tumenti spleni cauteriis, ut hæc diu aperta tenerentur admonuit, quod *ex Paulo idem professo in lib. 6. c. 48.* didicerat.

Cum Avicenna ad hanc rem nomino *Razen l. de aff. vinctur. c. 25. & l. divis. 103. & 6. rei med. c. 2. & 9. c. 11. & Damasc. l. 6. c. 26. & Halyabbatem l. 9. practices c. 77. & 81. & Isaac. l. 9. pract. c. 76.*

Habes jam de cauteriis principum virorum tot pronunciata, quę quidem omnia quid aliud sunt, quam aut nostri fonticuli rudimenta, aut horum saltem adumbramenta. Cæterum usitatos uberrimè nostros fonticulos credidit *Dominicus Galbanus, medicus Estensis, in opere quod edidit de fonticulis*: ab eo tempere, quo primum Venerea lues unde libet in Italos deducta increbuit. Etenim ut veneno teterrimo pateret effluxus, imaginati sunt medici prudentes commodiorem hâc unâ non futuram aliam viam. Atq; ita etiam in peste Veneta A. 1575. celebratissimus fuit istorũ usus.

[...]d quo primum tempore celebratissimus [...]it fonticulorũ vulgaris hic [...]sus. [...]este Venetâ.

CAP. V.

Diluuntur rationes quæ inutile detrimentosumq; cauterium faciunt.

Cæterum, an id, quod obtendunt aliqui cieri membris ex cauterio potius detrimentum quàm levamentum; Respondebis, haud tantum ex cauteriis induci detrimentum, ut inde totum ægrotet membrum, ita quidem actiones non impediunt, quo minus possit vel brachium circumquaq; moveri, aut crus incedere; quæ cauterium gestant. Quod si quaqua parte factum est ulcus, & soluta unitas est, hæc quidem noxa vel nullius prope vel exilis admodum est momenti; qualis autem cumq; sit, maior profectò & longè maior est utilitas quæ proficiscitur, quàm noxa. Adde quod nullum ferè medicamẽti genus est, quod ita juvet, & nulla ex parte noceat. Nimirum usq; adeò medicamentum est, donec jam alteret & immutet corpus: immutatio autem hæc sine naturæ offensione atq; molestia non est: vis enim semper inferatur oportet, quæ perpetua medenti comes est. Deinde ubi advertunt, quod, esto non sit damnosus, irritus tamen & cassus est cauterii usus, siquidem quod facere debet diversionis opus, nullum facit: nempe venulę inter ulcus & partem affectam mediæ tam exiguæ sunt, ut per eas defluere nequeat humor, qui memoratu dign⁹ sit. Porro ubi desiit actuosa cauterii vis, cessat continuo dolor, cessatq; calor, cuius utriusq; causa fit tractio atq; inde diversio. Hæc isti, sed certè quam parum acutè vides. Scilicet *Galeno in 13. meth. docente*, exasperatâ importunè sensili quâcunque parte, natura subinde commovet spiritus & sanguinem ad eiusdem subsidium, quos ad locum conversos rapit continuo vacui vis, quousq; veluti habitu quodam proveniat ibidem concitata semel humorum antichorum proluvies, nullo vel dolore vel calore provocante. Comprobat hoc autem experientia, quandoquidem & supra omnem ulceris ambitum & dimensum superantem plerunq; saniem videmus effluere. Neque officit, quod venæ perexiguæ sint; quotus enim quisque ductus quantumvis exilis & modicus ad humorem quempiam inutilem secernendum satis est natura decernente, tantummodo comparata sint opportune cętera, de quorum legibus & ratione trademus proximè. Non autem nego accidere sæpenumero ut neq; materia ad eum locum confluat, neq; assuescere naturæ opera posse, quatenus confluat: atq; adeo nolimus exaruisse persæpe cauteriorum ulcera, quæ deinde vel inviti medici cogantur obducere. Quamquam est alias observatum, multos in menses sicca cauteria post hac (incertum quâ naturæ libidine & conversione) plurimam humoris & saniei copiam reddidisse. Hæc nobis libuit, sicut licuit, de cauteriorum utilitate scribere; de quibus *Thomas Fienus, Hier. Capivaccius, Michaël Cavassetus, Iulius Delphinus; & Iulius Cæsar Claudinus*, tractationibus huius rei propriis, atq; alii quidã doctissimè disseruere.

[...]d obiectiones eorũ [...]ui partiũ [...]xulceratũ [...]d avertendas defluxiones [...]ssita [...]amnant [...]esponsiones.

Occurritur.

Ab experimento.

Ad rationẽ. De exilitate venarũ.

Observat.

CAP. VI.

De locis infigendi cauterii vulgatioribus.

Solent quidam vulgo fonticulum imò excavatum ad frontem religare, inferius verò ad cervices exsculptum ad collum revincere chirurgi; quod equidem damno propterea, quod minimè sub cutem imprimi potest, fovenda tum repellẽtibus lacertis, quibus inter cæterum maximè partes donatæ sunt cervicis, tum etiã vetantibus organis respiratus, quò minus arctari vinculũ queat. Satius ergo putarim superius quàm fieri consuevit ulcus illud effossum iri. Ita enim & spinæ medullæ exortui cohærebit maiori indubiè cum fructu & cavitatem maiorem obtineri licebit de ligaturâ obliquâ ad sinciput super aures ductâ: utrolibet autem suffodiatur fonticulus, illud est imprimis advertendum, ut in medio cervicis canaliculo non ultra citraque suscitetur. Secus enim & difficilis est excavatus, & dolores diuturni supersunt.

Pręter hunc postici capitis fonticulum & anticum equidẽ vidi in P. M. Ant. Cicala, ex societate Jesu

Jesu sacerdote, capitis defluxionibus extremè obnoxio, præter quem virum neque novum est Romæ & in Galliæ Cisalpinæ aliquot locis Seticulum aliâ parte factitari consuetum, quam rem cum improbat *Io. Zechius cons.* 1. & 18. *approbant contra Iul. Cæsar Claudinus in responsorum medic. postremo*, quòd si quis asserere velit defensionem leget eiusdem Claudini & aliorum recitatam à nobis *Pyrotech. l. 2. c. de catarrho.* Brachii fonticulum communi chirurgorum ac medicorum omnium ritu ad deltoidem ipsum musculum ac ad huius tendinem parte exteriore infodiunt; sequutus autem ego vulgatum hominum morem fueram junior, donec rem anatomicam professus Neapoli primus manifestum hoc erratum deprehendi atque approbante Mario Schippano medico scientissimo interiore loco inter deltoidem & cubiti flexorem lacertum, cum *Lanfranco chir. & cum Nicol. Pisone lib. 2. de morb. cap. 4. & cum Hier. Fabricio Iul. Cæs. Claudino* atque aliis autoribus emissarium hoc loco factitare, quâ parte paratum ulcus, ut par erat, commoda multa reddidit semper: nam & minimum ex huiusmodi ulcere dolet homo, & consistit situ immutabili, & quod operæ precium est, ulceris ritu cavatum uberiore facit manatus. Nobis autem more profundiore suffragantem audi *Iacobum Hollerium observat. medicinal.* 1. *dicentem.* Epilepsiæ, maniæ, melancholiæ, hemicraniæ, cephaleæ, cæterisque hoc genus capitis affectibus pertinacibus medendis locus in brachio medius inter axillarem ferro aperitur & vulnus ne coëat prohibetur, atque hic melius quam exteriori brachio, siquidem minus opportunus est hic locus occurrentibus & allidentibus externis, minusque visui patet.

Locus cauterii in brachio legitimus primùm à nobis ostensus Neap.

Ad inferiores autem artus ut descendamus, fieri consuevit & in femore superiore fonticulus quatuor infra inguen digitis voluit *Dominicus Galbanus, medicus Esthensis in l. 2. de fontanell. c. 9.* verum ut rectè sequitur hic homo viciniam partium, ex quibus derivandum: nihilominus non probant hunc locum nostri defectu commodæ deligaturæ. Itaque supra genu ponunt totidem aut sex etiam digitis. Sed manant hæ minus quam par est ulcerum fossulæ neque sine dolore gestatus est horum plurimus, unde dubitandi ansa datur, ne ipse, qui accommodatissimus est, locus insessus sit.

Promptior est commoditas cauterii locati sub tibia genuque parte sc. interna, quam rem equidem sic administro: supremam suræ pulpam tota manu comprehendo, qua vinculum caligas perstringit sed paulo depressiore loco sicut voluit Heurnius, qua media digitorum occurrentium est vacuitas, inuro, ibi enim est insignis cavitas extra musculos ac tendines polita, sed quâ venæ propinquant maximè.

Ratio inveniendæ sub genu sedis fonticuli.

CAP. VII.

Loca corporis apte cauteriis plura quàm imprimis vulgo consuevit monstrata.

Hi quidem vulgatò ritus sunt excitandis fonticulis: deinceps verò minus quidem usitati sed dignissimi sunt exponendi. Primum autem à summis partibus exorsi deinceps ad inferiores procedemus.

Dolorem capitis recidivum Regulo cuidam abolitum per actuale cauterium aperto ad Bregma fonticulo testatur *Iacobus Fontanus in Consilio 7.* Catarrho verò compescendo sutura in coronali paravit emissarium *in cons.* 14. Itemque ad phthoen *in cons.* 18.

Consueverunt in pueris & in aliis, qui defluxus à capite ad oculos atque ad subiectos partes alias conqueruntur, fonticulum in imo medentes ex more omnes adaperire, sed multiplex musculorum motus perpetuo repellit globulos; his tum incommodis tum morbo consultum iri mihi videtur si foveæ quæ post aurem est insignis articulatione maxillę cutis exulceretur, quam rem priorum usu atque auctoritate probatam mirum est, quod apud nostros tam diuturno neglectus fuerit, quod enim aut quam magni viri huic præsidio suffragati fuere. Primus *Razes, l. de cauteriis* crustam igne faciendam huic loco præcepit sibilo ac fistulæ auris, dentium & oculorum dolori medendis, convulsioni verò caninæ *Avic. in lib. 3. fen. 2. tr. 1. cap. 17.* nec non *Albucasis l. 1. c. prop.* eidem quoque morbo, & præter hæc oculis ab inflammatione tuendis *Mesvaus lib. 2. Grabad. cap. propriis*, sequutus autem hunc virum (quod ad cōvulsionem caninam spectat) est *Bertrucius Bononiens. tract. 2. sect. 2. capit. 3.* vertigini verò è posterioribus *Matth. de Grah. in cons. decimo & Theophr. Parac. manual. 2.* cum quibus est *Nic. Piso lib. 1. operis therap. cap 9. qui & cap. 19.* ad epilepsiam idem laudavit & ad catarrhū *c. 25.* & ad tussim *l. 2. c. 24.* Itemque *Iacobus Holler. in eo quod c. 2. lib. 1. subiecit scholio, nec non enarrator Duretus.* Quod autem ad epilepsiam attinet huic finiendæ locum hunc ad emissarium utiliter inuri judicavit *Io. Baptista Theodosius* in epistola 65. Refert quoque *Michael Paschal. l. 1. de medic. in morb. c. 8.* finienda vertigini probatum quorundam experimentum esse, venas non pulsatiles post aures inurere quod fortasse legerat apud *Gulielmum Brixiensem in opere practico cap. de vertig.* Id quoque ad cephalæam laudavit *Ludovicus Mercatus l. primo de cur. morb. inter c.* 1. ad catarrhum verò & ad ustionem imbecillam cauterium in hoc loco proposuit *M. Gatinaria in comm. ad Razem* & illius viri compilator *Iac. Syl. in meth. cur. cap. proprio.* ad lachrymas vero involuntarias *Gulielmus Rondeletius l. 1. pract. c. 61.* ad lippitudinem *Nicol. Piso l. 1. de cur. morb. inter. c. 26.* ex chirurgis *Theodoricus l. 3. chir. c. 45.* lachrymas oculorum hoc cauterio siccat. Deinde *Lanfrancus Mediol. chirurgiæ magnæ do. 3. tr. 4. c. 8.* ad medendas oculorum languentium imbecillitates eundem locum aperuit, ad ineuntem verò suffusionem *Durantes Scacchus l. 1. subs. medic. c. 4.* Id quod neque accipitribus facere abstinuit Federicus Georgius in arte accipitraria ad surditatem *Michael Savanarola tr. 6. c. 4. rubr. 3.* Hi sint satis è quam plurimis qui actuosum pene aures cauterium magni fecêre.

Sibilo auris, oculorum do[lori]. Oculis [in]flamm[atis]. Oris di[stor]tioni. Vertigi[ni]. Epileps[iæ]. Catarr[ho]. Vertigi[ni]. Catarr[ho]. Visioni [im]becillæ. Lachry[mis] involun[ta]riis. Lippitu[dini]. Epilepsi[æ]. Surdita[ti]. Oculorum omnibus vitiis. Surdita[ti].

CAP.

CAP. VIII.

De ustione parotica per medicamenta.

SEquuntur hi, qui medicamento caustico contenti fuêre, primus ex his ponendus est *Ioannes Fernelius qui in consilio* 11. ad imminentem cæcitatem exasperandum hunc locum pyrotico censuit, & demonstratione anatomicâ confirmavit, quem virum imitatus est & *Ambrosius Paræus*, qui lacunam eandem aurium dolori dentium sopiendo vesicante cauterio aperisse felici experimento testatus est *l.6.c.25.* subsunt enim, inquit, illic vena, arteria, & nervus, quæ ad dentium radicem distribuuntur, quam rem & *Bartholomæus Eustachius lib. de dentibus ad calcem attigit*. Ambrosium verò sequutus est *Ioannes Heurnius lib. de dentium affect. cap.* 1. qui vertigini & epilepsiæ nec non *lib. de morb. ocul.* suffusioni & *lib. de morb. pect.* asthmati hoc utile factum dixit. *Leonar. quoque Fuchsius* oculorum suffusioni tum vertigini commendavit *lib. 1. de cur. morb. cap. prop.* etiam oculorũ affectus *Io. Riol. in meth. med. particulari Ioanne à Vigo visus autore* fossulam hanc auris exulcerat caustico. Sed *Ludovicus Duretus in Iac: Holler: practica* convulsioni caninæ. *Felix verò Platerus tom.* 1. *prax.* auditus læsioni tit. de respiratione depravata, proficuum dixit hoc, & asthmati, quòd à crasso lentoque pituitæ recremento proficiscitur, post hos omnes *Philippus Mullerus in chymiatro suo libro, quem de chymica medicina miraculis ac mysteriis inscripsit* vesicatorium dolori dentis finiendo post aures affixit, quod approbarunt etiam *Laurentius Scholzius Consi. medic.* 72. §. 195. *& Petrus Pigræus lib. 8. chirurgiæ cap.* 17. cantharidibus in pice adhibitis, & *Gualterius Bruelius lib. praxeos medic. cap. isto.* ex canthar. fermento atque aceto paratum, tum vertigini tum hypochysi perutile testatur, qui & cauterium simpliciter loco post aures excitandum voluit. Adhæc hæmicranio dolori commendavit hoc *Rodericus Fonseca to. 2. cons.* 64 Itemque catharro calido, suum testatus experimentum *Benedictus Victorius Faventinus in cons. 1. & cons.* 14. qui vir & ad cephalæam idem remedii suaserat *cons.* 6. & ad vertiginem *cons. 8 autore usus Galeno in 3. de locis affect. c. 8. & Avic. in l. 3 fen. 1. tr. 5. c. 3.* & ad grave halantes nares *cons.* 42. ad sex vel octo menses laudato singulariter emissario. Ad tonsillã etiam strangulatoriam epidemicam probavit vesicatoriam. E cantharidibus vel præter hoc genus aliud quodcunque causticum erosorium Andreas Tomajus Regius Austriacorum chirurgus in lib. Hispanicè inscripto de Garatillo. Ad oris distorsionem cauterium super venam, quæ est post aures, perplures dies conservatum efficaciæ supremæ testatus est *Ioannes Arculanus comm. in l. 9. ad Mansorem c.* 11. & ad Lethargum *Thomas Cornachinus in medic. suis tabulis.*

Ad summã si rectè perspiciamus omnib. capitis defluxibus evertendis accommodatus ad has partes fonticulus apparet, & inter omnes ut verũ dicam, maximè cujus rei causa si cui libeat in præsens audire, illa est secundum *Hipp. sententiam in lib. de humor.* derivationem quampiam à medico paratam, ut naturæ instituto consentiat oportere; cùm itaque ad hæc loca consueverit natura cerebrum à morbis liberans defluxus & abscessus facere: perspicuum hinc est consensum viarum partiumque esse: atque adeò rectissimè fieri, siquidem ad hanc regionem emissaria præstruat. Conferas autẽ fonticulos, qui ad brachia educantur. Nimirum hâc eadem ratione, quod naturæ defluxibus ordinatis non consentiatur, nedum non utilia vult *Prosp. Martianus in l. Hipp. de humoribus*, sed incommoda etiam irrita. Imo etiam detrimentosa dicit propterea quod consuetas naturæ vacuationes alio facto superfluitatum decursu deviat, & amandat, viis interim naturalibus, per quas duci poterat occæcatis. Sed hæc obiter, quos sic non meum, sed aliorum esto judicium Interim nos naturæ indicia sequuti atque imitati præterquam dictæ auris lacunæ fonticulum pone processum styloidem paulo post exortum musculi componemus. Itaque equidem plurimos defluxu capitis tum ad anteriora tum ad posteriora non infeliciter curavi. Est autem porro commodior ad id loci quàm ad inion cauteriolum. Sed *Thomas Fienus lib. 4. de cauter. cap.* 1. ad oculorum defluxus idem rei laudavit, post hos omnes clarissimos viros, si (quę mea sunt experimenta, (proferre licet) licet autem quando fideliter res enarrentur.

Didacus septem annos natus filius Andreæ de Amore, longo ad oculos defluxu & strumis ferè præfocatus, gestatis retro aures utrasq; fonticulis emissariis post dies 60. liberatus est, quam rem Alexander de Alexio medicus Neapolitanus solertissimus cognovit.

Sed & peste correptis hominibus tuendis loco huic extumescenti vesicatorium è cantharidibus imponit *Phil. Ingrass. operc. de peste part. 4. cap.* 28. Jam verò ne te moveat quod de fonticulis post aures emissariis professi vesicantium inter hos & potestate inurentium medicamentorum meminerimus, delphinum (ut cuipiam videatur) sylvis appingentes, fluctibus aprum, scire licet ustionem momentaneam humori cuilibet exiccando vel discutiendo factam ad emissarium diuturnius fovere, nil esse quod vetet, præsertim quando fonticulos ex cauteriis produci secũdum juniorum inventum ante monstraverimus.

Hactenus jam de fonticuli post aures usu, dupliciq. ejusdem parandi ratione. Cæterum si deligandi ratio quæratur, hæc ulcusculo conservando commoda est, quia ex tribus fasciolis assuta secundum π Græcæ notæ descriptam figuram superius victæ secundum sui medium, posterioribus aurium partibus frontem ducta hîc renodetur: reliquæ sub aures ad anterius collum pertractæ sub mento colligentur. Jam multa multorum autoritate & commoditate præstans apparuit post aures positum emissarium: adhæc autem esse ad ipsam auriculam, id est, ad infimam hujus pinnam transadactum cauteriolum pro surditate curanda inveni propositum excogitatum ab *Aloysio Mundella lib. epist.* 21. Cujus administratio qua ratione sit exequenda non explicuit idem. Expositam hanc ad alios quosdam usus reliquit *Ioannes Costæus l. de cauter.* 2. quem vise. Est autem ad eam rem accommodatus aureus argenteusve spincterculus. Pręter hos fonticulos novum

novum quidem est secus jugularia vasa poni: sed nihilominus ad strumas exhauriendas hinc atq; hinc experti sumus perquam utiles in R. P. Nicolao Zimara societatis Jesu sacerdote, quamquã ad ulcera & empl. è stercore columbino ἀττικῶς continenter inductum est. Deinde *Iul. Cæsar Claudianus* & scapularum locum & infra articulum laudavit ad defluxus superioris in partes pectoris avertendas: & hoc viro prior ad asthma *Bened Victorius in cons.* 16. *ac Thomas Fienus l.* 4. *de cauter. c.* 11. *& c.* 15. Deinde scapulis utiliter excitata cauteria professus est, quia locus is à magno calvariæ foramine & à spinali medulla dissitus non est; & quia declivis & quia propinquus est venis, quæ è capite in brachia descendunt. Affectus autem; quibus succurrit hæc vacuatio, sunt tum ipsorum humerorum spatularumq; dolores tum ad capitis vitia hæmicraniam & epilepsiam, qui vir eadem libri parte sub alas ad cordis pulmonumque affectus, & ad venenosæ materiæ sub depopulatu pestis eductionem per cauterium approbavit, scapulas inducto fonticulo vocis amissæ usum restituisse quibusdam narravit *Amatus Lusitanus cur.* 6. *cap. ult.* qui & alarum cavo suffigendum cauterium, ubi res ferat, proposuit. Sicut & proposuit *Durantes Scacchius l.* 1. *subsidii medicinæ cap.* 18. pro peste verò pellenda Iconibus sub multis morbis adjuvando duplex ad utrasq; alas cauterium defigit *Thomas Fienus lib.* 4. *de cauter. cap.* 17. Ad medias claviculas, quâ fossula submissa, indicat insculpenda duo emissaria Illustrissimo viro Donno Thomæ de Auolis, qui destillationis ad pectus diu conquestus fuerat, consilii requisitus proposuit *Hier. Fabric. Aquapendens*, quod Neapolitani nostri medici, ut qui vetustis tantummodo majorum ritibus acquiescunt, difficile tulerunt primò, mox verò consultoris authoritate victi, festivius admisêre. Id mihi traductum videtur ex *Celso*, qui *l.* 3. *c.* 22. phthisicis crustas submento, gutture ad utramque mammam; & sub imis ossibus scapularum igne excitat, & in longum tempus prorogat. *Aetius* quoque asthma curandum crustis ignis ad thoracem diu servatis præcipit, quâ etiam imitatione *Michael Paschalius* ad asthmatis aliquod species fonticulum in furcula probat. Ad hæc *Philippus Ingrassias & Bartholomæus Eustachius medici consultissimi non discrepantes ab Albucas. l.* 1. *c.* 26. circum fistulam thoracis Ducis Terranovæ ad derivandos influentes humores, quinque digitorum spatio fonticulos complures excitandos decrevêre. *Thomas verò Fienus lib* 5. *de caut. c.* 1. in vitiis pulmonis præter. 2. brachiorum 4. in thorace excitat. Sed in regione abdominis *Avicenna* jecur, lienem, stomachum, qui causam cephalææ præbent; inurit *lib.* 3. *fen.* 1. *tract.* 1. *cap.* 33. *& Albuc. lib* 1. *cap.* 18. è nuperioribus *Thomas Fienus* diligentissimus hujus materiæ scriptor *in lib* 4. *cap.* 16. cauteria pro abolendis stomachi languoribus abdomini configere cauteria licere veterum autoritate comprobavit. *Ludovicus verò Mercatus lib.* 1. *de cur. morb. interne cap. de melancholia*, curando scirrho lienis huic parti cauterium defigit. *Eustachius verò lib.* 5. *de morb. occult. cap.* 13. refert, se quendam lue venereâ pene consumptum ex toto ferè sanasse cauterio primum jecoris regioni adhibito & per annos 3. conservato, mox pro isto, duobus fonticulis ad crura defixis. Quod autem ad cætera loca pertinet, illud admirare solitus sum, qui fiat, ut non inguine excitentur fonticuli; in his præsertim viris qui lege maritali non tenentur, quique jam annis graviores sunt, & in aliis ad summam hominibus, qui veneri non serviunt, sunt patientibus effectus quoslibet diuturnos ditionis, quam vocamus, naturalis. Porro hæc ad colicam & dolores vesicæ approbavit *Gulielmus Salic. lib.* 5. *chir. cap.* 2. *ac Petrus Argillata in l.* 5. *tr.* 1. Ad Arthritidem *Iac. Fontanus lib.* 3 *pract. med. cap.* 36. Ad psoram quoque contumacem vetuli religiosi Jesuitæ, cujus & in opere nostro de abscessibus memini; consultissimum virum & professorem nostrum eximium Antonium Santorellum, in selectissimorum medicorum conventu proposuisse, dici sane non potest quàm opportunum hisce malis est hoc præsidii genus. Porro cum in duobus quorum alter hydropi, alter cachexiæ subditus erat, obrigisset, hoc experiri: magnum ex hac re operæ sensi sequutum. Taceo, quòd longè plurimis hominum ulceratis bubonibus venereis jam sanescentibus in peculiare infecti jecoris emissarium pilulam conjeci, longo tempore continendam non sine multo commodo. Cætera res plurimum conducibilis intercipiendis humoribus, qui ad pedes diu consueverunt irruere, testis autem est mihi locuples Franciscus à Ponte, scholæ nostræ Neapolitanæ professor egregius, excitatum hujusmodi fonticulum Aloysio Layzo juveni, qui viginti jam annos ulcus rheumaticum passus fuerat in pede maximo, super omnia remedia levamento fuisse. Deinde etiam inferius inguine quatuor latos digitos excitatum, media femoris linea cauterium percommodum est his, quæ modo memoratæ sunt atq; hoc genus affectionibus abolendis; discurrunt quippe per medios illos externâ facie lacertos venæ nobiles insignes, quarum surculis facile est occasione data evomere, quicquid superfluum atq; incommodum est superiori corpori: quemadmodum observare licuit in quam plurimis potissimum religiosis Capucinis, quos nominare necessum non est. Aliud etiam est, quod referam experimento probatum; discussum ultro magnum tibiæ pedisque tumorem in corruptionem iturum homini, cui in adverso inguine magnum item excitatum est ulcus. Jam autem insolens ut ne videatur fonticulus, scire licet & pro ipsius hepatis finiendis malis fonticulum utrique inguini collocari commodè sicut docet *Durantes Scacchius lib.* 1. *subsid. medic. cap.* 18. *& Thomas Fienus lib.* 5. *de caut. cap.* 1. *& l.* 4. *cap.* 16. Ad aneurisma pectoris quoquo pacto reprimendum memorato modò loco cauterium defigit *Rodericus à Fonseca cons.* 60. quâ item ratione neque alienum videtur emissarium parte genu exteriore, quâ media musculorum latera relinquunt supra lacunam poplitis, certis sub quibusdam casibus aperiendum. Porro sub genu periculosum admodum cùm esset propter tumores œdematosos in Reverendo viro Luca Antonio Pellegrino confessario monialium Jesu Neap. locus is tutissimus fuit. Taceo multos alios

Sub mento.

Fontici inguin.

Histor.

lios qui eandem fonticuli commoditatem experti sunt, noti Adamo Marchio atq; aliis medicis Neapoli, laborabat itē Jo. Dom. Longobardus civis Neapolitanus ingenti dolore tibiæ, quâ sura cum fibula committitur, qui ex veteri lue syphilia profectus vehementer interdiu, sed immaniter noctu torquebat, ita ut ad illitum hydrargyrii toto corpore faciendum, etiam sub ardente Syrio curatores medicos compulisset; hoc igitur remedio nil levatus homo, spem omnem fermè depresserat, cum eo parato ulcere quo loco descripsi, & vacuari virulenta sanies, & mitescere dolor cæpit sic, ut non longius quàm intra septimanam finitus fuerit omnino. Quid in vero beneficii consequeretur, cum à magistra natura loci lacunam comparatam ac prope indicatam cognoscamus in emissarium. Nobis autem eruptorium ejusmodi medicantibus suffragabatur & *Felix Platerus, qui tom. pract. 3.* idem loci jussit aperiendum pro gonagra curanda, lecto fortassis exemplo apud *Razem in libello de Cauteriis*, vel apud *Lanfrancum, qui Chir. magna doctr. 3. tr. 4. c.* 18. ejus rei meminisse videtur in curandis doloribus genuum, testium & matricis. Cæterum quod ad deligaturam spectat, hęc minime difficilis est, aliam in hac re difficultatem non video, quàm, quæ ab insuetudine nascitur, sed nihilominus in gravissimis difficilibusq; morbis omnia tentanda docet necessitas.

Restat nunc aliud memorandum emissarium revellendorum humorum gratiâ, carnosa parte quæ 15. digitos malleolo superior est, propositum à *Thoma Fieno l. 4. de caut. c.* 15. quem scilicet locum exulcerare nos vesicantibus ad febres malignas medendas quotidiè consuevimus. Aliud hic pro coronide adjiciendum judico non inutile. Intercapedinibus musculorum, aliarumque partium cavitatibus spontaneum interdum ulcus obortum, quod graviorem alium affectum corporis elevaverit ademperitve, in eo igitur loco linquendum emissarium in aliquod tempus, & moneo quidem ipse, qui rem conducibilem sæpe sum expertus, & ratio ipsa suadet. Denique, si rectè ratiocinamur, locis omnibus dolore afflictatis, si tamen aut plethorę aut cacochymię, aut etiam utrisque prius occurreris, convenire videtur cauteriolum: nimirum, ut si huic sedi pars aliqua vitii vel ipsum affatim inhæserit, & inde etiam exhauriatur. Cujus equidem rei aliquot experimenta per me comperta & hic perhibere non pauca possim, & multa etiam in *l. 3. pyrotechnia nostra chirurg. entopyria F.* Nihilotamen secius & *Razes l. de cauter.* passim huic meæ sententiæ & *Thomas Fienus l. de cauter. c.* 11. & *Ambros. Paraus l.* 17. *sui operis. c.* 2. duobus plane memorabilibus narratis exemplis suffragia tulêre.

CAP. IX.

In quo præcepta & adversiones circa cauteria proponuntur.

His jam compositis quæ se primum obtulerunt de cauteriorum usu longo, ambiguitatibus, deinceps exponentur observationes ac præcepta quædam, tum ante, tum post cauterii percusiones advertendæ.

Primum igitur, quod tibi ob oculos proposueris ac perspexeris est, ut pars, cui cauterium infigitur, naturali quadam compositione accommodata sit, unde defluere materia possit, nullumque interim ab inusto loco sentiatur incommodum, quod autem ad priorem scopum attinet, pars affecta inurendæ alteri sic respondeat & consentiat, ut ex mittente isto & superiore loco possint effluvia ad recipientem huic usui constituram trahi. Quo divinus quidem *Hippocrat. in l. de loc. in homine* 49. venam, inquit, inurere oportet commodam ad morbum, ex quo quandoque tandem quis ægrotaverit, cui similis alia, quæ prima est sententia *Razæ lib. de cauteriis*, qui porrò fontes hos vocat, & diligenti cura vult inquirendos *Razes lib. de cauter.* unde profectum est scilicet ut fonticulos vocare cōsueverint nostri. Ad hæc partium consensum inspiciens illud vide ne pars exulceranda nimium à loco malè affecto dissita sit, sic enim per excedentem longinquitatem commoda facilisque non esset aversio: sed neque etiam sit ita propinqua, ut dum inutilem eluviem procuratum ulcus allectat, simul etiam ad languentem partem, cui servit, humores aliunde trahat, utputa, si circa mammæ cancrum unum aut alterum exsuscites ulcusculum, ad summam media inter extremos laterum situs eligenda via est, exempli gratia, laborante capite, aut prope cervicem aut in brachiis inuritor: pars dextera quidem, si dextra capitis pars gravetur, sinistra verò, si sinistra. Præterea si defectos sibi menses fœmina quæpiam conqueratur, remedium afferens ipsi, tibiis præsertim internè fonticulum excavaveris. Atque hæc quidem ad partem, unde avertitur, commoda est procuratio. Jam verò, quod ad vitanda partis infossæ detrimenta pertinet declinatio, anatome magistra, nervis nerveisque particulis, & ubi vacuitas & intercapedo est musculorum, quibus interim venę majusculæ circumstent, atque etiam ubi de ligatura consistere nec ulcus admodum evariare possit: in his unicè locis fonticulum defixeris, secus autem & dolores, & inflammationes, & abscessus, & interdum etiam gangrenæ timendæ sunt. In quam rem quod mihi compertum est multis observationum studiosis, advertam. Parte tibiæ, quæ genu quatuor digitos subjacet, exteriore sicut anatome docuit, nulla est musculorum vacuitas, quin, neque tendinum, ac tendineæ compaginis, quæ undique diducta regionem hanc omnem convestit. Hanc ob causam non mirari equidem non possum, quid hisce partibus imprimendas fossulas principio præceperint aliqui nostrorum, Arabistę videlicet, à multis jā seculis, sed tamen eorum temporum quib. interciderat anatome, quos sequuti posteriores rem acutius non discreverunt: Quod si processit tamdiu mos, planum est, & nil est tot omnibus juvare & plurimum sæpe etiam nocuisse. Ita gangrænam non multis ante diebus illustrissimo viro Ascanio Carraffæ profectam vidimus, quam cum infinitè irrefrenabiles pro funesta reliquissent intractatam nostri quidam chirurgi, nos scalpro excisam igne coercentes intrepidè juxta atque feliciter compressimus.

Pars affecta morbo consentiat loco excitandi cauterii.

Vnde & quo primum autore fonticuli dicti.

Ita & Ferranti de quadra Regio consiliario: ita conjugi Francisci Antonii calamorum œconomo Ducis Albæ Neapolitanorum proregis à secretis, ita etiam Joanni Baptistæ de Assaro, nonnullis aliis iisque plerisque multis, quos nominare non oportet, obscurioribus hominibus, accidit.

Has ob res illud jam statuere licet, aliâ cruris parte quærendum cauterii beneficium. Illa autem prompte pars interior est quæ & mollior & venosior, id est, imprimendo commodior est. Id quod acutè videns Hieronymus Mercurialis respondens ad Jo: Zechii postulationem, consultius fonticulum, qui tibia interna excavatur, & qui exteriorem exulcerat, deliberatè prætulit. In universum autem & in omnibus aliis artubus amplexoriâ sui parte commodior est perpetuò fonticulus. Cæterùm si modus exterior cruris latus desiderat ad emissarium supra genu externa fossula probatur.

Sed ne sileamus id, quod cavendo non ultimum esse debet: nempe pervidendum est etiam, ne cachecticus, id est, corrupto corporis habitu, aut κακόσπλαγχνος id est, vitiatis visceribus homo sitis, qui recepturus est ustionem: quinimo, ne cacochymus & inexpurgatus, cavet *Aetius lib. 3. ser. 2.* etenim ejusmodi corporibus inflicta acus punctura cacoethe ulcera producit, *Galeno auctore in 6. meth.* quid de ustura credas, quæ calorem ingenitum contactæ partis exhaurit, latioremque plagam exsuscitat, sic spectanter diligenter corpora, priusquam igni tententur.

CAP. X.

Rationes practicæ atque administrandi modi.

Requiritur autem nunc quæ ad rationem agendi pertinent, tum è bonis auctoribus, tum è quotidianis nostris observationibus aliquot enarremus.

Prima siquidem audis, mihi & Jo. Heurnio Ultrajectino ad has operas nil est necesse, ut ferro agatur, satis est lenissimum causticum, quale equidem in pharmaco chirurgico descripsi: Ejus hæc est virtus, ut altius agat & terrorem ægro doloremque non inferat: non æquo autem commodo vesicatorium ex cantharidibus fermenti atque aceti modico laudat *Amatus Lusitan. Cur. 6. Cent. 5.* Secunda, cum inuruntur, inquit Heurnius, nostro cauterio fontanellæ, eousque cutem pervadere vis ejusdem debet, dum subjecti musculi membranula exedatur, ut in his, quibus laborant vitio pedes acrioris materiæ perpetuâ incursione, unde tædii plena sunt tibi ulcera hæc, non amplius fontanella cruri impressa ea regione, quâ locum caligas stringit, sed paulo depressiore eam labentem materiam expuit, sed ut dixi, illa pellicula trajicienda, ne acrior materia solita, qua ferebatur viâ inter carnem & musculum elabatur in pedes, & cautio adsit, ne hæc societas juncta à carne redintegretur, nam frustra fontanellæ molestiam gereret homo sine commodo sed, (quod Heurnius proponit) multam in fonticulo cavitatem, cum libet facere, atque etiam cum assumpsimus curationem eorum qui & animosè dissectus perferunt atque ulcus hoc emissarium aperiri sibi quàm citissimè volunt, tum utile consilium fuerit cum aliqua particulæ excisione id exequi. Illud autem fiet *auctore Hieronymo Fabricio lib. de chir. oper. c. de fonticulis* duplicata cute abscissa pilulaque, qualem mox dicam, imposita, sed ne dolor excitaretur, dum inciditur (inquit ille vir) ego paravi duas ferreas laminas quibus in medio scissuram habentibus levatur cutis & duplicatur & inter duas laminas constringitur arctè, ut sensus ferè obstupescat tum scalpello ad scissuram inciditur, & ita fit fonticulus per incisionē, docuit & per ferrū apertionē fōticuli *Iacobus Hollerius lib. observ. 1.* licet huic viro sola scissura cutis nulla facta exscissione satis fuerit.

Meminit & per exectionem excitandi fonticuli *Iul. Cæsar. Claudinus in tract. peculiari de caut.* Ego verò, quam agendi rationem commentus expertusque sum, curiosis aperiam: summis digitis primoribus leviculè præhensam pellem phlebotomo adacto partim ad obversū levi pollicis unguem, partim forficula reseco, vel fili per acum traducti capitibus attractis manu leva sublatam loci cutem per scalpellum dextera subseco & exscindo particulam in orbem, sicut liceat eodem tempore pilulam complicatam è linamentis aut ceream unguento delibutam imponere. Hæc maximè præstab ilis imò & necessaria est fonticuli apertio in inio & in cervicibus, in quibus locis non licet spiritalis organi custodia & cautela deligaturæ compressoriæ vim ad foveolam fonticuli exsculpendam adhibre

Alia non adhuc audita & jam pridem à me comperta fonticuli lenius excitandi ratio est approbata, cum sæpe visa est felix ab ornatissimo viro Horatio Thesaurerio, quam his studiosos lectores meos non celabo.

Qua notatus est calido adhuc columbi sanguine locus, ex canaliculo se vibrans hirudo admovetur, quæ cum cruorem pauculum exsuxerit, superfuso quod amicum est, lacte, vel quod appetitum solvit, oleo cinereve resolvetur crustula, quæ sub bestiolæ de morsu contracta est, & butyro perlita cadet, à quo tempore pillulam de more suffigere licebit, modus quidem puellulis peculiariter accommodatus, sed quem cunctis hominibus delicatis, & fœminis adaptare licebit. Sed & istis obvoluto circa fusum xylo oleo ferventi tincto, vel accensi cereoli calente gutta defensum margine locum percoquere soleo.

CAP. XI.

Procurationes inustæ particulæ.

Accidit sæpe ut inusto loco difficilè decidat eschara præsertim à valente pyrotico inducta, quare citius ut resolvatur, imponendum est cum butyro tritus elleborus. Simplicem

cem autem hanc radicem ad inustum polypum indidit *Hippocrates lib.2. de morbis 34.* atque alibi, & ad alia nimirum, quod putrefactorium est hoc plantæ genus, ut interpretatus est *Hieronymus Mercurialis in eius loci adnotatione: At Petrus Andreas Matthiolus in comm. cap. 38. lib. 6. Diosc.* ex liquida vernice, ovi vitello, & recenti butyro misturam proposuit. Multò autem ut mihi videtur valentius Jo: Heurnii medicamentum quod Rec. ol. vitrioli, ol. hyper:ol:nigel. part. æqu. pluma intincta inungemus & molle cataplasma ex sabuci vel lapathi foliis superponemus.

Adhæc cum difficile sit & molestiæ plenum opus, compresso medicamento fonticuli scrobem excavare, quo compressu revinctuque præter acrem, dolorem periculum est, ne inflammatio, & ab hac interdum gangræna provocetur: utile consilium commentus sum, ut sine tam gravi pressura pilula plumbea imponatur primum quidem viciæ magnitudine deinde post biduum major aliquantò ac denique ejus magnitudinis quæ justè convenire possit in posterum.

...nfodi... ...m ul... utile ...nbea ...la peri... ...ea.

Ejus autem materiæ pillula propterea probatur, quod, præterquam pondere suo citius, alveum sibi parat profundius, adhæc inflammatorium quemcunque affluxum repellit, atque ulceri nihil incommodat, sed carni amicum, fouet ulcus, ut quæsitum est. Hæc quidem cum meo marte principio conscripsissem, deinde comperi & hanc quoque Mauritii Cordæi sententiam, quam adversus incurios quosdam medicos confirmat pluribus *in comm. lib. 1. de morb. mul. pag. 28.* Præter hanc pillulam, est viciæ granum vel semen xyridis, quam spatulam fœtidam vocant; Cereo globulo per hoc tempus equidem non utor, quod calore partium remollitum & imposito superposito splenio compressum vinculo complanatur.

Potius ex eadem cera & carptis flocculis vel panni rasura portionibus æquis orbiculum compono, alias etiam linum crudum, quod ulceri depurgando ad suppuratam pulmoniam facto *2. de morbis indit Hipp.* digitis summis ovi luteo tinctis, in pilulam præparvam conformare solitus sum, qualem etiam deinceps gestandam ad emissarium ulcus non mediocriter probo.

Aliud quoque subit admirari & quod albam ceram quæ siccior est, usitandam velint omnes; cum flava sit abstergentior & commodior: mihi si staret præceptio, non aliud quam propolin ex hoc genere deligere, quæ ne dum simpliciter attrahens est, *ut verè simp. tradidit Galenus* sed etiam è profundo ejicit, ut *6. meth. med.* magis autem expurgatoria pilula fuerit, si terebinthinam elixando durata receperit: quod equidem aliquando fecisse cosuevi, pillulam ex cera & æris ærugine commisto laudavit *Amatus Lusitanus Curat. 16. cent. 5.* qualem tamen, præterquam confirmata ulceris particula, non à principio ausim equidem imponere.

Verum ea observatio tum memoratæ tum alius alterius materiæ pillulas & aliis meo quidem consilio retinenda est, ut nullo tempore nisi nova quapiam necessitate aliter exigente eximantur eædem. Porro compertum est assiduis hisce manentibus liberaliore semper manasse ulcera proluvie. Nec sanè injuria, quando conclusa sanies aut pus: minimo transpiratu maximè sese propagare atque acervare valeat.

Verumenimvero in his hominibus, qui multum exhaustum ferant, id factitandum maneo, non in his qui tenui corpore pusillisque viribus ad minimum quemque vacuatum capite langueunt: cum in fossum emissario brachium abunde manat: quin imò præceptum hoc accipi servarique velim pro ratione naturarum, habituum, æratum, sexuum, vitæ generum, regionum & cælorum cæterarumque rerum subjectarum: sicque modum aut retinendum aut variandum esse: debilibus & biliosis satis esto, quæ pisum minusculum æquat aut viciam majusculam, robustis & graviori morbo pressis non nisi crassa & competens inducatur: mediis habitudinibus media convenit.

Observari quoque velim & loca corporis: amplioribus enim musculorum interstitiis amplior globulus immitti debet, minoribus cavitatulis minor: ad summam suus omnium esto modus.

Sextum est quod *Io. Heurnius & Thomas Fienus lib. 1. p. 1. de cauter. cap. 17. & novissime* I.C. *Claudinus in resp. medic. postr.* proposuerunt, ut orbiculo complente cavitatem imponenda sint emplastra catheretica, quæ materiam peccantis ichoris aut humoris altè proliceant; ita enim non obscurum vacuationis beneficium ex hoc remedio futurum est egentibus. Quo fit, ut non possim non admirari, cur multâ suppetente medicinali materia, variaque exigente necessitate atque affectuum importunitate, nil ulterius curantes medici solo herbæ vel arboris folio sint contenti. Erit autem emplastrum ex his, quæ scripsi *in pharmaco-chirurgico cap. de expurgant.* præsertim verò, quod διαλὸς à nobis est dictum, globulus item proficit conformatus ex eodem emplastro ceræ portione & calcis vividæ lotæ pulvere commixtis, vel intingetur pilula in linamento *Philippi Ingrassiæ descripto per eum de peste part. 3. F.* quod recipit ung:apost. ℥ß. hell. nigri col:an:℥j. turbit. mellis & terebinth. an. par. m. Vel aliud, quod Rec. terebint. cum vino sublimato lotæ ℥iij. pic. colophon. ℥ij. gummi elemi, bdellii ana ℥j ß. castor. ℈v. croci ℥j. ℈ß. myrrhæ rubræ ℥j ß. pingued. capon. ℥j. styrac. liquidæ ℥v. ol. hyperic ℥jß. euphorb. ℥ß. ceræ ℥vij ß. fiat ceratum.

Debent fonticulis emplastra catheretica

Hoc tum inductum pillulæ, tum folio hederæ, quod ad nudam carnem superimponatur, humorem educet, cujus crassitudinem ac visciditatem admiraberis facilè. Expertum autem hoc primum in Francisco Alchymia regiarum tabularum ac rationum notario,

cui jam occallescentem in tibia fonticulum restituimus.

CAP. XII.

De sectis chirurgicis sive setaceis & primo de horum utilitate.

SEtaceorum, quæ vulgo dicimus, non vulgaris est utilitas ad plerosque morbos exercendos humano corpore quod equidem nominavi propterea, quod in veterinis procurandis frequentissimè præceptum est ejusmodi remedium ab auctoribus, ne dum quidem nuperis; sed etiam antiquissimis *Apsyrto, Hierocle, Pelagonio, Hippocrate*, quemadmodum *lib. 1. veter. medic. cap. 26.* legere licet. Sed enim in nostro genere consultissimum est æquè præsidium, *Magni primum Hippocratis*, ut posterius apparebit autoritate firmatum. Deinde *Razæ* & hujus gentis principum virorum, ut juniores etiam Arabistas & asseclas nominare non laboremus, qui longè sunt plurimi. Commoditates, inquam, ejus præsidii permultæ sunt: Una propositi finis est absolutio, id est, vacuatio certior & uberior, utpote quæ profundiore majoreque venit ulceris sinu. Cum autem de pleniore setacei vacuatione commemini: scire licet opinione *Ioannis Zechii consulta*: *suarum 2.* per hæc adjumenta detrahi supervacuos humores ab exterioribus, per fonticulos verò ab interioribus. Verum equidem nescio quâ ratione, quam non monstravit, demonstrare id potuerit, quippe cum ab exterioribus communiter utrumque provocet: nihilominus si comparentur utrumque ulcus, cutem integram pervadens, setaceum & latius se exporrigens, magis ab internis proliciat necesse est: Altera in succurrendo atque educendo celeritas & efficacitas est ob easdem modo memoratas causas. Tertia stabilitatis est laus, quandoquidem à primaria designatione nulla sit ejus situs mutatio. Quarta symptomatum & molestiarum est compendium; præsertim si de privato occipitii setabulo agatur. Adde, cùm in plerisque omnibus corporis partibus ea setonis administratio probetur: in occipitii maximè parte retenta est, quam tendi Arabes vocant: in qua ipsa propter subjecta vasa & crassioris membranæ villos, pyrotica detrimentosa dicit *Andreas Laurentius*, *Histor. anat. lib. 2. cap. 10.* quantò igitur amplius ferro scintillante abstinendum est, atque eo insuper, quod pertuso ferro candente cutis pauco post tempore sic extenuari solet, ut abrumpatur: id quod ex perpungente scalpro minimè futurum est; quando caro sic non liquetur, neque exteratur. Quinta facilioris deligationis est virtus, cum nulla compressus sit necessitas sexta & postrema multæ ad ulcus curandum conservandum simplicitatis est commendatio.

Incommoda setacei per candens ferramentum transfixi.

Quas ob causas omnes aut plurimas præstat persæpe setaceum fonticulo. Quocirca tam multum huic auxilio detulit *Hieron. Fabricius ab Aquapendente ut lib. de chirur. operat. tract. isto*, spectatâ ulceris amplitudine, quæ ex setone in cervicibus admissa est, fonticulos, quos eidem loco infodiunt, improbarit, propterea, quod è corporis parte inter omnes musculosissimus, qualis est cervix, difficillimè gestatur, pillulaque ægerrimè detinetur ob loci declivem situm. *Et Thomas Fienus lib. 4. de cauter. cap. 1.* setacea cum fonticulis consentiens statuit, in quibus locis nervi, tendines, vasaque subsunt, dum tamen ejus loci cutem attrahere facile sit, opportuniores esse setones fonticulis, adeoque occipiti, ad colli latera, spinæ dorsi, scrotoque percommodè setas transfigi: : Sed prior utrisque *Lanfrancus chirurgus ætate suâ laudatissimus* in abdomine propter hujus exiguam altitudinem, quæ fonticulos non ferat; setacea fonticulis anteponit.

Sed hæ quidem universales & communes setacei sunt utilitates: verum ad oculos fluxione longâ gravique vexatos tam singularis medelæ hujus est necessitas, ut cum hac bene valuisse illos, qui occæcati jam fuerant, subtractâ, rursus ad cæcitatem ægrotasse, ac tertiò repetita eadem curatione restitutos testetur *Michael Paschal. in tract. meth. cap. de ophthalm.* Similemque, ut ne eundem dicam, casum narravit *Ambrosius Pareus lib. 9. cap. 24.* Deinde has ob causas omnes mirum etiam atque etiam est, quod hujus subsidii dignitatem aliquando labefactare in mentem venerit *Ioanni Fernelio in consil. inquam 11. & 23.* Contra quem tamen sunt & *Ludovicus Duretus ad Iac. Holler. cap. de opththalmia* quin *& Hollerius ipse, itemque Laurentius Iubertus in Guidonem tract. de apost. n. 90.* qui & fonticulis parum confidere visus est *tract. de thorac. affect. cap. 4.* Probat & setacea *Gulielmus Fabricius Hildanus in cent. 1. obser. 40.* præter hos autem & alii multi sunt de setaceis magnificè sentientes, ut audisti: Has ob res injuriosum & insolens sit setaceorum necessitatem, evidentem utilitatem, summamque præstantiam inficiare. Quapropter horum nos usum atque doctrinam tradentes audiant non infructuosè cuncti.

Vsus se[tacei] ad cer[vicem] ab Ioa[nne] Fernel[io] reprob[atus].

CAP. XIII.

Setacei definitio, distinctioque.

SEtaceum sive setamen est ulcus longum & angustum sub cute integra factum è chirurgiæ ferramento acuto & conservatum funiculo traducto, vacuationis, aversionisve gratiâ. Porro setaceum ulcus subcutaneum eò dixi libentius, quod musculos cervicis ad curandos oculos transfigi statuit *Ludovicus Duretus in enarratione de ophthalmia*, quod manifestè falsum cùm sit, & sapienti medico indignum: credo equidem fuisse calami lapsum, oscitante alioquin scriptore, siquidem ipse idem in annotatione ad suam enarrationem postmodum cutis vult hanc paracentesin, id est, suppunctionem esse. Dixi quoque ulcus ejusmodi fieri per instrumentum acutum & frigidum, diæresin hanc ponens cruentam, non ustoriam. Cujusnovi placiti nonnulla sunt firmamenta. I. autoritate *Razis qui lib. huius rei proprio* cum hoc præsidium ubique sectorium nominat, probabilis est conjectura, remedium hoc Razis per sectionem

nem; non autem per ustionem & expertum & usitatum. Sequutus autem hanc eandem appellationem est *Io. Arculanus*, quoties huic acciderit hac de re sermo. Ex hoc quoque ordine videtur è junioribus *Iacobus Hollerius in eloquendo castigatissimus*, qui hanc colli paracentesin ubique locorum appellavit: quid autem, quæso te, non ustionem: præsertim quando nobilior adjunctaque firmior hæc causa existit. Verum enimvero non tanti fuerunt hæc, nec tantopere spectata propterea, quod punctio sectioque simplicior & cögruentior videretur. Ut jam intelligas sectione rectius, quàm ustione conficiendum administrandumque remedium. Amplexus autem & hanc cruentam ut apparet, transfigendi setacei rationem ad ascitem est *Ioannes Vierus apud Schenckium in observ.* Itemque *Daniel Sennertus* συντοματος ὥνης *in medici operis parte chir.* Ad hęc, istâ pfodiendi setacei rationem cruentam eò libentius amplexus sum, quod *Hipp. lib. de visu, codice integriore Anutii Foesii*, ad tuendum sub imminente visum conceptis verbis ait, cervicem quàm maximè pertundito ac diu premito, quid autem diu premi, nisi diu protogari pertusionem: quale autem hoc præterquam ipsum de setamine conservando præceptum? Est autem & ex mea sententia *Gulielmus Fabricius*, qui unam ea de re observationem scriptum reliquit. Jam autem sunt setaceorũ usus aversorii, & derivatorii, quales fonticulis ferè, quorum differentes modos audisti: setacea verò sublimius exortis malis occurrunt: quamobrem exterioribus affectibus, non interioribus sunt excitanda, ita decernente *Ludovico Mercato lib. de indic. medica cap.* 16. quod est de communi & peculiari indic. aperiendi fontanellas, & setones; quem locum ad multa utilem legas adhortor.

...buid ...xternis ...ibus ...ucibi... ...etacea.

CAP. XIV.

De varia materia conservandorum utilium istorum ulcerum.

...teria ...iplex ...ervan... ...tacei.

CÆterum ulceri conservando ad protrahendam evacuationem variâ licet uti materiâ, alii complicatas equinas setas, unde principio profectum est setacei nomen; alii sericeum funiculum, aut ex lino crudo trajiciunt; nec desunt, qui divitibus auream fibulam immittunt tum mane tum vesperi dextrâ levâque dimovendum ac detergendum cujus rei meminit *Marcus Gatinaria Comment. in 9. Razis cap. de visus debilitate.* Hispanis autem frequentior hic usus est, quemadmodum adnotavit *Michael Paschalius in meth. cap. de ophthalmia*: quod è veterinariis opinor ad nos transiit, *Columella de curandis bobus sic habente*; æneâ fistulâ pars auriculæ latissima circumscribitur ita, ut manante sanguine tanquam O literæ ductus appareat. Verum hîc illud taceri nolim ad funiculi rationem pertinens; hunc in se duplicatum commodiorem futurum; nempe per eam, quæ inter duas intercedit, vacuitatem, paratior effluxus præter labenti saniei restat.

CAP. XV.

De certis sedibus setabulorum.

LOcos nunc transuendis setaceis commodos exponemus: Hi sunt omnes in quibus cutem apprehendere forcipulisque attrahere licet, ut cervicum & colli, jugulorum, alatum, thoracis, hypochondriorum, inguinum, poplitis, & quæ sunt hujusmodi. Rem exemplis autorum propositis illustremus ordine servato partium laborantium supremarum ad infimas. Capiti laboranti succurrens nec medio sincipiti pepercit *Iac. Holler. oper. pract.* Ad catarrhum verò nominatim usus est *Iacobus Fontanus in cons.* 14. *& cons.* 18. *& ad raucedinem cons.* 9. *& ad phthisin lib.* 2. *pract. medic. cap.* 5. *Ad epilepsiam Ioannes Baptista Theodosius epist. medic.* 65. *& Ambrosius Paræus lib.* 9. *rei chirur. cap.* 24. qui liberatum adolescentem quendam hoc emissario per Hollerium collegam suum decreto testatur, sed & malis capitis à venerea lue productis conducibile setaceum primus omnium, quos legi, proposuit *Rodericus Fonseca tom.* 2. *cons.* 64. Ceriis & ulceribus manantibus capitis, quam tineam vocant, certo remedio suffigi cervicibus testatus est *Io. Fragosus Regum Hispanorum chir. in sua chirurg. antidotario.*

Epilepsiæ finiendæ collum pertundit *Ioachimus in* 9. *lib. Razis cap.* 14. Cui jam vetusto morbo curando setas etiam trajicit capiti *Nicolaus Piso lib.* 4. *oper. therap. cap.* 19. Ad melancholiam verò lienis vitio profectam ad hujus regionem ulcere facto funiculum appendit idem *lib.* 1. *cap.* 17. qui idem vir *lib.* 2. *cap.* 2. ad anginam contumacem ac suffocationis pericula in dies majora ferentem collum extrinsecus perforat.

In epiphora pinnis auricularum setas immittit *Arnoldus à Villanova: lib.* 1. *breviar. cap.* 14. unde primum ad vulgus credo traductus est usus. Oris distorsioni delendæ sub mento ac collo juxta venas organicas partibus dolore consentientibus ulcusculo facto victas injicit *Razes lib. de cauteriis.* Tonsillæ strangulatoriæ prævertendæ setas cervicibus transuunt Hispani medici, quod adnotatu reliquit *Andreas Tomaius Regius Austriacorum chirurgus.* Anaugiæ verò & curabili mutitati idem remedii præcepit *Hieronymus Mercurialis in lib.* 2. *cap.* 7. Strumis exhauriendis setamen ad cervices transuit *Guido Cauliac. tract.* 2. *doctr.* 1. *cap.* 4. à quo fortasse didicit auxilium *Ioannes Zechius cons.* 70. At *Razes libro de sectoriis* hæc collo juxta venas organicas ad humorum vaporumque, qui per ea vasa feruntur, interceptum posuit. His igitur ducibus & magistris, licet *Petrum Pigraum lib.* 2. *chirurg. cap.* 11. metu fistulæ contradicentem offenderim; bronchocelas, quæ fermè jugulaverant quendam, hocce præsidio curavi. Duobus autem has setonibus transfigendas docuit *Ioannes Riolanus in chirurgia sect.* 1. *cap. isto.*

Sub mento.

Humoris adscensui præcludẽdo.

Brõchocelis Capitis affectibus diuturnis.

Similiter autem & eos, qui diuturnos capitis affectus passi, setaceum in cervice recusaverant tractare in nostro incurabilium nosocomio, *Rodericus verò à Fonseca cons.* 60. *to.* 1. *ad aneurisma*

ma pectoris scroto setamen transuit, propterea, quod autore *Hippocrate lib. 2. epidemiarum* partium pectoris & pudendorum nobilis est consensus. Asthmati verò setaceum funiculum pectori transfigit *Iul Cæsar. Claudinus tract. de Cauter.* exemplo, credo, *Razæ, qui lib. de sectoriis* ad thoracem, loco, qui inter duas costas eligitur ad hujus affectus abolendos, itemq; ad respondentes viscerum affectus dorso, scapulis, & ossi sacro setamen accommodat.

Sed *Rulandus lib. 3. Chir cult.* aliis locorum vitiis & languoribus setones affigit: item que *Rogerius lib. 3. chir. cap.* 52. cujus hæc ipsa verba sunt. Ad splenem immittitur seton in sinistro hypochondrio supra splenem, & quidam mittunt duos, unum semotum ab altero: Ad dolorem umbilici fiat seto tribus digitis sub umbilico. Ad dolorem lumborum sub ipsis lumbis in fontanellis immittatur seton. Ad dolorem spinæ tres setones immittantur, unus in medio spinæ: alius tribus digitis supra: tertius tribus digitis infra. Ad dolorem testiculorum immittatur seton sub testiculis in oscheum. Ad hæmorrhoidas immittatur seton supra anũ. Verũ umbilico propter hydropem extumescenti, atque in alio quolibet exomphalo, itemque pro frigida & humida ventriculi intemperie sub cartilagine mucronata, duobus supra umbilicum digitis testiculam transfigere licere tradidit *Thomas Fienus lib. 4. de caut c. 11. citatis eius rei authorib. Ægin. l. 4. c. 49. Avic. lib. 3. fen. 1. tr. 1. cap. 33. Albuc. lib. 1. cap. 27. qui idem Fienus* adjuvando jecinori, quod morbo gravi diuturnoque laborat, setaceum triplex antiquorum more transuit, *l. 5. de cauter. cap.* 1. Hypochondriorum verò mollitudinem ad sustinendum setaceum cum meminit *Iulius Cæsar Claudinus lib. 2. de ingressu medici cap. 7.* ille credo equidem imitatus est Paulum, *qui lib. 3. cap. 48.* ad splenicos medendos, cutem, quæ incumbit visceri, per hamulos pertractam ter cautere trajicit ita, ut sex crustæ conficiantur.

Hæmorrhoidis. *Exomphalo* *Ventriculo languenti.* *Hepatis malis.* *Splenicis.*

Sed & ad os stomachi exterius *I. Costæus* proposuit, in ventre verò infimo *Thomas Fienus lib. 3. cap. ult.* quemadmodum, & in inguinibus, & femoribus, & poplitibus, atque in aliis plerisque corporis locis, pro ut affectus aut causa exegerit transfigi transuique setacea fas est: quod Mediolani præclarissimos urbis medicos ad profligandas vires pestis, Anno 1550. promiscue fecisse legimus. Quamquam ad hanc luem privatè transfigendum infernè scrotum, approbat etiam *Thomas Fienus lib. 4. de cauter. c. 1. & Iul. Cæs. Claudinus in eod. tract. de cauter.* Scrotum etiam ad hydropem exhauriendum perforavit *Michael Savanarola tract. 6. cap. 14. rubr. 10. Ioannes Arculanus & Marcus Gatinaria comment. ad lib. 9. Razis cap. de visus debilitate, & Michael Paschalius lib. 1. de cur. morb. cap. 144. Eustachius Rudius lib. 2. de morb. cap. 16. & Hercules Saxonia lib. 3 Panthæi medic. cap. 32. & Hieron. Fabricius in l. de operat. chirurg. cap. de perforat. abdom. & Ludovic. Mercatus lib. 4 de cur. morb. cap. 6.* qui idem vir, ut semel finiatur de setaceis, hæc ad quamque malè affectam partem proximè suffigendo censuit *lib. de cur. morb. int. cap. de melancholia.*

Loci alii setonibus apti. *Pestilentiæ.* *Hydropi.*

CAP. XVI.

Nostra circa setones commenta observationes & experimenta.

DAbimus his aliquot à nobis usu medendi compertas adversiones ritè peragendorum setaminum & experimenta, quæ non pœniteat quempiam excepisse, tum ad sedes deligendas, tum ad apparatum & instrumenta, tum ad rationem agendi spectantia. Quod igitur ad loca pertinet: hæc plura equidem fecerim his, non dico quæ vulgus consuevit medentium. Ejusmodi præterquam unum cervicis setaceum non superant: sed etiam his, quæ professores nostri proposuêre. Itaque eo per nos ante constituto & in memoriam revocato, quod ubicunque cutem satis extendere licet, ibidem licet adjuvandæ proximæ partis gratiâ setamina defigere: sic profecto non admodum definitus apparet numerus setabulorum: sed equidem, quæ usu commoda comperi, sunt hæc.

Primum quia monstratum est, suffragio clarissimorum virorum, emissarium secus aura splerisque capitis & oculorum affectibus abigendis utilissimum, hujus autem necessarium compressum ac deligaturam arctiorem multi refugiunt: ea propter huic eidem loco substitui potest setabulum, quod minimo negotio parique labore procurarique potest, ad eadem quibus serviebat fonticulus, æquè commodum.

Post hæc ad jugula, tum pro descendentibus à capite malis humoribus derivandis, tum pro adscendentibus, intercipiendis, accommodatissimum est ejusmodi emissarium, quod equidem ad polypum sodali Dominicano Sardiniensi, qui illud in cervice renuerat, elevandum affixi.

III. Est ad alas pro vitiis tum externi tnm interni pectoris medendis. Sic equidem ad aneurisma sterni homini subalpino, quem commiserat curandum Stephanus à Rinaldo, medicus Neapoli celebris, sub alam innexui fibulam, cujus usu longe lenius valuit deinceps, ut testari potest tum idem medicus, tum Franciscus Cytharella ejusdem auditor. Difficile autem aut insolens videri non debet, sub alas transfigi setamen, quando & in his & inguinibus gestandos fonticulos Polonico populo plicæ vitio vexato consuluit *Hercules Saxonia, sicut is refert* 10. *suorum operum cap.* 52. Cujus remedii confirmationes apud eundem vise. Ad hæc humero sæpe dilabente revocando sublata sub alarum cutem ferramento candente trajicit *Hippocr. comm. 1. de artic. partic.* 42. Igitur huic eidem parti pro malis proximis diluendis imponi setaceum quid vetat?

Setac… sub al…

Similiter autem & inguini, quo loco difficile fonticulus alioqui perutilis gestatur, ad naturalium viscerum, hepatis verò præcipuè, levamentum, accommodatissimum vidi setaceum his hominibus, qui veneri renunciarunt, aut hujus lege maritali non tenentur. Intercipiendis autem diuturnis ad crura defluxibus non parum multis id auxilii genus extruxi. Fuit autem Cæsar Castellaneta puer qui per id à vasto

Histori… probati… unguen… setacei.

à vasto tibiæ atque ostracode tumore levatus est. Sed & aneurismate sub poplite tortum hominem Januensem (Joanni sancto nomen) excitata ad id loci paracentesi plurimum levavi: auxilii celeritatem vidit & admiratus est Adamus Marchius medicus in valetudinario nostro clarissimus.

Amplius & in extenuatis morbo quolibet hominib. cũ brachio locus excitandi fonticuli non datur, collapsarũ carnium vitio, expedire visum est mihi sæpè, ut setaceolũ eodẽ loco transfigeretur, ne suo scilicet auxilio fraudaretur homo.

Præter has autem, quæ bene valentes aliorum supplicia luũt, particulę corporis, videtur etiamnũ setas chirurgicas tũ simplices, tum decussatim duplices adigere debere tuberosis ulcerib. quæ ignava quadam & fungosa circum carne luxuriant, quale quidem hoc anno qui 1629. est, Cataneo à Cataneis nobili viro Januensi cum Petro Alas Belga chirurgo curavimus in coxa, itemque in abscessibus tum cysticis tum aliis, quos conscindere non expedit, vel æger non permittit: in his inquam, nõ incõmodus est usus setacei. Porrò, quæ non absimilis est providentia, cum novellas ulmos advertunt vinitores inutili luxurie laborare sic, ut vitiosis crebris veluti capitulis turgescat truncus, continuo succum superfluum detrahẽtes, sub infimo caudice infodiunt triente propemodum arboris excavata. Ad eundem modum vel decrementa recepturum, vel augmenta saltem relicturum vitium, præsertim si medicamentum aut repurgans aut septum interdum adhibeatur.

Hactenus hæc de locis, quorum unusquisque cum attrectandus est, ne vi ictus & dolorem acerbum & aliorum humorum irruentium influxum atque inflammationem concipiat, consultum est artis providentia, ut ante præparetur, id est, facultatem sensificam deponat & obstupescat. Ita equidem applicitu longiore nivis, & interdum etiam confricatu, tactum acrem partis obtundo, mox scalpellum affabrè factum arripio: est autem satis in locis planis, sed quorum tamen cutis attrahenti sequax phlebotomus firmior & latiusculus. Lanceolatum quendam & myrtiformem utrinque acutum in hanc rem depinxit *Gulielmus Fabricius obser. Chirur. cen*. 1. Major industria desideratur in locis simis, qualis sunt inium, cervix, inguina, & in his etiam, in quibus cutis attrahenti manui facilè non obsecundat. Tum quantum licet transversim attractâ cute scalpro Γ græcæ literæ instar inflexo transadacto setaceum sericeum cerato sublitum & medicamento digestivo tinctum relinquo: quem locum circum ænelæo vel simili medicamento foveo.

Dicam nunc de faciendæ plagæ situ. *Ludovicus Duret.* & post hunc *Thomas Fienus lib. 3. de caut. c.* 14. animadvertit in chirurgicos transfigentes cutem cervicis in transversum, volens secundum longitudinem corporis transadigendum esset cujus sui placiti rationem aliquam cum non explicet, opinari promptum est, commodioris paratiorisque effluxus gratia, aut fortasse, quòd musculorum oblædendorum minus ineatur periculum. Contra quam Dureti sententiam est *Hieron. Fabricius lib. de op. chir. c. de set.* communem ritum medicamentis tutatus, sed modo videat bonus homo *Albuc.* contraire, *qui l. c.* 31. splenis usturam abreptam cutem secundum latitudinem corporis voluisse tandem, ut pertusio per ferramenta fiat secundum longitudinem naturæ hominis atq; hoc ut rectè interpretatur *Thomas Fienus*, pro rectitudine fibrarum sequenda. Quod si Juberti placitum sequi libitum sit, ratio administrandi fuerit hæc, in primo tractamento notata secundum medium vertebrarum ductum recta linea, quantâ ad plagæ longitudinẽ videatur necessaria, tũ per binos ministri digitos hinc atque hinc transversâ præhensâ cute, hanc juxta præfixos terminos scalpello perfores. Quòd si transversam sectionem malis usui quotidiano facere, tum eadem secundũ rectitudinem vertebrarum primũ unâ notatâ linea, mox alterâ, quæ transversim hanc secet longitudine plagæ necessaria, tum binis ministrorum hinc atque hinc secundum longitudinem corporis apprendentibus cutem digitis hanc secundum transversum scalpro transfigas. Cætera verò sauciam partem quemadmodum recentem omnem plagam communiter cures.

De his nũc satis, progrediamur ad exopyriam.

EXOPYRIA,

SIVE

De Igneis administrationibus ad Vitia corporis externa.

PRAEFATIO.

INternorum malorum therapeutica chirurgices adiumenta, quæ sunt ab igne, tractatu proximè superiore jam enarravimus; Nunc, quæ ad privatos externæ chirurgiæ usus pertinent, peculiariter exponere superest. Quoniam autem ex his communia quædam affectionum genera sunt, utpote tumores & ulcera, de his etiam agere convenit: libet autem prius de ulceribus dicere.

CAP. I.

De ulceribus igne curandis.

ULcera, inquit Hipp. l. de medic. 4. habent vias. Unam in profundum; hæc autem sunt fistulosa, & quæ sub cicatrice latentia sanie plena sunt, & intus excavata. Alteram in sublime, quæ videlicet carne superexcrescunt. Tertia via est in latitudinem, atque hæc sunt, quæ

quæ appellantur serpiginosa. Quarta via est qua sola secundum naturam videtur motus, id est, agglutinatio. Ulcerum igitur genera cum præcipua non sint plura, quàm quæ ad hæc referantur, porro nullum ex his est, cui πολυδυνάμιος ignis beneficio succurri non possit.

CAP. II.

De fistulosis ulceribus.

PRimum fistulosis ulceribus, præsertim si sint ad partes corporis laxas & molles, quæ ferramentum ignitum non sustinent, his pyrotechniæ nostræ non deerunt apta subsidia: sive rationem eam inieris, quam supra ex Hipp: commemoravimus, sive styriam salis accommodatam igne retorridam immiseris, aut ex fictili materia conformatum cauterem, sive alium quemcunque peniculum ex triplici materia, quam tibi descripsimus. Ne dum autem callosis ad fistulam ulceribus ignis occurrit, sed & verrucosis, ut adnotatum legimus, apud *Marcellum Donatum l.3. mirabilis histor. c.5.*

Verrucosis. Cap. de exsuperantiis ignium modificandis.

CAP. III.

De ulceribus disruptis & non expurgato vitio conclusis.

DIsrupta ulcera sunt, *auctore Galeno in comm. 6. aph.* 45. cum his ad cicatricem perductis non ita multo post, rursus inflammari, & cicatrice soluta rumpi sunt visa, tum propter influxum vitiosorum humorum, tum propter habitudinem malam ex influentibus iisdem succis in partem contractam; tum propter alienam aliquam subjecti ossis affectionem. Iraq; cum vitium in parte subsit, potissimum osse male valente, ratio dictat intelligentibus, ut labes detegi, detecta vero secundum affectus exigentiam avelli eadem & caro procurari debeat. Huic autem operæ prima incisio vel excisio comparata est, pro modo putredinis & ossis vitiati magnitudine facienda, ad eum scilicet modum, qualis in aperiendis abscessibus speciatim præmonstrata fuit ante.

Sed in hâc rē equidē casus mihi comperti, qui nunc succurrit, historiam referre non omittam. Carolo Troylo Lucano Montipelusiotæ ephœbo bubonocelem pro abscessu cum discidisset quidam è nostris Neapoli; quod intestinum convulnerarit argumentum indubitatum fuit, quod excrementum per plagam perpetuo prodiisset jam tum à prima sectura, lumbrici verò plusquam semel è vulnere partim extracti sunt, partim per se ipsas exiêre. Ad hæc adolescens dolebat secundum eandem partem impensè, fæces nullas per meatum proprium, qui anus est, exclusit. Alius item affectus cum ulcere conjunctus fuit, quod ichoris aquei nonnulla copia solutis vinculis erumpere consueverat: unde multorum hominum fuit opinio, lotium ex percussa vesica erumpens id humoris esse. Omnibus autem modis mirum in modum languebat homo, & febricula perenni pressus propemodum extabuerat sic, ut extremâ commiseratione permotus germanus ejusdem frater in D. Jacobi sacris Hispanorum ædibus sacerdos, cui Donno Francisco nomen, ad me aliquando contenderit industriâ germanum suum tuerer. Confidere sese certe mea ex opera nonnullam opem relaturum. Adquam me rem, ut quam valentissimè cogeret, illustrem virum Donnum Michaelem à Virgara Proregis nostri Janicularium designatum studiosè conduxit, cujus & literas ante commendatitias ad me pertulerat. Post quas omnes postulationes curationem equidem diutius distuli propterea, quod mihi quidem ignominiosa tentatu videretur, ubi minimè succederet, ægroto verò periculosa, ne finiretur cum ulcere insanabili. Verum tamen his viris affatim adjungentibus, gravitate negotii significatâ, cominus attentandam operam subii: ac per duos exiles forulos infra supraque respondentibus specillo tenui transmisso perque levam manum attracto cauteriolum cultelliforme, quem igni subdideram imprimo desuper, usque dum cute pertusâ specillum, quod subtuserat liberè venientem exemerim. Quo ulcere per sua medicamenta foto & curato, post aliquot putrilago multa circumquaque se prodidit; quæ cum plerisque rei medicæ studiosis ab ignis vi producta videretur, mihi quidem vetus indubiè credita est ideò, quod igni putredo coercetur atque detrahitur potiùs quàm inferatur, qualiscunque tamen medicamentis idoneis emundata, tandem forulum, ex quo ichor manaverat manifestum fecit. In quem immissis balsamelæis quibusdam & emmatis tenuioribus ad multos dies tandem expurgatum atq; coalitum est ulcus, quam alioqui rem ulla ratione futuram nemo hominum crediderat etiã ex his, qui apud me rei periti habentur. Honor omnis esto Deo, qui manum & mentem nostram dirigens rem ad absolutionem perduxit. Rem autem hanc nouêre præter medicos omnes nostros valetudinarii & hujus sacræ ædis œconomus, Donatus Ant. Donna, Antonius Albanus, Franc. Ant. Raticaglia Neapolitanus, Jo. Baptista Ferrarius & Alexius Alonia Medicinæ Doctores omnes, Reverendus Donnus Anellus Cæsaranus Neapolitanus.

Historia mira Ann. 1630.

CAP. IV.

De ulceribus & abscessibus cum osse corrupto.

SI quod ulcus est maximè rebelle & cuivis etiam optimę curationi contumax, illud est mea sententia vitium ossis, sive hoc sideratio sit & intemperaturæ propriæ abolitus, sive caries ac teredo, sive secundum plurimã sui partem collisio, sive ad summã quicunq; affectus necessariam faciat ejusdem abscessionẽ, si coalescere debeat ulcus. Hæ quippe omnes affectiones tam magni momenti sunt, ut *Hieron. Fabricius laudatus ætatis nostræ medicus alicubi professus* fuerit, ad levandam superandamque medentis industriam ossis vitio nil esse potius. Neque hoc quidem injuriâ propterea, quod nulla aut exilis est ossi vis ad se levandum aut resolvendum. Tantulus enim calor, quantulus insensibili parti sit satis, difficilem aut emovendæ aut reparandæ partis, quæ à natura discessit: operam quî præstet?

Os ad se tuendum invalid[um]

Inte-

Interim ossis laborantis peccata luens & circusi-acaro, cōtage vitii labefactatur & commutesc t adeò, ut sanies manet tam uberè, quæ rationem ulceris longè superet, quæ eadem affluxu perenni subluens undiq; & ossis abscessum retardare, & partes molles in dies vitiare, cuniculosque in ipsas agere possit. Taceo febriculas fermè periculosas quas inducere plerūq; solet hęc passio. Ob hæc igitur & alia hoc genus incōmoda consultū fuerit ægri rebus, si detrimenta prævideantur & prævertantur, quod fiet, procurata primùm & maturatā vitiati ossis abscessione per exiccantia remedia valentiora. Talia autem usū nostro sunt, quæ testulas ossis perinde, ut fermentando vehementi quadam facultate sublevent & elidant: ut euphorbium, & hujus oleum, & calcis. Quę si neque diu adhibita plurimum præstiterint, nil melius neq; medico generoso dignius, quàm vitiatum os ferro candente perurere. In quam rem id, quod medendo comperi referam. Antonius è Januario puer bimulus Joannis Laureti filius è suppressis ichoribus abscessum pertulit post aures, qui diutius suppurari moratus & non exectus, ut qui frigidiore materiā conflatus & cōplanatior (sine capite vocavit *Hipp. l. 1. de morb. mul. 8.*) plurimum incumbens periostio usque os lepidoides, madefecit, mollivit, perrudit: sanies autem & ex auris exteriore concha pariter, ut ab ulcere prodibat, quo ulcus à patre pueri requisiti cum medicamentis omnibus accommodatisq; nationibus curassemus, nihil proficientes, ferramentum ulceri respondens, candefactum per fistulam immisimus & brevi saniem exhausimus: ex quo subinde sui curationis fructus evenere. Rem quidem multis mirificam, at naturæ observatoribus non difficilem. Nempe sicut in ignem in promptu restinguit aquam, sic aquam celeriter absorbet ignis.

[Hist]oria I. Accedit ad hæc nuperius factū experimentū in Francisco Moscho homine Nolano, cui putrem incertum, quâ causâ maxillam, factam prius per scalprum incisurā cutis sufficienti, cauterio lato perussimus, ac deinde extraximus, quam tamen operam neutiquam attrectare sunt ausi nostri sodales, & periculo convulsionis plenam professi sunt, ubi me audiverunt eandem attentaturum verum, & periculorum omnium expers & felix evenit Deo auspice, quemadmodum illustres viri Cæsar & Antonius à Carminiano in quorum ædibus peracta res est, testificare fideliter possunt.

[Hi]storia II. Ad quæ accipe & alterum experimentum in Baptista Bruno puero à sancto Sebastiano oppidulo Neapoli proximo, cui secundum talum longa cariei tædia, quæ spina ventosa intulit perpesso, facta per cultros ignitos accommodata discussione ulcerum ossium tali calcis & scaphoidis nonnullas portiones abstulimus: cavo sinu manu manente in malleoli partibus ut ore lupi. *[Hi]storia 3.* Sub quo partis articulatæ ulcere mirum sane fuit puerum servatum. Aliquanto minus fuit ustio & in Josepho Florillo puero quadrimo facta sub eodem spinæ ventosæ vitio.

CAP. V.

De ulceribus cancriformibus.

VLcus tuberosum & verrucosum plerisq; carcinomatis exhibet speciem, nihilominus est pervidendum, num character subsit. Est hic autem ut *Galenus sanxit lib. 14. de tumor. præter nat. & aliis plerisque locis* atræ bilis systema, quod comitantur plumbeus ferrugineusque color, durities, tuberositas, varicosa venarum soboles, tumoris profunditas & radicatio unde sit is ad omnem contrectatum immobilis & inexcussus. Accedunt autem hisce pathognomonicis indiciis & remotiora symptomata, quæ sunt convulsio tum afflictæ partis, tum lateris proximi, dolor punctorius, cordis compressio, febricula continens, & si quæ sunt alia.

Hæ quidem non ulcerati cancri propriæ cùm sint notæ; communes easdem ulcerato fieri video per omnes nostros. Nihilominus est, quod in hæc advertere possim. Quippe sunt, tum quæ suadeant, tum quæ dissuadeant opinionem cancri habendam aut secus, ubi istorum aliqua desint. *Cornelius quidem Celsus in lib. 5.* carcinomati & cacoethi duabus cancriformis tertiam adnumerat thymodis.

Hujusmodi autem vel verrucosum verius tuberculosum ulcus, qualia equidem c. prox. describam plerique pro cancris habent. At ego non ita non facile neque promptè. Nimirum hæc ulceris forma partim ex lenta quadam & viscida putrilagine, quæ fungorum instar accrescit, (talem ex ulcere faciei carunculā memini equidem aliquando levi digiti vellicatu discussissem) partim etiam ex subjecto vitio, id est, atheromate concluso nec non ex osse corrupto germinis initia capit.

Id quod indicavi equidem, evenit ad unguem Pascharello de Deo, Capuano, cui homini per Petrum Fogliam chirurgum valetudinarii S. Jacobi in nostrum nosocomium delato, labio inferiori cum verrucis & tuberibus latè exulcerato, cum hæc fungea concrementa execta semel ac tertiò exscidissem, post aliquod tempus & totum os maxillæ vitiatum apparuit, ac deinde etiam excitata in altera gena & in tota facie respōdente phlegmone cum febre vehementissima conjuncta: interim adversus est hiatus pone labii angulum, in quem immisso specillo, factaq; aliqua pultis expressione; tandem deprehendimus atheroma præsens. Quo rite curato, liquatio carnis è mento facta est tanta; ut integrum os maxillæ se prodiderit nigrum & secundum longitudinem detritum, unde manducatus homini abolitus & sola sorbitio necessaria mansit, extenuatus autem inde totus & languidus, ut mirum futurum sit, si evaserit; Vivit autem hoc tempore quo hæc scribo cum hærente musculis osse. Ita apparet; quod ex affecto malè osse tuberculosum exurgat ulcus: quod autem in maxilla dixi, idem & calvaria vidi in fœmina superioris valetudinarii nostri muliere hoc anno, atq; aliis etiā in aliis, quibus ossibus ad plenū exiccatū exustis aut excisis in prōptu declarata me judice fuisset cōpressio, ꝙ medici tamen ad carcinoma refe-

runt

sunt intractabile. Fuit & hic ipse casus Francisci Formosani Rhetini (commendaverat hunc mihi curandum doctor medicus peritissimus Franc. Mosca) cui cum grande tuberculum cancriforme sub intima bucca per crebras inustiones sustulissem, suppositū se obtulit os maxillæ cariosum & nigrum: cujus vitii longa & difficilis curatio fuit.

CAP. VI.

De ulceribus carnis attretæ glomere luxuriantibus.

Vlceribus lenta atque hebeti carne circum septis.

ULcera verò, quibus circumfungere mollisq; caro exulcerat, sic reprimuntur, ustam equidem lanam referunt magno remedio esse: Sed dispositam hanc ego subjecto fufture, & aquæ ardente respersam accendo, totiesque rem repeto, donec hypersarcosis resederit, vel hujus loco spongiam pice liquida exsaturatam, & infartam accendo: ita vim lentam carnis emolior simulq; intemperiem humidam unde proficiscitur omne vitium, castigo. Verumtamen huic proximè narratæ & paulo posterius enarrandis usturis, eam adhibeo cautionem, ne vicinæ partes concrementur. Obduco enim has prius linimento de bolo ac de lythargyrio, sive laminam plumbeam tres digitos latos sublimem quantum ulceris Orbi congruit, contorqueo, atque intra hanc usturæ operam conficio. Refer autem & ad hoc genus cancrosa ulcera, de quorum tamen exustione privata paulo posterius est dicendum.

Cautio.

CAP. VII.

De herpeticis & phagedenicis.

COnvenit ignis herpeticis, & phagedenicis, quæ non sunt videlicet ex bile, & vitiosa pituita profecta: Urendi autem rationem accipe hanc, meo, dum hæc scribo, more excogitatam, vel verius, à superiori intelligentia sicut credere licet, communicatam, quâ vitium est potissimum circa oras, quæ corrolæ aut turpiter sordidæ sunt, pulverem tormentarium substrato furfure tenuiore perspergo, deinde adhibita flamma succendo, sic raptim pervolans ignis, sive semel sive iterum, ac tertio vitium, exprimet excutietque, potest autem & in cacoëthis ignis vehementioris esse usus. Sed & citra hæc nonnullos ferro liberavi: inter cæteros, hominem, cui diuturnus herpes humeris hæserat, nullis unquam medicamentis levatus.

Nova quadam nostra de urendi ratio.

Historia de Fabii columna viri perillustris ulcere.

Referam autem hîc de ulcere sub femur proserpente Fabii Columnæ viri perillustris & in herbariâ re longè doctissimi, quod ulcus primum quidem excideram, confisus exectioni, postmodum verò hanc inefficacem expertus, multis quasi latibulis sese abdens exussi. Quod ulcus cū anno Christi 1629. in supremo femore medicatus essem sequenti 1630. in infimo eodem paulo supra poplitem, alterum enatū simili ratione curavi Dominico Coccia medico Neapolitano.

Historia.

Huic ferè simile, quod ad therioma Celsi accedebat exussi ad locum inter scapulas medium Martio Cinnamo Neapolitano, de quo ipso *in illustrata chirurgia l. physico chirurgici, c. 12* explicatè dixi. Herpetem item æsthiomenum non incommodum igne peruri docuit *è Iunio Ioannes Riolanus chirur. l. 1, c. de herpete.*

CAP. VIII.

De Gangrænosis omnibus & putridis ulceribus

EX tormentorum bellicorum pulsis igne globis fiunt ulcera sic ab extremo carnium collisu contususq; gravia, ut depereunte substantia & vivido particulatum calore, inique sensus vegitatusq; abolitu in corruptionem abeuntia igne sint tuenda, & defendenda, quæ medicamentorum ullam opem non senserat. Ita enim uno consensu rei sclopetariæ scriptores omnes. Verum neq; minores collisus ab hoc remedii genere eximuntur, quę sæpenumerò propter lacessita & tabefacta spiritus, & caloris ingenicique humoris officina necessariò in gangrænodem affectum transmigrant. His igitur & à causis aliis quibuslibet exortis, gangrænis atque sphacelis ubi multas undique concisuras feceris; mox & scalpra ferramentaque alia varia candentia scintillantiaque inferre debetis. Denique sic & nomas, late putrescentia ulcera, & abscessus musculorum & tendinum castigaveris atque represseris, & ad summā omnem fœtidū affectum itemq; ulcera putrida ut suadet *Avic. lib. 4. fen. 4. tr. 3. c. 9.* Ejus autem rei luculentum, quod subit, narrabo exemplum ob caruncula colis interioris & mictus impedimenta quam assiduo ferme catheterismo curaverant quidam, itemque ob conjunctam ex bubonocele laxitatem inflammatio atq; abscessus advenerat in perinæum ac scrotum Vincentio Petrosino Pileorum confarcinatori Neapolitano: qui abscessus nimiis suppurantibus & putrefacientibus indiscretè tractatus & ad ultimam maturitatem perductus, effreni putredine jam concrepuerat, quo tempore linimentis externis curatus, nec scalpris aliqua parte tactus internè putris febres, & cardiogmum, & asphyxiam, & dyspnæam, graviaq; alia symptomata moverat: quum imminens exitium apertè videns Horatius Thesauterius med. Neap. & collegiatus Salernitanus laudatissimus accersendum efficacis chirurgiæ professorem me curavit: qui adveniens non tam admiratus, quam execratus inertiam medentium, scrotum undique distentum & gangrænodes jam redditum velut putre pomum granatum cortice parum marcescente contectū consecui, nigrumq; intrinsecus & laxatum sphacelo totū ad testes usq; & horum membranas execui: quę partium extabefactum cum vesperi ejus diei prævertissem, postridie *docente Gal. l. 2. ad Glauc. c. 9.* sum amolitus igne, nec cōquievi deinceps, donec ex toto medicamentis idoneis expurgarim. Quam rem cum effecissem, brevi curationē Thesauterius admiratus est sic, ut literis adnotandam me suaserit: quod nunc facio, peractam Neap. Ann. 1630. Februario. Reliquum esset & de quartæ viæ ulceribus, id est, quę contra naturales vitæ functiones agglutinantur, tradere, sed de his inter particulares, quæ igne curantur affectus explicatum alibi reperies.

CAP. IX.

De hæmorrhagia tum communiter tum propriè dicta.

QUoniam autē persæpe ulcere vel putredine vel acrimonia dilatato sanguinis fit profluvium

vium: huic sistendo tum medicamentis in hoc frustra tentatis, tum necessarium est prorsus ignē administrari: etenim hujus crustæ profundius foramen obstruunt: ita enim primus *Hip. l. de locis in hom. 49. Celsus l. 5. c. 26. §. de curanda profusione sanguinis & l. 6. c. 18. ad hæmor. & Galen. l. 5. meth. med. c. 3. & 1. de simp. med. fac. c. 9.* sed Albucasis aliquanto plenius rem exposuit, volens ut amoto digito firmè hęrente vulneri debeas uti, primū, moxignitum ferramentum adhibeas, quod unum ubi sanguine restinctū est, alterū est candens inferendū repetendūq. donec fluxus sanguinis sistatur. verum si res eâ ratione non succedat, docuit *Galenus in l. 1. de simpl. medicam. faculta. cap. 9. & 8. metho. med. cap. 3. Avic. part. 4. cantic. aphor. 16. & Rasius 7. rei medic. c. 20.* ulcere ampliato patefacta vasa hamis apprehendantur, exerta ligentur, secundum extremas sui oras exurantur, denique reconditæ sinantur, pulvere styptico inspersо, donec inductum primo filum excidat, caroque sit instaurata. Ejus rei exemplum historiam exposuit *Ant. Benivenius apud Schenckium l. 2. tit. de puls. sup. 309.*

Hæc de hæmorrhagia per ignem comprimenda cum universim jam dixerim, cæterum eam, quę narium est propria neque ab hac externa chirurgia excludi interdum accidit, cum aliis remediis sedari fas non est: quod adnotavit omnium quos legi primus *Hercules Saxonia l. 1. Panthei medicin. c. 22.*

CAP. X.

De ulceribus cacoethis & malignis.

Ulcera cacoethe & maligna dicuntur, quæ ritè recteq; medicamentis omnibus & valentioribus curata, omnibus tamen modis curationi resistunt, perpetuò retenta malignitate, quales plane sunt homines mali quidam, qui quacūq; officii ratione provocati, in suo nihilominus instituto, moriq; malo immanent, suā animi sententiā obstinatè cōservantes atq; offirmātes ut advertit *Arist. Rhetoricor. ad Theodact. 2.* sed *Galenus* cacoethian hanc ulcerum explicans *l. 1. de medic. per gen. c. 18. & l. 4. de med. per loca. c. 13.* dixit intemperamentum *δυσκρασίαν* partis ulceratę quæ intemperatura insuper cum humorum affluxu conjuncta, supra modum reddetur maligna, ut *l. 4. de medic. sect. genera cap. 5.* quod si humor influens sit affatim vitiosus & intemperamentum intentum pravę partis habitudine inducta excitabuntur ulcera, quæ proximas particulas corrumpendo aut erodendo depascent non sine febrium accensu continuarum, ut *l. 6. de med.* per gen. c. 1. Hæc ad summam ulcera sunt cacoethe e quorum ordine *Celsus l. 5.* primam carcinomatis fecit speciem, eodē ipso cacoethię nomine imposito: non est tamen ut nos & alias à se descriptas carcinomatis formas malignas etiam statuere dubitemus: Prætereaq; therioma, herpetem, ęstiomenō, phagædenas, ulcera telephia, chironia, nomas, carbūculum, & quæ donavēre novis medici vocabulis, noli me tangere, lupum, malum mortuum, verrucas, pustulasq; malignas & alia pleraq;

Hęc igitur omnia tum ut sanguinem vitiosum exhauriamus, tum ut integras particulas ad coalitum tueamur ac procuremus, consultum est, ut sua quælibet pro peccati ratione scalpro tententur atq; urantur sublato scil. cum particula vitio, ad eum plane modum, quo plantarum partes inutiles putare discretus agricola consuevit & flāmâ delere. Adstipulatur autem nostræ sententiæ *Galen. Com in aph. 5. sect. 6. li. 6. epid. & alibi.*

CAP. XI.

De ulceribus venenatis.

Tactis veneno partibus non mediocriter necessarius ignis est torror, si manus hunc provida ministraverit, ita enim *Cornelius Celsus l. 5. cap. 27. §. 2. & Galenus libro de theriaca ad Pisonem cap. 6. & lib. 6. simplicium cap. de calam. & 13. method. cap. 6.* atenim, ut ille inquit, ex his est pręsidiis, ignis, quæ totam ejus, quod infestat substantiam, exinaniunt. Itaque quam rectè fecit *Petrus Forestus*, qui de morsis partibus à ferarum dentibus ignem injungit *lib. observ. chir. ca. 34.* tam incuriosè fecit *Hieron. Fabricius*, qui in operationibus chirurgicis id omisit. Quod autem de venenis morsu inflictis perferas dixi idem & de analoge venenatis, id est, pestiferis & syphiliis, à maligna causa & deleterio medicamento productis ulceribus & populis & sipedonis subauditum esto.

CAP. XII.

De ulceribus dysepulotis & quoquo modo intemperatis.

Sed & ulceribus dysepulotis non inimica vis est ignis, quin verò ad promovendū eorundē coalitum apprimè competens si rectè æstimaveris; modo ne talia sint ex rheumate perpetuo: quam certè causam nisi summoveris, nequicquā de ulcere obducendo cogitaveris. Dysepulota igitur simpliciter, si medicamentis omnibus tētata, nil profecerint, sunt igne vincenda, qui modis compluribus administrari potest.

Nostri inurendorum ulcerum modi primum ex aqua vita.

Primum inventum meum est repositum in spiritu vini, qui materiæ ad ulcera præcipue facultate, substantiæ tenuitate, usus simplicitate, parandi habitudine & accensili proprietate cōmodissimus est: hoc igitur imbutum linteum, stuppa, gossypium, quantum ulceris area capit, adhibitâ flammâ brevi ardebit, vitiumque levi agitatu rapiet, si semel quidem satis non sit, iterum ac tertio quartoque quoties ad summam opus esse cognoveris.

In delicatioribus temperatior exurendi ratio.

Alia inurendi rationes.

Hujusmodi quidem flammam multi curæ nostræ commissi cruribus & pectore tenus ulcerati sustinuerunt. Verum ubi delicatior se quis offerat, linteum submittere licebit, quod hydrargyro extincto leviter delibutum facie, quæ unguētum recepit, ulcus contingat. Atque hoc ita substrato sic impositæ alteri ardenti escæ flammam admovebis: Certum est istiusmodi usturam & sæpius & æquius ulcerosos laturos. Aliquando etiam calidis favillis, oppletas ęneas, vel arundineas fistulas ad partem ulceratam trāsversè convolutatis, sic ustulavi castigaviq; vitia, quæ pharmacis omnigenis valentibus exercita nil cessarant,

Vlceribus intemperatis, virulentis, squalidis.

rant. Simili ratione tractari licebit, & ulcera intemperata omnia, quæq; ichore tenui, sanieque acri & acrà manant. Siccis autem & squallentibus, neq; ignis usui non est. Ipseque equidem testari possum, plus semel à me evicta, quæ deposita sub spe fuerant, hujusmodi plurima. Vivit nunc Iulius Cæsar à Martino Castelli ad mare civis, qui cum decem jam annis ex ulcere tali fuisset iners in valetudinario nostro Incurabilium; per nos ustus primum ignito ferro, & aliquando etiam ardenti aqua, restitutus est quadraginta dierum spatio.

Historia. An. 1627.

CAP. XIII.

De ulceribus igne medendis.

ET vulnera vim ignis aliquando commodè experiũtur, sed urgente necessitate requisitã. Est autem is casus, cũ confusio corruptioque carnosarum partium facta est, aut hæmorrhagia infrenabilis, aut quid ejusmodi & de hæmorrhagia quidem ante tradidimus, vulneribus pariter & ulceribus adveniente.

Vstionis verò quæ ad vulnus interdum fiat, meminit *Hipp. in 5. epid.* narrans de Hippocomo Palamedis puero 11. annorum, qui percussus est in frõte supra oculum ab equo, qui varice & vulnere & supervenientibus tum tumore, tum febre vexatus est, vixit tamen ustus & cataplasmate curatus.

Quamquam, ut dicam, quod sentio, neq; ulcus poposcisse usturam videtur, quandoquidem addidit ad calcem Hipp. ulcus autem malorum causa nulla erat, atque adeo ob aliud symptoma intrinsecus à malo humorum apparatu adveniẽs quod & Vallesius ostendit. Nihilominus ad omnem modum est & ignis usui vulneribus quod approbasse videtur *Amatus Lusitanus Cent. 6.* Quid quod & spasmus ad recẽtes plagas accedens sæpe cum implacabili acerbitate, unicum ab igne solo subsidium exigit & expectat, propterea, quod summã vulneris cruditatem, solus ignis concoquere ac superare valet, nõ quodcunque quantumvis anodynum medicamentum, succurrit animo casus Nicolai Petrulli è Ceruinaria tonsoris ad littus Portus Neapolitani degentis, cujus adinsectam palmam octo post horas inexpiabilis accessit gangrena. Huic igitur & Iacobo Baraccutio Theanensi similiter ex vulnere pone musculum deltoiden gangrænam passo: si principio vel modica celerique ustura fuisset occursum: mea mihi opinio dictat, haud fuisse homines præcipites ad mortem ituros quemadmodũ in mortem non ivit Franc. Bonaltus Ferrariensis saucius nervis pedis à Sclopeti ictu qui acerbum illi spasmum invexerat: quem ego per ocyssimã usturam sopivi & hominem à certo interitu liberavi: *V*erum huic præsidio minimè confidere consuevimus, in quo salutis coivit omnis summa Terebinthinæ igitur & hyperico confidamus: confidamus & luteis digestivis, sub quibus auxiliis vulgaribus, vulgò videmus omnes saucios perire. Quæ nostra per ignem spasmi curatio ne temeraria, néve insolens videatur: en *Arnoldi Villanovani bina suffragia, quæ in Parabolam doctr. 5. c. 20. professus est hæc §. quidem 5.* Nervus omnino sectus in frigidatione veloci spasmabitur nisi, cauterio, vel fomentis oleorum subtilium præservetur. Et nervus quilibet vitiatus aquæ infusione celeriter computrescit. *§. vero 7.* si vulnerati sub humeris à spasmo cæperint, apprehẽsum cauterium profundum in spondylibus colli; mortis periculum aufert, vel tardabit, &c.

CAP. XIV.

De tumoribus igne medendis.
De tuberculis.

NOn admodũ crediderint fortassis aliqui & ad tubercula minora vim adhibendã ignis. Veruntamen ostendam & in hæc cadere cum fructu genus hoc præsidii, ut in his sc. quæ verucæ nominantur, præsertim si cacoethe sint aut molestæ, utpote myrmeciæ, acrochordonnes, mori, thymi, calli, clavi, &c. *Gal. suasore in Isagog. c. ult.* similiter & nodi atque alia quædam, quæ ex terrea prævalente portione glasteaq. pituita veniunt, tubercula; non alienum est ignea curatione tractare.

Myr... thym... croch... nii et...

CAP. XV.

De crudis durisue tuberculis.

SEntiunt & igni beneficium illi tumores, qui nunquam ad maturitatem perveniunt, quocunque id vitio causaque accidat, circum has enim ab *Albucasil. 1. c. 53.* decretum est, ut excitentur crustæ multę per cauteria puniculata, aut in medios ipsos immittatur cauterium acutum, aut si videtur, rotundum, sic imprimendum, ut pervadatur cutis. Sic enim futurum promittit, ut levatus onere calor, & concoquat & expeditius opera sua perficiat. Ad hunc modum & ad gummi ex venerea lue profecta, & ad adenas duras, strumasque & scirrhosa hujusmodi tubercula, quæ ex materia non solum terrea multa, sed & aqueo respondente concremento pauco commixto constant, utile fuerit, ut peræque necessarium, ignis efficacia uti. Quippe diserta est *Aretæi doctrina in l. 1. morborum diuturnor. c. 14. quod est de scirrho lienis*, si tibi omnia facienti inflammatione scirrhus immineat, igni quoque & similibus ad molliendam duritiem ut utaris: & Ægyptii *teste Prospero Alpino in 3. de med. Ægypt. c. 12.* pyramidali hæc peniculo perurunt, quo & nos uti quid vetat? Nos autem horum plerisque, in quibus natura torpet, ad mitificatum & πέπασμον impellendis, quàm egregia sit vis ignis adhibiti, scienter in *1. pyrotechniæ libro monstravimus satis.*

Gummi syphilitic... denis... ris, stru... scirrhos... tubercu...

CAP. XVI.

De Suppurationibus.

SEd suppuratorii tumores etiamsi neque malitiæ neque cruditatis nomine modificatum ignis expetant. Nihilominus ut de cæteris abscessibus frigidis dicam inustionis commodo non renunciant, illi nimirum, qui sub cutem & carnem alte recessere, quosque secare sine sanguinis profusione non licet: sunt autem & qui ampliorem diutiusq; mansuram exectionem requirunt, & qui etiã ab ignis ope singulari, desiderant roboratum partis alioquin debilis & imbecillæ, quale caput & scrotum est: & quorum aliquod

vitium

vitium subtus processorum suspicio, metusque est: & quos in principio prævertere dissipareq; expedit, & qui denique sub cute corporis durissima substant. Hoc consilio nos abscessum, qui circum summam aurem durior erat, ferramento acuto mucronato dissecuimus Clementi sodali Franciscano minimo, rem curante qui aderat Jo. Germano Medico & Pharmacopæo sacri Cænobii provido. Præter hos, usturæ consentiunt abscessus illi, *Aristot. autore in sect. 1. problem. 34.* qui lati processuque multiplici eruperunt, quique venosis & non carnosis resident locis, tales ergo ventosas appellatas spinas opinor. Taceo post tot multa non deesse, & qui discissum ab ignis vigore, quam à scalpelli pertractu tum indolentiorem tum innocentiorem cognoscunt, rem ab omnibus non æstimatam neque adversam. Si malum altius est, nervosusvè is locus non sit, candenti etiam ferramento aperit *Cornelius l. 7. c. 2.*

CAP. XVII.

De tumoribus cum inflammatione & cacoëthia coniunctis.

ABhoc quoque ordine neque tumores, qui simpliciter inflammatorii sunt, excipiuntur, sed tum crebrâ incisione perpunctis ad multum effluxum sanguinis, tum secus, proficua est inustio, sententiâ complurium iudicio & eruditione præstantium autorum, *Iulii, inquam, Cæsaris Arantii l. de tumor. c. isto. Et Laurentii Iuberti in adnotationibus, in Guidonem tract. de Apost. n. 64. & Gabrielis Fallopii l. de tumor. c. 9.* qui Galenum citans auctorem usque ad doloris sensum, urendum censuit, quin etiam secundum *Cornelium, l. 5. c. 27.* nil melius est, quam protinus adurere. Idemque etiam approbat *hexametra medicina, Quinti Sereni, eod. c.* Accedunt & pestiferi bubones, quibus & necessarium ignis remedium statuere *Petrus à Tussignano & Iacobus Hollerius l. de peste, & Gabriel. Fallop. tom. 3. p. 183. atque alii tum neoterici, tum antiqui viri.* Ignis autem cauteriiq; modum cum non distinxerint isti: provincialium nostrorum mos non displicet, qui digitali sartorio supra tuberculum imposito liquatum sulphur immittunt, atque inde crustam mollibus laxamentis amoliuntur, quo sulphure item trito & in tubulum tuberculo congruum rectum impositum coniecto atque accenso, sæpe ego maligna vitia repressi. Cum his reponimus & therioma, quod genus prius concisum candente ferramento inussimus in Martio Cinnamo civi Neapolitano quemadmodum in Physio-chirurgico narravimus, sed & Erysipelatis, quod ad ulcus putre fertur, usturâ utitur *Cornelius Celsus l. 5, c. 26.*

CAP. XVIII.

De tumoribus inflammatoriis in gangrænodem refrigeratum transmigrantibus.

POst hostum ores & qui à summo fervore ad extremum frigus id est in gangrænam aut sphacelum deiiciuntur; non dissimili sunt ratione tractandi, ut *Galenus suadet, l. Isagoges med. c. 18.* Proximæ sunt his plagæ à machinis igniariis inflictæ; ecchymomata, livores, &c. Ego autem, antequam in necrosim deveniant, calorem excito, tum medicamentorum ope, quale unum *Ioannes Langius in l. de remediis secretis primus* edocuit, tum etiam imposito linteo aquâ vitæ imbuto & flammæ supposito. Satis hæc de tumoribus igne tractandis generatim exposita sunto: ab his alii partium, si fuerint, hi rursus ordine à supremis partibus ad infimas deducto tradentur, prius autem vagi quidam sunt pertractandi.

CAP. XIX.

De erysipelate in corruptionem eunte.

ERysipelati si nigrities est, neque dum serpit, imponenda sunt, quæ carnem putrem lenius exedant, repurgatumque ulcus sic ut cætera nutriendum est. Si magis putre est, iamque procedit ac serpit, opus est vehementius erodentibus. Si ne hæc quidem evincunt, aduri locus decet, donec ex eo nullus humor feratur: nam quod sanum est, siccum est cum aduritur. Post ustionem putris ulceris sic perponenda, quæ crustas vivo resolvant, &c. *Cornelius Celsus lib. 5. cap. 26 §. 28.*

CAP. XX.

De abscessibus frigidis.

ACcidunt aliquando artubus mediis itemq; articulis & maximè collectiones amplæ, subduræ, concolores, indolorifici, nisi cum attrectatu irritantur, ab æqualitate membri & figura, non evariantes, paulatim extumescentes, cognitu difficiles, diuturni. Ad summam enim ex succis frigidioribus crudis lentisque concrescunt. In hos autem incurrere consueverunt ex omni ætate homines, qui sub illaudato cœlo corruptis aquis & pravo victu utűtur, χανίαπλαχνοι sicut vocat *Hipp.* & κάχεκτοι colore item malo, aut malis ante id tempus morbis febribusque perniciosis exerciti, ex ætate verò teneriori pueri solent hæc pati, qui superfluitates seminarias per expurgationes à natura decretas non abiecere. Dignoscuntur fluctuatione contenti humoris, fluctuatio autem alterâ manuum extremarum impressione ac remotione, chirurgis, id est, professoribus bonis nota. Huiusmodi abscessus peculiariter id requirunt, ut maturè, id est, subcruda aperiantur, ne vitium scil. in chordas, ligamenta, partesque nerveas & ossa transeat. Quoniam autem præalta sub carne difficilior ac molestior est discissus à scalpro quantumvis acuto: ob eam rem candentis ferramenti cultri formis præfertur, impressus, in quam sententiam ivit & *Petrus Pigræus l. 2. Chir. c. 44.*

CAP. XXI.

De emphysematis sive tumoribus flatulentis.

FLatulenti tumoris, quod emphysema dixêre Græci, siquidem hoc loco præcipiatur ustio, nec novum quidem ulli vel alienum videri debet. Nimirum & vetustus autor *Alsaravius trac. 29. cap. 14. & nuperus homo Hieronymus Fabricius inter operationes Chirurgicas* eius rei meminit, in genubus exemplo proposito, cuius item rei sua non est ratio: nempe vis ignis inter cæteras discussoria; quod disertè demonstravit *Thomas*

Fienus, in l. 1. de cauter. c. 6. Porro duplex discutiendi modus est. Alter vapore de crassa re subiecta excitato, atque insensili quadam ratione difflato vi calfactus solius, alter excitato fumo per applicitum torrem aut torrefacientem rem proprie. Prior quidem ratio communis est & potestate & actu calfaciendi, dum tamen hanc longe atque alio corpore intercedente vim imprimat, ut sartago retorrida Razæ capillo tenus adhibita super apoplectici caput. Posterior verò ratio propria est ignis & privata, quam hic & intelligimus & usitare volumus, ad emphysemata. Hæc enim licet cum corruptu fiet, aliquo particulæ, portionem multam lenti mucoris abstrahit, & exhaurit, non aliter, quam in contritis costis, 3. *de artic. Hippocratem præcepisse alibi meminimus.* Quod ad nos attinet, verè testari possumus, hanc in ægrotis nosocomii sæpenumero compertam, ustionem usu felicem.

CAP. XXII.

De tuberculis malignioribus in Capite natis.

Cancrosa natura tubercula.

IN cute capitis nata tubercula, verrucæque sic plerunque molestæ sunt atque infestæ, ut operam manus non vulgariter neque postremum in locum exigant: quippe medicamentis aut acrioribus irritantur, aut debilioribus nihil emoventur, nimirum coloris fæditate, torulorum, quos repræsentant inæqualitate, venarum circumstantium ex humore atro saturitate, puncturarum dolorumque aliorum acerbitate & colore alioquin exustiore naturæ propemodum cancrosa se produnt. In ulcus igitur tetrum ac depascens, antequam transmigrant, operæ precium fuerit, incidere primum, mox inurere, vel quod satius equidem arbitror, simul utrumque perficere. Quod licebit ferramentum modioli modo cavum, & circa oras acutum, amplum verò quantum amplectendo mali ambitu satis sit, igne candefactum sic imprimes, ut os modò ne in suturas incidat, attingas, cautas videlicet, ne contractu proximo pericranium, vitiarit, aut attigerit penitioribus molitionis suæ iactis radicibus. Porrò in carne licet hoc vitii genus exurere, quod professus est *Arantius lib. de tumorib. partium, c.* 31. liberius tutiusque & in osse licebit. Post hæc autem ulcus, promptum est unicuique per ambusta communia medicamenta curare.

CAPVT XXIII.

De Verrucis faciei ac partium obscenarum atque aliarum tuberculis malignioribus.

EX verrucis venereæ contagis germinibus infimo naso consistentibus, postquam ulcerari cœperunt, vidi equidem quendam tam pessimè habitum, ut late per omnem faciem processerit pharmacis omnibus obluctatum vitium. Quare futurum his ignem adiumenti singularis, quis non videt, ita etiam thymis & phymatis malignioribus, quæ circa glandem, vulvam atque anum adnascuntur, ita decernente *Galeno introd. c. 18. Aetio l. 14. c. 4. Paulo in l. 6. c. 58. & Celso l. 6. c. 18. Constantino Africano Chirurg. c. 17. auctoribus & huius Archetypo Isaaco lib. 9. pract. cap. 18.* Alcuful quoque palpebrarum quas verrucas opinari licet, ferro resectas igne castigat, *Alsaravius tract. 4. sect. p. cap. 19.*

CAP. XXIV.

De verrucis nasi.

VErrucas naso obortas tollere non debemus *Iul.* inquit, *Arantius l. de tumor. c. 23.* nempe sublatæ feliciter, nullam afferunt laudem, improspera cum cancro vel ulcere residuo veniens curatio magno famæ detrimento est. Itaque nisi coacti ac protestati rem minimè aggrediemur: quo tempore non alio, quam aureo cautere tuberculum attingas licet.

CAP. XXV.

De nervis præcisis itemque de ligamentis.

Nervi [...] stantia [...] vandi [...] tia [...] tensu.

NErvos præcisos, cum carne nudati apparent, exurere, quando ratio dictat, & huic autores boni consentiunt, etiamsi minus id sit in quotidianum more positum, minimè deterrebimur. Porro quod cogit incisi nervi capita ferramento calente tangere, illud est, ratio particulæ, quæ natura plane frigida atque exangui, utpote, quæ indurata quasi cerebri substantia circumstantis aëris incursu atque offensationibus, hebescit, ignis verò concalfactu & quasi fotu roboratur: quas ob res discissæ eiusdem partes, perinde ut calido restauratæ, vegetioresque ac teneriores factæ conferuescunt, ac ferrearum virgarum igne mollitarum modo conglutinantur. Ita enim experientiâ comprobatum à medicis municipalibus testatus est *Guido Cauliacus tract. 3. doct. 1. c. 4. & ante hunc Rogerius noster Salernitanus l. 2. chir. c. 2. & Rolandus l. 2. c. 1. locis à Guidone* notatis multo potius rem ex professo confirmarunt. Huius quoque sententiæ fuerunt *Nicolaus Florentinus, tr. 4. sum. 1. ser. 7. c. 35. particula quæ est de curatione nervi puncturæ*: ex quo etiam viro sicut opinor rem accepit *Ambr. Paræus l. 9. suorum operum c. 38.* Illud adverto, haud candenti ferramento usos hos duos posteriores, verum oleo quam maximè feruido contentos. Verumenimvero tam etsi docuit *Galenus comm. 13. aphor. 7.* sentientes ignem nerveas, particulas exarescere, monuitque etiam Avicenna, *l. 1. fen. 4. c. 29.* ustionem partibus admoventes medicos ne nervos attingant; nihilominus (pro his ego responderim) aliud est vim inferni sanis, aliud ægros, quo serventur à languore, tractare: Præterquam quod de leviore ignis modo certum est, hos viros fuisse professos; ferramentum etsi candens à Guidone memoratum est, iustius tamen aut calens intellexit, aut verè scripsit, sed menda facili candens irrepsit calamo vel typis.

Robor[...] igne [...] ctus n[...] vus.

Simil[...]

Experi[...] menta.

Advert[...] tur & [...] & Avi[...]

Occurr[...]

Guidoni[...] sensus.

Historia[...] Annota[...]

Jam autem quod nervis præsectis convenire vim ignis ostendimus, idem & de ligamentis multo satius comprobatur: utpote quæ tum naturâ frigidiora, tum ad tolerandum firmiora constat esse. Quas ob causas olim ego cuidam de Toledo nostri Gymn. præfecti famulo præcisum ensis ictu cubiti naturale vinculum, quod vulnus imperitus quidam medicus conglutinandum

dum communi fracturas curandi ritu ferulis colligaverat, igne tepidiore coussi; eventu sane felici, & vix ab aliis expectato; propterea, nimirum quod dictat axioma vulgatum, vulnera articulorum esse lethalia.

CAP. XXVI.

De fico & moro.

Accidit aut in capite aut pone oculos aut post aures, aut pone nasum, aut in mento tuberculum molle nascens potissimum, quâ venularum ramuli scaturiunt, à similitudine ficum, morum ve nominant. Hoc utrumque genus sæpe ego nihil super hoc ausis aliis nostratibus professoribus tuberculi vocati, noli me tangere, suspicione radicitus exsecui, ac ne repullularent, iterum acre causticum imposui, quæ medendi ratio semper è voto cessit, bene favente numine: inter cætera exempla, narrabo duo, quorum alterum est, id quod accidit fratri Bernhardino à Castello ad mare Capuccino, cui perdolens tuberculum unâ semel resectione sustulimus, sanguine qui multus eruperat opportune compresso. Alterum aliquanto difficilius iam audi. Tyberio Pisapiæ Cavensi tonsori morus meatum auris obstruens filo adalligato strictè resectus & caustico curatus feliciter à nobis fuit, quod vitii genus insanabile putaverant alii. Sed non ita quidem *Avicenna l. 3. tr. 3. c. 11. & Io. à Vigo l. 4. c. 12. & Marianus Sanctus Barulica tract. de exitur. in Avicen. F.* qui confidere super hac opera me docuere. Jam autem si vitii repullatum aut si vitii repullatum aut si sanguinis nimiam effusionem verearis, quod præceptum commune multorum vides, non incommodum erit, & cauterem aliquem rectam parti inurendæ ante parare; sæpe etiam id necessarium non videtur, quare pro re oblata decernendum. Porro repullulatum caventes nos ficum interni pedis sub imo Bartholomeo Basso Januensi viro seni in nostro Nosocomio resectam percussimus & curavimus.

[...ae mo- simili- ne no- ... s eo- dem ...tà.] [...oria 1627.] [...oria ...n] [...oria ...b.]

CAP. XXVII.

De ficoso syncipitis tumore.

Molles omnes tumores bonos professus est *Hippocr. l. 1. aph. 10.* Verumtamen vel de eo quod plurimum evenit effatus est Hipp. vel de mollibus, quantum ad concoctionem pertinet, id est, molles & peptos intellexit. Porro nascuntur in plerisque corporis nostri partibus tumores, qui molles sunt; ut atheroma, steatoma, meliceris, morus, sycotis & hoc genus; qui tamen crudi difficilesque sunt; causisque symptomatum malorum fotricibus fulti plerunq; sunt, quales convulsio, sanguinis profusio, dolor ingens, febris, inflammatio, erysipelas, & huiusmodi sunt. Ex hoc ordine ficosum aliquando extantem à cute tumorem curandum mihi obtulit in capite natum, & magnitudine, & colore malo insano persimilem, venis undiquaque cinctum, quod resolutum facilè influorem sanguinis abibat, complures iam menses eo correpto, Franciscus Lombardus Aversanus à Claudio Sportellio chirurgo diligente commendatus; quo tumore parte plurimâ putrescente & male olente cum acerbè afflictaretur, consensit facile, ut scalprum adhiberem; quod cum fecissem interdum igneque addito, fluorem sanguinis atque putredinem vitiumque à radicibus repressissem, brevi conualuit adolescens. Res nota cunctis valetudinarii nostri hominibus & medicis collegis sæpe alias nominatis.

CAP. XXVIII.

De Cancro, pridem oborto generatim.

Cancrum cum primum aut paulò postquam natus, auctusque est, fac acutè cognoscas, cineris, aut lupini baccæ, aut avellanæ magnitudine, plumbi modo fuscescentem, vix pungentem, & molestantem, cunctis symptomatis moderatè offensantem. Talem & quicumque sessilis non sit, ut *Iubertus vocavit in Guidonem tract. de Apost.* homine monito statim rescindis aut forficula, aut scalpro candente alio, si opus fuerit imposito, & ut moris est, circa reliqua curato. Cæterum si vetustior est, dummodo non in corpus altè defixus, etsi vires ætasque hominis suadeant, non malis refragantibus internis visceribus, spes non est deponenda, quo refigi queat, etiam in oculo se curasse testatus est *Fabricius Hildanus, obs. 1. & Bartholomaus Cabriolus obs. 37.* si verò grandiora labia sint, quæ occupentur, suis hæc utrinque oris lineisue extremis, acum filum ducente transadiguntur, cuius fili capitibus manu sinistrâ distentis, dextraque novaculam habente dissecare, liberè & commodè vitium licebit. Ad hunc modum ferè *A. Paraeus l. 6. sui operis c. 29.* si verò mammæ sit cancer non protrahenda extirpatio per scalprum, est enim omnium facillima extirpatio mammæ: quando minor fuerit cancer, & in anatome sua demonstrasse se experientiâ & ratione doctum perhibet, *Laurentius Iubertus, in adnot. in Guidonem, tr. de apost. n. 108. 24.* Vnum hic non tacuerim libens, *Albucas. l. 1. c. 52.* in circuitu vitii voluisse crustam in orbem inducendam potius, quam super vitio per urendum, veritus ulcerationem, quam *Celsus* ustionem etiam expresse vetuit. *l. 6. c. 15.*

Canceri novelli vitia.

CAP. XXIX.

De cancro palpebrarum ac temporum.

Ex verrucula palpebræ interdum neglecta, id est, vitiari permissa & non excisa, alias vero perperam curata, id est, irritata importunis medicamentis, & non excussa; thymodes cancrum evenisse nonnunquam vidimus. Exemplum autem unum è multis producere possum, honorati viri Agnelli Cadogni Neapolitani, cuius ad unguem vitium modò memoratis exortibus respondet. Hoc igitur mali attiguum oculis, qui (quod advertit *Aetius l. 2. serm. 3. cap. 30.*) efficacia medicamenta non sustinent, nil subinde melius, quam & scalpro exscindere radicitus & exurere. Ad hunc quidem modum Fabricius Hildanus, *l. observ. 1.* Cuius viri rationem agendi atq; instrumenta apud eum vide. Ad quem modum equidem Joan. Baptistam Bulottam sexagenarium & supra hos annos hominem secundũ exteriorem oculi angulũ & tempus lato cancro

Historia.

 diu

diu vexatum etiam osse vitiato curavi, quem nemo nostrorum attrectare neque ab ineunte tuberculo ausus est.

CAP. XXX.

De cancro nasi.

NAsus non postremus est è corporis partibus, qui cancro tentantur, locus sc. retrementorum emissarium frigidum, quantum ad se attinet, at vasis & in fluxibus patens, præsertim choleræ (inde vetus sermo χολὴ εἰς ῥῖνας) subditus aëris ventorumque impetentium iniuriis, atque inter omnes faciei particulas expositus, demum, qui verrucis vitiisque aliis malignioribus infestari consuevit. Ex hoc vitii genere licuit aliquando vidisse unum, qui anemones floris modo & figura, extumescebat, à primis cartilaginum suarum initiis adusque labri superioris fines protensus, (laboranti homini vetusto & melancholico nomen Nuntio Carcarano Calabro Roccellensi) Hunc ego curans primum scalpro ad memoratos fines resectum acri igne perussi, atque medicamentis diu fotum, bene favente numine intra 40. dies liberè dimisi, rem à principio ad exitum observantibus omnibus nosocomii nostri assistentibus, physicis, inquam, chirurgicis, itemque religiosis viris ex ministrantium infirmis congregatione.

Historia Anno 1629.

Hoc quidem cum non vulgare, maius tamen opus fuit id, quod mox exponam Joannes Formicula Capuanus à Camilliano eiusdem Campanæ ditionis oppido senex 60. circiter annos natus, octo iam annis verrucula in oculi cantho interiore nata post varia germina processusque varios tandem in manifestum & ulceratum carcinoma se prodidit, cacoëthe adeò, ut & ossa nasi, nedum cartilagines exederit. Itaque à suo cive Donno Augustino Cinnamo, æditiuo succedaneo templi Incurabilium ad hoc nosocomium delatus pro depositæ salutis homine pronunciatus fuit ab Joanne Alphonso Golino chirurgo vetulo valetudinarii, non sine commemoratione aphorismi Hippocratis, qui sanxerat, cancros expedire non curare quam curari, & quidem curati citò pereunt, non curati diutius vivunt; nihilominus ego, qui tum fortassis aderam, dictum id de occultis explicui. Brevibus in meam curam recidit homo, qui purgatus, sectus & ustus à me curatus est brevi, non sine eiusdem Golini & medicorum chirurgorumque omnium admiratione.

CAPVT XXXI.

De carcinomate labiorum.

LAbia quidem propriæ substantiæ laxitate atque imbecillitate, atque ad occursus omnes offendentium rerum & aëris opportunitates, præsertim verò sub executiore aut impuniore habitu corporis carcinoma subeunt facili negotio: quod nisi principio quaque arte eradicatur totum in os faciemque serpit: quod equidem in quamplurimis, qui ad valetudinarium nostrum accurrerant, & vidi & audii factum: sed neque cum ulterius est progressum vitium, præverti summam eiusdem exesionem fas non est, quin excisum & ustum persæpe cessit. Fiet autem exectio primo per acutum scalprum, elato labio per filum acu subductum, quemadmodum alias ostendisse memini: mox apto ad hanc rem ferro aurove candente cruentam plagam carbunculabis, quam curationem *Diomedes Cornarius Iani filius in 11. suarum obser. medicin.* approbavit historia conscripta hominis, qui repudiato hocce remedio miserè volens morbo succubuit.

CAP. XXXII.

De cancro linguæ.

CAncro linguæ tam leves plerumque sunt exortus, ut etiam non imperitos homines fallat. Ansam autem præcipuam ut excrescat, exhibet partis natura spongiosa, quæ non satis opportunè curata vel alio medicamine acerbiore exasperata defluentem circum humorem à plenis venis & capite non repellendum aut concoquendum aut dissolvendum suscipit. Ex parva igitur verruca fit ostracode cuniculatumque ulcus, quod cancri speciem exhibet, non cancer tamen est vere: licet enim non est difficile, ut legitimus is sit ex atrabile tumor, cancrosum equidem tum observavi tum audivi fuisse multis, quorum primus Joannes Laurentius ab Alexandro & Ascanius Sanfelicius, Patricii viri Neapolitani. Fabricius Romanus in regiis stabulis & rationibus vir exercitatus, Vincentius Baglionus familiaris Fabii Capycii Galioti in hoc regno Secretarii, Aloysius Pignatell' Marchio, Sebastianus Grimaldus Oeconomus parthenophylacii Artis Jericæ, qui mihi commendatus à Re veredo P. M. Ant. Russo Jesuita noluit nostram admittere curationem, & Soror Damiana Quirica sacrarum ædium & cænobii Incurabilium monacha, qui omnem eodem vitio occubuêre: itemque Julius Cæsar Guadagnus, qui vehementioribus medicamentis tractatus accreto tubere atque ulcere neque ad cibi traductum neque ad eloquutum uti linguâ valebat. Cui iam ulcerato corrodentique vitio reprimendo propositam à nobis ex aureo cauteriolo ustionem cum vix auditam explosisset, non multo posthæc exacto tempore mortuus est. Sed his explanationis gratiâ memoratis ad curationem tradendam instituti nostri ratio nos vocat. Vbi primum ex parva pustula vel verruca linguam persenseris plusquam par est dolere, si præsertim aut acrem, aut salsum, nitrosumque aut putrescentem, aut retorridum humorem redundantem in corpore suspicemur; permittentibus cæteris, quæ in hac re consuli solent, & sanguinem ex vena detraxeris; & corpus expurgaveris; & victum hæmacatharticum institueris, & rectè demum è venis sedis & hypoglottidis novissimè pertusis sanguinem derivaveris. His ritè peractis humor acerbior crudiorq; particulæ inhærens non aliâ melius ratione tractabitur, quam si concoquatur idoneis

idoneis rerum fomentis: quale est ex ovi luteo igne durato, appio pomo carneque vitulæ assis, aut hoc genius: memini equidem Donnæ Hippolitæ dolenti ex tuberculo linguæ duriusculo cum contumaci rhagadia, quod maximè verebatur, ne malè cederet, apposito intra tenue linteolum alumine percalfacto succurrisse, quod pro re mira notavit & medicis aliquot amicis retulit Petrus Anellus Costa, medicus Neapolitanus plane studiosus. His viis comprimenda torquendaque in meliorem naturæ habitudinem est mala vis morbi. Difficile medicamentis acrioribus quid profeceris, & non offeceris.

CAP. XXXIII.

De carcinomate faucium.

CArcinoma nullum attrectare ferro audent nostri, neque etiam igne, quos homines facilè convincit erroris subiecta hæc nostra disputatio. Primum autem neque adversatur id, quod admonuêre sive *Cor. Celsus sive Aetius sive alii*, præsectos cancros & ustos increvisse, atque exitio certiori fuisse. Contra enim est **Hippocr. qui lib. 7. epid. n. 1.** testatum reliquit disertis verbis, carcinoma in faucibus à se ustum & sanatum. Deinde ***Iuberti, Amati Lusitani, Parei, & aliorum præstantium virorum*** felicis eiusdem curationis fuerunt experimenta, quæ colluta *in 2. suarum obser. medic. c. de mamillis retulit Ioan. Schenckius.* Itaque dari oportet cancros, qui curentur, licet extent, qui curationi non cedant: quorum utrorumq; differentia non est in morbi specie: sed succi qualitate: nam in ipsis bilis atræ speciebus sunt aliæ aliis acriores aut mitiores. Si ergo ex aliis symptomatis agnoveris adeo esse acrem homini bilem atram ut levi de causa plurimum exacerbetur fortasse ne tangere quidem audebis: sin autem ad terrestris aut sanguineæ melancholiæ naturam atrabilis, quæ homini est, ex aliis sentiatur vergere, tentabis causticis urere: ac si res incipiat bene cedere, procedes festinanter ad ignẽ: præcipue si malum sit in parte, quam facile ac brevi depascere possit morbus: cuiusmodi fauces sunt. In talibus enim vel non satis certus, an succus ferre id auxilium possit: tentabis vel cum periculo urere: quia deposita curatione facilime exedetur vel à succo non omnino immiti: Tentabis ergo vel cum periculo curare morbum certè interemptum. Quam ob causam **Celsus l. 6. cap. 15.** iubet ulcera cancerosa in ore, si medicamenta non perfecerint adurere. Hæc pleraq; ex *Francisco Vallerio l. 7. epidem. contex. 99.* quæ, quod instituto nostro maximè suffragentur, propterea libentissimè recitavi.

CAP. XXXIV.

De Carbunculis palpebrarum.

CVm incidunt in palpebras carbunculi, ignito ferro sunt adurendi, quod sæpe à peritissimis chirurgis factitatum novimus absque ulla oculi læsione: cum tamen alii, qui id remedii genus præteriêre ad mortem ægros adduxerint. Ita *Hieronymus Rubeus ad lib. 6. rei medica Gornelii cap. 6. §. 10.* Jam autem solemne remedium carbunculo fuit semper ignis, ut & *Histor. I. Livius* eius rei meminerit.

CAP. XXXV.

De atheromate.

EXhibet atheroma curanti plerunque difficultatem, non dico equidem sanguinis profusionem, quod est commune symptoma, sed fibrarum & folliculi, quo veluti fomite radicibusque sæpe redivivum est vitium firmâ adhæsione. Hæc igitur quia revellere necessarium est, nec facile, id est, sine doloris ingentis inflammationisque periculo ferro vel medicamento perfici hoc semper potest, unica est per ignem via, quam, qui tenet, tutissimè incedit: necessaria autem hæc magis, ubi vel ossis vitium subest vel timetur. Eius quæ os infecerit historiam narravit **Epiphanius Ferdinandus** *in opere centum casuum. 42.* quæ quidem opera & incisu diductuque periostii & ossis derasu, & denique perustu confecta est. Cæterum quæ os non vitiavit, simplicior est tractatu.

CAPVT XXXVI.

De alphis, Arabibus morphæa & baras.

ALphum tum album tum nigrum ustione discuti non desunt, qui dixerint ex veteribus probati viri. Igni enim ut poëta cecinit, omne excoquitur vitium, aut exudat inutilis humor; itaque *Paulus Aegineta l. 4. c. 5.* leucæ vetustæ delendæ ad ustionem, quæ ferramento candente administratur probat, sed ita ut hæc vel sola valetudini sufficeret. Vnde & *Albucasis l. 1. c. 51.* contumax medicamentis & vetustum baras perurit cauterio profundiuscule, id est, quanta est altitudo cutis, usque dum removeatur albedo, muteturque color eiusdem, legit aliter urendi terminum *Nicolaus Florentinus, in serm. 7. sum. 2. tract. 6. c. 14.* ponens ipsum per duplam quantitatem spissitudinis cutis sed veriorem sententiam tu iudica. *Avicen. vero l. 4. fen. 7. tract. 2. c. 11.* meminit curatæ per ignem leucæ sive baras: verum hoc possibile inquit, in ea, quæ parvæ est quantitatis, verum enimvero hæc curatio, licet, tot magnorum virorum autoritatibus firmata, non placuit **Hieronymo Mercuriali**, *l. 2. de morb. curan. c. 2.* propria quod ex coctura inducitur, turpis cicatrix. Inducere verò turpem cicatricem, ut malus color auferatur, non sibi videtur curandi species, sed potius ex uno morbo in deteriorem lapsus. Postmodum autem quasi moderans ac temperans acerbitatem sententiæ suæ *Mercurialis* ait, & ego etiam laudo, ut incendatur locus, sed ita modice, ut fugiatur omne fædæ cicatricis, inducendæ, periculum. Cum autem quæritur, quis sit aut esse possit modus à Forolivienti docto viro requisitus, fortasse, inquam

inquam ego, fuerit per aureum bacillum adhibitus ignis levi, suspensaque manu, id porro facilius concedetur, quam causticis agendo liberius uti; quibus alioqui non curabantur. Romani lichene laborantes, sub Tyberii Claudii Principatu, ni usque in ossa corpus exustum esset, rebellante tædio quod ait *in proæmio 36. Plinius.*

CAP. XXXVII.

De cicatricibus igne corrigendis.

MEmini equidem alibi obiter, hoc verò peculiari suo loco definitius distinctiusque de cicatricibus igne corrigendis explicabo. Porro nil iniquius honestis hominibus, maximè vero fœminis, quam turpem notam gestare facie vel aliâ parte qualibet, oculis aspectabili. Itaq; si quod est, quod efficaciter huic vitio mederi queat, gratuito proferam. Constitutum est & ratione & virorum usu medendi præstantium, autoritate, per aureos cauteres usturam & vesiculas empyreumatis minimè cieri, & pulchriores cicatrices, relinqui; id quod equidem meis aliquot experimentis, & aliorum, qui meo suasu rem comprobârunt, testari possum. Mulier erat, quæ ex coalita iam plaga genæ per gladium inflicta residuam deformitatem non tam adeò, quam ex transutis crebriter innodatisque filis affatim apparentibus conquerebatur, quas omnes ego notas percalfactâ aureâ lamellâ per manubriolum apte prætensa leviter tactas delevi sic, ut contentâ satis emendatione illâ, visa deinceps fuerit fæmina. Vstam autem igneo cauteriolo partem anatis axungiâ curat dum eschara decidat *Ioan. Anglus l. 3. tr. 5. c. 1.* mox accommodata ex mastiche, chia & gallinaceo adipe usturam obducit.

Historia An. 1630.

Jam vero tum cicatricibus simpliciter exuberantibus ustio conveniat: his maximè statuta est, quæ scalpris & causticis erutæ revirescere consuevêre. quæ res observata mihi duobus in hominibus fuit. Alterius quidem nomen memoriæ non succurrit: sed altera fuit Joanna Abundia nobile scortum, cui secundum genam post levem plagulam iam coalitam exaltata cicatrix sæpius execta ac medicamentis catheretícis explanata torum emisit. Illud autem evenit venosis faciei locis, in quibus venulæ interdum etiam apparentibus præcisæ sanguinem copiosiorem eructant. Igne igitur has occæcare atque exiccari percommodum fuerit.

Historia An. 1630.

Observatio.

CAPVT XXXVIII.

De hydrocephalo.

CVrationem huius tumoris descripsit historiæque fide firmavit *Guliel. Placentinus l. 1. c. 1.* quæ est, ut sincipiti sic inducatur ferramentum candens, ut aqua deside attingat, atque item duo cauteria confingantur, occipiti, quà inion subest: & cum aqua defluxerit, sinatur, donec homo substinere vacuationem possit, mox linamentis implicitis obstruantur, oscula, atque hic idem modus servetur, usque dum exiccari cœperint, ulcera. Exiccatio autem ut felicius sequatur, parte unâ sulphuris & olei chamomelini quaternis illinendum est totum caput, qui illitus & ab initio factitari debet. Jam verò quod tumoris apertionem improbarit *I. Cæs. Arantius l. de tumor. eo cap.* gratis hunc recedere tum ab *Hipp. l. 2. de morb.* id dictante, tum ab *Aetio, Paulo, Albuc. &c.* monstrat *Epiphan. Ferdinandus in Hist. medic. 21.* cuius sententiæ est, & *Ioan. Forestus l. 8. obs. 30. & Ambrosius Paræus l. 7. c. 1.*

CAP. XXXIX.

De palpebrarum resolutione.

ACcidit interdum palpebris, ut humoribus prægravatæ concidant sic, ut attolli non possint. Quod offensamentum eximere cum adhibita medicamenta, non valuerint, nedum cæteræ vivendi rationes: reliquum est, ut expediendum chirurgiæ negotium committatur. Ex qua omnium valentissima est inustio, res proposita, tum ab *Albucasi l. 1. chir. c. 16. tum ab Haliab. l. 9. pract. cap. 71.* Quorum utramque priorum eam curationem proposuit. Cauteriolo lunato, cuius cornua promineant, exterius palpebrâ semel inure, vel duo supercilia, quantus istorum ductus exporrigitur, leviusculè, tantum impresso ferramento, quantum palpebræ sub triplum incoqui possit. Est autem typus instrumenti, qualem proxime depictam vides.



Icon.

CAP. XL.

De crassitudine palpebrarum.

CRassitudinem palpebrarum, id est, excrescentem eius interiorem carunculam præter naturę modum excrescentem exscindendam & inurendam primus omnium, *Hippocr. in lib. de visu* adnotavit, quod vitium equidem dubitavi, multum esset ne id, quod ex *Antylo sub ectropio, id est, sub eversis palpebris proposuit Aetius serm. 7. c. 72.* neque enim difficile videri potest; si quidem ad interiora carnis incrementa unicè peccantis utrique isti viri subinde inspexerunt, & ferramento detrahendam decreverunt. *Antylus quidem, & huius compilator Aetius* factâ Lambdoides recisura, cuius lata portio supernè ad palpebræ marginem, cuspis ad malas spectaret: mox excisa labia iuxta partes magis palpebrarum sutura contrahebat: Sed Hipp. nulla expressa excisionis figura, sed excessu tamen, qui peccat ad exscindendum & celeritate, quæ maxime opportuna est notatis, tepidioribus ferramentis particulam inurendam, aut flore æris tosti tenuissimè triti præcipit constringendam. Hæc cum examinat Ioan. Costæus, satius, & compendiosius arbitratur, si sola contentus homo ustione sit, sed vir doctus non inspexit ad id operæ candente opus

Consensus chirurg. Hipp. & Antyli.

Dissensus eorundem.

Io. Costæi sententia reiicitur.

opus esse ferramento, à quo quidem ipso in organi tenuissimi locis vereri timereque maximè videtur Hippocrates.

Aliud huc etiam advertit *Aetius serm. 7. c. 70.* quod suâ se facit utilitate commendabile. Videlicet modus in resecando debet esse: Cæterum enim alterum duorum incommodum eveniat necessum est, vel ut ultra, quam oportet, facta sectio non contegi oculum permittat; vel si citerius actum sit, frustra & ægri supplicium & medici susceptus sit labor. Tertium ego velim observari, quod adnotavit *Gul. Salicetus, l. 5. chirurgiæ cap. 2.* cauterium linguæforme aureum huic operæ commodissimum esse.

CAP. XLI.

De pilis palpebrarum infestis.

MOlestiæ symptomate graves, & odibiles faciunt se pilorum exortus in palpebris: nempe & pungunt assiduè torquentque oculos, & in hos humorum defluxus concitant. Dicitur hæc græcè thirichyasis, id est, infesti pili, quæ bifariam accidit, alias cum nimium per convexa turgentibus & per cava laxatis palpebris ciliares margines sic intro nutant, ut pili non appareant facilè, nisi vi deductis disgregatisque duplicibus extremis, alias cum duplex pilorum ordo ex multa humoris illuvie succreverint, distichiasis hæc ab istis dicta. Huic *Celsus* proponit urendi rationem eam ferè; sublatâ quantum licet per ministri digitos, vel fasciolam, palpebrâ sicut infestos pilos inspicere possit is, qui curat, tum acu ferrea sub extremum latiuscula candente ab utrisque oculi canthis totum palpebræ marginem levissimo transcursu perurat, sic ut emortuas relinquat pilorum radices. Cæterum ab his nil omittat eorum quæ ad dolorem sedandum, inflammationem cavendam, & escharæ casum faciunt. A curatione *Cornelii Paulus* in eo dissentit, quod vulsis forcipe molestis pilis sic cunctorum alueolos tenui calfacto ferramento perurit: quem virum sequitur & *Isaacus l. 9. pract. cap. 79.* instrumento tamen aureo, vel argenteo vel æneo usus. Ab his multo diversam & acerbiorem ustionem proposuit *Albucasis lib. 1. c. 18.* quam apud ipsum volo legas. Porro hac perustus ratione fit, ut densata cute pilis exurgentibus ortus præcludatur.


CAP. XLII.

De encanthi.

ENcanthis *Paulo definiente lib. 3. cap. 22.* naturalis in maiore angulo est caruncula, præter modum excrescens, quod vitii plurimi scriptorum aut medicamentis erodentibus, quorum unus *Aetius est, l. 6. cap. 61.* curarunt, aut sectione quæ duplex est. Altera, quæ fit, tuberculo transfixo per acum filum trahente, & hoc strictè convoluto, mox autem stupido tuberculo resecto, proponit hanc rationem *Aetius eo loco, sequiturque A. Paraus in l. 16. c. 19.* Altera Curatio est *Celsi l. 7. c. 7.* itemque *Pauli l. 7. c. 17.* quorum hic volsella, alter hamulo prehensam carunculam scalpello amputat. Solus *auctor Isagogici c. 18.* candente ferramento tractandam proposuit, ratione haud tamen explicata, quæ me auctore potest esse illa. Aeneo tenuissimo filo comprehensa radicitus caruncula colligetur mox cyathisco ferreo tenui perforato idoneo, qui dimidiatum transversum nucis avellanæ putamen referat, oblongo scapo contentus, carunculam & exertum æneum filum excipiat, ut hoc lenius attracto tuberculum ignito ferramento olivari secundum anterius extremum cavo contangere liberius curanti sit, ferramenti cyathisci figura sit hæc.

Explicata per nos auctoris Isagogici sententia.

Icon.



CAPVT XLIII.

De Rhocade.

DE rhoeadis curatione, cum os nasi subest vitiatum, alibi memini me tradidisse: nunc de illa, quæ ad cariem non pervenit, sed perveniat, fieri potest, cum longè producitur malum. Illud igitur antequam accidat, est prudentis medici consilium maturè succurrere: id quod non fit felicius, quam igne. Per hunc equidem obtigit persanasse quamplurimos: qui sunt R. Sacerdos Andreas Persinus Alexanensis; Studiosus Juris, cuius non hæsit memoriæ nomen; Anna Neptis Tuberii Malphi celebris de re tonsoria deque phlebotome rite recteque peragenda scriptoris: Isabella Riccia Calabra de Confluentio, quam amicè curandam mihi protulerat.

De Aquino genere nedum Illustrissimus, sed & literis ornatissimus Cruculensium Princeps.

CAPVT XLIV.

De rhagade.

ESt hæc rhagas quidem per absumptam in angulo interiore oculi carunculam fluxus inevitabilis lachrymarum, cuius vitii chirurgiam cum perpauci attigerint, *Aetius in lib. 2. ser. 3. c. 88.* exactè ac breviter complexus est, cuius verba sicut & sententia ipsa quidem simplicius fiet si recitemus, quam si inglorio labore mutemus: Collum fascia circumdata constringitur, & vas circa nasum notatur, deinde vas illud scalpro biangulari desiccatur. Deinde spongia oculo imposita cauterium loco apprimitur non usq; ad os, sed ut cutis & sectio solam flammam sentiat. Sit autem cauterium triangulare postea lenticula cum melle adhibetur. Vbi verò pura facta sunt ulcera, oculus disparatus servatur, donec angulus carne purâ fuerit repletus, ut ne concretio fiat.

(o)

CAP.

CAP. XLV.

De aurium obstruente caruncula.

EVenit homini vel à naturalibus vel ab exulceratione postea facta, ut auriculæ externæ concha vel à caruncula, vel à cicatrice oppleatur ita, ut ad surditatem incommodet. Id vitii ubi curare animus est, primum locum specillo premes, qui si non cedit, altè descendere sarcoma monstratur ac tum attingi minimè debet, ne & spe curationis frustretur, medens & nervorum etiam distorsio sequatur. Quod si in vacuum sentitur compressus, licebit & scalpello exscindere & tenuiter adurere ferramento, ni potius collibeat caustico. Vlcus ubi patefactum, moxque purgatum est, iniicienda eò pinna est illita medicamento cicatricem inducente. Ita Celsus *l. 9. cap. 8.* Meminit & huius curationis Constantinus *Afer. chirurg. c. 32.* & huius Dux *Isaacus l. 9. pract. c. 35.*

CAP. XLVI.

De Polypi & Ozænæ ustione.

Polypi duplices. mites & maligni.

POlypi cum sint duplices, benigni, qui molles & lenes, maligni, qui duri omnes & sævi (hos descripsit *Hippocrates 2. de morb.*) consueverunt omnes artis medicæ professores, ut maligni sint, igne tractare. Verum quia difficile ac periculosum est non parum, & loci angustia, & partium habitudine naturali, ne vel errante manu, vel præ metu contrahente se homine quid detrimenti incidat, consultum est, ut fistulæ incurvæ præmissæ interventu candentium ferramentorum fiat administratio. Ad hunc modum Hippocrates & amplius id, quod uno facere ferramento propter impedientem fistulam licere non videbat, multis repetitis candefactis absolvit. Quâ ustione, & ad Ozænas ut *Celsus* ostenderat medendas uti licet. De qua re lege *Ioan. Cæs. Arantium.* Arietatus in hanc sententiam est *Guido Cauliacus tr. 4. do. 2. c. 2.* quod & ratione ferri candentis ferre violentiam non possint homines: nihilominus si celeri manu retrahatur ferrum ut ex Hippocratis sententia docuimus, nil est, quod causaturi sint iidem. Cæteros polypos, qui benigni sunt, non expedit semper ustione curare. Curat etiam *Avic. 4. 1. c. 29. & Ioan. Heurnius sermone isto.* Verum satis erunt cathæretica & corruptoria medicamenta, qualia & nos in pharmaco chirurgico monstravimus, & *hoc lib. 3. ex sententia Petri Bairi sermone de instrumentis ingeniose confictis, & lib. de commodo ad nares medendas instrumento* recensuimus.

Per fistulā immissoi cautere exustio.

CAP. XLVII.

De naso verrucoso.

VErrucosum, id est, qui confertis tuberculis verrucarum modo turget, nasum equidem ignoro num quis è veteribus aut iunioribus curare docuerit. Mihi quidem vidisse licuit eiusmodi, ut tuberosum Caietanum limonium formâ & magnitudine æquaret; succrescit autem hic tumor ex crasso atque effluente exusto sanguine, quem in venis tum capitis, tum corporis universim redundantem ad laxas imbecillasque partes transmittit natura segregatrix. Non autem difficilè nasus excipit, ut qui calidis affectibus non mediocriter patet: quemadmodum in ira, ebrietate, ciborum calidorum atque acrium usu, quales nasturtium, cæpe, allium, & sinapi sunt, & quemadmodum in calidis tum animi tum corporis affectionibus & perturbationibus observare licet. Venæ autem, quæ succum vehunt, tum internæ, tum externæ: ex his verò sunt, quæ in radice, sive in exortu nasi, prope oculorum internos angulos sese perdunt. Hoc noxæ genus medicamentis acribus primum curatum sæpe recurrere visum est, ut in tabellione publico, qui semel curatus rursus recidit omnibus, id est, quæ proventum humoris facientes vitium vel augent vel fovent: tum etiam resectis aut ustis etiam si licet per tenuia ferramenta vasculis, quæ pene oculorum canthos descripsi, apertis quoque interioribus narium ipsarum venulis & omni circa victum provisione constitutâ, tum cauteriis lenticularibus aureis quâcunque tubera nasi se produnt, perurantur; verum æquo semper in cunctis crustulis excitandis impressu, tum ut commodè procurari, tum, quam planissimam atque æquabilem cicatricem recipere possit ulcus, interim verò per ustam partem sollicitè dolorem atque inflammationem præcavens, ea, quæ in chymiatria chirurgica protulimus adversus ambusta memineris admovere.

Nasus in plerisque tum animi tum corporis motionibus facile suscipit.

Si naribus internis verrucæ subsunt, nucleo forme ferramentum vix dum ignitum pertranscursum immittere leni & exercitatâ manu tutissimum ex remediis omnibus videtur.

CAP. XLVIII.

De Sarcomate ac polypo naris internæ.

NAscitur & interiori naso caruncula inutilis inanitate opplens sicut inspiratum præcludat: Quod genus equidem memini me in nosocomio, incurabilibus curandis morbis nuncupato excidisse Juveni Calabro Tabernati, qui è composito Neapolim venerat medendus. Verum pro extirpandis funditus eius vitii fibris ignem ex ferramento baccæ olivæ simili adhibui, sanatusque est homo non amplius quam mense uno, qui nullo medicamentorum genere levatum se senserat. Eam igitur si placet curationem sarcomati narium instituas licet. Expertum se non semel commodum hanc in polypo curationem testatur *Durantes Scacchius l. 3. subsid. medic. cap. 1.* Aliam hanc sed in superiore naso carunculam opplentem ita meatus latè, ut etiam gutturi palatoque incommodaret, & nasitatem faciat, commemoravit *Avicenna, lib. 3. fen. 5. tr. 2. cap. 61.* & deinceps, cuius nos chirurgicam excisionem posterius inter morbos numeri monstrabimus.

Historia.

Hæc

Hæc de polypi, quod ad se attinet, curatione: cæterum, quod ad causam, quod rheuma est, cavendum & providendū est Mesuæi decretum, seu mavis consilium, *in l. 2. sum. 6. c. 5.* ut fiat cauterium, & ille inquit, *in Zahendeg.*

CAP. XLIX.

De occlusis cicatrice naribus.

E Vario exulceratu præsertim aut neglecto aut perperam curato caruncula, quæ vndique se extulit succreta, fit sæpe ut narium meatus occæcati restent non sine respiratus incommodo nec sine morbosi cujuspiam affectus consequuturi formidine. Id è coryza exulcerante in puero decem annos nato vidisse retulit **Ioannes Bauhinus in observationibus**: Idemq; nos cōperimus variolarū ulceribus evenisse. Id evenit filiolæ Francisci Nolæ, medici laudatissimi, quæ non adhuc ablactata interiit. Item Laodomiæ Tastiæ puellæ Neapolitanæ, quam cum Collega Vincentio Lembo medico probato curavimus. Modus autem utendi per ignitum nucleare cauterium aureum, quod transcurrente plus semel manu in utramque narem intrusi, quo ulcere deinde per sua medicamenta soto atque obducto meatus liber mansit & integer perpetuò.

...oria. ...1629.

CAP. L.

De rhagadiis labiorum, laxarumq́ partium & indecora & molestæ sunt & inofficiosæ conspicuæ partis rhagades labiorum.

HVmidioribus autem habitu mollioribus, quales inter cæteros pueri sunt, evenire solent, rhagades labiorum & fissuræ quæ semper cum affatu digno tumore sunt conjunctæ. Hæ difficiles curatu sunt, sicut plerunque redivivæ fiant, quæ visæ fuerant recessisse. Has equidem consuevi oleo, quod chymicè elicitur è sulphure per tenuissimum graphisci cuspidem gossypio molli obductum contingere atque id sæpè satis est. Verum ubi sunt obstinatiores, & intimiore vitio subnixæ rimæ, tum nihil melius aut efficacius fuerit, quàm cultriformi, sed brevi ferramento leviter transcurrendo perurere, quemadmodum Celsus *lib. 7. cap. 9.* & Albucaſ. *lib. 1. cap. 20.* M. *Savanarola tra. 6. c. 6. rub. 8.* & chirurgi posteriores fermè omnes præmonstravēre. Sed *Mesuæus in 2. Grabadin.* exustas has sæpe transversim aureo nummo prætenui curatas ait.

...atain... ...ū oleo ...buris ...orum ri... ...ubus ...radiis ... debe...

CAP. LI.

De labiorum eversa carnulentia itemque nodis.

ILlud aliquando evenit labiis quorundam hominum interioribus, præcipuè verò superiori, ut laxa quædam caruncula transversim dependent, concolor semper, ut liceat conjectari, distentam humore lento esse cutem interiorem labii, tantum impedimenti afferens promptæ loquelæ, quantum expeditæ commotionis tenuis modus ejusdem. De quo vitio non legi equidem è veteribus ullum, qui scripserit, sed ea ratione curare poterit, quæ internæ palpebræ carunculæ detrahendæ tradita est à nobis alibi, vel quæ mea est curatio crebris incisuris interiore parte transuersim, quantum extenditur rumor, scalpelletur, mox acuto tenuique scalpro lenius fervefacto inurantur, fissuræ singulæ. Ita certum est contractum iri labiorum eversam, quàm dixi carnulentiam, licet etiam si videbitur, (fortassis enim ita præstat) transversim totam scalpro rescindere & ferramento planè inurere, Contentus simplici ferro fuit *Petrus Pigræus, qui l. 4. chir. cap. 9.* apprehensum atque constrictum, quod è labio superfluit, duabus assulis ferulacis in rectitudinem æque dolatis, librariorum more rescindit.

Curatio nostra.

CAP. LII.

De ulceribus oris.

VSturam neque os ejusq; partes refugiunt, quin cæteris frustra adhibitis eandem planè desiderare videntur. multò autem maximè cum præseferre corruptionem videntur. Illud enim evenit facile tum naturali loci mollitie, imbecillitate, ossium laxitate, tum perenni excrementorum defluxu, atque incumbente partium humiditate. Itaque **Hippocrates in 2. de morb.** ubi sub lingua vel in palato suppuratum tuberculum vidit, continuo inurit, Itemque *Cornelius* cum ulcus oris cancer invaserit, cognitis manibus aliis medicamentis non tardus est, igne perurere, ita deniq; *Gal. in 6. de cōp. med. sect. loc.* ubi putrescēs in ore ulcus cognoverit, eidem ignis præsidio non parcit.

Sed & fistulas in hisce locis igne curat *Alb. l. 1. c. 21.* adhibitis ad hoc rei congruis ferramentis: ego vero & sub palati convexo fistulam triennè depositæ jam curationis virium Hyppolitæ Brixianæ, Caroli collarii, amictus concinnatoris filiæ, per muliebrem argenteam peronem sive dixeris fibulam igne percalfactam sustuli *A. 1620.* Francisco à Ponte medico præstantissimo, nostræq; scholæ professore literatissimo ac Tyberio Malphio perito artis phlebotomicæ testibus.

Fistulis oris

CAP. LIII.

De Scliro sarcomate gingivarum.

MEminit & multæ circa gingivas excrescentis carnis *Hipp. l. 7. epid.* in Cardia filio Metrodori quæ ignavum quoddam & inutile concrementum est, ex eadem putredinis vi, quā modo memoraverā, & dentium vitio atq; affluxu deniq; crassi terrestrisq;, ut ita dicam, humoris exortū habens, indolens ac durū ita, ut ostraceā carnem, aut æquet aut superet, pruriens etiā interdum, aliquādo vi succi gliscens crebro tubere granulato, velut mali punici nostratis acinis, linguæ loquenti, ciboſq; advolenti, dentibus commandentibus officiens: deformitatē verò externi habitus oris aut buccarū extra faciens molestum omnino viriū, quo pharmacis acrioribus tentato cum nil proficitur, tum etiam plerumque partibus integris, per caustica incōmodatur, excisum scalpris persæpe repullulat. Meminit exscindendi *Constant. Afer chir. c. 34. & huius Dux, Isaacus l. 9. prac. c. 38.* atque è posterioribus novissimè *Pareus l. 7. c. 4.* Quas ob res nil melius, quàm candente ferra-

Ferramenti materia.

ferramento tractare sed aureo, ut placet *Mesuao lib. 2. Grabad summa 8 part. 1. sect. 2. c. 12.* lenticularem vel clavi capituli formam referente extremo. leviter quidem, mox audacius, secundo aut tertio vis ignis imprimetur, donec explanatum atq; exæquatum videris locū, interim medicamentis, quæ crustam retorridam lente exterant & dissolventibus aliis uteris. Ad hunc modum equidem excrescenti canino denti carunculam sustulisse memini Victoriæ Pyrrhoniæ Nobili fœminæ Neapolitanæ, nec non Ioannis Antonii Fuscii Tonsoris filiæ impuberi atq; aliis quibusdam. Sed ii quidem inter omnes sunt maximè memorandi, quorū affectus pro carcinomatis existimati fuerunt à cacochirurgis nostris quibusdam fama nobilibus: Ioannem inquam Baptistam octennem puerū Andreæ Piscicelli viri patricii filium & Victoriam Antonii Conradi Sartoris Neapolitani decennem filiam, quibus utrisq; ex vitioso dentium, huic quidem molaris illi verò canini exortu, sarcoma ligulæ simile, turpe nimirum & ori permolestum alueolis exertum huc illuc sese projectabat. E majoribus vero natu grandioribusq; curatum est hoc vitiū hac ratione uxori Michaelis Angeli Pinti, & Francisco Formosano Rhetino, cujus hominis alias credo meminisse. Et observatio hujus rei præclara apud *Iac. Hollerium nota, 26.* est, & *Albucasis* qui excisionis administratum exposuit, *chir. lib. 2. ca. 26.* E junioribus vero *Ambrosius Paraeus* epulidem vocatum, hoc genus & linę adstringit, & sectam ferramento candente inurit, *lib 7. c. 4.* omnibus autem modis, ut exscindenda caruncula sit memineris haud differendam exsectionem antequam vitium se propaget, maturè & providè moliendā. Adsuescens enim in dies tuberculum, plerumque dentes illata vi aperit, non aliter, quàm durorum lignorum robora cuneus aut in muris accrescens ficus ædificia. Illud detrimēti expertus est Vincentius Mazæus Neapolitanus vir nobilis, qui cum sarcoma nucis primum avellanæ magnitudine diu gestasset dētes incisorios occupans, mox in juglandis molē excrescens, nil demum adjuvante excisione, dētes illi duos molares excussit.

Historia.

Observatio

Historia.

CAP. LIV.

De sarcomate verrucoso linguæ.

Francofordiensi civi cuidam spongia carnosa in lingua enata, & necessaria artis providentia minimè compressa in eam magnitudinē excreverat, ut totum os & fauces compleret sic, ut dormientem hominem tandem suffocarit: Id nō evenisset arbitratur *V. Hennerus*, qui rem à se cōpertam prodidit *apud Schenckium*, si quidem opportunam post sectionem ustio adhibita fuisset. Hoc ejus viri decreto edocti nos aliorum periculo, & experimento, si quid ejusmodi se obtulerit, non lenti quidem fuerimus, artis uti pręsidio deliberato.

CAP LV.

De vinculo linguæ loquelam impediente.

Linguæ vinculum, quod loquutionem impedit, ut plurimum omnes exsectione solvunt. Verum ignis excludendus non est, imò & amplectendus ejusdem usus, propterea quod coalitum non permittit.

Rectè igitur *Lanfrancus chirurgus* aureo ignito scalpro rem conficit, quē consule *chir. maior. doctr. 3 tr. 3. c. 4.* nos autem hanc primum administrationem exequuti sumus in nobili Juris Vtriusque Professore Carolo Crispo Hipponiata nō infeliciter.

CAP. LVI.

De Batrachio, Ranula vulgo dicta.

Loquelæ nonnullum impedimentum est batrachium, seu ranula, tuberculum membranosum atque fibrosum, plerumq; aquaso humore plenum, quandoq; viscida pituita refertum, quod excrescit per sæpe adeo ut os compleat, & ægrum multis modis molestet. Est quidem, ubi ex humore teteriore genitum, fuscum aut nigrū colore, duritie verò lapideum sic veluti cancer, quod genus cavebis attrectare ferro, vel acri aliquo medicamine. Si nihil horum sit, sed molle & cedens tactui cujus generis est id, quod supra meminimus, tale quidem *Albucas.* frigente ferramento amputat adunco hamo prehensum, sed ne redeat fibris relictis, satius opinatus est *Ambrosius Paraus*, candenti acuto ferramento discindere, itemque urere efficacior hæc indubiè medicina est, quam & in pueris factitandam docet *Mercurialis tr. 2. de morb. puer. c. 13.* & in omnibus promiscuè hominibus *Roderus à Fonseca con. 96. to. 2.* & ante hos omnes *Alsaravius, in oper. medic. tract. 9. c. 8.* Hæc vulgaris ranulæ curatio est. Cæterum aliam & magnitudine & loco, & contentis, & generatione diversam à se primum observatam & adversam profitetur, *Gabriel Fallopius in tract. de tumor. partium*, cujus chirurgiam apud eundem lege.

Ranula [illegible] quæ fer[ro] caustico [ve] non tang[en]da.

CAP. LVII.

De carunculis & verrucis palato obnascentibus.

Equidem observatione comperi sub intimū palatum ortum carneum concrementum adolescenti cuidam rheumatico, cui polypus è naribus erumpebat, similem quoq; sed quinq; librarum carnem è colatorio faucium loco extractam meminit *Avicen. referente Vigone in cons. 28.* Gignuntur etiam & ejusmodi eruptiones venereum affectum luentibus, quos rectissimè ficolos appellat *Levinus Lemnius, in opere nimirum de occultis naturæ miraculis.* Citra hæc autem & ob alios ostendisse has carunculas, videatur *Fel. Platerus in observationibus.* Carunculam ejusmodi filo serico seuato per acum benè longum, postremā parte incurvam, & cuspide tenus pertusa ducto, constringam, sicq; prima opera concrementum carnis non abstulerit secundam & tertiam repetendam docemur *observatione Iacobi Hollerii 4.* Verum enimvero tædiosa hæc opera tū medico qui tractat, tum etiam ei qui tractatur, nec semper facilis ut ne dicam felix, ob id expeditius & simplicius, rectiusque fuerit, quod *l. 2. de morbis*, in tuberculo palato nuper à nobis expenso præmonstravit

præmonstravit Hippocrates, inuri ferro vitium eò maximè, quod ad corruptionem plerumq; transmigrat, quemadmodum non admodum ab hinc longè *cap. de ulceribus oris* ostendimus.

CAP. LVIII.

De Scirrho oris interni.

SCirrhos oris ustione curandos & *Amatus Lusitanus Cur. 99. cent. 5. & prior Albucasis lib. 2. chir. c. 36.* præclaris observationibus docuerunt. Caustico realgaris præparato Alcolam hanc vocatam domari prodidit *Theophrastus Paracelsus*, *Operæ chir. parvæ tract. de apostem. c. 18.* Omnibus autem modis comprimendus, opportunè tumor est, ne spiritus vias occupet & interficiat.

CAP. LIX.

De tuberculo molli ad palatum subnato.

HIppocrates *in 2. de morb. c. quem numerant. 60.* sub palatum ortum tuberculum: Jam autem ubi tuberculum inussit; ferro candente inurit & continuò detersâ sanie per aquam calidam intratam, mox ex vino passam uvam albam, exacinatam, ad astringendum immittit ulceri, quod sæpius usq; dum sanescat, vino meraco tepido lavat. Ita quidem is, apparet autem planè suppuratorium hoc esse phyma, quod tractat hic auctor.

CAP. LX.

De laxata Columella.


ET integram quoq; columellam, cùm laxatam adstringere nequiit, omnis & victus & medicamenti ratio, postremo ignis præsidio coërcemus, edocti inter cæteros à *Ioanne Plateario antiquissimæ scholæ Salernitanæ non indigno alumno, qui in pract. method. tr. de ægritud. spiritual. ca. 1. quod inscriptum est de uvæ laxatione scripsit ipsa hæc.* His omnibus nil proficientibus coquatur, (uva) nummo aureo fervente imposito instrumento idoneo, ita ut extremitas uvæ jaceat super aurum: Ita quidem is citra præsectionem, cæterum etiam præscindi columellam auro candente licere meminit *Alexander Benedictus*, *lib. 8. de curand. morb. c. 5.*

CAP. LXI.

De uva corrupta aut putri.

PUtrem aut semiputrem uvam gargareonem aliâs dictum imminens pharyngis plectrum ustione tractandam necessariâ docuerunt *& Paulus lib. 6. c. 31. & Avicenna lib. 3. fen. 7. ca. 21. & Razes l. 9. rei medicæ ca. 47. & Ioannes Mesvæus lib. 2. Grabad. cap. de uva inscripto.* Ratio autem urendi re est, ut fistulæ longioris extremum, quod ita recurvum sit, ut ne amplius minusve quàm corruptæ uvæ partem possit accipere: ad uvam applicatur, deinde per id cavum idoneum instrumentum acutum immittitur candens, quod vitium rescindere atque adurere simul queat.

Ita quidem ex hoc autore rem proposuit *Ioannes Costæus, l. 2. de ign. met. præs. c. 28.* nihilominus aliter operationem atque instrumentum interpretatur *Guido Cauliacensis, tract. 6. doct. 2. ca. 2. p. 5.* nec non *Ambrosius Paræus l. 7. c. 7.* cuius utriusque viri hæc est sententia, sit prope cæcum extremum fistula rotundo schemate, fenestrata, quanto sc. osculo justè recipere possit uvam, quod cùm administrans applicaveris, per cavum organum scalpri-formi ferramento candente demisso occurrentem uvam perurens discindes, formam autem instrumentorum accipe qualem apposita pictura exhibet.



Meminit & huius ustorii ferramenti Nicolaus Florentinus *ser. 7. tract. 3. sum. 2. c. 29.* Eâdem ratione exurit per causticum medicamentũ, si hoc ex xylo ad penicillum inducto per fistulam transmittatur, *Petrus ab Argelata l. 5. tr. 10. c. 2.*

CAP. LXII.

De aphtha maligna & herpetica linguæ atque oris.

EX pustula biliosorum salsorumq; succorum germine ad linguæ particulas varias oborto, interdum ulcus [aphthe Græcis] sc. incensionis aut ustionis affectus, alchola verò Ærabes dixêre; malignum adeò, ut herpetis modo partem exedat, & erodat, enascitur, quòd, cùm medicamentorum reprimentium vi multâ castigare ne quidquam fueris conatus; ultimum ignis est præsidium, cui fructuosè confidere possis: ad quam rẽ animaverit te magnopere *Io. Arculanus in tom. ad 9. Razæ ad Mansorem c. 53.*

CAP. LXIII.

De carbunculo faucium & de pestilentiali eodem vitio.

CArbunculus qui in fauces incidit subitò spiritum sæpè elidit, ut *Cornel. Celsus asserit l. 5. rei medicæ c. 28.* putrido nimirum ac venefico spiritu vicinum vitæ fontem impetente, & coinquinante, huic igitur tam mortifero fomiti, nonnulli per arsenicum peculiariter occurrunt: Ex his *Balduinus Ronseus in illo ad Celsum comm.* qui medicamenta ritè vult prius intentanda. Rectius hoc viro sentiit *Hieronymus Rubeus, qui in eiusdem l. commentariis, sectione 10.* in carbunculis etiamnum igniferam chirurgorum operam comprobavit eventu felicem, neq; fidendum est, inquit, unguentis causticis, quia hæc parvam escharam, eamque superficietenus facientia, carbunculorum radicem, planè veneficam, quæ plerunque ægros interficit, minimè attingunt, ne dum tollunt. Nobis igitur, si Celsum audimus atque efficaciter mederi volumus, nil melius esto, quam protinus adurere, nempe, ait, neque grave id est, nam non sentit, quoniam est caro mortua, finisq; adurendi est, dum ex omni parte sensus doloris, est. Ita quidem de communis notæ carbunculo privato.

Cæterum & pestilentialem alterum sive fauces


apprehenderit, qualem ab anno 1620. ad 1629. usque luerunt in ditione Neapolitana potissimè pueri, nullo melius caustico curare, quàm igne, suaserunt idem *Celsus*, & *Fallopius*, & *Petrus à Tussignano*, ut alibi notavi. Unum nos docuit, *I. Cæsar Arantius, in l. de tumor. p. n. ca. 30.* quoniam effusio sanguinis virulenti, malum elevat non parum, ante quidem execandum, mox urendum esse carbunculum, meminit & carbonis igne curandi Q. Serenus in Hexametra medicina, hisce versibus:

Tertia namque Titi simul & centesima Civi
Charta docet ferro talem candente dolorem
Exectum.

CAP. LXIV.

De Tonsillis.

IN paristhmiis tonsillæ solent excrescere, sæpe turpibus eminentiis, ex viscoso, lentoque humore putrescente creatæ, sive vi syphilidis, gallici dicti morbi, sive rheumatis, sive pestilentis causæ cuiuspiam, postremi generis tonsillæ multis jam annis à M. DC. XX. ad usq; M. DC. XLI. longe lateque ditionem omnem Neapolitanam diu agatæ, pueros præsertim, sed & homines adultos quoque miserè perdiderunt, affectu quodam veluti strangulatorio, de qua re quam doctissimè Jo. Baptista Carnevalis, præclarissimi viri Tyberii dignus ex fratre nepos, peculiari volumine, disseruit. Ego hic & Petrus Afflisius, in Calabris quam plurimos servavimus, tum excisione solâ, siquidem angusto stipite extabant amygdalæ; tum si lata efferebantur basi, ferramento candente, defendente palatum lamina vel tubulo inussimus, uti plerumque aureo cautere, quam ferramenti materiam præcipuè commendavit *Ludovicus Mercatus, cons. suarum 24.* qui tamen, cum minus ignitum requirit, id vult, quod non admodum probo, nimirum quantum est satis ad abolendum vitium, unusquisque cognoscit. Cæteri verò generis si exili sunt exortu, si rotundæ, molliusculæ, coloris albidioris prehensæ per hamulum, depressâ linguâ, sunt resecandę per scalprum recuruum, quale secus hâc ipsa pagella depictum vides.



Ita ferè *Albucas. chirurg. par. 2. c. 36. nec non Cornelius Celsus in l. 5. rei medicæ c. 28. & Gal. lib. Isagogico c. 18. Avicenna, l. 3 f. 9. tr. 1. c. 15. & Mesvæus l. 2. Grabadin. c. 4. & Arnaldus Villanovanus, l. 1. Breviarii c. 19.*

CAPUT LXV.

De strumis.

COnsentaneum rationi fuerit si strumas alioqui discussu contumaces ipso tractaverimus igne; qui super omnia concoquit & exhaurit. Auctore autem ad hanc rem utemur tum *Aëtio l. 15. c. 5. tum Albucasi lib. 1. c. 24.* qui ferramentis utitur fistularibus, quanta sc. ad amplectandá strumarum corpora congruant: sed utroque extremo pervia, ut cum ignitum alterum strumis impositum fuerit, per alterum elatus fumus expiret. Cùm autem remedii vehementiam atque atrociam sub hisce locis, nervosis venisque & arteriis irriguis adhibendi mirentur nonnulli, cogitare quidem me auctore debebunt, ad deterrimas & cacoethas strumas id præsidii probatum esse: nimirum quas melancholicus humor fovet, adversus quem nil medicamentorum tamen unquam valebit, ut non à vitio veluti contemnatur.

Ad eos q[ui] gravium hoc præsidium, qu[od] ut strumi[s] adhibena[um] sit dicunt.

CAP. LXVI.

De Lichene.

LIchen inter herpetem & phagedænam medium vitium interdum adeò sevire compertum est, ut omni medicamento sit potius: Cuius primùm quidem genam, mox oculum, & intimas nares, depopulati vi & infrenabili furore præceptum Corentię Mauritium de Franco, non ignobilem physiatrum, si chirurgiam unquam novisset; in physico chirurgici libri fine, retulimus. Non abs re igitur eidem Neapoli nos consulenti suasimus, ut aut scalprum aut ignem pati vellet, sed ipse teneritudinis & contumaciæ suæ jam pænas persoluit.

Debuisset autem in persuasionem valuisse exemplum *Plinii qui lib. 26. cap. 1.* prodidit mentagram lichenis speciem, quæ sub Tiberii Claudii Principatu extitit caustici curari sibi permisisse Quirites, nec nisi usque in ossa corpus exustum esset, non rebellante tædio. Jam verò caustica, quæ nominat hic auctor actuosa sint oportet, quę ossa usque perurant. Ita autem mecum & *Hiacynthus ab Alpherio i. de peste sentiit.*

CAP. LXVII.

De ustione vitiatarum costarum.

VItiatis costis bifariam succurritur excisione atque ustione, utriusque curationes selectiores ex his, quas aliquando fecimus, narrabo. Francisco Albertino viro Ill. atq; in armis & peregrinatione terrarum exercitato, duos jam annos erat fistula sub costas inferiores, in cava thoracis penetrans, cum qua præter hypersarcosin amplum pectoris tumorem & circum amplexam inflammationem coniuncta febris erat assidua, nec non vigiliæ doloresque laterum acerbissimi. Huic ob oblatis purgationibus corporis, ac decoctis à præstantissimo nostræ urbis medico Stephano à Rinaldis, nullum erat levamen, propterea quod alto sub thorace stagnabat sanies. Huic igitur ego parans affluxum, & sectionem feci sub costa, & hanc alte vitiatam exscindi forcipe. Ex quo tempore & promptè prodire saniem, & in dies exhauriri visa est. Ex quo & melius habere homo, vires recipere febremq; & dolores deponere cæpit, ita ut aliquot post menses & ossis frustula abscedere, & oppleri carne ulcus, & obduci vix expectantes vidimus.

Historia[e]

Haud aliter Franciscus Petrominus Aversanus, spectatæ fidei vir, ex fistula, post malè curatum

vulnus sub sexta costa, jam annuum protracta per me curatus & sanatus est, rem cognoscentibus urbis Aversanæ Medicis præclarissimis, inter cæteros Stephano Aurineto & collega suo chirurgo exercitato Bernardino Selicto. Tertius ex his est Julius à Paulo, Oppidi Rotundi civis, qui ex diuturna fistula sub septima costa post vulnus igneo tormento inflictum dolore latens, & angustiâ thoracis ac spiritus mirum in modum torquebatur. Quam ob rem è Calabris ad nos, quos fama audiverant multa istorum feliciter transmisêre provinciales medici; cui ego manus admoliens proviso ante per expurgationem corpore, primum ampliavi vulnus, amplè secans super costa, & hanc postridie vitiatam apparentem diffregi sic, ut omne alienum eximeretur. Sub his carneus fungus & medicamentis & forfice detractus est, ut mundum ulcus maneret, derasâ per scalprum costâ.

Ad hæc autem, quæ de vitiatis costis memorata fuêre, non committam etiam, ut quæ *ab Aurelio* proposita est, chirurgia prætereatur: Solent (*inquit hic lib. 7. cap. 4.*) inter costas fistulæ subter exire: quod ibi incidit, eo loco costa ab utraque parte descindenda, atque eximenda est, ne quid intus corruptum relinquatur. Animadvertit in hanc Celsi operam *Hieron. Fabritius l. oper. chir. c. de thor. fistulis*, veluti periculosam atque atrocem, alterâ propositâ, quæ per lini transmissum est, acu per fistulam ducente, & ulceris inferiorem sinum perforante, quâ ratione inquit, ulcere sinuque puro jam reddito solet carne impleri, aut glutinari.

[Ce]lsus de[fen]sus ab [Aqu]apen[dent]is ca[lum]nia.

Quæ cum dicit Aquapendens non videt quam falsò arguit costâ corruptâ, per Celsum suppositâ, & constitutâ.

CAPUT LXVIII.

De œdematoso quodam carpi & metacarpi tumore.

HUmidioribus & corrupti habitus hominibus, evenire solet œdematosus quidam tumor circa carpum, & metacarpum, quæ inflatio carnea & phlegmatica à *Guidone Cauliaco dicta est tr. 2. do. c. 4.* meminit autem & pseudochiragram à popularibus suæ gentis vocari. Huius vitii duas idem autor species fecit. Altera quoniam naturalis (congenita equidem Hippocratæa voce interpretor) & diu confirmata, insanabilis est. Altera sanabilis quidem suâ naturâ, sed cum contumax est, extremum ignem desiderat. Cuius quidem administratio per scissorium (cultellare vocant) ferramentum, secundum ossium metacarpi processum esse debet. Hæc quidem Guidonis chirurgia fortasse nonnullis insolens atque atrocior videbitur. Veruntamen novi hominem Neapoli hæc diu passum, qui per valentissima pharmaca, id est, decocta sparti parilis Indi, sudorifera, absorbentia, extrinsecus, epithemata & emplastra per usum denique arenarum Pythecussarum à doctissimis viris proposita curari non potuit, cessuro certè morbo, sicut arbitror, ustioni, si hæc adhibita fuisset.

[Dua]i species [huius] modi.

[Ign]is ad[m]inistratio.

[Hi]storia. [...]1628.

CAPUT LXIX.

De digitis coalitu cohærentibus.

FIt interdum, ut sive naturæ formantis errato, sive ulceris perperam curati vitio, sive ambustus violenti contractione coalitos & conglutinatos manuum digitos exolvendos nobis offeranthi, quibus & firmior in scalpro animus & maior integritatis naturalis sollicitudo est; quam operam tribus absolvere rationibus licet; acie ferri, igne, caustico: quorum singulorum hæc est electio. Dissectio simplicior & paratior est, his digitis, qui paucissimo interstitu, quique ambustu cohærent, accommodata. Ignitus contra culter his, qui latiore panniculo continentur, magis debetur; nimirum deterit & absumit perpetuò plusquam offenderat ignis, itemque causticum. Sed hoc utrisque optatius erit angusti demissiq; animi hominibus, mulierculis & pueris. Quod genus citius unumquodque perpeti, quam tristia atque terrifica subire consuevere. Universim autem scalpello diducit *Celsus l. 7. c. 32.* Quoniam igitur ferri & ignis administratio facilior planiorque est; de pyrotico peculiariter dicam. Principio filum canapinum mediocris tenuitatis in lixivio calcis & cineris primò quod capitellum à capillis inficiendis dixêre vulgo, decoquitur; quod vase exemptum marmori instratum eodem lixivio crebro affuso plus horâ madefaciendum est. Filum igitur sic præparatum imponitur infra supraque manum interstitio digitorum solvendorum, vel annulo carpi ligneo ad alligatum atque distentum accommodabitur ita, ut pressè adhæreat particulæ resolvendæ partibus ullis integris non incommodans. Hæc ratio nisi perplacet, per victulam tenuissimam intinctum imponi licebit oleum nostrum acerrimum, quale parandum in pharmaco-chirurgico docuimus. Hæ sunt rationes exscindendi per filum. Cæterum ubi expediat aut libeat igne uti, defendenda interim est pars aliquo cataplasmate, sed cimolia vel argilla mollis super omnia satisfacit, munita.

Cæterum ad experimenta nostra quod attinet, nos adjumentum utrumque ferri probavimus usu commodum in compluribus; Matthiæ quidem Rainono Beneventano, atque adolescenti cuidam in nosocomio Incurabilium medium ab annulari digitum per scalprum acutum; Caietano verò cuidam Ephœbo Jurisprudentis studioso medium ab indice per cauteriolum tenue resolvi junior, & vix dum abjectis tyrociniis nullo præmonstrante germanam chirurgiam subodoratus.

Historia.

CAP. LXX.

De Paronychio.

PAronychium atrox interdum, & calamitosum est vitium, id quod evenit primum tum privatâ & propriâ eiusdem cacoëthia, tum adjuvante pravâ habitus corporis aut partis alicuius principis constitutione. Nascitur enim plerumque huiusmodi, quos modo dixi, viris ac fœminis sæpius, atque effœtâ ætate utrisque. Deinde quod humore munitũ est maligno ac prope venenato.

Paronychiũ interdum magni momenti vitium tum sua ipsius nat. tum corporis. Malignitatis causa.

3. quod partes apprehendit maximè sentientes, exangues, atque imbecilles, propterea quod longe distant à fonte caloris; Eiusmodi sunt periostium, nervi, membranæ circa digitos consistentes. Utcunque tam magna vis est eiusdem, ut etiam os attingat, atq; (quod multi difficili quidem opinione volunt) inde pravitas exoriatur & dictis modo partibus communicetur.

Vstio necessaria sub osse putri. Si igitur corruptum os est, & putredo in digitum serpit, protinus adustio per candens ferramentum necessaria. Ita enim *Albucasis l. 2. cap. 9. Avicenna 47. tr. 4. c. isto. & Guido Cauliacensis & Nicolaus Florentinus serm. 7. tract 5. sum. 2. cap. 62.* decrevêre. Discrepat ab his *Ioannes à Vigo*, vir in chirurgica palæstra exercitatissimus, qui non vitiato jam osse, sed ne vitietur, ignis prohibitorio beneficio utendum dicit. Utrumque sit ustorium præsidium parony chio maligno competens ex his apparet.

Nostrum decretum. Interim (ut nostram hac de re sententiam habeas) sequendus *Ioannes à Vigo Ianuensis* deliberatè videtur, quod probabile non sit in eo tumore tam properè durius alioquin os contabuisse, nisi tamen illud *Ambr. Paræi* admittatur, primum vitii exortum ab osse ipso fuisse; quæ res multo difficilior ac factu durior videtur, quàm prædicta. Quid enim unguis potius non ossis vitium hoc dictum sit? Post hos viros simplici id est citra dissectum ad os usq; sectione contentus fuit *Petrus Pigræus l. 2. chir. c. 21.*

CAP. LXXI.

De Vnguium pterygio.

PTerygium, quod absolutè sumptum ab alarum exporrectarum similitudine, incrementum præter naturam est partis, alias agnatæ oculi tunicæ vitium fecimus, nunc digitorum, potissimum pollicum secus ungues exulceratorum est hypersarcosis, sive ex pedum offensione, sive ex rediviva neglecta & ab inflammatione in pus conversa profecta. Nimirum acris, putrisve materia diu fota intus, & non excussa, & radicem unguis exedit, & unguem ne dum ipsum, sed & os conterit, unde & odor gravis, & extremi digiti tumor ac livor. Ad summam pterygium circa ungues ex genere nomarum est, id est ulcerum, quæ naturâ depascuntur: quare nisi ad ustum non subsidet ait *Paulus l. 6. c. 85.*

CAPVT LXXII.

De Exomphalo, sive umbilico prolapso.

UMbilicus prominens per plures variasq; causas agnoscit materias, videlicet intrinsecus irrumpentes, ita ut vinculum nodumque umbilici diducant & foras impellant, quæ sunt intestinum, omentum, humor, spiritus atque hæc, tum per se simplicia, tum composita: suam singulorum curationem proponit *Cel. l. 7. c. 14.* ubi verò intestinum aut omentum, aut utrumque aut humor delinquit, communem hanc curandi rationem tradidit ferè; spiritum homo curandus contineat, ut tumor quantus maximus esse potest se ostendat, cum imam basin eius atramento notare debes, resupinateque homine digitis tumorem eum primere, ut si quid delapsum est manu cogatur. Post hæc umbilicum attrahere & ubi nota atramenti est lino vehementer adstringere, deinde partem superiorem aut medicamentis aut ferro adurere, donec emoriatur, atque ut cætera usta ulcus nutrire. Hæc ille cætera omnia usque ad finem capitis apud eundem docta sunt de administranda chirurgia, quæ & à *Ioanne Costæo eodem hoc ipso loco*, & à *Durante Scacchio viro exercitatissimo lib. 3. subsid. medic. cap. 10.* disertè leges enarrata. Meminit, & usturæ exomphali *Razes in tr. de mor. puer.* qui in circuitu plures inducendas crustas præcipit.

CAP. LXXIII.

De hernia inguinis, græcè bubonocele.

HErnias quascunque, reductis in suum locis intestinis, ignis ex contractura restituit: quod brevibus indicavit *Vidius lib. 4. chir. cap. 4. Paulus igitur Aegineta lib. 6. c. 66.* curandæ per usturam bubonoceles rationem hanc proposuit. Primum nudo inguine violentius exuflit homo, tum fines extumescentis inguinis notantur atramento trianguli figura, sic ut transversa lateri linea superior ponatur, reliquæ duæ ad angulum infra concurrant. Punctum etiam intra hanc figuram notatur, tum resupinato homine, qui tractatur. Primum notatum interea triangulum punctum inuritur cautere clavato deinde latera trianguli ferramento quod Γ græcæ literæ figuram refert. Postremo lateratis & lenticulatis cauteribus totum triangulum exæquat, impressa semper vi sic, ut adeps attingatur. Postquam emanans sanies extersa est, sal cum porro tritum imponitur, & idoneo vinculo pars deligatur. Ex Arabibus huius rei meminit & *Haliabbas pract. cap. 3. & Io. Damascenus lib. 7. cap. 16. & Albucas. lib. 1. cap. 47. & Avicenna lib. 3. fen. 22. tr. 1. cap. 5.*

CAPVT LXXIV.

De glandulis ulcerato bubone extuberantibus.

VIsitur interdum syphilius bubo glandulis fœtus ita multis, ut ovarium ferè referat gallinæ: quæ faciunt, ut vel excellentibus quibuslibet adhibitis medicamentis, atque etiam sic, ut ad strumas inductis causticis valentioribus, ad huc & rescissu per scalpros facto, revivifcant tamen adenes, & nunquam exiccari aut coalescere possit ulcus: quin etiam hoc plerumque serpit atque hominem in discrimen adducit vitæ. Quas ob causas admoneri nos ab extremo malo videmur, ut extremum item admoveamus præsidium, quod est ignis. Ita rescissis quasi fibris & exarescit plantæ modo vitium, & coalitum haud lentum quidem capessit. *Experimenta.* Ad hunc equidem modum memini quàm plurimos in nostro nosocomio curatos, qui nullis fuerant medicamentis adiuti; ferramenta autem si requiris, quæ ad hoc opus

opus usui sunt, partim nucleiformia, partim etiam calva, pro vario locorum habitu, statuq; necessaria scies.

CAP. LXXV.

De hernia ex intestino aut omento prolapsis.

CUrationem omenti vel intestini prolapsi per ustionem descripsit *Albucas. l. 2. c. 47.* ad hunc ferè modum, homine qui curatur, pridie inediam passo, aut mane si pastus pridie fuerit, aluo per clysterem exinanitâ, spiritumque retento donec omnis omenti vel intestini portio descenderit, tum extumescens locus atramento circumnotetur, quemadmodum & in bubonocele præcepimus & candens ferramentum semi circuli figura, quæ ambitu tumoris respondeat, dum spiritum æger attraxerit & minister prælapsam partem introduxerit & jam detineat, imprimes ad locum nudatum, detinebis verò usque dum os pubis nudatum senseris: Quòd si non licuerit fecisse semel, iterum aggredieris, ut rem perficias. Chirurgiam hanc difficilem, ac terrificam caventibus non multis, nihilominus *Arnoldus l. 1. breviar. cap. 20. Theodoricus, Guido, & Bartholomæus Montagnena. M. Gatinaria*, celebres omnes experientiâ medici, nostro sæculo, superiores, *Hier. item Cardanus in comm. aph. 27. l. 8.* caustico rem agunt, toties medicamenti impositum repetentes, dum ad os pubis fuerit perventum; nempe citerius agendo cassam operam feceris. Administrationem & curationum eventum enucleatè disces ab *A. Paræo l. 7. c. 16. & à F. Platero, tom. 3. prax. tit. de part. procidentia. pag. 620.* quam & exercitatus Chirurgus *Gabriel Febrarius l. 1. chirur. c. 38.* exposuit.


[margin: ...rminus ...ionis.]

CAP. LXXVI.

De hydroceles sive herniæ aquosæ ustione.

GRavissimus affectus est hydrocele sive aquosa hernia, atque eo etiam peior, quod excusso semel humore recidivam recipit. Opinanter omnes vulgò medentes id evenire, quod refundit rursus superior fons materiam. Admitto id quidem nonnunquam, sed causa est plerumq; quòd ab effectu vitiata ac labefactata loca novum ipsa ex male concocto aggeratoque alimento, superfluum humorem gignunt. Interdum etiam mucosa pituita, quæ cum tenui, qui prodierat, ichore commiscebatur, residua, & humoris crudi denuo gignendi fit fomes. 3. causa est, quod plerumque cysti continetur humor, quod indicavit aperte *Galenus l. Isagog. c. 28.* atque è nostris novissimè *Ambros. Paræus. l. 6. c. 18.* Itaq; non benè mundatis hisce locis difficile atq; impossibile sit, non evenire continuos labis novæ proventus. Quas ob causas *Paulo* velim non imputetur, vel nobis alioqui mirum non sit, quod sæviorem hic nobis tradiderit eius mali curationem, *Aeginetam*; subindeque *Isaacus Israelita, qui 9. lib. pract. cap. 53. & 87.* virum illum est imitatus. Nimirum vetustis & reciduis hydrocelis dictata videtur, eiusmodi curatio, quam sic proponit *l. 6. c. 67.* decem aut duodecim ferramentis literam græcorum Γ imitantibus, & duobus gladiolis primum scrotum ferro enim referenti, per medium aduremus, cultelli autem aut cæco hamo membranas excoriantes (ferramento ensi simili) has ceu præcidentes aduremus. Nudata verò tunica erytroide, facilè autem, cum alba & tenuis existat, cognoscitur, acie ferramenti instar Γ literæ facti perurentes humorem excernentes, postea totam ipsam detectâ hamulis attollentes ferramento gladiolo simili afferemus. Hæc Paulus: nos ad hunc modum mederi consuevimus. Hominem in opaco conclavi ad cerei lumen ex adverso locatum cubare jubemus; sic quam transparentem aquam perspicimus, instrumentis duplicibus, id est, defensoriis & perforatoriis, qualia secus appicta tabella monstrat, candentibus totam effundi curamus.

[margin: ...lsa quo- ...ndam ...minum ...inio. Causa. — 2. — 3.]



His cum Joanne Germano chirurgo experientissimo Ugonis Doctoris Medici Provincialis filio. Sumus aliquando usi in Fr. Antonio à Castello Maris Franciscano è minimis, aliâs etiam ego accersitus solus in Jo Baptista Plutentino Tarentino cive patricio. Hæc simplex quidem sectio est. Cæterum ut attractum medium testium interstitium pertundant, ac transadigatur ferrum in adversam partem, cum setaceo simul transuito, secundum *Razem tr. 1. divis. c. 101.* Meminerunt autem & ustionis *Aëtius l. 4. ser. 2. c. 22. Avic. lib. 3. fen. 22. tr. 1. c. 6. Damasc. l. 6. c. 16.* atque è junioribus *Io. Andreas à Cruce officin. chirurg. p. 21.* Addes ad hæc observationem, quam proposuit *Durantes Scacchius chirurgus*, ut apponit è nuperis exercitatissimus, *l. 3. subsid. medicinæ* descriptam his verbis. Contingit interdum, ut eadem aquositas descendat per alterum dydimum, & transcoletur in primo loco. Quare fui coactus interdum, ne aqua alium locum occuparet devenire ad alteram operationem, adurendo totam bursam circulariter in tribus locis ferro lunato, ut corrugaretur Scrotum, nec amplius tumeret, cum hac tamen cautela ne testis oblædatur.

[margin: Historia. An. 1624. Oct. An. 1627. Sept.]

CAP. LXXVII.

De Sarcocele sive hernia carnosa.

TOphaceam hanc herniam vocavit **Durantes** *Scacchius, in l. 3. subsid. medic. c. 8.* credo equidem, spectata duritie, quam tophis similem præ se fert compressum scrotum. Facilè autem huic viro equidem assentior, qui per apostemodem huius vitii diruptum vidi testem homini cuipiam alto quodam albo concremento sic obductum, ut eius extima facies ovum gallinæ referret. Natum hoc tuberis vel sponte à latente vitio partis, vel à suppressa gonorrhæa fa[illegible], vel ab ictu molestum

ſtum eſt ſic, ut non diſſimulabiles facilè dolores prægravantes & ſcroti totius & renum perpetuos inferat. Eam ob cauſam chirurgiæ ſubjicie iuſmodi morbum expedit, quam chirurgiam ſic inſtituit *Durantes Scacchius in l. 3. ſubſid. medic. c. 8.* translatam *ex Paulo Aegineta l. 6. c. 64. & Cornel. Celſi l. 7. cap. 23.* Homine ſupino poſito ac probè deligato ſic, ut ſeſe movere atque operam impedire nequeat; locus ante atramento notatus à ſummo ad imum inſecetur ſic, ut tota oſtracedo veniat in conſpectum, tum hæc acuto ſcalpro vel unguibus, ſi ſatis hæ poſſint eſſe, dividatur, à ſcroto & in parte ſana dydimus, conſtringatur arctè filo quater complicato ac tota moles carnea tranſverſim exſcindatur ac ferro candente probe dydimus inuratur, filoque dimiſſo donec per ſe ipſum exſcindat, adductæ ſecturæ ſcroti conſuantur, eo ſolum relicto vacuo ſub imum, quod excipiendis emmotis, quæ ad depurgandam in dies ſaniem carnemq; alendam ritè ordinantur, commodum ſit.

Historia A. 1620. Hanc ego chirurgiam in Bartholomeo Farinella Capuano auriga valetudinarii noſtri ægroto à medicis aliis Vrbanis deſtituto primum expertus ſum felicem.

CAP. LXXVIII.

De Verruca in pube, Venerea ex lue profecta.

Historia. VErruca in pube, quanta eſt caſtanea nux grandior, luis venereæ germen, fabro lignario (Matthæo Durantio nomen) valentiſſimis cathæreticis, qualia ſunt arſenicum præparatum, & aqua aurifabrorum plus ſemel reprimendam curaveram: quibus cum parum ceſſiſſet, ferro & uſtione reſedit. *Corollarium.* Hoc igitur exemplo diſcere licet, omnia tubercula verrucuſa, quæ ad hunc modum ſe exhibent, contumacia, non aliâ quam ignis curatione tractanda.

CAP. LXXIX.

De Bubonibus Peſtilentialibus.

IN peſtis, quæ etiam in corporis exteriora ſævit, germinibus, nil aptius nilvé præſentius igne, qui bubonibus præcipuè ſubvenit reſorbendis abſumendiſque. Sed enim ad eoſdem extrahendos *Galeno* credo uſus *Conſil. in l. 7. ſimpl. c. de calam. & l. 3. meth. c. 6.* cauteriſmum valere profeſſus eſt *Iacobus Hollerius Stempanus, libello de peſte.* peculiaribus ad eam rem laudatis tenaculis, quæ inſtrumenta ut Forcipes nomine à candido cultore latinitatis, exprimerentur, expectandum erat ſanè: utendum autem vult forficibus, quaſi per morſum arreptâ bubonis peripheriâ. Sed & forcipum vocabulo uſus eſt *Ambr. Paræus l. 21. qui & de peſte c. 31.* quo loco recurrentem, ſeque recondentem bubonem cauteriis utriſque revocat: ſed enim exaſperandi metu nõ laudat eos, qui nullo expectato maturitatis initio humorem ferro revellunt aut circumfodiunt. Verum enimvero cum ignis chirurgiam etiamnum crudo tuberculo refellit, & *Franciſcum Valleſium & Ludovicum Mercatum* atque alios quoſdam adverſarios habet, facile qui crudis adhuc paratidis cauterium intulêre. Comparis autem naturæ bubo peſtilens, & parotis maligna. Vellicatus autem omnis ſi ſuſpectus eſt, exacerbationis ergo in bubone peſtilente; certe frugiferus ignis erit, qui naturâ concoctorius & ſalutaris eſt perpetuò, quod principio Pyrotechnes oſtendimus.

Commendavit & ignis opem ad abſumendum bubonis peſtiferi virus *Petrus à Tußignano libr. de peſte cap. antepenult.* qui à præcedente altero peſtilentialem carbunculum eodem præſidio, tractavit; atque ad eundem etiam modum è noviſſimis noſtris *Hyacinthus Alpherius lib. 2. de peſte c. 31.* qui frigido cauterio præferens actuoſum ignem non contemnendas addidit eiuſdem rei rationes.

CAP. LXXX.

De bubonibus ex venerea lue profectis.

IN multis plerumque ſimiles ſunt peſtilentibus ſyphilii bubones, tum inquam, quod contagioſi, tum quod maligni, contumaces, glanduliſque teterrimis fædi, fit igitur ex his, ut quemadmodum utiliter illi exuruntur, ita & iſti, atque eo etiam felicius, quòd inconcocti durique hoc adiumento naturæ favorem ac τὸν πεπασμὸν adipiſcuntur. Concoctoria quippe vis ignis & commoderatoria qualitatum exſcindentium eſt, ut aliâs *Pyrotechniæ priore libro, & poſteriore hoc ad caput de ſcirrho* demonſtravimus. Itaque & hoc ferramento candente aperire, apertoſque igne tractare, ſi putreſcentes, ſi calloſi & oſtracoſi, ſi fædis adenibus, extumeſcentes, dolenteſque ſint, ſique egregiis omnibus medicamentis tentati nil profecerint. Præter hæc autem, niſi ulceroſi aut apoſtemato des ſint, imò ſi inſuppurabiles, quo miteſcant, & ad meliores naturæ modos promoveantur, ignis penetrabili ac cunctipotenti virtute ſunt laceſſendi pertentandique.

Sive inde occultas vires & pabula fibræ
Pinguia concipiunt, ſive illis omne per ignem.
Excoquitur vitium atque exudat inutilis humor.
Seu plures calor ille vias & cæca relaxat
Spiramenta, novus veniat quâ ſuccus in ulcus.
Seu durat magis & venas adſtringit hiantes.

Omnibus ad ſummam modis unicè conducibilis & probatus eſt ignis eiuſmodi morbis.

Atque hæc quidem curatio eſt, ſi crudi inconcoctique ſint hi bubones; cæterum ſi ſuppurati fuerint, ferro item candente aperiendos cenſuit *Augerius Ferrerius l. 2. de pudendagra c. 17.*

Historia. Quod ſi putres etiam emarcidi ſint, neque his parcere oportet. Porro Dominicum Sirignanum Nolanum hominem præterquam inguen, etiam ſecus interfæmineum aduſque ſcrotum miſerè dilaniatum & perditum, unâ ignis uſturâ brevi ſuccurri: quod in valetudinario viderunt optimi teſtes Donnus Julius Latrus œconomus, Francilcus Moſca, & Franciſcus Romanus adiutores chirurgi, qui curationem eandem viderunt & in aliis, quos multo numero quis referat?

CAP. LXXXI.

De callo tollendo in rhyadicis.

MAximo sunt impedimento ad glutinatum ulceris hi calli, quam ob causam eos eximere non tardus eris, sectione, si licebit, solâ si *Galenum sequeris in Isagog. c.18.* vel additâ ustione per ferramentum, quod descriptum reliquit *Paræus lib. 16.* quod est huiusmodi, meminit & eius rei *Galenus libro Isagogico c.18.* sed parcè.

CAP. LXXXII.

De teste siderato vel putri.

COmpertum est mihi sępe propter humorum veneno syphilio tactorum collectiones circa scrotum & membranas testium interiores, excitato ulcere vel abscessu, testes ipsos coaffectos, imo etiam ob defluentem à vasis spermaticis colluviem vitiosam ipsos in suo corpore alienatos & putres & syderatos offendi. Curavi autem hoc modo languentes homines in valetudinario nostro quinque. Primus fuit homo gibbus, cuius à magno quodam medico curatis scrotum infernè vix sentiens, & rhacodes, id est panni laceri modo crebriter diruptum suspicionem iniectam vitii latentioris cum discidissem, ex ulcere dilatato testis se prodidit, thasiarum colore & foracitreus & exuccus. Alteri verò ex fistula trienni profundiore computruerat testis ad epidydimum usque. Tertio Franc. Castellano homini Subalpino nome sævior testem unum elidit; quod idem ad unguem evenit Aurigę Neapolitano cui nomen Antonio de Bellis Bisaciensi, ac Joanni Dominico di Julio à Clavello Eremitæ. Postremus, cuius nomen hæsit memoriæ, fuit Lælius Pecora, qui diutius ab herpete secundum eam partem vexatus meipse rogaverat, ut quocunque tandem modo, sed semel ipsum liberarem, quasi præscius & intelligens futuri.

Ita multas impunè, hoc est, sine dolore, vel affluxu alieno licuit teste mulctare. Quæ acta in nosocomio nemo nō medicorum, chirurgorum, tonsorum & observantium nostrorum vidit.

CAP. LXXXIII.

De caruncula in fistula vesicæ.

ASsentiendum meâ quidem sententiâ non illibenter *Andreæ Lacunæ qui l. de carunc. in urinario meatu*, professus est è vitiis, quæ miserabiliter affligant homines, non postremum esse caruncula, in urethra, concretas. Accedit autem ad mali sævitiem contumacia, quâ sive loci angustiâ incommoditate, sive eiusdem acri sensu, & mollitudine, sive concrementi crassitie, & interdum etiam duritie medicamentorum, applicitus omnes irritos inanesque reddunt. Nec tantum adiumentum excogitare adhibereque medici solertissimi valent, quantum non serviunt. Cogit itaque ut rem brevi complectar, & ipsam chirurgi manum, non leviter urget, ut tum ferro vitii respondentem locum aperiat, tum igne mali fomitem courat, cuius sententiæ fuit, & *Durantes Schachius l.2. subs. medic. c.8.* expositæ, sc. cum sua administratione, quæ est hæc. Indita ductum in urinarium syringe, dumq; hæc impellitur adverso notatoque loco ubi repellitur respondenti, infra loco consecandum altè sic ut in conspectu veniat caruncula, tum qua vitium existit, adurenda demoliendaque caro est inutilis radicitus sic, ut repullulandi tollatur, omnis suspicio. Ab his curata ritè ustura: cæterum aut circa ex accommodatis medicamentis conflata candela, aut specillum ex plumbo cū aliqua hydrargyrii portione compositum ad exactum usq; coalitum ulceris in canali perpetuò detineatur. Hæc porro curatio, tam insolens, tamque nova non est, ut non fuerit etiam similis ab aliis proposita. Nempe *Hieronymus Cardanus in comment. aphoris. 43. l.7.* & escharotici (amassem equidem potius septici dictionem) & perforationis meminit, spectantium ad id amborum præsidiorum, ut factâ viâ commodè deteri & revelli caruncula quiretur?

CAP. LXXXIV.

De sectione perinæi ad redimendos intolerabiles & confertos mictus cruciatus.

TAm dira est doloris acerbitas in dysuria ex ulcere atque caruncula, tam prope incredibilis cruciatus est vis, ut sive suâ improbitate absolutâ, sive etiam crebritate cæteris omnibus sævities sit superior. Ego autem novi plerosq; qui propter tormenti immanitatem nō desipere opinarentur, si miserrimam hanc vitæ conditionem fiduciæ omnis exortes cum una morte commutarent; adeo sc. boni pulchriq; loco fuit dolore quocumq; tandem modo liberari quod ne accidat nostro generi, quoniam omne malum est, ab urinæ incendiis consultum erit ut transitus urinæ præter locum qui ulcere dolet, prævertatur, atq; intercipiatur, quoniam autem est locus à cervice & deinceps in anteriora, is quidem prœoccupandus est sectione per quam urina decidat. Neque hoc difficile futurum opinor ei, qui dolorem hunc unà cum aliis perpetuis & gravissimis commetiatur. Illud spondeo solum quod tuta erit sectio, si hac sola cōtenti esse velimus, omissis digiti impressione, & per interna contorsione; quod lithotomi facere consueverunt. Quin imò si fiet ignito ferro sectio & celerior & tutior præsertim, quod incruenta erit. *Durantes autem Scacchus* ignis vi utendum voluit ad evertendas caruncula: quod tamen nescio an facile ac tutè successurum sit potissimum ubiq; locorum in vesica. Nobis ergo satis esto, si ulcerosus ab urina locus non attingatur; quod fiet ut dixi sola ferri impressione non multiplici variaq; eiusdem agitatione. Erit autem accommodatissimus ac tutissimus ex auro ignis.

CAP. LXXXV.

De calculo vesicæ.

PRonuntiatum est *Aretæi Medici* post Hippocratem omnium gravissimis agentis de calculo vesicæ, cum doloribus homo consumitur, si pars ad eductum alieni corporis exercetur, factum esse pro futura hominis vita satius, quàm ut tormentis miserrimi cruciatus intereat. Ita quidem

dem hic homo de consectu, qui cum sanguinis profluvio & consequenter virium collapsu, maximè sit verendus, carnificina insuper apparens, hæc incommoda, hæc pericula, si ratione aliquâ declinare liceat, illud erit medico præstanti dignissimum operæ precium, hæc autem commoditas ferro frigido non inest, ignito inest, quare notatum atramento locum confidenter scalpro candente pertundito iterum ac tertio, siquidem opus fuerit, porro tenuior, non admodum crassus sit scalper velim. Consentit mecum de ustura cum consectu ad lithotomiam *Durantes Scacchius l. 2. subsidii medicinæ, capite nono*: quem virum alia quæ restant, de plagę magnitudine, deque loco & cæteris hisce operis observanda præcipientem legito. Adstipulatur & huic sententiæ *Horatius Augenius l. 9. epist. medic. in qua de vesicæ calculo.*

CAP. LXXXVI.

De fistulis.

PArtium universi corporis fistulas, quæ medicamenta omnia etiamnum caustica eluserant, igne curatas hominibus plerisque testificari fide multorum non ambigenda possim. Unum tamen inter cæteros memoraverim, J. U. D. Alexandrum Beltramum, Nobilem juvenem Petiliensem, qui cum ex congenito atheromate fistulam ad exteriorem sinistri supercilii canthum dirupto recidivam & immedicabilem jam diu tulisset; ignito aureo specillo perusta brevi se conglutinationi subiecit: quam rem sane novit, & admiratus est Antonius Albanus Sancto Severinâs medicinæ professor diligentissimus, & Reverendus Sacerdos, Joannes Sapia, eiusdem Beltrami, conterranei.

Historia A. 1629.

CAP. LXXXVII.

De fistulis thoracis.

VIderis ad abscessus & vulnera thoracis item ad secturas empyicorum procreatas sæpe fistulas, medicaminum plerorumque valentium præsidio non deleveris; sive id accidat ad particulam coacervatæ addensatæque saniei vitio; sive intemperie atque imbecillitate particulæ non admittentis coalitum ad utrumque vitium, me judice, nil præstantius inveneris medendo, quam ignem, quo concepto per ferreum, sed multo satius per aureum stilum ad penitiores partes intrusum ulcus accuratè percoxeris: id cavens imprimis, ne subiecta viscera vim ignis sentiant. Est autem & hæc curatio tradita comprobataque à *Ioanne Arculano in comm. ad 9. Razis ad Mansorem cap. 70.*

CAP. LXXXVIII.

De coalitu osculi vulvæ.

ABulcere sic coalescit interdum os uteri, ut ab hoc inducto callo monitos nos reliquerit in *observationibus Ioachimus Camerarius*; hocce vitio & prægnantem jam nono mense fœminam & pariendo mortis discrimen vix evasisse, & puerum in exitu strangulatum interiisse, quæ duo mala & prior *Aetius attigit lib. 4. serm. 4. c. 95.* Mitto languores, dolores & detrimenta corporis, quæ præclusis mensium beneficiis inducere cõsuevit hocce vitii, de quo cum generatim & simpliciter agere instituto jam sermone potuissem, nihilominus libuit proposito, quod occurrit, quondam exemplo, meoque ad rem quæsitam responso quid in his faciendum judicem, eâ ratione monstrare. Sic enim futurum est ut quam luculentissimè quasi repræsentata res explicetur.

Historia.

Historia ad nos transmissa ex Italico vulgari idiomate latinè reddita.

MUlier gracilis ex laborioso partu graves est passa genitalium partium discissiones: post quæ consequutum ulcus adeò est arctè glutinatum, ut neque gladii mucro, nedum mariti penis ingredi vi multâ possit. Quin imo quoties in congressus istus itur, claustrum ut refertur, impenetrabile manet, ac si foret marmoreum. Ad angustum igitur meatum dum immittuntur metrenchidæ, mistam medicamentorum facultatem ferrentes, & dolorem mulier & duritiem in loco manus administra præsentit. His verò mox instrumentis exemptis circum sistentibus foraminibus extremæ fistulæ hærentia remeant frustula quædam durioris atque albæ substantiæ, veluti si dixeris tophaceæ: simul etiam cum his apparet pus, & aliquando commixtus sanguis. Verum enimvero durities partis ante dicta aliquot ab hinc diebus plurima ex parte recessit, saniesque exit albidior. Hæc ferè conscripta sunt de morbi historia, in qua tamen non nulla desiderantur, de temperatura mulieris, de corporis constitutione, de fluore mensium de administratis omnibus remediis, dicemus tamen ad hæc, coniecturâ comprehensâ, quæ licuerit.

Affectus hic haud dubie rarus est, & qui à veteribus non est tractatus, haud tamen novus adeò, ut à recentioribus non sit animadversus. Etenim consimilem vidisse scribit eventum *Ioannes Riolanus in lib. 3. scholæ Anatomicæ cap. 9.* his verbis.

At nuper vidimus Parisiis mulierem, quæ ex laborioso & difficili partu laceratas habuerat partes genitales, cuius Nymphæ, & quatuor carunculæ tamen ante coaluerunt, ut vix cuspidem specilli foramen admitteret. *Celsus quoque lib. 7. suæ medic. c. 28.* tametsi causæ huius, qui partus est, non meminit, scribit tamen in universum vulvæ coalitum ab exulceratione in hac parte facta, & per malam curationẽ his oris sanescendo junctis oriri. *Id. Paulus l. 8. c. 72.* Verum etsi rarus & novus affectus est, ut referatur tamen, oportet ad aliquod genus quod *Galenus proponit in l. 1. de differ. morborum.* Quoniam igitur vulvæ læsa est actio naturalis, sive naturalis passio, recipiendum in propriam cervicem viri genitale, propter nimiam adstrictionem, idcirco dicendus morbus est in via, præsertim à dicto coalitu insequuto jam ulcus. Indicia quidem coalitus in pervia loci angustia, dolor ad corporum paulò crassiorum intromissum, difficilis denique partus prægressus, labor, cuius vi dilaceratæ carun-

Coalitus Indicia.

carunculæ facilè potuerunt coalescere præsertim urinæ transcurrentis abstersione. Vlceris autem signa sunt memorativa, quædam præcedentes partus difficultates, præsentia verò durities, callus, dolor, exeuntia saniosa, crustacea.

Est autem huiusmodi affectio non contemnenda sive ut præsens est, sive ut aliis symptomatibus est obnoxia; porro potest duo maxima naturæ opera impedire. Quorum alterum spectat ad procreationem, alterum verò ad individuæ personæ salubrem statum, propterea quod non potuerit aliquando mulier gaudere beneficio purgationis menstruæ: quamquam quod ad procreationem attinet: neque hanc præsens omnino status prohibet, subdidit enim ad superius adnotata verba *Riolanus*. Nihilominus 14. ad hinc anno concepit, dum intra uteri labra effusum semen, uterque huius pabuli avidissimus attraxit. Quemadmodum è profundis cuniculis cervices serpentes narium inspiratu alluit, cum instaret partus, introducto speculo matricis foramen dilatatum fuit in eam sanè amplitudinem, quanta ad egressum fœtus necessaria erat sicque fætum perfectum emisit mulier incolumis & adhuc superstes. Exemplum simile vidit industrius & expertissimus Chirurgus Regius Guillemæus; mulier quædam impotentiæ & frigiditatis accusat maritum, quod nondum ab eo corrupta & violata fuisset. Cum utriusque partes diligenter inspicerentur, mulier inventa fuit gravida, potest igitur fieri conceptio sine penis intromissione, quamvis uteri cervix, ad eum finem comparata fuerit. Hæc Riolanus: quæ ego adscripsi; satisfacere studens viro sororio mulieris, qui id ex me quæsivit singulariter, ut virum suum hæc communifacerem. Jam vero de curatione cogitanti sic mihi statuendum videtur. Affectus citra controversiam est coalitus partis præter naturam, propterea tolli debet unitatis obortæ solutione, quam dum solvimus, vel semel solvimus, & hoc ferro, aut re simili; vel paulatim & sensim alia ratione, medicamentis, inquam, mollibus, & corporibus aliis duris ad recludendum aptis. Profecto ferro non est opus principio, siquidem est hoc remedium extremum, debetque reiici in postremum.

Primum ergo medicamentis & inditis duris aridisque corporibus, quæ dilatare valeant meatum. Medicamenta igitur, prima sint oportet, quæ callum emolliant, mox quæ emollitum exterant, extrito denique callo meatus conservetur apertus, donec obducatur. Hi scopi sunt in curatione præfigendi. Quamvis est aliud necessarium nimirum, ut tollatur, quod si adest cacochymia, subducatur plethora, atque utrunque, ne fiat humorum influxus ad partem, & hoc quidem venæ sectione, illud pharmaco comparatur.

Sed pro calli remollitione medicamentum hâc forma parandum.

Respon. acanthi, altheæ, maluæ, herbæ violarum ana m. iiij. radic. irios. rad. ulmi glycyrizæ, sem. lini an. m. iij. parthenij p. ij. bull. in aq. vel in decoctione capitis arietis contusi, factâ colatura servetur pro fotu, atque iniectione, qua utatur per dies X. plus minus. Quo facto Resp. radic. irios. rad. ulmi ℥iiij. hordei p. iij. marrubii. p. ij. glycyrizæ ℥j. bulliant in lixivio ad suff. adde in fine mellis & visci quercini an. ℥iij. fiat iniectio per duodecim dies, hoc valet ad attenuationem calli.

Interea imponatur ulceri medicamentum hoc durius, quod est huiusmodi.

Resp. Lithargyr. ℥ij. ol. lini ℥iiij. adde pulveris æruginis tenuissimi loti ex aqua plantaginis q. s. fiat medicamentum duriusculum, quod convenienti forma imponatur, circum positis in pube repellentibus & refrigerantibus. Quod medicamentum si ferre non possit mulier, imponatur crassitudine, quâ decet radix ellebori nigri, quod & proprietate & manifestâ qualitate callum absumit, neque dolorificum est, si me audisti.

Recitatarum rerum loco valet etiam spongia contorta, & compressa, quarum prima cum meatum ampliavit, posterior indetur maior, & tertia maior, donec aliqua ex parte ampliatus sit meatus. Item valet plumbi fistula, eâ scilicet amplitudine, quæ meatui respondeat. Hæc quidem omnia nisi juverint; unum est & expeditum remedium perfectum; per ferrum tamen dilatatio non administranda, nisi à peritissimo Chirurgo, qui factum vulnus primis diebus curet rosacco, mox ne coalescat rursus, plumbi lamina vel butyro diductum servet ut præcipiunt in consimili non perforatarum mulierum affectione *Cornelius Celsus lib. 7. suæ medicinæ cap. 28. Albucasis p. 1. suæ chirurg. cap. 72. & Guido tr. 6. dom. 2. cap. 7.* hæc mihi in præsens pro raro malo corrigendo producta sint satis Neapoli 13. Februarii, 1615.

Malactica alterum valentius.

Medicamentum tertium calli extritorium.

CAPVT LXXXIX.

De fistulâ extremæ vulvæ.

FIstulam vulvæ curare docuit *Ludovicus Mercatus, l. 2. de morb. mulier. cap. 25.* cuius sententia brevi exposita est hæc ut prævio specillo primum totus sinus discindatur; mox inductis & valde farctis compressisque linamentis locus procuretur late patens, nimirum perendie vel postridie candente ferro callus omnis exurendus est. Admonemur tamen, ne fistularum sinus uteri ferro vel igni tractemus; solum eas, quæ pudendum exterius exederunt, attrectare licet.

CAP. XC.

De colis ulcere nomode.

LVis venereæ vitio fit sæpe, ut nata in glande pustula tetriore conputrescat illa brevi, corrodaturque tota. Qualis affectus atque effectus accidit (*in obser. l. 4.* refert Schenckius) Zachæo viro Cæsarini Cardinalis à secretis, quem ut curaret Jacobus Perusinus Chirurgus Pontificius apprime nobilis, caudam plusquam mediam mulctavit ferro utens & igne, namque curatum aliter malum medicamentis ullis non cesserat.

Historia.

Ad

Ad eum igitur modum cum id vitii se offert, tractare convenit. Atque ita nos etiam complures in nostro incurabilium Nosocomio servare coacti fuimus, quibus ad usque pubem assiduâ putredine peredebatur penis. Chirurgia quidem ut odiosa ita etiam indubiè necessaria.

CAPVT XCI.

De colis putridi præcisione animadversio.

RES est quidem virilitatis ergo miseranda, sed cogit tamen sæpe necessitas, ut penis aut totus aut aliquotus sit mutilandus, sive hunc ferinum ulcus arroserit, unde hæmorhagia vires & vitam exhauserit, sive cancer occuparit, sive infrenabilis à venerea contage putredo confecerit, sive calamitosus abscessus sinusque pereserint, sive atrox contusio corruperit, sive denique gangræna siderarit: sed si gangræna vitium fuerit, postquam ægyptiaca vocata linimenta atque hoc genus accerrima, quę carnes atrare consueverunt, ad comprimendam putredinem aliquoties adhibueris; mea est adversio ne statim in animum inducas tuum, totum expedire novaculis. Accedit interdum, ut cutem tantum & membranas gangræna prehenderit, nervo incolumi manente: illud verò quod extra est, nigrum scilicet & corruptum, speciem exhibent, totius in integrum alienæ particulæ. Id tu monitus explorato huius sensu per immissum altè scalpellum, aut hoc ipso portionem putridam circumpurgabis, aut suam à natura emundationem expectabis: ita fiet, non longo post tempore ut resoluta pellicula, quæ restat caro libera, vitio vigensque appareat, quod multis erat miraculo: Tuque laudem eius rei plurimam referes: neque rem ignominiosam alioqui mutilandi viri feceris: Ad summam ex toto hoc sermone velim ut cautus semper & lentus fueris in hisce præsectionibus.

CAP. XCII.

De fistulis ani.

Ex importuna, id est, tarda sectione tuberculi fiunt in sede fistulæ.

NON infrequentes hominibus sunt fistulæ sedis ex mala medentium curatione: nam abundè matura tubercula aperiunt, aut ultrò etiam aperiri sinunt, quæ debuissent dissecuisse sub cruda, sicut *Hippocr. admonuit lib. de fistul.* Hæc igitur ulcera cum difficilem habentia curationem occalluerunt, tum multò maximè reddita sunt insanabilia; callus enim quo ad usque carnes munit, nullum medicamentum proficit, nisi solum causticum, & illud quidem vehementissimum adeoque arsenicum & sublimatum efficax habent, omnes practici. Verum hęc tam acerba sunt, ut tolerari à iumento non possint, præterquam quod febres & vigilias, quæ toti corpori incommodant, circumque sævas inflammationes movent. Præstat igitur igne uti, per ferramentum tenue radio simile, quo semel immisso tuto, citò & quam minimo cum dolore callus eximetur. Ad hunc plane modum decennalem fistulam à me curatam Matthæo Sauro à Sancto Mauro in Lucanis oppido vidêre Dominicus Mosca & Franciscus Romanus, Chirurgi adiutores in valetudinario nostro diligentissimi. Atq; hæc quidem curatio esto si penetrans intestini cavitatem sit sinus. Cæterum si non penetrans, & partem ante discindit & mox inurit *Durantes Scacchius l. 3. subsid. medic. c. 4.* quo loco & complures curandæ fistulæ modos conscripsit è Græcis atque aliis desumptos. Verum enim verò illæ requiruntur observationes, ut ne profundior in corpus abeat fistula; 2. ut ne fiat inustio circa nervos venas, arterias, neque ad nervosa membranosaq;, quale uterus, vesica, & intestina sunt, sed si carnosus sit locus ille, demum tutissimus inustu erit. Meminit & huius usturæ *Albucasis l. 1. chirurgia c. 38.*

Caustica efficacia nō tolerantur & incommoda multa ferunt. Ignis præstantia. Anno 1629.

Adversiones & observatio.

CAP. XCIII.

De thymis & tuberculis penis.

Observ.

OCcurrit & aliquando mihi curandus in valetudinario penis hominis, sic thymis turgidus, ut complectente illos præputio pomi apii crassioris æquaret magnitudinem. Quam ob rem ubi retrahere penem non liceret necesse fuit, ut tegmen discindere & mox tubercula circumstantiâ exscindere, quo lenticulatis cauteribus inurerentur. Atque hunc in modum sanati sunt exuperantes thymi penis. Eadem curatio est, & tuberculis, quæ phymata Græci vocant circa glandes ortis, ut auctor est *Celsus lib. 6. cap. 18. §. de colis morbis.*

CAP. XCIV.

De intestino recto latè ulcerato.

INtestini recti ustio multis ab hinc seculis ardua & hominis saluti detrimentosa visa est, sic ut abolita sit inpræsens hæc chirurgia, quæ tamen ab Hippocrate proposita & confirmata verbis à me superius recitatis: ἀρχὸν γὰρ καὶ τάμμον καὶ ἀπόταμμον καὶ ἀναῤῥάπλων, καὶ δέων καὶ ἀποσήπων. ταῦτα γὰρ δοκέει δεινότατα εἶναι συδὲν ἂν σινάω. Itaque quod est, quod nunquam hisce modis tractamus, longa partium istarum ulcera, quæ cunctis medicamentorum ac victuum modis inexcussa manent. Equidem qui præter exempla magistrorum meorum, & nostræ ætatis hominum, qui medicamentarii sunt omnes; Hippoc. & Græcorum medicinam iam diu tracto, multa ex huiusmodi curationibus experimenta vidi felicia, tum quidem in Valetudinario publico chirurgiam factitans, tum in urbe cætera, unum ex quam plurimis referam, omnium maximè admirabile. Lucas Antonius Picentinus cognomento Mastri M. Antonii vir annos 45. natus, ex diuturna syphilide ulcera in recto pertulerat toto decennio, tam ubertim manantia virulentâ sanie, ut tabem corporis lentam, hecticam febrem internis externisque omnibus medicamentis adiutus, rem ab ullo non creditam, incurrerit. Itaque se mihi, cui fidem unicam habere testatus est, quâcunq; vellem conditione tractandum commisit, exorans & deprecans, ne desperatum iri permitterem. Cuius ego auditâ fiduciâ, ac sustinendi cuiuslibet tormenti deliberatione non dubitavi, libere unum in igne auxilium denunciare quam curationem non recusante imò rectius amplexante, eodem

eodem cum perfecerim ferramento digiti medii longitudine flexo, ad minimi verò digiti magnitudinem crasso: siccatum est ulcus ad 60. dies & corpore valens redditus est homo. Quam rem pro miraculo nosse voluerunt spectati totâ urbe medici.

Hâc eâdem ratione simile ad amussim vitium curavi vix uno mense medicatus Joannæ Romanæ, Scorto Nobili Neapolitanæ, quæ duorum annorum ex eo ulcere saniosa profluvia medicamentis omnibus inexhausta fuerat perpessa, cum febre pusilla, sed continenti, quæ mirum hercules, ut paucos post dies ustioni cesserit, mirum quoque, ut ex macilenta & squalida ad florentem corporis statum brevi restituta fuerit. Quam rem noverunt qui me curârunt accersendum, & spectatissimus vir Marius Schipanus, & Jo. Philippus Nardus, eius auditor Ant. Præfectus à S. Antymo Neapolis oppido, & Dionysius Melitensis cognomẽto Scembrius, Augustinus à Philippo Sancto Severinas & alii Doctores & Professores chirurgici. Sed has omnes enarratas curationes superat ea, quam observante singula Bartholomæo Civello Benincasa cognominato confecimus in adolescente, quam perduxerat Donatus Antonius Finus Nuncii Neapolitani procurator Fiscalis: qui adolescens cuncta medicamentorum genera & hydrargyrii usque illitum expertus, & tabidus redditus omnem curandi spem abiecerat, quam ex sacra ignis ope per nostram intrepidantiam adhibita protinus recuperavit.

CAP. XCV.

De ani, sedisve sæpe prolabentis ustione.

Simili modo sedem quæ crebro procidit ratione victus, aut valentibus medicamentis nil unquam adiutum licet inurere ad hunc modum statuente Leonidâ apud *Aëtium l. 4. ser. 2. cap. 8.* cui adstipulator *Ioannes Riolanus, meth. med. partic. c. de ileosi*, sed græco hoc auctore cum & alia intestina inter partes principes connumerantur, externa extremitas intestini recti princeps non est, sed dum aut uritur aut secatur, nullum periculum subit. Inurere autem convenit per cauteria nucleiformia sedis extimam partem ex moderatis intervallis; sufficiens enim est ustio ad fluxionem superandam. Cicatrix autem solida succedens anum in ambitu constringit. Post ustionem verò lac melle coacto & linamento ex eo imbuto indito atque obligato. Postquam verò dilapsæ fuerant crustæ, lentem cum melle imponito: Repurgatis autem ulceribus cicatricem inducentibus utitor. Hæc ille: jam verò, ne cuiquam difficile videatur, & intestinum internè quod supra posuimus, & internè quod modò consultavimus igne tractare. Eventus enim eius rei nonnullos possem narrare felices, primum autem fortuitos referam, in duobus, inquam, sodalibus Soleatis Divi Augustini fratres, vulgò dicunt discalceatos, ex his alter munere profitendæ Theologiæ Nobilis P. Petrus Paulus S. Elisabethæ, Alter è conquisitoribus victus Cænobii frater nominatus est S. Job. Neapolitanus: qui utrique ex iniecto fervido ænemate sunt hâc parte exusti, ut tunicam exteriorem intestini abiecerint, qua per naturam, ut licet resarcta, restituti sunt insolidum, ut testificari, qui medebantur, possunt, & Marius Schipanus, & Joannes Jacobus Sclanus, & Franciscus Ferrucius atque alii quidam. Jam igitur, si per imprudentiam ab errante manu latè per usta hæc loca restituuntur, quid putandum sit, à doctâ manu cautè & providè per interiecta defendentia adiumenta procurata? Equidem in nostro Incurabilium nosocomio complures hac via restitui, quod viderunt & testificari possunt & Adamus Marchius & Josephus Quiricus, & Jo. Dominicus Mosca, eiusdem sacræ domus medici, physici & Chirurgi, ex exteris verò, Alexius Alovia Calaber Castelvetranus medicæ rei Professor studiosissimus & Joannes Baptista Ferranius Thurinus, conterraneus idem noster medicus curiosus. Præter autem ægrotos eius valetudinarii, curavimus etiam domi suæ decumbentem Lucanum quendam ex decennali intestini ulcere penè tabefactum, qui nunc integer salutarem ignem inter cæteras omnes Dei creaturas studio scilicet privato semper benedicit. Quibus de felici hoc ignis remedio relatis, cæterum quod in idem neglectum à nostris habeo singulare, non dubitabo equidem mandare literis.

Est Neapoli vir ex equestri Surgentiorum familia, qui ab ineunte adolescentia ad XL. annum, quotum nunc egit, creberrimum ani prolapsum cum dolore acerrimo atque aliis symptomatis passus, nullam ex omnigenis medicamentis opem aut adiumentum retulit. Utinam aut aliquando paralysin ex longo partis impunè prolabentis refrigeratu, aut etiam livorem, aut gangrænam non sit incursurus, præsertim incommodioribus advenientibus annis, qui collapso calore viscerum algoris invehunt omnia detrimenta. Illud equidem eò dixi lugens, quod sanabile tamen nostri medici relinquatur. Quasi vero valentissimus omnium præsidiorum ignis ad partem ipsam & ad morbum quoquo pacto, vel supernè ad os sacrum prophylacticè adhibitum, quidquid est humiditatis (quæ causa est certissima laxitudinis) absumere nequeat? fuisset quidem mihi animus sub pectore, ut hominem à vicennali vitio restituerem; sed prærepta mihi gloriosa occasio ab ignavis physiatris omnino fuit.

Contra malum medentium morem.

CAP. XCVI.

De ani fungis & condylomatis.

Hocce nomen fungi primus invexit *Cornelius Celsus*, qui videtur indicasse caruncula signavas atque inutiles, nunc mororum, nunc ficorum, aliâs thymorum, aliâs cristarum galli speciem referentes, à limosa & adhærente humore defluente natas omnes, quas ipsas fungi nomine comprehensas candente ferramento reprimi voluit *Aurelius*. Addimus nos, ubi aut

Fungis & condylomatis quibus mox nominibus commendetur ustio.

Aeria.

aut sanguinis effluxio nimia timetur, aut compendiosior optatur via, aut hanc eligit sibi curationem homo, etiam si per filum aut ferrum sectura tolli vitium potuisset. Veruntamen scire licet, ante requiri resectionem; quâ peractâ deinde cauteribus oblongis magis quàm latis sinus angusti ratione agendum est, eâ insuper adversione, ulterius aut diutius, quàm pars fert, imprimuntur refricenturque ferramenta, carnem minimè peccantem absumendo, nevé citerius maturiusve desistat homo, causam relinquens repullulatus futuri. Quem repullulatum, aut eiusdem causam eò certius etiam sustuleris, si ferramentum digiti minimi forma, & magnitudine percalefactum igne in aliquotam ani partem immiseris: quod equidem in adolescentibus qui in valetudinario nostro curandos se offerunt, factitare feliciter consuevi. Verumenimvero condylomata, quæ formâ quidem & figurâ differunt, materia vero atque ortu non distant, mea ex sententia non aliter quàm descriptâ modo ratione tractanda. Solum illud ex *Albucasi l.1.c.37.* velim adjici ad revellendos defluxus maximi usus futurum, si super lumbos cauteriũ magnum inferatur.

Ante ustionem sectio necessaria.

Adversio cautioque.

CAP. XCVII.

De hæmorrhoidibus atque internis horum malorum ulceribus.

Cum hæmorrhoidum ustio frequens veteribus **Hippocrate** *sæpè testificante l. de hæmorrh. & l. de fist. & l. de loc. in homine*, quid est, quod hoc nostro seculo exoletus est eiusdem usus? An quod timorem iniecit Hippocrates per id, quod proposuit aph. hæmorrhoidas sananti diuturnas, si non adservetur, periculum est hydropem aut tabem succedere? Sed audi, quæ exposuerit *Aëtius l.4.ser.2.c.4.* conceptis ipsius verbis, quæ sunt. Quandoq; autem & de vita periclitantur sic affecti, cum ob excedentem evacuationem perfrigeratum hepar aquam inter cutem operatur. Convenit igitur, rectâ diætâ ac venæ sectione præmissâ, hæmorrhoidum extirpationem moliri, & nullam penitus relinquere, quemadmodum quibusdam visum fuit: possibile est enim, incolumes evadere, optimumque curationis finem assequi post hæmorrhoidum extirpationem eos, qui opportuno tempore venæ sectione & convenienti diætâ semper utantur, quemadmodum Hippocrati placet, inquit enim, hæmorrhoidas sananti inveteratas, si non adservetur, periculum est hydropem aut tabem succedere, non enim, velut quidam opinantur, dixit, si non una fuerit servata hæmorrhoidis ad sanguinis excretionem. Sed dixit, si non adservetur, hoc est, si non convenienti diæta utatur: Quod autem illud velit Hippocrates, ipsa aphorismi distinctio ostendit; ait enim hic vir, hæmorrhoidas inveteratas sananti, est autem sanatio perfecta liberatio & legitima curatio. Quare juxta Hippocratem non oportet aliquas hæmorrhoidas relinquere, sed omnes exscindere, & post perfectam ipsam curationem per convenientem, velut dictum est, diætam ad naturalem statum corpus curatum reducere, incidereque cubiti venam tempore opportuno, quo videlicet coacervatus in corpore sanguis evacuetur. Hæc ille de irrita Hipp. interpretatione.

Cuius Amideni viri sententiam cum copiose satis damnarit *Leonardus Fuchsius*; Verum contrà *Hier. Mercurialis in adnot. ad l. Hippocr. de hæmorrh. ait.* Ego vero cum Hipp. videam hoc in loco præcipientem, ut omnes urantur, facere non possum, an existimem interdum etiam omnes esse curandas; tum scilicet, cũ corpus optimè purgatum sit; nec ex his sit, quæ naturâ succos melancholicos aggregant, ac præterea proba victus ratio servetur, quæ non solum in cibo & potu, sed & in cunctis aliis posita sit, præsertim verò in paranda aliqua excrementorũ ab ano in aliam partem diversione. Ita Mercurialis post quem equitem virum *Iac. Fontanus l.3. pract. medic. cap.45.* rem hanc discrevit ita propositis aliquot casibus; si hæmorrhoidum fluxum detentus. sanus sit reliquo corpore, ut qui redundet tantum multo sanguine ob mutilationem & ocium illi sunt omnes claudendæ; dummodo sanguis detrahatur justâ copiâ per intervalla ex brachio, & victus ratio instituatur parcior. Verum quid *doctissimus Vallesius* in hac re senserit audiamus: hic enim *in lib.8. Controvers.c.6.* placuit impossibile non esse, ut multi putant, ex Hipp. opinione fieri ut ex multis hæmorrhoidibus illisq; inveteratis hominem sanum integrè aliquando evadat. Non enim præcipit Hipp. illam unam quæ servatur perpetuò servare: sed hîc quoq; ut in aliis omnibus, sensim consuetudinem permutare. Quoniam igitur ex multo tempore consueta erat illa vacuatio, supprimendæ sunt (hic quoque præmissâ totius corporis curâ) unâ servatâ, continendusque deinde homo in bono victu, ut intemperies corrigatur, quod cum factum fuerit licebit etiam reliquam obstruere, eritque ultima hæc curatio, sanatio unius hæmorrhoidis, ut Hippocr. sententiæ nihil sit adversum, & homo integræ sanitati restituatur. Intelligat itaque Aëtius Hippocratem hos ægrotantes sanare integrè; non tamen repente, sed paulatim, ut oportet. Hæc isti. Quibus jam abunde monstrantibus urendas aliquo tempore, & si non semper has venas, omnino autem cum ustæ fuerint, quæ corporis universi procuratio causæq; remanentis aversio sit, docuit *Hipp. in lib. de diæta in morb. acut. f.* per hæc; purgabis elleboro, exercitetur deinde & sudet, & manu multum perfricetur; à cursu contineatur & crapula & ab acribus excepto origano. Vomat septem diebus aut ter in mense: nam hoc pacto optimè corpus habebit. Vinum fulvum bibat austerum, & aquosum, & paucum. Id igitur, inquam, quid est, quod intestino partium istarum ulcera ne tantulo quidem ignis calore tractamus? Prius enim ad tabem aut ad extremam maciem producere videris homines, quàm à nostris medicis subsidium aliquod efficax afferatur. An enim, quod non sustinent hæ partes vehementiora præsidia? Sed audi quam mira de his profiteatur Hippocrates. Rectum intestinum & secans, & resecans, & consuens, & urens, & putrefaciens etiam si gravissi-

Medentium multorum incuria.

Contra professores inertes vellicatio.

gravissima hæc esse videantur, nihil læseris. Jubeo autem (addit) præparari ferramenta septem, aut octo magnitudine parmi, crassitudine specilli crassi, & summa parte reflexa, ac lata velut in obolo parvo. Hæc Hipp. quam ex igne Chirurgiam si atrocem, & nostri seculi hominibus intolerabilem causentur pyrophobi quidam, en & è nuperrimis professoribus *Andreas Cæsalpinus* nullâ non laude dignus medicus Romanus, *qui lib. 8. art. med. c. 35.* scripsit, intestinum rectum multa ejusmodi tormenta ferre posse sine periculo, quia crassum est.

Verum tamen sic Hippocratis sententiam interpretatus videtur, ut ferramentis quidem ignitis ac admotis propinquè, & non tangentibus utendum sit, contra quam fortasse statutum habuit Aëtius, qui prolapsum idem intestinum vitiū certè levius cauteris vividi contactu restituēdum voluit. *l. 4. ser. 2. c. 8.* quem locum proximè posterius recitabo. Itaq; apparet non amare nos ægrorum salutem aut his nihil satagere, qui cum opus est, ne per fistulam quidem, ut alias docuit *Hippocrates & Albuc. l. 1. c. 22. & Avicenna. 4. 1. c. 29.* calore igniti ferramenti partes has transcurrendo pertingimus, transfixo interim clavo extrinsecus cauterij, ne ulterius quàm oportet transcurrat idem. Hoc quidem & semper liceret & deberemus exequi, sed quod non exequimur aut incuria, aut inanis timor, aut inexperientia, aut agendi tædium, aut avaritia aut mala quæpiam animi vel mentis affectio facit. Hæc quidem interiorum venarum curatio pyrotica est, quam & *Hieronymus Fabricius lib. oper. chyrurgic. hoc ipso capite expendit.* Cæterum quæ forinsecus extant, *Epiphanius Ferdinandus*, qui ejusmodi curationem ab experimento tractavit relatam *historiæ medic. c. 16.* primùm extenuat (excarnat, inquit ille) usturæ has præparans & accommodans, mox devincit, 3. courit & rem absolvit.

Accommodatissimè verò inter omnes & rei administrandæ rationem, & operæ ipsius eventu comprobatæ confirmationem complexus est *Alexander Massaria luculenta planè rei, quæ Patavij se præsente peracta est historia recitata lib. 3. pract. meth. F.* suis hisce verbis: Anno 1569. Federicus Corticus Vicentinus laboraverat primùm dolore, deinde immoderatā fluxione hæmorrhoidum, & cum ille varia ac multa præsidia expertus fuisset frustra, tandem Patavium se contulit, ubi Medici communi consensu statuerunt, sanguinē esse cohibendum; sed cum ille varia præsidia, partim interna, partim externa ab iis viris proposita frustra fuisset expertus, uno verbo cùm nullū suis malis remedium inveniret, statuit hanc manus operationem experiri; cùm autem nullus apud nos esset chirurgus idoneus advocato chirurgo Neapolitano, qui hanc rē profitebatur, Fabricio, hæmorrhoides incisæ, ligatæ & combustæ fuerunt.

Summa autem huius administrationis hujusmodi hominem primū accommodate vinciunt, ut nullo modo possit dimoveri, deinde externa capita hæmorrhoidum, quotquot illa fuerint, ab intestino excarnant leviter, & separant, tum propriâ quâdam acu forti obducto filo ferè ad extremum tota perforant, & strictè obvinciunt, consuuntq; hoc pacto: demum forfice amputatā venarum portiunculā, quę ex sutura superest ignito ferro eam partem comburunt: adeo ut hæc hæmorrhoidū operatio mihi videatur non modo similis, sed fere illa eadem, quę vulgo castratores ramices intestinorū sanant: opus sanè est dolorificū, & fastidiosum, à ligatura, sectione, & ustione, Federico febris, atque insignis dolor supervenēre, sed nonnulla sua præsidia adhibente chirurgo, illē paucis diebus, & à febri, & dolore, & sanguinis fluxione, non sine multorum admiratione, liberatus, integram suam sanitatem visus est recuperasse. Hæc ille. Quæ cum fuerit felix Neapolitani Chirurgi curatio, non minus ea felix fuit nostra, quam in R. Patre Benigno ex Oppido Castellucii in Crucis Cœnobio peregrinus. Cui Cœnobitæ bedella seu varicula perdolens ac sane gravis cum nullis unquā aut internis, aut externis accommodatissimis præsidiis levata fuisset: igne per me & per collegam Petrum de Alis adhibito subinde discussā est semel. Vivitq; jam homo integer ab illo, qui perpetuò sub mortis sinu vivere videbatur.

CAP. XCVIII.

De varicibus urendis tum universim, tum his, quæ sunt in femoribus & in scroto.

Varices omnes, quæ venę dilatatæ sunt, observamus duplices; alias contortas, & cōglomeratas in se multas: eam ob causam vites appellarunt Arabes, aliæ simplices, & rectè procedentes, etiam si sint transversæ: illas quidem melius exscindi, rectas verò peculiariter ustionem desiderare censuerunt quidam: mihi longā observatione compertum est tutius exuri simul excisos, supposita videlicet ferreâ laminâ, per ignitum scalprum, quippe corruptionem subeunti, fit & therioma, quod ubi evenit etiam igne tractari necessum est. Curandi rationem hanc tradidit *Cornelius lib. 7. c. 31.* cutis secundum longitudinem aperitur, hamulisque utrinque distrahere: vena ubi in conspectum venerit, candente lenticulato aut nucleiformi ferramento apprimitur, & si multum producatur venæ tractus, interpositis quaternis digitis ubique patefacta similiter peruritur, incertum autem per hæc Celsi, an perurenda tantum sicut contrahatur in sese, cogaturq; ad sanguinis interclusionem vas, an vero dissectu finito discludenda usturæ capita voluerit idem, scilicet utrumquè scopum medentis explet. Verùm *Alexander Benedictus lib. 30. medicæ c. 39.* dissecandas scalpro primum varices, mox quas adurendas tradidit, qui vir imitatus, ut mihi quidem videtur, Marcum Gatinarium, qui bis ac ter non semel eo die venam exhaurit, mox basilicam arripit: Interim sanguinem parte secturæ inferiorem exprimit, demum exurit ad crustam.

Ferramentum fistulam tenuium marginum tuberculis congruum bene candēs in clavos imprimit *Albuc. l. 1. c. 55.* Ita quidem inurentur varices, quæ per femora convolutè serpunt.

Varicum duplex genus.

Cornelius.

[margin, cropped:] ...nvin... ...ur hu... ...odi ...s cu... ...res. ...nfuta... ...is Epi... ...s.

Cæterum eis, quæ scrotum occupant, cautere curandis discrimen aliquod insigne non est, nisi quod tenuibus, atque acutis ferramentis has defigit *Cornelius l. 2. c. 22.* His omnibus illud unum addere libet, quod tradidit *Mengus Faventinus l. de ægritudinibus cap. isto*, curare licere varices & caustico quod cutem & vas corrumpat, quò purgato coalitoque ulcere porus succrescens variculam occæcet. Quo ferme consilio varices quidem ussi sæpe, verum non ferramēto ne perterrērētur homines. In hunc usum commodissimas gallas maiores lævesque deligo, quarum portiones infantilis pollicis magnitudine ac forma excisas & vasis pluribus locis impositas plusculas accendo dissolviq; igni sino.

Gallarum maiorū ad usturam usus ab autore excogitatus.

CAPVT XCIX.

De scroto cum ostracino tubere ulcerato.

Observatio.

INterdum fieri vidimus, ut scroto latius exulcerato & sarcoma experto tuber obduceretur ostracinum, quod nulla medicamentorum detergentium, attenuantiumque vi dirimi potuit. Causam autem didici fuisse suppressam è lue venerea gonorrhæam, quæ in tunicarum testes ambientium intercapedinem decubuit; quæ proluvies lentore ac crassitudine non vulgari detenta ibidem diu minimeque, aut eadem temporis longinquitate, aut medicamentorum adhibitorum facultate discussa, gelatinæ cuiusdam substantiam & colorem referebat, extimâ super hypersarcosi coactâ, quam ipsam ostracosæ crustulæ causam fuisse non dubito. Atque id equidem affirmo libentius quod amputanti mihi forinsecus excrescentem ejusmodi caruncułam in homine, qui incurabilium nostrorum lectis decumbebat, tale se obtulit infra concrementum, quale descripsi. Igitur existimavi atque existimo, nisi detractâ hac igne renovatur ulcus, vix hoc unquam ad coalitum perventurum. Quam rem equidem cum fecerim eventu probatam, etiamsi quibusdam sciolis chirurgulis ex adverso demirantibus, in ęgrotantium commodum inter alias ustiones recensere non distuli. Similes autē curationes & in Francisco Castellano homine subalpino, & in Petro Pecore, & in Antonio de Bellis auriga peractę sunt eodē in nostro nosocomio.

Causa. *Generationis modus.* *Confirmatio sententiæ.* *Historia.* *Historia.*

CAP. C.

De clavis pedum & callis.

CLavos pedum, etsi difficiliores tractatu sint, ob materiam omnino terream: nihilominus temperatiore, atque etiam humidiore, quantum fieri licet, igneo præsidio non mediocriter discussi dolorem deponere compertum à nobis in plerisq; laborantibus fuit. Paulus radicitùs exectos, igne vult exurendos. Septico indolente callum obliqui pedis in incessu valdè molestantem, admodum durum, clavi ferrei instar aliquando se abstulisse feliciter *Felix Platerus est testatus lib. 3. praxeos medicæ tit. qui positus est extuberantiæ pag. 393.*

CAPVT CI.

De Pernionibus.

PErnionum interdum adeò maligna vis est, ut medicamentis cedere minimè videatur, ita ut ossis cariem & nullo modo curabilem affectum produxerit, sicuti retulit *Iulius Cæsar Arantius medicus Bononiensis, in l. de tumor. præter nat. c. 67. Adeoque Hipp. l. 7. de mor. popul. num. 38.* Perniones, inquit, pertundere oportet & calefacere, ita, ut quàm maximè excalfacias igne & aquâ, & *Celsus lib. 5. c. 28. §. 6.* pedibus sic affectis æs quàm calidissimum quis pati potest, admovere mandat. Quæ omnis excoquendi tuberculi utilitas ita patuit vulgaribus quibusdam hominibus, ut dolentes ex hoc impensè calcaneos prunis ardentibus sed furfure multo interjecto confidenter objiciant. Disseruerunt de hac ipsa re, tum *Gabriel Fallopius*, tum *Iulius Cæsar Arantius.* parique sententiâ decreverunt, ut primum inspecto, quod extrema corporis loca, pedes videlicet, manus, aures, particulæ omnes debiles, & quæ exiguo calore præditæ sunt, quæ hoc genus vitij subeunt: propterea fieri, quod percutiente frigore immodico, suapte natura corruptivo, densativoq; compressum inde & transpirare cohibitum exile calidum elanguet facile, corrumpiturq; simul humidum excessu contrarij victum: si qua verò est inflammatio, illa quidem est per accidēs. Quas ob res fit, inquam, ut nil fieri beneficientius partibus, hisce vi frigoris pessimi habitis queat, quàm igne calidoque veluti restaurante tractari, quod nos utiq; principio faciendum voluimus.

Pernio... procre... dorū c... *Pernis... bus ign... urice f...*

CAP. CII.

De pterygiis digitorum.

PTerygia digitorum medicamentis ubi non cedunt, scalpris exscindi debent inquit *Celsus l. 6. c. 19.* mox medicamentis reprimentibus tractandi, donec ex tota caruncula deleta sit; quæ medendi ratio si valens non est reperta, purgandum scalpello vitium, tenuibus ferramentis adurendum, & sicuti reliqua usta curandum.

CAP. CIII.

De contritis grauiter locis corporis.

ACcidit interdum ex casu allisuq; ad dura corpora, item ex ictu potissimum tormentariorum organorum, ut vehemēter conterantur percussæ corporis partes, mucosaque attriti loci caro evadat, sic ut inde subjectu os vitiari subinde possit, quod ipsum evenisse comperi Nuncianti ab Urso puero 14. annos nato, ex verberibus ligno illatis ac perperam principio curatis: quem hominem nos in Nosocomio non sustinentem ignis acerbitatem causticis medicamentis diu curavimus, donec os abscederet. Per ignem vero curatio suppurati in cavitatem abscessus facta est Antonello Turco sancti Antymi Oppidano, homini mehercules purulento ac pene confecto, non ob aliam autem causam, quàm ab ictu ac verberatu ingenti ac conclusione. Admirabilius autem fuit, quod ab exectione per ignem nulla unquam ejectio puris fuit. Admirationem igitur, ne cui moverit, quod *Hippocr. lib. de articulis. sect. 3. tex. 63.* candens ferramentum costarum hisce noxis admoverit, sed eam tamen observationem quæsivit, ne candens

Historia.

candens ferramentum ad interiora penetret, quo minus scilicet membrana costas accingens violetur. Hoc quoque genus curationis secutus est *Cornelius l. 8. c. 9.* quod est de costarum fractarum curatione. In his quoque dolore conflictatis, qui à collisu atque ictu venit idem præcepit *Albucasis chir. par. priore c. 48.* qui cauterio styli formi (vocat ille puncti) & primo & si semel non successit sanatio, 2. perurit & si ad membrum aliud transfugerit dolor, hunc non cunctatur etiam excoquere.

CAP. CIV.

De Humero in alam ultro dilapso atq; aliis item ossibus diductis.

HUmeri quidem in alam tam prona est interdum laxatio, ut pulchram Haly Rodoan in Galeni microtechnia narret historiam eius adolescentis, qui reciprocum ossis elapsum atque recursum æquè reciperet. In alamigreum ultro excidit humerus, inustio vitium exprimit infernè facta duobus tribusve crustis, ut auctor est *Hippocrates lib. de artic. sectione 1. tex. 41. atque etiam Galenus Isagogici c. 18. Paulus lib. 6. c. 42. & Alb. chirurg. par. 1. c. 27. & Haliabbas lib. 9. practices c. 73.* è junionibus vero nostris *Hieronymus Fabricius oper. chir. c. de carnis chirurgia p. 135.* Quin omnibus articulis sponte diductis ustione utendum monstrat *Hippocr. in lib. de aëre, aquis, & locis* confirmat verò *Gabriel Fallopius tom. 3. p. 183.* Itemque luxationibus reciduis *idem to. 1. pag. 182.* Ita equidem clarissimum virum Vincentium strabonem curasse memini, non abnuentibus medicis consultissimis Mario Schipano, Sebastiano Vechiono & Augustino Saulino. Ita etiam Claudium ex genu, Dominicum à Judice sancti Magni, sequutus *Celsum, qui l. 4. c. 23.* scripsit genuum dolorem, ubi inveteraverit, citra ustionem non finiri.

istoria.

CAPVT CV.

De Ischiadis affectu.

COxæ articulus cum acerbè dolet ab humorum infarctu occupatus, aut ab horum irruptione luxatus, qui à probatissimis medicamentis nihil levamenti recepit, ignis duntaxat solius manet opem *Hippocr. oraculo 6. aphor. 60.* qui ait: Quibuscunque à coxendicum morbo diuturno vexatis coxa excidit, his crus claudicat & tabescit, nisi usti fuerint. Intelligit autem ustionem non tam partis affectæ propriam quàm superiorum aliarum partium, quod confirmatum apparet *lib. de int. affect.* ubi & eadem sententia scripta est, & ustionis modus expositus, tum ad intercipiendum, tum ad derivandum, tum ad revellendum, tum ad exhauriendum modis omnibus à coxa humorem; fuerunt autem propositæ crustæ quatuordecim, in scapula dextera quatuor, in cava coxæ tres, sub natibus duæ, in medio fæmore totidem, supra genu una, supra malleolum una. Urere autem oportet, inquit, quidem ferro, ossea verò & nervosa fungis. Post Hippocr. verò Græci succedentes variis hoc vitium ustionibus

Hippocr.

tractavêre. *Archigenes, ut Galenus, & Aëtius retulêre*, hiberidem admovebat. Alii struthium aut aristolochiæ radicem, fimum caprinum alii: nec defuêre, qui ferro tum quidem in acetabulo coxæ, tum in cruris partibus aliis dolore participantibus; Sed probatiores, quibus omnes utimur, auctores audiamus. *Paulus lib. 6. c. 76.* Convenit, ait, tum illum præsertim locum adurere, è quo articulus excidit: sic enim humor redundans desiccabitur, & locus cicatrice densatus non amplius os suscipiet: quare & penitus illic ustionem moliri convenit. Recentiores verò tres crustas adhibent, unam retrò urentes in acetabuli sinu, alteram supra genu extrinsecus, & tertiam supra exteriorem malleolum, qui est carnosior. Sed *Celsus l. 4. c. 22.* ultimum esse ait, & in veteribus quoque morbis efficacissimum, tribus aut quatuor locis, super coxam candentibus ferramentis exulcerare, ut materia inutilis evocetur. Idemque sensiit *Senapion 4. Breviar. cap. 26.* Ad hos postremum accedit *Albucasis*, qui ad luxatum, & ad dolentem pariter articulum, opem tulit, *l. 1. cap. 43.* In luxato quidem circa cavum coxæ inures cauterio circulari, quale ad stomachi rheumatismos produximus. Quod si non est, cauterio magno olivari licebit uti, sed enim sic, ut sola cutis perforetur. Jam verò in dolore coxæ, qui vetustus est & pertinax, tribus olivaribus cauteriis in triangulam figuram dispositis crustas inferes, intervallo ad singulas transversi pollicis. Interdum etiam (quasi certiorem operam peragendam indicet) addenda est quarta crusta in summo coxæ fastigio, erit autem terminus ustionis, tota cutis crassities. Ad hæc licet & cauterio circulari fines articuli perurere: At in dolore, qui præterquam coxæ sinum crus etiamnum obsidet, locis, quos maximè dolere referet ægrotans, coxa cauteriis duobus inuretur, & cauterio cultellari ad cavum coxæ quatuor ad partem exteriorem digitorum mensurâ. Sed ubi ad digitos usque pedis exporrigi dolorem indicet languens: tum quo loco docebit, inures cauterio, punctis tribus aut quatuor, aut etiam pluribus, si videbitur, crustis; ac si fortasse dolorem referre, & ibi cultellare ignitum inferes, sic ut nervum aut insignem arteriam non attingas. Post hæc & alios duos tum inustionis modos tum cauteres protulit Arabs, sed tam obscuro rudique sermone, sive suo, sive sententiam reddentis perperam interpretis, ut pigeat quidem & pudeat in his describendis operæ aliquid impendere, quod me præmonuit etiam *Costaus.* Faciliorem & planiorem urendi rationem atque administrationem proposuit *Razius in l. de aff. junct. cap. 15.* quæ est, suis eiusdem verbis hæc; Accipiatur instrumentum ad modû cochlearii ferrei & sit diametrum eius sicut medietas palmi, & fiant in circuitu eius quinque eminentiæ ad formam ossium dactylorum, & mittatur ad ignem donec rubeat, deinde ponatur super pyxidem anchæ, & æger jaceat super latus sanum, & cauterizetur quinque cauteriis unâ positione instrumenti, postea ponantur emplastra de butyro, ut vulnera permaneant aperta donec venenositas tota exierit & cum volueris cauterizare debet ægrum ponere tali modo, quod acumen

 anchæ

anchæ apparere possit, deinde fac super ipsum circulum, post cauterizabis. Sed è Junioribus *Ludovicus Mercatus* in dolore coxendicis ex alterius morbi decubitu cum nulla superest materia antecedens, crustâ unâ contentus in articulo facta, ut expiret, quod ipso continetur, exirceturq; pars ipsa.

CAP. CVI.

De genu dolente & patellæ crebro dilapsu.

GEnuum dolentium ustione curandorum meminit *Aur. Cornelius Celsus in l. rei medicæ 4. cap. 23.* Patellæ quoq; molestanti crebro dilapsu peræque ignis proderit; quam quidem rem experti primùm sumus in Andrea Petrino juvene rei studioso An. 1627. nec non prodest Ischiadi. Adjuvantis autem ignis ratio est, non ab exiccatione tantum, sed maximè etiam quia cogitur ab ustione, contrahiturque cutis, sic ut arctius illud ossis constringatur adversus humores mucosos vehementer irrumpentes: cuius rei meminit Hippocrates: quomodo verò facienda sit inustio *Paul. Aegineta docuit in 6. c. 26. Aetius l. 6. c. 29.*

CAP. CVII.

De adiuvando ad festinum abscessum extabescente osse.

SIquidem ulceri subest os nigrum, cariosum, omnino vitiatum, abscessurum, id quidem omnino est, sed diutius, insidens, vetat, quo minus obduci plaga queat. Igitur ut abscessionem suam, quam fieri potest, citissime maturet ac finiat: cõsuevi equidem ferramento minùs exactè fervido totum quod apparet os excoquere: edoctus ab indicato leviter *Celsi Consilio qui l. 8. c. 2.* scripta reliquit hæc, tum in ea foramina demittenda candentia ferramenta, & inde siccum os ex toto fiat: Atqui siccatum cùm os est, non prius exilire, *doctrina fuit Hippocratis, in l. de vulner. capit.* ex quo fortasse loco rem didicit *Celsus*, didicit & *Archigenes apud Galenum in l. 5. de comp. medic. part. c. 2. F.* Intellexit autem & hoc *Aetius in serm. 7. cap. 85.* & *Avicenna l. 4. fen. 4. tract. 4. c. 4.* quod est de ulcere cum osse corrupto.

Quâ quidem observatione usi expertique ignem, maturius vidimus os abscedere, tum quidem in Josepho Imperato sacræ domus incurabilium pistore, qui graveolens ulcus maxillæ superiores habuerat; tum in Francisco Petromino Aversano, costæ vitium ab ictu diuturnum, passo, qui ex hac fistula sanatus posteriore anno commisit curandum alterum secundum os supremi frontis oblæsum, qui ab aliis medicis diu tractatus nullam opem senserat. Mirum autem quam brevi restitutus hic homo fuerit, hâc ratione quam certo credo duriorem & graviorem æstimandum ab aliis fuisse. Sed enim pro ratione partis ipsius, aut vicinarum sensus item & totius ad summam naturæ calfaciendum est ferrum, intense, remisse, mediocriter, qui modus est & in repetendo, plusquam semel, aut multoties est discernendus. Similis autem medendi ratio & in cartilaginibus, quæ ossi propinquant est servanda.

CAP. CIX.

De ossis vitio latente sub ulcus.

LAtet interdum os vitiatum sub carnoso aliquo tuum ulcere sic, ut imprudentes facile fallat. Verum enimvero qui oculatior est, multa subtiliter dispicit. Primum loci naturam sub quo subest os, deinde colorem alienum aut sordem, qui nullo vel præstanti medicamento permutatur. 3. quod longo tempore vix sanescit, quod si illud accidat, brevi recurrit ulcus. Ad hæc, quod sanies perpetuo tenuis est, & copia excedit. Præterea quod caro semper hebes, ac mollis gliscit, medicamine autem summota, rursus talis increscit. Postremum est exploratus medio specillo, qui mollitiem aut asperitatem ossis docet. His indiciis, cognoscitur vitium subesse ossis. Quod genus equidem ita curare solitus sum in nostro Incurabilium nosocomio. Primum infixo profundius in ulcus scalpro acuto scabritiem ossis tento, quæ si extare visa fuerit, tum obverso scalpro carnem totam ad detectum usque ossis quæ tenuis ossi incumbit exscindo. 3. per candens ferramentum os aduro. Hâc equidem ratione nonnulla spei depositæ ulcera curasse memini; inter cæteros nominare subit adolescentem, qui in ditione Principis Deliceti filii subiectum Marchio Brasiliani, per id tempus, universæ rei Domus Incurabilium præfectus vigilantissimus, commendaverat curandum, hic cum 10. jam menses nullo cum medicaminum tum internorum tum externorum profectu alio sub curatore in nosocomii lectis decubuisset, nostrâ deinde operâ duorum mensium curriculo restitutus est.

Abditi vitii n...

Curan ratio n... stra.

Histori...

CAPUT CX.

De Gummi & exostosi Calvariæ, præsertim à venerea lue profectis.

QUi graviore contage syphilidis affecti, nullam à principio vel per sudores, vel per gonorrhæam, vel per bubonum abscessum, vel per cutaneas eruptiones passi sunt effluxum, plurimũ id ostendere expeririq; consueverunt, ut si tenuior fuerit humor, cui labes inhæret, doloribus per corpus vagis affligentur; si verò cum crassiore succo fuerit coniunctum virus, huius aliqua portio tetrior à visceribus invisa, à valentibus membris agitata, undiq; propulsa, atque exterminata tandem in debilissimis partibus, quæ sunt articuli, ligamenta, membranæ ossa vestientes, & ossa ipsa, consistat: in quibus locis indies coacervata concrescit, & gummi arborei modo durata fit tumor osseus, quem gummi vocavêre maiores. Hic si caput supremum occuparit, omnium difficillimus deterrimusque est, propterea, quod principem imbecillam osseam cavam & immedicabilem ferme subiit partem. Adde quòd tam latè diffunditur aliquando vitii vis, ut totum sinciput & interdum etiam partem occipitis & totam etiam calvariam corruptam & hanc suæ materteræ extractam à se testatum reliquerit *Gabr. Fallopius lib. de ulcer. c. 47.*

Quasob causas neutiquam sinendus aut oscitanter tractandus, quin sollicitus, gnavus, festinè providus, provideque festinus esse debet curator,

tor, qui salutem ęgro parare, laudemque sibi conquirere studet. Itaque ne pharmacis aliâs quidem in efficacibus, aliâs laboriosis confideris, ubi chirurgia est opus. Sed præclaros quid ea de re senserint, viros audire præstat. Primus autem *Ioannes Costæus erit, qui l. 2. de igneis medic. præsid. c. 1.* scripta reliquit hæc.

Accidere solet iis maximè, qui venereâ lue correpti, in æstuariis hydrargyrio utuntur, ut pravi humoris violentius per ea remedia agitati portio aliqua pituitosa potissimum ac melancholica alicubi præsertim ad articulorum ligamenta, atq; ad membranas ossa vestientes, cõsistat, ubi dum moram trahit, crassescit, & fit tumor, nunc mellis sæpe aut polentæ substantiâ id est meliceridis, atheromatis, & steatomatis specie, nunc etiam lapidosâ consistentiâ, & prorsus tophaceâ, qui gravissimos dolores invehit, præsertim noctu. Hoc igitur vitium & si variis aliis præsidiis occurrere illi mos est, Vix tamen aliâ superari ratione observamus, quam ferramento bene candẽte, validè impresso, ita, ut subiectum os in conspectum veniat: quod quidem os si vel putre, vel cariosum sit, suis deinceps tollendum & curandum est remediis, quę locus hic afferri non postulat. Quod si vitium ossis non sit; verum utcunque gallica virulentia tẽtati fuerint extremi artus aut externa pars quælibet; huic protinus esse succurrendum candente ferramento, quippe quod virus mirificè domet atq; absumat, suadet *Eustachius Rudius l. 5. de morb. occult. c. 13.* Est igitur aliquando ex usu ad exteriora capitis mala cauterium. Sed *Vidius Florentinus l. 2. de curatione membr. cap. 18.* narravit exostosi gallicâ crebram epilepsiam induci solitam ferro candente curatam, eodem quoq; suffragio capitis ossium corruptionem à venerea lue profectam curandam censuit *Ambr. Paræus l. 9. c. 20.* dicens; Hanc corruptionem ossis corrigere atq; emendare licet cauteriis tum his quæ actu talia sunt, tum his quæ facultate. Caustico verò medicamento gummi syphilium profundius exscindendum cuidam præcepit *Leonard. Botallus*: quod cum contempsisset exequi homo, miserabiliter est mortuus cerebro sphacelo correptus, quemadmodum post hæc inspectio per dissectionem aperuit. Superat autem omnes observatio *Petri Salii in Altimarum adnot. 10.* cuius verba ipsa nonnullorum commodo placuit adscribere, quæ sunt hæc. Quibus hoc addam, me contumacissimos capitis externos dolores hac de causa genitos, vel propositis vel similibus atque etiam vehementioribus medicamentis aliquando nõ potuisse superare. Unde coniectura facta, vel pericranium vel una cum pericranio os ab ea materia admodum malè affectum esse; ad ustionem loci patientis deveni; hancq; curandi rationẽ fœlici cum successu tentavi; in qua hoc semper observavi, ut candenti ferro facta ustio usq; ad os, quàm plurima semper scatens humiditate inveni, profundè penetraret, aliquãdo verò os ipsum cariosum reperi, quo disquamato omnis conquievit dolor. Ustio hæc non occipite nec in sincipite supra suturam coronalem qualis à multis ratione diversionis fieri solet, sed vel in dextera vel in sinistra capitis parte, pro ut hæc magis, quàm illa pars dolore cruciaretur, ad tollendam intemperiem frigidam & ad evacuandam materiam peccantem à me feliciter tentata est, quod notare volui, ut cęteris audacter ubi detur huius actionis occasio, ustionem hanc administrare possim.

His adnectam quoq; licet sententiam *Antonii Musæ Brasavolæ, viri apud nostros autoritatis cumulatissimæ lib. de morbo gallico quæsito 9.* scripto reliquit hæc.

Nonnulli potentiali cauterio in hoc affectu utuntur, & dicunt ex his, quæ hunc affectum in sanitatem restituunt, cauterium esse præcipuum: nota vero, si in gallico affectu durities adsint, quæ difficulter vel nunquam remolliantur, tunc supra duritiem hanc cauterium poni potest, & scirrhũ exulcerari, quoniam hæc via est ducendi in sanitatem, ad quam hæ durities nunquã pervenirent, & quando durities dolorem inferunt, neq; hominem dormire sinunt, cum per cauteria aperiuntur, exhalant, & dolores cessant: unde si cauteria nihil aliud fecissent, quàm auferre dolorem, hoc non modicum esset. Accesserunt & ad hoc placitum è nuperioribus *Iulius Cæsar Arantius, l. de tumor. præter naturam c. 5. & Rodericus à Fonseca tom. 1. cons 2.* Sed *Gabr. Fallopius in l. de mor. Gallico, c. de gummis* ad extremum ait; sed si hi tumores nõ cedant localibus, aperiatis ipsos caustico medicamento, namq; ablatâ crustâ apparebit folliculus, quem auferetis cum materia contenta & non tangatis hoc ferro. Quod postremum de ferro administrando pręceptum cum cavit *Fallopius*, haud satis video quo sibi timore refriguit animus melior, quando & in fronte nuda, qui locus *Hipp. teste. l. de vulner. capit.* inflammationi subditus magis est, persæpe nos feliciter gummata dissecuimus. Generosius igitur huius auditor *Hier. Fabricius, qui l. de operat. chir. c. isto*, genus hoc omne tumoris dissecat & os scalpro deradit: tanti sc. est momenti, ne sanies aut vitium aliquod inhærescat capiti. Universaliorem hanc præceptionem fecit *Ludov. Mercatus in l. 2. de mulierum affection. c. 9.* per hæc; Si tamen dolor alicui parti fixus sit, vel irradiationis modo caput infestet, experimento fidissimo cõpertum habeo ferro candenti partem illam levi ulcere urere id quàm maximè, si pericranium dolere nobis compertum sit, quippe hoc auxilio facillimè cedere constat, quod multis aliis nõ cessit.

Quæ præstantium virorũ decreta eo libentius equidem huc produxi, propterea quod plerique medici Neapolitani causticum utrumq; remedii genus tam multum adhiberi nolunt, ut aversentur. Inter cæteros magnus quidam Julii Jasolini discipulus, doctissimus à quibusdam non tam licenter, quàm inscitè appellatus, per me causticis aliquando curato Fabio Coriario (Joan. Andreæ Mendozæ nomen) qui teterrimis eiusmodi exostosibus per + capitis tubera extumescentib⁹ noctu diuq; miserè torquebatur; illud remedii gen⁹ velut insolens demiratus est, & crucis dominicæ se signo expians execratus. Quid autem non execrantur atque abominantur eundem medici tum physiatri, tum chyriatri, tum ægroti omnes, qui calamistratus, & toto corporis habitu ad amasiorum usq; adolescentulorum morem concinnatus, aromatis delibutus, delinitus, ac tersus carpo ad

Margin notes: ...nmi syium ut ...atur. — ...nmi sy...lii vamate... — ...ramenn igni... adeo primen..., ut os conspe...i veniat. — *In molliculum quendam chirurgum excursio.* — *Historia 1.*

ad multam brachii partem nudo, manu tenerâ, i. e. unguentis nutrita, sic leviter ulcera tergit, ut ne attingat, quidem linamentis. Heus igitur homo hæres virtutis Jasolini, illud est levi manu esse chirurgum, ulla cum re plagas, cum attingi monstratur, non attingere. Sed tu videris fascinata Parthenope, quæ impostoribus & vafractoribus eiusmodi hominibus delectaris. Nec plura de his; namq; ad inceptam rem regredimur, experimenta nostra aliquot super eadem re narraturi. Accidit Annæ Capharæ Francisci Mancini uxori, ut longâ hâc contage quassatâ tandem gummi ad bregma doloribus punctoriis infestissimum incurrerit: qui cùm medicamentis nullis perefficacibus, concederent aliquid, opinionem superstitionis fœminis excitaverat, noxas esse productas à vi fascini, & incantationum malarum. Nihilominus ego ad ritè medendum ab eius fœminæ viro accersitus, risi dementiam quid divini suspicantium in morbo, retulique totam doloris acerbitatem in ossis vitium & in putrem humorem, qui distentu vellicatuque pericranium acerbe discerperet, membranam. Itaque primum docefactam mox persuasam fœminam animavi, pateretur, ulcus in cute fieri, futurum enim inde, ut vitiatæ calvariæ succurri facile liceret, causâ doloris elisâ. Quæ cum annuisset, apertâ cute post biduum ab imposito caustico cuncta, quę de ossis ac membranæ vitio prædixeram, apparuêre. Excussis cũ putrida caruncula doloribus, osse per exiccantia, i. e. per aquam vini & catagmaticos pulveres, & hoc genus medicamenta procurato; natura porum infernè molita putrem & foraminosam ossis laminam excussit, factumq; brevi ut consanescceret ulcus. Aliquid maius evenit Augustino de Judice designato Gymnasii nostri adolescentium deductori, (pedellum vocant) qui duos jam menses nunquam intermittentibus pericraniis cruciatibus ferme fuisset enectus, nisi ego contra medentium omnium opinionem, qui sine fructu sexagenarium jam hominem hydrargyrio perunxerant, quàm cathæretico, quam cavo *Albucas. l. 1. c. 55.* ferramento candente cutem exulcerassem, atq; ossi teredinoso scalpris, & medicamentis opportune succurrissem. Qui idem Augustinus duobus post annis eâdem curandi fiduciâ deduxit ad me Antonium Appectum Sardum hominẽ Sexagenarium, qui quinque jam annis lecto decubuerat, clavo, quem vocant, capitis in vertice, qua suturæ committuntur, dirè vexatus, & morti deditus; quem in valetudinarium nostrum translatum eâdem ipsâ chirurgiâ liberavi, ad locum, quo dolor vigebat, ustione factâ: quæ res comperta & visa fuit ab ingenioso medicinæ professore Nicolao Antonio Maiullo Apulo Coratinensi; Et in Hieronyma Ferreria familiari fœmina assidua Religiosissimi Principis Scyllacii dignam memoraturem comperi. Annos 60. jam grandis & 20. jam vidua cum esset honesta mulier, gummi in fronte cæpit dolitare jam aliquot menses lentè progrediens, cuius tumoris nulla cum apparuisset maturitas aliis attrectantibus, nihilominus equidem contendebam subesse, vitium ossis impetrata re post multam contentionem, septico cutem aperui, quo facto ulcere, pertusum in cavitatem os, facilè apparuit, sanie sub os scatente plurimâ, quam naribus & ore compressis, foras exprimi curabam, diuturnum curandi negotium fuit, donec exhausta in dies sanies & osse vitioso revulso restitutum unitati jam est ulcus, cui curationi interfuit Petrus Antonius Provenzanus, eius familiæ clinicus. Ex hoc quoq; numero non indictum mittam Leonardum Chiaiensem Neapolitanum adolescentem sartorem in foro Judaico, cui tabe luis venereæ pene confecto gummi, quod supra sinciput extumuerat, cultriformi ferramento candente exussi, atq; absorptâ in dies sanie spiritu vini cum pulveribus exiccantibus, ac detergentibus, sic os curavi corruptum, ut cum se de inferiori crescente carne porro subduceret, facile detraxerim.

Historia 2. A. 1625.

Historia 3. A. 1628.

Historia 4.

Historia 5.

Histori[a] A. 161[?]

Similis ex eodem vitio curato per nos, eventus in Benedicto Longobardo, atq; aliis quàm plurimis valetudinarii nostri hominibus: atq; hactenus historiæ. Nunc illud admonebo meos auditores, quod ex relatis factu necessarium apparet: Simul ac multum assurrexerit distenta cutis capitis à subiecto gummi syphilio, priusquam vitietur os subterius; nil cunctatus cathereticum medicamentum adhibeas, atq; os aperias. Multò satius est cutem adhuc integram violare, quæ facile reparatur, quàm corruptum & exesum os longo & periculoso medicatu tractari.

Histori[a] *Observ[a]tio 1.*

Alterum, quod in his pervideri velim est, ut festinetur potissimum in exiccanda detrahendaq; carie sincipitis. Ab huius nempe vitio ad imam usq; frontem consequitur abscessus: quod observatum à nobis est tum in memorato nuper Sarcinatore Leonardo, tum in Paulo Palmerio ac Decio Nobiliono viris patriciis, itemque Antonio Don nuiso atque aliis. Jam verò ne tibi sit difficile extremis præsidiis tentare caput; legeris *in l. 2. nostræ pyrotechniæ* & in futuris coronali sagittalique, & in utrisque temporibus igne nos usos quàm tutissimè.

Observ[a]tio 2.

CAP. CXI.

De Aegylopa Exustione.

ABscessus qui inter maiorem oculi canthum & nasi summum oboritur, multiplex modus & habitudo est. *Paulo enim teste l. 3. c. 22.* Anchylops est priusquam abscessus in ulcus erumpat, postquam vero suppuratus, & diruptus externè fuerit, Aegylops dicitur propriè cuius saniesatq; mador sic adiunctas partes diutius incumbens conterit, ut os vitiet, & hoc quidem bifariam, cũ carie videlicet, & sine carie: cum exesu ossis, & absq; ipso. Taceo quod in carcinoma degenerat interdum, sed cum insanabile hoc sit, nõ sucipiemus huius nos curam, qui modi omnes temporis transcursu brevi vel longo fiunt. Idcirco is, ad quem spectat, maturè remedia proferat oporter, quò minus detrimenti res capiat, primum quidẽ medicamentis agens expurgatoriis, mitioribus, valentioribus, prout convenire videbitur. Hæc nos in pharmaco-chirurgico, propositis luculenter historiis distinximus. Quæ diutius accuratiusq; adhibita ni profuerint, tum chirurgiam coacti suscipiemus, ac dilatato foramine, si nudatũ, intemperatumque os appareat, protinus hoc uremus

Anchylops quid. *Aegylops quid.* *Aegylops duplex.* *Aegylops in carcinoma transmigrat interdum.* *Chirurgia postremum adiumentum.*

uremus per idoneam perforatam laminam; aut fistulam (vaginulam Avicenna vocat) inducto tenui ferramento multiformi; vel hac, quam supra sub encanthis capite appictam dedimus laminam; sic squamula decidet vitiata, & mundato osse; resiccatisque demum humoribus facilè poterit induci caro atque ulcus coalescere. Quæ Celsi fuit curatio descripta per eum *in l. 7. c. 7.* de qua brevi *Galenus l. 5. de compos. med. per loc. c. 2. & l. Isagog. c. 18. Aetius l. 7. c. 180. Avicenna l. 3. dis. 3. tract. 3. c. 15. Albuc. l. c. 19. Razes parte priore Continent. lib. 2. capite 5. & Paulus l. 6. c. 22.* qui cum nudatum os scalpro deradit, scopo quidem satisfacit, & rem exequitur consentaneam; si res evenire feliciter possit; nempe etiam dolore & transcurrendi periculo difficilis est, per id loci opera. Quæ causa est opinor, ut hanc reliquerit Celsus atque alij.

is deraduam ob omissa nel.

Jam verò, si quod caries vel altius vitium fecit, non satis hæc sint ad instaurandum coalitum ulceris, tum provisis oculi locis, ac defensoria supposità laminà fenestratà triangulari ferramento candente (sunt qui terebello id faciunt) naris pervades os, cætera exequens, ad curationem necessaria sunt, etiam aliqui, qui acu sutoria (subulam vulgo vocant) perforandum os nasi velint, ut paratâ per hanc partem viâ fluxu puris oculi non tententur; Tradidit hanc nobis chirurgiam auctor *Isagogi libri c. 18. & Paulus l. 6. c. 22.* Amplexus hanc quoq; pertusionem ossis est, *Isaacus Israelita, l. 9. pract. c. 80.* illud & addens, ut peracta statim per candens ferramentum perforatio sentiatur, obstruendas ante nares: nam si fumus, inquit, per foramen exit, pertusum jam osse prodit. Verumtamen damnavit hanc apertionem *Mesuæus sectione 1. parte 1. sum. 5. c. 12.* itemque *Guido Cauliacus tr. 3. do. 2. c. 2.* quod exili ejusmodi meatu facile, occluso recurrit in oculum sanies continuò, quam tamen rem improbare jure potest nemo: quando compertũ est, & naturâ ipsam providè narem fistulasse, ut hoc itinere demissa sanies educeretur; non per oculorum angulos cum turpi nota elueretur. Porrò honorato viro, Laurentio à Crescẽtio, ad ichorem istum occultè derivandum, institutũ in suprema nare ductum observavimus; atque ita etiam in nobili moniali Cœnobij Jesu Neapoli atque in plerisque aliis observavimus. Itaque naturæ nobis est exemplum, quod in hac re sequamur.

peracta ... s pertu... cognoscitur;

Verum enim vero quia fit sæpe ut repressa primò rursus recurrat vitium, humorum sc. delapsu minimè deficiente atque in partem colligente præceptum est *Gulielmi Rondeletij, viri consultissimi in l. 1. de mor. cur. c. 62.* non solum os exuri oportere, quo finiatur affectus, sed etiam venam atque arteriam, quæ sunt in ipso angulo canthi interni. Addidit etiam in eadem parte, succorum acrium vitio fieri phagedenica ulcera, quæ eadem arteriarum, & venarum inustione curari debent. Comprobat autem hoc historijs & casu Franciscani, qui primum multis medicaminum remedijs & ustione non adjutus, demum à vasorum hac ustione est integrè restitutus. Sed *Hercules Saxonia l. 1. Pantheí medicinalis c. 19. ubi de Ægylope*, si ulcus, inquit, in angulo sit fistulorum, nullus alius est curandi modus, quàm per ossis ustionem, ac squamæ corruptæ separationem; neque credatis quatuor aut quinque ustiones sufficere, ut nonnulli practici dicunt, qui fortasse hanc curationem nunquã viderunt. Oportet urere locum; illum per 20. vel 30. dies, continuos, bis aut ter singulo die, antequam illa squama separetur; quod ego experientia propria comprobavi, dum essem Venetijs in quodam Monacho sancti Georgij, quem curavi laborantem fistula, duodecim annorum. Hæc quidem ille; quæ omnia placuit recitare lector, & ut efficacem chirurgiam hanc fideliter edisceres, ab homine tam multæ autoritatis; & hujus etiam experimentum & historiam enucleatè cognosceres. His addere licet nostra experimenta, qui plurimos in valetudinario sic sanavimus: Inter cæteros Octavium Canalem Calabrũ Scillacensem, qui septem jam annos hoc vitio laboraverat, quam rem novit Alexander Alexius medicus Neapolitanus peritissimus.

bservi. 1. *bserv. 2.* *Historia.* *Historia.*

CAPUT CXII.

De Auriculæ osse corrupto.

Observat.

Obtigit sæpe languentibus Nosocomij medenti corruptum os auriculæ curandum, quod vitium ex ulcere diuturno longâ fluxione tentato proficiscitur. Illud ubi chirurgia tractatur, quæ primas in restituendis ossibus semper tenet, præclara est observatio *Archigenis* relata *per Galen. in 3. de compos. medicam. per loca c. 1. §. de Vermibus aurium*; curationem vitiati ossis, haud tentandam per meatum, neque si excidat squama detrahendam esse inde, sed sectâ parte posteriore auriculæ ad denudatum usq; ossis hujus, omnis portio, quæ corrupta est, abradenda scalpris, ac ferramento candente exurenda.

CAP. CXIII.

De Dentibus nutantibus, ac male cohærentibus cum gingivis.

Obnoxia huic affectui corpora. *Causa item affectus.*

Habitus corrupti hominibus atque his, qui passi sunt vim venereæ contagis, quiq; destillationem acrem & copiosam à capite queri solent, fœminis item, quæ sese variis cerussæ aut hydrargyri præparamentis fricanti caputq; quotidiè lavant; concipientes inde multam humiditatem, deniq; πῦς κακὸς σπλαγχνοις, & quod notavit *Hippocr. l. de inter. affect. n. 34.* solet advenire dentium infirmitas, & vacillatio, quæ, nisi maturæ succurratur, edentulos homines reddit: Omnes autem vulgo medentes hoc mali genus tractare consueverunt stypticis solis medicamentis, quæ neque quantumcumq; valentia proficiunt quidquam. Verum infamantur optimæ medelæ, quoniam radicem dentium, qua laxis alveolis connectuntur, attingere penetrareq; vi sua non valent. Unicum à me præsidium excogitatum est ignis, indicatum ab *Hippocr. l. de affect. n. 5. & à Raze in lib. 9. ad Mansorem*, qui cum enarratore *Ioanne Arculano*, ferro ignito radices dentium exurunt, sed clavo cuprino *Gariopontus l. 1. c. 17.* quod cum à nullo nostræ ætatis viro, quem sciam, factitatum videam, videbitur fortasse insolentius nihilominus, & nulla parte reprehendi potest & eventu compro-

Lienosi gingiuarum laxitati obnoxij. *Unicum his præsidium est ignis.* *Nostra sententia confirmatio.*

comprobatum est felix, haud in uno quidem homine vel altero, sed in ducentis. Vereris, ne labefactentur, aut nimium exarescant dentes sic, ut decidant, & cassos alveolos, veluti suos calices maturæ nuces avellanæ relinquant. Verum confirmat *Plinius l. 7. c. 16.* neque conjectos in ignem ipsos incinerescere. At hi cùm nil detrimenti patiantur ab igne, sed solum concipiant calorem, ita humor & putredo, quæ circa radices est, absumetur atque discutietur. Rem equidem expertus sum 1. ad dolorem dentium finiendum in Reverenda virgine Cœnobij Jesu Neapolis, cui nomen sorori Antoniæ Surgentiæ, quæ cum neque duriora mandere, neque frigidam bibere præ dolore dentium & imbecillitate valeret, octo jam menses varias medelas, sine fructu experta, tandem vi morbi coacta, cum multos jam dies obvolutata fuisset, vim igniti ferramenti sustinuit semel, neque amplius molestiam octimestrem sentijt.

Vt juvare possit ignis dentes labentes. Historia 1. 1622.

Secunda fuit Aurelia Aversana nobilis virgo, quæ spem continendorum in ore dentium jam deposuerat, ita ad omnem linguæ, labiorumque modum distrahebantur internè atque externè, cum nostro remedio nihil confixa, sed certa experiendorum omnium inaniter fructum, quin minimè attendebat, recepit. Tertia fuit Maria Mancina domus nostræ familiaris, quæ & dolorem & putrilaginem usq; ad mobilitatem & gravem olentiam ipsorum sæpè conquesta semel curata est ante dictâ ratione.


Historia 2. 1625.

Historia 3.

Quarta fuit Dorothea Prudentia, virgo spectabilis Parthenophylacij spiritus sancti Neapolis, quæ cum remedij gratiâ setas chirurgicas in cervicibus, diu gestasset, ac sine fructu, nostram sentijt opem. Alios hujusmodi multos quid numerem, qui sunt iunumeri. Tantum hic exponam ferramenti formam, quod appensam longo stylo est semidigitum latū, duos transversos oblongum, sed recurvum, quatenus connexitati dentium bene coaptari queat & ritè congruere, aptè conformata, breviter figura est huiusmodi

Historia 4.

Ferramenti nostri forma.



quæ appingitur: Ustione peracta medicamenta non sunt omittenda, quæ & gingivas ulceratas emundent & roborent adstringendo.

Quinta fuit Gratia de furco, conjux Aloysij Sagi, quæ cum propediem dentium anteriorum casum maneret, hocce præsidio discrimen illud evasit facile.

Histor. 5.

His sic enarratis atq; compertis felicibus ustorum dentium experimentis: cæterum illud adverti debet; hanc chirurgiam opportune primum languescentibus partibus experiendam: cum jam dentes à radicibus exoluti fuerint, vix quicquam ustione profici.

CAP. CXIV.

De dentibus acerbè tortis sive putredinis vitio corrosis sive secus.

SI quidem afflictatos dolore dentes nullo juvari medicamentorum ope licuerit, sed dolor acerbior in dies urgeat, consultum huic volui, *Galenus ex Critone in 5. pharmacorum Local. compend. c. 9.* ut tenui terrebello dens perforetur, quâ re perfectâ, sic remedijs uti licebit, illa vero fuerint origani aridi, vel staphidis agriæ ramulus, aut ricini cauliculus, in ferventi oleo tincti, vel ab imposita cera calidissimi ferramenti contactus, ex quo fortasse loco docti quondam, *Ioh. Arculanus in l. 9. ad Mansorem atq; alij*, quorum meminit *Prosper. Alpinus l. 9. med. method. c. 93.* dentes disrumpere non dubitarint, nam disruptis, dolor exhalat: quamquam imponenda mox desiderant, radicem tusam, aut chelidonij majoris, aut tythimali cuiuspiam, aut pyrethri, aut cumeris agrestis in aceto triduo maceratam aut gummi lederæ similiter aceto mollitam, sed *Hipp. l. de affect. n. 5.* pellendum igne dolorem statuit ita inquiens, si corrosus fuerit dens & movetur, eximatur, si verò non corrosus est, neque movetur, dolorem autem exhibet, per ustionem exiccatur. Quod fortassis imitatus est *Galen. l. 6. de comp. med. part. c. 2.* corrosione dolentes dentes cauterio præstrinxit.

CAPVT CXV.

De gingivæ fistula in dentem finiente.

IGne curari fistulas antiquus mos fuit, & illas item, quæ dentes aut gingivas occuparunt. In communem autem, id est, novâ nullâ ratione circumscriptam curationem haud equidem aliud afferam, quam novam meam observationem & experimentum. Videlicet has, quæ nullis tum internis tum externis conquisitis & egregijs medicamentis ne dum victus perpetuâ ratione de veteri suo statu dimoventur, solius ignis potestati concedere.

Ita enim Illustrissimo viro Hieronymo Galliano ex Ubaldinorum inclyta familia prognato fistulam decennalem aureo candente stylo præter communem omnium opinionem obduxi. Res autem comperta præter cæteras optimo consummatissimoq; medico ac philosopho, Tyberio Carnevalio, conterraneo & fautori nostro nusquam satis honorato.

CAP. CXVI.

De Carie Metacarpi.

MEtacarpi ossa, ut sentit rectè *Laurentius Iubertus, in adnot. ad opus Guidonis tr. de apost.* etiam atq; etiã credito sunt obnoxia, dolore primum & fluxione concitata, sive ab ictu, sive à collisu, sive à concussu, casuque, sive alio quocunq; percussu, sed illo quidem vehementi tumor excitatus, medicamentis repellentibus discutientibus, mollientibus, diu adhibitis frustra curatur: migrat enim collectus humor lentus, & segnis facile in putrem, ex quo longinquius immorante teredo proficiscitur ossium. Quod vitium jam apparens motus fragoris, tumoris, ulceris, excrementorum indicijs, quia sectione tractare non licet, cauterio curabitur, locus autem est brachialis ipsius deorsum inter mininũ digitum, & annularẽ, nam hâc viâ factâ facile erit ossis corrupti spõtaneus exitus, aut artificiosus extractus; medicatus verò interdum, quod necessarium est, ad omnes usus, commodior invenietur.

Causa cariei metacarpi.

Vitij nota.

Locus inurendi commodus.

Perora-

Peroratio in universam rem nostram de Cauterismo sive de remedio ignis.

Hactenus hæc nos omnia de cauteriis versoriis, de ustionibus partium, deque igne primum ipso exequuti pro virili nostra debili portione sumus, quanto cum studio ac labore pro te levando adjuvandoque, lector: potuisti per te quidem ipse perspicere, cæterum, si quid in his desideras ex Thoma Fieno huius omnis artis scriptore me hercle diligentissimo supple: plurimum ex hoc autore adiumentum accepisse nescito.

Serius transmissa suis locis inserenda.

Ad pag. 22. c. 12, finem adde hæc. [Huc etiam accommodatissimè collimare videtur Cicero, ubi pro Cluentio: Medici leviter ægrotantes curant, gravioribus morbis periculosas curationes & ancipites adhibent.

Ad pag. 143. post hæc verba manente diutius ulceratione [Item que Actuarius l. 6. c. 15. paulò post initia: At longè efficacissimum in venenatis ictibus præsidium est ustio, nam, cùm ignis facultas quâ vis aliâ sis validior, simul venena potitur, impeditque quò minus penitus serpat, simul eius depicta portio non contemnendam occasionem insequenti curationi largitur, quòd diutius scilicet exulceratio perduret, in id enim inprimis invigilandum, ne citius quàm res exigit, partes coalescant.

Ad pag. 240. sub finem cap. 31. [Curavimus hâc ratione asthmaticum Hieronymum Fastigium, hominem Septuagesimum annum egressum, qui ex vitii sevitia respirare vix valens cauterio usque ad os adacto supra verticem in confinio sagittalis & lambdoidis, integrè restitutus est.

INDEX PRÆCIPUARUM RERUM.

A.

B.

C.

Calculi

Cucur-

K.

L.

R.

T.

FINIS.